

C
87-6
28050
G86h

C
87-6
28050
G86h





Digitized by Google

RLL
28050

Digitized by Google

28040

Digitized by Google

R 201121 201121
87-6
G86h

HVGONIS GROTII

Reginæ, Regnique Sueciæ Consiliarii, & apud Regem Christianissimum Legati, &c.

EPISTOLÆ

Quotquot reperiri potuerunt;

In quibus præter hactenus Editas, plurimæ Theologici, Iuridici, Philologici, Historici, & Politici argumenti occurrunt.

28050



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & I. BLAEV,
Et prostant
Apud WOLFGANG, WAASBERGE, BOOM, à SOMEREN & GOETHALS.
M DC LXXXVII.



24


Digitized by Google


SERENISSIMO ac POTENTISSIMO

PRINCIPI

CAROLO XI

SVECORVM, GOTTHORVM, VANDALORVMQVE REGI, MAGNO DVCI FINLANDIAE, DVCI SCANIAE, ESTHONIAE, LIVONIAE, CARELIAE, BREMAE, VERDEN, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIAE ET VANDALIAE, PRINCIPI RVGIAE, DOMINO INGRIAE ET WISMARIAE, IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM DVCI.





EPistolas avi nostri, cum plurimi eas cupide dudum expetierint, tamquam naufragii late sparsas tabulas, ex variis Europæ gentibus, cum quibus ei commercium litterarum intercedebat, collectas publicamus; laetis, ut augurari libet, auspiciis. Quid enim non laeti sibi promittant a Tuo, Potentissime Rex, Augusto Nomine. Quod cum eis inscripsimus, nec Tibi injucundum, ut speramus, erit, nec aliis mirum; nobis sane hujus instituti ratio constat. Maxima pars enim epistolarum exaratæ sunt ad Serenissimam Re-

Digitized by Google

Reginam Christinam, & Regni Suecici proceres, qui avo personam legati ad Christianissimum Regem imposuerant. Qua fide, qua industria, quo studio in Reginam & Regnum, quoque successu in Suecici nominis rationibus & commodis providendis, legationem hanc obierit, in illis commemoratur. Quid aliud loquuntur, si paucas, quae adspersae sunt, quibus aut de rebus sacris, aut litterariis agitur, exceperis, quam ea, quae pertinent ad decus, dignitatem, gloriam & salutem regni Tui. Quibus artibus aut ab hostibus, aut a parum fidis & amicitiam mentientibus sociis fuerit petitum, quave sollertia & consilio illae fuerint detectae, ac discussae, declarant. Sicut Regni Suecici splendor, cum hanc dignitatem in Gallia gereret avus, & invicta vis armorum, omnium Regnorum, & gentium in se converterat oculos; sic quicquid ad hanc invidendam felicitatem & gloriam tuendam & amplificandam in amplissimo illo orbis terrarum theatro gerebatur; quidquid alibi multorum principum, aegris oculis tantam fortunam intuentium, aut livor, aut odium ad secundissimos hos Vestri Regni processus retardandos moliebantur & miscebant passim, hae narrant epistolae. Ex iis omnis posteritas intelliget, Suecorum armis & consiliis Germaniam, vicinosque populos, libertatem, securitatem & felicitatem, quâ nunc fruuntur, debere. Ex iis discent, afflictas & oppressas impotente dominatione civitates florentissimas, divini Herois, Gustavi Adolphi virtute & sapientia recreatas in spem melioris fortunae surrexisse; & ab omni hominum memoria paucos fuisse Reges, qui rerum gestarum glo-

ria,

Digitized by Google

ria, & maximarum virtutum laudibus cum Eo potuerint comparari, praeferri neminem. Sic ſane noſter avus de Guſtavo Adolpho veriſſime ſenſit, & praedicavit frequenter. Non poſſumus nobis temperare, quin ejus verbis, ſed perquam luculentis, ex epiſtola, quam ad Illuſtriſſimum Principem Ioannem Caſimirum, Comitem Palatinum ad Rhenum, Ducem Bavariae, Tuum, Sereniſſime Rex, Avum dedit, quae legitur in hoc volumine, iſtud frontiſpicium, tanquam oculiferio quodam exornemus: *Amiſerat Regem etiam Regibus venerabilem, in quo exornando virtutes omnes, & fortuna conſpiraverat: illum qui adverſus Reges tres vicinos feliciter experta arma ad ſublevandas aliorum calamitates, admirabili bonitate tranſtulerat, qui Suediam cunctis gentibus invidendam fecerat, verumque Gothicae ac Wandalicae fortitudinis parentem eſſe mundo probaverat, qui omnes pacis artes belli laudibus miſcuerat, cui parem in omnibus hiſtoriis fruſtra adhuc quaerimus. Amiſerat autem in florentiſſima aetatis parte, in medio victoriarum curſu, cum edomito Viſtula, Viadro, Albi, Viſurgi, Rheno, Danubio, ad nomen ejus jam Tybris & Tagus tremerent.* Magna haec ſunt: ſed nihil tam magnum de maximo Regum dici poteſt, quin ipſius merita id excedant longiſſime. De Te, Rex Potentiſſime, non minora ſibi ſpondent non tantum Tibi parentes populi, ſed orbis Chriſtianus. Tanta enim in aetate tenera inuſitatae virtutis ediſti documenta, ut non modo ſpem & expectationem, ſed fidem omnium ſuperent. Regnum, quod multi potentiſſimi Reges & Principes, ſociatis animis & armis, quaſi agmine facto undique infeſta-

Digitized by Google

bant, non modo ſervaſti ſalvum & incolume, reſtituta pace, ſed & ejus res domi tanta ſapientia & conſtantia conſtituiſti, ut & contra inteſtinas diſcordias & factiones nihil illo munitius, contra injuriam exterorum nihil firmius, nihil ad opitulandum ſociis & foederatis, ſi injuſta vis ingruat, a claſſibus, exercitibus, & omnibus rebus ſit paratius. Nec minor Tibi cura ſtudiumque fuit, Regia Majeſtate firmata, & in tutum collocata, in civium Tuorum ſalute procuranda, ut Sacra, jus & aequum, ſapientiae doctrinarumque ſtudia, nec non artes caeterae, quae ad vitam facile beateque degendam requiruntur, floreant, totumque regnum copiis locuples, & opibus ſit inſtructiſſimum. Quod Deus vobis proprium, Teque, Rex Potentiſſime, totamque Domum Auguſtam diutiſſime ſoſpitem, incolumem, & fortunatam eſſe velit.

REGIAE MAIESTATI TVAE

Devotiſſimi

HVGO & IANVS GROTII.

Digitized by Google

LECTORI SALVTEM.

QVi viderunt Epistolas H. Grotii ad Gallos, aliasque ejusdem Summi Viri hactenus editas, non desierunt flagitare, ex quo opera ejus Theologica prodierunt, ut si quæ adhuc Epistolæ in scriniis ejus laterent, unum in volumen collectæ in publicam lucem emitterentur. Hisce quidem votis nec nos unquam, nec Hæredes nobilissimi, adversati sumus. Sed præterquam quòd tempore aliquo ad evolvendas delitescentes chartas opus fuit, moræ aliæ intervenientes, quas scire Lectoris non interest, editionem quam animo dudum conceperamus, invitis nobis, protraxerunt. At cum moris illis nihil interciderit, nec hujus operis nitori quicquam detractum fuerit, non habebit quod queratur eruditus orbis.

Adeò nota est Grotii in omni literarum genere eruditio, ut quæcunque ab eo profecta sunt, toti Europæ acceptissima fuerint, atque inde augurium certum capere liceat hæc quoque eodem modo acceptum iri. Hîc tanta etiam est rerum varietas, ut vel hoc solo, si reliqua abessent, sine dubio placituræ essent hæ Epistolæ. Verùm ut Theologica, Philologica, & quæ ad Historiam Ecclesiasticam, ac Iurisprudentiam pertinent missa faciamus, non pauca hinc hauriri poterunt ad illustrationem historiæ hujus nostri sæculi mirè conducentia. Dum enim Magno Sueciæ Cancellario Axelio Oxenstiernæ, res in Gallia gestas refert, multa suppeditat ex quibus de Galliæ tum temporis consiliis, artibusque, ac conatibus Cardinalis Richelii, certius aliquando ferri poterit judicium, quàm ex iis qui ejus ævi historiam datâ operâ scripserunt. Uti enim ex Ciceronis Epistolis multa discimus, quæ frustra in temporum illorum Historicis requiramus, quippe quibus multa ignota fuerant quæ Ciceroni patuerunt, qui & Virorum in Republica Romana Principum facta, dicta, suspiciones, suaque ipsius cogitata sine fuco aperit: ita ex Grotianis Epistolis quæ inter Suecos & Gallos agitata sint, quæ post siparium acta, utriusque gentis artes, timores, peccata, tutiùs sæpe cognoscemus quam ex scriptis, quæ eo animo edita sunt, ut honori alterutrius Gentis consuleretur. In historiis cavent plerumque scriptores eorum partibus officere inter quos vivunt, eorum peccata dissimulant, hostium verò commissa augent, & vividis coloribus pingunt. At in Epistolis candidiùs agitur, liberè notantur qui aliquid vituperio dignum admiserunt, laudatur virtus ubicunque reperiatur. Præterea hîc multa occurrent, quæ solent negligi ab historiarum Scriptoribus, at sine quibus de Principum rebus gestis vix satis tutò judicari potest. Notum est nimirum Legatos ad Principes à quibus sunt missi, vel ad eorum Ministros, teneri quàm sæpissimè possunt Commentarios rerum quæ aguntur, ac dicuntur in Aulis, in quibus versantur, mittere, etiamsi nihil habeant quod scribant præter rumores, quia ex rumoribus istis sæpe quid sint acturi hostes, aut etiam, quod aliquando minoris non est momenti, quid de rebus judicent Principes, & ad quas inclinent partes, optimè colligitur. Imperitè ii judicant de ejuscemodi Commentariis Legatorum, qui eos contemnunt, quòd falsos rumores in iis annotatos aliquando deprehendant. Inter artes politicas quibus ducuntur populi, terrentur hostes, animi alliciuntur vel alieniores fiunt, rumores esse cautè atque in tempore sparsos, ii demum ignorant qui sunt omnium historiarum, imò vitæ communis ignari. Itaque & talia nosci, & historicorum, & omnium eorum qui historiam amant multum interest; id autem aliunde resciri nequit quàm ex Epistolis eo ipso tempore scriptis, quo evanidi rumores spargebantur.

Hinc quoque discet Lector quodnam de variis ad Politicen pertinentibus judicium tulerit Grotius, & ii quorum munus est ad clavos Rerumpublicarum assidere, aut qui ad

Digitized by Google

ad ejuſcemodi munus ſeſe comparant, hîc exempla quæ fugiant, & quæ imitentur, canonas quos obſervent habebunt. Sunt enim in hiſce Epiſtolis variæ Politicæ obſervationes, quæ licèt breviter attingantur, nec quaſi oracula quædam pronuncientur, ut ſolet fieri à quibuſdam qui politica axiomata ubique faſtidioſè inſerunt, attamen ex alta ingeniorum, de quibus agitur, cognitione ductæ apparebunt.

Videbuntur fortè quibuſdam hîc eſſe nonnulla quæ potuiſſent omitti, ſed piaculum fuit oculis Lectoris vel minimum ductum, ut ita dicamus, Grotiani ingenii ſubtrahere. Amantur enim meritò magnorum virorum etiam minima dicta, ac ſcripta, quia ex hiſce aliquando meliùs eorum perſpicitur indoles, quàm ex iis quæ ſumma cum cura egerunt. Tum enim eas tantùm ſui partes oſtendunt, ex quibus fama ipſorum poteſt augeri, intimos animi receſſus abſcondunt, quos cum apud familiares loquuntur aperire ſolent. Liquebit autem legentibus, Grotium in variis Epiſtolis candidi pectoris arcana revelaſſe, nec virum prudentem ea tantùm dixiſſe quæ publica eſſe vellet, ſed ita ad amicos ſæpe ſcripſiſſe, quemadmodùm præſens præſentes alloquutus eſſet. Inter ea quædam etiam Grotiani nominis hæredes deliteſcere non illibenter paſſi eſſent. Sed cùm nec nobiliſſimæ familiæ ullum creare detrimentum poſſent, & jam prælo ducta fuiſſent, priuſquàm animadverterentur, potius viſum eſt relinqui, quàm editionem exoptati eruditis operis morari. Atque hæc ſunt quæ Lectori hîc dicenda habuimus, prætermittentes & vitam Auctoris, quæ ex præfatione primi Voluminis Operum Theologicorum cognoſci poteſt, & quæ in hiſce Epiſtolis de variis diſciplinis habentur, multo meliùs ab Auctore ipſo dicenda, & apud eum Lectoribus gratiora futura.



HUGO-

HUGONIS GROTII
EPISTOLÆ.

Illustrissimo Domino,

D. IACOBO AVGVSTO THVANO,

Præsidi Curiæ Paris. dignissimo.

Nobilissime Domine,

1 ANno fui in Gallia: Vidi regnum optimum, Regem optimum, Proceres optimos, quod gaudeo: non & te, quod doleo. Non potui præsens me tuæ familiaritati insinuare; nihil restabat nisi occasionem præsenti denegatam literis compensare. Tentavi; sed frustra absque Textera fuisset viro optimo, &, multa paucis, tuô, atque de quo magna apud nostros opinio. Is librum à me Principi primario dedicatum, voluit eidem, licet imperfectum, offerre, cum aliis quibusdam exemplaribus, inter quæ & hoc tuum, pignus novæ amicitiæ cujus hæ literæ instrumentum. Plura non scribo: sufficiat, vel tribus verbis, ut patrono solenne, OPERAS, MUNUS, DONA polliceri. Vale. Delphis Batavorum, Kalendis Aprilibus Anni ἀπὸ τῆς θεανθρωπογονίας 1599. Tuus χρήσει καὶ κτήσει si cupis,

HUGO de GROOT.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

2 EPithalamium Regium meum raptim exaratum tibi mitto. Invenies in eo stragis Parisiensis, & bellorum civilium descriptionem. Multis ea erit ingrata, neque dubito, sed aliter Panegyris fieri non potuit: etiam Scaligeri, quem super ea re consului, judicio. Præterea ἀμνηστίαν [*amnestiam*] subjunxi. Sed utrum id satis sit, à te judicium exquiro. Rogo ut scribas (quanquam scio curas publicas vix pati,) auctor sis edam an supprimam. Dum literas tuas expecto, non prodibit. Alia mihi opuscula præ manu sunt, quorum unum tuo si pateris nomini inscribo, ut testatiorem habeas meum erga te affectum. Operam omnem licet perexiguam animitus tibi promitto. Interea bono tuæ patriæ & humanioris studii vale, & me, nisi indignus sum, patroni loco ama. Hagæ Comit. 4. Non. Jul. An. 1600.

EIDEM.

3 QVod serius literis tuis, Illustrissime Præses, respondeam, mirari te nolim. Scriptas enim Decembri anni qui præteriit, circiter Non. Martias ejus, qui nunc labitur, recepi. Supra modum delectatus sum, cum vidi, Capellam meum, Aratea & Epithalamium Regium ad tuas manus non pervenisse tantum, sed & grata fuisse, non quod arbitrer juvenilia opuscula tui suffragii laudem mereri, sed quod confidam donantis animi justum te fuisse censorem. Ego de Martiano & altero Syntagmate ita judico, mereri ea ætatis (nam diu ante plenam pubertatem scripta sunt) excusationem. Tu vero ulterius istis principiis bene ominaris & in spem aliquam posse dicis excrescere. Vtinam sane! summum hoc mihi votorum sit à laudatis laudari. Ad Epithalamium quod attinet, doleo multa in eo aliter scripta quam rem se habere postea cognovimus; ex conjectura enim composui. Et utinam de bello Allobrogico inserere aliqua licuisset omissis aliis. Nescio quomodo eveniat, quod in me experior, ut priores fœtus provectioris damnet ætatis judicium, & tamen numquam desinamus displicitura condere. Habeo jam nonnulla perfecta, alia quoque affecta, quæ ubi edita erunt non prætermittam, quin ad te curem transferri. Totus sum in colligendis iis, quæ tibi in annalibus Gallicis usui esse possint: plurimum patriæ interesse ratus, si ejus gesta vicinarum rerum occasione tam insigni scripto prodantur. Dabitur etiam opera, ut quod petiisti intelligas, quæ nempe hora, quis locus nostratibus viris eruditis fuerit fatalis. Felicem te, qui per otium, cujus parvam tibi esse copiam facile persuadeor, ea præstes, quibus alii, quorum ea præcipue cura est, longe sint impares. Felicem Galliam, quæ eorum regitur consilio, qui parum temporis, quod ex publicis curis residuum comparcitur, liberaliter rei impendant literariæ. Atque utinam ego olim tam felix, ut in ea virorum illustrium amicitia præsens fruar, quod brevi futurum non despero, tuam mihi sperans gratiam non defuturam. Vale Vir Clarissime. 3. Non. Martias Anni 1601.

EIDEM.

QVanquam nihil haberem eximii, quod ad te scriberem, Vir Illustrissime, tamen cum literas aliquot in Galliam darem, committere nolui, ut non saltem mei tibi memoriam revocarem. De virorum doctrina illustrium, qui apud nos fuere, morte, ejusque tempore, quæsivi diligenter, sed parum adhuc inveni. Nam plerique hîc à literis tam sunt alieni, ut si quem in cognatione eruditum habuerint, tantumdem de eo possint referre ac si nunquam fuisset: Gulielmum certe Canterum natum anno quadragesimo secundo, mense Julio, die 28. denatum anno 75. Mense Maio, die 28. cum ætatis annum trigesimum tertium nondum explesset, ex fratre Theodoro intellexi. De Falckenburgio etiam, Nannio & Giselino spero me brevi resciturum. Sunt hîc Sculptores, qui se omnium, quæ nostro bello gesta sunt, ὑποτυπώσεις [*delineationes*] propediem aiunt edere coacervatas. Is liber si prodierit, à me mittetur, ut non tibi modo, quod omnino debeo, sed patriæ meæ hac re gratificer, cujus interest tantum habere rerum suarum scriptorem. Nunc ad vos fertur Mauritii Nassovii Genealogia, cui adjunctæ sunt omnium victoriarum delineationes; sed pleræque ultima Annalium tuorum tempora secuta sunt. Bredana tamen ad tuum opus pertinet, in qua satis accurate laboratum. Videbis mea Carmina Tabulæ inserta. Qui eam edidere, Regi offerent, cui gratam fore confidunt si tibi non displicebit. Sed commendet sese quicquid est, non ego. Hoc scio, anxie omnia ad Historiæ trutinam examinata, quoad urbium, locorum & castrorum situs, & ea, quæ ad expeditiones, obsidia, prælia, pertinent. Vale Præses Spectatissime, meque perpetuo tuum habe. Prid. Kal. August. Anno 1601. Hagæ nostræ Comitatensi. 4

EIDEM.

Tibi hæc mittuntur, Præses Illustrissime, qui post Scotiæ illud numen redivivam nobis reduxisti Tragœdiam: Nisi quod & Buchananus ipse, in aliis Vir maximus, à cothurni gravitate degenerare videtur, ut merito te primum duce, postliminio rediisse videatur prisci pulpiti grandiloqua Majestas, ab ipso fortioris auctore Tragœdiæ Æschylo. Suscipe ductor asseclam tua adorantem vestigia. Suscipe Tragœdiam & quidem sacram, ad quam scribendam ut exemplum tuum invitavit, ita manifesta deterrere potuit inæqualitas. Sed hoc furibundi fuerat, in quo argu- 5

 mento

Digitized by Google

mento quis vellet excellere, in eo Thuanum sequi: cui quis non ita cedit ut nec ad secundas aspirare audeat? Nos certe carminis gloria nulli non cedimus. Sed juvit sacris operari, quod vitio nobis verti non potest de laude non nimium sollicitis. Nannium mortuum intelligo biennio ante fœdus inter Hispaniæ Regem & Galliæ ictum, quod incidisse puto in annum 1559. Mensis fatalis viro eruditissimo fuit Februarius. Vixerat annos sexaginta & duos. Aliorum lethales horas etiamnum indago. De Cantero jam scripsi. Vale plurimum, Præses Spectatissime, meque tuum habe. 3. Non. Sept. Anno 1601. Hagæ.

EIDEM.

6 Nihil mihi gratius potuit obtingere, Præses Illustrissime, quam si sereno vultu nugas meas susceperis: idque ita esse cum diffidere causæ jubeat conscientia, tua fernie persuadet humanitas. Sperare non audeo, cum me noverim, nec desperare cum te noverim. Ne vero officio erga te & Belgicam nostram deessem, quæ de Gerardo Falckenburgio comperi, ad te transcripsi. Noviomagum scripta produnt. Annum agebat quadragesimum cum Steenvordiæ in aula Comitis Benthemii obiit, ibidem sepultus. Fatalis annus fuit millesimus quingentesimus septuagesimus octavus. Dies illi ultima, quæ sexta mensis Septembris. Plura scriberem, nisi Tabellarius instaret, qui hoc ipso temporis momento ad vos cogitat. Nunc laconismum meum æqui consules, meque tuorum in numero habere dignaberis. Idibus Novemb. Anni 1601.

NICOLAO FABRO.

7 Amicitia tua, Clarissime Faber, nihil mihi optatius, nihil jucundius unquam potest contingere. Suadet tua eruditio, tui mores, & communiorum studiorum sacra, quibus felicissime operatus es: Et magnus Princeps, quem ego colo, tu doces & Chiron es isti Achilli. Nec vana posco, spem mihi fecere Palleti literæ, ex quibus disco te meas esse aliquid putare nugas; quod fieri vix posse arbitror, cum judicii tui acumen considero, nisi glaucomam (pace tui dixerim) lynceis oculis objecisset affectus. Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt? Et ô utinam de Tragœdia etiam tuam accepissem sententiam! Certe aut lucrifecissem amicitiæ jure censoriam notam, aut illud audissem: *Æneæ magni dextra cadis.* At nunc omnia cum sperem, nihil non metuo; & turbat me nupera ista procella & Æoli rabies atque Neptuni, quibus literas nonnullas periisse intelligo; ut in illis vestræ, Dii avertant. Oro igitur per venerabile nostrum utrique numen & dona Musarum, ne me diutius fluctuare sinas, spemque metumque inter dubium. Si bene novi tuum ingenium & humanitatem morum, simul & literaturæ nomen, grave non erit tribus verbis perscribere; Multum tibi an parum displicuerit cothurnus ille noster, & sacrum syrma: quo vultu orchestram Princeps inspexerit, steteritne recto talo Tragœdia, applauseritne cavea spectatorum, & quæ huc pertinent. Si rescribere dignaberis, per eos curabuntur optime literæ, qui in comitatu sunt D. Buzanvallii, quem ad nos iterum legari audio. Scripsissem ad Excellentissimum Principem, ad D. Palletum, alios: sed tempus non patitur. Festinato enim opus est. Hunc à me salutes velim; illi me meaque commendes. Vale, Vir Amplissime, & me ama. Hagæ Comitatensi, 12. Kal. Mart. Anno 1602.

D. IAC. AVG. THVANO.

8 Facilius ab occupationibus tuis, Virorum Illustrissime, impetrabo, ut carmen hoc legas, si non & epistolam prolixam adjunxero. Cæteri quid tibi debeant, (debent autem immensum & boni & eruditi omnes, quorum hos scriptis, illos exemplo instruis) digno forte munere testabuntur, si quid tamen tantis meritis dignum reperiri potest. A me pro gratia accipies professionem paupertatis, cum videbis quam sint exigua & mole & pretio, quæ à nobis possunt expectari. Simul hoc munusculo veniam deprecabor eorum, quæ tibi quondam puerili temeritate obtrusi: quorum equidem toties me pudet ac pœnitet, quoties à me, ne meminerim, impetrare non possum. Erit puto cum & horum me pœniteat: imo jam pœniteret, nisi aliquid hoc mihi videretur, ex eo tempore, quod foro dicatum est, tributum Musis pendere, & magno animo damnare vulgi opinionem, artes illas parum sociabiles judicantis: qua in re contentus studii laude, de successu despero. Nam quæ ad gloriam singula sufficiunt, ea cum gloria conjungere pauci Diis geniti potuere, iidem scilicet, quibus æqua felicitate contigit acta scribere & scribenda agere. Hagæ Prid. Kal. Oct. 1606.

EIDEM.

Erat cur dubitarem, Vir Amplissime, deberemne opusculum hoc ad te mittere, nec ne. Nam cum hoc cogito, primum non scriptum esse eo animo ut ederetur, deinde cum edendi consilium fuit, emendandi patientiam non adfuisse; statim succurrit non recte hoc ipsum tuis oculis ingeri, quibus subtrahi multa deberent, etiam quæ publicarentur. Sed cum argumentum inspicio ejus generis quo te delectari maxime sæpius ostendisti, ambigere non audeo, quin id tam gratum tibi sit futurum, ut & vitia scriptionis possit deprecari: quippe apud quem magis profutura sit instituti pietas, quam nocitura ingenii tantæ materiæ succumbentis inopia. Cum meas occupationes, quæ magis multæ sunt quam magnæ, cum tuis comparo, quibus & summa judiciorum majestas & tanti regni status incumbit, facile judico, quam mihi vix ad scribendum tempus superfuit, tam tibi ad legendum hoc poëma tempus defuturum. Si tamen aliquam partem delibaveris, rogo cum venia legas, tum ætatis satis adhuc rudis, tum negotiorum forensium, quæ amœnioribus studiis, parum erat quod diversa sunt, vix est ut non adversa videantur. Ego quidem ita experior, majori tempore opus esse ut à senioribus curis avocetur animus, quam hoc est quod carminibus & id genus literis impenditur. Tuæ autem benignitatis erit, cum ipse unus multos homines facillime præstes, illam tamen, quæ majoris hominum partis imbecillitati convenit, excusationem æqui consulere. Qui has fert literas, filius est Senatoris apud nos literarum amantis, atque inter cæteras virtutes, admiratoris tui nominis, qui filio suo hanc tui videndi occasionem præberi voluit; quod ut gratum habeas, obnixe rogo. Hagæ Comitatensi. Idib. Aprilibus 1608. 9

Viro Perillustri,

PETRO IANNINO *Equestris dignitatis, Senatus Divionensis Principi, Regi Francorum ab interioribus consiliis, ejusdemque Regis ad Ordines Fœderata Belgico-Germaniæ Legato.*

Non erat quidem in animo, Vir Amplissime, ulla juvenilium operum editione famam forte imprudenter hactenus lacessitam denuo periclitari, ac nunc maxime cum eo munere distringar, cujus gravitatem severiores judices non satis tuto collocatam apud eum existimabunt, qui istorum lusuum nondum serio oblivisci didicerit. Sed mutare institutum cogor, cum video majus mihi famæ discrimen subeundum esse, si, cum tu mihi tot atque tanta beneficia & quidem tam aperte præstitisses, memoriæ eorum à me nullum publicum extaret testimonium. Hoc est, quod me excutere omnem paupertatem meam jussit, & in ea quærere munus non pretio tantum sed & mole exiguum, & quod sic etiam testaretur, quam longe nostra omnia infra meritorum tuorum magnitudinem jaceant. Et ecce inveni quod offerrem, non trepidus & quasi fulgorem legationis tuæ respiciens, sed securus & certa fiducia, exceptum à te iri ea comitate, qua literas & studiosos literarum foves, & quam ad me usque demisisti. Patere igitur, quæso, clarissimum nomen & Gallicis Annalibus perpetuo celebrandum huic libello asscribi, ut videant hoc signo homines me, qui 10 gra-

Digitized by Google

gratus esse non potui, sponte tamen ingratum non fuisse. Verissima Gallorum laus est humanitas, maxime in externos: sed tua illa notos hactenus limites excessit, ideoque non genti communis, sed propria est tibi. Juvenem, in quo nihil erat laudabile, nisi bonarum artium cupiditas & eminentium virorum admiratio animatum adspectu & sermone tuo, quod multum fuerat, ultro etiam, cum dignitatis tuæ venia id dixero, in amicitiæ interioris sinum admisisti. Insuper quæ ad me ornandum pertinebant, eorum, tu occasiones omnes rapuisti, animo non tantum benigno atque propenso, sed prope dixerim paterno. Quod nisi ista privatim mihi præstitisses, quæ sperare improbum fuerat, tamen quam mihi cara est patriæ salus, tam tibi eram publico nomine obligatus. Princeps ille vester fortissimus idem atque optimus, & qui amicitias docet non utilitatis modo, sed & animorum integritate æstimare, ut qui pro acceptis tanto majora reddit, quanto ipse omnibus major est, sæpe quidem & summis beneficiis ostendit, quam cari sibi essemus Batavi, nunquam tamen evidentius quam cum nostri causa te à latere suo seposuit. Hoc enim tunc visus est dicere: En hic ille est, cujus sapientia & fides in nomen Gallicum, regnum hoc, quod nunc est florentissimum, non modo ab externis manibus servavit, sed ab intestinis quoque discordiis sanavit, & quæ maxime labefactata erant, majestatem regiam, legum auctoritatem, ærarii vires ita mecum restituit, ut à prima Francorum origine firmiora nunquam fuerint, & ipsis vulneribus profecisse videantur. Hic est qui, si quando magnum hoc corpus aliqua sui parte morbum senserit, ad laborantia membra continuo mittitur, cujus adventu luxata in locum redeunt, tumentia sidunt, diducta coalescunt. Hujus ego mentem cunctis artibus imbutam & gravissimis laboribus exercitam, hujus provida consilia, quibus ad res maximas uti felicissime soleo, vobis Batavi dono, periculosissimo hoc vestro tempore, ut ipso suasore, aut bellum geratis fortiter, aut pacem faciatis prudenter. Istam Regis tui bonitatem, istam nostri curam, tu quoque, Jannine Amplissime, ad nos attulisti. Et sive cum adversariis colloquia, sive cum vicinis fœdera, sive ordinandæ Reipublicæ status consilium posceret, dixisti sententiam non ut Gallus, sed ut noster: imo hoc ipso noster, quia Gallus. Ab omni ætate oppressis injuria gentibus in vestri regni potentia subsidium fuit. Omnes per Europam sui juris populi libertatem vestris auxiliis acceptam non semel ferunt. Hoc sentiunt Veneti, sciunt Helvetii & Rhæti, meminit Germania. Sed propior inter nos conjunctio, qui etsi imperio & locis separamur, totis tamen animis unum sumus. Vidisti quis esset, cum huc primum appulisses, concursus, quam non ficti adventum tuum non tibi, sed sibi gratulantium vultus; quia ista navi duo maxima bona, Regis favorem & tuam sapientiam, advecta interpretabantur. Sed crede, expectationem, quæ fuit maxima, præsentia tua longissime vicit: neque te ulla ex parte tam læti exceperunt homines quam inviti dimittent, quandocunque te res Gallicæ & curæ majores à nobis revocaverint. Mihi sane quam id tempus triste venturum sit, haud facile verbis expresserim: auferet enim mihi præcipuam felicitatis meæ partem. Bene tamen est, quod neque memoriam qualemcunque mei apud te, neque honorem, qui ex consuetudine tam illustri mihi contigit, unquam poterit extinguere. Idque ipsum ut quam plurimi nossent, quando id mea non parum intererat, hac publica allocutione curandum censui: qua animi tibi devotissimi signum Tragœdiam hanc offero. Quod dignum te esset, cum à me dare non possem, à materia sumpsi, qua nulla est aut facto acerbior, aut fructu lætior, aut undique sanctior. Hæc eadem est, quæ sola Christianorum mentes adeo dissociatas atque divulsas & tanto inter se odio certantes quanto amore deberent, ferme invictas adhuc continet, neque in immensum à se invicem discedere patitur. Quo quidem argumento non poterat inveniri aliud isti tuo animo convenientius, qui jam dudum luctuosis hujus sæculi dissidiis ingemit & pacem Ecclesiæ, quam nos optare tantum possumus, etiam quantum in se est, (est autem plurimum) procurare instituit. Ut enim ea, quæ ad salutem necessaria est, veritate stabilita, in cæteris inter injustum dominatum & effrænem licentiam ordinata libertate, partes ambitione, avaritia, privatis denique studiis, & quæ per bella invecta est maledicendi faciendique impunitate, plurimum incensæ paularim in fœdus redeant, ad eam rem Regis vestri Principum Christianoum Principis auctoritas, tum vero tua ac tui similium lenitas atque moderatio spem maximam præbet: quam aliquando ad exitum perducat ille, qui nos in commune sanguine suo redemit: cujus ineffabilis beneficii memoriam hac Tragœdia si non faulto successu, ac pio conatu expressimus. 1608.

NICOLAO REIGERSBERGERO.

Colloquium Professorum quem finem habuerit, an ante abitum intellexeris, equidem nescio. Injunctum 11
est utrique τῶν καθ' ἕκαστα quæ in Conventu acta sunt, silentium. Publice hoc uterque professi sunt. Amicius actum quam ipsi speraverant. De Controversiis decretum iri in Synodo Nationali, aut, si ea non maturetur, provinciali, quam cis paucos menses exspectamus. Interim vetitum est quicquam dicere, sacris Literis, Confessioni, & Catechesi contrarium. In Conventu Ordinum Hollandiæ, post relationem factam à Senatu, cum D. Oldenbalverdius, brevi, quam ad Professores habebat, oratione, inter alia gratias se habere Deo diceret, quod de Christianæ Religionis capitibus nulla esset disputatio; respondit Gomarus, postulata dicendi venia, ejusmodi esse Collegæ sui opiniones in articulis inter ipsos controversis, ut ipse, ita sentiens, nolit coram Deo Judice consistere: quæ vox, aliis vehementior, aliis plena liberæ conscientiæ visa est, eo magis, quia per aliquot dies, & eo maxime tempore, vultu ac sermone moderato, usus erat. At Arminius dicebat, non ita graves esse controversias, sed maxime circa prædestinationem ambigi, quod ideo in Conventu dixisse videbatur aut credebatur, quia in isto argumento, popularis ac plausibilis est novitas. Cæterum Gomarus, qui sæpe professus est magno se mei alloquendi desiderio teneri, occasionem arripuit his diebus feriatis, statimque injecit sermonem περὶ τῆς ἑτεροδοξίας [*de opinione diversa*], quo tempore cum multa acriter in Arminium diceret, impiasque & profanas vocaret ipsius opiniones, tamen de prædestinatione vix quicquam locutus est. Sed primum in illam maxime sententiam invectus est, quæ justificationis objectum aut materiam statuit fidem, justitiam autem Christi causam meritoriam justificationis ejus quæ est ex fide. Quum recepta sit sententia, fidem habere in negotio justificationis rationem solum manus sive instrumenti. Plerique ex Senatu judicaverant hoc non multo plus esse quam λογομαχίαν [*Verborum pugnam*], cum illud inter utrumque constaret, non dignitatem operis, sed Dei gratiam efficere, ut justificemur fide: Ille contra, rem magnam agi putabat; Itaque apud me diu hærebat in explicatione τοῦ λογίζεσθαι [*imputare*], qua voce usus est Apostolus, & Arminius pro se facere arbitrabatur. Deinde veniebat Gomarus ad articulum Perseverantiæ Sanctorum, non satis esse dicens, si fatemur regeneratos nunquam ita gratia excidere, quin eam in fine recuperent, nisi & hoc credamus, nunquam eam gratiam, ejusque effectum fidem omnino amitti, sed minui duntaxat. Qua in re memini, me tibi monstrare Melanchtonem fuisse in contraria sententia. Gomarus autem urgebat pro sua ac recepta sententia Ecclesiarum, verba nostræ Catecheseos, circa articulum de Spiritu sancto. Venimus postea ad Perfectionem Sanctorum, circa quam Arminii nescio opinione, an dubitatio dicam, καὶ συζήτησις [*disquisitio*], & ante & nunc, ex quo cum Vtembogardo post Gomari colloquium contuli, visa est mihi repugnare cum definitione Catechismi, qua ad quæstionem, An in hac vita possent Sancti legem implere? respondetur negative. Neque mihi verum videtur quod Arminius ait, interrogationem esse de potentia, de actu autem responderi: cum responsio negativa, neget hoc ipsum quod

quæritur: etsi fateor rationem, atque autoritatem subjectam, magis actum respicere; sed neque illud video, quæ sit illa potentia, quæ ad actum numquam perducitur. Sicut autem Gomarum alacriorem solito, ita Vtenbogardum tristiorem reperi solito, ac dicentem inter cæteros sermones, etsi Synodus procedat, quod omnino futurum credebat (de provinciali loquor) tamen cùm tantis præjudiciis res agatur, & singulares Doctorum opiniones, in mentes discipulorum sensim irrepentes, atque auctu temporis, & aliius inquirendi negligentia ac specie, tacito Ecclesiarum consensu receptæ, liberam magnorum ingeniorum sedulitatem autoritate sua jugulent, neque minus in Ecclesiis, quàm in aliis consessibus vincat major pars meliorem, non alium se eventum rerum Arminii sperare, quam Castellionis fuerit, qui pressus impotentia adversariorum eo redactus sit, ut vir non indoctus & perpetuæ famæ lignando sibi victum quæreret. 1608.

EIDEM.

12 MI frater, ita enim te appellare jus fasque est, non modo veteris amicitiæ privilegio, sed & novæ affinitatis jure, quod ipsa soror tua, jam totum mensem nupta, negare non audebit. Vbi nunc agas, & quomodo, scire vehementer desidero: Parisiis an fueris, ibi Thuanum & Casaubonum conveneris? quid tibi Aureliæ placeant? jamne Ligerim navigaveris, & ad Andes perveneris? quæ tibi visa nova terræ facies? ubi montes, silvæ, fontes, flumina, quæ nos Batavi ferme nisi legendo atque audiendo non novimus? ipse regni augustissimi ac florentissimi status ecquid te delectaverit? quam festive nugentur Monachi & Sacerdotes, vix antehac tibi visa animalium genera? numquid ad Iesuitæ conspectum expallueris? quid tibi in mentem veniat audienti quotidie senescentis Regis novos amores? quæ illic super rebus nostris judicia? pax ne speretur, an Gallicæ manus in Hispanum pruriant? Ego hic etiamnum à publicis privatisque rebus in Zelandia apud tuos patrios Lares atque Penates distineor: ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audio. Nisi quod Præsidem Ianninum scio in Hollandiam venisse. Legatos, qui partim discesserant, redituros. De Monacho nihil certi nisi ad d. XVII. Iulii in Hispania fuisse sine certa spe reditus. De nuptiis nostris unum te cælare non possum, Tuningium juniorem & Heinsium, paranymphos meos, hìc in amorem incidisse, & quidem communem, ita ut qui amicissimi venerant, abierint rivales. Hodie literas ab utroque accepimus, certatim se nobis commendant: quia apud Blonckium nos aliquid putant posse: & apud ipsam Blonckium, est enim cognata ipsius, Margarita Luyxia nomine, quæ illos serio commisit. Scribe cui favere nos malis. Mitto tibi doctissimum carmen Heinsii in nuptias nostras, quo nihil unquam vidi, ne ab ipso quidem, in eo genere excellentius. Accesserunt Erotopægnia nostra quæ aliqui, inter quos est Scaliger, non improbant. Ego ea ipsa in gratiam ejus, cujus honori dicta sunt, in linguam Batavicam transtuli, satis feliciter ita ut ferme versus versui respondeat. Multa quoque alia Gallice & Batavice lusi quæ in juvenum ac virginum manibus sunt, adeo bene nobis cessit nostra insania. Res Ecclesiasticæ quiescunt: & quidem melius, ut arbitror, præsertim cum hostis sit in specula. Gomarus magis in dies se ducem partium facit. Zelandi vestri quotidie controversias declamant, de prædestinatione, de perseverantia regeneratorum, de objecto justificationis, & alia ejusmodi. Bucerus Epithalamium Græcum nobis dedit. Neræus (nosti enim & hunc) Gallicum satis licentiosum: Heinsius etiam Batavicum. Baudio tam male est, ut versus scribere non vacet. Da veniam quod longiores literas non scribo. Materia deficior, quam uberiorem habebo ubi in rerum scena, hoc est, Hagæ fuerim, quod cis octo dies aut paulo amplius futurum spero. Vbi te Parisios iturum scivero, faciam habeas literas ad amicos. Monebis me in tempore. Omnes tui te salutant. 1608. 18. Augusti.

Tui amantissimus Frater H. G.

IACOBO AVG. THVANO,

Senatus Parisiensis Præsidi.

Si forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni,

VT ego nunc tibi, Virorum Illustrissime, libellum hunc mitto de Republica nostra; tibi, qui non Gallica tantum, sed Orbis totius Historiam ita complexus es, ut tamen nemo vel ab otiosissimo homine unquam expectaverit: tanta rerum copia, tantus verborum nitor. Ego vero quid mitto? Opusculum tenue si materiam spectas, non res totius generis humani ac ne magni quidem regni alicujus, sed unius gentis angustis inclusæ finibus: quid quod nec hujus res omnes, sed breve compendium eorum duntaxat, quæ ad summam Reipublicæ administrationem pertinent? Plane nihil quod ames, nihil quod laudes, præter animum tui similem, hoc est, amantem patriæ suæ, & minime νεωτερίζοντα. [*res novas molientem*]. Exosculor illud Thucydidis, ὅπερ ἐδίξατό τις σχῆμα τῆς πολιτείας τῦτο δίκαιον ξυνδιασώζειν [*qualem quis statum Reipublicæ invenit talem justum est ut conservare conetur*]. Hoc tu in magno illo Ægæo præstas: nos conamur in sympluvio nostro. Tuum illud, Virorum maxime, opus immortale, quamquam & sermonis elegantiam ab ipsa antiquitate reduxit, & rerum varietate placere nemini non potest, nulla tamen in parte meretur de legentibus quam quod eos & Viros bonos & Cives bonos facit. Nos quoque inter hujus sectæ discipulos erimus, & dabimus operam, ut in rebus omnibus exemplo tuo præstemus fidem & libertatem. 9. Aprilis 1610. 13

ANTONIO WALÆO.

QVòd & legeris libellum meum, & tam amicè judicium mihi tuum perscribas, Vir Clarissime, debeo tibi plurimum. Nec profecto quicquam multo jam à tempore libentiùs legi, quam literas tuas. Non quidem ob laudes, quas ut ab amico animo profectas agnosco, ita non deberi mihi scio, in isto præsertim opere rudi & subitario. Sed hoc me inprimis juvit, quod meum judicium, cui alioqui merito diffido, tuo, cui tribuo plurimum, multis in partibus confirmetur. Nam postquam misso in Zelandiam exemplo, meum ipse scriptum relegere cœpi, (& jam primus ille calor qui nos à scriptione recentes ambit atque occupat, deferbere inceperat) notavi ferme eadem de quibus tu mones, ut offensis obnoxia, his præsertim locis atque temporibus. Videbam, non difficilem fore purgationem apud eos qui rectè instituti mei rationem considerassent: attamen prudentius atque rectius fore, si ita cuncta mollirentur, ut purgatione quàm minimum indigerent: quod ipsum tamen cùm esset difficile, semper enim aut in hanc aut in illam partem impacturus videbar, deliberare cœpi, an non rectiùs premerem fœtum, aut certè editionem in pacatiora tempora differrem. Verum est omnino quod tu dicis, esse etiam inter ea quæ cum Papistis disceptantur, quæ arcem veræ fidei plane oppugnant. Attamen ipsa adhuc arcis fundamenta apud eos apparent: quæ quidem necesse est majora atque digniora esse, si comparatio instituatur, quàm cætera quæ superstruuntur; etiamsi fundamentis sint proxima: quanquam & inter hæc sui gradus. Junius noster dicere solebat, Papistas ita in fundamentis errare, ut à fundamentis non aberrarent; cui ego plane assentio. Inter alia profanissimum morem Deum effingendi per simulachra, ne scripto quidem meo dissimulare potui, in quo tamen proposueram à controversiis abstinere: quia profecto spero, etiam cordatos in ipsa Romana Ecclesia viros non posse illam impietatem approbare, ut nec crassas quorundam & Pelagianas de Libero Arbitrio, quatenus Gratiæ opponitur, & de Meritis opiniones. Ea autem ipsa quæ apud Pontificios sunt periculosissima, puto etiam ex illis principiis, quæ ut con- 14

fessa

Digitized by Google

fessa pono, posse convelli ac labefactari. Quo major illorum esse debet auctoritas, quorum veritatem ne illi quidem negare audent, qui per ea ipsa falsitatis convincuntur. Ac ferme verum est quod quidam magni nominis Theologi prodiderunt, omnia quæ vera sunt, & quæ nos credimus, eadem à Papistis agnosci: sed addi insuper *falsa* alia, quorum quædam sunt talia, ut cum primis illis agnitis veris non possint consistere. Vnde sequitur, redacta Religione ad ea in quæ omnes Christianæ Ecclesiæ omnium temporum consentiunt, collabi Papismum, ut qui conflatus sit ex privatis opinionibus. Samosatenianos autem & si qui sunt similes, non modo Christianorum, sed nec hæreticorum nomine dignor: quæ enim ipsi docent, cum universali omnium ætatum atque gentium Fide pugnant, & Christianitatem, quantum ego intelligo, nomine retinent, re destruunt: itaque hos à Mahumetistis non longe separo; qui ne ipsi quidem Jesu maledicunt. Quare non modo τὴ λόγυ ἀιδιότητα [*Verbi æternam Divinitatem*,] sed & veram satisfactionem, extra τὰ ἀμφισβητήμενα [*Controversa*] posui: item præscientiam Dei & immensitatem. Vbi περὶ τριάδος [*de Trinitate*] loquor, hæsisse me fateor, quia cum εἰσαγωγὴν [*Isagogen*] quandam vellem scribere, & me velut aptare iis quoque qui ad Christianismum invitandi adhuc sunt, non inveni verba talia, quæ cum meo instituto congruerent, hoc est, aperta, plana, popularia. Nam ut ὑπόστασιν [*hypostasin*] quæ vox in sacris Literis hac in re usurpatur, intelligat, ὁ κατηχήμενος [*Catechumenus*] longo ambitu circumducendus est: & humani ingenii captus, cui me in tradendis his principiis molliter insinuare volui, vix eo usque assurgit. Itaque tentabam, an possem qui modus de Deo loquendi tutissimus dicitur ἀποφαντικῶς [*enuntiative*] innuere id quod res est, addita insuper similitudine humanæ mentis, quam inter Veteres Augustino, aliisque, & inter nostros Plesſæo, etiam Junio, præ cæteris placuisse memineram. Ad præcidendas hæreses vox ὑποστάσεως [*Hypostasis*] plane necessaria est, maxime ut intelligantur λόγος καὶ πνεῦμα [*Verbum & Spiritus*] aliter Deo tribui quam veritas, bonitas, justitia, &c. Sed quæ loquendi ratio meo isti instituto, quod plane intelligere te video, sit accommodatissima, velim cogites, & hac in re vel maximè sudantem juves. De Arbitrii libertate usurpavi quantum potui phrases Patrum, ne nostris quidem improbatas, & gaudeo, videri tibi benigné hæc interpretaturos, qui controversiis nuper motis impliciti non sint. Sed simul cogites velim, si quid ultra addo, abiturum me à proposito manendi ἐν τοῖς ὁμολογυμένοις, [*in iis, quæ confessa sunt*] & sine dubio adversaturum me apertè Patribus Græcis, si non & ipsi Augustino. Cæterum ad eos quod attinet qui apud nos hac de re & aliis quibusdam capitibus disputare nuper cœperunt, eorum ut ego sententiam, quippe haud dum plane mihi percognitam, damnare non ausim, ita vias quas insistunt, apertè improbo. Si quid enim obscuri fuit, id in consessu eruditorum piorumque hominum inquiri oportuit, non aut apud indoctam plebem, aut apud ipsos etiam Magistratus tam odiosè jactari. Et quotidie magis magisque suspectos se reddunt, qui ad fulciendam causam suam tales accersunt tibicines, qualis est D. Conradus Vorstius. De Sacra Scriptura meministi, ut puto, agere me in libello, nec omnino perfunctoriè. Quantum quidem operis brevitas permittebat. Cæterum placet mihi tecum, in fine scripti addere exhortationem, ut salva pace ac concordia diligenter quisque scrutetur omnem veritatem Sacris Libris abditam, non enim consistendum est ἐν τοῖς πρώτοις [*in Principiis*] sed interius penetrandum: cùm certissimum sit, nihil frustra Sacris Literis esse traditum; quanquam multa sunt talia, ut in iis errantes tolerari debeant. Hæc ad te, Vir doctissime, liberè perscripsi: ac rogo, ut occupationum tuarum rationes permittunt, mihi rescribas, & consilio tuo, cujus apud me maxima est auctoritas, me juves. Deus Optimus Maximus diu te Ecclesiæ servet incolumem, nobis autem graviter sane hîc laborantibus medicinam afferat. 11. Novemb. 1611.

EIDEM.

MVltum tibi debeo Walæe doctissime, quod temporis tui occupatissimi partem tibi detraxeris, ut literis meis quàm amicè tam liberaliter responderes. Sed hoc consecutus es isto beneficio, ut iterum tibi molestus esse audeam. Remitto enim ad Borelium libellum istum meum, iis in locis quos tu maximè salebrosos putabas, nonnihil temperatum, quatenus scilicet & instituti ratio & scripti brevitas permittere videbantur. Hunc igitur rogo relegas, & si quid ampliùs mutandum aut adjungendum judicas, liberè significes. Atque ut tuis amicissimis literis aliquid respondeam, primum de Papistis nulla inter nos dissensio est, etsi verbis fortè utamur alius aliis, ut fieri solet. Accedo enim tibi, esse in Papismo communia quædam cum cæteris Ecclesiis, esse & peculiaria quædam: illa Christiana; hæc magnam in partem Antichristiana: illa per se salutifera; hæc per se exitialia. Cæterum in eo quoque Deo habenda est gratia, quòd qui inter Papistas æquiores sunt, fateri coguntur, non omnium de Fide Capitum eandem esse auctoritatem: ac proinde illa certa atque communia speciali quadam notitia apprehendi debere, cætera non item. Quapropter mihi ad sanandos eos qui sanabiles sunt, videbatur hæc ipsa quam insistebam via non esse incommoda, ut ea, quæ saluti parandæ sunt, indubitata habere docerentur, reliqua si ut pestifera exsecrari nondum possent, interim seponerent ut non necessaria. Quanquam autem ego ea quæ inter Christianos controversa sunt, ac præcipuè quæ nos inter ac Papistas agitantur, quàm sint gravia atque conciliatu difficilia facilè intelligo, tamen eam gravitatem atque difficultatem ante oculos ponere non erat ejus instituti, in quo & Christianos, ob ea quæ sunt inter ipsos communia, ad charitatem hortari volui, & cæteris auctor esse, ut omissis quæ disceptantur, ea quæ inter Christianos confessa sunt, ipsi quoque amplectantur; quos alioqui certum est offendi dissensionibus nostris, ita ut ferme putent, præter nomen nihil esse quod nobis conveniat. In sacra Trinitate malui, te auctore, aliquantum recedere à proposito tractandi modo, qui talis est ut in rebus Christianis vocibus tamen communibus utatur, quàm id quod Religionis Caput est à pravis erroribus non satis discernere. Quare & hîc distinctionis ὑποστατικῆς [*hypostatica*] & in Christi duabus naturis unitatis vicissim ὑποστατικῆς [*hypostatica*] mentionem feci, non facturus forte, nisi incurrissem in tam petulans ac fœtum prodigiosis quoque erroribus sæculum. Quod autem adfers de intellectu atque amore quodam velut reciprocante, scio multos veteres novosque existimasse, hoc modo æternam generationem Filii & processionem Spiritûs non absurdè explicari. Cæterum quominus id eo modo in libellum meum transtulerim, in causa fuit, quod non ut Filium σοφίαν καὶ λόγον [*sapientiam & verbum*] ita & Spiritum, qua nimirum est τρίτη ὑπόστασις [*tertia hypostasis*] Amorem, aut, ut alii loquuntur, Voluntatem in Sacris Literis dici meminissem. Itaque cum Calvino, & Confessione tum Gallica tum Belgica Spiritum appellare malui virtutem Dei atque efficaciam, qua voce illum Sacra Scriptura sæpius indigetat. Et ut hoc in Deo discrimen ostenderem cum ratione non pugnare, Aristotelis ex Metaphysicis locum citavi. Et tamen ne alterum illud Πλατωνικώτατον [*maximè Platonicum*] damnare viderer, comparationem ad hoc induxi mentis humanæ, & intellectus & voluntatis: ut hoc velut gradu ad illam τριένοτητα [*Vnitatem trinam*] liceret ascendere. Lucis autem & caloris similitudo hoc magis placet, quod ὁ λόγος [*Verbum*] lux vocatur, & Spiritus per ignem non raro designatur in Divinis Oraculis. Restat de libertate Arbitrii difficultas: in qua sane parte, ut receptam Patribus sententiam oppugnare per insti-

instituti mei rationem non potui, ita minime velim Ecclesias nostras offendere. Quare si quid putas dici posse explicatius in harum Ecclesiarum sententiam, atque ita tamen ut à Veterum sensu atque locutionibus non exorbitet, rem mihi gratissimam feceris, si suggeras. Neque enim spero me aliis duris hominibus satisfacere posse, si tibi æquissimo Judici probare φράσεις [*phrases*] meas non potero. Lapsum labemque humani generis & sub peccato servitutem, & tum ad remissionem peccatorum, tum ad vitæ melioris originem profectumque, Gratiæ divinæ necessitatem, breviter ita attigi, ut Pelagianismum his finibus à me exclusum putem, saltem eum qui crassior est atque intolerabilior. Nam, ut dixi, omnibus omnino erroribus obviam ire, id vero istius non est tractationis. Vicissim puto, eos qui prædestinationis decretum rigidius urgent, si quid à nobis adversum Stoicos aut Manichæos necessario dicitur, non id continuo ut in se gravius interpretaturos: præsertim ubi hoc tantum agitur, quemadmodum tu sapientissime mones, ut neque peccati & perditionis causam ad Deum, neque salutis ad nos ipsos referamus. Sed, ut alteris literis scribebam, non est tanti qualecunque hoc opusculum, ut propterea quisquam, præcipue autem ex Ecclesiæ, quas ego omnium purissimas profiteor, offendi debeant, quare, si id aliter vitari non potest, prematur hic fœtus, neque certa damna subeamus in spem fructus incertam. Vale Vir ut doctissime ita religiosissime, & nos quæso amare perge. 11. Januar. 1612.

SIMONI EPISCOPIO.

16 CVm amicus hic, jam olim tibi notus, & mihi quoque per te conciliatus, ad vos rediret, nolui eum sine literis dimittere; primum, ut scires nos valere, & de tua amicorumque valetudine sollicitos vivere: Deinde, ut crederes, nihil mihi accidere gratius, quam cum meam qualemcunque operam, quando patriæ utilis esse non potest, otiosam hic non sinis. Ego semper pro carissimis habebo, quæcunque mihi à te commendantur. Scripsi ad D. Vitenbogardum de operibus Cameronis, tribus tomis: quæ à te legi pervelim, nam exemplaria ad vos pervenisse non dubito. Invenio multa pugnantia. Magna est & viri & horum operum in his locis auctoritas; quo justius danda est opera, ut, si fieri potest, evellatur animis ultima hæc nebula de voluntatis actu necessario sequente scientiam, quam practicam vocant. Res Amstelodami civiles intellexi; sed Ecclesiastica nostra quo sint loco scire percupiam. Vale vir Doctissime atque optime. 13. Januarii 1613.

Tuus toto corde H. G.

I. VITENBOGARDO.

Vir mihi maxime reverende.

17 FVit hodie apud me vir eruditissimus Johannes Arnoldi, qui librum mihi suum attulit, quem legere jam cœperam. Multum sane illi debeo qui tantum laborem mea causa insumserit. Collocuti sumus de ornanda editione. Dixit etiam mihi de tua in vertendo diligentia: quam ut adjuvem mitto pietati tuæ Edictum Caroli Cæsaris de officiis & beneficiis Ecclesiasticis ita uti belgico nostro sermone conceptum atque promulgatum est. Nostri Seniores Capellæ pagi nescio quo concitante turbas nobis movent adversus Andartium: & quantum ex ipsis intelligere possum non tam alium quempiam habere cupiunt, quam ipsum habere nolunt, nec ullas tamen adferunt vel probabiles causas. Ajunt eum non satis belle cantitare, vocis esse tenuioris quasi aut symphoniacum conducturi estis aut præconem. Et talia quidem obtendunt; sed re ipsa hoc agunt ut electionem sui arbitrii faciant. Edixi ipsis frustra hoc eos moliri, neque tamen nos recusaturos audire ab ipsis si quid possent promere cur Andartius cathedram non mereretur. Videbantur etiam de moribus aliquid mussitare. Sumpserunt quindecim dierum spatium, ut diligenter in vitam ipsius inquirerent. Volebant interim audiri & alios concionantes. Quod consultum nobis non videbatur, ne in diversa studia plebs abiret. Plane eosdem fluctus illi movent in simpulo quos alii mari Ægæo. Deus Optimus Maximus diu pietatem tuam Ecclesiæ servet incolumem. 17. Sept. 1613.

Tui nominis observantissimus cultor H. G.

EIDEM.

IAm nunc, Vir plurimis mihi nominibus reverende, literas 18
tuas & versionis initium accipio: in qua videris mihi summa diligentia versatus. Sed minus tædiosum tibi futurum existimo, si aliquanto majori utaris libertate, nec nimium premas vocum mearum vestigia, contentus sententiam expressisse. Pietatem non video exprimi posse significantiore vocabulo. Vocis *acer* ambiguitatem non recipit sermo noster. Proximum est id quod posuisti, nisi malis *yverigh*: est enim & hæc vox media. *Obstinatissimi silentii* interpretatus es κατὰ πόδας [*de verbo ad verbum*], usitatius forte esset nostræ linguæ, *die op 't alderhooghste voorgenomen hadde te swygen*. Illud *desævituri* satis periphrasi explicatum est, nisi malis, *tot dat de sieckte wat mochte verkoelen, ende alsoo de patientie, &c.* Pro *concutitur* nunc nihil aptius succurrit. Pro *petulanter lacessi*, sufficerit forte *met sodanighe dertelheyt* (aut *vermetelheyt*) *aengetast werde*: nisi malis *soo moedwilligh blyck*. Quod sententiam magis exprimit quam vocem. *Vmbraticus* quomodo plene exponatur non video. Mihi tamen non displiceat quod primo posueras *gemackelyke*. Rhemnia lex circumscriptione explicanda mihi videtur, *Waer zyn nu de Wetten die op 't hooghste plagen te straffen den genen die anderen met onrecht beschadigden?* aut simili modo. Sed hæc omnia tu rectius videris, cujus judicio negotium totum committo: simulque rogo, ut adversus tam tædiosum laborem stomachum obdures. Consilium de separandis libelli membris & adjiciendis S. Scripturæ locis mihi plane non improbatur. Ego in Latino contextu veritus sum nimis onerare marginem. Oro præterea, ut quantum fieri potest, festinetur editio triplex; incipit enim quantum intelligo, fama crebrescere. Et jam mihi quidam per literas dira denuntiant. Fortem hoc animum tolerare jubebo. Magno me gaudio perfuderunt literæ quas Gallica Synodus nostris Magistratibus scripsit. Det Deus & aliis similem Spiritum. De Joannis Arnoldi libello quid dicam? miror & maxime miror tam perspicuam subtilitatem. Post Arminii mortem nihil est scriptum Arminio dignius. Sobrietas quoque ipsius in attingendis iis quæ parum comperta nobis sunt unice mihi auctorem commendat. Si Tilenus ubi responsurus est tantum volet de sua sententia cedere, quantum nuper ab aliorum, quos socios suos videri vult, sententia recessit, confectum est negotium. Deus Ecclesiæ suæ misereatur! teque Vir Reverende ac tui similes diu servet. 22. Sept. 1613.

T. R. studiosissimus cultor H G.

EIDEM.

ET ego profecto, Vir Reverende, obstupui cum intel- 19
lexi ex Casauboni literis id quod D. Mylio indicavi. Præjudicium an aliquod generatum sit sane dubito. Spero tamen meliora. Et fors Deus hæc minime probanda consilia in auctores verterit. Nam quantum ex Casauboni literis intelligo hoc effecit libellus iste mature perlatus in Angliam, ut Sibrandi liber non ultra placuerit, nisi quatenus Vorstium oppugnat. Et jam hoc ipso momento ex Erpennio intelligo viris bonis gratum fuisse meam lucubrationem: etiam Regi non omnino injucundam: qui tamen vix adducebatur ut crederet in Hollandia Episcopos extra consessum Ordinum fuisse, quo nihil est certius. Tamen inquirendum puto in causam per quam factum est ut id quod

Digitized by Google

quod nos arcanum esse volebamus, emanaret. Nam quod nunc forte non pessime successit, alias committi poterit majore periculo. Saltem hinc videmus quam longæ Regibus sint manus. Ego magno emtum velim statim tabellarium nancisci qui in Angliam proficiscatur. Loca Sibrandi hæc maxime vitanda puto p. 281. lin. 22. 797. lin. 7. 812. lin. 24 & seq. 818. lin. 18. 828. lin. 22. 832. lin. 10. 841. lin. 7. Eliges ex his insigniora. Ex Epistola autem ad Ordines Fœderatos omitti non debent ea quæ sequuntur post paginas sex primas. Deus te, Vir Reverende, diu nobis incolumem servet. 22. Octob. 1613.

T. R. Observantissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

20 Mitto tibi, Vir doctissime, libelli mei exemplaria, rogoque ne molestum tibi sit duo mihi præstare beneficia, prius ut mittas iis quibus inscripta sunt: deinde ut diligenter perlegas, ac libere me moneas ea quæ in secunda editione mutanda videbuntur; sive in historia veteris Ecclesiæ lapsus sim alicubi, sive etiam in patrocinio Ordinum legitimos fines alicubi excesserim. Fateor me commotiorem fuisse cum scriberem, ideo quod certo mihi videbar statuere posse, neminem esse alicujus in Republica auctoratis qui non à Socianismo abhorreat: & quod in Vorstii negotio, etiamsi quid admistum fuisset incuriæ, malitiam certe absuisse confiderem. De summa rei, toleranda scilicet Remonstrantium dogmata intra fines ibi indicatos, & judicandum à Magistratu an rectum sit quod publice docetur, ita mihi πληροφορηθεὶς [*plenè persuasus*] videor ut nihil addubitem. Deus O. M. det nobis aliquando pacem Ecclesiæ, & te diu incolumem servet. 27. Octob. 1613.

Tuarum dotium fidelis æstimator H. G.

EIDEM.

21 Mitto tibi, Vossi doctissime, responsum meum super hæreditate Corniputii firmatum rationibus, legibus ac Doctorum auctoritatibus. Neque multum dubito quin vera sit quam posui sententia. Exspecto ex te intelligere ecquid in mea Ordinum Apologia observaveris. Nam nova editio sub initium sequentis septimanæ adornatur. Etiam atque etiam rogo libere agas præstesque mihi amici officium. Deus studiis tuis benedicat, & Ecclesiæ pacem constituat. Kalend. Nov. 1613.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

22 Beasti me literis tuis, Vossi doctissime: magnasque tibi gratias habeo, non modo cum ea quæ observasti me mones, sed etiam cum nescire me vetas quam acerbos experturus sim Censores. Tela prævisa minus feriunt. Sibrandum acrius à me exceptum dolent. Sed qui illum excusant, tam ferociter Politicis insultantem, cur me non excusant vicissim, si mei Ordinis existimatio mihi cordi fuit, ut ipsi est sui? An minore periculo putant Magistratus traduci quam Ministros? Sane falluntur. Nam Ministris auctoritatem facile restituent Magistratus, ubi opus erit. Magistratuum infamiam sequuntur seditiones & rerumpublicarum excidia. An minus ferendum est me Hollandis meis morem gerere præsertim reis, quam ipsum Frisiis suis, quos nunquam nos lacessivimus? Qui ægre ferunt à me tangi peccata quædam sacrati Ordinis, ii sane multis historicis irascendum habent. Si Annales mei prodierint, dicentur haud leviora. Qui Ecclesiasticam Historiam legit, quid legit nisi Episcoporum vitia? Si graviter hanc causam ago, at metuendum mihi fuit ne si frigide agerem, non ex animo agere viderer. Ago causam Ordinum: ago Fisci advocatum. σφοδρότης, [*vehementia*] ni fallor, si unquam aliquando, hic fuit necessaria. Moderationem quam olim præstiti nunc etiam præstabo: sed ista non est moderatio favere accusatoribus; inclementem esse adversum reos. Iesuitæ occasionem maledicendi hinc arripient. Credo sane: sed ipsi zelotæ satis caverunt hactenus ne illis materia deesset, ita ut minime sit necesse eam è meo libello peti. Si aliis linguis prodit liber, ego ei rei Auctor non fui. Sed fuerunt, qui ita conducere reipublicæ existimarent. Vetera odiosum est refricare: sane, nisi nova metuerentur. Impietatis librum meum qui accusant, & mihi & eis quos defendo insignem faciunt injuriam. Sed vulgare jam hoc est. Sibrandi iram non deprecor. dicat, quæ visum fuerit. Si in me, feram; si in Ordines, inveniet qui respondeant & forte acrius quam feci ego. Theologum ego me non profiteor, nisi quatenus Christiano satis est, minus etiam scio quam & officii mei & temporum necessitas desiderat. Patres hactenus legi, ut constet mihi doctrinam de servo Arbitrio & de necessaria credentium perseverantia esse non admodum antiquam. Animi mihi fortitudinem & corporis vires, quod precaris, amice facis. Ego quoque Deum oro, ea ut dona mihi largiatur: & si qua in re lapsus sum cito me in viam revocet. Vides ut breviter ad ea quæ tu ad me scripsisti respondeam: Prodibit brevi nova editio, ex qua conspicies non periisse apud me observationes tuas. Judicium tuum clam futurum apud me, noli dubitare, scio quid amicitiæ debeatur. Deus optimus maximus diu te servet, & Ecclesiis pacem restituat. Postridie Calend. Novemb. 1613. Rotterodami.

JOANNI UTENBOGARDO.

Reverende Domine.

Metaphrasin Hagiensis Collationis percurri. Quicquid 23
ejus vidi mirifice mihi placet, tum ob interpretationis religionem, tum ob linguæ puritatem, quæ per se rara admodum, in his quæ ex Belgico sermone transferuntur, rarissima est. Mecum sentit Grevinchovius, cui libri videndi copiam feci. Ab eo didici in Zelandia alteram translationem jam exstare, sed intercedente gelu nondum huc pervenisse. Auctor sim eam exspectari, antequam excudantur anteloquia. Erit enim forte quod indigeat amuleto. Vtraque D. Bertii præfatio, tum illa ad Ordines, tum ad Lectorem altera pererudita est, & argumento utilis: sed illa ad Ordines, ut mihi videtur, interpretis officio convenientior. Ego dandam operam puto ut hæc interpretatio in manibus sit utriusque sententiæ hominum. In Conventu exhiberi libellum forte minus sit tempestivum, quanquam ea de re oraculum consulere nondum licuit. Soluto conventu erit forte ut Senatui rectius offeratur. Vossium puto Hagæ futurum cis paucos dies, meo monitu. Magno redemptum velim, sub idem tempus hic esse posse D. Episcopium. Si id non dabitur, tuum certe cum ipso colloquium, utcunque res casura est, fructu suo non carebit. Vale vir reverende & diu Ecclesiam juva.

Tui Reverentissimus H. G.

D. IAC. AUG. THUANO.

Iamdudum, Vir Summe, gratulari me tibi oportuit, 24
quod exemtus fori molestiis inter duas res maximas te diviseris, commune factus Galliæ & posteritatis bonum; hujus, dum acta scribis, illius, dum agis ipse scribenda, nobilissimus historicorum, nullis tacendus historiis. Sed neque ausus sum hactenus curas tuas gravissimas interpellare: neque nunc visus sum mihi sine flagitio patriæ nostræ legatum, virum & mihi amicissimum, & reverentissimum tui, sine litteris ad te posse dimittere. Quærant alii in omni antiquitate, quem maxime mirentur, ego reperio neminem, cui super generis fortunæque splendorem, ea cuncta adfuerint, quæ nos rectius suspicimus, omne doctrinæ genus cum vera sapientia conjunctum, cujus denique virtutibus tantum testimonium præbuerint, justitiæ forum, sanctitati ærarium, libertati historia. Quamquam

Digitized by Google

quam si mei voti res sit, ultimum ego hoc officium eo pluris faciam, quo plures juvat: atque adeo optem, ut regni quoque curis paulatim te exsolvas, utque extrema pars ætatis tuæ foras promineat & scriptione vacet. Ita speremus post illa funesta tempora, quorum ad memoriam animus horrescit, aliquando te venturum ad lætos faustosque Henrici magni annos, ne Regum maximus scribatur, nisi ab Historicorum maximo. Ego quoque impar sane oneri, sed magno patriæ amore accensus simile opus molior, tanto autem minus tuo, quanto minor est Batavia, non dicam Gallia vestra, sed toto orbe. Sed nec adhuc Varo videor neque dicere Cinna Digna. Prematur itaque immaturus labor, donec ætas cum judicio tempus quoque emendandi dederit, aut potius exurgat alius, qui res scitu per se non indignas dictione commendet, ut eo libentius discant posteri, quid Batavi fecerint. Vale virorum maxime, & me quocunque loco, dum ne extra amicorum tuorum numerum, pone. Nonis Febr. Anni 1614. Roterodami.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

25 PRomissum Lucani exemplar mitto tibi Vossi Clarissime. Sermones nuper inter nos habiti ita me delectant, ut nihil flagrantius expetam, quam colloquium tuum. Oro igitur ut cum primum schola tibi, minus te digna occupatio, spiramenti aliquid concesserit, Mosæ patris prono devectus alveo ad cupidissimum tui amicum transcurras: neque superstitiose nimium devites fulminatum Sibrando, aliisque Zelotis caput. Vale Vir doctissime, & quod hoc tempore difficile est bene de me senti. X. Aprilis 1614.

Tui Observantissimus H. G.

EIDEM.

25 PUdet me quod Lucanum tibi nudum miserim, cum tu mihi librum remittas non tantum nitide sed luxuriose quoque vestitum. Quid tibi in mentem venit, ut uno tam spectabili libro omni Bibliothecæ meæ paupertatem exprobrares? Nescis tu rem minimè bellam esse mixtam Iri & Crœsi supellectilem? Cave posthac auratos mihi libros mittas, nisi à me gemmatos tibi mitti postulas. Comperio verissimum esse quod mihi Casaubonus dixerat, tuis Rhetoricis nihil esse elegantius, nitidiusque, nihil denique κριτικώτερον. [*magis Criticum*]. Elucet ubique & judicium, & admirabilis πολυαναγνωσία [*multa lectio*] Scriptum tuum de mysteriorum efficacia legi summa cum voluptate. Sane jam dudum mihi visi sunt multi nostrorum Sacramentorum vim nimis dilute atque frigide explicare: ut hoc quoque caput iis annumerandum accenseam, in quibus fuga extremi unius in alterius confinium incidimus. Veterum sane nemo dubitavit infantes, in quibus nulla requiritur διάθεσις [*dispositio*], quæ ab ipsis procedat, ipso tempore quo baptizantur simul renovationem vitæ cum remissione labis originariæ accipere, ut quod in naturali capite perdiderant, id in spirituali capite recuperent. Nemo dubitavit in Sacra Eucharistia fidelibus dari προσθήκην χάριτος [*auctarium Gratiæ*]. Neque adeo tamen ab antiquitate recessit ætas nostra, ut non quidam inter hos recentiores magistros veteribus subscripserint. Confessio Anglicana Sacramenta ait non esse tantum notas professionis, sed efficacia signa gratiæ. Et in Rituali est baptizatos infantes habere omnia ad salutem necessaria, & sine dubio salvari. Bucerus quoque constare ait infantibus per Baptismum contingere remissionem peccati originalis, & donationem Spiritus Sancti, qui in iis efficax sit pro ipsorum modo. Similia ei & apud alios occurrunt: quibus tamen testimoniis haud satis effugies, quin novam doctrinam tueri dicaris, si tua sententia emanaverit. Nam quicquid abhinc annis sexaginta aut non est traditum; aut minus constanter est traditum id quo minus novum sit, ne mille quidem & quingenti anni efficient. Sed de his si placet coram. Avide enim te expecto: & multa habeo quæ sermone rectius quam literis transigentur. Vale Vossi doctissime, xx. Aprilis 1614. Rotterodami.

Viro Illustrissimo,

BENIAMINO AUBERIO MAURERIO,

Regis Christianissimi apud Fœderatas Belgii Provincias Legato.

VTar libertate, quam dederas, Vir Illustris, & te eo 27
sermone, non quem satis novi, sed quem minus male didici, conveniam. Excusandum habeo, quod nuper Hagæ cum essem, salutatum te non venerim, nisi tua tibi prudentia pro me excusationem suggesserit. Non confugiam ad occupationum patrocinium, quæ tantæ esse non debent ut officia nobis excutiant. Sed cum nuntiatum mihi esset domus tuæ acerbum funus crudo dolori nolui occurrere. Sciebam enim eam esse mixturam humani animi, ut ex duabus queis constat partibus, affectus semper ante rationem emergerent. Minime enim mihi placet illa schola, quæ nos commoveri aut lætis aut adversis vetat. Hæc sententia primum naturæ convitium facit, quæ non modo affectus ipsos insevit animo, sed & in corpore sedes & instrumenta quædam affectibus assignavit: deinde quantum in se est, divinam providentiam exarmat, & magno, si ita loquendum est, aurigæ universi stimulum simul frænumque eripit, cum nec beneficam nec castigatricem manum sentire nos patitur. Longe aliter Christianus Philosophus: dolendum est, inquit, sed & dedolendum. Triste est liberos amittere, sed multo miserius tristitiæ modum non posse imponere. Luge, quia malum est orbari dulcissimis pignoribus: sed mox lugere desine, quia malum hoc ad te non mitteret is, qui perfecte bonus est, nisi ex hoc malo bonum posset educere. Qui hostem non habet, quomodo pugnabit? qui non pugnat, quomodo vincet? qui non vincit, quomodo coronabitur? Si nunc, Vir Nobilissime, ad te venire posset magnus ille præco gentium, qui cum ἀστοργίας [*vacuitatem affectus naturalis*] ponit in crimine, Stoicum dogma aperte condemnat, sed alio loco, immergi luctu, Ethnicum esse dicit, non Christianum, non ille te juberet vim inferre naturæ, & contra ictus divinos occallescere animo: neque vero ad miserrimum illud solatium confugeret; Ferre debes, quia corrigere non potes. Sed in hanc potius sententiam te alloqueretur. Erepta est tibi portio, tuus sanguis: deinde sexus melioris inter liberos ætate primus, ac spei tanto majoris quanto ad maturitatem propius accesserat. Ægre hoc tibi esse non miror. Pharmacum est. Nulla medicamenta sapore delectant. Sed, ubi quid præbeatur, dolendo intellexeris, tum quorsum præbeatur cogitando intellige. Vetera & nova, quæ tibi Deus contulit, non tantum vitæ subsidia, sed & dignitatis ornamenta, circumspice: præterea plenam prole pulcherrima domum & auctam nuper felice puerperio. Tot beneficiis delinitum semel vellicare te Deus cœpit, ut experiretur, fideliter ipsum an morose diligeres. Ingratum sit unum dolere ereptum, & non multo magis tot alios gaudere servatos. Quod si tamen multorum superstitum salus unius tibi cogitationem eximere non potest, memento patrem esse te. Non est autem paternum, suas delicias tanti facere aliquem, ut....... magnum & solidum bonum filio invideat. Si cujus filium, Regum aliquis ad se vocasset, ingenti honorum ac divitiarum copia proposita, quis non absentis desiderium tantæ felicitatis recordatione facile solaretur? Vocavit hunc ad se Rex ille Regum, quem posthac nunquam à conspectu suo dimoveret. Quid est illo honoratius, qui p..........st summa? Quid illo ditius, qui eum possidet, in quo sunt omnia? Hunc revocatum velle in hanc infimam, vilem, inopem, plenam miseriæ regionem, & quidem sterili virtutum, fœcundo vitiorum sæculo, quo Fides nutat, Charitas friget, animi est suis male consulentis. Adde jam quod

Digitized by Google

quod non amissus ille, sed præmissus est. Gaude quod vivus adhuc in terris agens, quadam velut tui portione jam cœlum possides. Non est longa illa divulsio. Sequêtis brevi filium, imo jam sequeris: ex quo illum luges, jam propior illi factus es. Non est dubitandum, Legate Amplissime, quin hæc aut his similia Christi Regis Legati dicturi tibi essent, tibi dixerint etiam cum scripta eorum legis. Quod si ad tam divina solatia humani aliquid debet accedere, non hoc quidem spernendum est remedium, publicis curis privatas cedere oportere. Vis satis magna negotiorum est, quam tibi suscipiendam mandat Regis tui utilitas & nostra. Tua ex morbo recens, nostra vero magis inveterata & contagia metuens. Hæc à te tractata, consu......de ac. de.. domestici incommodi sensum minuent primo, deinde auferent. Neque vero hæc ideo scribo, Vir prudentissime, quod nesciam me ipso te hæc melius scire, aut quod, quæ scias, non satis te in usum promere existimem. Sed quia robur quoddam accedit cogitationibus, cum quæ nos cogitamus, eadem dicunt alii. Deinde negligendam non putavi hanc occasionem ut officio fungerer tui per quam observantis & studiosi, qualem si me & esse judicas & semper futurum confidis, tum, quod maxime cupio, ero consecutus. Vale Vir Nobilissime. Rotterodami 5 Junii 1614.

IOANNI VYTENBOGARDO.

28 Tandem advenit ex Anglia melior sperato nuntius: quod eo magis mirandum est, quia res præter meam postulationem cum Archiepiscopo communicata est. Et institutum Ordinum, & formulam Edicti tum Rex tum Episcopi probant. Duo tantum aut tria annotant, de quibus me cum tua pietate aliquoties egisse memini. Tertium illud inter vetita dogmata: *Quosdam à Deo ad salutem invitari quibus omnino salutem non dare decreverit*, ita videntur Anglorum quidam interpretati, quasi dictum esset mutato ordine, *quosdam à Deo ad salutem invitari quibus non omnino decreverit salutem dare.* Si ita posita essent verba, posset forte hæc sententia, ut inanis & supervacua, non tamen ut falsa, damnari. At nostra sententia fuit, damnare absolutum rejectionis decretum, sine præscientia aut conditione peccatorum actualium, infidelitatis, & impœnitentiæ. Hoc autem an satis perspicue expressum sit, dubitari potest. Deinde *invitationis* mentionem facimus: cum tamen non omnem invitationem, & omni tempore, intelligamus. Nam potest verbum Dei etiam his prædicari, quorum damnationem jam Deus certa de causa decreverit: puta eis, qui diu pertinaciter Spiritui Sancto sint reluctati. Itaque cogitavi sæpe, an non idem possit verbis clarioribus dici. Nam in Ultrajectinis Canonibus addita vox *absolute* rem pressius notat. Forte tamen tutius sit, certe erit apud Anglos Theologos multo gratius, si idem effatum alicujus laudati auctoris verbis enuntiemus. Poterunt autem de Gratia sufficiente sententiæ multæ satis perspicuæ inveniri. De Magistratuum imperio in Ecclesiam Casaubonus, ut jam olim scriptis editis testatus est, ita sensit, εὐταξίαν καὶ πολιτείαν [*ordinem & statum*] Ecclesiæ ab ipsis regi ac legibus gubernari debere, de fidei articulis Ecclesiæ ejusque pastoribus κρίσιν [*judicium*] deberi, summis Magistratibus ἐπίκρισιν [*ultimum judicium*]. Neque negari potest, habere hanc sententiam aliquid veri: nam ut pro se quisque debet apud conscientiam suam de dogmatum veritate statuere, & judicare antequam credat: ita in commune Ecclesia de communi fide ac doctrina debet statuere ac judicare: quæ autem fides & doctrina publice defendenda ac propaganda sit, hoc est proprie Magistratus judicium, qua Magistratus est, ut ego quidem censeo. Mihi videtur invidia nimiæ auctoritatis non parum posse declinari, si testentur Ordines, iis se, quæ à veteri Ecclesia juxta Dei verbum perpetuo tradita ac declarata sunt, suum suffragium & auctoritatem adjicere. Ita ego illis respondere soleo, qui Synodum desiderant; mihi non esse minoris vetera Concilia, quæ & Manichæismum & Pelagianismum damnarunt, quam omnes nostri sæculi conventus: præsertim cum ea ipsa Concilia videam niti certis Sacræ Scripturæ testimoniis. Scio ego fuisse, qui ex nostro Edicto primitivæ Ecclesiæ nomen ejecerint: Sed eosdem non puto Ecclesiæ antiquæ, aut Catholicæ nomen reformidaturos: præsertim si adjiciantur nominatim ea dogmata, quæ ex consensu veteris Ecclesiæ tradi jubentur. Hæc enim restrictio securos illos faciet, cum alioqui in generali clausula posita primitivæ Ecclesiæ mentio multo plus videretur includere. Sed hoc maxime videndum est, an sit res satis integra, ut Edicto aliquid adjici, aut detrahi possit. Nam si non est, frustra laboramus. Sin est, & Ecclesiæ & Reipublicæ, ni fallor, refert, ut aliqua sit peregre Ecclesia, quæ cum Reformatæ nomine censeatur, factum Ordinum probet. Scis quanto major pars hominum auctoritate quam veritate ducatur. Rogo te, quod rogari non debes, cum sciam hoc te vel maxime agere, sed tamen te rogo, ut quicquid potes, facias, quo posthac aut pacatiorem; aut certe minus turbidam habeamus Ecclesiam. Deus non amat ἀκαταστασίαν [*confusionem*]. Archetypum meum testimoniorum quæ ad Edictum pertinent, si habes, velim mihi mittas: sin minus, Bertium ut mittat moneas. Volo enim annotare quædam ad articulos Lambethanos, ad quæ illa mihi usui erunt. Vale Vir Reverende. 6 Junii 1614.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

Ego quoque singulare Dei beneficium agnosco, quod 29
Magnæ Britanniæ Rex & Episcopi Ordinum labores pro veri tutela & pace Ecclesiarum judicio suo approbaverint: multoque magis, quod ipsam formulam totam ferme collaudent, pauca admodum non tam reprehendant ipsi, quam ab aliis reprehendi posse significent. In iis ipsis autem rebus posse ipsis aliquo modo obsecundari eo magis sperabam, quia facilis est συγκατάβασις [*demissio*] ubi neutra pars læditur. Verba nostri Edicti, in illo capite de invitatione, habere aliquid ambigui, tua pietas agnoscit: neque ignorat, quàm sit periculosa ambiguitas in concordiæ formulis. Posse contingere auditum verbi his quibus Deus ob præfractam contumaciam salutem negare decreverit, non negas: sed quorsum, inquis, hoc doceatur? Esto sane: attamen quomodo nos purgabimus, cum objicient hi, quibus displicebit Edictum, nos eam sententiam damnasse, ut Dei gloriæ, ædificationi Ecclesiæ, honori Reformationis adversantem, quam falsam esse non audeas dicere? Tum vero notandum est, Axioma quod damnamus esse particulare: quod si recte facimus, necesse est contraria universalis vera sit: quæ vera esse non potest, si vel una dari potest ἔνστασις [*instantia*]. Jam illud simul cogito, quam libenter quidam arrepturi sint hanc occasionem, ut Politicos velut rerum Theologicarum ignaros derideant. Accedit, quod hi, qui contra Edictum, ut prius conceptum fuerat, scripsere, item qui Edicto subscribere detrectarunt hactenus, in hanc particulam maxime incurrunt: longe alio quidem illi animo; sed tamen eo magis cavendum est, ne quid in illa ipsa particula sit, quod accuratam ἐξέτασιν [*inquisitionem*] non ferat. Argumenta à Casaubono allata, vel potius ab Archiepiscopo dictata, fateor esse οὐδὲν πρὸς ἔπος. [*nihil ad rem*]. Sed aliud est quod me movet. Anglicani Theologi diversi diversa de Prædestinatione sentiunt: ita ut quidam plane stent à Remonstrantibus, quidam à Contra-Remonstrantibus. Sunt item tertii, qui in Augustini sententia posteriore acquiescunt, eamque hoc modo explicant: Deum voluntate antecedenti, conditionata, & seria, velle salutem singulorum hominum: & redemptionis Christi beneficium ad omnes pertinere: nullum etiam esse cui non præbeantur auxilia ad salutem sufficientia. Sed huic Decreto conditionato subnectunt postea decre-

tum absolutum, quosdam homines ob amorem erga ipsos eximium, per certa & infallibilia media, quæ tamen necessitatem non inferant, ad salutem perducendi. Hi in hoc quidem uno capite à Remonstrantibus dissentiunt: cæterum statuunt mortuum Christum pro singulis ex sua & Patris intentione: gratiam esse resistibilem: fidem justificam amitti: hominem incertum esse de sua Prædestinatione. Hos ego, cum sciam esse magno numero, & in plerisque Remonstrantibus consentiant, offendi nolim. Neque tamen necesse est ullo modo probari hanc sententiam: sed hoc cavendum puto, ne eos qui ita sentiunt à nobis sejungamus, quorum nobis patrocinium ad res multas prodesse poterit. Sejungentur autem, si putarint suam sententiam à nobis, ut gloriæ Dei & Ecclesiarum ædificationi inimicam, traduci. Non dubito quin fuerint in Episcoporum Conventu, quibus formula Edicti exhibita est, qui hunc in modum interpretati sint verba Edicti, alia quam nos sensimus vocum constructione: nempe, quasi negemus inter eos, qui invitantur, esse alios quibus Deus omnino salutem decreverit dare, esse item alios quibus salutem decreverit dare aliquo modo, non tamen æque omnino. Hoc autem negare, & ita negare, quasi Dei gloriæ adversum, est ipsorum sententiam refellere: quod tamen minime eorum fuit instituti, qui ne Contra-Remonstrantium quidem dogma, certos intra fines manens, damnare voluerunt. Hoc indicare voluisse Casaubonum non dubito, memor sermonum qui mihi cum ipso, cumque Eliensi, Overallo, atque aliis fuerunt. Hi omnes semper me monuerunt, istam sententiam, quanquam non omnibus, multis tamen placere, nec posse sine magno divulsionis periculo damnari. Solvi potest hæc objectio ista distinctione, aliud esse, decrevisse omnino non dare, aliud, non decrevisse omnino dare: illud à nobis, non item hoc improbari. Sed cum propositum nobis fuerit, hoc dogma oppugnare quod gratiam vere sufficientem evertit, ad hanc autem rem suppetant phrases multæ, perspicuæ, Patribus usitatæ; cur non his potius utimur, si modo id fieri potest, simulque novæ locutionis invidiam à nobis amolimur; id tamen consecuti, quod maxime volebamus? Certus sum, si id ab initio factum esset, neminem futurum in Anglia qui palam auderet nobis contradicere. Nunc an fieri possit, prudentioribus expendendum relinquo. Certe non video hoc si fiat, & sumantur τῶν ἰσοδυναμούντων τὰ σαφέστερα [*illorum quæ æquipollentia sunt manifestiora*], quid alterutri parti aut accedat, aut decedat. Ad Magistratuum auctoritatem quod attinet, memini & notavi diligenter in tuo doctissimo & prudentissimo libello, ita Magistratibus judicium tribui, ut suum quoddam Pastoribus non auferatur. Nunc quia judicium nostræ Ecclesiæ audiri tempora non ferunt, putabam ego non inconsultum, si ex veteris Ecclesiæ judicio lucis aliquid fœneraremur. Et sane nulla est pars Edicti, quæ non ferme totidem verbis apud priscos auctores reperiatur. Gratiæ accepto ferendum initium, progressum, consummationem salutis, etiam fidem; hanc gratiam non dari propter merita, dari autem in Jesu Christo: item, accepto hæc ferenda gratiæ soli: neminem creatum ut pereat: neminem à Deo peccandi necessitate constringi: electos, qui credunt & perseverant gratiæ dono: rejectos, qui in incredulitate & impœnitentia perdurant. Omnia hæc κατὰ λέξιν [*ad verbum*] sæpissime invenies. De gratia sufficiente non minus perspicua. Quid igitur obstat, quominus bona fide dicatur, antiquam de his capitibus Ecclesiæ παράδοσιν [*traditionem*] Scripturis consentientem Ordinum suffragio comprobari? Quam non magna vis sit illarum vocum facile intelligo. Sed erit μάλαγμα [*mollimentum*] quoddam rei minus usitatæ, quod scilicet absque Synodo Magistratus alia dogmata probare, alia damnare videatur. Anglis quidem scio id fore gratissimum. Quod autem veretur pietas tua, ne non satis bona conscientia id faciant Ordines, quia hæc Edicti verba non contulerint cum veteris Ecclesiæ placitis; nescio an non vereri eundem in modum liceat, ne quidam Edictum approbaverint, ne ad ipsam quidem Sacram Scripturam, ut oportet, instituto prius examine. Si qui tamen hoc sibi probari cupiunt, probatissimos auctores eum in modum & sensisse & locutos esse, sunt ad manum testimonia. Ego magno redemptum velim primitivæ Ecclesiæ factam in Edicto mentionem: sed id scis repudiatum à Dordracensibus, quia ad tempora Augustino antiquiora redigi nolunt. Vos multo justius ea, quæ post Augustinum introducta sunt, obtrudi vobis non patimini. Interea vero ea, quæ & ante & post Augustinum semper in Ecclesia, tum Orientis, tum Occidentis, indubitata fuere, possunt à tot sæculorum & gentium consensu auctoritatis aliquid accipere. Ejus autem sunt generis, quæ Edicto continentur. Hæc ideo, Vir summe, fusius paulo ad te scribenda existimavi, ut mearum meditationum & summa & ratio tibi constaret. Omnino pervelim muniri nos alicujus externæ Ecclesiæ consensu: quod si impetrari possit vocibus quibusdam ad Edictum adjectis, aut mutatis, parva esset & temporis & laboris jactura. Nec forte magna in eo est difficultas, cum neutrius partis durior reddatur conditio. Alioqui nihil movendum judicarem. Si tamen omnino moveri hæc res non potest, nisi labefactetur quicquid actum est, utendum potius qualicunque remedio, quam ut in morbo diutius jaceamus. Si vacaret mihi transcurrere, coram hæc omnia prolixius exsequerer. Oro te, ut simulac D. Oldebarneveldius testimonia nostra, quantum satis ipsi est, inspexerit, tu quoque ea perlegas: & si qua sunt minus ad rem facientia, annotes: ut deinde ego quoque legam, & hiatus quosdam suppleam. Ne qua in nobis mora sit, quo minus in lucem prodire statim possint, simulatque ex usu id esse videbitur. Vale Vir Reverende, & meos conatus boni consule. 7 Junii 1614.

Tui Reverentissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Doctissime.

IAm dudum avide te expecto, ut reddam tibi plenis- 30
simum pietatis atque eruditionis libellum de Sacramentorum efficacia. Interea prodiit in me Bogermanni liber: & omnino cupio intelligere consilium tuum, quid faciendum mihi judices. Rogo ergo, ut si potest te tua schola dimittere ad nos transcurras, ero enim domi ad diem usque Martis, habeo & alia multa quæ tibi communicare gestio. Quod si id omnino res tuæ non ferunt, tamen consilium tuum per literas mihi significes velim. Vale Vir eruditissime mihique amicissime. 12. Junii 1614.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

GRatias tibi, Vossi doctissime, majores habet animus 31
quam verbis exsequi possum pro scripto tuo utroque: quorum altero me pro pace Ecclesiæ & Magistratuum auctoritate, causis duabus honestissimis, vexatum crudeliter solaris atque etiam confirmas: altero vero ea quæ hactenus explicata sunt à nemine, quæque ad sedandas controversias nostras magnopere pertinent, & clare & veraciter explicasti: qui tuus labor idem me frustra inter tot negotiorum impedimenta tentantem ea cura liberavit. Locos Veterum, qui probant non aliam ipsis Prædestinationem quam ex præscientia fuisse cognitam, habes non dubie in promptu plurimos. Citavi ego quosdam & in Pietate & in testimoniis ad Decretum, quæ habebis propediem. Inprimis illustris est Justini locus Apologia II. Silburgiana pagina 63. cujus particulam duntaxat citaram in Pietate, cui Bogermannus perquam frigide respondet. Adjiciendus est alter Justini locus Apologia priore pag. 35. ubi Stoicum Fatum iis argumentis oppugnat, quæ absolutissimam Prædestinationem non minus

minus evertunt. Accedat Irenæus lib. 4. cap. 29. sub finem. Clementis locus à Lessio citatus Sect. 2. prob. 2. ubi & Hieronymi & Ambrosii & Chrysostomi quosdam invenies. Chrysostomum si placet etiam vide Tomi 2. pag. 377. & 744. & Tom. 3. 251. Non omittendum est & Calvinum in Institutionibus fateri hanc fuisse Veterum sententiam. Bezam vero cap. 2. ad Rom. versu 2. negare audiendos hac in re Patres. Quin jam olim Prosper ad Augustinum scribens fatetur retractatis priorum opinionibus unam omnium atque parem inveniri sententiam, qua Dei prædestinationem ex præscientia receperunt. Ad quæstionem de præventu Gratiæ quod attinet, citatæ sunt à te Chrysostomi & Hieronymi sententiæ nimium sane faventes Semipelagianismo. Observavi similes alias ut in Hieronymo lib. 1. adversus Pelagianos. *Ex quibus intelligimus nostrum quidem esse velle & currere: sed ut voluntas nostra compleatur & cursus, ad Dei misericordiam pertinere, atque ita fieri ut & in voluntate nostra & in cursu Liberum servetur Arbitrium, & in consummatione voluntatis Dei cuncta potentiæ relinquantur.* Ejusdem: *ex quo intelligimus non nostræ esse solum potestatis facere quod velimus, sed & Dei clementiæ si nostram adjuvet voluntatem.* Et lib. 3. *Ubi misericordia Dei & Gratia est Liberum ex parte cessat Arbitrium, quod in eo tantum est ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Iam in Domini potestate est ut id quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Ego sane magno emam posse hos Patres ab istius erroris suspicione purgari, præsertim cum credibile sit Ecclesiam Catholicam nunquam ignorasse quantum Gratiæ deberetur, quæ pietatis non minima pars est. Et Hieronymum quidem forte juverimus commoda interpretatione. Chrysostomi verba pertinaciora sunt quam ut se flecti patiantur. Et tamen memini me alibi observare Chrysostomum etiam boni initia referentem ad Deum. Vide Tom. 5. p. 371. editionis Savitianæ, nam mihi ad manum non est. Sed locum annotavi. Forte haud absurdum sit dicere Patres Veteres primam illam motionem, vocationis potius & excitationis quam Gratiæ vocabulo appellasse, eo quod Gratiam ipsi interpretarentur eam quæ justos nos sanctosque & plane Deo gratos constituit. Hanc autem non esse ante omnem actum voluntatis manifestum est, quanquam illum quoque antecedentem voluntatis actum alius Dei actus antecesserit. Similis me erga Ecclesiam reverentia adigit ut purgare Lugdunensem quoque Synodum allaborem: ita ut non incredibile existimem verbis iisdem aliud Faustum, aliud Episcopos cæteros significatum voluisse: cui rei simile quid in Ariminensi Concilio acciderat. Aliquos observantes legem naturæ ante Mosis tempora vestibulum salutis ingressos commode intelligi potest: nempe ne illud quidem tempus electis caruisse, qui non sine observatione legis naturalis, sed antecedente Gratia quæ sopitas in Natura scintillas excitaret, accedente etiam Fide quadam in Christum confusiore, spem veram salutis adipiscerentur, salutem plenissimam ac regni possessionem non nisi post Christi resurrectionem adepturi. Neque enim nescis hanc fuisse veterum omnium sententiam, ante Christi tempora nemini patuisse cæli penetralia. Quod de his qui ante Mosem vixerant in lege naturæ, idem de his qui post Mosem vixerunt in lege Mosis dictum volo. Synodus certe Palæstina pronuntiavit non alienum esse à Fide Ecclesiastica, quod Pelagius dixerat, regnum cælorum etiam in Veteri Testamento promissum. Nam inter ea quæ Pelagio objiciebantur ab Erote & Lazaro hoc etiam erat. Augustinus in Commentario ad ejus Synodi gesta distinguit inter Vetus Testamentum nude consideratum, & idem Testamentum consideratum quatenus figura est Novi, & promissiones quasdam Euangelicas continet; hoc sensu recipit dictum Pelagii: illo respuit. Prosperi libri de Vocatione Gentium hoc vel imprimis agunt ut probent nullum tempus expers fuisse divinæ Gratiæ: atque omnes Nationes voces propheticas in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse: ex his tamen justificatum neminem nisi per Spiritum Fidei, parciorem licet atque occultiorem. Quod vero Synodus Lugdunensis eos damnat, qui dicunt alios ad mortem deputatos, alios ad vitam prædestinatos, videor ex prioribus ita posse interpretari, ut agat de adultis & baptizatis, quos neget ad mortem deputatos in solo Adami peccato: idque facile illis persuasum qui à baptizatis auferri Originis reatum non dubitabant. Cæterum quo evidentior sit Historia erroris Prædestinatorum, vide quæso Arnobii Commentarios ad Psalm. 108. ubi hæresim esse ait quæ dicat alios prædestinatos ad benedictionem, alios ad maledictionem, nempe æqualiter, absolute citra præscientiam. Et in Psalm. 117. ubi Prædestinatus dicitur Liberum Arbitrium infringere. Et in Psalm. 147. ubi Prædestinato objicitur quod neget illud Apostoli quod Deus omnes homines vult salvos fieri. Adde ejusdem non antiqui in admodum sed tamen nunquam damnati auctoris locos alios Psalm. 58. 77. 90. 106. 126. Videtur non injurius in Gratiam à qua præveniri fatetur voluntates: nisi quod eam interdum minus integre explicat. Nam in Psalm. 147. antecedentem hanc Gratiam statuit in ostensione sui: nec satis aperte fatetur præter externam prædicationem, illuminationem quoque internam requiri. Quod autem de Vincentio Lerinensi dixeram nuper, magis magisque mihi allubescit: nempe tangi ab eo oblique eos qui sub nomine Augustini novam docendi rationem antiquis incognitam super Gratia ac Libero Arbitrio populis obtrudebant. Nam Capite 43. postquam citavit nobilem illam Cælestini Epistolam, hæc subjicit: *Hic aliquis fortasse addubitet quinam sint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem. Vetustatis prædicatores an* NOVITATIS ADINVENTORES? *Ipse dicat &* DUBITATIONEM *legentium ipse dissolvat: Sequitur enim: Desinat,* inquit, *si ita res est.* ID EST SI ITA EST UT APUD ME QUIDAM URBES ET PROVINCIAS VESTRAS CRIMINANTUR, *quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis: desinat itaque,* inquit, *si ita res est, incessere novitas vetustatem. Ergo hæc fuit beati Cælestini beata sententia,* NON UT VETUSTAS CESSARET OBRUERE NOVITATEM, *sed potius novitas desineret incessere vetustatem,* Nonne ex his verbis apparet hoc agere Vincentium, ut Cælestini verba in illos retorqueat qui Cælestini autoritate se tuebantur? Qui autem hi nisi aut Prosper & Hilarius, aut progressi longius Prædestinati? Addo jam quod Vincentii Monasterium fuit Lerina, in tractu Massiliensi, ubi & Faustus postea vixit. Adde quod omnes fere laudatos auctores recitat: Augustini nusquam meminit. Ait in Præfatione, motum se ut scriberet consideratione etiam temporis, quod NOVORUM HÆRETICORUM FRAUDULENTIA multum curæ & attentionis indigeat. Recipiendum ait non quod unus aut alter, sed quod omnes pariter & maxime antiquissimi uno eodemque consensu docuere. Quin fieri posse dicit ut auctores opinionis alicujus Catholici, consectatores vero hæretici judicentur. Mox fraudulentiam illam cujus in præfatione meminerat accuratius explicans, ait in eo positam quod sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, & captent veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant. Deinde quæstionem proponit Cur persæpe divinitus sinantur EXCELLENTES quædam personæ in Ecclesia constitutæ RES NOVAS Catholicis annuntiare? quod ita fieri Tertulliani & Origenis, virorum eruditissimorum exemplis confirmat. Neque illud de nihilo, quod capite 24 alias hæreses breviter transiens Priscilliani hæresim gravissime perstringit. Nunc ut alia quoque tui vere aurei libelli obiter percurram, Ephesi damnatum proprie Pelagii dogma non memini legere: exactos tamen quosdam Pelegianos Nestorii suffragatores apparet: quod tamen tumultu magis factum quam judicio, ex carmine Prosperi colligere videor: qui

Digitized by Google

qui & Sicilia pulsos Pelagianos non obscure significat. Recte & verissime observasti omnibus iis Conciliis quæ contra Pelagianos aut Semipelagianos habita sunt Prædestinationis quæstionem magno silentio præteriri: idem observari potest in tot Episcoporum Romanorum Epistolis, quorum auctoritatem parvi facere non possunt qui Prosperi se vestigiis jactant insistere. Maxentius an non in Eutychetis errorem inclinaverit consideres velim. Miratus sum in eo me legere Basilii locum qui dicat, Deo volenti servare humanum arbitrium non resistere. Nihil unquam Augustinus tale pro se afferre potuit ex ullo veterum. Gesta Palæstina hortor ut legas: mire illustrant nascentis Pelagianismi historiam. Nunc id restat, ut dicam quod & mea nonnihil & Reipublicæ plurimum interest. Si res tua privata, vitæque tuæ tranquillitas id ferrent, omnino consultum putarem edi quæ de Veterum sententia commentatus es. Nihil enim hoc sæculo tractari potuit utilius. Utinam & quæ in Bogermanno notasti sine fraude tua lucem possent aspicere. Nam quanquam Joannes Arnoldi eidem labori gnaviter incumbit, tamen tua moderatio nihil dantis partibus, sed vero constanter patrocinantis, plus habitura esset auctoritatis. Deinde è re esset vel breve aliquid quam celerrime prodire, ne responsionis tarditas malevolis audaciam, mediis suspicionem, bonis dolorem augeat. Quod si neutrum fieri potest, rogo ut mihi permittas Joanni Arnoldi utrumque scriptum pacta silentii fide legendum dare, ut validissima tela inde sumat. In quam spem (nisi quod malim prius illud sine tuo incommodo posse fieri aut expresso aut suppresso nomine) libellum utrumque penes me retineo. Neque enim sæpissime repetita lectio satiare me potest. Vale Vossi doctissime & me constanter ama. 21. Julii 1614.

Tuus toto animo H. G.

EIDEM.

32 NOn morabor te multo sermone, Vossi doctissime, occupatus occupatum. Accipe Decretum Ordinum cum testimoniis: & in digerendo, augendo, emendando libello jam ea para quæ secundam editionem ornare possint. Ego interim tua, quæ collegisti loca super Prædestinatione ex præscientia & sufficiente Gratia exscribam. Joannes Arnoldi jam priori parti Bogermannici libelli respondit, puto me habiturum propediem, mittam ut legas antequam edatur. Deus te vir optime mihique amicissime sospitem, valentem florentemque præstet. Cal. Aug. 1614. Rotterodami.

Tui studiosissimus H. G.

I. VITENBOGARDO.

33 HEri postquam ad te scripseram, vir Reverende, venit ad me Cl. Bertii epistola cum pagellis aliquot, quo Piscatoris horridum dogma certissimis argumentis exagitat, tanta perspicuitate, ut mihi quidem videatur ipsi Piscatori quod vult probaturus. Poposcit judicium meum. Perscripsi amice & candide: Omnia, quæ adversus Piscatorem disputat, vehementer mihi probari: sed interim esse quædam, quæ mihi videantur intuta, certe intempestiva. Sunt autem ea pauca admodum, & ad propositum ipsius minime necessaria. Diatribam ei libello de historia Pelagii inseruit, in qua ipsius & causæ ab ipso defensæ hostes oblique aut defendi, aut certe excusari Pelagium clamabunt. Ait eum Synodo Palæstinæ suam probare sententiam. Atqui manifestum est, illusisse Pelagium Synodo; damnavit enim, ne ipse damnaretur, ea quæ mox multo etiam acrius sparsit in vulgus. Hæc enim duo, gratiam Dei non ad singulos actus dari, nisi gratia constituatur in ipsa natura. Item, gratiam secundum merita dari: in Synodo non modo pro suis non agnovit Pelagius; sed & anathematizavit. Eadem postea docere convictus est. Probavit ergo Synodo non suam sententiam, sed eam quam ex ipsius verbis intelligere Episcopi potuerunt. Reprehendit multa in Synodis Africanis. At quorsum? nam quid est in illis actum quod ipsi obstet? Nam de absoluto decreto ibi ne verbum quidem. De vi irresistibili nihilo majus: de gratiæ justificantis inamissibilitate multo minus: imo aliqua argumenta in partem contrariam. Sed cum Pelagius gratiam statueret in sola prædicatione, repudiatum est hoc à Synodis. An immerito? Mihi quidem Synodi istæ satis aperte distinxisse videntur inter dogmata Augustini propria, quæ plane omiserunt, & vetera ac Catholica, quæ propugnarunt contra Pelagium & Cælestium. Conqueritur D. Bertius, male eos audiisse qui paci studebant; & nominat Cassianum & Faustinum, minime probatos auctores, & quorum sententiæ ipsis auctorum verbis damnatæ sunt à Patribus Arausicanis. Cassiani est: non semper à gratia inspirari bonæ voluntatis principia: cavendum esse ut ita ad Deum referamus sanctorum merita, ut nihil nisi id quod malum est humanæ ascribamus naturæ: ortum bonæ voluntatis nullum ex se oriri. Fausti vero: quosdam servari solo vigore naturali, quam ipsi visum est subdola voce appellare primam gratiam. Hæc quomodo conveniant cum libelli supplicis vestri articulo III cum iis quæ Arminius & Scripturis, ut ego arbitror, & fidei antiquæ consentienter tradidit ad articulos XXXI art. XV & XVII cum nupero quoque Ordinum decreto, fateor me non capere. Et quorsum illos excusamus, quorum rejectis sententiis nostra maneant? Quid juvat insectari Africanas Synodos, quæ nobis non nocent? Quid inde boni speramus? Et hæc quidem pag. 70 & 71 Pagina vero 62 agnoscenda aliqua in nobis divinæ imaginis lineamenta vere dicitur, sed nescio an eo loco & sensu quo oportebat. Nam de fide agitur. An vero non potest infusio fidei irresistibilis repudiari, nisi putemus aliquas esse in natura vires ad salutariter credendum? Pagina 63 ait, non esse negandam gratiam primam, gratiam inhærentem, gratiam communem, gratiam cujusvis posterioris oblatæ gratiæ prensatricem. Ego quid hæ phrases velint forte non intelligo. Sed adversarii palam dicent, cum Fausto gratiæ nomine solam velari naturam. Nam gratia præveniens non potest esse illa quam prensatricem vocat. Est enim incitatrix & illuminatrix, agens non patiens. Ipsum autem quod prensat, est liberum arbitrium, quod de se habet velle, de gratia bene velle. Hæc ergo quin ad obscurandam gratiæ laudem pertineant, ut ego maxime credam, non credent alii. Statim ut in Britanniam venerit hic liber, noli dubitare, damnabitur. Deinde, qui Ordinibus Hollandiæ male volunt, hæc, inquient, est illa magnifica gratiæ prædicatio, cujus voce naturam intelligunt: Pelagium excusant: Semipelagianos Arausicano Concilio damnatos etiam laudant. Hoc est quod agitur: huc spectat illud decretum. Videor mihi audire loquentes Archiepiscopum & Winwodum. Apud nos vero omnes refractarii dicent, initium à Regente Collegii factum exorbitandi extra decretum: & quibusdam hoc facile persuadebunt. Quomodo ista Amstelodami, quomodo in Frisia jactabuntur? præsertim apud Comitem Guilielmum: cujus ille Professorem merito accusat: sed quid necesse erat ista admisceri? Magnus poterat sperari usus libelli si istis abstinuisset non necessariis. Qui dicunt Deum motu quodam interno omnium hominum corda pulsare, aliis excitare sopitas scintillas notitiæ naturalis, aliis etiam verbo exterius prædicato majus lumen accendere, paratum vero à prioribus parcioribusque mensuris ad alias uberiores & ad salutem omnino sufficientes progredi, nisi homo ipse viam præcludat; nonne satis evitare poterit absoluti decreti scopulos, etiamsi naturæ non tribuat, quod detrahat gratiæ? Et ego quidem D. Bertium benignitate quadam potius in homines olim damnatos, quam alia de causa scribere ista credo. Nam alio loco fatetur, omnem bonum actum à gratia præveniri. Sed nostræ aut benignitatis, aut eruditionis ostentatio tanti nobis esse non debet, ut propterea & nobis ipsis eripiamus facultatem juvandi alios, & patriam atque Ecclesiam oneremus supervacuis difficultatibus. Miror virum optimum non

Digitized by Google

non meminisse, quam male ipsi cesserit sola nuper libri inscriptio, quam amabat sine rivali. Scripsi hæc illi libere, & ipsius & publica causa. Ego mala multa eventura, ni mutentur ista, prævideo. Nondum est autem impositus libro finis. Paucarum chartarum res agitur. Quid hoc, si cum quiete publica comparetur? Tu qui ista optime intelligis, Reverendissime Domine, qui & locum & tempora nosti in quibus versamur, rogo si idem mecum sentis, meo consilio tuam adjungas auctoritatem: sin minus; æqui tamen consulas, quod pacem tot molestiis quæsitam & nunc maxime periclitantem, novis offensionibus dispelli longius non cupiam. Deum testor, ipsius mihi honorem, Reipublicæ & Ecclesiæ tranquillitatem & amolitionem invidiæ à bona causa, nec quicquam ultra, hic spectari. Idem te, Vir Reverende, diu valentem, florentem, & nostri amantem conservet. 3 Augusti 1614. Roterodami.

Tuæ pietatis cultor addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

34 REmitto tibi, Vir Clarissime, testimonia primæ Vetustatis & Græciæ insuper posteriores super Prædestinatione ex præscientia, Gratia sufficiente & Libero arbitrio quæ mihi jucundum fuit recognoscere. Alia quæ à te habeo scripta curabo ut ad Dominum redeant. Scire interea velim quo animo Decreti editionem acceperint ii, qui in Contraremonstrantium partibus moderatiores paulo videri volunt. Mihi videntur & imprudenter & ingrate facturi si contra quid moverint. Nam si hoc agunt ut Gratiæ suus constet honos, quid est omissum, præter absolutum decretum & irresistibilitatem, de quibus definiri nihil poterat, nisi vellemus omnem spem unitatis abrumpere? Volunt præventum Gratiæ aperte poni? positus est. Volunt tolli à Gratia meritum? sublatum est: non modo quia nulla est æqualitas inter opera nostra (sive quæ ante Gratiam fiunt, & ideo mala sunt, sive quæ ex Gratia fiunt, & ideo ipsi debentur) atque ipsam Gratiam operibus posteriorem, verum etiam quia maxima interdum dona conferuntur non modo nihil boni, sed & multum mali meritis: quanquam alioqui Deus non ex justitia, sed ex bonitate statuerit prioribus donis utenti ulteriora non negare. Nolunt ibi subsisti ut dicatur possibilitas fidei esse à Deo, nisi ab eodem ipsam quoque Fidem dari fateamur? obtemperatum est, ostensumque potissimas esse Gratiæ partes in ipsa pii actus productione. Improbant eos qui spem salutis cuiquam polliceri audent citra notitiam Euangelicæ veritatis? ne hoc quidem est prætermissum. Volunt nihil nos nobis arrogare, sed quod Christianæ humilitatis est, Deo totum asscribere? Habent & hoc. Et hæc quidem planissime pro ipsis, si hoc agunt quod agere videri volunt. Videamus an quæ ex altera parte decernuntur ipsos gravent. Cum dicitur neminem creari ad damnationem, nihil hoc ad eos pertinet qui supra lapsum nolunt ascendere. Illi enim frænantur his verbis, qui citra præscientiam qualemcunque actus omnis qui creatione sit posterior, audent rejectionem statuere & quidem affirmativam ut vocant. Nullis à Deo peccandi necessitatem imponi non frustra additur, propter illos qui Prædestinationem ad peccatum docent, quo nomine Nicasius Scurius jam pridem ab Ecclesiis censura notatus est: sed non habent quod hinc sibi metuant qui nec circa primum peccatum aliud decretum quam permittens agnoscunt, nec generalis hominum corruptionis causam in divina aliqua actione quærunt. Restat illud quod ut puto maxime vexabitur, nullos à Deo invitari ad salutem quibus salutem omnino non dare decreverit: quo in loco multa sunt dicta de Voluntate antecedente & Gratia sufficiente: sed iis verbis quæ ut puto Junius & Tilenus non sint repudiaturi. In summa hoc tantum dicitur quod quidam ad salutem non perveniunt, id non soli naturæ, sed & ascititiæ malitiæ asscribendum. Electio statuitur æterna κατ' εὐδοκίαν, [*secundum beneplacitum*] in Christo. Electi dicuntur esse iidem qui perseveranter credentes, hoc ipsi non negabunt. At in testimoniis quibusdam fit mentio præscientiæ, dicet aliquis. Et quid ni, cum Augustinus Prædestinationem interpretetur, præparationem & Gratiæ & Gloriæ? præparatio autem operum Dei præscientiam includit. Adde quod juxta doctores Contra-Remonstrantium, ut maxime electio ad salutem sit prior præscientia absoluta dandæ fidei, attamen præscientia hypotheticam sequitur. Præscientiam vero peccatorum etiam actualium ante reprobationem multis in locis statuunt illi quos sententiæ suæ auctores laudant nostri Contra-Remonstrantes: quam tamen si ipsi duntaxat hypotheticam volunt, certe nomen totum præscientiæ repudiare non debent: sine qua necessario Deus auctor peccati statuitur, cum qui vult absolute finem, absolute quoque velle & ordinare debeat media ad finem necessaria. In postrema parte sunt loci aliquot qui Liberi Arbitrii faciunt mentionem: sed nempe sub Gratia & cum Gratia, quam libertatem agnoscit ipse Bogermannus, imo & Geselius. Quod si in re nihil est quod ipsos premat, forte exemplum displicebit conditi à Magistratu decreti de re fidei. Sed profecto si Ordinibus licet ita credere ut fert decretum, licet etiam hanc fidem publice profiteri. Si vera sunt quæ decreto continentur, ne putent jubere Ordines, sed quod Deus jubet de eo ab ipsis moneri subditos. Quis hoc negabit licere? An peccet Magistratus si jubeat doceri veram & plenam Christi satisfactionem? hoc si faceret etiam absque Synodo neminem puto reclamaturum. Augustinus ait paucissimas hæreses in Synodis damnatas. Ego dum nuper Historias veteres evolvo, invenio Pelagium prius ab Imperatoribus damnatum quam ab ulla Synodo. Si ergo nec in ratione agendi peccatum est, nec in ipsa materia, quid est quod conqueri quispiam possit, nisi hoc dolet rationem inventam qua imminens schisma anteverteretur? Hæc ego ita ut mihi in mentem veniebant in sinum tuum volui effundere. Rescribes ubi vacaverit, aut potius non rescribes quo magis illis laboribus vaces quibus ego maxime faveo. Vale Vir doctissime. 10. Augusti 1614.

Tui studiosissimus H. G.

JOANNI VITENBOGARDO.

DE Bertii libello idem tuæ prudentiæ videri, quod mi- 35
hi visum fuit, sane gaudeo: nec minus illud me juvat, quod ipse D. Bertius ita mihi rescripsit, ut plane rationes consilii mei probare videretur. Vapulabit ergo Piscator: quiescet Pelagius: & Afrorum Patrum manes notam censoriam lucrifacient. De Vossio gratias tibi. Scripsi ad Mylium, & hac transeuntem insuper rogavi, ut meminisset. Nova accedit festinandi causa, quod Dordraci fama percrebuit, ipsum à Vorstio commendatum: qua de re hodie ad me literas scripsit. Id quin bono viro fraudi illic futurum sit, minime est dubium. Eoque magis eripiendus ex illorum insultibus, qui non quiescunt donec semel suspectos plane oppresserint. Si quid addere ad hoc negotium potes, rogo ne quiescas. Optime operam collocaveris. De Decreto, turbas metuo. Quibus id displicet, affirmant compertum sibi addita testimonia Vorstii opera: Legatos Dordracensium nullum habuisse isti formulæ assentiendi mandatum: ipsos decreti auctores satis ostendere quam diffidant eventui, cum nec ad Magistratus nec ad Ministros publico nomine exempla mittantur: ideoque nec pœnam adjectam, ut impune sperni possit. Ministri Dordracensium quidam, præcipue homo satis impatiens, qui tamen patientiæ præfert nomen, exemplo Amstelodamensium refutandum Decretum putant. Rogat me Vossius (nam ab ipso commodato acceperam) ut Amstelodamense scriptum ipsi remittam: opus enim sibi esse vel ad paucos dies. Quare velim describi cures, & per partes, si placet, quo minus moræ intercedat; ut & ego fidem liberem, & tua responsio procedat. Plane enim agendum hoc tibi arbitror. Nec cuiquam alii ausim committere. Magna enim moderatione & prudentia opus est, ut & æquioribus Contra-Remonstratium aliquatenus satisfiat, & tamen sarta tecta illa maneant, de quibus constituen-

Digitized by Google

stituendis tantopere laboravimus. Mihi inter legendum occurrebant quædam, quæ non incommode dici posse viderentur. Sed eas cogitationes chartæ non mandavi, nisi confuse admodum, & paucissimis notis. Nec dubito, quin si quid boni mihi in mentem venerit, idem te non sit fugiturum. Si quid tamen mihi amplius occurret, viso scripto tuo libenter indicabo. Arcerius apud me fuit. Sibrandianam bilem fortiter exspectabimus. Deus hæc fortasse benigna reducet in sedem vice. Idem te, Reverendissime Domine, diu Ecclesiæ suæ incolumem servet. 11 Augusti 1614.

Tuæ pietatis observantissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

36 MItto tibi, Vir Clarissime, libellos duos quos à te utendos accepi, Amstelodamensem alterum, alterum vero meliorem & tuum: quorum tamen iterum legendorum velim mihi & in posterum copiam fieri. Tertius, qui ad te venit, libellus, initium est eorum quæ Bogermannus sibi reponi meruit. Res mihi videtur ex fide explicata: ornatus haud multum desidero. Fatetur se Vir Optimus & ἀφελέστατος [*integerrimus*] Joannes Arnoldi multum adjutum tua epistola, quæ sane præcipua defensionis capita exactissimo judicio decerpsit. Rogo cæteris laboribus tuis tantisper supersedeas, donec has pagellas legeris, & quæ tibi in mentem veniunt annotaveris. Eget enim res festinatione, ne per sequentem Mercatum Francofurtensem Frisii in Germania impune regnent. Quare hoc age & si potes transcurre ad nos: si non potes quamprimum pagellas cum tuis cogitatis remitte. Simul te videre licuerit, habeo quæ narrem. Spem enim concepi non vanam tua studia in libertatem asserendi, si Deus juverit: cui te, tuosque labores commendo. 17 Augusti 1614.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

37 SIgnificavit mihi Vir doctissimus Joannes Arnoldi ut ante Mercatum Francofurtensem edatur pars prima scripti adversus Bogermannum, necessarium fore ut cras inchoetur impressio. Itaque cogor à te scripti initium repetere quod alioqui maluissem à te tuo commodo legi. Si quid annotasti rogo id quoque transmittas: & æqui consulas quod tibi tantum exhibemus molestiarum. 21 Augusti 1614.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

38 HOdie admonitus sum impressionem libelli contra Bogermannum eousque processisse, ut nisi statim mittantur pagellæ aliæ, vacatura sit typrographorum opera, non sine dispendio. Quare rogo quæ nuper legenda tibi dederam transmittas aut omnia aut quatenus perlegisti, cum tuis cogitatis. Da veniam quod toties tibi molestus sum. Vale Vir doctissime.

Tui studiosissimus H. G.

IOAN. HOTM. VILLERIO.

Clarissime Domine,

39 ACcepi per manus Viri Amplissimi Galliarum Legati, munus dignum, quod & tu dares & ego acciperem, Libellos Virorum præstantium scriptos pro re optima & desperatissima, pace nimirum divulsæ Christianitatis. Vt breviter dicam, quod sentio, ita arbitror, si Melanchthonis animum Lutherus, Cassander autem mentem habuisset Patriarchæ Occidentis, melius actum iri cum rebus Europæ, quæ nunc misera sub titulo Euangelii pœne totum jam per sæculum bellis funestissimis concutitur. Nunc cum ipsi illi, qui Romanam partem deseruere, paucas ob controversias adeo implacabiliter dissideant, quid de concordia totius corporis sperandum est? Et tamen laudandi in re præclara infausti quoque conatus. Quod si præsens ætas hoc supplicii debet, ut sana consilia respuat, imminet forte felicior posteritas, quam tandem capiat aut pacis studium aut pugnandi tædium. Sæpe τῶν ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός [*Deus insperatis viam aperuit*]. Dubium est, apud meos meum libellum puto jam legeris. Dubium est, apud meos an apud Iesuitas magis vapulem: apud meos quidem, quod illud apud ipsos παράδοξον [*inopinatum*] defendo, posse in unaquaque Ecclesia ferri eos, qui dissideant περὶ τὰ μὴ ἁπλῶς ἀναγκαῖα [*circa ea quæ non sunt simpliciter necessaria*]. Apud istos vero, quod Principes ad inspectionem rerum religionis voco. Vtrumque autem hoc tale est, ut nisi ita statuatur, non modo amissam unitatem recuperare nunquam possimus; sed ne hanc quidem, quam habemus, retinere. Ordines Hollandiæ mecum sentire, ex Decreto ipsorum videbis. Operam dedi ut non sine testimoniis exiret, non modo ut eo sanctior esset decreti auctoritas, verum etiam ut assuefacerem nostros deferre aliquid piæ Antiquitati, quæ proterve à nonnullis spernitur. Expectabo, si placet, judicium tuum. De biennio Leicestriensi autem an vello? sane cum tuæ pollicitationis libertatem specto, facere id debeo; cum vero mecum cogito nulla à me præcessisse officia, quæ hoc mereantur, forte ne expectare quidem possis ulla, tanta ac talia vix audeo. Satis ergo erit, si ut memor mei sis, te oravero, in quo uno omnia me abunde sperabo consecutum. Vale Vir Amplissime. Hagæ Comitis Hollandiæ. 26 Augusti 1614.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

GRatias tibi ago maximas quod mea causa tantum tibi temporis perire voluisti: Et quæ annotasti perplacent. 40
Scribit modo ad me Joannes Arnoldi mutasse se consilium de itinere Francofurtensi. Itaque diligenter à se pergi in responsione ad Bogermanni partem alteram. Rogat autem ut in paucos dies uti sibi liceat scripto tuo quo Semipelagianismi historiam complexus es. Ego quod nuper cœperam conscribere de Jure Magistratuum detexui, sed admodum subitario labore. Desiderantur aliquot loci Augustini quos legisse me memini. Eos autem facilius sim reperturus beneficio Locorum Communium. Si diebus aliquot eo libello potes carere sine tui utilissimi operis intertrimento, velim mittas Rotterodamum, uxor Hagam perferendum curabit. Ego autem confestim faciam ad te redeat. Vale Vir doctissime & gnaviter da operam illustrandæ Veritati, nec deterrere ullis incommodis. Res ipsa tanti est: & Deus viam inveniet. Scribebam die solis.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

NOn possum non apud te conqueri de injuria quam mihi intulit inquilinus Hollandiæ, Britanniæ ejectamentum. 41
Puto librum jam videris quem adversus Vorstium inscripsit: sed revera non minus contra Hollandiam scripsit. Tanta diligentia conquisivit hæreticos Hollandos: scilicet ut gentem infamaret. Erasmum ita tractavit, ut crudelius non possint ipsi Jesuitæ, qui non minus male illi volunt quam Luthero: & quidem merito: ita totus in eo est, ut Urbes Hollandiæ præclaras Vorstinianismi, hoc est ut ipse interpretatur, Socinianismi incuset. Mihi sane aperto mendacio duplicem inussit notam: nam & non alienum me à Vorstio dicit & eundem addidit à me magno opere purgatum, cum ipse Bogermannus nihil ultra objecerit quam quod pepercerim Vorstio: cujus rei justas habui causas, Patronus Ordinum in lite nondum ab Ordinibus judicata. Purgandi autem Vorstium causæ mihi nullæ fuere: animus certe non fuit. Vides quo hæc tendant, ut opera mea Ecclesiæ reddatur inutilis. Et tamen cum illo serram reciprocare vix conveniat ei dignitati qua me patria ornatum voluit. Rogo cogites & consilium mihi transcribas. Augustini digesta tibi remitto. Noli exemplo

Digitized by Google

plo meæ injuriæ deterreri à patrocinio veritatis, quin potius feramus arbores alteri sæculo profuturas. Deus Vir Optime te diu servet. 8 Septemb. 1614.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

42 Mitto ad te, Vir Clarissime, Diatribam meam cujus partem tibi nuper ad tædium usque ingessi. Rogo perlegas, & quæ notanda videbuntur notes ea libertate quam ipse ab amicis tibi præstari cupias. Ego multo magis vereor ne minus quam par est Magistratibus aut plus quam par est Pastoribus tribuerim, quam ne in alteram partem verum excesserim. Et tamen ne sic quidem illis satisfiet qui se Ecclesiam vocant. Sibrandi liber imminet μέγα κακὸν. [*magnum malum*]. Walæus quoque paratum habet scriptum hujus argumenti, sed ipse, quantum hactenus ex colloquiis animadvertere potui, non satis paratus ab iis quæ istius materiæ tractatio desiderat. Mylius noster à Iesuitis vix ultra voces recedit. Nam revera summum imperium circa Ecclesiastica tradit hominibus Ecclesiasticis. Tibi quid videatur velim quamprimum scire. Fac aliqua scribas quæ displiceant: ac si id non facias, totum librum tibi displicere existimem. Vale Vir doctissime. 14 Septemb. 1614.

De Slado quid agendum censes?

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

43 Debitor tibi sum, Vossi doctissime, pro binis eruditissimis literis, quarum priores Sladum, alteræ meam de Jure Magistratuum diatribam attingunt. Ad Sladum quod attinet, crescit mihi quotidie animus & recte facti conscientia, cum video ea quæ à me scripta sunt, pro existimatione & Jure Magistratuum, pro pace Ecclesiarum, pro doctrinæ sobrietate, non posse nisi per mendacia & calumnias oppugnari. Et sane præclarus huic cœpto successus adfuit, is nimirum quem boni cives semper optarunt, ut meo malo malum publicum redimerem. Nam cum antea mihi liceret tuto agere, Ordines autem passim acerbissimis conviciis exciperentur, hoc egi scripto meo, ut Ordines non tam aperte amplius lacessantur, ego autem scopus sim contumeliarum. Mitto tibi Joannis Arnoldi librum contra Bogermannum, in cujus præfatione fit obiter Sladi mentio, non ultra tamen quam quatenus ille me impetivit. Cæterum alia sunt ejusdem Sladi facinora quæ nescio an silentio transmitti debeant: quod Erasmum virum tantum ille tantillus tam impudenter infamat, & quidem verbis ipsius contra bonam fidem ita truncatis ut non suum sensum præferant: quod Lutherum maluit cum Jesuitis incessere, quam cum nostris purgare: at quo tandem nomine? nempe quia is dixerit hæreticum non fore si quis voce ὁμοουσίου [*consubstantialis*] non usurpata rem ipsam teneat: quasi non multo plus dixerint Basilius, Nazianzenus atque alii, qui suadent etiam ut abstineatur vocabulis ἃ λέξεσιν αὐταῖς οὐκ ἐμφέρεται τῇ θείᾳ γραφῇ [*quæ dictionibus ipsis non inveniuntur in Sacra Scriptura*], inter quæ diserte numerant τριάδα, ὁμοούσιον, θεότοκον [*Trinitatem, consubstantialem, à Deo natum*]. Sed ille, ut Lutherum posset ignominiose traducere eadem fide qua Erasmum tractaverat, ex hypothetica enunciatione Categoricam fecit: nempe ut solus Calvinus Orthodoxus maneat: cui tamen Jesuitæ, è quorum penu ista mutuatus est Sladus, multo plura impingunt in hoc ipso τριάδος & ὁμοουσίου [*Trinitatis & consubstantialis*] negotio quam Erasmo & Luthero. Qui non clamores excitarentur, si dixisset Erasmus Filium respectu personæ improprie dici creatorem: & dure dictum in symbolo Niceno: Deum de Deo: & quod Filius dicitur Patri fore subjectus ad utramque naturam pertinere, quæ omnia exstant apud Calvinum? Iam vero Vbiquetarios, quos fratres agnoscunt Theologi moderatiores, Serveti discipulos facere quæ est intemperantia? Obtentus hic sumitur, quod ipsi non minus quam Servetus doceant divinas proprietates Christo homini communicatas: sed animo diversissimo: Servetus ut evertat τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, [*unitatem secundùm hypostasin*], Lutherani autem quod eam hoc pacto magis stabiliri existiment. Quid ergo nunc obstat quominus ad Sladi exemplum Lutherani Calvinianos vocent Quintini & Libertinorum discipulos, quia utrisque dogma hoc commune sit, peccata quoad Deum necessario evenire, & ut eveniant à Deo ordinari? Hæc atque alia complura sunt in Slado γεννήματα τῆς ψευδωνύμου καθαρότητος [*fructus falsi nominis puritatis*], quæ doctorum animadversionem merentur. Et cogitandum erit cui mandanda sit hæc opera, quæ tota biduo aut triduo confici potest. Sed ad Ioannem Arnoldi ut revertar, is pro auxiliis à te collatis gratias tibi agit maximas: & in prima quidem parte non parum: in altera autem quam nunc habet sub manibus ita se adjutum tuo labore profitetur, ut potissima quæque istius suæ diatribæ non dubitet tibi ferre accepta. Scriptum tuum, ut vides, ad te redit. Ad quæstionem de Jure Magistratuum quod attinet, gaudeo meam explicationem tibi non displicere. Quæ vero præterea addis de te humiliter, in me benigne, iis cave credas fidem à me adhiberi. Magnus εἴρων [*dissimulator*] es: ἐγὼ δέ τοι οὐ πιστευτικός [*ego vero minime credulus*]. Vtinam vacaret tibi, cujus rei spem nuper faciebas, ad me transcurrere ut coram de isto maximi momenti negotio agere possimus. Vix enim quisquam est cujus judicio plus tribuam, non tantum ob plurimam lectionem & summam diligentiam in vero indagando, sed vel maxime quod animo minime perturbato ad istas controversias accedis. Quare si potes bea me tuo conspectu. Ero Rotterodami ad Martis usque diem, tum rediturus ad Conventum Hollandiæ. Vale Vir doctissime 11 Octob. 1614.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime,

Hagæ cum amicis expenso negotio, visum est è re 44
& publica & mea paucis pagellis ostendere quam multa Sibrandus præter verum dixerit: quod paucis horis confeci: tradidique Lugduni Typographo. Edetur autem sine nomine libellus, in quo nihil plane novi dicitur: sed tantum ad meos & Sibrandi libros Lector revocatur. Rogavit autem Ioannes Arnoldi vir optimus, ut tuo auxilio juvari possit in cognoscenda Historia Manichaica & his quæ cohærent. Habebunt enim hæc usum in partis secundæ Bogermanni refutatione. Rogo te si quid potes ipsum subleves. Grevinchovius admodum serio persequitur injuriam sibi factam, & quod Peccatum Originale dicatur negare, & brevi ostendet, ut puto, calumniam esse. Diu mecum locutus est, nec ulla in re hæsitat, nisi in hoc uno, quod affirmare veretur ei peccato soli & per se sumpto cruciatus æternos aut retribui aut deberi. Sed posteros ob culpam primi parentis miseriæ subjectos, & morti, jure etiam filiationis excidisse, amissam quoque justitiam originariam sive præcipua divinæ imaginis, hinc cupiditatibus fræna laxata, inde porro magnam sementem vitiorum, rotunde profitetur. Scribebam hæc maxime festinans cum Lugduno Rotterodamum vectus inde Hagam iterum cogitarem. Vale Vir Clarissime mihique merito amicissime. 13 Octob. 1614.

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime,

Scripseram ad te nuper optare Ioannem Arnoldum ut in- 45
strui à te posset cognitione Manichaicæ Historiæ. Quanquam vero non nescio multis te negotiis impediri, tamen iterum à Ioanne Arnoldo interpellatus, omittere non potui, quin aurem tibi vellerem: Puto paucis pagellis ex majori tuo opere desumptis ipsius desiderio posse satisfieri. Nostra quæ in Sibrandi librum annotavimus, brevi videbis.

Thomso-

Digitized by Google

Thomsonem ubi commodum erit expectabo. Vale Vir doctissime, & nos ama. 20 Octob. 1614.

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

46 PRo scripto de Manichæorum erroribus gratias habeo, Corvini & bonæ causæ nomine. De Molinæi scripto tecum sentio. Commentatiunculam nostram de Satisfactione tibi non ingratam fuisse gaudeo. Mitto tibi Decretum Ordinum de libello Sibrandi, & bonæ Fidei ipsius τεκμήρια [*Signa*]. Quid mihi amplius, non per me quidem, sed per alios faciendum judices scire aveo. Tum vero dissertatiunculæ nostræ de Imperio circa Ecclesiastica quid fieri debeat. De Thomsone non est quod festines. Sed aut me visum veni aut ego te in ipsis boarii fori feriis opprimam. Antequam diem asscribam, inspiciam diligentius Calendarium: quod nisi me fallit est hodie 23 Octobris anni 1614. Dionysiani quidem.

Tui addictissimus H. G.

IOAN. HOTM. VILLERIO.

Vir Amplissime.

47 COmmentationes tuas Leicestrensium temporum rerumque aliarum, quæ nostram Rempuplicam spectant, avide, imo impatienter desidero. Flagitarem importunius, nisi impudentiæ proximum crederem beneficium postulare, pro quo parem gratiam referre te unquam posse desperes. Sed solatur me tua æquitas, qua judice gratiam jam retulit, qui beneficium agnovit. Si ita tibi videbitur, poterunt istæ chartæ commodissime transmitti cum fasciculo literarum, quas huc solet transmittere Gen. Dom. Langeracensis. Viri summi & extra comparationis aleam positi Thuani tempora inanibus literis interpellare non audeo. Quare, ni grave est, salutem cum omni officiorum genere ipsi à me tua voce deferri percupiam. Resalutat te Mylius, & amicitiam tuam plurimi facit. Eandem ego in magna felicitatis meæ parte pono. 9 Decembris 1614. Hagæ.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Clarissime.

48 SCribere hactenus ad te distuli, ideo quod de eo negotio quod mihi vehementer (ut scis) cordi est nihil certius indicare tibi poteram, quam nuper cum te viderem in transitu ex me intellexeras. Nunc res quasi confecta est extra minuta quædam quæ facile transigentur: promiseruntque se Curatores propediem ejus rei causa extra ordinem conventuros. Distentus hisce Comitiis aliisque rebus urbanis & privatis de satisfactione nihildum chartis consignare potui. Sed quoties meo mihi esse licet, meditationes satis belle procedunt, & opusculum mihi spondent, cujus nec auctorem pœnitere debeat, nec tædere lectorem. Tua quæ subministrasti, egregium nobis usum præbebunt. Si quid aliud occurrit ab hoc argumento non alienum, rogo annotes. Redit ad te charta, qua Decretum Ordinum quidam Theologi oppugnandum censuerunt: sed accessit Pastoris cujusdam scriptum, qui ejus Decreti defensionem suscepit, de quo judicium tuum expecto. Vale Vir doctissime, & nostri memor vive. 21 Decembris 1614. Rotterodami.

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

49 QVid Lugduni sit actum, quæque remora injecta negotio, quod ego publicæ utilitatis causa promovere nunquam desinam, malim coram tibi quam per literas indicare. Sunt & alia de quibus conferre tecum gestio, præsertim in argumento τῆς ἀπολυτρώσεως [*Redemptionis*]. Vtinam tibi vacet transcurrere, sed ego majorem temporis partem Hagæ detineor, tum ob Comitia, tum ob ea quæ cum Anglorum Legatis agenda mihi publice mandata sunt. Si qua est tui videndi spes, omnia quoad potero seponam. Potero esse Rotterodami quocumque volueris Saturni, Solis & Lunæ die, præsertim si præmonitus fuero. Deus te, Vir doctissime, veritati illustrandæ & paci procurandæ idoneum diu servet. 11 Martii 1615.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Doctissime.

ACademiæ Lugdunensis Curatores, acceptis à Comite Benthemiensi literis, hoc mihi dederunt negotii, ut te orarem, tum ipsorum nomine, tum jure amicitiæ nostræ, velles ad se venire Hagam, dum Comitia hæc aguntur, ut tecum agant de rebus ad te & ad Ecclesiam pertinentibus. Ego jam nunc Rotterodamum venio, die Lunæ post meridiem Hagam rediturus. Scio quidem molestum esse nunc iter istinc ad nos: sed parendum arbitror tempori; quare oro te hic adesse velis quam citissime ut simul Hagam iter instituamus. Multa quæ dicenda tibi sunt in adventum tuum differam. Simul de Mylii negotio (super quo tuas hic literas reperi) colloquemur: operamque dabimus, si fieri potest, ut ipsi, imo per ipsum Ecclesiæ prodesse valeamus. Vale Vir Clarissime, & me quantum cupias tuum crede. 14 Martii 1615. 50

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

POst tuum à me digressum reversus Hagam egi cum Curatoribus de eo quod nosti negotio. Agnosco mirabilem Dei providentiam qui omnium quos ea cura tangit animos ita moderatus est, ut res spe omni pulchrius succederet. Placet omnibus, excepto nemine, Collegii Theologici regimen tibi mandari. Scis stipendium esse quarta parte majus eo quod Historiæ Ecclesiasticæ promittebatur. Accedit, ut scis, pulcherrima habitatio: Ars moderandæ juventutis tibi longa consuetudine in naturam vertit. Nunc labore imminuto laboris fructus immensum crescet, & studia Theologica excolendi nulla benignior occasio. Tum vero partes quas controversiæ nuper ortæ fecerunt offendendi nulla tibi necessitas: imo quod alioqui per te maxime optas, ut extra turbas habearis id nunc ut cures ultro rogaberis: maximamque inibis gratiam naturæ tuæ obsequendo. Superest ut mihi quamprimum significes non alienum te esse ab hoc munere suscipiendo si rite deferatur. Hoc enim me sciscitari voluerunt Curatores ne irritum iter ad te instituant. Ego auctor tibi sim ostendas scriptis ad me literis, quas monstraturus sum Curatoribus, pariturum te ipsorum imperio, si res confici possit cum bona Magistratuum vestrorum gratia. Neque vero dubitare quin te iisdem plane honoribus ac commodis tibi id munus delatum velint, quæ Bertio contigerunt: & quin gnaro ac consentiente Bertio hoc ipsum fiat. Hujus argumenti epistolam à te expectabo, & quidem sine ulla mora, ne Steinfurdenses longa responsi expectatione discrucies. Mitto tibi dissertatiunculam super Manichæismo tuam: & meam commentationem Antisocinianam. Velim descriptionem inchoari à primo capite, omissa ad tempus præfatione, quam revocare statui sub incudem. 25 Martii Rotterodami. 51

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

HAgam profectus egi cum D. Oldenbarneveldio & Mylio de Steinfurtensibus literis. Sperat Mylius se intra octavum diem Durdrechti futurum, ut Collegii regimen tibi deferat. Si non potest tam diu retineri tabellarius, (quod vix videtur) consultissimum erit, ut eas des litteras Steinfurtum, quæ spem adventus tui si non præcidant, certe imminuant. Honestissimus color mihi videtur, quod uxor ægre divelli se patiatur, à cognatis, affinibus, amicis. Si talis aliqua Epistola præcesserit, minus postea offendet plena recusatio. Hæc nobis videbantur. Si quid repereris melius, uteris tua libertate. Compella quæso memoriam 52

tuam

Digitized by Google

tuam, si quid usquam recte dictum observaveris περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως [de redemptione], ut nos pro vera & Catholica sententia laborantes juves. Vale Vir Clarissime, cujus colloquio frui multum aveo. Kal. Aprilis 1615.

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime,

53 Literas quas nudiustertius sub ipsum meridiem ad te scripseram, non ante hesternam vesperam ad te perlatas doleo. Addam nunc arbitrari D. Mylium se Martis aut Mercurii die futurum Dordrechti, ut Curatorum mandata ad te Magistratusque tuos deferat. Vorstii & Timpleri ad Vorstium literas remitto. Rogat me obnixe Bertius, ut copia sibi fiat legendi libelli quem Thomson scripsit de amissione & intercisione justificationis. Vide an carere eo possis: simulque delibera an cum utilitate aliqua edi, possit is libellus. Cætera colloquio servabimus. Deus te Vir Clarissime, diu servet, atque eo in loco ponat, unde maximi ex te fructus in Ecclesiam possint redundare. 11 Aprilis 1615.

Tibi addictissimus H.G.

BENJAMINO MAURERIO

Illustri legato Regis Galliæ.

Illustris Domine,

54 Dum tempus aucupor, quo ad vos transcurram, præstiturus id, quod in me receperam nuper, effluere dies sentio, aliisque super alia ingruentibus negotiis, quorum cumulum auxit longa mea ab hac urbe nuper absentia, spem quoque ipsam, propediem vos videndi, magis magisque absumi. Quare tædere me cœpit tam incertæ procrastinationis. Et, quanquam præsens præsenti atque etiam conscio, si id daretur, principe ingeniorum Heinsio, rectius exponere potuissem omnia consilii mei momenta, measque cogitationes cum vestris conferendo, ex iisdem concentum aliquem extruere; tamen committendum mihi non existimavi, ut mea mora tibi aliquod detraheret interusurium temporis, cujus tum maxime servandi causâ omnis hæc instituebatur deliberatio. Malui ergo, cum alterum necesse esset, minus solvere, quam diutius debere. Literis igitur commisi id, quod sermone potius peragendum fuit: quanquam &, si quid peccaverint literæ, id poterit aliquando sermone emendari. Erat quidem res sollicite excusanda, tibi, viro tanto ac tali, consilium aliquod dare; præsertim in monstranda studiorum via ac ratione: sed hunc mihi laborem tua auctoritas condonabit; cui non obedire gravius sit crimen, quam obediendo interdum aliquid aberrare. In hac ergo consultatione tria ego considero: Ætatem tuam, Vir Amplissime, deinde munus, postremo occupationes. Quibus longa supersunt vitæ spatia, qui negotiorum suorum ipsi sunt arbitri, qui privatæ vitæ solatium atque ornamentum duntaxat quærunt à literis; hos amœno ambitu per omnia disciplinarum vireta suspenso gradu deduci, nihil prohibet. Tua jam provecta ætas, & in magna dignitate tempus, sæpe sub domino, arctiore gyro includunt diligentiæ tuæ cursus, jubentque te compendia potius itinerum, quam amœna sectari. Sapienter igitur feceris, si sæpe in mentem revoces, Legatum te esse, eoque dirigas omnem studiorum tuorum rationem; usurus potius literis, quam fruiturus. Quare, cum Philosophia omnis divisa sit in Contemplativam & Activam, hanc præcipue curare debes, illam non ultra, quam ut huic ancilletur. Commune utrique instrumentum est Logica, à qua proinde initium fieri ratio imperat. Hanc nolim te petere ex ipso Aristotele: esset enim id prolixius, & passim multa occurrunt nullius aut modicæ frugis. Sufficiet, si compendium aliquod legeris: quale est Molinæi: ita tamen, ut studiorum tuorum adjutor, cui tanto plus est otii, præstantissimum quemque ejus artis magistrum legat, & si quid scitu dignum repererit, id suo loco meminerit tibi referre. Hoc modo hora una aut altera multo majoris temporis fructum tibi assignabit. Et hoc ipsum non de Logica tantum, sed de aliis quoque artibus & scientiis, imo & de libris singulis dictum volo. Optimum quemque annotatorem illi percurrendum delega, qui minutatim colligat tibi per acervos admetienda. Post Logicam Physica sequatur, quam ipsam quoque non opus erit fuse persequi, Aristotelica vestigia premendo: poterit hic quoque satis utilitatis præbere scriptor aliquis brevis ac perspicuus: neque mihi nunc alius succurrit, quem potius commendem, quam Jacchæum nostrum. Sicuti autem in Logica præcipui usus sunt figuræ syllogismorum & regulæ topicæ; ita in physicis nihil est præstantius & ad moralem sapientiam conducibilius ea parte, quæ animæ nostræ naturam functionesque persequitur. Quare has partes non perfunctorie, sed exactiore, quam cæteras, diligentia tibi pertractandas censeo. Post Physica auctor essem tibi, ut Metaphysica quoque, hoc est, primam philosophiam, delibares, cujus gustum tibi aliquem præbere posset Timplerus, libro non admodum aut prolixo aut obscuro. Sed vereor, ne nimium liberalis erogator sim tui temporis. Ad activam ergo philosophiam veniamus, cujus pars prior est moralis, altera civilis: utramque siquidem non gustare vis, sed haurire penitus, ipse tibi summus docendi artifex Aristoteles legendus erit. Inter Ethica, quæ ipsius nomine circumferuntur, optima sunt Nicomachia. Politicorum unum opus extat. Ad hos libros, quicquid scripserunt eruditissimi interpretes, id summatim tibi referat tuus anagnostes. Sed præcipue in Ethicis notanda erunt Sectarum discrimina: quid senserit Pythagoras, quid severa Porticus, quid vetus aut nova Academia, quid hortulus Epicuri. His enim ignoratis, magna nobis in legendis veterum libris oboritur caligo, & utilitas perit. Ne autem tædium pariat unius Aristotelis omnia ex artis lege tractantis sollicita lectitatio: poterunt interseri interdum libelli aliquot breves, usus maximi, nec modicæ voluptatis. Tales erunt primum, qui per Aphorismos de moribus scripserunt: ut auctor Ecclesiastici & libri Sapientiæ, qui inter Apocrypha comparent: Theognis, Phocylides, tum qui aureum carmen scripsit, quod Pythagoræ dicitur, & Enchiridion Epicteti. Ad hos duos libellos, sanè exiguos & veteribus laudatos, multa eximia adferre poterit, si quis legerit, ad aureum quidem carmen, Hieroclem; Epicteti autem fusiorem interpretem Arrianum. Plane autem omittendus non est divinus Theophrasti libellus; qui solus nobis exstat in eo docendi genere, quod veteres Characteristicon vocabant; nisi eodem referre libeat poëmata moraliora, qualia sunt Euripidis Tragœdiæ selectiores, Comœdiæ Terentii, & Horatii Sermones. In quibus scriptis aliud notant adolescentes, aliud viri mirantur. Illis placet linguæ puritas ac nitor; hi vitam moresque hominum ibi velut in speculo intuentur. Hæc Ethices condimenta nisi sufficerent, adderem Officia Ciceronis, librum non suo pretio habitum, ideo quod omnium manibus teritur, Epistolas quoque quasdam Senecæ, & Tragœdias ejusdem nominis, & ex Plutarchi libellis optimos ac brevissimos. Simili modo Politicis quoque Aristotelis adjungam libellos aliquot fructuosæ brevitatis: cujusmodi sunt Eclogæ. Ecloga Polybii præstantissima περὶ πολιτειῶν [de rebus publicis], Oratio Mæcenatis & Agrippæ ad Augustum apud Dionem, & Sallustii Epistola ad Cæsarem. Neque alienum sit, ex Plutarcho addere eorum Vitas, qui civili sapientia pollere sunt crediti; puta Periclis, Catonis, Gracchorum, Demosthenis quoque & Ciceronis. Magna vero quoque utilitas capi posset ex ejusdem Ciceronis ad Atticum, & alios quosdam, Epistolis, si interpres adsit Romanæ historiæ, & illorum temporum gnarus. Nullus enim est liber, qui rectius monstret rationem, qua aptare deceat præcepta generalia ad suas hypotheses. Rhetorica quo-

Digitized by Google

quoque Aristotelis omnino tibi legenda arbitror; sed alio, quam vulgus censet, ordine, post Ethica & Politica. Vidit enim ille omnium scientiarum atque artium consummator, ad persuadendi artificium rivos ex morali ac civili sapientia molliter deducendos. Ut autem præceptorum usus hic quoque appareat, suadeam attente legi Orationes quasdam Demosthenis ac Ciceronis, non forenses, sed quæ Rempublicam magis spectant: quales sunt Philippicæ utriusque; illius Olynthiacæ, hujus pro lege Manilia & contra Agrariam, aliæque nonnullæ. Hoc spatio exacto, nihil restet, quod tibi æque commendem atque studium Juris; non illius privati, ex quo leguleii & rabulæ victitant; sed gentium ac publici; quam, præstabilem scientiam Cicero vocans, consistere ait in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, nationum, in omni denique belli Iure & pacis. Hujus juris principia quomodo ex morali sapientia petenda sint, monstrare poterunt Platonis & Ciceronis de Legibus libri. Sed Platonis summas aliquas legisse suffecerit. Neque pœnitebit, ex Scholasticis Thomam Aquinatem, si non perlegere, saltem inspicere secunda parte secundæ partis libri, quem Summam Theologiæ inscripsit. Præsertim ubi de justitia agit ac de legibus. Usum propius monstrabunt Pandectæ, libro primo atque ultimo; & codex Justinianæus, libro primo & tribus postremis. Nostri temporis Iurisconsulti pauci jurisgentium ac publici controversias attigere; eoque magis eminent, qui id fecêre, Vasquius, Hotomannus, Gentilis. His ergo disciplinis imbutus bene animus, mirum, quos deinde ex Historiarum lectione fructus sit consequuturus. Cognitis enim præceptis communibus, atque ipso genere Quæstionum facillimum est exempla suis sedibus collocare, sive ad hoc memoria sufficiat, seu brevis annotationis subsidium desideret. Historiarum autem lectioni omnino præmittenda est universalis quædam tum Orbis terrarum, tum temporum omnium delineatio, & qui res præcipuas brevius pertractarunt: quales sunt Justinus, Florus, & Livii summator. Ceterum in legendis Historiis malim te ductum animi, quam anxias leges sequi. Nullæ sunt, quæ non magnas habeant utilitates; & melius hærent, quæ libenter legimus. In universum tamen, non incipere ab antiquissimis, sed ab his, quæ nostris temporibus nostræque notitiæ propius cohærent, ac paulatim deinde in remotiora eniti, magisè re arbitror. In Romana historia obliviscendum non est, plus ferme frugis è Græcis auctoribus, quam è Romanis hauriri: quia mores omnes ritusque publicos exteri diligentius observant, traduntque. Sed de his colloquendi occasio nobis non deerit, rectiusque hoc filum abrumpam, quam ut, nimis operose studia tua figurando, in ipsa studia peccem; quibus nihil fas est decedere, nisi quod Regis Christianissimi & nostræ Reipublicæ negotiis datur. Deus te, Illustrissime Domine, utriusque gentis bono, incolumem diu servet; &, ut generoso proposito tuo prosperi adsint successus, duo tibi præstet bonæ mentis auxilia, firmam valetudinem, & constantem fortunam. Rotterodami, 12 Maji. 1615.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

55 DEo immortali gratias ago, Vir Clarissime, cum id mihi concessit, quod ego maximis ab ipso votis expetivi, ut te Ecclesiæ usibus propius admoveret. Ipsius sapientia curante effectum est, ut successus spes nostras longe superaret. Nam cum magnum nobis amicis tuis videretur, si in libertatem te paulo majorem vindicaremus, ipse non inter cæteros, sed in loco eximio te ponere voluit, ubi Collegium Theologicum, hoc est, ipsam Ministerii Batavici sementem tibi crederet, ita ut post Deum immortalem tua potissimum in manu sit futurum, qualis post annos decem aut viginti futura sit his in terris Ecclesia. Neque leve illud divinæ pro te sollicitudinis indicium, quod ab omni ordine, & à cujuscumque sententiæ hominibus avidissime expectaris. Nemo est qui non consilium Curatorum de te illuc vocando vehementer probet. Nihil restat nisi ut venias & tuos mores sequaris quibus ad istam functionem nihil esse potest accommodatius, nimirum ut pietatis & veritatis studio addas serenum illud modestiæ tuæ. Sed vide ne dum Dordracensibus tuis obtemperas, nimium longa expectatione crucies Academiam.

ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις
[*Quod sero bene fit, non fit bene*].

Ego heri Rotterodamum veni, mansurus non ultra Martis diem. Si interea poteris excurrere, erit gratissimum. Sin minus, significabo cum huc rediero. Sunt sane multa de quibus colloqui tecum gestio. Rogo commentationem nostram contra Socinum diligenter inspicias: nec verba tantum, sed rem ipsam penitus consideres, atque ita mihi promas judicium tuum, ut amicum decet. Rudis adhuc miles est, sed quæ paulatim poliri poterit, si tibi similes aliquot adjutores nanciscar. Thomsoni Diatribam eruditissimam mittam Bertio, res fiet Episcopis Eliensi & Lichfeldensi gratissima, si prodeat is liber. Vale Vir optime atque eruditissime, resalutat te puerpera. Scribebam die Dominico Resurrectioni sacro, qui mihi Natalis XXXII.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

HActenus primum negotiis publicis, deinde affinium aliquot, qui visum ex Zelandia me venerant, præsentia impeditus, nolui rogare te, ut ad nos transcurreres, ne molestiam tibi exhiberem sine satis digno molestiæ fructu. Nunc cum mihi percommodum sit vacare communibus studiis, restat ut te orem atque obsecrem, si modo tuæ res idem permittunt, ne me diutius colloquio tuo carere patiaris, quod multas ob causas flagrantissime expeto. Rogo igitur ut & quamprimum venias, & quamplurimos potes dies mihi largiaris. Deus te, Vir clarissime, publico ac meo etiam privatim bono sospitem servet. 19 Maii 1615. 56

Tui observantissimus H. G.

ANTONIO WALÆO.

INter plurimas quæ me destringunt occupationes, imperare tamen mihi non potui, quin illius magno Ecclesiæ malo πολυθρυλήτου [*multum celebrati*] Socini librum legerem inscriptum ab ipso de Iesu Servatore, scriptum autem ita, ut istius tituli partem non minimam tentet evertere. Cum autem viderem ab ipso quædam argumenta peti ab ipsis jurisprudentiæ principiis, quædam etiam ex Græcorum quorundam vocabulorum natura ac proprietate, neque videam ad ea ipsa ita esse responsum ut vellem, putavi non abs re me facturum si mea qualiacunque arma ad bellum commune conferrem. In magnis præliis est aliquis usus etiam velitis. Possitne hæc opella alicui justæ responsionis molem in se suscepturo esse utilis, alii viderint. Tibi vero ante cæteros Vir Clarissime, & totius laboris & singularum partium judicium lubens detuli, rogans atque obsecrans, non ea tantum utaris libertate quæ Theologum decet, sed eam quoque addas quam amici debent amicorum negotiis. Illud simul precor, ne quid hujus rei evulges aliis, & ut quamprimum potes hanc molestiam mea causa devites. Iesus Christus verus atque æternus Deus, qui mortuus est pro omnibus, ut omnes servaret, Ecclesiam suam protegat, omnesque hæreses à sancto Ovili quam longissime arceat, sed eas potissimum quæ beneficiorum ipsius memoriam obscurant. Rotterodami 5 Iunii 1615. 57

D. IAC.

Digitized by Google

D. IAC. AVG. THVANO.

Vir magne,

58 EGo, quamquam meo me didici metiri modulo, tamen non possum non mihi aliquid blandiri, cum me viro tanto non displicere intelligo. Agnoscerem quidem libenter, ea quæ scribis, ex amore magis quam ex judicio profisci, si amorem tuum sine judicio esse posse gravitas tua me credere pateretur. Quare ita potius interpretor, si qua sunt in me rerum bonarum semina, ea abs te non pro sua parvitate, sed pro spe profectus æstimari: quo ipso nullum mihi majus incitamentum contingere potuit ad capessendas virtutes. In hoc autem conatu tum mihi videbor multum promovisse, si unquam tuas splendidissimas actiones hactenus mihi imitari licuerit, ut aliqua earum in meis vestigia & ultima quasi lineamenta compareant. Contentiosum scribendi genus ingressus sum non ingenii mei ductu, est enim minime rixosum, sed impulsus vi quadam majore. Consilio scilicet virorum prudentium, & studio juvandæ tum Patriæ tum Ecclesiæ: & Ecclesiæ profecto magis quam Patriæ. Ut enim verum tibi exponam, Thuane Amplissime, (& sane quis est, qui magis mereatur verum audire?) ex quo de rebus religionis cogitare diligentius cœpi, inveni, justissimas fuisse querelas, emendationem aliquam tum in explicandis dogmatis, tum in ritibus, tum in regimine postulantium: sed, ut fieri solet, peccatum nonnihil διὰ τὴν τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρίαν [*ob nimium in contrarium trahendi studium*]. Ita dum à periculosa meritorum fiducia disceditur, irrepsisse sententias bonorum operum contemptrices: tædio superstitionis omnem λειτουργίαν [*liturgiam*] miro frigore sideratam: & tyrannidis, quæ intoleranda fuerat, metu processum ad ipsa τῆς ἀναρχίας [*dissolutionis Imperii*] confinia. Itaque semper ex eo credidi, viros bonos, qui in nostra sunt parte, summo studio niti debere, ut paulatim, si quid exorbitasset, id ad auream mediocritatem retraheretur: quam cogitationem Melanchthonis animo insedisse video. Nihil autem odiosius, non dicam Ecclesiis nostris, sed celeberrimis Ecclesiarum nostrarum Doctoribus objicitur, quam quod rigida quædam dogmata, & Zenonis magis quàm Salomonis porticum redolentia, nimium urgendo, deo assignent peccandi caussas, & διὰ τὸν ἀργὸν λόγον [*propter inutilem sermonem*] curam pietatis evertant. Vidit hoc quidem ille Melanchton, & Lutheri impetu in scopulos illos abreptus, monente Erasmo, correxit postea cursum: cujus vestigiis cum quidam apud nos Pastores insisterent, sed collegarum vehementia pressi, unicum haberent in Magistratuum bonitate perfugium, adjunxi me illis, qui ferendum non existimarunt, ut isto initio iret in exemplum res perniciosissima, ac palam fieret, moderata sectantes in Ecclesiis nostris ferri non posse. Huic pio instituto cùm se valide opponerent animosi quidam in vicinia doctores, & res plane alienas isti negotio immiscerent, duntaxat ut odium concirent Magistratibus pacem sectantibus; è re visum est, in uno, qui cæteris facilè eminebat, quique more pessimo externæ potentiæ auxilium imploraverat, ostendi quàm neque jure neque æquo ullo turbulenti isti clamores niterentur. Ad hanc rem mea opera delecta est, non quòd non multi idem rectius potuerint præstare, sed quod is labor proprius videretur ejus, quod tum obibam, muneris. Neque nesciebam, quid esset irritare crabrones, sed fretus honesti propositi conscientiâ, ausus sum me calumniis objicere, quas nunquam effugient, qui adulta & robusta vitia oppugnabunt. Tibi vero, Vir Illustris, gratias ago, simulque & egregiam tuam in me voluntatem & sapientiam tuam agnosco, cùm suades, ut ab istiusmodi contentionibus postea abstineam. Ego verò tum tua auctoritate permotus, tum sponte mea eo totus propendens, omnia non necessaria certamina anxie defugiam: quod video, ut scribis, & ad animi tranquillitatem & ad valetudinem, quam non satis firmam experior, maximi esse momenti. Historiam belli nostri ad finem, hoc est, ad inducias usque, pertexui. Superest nunc recognoscendi & corrigendi labor, ipsa prope scriptione molestior. Video me tum, quum vacavit paulo attentius scribere, non satis solida rerum cognitione fuisse instructum. Nunc cùm res ipsas discendi paulo melior est copia, occupationes, multæ magis quam magnæ, non satis permittunt respondentia historiæ verba seligere. Multumque vereor ne hic et opus, diversique temporis scriptio non satis unius auctoris spiritum præferat. Inter multa, quæ in te admiratura est posteritas, ego illud unice obstupesco, unde tibi modò in fori arce, modò in summa republica versanti otium, unde vis indefessa animi, ut res tot ac tantas aut scribendas cognosceres, aut cognitas scriberes. Cæterum cum hoc tam diligenter agat tua epistola, ut me ad historiam scribendam excitet, inveni tamen in ea aliquid, quod me ab eo labore vehementer absterret. Nam si tu in tam excelso fastigio collocatus, tot undique septus præsidiis, XLVI. libros humano generi utilissimos pateris inutiles jacere, iniquitatem seculi veritus, quid me facere æquum est tanto ad omnes fortunæ ictus apertiorem? nisi fortè existimas ingratos, invidos, calumniatores vestri esse cœli homines, neque apud nos provenire hujusmodi messem. Sed minimè ita se res habet, Thuane Amplissime, iidem fluctus in simpluvio nostro se movent, qui in vestro mari Ægæo. Dabo tamen operam, te tanto auctore, ut quæ scripsi hactenus, ea quam fieri potest, emendatissima apud me extent, extra hujus ætatis commercium, cum qua contrahere periculosum est. Posteritati rectius creditur, non quod illa futura sit melior, sed quod æquior defunctis, quippe alios habitura, quos exercat. Vale Vir illustris, & me tui gregis scribe. Nonis Iunii Anni 1615. Rotterodami.

Viro Perillustri,

BENIAMINO AVBERIO MAVRERIO.

REmitto scriptum quod utendum dederas, Vir Illustris. Nunquam equidem dubitaveram, quin retenturi essetis jus vestrum contra iniquissima Anglorum postulata. Invit tamen in hac charta quasi expressa videre vestigia Gallicæ libertatis ac fortitudinis in defendenda balænarum captura, cujus non est tam fructuosa possessio, quam turpis esset futura abdicatio. Illud quoque placet, quod non animo tantum, sed & facto constituistis possessioni insistere, atque ita re ipsa ostendere, quod hoc anno à vobis isthuc navigatum non est: in eo consultum vestris commodis, nequaquam vero Britannicis denuntiationibus obtemperatum. Ego cum jampridem viderem, hoc agere Anglos, ut exclusis aliis gentibus nos solos in societatem iniquissimi juris admitterent, sedulo obstiti ne veniretur ad tam turpes pactiones. In ipso colloquio plane ad silentii metas Anglos redegimus. Ostendimus enim, neque terram ipsorum esse, neque si esset, posse nobis Maris, quod natura commune est, usum eripi, aut balænarum, quæ nullius sunt, occupationem. Terram ipsorum esse non posse, certo argumento evicimus, quod ante annum 1596 nullus eam mortalium esset ingressus. Eo autem anno à nautis Batavis detectum, calcatumque id solum, intratos sinus, data ipsi Terræ, singulisque ejus partibus nomina, quæ non modo in diariis nautarum, sed & in sphæris chartisque multo tempore ante motam hanc controversiam editis apparerent, cum tentarent dicere, anno 1553 Hugoni Willougbæo hanc oram fuisse cognitam, nos ex ipsius Willougbæi diario ostendimus, ipsum Finmarchia egressum, delatumque in sui nominis insulam, longissime semsum, delatumque in sui nominis insulam, longissime semper ab ista, qua de agitur, tellure abfuisse; neque aliam ullam oram attigisse, quam Lappiæ, cujus extremo in littore algore atque inedia ipse sociique ejus omnes ad unum interierint: horum corpora ac libros à Lappis, qui sub æstatis, qualiscunque ita positis contingit, reditum, oram maritimam repetunt, inventa: inde porro libros in Angliam per-

Digitized by Google

perveniſſe. Addidimus, quod non minus manifeſtum erat, ventis illis ac curſibus, qui in Willougbæi diario annotati reperiuntur, fieri non potuiſſe, ut in eam, de qua quæritur, terram deveniretur: imo neceſſario tali itinere ab ea terra longius longiusque diſcedi. Et cùm ambulatores, quos explorandæ Lappiæ Willougbæus miſerat, occaſum verſus toto triduo progreſſos, illi contenderent in hac terra iter feciſſe: ex poſitu locorum demonſtavimus, ſi iſta terra ire cœpiſſent, atque in occaſum perrexiſſent tridui itinere, futurum fuiſſe, ut bidui ſpatia in altiſſimo Oceano conficerent. Protulimus & Anglorum libros, qui, ante hæc jurgia editi, teſtimonium præberent, tellurem iſtam, quæ à Boreali Finmarchiæ promontorio in Septentrionem patet, illic ſitam, qua ſe Arcticus cardo in LXXVI, LXXVII, LXXVIII, LXXIX, & LXXX. gradus tollit, à Batavis repertam, ante ab omni ævo fuiſſe incognitam. Revicti igitur Angli non teſtimoniis tantum, ſed Geographicis inſuper demonſtrationibus, nihil aliud, quod reſponderent, invenire potuerunt, niſi ſatis magnam Regi ſuo factam injuriam, quòd jus ipſius in controverſiam deductum eſſet hactenus. Se mandata non habere ſuper piſcatu colloquendi, niſi ipſos terræ dominos fateremur. Illud verò lepidum, quod addebant, juris ſui documenta ad manum non eſſe, ſed in Anglia Caronio oſtenſum iri tot ac talia, ut nihil ipſi futurum, quod contra diceret, planè confiderent. Malebant ibi ſcilicet cum illo, quam hic nobiſcum diſceptare, ut, quod nuper fecerant, iterum ex ipſius ſilentio victoriam metirentur. Sanctioris in Gallia Regii conſilii inſtitutionem, de qua monebas, bene Regi, bene regno Deus vertat: faxitque ii plurimum poſſint, qui acciſas cupiunt eas opes, quas Henricus Regum ſapientiſſimus merito ſemper inviſas ſuſpectasque habuit. Nam ut inſuper eorum ſperemus magnitudinem, qui de rebus ſacris nobiſcum ſentiunt, id verò tempora non ſinunt. Dolebunt multis Hiſpanicæ affinitates, & veſtrorum beneficiorum juſtis apud nos æſtimatoribus loquendi libertatem imminuent: ſed præterita nos tempora docuere, privatos inter ſe nuptiis vinciri, potentibus amicos inimicosque ex uſu haberi. & novimus Hiſpanorum inſolentiam, quæ cum veſtra libertate nunquam coaleſcet. Hæc quanquam vera ſunt, ægrè tamen populo perſuadebuntur, adeo ut nulla potuerit obtingere materia dignior, in qua eloquentiæ nervos intenderes. Studia tua rectè procedere gaudeo, atque utinam Galli tui eſſent paulo ruſticiores, qui magnum ſcelus exiſtimant Regio legato non aliquot horas eripere. Si me mea fata permiſiſſent illic vivere, ubi partem ferme optimam vitæ bonis ac literatis nunquam ignotus exegi, non haberes hodie alium fortiorem honeſtiſſimi tui propoſiti adjutorem. Nunc, quando id non licet, tua illa præclara cœpta votis proſequemur. Vale Vir Illuſtris. 5 Iunii 1615. Rotterodami.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

60 INterpellor à Ioanne Arnoldo Corvino, Vir Clariſſime, ut ipſi quamprimum remittam chartas Antibogermannianas, quarum pars poſterior penes te manſit hactenus. Novi occupationes tuas. Itaque minime miror hactenus tibi non vacaſſe ut illis legendis operam dares. Nunc igitur rogo, ut ſi fieri poteſt aliquot horas tibi ſuffureris. Sin id tibi non licet, attamen oratum te volo ut quamprimum me ejus libelli compotem facias per me deinde ad dominum redituri. Tibi vero in iſta nova & reipublicæ perquam neceſſaria functione fortem animum precor, & quantam labor iſte deſiderat corporis firmitatem. Prid. Cal. Iul. 1615.

Puto me Hagæ ubi nunc ſum manſurum hoc biduum aut triduum. Si quid ad me curatum vis, poteris id fratri meo tradere, qui ad me aut tranſmittet aut feret.

Tui obſervantiſſimus H. G.

ANTONIO WALÆO.

61 NOn diſplicuiſſe tibi, vir Reverende, laborem, quem non mearum virium fiducia ſed amore pretioſiſſimæ veritatis ſuſceperam, plurimum gaudeo. Multo vero magis illud me juvat, quod communi ope propulſatis erroribus qui fidei arcem labefactant, ſpem facis reſtituendæ Eccleſiis noſtris concordiæ, quam homines quidam, præconceptis opinionibus ſupra fas & æquum addicti, mirum qua vi quibus artibus ſubruant, plane quaſi medicina ægro corpori ferri non poſſet, niſi quam latiſſime diducto vulnere. Me ſane, præter ingens odium, quo proſequor incognitas piæ antiquitati ſententias, nihil æque excitat ad palam damnanda atque convellenda id genus dogmata, quam, quod de illis arrepta ſuſpicio paci diſſuendæ præbet aut cauſam aut colorem. Quare quemcunque Deus malis noſtris exitum eſt daturus, hæc nos ut ſpero conſcientia ad ultimum uſque vitæ ſpiritum proſequetur. Recte obſervaſti, Vir doctiſſime, in definitione orthodoxæ ſententiæ, obedientiæ legalis à me non expreſſam fieri mentionem; quanquam poteſt & illa incluſa intelligi, cum Chriſtus volens cruciatus ac mortem tuliſſe dicitur. Sed ſtudui vitare eam quæ inter Molinæum & Tilenum nuper efferbuit controverſiam: quanquam ſi mihi inter viros tantos promendæ ſententiæ jus eſſet; arbitrarer, obedientiam illam activam, quam vocant, proprium ſuum ac peculiarem habere locum in impetranda gloria: quæ quanquam cum impunitate ex divino decreto inſeparabiliter cohæret, poteſt tamen ut quiddam ab impunitate diſtinctum eaque poſterius intelligi. Videntur ergo mihi Chriſti *κατορθώματα* [*bene facta*] meriti habere vim, paſſio ipſa, qua pœnalis eſt, vim ſatisfactoriam, non tamen citra conſiderationem voluntariæ ſuſceptionis, quæ effecit ut Deus hanc paſſionem libentius rectiusque ad peragendam ſolutionem admitteret. Sed quia tota Socini diſputatio eo tendit, ut Chriſtum vice noſtra ſive ob peccata noſtra pœnam neget pertuliſſe, ideo in figendo controverſiæ ſtatu non putavi longius evagandum. Et quanquam quæ mea ſit ſuper hac re ſententia obiter in diverſis libelli partibus oſtendi, ut aba te recte animadverſum eſt, tamen conſtitui apud me, præfatione inſuper aliqua ſuper hoc ipſo negotio nonnihil diſſerere. Quod me mones, ut memor ſuſpicacis ſæculi immutem voces quæ ſonum habere videntur *ἐλαττωτικὸν* [*diminutivum*], & prudenter & amice à te factum eſt, eoque nomine gratias tibi ago maximas. Ego quidem nihil minus volui quam τοῦ λύτρου [*redemtionis*] pretium ullo modo extenuare: cujus rei te ex lectione libelli certum eſſe confido. Sed tamen conſtitui te recte monentem ſequi, & alia ſubſtituere *ἀνυποπτότερα* [*magis ſuſpicione vacantia*], aut minus *εὐδιάβλητα* [*calumniæ obnoxia*]. An pro puniendi propenſione affectum auſim ponere cum quadam emollitione *ἀνθρωποπαθείας* [*attributionis humanorum affectuum*] dubito. Videtur ſane id temerarium non fore, cum iræ vocabulum Deo toties tribuat ſacra ſcriptura. Acceptilationem doctiſſimo Bezæ nominatam non memineram. Quare & is locus corrigetur. In eo quoque conſilium tuum ſequar, ut teſter, cruciatuum nomine qui in ſatisfactionem veniunt non ſolos intelligi debere corporis dolores, ſed vel inprimis perpeſſiones animi, quas Euangeliſtæ exprimunt vocibus *λυπεῖσθαι*, *ἐκθαμβεῖσθαι*, *ἀδημονεῖν* [*contriſtari*, *expaveſcere*, *moeſtus eſſe*] & quo præcipue Chriſtus reſpiciens à Deo ſe derelictum exclamat. Rationis naturalis argumenta facile perſpectu eſt, non in hoc à me adduci, ut nobis fidem faciant ejus veritatis quam Divina oracula & ſatis & ſola perſuadent; ſed ut pateat, in ea interpretatione, quæ ſcripturæ verbis optime congruit & in Eccleſiis ſemper retenta eſt, nihil contineri abſurdi aut iniqui, quod maxime contendit Socinus, ut hoc evicto liberius deinde ſacræ ſcripturæ verba à genuino nativoque ſenſu detorqueat. Certiſſimum mihi eſt, operam eos ludere qui Fidei Myſteria demonſtratum eunt argumentis naturalibus. Sed tecum ſentio, fide rationem perfici, non deſtrui; ſuperari, non everti. Neque enim pugnant Dei dona, & ſi alia ſint aliis præſtantiora. Quare ſi Pontificios

Digitized by Google

cios in Cœnæ controversia recte urgemus deductione ad absurda, non est nobis in defendenda veritate eadem conditio defugienda. Sunt quidam qui egregie se defunctos putant, cum dixerint, Deo legem non esse positam, ideoque in ipso justa esse quæ alioqui notitiæ naturales injusta esse dictitant. Sed hæc agendi ratio mihi non placet, ut quæ & humanam & divinam naturam mihi videatur haud paulo minus evertere: humanam quidem dum notitias illas negat esse divinæ mentis *ἐκτυπώματα* [*expressiones*]; divinam vero, dum Deum non agnoscit sub illis proprietatibus, puta boni, justi, ac similibus, ex quibus eum nobis describit scriptura. Quare omni ope contendendum est, ut appareat, in his quæ fide credimus nihil esse quod à recta ratione dissentiat. In eo quoque tibi assentior, causas exigendæ pœnæ non tantum extra Deum ponendas, sed & in ipso Deo, quatenus scilicet in ipso residet naturalis illa justitia, & peccati odium, quod contra Socinum non uno loco defendo. Sed effectum punitionis, quanquam admodum congruentem naturæ, & quidem ea congruentia quæ à necessitate non longe abscedat, non existimo produci citra interventum decreti liberi, quo posito sequitur deinde necessitas absoluta. Ulteriori necessitati, quæ decretum antecedat, adstruendæ, conatus sum argumenta reperire: sed visus sum mihi operam perdere: ac contra plurima mihi se obtulerunt argumenta, quæ me vetarent potestatem divinam tam arcto fine includere. Si quis tamen invenire poterit quod ego frustra quæsivi, is me in suam sententiam facile pertrahet. Illa sane Christi verba, *si fieri potest, transeat à me calix iste*, an ad mortem Christi, an vero potius ad illum in quo tum versabatur *τὸν ἀδημονίας πειρασμὸν* [*mæstitiæ tentationem*] quo & in Epistola ad Hebræos loci quidam videntur respicere, referri debeat multum dubito: Certe *τὸ ἀδύνατον* [*impossibile*] Christus non ad naturam divinam, sed ad voluntatem divinam, hoc est, ad decretum absolutum refert verbis *ἀμέσως* [*immediatè*] sequentibus: ita ut hinc quidem nulla necessitas decreto prior possit inferri. Christus quin omnem maledictionem legis tulerit & à suis abstulerit, ac proinde etiam pœnas temporarias, quatenus ad maledictionem pertinent, minime dubito, quare & pœnas quæ piis infliguntur statuo non esse *τιμωρίας* [*ultiones*] sed *νουθεσίας* [*admonitiones sive castigationes*], quanquam simul possint habere etiam usum quendam *παραδείγματος* [*exemplaris pœnæ*]. Neque enim nescis pœnæ vocem in tres istas significationes solere distingui. Sicut autem *τιμωρία* [*ultio*] ita & *νουθεσία* [*castigatio*] interdum exercetur non in ipso qui deliquit sed in persona aliqua ipsi conjunctissima: quod ideo probavi exemplis, ut Socino illud effatum eriperem, quo mire triumphat, non posse alium puniri ob delictum alterius. Quare quid hic aliquem possit offendere, nondum satis intelligo. Augustanæ Confessionis locum ideo attuleram, quod Danielis illud de Eleemosynis vehementer me urgeret. Quanquam enim Hebræa vox aliquod præbet effugium, tamen certum est vetustissimos omnes interpretes uti hic expiandi aut redimendi vocabulo. Quare coactus fui huic quoque locutioni receptæ antiquitus benignam quandam explicationem addere, & quidem talem, quæ à natura vocis non degeneraret omnino. Neque video quid inde sequatur incommodi, si dicamus, debitum quidem & imperfectum obsequium tamen bono Deo hucusque placere, ut propterea à pœnis infligendis abstineat, quanquam illud sui natura tanti non erat. Videbo tamen an aliquid rectius possim comminisci, quod ad ejus sententiæ, quæ apud Danielem exstat, explicationem pertineat. Te quoque rogo, vir Reverende, ut & in hac cogitatione & in toto isto negotio me pergas adjuvare: quod dum facis & beneficium amico præstabis, & Ecclesiæ Dei non inutilem navabis operam. Edituritionis morbo non teneor. Forte tamen hæc ipsa alteri, cui plus otii viriumque suppetet, ad controversiam istam qua oportet diligentia tractandam, nonnihil auxilii afferent. Deus O. M. tibi ac Ministerio tuo benedicat. Rotterodami 3 Cal. Iul. 1615.

GEDEONI à BOETSELAER & ASPEREN,

Baroni in Langerack, &c.

Illustrium & Præpotentium Ordinum Fœderati Belgii apud Gallos Legato.

Generose Domine,

REvertor ad scriptionis officium aliquamdiu intermissum, dum mecum consulto, ad Viri Clarissimi Molinæi scriptum aliquid mihi commentandum sit, nec ne. 62
Si tacerem, verebar ne injuriam facerem verioribus sententiis de ritibus ac gubernatione priscæ Ecclesiæ, de conciliatione gratiæ & liberi arbitrii, de imperio summarum potestatum in res Ecclesiasticas; quæ omnia mihi videntur à D. Molinæo, aut ob properationem in Angliam, aut quia in aliis controversiis summe subactus illis expendendis ne antea quidem satis vacavit, neutiquam pro reliqua sua eruditione esse tractata. Atque adeo illud ipsum mihi dolet, quod illa pars literarum mearum, quæ Gallicarum Ecclesiarum morbos liberius tangit, ab illo lecta sit. Pauci enim sunt qui æquo animo patiantur sua ulcera tractari. His ille commotus magnam mihi facit injuriam, cum ita respondet, quasi ego dissuadeam propius inter se vinciri Protestantium cœtus; cum per multos annos eadem cum ipso vota volvam, neque desinam quicquid meæ est opis eodem conferre. Sed quod ego ejus scripseram, ex tua, Vir Nobilissime, epistola erat natum, qua significaveras, Angliæ Legatum parum spei facere promovendi negotii. Hinc ego occasionem sumseram conjectura quadam indagandi eas causas, quæ tam honestum propositum remorari possent. Faxit Deus ut falsus vates fuerim. Summarum potestatum an tam reverentes sint Galli Reformati, quam Angli, hæc ipsa tempora vereor ne grave nimis datura sint experimentum. Rex Britanniæ jampridem ita judicat, Ministrorum æqualitatem nimiam conjunctam esse cum quadam obediendi impatientia. Itaque sæpe est audita ab ipsius ore hæc sententia, *Tolle Episcopos, Regem sustuleris.* Antiquæ Ecclesiæ plus tribui in Britannia quam in Gallia, miror à quoquam negari. In Canonibus Ecclesiæ Anglicanæ conscriptis anno 1571. hunc invenio; *Imprimis vero videbunt (concionatores) ne quid unquam doceant pro concione, nisi quod consentaneum sit doctrinæ Veteris & Novi Testamenti, & quod ex illa ipsa doctrina Catholici Patres & veteres Episcopi collegerint.* Hanc legem an accepturi sint Galliæ ministri, multum dubito. Ad ritus quod attinet; certum mihi est *λειτουργίαν Anglicanam*, item, *morem imponendi manus adolescentibus in Baptismi memoriam*, *autoritatem Episcoporum*, *presbyteria ex solis Pastoribus composita*, multaque alia ejusmodi, satis congruere institutis vetustioris Ecclesiæ, à quibus in Gallia & Belgio recessum negare non possumus. Quod de Episcopis, & manuum impositione, quam confirmationem vocant, mollius sentit, sane gaudeo. Sed scit non deesse inter suos, qui illud Satanæ commentum, hoc notam Antichristi appellant. Id genus hominum...... quanta impedimenta objiciat Ecclesiarum concordiæ. Verissimum est quod dicit D. Molinæus, posse sub differenti disciplina & ritibus pacem coli. Sed id ut fiat, diligenter cavendum est, ne sua alienis nimium præferantur, præsertim noviter reperta receptis antiquitus. Putat D. Molinæus, me arte quadam voluisse ipsum ad controversias Belgicas pertrahere. Ego vero sancte testari possum, me nihil aliud spectasse, quam ut ipsius consilio, per te eliciendo, tum ego, tum alii adjuvari possemus ad pacem procurandam. Nam cum vidissem antea scriptum aliud ipsius Molinæi, de sarcienda inter Protestantes, Lutheranis quoque inclusis, concordia, in quo exserte profitetur, dissimulandas quæstiones multas ad salutem non

non necessarias, ac nominatim eas quæ ab Arminio motæ sunt super Prædestinatione, super Libero arbitrio, ac super Sanctorum perseverantia, plane futurum putabam, ut formulam doctrinæ super illis capitibus talem proponeret, qua non damnaretur ea sententia, quæ non jam dicam Arminio, sed Melanchtoni placuit. Proponit D. Molinæus theses quasdam, quas ait congruere cum Augustini, Prosperi, Fulgentii, & Concilii Arausicani doctrina. Sed qui à D. Molinæo dissentiunt, quærunt cur major esse debeat Augustini actoritas, quam omnium Patrum, qui ævo superiore ac puriore, hoc est, intra quadringentos à nato Christo annos vixerunt, à quibus recepta nunquam se damnaturum, & Rex Britanniæ, & plerique præterea nostrorum profitentur? Illos autem omnes Apostolicis temporibus proximos & eorum successores, plerosque & Episcopos & Martyres, *propositum & prædestinationem Dei recepisse secundum præscientiam, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque praviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit*, tum scripta ipsorum testantur, tum Prosper fatetur totidem verbis. Eorundem Patrum constans est sententia, *liberum esse etiam in fide arbitrium, non tamen sine divino adjutorio.* Ad Concilium Arausicanum quod attinet, in eo tota quæstio de prædestinatione, sitne ex præscientia, an ex decreto citra præscientiam, ne attingitur quidem: sed *anathema illis* dicitur, *qui aliquos dicunt ad malum divina potestate esse prædestinatos.* Traditur ibidem, *omnibus qui baptizari desiderant gratiam ad fidem conferri: & omnes baptizatos posse implere quæ ad salutem pertinent, Christo auxiliante.* Prosperi hæc clarissima sunt dogmata. *Neminem ad peccatum prædestinari: Etiam à non prædestinatis auferri peccatum originale per baptismi gratiam, & eum qui id neget non esse Catholicum: Eos qui non sunt prædestinati, ideo non esse prædestinatos, quia quales sunt futuri, hoc est, defecturi sine pœnitentia correctione, tales sunt præsciti: Recte dici omnes redemtos, sed non omnes à captivitate erutos: Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire, sed qui veniunt Dei auxilio dirigi, qui non veniunt sua pertinacia reluctari: ideoque illud (omnes) non debere nisi universaliter intelligi: Adhibitam esse semper universis hominibus quandam supremæ mensuram doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque sit gratiæ, sufficiat tamen quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium; sive ut alibi idem explicatur, Gratiam Dei omnibus hominibus adesse multimodo opere diversaque mensura, opitulationem per innumeros modos omnibus adhiberi, omnibus præberi mensuram generalis auxilii; quod ea à multis refutetur ipsorum esse nequitia, quod à multis suscipiatur & gratia divina & humana voluntatis.* Fulgentii hæc est definitio: *Ostensurus Deus quid reddendum præsciverit & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros, & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordia prævenientis auxilio credituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* Ex Augustino multa afferri possent loca, etiam è posterioribus scriptis, in quibus *liberum arbitrium* ostendit *adjuvari & emendari per gratiam, non tolli.* Illud certe nemo diligens veterum lector diffitebitur, ipsum Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & quotquot ante ipsos fuerunt Catholici scriptores, & quotquot postea extiterunt, hoc sensisse, hoc docuisse, *multos & justificatos & regeneratos non perseverare in fide quæ per dilectionem operatur, quosdam etiam irreparabiliter cadere.* Cum his an satis conveniant ea quæ scribit D. Molinæus, viderint harum rerum periti. Mihi illud compertum est, in vetere Ecclesia hunc fuisse morem, ut in symbolis ea duntaxat ponerentur, de quibus semper convenisset inter Catholicos scriptores, omissis iis de quibus laudati auctores dubitassent. Et hunc modum secuti mihi videntur Arausicani Patres, item Episcopus Romæ Cælestinus, assentientibus proculdubio doctissimis presbyteris, qui tum Romæ agebant, & ante illos Episcopis qui Diospoli, qui Chartagine, quique Milevi convenerant; Innocentius quoque & Zosimus Romani Episcopi, consulti omnes super his ipsis controversiis. Quorum modestiam imitari (ut cum D. Molinæo loquar) multo est satius, quam præconceptis opinionibus mordicus inhærere, aut ab unitate corporis avellere eos, qui probabiles causas habent aliter atque aliter de subtilibus controversiis judicandi.

Cæterum, ut credam Ignatium, Irenæum, Iustinum, Cyprianum, martyres, deinde vero Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, damnatos à nobis, quasi in gratiam Dei injurios, aut quasi evertentes fiduciam & consolationem sanctorum, id vero ego in animum nondum possum inducere. In D. Molinæi scripto multa invenio æqua & sobria, neque dubito quin si ipsius prudentiam Ministri nostri imitarentur, haberemus Ecclesiam, multo, quam nunc est, pacatiorem.

Cæterum quæ mihi inter legendum & relegendum in mentem veniebant, hæc ferme sunt. Ponit hoc tanquam certissimum, *multa fieri necessario quæ fiant libere:* quod mihi secus videtur. Deus, inquit, est necessario bonus. Fateor. Et tamen libere. Hoc vero non possum agnoscere. Nam liberum est id quod indeterminatum est ad partem utramvis. Deum autem natura sua, hoc est, ipsa Deitas ad bonitatem determinat, ita ut contradictionem involvat dicere, Deum esse, & posse bonum non esse. Non potest Deus mentiri, inquit Apostolus, non est igitur liber in non mentiendo. Verum quidem est, sponte esse Deum veracem: sed non omnia quæ sponte fiunt, libere fiunt, ut recte notant Philosophi. Sed hoc multos fallit, quod qualitatem aut genus actionis à speciebus singulis non discernunt. Libere Deus hominem creavit, libere redemit, atque ita libere hoc & illo modo bonitatem suam exseruit. Sed hoc non est libere bonum esse, sed libere sic aut sic bonitatem demonstrare. Sic & Diabolus necessario male agit, postquam se semel libero actu in istam necessitatem conjecit: sed tamen quod Iobum morbo vexat, quod Christo panem objicit, agit libere: poterat enim & malus esse, & non isto modo male agere. Similiter homo sub peccato venundatus peccat necessario, non libere: neque enim potest non peccare. Sed mœchatur & furatur libere, libere parricida est, libere incestuosus. Neque vero illud concesserim, ad ponendam libertatem satis esse tolli coactionem. Nam natura non minus libertati contraria est, quam coactio. Hæc enim extrinsecus, illa intrinsecus determinat, ac proinde efficit ne id quod fit libere fiat. Neque enim liberum est apertos oculos habenti non videre; quia natura oculi rerumque spectabilium talis est, ut non videre non possis. Ac frustra mihi videntur laborare qui res κατ' οὐσίαν [*secundum essentiam*] dissidentes, qualia sunt necessarium & liberum (est enim libertas mater contingentiæ) student conciliare respectibus. Illud vero mihi verissimum videtur, præsertim si de ordinario providentiæ divinæ modo agamus; *quocunque modo Deus moveat voluntates, manere tamen voluntati suam libertatem, & rebus suam contingentiam*, ut præclare asserit D. Molinæus. Sed id qui statuit, simul statuat necesse est, non moveri à Deo voluntatem prædeterminando. Nam liberum esse non potest, quod ab ulla causarum, multoque magis à prima, à cujus efficacia pendent in agendo omnes causæ inferiores, ad alteram partem præfinitur, atque determinatur. Neque potest quid esse contingens, quod impossibile sit non esse. Posita autem prædeterminatione impossibile est, ut effectus prædeterminatus non existat. Probo etiam illud, quod ait D. Molinæus, *damnari hominem merito, quod abutatur seminibus naturaliter insitis, neque iis utatur quomodo & quousque potuisset.* Quid ergo, si utatur iisdem seminibus quomodo & quatenus potest, accedente scilicet auxilio divino ejus mensuræ quæ nemini denegatur? An nihilominus damnabitur? Non ergo dicendus est aliquis ob hoc damnari quod abusus sit, si recte usus damnandus tamen est. Quærit

Digitized by Google

rit D. Molinæus, si quis in oris ultimis prima gratia utatur ut par est, an Deus prædicatorem ipsi sit missurus aut Angelum? Hoc si quis affirmet, nescio quomodo id D. Molinæus sit refutaturus. Neque enim curtata est manus Domini. At nunquam id fit, inquit. Unde vero hoc ipsi compertum est? Non legimus. Quasi vero istarum gentium nos habeamus historias, aut etiam ea quæ singulis contingant, ut est missio Angelorum, soleant in historias referri, cum sæpe ne ad proximorum quidem notitiam perveniant. At factum omnino quomodo negetur, non video. Annon Abrahamo inter Chaldæos agenti, an non Abimelecho Deus apparuit? Si neges hos recte usos donis communibus; quæram quæ causa nos cogat credere, minus Deum velle potentiam suam exserere in bene utentes, quam in abutentes? Nonne Prophetæ, nonne Apostoli ad gentes plurimas verbi prædicationem attulerunt, in quibus gentibus aliqui fuere si non bene utentes, saltem minus contumaciter abutentes? Ad Cornelium centurionem orantem & eleemosynas largientem, (quod ex gratia efficere potest etiam qui in Christum nondum credidit, ut de Cornelio diserte loquitur Augustinus) & Angelus mittitur & Apostolus. Quis nobis asseret Deum nunc aut minus velle aut minus posse? Erat sane Cornelius jam donatus Spiritu legis per Mosem traditæ. Sed in confesso est, legem inscriptam cordibus & legem Mosis, modo tradendi & claritatis gradu differre, substantia congruere. Quare & huic legi auxiliator adest spiritus ad pœnitentiam provocans: atque adeo non video quomodo refelli possit, qui confidat Deum hujus quoque doni usum cumulare velle majoribus donis, juxta illud universaliter pronuntiatum: *quisquis habet*, hoc est, prioribus datis utitur, *ei dabitur*, id est, majora concedentur: Neque temere novitatis damnandus est, qui de divina bonitate ita sentit. Prosperi enim est effatum: Lib. II. de..... cap. 25. *Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari, quibus donis autorem suum per omnia secula protestantibus specialis gratia largitas superfusa est.* Augustini vero hoc: de Nat. & Grat. cap. 67. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; nec quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Bullingerus ne gentibus quidem defuisse ait religionem veram, si ea uti voluissent. Musculus cognitionem fuisse gentibus, quæ debeat ad verum Dei cultum ducere; duceret enim nisi illam per idololatriam impedirent. Martyr Ethnicos fuisse inexcusabiles, quia quod ab ipsis præstari potuit non fecerunt. Iam vero si quis præterea vellet defendere Apostolicam prædicationem ad omnes omnino gentes delatam, neque ejus vestigia penitus exstincta, ne apud Indos quidem aut Tartaros, non deessent ei magna argumenta: sed ex Theologica quæstione in historicam abiretur.

Meritum Congrui, quod à Pontificiis dicitur, jure optimo damnat D. Molinæus: neque tamen arbitror eo nomine ab ipso includi sententiam illam, quæ divinæ voluntati congruum putat esse, ut homini, immerito quidem, sed prioribus datis, etiam ante fidem, quatenus potest recte utenti, majora conferat. Hæc enim sententia nihil includit meriti: I. quia ipse ille usus non est à viribus naturæ, sed à viribus quas contulit præveniens gratia homini, non modo boni nihil, sed omne malum merito. II. quia non dignitas humani actus à Deo impetrat majus beneficium, sed præstat hoc ipsum incommerita Dei liberalitas ut sit gratia pro gratia. III. quia meriti hæc natura est, ut quod ob meritum datur, in merito totam suam causam habeat, ideoque propter hoc detur, sine illo non detur. At prædicatio Euangelii, & quæ eam sequuntur dona, plurimis contingunt, qui prioribus donis turpiter sunt abusi: ita ut regula adæquata hujus concessionis ex prioris gratiæ usu desumi minime possit. Et hoc maxime urgent Patres, ut ostendant, Gratiam Euangelii non dari ex merito. Quod enim nulla præcedente obligatione, nullo discriminante signo commune est recte utenti prioribus datis, & non recte utenti, imo pluribus conceditur abutentibus quam utentibus, id purum simplexque donum sit necesse est, tum in his, tum in illis. *Liberi arbitrii nullas esse à natura vires ad bona spiritualia, gratiam quæ sit efficax* (actu scilicet secundo) *dare ipsum non resistere atque ipsum velle, salutem totam divini esse muneris, quod Deum vocantem sequimur id nos divinæ gratiæ debere*, quæque alia in honorem gratiæ à D. Molinæo recte prædicantur, ea omnia cum illo arbitror inter Protestantes haberi extra controversiam. Cæterum quanquam homo nondum regenitus opus spirituale nullum possit efficere (quod scilicet vere ac proprie tale sit:) quanquam etiam sine fide nemo potest Deo placere, ad justificationem scilicet; tamen non hinc sequitur, ab homine à gratia præveniente excitato, etsi nondum regenito, nihil tale vi ejus gratiæ posse præstari, quod divina largitas hucusque gratum habeat, ut præstantem velit ad illam gratiam perducere sine qua justificari nequeat. Quare quod ait D. Molinæus, *nefas esse statuere ullum gratiæ sufficientis gradum sine fide in Christum*, id profecto verissimum est, si gratiam intelligas ad salutem aut remissionem peccatorum proxime sufficientem. Neque tamen incusandi sunt Prosper, & qui cum Prospero generaliorem illam gratiam, quæ fidem antecedit, ad remedium ajunt sufficere: cum sufficientiam intelligant remotam: quia scilicet illa gratia apta est ad ulteriores quasi manuducere, & divino instituto ad hoc sufficit. Sic & illud negandum non puto, ante ipsam fidem præcedere in nonnullis quasdam dispositiones, gratiæ tamen prævenientis virtute effectas, quæ non inveniantur in hominibus aliis. Cum enim dicit Christus Ioh. VII. 17. *Siquis voluerit facere voluntatem Patris, is cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit*, aperte quendam obtemperandi affectum ipsa fide priorem statuit. Sic aliqui dicuntur *non longe esse à regno cœlorum*, Marc. XII. 37. esse *εὔθετοι* [*apti*] *ad regnum Dei*. Luc. IX. 62. *esse aliis εὐγενέστεροι* [*generosiores*] Actor. XVII. 11. Hic vero ipse affectus cum gratiæ operanti debeatur, non desunt qui huc trahant id, quod dicitur credidisse *τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον dispositos ad vitam æternam*, sive ejus serio quodam desiderio incensos: Et alterum illud, quod *qui ex Deo est*, per istum pietatis afflatum, *verba Christi audit*, per fidei assensum. Hoc certe apertius est quam ut negare quisquam audeat, legere sacras Litteras, diligenter eas examinare, de sensu meditari, frequentare sacras conciones, ad orandum se componere, in potestate esse hominis, forte jam renascentis ac nondum plane regeniti. Assentior etiam D. Molinæo, nemine ut arbitror Reformatorum refragante, electos non resistere vocationi ad finem usque. Ne posse quidem resistere in sensu composito: sed de sensu diviso omnis controversia est: idque ideo, quia, fatente D. Molinæo, ita flectit Deus voluntates, ut voluntati non adimat libertatem. Quæritur enim, an ad conversionem hominis prævia ulla Dei actio necessario requiratur (prævia, inquam, nam de concomitante alia est ratio) præter concessionem virium sufficientium. Aut enim, ajunt quidam, aliquid ultra requiritur, & jam negatur quod concessum fuerat, vires esse sufficientes: aut vires revera sufficiunt; & jam sequitur, aliud non requiri. Viribus autem sufficientibus positis manet voluntas libera, hoc est, indeterminata ad agendum vel non agendum. Et hoc quidem ex parte Electorum aut eorum qui actu convertuntur. In aliis vero qui actu non convertuntur, causam cur gratia sit inefficax, Deo tribuere durum multi putant, cum minime videatur gratia ea dicenda quæ ex intentione conferentis sit inefficax: neque videatur quisquam ideo gravius posse puniri, quod id non fecerit, quod fieri omnino non poterat, nempe quod gratiam ex seipsa, saltem cum relatione ad subjectum, inefficacem non reddiderit efficacem. Iisdem non satis esse videtur illud vitari, ne Deus dicatur autor in-

Digitized by Google

infidelitatis, quod D. Molinæus vitari existimat, causa in hominis naturam rejecta; sed una & illud cavendum judicant, ne signa divinæ voluntatis cum voluntate statuantur minus convenire, atque ita simplicitati ac sinceritati divinæ fiat injuria. Nam quomodo serio vocati dicentur, qui hoc animo vocantur ne veniant, atque etiam ita ut venire nequeant? Hic illa jam occurrunt, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: Quid me oportuit vinea mea facere quod non feci? Volui congregare & noluistis:* & similia; quæ tum ex parte Dei voluntatem saltem aliquam convertendi hominem, ex parte vero hominis non conversi culpam videntur statuere non naturalem simpliciter, ac proinde necessariam (ut lapidi necessarium est non vivere, quod adfert D. Molinæus) sed per ea quæ concessa sunt, aut parata erant concedi, evitabilem. Nam & his qui vocati ad nuptias venire noluerant, omnia tamen parata fuisse significantur. Ac profecto ni ita se res habeat, videtur puniri quidem homo posse ob malitiam impedientem ne credat, non tamen gravius ob hoc ipsum, quod malitia posita & inevitabiliter impediente non crediderit. Quod autem præterea dicit D. Molinæus, Deum efficere necessario ne electi velint resistere; in eo, si proprietatem vocabulorum exacte scrutamur, aliquanto plus videtur dicere quam dixit Augustinus, cum prædestinationem definit, præparationem beneficiorum qua certissime liberantur quicunque liberantur. Illud enim (certissime) præscientiam quandam præsupponit eventus mediorum, non autem ponit media, ut ita dicam, necessitantia. Itaque alibi idem Augustinus, *Quod autem sequitur* (apud Apostolum) *quæ præparavit* Deus, *ut in illis ambulemus*, prædestinatio est quæ sine præscientia esse non potest. Locutio autem illa quam D. Molinæus improbat, penes hominem esse sequi Deum vocantem aut non sequi, etsi sensum potest habere periculosum, non caret tamen magnis autoribus, atque ideo potest benignam interpretationem accipere. *Qui juvantur ut credant*, inquit Prosper, De vocat. Gent. lib. II. cap. 28. *habent in potestate ut veniant.* Augustinus vero, Lib. LXXXIII. quæst. 68. *Nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut vocati venirent erat in eorum libera potestate.* Et alibi, De dogm. Eccl. cap. 21. *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Itaque idem Augustinus vocationem secundum propositum explicat per eum vocandi modum, quomodo vocari aptum est alicui ut sequatur: non quomodo vocatus non possit non sequi. Quanquam vero idem Augustinus vocationem sæpissime suasionis voce describat, tamen facile pios omnes Molinæo concessuros arbitror, non agere Deum meris suasionibus, neque tantum in mentem operari, sed & in voluntatem, inspirando scilicet affectus salutares, non autem immutando concreatam voluntati proprietatem. Ad illam quæstionem quod attinet, cur quibusdam non prædicetur Euangelium, aut data prædicatione non aperiatur cor ita ut credant, quam attingit Molinæus, video duplici respectu dupliciter ab antiquis Patribus responderi. Nam si absolute quæratur, cur Bithyniæ & Asiæ quibusdam populis non sit hoc vel illo tempore prædicatum Euangelium? Respondebitur id factum ob peccata ipsorum voluntaria, atque ejus generis, propter quæ se immissurum famem verbi minatur Deus. Similiter, si quæratur cur Deus quosdam, quibus verbum prædicatum est, induret? Parata est responsio, quia jam ante se indurarant; *Nam*, ut Augustinus Lib. LXXXIII. quæst. 68. loquitur, *tunc inchoarunt meritum supplicii, cum vocati neglexerunt venire.* Sin autem comparate quæratur, cur Euangelium his magis prædicatur quam illis? cur huic cor pulsetur virtute majore quam illi? Hic responderi ita non potest, ut causa generalis statuatur utrinque in homine; certum enim est, sæpe majora beneficia etiam pejora meritis contingere. Recurrendum ergo hic est ad divinam libertatem, & ad illud liberum decretum, quod prædestinationis nomine describit Augustinus: cujus & hæc sunt in eundem sensum verissime dicta, De bono pers. cap. 11. *Investigabilis est Dei misericordia, qua cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & investigabilis acritas qua quem vult indurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cujus miseretur plerumque communibus.* Hic notanda est vox *plerumque*, neque enim negare vult Augustinus, quosdam misericordiam consequi minus male meritos: sed non propter hoc; quia & magis male meriti eandem sunt consecuti: ita ut appareat huic divinæ miserationi, si Deus velit, mala merita non posse obsistere. Agit autem Augustinus hic de specialiore misericordia, quæ communem & generaliorem non excludit sed præsupponit: quod alibi De Prædest. & Grat. cap. 13. sic ipse explicat: *De his, quibus pœnam veritas justa decreverat, secundum ineffabilem dispositionis occulta misericordiam elegit vasa, quæ faceret in honorem; & alios à ventura ira dono gratuita vocationis absolvit, alios derelinquens ad æqualitatis judicium reservavit; nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem.* Secretum autem hoc divinæ libertatis in illa comparatione æqualiter dispositorum maxime spectari idem doctissimus autor sic alibi Epist. CV. docet: *Neminem Deus liberat, nisi gratuita misericordia; & neminem damnat, nisi æquissima veritate. Cur autem illum potius quam illum liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium.* Et alibi; Tract. XXVI. in Ioh. *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare.* Et hæc est illa quæstionis profunditas, quam dicit Prosper, Lib. de vocat. Gent. I. cap. 25. per liberi arbitrii velle & nolle non solvi; recte tamen addens, judicium Dei magis inscrutabile esse in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ. In his ego capitibus arbitror Augustinum ab antiquioribus Patribus minime dissentire, nisi quod ipse & libertatem divinam clarius adstruxerit, & omnem meriti speciem ante justificationem destruxerit validius. Neque vero dubito, quin super his & aliis quibusdam egregia possit exstrui confessionum consensio, aut etiam nova atque communis Protestantium confessio, in qua conficienda, ego arbitrarer hæc esse vitanda: I. Ne definiatur decretum absolutum dandæ salutis prius esse decreto dandæ fidei. Alioqui enim damnantur omnes illæ Confessiones, quæ prædestinationis quæstionem (in hoc præcipue cardine versantem) statuunt non esse necessariam. Et in Deo cum omnia decreta sint coæterna, quid de prioritate laboramus? nostri ratione, constat fidei dationem præcedere dationem salutis. II. Ne negetur cooperatio voluntatis in boni electione & operatione. Nam ponit hanc manifeste Helvetica Confessio, rejiciens eos qui hominem velut saxum & truncum faciunt, cum Deus adjutor noster dicatur, adjuvari autem nequeat nisi qui agit aliquid. Hoc ipsum autem etiam ad primum conversionis momentum applicat Perkinsus Cath. reform. III. Ne definiatur modus operationis gratiæ talis, qui sit necessitans sive prædeterminans. Id enim (ni fallor) nulla Confessionum facit: & certum est dissentire doctissimos etiam eorum qui nuper Arminio restiterunt, quos inter est Tilenus. His vitatis facilis (ut arbitror) erit de cæteris multo majoribus concordia.

Nunc ad *certitudinem salutis* venio. In quo mirum in modum probo quod statuit D. Molinæus: I. gradus aliquos esse veræ fidei qui evertantur. II. quosdam electos dubitare de sua salute. III. gradum quendam esse peculiarem fidei quæ nunquam excidat. IV. flagitandam esse à Deo πληροφορίαν [*plenam animi persuasionem*]. Hinc enim colligo: I. Fidem eam quæ evertitur, & quæ non evertitur, non tam essentia quam gradu differre: quæ & Iunii fuit sententia. II. Impetratam à Christo perseverantiam, & promissam à Deo hac lege sive conditione, ut eam enixis votis petere ac flagitare debeamus, ac proinde non omnino

Digitized by Google

no absolute. Ne autem vocum ambiguitate fallamur, notandum est, Veteres omnes eam fidem quæ evertatur ita statuere veram esse posse, ut effectum quoque justificationis ei non denegent. Palam enim pronuntiant, multos damnari ob posteriora peccata, quibus remissa fuerint priora. Neque minus in eo consentiunt, gratiam justificantem cum peccatis contra conscientiam, ut homicidio, adulterio, & similibus, non posse consistere eodem tempore. Quare cum quidam electi post acceptum fidei donum in ejusmodi peccata prolabantur, ut nimium multis probatur exemplis, sequitur, & aperte à sanctis Patribus pronuntiatur, posse esse tempus aliquod post acceptam fidem, quo electus non sit in statu justificationis. Hæc si opus esset, multis autoritatibus possent probari: cum quibus consentiunt illæ Confessiones Protestantium, Augustana art. XI. Anglica art. XVI. Saxonica art. X. quæ damnant eos qui dicunt, *semel justificatos non amittere Spiritum Sanctum:* aut contra docent, *posse nos post receptum Spiritum à gratia recedere: posse renatos excutere Spiritum Sanctum, & fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum.* Certitudinis de salute tres modos mihi videntur prisci autores agnoscere; quorum primus est extraordinarius per revelationem, quem nonnullis contingere Augustinus Lib. XI. de Civit. Dei cap. 12 indicat, cum sic ait: *Quis hominum se in actione profectuque justitiæ perse veraturum usque ad finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit.* Modi ordinarii sunt duo, quorum alter desumitur ex tempore alter ex ipso gradu fidei. Ex tempore certus est suæ salutis homo fidelis, cui mors instat & vita desperata est: nam cum homo credens sciat se credere, & sciat credentem justificatum esse apud Deum, (quæ duo adversus Pontificios ex sacris Litteris, & cum pia antiquitate defendimus) hoc autem tempus fideli sit ultimum, scit proinde se in statu gratiæ mori, atque ita salutis suæ certus est. Huc respiciens Prosper, cum Prædestinationem incertam apud nos dixisset, addidit, dum in præsentis vitæ periculis versamur. Alter ordinarius certitudinis modus est ex gradu fidei. Constanter enim tradunt Veteres, charitatem perfectam (juxta perfectionem vitæ præsentis, nam perfectissima, ut inquit Augustinus, in hac vita non habetur) nunquam excidere. Notabile est illud Hieronymi ad cap. 6 Amos. *Charitas quæ in Petro ante negationem herba fuit, & in singulis nascitur antequam roboretur, ante sui perfectionem amittitur & reparatur.* Hæc est illa radix, quam dicit Augustinus, quamvis ardente sole, arescere non posse. Nec alio videtur idem respexisse, cum quærit, quis ex multitudine fidelium in numero prædestinatorum se esse præsumat? multitudinem enim fidelium nuncupans, paucos quosdam & eximios videtur excludere. Præter hos tres plenos certitudinis modos, sunt alii gradus inferiores. Nam, ut cum omni antiquitate ipse etiam Bernardus agnoscit, non absque testimonio consolationis reliquit electos suos in hac vita Deus, hoc autem testimonium eo est certius, quo plura ac majora sunt pietatis exercitia; quod clare demonstrat sacra Scriptura, cum nos jubet per fidem, virtutem, cognitionem, continentiam, patientiam, pietatem, amorem & charitatem, vocationem atque electionem nostram firmam sive certam efficere. Vnde Augustinus veteribus consentiens prædicat, quantum crescit charitas, tantum minui timorem.

Ad illam nunc venio partem scripti, in qua D. Molinæus se ab illis segregat, qui contra omnem antiquitatem homines statuunt in hoc creari ut pereant, & reprobationem ponentes lapsu priorem, necessitatem sibi imponunt Deo tribuendi peccatorum omnium, etiam primi, efficacem procurationem; quia scilicet is qui finem absolute statuat, debeat etiam statuere media sine quibus ad finem perveniri nequeat. Hic vir doctissimus suspenso gradu incedens, satis trepide judicium profert, aitque se loquendi genera ista non concoquere: nimirum quia magnæ sunt autoritatis quos ista vexat scabies. At profecto non in loquendi generibus, sed in ipso dogmate venenum est: incurrit enim ista sententia directe in anathemata à Concilio Arausicano, ab Augustino & à Prospero non trepide, sed fortiter pronuntiata. Atque hic illud mirari subit, cum antiqua Ecclesia omnes eos, qui peccata à fatali necessitate deducunt, Manichæis hæreticorum pessimis & maxime exosis adscripserit, Semipelagianos autem diutissime in sua communione pertulerit; cur contra hodie hi, qui Deum partim injustum, partim immisericordem, partim scelerum omnium autorem faciunt, extra censuram impune agant; de gratia si quis sentiat dilutius, etiamsi multum maneat citra Semipelagianismi limites, in eum omnes undique paribus animis consurgant. Adeone minus delictum est, benefactorem contumeliis onerare, quam abnegare beneficium? Recte sane & congruenter tum Gallicæ, tum Belgicæ Confessioni pronuntiat Molinæus, reprobationem non esse factam nisi in massa corrupta. Hanc autem massam corruptam aliqui in solo Originis peccato considerant, arripientes id quod de Esavo & Jacobo dicitur; cum tamen idipsum tale sit, quale id quod de Isaaco & Ismaële præcedit, quod esse ἀλληγορούμενον [*per allegoriam dictum*] ipse Apostolus alibi Gal. IV 24 expresse declarat. Fuit quidem Augustini hæc sententia, quæ Reformatis plerisque displicet, quosdam parvulos in infantia morientes ob Originale peccatum damnari. Sed de Esavo hoc sentire Augustinus non potuit, cum ex ipsius sententia circumcisio sustulerit Originale peccatum. Alii massam corruptam considerant in peccatis actualibus: quibus assentire videtur Molinæus, cum ait, hominum quosdam ob peccata quæ volentes, & Deo non instigante admiserunt, pœnis destinari. Sunt denique qui massam hanc corruptam considerant non in peccatis qualibuscunque, sed in contemtu vocationis. Pro quibus facere videtur illud Augustini de eodem illo Esavo dictum: *Noluit & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam currere & velle vocando præstaret, nisi vocatione contemta reprobus fieret.* Ex hac ergo sententia posset addi ad verba D. Molinæi, *Deo non instigante,* imo & ad resipiscentiam serio invitante. Hucusque me nihil minus cogitantem, (nam cum inchoarem epistolam, propositum mihi erat pagina una aut altera scriptionem absolvere) perduxit relectio ejus chartæ, qua D. Molinæi sententia continetur: de qua meum quidem judicium nolui proferre, neque ita velim existimes: sed quemadmodum mihi dulce est veterum auctorum scripta cum hodiernis componere; ita operæ pretium me facturum existimavi, Vir Nobilissime, si te de iis commonefacerem, quæ super his controversiis Patribus placuisse, me, nisi vehementer fallor, lectio non indiligens edocuit. Poteris, quo vales judicio, Veterum ac recentiorum commendationes inter se comparare, & quantum negotiorum tuorum feret ratio, quæ discrepantium interpretationum sacro contextui, illuminatæ à Deo rationi, & ædificationi Ecclesiæ sit congruentior, expendere.

Sequitur in D. Molinæi scripto, post sententiæ explicationem, Syllabus quorundam Articulorum, de quibus putat facile consensuras partes. In his esse quædam à me observata, ex superioribus potest apparere. Anticipavi enim quædam ne materia discerperetur. Si quid restat nunc addam. Liberum arbitrium lapsu primorum parentum ad pias actiones amissum recte dicitur; quatenus ad id genus actiones nullas habet vires: non autem ut significetur, non inesse nativam voluntati libertatem, sine qua voluntas esse non potest, & qua possit velle & nolle positis omnibus prærequisitis, hoc est, datis ad volendum viribus. Itaque Augustinus ad Bonif. lib. I c. I *Quis,* inquit, *nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et ne pias actiones omnino hic excludamus, obstant aliæ sententiæ, ut illa Epist. 46. *Si non est gratia Dei, quomodo salvat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Item De grat. & lib. arb. c. 2.

 Illa

Digitized by Google

Illa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium. Item: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat, neque in vitam malam, neque in bonam; neque tantum ei tribuit ut sine gratia valeat aliquid.* Et alibi: *Qui negaverit liberum arbitrium, Catholicus non est. Quisquis autem dixerit, quod sine Deo bonum opus nec incipere nec perficere possit, Catholicus est.* Quibus effatis hoc non significatur, per naturam habere nos bene velle (quod est Pelagianum:) sed per naturam habere nos ipsum illud velle, quo à gratia informato bene volumus. Gratia enim est principium à quo, voluntas sive liberum arbitrium principium in quo fit conversio. Augustini illud, Deo *volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*, ita explicandum est, ut non evertatur alterum ejusdem dictum modo citatum, ubi imputari multis ait, quod Deum volentem sanare contemnunt. Est ergo voluntas quædam conditionata, quam invitantem vocat Prosper: est & absoluta, quæ præscientiam quandam, saltem conditionatam, sequitur. Illud D. Molinæi, Quos Deus prædestinavit ad finem, id est, salutem, prædestinavit etiam ad media; videtur plane definire, Deum priusquam de fide aliquid statuat, statuere hunc hominem absolute salvum facere. Quæ definitio omnes ante Augustinum Patres à nobis segregat: an cum Augustino ipso conveniat, disputatur: nisi forte prædestinationis vox ita generaliter sumitur, ut comprehendat etiam non absolutam, sed quæ positis postea mediis in absolutam transeat. De vocabulo *gratiæ sufficientis*, deque *necessario* & *libero* supra egimus. Non posse quenquam perire eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum, nec quenquam posse eorum quos non prædestinavit ad vitam ulla ratione salvari, in sensu composito omnino verum est, quocunque tandem modo prædestinatio, dummodo absoluta, sumatur. In sensu vero diviso eadem sententia veritatem ita demum habitura esset, si constaret reprobationem fieri citra præscientiam actus liberi. Quod negare videtur ipse Molinæus. Certe Prosper Ad obj. Vinc. resp. 12. non veritus est dicere: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri & in sanctitate mansuri.* Item: Ad Canon. Gall. respons. 7. Sentent. sub. cit. capit. 7. *Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, ob hoc a filiis perditionis nulla eos prædestinatione discrevit.* Item: *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Obiter & illud addam, librum de fide ad Petrum, ex quo citatur modo dicta sententia, à viris eruditissimis judicari non esse opus Augustini, idque gravibus argumentis. Quod dicitur, prædestinatos Deus elegisse ut credant, recte dicitur, cum omne beneficium, ad quod non omnes perveniunt, merito electionis vocabulo in Scripturis significetur.. Neque tamen hinc sequitur, eosdem nullo modo dici posse eligi, hoc est, justificari quia credant, si vox *quia*, non causam promerentem, sed quovis modo antecedentem denotet. Eodem modo nobis misericordiam facit ut simus fideles: neque tamen negandum est, aliquam misericordiam esse quæ subsequatur fidem, ac proinde exerceatur in fideles qua tales sunt. Deus dando fidem efficit ut digne audiamus Euangelium: sed non ideo negandum est, Deum ex immensa sua bonitate, qua multos diu contumaces convertit, nolle de industria ab eo beneficio excludere minus contumaces, & diligentes lectores atque auditores verbi divini: neque negandum videtur eos, qui attente audiunt verbi divini præcones, minus esse indignos dono fidei, quam hos qui aures obturant, quales erant Stephani auditores. Sic in Euangelio venientes Apostoli in urbem aut vicum aliquem, jubentur sciscitari ecquis in eo loco dignus sit: cui ut indigni opponuntur hi, qui Apostolos non essent recepturi, neque audientiam verbo præbituri. Matth. x. 11, 12, 13, 14. Et in Actis, Iudæi tum demum dicuntur se judicasse vita æterna indignos (indignitate scilicet majore ac specialiore) postquam impleti ira contradixerunt verbo, & quidem cum blasphemia. cap. XIII. 45, 46. Cæterum si quis non figurate, aut comparate loquendo existimet esse in homine irregenito aliquid posse quo dignus sit ad fidem pervenire, eum periculose sentire nemo, ut arbitror, est negaturus. Cum D. Molinæus causas, cur hos elegerit, illos non elegerit, ait esse penes Deum, nec anxie nobis scrutandas; primum innuere videtur, non esse hujus discriminis causam unicam & universalem, placitum divinum. Hæc enim causa satis aperta esset, ut alias causas qualescunque excluderet. Et cum non anxie scrutandas ait, concedere videtur aliquatenus saltem eas inquiri posse; quod non longe recedere videtur ab ea Augustini opinione, quam multi ab eo putant retractatam, qua dicit, causam cur hic magis quam ille reprobetur venire de occultissimis meritis. Homines non prædestinari ad vitam ob merita, sæpe hoc ipso probat Augustinus, quod gratia justificans (qui præcipuus juxta ipsum est prædestinationis effectus) nullis meritis præcedentibus concedatur. Cæterum non prædestinari homines ad merita nostro quidem sensu concederet Augustinus, non autem eo quo plerumque *meriti* vox piæ antiquitati usurpata est. Quia enim crassiores Pontificii vocem *meriti* ad naturam operis & justitiam communicativam referunt, optimo jure ab hac voce abstinemus. At Patres mereri tantum sumpserunt, pro eo quod est impetrare & consequi aliquid faciendo, & meritum pro pio opere, cui ex liberali & gratiosa promissione merces debeatur. Quare sicut ad fidem prædestinari nos agnoscit Augustinus, ita etiam ad merita sive ad opera nos prædestinatos non negat. Et Prosper De vocat. gent. lib. I. cap. 18. Lib. II. cap. 16. ait, *ab ea gratia incipere merita quam accepimus sine meritis, & voluntatem in hoc divinis præsidiis excitari, ut incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium.* Ita mollita *meriti* voce minus jam mirabimur, si apud antiquiores Augustino Patres inveniamus hominem ex meritis prædestinari. Agunt enim de decreto absoluto dandæ gloriæ per modum præmii: unde Ambrosius Lib. v. de fide. cap. 3. *Quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.*

Ad conclusionem hujus partis nunc venio, planeque cum D. Molinæo judico, posse concinnari articulum talem de hisce controversiis, cui subscripturi sint Galli, Angli, Belgæ, Helvetii, Germani, puriorem religionem amplectentes: eumque articulum optime posse desumi ex Concilio Arausicano, & ex Prosperi sententiis ad capitula Gallorum. Scopum autem hunc debere esse existimo, ut in bono suus honos gratiæ servetur illibatus; in malo autem homo semet accuset, Deum autem in nullam trahat sui criminis societatem. Præterea ut doceatur homo, neque divinæ opitulationi diffidere, neque alienam à pietatis studio quærere securitatem. Simul eam quoque in definiendis quæstionibus abhibendam sobrietatem arbitror, ut non Augustini tantum Prosperique, & Fulgentii habeatur, quæ par est, ratio; verum etiam abstineatur à condemnandis illis sententiis, in quibus vixisse & mortuos esse patet viros sanctissimos, qui post Apostolos, & ante Constantini imperium conspicuis omni pietate sæculis, verbo, scriptis, vita & sanguine Ecclesiam Christi ædificaverunt.

Perveni ad partem ultimam, quæ est de Magistratu. Hic vero facete D. Molinæus ait, se à me sublevari, quod ultro quid sentiendum sit doceam; in quo ostendit minime se cepisse quid ego haberem propositum. Non enim hoc egi, ut aut ipsum (quem à te quidem super nonnullis quasi tua sponte monendum, ista vero nunquam inspecturum putarem) aut quemquam alium docerem, sed ut meam sententiam libere apud te, Vir Nobilissime, deponerem: idque ea occasione, quia ex te acceperam, D. Molinæum eruditis Magistratibus aliquid juris largiri, quod minus eruditis non concederet. Id vero mihi non placuisse fateor: ideoque distinctionem attuli claram, ut mihi quidem videbatur, atque perspicuam, inter jus sive potestatem

Digitized by Google

statem, & inter aptitudinem sive facultatem. Sed sensum meum adeo hic non cepit D. Molinæus, ut mihi his quæ dixerim contraria adscribat. Ait, me velle jus ferendi leges competere Magistratui erudito. Non dixi, imo contra significavi eruditionem ad ipsum jus nihil facere. Ait mox, Senatorem aut Judicem, si Jurisconsultus sit, id eum esse qua judex est. Ego vero hoc minime probo. Nam & jurisconsulti multi sunt non judices, & judices multi non jurisconsulti. Hoc officii est, illud scientiæ. Adferam exemplum alterum. Pastores multi sunt (proh dolor) nimis imperiti sacrarum Literarum. Horum est quidem munus sacras Literas interpretari, neque jure destituuntur, sed requisitam aptitudinem non habent. Scientia igitur jus nec dat nec auget: sed ut jus recte exerceatur efficit. Rex imperitus (ut de Ecclesiasticis rebus interim taceamus) non minus juris habet de rebus politicis præcipiendi, legesque ferendi, quam Rex doctissimus. Hæc ego à viro subtilissimo non considerata plurimum miror. Quod de scientia dixi, idem de animi probitate dictum puta. Vir bonus sit oportet, qui recte est imperaturus. Sed jus ipsum non pendet à virtute, non magis quam dominium rerum privatarum. Neque enim avarus minus est dominus rerum suarum, quam liberalis: etsi liberalis opibus recte utatur quibus abutitur avarus. Arbitratur D. Molinæus, velle me ut Magistratus, qui sit recturus Ecclesiam, sit orthodoxus. Sane velim: sicut etiam velim omnes divites esse liberales. Quærit, quis judicaturus sit an Magistratus sit orthodoxus? si ipse, periculum ingens: si alii, jam Magistratus aliorum judicio erit obnoxius. Quæram ego similiter; quis judicaturus sit an Magistratus sit rerum civilium satis peritus? & si ista argumentatio valet, concludam plebis judicio subjacere Magistratum. Quæram vicissim, cum Magistratum gerens alicui se Ecclesiæ applicare debeat, quis judicaturus sit hæc ne an illa Ecclesia magis sit orthodoxa? ipse an Ecclesia? Si ipse est idem periculum. Si Ecclesia, hoc erit principium petere; cum nullus sit Christianorum cœtus, qui non se Ecclesiam, & quidem orthodoxam, dicat. At infidelis, inquit, Magistratus hoc exemplo abusurus est ad usurpandam eandem potestatem. Quasi vero incommodum allegare sit argumentum solvere. Quid est in humanis rebus quod incommodo careat? An non similiter dicere mihi licebit, si Ecclesiæ tribuatur quod ego Magistratui tribuendum puto, & Pastorum hæreticorum cœtus hoc exemplo abusurus est, & idem jus usurpaturus, sicubi prævaluerit, quod sæpe contingit. Respondebo igitur verbis Augustini: *Reges cum in errore sunt, pro ipso errore leges contra veritatem ferunt: cum in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt: ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali.* Vides quam minime metuerit illud incommodum Augustinus. Et est profecto nullius ponderis. Non fuit orthodoxus Aurelianus Imperator: Ergo Samosatenum hæreticum Episcopatu pellere non potuit. Minime viderunt hanc consequentiam sancti Patres, qui judicium de Samosateno Imperatori hactenus detulerunt, ut causa cognita ipsum auctoritate imperatoria solio depelli postularent. Neque Neronem appellasset Paulus, si nullum illi de re fidei cognoscendi jus esse credidisset. Quemadmodum igitur Trajanus civiliter probus, Nero improbus, pares tamen in jure regnandi, ita Constantinus Pius, impius Nero, pares jure cognoscendi, aptitudine impares. Quærit præterea Vir Doctissimus, an per gubernare Ecclesiam intelligam judicem esse de capitibus fidei; an vero, potestatem repurgandi Ecclesiam scandalis, jubendi ut ea credantur quæ verbo Dei sunt contenta? Ego vero miror hæc disparari, quæ indissolubiliter mihi videntur cohærere. Nam si Regis est præcipere ut ea doceantur quæ vera sunt, ut vitentur scandala in quibus præcipuum locum hæreses obtinent, quomodo id faciet nisi judicaverit, quid verum sit, quid hæresis? Præcipiendi enim actus requirit judicandi potestatem. At inquit, ea præcipere credi, quæ Pastorum orthodoxorum cœtu sunt stabilita. Et hoc qui dicit, nonne ostendit illud saltem requiri, ut judicet, qui sint Pastores orthodoxi? Quia vero Eduardi, Ordinum Hollandiæ, Principis Arausionensis exempla adferuntur, quæro, cum in Anglia essent Pastores Romanenses, essent & Protestantes, in Hollandia præter Reformatos, essent non Romanenses tantum, sed Anabaptistæ quoque & Lutherani, quod Reformata religio publice sit introducta utrobique, aliis aut vetitis aut postpositis, id an non ideo evenerit, quod Rex, Ordines, Princeps, istam religionem purissimam judicaverint? Amplexi ergo sunt ea quæ à fidelibus Pastoribus suggesta, & ex Scripturis demonstrata sunt; non ob Pastorum auctoritatem (quippe multæ erant Pastorum familiæ) sed quia ipsi judicabant ea Scripturis convenire. Quod si Theologiæ modos & effugia non norant, satis tamen erat quod idololatriam, & tyrannidem Papisticam, aliosque errores certo judicio improbabant. Sequitur quæstio ab hoc loco satis aliena, de Rege, qui velit ore blasphemo capere sacra mysteria. Respondeo; aut hoc ipsum est vetitum jure divino, aut non est. Si jure divino id est vetitum (quod ego arbitror, si Rex ponatur nondum agens pœnitentiam) non sequitur, id quod ait D. Molinæus, legibus Ecclesiasticis obnoxium fore Regem, sed divinis; quod nemo negat. Simile est in pedaneo judice, qui à Rege jubeatur contra æquitatem judicare. Non tacebit hic judex si sapit. Ergone Rex isti judici subjacet? Minime vero. Sed judex ita Regi subjacet, ut supra Regem terrenum agnoscat Regis cœlestis imperium, qui vetat cuiquam injuriam facere. Quod si legem aliquam ponas non divinam, sed positivam, ex arbitrio profectam humano; huic ita subjectum Regem, qui dixerit, ut nulla de causa relaxare legis vinculum valeat, is Regem negaverit. Nam Regis, qui vere Rex est (id est, si solus imperat, non si cum Optimatibus regni simul constituat summam potestatem) jus est leges ferre, abrogare, intendere, remittere. Vetant multarum Synodorum Canones Episcopatus in Metropoles erigi, aut à Metropolibus abalienari; vetant novos Episcopos, aut Metropolitas constitui, aut in aliena diœcesi ab Episcopo sacra celebrari: vetant Episcopos suscipere civilia negotia. Imperatorum tamen jussu facta sunt hæc omnia sæpissime. Rationem reddunt Græci interpretes; quia Imperator nec legibus subjaceat nec Canonibus. Papæ magis quam Regis cliens erat Ivo Carnotensis Episcopus, qui tamen Gervasium à se ad communionem receptum testatur Epist. LXII. (credo non ...... sed ante terminum Canonibus constitutum) pro regia honorificentia legem etiam talem citans: si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes fecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiastica communione debebit: ut quod principalis pietas recipit, nec à sacerdotibus Dei alienum habeatur. Interrogat mox D. Molinæus, an consiliarii Regis debeant esse Doctores Theologiæ? an etiam necessarium sit Regi eruditum esse in Theologicis? Ego vero rerum divinarum scientiam requiri arbitror in Rege & præcipuis consiliariis; non ut ille Rex sit, hi consiliarii; sed ut munere suo recte fungantur. Scientiam autem non dico talem, qua certo norit omne verum à falso distinguere (quis enim vel summus Theologiæ Doctor hoc sibi polliceatur) sed qua discrimen norit ponere inter necessaria creditu aut factu, & non necessaria, inter hæretica & non hæretica. Eodemque modo & jurisprudentiam & gubernandi artem in rege desiderari arbitror. At inquit D. Molinæus; Æquum est ut indoctior à doctiori doceatur. Hoc argumentum, si in id valet ut indoctior cujusvis doctioris judicio submittere se debeat, in Synodis quoque Pastores cedere debebant Doctoribus Theologiæ; hos enim ut doctissimos nominat D. Molinæus. Atqui certum est, Pastoribus non minus, si non etiam amplius, juris esse quam Doctoribus. Et solent nostri uti Panormitani testimonio, idiotæ me-

Digitized by Google

meliori Scripturæ auctoritate muniti judicium, Patriarchæ judicio præferendum, dicentis. Vt ad rem veniam: est quidem doctiorum docere indoctiores, sed non imperare indoctioribus. Itaque Scabinus rusticus (ut jura nos docent) non obligatur responso jurisprudentium, neque ægrotus medici dicto, nisi quatenus nulla ratio ipsius animo contrarium valide suadet. Sequitur alia percunctatio. An Magistratus se minori Pastorum parti possit adjungere? Mirum vero id interrogari à Pastore Reformato, cum omnes Magistratus, qui nostro sæculo Ecclesiam repurgarunt, minori Pastorum parti contra majorem recte crediderint. At in Nicena Synodo cessit Constantinus pluribus, non autem se addixit paucioribus. Imo cessit cognitæ & compertæ veritati, quam tum divino beneficio plures sequebantur. Quod non semper accidit; vincit enim sæpe pars major meliorem. Quod si numerandæ sunt, non ponderandæ sententiæ, jam pluris esse debet Ariminensis Synodus, Episcoporum cccc, quam Nicena quæ cccxviii habuit. Quid ergo faciendum erat Imperatori eo tempore, cum, Hieronymo testante, ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est? An tunc quoque spernenda paucitas, sequenda multitudo? Nemo id sanus dixerit. Culpantur duo Reges, quod non potius uni Michæ, quam quadringentis falsis Prophetis crediderint. Audiendæ ergo partes dissidentes; sed auctoritatem suam accommodare debet Princeps ei causæ, non quæ plura habeat suffragia, sed cujus æquitatem ipsius animo veri diu explorati vis persuaserit. Regula illa, unicuique in sua arte credendum, probabilitatem habet aliquam, non vero perpetuam certitudinem. Et est artificum differentia, ut sæpe paucis potius quam multis credere expediat; adeo ubique illud usu venit ut sint *πλεῖες κακίονες* [*plures pejores*]. Ars quidem propria non est Regis Theologia. Sed ars illi maxime conveniens est illa, quam *βασιλικὴν, ἡγεμονικὴν, καὶ ἀρχιτεκτονικὴν* [*Regiam, aptam ad imperandum & supremam*] docti vocant, cujus pars longe nobilissima est illa quam dixi cognitio rerum divinarum, non ad omnes scholarum tricas descendens, sed neque consistens intra privati hominis rudes sensus, sed summa quæque complectens ambitu suo, ut si quid desit, id possit aliorum ministerio suppleri. Neque aliam mensuram cæterarum artium in Rege desiderari, jam ante diximus; quanquam ego non dubito, si ulla est scientia cui peculiare studium adjungere Rex debeat, eam esse Theologiam: & graviter peccare, qui illam ita obscuram & difficilem, aut depingunt, aut faciunt, ut eo nomine principes ab ea diligentia deterreant, quam lex divina ipsis tantopere commendat. Quod si eo nomine deneganda est Regi in res Ecclesiasticas summa potestas, quia Theologus summus non est; jam ne in civilibus quidem leges ferendi jus ad ipsum pertinebit, cum multi sint Rege jurisprudentiores? Vereor quoque ne eadem ratio multos Pastores ab omni suffragii jure sit exclusura. De Rege Angliæ, quid dicat D. Molinæus, non satis intelligo. Ait eum supremum esse judicem in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quam civilibus; attamen non esse judicem controversiarum, neque eum titulum agnoscere. Ego non video quomodo ab universali causarum appellatione eximantur controversiæ, cum judicari nisi de controversis vix soleat. At distinguere videtur inter res fidei & alia Ecclesiastica. Sed judicare quid sit idolum, quid idololatria, an ad fidem non pertinet? Prætulit Regina Elizabetha, & ante eam Eduardus Reformationem Papismo: non cœco impetu, ut opinor, sed judicio: contenditur autem inter Papistas & Reformatos, de articulis fidei. Rex ipse, cujus verba adferuntur judicium de articulis fidei à se amoventis, nonne audivit Hamptoniæ hinc Episcopos, inde Puritanos, ut medius, ut judex, cum non tantum de gubernatione Ecclesiæ, sed & de prædestinatione & certitudine salutis disputaretur? nonne quid sibi videretur pronuntiavit? Quid ergo est, quod à se amolitur? Eam auctoritatem quam Papa sibi vendicat, qui se judicem constituit *αὐτόπιστον* [*per se fidem facientem*], cui etiam extra Scripturas credi debeat. Itaque conjungit ut affinia, articulos condere, & judicem se de articulo fidei constituere. Hoc sane jus nec Regi debetur, nec Synodo. Nam ne Synodo quidem credi debet propter ipsam, sed propter Scripturæ testimonia quibus nititur. Non potest enim fides vera de rebus divinis haberi, nisi per auctoritatem mere divinam. Explicat optime hanc Regis sententiam, ipse, Rex ne dicam an D. Molinæus, in libro contra Cardinalem Perronium, cum dicit, nunquam Imperatores sibi attribuisse judicium absolutum & infallibile de doctrina: Cognovisse tamen eos de Conciliorum decisionibus, & non de sola disciplina, ibidem & fatetur, & probat. Addit, examinasse Imperatores, an nihil in congregatione Episcoporum statueretur, quod prioribus Conciliis repugnaret. Hoc ni liceat Regi, jam Regem nihil nisi Ecclesiasticorum lictorem fore. Satis hinc apparet, Regis judicium verbo divino adstringi, à congregatione autem sui temporis Episcoporum doceri, instrui, ac duci, non ita tamen, quin suum quoque ipsi judicium competat. Et sane exigit hoc ratio. Nulla enim bona est actio, nisi quæ ab agentis judicio proficiscitur: at Regis qua talis officium est vera dogmata fovere legibus, contraria opprimere; debet ergo de ipsis quoque dogmatis judicare. Neque hic plus Regi quam privato tribuitur: nam privati pro se de articulis fidei judicant ex Dei verbo; sed effectus distant, quantum plus Rex privato potest: sicut & judicium patrisfamilias, qui magnæ domo præest, latius extenditur quam ejus, quem modici lares cohibent. Isti vero D. Molinæi dicterio, quo *adulatoriam* vocat eorum *operam*, qui in Hollandia hanc moverunt (ut ait) quæstionem, facile esset aliud reponere, suspectos scilicet merito haberi novi papatus affectati, qui piorum Magistratuum judicia adeo reformidant. Quod sequitur, facilius posse ferri; controversias de fide dijudicari à Magistratu, *si patria nostra certa esset, similes se semper iis quos nunc habet Magistratus habituram*, non possum omnino probare, gnarus non debere theses ex temporum ratione mutari: neque aliquid quia expediat ideo magis minusve verum esse. In eo quoque fallitur, cum Magistratus paucos magno pastorum cœtui quasi ex adverso opponit. Apud nos enim regimen non est penes pauciores quam hi sunt qui in Synodos solent convenire: qui si apicum Theologicorum haud æque sunt periti, atque Pastores (& si id quoque qui sentit, multos nostrorum pastorum, qui qualesque sint ignorat) sed id ut demus, sunt sane ad pacem & tranquillitatem tuendam non paulo melius affecti, quam hi qui pacem prædicant. Quantum enim peritia ad judicium confert, tantum ei obstare solent partium studia. Non autem hæc eo dicimus, quod omittenda putemus Synodorum judicia: minime vero, habent enim usum maximum. Sed Regem iis plane esse adstrictum, ut, aliter testante conscientia, sequi tamen Synodorum dogmata debeat, mihi persuadere non possum. Et apud nos quidem hæc disputantur. At in Germania & alibi Principes jus istud palam exercent, nemine pastorum contra disputante. Sed profecto jam tempus est desinam: nam si quicquid hujus in mentem venit in chartam velim conjicere, futurus sum temporis mei parum parcus, tui autem valde prodigus. Hoc tamen prius testabor, me de Prædestinatione, Gratia, Libero arbitrio, aliisque id genus quæstionibus audire malle judicia aliorum, quam meum depromere. Cæterum de Magistratibus nihil hic a me dictum, quod non satis certum compertumque habeam. Meminerис autem, Generose Domine, &c. Scripta 1615.

BENIAMINO AVBERIO MAVRERIO.

Vir Illustris.

LIteras viri dubium majoris an melioris Augusti Thua- 63
ni, auro contra caras, tuo beneficio accepi. Sunt
plane ita scriptæ, ut hominem cordatum absterrere possint
ab usu Latini sermonis. Quare me quidem magno benefi-
cio

Digitized by Google

cio affecturus est, si Gallice potius scribat, ne talibus literis ad imitandi desperationem adductus omnem conatum Latinæ scriptionis abjiciam. Nunc certe respondere nondum audeo. Ita mihi verborum ipsius majestas ambit atque occupat animum. Res Gallicas habere se meliuscule, quam vulgant atroces nuntii, te significante sane lætus intelligo. Neque aliter possum judicare, quam brevi desævituram tempestatem, si, non dicam major, sed aliquanta pars Galliæ obsequium & pacem, certa bona, præferat incertæ spei rerum emendandarum per remedia morbis asperiora. Conjectura mea hoc imprimis argumento nititur, quod non video, unde externas copias exspectare possint præsentium temporum accusatores, adversante ipsis Hispania, obsessis Alpibus, Britannia ad occasiones multo honestiores torpente, Germanis sibimet metuentibus, nostra autem hac republica per beneficia & arctissimum fœdus sceptro vestro devincta. Neque sine illis ab extero cœlo, ut ita dicam, flantibus ventis ullos apud vos fluctus diuturnos fuisse video, mobili quidem regni vestri pelago, sed ut facilè residat. Quanquam verò satis scio, nunquam defore res novas molientibus, quæ magnis Imperiis speciosè objiciant, cùm neque culpam humana infirmitas, neque calumniam regnandi difficultas evitet, optarem tamen ab optima....... paulo parcius ornata quædam famæ suæ dehonestamenta. Prodiit nuper Amstelodami Oratio illa Senatus Parisiensis, quæ nunc pro causa armorum arripitur, item Principis...... ad Regem epistola ad partes faciendas instituta. Nos nostra in urbe statim interdiximus, ne in vulgus spargeretur liber, nullo nostro bono, amicorum mala depromens. Speramus eandem fore curam vicinis civitatibus, non quod sperandum sit id genus scripta planè supprimi posse in tam lecturiente populo, sed ut hoc exemplo discat plebs indolere potius regni propinqui & supra quàm dici potest de nobis meriti, incommodis, quam ex malis non dubiis spes concipere ambiguas. Tu interim, Vir Nobilissime, incertæ expectationis tempora sapientiæ studiis prætervectus, minore cum sensu doloris ad eum exitum pervenies, quem motibus istis Deus destinat: cui voto ardentissimo salutem Galliæ tuamque valetudinem commendo. 25 Aug. 1615.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

64 FVi in Zelandia per hos dies quindecim; ubi lætus cætera magnum concepi dolorem ex his quæ acta sunt ἐν τῇ παροινίᾳ Amstelodamensi. In speciem deliberatum de ratione obtinendæ synodi Nationalis: cæterum re ipsa congesta illuc calumniarum strues in Fratres dissidentes sententia, & in Magistratus plurimos, ut deinde ex eo cætu facillime per Provincias spargerentur. Cui consilio eventus mire respondet. neque est quicquam tam absurdum dictu aut difficile creditu quod non fiat probabile si in invisos conjiciatur. Deus illis inspiret mitiores animos. nam ex ita animata Synodo quid aliud sperem, quam ut palam erumpat id quod jam dudum parturitur manifestarium schisma. Walæi librum de Magistratus Officio in Ecclesia brevi videbimus, & quid faciendum sit expendemus. Amat ille suas opiniones, ut fit: & tamen velim ejus professionis cæteros ipsi esse similes. multum enim modestiæ & æquitatis retinet: Habeo privatum quoddam negotium quod tibi commendatum velim. Decretum mihi est mutare famulum, quia is quo nunc utor neque Latine scit, neque recte pingit, mihi eo opus est cui & Belgica quædam, & Latina multa, imprimis vero historiam & quæ interdum in sacris commentor describenda possim dare. qua in re me adjuves velim. Sunt interdum adolescentes pauperes, quibus non displicitura sit conditio haud admodum duri ministerii. Rogo quæras & me facias certiorem. Deus Vir Clarissime studiis tuis & per te Theologico Seminario benedicat. 13 Octob. 1615.

Pro libris quos utendos misisti mihi magna est gratia.

Tui studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

EX quo tuas literas accepi nulla mihi dies fuit ad respondendum vacua. Ita nos distinuerunt Ecclesiasticæ contentiones. Scis, arbitror, ante annos aliquot publicatum hic Edictum ac nuper adeo renascente inobsequentium ferocia instauratum, contra privatos in urbe conventus, addita mulctarum sanctione. Hoc ab ipsa necessitate extortum cum multi odiosissime differrent, placuit Magistratui segreges nostros ad proponendas rationes resarciendæ in Ecclesia pacis admittere. Permissum quoque ut eam ad rem eruditi unius aut alterius consilio uterentur, ita tamen ut monerentur simul ne se ad homines minus placidos applicarent. Illi nobis totam cohortem adduxerunt ἀνδρῶν μαχιμωτάτων [virorum pugnacissimorum], Festum, Dibbetium, Triglandium, Rollæum, & vicinis nostris Beyerum ac Gruterum. Quanquam jam tum apparebat, quis eventus esset futurus colloquii in quod adducti essent, duo præcipui nostræ scissuræ auctores; alius qui in ipso imperii publici solio servatam diu pacem it perturbatum; alius rursum qui nuper egregium edidit moderationis suæ specimen quo discrepantes sententias Christum & Belialem vocat; neque multum huic ille dissimilis qui quotidie Remonstrantium argumenta sub persona Diaboli refutat: atque horum omnium princeps qui obliquis artibus non minus periculose grassatur quam alii vi aperta: tamen visum est adhibere aurium patientiam. Vbi ad promenda pacis consilia ventum est, postularunt parem numerum Ministrorum Remonstrantium & Contraremonstrantium hac lege (scilicet ad pacem accommodatissima) ne alter cum altero Eucharistiam sumeret: nimirum ut illa a Servatore nostro instituta pacis tessera belli inter nos perpetuo mansuri signum daret. Nostri Pastores responderunt, Vnum esse suo e numero Remonstrantem. De aliis id affirmari nullo posse argumento: Niellium insuper non ab Ecclesia nostra electum sed commendatum Ecclesiæ à Gallica Synodo: neque se intercedere quominus, ubi se ita ferret occasio, Contraremonstrantium sententiæ aliquis Ministerio admoveretur, sed ita ut fratribus se fratrem ostenderet, non partium ducem. In Seniorum quoque electione placere sibi ut veræ pietatis habeatur ratio, sine ulla diffidentium opinionum discriminatione. Hæc cum rejiceret pars adversa, tanquam ab omni spe pacis alienissima, eo nos res ipsa redegit ut ad expendendas discessionis causas veniretur: nostris Pastoribus sæpe profitentibus certos se esse nihil sibi doctrinam quod attineret præter Remonstrantium sententiam posse objici, & hanc ne omnibus quidem. In vita quoque ac moribus nihil esse quod legitimam desertioni causam daret. Quæ allata sunt ad defendendum aut potius excusandum schisma (nam defendere directe vix quisquam audebat) quæque ex adverso sunt reposita hæc fuere. I. Quod Lansbergius Grevinchovium prædicasset hæresium scatebram. Responsum est, Nimis properum fuisse judicium, ante exploratam recte controversiam: & de concione, quæ occasionem Lansbergio dedisset ita existimandi satisfactum presbyterio: totoque post anno mansisse unitatem Ecclesiæ, & si quem offendisset asperior Lansbergii sententia eundem eadem in mitius correcta una debuisse mitigari: aut saltem rem deferendam fuisse ad Presbyterii aut Classis cognitionem, neque prævertenda privatis Ecclesiæ judicia. II. Quod doctrina Remonstrantium publice esset proposita verbo Dei & Confessioni repugnans. Responsum est, Nondum ab Ecclesia dijudicatam hanc litem, neque ea pendente abrumpendam fuisse sacram communionem: & paratos Pastores nostros in omnibus se tenere intra fines Confessionis. III. Quod Arminio in Conventu Hollandiæ adstitisset Nicolaus: ab Arminio autem oppugnatum verum dogma de Iustificatione. Responsum est, Non omnia ab Arminio proposita à Nicolao probata, neque omnes 65

omnes de Iustificatione quæstiones ejusdem esse momenti. Postremo causam in Conventu Hollandiæ sub imperio summi Magistratus actam non esse hic retractandam. IV. Quod Vorstium professione non indignum Nicolaus cum aliis Remonstrantibus judicasset. Responsum, Id quoque cum in Conventu Hollandiæ esset actum jussu atque imperio supremæ potestatis non esse hujus cognitionis, neque ad Ecclesiam nostram id pertinere. Adjectum obiter non ad omnia Vorstii scripta respexisse eos qui ita judicassent, sed ad confessionem Vorstii in Conventu editam. V. Quod Slatium Socinianismi suspectum commendasset ad Ministerium Nicolaus. Responsum est, Slatium si quid juventutis temeritate peccasset, non deberé id nunc ad meliora verso objici, præsertim cum judicio Geldrici Senatus ab eodem crimine sibi objecto esset absolutus. Neque vero hoc negotium ad Nicolaum magis quam ad Magistratum Rotterodamensem pertinere. VI. Quod Nicolaus per illegitimas consequentias gravasset Contraremonstrantium doctrinam. Responsum, Nihil à Nicolao Contraremonstrantibus per consequentias objectum, sed ipsa verba auctorum quos sequi se Contraremonstrantes profiterentur: ut Deum esse peccati auctorem aliquo modo: hominem à Deo ad peccandum ita impelli ut non peccare nequeat: creari quosdam ad damnationem: etiam fidelium liberos intra infantiæ ætatem & post baptismum morientes ad æternos cruciatus abripi: qui semel recte crediderit posse & adulterum & homicidam fieri, atque eodem tamen momento manere Dei filium. Neque hæc commemorata nisi post factum divortium, & Remonstrantium sententia per graves calumnias exagitata. VII. Quod Nicolaus acerba quædam præloquia addidisset libro Cupi, Vorstii, & suo contra Amesium. Responsum est, De auctore præfationum libelli Cupiani & Vorstiani parum constare. Librum adversus Amesium editum diu post schisma. VIII. Quod Adolphi libellum quendam, multa continentem ψευδόδοξα [*falsa*] probasset Nicolaus. Negatum id simpliciter & rejecti testes. IX. Quod impellentibus Ministris ejectus esset Geselius. Responsum, Id factum esse Magistratus & quidem post consultos Ordines: neque odio sententiæ quam tueretur (quippe multo post & Colonium pro tempore, & mox Niellium ad Cathedram admissos) sed ob voces seditiosas. Præter hæc generaliter ad omnia responsum est, Ea quæ Nicolao objicerentur non posse aliis Pastoribus objici. Rogati Festus atque alii, An ob tales causas, partim non probatas, partim non discussas, pars populi minor, sine ulla Presbyterii, Classis aut Synodi sententia, legitimis Pastoribus renuntiare posset communionem, neque tantum eorum conciones declinare, sed novum cœtum simul ac Presbyterium instituere, nullo existente qui posset in hac paræcia juxta receptos Canones Seniores ordinare, nunquam sententiam suam promere voluerunt. Præcipua oratio in eo constitit, cedendum commotæ plebi, Beyero satis simpliciter enuntiante, si ipsi Pastoribus nostris exhiberent fraternitatis signa, fore ut & ipsi à plebe non minus quam nostri desererentur. Nos contra non dubitamus, si ab ipsis data fuisset opera docendæ potius quam sequendæ plebi, si ostendere voluissent τὸ ταύτης ἀπὸ τῶν ἀκαταγνώστων διαλύσεως ἀθέμιτον [*nefas discessionis illius ab iis qui nondum sunt condemnati*], jam nos habituros eam quam tantopere desideramus Ecclesiæ pacem. Die Iovis proximo receperunt se responsuros ad quædam interrogata à nostro Presbyterio proposita ad intelligendam rectius ipsorum sententiam in quibusdam capitibus formulæ pacis ab ipsis propositæ. Ita se habent res nostræ. Teilingii literas consideravi, multumque vereor ne simplicitati hominis alii illuserint, qui tuam de controversiis sententiam student prolicere, atque ita minus utilem patriæ tuam reddere operam. Respondendum tamen sentio sed prudenter: satis tibi compertum nihil ejusmodi sub his contentionibus latere quale fert ipsius epistola. Neminem eorum qui in republica versantur usui habere hæc dissidia: multos vehementer laborare ut componantur. Theologica hæc esse certamina eorum, qui nomina sua pridem essent professi: neque constare tibi aliud ab illis spectari quam apertum faciat controversiæ status utrinque in Colloquio Hagiensi formatus. Neque recte dici à Magistratibus has quæstiones juxta unguium recrementa æstimari, cum iis examinandis atque etiam sopiendis tantum temporis impenderint. Si cui excidisset vox aliqua talis, non pati æquitatem, ut in ejus consortium trahantur alii. Hac moderatione videris mihi recte observaturus partes officii Magistratibus tuis debiti, & tamen haud suppeditaturus calumniæ materiam. De famulo si quid me juveris erit id pergratum. Vale vir Doctissime & statum Ecclesiæ hujus nostræ, meque privatim qua consiliis qua precibus juva. 7 Novembris 1615.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

Binas à te literas recte accepi, priores de Bocardo: al- 66
teras de Bredano negotio. Bocardi existimatio mihi curæ erit. Satis multos inimicos habet Pax Ecclesiæ: ideoque permittendum non est ut inter se divellantur quos pacis tenet studium. Quod in scribendo epithalamio gratificatus es Polyandro, mihi non displicet, etsi vereor ne id beneficium perdideris, si ita se mores illius habent. De Catecheseos signatione recte monuisti, rem esse novam. Sed & Confessionis subscriptio, si hoc animo exigatur, ut testimonium præbeat omnimodi consensus, periculosa est. si vero hac mente, ut ne in posterum quidem dissentire liceat, tyrannica. Sin vero in hoc tantum, ne contra formulam istam concordiæ publice aliquid proponatur, nisi prius legitime propositum atque examinatum, est tolerabilis. Honestam forte excusationem præbebit Synodi expectatio, in qua hæc atque alia ventilabuntur. Cæterum ego Reformatarum Ecclesiarum miseriam in hoc maxime deploro, quod cum Symbola condere Catholicæ sit Ecclesiæ, ipsis inter se nunquam eam in rem convenire sit datum: atque interim libelli Apologetici ex re nata scripti ad Imperatorem, Reges, Principes, aut ut in Concilio Oecumenico exhiberentur trahi cœperint in usum longe alium. Quid enim magis est alienum ab unitate Catholica quam quod diversis in Regionibus Pastores diversa populo tradere coguntur? Quam mirata fuisset hoc Prodigium pia antiquitas! Sed hæc aliaque multa mussitanda sunt nobis ob iniquitatem temporum. Reliqua Rotterodamensis colloquii nunc tibi perscribam. Postquam rediere homines satis alieni à pace ad quam nobis procurandam advocabantur, (Festo domi retento ob turbas quas tute rectius nosti) quasi acceptis subsidiis novæ accusationes instituî contra Nicolaum cœpere, sed pleræque facti ambigui & nullis prolatis testibus. I. Accusabatur contra Catecheseos sententiam docuisse, non exegisse Dei justitiam ut sibi satisfieret. Item Christum satisfecisse ex gratioso fœdere. Respondit, Nunquam à se negatum exegisse justitiam ut sibi satisfieret: sed inter justitiam pœnam rigide exigentem & misericordiam pronam homini parcere mediatricem intercessisse sapientiam, id se & docuisse & verum arbitrari. Gratiosum fœdus à se dictum nostri non Christi ratione. II. Defensam ab illo possibilitatem implendæ legis. Respondit, Monstrasse se auctorem Catecheseos cum de possibilitate proposuisset quæstionem, responsum dedisse tale quod actum magis negaret quam possibilitatem. Augustinum quoque hanc quæstionem talem judicasse quæ salva pace inter Catholicos possit agitari. Hieronymum vero eos exsecrari qui dicant impossibilia esse Dei præcepta. Convenerunt tandem inter se nihil absurdi fore si homo dicatur posse implere legem per Dei gratiam, quia scilicet, non sit Deo ἀδύνατον [*impossibile*] tantam gratiam homini dare. Adjecit Nicolaus si de actu exte-

rioro

riore agatur quem legis litera præcipit, puta non occides, non furaberis, hoc modo legem & impleri posse & impleri à quibusdam. Si autem actus internus respiciatur, præcipue charitatis perfectio, eam in hac vita nobis non contingere, habito scilicet respectu ad eam charitatem quæ erit in vita altera. Agi autem de hac perfectione comparata in Catechismo. Eam vero perfectionem quæ peregrinantium statui conveniat, non contingere posse in hac vita si quis dicat eum sibi ipsi contradicturum. III. Dictum ab ipso Reformatam Religionem XL duntaxat annos habere. Respondit, Plane id à se negari, cum Reformatam religionem eandem cum Apostolica credat. Sed reformationem ipsam in his regionibus non esse antiquiorem annis XL: ideoque minime nos decere, qui Papistarum vetustatem repudiamus, à tantilla vetustate alteris invidiam facere. IV. De Catechismo contemtim locutum. Respondit, id quoque à se negari. Sed professum se occasione data haud placere sibi morem in nostra urbe receptum Catechesin eodem plane modo parique reverentia populo prælegendi atque exponendi, quo prælegatur atque exponatur Lex divina, cum in aliis urbibus aut Catecheseos lectioni præmittatur lectio aliqua ex Scriptura, aut tecto capite ostendatur discrimen auctoritatis quod est inter divina & humana scripta. De Providentia quoque Divina dicebatur ita locutus ut multos offenderet. Sed quid dixisset nemo afferebat, ita ut responderi quoque non posset. Rogati Pastores numquid haberent præterea adversus Nicolaum, negarunt. Numquid adversus Pastores alios quatuor, bis terve interrogati tacuerunt. Diximus nos silentium interpretari pro approbatione ipsorum innocentiæ. Ad quæstiones quasdam à Presbyterio nostro propositas super formula nuper ab alterius partis Pastoribus accepta, iidem partis alterius Pastores ita responderunt, ut dicerent fraternitatem quandam esse Confessionis Belgicæ, à qua qui discederent quo magis discederent eo minus fratres essent. Cum autem hæc ab illis eo afferrentur ut plebem Synaxin nostrorum Pastorum detrectantem defenderent, interrogavi ipsos an Pastorem Confessionis Anglicæ aut Tigurinæ à nostra alicubi discrepantis ad Synaxin suam essent admissuri. Negare id non audebant. Facile erat ergo collectu nihil ad Synaxin facere istam nuper repertam fraternitatem. Interrogavi etiam cujus fraternitatis testandæ causa Christus corporis sui communionem instituisset. Hic quoque ad Belgicam Confessionem confugere non audebant. Tandem nomine Magistratuum serio illos ad testandam inter se charitatem certissimo charitatis symbolo, divina Eucharistia, sum hortatus. Nulla enim ratione posse defendi discessionem ab ea Ecclesia in qua fateantur ipsi posse maneri salva conscientia. Divortia nulla esse justa nisi plane necessaria, ut à cœtu qui religionem idololatria corruperit, aut hæresi, hoc est, doctrina fundamentum evertente sit imbutus. Relinqui hic cuique ut vellet sentiendi libertatem. Neque Cænam in hoc celebrari ut super Theologicis quæstionibus idem nos omnes sentire testemur, sed ut ostendamus fratres nos esse in Christo fratre nostro primogenito, membra corporis cujus ipse est caput. Adjectæ sunt auctoritates Synodi Gallicanæ, Regis & Episcoporum Angliæ, Molinæi, Perkinsii, Piscatoris, Edicta Ordinum, exempla vicinarum urbium. Pendere adhuc quæstionem an Remonstrantes à Confessione recesserint. non pati vero æquitatem ut dum ea pendeat abeatur à communione. Antiquitus hæreticos pessimos nunquam à communione exclusos nisi post sententiam Ecclesiæ. Nullum præjudicium ferri in observatione communionis. In abstentione, magnum; Repetitis deinde aliis adversus Nicolaum accusationibus ostensum est plerisque ab ipso satisfactum. Si quis tamen hæreret scrupulus, placere Magistratui ut conventui Ecclesiastico ex personis minime suspectis constituendo, de cunctis ipsi objectis judicium deferatur. Item ut formula aliqua concipiatur docendi de capitibus nunc controversis ad pacem & ædificationem: obiterque ostensum quam parum ipsi inter se discreparent, qui tamen tam longe distare vellent videri. In cæteris limitem docendi fore Confessionem & Catechesim. Si quis exorbitaret, quominus censura Ecclesiastica in eum distringeretur neminem obstiturum. Seniores electum iri qui pietate anteirent cæteris, nullo discrimine Remonstrantium an alteri sententiæ an neutri accederent. Eandem æquitatem servatum iri in Ministro cooptando ubi locus vacaret. Hæc postquam Magistratus nomine erant proposita, Pastores externi, consultatione prius inter se habita, responderunt formulas moderandæ temperandæque doctrinæ hactenus parum feliciter tentatas; neque se rem tantam agressuros inconsultis Ecclesiis. Reducendæ plebis ad Synaxin pastorum spem nullam. Rogare se obnixe ut privati conventus in Vrbe permitterentur. Responsum à Magistratibus esse id sine exemplo in hac Hollandiæ parte. Si quibus in Westfrisia oppidis ea imposita esset necessitas, miseriorem esse eorum statum quam ut eo exemplo invitari possent Vrbes aliæ. Pugnare id quoque cum Ordinum sententia: quibus nostri Magistratus proposuissent obsequi tam fideliter, quam suis imperiis vicissim obsequi vellent cives suos. Æquum quoque esse hac in re legibus publicis morem geri, præsertim cum tranquillitas civitatis hoc ipsum exigat. Conscientias non alligari loco. Bernenses quondam rectores orto simili apud se certamine pœnis coercuisse eos qui ex alieni pastoris manu Cænam Dominicam sumerent. Hic permissum civibus ut ubi vellent audirent verbi divini interpretationem atque etiam ut contra Ecclesiæ Canones sine Ecclesiæ testimonio alibi sacra participarent. Iam tres annos esse cum publicatum esset hoc Edictum: neque caruisse conscientia qui obediissent hactenus. Quod si ipsi citra Verbi Divini præscriptum novas sibi conscientiæ regulas fabricarent, non omissuros tamen hujus urbis rectores auctoritatem suam atque Ordinum, ita ut sua ipsis conscientia dictaret, defendere. Moniti ergo cives ne pacem civitatis turbarent legisque obsequium abrumperent, atque ita justam Magistratuum iram in se concitarent. Pastores utriusque partis rogati ut amplius etiam de resarcienda concordia, salva animorum libertate in his controversiis, cogitarent. promissum idem Magistratibus curæ fore, daturosque operam, tum seorsim, tum cum nobilitate & aliis urbibus ut idonea omnia remedia his malis sanandis adhiberentur. Orandum Deum ut Magistratuum, Pastorum, plebis animos ad tam pia consilia flecteret, atque iis prosperum, daret exitum. Ita discessum est. De famulo velim scire ecqua spes sit, alioqui sumendus erit qualiscumque. Vale Vir doctissime. 13 Novembris 1615.

Quis futurus sit eventus Lugdunensis motus scire aveo.

Tui observantissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime,

NOn alium habeo cujus aut amicitiæ aut judicio plus 67
confidam, quare non tantum meorum operum sed etiam cogitationum mearum, si fieri posset, te vellem habere judicem. Quod nunc ad te mitto hac natum est occasione. Aliquot sunt menses cum ad Legatum Ordinum in Gallia scripsi quædam his quæ ipse ad me scripserat respondentia. Quia vero ego de conciliandis nostris controversiis Molinæi scire sententiam avebam ille non hanc modo literarum partem sed & alias quæ D. Molinæo non displicere non poterant ipsi ostendit, auctoris duntaxat nomine dissimulato. Mox ad me mittit libellum Molinæi; eum cum perlegi inveni quædam mihi satis placentia, quædam quæ probare toto animo non possem. Langeracensis sæpe me excitavit ut aliquid rescriberem; ego jam totos sex menses sileo; atque etiam seposueram chartam D. Molinæi non responsurus. Sed Legatus non desinit me prope jurgiis urgere; itaque faciendum aliquid visum est, impendique hoc biduum

Digitized by Google

biduum (quatenus urbana & privata negotia permisere) scriptioni nimium sane festinatæ, neque vacat exscribere. Vides ergo abortum verius quam partum. De vocibus non sum sollicitus. Scio me ad amicum scribere. In rebus an quid peccaverim te judicem fero; quanquam enim uni duntaxat Langeracensi scribo, tamen adhibenda est cura ne illum imprudens fallam. Rogo facias quod ego feci: & quamprimum aliquantulum temporis tibi subtractum amico impendas, libereque scribas ea quæ tibi in mentem veniunt. Molinæi scriptum una mitto, ut rectius cuncta consideres. Vale Vir doctissime. De famulo si apud vos nulla spes est velim scire. Offeruntur hic nonnulli sed pueri & parum callentes Latine, à quibus ut video parum sublevabor, tamen præcipitanda erit electio, quia sine ministro diutius esse non possum, instante cummaxime Hollandiæ Ordinum conventu. 27 Novembris 1615.

Tibi addictissimus H. G.

BENIAMINO AVB. MAVRERIO.

Illustris Domine,

68 NAves vento secundo ab urbe S. Sebastiani huc advectæ, mercatorumque literæ una venientes, certo nuntiant peractum utrumque conjugium, eadem in urbe. Dies nuptiarum fuit nonus Novembris. Præsentes fuere, præter bis binos conjuges, Rex ipse Hispaniæ, & Galliæ Regina mater; neque una die ac nocte amplius cessatum. Nam postridie Rex Galliæ cum nova Regina, ac matre, iter *Bajonam* versus instituit. Solennia ut properata, ita neutiquam pro conjugum magnitudine. Hæc sunt, quæ ad nos perlata, te celare non potui, suspicatus non potuisse eandem famam terrestri itinere ad vos multo celerius pervenire. Deus optimus maximus & hæc, & quæ secutura impendent, in Galliæ nostrumque bonum, & si fieri potest, pacem Christiani Orbis, vertat. Idem te, Vir Illustris, incolumem diu florentemque servet, amicitiæ in nos Regiæ fidelissimum pignus. 29 Novembris 1615.

Tuæ, qua me donasti, iconi hos versus adscripsi;

Docta tabella refers hominem, quis rectius ipse
Magnanimum Regem, cujus imago loquens.

PVTEANIS FRATRIBVS.

69 VEnit his diebus magna vis auri ex Guinea. Eadem opera Principi apportatum est monstrum, hominis dicam an bestiæ, quod hodie vidimus. Facies plane humana est, itemque aures non hirsutæ, non oblongæ, sed rotundæ & depiles, humanum item capillitium, brachia quoque & manus, quin & venter: reliqua pilis obsita, pedes hirsuti & in digitos fissi. Animal hoc plerumque quadrupes incedit, mansuetum admodum est: & discedente altore suo largiter ploravit. ajunt, qui advexerunt, voces nostras ab eo usu intelligi.

Hujus monstri effigiem & descriptionem accuratam edidit Vir doctissimus Nic. Tulpius, Observationum Medicarum lib. 3 cap. 56.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Clarissime.

70 VTor adhuc libris tuis nimium familiariter. Sed faciam propediem finem tuo beneficio abutendi; quanquam velim prius & alterum adjungi, ut ad dies aliquot inspiciendæ mihi dentur schedæ in quibus veterum sententias de controversiis hodie nimium calentibus collegisti. Speciatim scire velim quid existimes de illo Basilii loco quem citat P. Diaconus libr. de Inc. & Gratia cap. v 1. Nihil enim simile Græci auctoris legisse memini. Deinde quam existimes fuisse controversiam, de qua definitiones quædam sunt editæ in Concilio Valentino. Præterea vero cupiam mihi subministrari si qua sunt in soceri tui scriptis, quibus adstruatur voluntatis antecedentis & consequentis distinctio: & deficientis fidei veritas κατ᾽ οὐσίαν [*secundum essentiam*]. Si quid est vicissim in quo aut studiis aut commodis possum inservire, scis me monendum non rogandum. Vale Vir Doctissime mihique amicissime. 30 Ianuarii 1616.

Tuus H. G.

BENIAMINO AVB. MAVRERIO.

CAsum Turonensem, Vir Illustris, quem via Bruxellensi attonitus acceperam, propius tuo beneficio cognovi verbis ejus, qui rei certissimus est testis, & in se suisque pars periculi. Nunc, quando omnia satis commodè evenerunt, restat, ut Deo immortali agantur gratiæ, qui singularem suam providentiam pro regno vestro excubantem vix potuit manifestiore documento exprimere, quàm cùm ruinam & Reginæ Matri & his, qui in Gallia prudentiæ, fidei, virtutisque famam ante alios sustinent, innoxiam præstitit. Iussit me tantæ rei admiratio ad desuetum artificium redire. Mitto igitur versus, sed quos, tanquam occupati hominis, cum veniâ legas. 71

Magni magna parens Regis, quâ sospite nostris
Non surdum votis credimus esse Deum;
Quod te stante domus traxit pars alta ruinam,
Hoc etiam cœli non leve munus habes.
Nam quæ cura fores superis, ostendere mundo
Imperturbati non potuere Lares.
Quin alios quoque te propter Fortuna pepercit,
Quos trabs præcipites, sed sine morte, dedit.
Exarmat tua sic omnes præsentia casus.
Agnoscit fatum Gallia nostra suum.
Quod fletus illius, per te fletu: hoc quoque regni
Quod cadit, illæsum te relevante manet.

Vale Vir máxime, & nos perge quæso in tuorum habere numero. Rotterodami. 16 Februarii 1616.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

NOn tantum multis de causis in tuo sum ære, Vossi Clarissime, sed & lentum comperior nomen, trico magnus. Libros habeo à te plurimos quos utendos acceperam; utor autem tam diu ut prope excedam leges commodati. Molestus tibi fui, ut sententiam tuam de Walæi scripto intelligerem; admensus es mihi eam, non parce profecto, sed toto modio. Neque tantum quid senseris indicasti, sed & rationibus ex sacris humanisque auctoritatibus id ipsum firmatum reddidisti: quare pro labore insumto, gratias tibi ago: quod consentire te mihi per omnia video, in eo mihi summopere gratulor. Quæ de statu separatarum mentium tractasti ejusmodi fuere ut ea summa cum voluptate, fructu non minore & legerim & relegerim. Accedit ad hæc omnia magnus beneficii cumulus, in quo postulando ego audacior an in præstando tu liberalior fueris in ambiguo positum est. Ego schedas poposceram; tu mihi ingentem Ecclesiasticæ antiquitatis thesaurum transmisisti. Quanquam hunc quoque evolvere mihi non permiserunt eædem illæ occupationes propter quas libros tuos tamdiu detineo. Inspexi tamen & hic quoque inveni eadem tibi suggessisse diligentissimam lectionem, quæ ego non tot auctorum, sed aliquot tamen attenta perlustratione de Veterum mente collegeram. Tua me industria mirum in modum confirmavit. Sed profecto Silvam tuam de Originis peccato non recte me ne legerem monueras; pæne me magno bono spoliasses. quanquam enim imperfectus ille sit tuus labor, multorum tamen & magna, & ut ipsis videntur, consummata volumina fructu exsuperat. Hoc quoque de argumento quædam breviter, ut meus mos habet & studiorum meorum ratio exigit, conceperam, quæ tuis mire congruentia reperi. Ego non inutile arbitrarer edi aliquid tum super isthoc argumento, tum super altero Satisfactionis: ne sola novitatis prurigo ratiocinatiunculis titillantibus suffulta Veræ Catholicæque sententiæ fidem apud aliquos detrahat. Tanto sane majoris faciendus est consensus antiquitatis, quanto turpius quotidie labi eos videmus qui jus novandi sine fine ac modo sibi vindicant. Nuper Hagæ cum essem indicavit mihi 72

Vtem-

Digitized by Google

Vtembogardus Lugduno sibi significatum, multa te egregie commentatum super jure Magistratus eaque ad me transmissa, rogabat videndi sibi copiam fieri. Excusavi quod ea scriptio concepta Epistolæ in modum familiaria quædam contineret: neque audere me quenquam tuæ scriptionis participem facere nisi arbitratu tuo. Cogitabis quid faciendum censeas. nam, ni fallor, aiebat te quoque à se rogatum. Si vis Epistolam ad me missam ad ipsum transmitti, facillimum id factu. Sin mavis de tuo archetypo aliam leviter immutatam ipsi Vtembogardo Epistolam destinare, erit id forte non minus consultum. Audio parari editionem Thomsoni, & probo factum, sed simul audio moliri Bertium ut de suo quædam adjiciat, quod planè improbo. Neque enim expedit. rogo resciscas & si potes impedias: sin minus me moneas ut impediam. Solum enim Bertii nomen in Anglia librum immerito odio prægravabit. deinde non per omnia ipsorum respondent sententiæ. Vale Vir doctissime & nos quod facis ama. 23. Febr. 1616.

Tuus ex animo H. G.

E I D E M.

73 IAm dudum, Vir Clarissime, pudoris obliviscor, quod præstantissimas tuas chartas tam diu detineo. Neque tamen furtum me fecisse arbitror, ut qui domini chartarum benignitatem in omnes, & mei amorem satis noverim, ita ut quod injussu ipsius feci ipso tamen non planè invito fecerim. Legi non omnia, sed pervolvi omnia, legi pleraque, summo cùm gaudio, cui tamen intervenit dolor hoc nomine quod tam eximius labor ob iniquitatem temporum fructu suo careat. Ego pene superbior quam par est effectus sum quod quæ mihi videbantur priscæ fidei maximè consentanea, eadem abs te prolata ac probata video. Sed nunc totam de Gratia & quæ cohærent controversiam ad tempus seponam, & videbo num quid lucis afferre possim quæstioni de jure Summarum Potestatum in Ecclesia. Quanquam enim ab iis quæ pridem scripta tibi ostendi non recedo, puto tamen aliqua posse paulo dilucidius exponi. Iamdudum incipere cogito: sed nova quotidie negotia miserum me retrahunt. nunc demum video quo me servitutis detruserim. Attamen

—— τὴν σπάρτην κοσμητέον

[—— *Spartam, quæ contigit, orna*]:

Habeo à te libros complures istius argumenti, quos etiamnum retineo, quia aliunde habere vix licet. Est inter eos liber Conciliorum τῆς καθολικῆς [*Catholicæ*] à Iustello editus nescio an habeas ejusdem Africana Concilia. Notæ illius mihi perplacent, si habes, velim uti: Velim insuper scire quinam hoc sæculo, ex Hebræorum magistris τὴν Ἰουδαϊκὴν πολιτείαν [*Rempublicam judaicam*] accuratissimè descripserint: nam hoc quidem in argumento ex sola Sacra Historia sapere perdifficile est. Rogo si quid potes me adjuves & valetudinem tuam, vel mea causa, cures diligenter. XXIX. Maii 1616.

Tuus totus H. G.

E I D E M.

74 FAcis, quod soles, Vossi clarissime, cum meæ existimationi tam sollicitè caves. Multis modis devincis hominem, nunquam forte responsurum tuis officiis, nunquam tamen futurum immemorem. Relegi pagellas nuper mihi ex parte tantum & leviter inspectas. Nihil aliud quod dicam reperio, nisi quod olim Seneca, condonanda esse vitia, non portenta. Non potest sine ignominia nostra ferri tanta monstrorum seges. Itaque omnino urgendus est Typographus ut eas paginas recudat, cum interminatione fore alioqui ut ipsius editionem statim subsequatur nova & luculentior editio. Plane in eo sum inexorabilis ut patiar illos versus tam depravatos prodire, præsertim in Tetrametris Eucharisticis, quos ego semper amavi plurimum, quia memini quo affectu eos scripserim. Comasten, quia non propriè nuptiale carmen est, in Farraginis librum rejeci, hac quoque de causa ne legeretur juxtà Myrtilum, in quam Eclogam è Comasta quædam transtuli. *Vesti* casu sexto legisse me putabam apud veterum aliquem nescio an Varronem: & puto apud Nonium observari olim quasi promiscuè usurpatam utramque desinentiam, brevem inquam & longam. Alioqui si *veste* edatur nihil erit peccatum. Repetivi à D. Mylio meum σχεδίασμα [*opus extemporarium*] in quod ea conjeceram quæ mihi in mentem veniebant super literis quas tibi ostendit Bertius. Iccirco autem repetivi, ut mihi liceret emendare si quid per festinationem esset peccatum. Tibi nunc mitto ita ut tunc properanti excidit, quo justiùs ignoscas. Rogo si quid potes adferre lucis quæstioni satis obscuræ, nos adjuves. Nescio quo curante munus tibi nuper impositum est, cui exemtum te mallem. Voluerunt enim Ordinum Hollandiæ Delegati postrema Conradi Vorstii scripta, de quibus nuper conquestus est Regis Britanniæ Legatus, à Polyandro, Episcopio, absque te legi diligenter, & seorsim judicium expromi. Puto nondum ad vos missum ἐπίταγμα [*mandatum*]: si missum est, noli nimium festinare. Hoc biduum Hagæ fui, nunc domum reversus video ecquid mihi à publicis negotiis otii detur ad pertexendam quam nuper te conscio inchoavimus commentationem. Deus hæc aliaque omnia ad sui nominis gloriam dirigat, idem te, virorum optime, cum conjuge ac familia diu patriæ, mihique servet incolumem. 23. Iunii 1616.

Tuus ex asse H. G.

E I D E M.

Vir Clarissime.

TAm invitus libellum tuum de Imperio circa Ecclesiastica dimitto, ut hoc quoque inter causas fuerit cur tam sero tibi respondeam. Pergo enim in opere nuper inchoato, sed tardè procedo propter intercurrentes occupationes. Soleo autem sæpe ad tua meditata recurrere, quod videbis ex lemmatis à me in margine annotatis. Sed nolo mei commodi causa offendi à te Vtembogardum. Sed rogo operam des ne quid mihi præter usuram pereat. Habeo multa de quibus conferre tecum liberet, si aut mihi ad vos, aut tibi ad nos liceret transcurrere. Si pagellæ primæ Poëmatum recuduntur (quod omnino est necessarium) cogita an non in metricam legem peccet ille Tetrameter *Qui sacro renuntiatis cœtui repudium*. Scribunt quidem Græci jurisconsulti, quin & Iustinus Martyr ῥεπούδιον, sed illis hac in re credere minùs tutum. Comici mihi videntur corripere secundam: ideoque mirum non est in aliis versibus eam vocem non occurrere. Certe *tripudii quoque* secundam in Galliambo corripuit Catullus. Si ita sentis, & serum non est, posset rescribi *Qui repudium Christiano nuntiatis cœtui*. Cogitaram an pro *repudium* ponerem *divortium*: sed non memini me legere *divortium renunciari*. Videtur enim hæc phrasis *repudio* propria. De Comaste scripsi nuper. Epigrammata ex Theocrito in libello Epigrammatum meorum reperies, quanquam dubito an unum de sacello elegans satis, sed cui spurci aliquid sit admixtum, omitti sit satius. Sumus enim εὐδιάβλητοι [*si qui facile calumniantur*]. Ego te harum rerum Aristarchum facio ὀβελίζειν [*obelo nota*] quantum ex usu videbitur. Acta legatiunculæ nostræ typis data Haga exspecto. Vale Vir doctissime & bene rem gere. Cal. Iuliis 1616. Rotterodami.

75

Tuus totus H. G.

E I D E M.

Vir Clarissime.

VBi otium erit remittes extemporarias meas meditationes super thesi Villeriana. Gaudeo D. Mylio non probari eorum asseverationes qui de re incomperta extra Scripturas aliquid definiunt. Poëmata nostra spero rectè procedere. Mitto tibi Acta legationis Amstelodamensis. 76

Sed tecum habe. Videbis quem laborem impenderim minuendis controversiis. Gratiam haud magnam exspecto. Utinam utilitatis inde aliquid ad Ecclesiam emanet: cujus magno pastori te commendo. 9. Iulii 1616.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

77 ALiquem esse Amstelodamensis nostræ legationis fructum apud bonos, serio patriæ gratulor: esse autem qui Ordinum facta omnia in partem deteriorem rapiant, id vero mihi ex animo dolet. Pastoribus enim ad dogmatum licentiam aut ad Schisma propendentibus ecquod erit remedium, publica auctoritate per calumnias pessumdata? Ego de omnibus quos interius novi optima mihi polliceor, de me vero certus sum nihil mihi privatarum publicarumve rerum tam cordi esse quam ut pro virili succurram laboranti Ecclesiæ. Scit Deus id me agere ut modica quædam in Theologicis controversiis retineatur libertas, qua sublata necesse est novas ex secessionibus secessiones fieri. Cæterum ab iis dogmatis quæ vetus Ecclesia damnavit neminem magis abhorrere. Hoc meum studium si hominibus probare non possum, at aliquid est secum ferre conscientiæ testimonium. Eventus non est in nostra manu. Attamen ut cuncta adversa accidant certum est à tam honesto proposito non discedere. Tibi adversus imminentia odia aut certè amicorum frigusculа fortem animum precor. Affinis tuus, amicus olim meus, quod vult, ut video, valde vult, & illud petitum ex parentis auctoritate telum æquo vehementiùs torquet. Utinam aliquando tecum, cumque Diamantio, itemque uno & altero quibus pax Ecclesiæ cordi est colloqui liceat, & expendere quæ tam perturbatis rebus consilia sint potissima. Multum enim angor animi metuoque ne medendi tempora elabantur. Cogita quæso. Caussam quam apud Mylium egi tecum mihi esse communem non dubito. non amo Pelagii patronos, neque extra sacras literas temerè quicquam asseverantes. Ad Typographum apertas literas mitto. non sum de phaleris istis multum sollicitus. Christum patientem recudendum judico: ideoque velim aliquod ejus exemplum ad me mitti, ut errata typographica corrigam, quando ipse nullum habeo. Adami exsulis poëma juvenilius est quam ut ausim addere. Nescio an habeatis περίφρασιν [*circumlocutionem*] tituli institutionum de Rerum Divisione, quam fratri dederam; Videtur enim mihi non esse infra censum cæterorum quæ lusimus. Ubi non longe à fine aberit editio cogitandum erit de Præfatiuncula. Ego me meaque omnia tibi unicè commendo. 17. Iulii 1616.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

78 PAriter te joca & seria mea sollicitant. Postulavit à me D. Mylius ne obliviscar epigrammatidiis quatuor, quorum unum est in effigiem Scaligeri, tria in imagines Regum duorum & Reginæ Galliarum addere easdem imagines in ædibus ipsius extare. Mos ergo gerendus ut fiat hoc lemma, *In effigiem Ios. Scaligeri quæ est apud V. N. Cornelium van der Mylen Equitem.* Item. *In imaginem Henrici Magni Regis Galliarum quæ est apud V. N. Cornelium van der Mylen Equitem:* Deinde. *In imaginem Mariæ Medicea Reginæ Galliarum quæ ibidem.* Postremo: *In imaginem Ludovici XIII. Regis Galliarum quæ ibidem.* Inscripsi hodie versiculos aliquot albo D. Scriverii, qui epigrammatis addendi erunt. Christum Patientem alicunde mihi comparari, aut mancupio, aut usu velim, ut quæ typothetæ peccavit emendem. nam meos errores corrigere longum esset. Hic nullum est ejus tragœdiæ exemplar. Vale Vir doctissime & nos ama. 20. Julii 1616.

Tuus ex asse. H. G.

AD PETRUM SCRIVERIUM.

VItam quæ faciant beatiorem
Cantando tuus ille Martialis,
Tu multo melius doces agendo
Scriveri, redivive Martialis.
Quicquid Græcia, Roma quicquid olim
Famâ condidit arbitra probatum
Uno compositum tenere tecto:
Nulli pendere temporis tributum,
Sed pro jure suo diebus uti
Ignaris domini, nec elocatis:
Si quando libuit, vetusta vatum
Dulci sæcula provocare versu:
Aut priscos Patriæ novare Fastos,
Norit posteritas ut omnis, auctu
Quo se protulerit Batava virtus,
Quæ secura sui nihil pavescens
Iam longe positos tuetur Indos:
Aut doctas veterum polire chartas,
Quas Mars, quas sibi Terminus sacravit,
Et Votis sitientibus petitum,
Qualem Stella legebat, aut Secundus,
Talem nunc redhibere Martialem:
Hæ sunt (audiat ipse Martialis)
Vitam quæ faciunt beatiorem.

IAm literas ad te obsignaveram cum tuæ mihi redduntur: unaque Christus Patiens, quem legi statim, & annotavi aut in contextu aut in margine quæ typographi peccaverant. Præfationes omittendæ sunt. Memini Tetrasticha de rebus præfectura Principis Mauritii gestis non suo, hoc est, temporum ordine disposita: & quatuor aut quinque deesse ad consummandam historiam. Itaque ista addidi ut vides: simulque lemmata omnia suo ordine collocavi: si quod est lemma sine versu omittendum erit: si quod Epigramma sine lemmate, interserendum suo loco. nam mihi hic nulla eorum versuum exempla sunt ad manum. Scripsi olim Epigramma in mortem Angeli Merulæ, additum vitæ ipsius à Paulo Merula editæ. si librum habes poteris curare ut id epigramma aliis nihilo melioribus accedat. An præloquendum aliquid sit editioni, & meone an fratris potius nomine hæreo adhuc velimque instrui tuo consilio, nisi non vacat. Vale Vir Clarissime. 21. Iulii 1616.

Utinam te brevi videam, nunc per tres dies ero Liesfeldii apud Schonhoviam, nec domum rediturus.

Tuus Totus. H. G.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

Vir Illustris.

SErius tibi respondeo, partim negotiolis impeditus, 79
partim graviter afflictus sensu præsentium, &, ni cavemus, impendentium malorum metu. Nam & de religione dissidia, pro quibus componendis tantopere laboratum est non sine spe aliqua secundi eventus, recrudescunt; eorum flabellis quos omnibus pacis suasores esse oportuit. Hi sunt, qui impotentiæ suæ satellites quærunt Magistratus, & per Ecclesiæ rupturam impetum in rempublicam faciunt, quæ sola concordia hactenus stetit. Accedit, quod in vicina urbe ..... contumaciter imperio plebs horrendum atque exitiale exemplum præbuit. Quid nobis sævius posset hostis imprecari? His ego sæpe commotus, memet recolligo, cùm prudentiam eorum specto, quibus patriæ nostræ gubernacula sunt credita, quos spero partim summa animi moderatione, partim salubri severitate restituturos disciplinam & Civilem & Ecclesiasticam. Solatur me interdum, (si tamen ex alienis malis solatium capere fas est) quod illæ quoque gentes hæc mala non effugiunt, quas partim regiæ Majestatis reverentia, partim corporis sui magni-

Digitized by Google

credam annalium fidem) nostræ utilitatis respectus. Nam ut cessarent cætera, ultro occupandus esset meritis Rex juvenis, vel ut nos amare assuesceret, vel ne à nobis desertus, ad eos se vertere cogeretur, quibus implicari, quibusque obnoxius esse non posset sine nostro summo malo. Hæc tam aperta à nonnullis non conspici mirarer, nisi me doceret historia, multos semper esse in Republica, qui privata commoda publicis anteferant, neque paucos, qui præda sint alienæ calliditati, minus quidem malos, quam priores illi, neque minus tamen reipublicæ periculosos. Perdulce mihi fuit intelligere, quàm serio hanc Galliæ causam Princeps egerit. De itinere tuo, Vir Amplissime, quamquam tua hic præsentia & publicè est utilis & mihi privatim jucunda, non committam tamen, quin tuis votis subscribam. Scio & in Gallia te ita Gallum fore, ut amicus Batavorum esse non desinas, imò hoc magis Gallum, quo Batavis amiciorem: quando jampridem connexa est regni vestri magnitudo & reipublicæ nostræ salus. Cætera in colloquium differemus, quod brevi, ut puto, præstabit nobis Conventus Hollandiæ. Rotterod. 24. Nov. 1616.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Reverende.

87 LEgi scriptum Valachricum, in quo multa deprehendi indicia, aut male affecti, aut per incuriam non satis integre judicantis animi. Ita passim communis Remonstrantium sententia mutilè proponitur, potissima argumenta subticentur, quæ contra dici possent speciose exornantur, omissis responsionibus: permiscentur deinde huic communi causæ privata singulorum dicta factaque, quæ me judice nocere cæteris non debent, neque verò pertinent ad τὸ κρινόμενον *[statum controversiæ]* an quinque articuli intra Ecclesiam ferri in pastoribus possint. Quanto erat satius exteros ad ipsa Collationis Acta, & si quid addendum fuit ad Arminii libros remittere, ut ex iis ipsi, citra eorum ministerium qui se Remonstrantium adversarios apertè vocant, status formaretur controversiæ? Rex Britanniæ legato Caronio dixit dolere sibi res Ecclesiæ apud nos adhuc esse in turbido. Se eo esse animo ut se amplius istis controversiis miscere nolit:sed remDeo & Ordinibus permittere, cum voto boni successus. Molinæus in literis quas quidam ab eo nuper in præsidium causæ suæ elicuerunt non dissimulat maximam harum turbarum causam ab illis esse qui Deum ad peccata impellere, efficaciter movere, Adamum necessario lapsum & similia docerent. Neque enim mirum putat si talia non concoquantur. Legi & Campanellæ somnia. Gratias pro utroque habeo. Diamantii valetudo sollicitum me habet. Magna est bonorum virorum penuria. Orandus est Deus, ut nobis tam pia ingenia servet, ne Ecclesia præda sit ferociter imperitorum. Eidem te Vir Clarissime cum uxore & familia unicè commendo. Die Saturni qui 10. Dec. 1616.

Hagæ maneo si quid ad me curatum velis.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

88 CVm nolim quicquam te latere rerum mearum, significandum tibi duxi, me in triennium quod à Majo veniente inchoabitur destinatum ab Vrbe nostra Senatorum CollegiiDelegatorum abOrdinibus,manente interim Syndici onere. Scio quam molestum mihi sit futurum huc illuc itare & in tot negotia dividi. Sed solatur me spes aliqua sub magno magistro ea discendi quæ ad Rempubli cam nostram pertinent, atque interim inserviendi commodis amicorum, quos inter eum principe loco te habeam, si res tua prius peracta non erit, nullum ego negotium isti antevertam. Properanda mihi videtur τῶν κατὰ Σοκίνου *[eorum quæ contra Socinum]* editio multis de causis. Libenter exploro doctorum judicia, sed video multum interim temporis absumi. Nolo mandare tibi ut molestus sis Episcopio; habet proculdubio quæ agat alia, forte & majora. Quo magis cogito eo magis mihi placet ostendi aliud esse Semipelagianismum sive Cassiani Fausti & Massiliensium sententiam, quam Synodus Arausicana improbavit (& tamen citra anathematis notam) aliud Dogma de Voluntate antecedente & conditionata Gratiarum subordinatione. Vtinam id non ab his quibus antiquitas sordet, sed à modesto aliquo sobria ac seria explicatione tractetur. Non puto historiæ hujus cognitione quicquam esse nostris rebus utilius: neque te quenquam aptiorem qui id præstet nisi obstet temporis penuria. Sane mirum in modum erratur quotidie ignorantia status controversiarum: & ne externa judicia præcipitentur præcauto opus est. Scripsit nuper ad me Lingelhelmius ab interioribus consiliis Electori Palatino, vir pietate & doctrina præstans. In ejus literis hæc sunt inter cætera de libello quem Lucius edidit: *Libellum hunc dubitavi diu an tibi mittere deberem: tamen tua interesse putavi, ut scires qualiacumque sint quæ monentur. His diebus ab amico quodam ad me missus est, quem ut percurri miratus sum hominis stuporem vel proterviam, qui aliud plane agit, quam quod est in quæstione. Homo importunus quicunque is sit, qui hoc unum agit ut tibi Semipelagianismum impingat, qui ipse ostendat in se sesquiasinismum.* Vale Vir amicissime & bene rem gere. Vxor tuam amice salutat. Vtinam videre te liceat. 3. Cal. Ian. 1616.

Diatribam de Imperio nondum relegere cæpi. jam nunc incipiam.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir optime ac doctissime.

NVnquam me vivo molestiæ tibi deerunt. Hodie Delphis transiens istic ad te literas dedi: Rotterodamum 89
vix veni & alteras scribo. Nimirum in mentem mihi non venerat in retractanda mea de Summarum Potestatum imperio commentatione nihil esse tam necessarium quam ut tuus similis argumenti libellus mihi ad manum sit, quo dum majorem operis mei partem conficio, invitus carui. Simul Meursium oravi ut Balsamonis usum mihi redderet: Erpennium vero ut in quibusdam Hebraicæ historiæ quæstiunculis me juvaret. Apud utrumque facile me impetrabilem fore spero te præsertim parario. Iuvat me mirum in modum secundior Diamantii nostri valetudo: neque minus egregiè Francisci Iunii indoles quam à multis prædicari haud credas quam lætus audiam. Scribebam hæc anno novo jam jam imminente, quem tibi tuisque Reipublicæ & Ecclesiæ prosperum precor. Nocte proxima Cal. Ian. 1617.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

LIteras quas ante hos sex dies ad te scripsi recte curatas 90
spero: responsum autem à te differri arbitror quod nec diatriba περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως *[de redemptione]* tibi sit reddita, nec ad manus ea quæ de Summarum Potestatum jure conceperas. Ego interim mea relego: invenioque in duobus apographis ingentem esse hiatum sex septem paginarum eo loco quo de Episcopis & Presbyteris agitur. Quæcunque in mentem mihi veniunt ea in uno duntaxat quod plenum est exemplari corrigo: ad quod deinde cætera erunt emendanda. Spero ubi paratus fuero id per tuos adolescentes fieri posse: nam mihi soli & difficilis est collatio & vix satis ad eum laborem est otii. Balsamonem à Meursio: ab Erpennio Iudaica quædam expecto. Interea è Gallia ad me mittitur liber quem legere & Critica audacia tractare cæpi: sed perlegere nondum vacavit. Est Augustini opus è postremis, contra Iulianum, partus haud dubie legitimus, ut statim agnosces. Accesserunt

Digitized by Google

runt Notæ non ineruditæ, in quibus de Pelagii historia non spernenda. Fraudabo me legendi voluptate ut tu prior percurras, qui istis & frui & uti rectius nosti: Vnus trium καλβινομαστίγων ita se gessit ut senatui Vrbis nostræ visum sit ipsum exonerare Pastorali munere quod obiit in pago suburbano, cui nomen Hillegersberga. Velim cogites an consultum putes Franciscum Iunium hoc in loco Ministerii sui facere tyrocinium. Locus est non inamœnus, apta studiis solitudo, & si libeat aliorum uti commercio, urbs propinqua. adest commoda habitatio. Stipendium quale apud nos dari solet χωρεπισκόποις [*regionis inspectoribus*]. Rogo me sententiæ tuæ certiorem facias. Puto inventam mihi rationem qua brevi Classis nostra omni Socinianismi suspicione liberetur. Vale Vir doctissime juxta atque amicissime. 6. Januarii 1617.

Tuus totus. H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime atque amicorum optime.

91 QVod oneris mihi accessionem gratularis, aut patriæ potius, in eo affectus tui constantiam agnosco. Ego quoties spem abs te bonisque multis de studiis ac laboribus meis conceptam intueor, toties cogor animum despondere, impar tantæ exspectationi. Neque tamen inficiator sum divinæ in me beneficentiæ, cui libenter me profiteor tantum debere quantum mortalium quisquam: sed simul video quam pigra sit imbecillitas nostra ἀναζωπυρεῖν τὰ χαρίσματα [*resuscitare dona*]. Deus huic quoque vitio nostro succurrat, detque datis recte uti. Vtinam cum Timoleonte aliquando gratias Deo agere liceat, quod cum patriæ nostræ misereri voluisset nostra inter cæteros uti voluisset opera: quanquam utinam vel sine ministerio nostro dies ille nobis detur, qua citra veri oppressionem, pacem Ecclesiæ videamus restitutam. Mihi molesta erit per hoc triennium ultro citroque cursitatio. Et scis quam sim λεπτοχρὼς [*tenuis corpore*] tantumque non μονόγραμμος [*quasi delineatus tantum*]. Sed non facile nos horum tædebit, si qua spes boni fructus in rempublicam affulserit. Lucio aliquid respondendum modeste arbitror, non tamen κατὰ πόδας [*verbotenus*]; satis erit argumenta convelli quibus probare conatur Sententiam Remonstrantium ita ut articulis quinque comprehensa est esse in Ecclesia intolerabilem: quod Contraremonstrantium antesignani nunquam apud nos dixere: imo anno 1616. promiserunt se pacem servaturos: & qui secessionem urgent causas ejus ex rebus post Colloquium secutis solent petere, nempe aut ex Remonstrantium libello post Colloquium edito, quo dogma ipsorum evellendum dicitur, vel ex detrectatione sensus suos aperiendi in Colloquio Delphensi, vel ex dissimulata adjutaque ab ipsis aliorum licentia. Ipsi Amstelodamenses Magistratus semper spem fecerunt retinendæ pacis inter eos qui isto limite dissiderent; professi simul Triglandii problemata à se minime probari. Aliter qui sentiunt eos manifestum est gnaros aut ignaros in exitium patriæ ac Reipublicæ ferri: quorum insaniæ conserta manu obviam eundum censeo. Videris haud dubie Hæresium Indicem qui cum Augustini libello prodiit, in eo diserte satis Prædestinatorum mentio ostendit Hieronymum non esse ejus auctorem, sed proculdubio Gallum aliquem qui post Augustinum vixerit. Omnino videndus tibi Hincmari locus quem citat, ni fallor, Baronius ad annum DCCCXLVIII. & ex illo nuper in Originibus Francicis Pontanus. Canones Valencenensis Synodi plane congruunt, me judice, cum Prosperi & Fulgentii doctrina, ex quorum libris ego exponendum reor si quid in Augustino est *obscurum* aut ἐναντιοφανές. Godescalcus eodem tempore damnatus hæreseos Prædestinatianæ. Ejus hæreseos sive erroris capita recensentur. Prædestinationem talem statuere ad mortem qualis ad vitam statuitur: Quod Deus non vult homines omnes salvari: quod Iesus Christus non sit mortuus pro salute omnium hominum. Apparet negationem universalis gratiæ, id est, voluntatis antecedentis per omnem Galliam eo tempore improbatam atque in eo præcipue consistere Prædestinatorum errorem. Vide quæso pro voluntate antecedente locum Calvini in cap. 1. ad Rom. v. 18. ait *Christum passum esse pro peccatis totius mundi, non* TAMEN *Omnes apprehendere.* Hic si Mundum interpreteris electorum universitatem absurdissima erit sententia. Catecheseos nostræ locum nosti. His addendus Zanchius de Natura Dei lib. III. cap. IV. §. secundo *dicitur* & sequentibus præter multa quæ ad Edictum citata sunt: quibus mirum quam frigidè respondeat personata veritas. Mitto ejus libri exemplar quanquam habere te non dubito: sed quia ex paucis quæ annotavimus in memoriæ nostræ subsidium occasio tibi nasci poterit præclariora cogitandi. Piscatorem miror in appendice ad tractatum de Gratia Dei discrimen τοῦ προηγουμένου καὶ ἑπομένου θελήματος [*antecedentis & consequentis voluntatis*] hoc argumento rejicere quod neque uno tempore possint contradictoriæ in Deo esse voluntates neque voluntas Dei tempore mutetur. Quis enim non videt conditionatam affirmantem, & puram negantem minimè pugnare? Quis item nescit ea quæ in Deo simul sunt tempore, distingui ordine, alioqui ne ipse quidem præscientiam fidei statuere poterit decreto dandæ fidei posteriorem, quod tamen facit. Illo autem rejecto discrimine sequetur Deum excidium Sodomorum, rejectionem Saulis à Regno, multaque alia decrevisse citra culpæ respectum quæ cum Scripturis manifestè pugnant. Eliensis & Lichfeldensis Episcopi semper dicere solebant retenta veritate voluntatis antecedentis sive decretorum conditionalium haud multum periculi esse in disputationibus de prædestinatione & libero arbitrio. idem mihi magis magisque videtur. Augustini libros contra Iulianum pergam legere: & si quid observavero faciam te judicem. Baronianam Pelagianismi historiam legi aliquando & quæ usui videbantur excerpsi. An ibi sint quæ de Chrysostomo habet Monardus p. 464. & quæ ex Photio citat p. 478. haud satis memini. Balsamonem accepi à Meursio. Multa ad librum meum de Summarum Potestatum imperio sparsim adjeci. integræ relectioni supersedeo donec tua simulque Iudaica accepero. Interim apographa suppleri nihil opus, rectius id fiet post manum extremam. De Francisco Iunio velim cogites diligenter. puto brevi tres Ecclesias juris Rotterodamensium vacaturas, Hillegersbergensem de qua scripsi, Cralinganam, quæ sunt nostræ Classis, & Murdrechtanam quæ ad Classem Goudanam pertinet, quanquam nostri est territorii, nimirum non ubique sequenti Ecclesiæ τὸ πολιτείας τύπος [*Politici Regiminis*]. De Valachrico scripto dolet sane non actum prudentius. Videtur id fatum esse meum ut quæ ego cælata maxime cupio ea primum erumpant. Corvini notas dedi Grevinchovio, ne tempus periret, quia eram ipse occupatior. simul ille legerit ego me ipsi totum dabo. Barlæi stylum metuo ne sit acrior quam res patitur. sufflaminandus est. Velim cum Valachris agi quam mitissimè, ne magis magisque alienentur animi eorum qui consuetudine magis quam studio dissentiunt. Iunianum negotium rectè processisse sane gaudeo. Nunc ad Diatribam de satisfactione venio. Gratias pro me ingentes velim agas Professori Episcopio, pro insumto labore mea causa & his quæ tam amicè monuit. Oratum eum volo ut quicquid est quod præterea inter legendum in mentem ei venit, quantumvis ipse id parvi faciat, omne id eadem liberalitate nobis communicet. Ego à talibus doceri, magnum beneficium habeo. Rectè ille & mecum sentit, cum τὸ κρινόμενον [*controversiæ statum*] inter nos ac Socinum in eo ponit, an Christus morte sua circa Deum aliquid effecerit. Negat ille: nos cum Scripturis asserimus. Restat deinde quæstio quomodo aliquid circa

Digitized by Google

magnitudo extra hos casus ponere debuerant. Nimirum ea sors est rerum mortalium, ut non modo perpetuam, sed diuturnam quoque felicitatem non ferant. Viri summi Thuani vicem haud secus, quam par est, doleo, & conabor facere, quod mones: sed imparem me officio consolandi sentio, ipse animi æger & consolationis indigens. Quod unum potui, quo ipsum cultu prosequar, Epigrammate sum testatus, simulque consilium dedi, quod mihi optimum videtur, ut suis se virtutibus involvat. Nefas enim sit ea Thuano prodesse, quæ cuivis è vulgo dici solent. Leges cum venia, Vir Amplissime, fœtum animi minime defæcati; tibique servare poteris, donec doctissimus Heinsius paria tanto malo remedia sufficiat, ut nostrum hoc, nisi nimium displiceat, majori navigio velut ἐφολκὶς [scapha] accedat. Pro tua tam prona in me benevolentia, quam verbis factisque exhibes, gratias referre non est nostrum: nisi, quæ tua est æquitas, redditum interpretaris beneficium, quod agnoscitur. Vale, Vir Nobilissime, patriæ tuæ & bonorum omnium grande præsidium. Rotterodami, 13. Augusti 1616.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

80 ACcepi tuas, Vir Clarissime, Rigaltiique literas: atque una ab illo Iuvenalem, à te multo deterioris Poëtæ carmina: gratissima sane omnia: sed imprimis tua me epistola beavit, cum video quàm amans sis mei, quàmque mea omnia sollicitè cures. De Angelo Merula dudum est quod scripsi. neque nunc succurrit argumentum epigrammatis. clausulæ memini. si nihil aliud quam cujus sim religionis ostendit, & crudelitatem temporum damnat, non est quid eis nominibus ommittatur cum in commendatione Borrianæ Historiæ, & in Panegyrico Britanniæ & alibi passim exstent talia; sin acriorem quandam Romanæ Ecclesiæ, aut Pontificis habet infestationem omitti poterit, ne typographo propterea lucelli aliquid decedat. De prætermissis ponendis ante Tragœdiam consilium placet. De Religionis imagine nihil mutandum censeo. Inscriptio libri hæc placeat. HUGONIS GROTII POEMATA. *collecta & magnam partem nunc primum edita à fratre Guilielmo Grotio. Librorum titulos sequens pagina indicabit.* Aut simile quid. Fratris carminibus claudenda erunt elogia. Quod Erotopægnia & Instrumentum Domesticum nullum seorsum librum efficiunt id perparum est: neque dignum quod erratis accenseatur. Potius ita mutanda fratris epistola ut libri tertii nulla fiat mentio. Vt ea epistola & mea ad lectorem belle edantur scio curæ tibi fore. Thomsonis exemplar accepi, cum voluptate legi & dono dedi Galliæ legato cùm his diebus apud me prānderet. Scripserat mihi nuper Corvinus indicarem quot præterea exemplaribus mihi esset opus. ego ad hoc silui. Sed si quatuor aut quinque incompacta mittat, gratum futurum est: Diamantium placere summis atque infimis lætus intelligo. Dabitur aliquando ut spero occasio cum ipso de rebus Ecclesiæ colloquendi. Tu de excerptis istis ad conciliationem partium facientibus per otium cogitabis. Puto proximo Conventu nos sciturros spes aliqua sit pacis an (quod Deus avertat) Schisma apertum. Vale Vir Clarissime cum optima uxore & familia. 19. Augusti 1616.

Tuus ex asse H. G.

EIDEM.

81 MItto Vir Clarissime quæ ad consummandam Poëmatum nostrorum editionem pertinent: Epistolam fratris ad Mylium & meam ad Fratrem. Tuos quoque versus affectus in me plenissimos, & alios fratris. Accesserunt Epigrammata tria quæ amicorum impulsu nuper scripsimus. Ordo is placet ut primum sit ad Galliæ legatum, alterum de Thuano, tertium de Sueonum legato. Videntur mihi hæc subjungenda aut infarcienda primo Epigrammatum libro. nam qui sequuntur peculiare argumentum habent. Eorum quæ edita sunt pagellas habeo usque ad 368. nisi quod hiatus est in primo epigrammatum libro & desiderantur 321. 322. 323. 324. 325. 326 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. Velim ergo has quoque pagellas & quæ impressæ sunt hactenus ad me mitti, ut ea annotem quæ à typographis peccata videbuntur. De rebus Ecclesiæ nihil compertum habeo. Videtur Amstelodami nihil magnopere esse actum, si quid habes rogo impertias. Redeo ad intermissum nonnihil pensum de Summarum Potestatum imperio. Vale Virorum optime cum familia omni, nostri memor. 17. Augusti 1616.

Tuus ex asse H. G.

EIDEM.

SIcut me delectat summa tua sollicitudo circa ea omnia quæ ad nos ornandos pertinent, ita vix mihi condono quod tibi in nugis meis tantum temporis pereat. Elegiarum quas Heinsius in postrema editione omisit nullam Elogiis addi velim: è cæteris quoque nihil nisi quod unicè ad nos pertineat. Ordo Elogiorum quem ais tibi & Cl. Scriverio placuisse, non improbem, nisi quod proximum Dousæ locum Scotto assignem ut Senatori. De Buceri carmine cogita sitne tanti; ego non consideravi. Locus, quem quatuor epigrammatis nostris prospexisti, ante illud ad Scriverium, perplacet. Neque jam dubito quin Sueonum Legatus Gallicanum sequi debeat: ego enim id unum respexeram, ut carmen ad Dyckium ultimum locum occupans speciem quandam præferret προσφωνήσεως [dedicationis]. Neque enim initia tantum sed & fines libellorum scis huic usui dicatos. Ita enim decimus Martialis liber Flavo se in fine commendat. Octavus autem ipsi Domitiano, ne jam turpe sibi putent Legati Regum quod tunc Imperatori indecorum non fuit. Sed ut video Rutgersius has meas facetias non intelligit, qui forte etiam ignotum mihi arbitratur quid postulet legationis dignitas. quare illum hac de re à te doceri velim. Nunc quando Dyckius librum clausurus non est, sit ipse Maurerio proximus, inde sequatur Thuanus, hunc Rutgersius, hos omnes Scriverius. Iambos in librum de Gloria recudi veto. Vereor enim ne illa nos hoc modo sectantes fugiat. Neque est quod succenseat amicus noster, qui sic quoque satis magna habebit affectus nostri testimonia. Index Poëmatum hic non displiceat. 82

SILVARUM LIBRI III. quorum primus habet Sacra, secundus Patria, tertius Nuptialia.

ELEGIARUM LIBER VNUS.

FARRAGINIS LIBRI TRES.

EPIGRAMMATUM LIBRI II. Quorum secundus habet Currum Veliferum & res gestas ductu Principis Mauritii: item Instrumentum domesticum.

PARS INSTITUTIONUM IUSTINIANI carmine reddita.

TRAGOEDIA CHRISTUS PATIENS.

Et alia quædam cum amicorum elogiis.

Scire velim an satis vendibilis sit Thomsoni liber. Utinam multos lectores inveniat. Imprimis exspecto quid in Anglia de hoc libro futurum sit. Nam Cantuariensis Primas si rescierit, turbas, ni fallor, dabit. Ego si fieri potest, hebdomade imminente ad vos transcurram. Corvino gratias ago. Carmen in Angeli Merulæ mortem mihi non displicet. Sed locum decentem non video. Fac quod ex usu videbitur. Vale amicorum optime 25. Augusti 1616.

Tuus totus tuo merito. H. G.

EIDEM.

COnstitueram plane Amstelodamo veniens te convenire. Sed reperi in ea urbe amicos plures quam speraveram, apud quos hæsi diutius ut statum urbis atque Ecclesiæ propius perdiscerem, quippe in quo magnum momen- 83

Digitized by Google

momentum positum viderem ad capienda in hoc Conventu ad quem cras ituri sumus consilia. Heri demum sub vesperam domum redii, neque me Conventus patietur ante hujus septimanæ exitum tibi adesse. Mitto ergo pagellas poëmatum quas accepi hactenus. In ora annotavi σφάλματα [errata] typothetarum tum majora, tum leviuscula ad usum secundæ, si ita opus sit, editionis. Tu ea duntaxat seliges quæ sensum turbant. Atque utinam velit Typographus operam dare ut quæ sunt maxima cavlamo corrigantur, saltem in potissimis exemplaribus. Vides simul Diatribam de Imperio summarum Potestatum circa sacra, cum admonitione ad exscriptorem. Vtinam possint simul duo exempla describi. Consultum enim mihi videtur Anglos quosdam & alios ex Palatinatu consulere, & multum refert ne dies nobis pereant. Omnino enim occurrendum est erroribus jam non longe à seditione recedentibus: quod verum esse intelliges ubi ad te accessero. Facile impetrabo a Curatoribus ut qui describendo vacabunt præmium accipiant operæ. rogo fidos eligas & silentii lege obstringas. Ego non dubito, quin quædam satis rectè à nobis in hoc argumento sint observata, non satis visa hactenus. Etiam in eo molestus tibi esse cogor, quod rogandus es ut XXV. exemplaria Poëmatum concinne compingi illic jubeas; hujus enim urbis compactura non satis mihi placet. Guilielmo curæ erit ut rectè distribuantur. Accepi ab Episcopo Lichfeldensi literas & in iis hæc verba. *Nunc quod scribis subvereri te ne molesta mihi esset interpellatio tua, neve commercia hæc amicitiæ his infestis temporibus in calumniam paterent, crede mihi sanctè affirmanti optime Groti, nec jucundius mihi quicquam tuis literis posse accidere. nec in hac vestra de causa de Prædestinatione & Gratia Divina tam justa tam pia & orthodoxa me cujusquam mortalis calumniam metuere: mihi enim in his pro minimo est ut à quoquam judicer aut ab humano die. Itaque gaudeo quod scribis apud vos Ecclesiæ statum paulatim ad quietem redire & molliores (imo meliores & veriores) de Prædestinatione sententias plures indies in assensum trahere, Faxit, Deus ut hoc magis magisque fiat.* Addit deinde quædam de conciliandis veterum & Augustini sententiis. Vale Virorum & amicorum optime. 6. Sept. 1616.

Tuus. H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

84 QVo me die postremum vidisti invasit me iterum febris sane sæva & pœne confecit. Delphos delatus paulatim respiro & ex Medici consilio valetudinem quanta possum diligentia curo. Sanguis missus indicat contraxisse me aliquid melancholici veneni: quod nulla re magis diluitur quam fidelibus amicorum alloquiis. Nisi vererer ne absentiam tuam non ferret Collegium, optarem ardenter tuam mihi consuetudinem in dies, aut (si id nimium est) in horas aliquot concedi. Attinebor enim hic adhuc per tempus aliquod; interea vix est quod agam: & otium ipsum tædio est. Venit hodie me visum Mylius, qui recepit se curaturum de mercedula exscriptorum: sed putabat duobus exemplaribus peregre mittendis superaddendum tertium, quod hic interim ab amicis legeretur. Spero jam aut duabus aut uni saltem descriptioni impositum finem. De satisfactione vereor an satis tibi vacaverit. Sed utinam te videamus. Scio idem optare Diamantium, qui officio non deest. Vale amicorum optime cum uxore & familia. 26. Octob. 1616.

Tuus semper & ægrotus & valens. H. G.

EIDEM.

85 IMpediunt adhuc studia mea sive morbi reliquiæ, sive attenuati corporis imbecillitas, sua quoque vitia animo transfundens. Interim Deo gratias ago quod tantum mihi temporis à negotiis liberum mihimet excutiendo atque explorando concesserit. Ego cum multa in me deprehendam, quæ per Dei gratiam emendatum iri confido, in eo proposito, cujus ergo tantas offensas calumniasque sustineo, nihil invenio cujus me aut pudere aut pœnitere debeat. Neque tamen honesti consilii conscientia certum aliquid de eventu spondet. Veteris forte legis ea fuit promissio. At nunc sæpissime laudabiles conatus adversis obrui & Scriptura nos docet & experientia. Qui primi Euangelicam reformationem aggressi sunt Principes in carcere magnam vitæ partem egerunt; eorumque alter Electorali dignitate ab homine sibi conjunctissimo spoliatum se vidit. Itaque homines sæpe optimi laboris acerbos ferunt fructus: neque tamen dubitandum est quin illis ipsis conatibus bona causa, si non in præsens, at in sequens ævum proficiat. Magnarum rerum tarda sunt semina. Neque exiguum est id in quo laboramus, ut in tanto dissidentium opinionum conflictu ostendamus nos credere Ecclesiam Catholicam, idque ipsum factis testemur, cum jampridem tota Religio Christiana in partium studiis constare sit credita. Mihi κέκριται [judicatum est] pergere in hoc cursu, eventum autem divinæ providentiæ relinquere. Novit ille spectator, omnium oculus nihil à me in hac causa privatum quæri. De Christi satisfactione vidi nuper Smiglecii libellum, qui proximo mercatu prodiit. Agnosco multas συμπτώσεις [multa quæ coincidunt] etiam in iis quæ à prioribus Socini adversariis observata non sunt. Metuo ne ei quædam sublegisse videamur. Et tamen satis multa restant nostri laboris propria. Prodiit & de Politia Anglicana libellus Puritanissimus, Amstelodami cusus: sed mutata est epigrapha, credo ne urbs illa in Britannia infamaretur: Video idem illorum & eorum qui nos exercent esse ingenium, contemnere vetustatem & sanctimoniam ponere in Ecclesiæ dilaceratione. Quid nobis possent hostes crudelius imprecari? Devorandus mihi erit is quantumvis magnus liber, antequam nostra commentatio de Iure imperii edatur. Academiæ incendium male me habet in ejus sinu nutricatum. Sed sævior ille est ignis quem tot manus in Ecclesiam jaculantur, quorum furorem (plane enim furentium est in sui corporis membra grassari) reprimat Magnus Ecclesiæ Pastor: cujus benignitati te tuamque familiam, vir optime atque unice dilecte, commendo. Rotterodami. 17 Nov. 1616.

Tuus ἀνυποκρίτως [sincere] H. G.

BENIAMINO AVBERIO MAVRERIO.

VTinam melior mea valetudo (pro qua Deo gratias ago) tam tibi, Vir Illustris, usui esse posset, quam eam tibi pergratam esse confido. Neque verò parum me D. Mylio debere intelligo, qui non satis habuit videre, quomodo valeremus, sed & amicos alios participes fecit ejus, quod nostri amore concepit, gaudii. Iacturam, quam Academia sui incendio fecit, reparare.... in proclivi erit; utinam & ..... & qui cum ipso bene patriæ, bene Ecclesiæ volunt, flammas & huic & illi perniciem minantes, æquè facile avertant; quod ipsum facillimum foret, ni semper homines existerent, qui ex incendio, ruina, naufragio quæstum facerent. Sed horum exitiales conatus reprimet Deus, citò aut seriùs, prout ipsius nomini simulque bonis omnibus conducet. De corporis vestri, hoc est Galliæ sanitate, ex capitis, Regis nimirum, sanitate rectè auguror: multumque me juvit nostrorum Amphictyonum constantia in mittendis navibus, non jam in necessitatis subsidium, sed in fidæ societatis testimonium. Ego in his talibusque consiliis hæsitari à nonnullis graviter fero. Soleo enim dicere, tres esse causas, quarum singulæ sufficiant. Prima est religio fœderis. Altera est, etiamsi fœdus esset nullum, grata beneficiorum memoria. Tertia est, ut beneficia nulla existerent (quæ profectò tanta sunt, ut in omni antiquitate nihil simile reperiam, apud posteritatem laboraturam 86

cre-

Digitized by Google

circa Deum effecerit: Constat voluntaria mortis & malorum susceptione quatenus obsequiosa est actio impetratam nobis & veniam peccatorum & gloriæ Christi communionem. Ego cum hac actione obsequiosa simul conjungo ipsas perpessiones, pœnæque vocabulo utor largius, non quatenus τιμωρίαν [*ultionem*] signat, sed quatenus παράδειγμα [*exemplum*]. Cur ita sentiam hæ sunt causæ. I. Quod demonstratur justitiæ opposita τῇ ἀνοχῇ καὶ παρέσει [*tolerantiæ & remissioni*] hunc sensum videatur requirere Rom. III. 24. II. quod *pati ob peccata, pro peccatis, ferre peccata, exigi peccata, peccatum & maledictum fieri*, non soleant significare aliquid abstractum ab omni pœnæ significatu. III. quod Scriptura aliis præclaris & obsequiosis Christi actionibus hunc effectum asscribere non soleat, sed morti, quæ & crucis, & sanguinis nomine describitur quæ omnia pœnale aliquid videntur sonare. IV. quod effectus ille qui morti cruentæ asscribitur non designatur nomine vitæ æternæ, sed nomine remissionis peccatorum: ita ut præter meriti rationem satisfactio quædam pœnalis indicetur. Nam merito sive actionis obsequiosæ fructui convenientior videbatur gloriæ quam solius impunitatis commemoratio. V. quod ita facilius reddi ratio potest cur Deus rem tam duram Filio imperavit, si dicatur id factum ut exemplo & auctoritati Legis adhibita quadam commutatione satisfieret. VI. quod ita sensisse veteres Ecclesiæ Doctores appareat, nemine, ut arbitror, refragante. Id tu, Vir Clarissime, si velis efficacius sis probaturus, mihi hæc succurrunt testimonia. Ambrosius de Fuga sæculi c. 7. *Suscepit & mortem ut impleretur sententia:* SATISFIERET IUDICATO *per maledictum carnis peccatricis usque ad mortem.* De Iacob & vita beata cap. 5. *Venit Dominus Iesus qui nostras passiones cruci suæ affigeret.* In Psalm. CXVIII. *Iustitia autem quæ est Crucis? nisi quod ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundavit.* In Psalm. LXI. *Suscepit peccata nostra ut portaret: suscepit etiam ut purgaret.* In Luc. lib. X. *In Carne sua nostra peccata perimebat, ut mœrorem quoque animæ nostræ sua anima mœrore aboleret.* Augustinus Sermone CXLI. de Tempore. *Dominus noster Iesus Christus communicando nobiscum sine culpa pœnam & culpam solvit & pœnam.* In Lucam Sermone XXXVII. *Ille ut esset proximus suscepit* POENAM TUAM, *non suscepit culpam tuam nisi delendam. Suscipiendo* POENAM *& non suscipiendo culpam & culpam deleat & pœnam.* In Levit. lib. XIV. *Hic mors pro vindicta datur. Apud justum judicem Deum non bis in idipsum vindicatur.* Video à Driedone quoque Valentio & aliis hoc ipsum defendi. Nunc ad minora venio. Sententiam quæ Christo tartareos asscribit cruciatus semper exhorrui, gravissima interea Christum etiam animo passum non dubito idque affirmare malui Scripturæ quam meis verbis. Neque verò cum mœrorem aut in cruce ex solo crucis dolore, aut ante crucem ex solo crucis horrore natum arbitror, sed utrumque refero ad divinas tentationes quarum meminit auctor ad Hebræos II. 18. & IV. 15. In horto certe corpus magis ab animo quam animus à corpore cruciatus: inde cruentus ille sudor. Et nescio an non hæc potius ἀγωνία [*angor*] sit calix iste quem à se removeri Christus orat, quam mors imminens. Certe Euangelistarum verba huc faciunt. De corpore glorioso plane sentio aliter futurum immortale quam fuisset in primo statu Adamus, cui adhærebat posse mori, ut Augustinus, ni fallor, sæpiuscule commemorat. Sentio ergo omnem quidem creaturam à Deo creatore semper posse in nihilum redigi ut ex nihilo condita est: sed non omnem habere in se corruptionis principia, quippe talem quæ sit ἀναλλοίωτος [*immutabilis*]. In hunc autem censum non solos Spiritus refero, sed & corpora cælestia, puta Solis, Lunæ, Astrorum, quibus gloriosa corpora comparantur, quanquam obiter & hoc addam ea ipsa corpora ab Hebræis Spiritus vocari: atque ita sumi videtur vox רוח Eccles. I. 6. si comma hoc cum præcedente rectè conferatur. Videtur, inquam, hoc loco Sol Spiritus appellari. Hebræorum magistri etiam initio Geneseos Spiritum qui super aquas se motitabat, compagem illam luminosam interpretantur quæ ante Solem conditum Solis usum præbuit. Potest ergo corpus omni passibilitate expurgata immortalitatis causas intus habere: Potest verò etiam Spiritui nostro à Deo tribui vis ipsum corpus in perpetuum sustentandi, sicut nunc ad tempus corpori est vice salis, quo dempto putescit. Quod nisi internum esset discrimen corporis primitus creati & resuscitati quomodo ea inter se opponeret Apostolus & hoc vocaret ἐπουράνιον [*Caleste*] illud χοϊκόν [*terrenum*]? Deinde vero nonne clarum illud τὸ φθαρτὸν τοῦτο [*corruptibile hoc*], corpus scilicet, ἐνδύσεται ἀφθαρσίαν [*induet incorruptibilitatem*]: & illud apud Lucam οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. ἰσάγγελοι γάρ εἰσι [*neque enim ultra mors poterunt, æquales enim angelis sunt*]. Signum internæ corruptibilitatis in Adamo erat cibi usus & generationis: quorum utrumque à resuscitatis aberit. Quare non in solo decreto divino sed in interna insuper quadam constitutione sive corporis in se spectati sive qua unitum est spiritui, ponendam arbitror τὴν ἀφθαρσίαν [*incorruptibilitatem*]. Neque puto aliter sensisse Ecclesiam veterem. Video objici posse illud Hieronymi ad Pamm. *Iustum est ut vita quoque Iesu manifestetur in corpore nostro mortali, id est, in carne mortali secundum naturam, æterna autem secundum gratiam.* Sed hic naturam puto intelligi quæ fuit, non quæ fit per gratiam. Ruffinus in Symbolum *hoc*, inquit, *quod* NUNC *mortale est immortalitatis virtutibus induetur.* Idem: *dabitur corporibus incorruptionis conditio.* Augustinus de Civitate Dei lib. XIII. cap. XX. *Corpus spiritale ab Apostolo dicitur, non quia corpora esse desistent, sed quia* SPIRITU VIVIFICANTE *subsistent.* lib. XXII. cap. 13. *nec ipsius corporis ulla manebit infirmitas.* Item: *corpus in puritatem mutabitur.* Illud vero etiam clarius in Psalm. XXXII. *naturam corporum aliquando terrenorum incorruptibilem factam.* Alibi ait *de carne hominis, cui donatur immortalitas auferri corruptionem.* De Civ. Dei lib. XIII. c. 18. Sed hæc tui sunt fori, cui me do judicandum. De Davidis actionibus puto verissima à me scribi: ac ne quis calumnietur addidi benignè à Deo æstimatas. De loco Ephes. II. 16. agnosco peccatum quod jam correxi: & passim alia quædam libello addidi quæ non aliena abs re videbantur. Remitto librum cui quod adjiciam nunc quidem nihil habeo. Vereor ne si edam superbus puter qui post tot Theologos ipse non Theologus in tam gravi argumento tam nobilem adversarium & crescentis indies familiæ principem lacessam. Melius forte alteri delegetur editio: Sed de hoc ipso edendum ne putes, nec ne, nunc an postea, Lugduni an alibi, cum præfatione an absque ea, facio cuncta tui arbitrii. Si supersedendum putes, poterit liber aut Episcopio relegendus aut Vorstio legendus dari, aut potius Corvino. Quicquid feceris rectè factum judicabo. Illud pene eram oblitus commendari tibi à me viri optimi Melanthonis famam, quem utcunque in partes suas trahere satagat Bogermannus, Smoutius aliique palam accusant Semipelagianismi, gratulor mihi quod tam magnum habeam socium falsi criminis. Binas de creatione theses legi summa cum voluptate. ita omnigena eruditio ubique resplendet, & Philosophica austeritas literata suavitate diluitur, salva irrefragabilis veri majestate. Oro sæpe te in hoc genere exerceas, & exemplo tuo veram ad studiorum maturitatem viam monstres juventuti. Drusianam quæstionem à te prudenter attingi video; sane & Valentianus ait Patres Veteres κτίζειν [*creare*] usurpare pro γεννᾶν [*gignere*] quæ honestissima est ratio ipsos tuendi aut excusandi. In Hebraismo eo res clarior quia ut à ברא est בר ita à בר est ברא, quæ certissima originatio ostendit non abesse ab ea voce generan-

Digitized by Google

randi significatum. Adjiciam & hoc: Adductum me sæpe ut dubitem an rectè transferant locum Prov. XVI. 4. qui interpretantur *Vniversa propter seipsum operatus est Dominus.* Nam non video si radix vocis למענהו sit מען quod significat *propter*, quomodo ל acceperit patach, hoc est articulum demonstrativum. Est ergo potius (ut & R. Jonah sensisse videtur) radix ענה quod inter alia significat *respondere*; unde מענה *responsio* vox tum alibi usurpata tum illo ipso capite v. 1. sententia hæc esse videtur. *Deum omnia ita ordinare ut unicuique aliquid respondeat.* מענה sumi pro *dispositione providentiæ divinæ* minimè mirum est. nam & Sirachides dixit λιμὸς καὶ θάνατος πάντα ταῦτα ἔκτισται πρὸς ἐκδίκησιν [*fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt*] cap. XXXIX. v. 29. Responsionem accipio id quod cuique est σύστοιχον [*cognatum*]; ut talis sit συζυγία [*comparatio*] cujus tamen pars altera reticeatur.

[cognata] Σύστοιχα	Pius	Ἀντίστοιχα [opposita]	Impius	[cognata] Σύστοιχα
	Dies bona	Ἀντίστοιχα [opposita]	Dies mala	

Et sane tale quid indicare mihi videtur idem ille Sirachides: qui cum dixisset cap. XXXIII. hominem in divina manu esse quasi lutum figuli, ἀποδοῦναι αὐτοῖς κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ [*reddere illis secundum judicium suum*] addit ἀπέναντι τοῦ κακοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἀπέναντι τοῦ θανάτου ἡ ζωή· οὕτως ἀπέναντι τοῦ ἁμαρτωλοῦ ὁ εὐσεβής, καὶ οὕτως ἀπέναντι ἀνδρὸς εὐσεβοῦς ὁ ἁμαρτωλός. καὶ οὕτως ἔμβλεψον εἰς πάντα τὰ ἔργα τοῦ ὑψίστου δύο δύο, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός [*contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic contra peccatorem justus; sic & contra virum justum peccator, & sic intuere in omnia opera Altissimi, duo & duo & unum contra unum*]. Hic locus mihi videtur τοῦ ἐν παραβολαῖς [*ejus quod in comparationibus est*] esse περίφρασις [*interpretatio prolixior*], quale & alibi sæpe observes. Eodem ejusdem auctoris illud refero cap. XLII. v. 24. πάντα δισσὰ ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός [*omnia duplicia unum contra unum*]. Videtur mihi aut hanc aut non dissimilem sententiam loci Hebraici vidisse Socer tuus, nam in quarta ipsius editione Hanoviensi ita scribit: *Haud scio an melior sit futura ex Hebræo contextu interpretatio:* Omnia operatur Iehova ad id quod respondeat ipsi, etiamque improbum ad diem mali. *Est enim ætiologia à prudentia Dei, cujus sapientissima vi & ordinatione sic disponuntur omnia, ut singula antecedentia facta cogitatione, quæ suis consequentibus, & singula consequentia suis antecedentibus respondeant. Hæc interpretatio magis Scripturæ verbis videtur respondere.* Ita ille cujus ego judicium semper soleo plurimi facere. Ego quid de hoc tibi videatur scire desidero. Tempus est ut te lassandi finem faciam. Sed in mentem venit modo cùm sententiam meam de passionibus Christi rationem habentibus pœnæ argumentis quibusdam firmavi, omissam à me ad argumenta quæ contra adferuntur responsionem. Remissionis ergo vox, opposita retentioni, actum significat voluntarium liberandi debitorem: hic actus non pugnat cum solutione tali quæ repudiari possit quæque sit conditionata. Quod si quis urgeat gratiosam planè esse debere remissionem, dicam ego non videre me cur magis solutio talis ex gratia reperta, ex gratia acceptata, ad faciendam gratiam pertinens cum gratia pugnet quam actio aliqua impetrativa. Tam in actione quam in passione est aliquod pretium quod ad liberandum movet: sed cùm illud ipsum quod vim movendi habet sit à Gratia, non mirum à prima origine effectus denominari. Ineptumne sit si dicam Zaleucum gratiam fecisse filio, aut remisisse ei adulterii pœnam, quanquam ipse oculi sui impendio ex parte legi & exemplo satisfecerit? Sacrificia omnia non dubito ad honorem Dei spectare: ac præcipuè in iis voluntatem respici: sed expiatoria sacrificia mihi videntur præter honorem Divini Numinis hoc habere speciale, quod cruento quodam spectaculo fœditatem ostendunt peccati, quam sola actio obsequiosa non satis exprimit. Nam alioqui horridus ille mactationis apparatus sine tali respectu ad honorem mitis Dei non videtur pertinere. Hinc illa φράσις [*phrasis*] tum sacris literis tum magno gentium consensu usitata *animam pro anima dari, sanguinem pro sanguine.* Hinc qui expiatorias victimas attigissent contaminari credebantur, quasi ipsis peccatum victimæ impositum adhæresceret. Atque ego quidem ita sentio justis, ut arbitror, de causis. Cæterum si quis satisfactionem veram agnoscat, etsi pœnalem respectum non satis videat, cum eo ego non existimo litigandum. At Socini sententia Christo debitum honorem detrahit. Mitto tibi Molinæi epistolam quam vidisti olim: nempe ut ante oculos habeas Gallorum super Prædestinatione, Gratia, Arbitrio sententiam. Quid in Anglia Docti sentiant scire potes ex Lichfeldensis & Casauboni ad me literis: item ex Thomsoni libello. Pro Germania Reformata potest sufficere Paræus, qui etsi multis in locis mihi non satisfacit, attamen voluntatem antecedentem agnoscit lib. II. cap. III. p. 220. Apud eundem reperio citari Nazianzeni locum p. 483. qui dixerit sine incarnatione Filii potuisse Deum hominem servare: quod ad destruendam absolutissimam satisfactionis necessitatem pertinet. Citat ex Ambrosio Lombardus vel nutu potuisse. Sed desino. Vxor mea te tuamque & familiam omnem amicè salutat, & lieni se magis quam antehac timere dicit, quod vix spes sit posse mutari domicilium atque ita super cætera tædia meo quoque aspectu majorem partem temporis sit caritura. 12. Ianuarii 1617. Rotterodami.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

PRo missa ad me tua super jure Potestatum Dissertatione gratias; dabo operam ut quamprimum laborem meum absolvam, & tum Dissertationem istam tum quos à te habeo libros restituam, sic quoque metuens ne tardum nomen videar. De Iunio gaudeo placere tibi quod cogitaveram, ego τὸν καιρὸν [*tempus*] observabo. Vidi quod dicis eam partem quæ de Prædestinatione agit Gennadio asscribi; itaque ut ais facilè rejicietur hæc auctoritas. Sed & priora mihi vix videntur Hieronymi eruditionem redolere. De Proverbiorum loco, itemque de pœnali satisfactione gaudeo tibi nostra non improbari. Nostræ ad silvam illam annotationes nihil habent bonæ frugis, nisi quod mihi in mentem revocant quæ inter legendum cogitavi. Conferre de iis ut spero licebit si qua te videndi dabitur copia. Antisociniana nostra utinam relegere posses. In fine primi capitis ubi ostendo illud quod Christus propter justificationem nostram resuscitatus dicitur, hunc posse sensum accipere quod Euangelii per totum Orbem prædicatio cum donis admirabilibus conjuncta fructus sit gloriæ Christi, omisi adscribere locum insignem qui est Ioh. VII. v. 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη [*nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus*]. Legi Ioannis Arnoldi notas quæ & breves mihi videntur, quales esse oportet ut margini Walachrianæ epistolæ addantur & perspicuæ. Notavi quædam quæ mitto in hoc unum ut legisse me videat. Nam quæ notavi, non sunt animadversiones, sed dubitationes, de quibus ipsum consultum volebam si ad nos venire posset. Multo enim faciliùs sermone mutuo quam scriptis explicantur: etsi ista quidem exigui sunt momenti. Mihi etiamsi Walachri supprimant, tollendus hic fœtus videtur, ut appareat quàm non immerito tales judices recusentur. Velim tamen placidè cum ipsis agi: & si quid dicendum duriùs, tangi solos delegatos, non delegantes: imo non inutile foret ad Ministros Zelandiæ amicas literas addere. Grevinchovius legit & ipse Corvini Notas & addere quædam cœperat, sed abrupit laborem quod Barlæi scriptum prius videre cuperet, si quid deesset tum suppleturus. Mitto tibi novas Lingelshemii

Digitized by Google

hemii literas ut videas multos esse bonos qui in pacis studio nobiscum conspirent. Remittes ubi quid scribendum occurrerit. Motuum Hagiensium eventum ἀπαραδοκήτως [*feliciter exspectamus*]. Vale Virorum amicissime cum familia. 19. Ian. 1617.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

93 CRas Hagam ad Conventum proficiscor qui intra diem quartum aut quintum solvetur. Vtinam tibi die Mercurii aut Iovis aut Veneris ad nos transcurrere illuc liceat, habeo quæ expeditius sermone quam literis peragam, simul velim scire quando de Iudaicis quæstionibus responsi aliquid debeam exspectare. Cætera in libello nostro partim emendata partim aucta sunt, ita ut illud unum restet. Deinde conferenda ἀπόγραφα [*descripta*] & mittenda ad amicos. Rogo ne molestum tibi sit, qui tam multa & tam libenter facis mea causa, hoc quoque in negotio me adjutare. Vale Virorum optime & nos ama. 23. Ianuarii 1617.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime atque optime.

94 DE Hillegonsbergensi pastoratu non muto sententiam, & sedulo operam dabo. Cralingensis Ecclesia, quantum videre possum, aut ei quem commendas aut Bremio obtinget. Pro Diamantii valetudine sollicitus sum. Deus illum servet hisce temporibus apprime necessarium. Mea se valetudo, ut res sunt, habet mediocriter, & sentio ingens Dei beneficium contra mala publica ac privata solito majorem animi firmitatem. Sæpe mihi occino,

τλῆθι φίλη κραδίη καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης
[*Dura anime & perfer, namque & graviora tulisti*].

Diatribam περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως [*de Redemptione*] quando edi nondum potest, ubi tu eam relegeris ac Corvinus ad me remitti velim, ut & Bocardo fiat legendi copia. Rectè judicas semipelagiana tractari non posse ἄνευ προλεγομένων [*sine Prolegomenis*] de Pelagio & Cælestio. Utinam tibi impositi muneris necessitas aliquid succisivi otii concedat. Dominus Iesus te diu servet incolumem. 5. Februarii 1617.

De Iudaicis si placet Erpennio aurem velle; avide enim exspecto, id enim me moratur quominus finem operi imponam.

Tuus ἀνυποκρίτως [*sincere*] H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

95 ACcepi ab Optimi Viri filia, optimi itidem viri vidua, conjugis tuæ sorore exemplum testamenti, super quo consilium meum exposcitur. Sed quando testamentum id non plene exscriptum est haud satis sum certus coram Notario & testibus sit nuncupatum, an sola testantis munitum manu sine alia testium fide. Deinde quid sit quod dubitationem moveat haud satis intelligo. Rogo ut super his rebus certiorem me facias, & quamprimum fieri potest huc cum Junio transcurras. Plane enim volo negotium illud confieri antequam redeatur ad Conventum. Poterit hic audiri etiam profano die. De cæteris nihil addo quo avidior ad colloquium venias. Pridie Paschatis qui mihi natalis XXXV. annum ætatis inchoat: quem mihi patriæque faustum atque felicem præstet is ipse qui eum diem resurrectione sua consecravit: cujus gratiæ te tuosque labores commendo. Rotterodami. 25. Martii 1617.

Tuus H. G.

EIDEM.

EMendavi jam ac supplevi quæ emendanda aut supplenda videbantur in nostra de Imperio circa Sacra commentatione. Itaque remitto tum id exemplum quod mea manu interpolatum vides, tum duo altera quæ ad ipsum sunt conformanda. Velim tamen si fieri potest antequam exscriptoribus tradas ipse librum relegas, & si quid est quod mutandum putes me moneas. Imprimis autem volo te arbitro ea omnia deleri quæ non tam ad rem pertinere quam ad exasperandos animos facere videbuntur: quanquam enim ut ea carerem sollicitus fui, non ignoro tamen quàm multa nobis in scribendi calore obrepant. Libros quoque tuos cum gratia remitto: Item quos ab aliis utendos sumpsi. Rogo ad suos quisque dominos redeant quorum nomina reperies in scheda quæ est in arcula. Scripsi hæc paulo postquam a me discesseras. Calendis nimirum Aprilibus 1617. 96

Arculam revehat nauta.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

DIatribam περὶ τῆς ἀπολυτρώσεως [*de Redemtione*] si fieri potest cupiam remitti, usurus in horas paucas, ut quæ nuper in mentem mihi venerunt argumenti ejusdem adjungam. Sed & de altero libello ad Imperium circa sacra qui pertinet aurem sæpe vellor. Scio quid à te postulaverim: itaque non miror si ad me serius redeat, & eum te esse scio qui calcaribus non egeas. Tamen ut flagitatoribus meis sit quod respondeam, rogo me coram si potes (nam à die crastino deinceps septimanam omnem Hagæ sum futurus) aut si res Collegii non sinunt per literas certum facias quo res utraque sit in loco. Interea Deum orabo tibi tuisque studiis & seminario Theologico velit esse propitius. Rotterodami 21. Maji 1617. 97

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

COndixeramus nuper inter nos diem crastinum qui est Mercurii ut hic alter alterum videremus. Nunc veritus ne quia Civitatum legati ad Conventum tardius coëunt, me quoque hinc abesse arbitrareris, monendum te censui hic me esse & quidem crastinum diem habiturum satis vacuum: quare si ullo modo res tuæ id ferunt velim adsis quàm potes maturrimè. Vale amicorum optime. 30. Maji. 1617. 98

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

EXemplum unum libri nostri de summarum Potestatum circa sacra imperio jam misi ad Overallum Lichfeldensem Episcopum; exspecto alterum ut Heidelbergam mittatur, quod ut quamprimum fiat scio curæ tibi esse æquè ac mihi. De diatriba adversus Socinum quid futurum sit scire aveo. Hagæ nunc sum, mansurus inibi, si Deus voluerit usque sabbatum. De libro Cornelii ero memor. In Conventu movemus multum, promovemus adhuc parum. Tamen quantum video ad Conventum aliquem Ecclesiasticum res spectat: qui utinam sit ejusmodi ut æqui aliquid ab eo sperare liceat. Vale Vir optime & nos amare perge. 12. Iunii. 1617. 99

Tuus sine fuco H. G.

IOANNI OVERALLO

Episcopo Coventrensi & Lichfeldensi.

Reverendissime Domine ac Pater.

EXosculatus sum aliquoties literas, ex quibus & te vivere, & mei memorem esse intelligo. Tomsonianum librum perve- 100

Digitized by Google

prevelim edi emendatiùs, ita enim meretur & argumentum, & in argumento authoris industria. Meam de Imperio summarum Protestatum diatribam velim & legas diligenter, & iis, quorum judicio aliquid tribuis, tradas legendum, servesque donec redibit Eliensis . . . . . ac deinde collecta omnium judicia, si impetrari id potest, cum libro ad me redeant. Controversias de Prædestinatione magis magisque in schisma erumpere, est sane, ut scribis, & dolendum & iniquum. Atque Serenissimi Regis, id vel maximè, ut scio, tuque nuntias, improbantis autoritas obtenditur. Quasi postremis ad Ordines Epistolis pullulare hæreses cum dicit, eo animo complectatur sententias à Calvino dissidentium. Mitto pietati tuæ librum, qui Epistolas duas complectitur; alterum Walachrorum, qui Calvinum ferme sequuntur; alteram Remonstrantium, qui ad Melanchthonem accedunt propius. Ex eo libro promptissimum erit omnem controversiæ statum intelligere. Rogo advertas animum, si res tuæ permittunt; & qua potes, veritati pacique ne desis. Ego Deum precabor, ut te, tuique similes, bono sanctæ suæ Ecclesiæ diu servet. Vale mi Pater. 9 Iulii 1617. juxta Calendarium novum. Roterodami.

Tuæ pietatis reverentissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Clarissime.

101 POstremas sententiarum Pelagii partes legi diligenter, ut omnia tua soleo, summa cum voluptate. Annotaram paucula, sed Schedulam nunc non reperio. Quantum memini inter ea hæc erant. Distinguis accuratè respectus secundùm quos perfecti aliqui dicantur. Videtur mihi addi posse illud satis receptum, quod improbarè non possunt, ut alia sit partium, alia graduum perfectio. Puer homo perfectus est priore significatu: non posteriore. Ita Christiani perfecti quatenus serio student ambulare non in una parte aut certis partibus sed omnibus præceptis dominicis, nullam eorum partem ab obedientiæ suæ studio seponentes: non tamen ita perfecti ut ad summam obedientiæ illius mensuram in hac vita perveniant, ut Deum summè ament, proximum plane juxta se, pravas cupiditates exscindant radicitus. Postquam de Bernardi loco quodam egisti meministi sententiæ ejus quæ sit Ecclesiæ Romanæ. Ego dubitabam esset ne hæc quæstio, ut à te tractatur, definita ullis Synodis ejus Ecclesiæ: ac proinde putabam potius dicendam esse sententiam Nobilissimorum Doctorum in Ecclesia Romana. De Begardis & Beguinis memini me legere locum satis illustrem Gersonis, ubi ponit præcipuos sui temporis errores, quos inter etiam Prædestinatianorum. De juramenti prohibitione V. Matth. non possum reticere quod sensi semper. Vetitum esse lege divina jurare per Belum, Astarten, Molochum, Belsamen aliaque falsorum Deorum nomina: quia nullius, in jurando, nomen ut Dei usurpari debeat præter unius Dei Israëlis. Cæterum juramenta per caput suum, per animam suam, per salutem Principis, illegitima quantum ego censeo non habebantur. Imo sunt eorum exempla in Sacris literis, & illustris ea de re exstat apud Philonem locus. Cùm verò corruptioribus sæculis eo esset deventum ut religio multis non esset, temerè, leviter aut etiam falso jurare illis jurandi formulis quæ Dei nomen non exprimerent, docuit Christus eodem recidere per Deum quis juret an per ea quæ relationem ad Deum habent, per cælum, per terram, per Vrbem Sanctam, per caput: quibus addi possunt & illa juramenta quorum alibi mentio est, per Templum, per Altare, per Corban, cujus Sacramenti etiam Sanchuniathon in Phœniciis meminit. Ostendit ergo Dominus noster in his jurandi formulis tacitè nomen ejus contineri in cujus tutela sit caput, cui dicatum sit Templum, Altare, Munus, atque unde illa sanctimoniam suam accipiunt: quare nihil referre temerè quis per illa an, per Deum immortalem juret. Sed de his tu diligentiùs cogitabis. De Thysio quæ scribis miror sane. Nunquam ille me reprehendit eo nomine quod Deum negem considerandum ut judicem, esset enim illa injustissima reprehensio cùm nusquam id negaverim. Imo ipse Thysius ita me intellexit, ut crederet sub rectore judicem comprehendi quod est verissimum. Imo disertè fassus sum spectari Deum ut judicem, quod ex illis verbis liquet. *Deum non esse hic spectandum ut Iudicem sub lege constitutum. Nam* TALIS *qui sit Iudex &c.* Est ergo hic judex Deus, sed non talis. Quid quod pag. 100. Deo in exigendis pœnis judicis nomen assigno. Cur autem communius illud rectoris nomen cui judicis potestas includitur usurparim hæc causa est, quod judicis quidem sit punire: atque ita Deus ut judex spectandus sit ubi Christo jam vadi nostro facto pœnas infligit. At id quod præcedit, quodque præcipuè à nobis tractatur, nempe jus transferendi pœnam ab uno in alterum, si rem rectè putamus, rectoris est non judicis, est enim dispensatio. Dispensatio autem legis non est actus judicis sed actus legislatoris. Ideo rectorem dixi quo vocabulo & legislatoria & judicialis potestas comprehenditur. Hæc qui volet considerare videbit nihil à me peccatum. Satisfactionis absolutam necessitatem negari à me Thysius nunquam mihi significavit, non àdstrui & tum vidit & ea non adstructa rectè defendi τὸ ὀρθόδοξον [*Orthodoxum*] judicavit. Quare sentio de his ipsum à te amicè & blandè compellandum ne quid præcipite judicio aut aliorum impulsu faciat se indignum. Velim ad Walæum quoque scribas, qui mihi dixit & sibi & Festo Ravenspergeri observationes displicere. Polyander animandus est ne susceptum patrocinium turpiter deserat. De promisso memor sum. Sed nunquam tot me ac tanta negotia implicuerunt, vix datur respirare ne dum ut animum ad moliendum aliquid te dignum applicare nunc possim. Paucorum dierum otio mihi opus sit, & aliqua animi tranquillitate quam reipublicæ difficultas non parum impedit. Vale virorum optime. 14 Iulii 1617.

Tuus in solidum H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

DVos nostræ diatribæ locos, in quibus conversioni 102
remissionem opponens ejusdem remissionis impetrationem conditionatam & puram præstationem minùs explicatè distinxeram relegi & concinnavi non nihil. Tu pro arbitrio deme, adde, muta. Conjeci & subitariâ quædam in chartam ex quibus peti posset præloquii materia, quod ita temperari debet, ut nihil admisceatur quod ad nos ornandos pertineat, ne laudatorem accivisse videar. Ego & hæc & mea omnia tibi commendo. Deus te incolumem diu servet. Hagæ 30 Iulii 1617.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

IN mentem mihi venit corpori Confessionum Euange- 103
licarum subjecta Veterum testimonia, in quibus multa sunt quæ ad Satisfactionem pertinent. Rogo videas ut si qua forte tuam diligentiam effugerunt addantur cæteris quo testatior sit Sanctæ Dei Ecclesiæ in tanti momenti dogmate consensus. De his quæ in Conventu aguntur velim tecum conferre: ero autem Hagæ diebus Mercurii, Iovis, Veneris & Saturni ante meridiem; si interea non est tibi excurrendi otium, veniam Lugdunum sub VIII. Augusti, modo tui isthic inveniendi spes sit. Literas has quæso ad Cluverum perferri jubeas. Accepi è Gallia quædam tradenda Bertio, Meursio, Heinsio: sed cùm non multum referat quando ea accipiant malim tradere quàm mittere. Vale Virorum optime & constanter nos ama. 30 Iulii 1617.

Tuus ἀδόλως [sine fuco] H. G.

EI-

EIDEM.

Vir Clarissime, summe amicorum.

104 MItto soceri tui, cujus memoriam quanti faciam credo te nosse, scriptum omni laude dignissimum: quod edendum ego jampridem judicavi: nunc multo magis ex quo idem videtur Walæo. Rogo diligenter promoveas συναθροισμὸν [*collectionem*] eorum quæ ad συγκαταβάσιν [*tolerantiam*] pertinent, sed ita ne ei tempori quod concinnandæ Pelagianismi & Semipelagianismi historiæ debetur nimium detrahas. Vtrumque enim pariter maturandum est. Editio nostræ de satisfactione diatribæ mihi perplacet. Mitto ejus exemplum tibi inscriptum cui hæc opera ferme plus quam mihi debet, cæteris non inscripsi quia apud illos non arbitror id futurum pretium nomini meo quod apud te est mei amantissimum: deinde ne edere ipse librum videar quod facere me negas. Satis ergo erit si tradas Polyandro, Episcopio, Corvino, Heinsio, & Cunæo. Præter ista nihil nunc erat, nisi ut valeres. Nunc Rotterodamum eo, rediturus Hagam sub diem Martis 9. Septemb. 1617.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime atque amicissime.

105 SVistium audio ita ægrotare ut sit periculo propior, quod tamen Deus (si modo id ipsi salutare est) avertat. Cùm nihil minus cogitarem obiter ita loquendo præscientiam Dei conditionatam apertè statui, & tamen sunt qui eam negant, quos tamen arbitror eodem modo precari. Vides quid studia possint. Sed ut redeam ad id quod volebam, plane te oro ut exemplar libri nostri de Summarum Potestatum Imperio nanciscaris, opus enim habeo: & vereor ne evagetur. Mittes autem, si placet, Rotterodamum: ibi enim per aliquos post hunc dies sum futurus. Scribit ad me vir summè pius & eruditus Coventricensis & Lichfeldensis Episcopus mirari se ac dolere Remonstrantium sententiam, quam scripto postremo vidit explicatam, tam piam & doctam ferri non posse. *Ita*, inquit, *Parcarum tabulæ valuerunt* Ipse huic causæ se non defuturum pollicetur. In Diœcesi ipsius quidam magnas turbas movent qui nefas habent corpus & sanguinem Dominicum de geniculis accipere. Miserandum est his aliisque obtentibus disrumpi Ecclesias Christi: Rogo dicas Typographo ut præter ea quæ ad me misit diatribæ contra Socinum exemplaria addat sex alia, sed chartæ si non optimæ saltem minus malæ. Vale Vir optime & nos ama si meremur: sin minùs, mone. 18. Septemb. anni 1617.

Archiepiscopus Spalatensis Vir admirandæ eruditionis misit Ordinibus Fœderatis exemplum quatuor librorum è decem quos promisit de Regimine Ecclesiæ. Addit Epistolam in qua ostendit dolorem suum de nostro Schismate præsertim tam levi (ita loquitur) de causa. Promittit sententiam suam se explicaturum libris posterioribus: interea offert consilium, & rem putat talem in qua sine aliarum Ecclesiarum suffragio nihil agi debeat.

Tuus penitus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

106 MVltum metuo ne aliquo deerret exemplum nostri libri de Iure Summarum Potestatum circa Sacra. Quare si importunus sum veniam dabis. Scio te Pelagiana historia, forte & colligendis quæ ad Tolerantiam pertinent occupatum vix quicquam habere reliqui temporis quod mihi amicisve aliis impendas. Tamen quia diatribæ contra Socinum novam editionem parari audio, velim illa quoque non minus quam prior aliquid tibi debeat. Ergo si quid observaveris aut tu aut qui nos amant alii, velim fieri certior. Martis die & his qui sequuntur Hagæ sum futurus. Has scribo Rotterodami.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

PVblici muneris necessitas me impediit quo minùs adventum tuum opperirer, itaque chartas mecum sumpsi. 107
Tua legi summa cum voluptate, miror exquisitissimam diligentiam, neque dubito quin his quibus aliquid judicii in hòdiernis controversiis superest multum hinc lucis sit accessurum. Pergè quæso quantum tempora tua & valetudo ferunt. De Tolerantiæ scriptis velim cum Corvino agas ut si ipsi id difficile est alii mandet. Velim jam editum illud σύνταγμα [*volumen*] res non fert moram; postea fructus perierit. Ad mea venio. Epistolam ad Regem auxi paulo fusiore narratione eorum quæ Nationali Synodo à nonnullis objiciuntur, non longe à fine pars ista inserenda est, ut facile videbis. Præter documenta adjicienda Epistolæ quæ nuper annotavimus, video desiderari præloquium ex capite aliquot Legum Ecclesiasticarum conceptarum in Hollandia Anno 1591. Ea nostro sermone mitto, erunt transferenda. Vtinam laborem hunc sumat Bertius abundans otio, nisi totus γεωγραφεῖ [*terrarum orbem describit*]. Da veniam quod toties tibi molestus sum. Res veritatis & pacis, quam agimus, multis instrumentis indiget. Vale Vir Clarissime & fac quod facis. 9. Decemb. 1617. Hagæ Comitatensi.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime & amicissime.

MEmini audire me inter consilia Viri doctissimi cujus memoriam veneror soceri tui unum esse, quo 108
ostendit minimè consultum sibi videri ut Ordines armorum suorum justitiam petant à Religione. Ejus consilii exemplum ad me quamprimum transmitti velim in usus publicos. Scio exstare similem locum in Abothi ad Apocalypsin commentario, sed librum nunc non habeo, si habes aut Lugduni ubi sit nosti, rogo eo quoque uti liceat. De reformatione etiam Coloniensi aurem tibi vello: & quando Anglicana scripta exspectare debeam aveo scire. Cùm hæc legis accusas me fortè quod de tot negotiis nimis molestus unum tuum indiligenter curem. Sed scito & me & uxorem per dies aliquot Hagæ esse, non ituros Rotterodamum nisi sub hujus hebdomadæ exitum. Si interea de vino tibi non prospexisti efficiemus ne nostra culpa sitias. Vale virorum optime & nos ama. In Pelagianis perge quæso quantum potes. Dec. 1617. Hagæ.

Velim Corvino dicas exemplum mihi incompactum mittat sui libri adversùs Bogermannum quod à me ex Anglia poscitur. Annotet missum ut & hujus & aliorum librorum quos misit pretium persolvam.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime summe amicorum.

NIhil unquam libentius legi tua scriptione de Historia 109
Godscalci & quæ huic connexa sunt. Mirè enim video & morbos & adhibita remedia nostrorum temporum malis, & tentatæ medicinæ congruere. Det Deus successum parem. Vnum observo absolutæ prædestinationis patronos eo tempore valde adhorruisse ab ea sententia quæ statuit omnes justificatos, sive omnes præditos Fide quæ per charitatem operatur esse prædestinatos; quod nunc aliter accidit. Remitto commentationem tuam longè doctissimam, & quantum possum oro atque obsecro ut quamprimum & ista & ejus argumenti alia lucem videant, si Synodum habebimus exstet exemplum quod imitentur, si non habebimus; piis doctisque tuus labor erit vice Synodi. Soceri tui illud utinam reperiatur. Abothus is est quem quærebam; utar & remittam. Anglicana exspectabimus, multoque magis libri tui partes de Prædestinatione & Reprobatione. Vinum uxor

Digitized by Google

emit, sed trepidè, quia id quod apud nos nuper gustaveras initiis suis minus respondet. De tuo meliùs spero. Sed res ista meum judicium superat. Rotterodami 28. Decemb. 1617.

Tuus totus H. G.

IOANNI OVERALLO,

Episcopo Coventrensi & Lichfeldensi.

Reverendissime Domine.

110 EX literis quas 25. Septembris ad me dare R. T. D. placuit, video nondum in manus tuas id temporis venisse quæ contra Socinum disputavimus. Quare proximis literis judicium super iis tuum exspectabimus, emendaturi editione quæ nunc paratur, quicquid ex te non satis rectè positum didicero. Ad Rev. Episcopum Eliensem scribo: rogo ut librum de jure imperii legat & emendet, conscio etiam Rege. Sane multæ sunt causæ cur id argumentum tractari debeat, tum ne sententia mea sequius quam se habet accipiatur, tum ut seditiosis hominibus occurratur, quorum magna apud nos est seges, qui tumultui ac violentiæ religionis nomen imponunt. Commendavi & Spalatensi & Eliensi statum Ecclesiæ & reipublicæ nostræ, cui ad cætera mala accessit, quod oratione nuper habita à Regio legato, atque ita ipsius etiam Regis auctoritate, premitur hic melior de Gratia ac libero Arbitrio sententia, simulque promovetur Schisma exempli pessimi. Obsecro vos omnes, quantum fieri potest, veritati tuendæ & unitati sarciendæ detis operam: quam ad rem usui vobis esse poterit qui has fert literas, vir Clarissimus Petrus Hoofdius, optimo natus genere, literis supra modum excultus, testis oculatus eorum quæ apud nos sub pietatis titulo pravè atque perniciosè geruntur. Quod de Vtembogardo quæris, nihil ille Latinè unquam edidit: Belgicè nonnulla, in quibus est liber haud magnus ejusdem, quod à me tractatum est, argumenti. Ejus libri interpretationem Latinam Rev. Episcopo Eliensi transmissam memini: Cæterum Remonstrantium sententiæ si quis argumenta ac rationes propius nosse desideret, ei legenda sunt examen Perkinsianum Arminii, ejusdem collatio cum Francisco Iunio: Iohannis Arnoldi Corvini responsio ad libellum Tileni: item ad notata Bogermanni: deinde Nicolai Grevinchovii dissertatio adversùs Amesium. si qua horum ad manus tuas non pervenerunt, ut habeas curabo. Ad eas partes libri nostri de Summarum potestatum jure quod attinet, in quibus hæsitaturum existimas Rev. Eliensem, aliosque in Anglia viros eruditos, paratus sum audire eorum sententias, & meliora docentibus cedere. Cæterum judicia Synodica, aut etiam quæ extra Synodos à viris piis atque eruditis petuntur, in libro nostro ostenduntur maximi facienda. neque certiorem esse viam ullam discendi dogmatum veritatem. Sed sicut post judicium Ecclesiæ singuli de fide sua judicant (ut enim Rex ait, unusquisque super propria scientia fidei fundamentum debet collocare) ita & Reges ad ea agenda quæ non possunt agere nisi Reges. Hoc judicium ἐπίκρισιν [*ultimum judicium*] non incommodè in scripto quodam vocavit ὁ μακαρίτης [*beatæ memoriæ*] Casaubonus. Optimè Episcopus Eliensis, non debere Regem ita ab alieno ore pendere, ut ipse à se nihil dijudicet: Et Bilsonus non minùs rectè requirit, ut judicium præcedat usum gladii. Similia apud Paræum aliosque leguntur plurima. At apud nos, qui maximè jactant nomen Ecclesiæ, consensum ferocissimè repudiant. Presbyteros remittere peccata, id est, remissa declarare, cum Magistro sententiarum exposui, cum quo consentire video Protestantium plerosque. Neque tamen negem, alio etiam modo ministerialiter remittere quatenus actione sacerdotali ac pastorali aut Deum movent ad remittendum, aut hominem ad accipiendam remissionem disponunt. Rectè etiam à Lombardo adjectum, remitti insuper à pastore peccata, quo ad pœnas satisfactorias, & quoad excommunicationem, si quid his superaddendum sit in honorem Presbyteralis muneris, de eo monitus libenter supplebo quod deerit: ita tamen, ut, si fieri potest, libenter mansurus sim intra ea de quibus Protestantes consentiunt. Iurisdictionis vocem usurpavi ex juris civilis consuetudine, ita ut includat τὸ ἀναγκαστικὸν [*potestatem cogendi*] quam ob rationem etiam eam notionem, quæ Episcopis jure positivo attributa est, maluerunt Imperatores audientiam quam jurisdictionem appellare. Neque tamen inficias eo, in potestate excommunicandi esse aliquid jurisdictioni ἀνάλογον [*proportione respondens*], quod eadem etiam voce, latius paulo & extra usum veteris Romani Sermonis sumpta, rectè indicetur. Episcopatus vocem sumpsi eo significatu, ut προστασίαν [*præfecturam*] indicet, non temporariam, sed perpetuam: hanc defendo, juris esse divini approbantis & suadentis, non tamen universaliter imperantis: Cæterum προστασίαν [*præfecturam*] sumptam abstractè, citra considerationem durationis, esse juris divini, etiam imperantis, ostendi ab ipso Beza agnosci. Hæc si rectè expendantur, spero haud multum fore controversi: & si quid est tale, parebo meliora monstrantibus. Domino Iesu summo pastori R. T. D. unicè commendo. idem nostras tempestates serenet. Hagæ Comitatensi. 1617.

T. R. D. Addictissimus. H. G.

MARCO ANT. DE DOMINIS,

Archiepiscopo Spalatensi.

Reverendissime Domine.

QVanquam non ea mihi felicitas contigit, ut propius 111
nosci à Reverendissima tua Dominatione meruerim, ut cui post communem Rotterodami cœnulam & breve colloquium præsentia tui vultus haud ultra frui sit datum, relictumque duntaxat amplecti eam quam penitus animo impressam habes humanissimæ tuæ gravitatis imaginem, certioremque tui effigiem, libros quos Ecclesiæ impendisti; urget me tamen patriæ status, ut sepositâ verecundiæ lege tempora tua audaciùs interpellem. Rogo igitur, persuasissimum tibi habeas, & libros eos, quibus verum Ecclesiæ regimen ex Sacrarum Literarum fonte per Sanctæ vetustatis rivulos deducis, optimo cuique gratissimos esse, & singulariter placuisse Epistolam, quam ad Proceres nostros dignatus es scribere, cujus quidem cum omnes partes certa pietatis immotæ indicia præferant, tum illa præsertim, qua scissuram Ecclesiæ ob calentes de Prædestinatione controversias, Episcopali libertate improbas, & fraterna charitate remedium monstras, operamque offers. Quis non doleat, in tot partes lacerata Christianitate, quæ manserunt vincula adhuc abrumpi, idque non ob res Fidei, sed ob Theologicas quæstiones, & ab his quidem, qui sententias mordicus tuentur antiquæ Ecclesiæ inauditas, decreta pœnalia absoluta ante præscientiam culpæ, operationes gratiæ tales quæ liberi arbitrii naturam evertant, statum justificationis consistentem cum peccatis capitalibus? Nimirum hæc qui probare non potest, anathema debet pronuntiari, eo nomine deserendi cætus pristini, novi conventus inchoandi, & occupatis suffragiis festinanda Synodus talis, in qua discrepans sententia non possit non triumphare. Accessit his malis hoc insuper, quod vir Illustris Carletonus, Regius apud nos legatus, virtutum tuarum, quod gaudeo, æquus æstimator, oratione in hoc ipsum composita in eos qui Remonstrantes hic dicuntur, hoc est, qui molliorem sequuntur sententiam, ita inclementer invectus est, ut vix quicquam dici posset hostilius. Ita præter domesticæ auctoritatis pondera satis gravia, etiam Regio nomine premitur pars illa quæ haud dubiè cum veteri Ecclesia sentit. Atqui scimus Majestatem sapientissimi Regis editis libris professam, pauca

Digitized by Google

ca esse Fidei capita ad salutem necessaria, quibus rectè positis ob dissensum in cæteris non dividendam Ecclesiæ unitatem: ut jam taceam, rigidiora quæ hic propugnantur dogmata eruditissimo cuique in ipsa Anglia non probari. Quàm triste igitur est, hac de causa dulcissimam Ecclesiæ concordiam divelli, ipsam quoque rempublicam, illam quam tantis conatibus tantus hostis opprimere non potuit, intestinis dissidiis in maximum discrimen adduci. Vtinam is, cujus in manu sunt corda Regum, Serenissimi Regis animum inflecteret, ut missis viris idoneis ad disceptandas hujus generis controversias, rerum nostrarum statum certiùs exploraret, cognito malo facilè aptissima remedia inventurus. Nunc enim

Pellitur è medio sapientia: vi geritur res.

Interea cùm iret in Angliam Petrus Hoofdius, dignissimus qui à R. T. D. aliisque veræ virtutis amantibus noscatur, quique has fert literas, monendam D. T. censui, virum esse claro ortu, cujus propinqui partim ante hac de patria optimè sint meriti, partim nunc quoque in urbe Amstelodamensi magistratum gerant, omnes veræ pietatis & pacis Ecclesiasticæ publicæque amantissimi: ipse verò avito honori atque opulentiæ magnum decus addidit literas omnis generis, etiam per varia itinera multo rerum usu imbutus. Hic R. T. D. aliisque scire cupientibus, ex vero referet morbi nostri originem atque progressum, hoc præcipuè nomine in Angliam profectus, ut si qua potest succurrat patriæ laboranti. Non nostra tantum, sed & Regiæ Majestatis interesset, certissimam rerum historiam ex ipso coram intelligere. scripsi de eo etiam Episcopis Eliensi & Coventriensi. Dominus Iesus Reverendissimæ Tuæ Dominationi vitam longævam, prosperam valetudinem, & fructuosos labores largiatur. Hagæ Comitatensi. 1617.

Tuæ Rev. Dominationis Devotissimus cultor H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Clarissime.

112 NOlo ignores post aliquot dierum emansionem Hagam me rediisse, ut si qua laboris tui vacatio tibi conceditur transcurras; quod sane velim plurimis de causis: sin eam mihi felicitatem negotia tua invident, saltem ut noris quo literas & quæ cum literis mittere cupies destinare debeas. Non puto me hinc abiturum ante eum qui instat Hollandiæ Conventum. Hagæ. Postridie Cal. Ianuar. Anni 1618. quem tibi tuisque fortunatum voveo.

H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

113 SCripseram Hagæ me futurum per hos dies, cùm subito Heusdam mittor & Rotterodami invenio Ravensbergeri librum satis, ut mihi videtur, inhumanum. Quare cùm recudatur liber noster velim cogites an ei aliquid addendum sit ut Ravenspergeri & objectionibus & suspicionibus occurratur. In Anglia & Germania liber noster supra spem probatur. Spero me die Martis iterum futurum Hagæ. Vale Vir optime & nos ama. 3. Ianuarii. 1618. Rotterodami.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

114 SI Rutgersio irasci possem nunc certè irascerer, oraveram eum indicaret tibi Mercurii die Hagæ me futurum & precari cum ipso huc venires si fieri posset in diem Iovis. Video minùs rectè ab ipso curatum meum negotium quàm à me id quod ipse mihi commendaverat quod multis contra nitentibus effectum est. Ego hic maneo & cras & Dominico die, oro ut altero eorum ad me venias, paratus consilium dare de eo quod agendum est nobis super Ravenspergeri libro, quem ad te miseram. Vale amicissime Virorum. 12. Ianuarii 1618.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

ITa me impedierunt negotia publica ut heri demum in manus sumpserim Ravenspergeri nugas. mitto ergo tibi id quod mihi unius diei festinatio effudit, materiam suggessi quam facile erit disponere rectiùs. Certè aliquid respondendum & quidem ὡς τάχιστα [*quam citissimè*] neque per me sed per alterum. Walæus quoque me monuit: dicens idem Festo multisque aliis videri. Tua de Prædestinatione & annexis legi summa cum voluptate. Nihil potuit scribi ad verum reperiendum pacemque reddendam accommodatius. Vereor ne frigus editioni obstet, quam plane maturandam censeo. Pauca annotavi momenti haud magni. Ego quominus ad vos transcurram rebus multis magnisque impedior. Vale Vir doctissime atque amicissime & nos ama quantum potes. 115

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

EX aliquot dierum quiete ad Hagense pistrinum redeo: alacrior paulo ab illa respiratione legi summa cum voluptate tua de Sacramentis quæ & Sacris literis & antiquæ Fidei consonare non dubito. Etiam chartas de Pelagiana historia accepi avideque relegi, quo inspicio sæpius eo majorem ex iis utilitatem & capio ipse & capturos alios spero, qui modo antiquam Ecclesiam non contumaciter spernunt. Perge quæso & fac quamprimum liber ille exeat. Pro labore quem mea causa insumis, gratias ago maximas. dolet tantum quod tam pretiosas horas impendere cogeris refutando scripto haud magni pretii. Nuper in celebri convivio, ut narratum mihi est, Balthasar Lydius acriter in Ravenspergerum invectus est, operam ipsius puerilem appellans, & paratum se dicens in ipsum scribere. Quid in Anglia de nostro labore viri boni judicent, quæque ipsorum sit sententia ex literis Overallii poteris cognoscere, quas mitto, & ut remittas rogo. Quod maturandam censes editionem tuæ responsionis ad Ravenspergerum, habes me assentientem. Vale Vir Clarissime ac nos quod facere te monstras ama. 13. Martii 1618. 116

De Steinfurdiensi judicio satis est nos id scire; vulgari nihil attinet.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

PVer meus cui claudendum dederam eum quem ad te misi heri fasciculum oblitus est eidem includere has Lichfeldensis Episcopi literas. Pudet hoc genere armorum nos uti. Sed vides quo sæculo vivamus. Episcopi Salisburiensis librum adversùs Thomsonem an videris nescio, ego non habeo. Velim quid judices scire si habes. Rex multis significavit nolle se ultra nostris controversiis implicari. De Synodo ecqua spes sit nescimus adhuc. Gratissimum foret videre te, sed metuo ne id postulare ab eo qui tam multa mihi præstet inverecundum sit. Vale quam optimè cum uxore & liberis. Hagæ. 14. Martii 1618. 117

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

QVod nuper dicebam Socino negari cur Christus moreretur causam fuisse antecedentem, id verum reperio. Nam lib. III. cap. 10. dicit à cunctis statui antecedentem aliquam legitimam causam mortis Christi præter 118

Digitized by Google

Dei & Christi voluntatem. Eam vero causam Socinus ait nullam aliam esse posse nisi quod Christus id fuisset meritus. At id absurdum est. negat ergo causam antecedentem legitimam. Paulo post capite eodem apertiùs ait à se affirmari Christum à Deo turpissimæ & sævissimæ morti traditum ut ea ratione nobis æterna salus compararetur: QUAMVIS NULLA PRÆTENSA ANTECEDENS CAUSA ESSET, cur ille eam mortem perferre deberet: Nisi hic voce *debere* necessitatem significari volumus. Occasionem solam ponit in peccatis nostris ubique quæ causa non est aut vix certè. Antecedentem causam legitimam id est rectè proprieque dictam extra voluntatem agnoscit nullam, ideoque in sola finali causa acquiescit. Cœpi legere Amesii librum: video passim mea contra Socinum ab ipso usurpari, interdum cum tenui aliqua commendatione. Cogita an ejus quoque facienda sit mentio, ut appareat ipsis Contraremonstrantium antistitibus non usquequaque contemtibilem videri operam nostram. Sed omnia hæc tui arbitrii facio: censeoque scribendum posthac nihil, ne meis tuendis posthac amicis molestiam cogar exhibere. Vale virorum optime. 22. Martii 1618.

Tuus Totus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

119 SCripsi ad te nuper. spero rectè traditas esse literas. Interea nuperum Amesii librum non tam perlegi quàm pervolitavi. Sunt quæ placent: præsertim vero id quod est de certitudine perseverantiæ pag. 276. In multis videtur *ἐριστικώτερος* [*contentiosior*], neque sententiam adversariorum benignè interpretari, neque suam candidè satis promere. Itaque multa passim sunt involucra. Ego lectione istius libelli incitor ut eos legam qui hoc argumentum cum cura tractarunt, quos inter minimè spernendus est Lessius quem legi diligenter: ut & Valentiam & Cumelem. Video sæpe citari Suarezium tum de Prædestinatione tum de Auxiliis liberi Arbitrii. Si habes tu aut alius quis amicorum velim uti in dies paucos. Dominicanorum vix legi quenquam. Si Bannesium aut ejusdem Scholæ alium quem habes, eo quoque uti velim. Futurus sum Hagæ ad diem usque Saturni. Vale virorum optime *καὶ ἐμοὶ πεφίλτατε* [*& mihi amicissime*]. 27. Martii 1618.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir Reverende.

120 LEgi quæ in nostram & veritatis gratiam Ravenspergero respondisti, quæ mirificè placent omnia, nec mutatum quicquam velim, nisi sicubi fortè ipsius *τοῦ κακοήθους* [*malæ consuetudinis*] concitatus durius aliquid in ipsum dixisti, quod inter relegendum, si ita videtur, poteris mitigare. Etiam Antipelagiana quantum occupationes permiserunt perlegi: præsertim vero eam partem quæ est de virtutibus *ἑλλήνων* [*Græcorum*]. Omnino ego hic tecum & cum antiquitate sentio: ea quæ ex philosophia apponit amicus noster expensis rectè vocum rerumque discriminibus quæ abs te annotata sunt corruere videó. Vale vir optime & bene de bonis mereri nunquam desine. 10. Aprilis 1618. qui mihi Natalis. XXXV.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir præstantissime.

121 LEgi ac relegi cum voluptate summa ea quæ pro nobis & ut ex animo sentio pro veritate ipsa adversùs Ravenspergerum commentatus es, quod me solatium contra publica ac privata hujus temporis mala unicè confirmavit. Neque jam calumniarum pœnitet quæ tam pulchræ defensioni materiam præbuerunt. Præcipuè autem gaudeo in eo laboratum ut non tantum appareret quid verum sit, sed & quid ab Ecclesia Christi receptum. Aveò scire quæ futura sint hominum super hoc doctissimo tuo libello judicia. Exteris, doctioribus præsertim, quin summopere placitura sit hæc opera dubitare est nefas. De nostris quid spondere debeam nescio: quando & pauci verum vident, & qui vident vix audent profiteri. ita miserè vivitur inter infestos aut infestis oboxios. Ego si in causa quæ me tangit aliquam judicandi potestatem habeo, serio ita sentio, eam allatam lucem toti de Satisfactione quæstioni, ut de eo argumento nihil opus sit posthac quicquam scribi. Nec minus clara fax tua opera allucebit controversiis de Gratia & capitibus annexis. Sane chartas illas tuas quoties inspicio (facio autem sæpissime, ut quod aliunde sæpe animus fastidii contrahit ibi decoquat) toties & diligentiam miror & quam tueris sententiam, ut Sacris Literis consentientem, ut Catholicam totus probo; neque minus tibi subscribo ubi *ἐπέχεις* [*sustines*]. Ecclesiæ res mirum in modum fluctuant inter tyrannidis candidatos & licentiæ amatores. Fermeque haud video quomodo humana ope sanabile sit vulnus tot tantisque manibus inflictum. Sæpe mihi in mentem venit Ciceronianum illud: *Quid fugiam video, quid sequar non video.* Sed Deus, ut spero, qui videt quot piæ animæ veritatis & charitatis studio flagrantes hoc æstu collidantur, & accessio fiant alienæ insaniæ, aliquando è tenebris lucem educet, eumque nobis cito aut serius finem dabit, qui ipsius gloriæ pacique Ecclesiæ inserviat. Pro exemplaribus ad me missis gratias habeo summas, nisi quod justæ liberalitatis terminos excessisse mihi videris. Ego operam dabo ne quod eorum pereat: sed ut eorum in manus veniant qui de his sunt *κρίνειν ἱκανώτατοι* [*maximè idonei ut judicent*]. Vtinam tot tantisque in me amoris tui signis respondere unquam liceat; sed tu ingratos nos esse cogis qui in amicos perpetuo benignus mutuæ ipsorum operæ parcis. Vale Vir optime atque eruditissime. 25. Iunii 1618.

Tuus totus. H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

ROtterodamum ut veni inspexi Philonem. verissimum 122
invenio quod nuper indicaveram Iudæis posterioribus persuasum in rebus levioribus non esse jurandum per Deum immortalem, sed per Parentes quasi domesticos magistratus, per Terram, Solem, Astra, Cælum, Vniversum: Locus est illustris Philonis initio *περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων* [*de specialibus legibus*] qui lucem affert Matthæi loco. Ostendit enim Christus juramenti non necessarii æque reum esse qui per ista juravit *ἀπεικονίσμασι* [*simulacra*] ut Philo loquitur *θείας δυνάμεως* [*divinæ potestatis*], quàm qui ausus sit directè *ἐπὶ τὸν τῶν ὅλων πατέρα ἀνατρέχειν* [*recurrere ad omnium patrem*]. Memini me ex Thalmudicis auctoribus simile aliquid legere isti Philoneo. Quare in Christi præceptus *ὅλως* [*omnino*] non casus omnes quibus juramentum exigi solet, sed omnes jurandi formulas adversùs excogitatum ab his qui post Esdram fuerunt magistris (quos Hebræi vocant הזקנים Hellenistæ modo *πρεσβυτέρους* [*seniores*] ut Matth. XV. 2. modo *ἀρχαίους* [*antiquos*] ut hoc loco,) discrimen includit. Illud autem *ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι* [*à malo est*] non male convenit ei quod idem Philo tradidit, *οὐ πίστεως ἡ πολυορκία τεκμήριον ἀλλ' ἀπιστίας* [*multa juratio non fidei sed diffidentiæ signum*]; Et libro *περὶ τῶν δέκα λόγων* [*de decem præceptis*], *κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι, δεύτερος δὲ πλοῦς τὸ εὐορκεῖν. ἤδη γὰρ ὅ γε ὀμνὺς εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται* [*pulcherrimum & vitæ utilissimum ac naturâ ratione utenti consentaneum abstinere a jure jurando, quippe cùm ea ita sit instituta, ut de re quavis verum dicat, possintque vel nudi sermones pro juramento haberi, secunda verò navigatio servare jusjurandum, cui enim jusjurandum poscitur, jam de infidelitate suspectus est*], & quæ ibi sequuntur digna legi contra

τοὺς

τοὺς ἔθει πονηρῷ κατοχόμους καὶ ἀνεξετάστως ὀμνύοντας ἐν τοῖς τυχοῦσιν [*eos, qui mala consuetudine frequenter ac re non expensa de incidentibus jurant*]. Illud verò sane præclarum ἐκ πολυορκίας ψευδορκία [*ex multa juratione perjurium*]: Et ὁ δὲ σπουδαίου λόγος ὅρκος βέβαιος, ἀκλινής, ἀψευδέστατος [*Viri boni sermo pro jure jurando est firmo, immutabilis, nunquam mentiente*] nempe τὸ ναὶ, καὶ τὸ οὐ *Est*, & *non*. Per salutem Principis jurandi morem in Lege Veteri non fuisse interdictum, ante Mosis tempora Iosephi exemplo apparet Gen. XLII. 15. Post Mosem verò exemplo Annæ 1 Sam. 1. 26. Abneri 1 Sam. XVII. 55. & aliorum passim: quem morem apud cæteras quoque gentes receptum etiam pueris notum est. Illud verò imprimis insigne est Iudaicæ stultitiæ argumentum, quod quasdam jurandi formulas putarent vim obligandi ad perjurii pœnam non habere, quæ insania hodieque manet, unde in Italia Germaniaque delectæ sunt formulæ ex Thalmudicis libris depromptæ, quibus adigantur ne irritum sit vinculum contemtu religionis. Imprimis sanctum illis est jusjurandum חי אלהים [*deus vivus*] quod Martialis in epigrammate corruptè extulit, *jura verpe per Anchialum*. At etiam inter juramenta quæ Deum disertè non nominarent discrimen aliquod eorum superstitio invenit: Nam juramentum illud Phœnicibus etiam notum κορβᾶν [*Corban seu donum deo*] aliis prætulerunt, etiam ei quod per Altare Templumve perhiberetur; contra omnem rationem ut Christus monstrat Matt. XXIII. 16. Nam cùm juramenta per res alias sanctimoniam à Deo accipiant, quo res quæque Deum propius accedit eo efficacior esse debet ad imprimendam juranti reverentiam divini Numinis. Quo ipso in libro Christus non dicit flagitium esse jurare per creaturas, relatas nempe ad Deum, sed dicit iis omnibus formulis quæ creaturas nominant, implicitè fieri quod alioqui fit explicitè. Nam per Templum eum invocari qui Templo præsidet, & per Cælum eum cujus Majestas in cœlo relucet. Quomodo nimirum in Cælum peccari dicitur Lucæ XV. 18, 21. & baptismus Ioannis ex cælo esse Matth. XXI. 25. Hæc quidem ad historiam tuam non pertinent. Sed qualiacunque sunt, fraudari te iis nolui, ut nimirum ex his amplius de hac re cogitandi sumeres occasionem. Hagæ perscripsi cùm cæpissem Rotterodami 28 Iulii 1618.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime.

123 Vidi Ravenspergeri Epistolium, in quo cùm alia multa tum illud imprimis miror quod suam πρᾳότητα [*mansuetudinem*] jactet homo is qui me nulla sibi offensa cognitum tam crudeliter lacessiverit. De argumento ipso quod scripturum se minatur haud metuo. Nimis aperta est ista veritas quàm ut ei nebulas offundere liceat. Interea quid de tuo labore judicet Lingelshemius ex ipsius literis quas mitto velim cognoscas. Synodus sub incude est, quæ utinam nobis tolerabile aliquid pariat. 17 Aug. 1618. Hagæ Comitatensi.

Tuus H. G.

EIDEM.

Virorum optime idemque amicissime.

124 Nulli malim quàm tibi constare rationem concessi mihi divinitus otii. Iuris studium per multas occupationes intermissum repeto, reliqua pars temporis morali sapientiæ impenditur: cui excolendæ sententias omnes poëtarum à Stobæo collectas toga donavi. Idem feci iis sententiis quas in commissione Menandri & Philemonis post Rigaltium Rutgersius noster in Variis lectionibus evulgavit: apud quem quis sit Antonius cujus pag. 582. & 583. meminit scire velim. Nunc in eo sum ut Basileensem & Stephanicam fragmentorum Comicorum editionem, quibus tuo beneficio utor, perlegam, & ea quæ in latium traducam quæ Stobæus non habet. In transferendis Comicis versibus Græcis Latinam Comicam libertatem sequor: in Tragicis Tragicas versuum leges. cætera quæque suo carminis genere interpretor; nisi quod vagantes Lyræ Græcæ & Chori Tragici modos aliquo Latinis usitato versuum vinculo adstrinxi. Animus est perlectis Comicorum reliquiis Tragœdias Græcas perlegere, & quæ ad mores formandos usui esse possunt interpretari. Interea cogita an hæc edenda censeas (si tamen editionem merebuntur) cum ipso Stobæo, si quis forte ejus editionem adornet addito auctario sententiarum quæ apud Stobæum non exstant: an verò seorsim locanda, quæ cujusque sunt poëtæ subjecto indice locorum, ad quæ referenda sint singula: an denique novæ locorum classes ordinatiùs atque distinctiùs quàm factum est à Stobæo sint nobis commiscendæ, & sententiæ in eas digerendæ. Super his velim me, ut sæpe magno cum meo fructu soles, consilii tui facias participem. Libris tuis qui ad firmanda Christianismi dogmata pertinent adhuc utor. tardè lectio procedit, quia quæ jam affecta habeo isti labori studeo antevertere: nisi quod dictos Domino dies & quod horarum succisivum est huc traho. Lingua nostrate facile sit aliquid moliri: sed hoc tempore offensas & suspiciones evitare perquam difficile. Meministi ut nobis cesserit quod pro Satisfactionis doctrina pio studio erat à nobis laboratum. Cogitabo tamen, dum tu quoque cogites, quid quale quantumque esse debeat quod non odio, non fastidio sit futurum. Ex omnibus maximè arrideat argumentum de Christi adversum nos amore. Sed ut hac quoque de re dignum aliquid moliar & lectione & amicorum auxiliari opera, tuaque potissimum sum excitandus. Si quid est librorum tuorum quod tibi opus sit repræsentari nolo me malum nomen existimes. Fac sciam, ne tuis publicisque studiis obstet meorum studiorum intemperantia. Editori Martialis maximas meo nomine velim gratias agi, tum pro munere, tum quod nostri memor est. Ego & in editione elegantiam & in Notis exactissimum judicium supra quàm dicere possem admiror. In mentem mihi aliquoties venit an commentandum nobis aliquid sit super sermones Domini in Monte: ita enim, si rectè memini veteres nominant primam Christi ὁμιλίαν [*concionem*] accuratè à Matthæo traditam. Sed magnæ suppellectilis res esset tum veteris tum novæ, neque inutiles ad id opus essent γνωμόλογοι [*sententiarum scriptores*] quos nunc percurro. Deus O. M. Rempublicam & Ecclesiam sospitet: teque cum familia præsidio suo tueatur. Ex arce Lupistenâ.

Tuus totus H. G.

Raræ eruditionis ac pietatis Viro

D. GERARDO VOSSIO.

PRo summis tuis in me beneficiis, virorum atque amicorum optime, gratias habeo quantas possum: at 125
velim credas me hac tempestate jactatum, sæpissime tamen pro te esse sollicitum; cui si mediocriter bene est, magno id mihi solatio est. Mihi fortunæ hujus levamentum sunt illæ, ut nosti, tunc etiam cum negotiis pene opprimerer dulces ante omnia Musæ: nunc verò multo quam ante dulciores, cùm experior quàm hoc sit præ cæteris rebus ἀναφαίρετον [*quod auferri non potest*]. Facis autem rem dignam tuæ amicitiæ constantia, quod nos non libris tantùm tuis, quibus vereor ne utar nimis inverecundè, sed & consiliis juvas. περὶ τῶν γνωμικῶν [*de sententiose dictis*] scire debes non Tragica tantùm & Comica sed omnino quicquid versuum est apud Stobæum à nobis traductum. His poterit addi quicquid præterea est Comicorum veterum quod γνώμην [*sententiam*] contineat, quæque sunt ejus generis apud Æschylum, Sophoclem, Euripidem. Sed vide quo ordine ea putes describenda, an ita uti leguntur apud Stobæum, Maximum & Antonium, an digesta in suos quæque auctores. Etiam Physica Stobæi remit-

remitti mihi cupiam. nam & illa transtuli, ut latina cum Græcis recenseam. De commentatione majore in Sermonem in Monte, deque libello adversùs impios & Iudæos cogitabo etiamnum. Nam nunc in eo sum ut post tot aliorum messes spicas legam ad ornandam Erpennianam Novi Testamenti editionem. Esset mihi ad eam rem pernecessaria interpretatio Veteris Federis τῶν ο´ [*Septuaginta interpretum*] & si quid præterea ipse eo facere judicabis. Ni fallor, diligens Apostolicorum librorum lectio nos etiam ad alia illa quæ animo magis concepi, quàm incœpi, faciet paratiores. Librorum tuorum quos hic habeo si sciam quibus maximè indigeas eos transmittam. Nam faciliùs jam carere possum, aliquammultis ab Erpennio instructus ut ex ipso intelligere poteris. Misit is mihi inter cætera Drusii annotationes: sed deest postrema accessio, quam edidit ni fallor Kyriander. De Belgica orthographia, analogiaque meditor aliquid. Sed in eo non nimium propero. Catalogum de quo scribis exspectabo. Misit mihi Erpennius Gennebrardi excerpta ex Albone Iudæo. Liber ipse Albonis, ut audio, magnus est, exstatque ejusdem argumenti alter scriptus à patre Davidis Kimchii, quos non transferri miror. Augustini librum de doctrina Christiana puto & seorsim exstare. esset mihi is non inutilis ad loca quædam novi Fœderis interpretanda. Rogo me quum potes sæpissime consiliis tuis, quæ plurimi facio, dirigas: quod per fratrem meum commodè fieri pôterit. Precibus etiam tuis tuæque uxoris me commendo. Dominus Iesus nobis omnibus propitius adsit. 15. Decemb. 1619.

Tuus tibi devinctissimus H. G.

EIDEM.

Virorum optime.

126 Nisi scirem quàm dives librorum sis putarem Bibliothecam tuam ad nos migrasse. Interim gratias ago maximas, utorque eo liberius quia aliis occupatus interim minore incommodo illis cares. Gaudeo imputare te aliquid velle Latinæ linguæ, facis prudenter, nulli gravis est percussus Achilles. Operam dabo ne ὀνειροκριτικὰ [*ad somniorum interpretationem pertinentia*] ariolatricem mihi uxorem concinnent. De Stobæo tuis consiliis accedo. Itaque paulatim digeram quæ feci & exscribam. Lentiùs tamen id procedet quia valde allubescit Novi Testamenti lectio. Sed hanc quoque intermittere sum coactus morbo primum, deinde morbi fallendi causa suscepto negotio quod ultra morbum procedit. Libellus est Belgicis versibus complectens argumenta de Deo, ejus unitate & proprietatibus præcipuis, de creatione, providentia & spe vitæ alterius. Deinde ea testimonia quibus doctrinæ Christianæ in genere consideratæ veritas probatur. Sequentur alia quæ libris Novi & Veteris testamenti suam auctoritatem vindicant. hucusque processit impetus, superest refutatio quorundam quæ ab Ethnicis, Hebræis & Sarracenis objici solent. De vitæ alterius felicitate, quam materiam mihi commendaveras, hic aliquid dicendi fuit locus, cùm Christianæ doctrinæ perfectio ex finis propositi perfectione esset demonstranda. Mittam ad te poëma totum simulatque absolutum erit. Cap. v. vi. & vii. Matthæi in Notis jam inchoatis paulo uberiùs quàm cætera sum persecutus. quanquam enim propositum mihi erat voces excutere, tamen discendi libido magis ad res me rapit: videturque mihi tanta esse vocum rerumque cognatio ut alterum ab altero separari vix queat. Nihil vetabit ex materia quamvis ubere pauca postea deligere quæ publici juris fiant. Ego te omnibus meis Aristarchum aut si mavis Atticum facio. Fratrem monui operam det ut quæ pridem mihi utenda dederas ad te redeant: ni ille conficiat, uxor ubi eo venerit, hoc sibi mandatum feret. Deus Optimus Maximus paternè nos foveat Spirituque suo ducat atque sustentet. Vxorem tuam ego & uxor amicissimè salutamus. Sed & Franciscum Iunium, cujus studia magnus animarum pastor sospitet. 4. Martii 1620. Lupisteini.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Virorum optime.

Noli irasci siquid minus tibi placuerit in nostris εἰς τὸ κατὰ 127
Ματθαῖον [*ad Evangelium secundum Matthæum*]. Solitudini id omne imputa, quæ studiis si diuturna est non potest non afferre rubiginem. Ἀγελαστὸν γὰρ μάλιστα ζῶον ὁ φιλόλογος [*Philologus enim animal minimè ridens*]. Libros de multis paucos admodum tibi remitto: inter eos fragmenta Comicorum Latina, quia fieri posse putabam ut opus iis haberes ad ea quæ de lingua Latina commentaris. Allevi oræ quæ in mentem veniebant, modo aliud agenti, modo dormitanti; neque aut Festus mihi erat, aut Nonius ad manum, quo minùs mirari debes, si aliquoties impegerim. Rogo me sæpissime de studiis tuis certiorem facias, meaque studia adjuves præcipuè liberè monendo, qui primus est amicitiæ fructus. Vxori tuæ liberisque omnia salutaria precor. Vale φιλίας ἄνθος [*flos amicitiæ*]. 19. Martii Lupisteini 1620.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Volo tibi, Vir optime atque doctissime, constare tem- 128
poris mei rationem. Ego, quantum valetudo permittit, insto operi: & jam caput xxiv. Matthæi me detinet. Sæpe autem mordet animum cura, ne in malos censores chartæ nostræ incidant. Nam quæ inita sit explicandi operis ratio, equidem ignoro. Illud satis mihi persuadeo, quid edendum sit, quid non nequaquam permissum iri tuo & D. Erpenni arbitrio. Cæteros omnes metuo. Veritati operam do quantum possum sine ullis partium studiis, quæ nunc plerisque placent probare non possum. Mutari quicquam & pro meo vulgari quod meum non sit, esset id quidem periniquum, sed tamen solet & hoc fieri. In omittendo minus forte sit periculi. Sed hic quoque metuo, ne pars omissa τὴν συναφήν [*connexionem*] corrumpat: multa enim posteriora ex prioribus, priora vicissim ex posterioribus lucem accipiunt, estque in isto scripto quædam quasi fornicis structura: Hæc non eo dico quod excusatum me velim à labore quem omnino continuandum mihi censeo: sed quod scire velim ecquod iniri consilium possit quo ista si non omnino ex maxima tamen parte vitari queant. Rogo æstuantem me in hoc negotio, qua potes expedias. Pergam interim, Deo adjutore, cui pro quotidianis solatiis non possum satis magnas agere gratias. Eundem rogo tuis studiis ut propitius adsit. Lupisteini 17. Maji. 1620.

Vxorem & ego & uxor salutamus quàm officiosissimè: etiam Diamantium & Iunium.

Tuus totus salvo jure uxoris H. G.

EIDEM.

Amicorum optime.

Deo gratias ago, tibi gratulor quod à constante sen- 129
tentia veterum Christianorum nullis procellis te passus es abduci, quodque jam aliqua tibi assiduorum certaminum intermissio contigit. Det idem Deus ut paulo tranquilliùs posthac sacris studiis possis indulgere. Nam quæ ad Latinam linguam pertinent, si rectè se habet mea conjectura, jam publicata sunt, qua de tamen re certi aliquid intelligere pervelim, & quid nunc rerum agas. Libris tuis nimium inverecundè abutor: sed remittam simul intellexero te aliquid moliri quod eorum usum desideret. malo enim cuivis molestus esse quàm studia tua impedire, cùm alioqui nulli libentiùs sim debitor. Age quæso liberè mecum vel in hoc ne mihi mea libertas displiceat. Constitui te pridem ἐργοδιώκτην [*operum exactorem*] meum. quare rationem tibi reddam mei laboris.

Præ-

Præter ea quæ patrio sermone scripsi, quæ tibi visa puto, in Novo Testamento totus fui: jamque annotando & quæ ad rem facere videbantur excerpendo undique rem perduxi ad finem τὸ κατὰ Λουκᾶν [*Evangelii secundum Lucam*]. Nunc quæ scripsi revolvo, circumcido, augeo. respiro denique, antequam ad Ioannem pergam. Quin & hoc dubito an quæ è Stobæi Physicis & Ethicis verti, quæque mantissæ loco accesserunt, ante mihi describenda sint quàm ad Iohannem manum admoveam, ne quid relinquam affectum. Nam ut sperem mea ab alio quoquam rectè posse describi frustra sit. adeo pejùs scribendo proficio. Sed tum hac in re tum in aliis omnibus rogo si sine incommodo ac periculo tuo fieri potest nutantem me regas. Scis enim quanti consilia tua facere soleam. Uxorem tuam viri optimi optimam filiam rectè valere spero. tantundem toti tuæ familiæ precor. Scribebam hæc jam duos & quod excurrit annos seclusus à re mihi desideratissima, amicorum consuetudine. Omnipotens ille tandem omnia publica privataque ad felicem exitum perducat, ad laudem nominis sui & tutelam salutiferæ veritatis. Cujus salutari gratiæ te tuos tuaque omnia commendo. Lupisteni 8. Octob. 1620.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir optime atque eruditissime.

130 AD Tragicorum fragmenta quæ annotavi ad te mittam, quanquam non multum commendationis ad editionem afferent. In his quæ sunt edita poteras, me quidem valde volente, non in paucis dumtaxat locis nomen meum silentio tegere, ubi nihil à nobis erat observatum quod non cuivis veniret in mentem, sed & alibi sæpe conjecturas nostras præterire quibus probabiliores tibi aut à te aut ab aliis erant ad manum. Satis est si veniam nostra merentur hoc loco scripta ac tempore. nam fabulæ, unde lux fragmentis petenda, pridem mihi exciderunt. Quare posthac nolo uspiam me nomines nisi ubi conjectura nostra valde se tibi aliisque amicis probabit: nam levium ariolationum facilis est jactura. De lingua Latina cæpto instes precor, & diligenter conquiras quæ usquam sunt linguæ Æolicæ & Siculæ vestigia; inde enim majorem partem & vocum & variationum petendam judico, si quid rectè olim observatum memini. Vtinam ex essent res nostræ ut aliquem tibi usum nostri possemus præstare aut hac aut aliis in rebus. De meis sequar, ut soleo consilium tuum. Primùm sex libros Isagoges Christianismi relegam: deinde pertexam Gnomologicon ex Græco versum; tum ad Euangelia redibo. Gratias tibi habeo (& quando autem debere desinam) pro perlecta Isagoge. De sacrificiis non memini apud Socinum legere; sed videtur mihi ea esse sententia Iustini Martyris, quem & alii sequuntur, tum verò & inter Hebræos Maimonidæ & Albonis. Scio sententiam esse probabilem tantùm, nam ἀποφατικῶς [*negativè*] ex Sacris literis in rebus ejusmodi nihil validè colligitur. Tu non quid censoribus placiturum sit, sed quid verum maximè putes tecum & cum aliis cogita. Id enim sequi certum est: ac potiùs differre editionem, vel ad mortem usque, quàm aliorum captui servire. De Sabbato ita sentio: pios ante Mosem Sabbatis memoriam coluisse Creationis per preces & convivia familiaria. Rigidum autem illud otium peculiariter indictum Hebræis tum ut notam discretricem, tum solatium adversùs dominorum in servos sævitiam. si quid habes melius rogo me doceas. In Mosis lege (non dico in Veteri Testamento: nam de Prophetis præsertim posterioribus res longè alia est) æternæ vitæ non fieri mentionem nisi per umbras, aut rationis consequentiam certissimum mihi videtur. Christi auctoritate qui Saducæos non verbis directis sed ratiocinando refellit, quanquam ea ratiocinatio mihi videtur esse apertior, quàm multis putatur. Nam resurrectionis quæstionem ab immortalitate Sacræ Literæ non divellunt. Imo idem valent ἀνάστασις [*resurrectio*] & ζωὴ αἰώνιος [*vita eterna*] ipso Christo docente. Clementis Romani & in libris quæ nomen præferunt aliqua puto superesse, & si id non sit, habemus tamen fragmenta ejus quædam, quod mihi sufficit. De Iacobi Epistola ideo locutus sum hæsitanter, quia sunt qui ejus scriptorem neutrum putant Apostolorum: nam fratrem Domini, Hierosolymitanæ Ecclesiæ primum Episcopum, illi quidem nec Zebedæi, nec Alphæi filium putant: quamquam mihi quidem magis hactenus se probat sententia existimantium Iacobum Alphæi eundem esse qui frater Domini dicatur, natus matre Maria Cleopæ. De cæteris aures consulam cum versus illos in manus sumsero, quod faciam propediem; si quid aliud in mentem venit, eo quod pertineat, rogo me moneas, ut ei labori, ultimam manum imponam. Dabit autem ut spero aliquam versibus veniam materiæ difficultas. Ad D. Erpennium scribam proximè. Contigit enim plusculum libertatis, quanquam id quoque exiguum. rogo sciam sub quod tempus editurus sit illa ad passionem τὸ κατὰ Ματθαῖον [*secundum Matthæum*]. Nam quod Scriverius noster injungit differre non audeo.

Lucam Brugensem, si tibi eo opus est, remittam: si non est retinebo donec confectis quæ nunc destinavi antevertere, notata in Iohannem absolverim. Balsamone non egebo antequam ad Actus Apostolicos venerim.

Tuus H. G.

EIDEM.

Vir Optime.

QVamquam ex notis tuis didici quàm sæpe me à multis necessariis præsidiis destitutum conjecturæ fefellerint, iterum tamen Tragicorum fragmenta in manus sumpsi & quicquid in mentem veniebat illevi vilibus chartis, hoc animo, ut tu omnia ad recti judicii obrussam exigeres & si quid videretur non dictum ab aliis, non protritum, non leve (qualia multa sunt ad numeros aut versuum mollitiem pertinentia) & quod tibi aut ut verum aut ut vero simillimum se probaret, faceres juris publici. Quod si nuncupatio nostri nominis aut tibi invidiam, aut damnum operi creatura est, me non nolente silentio id prætéribitur. non multùm enim conferre nobis hoc rerum statu potest ista laureola. Denique fac de his quicquid videbitur. Deus Optimus Maximus tibi animum addat ut aliorum studia tuis studiis adjuves. 27 Decemb. 1620. 131

Tuus quem nosti.

EIDEM.

Vir Clarissime.

SEnecæ Tragœdias & quæ sub eodem nomine leguntur, relegi ut volueras, quanquam quid est quod post tot illustria ingenia præstari à me potuit dignum vestris auribus, præsertim in hac & librorum & amicorum, quorum colloquiis proficere solemus, penuria? Habe tamen hoc quantulumcunque est operæ, & liberrimo arbitratu his utere. Multa enim annotata sunt à me duntaxat ut tibi cogitandi præberem occasionem. Sunt & quædam minuta, ut quæ ad numeros tantùm, aut soni elegantiam, aut dictionis rotunditatem pertinent, sensu manente. Fortè in quibusdam conjecturis videbor audacior; sed tu quicquid accuratissimo tuo judicio non probabitur id pro non scripto habe. Vale Vir eruditissime & felicem hunc annum age. 27. Decemb. 1620. 132

Tuus ὁ μικρότατος [*minimus*] H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

CHristianissimo Regi, sapientissimo ejus Consilio, ac 133
nominatim, Vir Illustrissime, tibi, quantum dici non potest, me debere profiteor, pro susceptis laboribus ad sublevandas eas, in quas reipublicæ fato incidi, calamitates. Quanquam verò effectu suo ea res hactenus ca-

Digitized by Google

caruit, non exiguum tamen levamentum fuit, tales ac tantos videre nostris malis indolentes. Spem nunc meliorem præbet decreta in Gallias legatio; sed rursum occurrit, quàm sint nobis infensi, qui eò mittuntur, quamque facile sit omni calumniarum genere eos traducere, quorum vox carceri includitur, vel ob hoc maximè, ne orbi patefiant, quæ celari ipsorum interest. De..... quid est, quod polliceri nobis possimus, cùm tanti emat partis victricis gratiam? Ego jam tam diu dicta causa apud conscientiæ meæ auditorium, quod omnibus mihi tribunalibus est sanctius, intra intimos animi recessus nihil aliud reperio, quàm perpetuò propositum nobis fuisse, salva opinionum libertate in illis, quæ disputabantur, retinere Ecclesiæ unitatem: quæ res neque veteribus, neque novis exemplis caret. In republica nihil unquam novatum volui: cordi mihi fuit eorum jus tueri, quibus me & natura subditum & muneris ratio ministrum fecerat, quibusque fidem meam addixeram: manente penes Fœderatos & Principem ea potestate, quam publicis suffragiis delatam hucusque obtinuerant. Qui rem norunt, facilè intelligunt, hoc unum nostrum esse crimen, quod rempublicam non gesserimus ex illis legibus, quas isti ex suo usu erant constituturi. Si eo nomine bonis, honoribus, fama exuimur, ne id quidem sine exemplo est. Sed illud durissimum, quod & infirmitas corporis mei cœlo, & animi mœror amicorum solatiis destituitur. Potiùs tamen & hoc, & si quid pejus fingi potest, Deo adjuvante, perpetiar, quàm veniam poscam earum rerum, in quibus animus culpam non agnoscit. Si qua est recuperandæ libertatis honesta ratio, nulli eam libentiùs sum debiturus, quàm Regi regnoque vestro, quorum ego immensa in Rempublicam nostram merita prædicare, amicitiam commendare, salubria consilia ab inimicorum calumniis defendere nec liber, nec captivus unquam desii, neque verò unquam sum desiturus. Atque utinam cum publicis illis etiam hoc in me privatim collatum beneficium aliquibus ingenii monumentis ad posteritatem possim transmittere. Is certè mihi gratissimus sit futurus tum vitæ tum libertatis fructus. Quod si id supra opem est nostram, tamen quicquid mihi Hogerbetioque, cujus causam cum mea conjunctissimam pariter commendo, erit præstitum, apud cives nostros summi, medii, infimique ordinis gratia ac gloria non carebit. Deus optimus maximus Regi Christianissimo florens regnum & patrias virtutes, tibi, fidisque ejus ministris hoc det, ut optimo Regi quàm felicissimè inserviatis. 15. Ianuarii, 1621. Ex carcere Lupisteni.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

134 DEbeo hoc meis malis, Maureri Illustrissime, quod aliena mala seriùs ad me perveniunt. Tuum quoque vulnus, quod alioqui inter primos intellecturus fueram pro jure amicitiæ, quo me honorasti, nunc scio post omnes, & tanquam ea, quæ in extremis Europæ partibus geruntur. Excusabit hoc officii mei tarditatem, cui tamen etiam citra necessitatem ratio sua constare potuit. Gratiora enim esse solent solatia, quæ tunc adhibentur, cùm detumuerunt primi æstus, & illa, ut ita dicam, voluptas dolendi: cùm jam fessus morbo suo animus incipit minùs odisse remedia, & tractatricem manum pati. Scio quàm te malè habuerit nostra calamitas, & vel ex hoc ipso intelligere potes, non immunem me fuisse tui luctus. Misceamus, si placet, dolendi causas ut & solatia quæramus pariter, & quæsitis in commune utamur. Neque verò ignoro, quàm nihil à me, tot præsertim animi corporisque præsidiis destituto, afferri possit, quod non & meliùs & efficaciùs dictum sit ab his, qui aut sapientiam aut eloquentiam aut pietatem professi, olim immoderato luctui bellum indixerunt. Sed in me expertior, nunquam nimis sæpe dici, quod nunquam satis animo infigitur. Detergenda & in usum revocanda sunt tela, quibus ipsa vetustas rubiginem obduxit. Adde, quod monita communibus verbis concepta præterfluunt, ut solent, quæ ad turbam dicuntur. Magis penetrant eadem illa, si, ad causam nostram contracta, alium, cui imputentur, non habent. Hoc nobis spatium ingredientibus illud primo loco etiam atque etiam videndum est, sitne animi mœror in iis rebus, in quas aliquid juris est nostro labori, atque industriæ. Nam si necessariò & naturaliter omnes tantum animo dolemus, quantum fert rei magnitudo & ingenii cujusque immutabilis conformatio, facilè intelligimus, omnem in contrarium operam frustra sumi. Neque verò dubito, quin rudes interdum animi, tali aliqua capti persuasione, raptandos se morbo tanquam insanabili permittant. Sentiunt tristes cogitationes non accitas ultrò advenire ad animum, atque inde consequi illam cordis in se refugientis pressuram quam mœrorem dicimus, neque ultra rem putantes projiciunt arma desperatione victoriæ. At nos, quibus ad internam experientiam (quæ ipsa rectè observata sufficere potuit) accesserunt honestarum artium auxilia, quorum usibus inservit omnis antiquæ sapientiæ & eruditionis labor, quatenus id verum falsumve sit ignorare non possumus, si modò nobis nos excitare, & quæ recondita habemus, in usum promere libeat. Nimirum prima illa visa & quæ inde nascuntur subitæ motiones, quas oculorum nictibus sapientes comparant, extra jus nostrum sunt: at ea visa indijudicata penitus in animum admittere aut ad veri revocare trutinam, affectibus quoque aut laxare frenum aut adducere, maxima ex parte nostræ est potestatis. Vinci luctum posse, ipsa natura nos docet: nam si non aliter, die certè consumitur. Naturam ars imitatur, si quem morbum Medicus levatum videt sudore naturali, ipse etiam nactus pari in malo cubantem tentabit ei recludere meatus & clausum madorem proliceere. Novum philosophantium genus chymici, digni ob multa insigniter reperta laude & gratia, ni utrumque corrumperent nimia pollicendo, docent metallorum ambulatoriam esse naturam, aliaque ex aliis fieri longo sæculorum decursu. Suam autem industriam in eo sitam, ut impellatur naturæ conatus, citóque fiat, quod omnino futurum est. Simile est rectæ rationis officium in mœrore superando: luctus hoc supra cætera vitia boni habet, non fert ætatem. Alios animi morbos dies alit, hunc conficit. Intelligas imbecillum esse hostem, qui se ipse sustentare non potest, & si nulla vis occurrat, tandem in se cadit. Quod in diem promittit natura, hoc ratio repræsentat. Legamus ergo, quod artis esse diximus, naturæ vestigia. Cùm paulatim dolor animi recedit, nulla plerumque fit in re mutatio, sæpe etiam augetur, si quod fuit incommodum; ut cùm ei, qui amicum aut conjugem amisit, obrepit senectus multis auxiliis indigens. Unde ergo pax illa animi adeo pridem æstuantis? Nimirum ipsa rei species minùs sæpe animo occurrit; allabitur, non illabitur; perstringit, non vulnerat; postremo ne perstringit quidem. Videamus an non sibi quisque præstare possit festinam hujus boni maturitatem. Plerique omnes dolorem non patimur tantum, sed facimus, dum tristiores cogitationes advocamus; in luctu præsertim, ubi cruciatus blanditur sub specie pietatis. Vbi aut accitæ aut sponte etiam advenerunt, fovemus sollicitè, & malo nostro patrocinamur: idemque facimus, quod hi qui specula quærunt, imagines verò majores referentia. Quid non efficere posset pro se hominis ingenium, quod tantas vires suas contra se experitur? Hostem nobis esse mœstitiam negare non possumus. ostendit hoc ipsa corporis exhausti macies, in vultu pallor, animi dejectio, dolendi causæ plerumque justiores, quàm id, quod in dolorem nos induxerat. Videamus ergo, quid facere soleant, quibus cum hoste res est. Si validus ille & primo impetu violentus, dum tuæ adhuc coguntur copiæ;

prima

Digitized by Google

prima cautio est non concurrere: mox ubi vires tuæ tibi placere cœperint, prodibis in campum, & signa explicabis. Ita dum recens incommodi species, dum tener animus; optimum est alio potiùs cogitandi vim deflectere. Nulli id facilius, Vir excellentissime, quàm tibi, cui nec quærenti ultrò se ingerunt negotia tantæ molis ac laboris tanti, ut facilè totum animum occupent. Rex, cui inservis maximus & inter Christianos primus, tempora difficilia, res multæ atque multiplices, quid aliud tibi dicunt quàm, Hoc age, lugere tibi non vacat? Verissimum est dictum illud vetus, animum quo intenderis, ibi valere. Intendendus autem haud dubiè eò, ubi pretium est laboris; quod nusquam minus, quàm in luctu, nusquam majus, quàm ubi res poscunt Regis & Patriæ. Rem omnibus notam dici fortè non attinet; dicam tamen, sed Græci Poëtæ verbis, quæ talia sunt, ut quamvis protrito sermoni gratiam addant.

Lamenta nostris si mederentur malis,
Et possent fletu deliniri miseriæ,
Auro licerent contra & pluris lacrymæ:
Nunc non attendit luctum res; nec respicit:
Seu plores, seu non plores, insistit viam.

Scio hoc, ajebat Solon, & eò magis doleo, quod dolendo nihil proficere me sentio. Sapientis viri dictum valdè insipiens exemplo nobis esse potest, quantùm dolor judicio officiat, qui & Solonem nugari docuit. Nam in rebus illis, in quibus aliquid valet cura atque industria (cujus generis esse mœrorem verè ostendimus) non videndum est, unde cœperit motus, sed quo tendat. Rationis est prospicere, non respicere. Itaque interrogare se sæpe debet, qui quicquam facit, Cur hoc facio, quid spero, quid cupio? Hoc si se interroget, qui luctum fovet, aut ei castigando operam non dat: videbit, quàm nihil habeat, quod respondere sibi possit. Video, quid hic occurrat, durum esse atque immane id agere atque moliri; quo minùs de ea sæpe cogites, quem tam impensè ac tam merito amaveris, nec ob virtutes minùs, quàm quod uxor erat. Meminerimus ergo, ad tempus hoc præcipi, & quod in Labyrinthis fieri solet, planè in contrarium viam hanc ducere, quam situs commonstrat. Sic brevis inedia facit, ut sumptus postea cibus bene concoquatur, & in succum transeat. Volo ego illam, quàm diutissime & quàm sæpissime animo tuo obversari, sed ut delectet ejus memoria, non ut excruciet. Injuria illi fit, cùm in mariti pœnam advocatur. Tunc veniat, cùm venire poterit, qualis solebat blanda, comis, hilaris. Hæc, quæ nunc animo occurrit ejus imago tristis & gravem sui relinquens memoriam, falsa est, ipsam non refert. Iam tempus illud prævideo, cùm illa morum suavitas, ille tui amor ac reverentia, illud indefessum in liberis rectè educandis studium, illa sincera in Deum pietas, & quidquid in plurimis ejus desiderari, in paucis verè laudari solet, animo tuo se offeret, non tuto tantùm, sed & cum gaudii sensu. Cùm juvabit ejus meminisse, & singulos ejus actus liberis ob oculos ponere optimum vitæ exemplar. Nunc sepone paulisper ejus cogitationem, quam cum usura mox repetes. In hoc tibi proderit, ut dicere cœperam, vis illa immensa negotiorum, quæ alium pressura, tibi leviter insidet. Nunc tempus est, si quando alias, immergi publicis curis & nihil in animo vacuum pati. Accedant amicorum colloquia, sed fortium & sapientium, non eorum, qui imitatione tristitiæ se commendant. Accedant & libri majore, quàm antehac, diligentia evolvendi, ut, quæ laborum tuorum respiratio fuerat, nunc pars sit laboris. Hi non tantùm receptum tibi dabunt tutum ab hostis impetu, sed & obiter arma in hostem. Nam sive rerum naturam capacissimo animo evolves, videbis, quàm nihil sit extra mortis regnum, ne ipsa quidem elementa. Omnium legum latissimè hæc patet, quæ exitio damnat, quicquid natum est. Communi ruinæ unum caput subductum velle, magnæ inscitiæ est. Sive ad ea converteris, quæ de moribus sunt prodita, in pulcherrimo virtutum grege Fortitudinem conspicies, firmo corpore, capite erecto, vultu alacri; contra in vitiorum turba Mœstitiam macie exesam, pallore fœdam, nubila fronte, dejectis oculis: sive Annales perlustras, invenies exempla eorum, qui parentum, liberûm, conjugum mortes animo tulerunt minùs commoto, quàm noster est, cùm eadem illa perscripta legimus. Per has igitur artes elapsus primi temporis pericula ac confirmatus interim animus, tandem prodeat & in pugnam se paret. Sed hic quoque sequendos censeo Imperatores providos, qui quantum possunt, hostium copias diducunt, ut cum partibus singulis pugnando faciliùs vincant universas. Confusa res est luctus, multa simul atque indiscreta animo objicit, quæ conferta perterrent; si dividas, evanescunt. Omne id, quo nunc ille in te pugnat, aut ipsam, quam luges, aut te, qui luges, aut communes liberos, quibuscum & pro quibus luges, respicit. Hæc singula si expendas, invenies partim nihil in illis esse dolendum, partim, si quid incommodi est, majoribus bonis abundè pensari. Ab ipsa incipiam. Omnibus in ore est illud, quod passim apud Christianos scriptores, sed (quod magis mireris) etiam apud Antiphanem his verbis legimus:

Lugere amicos luctu moderato decet:
Nec enim perierunt, sed eam, quam necessitas
Imponit cunctis, anteverterunt viam,
Et nos cutati mox suo quisque ordine
Cogemur omnes in idem diversorium,
Pariterque cum illis ævum agemus alterum.

Huic loco eo magis immorandum est, quia vel solus sine cæteris, si rectè expendatur, consolationi sufficit. Nolo quicquam mihi credatur, nisi testem do locupletissimum Doctorem gentium, fundatorem Ecclesiarum, vocatum de cœlo Apostolum, qui humanæ quoque sapientiæ litteris tinctus, omissis aliis omnibus, quæ dici poterant & solebant, luctus immodestiam hoc uno fulmine prosternit: *Non patiemur, fratres, ignaros vos esse ejus rei, quæ ad sopitos pertinet, ne perinde eos lugeatis, ut solent illi, qui nihil certæ spei conceperunt. Nam si verum est, quod credimus, mortuum fuisse Iesum, & resurrexisse, certè etiam Deus eos, qui obdormierunt, quique per Iesum sibi commendantur, eo adducet, ubi cum ipso Iesu sunt futuri.* Solent Epistolæ breviùs dicere, quod familiaris sermo liberaliùs explicat. Quod si, ut creditur, postquam hoc scripserat Paulus, disciplinæ suæ alumnos Macedonas iterum vidit, potuit saluberrimum hoc oraculum fusiùs hunc in modum prosequi. *Amici, quos in parem nobiscum sortem natura genuit, sed rursus in parem sortem divini sermonis satio reformavit, scitis officii esse nostri penitius educere, quicquid in vobis pristinæ sortis remanet. Ipse vultus, ipse habitus gestusque vester loquitur, angi vos animi & diu & graviter; si quid de proximis affectibus oculis vestris subtractum est. Nimirum vidistis id ipsum in majoribus vestris, videtis etiamnum in iis, quibus permixti vivitis. Magna vis est vitii, quod parentum auctoritas commendat, magnum & contagium a morbi, qui non homines singulos, sed populos insederunt: verùm meminisse vos oportet, cui disciplinæ dederitis nomen, cùm animorum mundiciem corporis vestri lotio figuravit. Stipulatus à vobis sum, ut à sæculo divortium faceretis. Cum DEO pax non minoris emitur. Habemus placita, habemus & ritus, qui nos à mundo segregant & aliam faciunt humani generis portionem. Etiam vocabula rerum non eadem usurpamus. Quos interiisse illi dicunt, nos in soporem datos dicimus. Ita loqui nos docuit optimus, non vivendi tantùm, sed & loquendi magister. Quid sibi vult ista verbi novitas? Somnum mortis esse imaginem, etiam Græcorum Poëta & Philosophi prodiderunt; sed non respondet apud ipsos similitudo, qua apud nos exactissima est. Vitam ex motu & actione intelligimus;*

Digitized by Google

bus deficitur corpus, ubi somni vinculis constrictum & quasi sepultum jacet: ubi nocte depulsa dies effulsit, redit ille non amissus, sed intermissus vigor, atque interim animus, qua sine corpore potest munera obeundo, temporis utriusque fines sui actus perpetuitate connectit. Ita cùm mortalis ævi terminus advenit, jacet corpus torpidum atque otiosum, sive ejus, quod proximè fuit, formam adhuc retinet, sive jam originis suæ partes reddidit. Sed expecta, dum magnus dies illucescat; jam apparebit ad tempus requiesse, quod perditum videbatur. Interea pars illa, quæ non aspicitur, pro toto homine possessionem vitæ retinet. Confer cum hac nostra fide, quod cæteri per tot devia currentes sentiunt, cum in plurimis maximisque dissentiant, in hoc ferme uno concordes, quod vitam corpori redituram desperant, ac proinde homini abjudicant immortalitatem. Nam homo est corpus animatum, non animus sine corpore, ut nec corpus sine animo. Animum ipsum elapsum è corpore plerique illorum aut in nihilum redigi arbitrantur, aut certè non retinere propriæ substantiæ statum. Ita totus homo illis sine spe restitutionis destruitur, quod ex ipsis illis consolationibus videre est, quas lugentibus adhibent. Mortuis enim dicunt non bene quidem esse, sed nec male. Quanquam autem hi satis duriter, multo tamen durius de animo sentiunt, qui eum faciunt corpori superstitem. Nam inferos, id est communem, ut ipsi volunt, animorum è corpore egredientium sedem, depingunt locis vastis, horrida nocte, tali denique rerum facie, quam nemo non velit alia morte effugere: &, quod pessimum est etiam, quibus cætera supplicia remittunt, unum illud indicunt supplicium nunquam desiturum, inane desiderium vitæ prioris. Quod si qui inter ipsos (& hi sane pauci) melius quid ominantur, hæsitant tamen & fluctuant, optantibus quam affirmantibus similiores. Vos autem, manere animis redituram & corpori vitam, inter ipsa doctrinæ nostræ elementa didicistis. Quod vota nostra consummat, idem & initiationis sanctæ formulam absolvit. Interrogati an crederetis carnis resurrectionem & vitam æternam, Deo Deique populo teste respondistis singuli, vos credere. Ex hac formula vos convenio, sed non satis est leviter assentiri: opus est radices in animos agat ista persuasio; ita maturos & pulchros, & perstituros fructus proferet. Multum ad hanc rem valet attenta meditatio argumentorum, quibus inducti huic sententiæ subscripsistis. Non orationum calamistris vos captavimus, non alio consequentiarum suggestu rudioribus ingeniis nebulas offudimus, sed rem perduximus ad id, quod viris, fœminis, doctis, indoctis, adolescentibus, ac senibus commune est, interque res omnes certissimum habetur, sensuum judicium. Rerum naturæ indagator inter Græcos maximi nominis, cur multa sint incomperta hanc caussam adferebat.

Hæc quia nec possis oculorum cernere visu
Prendere nec manibus, fides certissima, qua se
Fert via, & humana subit in penetralia mentis.

Præterclusit nobis hoc effugium Deus, ut rei speratæ specimen ac pignus oculis manibusque nostris ingessit. Iesum Christum nostræ fidei auspicem, cruci affixum & in cruce mortuum vidit Hierosolymorum civitas, vidit senatus, vidit cohors Romana, & illa quamvis magnæ urbi gravis advenarum multitudo, sepultum fuisse & in sepulchro jacuisse per duas noctes & interpositum diem, & sigilli documento & custodiæ testimonio constat. Hactenus nobis cum hostibus convenit. Hunc ipsum Iesum post id tempus viventem iterum viderunt fœminæ, viderunt & familiares; tum singuli aliquot, tum undecim universi; nec semel tantum: fuere & qui manus ac latera contrectarent. Ne quid ad plenissimam fidem deesset, quingentis simul testibus spectandum atque audiendum se præbuit: quorum pars magna vivit & testimonium dicit. Vt ad me veniam, vidi ipse eum divina majestate fulgentem, nec alio auctore mutavi partes, & sacramentum ei dixi, in quem omne odii virus effuderam. Estne adhuc qui dubitet? At nullus æquus judex tot testes rejecit integræ vitæ, quibus nullum mentiendi pretium. Nobis hoc testimonium tantum abest, ut lucrosum sit, emendum est jactura omnium rerum, propter quas homines mentiri solent: ideo odia incurrimus etiam proximorum; bonis exuimur; patria ejicimur; de vita quotidie periclitamur. Nemo tanti emit, alium fallere. Quod si recipitur testimonium nostrum, evidentissimo exemplo constat, corpori mortuo posse à Deo restitui vitam. Sed & hoc idem eventurum omnibus Christi instituta sectantibus, eodem argumento evincitur, modo id constet, quod constat multorum millium auditu, Christum id spopondisse. Nam resurrectioni nostrorum corporum Christus testimonium præbet, Christo vicissim sua resurrectio. Neque enim Dei æquitas ferebat, ut is bonos contingeret, nisi vera nuntianti, præsertim cùm is ipse jam ante eventum, hoc dedisset pignus suæ affirmationis. Credite ergo nobis, Christum revixisse, credite & Christo revicturos omnes ad immortalem beatitudinem & beatam immortalitatem, qui in ipsius disciplina exspirant. Ipse nos Patri sistet, qui semel à patre impetravit, ut nihil frustra roget: ipse nos honoris sui participes introducet in illa imperturbatæ pacis loca, ubi nec morbis ad corpus, nec vitiis ad animum aditus dabitur, ubi vita erit sine mortis metu, gaudia sine mœroris mixtura. Hujus cœnæ jam gustum habent, qui hinc abierunt animi Christianorum, in dulcissima tranquillitate expectantes summam non sine corporibus implendæ felicitatis. Hæc qui ex animo credit, tantum abest ut doleat, non potest non gratulari iis, quos ad communia vota præmisit. Verè enim rem æstimanti non mortui sunt, sed mori nunc demum desierunt. Longius me, quàm putaveram, produxit Pauli locus, dum singula ejus verba, verborumque vim, conor excutere. Neque enim ullum remedium luctui melius dari posse certus sum, quàm quod ille magnus animorum medicator inter immensos salutaris sapientiæ thesauros ab ipso cœlo detulit. Et sic quoque, quàm multa omisi, quæ ex eodem illo fonte hauriri poterant? sufficient tamen, quæ inde deduximus, dum avidè bibantur, & ita ut omnes viscerum sinus permeent. Crede, sed tanquam videas, optime Maureri; tuæ tot tibi ob causas dilectissimæ uxoris anima jam virtutum suarum dulcissimos fructus percipere cœpit, & promissa sinceræ pietati præmia delibat. Ultima tot sæculorum clausula totam ipsam ipsi reddditura, immensa illa bonorum congeries, citra quam longe consistit, quicquid cogitari & optari potest, non eminus illi ut nobis, sed de proximo & quasi ante oculos posita, expectatur. Quod jam habet, ita magnum est, ut nihil desit, & tamen plus est quod videt, se habituram. Neque est quod dicas, potuit eodem serius pervenire. Plus accipit, qui tempore plus accipit; magna est felicitas cito esse felicem. Quàm multa mala partim certa partim incerta lucrifacit, qui maturè hinc educitur? quot hominum sunt exempla, quibus magno constitit vita productior? Possem hic referre morborum cruciatus, & ictus fortunæ nunquam magis metuendæ quàm cùm blanditur; & quæ certè diu vivendo nemo evadit incommoda senectutis. Vnum mihi satis magnum cito moriendi pretium videtur, poni extra omne delinqendi periculum. Restat ut dicas, non ipsius, sed mea causa doleo; atque istuc jam veniebam. Nam id dici solet, sed quàm non rectè, facile intelliget, quisquis doloris ejulatibus ad rationis verba non plane obsurduit. Apertè enim in amicitiæ leges peccare se fatetur, qui huc confugit. Nam qui ex indigentia amicitiæ originem repetebant, omnium ferme Philosophorum sibilis sunt excepti: ne apud vulgum quidem, cujus mos est ex utilitate pleraque metiri, causam tenuerunt. Amicitiæ affectus foras prominet, sui oblitus, in alterum fertur. Strepunt plausibus theatra, quoties Pylades aliquis Orestis pericula in se derivat; adeo consensus hominum existimat in re pari officium esse amici, amicum sibi præponere. Quanto magis absorberi debet incommodi nostri sensus ab ejus, quem amare nos profitemur, felicitate, quoties multo plus in hac boni est, quàm in illa mali? Laudatur Zopyrus, quòd sibi corpus sciderit, vultum truncarit, ut Rex suus magna sed una tamen urbe potiretur; & tamen inter ista aliqua erat comparatio.

In

In tua causa, si in una lance ponas uxorem in ipso collocatam vestibulo æternitatis, fruentem Christi & sanctarum mentium consortio, extra omne id, quod aut doletur aut metuitur; in altera te, iis scilicet commodis destitutum, quæ adjicere potuit in annos aliquot prorogatum felix matrimonium: nullum invenietur in tua lance momentum, nulla erit examinis trepidatio; ita deducet jugum vis illa ponderis, quasi in tua parte nihil fuerit. Quid si ab ista oppositione te absolvo, & ostendo, etiam nudè spectata tua incommoda non tam à re esse, quàm ab opinione? Nam quo infelicior est, qui uxorem habere desiit, eo, qui numquam habuit. In opinione aliquid interest. nam rei possessæ memoria imaginem, imago desiderium excitat. Sed pedaneum hoc judicium est; licet appellare. Sedeat pro tribunali tua tot rerum experimentis, tot literarum subsidiis instructa mens, & de istius consilii sententia pronuntiet. Quod effluxit, non est: itaque nullam habere efficientiam potest. nihil nostrum est, nisi dum habemus; inde non magis ad nos pertinet, quàm quod est maximè alienum. Par igitur in re causa est, ejus qui semper caruit, & qui carere incepit: nisi quod ingratior videri potest, qui ex beneficio sumit querelæ materiam. Vis ergo videre quàm non miser sis? Respice tot hominum millia, qui ad extremos annos vitam cælibem perduxerunt sponte ac libenter, quos inter multi fuere docti, pii, sapientes, & qui ignorare non possent, quæ commoda aut incommoda maritos sequerentur. Iuvant scilicet maritos uxores & sublevant, sed juvandæ vicissim & sublevandæ. Etiamsi ex æquo onus divideretur, tamen tantum esset in dimidio dupli, quantum in simplo. Nunc ea contractus natura est, ut viros duriùs obliget, ad quorum tutelam se recipit sexus infirmior. In Græca Comœdia quidam, si optio sibi à Deo daretur an bicorpor esse vellet, negat se usurum beneficio. Causam addit, quia futurum videret, ut pro pluribus oculis, auribus, brachiis & pedibus plus item deberet sollicitudinis, quando pro illis omnibus sustentandis, tuendis, regendis, ornandis, animus teneretur. Dulce est, in rebus secundis habere, cui per te bene sit. Sed quo magis aspirat fortuna, eo diligentiùs contrahenda vela & cavendum anxiè, ne quis vitæ color etiam in summa innocentia ad calumniam pateat, quam felicibus & eminentibus effugere difficile est. Si quid adversi evenerit, partem quidem doloris in se recipit uxor; sed quæ multo graviùs in maritum reflectitur; sicut ardentiùs aërem feriunt solis radii ab humo repercussi. Primitivo dolore gravior ille est, quem gignit aspectus propter te dolentis. Neque hæc eo dico, quod cælibis vitæ præconium susceperim: satis est si ostendo, cùm utrumque vitæ genus commodis & incommodis temperetur, æquo animo & quasi nihil magnopere intersit, ferendum utrumcumque obtigerit. Speciosior dolendi obtentus ex liberis petitur, quorum educatio melius procedit partitis inter utrumque parentem operis. Est hoc aliquid, sed cui abunde Deus prospexit. Est tibi indefessus vigor; & si tibi toto te uti libeat, pro utroque sexu suffecturus. Rescinde à negotiis & studiis, quantum illa cura desiderat, imo illam curam optimum & studium & negotium puta. Majora ipse exsequere, minora præscribe: & quàm potes sæpissime per dulcem liberorum gregem circumfer paternos jam & pro maternis oculos. Respice & magna domus subsidia, Regem optimum, qui diligentiam fidemque tuam perspecta habet atque ideo grata; claram dignitatem; rem honestè partam, florentes cognatos, affines, amicos. Vides, si quid ad laborem accesserit, quàm magna tibi solatia in antecessum sint data. Tum vero ipse ille labor decrescet sub manum, cùm ut quisque liberorum tuorum ætate proficiet, ita tibi in sui atque aliorum curam succedet. Quàm verò de hoc onere non justè queri possis, vel hinc intelliges: Si uxor tibi vacuam prole domum reliquisset, credo, ut fieri solet, diceres,

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet.

Quod si quis etiam tibi futurorum præscius dixisset ante nuptiarum diem, Frueris per annos non paucos felice & concorde matrimonio; scis autem necesse esse, ut alter alteri sit superstes: dabitur hoc teneriori sexui, ne illa te lugeat: elige velis an nolis per ipsam & post ipsam pater vocari: Dixisses, non dubito, Habeam, cum ipsam ultra non licebit, viva ejus simulacra & fortunæ communis successores.

Instructa inopia miseraque est felicitas,
Divitiæ heredem cum non inveniunt suum.

Quid ergo est, quod te dolere cogit aut etiam permittit? Ipsa, at ei bene beateque est. Cælebsne vita, quæ tibi imposita est? at ea vita nunquam non ausa est cum matrimonio de felicitate contendere. Liberi? at carere iis nolles: si orbus esses, doleres. Nunc hoc tibi dolendum videtur, quod orbus non es? Morosum sit, quicquid evenerit, accusare. Quod si rigidiora hæc tibi videntur, remittam non nihil, & aliquid adversi tibi accidisse largiar, sed ut eo ipso evincam esse cur gaudeas. Tam vim quàm sapientiam Dei nullo limite teneri omnes agnoscimus. Id si ita est, nihil accidere potest aut omnisciente ignaro, aut omnipotente penitus invito. Facit ergo quævis aut fieri permittit; in utroque necesse est sua ei constet ratio. Curat ergo Deus omnia, non tamen pariter, quia nec paria. Pro rerum gradibus sunt & providentiæ gradus. Res bestiarum laxiùs regit, humanas adductiùs. In ipsa humani generis universitate propiore cura dignatur Reges, & quicunque sunt alii gentium custodes tanquam terrestria sidera, unde aut belli tempestas, aut pacis serenum in populos defluit. Sed nihil magis cordi habet summa illa bonitas quàm homines bona fide Christianos. Horum usibus ipsa vult regna famulari. Nihil in universum constituit, in quo non hos respiciat singulos. Ergo & quæ contra ipsos videntur, pro ipsis sunt. Decretum illud inexpugnabile est: *Omnia in bonum cedere Deum purè venerantibus.* Neque miremur, si eos Deus non delicatè, sed sub disciplina habet. Paternum & hoc est. Aut si quid illis in turba agentibus contagii adhæsit, medicamento acri & viscera commovente purgandum est: aut antequam morbus ingruat, inamœnæ salubritatis succo præmunienda est animi valetudo: aut certè commissione explorandus est Dei miles, ut sentiat ipse, videant alii, quousque profecerit. Nulli non virtuti materia ex difficili quæritur, semper quidem Deus à piis tales operas exegit; sed à Christianis merito majores, qui vel ex ipso crucis vexillo intelligere debent, qua lege sint auctorati. Dux ipse per omnia adversa in cœlum eluctatus, hanc viam dedicavit. Timere debet, ne Imperatori displiceat, qui ad nulla pericula citatur. Quis verò non magno animo in illam arenam descendat, in qua & vincenti præmium certum est, & pugnare volenti certa victoria? Nam qui remunerator est, idem & adjutor; coronam ostendit, arma suppeditat: non est, quod imbecillitatem caussemur. Æquissimus certaminis arbiter ita paria disponit, ut neminem committat, nisi quem aut valentem satis norit aut velit facere. Cœlestis auræ auxilium non magis ille, ut oportet oranti, negare sustinet, quàm panem filio esurienti benignus & dives pater. Quàm multi olim Philosophi, quàm multi etiam minoris ordinis communioribus præsidiis excitati dolorem sub jugum miserunt; & nos neque ab usu rationis, neque à litterarum adminiculis destituti, præterea verò certi de eximio illo atque peculiari subsidio, ulli calamitati quantumvis magnæ terga dabimus? Neminem verò id deceat, & te minimè omnium, Amplissime Maureri. Excelso in loco positus splendes, & tua luce & ea, quam tibi Rex potentissimus affudit. Quicquid agis, in conspicuo est, & in exemplum abit. Fac dicere aliquando liceat:

Ita fer uxoris mortem ut Maurerius tulit. Neque timendum est, ne minùs uxorem dilexisse videaris, si minus lugeas. Virtutes illius animo recole, liberis trade, & quod potes illustribus ingenii monimentis ad posteritatem propaga. Hæc veriora sunt charitatis pignora, quàm facere, quod illa fieri nolit. Apud omnes gentes sanctæ sunt defunctorum voluntates, neque tantùm, quæ nuncupantur aut tabulis præscriptæ extant, sed & si quas probabilibus argumentis conjectura assequitur. Non nescis quid illa voluerit, quid nunc etiam velit, si qua est in tanta tranquillitate rerum nostrarum cura: nimirum ut quod restat ævi, quàm dulcissimè transigas, neque unquam ipsius, nisi tranquilla, aut etiam, si fieri potest, læta mente memineris. Idem puta Regem velle, cujus interest, ut & animo & corpore quàm optimè valeas. Plura non addam, ne sapientiæ aut fortitudini tuæ videar diffidere. Hæc ipsa, quæ dixi, quantò tu meliùs tibi diceres? &, ut puto, dixisti. Equidem nihil malo, quàm ut officio functus sim à me debito, tibi non necessario. Dulce est amicorum fidem ex auxiliis cognoscere, etiam cùm jam eorum usum spe celerior victoria intercepit. Dabam Lupisteni 3. Calend. Martias Anni 1621.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

135 SI quod est certissimum, Vir Illustrissime, certius fieri posset, certè tua illa, quæ me Antverpiæ deprehendit Epistola, certum me summæ tuæ, nullis provocatæ meritis, nullis unquam gratiis repensandæ benevolentiæ, fecisset. Nunc ad amoris fidem nihil, ad gaudium meum ex illis literis multùm accessit, cùm ita me tibi cordi curæque esse video, non ut solent, quos de more amicos salutamus, sed ut, quos proximæ necessitudinis vinculum adstringit. Noli igitur dubitare, quin tantum semper tibi sim debiturus, quasi, quod voluisti, beneficium ipso eventu mihi præstitisses. Nihil enim animo tuo decessit inde, quod gloriam operis Deus occupavit. Et nunc, quæ præstas, quæque offers, tanta sunt, ut si quid esset, quod cum libertatis bono posset contendere, ista certè possent, quæ ad vitam, salutem, dignitatem atque existimationem meam, apprimè pertinent. Primum receptum in hac urbe legi, ut hic explorarem, an non intempestivus futurus esset meus in Galliam adventus, dum ibi est nostratium (nostrorum dicere non possum) Legatio. Eam ob causam virum summum, Præsidem Ianninum, per literas conveni. Sed quod ab ipso exspectabam, abundè mihi tua Epistola præstitit. Quare, quod bene Deus vertat, sequar te consulentem. Eò ibo, gratias acturus iis, qui pro libertate mea tam impensè laborarunt. Interim veniam rogo, quod tot modis tibi obstrictus, memoriam incomparabilis matronæ, uxoris tuæ, nullo monumento celebravi. Chartas mihi transmissas, quæ argumentum exhiberent, in carcere reliqui: jamjam aliquid meditaturus, nisi me insperata felicitas carceri simul & chartis abstulisset. Ergo, quod captivus debebam, à libero exspectabis. Vale Vir maxime, & quem mihi prope extincto servasti amorem, serva renascenti. 30 Martii, 1621. Antverpiæ.

IANO GROTIO.

S. P. Pater.

136 DEcimo tertio hujus mensis sub noctem multam Parisios adveni: quo Antwerpia, sed per ambages & alieno habitu contenderam. Id certius visum quàm præsidium militare deposcere. Deus consilio meo felicem dedit eventum, sed cùm huc venissem Rex & aula abierant ad Fontem bellæ aquæ. Remanserat Boissisius qui mea causa substitit, ut à me salutaretur. Ex ipsius sententia Parisiis, manebo, donec quid faciendum mihi sit ex Aula certior fiam. Non tantùm quæ ad securitatem meam pertinent, sed & alia sperare me jubet. Omninò amicos hic plurimos reperio, magnæ dignitatis atque auctoritatis. Quid de cætero futurum videbimus. Interim consultum omninò est, ut vos pro uxoris libertate sine mora, quantum fieri potest, laboretis, neque desistatis antequàm aliquod habeatis rescriptum: cujus exemplum mihi transmittatis, ut hic cum amicis deliberem quid ultra faciendum sit. Legatis patriæ hinc discedentibus Rex abundè testatam fecit suam pro Reip. nostræ salute curam, ostenditque penes se non staturum quominùs se quàm amicissimo uterentur, sed ante federis instaurationem voluit sibi satisfieri iis in rebus in quibus negat eam sui habitam rationem quam beneficiorum magnitudo postulabat. Ego non desino omnibus mihi rectè volentibus Patriam commendare cujus amorem mihi nullæ unquam injuriæ extorquebunt. Vbi ad me scribetis, litteras destinare poteritis ad mercatorem Rambouilletum, à quo pecunias mihi necessarias accipiam. is Parisiis habitat. Si qua occasio est curandi Rhotomago inscribi poterunt Bloisio fratri Couwemburgii. Is enim Rhotomagi habitat, Parisiis litteras permittere poterit. Saluta, matrem, D. Lassonium, avunculum, materteram, fratrem, sororem & quicquid amicorum est: nominatim affinem De Byæum cum familia. 16 Aprilis 1621. Lutetiæ.

Tuus tibi obedientissimus filius. H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Vir Illustris.

EX te potissimùm disco, quanta sit non in superficie natantis, sed penitùs in animum demersæ bonitatis constantia. Adeo tu semper me sublevare, fovere, ornare non desinis. Sentio hoc ex eorum benevolentia, quos tua mihi potissimùm benevolentia conciliavit. Puteani & Perrezii, qui sine mora, ut adventus mei nuntium accepere, ad me visendum accurrerunt, comitati nihil non debeo. Præses Ianninus literas ad me scripsit, cùm adhuc Antverpiæ me esse existimaret, plenissimas amoris, &, quod maximum judico, innocentiæ nostræ tantum reddentes testimonium, quanto majus exoptari nullum poterat. Talem & Boissizium reperi, quem domi suæ conveni, ubi, ad aulam abiturus, mea causa substiterat. Ex utriusque consilio Lutetiæ quiesco: facturus de cætero, quod ipsis ex usu videbitur; quorum me sapientiæ, fidei, caritati, totum committo. Hæc omnia ideo tibi narro, ut intelligas, quàm multis magnisque nominibus tibi obstringar. Solvendo cùm non sim à me ipso, Deum pro me tibi delegabo, qui se omnium beneficiorum vicem non sperantium expromissorem statuit. Is diu te incolumen servet, efficiatque, nequicquam posthac nisi pro aliis doleas. Lutetiæ, 22. Aprilis, 1621. 137

GERARDO IOANNI VOSSIO.

HAud facilè quenquam esse arbitror, amicorum optime, quem aut magis tetigerit malorum meorum sensus, aut cui gaudii plus attulerit benignior mea fortuna. Quare ingratum me judicarem nisi tibi inter primos ipse nuntiarem eam quam divino beneficio nactus sum non libertatem tantùm, sed & plenam libertatis fiduciam. Lutetiæ enim nunc sum salvus, incolumis, ubi quotidie doctissimorum hominum liberalibus colloquiis longæ solitudinis tædium repenso. Inter eos quos cum summa mea voluptate vidi est Franciscus tuus Iunius, tibi simillimus tum cætera tum hoc quoque quod nos constanter ac fideliter amat. Spero tam felix ingenium tanta diligentia excultum, tanta probitate ornatum, non diu fore ab usu sepositum. Tu quoque quid agas, quid scribas, quid editurias fac sciam quæso. Certò enim credas cupio nihil mihi gratius literis tuis advenire posse, quas fraudi tibi non fore confido, cùm hic me quotidie procerum nostratium filii invisant. Scriverium rogo salutes, & Senecæ editionem, meo nomine urgeas. Valde enim is liber ab eruditis exspectatur. Pro libris tuis quibus usus sum in car- 138

Digitized by Google

carcere gratias ago. Dolet maximè quod eos reddo deteriores, ut & Erpennio scripsi, quem simul oravi det operam ut recuperet Novum Testamentum quod mihi pro cervicali fuit cùm me vinculis eriperem. Saluta omnes qui nobis bene volunt. Deus studia tua sospitet vegetetque 23 Aprilis. 1621. Lutetiæ.

Tuus H. G.

V. A. IACOBO PVTEANO.

139 HEri, doctissime atque optime Puteane, ut te viderem, veneram, nec multùm aberravi. Inveni enim te alterum, hoc est, fratrem tuum. Nunc id rogo, ut Æschyli tragœdias cujuscumque editionis mihi mittas. Haud satis memini, sitne aliquid ejus versum in sermonem latinum. Si est, videre cupiam. De Prometheo multa memimi videre translata in Parabaten Thuani: etiam eam Tragœdiam relegere juvet. Vale, & nos amare ne desine. 27 Aprilis Anni 1621.

PETRO PVTEANO.

140 EPigrammata sola materiæ felicis hilaritate se commendantia volenti tibi mitto, Puteane Clarissime, & quidem descripta mea, hoc est mala, manu, si fortè velis archetypas habere nugas. Heri, cùm mihi Tilenus adesset, supervenit Cordesius cum tuo, non ortu tantùm, sed & moribus atque ingenii dotibus, fratre. Nunquam antehac majorem cœpi fructum libertatis, ita suaviter nobis colloquia processerunt. Itaque unum illum diem multorum, quos in carcere egi, tædio ausim opponere. Illud addam: nihil me malle, quàm ut te parario convevire detur virum summum, Regium Procuratorem; sed cùm mollissima fandi tempora, & ita ne quid in publica commoda peccemus, neque obstemus quominùs adsit fisci ac regni utilitatibus. 28 April. 1621.

BENIAM. AVBERIO MAVRERIO.

141 AD cætera tua in me summa beneficia, Vir Illustris, accessit conciliata mihi per te viri optimi, affinis tui Marbaldi, humanitas, atque summa benevolentia. Ille quidem ex tuis mandatis obtulit omnia, etiam quibus opus non erat: sed mihi pro omnibus ac super omnia est amor ac cura mei, quæ ille eximiè ostendit. Lutetiæ adhuc subsisto ex consilio D. Boissizii, aut nuntium ex aula, aut certè quod propiùs videtur, reditum Præsidis Iannini exspectans: qui venturus huc putatur cis paucos dies, Rege longiùs procedente. Quæ ad regni res pertinent, ex aliis earum gnaris rectiùs intelliges. Quid Veneto libello aspersum sit contra honorem tuum atque eorum, qui tum Regis consiliis adfuere, contra manifestissimam veritatem, contra vim publici fœderis, quod perfida interpretatione luxatur, ex Tileno jam cognoveris, magisque ex Puteano, qui partem libri transcriptam misit. Vnde nata sit hæc calumnia, conjectu est non difficile. Exempla ejus libri...... hic distribuit. Habet unum & Angliæ Legatus, ut mihi narratur, qui locum illum notavit. Te quidem satis tuetur notissima bonis omnibus in Regem fides, & pro salute ac libertate Reipublicæ nostræ perpetuus labor. Sed veritatis ac non nihil Galliæ ipsius interest, ne Veneti decepti decipiant alios. Sed hac de re sapientiùs ipse cogitabis. Ego nihil magis exopto, quàm aliquo signo ostendere, quàm in te non animi culpa, sed facultatis penuria, ingratus esse cogar, nisi quod, apud tam æquum judicem, satis gratus est, qui beneficia agnoscit. Vale Vir Maxime. 30 Aprilis, 1621.

N. N.

142 LIbertas, maximum hujus vitæ bonum & naturæ convenientissimum, hoc habet incommodi, quod ejus utendæ modum vix servat incauta mortalitas. Puto id mihi evenisse, cùm epigrammata, quibus ipse mihi sum gratulatus, quasi illa me libero captiva non oporteat esse, emisi, unde primum ad amicos, deinde ad te etiam, Vir Illustris, pervenerint, cujus censuram etiam seria operum reformident. Multum fuerat ista semel legisse; tu verò etiam servare cupis, & quidem manu mea. Atqui etiam amœnissimis floribus brevis est gratia, & quæ primo aspectu se commendant, si multùm, si sæpe intuearis, ex satietate pariunt sui fastidium. Faciendum tamen est, quod jubes, quando me nihil tale merentem ita comitate tua obstrinxisti, ut etiam contra pudorem meum obsequi tibi debeam. Habe ergo, quod vis, Vir eminentissime, sed habe, quod rogo, non ut versus, sed ut testimonium divinæ in me benignitatis, quæ me ex arca, velut ex utero nasci, aut velut ex sepulcro exsurgere voluit, & ex mortis miserrimæ confinio fecit vitæ posterioris auspicium Lutetiæ, 8 Maii, 1621.

V. A. PETRO PVTEANO

QVod nuper ex te quæsierat amicus, Vir Clarissime, 143
cur hi, qui libros scripserunt, quos Evangelia appellamus, eorum, quæ à Domino nostro acta sunt, nihil commemorent ante annum tricesimum, præter unicum illud, quod duodecimo ejus anno contigisse Lucas narrat; de eo sic videtur. Quid cuique scriptori narrandum sit, quid non, ex fine petendum operis. Apostoli autem, & eorum Discipuli, non qualemcunque Historiam Christi scribere in animo habuerunt, sed argumentum, sicut ejus, quod ore prædicabant, ita ejus, quod consignabant literis, erat, quod titulus præfert, Evangelium, id est dogma novum resipiscentiam exactam deposcens, & promittens remissionem peccatorum & vitam æternam; quod præparationis modo à Baptista annuntiatum est, perfectè verò à Christo revelatum, & per Apostolos per orbem totum jussum prædicari, Matth. IV. 23. IX. 35. XXIV. 14. Marc. I. 14. Eph. VI. 15. Act. X. 36. Luc. XVI. 16. Hinc doctrina omnis à Christi doctrina discrepans vocatur *aliud Evangelium*, 2 Cor. XI. 4. Gal I. 6. Ad hujus verò dogmatis à Christo revelati veritatem & promissionis certitudinem testandam, faciunt mors ejus, resurrectio, ascensus in cœlum & missio Spiritus sancti; per quæ omnia apertissimè filius Dei declaratus est. Hinc Evangelium duabus constat partibus, Doctrina ipsa & Historia, quatenus doctrinam confirmat. Oportet, inquit Petrus, testem resurrectionis Christi constitui ex iis, qui cum eo versati sunt, à tempore, quo baptizare cœpit Ioannes, ad id usque tempus, quo Christus in cœlum est assumptus, Act. I. 22. & alibi hanc prædicationem vocat verbum, quod per Iudæam exiit, initio facto à Galilæa, statim ab eo baptismate, quod per Iohannem est prædicatum, Act. X. 37. Lucas libri sui prioris argumentum breviter describit narratione eorum, quæ Iesus fecit & docuit, usque ad assumptionem: nimirum ex quo & docere & miracula facere cœpit. Principium autem miraculorum fuit illud, quod fecit in Cana Galilææ, Ioh. II. 11. postquam scilicet à Iohanne erat baptizatus, quod accidit ætatis anno tricesimo, Luc. III. 23. qua in re Deus à Christo morem geri voluit legi, quæ Levitas non ante eam ætatem ad sacras functiones admittebat. Num. IV. 3, 47. I Paralip. XXXIII. 2. Quare, quæ de divina ejus nativitate à Ioanne Apostolo, de humana à Matthæo & Luca, & ab eodem Luca de illa in Templo quasi futuri magisterii prolusione narrantur, præfationis vicem habenda sunt, ad indicandam certiùs magisque commendandam ejus personam, à qua Evangelium suam habet autoritatem. Quare cùm ante justam illam ætatem nihil actum sit à Christo, quod eò pertineret, meritò totum illud tempus à sacris Scriptoribus silentio involvitur. Egit enim vitam ad id tempus privatam, patri credito matrique obediens, Luc. II. 51. unde non tantùm τέκτονος υἱὸς [*fabri filius*] Matth. XIII. 55. sed τέκτων [*faber*] appellatur, Marc.

Digitized by Google

Marc. VI. 3. Iustinus Martyr facta ab eo ait aratra & juga, & alia pacis opera. Sed & in Veteris Testamenti libris sæpe videas de Prophetis nihil dici, nisi ex quo verbum Domini ad eos factum est, id est, ex tempore ἀναδείξεως αὐτῶν πρὸς τὸν Ἰσραήλ [*ostensionis suæ ad Israel*] ut loquitur Lucas cap. 1, 80. Et hoc ipsum est quod illa locutione *surrexit Propheta* solet indicari.

NICOLAO REIGERSBERGERO.

144 TErnis tuis literis, Frater meritò charissime, quas scripsisti 4, 5, & 28 Aprilis pariter respondeo. Ac primum scire te volo summam tuam pro rebus meis curam semper mihi pergratam fuisse & nunc pergratissimam. Pro te quantum possum, quanquam hoc ipso scio opus non esse, ne in hoc tam pio officio defatigeris: cui vicem Deus rependet. De meis rebus ex literis, quæ posteà ad amicorum manus pervenerunt, nonnihil intellexeris. Certi nihil dum habeo, spei abundè. Res Galliæ adhuc inter pacem, bellumque dubiæ fluctuant. Sed hoc incertum pauci dies diriment. Societatem & amicitiam suam Rex nostris eò liberaliùs obtulit, ne si ad bellum res hic vergeret adversarii sui ex nostris partibus ope juvarentur. Et Legati vicissim liberaliter polliciti sunt, operam se daturos, ut ea de quibus Rex querebatur, in posterum essent. De Arsenio dixerunt Regios Ministros sollicitos non esse debere, quando ille domi invidia atque odio multorum laboraret, ideoque in Republica parum posset. Antequam fœdus renovetur, diligenter explorantur animi & nostrorum & Britannorum: nec quicquam temere fiet. Principis Palatini ut primi processus inspecti hic fuerant, ita nunc adversa miserationem hic movent, & metum ne plus æquo invalescat Austriaca potentia: ita ut pro pace Germaniæ arbitrer non minùs laboraturos esse Gallos, quam ipsum Palatini socerum, qui pacis spem ferme omnem corrupit, pacis studium nimium præferendo. Pro patriæ interna quiete ego non desinam vota concipere; nam profectò sine eximio quodam Divini Numinis beneficio vix id bonum sperari potest, adeò omnia contra facta sunt quàm fieri oportuit. Vltionis omnem cupiditatem partim abjeci, partim abjicio quotidie, non ignarus haud alium affectum magis pugnare eum Euangelicis præceptis. Rem gratissimam feceris, si schedas omnes meas diligentissimè colligas, ita ut nihil desiderem. Atque utinam ipsum te videre liceat! ut coram de rebus meis deliberemus, quod si negotia tua non ferunt, tamen nisi intellecto consilio tuo nihil magni aggrediar. Quæ à populari meo desiderari scribis, effecta dabo, simul Hagæ te esse cognovero. Sed & hoc me monet, an quam fratri Davidi dederam σκυτάλην acceperis: deinde an ea placeat, an alia uti mavis, quam primis literis poteris transmittere. De honore tibi quondam publicis suffragiis delato nihil est hoc rerum statu, quod sperari debeat, neque tamen deerunt qui sperare te jubeant. Iudicium de bonis à nobis intentatum quiescat nonnihil; suum interim promoveat Hogerbetius, cui argumenta nostra suppeditari æquum & ex usu censeo. Velim ad me mitti exemplum literarum, quas ad Ordines & Principem scriptas tradidistus, quia hic Langeracensis nescio cur, ... rumorem mihi noxium spargunt, & qui mihi accelerandæ defensionis necessitatem augebit. Historia nostra ita perscripta nondum est, ut quicquam ejus edi cum gloria possit; nam ex quo Reipublicæ negotia interiùs inspexi, tempus emendandi atque augendi mihi defuit. De domicilio meo quin Lutetiæ sit futurum, nullas video dubitandi causas. Si quæ chartæ ad innocentiæ nostræ tutelam pertinentes quam primùm submitti mihi possent, multum id valeret ad levandum exsilii & otii tædium. Vt aliquid tale adornem extra periculum est, & in omnem eventum utile. De Editione postea viderimus. Sed quæ in carcere confusè tractaveram, possem nunc distinctè & additis probationum subsidiis disponere. Neque scio an in futurum tam laxo usurus sum tempore. Hæc postquam scripseram, vidi Præsidem Ianninum, qui & ipse putabat scribendum aliquid ea de re & quidem dum recens mihi rerum memoria: sed de editione petendum à tempore consilium. Multi hic verentur, ne Reipublicæ nostræ Præsides, metu belli ob mala interna, sub nomine Germanici Imperii, aut simili velamento patiantur se retrahi sub imperium Austriacæ domus, Britanno annuente, tum ut matrimonium adeo expetitum obtineat, tum ut ....? Legatus Archiducum, qui hic fuit, ait Regem Hispanum inducias nolle: neque bello abstenturum, ni pax perpetua fiat cum aliquo in Austriacam domum obsequio. Ego verò spero esse apud nostros plus cordis atque consilii, quàm ut quicquam admittant libertati damnosum. Rex Cæsaroduni Turonum exortos motus quinque hominum supplicio capitali, tredecim aliorum captivitate compescuit. Atque ibi quidem in Romanenses exercita severitas. At Diepæ inque maritimis oppidis arma Reformatis demta, unde magnus passim congregum motus, Lutetiæ maximè, quanquam pro quiete publica gnaviter laborante Magistratuum Vrbanorum cura. Salmurii admiserat à Plessiaco Rex nunc ultra tendit: creduntur que jam Eques & cohortium vis ad claudendam terra Rupellam missa: mari autem idem facturas naves, quæ sub Neversio in Poloponnesum itare composito rumore jactabuntur. Imperator dicitur ferociter victoria uti, nec sine periculo novi discriminis: jamque in Silesia resurgere partes. In Hungaria emtos Gaboris amicos ipsius in pernitiem. Ipsoque vix elapso ducum primos Imperatori traditos. Hæc sunt quæ hic feruntur. Tuas avidè exspectabo. Measque res tibi commendatissimas esse confidam. Vale mi frater, & matrem, fratres, sorores, cognatos, amicos saluta, nominatim Borelios & Bellimontium. 14 Maii 1621. Lutetiæ.

Tuus H. G.

BENIAM. AVBERIO MAVRERIO.

AFfectum tuum in me, Vir Illustris, quem haud dignè exprimam, nisi paternum dixero, nuntiant ex patria uxor & amici, testantur tuæ, & ad me & ad alios, qui hic sunt, literæ. Eundem fideliter exprimit Vir Amplissimus Marbaldus affinis tuus, qui omnia mihi largè obtulit, quæ usui esse possent. Quibus pro rebus gratias referre meum non est, sed ejus, qui istius summæ tuæ bonitatis & auctor est & erit remunerator. Ego postquam Lutetiam veni, tot undique gaudiis circumfundor, quot in diuturno carcere tristia senseram: Tanta est in me procerum benevolentia, tantus literatorum ad me concursus. Itaque jucundissima colloquia egregiam longæ solitudini vicem rependunt. Præ cæteris Tilenus & Puteanus omni me officiorum genere ornant. Inter tot læta unum dolet, quod rursus ad arma impelli Gallia vestra videtur. Sed Regis bonitas & eorum, qui à consiliis ipsi sunt sapientia, spem facit aut bellum mutatum iri æqua pactione, aut victoriæ usum non alium fore, quàm ut victis dematur injuriæ licentia: quod DEVS faxit, Imperii vestri toties sospitator. Idem te, Vir Maxime, tuamque domum, propitius custodiat. 14 Maii, 1621. Lutetiæ. 145

NICOLAO REIGERSBERGERO.

BInas à te, mi Frater, literas pariter accepi, quas 146 8. & 14. Maii, ad me dedisti, pro utrisque gratias ago. Vt ab eo quod præcipuum est ordiar popularis mei postulato satisfaciam simul te esse in Hollandia cognovero. Neque enim ejus momenti res aliter quàm per Marbaldum rectè curari poterit. Ejusdem popularis consilium plane sequendum erit in innocentiæ meæ defensione. Quando ea juris publici sit facienda, ea de re ut dixi cum tempore deliberandum est. Sed nisi documenta causæ aliaque hic habeam & viris prudentibus exhibeam legendum aliquem

Digitized by Google

quem rerum nostrarum commentarium, cum honore hic esse non possum. Magno enim consensu id à me requiritur. Neque mihi vita vitalis aliter sit. Tuæ res utinam spei tantum habeant, quantum erit pollicitationum. Sed gravibus edocti exemplis tandem sapere debemus, neque nos lactandos dare. Vtinam vana augurer ut solent longis ærumnis fatigati. Ad chartas quod attinet nulla est mearum quæ non ut in navi funiculi, usum aliquem aut ad hanc causam aut ad res alias habeat, exceptis privatorum & minùs illustrium ad me literis. Præter nudas chartas facci sunt duo aut tres qui non litium instrumenta, sed publici juris documenta continent. Ab amicis si quid insuper haberi potest lucro apponetur. Lis de bonorum publicatione nullo fructu nunc urgebitur. Imo mea refert ut damnum pati credar. De me revocando spes inanes judico. neque alio fine ista fingi, quàm ut me silente liberum sit tempus in me mentiendi: quod & per me scio & ex literis uxoris cognosco. Simili arte res tua sine fine, ut puto, protelabitur. De forma literarum ad te posthac scribendarum ut prælegi possint consilium tuum sequar, nempe ubi in Hollandia, ut dixi te esse intellexero. Quæ hic geruntur ad fratrem natu maximum scripsi. Illud oblitus sum hoc rerum motu etiam Castellumrenardi quod Principis Henrici est vim passum: Langeracensis negotium Principis utiliter gerens (neque enim mandatum exspectari tempus patiebatur) admonitus ab eis qui Principi hic inserviunt, rem retulit ad consilium Regis quod est Lutetiæ, qui omnia in integrum restitutum iri pollici sunt; sed libellum postularunt quem ad Regem transmitterent. eum concepit Principis Henrici nomine Langeracensis, & ut justum erat, expressit eum. Principem nihil plane passurum suo in oppido fieri Regis rebus adversum. Scribebam hæc in magna festinatione cui veniam dabis. Patriæ & amicis quà possum prodesse nunquam desinam & tibi pro summis in me officiis gratias agere. Vale optime frater. 28 Maji, 1621. Lutetiæ.

Tuus totus H. G.

Viro Illustri

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

147 QVo die tuas, Vir Illustris, ad me datas 23 Maji accepi, Præsidem Ianninum accesseram, ut ei Venetum librum, quo causa rerumpublicarum infeliciter agitur, ostenderem. Legimus locum, triaque observavimus, quæ non ad te privatim, sed ad publicam regni causam pertinent. Primum est, quod Conchini potentia obtentui sumitur, ne Regis voluntas crederetur ea, quam Regiæ literæ præferrent: quæ excusatio si valet, periit omnis fœderum publicorum sanctimonia. Nunquam enim deerunt, quorum invidiosa gratia in latebram perfidiæ prætexi possit. Alterum est, quod libertati Batavorum inimicum te dicit. quæ res ipsum Regem directè petit: nam quem quis liberum esse nolit, sequitur aliquem ei dominum destinet. Tertium est, quod maligna interpretatione, ut rectè à te quoque annotatum est, vim fœderis contrahit. Nam fœdus mutua auxilia pollicetur, si quod induciarum tempore bellum nascatur, non autem, si ipsæ induciæ causam bello dederint. quod etiamsi evenisset, probatu erat difficillimum, unde promtum Gallis omnibus cognoscere, cum quàm captiosis fœderum interpretibus res ipsis sit futura in posterum. Et hæc, ut dixi, publicam causam attingunt. Sed & aliis in partibus mendacia ipsius malè tecta transparent. De literis, quas post Conchini mortem Rex ad Ordines scripsit, recens mihi memoria est, eo scriptas fuisse tenore, non ut pro cunctatione, sed pro animo prompto, gratias agerent, non minùs, quàm si res ipsa plenum habuisset exitum, cujus jam necessitatem regni felicitas sustulerat. Sed & illud rectè notabat Ianninus, nihilo minùs esse credibile, quàm à Villaregio scriptas literas, quibus caveret, ne qua earum argumentum ad te permanaret; notum quippe omnibus, te semper in primo amicitiæ gradu apud Villaregium fuisse. Et quis tandem ille, cui hoc arcanum credidisset Villaregius? nam eum nominari in primis attinebat, ut narationi fides aliqua conciliaretur. Accedunt jam illa, quæ in tuis literis accuratè admodum notantur, quæ omnia ostendunt, profecta hæc omnia ab aliquo, qui mentiendi consuetudine tantum contra pudorem profecerit, ut laborem credibilia saltem fingendi à se non exigat. Ductus interim sermonis neminem, si quid rectè judico, eorum, quos novimus scriptorem arguit. Est enim satis æqualiter toto libri corpore diffusus, ut nulla pars eximiè emineat. Mihi ita videtur, rem penitus inquirendam per regium apud Venetos Legatum, quid hominis sit Iosephus Bonfadius, quale munus illud erudiendæ juventutis, cui se dicit admotum: liber ipse quando superiorum permissu excusus dicitur, quorum judicio examinatus probatusque fuerit. Ego in eo libro, sicut Latinitatem non improbo, ita multis in locis requiro rerum cognitionem; (plurima enim contra Historiæ veteris novæque fidem narrantur) accuratum verò judicium & prudentiam multò magis. Quibus patriæ nostræ causam tutatur, ea omnia ex meo libro hausit, quem de Reipublicæ Batavicæ Antiquitate scripsi. Velim, nisi incommodum est, transmittas partem Fœderis, quam ille narrando depravat, & ex literis Villaregii ad te, id quod ad rem mittendorum auxiliorum pertinet: simulque Regis literas, quibus gratias agit Ordinibus: ut si mendacia hæc tanti non sunt, ut speciatim refutari mereantur (de quo tamen cogitandum erit ampliùs, ubi ea didicerimus, quæ Legatum Regis apud Venetos cupiam explorare) certè parata sit materia verum & narrandi & astruendi, si quis unquam ista tempora subtrahere voluerit ignorantiæ posteritatis. Me quoque nunc atrox mendacium fatigat, quo fingor liber veniam postulasse, qua ignominiam, carcerem, paupertatem redimere pridem potui, constanterque abnui: quaque id mihi velut pro lege impositum dicitur, quod ego me ultro facturum dixi, ut significarem, quantopere ab omni odio, in patriam præsertim, animus meus abhorreret. Compellit me famæ cura, quam cæteris rebus antehabui, in certamen à meis moribus satis alienum descendere: Mittam brevi exiguam veri narrationem, quæ majoris operis spem fovebit. Ius tacendi ultro mihi eripiunt, quorum, ut tacerem, maximè intererat. Rex me extra suam curam non esse, liberalitate aliqua testatus est. Vt certi aliquid constituatur, ante Regis adventum sperare vix licet. Interim molestum mihi est, uxoris optimæ conspectu carere: sed hæ quoque malorum reliquiæ devorandæ sunt. Custos sigilli favere nobis dicitur. Pro tuis ad Ianninum literis quid dicam? Toties me obligas, ut ad gratias agendas nova me verba deficiant. Vale vir optime, & bene rem gere. Lutetiæ, 3 Iunii, 1621.

Veniam peto, quod hunc fasciculum ad affinem curandum tuis literis inclusi. Feci id ut certiùs procederet negotium.

NICOLAO PEIRESCIO.

EX literis, Vir Reverende, quas ab Amplissimo Viro D. Viquio accepisti, intelligo quantum & Regi, & ipsi, & aliis, qui ejusdem sunt ordinis, debeam. Non omittam quo possum modo significare gratissimam mihi hanc benevolentiæ certissimam testationem. Interim rogo, per te D. Viquius intelligat, scire me, quantum ipsi debeam. Rupellani conventus partum malè auspicatum, ubi paululum inspexero, remittam, eo quoque nomine, super tot alia, gratiam tibi habens. Quod reddam, nihil est, nisi brevem chartam, quam impudens calumnia extorsit: cujus rei narationem pleniorem colloquio reservo. Vale Vir Amplissime. 9 Iunii, 1621. 148

BENIAM. AUB. MAURERIO.

Vir Illustris.

149 SCis, quàm ab ingenio meo abhorreat rixa: quo magis doleo, ab eo, cujus inimicitiam nullo facto merui, tam insignem mihi factam injuriam, ut eam dissimulare non liceat. Atque utinam profectum id potiùs ab eo esset, qui inimicus crederetur. Nunc & viri dignitas, & nulla inimicitiæ suspicio, credibile faciunt atrox mendacium. Sed bene est, quod vir optimus Ianninus, qui me paterno plane amore complectitur, paratus est, testimonium adversùs calumniam præbere, quod propediem agnosces ex ipsius ad te literis. Neque verò dubito, quin idem facturus sit, si opus erit, Boissizius, qui plenissimas amoris ad me literas ultro misit: simul significans, quantopere Regi, & iis, qui apud Regem gratia valent, cordi essem, quæque omnium de me esset existimatio. Hæc magna sunt novi doloris solatia. Interim brevi scripto occurri famæ mendaci, quam in vulgus spargi è re sua judicarunt homines pridem non aliis artibus fisi. Sed talis malitiæ graves sæpe solet pœnas dies sumere. Ego, Deo juvante, ita me temperabo, ut, ultione abstinens, me tamen non deseram. Qua in re satis scio, promtissimum te adjutorem sum habiturus. Tilenus, vir apertior an doctior incertum, cum podagra colluctatur. Sed videtur desævire jam vis morbi. Ego pro mea valetudine gratias Deo satis magnas agere nequeo. Utinam aliqua detur unquam occasio demonstrandi, quantum tibi debeam. 11 Iunii, 1621.

Chartæ, quas mitto, publicatæ à me sunt, conscio & suadente Iannino. Is, qui se notari putabat, intercedere voluit, ne vulgari permitterentur; sed frustra. Epistola Iannini simul cum mea ad te perveniet.

Viro Illustr.

GULIELMO VAIRIO,

Franciæ Procancell.

150 NEscio, Vir maxime, meliùs de me an pejùs sit merita fama, quæ domi falsis me criminibus traduxit, peregrè autem nobilitavit non meis laudibus. Literarum enim cultum optavi quidem semper, sed quominus eum possem assequi obstiut amicorum auctoritas, qui non satis percocta studia in forum primùm, deinde in Rempublicam, propulerunt. Tum verò in ea incidi tempora, quæ ne otioso quidem indulgerent eam securitatem, sine qua studia vix procedunt. At illud verum esse testatur mihi animus, quod judicas & libertatem à me defensam, secundùm eas, quas acceperam, leges, & adduci me non potuisse, quanquam & promissis & minis tentatum, ut rectè & ex vetere formula de Gratia ac libero Arbitrio sentientium oppressioni accederem. Servabit mihi, ut spero, hunc animum Deus, ut neque spe neque metu ullo abductus, factis dictisve seorsum eam ab eo, quod animus sentit: qui si qua in parte fallitur, propitius idem, ut confido, Deus aut errantem instruet, aut ignoranti ignoscet. Scit ille, quanto dolori mihi pridem fuerit, quoties prima illa Christianismi primi, nominis tanti implentis, tempora cum nostra hac miserrima ætate conferrem, qua populi in summis fidei capitibus consentientes ex rituum atque opinionum dissidiis in factiones aguntur & bella vel profanis gentibus pudenda. Neque verò dubium est, quin multi, horum malorum pertæsi, charitatem adversùm Christianos omnes animo retineant, externam quoque unitatis faciem ardenter exoptent, parati tanti boni causa, ex Apostolico præscripto, aptare se alienis infirmitatibus & ad ultimos usque divinæ legis terminos patientiam & æquitatem suam extendere. Sed ut videtur, horum conatibus obstant alii, quos prava quàm longissimè ab aliis recedendi libido ad extrema quæque abripit. Utinam verò Deus Ecclesiæ rectoribus, ipsisque Regibus ac Potestatibus Spiritum illum suum, Spiritum charitatis ac mansuetudinis potenter suppeditet, ut omnibus difficultatibus superatis, Ecclesiæ, quàm proximè fieri potest, primævam illam pulchritudinem, maximè verò solidam pacem, illæsa veritate restituant. Multa hominum millia, quorum gregi accenseri volo, sanctum hoc propositum piis votis prosequentur, & frequentes concurrent ad sublatum victoriæ vexillum. Interim si quis mei usus esse potest, (qui cùm me circumspicio, quàm vix ullus esse possit, satis video & tamen ut esse possit exopto, ne Regis beneficio per segne otium abutar) vestrum erit imperare, meum aut obsequi aut ostendere ad consequendum non voluntatem mihi, sed vires defuisse. Deus Regno Regem, te Regi diu incolumen servet, Vir Maxime, & summam tuam in me bonitatem, pro qua gratias satis dignas ne agere quidem possum, larga mercede remuneret. Lutetiæ, 24 Iunii, 1621.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

DUlce mihi fuit, Vir Illustrissime, ex binis tuis literis, quas 20. Iunii ad me dedisti, cognoscere, 151
quàm tibi non excidissem. Scire aveo, quid de Veneto scripto simus intellecturi. Quisquis ille scriptor est, actus est non uno loco, ut nervis alienis mobile lignum. Ego non tam meæ, quàm publicæ causæ, adversùs tam graves & diuturnas calumnias materiam paro: quam ad rem te quoque adjutorem spero. Non potueras meliùs consulere liberis tuis, quàm quod eorum spem Vossio commendas, raræ tum probitatis, tum eruditionis viro. Memini à Casaubono summis laudibus prædicari Oratorias ejus Institutiones. Tum quæ de Pelagiana Historia conscripsit, maximi hic ab omnibus fiunt. Non omittam curam hanc obnixè ipsi commendare, ubi ad me venerit tuorum liberûm comes, quem nondum vidi. Agam etiam cum eo de instituendi ratione. Partem illam literarum, in qua Iannini mentio, ipsi prælegi: maximi ille te tuamque amicitiam facit. Ego verò illi supra quàm dici potest debeo, adeo pro honore ac commodis meis sollicitum se ostendit. Sed Regis, cum parte Consilii majore, absentia, aut etiam respectus aliquis eorum, quæ tum hic, tum apud vos geruntur, obstitit quo minùs, certæ sedis fiducia, transferre huc uxorem ac familiam liceret, quibus ægrè careo. Sed tam longæ miseriæ fructum perdiderim, si ista leviora me crucient. Viri maximi Iacobi Augusti Thuani filium, ad patrias laudes magno gradu grassantem, versibus quibusdam ad virtutis ac sapientiæ studium incendi: quos versus brevi, ut spero, videbis. Interim, quod gratum tibi esse novi, valeo, unicéque opto, ut adversùs tot beneficia tua gratum, tuaque amicitia ac commendatione dignum, me possim ostendere. Vale, Vir Eminentissime, 8 Iulii, 1621. Lutetiæ.

EIDEM.

DE publicis regni rebus, Vir Illustrissime, nihil habeo, quod scribam: satis certus, alios esse, qui 152
id officii præstare rectiùs possint. Adfui hodie Præsidi Iannino, qui fidem tuam ac diligentiam in prosequendis negotiis, quæ tractari hic cœperant, valde laudabat. Ex eodem didici.... ut se hic in gratiam restituat, uti opera.... ab eo literas scriptas non ad parentem tantùm.... sed & ad alios, qui regia consilia participant, ipsumque adeo Ianninum. Continent mandata.... se purgantis, & utilem Regi Regnoque operam pollicentis. Noster senex istos Sirenum cantus surdis auribus prætervehitur; quod alios quoque facturos putat. Dabo operam, ut propediem ipsum quoque Castellinovanum videam; nam ultro mihi amicitiam obtulit. Aliud nunc quidem nihil habebam, nisi hoc quoque, ne unquam nos amare desinas. Ego infeli-

Digitized by Google

felicitatis meæ magnam partem existimo, quod, quanti id faciam, nequeo ostendere. Vale Vir Amplissime. 15 Iulii, 1621. Lutetiæ.

Boissizius in dies hic exspectatur.

E I D E M.

153 Liberorum tuorum indolem, Vir Illustrissime, cum voluptate adspexi: & quanquam ad eos rectè instituendos abundè tibi prudentiæ est, tamen si quid ad eam rem facere possunt consilia mea, nullibi ea libentiùs impendam, quàm ubi optimam frugem spondet & soli ingenium & tua eorumque, quos adhibes, cultura. Ea, quæ mihi ad spei tuæ maturitatem facere videbantur, explicare cœpi juveni, qui eos comitatur. Liberaliùs, si opus est, agam apud Vossium; quanquam ille nostri consilii non eget, usu longo ad hæc negotia exercitus. Quod si aliter nequeo, precibus certè ipsorum conatus prosequar, Deum venerans, ut, quam ex te patre de illis concepimus, exspectationem adæquent, aut si fieri posset & superent. Memoriæ sanctissimæ matronæ uxoris tuæ jamdudum, ut scis, debitor sum, sed &, quæ me hactenus distinuerunt, impedimenta, non ignoras. Specimen quoddam inscriptionis nunc mitto, loquendi scribendique forma ad morem veterum nonnihil accedens. Possunt autem, quoque versu, aut plures aut pauciores voces poni, ac proinde versus quoque fieri plures paucioresve, uti videbitur. Nam & priscæ inscriptiones nullo sensus respectu, ubi visum est, versum absolvunt. Quod si hoc schediasma aut non omnia contineat, quæ memoriæ sacranda judicas, aut prolixius est, quàm ferat saxi spatium, aut in ipsis vocibus mutandum aliquid censes, poteris uti ad mutandum aut judicio tuo, aut opera mea. Rediit ad nos Boissizius, tui si quisquam amantissimus. Quanquam vehementer te frui desidero, tamen, qui meus est in patriam amor, libenter ex eo intelligo exsilium tibi prorogari. Vale Vir Maxime. 21 Iulii, 1621. Lutetiæ.

MARIA MAGDALENA. CORPORIS. ANIMIQ.
LAVDIB. EMINENTISSIMA. V. A. XXXV.
IN. CONIVGIO. XX. RARA. IN. DEVM. PIETATE
OBSEQVIO. IN. MARITVM. KARITATE IN LIBEROS.
QVOS. VTRIVSQ. SEXVS. SENOS PEPERIT
DECEM. SIBI. RELIQVIT. SVPERSTITES
VT. SEMPER. VITÆ EMENDATISSIMÆ
ITA. CONSANTIS. TRANSITVS EXEMPLVM
PRÆBVIT. XII. NOV. CIƆIƆCXX.

BENIAMINVS. AVBERIVS. MAVRERIVS
ADSESSOR. SANCTIORIS. CONSISTORII. R. F.
EIVSDEMQ. AD ORDINES. FED. BEL. LEGATVS
M. F. C. CONIVGI OPTIMÆ. DVLCISSIMÆ
AC. PERPETVVM. DESIDERANDÆ. ET
FILIORVM. PRIMO. BENIAMINO. QVI. DEPOSITVS
EST. IV. IVNII CIƆIƆCXIV.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

154 Iam pridem Virorum atque amicorum optime nihil lætius intellexi, quàm quod Vir summarum virtutum B. Maurerius Regis Christianissimi Legatus tibi spem suorum liberûm commendat. Neque enim reperire poterat alium qui virtutis exempla simul & ad omnes ingenuas artes viam monstrare rectiùs posset. Non dubito quin mecum sentias teneram ætatem quàm brevissimis præceptis imbuendam: ut plenior cognitio è libris veniat quibus ediscendis (ni fallor) optimè occupantur anni memoria magis quàm judicio valentes. Ego in meo filio hac via nonnihil profecisse me memini; quanquam nec illud nescio nihil hisce in rebus universim constitui posse cùm pro varietate ingeniorum varia esse debeat institutionis ratio. Hæc ideo ad te scribo non ut te moneam (qui multò hæc meliùs nosti tot ingeniorum proventum expertus) sed ut tuis hac de re consiliis intellectis habeam quod in meis liberis erudiendis sequar. Sunt hic Viri præstantissimi qui te laboresque tuos plurimi faciunt, quorum nomina ex hoc carmine poteris cognoscere. Simul videbis aliquantulum me respirare cœpisse. Quanquam multùm vereor ne versus isti aliquid adhuc carceris sapiant. nondum enim totum veternum excussi. Vale Vir optime. 20 Iulii 1621. Lutetiæ.

Tuus tuo merito H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Qvas 20 Iulii ad me dederas literas, Vir Illustrissime, 155
legi cum ea voluptate, quam me par erat accipere ex testimonio constantis tui in me affectus. Liberûm tuorum spem optimo Vossio curæ fore non dubito: neque omisi, quanquam sponte cursuro, calcar addere. Omnino judicò optimè te liberis tuis consuluisse, cùm eos decrevisti viri & probissimi & eruditissimi curæ committere. De illis, qui cùm nocere non possunt, id ipsum hic pro beneficio imputant, Pr. Ianninum & D. Boissizium monui. Vtrique stat sententia, perseverandum in pristinis consiliis, neque committendum ut malis auctoritas crescat, bonis spes detrahatur. Curabunt iidem ut qui apud Regem sunt, moneantur ejus rei. Quid factum sit in causa viri integerrimi, mihi quondam ærumnæ consortis, & de bonis publicatis, scire aveo; tum ob rem ipsam, tum ut inde conjectura fiat, quid ab his, qui nunc rempublicam obtinent, sperari debeat. Sunt hic viri sapientes, qui existimant, Hispanum res Germanicas, satis adhuc turbidas, Batavicis præhabiturum: ideoque à belli dilatione alienum non fore. Cujus rei non leve judicium putant, quod mari lacessitus tam patienter injuriam ferat, nec in ultionem prorumpat. De Bonfadiano scripto tecum sentio, nec magni faciendam, nec plane insuper habendam esse calumniam, præsertim quæ jam in multorum notitiam pervenerit. Vale, Vir Maxime. Det tibi Deus rem privatam publicamque bene gerere. Lutetiæ, 4 Augusti, 1621.

E I D E M.

Vir Illustrissime,

Iam nunc à Iannino venio, rediturus mox ad condi- 156
ctum ipsi prandium. Is literas has ad te curandas mihi commisit: in quibus responsum est ad eum, quem sibi pararium conciliaverat; homo nostro malo natus. Id responsum senili prudentia temperatum, sed ita, ut nihil contineat, quo se ille jactare possit, prælegit mihi. De homine ita ut semper sentit: nec quicquam boni à nostris sperat, quamdiu ille istum gratiæ locum obtinet. Boissizius, qui nunc in urbe est, & optimè valet, apertissimè mihi significavit, se ejusdem esse sententiæ, & daturum operam, ut, qui apud Regem sunt, id intelligant. Constanter te diligit, tuamque industriam ac fidem his temporibus Regi imprimis necessariam judicat. Sigilla morte custodis Veri vacua, populi vota ipsi destinant. Sed qui aulam norunt, non audent tantam Galliæ felicitatem sperare. Legatus ex Britannia apertè præfert, venire se pacis conciliatorem, ut quam Rex suus ex usu esse Galliæ judicet. Tentavit eorum, qui in urbe sunt, animos, an spes esset impetrandi, ut obsides pacis urbes Reformatis reddantur: sed ea spes ei præciditur. Cæterum in negotio religionis nihil innovatum iri largè promittitur. Nunc ad aulam Legatus, quantum potest, properat, ut imminens Monti Albano obsidium, si possit, antevertat. Video rem esse inter felices hinc atque inde pertinaces: ac proinde spem pacis valde incertam: quæ, etiamsi confecta esset, meæ certè securitati nihil esset additura. Longius enim abest bellum, quàm ut ejus pericula quicquam ad nos pertineant. Nec quicquam causæ video, cur inde pendere debeat solitudinis meæ remedium. Sed vereor ne amici mei inimicis lactandos se permittant, nihil postremo ipsis nisi ludibrium debituri. Neque ego cuiquam quamvis variæ spei usuram invideo,

Digitized by Google

dum ne ego interim vitæ solatiis destitutus pœnas pendam alienæ credulitatis. Chartas, quarum in literis XXIX. ad me datis meminisli, avidè exspecto. Minus solvit & qui tempore minus solvit. Ego mihi diutius deesse non possum: neque est, ut dilationem ostendendæ innocentiæ, tam crudeliter lacessitæ, æquis judicibus probare diutius possim. Hac præcipuè in re te adjutorem mihi quantis possum precibus exposco. Carmen ad Thuanum jam videris, in quo nihil probandum præter constantiam reverentiæ, qua cum bonis omnibus, virum in omni virtutum genere incomparabilem, patrem ipsius, sum prosecutus, cujus ut testimonium aliquod publicè exstaret, mea referre censui. Ad meos non scribo, quando eos jam in Zelandiam profectos arbitror. Vale Vir summe, & bene rem gere. 13 Aug. 1621. Lutetiæ.

EIDEM.

157 Liberos tuos, Vir Illustrissime, incolumes ad te venisse, gaudeo: speroque, si quid adhuc sequioris valetudinis ipsis adhæsit, id omne itineris motione discussum. De studiis ipsorum optima quæque sperare nos jubet & ortûs felicitas& cura tua, & eorum fides, quibus tam grande depositum commisisti. Ad virum optimum & amicitia tua dignissimum Gerardum Vossium & scripsi antehac, & nunc scribo. Neque verò tam sum ineptus, ut nesciam tantam esse vim commendationis tuæ, ut nihil ei ponderis à meis precibus possit accedere. Sed tamen intelligere ipsum volui, qua opera novum amicum parabit, eâdem veterem ei obligatum iri. Placet & is juvenis, cui secundas operas assignasti: ita ut nihil restet, nisi eum invocare propitium, sine quo nec satio nec rigatio ad messem pervenit. Rogo, in inscriptione si quid addendum, demendum, mutandum censes, aut tuo jure utaris, aut opera mea. Silva mea ut nihil habet eximium, ita venia certè indigna non est: nam ut meliorem scriberem, non indulsit animus, partim in memoria, partim in sensu malorum suorum æstuans: ut tacerem, non permisit reverentia, qua viri incomparabilis Iacobi Augusti Thuani memoriam prosequor. Accedebat, quod cùm D. Boissizio pridem pro Epicedio essem debitor, tanto post Thuani mortem tempore illud scribere serum mihi videbatur, & tamen aliquid reperiendum erat, quo id nomen expedirem: quod fecisse mihi videor, ita comparata ad filium allocutione, ut parentis virtutes ipsi ob oculos ponerem. Belli aut induciarum apud vos exspectatio, suspensa hic sapientum judicia habet. Hic verò deprehensa à Regiis partibus navis, quæ omni belli apparatu onusta è Batavis veniens Aquas mortuas destinabatur, suspicionem injicit multis, ne missis publicitus auxiliis obtentui sumantur privatorum nomina. Montis Pessulani ad Regem miserunt: putantur se permissuri Regis arbitrio. Ipse Rex ad exitum hujus mensis ad Montem Albanum futurus putatur. Novus è Britannia Legatus carruca molitur lentum iter. Validus est rumor, Gonthomerum, & qui in aula Anglica Hispanicæ sunt factionis, apertè profiteri, non debere à Rege Britanniarum deseri religionis consortes in Gallia, ne si quando vetera jura repetere ipsi sit animus, desint, qui partes Anglicas sequantur. Nihil tamen tale sperari à.... ipsa mihi eorum consternatio indicium facit. Solent enim, ut spes aut metus se ostendit, ita animos ac vultus quasi diarios sumere. Sigilli curam adhuc Comes stabuli exercet. Hæc erant, quæ hic ferebantur. Ego posthac inde non literas, sed uxorem exspecto: quæ ne ad me adventum differat, & mea & ipsius refert. Nam beneficia beneficiis tegenda sunt, ne perpluant. Vt te hic videam, tantum est id bonum, ut sperare vix ausim: tamen quia jubes, dabo operam, ut sperem. Pax si per se optanda non esset, hæc illam causa tam optandam faceret, quàm quod maximè optatur. 19 Aug. 1621. Lutetiæ.

Has cùm scripsissem, literarum fasciculum ab amicis tuo beneficio rectè accepi, pro quo gratias ago.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Hoc mihi dulcior est mea libertas, Vir optime, quod 158
eam voluptati tibi esse, quanquam nunquam dubitavi tamen ex te quoque intelligo. Neque minùs gratum quod ne quid in pietatis negotio me indignum faciam, & monitis me & precibus juvas. Ego verò te Deum adjutorem precatus hac parte securum esse jubeo. nam si quid profiteri contra animum in animum potuissem inducere, neque illa horribilis in me lata esset sententia, neque post sententiam tam diuturna mihi toleranda fuisset captivitas. Nunc quoque si à parte infirmiore tam crudeliter habitus ad eam quæ validior augustiorque est vellem accedere, paterent mihi majores quàm quas patria nostra capit dignitates. Sed qui carcerem tuli, feram & exsilium & contemtum & paupertatem, ejus exemplo qui cum populo Dei ignominiam ferre maluit quàm dici nepos Pharaonis. De te mihi fortissima quæque promitto. Rogo ut eorum quæ tibi eveniunt certiorem me facias, ut si ea secunda sunt gratuler, sin quod nolim, cogitem num qua in parte tibi possim succurrere. Si ibi manes magnum tibi præsidium paratum video in Maurerii amicitia quem etiam qui non amant metuunt. Non opus est ut ejus liberos tibi commendem, cui bene bonis facere ex consuetudine in naturam vertit. Quod si ibi vivere atque ita vivere ut te dignum est non fineris, scito librum tuum de Pelagiana Historia magnas tibi hic amicitias parasse. Neque deerunt si huc migrare libeat Viri summates qui tibi certatim florem sobolis suæ commendent. Sed Historiæ Pelagianæ omnia exemplaria quæ hic erant distracta sunt & valde à multis desiderantur. Fac quæso Typographum memorem ut alia submittat. Meum libellum, qui ad tuum esse potest indicis loco, quod legeris gratias habeo. Vellem non tantùm quæ de editione in utramque partem disputata sunt commemorasses, sed annotasses quoque ea quæ corrigenda tibi aut mollienda videntur, ut opusculum istud sive publicis, sive privatis usibus serviturum, summam certè manum accipiat. Quæ causæ ad dissuadendam editionem adferuntur magna ex parte obtentus tantùm sunt, præter illud quod ultimo loco affertur. Ego verò sicut affinium commodis impensè studeo ita æquum puto ut ipsi vicissim famæ meæ studeant, quæ nullis commodis posthabenda est. Tamen, quia uxor jamjam adventura dicitur, differam hanc consultationem in id tempus, dum ne ad has tam diuturnas moras aliæ moræ texantur. Mihi enim deesse diutius non possum: neque ut faciam amicis qui hic sunt placet. Tilenus noster amicissimè te salutat, tibique placere maximi æstimat. Vale Vir doctissime. 19 Augusti. 1621. Lutetiæ.

Tuus optima fide H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Vir Illustris.

Rogatu liberûm D. Oldenbarnefeldii egi cum iis, qui 159
in urbe regni negotiis invigilant, ut cognoscerem, num qua spes esset commendandæ causæ ipsorum, Hogerbetii, Milii, tua opera, ex regio mandato. Video in utramque partem rationes afferri: Non desperandum, valitura plus quàm antehac Regis consilia, ob ingruens bellum & Angliæ frigus: Quod si non ex voto res succedat, tamen operæ pretium in eo fore, si populo innotescat, perstare Regem in vetere proposito, ut scilicet infractæ partes non aliunde, quàm ex Gallia sperent restitutionem pristinæ dignitatis. At contra adfertur, non toties objiciendam periculo Regis auctoritatem, rectiusque privata negotia differri, usque dum necessitas nostros salubrium consiliorum patientes fecerit, ut tum privata illa simul cum publicis transigantur. Quam ad rem video esse, qui existiment, si tempora spem successus fecerint,

Le-

Digitized by Google

Legatum hinc mittendum eximiæ dignitatis, qui tecum eam curam participet. Certè si quid agendum est, videtur & dejectorum Magistratuum & eorum, qui religionis causa vim patiuntur, habenda ratio. Hæc tibi significanda tum ego officii mei esse duxi, tum id, ut facerem, auctores habui viros maximos, qui existimant tibi promtissimum, judicare, quid hoc potissimum tempore opus factu sit, ut quod tibi potissimum videtur, id aut mihi aut ipsis transcribas. Ad Montem Albanum vis paratur, nulla fermè spe paciscendi. Dolendum est, magis magisque animos intumescere, ut media suadentium vocibus aures non pateant. Carmelitanus ille, conciliatura Lotharingica & promissa ad Pragam victoria nobilis, mirum quam ingenti, dum hic ad Vrbem agit, concursu delassatus, nunc ad castra procedit, fortè ibi quoque experimentum artis suæ facturus. Hæc jam fabula ita omnes detinet, ut fermè aliud nihil vulgò audias. Vale, Vir maxime. 27 Augusti, 1621. Lutetiæ.

EIDEM.

160 RECentes admodum, Vir Illustrissime, ad me pervenerunt, quas ad me 24 Augusti dederas, nimirum tertio Septembris die; unde intelligo rem magis magisque ad arma perduci: quæ cui potissimùm parti sit incubitura, brevi apparebit. Omnes, qui hic sunt, Hispanica super rebus nostris consilia pendere existimant ab eo, quod de Palatinatu constituetur. Nam si ibi res transiguntur, dubium non est, quin in nos belli procella ingruat: Sin ibi bellum manet, apud nos induciæ putantur futuræ. Rerum periti putant Montem-Albanum intra hunc, qui vertitur, mensem posse ad obsequium cogi: eoque faciliùs, quia intus non eadem omnium sententia est. De Rupellensibus furiosa quotidiè nunciantur; ut horror subeat, cùm cogito, quo tandem eruptura sit juxta sui atque alieni negligens contumacia. De eo, quod ad Tilenum scripseras, tui semper similis, hoc est nullam omittens amicos demerendi occasionem, Ianninum conveni, qui statim Rothomagum scripsit. Conjugem avidè exspecto. quanquam enim amici officio non desunt, tamen fortior ero, domestico instructus, adversùs mala omnia, solatio. Quod Silva nostra te delectat, affectui imputo: aut quo me, aut quo viri optimi memoriam prosequeris. Meâ refert, sciant omnes quanti ego illum virum fecerim. Aliqua virtutis pars est, virtutis eximios fideliter admirari. Vale, Vir Maxime. 3 Septemb. 1621. Lutetiæ.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Clarissime.

161 SCripsi ad te nuper literasque curavi per Maurerium Regis Legatum tui, quod video, amantissimum. Alias à te avidè exspecto præcipuè ut sciam quid fecerit Synodus Hollandica, & quid in re tua constituerint Curatores. Plane tibi persuadeas velim plurimos hic esse tui amantissimos, ita ut confidam si qua inde te procella depulerit fore hic studiis tuis pretium. Qui has fert literas Menardus gente cognomento Viverius in re est amplissima, suffultus magnis affinibus qui partim in sacro Consistorio sunt, partim in Palatio. Inter eos qui sororem ipsius in matrimonio habet senator Perottus omnia mihi exhibet singularis amicitiæ testimonia. tanta in illo est reverentia literarum. Hic cùm Patriam nostram videre vellet commendari amicis meis voluit, quos inter tu merito tuo ordines ducis. Vale Vir optime. 3 Septembris 1621. Lutetiæ.

Tuus G.H.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

162 QVa horâ tuas, Vir Illustris, literas accepi, datas 13 Septembris, eadem V. C. affinem tuum conveni: ex quo didici ea, quæ ad rem maximè pertinere rectè judicas. Ego plane consilium tuum sequar, & ni fallor, facilè obtinebo, ne quid præcipitetur. Spero interim mansuram illis constantiam, quos Reipublicæ nostræ calamitas perculit. Me quod attinet, constitui potiùs longius fugere, si opus sit, quàm me Cyclopum & Læstrygonum fidei committere. Hic nihil est rerum novarum, nisi quod Regii judicant ingens esse damnum in morte Mainii. Videtur autumno tam pluvio, anno declinante, incertus satis esse obsidii exitus, tamen deditio speratur. Regem in urbe hac hibernaturum plerique existimant. Cætera ex affine propiùs intelliges. Valetudinem familiæ tuæ secundiorem utinam proximis literis intelligam. Meæ pars major ac melior satis bellè se habet, quamquam mari diu jactata, deinde & terrestri itinere defatigata. Domum jam quærimus. Nostræ illæ reculæ, ad quas sollicitudinem tuam demisisti, adhuc exspectantur. Puto præter ventum nihil aliud fuisse in mora. Hæc breviùs scribebam, imminente hora, qua tradi literæ solent. Scis alioqui, quàm esse soleam temporis tui prodigus. Vale, Vir Illustrissime. 24 Sept. 1621.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

EPistolæ tuæ; Vir doctissime, bonæ omnes: optimæ autem quæ longissimæ, qualis illa, quam nuper uxor attulit, amoris in nos plenissima; cui illud quoque acceptum fero quod de Silva nostra tam benignè judicas: in qua censendum nihil nisi reverentia qua mortuum Thuanum tanquam viventem prosequor. V. A. Maurerio magis magisque te innotescere sanè gaudeo, dignus est qui te norit, multoque plura in eo reperies quàm ego ausim polliceri. In piæ antiquitatis veneratione ego persisto, multosque hic habeo ejus studii participes. Libri nostri Belgici sex brevi, ut arbitror, prodibunt; fortè & disquisitio de Pelagianismo sed cum cautionibus quas tu aliique suggessistis. Interim & Stobæi Latini editionem paro, & quo consummatior prodeat Græcos Manuscriptos cum libris editis comparo. Oratoria tua haud dubiè multis hic placebunt. fac ubi prodierint ne hic exemplaria desint. Dura lex est quam tibi præscribi memoras: & tamen sunt quibus ea nimis mollis videatur? O misera ætas in qua vix est servitutem effugere. Rectè judicas hoc agi ne opera tua Ecclesiæ usui esse possit. Interim gratulor otio tuo, in quo sementem facere potes cujus olim messem videamus. Eorum quæ ad Euangelia notaveram partem amicis ostendam ut eorum judicia explorem, postea constituturus quod ex usu publico privatoque videbitur. De scribendi ratione quæ periculo careat laudo quæ commentus es. Sed & si quid opus est Maurerius tuto curabit, à quo frequentes literas accipio. De Augustini ad Iulianum libris consilium haud displicet. Rogabo fratrem ut inter libros meos eum quærat. Lenitatem maximi facio: utinam eam virtutem quam amo ita consequi possem. Iuvabunt etiam tua monita, ita enim laudes interpretor ut τὸ περὶ κύρου παιδείας [*scriptum de Cyropædia*]. Sæpe mihi ob oculos versatur tristis imago acceptæ injuriæ cùm Patriæ & Ecclesiæ tam impensè voluerim: & sum κακοστομαχώτερος [*infirmioris stomachi*] ut ista non semper æquè concoquam. Ideo tui aliorumque auxilii egeo. De historia Thuani quod mones, inquisivi diligenter. In eo exemplari quod ad αὐτογράφου [*autographi*] fidem diligenter à Puteanis collatum est, ut inde aliquando instituatur nova editio, video omne illud de rebus novis, exsilio & Noriberga inductum esse. Et sanè si quis quæ duobus in locis super Donello ab eodem Thuano scripta sunt conferat, inveniet hæc eo pertinere. Error mihi natus inde videtur quod Thuanus quæ de Viris doctis ei suggerebantur annotabat plerumque in schedis singularibus quales aliquot vidi: in quibus sæpe duorum triumve historia fortuito conjungebatur: quam ille deinde locis suis inserendam notis quibusdam indicabat. Vnde fieri potuit & factum puto ut duæ particulæ ad diversos homines ac tempora pertinentes describentium 163

Digitized by Google

tium errore, notis illis malè observatis, coalescerent. Certè qui Indicem confecere eis suboluisse error videtur, ut advertes si quæras soceri nomen. Interim illud dissimulare nequeo, illud de desultoria scientia non ab exscriptore sed ab ipso esse Thuano, non tamen eo sensu qui levitatem animi ullam significet, sed potius insatiabilem quandam cupiditatem per omnia studiorum genera se diffundendi: de cujus successu quod aliis judicium permittit haud dubiè Critica spectat. nam Theologica ejus quæ certè potissima nescio an ad Thuani manus venerint. nam si venissent judicasset haud dubiè cum Scaligero qui eum judicii acumine Theologis ferme omnibus præferebat. Præcipuè verò pacis & moderationis studium favorabili aliquo elogio prosecutus more suo Thuanus fuerat, si Irenicon & quæ alia ejus sunt argumenti ad ipsius manus pervenisset. Ego qui utriusque memoriam, ut scis, summa reverentia prosequor auctor sum, ut tu quoque si quid hac in re pro soceri existimatione faciendum censes ita id facias ut simul te Thuani observantem ostendas. Melius forte sit obiter in aliquo libellorum quos es editurus dicas monitum te, quod & res ipsa loquitur, ingens ab exscriptore eo in loco vitium esse commissum quam ut singulatim de hoc argumento aliquid scribas & singula ad unguem reseces. Sed quicquid facturus es ego operam dabo ut bonis probisque id non displiceat. Tilenus noster summi te facit & amicissimè salutat. Is nunc Canonas Dordracenos ὀβελίζει [*obelo notat*]. De Onosandro nihil sperandum. Rigaltius noster totus in bibliothecæ catalogo scribendo occupatur, cæterum tempus foro & rei faciendæ tribuit. Spem tamen mihi ejus scriptoris edendi fecit Salmasius Vir supra quàm quisquam credat eruditus. Ejus Eucharisticon ad Sirmondum nescio an videris: in quo canon Nicenus περὶ τῶν πρωτείων [*de primatibus*] accuratissimè pertractatur. Amicos resaluta & vale quàm optimè. 29 Septemb. 1621.

Mitto hanc epistolam quanquam veterem ut videas pridem curasse me ut tibi responderem: quo scilicet tempore frater discessurus putabatur; qui abitum hucusque distulit. Interea recepi duo tua opera de Arte Oratoria, elimatissima ut omnes docti sentiunt. Ego partitiones tuas multis commendavi qui summa sua cum fruge ea utuntur. Utinam habere possim quæ olim super statu animarum post mortem, oratione pro mortuis & sanctorum veneratione à te sunt annotata amicisque distributa. Vale Vir Optime. 20 Novemb. 1621.

Tuus ut semper. H. G.

ERYCIO PUTEANO.

164 SIcut nuper miseriam meam accendebat amicorum dolor, ita nunc magnum gaudio pondus adjicit amicorum gratulatio: quos inter tu quidem, decus Belgarum Puteane, eximium in me affectum pari eloquentia expressisti. Magnum itaque pretium longæ calamitatis habeo, sparsum in multos lætitiæ meæ commercium: neque tam libertas ipsa voluptati est, quàm cùm eam video tot bonis ac sapientibus esse voluptati. Non tanti fuerat retinere libertatem, & nihil habere quod de fortuna quererer. Nam perpetua felicitas hoc habuisset infelicitatis, quod quàm multis carus essem nunquam apparuisset. Habent quidem literæ hanc vim, ut his, qui eas penitus imbiberunt (quos inter tu emines) etiam illos à quibus modicè libatæ sunt, (quos inter utinam poni merear!) validè commendent. Sed tamen ut arbitror ipsa paucorum injuria efficacius me & multorum, & optimorum affectibus inseruit: neque enim frustra dictum est, rem sacram esse hominem miserum, præsertim innocentem. Vide autem quàm propitia in me Dei providentia mala mea similibus bonis pensarit. Fidem in patriam præstiti: in uxore inveni. Ego publicæ libertati dum studeo, amisi meam: illa vicissim suam meæ impendit: neque tu frustra ipsam qua mihi sum redditus rationem miraris. Quis enim libertatem speraret ex arctiori carcere? Quis cœli apertos haustus ex iis angustiis, quæ vix animæ respiranti aërem transmitterent? quis denique tot custodum oculos effugere se posse speraret ipsis custodum manibus & pedibus? Sed nimirum æquum erat inexspectata ratione eum servari, quem adeo inexspectata pernicies oppresserat. Quis enim futurum hoc credidisset? Patriæ gloriam & eorum qui in patria eminebant, tum vincta, tum soluta oratione, quantum potui connisus in sublime extuli. Pro hoc merito merces mihi summa ignominia à civibus meis redditur. Publicas opes patrocinio defendi, consiliis auxi; meas amitto: tutatus sum patriæ libertatem, constat id mihi tristissima servitute. Bene illud, quòd uxorem in carcere reliqui, & quidem me elapso arctiùs custodiendam, ne quis jam dubitaret capi & innocentes & bene de suis meritos. Illa hoc tantùm gnara elatum me, quod restabat eventus, anxia animi, conjectura revolvens, vota fecit, quæ ab amantissima mariti conjuge nemo exspectaret; ut maritus à se quàm longissimè abesset. Ego tum demum intelligens à quali uxore discessissem, tam graviter ferebam ejus absentiam, ut potiùs quàm ea diu carerem, carceri me fuerim redditurus. Gratulandum est sæculo, quod hoc potuerunt famæ reverentia ac pudor, ut feminam illorum manibus extorquerent, qui jam aliam non habebant iræ suæ materiam. Illa verò hoc laude dignior, quod tam facilem exitum, cùm me emitteret, sperare non ausa est, innocentiæ meæ mihi conscia, atque inde intelligens in quos homines incidissemus. Non in aliam magis illi versus congruunt:

Tu melius certo meruisti pignore vita,
Ut tibi non esset morte probandus amor.

Neque tamen jam defuncti sumus patientiæ experimentis: superest pro carcere exsilium, & nescio an

Fata mihi totum mea sint agitanda per orbem:

sed post carcerem in patria, exsilium patriæ loco est. Gratiam habeo quod exemplis me solaris, & quidem magnis, & quæ possunt jacentem quoque animum erigere, multoque magis sustinere erectum. Themistocles ille, qui Apolline certius salutis viam Athenis monstraverat, coactus fugit, & quidem ad Salaminiaci prælii reliquias. Similis Coriolani iracundia: sed utraque infelix. Meliùs Alcibiadi cessit exsilium hostiliter exercitum, quem diris populus exsolvit propter illa facta per quæ diras veriùs mereri cœperat. Sed leniora libentius lego. Ostendit mihi Græcia Aristidem contrarias Achilleis preces concipientem, ne unquam sui pulsi Athenas pœniteret; & Phocionem ultimis verbis præcipientem filio, ne acceptæ injuriæ meminisset. Roma Rutilium, qui maledici sibi putavit, cùm amici ex civili bello reditum ipsi augurarentur, neque aliter ultus est ingratam urbem, quàm quod ne revocatus quidem ad eam redire voluit. Neque tuus ille Scipio aliud quàm civium oculis se subduxit, magno illos, sed non intellecto, supplicio afficiens; quod Africæ Asiæque victorem conspicere ipsis non liceret: itaque in agro arbores digessit, sed eodem animo quo olim in campo aciem. Laudari solet dictum vetus:

Ames parentem si æquus est, si non, feras.

Quod ad patriam rectè produxeris, quæ & parens dicitur, & parentes vel parentibus proximos plerumque aut suis periculis involvit, aut sua salute complectitur. Quid quod ne patriæ quidem imputandum est si quid in patria fit? Triginta tyranni Athenæ non erant; ac nec Mithridatica quidem præsidia, quo tempore Sylla volente civitate urbem obsedit:

Vejos habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Cicero eos, qui ædes suas diruerant, qui aqua & igni sibi interdixerant, non populum Romanum; sed populi fæcem interpretatus est: illum verò populum, qui in Theatro ingemeret atque illacrymaret, agente Roscio:

O in

O ingratifici Argi, immanes Graji, immemores beneficii,
Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini,
Summum amicum, summo in bello, summo ingenio praditum.

Scio hæc atque alia malè tractatæ virtutis exempla plurium imperiis objici solere. Sed Thraseam & Senecam & tot illustres animas nonne unius crimen habemus? Sicut homines invenire non est ad quos vitiis aditus non sit, ita nulla periculo vacat potestas, quæ aut homini aut hominibus datur. Valde mihi placet quod olim ab Alcibiade, mox ab Augusto ad factam Catonis mentionem dictum legimus, sed dignum quod ab ipso Catone diceretur; *Qui præsentem Republicæ statum mutare non vult & civis & vir bonus est. Si juris speciem injuria induit, & bello gravius innocentiam premit, ita hoc tolerandum quomodo fulmina, & nimbi, & qua alia mala vis major immittit; sin mite pacatumque regimen, quale vos optimi Principis ingenio debetis, excipiendum gratis animis:* bonum, quo non majus aut corporum sanitas, aut agrorum fœcunditas, aut quicquid aliis publicis privatisque votis ambiri solet. Maneat hæc vobis solida atque perpetua felicitas! Quod ut ex animo precer, non illa tantùm exigit quæ Belgas inter se connectit generis consanguinitas, locorum vicinia, sermonis communitas; sed & in me merita. Vos eò malorum adacto, ut omnia mihi patriæ finibus essent tutiora, primus receptus, prima libertatis fiducia; vestrum primum cœlum securus hausi, vestris colloquiis recreatus delere cœpi longæ calamitatis memoriam: à vobis denique exceptus sum tam amicè, quàm inimicè à meis. Pro quibus beneficiis quid vobis potiùs precer, quàm ut non extra bellum tantùm, sed & extra belli metum vos ponat certa pax, mea quoque causa, quo magis, si ita res tulerit, transcurrere ad vos libeat, atque uti oblato hospitio, & si aliter non licet, de proximo certè adspicere illas terras quas mihi contra tot injurias natura commendat: ita tamen, ut qui quàm ex cordi mihi essent semper ostendi, nunc etiam ausim ostendere quàm eis opus non habeam. Vale vir optime atque doctissime. 1621.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

165 Literas tuas, Vir Illustris, cum responso ad Bonfadianam calumniam jam nunc accipio: ita ut cum Tileno ea de re agendi nondum se tempus dederit. Mihi invictis armis jugulatum videtur mendacium: neque restare quicquam, quod æqui cognitoris judicium moretur. De editione tamen deliberationem inhibendam censeo, donec videamus, quid Veneti, hac de re admoniti, sint constituturi. Nam id fortè aut respondendi necessitatem auferet, aut addendi aliquid dabit occasionem. Videbis interim, an non hujus scripti exemplum, saltem aliquod, ei, qui apud Venetos est, Legato mittendum censeas. Liber ille Baronis Germani, cui respondere se ait Bonfadius, iterum Lutetiæ excusus est, & quidem cum Magistratuum permissu. Vxor mea jam advenit; Domum quærimus. Quæ ad Præsidem Ianninum missa erant, nondum accepi, quia venti diu reflaverunt, sed ea in Gallia jam esse constat. Quæ ad Cancellarium scripsisti, jam videram apud Ianninum, simul cum ea oratione, cujus exemplum tuo beneficio accepi. Is magnum tibi reddebat fidei atque industriæ testimonium, addens maximum rebus regiis damnum fore, si his temporibus successorem acciperes. Cancellarium paulo ante conveneram, eique indicaveram quod & aliis, ex his, quæ mihi nuntiarentur, videri mihi nondum paratos majoris partis eorum, qui rempublicam insiderent, animos ad accipienda æqua ac moderata consilia: quod confirmabam eorum, quæ nuper Rotterodami, alibique, acciderunt argumento. Ajebat Cancellarius, dictum sibi, plerorumque eorum, qui Magistratu moti essent, animos novis rectoribus conciliatos: ego verò nihil tale mihi intellectum asseverabam. Plane & ipse & alii judicant non committendum, ut irrito conatu magis adhuc hebescat acies regiæ auctoritatis. Etiam conditiones, quæ feruntur vobis de negotiis Indicanis, minimè hic placent, ut nec illa in Britanniam Legatio. Principis Henrici negotium, cujus literæ tuæ meminerant, impensè commendavi. Spero cordi fore. Vtembogardus & Episcopius Rothomagum hinc discesserunt, acceptis à Iannino commendatricibus literis ad Senatus Normannici Principem. A Cancellario quoque & Boissizio humanè sunt excepti, auditique Reformati, qui hic sunt, Magistratuum cura; qua feliciter satis repressus est tumultus: sed paucorum supplicio satisfieri sibi non patiuntur, & mirum ultionis genus commenti nolunt alios habere cœtus.

. . . .

Pontificis ad Regem literas Gallicas fortè videris: sed ita, ut ipse scripserat Latinas mitto, quas multi judicant impetratas ab illis, qui paci adversantur: quo consilio & tumultum illum excitatum, diffidentiæ scilicet augendæ, ac proinde bello protrahendo, sunt qui arbitrantur. Ex testamento Procancellarii, partem eam, quæ ipsius de Religione judicium aperit, mitto; talem sane, qualis ab ipso minimè exspectabatur. Vale, Vir Illustris, & diu rem publicam privatamque feliciter gere. 8 Octob. 1621.

EIDEM.

Scripsit ad me, Vir Illustrissime, amicus quidam 166
meus, qui inter præcipuos est Curatores Indicanæ Societatis, de controversiis, quæ Societati cum Regis subditis intercedunt, neque transactæ hactenus sunt. Queritur, quod difficiliorem te in hoc negotio præbeas, neque judicio rem velis permittere. Ego, qui rem totam ex vestris proceribus intellexissem, respondi, constare, nihil plane à te factum, nisi ex speciali Regis mandato. Non quærendum, an damna reparanda sint, illata subditis Regis amici, fœderati, bene meriti, sed quantum eo nomine sit præstandum, quod quidem majore cum gratia fieri posse partium conventione, quàm judiciis, quæ pars altera perhorresceret. Addidi & Ricarderii exemplum; neque dubitare me, quin ad æqua omnia te habituri sint adjutorem. Hæc qualiacunque significanda tibi duxi, arripiens quodvis epistolæ argumentum: præsertim cùm novarum rerum ferme sit nihil; & si sit, aliunde certiora docearis. Pacis spem evanescere valde dolemus omnes, quæ & Galliæ privatim, & communiter Europæ rebus, omnium sapientum judicio, valde est necessaria. Vale, Vir Eminentissime. 23 Octob. 1621. Lutetiæ.

EIDEM.

Literas tuas, quas ad me dedisti 28 Octobris, rectè 167
quidem, sed seriùs accepi, quod affinis tuus, ut & cæteri ferme omnes Protestantium, domo aberat. Pacis rumores sæpe resuscitantur: sed ipsa nos huc usque fugit. Meæ adhuc res hic in incerto sunt, quod futurum non putaveram. Scio à te allata omnia, quæ ad meæ calamitatis solatium pertinebant. Videbimus, quid Regis adventus portaturus sit, quem exspectari multi asserunt. De Bonfadiano negotio agam cum Tileno, &, quod re expensa consultum videbitur, perscribam. Res patriæ nostræ neutiquam optimo sunt statu, & miror de remediis nihil cogitari: ac vereor, ne ipsa medicinæ tempora effluant. Magna sint mala oportet, quorum ipse conspectus homines exanimat, quod non Mathenesio tantum (viro patriæ amantissimo) sed & Senatoribus tribus aut quatuor, amicis quondam meis, accidit. Deus bonos, qui supersunt, conservet. Meæ sarcinulæ rectè advenerunt. Cœli mutatio morborum aliquid familiæ meæ intulit: sed pars familiæ optima, uxor, ex voto valet: quod ipsum meam valetudinem, alioqui imbecilliorem, sustinet.

Digitized by Google

stinet. Liberûm tuorum indoli precor fausta omnia: neque verò dubito, quin colente Vossio uberrimam sint frugem edituri. Liber, quem nuper tuo nomini incripsit, ostendit, quàm latè diffusa eruditione Vir ille polleat. De cætero, faustissima tibi omnia precor & adversùs mala domestica animum invictum. Vale, Vir Illustrissime. 29 Octob. 1621.

EIDEM.

168 QVas ad me dederas, Vir Illustrissime, serius, id est, hoc ipso demum momento accipio. Novum illud, quod accepisti vulnus, ita me contingit, ut meretur tuus in me affectus. Scio tibi adversùs id genus casus plurima esse præsidia: deinde & illud considero, malo graviore (nam uxor unica est, liberi plures) ita obduruisse tibi animum, ut faciliùs repellat quodcunque restat ictuum: præterea verò longo filiæ morbo præparatum te ad hujus jacturæ patientiam. Quare ad vota me potiùs convertam, Deumque precabor, ut cæterorum liberûm dulcis indoles felici fruge unius tibi memoriam minuat. De re Indicana, si quid posthac ad me perlatum fuerit, faciam te conscium, nihilque, nisi ex tuo consilio, agam. Rex hic futurus putatur ad Dominicum Natalem. Spes pacis magis magisque fugit, cùm tamen res regni longam belli moram vix ferant. Nescio, an de privato meo negotio addere aliquid debeam. Cur enim molestus tibi sim, quem scio, sponte sua nihil eorum, quæ mihi prodesse possunt, omittere? sed tamen audebo, vel ut videas quàm te utar familiariter. Decretum de me aliquid in regio consilio, intellexeras: sed ego nullum ejus rei instrumentum accepi: & qui hic sunt, nihil certi pollicentur, in adventum Regis rem differunt. Quidam metum injiciunt, ne de ea ipsa summa, quæ destinata erat, decedat aliquid, cùm onus traductæ huc non sine consilio familiæ, & sumtuosius in hac hominum luce vivendi genus, potiùs augmenti aliquid postulent. Interim satis intelligo, cùm belli impensæ etiam indigenis necessaria concedi vix permittant, mihi extero, operæ sterilis homini, leniter ferendum quicquid communis parsimonia exigit. Sed ut res meæ perpetuò in incerto sint & à temporaria largitate aut frugalitate pendeant, domus meæ ratio non patitur. Quare nisi certi constituitur aliquid, restat, ut in Germania alicui addicam operam, ubi facilè eminent etiam, qui hic in turba latent: aut certè remotior aliquis in Gallia quærendus est angulus, ubi me abscondam. Scio ego te conscio, quantopere laboraverim semper, ut honos haberetur, amicitiæ vestræ, utque subditi Regis omnia æqua apud nos obtinerent, neque exiguam concepti in me odii partem hinc manasse. Ac de his edoctos à te proceres non dubito. Fortè non abs re sit, si D. Cancellario (qui ad omnia negotia, ut scis, est lentior) & ubi is advenerit, D. de Puisieux res in memoriam revocetur. Reformati nostri, metuentes ne Alesianæ definitiones aliud, quàm speratum fuit, pariant, renovare in nos incipiunt calumniam Hispaniensem: cui integram conscientiam oppono, famæ interim minimè contemtor; quamobrem defensionem eorum, quæ ab antiquis Hollandiæ Ordinibus, in re sacra ac civili, acta sunt, molior. Scio te favere labori. Vale, Vir maxime. Lutetiæ. 3 Decemb. 1621.

EIDEM.

169 CItiùs ego, Vir Illustrissime, gratias agendo, qua tamen re nihil est facilius, delassarer, quàm tu bene de me merendo. Sed tamen, quanquam id tu non curas, facio, quod debeo. Et pro cura rerum mearum tantum tibi me obligatum profiteor, quantum mea refert, ut in Gallia potius & splendidissima hominum luce, quàm in retuso aliquo angulo degam. Quod de itinere huc tuo spem facis, eo magnopere solaris meorum incommodorum reliquias. Sed tamen alma Pax, unde iter illud pendet, quando vos sit respectura nescio. Ex obitu... post alios, qui itidem belli incentores habebantur, multi animos in spem tanti boni attollere cœperant. Sed dicitur.... qui in vacuum locum cucurrit eosdem ignes resuscitare. Deinde verò ita... turguisse.... successu..... De viri civisque optimi Boissizii morte nuntium tu quidem falsum acceperas, sed quem in omen vertit exitus. Dies enim sunt decem admodum, cum carere cœpit sæculum tam illustri incorruptæ virtutis exemplo. Dies tres aut quatuor decubuerat dejectus à morbo, quem jam vicerat aliquoties, sed, ut scis, mala ætas semper aliquid deruit de viribus, & illa jam pridem senile corpus sola animi magnitudine sustentabat. Res patriæ meæ quod attinet, quantis subsidiis ærarium egeat, satis intelligo; quæ cùm habere aliunde non possint, quàm à civibus, nihil magis refert, quàm ut omnes intelligant, quicquid datur pro se, non contra se dari. Sed multùm vereor, ne quorumdam sua magis quàm publica respicientium pertinacia obstare pergat remediis; in quibus eo minus erit opis, quo seriùs advocabuntur. Sed nos scilicet non multùm mordere debet hæc cura, quibus id jam evenit, quod eversa Republica postremum timetur. Defensio innocentiæ non tam meæ, quàm eorum, qui salvis legibus rempublicam nostram rexere, in majorem, quàm arbitratus fueram, molem excrescit, dum operam do, ne quid dignum scitu posteritatem fugiat. Tamen cùm nullum tempus elabi patiar, quod ab amicorum salutationibus vacuum est, finem brevi exspecto. Vale, Vir summe, à me & uxore, quæ tibi omnia prosperrima animitus optat. Lutetiæ, 6 Ianuarii 1622.

SIMONI EPISCOPIO.

LEgi, Vir doctissime, cum voluptate summa & profectu meo, quæ pro tuenda perscriptæ legis divinæ 170
dignitate commentatus es. Neque verò unica lectione contentus prolixiorem eum faciam sæpe revolvendo. Quod si & hoc permittis, aliis quoque amicis harum rerum judicio pollentibus faciam legendi & cognoscendi copiam. Waddingo tamen mittendum nondum censeo; ne Societas hic quoque valida inde quoque occasionem arripiat desideria nostra impugnandi. Facilè moræ alicujus veniam impetrabit mutata exsilii sedes, neque ad manum libraria supellex. De Paraphrasi particulæ ad Romanos (nonum caput cum duobus sequentibus intelligo) persto in prece. Scio sufficere posse veri studiosis quæ in Actis Synodalibus exstant. Sed & fusior est ea dissertatio, & liber in paucorum est manu. Quare seorsim edendum est aliquid, & præloquii loco ostendendum quid antegressis capitibus atque etiam fine octavi (quod cum nono multi argumento peculiari cohærere non satis rectè existimant) egerit Apostolus. Deinde juxta verba textus adjicienda fusior planiorque paraphrasis: & post cujusque capitis paraphrasin breves annotationes, quæ ex scopo Apostoli, ex sermonis cohærentia, ex locutionum alibi exstantium significatu paraphrasin eam adstruant, & alias si opus est refutent. Id opus si qua omnia soles industria confeceris, non dubito quin multis profuturum sit ad conspectum veritatis. Deus te, tuumque contubernalem paterna benignitate foveat. 14 Ianuarii. 1622. Lutetiæ.

Tuus H. G.

BENIAM. AVBERIO MAVRERIO.

Vir Illustris.

NEmini, quam tibi, aut sæpius, aut libentiùs debeo. Primum autem rogo ignoscas, quod in re mea 171
familiari usus te sim tam familiariter: deinde gratias ago, quod tu id, quod poscebam timidè, liberaliùs præstiteris, quàm poscebatur. Hodie Rex in Vrbem adveniet, cum tota amicorum cohorte. Scio multa magnaque esse, quæ in consultationem nunc ventura sint: tamen & de nostro

Digitized by Google

nostro negotiolo actum aliquid iri spem facit optimus Ianninus, cui Viquium spero adjutorem fore. Nam & literas quantùm amaret, in Casaubono ostendit; & mihi, antequam ab urbe abiret, non obscura dedit benevolentiæ suæ signa. De pace nihil sperare adhuc ausim: adeo ab ea abhorrere videntur utriusque partis consilia; cùm tamen non vestræ tantùm res, sed & externæ ejus maximè indigeant. Nostram quoque Rempublicam non modico in periculo versari video: neque ejus malis remedium certius, quàm si restituatur civium concordia; cui rei nullam operam video dari. Alioqui intendere onera, in imperio, quod multis nolentibus teneatur, discrimine magno haud vacat. Vxor se tibi tuisque omnibus commendat. Deum precamur uterque, ut te diu sospitem præstet. 3 Calend. Febr. 1622.

EIDEM.

172 Facis quod soles, Vir Illustris, cùm tanta tangeris rerum mearum sollicitudine, quas, quo loco esse dicam, nescio. Procancellarius & Ianninus omnia officia spondent, & quin præstent non dubito. Quid rem pridem decretam ad exitum perduci vetet, equidem conjecturis nullis assequi possum. Magnam mihi spem optimi successus facit id, quod de tuo huc itinere scribis, quod utinam tibi detur implere. V. C. affinem tuum aut jamjam, aut ut primùm potero, conveniam, ut ab eo intelligam, num quæ sit occasio id faciendi; quod cùm facere maximè debeo, tum verò libentissimè sum facturus, ut tuis desideriis quicquid possum operæ impendam. Gaudet conjux mea se tibi non excidisse, & inter paterna oscula suo quoque nomine aliqua liberis tuis dividi optat. Eos omnes rectè valere dulcissimum est nobis intelligere. Rursum molestus sum tibi: nam cùm Apologeticum meum, Batavo sermone conscriptum, ad amicos mitterem, certiorem mittendi rationem invenire non potui, quàm si fasciculum tuo inscriberem nomini: quod ex tuo munere sanctimoniam habere debet. Dum illud amici perlegunt, ego interim hunc librum Latino sermone donabo. Quantùm ea res auctura sit potentium in me odia, satis intelligo, sed mihi semper rebus omnibus potior fuit famæ cura, quam crudelis sim, si negligam. Vale, Vir Eminentissime, cui injuriam faciam, si ut me ames te rogem. 25 Febr. 1622.

EIDEM.

173 Qvanto usui mihi sit tua benevolentia, si nescissem hactenus, res ipsa me doceret insigni experimento. Nam omnes, ad quos scripseras, sollicitè pro me laborarunt, & præter eos Princeps & Sigillorum custos. Pittacium expeditum est de eo congiario, quod in castris ad Angeriacum decretum erat, sed inaniter re manente effecta. Nunc hoc beneficium sterile non futurum, spondent omnes. Præsenti tibi pro his aliisque innumerabilibus in me officiis gratias agere valde aveo; sed quantùm ex his, quibus adyta patent, intelligo, hoc rerum statu, loco te decedere, neque publico expedit, neque tibi. Non publico, quia in hoc rerum incerto multa accidere possunt, quæ celeri opera indigeant. Non tibi, quia jam exemplis patuit, faciliùs retineri, qui adveniunt, quàm revocari, qui absunt. Et ut te tui oneris tædeat, tamen flagrantibus circa bellum consiliis, videris non satis auspicatò interventurus. Hæc sunt, quæ aliis video in mentem venire, quæ quanti sint ponderanda nemo te rectiùs novit. Ego invitus ea scribo, quæ ad nos diutius distinendos pertinent. Pacis spes non exigua est apud harum rerum prudentes, quam cum alias ob res opto, tum verò etiam, ut te sine tuo publicoque incommodo videam. Vale, Vir Illustrissime. Lutetiæ. 3 Martii, 1622.

EIDEM.

Ignoscas precor, Vir Illustrissime, quod toties epistolis & chartis ad amicos mittendis negotium tibi exhibeo; parsurus otio tuo, si alia æquè certa curandi ratio appareret. Sed ita videtur meum esse fatum, ut eos, qui mihi bene volunt, semper meis rebus onerare debeam, sine ulla copia rependendæ vicis. Quod me malè haberet, nisi tua summa bonitas perspecta, hanc mihi libertatem indulgeret. Librum, quem misi, innocentiæ meæ vindicem, ita ab amicis legi velim, ut neque mihi, sicubi doloris sensu modum excessi, id ignoscant, neque ipsi rursus suis malis aut præsentibus fracti aut futuris territi, bonæ causæ vires imminuant. Vbi de editione constitutum erit, inveniemus aliquem, qui vertat Gallicè vel hic vel in patria. Nam Latino sermone donandi librum laborem ego in me suscepi, atque in eo sum totus. Si quid ibi rumorum maligniorum adversùs me seritur, quod ignoraverim hactenus, eos cognoscere aveo, ut eadem opera illis occurram. Milleterii librum valde sum miratus: tali advocato vel optimam causam perdere facillimum sit. Nova sunt & valde invidiosa, nec nisi ad irritandos Reges valentia, quæ scribit: tum fundamentum armorum ponitur in hominis mendacissimi narratione. Sed bene est, quod adversarium sibi elegit non elinguem, cui tamen sufflaminando omnes operam dabimus, ne quod ab uno peccatum est, in ejus culpam multi innocentes trahantur. Hi, qui à consilio Regis sunt, valde optassent, ut Rex à Reformatis hujus urbis salutaretur, quod tamen nescio quomodo factum non est. Omnia quidem ad bellum parantur satis strenuè: sed non eo minus viri sapientes pacem audent sperare, & ita, quasi pro foribus stet: quorum ominationi eventus utinam brevi respondeat, ut Regi à civilibus turbis vacuo liceat ad amicorum res advertere. Nuntius de Gallis, iterum malè habitis in India apud Iacatram, renovavit pristinum vulnus: eoque magis, quod cùm Anglis pacandis tantum insumatur operæ, hujus regni nulla habetur ratio. Si, qui Reipublicæ nostræ incubant, eam vellent perditam, quid agere aliud possent? Mitto à Tileno literas: & alias, quas rogo grave ne sit curare affini tradendas. Deus te, Vir Illustrissime, cum liberis diu sospitet. Idem mecum uxor mea precatur, & gratiam habet, quod sui memineris. De Bonsadio, quid porro futurum sit, cognoscere percupio. Lutetiæ 25 Martii, 1622. 174

EIDEM.

Nvper, Vir Illustrissime, scribere ad te distuli, quia de rebus meis, quas pro tua summa benevolentia ad te pertinere existimas, nihil admodum certi habebam. Quantum intelligere potui, pittacium nostrum in matriculam solvendorum relatum non est, oblivione Dandilii, an de industria, haud facilè dixerim. Attamen quæstor Moranus, & ejus subquæstor, mandatum sibi à Scombergio ajunt, ut mihi pecuniam per trimestres portiones numerent: ita ut penes me sit primam portionem recipere, simul atque petiero. Hoc quia voluptati tibi futurum scio, omittere non potui, quin tibi nuntiarem. Tilenus noster Milleterio respondet, partim acriter satis, partim & facetè, ut valet in utroque dicendi genere. De Pace calent adhuc sermones: putatur æqua postulare Rohanius, sed mora esse in conventu Rupellensi, qui constare dicitur ex hominibus satis cerebrosis. Sunt, qui eum conventum ex Milleterii ingenio existimant, 175

Et multos illic Hectoras esse putant.

Ego vota mea cum tuis conjungo: primùm ut pax Galliæ redeat, totius orbis Christiani bono: deinde, ut ante abitum tuum res patriæ nostræ videre possis loco si non optimo, saltem quàm nunc sunt, meliore. Quod quo minus fiat, me judice nihil obstat præter paucorum con-

Digitized by Google

contumaciam. Vtinam aura aliqua affulgeat, posse aditum fieri consiliis mitioribus, apud eos, quorum res in manu est. Et ego & uxor pro te liberisque tuis Deum veneramur. Lutetiæ, 8 Aprilis, 1622.

Viro Amplissimo

NIC. PEIRESCIO,

Senatori apud Aquas Sextias.

176 SErmo nobis, Vir Reverende, his diebus inciderat de Latinæ linguæ origine. Dixi quod res erat, nihil ferme in ea esse barbarum, Phrygium puta aut Etruscum, sed Græca penè omnia à Pelasgis, qui primi Italiam Magnæ Græciæ nomine cum adjacentibus insulis tenuêre. Græcorum antiquissima divisio est, in Iones & Dores; unde dialectorum varietas in plures se ramos fudit, sed qui omnes ad illas stirpes deferendi sunt. Sicut Attica Dialectus pars est Ionicæ, sed à communitate Ionicæ certis proprietatibus distincta, ita Æolica ad Doricam pertinet. Et in Sicilia quidem sermo magna ex parte purè Doricus, ut Bucolica nos docent; at in aliis insulis, quas Æolias vocabant, Æolicus: & huc accedebat sermo veteris Latii; quod his indiciis deprehendas. Primum quia pro fœminina desinentia in η Dores cæteri ponunt α productum, Æoles verò α breve, ut & Latini, νύμφα, φᾶμα, *nympha*, *fama*. Deinde literarum, quæ in vetere Græcorum Alphabeto (ut & Syriaco, unde Græci suum Cadmo auctore habent) sexta est & nunc quoque notam suam in numeris retinet, βαῦ vocant Syriaco vocabulo Grammatici nonnulli, cæteri Digamma Æolicum: Eam solebant Æoles præponere vocabulis à vocali incipientibus. Ita apud veteres Æoles Ϝελίναι pro ἰλίναι legit Priscianus. Ita urbs, quæ alius ἰλία, ipsis erat Ϝελία *Velia*, unde Zeno *Eliades* sive *Veliensis*. Secuti hoc sunt Latini tum in lenibus, tum in aspiratis vocibus. Exempla ponam: ἕσπερος *Vesperus*, *Vesper*. ἔντερα *Venter*. οἶνος *Vinum*. ἲς *Vis*. οἴα *Via*. ἐμέω *Vomo*, mutato ε in ο, ut *elus olus*. ἦρ *Ver*. ἑστία *Vesta*. ἐσθὴς *Vestis*. ἰδέω *Video*. ἴον *Viola*. ἀλώπηξ *Vulpes*, mutato α in υ, ut ἑκάβη *Hecuba*. Simile est, quod ante ῥ quoque (nam initio aspirari solet) suam illam literam addebant. Itaque pro ῥήγω, quod nunc ῥηγνύω dicimus Dores, ῥάγω, illi, Ϝράγω dixêre, unde vetus Latinum *frago*, *fregi*, quod nunc *frango*, *n* interposito. sicut ex θίγω, quod nunc Græci dicunt θιγγάνω, factum est *tago*, quod nunc *tango*. Sed veterum vocum Latinarum vestigia remanent in vocibus *fragor*, *confrages*, *tagax*, *contagium*. S quoque vocalibus præponere, Æolicum, ut ἕρπω, *serpo*. ἐρέω, *sero*, unde *sermo*. ἕδος *sedes*. ἅλς *sales*, nunc *sal*. ἅλλω ἅλλομαι *salo* nunc *salio*. ἁγνὸς *sanctus*, olim *sancus*. ἡμι *semis*. ἐρύω *servo*. ἑὸς *suus*. ὁμαλῶς *simul*. ἵσω *sisto*. ὅλος *solidus*. ὕπνος *somnus*, olim *supinus*. ὑπὸ *sub*. ὑπὲρ *super*. ὗς *sus*. Sed & voces in Latio servatæ, quas vix noverunt Græci præter Æoles aut Siculos, ut ὀγκία *uncia*, νοῦγκιος *nuncius*, νέπος *nepos*, λέπορις *leporis* non *lepus*. Etiam numeri hoc loquuntur: *unus ab* ἕνα, unde illud ὀγκία. *quatuor* ex voce πίσυρες, ut ἵππος ἴκκος *equus*, ἕπομαι ἕκομαι *sequor*, λείπω λείκω *leiquo*, inde *linquo*. Sic pro πέμπε (ita enim pro πέντε veteres dicebant) illi κίνκε unde *quinque*, σὲξ *sex*, σέπτα *septem*. ἔννε Ϝαπερ ἀφαιρέσιν *novem*. Ϝείκοσι ita dicebant pro εἴκοσι *viginti*. Sed & pronomina νοὶ *nos*. νωΐτερος *noster* ut σφωὶ *vos*, σφωΐτερος *vester*: τὸ *tu*, τεὸς tuus, κὶς pro τὶς *quis*. ὄλλος *ollus* nunc *ille*. ὅτι *iste*. ὅπερ *ipse*, postea *ipse* ubique *i* posito pro *o*, sicut ex ὅκε *hic* factum. Ostendunt idem declinationes, ut μουσάων *musarum*. nam Latini veteres *o* scribebant, ubi nunc *a* scribitur. In fine pro ν *m* pronuntiabant, ut λόγον *logom*: *r* verò interponitur hiatus vitandi causa, ut λόγων, Æolicè λό γωων repetita vocali, Latinè *logorum*. Sic & in verbis: ςαίην *starem*. *dixisti* ex δείξεσθα, *dicimus* ex δείκομες. Hæc de multis pauca sufficient ad fidem faciendam ejus, quod de linguæ Latinæ origine inter nos dici cœperat. Vbi ad manum libri erunt & tibi vacabit, latiùs hæc & auctoritate veterum & exemplorum congerie prosequemur. Vale, Vir Amplissime. Lutetiæ. 18 Aprilis, 1622.

De domo conducenda pendent adhuc consilia nostra. Librum tibi mitto; quem pro tua in Regem pietate non sine stomacho leges. Vbi usus fueris, remittas rogo. Neque enim meus est, sed mihi commodatus.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

LIteras tuas quoties recipio; Vir Illustrissime, tum maximum exsilii mei solatium sentio: Non quod hic 177
etiam desint, qui se amicos nostros dici haud ægre ferant, sed quod illorum exploranda mihi est amicitia, cùm tuæ jam toties periculum fecerim; ut cùm tua in me beneficia semper exuberent, ego ad gratiarum vel agendarum redactus sim inopiam. Reigersbergium nostrum amare ne desinas rogo: nemo est, qui res meas diligentiùs curet. De rheda consultabimus, ubi viderim nihil obstare, quominus ad me perveniat, quod Rex optimus destinavit: nam incipere sumtus, quos perferre nequeam, minus consultum est. Expediendo huic negotio inserviet forte, quod domum conduxi cum Tileno communem, cujus uxor in hac urbe nihil ferme præter rhedam desiderat. Poterit autem una & illi & meæ sufficere. Sed nihil valde est, cur festinemus. Ipsius Tileni libellus, quo Milleterio respondet, jam sub prælo est. Cameronis colloquium legi, quod à mollibus initiis paulatim ad verba duriora processit. Ipse Tilenus in facti narratione injuriam sibi factam conqueritur. Meum consilium est, ut non per Tilenum, sed per alium Cameroni respondeatur, quàm fieri poterit modestissimè. Meus Apologeticus Latinè describitur. Plane tibi assentior editionem diutius differri non posse: atque idem amicos & affines judicaturos confido. Magni per hos dies hic de pace rumores fuerunt, ex colloquio inter Desdiguerium & Rohanium. Sed quæ jam jam nuntiatur clades Subizii, incitaturane sit victorem in spes ulteriores, an ad pacem flexura, postquam famæ satis consultum est, adhuc dubitatur. Pax certè, ut tecum omnes sapientes judicant, & intus & foris rebus expedit: atque utinam nostri quoque salutem suam in Galliæ consiliis & auxiliis tum quærant, tum inveniant. Ego si patriæ res intelligam loco esse tutiore, exsilium hoc patriam putabo. De Bonfadio ita censeo, si decretum Senatus Veneti nanciscaris, nihil obstare, quo minus historia rei, quam scripto eras complexus, typis committatur, ut ejus exemplaria alia Batavis nostris, alia Venetis veriora edocendis inserviant; quod & Tileno non displicebat. Sed quid tandem erit *sus Minervam*, si hoc illud non est? Da quæso obsequio veniam. Pro valetudine tuâ ac tuorum ego & uxor vota facimus. Lutetiæ. 22 Aprilis, 1622.

EIDEM.

SÆpe tibi molestus esse cogor, Vir Illustrissime, etiam 178
ob res longè infra dignitatem tuam positas: ut nunc, cùm literas has ad affinem tuto curari intersit, ausus sum eas tuo fasciculo includere. Quod ut pro solita tua bonitate interpreteris rogo. Ex victoria illustri Regis multi sapientes audent spem concipere pacis, quæ utinam non frustretur. Sed Princeps Condæus dicitur adhuc arma malle. Regina mater valetudine est infirma. Tileni liber nondum totus typis datus est: habebimus eum intra hos duos tres dies. Quod addam, nihil habeo, nisi orare me, ut si qua in re affinis meus tui consilii indigeat, ejus eum facias participem. Vale Vir Illustrissime, & nos tueri, quæso, perge. Lutetiæ, 28 Aprilis. 1622.

GE-

Digitized by Google

GERARDO IOANNI VOSSIO.

179 VIr optime atque amicissime: Magnum mihi exsilii solatium in tua est amicitia, quam literæ tuæ abunde testantur. De tuo negotio ut res ex voto succedat, apprecor, nec tui magis quàm Academiæ causa, cui scio quàm utilis esse possit tua industria, vel ad expugnandum gravissimum illud vitium de quo merito conquereris, contemptum literarum. Interim otium illud quo nunc frueris, & si fortè rei domesticæ incommodat, sterile tamen non erit sed fructus dabit posteritati profuturos, præsertim, si in iis pergere audeas quæ de Ecclesiæ Historia colligere cœperas. Ego disquisitionis nostræ exemplum tibi mitto, quantillum munus pro quot & quantis? Puto me in eo libro verum dixisse de veterum sententia. Et quis tamen vero cedet? Nuper à te poposceram librum Eclogarum Physicarum & Ethicarum Stobæi quibus usus in carcere fueram. rogo ubi occasio se dabit transmittas. De loco Schotti indicato gratias ago. Velim & per te nomen scire ejus qui in Germania, ni fallor, ad Cassandrianum modum de conciliandis controversiis scripsit. Nomen nunc non succurrit. Sed tuo beneficio eum librum videre memini. Videris mihi non abs re facturus si Fragmenta cum Notis seorsim prodire facias, ne semper lentulitas illa tibi obstet. Salmasius Pallium Tertulliani jam edidit, in quo tam multa emendat, tam multa observat, ut cæteros nihil vidisse dicas. Iam ad Apologeticum ejusdem accingitur. In Suetonium quoque paratas habet notas & multa alia quæ eum passim vides promittere. neque enim jactator est: Non omittam tibi notor esse apud ipsum. De affini tua quod scribis fortitudinem ejus miror & res temporibus satis infelicibus feliciter ut succedat opto. Resalutat te Tilenus & alii quos designas. Vale quàm dulcissimè cum conjuge & liberis. 11 Maii 1622.

Tuus totus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

180 REspònsum adhuc debeo, Vir Illustrissime, tuis literis, quas hujus mensis initio ad me dedisti. Affinem meum jam apud vos esse spero, ut finis tandem imponi possit deliberationi, quam differri diutiùs existimatio mea non patitur. Borelium & Bellimontium à te amari magnique fieri, gaudeo. Ita sane virtus eorum & in patriam fides meretur. Quod si eorum meritis mea quoque commendatio aliquid potest adjicere, quicquid mihi præsenti tribueris, id per absentiam meam ipsis accrescat rogo. De fructu regiæ in me liberalitatis, haud satis adhuc certus sum, ob tricas eorum, qui nihil non faciunt, antequam pecunia manus exonerent. Miseret me eorum, qui non tot ac tantis, quot quantosquè ego habeo, amicis suffulti, in illorum hominum regnum incidunt. Sed nimirum ubique morborum plus satis est. Pacis spem nobis sapientes faciunt: utinam eos voti sua aviditas non fallat. De refutatione Bonfadianæ fabulæ præter quæ scripta sunt antehac, illud addam, meo & Tileni nomine, quando hoc quoque te nomine accusat, quod Arminianum tumultum foveris, pro accessione libelli tui adjici posse, orationem unam aut alteram, à te solo, aut una cum Boissizio habitam, ad stabiliendam reipublicæ concordiam, legibus salvis. Ita una opera & te purgabis, & simul ostendes, quàm fida nostris fuerit Regis amicitia. Liber Tileni Cancellario, Iannino, proceribus omnibus unicè placet. Vxor gratias agit, quod sui memineris, tibique ac liberis omnia quàm faustissima precatur. Lutetiæ. 19 Maii, 1622.

SIMONI EPISCOPIO.

181 VOluptati mihi fuerunt, Vir Clarissime, literæ tuæ, tum propter alia, tum maximè quia secundiorem valetudinem tuam mihi nuntiarent. Deus eam tibi magis magisque roboret, quo firmior sis ad sustinendos labores quos tibi veritatis & pietatis studium imponunt. Confessio apud æquos homines, ut spero, nobis proderit. Certè inveni quibus ea impensè probaretur. Quare exemplaria aliquot mitti mihi velim, quæ dare possim his qui non indigni videbuntur. In quæstione de gerendo Magistratu non dubito, quin diligenter sis excussurus, quæ sacris literis eam ad rem pertinentia continentur. An uti cupias testimoniis veterum Christianorum, quibus appareat rem ipsam nec fuisse communi Christianorum judicio damnatam, nescio. Vidisti quæ à me erant congesta. Si quid in illis est quod usui tibi esse possit, libenter describam. Quod si etiam aliud sit quippiam in quo sublevare labores tuos possim, rogo ne mihi parcas. Examen Lessianæ consultationis à te susceptum valde gaudeo; pridem enim est quod illi libro reponi aliquid breve ac perspicuum desidero. Puto nec malè facturum te, si obiter fundamenta Cassandrianorum refellas, qui etiam plerosque Romanæ Ecclesiæ errores improbantibus auctores sunt, ne ab ejus communione discedant. Videntur mihi duo esse præcipuè excutienda; prius, an actus per se licitus, puta adorationis gestum exhibere, in sacra synaxi, fiat illicitus propter eam interpretationem, quam præsides Ecclesiæ tali actui dederunt, puta quod actus ille objectum habeat Christum, ut sub panis accidentibus præsentem, aut etiam ipsa signa visibilia. Alterum, an quis licitè se possit aggregare cœtui, cujus cœtus præsides quædam dogmata, quæ ipse improbet, habeant ut necessaria ad suam communionem obtinendam, licet disertam eorum professionem à privatis non exigant. De dogmate judicii ἀναμαρτήτου [*infallibilis*] Romani Pontificis, de ejusdem potestate monarchica in Ecclesiam, & in Principes, non est illis facessendum negotium; nam ista dogmata adeo non probant, ut etiam libris palam editis oppugnent, quod quanquam faciunt, nihilominus hic in Gallia in communione retinentur. Iidem illi coram imaginibus non procumbunt: neque adesse cupiunt cum pompaticè circumfertur eucharistia. Dogmata verò de imploranda sanctorum commendatione, de pœnis temporariis post hanc vitam, & alia quædam ejusmodi habent pro non necessariis: negantque se obligari definitionibus quas Ecclesiæ illius præsides fecerunt: easque accensent persecutionibus quæ piis ferendæ sint, ut & subtractionem calicis. De Cameronis scripto tecum sentio, operæpretium facturum, qui vestigia ejus sequens ulcera denudet. Rescripsit jam aliquid D. Tilenus, sed breviter & interdum πικροχόλως [*acerbè*]. Rogo tu quoque librum expendas, & si fieri potest in paraphrasi & annotationibus argumentis ejus occurras. Eum laborem quamprimum licebit in manus resumas velim, multas magnasque ob causas. D. Coddeo rogo gratias agas, quod nostri meminerit. Ego ei felicissima quæque opto. Apologiam meam edendam omnes amici consentiunt: sed de modo & tempore, non omnes idem censent, exspecto intra paucos dies eorum rationes, quas deinde judicio quàm maximè potero incorrupto expendam. Confido me quod constituam facilè vobis probaturum. 7 Iunii, 1622 Lutetiæ.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

QVod de morbo & doloribus tuis nuntias, Vir Illustrissime, haud secus quàm debeo graviter accepi: 182
nec ita tantùm commotus fui, ut solemus commoveri aut hominum aut etiam amicorum quorumvis malis, sed cum seria recordatione, quantam in te jacturam, si ita sivisset Deus, res regiæ, patriæ meæ, meæque facturæ fuerint, quibus omnibus magnum in tua industria præsidium est. Apologeticum non tam meum (quid enim ego præter ministerium debui?) quàm eorum, qui meo tempore rempublicam gesserunt, edere, rebus expensis constitui; quanquam, ut verum fatear, circumspectantem

Digitized by Google

tem me identidem, sæpe terrent fortunæ meæ incerta: neque dum memoria excidit, quomodo, quod pro publico fecerim, privatim luendum habuerim: vix ullo ærumnarum mearum sensu ad illos perveniente, quibus tam fidelem operam navaveram. Et tamen post naufragium iterum mari me credo. Quod de componendis controversiis Indicanis cogitas, valde mihi gratum est; qui nihil facio libentiùs, quàm prodesse popularibus meis, ac præsertim auferre ea, quæ cum Gallis amicitiam turbare possent. Res sanè indigna est, ut Britannis satisfiat, nihil non tentari, insuper habitis subditis tam bene de Republica meriti Regis. Sed hæc quoque temporibus condonanda sunt: neque consentiendum in navis exitium, etiamsi quid gubernatores peccaverint. Pacem vestram, qui sapiunt, non longè abesse existimant; quando ducum potissimi privatam gratiam propriis pactionibus occupant, nimis gravi argumento nihil publici causa actum. Vale, Vir Illustrissime, à me & conjuge, quæ seriò triumphat, quod videt non exutam tibi sui memoriam. 10 Iunii, 1622. Lutetiæ.

EIDEM.

183 MAgnæ mihi voluptati fuit, Vir Illustrissime, ex affini primùm tuo, deinde ex tuis quoque literis, cognoscere, in eo te laborare, ut huc transcurrere tibi liceat: quod ut succedat, votis ardentissimis exopto. Nam in hac fortuna mea nihil est, quod magis desiderem, quàm veros neque suspectos amicos, in quorum sinum cogitationum mearum intima possim effundere. Ejus autem generis amicorum tum alibi, tum hic quoque, magna penuria est. Accedit, quod ubi semper viximus, ibi longa consuetudo aliquos saltem nobis probavit: Hic mihi nova omnia; atque ea etiam, quæ periculo carent, formidine non vacant. Quare ut dico, vel hac de causa, sunt autem & aliæ plures, videre te atque inde solatium mihi petere valde aveo. Qui hic in negotiis civilibus plurimum sapiunt, ostendunt metuere sene sequestro Anglo aliquid nostri cum Hispano paciscantur. Certè quotidie nova ajunt erumpere indicia, quibus constet nostros nihil minùs quàm Galliæ amicitiam respicere. Hic nos spe pacis adhuc sustentamur: nam cum Rohanio agi non desinit. Est hic in urbe Arsenii filius. Venit huc in comitatu Marchionis, qui gener Bullionii futurus dicitur. Liber meus Latinus plus parte dimidia impressus est. Spero & Belgicam editionem acceleratum iri, quantum potest. Tilenus noster, communes nobiscum ædes habitans, nunc ex podagra decumbit quæ inter partes cæteras, etiam dextram illi occupavit: quo malo scribere ad te, id maximè cupiens, vetatur. Id nuntiari voluit, ne in segnitiæ suspicionem veniret, homo, tum in cæteris, tum in amicis colendis valde diligens. Vxor mea tibi conjugem optat te dignam & priori similem, quæque te propter liberos quoque tuos sic amet, ut illi matrem se perdidisse non sentiant. Vale, Vir Illustrissime. Lutetiæ, 15 Iulii, 1622.

EIDEM.

Vir Illustrissime,

184 AVdio Hoofdium filium viri optimi consularis Amstelodamensis, cùm in patriam rediret, captum, nescio quo obtentu, sed eo maximè, quantum conjicere est, proposito, ut literæ, quas à me ad amicos ferebat, deprehenderentur. Invenient in iis nihil quod accusari possit. Privata curo: negotiis eorum publicis me non admisceo. Videntur metuere, qui hæc agunt, ne prioribus injuriis non satis me irritaverint. Ego his omnibus opponam solidam veritatem, quæ Latinè intra dies paucos prodibit, cum Regis privilegio. Tuum huc adventum valde expeto. Res Protestantium non optimo sunt loco. Desdiguierius ista senectute, mutat religionis professionem, dignitatem aucturus, non famam, cujus pridem satis negligens fuit. De Mansfeldio magnus hic fuit metus: Sed nunc is clanguet, credito in Belgium detonituram nubem. Pacem sperant hic multi, sed cum damno talis, qualem hactenus Protestantes habuerunt, securitatis: cujus loco lex illis perpetua offertur pro libertate religionis sancienda in pleno Ordinum Galliæ conventu, signanda à Rege & Principibus agnatis. Vale, Vir Illustrissime, & nos ama. 22 Iulii, 1622.

Rogo literas has Iannini ad Pericardum de Aldegondiano negotio, transmittas, & tua commendatione rem juves. Scribit senex ita, ut non possit meliùs, & certum se dicit de Regis voluntate, quem ipsum fuisse scripturum, si ad urbem fuisset.

Viro Nobilissimo.

FRANCISCO AVG. THVANO.

MIsit ad me heri, Thuane Nobilissime, Hottomannus literas, quas rogavit curarem ad Puteanum nostrum deferendas. Hæc res facere me coegit, 185
quod sæpe facio, tibi ut sim molestus, & quod officium per me præstare non possum, id tuo beneficio præstare quæram. Scripsissem simul ad V. C. Puteanum, ac participem fecissem eorum, quæ apud nos geruntur, sed nihil plane literarum ex patria accepi; quod me malè habet, non tam ob publica negotia, de quibus, ut edocear, mea nihil admodum refert, sed quod proximorum valetudo mihi incognita sollicitum me habet. Sed in hac re, ut in aliis multis, solabitur me bona Dea, quæ sola in Pandoræ pyxide resedisse memoratur, cùm avolassent aliæ. Scribit Hottomannus peractum negotium de pactis nuptialibus inter Britannum & Hispanum; ex Britannia, imperatum Palatino, ut induciarum pactioni subscribat. Pontificis Romani electionem tardiùs procedere, quod Galli Cardinales exspectentur. Præter hæc habeo nihil, nisi quod tibi, V. A. affini tuo, ac sorori, omnia fausta apprecor. Silvanecti. 19 Aug. 1622.

SIMONI EPISCOPIO.

Vir Clarissime.

REmisi ad te nuper utilissimum tuum de Magistratu libellum: ac de eo quid censerem non ipse rescripsi, 186
morbo tum satis gravi impeditus, sed per D. Vtembogardum nuntiavi. Persto in eo judicio, rem ex sacris Literis accuratè tractatam. Atque ita, ut plane sperem cessuros tuis argumentis complures, quos in hoc argumento aut præjudicata opinio, aut species quædam pietatis decepit. Ne ex Notis meis laciniæ huic operi inserantur, deprecor: quia ista cum cæteris sui contextus conjuncta aut placere possunt, aut veniam mereri; at ita nudè posita, vix cuiquam se probabunt. Neque verò ullam loci alicujus controversi explicationem rariorem continent; quod si esset, non inhiberem, quominus labore meo utereris. Accedit, quod vereor, ne suspicionem in me accersam, quasi leges omnes damnem, quæ capitalia supplicia introduxerunt. De cætero venit nunc ad vos D. Vtembogardus, qui tibi particulatim commemorabit causas, ob quas consultum videtur, ut & ipse & tu (quos divelli incumbens Ecclesiarum inspectio non patitur) ad tempus aliquod in hac urbe subsistatis. Manere ibi, ubi morbus transitione nocens vagatur, temerarium fit. Cadomi aut si quod aliud oppidum in mentem vobis venit, non video qui rectè curari possint, quæ curanda sunt. Hic alius alii & auxilio esse possumus, & solatio. Paraphrasin tuam cum annotationibus in capita ad Romanos urgere non desinam, donec lucem acceperint. Sed de his coram, ut spero, prolixiùs: neque enim ut te huc alliciam plura addo: ne aut sapientiæ, aut eloquentiæ D. Vtembogardi videar diffidere. Vale, Vir præstantissime,

Digitized by Google

sime, cum D. Cupo, Treselio cum uxore (cui felicem partum precor) ac familia. Kal. Septemb. 1622. Lutetiæ.

Tuus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

187 PEr virum Illustrem Maurerium libenter valetudinem tuam cognovi: libentiùs etiam ex literis tuis conspexi quàm semper tibi sis similis & nostri memor vivas. Apologetici Latini exemplar brevi accipies via maritima. Vt legas rogo & bene serves ne tibi malum creet. Injuriam tibi faciunt librarii qui Historiæ Pelagianæ exemplaria huc non mittunt. Valde enim desiderantur: nec quisquam legit qui non aliis commendet. In literis quas nuper per Capitonem ad te miseram quæque interceptæ sunt haud multum periit. nihil continebant præter officiosam salutem à me aliisque amicis, nominatim Salmasio, qui Pallium Tertulliani mirum quàm emendatum ad te mittebat. Id tibi postulanti negatum non iri confide. Vir ipse est amicitia tua dignissimus: doctus supra exemplum, raræ ad hoc modestiæ. Onesander non aderat. Sed vellam aurem Rigaltio. De te certiora ac meliora noscere valde aveo: nec quicquam ferme est quod mihi in his malorum reliquiis majori esse possit solatio. Vale Vir optime. Kal. Septemb. 1622. Lutetiæ.

EIDEM.

Vir Clarissime.

188 FVit apud nos aliquandiu Vir nobilitate sua dignissimus Banerius à Suecorum rege missus ad Francorum regem, unde nunc in patriam redit rebus ex voto curatis. Ejus colloquia cùm mihi ob ipsius virtutem atque eruditionem, gratissima fuere, tum illud quoque habuerunt condimentum quod ex ipso didici, tibi secum amicitiam intercedere, quam ille certè ut debet plurimi facit. Nos hic magna spe alimur videndi Syntagmatis tui de Latinorum Historiis, quale de Græcorum, omnibus doctis probatissimum dedisti. Ego nunc in eo sum ut edam excerpta ex Tragædiis & Comœdiis Græcorum tum quæ exstant, tum quæ perierunt, emendata, ut potui & versa Latino carmine. Interim quæ ad Lucanum nuper dedi exspecto. Velim edi & illa ad Senecæ tragædias. Quibus omnibus in rebus & si quæ occurrent aliæ rogo te per eum quem tibi nunquam præstare desinam amorem, ut Fratrem meum consiliis juves. Liber de jure belli & pacis brevi fortè recudetur. rogo si quid corrigendum aut augendum, aut explicandum censes, ubi primùm commodum erit me moneas. Vale, Vir optime atque eruditissime. Lutetiæ 10 Novemb. 1622.

Conjux mea mecum & tibi & tuæ salutem quàm potest officiosissimè nuntiat.

Tui amantissimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

189 EDictum in me vulgatum videris haud dubiè, Vir Illustrissime: quid de ea re faciendum mihi censeas, consilium tuum exspecto. Proderit causæ, si qui hic rempublicam gubernant, intelligant, multis bonis gratum esse quod scripsi. Ego & Cancellario & Iannino, qui nunc ægrotat, sed revalescere incipit, ostendi è re fore, si quid de patriæ nostræ negotio tractetur, coram ex te audiri ea, quæ post id tempus intellexisti. Idem ipsis non displicebat: & à te ipso putabant in his, quas scribes, literis, ejus rei occasiones posse præberi. Valde avemus intelligere, quid apud vos agat Marsillacus: multi hic ominantur donis onustum esse rediturum, non tantum ut munitiones Arausionenses excuset, verum etiam ut liberaliter testetur, omnes se, qui ibi sunt, optimè affectos in Galliam reperisse. Rex hic futurus putatur post Calendas Ianuarias. Reformati metuunt, ne recrudescat bellum, quia exercitus, classis, munimentum ad Rupellam retinentur, quo erant statu. Loca Delphinatus, in quibus Rex præsidium mutavit, dicuntur esse in ipsa via ad Arausionem. Aliud habebamus nihil. Vale, Vir maxime, cum uxore & liberis, quos omnes etiam mea officiosissimè salutat. 22 Decemb. 1622. Lutetiæ.

EIDEM.

Vir Illustris,

COnveni hodie & Cancellarium & Ianninum. Ianninus, postquam pars causaria à corpore abscessit, meliùs se habet in dies & horas, atque adeo intra mensem sperat prodire se posse; quod utinam sic eveniat. Is lecto Edicto, quod Apologetico meo oppositum est, putabat scribendam epistolam ad amicum, qua de iniquitate Edicti conquererer. Ad ipsos Edicti auctores scribendum non putabat. Cancellarius rigorem mirabatur, & addebat protritum illud, *Punitis ingeniis gliscere auctoritatem.* Addidit verbis generalibus, si quid ad me tuendum ornandumve conferre possit, id mihi expositum fore. Sunt, qui putant, impetrandum instrumentum publicum, quo in fidem tutelamque Regis recipiar: alii id à Senatu Parlamenti potiùs obtinendum putant: alii spernendas minas, & novam editionem procurandam. Felix essem, si coram his de rebus agere tecum liceret. Nunc ut saltem per literas me prudentiæ tuæ compotem facias, quantum possum rogo. Rex venit ad Fontembellaqueum. Ibi Reginas opperitur, venturus huc circa Epiphaniam. Quid Marsillaco responsurus sit Princeps, scire avemus. Obsidium Arausionis nemo exspectat: sed claudi posse oppidum & commeatuum penuria paulatim tentari, video esse, qui existiment. Protestantium multi paci diffidunt. Rhæticum negotium languet. Vale Vir summe, cum conjuge, à me & mea. Lutetiæ 29 Decemb. 1622.

EIDEM.

FAcis quod soles, Vir Illustrissime, cùm adversus novam à patria immissam in me procellam, me tam amicè, & solatio & consilio, juvas. Ego verò per te erectus, reliquias has calamitatis meæ, quàm maximè potero, fortiter feram, & me servabo rebus melioribus, si tamen ulla in melius mutatio sperari poteit. De Legatione huc mittenda etiam hic rumor est: & exspectatur in dies Altirivius, viam fortè muniturus. Videntur mihi faciliùs aquam è pumice quàm hoc rerum statu, è Gallia pecuniam eliciturі. Quæ in tractatoribus ærarii mutatio evenerit, haud dubiè per alios cognoveris. Inter omnes convenit Cancellarium & Puyssiæum nihil non posse. Regina mater dicitur uti absentia Principis Condæi, qui quando huc sit rediturus, incertum est. Iannini vicem doleo, qui super morbum, domestico generi infortunio percellitur. Rex & Regina mater ad literas ab ipso scriptas benignè responderunt. Destitutis non desunt validi amici. Videbimus, quò res sint exituræ. Ego in hoc sum, ut per amicos, de tutelari aliquo Regis aut Senatus instrumento, Cancellarii sententiam explorem. De cæteris, quæ scribis, fieri nos sæpiuscule certiores, ad rem fortè pertinebit. Ego interim non deero. Res familiæ tuæ procedere feliciter, & contigisse liberis tuis qualem optaveras matrem, valde mihi dulce est intelligere; idque summopere exopto, ut quod vobis ævi restat (restet autem utinam plurimum) id florentes florentibus liberis transigatis. Vxori meæ, quod ejus apud vos superest memoria, pergratum est: ipsa vos vicissim faustis ominibus prosequitur, quæ firmet Deus, Lutetiæ 26 Ian. 1623.

Meminisse te arbitror ex primo carcere meo, versus Belgicos emissos summam continentes Christianæ religionis. Eos à me Latinos factos judicii tui facio.

Digitized by Google

EIDEM.

Vir Illustrissime,

192 CVm, quicquid tibi ex voto evenit, non possit mihi non dulce esse, tum certè, quæ res proximè te tangit, liberûm tuorum profectus magnæ mihi est voluptati. Ex relatione, quam ad me perscripsit Priolaus, tum raram felicitatem ingenii in tuis pueris agnosco, miraturus valde, nisi tuos esse scirem, tum ipsius præceptoris dexteritatem & prudentiam singularem. Quibus omnibus cùm tuæ sapientiæ cura insuper accedat, quis usus hac in re consilii mei esse possit, sane non video. Magis ergo ut morem tibi geram, quàm quod opera nostra fructuosa tibi esse possit, respondi Priolao, sed breviter, ut ad peritos decet. Si quid in posterum occurret, in quo ego tuis liberis utilis esse possim (quomodo autem possim, non video, sive ipsius judicium, sive meam tenuitatem considero) scis non esse me rogandum: qui nulli libentiùs, quàm tibi, gratum faciam. Omnes boni ex Cancellarii magna auctoritate firmam in regno pacem exspectamus. De Valle Tellina calet deliberatio, quæ utinam in eam, quam speramus, partem cadat. Apud vos acre fore bellum omnes augurantur. Vale, Vir Maxime & nos ama. Lutetiæ. 9 Febr. 1623.

EIDEM.

193 PRidem est, Vir Illustrissime, quod te literis non compello, partim quia nihil hic agitur, & si quid agitur, scire aliunde potes certiùs; partim quia percellitur mihi animus, quoties novos ex patria luctus intelligo. Sæpe apud me rem à suis initiis repetens exclamo:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.
[*Deus non lateat te quis sit causa malorum*].

Vtinam aliquando videamus patriam eo statu, quo eam ad nos adveniens vidisti. Adversùs ista tristia solatium aliquod habemus ex Galliæ rebus, ubi Pax videtur vires fiduciamque accipere. De pecunia ad nostros mittenda, doleo aliam iniri viam, quàm ejus, quem obtines, loci ratio dignitasque desiderat. Vtinam aut hac, aut alia qua in re, ostendere possim, quantùm tibi me debere agnoscam. Sed & ego peregrinus sum, & Ianninus mortuus, & abest aula. Aveo quàm sæpissime intelligere aliquid de liberûm tuorum profectu. Nam ejus, quam tu ex eo capis voluptatis, pars non parva ad me redundat. Habent studiorum suorum egregium adjutorem Priolaum, de cujus diligentia nihil non mihi polliceor. Tilenus noster, convictor jucundissimus aliquamdiu cum familiari sibi arthritide colluctatus, habet nunc meliusculè, & quod solet, valde te amat ac suspicit. Valent & bellè uxorculæ nostræ, & tuam obsequiosè salutant, omniaque ei optant felicia, etiam felicem uterum. Vale, Vir summe, & nos ama. Lutetiæ, 13 Aprilis, 1623.

EIDEM.

194 QVæ mihi sæpe antehac, Vir Illustrissime, in publicis privatisque calamitatibus solatio fuit manus tua, eadem nunc quoque me sub rumoribus sævis atque continuis languentem excitavit, & me mihi reddidit. Atque ita hoc quoque super alia experimento didici, quàm verum sit verbum vetus, optimum in malis levamentum esse fidelis amici benevolam allocutionem. Speremus meliora. Tibi interim adversùs quædam tristia ex publico ad te redundantia, magnum proprium bonum Deus concessit felicem liberorum indolem atque profectum, cui idem ille majora indies incrementa ut largiatur, ex animo voveo. Atque utinam à me proficisci possit aliquid, quod aut ipsis utile aut tibi jucundum sit. Ego nunc ad tempus aliquod constitui cœlo libero frui, & ruri vivere, beneficio Memmii, qui prætorii sui usum mihi concessit. Sed ubicunque sum futurus, tibi gratum facere summa mihi voluptas erit; ad quam rem utinam tam se offerant occasiones, quàm ego eas ardenter desidero. Tantundem facit optimus Tilenus; Ejusque, & mea uxor, tibi tuæque se, quantum possunt, commendant, & obsequia sua deferunt. Omnes vobis omnia quàm prosperrima serio precamur. Lutetiæ. 19 Maji, 1623.

PETRO PVTEANO.

QVanquam si satis me nosti, Vir Clarissime, nescire non potes vigere apud me tui tuorumque officiorum 195
memoriam, tamen testatum hoc & hac Epistola volui, cujus aliud argumentum non habeo. Vivo enim rerum omnium, tam quæ apud nos, quam quæ apud vos geruntur, ignarus: & hanc ipsam ignorantiam in fructu rusticationis meæ deputo. Si, quid agam, scire vis: alternis & studeo & deambulo, imo studeo etiam deambulando. Nec parum me recreat popularium meorum consuetudo, quæ efficit, ne patriam desiderem. Interim & ad eos, qui Lutetiæ bene mihi volunt, cogitatione deferor, quos inter nisi te habeam principem, valde in te sim injurius. Neque Thuanus mihi excidit, cujus quotidie libris utor; nescio an non nimis familiariter. Si est in ejus Bibliotheca Lusitanica Conestagii Historia, velim eam seponi; mittam qui petat. Occurrunt mihi sæpe & Rigaltius & Salmasius & apertissimum ingenium Christiani. Quibus omnibus, præsertim verò tibi & optimo fratri valetudinem precamur tam secundam, quàm nos eam huc usque experimur. Balagniaci. 27 Iunii, 1623.

EIDEM.

NEscio, Vir Clarissime, quo malo meo fato fiat, ut 196
quo mágis calumnias fugio, eo me insequantur validiùs. Ac tibi quidem, quod apertè nuncias, de quibus differor, gratias ago: quàm autem à vero illa abeant, cognoscas rogo. Ego ut huc veni, districtè imperavi, ne Veneris ac Saturni diebus alius nobis ac nostris apponeretur cibus, quàm quo populus hic utitur; fixum animo habens in ejus generis rebus sequendum dictum vetus, λεωφόρῳ βαδίζειν [*viâ publicâ incedere*]. Si quid à familia secus est factum, id clam me ac nolente factum est. Pastorum exsulum, ex quo hic sum, vidi neminem. Ne Psalmos quidem aut hymnos unquam cecinimus, nec quicquam fecimus, quod ad exercitii religiosi, non jam dicam publici, sed vel privati speciem posset accedere. Qui me salutatum venerunt, tales fuerunt, ut eos repellere decore non potuerim, viri optimi Hogerbetii ærumnarum mearum socii filius, qui Silvanecti habitat: Daetsclarius, qui in matrimonio habet Erpennii Sororem, in cujus domum delatus sum, cùm primum carcerem evasi, qui cum cognato suo adolescente ex Hollandia huc venerat. Deinde filius Eliæ Oldenbarneveldii Roterodamensium ante me adsessoris, qui juvenis Andegavi hactenus studiis operam dedit. Extra hos adfuit mihi nemo. Quod si hac in parte minùs cautum est, curabo in posterum ne quid fiat, quod viro amplissimo & in me benignissimo H. Memmio invidiam creare aut displicere merito possit. Interim cùm cogito, quàm levis ad me traducendum occasio valeat, penitus afficior sensu fortunæ meæ, ut non possim Euripidea ista non sæpe animo revolvere:

Τί τὸ στέρεσθαι πατρίδος, ἦ κακὸν μέγα;
Μέγιστον· ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον, ἢ λόγῳ.
Τίς δ' ὁ τρόπος αὐτοῦ; τί φυγάσιν τὸ δυσχερές;
Ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχει παρρησίαν.

[*Magnumne, patria vivere extorrem malum?*
Nil majus isto: nec satis fando assequar.
Quæ causa, quæ res tam grave exsilium facit?
Primum, loquendi nulla libertas adest].

Sed his malis Deus, ubi ipsi visum, medebitur, atque interim, ut spero, fortem mihi constantemque animum ser-

Digitized by Google

servabit. Vale cum optimo fratre & amicis, si qui illic sunt, aliis. In Balagniaco. 21 Iulii 1623.

EIDEM.

197 QVod mei ac rerum mearum curam non deseris, Vir Clarissime, facis tu nullo meo merito, naturæ tuæ imperio, quæ te, nisi optimè facere, non sinit. Ego Balagniaco, quo dominus venturus exspectabatur, Silvanectum secessi, & aut hic aut in agro vicino, nisi quid aliud impedit, transigam, quod restat æstatis; adversùs mala & multa & magna ex Deo & litteris solatium quærens. Iam menses duo sunt aut hoc amplius, ex quo ab affinibus, qui in Zelandia sunt, nullas accipio litteras, quod me non parum habet anxium. Neque ex Hollandia accepi quicquam, nisi quieta adhuc omnia. Si quid scitu dignum intellexero, faciam te, ut debeo, participem, neque desinam interim grato animo, quod habeo unicum, tuam in me benevolentiam & benefacta prosequi. Tibi, optimæ parenti, ac fratri tuo, Thuano, amicisque aliis valetudinem & fausta omnia precor. Vxor mea peculiariter se matri ac sorori vestræ commendat. Silvanecti, 4 Augusti 1623.

FRANC. AVG. THVANO.

198 TVa pro me sollicitudo, Nobilissime Thuane, tanti mihi est, adeoque me delectat, ut etiam si minus valerem, posse mihi videar ex hoc remedio convalescere. Nunc cùm Dei beneficio cum omni familia ac comitatu valetudine fruar prospera, libenter hoc tibi significo; ut & metum pro me conceptum tibi eximam, & quomodo me recreasti, ita ego vicissim te recreem. Sicut autem abesse te gaudeo ab urbe, in qua malum transitione magis magisque serpit & hominum damnis alitur; ita non minor voluptas est intelligere esse te vicino nobis loco, neque spatiis multum me sejungi ab eo, cui & ob paternarum virtutum memoriam & ob tuarum spem justissimam, tuamque in me benevolentiam, & sum & esse semper cupio conjunctissimus, idque mihi gloriæ duco: quantumque possum te rogo, ne te unquam ab hoc affectu patiaris abduci. Si, quid agam, cupis scire, (est enim & hoc amicorum) versor in examinandis controversiis præcipuis, quæ ad Ius Gentium pertinent: in quo labore, ut faciam quod facio libentissimè, tui scilicet ut meminerim, ipsa librorum tuorum inspectio singulis prope momentis me admonet. Pro quo beneficio si nunc ego tibi prolixè gratias agere instituam, faciam quidem quod debeo, sed quod tu minimum desideras: imo verò faciam, quod non debeo, quia quod tu non cupis, id me nec facere par est. In Balagniaco loci dominus exspectabatur: ea res fecit, ut Silvanectum secederem, ubi idem est aër innocens atque hilaris, & multa circum locorum amœnitas. Heri litteras accepi à majore fratrum Puteanorum, qui mihi non cessat bene velle ac facere. Ego fortunam meam in hoc accuso maximè, quod mihi nihil reliquit, quo adversùm tot amicos gratum animum possim ostendere. Sed ea qualiscunque est, concoquenda est. Vale, Flos Iuventutis. Dabam Silvanecti, 7 Augusti 1623.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

199 IAmpridem ab Vrbe absum, Vir Illustrissime; partim Balagniaci, partim, ut nunc, Silvanecti, dum grassantibus morbis quam possum materiam subtraho. Ea causa fuit, cur aliquo jam tempore nihil ad te literarum dederim; præter quod & argumentum deerat. Nam nec de publicis quicquam est quod scribam, nec de privatis, adeo incerta video omnia. Bis fui ad fanum S. Germani, ubi primores conveni de mea re haud magna. Polliciti sunt largè: eventus exspectandus erit. In transcursu Lutetiæ Tilenum vidi, & ex eo intellexi rumorem quendam ad te perlatum, quasi per.... tentarem reconciliationis meæ vias. Ejus verò rei nihil esse, liquido tibi affirmo: nam & tempora video, & quid sit Apologeticum edidisse non ignoro &.... novi, sed quando apud nostros redoriri videtur regis auctoritas, tam boni & clementis, ut aliorum in se peccata pecunia sua redimat, forte occasionem aliquam hoc tempus præbeat sublevandi virum optimum Hogerbetium, cujus calamitatem non possum ab animo meo seponere. Quanquam verò satis te novi, quàm sis bonus in bonos, tamen officii mei credidi meas quoque preces interponere, ut si quid speres profore, tentes. Nam ut inutili conatu tuam aut Regis auctoritatem destruas, neque ego cupiam, nec ipse, cujus de re agitur, innocentissimus senex. In aula dicitur agi iterum de mittenda ad nostros pecunia. Sed, quantum video, lentum negotium. Ego tecum opto regiam liberalitatem ita impendi, ut & Regi & his, qui regno bene volunt, sit utilis. Vale, Vir Prælustris. Vxor se tibi tuæque commendat. Silvanecti, 24 Septemb. 1623.

EIDEM.

Vir Illustris.

AD multa, quæ pridem me exercent, incommoda, 200
novum vulnus accesserat ex duorum è liberis meis morbo: nam & filia, cujus tuæ literæ quàm benignè tam suaviter meminerant, & filiorum minor, decubabant ex papulis, qui velut abortivus est partus effœtæ jam pestilitatis, cùm ecce, quo majus habere non poteram solatium ad me venit, literæ tuæ. Tuæ inquam: id est plenæ veri sincerique affectus, cujus hoc ævo percara annona est. Quod si huic amoris in me testimonio non satis dignis verbis respondeo, id velim non mihi imputes, sed multis adversis, quæ sæpe quos animos frangere nequeunt, tamen delassant. Eaque ipsa res, ut verum fatear, non minima causa fuit illius nuper silentii, quod sicut bona maluissem nuntiare quàm nihil, ita nihil mallem quàm mala. Ego, qui jam aliquoties, homo minimè ad aulam factus, aulam coactus sum accedere, video res Gallicas in paucorum esse manu, quibus tantum est negotiorum, ut nostra illa minuta in animum nequeant admittere. Neque tamen deest, me quoque absente, monitor Campiniacus, vir & literarum & virtutis omnis amantissimus. Sed ejus quoque dicta effluunt in tanto rerum æstu. Tamen quæ diva in Pandoræ pyxide resedit postrema, nondum me deserit, egregiis pollicitationibus liberaliter educata: quæ si intra anni saltem circulum parient quod videntur parturire, nullum ego cœlum Gallico prætulerim. Sin minus, cupiam quàm primum absolvi, ne patria, honoribus, bonis ejectus, familiæ meæ ipse sim oneri. Nam de reditu in patriam plane tecum sentio, nihil hoc tempore sperandum aut moliendum. Quin & affines meos laudo hoc nomine, quod nihil ex republica captantes, privatis artibus sibi consulunt. Stobæi editionem nostram & visam tibi & non displicuisse, gaudeo. Gauderem magis, nisi omnia tua de me meisque judicia suspecta redderet tuus in me amor, quo tamen non minùs quàm judicio glorior. Vbi quem amicum ad vos transeuntem reperero, exemplum transmittam, non tibi, qui ne inspicere quidem tam tenuia debueras, sed illis, quorum ego & indolem admiror & spem votis, quàm possum faventissimis, prosequor, liberis tuis; quibus usui alicui esse poterunt, ob Græcorum dictorum elegantiam, quæ quidem nostra & librorum ope aliquanto quàm ante emendatiora ac distinctiora leguntur. Latina enim satis est, quod mihi, tristissimo illi tempori fallendo, inservierunt. Cujus rei quando jam meminisse incepi, rogo attentè legas Titulum Florilegii XLIX, ad quem me pervenisse memoro in Prolegomenis, eo tempore cùm scribendi mihi copia Hagæ fuit adempta. Continet enim is titulus illius temporis expressum characterem, Prolegomena autem ista Campiniaco & aliis istarum literarum gustu præditis non improbantur: ut nec ad Cancellarium epistola, cujus exemplum in

Digitized by Google

in libri antecessum tibi mitto, ut & tu & si qui illic sunt boni judicetis, an æquo gravius quicquam à me dictum sit in illos, qui post omnia humana mihi erepta, sanguinario suo edicto mortis quoque periculum mihi intentant. Vtinam verò liberorum tuorum studia mea opella aliqua promovere possit, nullibi certè utiliùs ea possit impendi. Quod, cùm locorum spatia mihi invideant, vigilantissimo præceptori eos commendo, ac præcipuè boni omnis auctori Deo. Idem te, nobilissimamque uxorem & omnem familiam, diu sospitet: quod mecum mea precatur, & pro affectu in se liberosque suos gratias agit summas. Lutetiæ, 1623. 2. Nov.

Viro Amplissimo

NICOLAO PEIRESCIO.

201 PRidem est, Vir Amplissime, & mei sine ullo meo merito amantissime, cùm ad te per Buonum literas dedi, nihil quidem continentes illas quod te scire attineret, sed testes tamen ejus, quam tibi debeo semperque debebo, gratiæ, pro tot summis in me adjuvando ornandoque beneficiis. Eæ litteræ videntur mihi ad te non pervenisse: neque magni refert, dum me scias non defuisse isti qualicunque officio. Pergis autem tu obligare me, cùm incommodis meis nunc quoque te, tam bona fide, tangi ostendis, & qui præsens præsidio solebas esse, nunc absens es solatio. Ego verò, vel per te unum, ita sum Galliæ obstrictus, ut ad ultimas humanæ patientiæ metas trudi malim, quàm sedem hanc deserere. Quod si tamen res Galliæ non ferunt, ut mei habeatur ratio, ego, quin familiæ meæ rationem habeam, committere non potero. Interim non otior: sed in illo de Iure Gentium opere pergo: quod si tale futurum est, ut lectores demereri possit, habebit, quod tibi debebit posteritas, qui me ad hunc laborem & auxilio & hortatu tuo excitasti. Habet conjux mea gratiam, quod & sui memineris. Vterque verò tibi omnia precamur tam felicia, quàm tu te semper bonis benevolentem demonstrasti. Lutetiæ. 11. Ianuarii 1624.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

202 DE aulæ rebus, Vir illustris, scribent alii compertiora: mihi scribendi benignissima materia est tui meminisse, ac tuæ memoriæ vicissim ingerere. Cùm nuper ad V. C. Tilenum scriberes de poëtico officio præstando manibus viri summi tuaque amicitia dignissimi Philippi Mornæi Plessiaci, ab oculis laborabam: quo malo defunctus peccaturum me in virtutem & literas credidi, si non exiguo saltem documento tanti viri reverentiam testarer. Id me impulit, ut post tot & tam bona Epigrammata, quæ Tilenus & se & Plessiaco digna submisit, unum hoc, nec illis comparandum, auderem transmittere: quod ut rectè consulas, rogarem te, nisi, ut olim, notæ bonitati tuæ esset injuriam facere.

Nobilitas animo, claro quàm sanguine major,
Res hominum sollers noscere, resque Dei,
Consilium prudens, divesque facundia lingua,
Hic cum Mornæo contumulata jacent.

Audio Venetiis scribi aut edi aliquid adversùs Apologeticum nostrum, dictante illo, qui antehac Bonfadium instruxerat. Vale, Vir summe. Scribebam Lutetiæ, 11. Ianuarii. 1624.

E I D E M.

203 RAriùs ad te scribo, Vir Illustrissime, ideo quod argumentum aut nullum est aut non tale, quod tractatum juvet. Nam in publicis negotiis nihil agi video. Privata etiam maximè eminentium nihil habent certi; sed perpetuo quasi æstu feruntur. Ecce... quasi ab aula non satis remotus....... Parant se itineribus novi Legati. Sed.... mirè refrigeratum intelligo & de spe quam totam imbiberat dubitantem. Multi & magni sentiunt te hoc rerum statu....... amoveri non debere à percognitis rebus, quæ si unquam, hoc certè tempore veteranum potiùs quàm tironem requirunt. Sed & ..... de pecunia regia ad nostros missa antehac, tua sine partu valde te facit favorabilem. Scio quam tua non intersit ubi vivas, tamen qualecumque hoc est, cùm te, quanquam propter alios magis, quàm propter te, contingat, duxi non silendum. Præsertim cùm auctores haberem & bonos & rerum gnaros. Ego & uxor tibi tuæque conjugi & liberis omnia optamus, quæ summa Dei benignitas potest concedere. Lutetiæ. 21 Ian. 1624.

E I D E M.

NIhil mihi dulcius est, Vir Illustrissime, quàm aut ad te 204 scribere aut abs te scripta legere. Quorum illud me officii mei conscientia, hoc verò amicitiæ desideratissimæ sensu solatur. Et habet mea aut fortuna aut animi imbecillitas opus hujusmodi subsidiis. Quo magis debitor tibi sum tum pro aliis, tum pro postremis literis. Sed te quidem in hujus commercii infrequentia summæ occupationes non excusant, sed defendunt. Me nihil tale; Sed modo mens sub adversis aliquantulum fatiscens, sæpius verò materiæ defectus. Nam quæ publica sunt meliùs norunt alii: privata aliorum ignoro, nisi mea, quæ interdum talia sunt, ut amicis scribi non debeant, nisi eos velimus reddere tristiores. Nunc tamen hoc habeo, quod nuntiem, me à Sigilli custode optima omnia, ut regno, ita & mihi sperare. Ita jubent, ut verba ejus ita omnibus cognita ejus probitas. Hic duorum, qui gratia & aula evoluti sunt, ruina multos amicorum tractura videbatur. Sed incipit is rumor & metus evanescere, nec ullæ nunc res novæ exspectantur extra....... Ego, quod potui, feci, ut sigillorum Custodem vera edocerem de his, quæ mihi sunt cognita. Scio & ipsum & Beauclerquium honorificam mei fecisse mentionem apud Regem, qui omnia negocia ad se revocare incipit. Eventum Deo committamus: cujus clementiæ te, Vir Illustrissime, tuamque uxorem & liberos mea uxore apprecante commendo. Lutetiæ. 22 Febr. 1624.

E I D E M.

SOspitem te, Vir Amplissime, in Galliam venisse, ti- 205 bi quidem gratulor: patriæ autem meæ vicem doleo, quæ fidelissimum adjutorem amisit. Solatur me, quod scio, quem ibi habuisti animum ad res nostras juvandas, eundem tibi & hic mansurum. Certè patria nostra tantis hostium viribus impetita, si unquam, nunc maximè opus habet Rege favente: quem, ut spero ac voveo, talem experientur, qui nunc ad aulam sunt nostri Legati. Optare hoc debeo patriæ causa, non ipsorum, qui id à me non merentur: si modò verum est, quod modò amicus mihi nuntiat, eorum opera ad Regem perlatum, me commercia habere cum Hispaniensibus Legatis. Nescio an tam malignum mendacium dilui debeat. Scripsi tamen ad Custodem sigillorum. Cæterùm ubicunque tu es, ibi scio me patrono non indigere. Ego Hispano, testis est Deus, nec debeo quicquam nec cupio debere. Legatorum ejus vidi neminem. Patriæ tam bene volo, quàm quisquam: nec alios puto ei inimiciores, quàm qui eam à Regis amicitia hactenus averterunt. Scio te non esse rogandum, ut innocentiam meam patrocinio subleves, (extorquet enim id à te tua bonitas) nec de rebus nostris edocendum, quas me ipso rectiùs nosti. Vale, Vir summe, à me, & uxore, quæ se quàm potest obsequiosissimè tibi commendat. Lutetiæ 29 April 1624.

E I D E M.

NOlui committere, Vir Amplissime, ut semper eodem 206 tenore ad te scriberem, literas scilicet plenas verborum gratiis, rerum vacuas. Itaque tempus exspectare malui, quo officium quamvis modicum exhibendo, quantùm

Digitized by Google

tum licet, ostenderem nihil mihi esse potius quàm tuis desideriis inservire. Pacta inter Regem & nostros inita nunc demum, ex quo aula huc venit, nactus sum: statimque transmitto: de quibus nihil opus est meum judicium addere, cùm res nostras nemo nostratium te rectiùs intelligat; de Gallicis autem, si modò in illis aliquid est, quod certa notitia comprehendi possit, nihil te lateat. Facis tu pro vetere affectu tuo, quod de meo in patriam reditu bene ominaris. Sed ego, ita firmata adversariorum potentia, unde id sperari possit, non video; Et in perpetuam exilii, forte nec uno in loco tolerandi, aliorumque incommodorum, patientiam me paro. Tibi interim gratulans, quod molestissimis negotiis exemptus, patriæ & dulcis otii compos totusque tuus jam factus es, quod ut proprium tibi faxit Deum veneror, utque mihi pro maximo solatio tuæ amicitiæ constantiam servet. Vale Vir Amplissime, cum nobilissima conjuge & dulcissimis liberis. Lutetiæ, 30 Iulii, 1624.

EIDEM.

207 QVod pro summo tuo amore mihi metuisti, Vir Amplissime, id ipsum mihi & pejus evenit. Nam & dysenteria perquam periculosa, per duos fermè menses laboravi, & ex eo rumore uxor in Zelandia morbum non minùs ancipitem, febrem & vehementem & continuam, contraxit; quæ res ipsius ad me reditum aliquamdiu impedivit, & me inter desiderium & metum graviter jactavit. Sed cœpit Deus his nostris novis calamitatibus mederi: nam uxor vix à febri derelicta, corpore adhuc infirmo, statim iter arripuit, & ut huc venit, tanto mihi solatio fuit, ut ad recuperandas vires plus paucis diebus quàm antea perquam multis, profecerim. Eadem divina clementia, ut te tertiana, morbo non tam periculoso quàm graviter molesto liberet, imo jam liberaverit, opto. Vxor, dum in patria fuit, tempus omne trivit visendis amicis & componendis reculis suis, id est naufragii nostri tabulis. Publicas res reliquit eo in statu, in quem eas pridem læva consilia adduxerunt, exigua spe emendationis, nisi quod ex machina numen affulserit. Omnes, qui judicio valere creduntur, ita judicant, circa initia, cùm Spinolæ exercitus nondum Bredam clausisset, sine sumptu ac periculo potuisse obsidium impediri, quod nunc, nisi re in discrimen adducta & immensis impendiis solvi non poterit: si tamen vel sic poterit. Ejus autem oppidi jactura non modo amnes & proximas Hollandiæ terras excursibus & prædationibus infestas faciet, sed & Bergæ minatur. Satis in oppido victus est in menses hibernos & partem veris. Interim speratur posse hosti pabula equorum & alia necessaria deficere. At ille in multum tempus castris suis providit: Neque hactenus quicquam commeatus ad ipsum euntis interceptum est, majore apud ipsum vi equitatus:cui malo cùm pridem occursum à nostris oportuisset, nunc remedia ex novis turmarum conscriptionibus quæri à nostris dicuntur. Multi exspectant, ut Mansfeldius cum toto exercitu, quem in Britannia ad 12. millia, cæterum adjuvante Halberstadiensi in Germania, colligit, antequam Palatino operam navet, nostris copiis junctus in aliquam hostilium castrorum partem impetum faciat. Spinola opperiri famem hostium tardum ratus, incipit opera & machinas oppido admovere. Ex Americana navigatione mercatoribus in multos annos nulla commoda sperantur, præter illud publicum, quod Hispano negotium facessitur. Duæ jam classes parantur, simul ad naves quinquaginta partim privatas, partim publicas. Sed timetur, ne, antequam eæ adveniant urbs S. Salvatoris, ad sinum omnium Sanctorum, extrema laboret fame. Parum enim victus naves attulerunt, nec terra quicquam tale subministrat, infessa à feris gentibus, quibus omne incognitum hostile est, nullo Hispani aut Batavi discrimine. De militiæ nostræ numeris inquiram sedulò, ne quid per memoriæ errorem te fallam. Scribam autem ad te, simul atque certi aliquid comperero. Affinis meus rectè quidem valet, sed amoribus distentus, ut fieri solet, ad alia negotia fit negligentior. Ego partem alteram ejus honorarii, quod mihi in annum 1623. promissum cum aliqua summæ prioris decisione fuerat, nondum accepi, per tricas eorum, quibus imperatum erat id pecuniæ solvere: cui malo remedia adhuc quæro. In futurum, quid sperare debeam, planè ignoro: nisi quod & Cancellarius & Campiniacus jubent bene sperare; quod in incertis tutissimum est. Sunt alii, qui mihi honestum apud se receptum ostendunt; Sed mihi constitutum est Galliam, cujus amicitiam plurimi feci semper, non deserere, nisi prius ita deserar, ut & mihi & aliis omnibus constare possit consilii mei ratio. Tilenus non minùs, quàm ego, dysenteria vexatus, adhuc ejus reliquiis tenetur. Tibi conjugique ac liberis tuis meliora, imò optima precamur. Lutetiæ. 29 Novemb. 1624.

EIDEM.

Vir Amplissime,

DIstuli literis, quas 22 Decembris dederas, rescribere, dum certi aliquid super his, de quibus sciscitatus fueras, ex patria nostra exspecto: quod quia advenit tardius, maximè eo, quod hi, quorum opera maximè utor, longiùs nunc absunt ab imperii sede, nolui interim desidis amici speciem præbere. Ego Dei ope rectè valeo, neque peccaturum me putem in tua commoda, si valetudinem tibi qualis nunc quidem mea est, exoptem, nisi quod ipsam quoque illam εὐεξίαν [*bonum corporis habitum*] periculo vacare medici negant; forte ut nusquam data securitate ipsis obnoxii vivamus. Spinola ad Bredam non ea sentit incommoda, quæ ex hieme & pluvia sperabantur. Bis jam nostri tentarunt, per stagnantia camporum, naviculas inferre oppido, nova primum, deinde plena Luna; sed irritus fuit conatus, aquis non satis crescentibus. Dicitur tamen manere eadem spes, aut superfuso adjacentibus Marca amne, aut perfosso aggere, quæ humillima pars est hostilium castrorum. Milites aliquammulti, quibus pax inter Danum & Suecum inita missionem dedit, Mansfeldio militaturi advenerunt, ad duo millia & plures exspectantur. His an Danus stipendium sit daturus incertum est. Creditur nostris minùs malè velle, ex quo Princeps Mauritius summæ rerum potitus aut est, aut putatur. Nam privatam ejus amicitiam publicæ nostrorum ante habere se, satis jampridem prætulit. Quod si & in nostros maneret, qui fuit, tamen mirandum non esset, si eum fortuna moneret filiæ sororis suæ. Mansfeldio ex Gallia bis mille equites, ex Britannia duodecies mille pedites adventare regum duorum pecunia alendos, pro certo habetur. Sed Rex Britannus legem Mansfeldio addidit, ne quid in Hispanum ejusve terras hostile inciperet. Alias quoque copias ei per Germaniam colligit Halberstadiensis. Hæ omnes non exiguum metum Hispanis incutiunt, qui, rarum in Belgio, nobilitatem omnem equis militare jusserunt: & ex Germania acceperunt tres millenarias cohortes aut amplius. Limes adversùs Galliam sollicitè custoditur. Tuos liberos sospites Paduam advenisse tibi gratulor, optoque, ut semper de illis, quæ voto meliora sunt, tibi nuntientur. Vale, Vir Amplissime, cum tua, à me & mea. 9 Ianuarii, 1625. 208

EIDEM.

VT bene tibi vertat migratio, & quocunque te loci tuleris, hilaris te semper sequatur animus, Vir Amplissime, votis non fictis opto, & te nostri memorem vivere gaudeo. Apud nostros ob morbum Mauritii Principis fratri ipsius vicarium imperium in omnes copias ab Ordinibus Fœderatis delatum est. Erunt autem copiæ, cum Mansfeldianis, quæ jam propè omnes advenerunt 209

runt, L millia peditum, VIII. millia equitum: de iis dico, quæ exire præsidia & duci poterunt. Anglus Mansfeldii miles non satis proviso stipendio graviter cum hyeme & fame, deinde cum morbis conflictatus est. Dicuntur Danus & Suecus conferre tria equitum, decem peditum millia. Nova quotidie apud nos conduntur tributa sustentandis his tantis oneribus. Bredæ commeatus sunt parcissimè viventibus ad exitum mensis Iulii. Sunt, qui putant, obsessorem obsideri prope: Alii commeatus posse intercipi. Alii opera oppugnanda putant. Sunt, quibus magis placet tentari aliquid adversus Sylvamducis. Gertrudisbergam à nostris magna victus & pabuli copia comparata est. Dicitur & Spinola in longum sibi prospexisse. Non pauci rem putant ad prælium spectare; & nescio, quæ non ejus rei omina ac præsagia narrantur. Classis viginti navium sub Hautainio missa ad promovendos conatus in Liguria videtur brevi operam adversus...... navatura, cujus arma multis valde displicent. Tamen.... eduntur libri, qui hos metus præbent, nec admittitur ibi Regii in...... edicti publicatio. Sed hæc ex aliis exactiùs tibi est discere. Restat, ut ego & uxor tibique tuæque gratias agamus pro nostri memoria, vobisque & liberis vestris ea precemur, quæ à Deo maximè favente concedi solent. 4 Aprilis 1625.

SIMONI EPISCOPIO.

210 FRatris tui mortem, Vir Clarissime, tanquam mei fratris accepi. Satis enim intelligo quantum in eo & boni omnes perdiderint, & tu imprimis, cujus præsens calamitas non alio magis solatio sublevabatur. Sed nimirum Deo placet non uno genere adversorum patientiam nostram experiri. Ac tibi quidem quin satis sit ad hæc & alia toleranda fortitudinis, neutiquam dubito. Ego ut tuum exemplum sequi possim, quantum potero, annitar. Legi magno meo cum fructu & voluptate quæ Cameroni iterum opposuisti. Solidissima esse judico & argumenta tua, & responsa. Idem Viro Clarissimo D. Tileno videtur. Minuta quædam quæ annotavimus aut tibi aperiemus, huc si veneris, aut, si id non ferunt res tuæ, transmittemus. Tibi ut similia multa opera possis procudere & vitam & valetudinem opto fœlicem. Illud ἄτρεπτον [*immutabile*] in definitionibus Nicænsibus, de quo pridem scripseras, movere neminem debet. Tota cum Ario controversia erat de naturâ illa Christi quæ ante incarnationem exstitisset: eam Arius angelicam, aut ab angelica gradu differentem, ideoque mutabilem, alii divinam verè, ideoque immutabilem, statuebant. Vale vir Doctissime, & nos diligere perge. Lutetiæ, Kal. Maii 1625.

EIDEM.

211 MItto ad te, vir doctissime, exemplaria libri à me editi duo, quorum alterum tibi servabis, alterum rogo tradas D. Vtembogardo: utrunque autem vestrum oro quantum possum ut ubi erit otium ea cum cura opus hoc meum perlegatis, ut vestris monitionibus, quas facio maximi secunda editio aliquando melior prodeat. Velim & D. Grevinchovio mittere, sed nescio qua ratione ad ipsum pervenire liber possit. Reliqua tui operis adversus Cameronem avidè exspectamus. D. Vtembogardo nunc non scribo, faciam ubi quid scitu dignum comperero. Vale Vir eruditissime & amicos saluta. Lutetiæ 20 Maii 1625.

Tuus tui amantissimus H. G.

GERARDO VOSSIO.

212 BEasti me, Amicorum optime, quod ad scribendi vias redire ausus es. Neque tantùm literæ tuæ me juvant, sed hoc etiam quod aliquantulò meliùs de Patria sperare audeo, ex quo tibi visus es impunè ad me posse scribere. Britannicam vocationem gaudeo in hoc tibi utilem esse, ut inde pretium hic augeatur apud eos, qui aliunde discendum habent quis sit Vossius. Tua de Græcis Historicis Commentatio Salmasio, Rigaltio, eruditisque omnibus valde placuit, & desiderium excitavit similis operis de Latinorum historiis, quod à te promoveri gaudeo. Librum meum de Iure Belli ac Pacis tibi mitto, & ut aliquid ad secundam editionem ornandam pro copia judicioque tuo contribuas rogo. Difficilior fuit hæc scriptio, ob id quod γενικῶς [*generatim*] tracto, eo consilio ut in omne tempus omnique loco valeant, quisque ad ὑποθέσεις [*specialia placita*] suas trahunt, &, ut fieri solet, sæpe malignos agunt interpretes; quod vitare supra summam prudentiam est. Quod optas me in Patria videre, in eo ego tuum, qui semper in me fuit, affectum agnosco. Cæterum an id quod optas, mihi expediat necne, saneignoro. Patriæ utilis esse ne absens quidem desino & εὐκαίρως, ἀκαίρως [*tempestivè & intempestivè*] demonstro vicinorum Regum interesse, ne res nostræ ad ultima pericula recidant. Sanè si discordiæ manent, non possum non tristissima augurari. Res nobis est cum hoste tam potente, tam felici, ut si vel unanimes ei diu resistere possumus, satis in eo sit gloriæ. Notæ meæ in tres Evangelistas confectæ sunt, ut scis. Restat quartus, in quem aliquid notabo, simul me à minoribus curis, quæ imperfectæ jacent, absolvero. Sed non est è re mea, ut id opus prodeat, quamdiu in Galliis vivo. Nam quibus unicum studium est Theologia, nolunt eam à nobis attentari. Deinde quædam dicenda essent, quæ ad palatum non sunt eorum qui hic sacra curant, & quos offendere non satis tutum est. Idem de Historia mea dictum volo, quæ & ipsa edi tutò non poterit, nisi me Deus fortè alibi locet: quod & de nostra scriptione pro Summarum Potestatum jure circa sacra dictum volo: quam quidam à me edi hic vellent, deletis omnibus locis, qui è scriptis Protestantium citantur, quod mihi non placet. Videbimus ergo quid tempus ferat, omnibusque de his rebus quàm sæpissime consilio tuo instrui gaudebimus. Franciscus Iunius noster quid agat scire velim. Gratissimus mihi fuit conspectus ejus juvenis quem mihi commendasti: grati erunt & alii omnes, si qui posthac cum amicitiæ tuæ testimonio ad nos venient. Salmasii amicitiam ut colas, etiam atque etiam te rogo. Digni estis qui noscatis & ametis vos invicem. Vale vir optime non minùs, quàm doctissime. Lutetiæ, Cal. Aug. 1625.

Tuus totus qui semper H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

ET tuam & tuorum prosperam valetudinem intelligere, tam mihi conjugique meæ dulce fuit, quàm honorificum, quod de nostra curam suscipis, & res nostras votis tuis adjuvas. Spes, quæ nobis datur ex Hogerbetii meliuscula fortuna, haud sanè magna est. Senex optimus post septem annorum captivitatem, sub gravi cautione Lupistenio permissus est in locum laxiorem migrare, sed ubi villæ unius finibus tam misera libertas circumscriberetur. Et hoc ipsum tam tenue beneficium magno illi constitit. Intra mensem enim exhausto avidiùs, quo tam diu caruerat, aëre, in morbum incidit, ex quo veram libertatem, id ést mortem, invenit. At liberi, eo jam mortuo, suppliciter postulantes bona sibi reddi, nihil impetrarunt. Mylii res meliùs procedunt; nam præterquam quod libertatem & bona illibata recepit, etiam nuper, in Principis Mauritii funere dignum sua familia locum obtinuit. Sed illi nimirum nulla obstat res judicata, cùm solo decreto percussus fuerit. S. Salvatoris in Brasilia oppidum, quod ab adjacente sinu Baiam vocant, ipsis Maii Kalendis in Hispani venit potestatem. Id hactenus apud plebem nostram prudenter dissimulatum, diutius tegi non potuit, domum pervectis non paucis eorum, qui dediderunt; quos aliquamdiu apud se retinuit Hispanus, partem nunc quoque retinet, ne classem nostrorum subsidio missam augerent: quæ quidem classis 213

cùm

Digitized by Google

cum videret urbem in hostium manu esse, alio avecta, quæ consilia nunc capessat, cuique pro arbitrio conjectandum relinquit. At spes Palatini non parum refoventur, Dani felice pugna adversùs copiarum Tiliaci partem, auctoque ejus exercitu per accessionem Mansfeldii & Halberstadii, & commodata à nostris cohorte ac ducum non paucis, cujus rei egebant maximè. Simul Arsenius Britanniâ redux venditat operam confecti in quindecim annos fœderis. Restat videamus, quò erupturæ sint diu adeo exspectatæ classis Britannicæ minæ. Dicuntur Legati à nostris huc venturi, ut in idem fœdus Rex invocetur; cujus quidem opes ad coërcendam magnitudinem Hispanicam plurimum possent, si firma pax intus regnum stabiliret. Et quidem utilis huic fini esse posset accessio virium Rupellanæ civitatis, si quemadmodum ab illa metus jam vix ullus est, ita ipsi quoque omnes metuendi causæ demererentur. Tu interim in prædio tuo sepositus extra periculi partem, propriam inquam ac peculiarem, opperies, quascunque vices allaturus sit inquies ille & alibi & apud vos præsertim rerum æstus; quod ipsum si testari velis vestibuli, de quo scribis titulo, poteris auctore Tileno nostro illud sumere; NEPTUNUM PROCUL E TERRA: nisi dulcius putes alterum; DEUS NOBIS HAEC OTIA FECIT. Sed potius erit, ut cujus sensus ac magnitudinis dictum tibi expromi velis, apertiùs explices, ut deinde cogitemus, ego inquam & Tilenus noster, qui podagricum otium tuæ amicitiæ memoria solatur. Et ipse & nos omnes, tibi tuæque matronæ ac liberis, felicia omnia precamur. 16 Octob. 1625.

EIDEM.

214 FAcis tu pro more tuo, Vir Amplissime, quod amicam nostri memoriam retines. De me quoque scio te non dubitare, quin idem sim qui fuerim. Grave sanè est, post tot annorum patientiam, nihil adhuc certæ lucis conspicere. Sed ita jam adversis adsuevimus, ut illud quoque tædium perferamus non dejecto animo. Interim is, qui ad extraordinarias patriæ nostræ Legationes factus est Ordinarius, pecuniæ aliquantum impetravit, non tam, ut arbitror, potente Suada, quam ne à Rupellensium oppugnatione naves abducantur, & ut, quæ jam abierunt, redeant. Ego sicut æquum existimo Regis ubique summum esse imperium, ita metuo, ne quorundam ira in Protestantes, nullum sibi modum faciat, & pœnæ in eos maximè ingruant, quos culpa non complectitur. Circumfertur hic, habita Amstelodami à Bassincurtio concio, plena contumeliarum in Regem, & eos, qui res Regni administrant. Suppressus est apud nos liber, sed auctor triumphat. At Galliæ est quod gratulemur, cujus Episcopi nuper emendarunt id, quod olim in Rothomagi conventu peccatum fuerat; apertè definita Regis suprema potestate, nulli hominum, ne Ecclesiæ quidem, obnoxia; & damnatis armis, quæ in Reges, quamvis persecutores, moventur; & probatis fœderibus, quæ cum iis ineuntur, quos mos sæculi Hæreticos vocat. Nos adhuc bellè valemus, de te tuaque & liberis speramus tantundem, & ut annus hic feliciter vobis procedat, ex animo optamus. Lutetiæ, 8 Ianuarii, 1626.

EIDEM.

Vir Illustrissime,

215 MVltùm me delectat cognita & literis tuis, & filii, nobilissimi tantoque patre dignissimi juvenis, relatu prosperior tua valetudo. Non minùs me delectat filii tui conspectus, quo cùm fruor, veterem nostram consuetudinem, in suavissima illa vitæ meæ parte & bonis patriæ rebus, non mediocri cum gaudio recordor. Iuvat etiam cum eodem filio tuo recolere fori studia, quæ olim non indiligenter colui, ac ducere eum, non per mea vestigia, sed per eorum, quorum ego vestigiis laboravi, insistere. Hoc mihi videor sermonibus crebris consecutus, ut non inglorium putet iter illud, per quod viri sæpe maximi aut ad honores aut ad famam honoribus non minùs illustrem incesserunt. Est aliqua in ætate se præcipitante voluptas, cum juvenibus quantum natura permittit, iterum juvenescere, & quod accepimus ab antecedentibus, idem præstare nos secuturis. Plane id credas velim, me quod cum illo colloquor, magis mihi, quàm ipsi, præstare. Et tamen quid est, quod ei præstare possim modò, non & velim & debeam, cujus patrem semper amicum inter externos primum, popularium vel optimis nihil cedentem, habui? Quare feceris pro veteri tuo in me amore, si filium tuum, sicut ego eum ad forum, ita tu ad me mittas. Etiam hoc rectiùs valebo, si te cum tua matrefamilias ac liberis rectè valere intellexero. Mea meique vobis omnia optant, quæ optari jus fasque est. Lutetiæ, 22 Martii 1626.

PETRO C. HOOFT.

GRatulor magni Regis manibus, Hoofdi verè ingeniorum nostratium princeps, quod tantum scriptorem invenerint. Certè eam monstrasti rerum Galliæ peritiam, ut nihil Gallo cuiquam concedas. Nos interim quibus contra multa mala, bonum unum, otium fortuna largita est, aliquid moliti sumus quod tui sit fori. Tua enim laus est tragœdia, cujus scriptores Græcos hîc compendio quodam aut fragmentorum aut selectarum sententiarum damus. Accessit similis è comœdiis collectio, appendix Stobæanæ nostræ editionis. Rogo ut tam benignè hoc excipias quàm meretur consilium hominis quovis modo se contra sua ac patriæ adversa erigentis. Ego quantùm te colo, tantùm abs te amari semper faciam plurimi. Amicos, si quos illic habemus, salutari velim. Lutetiæ, 28 Iunii 1626. 216

Tuus totus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

SI quid fuisset, Vir Amplissime, quod pro tuo in me amore, intellectu dulce tibi esset, jamdudum nuntiassem. Sed frustra te publicis Galliæ calamitatibus ingementem, meis quoque malis onerem. Videntur aulæ vestræ turbamenta nondum resedisse, nam rerum gnari alias atque alias mutationes augurantur..... quid pro se hic egerit, me latet: nisi quod præ se tulit gaudium super rebus transactis. Compendienses pactiones in tres annos prorogatæ sunt, quas tamen ipse, cùm primùm non veniret, tanquam patriæ nostræ graves, incusaverat. Princeps Arausionensis sanè optat pacem & Ecclesiasticam & civilem: sed vota ejus interturbantur, partim clandestinis molitionibus, partim vi aperta: suscitatis per Ministros plebis seditionibus in homines innocentes, iis in locis, ubi Magistratuum sævitiæ tædere incipiebat. Quid deinceps sit futurum, Dei in manu est. Ego & uxor, ubi vitæ statio eligenda nobis sit, incerti vivimus. Literas tuas ad affinem curabo, cujus quod memor es, gratias ago. Vxor tibi tuæque pro salute missa tantundem, & si posset amplius, reponit. Vale, Vir Amplissime, Lutetiæ, Cal. Iuliis, 1626. 217

GERARDO IOANNI VOSSIO.

DIstuli ad te scribere, amicorum optime & doctorum doctissime, ut non sine munusculo aliquo tua debita literis tempora interpellarem. Itaque pro illo quo me semper prosequeris amore patere quæso ut Græci tragœdiarum comœdiarumque scriptores, quorum dicta evulgamus tibi pro me gratias agant. De jure belli ac pacis libri iterum edentur, utinam tuo auxilio meliores. Æstuo enim in nonnullis quæstionibus, maximè illa de mendacio, & vellem, ut olim solebam, tua ope posse expediri. Interim non cesso & alia urgere. Nam in Iohannis Euangelium commentarium absolvi: & nunc describendum dedi, 218

Digitized by Google

di, ubi tamen & quando edendum, tanto ubique odio liberæ veritatis? Ne dissertationem quidem de imperio Summarum Potestatum circa sacra edendam censeo, nisi qui apud vos rerum potiuntur, ostendant se id jus & rectum juris usum intelligere. A Patriæ rebus avoco animum: ideoque annales meos ne aspicere quidem volo, tantum abest ut eis refingendis, quod ante editionem opus esset, tempus possim impendere. Gratias ago pro opera in Lucano nostro præstita & rogo tantundem pro notis in Latinas tragædias operæ sumas. Phœnissas Euripidis ex manuscriptis correxi, & Latinè verti cum præfatione de iis quæ in tragædia laudari solent. Id quoque opusculum edi posset, si sint qui expetant. Nam Buonus noster satis occupatus erit tum illo de Iure belli ac pacis opere recudendo, tum renovanda Stobæanorum editione. Tua de historicis Græcis commentatio magnum excitavit desiderium similis operis ad Latinos pertinentis, in quo quod postremum sæculum omittas laudo consilium. Oomsius hàc transiit cum Graviis fratribus & nunc Galliam visit. delectatus sum ejus sermonibus. satis ostendit in qua officina effectus sit. Videbimus eum magis etiam ubi redierit. resalutant te amici, etiam uxor mea te ac tuam. Lutetiæ, Cal. Iuliis 1626.

Tuus tuo maximo merito. H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

219 QVo tempore literas tuas accipi, Vir & dignitate & virtutibus tuis Amplissime, uxor mea post incertam aliquot mensium valetudinem inter medicorum manus non sine periculo versabatur, quod quale sit in solo alieno, ubi amicum certum unum reperire sit difficillimum, dictu nihil est opus, apud tam prudentem rerum humanarum æstimatorem. Iam octo sunt anni, cùm partim carcere, partim exsilio arcemur à conspectu parentum, & quicquid in patria secundùm parentes dulce est. Interim inimici non regnant tantùm, sed nobis hucusque insultant: & qui Gallici nominis insectatione potentiam sibi pepererunt, ea ipsa ad nos in Gallia quoque opprimendos abutuntur. Secundus jam prope annus effluit, cùm nulla hic mei habetur ratio, nisi quod omnes artes, quæ animum generosum de statu suo dejicere possunt, in me tentantur. Nec ullum mihi contra tot adversa solatium est, nisi in conspectu uxoris & liberûm, quos mea infelicitas huc miseriæ detrusit. Princeps Arausionensis quid velit, tempus ostendet; parum se posse queritur. Quod si ab ipsius bona fortuna pars nostræ pendet, etiam hac spe deficimur; nam neque Linga obsideri potuit superventu hostilium copiarum, & adversùs Emissarium Gandavense & agrum Hulstanum conatus irriti ceciderunt. Putabis me fortè, cùm hæc leges, querelas tibi reponere, cùm consolationis indigeas. Ego verò hoc jam maximè ago, ut te consoler. volo enim ex mea calamitate intelligas, quàm multa fortunæ tela tuus ille filius matura morte evaserit. quæ sane eo magis illi metuenda fuerant, quo & ingenio erat excelsiore & animo à corpore alieno. Hæc enim duo sunt maximè, quæ plurimorum invidiam concitant, ut ignis fumum. Ex invidia autem contentiones primùm, deinde odia in quamvis immerentes, mox ea, quæ nos nec primi nec ultimi experimur, sequi solent. Quod si nostra fortuna non satis gravis est, ut propter eam vita longior metui debeat, finge tibi alios, quibus equo aut curru dejectis crura franguntur, qui in bello vulnerati ossa sibi vivis legunt, quos honestissimus studiorum nostrorum labor in cæcitatem dedit, quibus inter calculorum dolores non tam vita durat, quàm mors protrahitur. Horum omnium nihil est, quod non cuivis accidere possit, nisi quem jam mors in tuto collocavit. Itaque si tibi unquam in mentem veniunt honores, Legationes, fama ingens, & quæ alia ominari magis, quàm promittere nobis possumus, illa, quæ diximus, ærumnosa crede non minùs potuisse accidere, eoque magis, quod in rebus humanis multa sint mala sine bonis, bona nulla sine mixtura mali. Quæ cùm cogito, illud ex Græca Comœdia etiam atque etiam menti inprimas velim.

Si scires, quod non vixit vita, id omne ei
Fuisse futurum fortunatum perpetim,
Fuerat mors immatura: at verò longius
Ævum tulisset, si quid intolerabile,
Redisses ipse, puto, cum morte in gratiam.

Quod si mors Christianorum omnium, gratiis ad Deum potiùs quàm luctu accipienda est, sane illa mors maximè gratulanda est, quæ innocentem adhuc ætatem & hujus sæculi malitiæ inexpertam, non morborum tantùm & calamitatum, sed, quod maximum est, morum in pejus flectendorum periculo eximit. Quare etiam atque etiam hoc velim animo tuo dicas; Illa bona ac speciosa indoles aliter me non potuit sui securum facere: nihil nunc est, quod pro ea mutuem: est, quod pro ejus usura Deo agam gratias: nihil ejus morte mihi decessit, quo non ante eum natum æquo animo caruerim. Vnum insuper ex illa vita lucrum mihi restat, memoria eorum, quæ dulcia vidi, quæ læta intellexi, pro quibus valde & in Deum & in ipsum ingratus sim, si longam animi ægrimoniam, tanquam pro bono malum rependam. Sapientiæ divinæ humanæque studiis, Vir Amplissime, vitam tuam jam olim dedisti, & nunc, ut ea non delibes, sed penitus haurias, abunde otium est. Docent illa, feliciatem omnem nostram tum in spe Dei propitii, tum in animi tranquillitate collocandam. Quæ duo cùm tibi pateant per Dei clementiam & aliquantulum nisus tui, non esset, quod miser aut tibi aut sapientibus videreris, etiamsi tu tibi tota domus esses, neque viveres spe relinquendi de te natos hæredes. Nunc verò, etiamsi illa doctorum ac piorum solatia omittantur, & ad vulgi sensum res exigatur, multò plus habes, cur te suspiciant atque beatum prædicent homines, quàm cur tui misereantur. Tantùm vide, ne unius desiderio superstitum liberorum bona minoris æstimes. Imo, quod ad luctus remedia addendum est, agricolas imitare, qui cura hoc efficiunt, ut ob defractos pampinos nihilo minus uvarum, imo plus etiam, de vite referant. Quod si quid ego hac aliave in re consilio, si quid ope possum, habes, cui jure tuo imperare possis. Interim dum ejus rei dabitur occasio, quæ possum, amicum agam, votis ad Deum pro te tuisque omnibus, non quidem, ut nihil unquam adversi accidat, (id enim divinæ gubernationis ratio non permittit) sed ut, si quid acciderit, id sapiente usu reddatur salutare. Vale, Vir Amplissime, cum conjuge & liberis, à me, mea, meisque. Scribebam Lutetiæ, 19 Septemb. 1626.

EIDEM.

NOvus hic annus illuxit, Vir Amplissime, quo nihil mihi læti audire contigit, nisi quod à te venit, 220
cujus bona pro jure veteris amicitiæ ad me quoque pertinere intelligo. Merito igitur & tibi gratulor & mihi gaudeo, quod Deus immortalis tibi istam filiorum quadrigam, non tantùm incolumem restituit, sed & omni bonarum artium cultu florentem: quos sane tales conspicere extraneis etiam jucundum sit, nedum tibi, qui illis non vitam tantùm, sed & hanc (ut ita dicam) vitæ ipsius vitam, scientiarum scilicet nobilium possessionem, dedisti. Vt enim alii in secundas & tertias hujus beneficii partes veniant, tibi certè primæ debentur, qui indolem fovisti, excitasti impetum, monstrasti viam, addidisti ductores. Iure igitur tuo, quamdiu tibi vita superit, pulcherrimam ex hac semente messem feres, & nos amicos tuos recreabit illa & ipsorum & tua felicitas. Ego sane post tot præceptores egregios, quod studiis ipsorum conferam, nihil habeo, præter vota, sed hæc valde seria, accedente ad perpetuum meum amorem in omnes literarum studiosos, & paternæ necessitudinis vin-

vinculo, & ingente ipsorum merito, qui sua diligentia effecerunt, ut proprio labori non minùs, quàm agnatæ ingenio docilitati deberent. Sustentabo me igitur hac spe, coram & ipsorum partem & te conspiciendi, quod quidem brevi fore spondet affinis tuus, quem his diebus videre contigit. Vxor mea minùs commoda utitur valetudine, sed quam ex frigore læsam facilè benignior aura sanaverit. Interim mecum tibi tuæque ac tuis omnia optat, quæ votis expeti solent. Vale, Vir Amplissime, Lutetiæ, 24 Ianuarii, 1627.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

NOn credas, Vossi optime, quanti hic fiat historia tua Pelagiana. Omnes tum curiæ tum literarum proceres queruntur deesse exemplaria. Inter alios plurimos Sirmondus, vir scis cujus gregis, sed sane apprime eruditus & æquus eruditorum æstimator, omnibus prædicat nullam controversiam hoc sæculo majore judicio magisque ex vero tractatam. Fac quæso ne librariorum culpa pauciores habeas qui te norint. Etiam tua de Græcis historicis commentatio exspectationem excitavit maximam paris alterius de Latinis. Iamdudum per fratrem rogaveram ut more tuo curam susciperes relegendi libri mei quem ex Belgico Latinum feci de Religione Christiana. Ad eundem laborem & Iacchæum invito, ut vestro auxilio liber melior prodeat quando multi hic urgent editionem. Noomsius tuus hæret Aureliani nesciò quando huc venturus. Ego studiis ejus quantam potero maximam opem feram & ipsius & tuo nomine. Vale vir semper amicissime. 22 Februarii, 1627.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Vir optime atque amicissime.

NOlui mea gaudia morari: itaque simul ut te carere sum coactus ad chartas tuas convolavi: in quibus ego & diligentiam admirabilem & perspicuam veri explicationem, cum summa judicii modestia, ultra quàm credas, exosculor. Vtinam cum aliqua senatus Academici approbatione prodeat is liber & aut Ordinibus aut senatui nostro dedicetur. id enim nunc potiùs duco quàm Curatoribus. De Cassiano videndum adhuc censeo an ulla statuerit decreta absoluta convertendi hominem. Nam ea si non statuit, non potuit is qui præveniri interdum vult voluntatem, interdum non præveniri, præveniendi vocabulo intentionem talem Dei designare. At Patres Græci cùm sæpe generaliter negant præveniri humanas voluntates probabiliter creduntur intellexisse præventionis vocabulo prædeterminationem. Quare cogitemus an hæc potius Cassiani mens, ubi de renatis agit, interdum actuale auxilium superaddi habituali, interdum ex solo habitu pias actiones elici. Sed hoc in latronem & Zachæum non convenit. quare de illis agens per actus bonos non præventos à Gratia videri potest intellexisse desiderium quoddam salutis naturale & alia quæ à potestate pendent locomotiva, quæ quanquam bona spiritualiter non sunt, occasionem tamen quandam præbere possunt primæ Gratiæ. Illud quoque considerandum est, an absoluto decreto convertendi posito sequatur prædeterminatio ad conversionem. Nam prædeterminationis voce video plerosque ita uti ut necessitatem præmotionem intelligant, qui decretum ipsum præfinitionem appellare malunt. Neque desunt tamen qui prædeterminationis vocabulo uti videntur laxiùs quippe cùm eam in physicam atque moralem discriminent. Perseverantiæ donum an quis rectè dicatur accipere ante id tempus post quod capitaliter peccaturus non est, sive id principium internum sufficiat, quæ est confirmatio in Gratia, sive cum principio interno, puta fide vera & si non confirmata, concurrat externum, protectio scilicet certa atque infallibilis. Id si ita est, quomodo mihi sentire videtur interdum Augustinus, sane vitæ prolongatio ad donum prædestinationis pertinebit, non tamen illud ultimum prædestinationis effectum quod est perseverantiæ donum: sed ad id ipsum donum rationem habebit antecedentis. Lemma Canonis 19 Arausicani mihi videtur haud satis congruere Canoni, ne sic quidem ut eum reponis. Vbi enim de conservanda innocentia primi hominis agitur bonitas Dei mihi videtur habere locum, at miseratio haud item. Augustinum distinctis locis ostendis quædam à se scripta ut malè scripta condemnare, quædam excusare. Sed videntur mihi quæ excusantur esse non ex iisdem libris si rectè memini. Ante Episcopatum Gratiæ necessitatem ad fidem cum Massiliensibus aut ultra etiam negavit. Ipsis Episcopatus initiis locutus nimis cautè videri voluit præsupposuisse Gratiam quam non expressit: sicuti nos de Græcis plerisque sentimus. Cogita etiam an satis sit deducere necessitatem spiritualium motionum ad fidem & pœnitentiam ex sola eminentia eorum actuum supra naturam hominis: an verò aliquid sit adjungendum eo loco de humanæ naturæ post lapsum vitiositate. Video id quibusdam non placere. attamen major quædam egentia auxiliorum in nobis quàm in Adamo statuenda videtur. Locus Augustini ex Epistola VII. ad Vitalem non eum mihi videtur sensum habere ad quem adducitur, nempe orandi vires esse ex Gratia, quòd tamen sine dubio credidit Augustinus; sed hoc mihi isto loco videtur agere ut ex orationibus & gratiarum actionibus ostendat id quod orando impetrare studemus, atque id unde, id est ob quod gratias agimus, non à Natura esse sed ex Gratia puta Fidem conversionem & similia. Sed de his tuum esto judicium. Ego te tuosque labores, & statum Ecclesiæ Domino Iesu commendo.

Tuus tuo merito H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

GRatias tibi habeo, Vir Amplissime, quod de absentia tua, quam pro nostra vetere amicitia scis mihi non posse esse non gravem, duobus me modis solari volueris: per liberorum tuorum suavissimum conspectum, & per eas, quas jam nunc accipio, literas. Et liberos quidem tuos vidi, cùm ex urbe tuendæ sanitatis causa cum toto ludo rus migrarent, unde needum rediêre. quos ego cupidè exspecto, non tam ut ipsis sim utilis, quod sperare non ausim, quàm ut eorum colloquia mihi sint voluptati, & per se & simulachro tui. Literas verò legi eo affectu, quo soleo omnia tua, nec minùs conjux mea; quæ ferme menses sunt duo, cùm mihi adest. Amicos in patria reperit plurimos. De meo reditu nemini supplicare voluit, metuens ne qualecunque desiderium interpretationem culpæ agnitæ reciperet: quod quidem ita incendit illos, quos ego, nullo alio nomine, quàm quia semel malè mihi facere cœperunt, infestos habeo, ut affini Reigersbergio veterem illam de literis ad me scriptis calumniam rursus intenderint. Sed hunc nodum abrupit adventus Principis, cui & Grollæ tanto coram hostis exercitu expugnatio, & elusa hostis ejusdem opera ad Santflitum, non parum gloriæ atque auctoritatis circumdederunt: ita ut agat nunc majoribus quàm antehac animis, sed ad rem summam lento gradu. Interim per annuas electiones multi veterani Magistratuum in jus suum redeunt, & certè Ecclesiæ res mitiora consilia nondum quidem in conventu, sed in vrbibus tamen nec paucis nec exiguis præponderant. Ego interim hic pro rebus prosperis regni vestri vota facio; patriam miseror, super intestina certamina non Hispani tantùm armis, sed & Imperatoris molitionibus obnoxiam: cujus hoc ipso tempore terra marique paratus in fretum Cimbricum, erepta Dano continente omni extra duo oppida, non potest non nostris maximum metum injicere, ob imminentem frumenti penuriam, quod illa via ad Hollandos perduci solet; populo foris habente omnia, domi ne ea quidem silet; populo foris habente omnia, domi ne ea quidem silet; ne quibus vivi nequit. Anseaticæ civitates partim vi cir- 223

 cum-

cumſidentium copiarum (nam triginta millibus Tilliacus imperat, 40. aliis Fridlandius cum Luneburgico) partim pollicitatione liberioris navigationis, quàm à Dano concessa est, pertrahuntur in partes prævalidas. Et creduntur eodem tendere ſexdecim Dunquercanorum naves, quæ in auxilium vobis promissæ fuerant: quas collectus tota Batavia navium numerus inſequitur. Marchio Spinola huc in dies venturus creditur, ut quæ anni ſequentis consilia deſiderant in Hiſpania præparentur. Eſpeſſius adhuc Hagæ detinetur, non mirum, tanta affinis ſui potentia. A noſtratibus (quid enim noſtris dicam, oblitus meorum, obliviſcendus & illis) in Angliam destinantur Legati Pavius & Randovix. Quidam rumores Comitem Erneſtum adjiciunt, de quo mihi nihil conſtat. Huc verò legabatur Exemplum illud bonæ fidei... qui difficilem ſe præbuit & ter rogari paſſus eſt. Conjungebatur illi Hardshollius: ſed eum is ſerio & per cauſas non improbabiles ſe excuſaret, ſubrogatus eſt ei Vosbergius noſter, qui antea in Hollandiæ conventu ferme omnium tulerat ſuffragia, in Fœderatorum conventu uno ſuffragio minus tulerat. Sed ſunt, qui ajunt, Regem è caſtris per litteras ſignificaſſe parum tempeſtivam ſibi videri hanc Legationem. Quod ſi verum eſt, nihil eſt, quod ego doleam, cujus ſpes in illorum hominum adventu ſitæ non ſunt. Ego in omne, quod reſtat fortunæ, paratus, me meaque Deo permitto, cujus bonitati te, Vir Ampliſſime, tuamque matremfamilias & familiam omnem commendo. Tantundem facit uxor mea, quæ pro ſui recordatione gratias tibi agit maximas. Lutetiæ, 3 Octobr. 1627.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

224 DVo ſimul ſolatia accepi, eruditiſſime atque amiciſſime Voſſi, uxorem & tuum de Hiſtoricis Latinis librum. Inſpexi hic, illic: evolvi enim nondum: quia intervallis condire volo lectionem. Si te ipſe noſti, minimè credes me aſſentari ubi dixero mirari me & diligentiam qua omnes hujus ſæculi vincis, & judicium quo cedis nemini. Tibi verò quod mei memoriam ſæculis tradere volueris (neque verò dubito quin tam immortalis ſit futurus tuus iſte liber quàm ulla earum quas maximè prædicas hiſtoria) gratias debere me dicamne an negabo? Obligatum me certè tenet tuus in me perpetuus affectus quam nullæ rerum vices mutarunt: ſed rurſum oneri eſt nimia laudatio. Ego quàm ſemper voluerim prodeſſe literis aut literatis mihi ipſe ſum conſcius: quàm nihil profecerim, quotidie magis magiſque ſentio. Sed excuſabunt me apud poſteritatem, propulſa in forum adoleſcentia, reipublicæ æſtus, publica denique ac privata mala. Sed alio quoque nomine me debitorem habes quod viri maximi Franciſci Iunii memoriam adverſùs Thuani errorem vindicaveris. Merebatur hoc viri illius ſanctitas quæ ſemper mihi animo obverſatur, & cujus exemplo me ſentio non minùs ad pietatem profeciſſe quàm omnibus quos unquam legi libris. Neminem hominum novi cui deſultorii ingenii nomen minùs conveniret. Illud verò bonis omnibus perplacet quod cum hac pietate modeſtiam conjunxiſti, & ita tum de Scaligero, tum de Thuano locutus es ut oſtenderis majorem te aliarum in utroque virtutum habuiſſe rationem, quàm imprudentiæ hujus, illius verò averſi à Iunio animi, cujus ego certiſſimus ſum teſtis. Meritò verò in hoc tuo officio partem mihi vindico qui ferme ſub oculis Iunii omnium earum artium, per quas olim nonnullis placebamus, jeci fundamenta. Neque verò ullam omitto occaſionem prædicandi quantum ipſi debeam: quod ego, ſi me in patria gradum meum obtinere ſiviſſet fortuna, maluiſſem rebus in omnes qui ad ipſum pertinent quàm verbis oſtendere. Nunc contra evênit ut quibus ego gratiæ eram debitor ab iis ultro accipiam beneficia: reddendi verò tempus proſpicere non poſſum, ſperare vix audeo. προσφώνησιν [*orationem*] ad Ducem Britannum non eſt quod excuſes ne Gallis quidem. Non adeo χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα [*ſeparati muſarum & Phrygum limites*] quam diverſæ ſunt τῶν πολιτευμάτων [*regiminum*] & literarum rationes. Principes nunc amicos, nunc inimicos facit non gravis cauſa. Eruditio nullas habet in illis partibus partes, commune eſt omnibus frui volentibus bonum οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη [*utrorum enim nihil intereſt quid ſenſeris*]. Latina mea de Veritate Chriſtianæ religionis nondum accepi. Videbimus quæ futura ſint faſtidioſi ſatis ſæculi judicia. Certè adverſùs impietatem remediis Gallia non parum indiget: ipſe niſi expertus vix crederem. Fragmenta exſpectabimus ubi ſcilicet Lamairio ita videbitur. Fuit & mihi talis Buonus librarius qui per menſes jam multos promittit novam editionem meorum librorum de belli paciſque jure, flagitantibus eam ubique emptoribus: ſed ille adhuc manet ἐκδώσων [*editurus*]. Niſi tandem fidem implet, aliquem extra Galliam reperiam cui tradam id opus non paullo locupletius. Tuo filio utilem eſſe hanc noſtram operam ſane gaudeo. Vellem tam prope ab ipſo eſſem, ut ſi quid obſcuri incidit (ſunt enim quibus videar σκοτεινότερος [*obſcurior*] præſertim ubi artium vocabula, ut ſatis cognita, non explico ſed uſurpo) id ipſe poſſem interpretari. Suave mihi eſſet hunc de meo labore fructum carpere: de Phæniſſis tu & frater meus videbitis. Ego noſtra in quatuor Euangelia elimo atque augeo, ſed ubi & quando prodituta? Reſpice nos aliquando libertas. Tibi à vitio creatis cenſoribus ſpiramenti eſſe aliquid lætus audio. Exoriare aliquis, qui illas viperas ſibilare dedoceat. Gratulor vicinum tibi Gruterum, cui bene non ob literas tantùm volo, ſed & quia ipſius teſtata ſæpe in me benevolentia id meretur. De Liviano fragmento quod in Italia prodiit, video eos qui hic eruditi cenſentur, à te diſſentire & Italis accedere. Quæ vos Belgas rationes moveant, ubi commodum erit, intelligere avebo. Salmaſium morbus gravis impedivit ab editione Solini quam in dies ſperamus. Rigaltius otiatur niſi quantùm ejus forum occupat. Noomſio quod nulla in re commodus eſſe potui, doleo. Volueram vel ob ipſius eruditionem vel ob commendationem tuam qua nihil eſt apud me gravius. Vix Lutetiam venerat, cùm Aurelianum abiit; ſcripſit ad me aliquoties: reſpondi, ſpero traditas literas: tamen ut dubitem facit quod hac rediens me non vidit. neque ego id accuſo: ſed nolim quicquam à me prætermiſſum putari. Te, uxorem, liberos, ego, uxor & mei amiciſſimè reſalutamus. 16 Octobris 1627.

Poſtquam hæc ſcripſeram ſignificat mihi Buonus ſe menſe eo qui inſtat inchoaturum novam editionem librorum de Iure belli ac pacis, quod bene vertat.

Tuus qui ſemper H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,

Senatori Rothomagenſi.

DEbitor tuus, Vir Ampliſſime, pro oblata ultro, quæ à me requirenda fuerat, amicitia & ſalutandi officio, 225
en etiam à te beneficium audeo poſtulare; cùm nondum illo me ære exſolverim. Sed in hac quidem re defenſorem aut certè deprecatorem tibi allegabo eundem, qui amicitiæ noſtræ conciliator fuit, Cordeſium, quem ea de cauſa acceſſi, ut pariter te adiremus. Ex eo abiiſſe diceris ex hac quidem urbe, non etiam è noſtra memoria; quod vel hæc mea poſtulatio docebit, quam ad te ſiſus tua æquitate ac bonitate adfero: rogoque, ut quantum judicis religio gravitaſque patitur, commendatum tibi habeas Danielem Treſelium, qui nullo ſuo crimine, tantùm quod earum fuerit partium, quas nos honeſtiores judicavimus, domo apud vos exſulat. Is, cùm multis variiſque negotiis implicatus ſit cum natione, ut plerique ſentiunt, ad lites

Digitized by Google

tes non infœcunda, id te collegasque tuos orat, ut per vestram æquitatem καὶ φιλοξενίαν [*& hospitalitatem*] jus suum obtinere possit. Quod quanquam tu orandus non es, cui rectè agere à natura atque institutione est proprium, dabis tamen veniam illius supervacuæ sollicitudini. Ego hoc officium ei negare nec potui ob veterem admodum notitiam, neque omittere volui oblatam tui compellandi occasionem. Vale, vir Amplissime. Lutetiæ, 25 Novembris, 1627.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

226 FEci, quod debui, Vir Amplissime, cùm adolescentibus tuis, quos & tuo nomine & propter communes, quas tam feliciter imbiberunt, literas amo; quæsivi dignum, qui isti spei admoveatur. Et repereramus Germanum sanè & eruditum & in linguarum & in philosophiæ studio. Sed vereor, ne illum prolixa, quæ Lutetiæ est & amicorum & quæstus ex juvenum institutione, copia hic retentet. Est alioqui is, qui & tuis liberis usui & tibi ipsi esse possit voluptati. De..... nihil habeo certi: nisi quod, cùm abs te Parisios veniret, in itinere comites habuerat Iesuitas, qui, ut mos est hominum, magna illi & mira promiserant. Ab his creditur commendatus Antistitum alicui in Lotharingia. Eos certè nobis notos, quibus professus erat suam immutationem ex quo suaserant, ne Iesuitis se dederet, haud amplius vidit. Tuis natu majoribus non video, quæ sit regio ad studia opportunior Geneva, ubi Gothofredus est Iuris civilis optimus monstrator. Quod de rebus Gallicis scribis & de .... crescit enim in dies Principis Arausionensis auctoritas, qui jam nunc adeo tumultum ab Ecclesiasticis hominibus contra Magistratus Amstelodamenses excitatum pacavit; immissis ipsorum rogatu militibus admodum mille & publicis copiis, præter eos, quos ipsi urbis rectores sibi auctoratos ad eundem numerum auxerant. Inquiritur nunc in ejus seditionis satores, quæ res quorsum evasura sit, in incerto est. Classis Hispanica ex parte Americæ, quam Novam Hispaniam vocant argentum & alia quædam mercimonia ferens, cùm in Çubæ insulæ portu Matansa pararet exitum, octavo Septembris à nostris oppressa & sine prælio capta est. Erant nostrorum naves triginta bene armatæ Petro Heinio imperante homine nautico & ortu Delphensi. Hispanorum erant naves sedecim, quarum quatuor servatæ sunt, cæteræ exemptis rebus mari depressæ. Æstimari prædam video tredecim librarum ut loquuntur millionibus: quidam ultra sperant ob aurum quod in carinis & sub boum pellibus latere dicitur. Literæ ex patria undecim naves advenisse nuntiant cæteras hærere apud Vectim insulam non sine metu, ne in viscatas Britannorum naves pars prædæ incidat. Etiam quicquid est navium Ostenda & Dunquerca exiit in spem intercipiendæ prædæ: & contra in præsidium vis omnis maritima Batavorum. Magnum haud dubiè firmamentum hoc erit societati Americanæ, quæ ante annum adeo deplorata videbatur, ut esset, qui caput ejus Legationis huc missæ septuagena florenorum millia vendiderit, lucrum desperans: quò minùs mirari debet, si alii tanto prævidere non potuerunt, quod ille quasi de proximo imminens non potuit augurari, homo tam sagax & callidus. Pax cum Anglia, ut video, tardè promovetur, si neque de fœdere inter Galliam & nostros in hunc diem convenit, adeo de conditionibus diffidetur. Iussi sunt Legati domum redire, ubi suæ operæ nullum ultra usum viderent. Neque tamen abituros puto, dum hic Rex est. Hunc annum ego cum omnibus meis tibi matronæque tuæ ac liberis felicem nec minùs prosperos quotquot sequuntur, opto, ea fide, qua amicitiam tuam semper colui. Vale, Vir Maxime. 6 Ianuarii, 1628.

Viro Amplissimo ac Raræ Eruditionis

NICOLAO PEIRESCIO,

Indici in summo Auditorio quod est Aquis Sextiis.

CVm multa tibi debeam, Vir Amplissime, (& quis non 227
debet eorum, quibus literæ cordi?) tum hoc quoque nomine me obligatum habes, quod ea, quæ scripsi, in solatium magis iniqui temporis, quàm in alicujus eruditionis testimonium, & legis ipse &, ut legantur, facis. Cui beneficio, imò quod beneficio omni majus est, animo tam prono ac faventi quid est, quod ego in hac præsertim fortuna possim reddere? Tamen cùm nuper Tacitum, magnum, quod inter omnes convenit, scriptorem, sed cui Batavi totam vetustatis nostræ notitiam peculiariter debemus, percurrerem, natæ sunt mihi sub manum emendationes aliquot, seu conjecturæ potius dicendæ sunt, sed quarum pars magna decrevit, ex quo ultimam Lipsii nostri editionem inspexi. Multa enim aut ipsius erudita solertia aut Manuscriptorum fides jam occupaverat. Tamen, quod superesse adhuc vacuum vidi, id ad te deferre volui, summum non litium modò, quibus Rex te præfecit, sed & literarum, quibus te præfecisti, judicem. Habeo & alia quædam non ad textus mutationem, sed ad locorum quorundam illustrationem pertinentia, quibus nunc onerandus non es, satis mihi præstiturus, si fori causas tantisper seposueris, donec ista cognoscas. *Sequebantur in M. S. Emendationes ad Tacitum, quæ editæ sunt ex officina Elzeviriorum Anno 1640. ideoque hic desiderantur.* Vale, Vir omnium & literarum & literas ornantium amore ac cultu dignissime. Idibus Ianuarii, Anni 1628.

WILHELMO GROTIO.

MOnueram te aliquando de loco Heinsianorum ad 228
Nonnum pag. 272. ubi ait in Deo id quod commune est, essentiam, nimirum, bonitatem & voluntatem, re non ratione, modos existentiæ animo ac cogitatione distingui. Inspexi postea Damascenum, quem autorem citat. Is longe aliud dicit τὸ κοινὸν [*commune*] & τὸ ἐν πράγματι θεωρεῖσθαι [*in actione conspici*], quia actiones nihil nisi unum monstrant, unam æternitatem, unam sapientiam, unam bonitatem. At τῶν ὑποστάσεων τὴν διαφορὰν λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖσθαι [*personarum differentiam ratione & cogitatione concipi*], quia nulli sint diversitatis effectus nobis conspicui. 11 Febr. 1628.

CL. SALMASIO.

FElicem me plane arbitrarer, Vir supra quàm nos vel 229
agnoscere possumus, de omni literarum genere merite, si ad tuos æternitate dignissimos labores aliquid contribuere possem & inter operas saltem tertias consistere. Nunc quàm mihi propensus est animus, tam tenuis copia: sed tamen quantulacunque est, tuam crede. Quod vocis *Selicha* originem ad ξυλικλεὼ refers, non spernenda est conjectura. Nam ס Hebræum, quod idem est cum س Arabico & ordine Alphab. & numerali significatione respondet Græco ξ. Deinde ח *Heth* punctatum, quanquam propriè τῷ χ respondet, non rarò tamen per κ exprimitur, ut in voce, quæ *siliquam* significat خروب חרוב sive כרוב: Nam Græcis posterioribus est καρρούβιον. Neque convelli non potest, quod de Etymo Arabico, quod glubendi aut decorticandi significationem habet, scripseram, cùm sæpe & Hebræi & Arabes etiam in vocibus non suis origines suas quærant, ut & Græci posteriores in vocibus merè Latinis קרפה قرفة قر id est *Karfe*, significat, id quod *Canellam* nos dicimus & vulgo *Cinnamomum* vocant. נטף *Nataph* Hebræis est *stillare*, unde nomen נטף, quod *stallen* vertunt Exodi xxx. 34. alii confundunt cum balsamo. Arabibus verò نطف נטף est

Digitized by Google

est *mundare*, sed ita tamen, ut & Hebræum significatum non planè amiserit, unde nomen est ipsis, quod γονόῤῥοιαν significat. At Rabbi David Kimchi ad locum Esaiæ III. 19. ubi est נטפות ait Arabicam vocem *Natef* cum articulo النطف esse בדלח הזך id est aut *margaritum purum* aut *bdellium purum*. Alias significationes hujus vocis reperire non potui. Sed scis multa esse τεχνικὰ [*ad artes pertinentia*], quæ in Lexicis non comparent & solis artem quamque profitentibus nota sunt. Cæterum ita te æstimare velim, quo plura mihi imperaveris, eo me crediturum te mei amantiorem: quod ego, ut sanè debeo, in maxima felicitatis parte pono. 23 Feb. 1628.

Viro Amplissimo,

CLAVDIO SARRAVIO,

Senatori Rothomagensi.

230 AMicorum negotia, ut nuper Treselii nostri, cùm tibi commendare inceperim, quidni audeam & mea, Sarravi Amplissime? Ego te non litium tantùm, quibus te Rex præfecit, scio esse judicem, sed & literarum, quibus tua te singularis eruditio præposuit. Quare cognoscendum tibi adfero libellum hunc nostrum argumenti magni & à non uno tractati, in quo, si nihil aliud, brevitatem cum perspicuitate aut præstiti aut præstare conatus sum. Ego, qui ingenium tuum novi ab omni vitilitigatione alienum, studiosum pacis, non dubito, quin gratum tibi hoc opusculum futurum sit: vel hac parte, quod nos à controversiis avocans ad ea advertit, quæ Christianis communia sunt, certè esse debent. Det Deus nobis omnibus Spiritum suum, ut non verbis tantùm, sed & factis ostendamus, nos esse, quod dici volumus. 10 Martii, 1628.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

231 EGo, Vir Amplissime, an unquam patriam meam visurus sim, equidem ignoro. Nam ut eam aliter quàm cum honore ac dignitate videam, non mei est animi, post tot mala exantlata. Vt verò mei, ea quam æquum est haberi, habeatur ratio, qui sperem? Cuncta malis habitantur mœnia Grajis: &, si qui sunt boni, aut satis boni, præter vota nihil habent, quod in nos conferant. Tum verò etiamsi aliquando non inhonesti reditus detur copia, quanta mihi erit luctus materia, cùm tot amicorum mortes, quos decem anni tulere, una prope dies mihi in conspectu ponet? Quos inter is, quem nominas, vir admirandæ innocentiæ ac probitatis, præter cæteros mihi desiderabitur; cujus ego prudentiam semper mihi pro duce delegeram. Sed ille quidem portum jam tenet: nostra verò navis cùm ornamentis suis, tum tali etiam gubernatore destituta, gravissimis fluctibus jactatur. Legati patriæ meæ haud multum promovent. Fœdus cum Rege differunt in id tempus, quo pax cum Anglis confecta erit; cujus quidem ego, quantùm, quæ hic intelligo, quæque ex Britannia huc perferuntur inter se confero, spem haud video propinquam. De privato negotio, quod commendaveras, feci planè, quicquid mihi Marbautius injunxerat; ac spero non planè inanem posuisse me operam. Tu occatum à nobis arvum seres quod ut feliciter tibi eveniat, Deum veneror. Cujus tutelæ & ego & uxor & liberi, te, tuam, tuos, quàm possumus maximè, commendamus. 20 Iunii, 1628.

BERNEGGERO.

232 IAmdudum, vir Doctissime, omnia quæ Lingelshemii sunt mea existimavi. Ita enim meretur & virtus ipsius & in me affectus, ut neminem ipsi præponere debeam. Quare cùm amicitia, quæ res cæteras communes facit, nihil magis commune facere debeat quàm semetipsam, ego te quem Lingelshemius amicum & judicio legit & re ipsa expertus est, inter mea solatia ac præsidia adscripsi, quare ita credas velim, nihil esse quod non jure tuo imperare mihi possis, quod quidem mearum sit virium. in meis scriptis scio nihil esse amplius quàm quod faventibus, qualis tu es, lectoribus videtur. Sed tamen hic tuus & tui similium in me amor, excitare me potest ut contra multa incommoda memet erigam, si quid fortè à me proficisci possit quod posteritas velit respicere: cui consulendi voluntas nunquam mihi defuit. Id quo magis videas, jam nunc audebo te ut amico uti. Audio virum quem merito suo semper feci maximi Gruterum, ad ingens illud opus quo tot secula sibi obligavit, Inscriptionum dico, aliquod post illam præclarissimam editionem collegisse auctuarium. Est autem Romæ vir eruditus Italus Donis nomine, mihi notus, qui itidem Paralipomena collegit in spem justi voluminis. Vt autem ego existimo multum refert studiosorum, primum ne eadem bis prodeant, deinde ne discerpantur quæ ejusdem sunt generis. De eo velim te cogitare, ut si fieri potest consanguineos labores in unum contrahamus. Voluit & is qui solus nunc humaniorum literarum gloriam sustinet, Claudius Salmasius veterem suam cum Lingelshemio amicitiam me interprete renovari. Post ingentem qui nunc exit in Solini Polyhistora commentarium, qui tam latè patet quàm ipsa natura, parat edere egregias notas in Occidentalium Conciliorum vetustissimum Eliberense, rituum veteris Ecclesiæ præclarum Indicem. Cùm verò hæc tempora in Gallia libertatem tali operi necessariam vix ferant, dubitat Lugdunum ne Batavorum potiùs, an ad vos hunc fœtum mittere debeat. Ego satis video nihil fore quod Confessionem Augustanam profitentes, temperatiores intelligo, possit offendere. Sed hac in re non tam amici singularis, quàm boni publici causa tuis ac Lingelshemii consiliis instrui desidero. Dabitis uterque veniam, si in negotio literarum hominum literatissimorum operæ non parco. Deus vos vestrosque omnes incolumes servet. 21 Iulii, 1628.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

QVæ de Baugiaco scribis, Vir Amplissime, grata 233
sunt: neque omisi significare Arausionensium Principi, quàm constanter in ipsum amicitiam & verbis & factis testatam facias. Hoc mihi constat, si Baugiacus hominum non factiosorum, sed patriæ amantium consiliis uti volet, non defuturos, qui ipsi in omnibus, tamque ad ipsius dignitatem, quàm quæ ad nomen Gallicum pertinent, abundè sint satisfacturi. Mylium nostrum honores brevi recuperaturum spes est, annisu Principis maximè. Legati nostri neque ordinarii neque extraordinarii quicquam agunt, opperientes ut videtur, eventum Britannicorum consiliorum. Ipsi domum scripserunt, postulantes abeundi hinc veniam, quasi nulla spe renovandi fœderis. Sed jussi subsistere, sive ut hic aliquid boni, sive ne quid mali isthic agant. Liberorum tuorum natu maximis rediisse eum animum, qui bene conceptam sementem literarum ad pulchram messem perferre possit, non minùs, quàm æquum est, gaudeo. De minoribus supervacuum est à me consilium expectare, cùm suum jam vir exactissimi judicii Tilenus dederit, cujus & me gnarum fecit. Id tibi præcipuè curandum censeo, ut parem Priolao successorem invenias, & puto invenies, si quæras, & justa commoda ostentes. Tali adjutore ipse præcipuus inspector, satis scholæ habebis domi. Ego filium meum natu maximum, hunc annum patiar exigere Lugduni sub Vossii oculis. Nam Erpenium pridem, Iacchæum nuper amisimus: cæteri sibi vivunt, mihi sunt mortui. Proximo vere eum ad me revocabo, ut ego ipsi adjumento, ipse mihi solatio sit. Ego cum meis omnibus omnia tibi opto quàm feli-

Digitized by Google

felicissima, inter quæ hoc vel præcipuum est, ut ex filiorum studiis accipias eam quam optas & mereris voluptatem. Tuæ matronæ uxor mea se commendat. 13 Augusti, 1628.

CLAUDIO SARRAVIO.

234 NEque tu is es, Vir Amplissime, qui sæpe eadem de re monendus sis, quippe ut aliis animi partibus, ita memoria valens: neque ego is, qui te gravibus negotiis occupatum, & si quid iis superest, literis debentem, supervacua interpellatione obtundam. Attamen quando Treselius sui anxius ita postulat, morem ipsi geram magis quàm mori meo, & ad preces pro ipso interpositas hoc adjungam, te quicquid ei præstiteris, viro bono & bonorum semper amanti præstiturum. Scis autem, neque meam verecundiam neque tuam religionem pati, ut ultra quicquam desiderem, quàm ut ei jus suum obtinere liceat, quod cùm olim debitum diceretur, nunc prope est ut pro beneficio habeatur. Accedit nos interdum juvenis non ineruditus, qui est ἐν ταῖς μικραῖς τελεταῖς [*in parvis initiationibus*] ministerii Ecclesiastici. Huic ego tum ob suas dotes benevolo, tum eo maximè, quod se tibi amicum prædicat. Ego, si quid gratum tibi facere possim, beatus mihi videbor. Vale quàm optimè, Vir Amplissime. 16 Augusti, 1628.

BERNEGGERO.

235 COnstitueram ad te scriptionem differre, Vir Doctissime & humanissime, donec aliquid certi ex Gabriele Maronita comperissem, nam is ex quo literas ad ipsum accepi abest urbe, & quidem longè ruri, nec ulla satis certa est curandi literas ratio. Dicitur autem adfuturus hic cis octo aut decem dies, ubi venerit non omittam & tradere literas & coram quantum meæ amicorumque opis est, urgere negotium. Salmasium adhuc distinet ingentium commentariorum editio, quos in Solinum inscripsit, cùm reipsa totum prope Plinium contineant. Hinc ubi se extricaverit, seriò resumet in manus Eliberinos canones. Iussit summas tibi gratias nuntiarem pro oblato auxilio. Sane digni estis qui alter alterum ametis: & mihi satis magna erit gloria, si vos propius conjunxerim. Omnes quos mihi commendas, ita ut tua virtus meretur caros habeo: Taubmannum verò etiam suo ac optimi parentis nomine; imo ultro etiam tibi debitor sum quod eum ad me allegaveris. Ejus nunc iter facit ut has festinatò ad te scribam. De Inscriptionibus intelligam quid animi sit illi in Italia, qui eidem labori incubuit, etiam apud Batavos pergam inquirere te monitore. Planè te rogo ut perpetuum mihi serves quem bonitate tua, non meo merito mihi & promittis & præstas affectum, simulque apud Lingelshemium & Venatorem mei foveas memoriam. Ego vicissim operam dabo ne qua in parte amicitiæ claudicem. Vale vir raræ virtutis atque eruditionis. 4 Novembris, 1628.

CASPARI BARLÆO.

236 EXpertus, Barlæe doctissime, Platoni assentio, qui, post magistrum suum Homerum, Deum eo censuit esse ingenio, ut miscere gaudeat. Magnis jamdiu adversis agitatus magna etiam sensi solatia, ex studiis, ex uxoris fide, ex amicorum constantia. Inter hæc, ex animo loquor, inter efficacissima pono Poëmatum tuorum lectionem. Primum enim, quod me tam longus carcer docuit, vim habent mirificam adversus calamitates erigendi animi sacra dogmata, quorum tu præcipua versibus ita expressisti atque ornasti, ut nulla eloquentia ea altiùs in animum possit infigere. Proximus huic affectui est patriæ amor quem penitus imbibisse tanti mihi constat, & tamen ne nunc quidem eum excutere possum. Hunc tu mihi, acerbum alioqui ob eorum qua perpessi sumus memoriam, amœnitate carminum suavem planè fecisti, seu fœdera canis, seu triumphos, seu spem novæ præfecturæ. Accedunt jam tot artes & studia, in hoc tantum mihi culta, ne cum cæteris iniquus eorum æstimator essem, quæ omnia cum Poësi maritasse non alterius quàm tui fuit ingenii. Iam verò Vossii laudes, pro eo quo eum diligo amore, quanto cum gaudio legisse me sentis? Nam quæ ad me ornandum addidisti, his non accenseo, cùm ruboris tantum materia sit supra meritum prædicari. Est tamen & hic quod juvet, nullo imperio, nulla vi apud Lugdunenses meos extingui potuisse mei memoriam. Pro his beneficiis quid reddam? quod nemo non potest, vota faventia: unum insuper, quod mihi in hac eruditorum turba viventi facile est, ut omnibus innotescat pietas, fides, eruditio, ingenium Barlæi. Rumpantur si volent οἱ οὐ παρὰ σοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἀεὶ ἐλεγχόμενοι [*qui non à te tantum sed etiam a seipsis semper redarguuntur*]. Vale Vir doctissime. 10 Novemb. 1628. Lutetiæ.

Hymnum Regi dictum, ubi voles expsectabimus.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

EGo & studia tua silentis veneror, & sermonibus pascor Vossi optime atque eruditissime. Itaque utrumcunque facias id ego semper consulam optimi, qui sciam tibi omnium quæ agis, quæ nec agis, rationem constare. 237
Gaudeo planè proculsas nova incude Partitiones tuas, verè Græcæ Latinæque tum sapientiæ, tum eruditionis compendium. Vtinam aliquando & Etymologicùm videamus. Nam Salmasius aliis detinetur nunc quidem in Solinum commentariis tantis ut Plinium æquent: paulo post notis in Canonas Eliberinos, Ecclesiasticæ vetustatis promtuarium. Sed & tu jam forte in Baronio sudas. Sicut in Britannia habes qui te tuis ponderibus æstiment; ita hic quoque sunt & magni & multi qui te norunt ac prædicant. Possunt quidem hoc tibi tua opera præstare: sed aliquid hic mihi vindico quod operum tuorum ego index sum. Itaque, cessantibus librariis, Senatores, Episcopi, Doctores tua quærunt, legunt, mirantur. Quo consensu æquè & sine animi morbo judicantium fretus, merito contemnis mentes non obscurè infectas loliginis succo, & se tantùm ac sua, interdum & sine rivali amantes. Ad historiarum historiam videbimus an quid hinc possit accedere ex Regali Bibliotheca quæ κτήσει [*possessione*] est Rigaltii, χρήσει [*usu*] Salmasii. Et tamen nec Rigaltius dormit. Vidisti, ut puto, Tertullianea quædam ab ipso edita ex antiquissimo Agoberti Episcopi Lugdunensis codice multis partibus emendatiora. Ego Annales meos Belgicos relego, & cum Scriptoribus plurimis Hispanis, Italis, Gallis, Belgis confero. Adscribo interdum aliquid ad Notas εἰς τὰ τέσσαρα [*in quatuor*] magni quidem præter hæc nihil nunc quidem molior. Dum saluto, dum salutor magna pars temporis effluit. Ita Lutetiæ vivitur. Resalutant te omnes, præsertim mea ac mei & tecum tuam ac tuos. Vale Vir optime non minùs quàm eruditissime. 10 Novembris, 1628.

Tuus semper H. G.

SCHREVELIO.

QVanti me facias, Schreveli doctissime, & olim expertus sum cùm Orationem meam Amstelodami habitam, id est Cassandræ vaticinium tam verum quàm non creditum Latino cultu induisti, & nunc quoque video, cùm carissimum pignus meæ potissimum tutelæ commendas. Vtinam sanè ædium familiæque meæ ea esset ratio, ut morem tibi gerere liceret: libenter sanè pro virili præmium tibi persolverem ejus laboris, quem patriæ & tot honestis domibus impendis. Nunc quod potui cum Mairio sociavi consilia, qui te de omni eo quod hic sperari 238

potest, plenissimè edocebit. Quod si huc mittere eum perstas, præstabo quod libenter aliis, ipsi libentissimè, ne quid, quod meæ sit potestatis, desideret. Iuvabo assiduè monstrando, consulendo, hortando etiam, & ut de alieno quoque liberalis sim, efficiam ut eos norit, qui literarum laudibus aut alia per decora excellunt. Rupellæ deditio in præsens res Protestantium in his eis Ligerim partibus valde in tranquillo locat. In futurum licet bene sperare. Cæterum urbium omnium nulla est hac nostra tutior, ob insignem regentium & authoritatem & diligentiam. Tum verò omne genus forense satis frugi est, & ab aulæ moribus longissimè distat. Id verò plane tibi persuadeas velim, nihil mihi fore grave quod mihi abs te erit impositum. Lutetiæ, 10 Novembris, 1628.

Tibi addictissimus H. G.

BERNEGGERO.

239 Noli dubitare, Berneggere, doctissime, quin mihi carissimi semper futuri sint, qui tua manu commendabuntur. Ita meretur & virtus tua & eruditio, & is affectus quo omnes literarum non peritos tantùm, sed & amantes ad te pertinere arbitraris. quin & gratias tibi ago, quod per te iis innotesco, ad quos ægre alioqui fama nominis nostri perveniret. Nam Opitii amicitiam quam & suo merito & ob missas inscriptiones facio maximi, tibi acceptam fero. Inscriptiones ad Salmasium qui ruri vivit, misi, qui fortè utetur, ut omnibus rebus uti novit, in aliquo suorum operum. Solinus adhuc cum ingentibus commentariis, totam rerum naturam comprehendentibus illum occupat, idque in mora est, quo minus edat cætera, quæ paulo minus quàm parata habet. Rediit tandem ad nos post longam emansionem Gabriel Sionita, qui ad Schickardi viri optimè de sæculo merentis literas respondet, mittitque tum Turcicum fedus, tum Geographum Arabem. Rogo Schikardum moneas ut egregio illi libello de Rege Hebræo addat similem de Synedrio, cujus spem facit, plurimum ei omnes debebimus eo nomine, & siquid præterea illius Iuris prudentiæ accedet, in qua multa adhuc latent vulgo incognita & usus haud spernendi. Si quando otium tibi fuerit ad Salmasium scribendi, facies rem te ipsoque dignam, & mihi gloriæ erit junxisse hoc fedus. Lingelshemium virum & amicum optimum valere spero, tibique & ipsi & amicis vestris felicem precor annum hunc 1629. cujus die 13. hæc scribebam.

EIDEM.

240 Dum amicos circumspecto, vir Clarissime, quibus obsignatas pridem ad te literas & fasciculum ad virum optimè de sæculo merentem, quemque, ut debeo, facio maximi, Wilhelmum Schickardum, credam, effluunt non dies tantùm, sed menses. Interim cùm occasio data esset, de Inscriptionibus quas V. C. Opitius ad nos miserat cum eruditis conferendi, sumsi id audaciæ ut rogarem te, si qua se dat ad ipsum literas dandi occasio, has ut meas patiaris accedere. Salmasius adhuc in Solinianis hæret, quibus absolutis ad Canonas Eliberinos laborem vertet. Tibi pro oblata opera gratias agit maximas, & si quid est in quo vicissim esse possit usui, rogat ne sibi parcas, ita enim te ipsi ex vero descripsi, ut propiore amicitia complecti te desideret. Syllabi, cui obstetricatus es, Collector, optaret aliquammulta huc exemplaria ad librarios transmitti. nam hactenus nulla comparent præter ea quæ nos comitate tua & D. Lingelshemii accepimus, cum quo pariter tibi omnia precor fausta, ut quos amicitia conjunxit etiam communis fortuna pro meritis respiciat. Kal. Febr. 1629.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Laudo & sapientiam tuam & bonitatem, Vir Amplissime, quod explorato diu an retrahere ad literas filium 241
posses, ubi id ab ingenio ipsius impetrari non potuit, haud perstiteris reluctari. Scire debemus, qui liberos regimus, quæ sit vis istius nominis. Inter honesta aliqua illis optio relinquenda est. Neque perire priora studia arma tractantibus, Witsius in patria nostra argumento est, vir judicio non minùs, quàm virtute spectandus, quem ego filio tuo jam nunc in exemplum propono. Dedi proficiscenti literas ad fratrem & affinem, qui eum & Bellimontii & aliorum notitiæ tradent; facient denique, si bene eos novi, quod me, si ibi locorum essem, facturum scis. Deus illi iter hoc & vitæ genus secundet. Videtur ab ingentis operis spectaculo militiam inchoaturus: magnum enim aliquid molitur Princeps, tantùm ne pax Italiæ, & quæ Hispano ab America venisse dicitur vis pecuniæ, consilia ipsius intercidat. Negotium Arausionense vereor, ne eum reddat à Gallia aversiorem. Falcoburgius palam satis imperium detrectat: haud ausurus ni Regis viribus fideret, quicum aliquid pepigisse creditur, quousque incertum. Interim literis ad amicos magnificè jactat curam sibi fidei atque existimationis, & convicturum se mendacii obtrectatores. Ego apud omnes, apud quos aditum habeo, non cesso occinere:

Hoc Anglus velit: & magno mercentur Iberi.

An surdis canam, tempus docebit. Vxor & nostri omnes, quàm possunt maximè, se tibi, tuæ, tuis commendant: offerunt, quicquid suæ est opis, faustaque omnia ex animo precantur. Lutetiæ, 25 April. 1629.

EIDEM.

Dimisimus filium tuum cum bonis votis & quicquid 242
ultra à nobis proficisci poterat: neque dubitamus amicorum ipsi satis fore, quos illi paterna virtus & sua indoles tradent. Cùm multa suppeterent Græcæ Romanæque historiæ exempla, eorum, quibus literæ ad armorum gloriam profuerunt, malui recenti & ob oculos posito uti, plane ut Horatio pater unum è judicibus selectis objiciebat. Solet quippe ætas illa magis præsentibus duci. Is verò, quem imitandum proposui, est Præfectus vigiliis castrorum nostratium, Wits nomine, Mylio propinquo sanguine conjunctus; si fortè aliqua tibi ejus visi memoria. Est is vir in maxima apud Principem gratia, non fato aulæ, sed merito suo. Nam præter summam peritiam rei militaris, diligentiam incredibilem, omnis generis historias magno suo ac publico usu legit, estque & Latinè & Græcè eruditus; vitæ verò talis, quæ vel senatoribus prælucere possit. Rogavi meos & illius amicos, ut tuum filium in ejus amicitiam introducerent, cujus non colloquia tantùm, sed & aspectus magnum esse possunt & ad virtutem & ad discenda bona omnia incitamentum. Liberis, qui in nostro cursu perseverant, an adjutorem jam repereris nescio. Ego interim non cesso quærere. Obtulit se mihi his diebus unus eorum, quos Germaniæ motus suis rebus evolverunt, annorum supra viginti, qui in cæteris laudabiles, in Iurisprudentia verò pro ætate plus quàm mediocres profectus fecit, & velit id studium persequi, si detur honestus alicubi subsistendi locus. An tuorum progressus tales sint, ut auxilio ipsis esse possit, ipse rectius videris. De Arausione nihil habemus novi. Princeps sedulo videtur curare, ne intelligendo injuriam augeat. Is nunc Silvamducis obsidet. Vtinam, quod ad Grollam fecit, & hic faciat, & ostendat vinci posse etiam, quæ Mauritio restiterunt. Vale, Vir Illustris, cum uxore & familia, à me, mea, & meis. 9 Maji, 1629.

E I-

Digitized by Google

EIDEM.

243 EGo quidem desiderio tuo, ut semper, ita nunc quoque inservire quàm maximè vellem, Vir amplissime, sed res Gallicas puto propiùs citiùsque ad vos, quàm ad nos penetrare; in quibus nihil est, quod libentiùs audiam, quàm quod nunc rumigericuli circumferunt, spem esse pacis magnam in Languedocia & vicinis regionibus, annon, Rege pro Italiæ quiete iterum laborante, & per suum quoque morbum admonito, non satis tutò hanc anni tempestatem illic transigi? Certè Imperator exercitus mittere dicitur, alterum trans Alpes, alterum qui per Belgicam res Hispani labantes sustentet. Video tamen ex nostrorum literis, eo in statu esse castra Principis Arausionensis quina, & interjectum aggerem, solidatis quæ intercedebant palustribus, ea præterea aggeri circumjecta munimenta, productam fossam, in quam derivantur amnes ejus duo, ut vis externa metuenda non sit: & ne aliò incumbat hostis, providetur, dimisso, qui firmato obsidio usum ampliùs non habet, equitatu, conscriptis recens è Scotia millibus duobus & sex nostratium, haud dubito, quin ex eo, quod præsidiis & sub Principe contractis copiis superest, justus opponi possit exercitus Henrico Bergensi, qui tardè se molitur, pecunia ægrè procedente. Neque multum noxæ nostris inferunt Sylvæ-ducenses. Cujus rei causam huc plerique referunt, quod nitrati pulveris haud exiguam copiam paucis, antequam clauderentur, diebus Bredam miserant, de hac magis, quàm de se solliciti: & quod apud ipsos restat, id vitiosum esse arguunt incerti jactus evanidus fragor, fumus ipse ater magis, quàm cœruleus. Nostrorum labor jam in eo sudat, ut machinarum sedes attolantur: ac videtur vis prima imminere duorum ad Fuchtam castellorum ei, quod minus est, & cui majus alterum est obnoxium. Præter hæc duo alia totidem castella urbi præjacent, additis operibus, quæ accessus & tardiores facient & non sine sanguine. Admirabilis est diu noctuque Principis in partes omnes diligentia & periculorum contemtor animus. Cui adest fidus Achates, Witsius inquam, nunc Semelsiagii morte supra Vigiliarum præfecturam Castrensis Iurisdictionis principatum adeptus. Poloniæ & Sueciæ inducias speratas à multis, hactenus successus destituit; nec minùs de pace colloquia inter Danum ac Suedum. Interim dum Galliæ Britanniæque nostri obliviscuntur, Magnus Moscoviæ Dux magnam nitri copiam nostris ea re egentibus submisit. Castellinovius iter in Angliam parat sine Elbovio: inde fortè in Batavos iturus. Hic legatum extra ordinem exspectamus Edmundium, Baronis auctum titulo. Vale, vir Amplissime, cum uxore ac liberis, 9 Iunii, 1629.

EIDEM.

244 REs Italicæ, quantùm adhuc videre licet, Vir Amplissime, ad bellum, quàm ad pacem magis spectant: quo magis interna pax optanda est, ne inutiles pereant, quorum aut vita, aut mors in magno esse usu Gallico nomini potest. Is, qui res agit Ducis Mantuani, planè & Mantuæ & Casali timet. Mantuæ detecta in urbis traditionem Dutisque necem consilia, magna consciorum strage expiantur. Comes Herembergensis die hujus mensis duodecimo profectus est ad exercitum, planè quasi Silvam-ducis liberaturus. Cùm tamen alia potiùs omnia tentaturum putem. Quicquid erit; Princeps, certus inhærere obsidio, adversus alios hostium conatus, octodecim peditum, tria equitum millia parata habet. In Graviam aut Grollam poterit incumbere hæc minarum tempestas. Nam Bergis ad Zomam quò minùs metuam, faciunt aquarum septa ita posita, ut circumjectam oppido planitiem, ubi opus facto erit, sint inundatura. De Witsio gaudeo te in literis pariter mecum judicare; Principem in ipsius honore augendo non tam ipsi, quàm sibi & publicæ rei consuluisse. Spero hujus tui animi fructum ad filium quoque tuum perventurum, cui ut ex voto cedat, quod eligit vitæ genus, DEUM veneror; simulque ut te, Vir Amplissime, cum nobilissima conjuge, & in spem magnam crescentibus liberis, sospitet ac prosperet: cujus voti uxorem meosque omnes consortes habeo. Rumorem, qui hic sparsus fuerat de Castellionæi in castris ad Silvam Ducis morte, etiam Bruxellenses literæ refellunt. Hispanis ex America advenere septem naves & auri milliones, una est regis: ex aliis unam rex à mercatoribus sumsit; quo fides labans non parum refecta est. 20 Iunii, 1629.

EIDEM.

245 EOrum, quæ tempus hoc scribenda suppeditat, nihil lætius est, quàm quod Cardinalis Ricceliacus in suis ad Reginam parentem literis spem facit pacis civilis,

Εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπε,
ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον,
Νῦν δ' ἴδεν, ὃς μέγ' ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔχεται εἶναι

[Si Grajûm hæc alius narraret somnia quisquam,
Temnere possemus tanquam fallacia visa;
At nunc is vidit qui primus in agmine toto est].

Quare freti tanto auctore præcipiamus jam nunc fructum hujus gaudii, ut videamus Galliæ vires à suis visceribus in Italiam verti, cui imminet Imperatoris exercitus, ita tamen ut extra Rhætiam nihil dum occupaverit. Comes Herembergensis dicitur castris ad Silvamducis positis minari, sed ita, ut eum ne togati quidem, in castris qui sunt, metuant. Inde dejectus puto conabitur Isalam transire, quem perpetuæ munitiones tuentur, & si opus est exercitus octodecim millium peditatus, equitatus trium millium, agmen intra suos fines validum. Penes Herembergensem esse dicuntur viginti quinque millia. Quantæ sint, quæ è Germania veniunt sub Anhaldio copiæ, ob rumoris incerta, haud dixerim. sed eo credibilius est, magnas esse, quia Rex Daniæ jam cum Imperatore transegit, ut sua recipiat omnia; quæ Imperatoris consiliis obstant fœdera, relicturus. Morganius tamen lacessere audet arma victricia; nullo auctore, nisi quod nostros credo animos & pecuniam suggerere: ut pars saltem virium Cæsaris attineatur Germanicos intra fines. De Arausione spero, quia tum gliscens fama Principis ipsum à noxa immunem merito præstare debet, tum & oppidi præfectus recentes huc literas misit, quibus magnificè prædicat sparsam in se calumniam, propinquo cum maximè Rege, rebus ipsis refelli. Nostri mecum omnes tibi tuisque optant successus supra vota. Lutetiæ, Kal. Iunii, 1629.

EIDEM.

246 BInarum, quas à te accepi, literarum, Vir Amplissime, alteræ me in morbo cubantem consolatæ sunt, alteræ jam incipientem revalescere recrearunt. Et ut cum meis bonis rebus tuas quoque tibi nuntiem, filium tuum sospitem tibi non advenisse modo, sed & in castris agere, testes habeo epistolam non unam, & vivum testem fratrem, qui inde, castris primùm visis, huc venit. Cæterum de Gallicis negotiis parcam tibi scribere, cùm uno eodemque in statu res sint, nisi quod Rex in propinqua urbe cis biduum exspectatur. E nostris partibus id habemus, depulsum jam bis Herembergensem ab oppugnatione castrorum, eumque parte jam militis è Germania accepta (nondum enim omni, qui ad quindecim millia promittitur) retro Graviam versus digredi, incertum an istius oppidi obsidium agitaturus, cum & pecunia, & commeatus ægrè suppetant. Castella ad Fuchtam duo Silvæduci præjacentia, quorum, quod majus, Galli, quod minus urbique propinquis, Angli impetunt, jam, cùm hæc scribo, in Principis Arausionensis

Digitized by Google

onensis venisse potestatem pro certo pono, quia die hujus mensis sexto & decimo jam transita fossa & sub vallum castellorum penetratum erat, nec aliud quàm cuniculorum vis exspectabatur. Interim & ipsa oppidi fossa transitur actis vineis, ea ex regione, qua Comes Ernestus administrat. Ex ipsa urbe transfugæ referunt, quod pridem creditum pulveris nitrati & medicaminum penuriam ingruere: hanc quidem hoc nocentiorem, quod aversus ab urbe Dommela amnis siccitatem, vapores, & inde morbos auxerit. Magnis omnium laudibus celebratur Principis indefessus & cunctis periculis indeterritus labor, nihil extra suam curam patientis. Antea solebat ipse tormentorum sedes, ipse obliquos in urbem accessus invisere: ex quo Herembergensis accessit propius, ipse quot noctibus (eæ ad octodecim fuere) cum lectis copiis excubias egit, extra castra insomnis ad quartam post medinoctium horam. Monitus à proceribus, ne tam necessarium Reipublicæ caput tanto discrimini subjiceret; respondit, quod verum est, cuncta, quæ non ipse inviseret negligi, aut non qua oporteret sollicitudine & celeritate curari. Ad Mylium tuæ, ut rectè curentur, operam dabo. Camdeni extra Elisabetham nihil est historicum, nisi quod in accuratissimam, quam dedit Britanniæ descriptionem, obiter incurrit. Sed Baconi habemus librum sanè magno judicio scriptum de rebus Henrici VII. Ab Arausione nihil novi. Vale, Vir Excellentissime, & te tuosque meæ ac meis non minùs, quàm mihi cordi esse crede, à quibus omnibus salutamini. 26 Iulii, 1629.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

247 QVoties tuas video literas, vir optime atque amicissime, toties, non dicam à malis meis acquiesco, quæ si qua sunt ferre pridem didici, sed novos accipio spiritus & in illas quas semper amavi literas quasi reducem reponi me sentio. Gratias summas habeo pro cura quam filio meo impendisti & impendere non cessas. De ingenio est quod Deo habeamus gratias: diligentia excitanda erit & dedolandi mores, quas ad res ego & uxor minimè deses & haud nimium indulgens femina jungemus operas. Vertit nunc Horatiana in aliud genus carminis: Phœnissas edidicit Græcas: officia Tullii perlegit & summam sensus mihi reddit. Tuum Iohannem in Britannia vivere gaudeo, nusquam tam felix est ad studia otium: nusquam tantus honos piæ antiquitati. Felicem Cantuariam sentio quæ te vel titulo possideat. Non poterit tibi homini tam fœcundo deesse quo gratum in Britannos animum testeris. In Codæo sane non levem jacturam passæ sunt literæ non tam morte quàm ex quo utilis esse desiit. Hic famam remque eruditionis prope unus sustentat Salmasius, qui tui, quod gnarus affirmo, est amantissimus, quantique te faciat in omni sermone ostendit. Vidistisne ingens illius opus in Solinum voce, re in Plinium, admirabilis πολυαναγνωσίας [*multa lectionis*] memoriæ tenacissimæ, judicii limatissimi? sunt in eo præter res infinitas Plinianæ materiæ ἐκβάσεις [*digressiones*] utilissimæ, ut de Circo, de triclinio, de agri mensura: tum verò vocum Latinarum ex Æolico sermone derivationes eruditissimæ, quales & in Historia Augusta & in Pallio nonnullæ, usui futuræ si quando promissum diu Etymologicum Latinarum vocum exhibebis. De typothetis quàm justè queraris vel ex nova librorum de Veritate Christianæ religionis editione agnosco. Vtinam de Phœnissis res meliùs procedat. Reddunt tibi salutem is quem dixi summus Salmasius, Tilenus & Rigaltius. Brevior in scribendo sum, quia multas historias quas literis complecti vix est frater coram narrabit. Ego interim, frater, uxor, liberi, te, tuam, tuos quanta maxima possumus salute impertimur. Lutetiæ, 18 August. 1629.

Slupeckios Barones quibus potui officiis colui & ob suas virtutes & quia tuæ commendationi maximum apud me pondus est. Duo majores jam Galliam lustrant: tertius hic hæret. Delector unicè ejus moribus ac studiis. Et si quid eorum causa potero efficiam, videant quanti mihi sint omnes, quos caros habes.

Tuarum virtutum perpetuus admirator H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

AD publica gaudia patriæ meæ, quæ, pessimè ibi habitus, nunquam tamen à me aliena duxi, accedit, quod 248
te, Vir Amplissime, & rectè valentem & nostri memorem reperio. Det Deus, ut brevis illa intercisio melioris valetudinis, subsidium sit restitutæ in posterum, quod solet evenire tuis similibus, qui etiam malis bene uti norunt. De his, quæ hic geruntur, scribendi meæ & legendi tuæ operæ, ut parcam facit Marbaldus affinis tuus, vir & aliarum & istarum rerum callentissimus, cujus ego amicitiam & colloquia facio plurimi. Ad nostra ut veniam, sanè & felicitatis argumentum magnum est Vesalia, & prudentiæ, fortitudinis & constantiæ singularis, capta Silva ducis: quæ singula, quanto magis cuncta, magnam auctoritatem ducibus conciliant. Neque dubitandum est, quin si ea uti velit Princeps, facilè compositurus sit, quicquid est fluctuum. An velit, quousque, quomodo, id verò is novit, qui corda & scrutatur & regit, præcipuè virorum Principum. Nos quidem tam dura passi, quicquid restat adversi, bono animo devorabimus, neque vel hilum cedemus illis, qui nobis nihil tale merentibus tam protervè insultarunt .... qui viro multùm sibi dissimili successerat, opima spolia ferens, ejus, cui necem consciverat, abiit rationem actarum hic rerum apud communem judicem redditurus. Vtinam illi Bellimontius surrogetur. Silvæ ducis manere Virginibus monasticis permissum. Exeunt monachi & sacerdotes, & sua sacra secum ferunt. Libertas conscientiæ intra urbem, exercendæ religionis extra mœnia, ut in aliis Brabantiæ locis. Vt per hanc urbem Brabantia jus suffragii in Fœderatorum conventu adipisceretur, tentatum quidem, sed adhuc impetratum non est. Et sane alia est ratio urbium Marte captarum, alia earum, quæ sponte se addunt fœderi, quibus nostri & jus suffragii & liberum religionis publicæ arbitrium ni darent, partim iniqui, partim imprudentes merito censerentur. Sed curas has relinquamus iis, quibus res ista commissa est. De .... tecum judico, dormire negotium, sed ita tamen, ut inde etiamnum minæ intendantur .... ni omnia velit, quæ volunt οἱ ἐνταῦθα κρατοῦντες [*qui hic imperant*,] consilio apud generosos animos periculoso. Vale, Vir Amplissime, cum nobilissima matrona, & pulcherrima liberorum cohorte; quod mecum precantur mea meique. Pridie Calendas Octobris, 1629.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

ITa factus sum, Vir Amplissime, ut sine mei commo- 249
di respectu bonis patriæ gaudeam, quippe qui & libris & experiendo didicerim eo nomine caritates omnes contineri. Nam me quidem, quid futurum sit, æquè tecum nescio. Neque ignoro Principis Arausionensis bonitatem & vim ei tot prosperis auctam. Sed idem scio, multa Principes largiri temporibus, multa facere, quæ facta nollent, non facere, quæ tamen facta probarent. Ego, quæcunque ab eo fient, quæcunque non fient, paratus in partem optimam interpretari durabo me ad ferenda mala, si quæ post decem graves annos restant. Sunt hic inter primores, qui mihi aditum & aures benignè præbent. Honorarium quod attinet, si minùs ex voto procedit, habeo, quod me soler in communi multorum malo. Doleo, me Regi Regnoque Francorum, in quo tutam sedem reperi, inutilem vivere, sed non ideo quicquam mutandum mihi est de veteribus institutis. Rerum gnari affirmant Castrinovium cum Anglicana Legatione Hollandicam continuaturum; ad promovenda, an ad disturbanda de induciis colloquia, res docebit. Non dubium est, quin ista apud nostros deliberatio multò plus habitura sit difficultatis, quàm pax Italiæ, cui via jam strata est inhibitis in mensem belli actio-

Digitized by Google

actionibus. Affinis meus Reigersbergius, nunc, ut puto, in Zelandia est, forti, ut arbitror, animo, abrupturus omnes cogitationes, quæ ipsum hactenus à matrimonio absterrent. Mea meique omnes tibi, matronæ tuæ & florentissimo liberûm gregi omnia, quæ votis expeti solent, precantur. 3 Novembris, 1629.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

250 BEllimontii adventus, Vir optime, cùm mihi per se & ob amicitiam qui mihi cum viro summo parente ipsius intercedit, læta fuit, tum novum insuper attulit gaudium literas tuas. Nam ego cùm in meis rebus adversis nullum majus habeo solatium recordatione veterum amicitiarum, tum in tua illa sincerissima totus acquiesco & ejus cogitatione respiro, viresque recipio. Sicut autem gratias tibi debeo plurimas pro cura quam liberis meis tanta fide impendis, ita tuorum quoque incommoda mea duco. Quamobrem graviter me afflixisset quod scribis de afflicta in filio ea parte quæ studiis adeo necessaria est, nisi statim addidisses initia spei melioris, quam ut ratam tibi faciat, lucis omnis æternum fontem piè veneror. Artisewskium intellexi ad Atlanticam Platonis ivisse seu quo alio nomine Novus ille Orbis nuncupandus est, quam multi pacis moram, ego pacis causam apud nos futuram existimo. At tu etiam miraris esse qui de me in Sarmatiam vocando cogitent, quasi nos ipsos Batavos expertus sim omnibus Sarmatis Sarmatiores. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν [*sed illa quidem præstrui sinemus*] neque nimium ἀχνύμενοι [*dolentes*]. Slupeckiorum tertius ea maximè commendatione qua fratres ipsius ornaveras impetravit à me quod nemo hactenus, ut Tacitum cum ipso relegam & ei monstrem quæ ad civilem sapientiam pertinent, memor eum ferme in modum transacta à M. Tullio tempora quæ patriæ usum ipsius invidebant. De Grolla quod scripsi debui Principis virtutibus & meæ semper in illam domum venerationi. De Silva ducis consilium tuum haud absurdum est, nisi intelligerem susceptam hanc operam à præclarissimis ingeniis & quibus proprio inspectu licuit noscere quorum ego ignoratione labi possem. Egregia sane ut mones historiæ materia, tanta castrorum opera, mutati fluminum cursus, irriti hostium insultus, pertinax urbis oppugnatio, transitus hostium in Velaviam non alio exitu quàm ut ad munienda certiùs imperii viscera diligentiam nostrorum excitare & à fortuna ingestum nobis præmium haud minus eo quod tantis viribus atque consiliis petebatur: facta hæc, dum Rempublicam amici reges deserunt, Danus etiam nostra pericula in suam pacem vertit: postremo erepta hosti omnia quæ aut spem dare illi poterant, aut solatium & pax ab haud dubiè victoribus petita. Frater meus Wilhelmus morbo impeditus fuit quo minùs te videret, quem jam restitutum valetudini spero non aliunde quàm ex ipso intellexeris. Haud æquè felix magnus ille Salmasius qui cùm patris viri Amplissimi visendi causa in Burgundiam ivisset ibi à quartana & quidem ut ajunt duplice deprehensus est. Scripsi tamen ad eum de Floro, non ut curas ejus onerarem sed ut sciret te quem maximi facit sui memorem vivere. Vale, Vir eruditissime, uxor tuam salutat, liberi liberos, imo cuncti cunctos. Lutetiæ, 12 Novemb. 1629.

Tuus totus H. G.

BERNEGGERO.

251 CVm proficisceretur Argentoratum, Vir meritis literarum Clarissime, Iuvenis hic Livo, majus ei beneficium præstare non potui, quàm si ei ad tuam obviam omnibus humanitatem indicis ministerium præstarem. Simul & te & dignissimum tua amicitia Lingelshemium scire volui valere me & vestri memorem vivere, recentem etiam à suavissima vestri mentione per colloquium cum Venatore. Schickardi, cujus ego eruditionem maximè veneror, desideriis quod nondum satisfeci, haud mea culpa est. Laboro etiam nunc per amicos in Hollandia, ut situs Patriæ nostræ exactam descriptionem ex observatione rerum cælestium nanciscar. quod tardiùs procedit, quia pauci sunt quibus adsit & notitia & perfectè elaborata instrumenta. Ego autem satius puto serò solvere, quàm in malo ære, præsertim ei qui cùm publico plurima dederit, nihil dedit quod non esset consummatissimum. Salmasiano operi quæ aberant misi per eum qui me interpellaverat, eaque rectè ad vos peruenisse spero. At ipse Salmasius in Burgundia est, gravi satis febre impeditus, quo minus suo more literas illustret, cujus meliorem valetudinem tantum quisque optat quantum ipsi eruditio cordi est. Vale, Vir præstantissime, cum omnibus tui similibus, quos esse non multos arbitror, si satis sæculum novi. Lutetiæ, 24 Novemb. 1629.

EIDEM.

TAndem, vir Doctissime, nactus aliquid quo desideriis optimi Schickardi satisfacerem, cùm aliam viam non nossem certiorem, te ut amicum communem convenire ausus sum, rogaturus, ut quæ prima se dabit occasio eam arripias, ut hæc certò curata ad manus ipsius deveniant. Salmasius noster etiamnum in Burgundia ægrotat, quanto literarum malo, optimè Tu intelligis. Nos illi meliorem, tibi ac V. A. Lingelshemio prosperam & firmam valetudinem, & quæcunque piis votis expeti solent optabimus. 6 Decemb. 1629. 252

Summæ Eruditionis raræque Virtutis viro

CASPARI BARLÆO.

LOngæ moræ interuenerunt, Barlæo Clarissime, inter id tempus quo de Natali Dominico carmen ad me destinasti & id quo illud ipsum tuo indicio diu à me quæsitum tandem ad manus meas pervenit: sed tamen id commodè accidit quod receptum à me est iterum jam imminente eo tempore cujus honori consecratum est, ita ut nunc demum à te scriptum & in ipso articulo missum videri possit. Legi ego; feci ut traderetur maximo Cardinali cujus jam tanta etiam Romæ est auctoritas, ut etiam fratrem fecerit Cardinalem. Legisse & eum relatum mihi est & suscepisse tradendum Christianissimo regi, quod nomen cum in Regibus Galliæ tralatitium sit, huic Regi διὰ τὴν τῶν ἠθῶν ἀφθαρσίαν [*ob morum integritatem*] suo jure debetur. An futurum sit ut is honos habeatur optimo carmini, quem & ego optem & ipsum meretur, haud facilè dixero. Illum certè fructum tulisti quod quicunque hic rerum talium gustum habent aliquem, Rigaltius, Puteani & ipse Bignonus, de hoc opere ita ut par est judicant, argumenti magnitudinem & ingenio & arte impletam. Ego verò, qui, ut scis illa studia præ cæteris colui interdum, amavi semper, quo putas gaudio, quo affectu legi Claudiani spiritus & vibrantes sententias, non illas per tormenta quæsitas, sed sub manum sponte nascentes, translata ad usus meliores? Pro hoc dono quid tibi precer, nisi ut remunerator sit ille quem canis & illum sanctissimum Christianis diem sæpe videas, sæpe celebres; eo rerum tuarum statu qui nouam tibi perpetuò grates Deo canendi materiam suppeditet. Vale vir doctissime. 6 Decembris, 1629. 253

Tui studiosissimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

SAtis dudum est, Vir Amplissime, quod literis tuis, quas ineunte hoc anno ad me dederas, responsum debeo: quod evenit non pigritia mea, sed quia nihil habebam, quod cognoscere gauderes: & minùs lætis te onerare parum conveniens amicitiæ nostræ videbatur. Nunc si non uberem, at aliquam tamen scribendi nactus materiam significo, Calendis Februariis, qui solemnis est Amstelodami Comitiis dies, in Senatum urbis repositum Gravium, virum egregium, quem..... inter cæteros bonos decreto suo reprobaverant: alterum itidem alte- 254

rius itidem alterius reprobati filium, & Laurentium Realem, eum, qui ad Regem Daniæ missus à Cæsareis interceptus fuerat. Hic etiam inter Scabinos electus est, Gravius Consul renuntiatus: cæteri quoque eorum collegæ, viri cordati, neque passuri auctoritatem non suam, sed sibi mandatam malo publico sperni: ac proinde nec revocaturi..... Ministrorum seditiosissimum, quem ab exacti anni Magistratibus jussum urbe excedere, Ecclesia imprudenter tuetur: participem se faciens ejus mali, quod vel excommunicatione à se removere debebat. Etiam Noviomagi Rectores constituti sunt viri æquitatis amantes, & veterum quidam. Sed hæc quid ad me, qui per duodecim annos pendeo, & minùs fortè providè hactenus surdum me præbui ad ea, quæ aliunde mihi nec inhonesta nec infructuosa offeruntur? Nam boni in patriam irrepunt quidem, sed pauci & timidi. Regnat interim cum suis..... cui ut supplicem, si cæteri suadent, tu tamen, si rectè te novi minimè es suasurus. Falcoburgius ab amoribus quidem suis se recipere incipit, sed manet pus alterum; neque Princeps illam urbem amplius pro sua ducit, neque illi scriptitat. Mortuus est duorum, quos eò Princeps legaverat, alter Montensis nomide. De induciis hoc ipso tempore, in repetito conventu Hollandiæ res fervet: & nos hic minùs favorabiles sumus, quod amici nostri eas velle dicantur, quas qui interturbant, id ipsum pro magno merito imputant. Omnium, quæ intelligo, nihil mihi gratius accidit, quàm te, matronamque tuam, & egregiam liberorum cohortem valere: quod ut diuturnum faxit, Deum opt. max. veneror, mecumque mea ac mei. 20 Februarii 1630.

CASPARI BARLÆO.

255 BEas me, Barlæe doctissime, quod & memorem te nostri esse ostendis, & egregiis muneribus nos locupletas, imo quicquid hic est Lutetiæ eruditorum. Nemo enim est ejus gregis mihi cognitus, novi autem plurimos, qui non & piam gravitatem in Natali Dominico & heroicæ tubæ Martios spiritus in Silvaducis & in elegia hilarem facundiam, & in nuptiis Peripateticis doctam venustatem laudet, atque hæc non universa tantùm, sed & singula ut *ἀμίμητα* [*inimitabilia*] admiretur. Satis jam dixi, ut scias postrema operum tuorum fratre curante diligentiùs, quàm solent mercatores, ad meas manus pervenisse. Rectè autem & ut tua comitate nostraque amicitia dignum est facis, cùm me eximis ordini *τῶν ἀνασπώντων ὀφρῦς* [*supercilium attollentium*]. Diceret, si viveret is quem meis, quod honori interpretor, verbis descripsisti vir facetissimus, quàm mihi semper fuerit minimè abhorrens à leporibus ingenium: quo nunc mihi gratius esse debet ea legere, quæ non frontem tantùm sed & animum exporrigant & me à sensu malorum, quæ patriam magis quàm me, quanquam & me, premunt, suaviter abducant. Illud dolet quod Saturni ædes ita hic obsepta sit adamantinis portis, ut ad eam Musis aditus non detur. Vtinam saltem in patria nostra non desint qui eruditioni tuæ justa reddant præmia, nec illa cum Athenis sæpius in sapientiam peccet. Nosti & hoc dictum *ἐκ τοῦ περιπάτου*. Vale Vir eruditissime. 28 Martii 1630.

Tui nominis cultor H.G.

PVTEANIS FRATRIBVS.

256 REmitto cum gratiis testem Hispanicæ paupertatis. Neque enim mos est istius aulæ, nervos dominationis remittere, ni vis magna urgeat. Si apud vos est & videri potest libellus, qui Rohanii *προφάσεις εἰς βασιλεομαχίαν* [*prætextus pugnæ contra Regem*] continet, gaudebo & hunc videre mali seculi partum: quippe quo nihil est facilius, quàm bello causam invenire. Valete.

CL. SALMASIO.

QVàm sollicitum me habuerit valetudo tua, maxime 257
Salmasi, testari amici omnes poterunt, apud quos non desii de ea inquirere, donec in melius redditam intellexi. De Floro Mairum per fratrem monui, ne quid te inconsulto cœptaret. Illinc an Berneggero Notas tuas velis mittere, res adhuc integra est. Ego tamen Berneggerum & pro eruditione sua & pro tui reverentia curatius acturum puto. Et jam Iustinum edidit, quem missurum se nostrûm utrique in literis ad illum, qui in comitatu fuit, legati Danici (Robertino ei nomen est, & nunc ex illa quidem domo, sed non & urbe excessit) pollicetur: eaque causa moram scriptionis excusat, quod sine munusculo accedere nos noluerit: me quidem pro sua bonitate: te verò etiam, ne ingratus sit, pro præclaro illo Plinianarum Exercitationum munere, quod & ad ipsum & ad communem nostrum Lingelshemium pervenisse scito, adeo quidem ut & deliquia quædam paginarum, me allaborante per typographum, ipsis id rogantibus, sanata sint. Ego verò quid agam, nisi ut dulcibus Musis pascam animum, mihi intus canens cum Aspendio, quando aliis adeo prodesse non licet, ut odia scribendo vitari vix queant? Et satius est tacere, quàm bene dicta in jugulum revocare, quod scis jam plurimis accidisse quibus, quid restat aliud, nisi, ut pœnitentiæ suæ pœnitentiam agant? ille præsertim, cui cum Aurelianensi nova jam prælia, ideo quod contra illum Romam provocaverit, epistola in Pontificem servili, in Aurelianensem satis libera, cujus exemplum ille nactus (vides, quæ sit hic amicorum fides) *μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς* [*jam intolerabiliter insanus*]. At idem Aurelianensis etiam nos duos de Tertulliani loco judices fert, haud staturus judicato, si receperimus arbitrium. Quantum jam in Arabico sermone profeceris, quando in id totus incumbis, facilem mihi conjecturam facit tuus in aliis hactenus linguis processus, quo omnes antegressos longè post te reliquisti. Neque dubito, quin ejus sermonis peritia maximo tibi futura sit usui ad excutiendum omnem Naturæ sinum, quo studio nullum est excellentius, nullum te viro tanto dignius. De Zoophyto jam ex aliorum sermonibus, quod scribis, intellexeram. Dalecampii tamen locum quæsitum in bibliotheca Thuanea non reperi. credo quod editione sis usus alia. Nam neque duodecimus liber in exemplo Thuaneo plus quadraginta habet capita, & numeri non respondent. Illud tantum addam, anseres in Scotia conspici, credo & in Hibernia, quos de arboribus in subjecta stagna deplure persuasum accolis fuit, cùm tamen eos ex ultimo Septentrione eò ferri prodiderint nostrorum, qui in Nova Zembla eos eorumque ortum ex ovis vidêre. Cæterum illius ex ligno conchiferi vermis natu discimus quàm mira moliatur inclusus etiam rebus, quas inanimas dicimus, nescio quis spiritus, ubi putredo vias aperuit & agendi spatium dedit. Vale, Vir summe, & ita crede me nulla re magis, quàm tua amicitia, superbire. 27 Aprilis 1630.

EIDEM.

NVnquam tam bene tibi erit, Eminentissime Salma- 258
si, quin ego semper tibi meliùs cupiam. Atque inter meæ fortunæ adversa hoc vel maximè numero, quod tui similibus (pares enim non dixero, neque reperero) prodesse non possum. Et tamen, quod possum, facio, cùm amicos, quos fidos cognovi tali experimento, quale utinam nec tibi nec tuis contingat, eosdem tuos quoque esse desidero. Quod in Vossio sane ex voto successit, cujus literas his diebus recepi tui plenas. Quas ad te addiderat, Labbæis misi, quos tui scio esse studiosissimos. Sed ea, quæ tibi mihique miserat, simul exempla oratoriæ institutionis *ἐκ παρασκευῆς* [*ex apparatu*] nondum huc pervenerunt. Vbi accepero, aut mittam, si amici istuc eunt

Digitized by Google

eunt, aut si adventus tuus, quod malo, sperandus est, hic retinebo. A Berneggero quoque Iustinum, in quo specimen habebis, quid de Floro exspectare habeas, brevi nos accepturos puto. Ad amicum communem & ipse tecum propero, qui non dicam dissentientes (id enim mos jam fecit tolerabile) sed secum sentientes impietatis tam audacter accusat. In hujus ad Quirites epistola cæterasse, ut bono est stomacho, concoquere posse dictitat Aurelianensis: unum est incondonabile, quod noster dixerit, se, cùm epistolam illam, quæ magno ipsius cum pudore edita est, scriberet, Cerbero offam objecisse. Ergo quia hoc sibi nomen non frustra datum vult,

Latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

Neque enim Herculem sibi putat obtigisse, cujus aspectu

Componat aures timidus & patiens trahi,
Herumque fassus ore submisso obsequens,
Vtrunque cauda pulset anguifera latus.

Iterum me Bignonus de arbitrio interpellavit. Dixi, me si utantur judice, malè utrique cessurum. Satis enim mihi libertatis fore, ut utrumque damnem. Aurelianensem quod Tertullianum malè sit interpretatus, alterum, quod bonam interpretationem malè defenderit: rursus hunc, quod contra quàm sentiret, scripserit; illum, quod ab amico creditam sibi epistolam vulgaverit: præterea hunc, quod quiritatus sit; illum, quod aliena rimetur arcana,

Missumque captet aure subrecta signum.

Sed spes pacis affulget, quando Thuanus noster se conciliatorem interponit. Nam quid ille non possit, qui etiam Iesuitas profitetur se Constantinopoli restituisse, quos pater Lutetia ejecerat? Ad illum ut redeam, tam acer hæreticorum insectator, quid mirum, si nihil hæreticis debere vult? Exiguo omnia, quæ scribis, dixeram: ille verò obsurduit, ne hoc quidem mihi credens non posse senarios anapæsto claudi. Vides, cui librum inscripserit. Ivit traditurus ipse rus, ubi tum lætitiæ dator agebat. Cùm magnas exspectaret gratias, fortè & aliquid de imbre, qui in Danaen pluit, non modò videre eum non potuit, sed cùm instaret, vix effugit, quin janitoribus vapularet. Adeo nihil illi profuit aut Plutum Aristophanis demeruisse, aut eum, qui in Gallia Pluti locum tenet. De Pænulo dixi illi, quod res est, non aliam in illa nobili scena quærendam interpretationem ab iis, quæ Latinè sequuntur: sed Punica bis esse posita, ex diversis scilicet codicibus duplicata scriptura, & quidem ita, ut posterior sit priore corruptior & vocibus quibusdam omissis contractior. Idem enim est *Hychalonim*, quod postea *Exanolim* & *Valonuth*, quod postea *Volanus*, & sic deinceps; cujus differentiæ pars inde nata, quod Syri ת ut S pronuntiabant, quod hodieque Iudæi faciunt; unde ista jam olim, חור & שור & similia. Verum esse, quod dico, nominibus propriis, quæ necessario eadem esse debent, convincitur. *Agorastocles* est in priore parte Punica: in secunda corruptè *Aristoclem:* in Latino eodem loco Agorastoclem. Sic versu quinto Punico legendum *Antidamaschon:* in parte secunda Punica, ubi confusi sunt versus, est *Athidamascon.* in eundem modum restitueram: quod in Latino est *Antidamas fuit.* Nam כון pro היה etiam nunc Rabbini usurpant. Mirum est, quæ ille nobis ex Græcis nominibus propriis appellativa Syriaca fecerit, & quàm confusos sensus. omnia corrigere difficile sit ob peccata scribarum in lingua ignota. adde, quod vetus Pœnorum pronuntiatio nos fugit, neque tota resarciri potest aut ex Hebræo sermone, qui haud dubiè à Tyrio distitit, aut ex Syriaco, qualem habemus in libris tanto serioribus. Quædam sunt facilia, ut *binuthi* meas gnatas, pro quo legitur *bimithii*, & *binachi* fratris filium, pro quo *binuthii.* Sic *fel yth chylu chin tem liphul*, est, פעל ית כלו כן תם לפעל *fecisse sibi quod faciundum fuit.* In Punica abundat כן *omnino.* cætera aperta sunt. Arabismo quod studes, ut nuper quoque scripsi, gaudeo, ita tamen, ut ne te immergas, sed partem aliquam temporis excolendis iis linguis reserves, quæ à te tam feliciter tractatæ hactenus, doleant de tota possessione dejici. Edidit Gabriel Sionita his diebus Testamentum Mahumetis, τῷ ψευδοπροφήτῃ [*falsi prophetæ*], aut indultum potius ejus in gratiam Christianorum, haud dubiè à Christianis suppositum, ut sub obtentu tanti nominis Musulmannis æquioribus uterentur. Ille tamen genuinum esse affirmat & persuadet iis, qui nasum non habent. Habemus hic quoque Arabico charactere Turcicam Grammaticam, cujus ego sermonis discendi desiderio non teneor: tenetur autem Schickardus; qui multum me orat, ut se juvem; quod pro virili faciam; ita enim meretur summa ipsius diligentia. De lignivermostraca quæ mones, digna sunt inquisitu. non desinam urgere amicos ut aliquid extricem. Sed de Bernacis tibi assentior, assutum ex fabula. Vale, decus sæculi, & nos ama. Lutetiæ, 13 Maji, 1630.

Eximiæ eruditionis viro

CASPARI BARLÆO.

Egi, Barlæe doctissime, carmen tuum de Regali Olinda. Miratus sum, non tam felicitatem in tractando argumento satis difficili, quàm in tot aliis poëmatum tuorum jam satis conspexeram, quàm ὠκυτοκίαν [*partus celeritatem*]. Non illi celeriùs vicerunt, quàm tu hoc pulcherrimum historiæ monumentum confecisti. Legerunt & è Gallis qui tali sapore tanguntur, haud multo plures quàm οἱ ἐπὶ Θήβας [*qui contra Thebas*]. Hos omnes & res ipsa mirè ad bellum Italicum faciens & carminis venustas summa affecit voluptate. Vt illi de Natali dominico versus in regiam, ita hi in senatorum Curiam ascenderunt, faventibus illorum judiciis quibus in nos jus vitæ necisque est. Ægrè adductus sum ut exemplum mihi ab ipso poëta missum meo inscriptum nomini, eripi mihi paterer: sed gnarus ubi viverem, 258

—— οὐ γὰρ ἰδ' Ἕκτωρ τάδε,
οὐ Πρίαμος, οὐδὲ Χρύση, ἀλλ' Ἑλλὰς πόλις,
[—— *Non enim Hector hæc est,*
Non Priamus, neque Chryse sed græca civitas],

reluctari illis ausus non sum qui mittendum censuerunt πρὸς τὴν ἑπτάλοφον πόλιν [*ad urbem septicollem*]: cujus Patribus si probetur Musa tua non erit quod in Gallia quenquam metuat: quandoquidem illorum judicium esse ἀναμάρτητον [*fallere nescium*] etiam Sorbona credere incipit. Vt & hoc noris ὁ νῦν πρωτόθρονος [*qui nunc primo throno sedet*] Vrbanus non minùs est quàm dicitur: nec ad indulgentias tam facilis est quàm οἱ ἑλληνοχριστιανοί putent. nam omnia peccata in legem pedariam nuper ex hymnis Ecclesiæ sustulit: tantum abest ne illi tam rigido Grammatico placeant qui masculini & feminini discrimina confundunt. Tu verò, Vir Clarissime, perge ea scribere quorum lectionem celsi Ramnes expetant, nos illis invideamus. Lutetiæ. Postridie Cal. Iunias 1630.

Tui nominis studiosissimus H G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Literæ mihi tuæ, doctorum & amicorum præstantissime, non jam dicam solatio (nam ego cum Theseo νῦν ἀμβλὺς εἰμὶ καὶ κατηρτυκὼς κακῶν) [*nunc debilis sum & malis conditus*] sed verè voluptati fuere non una sui parte. Nam Britanniam primùm mecum sentire gaudeo, id est scire quid sit Vossius, & ea tibi contigisse propter quæ invidearis, tum tibi gratulor, tum verò placet & hoc quod ὁ φθόνος [*invidia*] antiquum obtinet. 259

τὸν αἱρεθέντα δ' ὅστις ἂν αὐτοῦ τρίβων,
λυμαίνεται μάλιστα διὰ παντὸς συνών.
[*quod eligentes insequi sectam suam*
Comes fidelis mille discruciat modis].

Sane

Digitized by Google

Sanè præter commoda quæ tibi inde evenerunt, honos ille eximius est & quod sciam nisi tibi ac Petro Molinæo externorum habitus nemini. Id verò est quasi Corinthi civitatem meruisse. In eo quoque de Salmasio quod scribis agnosco te tibi esse semper similem, plenum candoris, plenum bonitatis, alienum ab illo vitio quod olim Herodoto, hodie verò nimium multis adscribi potest. Meretur sanè viri illius & virtus & summa eruditio ut ad eum ornandum conspirent omnes non modò qui intelligunt literas, sed & qui videri volunt intelligere. De me quod optas an optandum sit nescio. Patria mihi sunt parentes, cognati, amici, tu tuique similes, quibus adesse me affectu in me ac memoria mei non dubito. Illos quorum Hollandia noverca est conspicere non est quod valde desiderem. Et scis humani ingenii eum esse morem odisse quem læseris. Quare ut ab illis æqui aliquid exspectem, qui nos haud iniquos futuros si præmia de publico aliqua sperassemus tam indignis modis tractarunt, vix à me impetro. Interim libri nostri non desinunt bene de bonis mereri, malis verò etiam invitis quis fuerim, quis sim ostendere. Ad Institutiones tuas Oratorias venio, ad quas rectè laudandas opus esset tali artifice qualem ibi formas. Legi ferme totos non continuò sed per intervalla quo meliùs ad intimos animi sensus voluptas semper recens ac vivida penetraret. Non modò nihil omissum quod doceri debeat comperi, verùm etiam jucundissima interponi exodia, tanquam cibi salubris suavissima condimenta. Et sanè cum res sit per se tetrica exactus ille ordo & curiosæ distinctiones quàm exigunt disciplinæ, usui est interspergi nonnulla è floriferis Musarum saltibus. Tibi verò quas agam gratias, primùm pro dono, deinde quod ut nostri & te memorem ostenderes & memores alios faceres occasiones non arripuisti sed ultro quæsivisti, idque istis temporibus. Veniebat illud in mentem:

Hunc Nero damnavit, sed tu damnare Neronem
Ausus es.

Ad hæc etiamsi peculiariter me consolandum suscepisses nihil melius dicere poteras iis quæ de contemnendo exsilio attulisti. Sunt quidem hæc publici juris, sed non minus Deo pro sole debeo quod eum & alii mecum vident. Petro meo ut nihil accedat illud satis magnum ad studia incitamentum erit tui tuorumque liberûm conspectus. Quando tam idoneus judex ingenium ipsi non deficere arbitraris, superest ut labore compenset corporis damnum, ὀρθοποδῶν εἰς τὴν τῆς ἀρετῆς ὁδὸν [*recto pede viam virtutis ingrediens*]. Tuo Francisco φερωνύμῳ [*nomen ferenti*] ejus viri cujus ego memoriam maximè veneror adeptam legum lauream gratulor, optoque per tritum mihi iter meliore fortuna incedat. Æquum fuit in Silvæducis labore ei me concedere qui & rei spectator fuit & invitatus ab his qui multum possunt, & qui meritò sperare debeat sibi nec operam nec oleum periturum. Nobis abunde erit in quo nos exerceamus. In eo quoque juvabit amicorum audire consilia, quos inter tu principem locum jam olim tuo jure, nunc etiam recentibus beneficiis obtines. Tibi, matronæ tuæ ac liberis, ego mecumque mea sospitatrix & quod domi est sobolis omnia exoptamus quæ exoptari jus fasque est. Lutetiæ. Postridie Cal. Iunias 1630.

Distuli mittere has literas in abitum hinc Bellimontii, qui multum retinet tui; dignus profectò quem ames, vel quia te, vel quia tecum virtutem & literas amat.

Tuus H. G.

CL. SALMASIO.

260 Literis tuis & eruditissimis, ut sunt tua omnia, & in me amicissimis, quas hujus Iunii Kalendis ad me dedisti, Salmasi maxime, respondissem jam dudum, nisi exspectassem historiolæ aliquid de illo negotio Lugdunensi, cujus te participem avebam facere. Nunc verò nihil ejus accepi. unde conjecturam facio, quiescere id negotium, fortè ob fluctus, quos ibi nunc Pastores Magistratibus irati concitant. Sed hæc omnia meliùs noverit Iustellus. Interim hic & Rigaltius & Aurelianensis libellis certant, si tamen certamen est, ubi hic verberat, ille vapulat tantùm. Vtriusque libelli definito tantùm numero exempla typis descripta sunt, quæ paucis admodum dantur, ne in vulgus & ad hæreticos emanent. Ego non ab ipsis Scriptoribus, sed ab aliis, ægrè legendi copiam impetravi. Rigaltius epistolam suam ad Barberinum, bene exsectam hic reposuit, demptis illis de Cerbero, & siqua similia dicta ipsi in Episcopum & gratia florentem exciderant. At Aurelianensis, ut ostenderet justas sibi esse in illum insurgendi causas, totam suo libello inseruit. Causam totam deserit Rigaltius, nisi quod de interpretatione Tertulliani pertendit: sed ita ut errasse in hoc eum dicat effascinatum Montani spiritu. Cætera, quæ ipse in epistola ad Barberinum attulerat facta, eundem morem testantia, aut falsò narrata dicit, aut esse temeraria, minimeque probanda. Aurelianensis latè ostendit, quæ incommoda sequantur Rigaltianam interpretationem, nempe qualis & in Notis & in epistola ad Barberinum exstabat: everti characterem, labare auctoritatem Synodi Tridentinæ, aliaque ejus κόμματος [*commatis*]. Addit denique virum nobilem atque eruditissimum Cl. Salmasium hoc se argumento defendere, quò minùs ab hæreticorum castris ad Ecclesiæ transeat. Vult igitur *offerre* apud Tertullianum intelligi de illis, quas Eulogias aut panem benedictum nunc vocant, qualem etiam ad longiùs absentes missum vult. Et huc trahit ea, quæ de oblationibus singulorum passim & apud Tertullianum & Cyprianum leguntur. At mihi & veteres canones & eos ipsos, quos pro se adfert Scriptores legenti persuasissimum est, Tertulliani Cyprianique ævo illas novas Eulogias fuisse incognitas, cùm adhuc idem esset εὐλογία [*eulogia seu benedictio*] quæ εὐχαριστία [*Eucharistia seu gratiarum actio*]. Et ex illis ipsis panibus ac vino, quod fideles in Ecclesia obtulerant (nam alia dona ad domum episcopi aut presbyteri mittebantur) factum per preces Ecclesiæ Dominici corporis ac sanguinis Sacramentum, residua verò cessisse pauperibus: Iisdem verò temporibus in signum fraternæ unitatis missam absentibus ipsam Eucharistiam, ex Eusebii loco de Polycrate aliisque multis evidentissimum est. Characterem καὶ τὸ τί ἦν τοῦ πρεσβυτέρου [*& id quod erat presbyteri*] everti vult Aurelianensis, si alicui non presbytero jus detur etiam in gravissima περιστάσει [*gravissimo casu*] consecrandi. Quid igitur faciet Synodo Laodicenæ, quæ τὸ ποτήριον εὐλογεῖν [*benedicere poculum*] interdicit non diaconis, sed tantùm ὑπηρέταις, id est, ut Latinus interpretatur, *subdiaconis?* Accusat hæreseos Rigaltium, quod significaverit Ecclesiam multa nunc observare, quæ olim non observabat. At ipse in observationibus antehac editis quàm multa nobis exhibet ab horum temporum more longissimè distantia? Et in hoc ipso libello ipse erit hæreticus, qui dicat infantibus datam Eucharistiam, tum iis, qui post baptismum defecissent, nunquam datum fuisse reditum ad jus Eucharistiæ. Et hæc quidem Aurelianensi responderim. Rigaltio verò, non si ille facilè causam deserit, ideo ei vindices defuturos. Et, ut omnes, qui nunc vivunt, metu mussent, Erasmum suscitabimus, qui in epistola ad Cudbertum Tonstallum (ea est Epistolarum libro XXVI, tomo operum tertio) apertè dicit, temporibus Apostolorum fuisse synaxim, quam laici inter se faciebant adhibita precatione & benedictione, & eum panem appellabant corpus Domini. Et sanè, nisi cavillari volumus, quid aliud est in actis κατ' οἴκους [*per domos*]? In epistola tua rectè colligis, voces Phœnicias in lingua Punica mansisse ad Augustini tempora. Docet hoc apud Hieronymum Alma עלמה, quod Pœnis virginem ait significasse: ut apud Augustinum *Salus*, quod Latinis quidem Augustinus id ait significare quod omnes scimus, Pœnis verò tres שלש. Hæc cùm ita se habeant, verum tamen est,

est, Augustinum, qui Punicè sciebat, Hebraicè nescisse. Haud dubiè longa ætas multa externa in sermonem Pœnorum invexerat: & ipsa illa, quæ cum Hebræorum congruunt radicalibus literis, vocalium sono & flexione nonnihil differebant, quod & illa apud Plautum Scena ostendit. In Orientis studiis pergere te gaudeo, certus (vitam det Deus) uberem nos inde messuros frugem. Vale, Vir eminentissime, atque ita crede de me, qui te tuaque pluris faciat, vivere neminem. Lutetiæ, 23 Iunii, 1630.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

261 MEmorem nostri te vivere, Vir Amplissime, sive scribis sive non scribis, certus sum. Itaque & cùm non scribis, boni consulo; & cùm scribis, renovatur in me sensus voluptatis, quam tua ex amicitia capio. Quod steriles sunt rumorum partes, in quibus habitas, adeo grave non existimo, ut etiam partem in eo ponam tranquillitatis. Est aliquid ibi vivere, ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audias. Illud triste, quod terra malum nomen agricolis esse cœpit, & supra cœli injurias tributis atteritur. Sæpe miseratio me subit plebis vestræ tot oneribus gementis, in tanto aliorum etiam sacerdotum luxu libero atque immuni. De pace video calere sermones. At ego multùm mětuo, ne super Mantuam Casale accedat, antequam pax coëat. Nam in id maximè laborat Spinola, avidus decoris ex Gallorum certamine. Carignanum à vestris captum & transitum Padi præbet certum, & viam aperit ad Casale. Sed quis dubitat, quin tanto tempore satis fuerit otii Spinolæ, ad munienda castra & obsepiendos aditus? Quis Gallorum impetus, opera perrumpet, qualia ad Bredam fuere? Interim pro solatio vobis est, quod inimicus Mantuano Sabaudus non minùs & ipse rebus suis excutitur, nunc vobis præda, mox Hispano futurus, si partes mutaverit. Quod intellexeras de multorum pro Crete studiis, verum est. Illius muneris electio tota est Ordinum Hollandiæ, neque Præfectus in ullam ejus partem venit, quanquam semel hoc & extra ordinem Mauritio concessum est. Cæterum ex nominatis electio ad Præfectum defertur, in iis demum muneribus, quæ olim in Comitis erant potestate, in quibus hoc non est. Arausionensi arce planè potiuntur, quos Princeps eò miserat: sed quominus in eos, quorum consiliis usus erat Valloburgicus lege agatur, Rex per literas, intercessit: quosdam eorum etiam honoribus ornavit. Dicuntur & eorum, qui cædi interfuerant, quidam, cùm intra regni fines reperti essent, supplicio affecti. Qui Regis consilia gubernant, satis vitium ei esse putant, etiam occupato, ad cogendos Arausionenses imperata facere, id est, imminuere munimenta, præcipuo metu, ne Protestantes, sicubi malè habeantur, eum receptum respiciant. Bona recepta, neque precibus meis, neque gratiæ cujusquam debeo. Iudicio egi, atque ibi obtinui jus, quod omnibus Delphici oppidi civibus, avita lege, debetur. Multùm adhuc hoc abest à demendis iis, quas tam diu patior injuriis. Sed nos & hoc & alia nostra Deo permittimus. Tibi de profectu filiorum gratulor: quorum studiis si conferre aliquid possim, futurum id sit animo meo jucundissimum. Vxor mea & Cornelia se tibi cordi esse unicè gaudent, tibique ac matronæ liberisque precantur omnia, quæ amicos precari jus fasque est. Lutetiæ, 16 Augusti, 1630.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

262 OPitii quem mihi commendaras, Lingelshemi optime, & ingenium & eruditio, & mores, quantopere mihi se probent, haud facilè dixero, sed Tu ex Te de me judicium facito, nec fallêris. Vereor, ne hoc arrogantius sit, sed dicam tamen, recordari me summa cum voluptate, quæ nobis fuerit jam à multo tempore & studiorum & judiciorum germanitas. Hoc tamen dolet, quod viro tali, & Amico, quod summum est, Tuo, non potuerim rebus ipsis ostendere quanti eum facerem. A doctissimo Berneggero per literas & Iustini historiarum partem accepi, placet specimen; cujus compar Salmasio servo, brevi heic futuro, nisi improvisum quid, spem ab ipso nobis factam interceperit. De publicis addo nihil. Vix quicquam est quod narrare libeat, & si quid est Opitius ne hæc quidem ignorat. Tibi, Tuisque omnia opto quàm secundissima. Lutetiæ, 22 Augusti 1630.

Tua amicitia glorians H. G.

HIERONYMO BIGNONIO,

Advocato generali Regis in Senatu Parisiensi.

ROgatu D. des Hayes, cujus propenso in me studio 263
plurimum debeo, commendavi causam municipis Montargisiani, cujus uxor & cum ea loci presbyter summa cum injuria & à seditione haud multùm abscedente concursu, stupri fuit infamata, Præsidi Memmio: tibi commendaturus die crastino, quem minùs occupatum cæteris acceperam. Nunc verò edoceor, tardum id fore, quando cras instat causæ dictio. Itaque prævertendum fuit tempus, quod huic officio destinaveram. Non opus est multis verbis ostendam, quanti sit momenti, ne castitas matronarum & honos sacerdotii pateant in fabulas & ludibria, ac pro joco ducatur grassari cum periculo alienæ existimationis, turbare bene concordantia matrimonia, innocentiæ denique insultare. Cùm etiam vita ac bona nostra in tutela sint judiciorum, ego tamen ea ad custodiam boni nominis cuique maximè esse necessaria existimo. Quod remedium ni pateat, vides quanta privatæ ultionis non dicam libertas detur, sed, ut sunt hominum ingenia, imponatur necessitas. Quare ni ad Nomadum vitam redire volumus, hæc, ni fallor, prima esse debet cura & legum & eorum, quibus legum exercitio incumbit, ne quis maledictum audiat, nisi eo in loco, ubi se æquo jure possit defendere. Vale Vir Amplissime, & quanti amicitiam facis, tam boni consule, me amicis nihil negare, quod æquum censeam.

NICOLAO PEIRESCIO,

Senatori apud Aquisextienses.

TIbi qui plus quàm ego, debeat, Vir Nobilissime & 264
Amplissime, puto esse neminem; & eorum, qui tua in se benefacta agnoscunt, cedo nemini. Quo magis doleo, quod grati in te animi signa premere non tam facultas est quàm voluntas. Literas, quas 20 Novembris ad me dederas, quibusque Eclogas illas ad me destinaveras, non recepi ante hujus anni mensem Iulium, pariter scilicet cum posterioribus, quas hujus ipsius anni mense Iunio ad me dederas. Eclogas non videram ante, nisi in transcursu. At literas tuas ut vidi, volui eas serio inspicere: & cùm laborem conferendi ea, quæ in editis exstant susceptum à juvene Græcè erudito intelligerem, ipse ad pauca illa Nicolai Damasceni fragmenta me converti, iisque emendatis, quibus scribentis error vitium obtulerat (sunt autem hæc nec multa nec gravia) addidi Latinam versionem, talem, qua sensus mihi satis commodè exprimi videbatur. Addidi, quæ de vita Nicolai extant, præterea, quæ mihi occurrebant ex scriptis ipsius adducta verbo tenus aut rerum libera relatione, quibus addi debent illa, quæ Stobæus ex historia ipsius excerpsit, ad diversos gentium mores pertinentia, quæ non nunc demum Cragii opera, sed jam Photii tempore (vixit autem is sub Michaele Paphlagone) ita seorsim in corpusculum redacta legebantur, cùm jam cætera Nicolai periissent. Nusquam enim operis ipsius τῆς καθολικῆς ἱστορίας

Digitized by Google

ρίας [*universalis historia*] mentionem facit Photius, sed tantùm illius collectionis τῶν παραδόξων ἐθῶν [*incredibilium morum*], quæ nihil aliud erat, quàm excerpta à Stobæo ex magno opere. Nam quod Assyriacam quoque historiam ab eo scriptam dicit Photius, id non eo dicit, quod ipse eam legisset, sed quod alibi sibi id lectum meminisset. Credo ei observatum tunc animo Iosephi locum, ubi de diluvio verba adfert Nicolai. Dubitet fortè aliquis, sintne verè hæc Damasceni, quæ tuæ Eclogæ sub isto nomine ostentant. Solent enim sæpe posteriorum γυμνάσματα [*exercitationes*] argumenti ejusdem in vetustiorum nomina irrepere. At ego cur mentitum hunc titulum credamus, causæ nihil invenio; sive dictionis formam spectamus, sive scribendi genium, sive argumenta alia. Quæ forma dictionis Nicolai fuerit, difficile est cognitu, cùm paucissima habeamus apud Iosephum & Athenæum ipsius verba. Scriptos ab eo ait Suidas præter librum de vita Cæsaris Augusti Libros octoginta, ubi suspicor addendum esse, qui scriptoris festinatione exciderit numerum centenarium, quando Athenæus in testimonium vocat librum ipsius & quartum & octavum supra centesimum. Iosephus verò sextum & nonagesimum, item tertium & vicesimum cum eo, qui sequitur, utrumque supra centesimum. Tam multa qui scripserit homo occupatus inter gentis suæ principes, florens amicitia Cæsaris & regum, nulla civilis vitæ officia deserens, mirum ni multa ex aliis descripserit, Assyriaca ex Assyriis, Græca ex Græcis, & ex aliis alia. Nam certè tota illa de Romuli impetu in Amalium, deque primis ipsius bellis narratio, paucissimis, quas annotavi, vocibus demptis sumpta est ex Dionysio Halicarnassensi, qui vivebat eodem tempore, & ut credibile est, sua ediderat, antequam magnum illud opus Nicolaus absolveret. Ac fortè quia nondum multorum in manibus erat is liber, hoc confidentiùs aliena abusus est pro suis. Credo si quis externus res Lydias aut populi alterius minùs Græcè scripsisset, Nicolaum, qui ita Syrus erat gente, ut Græcæ linguæ non cognitionem tantùm, sed elegantiam esset assecutus, mutasse quod à recti sermonis regula aberrabat. At in Halicarnassensi scriptore & Græco & disertissimo cur id faceret, causæ nihil erat. Illud tamen à me observatum omittere non possum, ita Græcè scribere Nicolaum, ut tamen, quod aliquid peregrini sapit, interdum verba non nisi Poëtis usurpata contra aliorum morem historiæ immisceat. Cæterum quod illi dat Photius de perspicuo ac tereti dicendi genere, quæ hic habemus, ei non eripiunt. Venio ad scribentis genium. Pleraque scripsisse Nicolaum in gratiam potentum, quibus amicis utebatur, notat Iosephus: quæ in illis culpari poterant, obvolvisse silentio, quæ aliquid laudis recipiebant, ea liberalissimè prædicasse & ultra historiæ morem. Sanè tale est hoc, quod de prima Octaviani, qui postea imperavit, institutione habemus, verè non historicum, sed declamatorium opus, quo cuncta in illum contulit, quæ de rectè formandis adolescentibus cogitari possunt, quæque valent exprimere felicem indolem. Quo minùs mirari convenit, si eorum, quæ memorat, apud Suetonium tantæ diligentiæ scriptorem & alios nihil penè aut minimum extat. Ita tamen sibi temperavit, ut nihil diceret, quod rebus cognitis repugnaret, aut personæ temporibusve discongrueret. Restant argumenta alia, ex quibus Scriptores operum cognosci solent. Apud Suidam (vixit is, ni fallor, paulò post Constantinum Leonis filium; nam quantùm memini, hic est Imperatorum postremus, quem in libro suo nominat) extant non pauca è fragmentis, quæ hîc habemus. Totum illud de Hippomene & de Magnete, particulæ quædam in vocibus κομμός & κεκοσμημένην, & de educatione Augusti in voce ἀσθομήτως. Nomen quidem Nicolai non addidit Suidas, sed verba ipsa sunt eadem: & Nicolaum Suidas magni fecit, quod satis ostendit ubi de ipso agit. Totane historia Suidæ temporibus extiterit, an partes quædam, unde hæc desumpta sunt, temerarium sit dicere. Accedat, quod eorum, quæ narrat, multa aliorum quoque testimoniis nituntur; ut de Crœso, quam partem mirè supra alias exornavit compositis orationibus Crœsi ac filii ad movendos animos efficacibus, tum & Sibyllæ oraculo: & illud notissimum de Lycurgo. Ne in cæteris quidem subsidia eum destituent. Nam in prima narratione, cujus nobis initium deest, is, qui nominatur Sardanes, Rex Lydiæ fuit, Omphales pater memoratus poëtis & Apollodoro, & ei, qui alienum Palæphati nomen occupavit. In eo, quod sequitur Amythaonidæ sunt Bias & Melampus Pyli reges, ex quorum sanguine Amphiaraus, omnis prudentiæ laude celebratissimi. Hanc generis seriem docet nos Apollodorus. Lycaonem Pelasgorum regem poëtæ infamant; at contrà culpæ eum eximit idem ille Apollodorus: & fortè dedit aliquid Nicolaus Italorum auribus; quos ab Oenotriis primùm ortos, Oenotrios à Lycaone prodidit acer talium inquisitor Halicarnassensis. Acasti uxor Nicolao memorata nomen habuit Astydamia, quæ Pelea à se frustra sollicitatum illati stupri reum fecit. Meminit Apollodorus. Periandri crudelem dominatum Pausanias arguit Corinthiacis: insigne illud ab eo commissum in Terpsichore Herodotus. Idem Clio Sadiatæ meminit Lydorum Regis, cujus filius Halyattes Crœsi pater Straboni libro IX. celebratur, & lib. VIII. Philonomus ille, qui Heraclidis Laconicam cùm prodidisset, Amyclas in præmium accepit. Ad Augustum ut veniam, pater ejus, mater, vitricus ex Suetonio noti. Item laudatio aviæ, dona in triumpho Cæsaris Africano: iter in Hispanias, ubi urbs, quam Calpiam Nicolaus vocat, est Carteia ad Calpen sita. Marium sanguine fuisse junctum Cæsari, etiam Dio Cassius nos docet. Nec illud omiserim Nicolai vestigium, quod morum Græciæ quàm Italiæ peritior Romana tractat vocibus Græcis, & secundùm Græciæ instituta. Nam illud τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς, item εἰς τὴν τῆς φυλῆς ἐγγραφήν, ex jure sunt Atheniensium, apud quos & *genus* & *virilis ætas in acta publica referebantur*; quod Romani moris non erat. Quare nec illud mirabimur, quod cùm consules feriarum Latinarum causa abessent ab urbe, sacerdotes dicit in eorum jus successisse, cùm constet nobis solitum à consulibus præfectum urbi fieri senatorem aliquem, aut alium etiam, non necessario Pontificem, aut Flaminem. Hæc cùm mihi persuadeant Nicolai Damasceni esse, quibus hoc nomen in Eclogis tuis inscribitur, valde mihi gratum hoc accidit, quod eadem opera, haud sane gravi, licuit & tibi, nostro sæculo viro apud omnes literatos celeberrimo, morem gerere, & illius viri suo sæculo celeberrimi memoriam suscitare. Nam, ut cætera ejus sileam, non puto negotia Principum tractantibus specimen illustrius prudentiæ posse proponi, quàm quo Nicolaus periclitantem de toto statu Herodem in Augusti amicitiam restituit: ut jam minus sit, quod miremur, si virum tantum consiliis suis intimum habuerit Herodes; ac ipse Augustus ita dilexerit, ut è Syria dactylos ab ipsius nomine appellaverit. Ita enim tradidit Athenæus, & apud Serenum Sammonicum exstat is usus ejus nominis. Nam placentæ, quòd ita dici cœpere, fortè & hæ è dactylis, serius natum puto, quamquam hoc apud Athenæum legisse se putavit Eustathius, memoriæ lapsu, vocis ejusdem veterem & recentiorem significatum permiscens. Satis de Nicolao dissertavimus. Recipio me ad reliquum epistolæ tuæ argumentum. Optimè sanè de literis Orientis meretur Golius, qui tantam nobis librorum supellectilem inde attulit, & laudabili audacia multò plus impendit, quàm fuerat imperatum. Videris haud dubiè jam Indicem, quem edidit Gassendius. Restat conspirata manu urgeamus omnes gnaros Arabum sermonis, ut quam plurima inde donent Latino cul-

Digitized by Google

cultu, initio facto ab illis Aristotelis & Apollonii Pergæi operibus & præclarissimis Historiis rerum Saracenicarum, Timuri Lechi, quem vulgus *Tamerlanem* vocat, & eorum, quæ Franci in Palæstina gesserunt. Gabriel Sionita non gravabitur in partem venire laboris, &, ut puto, non negabunt nostri libros uti in bonum publicum cupientibus. Habet præterea Golius tabulas exactas Syriæ, Arabiæ, Ægypti, & præterea annotationes longitudinis ac latitudinis illustrium locorum, quæ ut aut publico dentur, aut amicis communicentur, operæ non parcemus. Ex magna Britannia nihil habeo boni post Marmora Arundelliana, nisi hoc unum, libero cœlo frui virum optimum ac civem fortissimum Seldenum, faventibus bonis omnibus. De Spelmanni Lexico partem priorem vidimus sanè utilem, & in Saxonicis maximè vocibus accuratam. Nunc Vranologium verso Petavii opus, etiam in hoc utile, quod scriptores optimos repertu raros promiscui usus fecit. Vellem literarum caussa, quas non immerito humanas dicimus, ne vir ille indefessi laboris funem rixosæ contentionis cum eruditissimo Salmasio duceret. De hujus in Batavos itione res penè conclamata est: agunt cum eo nimium καπηλικῶς [*cauponum more*]. Nicolai Cabei Ferrariensis è Societate Iesu Philosophiam magneticam nescio an videris. Liber omnino dignus est, quem videas. Tanta diligentia, quæ Gilbertus observaverat propriis experimentis exploravit, tam multa ac præclara de suis addidit, tanta solertia in causas inquisivit: & si partem naturæ latentem hactenus non totam eruit, certè ad eruendam maximum gradum fecit. Ea est bonitas tua & in me conspectus toties animus, ut post publica litterarum, privati aliquid ad me meosque pertinens ausim adjungere. Mitto insignia familiæ apud nos, cui nomen *Cornets* vel *des Cornets*, respondens scilicet ipsis insignibus. Sed scutum, quod in medio est stellatum, nota est alicujus ex ea gente minoris filii. Gentem è Gallia venisse & nomen ostendit & constat aliunde: Nunc intelligo in Provincia vestra fuisse gentem nominis ejusdem, cujus & in Arausionensibus chartis mentionem scio reperiri. Scire velim, an hæc eadem, dempto illo scuto, insignia usurpaverit. Id aut nemo noverit aut tu, qui inter tot præclarissima studia etiam hanc de familiarum originibus tuæ semper curæ esse voluisti, & pro ea qua meritò flores, auctoritate atque amicitiis, etiam ad illa, quæ alios fugiunt, aditum habes. Vale, Vir Amplissime, & Maxime, bono publico nate. Lutet. Paris. 6 Sept. 1630.

Priusquàm irent ad vos, quæ nuper ad Nicolaum pertinentia misi, occurrerunt & hæc, quæ adderentur, Scriptorum loca ad vitam ipsius pertinentia. Vnus præterea locus, qui non quidem verbis totidem, at sensu tamen ex ipsius libris est petitus. In tribus illis notandum, antiquioribus constitisse non placentas, sed ipsos palmarum fructus, & quidem insignes maximè, Nicolai nomine appellatos. Sed cùm Athenæus initium nominis referat ad gratiam mittenti habitam, addit Plutarchus, ortum id ex similitudine fructuum cum Nicolai corpore, vultu, ingenio, proceritate, rubore, suavitate. Quod verumne sit, an probabiliter excogitatum, nihil opus est excuti. Locus verò ille à Constantino Porphyrogenneta in libro de Provinciis adductus, non ideo suspectus nobis esse debet, quòd Thracensium nomen credibile sit post Augusti tempora Asiam incolentibus inditum: nam quod de Nicolao dicit, non ad nomen illud aut ad nominis originem, (quæ haud dubie à Græcis posterioribus reperta est, non satis ex vero) sed ad ipsam narrationem referendum est, quæ haud dubiè fuit in Nicolai libris: nam nunc etiam apud Herodotum & Ælianum extat: nisi quod pro Mysii nominantur vicini Pæones, & res gesta refertur non ad Halyattæ Lydorum, sed ad Darii Persarum Regis tempora. Nec aliud addam, ne occupationes tuas morer, nisi hoc unum, precari me, ut nos tuorum in numero esse semper velis. Lutetiæ, 16 Septembr. 1630.

NICOLAI DAMASCENI VITA,

ex Suida.

NICOLAVS DAMASCENVS.

Amicus hic fuit Herodis Iudæorum Regis, nec minus Augusti Cæsaris: Philosophus, ut quidam existimant, Peripateticus, ut alii, Platonicus. Scripsit Historiam totius orbis libris octoginta, præterea Vitam Augusti, qui eum summè dilexit, ita ut & missas ab eo placentas seu liba mellita *Nicolaos* ex ejus nomine appellaret, quæ appellatio in hunc diem manet. Scripsit & de sua vita ac vivendi ratione. Nicolaus hic Damascenus primum in aliis nutritus disciplinis, quando & pater in illis multus, divitias gloriamque non aliunde acceperat: majores etiam in his profectus fecit, quippe incredibili earum amore flagrans, ingenio præterea felix. Ita ut adhuc imberbis jam apud suos famam haberet, multumque inter ætatis ejusdem adolescentes excelleret. Litteratus fuit, ita ut nemini cederet, Poëta quoque ita, ut rara sui specimina in Tragœdia & Comœdia daret. Vbi cum ætate venit facultas ingenii, & bene dicendi & canendi artem & Mathematicas disciplinas partesque Philosophiæ omnes animo complexus est. Aristotelis enim admirator, ac præsertim in tam multijugi ipsius doctrina, multum se debere dicebat studiis, ut quæ per se honesta plurimum insuper ad vitam conferrent, neque senectuti minùs, quàm adolescentiæ essent oblectamento. Nec aliam ob causam ab his, qui res divinas tractant, Musas numero plures tradi, quàm quod tanta sit varietas disciplinarum, ac tam varius in vita usus. Neque pari modo æstimabat, has artes & illas opificum norit quis, an ignoret. Imo rem habentibus æquè judicabat probrosum has didicisse, aut illas non didicisse. Quo cum esset animo, nulla unquam disciplina ad quæstum abusus est. Addebat Nicolaus, omne id, quod eruditio dicitur persimile esse peregrinationi. Nam sicut in hac, qui longa itinera ingrediuntur, nonnullis in locis divertunt tantùm, in aliis etiam prandent, quibusdam aliquot impendunt dies, alia satis habent vidisse in transitu, sed his peractis omnibus reversi suam inhabitant domum: non aliter per totum eruditionis ambitum velut iter facientes oportere aliis quidem in studiis immorari diutius, aliis minùs, alia tota, alia ex parte ediscere: quorundam solis elementis esse contentos, eorumque perceptis utilitatibus ad Philosophiam tanquam ad patrium larem reverti. Apud Suidam in voce, Νικόλαος Δαμασκηνὸς γνώριμος Ἡρώδου Ἰουδαίων [*Nicolaus Damascenus familiaris Herodis Iudaeorum*], &c. usque ad illa verba ἀνελθόντας φιλοσοφεῖν [*revertentes philosophari*].

Ex Iosepho,

Antiquitatum Iudaicarum lib. 16. cap. 15. in fine pag. 537. edit. Genevensis 1611. Cùm nullum tot malorum finem reperiret Herodes, constituit iterum Romam mittere, si quid amicorum gratia & precibus apud Cæsarem impetrari æquius posset. Legationem suscepit Nicolaus Damascenus.

Cap. 16. pag. 575. Herodes cùm jam Archelaum Cappadociæ Regem maligni in se animi convictum satis arbitraretur, Olympum & Volumnium Romam cum litteris mittit, sed in transitu adire jubet Elusam Ciliciæ oppidum, & monstratis Archelao facti indiciis expostulare, quod consiliorum à filiis in se susceptorum fuisset particeps. Inde Romam pergere, & si Nicolai opera placatum sibi Cæsarem Augustum intellexissent, tradere litteras, & accusatores, quos contra filios mittebat. Defendit se Archelaus, ita ut fateretur, receptos à se juvenes, quod id arbitra-

traretur expedire non ipsis modò, sed & Herodi, ne quod illi suspicionibus adacti minùs se obsequentes Patri præbuerant, id ipse iracundè magis quàm paternè vindicaret. Non tamen missurum fuisse illos ad Cæsarem, nec quicquam inimicè in Herodem ipsis suasurum. Romam cùm venisset, occasio se præbuit tradendi litteras Cæsari, qui jam Herodi bene volebat. Nicolai enim Legatio hunc in modum successerat. Is postquam Romam, & in aulam venerat, non ea tantùm, quorum ergo missus exsequi, sed ultro Syllæum accusare constituit. Arabes quippe bello interno dissidebant: quorum nonnulli cùm se è patria subduxissent, ad Nicolaum se applicuêre, facta injusta Syllæi arguentes, manifestumque facientes Obadæ Regis res plerasque ab ipso interversas, idque ipsius literis, quas pars adversa interceperat. Oblata tam feliciter occasione Nicolaus prudenter uti constituit, ad restituendum Herodem in Cæsaris amicitiam. Videbat enim, si absque circuitu defensionem tentasset rerum ab Herode actarum, non fore sibi ejus copiam: at si accusasset Syllæum, id opportunitatem sibi daturum etiam pro Herode necessaria dicendi. Syllæo in reos recepto dictaque die Nicolaus, adsistentibus Aretæ Legatis, Syllæo objicit, quod Regi suo Arabumque multis perniciem attulisset, quod ad perturbandum statum pecunias magnas mutuo sumpsisset: addebat matres familias Arabum, Romanorumque corruptas, & quod maximum esset, subreptum Cæsari, falsis in Herodem criminationibus. In hac orationis parte interfatus est Cæsar, jubens hoc unum diceret, An non Herodes exercitum in Arabiam duxisset, bis mille & quingentos homines occidisset, & direpto agro abduxisset captivos? Tum verò Nicolaus, imo hoc vel maximè tibi avebam demonstrare, hæc partim nihil habere veri, partim non ita facta, ut intellexisti, nec ut ob ea succensere Herodi debeas. Hac voce inopinata perculsus Cæsar attentiorem se ad cætera auditorem præbuit. Tum verò Nicolaus, narrans de quingentis illis talentis, quæ Herodes Obadæ per Syllæum dederat mutua, & de cautione, cui & hoc inesset, ut liceret Herodi, ubi dies cessisset, pignora capere ex universa Arabia, non illud bellum, ut inimici dicerent fuisse ajebat, sed jure legitimo res repetitas. Neque tamen huc festinanter decurrisse Herodem, ne tum quidem, cùm formula cautionis id permitteret, sed post aditos Syriæ Præsides Saturninum ac Volumnium, post, his coram datis à Syllæo, jusjurandum per genium ipsius Cæsarisque, intra trigesimum diem se & nomen exsoluturum & dediturum, qui ex ditione Herodis in Arabiam profugerant. Quibus pactis juratis cùm non stetisset Syllæus, iterum ab Herode appellatos Præsides; cumque hi permisissent pignora capere, vix tandem cum suis profectum in Arabiam. Hoc illud, inquit, est, quod bellum, quod expeditionem conquisitis in atrocitatem vocabulis appellant. At quo modo bellum dicatur juris persecutio, post impetratam à Præsidibus à te datis veniam, idque ex præscripto cautionis post violatum & Deorum numen & tui nominis Majestatem? Restat dicere, quæ ad captos homines pertinent. Cùm in Trachonitide cœpta essent latrocinia fieri, quadraginta primùm, mox major numerus in Arabiam perfugerunt. Hos in suam tutelam recepit Syllæus, his vicinas regiones populandas exposuit, ex horum sceleribus maximam quæstus partem in se vertit. Ac promisit eo quo modò dixi jurejurando, hos se dediturum eadem die, quæ & pecuniæ exsolvendæ erat præstituta. Neque verò docere unquam poterit, extra hos quenquam abductum ex Arabia, ac ne hos quidem omnes, sed qui in tantis latebris reperiri potuêre. Iam cùm videris, illud invidiæ plenum de hominibus captis nihil esse nisi calumniam, rogo aliud Cæsar cognoscas improbum figmentum, quo usus hic est, ut te ad iram concitaret. Pro cognito enim affirmo, cùm in nostras partes irrupisset Arabum exercitus, & eorum, qui Herodi parebant unus atque alter periissent, tum demum, non ante, sua tutante Herode, occubuisse Nacebum illorum ducem, & una homines non supra quinque & viginti, è quorum iste singulis centenos faciens, bis mille & quingentos narrat occisos. Nutantem jam ante maximè Cæsarem hæc maximè commoverunt: & ad Syllæum versus jam manifestus iræ, quærit quot Arabes interierint. Illo hærente & male se edoctum dicente, lecta est rei creditæ cautio, lectæ & Præsidum literæ & civitatum querelæ de latronibus. Tandem eò perductus est Cæsar, ut capitis Syllæum damnaret, Herodi verò conciliaretur, ut quem jam pœniteret eorum, quæ falsis delationibus circumventus duriora ipsi scripserat: & hoc quoque diceret Syllæo, se dolo malo illius inductum, ut in amicum veterem amicitiæ officia exueret.

Lib. 16. *cap.* 17. *pag.* 578. Herodes Beryto discedens, filios Alexandrum & Aristobulum Tyrum secum duxit. Ibi obvium habuit Nicolaum Roma venientem: cui cùm narrasset, quæ Beryti acta erant, quærit ex ipso, quæ Romæ amicorum de filiis ipsius esset sententia. Respondit Nicolaus, omnibus videri impia consilia, quæ adversùs ipsum filii suscepissent. Eam ob causam in vinculis custodiaque habendos. Si in posterum severior sententia placeret, posse puniri; neque interposito tempore causam fore cur id ira, non consilio fieri credatur. Si in mitiora inclinet animus, posse absolvi. Ita futurum, ne quid committatur immedicabile. Eandem esse sententiam Romæ amicorum. Rex diu multumque tacitus hæc apud se revolvens, Nicolaum secum navigare Cæsaream jubet.

Lib. 17. *cap.* 7. *pag.* 591. Hæc in filium Antipatrum dicenti Herodi obortæ lacrymæ finem dicendi fecêre: rogatusque ab ipso est Nicolaus Damascenus, amicus ipsi & convictor prope quotidianus, & qui plerisque his rebus, de quibus agebatur interfuerat, ut reliqua adderet, quæ ad criminum probationem pertinerent. ***Eodem capite.*** Nicolaus accusationem à Rege cœptam atrociùs persequens, argumenta omnia, quæ ex quæstionibus aut testium fide haberi poterant, densabat. Imprimis verò virtutem Herodis prædicabat & merita in bene educandis instituendisque liberis, quorum ille non modò fructum perciperet nullum, sed in alias ex aliis incideret calamitates. Neque adeo se mirari Alexandri & Aristobuli temeritatem: fuisse juvenes à malis consultoribus corruptos, ut fruendi imperii aut divitiarum nimia festinatione à naturæ legibus desciscerent. At Antipatri stupendum planè scelus, quem tot patris merita non flexerint, venenati in morem animantis, nisi quod hujus quoque generis feritas aliquid creditur benefactis emolliri: nec miseranda exempla absterruerint, quominus eos imitaretur obfirmato in duritatem animo. At tu ipse, tu inquit Antipater, index fuisti facinoris fratrum, tu argumenta suppeditasti, tu in convictos ut animadverteretur, fecisti. Nec id culpamus, quod in illis iram satiasti, sed hoc miramur, te tam subitò æmulatum ipsorum improbitatem. Hinc enim discimus, quæ fecisti antea, in iis propositam tibi fuisse non salutem patris, sed fratrum perniciem, dum insectando scilicet ipsorum malitiam id consequutus, ut patris amans filius credereris, majores inde vires ad scelus sumeres. Docet hoc res ipsa. Fratres sustulisti ob ea, quæ admiserant: conscios atque adjutores eorum non dedidisti, ut facilè appareat te tacito cum his fœdere inito accusationem aggressum, nimirum ut solus parricidii compos fieres, & duplicem sed utramque tuo dignam ingenio perciperes voluptatem: palam quidem confectis fratribus quo nomine ultro gloriaris, nec injurià, nisi etiam illis pejor esses repertus; clam verò dum Patris vitæ insidiaris. Non igitur illos ideo oderas, quod Patri moliti essent necem, nam id si esset, non te obligasses ejusdem criminis, sed quod regni heredes essent justiores. Patrem autem interficere voluisti, scilicet fratribus superadditum, ut periculum effugeres, ne, quæ in eos calum-

Digitized by Google

calumniatus es, detegerentur, & quæ tu meritus eras supplicia, ea de infelici patre exigeres: repertor non vulgaris parricidii, sed quale hactenus ignorat hominum vita. Non enim Patri tantùm eripere vitam conatus es, sed Patri amantissimo tui, beneficiis ab eo affectus, quibus majora excogitari nequeant, re ipsa jam particeps regni & successor designatus: ita ut voluptatem imperii re ipsa jam perciperes, & spem plenæ possessionis certissimam haberes, conscripta Patris voluntate. At tu non Herodis bonitate, sed pravitate ingenii tui res metiebaris, hoc agens, ut Patri indulgentissimo, partem, quæ ei restabat de imperio, auferres, & cujus conservator volueras dici, eum re ipsa conareris interficere: Ac quasi non satis esset temet malum esse, nisi etiam matris animum tuis pessimis consiliis impleres & fratrum concordiam rumperes. Etiam Patrem feram appellare ausus es, ipse pessimos serpentes exsuperans feritate animi, unde illud virus in proximos sanguine & tantorum tibi bonorum auctores in promptu esset, stipato satellitiis, armato astubus, nec virorum tantùm, sed & mulierum adversùs senem, quasi tuus ille odio tam injusto infessus animus ad maleficia non sufficeret. Et nunc apparere hic audes, ut post tortos homines, liberos, servos, viros, fœminas, tuam unius ob causam, post tot judicia eorum, qui tecum conspiraverant, veritatem oppugnes: quasi quod patrem rebus humanis voluisti eximere parum sit, nisi insuper evertas legem in te scriptam, & Vari æquitatem & ipsam vim justitiæ, dum priùs habitis quæstionibus fidem detrahis, ut illi scilicet, qui Patrem tuum salvum voluerunt, mendaces habeantur; illis verò credatur quæstionibus, quas tu rexisti. Quando Regem liberabis, Vare, à suorum insidiis? quando extingues portentum illud, eum dico, qui in fratrum perniciem, Patris amorem simulavit? cùm jam verò solus brevi regno esset potiturus, fata ejus præcipitare voluit. Scis quippe, parricidium in omnem ferri injuriam, neque minùs naturæ ac vitæ hominum esse infestum, quàm ei, cui exitium molitur. Addidit super hæc Nicolaus quædam à matre Antipatri muliebri vanitate effusa, consultos vates & sacra facta, quibus Rex devoveretur; & quæ in Pheroræ uxores Antipater in vini atque amoris æstu protervè fecerat. Tum verò repetiit, quæ tormentis comperta erant, & quæ plurima testes partim præmeditati, partim ex tempore eoque certiora responderant.

Eodem libro pag. 594. Postquam Nicolaus & dicere & dictorum probationes afferre desierat, jussus Varus Antipatrum contradicere, si quid haberet, quo se non teneri criminibus, quorum accusabatur, ostenderet.

Libro XVII. cap. XI. pag. 602. Archelaus ad mare descendit, matrem secum ducens ac præterea Nicolaum, & Ptolemæum, & amicorum alios.

Eodem capite pag. 604. Tum pro Archelao Nicolaus dicere incipit. Qui enim tales res cœptant, non eo tantùm injustos esse, quod innocentes vexant, sed & quod pacis & æqui amantes in ultionem impellunt. Hos autem homines verbo quidem in Archelaum patrasse hostilia, re ipsa autem in Cæsarem res aperta est. Constat enim, quos ad vim ac injuriam prohibendam Archelaus miserat, occisos ab illis neque Deum neque fas dierum nobis sanctissimorum verentibus: Et hi sunt, quorum non puduit Antipatrum, suscipere tutelam, sive ut odio in Archelaum suo morem gereret, sive quod jus & æquum omne aversetur. Certè, qui adoriuntur alios, nihilque mali suspicantes injuriis lacessunt, hi sunt, qui nolentes cogunt sui tuendi causa ad arma recurrere. Tum reliquorum omnium, quæ objecta fuerant, causam assignavit iis ipsis, qui consilio erant accusatoribus. Nihil referri, unde color quæratur injuriæ, quod non ipsis factum sit suasoribus. Neque ea per se esse improba, sed in odium Archelai ita referri, ut improba videantur. Tanto illos agi studio lædendi cognatum hominem de ipsorum parente bene meritum & ipsos omnibus amicitiæ officiis prosequutum. Testamentum à patre factum bene mentis compote, & haud dubiè posteriores tabulas potiores esse prioribus, eoque magis, quod Cæsari omnium, quæ in iis scripta sunt, plenissimum arbitrium relinquitur. Non timendum, ne horum iniquitatem Cæsar imitetur, qui Herodis, ex cujus viventis potentia fructus plurimos cepere, nunc mortui voluntatem oppugnant, idque satis sibi conscii, neutiquam se de Herode ita meritos, ut Archelaus fuit. Non is est Cæsar, qui viri amici, bellorum socii, qui in omnibus etiam in hoc ipso à Cæsare pendere semper voluit, rescindat testamentum suæ commissum fidei. Multum ab horum malignitate abest Cæsaris virtus ac fides toti humano generi testatissima, neque id in eum cadit, ut non sanæ mentis pronuntiet Regem, qui primùm filio bono hereditatem reliquerit, deinde in hoc ipsius Cæsaris fidem imploraverit. Quando testamentum condidit Herodes, ita sapuit, ut Cæsaris arbitratui cuncta submitteret: ne in herede quidem eligendo desipere potuit. In hæc verba desiit Nicolaus.

Ex Athenæo lib. XIV.

Athenæus libro XIV. pag. 652. *edit. Græco-Latin. Is. Casaub.* 1591. De illis palmulis, quas Syria mittit Nicolaos nomine hoc vobis dicendum habeo, ea appellatione donatas ab Augusto Imperatore, qui hoc victu unicè delectabatur. Amico autem utebatur Nicolao Damasceno, qui sæpe ad illum tales palmulas mittebat. Erat hic Nicolaus Peripateticæ familiæ, multumque in Historia scripsit.

Ex Photii Bibliotheca.

Pag. 242. *edit. Gr. Augustæ Vindelic.* 1601. In eodem volumine lectus est nobis Nicolai liber inscriptus Herodi Iudæorum Regi, collectos continens mores populorum admiratione dignos. Consentit in multis admirandis, quæ collegit Alexander, & his, quæ Conon reliquit, ita tamen, ut multa addat, aliqua etiam aliis narrata nonnihil immutet. In eloquendo est quidem adstrictior, non ita tamen, ut perspicuitatem deserat, eos autem, quos jam nominavimus, superat & tereti involutione orationis & vi dicendi. Memorat nonnulla, quæ quanquam satis mira sunt, aliorum tamen scriptorum fulciuntur testimonio. sunt in eo & alia quæ ignota quidem absque eo forent, sed quæ non apertè tamen pugnent cum eo, quod veri sit simile. Docet enim hoc maximè, gentes ab aliis alias moribus plurimum distare. Reperias & aliqua incredibilia. Hunc ego Damascenum illum Nicolaum esse existimo, qui Augusti vixit ætate & ab eo amicus dictus est: à quo acceptas placentas quasdam missas in honorem ejus, qui multa major, ipsum tamen amicitia sibi æquabat, Augustus ex donantis nomine Nicolaos appellavit. Idem hic, quantum olim lecta memoria complector, Assyriacam quoque Historiam grandi opere descriptam reliquit. *Ibidem.* Multa in hujus scriptis reperias, quæ etiam Conon collegerat, & quæ Apollodorus in sua dixerat Bibliotheca, & quæ Alexander suis inseruerat libris, quæque Nicolaus comprobaverat, & occupaverat Protagoras.

Ex Eustathio ad Odyss. Σ.

Καὶ τοὺς Νικολάους τὰ μελίπηκτα ἔκ τινος ὁμωνύμου ἀνδρὸς ἁδρόντος προσκαλοῦσί τινες ἀπὸ τοῦ Ναυκρατίτου σοφιστοῦ ἔχοντες ἀφορμήν. Sic & placentas quasdam sunt, qui Nicolaos vocent, ex nomine repertoris, auctore Athenæo Naucratita.

Fragmenta ex Nicolai Damasceni Universali Historia.

Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 12. *cap.* 3. *pag.* 398. Nec aliter in Iudæos affectum fuisse Marcum Agrippam accepimus. Nam cùm Iones motu adversùs Iudæos excitato orarent Agrippam, ut jura civitatis, quæ dederat ipsis An-

Digitized by Google

Antiochus Seleuci nepos, quem Deum Græci vocant, soli haberent, aut si ejusdem gentis censeri vellent Iudæi, simul cum ipsis Ioniæ colerent Deos, delata ad judicium controversia Iudæi Nicolao Damasceno, causam tenuêre. Respondit enim Agrippa non licere sibi quicquam mutare de præceptis moribus: quæ exactius si quis nosse cuperet, ipsum Nicolaum legat Historiarum libro centesimo vicesimo tertio & quarto. *Lib. 16. c. 11. pag.* 593. Herodes enim cùm multas erogationes domi forisque faceret, audito Hyrcanum, qui ante ipsum regnarat, aperto Davidis sepulcro tria inde millia talentorum argenti abstulisse, cùm multo plura restarent sumptus quamvis magnos expletura, jamdudum quidem id imitari in animo habuerat. Hoc verò tempore noctu aperto monumento intrat, sollicitus ne per Vrbem hoc innotesceret, ideoque amicorum non nisi fidissimos assumpserat. Depositas tamen pecunias ut Hyrcanus non invenit, sed multum in ornatu auri & gemmarum, quæ abstulit omnia. Voluit & ad diligentiorem indaginem interius penetrare ad conditoria corporum Davidis & Salomonis, sed duo ex ipsius comitatu perierunt, flamma ut fertur è penetralibus erumpente. Queis ipse territus piando facinori ad os monumenti opus struxit magni impendii candido è marmore. Et operis quidem hujus meminit Nicolaus, qui illa ætate Historiam scripsit, sed non & Regis descensum illum commemorat, gnarus factum id non ex honesto: eundemque morem ubique in scribendis rebus servat. Nam cùm vivente illo & regnante scriberet, regi cujus gratiam magni faciebat, obsecutus est, eaque tantum attigit, quæ ad ipsius gloriam pertinerent. Contra verò, quæ haud dubiè facta erant improbè, ea aut quæsito colore pinxit aut obduxit silentio. Nam & Mariamnes, filiorumque ejus cædem crudeliter à Rege patratam, specie aliqua recti excolere cùm vellet, illius impudicitiam, horum etiam insidias confinxit. Atque ita passim in omni scriptione rectè à Rege Herode facta supra modum prædicat, peccata verò laboriosè excusat. Sed ei forte aliquis veniam det: neque enim in posteritatis usum Historiam scribebat, sed operam hanc Regi gratificabatur.

Iosephus libro 2. contra Appionem. Locus deest in Græco. Quia verò Antiochus neque justam fecit Templi deprædationem, sed egestate pecuniarum ad hoc accessit: cùm non esset hostis; & socios nos insuper suos & amicos aggressus est: nec aliquid dignum derisione illic multi & digni conscriptores super hoc quoque testantur, Polybius Megalopolitanus, Strabo Cappadox, Nicolaus Damascenus, Timagenes, & Castor Chronographus, Apollodorus; qui omnes dicunt, pecuniis indigentem Antiochum transgressum fœdera Iudæorum, & spoliasse templum auro argentoque plenum.

Athenæus libro 15. *p.* 682. Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν πρὸς ταῖς ἑκατὸν, περὶ τὰς Ἄλπεις λίμνην τινά φησιν εἶναι πολλῶν σταδίων οὖσαν, ἧς περὶ τὸν κύκλον πεφυκέναι δι' ἔτους ἄνθη ἥδιστα καὶ εὐχροώτατα, ὅμοια τοῖς καλουμένοις κάλχαις. *Nicolaus Damascenus libro* 108. *Historiarum non procul ab Alpibus lacum esse dicit in multa stadia patentem, in cujus ambitu nascantur quotannis flores suaveolentes & pulcherrima specie, non multum diversos ab iis, quos Calchas dicimus.*

Iosephus Antiquit. Iud. lib. 1. *c.* 4. *pag.* 10. Est in Armenia supra Minyadem mons ingens Baris nomine, in quem confugisse multos diluvii tempore atque ibi servatos fama est. Quendam verò in Arca vectum in ejus appulisse verticem, multumque in tempus mansisse lignorum reliquias. Hic credo, idem ille est, qui à Mose Iudaicarum legum conditore describitur.

Athenæus lib. VIII. Libro CIV. Apud Apamæam Phrygiæ, quo tempore in Miltiadem bellatum est, post terræ motum, plurimi in diversis agri partibus lacus novi erupêre. Amnes quoque & fontes, apertis terræ concussu viis. Alii qui ante erant lacus evanuêre. Tantum præterea in ipsa terra & quidem à mari longissimè distante scaturiit aquæ salsæ ac cæruleæ, ut vicina loca ostreis aliisque marinis piscibus opplerentur.

Ex Plinio.

Plinius Historia Naturalis libro XIII. cap. 4. de Palmis. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudine præcipuæ. quaterni cubitorum longitudinem efficiunt.

Ex Plutarcho.

Symposiacorum libro VIII. Problem. 4. At nihil adeo supra cæteras arbores speciosum habet palma, ut quæ in terra Græcia ne fructum quidem ferat vescum, sed crudum immaturumque. Nam si ferret palmulas, quales in Syria & Ægypto habet, aspectu gratissimas nec gustu minùs suaves, nulla esset arborum ei comparanda. Nam & Imperator, ut ajunt, cùm supra amicos cæteros diligeret Peripateticæ Philosophiæ sectatorem Nicolaum, suavem moribus, corpore in longitudinem tenuato, vultu verò in palmularum similitudinem rubescente, optimas ac maximas palmularum appellavit Nicolaos, & nunc quoque id nomen obtinent.

Vetus Geographus sub Constantino editus à Iacobo Gothofredo. De Iudæa & Syria. Hi & omnibus bonis abundant. Nicolaum itaque Palmulam in Palæstinæ regione loco, qui sic vocatur. Ierícho similiter & Damascena & alteram palmulam minorem & pistacium & omne genus pomorum habent.

Constantinus περὶ θεμάτων *lib. I.* Thracenses verò hac de causa vocati sunt. Halyatte apud Lydos regnante vir quidam cum uxore & liberis egressus ex ea Thracum regione, cui Mysiæ nomen est, cujusque Homerus isto versu meminit, *Mysorum pugnax genus & celebres equimulges*, transit in Asiæ partem eam, quæ Lydia dicitur, habitavitque non longè Sardibus. Cùm verò ad urbis mœnia consideret, transit illius Thracis uxor urnam gestans capite, manibus colum & fusum. Zonæ autem à tergo adcinctus erat equus. Vrna, quæ capite gestabatur, aquæ erat plena, manibus vero fusum de colo devolvebat. Equus, qui zona trahebatur, ductus aquatum fuerat. Hanc Rex conspectam miratus, rogavit unde veniret, quæ, cujatis. Respondit, Mysam se, è modico Thraciæ oppido. Hinc Rex occasione sumpta ad Thracum Regem, cui tum Cotyi nomen erat, Legatione missa impetrat inde colonos, cum uxoribus ac liberis numero satis magno. Ex hac natione vocati sunt, qui Asiam minorem incolebant, Thracenses, quod illa præ cæteris esset industria laborumque patiens, & ad omne, quod tractatur manibus, opificium idonea. Tota autem Thracensium provincia plures in se gentes continet, Lydos, Mæonas, Caras, Ionas. Nam qui Miletum & Ephesum colunt, Iones vocantur; qui verò interiora habitant, partim Lydi sunt, in quibus Sardiani, partim Mæones ac Cares, quibus accedunt, qui minorem Phrygiam colunt. Et sic quidem se res habet Thracensium. Historiam autem illam scripsit Nicolaus Damascenus, libro octavo & decimo, is ipse, qui Herodi Regi scriba fuit.

NICOLAI DAMASCENI.

De Vita Augusti.

HOc illi nomen in summi honoris testimonium impofuit, ipsumque templis & victimis veneratus est consensus hominum in tot partes continentis, totque insulas, in tot oppida ac gentes discedentium, ut & virtutes ipsius maximas & collata in se beneficia rependerent. Hic enim ille est, qui ad summum tam prudentiæ quàm potentiæ culmen evectus, omnium quos memoria complectitur hominum latissimè imperavit, & longinquissimis terminis Romanum sepsit imperium, & in solida pace locavit Barbarorum Græcorumque non populos tantum, sed & ani-

animos, cum armis primùm in eos usus, mox sine vi ipsas sibi conciliaret voluntates, & humanitate incredibili omnes in sui obsequium pelliceret: quo factum est, ut illos quoque feritatem dedoceret, quorum ante vix nomina audiebantur. Nullis enim temporibus, ad quæ hominum memoria potest pertingere, unquam alieno imperio paruerant, qui Rhenum accolunt, & qui trans Ionium sunt mare, & Illyricæ originis gentes, quos Pannonios & Dacos vocant.

Hic vir quantum & consilio & virtute præstiterit, argumento sunt tùm ea, quæ in Republica administranda fecit, tum ea, quæ gessit Imperator, in civilibus externisque bellis: quæ omnia dictis scriptisque prosequi, benigna ingeniis materia proposita est, in partem famæ venturis præclara facta celebrando. Ego verò res ipsius hactenus commemoraturum me polliceor, ut verum omnibus pateat. Incipiam igitur originem ejus & indolem describere, quibusque parentibus, quomodo educatus atque institutus eo fastigii pervenerit. Pater ei C. Octavius Senatorii fuit ordinis, cui cùm majores & re & æquitate nobiles impuberi adhuc rem reliquissent, & eam tutores malè tractassent, suæ ætatis factus eo quod reliquum ipsi fecerant, maluit esse contentus, quàm jure & judice uti.

Nonum agebat annum, cùm jam omnibus ingenium ipsius esset pro miraculo, summum tali ætate, ita ut orationem habens apud multitudinem maximis laudantium clamoribus & applausu fuerit exceptus. Mortua avia vixit apud matrem Atiam, & ejus maritum L. Philippum illis ortum majoribus, qui Regem Macedonum Philippum bello devicerant. Apud hunc tanquam apud parentem educatus multam de se spem præbuit. Iam venerabilis erat æqualibus suis nobilissimis pueris, plurimique eum frequentabant etiam juvenum, quibus in propinquo spes erat honores capessendi. Prodeuntem prosequebantur quotidie magno numero viri, adolescentes & pueri, in quibus nos tum eramus, sive equo extra urbem vehebatur, sive cognatos aut alios visurus iret. Nam pariter & animum exercebat honestissimis studiis, & corpus generosis laboribus bellique meditamentis: & quæ didicerat, faciliùs quàm docentes ipsi in rem conferebat; quod vel maximè civitati eum admirabilem fecit. Intenti verò in eum & mater & vitricus Philippus, nullo die omittebant quærere ex præceptoribus & custodibus, quos ipsi apposuerant, quod egisset, quo ivisset, quibus in rebus & quibuscum trivisset diem. In primo terrore belli civilis misère Octavium, qui post Cæsar & ipse dictus est, Philippus & Atia in rus avitum. Anno ætatis quarto & decimo forum ingressus est, cùm prætexta posita puram togam viris postea annumerandus sumpsisset. Suspiciebat eum populus Rom. ob generis nobilitatem domusque splendorem, quamobrem post sacra Diis facta cùm sacerdotii honorem in L. Domitii locum peteret, favente ipsi populo renuntiatus est: ac sub idem ferè tempus & veste virili & tam eximia dignitate publica obire sacra cœpit. Quanquam verò ob hoc inter viros Romano more habitum, vetuit tamen mater prodire foribus, nisi iturum quo ante solebat, iisdemque illum institutis vivere & cubare, quo ante cubiculo cogebat, ita ut lege tantùm vir esset, cætera pueri in modum regeretur. Vestem variabat nunquam, semper patrium in morem excultus. Ad sacrificia legitimis temporibus ibat, sed noctu, ne formam in publico ostentaret. Conspectus enim plurimas feminas in amorem egisset illa specie oris ac generis claritate. Erant, quæ insidiarentur. Sed capi non poterat, ita eum custodiebat & mater pervigili cura, & ipse insuper sese, sapientia non minus quàm ætate procedens. Latinarum feriarum tempore, quo consules in Albano monte manere mos habet ut ibi sacra vetusta faciant, alios autem sacerdotes ipsis in jure dicendo succedere, sedit pro tribunali Octavius medio in foro, ubi cum innumeri accedebant homines, juris consequendi gratia, nonnulli etiam nullum ob negotium nisi conspiciendi adolescentis. Erat enim & alias spectabilis, & tum maximè, cùm ad cætera dignitas & respondens dignitati gravitas accederent. Inter hæc C. Iulius Cæsar, maximis per Europam bellis ipsius quoque Pompeji in Macedonia victor, capta Ægypto, è Syria & Ponto in Africam flectebat, ut, quod ibi erat reliquum, conficeret: cujus militiæ particeps esse quanquam multum desiderabat Octavius, ut & belli rerum peritiam assequeretur, matrem tamen Atiam adversam sentiens, nihil contra aut dixit aut molitus est. Nam & ipse C. Iulius ut ejus amantissimus, nondum illum volebat in bellum ire, ne in corpore parum firmo vivendi ratione mutata valetudo quoque in deterius mutaretur. Hæc illum id temporis militia arcuerunt. Romam reverso post hoc bellum feliciter confectum C. Iulio, cùm is captorum paucis ignosceret ob contumacem post tot suas ante victorias animum, res talis accidit. Maxima intercedebat Octavio cum Agrippa consuetudo, atque amicitia una instituta, & comite prope individuo. Huic frater erat, qui & impensè coluerat Catonem, & in bello Africano ejus partibus se applicuerat, infeliciter quippe captus. Volebat ei libertatem deposcere Octavius à C. Iulio, quem nunquam adhuc quicquam poposcerat, sed absterrebat eum pudor, & victoris in eo bello erga victos severitas. Tanta confirmato animo petiit, & quod petiit consequutus est, lætus ipse, quod amico fratrem servasset, maximisque omnium laudibus celebratus quod gratiæ suæ & precum primos fructus ad amici salutem retulisset. Triumphans C. Iulius de Afris, aliisque, devictis hostibus, Octavium, quem jam pro filio habebat, cùm etiam natura aliquo modo id esset, ex avia natus sorore Caji Cæsaris, currum equo sequi jussit, ac donis militaribus donavit, quasi particeps ejus belli fuisset. Sed & in sacrificiis omnique Deûm honore ipsum sibi proximum stare voluit, aliosque omnes ei decedere. Iam Imperator dictus erat Iulius, quod maximum apud Romanos honoris nomen, eximiaque populi reverentia, tum alibi, tum in Theatris maximè colebatur. Aderat illi & in publico & in conviviis Octavius Cæsar, vidensque ipsum benignè paterno more se alloqui, servata paulo majore fiducia cùm & amici & cives alii, quorum opus habebant desideria per ipsum C. Cæsari allegarent, ille idoneis temporibus captatis, quæ postulabat, facilè obtinuit, maximoque usui necessariis suis fuit, id unicè observans ne aut alieno tempore C. Cæsarem appellaret, aut molestus ipsi esset. Ita ille quotidiana dabat & humanitatis & insitæ prudentiæ experimenta. Et ut vulgi quoque voluptatibus misceri disceret de duobus theatris C. Cæsar, cùm Romano præsideret ipse, Græcanico Octavium præsidere jussit, qui dum & diligentiam suam & civilem animum approbare omnibus cupit, etiam longis & æstuosis diebus ad finem usque spectare perseverans, ætate laborum inexperta in morbum incidit, cujus augescente periculo magnus omnes pavor incidit, ne quid tam insignis indoles humanitus pateretur. Sed ipsum ante alios C. Iulium, qui quotidie aut assiduus erigebat ægrotantem, aut amicos mittebat, medicos verò nunquam patiebatur abscedere. Evenit ut cœnanti nuntiaretur, jam ita malè habere juvenem, ut animus deficeret. Exsiluit subito, & ne soleis quidem sumptis ad ægrotantem cucurrit. Ibi medicorum singulos prensat, orat, metum verbis vultuque ostendit: assidet tandem animo inquietissimo, donec Octavio spiritus rediit. Cùm jam hactenus convaluisset, ut abesset quidem periculum non etiam languor corporis, urgebat res C. Cæsarem ire in bellum; ad quod Octavium comitem ducere constituerat, nisi morbus impediisset. Quare relictis inspectoribus, qui sollicita victus regula eum recrearent, & mandato ut sequeretur, si quando cum sanitate robur quoque recepisset, in hostem proficiscitur. Is erat Pompeji

Digitized by Google

peji Magni filiorum natu maximus, qui brevi tempore præter spem omnium ingenti collecto exercitu tentabat ulcisci patrem, & partes afflictas resulcitare. Romæ relictus Octavius Cæsar, maxima habita refovendi corporis cura, facilè vires resumpsit, urbeque egressus petiit exercitum ut avunculus jusserat; ita enim eum appellabat. Plurimis comitari volentibus ut spei summæ proximum, ipse nec eos nec matrem assumpsit, sed lectis servorum expeditissimis valentissimisque iter arripuit, & incredibile quanta celeritate tantum viæ confecit. Non longè jam aberat à C. Cæsare, septimum jam mensem in illo bello versante. Tarraconem ubi venerat, mirabantur omnes, quo iturus esset juvenis in tanto belli æstu. Ille verò cùm ibi C. Cæsarem non reperisset, non sine novo labore ac periculo interiora Hispaniæ petit, ipsumque apud Calpem assequitur. Videns insperatò C. Cæsar, eum quem ægrotantem reliquerat, non ex morbo tantùm sed & ex hostibus latronibusque servatum, lætus ut filium amplexus est, neque à suo latere sivit discedere. Multumque laudatum ob diligentiam pariter & solertiam, qui primus Roma ad se venisset, de industria inter colloquendum multa percunctatus est, quo certiùs ingenium ejus exploraret. Cumque deprehendisset suspicacem, exquisiti judicii, sermonis parcum, ut non nisi maximè convenientia responderet, multò quàm ante eum dilexit impensiùs: Navigandum erat Carthaginem, præceptumque Octavio fuerat, ut eandem cum Cæsare navem servis quinque comitantibus ascenderet. Ille verò amicos tres insuper intulit: timens tamen ne apud Cæsarem in culpam veniret eo nomine; quod contra evenit. Gavisus enim est hac ipsius in amicos fide, & probavit quod spectatores actionum suarum habere vellet viros virtutis amantes, ac sic egregium sibi bonæ famæ commeatum in patria pararet. Carthaginem ut venit C. Cæsar, vacare audiendis omnium desideriis cœpit. Plurimi enim convenerant, alii ad disceptandas, quas habebant, controversias, alii ob publica negotia, nonnulli etiam, ut præmia acciperent eorum, quæ fortiter quique fecerant: etiam aliarum provinciarum rectores non pauci aderant. Heic Saguntini graviter accusati ad opem Octavii confugiunt, qui eorum causam suscepit, optimeque egit in publico apud Cæsarem. Eventus judicii is fuit, ut absolverentur, dimissique domum hilares, summis laudibus tollerent juvenem salutis suæ auctorem. Ex eo omne hominum genus ad ipsius tutelam se contulit, quibus ille se utilissimum præbuit: hos criminibus liberans: omnibus in ore fuit obvia ipsius bonitas, & in commendandis negotiis prudens animus. Cæsar ipse comperto, ... fugiebat ebriosos juuenum cœtus, neque conviviis ultra vesperam intererat. Ante decimam horam non cœnabat nisi apud Cæsarem, aut Philippum, aut Marcellum sororis suæ maritum, virum gravem & nobilitate inter Romanos eminentem. Verecundiam aliquis adolescentiæ propriam putet, quod aliis virtutibus natura sequentem ætatem dicaverit. At ille eam per omnem vitam retinuit, factisque constanter testatus est. Neque tam ob sanguinis conjunctionem, quod plerique arbitrabantur, quàm ob hanc verecundiam maximi illum fecit Cæsar. Constituerat quidem & ante, eum adoptare, sed metuens, ne tanta spe elatus, quod solent, qui in summa felicitate educantur, à virtute descisceret, vitamque mutaret, arcanum tenuit hoc consilium. Testamento igitur in nomen ac familiam ut filium adoptavit & hæredem fecit, quadrante tantùm aliis amicis & civibus assignato, ut postea apparuit. Venia à Cæsare accepta ut matrem salutare liceret, Romam profectus est. Occurrit illi ad Ianiculum cum multa hominum turba juvenis ille, qui C. Marii filius & ab aliis dicebatur & agnosci talis volebat, habebatque secum propinquas C. Cæsaris mulieres, quæ testimonium ipsi de genere ferebant. Sed neque Atiam neque sororem Atiæ permovere potuerat, ut insititium in cognationem suam admitterent. Fuerat enim C. Marius conjunctus sanguine Cæsari: sed hic juvenis ad eum minimè pertinebat. Qui tunc cinctus multitudine cùm ad Octavium accessisset, hoc omni modo agebat, ut ejus suffragio in nomen illud & jus gentis admitteretur: idemque magno studio ab eo contendebant, qui aderant cives Romani, in animo suo persuasi, hunc verè Marii esse filium. Perplexa res erat ad videndum Octavio, quid facere deberet. Vt cognatum salutare, quem, unde esset, non nòverat, cui mater, quod diceret, non attestabatur, durum sanè: repellere juvenem & faventem ipsi civium multitudinem pudoris maximè pleno, haud magis expeditum. Respondet tandem placidè eum à se amovens, C. Cæsarem esse eundem & generis sui & civitatis omnisque Romani imperii principem: ad eum iret & de cognatione documenta afferret. Si ipsi fidem ejus rei faceret, eandem & sibi omnibus persuasam fore. Sin, nihil sibi cum ipso commercii. Interea verò dum C. Cæsar cognovisset, neque aditurum se ad ipsum neque consanguinitatis jure quicquam ab ipso postulare. Hæc cùm tam providè, respondisset, & qui aderant illum laudabant & juvenis ille non destitit eum officii causa domum usque prosequi. Domicilium autem sibi sumpsit Octavius in vicinia Philippi ac matris, ac vix sine illis egit, nisi si quando, & id raro, æquales suos convivio exciperet. Dum in Vrbe versatur, à Senatu Patriciis adscriptus est.

Sobrium fuisse & temperatissimi victus Octavium. Mirum verò vel illud maximè, cujus conscii erant ipsi familiares. Anno toto in ea ætate, qua maximè lasciviunt juvenes, præsertim fortunati, Venere abstinuit & voci & viribus consulens.

Libro Sexto.

Si mea sponte hæc commisi ego, eorum, quæ feci, pœnas luam: sin veneficiis huc malorum adactus sum, ii, qui venenis grassati sunt, supplicia pro scelere pendant. Hæc ubi dixerat, spectantibus cunctis semet interemit. Et alii quidem ei illudebant ut guloso, alii verò eum miserabantur, ut cui venenis corruptus fuisset animus. Credebant enim ab Iardane id profectum, qui eum graviter oderat.

Ita olim creditum eminere in Græcis prudentia Amythaonidarum genus. quod & Hesiodus his indicat versibus:

Obtigit Æacidis dono Iovis armipotens laus;
Mens Amythaonidis; opulentia cessit Atridis.

Herculis posteros ita ut ipsis cum Philenomo, cujus proditione usi erant, convenerat indivisam reliquisse Amyclæorum regionem. At ille, ut quem facinoris puditum erat, haud comparuit. Atque ita factum est, ut Herculis posteri hanc quoque inter se partem dividerent. Attamen cùm ille postea ex Lemno eò venisset cum exercitu, icto æquo fœdere partem terræ eandem ei reddiderunt: atque ille, cùm inter suos ejus regionis agros divisisset, unà cum his ibi mansit Amyclis regnans.

Lycaona Pelasgi filium Arcadum Regem instituisse paternis de justitia colenda præceptis. Quare cùm & ipse pro virili subditos sibi populos ab injustitia vellet avertere, dixit, Iovem ad se sæpe venire peregrini habitu, nempe ut qui essent homines æqui bonique reverentes aut secus, adverteret. Tempore quodam cùm Deum sibi hospitem venturum diceret, sacra fecit. Liberos habebat numero quinquaginta multis ex matribus. Hi verò, qui ad sacrum vocati erant, aventes scire, an revera Deus interfuturus esset sacro convivio, unius liberûm Lycaonis à se occisi carnes, victimæ carnibus permiscuerunt, pro certo habentes si præsens adesset Deus, haud clam futurum quod fecissent. Fert autem fama quotquot pueri cæde contacti erant, eos interiisse omnes atris tempestatibus ac fulminum fragore, quem Deus excitavit.

Hippo-

Digitized by Google

Hippomenem Atheniensium Archontem imperio isto excidisse tali de causa. Filiam suam stupro ab aliquo familiarium ipsius pollutam in carcerem unà cum equo inclusit, alimenta nec equo nec ipsi præbens. Equus fame urgente puellam absumpsit. Non multò post fame mortuus & ipse. Ob id factum domo ipsius diruta, pars illa nomen accepit Equi ac Puellæ.

Acasti uxorem amore Pelei tactam de concubitu eum appellasse. Rejecta ab ipso, & indicem metuens, apud maritum ultro occupat, & tanquam pudicitiæ suæ sollicitatorem defert. Credulus uxori maritus insidias Peleo ponit, sed irritas. Præsensit enim, & apertè bellum parat, advocatis in armorum societatem Tyndaridis, & Iasone, qui non minùs inimicus Acasto erat, quàm amicus Peleo, qui cùm in Argo navigaverat. His fultus auxiliis capit urbem Iolcum, ipsamque Acasti uxorem interimit.

Lycurgum hunc vitæ suæ habuisse exitum. Cùm Apollinem, ita enim fama habet, consulere vellet, an leges quasdam novas prioribus adderet, jurejurando obstrinxit Lacedæmonios, ne in ulla parte ab iis, quas tulerat, legibus ante reditum suum discederent. Postquam verò ex oraculo didicit, felicem fore civitatem, si latas ab ipso leges constanter servaret, constituit in patriam reverti nunquam, ut servandarum legum quasi obsidem teneret adstrictam jurejurando populi fidem. Neque hoc tantùm, sed & Crissam profectus manu sibi fecit vivendi finem. Lacedæmonii intellecta viri eximia virtute non ex vita modò omni, sed vel maximè ex tali exitu, fano structo araque ibi excitata sacra quotannis facere Lycurgo, ut heroi cœperunt. Verè enim unus homo hic Spartanis in perpetuum auctor fuit & virtutis, & virtutem comitantis imperii, cùm ante ea tempora nihilo, quàm cæteri Græciæ populi, emendatiùs viverent. Neque verò leges tantùm dederat optimas, sed &, ut iis parerent, sponte sua id non facturi, hoc, quem nunc narrabimus, expresserat modo. Raptos una de matre catulos duos educavit seorsim & ratione diversa. Alterum quidem domi retinens, cui daret assatas carnes & alias ciborum delicias: alterum verò venatu exercens & cursu per montes. Vbi jam uterque talis evaserat, qualis educatio fuerat, ac fortè tunc Spartani, in consilio capiendo de bello cum finitimis perplexi hærebant, adductis coram canibus & unà cum eis capreis ac loris & coctorum ciborum apparatu, ita infit, Quod bene maleve agant animantia, ejus causam esse, quod rectis aut pravis moribus insueverint, ex re præsenti est nobis discere, Spartani. Hi duo, canes monstrabat, matris ejusdem genus, sed in diversis rebus educti, videtis quàm inter se facti sint dissimiles. Hic venari, ille ligurire edoctus, nihil aliud modò copia fit, prætulerint. Hoc dicto signum dedit custodi, qui eos vinculis tenebat, ut dimitteret. Statim domesticus ille in cibos involat, agrestis in capream, comprehensamque dilacerat. Tum rursum Lycurgus; Ita habete, Spartani, hoc spectaculum ad vos quoque & alios homines pertinere. Prout enim instituta erunt, & leges, quibus utemini, ita affecti eritis ad labores aut voluptates. Omnia enim hominibus discenda Dii dederunt. Consequens verò est laborare volentibus liberos esse, in actione versari, imperare cæteris. Voluptati indulgentibus, servire, pravè facere omnia, contemni denique. His ille monitis excitavit Spartanos, ut honestum inirent vitæ genus, & meliora, quàm priùs, instituta sectarentur. Quibus illi parendo non inter accolas modò, sed profectò inter Græcos omnes haud dubiè optimi evaserunt, eorumque Principes manserunt per annos quingentos, ex quo eas leges receperant, ac mirum, quàm parvo temporis spatio, quo virium processerint.

Libro Septimo.

Periandrum fuisse Cypseli Corinthiorum Regis filium; qui cùm ut natu maximus in patrium regnum successisset, sævitia ac violentia ingenii regiam auctoritatem in dominatum convertit, trecentorum hominum stipatus satellitio. Vetuit quoque civibus ne servos haberent, & nova semper opera eis indixit ut otio abstinerent. Etiam in foro considentes mulctabat, tanto tenebatur metu, nequa adversùs se consilia caperentur. Dicitur & aliud facinus admisisse, impium præ amore maritum agens in uxorem jam mortuam. Exercitus perpetuò ductabat, ad bella egregius; multisque ædificatis navibus longis utrique mari imminebat. Sunt qui illum inter septem sapientes numerent, sed perperam.

Magnetem Smyrnæum, fuisse specie egregium, neque minùs cantu versibusque faciendis nobilem. Corpus quoque magnificè colebat induens purpuram, & comam alens, quam aureis in verticem nodis colligabat. Talis perambulabat urbem carminum artem ostentans. Multos ille in sui amorem traxit, Gygem maximè, cui in deliciis fuit: neque minùs mulieres, quaqua adesset, inflammabat. Magnetum quoque uxores, quarum concubitu haud abstinebat. Id propinqui ipsius sibi indecorum rati, obtentu hoc arrepto quod in carminibus Magnes celebrasset Lydorum equestrem de Amazonibus victoriam; nulla Magnetum mentione, impetu in ipsum facto sciderunt vestem & comam totonderunt, & si quid addi poterat contumeliæ, addiderunt. Graviter id tulit Gyges ipsamque Magnetum terram non semel hostiliter incurrit, tandemque ipsa urbe capta triumphum inde Sardes magnificum deportavit.

Sadyatten Lydis Regem fuisse Halyattæ filium, ut non ignavum ad res bellicas, ita libidini haud temperantem. Nam & sorori ipse suæ, quæ Mileto viro dignitatis primariæ nupserat, ad sacrificium vocatæ vi stuprum intulit ac palam ex eo tempore pro uxore habuit. Erat autem Miletus ille ex posteris Melanis, ejus, qui Gygis fuerat gener, qui tanta injuria, ut par erat, commotus exsulatum ivit Dascylium. Sed cùm inde quoque eum exegisset Sadyattes, abiit porro in Proconnesum. Sadyattes verò alias uxores sorores inter se duas duxit; ex quarum altera Attalen, ex altera Adramyn sustulit, qui pro nothis habiti sunt, cùm legitimus solus censeretur Halyattes, quem ex sua ipse sorore genuerat.

Sadyatten Halyattæ filium Lydorum Regem cùm juvenis esset, procacem fuisse & libidinibus deditum. Postquam verò in virum evaserat, factus est & continentissimus, & æqui servantissimus. Hic Smyrnæis intulit bellum, urbemque cepit.

Halyatten Lydorum Regem, qui Crœso pater fuit, Cariæ bellum illaturum præcepisse suis, ut ad præfinitum diem Sardes copias ducerent, interque eos etiam Crœso filiorum suorum vetustissimo, cui imperium dederat Adramytii, & Thebes campi. At is luxu propior hactenus haud par tali negotio videbatur, eoque nomine infamatus erat etiam apud Patrem. Quam famam diluere facto cùm vellet, neque satis expediret, unde pretio conduceret militem, mercenario enim utebantur, adiit Sadyatten mercatorum inter Lydos opulentissimum, pecuniam rogans mutuam. Is verò primùm quidem exspectare eum præ foribus jussit, donec ipse lotus è balneo exiret: mox admisso respondet multos esse filios Halyattæ, quibus omnibus si dandæ essent pecuniæ, haud se suffecturum. non igitur daturum se quantumlibet oranti. Dejectus ab hac spe Crœsus Ephesum abiit, ut ibi pecuniam quæreret, votoque se obligavit Dianæ, si unquam ipse regni potiretur, se totam mercatoris domum Deæ sacraturum. Erat amicus Crœso Ion gente, nomine Pamphaes, Theocharidæ viri prædivitis filius. Is cùm videret quantopere hæc res Crœso esset cordi, nulli pepercit operæ, ut à patre stateras mille impetraret, quos acceptos dat Crœso. pro quo beneficio, Crœsus postea Rex factus ad maximos honores eum evexit, & in arcem perducto currum dedit auro onustum; Mercatoris verò domum Dianæ Ephesiæ sacravit, cum ipsis etiam fundamen-

Digitized by Google

damentis, ne quid ad explendam voti religionem reliquum faceret. Et hæc quidem postea. At tunc cùm mille stateras auri accepisset Crœsus, collegit inde exercitum primusque ad condictum diem patri adductum ostendit: cumque ipso bellum intulit Cariæ, nec verbis, sed facto obtrectantium verba refutavit.

Cyrum Persarum Regem egregiè, si quis alius, sapientiæ præcepta didicisse tradentibus Magis: præcipuè verò ad justitiam colendam in factis, in dictis veritatem fuisse exercitum, ut mos est primoribus Persarum. Hic ex Epheso fatidicam Sibyllam, cui Herophilæ nomen erat, ad se accivit.

Cyrum tactum fuisse Crœsi misericordia ob viri virtutem eximiam. Accenderant Persæ rogum Crœso, subter locum editum unde omnia despici possent. Tum Cyrus è regia processit: aderat totus exercitus neque parva urbanorum & hospitum turba. Ponè sequebantur famuli vinctum trahentes & Crœsum ipsum, & Lydorum præterea quatuordecim. Ad hoc spectaculum maximos Lydi ejulatus & gemitus edidere capita sibi plangentes. Ex tanta autem virorum & fœminarum multitudine tantum luctus in clamores fletusque erupit, ut ne captæ quidem urbis lugubrior esse facies posset. Erat sanè, cur quis fortunæ indolens, interim & Crœsum miraretur, tam fideliter amatum ab his, quibus imperaverat. Nam quasi patre viso alii vestes rupère, alii crines sibi lacerabant: maximè verò in luctu eminebat ingens turba sexus muliebris cum plangore ac miserabili ejulatu. Ipse verò sine lacrymis vultu tantùm tristi sequebatur. Non vetabat hæc Cyrus, id agens ut Persas non minùs, quàm se Crœsi miseratio caperet. Ad eum ubi accessit Crœsus, sublata voce rogat filium ad se adduci, cui usus sermonis mansérat, ex quo primùm cœperat in voces prorumpere, nec prudentia aberat. Iussit eum adduci Cyrus, neque multò post adest numeroso æqualium comitatu: quo Crœsus conspecto non jam is erat, qui fuerat, sed lacrymas tum demum profudit. At adolescens cum ploratu & clamore Patri accedens; Proh tua, ô Pater, pietas! & quando nos respicient Dii? Tum ad Persas conversus, Me quoque precor, inquit, unà ducite, unà comburite. Hostis quippe fui vester non minùs quàm Pater. At Crœsus, Non recta, inquit, profers: ego sum, qui bellum intuli, non quisquam Lydorum alius: ejus pœnas me luere æquum est. Nihilominus adhærens Patri filius, avelli haud poterat, & perpetuò lamentans cuncta miseratione implebat. Iam ad rogum ventum erat, & adhuc se trahi unà patiebatur. Non enim tuam qualemcunque sortem deseram, inquit, ô pater. Quod si etiam nunc id mihi nolent permittere, tamen brevi me exspecta. Quæ me spes in vita retineat infelicem? qui ex quo primùm in lucem sum editus, tibi semper dolori fui, nec minùs mihi. Florentem te pudore vetabar accedere ob sermonem ademptum naturæ per injuriam. Ex quo verò miseri esse cœpimus, loqui & ego cœpi: nimirum in hoc unum oris integritate donatus à Diis, ut calamitates nostras dequeri possem. At contra Pater: Ne ita prorsus animum desponde fili, cui tantum ad vitam spatium restat, cùm ne ego quidem adhuc spem abjecerim, neque planè Diis diffidam. Hæc cùm diceret, accurrebant famulæ multæ admodum, quæ vestes ferebant magni sumptus, ornamentaque alia, quæ ipsi mittebant Lydorum matronæ. Filium igitur velut supremum amplexus, & post eum, si qui circumstéterant, ascendebat rogum; cùm Filius in cœlum manus tollens, Apollo, inquit, & Dii alii quos pater meus piè coluit, nunc saltem adeste nobis, ne simul cum Crœso, etiam Religio inter homines pereat. Hæc eloquutum ægrè amici vi adhibita prohibuère quominus rogo & ipse se inferret. Iam Crœsus in rogum ascenderat cùm Sibylla ex loco sublimiore descendit spectanda & spectatura quæ fierent. Repentè per omnem multitudinem rumor pervasit venire vatem, excitatique sunt omnes in exspectationem ecquid ad res præsentes divinitus elocutura esset, cùm illa voce elata in hunc modum exclamat:

Quid facitis miseri quod jus vetat? haud tamen illud
Juppiter, haud Phœbus sinit, aut bonus Amphiaraus.
Carminibus parete meis, ut mente carentes
Occupet exitium divini numinis ira.

Id ubi audierat Cyrus, jussit in Persas hoc carmen vulgari, ne quid contra fas ac pietatem delinqueret. Multis Persarum suspicio inciderat, adductam in hoc & instructam Sibyllam, ut Crœso salus quæreretur. Insederat ille jam rogo, & cum illo Lydorum Principes quatuordecim. Circumsteterant Persæ & faces accendebant. Facto silentio Crœsus gravi edito gemitu ter Solonis nomen inclamat. Hoc audiens illacrymabat Cyrus, conscius coactum se à Persis rem admittere invidiæ plenam, qui Regem paulo ante fortuna sibi parem perire flammis pateretur. Iam & Persas pudere consilii cœperat, cùm partim Crœsum respicerent, partim regem suum super his dolentem. Itaque liberari Crœsum jubent: statimque misit Cyrus, qui rogum exstinguerent. At is jam ardebat, neque tutum cuiquam erat circumstantium flammantem accedere. Tum verò dicitur Crœsus sublatis in cœlum oculis ad Apollinem preces fudisse, opem periclitanti ut ferret, quando hostes ipsi parcere cùm vellent, jam non possent. Fortè eo die à primo diluculo turbidum fuerat cœlum præter anni tempestatem. At Crœsi inter preces densatus aër nubes eam in partem coegit, magno cum tonitru crebrisque fulminibus: tum verò tantus repentè decidit imber, ut nòn rogum modò exstingueret, sed cœlum quoque tracturus secum videretur. Et Crœso quidem confestim tegmentum injectum est purpureum: homines verò cæteri partim caligine ac procella exterriti, partim inter fulminum ictus conculcati equorum pedibus, quos sonus tonitruum consternaverat, religioso quodam terrore percellebantur, subeuntibus animos non recentibus modò Sibyllæ, sed & antiquis Zoroastris carminibus. Multò igitur magis, quàm antea, clamabant, Crœsus ut morti eximeretur, & pro se quisque in terram provoluti pacem divinam precibus expetebant. Sunt &, qui tradant Thaletem, cùm è cœlestibus signis imbrem prævidisset, hoc ipso tempore eum exspectasse. Zoroastris verò dictum illud ex hoc Persæ celebrare cœperunt, neque urendos mortuos, neque ullo modo ignem polluendum. Ita legi veteri nova accessit auctoritas. At Cyrus perductum in regiam Crœsum, solatus est benigneque habuit, ut quem hominem existimaret religiosissimum, & si quid desideraret, id eum sine metu jussit exposcere. At ille, Quando (inquit) Domine, Dii me tuum fecère, & tu benignè polliceris, has quibus teneor, compedes, rogo liceat mihi Delphos mittere, & Deum percunctari, quo motus me deceperit, responsis suis incitans me, ut in te arma sumerem, quippe victorem futurum: pro quo meritò hæc illi donaria velim mittere, compedes monstrans quibus tenebatur. Adeone ingrati sunt Græcorum Dii? Risit Cyrus dixitque, non hoc modò impetraturum, sed & si quid rei majoris posceret. Neque multò post inter amicos Crœsum habuit, & cùm exiret Sardibus, uxorem ac liberos ei tradidit ipsumque secum duxit. Sunt, qui addunt ipsam quoque urbem redditurum fuisse, nisi res novas metuisset.

Hæc dum ab illis geruntur, deductus interea est ad Amulium Faustulus hac occasione. Metuens Faustulus, ne in his, quæ Numitori dixerat, haud satis fidei inveniret, nullis certis argumentis tantæ rei indicium professus, alveo secum sumpto expositorum quondam infantium documento urbem petit. Transeuntem verò portas, cùm esset perturbatior, ut qui maximè nollet in aliorum notitiam pervenire, id quod Numitori ferebat, vigilum unus id cùm observasset (& erat tum metus ab hoste, quare, qui Regi erant

Digitized by Google

erant fidissimi, portas servabant)ipsum arripit, & quid tam sollicitè celaretur cognoscendi avidus detrahit ei amiculum. Vt verò & alveum vidit & hominem trepidantem, dicere jubet, unde ista perturbatio, quo consilio alveum illum velut arcani egentem non palam ferret. Concurrunt igitur custodes alii, quorum fortè unus alveum agnoscit, ut in quo positos infantes in flumine vidisset,idque adstantibus aperit. Comprehendunt igitur Faustulum & ad Regem Amulium ducunt. Is tormenta minatus homini, ni verum diceret, primum quærit vivantne pueri. Vbi vivere intellexerat, quomodo servati essent, pergit exquirere. Cùm id quoque ita ut evenerat narrasset, Age, inquit Rex, quando vera hactenus dixisti, etiam hoc indica, ubi reperiri possint; indignum enim sit in pascuis & vita humili agere sanguine mihi conjunctos & Deum bonitate sospites. At Faustulus inopinata hac lenitate in suspicionem adductus, aliud ipsum velle, quàm præ se ferret, hunc in modum respondit. Iuvenes illi in montibus agunt intenti pecori pascendo, quæ ipsorum hactenus vita est. Ego verò ab ipsis ad ipsorum matrem eram missus, ut sciret, quo in loco filiorum res essent. Quam cùm apud te asservari intellexissem, filiam tuam orare volui ut ad ipsam me perduceret. Alveum assumpseram, ut rei argumentum afferrem dictis firmandis. Nunc quando juvenes huc perduci vis, gaudeo. Mitte mecum, quos velis, ego eis juvenum conspiciendorum faciam copiam. ipsi dicent, quæ mandaveris. Hæc ille dicebat, ut mortem pueris averteret, sperans & ipse effugere à Rege additos simul in loca montana ventum esset. Amulius fidissimos amicorum una mittit; quibus in arcano mandaverat, ne parcerent vinctos ad se ducere, quos Pastor monstrasset. Sed is, quem miserat benevolus Numitor, & fortunas periclitantis miseratus, ipsi aperit, quid Amulio esset propositum. Is ad nepotes mittit significans, in quo discrimine omnes versarentur, jubetque, viros se fortes præstent. Vbi advenerunt, bene armatos in Regiam ducit comitatu non exiguo amicorum clientium, servorum denique simul illi, qui ex agris multi in urbem venerant, foro relicto incedebant ferrum sub vestibus occultantes, valida manus. Et cùm irrupissent aditum haud ita multis armatis custoditum, facilè Amulio obtruncato arcem suæ potestatis faciunt. Hæc ita Fabius narrat. Alii, qui historicæ scriptioni fabulosa admisceri non probant, parum credibile putant in exponendis infantibus aliud, quàm jussi erant, famulos fecisse, & lupam tam mansuetam, ut ultro ubera præbuerit infantibus, ut poëticæ licentiæ plenum irrident,aliterque instituunt narrationem. Numitorem scilicet, cùm Silviam sciret uterum ferre, dedisse operam, ut alios haberet paratos infantes recentes, quibus uteretur in partus tempore. Itaque his, qui partum Silviæ custodiebant ferendos dedit hos alienos infantes, sive illorum fidem pretio emercatus, sive subjectione per mulieres facta hos quoque deceperat. Hos Amulius, incertum quomodo, peremit. At illos verè ex Silvia natos avus servare cùm magni duceret, tradidit educandos Faustulo.

Postquam Romulus quo soboles virilis urbi suppeteret, Virgines rapuerat, iisque raptus & secuta conjugia fama celebrari per vicinas urbes cœpere, alios iracundè id tulisse, alios moderatiùs; qui non tam rem nudam, quàm animum unde profecta erat, & finem, quo tenderet, spectabant. Paravit se igitur ad bella ingruentia Romulus. Quorum alia levia fuere, unum contra Sabinos magnum & grave, sed cuncta ipsi exitu prospera, ut priusquam rem aggrederetur, auguria prædixerant, quibus & labores & pericula præsignificabantur, sed eventus egregii. Incepe-runt bellum tum aliæ civitates, tum imprimis Cænina, speciem quidem æqui sumentes ob raptas virgines,& quod in raptores jus non redderetur, sed reipsa offensæ ortu ac tam subito incremento Romanæ urbis, & opprimendum ratæ malum vicinis imminens. Ad Sabinos igitur missis Legationibus orant belli duces se profiteantur, quippe qui & opibus & viris cæteros antecederent & inter finitimos principatum sibi vindicarent, & ad quos injuriæ pars maxima pertineret; nam raptarum Virginum pleræque ex Sabinis erant. At postquam nihil promovebant, quia & Romulo crebræ legationes dictis factisque Sabinos demulcebant, pertæsi temporis longi moras, cùm illi semper cunctarentur & belli consultationem in dies differrent, ipsæ per se bellum parant sat in eo virium ratæ, si unam civitatem eamque non magnam tres junctæ adorirentur. Hæc quidem illis placuerant, neque tamen in unum exercitum copias contraxêre, impetum ante cæteros, facere præfestinante Cænino nomine, qui præcipui belli concitatores erant. Hos igitur in agrum Romanum profectos, ibique vastantes omnia superveniens neque exspectantibus, neque custodias agentibus invadit Romulus, castraque recentia potitus, in oppidum profugos insequitur. Nondum eo cladis acceptæ fama pervenerat: itaque, non custodita mœnia portasque non clausas reperiens ipsum Cæninensium Regem, forti cum agmine obvium pugnantem fortiter, obtruncat spoliatque. Capti sic oppidi habitatoribus arma tradere & ex liberis lectos obsides jussis, pergit in cæteros. Hos quoque sparsos palantesque in pabulatu subito insultu haud minùs facilè quàm Cæninenses fudit, & cùm capto oppido eadem, quæ priori imperasset, reduxit domum victorem exercitum, & detracta prælio occisis spolia & quas sacraret Diis manubias.

CL. SALMASIO.

QVod literis tuis mense Augusto ad me datis, amoris in me plenissimis, non respondi, Maxime Salmasi, 265
prima causa est, quod illis ipsis spem tui Lutetiam adventus feceras: Credidi autem facilè, ut solemus homines, quæ ardenter optabam, tum quia semper mihi maximi est tua frui consuetudine, tum quia de iis ipsis, quæ literæ tuæ continebant, avebam tecum disserere ea libertate, quæ colloquentibus propria est. Accesserunt silentii causæ minores, quod scilicet in negotio isto, ad Academiam magis quàm ad te pertinente, multa videbam admissa per dolum partim, partim etiam per culpam eorum, de quibus ego jampridem plurima querenda habeo: verebar autem, ne ea referendo viderer meas ipse injurias persequi, & id agere, ut in tranquillo positos meis æstibus involverem. Præterea cùm sciam, quid postremò decretum esset, & super ea re tuum exspectari responsum, nolui consilio meo, aut Academiæ altricis meæ obstare commodis, aut tibi auctor esse, ut quicquam ageres, minùs generosè quàm ego, res mea si esset, acturus essem. Nunc cùm sponte tua, nullo meo hortatu, id decreveris, quod te dignum est, nihil habeo aliud, nisi ut id toto animo approbem atque collaudem. Habes hic Vossii literas, quas accepi heri, haud dubium, quin eodem de argumento. Nam & mihi scribit cum maxima testatione fidei in te, multùm simul incusans illorum ambitionem & impudentiam (his utitur vocibus) qui pravis artibus non tam tuæ dignitati, quæ ex literis satis magna est, quàm publicis utilitatibus semet objecerunt. De illis porro quas primò miseras, literis securum te esse jubeo: servatæ sunt atque etiamnum à me servantur non tantùm ea fide, quam amicitia imperat, verum etiam ea veneratione, qua tua omnia prosequor. Locum illum, quo Rigaltius ex suis contumeliis causam accersit tuæ in professione religionis constantiæ, vidisse me memineram: sed ex eo alia curata est scripti illius editio, in quo illa pars abest, nescio an quia offendi te intellexerat: nam quin te illa verba designaverint, dubium esse non potest. Haud credas,quàm morte Aurelianensis,& Rigaltius & qui fautores ei sunt, gaudeant. Neque enim dubitant, quin perpetuum in illo hostem habiturus fuerit Rigaltius: & jam omnium in illum Academiarum judicia collegerat, jactabatque manifestis eum argumentis teneri hæreticæ pravitatis.

Digitized by Google

tatus. Adeo nihil illi profuit, toties velum ex vento vertere: non magis sanè, quam Richerio, qui illi ipsi insultant, & illudunt, qui confessionem ei extorserunt rei nec illi, nec ipsis creditæ. Quis dubitat hæc videns, quin apertè in impietatem ruat Gallia, cujus ego pestis tam multa quotidie παθηγνωμαικά [signa] video, ut vivere me pene tædeat, inter tales vivere tædeat omnino. Etiam libri plurimi prodeunt nihil credere docentes. Et hæc vident feruntque ἀναμάρτητοι [qui peccare non possunt], per quos, quæ Tertullianei loci fuerit sententia, dicere non licet. Vranologii caudam non totam quidem, sed tamen inspexi. Inter alia miror, quod Seldenum, a quo nominatus honorificè fuerat, quædam etiam placita ipsius defensa, tanti non fecerit, ut nomen ejus poneret. tantùm & in libro & in indice, Marmorum Arundelianorum editorem appellat, nimirum quia hæreticos, nisi contumeliæ causa, nominare piaculum est. De Bisciola autem ridiculum, quasi ille aliquid legerit, quod tu non legeris, qui etiam ea legisti, quorum Bisciola & Bisciolæ congreges nomina ignorant. Valde placet mihi propositum tuum forti silentio talia ulciscendi. Tantùm in justo aliquo opere, quale est, quod nunc moliri te dicis, & quo ego non aliud avidius exspecto, res potissimas, in quibus ab illis peccatum est, ita debes tangere, ut ipsi simul tangi se sentiant. Cæterùm in persequendis singulis, in reponendis maledictis adeo vitam tuam perire nolim, ut etiam chartas pluris putem. Verissimè dicis hoc illos agere, ut te non cum illo Terentiano adversatore in otium transdant, sed in molestissimum negotium, à quo semel expedire te debes. De collectione Ephesina Hamburgum haud minùs septies scripsi: & amici quidem operæ non parserunt: sed qui ex Delmenhorstii supellectile illum librum accepit, trico est & Imperatoris jus obtendit in ea, quæ Palatini Principis fuere. Satis apparet obtentui id sumi: nescio an is quoque detrahi ei possit literis Imperatoris ad senatum Hamburgensem, quas in usum Regiæ bibliothecæ legati à Gallia, qui nunc sunt Ratisbonæ, possent impetrare, honesta specie; ne omnibus pereat liber omnibus scriptus & Ecclesiæ perutilis. Id si Rigaltius suorum esse vellet operum, rem faceret meliorem omnibus iis, quas jampridem facit. Sed abesse in agendo frigus deberet. Quod adeo illi proprium est, ut in amores etiam se insinuet, tam apertè ut profiteatur sibi de iis ob liticulas quasdam, quæ ipsum exercebant, cogitare vacuum non fuisse. Libri ἴσον [parem] illius habet Heinsius, certo certius. Sed puto videbit jam Clarissimus Iustellus, apud eum non tantum se posse quantum speraverat. Opitius & literas tuas accepit, & gratias tibi jussit agi maximas, subitò revocatus in Silesiam à Barone Donaviensi, qui ibi in summa re ac potentia floret, Cæsarianus adeo ut & religionem domini induerit. Vidimus hic duos intra haud nimis longum temporis spatium familiæ ac nominis ejusdem, sed in pietatis negotio constantes, quorum Achazius te, ut puto, Divione convenit: nam eò se ire dicebat velle tui visendi causa: alter Christophorus missus in præfecturam Arausionensem à Principe, cujus matrona soror est ejus, quam ipse in matrimonio habet, cùm hac transiret, non modo honorificè admodum de te est locutus, sed & libera indignatione invectus est in eos, qui te Lugduno invidissent. Ostendit non ita dudum edito libello Vossius, quanti eam familiam faceret: & sanè digna est, quæ cordi sit literatis, cùm ipsa, raro tantæ nobilitatis more, literarum cultum literatorumque amicitiam plurimi semper fecerit. Sed ego aliis in alia delapsus haud satis considero, quantas occupationes morer. Abrumpam igitur, hoc uno addito, resalutari te officiosissimè à Bignonio. Vale, vir summatum summe. Lutetiæ, 5 Octob. anni 1630.

Specimen hoc editionis, quam de Iustino facit Berneggerus, imperfectum quanquam, ad te mitti voluit, ut ex eo cognoscas formam non hujus tantùm, sed & eorum, quæ sequentur, operum.

CASPARI BARLÆO.

26 Gaudeo, Vir eruditissime, in corpus collecta videre, quæ sparsa hactenus pleraque videram: & gaudeo eo imprimis nomine; quod sic ad posteritatem rectius illa perventura arbitror. Bene sit & illis qui tam uberem tibi materiam scribendi præbent, & tibi qui res felicissimas felicissimis versibus prosequeris. Planè ita nos assuefecisti, ut nihil præclari geri possit, quod non te poëtam flagitet. Si succedant illæ & olim & nunc iterum magna civilium disputationum seges induciæ, erit & hoc dignum non ingenio tantùm tuo, sed & pacis amanti animo argumentum. Nobis quidem ita cara est patria, ut jure optemus ea omnia quæ bonis placent: cæterum utcunque ceciderit alea, ἀδιαφορήσομεν [indifferenter perferemus] extra bona malaque vestra positi, quando ita dominantibus visum est. Anglis jam pax esse cum Hispano creditur, cum Palatini commodo, quantùm his temporibus sperari poterat. Galli etiam Ratisbonæ pacem cudunt. Ita omnes priùs quàm nostros tædet belli malorum & Martis incerti. Remonstrantium progressus sane non spernendi: sed, ut dicis, lenti: & tutior haud dubiè violenta potestate illa tranquillior: sed & pridem nosti, & nunc experiris quàm cum duri capitis hominibus sit negotium. Schoterbossium, viri optimi & mihi dum vixit amicissimi filium, etiam te commendante arctiùs amplectar. Me scito ita studiis adesse, ut valetudinem non negligendam putem, & siquid alicunde affricatur tædii, id tuorum potissimùm versuum lectione abstergam. 20 Octobris, 1630.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Et tuis ad me literis, amicorum optime, unicè sum delectatus ut soleo, & quas ad Salmasium miseras illico cum meis ad ipsum ferendas curavi. Et ego & uxor ei, cùm primùm de hoc negotio sermones enati essent, prædiximus ea omnia quæ ab Aristarcho sacro evenerunt. Fortis est & facilè se solatur literarum conscientia Salmasius. Nuper totus senatus Parlamenti Divionensis ad Regem preces admoverat, ut eum sibi habere collegam liceret, patre parato ei suam dignitatem transcribere. Sed ὁ σφραγιδοφύλαξ [custos sigilli], homo ubi vel nomen religionis increpuit, asper & inexorabilis, dixit se priùs regni statum in maxima pericula daturum, quàm ut se conscio Huguenottus ad id honoris irrepat. Vides ut ubique animus veri amans & servitutis impatiens dominis obstet. Non tantùm apud illum poterunt hæc mala, ut non de Ecclesiastica antiquitate optime mereatur: cujus argumenti quod sub manus sumserat opus, supra spem crescit, mira & ne ipsi quidem satis cognita eruditionis ubertate. Multa in illum inclementer dixit Petavius in accessione Vranologii & Iuliani, ad quæ, me quoque auctore, constituit non ordine respondere, ne obtineant quod velint si illi meliora ex manibus extorqueant, neque maledicta maledictis totidem ulcisci, sed ubi ejus quod tractat argumenti series permiserit, res rebus opponere & posteritati judicium relinquere, uter plura, uter feliciùs legerit. Cornelius noster totus est in utroque tuo oratorio opere: majus legit: minus edicit: Tu ita omnia cum pulvisculo collegisti, ut nihil mihi dicendum relinquas. Puto brevi iturum ad te Generosum juvenem Georgium Slupeckium, cujus suavissimos mores & flagrantem ad optima animum ita exosculor, ut quem tua commendatione nosse cœpi eum tibi nunc vicissim commendare audeam. Quod de me optas pro eo tibi gratias debere me scio: duo nescio, an mihi id expediat, & si expediat an passuri sint qui nunc regnant. Scis nobis in bonorum amicitia & in libris esse patriam. Ego, mea, meique te cum matrona ac liberis salvere jubemus non tra-

Digitized by Google

tralatitio more sed quem jam olim nosti affectu. Lutetiæ, 20 Octobris, 1630.

Tuus H. G.

EIDEM.

268 TVas, Vossi optime, literas simul cum illis Noomsii accipio: & quia id accidit sub ipsum tempus discessuri hinc tabellarii una scriptione & tibi & illi quantum fert tempus satisfaciam. Dignitas equestris quæ nomen habet περὶ τοῦ ἐγρηγέρτου Μιχαήλου [*à Vigile Michaële*] hic numero adscriptorum nonnihil eviluit. Sed apud exteros fulget ita ut & Venetæ classis præfectus nuper id ambierit. Est ejusdem ordinis Legatus noster Langeracensis. Et puto amicis adjuvantibus impetrari posse juveni ex optimis nati propinquo potentum diviti. Sed in Gallia is honos hominem ornat, non genus. Ideo qui posteritati consultum volunt literas nobilitatis à Rege impetrant ut fecit Arsenius: quæ ipsæ tamen extra regnum tantum valent quantum vult nostrorum opinatio. Irrepsit enim contra leges avitas moribus ut Principum exterorum beneficium apud nos pondus aliquod habeat. Vtrumcunque volet puto obtineri posse, non nimio sumtu, equi fortè asturconis donandi τῷ ἀρχιγραμματεῖ [*scribarum principi*] & viginti ferme scutatis pro minori grege: nisi quod intelligo pro nobilitatis literis paulo uberius honorarium dari: non tale tamen quod illum terrere debeat. Vbi de sententia ipsius edocti erimus, manu facta allaborabimus. De Petro gratias tibi habeo & rogo tueri meos pergas: Hoc enim verè est κοινὰ φίλων [*amicorum communia*] quod tibi curæ fuit semper. Slupeckii tres nunc hic sunt: etiam ni fallor medicus ille. Salmasius Divione vivit non minùs hic experiens iniquos judices quàm apud nostros. Nam ipso nuper senatu Divionensi rogante recipi tamen in senatum non potuit, objecto religionis quam constanter profitetur crimine, quod erat gravissimum apud Marillacum qui tunc sigilla regis moderabatur: nunc amotus utinam locum æquioribus fecerit. Regnat Cardinalis Riceliacus

Et quisquam numen Iunonis adoret
Posthac?

Fremit illa in vanum cecidisse iras suas & quidem tam apertè testatas sed, nihil aliud ostendit quàm non valere hic illud: *jure matris impera.* Vale Vir eruditissime, cum uxore lectissima & liberis tuis quos amo & ut tuos & ut Iunii nepotes. 29 Novembris, 1630.

Ad Salmasium literas dabo. Etiam de Iustello memi-nero. Tilenus te amicissimè resalutat & bonam mentem Theologis optat.

Tuus semper H. G.

Reverendo & summæ eruditionis ac pietatis Viro

D. SIMONI EPISCOPIO.

269 SI olim Varroni gratiæ actæ sunt, Vir Clarissime, quod de republica non desperasset, tibi sanè plurimas Hollandia debet, quod de ea jam & rectorum discordiis, & bello externo, & gravi annona laborante, bene adhuc existimes. Societas verò, cujus piam causam exemplo & scriptis per tot adversa tutatus es, cùm nulli ferme tantum, quantum tibi debeat, nunc etiam novo nomine tibi obligata esse incipit, quod vir prudens non minùs quàm eruditus ostendis eam te concepisse de bono eventu fiduciam, ut ea fretus & fœminam assumere in fortunæ tuæ societatem, & liberos in spem mansuræ posteritatis serere audeas. Ego verò, sicut tibi tuisque omnia opto quam fælicissimè, ita in hoc multorum gaudio etiam hoc reperio privatum meum, quod uxor viri dum vixit mihi amicissimi in alterius non minùs mihi amici manum convenit. Merebatur viri maximi Erasmi memoria ne tales nuptiæ alibi quàm in sua urbe fierent. Etiam uxoris tuæ proximis omnibus, à quibus semper dilectum me memini, hanc gratulor affinitatem; &, ut in summa dicam, vos omnes quantis possum auspicatissimis ominibus prosequor, Deumque precor, tum ut perpetuò suavi concordia hoc matrimonium fælicitet, tum ut ex eo nascantur cives, qualibus tua conjunx orta est, pietate præterea, eruditione atque constantia tibi simillimi. Vale cum tuis omnibus Vir mihi semper Reverende. 20 Decembris, 1630.

CL. SALMASIO.

TAndem ab Opitio literas accipio Vratislavia: qui, quod tibi non scribit, adeo non excusat, ut ultro 270 silentium suum studiorum tuorum reverentiam vocet. Sed viderit an huic in se statutæ legi fraudem ipse non faciat, cùm ea ad me scribit, quæ ad te pertinent, quæque tu scire, nisi aliquo scribente, non potes. Neque, inquit, lumen illud Galliæ pariter suæ & sæculi universi Salmasium, hæc detestanda æmulorum malitia eò adiget, ut deserat honorem literarum, cujus extrema salus in ipsius incolumitate sita est & rebus prosperis. Sed nec magis ad te scribit Guiscardus, servati Casalis pars optima, sed in suis ad me literis inquirit sedulò tu quid agas: Quid igitur de illis dicam, qui mihi ea injungunt, quæ exsequi non possum, nisi id faciam, quod ipsi verentur? An fortè ex scriptis quibusdam meis me βραχυεπῆ [*breviloquentem*] putant, minusque tibi periturum, si ego tecum agam concisiùs, quàm si ipsi explicent eloquentiæ suæ sinus? Quare ut ne hac quidem in parte eos fallam, amplius addam nihil præter illud, ut bono publico valeas. Lutetiæ, Prid. Cal. Febr. 1631.

CLAVDIO SARRAVIO.

Senatori Rothomagensi.

MAgna sunt beneficia, quæ etiam preces anteveniunt, 271 quale est, quod tu in Treselium, id est in me, præstitisti: mihi enim fieri arbitror, quod & popularibus & amicis bene fit. Bene succederet Treselio Rothomagensis habitatio, si ex Catonis voto fora ibi muricibus strata essent. Sed jam pridem ferax est vitilitigatorum Normannia. Quo magis gratulor ei contigisse morbi ejus bonos medicos, veros Iustitiæ sacerdotes, qualis tu es ante cæteros, supra legum cognitionem pertinctus iis literis, quas qui humaniores vocarunt, ii demum mihi verum earum usum videntur intellexisse. Quare nihil aliud te rogabo, nisi ut tui semper sis similis, & illud vetus Francicum, In hospites amorem serves atque ostendas. Hic novorum nihil est; omnia illa Compendium abierunt, itaque de iis loqui compendifaciam. Sed fervet Sorbona, Archiepiscopus hujus urbis, Episcopi, qui hic sunt, cudendis censuris in dogmata, quæ Regulares Iesuitæ, maximè per Hiberniam, verbis defendunt, per Angliam etiam scriptis tuentur, ut obsequium in Episcopos exuant. Defendunt enim isti, Ecclesias particulares, ut loquuntur, rectè gubernari etiam sine Episcopis posse: quâ in re pro Puritanis faciunt. Et quia Confirmationis sacramentum præcipuum est ex iis, quæ nisi ab Episcopis conferri non solent, ajunt quicquid per eam confertur, etiam aliunde haberi posse, per baptismum, per preces, per pia proposita: qua in re me non haberent dissentientem, si non aliud ageretur; nunc palam est, eò hæc tendere, ut sublata Episcoporum necessitate unus verè sit Episcopus, Romanus Pontifex, qui cæteris omnibus, etiam non Episcopis, & Episcopis, tantum largiatur, quantum ipsi placet: quæ haud dubiè eversio est canonum & regiminis Ecclesiastici, cui in membris singulis præest Episcopus, universitati Episcoporum conventus. Sed homines ἀκανόνιστοι ista non curant: ne ii quidem, qui se in speciali nomini Canonicos vocant. Nisi inde fortè dicti sint, quod canonas, id est annuas pensiones, recipere non negligant. Vale, Vir Amplissime, & fer jocantem: sunt enim nunc Hilaria. Causæ Treselianæ instrumenta & adversarii molitiones vidi: si quid mei est judicii,

Digitized by Google

cii, magna est hujus & injuria & ἀναισχυντία [*impudentia*]. Lutetiæ, 22 Febr. 1631.

Raræ eruditionis ac virtutis Viro

MARTINO OPITIO.

272 NOn periit Germania, Opiti doctissime quæ Te habet locupletissimum testem, quid Lingua Germanica, quid ingenia Germanica valeant. Libertas ista populorum, quæ dicitur, sæpe nomen est inane, nec præstans, quod promittit: ac plerumque non quæritur, an serviendum sit, sed quot, & quibus. Vt maximè ad laudabilem statum assurgat, tamen est hoc, ut cetera, bonum armis & temporum vicibus obnoxium. Contenti ergò simus illâ libertate, quam eripere nobis nemo nisi nos possumus, & socios nobis adjungamus ex vetustate liberrimum quemque. Ego nullo pretio vendere velim hanc libertatem Tecum agendi, nunc quidem per literas, animo autem semper. Quare etiam adversus majora, quàm quæ sensi hactenus, mala satis magnum mihi solatium sit, Tibi placere: quantò magis per Te etiam Lingelshemii ac Berneggeri memoriæ recentibus notis imprimi, Goldasto, ac Barthio interiùs notescere? Neque illustrem Burggravium Donaviensem laudare satis possum, qui bono suo uti novit, ac neque Te à dulcioribus literis avocat, neque illis solis includit par majoribus ingenium. Librorum nostrorum pro Veritate Religionis Christianæ quod à scriptore est, non meretur tantum interpretem: de ipso argumento idem dicere sine impietate non possim. Sed tamen hic quoque memineris, suadeo, liberum Te esse, nec ita alligatum præeuntibus verbis, ut non liceat Tibi res easdem meliùs dicere. Gazæum cum eruditissima versione avidè exspectabimus. Quò minùs de Observationibus in Novum Instrumentum, deve Annalibus meis quid statuam, impediunt res patriæ nostræ, ubi necdum aut Respub. aut Ecclesia eum recepit statum, quem plurimi boni exoptant. Nec ingerenda sunt nolentibus beneficia, quanquam tale quid nuper feci cùm passus sum exire juris patrii elementa scripta à me avito sermone. Quæ si, quo data sunt, animo excipiuntur, poterunt me excitare, ut bene de bonis mereri nec propter plures malos desinam. Damasceni particulas misi ad Virum Nobilissimum Nicolaum Fabricium Peireski Senatorem Aquensem, cujus erat liber, unde petitæ sunt. Minus hoc est, quàm ut vulgari sub nostro nomine debeat: satis erit, Amico constare officii rationem. Salmasio significavi, quæ scribis: agit gratias pro tam prolixa voluntate, neque defugere se ait talia excitamenta, quibus firmatior non patiatur se maledicentium clamoribus de suo statu dejici. Strenuè Arabissat: in Plinium paratum habet tomum tertium: in Eliberinos canonas amplissimos commentarios, totius Ecclesiasticæ antiquitatis penum. Mihi magna pars abit inter sermones Amicorum: aliqua inter legendum, & dum filii indolem excolo. Est tamen cùm & Græca quædam conamur Latina facere. Sebisium non vidi: sed quotquot ad me venient à Te commendati, imo vel leviter noti Tibi, eos tanquam veteres Amicos complectar, cùm non possim non meos dicere, qui Tui sunt. Vale lumen Germaniæ. Lutetiæ, Cal. Martii 1631.

CL. SALMASIO.

273 ATqui nunquam illud verius:

Duo cùm faciunt idem, non est idem.

Tuarum epistolarum, ut orationum Demosthenis, meliores eæ, quæ longiores: ego brevitate hoc consequor, ut minùs peccem. Tua tempora siquis inverecundiùs irrumpat, aut adversùs rerum naturam est impius, aut adversùs Ecclesiam sacrilegus: ego maximo otio non tam fruor, quàm ut podagrici ægroto: &, si maximè studere velim, non patitur turba congerronum, quorum nemo me ea docebit, quæ ex literis tuis possum discere. Quare tu quidem quem voles, aut potiùs, quem ferent occupationes, modum scribendi tibi statues: ego verò etiamsi brevissima scripseris, longa ea mihi faciam sæpiùs lectitando. Sum enim tuorum non tantùm lector diligens, sed & alios esse tales volo. Itaque neminem à colloquio meo dimitto non ante monitum, quantum ex postremi atque etiam inter tua excellentissimi operis lectione proficere possit. Planè qui te indefensum Lutetiæ velit, ei opus est, ut Bignonium & me occidat. Et de me quidem facile est à meis fastidito, ab externis recepto variè, ut sunt tempora. At Bignonium siquis interfecerit, eum spondeo in funere ejus non appariturum. Vel umbra satis est. Non possum tibi dicere, quantùm in dies gliscat auctoritas viri haud dubiè eruditissimi eorum, quos toga complectitur, nec in alio certius literis & literas amantibus præsidium. Quod ad eas, quas à te ante has acceperam non responderim, eadem quæ nuper, caussa fuit; quod siquid restet de negotio Lugdunensi, in eo te mallem uti viri prudentissimi parentis tui & amicorum aliorum, quàm meo consilio. Nam neque tibi suadere quicquam velim, quod sit contra μεγαλήτορα θυμὸν [*Magnanimam iram*], nec videri volo te tanquam telo uti in eos, à quibus malè sum habitus. Cæterum ignorare te non patiar Vossium pertæsum μικρολογίαν [*parcimoniam*] Lugdunensium ἀγωνοθετῶν [*Agonothetarum*] Amstelodamum ire, evocatum honorario bis mille & sexcentorum florenorum in annos & habitatione commoda. Molitur enim ejus urbis Senatus, non quidem Vniversitatem justam; sed quandam eruditorum coloniam, ut qui cætera omnia abundè habent ex omni terrarum angulo, ne hoc quidem commeatu destituantur. Exspectantur ibidem ex novo fœdere Persæ, habituri Mahumetanæ religionis usum in ea urbe, ut nostri suæ in Perside. Id ad excitanda magis magisque Arabica studia. Iohannes ille Wertzius Grottensis mihi hactenus & iis, qui ad me ventitant, incognitus. Sed literas se curaturum homo Germanus recepit, Germanica ut spero fide. Vale, vir incomparabilis, & omnes in te latratus fortiter contemne, gnarus nec lucem esse sine umbra, nec gloriam sine invidia, Lutetiæ, 6 Cal. Martias Anni 1631.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

DE Amstelodamensi negotio, amicorum summe & 274
audiveram jam, & puto rem talem esse de qua deliberare non debeas. Est enim urbs omnium quæ usquam sunt commerciis florentissima, nec minùs gubernantium prudentia felix. Huic à te adferri, quod desideratur unum, literarum decus & illis fortunatum erit, & tibi tuisque posteris gloriosum. Commoda quæ tibi afferuntur talia sunt, ut vix alibi reperiri possint: & audio addi filio ea quæ viam ejus profectui sternant. Multum refert tantæ civitatis ut & tua institutione & filii tui exemplo discat juventus quæ vera sit studiorum ratio, quæ pietatis cum civilibus officiis conjunctio. Impedimenta quæ adferre Lugdunenses volunt ridicula sunt. Cùm exemplis appareat jus esse oppidis singulis virorum eruditorum opera extra illa Scholæ rudimenta uti, quis est qui de loco quicquam ipsis imperare aut vetare possit? Vana hæc sunt invidiæ reperta. Vt ad negotium illud de quo scripseras veniam, sunt in hac urbe tres fratres Slupeckii quorum primus & ultimus tui causa Amstelodamum se conferre constituerunt, quod & alias ubi fama percrebuerit facturos credo. Medius (is est Christophorus) cogitat Italiam & Constantinopolim, & utro prius sit iturus dubitat ipse. Legatus Gallicus jam jam itineri imminet ita ut Slupeckius iste paratus non videatur futurus ut cum eo suscipiat iter: credo nec supplicare volet ut ejus in comitatum recipiatur. Venetiis abundè occasiones commodè navigandi suppetunt. Et ipse magis etiam quàm ante confirmatus in studio pro Romana religione frequenti cum Iesuitis consuetudine: neque amici remedium adferre possu-

Digitized by Google

possumus quia non tam argumentis se tuetur quàm præfracto nihil audiendi proposito. Medicus ille cujus meministi non una it sed apud maximum natu manet. Hæc sunt quæ significare hactenus potui. Ab Oomsio ex quo ad te de ea re scripsi accepi nihil. ipsius est scire cui literas commiserit. ego in explendis amicorum desideriis nunquam ero negligens. Salutant te tuamque ac tuos omnes nostri omnes utque migratio hæc feliciter eveniat, summopere Deum precantur. 16 Martii, 1631.

Tuus omni officio H. G.

CL. SALMASIO.

275 NOva scribendi causa mihi Berneggerus, & hæ Iustini paginæ consequentes iis, quas antehac, & nescio an non bis, miseram. Si ita est, excusabis, Vir maxime, nimiam diligentiam, si qua in rebus, quæ te attinent, nimia esse potest. Rogat Berneggerus & priora & hæc perlegas, si modò id graviora negotia permittunt, ut si quid alicubi aut emendatio aut explicatio aberrat, id ex tuo monitu in mantissa corrigatur. Ego, quia ita viri meritum est, idem precarer, nisi magis quàm ille tuorum laborum conscius, vererer dum minora curo, majoribus moram facere. Contentus ero hoc rogasse, ut quod rogamus facias, aut rogantibus ignoscas. Vale. Id. Martis, 1631.

BERNEGGERO.

276 QVem mihi commendasti, vir Eruditissime, Albertus Sebisius eum tua amicitia dignum & ipse cognovi. Nec quicquam mihi facere potes gratius, quàm ut tales Iuvenes, tuo exactissimo probatos judicio ad me alleges. Ego si quid unquam illorum in gratiam potero, id non modò rectè positum, sed à me, tum ipsorum virtuti, tum tuæ, quam semper faciam maximi amicitiæ debitum existimabo. Pagellas quas nunc iterum de Iustino tuo ad me misisti ego ultra ad Salmasium misi, maximoque opere rogavi, ut si quid de studiis Arabicis, deque illo desideratissimo omnibus labore, quo ritus illustrat veteris Ecclesiæ, detrahere possit, illas ut perlegat, tibique sua subsidia mittat. Id si fecerit, ut facturum spero, non erit quod aut meam, aut alterius cujusquam operam requiras, cùm Salmasio nullus sit, in hoc literarum genere perspicatior. Editionis tuæ forma & annotationum modus mihi maximè probatur: est enim utrumque ad studiosorum utilitatem comparatum, quod præcipuè editores propositum habere debent. Vale quàm felicissimè, vir optime, & quod unum si invidere possim tibi invideam, Lingelshemii propiore amicitia fruere. Pr. Cal. Aprilis 1631.

E I D E M.

277 FAciam, Vir Doctissime, quod pauperes debitores solent, qui de amicorum ære persolvunt, quod non possunt de suo. Rogaveram Salmasium, non meo tantùm, sed tuo quoque, quod ille plurimi facit, nomine, ut si quid inter legendum quas transmiseras paginas, observaret, ejus ne teque meque, atque omnes nostri similes, id est ipsius ac literarum studiosos expertes fineret. Inveni eum hac in re, ut in omnibus antehac comem ac facilem. Ego quæ ab eo accepi bona fide tibi remetior, tuoque permitto arbitrio. Nihil non probabile invenio; nec alia esse possunt, quæ à tali judicio proficiscuntur. Illud de Otrera aut Otretea certissimum habeo. Nam Orithya Atticum nomen est. Nihil nunc addam nisi optare me ut omnia tibi prosperrima eveniant, sed ea lege ut mecum tantundem optimo Lingelshemio preceris. Lutetiæ, 15 Aprilis 1631.

CL. SALMASIO.

278 MIsi, quæ ad Trogi conciſorem annotasti, Summe Salmasi, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως [*pauca quidem sed valde argutè*]. Etiam in minimis illis & eruditio tua & vis judicii apparebunt, iis quibus nasus non deerit. Neque te majoribus rebus impeditum dedecebit istum interdum animo quasi ludum dare, parem multorum seriis. Lugdunenses βραβευταὶ [*Academiæ præfectos*] remisisse aliquid de suo parcimonio, (ut sic loquar, vel tu mihi unus auctor satis esses) non tibi, sed patriæ gratulor: magisque etiam quod dignitatis tuæ ratio quam antehac major est habita. Ita nunc sæculum est, ut etiam τὸ ἔξω φαίνεσθαι [*foris videri*] vim suam habeat.

—— ἂν δ' αὐτὸς σαυτὸν
Ταπεινὸν αὐτὸν καὶ τιθῇς ἐν μηδενί,
Οἰκεῖος ὤν τις καταγέλως νομίζεται.
[—— *at si te ipse tu*
Dejectum facias atque nullius preti
Domestico perneris testimonio].

Quicquid constitueris, id tibi felix fortunatumque ut sit, Deum veneror. Exspectas fortè, ut & prioribus tuis, quibus debitor pridem sum, aliquid respondeam. Certè jure id exigere ab homine satis otioso possis, qui ipse occupatius adeo temporis partem mihi impenderis. Quid dicam, nisi gratias agere me, sed qui dignè id faciam, non reperire: ita me benevolentia ac comitate tua obruis. Observata ad Tertullianum, quod non mittis, planè probo, ne, quæ tua sunt, malè defensa, malè explicata, hoc ipso fiant aliena. Et quid opus inimicos nominis tui scire, quid parturias, priusquam ipse pepereris? Adversùs inverecundos etiam nobis quanquam contra morem atque ingenium frons perfricanda est. Cætera colloquio servo, cujus spem mihi Puteani atque alii faciunt. 17 April. 1631.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

QVod cavillantur Lugdunensium βραβευταὶ [*Academiæ præfecti*] de tuo negotio, Vossi optime, si quid ego in illis rebus calleo, ne speciem quidem veri habet. 279
Concessum illis est habere Vniversitatem, id est corpus justum immunitatibus ac privilegiis suffultum, cujus testimonia juris publici auctoritatem habeant: non etiam ne qua civitas alia scholam suam paulo supra puerilem pulverem possit erigere. Sunt nonnullis in locis molæ, sunt & furni, quibus uti quilibet de populo ita cogitur ut ipse alium erigere sibi aliisve non possit. bannales Itali vocant. tale nobis Batavis Gymnasium suum Lugdunenses vellent facere. At quæ invidia est, civitatem toto orbe nobilem, retinere paulo diutius sub oculis parentum & propinquorum, bonis rebus destinatam juventutem, vel in hoc ut justis magistratuum imperiis assuescant, quæ contemnere hodie pro pietate habetur. Te jam ibi esse confido. neutiquam enim pro sapientia tua feceris, si te clamoribus istis moveri patiaris. Salmasius quantùm adhuc & ex ipsius literis & ex aliorum relatu conjicere possum suscepturus est quod defertur. quomodo illi cum Aristarcho conventurum sit, equidem nescio. nam & Aristarchus insolens est & ille Hæduus insolentiæ minimè patiens. Nobilis Polonus qui tuas attulit, nihil mihi attulit lætius quàm quod te rectè valere & bene animatum esse nuntiavit. De Noomsio ad uxorem quæ nunc in vestris est partibus scripsi. addidi ad ipsum has literas quas ut mea omnia tuæ commendo fidei. Salutationes ad tuam tuosque asscribere quid opus est, cùm uxor hæc quoque mandata susceperit, ubi loqui opus est, minimè muta. Sed te à studiis avoco. Vale amicorum optime. 10 Maji, 1631.

Tuus qui semper H. G.

Reverendo, summæque eruditionis ac pietatis Viro,

IOANNI CRELLIO.

LIbro tuo, quò ad eum, quem ego quondam scripseram, Eruditissime Crelli, respondisti, adeo non offensus fui, ut etiam gratias tibi tunc intra animum meum egerim, nunc autem & hisce agam literis, primùm quod 280
non

Digitized by Google

non tantùm humanè, sed & valde officiosè mecum egeris, ita ut queri nihil possim, nisi quod in me prædicando modum interdum excedis: deinde verò, quod multa me docueris partim utilia, partim jucunda scitu, meque exemplo tuo excitaveris, ad penitus expendendum sensus sacrorum librorum. Bene autem in epistola tua, quæ mihi longè gratissima advenit, de me judicas, non esse me eorum in numero, qui ob sententias, salva pietate dissentientes, alieno à quoquam sim animo, aut boni alicujus amicitiam repudiem. Etiam in libro de vera Religione, quem jam percurri, relecturus & posthac, multa invenio summo cum judicio observata: illud verò seculo gratulor, repertos homines, qui neutiquam in controversiis subtilibus tantum ponant, quantum in vera vitæ emendatione, & quotidiano ad sanctitatem profectu. Vtinam & mea scripta aliquid ad hoc studium in animis hominum excitandum inflammandumque conferre possint! tunc enim non frustra me vixisse hactenus existimarem. Liber de veritate Religionis Christianæ magis ut esset nobis solatio, quàm ut aliis documento, scriptus, non video quid post tot aliorum labores utilitatis afferre possit, nisi ipsa fortè brevitate: si quid tamen in eo est, quod tibi tuique similibus placeat, id mihi supra spem eveniet. Libris de Iure belli & pacis id præcipuè propositum habui, ut feritatem illam, non Christianis tantùm, sed & hominibus indignam, ad bella pro lubitu suscipienda, pro lubitu gerenda, quam gliscere tot populorum malo quotidie video, quantum in me esset sedarem. Gaudeo ad Principum quorundam manus eos libros venisse, qui utinam partem eorum meliorem in animum suum admitterent. Nullus enim mihi ex eo labore suavior posset fructus contingere. Te verò quod attinet, credas rogo, si quid unquam facere possim, tui, aut eorum, quos singulariter amas, causa, experturum te, quanti te tuo merito faciam. Nunc cùm aliud possim nihil, Dominum Iesum supplice animo veneror, ut tibi aliisque pietatem promoventibus propitius adsit. Lutetiæ, 10 Maji, 1631.

Tui nominis studiosissimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

281 EXhilarasti me, Vir Amplissime, cùm filium tuum ad me misisti, bonæ mentis indicia vultu animoque toto præferentem. Etiam consilium probo, quod nobilissimæ artium Iurisprudentiæ eum destinas. Opem, consilium, & quicquid meæ est copiæ, lubenti animo obtuli, in magna felicitatis parte reputaturus, si qua tibi in re tuisque gratum quid facere possim. Ex patria nostra nihil adhuc video lucis affulgere ad spem meliorem. Locum illum principem... tenet, filius hominis nobis quondam infestissimi, ipse parum æquus. Manent Lupistenii captivi Pastores. Crescit insanabile vulnus, & novum suboritur, contumaciâ Ecclesiasticorum & conspiratione adversùs omnem publicam auctoritatem. Interim Principi Arausionensi res non pessimè procedunt, quippe post tam inclitas domi ac longè victorias, filio ipsius, Trajectinorum & Transisalanorum exemplo, Hollandi primùm, deinde & Zelandi certam fecerunt successionem in patris præfecturas, si quid ipsi humanum obvenerit. Belli paratus utraque ex parte magni: arma tamen nondum se movent, puto quod illi ex Gallia, alteri ex Hispania pecunias exspectent. Vale, Vir Nobilissime, cum matrona, ac liberis. Mea nunc patriam visit post quatuor annorum absentiam. 10 Maji, 1631.

MARTINO RVARO.

282 FOrtè adversis meis hoc debeo, Vir Clarissime, quod nomen meum latiùs quàm pro merito spargitur, alioqui obscurius per se, quàm ut inter tot & tantæ eruditionis sidera locum aliquem obtinere possit. Cæterum si qui sunt, qui nos quoque respiciunt, multum illis debeo, vel ob hoc, quod id quòque ad virtutis ac literarum studia non leve incitamentum est, credere se in aliqua lucis parte versari. Tibi verò, qui tam rara comitate amicitiam tuam, quam sanè facio maximi, & offers mihi, & re ipsa ostendis, nisi gratiam habeam maximam, multum absim ab iis, quibus me pingis coloribus. Neque tam rusticè verecundus putari volo, ut, si occasio se ferat, non ausim uti tam amicè se offerentis officio; sed ea lege, ut, si quid hic sit, quod tui tuorumve causa fieri possit, id ne alteri potiùs quàm mihi injungas. Vale Vir Clarissime. Lutetiæ, 10 Maji, 1631.

Tuæ claritati addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

REddo tibi Vossi amicorum summe, quod à te accepe- 283
ram. Commendaveras mihi de nota meliore Baronem Georgium Slupeckium: Eundem tibi nunc æquè & si fieri potest magis commendo, ut amantissimum tui, ut amantissimum mei, quod ipsum apud te valere confido. Expertus didici & magnum in eo esse desiderium studia sua promovendi, & in eos per quos profecit animum gratissimum. Nunquam meliùs impenditur opera quàm cùm in tam bono solo laborat literaria cultura. Quare quod ante fecisti ipse, quod me facere voluisti, id nunc tu quoque facias rogo & felicissimæ indoli inseras nunquam peritura prudentiæ civilis & non inanis eloquentiæ præcepta. De rebus novis aliquid adderem, sed prævideo vetera futura, priusquam ad vos veniant. Slupeckius quando iter per Britanniam instituit. Ego per uxorem sciturum me spero quo loco se res tuæ in florentissima urbe habeant. Vale cum optima uxore & spe liberûm. 12 Iunii, 1631.

Tuus qui semper H. G.

BERNEGGERO.

ET literarum tuarum conspectus, Berneggere Do- 284
ctissime, per se mihi suavis est, eritque semper, & quoscunque ad nos allegas gratissimi, tum quia tua commendatio apud omnes literarum amantes maximum habere pondus debet, tum quia tale est judicium, ut quos amas, ab omnibus amari sint dignissimi. Etiam pro transmisso libello de actis in Ratisbonensi Conventu gratias ago. Ostendi & eruditis & rerum civilium peritis, illi dictionis elegantiam laudant, hi exactam cognitionem eorum, quæ & multos latent, & scitu non Germanis tantùm, sed & vicinis sunt dignissima. Iustini tui editio omnes bene ut procedat optamus, ut deinceps cæteros quoque habeamus historicos pari nitore, qui profectò tantus est in illa editione, quantus ubique in scriptis tuis apparet. Veteri & optimo amico Lingelshemio omnia precor quæ evenire possunt solatia. Est hic Venator quicum eò libentiùs fabulor, quod vestrum utriusque mentionem sæpe faciendo animum mihi dulcissimo sensu commovet. Vale, Vir præstantissime. Lutetiæ, 24 Iulii, 1631.

CASPARI BARLÆO.

LArem transtulisse te, Barlæe doctissime, εἰς τὴν μεγα- 285
λόπολιν [*in magnam civitatem*] seriò & ipsi & tibi familiæque tuæ gratulor. Neque enim nescio quantum tu decus adferre possis nascenti Scholæ, neque dubito quin prudentissimi ejus urbis Rectores habituri sint tui rationem qualem & eruditio tua & summa virtus merentur. Nec litem Lugdunensium metuo, nam aut omnis Iurisprudentia à Batavis exulat, aut debet cuique civitati id permitti, quod & per se honestum est, & nullæ leges vetant. Habeant sibi Lugdunenses nomen inclitum Vniversitatis, forum peculiare, immunitatem à publicis patriæ oneribus nonnullis, renuntient Doctores sæpe ne doctos quidem, Licentiam, & in vita usurpent & pro honore largiantur. Aliis civitatibus ne invideant, quo-

Digitized by Google

quominùs habeant & ipsæ, sine isto nominum sono, viros eruditos, non communi Hollandiæ, sed ipsorum proprio sumtu, contentos iis honoribus ac privilegiis, quæ de suo dare nulla civitas prohibetur. Naturalis hæc libertas est, quæ non impetrari, sed arripi solet. Florente re Romana civitates omnes professores habuere non eloquentiæ tantùm & Philosophicarum hæresium (nondum ob id nomen comburi homines cœperant) sed medicinæ quoque: nec ad eam rem alio quàm decurionum decreto erat opus. Docent id leges Pandectæ & Codicis, docent Scriptores Græci Latinique. Quare de felici successu non dubito. Epigramma, ut omnia tua, lepidissimum, multis exemplis descriptum & legitur & laudatur. Ego qui quamprimum intelligere cupiam audiri te ac Vossium à præclara juventute, differri tamen idipsum pati hoc pretio possum, ut sæpe videamus talis otii tui fructus. Tui enim etiam lusus multorum aliorum seria exsuperant. Pro chartis Silvæducensibus gratias habeo maximas. Non vidi: adferet eas uxor. Cæterum spero nec mihi nec publico inutiles fore. Vale vir eximie, & credere noli sollicitum me esse de meis rebus. Honestarum artium studiosos πᾶσα γῆ τρέφει [*terra qualibet alit*]. Patria mihi tu & qui ibi tui similes, quorum amicitia glorior, atque τοῦ πονηροῦ κόμματος [*malæ monetæ*] fortiter contemno. Lutetiæ, 20 Augusti 1631

GERARDO IOANNI VOSSIO.

286 Spero, virorum optime, res omnes tibi in magna urbe ex voto processuras & repertum tibi fidum futurum senectuti portum. Nos hic jactamur, exspectantes

—— unius Ingens
Bellum uteri.

Iunius noster in Anglia nunc est quam etiam tam indignè habitus amare non desinit. Literas illi dedi ad Londinensem Episcopum. Vides quantum mihi in literis quas semper colui fiduciæ sit ut ad ignotum ausim scribere. Si Barones Wottonii quos tibi commendavi in patriam brevi redierint, habebit ibi Iunius fidos adjutores. Literas ab ipso exspecto. Noomsii desiderio nunc quidem gerere non possum quia abest Rex cum comitatu: deinde nescio an satis commoda sint tempora. Nam nebulones quidam omne nomen Amstelodamense hic invisum reddiderunt, tanquam induciarum quàm belli cupidius. Ego parte mei suaviore hinc absum cui brevi spero recomponi ut rursum fiam κατὰ τὸν Πλάτωνα ἀνδρόγυνος [*secundum Platonem androgynus*]. Tu quoque cum tui dimidio pulchrè vale & cum felicissima liberorum segete. 29 Augusti annis duodecim post multorum adversorum mihi patriæque initium. ἀλλ' ἡμεῖς οὐκ ἀθυμήσομεν [*sed nos animum non despondebimus*].

οὐ γὰρ μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτούς

[*—— nam*
Nondum annos mensesque polus defecit agendo].

Tuus totus ut semper H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

287 Filii tui, Vir Amplissime, ea est probitas, ea diligentia, id excitatum ad omnia honesta studium, ut quicunque virtutem ac literas amant, non possint non se ipsi conjunctissimos existimare. Quare parce credere rogandum, ut si quid possim, faciam ipsius causa, quem mihi & sua & patris amicitia commendat. Neque id pro beneficio haberi velim, quod & externis & leviter notis præsto, imò, ut verum dicam, mihi ipsi. Mirificè enim delector sermone adolescentium, in quorum animis video illum optima quæque discendi appetitum, quem in me pari ætate fuisse memini. Verùm id dolet, quod ei, cui præ cæteris bene cupio, non etiam supra cæteros utilis esse possum. Quod ad res patriæ attinet, sunt eæ sanè prosperæ, captis aliquot centenis supra quater mille hostium cymbis, aliisque navigiis, quæ leves machinas complures singulæ tulerant, prope septuaginta. Destinatum ipsis exscensum ad Clunderam tum alia argumenta ostendunt, tum conatus Marchionis Sanctæ crucis, qui cum exercitu terrestri jam in Princelandiam qua ad Clunderam terra iter est, pervenerat, suas cum illis vires juncturus, ni res sequius evenisset. Exitum habuerant ab Antverpia felicem, & in Scaldim prope Tolam pervenerant, non ab initio Scaldi usi, quod cur fieri non potuerit, rectè vides, sed per plana atque inundata Flandriæ vecti Saslingam usque; ubi ad alvei, qui ibi est, ripam utramque tormentis collocatis naves nostrorum bellicas retro egerant. Verùm paulo progressis ulterius, tertia ferme pars navigiorum vadis, quæ minùs habebant explorata, adhæsit: atque ita tempus datum est nostris & à Bergis ad Zomam & ab ipsa Zelandia mittendi naves bellicas milite etiam instructas, quæ illos undique circumsilirent. Neque tamen sibi defuêre hostes: sed densis utrinque globorum jactibus certatum est à prima face ultra noctem mediam, cùm crassa nebula conspectum hostibus, simulque navalis aciei ordinem, quo se egregiè tuebantur, disjecit. Accidit res mira, ut bis mille quingenti ab uno nostrorum milite caperentur. Nam cùm rebus jam deploratis in Vosmariam terram se jecissent inermes, nec aliud quàm trucidationem, ab efferatis tanto periculo agrestibus, exspectarent, equiti uni fortè oblato se dedidêre omnes, apud quem jura belli valitura rebantur. Is actos pecorum ritu ad Principem qui Bergæ erat duxit: cumque sæpe percunctanti Principi quot essent capti & à quibus, & numerum & à se captos uno, ac nunc à duobus à se in id ministerium delegatis militibus asservari eos dixisset, fidem non reperit, donec numerati omnes sunt, & ipsis fatentibus, rei veritas patuit. Vellent jam Zelandi suarum insularum securitati supplicio captorum consuli, ex eo jure, quod hactenus mari atque amnibus valuit: sed & tempus interpositum & ingens numerus ac Principis clementia, quo inconsulto sæviendum fuerat, si tamen sæviendum fuerat, vix id impetrari patientur. Vale Vir Præstantissime. Vxor è patria redux tuæ matronæ se commendat: Deumque oramus pariter, tuos omnes ut sospitet. 11 Oct. 1631.

Viro Clarissimo,

MARTINO RVARO.

Qvas ad me in Galliam destinaveras literas, Ruare 288
doctissime, eæ me in patria deprehenderunt, quo veneram amicorum vocatu, existimantium & tempore, & meæ in Patriam fidei haud dubiis experimentis mitigatos esse animos eorum, qui pe nostram ruinam in potentatum reipublicæ viam sibi fecerant. Sed vix me his in locis posueram, cùm magnas video illius tempestatis superesse reliquias, quibus difflandis an pares sint futuri qui æquiora sequuntur consilia, exitus in incerto est. Ego verò sive hîc sive alibi sum futurus, vivam tui amans & reverens, & si eos videro quos jam commendasti aut quos in posterum es commendaturus, dabo operam ut cognoscant valere apud me & auctoritatem tuam & cultum Polonici nominis. Quando verò tam benignè te offers, utar beneficio, teque mihi sumam adjutorem hæ ut literæ ad doctissimum Crellium curentur, cujus scripta quo magis lego hoc facio pluris. Tu vicissim si quid est in quo utilis tibi esse possum, utere jure tuo atque impera. Vale vir præstantissime. 19 Ian. 1632.

Tuo nomini addictissimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Rectè conjicis, Vir Illustris, me in mare hoc, ad quod 289
redii, satis adhuc fluctuum reperisse. Neque verò non id provideram: sed tamen paulo plus animi in iis, qui aut boni sunt, aut satis boni, me reperturum speraveram. Nunc video plerisque loquendi libertatem ademtam, malorum, quæ nobis evenerunt, memoria. Itaque incertus sum etiam nunc, hærere adhuc debeam apud eos qui-

Digitized by Google

quibus non ingratus sum hospes, mentem aliorum meliorem opperiens, an aliò transferre sedes, quò non inhonestis conditionibus vocor. Res Suecorum Regis, adeo prosperæ, ut etiam desidem tam diu Palatinum in spes novas erexerint, (ivit enim in quondam sua, nostro equitatu comitatus) omnium etiam belli mala maximè sentientium aures, ad de induciis sermones, occlusere: ita ut, qui nuper Hagæ fuit Rubenius, tantùm non delusus abierit. Non est dubitandum, quin occasio Regi vestro nata sit, partem aliquam viciniæ sub tutelæ nomine sibi adsciscendi, quod jam de Lotharingia satis feliciter succeslit: ituro longiùs exemplo per eos populos, qui ob Romanæ religionis studium, Gallo quàm Sueco potiùs se sunt credituri. Sed, ut dicis, par est metus, inter hos duos Reges non ita diuturnam fore concordiam, cùm eadem cupiant, sed sibi uterque. De filio, quem legum studio destinasti, non mediocriter gaudeo restitutum in viam, de qua prope decesserat. Amo illum & ob probitatem animi & ob ingenii felicitatem: præterea quid est, quod non tua causa velle debeam? Itaque feci, quod exigis, & quod præsens solebam, nunc scriptis ad ipsum literis calcar ei ad illum cursum addidi, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνων [*festinantem & ipsum incitans*]. Si qua in re alia tibi tuisve utilis esse possim, scis quis fuerim semper, quis nunc quoque sim. Matronæ tuæ ac liberis tecum omnia felicissima exopto. Amstelodami, 6 Febr. 1632.

LVDOVICO MAVRERIO,
Benjamini Filio.

290 INter ea, quæ Lutetiæ cum dolore meo reliqui, tu quoque es, Nobilissime Iuvenis, cujus studia si tantum à me utilitatis accipere potuissent, quantum illis ex animo favebam, habuisses in me maximum adjutorem. Sed ipse multis adversis meis in oblivionem prope adductus eorum, quæ in rebus secundis didiceram, nihil fere habeo reliqui, quàm ut faciam, quod solent in stadio spectatores, teque & tui similes, quos paucos admodum novi, bene quamvis currentes, voce insuper instigem. Id feci dum licuit, facio nunc quoque ac te hortor quantum possum, amicus tibi à Patre datus, ut ad bonas literas & sapientiæ studia tam feliciter hausta, Iuris quoque tum universi, tum præsertim patrii, cognitionem adjungas; qua re nulla est alia, quæ nobiles magis deceat. Neque enim in foro tantùm, sed in Republica versanti plurimùm expedit, quin sæpè & necessarium est, leges ac mores nosse. Scis Senatorios Romæ viros de jure respondisse. Hæc est scientia, quæ Gallis Cancellarios dat, & Custodes sigillorum. Tot illa Parlamenti lumina hac præcipuè parte censentur. Neque est, quod religionis tuæ professio honorum adipiscendorum desperationem tibi injiciat. Nam præter illa loca, quæ non uno in collegio vestræ communionis hominibus servantur, etiam frequentes Regis cum Protestantibus societates aliquem semper ita sentientibus ad negotia & Legationes dabunt. Quæ spes si fallant, tamen meministi legere, domum Iurisconsulti oraculum quoddam esse civitatis. His monitis vota addam, ut tibi tuisque omnibus prosperè cuncta succedant. Vale Clarissime Iuvenis, nosque ama. 6 Febr. 1632.

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi Primario.

291 DE pecunia regia, Vir Illustris, stat sententia: nihil moveri cupio.

Tam teneor dono, quàm si dimittar onustus.

Dum hic mecum erit animus, quocunque ibo, secum geret intimis sensibus, Regis optimi non dicam beneficia, quæ & ipsa tamen magni facio, sed singularem in me benevolentiam, cujus certissima testimonia habeo, non tam ex liberalitate ejus, quam sæpe inverecundia extorquet, quàm ex vultu ac sermone, tanto digna quibus credam, quantum illius sanctitas non minùs abest à voluntate fallendi, quàm majestas ejus à fallendi necessitate. Tuum verò, Vir summe, constantissimum amorem, ac curam mei, supra omnem pecuniam æstimo. Ad Buticularium scribam, ubi materiam nactus fuero, illo meque dignam. Interim dulce est, illi probari me, à quo bonarum literarum gustum tam larga faventis fortunæ pocula non abstulerunt. Ego ipsi domuique ejus opto tam benignæ sortis sedem stabilem, recteque fruendi artem. Wyntgius ubi nunc sit nescio: ambulatorius est, non minùs quàm nummus ipse, & nummi pretium, in quibus ita se exercuit, ut inter operas secundas, aut tertias locum suum tueri potuerit, si ita visum fuisset iis, qui tunc res vestras digito temperabant. Tua quidem prudentia & fides in rebus multò majoribus utilis esse patriæ poterat: sed habes, quo te soleris, cùm circa eam rem tua cura occupatur, propter quam, & apud vos, & apud nos curæ pleræque suscipiuntur. Veteribus congerronibus Sammarthano & Bergeroni felicia precor omnia, ita, si nostri meminerunt. Hamb. 9 Febr. 1632.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

AGnovi, Vir Reverende, magna mea cum voluptate 292
amicam manum, meique hujus gaudii participem Vossium feci, qui ex meo relatu non minùs te amat quàm si diu unà vixisset. Multum de communibus studiis inter nos contulimus, & inter alios sermones delapsi sumus ad ea, quæ de nomine *Cainan* apud Lucam curate scripsisti. Feci ut homo bonus non minùs quàm eruditus, repudiatis aliorum etiam soceri sui sententiis, faceret, quod ego feci, id est tibi accederet. Vtinam scriptum tuum cum defensione, publici juris fiat. Si Lutetiæ minùs id licet, invenies hîc, qui editionis curam suscipiant. Hibernus Episcopus libello nuper evulgato de historia Godescalci Vossio controversiam movet. Existimavit Vossius Godescalcum affinem fuisse ei sententiæ, quam Piscator & alii quidam novitii Magistri de Prædestinatione ita defendunt, ut Deum scelerum causam magis dicere quàm sentire formident. At ille planè eum vult intra Augustini fines stetisse nec ulterius evagatum. Si usus impetrari possit ad tempus aliquod sub restituendi fide, illorum, quæ necdum edita super ista controversia te habere memini, & nescio an & alia insuper Sirmondus habeat, quem Vossius meritò maximi facit, possent ea scripta aut hîc edi, aut certè ex iis lux aliqua illi historiæ adferri. Planè pro certo habe, si quid est lectu dignum, quod apud vos aut edi per Theologos non possit, aut librarium non inveniat, qui sumptus facere velit, non defuturos hîc, qui publicis utilitatibus inserviant. Pertinebit id simul ad ornandam Scholam, felicibus sanè initiis hîc crescentem. Quod meas res satis adhuc fluctuantes tuis votis adjuvas, facis pro solita tua pietate atque humanitate. Sed tu rationes conturbas, qui, quod locis disjungimur, in tuum damnum refers, cùm ego sim, cui id maximo dispendio constet. Et Richerii viri boni, tantùm in multa senectute nimium facilis, & Senatoris Loiselli mortem, tecum doleo. Atque ita de me ac de litteris est meritus Senator Hottomannus, ut de luctibus ejus participare debeam. Mirum si nunc in Brabantiam Tertius è cœlo cecidit Cato. Nam apud nos Hollandos proverbium est, in Brabantia homines quò vivunt longiùs, eò magis ad stultitiam proficere. Maximum omnes, quibus vera sapientia cordi est, lucrum fecerunt, reperto libro viri incomparabilis Pauli Servitæ, præsertim de argumento tam nobili, causaque alibi magnorum motuum, apud nos etiam belli tam pertinaciter exerciti. Bodini opus supremum estne ut lucem speret? Quid verò molitur Rigaltius? quid Sionita? nam Salmasium ob spem propinquam jam Batavis annumero. A me in hoc rerum salo nihil exigendum est, nisi ut valeam: & tamen de Veritate Religionis nostri omnium, id est Christianæ, liber jam tertiùm recuditur. Vtinam is cui inscriptus est, tam bene valeat quàm ego: eum semper

suo

Digitized by Google

suo merito faciam maximi. Vale, Vir Clarissime, cum amicorum grege. Resalutant te nostri. 12 Febr. 1632.

IOANNI CORDESIO, Canonico Lemovicensi.

293 Respondissem tibi jampridem, ut debeo, Vir Reverende, gratiasque egissem, tam meo tum Vossii nomine, pro transmissis chartis ad Godescalcum pertinentibus; quas descriptas edet cum libello ejus argumenti, ipsas tibi remittet Vossius. Sed scripturam distuli, donec invenissem, quæ tibi volebam mittere, observationes Ludovici de Dieu, & Drusii sacra parallela, quorum illum reperi, hunc verò librum neque hic neque Lugduni, ac ne Franecræ quidem reperire potui. Quare quod mitto, boni consulas, quod mittere non potui, de eo excusatum me ut habeas, pro veteri amicitia nostra te rogo. Salmasius hîc exspectatur, me, ut credo, non inventurus. Rigaltio ut bene procedat Tertulliana editio, tecum opto. Amicos omnes saluta rogo, significesque me ipsorum non immemorem vivere, & exspectare tantundem. Vale, Vir optime. 9 Aprilis, 1632.

PETRO GASSENDIO, Philosopho & Mathematico.

294 Gratias pro munere habeo, Vir Eximie; refero & qua possum, id agendo, ut in plurimorum notitiam veniant, quæ à te bono sæculi elaborantur. Vossius in parte memoriæ tuæ hærere plurimi facit. Quicquid habes Observationum sive Physicarum sive Astronomicarum, commodè inseri poterit, & sic meliùs diuturnitati consecrari in magno opere Cosmographiæ, quod molitur Wilhelmus Blaeu, typographorum diligentissimus. Quæ de Gargettia Philosophia congesseras, eadem, si quæ antidoti accedant, gaudebit edere idem Wilhelmus. Ego nihil aliud, quod rogem, habeo, nisi ut pergas tui esse similis: nosque tui reverentes ames. 12 April. 1632.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

295 Qvando Lamairius, vir optime atque eruditissime novam pro veritate Christianæ religionis editionem nec præstat hoc mercatu qui Francofurti fuit, nec in sequentem promittit, ad tuam opem quam mihi salutarem toties expertus sum confugio, teque oro ut si habes, habere autem te puto, exemplum eorum quæ correxeram aut addideram (& erat quibusdam in locis non pœnitenda accessio) ne patiaris perire & hunc prope dixerim novi carceris fructum. Ego hic ruri sum loco amœno propter Albim inter montes, valles, nemora. Cæli mutatio stomacho aliquid molestiæ attulit sed quam spero & tempore & mediocri corporis exercitatione abituram. Vale cum optima uxore ac liberis & amicis qui ibi sunt. Non dubito quæ tua fides est quin staturus sis promisso, ac defensurus causam perfacilem, quod post tam longam patientiam non siverim mihi diutius illudi, homini de patria semper bene merito, de multis civibus non malè. Postridie Pentecostes: in hoc enim utraque Calendaria conveniunt anni 1632.

Tuus tuo Iure H. G.

EIDEM.

296 Rogatus à Iohanne Cordesio viro & bonorum omnium & tui studiosissimo, rogo te vir optime ut Godescalcianas chartas describi cures, ipsique quas per me miserat remittas. Est enim is benignus in omnes sed senum more nihil de reculis suis abesse diu sibi patitur: nec aliud exemplum habet. Curare poterit Blavius. Ex tuis ad Dankium literis cognovi, quantopere me ornes tuis præconiis neque contemni usquam patiaris. Sed nunc tuo patrocinio in patria maximè indigeo quod mihi in justissima discessus causa non defuturum planè, ita ut & antehac scripsi, confido. Ego hic doctis spem facio videndi tua de Grammatica & Poëtica arte. noli nos diu pendere. Tibi, uxori sanctissimæ, & egregiæ propagini fausta precor omnia. Dockinshusæ ad Albim extra Hamburgum. 14 Iunii novi Kal. 1632.

Tuus tibi obligatissimus H. G.

IOANNI CRELLIO.

Tam pro Epistola, Vir Clarissime, quàm pro transmisso libro, gratias ago maximas. Constitui & legere & relegere diligenter, quæcunque à te proficiscuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipso tempore quo literas tuas accepi, versabar in lectione tuæ interpretationis in Epistolam ad Galatas. Quantum judicare possum, & scripti occasionem & propositum, & totam seriem dictionis, ut magna cum cura indagasti, ita feliciter admodum assecutus es. Quare Deum precor, ut & tibi & similibus vitam det, & quæ alia ad istiusmodi labores necessaria. Mihi ad juvandam communem Christianismi causam, utinam tam adessent vires, quàm promtus est animus! Quippe me à prima ætate, per varia disciplinarum genera jactatum, nulla res magis oblectavit quàm rerum Sacrarum meditatio. Id in rebus prosperis moderamen, id in adversis solatium sensi. Pacis consilia & amavi semper, & amo nunc quoque; eoque doleo, cùm video tam pertinacibus iris committi inter se eos, qui Christi se esse dicunt, si rectè rem putamus, quantillis de causis! De illo ad Timotheum loco cogitavi sæpe, ac planè tecum sentio, verba non esse talia, quæ nullo modo sensum ferre possint quem secutæ sunt complures Ecclesiæ, temporibus Clementis & Tertulliani, ne Episcopus fieret aut Diaconus, qui secundas quoque modo nuptias fecisset. Et rectè adducis locum, ubi similis est locutio, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή. (*qua fuit unius viri uxor*). Neque verum est ad τὰ πρός τι (*ea qua ad aliud referuntur*) enuntianda, semper requiri ut hoc ipso tempore maneat illa σχέσις (*relatio*): sæpe satis est ut locutio talis locum habeat, rem aliquando ita fuisse. Quum & diversa tempora sub unius nominis appellationem veniunt; sic Felicem Suetonius appellat trium Reginarum maritum. Certè Græci, sui sermonis non ineruditi, ita verba accepere. Ecce Chrysostomum. 297

Desunt verba Chrysostomi.

Quanquam non nego, cur eos, quos digamos vocabant, arcerent Episcopatu sive Presbyterio, non fuisse unicam, verba illa Pauli, ita, ut dixi, accepta, causam; sed & æmulationem τῶν ἔξω. (*eorum qui extra sunt*). Romano Pontifici maximo non licuisse iterare matrimonium asseverat Tertullianus de Monogamia, & ad uxorem, & Exhortatione Castitatis, & præscriptionibus adversùs hæreticos; quod ipsum de Flamine Diali alii prodiderunt. Iam verò erant ejus animi illorum temporum Christiani, ut nulla in re, quæ modò aliquam haberet honesti speciem, extraneis quicquam vellent concedere. Erant autem secundæ nuptiæ, quanquam in fœminis magis culpatæ, tamen ne in viris quidem laudatæ, præsertim si liberi exstarent: ita ut Clementis Alexandrini judicio, is qui uxore mortua alteram ducat, non peccet quidem in fœdus, sed tamen minùs impleat τὴν κατ' ἐπίτασιν πλειότητα. (*exactam perfectionem*). Cæterum cùm ea quæ à Diacono, tantoque magis ab Episcopo sive Presbytero exigit Apostolus, talia ferme sint, quæ à Christianis omnibus exigantur, propior sum Theodoreti sententiæ, quæ hoc spectatum putat, ne ad tales functiones eligerentur, nisi qui retro ab ipso Baptismi tempore omni probro ac culpa vacassent, nec ullo facto Ecclesiæ animadversionem incurrissent. Voces autem *Mulieris*, & *Viri*, hic sumi, ut sexum primariò, non conjugium denotent; ut sensus sit; talem virum

Digitized by Google

rum Ecclesiæ præfici debere, qui una contentus fœmina fuerit, id est, qui uxori semper concors fidusque vixerit, neque eam læsit aut pellicis aut vago amore: quod apud Græcos nimium fuisse frequens, etiam Comœdiæ de Græco in Latinum versæ testantur, & quidem dissimulantibus id publicis legibus. Obstare videbitur, quod in vidua alleganda requirit Apostolus, ut unius viri fuerit mulier: nam is locus de viris ob locutionis similitudinem comparandus esse videtur; mulieri autem nec duos simul habere maritos permissum fuit, nec ad earum adulteria leges connivebant. Vera hæc sunt. Sed notandum est, mulieribus Græcis & Ephesinis licuisse per leges à maritis divortium facere, & sic, quoties vellent, mutare matrimonium: quod non modò cum Christi edicto pugnabat, sed etjam licentiam, qualis tunc vigebat, inspicientibus non procul aberat ab adulterii specie: de Romanis mulieribus Seneca: *Illustres quædam ac nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed maritorum annos suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii.* Iuvenalis:

Sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

Martialis non illepidè:

Toties quæ nubit adultera lege est:
Offendor mœcha simpliciore minus.

Vnius ergo viri fœmina ea dicitur, quæ viro dum is vixit fida fuit, neque eum divortio mutavit. Hæc sunt quæ mihi de isto loco hoc quidem tempore videntur: quibus si quid habes rectius, id rogo mihi benignus impertias, atque ita de me credas, mihi nil fore gratius, quàm si qua in re gratum quid tibi facere possim: Deus tuis laboribus propitius adsit. 20 Iunii, 1632.

Tui studiosissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

298 VXoris adventus tuæque manus conspectus, Vir optime inter doctos, inter bonos doctissime, non levamentum mihi tantùm solitudinis sed & gaudium ingens attulere. Nam tanta vi inimicorum oppressus, ad quem me vertam potiùs, quàm ad illam omnis fortunæ sociam, & ad te, cujus fides mihi nunquam dubitata tot adversis meis etiam aliis omnibus illuxit? De rebus meis nihil dum constitui: sed quantum prospicere possum, erit aliqua eligendi facultas. Nec durum videri mihi debet sub domino vivere, cùm videam apud vos ubi tantum pro libertate depensum est vix quicquam ejus præter nomen restare. Certè quidvis potius faciendum censeo quàm ut iis supplicem, quibus post tot annorum patientiam dignus visus sum qui rursus traducerer. Ego eum hominem qui τὸ γενναῖον [*generositatem*] decoxit nullius pretii puto. Pontanum & alios qui literarum florent laudibus nostri memores vivere gaudeo: non quod istam patriam meam posthac putem, sed quod ubivis terrarum diligi sit jucundum iis maximè qui immeritis odiis vexantur. Vale, Vir summe, cum uxore ac liberis quibus omnibus omnia fortunata ego, mea, meique comprecamur. 7/17 Augusti, 1632.

Tuus tuo merito H. G.

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Primario Præsidi.

299 RErum adversarum, Vir Illustris, multos esse fructus, nos docet sapientiæ regula: Inter has non minimum, quod de certis amicis certos nos facit. Id ego in te expertus; qui & præsenti mihi dulcem fecisti Galliam juvando qua ope, qua consilio, qua solatio, & nunc absentis eam habuisti rationem, ut ostenderes facilè, ad vulgares tantùm, non etiam ad heroicas amicitias pertinere dictum vetus, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν [*multas amicitias silentium diremit*]. Itaque uxoris adventu tum alia mihi læta contigerunt, tum hoc vel maximè, quòd intellexi, ita generoso tuo animo infixam mei memoriam, ut vultus conspectu renovari opus non habeat. Beneficia, quæ præstare mihi, &, quod pondus addit, nec rogatus pergis, quamquam magna sunt, non tamen tam illa me delectant, quàm abs te constanter diligi glorior: quod sive ab affectu est, habeo quod felicem me sentiam: sive, quod malo, à judicio, satis est, quod inimicorum reliquiis opponam. Vivo hic in locis non inamœnis & in quibus nec externus mihi videor, tanta popularium meorum, & veterum, & novorum turba circumfusus. Meministi illud Arcadii, & Honorii temporum:

non indignante Cauco
Pascit Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
Gallica Germanos montes armenta pererrant.

Circa Caroli Magni tempora multa hominum millia ex nostris partibus in has partes habitatum venisse docent Annales veteres. Idem & posterius factitatum, ex quo Comites Hollandia habuit, nostræ nos historiæ docent. Sed quid aliorum sæculorum documentis opus, cùm plurimos hic sit conspicere eorum liberos, quos per Hispanicam sævitiam nostris extorres finibus hæc patria excepit, tam felice successu, ut data jam olim domum remigrandi copia ne nunc quidem uti cupiant. Rus, in quo hanc æstatem ago, piscinas sex habet, arbores pomiferas & alias, flores, &, ne utilitates minores negligi putes, olera plurima. Situm est in colle non humili, cujus dorsum hinc amni, inde spatioso nemori imminet. Amnis autem est non aliquis de plebe fluviorum, sed pater Albis, quem sic quasi fossam villæ despicio. Hæc cùm satis se mihi probarunt, succurrit illud Bilbilici poëtæ:

O si conscius esset hic Avitus,
(id est *Lussonius* aliquis *Sanmarthanus*, *Bergeronius*;)
Aurem non ego tertiam timerem.

Imò nec quartam. Quid tu interim? Adhucne occupatus in auro, argento, ære, flando, fundendo, feriundo? An ad meliora te vocat aura Cardinalis? Valde mihi molestum sit, si diutius, contra legis sapientissimæ præscriptum, ares equus cum asinis. Quicquid erit, nihil tibi tam magnificum eveniet, quin plus censeam exploratissimæ tuæ probitati, & limitatissimo judicio deberi. Vale, vir egregie, & nihil mihi durum nimis futurum crede, si hoc semper habeam solatium, tibi me non displicere. Dochinshudæ ad Albim 7/17 Augusti (nam Germania in Calendariis ἐπαμφοτερίζει [*in utramque partem vergit*]) anni 1632.

Binas à te literas uxor accepit, pro quibus & insumpto in res nostras labore debitores tibi in solidum sumus.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

SPero, Vir Reverende, Schedas ad Godescalci causam pertinentes jam acceperis, & acceperis quas Amsterodamo miseram observationes in Novum Testamentum Dedievii. Ego hic cum uxore satis jucundè rusticor, oblitusque meorum, obliviscendus & illis. Libri desunt, sed huic malo remedium adfert Lindembrogius, cujus Bibliotheca non minùs utor familiariter, quàm tua solebam. Ei rependere gratiam cupiens, cùm à me copiam non habeam, à te sumam mutuo, fretus jure amicitiæ, quod mihi tua concessit bonitas. In libris, quos è Gallia comparavit, desunt quædam paginæ, quas a venditore, puto Cramoysio, velit farciri. Hoc negotium tua ut ope quàm celerrimè conficiatur, rogat te ille, & cum illo ego; tum quia libris indiget ad notas auctiores, quas adornat in utilissimum scriptorem Ammianum Marcellinum, tum quia in rebus ejusmodi, temporis prælapsus minùs speciosam facit repetitionem. Vale suaviter cum amicis omnibus, non immemor nostri. 7/17 Augusti, 1632. Dochinshudæ ad Albim. 300

PE-

PETRO PUTEANO.

301 ET Galliæ, Vir Nobilissime, & tot amicorum, quos ibi reliqui, & præcipuè illius, quæ apud vos quotidie conspicitur, eruditorum coronæ semper meminero, dum hic in me manebit spiritus. Nec Lindembrogium alia ex parte pluris facio, quàm quod iisdem amicitiis gloriatur. Quare cùm mei quoque non periisse tibi memoriam intelligo, magnum hoc gaudium aut triumphus mihi est. Pro eo, quem Galliæ vobisque omnibus debeo amore, tristes accipio rumores de renascentibus apud vos civilium armorum minis, quæ utinam Dei clementia avertat. Scribitur ad me ex Britannia filium Custodis gazæ regiæ florentem regia amicitia atque etiam affinitate (nam filiam Lenoxiæ duxit uxorem) Legatum mitti ad vos, Sabaudum, Ethruscum, Lotharingum: quod consilium, quantum conjectura valeo assequi, ad reponendam in Galliis concordiam pertinet. Aptine sint conciliatores Angli, sanè nescio. Rem ipsam opto votis fidelibus. Rex Daniæ non modò Glukstadium frenum Hamburgi auget miris modis, Albimque tributarium sibi facit; sed & nisi civitas Hamburgensis mulctam satis grandem pro impetrando pace dependat, minatur hostilia. Prudens est hic Senatus, qui tales procellas solet silentio & temporis interjectu eludere, situs egregiis urbis munimentis validoque præsidio. Ita priores Dani conatus, ita Imperatoris quondam minas evasere, & nunc quoque exempti partium studiis speculantur, quo exituræ sint res Germaniæ, brevi, ut videtur, dijudicandæ apud Norimbergam, quo tantæ bellantium vires coière. Etiam in Dania à Britannis Legatus exspectatur Licestrius Comes ad promovendam, ut creditur, Germaniæ Pacem; quod rebus suis adversum judicant, qui hic negotia agunt victoriis incliti, & nihil actum putantis, dum agendum aliquid superest, Succorum Regis. Narrant nobis iisdem Fristadium à Succis captum crematumque, repertamque ibi magnam rerum edulium copiam, cùm velut horreum esset Fridlandii. Sed hæc non minùs citò ad vos quàm ad nos perferre potest fama, cui etiam de iis, quæ circa Trajectum ad Mosam geruntur, nuntiationem delego. Vale, Vir Nobilissime cum amicis, præsertim fratribus & Thuanis. $\frac{17}{27}$ Augusti, 1632.

An pergat cœlestia rimari Gassendius, scire desidero. Sunt hic multi talium curiosi. Rogo patiaris me tibi curam inclusarum epistolarum imponere, paratum parem & majorem, ubi injunxeris, operam sumere.

EIDEM.

302 MIhi & tuam, Vir Nobilissime, & aliorum amicorum constantem in me benevolentiam ex tuis, quas 8 Septembris ad me dedisti, discere voluptati fuit. Nullum enim habet hæc vita, præsertim ubi ab adversis rebus assultatur, isto levamento efficacius. Infirmitatem stomachi, quam mutatio cœli mihi incusserat, abstersit jam satis tempus & assuetudo: metu tamen, ne pars causaria frigore læderetur, ex rure in urbem me recepi. Autumnum Germanis cognitum negat Tacitus. Certè ad hyemis quàm ad æstatis naturam heic propiùs accedit. Civitas hæc duplicem habet doloris causam; alteram, quod Danorum Rex nihil remittit de rigidis suis postulatis: quin & navem hinc profectam in freto suo detinuit, & vim graviorem minatur: nec quicquam in vicinis civitatibus huic subsidii est, apud quas ob res hactenus florentes plus invidiæ invenit, quam miserationis. Alteram habet dolendi causam, quod Sueonum Rex neque ad prælium rem adducere potuit, neque commeatuum & equorum pabuli penuriam diutius pati: ideoque motis Mœnum versùs castris, Norimbergam, fidissimam urbem, præsidio quidem non spernendo septies aut octies mille militum munivit, sed ex castrorum pœdore morbis contactam reliquit, eoque hosti potenti ad obsidium faciliorem. Galliæ pacem omnes speramus, ex cujus salute pendere res Protestantium nemo non intelligit. Salmasii vellem ea esset valetudo, ut quàm primùm nobis posset Lugduni Batavorum dare, quæ ad Eliberinos canones notavit. Tertulliani editio, quam curat Rigaltius, quin elegantissima sit futura, non dubito. Vnum velim in sensibus ejus scriptoris explicandis, tantum Rigaltio concedi libertatis, quantum suis temporibus sibi sumpsit ipse Tertullianus. Sirmondi magna sunt in literas merita, quibus si Theodoretum addiderit, inverecundum sit ab ipsius senectute amplius aliquid postulare. Cyrilli quoque tanta semper fuit in Ecclesia auctoritas, ut optimè ponatur opera, quæ ipsius labores aut latentes in lucem extrahit, aut productos reddit meliores. Spero & illam multilinguam Sacrorum librorum editionem bene procedere. Nos, qui in hoc rerum nostrarum salo nihil, dum ipsi præstare possumus, ne desimus literis, non omittimus de auctioribus ad Ammianum Notis urgere Lindembrogium. Quod addam, nunc quidem nihil habeo, nisi Amplissimis Bignonio Lussonioque precor omnia, quæ optimis optima possunt contingere. Fratres quoque tuos & amicos omnes salvere jubeo. Hamburgi postridie Cal. Septemb. 1632.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

FAcis more tuo, Vir Amplissime, cùm mei curam tam amicè geris. Ego tibi meis de rebus certi nihil significare possum. Hæreo in villa ad Albim, undique circumspectans, cui me potissimum credere debeam. Certè nisi nimium mihi placeo, inveniemus aliquem, qui nos paulo pluris faciat, quàm illi, quorum dignitati, saluti, commodis, tanta pars vitæ meæ impensa est. Et tamen utcunque res ceciderit, perferre jubebimus fortem animum. Mollis sit necesse est, si cui tanta malorum consuetudo callum non obduxit. Ad filium tuum scripsi, velut meopte impulsu, & spero, nec ingratas illi, pro eo, quo ipsum prosecutus sum, amore, nec inutiles literas, fore. Commendavi eas Marbaldo, ut & has, ad te. Vxor nunc mecum est, unaque tibi, tuæ, tuis ea optat omnia, quæ optare jus fasque est. De aula cogitandum filio tuo non arbitror. Si tamen pertendit, nullus est dignior, ad quem se applicet Succiæ Rege, apud quem multum valere poterit Camerarii commendatio. 11 Septembris novi Kal. Anno 1632. 303

LUDOVICO MAURERIO,
Benjamini filio.

CRedo te nostri non immemorem vivere, Iuvenis Nobilissime, proptereaque omittere non possum, quin tibi hoc quoque mittam testimonium solliciti de te animi. Spero nunc quoque non displicere tibi nostra illa studia, quæ sola vestræ Religionis hominibus in Gallia ad vitam non ingloriam supersunt, nisi quis arma malit civilia, externis crebriora, in sui patriæque periculum exercere. quod ipsum ne vobis nisi in caliga liceat, tempus haud longè abesse arbitror. Ea sunt Protestantium in Galliis fata, ut nihil magis optandum illis videatur, quàm ut extra castrorum fremitus, aulæque perniciosas multis artes, inoffenso tramite mollis & nec sibi nec aliis molesta vita decurrat. Id tibi, ni fallor, optimè forum præstabit. Vides Martelerii quæ sit fama, cujus privata vita non minus habet lucis & commodorum, quàm aliorum longè latéque strepentia negotia. Ego quod coram fecissem, id si nunc quoque satis longè sepositus possim facere, tuis ut studiis aliquid auxilii adferam, crede nihil me facturum animo volentiore. Vale; & spem tuorum imple. 11 Septembris, 1632. Dochinshudæ ad Albim. 304

Digitized by Google

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi Primario.

305 CVm postremò ad te scriberem, Vir Illustris, nondum acceperam eas, quas ad me 12 Sextilis die scripsisti: ex quibus cùm discam, quanta cum diligentia cures, ne quid mihi de eo, quod de liberalitate regia mihi reliquum est, pereat, satis intelligo neque Regi neque tibi satis dignas me gratias agere posse. Et sanè ita his temporibus obsepti sunt aditus ad beneficiorum regalium rem consequendam, ut sicut manupretium materiam sæpe superat, ita quæ impendenda est ad tot moras eluctandas opera, plus sæpe sit ipsa liberalitate. Satis multa magnaque in Gallia accepi, ut ejus oblivisci nunquam debeam, & si quid ad ejus gloriam ac commoda promovenda meæ sit copiæ, id omittere sit nefas. Nunc quando neque mei præsentis opera, qua uteretur his quidem temporibus, idonea Galliæ judicata est; neque patria tam rectè valet, ut mihi honestam apud se vitam possit concedere: unum scilicet superest, alium quærere, qui mihi imperet, cuique soli ego sim posthac obnoxius & qui potestatis sunt meæ. Nam quod jus nostrum de fidei commissis tradidit, cui per se capere non licet, eum nec per interpositam personam capere debere, rectè ni fallor huc aptem: atque hoc κέκριται [*judicatum est*]. Buticularium ad ærarii curam processisse gaudeo. Visus enim mihi est semper humanus, & multum ab illo diversus, qui ut poëtis cantatus draco ipsa vultus sui truculentia omnes ab Hesperidum malis appetendis absterrebat. Ego de rebus meis certi nihil dum constitui. Dux erit is, qui ex summis calamitatibus antehac liberavit: ipsiusque gloriæ, qua possum, servientem, ipsi fidentem non spernet. Ejusdem paternæ curæ te quoque, Vir Amplissime, commendo, & vitæ tibi suavitatem precor dignam istâ animi bonitate. Dochinshudæ ad Albim, 11 Septembris novi Calend. anni 1632.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

306 VIr Reverende; Et Literas priores meas, & observationes, quas scripsit de Dieu, ad te rectè perlatas gaudeo. Neque minùs id me juvat, quod mea commoda atque incommoda à te non aliena judicas, constans in ea benevolentia, qua me immerentem pridem prosequeris. De Godescalcianis chartis non desinam aurem Vossio vellere. Pro eo labore, quo negotium meum curatis, tu, virique Amplissimi Bignonius Lussoniusque, vobis omnibus gratias habeo quantas possum maximas. Pacem opto Galliæ, Salmasio felix in Batavos iter, Rigaltio editionem Tertulliani liberam ab Episcoporum supercilio: amicis omnibus vitam suavem, id est literatis colloquiis conditam. Vxor apud nos est, tibique pro multis officiis gratias agit. Vale, Vir Præstantissime. 11 Septembris 1632. Dochinshudæ ad Albim.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

307 VAlere te rectè cum omni familia tua, Vossi præstantissime, quàm lætus acceperim tum ex epistolis tuis, tum ex vivo Mathisii relatu, facilè intelligere poteris si memineris quanti te semper & ob pietatem tuam & ob eruditionem & ob merita in me fecerim. Delectarunt me & Merici Casauboni literæ quæ & ipsius amicum animum & Magni Episcopi in me benevolentiam abundè testantur. Lamerius ut video suo more cunctator est: id saltem spero futurum ut ubi editionem absolverit, exempla ejus aliqua mittat amicis participanda. Libros tuos quibus ipsos Grammaticos doces Latinè loqui prodire gaudeo, ne quid sit bonarum literarum genus quod non abs te beneficium acceperit. Dionysii tui laborem in vertenda historia Rhedani & nostratibus & externis utilissima & probavi & probo. Sæpe interpretes non minùs laudis quàm ipsi scriptores sunt consecuti. Quod si M. Tullium non puduit inter tot sacra immortalitati opera & Xenophontis & aliorum quædam in Romanum sermonem vertere, non indignum est juvene per hunc gradum ad famam ascendere. Mathisium quem antehac non cognoveram, video virum esse & ista dote & quavis præclara fortuna dignissimum. Fert has literas Hartswigius juris peritus senatoris egregii filius, cum quo contractam jam olim in Gallia amicitiam & ipsius comitas & patris in me benefacta auxerunt. Quare rogo illi, quod Amstelodami maximum censeo, ad te aditus pateat, vel in hoc ut videat Grotium non itidem à bonorum in Hollandia animis ut ab Hollandia exsulare: Postremò quæso patere orare me ut hæ literæ tua cura ad fratrem meum perveniant. Deus te cum conjuge ac liberis sospitem diu Batavis literatisque omnibus præstet 1/11 Octobris 1632. Hamburgi.

Tuus ut semper H. G.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lomovicensi.

REperi Caselii literas, & mitto, Vir Reverende, indicio pervenisse tandem ad me literas, quas nuper me desiderare scripseram. Duodecim absunt dies ab impletione tertii mensis, cùm illas dedisti, quas nunc de manu accipio. Vbi erraverint, nescio. Certè post longam fugam ad eum venisse, cui destinabantur, gaudeo. Interea magna apud vos, magna in Germania facta est rerum conversio, quæ utinam pacem vobis servet, pariat aliis. Pro residui mei negotio, quod tantum laboris amici suscepistis, est gratia. Molestum fuisse doleo, cordi vobis esse gaudeo. Extricetur hoc qualibet depexione: in posterum nec spero quicquam, nec cupio, & amicos ista curarum parte exonero. Deligenda est aliqua fortunarum sedes, cui me & spes meorum committam: deligentem Deus dirigat. Pro eo quod Lindembrogio præstitisti, & ipse tibi obligatus est, & per ipsum ego. Labores ejus pro juvanda re literaria merentur, ut eum scribas tui gregis. Has epistolas alteras ad Lussonium Præsidem, ad minorem Puteanum alteras, tibi si curandas commendavero, nihil præter morem meum fecero, qui, qua præsens, qua absens, tibi molestus esse non desino, nec desinam, nisi disertè vetes. Deus tibi mitem det senectutem, & de cunctis bene mereri studenti animo pares copias 1/11 Decembris 1632 Hamburgi. 308

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi Primario.

ROmanis triste habebatur veteri testamento decedere: 309
mihi verò etiam, veteres accipere amicorum literas: quod nunc mihi accidit, Vir Illustris, cùm tuas datas illas Septembris 24 non ante 19 Decembris conspicio. Sed quod seræ advenerunt, meæ infelicitati, ut multa, debeo: quod omnino venerunt bonitati tuæ, qui officiosus in me esse nunquam desinis, hoc strictiùs me obligans, quod merita tua non magis agnoscis quàm Socrates aliquid se scire. Sed ut aliis imponas, egregius εἴρων, & ut hanc Græcam vocem Horatius exposuit, *dissimulator opis propriæ*, mihi certè imponere non potes, cui beneficia tua, nunquam dilata, donec rogareris, memoriam quamvis fluxàm semper vellicant. Ex iis de me, quæ prædicas, veniam dabis, si non rejicio omnia, sed ea assumo, de quibus attestantem habeo conscientiam, vitæ innocentis studium, & ejus, quem natus in patria acceperam status fidum, sed infaustum amorem. Salmasium cum honore exceptum ab iis, qui me per contumeliam ejecerunt, literarum causa gaudeo. Erat ergo illi pro Gallia tellus Batava: mihi pro Batava tellure nunc Hamburgum: mox alius fortè terræ angulus. Regi optimo gratiam habeo, habeboque perpetuò, quod me suæ liberalitatis participem esse voluit. Satis sit, dum in Gallia vixi & usum mei non

Digitized by Google

non exhibui quidem, neque enim potui, ſed obtuli tamen, vobis fuiſſe oneri. Nunc ut abſens, velut iners fucus, aliena comedam pabula? οὐ πρέπει [non decet]. In animo tamen & benigniſſimi Principis, & tot amicorum debitor ero ſemper; tibi imprimis, Vir Ampliſſime, cujus ego mores fictos meliore metallo, & illum, qui moneta eſt præclariſſimarum actionum, ſpiritum, meritò pluris facio, quàm illud omne, quod per Defiati manus aut tranſiit, autiis adhæſit. Nec de oculis queri te velim, quos tam longùm proſpiciente animo natura ætasque penſarunt: unde & hoc habes boni, quod hortulos tuos, non arborum magis quàm optimorum ſermonum fæcundos præferre audes Satraparum paradiſis. Scythicæ hiſtoriæ compendium ubi à Bergerone habebimus (nihil autem ab illo proficiſci poteſt, quod non limatiſſimi ſit judicii) multum nos ipſi debebimus, nec minùs tibi ipſi, quo excitante veternum excuſſit. In Saracenicis rebus non oblitur us eſt eorum, quæ beneficio Erpenii longè optima habemus: & ſi quid ad voces interpretandas occurrat, ſuadeo Sionitam conſulat. Video enim, multos ſcriptores ſermonis ejus ignorantia gravia peccaſſe, etiam Iovium. Vxor apud eos eſt, quos noſtros dicere ſemper ſolebam, nunc vix poſſum ampliùs; nempe ut tabulas colligat naufragii, in quem tandem portum à nobis referendas necdum ſcio. Sed Deus viderit, cujus paternam benevolentiam, in rebus duriſſimis expertus, ne nunc quidem mihi meisque defuturam, ſatis certum habeo. Vale, Vir optime, quem ego tibi titulum haud minori jure dedero, quàm Senatus Naſicæ. Hamburgi, $\frac{1}{11}$ Decembris 1632.

IACOBO PVTEANO.

310 Abeſt Hamburgo Lutetia quàm vellem longiùs, non tamen

Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.

Et tamen, ſi tantum abeſſet, ſperare literas recentiores poteram, quàm tuæ, quæ mea eſt infelicitas, advenerunt, quas ſcriptas Calendis Octobribus die 19 Decembris novi Calendarii accepi. Itaque neſcio, quo malo fato tibi, Iuvenis Nobiliſſime, ſcribendi labor, mihi legendi voluptas, niſi qua parte nos ſalvos noſtrique non immemores didici, pene periit. Mommorantium captum nuntiabas, dudum eſt, quod eſſe deſiit. Ipſi amico noſtro communi D. des Hayes tot dies noctesque non parum, ut ſpero, detriverunt de luctu graviſſimo ſanè, niſi eum majora etiam exempla ſolarentur. Iam ſi æquè teſtudineus erit harum literarum gradus, quid ego tibi de dubiis poſt Sueciæ Regis mortem Proteſtantium rebus ſcribam, quas interim, dum hæ ad vos arrepunt, nova fortè acies aliqua aut reſtituet aut evertet. Bohemiæ Regum uterque mortuus nunciatur, & ὁ ἀποτυχὼν [is cui male ſucceſſit] & ὁ ἐπιτυχὼν [is cui ex voto ſucceſſit]: interim fortè Saxonis erit Bohemia. Cæſar ægrotare dicitur, alium quis ſcit an non interim habebimus? Nam quid ego nunc vobis rumores, qui de rebus veſtris huc feruntur, referam? id eſt quomodo Germanus Schombergius, avidiùs ſe patinæ immergens veneno abreptus ſit, cujus violentiam Gallus Cardinalis, cibi parcior, eluſerit, præſtructa ſcilicet ab Hiſpanis nece, dum non aliud reperiunt remedium diſcutiendo, quod agitabatur, Reginæ repudio. Hæc ego ſi à te nova ac certa haberem, triumpharem apud Hamburgenſes, ſcilicet ut apud Ithacesios Ovidiana Penelope.

Hæc ego ſi poſſem timidè credentibus, ipſe
Ipſe mihi ſcripſit, dicere, quanta forem?

Sed hæc quidem fortè ad nos parum: illud magis, quod cognoviſſe ne nunc quidem ſerum eſt, bene procedere editionem trium inter Chriſtianos veteres eruditionis haud minimæ, Tertulliani, Theodoreti, Cyrilli; cujus gaudii jam aliquot hic meliorum literarum colore tinctos feci participes. quorum eſt Lindembrogius, veſtri Rigaltiique, ita ut par eſt & æquum, amantiſſimus. De Thuano votis veſtris juſtiſſimis accedo: nunquam ei tanta continget fortuna, quin majora eum mereri quovis pignore auſurus ſim contendere. Florentem illum aula, Italia fratrem remittat. Tuum verò fratrem, quod interdum liberiore ruris cœlo fruitur, tanto præſertim & tam amico comite, laudo ſanè, iraſci ei ſolitus, quod oculis ſuis minùs parceret, quos ſi habere ſe melius cognovero, nihil oculi mei lætius legent. Et ipſi & amicorum cæteris habeo gratias quantas poſſum maximas, quod ſervare mihi laboraverint id, quod in fundo dolii reſederat. Futuri temporis ſpes omnes abdico, contentus loco & fortuna quam Deus dederit. Satis mihi præſtabit Gallia, ſi vos amicosque diu ſoſpitet, mihique ſoſpites nuntiet. Scribebam Hamburgi $\frac{1}{11}$ Decembris, 1632.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Eſt in hac urbe, Vir optime, Michael Gellingus ex 311
judæo factus ante annos hos XVII. bona fide (quantum judicare licet) Chriſtianus. In Rabbinicis ſcriptis vertendis video eum feliciter verſari. Et velim ab eo verti librum Ioſephi Albi de Fundamentis. Hic non invenit, quæ illi ad vitam mediocriter ſuſtentandam & ad labores tales ſunt neceſſaria. nec multis illi opus eſt, ἀγάμῳ καὶ ἀτέκνῳ [cælibi & improli]. Annos habet ætatis XXXVI. Rogavit explorarem an opera ſua in Hollandia poſſet eſſe publico fructuoſa, ipſi non planè ſterilis. Dixi, quod verum eſt, me vix quenquam illis in locis amicum habere præter te: ex quo ſciſcitaturum me an aliqua ſpes affulgeat propter quam migrationem inſtituere poſſet. Vel ipſum illud quod velum legis depoſuit & in rebus arctis Chriſtum nobiſcum colere perſeverat, tanti mihi videtur, ut aliqua de eo cogitatio ſuſcipi debeat. Sed tibi talia operoſè commendare injuriam ſit facere tuæ bonitati. Vale cum optima uxore, familia, amicis. $\frac{13}{23}$ Martii 1633.

Tuus totus H. G.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicenſi.

Ex Literis tuis, Vir Reverende, quas 25 Februarii 312
dediſti, video meas, quas mari & Rothomago miſeram ad te, Ampliſſimum Luſſonium, minorem Puteanum, non minus tardas fuiſſe, quàm veſtræ fuerant, de quarum tarditate cummaximè querebar. Meis non dubito, quin gelu obſtiterit, magnas ſæpe injiciens navigantibus moras. Poſthac præferam terreſtre per Hollandiam, non ampliùs meam, iter. Illis ergo literis, quas fortè jam acceperis, & gratias egeram Lindembrogii nomine pro chartis transmiſſis; & ſignificaveram, quod nunc repeto, gratias me ſummas agere Regi, quod in me etiam abſentem beneficia ſua depluere voluerit; & amicis, quod meis commodis tam perſeveranter invigilent. Cæterum ego, ex quo Gallias reliqui, nullam cur tali beneficio utar, probabilem cauſam video; Ideoque comiter excuſari volo, hoc animo, ut non minùs pro hac oblata quàm pro præſtita hactenus liberalitate Regi optimo & Galliæ ſim debiturus, & reſponſurus ei munificentiæ, grata mente ſemper, factis ſi unquam ſe dederit occaſio: quod opto quàm maximè, atque interim Deum precor, ut Regi vitam det longam & vegetam valetudinem, regno ſtatum tranquillum, ſi tamen tanti boni capax eſt Gallia. De Rege Suecorum ſoleo uſurpare Lucani iſta:

Cùm tot ab hac anima populorum vita ſalusque
Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis,
Sævitia eſt voluiſſe mori.

Vix dici poteſt, quantum ejus morte vulnus pars illa acceperit. Vix ante quoque ſatis ſibi cohærens, nunc multò minùs, ſublato illo, quo velut animabatur ſpiritu. Ampliſſimo Bignonio ſi precari velim, quantum meretur, animo id concipere non poſſum, nedum verbis exprimere. Dominum des Hayes vobis conſolandum delego. Credite me omnia ea dicere, quæ vos dicitis

Digitized by Google

tis; quos officio in tam officioſum amicum non deeſſe ſatis certum habeo. Valete omnes. Hamburgi $\frac{11}{21}$ Martii, 1633.

EIDEM.

313 BInas à te, Vir Reverende, pariter quatriduum jam eſt quod accepi. Gaudeo, minùs tardè commercium hoc procedere. Erant tuæ illæ datæ, priores quarto, decimo autem Martii poſteriores. Pro ſtudio in res meas tibi atque amicis habeo gratiam. De beneficio regio perſtat quam perſcripſi ſententia. Lindembrogius, qui ex Hincmari editione pridem te novit, per me ita propiùs te noſſe cœpit, ut amicis tuis aſſcribi magni æſtimet...... fortunam doleo. ſed ita evenit, ut, qui ſecundis rebus inſolentiùs utuntur, etiam cùm miſeri eſſe cœperunt, miſerabiles tamen non ſint. Iſtas aulæ veſtræ mutationes aſſuetus videre, talia nihil miror; & gaudeo tantam eſſe Imperii iſtius magnitudinem, ut tales motus ne ſentiat quidem. Seguierium vidi aliquoties & ex colloquio eruditum, ex fama etiam virum civemque bonum cognovi: quò magis gratulor vobis de tali Legum antiſtite, qualem ipſæ eligerent..... non novi. ſed ſi Toraſio inimicus fuit, id eſt ipſi virtuti, nihil illi tam triſte accidere poterit, quod citra meritum ſit. Bignonus ſi in Seguierii dignitate, dignitati ſuæ præſidium reperit, erit hoc magni boni magna acceſſio. D. Des Hayes ſpero jam & dies & amicorum, tua præſertim, colloquia, præſtiterint minùs, ut doleat, quod dolendo mutari non poteſt. Quod ſi ex hoc infortunio id ſibi ipſe felicitatis fabricavit, ut aulæ ſpes mendaces & perſonatas amicitias totus effugerit, ne id quidem parum eſt. Sic enim oportet in vita non minùs quàm in alea, minùs rectè quod ceciderit, arte corrigere. Rigaltii novam Tertulliani editionem & ex libris & ex ipſius ingenio meliorem & ego & Lindembrogius conſpicere avemus. Laborat nunc Lindembrogius in concinnando Lexicon veteris ſermonis Germanici, & multa habet ad eam adjumenta, quæ nec Spelmanus nec alii habuerunt. Erit id opus eruditis nec ingratum nec inutile. Nihil lætior intelligo quàm & valere V. A. Thuanum, & honoribus dignis ſuo genere ſuaque virtute augeri. Idem ut magis magiſque fiat, mecum optant omnes, quibus Thuanum nomen in rebus ſanctis eſt. De Batavicis rebus nihil ſcribam, abſum enim longiùs. Germania bello ſic ardet, ut ignis ille langueſcere tamen videatur, & aliquam ſpem defituri incendii dare. Minutiora ad Puteanum ſcribo, ne bis idem. Sed heus, mi Senex, cur ego de defenſo Epiſcoporum jure contra Loioliticas molitiones nihil ex te? Cur me, quis Petrus ſit Aurelius, ignorare pateris? Vtinam & opus ipſum videam; ſcis enim favere me priſcæ Eccleſiæ gubernationi, nec amare tot luxationes moris antiqui, quas diſpenſationum & exemptionum & neſcio quibus non nominibus novis res novas appellant. Valete omnes. 11 Aprilis novi Cal. anno 1633.

Salmaſium Lugdunenſis habitationis jam pœnitet; non præſtatur honos promiſſus. Et regnat in Scholis, ut in Monaſteriis, livor, & cum malignitate æmulatio.

CL. SALMASIO.

314 QVod novus Rheni hoſpes, novum Albis hoſpitem literis prior ſalutas, Maxime Salmaſi, rem facis non novam quidem, optimè de me mereri pridem ſolitus, ſed non minùs gratam, quàm ſi nova eſſet. Occupaſſem id officium, niſi metuiſſem, ne iſta literarum commercia, ſi qua erumperent, nocerent tibi apud eos, quos literarum judices, non quidem Apollo & Muſæ, ſed patriæ noſtræ rectores conſtituerunt. Vnum, quod tutò potui, feci, ut per Harſwigium tibi adventum iſtuc gratularer, lætumque optarem: quod ille & feciſſe ſe & eximia ſe acceptum abs te humanitate renuntiavit. Non æquè gaviſos alios, qui ibi ſunt, & literarum *μονοπωλείαν* [*monopolium*] ſibi vindicant, & ex ipſo intellexi & ex Voſſio, & ex Vlyſſe meo ſtolato, qui ut video non tantùm *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα* [*multorum hominum vidit urbes*] verùm & *νόον ἔγνω* [*mentem novit*]. Ego quoque idem jam olim prævidi,

Veruſque vates ante Caſſandram fui.

Noveram ingenium hominis, cujus cùm ego & commodis & dignitati, diligentia non minore, quàm rebus adhibebam meis, ſtuduerim ſemper, retuli nihil præter nigræ loliginis ſuccum. Voſſium noſtrum jam propiùs noveris, quo veto credas animam eſſe candidiorem ullam in Batavis. Ejus amicitia, quanquam diſſiti non nihil, ſpero effici poſſe, ne tibi iſta habitatio nimium diſpliceat. Quanquam & cœlum, ne hoc quidem immeritò, accuſas; Scio enim, quàm illud grave ſit, paludum ſuarum vaporibus madens, ex ſicco tenuique aëre venientibus. Sed & huic malo remedia non deſunt: primùm divitiæ Tibulli, lucens focus: deinde ubi ſerenior aura eſt, in locis ſiccioribus deambulatio: vinum quoque paulo generoſius, & rubellum maximè. Sed hæc & quæ alia valent adverſùs pituitam, ne Stoicis quidem, ſemper ſanis, parcentem, ſiquid Horatio credimus, meliùs dicet tibi Eobaldus Screvelius, vir facetus non minùs quàm eruditus, & qui mihi ſæpe morbum non Galenicis pharmacis, ſed Plautinis ſalibus, quibus ſcatet totus, ademerit. Florum ab adoleſcentia debitorem tuum novis à te nominibus obſtringi gaudeo: nec minùs de Arnobio placet, ſcrutatore eruditionis abſconditæ nec cuiquam, niſi Salmaſio, patentis. Vtinam & Anthologia prodiret: nam ſola ea mora eſt, quò minùs de edenda noſtra Planudeæ *συλλογῆς* [*collectionis*] verſione cogitem, quia priùs velim videre, quæ abs te aut ex libris aut ex ingenii felicitate emendata ſunt, ne corrupta Græca intelligendo faciam, ut nihil intelligam. Quæ ad Novum Fœdus notare cœperam, heic non habeo: & ſi habeam, velimque recognoſcere & augere, libraria auxilia neque à me heic habeo, neque ab aliis habere facilè poſſum. Tum verò typi Hebræi nulli ſunt hac in urbe: charta verò bona, ſed ad Annales Voluſi. Non intercedo, quò minùs hac quoque in materia ſe jactet Ariſtarchus. palma eſt publica. In Burgundiam tuam ſi quando literas mittes, rogo & hæ accedant ad Paulum du May, hominem ſanè ſuavem. Vale, Excellentiſſime Salmaſi, & mecum adverſùs malos homines habe bonum ſtomachum. Hamburgi, 9 Aprilis ex Kalendario novo, Anni 1633.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

QVarum tu artium præcepta dediſti, eruditiſſime Voſſi, & ſolutæ inquam & vinctæ eloquentiæ, earum 315
ſummam adeptus laudem ille tuus, ingenii quoque filius, oſtendit te non minùs feliciter monſtrare domi, quàm præcipere in publicum: quem ego tua per veſtigia tantis paſſibus vadere vetus & fidus amicus lætiſſimo animo accepi: Ita perge duplici prole librorum liberorumque ornare ſæculum & dubium efficere ſcribaſne accuratiùs an gignas feliciùs. Salmaſius quanti ſit nemo eſt qui judicare te aut rectiùs poſſit, aut velit candidiùs. Literas ad ipſum ut tutò mittantur tibi commendo, ne nihil ipſi utilitatis allaturæ ultro etiam noceant apud illos quibus magna poteſtas data eſt, cui pares utinam ſint, pretium ponendi literis. Quod ſibi invidentes reperit, id illi magis grave quàm nobis improviſum accidit, haud ignorantibus quæ ibi regnant ingenia, quali veneno ſuffuſa. Spero tuam non præſentis quidem, ſed nec nimium diſſiti amicitiam tanti fore ipſi, ut aliorum inimicitias facilè contemnat. Proceribus veſtris, qui in noſtra republica, ſiquid video, *οἷοι πέπνυνται* [*ſoli ſapiunt*], manere mei curam gaudeo. ego non deſino illos ubi ubi poſſum ornare quibus debeo teſtimoniis. Cæterum ſcis quàm illi quoque *ἀέκοντί γε θυμῷ* [*invito animo*] attamen unius nutum reſpiciant, quem ego qualem expertus ſim, tibi dicere quid attinet, qui iſta non minùs meipſo noveris. Vxor meliora ſperando diem de die ducit:

Digitized by Google

cit: interim labitur ætas, tempus præterit, vereor ne & occasiones quæ se nobis hinc, illinc offerunt, effluant. miserum est diu pendêre. Et illud de induciis negotium trahi posse video, hiantibus multis ad Gallorum promissa, an & data. Ego ut apertè in bellum descendat Gallia futurum non arbitror; quod si fieret, esset fortè spes aliqua Martem victoria finiendi. Sed pecunia, quam annua, bima, trima die offert, etsi præsentem daret, quid inde levamenti ad tanta onera alieni æris, cujus vel usuræ rempublicam mergunt, quæ pridem nonnisi vorsura solvuntur? Grammatica tua exspectabimus, otii Amstelodamensis fructum. Lindembrogius maximi te facit: & veteris Germanici sermonis Lexicon nobis adornat, magnis veterum librorum auxiliis. Vale vir præstantissime. Hamburgi. 9 Aprilis ex novo Kalendario, anno 1633.

Tuus ut semper H. G.

IACOBO PUTEANO.

316 FElix jam mihi esse videor, Iuvenis Nobilissime, qui literas à te recentes accipio, id est scriptas 12 Martii, die ejusdem mensis tricesimo. Quare operam dabo, ne meæ putiscant. Nuper ridens rumusculos scripseram. Valent alioqui & Imperator, qui est, & is, qui esse vellet. Sed illorum mortem ac morbos solatia sibi confinxerant, quibus mors Sueonum Regis, ne nimium plebem concuteret, talibus remediis egere credebatur. Et quid hoc mirer, cùm sint, qui nunc etiam non fabulentur tantùm, sed & scriptis evulgent vivere illum Regem, & magno quodam consilio, ut quondam Raimundum illum ab Antiochia, sparsisse mortis suæ famam, ut omnium introspectis animis certiùs in futurum consulat: qui homines peracuti nos velut crassos, qui mortuum mortuum credimus, irrident. Hoc est Germanicum acumen. Saxo ut arma, ita consilia sua seorsim à Sueonibus habet. Missus ad Cæsarem & ipsum, à Daniæ Rege Wardislebius pacis suasor, dum pro pace bibit, sibi pacem perpetuam invenit. At ex Britannia magna Austruterus, homo unus quinquaginta & duas legationes obire missus, tot aulas circumambulat, si forte tam tædioso ambitu effici possit, ut Palatina soboles aliquid de avitis imperiis delibet.... ejus pullitiei satis multum rogatum ad suos ire nolle; Ita assuevit.....nomine circumstrepi, ut ne id amittat, sordeant ei.... nemora præ Hollandiæ paludibus. Sueones interim non desinunt famam morte Regis inclinatam manu restituere. Nam & Autunnacum vetusti nominis oppidum Isemburgio obsidenti eripuit Boditzius, subsidio XII. millium è superiore exercitu auctus; & Bavaricas cohortes duas cecidit Gustavus Hornius. Ad vestra venio. V. A. Thuano crescere honores, gratulor: mihi gaudeo, in tam candido pectore amicam mei restare memoriam. De.. est ut dicis. Iis fuit moribus, ut casum ejus, terrori magis, quàm dolori plerisque futurum, satis possit intelligi. Certè nihil in eo damni facturum...... quod non abundè sit pensatura Seguieri favens bonis omnibus bonitas, vobiscum spero. Principi Condæo luctus partem deterget Regis in partiundo infelicis Mommorantii patrimonio liberalitas. Novit enim, quid distent æra lupinis. Valete suaviter, amiculi veteres. 11 Aprilis novi Kalendarii anni 1633.

GUILIELMO LUSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi Primario.

317 LIteras tuas nunquam lego, Vir Illustris, sine sensu quodam irrepentis in animum gaudii, tantæ & tam constantis amicitiæ conscientiâ. Quare supplex à te peto, ne, quod manum subduco regiæ munificentiæ, ita accipias, quasi non aut Regis Maximi beneficium, aut tuam amici optimi hac in re operam faciam quanti debeo. Memini illud Poëtæ, Οὔτοι ἀπόβλητα θεῶν δῶρα [*Non abjicienda Deorum dona*], nimirum ἐρικύδεα [*valde illustria*]: Sed & illud in legibus, quæ præsidibus Romanis dari solebant, minimè vanum, οὔτε πάντα, οὔτε παρὰ πάντων, οὔτε πάντοτε [*neque omnia, neque ab omnibus, neque semper*]. Quorum ultimum hoc maximè ad me videtur pertinere. Nam rogatus ab aliquot Principum ministris, essemne auctoratus cuipiam, quia ea fama vagabatur, dixi memorem me, dum viverem, fore eorum bonorum, quæ in Gallia percepissem, cæterum ex quo inde abiissem, esse me liberum, meique juris. Ostentant se occasiones non unâ ex loco minime spernendæ, sive honoris sive commodorum spectetur ratio. At mihi semper illud se menti subjicit: *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.* Spero talem fore conditionem meam, quæ aliquando mihi permittat Galliam & dulces amicos revisere, & coram gratias agere, Tibi, Vir maxime, Thuano, Cordesio, Puteanis, Pelleterio, quorum nomina in animo penitus scripta gero, ac geram, quocunque me fortuna tulerit. Quod si non immerito sapientes beneficia ex animo, non ex effectu æstimant, ego jam & hujus novi beneficii; quod regia bonitate, amicorum auxilio habere potui; sum debitor. Nam animum qui dandi habuit, æquum est, ut & animum ejus, qui accipere potuit, habeat sibi obligatum. Ego si ullo opere adjuvare eos potuissem, aut possem, quorum indefessum studium pro salute ac gloria Galliæ tuendisque ac propagandis finibus, ac fœderibus apud populos omnes prædicare non desino, nihil magis volenti mihi fuisset. Nunc restat, ut precibus apud Deum præstem, quod factus præstare iniquitas fortunæ me hactenus vetuit. Salvam Galliam, statum ejus tranquillum, res florentes, amicos in rebus prosperis, si intelligam, erit id mihi solatium ingens contra longa mala, ad quæ novum accessit damnum, quod uxor, ejusque domus fecit in morte fratrum maximi, viri inter Zelandos præstantissimi. Vale, Vir eximie. Hamburgi, 14 Maji, 1633.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

QVam ad me dedisti 5 Maji Epistolam, Vir Reverende, ea quo longior est, eo (quod de Ciceronis ac 318
Demosthenis solebat orationibus dici) est melior, mihique gratior. Vobis primum amicis nihil non debeo; qui rem susceperitis difficilem, efficiendi ut absentis haberetur ratio apud homines etiam præsentibus sæpe surdos. Mihi pro magno bono est, tantam in me fidem tot virorum optimorum, id est dissimillimorum harpyis ærarii, conspexisse. Suecicæ res Regis fortissimi morte non quidem interierunt, ut quo mortuo vicisse ipsis contigit: sed tantùm inclinatæ sunt, ut qui optimè sunt animati, unde erigi possint, nisi aut Gallia in bellum prorumpat, aut hostibus fata discordiam injiciant, videre se negent. Viro extra omnem comparationis aleam posito Bignonio, si memoriam mei tuo auxilio expergefieri possecerem, injuriam facerem constantiæ ipsius, in qua ille velut sede solida virtutes cæteras collocavit. Patietur vir maximus hoc me solatium multis adversis opponere, quòd in illius animo vivere me confido, quem ego supra sæculum hoc supraque omnem, quamvis ingeniorum feracissimam, Galliam pono. Vidi hic Wybium res in Gallia Danicas curantem, quicum dolorem meum super Domini des Hayes luctu miscui. Spero de prima mœroris vehementia decessisse aliquid per rectam rationem, per tui similes amicos, per diem denique. Castellinovii tantam ex tanto fastigio calamitatem miseror; ingens documentum, quamvis eminentissimis, cuivis accidere posse, quod cuiquam potest. Tertulliani per Rigaltium tam propinquam spem nobis fieri gaudeo. Est is scriptor, unde multis eruditis abundè sit materiæ, in qua se experiantur. Sed inprimis beas me isto de Clementis Romani epistola nuntio. Quærenda sunt per omnes recessus ista primi sæculi

 mul-

Digitized by Google

multum de Apostolico auro retinentis fragmenta: nec abjicienda statim, si quid fortè allevit adultera manus, sed, quod in metallis fieri solet, periti artificis manu separanda scoria à materia puriore. Vtinam vero ex Sirmondo, aut si quis est in illo grege illi similis, impetrari posset, ut nobis darent Barnabæ illam Epistolam, ex qua testimonia sunt apud Clementem Alexandrinum: nam esse penes ipsos ex Sirmondo discere memini. Residua historiæ pertinentis ad controversiam, quæ in Anglia nata, in Galliam transiit, libens agnovi. sed quis tandem ille Petrus Aurelius, si tamen nosci sine suo periculo potest? An Sancyranus, an de Sancto Germano, an alius? Mirarer ab Episcopis vestris tam malè vindicari vindicem suum, nisi jam pridem vidissem eos dignitatis suæ esse immemores. Vides, quid sit Regis aures animumque illis tradidisse, qui gloriæ sibi ducunt Episcoporum jura imminuere. De eo quod dixit Sirmondus, facilè patior stari librorum veterum auctoritati. In Oriente constat unctionem semper cohæsisse Baptismo; quando in Occidente sejungi cœperit, dignum est inquisitu: fortè non multo seriùs quàm baptizari infantes cœpere: ut scilicet, ubi fari cœpissent, ipsi sponderent, quod pro ipsis spoponderant alii, & sic constaret Ecclesiæ ductori de his, qui ad castra ipsius accesserant. Cæterum, ni fallor, longè majoribus ac validioribus fundamentis inædificata est Episcopalis eminentia, ut Ecclesiis primùm singulis ex uno duce unitas constaret, deinde & plures simul inter se Episcoporum conventu, aut certè consensu colligerentur, ipsum denique illud corpus per totum terrarum orbem diffusum, formatarum commercio cohæreret, non alia in re magis ad miraculum usque se exserente Christianorum veterum prudentia; cui post Deum immortalem accepto ferendum est, quod Ecclesia adhuc aliquid sui vultus retinet. Operi Gulielmi de Sancto Amore, & quæ ad res illius temporis, ut rectè dicis, obscuras pertinent, in lucem protrahi ex usu est publico. Persidem Latianam vidi; Americam, ut scis pridem, sed nostro sermone. Benjamini Itinerarium huc ad me misit literarum Orientalium Imperator, duoque alia non minùs utilia, Iosephi Iarchiadæ Paraphrasin in Danielem, & Hebræorum itidem, Abrabinelis, Alschechi, Simeonis interpretamenta ad Esaiæ caput apertissimum de Christi perpessionibus; pro quibus omnibus multum illis debet res Christiana. Suavia hæc mihi fuere otii oblectamenta. Sed ardebo, donec videam illam Clementis Romani Epistolam, cujus ergò jam in Angliam scripsi. Vale, Vir Reverende, & quem præsentem omnibus modis ornasti ac juvisti, etiam absentem ama. Hamburgi Kal. Iuniis, ex novo Kalendario anni 1633.

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi Primario.

319 LÆtus intellexi, Vir Illustris, ex literis, quas ad me Kalendis Maji dedisti, non improbari tibi consilium meum, Galliam posthac gratis colendi. Gaudebis, ut puto, & tu, meo nomine exstitura apud posteritatem monumenta, quibus appareat, me dum Galliæ beneficiis usus sum, non ingratum fuisse adversùs optimum Regem, adversùs Cancellarium, qui primus me ad Regem perduxerat, adversùs etiam Amplissimum Ordinem, quorum judiciis tuta est privatorum salus, quibus, quam debui, exhibui reverentiam, duos literarum gloria maximè florentes publicè compellando. Nunc, dum ab edendis libris interquiesco, in omni sermone honorem habeo, quantum queo, maximum, iis omnibus, qui virtute sua atque eruditione extra patriæ suæ fines nosci merentur; quos inter tibi semper, fide Germanica loquor, in animo meo locum tribui, tribuamque principem. Galliæ benè semper optabo, ut debeo: sperare de solida ejus prosperitate meliùs audebo, si quando intelligam, te tuique similes ad summa negotia vocari, quorum ingentem parémque industriæ diligentiam, circa minora distringi, quàm quibus stat imperium, injuria est reipublicæ. Ego si adversùs fortunæ contumelias nondum induruissem, periisset mihi magnus adversorum fructus. Itaque Vlyssem illud sæpe mihi dicto:

Τλῆθι, φίλη κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης

[Dura anime & perfer: namque & graviora tulisti].

Firmiùs etiam tenebo hoc propositum, si sciero, te de ea, quam in me semper ostendisti, benevolentia nihil immutare. Vale, Vir digne virtutum æstimatiore sæculo. Hamburgi Kal. Iuniis, 1633.

IACOBO PVTEANO.

BEne sit ventis, Vir Nobilissime, qui efficiunt, ut propiores alter alteri videamur. Perscripsit ad me optimus 320
senum Cordesius historiam illam de Controversia pertinente ad Episcopos, parum constantes, quod doleo, in tuendo jure non tam suo quam Ecclesiæ publico. Ita est sæculum, ut nulli meliorem animum habeant, quàm quorum mala est causa. Attamen quis Petrus sit Aurelius, nominis, ut video, haud imprudens dissimulator, nondum didici. Sirmondum nullo partium respectu prodidisse, ut solet, quæ vera credidit, persuasum habeo. Et quid, si illi Salmasius suppetias ferat? Non debent semper iidem cum iisdem componi. In literis non minùs quàm in arena fas est mutare paria. Aveo videre, quid libertatis hæc tempora sint permissura Rigaltio, homini suopte ingenio satis sibi caventi, deinde ictu quodam illo admonito. Ex omnibus rebus, quæ apud vos geruntur, nullam magis ad me pertinere intelligo, quàm bonorum amicorum bonam valetudinem, quos inter scis, quem apud me locum obtineant Bignonius ac Thuanus. Hunc per majorum suorum incedere vestigia, illum per sua, cumque sui ordinis omnes diu vicerit, secum certare, eadem voluptate, qua spectare solebam, intelligo.... noster, quid ista tam libera sententiæ dictione quæsiverit, præter exilii gloriam non video. Opto bono gentilitio, id est bonis literis, ita secessum illum & pingue otium condiat, ut omnes prius ipsum videndi serium quàm ipsum redeundi desiderium capiat. Quanti nunc illi esset comes Holstenius aliquis? Non miror plures esse ambitores Equestris dignitatis, cùm ei Cardinalis etiam sine Cardinalatu Eminentissimus fulgorem de suo fœneret. Æquum esset reponere me tibi, quæ hic geruntur, sed ea talia sunt pleraque, ut sub cælestis arbitrii nube adhuc lateant. Hamelam oppidum ita diu adsident Suecones, ut nimio suo malo palam faciant, quot quantarumque rerum inopia laborent. Heilbrunnensia, quæ quidem in lucem exibunt, Acta speciem fœderis ostentant; sed qui rem introspexêre, ex diversitate studiorum, sententiarum, molitionum metuunt dissidia, aut parum validam societatem. Interim Cæsaris & Fœderatorum ipsi duo magni exercitus, alter jam in Bavaria est, alter Silesiam petit. At Suecorum ductores rebus ditati prosperis, incipiunt improsperis se subducere; quorum est Boditzius. Spes omnis à Gallia Batavisque pendet: Sed hæc quoque non sine metu induciarum à Batavis, & qualiscumque mutationis in aula vestra, præterquam, quod casus humani ferunt, sponte sua tam versatili. Evolvet hæc dies, quam ego rebus etiam meis magistram delegi. Tibi fratribusque & amicis si omnia, quæ vultis, eveniant, satis erit, quo gaudeam. Hamburgi Kal. Iunii novi Kalendarii, anno 1633.

PVTEANIS FRATRIBVS.

MEmor, qua soleatis, Viri nobilissimi, benignitate complecti omnes eos, qui bonam mentem bo- 321
nasque literas amant, Germanum hunc nobilem istis mihi notis commendatum, vobis quoque tradere non dubitavi; pro magno ducturum beneficio, si & librorum exquisitam in vestra domo copiam videre poterit, & eorum uti colloquiis, qui ipsi pro libris esse possunt. Dabitis

Digitized by Google

tis veniam si sæpius vobis molestum me esse cogit illa conjunctio, quam semper mihi cum omnibus honestarum artium cupidis intercedere judicavi. Valete suaviter cum Thuana domo tota. 6 Iunii 1633.

Viro Eruditissimo,

MARTINO RVARO.

2 SVavissimorum sermonum tuorum, Ruare Clarissime, cum voluptate maxima memini: & quoscunque ad meam perduxisti notitiam, quod ego in beneficii parte accipio, eorum & colloquiis recreatus sum, & quod non ipsis me quantum vellem utilem præstare potui, doleo. Separatim venerunt, prior Italus, posterior Germanus, cui & literas pro nomenclatore ad amicos in Gallia scripseram hinc Gelucstadium ad Regem Daniæ proficiscens. Sed eas literas huc reversus ab ipso non ablatas, ut speraveram, reperi. Samuelis Przyphovii Panegyricum legi, dignum & ipsius facundissima eloquentia, & patriæ Regisque majestate. Gaudeo tales faces allucere Sarmatiæ. De meo errore ubi Macedonas pro Hyerosolymas, nominavi & benignè & verè me mones: & miror non correxisse eo loco cum libro pro Christiana religione secundo rem uti poni debuit posuerim. De Arriani loco memini, & eum de Iudæis intelligendum censeo: Cùm idem scriptor Christianos Galilæorum appellet nomine. Sed in verbis posterioribus pridem est cùm ad libri mei oram annotavi legendum λόγῳ μὲν σπουδαῖος, ἔργῳ δὲ ἀλλό τι [*sermone quidem sedulus, facto verò aliud quid*]. Considera loci sensum ac seriem. non improbaturum confido. Vocis aliquanto ante positæ duabus literis distans sonus aut scriptura librariis, ut fieri assolet, errandi caussam dedit. Has literas ad te & alias ad amicos, quas curandi onus ne grave tibi sit rogo distuli in id tempus quo te Gedani fore ex amicorum sermonibus augurabar. Pro amicissimis votis multum tibi debeo. Hæreo adhuc inter consilia varia, neque satis constituere possum ubi sedes ponere debeam cum tota domo, non mutandas iterum jam ad pejores annos vergenti. Tibi si valetudo & studia & res omnes bene procedunt, satis est de quo gaudeam. Hamburgi, Iulii secundo die ex Pontificis Kalendario anno 1633.

T. Cl. addictissimus H. G.

Viro raræ eruditionis summarumque virtutum

IOHANNI CRELLIO.

3 MAgna est tua humanitas, Vir Eruditissime, qui pro officio & exiguo & vulgari tam liberaliter gratias agis, hoc ipso dignissimus cui majora & à majoribus præstentur. Tecum sentio verba Apostoli, non ut Scaliger existimasse videtur, pugnare cum eo sensu qui & veterum multis & apud vos ut scribis, eruditis placuit. Nam & τριάνωρ [*trium virorum uxor*] Lycophroni Helena mortuo jam Theseo, & *bivira* Afranio quæ nupsit iterum; sicut quæ uno matrimonio se continuit *univira* Tertulliano. Obstare videtur maximè quod dura satis hæc lex videtur in Presbyteros qui non omnes senes, ut Timothei patet exemplo, magisque in diaconos, qui ferme juvenes legebantur ut ætate procedente in gradum majorem procederent, & quod in cæteris, quæ exiguntur, nihil sit quod non & Christianis omnibus conveniat, nisi quod credibile est ad regimen & munera Ecclesiæ admotos qui nihil unquam commisissent quo Ecclesia posset offendi. Hanc sententiam si sequamur, unius mulieris vir erit quidem maritus unius suæ conjugis, sed ex rei consequentia, non ex vocis vi. Oppositum enim est non vir multarum uxorum, quales tunc in Græcanica Asia & Creta repertos non puto nisi Iudæos fortè, sed vir multarum mulierum, sicut Cæsar omnium mulierum vir dicebatur. Talis autem est non is modò, qui viventem uxorem alia mutat, sed & qui unius uxoris suæ concubitu contentus non est, quod viris per illorum temporum ac locorum leges impunè cedebat, ut & ipsæ leges nos docent, & nobilis apud Gellium Catonis Censorii sermo. Contra verò multivira mulier erit, non quæ adulterio se polluit, quod legibus vindicari solebat ac proinde Ecclesiastica cautione non egebat, sed quæ desultoriis matrimoniis conditiones mutasset, quod cùm Hebræis matronis lex sua non indulgeret, & Græcæ & Romanæ leges suis feminis concedebant. Id si recipimus, poterit σώφρων [*sobrius*] intelligi qui in vultu, habitu, gestu, sermone dignam Christiano gravitatem servat, ἐγκρατὴς [*continens*] verò, qui rebus omnibus aliquid in se delectationis aut remissionis habentibus utitur modo restrictiore. Sed de his aliisque rebus, quid tu pro summa tua diligentia notaturus sis, avidè exspectabo. Ego si quid possim contribuere ad labores tuos, facerem id animo promtissimo: sed & quàm multa mihi ad eam rem semper defuerint, facilè intelligo; & nunc nondum constituto ubi larem figere debeam vivo desertus à libris, quorum in vicem non usquequaque succedit memoria. Tibi pro iis quæ mihi optas gratias habeo maximas: tibique vissim opto quod maximum puto, ut isto otio, nemine interpellante tibi feliciter aliis utiliter fruaris. Vale Vir multis nominibus colende. Hamburgi, 2 Iulii novi Kalendarii, Anni 1633.

T. Cl. studiosissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

VIdi & ego, vir usquequaque doctissime, Puteani scriptum, de quo illi negotium exhibetur. Videtur mihi 324
neque à vero abire, neque ea dicere quæ in arcano sunt reposita: sed parum memor veteris Belgarum legis ne quid ad rempublicam pertinens alii quàm magistratui nuntietur, quam tamen scis nec apud Batavos servari. Sed gens imperiosa Hispani nolunt sua peccata traduci. Spero valituram in hoc Wouwerii auctoritatem ne viro bono noxæ sit pacem ardentiùs expetisse. Reidani opus, dignissimum in quo Vossii filius laboret, exspectabimus, magno cum bono externarum gentium, quibus non aliunde promtius rempublicam nostram & ejus actus pernoscere. Quod Petrum meum excitas facis pro perpetuo tuo in me ac meos amore. Mirarer unde ista in liberis meis pigritia, nisi viderent patri diligentiam suam malè cessisse. Quo evasura sint de induciis colloquia, opperior cum cæteris & ipse, magis aviditate humani ingenii quàm quod mea intersit in utram partem casura sit res. Puto tamen licere in re dubia id optare quod est humanius. Vale cum uxore & liberis vir valere dignissime. 19 Iulii 1633.

Tuus totus H. G.

FRANCISCO THVANO,

Libellorum supplicum in Regia Magistro.

EO me amore amplexus est Vir nunquam nisi religiosè 325
nominandus, parens tuus, eo tu ipse ut domus vestræ, Vir Nobilissime, bona malaque non debeam à me aliena existimare. Quare intellecto vulnere, quod tibi sororis optimæ mors inflixit, ea fide indolui, qua te quoque meis malis commotum pro certo habeo. Non advocabo ex Sacris & Philosophorum libris solatia, quæ tibi & abs te & ab amicis scio esse in promptu. Vnum sufficit ut te Thuanum esse memineris, à quo nomine jamdudum nihil mediocre exspectat humanum genus. Solebat parens tuus Musarum non alii æque familiari consortio luctum eludere. Id ut tu quoque facias, ne precari tantùm, non & exemplo hortari te videar, en redeo ad desuetas artes.

Dum te per magni vestigia Patris euntem
Par tot imaginibus quærit & ambit honos.

Digitized by Google

Dum tua regalem prudentia personat aulam,
Inque foro nemo est nobiliore fide:
Restabat sciremus adhuc, quid robore posset
Pectoris, ut laudum te sine nulla foret.
Grande decus, sed quod praestat fortuna nocendo,
Hac se non patitur fama minoris emi.
Nil aliud poterat virtutem ostendere tantam,
Quam tam cara tibi tam cito rapta soror.

Vale, Vir Nobilissime, & nihil posthac doleas. Hamburgi, 11 Augusti 1633.

IACOBO PVTEANO.

326 Gallico coelo mihi frui videor, Puteane Nobilissime, ubi abs te accipio literas, praesertim tam uberes, quàm sunt illae datae 30 Iunii, quas biduum est quod habeo. Vtinam de Germania tam certa nuntiare tibi possim, quàm tu de Gallia nuntias ex urbe principe, & unde in caetera regimen. Nos longè ab omni aula, satis longè à castris & rerum gerendarum locis vivimus: quo fit, ut quae percipimus, & sera sint & nonnunquam titubantis fidei, pro studiis eorum, per quorum manus ista transeunt. Audieritis jam de astu Fridlandii, quo per spem pacis opimas à Saxonicis inducias exterebravit, seque manifesto periculo exemit. Et nunc ejus res revalescere creduntur Hungaricis, Italicisque auxiliis. Res Protestantium haud optimo esse loco, non solus sentio. Caesus sanè Meroda non sine culpa sua. Hamela pretium victoriae, sed quàm serum, & quàm manifesto indicio imparati ad oppugnationes exercitus? Est nunc hac in urbe Anstruterus Angliae Legatus, peracto Germaniae orbe. Mirum est, quae referat de aemulatu Saxonis in Suecos, ita ut planè in mentem mihi Cornelianum illud adduxerit: *Nondum victoria, jam discordia erat.* Danus paci dat operam volente & Caesare & Saxone. Vt solus id honoris occupet, non ferunt Anglus & Polonus. Nam vestra Gallia & Hispania accensentur partibus, quas adjuverint. De Batavicis induciis, quid dicam? οὔπω μῆνας ἄγειν ἱκαμ' ἱεροὺς [*nondum menses coelum defecit agendo*]. De paratu in Lotharingiam sunt, qui putant, aliud agi, aliud simulari. Certè aut fallor, aut isto Germanorum bello res vestra magis, quàm Germaniae agitur. Ad quam opem propiùs respicient uterque Bavarus, quàm ad eorum, qui ipsis Hispanis sunt καθολικώτεροι [*magis Catholici*], si modo Catholici sunt hi, quibus cum Roma bene convenit. sed haec θεῶν ἐν γούνασι κεῖται [*in deo genibus recondita sunt*]. Spectabo haec vobiscum eminus, velut *excelsa de turre, mei sine parte pericli.* Thoirasii virtutibus honorem habere qui debet (quantus debet, non audeo dicere, neque enim potest) saeculi causa gaudeo: & bene facit Italia quod vobis bona vestra monstrat...... noster vellem de exilio retulisset gloriam, quam olim Rutilius & Marcellus. Et quid illis aberat, qui salvis opibus salva dignitate locum tantùm mutaverunt? Ovidii questibus ignosco, non ob eam causam, quae eum movit maximè, quod theatris & circo carebat, sed quia missus erat ad homines Elegiarum venerem non intelligentes. Valete, amici omnes. 11 Augusti 1633.

Praesidi Lussonio jam non scribo, ne inanibus verbis tempora ejus occupans, detrimentum adferam rebus Dominae Monetae. Ipsi, viro maximo Bignonio, Cordesio, & amicis salutem à me perferri rogo. Iam nunc intelligo accepisse Principem Arausionensem in supplementum equitatus, quo praepollebat & hostis, alas quinque. Hae alae, ut puto, induciis alas praecident.

MARTINO RVARO.

327 Funestis literis, Ruare doctissime, funestas literas reddo, tristem mihi nuntium de morte Crellii, tristi & tibi nuntio de morte Leonardi van Sorgen, dolens cum dolente commutamus. Patiamur Dei arbitria, & quid Christianos deceat vel à Cleanthe discamus, cujus Graecos jambos Latinos sic fecit Seneca

Duc me Parens celsique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger, fac nolle: comitabor gemens,
Malusque patiar quod pati licuit bono.

Iacturam quam in Crellio fecimus postuma scripta, quantum spe auguror, solabuntur. Pro literis transmissis gratias habeo: illas ad Crellium, si tanti putas, & resignare & tibi habere potes. sunt de loco illo μιᾶς γυναικὸς [*unius uxoris*]: sed pendent à prioribus literis, quas Amstelodamo ad virum illum eruditissimum miseram. Bene tibi processit conjectura de viro nobili, quem mihi commendaveras. nam emersit iterum & literas illas in Galliam, quod gaudeo, secum tulit. Noli dubitare quin semper in potissimo ordine amicorum habiturus eos sim, quos tibi probari intellexero. De Arriani loco confirmat me judicium tuum. Cur de Iudaeis agens Baptismum potiùs quàm circumcisionem attulerit, causam veram utramque attigisti. nam circumcisio domi peragi poterat: Baptismus in fluminibus administrabatur, ut & apud Christianos etiam Iustini aevo. Tum quod notasti Aegyptiorum quosdam circumcisos, id Herodoto attestatur Philo περὶ περιτομῆς [*de circumcisione*], Iosephus, Strabo, Clemens Alexandrinus, Celsus, Origenes, Epiphanius, etiam magistri Hebraei & ex eis Hieronymus ad Ierem. ix. 25. qui ajunt Iosephi exemplo introductum morem. Syros apud Herodotum puto esse judaeos ipsos, quorum sedes Syria Palaestina. Colchi ἐκ διασπορᾶς [*e dispersione*] decem tribuum: Aethiopes ex Abrahami & Cethurae liberis videntur traxisse hunc ritum. nam de Idumaeis & Ismaëlitis aperta ratio est. Venio ad quaestiones tuas, sed ut tecum quaesiturus, & hoc orans ut si quid meis habes rectius mihi impartias. Lege Mosis permitti ut uxoris mortuae soror ducatur, rectè à te colligi puto tum ex natura legum prohibentium, quae suis se finibus tenent, neque extendi se incerta argumentatione patiuntur, tum eo argumento quod in legum interpretatione validissimum ex contrario ducitur. Qui enim vivae superinduci sororem vetuit, & quidem ad vitandum aemulatum inter adeo propinquas acriorem, mortuae substitui sororem permisisse censendus est. Memini me ad oram libri mei, quem nunc penes me non habeo, annotasse variantes super hac re Iurisprudentum Hebraeorum sententias: sed qui vetant, more eoque non generaliter recepto nituntur. Maimonidae quae sententia fuerit scire non possumus, nisi consulto Arabico codice. nam Hebraea versio, ut jam de Latina nihil dicam alicubi παρακεχάρακται [*adulterata est*]. Secundam quod attinet quaestionem. Christianus cùm civis sit civiles etiam leges multoque magis eas quae multarum gentium consensu receptae sunt, servare semper officii sui ducet. Itaque in veteribus Apologeticis videmus id palam praedicare Christianos, se secundùm omnes leges, religionem non laedentes, vivere, sed ita ut probitate sua leges multum supergrederentur. Loquor de illis legibus quae & causam aliquam habent probabilem & intolerabiles non sunt, quod ipsum ἐν στιγμῇ [*in puncto*] definiri non potest. Lex autem ista de non ducenda mortuae uxoris sorore laudabilis est, & stupris ex domestico convictu nascentibus spe matrimonii sublata occasiones praecidit. Quare qui eam violat, & civilibus judiciis subjacet & Ecclesiae censuram justè patitur, quam καὶ τοῖς ἔξω [*apud extraneos*] infamat. Ad tertiam ut veniam, verum est non omne quod prohibetur irritum censeri, & in conjugio cum Amorraeis vicinarumque gentium feminis spectatum à lege periculum quod perpetuum est. An igitur irrita sint conjugia contra legem humanam facta ex legum verbis sensuque colligendum est, aut si leges scriptae non exstant, ex eo quod saepe judicatum est, & maximè circa eos qui Pon-

Digitized by Google

Pontificis Romani auctoritatem defugiunt. Illud video, multarum gentium leges imitari Romanum jus quo conjugia talia non prohibentur tantùm fieri, sed & irrita pronuntiantur & dissolvi jubentur: neque ego dubito quin societati civili aut ejus præsidibus potestas hæc competat, utilitatis alicujus publicæ causa vim adimendi nondum natis contractibus. Postrema erat quæstio de ferenda matrimonii talis indulgentia à Romano Pontifice, quod rectè dicis non convenire illis qui discidium à Pontifice fecerunt. Sed monendum te censui in Gallia Reformatis prohibitorum matrimoniorum gratiam ab ipso Rege fieri, cujus rei aliquot mihi exempla sunt cognita. Id si imitari velint Rex & Senatus vester, quid obstet non video. ipsorum erit prudentiæ judicare an in hac facti specie causa aliqua insit rarior, ob quam æquitas ferat, discedi ἀπὸ τοῦ λίαν ἀκριβοῦ [*a jure summo*]. Hæc sunt quæ lectis statim literis tuis in mentem venerunt, si quid percoctius subierit ejus quoque te participem faciam, hac lege ut tua quoque cogitata me non celes. Vale vir multis nominibus suspiciende. Hamburgi, 20 Aug. novi Cal. an. 1633.

T. Cl. addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

328 DVm mea mala fugio, Vir optime, in alienos luctus incidi. Ecce domus hæc quæ mihi è patria ejecto hospitium præbuit, patremfamilias, virum supra quàm concessum est mercatoribus, eruditum, judicio ingenti parique anima præditum amisit. Vxori ejus restant solatia, communes liberi, pro quibus eam gerit curam, ut ab omnibus juvari mereatur, non à me duntaxat qui tam multa illi debeo. Filiorum duo Hagæ & Grammatices præcepta, & construendi rudimenta perceperunt: etiam levioris argumenti versionibus cœperunt proludere. Peribit hæc eam bene jacta sementis nisi sint qui percolant. Literarii ludi qui hîc sunt, nihil sunt aliud quàm bonæ ætatis detrimenta, fertilis Midarum seges. Multi domesticis utuntur præceptoribus, quod ipsum nec illis ut vellent succedit, nec mihi probatum est unquam, qui sciam sermonem non nisi in turba addisci, & frigere sine æmulis studia. Neque tamen illæ mihi placent scholæ ubi vix magister discipulorum suorum norit nomina, nec in tantum numerum diffusam curam sentire possunt singuli, pro sui quisque ingenii captu propriis quoque adminiculis egentes. Quare ut in aliis rebus ita & in hac mediam viam laudem, si decem, si duodecim pueri vivant unius domus, unius mensæ, unius institutionis participes, justa societas, quæ sufficiat sibi, præceptorem non oneret. Talia collegia sin alicubi quærenda sunt, certè Amstelodami, in urbe optimis semper legibus, per te etiam studiis florentissima. Quare si quam nosti domum talem, aut quæ ad votum quod jam delineavi proximè accedat, indicium ut facias rogo: quod beneficium non ad eorum tantùm cumulum accedet, quæ abs te accepi plurima, sed & viduatæ marito honestissimæ matronæ non leve erit doloris levamentum. Vale vir inter doctos optime, inter bonos doctissime cum conjuge & liberis. Hamburgi, 23 Septemb. 1633.

S. P. Binas à te accepi literas, vir maxime, recentiores per uxorem:

Tuo nomini dicatissimus H. G.

IOANNI CORDESIO, Canonico Lemovicensi.

329 FOeneratorem me improbum facis, Senex optime, qui missos ad te libros tam ingente usura persolvis. Respondere nolui antequam, quæ misisti, omnia legissem, ut hanc saltem tot tuis beneficiis redderem gratiam. De Gulielmo de Sancto Amore legeram multa apud multos, nunc ipsius sententiam verbis ipsius, & quæ ei evenerunt, fido relatu cognoscere voluptas mihi fuit. Video virum fuisse magnanimum, jura eorum, qui præpositi sunt Ecclesiis, acriter tuentem, Theologiæ, quantum eo tempore esse potuit, gnarum. In tot illis scriptis Aurelii & Iesuitarum duo video esse disputationis capita, alterum principale, alterum accessorium. Principale est, *An Religiosi, quibus a Pontifice permissum est populum alloqui, audire exomologeses, id facere possint inconsultis, ubi sunt Episcopis, & sine eorum permissu.* Hac de re si antiquitatem sequimur, res est expedita. Nam ista facere est Episcopi aut eorum, quibus id Episcopus conscio, ut mos antiquus habet, presbyterio, permisit. Permissum autem interdum & laicis docere, Origenis aliorumque nos docent vetera exempla. Monachorum ad hoc nullus usus antiquitus, quod solitudinis promissores, cœtus omnes, quantum fieri posset, defugere deberent, ut vitam agerent nomini suo respondentem, quod esse plangentium, non docentium, docemur ab Hieronymo. Si tamen in aliquo præter pietatem ea apparerent, quæ populo docendo valde conducerent, nec alii facere pares reperirentur, episcopalis functio tanti semper privilegii in Ecclesia fuit, ut monachum à monachismo, id est vita illa segrege, absolveret, quia scilicet majus est jus Ecclesiæ in nos, quàm nobis in nosmetipsos. Atque id in Græcis Ecclesiis in hunc diem frequens est. Monachis verò, qui monachi maneant, ista concedere, nec certis tantùm personis, sed societatibus integris, novum est & Latinum. Rectè tamen monet Aurelius, ubi auctoritatem habent concessiones tales, certè ita interpretandas, ut quàm minimum detrahant de more veteri, de canonibus pridem receptis; ac providè ista facere sinantur vitæ monasticæ rei, ubi Episcopus eos invitaverit. Sed hoc tamen non possum non addere: si tale sit Episcopi Romani in Ecclesias omnes imperium, adeoque indefinita jurisdictio, qualem disputans pars utraque videtur non agnoscere tantùm, sed & certatim deferre, ei potestati cùm multa insint majoris ponderis, non videre me, quomodo eximi possit jus, id faciendi, quod Episcopi facere possent, indulgendi scilicet monachis instruere populum, peccata expiare. Datis enim, quæ illi detrectare non possunt, non video, quid in tali quæstione aliud responderi possit, quàm eccum quod Cæsarum quendam ad omnes juris quæstiones responderi voluisse legimus, cùm omnia ad suum oraculum remitti vellet. Interim Iesuitarum artes, sub jactatione paupertatis divitias captantium, sub nomine Pontificiæ authoritatis suæ Societatis laxam libertatem vivis coloribus depingi fortè non abs re fuit. Altera, quæ ex transverso incidit quæstio, de eo est, quod Sacramentum Confirmationis appellant. Mihi legendo compertum est manuum impositionem cæremoniam fuisse Iudaicam, usurpatam non lege ulla divina, sed moribus, ubicunque precandi pro aliquo causa quædam emerserat. Tunc enim Iudæi orabant ut sic Dei efficacia esset super illum, sicut manus, efficaciæ Symbolum, ei imponebatur. Hunc quoque morem ut Synagogæ pleraque secutus est Christus, sive pueris benedicendum fuit, sive ægrotis adhibenda sanatio, addita, ut semper honos Patri haberetur, prece. Ex eodem more, non ex ullo præcepto, est, quod Apostoli manus imposuêre iis, quibus ignoto antehac jure dona conspicua Sancti Spiritus precando conferebant: quod Presbyteri eundem ritum adhibuêre non tantùm in allegendis presbyteris, puta Timotheo, 1. Tim. IV, 15. sed & ipsis Apostolis, ubi novi aliquid operis aggrederentur. Act. Apost. XIII. 2. Ita ut si quotiens manus imponitur, toties Sacramentum est, jam nulla futura sit ad precandum pro aliquo occasio, quæ non eo nomine veniat, quod nec vocis origo nec veterum in ea usus repudiat. Et ex una hac non imperata, sed usitata Iudæis Christianisque ceremonia extitêre illa, quæ dicuntur Sacramenta Confirmationis, Ordinationis, Pœnitentiæ, Extremæ unctionis, imò & Matrimonii: Nam & in fœdus conjugale convenientibus manus precum indicatrices imposuit vetus Ecclesia; quod nunc

Digitized by Google

nunc quoque inter alios ritus vetustissimos Abyssini observant. Baptismus olim Christianorum simplex fuit, mersatione sola constans, ut & ille Iohannis Baptistæ, & vetustior eo, quem Iudæi adhibuerant, cùm idololatræ aut ad Iudaismum transirent, aut jus hospitii apud ipsos sub lege vivendi secundùm præcepta Adamo & Noæ data, impetrarent. Ostendunt hoc & Acta Apostolica, & Epistolæ Apostolorum, & Iustinus Martyr. Manus impositas baptizatis, nisi ab iis, qui jus haberent conferendi cœlestia illa dona, primis temporibus non apparet. Serius id introductum est in Episcorum honorem, quò magis in Apostolicum jus successisse crederentur: nec causa aberat, quam ceremoniæ illi velut naturalem diximus, precandi scilicet Deum, ut ei, qui baptizatus jam fidem erat professus, ea largiri vellet, quæ ad perstandum in fide, maximè in periculis gravibus, sunt necessaria. Baptismo accesserunt secundo & deinceps seculis multæ rerum imagines ad loca quædam sacrarum literarum alludentes, ut mos fuit veterum non verbis tantùm, sed & signis conspicuis loqui: ut lactis & mellis gustatio, aliaque passim obvia. Sed maximè placuit talibus signis ostendere, quæ Christus corpore ægrotantibus exhibuerat beneficia, iis paria in animo præstari ab ipso credentibus, & fidem profitentibus aperiri oculos mentis, patefieri aures, morbos auferri, Satanæ potentiam infringi. Hinc exorcismi, hinc epphatha, hinc insputatio, hinc & oleum, Christo & Apostolis ejus, eorumque adjutoribus circa corporis morbos usitatum, ut Marcus & Iacobus testes sunt. Non satis id visum posteris, nisi & fragrantiori quadam unctione ostenderent, Christianos à Deo lectos & Reges & Sacerdotes. Itaque hæc unctio, nec ulla alia subsequens, baptismo accessit, apud Græcos perpetuò, & nunc etiam, in Occidente diu: nec minùs à presbytero, qui baptizandi jus ab Episcopo & presbyterio haberet, quàm ab Episcopo fuit exercita. Quidni, cùm omnia, quæ Episcoporum erant, facerent & presbyteri Episcoporum concessu, nec ulla re Episcopus à Presbytero differret nisi sola ordinatione presbyterorum, ut disertè testatur Hieronymus, cui consentit Chrysostomus, *Μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ* [*Sola ordinatione*] dicens *ὁ ἐπίσκοπος πλεονεκτεῖ* [*Episcopus superior est*], quanquam etiam ad ordinationem concurrisse manus presbyterorum, non tantùm illo Pauli ad Timotheum loco docemur, sed & veteri canone Africanarum Ecclesiarum, moris antiqui supra cæteras retinentium. Vt ad Canonem Arausicanum veniam, non video, quid in Sirmondum tam acriter insurgat Aurelius, sive is unus est homo, seu, quod magis credo, constans ex plurium contributa opera, alio fortè bonarum literarum & eloquentiæ subsidia, alio Ecclesiasticæ notitiam historiæ, alio spinosam illam de Schola Theologiam conferente. Pene Sirmondo dixerim,

Ἄττα γέρον μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί
[*Senex pater summopere te vexant Iuvenes bellatores*].

Sed nec ipse se deserit, homo viridis adhuc senectutis; & ad Hieronymi exemplum, bos lassus fortiùs figit pedem. Ego verò Sirmondi non tantùm bonam fidem hac in parte agnosco, sed & lectionem verissimam credo, auctoribus antiquis codicibus canonum illorum & collectionum trium; adversùs quæ instrumenta adferri traditionem Ecclesiæ ab Aurelio miror, cùm in hoc genere mores & pro temporibus & pro locis fuisse varios ipse agnoscat. Inserendi negativam tot libris nulla scriptoribus causa fuit: auferendi eam Romanis correctoribus eadem quæ sæpe: ne quid appareret dissonum à Romanis moribus, quo omnia traducere velut in Imperii sui argumentum ingens illis semper studium fuit: quod apud Gratianum mirum quoties appareat. At Innocentii ævo notum Chrisma duplex, sed nempe Romæ & in vicina illi Italia; in Gallia nondum, nec nisi post illum Arausicanum Canonem. In hoc ergo sicut Sirmondus me planè sibi habet assentientem, ita in eo permittam mihi nonnihil à curatissimo ejus judicio discedere, cùm delet illud *dico*, & *præjudicans* interpretatur *nocens*, cùm ea vox à Bartolo, ni fallor, & Baldo demum, tam originis suæ alienam significationem acceperit. Maneat ergo *non præjudicans quicquam dico*, ut ea vox sit primi Episcoporum, ut sæpe alias, quem consensu secuti sint cæteri: hoc sensu, ut significet se quidem non necessarium existimare Chrisma alterum, neque tamen damnare se Ecclesias alias, puta Italicas, quæ jam more diverso uti cœperant: quomodo & in Concilio illo Africano, quod Cypriani ætate convenit, legitur, *neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Hæc, quanquam vera arbitror, tamen si rectè expendantur illa, quæ ipse Aurelius de rebus nec vetitis nec prohibitis disserit, non mirum, si in iis alibi atque alio tempore alii fuerint mores: non erat causæ satis, cur tantis animis tam odiosis illationibus ista quæstio tractaretur. Nam etiamsi aut baptizatus nunquam ungeretur, aut ungeretur tantùm baptismi tempore à baptizante etiam presbytero, adde, etiamsi nulla subsequeretur manuum impositio, donis illis, quæ per manuum impositionem conferebant Apostoli, pridem cessantibus, non ideò periret honos præsidentiæ Episcopalis, quæ tunc etiam in Ecclesia fuit, cùm Episcopi & Presbyteri nomen indiscriminatim usurparetur, & cùm præsidentia illa non Electione, quæ Alexandriæ primùm fieri cœpit, Marco mortuo, sed participati consessus gradu deferretur. Sicut autem immanis est Iesuitarum in illis scriptis irreverentia in Galliæ Episcopos, in Theologos Sorbonicos, ita & mihi Aurelius interdum sufflaminis egere videtur. Nam quorsum tantus Suarezii contemtus, hominis, si quid rectè judicò, in Philosophia, cui hoc tempore connexa est Scholastica, tantæ subtilitatis, ut vix quenquam habeat parem? Quid attinet Molinistarum nomen Societati toties objicere, cùm si quid Molinæ exciderit periculosius, id posterioribus Iesuitarum, præcipuè Lessii, scriptis sit castigatum? Neque verò nonnihil etiam ab illa sententia periculi est, quæ cum Concilio Valentino, laudante Aurelio, statuit *quorundam salutem Deum nolle, si illi quidam nudè ut homines spectentur.* Hæc sunt, quæ apud te ea libertate, qua colloqui inter nos solebamus, deponere libuit, in hoc maximè ut videres, ea quæ misisti, à me & lecta & nonnihil perpensa. Ad virum omni laude superiorem Hieronymum Bignonium, cujus amicitia ubique me vendito, scriberem nunc quoque, sed cum Epistola ipsius aurea sanè & animi unde profecta est, puritatem præferens, sententiam meam de Clementis Epistola, quæ in Anglia prodiit, expetat, eam autem nondum acceperim, sed exspectem in dies, malui, quod illi debeo, responsum differre, quàm otiosis vocibus sanctissimas illius occupationes interstrepere. In Germania cogor iterum dicere non optimo loco esse res Protestantium, dubia Saxonis fide & auctis opibus Cæsareis accessu copiarum quas per Alpes huc Feria infudit. Hagæ de novo fœdere inter Regem Christianissimum, Suecos & Batavos agitur; sed lentum est negotium. Interim Lipsia aliisque ex urbibus ingens est habitantium fuga. Tædet illos toties pilam partium fieri. Quò evasuri sint Lotharingi amores, omnes intenti exspectamus. Wibio gratias ago quòd mei memoriam non exuerit. Domino des Hayes oblivionem pro magno bono opto. Tertullianum Rigaltii videre & ego & qui te officiosè salutat Lindembrogius optamus; & ipsi ut eam vitam eligat, quæ illi suavissima erit. Suavem autem illi nullam futuram puto sine literis quibus natus juvandis. Scherbii Peripatetica, at quantillum pro tot tuis donis mitto: utinam possem & Caselii Epistolas ad doctos: sed nondum prodiere, quanquam promissæ: certè hîc non apparent: misi sciscitatum in mercatu Francofurtensi, qui per hos bellorum æstus miserè friget. Caselium à te quanti meretur, fieri gaudeo; valuit judicio, nitore dictionis,

Digitized by Google

nis, &, quod præcipuum, infucatæ virtutis studio. Malemaisonii in me benignitatem nunquam dignè meminisse possum, nec fidam illam amicitiam Præsidis Lussonii. His & qui aliis nostri vivunt memores, si meo nomine salutem impartias, meaque ipsis debita offeras officia, facies quod soles, id est me benefacto obstringes. Vale Optime Senex. 15 Octob. 1633.

Notæ meæ ad Euangelia tantum abest, ut perfectæ sint; multa, quæ addam, habeo, sed ipsas non habeo hic, nec cæteras schedas meas. In monte Domini providebitur. Rogo ne ægre feras commendari tibi has litteras ad Petitum & ad Dorum.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

330 Binas abs te accepi literas, Vir maxime, recentiores per uxorem: vetustiores per puerum Guldesternii aut Ernstii; nam ipsos quamquam exspectatos non vidi. De pueris instituendis gaudeo te, tantæ in ea experientiæ, meum non improbare judicium. De Swaardecronio non displicet. Sed si Amstelodami simile aliquid se præberet, mallet haud dubie id mater, ut sub patruo inspectore pueri viverent. Siquid rescisces huc pertinens, rogo nos moneas. Overbequii pium propositum juvandis Ecclesiis laudo, & si quid juvare possim non deero. Uxor ab itinere satis fatigata huc advenit. In Cornelio meo ingenium non requiro: diligentia est mediocris. Videntur omnes mei metuere ne nimius fulgor ipsis ut patri noceat

—— Nunquam
Sanguine Causidici maduerunt rostra Pusilli.

Mihi ventriculus est frigidior, nec mirum, mutato cælo, cujus naturam & alimenta sequuntur. Nihil omitto quod curandæ valetudini conducat. De Petro gratias tibi ago & rogo ne tuam diligentiam in eo monendo ipsius desidia refrigeret. Reidanum videre in plena luce aveo, cujus lectionem multis jam in Germania commendavi. Multa talia è domo tua in utilitates publicas veniant, ut bonas artes amantibus incipias etiam per liberos prodesse: quorum salutem cum paterna ac materna Patri omnium obnixè commendo. 19 Octobris 1633.

Tuus totus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

331 Quando, Vir Amplissime, amare me perseveras, rerumque mearum curam gerere, nihil aliud nunc quidem, quod significem, habeo, nisi Hamburgi in hunc diem me subsistere; hoc tolerabiliori sorte, quòd & uxor huc advenit, meis adversis semper levamen. Ostentant se nobis aliqua, de quibus, quid potissimùm sit eligendum, nondum despeximus. In eo tamen sumus, ut brevi constituamus aliquid, ne diutius pendeamus, divulsis familiæ membris. Res Cæsaris reflorescere incipiunt. Nam Silesiam, à Saxonicis derelictam, quos omnes ad tutandos fines suos revocavit Elector, ab aliis vix defensam, non incursavit tantùm, sed suam fecit Fridlandius: inde captis Brandenburgici agri præcipuis urbibus Pomeraniæ, & pridem desponsæ sibi Meclenburgicæ regioni, qua ad mare Balticum patet aditus, imminet, dum Suecorum vim in locis propiùs Rhenum Feria retentat. De pace multi sermones, conciliatorem offerente se Dano: sed hactenus sine re. Novum vectigal à Cæsare, & majore parte Electorum, concessum Dano in Albim, magno Hamburgensis civitatis malo, nostrates hactenus excitavit, ut literas ad hanc vicinasque urbes scriberent, hortantes, bono ut sint animo, &, quod hactenus obtineri nequiit inter se concordes. Non magni hæc ponderis sunt apud homines hos, qui ita credunt, nisi induciæ apud nostrates fiant, quas ipse Hispanus, fiducia Austriacæ per Germaniam fortunæ, minùs jam appetit, certè non admodum caro emptas velit, non tantum otii nostratibus à re sua fore, ut in Danum verbis res addant. Anglus & civitati huic & Regi Daniæ suasor est ad depeziones veniendi, sed & hoc hucusque, nullo exitu. In Tileno magnum amicum uterque amisimus. Tamen illi gratulandum est; quod à sua carnificina vel sic est liberatus. Filium tuum, quanquam non dubito sponte sua bene currere, tamen, & ego, ut voluisti, incito. Tibi, tuæque matronæ ac familiæ, ut ex animo succedant omnia, opto ego, optat mecum uxor. 4/14 Novemb. anni 1633.

LVD. AVB. MAVRERIO.

Apud Pictones jam te esse intelligo, Nobilissime Iuvenis, in urbe tum rebus aliis, tum studiis etiam florentissima. Injuriam tibi faciam, si te, quem diligentem Lutetiæ cognovi, in urbe otiosorum nutrice, nunc excitandum putem, iis agentem in locis, quorum ipsa species & tot aliorum exempla, non ad continuandum tantum, sed ad duplicandum, si fieri potest, cursum, te invitant. Sed planè rogo, quod dicere multis soleo, verissimum credas, nihil esse homine nobili dignius quam cognitionem juris. Primum quidem ejus, quod omnes homines hominibus, & gentes gentibus sociat; deinde verò patrium, cujus partem non exiguam facit jus Romanum à plerisque populis adoptatum, per se quoque supra omnia civitatum jura dignissimum nosci, ut quod perfectum excultumque sit experimentis tam magni tamque diuturni Imperii. Quidquid à Decemvirum tempore ad Iustiniani usque tempora, viri maximo & judicio & sanctitate morum & eruditione præditi, ad firmandam illam civilem societatem reperire potuerunt, id omne in Digestis primùm; deinde Codice & connexis ei libris continetur. Tam evidens denique est ejus Iuris in plerisque partibus, iis maximè, quæ ad contractus aut damnum injuriâ datum pertinent, æquitas, ut ad quos populos Romana arma pertingere nunquam potuerunt, ut in Poloniam vicinasque gentes, eò leges Romanæ sine vi ulla, justitiæ suæ vi triumphantes pervenerint. Ego si propiùs abessem, offerrem tibi adjutricem operam: nunc longiùs dissitus vota fida contribuo: atque sic te volo credere, non iis, qui te sanguine contingunt, lætius unquam futurum, quàm mihi, si quando emensum illa, in quibus nunc vectaris, spatia virtutis, ea te recta via ad honorum metas perducant. Vale, Nobilissime Maureri. Hamburgi, 16 Nov. 1633. 332

PVTEANIS FRATRIBVS.

Ivvenes isti Germani commendati mihi à viris eruditionis fama florentibus, è patria sua bello cùm maximè ardente in altæ pacis loca, id est in Galliam, se conferunt: simul & quieti suæ consulentes, & quærentes profectum ex virorum literatorum amicitia. Vobis igitur ante alios, hosce adolescentes tradendos existimavi, qui mihi semper inter primos amicorum fuistis; & nunc prope restatis soli, Rigaltio Mediomatricas, Salmatio Lugdunum, Tileno in vitam traducto meliorem. Pluribus uterer verbis, nisi scirem id à me peti, quo vos sponte fert bonitas vestra. Hamb. 7/17 Novemb. 1633. 333

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Inter mala plurima quæ inde mihi eveniunt, quod ab amicis absum tam longè, unum boni habeo & hoc perexiguum, quod illorum incommoda serius ad me perveniunt. Ecce nunc demum, vir præstantissime, intelligo ademtum tibi filium, & talem quidem qualem pro tuo in literas amore etiam non filium non lugere non poteras. Nam & ego pro brevi notitia, quam delibare mihi magis quàm perfrui tempora concesserant, grande pretium dolorem incredibilem persolvo. Venit in mentem nunc historiæ ea puritas, ut non ex alio sermone in Romanum translata, sed in eo ipso nata videatur: nunc in limpido orationis flumine paterni magisterii expressa viva effigies: nunc carmina ea felicitate fusa, ut juvenis tot veterum tot novarum linguarum peritus, nihil aliud quàm poëtam egis- 334

Digitized by Google

egisse videatur. Hæc cùm cogito, & quidem sic cogito, sicut cogitare eum par est qui nunquam publica artium honestarum bona à suis rationibus segregaverit, tum verò ex meo dolore ad tuum gradum facio, non ignarus quid sit esse patrem, sæpe id expertus in meorum morbis & amittendi metu. Ne illud quidem me fugit, quod dictum ab antiquis est.

—— *ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες*

—— [*Verùm sed flere bonorum est*],

Non ad illum tantum humorem quem inhibere viris haud adeo difficile est, sed ad quemvis animi tenerioris affectum pertinere. Hæc omnia cùm justum faciant mœrorem tuum, grave etiam faciunt onus ei lenimenta quærendi. Accedit alia difficultas, quod si tibi ea dicam, quæ tu ipse omnia in oratoriæ artis præceptis perspicuè & solidè, ut mos tuus est, explicuisti quo loco de consolatorio sermone agis, & quæcunque eo pertinent λημνίσκους [*pigmenta*] excutis, videbor novo planè versuræ genere de tuo tibi solvere, præterea diffidere memoriæ tuæ, quæ tibi inter cæteras animi dotes longè excellentissima est. Et ut sit adhuc aliquid quod præter illa dici possit, undenam id petam? à sacrisne literis & laudatis earum interpretibus? at nemo eas legit diligentiùs te, nemo meliùs mente retinet, nemo fideliùs vita exprimit. An à Seneca, Plutarcho aliisque morum formatoribus, quos tu adhuc juvenis non edidicisti tantùm, sed edocuisti alios? An ex historiis quarum opulentissimam penum si quis quærat non alibi eam quàm in tuo reperturus est pectore? sed quandoquidem etiam medici supra alios excellentes, si in ipsos morbus incursum fecerit, aliorum consiliis se tradunt, quia scilicet simul esse nolint malum & curatio, & tui similibus, id est sapientissimis viris evenire solet, quod Oïleo in Tragœdia Græca, ut quæ norint sciantque optimè & aliis pulcherrimè explicare possint, eorum sensum aut usum in illis non tam exstinguat quàm interpellet ingens motus animi, orabo te ut vulnus tuum non mihi quidem, sed tuis scriptis, tuis sæpe dictis, tuis antehac cogitatis tractandum præbeas. Quid enim me opus est tibi dicere constitutum hoc esse superni numinis, nata ut moriantur, quod qui implacidè ferat eum civem esse aut legum ignarum quibus constet hæc universi civitas, aut tanto Rectori immorigerum. Quid illud quod huic est proximum jactando cervicem non tantùm nihil profici, sed ad inevitabile malum adjungi voluntarium;

—— *εἰ δὲ μὴ θέλω*
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

[—— *fac nolle: comitabor gemens*
Malusque patiar quod pati licuit bono].

Quid quod alio non minùs noto Græcorum versiculo indicatur, juvenem mori quem Deus diligat, quia multa lucrifaciat mala quorum finis & ipsum grave sit malum, senectus: & inter alia hoc consequatur ne quid tale quale tu doleas, ne solandus sit. Quid illud divinum Pauli oraculum quo in luctu nimios, non ut oportet creditæ resurrectionis reos agit, & prope è Christianorum albo expungit: quia scilicet sanctissimi illi nostræ in perpetuum duraturæ disciplinæ doctores ipsum credere non in contemplativo sed in activo sensu accipiebant, nec quemquam putabant id satis persuasum habere, quod non factis, verbis, ipsa etiam animi compositione exprimeret. Tu illum credas lætissima frui quiete candidatum æterni gaudii, & interim eum retractum velis in hunc morborum carcerem, in has peccandi illecebras, in tot tantorum scelerum exempla vergente in finem mundo ingravescentia? Ne illud quidem tibi dicendum arbitror tot liberis superstitibus unum immodicè desiderare, animi esse ingratè divina beneficia æstimantis. Ab illo igitur ad hos animum retorque, & vacantem amoris curæque partem inter hos tanquam fraternam hæreditatem, divide: neque miserum te puta, quod tali sæculo (vides bella, vides morborum tot genera, tot alia pericula in quibus minimum est exilium innocentium) minùs timebis, & aliquid tui habebis fortunæ subductum ictibus. Ne uxorem quidem tuam, cordatissimi viri filiam, ita mulierem puto, ut non illum Deo volens consecret, velut primitias, quibus rite dicatis cætera jam sanctiori jure retinentur. Te verò æquum est non eos tantùm quos domi tuæ conspicis in tuis numerare, sed tot nobilissimos clarissimosque viros, patriæ aut nostræ proceres, aut suæ, qui non negabunt tuæ se institutioni debere, quicquid eloquentia, quicquid sapientia, quicquid ullis animi virtutibus possunt. Nam si animum nostrum aut ipsum illud esse quod homo dicitur, aut certè hominis præcipuam atque imperantem partem satis constat, non debemus extraneos nobis putare in quos licuit animorum semina transfundere. Hæc ego tanta solatia, quæ vix cuiquam quàm tibi uberiùs concessa sunt, non in id advocanda puto, ut neges sentire te quod sentis, sed ut illis leniter acquiescens non irrites tuum malum, non adsis dolori, neque manum vulneribus tuis inferas, quæ curandi certissima sæpe ratio ipsa est quies. Redi totus ad intermissa studia, & ad illas librorum divitias, & ad florentissimum auditorium, & ad spem non ingratæ posteritatis. Ego Hamburgi adhuc sum. A tergo Silesiam Brandeburgicum agrum & Pomeraniam vastat Fridlandius: quæ ad frontem sunt nihilo mitiùs habentur à Suecis. Vrbium ubique cadavera apparent, ne jam homines mori queramur. Strages ubique, fames dira, morbi atroces, & ob tot causas maximus huc fugientium à parte utraque concursus quæ si quis spectet, dicat, non jam dixerim jacturam unius è liberis, sed ipsam quoque orbitatem plerisque pro bono precandam. Ego tibi, vir optime, uxor mea tuæ uxori, filius liberis, imo omnes nos Vobis omnibus optamus, non ut nihil vobis unquam simile eveniat (quis enim scit, an id sit optimum?) sed ut quicquid evenerit forti & in Deum grato accipiatis animo. 1/11 Novembris 1633.

T. C. L. Addictissimus H. G.

EIDEM.

NVper ad te cùm scriberem, vir præstantissime, quas literas nunc ad te pervenisse arbitror, dicebaris in- 335
terquiesse à publico docendi munere; quod tibi extorsisse luctum recentem minimè mirabar: ne diutius otio, re tibi insolita, accenderes dolorem metuebam: nunc cùm ex iis quas accipio literis cognossem & rediisse te ad tua munia, & quod futurum præsenseram, nihil esse quod levare tale malum posset, de quo non abundè cogitaveris, video ego laborem tui solandi, in hoc quidem tibi ut prodesset, tuisse supervacuum, non etiam, quo meum animum adversùm te familiamque tuam ostenderem, quos semper mea adversa pro suis duxisse certissimis experimentis non semel didici. Itaque nunc nihil aliud quàm hortor te, ut in isto tam forti proposito perseveres, & laborem quo civitatis florem obligas, nunc & tibi præstes, Imperatorum magnorum secutus exempla, qui privatis doloribus ex negotiis publicis solatium quæsivere. Quo magis inclarescis, quod apud gentes exteras pridem tibi scripta dedere, apud nostros homines ingenio suo pigros faciliùs viva voce obtinetur, hoc plures in te irruere studiorum interpellatores nimimè miror: nec aliud remedium video, nisi ut toto mane tibi & publicè audientibus vindicato, horam unam aut alteram ante vesperam assignes salutatoribus Scaligeri exemplo. Id ubi semel per familiam tuam adventantibus innotuerit magno te in posterum temporis damno levabit. In historia Ecclesiæ multum gaudeo venisse te ad illa tempora, quibus jure undique conveniendi dato, certiorem jam suæ gubernationis formulam accepit diffusa per orbem Romanum Christianorum multitudo. Ac planè verissimum esse sentio, quod prudenter scribis, à nimio sectarum applausu retinendi æquos homines non aliam viam esse expeditio-

ditiorem, quàm si quis odio studioque vacuus & soli vero addictus rebus ipsis manifestum faciat, neque antiquitatem semper ab illis stare qui eo nomine alios territant, & qui se restituturos omnia in primævum statum polliciti sunt non id in omnibus assecutos. Verhoevium maximi facio, amantem ut verè dicis mei, veterem à pueritia sodalem. Quare quod sponte & sic exigente officio facturus fueram, operam ut darem præcidendis litibus, id nunc eo faciam promptiùs, quod eodem facto morem gessurus sum & illi populari meo, & tibi, cujus causa nihil est tam difficile, quod non aggredi debeam. De quærendo magistro adolescenti filio Leonardi Sorgii placet quod scribis velle te cum Patruo ejus loqui, Clemente Sorgio: sed unum monitum te velim matrem, cui nunc cura filiorum incumbit, à zelotis illis minus abhorrere quàm abhorrebat pater: ac ob id, si quis sit cætera Magister idoneus, non esse quod eam ob rem rejiciatur. Vale Vir optime: Deum ex animo precor tibi, matronæ tuæ, liberisque tuis clemens propitiusque adsit, & hunc novum dolorem novis beneficiis obliteret. Prid. Kal. Dec. 1633.

Quid agat Salmasius doleo me neque ab ipso neque ab aliis rescíscere; Blavium rogare an ausim ut filio meo ad sphærica monstrator sit, dubito. Vereor enim ne hominem mei amantem plus æquo onerem.

Tuus totus H. G.

MARTINO RVARO.

Literas tuas, doctissime Ruare, ut crebras amo, ita dilatas non queror. Et si causam non afferres, commodum mihi tuum sufficeret. Nunc causa quam adfers talis est ut vel duro exactori purgare te possit. Ad alia antequam venio. Deum precor conjugii auctorem tuas nuptias ut prosperet, perpetuaque concordia beet. In Leonardi Sorgii morte quod fecisti damnum utinam aut ego sarcire possem, aut qui nunc hic cum bene dotata uxore larem fovet, cujusque & ædibus & amicitia fruor. Matthisius qui te & salutat plurimum, & omnia offert quæ suæ sunt opis. Crellii postuma opera èvida exspectabimus, eoque magis, quod abs te dijudicata & limata ad nos pervenient. Noli dubitare quin in amicorum classe habiturus semper sim & quidem interioris admissionis, non eos tantùm quos mihi epistolæ tuæ commendaverint, sed quoscunque tibi caros sciero: id enim mihi pro testimonio sufficiet. De baptismo Iudaico quæ scribis vera sunt: & adjici potest ad ea quæ commemoras loca illud ex Scholiaste Iuvenalis vetere & scriptoribus uso qui proximè Iuvenalis sæculum fuere ad illum versum

Quæsitum ad fontem solos deducere verpos

Sic ille ait: *ubi baptizantur.* Quod quanquam ad rectam versus illius expositionem non pertinet: culpat enim Iuvenalis τὸ τῶν ἰουδαίων ἄμικτον [*Iudæorum insociabilitatem*] qui ne communia quidem humanitatis officia, qualia sunt erranti viam, sitienti fontem monstrare, præstarent τοῖς ἀλλοεθνέσιν [*alienigenis*]: testimonium tamen præbet mori τῶν ἰουδαϊζόντων [*judaizantium*] in oculos Romanorum quoque incurrenti. Quantum ex libris, quos ad manum non habeo, cognoscere potui, sic res se habet. Quo tempore lex per Mosem data est, multi adhuc populi, quanquam sub diversis ritibus, perstabant in cultu unius Dei & honestis moribus, quos Deus aut per sensum communem, aut per oracula Adamo Noæque data, humano generi præscripserat. Ex illis si qui vellent cum Hebræis habitare licebat id per legem, neque institutis Hebraicis, nisi in quibus ob publicæ εὐταξίας [*publici recti ordinis*] faciem jun legi ab aliis commodè non poterant tenebantur, ut videre est, tum alibi, tum Levit. XXII, 25, & Levit. XXV, 47. ubi Chaldæus תותב ערל interpretatur *incolam incircumcisum.* Si quos tamen populos ab Abrahamo ortos constaret, puta Ismaëlis, Cethuræ, Esavi posteros, his jus incolatus non dabatur nisi & impleta circumcisionis lege, quippe ad ipsos non minùs quàm ad Israëlis posteros pertinente. Quod dixi de duratione τῆς μονοθεοῦ θρησκείας [*unius Dei Cultus*] ex historia de Abimelecho, Melchisedeco, Iethrone apparet. Paulatim tum quod Deus curam suam ferme ad unum populum retraheret, tum quod ejecti ab Hebræis populi latè spargerent superstitionis & morum illaudabilium contagia, factum est ut nulli essent populi defectionis immunes, Itaque ex eo tempore à sapientibus Hebræis institutum est, ne qui ad jus incolatus admitterentur, nisi qui solenni mersatione professi essent se pravum cultum vitamque ἄνομον [*exlegem*] exuere, prævia circumcisione, si de Abrahami essent genere, sine ea si aliunde orti. Si qui præterea vellent totam Mosis legem sibi imponere, de eo fiebat testatio, & sic in numerum non incolarum, sed civium recipiebantur, honorumque erant participes nisi ex illis essent gentibus quas lex speciali de causa exceperat. Gravis autem causa fuit cur etiam circumcisis injungeretur altera baptismi professio, quia gentes aliquot circumcisæ ad falsos deos jam defecerant. Est autem ferme apud populos omnes receptum ut emendatio vitæ signo conspicuo ablutionis, & ubi magna esset mutatio, mersationis exprimeretur. Vetus scholiastes Horatii ad illud Epistolæ primæ Ter pure lecto: *ter ait mergunt qui se expiant.* Hinc baptæ apud Græcos: Isidos quoque & Mithræ sacris, Tertulliano docente, eo, qui de baptismo est, libro, per lavacrum initiabantur. Ejusdem Tertulliani est eodem libro: *certè ludis Apollinaribus & Pelusiis tinguntur: idque se in regenerationem & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt.* Hunc ergo communem gentibus intellectum secuti Hebræi non immerito commaculatis vita impura tinctionem id est mersationem injunxere. Ac propterea cùm Iohannes divino instinctu ipsos, quod hactenus factum non erat, Iudæos tingeret, facilè intellectu omnibus fuit, significare eum gentem Iudaicam, quanquam in professione μονοθεΐας [*agnitionis unius Dei*] perstantem, cætera vitæ tamen non minùs impuram esse quàm essent οἱ πολύθεοι [*multorum deorum cultores*], ac proinde in illis quoque parem vitæ mutationem, quæ mersatione indicari solebat requiri. Ad vetus illud exemplum Apostoli à Christo jussi τοὺς ἕλληνας [*græcos*] merserunt, Iudæos verò ad Iohannis exemplum; utrosque in agnitionem peccatorum, non qualicunque spe remissionis, sed certa ejus fide, Dei summi parentis auctoritate, per filium publicata, per mortem obsignanda. Nunc ad conjugalem quæstionem venio. Vetuit Christus matrimonia rata, id est secundùm legem Mosis aut aliorum populorum honestas ac probabiles leges inita dirimi nisi ex gravissimis causis, qua in re omnium populorum bene moratorum leges sibi faventes habet. nam & quæ leges divortia indulgent, optant tamen ac præferunt indivulsam fidei conjugalis copulam. At ne humanis legibus potestas hujus aut illius generis matrimonii adimi hominibus posset, qua potestate ademta sequitur ut conjugium nullum sit, sicut in contractibus aliis evenit, nusquam edixit: imò verò legem conditoribus non reliquit modò, sed & sanctionibus suis confirmavit, quam consensu gentium habebant in rebus ejusmodi, potestatem. Quin & seposita consideratione ejus juris quod aut ab initio, cùm una viverent homines, commune humani generis in singulos habuit, aut quod postea dispersis gentibus in minoribus illis societatibus boni communis atque ordinis causa resedit, faciamus aliquem probabili de causa, quæ Dei cultum aut parentum reverentiam, aut meliorem sui custodiam attingeret, voto atque etiam jurejurando palam se obstrinxisse, ne talem aut talem duceret, & videamus an ratum futurum sit cum aliqua talis impedimenti conscia matrimonium. Sunt sanè, ut ais, populi ubi rata habentur matrimonia liberûm etiam intra annos 25 inita sine parentum proximorumve assensu; sed alibi aliter observatur, nec in Protestantium tan-

tantum terris, sed & in Gallia jampridem, ubi ne rata aut licita essent id genus conjugia, conventu ordinum Blesiensi institutum est, & frementibus quanquam sacerdotibus, quotidie in summis Auditoriis, quæ Parlamenta vocant, eum in modum judicatur. Sic & aliis in locis irrita habentur conjugia feminarum cum tutore tutorisve filio: & multa alia sunt ejusmodi constituta in Theodosii & Iustiniani Codice, non sine Episcoporum consilio, antequam Ecclesia rem istam sui juris fecisset. In Basilii responsis invenio matrimonium à liberis factum invitis parentibus ab Ecclesia habitum πορνείας [*scortationis*] loco. Quæ cur cum Christi præceptis pugnare non existimem, ex allato jam discrimine, quod est inter impedimenta à lege positum, nondum contracto conjugio & inter rite contracti dissolutionem, puto posse intelligi. Res meas quod attinet, etiamnum ἐπέχω [*subsisto*]. A Savazio si quisquam ad me venisset, ultro ad ipsum cucurrissem: nunc quid intercesserit, suspicari fortè possum, scire non possum. Rex vester si mea opera uti volet, ubi sciero quam ad rem, non longum sumam deliberandi spatium. Dwingleius manet in statione. In Anglia is qui Londinensis fuerat Episcopus ad ἀρχιεπισκοπὴν [*Archiepiscopatum*] Cantuariensem evectus summam in regni Ecclesiæque rebus auctoritatem obtinet, vir prudens & ad antiquum Ecclesiæ exemplar, quantum tempora ferunt, respiciens. τῶν ἀδιαφόρων [*rerum mediarum*] nihil ibi Romanorum rituum reducitur: sed quæ publicis regni moribus recepta sunt, ea ut ubique eandem habeant faciem, datur opera. Dogmata duriora quæ salutem hominum aut exitium clavis figunt adamantinis, magis magisque ibi exolescunt & paucos defensores inveniunt. Vale Vir Clarissime, & ubi res tuæ id ferent, me ac Matthisium fac certiores de tua valetudine, deque tuis laboribus. Hamburgi, $\frac{6}{16}$ Ianuarii. Anni 1634.

T. Cl. Observantissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

337 EXpertus pridem, Vir præstantissime, quàm difficile esset Tragœdiæ & leges implere & virtutes assequi, opus primum puerili impetu in Adamo tentatum exsule: juvenili deinde audacia in Christo patiente resumptum, intermisi ad hanc usque ætatem, desperatione assequendæ laudis, nunc cùm in eam partem vitæ devenerim, quæ ut venæ est minus uberis, ita aliquem profectum judicii solet ostendere, ex Græcorum lectione, nescio quo modo, eo sum perductus ut rem, quam difficilem judicandam, experiendam tamen, ducerem. Pro Græcis fabulis sacram sumsi historiam insignem eo quod περιπέτειαν [*casuum varietatem*] habet & ἀναγνωρισμὸν [*agnitionem*]; mitto ad te veterem meorum operum censorem, primum ut videas, deinde ut si non displicet, ex Blavio nostro discas, velitne editionem suscipere, sed forma paulo augustiore, quali olim prodiit Heinsii Auriacus, additis ne librum parvitas sua dedeceat, sacris poëmatis antehac editis, & purgatis nunc ab erroribus quæ annotatos mitto. Mallet forte Blavius omne opus poëmatum à me recognitum & Gallicanis fœtibus auctum prælo dare: sed quo minus talem editionem nunc moliar; multa me retinent, quorum aliqua facilè tua conjectura assequetur, inspecto salo in quo adhuc sunt res meæ, quæ efficiunt ut domi inimicos habens alios alibi parare non debeam, προσφώνησιν [*dedicationem*] ad Megistanum aliquem mittam propediem, nisi renuncies Blavio non integrum esse hanc editionem parare ad mercatum Francofurtensem. Video omnia mea in Germania ab omnis fortunæ hominibus quæri, quo magis spero vendibilem librum & hic fore, & in Gallia, Anglia, Polonia. Vale Vir optime cum uxore & liberis quas & mea & mei salutant. 8 Febr. 1634.

Tuus, ut semper H. G.

EIDEM.

Misi nuper ad te virorum & amicorum optime, Tragœdiam à me novam Sophompaneam in qua quid mutandum censeas, tuum, ut soleo, judicium exspectabo, unius interim loci in quo error est calculi, corrigendi labore te levabo, is est Actus quarti scena prima, ubi in Iosephi jam fratribus patefacti verbis sic posueram. 338

nec visi mihi
Totos per annos quindecim amplecti libet.

Cùm scribere debuerim

Plus quam per annos bis decem.

Nam ut scis 17 ferme annorum cùm esset venundatus est Iosephus. Anno ætatis suæ tricesimo factus, ut Romani loquerentur, Præfectus prætorio. Inde septennis fœcunditas Ægypti & biennis fames facilis collectio. Adiit me his diebus Iacobus Scytte, jam olim tibi convictu notus & jam tui fruendi causa præcipuè Amstelodamum petens. Gaudeo te non librorum tantum fœtu, sed & felice discipulorum proventu per orbem nosci. Nunc alia non addo, nisi ut cum dulcissima uxore & sobole valeas floreasque, salutat te nostra. Hamburgi. 17 Februarii ex novo Kalendario 1634.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

LIteras quas scripsisti, Vir præstantissime, Iunio mense, in uxoris iter dilatæ nunc demum ad me pervenerunt: non & Hortensii quæ nescio quomodo, dum colliguntur sarcinulæ, exciderunt; ei igitur me ut comiter excuses rogo, & quod unum non conspectis literis possum, dic gratias agere maximas, & lætari me, quod spes sit ut vir tibi probatus collegio quoque societur. Sententiam de terræ rotatione damnatam Romano judicio, ut sacris literis inimicam, non Italis tantùm, sed & illarum rerum peritissimo Kepplero placuisse scio, & multos quotidie reperio eam sectantes. Est tamen ἐκ τῶν φαινομένων ἀναπόδεικτος [*talis quæ ex Phænomenis demonstrari nequit*]: & argumenta sunt in contrariam partem haud levia ἐκ τῶν φυσικῶν [*ex naturalibus*] etiam ex umbrarum observationibus si Cæsenati credimus. Sophompaneam nostrum tibi non displicuisse, quin & nostri in ea lectione tibi non resuscitatam quidem, neque enim dormire eam apud te unquam credidero, sed acriore sensu impressam memoriam, est quod mihi gratuler. Sollicitudinem tamen pro me nimiam deponas, velim. Prospicient mihi Deus & magnus Cancellarius, nostri supra meritum æstimator. Esse in patria qui mihi non desinant optima optare, hoc quoque inter solatia est. Ejusdem patriæ incommodis indoleo, maximè cùm video & pacem illis displicere & vix esse unde bellum gerant. Pro Rhedano gratias ago nec quicquam addo ad laudem operis ne tuos dolores renovem. Fabricius neque visus est mihi, nam ante adventum ejus discesseram, neque redditæ quas ei dederas literæ. Bertholdo Nyhusio de nova illa, qua dissentientes impetit via, eruditè & prudenter respondit Calixtus libro de Arte nova, quem subjunxit libro de Theologia morali. Hoc anno Helmæstadii editum id opus. Summa hæc est, in iis quæ de rebus sive humanis sive divinis credimus nulla esse possessionis privilegia: asserentibus incumbere probationem. Probari autem non tantum quod totidem literis ostenditur, sed & quod per legitimas & homini non insano neque pertinaci fidem facturas illationes deducitur. Discessionis causa quæ abs te redditur optima est, non potuisse vivi sub tali dominatu, neque integras nationes aut magnas nationum partes ideo debuisse à conventibus abstinere. Sed Calixti librum ut legas rogo: multa sunt in eo utilia: multa ab aliis dicta quidem, sed à nemine exactiùs. Vale vir eximie. Francofurti. $\frac{1}{11}$ Aug. 1634. 339

Vxor & liberi nostri tuam ac tuos officiosè salutant.

Tuus semper H. G.

Viro

Digitized by Google

Viro Præstantissimo,

MARTINO RUARO.

0 POstquam literas ad te obsignaveram, Vir præstantissime, relatum mihi à librario, Slichtingii librum Meisnero oppositum legi. Video ab eo statui non adulterii tantùm, sed & scortationis actiones tales esse, qui hominem Christianum, si subitò moriatur, à vita æterna sint exclusuri. Quod cùm haud dubiè de aliis delictis æque gravibus ac deliberatis sentiat, nihil habeo quod contradicam. Verum non modò de scortationis sed & de adulterii actu aliter sensisse Socinum, videbar ex ejus scriptis didicisse. Nescio an me fallat memoria. Puto pervenisse jam ad te Clementis epistolam ad Corinthios in Anglia editam. de ea quid sentias, ubi otium tibi erit, discere avebo. Vale quàm optimè 26 Feb. novi Kalend. 1634.

Tuus omni studio H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

1 NUper ad te, Vir Clarissime atque optime, tragœdiam quandam recens mihi natam miseram, per præsidiariæ navis præfectum Coddium qui nunc ad nos reversus est. Miseram etiam per Hertochfeldium loci unius emendationem. Exspecto autem primùm judicium tuum, ut, si quid mutandum censes, mutem: deinde & illud, an ibi edi possit, alioqui alium, minùs certè idoneum, Typographum in Germania quæsiturus. Voluissem potuisset edi in tempus mercatus Francofurtensis. id nunc video vix esse ut obtineatur. Causa autem festinandi mihi non fuerat alia, quàm quod ex promisso dedicandi operis aut opusculi alicujus reus tenerer: & in jure cautum habeamus, plus eum solvere qui citiùs solvit. Tibi tuisque ut omnia optimè procedant ego, uxor, filius optamus. Vale Vir præstantissime. Hamburgi 11 Martii novi Kalendarii, 1634.

Tuus toto animo H. G.

CL. SALMASIO.

2 GRonovius, qui has à me literas impetravit, est omnium bonarum literarum amans: profectu magno, certè pro gentis captu: nec dubito, quin ad solidam frugem perventura sint ejus studia, si bonum nanciscatur ducem, quem cùm à me sibi monstrari posceret, statim illud Homericum in mentem venit,

Πῶς ἂρ ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;

[*Quomodo equidem ego post hac divini Vlyssis obliviscerer*]? Itaque Lugdunum ille, Salmasii vel maximè videndi & fruendi causa, petiit. Quod ut illi liceat, meas cum ipsius precibus conjungo. Dolori mihi fuit cognoscere, minus adhuc prosperam tibi esse valetudinem. Spero futurum ut cœlo, quanquam asperiori, assuescat corpusculum minusque tibi displiceat Batavia nostra. Idem tibi tuæque matronæ mea optat, & omnia vobis liberisque vestris felicissima. Hamburgi, 18 Martii, 1634.

IACOBO PUTEANO.

PRocestria Anatomica, Vir Clarissime, quæ expetiveras, mitto, dignum sanè & lectu librum & consideratu. Alterum, de quo scripseras, si ex mercatu Francofurtensi accepero, mittam ubi primùm potero. Rigaltio pro Tertulliano plurimum debeo. Editio est elegans, notæ breves, sed exacti judicii, &, ut monueras, intersparsa libertate: præfationes nitidæ & cultæ. In Germania bellum omnes tales cogitationes aufert, & pacis quantum video spes adhuc tenuit; tantum est bello fruentium. Salmasius ad me scripsit, hoc vere experturum se an possit restitui lapsa valetudo; si nihil proficit, repetiturum Galliam. In Hollandia nuper unus & Medicus & Senator proposuit eruditis quæstionem: *Sitne finis vitæ hominis cujusque definitus decretò divino?* qua de re plurimi non admodum consententia rescripserunt; quæ edita puto. Ad vos quoque pervenient. Salmasius jam Typographo dederat suam quoque super hac re sententiam: aut potiùs omnis generis Philosophorum ac Theologorum placita: sed cùm videret incalescere certamen, subtraxit sua. Puto & apud vos non defuturos viros rerum divinarum humanarumque peritos, qui sua quoque cogitata proferant super quæstione antiquitus apud omnes propè gentes agitata. Hæc curæ, quibus suo arbitratu disponuntur tempora. Mihi satis erit gaudii, si cognoscam bene valere ac rem gerere Bignonium, Lussonium, Cordesium, amicosque alios, imprimis verò Thuanum, cui me commendo quantum possum. Vale, cum fratre & congerronibus. Hamburgi, 26 Aprilis, 1634.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime.

INvitatus sæpe ab Illustrissimo Sueciæ Cancellario ut ad 344
ipsum venirem, in itinere ipso eram cùm ad me perlatæ sunt tuæ literæ quas Nonis Aprilibus Iohanni Skytte dederas. dolet quod nobilissimus ille juvenis me jam digresso Hamburgum venerit. Suave mihi fuisset cum ipso, ut ante cum fratre ipsius, sociare sermones de studiis communibus. Duce quidem ille opus non habet, te optimum nactus ad omnes literas ducem, sed tamen inanes non sunt multorum hortatus etiam apud sponte sua bene currentes. Et illud incommodè mihi accidit, quod Rhedani Latina historia me absente Hamburgum perlata est, ita ut solari desiderium meum amissi carissimi juvenis illo præstantis ingenii fœtu nondum potuerim. De-Sophompaneo nostro miror, nihil esse quod me moneas. id enim vereor ne totum opus minùs probantis sit. Quando mercatus vernus hujus in qua nunc sum urbis jam transiit, satis tempori editio sub autumnalem mercatum parabitur. Vide an vendibiliorem librum facere possit hæc addita prædicatio, Tragœdia in qua pii præsidis mores describuntur, aut simile quid. de typis non sum nimis anxius, permitto totum hoc tuo Blaviique judicio. Adolescenti Sergio mater Emdæ præceptorem reperit. Petrus noster ubi primùm valetudo tulerit volo Sphærica & quæ ad navigationem pertinent discat sub Blavio si potest; si non potest, sub quovis alio. Reddi te publicis utilitatibus plurimum gaudeo: & spero ex labore eo non parum tibi ad mœstitiam levamenti fore. Vale vir optime cum conjuge & liberis. Francofurti, 14/24 Maji. Anno 1634.

Tuus totus H. G.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

EPistolam meam, Vir optime, quam mense Octobri 345
scripseram, & rectè ad te pervenisse, & tibi sine tædio, cum longa plus satis esset, lectam ex literis tuis Aprili mense ad me datis, sed quas fine demum Iunii ab uxore Hamburgo huc Francofurtum missas accepi, lætus intelligo. Ego sicut diligentiam tuam in disquirendis Ecclesiæ ritibus magni facio, ita plerosque illos ritus, de quibus agitur, non per omnes Ecclesias ab initio pari modo receptos, videre satis mihi videor. Hic extra mercatus tempora non credas, quanta sit librorum, præsertim variorum inopia. Sed cùm ante mercatum me arbitrer non abiturum, vult enim regni Suecici Cancellarius opera mea ad res non leves uti: id tempus ubi venerit, labori non parcam, ut videre possim Dubia Euangelica Spanhemii, nam Usserii librum jam vidi. Clementis ad Corinthios Epistolas nunc demum accepi. Volo eas legere sæpius, & aliorum quorundam lectionem adjungere; quò rectiùs judicem, tandemque V. A. D. Bignonio, cui pridem de hac re debitor sum, aliquid respondeam. Vale, Vir præstantissime, cum Thuanis, Puteanis, amicisque aliis. Francofurti, 26 Iunii, 1634.

Digitized by Google

GVLIELMO LVSSONIO,
Curiæ Monetariæ Præsidi primario.

346 MVltum benignitati tuæ debeo, Vir Illustris, quod cùm à me responsum ad literas antehac missas non exspectare tantùm, sed & exigere potuisses, ultro iterum me, & quidem liberali epistola, compellas. Ego jucundissimam anni partem magis etiam quàm antehac amavi, amo, cùm tibi valetudinem à febribus vexatam restituit. Non dubito, quin hoc experimento monitus omni vi pugnaturus sis adversùs illum Saturnii sideris humorem, nec medica tantùm ope, sed & dulcibus amicorum alloquiis & lectione id genus librorum, qui animum delectando, eo ipso & corpori consulunt. Mihi adversùs fortunæ sævitiam solatium vel maximum est, amicos, quorum conspectu frui non datur, fideli memoria recolere, quos inter nisi tibi in animo meo locum servari credis principem, valde aut me, aut te ipsum ignoras. Iam sum Francofurti, eò vocatus non semel à viro cuivis veterum comparando Suecici regni Cancellario, qui me in umbra literaria delitescentem in lucem resque magnas vult protrahere. Ego verò nihil magis metuo, quàm ne opera mea tanti viri conceptæ de me spei minùs respondeat. Morinum videre memini, ipsique & sæculo gratulor, si rem diu quæsitam ad liquidum deduxit: quo nomine sciat, sibi deberi ex publica pollicitatione Ordinum Fœderatorum decem & octo Florenorum millia. Apud nostros multorum hactenus in ea investigatione irritus labor effecit, ut nugator quidam Amstelodami insigne suspenderit quatuor hæresium, ita vocans opiniones, de longitudine certò designanda, de lapide Philosophorum, de perpetuo mobili, & de quadrando circulo. Quo autem desperatior fuit hæc inquisitio, eo major erit & repertori gloria, & voluptas lectoribus. Dignus est Rex vester, cujus tempora non Imperii tantùm, sed & ingeniorum prolatis finibus clarescant. Blanditur sæpe nobis fama de restituta domus regiæ concordia, sed evanidum hactenus id gaudium fuit. Scriptionis argumentum, de quo mones, egregium est, & tale, unde nobilissimis etiam ingeniis nobilitas possit accedere, sed ea cura librarias divitias desiderat. Ego autem libros huc attuli nullos, & longè mihi sunt subsidiariæ opes ex Thuani, & Cordesii bibliothecis. Illud mea fide credas velim, quod apud omnes profiteor, ita me Regi optimo, Gallicæque gentis comitati obstrictum, ut occasiones referendæ pro nostra copia gratiæ nisi, non dixero, arripiam, sed quæram semper, ipse mihi sim displiciturus. Tibi verò, Vir Illustris, ut aliis nominibus vetustis, ita & hoc recenti sum debitor, quod judicii tui favor me summis viris æquaverit, stadium monstrans, in quo currere nisi eruditionis principes non deceat. Vale, Vir maxime, cum amicis omnibus. Francofurti, 26 Iunii, 1634.

Viro Amplissimo

HIERONYMO BIGNONIO,
In supremo Senatu Parisiensi Advocato Regio.

347 EPistolam, quæ Clementis ad Corinthios inscribitur, Vir Amplissime ab Anglis promissam mihi jampridem, cùm Hamburgi frustra diu exspectassem, nunc demum, postquàm Francofurtum veni, viri maximi Suecorum Regii Cancellarii vocatu ; à familia Anglicani Legati accipio. Nolui verò ad moram hanc, sine mea culpa natam, aliam adjungere, quamvis nec literæ tuæ, quibus responsum tamdiu debeo, essent ad manum, neque librorum, quos inspectos vellem, copia. Quod unum potui, epistolam illam legi, relegique aliquoties, & omnibus, quantum mearum est virium, expensis, aliter existimare non potui, quin hæc sit eadem, quam legit Photius, cujus tempore cùm exstiterit, non mirum est, si ad nostra tempora in sanctioribus libris servata fuerit. Neque verò causæ quicquam video, cur aut illa, quam Photius legit, non eadem sit cum ea, quam Hieronymus, & ante eum Clemens Alexandrinus, propiusque Clementis Romani tempora Irenæus, habuerunt: aut cur illi alius dandus sit scriptor quàm is ipse Clemens Romanus, quod tanto consensu ab omnibus proditum est. Non loca tantùm omnia, quæ ab antiquis adducuntur, hic apparent, sed & res ipsæ, quas observat Photius, & quod maximum, character Hieronymo dictus, ad illum, qui est in Epistola ad Hebræos, accedere. Cujus causa non alia est, quàm quòd hic Clemens, ut & Lucas, & quisquis ille est scriptor ad Hebræos Epistolæ, antequam Christiani fierent Græcum sermonem ex eruditis auctoribus hauserant, cujus nitor, ubi non aliena dicta aut ex Sacris literis deprompta verba suis inserunt, sed liberiori dictione utuntur, facilè cognoscitur. Hinc illæ voces, *μεγαλοπρεπὴς, ἀπαραμίλλητος, φιλοξενοῦντες, αὐτεπαίνετος, ἱεροπρεπέστατος, ἀξιαγάπητος, μωμοσκοπηθῆναι, ὑπερεκχεῖς, ὑπερεγνώμων*, & quo Lucas quoque utitur *αὐτοφθαλμῶν*, aliaque similia: & ipse sermo non ut *ἑβραΐζουσι* [*iis qui hebraizant*] in minutias concisus, sed largiùs fluens. Nam & lectum ab illo Euripidem & Sophoclem ostendunt sententiæ ex illius Phœnissis, hujus Ajace translatæ. Accedunt indicia non simulatæ vetustatis. Quod de Christo semper loquitur non ut posteriores *πλατωνικώτερον*, [*magis platonicum*], sed simpliciter planè, & ut Paulus Apostolus solet. Alia quoque dogmata postea subtilius explicata tractat *ἀφελέστερον* [*simplicius*], & vocibus *κλήσεως, κλητῶν, ἐκλεκτῶν*, [*vocationis, vocatorum, electorum*], sensu planè Paulino, utitur. Quod in veteris Instrumenti locis purissimam neque adhuc interpolatam sequitur Septuaginta Senum versionem. Sed nec illos spernit Hebræorum libros, qui secundum vetus Instrumentum apud Christianorum antiquissimos auctoritatem habuêre. Quod verbis rebusque utitur desumptis ex iis, quæ Paulus, Petrus, & ille ad Hebræos, scripsêre, non etiam ex illis libris, quæ Euangelia nos vocamus, quæque post Epistolas prodierunt. Quod dicta quædam usurpat non scripta, sed ut memoria recente per manus tradita. Quod nusquam meminit exsortis illius Episcoporum auctoritatis, quæ Ecclesiæ consuetudine post Marci mortem Alexandriæ, atque eo exemplo alibi, introduci cœpit, sed planè ut Paulus Apostolus, ostendit Ecclesias communi Presbyterorum, qui iidem omnes, & Episcopi ipsi Pauloque dicuntur, consilio fuisse gubernatas. Nam quod *ἀρχιερέα, λευΐτας* & *λαϊκοὺς* [*summum Pontificem, Levitas, & Laicos*] nominat, omnia ista nomina non ad Ecclesiam, sed ad Templum Hierosolymiticum pertinent; unde infert, omnia certo ordine agenda, si Iudæis, tanto magis Christianis. Tempus ipsum, quo scripta est hæc Epistola, ego ad finem Neronis, aut certè ad eos annos, qui Vespasiani imperium antecesserunt, referam. Nam oblationum meminit, quæ in templo ex lege fierent, sicut & ad Hebræos scriptor, post cujus epistolam hanc scriptam credo: eoque fieri, ut aliqua inde sumpta suæ intexuerit Clemens. Mirum videri possit, dissidia ista Corinthiorum Christianorum ad vim usque &, ut loquitur, bellum, id est rixam, progressa; nisi & de aliis ex Hebræa gente Christianis similia commemoraret in Epistola Iacobus. Ex iis autem, quorum ad vim usque progressa erat animi impotentia, quosdam à Magistratibus in carcerem datos, non est quod miremur. Neque enim de nihilo est, quod Ponticis Christianis scribens Petrus tam sollicitè eos monet, *μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω ὡς φονεὺς, ἢ κλέπτης, ἢ κακοποιός* [*Nemo enim vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus*]. Hæ sunt causæ, cur hanc ego Epistolam non modò genuinam arbitrer, sed & nulla in ea manus adulteræ vesti-

Digitized by Google

vestigia agnoscam. Alteram Epistolam, cujus fragmentum additum est, quanquam Clementis & ipsa in libris nonnullis nomen prætulit, non esse tamen ei tribuendam, etiam veteres judicarunt: quorum auctoritati accedit characteris diversitas. Neque tamen dubito, quin primi sæculi sit opus, scriptum ante constitutum Ecclesiarum consensu canonem, & fortè alterius alicujus Clementis. Hæc, quæ mihi visa, eadem libertate, qua colloqui tecum mihi concesseras, ad exactissimum de rebus omnibus judicium tuum, Vir omni ex parte incomparabilis, defero; planeque mihi credas velim, virtutum tuarum imaginem semper mihi ob animum versari, quas si vel longo intervallo detur subsequi, satis mihi felix in quavis fortuna videar. Francofurti, 17 Iulii, 1634.

GERARDO IOANNI VOSSIO.
Historias artemque civilem docenti in florentissima Amstelodami urbe.

8 ID sim, quod minimè volo, præstantissime Vossi, id est ingratus, si cùm omnes chartæ tuæ plenæ sint mei, ego amorem cultumque tui intra animi secreta claudam neque curem ut ad posteritatem, si tamen illa laboribus nostris speranda est, monumentum exstet indivulsæ nostræ conjunctionis, quam tu in nostris rebus adversis, quales aut falsos animos nudare, aut leves immutare solent, adeo non minuisti, ut etiam multis officiis auxeris. Si me eruditione tua planè singulari latissimeque diffusa adductum dixerim, ut te, quanti facio, facerem, id dicam quod mihi cum sparsa per totum orbem literas amantium universitate commune est. Sed quo propiùs mihi mores tuos candidissimos & bonitatem clausam nemini nosse licuit, eo majore nexu conjungi semper tibi in felicitatis meæ magna parte posui: ingens est vinculum omnium honestarum literarum commune studium: sed accessit & aliud, quod in disputationum Theologicarum æstu fervente sæculo te reperi prudentia & animi moderatione singulari, qui ab iis quæ Ecclesiæ ab Apostolis satæ, & quæ cum illis germanitate disciplinæ cohærebant, ut certa atque explorata tenuerunt, nunquam decederes: ab iis verò quæ antiquitus liberam habuerunt disputationem inhiberes decretorium stylum. Quod propositum quo teneres feliciùs, magna tibi duo auxilia aderant, ingens & quanta cuiquam homini fuit in evolvenda Ecclesiæ antiquitate diligentia, & limatum judicium: de quibus dubitare nemo poterit, qui historiam tuam Pelagianam legerit, per Galliam Britanniamque prædicatissimum opus. Tantis virtutibus tuis & in me meritis, eximium aliquid muneris debebatur: sed cùm disjectis hactenus chartis librísque meis sedem certam constituere nondum potuerim, eoque nec operum majoribus imponere ultimam & irrevocabilem manum, memor interim humanorum casuum, solvendo adhuc impar, pignore tamen vel exiguo dato testari volui quantum quamque libenter deberem. Et tamen, si mihi concedis, quod sibi Horatiùs, pretium dicere muneri, tragœdia est quam adfero, scripti genus, ut optimè tu scis Vossi, à quo post Grammatices & eloquentiæ præcepta, artem quoque Poëticam vivis coloribus expressam habemus, regale, tantæque dignitatis ut id Sophocles principe quem Athenis tenebat loco, Cæsar autem Augustus animo totam vim Romani Imperii complexo non inferius judicarint. Est & argumento sua commendatio, petito scilicet, non ex Græcorum mendacio inquinatis Trojæ & Thebarum malis, sed ex intacta falso Mosis historia: & quidem ni fallor, in divinis libris unico, quod duo illa habeat Aristoteli, viro & in hac parte ut mecum tu judicas, maximo, etiam singula ad tragœdiæ gratiam valere plurimum existimata, agnitionem insperatam, & rerum vices repentinas. Nam & Iosephus Israëlis filius fratribus diu ignaris se patefacit, & fratres ipsi ex maximo metu in res maximè prosperas subitò transferuntur: nisi fortè futuri sunt qui reprehendent quod hujus tragœdiæ non tristis sit exitus: qui si errorem eum in cothurni ac socci discrimine nondum deposuerunt, legant aut Æschyli Danaidas, aut nostri Euripidis Alcestim, Iona, Helenam, & quam nuper Latinè vertere mihi libuit, in Tauris Iphigeniam, aut, si id laboris nolunt sumere, tua illa, quæ modo memoravi, legant de arte poëtica præcepta. Quibus an hæc quæ damus satis congruant, non alium potiùs quàm te ferimus judicem; non sanè fiducia nostrorum conatuum, qui & fortunæ hactenus sævitia & ipsa decliviore ætate, quod tu propesolus non experiris, labascunt, sed tui judicii æquitate, quam tamen non ut amicus spero: neque enim corrumpere te volo ea re cujus ipse pretium debeo: sed ut is cui optimè semper mereri de literis & literas amantibus fuerit propositum. Est in hoc argumento & aliud, quod an aliis placiturum sit nescio, maligno enim sæculo vivimus, tibi cèrtè placiturum non dubito. Docuit me Philo, paulo minùs quàm Christianus, Mosem illum, quem & nos & Iudæi divino spiritu afflatum manifesta præsignificatorum fide credimus, sapientissimum autem legum conditorem celebrant viri sapientes, & sapiente admodum nati sæculo, Siculus Diodorus, Romanus Trogus Pompeius, & Cappadox sed judicio maximus, Strabo, cùm nobis in legum sanctissimarum vestibulo dedisset exemplaria ad vitam privatam tria eximia, primi ejus qui artium doctrinæque excellentis auxilio à falsis deis ad verum pervenisset, alterius cui ipsa nascendi sors & felix educatio tribuisset plurima, tertii verò cui ad hæc bona accessisset id, quod expertus vel maximum puto, per res duras exploratio; voluisse adjicere & viri in imperio versantis, virtutibus non tantùm illis avitis atque domesticis, sed & publicè profuturis egregii: quod quidem in Iosepho, ita præstitit, ut ipse, populi ductor, si quis unquam, futuri providus, infractus malis, justi tenax, modi per omnia observans, non aliam sibi formam, ad quam actiones suas, post divina jussa componeret, quàm Iosephi hujus vitam, videatur habuisse propositam: multum ab illis remotus pessimis, &, quod sequitur, pessimorum magistris, qui nobis quoties figurare virum principem volunt, ponere solent hominem ex dolis malis ac perfidia, Deique ac legum omnium, tum communium, tum cuique populo propriarum obdurato contemtu: qualis, ni fallor, animi constitutio, nisi per longam scelerum consuetudinem, obtineri non potest. Sed hæc latiùs exsequi tuum est, à quo post libros indices judicesque optimos eorum qui Græcè quique Latinè annales condiderunt, summam quoque historiæ universæ omnes veri rectique amantes, non dicam exspectamus, parum enim id est, sed flagitamus. Vale vir meo cordi proxime, & amissi, (sic Deo visum) filii desiderium tot à te genitis perque orbem totum emissis eruditionis tuæ liberis solare. Francofurti Idibus Iuliis anni 1634.

Tuus totus H. G.

IACOBO PVTEANO.

NOn miror, Vir Nobilissime, veteres me abs te accepisse literas, quippe quæ scriptæ Maji die duodecimo, Iulio demum mense & quidem affecto, ad me pervenerint, cùm magno illæ ambitu Hamburgo, ubi esse putabar, Francofurtum ubi nunc sum, advenerint. 349
Causa mutandæ sedis fuit Vir nostro sæculo maximus, Suecici Regni Cancellarius, qui & literis valde honorificis me advocavit, & benignitate summa excepit. Non tam longè ab amicis Lutetianis absum, ut non eousque excurrendi sperem copiam fore. Interim lætum erit cognoscere non modò quomodo vos & Thuana Domus & congerronum cohors valeatis, sed & quomodo res Regis regnique procedant; quibus, ut debeo, omnia opto maxima. Est quod gratulemur & promotos per Lotharingiam Elsatiamque fines, & cum Batavis fœdus ex sen-

Digitized by Google

tentia confectum, & nascentes citra ultraque Alpes & in ipsis Alpibus occasiones, quas in Francici nominis gloriam vertant non alias majores Regis exercitus. Quod hic maximè optatur, est, ut detracta persona palam hostilia induatis in illos, quorum potentiam tam diu sub causæ alienæ nominibus carpitis. Abiisse spem, quæ affulserat restituendæ in Regiam domum concordiæ, idque artibus factum Hispanicis intelligimus: quod ulciscendi securitatique suæ simul ac publicæ consulendi rationes, Cardinali inter eminentissimos Eminentissimo non deerant. Conventum hunc more Germaniæ cunctabundum ultro etiam turbat, qui non ad implendum sed ad explorandum conventum Legatos suos misit, Saxo. Nam & Magdeburgensium ditionem, quam Sueci armis peperêre, filio suo repetit, & omnes amicitias externas ut incommodaturas Imperio suspectat, & oraculum Doctoris Hoii consuluit, responsumque accepit, Impium planè fore si Lutherani Sacrorum suorum impetrent libertatem, ideo tantum sperni pacem ut Calvini Sectatoribus bene sit. Quanto rectiùs Galli vestri, qui paci seu bello pariter se adjutores promittunt, simulque & Saxonis & Suecorum & Romano-Catholicorum negotia agunt, Calvinianis verò Principibus insuper magnas mercedes dant annuas. Et hæc quidem Francofurti fiunt. Laborat interim graviter obsessa & præmunitionibus in partem exuta jam Ratisbona, justo serius eo adventuris uti creditur, Wimariensi & Hornio, si modò Cæsariani, quod & potuerunt & debuerunt facere, vallo castra sua tutati sunt contra vim externam. Nam ut Bannerii Arnhemiique copiæ Silesiam incursantes, etiamsi prosperos vel maximè successus habeant, Cæsaris filium ab obsidione ad parandam novo imperio gloriam expetita abducere queant, quis speret? Interim quam in partem detonitura sit illa ex Rhæticis Alpibus procella, ἀπεκδεχόμεθα [solicitè exspectamus]. Ab Arschotii capite aversum periculum intelligimus, Capucino fratre deprecante. Interim satis magno illi stat, officium suum in opprimendis seminibus defectionis Hispano venditasse. Omnia quæ votis expeti jus fasque est, tibi, fratribus tuis & amicis opto. 17 Iulii, 1634.

IOANNI CORDESIO,
Canonico Lemovicensi.

350 Literas & viri maximi Bignonii & tuas Wigbeo datas ad me non pervenisse haud mirum est, cùm Hamburgum destinatæ fuerint, unde & ego & tota familia mea satis longè absumus. Nam & uxor & filius & filiæ Francofurti nunc omnes sumus. Interim ad Bignonium literas & in iis meam de Clementis Epistola sententiam misi per nobilem Suedum, quem jam ibi esse arbitror. Tibi pro literis meis tam diligenter curatis gratias habeo, & pro iis, quæ scribis super Aureliana controversia. Scio non ignotum tibi, quàm laxè vocem *Sacramenti* veteres Christiani usurpaverint, haud dubiè eo vocabulo sæpe designantes etiam ritus ab Ecclesiis aliquibus institutos, qui ad significationem aliquam mysticam viderentur, non inidonei: neque id te latere, non minùs manuum impositionem quàm baptismum Apostolicis temporibus sine unctione ulla celebrata neque verò, quæ propria erant illorum temporum χαρίσματα [*dona*], indulta per impositionem manuum nisi Apostolicarum, haud dubiè ut illis, quorum testimonio ἐξ αὐτοψίας [*ex oculata fide*] superstruenda erat Ecclesia, inde fides minimè dubitanda accederet. Appropinquat jam tempus mercatus, quod ubi advenerit, non committam, quin legam Dubia Evangelica Spanhemii, relegam historiam Capelli; & Fragmenta illa, tum Polybii, tum aliorum mihi comparem. Nescio an videris Georgii Calixti præfationem ad editos à se libros Augustini de Doctrina Christiana, & Commonitorium Vincentii Lirinensis: Ejusdem de Cælibatu Clericorum opus, deinde & epitomes Theologiæ moralis partem primam cum digressione de arte nova. Probo viri judicium & cum pacis amore conjunctam antiquitatis reverentiam. Gaudeo ibi me esse loci, unde literæ ad vos brevi tempore transire possint. Vale, Vir Reverende. Francofurti 6 Augusti, novi Kalendarii 1634.

IACOBO PVTEANO.

QVàm feliciter huc migraverim, Vir Nobilissime, tum aliis ex rebus intelligo, tum inde, quod literas à vobis accipio multò quàm soleo recentiores: quales & illæ fuerunt quas 27 Iulii ad me dederas, pro quibus multum debeo: nam & benevolentis in me animi signa vivida continent, & quæ publicis in negotiis geruntur, eorum me ignarum non sinunt. Ego nunc Ratisbonam à nostris amissam tibi si nuntiem, serus sim ut puto. Solent enim volare talia. Causa mali partim ex tardis & sæpe circa minima districtis Germaniæ consultationibus, partim ex more vastandi agros, quod à Wimariensi contra hostem repertum in ipsum vertet, & fame copiis facta debilitavit eum in modum vires militis, ut oppugnandis Cæsarianorum castris, quamquam vallo non circumdatis, impares essent. Periti rerum non tantum in hoc malo mali acceptum putant, quin in bonum converti posset ad excitandos è veterno Germanorum animos, ut diligentiùs rebus suis consulant, quod quò fiat feliciùs, eos, quorum maximè res est in manu; Gallicam non amicitiam tantùm, sed & opem respicere video. Certè nunquam in regno vestro, ut arbitror, aut Imperia Regis adeo supra omnes exceptiones posita, aut tanta vis militum, aut tam facilis pecuniæ inveniendæ ratio, magna omnia ad socios sublevandos præsidia. Pragam à Bannerio Arnhemioque captam præproperus rumor attulerat. Vicina loca ab ipsis teneri constat. Turcarum copiæ quò penetraturæ sint, arrectis animis exspectamus. Sed sive in Poloniam, bello jam Russico per viginti & quinque annorum inducias liberatam, incumbent, eò minus metuendus erit Polonus Suedis, si ad exitum labentes inducias bello mutare voluerit: sive in Hungariam Austriamque se injicient, Bannerio Arnhemioque occasionem rei agendæ dabunt tristem quidem Christiano nomini, sed, ut nunc sunt tempora, non prætermittendam. Quæ per Tellinam vallem transierunt copiæ, quò abituræ sint, hinc Belgæ, inde Germani, speculantur, parati inter se auxilia mittere in eam partem, quæ maximè laboratura est, quando satis intelligunt, non posse gentem alteram sine alterius periculo vinci, bellaque duo quidem esse nominibus, cæterum in eventum unum conspirare. Thuano & Rigaltio rogo omnia officia deferatis meo nomine. Et vos & illos salutant mecum uxor, filius maximus & filiæ, quos omnes hic habeo. Salmasio spero æstatem hanc clementiorem fore, & ut est officiosus, plures illi pluresque indies amicos fore contra injustos æmulatus præsidium & solatium. Fragmenta Polybii & aliorum inter ea, quæ à vobis ad instantem mercatum venient, avidus exspecto. Vale cum optimis fratribus & amicis. Francofurti, 7 Augusti novi Kalendarii, 1634.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

VEnit ad me hodie Lomelius cum literis tuis gratissimis, ut semper, nisi qua parte pro minore quàm virtutibus tuis debetur amicitiæ nostræ testimonio gratias agunt nimium liberaliter. Tu qui ista dicis, quid mihi tot tuis obstricto meritis dicendum relinquis? nimirum silentium mihi injungis, quo res maximas colimus. Lomelius ille & tua commendatione, & Grotenhusii Pelsiique propinquitate & suis paternisque virtutibus erit mihi semper in amicorum non vulgarium classe. Blavius si, quam in Sophompaneam admisit culpam, filii mei institutione resarcit, plus mihi accedet quàm perierat. De eodem filio gaudio mihi est intelligere, quæ nun-

Digitized by Google

nuntias ea fide quam sæpe expertus sum: alios omnes blandiri facilè adducerer ut crederem de te, nihil nisi verum exspecto, nisi forte amor te in meos decipit. Iuris aliquid delibare illum non nolo. Cæterum maximè cupio ab eo τὰ σφαιρικὰ, πλοϊκὰ, ἐμπορικὰ [*sphærica, navalia, negotiatoria*] non disci sed perdisci. De moribus ejus certiorem fidem habere non possum, quàm quod te tuosque libentiùs quàm alios accedit. Grammatica tua recognoscere areo. Skyttio patri multum debeo, filios & amo & partim colloquio, partim operibus notos plurimi facio. Sed operi à me non lecto testimonium præbere qui possum? οὐ πρέπει [*non decet*]. De rege ipsius hoc nuper feci epigramma ponendum quo loco ille admirabili fortitudine Rhenum transiit.

Sarmatia domitor gemina Gustavus ad Alpes
Codano vincens venit ab usque sinu.
Vistula quem dominum cognorat & Albus & Ister,
Transtulit heic illum supplice Rhenus aqua.

Magni Cancellarii in me humanitatem satis prædicare non possum. Vale vir optime atque amicissime cum uxore & liberis. Nostri omnes vos salutant. $\frac{5}{15}$ Septembris 1634.

Has literas dixit Paulus Pelsius, qui mihi pro jure amicitiæ sæpissime & nunc quoque adest, missurum se ad filium suum, ut is hanc occasionem te salutandi tibique innotescendi habeat.

Tibi addictissimus H. G.

IOANNI CORDESIO, Canonico Lemovicensi.

353 MVltis simul rebus, Reverende Senex, me beavit vester Cramoisius; nam & literas à te attulit sanè uberes, eoque ipso gratiores, & Bodini scriptum manu librum legi dignissimum: & de supellectile sua, quam ad mercatum attulit, non pauca mihi spectanda exhibuit, quæ spectasse juvet: à Petavio Synesium, & Rationarium temporum, Morini eruditas dissertationes tum Politica, Historia & Mathematica quædam. Bodinum in illo misso ad me opere agnovi, qualem existimavi semper, hominem rerum quàm verborum studiosiorem, Latinitate utentem haud planè nitida, metricarum legum pueriliter imperitum, Græcis literis vix imbutum, Hebraicorum morum ac sententiarum satis gnarum, non ex interiore linguæ illius cognitione, sed ex amicitia quam coluit cum doctissimis Hebræorum, quæ in illo πληροφορίαν [*plenam persuasionem*] eam, quæ in Christianis requiritur, non parum labefactavit. In historiis & testimoniis citandis video eum à vero sæpe abire, neglectu malo credere, quàm dolo: quamquam interdum vix est, ut doli suspicionem effugiat. Cæterum nihil mihi novi laboris ad augendum de Veritate Christianæ Religionis librum hinc impositum intelligo. Nam si quæ sunt, quæ solidamenta illa arietent, quibus propriè Christiana fides nititur, iis occursum à me arbitror, quantum lectori non pertinaci sufficere possit. Si qua verò sunt dogmata in Christianismo latè quidem recepta, sed sine quorum exacta notitia Christiani esse possumus, ea ad meum illud argumentum non pertinent. Ad illud, de quo jam per literas contulimus aliquoties, ut redeam, (libens enim de rebus ejusmodi meas cogitationes cum viris piis ac moderatè judicantibus, qualem te reperi semper, consocio) ego ita habeo: Vnctionem, non manuum impositionis, sed Baptismi comitem, itidem ut mellis & lactis gustationem, & alia quædam, secundi sæculi esse ἐπιφυήματα [*accrementa*]; ex eâ nata occasione, quod omnibus modis illorum temporum Christiani imprimenda animis crederent beneficia Dei maxima, quæ per fidem in Christum, cujus professio in baptismo est, 1 Petri III. 21. nobis contingunt. Qua de causa, quæ Christus ejusque Apostoli in sanandis corporum morbis adhibuerant, ea & ipsi ad significandam animarum sanationem adhibenda censuerunt. Vnctionem autem corporum malis pellendis usitatam, & Marcus & Iacobus, certi sunt testes. Accessit simul elegans allusio ad ipsum Christianorum nomen, & loca Scripturæ plurima, quæ dona Spiritus sancti unctionem vocant, Ioh. II. 27. 2 Cor. I. 1. & alibi. Sicut autem exterior illa sanatio non in oleo solo, sed in tota actione, sic & interior sanatio toti actioni asscribitur, cui insunt, & animi præparatio, & preces; quanquam mystica loquendi consuetudine symbolis tribui solet, quod toti actioni symbolicæ debetur, ut multis locis & Prophetarum, & Apostolicorum virorum testatum fit. Neque miror, si qua ab Ecclesiis aut reperta aut à sensu exteriore ad interiorem traducta symbolicis actionibus Christi mandatum habentibus conjunguntur, cùm istas quoque symbolicas actiones non nisi ex medio Iudæorum usu Christus desumserit; apud quos & manuum impositio nota erat efficaciæ qualiscunque divinæ, quæ ex precibus pro alio adhibitis sperabatur, quod nos docent & Hebræorum libri & loca Marci x. 16. Lucæ XVIII. 15. Act. III. ex quo uno communissimo ritu nata sunt nempe omnia, quæ nunc strictè Sacramenta dici volunt. Nam & Nuptiarum εὐλογία [*benedictio*] olim peragebatur impositis manibus, & nunc apud Christianos Abissinos ita peragitur. Librum de Scythis Bergeronis quanto cum studio lecturus sim, satis intelligis, qui noris, quanti ego illius viri & diligentiam & judicium faciam. Ego etiam nunc hic subsisto. Rerum Suedicarum & Polonicarum peritiores alii eo missi sunt, quo missus à vobis est præsidis Memmii frater. Cramoisio si qua in re utilis esse potero, faciam, quod debere me non tuæ tantum commendationi, sed & ipsius humanitati intelligo. Alberii illa in Epistolam ad Romanos vidi, non & librum alterum cujus iudicium facis. De iis, quæ per amicum veterem nostrum Wigbium miseras, nihil dum nisi è tuis literis cognovi. Vegetam senectam & suaves amicitias tibi opto. 19 Septembris novi Kalendarii, 1634.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

QVanto affectu, Amplissime Vir, & me & mea amplectaris, si non intellexissem antehac, satis magnum 354
mihi testimonium præbuit epistola, qua mihi viri prudentissimi rebusque actis nobilissimi amicitiam gratularis. Vtinam tam Christiano Orbi utilis sit opera mea, quàm ego ejus mala animo misereor. Comiter tu & hoc, quod eorum, quæ perpessus sum, & te ostendis memorem, & me immemorem non sinis:

—— μετὰ γὰρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ,
ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πόλλ' ἐπαληθῇ.
[—— *post etiam ipsis delectatur acerbis*
Qui mala magna tulit variisque est casibus actus.]

quorum utrumque in me convenit. Potueram ego antehac advenisse ad Illustrissimum Cancellarium Regni Suedici, & Fœderis Evangelici gubernatorem, tempore & his rebus & mihi prosperiore. Sed ut ipsius magnus animus rebus duris magis inclarescit, ita nos quoque æquum est tanti Ducis exemplum sequi. Videtur laborantis Germaniæ spes posthac è Gallia pendere; quam utinam ratam præstet Deus. Post amissam inter lenta Protestantium consilia Ratisbonam & Danubiwertam, & infelix ad Nordlingam prælium, quo prostrati sunt fermè duo optimi harum partium exercitus, trepidæ Civitates in adventum ex Alsatia Ringravii, ex Westfalia Hassii, Banerii è Bohemia ægre se sustentant; commodeque evenit quod victores non in hanc partem incubuêre, sed bifariam alii sub Hungaro Rege in Bohemiam, alii sub Regis fratre in Belgarum fines abeunt. Sola Gallia vires habet, quibus restitui fortuna partium possit. In Batavis quoque Bredæ obsidio prima, res semper prosperas Principis Arausionensis retudit, sed elatus suapte natura Austriacorum animus, tantis verò rebus elatior, hoc ipso fortè dabit nudum casui latus. Et armatam & togatam mil-

Digitized by Google

militiam liberis tuis opto felicem ac fortunatam, meisque, ut in tuorum exempla succrescant; quibus ego, si quando ita Deo visum fuerit, pro hereditate relinquam virorum bonorum amicitiam, tuam, tuorumque præsertim. Et mea Mater familias tuæ, & liberi liberis, imò omnes nos vobis omnibus & optima precamur, & quicquid nostræ est opis, animo non personato deferimus. 20 Septembris novi Kalendarii, 1634. Francofurti ad Mænum.

IACOBO PVTEANO.

355 QVas ad me, Vir Nobilissime, misisti 25 Aprilis literas, eas cum optimi senis Cordesii literis è Cramoisii nostri manu accepi, cui si quid præstare boni potero, id & ipsi & vobis deberi censebo. Post Ratisbonæ jacturam secuta est Danubiwerta: post hanc prælium infelicissimum his rebus, duobus optimis exercitibus prostratis, ita ut omnium ferme judicium sit, nisi viribus Galliæ, restitui res non posse. Et bene evenit, quod victores partim in Bohemiam, partim in Belgicos fines abiêre. Nam si hanc in partem vis illa & terror incubuissent, conventus hac in urbe tamdiu tracti finis fuisset planè turbidus; nunc cum aliqua saltem concordiæ specie discessum est, resque permissa directori & manentibus heic adsessoribus. Ego fratrem regium à multis deseri non miror, satis intelligens quàm alienum sit à Gallicis animis, suo periculo & regii sanguinis obtentu res agere Hispani. Si tamen ille aliquid movet, habetis apud vos profugos Belgas principes, per quos vos ulciscamini. In Batavis Breda adventu Marchionis Aytonæ exempta obsidio, in Flandriam terra marique in..... ja tentamentum, Trajecti ad Mosam lubricus status, multum hebetant rerum diu prosperarum claritatem. Sed & ibi non minùs quàm hic remedium malis à vestra magnitudine opibusque sperabitur. Adversùs Lotharingum videmini mihi non multo aliter agere, quàm is, qui, cùm trabe caput alterius percussisset, ei, sibi ut caveret, inclamabat. Post vim non deerit juris species. Baugiaco successorem Hagæ fama destinat Sancto-Stephanum, cùm antehac Charnassæum credidissent plerique. A Salmasio de re Vestiaria librum ubi habebimus, tecum censeo non inspiciendos nobis ejus argumenti alios, ita ille omnia cum pulvisculo solet corradere. Vxor Liberique nostri pro sui memoria gratias vobis agunt, prosperaque Domui vestræ precantur omnia. Baronem Skyttum vobis iterum commendo. Francofurti ad Mænum, 21 Septembris novi Kalendarii, 1634.

EIDEM.

Nobilissime Vir,

356 GRatissimæ mihi fuerunt, ut omnia abs te hactenus, ita & literæ, quas decima Octobris ad me misisti, hoc tantùm dolenti, quod serius ad me, Maguntiaci nunc agentem, quàm oportuerat, pervenerunt. Verum est, quod scribis, me in hanc partem venisse, postquàm inde abire bona fortuna cœperat. Respexit nos illa tamen, cùm post Ratisbonæ & Danubiwertæ factum damnum, nihil memorabile à Cæsarianis, latè agros tenentibus, gestum est, nisi quòd post, ignobilia oppidorum Suinfortum & urbs Wirtsburgum, quam Germani Latinè, ut festivè ὀνοματοποιοῦσι [*nomina fingunt*], Herbipolim vocant, sine arce in eorum venerunt potestatem: Levia sanè tantæ victoriæ præmia, cujus jam fructus Hanovia, Francofurtum, Maguntiacum, Augusta, Norimberga, Vlma, aut malevolentium aut pavitantium rumoribus destinabantur. Hæc prima est post res tam malas gratia, quæ Regi Christianissimo debetur, quod, dum ipse bellum non facit quidem, sed ostentat, ipsum illud ambiguum Cæsarianorum consilia suspendit, neque eos sinit ea facere, quæ sine externo metu facturi fuerant. Interim dies & imminens hyems magnis conatibus adversa dant spatium victis recolligendi animos, recolligendi vires. Non spernendas heic prope nos copias habet Dux Bernhardus Wimariensis. Bannerius non longè à Thuringia ducit venientem è Bohemia exercitum. Hanovienses quotidianis excursibus oppidum suum captivis implent. Ipse Hungariæ Rex Gallorum vicinitatem evitans Heilbrunæ se tenet, nec inde longè sub Gallassio pars copiarum major, ex quo Hispani cum auxiliis sub Hispano Cardinali in Belgicos profecti fines, non modico metu Germaniam liberaverunt. Forcius & Bresæus neque hostilia in Cæsarianos cœptarunt, neque Rhenum transierunt. Spes est impetraturos majora Legatos, qui apud vos sunt à Germanico Fœdere, & quidem prope diem, quando cunctationem, qualem experiuntur Batavici Legati, res heic præcipites non ferunt. Pirnæ proximè Dresdam colloquuntur Cæsaris & Saxonis Legati, incerto exitu, nisi quòd rerum periti, nisi spes armis aliunde magis affulgeat, pacem magis, si non omni Germaniæ, certè Saxoni augurantur. Est autem periculosum tam malè cohærenti corpori omne dissolutionis initium, ut non suapte vi tantùm, sed & exemplo nocens. Et qui nuper Francofurti fuit Conventus, quamquam specie concordiæ discessit, introspicientibus tamen aperuit æmulatus & suspiciones & consiliorum diversa, quæ utinam ignota sint Cæsarianis: sed nota sibi esse ostendunt, dum singulis ac præcipuè civitatibus tentamenta adhibent non damnosæ pacis, si pacem separent. Cancellarius vir ut prudentissimus, ita fortissimus, retinet quidem ut semper magnum animum, sed qui ut tot morbida sustentet, magnis auxiliis eget. Regi vestro eam manere mentem, ut à Religionis controversiis causas fœderum discernat, multis gaudendum est. Deus, cui haud dubiè sincera ejus pietas cordi est, scelerata in ipsius salutem consilia in auctores vertat. Propinquam vobis esse aulam, ob id quoque lætus intelligo, quod de Regis & lateri ipsius hærentium vita ac valetudine nuntios habebimus & certiores & recentiores. Est heic Regis Legatus D. Fequierius, Vir armis consilioque egregius. Exspectatur præterea Lagrangius. Rerum Germanicarum periti ambo: calidior hic; ille prudentia ac comitate supra militem laudatus omnibus, quos novi, etiam illis, quorum rationes à vestris discrepant. Ego eorum amicitiam ut debeo, facio maximi. V. A. Bignonio & officiosissimo Pelleterio multum debeo, quod, cujus præsentis commoda curarunt enixè, ejus etiam absentis memoriam colunt. Illis, Thuanæ, vestræque domui omnia opto prosperrima. De Sancto-Stephanio jam intellexeram, ut & hoc, non optimè ei antehac convenisse cum Charnassæo. De fratre Regio docuit me, quæ post tuas literas evenêre, D. Fequierius. Ἀποκαραδοκοῦμεν [*solicitè exspectamus*], quorum usurus sit consiliis & quid facturus de matrimonio. Hic ipsius reditus, ut speramus, belli apud vos civilis in præsens semina, in posterum & spem omnem præciderit. Valete, Amici omnes. Maguntiaci, 30 Octobris novi Kalendarii 1634.

Gustavus Hornius multam Regis Hungariæ humanitatem expertus, nunc Ingolstadii asservatur, valde heic desideratus prudentibus, quibus mos, plus ponere in Duce quàm in exercitu. Ego quo magis res Germaniæ ac præcipuè civitatum statum video, eo habeo certiùs, salutis nihil esse absque Regis aperta ad bellum societate aut ejusdem auctoritate ad pacem, non jam dico æquam, qualis haberi antehac potuit, sed neque nimis gravem, neque Europæ periculosam.

IOANNI CORDESIO,

Canonico Lemovicensi.

MAguntiaci nunc sum, Reverende Cordesi. Et 357
quanquam Francofurto non absum longè, hoc tamen damni sum passus quod literas tuas, 2 Octobris datas, multo, quàm aut debueram aut volueram, serius acce-

Digitized by Google

accepi. Placuisse tibi, quæ de Bodini libro mihi videri significaveram, gaudeo, ut qui judicium tuum semper fecerim maximi. Librum ipsum, etiamsi scirem hærere ibi adhuc Cramoisiaci sarcinas, mittere tamen Francofurtum non auderem, ita infestæ sunt viæ non à Cæsarianis tantùm, sed à Fœderatorum militibus, quibus stipendii egenis omnis licentia pro stipendio est. Itaque opperior tempus, quo sine periculo depositi fide me liberem. In libro de Veritate Religionis Christianæ, quem tertium vulgavit Mairius, ut quædam sunt à me addita, emendata loca nonnulla, ita ipsius negligentia nova irrepserunt menda non pauciora prioribus. Vossium valde dejecit filii, præsertim talis, desiderium: ægrè illum amici solando, monendo, hortando ereximus. Quæ de unctione aliisque ejus generis quæstionibus scripseram antehac, ea gaudeo abs te credi prolata nullo partium, solo veri studio, cujus respectus hæc quoque ut adderem fecit. Iustini tempore videtur, ut lactis & mellis gustatio, ita & unctio nondum fuisse cognita, sed à lavacro homines statim adducti ad cœtum, in quo & preces & Dominicæ passionis Sacramentum celebrabatur. Tertulliani ævo statim baptismo subnexa unctio. *Egressi de lavacro*, inquit libro de Baptismo, *perungimur benedicta unctione.* Post unctionem sequebatur mellis & lactis societas, qua velut infantes recens nati alebantur. Apparet is ordo apud Tertullianum adversùs Marcionem libro primo, ubi post mel & lac sequitur panis, quo Dominus corpus suum repræsentat. In libro de Baptismo, cujus facta est mentio post unctionem, sequitur *manuum impositio advocans* & *invitans*, ut ille optimè loquitur, *Spiritum sanctum.* Parvulis verò sicut post baptismum datam panis sacri calicisque alimoniam ante Augustini ætatem, certissimum est, ita de Tertulliani ævo quominus id credam, facit quod parvulorum baptismus tunc demum in usu esse cœperit, neque tamen ita, ut in dilatione ullum periculum esse crederetur, ut libro illo de baptismo non longè à fine docemur. Quibus omnibus astruendis alia afferrem loca, nisi me librorum copia hac in urbe deficeret. Hæc igitur, qualiacunque scribere pro præsente copia potui, boni ut consulas rogo. Nobilissimo Puteano accessionem honoris & commodorum gratulor; eoque magis, quod bene locati beneficii gloria ad Thuanum pervenit. Petiti Leges Atticas videre aveo, ut cognoscam, an supra Scaligeri collectionem, qua usum me memini, aliquid præstiterit. Viris Amplissimis, Bignonio, Lussono, Thuano per vos preces meas allego, mei ut memores semper esse velint, quibus addam D. des Hayes & Bergeronem, cujus libro magnam inivi gratiam ab iis, quos legendi compotes feci. Conspiratione amicorum extorquenda illi desidia est, ut multis talibus ornet seculum. Vale, Senex optime. Maguntiaci 30 Octobris, 1634.

Clarissimo Eruditissimoque viro,

HERMANNO CONRINGIO,

Philosophiam profitenti.

358 ORatorem te præstitisti egregium, Conringi doctissime, cùm in sapientum principis laudes vim eloquentiæ intendisti: nec minùs Philosophum, cùm ita temperasti laudes Aristotelis, ut posteris non adimere spem quærendam ipsi ignota discendi, aut temporis magisterio immutandi in melius, si quid felicissimi ingenii, sed humani tamen, conjectura à vero deflexerat. Planè ita est, ut dicis, ἡ μεθόδια [*Institutio*] propria Aristotelis dos est, quæ in omnibus quidem ejus operibus eximia est, sed quod ejus legem sequi potuerit in tradenda animantium natura ac partibus, re tam variâ, tum verò & in Poësi, quam furoris quoddam genus alii dixere, ad miraculum accedit. Tum verò Syllogismos abstraxisse à materia & sic mathematicis disciplinis hanc addidisse partem in certitudine nihil cedentem cæteris, unius est Aristotelis munus. Quas ob causas aliasque multas, eos qui ex tanti nominis ruina famam sibi ædificare conati sunt, contemtu puniendos censeo: illos verò faciendos plurimi, qui juventutem à rivis partim arentibus, partim limo turbidis, ad limpidissimum illum simul uberrimumque fontem revocant. Quare scholam vestram Helmæstadiensem cùm semper amavi, tum nunc hôc amo magis, quod fœtus inde tam humano generi utiles video enasci. Me certè non tantùm, operis istius tui approbatorem, sed & eruditionis prædicatorem semper habebis. Quòd verò tu, Vir præclare, de meis laboribus, illis præsertim, quibus duas res sanctissimas, ad Deum religionem, ad homines justitiam, ostendere, probare, confirmare molitus sum, benignè judicas, multum tibi debeo, velimque tam inde aliquam in publicum utilitatem sequi, quàm bono à me proposito suscepti sunt. Tuis Collegarumque tuorum studiis felices processus ex animo opto, & quò id meliùs proveniat, Germaniæ pacem 1634.

T. Cl. addictissimus H. G.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,

D. AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Regiæ Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario, ad Exercitus inque Germaniam Legato, ibidemque Fœderis Euangelici Directori, libero Baroni in Kymitho, &c.

Illustrissime & Excellentissime Domine.

ITinere quanquam non intermisso, sed multum circumducto ad vitandas prædonum manus, cœni voragine detenti primùm, deinde omnia rumpente gelu multò seriùs destinato Metim, jam quintus dies agitur, pervenimus, ubi me colici dolores frigore intenso contracti, non diutius restare coëgerunt, quàm quanto opus erat tempore ad refovendum corpusculum, quod nunc habens se meliusculè spem mihi facit intra biduum aut triduum persequendi itineris, non minore animi dolore quàm is fuit, quem in corpore sensi, ob tot res & hunc morbum præcipuè intersecantem festinationis meæ studium. Dederat mihi D. de la Grange literas alias ad omnes, alias ad eos qui Hagenoviæ & Tabernis præsidia curant, quorum uterque me salutavit Gallica humanitate. Et Hagenoviæ quidem currus reperimus millionem, ut ajebant, nummi Francici ferentes ad exercitus: bis tantum cis paucos dies exspectari dicebatur. Cùm multa & de præsente pecunia & de disciplinæ reverentia apud suos loquantur Galli, maximos tamen questus de iis audivimus qua per agros, qua per oppida, ita ut homines nullarum partium jam alios de quibus questi sunt hactenus novorum hospitum comparatione absolvant. Metim jam nunc introducitur vectigal salis, quale in Gallia penditur, imperiosius jam hic multò agentibus Gallis ex quo per Lotharingiæ & Alsatiorum oppidorum accessionem urbs hæc esse limitanea desiit, haud dubio omine idem & Lotharingis & Alsatis exspectandum, ubi ipsis circumjecta fuerint alia. In Lotharingia demoti omnes muneribus publicis qui Ducis mandatu ea obierant. Ecclesiastici suis locis relicti, sed ut ipsi non minùs quàm cæteri sacramentum Regi dicerent. Asdrubal ardentem amorem ostendebat Philosophiæ. Credi volebat jam rem venisse ad Abrahamum usque. At 101. 48. 13. 75. 113. 12. 68. 55. 71. 7. 227. 55. non ita censebant, sed exspectari eventum 22. 42. 41. 81. 33. 6. 38. 1009. 2010. 2000. 91. 4. 23. 70. 273. 26. 110. 1050. 67. 71. 76. 54. 98. 43. 45. 246. 29. de Simonide in Cajum transmissa etiam hic 22. 29. 45. 33. 266. 85. 77. Deum veneror, Illustrissime & Excellentissime Domine, tuæ ut Illustrissimæ Excellentiæ valetudinem & generosa consilia tutelæ suæ peculiaris esse cupiat. Meti.

Illustriss. Excell. vestræ devotissimus cultor H. G.



EIDEM.

360 MEine cura an aliis de causis suaserit D. de la Grange tam ambitiosi itineris dispendium, ne nunc quidem satis mihi constat. Cùm septem per dies vagati essemus nihilo propiùs Metim eramus, quàm quo tempore exiveramus Maguntiaco. Quæ præterea incommoda intercesserint, quis status fuerit, sitque valetudinis meæ, pro qua quod solicita esse voluit Illustrissima Excellentia vestra, gratias referre nunquam, ne agere quidem dignè potero. Significavi ante hoc biduum, id est simul atque respirare mihi ab acerrimis doloribus licuit, ex quo tempore primum quod cœpi gaudium fuit ex adventu Spiringii nostri Illustrissimæ Excellentiæ vestræ incolumitatem mihi nuntiantis. De Philipsburgo jam heic inauditum, sed parum certa auctoritate. Est quidem in hoc malum publicum, sed non sine spe aliqua boni. Pyrrhus egressus Italia cùm Siciliam prætervéheretur, quantum, inquit, pugnæ campum Romanis & Pœnis relinquimus. Si post id infortunium redditæ sunt Illustrissimæ Excellentiæ vestræ literæ Galliarum Regis, haud dubitem esse opus D. de la Grange. Solent enim Gallici Legati multas habere subscriptiones Regis in charta pura, quibus præscribant quæ in horas conducere existiment. Quæ in sermone addidit D. de la Grange, eò pertinent ut reconciliatæ amicitiæ, quam labefactavit ipse, honos & gratia apud ipsum sit. Regi Galliarum liberum esse debet, ubicunque volet, voluntatis suæ edere significationem, sed ita ut tantundem Illustrissimæ Excellentiæ vestræ Regni Suecici vices gerenti liceat. Ea quæ de pecuniis flagitandis, rebusque aliis Illustrissima Excellentia vestra præcipit, meminero & præscriptis lineis insistam. Et vasa mea & quod præcipuum, corporis mei status jam is est, ut crastino mane moliar redauspicari iter, mirum in modum viis per has nives blandientibus. Det Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, ut diu summæ ipsius bonitati gratias debeamus pro Illustrissima Excellentia vestra & sospite & florente. Meti. 21 Ian./1 Feb. 1635.

EIDEM.

361 VEni jam ad eum locum unde diei iter abest Lutetia, substiturus tamen diem fortè unum proximè urbem ad ædem Dionysii, ad comparanda quæ mihi restant ad Legationis choragium. Obvium quod doleo Feuquerium non habui. Alio itinere equis dispositis Vicum iit, præfecturam suam. Haud dubiè valde eum perculerit de Philipsburgo nuntius ob publicas privatasque rationes. De Lotharingiæ locis quæ munimentis nudantur nihil comperire aliud potui, quàm ea aut introrsus sita esse, aut in Galliam obversa; quæ verò in Germanicos aut Belgicos fines prospectant muniri etiam operosiùs: ita ut conjectura sit propositum Gallis insistere possessis, unde & illud nascitur quod à multis audivi in itinere, Saxonicas de pace molitiones valde ipsis displicere. Propiora scribam, postquam Vrbem ubi nunc Rex esse dicitur iniero, interim Deus, Illustrissime & Excellentiss. Domine, diu sospitem rebusque inclitam præstet Illustrissimam vestram Excellentiam. Meldis, 7 Februarii ex Kalendario novo, anni 1635.

EIDEM.

362 QVas Meldis ad Illustrissimam Excellentiam vestram miseram literas per amicum qui Lutetiæ erat curandas, eas non suo tempore tabellario datas dolens intelligo. Huc ad ædem Dionysii ubi veni, monitus ab amicis sum edocendos de adventu meo Regis admissionales, ut solennia observentur. Id nunc feci & responsum exspecto eò celeriùs quod Rex in urbe est. Heic dum subsisto accipio plures è Batavia literas: & quanquam quæ iis continentur haud dubitem nota D. Camerario, & ab eo pro sua fide ac diligentia nuntiari, tamen ne mihi quidem reticenda ea existimavi, cùm aliquid lucis aut ipsius literæ meis aut meæ ipsius posint adferre. Miserant duplici via fœderati Ordines mandata sua ad legatos qui sunt Lutetiæ, peritis rerum judicantibus nihil magnum ex tracta tam diu collatione sperandum, quando non videatur Rex Galliæ cum Hispano in bellum erupturus. In Anglia naves armari certum est. Viginti quinque ajunt nonnulli: sunt qui numerum augent ad quadraginta. Putant ea molitione imperium quæri in fauces maris inter Galliam Britanniamque, aut etiam id agi ut Flandriæ portus, quorum aditus Anglis non belli tantùm, sed & induciarum Batavicarum tempore præclusus fuit, ut aperiantur & Brugis, ut olim, forum constituatur Anglicanis mercibus. Danica navis ex Orientali India reversa Hiberniam attigit, & quidem Caryophyllis onusta, quæ, cùm in solis nascantur Moluccis, haberi non potuerunt, nisi aut per amicitiam Hispanorum, qui tale jus externis concedere vix solent, aut ad mutandam fidem excitatis iis qui se in Batavorum tutelam dederunt, polliciti soli sui fruges non aliis se vendituros. Id eò pertinere videtur ut magis magisque inflammentur nunquàm bene sanata Danos inter & Batavos odia. Venetiolæ, quæ Americæ pars est, objacet insula Quuracao, proxima alteri insulæ quam Boni aëris vocant. Eam Batavi suam non ita dudum fecere, judicantque servari posse quingentorum militum præsidio, non alio quanquam proventu quàm pecoris, piscis ejus qui fustibus cædi solet, ligni ad colores inducendos utilis, & salis. In Portugallia viginti parantur naves, bipartito ituræ, partim ut retundantur Batavorum in Brasilia conatus, partim ut è Sinu ejus regionis qui omnium sanctorum dicitur tuta educatur classis septuaginta ferme navium onusta saccharo. Fama in Bataviam venerat Paraibam non longè à Fernambuco Septentrionem versùs sitam partim à Batavis mari, partim ab indigenis hostibus terra premi, sed qui Portugallensium in Batavorum prædonum manus venere, ajunt Batavos infelici assultu amissis suorum quadringentis ab obsidione destitisse. Polonus nobilis in Angliam missus, per Hollandiam cùm transiret, ita est locutus, quasi induciarum eum Suedis spes esset nulla: de Regis sui matrimonio cum Friderici Bohemiæ Regis filia & ibi sermones habuit, & habiturus in Anglia putatur, sed ut Batavorum primores judicant exitu nullo; cùm Rex ille matrimonium suum pluribus ostentet, eaque spe ab Anglis ea se putet impetraturum, quæ nec Angli si velint præstare possint, & si possint fortè non velint. Suspecta tamen Anglis esse ea quæ & à Suedis & à Batavis cum Gallis aguntur nemo dubitat. Creditur Sacerdos quidam aliorum negotiorum obtentu ad Batavos venisse qui clam jussu Cardinalis infantis animos Principis Procerumque tentet, quorum plerique minùs nunc quàm antehac ab induciis abhorrere creduntur. Quod ex literis Illustris. Excellentiæ vestræ per Spiringium ad me delatis, idem cognosco apertiùs ex parte literarum D. de la Grange quam ad me miserat jam ante Smalckius, sed ego nunc demum accepi. Dum res bene agatur ubi & per quos agatur, mihi in æquo est. Sed scit Illustrissima Excellentia vestra solere illos Germanis omnia enuntiare quibus eos ad se pertrahi posse existiment. Id quia vitari omnino non potest, danda ni fallor opera est, ut faciant quammaximè potest serò, & utinam confecto demum negotio. Ad serenissimam ac potentissimam Suetiæ Reginam, Dominam meam Clementissimam, scribam simul à Rege auditus fuero: quem sub ver appetens ad fines iturum Lotharingicos fama loquitur. Mercator quidam Parisiensis mihi notus sortem sexaginta Francorum & usuras adversùm nobilem Polonum in Polonia, quod externo durum est, persecutus diu frustra, cujus rei etiam à Sacerdotibus Polonis testimonia accepit, nunc iterum eò profectus Varsoviæ jus suum urget, nisi obtineat, ab aulæ hujus primoribus, etiam à Cardinali promissis suffultus repressaliarum. Vtar amicorum opera ut ejus negotii æqui-

æquitas fautores inveniat. Venit modò ad me Hebbius: dixit avere ſcire 36. 49. 37. 4. 85. 61. 1009. 71. 75. 21. 33. 118. 29. 57. 48. 30. an Iuſtinus veniſſet Thucydidem Terentio traditurus. Ex Cunione idem 23. 55. 113. 57. 37. ſcribitur. Venit ad me itidem magni Thuani filius maximus natu qui in laudes paternas ſuccreſcit. Ait Euſebium ejus eſſe ingenii ut 35. 52. 56. 15. 26. 37. 49. 113. 118. malit tractari, 70. 29. 43. 10. videbimus brevi. Poſtea Heuſdium vidi. Dicebat nuper ſubitò admodum enatam heic fuiſſe calumniam de Simonide ad fraga miſſo: fabro ut ipſe arbitrabatur, Aſdrubale. addebat Hannonem ad Thucydidem miſſum cum optimis mandatis. Canutius Ordinum Fœderatorum Legatus putatur die Veneris abiturus & heic relicturus Pavium. Ego heic adhuc diem exſpecto, quem ut in urbem veniam mihi ſignificaturi ſunt admiſſionales. Poloni nobiles, qui Lutetiæ ſunt, ferme omnes eundem in modum loquuntur. De Suediæ regno ſe arma moturos non fuiſſe, de Pruſſia & Livonia non poſſe diſſimulari. Brandeburgico videntur infenſi, cui tamen Regem ſuum favere quidam ſuſurrant. Et ſunt qui de eo Rege in imperatorem eligendo, ſi locus vacare inceperit, ſermones ferunt. Ajebat Heuſdius Bulionium de penſione quæ Novembri elapſo deberi cœpit ſpem facere: de illa circa mortem Regis, nullam. Aubertinus paſtor reformati cœtus, qui Lutetiæ habitat, ſed Carentoni convenit, libro ſcripto de Euchariſtia & extra regnum edito, in cujus fronte poſuit refutari ibi à ſe Cardinales Bellarminum & Baronium & alios adverſarios Eccleſiæ, duas has voces poſtremas luit, interdicta ſibi à Rege functione paſtoralis muneris. Hæc nunc erant quæ ſcriberem. nam ubi in urbem venero, propius me omnia cogniturum ſpero. Deum oro, Illuſtriſſime & Excell. Domine, ut Illuſtriſſimam Excellentiam veſtram ſoſpitet ac proſperet. Ad Dionyſii ædem $\frac{4}{14}$ Februarii 1635.

EIDEM.

363 SCripſi primùm Meti ad Illuſtriſſimam Excellentiam veſtram priuſquam ejus acciperem literas, ſcripſi indidem acceptis jam Illuſtriſſimæ Excellentiæ veſtræ literis per Spiringium, deinde Meldis rurſus ab æde Dionyſii, ubi nunc quoque ſum & has ſcribo: quarum utinam illæ quidem curatæ ſint rectè, & hæ non minùs rectè curentur; non enim ſine cauſa metuo inſidias. Comes Brulonus Regis admiſſionalis, quod nondum me in urbem introducere potuerit, cauſatur motus aulæ qui octo jam dies ſunt erupere, capto duce Puylaurentio & intimis ejus Fargiſio, & Montpenſerio. Secutæ mox choreæ quas iſte caſus diſtulit, & hilaritati dicati dies duo, hodiernus verò expiationi culparum probabilem reddunt excuſationem, niſi illud magis certum eſt ut ex Feuquerio Lagrangioque reſciſcerent quid ab Illuſtriſſima Excellentia veſtra ſperare deberent, priuſquam Legationi mihi impoſitæ honorem haberent, quem aliis habuerunt: quod nunc ſe & quidem re in conſilium miſſa cis tres quatuor dies effecturos pollicentur. Obtulerat mihi idem admiſſionalis jus ſpectandi choreas regias quæ die dominico ductatæ ſunt. At ego, cùm in urbem clam ingredi non placeret, rogaram ut id beneficium à me in Generoſiſſimos Barones Axelios transferret. Non tantùm id in ſe recepit, ſed & cùm tempus adveniſſet, magnam ſpeciem prætulit ſatagentis ut ſpectaculi fierent participes, ſed perditis horis aliquot, turbam queſtus eſt eſſe tantam, ut nullus pateret aditus. Sanè multi Illuſtres excluſi dicuntur. Legati Batavici ægrè admiſſi, quibus cum Sabaudico de loco priore certamen ortum ſeparatis ſedibus eluſum eſt. Inter hæc de Puylaurentio aliiſque captis ſermones ut ſolent pro ſtudiis hominum. Qui ſuſpicaciores ſunt quales ferme eſſe proteſtantes Gallos in hiſtoria dicit Thuanus, cùm primùm inductus eſt Puylaurentius, ut in Galliam è Brabantia Fratrem regium adduceret, id fuiſſe deſtinatum quod nunc apparuit volunt. Titulos Ducis & Paris, liberalitatem Regis ad octingentos mille ſcutatos, propinquæ nunquam Cardinali multum curatæ matrimonium, eſcas fuiſſe hamatas. Qui Cardinali minùs malè volunt ſic rem narrant. Inter pacta, ſub quibus ut hic veniret illectus fuit Frater regius fuiſſe ut de connubii ſui jure, legibus judiciiſque Galliæ ſtaret. At triduo antequam ea perficerentur, dum ſub incude erat negotium, ſcripſiſſe Fratrem regium Pontifici, arbitrari ſe religionis ſuæ eſſe ſtare contractis cum Margareta Lotharingia nuptiis. ſi quid contra Regi promitteret, id ſe facere ſumma adactum neceſſitate contra animi ſui ſententiam, idem teſtatum ſuis ad Pontificem literis Puylaurentium. Maſarinum cùm jam hic eſſet Frater regius, conantem omnibus modis impedire, ne diſſueretur illud matrimonium, objecta ſibi Fratris regii, averſa ab eo conjugio voluntate, oſtendiſſe exempla earum literarum quarum Archetypa Pontifex curatè ſervaret. Attonitum hac re Cardinalem quæſiſſe ex Puylaurentio cur tantis regi beneficiis obſtrictus, negotium tanti ad remp. momenti celaſſet? nec illum manifeſtis indiciis deprehenſum habuiſſe quod reſponderet, niſi non interrogatum ſe. Simul emanaſſe alia Margaretam apud Domeſticos regii fratris non alio nomine appellari, quam quo ejus faſtigii matronæ ſolent: pecunias miſſas ut in Brabantia ſplendorem tantæ fortunæ parem obtineret. Super hæc quæ vigilem neque opperiri pericula ſolitum excitare poterant Cardinalis animum acceſſiſſe faſtum Puylaurentii aulæ impendiis ac fulgore & Principum ſe colentium numero nihil cedentis ipſi Cardinali. Nunc Puylaurentius & Fargiſius in carcere Sylvæ Vincennenſis Coudræus cui adjecti poſtea alii in Baſtilia tenentur, Fratre Regio tacente ad hæc & compoſito quantum poteſt vultu premente motus animi, cui dixit Rex coactum ſe inimicos ſemper & ipſius & ſuos prohibere nequid gravius admitterent. Literæ Regiæ ad provincias miſſæ nihil aliud de captis quàm colloquia cum ſuſpectis hominibus promunt, & conſtat Bleſis fuiſſe quendam, ex eorum numero qui Reginam parentem ſectantes regiæ indulgentiæ beneficio nominatim excluſi ſunt. Iudicant omnes ſapientes niſi Deus improviſum quid injecerit, jacta eſſe diſſidii civilis ſemina, auctoritate Parlamenti contra matrimonium paucos, plures ad ſe tracturo Pontifice, cujus veneratio his in locis perpetuò magis magiſque gliſcit, favente illi conjugio, neque Epiſcoporum Galliæ ſiquà ad Regis voluntatem accommodetur pronuntiatio, ſedatura videtur hos æſtus. Nam externi Theologi Eccleſiæ Romanæ adhærentes conſulti hac de re reſpondent; primùm nullo ſcripto documento patere ſibi vetita in Galliis principum regii ſanguinis Regis impermiſſu conjugia. Vt vetita ſint non ſequi etiam irrita eſſe niſi & hoc conſtitutum doceatur, neque à Rege aut regiis magiſtratibus ſed ab Eccleſia, cui ſoli jus eſſe caſſa reddere futura conjungia, ita receptum inter eos eſt, ut vix ſit reperire diſſentientes. Vt verò aut Principis Condæi aut Ducis Mantuani filia, aut alia ulla eminentis fortunæ eam conditionem eligat in qua ab aliis pro juſta matre familias, ab aliis pro pellice habeatur vix ſperandum eſt. Et Proteſtantium affinitates quærere odii plenum. Mirum eſt omnium Lotharingorum animi quàm ſint in Ducem ſuum proni, averſi à Gallis: idque nunc cummaximè periculoſum poſtquam Dux eo penetravit ut à Nanceo minimum abſit. De oppido eo ejuſque præfecto Braſſaco video optimè exiſtimari. Et Caſtilionæus parat ſe ut eo ducat exercitum. Philipsburgi jactura mirum quàm & Regem & Cardinalem permovent, ita ut ſæpe dixerit Cardinalis ſibi ex quo rebus admotus eſt nihil eveniſſe triſtius, & diſcendenti hinc D. Feuquerio & roganti quid boni facere poſſit, reſponderit nihil habeo quod dicam, fac quidquid vis. Regis autem excepta vox eſt dicentis tales eſſe præfectos qui à Monachis commendentur, nam gratia patris Ioſephi cognati ſui ut in aliis rebus

Digitized by Google

rebus ita in hac usus erat Feuquerius. Fuit autem peccatum eo gravius, quod castellum tanto petitum ambitu tantæ utilitatis ad res regias prædicatum, juveni fuit traditum, nec juveni tantum, sed ei qui adversam famam jam habuit capta Mantua: nam qua parte ipse curabat irrupit hostis, ne tum quidem leviter incusata ipsius negligentia: cujus rei memoriam refricat damnum recens. Cardinalis dicit per duos menses se laborasse antequam Regi persuaderet ut Arnaldo is locus permitteretur. Dominum d'Avaux Stockholmii esse ferunt. Rex Poloniæ etiam Florentiæ Duci spem facit de ducenda ejus filia, gibbosa ut fert rumor, cujus ob id mentionem Frater Regius semper exhorruit. A Spiringio postremæ ad Heusdium literæ fuêre Ambiano scriptæ $\frac{4}{14}$ Mensis hujus. Deum immortalem rogo, Illustrissime & Excell. Domine, ut Illustrissimæ Excellentiæ vestræ valetudinem resque omnes curæ suæ esse velit. ad Dionysii $\frac{18}{28}$ Februarii 1635.

Laborant Poloni, ut Legati à Fœderatis Ordinibus ad se mittantur. Ea de re in Hollandiæ conventu instituetur consultatio.

EIDEM.

364 SExtæ hæ meæ sunt literæ, quarum primas tantùm pervenisse & nunc demum disco: de cæteris bene spero, quanquam multa interveniunt ob quæ dubitem. Gratum erit hoc metu liberari. Ego hic ad Dionysii detentus sum hactenus initu in urbem qualis aliorum est Legatorum & promisso semper & dilato ob aulæne turbamenta, an quod illic malint rem transigi, haud liquidò dixerim. Sextus jam dies est cùm huc ad me venit Regis admissionalis Comes Brulonus, scire voluit quo nomine advenirem. Dixi Reginæ Serenissimæ Suedorum Legatum ex potestate Illustrissimæ Excellentiæ vestræ concessa. Disputare cœpit & dicere nunquam admissos Legatos quos olim misisset Dux Maynius potestate Regis Hispani instructus. Dixi non mirum id fervente bello & Maynii odio factum. Hagæ cùm induciæ fierent Legatos quos Archiduces nomine Regis Hispaniæ miserant, ut Regis Hispani Legatos honoratos à Galliæ Britanniæque Legatis. Et cùm Cardinalis Riceliacus à Rege potestate liberrima, belli Italici tempore, instructus esset, si Legatos misisset apud sapientes omnes eodem futuros loco fuisse, quo ii quos à suo latere Rex misisset. Potestatem verò tuæ Illustrissimæ Excellentiæ ab Regno universo datam non posse in controversiam trahi, cùm & Legatos ex ea potestate missos complures etiam postremos, Rex ut Legatos regios excepisset & Regis legati cum Illustrissima Excellentia vestra, ut talem habente potestatem, fœdus fecissent. Vrgenti motam in Anglia controversiam, respondi & omissam honoremque Legationi ut regiæ habitum. Me dicebat à Rege fieri plurimi, idque repetebat aliquoties, fermè quasi me à Suedicis rebus ad Gallica negotia vellet perducere. Quærenti de Serenissimæ Reginæ ætate, quod erat respondi; & sciscitanti ultra an de ejus matrimonio consilia agitarentur, dixi apud Septentrionales populos justam maturitatem exspectari solere. Laudabat. Rediturum se significabat cis tres aut quatuor dies. Non venit interea, sed moneri me fecit diem Mercurii, is hesternus fuit, mihi ad urbem pro more intrandam destinatum. Iterum deinde Regem qui ab urbe diei iter abierat consultum de iis quæ ad rem pertinerent, itaque biduum interponi debere. Quidam Leffleri & Streiffii mihi objiciunt exempla, qui nullis sollennibus exspectatis in urbem irrepserint. Ego qui illorum facta mihi pro exemplari non data memineram, neque exueram animo dignitatem Regni mihi ab Illustr. Excell. vestra commendatam, exspectare quid facturi essent tam prope urbem malui, rerum interim urbis non ignarus, per eos quos mitto, perque eos qui ad me adventant: quomodo & Refugium Regis Galliæ Legatum diu Rotterodami mantitasse memini, & Britannicum Austruterum in villa non longè Hamburgo. Fratrum Axeliorum minor repetitis choreis adfuit spectator; major iis choreis, quæ apud Riceliacum non minore quàm apud Regem pompa ductatæ sunt. Fuit apud me & D. Skytte filius ex Italia veniens & patrem ut putat in Anglia reperturus. Pacem cum Polono temporariam redimi putat posse, retenta Livonia, concessa Prussia: vectigal apud Gedanum sumptibus exhauriri. Puylaurentii calamitas mirè commovit Principes Regii sanguinis: existimant antequam in Galliam veniret, destinatam ei necem, bona fisco & per fiscum novæ nuptæ, unde maritum quærat aulæ gratiorem. De judicibus in ipsum deligendis multus sermo. De jure matrimonii Fratris Regii nunquam corpus Sorbonæ consultum; metu ne contra quàm potentibus expedit, responderet; sed è Sorbona selecti nonnulli homines obsequiosi. Frater ipse Regius Blesam missus est. Puylaurentii uxor in agrum Pictaviensem. Dum ego jussus ante omnia prætentare Gallorum animos in res Suedicas, occasionem reperio quàm putaveram uberiorem, injectis in me [illegible] oportet admittendo tot moris, aliud incidit Caleti, contumeliosè ibi tractato populari meo, qua de re epistolarum ad me scriptarum & actorum transmitto exempla. Scripsi ea de re & expostulavi apud Boutellerium ab arcanis Regi, cui res externæ obvenerunt, sed quid fecerint, quid facturi sint ut sciam, nunc quoque laboro. Ego si ea consecutus fuero quæ Legatis omnibus extraordinariis ordinariisque evenerunt, quæque ab ipso initio promissa mihi sunt, neque post exspectationem tantam remitti possunt, dabo operam ut à Rege audiar, sive ad Chantiliacum, ubi nunc est, sive simul redierit, si modo brevi est rediturus. De Regis in finem Germanicum itinere rumor non omnibus creditur. Nisi valde fallor, Galli & Germanis & Austriacis se jactitant, quasi qui nos de amicitia sua sollicitos non multùm curent. Tamen si opinionem illis demere poterimus, nos non ea pressos egestate, neque adeò pecuniæ ipsorum esse avidos, ut propterea quidvis facere ac pati propositum habeamus, puto & æqua & honesta posse impetrari. De duce Bernhardo percunctatores habui aliquammultos: laudo celsum ejus animum & fidem in patriam dignam tanto sanguine. De prælio ad Nortlingam ita sermonem tempero, ut neque consilium probem, neque quicquam dicam acerbius, quod illi captare videntur. Famam heic spargunt jam eum militare Regi Galliæ. Abiit Canutius Charnassæo comitatus. Manet hic Pavius, sed invitus & non Legatum se sed relegatum interpretans. Beaumontii quotidiè crescit auctoritas & plerunque Hollandiæ mandata ad conventum perfert Fœderatorum. Intelligo laborare Gallos ut Batavi apertè & ipsi Cæsarem sibi hostem sumant. In ipso puncto cùm finire has vellem commodùm accipio literas $\frac{7}{17}$ Februarii datas, pro quibus gratias quantas possum habeo, nec omittam præscripta curatè sequi. In eodem temporis articulo à Caleto ad me literæ ostendunt rem popularis mei eodem esse in loco. Apparet calumniæ materiam quæsitam: sed bene elusa est cùm nec pecunia sit reperta, nec chartæ quæ colorem aliquem latè sparso mendacio circumdarent. Illud Lagrangii quid facere possint & velint Suedi, incertis adhuc cum Polonis rebus, insidiosum mihi videtur & abalienandos à Suedis Germanos repertum. Det Deus, Illustrissime & Excell. Domine, eos Illustrissimæ Excellentiæ vestræ successus quibus res Suedica facilè se ab omni contemptu vindicet. Ad Dionysii $\frac{19\ Febru.}{1\ Martii}$ 1635.

EIDEM.

HAbuit patientia mea quem debuit fructum, idque ad 365
res sequentes omen amplector. Intellectis rationibus meis delegaverat Rex Mareschallos Regni Estræum, qui de Cœure dictus antehac, & Sanctilucium. Huic ægrotanti successit Comes Brulonus Regis admissionalis, is ipse cujus mentionem feci antehac. Die Veneris qui proximè exiit deduxerunt ii me carruca Regis & Reginæ, comitan-

Digitized by Google

tantibus aliis permultis, partim Legatorum ut Veneti, Helvetii, Mantuani (nam Principes Regii sanguinis aberant omnes, Frater Regius Andegavi, Condæus ad litem persequendam Rotomagi, Suessionensis in aula quæ nunc est Sylvanecti) partim amicorum Suedicæ primùm gentis, deinde & Germanicæ & Batavicæ. Digresso hinc domum Canutio rogatus à me Pavius per domesticorum meorum unum, multa præfatus de sua in me benevolentia, ajebat scripsisse se ad patriæ Rectores quid agendum sibi esset, neque dum accepisse responsum, & verum erat scripsisse eum: sed Fœderati Ordines pluribus sententiis voluerant, ut ipsorum huc Legati in me ita se gererent, sicut in amicorum Legatos fieri solet. Hoc ille non contentus etiam ad Hollandiæ scripserat Proceres qui quid sint decreturi (sunt enim plerumque discordes, & levi momento, huc illuc flectuntur) equidem nescio, & minimè anxius quid sit futurum exspecto. Veneti magna fuit in regnum Suedicum reverentia, in me comitas. Neque enim tantùm cùm obviam mihi suos mitteret, sed & postea per domesticum omnia officia liberaliter detulit. Helvetiorum itidem & Mantuani humanitati multum debeo. Hæc dum scribo venit ad me à Rege missus Comes Nanciacus, mei salutandi causa. Significat Regi nihil gratius quàm me huic Legationi destinatum, cum multis aliis ad honorem meum pertinentibus. Respondi quàm potui in Regem reverenter, in gentem totam benignè, nihil reticens eorum quæ aut in honorem Galliæ fecissem ipse, aut mihi à Gallis honorifica contigissent. Nunc in horas exspecto, ut à Rege dies mihi significetur, qua Sylvanectum eam, incertus adhuc eodemne venturusne sit Cardinalis an non. Nihil omittam quod ad urgendum negotium pertinere poterit. Brulonus & mihi & uxori meæ indicavit, imperatum sibi, ut ipsam ubi vellet, ad Reginam quæ in urbe est deduceret. Distuli id donec viderem quomodo mihi succederet primus ad Regem aditus. Est apud Regem & pater Boutellerius, qui nunc, filio Cancellarii munus apud Fratrem Regium obtinente, filii sui munus id est rerum externarum curam fungitur. Per eum rem popularis mei, nisi jam sanata est, sanabo. Nam hactenus ita mos est loci prodire mihi non licet: & per eos quos mitto, non satis promoveo. Quod Princeps Arausionensis amico cuidam Batavo dixit, citra menses tres exactos turmas & legiones Belgicas fore intra fines Belgicos quos Hispanus possidet, idem heic spargi video ab iis qui Cardinali sunt intimi. An qui hæc dicunt credant ipsi nescio, certè cur id credi velint & hi & ille causas videre me arbitror. De Paraiba capta prosperi rumores, vereor ne commentum sit societatis Americanæ talium artificis. Castilionæus nescio quo pacto tam festinus adversùs Lotharingum mittatur. Fuit apud me è domesticis Fratris Regii unus, qui exilii ipsi comes fuit. Ait in familia ejus Principis neminem de Margareta Lotharingica aliter quàm de uxore ejus loqui; planeque ipsi constitutum quicquid de jure ejus matrimonii disputetur, nunquam aliam ducere. Contra sperant qui nunc res gubernant, amoto Puylaurentio ejusque adjutoribus, Fratrem Regium ut est ductilis ingenii permoveri posse, ut scripto testetur id sibi connubium cordi non fuisse, sed fecisse se exulem quod necessitas expressisset. Ea deinde professione ostensa, Sorbonæ rationibus & beneficiis elici responsum posse temporibus conveniens, ac postea etiam Episcoporum Galliæ par judicium, quibus auctoritatibus ni Pontifex, quod tamen sperant, velit accedere, satis præsidii fore in nomine Ecclesiæ Gallicanæ ejusque libertate longè antiquissima. Sapientes omnes rem intricatissimam judicant. Et multa accedunt alia quæ motus concire possint: plebs agrestis exhausta, commercia oneribus & multo magis exactorum iniquitate prostrata: nobilitas ipsa animo multùm abalienato, quod eorum bona immunitate tot sæculorum exuantur, si non omnia, quod tentatum tamen, certè ea quæ acquisita & adjecta veteribus hactenus eodem jure fruebantur: quod de ipsa nobilitate qui judicarent homines dati de plebe quos Electos vocant, minimè ad vocabulum respondente eventu, cùm jam nunc tantæ eorum deprehendantur sordes, ut in eos ipsos judices novi dati sint judices. Qui metus, etiam pecuniæ regiæ tractatoribus incussus, effecit ut septem millionibus nummorum Francicorum & eorundem sexcentis millibus quærant redimere factas jam rapinas, & quod præcipuum est rapiendi in decem annos licentiam. At ego memini me antehac videre hominem unum, qui solam anteactæ rapacitatis impunitatem duobus millionibus æstimaverit, impetraveritque. Et talia regna tamen manent, vigent, florent mira Dei in homines lenitate. De quinquaginta millionibus à Rege sepositis, quod nostri antehac Legati hinc venientes jactaverant, ejus planè nihil est, sed expeditum est quod erat æs alienum, ita ut jam non ex annis futuris, ut antea, sed ex præsenti erogatio fiat. Quam ob causam Bulioni Ærarii Præsidi multum debet Gallia. Venit ad me & Polonus juvenis Comitis de Lesno filius, sermone injecto de controversia Regni Suedici, edocui eum de quibus edoctum me ab Illustris. Excellentia vestra gaudeo, gratiasque eo nomine habeo maximas. De pace aut perpetua aut temporaria loquenti, & de restituendis quæ Poloniæ Regno armis adempta sunt, dixi non esse quod se Hispanis valentiores existiment, qui cum Batavis inducias fecissent, relictis rebus quomodo tunc possidebantur. Videbatur mihi is adolescens spem facere boni profectus. Dixit mihi Heufdius exspectare se in horas, ut bis centena Francicorum nummorum millia sibi numerentur, imputanda in id quod circa Regis excessum debebatur, ea spes si non fallit dabo operam ne quid in formula acceptilati fraudis committatur. Multi hic sermones fuere de Illust. Excellentiæ vestræ itu in Saxoniam infernatem. Dico rationes esse in partem utramque: neque dum quicquam me gnaro constitutum. Sed publicis negotiis quantum res exigit, commemoratis, quid vetat apud literarum omnium tutorem ac præsidem, aliquid de literis præsertim severioribus, attexere? Fratris Pauli Veneti librum de Inquisitione, ea rerum peritia eo scriptum judicio, quo sunt illius viri omnia, nunc apud me habeo, habiturus & viri illius nosci ab omnibus dignissimi vitam, à Fulgentio scriptam, comite quondam ipsius laborumque socio. Hos libros editos nunquam antehac, nisi id Illustriss. Excellentiæ vestræ displiceat, velim per amicos in lucem proferendos curare, additis etiam ejusdem opificis minoribus opusculis, ut sunt Apologetici Reip. Venetæ contra Pontificem, ejusdem controversiæ accuratissima historia, & de Ecclesiarum immunitate vulgata quidem pridem, sed ita distracta ut vix venalis sit reperire. Historia Tridentini Concilii justum per se volumen ab hac congerie excludi poterit, facta tamen & ejus mentione in antiloquio ut quibus minùs est notus scriptor innotescat. Nactus sum & Lovaniensem, tum Theologorum tum Iurisconsultorum responsa, quo ratum esse Fratris Regii matrimonium contra Parlamenti Parisiensis sententiam contendunt. Inter scribendum significatur crastino die hinc discedendum ita, ut perendie diviso itinere ad aulam veniam. Docent me Batavicæ literæ Bickerum & Beaumontium opinione multorum ad Legationem pacificationis Suedicæ ac Polonicæ destinari. Anglos Hispano naves dare viginti commodati lege, locati lege quadraginta. In Brasilia esse nunc Batavorum naves quinquaginta duas, nautarum militumque sex millia magnam in spem bene gerendæ rei. In Belgica Hispaniensi legi militem cum magnis in Galliam minis, quas & Gallassius spirare dicitur. In Hispania Arscotium, quàm ante, custodia haberi duriori. Si heic subsistere licuisset, & alias è Batavis recentiores exspectare literas, fuisset quod adderem credo, sed nunc Regis vocatus, me & ipso ad peragenda quorum sum ergo missus properante, me avocat. Det Deus, Illust. & Excell. Domine, ut meæ

 dili-

Digitized by Google

diligentiæ fideique successus videam lætos & qui Illust. Excellentiam vestram in rebus lætis inveniant. Lutetiæ Parisiorum, 5 Martii, 1635.

Illustrissimo Domino

LVDOVICO CAMERARIO,

Serenissimæ ac Potentissimæ Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c. Regnique Legato ad Ordines Fœderatos Belgicogermaniæ.

366 QVantam semper Camerarii nominis, tuique imprimis ac tuorum præ me tulerim tum reverentiam, tum amorem, norunt omnes, qui me norunt: quo magis gaudeo me post jactationes multas eò delatum, ubi nos ejusdem Regni negotia communiter procuranda conjungant, uberemque præbeant materiam ad literarum commercium. Ego certè, cùm me veteri patriæ inservire tempora non sinerent, non aliam videor adoptare potuisse potiorem, quàm eam cujus cum illa res sunt connexissimæ. Regio jussu honestissimè & in Vrbem hanc deductus sum à Detræo Marescallo Franciæ, & postea in aulam quæ Silvanecti erat deductus à Mercœurio Duce: ab ipso Rege mira comitate & exceptus & auditus, ita ut spes sit ea cudendi pacta, quorum Suedos minùs, quàm illorum quæ nuper sunt inita, pœniteat. Postularunt Galli in conventu Wormatiensi ut edicerent Suedi, quantum ipsi in rem Germaniæ conferre vellent; se duodecim auxiliarium millia exhibituros. Quod præterea poposcerant, ut Bannerii copiæ cum Lunemburgicis & Hassicis conjungantur, ejus rei spem faciunt postremæ ad me è Wormatia literæ. Sed mirè dejectos animos eriget, si res fit, quod intra verba tam diu stetit, & Gallus apertè hostem se Hispani profitetur. Id enim susurrant qui intima aulæ sibi nota jactant. Vix credas, quàm inverecundi sint heic, qui Hispano favent, rumorum fabri. Spargunt Reginam Suediæ mortuam: captos ab hoste Dominum Cancellarium & Ducem Vinariensem. Par pari reponunt, nam & Cæsarem mortuum pars altera nuper vulgaverat. Mittitur hinc in Angliam legatus Comes de Ioigny: ab Anglia legatus heic exspectatur. Bellevrii filius hinc mittitur ad videndas Italiæ res. Masarinus novas quotidie pacis rationes expedit, sed obstat ei Lotharingiæ retinendæ pertinax apud hanc aulam studium. Puylaurentii & ejus assectarum vincula, datusque Fratri Regio Cancellarius Butillerius, Regis antehac arcana tractare solitus, spem heic faciunt, excuti posse animo Fratris Regii cogitationem omnem de Lotharingico matrimonio. Vbi Cardinalem & Principes videro, penitiùs res Gallicas introspiciam, & quæ usui in res Suedicas esse poterunt eorum te, ut debeo participem faciam. Vale, vir Illustrissime, & nos amare constanter perge, mutuum id jure tuo exspectans. 7 Martii, 1635.

Rogo ubi in aulam Suedicam literas mittes, has meas ad Reginam (nam ea forma scribendi mihi à Domino Cancellario injuncta est) addas.

Tuæ Illustrissimæ Dominationi addictissimus H. G.

Serenissimæ ac Potentissimæ Reginæ,

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

367 LEgationis quam mihi magnus sacratissimæ Majestatis tuæ Cancellarius ex potestate quam ab ea accepit, nuper injunxit, eventum qua debeo fide renuntiaturus, primùm illud significandum habeo, solennia omnia honorificè peracta. nam & Marescallus Franciæ Detræus in urbem me regio jussu deduxit, & jussu eodem Dux Mercœurius Ducis Verdocinensis filius obviam mihi factus me perduxit ad Regem qui Silvanecti erat, qui & comiter me excepit traductum per armatas cohortes prætorias, qui magnus heic honos habetur, & audivit benignè, iisque respondit verbis quæ spem mihi facerent boni & honesti fœderis. Veneti legati magnam in Majestatem tuam reverentiam multis ejus factis testatam satis prædicare nequeo. Nobiles heic Poloni omnes cum Sacratissima Majestate tua bellum magis quàm inducias loquuntur. Sunt & qui, si quid Imperatori humanitus eveniat, ei Regi fastigium Cæsareum votis aut tacito etiam ambitu destinent, ut remoto ab omni religionum studio odioque. Ego postquam Cardinalem Ducem Riceliacum, Principesque Regii sanguinis, id enim mihi restat, videro, propiusque & res introspexero & animos Gallorum, certiora etiam tuæ Regiæ Majestati potero significare. Nunc illo contentus ero, Regi amicitiæ constantiam à tua Majestate meis oblatam verbis, nuntiumque prosperæ valetudinis ac rerum tuæ Majestatis fuisse gratissimam. Deus, Serenissima ac Pontentissima Regina ac Domina mea Clementissima, solium T. M. stabiliat, bono publico Suediæ orbisque Christiani. Lutetiæ, 17 Febr./8 Martii 1635.

Sacratissimæ Majestatis tuæ humillimus obedientissimusque subditus H. G.

CL. SALMASIO.

CVm & malis meis te sciam indoluisse semper, Summe Vir, & optasse mihi fortunam clementiorem, neminem habeo, quem participem potiùs facere debeam eorum, quæ mihi læta contingunt, quàm te tam candidè & sine fuco amantem mei. Legationem mihi per Cancellarium Suediæ, libera ad hoc potestate instructum, pro Regina Regnoque Sueciæ injunctam haud dubiè audieris. nam & eos, qui bene nobis volunt, & eos, qui invident, ista latere non solent. Dies jam sunt octo, cùm ab oppido Dionysiano in Vrbem εἰσήλασιν [insilui] missis, qui me deducerent, à Rege, Estræo Franciæ Marescallo & Comite Brulono Regis admissionali, cum carruca Regis & Reginæ, multisque aliis. Postea ad me privatim Rex misit Comitem Nancæum, qui ipsius in me testaretur benevolentiam, & gaudium, quòd mihi potissimùm, quem magni faceret, hæc obtigisset Legatio, bono publico Regni utriusque, ut confideret, futura. Nudius quartus iter medium confeci inter Vrbem & Silvanectum. Mane postero missus à Rege Dux Mercurius cum Brulono me per armatas cohortes turmasque (honos is summus habetur) medium ad Regem deduxit: à quo auditus sum non tantum μετὰ πολλῆς φαντασίας [cum apparatu solemni], ut Regales Legati solent, sed & cum multis animi benevoli Regis in me testationibus. Vbi nunc prima negotiorum confecero, spero tantum mihi otii fore, ut ad literas nostras receptus mihi sit aliquis. Et cùm publico hac quoque in parte prodesse cupiam, vix video tamen, quid potissimum vulgare debeam. Notæ in Evangelia res est, hoc sæculo, adeo pertinaciter sua quoque tuente, odiosa maximè. Meministi Epigrammatis, quod Scaliger ea de re ad Thuanum scripserat. Historia Batavica, etiamsi à me simplicissimè scripta, malignos reperiet interpretes. Quid si ad nugas potiùs, sed non indoctas revertar, & edam Latinè Epigrammata Planudeæ collectionis? Sed illud me moratur, quod multa sciam abs te ex codicibus emendata, quæ mendosa vertisse nolim; tibi ut hoc molestiæ injungam, tot studiis occupato, ut illa ad me mittas, non audeo exspectare: dum tu illa cum accessionibus des in publicum, longum est; præsertim cùm & æquum sit & ipse cupiam ea, quæ sunt de Ecclesiæ ritibus, quæque in Arnobium & Tertullianum habes, prius communis usus fieri; nam quod ad Rem Vestiariam pertinens nunc te moliri audio, spero brevem majorum ἐγκοπὴν [obstaculum] fore. Et tamen sic quoque bonæ te fidei ostendes, qui vetera nomina expungis. Dolet mecum Aubertinus, vir magnæ eruditionis & candidi animi, subtracta abs te luci,

368

Digitized by Google

ei, quæ de fatali aut ἐφ' ἡμῖν [*in nobis*] vitæ exitu scripseras. Si omnium talia essent, quale est ipsius ingenium, flagitarem talia abs te: nunc ἐπέχω [*subsisto*], præsertim cùm & Vossius tacendum sibi existimaverit. Vale, Vir mihi in primis culte ac colende semper. Lutetiæ Parisiorum, 9 Martii, 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Illustrissime & Excellentissime Domine.

9 QVa de re scripseram nuper, scriptionem repeto, à V. Cl. Elia Diodati rogatus, quicum amicitia mihi est vetus ab annis viginti & ultra. D. de Villeroy magni vir judicii semper eum fecit plurimi, & tractandis civilibus negotiis maximis idoneum existimavit. Vsi ejus opera & postea Cancellarius Sileriacus, aliique; Etiam Cardinalis Riceliacus in Germania illi res tractandas mandavit, ipsumque suo merito magni facit, carumque habet. Quod petit, est pecunia D. Raschjo necessario tempore credita. Eam si auctoritate Ill. Excell. vestræ consequetur, quanquam nihil nisi suum consequetur, pro bene-ficio accipiet, & quo est animo, si qua se det occasio, gratum se præstabit. Restat, Illustrissime & Excellentissime Domine, id optem ut quamplurimis benefaciendi semper Ill. Excell. vestræ benigna sit occasio. 1/11 Martii 1635.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina mea Clementissima.

POst Regem salutatum, qua de re nuper Sacratissimæ Majestati Vestræ scripsi, vidi Fratris Regii filiam, Principem Condæum & Comitem Suessionensem Regii sanguinis Principes, cum hujus matre, illius uxore, ii exque omnes vestræ Majestatis benevolentiam plurimi se facere ostenderunt rebus ac verbis: Orare etiam ut eo bono perpetuò frui ipsis liceret: se nihil omissuros quod suæ esset opis, quodque Majestati Vestræ gratum arbitrarentur: præcipuè verò confidere se, ostensurum Regem quanti Vestræ Majestatis faceret amicitiam: & se, siquid possint, non defuturos. Præcipua Condæi comitas fuit, nihilque ab eo omissum, quo demonstraret, quanti vestram faceret Majestatem. Idem studium in Veneto legato, ut nuper, ita & nunc comperi. Quis injunctæ mihi rei futurus sit eventus, nihildum habeo certi quod dicam: quia ad Cardinalem Riceliacum deductus nondum sum, qui diei fermè itinere hinc abest. Ego ne quid in diligentia mea desiderari possit, operam dabo, Deumque precabor, ut omnia feliciter cadant: quod ut contingat, illud vel maximè precandum nobis est, Serenissima ac Potentissima Regina Domina mea Clementissima, vestram ut Majestatem incolumem florentemque conservet. Lutetiæ, 1/11 Martii 1635.

Vestra Majestatis Obedientissimus Subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Illustrissime & Excellentissime Domine.

MIras in curandis literis difficultates esse video: nam & meæ aliquot aut interceptæ sunt Meti ut puto, aut sanè multo quàm oportuit serius ad Illustriss. Excell. vestram pervenerunt. Cui malo quod quæri possit remedium, haud satis video: sed omnia experior, & quæ via optimè successerit insistam. Et hodie venit Meti tabellarius, sed sine ullis Wormatia aut è vicinia literis, quas Lagrangius qui Meti nunc est supprimere creditur, nequis ante ipsum adveniat huc rerum quæ ibi geruntur nuntius. Postremæ, quas ego scripsi, reditum à Rege meum continebant. Cardinalis ex eo abiit in Abbatiam quandam suam, non longè Chantiliaco, ubi Rex est & Regina, quam eodem profectam hinc tempore, cùm ego huc venirem videre mihi nondum contigit, ut nec Fratrem regium, qui improvisus & inexspectatus sine familia, cùm Blesa huc venisset, statim ad aulam abiit. Ad Cardinalem admissionales regii diu est, quod me deducturos se promittunt: sed ut video, voluit per alios prætentare quid acturus venissem. Itaque ad Butillerium patrem, qui nunc filio Cancellarium apud Fratrem regium agente, & suum circa ærarium, & filii circa res externas munus fungitur, perducor. Post ea, quæ universim ad amicitiam mutuam pertinentia dici solent, narravi quæ Lutetiæ nuper concepta essent pacta, non definitè inita, sed si probarentur Suetiæ nomine (nam de Germania facilè nos pati) probari nos posse. Everti enim vim Heilbronensium pactorum quibus standum putaremus. Hæc omnia ille ita æqua esse dicebat, ut mihi satis appareret, non didicisse eum omnia quæ ad rem istam pertinerent. Venit postea ad me 48. 113. 31. 85. 266. 68. 2010. In fraga quantum sermone conjici poterat, bene affectus, Inter alia dicebat credere se Lactuarios in hoc nunc Cajo subblandiri, ut Miltiadis ope retineant Rosniolaceos ne 101. 27. 56. 27. 30. 113. 61. 71. 1090. 49. 31. 68. Mimnermi causa. Cæterum id ipsos optare ut Thucydides ad Nævium ejusque vicinos abeat, quò faciliùs Bacchilydem sibi adjungant. Spargere Vindicianos rumorem de 81. 71. 31. 70. 66. 246. 273. 79. 52. 31. 40. 37. quasi qui ab ipsis Simonidem sumeret, se non credente. Optabat idem aut Iustinum aut alium à Sophi pridem heic fuisse, potuisse multum præcaveri. 14. 108. 54. 44. 79. 48. 19. verò non dubitat quin & meæ tamdiu moræ ad Dionysium, & eorum quæ 22. 80. 45. 75. 68. 37. acta sint faber fuerit Hasdrubal incitantibus ex Persei gente aliquibus. Ego Hasdrubali heri adjutorem fuisse Zosymum, certò odoratus mihi videor. Venit ad me & Susæ Comes, qui & initum in Vrbem meum carruca condecoraverat. Narrabat Regem magnum Gustavum sua uti voluisse opera: se nunc quoque eam offerre Suetiæ & Illustriss. Excell. vestræ, sed magna spirat, nam cùm Campi-Mareschallus fuerit ductare exercitum cupit. Rogo sciam ecquid ei respondere debeam, bona est in fama, & Rex ei permisit sociis Galliæ militare. Vidi postea domi meæ & Helvetios Legatos, & Vicum res agentem Angliæ, qui mandata se habere ab aula Anglica dicebat colendæ mecum amicitiæ, & Suedici regni causa, & quod ego in illa aula plurimi fierem. Egi gratias & mutuum promisi. Post hæc ab admissionalibus adductus sum ad salutandum regium sanguinem, Fratris regii filiam, Principem Condæum & uxorem ejus, Comitem Suessionensem & matrem. Ad quos literas habebam dedi. Omnes benevolentiam in Reginam testati sunt. Sed præcipuè Condæus qui postridie eo nomine ad me venit, multa de Illustriss. Excell. vestra amicè admodum & honorificè locutus. Heri misit ad me pater Butillerius, velle se ad me venire cum patre Iosepho Cappucino, cujus maxima nunc est apud Cardinalem auctoritas, & qui ob summam versutiam ab ipso Cardinali, siquid ipsi evenerit humanitus successor destinari solet. Verùm cùm vapidè se haberet monachus, rogare se ad monasterium ut venirem, annui: nam & Cardinalis non ita pridem inviserat ægrotantem. Eò cùm venissem ad proximos monasterio hortos deductus regios, ibi & Butillerium reperi & Iosephum. Post ea unde auspicari sermones mos est ad res præcipuas ubi delapsi sumus, urgere Iosephus pactorum Parisiensium Scripturam manifestè ostendere ex vi potestatis plenè initum contractum, sine conditione approbationis. Dixi me contrarium intellexisse non ex Illust. Excell. Vestra sola, sed ex aliis quoque: neque id unquam negasse D. Feuquerium, idem sensisse civitates, quæ ne nunc quidem ea probassent: quanquam Germaniæ quatuor Circulos quod attineret, Illustriss. Excell. Vestram habere ea pro probatis, ob majoris partis sen-

tentias, ac proinde in directione ea secuturam quatenus res Suedica iis non læderetur. Addidi exemplum Ratisbonensium pactorum, quæ signasset ipse Iosephus, Rex habuisset irrita. Dicebat antequam signarent palam professos se & Leonium quarundam partium se non habere potestatem. Ejus rei se habere testes. Respondi igitur & nobis, si id negarent quod in Germania negasset nemo, quærendas probationes: eaque de re me ad Illustriss. Excell. Vestram scripturum. Cùm sine hujus quæstionis præjudicio (nam institi semper pactis Heilbronensibus, hoc addito siquid Rex pro rerum præsentium statu vellet adjungi, paratos nos ad æqua omnia) rogarer dicere quod rei Suedicæ noxium in pactis Parisiensibus reperiretur, incæpi ab auxiliari pecunia, cujus fide facta tanto nos bello implicuissemus ad usus IV Circulorum derivata. Cùm dicerent illi & milites auxiliares & pecunias nostris quoque rebus prodesse, ostendi libertatem nobis demptam utendi pecunia in usum nostrorum exercituum, rerumque Pomeraniæ & vicinarum. De Benfeldio ostendebam quàm esset iniquum datam nobis à Germania hypothecam (id illi sibi negabant liquere) eripi nobis sine ulla compensatione. Hic cùm quid dicerent non haberent, relabebantur ad illud vetus, de contractu perfecto. Cùm Iosephus inseruisset aliquid de pecunia Gallica erogata in usus alios, graviter conquestus sum de atrocitate calumniæ, unde & nuper illa Caleti nata esset injuria & evictum rebus ipsis mendacium. Adhibuere & minas & blanditias ut pactorum Parisiensium approbationem mihi, quasi abstrusioribus mandatis concessam, exprimerent. Perstiti dicere nihil tale sperandum. Modò in Suedia conquesturos se de Illustriss. Excell. Vestra dicebant, modò Regem me amplius pro Legato non habiturum, modò velle per Feuquerium se gravissimè cum Illustrissim. Excell. Vestra de pactis violatis, illusoque Rege expostulare. Dixi jamdudum Feuquerium id saxum sine profectu volvere. Mei si heic non placerem, alibi usum fore. In Suedia non dubiè futurum, ut intellectæ rationes Illustrissim. Excell. Vestræ probarentur. Ad blandiora versi laudes Illustrissim. Excell. vestræ, per Davausium prædicatas narrare auctoritatem ipsius sibi maximè cordi, & in Suedica aula laborare se ut constitueretur, ne Illustrissima Excell. Vestra Directione se abdicaret, Maguntiaci velle se curam gerere. Benfeldium quanquam id non curare se præ se ferebant, maximè eos urgebat. Directionem credo eos facilè pati, si ipsi ejus ministerio omnia sibi destinata possent exsequi. Ceteris quæ in Pactis Parisiensibus culpari poterant aliquid adhibebant temperamenti. De Generalatu paratum Regem sic interpretari, ut ab eo honore Suedi, quamvis Principes non essent, non excluderentur. Conditionem illam de Saxone & Brandeburgico tantùm pertinere ad causam rumpendæ pacis cum Imperatore. Dixi & alia eò pertinere, etiam de Benfeldio. Alia ita ambiguè posita, ut ad belli aperti an ad auxiliorum tantùm tempus pertinerent, dignosci nequiret. De admissione ad jus Neutralitatis, ajebant conditiones referri ad consensum Fœderatorum: hoc ita verum dixi, ut tamen pars major juris in ea re Regi adscriberetur. Dicebant Regi & Cardinali se scripturos nihil posse peragi: fidem eludi. Respondi humanè & digresso Iosepho, paulo mitiùs agere cæpit Butillerius, cui ostendi quanto nos bello implicuissemus illorum promissis nixi: potentem esse hostem & qui non abstineat etiam alios in nos concitare: Quæ commoda ab auctoritate Illustriss. Excell. Vestræ fluxerint & fluere etiamnum possint. Si tamen Rex nos nollet Fœderatos, videndum quæ capienda sint consilia. illud sæpe repetii, non invidere nos Germanis Regiam liberalitatem, dum integra manerent quæ Suediæ essent promissa neque Suedorum consensu immutata. Ego donec responsum ab Illustriss. Excell. Vestra accepero, nisi aliquid se ostendat novi otio fruar & eos qui ad me venerunt officiosè resalutabo. Heusdio spem quidem pecuniæ olim debitæ ostentant sed eminus & ita ut satis appareat escam esse qua piscari posse sperant. Spero effecturum me ne de nobis deceptis jactent. Crebras ut literas & tuto habeam multum refert. Consentiunt pæne omnes Cardinalem sub onere negotiorum fatiscentem pleraque in illos quibuscum agere cæpi rejicere. Quod sæpe experta est Illust. Excell. Vestra ut duriores initio Galli mitescant paulatim, ubi illam ferociam nihil efficere vident, idem heic futurum spero. Interim Deum oro, Illustrissime & Excell. Domine, ut vestram Illust. Excell. diu sospitet foveatque. Lutetiæ 7/17 Martii, 1635.

Mitto simul exempla binarum quas primas ad Reginam misi literarum.

Beaumontium & Honardum se de legatione in Prussiam excusare intelligo. Beaumontii jam recepta excusatio. De Honardo dubium. Bicherus eo it & Andreas ex Frisia. Laudat Gracchus justam curam in dignitate tuenda. quod ad eum non venerit Stellæ frater improbat.

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

Reverendissime atque Illustrissime Domine.

VIx quenquam esse vestratuum puto, cui tantum obti- 372
gerit gaudium, cùm primùm Sanctitatem tuam provectam ad culmen illud Patriarchicum intelleximus, quàm mihi, non quod nescirem quàm ista fulgida nomina, sediumque eminentiam non admiretur animi tui supra omnia caduca positi magnitudo, sed quod Ecclesiæ Anglicanæ gratularer contigisse verum Præsidem, qui omnia, quantum res ferunt, ad purissimum antiquæ Christianitatis exemplar revocaret: quod ipsum bonum peccavero, si unius Regni aut etiam Britanniarum omnium Ecclesiis putem imputandum, cùm latiùs pateat, & ad latissimè sparsum Christianæ Ecclesiæ corpus, ita lacerum ut tamen fibris quibusdam sit connexum, pertineat. Sicut autem diu optavi aliquam nancisci occasionem, qua cultum tui meamque venerationem testarer, ita ornatus legatione in Galliam Reginæ Suedicæ nomine, putaram mandatam mihi curam non ita Galliæ includi finibus, ut non ad vicina fretoque non magno diremta Regna posset se transmittere: tuamque Reverendissimam Sublimitatem rogare, ut Suedici Regni & rerum quæ Suedi gerunt, salutem bonosque successus partem esse velit suæ sollicitudinis. Si privati aliquid publicis liceat adjungere, id præterea orabo, ut benevolentiam tuam quam tam liberaliter omnibus impartiris mihi clausam esse nolis, præsertim jam pridem aditum ad eam quærenti, quippe qui fuerim semper mansurusque sim constanter. Lutetiæ. 7/17 Martii, 1635.

Illustrissimæ Reverendissimæque Dominationi Vestræ observantissimus. H. G.

D. SMALKIO.

QVanto cum irrisu exceptus sit conciliator nimis dissi- 373
dentium Mileterius ex dicace Molinæi epistola nosci datur Smalcki Doctissime. De Grangio qui nunc Meti est, domum revocato, ut alibi quàm in Germania usum sui præbeat, rumor heic est, & facti causa Feuquerio tribuitur. Castilionæus, moram miror, in Lotharingiam nondum est profectus. Davausium magnificè acceptum Stockholmii, auditum à Regina, deinde à Senatu rumigerulæ chartæ loquuntur. Spiringio nostro cùm potestas abeundi facta jam esset, iterum eam rem controversam jam facere cæperat Garnassæus: sed omisit statim id consilium, remque feliciter cessisse dixit, quod sparsi de exportatis pecuniis mendacii veritas appareret. Quid agas de ea gente, quæ

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Mihi adversùs aulica tædia magnum est solatium in virorum literatissimorum colloquiis, quibus libenter id largio temporis, quod à negotiis decidi potest Rogo D. Broer-

Digitized by Google

Broerſium, Strasburgerum, Aulæ Magiſtrum, aliosque notos meo ſalutes nomine. Tibi omnia precor proſperrima. $\frac{7}{17}$ Martii, 1635.

Tui amantiſſimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine.

74 QVi rebus meis advertis fidem perpetuam præſtitiſti, quin proſperioribus gaudeas, non eſt dubitandum. Magnum ut in omnibus negotiis ita & in hoc animum præſtitit Magnus Suediæ Cancellarius, cùm maximos obices mihi mandandæ Legationi oppoſitos perrupit. Nam & Pavius, qui heic agit, Arſenio imitante, nihil non movit, ut admitterer, traxitque in auxilium ſui Reformatorum Principes, & Pontificiorum fervidiores meam præſentiam aliis de cauſis ſuſpectant. Superata tamen hæc, & poſtquam per Eſtræum Mareſcallum deductus huc ſum, miſit ad me Comitem Nancæum ſuum Protoveſtiarium Rex, qui mihi privatim adventum gratularetur, oſtenderetque placere Regi, quod mihi injuncta hæc eſſet Legatio, & optare eum ut ſit diuturna. Silvanectum ad Regem qui me deduceret miſſus ad me fuit Dux Mercœurii. Cardinalis abeſt. Interim eo volente cum Patre Butillerio cœpi agere. Lentè ſatis procedit negotium, ſed & nos mora uti poſſumus. Vt ſolent plerumque ſecunda & triſtia miſceri, & ut Poëta græcus dixit, velut in una naſci arbore, ita nos inter hæc pompalia filiam minorem amiſimus, ex itinere & intento frigore enato morbo. Cæteri adhuc valemus rectè, tibique Vir Nobiliſſime & uxori ac liberis pro amica ſalutatione gratias agimus, mutuumque reddimus ego, uxor, filius natu maximus, filia: nihilque optamus magis, quàm ut aliqua oriatur occaſio qua veſtræ in nos benevolentiæ reſpondentem animum poſſimus rebus ipſis oſtendere. 17 Martii 1635.

Tuæ Nob. Addictiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Illuſtriſſime Domine.

5 QVod nondum ad Cardinalem qui Realmonti agit deducor, cauſam eſſe potiſſimam puto exſpectatum Lagrangii adventum, qui nunc ad ipſum ivit res ſtatumque Germaniæ renuntiaturus, comitibus Butillerio patre & Ioſepho Capucino qui negotia cruda accipiunt, cocta ad Cardinalem deferunt. Et ſic interpretor quod mihi dixit Ioſephus Pactorum Pariſienſium Cardinalem eſſe opificem, ut nempe Ioſephus ea ſuggerentibus Legatis & Lagrangio conceperit, viderit, probaritque Cardinalis. Abiit jam in Lotharingiam Caſtilionæus cum XII peditum millibus, equitum duobus. Profectus & in Angliam Legatus extra ordinem Seniterrius magna nunc apud Cardinalem in gratia. Mandatum ei ut Anglis auctor ſit fœderis cum Batavis ineundi, ut junctis viribus, mari opes Hiſpanicas oppugnent, donec Palatinatus reddatur Dominis & Batavis detur pax cum pleniſſima libertatis affirmatione. Anglos eò venturos vix eſt credibile. At Hiſpani paratus fervent undique. In Italia putatur brevi futurus triginta millium exercitus collectus ex Tirolenſi connexiſque locis, ex Slavonibus & Albanis, ex ipſa quoque Hiſpania & Italia. Putant Itali idem eſſe conſilium quod antehac Ferræ & Cardinali Hiſpano fuit retentis ad tempus aliquod in Italia his copiis territandi Principes Italos ne Placentiæ exemplo Gallicas partes ſectentur. Poſtea futurum ut ſex ferme millia relinquantur in tutelam agri Mediolanenſis. Cæteri in Germaniam & pars in Belgicum finem tranſeant. Etiam naves longæ inſtructæ habentur, quaſi in oram Gallicam incubituræ, ſiquid Galli in Italia aut alibi moverint. In Hiſpania quoque & vetus militia ſarcitur & nova conſcribitur, tributa quoque indicuntur aſperiùs quàm mos eſt, conquerentibus imminui libertatem ſuam Catalanis tam calidè, ut niſi mitigetur exactio metus ſit civilium armorum. Principem Arauſionenſem & pecuniæ pridem debitæ ſed in hoc tempus dilatæ exhibitione & pollicitationibus impellit Charnaſſæus ut quàm primum producat exercitum, ac ſic Hiſpanicas in Belgico ſine retentet, ne in Lotharingiam in quam ſe nunc injecit Princeps Thomas, aliaque Germaniæ irruant. Exſpectatio de irruptione belloque aperto in Belgicas provincias apud multos, refrigeratur. Reformati multa queruntur de captionibus quibus libertas conceſſa quondam circumciditur, & quanquam pæne proſtratis tantum animi nuper fuit, ut Loduni ſcholam ab ipſis poſſeſſam, ſed monachis reſtitui juſſam, vi armata defenderint, ego ſi ſapiant, quieturos puto. Et tamen non arbitror futurum ut adeo contemnantur homines, etiam nunc in quibuſdam Galliæ partibus numero validi & audaces, ſi aut in Hiſpaniam bellum agitaretur, aut Hiſpanus id agitare crederetur. Dicit ſæpe Cardinalis Riceliacus expeditas ſe habere cum Cæſare pacis rationes, id rumor ſic interpretatur, redditam iri Lotharingiam Nanciaco nudato; quominus id credam, me movet & Regis & Cardinalis animus gloriæ cupiens, & magna Galliæ in poſſeſſione Lotharingiæ utilitas, & quod munitiones intelligo dejici per Campaniam velut objectu Lotharingiæ ſatis tutam. Fertur ab aula nobilis vir in Suetiam mitti: id quo pertineat, çùm ibi ſit Davauſius, non ſatis video, niſi & illic volunt iis graſſari artibus quibus apud Batavos graſſatus eſt Charnaſſæus. Iam ex Batavia literas accipio. Hagæ erat Spiringius ſtatim abiturus. Honardus ad res Polonicas Suedicasque Legationem ſuſcepit. Promittitur ibi à vindice Callimachus cum Clodio credunt pauci. Regina Bohemiæ definitè ait ſe filiam malle cælibem ſemper ſervare, quàm Poloniæ Regi nuptum dare. Terentiam cum 14. 266. 52. 1060. 55. 17. ſæpe 22. 59. 78. 40. 81. 60. 26. 27. 46. 68. Deum precor, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, ut Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ valetudinem & res proſperet. $\frac{12}{22}$ Martii, 1635.

Illuſtriſſ. Excell. Veſtræ devotiſſimus Cultor H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobiliſſime Domine,

EX quo noſſe Nob. tuam mihi datum eſt, nunquam humanitatis, candoris veræque amitiæ tuæ mihi memoria 376
excidit. Et apud virum omnibus quas habet aut habere poteſt dignitatibus majorem, Reginæ Regnorumque Sueciæ Cancellarum cùm eſſem, ea dixi, quæ veri cura tuique ſincerus amor mihi ſuggerebant. Sueciæque rebus gratulatus ſum, quod in patriæ negotiis expertam fidem ſuis uſibus vindicaſſet. Nunc ad tot communium literarum communis ſtudii pro legitima libertate, religioniſque vincula cùm acceſſerit uni Regno addicta utriuſque opera, amor quidem mutuus fortè non habuit quo poſſet creſcere, ſed tamen neſcio quomodo is ipſe hoc quaſi condimento factus eſt ſuavior. Gaudeo Tuæ Nob. gratam fuiſſe collatam mihi dignitatem, etiamſi literarum tuarum abeſſet teſtimonium perſpectæ bonitati animi tui facilè crederem. Si quid eſt quod à me gratum Nob. Tuæ proficiſci poſſit: id ea certum habeat, ſe & veteris amicitiæ & hujus novæ connexionis jure poſſe mihi imperare. A Rege benigniſſimè ſum acceptus, ut memoria valet, non oblito mei. Dabò operam, ut ſi fieri poſſit inter duo Regna vera amicitia, conſiliorumque Chriſtiano orbi utilium ſocietas coëat: & ſcio quò minùs id fiat, penes Rectores Sueciæ Dominumque Cancellarium non ſtaturum. Vidi heic Helvetios Legatos, viros egregios: quibus ego vobiſque eorum ſociis Rhætis opto religionem publicamque libertatem non incolumia tantùm, ſed & ſecura. Id ita futurum auguror, quomodo augurem me tuo ſuffragio creas, ſi conventus veſtri minùs inertes minus-

Digitized by Google

que discordes fiant, quàm Francofurtensem unum, tres nunc Wormatienses in Germania vidimus: qui nihil aliud quam vicinis primum deinde & hostibus aperuerunt, quanta sint ejus gentis vitia, quæ nec ferro nec igni sanari potuerint. Optanda illis mens melior, aut si sibi sapere non possint, boni curatores. Philippi damnum non leve poterit in bonum verti, excitatis ad eluendum hoc dedecus Gallorum animis, quorum copiæ jam Spiram ab hoste captam circumsident: & contra Ducem Lotharingium, Principemque Thomam profectus est Castilionæus cum XII peditum II equitum millibus. Batavi nostri magnam spem conceperunt rumpendæ pacis Gallum inter & Hispanum. Videbimus, & si quid possumus non defuturi sumus impellendo negotio. Vale, Vir amplissime, mihi multis nominibus facte & faciende plurimi. Lutetiæ, 23 Martii 1635.

T. Nob. Ampl. addictissimus H. G.

IANO GROTIO.

Parens optime.

377 Differenti mihi ad te scribere, donec impedimenta primùm legationi meæ, deinde dignitati legationis objecta eluctor, ecce novum incidit vulnus, rupitque nondum bene obductas cicatrices. Vix à Rege, maximæ cum benevolentiæ testationibus & in Reginam cujus veniebam nomine & in me receptus, redieram, cùm Maria nostra supra vetus uteri malum itineris frigore invalida, longum malum exspectante Medico, nescio quomodo sine ullis pæne doloribus, pietatis ad extremum usque spiritum certa dans indicia, non nobis, qui eam secuturi sumus, sed miseræ huic vitæ eripitur. Ferimus hoc malum ego & uxor, ut solent malis durati. Et cur malum voco, si Deus datum suo jure repetit, si præmittit illam ad gaudia ad quæ juvenes non minùs quàm senes decet anhelare. Absolvit nos hic casus gravi sollicitudine inveniendi maritum, qui quod rarum est nostrûm utrique non minùs quàm ipsi placeret. Et si invenisset, tamen quantum periculum ne malè tecta ingenia dissideant crucemque perpetuam adferant. Vt omnia ex voto evenissent, gestatio liberûm, partus, educatio, quot quantaque incommoda, & illa cura pro suis, qua nos jam pro illa liberati sumus. Non Maria nostra per tristia ibit matris vestigia: non aspiciet infensos innocenti conjugi & quidem ob ipsam innocentiam infensos quæsitorum judicum vultus: non mariti conspectum emet carceris consortio: non terras terris mutabit longi exilii comes. Gratulemur ipsi quam Deus seculo exemit, antequam sæculi aut quæ dicuntur bona aut quæ sentiuntur mala nimis nosset. Gratulemur & nobis quibus usura ejus dum suavis & sine periculo amaritiæ fuit, concessa est. Quid est nunc in orbe Christiano sectis, dissidiis, bellis agitato, quamobrem vivere libeat? Quot vulnera ubique, quot sexus infirmioris opprobria, quot subitæ ac cruentæ mortes, quot viæ ad egestatem? Tota Bohemia, Moravia, Silesia extra se est & nobilissimarum familiarum solo nomine heredes aliena misericordia vivunt, si tamen vivere est diem de die trahere in mortis desiderio. Hæc mei animi cogitata, tibi, Parens optime, in hoc misi, ut tu materque mea, qui circa meos liberos non avum & aviam, sed patrem matremque semper egistis, pariter his mecum fruamini, & si quid habetis, quod addi possit, ejus me mutuo faciatis participes. Deum rogo, ut tibi matrique ad extremam usque vitæ clausulam adsit salutifer. Lutetiæ, 23 Martii novi Kalendarii 1635.

Tibi obligatissimus obedientissimusque filius H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

378 Legatum me huc venisse Reginæ Regnique Suedici nomine, Vossi Doctissime & amicorum optime, puto jam nunciatum illic esse vel à bene mihi volentibus, vel ab inimicis, qui quæ nolunt non præsentia tantùm, sed & eminus posita vident. Hoc igitur omisso, dicam Regis summam fuisse in me benevolentiam, magnaque ab eo documenta data, ipsi hunc meum in fines suos cum honore non vulgari reditum longe esse gratissimum. Bignonius, Thuanus, Cordesius, justæ satis causæ cur Lutetiæ aliquis, quamvis privatus, quàm alibi honoratus malit vivere, te amant tuique in omni sermone meminerunt. Tu quid nunc agas, fac sciam; imò fac sciamus omnes. Pastores Reformati jam sex è præcipuis me salutarunt: mirum quanta ex rebus adversis nata ipsis sit animorum conversio. Vnitatem Euangelicorum optant, & quantum in ipsis est voce, scriptis, promovent omnes. De dogmatibus controversis sentiunt leniùs quidam, ita ut non dissimulent se Melanchthoni magis favere. Sed de Anglia non scio unde acceptis rumoribus mira sibi fingunt: reduci simulacra, superstitiones diu abolitas; ad Papismum vix tantillum restare. Refello, & dico hæc ex nimio Puritanorum in Episcopos odio proficisci. Auctores suæ credulitatis laudant Subizii literas. Ex his, qui Anglicana hic gerunt negotia, longè alia intelligo: atque iis potiùs credendum urgeo. Blavius spero commissæ sibi tragœdiæ meminerit. Meum Petrum tibi commendo, partem quartam sobolis, cujus quinta fuerat. Vnica enim restat filia, erepta hujus ævi miseriis minore, subito quidem, si morbi quatenus apparebat naturam & Medicorum judicia respicimus, at ex proviso si ipsius spectamus animum morti pridem paratum. Ego hoc damnum & uxor sic ferimus ut non ignaros malorum decet: & quomodo tuum ut ferres optavi, nec dubito quin impetraverim. Vale, Vir Præstantissime, uxor & liberi nostri tuam ac tuos amantissimo animo salutant. Lutetiæ, 23 Martii 1635.

Tuus animo toto H. G.

NICOLAO FABRICIO PEIRESCIO,

Senatori in Senatu qui est Aquis Sextiis.

Vir Nobilissime atque Amplissime.

Qui rebus quondam adversis meis & dolorem & fida 379
solatia præstitisti, res ad meliora versas quin cum gaudio acceperis, dubitare est nefas. Puto jam prævenisse famam, sed tamen mei quoque officii credidi, tam bene de me deque omnibus & literis & literarum amantibus merito significare, missum me huc Reginæ Regnique Suecici Legatum: atque ita extricatum & patriæ meæ discordiis, & Germaniæ & tam longo ambiguoque bello malis, frui & cœli Gallici & amicitiarum veterum suavitate; ita ut mihi ad res, ut in mortali vita, beatas, nihil desit, præter conspectum vultus, sermonisque tui usuram: quæ tamen ipsa sarciri possunt partim epistolico commercio, partim de hujus amicitiæ possessione securo mentis cogitatu. Legi, & legi quidem libenter, quòd tuis in publicum benefactis mirè afficior, quæ ex libro Græco per te juris omnium facto, edita sunt Historiarum veterum fragmenta, non minimæ utilitatis. Pro ipso etiam editore, quem tui nominis reverentia ad hoc excitavit, multum debemus. Est multæ lectionis, probique judicii. Hic quoque abs te fuisset, non minus quàm ipse liber, latuisset in occulto. Iam illud quoque non minus me delectat, quod nemo est eruditorum, nemo ad eruditionem bona fide tendentium, qui per Provinciam tuam profectus, non inde veniat officiorum tuorum comitate obstrictissimus, ita ut apud omnes tinctus melioris homines, publici parentis nomen occupaveris. Talis igitur cùm sis, non multum mihi rogandus es, ut animum illum, tot tuis benignè factis mihi cognitum, perpetuò in me conserves, mutuumque tibi id de me polliceaaris. Vale, Vir omnibus modis Nobilissime. Lutetiæ, 23 Martii novi Calend. 1635.

AXE-

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

80 NVdius tertius per D. Gemmingium literas mihi ab Illustriss. Excell. vestra partim 9 partim 10 Martii vet. Cal. scriptas, accepi. Vetustiores aliæ datæ 2 Martii, hodie demum ad me pervenerunt. Pro quibus omnibus conjunctisque chartis res quæ geruntur edocentibus, gratias maximas habeo. Gemmingius heri ad aulam profectus obvio in itinere Cardinali facto huc rediit. Hoc manè misit ad me Cardinalis velle se mecum loqui, & simul adduci eum qui literas ab Illust. Excell. Vestra attulerat. Vbi eò ventum est pauca cum Patre Iosepho collocutus, qui ob id eo vocatus fuerat, Cardinalem qui se in reditum hunc suum in urbem distulisse colloquia mecum dicebat, nomine Reginæ Rectorumque Sueciæ, ac Ill. Exc. Vestræ salutavi, in amicitia & officiis benevolis ut perstaret rogavi, & literas illas mihi commendatas tradidi. De negotio mihi commisso agere statim cæpit, & adhibito ad sermonem Iosepho urgere Pacta Parisiensia perfecta sine ulla conditione. Satis Regem præstare quod milite ac pecunia res Germanicas, quibus & Suedicæ juvarentur, sustentaret: de pecuniis Gallicis, non ut sperabantur impensis, addebat duriora quædam. Ego steti præscriptis finibus, causas attuli cur credibile non esset à Leifflero & Streiffio definitè aliquid actum; si esset, tamen adeo inopinata ac Regno Suedico noxia non venire sub potestate verbis generalibus concessa. Adjiciebat monachus edoctum Regem me horum consiliorum Ill. Exc. Vestræ fuisse auctorem, & spem fecisse me per amicos multa Pactis Parisiensibus meliora impetraturum. Dixi confictum hoc ut multa antehac contra Ill. Exc. Vestram, præcipuè questus de atrocitate calumniæ super aversis aliò pecuniis. Dixit deinde Cardinalis videre se inter me & Iosephum minùs convenire. Velle se esse conciliatorem mutuæ inter nos benevolentiæ. Multum extuli Regis opes, facilè illum rebus Germaniæ illæsis, posse etiam Suedico Regno, quod tam difficili bello ac sumptuoso, dum Galliæ hortatus spemque auxilii factam sequitur, implicatum est, consulere. Cardinalis sicut de millione annuo spem destrictè recidebat, ita quid quantumque Rex dare vellet non dicebat. Ex Grangio didicisse se dicebat Iosephus, nihil aliud petiisse Ill. Exc. Vestram, quàm ut illud de Generalatu corrigeretur (in id paratum Regem dicebat Cardinalis) & ut Moguntiaci curam in bello & si pax fieret, ejus quod Ill. Exc. Vestræ decederet, rationem habere Rex vellet. In hac quoque re nihil difficultatis fore Cardinalis testabatur. Mirum verò Ill. Exc. Vestram tot ...ntisque voluntatis suæ significationibus nunc per me ...ultò majora postulare. Ego ad pacta Heilbronensia ...dii, eorumque ostendi æquitatem. Tot aliis apertam Re...s liberalitatem, Suediæ quæ exercitus, quæ classes su...entaret, non debere præcludi. Venimus mox ad ea ...æ Gemmingius attulerat, qui introductus literas obtulit. ...s lectis Cardinalis dixit ad Regem se missurum. Eum haud ...ubiè quod facit Ill. Exc. Vestra facturum vicissim, & ...ompendione transire malit an Regem Cardinalemque ...idere, arbitrio ejus permissurum. Videndæ quidem Ill. ...xc. Vestræ desiderio teneri & se & Regem, sed nisi de Pa...is Parisiensibus conveniri possit, plus mali quàm boni ex ...utuo conspectu fore. Suum fore consilium mitti quam ...tissimè Lagrangium qui de hoc ipso Ill. Exc. Vestram ...ddita salutatione officiosa certam faceret. Si quod habe...mus documentum Lutetiæ pacta liberæ probationi ser...a, in eo multum momenti video fore. Ajunt hi & Leiffle...n & Streiffium privatim publiceque contrarium dicere. ...arnassæum magnum viatorem (nam ex Hollandia subi...uc revolabit) apud Cardinalem vidi. Videtur hoc agi ...Gallia cum Batavis transmittendis inter se copiis itinera tuta habeant per citeriorem aut etiam ulteriorem Rheni ripam. Videntur Præcoquis locisque vicinis injecisse oculos sub tutelæ nomine: Certè ita video peritos rerum Cimonis existimare non diu se in Callimacho cum Hannibale fore. Pacta Charnassæana & hæc nova spem quidem belli aperti è Gallia in Hispanum faciunt, sed ita ut nihil sit quod Regem obstringat, ego nihil dum video cur id futurum putem, mihique assentientes multos in Batavis habeo. Sunt heic duo qui res agunt Anglicanas Wychus & Ogerus. Cùm Boutillerius dixisset injunctum sibi nequid cum Ogero ageret, isque id in Anglicam aulam renunciasset, mandatum inde utrique est ne quicquam cum Regis Galliæ ministris agerent. Ita ambo nunc otiosi agunt, nisi quod diligenter, quæ heic aguntur observant. Legatos & ordinarium & extraordinarium hinc in Angliam missos, ut illud Regnum novo suo cum Batavis fœdere illigent, non multum profecturos intelligo. Inter alia quærebat Cardinalis abeunte Ill. Exc. Vestra in partes Saxonicas quis sponsor foret non eum fore exitum ut seorsim Suedi rebus suis consulant. Ego priores actiones posteriorum sponsores esse dixi. Fuisse semper Ill. Exc. Vestram bonæ fidei nec quicquam egisse quod non generoso dignum esset animo. Inter alias itineris ejus causas & hanc esse ut Principes ac civitates ab omni pace Protestantium corpus divellente abducat. Non addidi quod tamen cogitabam, multò talia justiùs à Gallia metui, exemplo Pactorum Monsonensium quibus Rhætorum prope eversa res esset. Venetus legatus, præter ea quorum mitto exemplum, dixit mihi à Vienna doceri se Theologos in consilium ab Imperatore adhibitos. Item Electores tres Ecclesiasticos laudare formulam Pirenensem paucis additis aut leviter immutatis. Pontificis arma putabat non diuturna fore, collecta tantùm tutandis finibus, donec magna illa procella Hispanicarum copiarum parte sui levasset Italiam. Extra Pontificem ad fœdus Germaniæ Catholicum ex Italia nullum Principem quicquam conferre: sed ab Ecclesiasticis aliquantillum pecuniæ corrogari. Et hæc quidem sunt quæ comperi hactenus. Conjectura verò mea de Gallicis consiliis hæc est. Primùm pecuniæ parcere quantum fieri potest; deinde etiamsi novum quid paciscendum, id ita facere, ut appendix fiat non Heilbronensium Pactorum, quorum ad mentionem trepidant, sed Parisiensium quæ altu ipsorum facta multas in se insidias continent. Conspectum Ill. Exc. Vestræ non expetunt, nisi spem firmam conceperint ea se occasione eripere posse quod hactenus per Feuquerium & Lagrangium frustra moliuntur. Dixit mihi Charnassæus Arausionensem Principem amice admodum de me statuque rerum mearum ex ipso percunctatum. Ego si Ill. Exc. Vestra ad aulam non venit, videor eum posse convenire Remis. Sed temporis quo ipsa Meti discessura est, certior fieri si qua est ratio percupiam. Naves præsidio maritimi itineris à Gallis vix est ut exspectem, adeo omnia eò pertinentia apud ipsos sunt imparata. Principem Arausionensem puto curaturum si admoneatur (& ut admoneatur faciam) ne ex Hollandia desint. Deus, Illust. & Exc. Domine, diu Ill. Exc. Vestram servet incolumem iterque ejus sospitet. $\frac{14}{24}$ Martii 1635.

Hæc postquam finieram intelligo, & præsidiariam navim promitti, & paulo apertius testari Proceres adventum Illu. Excell. Vestræ in aulam quæ non longè futura est ab Vrbe desiderari. Id facit ut credam remissuros illos nonnihil de solito rigore, & ad æquales fœderis leges venturos: quod ut fiat è re Suedici Regni & Illustriss. Excell. Vestræ existimatione opto toto animo. Literæ è Batavis recentes significant apud Provincias adhuc deliberari super iis quæ Charnassæus proposuit. E Dunquerca XII. naves in Oceanum Hispanicum abiere, *Brasiliam ituræ*, ut creditur. D. Skyttus oratione ad Fœderatos Ordines habita demonstratis causis, cur Regni spe interclusa sit Sigismundi posteritas, petiit nequid armorum è Batavis in Poloniam mitteretur $\frac{13}{23}$ Martii.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina mea Clementissima

381 Salutavi hodie nomine Sacratæ tuæ Majestatis Galliæ Reginam quæ in Vrbem nunc demum rediit: officium hoc & testata ipsi meis verbis Tuæ Majestatis amicitia, quantum ex sermone vultuque benignissimis judicare licuit gratissima ipsi fuere, nec minùs nuntiata Majestatis Tuæ & valetudo & res prosperæ, quas illa ipsi diuturna precatur, optareque ait ut rebus ipsis ostendere possit, quanti æstimet amari à Maj. Tua, quamque sit parata mutuum facere. Magnus Maj. Tuæ Cancellarius ex locis Rheno adsitis Albi propiora petens, cùm tutissimum per Galliam iter judicaret, Regi id significavit & Cardinali Riceliaco, expositis consilii sui gravissimis causis, simul an iter, qua brevissimum deproperare deberet, an coram ipsis conspectu colloquioque jungi, arbitrii faciens ipsorum: qui ita ostenderunt desiderio ipsius videndi teneri, ut tamen omnia ipsi ad deliberandum integra servaverint. Interea paratur & hospitium, ministeriaque Regia eo apparatu qui satis conspicuum omnibus faciat, quanti in hoc Regno fiat Maj. Tuæ amicitia. De novando tamen fœdere cum Maj. Tua quid exspectare debeamus ne nunc quidem cum Cardinali collocutus certò adfirmare possum, nisi quod in Gallia sæpe multum profici non festinando didici. Deum rogo, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima ut Maj. Tuæ omnia secundissima largiatur. Lutetiæ. 19/29 Martii, 1635.

Tuæ sacratissimæ Maj. obedientissimus subditus H. G.

BENEDICTO SCKYTI.

Illustrissime Domine.

382 Magno cum gaudio ex literis Ill. Vestræ cognovi non excidisse mei memoriam ipsius animo, quod & liberaliter suis ad me literis indicavit affinis meus Senator Reigersbergius. Habeo & gratiam quantam maximam possum pro gratulatione ob mandatam mihi hanc Legationem, & quæ adjuncta sunt bona omina. Ego itidem nihil magis opto, quàm ut mea in Regnum Suedicum fides ac diligentia speratos successus consequatur. Veni, quod doleo in tempore, quo amicitia quæ Regnum inter Gallicum Suedicumque esse debet, multis sparsa est nebulis, quas dispellere non ita est facile. Sed dies multa corrigit, multas quoque non negligentibus occasiones suppeditat. Tibi bene evenisse mandatas res in iis quæ jam obiisti locis, ut lætor, ita ut felicem operi summam in Anglia imponas unicè opto. Redit ad te filius levi incommodo, facilè ubi quieti & consiliis se dederit, remedium inventurus, quem ego iis reperio ingenii animique virtutibus præditum, ut seposito tanti patris nomine, per se amari plurimumque fieri debeat, mihi verò semper utraque de causa futurus sit charissimus. Vnicum dolet quod non quanta vellem exhibere ei potui amicitiæ testimonia. Ego quem aliis commendaturus fueram, patri non quidem commendabo, sed dicam quod res est, talem mihi repertum quales meos esse ardentissimè exoptem. Deum rogo ut tibi, Illustrissime Domine, familiæque tuæ adsit propitius favensque. Lutetiæ, 19/29 Martii, 1635.

Illust. Vestræ addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Suetiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

383 Multis modis me delectarunt literæ tuæ. Nam & singularem in me benevolentiam tuam, quam meritò facio maximi, abunde ostendunt: & dulcissimæ amicitiæ, quæ mihi cum viro Nobilissimo Ioachimo Camerario filio tuo intercessit, semperque mansura est, sensum mihi innovant: & defuncti affinis mei Reigersbergii gratam complectuntur memoriam: & super injuncta mihi Legatione, in qua nihil tanti facio, quanti tibi, viro tanto, me factum esse collegam, gratulatione perfunguntur, & multa me docent, quæ juvet didicisse. Quare enixè te rogo ut credas nihil mihi talibus literis accidere posse gratius. Id enim si noris, ut sponte sua ad conferenda beneficia promptus tibi, generis tui ingenio, est animus, non omittes, quantum res tuæ ferent, me beare. Excellentissimus D. Cancellarius aut jam Meti est, aut cras eo veniet, per Galliam Caletum, inde porro ad vos, atque illac in Saxonicas partes abiturus: cujus consilii sui causas, nempe ut operam det ne qua cum Cæsare instituatur pactio, quæ corpus Protestantium laceret, utque bellum si opus sit geratur, majore quàm antehac consensione, Regi Cardinalique significavit, simul duo indicans, & res festinationem itineris poscere, & se ipsos salutandi mandataque coram accipiendi singulari teneri desiderio: Vtrum autem utri præferre debeat, ipsorum se facere arbitrii. Rex ita quidem rem ipsi reliquit liberam, ut tamen, si commodum est eum invitet, omniaque in adventum ejus, de quo tamen nihil certum habeo, parantur magnificè. Si huc veniat & coram ipse pro summa non minùs rerum cognitione, quàm potestate, tollat difficultates quæ novum fœdus morantur hactenus, erit quod gaudeam me levatum molesto fasce, ac proinde lætiore posthac otio fruiturum. De eo fœdere quod Gallos inter & Batavos cusum à Charnassæo est, fervent & heic & per Germaniam rumores. Et multi qui quod volunt facile credunt, brevi intra Atrebatum vicinosque fines visuros se Gallica signa spe velut certa præsumunt: quò magis aveo videre pacta, quæ sicut spem facere professæ hostilitatis non dubito, is enim ab aliquot annis mos Gallis fuit, ita obstringi ad id definiti promissi vinculo Regem, non puto. Talia autem bella quibus pars sociorum magis magisque implicetur, & auxilia duris minusque ad res suas tutandis aptis legibus redimat, pars autem sociorum altera extricare se cùm velit possit, quantum periculi cælent non latere te, persuadet mihi summa, qua polles, rerum experientia, & ipsa quam ad me misisti epistola satis id loquitur. Wormatiæ conventus nihil ferme eximium egit, nisi quod inter ducem Bernhardum Vinariensem & Ordines de Imperio militari ipsi mandando, Conciliatore D. Cancellario, convenit. Saxonicorum Ordinum miror prudentiam, qui ab Electore consilium postulari suadent, ne quam seorsim pacem faciat: Sociorum omnium præsertim Suetiæ tam insigniter meritæ de Germania habeat rationem non exclusa etiam à pace Domo Palatina: æmulatuum inter Austriacam Domum & Francicam, ne aut se aut Germaniam esse velit participem, multaque alia egregia. Masarinus aliique suadent Regi ut Lotharingiam munimentis præcipuis nudatam Domino reddat. Ego neque Regem neque Cardinalem tam dejecto esse arbitror animo, de ea re ut cogitent. Vt non Batavos tantùm sed & Anglos hostes Imperatori faciant, multùm laborant. Id vero quamvis magnum & grave est, apud Batavos multò est quàm apud Anglos effectu facilius: ubi præter Legatum ordinarium extraordinarius nunc agit Seniterrus, Cardinali factus ex inimico carus admodum. Laborem tuum in resarciendo fœdere Suedos inter & Batavos non irritum fore auguror, cùm Prussici vectigalis onus ipsa consuetudo talium mitigatrix, tolerabilius effecerit. Pro curatis ad Reginam & D. Skyttium literis obligatum me habes Deum precor, Illustrissime Domine, te ut publicis negotiis diu servet, florentemque cum omni familia præstet. Lutetiæ, 30 Martii novi Cal. 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ semper addictissimus H. G.

PE-

Digitized by Google

PETRO CORNELIO HOOFD.

Nobilissime atque Amplissime Domine.

384 MOrator & trico meritò videar, qui ad humanitatis veræque amicitiæ plenas literas, Legationem mihi imperatam gratulantes, tam serò respondeam, nisi causam haberem, quam & ipse conjectura assequi te posse opinor, approbaturum certè non dubito. Cùm enim illi homines, qui me oderunt ideo implacabiliter quia sine causa oderunt, etiam huic rei ad se non pertinenti obices quæsivissent, nolui aut fama adhuc dubitante gratulationes admittere, aut amicis non satis liquidum præbere gaudium. Nunc in urbem introductus, quanto cum honore maximo Legati solent, à Rege verò etiam multò benigniùs quàm alii auditus, itidemque à Regina, Regii sanguinis Principibus, Proceribusque, eos qui adversis meis seriò indoluerunt, qui resurgentibus non ita dudum in me procellis amicitiam meam non erubuerunt, sed eam plurimis maximisque officiis palam testati sunt, neque deliberantem de me fortunam in consilium vocarunt, hoc solatio fraudandos non putavi, ut videant suam constantiam animumque adversùs mala immotum Viri Maximi Oxensternii judicio probari. Hos autem inter, Vir in omni ut studiorum, ita & virtutum genere eminentissime, nisi tibi principem assignem locum, tum verò ego omnibus iis dignus sim, quibus me indignum esse tu semper judicasti. Spero laborem mihi impositum, & Suedico Regno & Gallico, patriæ etiam ei mea quæ fuit, toti denique Orbi Christiano, quam semper potissimam patriam duxi, fore non inutilem: idque eò opto magis, ut hac fruar de inimicis innocente vindicta, sitque vobis, amicis meis, unde quamvis pertinacibus possitis ostendere, non errasse vestra de me judicia. Deus tibi, Vir Nobilissime, uxori tuæ lectissimæ feminæ, liberis suavissimis det inoffensos vitæ cursus. Idem mea & mei precantur. Lutetiæ, 30 Martii, 1635.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

BENIAM. AVB. MAVRERIO.

Nobilissime atque Amplissime Vir.

385 SI non magna pridem documenta habuissem tuæ in me perpetuæ nec ullis interruptæ casibus benevolentiæ, haberem nunc recens in utroque fortunæ meæ vultu. Nam bonis malisque tangi alterius non illo communi humanitatis, sed propiore & strictiore animi sensu id verè est amicum præstare. Facis & hoc amicè admodum quod tuum ejusdem generis dolorem cum meo communicas. Nescio enim quomodo meliùs se fert sparsus dolor. Ego non tantùm cum Philosophis scio natam fuisse filiam meam sub lege communis mortalitatis, sed cum Christianis certum habeo, non aliud esse iter ad vitam tranquillam & perpetuam, iter ab ipso duce unde nomen illud oritur consecratum. Quod si & tempora nostra quæ sint respicimus, quibus non homines tantùm innocentes, sed gentes totas in exilium actas videmus ad egestatem, dejectas Illustres domos tot ex voto confecta matrimonia malè cedentia, quid est cur non gratias etiam debeamus Deo, non ob id tantùm quod in usuram nobis filias dedit, sed & quod eas periculis adeo crebris, adeo manifestis exemit. Tum verò quod triumphantibus dici solebat, idem in hac vita pompatica expedit, ut in tam propinquum mihi adacto fulmine, dicam ipse mihi, hominem me esse. De altero incommodo tuo, quod innuis magis quàm eloqueris, aliquid jam uxor mea ex Marbaldi uxore inaudiverat. Vtinam quàm mihi dolet id malum tam ei possem reperire levamentum. Vxor filiusque & filia te, tuam, tuos officiosè salutant. Lutetiæ, 30 Martii, 1635.

Tuæ Nobiliss. & Ampl. semper addictissimus H. G.

SAMVELI PETITO.

LEgum Atticarum egregiam συναγωγὴν [*collectionem*], Vir Præstantissime, cum notis exquisita eruditione refertis, in Germaniam mihi destinatum munus accepi in Galliam ubi perveneram Legationis causa mihi à Regina Regnoque Suedico injunctæ. Tam sæpe me beneficiis obligas ut nova verba mihi desint ad agendas gratias, consumptis jam veteribus. Ergo quid debeam pro tam benevolo animo, & pro tam eximio munere animo meliùs recolam, quàm exprimam sermone. Ego nunc quod reddam nihil habeo, nisi ut Deum precer tibi ut vitam & valetudinem & res florentes præstet, ut tranquillo in otio multa nobis talia possis procudere. Illud addam, si qua unquam se ostendat materia in qua possim te quanti faciam ostendere, non tibi id quàm mihi gratius fore. Vale Vir nate ad bene de literis merendum. 30 Martii, 1635. 386

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

TRevirorum urbem Gallis ereptam pro certo habet Cardinalis aula. Lagrangius negare, & pernegare non desinit. Fuit enim heri apud me: quò minùs est cur ei credam affirmanti prope eadem quæ Pater Iosephus dixerat. Illustriss. Excell. Vestram, si inter Regnum Gallicum & Suedicum conveniret de pace aut pactione cum Cæsare non instituenda nisi communi consensu, & in eo ut haberetur ratio impendiorum Suedicorum Maguntiacique tutelam Rex susciperet, nihil ultra postulare: quibus id ultro addidisse Regem velle se & si pace redderetur Maguntiacum, etiam damnum quod in eo factura esset Illustriss. Excell. Vestra sarciretur. Ego quod Cardinali dixeram repetii, esse quidem illa præcipua sed injuncta mihi & alia à quibus discedere non possem. Cùm & de pecunia auxiliari injecissem sermonem, ejus ne teruncium quidem sperandum dicebat, sine tamen colloquii ad rem eandem delapso, addidit siquid Rex dare vellet id daturum liberaliter, sine ulla obligationis necessitate. De negotio quod Spiringio fuit exhibitum mirabatur ut planè ignarus. Vt directionis nomen Illustriss. Excell. Vestræ conservaretur, multum ajebat à se & Feuquerio laboratum, eorumque opera rem confectam. Electoris Saxonis referebat verba in Illustriss. Exc. Vestram aspera, neque illum hac pacifica in speciem actione aliò tendere, quàm ut totius Euangelici corporis in se transferat directionem. Ego verò testabar existimare me Saxonem re ipsa appetere pacem, si modò eam tutam satis reddere possit multis in ejus societatem perductis. Mitti hinc Virum nobilem dicebat in Sueciam unde jam discessisset Davausius. Sermones multos cum D. Skytti filio, ut rescivi miscuit & quantum conjicere potui suasit ei, quamvis à patre in Angliam vocato heic ut subsisteret. Sed is juvenis & patris præcepta & mea secutus consilia abiit. Cum Heppio quid moliatur, nescio. Inter alia quæ attuli cur Suedis pecunia auxiliaris negari non deberet, quamvis in Germaniæ usus militem Rex aleret, Hollandorum exemplum attuli, quibus præter XII militum millia duos milliones hoc anno Rex promitteret; & cùm diceret desiturum Regem hæc dare si ipse hostilia in Hispanum captaret, respondi nihilo magis Imperatoris hostem esse Regem quàm Hispani. Custodem sigillorum Francicorum vidi, magni facit Illustriss. Excell. Vestram & ait velle id se rebus posse ostendere. Puto eum ex animo loqui. Est enim honestorum studiorum & priscæ probitatis: sed ipsius auctoritas majore potentia premitur. Paratur in hac urbe (ubi Rex sub ipsum Pascha futurus creditur) nam hactenus ad S. Germani vicum agit, hospitium Illustriss. Excell. Vestræ domus destinata omnibus extraordinariis Legatis, & ajunt admissionales cuncta fore magnifica. Comes Suessionensis mandatum habet obviam eundi Illustrissim. Excell. Vestræ. 387

 Præ-

Præcurret ut ipse dicit Lagrangius. Ego simul sciero ex duobus itineribus utrum sit institura Illustriss. Exc. Vestra quàm potero celerrimè eam ut videam operam dabo. Duo metuo ne ea Illustriss. Excell. Vestræ proponant, quæ accipere parum ex usu sit, recusare odii plenum, deinde ne properanti variis obtentibus injiciant moram. Sed ea est tam exercitæ mentis prudentia, ut rebus etiam difficilioribus apta remedia facilè sit repertura. In quo acquiescam & super omnia in divino præsidio quod Illustriss. Excell. Vestræ Illustriss. & Excell. D. perpetuum precor. 22 Mart. / Cal. April. 1635.

D. WITTE.

388 BElli mala, Vir Nobilissime & Amplissime, etiam hoc præter cætera incommodi adferunt, quod inter amicos literæ & difficiliùs & tardiùs commeant. Nam tuas Ianuario scriptas, Aprili accipio, destinatas in Germaniam, ipse jam in Gallia vivens, Reginæ Regnique Suedici Legatus. Cùm scirem quantum in consiliis Gallicis aut promovendis bonis, aut noscendis malis momentum esset ad res totius Christianitatis, delectatus etiam multorum virorum & bonorum & non mediocriter eruditorum in Galliis amicitia, ita credideram semper cùm in patria vivendi cum dignitate locus mihi nullus esset, nullam mihi contingere posse sedem, quàm in Gallia, meis studiis communibusque negotiis aptiorem. Et cùm intellexissem jam Hamburgi, non abscedere à mea hac voluntate Excell. Cancellarii destinata, simulque prævideren ab adversatoribus in patria meis, quorum in me odium implacabilius est, quia sine causa est, exspectandum mihi, quicquid malitia suggerit, quò minùs homo ab ipsis dispretus & conculcatus ad dignitatem, non modò tantam, sed vel aliquam pervenirem, ita ad ipsum ire constitui, ut propositum hoc meum & D. Salvium & D. Aysemam ipsum etiam hospitem meum & familiares meos celarem, gnarus sæpe amicos etiam officiosa voluntate dum aliis fidunt, ea ut emanent efficere, quæ ignorari quantum attineat ipsi, multorum ad rem pertinentium ignari, nequeunt intelligere. Neque me fefellit conjectura. Nam rumore expetitæ iterum à Danis operæ meæ tam diu sustentati sunt qui mala mihi, quia fecerant, volebant, donec ad Excell. Cancellarium pervenissem, & ab eo exceptus essem sanè quàm honorificè. Tum verò undique insurgere procellæ. Sed multò magis ubi volitavit fama id agi ut Legatus in Galliam mitterer. Non credas quæ tum tempestates surrexerint!

Una Eurusque Nothusque ruunt, creberque procellis Africus.

Hæc ubi frustra fuere apud viri verè constantis animum, in Galliam ut veni, tum verò iidem laborare ne à Rege admitterer, ita ut Legatum Regium decebat. Id quoque tam malè illis successit, ut non modo ad solita honoris nihil defuerit, sed & Rex per domesticos primùm, deinde ipse mihi voce, vultu, gestuque significaverit, nullum ad se mitti potuisse qui esset acceptior. Princeps Condæus, ut eum adii, postridie me domi meæ resalutavit, multaque alia mihi evenerunt, quæ enuntiare nolim nisi apud amicum & fidum & veterem. Ac ne huic quidem dicerem, nisi ut ipsi, cui probari omnia mea percupio, constarent consiliorum meorum rationes. Quæ mihi tuo nomine renuntiavit uxor (nam memoria valet) rectè intellexi, & cum sermonibus ante inter nos habitis contuli. De funiculo triplici non improbo, & multa video quæ eò ducunt. Intellexisti de Philippiburgo. Intellexisti de Treviris. Multa possem addere alia, si coram loqueremur. Iungi inter vicinos commercia quis est qui malit, quàm qui de mari libero scripsi? eoque in genus humanum merito multorum tamen in me concitavi odia? sed quæ spes ut tuta eà sint atque florentia, quamdiu Germania partim bello fervet, partim bellum per regiones obambulans exspectat? Video mercatores optimos ac prudentissimos, perindeque videntes periculum, etiam lucra quibus inhiant omittere dum damna metuunt. Cum Polono quid nobis futurum sit, haud facilè dixero, sed initia colloquii displicent, repetito à Vladislai legatis nomine pridem apud Suecos oblito. Neque tamen ita fuere hactenus experimenta, ut Polonos Suedi nimium metuere debeant: sed expediti illi Russico simul Turcicoque bello facilè id nobis negotii facessere possunt, ut Germanis cùm maximè laborantibus minus in nobis sit futurum præsidii. Hæc in amici sinum effundere non dubitavi, unde vir prudens facilè colliges, quid sperari quid metui debeat. Ego si quid contribuere ad utilitates publicas possim, scis quàm privata contemnam, quàm ne offensarum quidem in rebus honestis sim metuens. Tibi amicisque nostris ac benevolentibus omnia precor prospera, & ut sine vestro malo mala hæc publica transeant. Notarum ubi opus erit meminero. 25 Martii / 4 Aprilis 1635.

In Batavos si iveris, reperies ibi senatorem egregium Reigersbergium uxoris meæ fratrem, in quo eadem quæ in me reperturus es. Scribam ad ipsum ut te sciat à me magni fieri.

PAULO DU MAY,

In supremo Burgundiæ Senatu Consiliario.

REsponsi ad literas aliquot tibi debitor, Vir Amplissime, nihil habeo, quod scribam potiùs, quàm in hoc nos laborare totos dies, ut bono cum exercitu brevi mittatur Dux egregius Wimariensis, damna Burgundiæ vestræ hostium damnis ulturus. Qua de causa ex speciali Reginæ Dominæ meæ mandato allocutus his diebus Regem Christianissimum pollicita accepi digna magno tanti Principis animo. Qui ab exercitibus Suedicis ad me veniunt, ajunt eos vegetos validosque esse; Banerii apud Torgaviam, Leslæi ad Salam, Vrangelii partim ad Custrinum, partim ad Dresam in Brandenburgico agro. Sollicitamur ad pacem per Sigismundum Brandeburgica è domo Marchionem. Sed Suediæ Rectoribus stat sententia, sine Rege Galliæ, cujus & merita & amicitiam faciunt maximi, nihil pacisci. Pacem optant, sed honestam, solidam, diuturnam, qualis ab hostibus prospera sua nimium confidenter urgentibus obtineri, nisi retusa eorum vi, elatisque animis repressis, non potest. Ideo novi per Suediam delectus fiunt, cunctaque parantur bello necessaria, instigatore præcipuè Magno Cancellario, qui nunc in Suedia cùm sit non minùs utilem se rebus Germaniæ præstat, quàm dum in Germania. Dux partium egit, eò sua cuncta consilia referens, ut ex eventu ipso videat Orbis Christianus, quo proposito Rex incomparabilis Gustavus à Balthico mari ad Rhenum Danubium vincendo penetraverit, quibusque votis intactum pavori sanguinem suum impenderit. Vale, Vir Nobilissime & nos amare perge. Lutetiæ 9 Aprilis, 1635. 389

D. GRUBBIO.

Nobilissime Domine.

ET gratam habeo pro injuncto mihi Legationis munere gratulationem, & ex animo amicitiam spondeo mutuam, & literarum hoc commercium rebus utrique mandatis utile, mihi verò jucundum, non deseram colere. D. Magnus Cancellarius dies jam sunt duodecim Argentorati visus scribitur, unde colligimus non longè ipsum hinc abesse, per Galliam iturum ad mare, unde ad vos iter properabit, quantum poterit. In ipsius adventum pendet dilata novo ex usu utriusque Regni pactio. Galli ut Batavis ita & Germanis spem faciunt aperti in Cæsarem belli, neque minùs in Hispanum. An responsurus sit eventus, varii, ut fit, variè judicant. Rex ipse hinc abiit propius Belgicum finem. Superioris Germaniæ res tristes, amissis Augusta Vindelicorum fame, Philipsburgo 390

Digitized by Google

go & Trevirorum oppido haud dubio Gallorum neglectu; adversùs tot mala unico in Spiræ receptu solatio. Gallicus sub Lafortio exercitus à Rheni ripa, cujus custodia Duci Bernhardo mandatur, retro in Lotharingicum limitem ducitur, ut jungatur cum altero sub Castilionæo exercitu quibus communiter imperaturus est Condæus Princeps. Fervet ibi bellum & Monspellicardi obsidione Lotharingi Ducis premitur. Ad Rhætos iit Rohanius cum exercitu imminuto ad mille ferme & sexcentos: sed favit illis ex partibus fortuna Gallis jam ante adventum ejus capio à Gallis qui præcurrerant, castello Riva, quo aditus ex agro Mediolanensi in Telinam vallem impeditur. Quid Saxo facturus sit Gallia Germaniaque sollicitè exspectant. Si perstat Brandenburgicus in consilio, nihil seorsim à sociis agendi, sperari puto posse etiam Saxonem communia & tuta prælaturum privatis ac periculosis. D. Magni Cancellarii adventus etiam in hoc utilis esse poterit, ut de Archiepiscopatu Magdenburgensi inveniatur aliqua Regnum Suetiæ cum Electore Saxone conciliandi ratio. Concordia enim inter Protestantes si unquam nunc certè opus est. Non desinit Masarinus Pontificis Nuncius, in ipsorum damnum, fabricare pacis Austriacæ domus cum Galliæ Regno consilia: verum non facilè cusu est id opus. Deus det quæ in commune sunt salutaria, idemque tuam Nob. & res ejus prosperet. Lutetiæ, 11/21 Aprilis 1635.

T. Nob. Addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

391 Magnum Cancellarium, qui Argentorati visus scribitur, sub ipsum Pascha novi Calendarii, non ego tantùm avidè exspecto, ut præparatis Pactionibus sua autoritate finem imponat, sed & Rex ipse, qui hinc Compendium abiit, speculandis è proximo magis rebus Belgicis Germanicisque, & pro tempore capturus consilia, aut pacis Masarino suasore, aut tam diu sperati à vicinis belli aperti, aut sociorum mala sublevandi auxiliis, quàm antehac, majoribus. Montempellicardi Ducis Lotharingi miles obsidet. It eas partes curaturus Princeps Condæus imperaturus & Castilionæo & qui cum eo jungit copias Lafortio. Sed mirum quàm citra famam stet verus illorum militum numerus. Etiam qui sub Rohanio in Rhætiam it exercitus, vix mille & sexcentos habet: sed commodè evenit quod jam ante ejus illuc adventum duce Landelio Normanno, qui in vicinis præsidiis agebant, Galli cepere Rivam, tribus leucis à Fontani nobili castello distans, Vallis Telinæ contra Mediolanenses aditus munimentum. Frater Regius videtur se in rebus omnibus, etiam in dissuendo Lotharingico matrimonio, Regis arbitriis aptare. Reformati in Languedocia conventu habito constituerunt tueri possessionem ejus quam antehac habuerunt libertatis, contra novas Regiorum Parlamentorum ac magistratuum, ipsiusque consilii Regii interpretationes, quibus res ipsorum quotidie accidebantur. Id quem sit habiturum eventum, magna ex parte pendebit ab eo, qui futurus est Galliæ cum externis rerum status. Hispanus apud Barcinonem & Perpinianum copias colligit mediocres: in Italia ingentes, quibus primùm Italorum in Gallos studia compescat, deinde per Germaniam Belgicamque arma alat. Controversia quæ ipsi cum Catalanis exorta erat ad concordiam revocari dicitur. De Lusitanica classe tempestatibus disjecta veremur ut satis certus sit rumor. Deus, Illustriss. Domine, tuam Ill. Domin. diu in rebus prosperis servet. Lutetiæ, 20 April. 1635. novi Cal.

Illustriss. Dom. tuæ addictissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine.

Perscriptis jam ad te meis literis, tuas accipio 9 Aprilis novi Calendarii datas, multis nominibus gratas 392 mihi, præcipuè verò Viri Nobilissimi atque eruditissimi filii tui mentione, quem cùm mihi commendas, satis semet commendantem bonis omnibus, operam insumis non necessariam, at mihi suavem tamen, quando & amicitiam nostram tua sancis auctoritate, & de me quàm bene existimes, certius indicium dare non poteras. Utinam quàm ipsi bene velle debeo, tam præstandi aliquid, ipsum quod juvet, sit copia. De navibus quæ Virum Maximum D. Cancellarium travehant deducantque, gaudeo te curam gerere. Nam quas Galli de sua classe promittunt, iis vereor ne aliquid necessariorum desit: adeo illa pars virium heic tractatur negligentiùs. Fedus novum Gallos inter & Batavos per Galliæ Legatos Regi Britanniarum exhibitum jam fuit, magis ut honos ipsi haberetur, quàm in spem societatis. Ego ejus federis exemplum nondum vidi: sed à me impetrare non possum ut eos credam fore eventus, quos alios video animis præsumere, eoque minùs, quod quæcunque nunc Galli paciscuntur federa, ea claudicare video, qua in re tuam Viri tam experientis sententiam à mea non discongruere ex literis tuis cognosco. Quas ad Magnum Cancellarium destinas, ut rectè perveniant curam suscipio: nunc quidem de ipso, nisi quod in itinere est, comperimus nihil. Neque occurrere illi licet, quamdiu qua sit venturus via, & in urbem ne an ad ea loca in quibus Rex agit, incerti sumus. Filiæ nostræ translationem ad ævum melius ita ut debemus ego & uxor ferimus. Ea sunt tempora: ut qui sæculi malis ac periculis eximuntur felices merito censeri debeant. Turca classem paratam habet, ob quam sodales Melitæi ad insulæ ejus tutelam evocantur. Vale Vir Illustrissime. Lutetiæ, 21 Aprilis, 1635.

Tuæ Illustriss. Dom. addictissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine.

Postquam abierat hinc ad te meis cum literis is quo so- 393 lemus uti tabellarius, advenit ad me Magni Cancellarii domesticus, qui Tullis ipsum reliquerat nudiustertius, parantem ad Regem, ububi esset, (est autem nunc Compendii) tendere. Is domesticus equis advenit celeribus. D. Cancellarius carruca iter facit: itaque Compendii futurus putatur circa Mercurii diem. Ego ad Suessionum oppidum ei occurram. Has ipsius ad te literas, quæ sola nunc restabat via, per Rhotomagum mitto. Ut bellicæ naves Batavorum duæ paratæ sint Caleti, quæ tutam ipsi navigationem præstent, valde desiderat. Id negotium & tua diligentia & Principis Arausionensis auctoritate illico confectum iri non dubito. Dux Lotharingus, ut Magni Cancellarii ad me indicant literæ, cùm pontem Brisaccensem, Montispellicardi obsidionem animo agitans, transiret, habebat secum XIV. millia, constantia ex equitatu peditatuque Bavari, & Cæsarianis sex equitum alis quæ Regimenta vocabant. Exspectabat alia quatuor peditum millia, quæ in Comitatu Burgundiæ sunt conscripta. Et si destinata succederent, secuturus eodem putabatur Gallasius. His conatibus reprimendis Lafortii, qui jam contra hostem profectus est, & Castilionæi destinantur copiæ, quibus cum majore imperio præerit ipse Condæus. Digna res est cujus exitum attenti speculemur. Deus, Illustrissime Domine, te tuosque sospitet. 21 Aprilis novi Kal. 1635.

Illustrissimæ Dom. tuæ addictissimus H. G.

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine.

394 LVtetiam hac vespera cùm venissem, D. Broersonum reperi ægriorem quàm vellem. Tenet enim eum febris satis fervida, sed quod in juvenili corpore spem bonam facit, vim suam projiciens extrinsecus. Neque Medici consilio deerunt, nec domus nostra auxilio: cujus rei quoque magis certa sit Sublimitas tua, rogo credat, ipsum à me dilectum, non tantùm pro reverentia quam Sublimitati tuæ debeo, verùm etiam ob proprias virtutes. Quod meæ conjugi Sublimitas tua munus misit vellem quidem excusare ipsi licuisset, cùm nihil à nobis Sublimitati tuæ esset præstitum, quod non ipsius esset pleno jure, & mihi etiamsi multò præstitissem majora, quàm aut mea ferebat copia, aut tua patiebatur frugalitas, abundè id pensatum fuisset honore excepti tanti hospitis. sed quando Sublimitati tuæ visum est supra tot beneficia nos hac etiam benevolentiæ suæ testatione ornare, quod unum possum memorem gratumque spondeo animum. Novi nunc quidem nihil intelligo, sed ad ea venanda, & quæ mihi mandata sunt explicanda, cras accingar. Deus, Excellentissime Domine, & iter hoc & res ceteras Sublimitati tuæ bene prosperet. Lutetiæ, 8 Maji Novi Cal. 1635.

Sublimitatis tuæ devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

395 MEliusculè se habet D. Broersonus, non quod periculum desierit, sed quod venæ heri sectio, hodie cum exigua sanguinis missione repetenda, & mitior quies exacta modò nocte, tum levamenti aliquid attulerint summis ardoribus tum spei non nihil valetudinis ipsius consilia tractantibus. Nostra sanè cura & ad Deum preces ipsi non deerunt. Ad Bulionium, quando quidem ante meum huc adventum abierat minor Boutillerius, neque verò venerat nisi ut statim exiret, misi jam bis: & ille jam bis se excusavit prætexens habere domi suæ consilium quod vocant Finantiæ. Faxo ne ei desit interpellator. Heufdius cùm intellexisset ex Bulionio nihil ipsum per Boutillerium aut alios accepisse novi mandati existimat à re fore, si Sublimitas tua scribat & ad Cardinalem & ad minorem Boutillerium, quanquam is longè abest, ut promissa expleantur. Rex ad S. Quintini est. Residentem quem Bruxellis habuerat ad se revocatum nec remittit, nec ei dat successorem. Quomodo hinc discesserit Hispanicus Legatus, dicet hæc rumigerula chartula. Deus, Excellentissime Domine, itineri rebusque Sublimitatis tuæ adsit propitius. Lutetiæ, 9 Maji Novi Kalendarii, 1635.

Sublimitatis tuæ cultor devotissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Magnifice Domine.

396 EX quo literis Magn. tuæ respondi vocatus à D. Cancellario per Campaniam iter faciente cum ipso Compendium ivi, ubi Rex erat & Aula. Obviam ei à Rege missus Comes Alesius Ducis Incolismensis filius: publicitus ipsi dapes & hospitium quot per dies Compendii fuit magnificè præbita, auditus à Rege me interprete. Reginam adiit, deinde Cardinalem, qui ipsi officium salutationis in hospitio ipsius reddidit. Rege ad Belgicum finem, belli ut creditur in Hispanum parandi causa abeunte, valedixit ei, donatusque ab eo est adamante præclaro quidem, sed præclarioris affectus pignore. Inter id tempus cum proceribus quorum Rex consilio utitur colloquiis sæpe mutatis convenit cum eis in fedus belli communiter gerendi, neque faciendæ nisi communiter pacis. Id per se egregium ad famam quoque conducet, cui si accedat quod Aula omnis hic sperat, ut Rex Galliæ apertè & sine ambagibus hostem se non minus Cæsaris quàm Hispani profiteatur, factisque tantæ potentiæ convenientibus demonstret, magnum id momentum fore speramus ad abstinendos ab omni segrege pactione Protestantium Germaniæ Principum animos. Ad eam rem plurimum adferet Magni Cancellarii illis in partibus vestris præsentia, cui non aliud moræ erit quam ut mari in Bataviam eat, & ibi quoque firmata amicitia hoc tempore si unquam necessaria, inde ad vos veniat. Vallis Telinæ castella omnia Gallorum armis, quibus nunc moderatur Dux Rohanius, in potestatem venisse Rhætorum credo jam intellexeris. Magno id factum Rhætici Helveticique federis, magno etiam Italiæ & Germaniæ bono, perruptis claustris, quibus Hispanus gentes illas inter se, Italiam etiam à Gallia distinebat. Augentur Rivæ & Bormii castella. Neque eò minùs misere Rhæti ad Ænipontis Archiducissam testatum se Gallorum ope suis providisse finibus, de cætero paratos observare vetera cum Austriaca domo federa. Ab ipsa quoque non omissum vicissim Legatum Curiam Rhætorum mittere Iacobum Curtium de la Torre, satis manifesto indicio bellum ab Austriacis contra Gallos ne nunc quidem appeti. At verò Rex Bruxellis Residentem suum revocavit, nec alium mittit. Hispanus verò Legatus Galliam reliquit insalutato Rege, spretisque ejus muneribus. Deus te incolumem diu servet. Lutetiæ, 9 Maji novi Kal. 1635.

Accessit postquam id scripseram novum belli præsagium, commercia cum Hispani subditis à Rege Galliæ suis interdicta.

Tuæ Magn. addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

QVas abs te acceperam literas eas Excellentissimo D. 397
Cancellario tradidi, cùm in itinere ex Campania Compendium, ubi Rex & aula erat, ita ut jussus eram, ipsi occurrissem. Compendii primùm deinde & Lutetiæ Nobilissimum filium tuum vidi, & veterem cum ipso amicitiam, instauravi, quem brevi apud te cum ipso D. Cancellario futurum spero: ideoque quæ heic in Aula gesta sunt, minùs opus habeo tibi significare, cùm ea quæ in aperto sunt acta ex filio, ea quæ de federe feliciter transacta sunt ex ipso D. Cancellario cuncta intelligas, qui quidem, si paratæ sint quas ex Hollandia petiit naves, ventique faverint, poterit non minùs citò quàm hæ literæ esse apud vos. Quod si qua mora intervenerit, hæ te interim literæ certum facient in recipiendo, excipiendoque dapibus & hospitio D. Cancellario, in colloquiis duobus cum Rege, totidem cum Regina, totidem cum Cardinali Duce, qui salutationis officium ipsi D. Cancellario in ipsius domo reddidit, in dono quod ei Rex sua manu pignus amicitiæ dedit, omnia fuisse talia ut dubitem Magnificentiamne Regis magis, an insignem & parem tanti viri meritis benevolentiam justiùs prædicem. Fedus hoc Reginæ Sueciæ nomine cum Gallia factum felicissimo concursu congruit in idem tempus, quo par, quod ad rem summam attinet, Batavorum cum Gallia fedus supremam manum accepit. Tanto bono non modica fiet accessio, ex ipsius Magni Cancellarii per vestras partes transitu, utili ad illius adeo potentis Reipublicæ amicitiam propioris fidei nexu cum Regno Suetico jungendam. Vallem Telinam jam omnem cum suis quotquot sunt castellis in Rhætorum manus rediisse celeres haud dubiè, ut solent læta, nuntii attulerunt. Rohanius multum in itinere auctus Gallicis Helveticisque copiis nihil dum hostile in agrum Mediolanensem aut alia Austriacis possessa aggref-

Digitized by Google

aggressus est, si ejus rei habuisset mandata sine ulla difficultate Castellum Fontani, quod vix triginta militibus, haud digno numero quod præsidium voces, tenebatur, irrupturus. Hoc amplius Rhæti misere ad Oenipontis Archiducissam testatum se Gallorum ope suis providisse finibus, de cætero paratos observare vetera cum Austriaca Domo fœdera. Ab ipsa quoque non omissum vicissim Legatum Curiam Rhætorum mittere Iacobum Curtium de la Torre, satis manifesto indicio bellum ab Austriacis contra Gallos ne nunc quidem appeti: quod si illis invitis futurum est, facilius est ut initium sumat ad Belgicos fines, ad quos Rex ipse jam accessit. Ajunt aulici ad tantæ rei initia parata esse navigia bellica Regis quindecim, viginti millia peditis, sex equitis, præter eas quas Batavi habituri sunt copias, communi in utrumque exercitum futuro Principis Arausionensis imperio. Si hæc præstantur, exibitur aliquando ex iis contractibus qui similes sunt illis quos majores annis cum pupillis faciunt, quibus altera duntaxat pars obligatur: neque dubium est quin redituri sint animi spe Pirnensis pacificationis labefacti. Quod si & à Bannerio Lunemburgicoque copiæ hostem ex ad Mænum partibus pellere poterunt, & citò in Saxoniam venire Cancellarius, credo restitutæ in utraque parte rei, illic bello, hic pacis inani sono periclitantis, solidam gloriam penes ipsum fore. Sed ut verum amico fatear, multa sunt quæ me in hoc ducunt ut probabilius putem, Gallos in auxiliari illo non sui nominis bello perstituros. Rex ad Sancti Quintini est. Revocavit à Bruxella Residentem suum, nec mittit alium. Hispanicus Legatus Rege insalutato donisque spretis hinc abiit. Hæc inimicitiæ quidem signa sunt: certa professi belli documenta nondum. Propius accedit ad belli initia, quod commercia, ut ex hac charta vides, inter Galliam Hispaniamque sublata sunt: At ne hoc quidem est τεκμήριον [*indubitatum signum*], sed εἰκός [*probabile*]. Deus, Illustrissime Domine, omnia tibi tuisque largiatur prospera. Lutetiæ 10 Maji 1635.

Tuæ Ill. Dom. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

398 EX quo heri scripsi tuæ Sublimitati, edictum hoc accepi quo mercatura omnis inter subditos Galliæ Regis & Hispaniæ Regis tollitur. Laforcium intelligimus jam in Burgundiæ comitatu habere castra, & missus ad eum Betruius Nogani Comes, qui cum Sublimitate tua cœnavit Compendii, adferre dicitur mandata audendi hostilia. Bulionius Dux mari in Galliam venit Principis jussu Arausionensis, ut communicet cum Rege belli gerendi consilia, Regem ipsum sperans se inventurum Masieræ ad Mosam. Perronam Rex munit diligenter. Electorem Trevirensem denuo repoposcit. Exercitus Regis in hostem iturus dicitur esse viginti millium & quinque peditatus, sex millium equitatus: nec minor alter exercitus relinqui ad Picardiæ Campaniæque fines. Et hæc sunt quæ professi belli spem plerisque faciunt. Non desunt tamen hominibus rem tam diu promissam tardè credentibus sua argumenta. Nam dicitur Rex cœlum istud Belgico vicinum non satis ferre & jam omnia ad Germani parari ejus hospitio: alii ad Castellum Tiderici ad Matronam loco non inameno substiturum putant. Legatus Venetus affirmat certò compertum sibi Masarinum jam obtinuisse ab Imperatore & ab Hispano ut Legati ab ipsis ad tractandum pacis negotium destinentur. Hæc utramque in partem dubia expediet tempus, ut videtur haud longum. De Fratre Regio conceptus ingens metus residere incipit. Nannetas usque se proripuerat omnibus qui circum ipsum erant consilii ejus incertis, nisi quod creditur voluisse longiùs ire ad Nazaræ portum qui Ligerim mari immittit, inde Angliam, qui ferme unus illi receptus restabat, consumpta apud Hispanos fide, petiturus. Illico missi Confessionarius & majorum ipsi arcanorum conscius minor Butillerius, qui quovis modo consilia tam malè cocta impedirent. Et jam mutato animo retro versus ad Turonas ut fama est pervenit. Vallis Telinæ habitatores jam olim multa questi de duris Rhetorum imperiis & Monsonianis pactis beneficio Galliæ libertatem nacti Rhætis vix imagine imperii relicta, dederunt se in fidem tutelamque Galliæ & Rohanium sibi præfectum poscunt. Ita Galli illo Italiæ Germaniæque transitu infesso occupandi & transitus alterius, quem Montem Godardi vocant Helvetiorum in finibus creduntur agitare consilia, suis consulentes rebus, sociis an eadem sint placitura non nimis solliciti. Præses Maliæus qui Galliæ Legationem obiturus erat illis in regionibus ad quas Sublimitas Tua proficiscitur, subita cæcitate percussus, alterius subrogandi laborem aulæ reliquit. Ad ærarii curatorem Bulionium misi rursum: domi esse negabatur. Fortè non sit abs re quando tam longè abest filius Butillerius, si Sublimitas Tua ad patrem, qui aulam sequitur scribat, & à filio Regis nomine promissa ut præstentur flagitet. Broersonus hac nocte quievit melius, Medicisque spes crescit. Deus ipsi sit propitius, idemque, Excellentissime Domine Tuam Subl. sospitet. Lutetiæ, anno 1635. Maji Decimo ex Cal. novo.

Iam cùm has vellem claudere accipio è Batavis literas. Princeps Arausionensis gravi tentatus podagra commodùm ea levatur, præmisso jam Noviomagum exercitu, iturо quantum ex pecuniarum rerumque aliarum paratu colligi potest longiùs ab finibus. Ipsi Rex etiam in suum exercitum concedit imperium, nisi aut Rex ipse, aut Frater ejus aut Dux Cardinalis adsint. Angli hæc omnia suspectantes illam viginti sex navium classem paratam habent velis faciendis, quos in usus incertum. Ærarii Anglicani Præfectura multis destinatur, sed proximus ei spei habetur Cottingtonus. Exercitus Hispanicus ad Diestam urbem Netamque amnem coit, & putatur ibi in vicina illis partibus descensurus Mansfeldius cum Piccolominio.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

EX quo in Galliam venit Excell. Maj. Tuæ Cancellarius, intermisi scribendi officium, ad ipsum potius pertinere intelligens, indicare Sacratissimæ Maj. Tuæ quàm honestè receptus acceptusque, admissus denique ad affatum, quamque benignè dimissus fuerit, & quomodo negotio tam diu tracto, super his temporibus conveniente fœdere, finem sua prudentia dignum imposuerit. Is nunc Rhotomagum à Lutetia profectus, ibi certi aliquid exspectat de Batavicis navibus quas ad præsidium itineris mitti sibi postulavit, quantum adhuc conjici potest per Bataviam iter sumpturus. Rex ipse Galliæ de cujus in Maj. Tuam benevolentia certissimus testis erit ipse Cancellarius, nunc ad Belgicum est limitem, bellum, ut aula credit terra marique in Hispanum parans. Cui famæ si respondet eventus, quod brevi apparebit, haud dubiè est, quod inde in rem communem Europæ bona maxima exspectentur. Sunt indicia in utramque partem dubia hactenus. Belli professi spem faciunt paratus magni Galliæ Regis: occupata per Rohanium Vallis Telinæ munimenta, Lafortius in Comitatu Burgundiæ militem habens, alius exercitus sub Castilionæo ac *Bressæo* ad Belgicum limitem, qui conjuncturus se creditur cum Batavico exercitu, sub communi imperio Arausionensis Principis: quindecim bellicæ naves in portibus Galliæ paratæ: Dux Bulionius ab Arausionensi missus Principe, ut cum Rege de bello societ consilia. Qui rem tantam, quan- 399

tum est pacem triginta & octo annos inter tot simultates & offensas cultam abrumpere, tardè, credunt habent & ipsi quo suam dubitationem tueantur. Vallis Telinæ castella quæ in solo sunt Rhætico, Rhætis volentibus, ita capta, ut Fontani castello quod vix triginta & aliquot militum tenebatur præsidio abstentum sit ideo quod situm in solo esset Mediolanensi. Ipsius Vallis Telinæ habitatores Romanensis plerique Professionis & contra Rhætorum duriora imperia libertatem sibi ex Monsonianis Hispani Gallique Pactionibus vindicantes, in tutelam suscepti Galliæ :- Deterior Regis valetudo quæ ipsum videtur ab illo limite in Galliæ interiora cælo truentia lætiore retractura pro indiciis non levibus habentur: In conspectu omnium est Mazarini Nuntii labor jam eo perductus, ut & ipse ait, & multis persuasit, Legatos ut Imperator & Hispanus ad tractandum cum Gallis pacis negotium nominaverint. Nec parum valitura videtur ad flectendos in pacem Gallorum animos FratrisRegii inter matrimonii memoriam & in Regem obsequium fluctuans animus: Qui cùm Blesa Nannetas usque ivisset Rege inconscio, fugam ut sui credunt in Angliam agitans, ægrè retractus est amicorum consiliis. Angli interim adversus Gallorum arma, ut solent semper suspicaces, classem in ora ipsa maritima à nautis, militibus, victu bene instructam & ad imperia paratam habent. In Germania quid agatur aliunde propius Maj. Tua noverit: sed si Mansfeldii & Piccolomenæi copias, ut existimant multi, ingentes hi Gallorum Batavorumque motus coacturi sunt in illas partes descendere, pulchra se dabit occasio Maj. Tuæ Germaniæque Protestantium exercitibus urbes ad Rhenum Mænumque periclitantes eximendi metu, reddendique animos Nordlingana clade secutisque eam malis dejectos. Nihil præter hæc habeo. Serenissima ac Potentissima Regina, Domina mea Clementissima, nisi ut vitam, valetudinem, soliumque Maj. Tuæ Deo Statori commendem. Lutetiæ 1/11 Maji, 1635.

Sacratiss. Maj. Tuæ humill. obedientissimusque subditus H.G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

400 IAm literas signaveram hesternas, cùm tuas, ut semper sunt tuæ, gratissimas accipio, quarum cùm responsi vicem impleturæ sint illæ, ne tædio sim & occupationes tuas inutiliter interpellem, non repeto. Itinera Maximi Cancellarii ex Germania in Aulam, inde in urbem, ab urbe versus oram maritimam Galliæ obstiterunt ei, quia certi quod scriberet de se non habebat, incertus diu & qua & quo iter dirigeret: De publicis vix habebat tempus: tantus ubique fuit ad eum videndum concursus, quasi ad de cælo delapsum hominem, ita ut fores nostras heic Lutetiæ vix contra vim irrumpentium defendere quitum sit. Sed spero brevi ipsum in vestris obtutibus fore, & quorum dilata est notitia, ea multo cum fœnore pensaturum. Principis Arausionensis videndi maximo tenetur desiderio, cùm quia solent similes à similibus diligi, tum quia colloquium illud non sine bono publico abiturum intelligit. Et quanquam urgent illum properandi causæ, tamen non dubito quin aliquod excursus spatium sit tanto Principi de angustiis temporis sui gratificaturus. Cùm Regina quoque Bohemiæ colloqui amat & non de ipsa, sed apud ipsam de Palatinatensium malis consultis nonnihil queri, quæ quidem talia fuerunt ut ipsum quem impetebant non læserint, ipsos fortè à quibus proficiscebantur in res satis arctas redegerint. Erratum Galliæ antehac in fide Pontificiis Germanis habita, eorumque tam operosè culta amicitia, multis documentis & tristissimo Treverensi, edoctus Dux Cardinalis non dissimulavit apud Maximum Cancellarium me præsente, nec ego abstinere me potui illius Professionis homines & in Germania, & in Belgicis partibus & in Helveticis ita esse in Domus Austriacæ venerationem defixos, ut nihil inde Gallis boni sperandum sit. Adventum D. Cancellarii valde esse Saxonicis partibus necessarium rectè judicas. Nam & prudentia ipsius maximæ merito apud omnes est auctoritatis, & Regnum ipsum Suedicum, cujus ipse vices gerit in Germania, partim spe, partim metu à multis respicitur. Mittet Rex Galliæ in easdem partes Legatum, qui cum D. Cancellario consilia operamque societ. Luneburgius, Hassus, Bannerius pulchras habebunt rei gerendæ occasiones, si isti paratus Gallorum Batavorumque Mansfeldium, quod multi futurum judicant, in illas regiones deduxerit. Rex Galliæ ubi est, substiturus sit, an retro iturus ob minùs secundam valetudinem incerti sumus. Frater ejus crudum nimis consilium Armorico mari è Gallia exeundi (jam ad Nannetum oppidum pervenerat) amicorum monitu in tempore correxit, & in Turonas reversus non levi metu liberavit Aulam. Non desinit Masarinus bene sperare & asserere jam ab Imperatore & Hispano Legatos ad tractandum pacis negotium nuncupatos. In serenum an in tempestates evasura sit hæc dubia veris aura, scit temporum pacisque ac belli arbiter, cujus paternæ curæ, Illustrissime Domine, te tuosque commendo. Lutetiæ 11 Maji novi Calendarii 1635.

Illustrissimæ Dom. Tuæ observantiss.mus H. G.

SAMSONI IOHNSONO,

Vir Præstantissime, amice optime.

MAximo meo cum gaudio vidi amicam manum, & amicam mandati mihi muneris gratulationem, & amica vota. Pro quibus gratias ago: sed & hoc beneficii loco accipio quod scribendi ad Angliæ Primatem tam benignam mihi præbuisti materiam: quæ enim optari melior poterat, quàm eum verbis commendare, qui mihi se pridem virtutibus animi raraque eruditione, magno virtutum condimento commendaverat. Neque dubito quin te cùm noverit Archiepiscopus, non tu mihi majorem quàm ipse pro hoc judicio gratiam sit habiturus. Vbi jam in Anglia (& nisi jam sis, ut quamprimum feliciter eò pervenias Deum veneror) rogo viris amantibus literarum & nostri dicas me ipsorum memorem vivere, & ob hoc obnixè petere ut aliquem in Anglorum animis obtineam locum: deinde, ut si quid est in quo ostendere possim quanti te tuique similes faciam, id mihi ut significetur. Quod lumina illa seculi Salmasium, Cunæum, Golium & Constantinum novisti propiore quodam consuetudinis nexu, quàm quo eruditos omnes novimus, ex animo tibi gratulor. Nihil enim potest esse dulcius quàm ubi τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον [*similem ducit Deus ad similem*]. Spero Illustriss. D. Austruterum qui me multis modis habet sibi obstrictissimum nostri non deposuisse memoriam. Si in Anglia eximium aliquid fuerit, aut in publicis quæ sciri licet negotiis, aut in illis quæ non minùs sunt publicæ, literis ea nosse, te præsertim significante, dulce mihi erit. Lutetiæ 1/11 Maji 1635. 401

Tuus toto corde H. G.

GVILIELMO,

Archiepiscopo Cantuariensi.

Reverendissime Domine.

TAntam concepi in bonitate Sanctitatis tuæ fiduciam, ut ipse commendationis egens apud tantum Antistitem, ultro ei commendare audeam amicum quidem meum sed popularem vestrum Samsonem Iohnsonum, diu Illustrissimi D. Austruteri comitem, virum in omni sapientiæ studio nec minùs in illis politioribus literis, si quid mei est judicii egregium, in divinarum autem rerum tractatione, cui se præcipuè dedit ita versantem, ut 402

neque

Digitized by Google

neque piæ antiquitatis reverentiam neque inferendis intra septa dissentientibus æquitatem Christianam seponat ex animo. Vbi eum noverit summa pietas tua, quæ ei Ecclesiæ & Reip. summo utriusque bono præsidet, non dubito quin locum repertura sit, ex quo viri probi apprimè atque eruditi virtutes latiùs spectantur. Hæc ego non tam amicitia ipsius quàm meritis ductus scribo: una tamen si verum fatear, spe privata corruptus, futurum ut si innotuerit sanctitati tuæ, mei quoque memoriam ipsi aut verbis aut etiam conspectu suo sit subjecturus. Sed nefas mihi tot tantisque curis, quibus sustinendis non alius par sit, obstrepere, cùm satis mihi esse debeat, si liceat brevi affatu suæ sanctitati mea deferre obsequia & optima fide optare, Reverendissime Domine, ut te diu tantæ partis de grege suo pastorem pastor maximus conservet. Lutetiæ, $\frac{1}{11}$ Maii, 1635.

Reverendissimæ Dom. tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

403 Alter nunc septimus est dies, quod Nobilissimus D. Broersonus in morbo cubat, hoc ipso tempore, quod Criticum vocant Medici, sudor sponte ei exortus laborantis pro se naturæ indicium dedit. De augendis navibus longis quod Edictum à Rege exiit, mitto. Conjectura non absurda est, qua novæ è Gallia copiæ sub Imperium Principis Arausionensis ituræ dicuntur, nomen prælaturas non Regis ipsius, sed eorum Principum ac Comitum qui ex Brabantia exsulant, ut adhuc sub alieno nomine lateat bellum, & versa quo libet interpretatione, pax aliis manere, aliis rupta dicatur, ut ille apud Martialem,

Subsellio qui semifultus extremo,
Et vix receptus altero genu jactat
Equiti sedere Lectioque se stare.

Rex Feram venit, inde Laodunum, ac porro Castellum Thiderici petiturus, ubi mihi aditu multò erit propior: abest enim is locus ab urbe non toto bidui itinere. Frater Regius jam Blesas rediit ad præscriptum sibi secessum. Mazarinus non desinit satagere. Comes Salzarus è præcipua Hispanica nobilitate in custodiam heri heic datus est. Exercitus Gallicus à Mazeira movisse propius Hispanicas partes dicitur. Deus hæc omnia ad bonum commune Christiani orbis regat, idemque, Excell. Domine, tuæ sublimitatis iter ac consilia fortunet. Lutetiæ, 11 Maji, 1635. novi Cal.

Sublim. Tuæ devotiss. Cultor. H. G.

EIDEM.

404 A Mezeira accepimus die septima mensis hujus ex novo Cal. primum agmen Regii exercitus ponte ejus oppidi transisse Mosam: id autem constare XII cohortibus quæ regimenta vocant & sexaginta duabus turmis quæ Cornettæ appellantur. Die octavo sequi debuisse tormenta bellica tum majora tum minora numero sexaginta, belli instrumenta, sarcinas & quæ victui necessaria in dies quinquaginta, cum ipso medio agmine. Die nono agmen postremum par primo ac medio: quibus omnibus imperatum conjungere se cum copiis Principis Arausionensis. Nobilissimi D. Broersoni morbus quidem minùs videtur vehemens, sed tam diuturna vi mali attritæ vires certamen dubium relinquunt. Humanæ opis nihil ei deerit. Deus rogandus est opem suam addat, cujus paternæ, Excellentissime Domine, Subl. Tuam, quotquot heic sumus commendamus. 13 Maii, Novi Cal. 1635.

Chartæ quæ his accedunt literis, nihil eximii continent præter famem durantem ad Augustam Vindelicorum & postulatum Regis Galliæ super restituendo in libertatem Electore Trevirensi, responsumque Cardinalis Infantis, quod quidam pro belli indictione habent.

D. Thuanus Sublim. Tuæ omnia officia offert rogatque librum de bello Suedico sibi retineat, ipse aliundè parem recepturus.

Sublim. Tuæ cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Quò major spes affulsa erat, eò tristius mihi, uxori, familiæque meæ evenit, quod hujus diei manè D. Broersonum amisimus, ut Christianius loquar ad Deum præmisimus. Facta sunt quæ fieri oportuit: nihil omissum humanæ opis: quod aut corpori levando esse videretur aut animo in spem meliorem erigendo, fideli in illud Medicorum, in hoc D. Hambræi opera. Nefas sit aut summæ providentiæ constitutioni obstrepere, aut ipsi beatius ævum quo per tot labores & ærumnas tenditur, invidere. Decimo hujus mensis die pars ultima Regii exercitus Mosam transiit; equitatus insignis, peditatus & numero & corporibus armisque impar famæ. Non recta in Hispano parentes terras itum, sed in solum pacatum Leodiense. Ad decimum quintum sperabant se cum Batavico exercitu, cujus peditatus præpollet equite impari, conjungi posse, sed quæ heri advenerunt à Marescallo Castilionæo literæ difficile id judicant ob interjectas Hispani copias tales quas spernere haud tutum sit. Quadraginta bellica tormenta secum habere dicuntur Regii. Interim & in Germania fervent arma: pontemque Brisacensem Cæsariani transiere, octo ut scribitur equitum millibus peditum duobus, secuturo aliis cum copiis Hungariæ rege. Arx Wilsteina capta ab ipsis multa oppida insultibus oportuna facit. Clausique iterum aditus Montispellicardi & Luræ: sed quibus spes est auxilii à Laforcio. Ringaviam rursus à Mansfeldianis teneri ex ipsius Hogendorpii puto literis Sublimitas tua cognoverit. Gallasius ex adverso Spira ripam ulteriorem premit. Quod de Salazaro Hispano in urbe hac capto scripseram, id in ultionem factum est capti in Hispania Aligrii, cujus pater ademta functione Cancellarii Franciæ nomen retinet. Hispani id factum suum defendunt exemplo Gallorum, qui Perpiniani præfectum in Gallicis finibus deprehensum ceperant; sed is incognito habitu regni alieni munimenta speculatum venerat, ita undique jaci videntur rerum majorum semina. Presbyter Tonnelerius nomine, eorum unus qui Regis Fratrem secuti sunt, in Bastiliam datus consilia in vitam Cardinalis inita detexit, spe veniæ. Principi Condæo potestatem in Lotharingiam à Rege concessam charta quæ has litteras comitatur explicat. Accepi ab Archiepiscopo Cantuariensi literas valde benignas in me. Pro Suedorum rebus quas ipsi commendaveram, ait se omnia quæ decent dicturum facturumque, ubi pleniùs intellexerit quid maximè conducere possit Regi Regnoque Angliæ. Ita generali postulationi responsum æquè indefinitum reddit. De Gallorum consiliis sermones utramque in partem varii: alii jamjam futurum putant, ut indicatur bellum: alii ostentari arma quo honestiùs pax resarciatur. Rex est Rhemis. Audio Namurci oppidum teneri sex millibus militum, hoc ipso tempore immissi. Magnum tamen terrorem esse ibi circaque habitantium & quæ moveri possunt tramitti ad interiora Belgarum loca: nec minùs trepidare Italiam, quanquam belli adhuc expertem ad inalpinos Crequiaci paratus. Cras Bulionium conveniam. Inde commendandis regni Suedici amicorum negotiis, ubi ubi erit petiturus Tuæque Sublim. quicquid ibi comperero, quantocius potero significaturus. Ipsam interim, Excell. Domine, summo omnium Domino unicè commendans. Lutetiæ, 16 Maji, novi Cal. anni 1635. 405

His signatis vidi Bulionium, promisit mihi præsente Heufdio se de ducentis millibus ipsi cis paucos dies satisfacturum, dubitabat tamen Heufdius tractus jam diu. De cætera pecunia semimillionis dicebat exspectare se Bulionius Regis imperium. Nam Butillerium minorem non

Digitized by Google

non viderat, iturum se intra dies quinque aut sex ad Regem quem futurum putabat eo tempore ad castellum Thiderici. Regis exercitum jam in solo Hispanorum esse credi volebat, & parari edictum à Rege de belli causis, præsertim illa de Electore Treverensi. 17. Maji mane.

Subl. Tuæ cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

406 RVptis jam inter Gallos Belgasque commerciis vetus literis nostris iter simul præclusum est: itaque rapiendæ qualescunque scribendi occasiones, qualis nunc mihi se offert à Gallo Nobilissimo juvene ad Batavicam militiam se referente. Addidi & ad Maximum Cancellarium literas, quem Rhotomago ad Batavicarum navium adventum Diepam venisse intellexi quidem, sed, an, vento hactenus repugnante, mari se, præsertim non tuto ab hostibus, sit commissurus, dubito. Certè quin vocantibus se Germaniæ rebus, quàm salvis prudentiæ regulis primum fieri potest, adesse cupiat, dubitare non licet. Gallorum exercitus equitatu valet: peditis vires non respondent. Namurci metus ingens erat, quem sedavit, nonnihil inductum militum sex mille præsidium. Sed cùm Galli nondum ingressi Hispano possessa per pacatorum terras vagentur, varii variè de consiliis illorum judicant. Propius ista discam ubi in aulam venero, quæ nunc est apud Remos. Illuc eo, ut à Maximo Cancellario bene locatis Suediæ rebus, amicorum qui in Germania sunt utilitatibus consulam. Princeps Condæus cum immensa quadam potestate Lotharingiam regit. Crequiacus Italiam terret: Lafortius Montipellicardi iterum circumsesso à Cæsarianis, qui cum octo equitum, duobus peditum millibus pontem Brissacensem transiere, suppetias fert: & creditur exarsurum ibi bellum, tracturumque majores copias sub ipso Hungariæ Rege. Iam Ringoviam iterum nostris eripuit hostis, captaque Wilsteini arce vicinis imminet oppidis viisque: Ripam, quæ contra Spiram est tenente Gallasio. Et hæc quidem bellica sunt, interiora hujus Regni nec ipsa in tranquillo. Frater Regius vix à fuga, quam per Nannetas in Angliam parabat, abductus est captusque è domesticis ejus presbyter, Tonnilerius nomine comparatas in Cardinalis caput insidias detexit. Et ut ad privata veniam, mihi funesta iterum domus, morte D. Brœdersoni qui genitus sorore Maximi Cancellarii apud nos eum morbo manserat. De lege universis data injustè queramur singuli. Deo non minus data reposcenti, quàm relinquenti, pro usura gratiæ debentur: & publicè quidem hoc etiam nomine, quod Arausionensi, prudentissimo fortissimoque Principi valetudinem in hoc tanto rerum articulo, facit secundiorem. In Valle Telina habet Rohanius sex peditum millia, equites mille quadringentos: Cerbellanius pro Hispano ad Fontani Castrum sex millia peditum, equites octingentos, exspectans sexcentos alios è Neapolis regno. Tum vero illi Rhætorum adsunt auxilia: huic Helvetiorum Romanensium & Ethrusca. Dei paternæ tutelæ atque præsidio & publica negotia, & te, Illustrissime Domine, intimis animi sensibus commendo Lutetiæ. 16 Maii, 1635. novi Cal.

Illustriss. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

407 NOn dubito quin receperis literas. Interim aliud se obtulit, in quo, ut soleo, tui consilii operæque indigeo. Petrus meus in vestra urbe vivit, & quæ magna pars felicitatis est ipsius, notus est tibi. Ego ipsum discendis rebus navalibus & commerciorum destinaveram. Voluit & jurisprudentiam delibare: non nolente me. Est enim generalis quædam legum sive communiter receptarum sive patriæ peculiarium cognitio omnis generis hominibus utilis. Nunc verò cùm ætas ejus procedat, valde scire cupiam tum quid valetudo ejus ferat, tum quo maximè tendant ipsius desideria. Sunt quæ illum aulæ minus gratum faciant: Sunt quæ itineribus maximè terrestribus minus aptum. Mare ut tentet, si modò usum sui honestum probare possit, non vetem: cogere non est meæ indulgentiæ in liberos. Vitam sedentem corpus forte suadeat, an animus ejus satis ignis habens ferre possit dubito. Rogo non ex ipso tantùm, sed & ex ipsis, quibus familiariter utitur intellectis quæ scire opus est, consilium des mihi. Sunt & quæ studia in commune nobis amata tangunt de quibus agere tecum debeam. Vir in omni Mathematum parte summus, in Philosophia cætera non infimus Galilæus Galilæi, Iesuitarum in ipsum odio ac Principis Thusci, sub quo vixit, socordi metu coactus Romam ire, ideo quod terram movisset, non vetante vestro Hortensio, durè habitus, ne majus vitaret malum, quasi ab Ecclesia edoctus sua scita rescidit. Neque eo vitavit infortunium, sed in Etruriam remissus est, ea lege, ut & ibi esset in custodia quanquam liberiore, & quam evadere ei non esset difficile, si receptum alibi videret. Sunt heic amici ejus qui cogitationem de Amstelodamo subjecerunt, sperantes ibi posse eum & tutò vivere & reperire quantum necesse est ad senectutis & studiorum solatia. Præclara enim opera parata habet de his quæ in aqua supernatant aliaque ad varias sapientiæ partes pertinentia. Rogo explores quid vestris Proceribus super hac re futurum sit sententiæ. Dialogum Galilæi anno 1632. Florentiæ editum an videris nescio. Est scriptus Italico sermone, ea rerum reconditarum peritia, ut nullum nostri sæculi opus ei comparare audeam, antiquorum multis præferam. Sed à severiore sapientia ad literas jucundiores, si pateris, venio. Vixit in Italia Leo Allatius Antiquitatis Romanæ Græcæque feliciter studiosus. Scripsit aliquammulta quæ velit edi: sed in Italia sordent istæ artes nec typographis nec lectoribus curatæ: & heic Lutetiæ illud artificium fuit in pretio, sed fuit. Si quis in Hollandia velit edere, non malè de illis literis sit meriturus. Opera ab ipso ad amicum transmissa &c. Vale Vir Summe. Lutetiæ. 17 Maji 1635.

Tuus qui semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

LIteras Subl. Tuæ Diepa die $\frac{3}{13}$ Maji datas per Metensem hominem heri rectè accepi: pro ipsis, proque illa singulari in me nihil tale merentem nihil tale mereri idoneum benevolentia gratias habeo immortales: Etiam pro illo ad Heusdium pittacio, quo decrevi non uti, nisi res urgeat: confido enim D. Spiringium, ut est amicis amicus, popularis sui non immemorem fore. Quæ de libris ad rem ærarii spectantibus deque imaginibus imperat Subl. Tua diligenter curabuntur. Literæ quoque novæ ad Cardinalem & Butillerios curæ mihi erunt: Aula adhuc vagatur, sed intra paucos figet se aut ad Castellum Thidrici aut etiam propius: quo tempore ituri eo sunt & Custos sigillorum, Vir Subl. Tuæ optima fide studiosus, & Bulioneus. Id tempus & ego ad meam profectionem exspecto, de bello Regi Hispaniæ indicendo rumores sunt calidi, eoque magis quod vocaverit ad se Rex Fecialem suum, credo ut quod privatim factum est per Residentem id nunc publico ritu fiat, postuleturque libertas Electori Trevirensi. Pacis Pirnensis ajunt qui heic sunt duas esse moras, quod præter Imperatorem & Saxonem velit & Bavarus retinere exercitum ad viginti millia, quod Imperator edici cupiat quis judex sit futurus earum contro- 408

ver-

Digitized by Google

versiarum, quæ per hanc pactionem non tolluntur sed dilatæ manent. Ad præcidendos eos nodos laborare Darmstadiensem. Quod Rohanius Regis nomine in Valle Telina publicè proposuit mitto, nondum id ad pacem frangendam pertinens, sed arma sub alieno velans nomine, intraque certos fines cohibens. Nobilissimo D. Broersono supremum officium persolvimus, non quidem ea magnificentia, quam Nobilitas ipsius egregiæque virtutes merebantur, sed eo more modoque quo à Romanis sacris alienos terræ reddi jura permittunt. Deum precamur omnes ut Subl. Tuæ maritimum hoc iter tutum præstet. Si fieri posset ut Principem Arausionensem videret Subl. Tua, quin id è re futurum sit communi non dubito. Vitam, valetudinem, & res omnes Subl. Tuæ, Excellentissime Domine, Deo iterum iterumque commendamus. 19 Maji ex Cal. novo 1635.

Subl. Tuæ cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina mea Clementissima.

409 FErvent hic omnia belli rumoribus, planeque & Rex & qui Regis consilia gubernant, credi volunt pacem Verbinianam quæ per annos XXXVII tot inter offensas stetit nunc emorituram. Exercitus Gallicus viginti ferme millibus constans jussus se conjungere cum Batavicis copiis, sub communi Principis Arausionensis imperio, in terris Leodiensibus agit magno Namurci metu, cui ingens immissum est præsidium. Non prohibita tantùm sunt inter Regnorum Hispanicorum Gallicique subditos commercia, sed & res omnes Hispanorum aut Belgarum Hispanis parentium jussu Regio, decretoque Parlamenti in publicorum custodum manus data. Miles fecialis habitu ire jussus qui Regem dicat armis ulturum injuriam sibi factam, eo quod se petente non sit redditus Trevirensis Episcopus Elector, qui cùm in tutela esset Galliæ neque hostis cuiquam, captus sit contra gentium jus. Masarino tamen Pontificio Nuntio videtur spes aliqua restare retrahendi ad pacem negotii, cùm eam ob causam Bruxellas iverit. Præter veteres Austriacæ Francicæque Domus æmulationes privatim quoque Cardinalem intimulant detectæ in caput ipsius insidiæ, quibus immixtus Presbyter Tonnelerius nomine patibulo pœnas his diebus luit. Neque verò Germanicæ tantùm & Belgicæ partes sed & Italia sensura bellum videtur parato ad Alpes exercitu Galliæ, cujus partes præter Mantuanum & Parmensem secuturus & Sabaudus dicitur. Tantarum molitionum exitus diu in pendenti esse non possunt. Itaque in posterum non tam conjecturas & argumenta futuri, quàm res ipsas me scripturum ominor. Magnus Sacratiss. Maj. Tuæ Cancellarius sex dies sunt cùm Diepa solvit, quem nunc, quanquam adversos expertus est ventos, speramus in Hollandia fore. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Tuam Maj. Regnumque sospitet. Lutetiæ 23 Maji novi Cal. 1635.

Oppido Belgico Marcha ad Faminam capto inchoatum à Gallis in Hispani subditos bellum hoc ipso tempore ad nos adfertur.

Sacratiss. Regiæ Maj. Tuæ subditus obedientissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

410 SOllicitum me habuerunt venti perpetuò ferme adversi, & vehementes satis, ex quo Subl. Tua Diepa solvisse nuntiata est, sed Deus quos magnarum rerum ministros delegit, eos singulari præsidio tutatur. Cujus ope sospitem Subl. Tuam in Hollandiam jam pervenisse speramus. Salutis suæ ut diligentiorem curam habeat Subl. Tua videntur tempora exigere. Nam Hispani videntes tantam in se molem belli surgere, cui vix pares sint, solent ad indigna regnantibus consilia se vertere famæ publicique odii securi. Et in Cardinalem quidem insidias conscius earum Presbyter Tonnelerius luit capite. Femina Illustris Gravella, ab eo ut particeps nominata bis atrociter torta, admirabilis patientiæ silentio vitam redemit, habenda tamen in custodia. Quo magis monendam de sui tutela Subl. Tuam judicem, faciunt & D. Grubii literæ quæ mihi in D. Marescallum Bannerium sceleratas molitiones nuntiant. Omnia heic ita aguntur, quasi haud dubiè bellum nulla cum dissimulatione futurum sit. Rex eas copias, quas cum Batavicis jungi voluit, non auxiliares, sed unionis vocat. mandatum militi ut fecialis habitu (nam Rex armorum qui dicitur quasi Pater patratus, excusavit, dicens se non nisi ad Reges mitti) significaret Cardinali Hispano, se quando libertati redditus non sit Elector Trevirensis ereptus tutelæ Gallicæ, captusque bello cùm hostis nemini esset, id factum ut juri gentium adversum, armis vindicaturum. An id jam denuntiatum sit nescimus, nondum restituto literarum inter has gentes, commercio. Sed & merces resque omnes Hispani subditorum decreto Parlamenti subsecuto Regis id imperantes literas custodibus publicis permissæ, ante belli indictionem, cùm antehac etiam indicto bello tempus sua educendi soleret, mercatoribus extra belli causas positis dari. Ne nunc quidem tot editis infesti animi inter Reges signis desunt qui minas paratusque istos non minus ad extorquendam pacem, Regi honestam, quàm ad bellum si opus sit inferendum spectare existiment, argumentumque suæ opinionis adferunt, quod hoc ipso tempore Rege consilio, Bruxellas iverit Nuntius Pontificis Mazarinus, quæsiturus ut credibile est aliquas de expediendo illius de Electore Trevirensi negotii, quod ut speciosissimum, à Gallis unicum ad belli causam profertur. Et quo minùs Galli pacem externam spernere debeant adferuntur metus ab internis motibus. Iam enim Burdegallæ gravis exorta seditio ad duorum scutatorum vectigal annuum, tabernis injunctum vinariis ad accensi publici, aliorumque civium sanguinem prorupit, portasque & Basilicum oppidi etiamnum tenet. Id exemplo quoque perniciosum, querelas undique de oneribus impositis suscitat: intra decem hos annos expressos plebi ducentos & aliquot supra octuaginta milliones, quantam vix omnes ab initio Regni Francici Reges in summam congesti abstulerint. Crequiacus Alpes nondum transiit. Cum Mantuano ac Parmensi ajunt Galli etiam Sabaudum in suis fore partibus. Apud Belgas Machliniensi judicio damnatur absens Princeps Espinœjus, alii qui capti habebantur, non dissimulata causa, junctorum cum Gallis consiliorum ad defectionem populorum concitandam Namurcumque capiendum. Res omnes in eo sunt tumore ut prorumpere brevi debeant. Exspectatur heic minor Butillerius: id solum in mora est, quo minus me ad Aulam, quæ ad Castellum Thidrici est, contulerim, quo proficiscuntur hodie Custos sigillorum & Bulionius verba adhuc dans Heusdio. Deus, Excellentissime Domine, vitam resque Subl. Tuæ protegat. Lutetiæ, 23 Maji novi Cal. 1635.

Scripsit Ioachimus Ordinum Fœderatorum in Anglia Legatus Seniterrum in Galliæ Legatum, minimè sicut promiserat secum sociare consilia, quin Anglis dixisse omnes Regis sui paratus neutiquam ad bellum tendere, sed ad Batavos ab induciarum consiliis abstinendos. Confluentes Lotharingiæ tenent ut heic scribitur Cæsariani, Virodunoimminent. Sed ex Belgicis fama non adflat melior capto oppido Marchæ in Famina non sine multo sanguine apertè in causam descendisse Gallos. Libros ad rem ærarii spectantes, colligere cæpi. Qualia sint nunc

Digitized by Google

nunc pleraque ad reperiendas pecunias commenta ex hoc specimine quod mitto, poterit intelligi.

Subl. Tua cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

411 OCcasiones omnes ad vos proficiscentium rapio, incertus adhuc an commeaturæ sint per Brabantiam literæ, non modo inhibito inter has gentes mercatu, sed & ipsis jam mercibus, quæ in hoc Regno ad illos pertinentes repertæ sunt in publicam custodiam datis, non quasi bellum jam sit, sed quasi stet præ foribus, misso & milite Bruxellas, fecialis habitu, qui Regem dicat armis exsecuturum factam Trevirensi libero Principi, suæque tutelæ iniuriam. Masarinus tamen his nihil territus ivit Bruxellas propositurus ibi, ut heic fecit, ea quæ ad pacem firmandam facere existimat. Rex exercitum suum quem cum Batavico jungi voluit non auxiliarem, sed unionis exercitum dici cupit. Legi sententias latas à Machliniensi auditorio in Principem Espinoium & alios. Ex non tacent sociata cum Gallis ad defectionem capiendumque Namurcum consilia, qualia dum spes pacis manet, publicari vix solent. Intus in Regno, vix sanatum est illud quod à Fratre Regio metuebatur malum, cùm ecce nascitur novum, atrox Burdegalæ seditio & ad multorum sanguinem progressa, indignatione plebis in vestigal tabernis vinariis indictum. De crescentibus in dies, parum enim fuerat in annos, oneribus graves sunt questus. At sine illis arma quieti & Regni & amicorum necessaria haberi non possunt. Tonnelerius Presbyter particeps insidiarum in Cardinalem laqueo pœnas dedit. Haud dubiè multa prorumpent id genus consilia, ad quæ confugere solent Hispani, ubi vires suis majores in se vident irruere: quo magis ut Principi Arausionensi, ita & maximo Cancellario, censeo curandam sollicitè salutem suam, in qua continetur & publica. A Dresda literæ novas spes pacis Pirnensis à Praga nunciant: quo magis desideratur ibi Maximi Cancellarii adventus, quem ne diu mari jactaverint venti adversi multum metuo. Res eo sunt in loco ut certiora nobis in posterum scribendi materiam parturiant. Confluere in Lotharingia, nisi fama nos fallit, ceperunt Imperatoris milites. Et in Belgicis partibus à Gallis capta Marcha ad Faminam exuta pacis jura jam nunc intelligimus. Det Deus quæ in commune sunt utilia, idemque te, Illustrissime Domine, cum omni familia incolumem præstet. Lutetiæ, 23 Maji novi Cal. 1635.

Illustrissimæ Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. GRUBBIO.

Nobilissime Domine.

412 SPero perlatas rectè, quas ad te dedi binas antehac, tibique pro scriptis 24 Aprilis gratias ago: quæque mones ad salutem viri Maximi D. Cancellarii pertinentia illico ipsi significavi per literas; Diepæne illum an in Hollandia sint reperturæ ideo dubito quia solvisse quidem nuntiatus est, sed ex eo tempore venti ita fuere adversi, ut navigari mare nequierit. Plane credibile est Austriacos & qui ejus sunt sectæ obsessos undique insurgentis belli metu (nam & Italiæ imminet sub Marescallo Crequiaco Regis exercitus, & sub Castilionæo alter in Leodicensi est agro, juncturus se cum Batavis, & commune suscepturus Principis Arausionensis imperium) decursuros ad consilia quamvis infamia, qualia hoc ipso tempore in Cardinalis Ricelraci, viri actuosissimi, salutem detecta & Presbyteri cujusdam Tonnelerii nomine supplicio punita sunt. Etiam seditionem quæ Burdegalæ occasione vectigalis vinarii exarsit, credibile est non sine arcanis æmulæ domus coaluisse. Quibus nihil Rex territus Cardinali Infanti per militem fecialis habitum præferentem significavit armis se ulturum injuriam Electoris Trevirensis & suæ tutelæ contemtum, jussitque merces omnes quæ subditorum sunt Hispani Regis per Gallias sequestrari. Quarum rerum ipsa documenta, quo certior sis mitto. De pace Pirnensi rumores varii. Aula hic credi vult spem omnem intermortuam. Sed & tuæ, vir nobilissime, & aliorum literæ me sollicitum tenent, eoque magis Deum precor tecum, ut quamprimum ad vos veniat Maximus Cancellarius, Brandenburgicum Lunemburgicum & Hassium confirmet, alibi quoque rebus prolapsis, si qua potest adhibeat remedia. Certè miror tantos inter paratus Galliæ esse qui pacem malint & intempestivam & distrahendo corpori repertam cùm quæ sit honesta tutaque, nisi à consiliorum concordia, factis fortibus, animisque constantibus sperari nequeat. Rogo pergas eorum quæ in istis geruntur partibus gnarum me facere. Ego eorum quæ hic geruntur ne quid te lateat vicissim curabo, Deumque precabor ut & publica negotia & tuam Nobilissime Domine salutem cordi sibi velit esse. Lutetiæ, 23 Maji novi Cal. 1635.

Iam has clausurus intelligo à Gallis captam Marcham in Famina ditionis Hispanæ oppidum, multoque ibi sanguine inchoatum bellum.

Nob. Tuæ Addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

LUctatam cum ventis diu tandem in Hollandiam salvam 413
pervenisse, ibique pro meritis exceptam Subl. Tuam læti accepimus. Ego imminente Pentecostes die novi Calendarii in aulam ivi tum ob nostra, tum ob amicorum negotia. Cardinalis fluxa valetudine tribus leucis ab Aula ad Castellum Thidrici agente secesserat. Ab illo inchoare res mihi mandatas cùm vellem excusavit se ob corporis ægritudinem cui levandæ ipso Pentecostes die pedis venam secari sibi fecerat, quod levamenti nonnihil attulit. Quare sicut ipse voluerat, Butillerium adii patrem agente adhuc Plesis filio. Quæ commendavi ipsi hæc erant, de pecunia nobis debita, de Ringraviis, de Colmaria, de Magdenburgo. Nam de cæteris mihi itidem à Subl. Tua mandatis nihil speciale ab ipsis, quorum res erat acceperam, quare in aliud tempus distuli, ea de quibus satis certa edoctus non eram, nisi quod obiter nitellexi difficile fore Argoratense negotium ea de causa quod Cochelbergensis ager juris esset Episcopi qui nunc partes Gallicas sectaretur: cui objectioni quanquam scirem quid regeri possit tamen nequid ignorantia laberer, exspectare malui donec rem omnem propius cognoscerem. De Ryngraviis rem facilem fore ostendebat; visuros se etiam quid statuendum esset de pactis cum Colmaria, cujus civitatis procurator in aulam sub idem venerat tempus, plenus questuum, quod fiducia pactionum initarum cum Lafortio & Insulano acceptum esset præsidium, pactionibus verò nondum probatis incerta maneret status sui civitas. Pro Magdenburgo spem præcidebat, multum exaggeratis horum temporum necessitatibus. Cardinalis cùm ad ipsum minùs rectè agentem misissem iterum Regem à me adiri voluit, quod feci statimque admissus orationem exorsus sum à gratulatione ob victoriam à Castilionæo Brezæoque Marescallis partam de Principe Thoma & Hispanis in Arduenna Sylva, qua de re dixi aliquammulta ipsi non ingrata. Postea rem nummariam ipsi commendavi, benigneque auditus, responsum abstuli, ut omnium postulatorum indiculum Butillerio patri darem. Cùm digrediens dixissem me siqua in re bonam ipsi publicoque navare possem operam id habiturum

me

Digitized by Google

me fælicitatis loco, dixit non dubitare se quin possem in iis maximè rebus quæ ad partes Belgicas pertinent. Simul narravit mihi alterum fælix prælium Latortii cum Crabatis, de quo recentes tunc nuntii advenerant. Antequam ad Buullerium iterum me conferrem à Cardinali significatum mihi gratum sibi fore adventum colloquiumque meum, ubi cùm mihi mandata repetissem, de pecunia quæ ante Regis Gustavi Magni mortem deberi cæperat, perque Butillerium minorem Tuæ Subl. promissa fuerat nuper, negabat satis sibi rem cognitam, majoribus curis & adversa valetudine distracto, sicut & pater Butillerius dicebat neque sibi neque Bulionio cognitam ea super re Regis voluntatem, quare exspectandum ipsum cujus verbis niteremur minorem Butillerium, quem in Aulam venturum, post aliquot dies. De Colmaria promisit Cardinalis futurum ut pacta recognoscerentur & certi constitueretur aliquid. De cæteris nihil definitè respondit. Sed res Butillerio curæ fore: cui cùm indiculum ita ut Rex voluerat obtulissem, addidissemque & Marini dotale negotium, recepit se facturum ut literas haberem Regis ad eos qui exercitibus circa Rhenum Mosellamque præsunt, ut ab insessione militum libera ipsis quæ donata erant bona, relinquerentur Ryngraviis tribus: item pro Marino ad Legatum & Rohanium. De pecunia, idem quod Cardinalis. De Colmaria acturos se cum eo qui negotia civitatis ageret. His intellectis nihil causæ esse intellexi cur ibi in magna turba onerato oppido cum incommodo sumptuque hærerem diutius. Itaque Lutetiam redii, relicto è meis qui & literas illas flagitaret & pecuniæ negotium commendaret Butillerio Bulionioque & si fortè in Aulam veniret minor Butillerius, ejus me certum faceret. Is quid effecerit nondum didici, sed literas exspecto. Atque hæc quidem isto sunt in loco. Cardinalis de Belgicis rebus ultro mecum loqui cæpit, de constituenda ibi religione Romana ac libertate: ad quæ ea dixi quæ mihi ex historia priorum temporum à nostris temporibus non aliena videbantur. Res belli hunc ad modum se habent, ut ea quæ ad Philippinam Insulam contra Hispanum defensam & illatos ab Hispano in Geldram commeatus prætercam, ut illis in locis in qua jam pervenit Subl. Tua melius nota prætereaque id quod de Marcha in Famina scripsi antehac. Decimo Maji novi Calendarii Edictum prodiit à Principe Condæo, quo Lotharingos omnes profugos aut latitantes ad fidem operamque Regi præstandam revocat. Miles qui Fecialis ornatu Bruxellas missus fuerat die 19 Maji eo advenit, cumque admitti ad Cardinalem Hispanum totum per diem sperasset trahique se videret, id quod dicere jussus erat Cardinali, dixit ei qui ad ipsum missus erat vigilum præfecto, deinde & perscriptum projecit in viam publicam, quod à Fecialibus Belgicis qui juxta aderant populus vetitus est contingere. Id continebat Regis voluntatem de exsequenda armis injuria facta Electori Treverensi, & Regi in cujus is tutela erat & per exemplum Principibus aliis. Similem chartam tuba præcanente, in ultimo fine Belgarum apud Galliam loco cui Avennæ nomen est depacto palo affixit, significavitque adstantibus. Hæc tanta cum pompa facta denuntiatio, sitne peremptoria, an adstricta conditione nisi dedatur Elector sunt qui dubitant, eo quoque moti quod post Marcham in Famina irrupto Orcimontio oppido à Gallis non Regis sui nomen, sed principis Arausionensis, sub ductu cujus & Castilionæus & Bulionius Dux militiam habent inclamatum est. Cæterum vigesimo Maji pugnatum est illud prælium de quo Regi gratulatum me dixi. Intra Arduennam non longè à Rupisfortis & Huberti vicis Princeps Thomas cum novem cohortibus, equitum millibus quatuor Gallorum itineri se objecerat, vallo defensus. Cùm Brezæus vi aperta oppugnandos censeret, prælatum est Castilionæi consilium, cui successus adfuit, simulato assultu valli, quasi dejecti recipiebant se Regii milites, cùm Hispani velut in fugientes proruptione facta duabus ex partibus in quas se Galli diviserant invaduntur, facileque fuso equite magna peditum strages facta est. Galli ajunt cæsa hostium sex millia suorum vix amissis quinquaginta. Qui propius ista rimati sunt ajunt illorum quatuor millia periisse, Gallos ferme quingentos. Machinæ captæ sedecim: signa sexaginta multumque famæ partum, quæ multum quidem in bello semper, plurimum verò circa initia valet. Rex de literis quas de hac victoria ad præfectos misit, dicit denuntiatum abs se Regi Hispaniæ bellum: eodemque tempore edictum misit aliud quo omnes qui feuda possident Vasalli, subvasallique ad arma evocantur. Id Bannum & Retrobannum Franci antiquitus vocant. Infælicis prælii reliquias ad Namurcum colligit Cardinalis Hispanus, additque novum ex Atrebatibus delectum. 23 Maji die Dux Bulionius cum Batavorum equitatu Gallis accessit: postridie ad Trajectum ad Mosam venit Princeps Arausionensis, qui nunc quoque Gallis conjunctus creditur. Sed hæc illis in locis per quos transiit Subl. Tua non minùs certò disci potuere. Interea & in Lotharingia fervent arma. Vidimus nummos argenteos, ex altera parte fulmen habentes cum dicto, *Flamma metuenda Tyrannis*, ex altera gladium è cælo quo lilia secantur cum dicto. *Talem dabit ultio messem*: additumque, *Deo duce & auspice Carlo*, misera eversæ fortunæ solatia. Comes Susæ Montem Pellicardi non sine periculo ingressus est. Lafortius valde premebatur à Lotharingicis copiis & Deinsfeldii ala ipsi subsidio veniens adversam erat experta fortunam: neque Feuquerium ei ut destinaverat venire auxilio permiserat imminens Rheno Gallasius ipsis Feuquerii copiis minimè ei qui dicitur numero respondentibus, ut & Solmensis ad me scripsit. Interim frequentes Lafortio pugnæ ex occasionibus, & eventibus ut in bello fieri amat vario. In his quæ vigesimo secundo & vigesimo tertio Maji pugnatæ sunt Gallis, satis fælices sexcentos aut septingentos hostium Crabatos absumserunt, laudata multum Hebronis opera. Norimbergam dolens intelligo fame pressam propriam cum Cæsare pacem agitare, & metui ne ad Vlmam manet exemplum. Scribitur Hungaricus equitatus metu à Turca retentari, Dubatellus à locis ad Heilbronam multa equorum præda Manheimum rediisse. Ducis Bernhardi cohortes sedere contra Rynhusium partim in ripa citeriore, partim in Rheni illic insula, eques ejus ad Hondniscum agere impediendis Hispanorum è Treverensi agro excursibus. Comes Heebersteinius à Landgravio missus ad Hirsfeldo vicina prædæ non multum, receptum sine damno reperit, Carpo quamvis insequente. Heusdium ego non tam ex instrumento quod mihi Subl. Tua Diepa miserat quàm ex Spiringii literis qui ipsum mihi delegaverat conveni, neque ut solveret id quod vixdum deberi cæperat sed ut susciperet solutionem. Verum cùm ille de ducentis millibus, majoris ut ait pecuniæ creditor nihil adhuc perscripti à Bulionio expresserit, de trecentis millibus reliquis ne verba quidem, fidem suam obligare abnuit: itaque ad Spiringium scripsi, quem popularis sui habiturum rationem non dubito: scioque & Subl. Tuæ cordi id fore, ut dignitatem sustentem. Mitto acta quædam Polonica ad Iesuitas pertinentia. Alia cis biduum, (nam duæ sunt mittendi literas vices) missurus. Deus, Excellentissime Domine, Subl. Tuam sospitet. Lutetiæ 6 Iunii novi Cal. anni 1635.

Subl. Tuæ cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

MAgis magisque bellum à Gallia in Hispanum pro- 414
cedit. Nam Fecialis à Rege Galliæ missus Bruxellas 19 Maji novi Cal. advenit, & post multum moræ; frustra sperato sibi ad Cardinalem Hispanum datum iri adi-

Digitized by Google

aditum, cùm aliter rei mandatæ sibi significationem edere non posset, perscriptam belli denuntiationem ob Electorem Trevirensem libertati non redditum in viam publicam populo lectam prius, projecit, egressusque Urbem in ultimo Belgarum fine similem chartam depacto palo adfixit. Neque res verbis discongruunt. Nam post Marcham ad Faminam Orcimontium & Rupisfortis in Lutsenburgico fine oppida à Gallis capta, cumque his progredientibus objecisset se Thomas Sabaudus Princeps valido cum Hispanorum exercitu, prolicuere hos Galli quasi munimenta quibus illi tenebantur, assulturi, dejectosque se simulantes, duabus ex partibus in quas se Galli diviserant, Hispanicum militem eo impetu sunt adorti, ut eques quidem facilè cesserit, pedes non incruento prælio fusus fuerit, damno multum impari: nam Gallorum pauci occubuere: Hispanorum quatuor, ut alii volunt sex millia: captæ machinæ sedecim: signa sexaginta, homines iique nobiles plurimi. Lafortio quoque crebræ cum Lotharingis pugnæ, in quarum una atque altera hostium, Crabatorum maximè, cæsi supra sexcentos: Et ne extra finem occupatis exercitibus in Galliam irrumpat hostis, omnes feudorum possessores Rex è more veteri ad arma evocavit. Cætera quæ variis in locis geruntur, minora sunt, quàm ut ad summam rerum momentum adferre possint. Arma in solo Belgico quo processura sint, avidè omnes exspectant: simulque edictum quo Rex Belgas omnes ad libertatem vocaturus creditur. In Italia nihildum movetur. In aula quæ ad Castellum Thidrici hæret fui his diebus tum ut pecuniam pridem promissam Regno Suecico flagitarem, tum ut amicorum in Germania commendarem negotia. Regem reliqui rectè valentem & partis victoriis lætum, plenumque bonæ spei; Cardinalem valetudine minùs firma, quàm res tot ac tantæ, per Galliam nationesque externas ipsius sollicitudini incumbentes desiderant. Rex Maximus Regum omnia hæc ad commune Christianitatis bonum dirigat, Tuamque Majestatem, Serenissima ac Potentissima Regina Domina mea Clementissima, favens tueatur. Lutetiæ, 6 Iunii, novi Cal. 1635.

Tuæ Augustæ Majest. obedientissimus subditus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

415 Sollicitos nos diu habuere adversæ tempestates, quæ Maximum Cancellarium mari jactarunt. Tandem & advectum ad vos & pro meritis acceptum quo oportet gaudio didicimus. Quò tardiùs Princeps Arausionensis se exercitumque molitus est, eò major injuncta fuit Gallis necessitas agendi apertè: bellumque indicendi primùm, per fecialem Bruxellæ die Maji decimo nono novi Calendarii, projecta, quando ad Cardinalem Hispanum aditus non dabatur, charta in viam publicam, similique alia in ipso Belgarum fine depacta: deinde & gerendi, captis quidem post Marcham in Famina Orcimontio & Rupeforti, prælio autem commisso die Maii vigesimo Castilionæum inter & Thomam Principem adeo felice Gallis, ut ipsorum quinquaginta, ut ajunt, hostium sex mille ceciderint, capta sint signa sexaginta, sedecim machinæ, multi viri & quidem prænobiles. Laudatur multum non fortitudo tantùm, sed & prudentia Castilionæi, qui simulata oppugnatione hostilis valli, & quasi impares essent facto recessu, erumpentem hostem ita duabus ex partibus implicuit, ut eques quidem statim, neque multo post pedes cesserit. In Lotharingia crebræ Lafortii cum hostibus pugnæ, Marte, ut fit, vario: sed maximè nobilitantur quæ 22 & 23 Maji felices ipsi fuere, hostium cæsis ferme sexcentis. Lafortius retro acto trans pontem Brissacensem Lotharingo Betfurtum obsidet. Burdegalæ seditio resedit. Rex in prioris illius victoriæ publicatione adjecit bellum à se Hispano indictum: Vocavit & ad arma Vassallos Valvasoresque tuendum ad Regnum, si eò, alibi occupatis Regis exercitibus, pars hostium imcumberet. Nunc exspectatur edictum Regis, quo proposuit suam pro Belgarum libertate curam testari. Inde, & ex iis quæ in posterum gerentur, certior erit posthac futuri conjectura. Regem ipsum ad castellum Thidrici reliqui, & valentem & lætum his successibus: Cardinalem minùs quàm optandum est prospera utentem valetudine: cui juvandæ pedis venam secari sibi jusserat, ne sic quidem omni malo liberatus. Deus Maximo Cancellario reliquum iter felix largiatur, celeremque adventum in eas partes, quibus ipsius præsentia his præsertim temporibus, & fluctuantibus circa pacem Pirnensem consiliis, maximè est necessaria. Saxonem auditis his Galliæ molitionibus destiturum à pacis cogitatione, idque ab ipso sub ea conditione promissum Regi, aula hæc credi vult, aliis dubitantibus. Det deus optima, teque Illustrissime Domine, cum omni familia florentem servet. Lutetiæ, 6 Iunii novi Cal. anni 1635.

Literæ ad maximum Cancellarium & aliorum & meæ ad ipsum, ububi erit permittantur rogo.

CLAVDIO SARRAVIO,

Senatori Rothomagensi.

Dignitatem in me collatam, Vir Amplissime, gratam 416
tibi fuisse jam ante literas tuas ex Tresellio intellexeram, perque me ipsum nihil de eo dubitabam, perspecta jampridem egregia tua in me benevolentia; quam ita mihi conserves rogo, sicut ego elegantiam ingenii tui, & minimè protritam eruditionem, moresque niveos, feci faciamque semper maximi: speroque, non longè esse eum diem, qui te huc ferat, mihique reddat veterem colloquiorum tuorum suavitatem. Faciat Deus ut hic mandatus mihi honos materiam mihi det bene merendi de re communi: ad quod insuper si id posset accedere, ut aliqua in re amicis optimè de me meritis, quos inter insignem obtines locum, gratum facere quirem, tum demum me post tot adversa nonnullam felicitatem consecutum arbitrarer. Fui in aula his diebus, Regique gratulatus sum tam prospera inchoati in Hispanum belli initia. Cuditur Edictum Belgas ad pileum vocans. Hæ tantæ molitiones, & Suedis jam meis, & Germanis Batavisque animos facient ad retinenda fortiter arma, donec iis pax honesta tutaque pariatur. Quam det summus bellorum arbiter pacisque custos, teque, Vir Amplissime, cum omni familia florentem diu servet. Lutetiæ, 6 Iunii, 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Biduum jam est quod Rhothomagensi via scripsi: qua- 417
rum literarum tenorem quando eas rectè pervenisse arbitror, non repeto: Interim ad urbem venit Butillerius, ad quem huc illuc cursantem mittere sæpius non cessavi: sed cùm horam mihi hodiernam octavam condixisset, jam heri eum sub vesperam cùm Combaletti abiisse cognovi, non ita longè tamen ad locum qui Buscum Vicemontis dicitur quo se transtulit Cardinalis, Rege & ipso urbem propius accedente, qui hujus diei Vespere Monticellis (Monceaux plebs. vocat) futurus dicitur. Hoc iter subitane ex causa Butillerio supervenerit, an quod ex Cardinalis sermonibus conjectabam, diem de die trahunt, ne aut negent, aut profiteantur, promissum operientes eas res quas in Saxonia gestura est Sublim. Tua. Donec propius aliquid videro, in medio relinquam, si cognòvero certo aliquo in loco hærere cum comitatu Regem, non omittam eò me conferre. Post felix in Arduen

Digitized by Google

duenna prælium, alio in loco clades aliquantula accepta est, Hispanis omni modo restituere se in famam molientibus. Ejus rei ubi historiam pernovero perscribam. Interim cùm quotidiana ibi fiant armorum certamina, mirantur multi plerisque Hispanorum institoribus & Hispaniensium Belgarum reddi merces, commeare literas aliaque præter fruges. Castelleti quod Picardiæ oppidum est, milites pecora quæ è Belgico fine abduxerant reddere jussos: Caleti Flandricas naves quæ à Gallis captæ erant non jure captas judicari: quæ omnia id multis persuadent, comminationem illam potius fuisse quæ facta est Bruxellis quàm justam plenamque indictionem, eoque magis quod ingens conspicitur studium Pontificis Nuntiorum, & Roma scribatur decretum Pontifici duos propinquos suos ad Cæsarem alterum, ad Galliæ Regem alterum mittere. Video à multis laudari Principis Arausionensis in producendo exercitu cunctationem, per quam factum putant, ut Galli & progressi sint longiùs & in res protrusi apertiores quàm alioqui ipsis fuerat destinatum. Ex Batavia scribitur mihi, Gallos neque adhuc se hostes Hispano profiteri, neque tamen velle credi manere cum Hispano pacem, quia si ea maneat pecuniam satis magnam præstare Batavis ex fœdere teneantur. Interim & ex Italia bellum intra minas stat, diciturque Crequiacus habere quindecim peditum, quatuor equitum millia. Hispanus magnam ex Galeris & Galionibus classem ad oram Ligusticam, quarum pars circa Stœchadas (Ieres hæc ætas vocat) conspecta, incertum venisset eò consilio an vi tempestatum, Gallis metum pro iis insulis & muniendi curam injecit. Lotharingos retro per pontem Brissacensem, se referentes insecutus Lafortius, Betfortum premit. Is qui res Colmariæ agit ab Aula refert spem bonam, sed verbis generalibus, tamen ni fallor, interest Galliæ ad suam tutelam Belgas vocantis illos, humanè habere qui se jam ante ipsorum fidei crediderunt. Sprecherus noster per literas ad me & communem patriæ suæ causam, & se Regno rebusque Suedicis addictissimum Subl. Tuæ commendari voluit. Defert etiam officia sua pater infœlicis Deshaies, qui paulatim in sui infortunii oblivionem, & in veterem Regis gratiam venit. Libros ad rem Galliæ nummariam spectantes mittendi quæro occasionem. Deus, Excellentissime Domine, florentem Subl. Tuam diu servet. Lutetiæ, 8 Iun. novi Cal. 1635.

Burdegalæ seditio ita resedit ut tamen ad pœnas sumendas procedere nondum ausit publica auctoritas.

Sublimitatis tuæ devotissimus cultor H. G.

CL. SALMASIO.

418 Duplici de causa, Vir summe, studia tua interpello. Primum ut hos Polonos nobiles tuæ amicitiæ insinuem. Quanquam enim incertus sum hoc ipso tempore bellumne Sueonibus meis sit cùm ista gente necne, ego tamen in meo proposito persto pro amicis habendi eos, qui communes literas amant. Deinde, si fortè jam de Militia opus absolvisti, aut non ita te labor ille distinet, ut non paucas horas subsecare possis in gratiam amici veteris ac veri, ad oram libri Anthologiæ, quem mitto asscribas ea, quæ aut judicio tuo, quod facio fecique semper maximi, aut auctoribus libris melioribus, emendanda censes, ut ad ea Latinam versionem immutem, facturus non me tantùm, sed & eos, qui mea lecturi sunt, hujus beneficii tui debitores. Si brevi sperare esset tuam tanto locupletiorem Græcorum Epigrammatum editionem, nollem tibi hoc oneris imponere. Sed novi labores subnascentes tibi, faciunt nos hujus exspectationis incertos. Ego, cùm omnia, quæ sperare nos jussisti, videre desiderem, tum imprimis velim conspicere ea, quæ ad Ecclesiæ veteris statum pertinent, quorum benigna se tibi dabit occasio si Tertullianum, Arnobium, Canonas Eliberinos cum Notis edas. Ego siquid unquam facere tibi gratum possem, id vellem quàm maximè: si id non licet, certè unum tibi lectorem non indiligentem & discendi avidum præstabo. Vale, Vir eminentissime. Lutetiæ, 11. Iunii, 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Venit huc ante dies aliquot minor Butillerius, ad quem 419 quotidie misi, nec semel sed sæpius. Sæpe domo exierat: sæpe negotiis distinebatur. Etiam condictam ad horam cùm venissem, dicebatur ad Regem profectus qui Monticellas jam venerat. Reversus huc cùm iterum tempus condixisset, excusavit res subitò enatas. Tandem cùm Ruellas venisset Cardinalis non optimè valens, & eò ipse etiam se contulisset, secutus eum sum, tum verò me urgente, cùm tricari nequiret amplius admisit me. Commodùm cum Bulionio eum reperi, locutus sum utrique de omnibus negotiis quæ Regi, patrique Butillerio commendaveram & Cardinali, de quingentis millibus maximè. Literas ab Subl. Tua binas rectè datas sibi fatebatur, promissum disertum non agnoscebat, tantum dixisse se Regis nomine, facturum Regem quicquid res ejus ferrent, ut Subl. Tua causas querendi non haberet. Bulionius ut pecuniæ parcus est adferre magna Regni onera, tamen se Heusdio de ducentis millibus satisfacturum, delegatis ipsi novorum edictorum redemtoribus. Butillerius sæpe perseverans in negatione fidei suæ obligatæ, Feuquerium ajebat sibi testatum, verum esse cùm Heilbronense fœdus pangeretur, ipsum de hac pecunia Feuquerium Regis suamque fidem interposuisse. Itaque rem ut justam commendabat Bulionio: ego quoque causas adferebam non leves cur sine longiore mora desideriis Subl. Tuæ satisfieri ex usu esset Regis ipsius. Responsum aliud à Bulionio non extuli, quàm visurum quid ferrent Regni res. Prælegi deinde illis, quia ad Cardinalem ob dolores aditus non erat, Ringravii Ottonis literas, quibus significabat auxiliares copias ex partibus ad Albim frustra ad Mœnum exspectari, retentatas incerto Saxonicæ pacis. Addidi ex Batavis literas de induciis Lunemburgici. Rogabam, ut petierat Ringravius, Feuquerio qui retro nunc à Lafortio digresius, Rheno propiora rediit, mitterentur quamprimum milites ad supplendum eum qui promissus esset numerum XII millium, quorum nunc pars altera neque ea integra, sub ejus ductu reperiretur. Dicebant constitutum Regi mittere eò supra quàm pollicitus esset, ad XVII millia. Rogavi ut facta verbis responderent & celeritas auxilii rebus urgentibus, quando Rex Hungariæ cum magna vi copiarum, ni in tempore trans Rhenum ipsi iretur obviam, quod nisi aucto nostrorum exercitu fieri nequiret paraturus esset tranferre bellum in ripam Cisrhenanam magno & amicorum communium, & Galliæ ipsius periculo: qua de re monuerat me etiam Solmensis: cujus itidem ut ratio haberetur in præstanda liberalitate Regis annua, ita ut ipse à me postulaverat, rogavi. Dixerunt inter ea quæ Rex erogari vellet etiam ipsius honorarium esse perscriptum. Postea ex Batavicis literis satis recentibus eos edocui, post conjunctos exercitus Batavicum Gallicumque, Cardinalem Hispanum munimentis se continere inter Gelam Demeramque amnes cum peditum duodecim, equitum sex millibus. Eum numerum augeri undique ex oppidis educto milite vetere, in ejusque locum ad custodiam oppidorum submissis aliis ex novo delectu. Ea fore impedimenta quò minùs recto itinere in Brabantiam nostri pervaderent: quod si supra Gelam iter caperetur tridui in eo dispendium fore, & eundum per loca sterilitate vasta. Animos crescere hostibus quod ex Picardia, qua parte nudi satis Belgarum fines, bellum non ingrueret. Coqui in Batavis panem ad usque centies quinquagies mille pondo pro Batavico exercitu, pro Gallico ad bis centies quinquagies mille, penetrandi longè hostilis soli medita-

Digitized by Google

menta, de novo prælio fæliciter pugnato rumorem heic sparserant Espinoii literæ: sed eum languescere video nec à Regiis ministris affirmabatur. Inter hos armorum paratus non desinitur & de pace agi. Certò comperi jam à Rege Hispano ad Conventum super ea re habendum loco quem Pontifex indixerit, nominatos Comitem de Ognate eumque qui Confessionarius Reginæ Hungariæ fuit, & alium quendam. Regem Galliæ, cui id à Pontificis Nuntiis indicatum, non recusare quo minus conveniatur, non tam ut Venetus aliique judicant cupiditate pacis, adeo blandientibus per Belgicam successibus, quàm ne apud exteros subditosque invidia laboret pacis dispretæ. Palam dicit Rex nullas se admissurum pacis conditiones, quibus non Sociis omnibus abunde caveatur. Dum hæc scribo prodit Regis Edictum de causis belli in Hispanum, quod mitto. Mitto & de victoria apud Arduennam literas, quales Rex ad duces suos in Germaniam misit. Addidi & eas quas Rex ad duces itidem suos pro Ringravio scripsit, quæ ipsum frui possessis volunt, ipsius quidem in Galliam commemorata fide, at donationum Suedicarum dissimulata mentione. Non indignæ item quæ legantur Imperatoris ad Principes Italos literæ, graviter sugillantes Regis Galliæ fidem in negotio Vallis Telinæ. Galli facilè se ab hac culpa purgare arbitrantur, læsis ab Hispano jam pridem illis pactionibus, cùm ne rogatis quidem aut Rhætis quorum ibi jus summum est, aut ipsis Vallis Telinæ habitatoribus, quod pacta volebant, traduxit illac exercitum: neque minus incusandis parùm curatæ fidei Vallis Telinatibus, non soluta pecunia annua, qua libertatem jussi erant redimere. Tam ex Edicto Regis typis edito, quàm ex illa de victoria apud Arduennam epistola apparet, Imperatori bellum minimè indictum, neque eum pro hoste etiamnunc haberi. Dicitur Rex Hispaniæ factum suorum in capiendo detinendoque Trevirensi improbare. Sed ut maximè ea causa subducatur restant aliæ satis multæ, quæ Edicto continentur, ad circumdandam juris speciem, armis per Brabantiam fæliciter se promoventibus. Iam nunc nuntiatur minora oppida, Diesta, Tielemontium, aliaque teneri à nostris, è Bruxella Machliniaque latè fieri fugam, timeri Antverpiæ. Imminutam tempestatum incursu Hispani Italicam classem satis constat; amissarum navium numerus variè refertur. Et sunt qui non longe à Toulono portu Provinciæ, post acceptum id damnum spectatam classem ajunt, non sine oræ ejus metu. Nihil tamen etiamnunc hostile aut mari illic aut terra actum, Pigneroli adhuc hærente Crequiaco. Super Colmariensi negotio dixit Cardinalis, Insulano potestatem paciscendi datam non fuisse: Regem tamen facturum ne Colmarienses imploratæ tutelæ suæ pœniteret. Arnoutius Philipsburgi infælix custos, elapsus hostium manus, huc venit ultroque in Bastiliam se conjecit, paratus causam dicere: jamque scriptum sparsit Germanos qui ibi fuere proditionis faciens reos. Fiduciamne tantam ex innocentia, an ex auctoritate faventis sibi Patris Iosephi conceperit, dies nos docebit. Felicem Subl. Tuæ in ista loca adventum quamprimum intelligere desideramus Deumque precamur, Excellentissime Domine, ut Subl. Tuæ favens adsit. Lutetiæ 15 Iunii 1635.

Ex variis narrationibus de prælio in Arduenna unam mitto quæ à viro istarum rerum perito profecta mihi videtur & legi digna. Residentem Cæsareum abire parantem manere hic voluit Cardinalis.

Subl. Tuæ devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

420 CVm te jam Hagam rediisse suspicer, omittere non potui, quin pro rerum novarum nuntiis, quibus vos jam propiores estis, Edictum mitterem quo Rex orbi Christiano causas indicat motorum in Hispanos armorum, tam multas ac graves, ut etiamsi Trevirensem jam libertati reddere velit Hispanus, in quod laborant Pontificis Nuntii, superfutura sint satis multa quæ juris colorem allinant prosperis adeo per Belgicum solum progressibus. Classis Hispani, quæ in ora Italica steterat, damni quidem nonnihil à tempestatibus pertulit, non tamen famam re æquante: & sunt qui conspectam dicunt non longè à Provinciæ littoribus. In Italia quies adhuc extra Vallem Telinam, quanquam arma circum se habentibus Principibus ferme omnibus, intentis quo res sit casura. Rex Monticellis ad Fanum Germani venturus putatur, benigniore ibi cælo quàm ad Fontem Bellaqueum. Cardinalis Ruellis est, valetudine non tam prospera quàm nos omnes optare par est: sed is est morbus, qui incommodi plus adferat quàm periculi. Captus in Burgundia nuper Vicupontius, consiliorum Matris Regiæ Fratrisque conscius pridem, huc perductus est, ut creditur, index futurus rerum Puylaurentio exitialium, qui in morbum incidit, incertum an ex eo metu. Rumorem heic sparsum de Matris Regiæ ac Margaritæ Lotharingæ in Angliam receptu verum non arbitror, ab eo Regno qui heic rebus præsunt, neque boni neque mali quicquam exspectant. Deus te, Illustrissime Domine, florentem servet cum tuis omnibus. Lutetiæ, 15 Iunii novi Calendarii 1635.

Tuæ Illustriss. Domin. observantissimus H. G.

D. G R V B B I O.

Vir Amplissime.

POstremas tuas ad me literas quas 24 Aprilis dederas, 421
ego Maji 22 novi Cal. accepi, iisque respondi. Ex eo in Aula fui hærente ad Castellum Thidrici missus ad obeunda Regni amicorum negotia: Regem ibi reliqui valentem & multis prosperis lætum. Nam cùm XIX Maji Fecialis ab ipso missus, id quod mandatum nuper ipsi scripseram, ad Hispanum Cardinalem non admissus apud populum tum in extimo limite qua voce qua scripto exsecutus esset, ad captam Marcam in Famina Orchimontia & Rupisfortis accessere. Conantemque in ulteriora pervadere Chastilionæum cùm impedire vellet egregio cum exercitu Princeps Thomas fictæ oppugnationis in vallum recessusque subiti specie prolectus in bipartitas Gallorum copias incidit, duabusque è regionibus impetitus facilem quidem de equitatu victoriam, de peditatu non incruentam tradidit. Ajunt sex millia cecidisse, alii ab eo numero demunt aliquot. Gallorum levi strage, ut ipsi ajunt, ad quinquaginta. Capta tormenta sedecim, signa sexaginta, virorum & quidem ex Hispania illustrium magnus numerus. Ex hac victoria in ipso initio parta magni in postremum successus sperantur, præsertim si, quod futurum ait Cardinalis, Rex edicto Belgis affirmet se libertatis ipsis auctorem atque custodem fore. Et quo melius Rex rebus externis vacet ad tuendos Regni fines, siqua vis ingruat excivit Vasallos valvasoresque. In Lotharingia leves pugnæ, Mars varius. Duabus quæ XXII & XXIII Maji pugnata hostium strages ad sexcenta & ultra ivisse creditur: eoque firmata res ibi Gallorum, & Montipellicardi laboranti consultum. Ducis Vinariensis peditatus in ripa est & insula contra Rhenhusum; equitatus excursus è Trevirorum agro Hispanos inhibet. Hungaricus equitatus retineri metu à Turca huc scribitur. Dabattelinus Manhemium non sine præda rediit. Hæc per se exigua juncta cum cæteris spem nobis faciunt discutiendi paces illas segreges & noxias. De Maximi Cancellarii ad vos adventu & quæ ibi gerentur rebus edoceri tua comitate gaudebo. Deus illum, Vir Amplissime, servet florentem in rebus bonis. Lutetiæ 17 Iunii novi Cal. 1635.

Tuæ Ampl. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

SCripturus stato tempore Subl. Tuæ literas ejus Haga 422
ad me missas accipio veteres, ut nunc curandi eas ratio

Digitized by Google

tio tarda & incerta est sunt enim scriptæ xix Maji. Meas quoque multas, scripsi enim crebro nec una via, video nondum perlatas. In iis inter alia significaveram perfunctum me jam apud Regem gratulatione de Victoria nobili in Sylva Arduenna, eique simul commendata à me negotia, quorum mihi cura erat credita. Post uberes hac de re literas, postremæ meæ quas scripsi ante dies hos septem fuere de significato à me periculo transeundi ab hoste Rheni, & iis quæ de pecuniæ negotio minor Butillerius Bulioniusque perplexa atque indefinita responderant. Post id interpellatus ab Heufdio Bulionius de ducentis millibus tam diu totiesque promissis ne chartam quidem delegatoriam, ut facturum se dixerat, dedit, sed daturum se dixit, neque ex iis quæ nunc parata sunt edictis nummariis, sed ex aliis postea secuturis. Cùm ea res tam liquidò debita confessaque trahatur per tot tricas, quid de cætero nobis sperandum sit non video; neque tamen urgere unquam desinam. Instabo & in hoc ut à Rege quamprimum Legatus in Saxoniam eat. Ex Belgicis partibus raros habemus nuntios, mari ferme nec admodum recentes. Nam terra inde huc nondum tenentur à nostris itinera. Militis unius qui fortè ad oppidum Capellam ex iis locis ubi res geruntur, pervenit, relatu creditur hìc Cardinalis Hispanus clade accepta, dum Pons Wingæ defenditur, Lovanium cum multo milite se contulisse, secutisque eum Regis & Batavorum exercitibus, post eruptionem improsperam teneri undique inclusus. Publicam ob hæc lætitiam imminuit Gallasius eo quo Ryngravius præmonuerat loco, id est, ad Philipsburgum transgressus Rhenum scaphis quem ponte facto secutæ majores copiæ Spira castellisque captis terrorem latè sparserunt. Fama heic est esse cum eo xxx admodum millia, gravia futura Cisrhenanis partibus nisi à Condæo ac Lafortio subveniant justæ copiæ, quod futurum heic ajunt. ne ipsi quidem Gallasio destinatum creditur aliquid quod morari eum possit, aggredi, sed quàm poterit celerrimè ægris Brabantiæ rebus succurrere. Post edictum illud quod misi nuper de causis belli, alterum à Parlamento probatum prodiit, in quo Rex loquitur ipse & Belgas ad libertatem apertè vocat, sed adscriptis legibus quibusdam, quæ suspicionem aliquam injicere possunt Belgarum animis. Hactenus nulla civitas ab Hispano sponte defecit. Abjecta à Saxone pacis consilia in vulgus jacitur: clam mussitantur contraria, & eò magis accedunt quæ è Germania huc scribuntur. In Lotharingico fine captum ab Halerio Regio duce Castellum Spisembergum: edictoque Regis jubentur nobiles Lotharingi relictis patriæ sedibus ire in Galliæ loca interiora quæ singulis præscribentur, renovato post multa sæcula veteri deportatorum populorum exemplo, ut ad cavendas coitiones utili, ita duram egestatem multis impositurο quibus ex terræ magis fructibus & domestica parsimonia, quàm ex pecunia vita suppetebat. Interim ad sua quoque collatione res Regni juvandas collecti huc triginta ferme Episcopi, arreptaque occasio consulendi eos Regis nomine, designato magis quàm expresso Regii Fratris negotio, an valeant legitimaque sint conjugia, inita à Principibus sanguinis jus sibi ad successionem in regnum vindicantibus, proximis maximè speratisque hæredibus non sine consensu modò Regnum tenentis, sed & contra ejus voluntatem & interdictum. Hoc ipsum quod ea res in consultationem mittitur, & dilecti jam ad præparandam disquisitionem ii, quibus maxima cum Cardinali amicitia est, dubitare neminem sinunt, futurum responsum rebus præsentibus congruens. Et hæc quidem in hac urbe unde non longè Aula utraque, Regis ad Fontem Bellaqueum sed ventura ad ædem Germani, Cardinalis ad Ruellam. Cæterum in illis Galliæ locis, ubi populus milite validior, insurgunt questus de oneribus supra onera crescentibus, renascente Burdegalæ seditione, aliisque orientibus novis Narbone, Condomi, Mausaci. Ad plebis insaniam accessit Tholosæ, quæ plena hominum urbs est Parlamenti quoque auctoritas nova tributa vetantis exigi, quæ perniciosi quanquam exempli, facilè tolerantur à multis, aut per invidiam in Regentes, aut per miserationem plebis oppressæ non tam iis quæ Regni necessitas exigit, quàm publicanorum & aliarum & id genus hirudinum, vexationibus. Ad hæc mala & aliud malum, non repente quidem sed sensim noxium, superstitio gliscit eo progressa, ut libri duo editi sint alter preces omnes etiam illam Christianis omnibus solennem, in Mariam vertens, alter omnem divini metus adulationem illis adimens qui Carmelitarum eponnide, quod scapulare vocant induti ab hac vita exibunt. Eos libros cùm Sorbona carbone nigro notare vellet missus à consilio Regis apparitor intercessit. Amicitiæ cum Bavaro minor hic minorque spes, quod novo affinitatis vinculo innecti Cæsari credatur. Ex Guinea in Bataviam marcæ auri bis mille & centum adferuntur. E Brasilia sacchari plurimum & nuntius ad Promontorium Augustini Castella Lusitanorum duo Rede & Nazaretæ arcta Batavorum obsidione premi. Edicti posterioris Regii ad Belgas maximè pertinentis, mitto Latinam interpretationem, si fortè per Germaniam usui esse possit. Mirantur Batavorum nonnulli quod non ex Picardia in Atrebates, Hannonios, Cameracenses bellum inferatur. Deus omnia hæc ad publicum bonum dirigat, idemque Excellentissime Domine, Subl. Tuam sospitet. Lutetiæ, 22 Iunii novi Cal. 1635.

Subl. Tuæ devotissimus cultor H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

BElli ejus quod Hispano indixit Rex Galliæ quod gerere 423
cœpit cælis eorum copiis, oppidisque captis, causas orbi Christiano approbare cupiens duos libellos edidit: alterum pro se scriptum misit ad Præfectos, alterum in quo ipse loquitur misit probandum Parlamentis, in quo imitatus Romanorum pro Græcis exemplum, Belgas ad Libertatem invitat. Vtrumque Sacratissimæ Maj. Tuæ mitto, sunt enim quædam in utroque communia, multa etiam propria. Iudicia ut fieri amat, varia subsequentur, & quanquam ubique captatur Romanensium gratia, tamen dubium non est quin causa hæc inter Protestantes repertura sit fautores & plures & certiores. Res hæc per annos triginta & plures à majore Christiani orbis parte exspectata spem facit futurum, ut Deus, qui è tenebris lucem novit educere, ex armis tam latè sumptis viam sit reperturus ad pacem non minùs latè patentem, ideoque & tutam & honestam. Contra Gallasius cujus exercitus ad Philipsburgum scaphis primùm, inde ponte facto transgressus Rhenum citeriore nunc ripa iter facit, directùm ut creditur in Treviros, Colonienses atque inde in Belgas. Rex suas è Lotharingia copias, præter eas quæ jam ante erant in eo tractu missurum se dicit: & quin facturus sit non dubito, cùm alioqui si in terram Belgicam incolumes pervenire possint illæ hostium copiæ valde perturbaturæ sint Regis Batavorumque cœpta per illas partes. Tantum animorum est in Gallis sub Rege maximè tam forti atque felice ut credi aliud non debeat quàm inchoatum opus omnibus viribus, quæ sive pecuniam, sive homines, sive alia bello necessaria spectamus maxima sunt, prosecuturos. Deo commendandus est successus qui, Serenissima ac Potentissima regina Domina mea Clementissima, Tuam Sacratissimam Majestatem sospitem florentemque servet. Lutetiæ, 22 Iunii novi Cal. 1635.

Tuæ Augustissimæ Maj. subditus obedientissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

SAtis est, quod perlatæ sunt ad te quas scripseram lite- 424
ræ, causæ dilati responsi & justæ sunt, & nullum in

Digitized by Google

mora fuit periculum. Et dulcius mihi est velut uno conspectu contueri tot honores qui Maximo viro D. Cancellario illis in partibus maximi, intra merita tamen stantes contigerunt. Vectigalis negotium ut prudenter ais, difficilè apud homines talia non segniter curantes, quod emolliverit verbis comibus, multùm gaudeo planeque consentio & ad ea quæ in Borussia aguntur utile id futurum, & tibi in posterum ad continendam illam amicitiam minus fore difficultatis. Cum ventos Hamburgum ferentes habuerit, non dubito quin jam illis sit in locis in quibus eum esse maximè expedit publico. Ego ut hinc Legatus quamprimum mittatur, qui consilia ipsius adjuvet, eniti non desinam. Scio magnum in ejus animo desiderium fuisse compellandi Bohemiæ Reginam, ac lætor quod à colloquio ipsi dilectior discesserit. Rex post editum illud scriptum quod nuper misi de causis belli in Hispanum, vulgavit & alterum paris argumenti, sed propius res Belgarum spectans in quo nonnulla excerpta sunt capita ejus fœderis quod meritò videre desideras & ego tecum laborabo ut è latebris, siqua fieri potest, protrahatur. An quæ in hoc sit edicto invitatio Belgarum ad libertatem sub illis quas ad scriptas vides conditionibus, eam quæ speratur effectura sit civitatum defectionem, video & heic dubitari. Hactenus nihil nisi vi actum video. Quæ si & à Picardia in Atrebates eorumque finitimos irruat, priusquam eò penetret superbus transito ad Philipsburgum Rheno Gallasius, erunt per illa loca in arcto res Hispani. Rex magnam è Lotharingia manum promittit, imò ut puto jam mittit auxilio iis qui sub Duce Bernhardo Feuquerioque sunt, quibus ut spero, difficile non erit carpere, si non disjicere Gallasii agmen, neque TransRhenanis partibus tanto exercitu exoneratis prædari aliquid aggredi. Per Brabantiam famem nostris voluisse facere videntur Hispani, freti Leodiensium magis fida in ipsos amicitia; sed ei rei jam provisum intelligo, perterritis Leodiensibus, conciliatis agrestium animis, curataque commeatus è Batavis advectione. Hæc tam diligenter administrata, dedecorat illa ad Duinquercam, quid aliud dicam, quàm supinitas. Nobilissimo filio tuo auctam dignitatem tum ob rem ipsam mihi ipsius amantissimo dulce est, tum quod insigne est testimonium optimè ipsi volentis Potentissimi viri. Quare ut & hoc & cætera consilia vestra Deus fortunet, teque cum omni familia publicis rebus & mihi quoque sospitem præstet toto animo ipsum veneror. Lutetiæ, 22 Iunii novi Cal. anni. 1635.

Illustriss. Domin. Tuæ addictissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine.

425 QVam mihi dolet, incerto itinerum literas & tardiùs & minùs tuto commeare, tam gaudeo ita te mei manere memorem, ut occasiones non omittas docendi me ea quæ scire aut jucundum est privatim, aut utile publicè. Prima, quæ acceperamus, junctarum virium prospera multùm inquinat illa capto Tilæmontio Galli militis ultra etiam militarem modum progressa licentia, idque, ut mones, eo accidit majore cum malo, quod quæ Galli ad Belgas jactitant in Edicto aut pro religione inter ipsos communi, aut pro Belgarum propria libertate, fidem post talia facta ægrè invenient. Novi heic de felice in Brabantia prælio sunt nuntii, sed qui non satis certos auctores habent ut nos cogant credere. Itaque ἐφέξομεν [*subsistemus*]. De Galasii copiis Rhenum traductis vera audistis, nisi quod numerum non parum auxit fama. Ipse verò per Tirolanas regiones in Mediolanensem profectus armisque ibi Hispaniæ, sive ad sua tuenda, sive ad inquietandam iterum Vallem Telinam præfuturus ex multis Italiæ locis scribitur. Illis copiis exspectant prudentes ut aut vis occurrat in prælium parata, Gallis sua societate atque exemplo facilè inflammaturis longam Batavorum segnitiem, aut vastatis agris impervia ob famem itinera fiant, quod opus jam ex Picardia cæptari à Gallis dicitur. De classe ad Campaniæ oram nec vera nec falsa reperiuntur quæ dicta sunt omnia. Tres naves periisse constat: luxatas tempestate alias, sed ita ut jam rursus, non quidem omnes, sed multæ apparere incipiant. Rex etiamnunc ad fontem est Bellaqueum, lætus tot in se Dei muneribus. Cardinalis neque tam rectè valet, quàm volunt boni, neque tam malè quàm vellent mali. Seditiones fiunt satis multæ, sed maximè in partibus ab Aula & milite remotis: sed quibus speramus remedium fore à Regis prudentia ac bonitate. Lætus intelligo plus aliquanto prorogandarum induciarum spei apparere nostros & Polonos inter, correctis iis, quæ Reginæ nostræ jus lædentia indices Legationis literæ antehac continebant. Episcopi adhuc in dissuendo Fratris Regii matrimonio laborant. Deus, Illustrissime Domine, te cum tuis omnibus sospitet. Lutetiæ, 29 Iunii novi Cal. 1635.

Illustriss. Domin. Tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

ADvenisse pridem in Saxonicas partes Subl. Tuam sicut 426 conjecturis credimus, ita certi esse percupimus. Literas quamdiu de via per Germaniam incertus sum, via per Bataviam pergo adhuc mittere. Epistolam Subl. Tuæ ad Regem, misi ad minorem Butillerium qui Ruellæ erat, qui se curaturum recepit, simul ei meis literis commendavi negotium promovendæ in Saxoniam Legationis. Id ipsum cùm ei in urbem reverso coram commendare cuperem, tot effugiis tractus sum etiam condictis temporibus frustra habitus, non sine despectu mandatæ mihi dignitatis, ut coactus sim me ad sigillorum Custodem transferre, à quo & honestè & amicè exceptus sum, benignè etiam percunctante de rebus Subl. Tuæ. Cùm is mihi diceret destinatum huic Legationi Senatorem dictum de la Court Latinè eruditum, sed quominus mitteretur obstitisse pacis Saxonicæ nuntium, ostendi eò magis celeriusque mittendum Subl. Tuæ adjutorem ad sanandum id malum si sanari possit, si non possit ad inhibendum ne contage serpat: responsumque accepi rem ipsi cordi fore. Alterum colloquendi cum ipso argumentum mihi præbebant Gemmingii literæ, quarum admonitu orabam primùm ut XII. millia Germanis missa implerentur, redderetur Duci Bernhardo equitatus Suedicus ad Borentrudæ obsidium retentus, postremo ut Marescalli Lafortii exercitus, quod promissum fuerat, ad ripam citeriorem Rheni accederet, Ducique Bernhardo in ripa ulteriore res gerendi, & si fieri posset cum Bannerio se conjungendi occasionem daret. De prioribus spe facta, ultimum sic excusabat quomodo & Lafortium excusasse Gemmingius scripserat, refovendas mensis aut majoris temporis copias acri laboriosaque militia attritas. Non destiti ostendere quantum in illo temporis damno esset damni. Apud Belgas magnis initiis cætera minùs respondent, Tilemontio vi capto tam immanis Gallorum militum libido fuit, ut ad vetus odium, quo Galli apud Belgas laborant, multum accesserit, neque facilè sperandum sit, ut illæ civitates ultro se Gallis adjungant. Addit 48. 118. 33. 41. 52. 38. 2010. 217. Titinnium Mustatæ non facilè à Clodio discessurum, quod metuat ne Terentius mox sine ipsis Pindarum aggrediatur. Lovanium captum jam credo erit. Sed enim mirum exiguum ibi amnem, & subitaria munimenta Cardinalis Hispani qui ex oppido evasit tantorum exercituum cursum morari potuisse. Interim Cæsarianus exercitus, quem triginta esse millium fama fert, prudentiores viginti esse mil-

Digitized by Google

millium existimant, incedit utraque Rheni ripa, pars transgressa jam Rhenum, pars ad Antannacum, ut creditur transitura, incertum ipsone cum Gallasio, quem Italicæ literæ per Tirolanam regionem venisse regendis apud Mediolanum armis scribunt, nisi fortè alius est ejusdem nominis. Hæ copiæ si salvæ quò volent perveniant, dubium non est quin vehementer perturbare possint Principis Arausionensis conatus. Alii contra eundem prælio censent, alii agrorum vastitate famem ei faciendam; quod & in Atrebates Hannoniosque moliri Regem dicitur, sed diu est quod dicitur, mirantibus multis ex illa parte qua maximè patet Belgica, tamdiu cessare arma, ad externas curas accedunt internæ. Cardinalis resurgentibus ulceribus assiduus dolor, sæpe & morbus: Seditio ob tributa multis in locis à milite vacantibus, Burdegalæ tanta obstinatione ut conjurati omnes se confessione & communione ad certam mortem, ni sperata proveniant paraverint, lapidato etiam Sacerdote, qui Regi parendum circa talia docuerat. At Tolosa non plebs sed ipse Parlamentarius Senatus vetuit tributa ab anno XXIV. hujus sæculi indicta exigi, prætendens ita à se occursum imminenti seditioni, sed remedio non minùs apud Aulam exoso. Iam de Italicis rebus quid dicam nescio. Video Mantuanum Parmensemque jam spe involasse in agrum Mediolanensem, quem inter ipsos & Sabaudum partiri se Rex velle dicit, laudabili exemplo, de bello nihil aliud sibi sumpturus quàm gloriam. Sed dum illi his deliniuntur, Sabaudus ut planè credat induci nondum potest, erecti quid futurum sit exspectant Veneti, ne ipsi quidem occasionibus defuturi. Vallis Telina modicis sanè copiis defensa non levi in periculo est, & ad alia mala accedit, ut Venetiis scribitur, ipsorum Rhætorum cum Gallis nec suspicionum nec offensarum vacua societas. Sunt in agro Mediolanensi jam olim XII. millia peditum, duo equitum, accesserunt Neapolitanorum bis mille sexcenti, ab Helvetiis Pontificiis quatuor millia: eorum qui ex Germania per Tirolanum agrum ducuntur, ab ipso ut ibi fama est, Gallasio, variè numerus traditur. D. Marinus scribit dici decem esse millia, Italicæ literæ quas ad me misit Venetæ Reip. Legatus, quinque peditum, duo equitum millia. Crequiacus adhuc in Aula est Taurinensi, & quo minus in Hispanicum solum arma inferantur ajunt Galli obstare sibi Sabaudi cunctationem, non facilè ut videtur in bellum descensuri, nisi & magnam & certam videat prædam. Classis Neapolitana non tam malè à ventis habita quàm ferebatur, apparere scribitur ad Monaci portum. Signa ad centum in Belgico fine de hoste rapta, perque Batavos huc mari missa in æde S. Virginis suspensa hic sunt. Rex adhuc ad fontem est Bellaqueum, quo amans solitudinis, sequi se Legatorum quenquam noluit. In itinere viso qui Ruellis est Cardinali, ejus sermonibus ad bellum redaccensus dicitur, cùm eum non parum in eo proposito refrigerassent Sacerdotes quidam, quod Sanctilimonius flagrantissimæ apud Regem gratiæ compertum sibi renuntiarat Cardinali. Chartæ rumigerulæ res minimè credendas ferunt. De Poloniæ Rege mutata religione ducturo nostram Reginam. Davautius à quo ista proficisci intelligo, quid talibus commentis venetur non satis video. Ab Anglis nihil dum hostile, sed suppara ad suum conspectum demitti postulantium arrogantiam, nec Batavi toleraturi videntur, veteres maris possessores, nec Galli in partem venire cupientes ejus possessionis, non publicis tantùm, quas lentè satis armant, navibus, sed & privatis potestate facta ruendi in prædam è Flandris. Sunt qui susurrant oppida ejus oræ si à Gallis Batavisque oppugnentur, Anglos sibi tutandas sumsisse, nec abhorret conjectura ab ingenio Anglorum utrique illarum gentium æmulo. De justis divortii causis, aut colore probabili, disceptant adhuc Episcopi, postulatis etiam sententiis non quidem Sorbonæ, sed è Sorbona aliquorum. Sunt quibus arridet Edictum Henrici III. in Conventu Ordinum Blesensi irrita matrimonia pronuntians quæ sine trina publica denuntiatione fiant, vetita observationis ejus gratia nisi petentibus sanguine proximis eorum qui conjungi expetunt. Aliis magis placet Caroli Calvi potestas, ut alii volunt regia, ut alii, paterna, ratum vetantis esse filiæ suæ matrimonium cum raptore, sed quo tempore lex talis adversus raptores exstabat, quam post secuti Pontifices valere non passi sunt. Hæc Pontificum mentio in mentem revocat scapulare nuper in literis meis positum, de quo librum mitto argumentum ingens superstitionis eò provectæ, ut frontem perdiderit, simul cum auctoritate consilii Regii, qua Sorbonæ censuræ securim jam distringenti intercessum est. Et hi sunt qui in edictis suis contra hæreticos tam bellè declamant. Laudatur multùm Principis Arausionensis & prudentia & animi magnitudo, qui principem obtinens in Rep. non impotenti locum, tres menses totos cum Gallia pactionem novam distulit, donec ipsi in ipsos Franciæ Marescallos datum esset imperium. Ita mos est gentis hujus urgere eos qui cedunt, cedere urgentibus. Ipsi illi inter se Marescalli non obscuros æmulatus agunt, eo usque ut Bressæus Gallicas copias cum Batavicis confundere agitaverit, quod Castilionæus, cujus major est apud eum militem auctoritas, improbavit. Iam nunc intelligo & Fratrem Regium & Condæum Principem in Aula exspectari ut ubi prolocuti fuerint Episcopi, quod ab ipsis exspectatur eorum accedat approbatio qui partes facere possent. Id si fiat, sperari video à Pontifice obtineri posse ut aliquos huc mittat, qui cum Episcopis Galliæ, non fortuitò ut nunc, sed synodicè coactis rem ex Regis voluntate definiant: de quo tamen dubitant multi, gnari Aulam per se invalidam stantem existimatione hominum, quam Principes maximè sustinent, qua est prudentia, non facilè incursuram in eorum imperiorum alterum, quæ sua vi trahunt cætera. Pecuniæ penuria maximè laborare Hispani dicebantur in Italia res, sed ei malo si non plenum remedium certè levamenti aliquid attulere Genuæ mercatores. Et Spinola novos ea in regione pro Hispanis dilectus agit. Equorum, helcyariorum, carrorum, machinarum, ingens quantum intelligo ex ea parte paratus ostendit spes nondum prostratæ partis. Cremonam in tantis motibus sapientes, ut solent, muniunt Veneti. In Aulam venit ex Lotharingia Valetta Cardinalis Espernonii Languedociam regentis filius, in spem futurum ut alicui præsit exercitui, quidni exemplo ejus, qui dubium plusne ipsi, cùm status ejus nutaret, an ipse ei debeat qui Rupellam cæpit galeatus, loricatus exigua vitta superpendente, Ecclesiastici honoris memor. Eò devenit illa quondam Romanæ urbis Presbyterorum, & Diaconorum illa innocens cognominatio, minimè suspicantibus Regibus, qui eam dignitatem foverunt, venturum eam ad Regibus proximum, & Regibus ipsis minax fastigium. Legatus ab Anglia brevi heic aderit, qui per affinem suum benevolum affectum suum mihi jussit nuntiari. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Subl. Tuam salvam diu publico nobisque præstet, $\frac{1}{11}$ Iunii 1635.

L V D O V I C O C A M E R A R I O,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

427 Vias omnes experior, si qua ad vos permittere literas possim. Ego ex Batavis hoc tempore accepi nullas, nec miror, hostili per terras itinere, per mare incerto, neque dum constitutis qui eam rem curent. Ex Belgicis partibus prospera quæ tam florentes duo promittunt exercitus, audire intelligereque avemus, fessi adversis quæ ex Italia Germaniaque adferuntur. Ex Italia, Bormio:

Digitized by Google

Morbenio aliisque Vallis Telinæ castellis, extra Clavennam & Ripam, pulsos Gallos, dum cunctando coalescere patiuntur ingentes illis in locis Hispani copias. E Germania de duobus qui in Belgicos fines utraque ripa Rheni incedunt exercitibus tantum resedisse illis in locis, quod Heidelberga capta arcem Manheimiumque obsideat, omnibus Primoribus è Palatinatu fugientibus, quodque in ripa altera captis Germshemio, Luterburgo, Benhemio, Seltzio, cæsis duabus Lafortii cohortibus, quarum altera erat Regis Prætoria, ipsum quidem coegerit in præsidia se recipere, Ducem autem Bernhardum Feuqueriumque in Lotharingos fines redegerit, Alsatiam populetur, Argentorato oppidisque aliis non metum tantùm, sed & damna adferat maxima. Ducis Bernhardi graves questus, de non reddito in tempore equitatu Suedico, de non exhibitis duodecim millibus Lutetiana pactione promissis, de non admoto propius Lafortii exercitu, serò huc perlati, auditi tardè. Nunc rebus vulneratis admoventur remedia, mittiturque in copias Regis cis Rhenum imperium habiturus Cardinalis Valetta additis supplementis, ita ut omnes in Lotharingia, Alsatia & propius Rhenum Galli milites futuri putentur ad millia viginti. Literas ab ulterioribus Meti aut Argentorato locis habemus nullas, infessis ab hoste itineribus prope Slestadium & Colmariam castra habente Duce Carolo, qui apud se habet pedites bis, equites quater mille. Mansfeldii in Ringavia copiæ feruntur esse peditum ad duodecim, equitum ad decem millia. Gallassii autem exercitus, antequam se dispartiretur, numeratus dicitur ad decem equitum, viginti peditum millia. Horum pars ad Belgas properat, pars Rheno adsita utrinque incumbit. Nihil addo de Hungariæ Rege, qui magnas adducere copias dicitur, omni à Turca belli metu expeditus. Hæc viris fortibus non animum excutere, sed diligentiam addere debent: quam, ut verum fatear, multis in locis desidero. Exspectamus heic ab Anglia Legatum, qui jam præmisit ad me amicitiæ conciliatores, me neutiquam spernente. Videtur ea gens spectare adhuc velle quid facturi sint alii, fortè aliquando pro occasione ausura. Ajunt ipsi ad se è Brabantia missum è Primoribus aliquem. Princeps Condæus nunc heic est, mittendus, ut creditur, ad compescendas tributarias & vectigalarias seditiones, quæ cum aliis in locis, tum in Aquitania maximè insurgunt. Mortem in carcere, non sine vulgi suspicionibus, obiit Puylaurentius, matrimonii illius, in quo nunc dissuendo Episcopi laborant, opifex. Hæc est rerum, quas nunc discimus summa. Siquid porro evenerit, & via, quod spero, se dabit, non patiar te ignarum, pro cujus valetudine rebusque prosperis, Illustrissime Domine, Deum precor. 5 Iulii novi Cal. 1635.

Norembergam in eo esse ut ad duras satis conditiones ab Imperatore accipiendas se paret, tristes undique intelligimus.

Tuæ Illustriss. Dom. addictissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

428 RES quæ in Belgico solo geruntur propius illas inspicantibus narrandas relinquo, nec aliud dicam quàm lentos & exiguos adhuc audiri successus præ ea exspectatione quam tam prospera in auspicando bello prælii fortuna exciverat. Interim magni sub Gallassio Picolominioque exercitus cis ultraque Rhenum eo properant sicut ibi ambiguum facturi certamen ita Germaniam non levi malo exoneraturi. Etiam sic satis magnas ad desolationem agrorum metumque civitatum reliquias in utraque locarunt ripa, inde Palatinatus ad Heidelbergam hinc Alsatiæ & circumsitis graves, quarum vim retro in Lotharingiam cedendo evitarunt Dux Bernhardus & Feuquerius, experti autem suo malo sunt Lafortii milites. Remedium Rex adfert, misso qui cis Rhenum vocato in aulam Principe Condæo, imperet Cardinali Valettæ magni animi viro cum supplementis ad eas quæ ibi sunt copias. Optandum est citius eò perveniant quæ destinantur vires quàm illæ pervenient quas Vallis Telina adhuc exspectat, cum interim non tantùm in immensum creverint circa illum finem dissimulante aut cunctante Gallo, Hispanorum copiæ sed & castella, claustra itineris, Bormium, Morbenicum Telium & alia extra Clavennam Ripamque irruperint. Quas injurias sicut inultas Rex Galliæ toleraturus, haud dubio non est, ita dolet multis rerum agendarum tempora spectando deliberandoque consumi. Legatus huc ex Anglia ad sedentariam legationem missus est, speculandis quæ heic aguntur & eo ni fallor, quo cætera etiam classem illam adornant animo, non illigandi se partibus nisi pulchrior nascatur occasio. Magna heic tum quid de induciis cum Polono futurum sit, tum quid effectura magni Cancellarii in Saxonicis locis sit auctoritas, exspectatio est. Quæ cuncta in commune bonum Deus dirigat, idem Serenissima ac Potentissima Regina Domina mea Clementissima Tuæ Majestatis solium firmet. Lutetiæ, 5 Iulii, novi Cal. annii 1635.

Tuæ Augustæ Majest. obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

NOn omisi scribere statis diebus, sæpe & extra ordinem, 429
quoties occasio se dedit, nec una via. Faciunt tamen infesta per omnes partes qua terra qua mari itinera ut dubitem pervenerintne, aut omnes, aut pleræque. Neque verò tam eius certus esse cupio, quàm prosperi adventus Subl. Tuæ in illas partes quæ ipsius præsentiæ cummaximè indigent. Vellem habere multa quæ nuntiare possem, unde animus adderetur labascentibus. Et ad alios quidem non nisi prospera scribo, aut spes prosperorum. Cæterum id quod res est neque aliorum diligentia latere Subl. Tua patietur, neque à me apud eam taceri, fides patitur. Prætereo Belgica, ubi quæ post secundam prælii fortunam accidere, minimè respondent exspectationi. Nulla defectio populorum aut nobilium, nulla expugnatio urbium, quæ id nomen mereantur: contra mira & nobilitatis & plebis fides in Hispanum, nec minùs in Gallos odium accensum novis quotidie plusquam militaris licentiæ exemplis. Quid futurum sit ubi ingens ille qui utraque Rheni ripa incedit exercitus hostilis ad Antunnacum altero facto transitu vires suas junxerit, erectis animis opperimur. Magno haud dubiè onere levabit Germaniam tantarum copiarum in Belgicum solum abitus, non ita tamen ut non satis & ibi cis Rhenum maximè belli restet. Pars ea quæ ad superiora ejus ripæ flexit, captis Beinemio, Seltzio locisque aliis junxit se Lotharingo Duci qui ad Brisgraviam duo peditum quatuor equitum millia recollegerat. Dux ipse XVIII Iunii ad Marckelsheimum erat, Colmariam & Slestadum prope, Ioannes Waertus Argentorato non longè, cui magnus honos obtigit quod duas cohortes regimenta vocant, Gallicas Lafortiani agminis, quarum altera erat Regis Prætoria, concidit. Pars verò altera quæ Spiram & vicina cepit, indiligenter custodita à Bipontinis, tantum intulit metum Duci Bernhardo, metuenti ne multis ex partibus velut indagine clauderetur, ut Sarræpontem primum, inde propiùs Mosellam ad S. Aoaldi se contulerit, Feuquerium inibi exspectans, & multum querens quod non in tempore redditus sibi sit equitatus auxiliaris Suedicus, non impleta promissa Lutetianis pactis duodecim millia, non propiùs ad Rhenum admotæ Lafortii copiæ. De cæteris querelis nihil nunc dicam. Lafortii miles rerum omnium penuria laborat, tantumque licentiæ usurpat, ut magisne ipsius an

Ce-

Digitized by Google

Cæsaris miles agrestium plebi metuendus sit jure dubitetur. Hæc ipsa quam dixi pars Cæsarianorum antequam in Treviros Belgasque iret, missis equitum duobus millibus populata est agrum Bipontinum, & nimia hujus festinatio ad pericula Belgica servaturad tempus, videtur Wormatiam & Maguntiacum, Transrhenana autem pars Gallassiani exercitus, ad quinque millia draconarii plerique Antonnacum petit citis itineribus, eorundem portio alia est quæ Manhemum & Heidelbergæ arcem aut oppugnet, aut jam cepit. Tanta est eorum qui in illis erant locis consternatio, quæ Administratorem Rusdorfium, Colbium, Streiffium, omnes Metim compulit, forte nec ibi constituros, nam multi inde ad hanc usque urbem retrocedunt. Administrator Sedanum iturus creditur, secum ferens infortunati Friderici Regis Bohemiæ corpus, ne deprehensum alicubi hostibus ludibrium præbeat. Mansfeldium ab Argentorato literæ scriptæ XVIII. Iunii, in Ringravia dicebant censu acto exercitus, reperisse duodecim peditum, decem equitum millia. Iam verò & Rex Hungariæ dicitur novum & magnum exercitum trahere, nullo ultra à Turca metu, versis ejus in Persam armis. De Nurimberga audimus, orare eam pacem à Cæsare, paratam recipere quater mille milites in sui custodiam, mulctam pendere 300000 Florenorum, & quæ Ecclesiæ Ecclesiasticorumque fuere eis reddere. Vereor ne longius eat exemplum. Nam par & magnitudine & fide in partes Argentoratensium civitas, non eadem quidem sed eodem euntia mala sentire incipit, imminutis commerciis rerum ad vitam necessariarum pretio in triplum incenso. Adversus hæc tam longè lateque patentia Germaniæ incommoda ac pericula tardè heic consulitur. Principe Condæo huc vocato primùm ut divortio Fratris Regii suam auctoritatem illiget, deinde credo, ut seditiones tum alibi tum in Aquitania maximè gliscentes aut comprimat, aut sopiat: successor ei cum Imperio in omnes cis Rhenum extra Regni limitem Regis copias mittitur Cardinalis Valetta. Sub eo erunt Halerii, Lafortii, Feuquerii copiæ auctæ addito è proximis præsidiis milite, ita ut omnes futuræ putentur ad millia viginti, seditio tum alibi magna est tum Burdegalæ quanquam in urbe ea agente Espernonio cum armata nobilitate, ipsa quiete recolligit vires, palam clamante plebe vivat Rex, sed sine tributis, nec quoque audente aut pœnam aut nova tributa exposcere. Ad Italiam venio. Ibi crescentibus indies Hispani viribus tanta fuit Gallorum contra ingenium cunctatio, ut invenerit quod eventurum prudens nemo dubitabat; Bormioque & aliis Vallis Telinæ castellis expulsus impar tanto certamini Rohanius vix Clavennam Ripamque retineat, si tamen nunc retinet. Causam tantæ patientiæ aut negligentiæ potius, maximè credibilem illi adferunt, qui Pontificem omni modo per nuntios id egisse ajunt ne extra Telinam Vallem in Italiam promoverentur arma, spe facta inani, quieturum si nihil ultra moveretur, Hispanum. Accedit aliud ad hæc non minus malum, quod certo discimus Americanam classem nullo damno Hispaniæ portus attigisse resurgentis belli alimentum. Puylaurentii mors dat fabulis locum, post multas in Bastiliano Vincennique carcere clausorum antehac subitas mortes. Ego minimè suspicax, satis ad mortem causæ in ipso carceris tædio esse arbitror hominibus præsertim, fortunæ nihil nisi blanditias expertis, nulloque literarum præsidio munitis contra rerum humanarum vices. Qui res Colmariæ heic agit multùm queritur tutelæ Regiæ conditiones, longè alias addi quàm Lafortius Insulanusque pepigerant: maximè eum offendit asscriptum ut oppidani ad suæ salutis custodiam ea conferant quæ necessitas exigat, quanquam addito ultro ut id faciant non coacti. At meliorem suorum municipum sub Suedorum tutela, sub Cæsaris quoque imperio statum fuisse: omnemque tributorum mentionem in federe initium esse ad servitutem. Cùm multum hæc querendo apud Butillerium patrem Serviani umque parum proficeret, postremò Ruellas ivit, si fortè convenire Cardinalem posset, post rerum quæ geruntur vindemiam, racemationem addo, conjecturus in eam quæ minùs explorata habeo. Tres Suedorum turmas ad Lanstulium disjectas: Ducis Bernhardi copias exhaustas dici relictis præsidiis, Maguntiaci maximè: Eidem Duci si Gallis se totum addicat, Alsatiam pro dono ostentari. Contra Arnaltium magna à Germanis parari documenta rejectandæ infamiæ. Missos à Cameracensi agro vicinisque locis qui incendia & vastationes, ut apud Batavos fieri solet à Rege pecuniis redimant: Legatum Galliæ Davausium potentissimum esse in aula Suedica, honoribusque non antehac auditis exceptum. Nihil habeo præterea nisi ut Deum precer, Excellentissime Domine, Subl. Tuæ ut præsens adsit. Lutetiæ, 5 Iulii, novi Cal. 1635.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Literas, Vir eximie.... sciscitabar.... illud novum nunc addo, si alicubi paretur nova Taciti editio cum omnium qui ad eum scripsere adnotationibus, habere me quod adjungam. Tua quoque de re Grammatica expecto. De Galilæo hoc addam, pro certo eum affirmare repertum sibi id quod in Hollandia tamdiu quæritur signa certa inveniendæ longitudinis, sive positus loci cujusque ad partes Æquatoris. Ejus inventi, si res sic se habet, publicari gloriam velim patriæ meæ deberi. Vale Vir Præstantissime & amicos saluta. Lutetiæ, 6 Iulii, novi Cal. 1635. 430

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

CVm videam lento itinere progressurum D. Mullerum, ea quidem quæ nuntianda existimavi scribam mittamque per tabellarios. Cæterum arripiam hanc datam mihi ab ipso occasionem mittendi Edicta nummaria annorum aliquammultorum longo labore collecta. Cuduntur & nova quæ mittam postea. Ambitio subditorum magnum Regi vectigal est. Alia sic administrantur, ut ditescant ad invidiam pauci pars ingens inops fit ad misericordiam. Satis potens Regnum, si eorum quæ populus tolerat, vel quinta pars ad veros usus perveniret. Deus, Excellentissime Domine, Subl. Tuam communi bono servet ac sospitet. Lutetiæ, 9 Iulii 1635. 431

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

DIsturbatis literarum per Brabantiam commerciis, neque dum dispositis qui mari ea curent evenit ut quas scripseram nuper ad mercatorem cujus utor opera, delitescentes hucusque occasionem mihi dederint & has addendi, iisque complectendi quæ ex eo didici. Venit medio tempore ad me Mullerus ab Epistolis Subl. Tuæ qui quando per Hollandiam transit fortè serius aliquanto istuc est perventurus quàm hæ literæ si nihil mali intervenerit. Quare ea etiam addam, quæ ab ipso plenius discere poterit Subl. Tua ut lucrer temporis interusurium. Ait Ducem Bernhardum concitatum adversus Subl. Tuam Feuquerii maximè relatu, asseverantis nullam in iis quæ cum Rege acta sunt ipsius Germaniæve habitam rationem. Vidi quàm utile esset me eorum quæ acta sunt non esse ignarum, testari enim potui, testatusque sum adfuisse me cùm Fœderatorum res Regi magna Subl. Tuæ cura commendarentur. Addidi & hoc placuisse ne pax induciæve fierent, nisi communiter cum Fœderatis. Et quia non omnia per se peragere poterat Subl. Tua mandatum mihi ut sociorum negotiis adessem idque me tum sponte mea, quantum mihi notæ erant eorum res, tum etiam incitatu Ringravii: apud omnes qui possunt aliquid 432

Digitized by Google

quid fecisse; institisse ut impleretur promissus Germaniæ numerus, redderetur equitatus Suedicus, adducerentur propius Laforcii copiæ. Addidi quid super singulis accepi responsi, de quo nihil repetam, quando id satis continent scriptæ ante has literæ. Mullerus Argentoratensium laudat fidem & retento penes Suediam Benfeldio multum accessisse ad affectum quo res nostras prosequuntur affirmat. Ducem Wirtebergensem fidum partibus, sed ab exsulante indigena nobilitate labefactari ejus animum. Marchionem Durlachium anxium esse ne cæteris pacem cum Imperatore facientibus, deseratur ab aliis, ab aliis opprimatur. Idem Palatini Pirckeveldii, narrat consilia adversùs Subl. Tuam adeo ab omni aliena ratione, ut ea mirum sit venire potuisse in Germani & Protestantis Principis animum, nisi nihil tam est portentosum, quod non his temporibus parere possit Germania. Hispanica classis ad Iluam apparere dicitur. De Lovanio capto nihil habemus præter rumores, credibiles tamen, quando infirma urbs est contra vim tantam, cujus magnitudo sua ipsius mole maximè laborat, ægrè suppetentibus alimentis, quæ cùm corrupti transitu & cursibus sint agri, peti ab Hollandia usque debent, ipsa sibi alendæ impari, pendentique à mari Balthico. Aula hæc quæ partim est apud Fontem Bellaqueum cum Rege partim heic non longè à Ruellis, ubi Cardinalis agit meliore nunc valetudine, Regemque inter sex septem dies propiùs exspectans, credit pacem Saxonis: sperat & nostras cum Polonia inducias, ex quo missus à Davausio domesticorum ejus unus advenit. Legatum à Pontifice exspectari huc spargunt, ex verone an ut, metu ne ipsi res suas cum Austriaca Domo transigant, nos ad lubita sua paratiores habeant non dixerim. Seditiones desæviunt magis quàm moriuntur, & creditur etiam nunc iturus in eas partes Princeps, qui obtendens valetudinis curam ex aula se proripuit ad Aquas Pugences in ipso articulo temporis, cùm Episcopi parati essent suum pro divortio Fratris Regii responsum in aulam deferre. Crequiaci tenues esse intelligo copias, nec quicquam spei ut brevi magni aliquid in Italia captetur. De tardis rerum Belgicarum processibus accusant heic satis apertè Arausionensem Principem, quasi qui è re sua existimet bellum trahi sine fine: & dicitur cum Galliæ Ducibus convenire ei non optimè. At Batavi ne ipsi quidem elingues non hoc abs se speratum, aut à Rege promissum ajunt, ut tanta vis militum in regionem unam coacta in famem priùs quàm in hostem incurreret. Sed ut ipsis relicta finitimarum rerum cura, Galli in Atrebates & Hannovios arma inferrent. At Chaunius cui mandata dicebatur ea irruptio, in Aula nunc quoque detinetur; scribuntque Ordines tum fœderati tum Hollandiæ, minimè satisfactum suæ exspectationi. Mirum quàm infestum mare Dunquercani habeant, atque id ad curandarum literarum difficultates accedit. Ex Anglia literas recentes habeo, quibus edoceor ad odium illud in Batavos quod Ambonæ satum est, accedentibus novis alimentis ex societate Gallica semper Anglis suspecta, simul cum classis majore indies paratu colorem novis conatibus quæri ex vetere controversia: jusso viro pererudito Seldeno librum scribere, qui nunc editur, quo maris Britanniam Belgicamque interluentis, maximè verò partis ejus quæ ipsorum littora respicit, dominatum sibi Anglia vindicet. Quid parturiat hæc rupta obducti diu vulneris cicatrix, avemus omnes conspicere, optantes ut sine communi malo transeat. Hæc scripseram cùm venit ad me Priandius, à Patre Iosepho apud quem literas viderat certum non minùs quàm triste in manu hostium esse Wormatiam, Oppenhemum, Maguntiacum, Gustavi Castellum: metusque non Lotharingiæ tantùm sed & Campaniæ Gallicæ. Hæc opto quamprimum sciat Subl. Tua, ideoque scribo duabus viis. Dum Rex solitudinem quærit, Cardinalis & Iosephus, infirma imò afflicta ambo valetudine, rerum omnium notitiam & actus penes se detinent. Butillerius filius abest apud Fratrem Regium, & ubi non abest cursitat: pater multum putat si negotia se prementia semper differat. Bulionius pecuniam Regis non sine lucro suo comprimit, talia evenire necesse est magno Regni, magno amicorum malo. Et jam hoc quoque nuntiatur Burdegalæ rursum insurgere cum multo sanguine seditionem, aliis quoque in locis trucidari magistratus. His diebus cùm adesset Regi Princeps Condæus simulque Bulionius, acriter in hunc Princeps invectus est, quod ipsius tenacitate miles defuisset Valli Telinæ tutandæ, addebat non id à se dici ulla Rohanii cura, quem abs se non amari ratum esset omnibus, sed quod labes Francici nominis meritò ipsi dolori esset. Regem & Cardinalem passis velis ad pacem ferri ajebat amicus ille, multum eo adremigantibus nuntiis Pontificis. Ego his malis causæ communis vehementer commoveor, duoque Deum precor, meliora ut largiatur, meque reddat Suetiæ Tuæque Subl. non inutilem. Ejus bonitas Excellentissime Domine Subl. Tuæ faveat. Lutetiæ, 10 Iulii, novi Cal. 1635.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

ITa obsessa sunt & per Germaniam, & per Belgium itinera ut nihil nisi incertum, tardumque audiamus. Hoc quidem apparet, Regem & ex Belgico fine exspectare novam victoriam, de Picolominæi copiis Mosam ad Namurcum transgressis, & in Germania nihil omittere quod opus sit ad res postquam servari non potuere restituendas. Nam & ex Provincia & Delphinatu, quæ paratæ credebantur ad bellum Italicum copiæ, & ex Picardia quæ incursare in Atrebates & Hannovios putabantur, pleræque in Lotharingiam & Rheno proxima mittuntur, & Ducis Bernhardi Wimariensis militi mensis stipendium persolvitur, & Rex ipse parat se ut de propinquiori loco consulat laborantibus partibus. Ex valle autem Telina quanquam non omnia habemus quæ volumus, necdum persanato eo vulnere quod nuper acceptum est, recreamur tamen prosperis nuntiis post receptum à Rohanio Tiranum castellum, cæsi ab eodem hostes ad pontem Adduæ, & spe majorum successuum. Maximè cùm Sabaudus ad societatem Gallicam jam se contulisse dicatur. Poloniæ Secretarium in Aula Viennensi pecuniam accepisse intelligimus, qua conducantur Cossacci adversùs Galliam, ejusque amicos. Est in eadem Aula Vir Nobilis à Dano missus, ob Bremense negotium. Sponsalibus Bavaricis dies constitutus dicitur ad quintum Augusti. Arma Turcica in Persas versa non dubitatur. Angli adhuc classem suam innocentem habent, nisi quod semen metuitur controversiæ, postulantibus Anglis, ut Gallorum Batavorumque naves toto quod Angliam Flandriamque interjacet mari suppara ipsis submittant. Cum processu temporis discemus plura. Det Deus ut & meliora, idemque, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina me Clementissima, Augustam Maj. Tuam diu nobis & Christiano orbi servet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Iulii 1635. 433

Tua Aug. Maj. obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

DE Maguntiaco ii ipsi qui tristem sparserant nuntium, nunc eum dubium videri volunt, an quod parum certa fuerit auctoritas, an quod ita conducere rebus existimant non dixerim. Sed si verum est Wormatiam versus ivisse magnam partem Cæsariani exercitus, est plus quod metuam quàm quod sperem. Cùm pater Butillerius, cui, filio apud Fratrem morante Regium, res externæ curæ sunt, apud Regem negotia fugientem ad Fontem 434

tem ageret Bellaquçum, Servianum Secretarium Status unum è quatuor, cui bellicarum rerum tractatio mandata est, conveni, à quo singulari quadam humanitate & amicitiæ testatione exceptus sum, commendavi ei tria, Colmariense negotium, ut ea æquitate transigeretur, unde & huic civitati amor in res Gallicas cresceret, & aliis exemplum daretur tutelæ Regis expetendæ; Legatus ut quamprimum mitteretur, cujus opera adjuta Subl. Tua faciliùs societatem Protestantium inter se devinctam contineret. Postremum ut pecunia per Feuquerium sæpius, nuper & per Butillerium filium promissa Subl. Tuæ non ultra fineretur in manibus dispensantium hærere, magnos in his rerum momentis usus habitura: quod ut credibilius facerem explicavi quæ de Arnhemio & fluctuantibus nonnullis exercitus Saxonici ducibus intellexeram. Promisit largè operam suam, optare ut D. de la Cour, Consiliarius Parlamenti hujus & primi quondam Præsidis Rhothomagensis filius, non leviter literis tinctus, in vestras partes mitteretur, addens optari idem à Sigillorum custode. Cùm diceret alios Davausio destinare eam Legationem, dixi arbitrari me è re esse ut Davausius permaneret in tractandis rebus ad inducias cum Polono pertinentibus, neque verò vestri tractus rem eam moram pati, ut post exitum demum colloquii cum Polonis à Rege Legatus istuc adventaret. Literæ à Vienna narrant fuisse ea in Aula Polonum Secretarium cui ab Ognatensi pecunia sit numerata Cossaccorum tribus millibus conducendis, quæ in Galliam Hispani vellent immittere. Sanè ita judicare prudentiores video. Poloniæ Regem Protestantibus blandiri quidem sed per magis fida cum Cæsare connecti, præsertim quamdiu cum Suetia belli pacisque incertus manet. Septimus jam dies est cùm venit heic à Duce Bernhardo Ponica, rebus fessis subsidium rogans. Multa mecum locutus purgavit famam Ducis, quod in magno metu, ne inde à Galassio, altera parte à Mansfeldio includeretur, peditis inops quem in oppidorum præsidia distribuisset, tam longè cessim iisset. Amicitiam Subl. Tuæ in ipso abitu cum Duce fœderatam prædicabat, addebatque plurima in laudem Subl. Tuæ, sæpius repetens meliùs ipsam Germanis consultam voluisse quàm ipsos sibi Germanos. Nec tacebat magnam ipsius Ducis cum Feuquerio conjunctionem. Putavi officii esse mei ex generali mandato socios juvandi, ipsius postulata commendare Serviano, qui id non ingratum habuit. Locutus est & ipsi Ponica, & Patri Iosepho, dein Cardinali heri & Regi, qui ad Germani nunc fanum venit, Catalaunum ut dicitur iturus. Promittitur ei & magnus exercitus sub Cardinali Valetta, & pecuniæ aliquid pro Ducis Bernhardi milite, ne vastatis jam cæteris quod facere cæperat, Gallia solùm populetur. Suedis nostris parta gloria est defensa contra magnam hostium vim Cæsaris Lautera. In Valle Telina res non quidem restitutæ sunt, sed spem ostentant meliusculam, nam Rohanius qui se nimium festina, ut multi existimant, cautione Clavennam Ripamque receperat, Tiranum castellum, ad multas res utili positu, recuperavit, auctusque tribus Helvetiorum millibus diu desideratis, hostium sex millia ad pontem Adduæ, qui Tiranum inter & Bormium est, partim interfecit, partim compulit in montes, inque Bormium fugere, unde majora audendi pulchra se illi præbet occasio. Sabaudus dicitur jam fœdus fecisse cum Rege, quod quale sit ostendet dies. Certè hoc tempore non eæ sunt in illis partibus Regis vires, ut magni quicquam possint aggredi: imò ad tutandam Lotharingiam & quæ Lotharingiæ adhæreat, miles inde abducitur ut & ex Picardia, is qui in Atrebates & Hainovios multum id exspectantibus Batavis incubiturus dicebatur. Sed æquum est ad ea reverti, quæ urgent magis. Ringravium Francofurti ad Mœnum esse audio, eaque fiducia animum addere Sociis & civitatis fidem retinere, quod utinam sit diuturnum. Nam antequam eò adveniret, intelligo controversiam ei motam de directione vicaria ab ipsa civitate. De Belgicis rebus sera huc omnia adferuntur & incerta. Piccolomini exercitus quem non admodum esse speciosum Sedano scribitur, Mosam Namurci transiit, interiora Belgarum petiturus. De Regio Batavicoque exercitu plerique conjecturam faciunt, iter illis in Wasiam quæri, initium ad claudendam Antverpiam. Ajunt ibi grave odium exortum inter duos Cardinalis propinquos Brezæum & Meleræum. Ex Hispania Secretarius Legati qui ibi fuit Gallici honorificè & sine suo impendio ad fines deductus est. Ea comparatio efficit, ut quæ hic in Secretarium Hispanicum durius acta sunt ob tractam longiùs præfinito moram, custodito ipso, neque chartis intactis, eorum nunc defugiatur auctoritas. Ex Italia qui scribunt, memorant magna ibi Hispanorum diligentia reparari classem. Ab iisdem Parmensi Principi ingentes intentari metus. At ex Vienna præter ea quæ dicere occupavi, Regem Hungariæ Budacium ivisse, eò venturos eos qui exercitu sub ipso sunt præfuturi: missos in Hispaniam cursores ad socianda consilia super pace generali à Pontifice commendata, sed quàm Austriaci nonnullis successibus inflati cariùs quàm antehac indicare dicuntur, ne hoc quidem dissimulantes, non multum ex Legatorum opera sperandum, quamdiu non prius exploratus esset ipsius Regis Galliæ in pacem animus. In eo instrumento quo Dux Neoburgicus medius inter partes esse permittitur, adscriptum ne Gallis aut aliis Domus Austriacæ hostibus iter per sua concederet: à Rohanio missas Viennam literas, quo significet quod factum in Valle Telina à Gallis, non aliò spectare, quàm ad tutandam Catholicam Romanensium Religionem, & jus Rhætorum. Sponsalia Bavarica quinto Augusti futura. Pacis Saxònicæ occultari pleraque. Venisse in Aulam Viennensem à Rege Daniæ Virum Nobilem commendaturum Cæsari possessionem Bremensis Episcopatus. Et hæc quidem inde: heic verò Episcopi sententiam suam adversùs conjugium Fratris Regii perscriptam dedere, quam nancisci nondum potui, missurus alioqui. Ducissa de Croy se Subl. Tuæ commendat, facit idem D. Diodati. Mitto Edictum Regis quo districtiùs quàm antehac feudorum possessores ad arma evocat, & responsum Theologorum de Fratris Regii matrimonio, cui congruenter & Episcopi Regi responderunt; præterea recentes Meti literas quibus Cæsaris Lautera tandem vi hostium pressa intelligitur malaque omnia quibus Deus medeatur. Rusdorfius hic est, sed eum videre necdum contigit. Omnia optima publico, Excellentissime Domine, & Subl. Tuæ precor $\frac{1}{27}$ Iulii, 1635.

113. 266. 45. 73. 1009. 35. 55. 22. 98. magnus honos habetur, nempe ut Theodoretus Pyrrhonis totus Vindicis fiat, sunt qui mussitant obsessam Colmariam.

Tuæ Subl. devot. cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

Valde mihi dolet ita ab hoste per Germaniam Belgicumque intersepiri literarum transitus, ut heic in 435
maximis quasi tenebris versemur, ignari quæ nostra nunc, quæ hostium sint. Bona fortuna ad me D. Ryngravii literas pertulit datas 22 Maii vet. Cal. Maguntiaci, quæ res ibi, contra quam heic nuntiatum & in Aula creditum fuerat, quietas adhuc nuntiant. A Duce Bernhardo habemus hic Ponicam, cui Rex promisit & validum à se exercitum illis in locis brevi futurum, & pecuniæ nonnihil ad alimenta militis ejus, qui sub ipso Duce Bernhardo est, & in præsens eidem militi mensis stipendium. Rex ipse constituit propiùs ad eum finem accedere, & Ducem Bernhardum coram complecti. Ex Valle

Telina habemus Rohanii literas de sex millibus hostium à se partim trucidatis, partim fugatis ad pontem Adduæ inter Bormium, quod hostis tenet, & Tiranum castellum quod ipse paulo ante recuperaverat. Ab Anglia Legatus jam in itinere est. Metuo novas cum ea gente controversias, quando toto illo mari, quod ipsos Galliæque & Belgicæ conjuncta littora interfunditur, suppara sibi ab aliis omnibus submitti volunt, & pisces ad vectigal vocant. Habebimus brevi iis de rebus Seldeni commentarium. Et Polonus & Danus suos in Viennensi Aula habent: ille, ut exploret, quid auxilii sperandum habeat, si nobiscum inducias repudiet: hic verò, ut præsidia comparet possessioni Episcopatus Bremensis. Huc usque si non lætus, certè medio animi statu scripseram, cùm literas accipio nimis certas de capta Wormatia: utinam ne jam & illud, quod de Maguntiaco nuntiatum huc fuit, verum reperiatur. Oppidum tale est, ut si tanti sit hosti eo divertere, quin se dedat, conditio nulla sit recusanda. Talia solent esse oppida quæ à Sacerdotibus reguntur. Episcopi Galliæ jam suo responso Fratris Regii conjugium irritum pronuntiarunt, freti Galliæ moribus, è quibus Pontificum sanctionibus, quoties id expedit, reperiunt quæ opponant. Seditionum tributariarum in ultimis Galliæ partibus, igne nonnihil sedato, manent cineres, non sine metu resurrecturi incendii, inflammantibus monachis, quorum multi externis potestatibus, quàm suo Regi sunt addictiores. Quid ultra futurum sit, novit is qui omnia. sed hic annus res magnas videtur parturire. Eum & sequentes omnes, toto animo, Illustrissime Domine, tibi felices precor & tuis, quos inter si speciatim nominem nobilissimum filium tuum, faciam id meo jure, amicus ejus vetus. 16 Iulii novi Cal. 1635.

Illustrissimæ Dom. Tuæ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

436 INterclusam literis viam per terras Belgicas aperuere Nuntii Pontificii, qui & ante Augusti exitum pacem spondere audiuntur. Id fecit ut omitteretur illud consilium disponendi homines qui per Caletum literas curarent & ut meæ ad Subl. Tuam per triduum heic retentarentur. Medio tempore pervenerunt ad me literæ quas Subl. Tua Stada 9 Iunii vet. Cal. ad me destinavit, ex quibus disco interceptas nescio ubi eas quas octavo ante die ex illis partibus ad me scripserat. Quæ literæ illæ Stadenses mihi injungunt, ea jam ante urgere non desieram Legationis & pecuniæ negotium, & Cardinalem Ruellæ ob eam causam convenire volueram heri aut hodie, sed impediit id Fratris Regii recens superventus, ita ut cras quidem sperem futurum ut eum videam, sed serius quàm curari hæ literæ possint. At hodie apud me fuit Servianus Secretarius status res belli curans, qui dixit Davausio Legationem in illas partes impositam, & quamdiu ille aliis rebus detinetur acturum ibi res qui hactenus res Gallicas in Aula Saxonica egit. Malueram aliquem ibi esse & nunc quidem, qui cum Legati nomine atque auctoritate substentare posset consilia & actus Subl. Tuæ. Videbimus feraţ res mutationem. Pecuniam à Rege missam in vestras partes ad Subl. Tuam, Lunemburgium & Hassum non quidem ex Regis Ministris, sed ex amicis intelligo, aliis credere debeam necne incertus, nam Bulionius nihil ejus dicit. Aulæ consilia in partem ex quo scripseram variant. Rex non abit in Campaniam, sed manet apud Regni sedem, tum quod Cardinali valetudo vix permittat abitum, tum quod metus est ne crebri ex Aquitania seditionum nuntii (ubi in Liburni oppido magnæ factæ sunt cædes) plebem hujus urbis satis mobilem in consensum trahant mali. In Aquitaniam mittitur Dux Valetta, veniæ dandæ jure nec dato illi, nec prohibito, ut quàm ipsi liberum erit dare, tam Regi, si ita usus ferat liberum sit datam rescindere. In loca Rhenum versùs spectantia, pro uno duo mittuntur exercitus, ducibus itidem duobus, in Lotharingia imperaturo Valetta Cardinali, propius Rhenum duce Incolisinensi, velut Lafortio per senectutem impare. Ita mos est Cardinali Riceliaco partiri imperia, quod quàm sit in bello periculosum, si vetera exempla admodum illustria non haberemus, ista nuper Bressæi, aulæ gratia praeferocis, cum Castilionæo certamina satis nos docerent. Contra Episcoporum responsum de Fratris Regii matrimonio, video multos qui consulti non sunt, dicere ex historia actisque publicis, nullum afferri posse exemplum nisi patriæ in liberos potestatis, ut verò antiquitus creditum fuerit idem Regi in propinquos jus esse, non videri probabile, cùm ipsi Galliæ Ordines sub Henrico Tertio ad Germani ædem coacti, & à Rege consulti an feloniam committeret Regii sanguinis Princeps externo se matrimonio Regis impermissu obstringens, sibi id non parere dixerint. Exempla autem Episcopalis responsi ideo suppressa arbitror, quod noluerit Cardinalis ea vulgo nosci priusquam Pontificis super eo tentatus esset animus: cujus etiam nomen Regio nomini præpositum nuper est in elogio, quo sacerdos quidam apud Reginam Matrem vivens, ob libellos contra & Regis, & Pontificis æstimationem factos absens, ideoque ut mos hic est per imaginem rota frangendus judicaretur; neque tamen illa Regis in Pontificem reverentia inhibuit ipsum quominus Iesuitis aliquid à se postulantibus diceret iratus ipsorum sectam suis rebus adversari, rejecto eo quod Iesuitæ opponebant locorum in quibus viverent discrimine. Colmaria obsessa creditur, graviterque peccatum, quod non ante capta sit à Regiis locorum illorum missis. Wormatiæ qui in præsidio erant plerique in Imperatoris militiam transierunt. Est nunc hic Doctor ab Insula qui Argentorati res curare Regias solebat, eò rediturus necne nescio: habet fautores, habet adversarios. Graves de ipso ut ubique invadente Suedis possessa questus perscripsit ad me Rhyngravius, de quibus jam agere cum ministris Regiis cœpi, & porrò agam. Ad Sabaudum postquam fedus cum Gallia signavit missi sunt Codicilli, quibus imperium ipsi in Crequiacum Gallicumque trans Alpes iturum militem datur, dubio adhuc an sit accepturus. Veneti certè perstant speculari fortunas partium. Mitto epistolas Rohanii ad Regem de victoria, quam aliorum literæ non æquè grandem faciunt. Mitto & vetus nunc verò renovatum Edictum de evocatione eorum qui feuda possident, quod Normannica Nobilitas ita interpretatur ne extra Normanniæ fines trahi possint. Magnas pecunias attulisse dicitur in Hispaniam Americana classis, quarum pars quidem plurima ad privatos pertinet, sed illa quoque Regias manus ubi necessitas urget, non solita effugere. Præfectum Picardiæ Chaunium in Atrebates populabundum ivisse rumor est, sed fictus; contra inde in Lotharingiam ducitur miles. Hæc sunt quæ addenda prioribus literis putavi, Deum iterum rogans, Excellentissime Domine, Tuam ut Subl. tutetur atque adjuvet. Lutetiæ, $\frac{7}{17}$ Iulii 1635.

Subl. Tuæ devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

TErtiæ hæ sunt literæ quas intra quintum diem scribo, ita re exigente, ne qua in melius pejusve mutatio Subl. Tuam lateat. Hodie Ruellæ egi cum Cardinali, satis diu locutus est mecum liberaliter non de Germanicis tantùm, sed & de Italicis Belgicisque rebus. E belgicis partibus victoriam novam perscribi dicebat, nondum tamen certa auctoritate: in Italia parari ingentia. Cùm post gratulationem de rebus in Valle Telina prosperis, actasque gratias pro perpetuis ejus in bonum commune vigiliis, venirem ad ea quæ mihi injuncta sunt de Legatione & pecunia; Legationem ad Saxonem & vicinos Principes ajebat jam impositam Davausio. Si tamen illum alia attinerent & res moram ferre non posset de alio Legato mittendo 437

Digitized by Google

do negotium non fore difficile. De pecunia non negabat quidem, sed exaggerabat magna impendia, quæ pro re Fœderatorum fierent, sed de utroque volebat cum Patre Iosepho, qui in eadem domo, sed alio in conclavi erat, agerem. Cum eo collocutus, vidi planè eum id agere, ut quamdiu abest Davausius, is qui hactenus apud Saxonem moratus est, hæc quoque negotia peragat, & si opus sit Legati dignitate ornetur. Laudabat eum multis nominibus & quod Germanicè calleret. Rem jam eò perductam dicebat, ut facilè mutari non posset. De pecunia cùm exposuissem quàm justis de causis, & quamdiu deberetur, adderem interpositam Feuquerii fidem, dicta Butillerii: Bulionium autem sola ducenta millia polliceri pridem erogata ab Heusdio & ipsi debita, ita ut nihil restare, quo nunc tam necessario tempore uti Subl. Tua posset: hac illius tenacitate elabi occasiones pulchras, inter alias abducendi à Saxone militis. Dixit sibi semper improbatas illas moras, velle se operam dare ut promissa impleantur, & retineatur amicitia utilis utrisque; & si Ruellæ fuisset Bulionius, secum eò acturum fuisse. Addebat jam in itinere esse copias ad augendas eas quæ sub Feuquerio sunt atque ita sperare se servari posse Maguntiacum, quod tamen jam amissum, ut ille antehac dixit, ita multi credunt, utinam falsò. In sermone Cardinalis & hoc observaveram, præferre eum metum ne sociorum aliqui seorsim sibi consulant, ego illum de Suetia, ille me vicissim de Gallia securum esse jussit. De pecunia non quiescam, & puto successum adfore. Deus, Excellentissime Domine, Subl. Tuæ curam pergat gerere. Lutetiæ, [illegible] Iulii, 1635.

Sublim. Tuæ devotissimus cultor H. G.

E I D E M.

Literas quas Tua Sublimitas Stada ad me dedit 12 Iunii heri demum accepi, ex eisque didici intercidisse quæ Amstelodamo datæ fuerant: nec multum miror, tam incertis itineribus, nec hostium tantùm timendis insidiis, sed & curiosorum, magis jam per communem hanc licentiam latentibus. Ego intra præteritam proximè dierum hebdomadam ter scripsi, nec una via. Si eæ rectè pervenerunt literæ, jam norit Subl. Tua Legationem in illas partes mandatam Davausio. Siquid eum detinet, interim res curaturum eum, qui hactenus apud Saxonem res Gallicas egit. De pecunia & olim debita & promissa nuper spem verbis indefinitis ostentari satis ambiguam: cui hoc recens edoctus addam, Bulionium à quo maximè res pendet à me quæsitum morbum aut alia causari, ne vel promisso obstringatur vel detrectationis sit manifestus. Non desinam modò ipse, modò per meos urgere, neque inutile putem si Subl. Tuæ literæ ipsi Regi aurem vellant. De Maguntiaco nihil dum certi habemus. Mali rumores quos nuper affirmaverat Pater Iosephus, sicut certo autore non nitebantur, ita nec de nihilo nati erant; post captam Wormatiam clausis ab hoste ad illud oppidum aditibus. Sed quæ hactenus iis in partibus acta sunt, optimè Subl. Tuam docebit Sadlerus missis ad ipsam literis, & Gemmingii diligentia, ad me ea scribentis quorum exemplum transmitto, Ex eo iterum cum Bonica locutus sum urgè prædicante sui Ducis cum Subl. Tua fidam amicitiam. Trecenta millia florenorum jam eò missa credit, minusque nunc quàm nuper dissimulat eò Gallos omnia dirigere ut ille quoque miles ipsorum sit. Peditum decem millia daturum Regem Duci Bernhardo, sed ita ut majus imperium sit futurum in eos Cardinali Valettæ, cui nunc propiora Rheno mandant, Lotharingiæ cura in Ducem Inolismensem translata. Daturum se operam dicit Bonica Dux Bernhardus inapia contemnat quæque ad pompam pertinent Cardinali Valettæ largiendo ipsum sibi devinct. Bonicæ privatim Rex commoda ostentavit, quæ non neturum arbitror. Colmaria ipsumque Argentoram, non tam per vim periclitantur hostium, quàm famem metuunt, prærepta ab hostibus messe, diuque frustra rogatus Gallis, ut ipsi in eo hostem anteverterent, sed si unquam nunc certe, Cardinali Ricelіaco cuncta ad se vocante, neque per valetudinem pari tot negotiis plurima neglectu peccantur, immenso majoribus impendiis sananda postea, quàm præcaveri potuerant: quod & in Valle Telina accidisse & in Germania accidere quotidie verissime nuper apud me conquerebatur Venetus. Sabaudi fedus cum Gallia quid in se complectatur adhuc incertum est. Nihil dum ibi Galli movent, Hispanus & classem diligenter reparat, & per famam Americanæ advectionis fide refecta, pecunias Genuæ alibique invenit, ad trecenta septem & viginti millia scutatorum, unde & equitatum auget & novos pedites è Tirolensi agro locisque aliis collegit. Angli adhuc se medios gerunt, sed ita tamen ut Gallicam navem à Dunquercanis captam libertati reddiderint, idem pro Hispanis facturi ut sic arbitrium maris ad se trahant. Galli eam possessionem interpellare volentes, ostendunt Anglis æquum se arbitrari, ut quæ naves suæ aut Anglicæ ad alterius Regni accedent oras, aut Regiæ classi occurrent, suppara demittant, ipsæ inter se classes amicitiæ tantùm signa demonstrent. Legato Gallico edictum Regis sui ejusque voluntatem liberandi Belgas nullo sui imperii incremento significanti, responsum datum ab Anglis est benignum magis quàm apertum, pariterque ei qui ab Hispano Cardinali missus eò advenerat. Sed hæc alii pleniùs nuntiabunt: ego interim quæ satis fidis auctoribus didiceram reticere nolui. A Vienna habemus Coloredum juvenem in Belgicas partes mitti, ducturum sexdecim millia peditum. His addunt qui ex Batavis scribunt equitum millia sex. Videtur Princeps Arausionensis aut Diestam aut alia ad Demeram loca muniturus. Interim Comes Wilhelmus alibi magni tentaturus aliquid. Lovanii non capti culpam Galli in Principem Arausionensem conjiciunt, ipse ad Fœderatos Ordines scripsit se à Marescallis Franciæ admonitum, ob famem militum ab obsidio abiisse. Addunt Batavi in ipsis hærere famis causam ob sævitiam licentiamque in agros & agrestes, unde alimenta habere debuerant. Meti scribitur Cardinalem Valettam id moliri, ut Suedi equites in verba Galliæ jurent, ne scilicet ulla ad Rhenum usque nisi Gallorum arma sint. Feuquerium dixit mihi Bonica secum vix mille hactenus habere milites: reliquos ne ipsos quidem multos per præsidia, Manhemi, Franckendalii & alibi distributos; ego ut dixi de pecunia assiduus ero interpellator, tantò autem plus auctoritatis mea habebunt verba, quantò majora mihi credi hi homines viderint. Quare gratias habeo Subl. Tuæ, quod me de rebus quæ isthic geruntur cupiat edoceri. Deumque precor, Excellentissime Domine, labores Subl. Tuæ ut prosperet. Lutetiæ, [illegible] Iulii, 1635.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

Experimur omnes verissimum esse quod dicis, vix ullas nunc satis certas esse quibus literæ curentur vias. 439
Quare eos per quos curantur literæ, mutandos interdum censeam, tum hostium metu, tum & aliorum, qui nunc quàm ante audaciùs ista rimantur. Interim tuas 18 Iunii ad me datas ita salvas accepi, ut ea de re sollicitudinem omnem possis deponere. Meas quoque spero rectè perventuras omnes. Nullum enim de statis diebus elabi passus sum, quin scriberem. Saxonis consilia, quantumvis læva, videntur & alios contactu tractura. Neque sanè heic aut bellicæ res aut sociorum amicitiæ ea curantur diligentia, quam tempora exigunt. Nam & quæ in Valle Telina & quæ Rheni in transitu evenerunt, tam prædicta à me aliisque sunt clarè, quàm præcaveri facilè potuê-

Digitized by Google

tuere. Nunc remedia maximo cum impendio & ne sic quidem satis celeriter, quæruntur. Argentorato & Colmariæ magnum malum attulit permissus messem præripere hostis. Duci Bernhardo nullæ hactenus datæ sunt pecuniæ: nunc dantur, postquam miles ipsius ipsi Galliæ gravis esse ceperat: & de exercitu quem reget Cardinalis Valetta, decem millia utenda ipsi dabuntur. Cum his promissis remittitur Bonica, daturus operam ut è Saxonica domo Princeps sub eo Cardinali secundas rectè agat. Sed ea tempora sunt, ut salutis potius quàm dignitatis habenda sit ratio, & arripiendus vel lapidosus panis. Plane videntur egregiæ fore Regis in illis partibus copiæ. Nam, præter eas quas in Lotharungia habiturus est Incolismensis, Cardinali Valettæ attribui dicuntur triginta fermè millia, quorum pars jam eò advenit, pars è Picardia & aliunde sequitur. Erecta est omnium exspectatio, quale sit futurum, quos habiturum eventus, Sabaudi cum Gallo fœdus. Sane & novus classis paratus & magnæ è Genua & Neapoli datæ hosti pecuniæ, crescentesque indies & pedestres ipsius & equestres per Italiam copiæ ni Gallos eorumque socios expergefaciunt, nova accipientur vulnera, Bavaro quanquam apertiùs se quam antehac ad Cæsaris amicitiam applicante, domus tamen Palatinæ exigua heic habetur ratio, quod mirarer magis, nisi eidem domui innexi propius alii exemplum facerent. De Gallorum in Atrebates irruptione, vellem verum esset. Magna enim occasio daretur Principi Arausionensi audendi aliquid in hostem ea quoque parte distentum. Sed nihil ejus heic audimus. Non dubium est, ut rectè judicas, quin elusæ duorum tantorum exercituum minæ multum auctoritatis, multum etiam, ut ingenium gentis est, superbiæ Hispano sint additur æ: sed sperandum est fore, ut hoc ipso incautiores aliqua parte ad novos ictus pateant. Coloredi magnæ esse copiæ etiam Vienna nuntiantur. Ferunt indidem literæ Nuntium Pontificium perpetuò laborare ut Ethruscam potius quàm Palatinam Polono conciliet. Ego, quemcunque eventum habituræ sint illæ ostentatæ pluribus nuptiæ, non dubito quin Rex ille quibus potest auxiliis sustentaturus sit res Cæsaris: neque ab opinione ea dimovebor, nisi videro cum Suedis pacem aut longas inducias factas: de qua re sicut spem non omnino abjectam, ita metum belli spe esse majorem, ex iis qui illis in locis agunt, intelligo. Videbimus quid boni nobis sit allaturus qui venit ab Anglia Legatus. Magnum sibi jûs in mare Angli vindicare videntur: quam controversiam sicut in apertè hostilia prorupturam non arbitror, ita vereor, ne ad alimenta accedat veterum inter hanc gentem & Anglos simultatum. Alioqui tecum sentio, & Britannum & Danum facturos, quod & Christianos & prudentes Principes decet, si curam in se suscipiant æquis tutisque legibus constituendæ pacis. Nob. filium tuum rectè valere gaudeo, gavisurus etiam amplius si ei licuerit ex voto figere fortunarum suarum sedem. Nunquam ei quicquam tam optatò est eventurum, quin ego ei optaturus sim ampliora. Deus nobis omnibus fautor adsit. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii, 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime Domine,

440 TArdè procedere literas ex postremis tuis satis conspicio, quas XVI. Iun. Vet. Cal. ad me datas non ante hesternum diem accepi. Pro iis quæ nuntias & pro Saxonis ad Bannerium literis ago gratias. Valde metuendum est ne adversæ ad Rhenum res, & per Belgium minùs felicia nostrorum sociorum arma belli fessos animos ad sequiora inclinent. Et in hac aula qui nobis non optimè volunt, spargunt rumorem irritati Lunenburgici Principis, abducto Suedico milite: quod si factum est, non lucro tantum repetitum esse quod commodatum fuerat, sed & nostra tuendi necessitate paritum, satis liquet. Verùm nunquam defuit quod causarentur, quibus propositum est pro temporibus mutare consilia. Interim Rex Galliæ non tantùm gravibus sociorum malis, sed suo ipse periculo exterritus, pecuniam Duci Bernhardo mittit, milites præterea decies fermè mille de exercitu Cardinalis Valettæ ipsi attribuit. Id ut speramus tum cis Rhenum Argentorato, tum ultra Rhenum Francofurto addet animos, præsertum si & in Belgico famis malo liberati exercitus egregii aliquid cœptaverint, quæque cum Sabaudo pacta sunt citra moram in rem conferantur. Rex bene & valet & animatus est: nec minùs Cardinalis. Si quid peccatur, neglectu peccatur eorum, qui sub ipsis res administrant. Si qua erumpent arcana Saxonicæ pactionis, erunt ea & in hac aula & alibi magno usui. Sed & cætera quæ geruntur scire non erit utilitatis vacuum. Brandenburgicum à fœdere non abiturum, & constantia ipsius, & res ejus cum rebus Suedicis non uno vinculo connexæ, ut credamus faciunt: ejusque auctoritate, quæ remoto Saxone inter Germaniæ Protestantes merito est maxima, retineri posse, & alios ne se in casses inducant speramus. De Arnhemio à diversis diversè existimatum est. Si certis rebus constat ejus Brandenburgico ac sociis noxia molitum, haud diu apud illos tolerabitur. Videbimus igitur quo se tandem sit recepturus. Ea erit optima cogitationum ipsius interpretatio. Deus magni Cancellarii prudentiam ac fortitudinem prosperis successibus augeat, teque, Nobilissime Domine, præstet incolumem. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii, 1635.

T. Nob. Addictissimus H. G.

D. SMALKIO.

Clarissime Domine.

HEri binas abs te literas accepi diversos per homines, 441 temporibus multùm differentes, & prius quidem recentiores XVI. Iunii Cal. Vet. datas, posterius vetustiores datas IV. Iunii, conjunctas cum Excellentissimi D. Cancellarii literis, quas tam diu in itinere tractas mirarer, nisi viderem quàm nunc incerta ubique sint itinera. Nob. Dom. Broersoni obitum non nos minùs quàm qui ei sunt proximi dolemus, multum enim ad amicitiam pridem contractam adjecerat ponderis propior ex hospitio notitia: nec quicquam est quod ejus fecerimus causa, quod non & ipsius multoque majora & virtutibus ipsius, & in nos benevolentiæ deberemus. Nunc quando nos prævivit eo quo citati suo quisque ordine sequemur, voluntas nostra æternæ illi parere ipsius quoque quem lugemus discat exemplo. Bonica noster hic blandè benignèque acceptus est, reditque totus addicto Gallis animo. In consilio quod formatum vocant sedebit Lagrangius. De Borussicis colloquiis quid futurum sit avidè omnes exspectant, satisque intelligunt prout eventus fuerit, ita Suedorum actus in Germania majores aut minores fore. Ego rem illam de pecunia nobis debita urgere perpetuo labore non desinam. Perplexantur, & promissam à Rege per Butillerium nec negant nec agnoscunt. Ex vetustioribus illis tuis video multas meas intercidisse. Nam & sæpe scripsi & multis viis. Exspectamus hic Angliæ Legatum, idque pignus arbitramur animi si non amici in Gallum, certè nec hostilis. Nuptiæ Poloni Regis cum Palatina Viennæ non creduntur: & heic multi dubitant. Mitto quæ heic nova in vulgus feruntur, non quod vera sint, sed ut videas qualia sint quæ credi volunt rerum potentes. Nobis danda cura est sæpe, ut quàm certissima inter nos commutemus: atque ob id tentandæ variæ literas curandi viæ & retinenda ea quæ certissima est, & cum minimo temporis dispendio. Vale Vir Clarissime. Salutant te nostri omnes. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii, 1635.

Tuæ Clariss. studiosissimus H. G.

BENE-

Digitized by Google

BENEDICTO SKYTT.

Illustris Domine,

442 PLenus adhuc tui, inque admirationem Excellentissimæ orationis toto defixus animo hæc scribo. Ostendisti Sueciam non Reges tantùm producere posse supra omnem imitationem positos, sed & ingenia quæ Regum tantorum res possint verbis exæquare. Felices non tu & Fratres tui quos cum incomparabili Rege non patria tantùm sociavit, sed & communis institutio. Ab eodem manu formati, eodem hortante ad summa rapi, quod mirum est, si quantùm ille Rege omnes superavit, tantùm vos disertos omnes vincitis. Vt quis tantæ sublimitatis tanti spiritus orationem dignè prædicet, ab eadem, à qua vos, processisse deberet disciplina. Gratum in memoriam magni Gustavi animum virtutum ejus factorumque prædicatione ostendisti. Restat ut eundem fidis pro filia ejus Augustissima Regina nostra consiliis ostendas. Tanti viri non natura tantùm sed & moribus filiam decet

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων

[*Sermonumque elocutor ut esses, actorque operum*].

In quo voto desinens nihil ultra moror tempora tua magnis studiis debita. Hoc addam unum orare me ut quoties amicorum tuorum inibis censum, mei non obliviscaris. Lutetiæ 5/15 Iulii, 1635.

Tua Ill. addictissimus H. G.

SPRECHERO.

Vir Nobilissime,

443 ALiquot sunt dies, cùm Veneti Legati comitate literas tuas nono ad me Iulii datas accepi, edoctusque sum de rebus feliciter per ducem Rohanium gestis, quas jam rumor ipsiusque literæ Rohanii huc detulerant. Speramus cætera pro istis initiis fore, Rhætosque veteri jure perpetuò usuros. Quid porro in Italia sit futurum exspectat totus orbis, partim jam concussus bellis, partim alienorum bellorum exitus ad se spectare intelligens. Ducis Bernhardi militi ne diffluat, Rex trecenta mittit florenorum millia, plura in posterum pollicitus, additque auxilia de eo exercitu quem suo sub imperio habiturus est Cardinalis Valetta, pervenire creditus ad viginti peditum, equitum duodecim millia. Sex alia equitum, peditum fermè itidem sex Incolismensis & Lafortius circa Lotharingiam habebunt communi aut partito per dies imperio. Princeps Arausionensis Rurimondam obsidere dicitur, bona cum spe capiendi non ejus tantùm oppidi, sed & eorum quæ juxta sunt, maximè si Galli ut scis ad prælia nati hos novos è Germania exercitus aut eorum partem conciderint. Angli quanquam classe validi jura pacis utrisque bellantium servant. Rex ad Cantiliacum est, diei hinc itinere. Cardinalis propius Ruellæ: bene animati ambo. Quæ significari magno Cancellario cupis, & ipse perscribere prima occasione non omittam. Gaudii maximam habiturus materiam, si quid unquam facere potero, quod tibi sit gratum: cui non minùs quàm commùni Rhætorum, omnia opto prosperrima. Lutetiæ 31 Iulii Nov. Cal. 1635.

Tua Nob. addictissimus H. G.

D. HOLING.

Nobilissime Domine,

LIteras Memphide 28 Augusti abs te datas anno 1634. fermè anno post ineunte iterum Augusto accepio: nec miror tantis locorum spatiis tanta literas curandi difficultate. Multùm gavisus sum & cognoscere prosperam tuam valetudinem tot itinera permensi, & res tam sciri dignas quàm nobis parum notas discere, & simul videre non exutam à te mei memoriam, quod & primis literis tuis quas itidem Memphide ad me, jam multum temporis est, dederas cognovi: ad quas & tunc respondi Hamburgo, ubi tunc eram: sed an pervenerint ad te literæ multùm dubito; & dubitat ipse Hottomannus ad quem curandas transmiseram. Non possum satis admirari animi tui magnitudinem, qui tot incommoda subieris ardenti desiderio noscendi statum longinquarum gentium, & maximè Christianorum. Vides ibi, quod & in nostro orbe satis apparet, quàm difficile sanentur adulta Ecclesiarum divortia. Rex Sueciæ magnus Gustavus, cujus pro filia Regina Legationem nunc apud Regem Galliæ obeo, non multùm ante mortem Lipsiæ conventum instituerat utriusque sententiæ Protestantium, inter quos, ut scis, non ita multæ intercedunt controversiæ, quædam etiam congeneres illis ob quas dissidere se in Ægypti locis Græcanici & Ægyptiaci Christiani profitentur. Effecit sua auctoritate ut amicè discederetur cum magna spe restituendæ unitatis. Sed tristis exitus tanti Regis salubre hoc cœptum interscidit. Neque tamen defuit ejusdem negotii commendator ex Anglia Duræus, multorum Angliæ antistitum instructus literis, qui Francofurtum ad Mœnum venerat eo ipso tempore, cùm ibi conventus Ordinum Protestantium haberetur. Sed rem per se difficilem implicatiorem etiam reddidit doctoris Hoii ex Aula Saxonica responsum immite in eos quos Calvinianos vocat. Plerique tamen Legatorum qui ad eum conventum missi fuerant, promiserunt se apud suos ea de re ita acturos ut appareret rem ipsis esse cordi. Pastores Carentonienses non tantùm de veteri rigore multum remiserunt, sed suis literis Duræum in illo proposito confirmarunt, additis etiam rationibus egregiis: & me, quem sciunt Melancthonis sententias sequi solere, ad communionem suam invitant, quam æquis & convenientibus Christianæ libertati legibus non sum recusaturus: paratus & cum altero Protestantium genere, si ad id paratos reperero, simili modo fraternum amorem contesserare: non sine spe aliqua latiùs ituri exempli. Is qui nunc est Angliæ Primas vir eruditissimus ac prudentissimus auctoritatem suam & consilia huic rei benignè commodat. Ex iis quæ hic laboramus facilè intelligis quid in Oriente optemus fieri, ab iis qui unius nutu Ecclesiam Regi canonibus contrarium esse existimant. Illud Alexandrinum de quo scribis dissidium à temporibus est *Dioscori*, cujus quanquam Chalcedonensi conventu damnati semper in illis partibus reliquiæ manserunt, & se latè in Æthiopiam usque fuderunt, planè sicut Nestorii pars sede fixa in Chaldæa Babylone per Asiaticam Indiam & in confinia usque Sinensium ac Tartarorum sobolem de se misit: quæ nunc quoque perseverat, id agente Deo ut etiam dissidia nostra latiùs spargendo Euangelio serviant. Ego quin locutiones incommodæ Nestorio in partem unam inclinanti, Eutycheti cui consensit Dioscorus plane in contrarium intenti exciderint non dubito, & libenter in his quoque rebus plurimarum Ecclesiarum consensum sequor. Veruntamen æquo faciliores mihi videntur fuisse etiam veteres illi, ne novum putaremus hoc malum, in ejiciendis ex Ecclesia iis qui nonnihil ab ipsis diversum sentiebant. Cui morbo remedium adhiberi non potest, nisi Christiani tandem diligenter considerent, quàm illa pauca sint, quamque perspicuis verbis in Sacris Literis expressa, quæ regulam illam fidei Irenæo & non semel Tertulliano commemoratam constituunt, extra quam quæ sunt in iis sicut libertas aliqua valere debet, ita libertatis usus ad Ecclesiarum pacem temperari. Constantinopolitanam Ecclesiam ex tuis aliorumque literis video alternis fluctibus Gallicis Batavicisque jactari, utinam bono aliquo Euangelii, cujus studium utrique præferunt. Te non modo cùm has accipies, sed nunc cùm hæc scribo apud Abyssinos esse suspicor, quorum imperium nova Romanensi Christianitate turbatum scissumque, non ex tuis tantùm antehac literis sed & ex ipsis Iesuitarum scriptis satis cognovi: quorum tamen è numero non ignobilis quidam Franciscus Suarez libro de Legibus docet Abyssinos etiamsi circumcisionem retineant, dummodo

eam ad salutem non judicent necessariam, ad Ecclesiam recipi posse. Ego ita credo, non ex Iudaismo aut a Salomonis ut ipsi putant temporibus gentilitiam hanc notam illis in locis usurpatam, sed multo esse antiquiorem, quippe in Æthiopum moribus ab omni ævo receptis memoratam Herodoto, ita ut initium petendum putem ab Abrahami ex Kethura liberis, quos in illas regiones iviſſe Iosephus Iudaicarum rerum scriptor aliique censent. A cibis quoque nonnullis abstinere eos credo valetudinis, non Religionis causa. Baptismi annua commemoratio est & ipsa tolerabilis. Tot seculorum ritus commoda interpretatione lenire melius est, quàm cum Ecclesia simul Rempublicam lacerare. Illud verò ubique Christianis inculcandum censeo, non esse quamvis probabili Religionis obtentu sumenda arma adversùs eos qui imperii habenas tenent. Nostra hæc Europa belli incendium latiùs quotidie spargit. Postquam enim Protestantium res multum fractæ sunt ad Nordlingam prælio, cœpit Rex Galliæ eas refovere pecunia ac milite per Germaniam, ubi nunc egregio exercitu id agit ut Cæsarianos duces Galassium, W'ertium, ipsumque Ducem Lotharingium Lotharingia omni Gallicis armis exutum, Rhenum transgressos ab hac ripa in alteram repellat. At in Belgico solo hoc amplius, non ut ante auxilia Rex Galliæ submittit, sed apertè suo nomine indictum bellum cum Rege Hispaniæ gerit, prælioque victor, capto Tilemontio, minoribusque oppidis, novas victorias exspectat, Gallico quidem exercitu profecto adversùs novas Cæsarianorum quæ in Belgicum finem venerunt copias, Batavico autem obsidium moliente eorum quæ prope Mosam hostis tenet. In Rhætiam quoque pervaserunt arma, ubi Vallis Telina munitionibus Hispanicis insessa, quàm citò armis Gallicis cessit, tam citò deinde, auctis per nimiam Galliæ cunctationem hostium copiis, amissa est: sed pars aliqua rursum erepta hostibus infelici pugna imminutis. Sabaudus novo fœdere Regi Galliæ innexus totam Italiam belli exspectatione suspensam tenet. Multis & ibi Principum sic existimantibus, solidam tutamque pacem haberi non] posse, nisi accisis illorum viribus qui non obscurè ostendunt spes se alere paci veræ, id est, cum aliqua libertate conjunctæ, inimicas. At Saxo Elector, suspecta semper habens Gallorum consilia & Palatinæ Domui, etiam in tanta calamitate, infestus, descitis sociis, pacem seorsim cum Cæsare fecit, si diuturna futura est, sibi non inutilem, gravem aliis. Nutant Princeps Brandenburgicus & Brunsvicensis, ad quos in fœdere retinendos transtulit se illuc Magnus Regni Suedici Cancellarius. Augusta, Ratisbona urbesque aliæ vi armorum, Noremberga fame subacta, manciparunt se Cæsari, videturque non ita facilè desitura hæc procella, quam Rex Galliæ ibi alere mavult, quàm intra suos fines recipere. Classem Hispanicam satis ingentem imminentem Narbonensis provinciæ portubus favens Gallis tempestas, ita disjecit, ut nihil nisi longo interjecto tempore moliri queat. Sed fortè de literis audire aliquid mavis. Excuduntur hic Biblia privato sumtu Regis Hispaniæ quondam munificentiam superante, additis versionibus Chaldaicis, Syriaca, Arabica, Samaritana. Cyrilli præterea Alexandrini & Theodoreti opera multò quàm ad hanc diem auctiora. De tuis rebus si quàm fieri potest edoceamur sæpissime, id nobis & contra absentiam tam longè tuam & adversùs mala publica non exiguo erit solatio. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi te reddat illis in locis non inutilem & sospitem amicis restituat. Lutetiæ, Cal. Aug. novi Cal. Anni 1635.

Vel ex illa de Paschate controversia, multum agitata ante Nicænensem Synodum & novis occasionibus resuscitata videas quàm sæpe leves minimeque ad Euangelii naturam pertinentes, causæ sint, quæ coagulum Christianæ veritatis continuum dissolvunt.

Tua Nob. addictissimus H. G.

FRANCISCO AVG. THVANO,
Comiti Consistoriano &c.

Amplissime ac Nobilissime Domine,

SErius fortè venire videor ad officium, quod lugentibus amicis præstari solet. Non advocabo ad excusationem 445
negotia, ita enim pridem de me meritus es, ut quicquid differri ullo modo potest, id tui curæ atque amori posthabere debeam. Aliud dicam, multi amicorum festinarunt, quod monendum te putarent, ne te nimium dolori permitteres. Ego, qui te scirem à prima ætate tinctum penitus omnibus divinæ humanæque sapientiæ præceptis, ne monendum quidem te censui, sed dandum aliquod spatium, quo ea, quæ nosti optimè, in memoriam tibi ipsi usumque revocares. Nos hac lege natos, æquo ut animo feramus hoc universum sapientissimè regentis voluntatem: nihil heic nobis mancupio datum, usu omnia: Præter ea, quæ de mentium humanarum immortalitate eruditè ab antiquis Philosophis dicta sunt, habere nos Evangelii promissa, ipsius expromissoris sanguine redituque in vitam testata: quorum certi, non debeamus invidere amicis sortem meliorem, commodi nostri aut voluptatis causa. Hæc Thuanus aliis debet dicere, Thuano nemo nisi ipse. Quare cùm satis temporis præterierit, quò ista cogitata sæpe nunc recogitare posses, non ego te hortor ut amaritiem illam nulli bonam, gerenti gravem, his, pro quibus suscipitur, si id sciant, maximè displicituram pellas ex animo, sed nihil addubitans jam pulsam, gratulor. Si quæ tamen sepulti ignis favillæ supersunt, memorabo tibi, quid mihi jam sæpius similia passo, in mentem venerit: Superesse nobis multos propinquos, & propinquis nihilo posteriores amicos. Injuriam autem esse in superstites non de hoc bono magis gaudere, quàm uno damno affligi. Non malè cum illis agit Fortuna, quibuscum minorem partem auferre contenta, decidit. Quid quod Sapientum multi pro iis ipsis, quos extra mortales casus mors cita seposuit, gratias Liberatori Deo habendas crediderint, attestante & Græcorum proverbio:

ὃν θεοὶ φιλῦσ', ἀποθνήσκει νέος.

[*Flore in juvenili moritur quem di diligunt*].

Id si rationem semper aliquam habet, certè hoc nostro sæculo habet maximam. Aliæ ætates hominum exsilia videre, nostra totos populos patria extorres. Terræ quondam beatissimæ non ad sterilitatem, sed ad ipsas Arabum solitudines videre est redactas. Bella ubique, & in ipsis bellis alia bella, per militum sævitiam ac rapacitatem. In tot malis aut circumstantibus aut impendentibus tutum nihil nisi mors. Qui tanto rerum turbini eripitur, quid aliud quàm evasisse censendus est? Illud præterea è tuis ad amicos literis cum gaudio cognovi, virile te doloris solatium ex negotiis quærere. Larga tibi se dat materia: Es apud Illustrissimos Duces, apud exercitus, qui longissimè hostem submovent, ostenduntque Rheno, veteri Galliæ limiti, oblita ibi jam olim Gallorum arma. Cùm animum per omnes terras circumfero, video nusquam meliùs Regi procedere. Hostis damni sui spectator tantùm factus est. Tot armatis hominibus juris incutere reverentiam, & ex castris civitatem facere, res magna teque digna est. Castrensis Iurisdictio, quæ, ut Taciti verbis utar, calliditatem fori non exercet, eget illa, quam idem scriptor in Socero suo laudat, naturali prudentia. Tum verò in tanta ubique peculatuum impunitate atque etiam gloria dare abstinentiæ exemplum quanti censendum est? Harum virtutum sibi esse conscium ingens tranquillitatis scutum est, nullis adversarum rerum telis vulnerabile. Nos verò omnes amici tui laudes tuas festis ominibus prosequimur, id optantes, ut semper tui, semper patris, semper avi sis similis. Vale, Vir Nobilissime. Lutetiæ, Calendis Augusti, 1635.

GE-

Digitized by Google

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime.

446 GAlilæus Galilæi de quo scripseram aliquoties, fessus senio constituit manere in quibus est locis, & potiùs quæ ibi sunt incommoda perpeti, quàm malæ ætati migrandi onus, & novas parandi amicitias imponere. Interim in literis ad amicos perstat asseverare repertam sibi rationem certam designandi situm quem locus quisque habet ad segmenta Æquatoris, quod longitudinem vocant. Id cùm norit ab omnibus quidem, maximè verò à Batavis navigatu cæteras Gentes superantibus pridem optari, quin & honores propositos indicaturo, consilium cepit, ipsis hoc repertum suum aperiendi, quod eum per amicos facturum brevi credo. Accepi laudes...... Vale...... Salutant te, V. A. Bignonius & Cordesius. Lutetiæ, 2 Augusti, 1635.

Tuus ut semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

447 OMnes experior scribendi vias, nec ullam satis tutàm reperio. Nunc subita quædam occasio efficit ut extra statum tempus, quod & antehac feci sæpe, literas deproperem, & res quidem Belgicas non modò quia alii propiùs eas inspiciunt omitto, sed & quia quas è Batavis exspectabamus literas, fortè & eæ quas Subl. Tua ad me miserat (nam post illas Hamburgo datas nullas accepi) in Brabantia retinentur. Dux Chaunius exigua cum manu in Cameracensem agrum ingressus nullo operæ pretio facto rediit. Ajunt Batavi convenisse ut & illam in partem Rex arma Hispaniensibus inferret. Mercatorum heic consilia audiuntur de ratione restituendi commercia, majore ut apparet Gallorum quàm Hispaniensium malo interrupta. Sabaudum seriò in arma venturum, prudentes rerum Italicarum sibi non persuadent. Solêre eum sic agere ut semper posticum aliquod excipiat quo elabatur. Et Regis minùs firma valetudo, & Cardinalis Riceliaci aliquanto pejor, & Nuntiorum Pontificiorum labor, & voces quædam ab Aulicis exceptæ faciunt ut non pauci credant aulam hanc non surdam fore ad pacis conditiones. Quæ si futura est, utinam talis sit quæ Protestantes relinquat in statu tolerabili. Rohanii literæ 4 Iunii datæ vet. Cal. nuntiant alteram ipsius ad Mazzum victoriam, prælio commisso manè pridie, captis mille, cæsis multis, fugatis aliis ita ut de sex mille vix sexcenti restarent, Bormium refugi. Addunt recentiores literæ etiàm hunc locum desertum ab hostibus qui se in Monasterii vallem receperint, sed novum ab iis colligi exercitum ad Lindavium octo ad millia militis veteris, in spem recuperandæ Vallis Telinæ: Helvetios ob negatum Pohemsio iter trepidos & ipsos exercitum conscribere ad Torgaviam. Rohanii exercitus cum tribus Helvetiorum millibus quos nuper accepit ad decem pervenire millia putatur. Cæsaris Lautera, quod ex metu festino fama vulgaverat tandem implevit, capta impetu, multo cum sanguine etiam innocentis ætatis & sexus. Scribit ad me Gemmingius $\frac{16}{26}$ Iulii frustra se institisse ad Cardinalem Valettam ut in tempore ei oppido succurreretur. Ejus Cardinalis copias omnes ad id tempus fuisse non majores decem aut duodecim peditum millibus, equitibus mille octingentis, promitti quidem magnas accessiones, sed ita ut non desint dubitandi causæ. Eo ipso quo scribebat die, Ducis Bernhardi copiæ se cum Valettanis erant juncturæ, Bipontino oppido jam obsesso ab hostibus. Comes Leiningius & Hohenloiorum pauperiores pacem Saxonicam recepere. Aliunde additur Vlmam & Memmingam pacis cupidas Legatos misisse Helbronam ad Hungariæ Regem, multumque metui ne Norembergæ exemplum alias quoque civitates ad privata, ac ob id publico noxia pacta deducat. Regiæ Gallorum Anglorumque naves nuper inter se obviæ, amica salutatione & compotatione facta discesserunt. Legatum huc venturum nescio quid retinet. Frater Regius nuper jocans cum Rege, dicebat se magnam illi pecuniam conficere posse nulla cum populi ingratia. Id erat ut pergerent Episcopi eos qui gravarentur conjugiis liberare: se aliquos nosse qui prompto animo duodecim daturi sint scutatorum millia. Vidimus responsum in Brabantia factum contra indictionem belli à Gallia, in quo non tacetur stultum esse de capto Trevirensi obtentum, cùm multis ante diebus de bello Belgis inferendo fedus cum Batavorum Legatis signatum esset. Conferuntur itidem Status Belgarum sub Hispano, & Gallorum sub Rege, in tributis jure dicundo rebusque aliis. Additur dixisse Marescallum Brezæum captivo Belgæ, suscitatos à Gallis Suecos ut metu injecto Trevirensi, eum cogerent confugere ad Gallicam tutelam. A Colmaria abiere jam hostes, & qui ejus res in hac Aula agit, sperat conditiones meliores quàm antehac obtinere se posse. Audio quotidie Gallorum questus de Principe Arausionensi, quod pugnam detrectaverit, de alimentis non providerit in tempore. Sed Cardinalis Riceliacus ejus famam tuetur, factorum omnium interpretationem in melius trahens. Mirum est quantum supra vetera odia Galli Belgas in se irritaverint sævitia ac libidine Tilemontii exercita. Ad Arnembium pecunia hinc mitti dicitur, ut Saxoni milites subducat. Rex Cantiliaci est, Cardinalis Ruellæ, dictitans interdum Vallem Telinam & Lotharingiam tanti esse Domui Austriacæ ut nunquam Galliæ pacis faciendæ ratio sit defutura. Duo qui in Belgicis partibus sunt exercitus minùs quàm quinque millionibus in mensem sustentari nequeunt. Pecuniâ à Batavis ægrè reperitur, idque in mora fuisse dicitur quominus Comes Wilhelmus magni aliquid in Flandria cœptaret. Totæ autem Galliæ res cùm partim in Ecclesiasticorum, partim in eorum qui pecunias tractant sint manu, haud adeo mirum est si segniùs sæpe expediantur negotia, interdum & multa admisceantur consilia Gallorum fortè rebus, ac Sociorum haud æque congruentia. Butillerius filius Dux & Par futurus brevi creditur. Mitto narrationem de rebus in Belgicis regionibus mensis Iulii parte priore gestis, ita ut eas Galli credi volunt, multum dissidentibus aliis, præsertim ubi de Tilemontio malè tractato culpam in Anglos rejiciunt. Addo exemplum literarum sed veterum quas Memphide accepi, in quibus aliqua sunt ad Asiæ Africæque res pertinentia. Habemus heic quendam qui se Imperatoris Abyssinorum filium dicit, regnique spe à patruo depulsum. Principes ad eum itant, Regem nondum vidit. Alii fabulam putant, alii hunc inter eos esse qui ejecti sunt, quod Romana pro Æthiopicis sacra vi voluissent inducere. Spero me brevi intellecturum & valere Subl. Tuam & res agere se dignas. Deus, Excellentissime Domine, in utrumque Subl. Tuæ adsit. Lutetiæ, 2 Aug. novi Cal. 1635.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

LIteræ quæ à Germania maritima, quæque à vobis veniunt, in Brabantiane retineantur, an ejus periculi occasione curiosi abutantur alii, non sine causa dubito. Doleo ex iis qui jactantur sermonibus cognoscere Gallos, non Aulam dico, Cardinalis enim rerum potens alia omnia loquitur, sed duces, sed milites, adeo esse alieno à Principe Arausionensi animo, cùm tamen siqua spes est rerum bonarum ea à mutua ipsum inter & illos concordia pendeat. In Valle Telina res non malè procedunt: 3 Iulii nova Duci Rohanio parta victoria, capti mille, fusi cæteri. Etiam Bormium ab hostibus derelictum Genevenses literæ loquuntur. Die $\frac{14}{24}$ Iulii, ad S. Avoti conve- 448

vene-

venere Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus. Habebat secum Valetta decem aut duodecim peditum, equitum minùs quàm duo millia. At heic in Aula habere dicitur viginti sex peditum millia, equitum duodecim. Spero futurum ut quod tam citò fieri non potuit, ut dignæ tanto Rege copiæ in hostem procederent, id fiat cum tempore, cujus tamen grave est damnum. Nam dum heic argentum detinetur, ibi, quod sequitur, miles deficit, capta Cæsaris Lautera est, & quò diutius defensa est, eò sæviorem sensit victoriam. Obsidetur Bipontinum oppidum: quid de Maguntiaco sit ignari vivimus, tanta per interjecta loca hostium vi. Tamen à Colmaria abiisse hostes lætus intelligo: at contra triste est quod scribitur Vlmam, Memmingam, oppida alia, Norembergæ exemplo, quærere pactiones proprias. Ducem Chaunium audimus quidem ingressum modicis cum copiis in agrum Cameracensem: sed retro pedem tulisse, nullo aut levi hostium damno. Mercatorum heic exquiruntur consilia ad reperiendas rationes restituendi inter Galliæ Hispaniæque populos commercii, quo illi difficiliùs quàm hi carent. Colmariam exemtam periculo ajunt, qui veniunt inde. Leiningii & Hohenloiorum Comitum nonnulli Saxonicis conditionibus accessere. An verum sit quod additur, Lesflerum pro Wittenbergensi Duce Viennam Austriæ iisse nescio. Argentoratenses huc misere, sciscitatum quid sperare debeant, nec dubito quin partim res ipsæ, partim hinc additæ spes eos sint retenturæ in partibus: quanquam pacem Saxonicam per tubicinem misit ad eos Gallassius. Hæc sunt quæ nunc quidem aut certa sunt, aut in tanta rerum ob infestas vias caligine pro certis habentur. Si quid novi discetur, aut etiam horum cognoscetur exploratius, expertem te non patiar, Illustrissime Domine, quem cum omni familia divinæ tutelæ commendo. 2 Augusti, novi Cal. 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime Domine.

449 POst illas 16 Iunii datas, quibus respondi, nullas abs te, nullas ab Exc. Domino Cancellario habui: nec multum miror, cùm intelligam retentas quæcunque à Batavis aut per Batavos veniebant literas, sive ab hoste per Brabantiam, sive ab aliis sub illo nomine se jam occultantibus. Ego non desinam omnia experiri, ne rerum quæ his vicinisque in locis geruntur, sitis ignari. In Valle Telina novum prælium felix Rohanio fuit, manè 18 Iulii, quo capti hostium mille, cæsi multi, fusi cæteri. Sed apud Lindavium, si tempus detur, victi vires recolligunt, neque tantùm Hispani Mediolanensem terram capi antehac facilem muniunt armis, sed & de recuperanda Telina Valle non desperant, quò magis committendum hic est ne quid ex mora, ut ante, accipiatur vulneris. Idque Regi & Cardinali curæ confidimus fore. $\frac{19}{29}$ Iulii Cardinalis Valetta suas ad duodecim millia peditum, duo equitum, Dux Bernhardus item suas spe pecuniæ Regiæ revalescentes copias ad S. Avoti conjunxere, daturi operam ut amissa Cæsaris Lautera ac tractata crudeliter, ultimum sit damnum ea in parte, Bipontinumque oppidum eximatur periculo, sicut jam exemta est Colmaria. Argentoratensibus Rex magna pollicetur, nec dubito, quin res additurus sit, ne ut Vlma & Memminga Norembergæ videntur sequi velle exemplum, missis ad Hungariæ Regem Legatis, ita has illi sequantur. Dubium non est quin & Rex & Cardinalis optimo sint animo, sed non semper qui secundas & tertias in fabula agunt primas agentibus æquali diligentia respondent. Sed & damna suum usum habent ad segnes excitandos. In Lotharingia Lafortii vis infracta est, addito socio imperii Incolismensi Duce, quod sicut rebus Aulæ videtur conducere, ita in militia quàm periculis non careat veteres novæque nos docent historiæ. Nam ex eodem ortu nata nuper Brezæum inter & Castilionæum discordia sanata quidem nunc est, sed postquam magno constitit. Nos quid de Lunenburgico speretur, quid de Arnhemio prudentiores judicent scire avebimus. Grave tormentum est de amicorum rebus ignorantia, & id mali habet, quod sermo fidem ad deteriora inclinat. Rogo ut quotiescunque se dabit occasio, caligantibus lucem adferas novis non desituris vota facere, Nobilissime Domine, pro tua valetudine rebusque prosperis. Lutetiæ, 2 Augusti novi Cal. 1635.

Tuæ Nob. addictissimus. H. G.

BARONI SLVPECKIO, Polono.

Generose Domine,

ET Hamburgo & Francofurto ad Mœnum postea ad 450 te scripsi: nec quemquam unquam vidi Polonum, vidi autem plurimos, quem non de rebus tuis sim sciscitatus. Nunc autem cùm ex te ipso certissimo auctore literis 22 Aprilis anni hujus scriptis intelligo, Dei munere & rectè valere te & honoribus augeri, gaudeo tum tuo nomine, quem amo tenerrimè ut soleo ac debeo, tum Poloniæ ipsius sic ostendentis æquam se virtutis atque eruditionis judicem. De me fortè jam intellexeris, suscepisse me Legationem à Sueciæ Regno Reginaque mihi ad Regem Galliæ mandatam, in qua aliquandiu heic, ut videtur, mansurus utinam intelligam armorum metum inter tuam naturalem, meamque adoptivam patriam sublatum; quod multis opto de causis: primùm ne cogar intelligere res tristes aut eorum qui mihi tantæ dignitatis auctores sunt, aut eorum, quos inter te & alios illustres viros mei amantes habeo: Deinde verò, ut Sueci nostri isto periculo ac labore levati Germanis Protestantium rebus eam possint curam impendere, qua perduci ad pacem possint nec inhonestam nec intutam, id est sociis omnibus communem. Nam segreges illæ pactiones, qualem nuper molitus est Elector Saxo, vereor ne non jura nobis aliquando pariant armis sæviora, quod ne fiat Magni Sueciæ Cancellarii nunc apud Saxoniæ vicina agentis ut prudentia, ita fortitudo multum momenti adferet. Eum ego virum omni fama majorem tum ad Regem deduxi, à quo quantis quisquam Princeps affectus est honoribus, tum domi meæ per aliquot dies hospitio excepi: quorum omnium ignarum te esse nolui, quod sciam quæ me tangunt bonorum malorumque sensus ad te vel in primis pro illo veteri ac constante affectu pertinere. Multum jactatus ex quo me postremum videras, vix tempus vix locum habui adjuvandi ea quæ communiter amamus studia. Scripsi tamen tragœdiam qua Iosephus Iacobi filius à fratribus agnoscitur. Ea nuper Amstelodami Vossio nostro pro summis ejus in me meritis inscripta, accesseruntque sacra poëmata mea quæ & antehac edita fuerant cum Sylva ad Thuanum, quam vidisse te arbitror. Hæc si quem possem reperire cui id oneris injungerem, mitterem ad te. Nunc quod possum amicam manum & salutem mitto. Lutetiæ. 2 Augusti, novi Cal. 1635.

Tuæ Gen. addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

SCripsi heri ad te Vossi præstantissime via alia; nunc 451 ne me putes imputatorem non tui propriè scribo, sed amicorum causa communium Suedi & Poloni (gentes audis duas fortè nunc inter se hostes, sed id nihil ad Musas) Benedicti nempe Skyttii & Georgii Slupeckii, quos ego & propter se amo, sunt enim non eruditi tantùm, verum & boni, & propter te, cujus opus est uterque. Alteri pro oratione missa gratias egi, alterius literis respondeo: cumque vias hæc ad ipsos mittendi ibi rectiùs quàm heic cognitas existimem, patieris spero, hoc super tot à me alia tibi injungi oneris, sed ea lege atque omine, ut si quid tu, uxor, liberi habeatis quod curandum sit, nostrum omnium, quotquot heic sumus, ne parcas operæ.

Vale

Digitized by Google

Vale, Vir eximie. Scribebam 3 Aug. ex novo Calendario anni 1635.

Tuus ut semper H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

52 HEri sub idem ferme tempus literas abs te accepi binas, alteras 16 alteras 21 Iulii datas, gaudeoque apertam nobis iterum viam commutandi ea quæ videmus, audimusve. Quas antehac scripsisti tum 18 Iunii, tum 9 Iulii, recte ad me pervenerunt, iisque sine mora à me responsum est. Spero, meæ literæ non infeliciores tuis fuerint. Pro chartis, quas una cum literis misisti gratias ago. Pacta Saxonica jam videram sermone Germanico, sanè qualia dicis. Et tamen Argentoratum metu armorum hostilium & tædio Gallicæ, præter ingenium cunctationis, jam eò pervenerat, ut huc scriberet, si non aliunde spes affulgeret major, boni consulturum Regem si ipsi rebus suis vel illa eadem vel aliquantum ad res suas aptata pace prospiciant. Eo intellecto Rex & properare copias jussit sub Valetta Cardinali, & misit rerum peritos qui & Argentoratum & civitates alias confirmarent: & Colmariæ illico perscripsit æquæ tutelæ conditiones, quas ea per tres menses frustra exspectaverat. Ita ex ipsis malis interdum aliquid est lucri. Hohenloiorum etiam nonnulli amplexi sunt illa Pacta. Ego non dubito, quin præter ea quæ publicè nota sunt, sint ut fieri solet occultiora alia Saxoni fortè ad tempus abblandientia, cæterum exitiosa Germaniæ Protestantiumque rebus: quanquam; ne quid desit ad implendam fabulam, Pontifici Romæ Legatum Cæsaris objurganti ob concessas conditiones tam æquas hæreticis, responsum est, quæ temporum necessitas expressisset, ita tamen ut perpetua non essent, data. Manet hic Residens Cæsareus, multumque cum eo agitur: & scribitur Viennæ laborare Pontificis Nuntium ad constituendas cum Gallo inducias, per Germaniam scilicet. Nam per Belgicam quæ spes sit, tam elatis Hispanorum animis, postquam non tantùm duorum exercituum minas elusere, sed super amissa, pulcherrimum Batavici Imperii munimentum, Gravewartam, (id enim post tuas literas è Zelandia nuntiatur) suæ potestatis fecerunt? Vidi eam cujus meministi mutuam à Bruxella belli indictionem. Quid dicam de Hispano Cardinali?

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι

[*Nunquam enim parvas tibias inflat*].

Vidi & responsum ad illud quod prius Regis nomine exierat, acerbum satis, in quod contribuisse operam suam dicitur Vir non ineruditus, qui apud Reginam est Matrem: quantum apparet,

Oblitusque suorum, obliviscendus & illis.

Qui rerum Belgicarum non ignari sunt, ita existimant, non alibi utiliùs potuisse occupari vires Gallicas, quàm in locis hostium Galliæ proximis: quod diu speratum à Batavis, serò admodum ita nuper cœptatum est in agro Cameracensi, ut abstinere satius fuerit. Ita exiguæ fuere copiæ, omnisque conatus nihil nisi perfunctorius. Et tamen; ni fallor, ad illa saniora consilia ipsa necessitas rem reducet. Gallorum naves jam aliquot in Sanctonico sunt Oceano, aut longiùs etiam, secuturis, ut dicitur, aliquibus Batavicarum in spem Hispanicæ prædæ, terra aut mari. Britannia, ita ut dicis, jura pacis servat, fortè tamen non defutura occasioni, si fortunas partis alterius inclinatas viderit. Amicitiæ spem facit Legatus, cujus jam supellex huc advenit. Et dicitur ea res Bavaro metum injecisse. Ita certè Vienna scribitur. Suediæ Poloniæque res ad longiores inducias ire etiam hæc Aula ex Legati sui significatu judicat. Id si erit, & Gallia quibus oportet animis ac viribus aderit sociis, mirum ni brevi Saxo pro pace mutatum sibi hostem sensurus sit. Crescit Valettæ, cui se Dux Bernhardus junxit, exercitus: ejusque metu tum Bipontini oppidi soluta est obsidio, tum deserta Cæsaris Lautera, tanti sanguinis pretium. Ipse Gallassius, quem sequi Waertius dicitur, Wormatiam vim omnem contulit, inde Maguntiaci, non tam oppido, quod defendi non potest, quàm Castello imminens. Lafortius apud Spinale exiguas habet copias, in augmenta Valettani exercitus imminutas. Pro viribus illi est, non minùs & ipse attritus Lotharingus, prælhis, & iis incommodis quæ agrorum vastitiem consequi solent. Magna est in fama Rohanius qui 3 Iulii ad Matzium Cæsarianos novo prælio vicit. Conqueruntur illi Comitem Serbellonum (is xxv millia peditum, equitum tria habebat secum) non in tempore subvenisse sibi laborantibus. Vicissim Hispani Cæsarianos, quod rem in prælii aleam deducere festinaverint, accusant. Itaque ipsi prudentiores in se adventantis ad Berbennum Rohanii impetum non exspectarunt: sed 12 Iulii ad castra se recipientes quæ apud Fontani habebant munimentum, illa quoque ut parum tuta incenderunt. Liberatus ab his Rohanius, postquam in Valle Telina quæ ad ejus tutelam erant necessaria curaverat, in Comitatum abiit Bormii, & apud Aquas Calidas repertos ducentos Cæsarianorum die Iulii 19 ita omnes aut occidit aut cepit, ut vix quatuordecim elapsi in Vallem Monasterii, ubi cæteræ erant copiæ, nuntium attulerint, pavorisque tantùm, ut ibi quoque incensis castris perfugium sibi in aliud munimentum novum S. Mariæ (id prope illam Vallem est Monasterii dictam) quò se retro tulerant, non ausi servare, inde quoque, id est omni Rhætici jurisdictione excesserint. Trepidatur multum à rusticis in Tirolano agro, qui non satis præsidii reperientes in bis mille quingentis Cæsarianorum, qui ibi sunt, militibus, pacem à Rohanio quibus possunt redimunt legibus. De Lotharingia audio à Pontificis Nuntiis has ferri conditiones, ut Ducatus Barrensis vetus Galliæ feudum Regi cedat, cætera reddantur Duci, sed detractis munitionibus. Ego & Regi & Cardinali plus esse animi reor, quàm ut accessionem tam opportunam Galliæ de manibus velint emittere. Non abeunt à meis cogitationibus, quæ posteriores tuæ habent literæ, de bello tam magnificè indicto, gesto tam tenuiter. At si Centuriones & Tribunos qui inde veniunt audias omnes Principem Arausionensem incusant, cui ego, ut ingenio & rerum usu sapit, satis constare arbitror consilii sui rationes. Rex Chantiliaci agit satis rectè valens, & ad omnia Regni pericula, partim feudorum possessores ex lege veteri, partim voluntarios nobiles ad dilectum vocat. D. Cancellarium in magno esse rerum salo, satis credo. Utinam in hac Aula labores ejus pro merito sublevarentur. Literas accepi Memphide sive Cairo, è quibus disco, Basilium Imperatorem Abyssinorum contra dissidia & bella, quæ cum Romanis sacris Iesuitæ eò intulerant, consuluisse Regno publicata lege, ut omnes externi Romana Sacra sectantes intra decem dies abscederent: Abyssini autem ad avitos mores redirent. Est hic quidam qui se Principem dicit Æthiopiæ, Romanam Religionem profitens. Colitur à Monachis & feminis. Rex eum ad se admitti noluit. Ex iisdem literis disco Christianos Pontifici non parentes, Græcos nimirum & Ægyptios graviter inter se dissidere ob quæstiones de naturis Christi, earumque proprietatibus: planè ut in Occidente Protestantes. Ita ubique similia peccantur. Deus distractam Ecclesiam recolligat, idemque te, Illustrissime Domine, cum domo tua servet florentem. Lutetiæ, 9 Aug. novi Cal. 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ omni cultu addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir præstantissime,

GRammaticas commentationes tuas quò inspicio magis, eò magis & ordinem & eorum quæ doces argu- 453

menta-

Digitized by Google

menta certissima & omnigenam eruditionem miror. Quare quas nuper egi gratias, cùm primum librum accepissem eas nunc eo penitus cognito ago duplicatas, & simul pro novo beneficio id est, liberaliter scriptis literis quas dedisti Quintilis idibus. Bignonius, Cordesius aliique literarum & amantes & boni judices constantissimi omnes sunt in amore tui, & abs te amari vicissim faciunt plurimi. Iunii rationes probo. Alteri quem commendaturum te dicis, juveni si bene quid possum facere faciam. In meam autem domum si quem sim recepturus (ad numerum quod pertinet satis multos habeo) in eo multa sum quæsiturus quæ non ita facile sit reperire. Arlandervenium miror non Heemstedani malle uti gratia. Tamen, si ita vult, meum ei testimonium de familiæ honestate non deerit. Petrus noster si longinquas oras invisere in animo habuit, quod multi Viri egregii & olim & nostro seculo fecere, non est quod eum mea dignitas abducat. Sicut invitum protrudere nunquam volui, ita nec amori ipsius externa visendi obstare. Quod si etiam alieno inde fit animo, tamen cuncta quæ navigationem mercaturamque concernunt disci ab illo malo quàm legulejorum tricas. Cognitio tamen aliqua juris communis ac patrii, quodvis vitæ genus electuro utilis esse poterit. Sed id fieri velim *ὡς ἐν παρόδῳ* [*quali in transitu*], & semper meminisse cum Horatiani præcepti: *est aliquid quò tendis.* Sophomphaneam si vertit ipse pietatis nomine, aut laudandus erit aut excusatus. Neque tamen nolim idem ab aliis præstari, quibus ut ætatis ita fortè & peritiæ ad poësin est plus aliquanto: Palma est publica. Quod maximi Philosophi Galilæi negotium tibi cordi esse pateris, facis rem dignam tua bonitate & in honestas artes constanti studio. De migratione incipit ultro cogitationem exuere ut postremis scripsi literis, sed sperat se ornaturum Bataviam, reperto tam diu quæsito de locorum ut loquuntur longitudine: cujus certam à se rationem inventam constanter in literis suis affirmat homo non vanus. Ego ut nostratibus honorem habeat quem proposuit habere annitar adjuvante Elia Diodati amicissimo ipsius & talium quoque erudito. De Allatio rogo memor sis ubi Iurisconsultus Blavius erit domi: libri sunt apud eum quem dixi Diodati. De Corvino non obliviscar. Vale & alteras illas quas promittis literas, ubi primum commodum erit mitte, ne ego me cruciem, quærendo quod sit quod in illas servaveris. Vale cum conjuge optima optimæque spei liberis. Lutetiæ, 9 Aug. novi Cal. 1635.

Tuus qui semper H. G.

GRUBBIO.

Nobilissime Domine,

454 PActa Saxonica, quorum meminerunt literæ tuæ 26 Iunii Vet. Cal. ad me datæ, quas accepi nudius tertius, jam vidi Germanico primùm deinde & Belgico sermone. Sunt sanè multa in iis insidiosa: nec dubito, quin alia perniciosiora in publicum occultentur ipsis rebus emanatura. Credibile est, si Suedia Polonico liberetur bello & Galli pergunt curam gerere sociorum, futurum ut qui hæc aliis tetenderunt retia, primi illis implicentur. Ac de induciis quidem cum Polono productis adhuc in spem diuturnioris otii, ignaros nos esse passæ non sunt, quæ inde venerunt Legati Gallici literæ. Gallicæ autem res primùm in Alpibus Rhæticis optimè procedunt, nam 3 Iulii nova Rohanio de Cæsarianis obtigit victoria, antequam se cum iis conjungere possent Hispani, contra quos die XII profectus tanta celeritate & vi est Rohanius, ut non modo Berbonni, ubi tum agebant, exspectare eum non fuerint ausi, sed ad castra refugi apud Fontani munimentum, iis quoque diffisi ignem injecerint. Horum ducenti admodum cæsi sunt in comitatu Bormiensi, loco cui ab Aquis Calidis nomen est, aliisque iterum ad S. Mariam castris infensis, sicut Vallem Telinam, comitatumque Bormii dereliquerant, ita & Vallem Monasterii deseruere. Restant in agro Tirolensi bis mille quingenti admodum trepidi & ipsi, recente tot cladium sensu, & quia agrestes malè ab ipsis habiti quibusvis modis Rohanii gratiam quærunt. Neque segniter per Alsatiam bellum geritur, ubi Cæsariani deserta Cæsaris Lautera, soluta Bipontini oppidi obsidione, quam cæperant, vires suas Wormatiam retulere, quid de Maguntiaco sit futurum hæremus incerti. Cæterum Valettæ Cardinalis exercitus cum Bernhardo Duce conjunctus crescit indies, seque ad agendos trans Rhenum hostes parat. Rex ad civitates Argentorati Colmariæque misit, qui animos ipsis addant, quod nunc succedet meliùs, quando hostis præcipuæ copiæ absunt longiùs, adversùs Lotharingium restante in illis partibus Lafortio. Vinarienses Principes, si Ducis Bernhardi sequuntur exemplum, non dubito quin fidem præstituri sint federi. Nos hic indefesso studio laborabimus ut fortia Magni D. Cancellarii consilia hujus Regni ope atque auxilio sustententur. Quod eò felicius procedet, si quæ ibi geruntur per me quoque ad hujus Aulæ notitiam perveniant. Vale Nobilissime Domine, Lutetiæ, 9 Aug. nov. Cal. 1635.

Nob. Tuæ addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

HEri sub idem fermè tempus literas abs te accepi binas, alteras 16 alteras 21 Iulii datas, gaudeoque apertam nobis iterum viam, commutandi ea quæ videmus audimusque. Quas antehac scripsisti tum 18 Iunii, tum 9 Iulii rectè ad me pervenerunt, iisque sine mora à me responsum est. Spero meæ literæ non infeliciores tuis fuerint. Pro chartis, quas una cum literis misisti gratias ago. Pacta Saxonica jam videram sermone Germanico, sanè qualia dicis. Et tamen Argentoratum metu armorum hostilium & tædio Gallicæ, præter ingenium, cunctationis, jam eò pervenerat, ut huc scriberet, si non aliunde spes affulgeret major, boni consulturum Regem si ipsi rebus suis vel illa eadem, vel aliquantum ad res suas aptata pace prospicerent. Eo intellecto Rex & properare copias jussit sub Valetta Cardinali & misit rerum peritos, qui & illam & civitates alias confirmarent, & Colmariæ illico perscripsit æquæ tutelæ conditiones, quas per tres menses frustra exspectaverat. Ita ex ipsis malis interdum aliquid est lucri. Hohenloiorum etiam nonnulli amplexi sunt illa pacta. Ego non dubito quin præter ea quæ publicè nota sunt ut fieri solet occultiora alia sint, Saxoni fortè ad tempus abblandientia, cæterum exitiosa Germaniæ Protestantiumque rebus, quanquam nequid desit ad implendam fabulam, Pontifici Romæ Legatum Cæsaris objurganti ob concessas conditiones tam æquas hæreticis responsum est, quæ temporum necessitas expressisset, ita tamen ut perpetua non essent data. Manet heic Residens Cæsareus, multumque cum eo agitur, & scribitur Viennæ laborare Pontificis Nuntium ad constituendas cum Gallo inducias per Germaniam scilicet. Nam per Belgicam quæ spes sit, tam elatis Hispanorum animis, postquam non tantùm duorum exercituum minas elusere, sed super amissa pulcherrimum Batavici imperii munimentum Gravewartam, (id enim post tuas literas è Zelandia nuntiatur) suæ potestatis fecerant. Vidi eam cujus meministi mutuam à Bruxella belli indictionem, quid dicam de Hispano Cardinali? 455

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι

[*Nunquam enim parvas tibias inflat*].

Vidi & responsum ad id quod prius Regis nomine exierat, acerbum satis, in quod contribuisse operam suam dicitur vir non ineruditus qui apud Reginam est Matrem: quantum apparet,

Obli-

Digitized by Google

Oblitusque suorum, obliviscendus & illis.

Qui rerum Belgicarum non ignari sunt, ita existimant, non alibi utiliùs potuisse occupari vires Gallicas, quàm in locis hostium Galliæ proximis: quod diu speratum à Batavis, sero admodum ita nuper cœptatum est in agro Cameracensi, ut abstinere satius fuerit. Ita exiguæ fuere copiæ, omnisque conatus nihil nisi perfunctorius. Et tamen ni fallor ad illa saniora consilia ipsa necessitas rem reducet. Gallorum naves jam aliquot in Sanctonico sunt Oceano, aut longiùs etiam, secuturis ut dicitur aliquibus Batavicarum in spem Hispanicæ prædæ terra aut mari. Britannia ita ut dicis, jura pacis servat, fortè tamen non defutura occasioni, si fortunas partis alterius inclinatas viderit. Amicitiæ spem facit Legatus, cujus jam supellex huc advenit. Et dicitur ea res Bavaro metum injecisse, ita certè Vienna scribitur. Suediæ Poloniæque res ad longiores inducias ire, etiam hæc Aula ex Legati sui significatu judicat. Id si erit, & Gallia, quibus oportet viribus aderit sociis, mirum ni brevi Saxo pro pace mutatum sibi hostem sensurus sit. Crescit Valettæ cui se Dux Bernhardus junxit exercitus, ejusque metu, tum Bipontini oppidi soluta est obsidio, tum deserta Cæsaris Lautera, tanti sanguinis pretium. Ipse Galassius quem sequi Waertius dicitur Wormatiam vim omnem contulit, inde Maguntiaci non tam oppido quod defendi non potest, quàm castello imminens. Lafortius apud Spinale exiguas habet copias in augmenta Valettani exercitus diminutas. Pro viribus illi est, non minùs & ipse attritus Lotharingus, præliis & iis incommodis quæ agrorum vastitiem consequi solent. Magna est in fama Rohanius qui 3 Iulii ad Matzium Cæsarianos novo prælio vicit. Conqueruntur illi Comitem Serbellonum (is 25 millia peditum, equitum tria secum habebat) non in tempore subvenisse sibi laborantibus. Vicissim Hispani Cæsarianos, quod rem in prælii aleam deducere festinaverint, accusant. Itaque ipsi prudentiores in se adventantis ad Berbennum Rohanii impetum non exspectarunt: sed 12 Iulii ad castra se recipientes quæ apud Fontani habebant munimentum, illa quoque ut parum tuta incenderunt. Liberatus ab his Rohanius postquam in Valle Telina, quæ ad ejus tutelam erant necessaria curaverat, in Comitatum abiit Bormii, & apud Aquas Calidas repertos ducentos Cæsarianorum, ita omnes aut occidit aut cepit, ut vix quatuordecim elapsi in Vallem Monasterii, ubi ceteræ erant copiæ, nuntium attulerint pavorisque tantùm, ut ibi quoque incensis castris perfugium sibi in aliud munimentum S. Mariæ (id prope illam Vallem est Monasterii dictam) quo se retro tulerant non ausi servare, inde quoque id est omni Rhætica jurisdictione excesserint. Trepidatur multum à rusticis in Tirolano agro, qui non satis præsidii reperientes in bis mille quingentis Cæsarianorum qui ibi sunt militibus, pacem à Rohanio quibus possunt redimunt legibus. De Lotharingia audio à Pontificis Nuntiis has ferri conditiones, ut Ducatus Berrensis, vetus Galliæ feudum Regi cedat, cætera reddantur Duci, sed detractis munitionibus. Ego & Regi & Cardinali plus esse animi reor quàm ut accessionem tam opportunam Galliæ de manibus velint emittere. Non abeunt à meis cogitationibus quæ posteriores tuæ habent literæ, de bello tam magnificè indicto, gesto tam tenuiter. At si Centuriones & Tribunos qui inde veniunt audias, omnes Principem Arausionensem incusant, cui ego ut ingenio & rerum usu sapit, satis constare arbitror consilii sui rationes. Rex Canteliaci agit, satis rectè valet & ad omnia Regni pericula partim Feudorum possessores ex lege veteri, partim voluntarios nobiles ad delectum vocat. Dominum Cancellarium in magno esse rerum salo, satis credo. Vtinam in hac Aula labores ejus pro merito sublevarentur. Literas accepi Memphide sive Cairo, è quibus disco Basilium Imperatorem Abyssinorum contra dissidia & bella, quæ cum Romanis sacris Iesuitæ eò intulerant, consuluisse Regno publicata lege, ut omnes externi Romana Sacra sectantes intra decem dies abscederent: Abyssini autem ad avitos mores redirent. Est hic quidam, qui se Principem dicit Æthiopiæ Romanam religionem profitens. Colitur à Monachis & fœminis, Rex eum ad se admitti noluit. Ex iisdem literis disco Christianos Pontifici non parentes Græcos nimirum & Ægyptios graviter inter se dissidere ob quæstiones de naturis Christi, earumque proprietatibus, planè ut in occidente Protestantes, ita ubique similia peccantur. Deus distractam Ecclesiam recolligat, idemque te, Illustrissime Domine, cum domo tua servet florentem. Lutetiæ, 9 Augusti nov. Cal. 1635.

VRBIS COLMARIÆ RECTORIBVS.

Magnifici Honoratissimique Domini,

NEgotium civitatis vestræ, cujus causa huc Virum 456
Cl. Syndicum vestrum miseratis, etiamsi mihi commendatum à vobis non esset peramicis literis, tamen mihi cordi futurum fuerat, ob rei ipsius æquitatem, & ob civitatis vestræ in causam communem merita egregia. Accedebat, quod abiens hinc Magnus Sueciæ Cancellarius, memor Suedicæ amicitiæ à Magnificentiis Vestris optima fide cultæ, inter præcipua quæ mihi reliquit mandata, vestræ quoque salutis ac libertatis curam ostenderat singularem. Sicut mihi doluit diutius quàm vellem tractum fuisse id negotium, ita gaudeo eum tandem impositum finem, qui & Regis Christianissimi in vos benevolentiam testetur, & vobis animos additurus sit ad tutandam causam communem Germaniæ ac sociorum, colendamque regni Francici longè potentissimi amicitiam. Mea diligentia si quid unquam præstare poterit, quod ex usu sit Magnificentiarum Vestrarum, rogo credatis id vobis semper paratum & expositum fore. Delectavit me multum notitia contracta cum Viro Clarissimo Syndico vestro, certoque affirmare possum, neminem inveniri posse, qui res sibi injunctas majore studio fideque procuraret. Deus hæc arma necessariò sumta ad pacem communem eoque tutam deducat, ac Vestras Magnificentias, Magnifici honoratissimique Domini, incolumes in tempora meliora servet. Lutetiæ, 10 Augusti, novi Calend. anni 1635.

Vestris Magnif. addictiss. & ad officia omnia paratiss. H. G.

D. DE MEY,

Consiliario Parlamenti Divionensis.

CUm primùm in hanc urbem veni, Vir Amplissime, 457
constantem mei apud te memoriam ex literis tuis didici. Maluissem ex te ipso, ut quomodo solebamus suavibus colloquiis, si quid negotia in animis nostris tetricum reliquissent, discuteremus. Et spero id futurum aliquando. Quamdiu verò id non ferunt res tuæ, quid potiùs agamus quàm hoc chartaceo sermone foveamus amicitiam veterem? Eruditissimus Salmasius popularis vester immeritis inimicitiis apud Batavos exercitus de reditu in Galliam cogitabat, sed nunc intelligo ita dignitati ipsius consultum, ut subsistere decreverit magnum haud dubiè eorum locorum argumentum. Nescio an apud vos sint qui literas colant, hic frigent omnia, Rigaltio Lotharingiæ jus malente dicere quàm libros Bibliothecæ Regiæ evolvere. Sudant tamen præla in novis Bibliis cum versionibus plurimis, Cyrillo & Theodoreto. Seldenus in Anglia pro maris dominio scribit. Respondeant Batavi. Ego nunc Suedica curo. Vale, Vir amplissime. Lutetiæ, 10 Augusti 1635.

Tuæ Ampl. addictissimus H G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

QVas ad me dedisti Curia Rhætorum 21 Iulii, eas co- 458
mitate Legati Veneti rectè accepi quidem, sed paulo postquam tabellarius stato tempore hinc ad vestras partes

Digitized by Google

tes esset profectus; quæ causa fuit cur responsum hucusque, id est per dies septem, distulerim, nulla medio tempore data curandi occasione. Tuas & ad Excellentissimum D. Cancellarium & ad D. Smalkium simul cum meis misi ea via quam tutissimam existimavi: neque omisi meis literis mentionem facere summæ tuæ fidei ac reverentiæ in nomen Suedicum, quæ omnia gratissima fore D. Cancellario virtutes tuas recto pretio æstimanti, non dubito. Res quæ apud vos aguntur mirè & Aulam hanc & nos omnes delectant. Magnam certè Dux Rohanius & diligentiæ & fortitudinis laudem peperit. De Excell. D. Cancellario, pridem est quod nihil habemus, magnis itinerum intervallis neque satis certa ulla ad mittendum via, cùm in Brabantia retineantur literæ, mari autem nondum ulla perpetua inventa sit ad commeatum literarum ratio. Tamen non dubitamus, quin induciæ cum Polono in finem mensis Augusti protractæ cum spe prorogationis longioris, egregius Marescalli Banneri exercitus, cui ipse nunc adest Cancellarius, iniqua & insidiosa plurima in pace Saxonica apparentia, præter ea quæ latere multi suspicantur, generosa Regis pro sociis consilia restitutura sint animos concussos. Ad Rhenum ex sunt Regis copiæ sub Cardinali Valetta, cui conjunctus est Ducis Bernhardi equitatus, ut Galassius cùm ab obsidio Bipontini oppidi abscedere sit coactus, tum & Cæsaris Lauteram magno labore ac sanguine partam reliquerit. Nunc ad Maguntiacum res geritur, quo successu nondum didicimus. Interim Ducem Lotharingum cum aliis copiis Lafortius reprimit. In Belgicis partibus post fusne retrocedere coactos florentissimos Regis & Batavorum exercitus, aliud quoque vulnus acceptum est, dolo hostis capto castello ad divortium Rheni quod alii Scenquianum, alii Gravewortam vocant. Profectus eò Princeps Arausionensis non ante quieturus videtur quàm rem restituerit, sufficiente ad id anni quod restat tempore. Rex & Cardinalis bene valent, tutandisque Regni finibus more veteri feudorum evocant possessores. Si quid acciderit posthac dignum cognitu, te, Vir Nobilissime expertem non patiar: cui & ego & uxor, tui non immemor, omnia optamus felicissima. Lutetiæ, 12 Augusti, 1635.

Tuæ Nob. addictissimus. H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

459 RES citra Rhenum non parum concussas Rex Galliæ non negligenter restituere incipit, missa pecunia ad servandum Ducis Bernhardi equitatum, additoque exercitu sub Cardinali Valetta, qui primum ad decies mille pedites, bis mille equites habens, quotidie è præsidiis, eoque exercitu, qui sub Lafortio erat, augetur, tantusque hinc terror hostes invasit, ut soluto oppidi Bipontini obsidio, Cæsaris Lauteram quoque non sine multo suorum nostrumque sanguine captam dereliquerint Wormatiamque se contulerint, quò & ipse Rex Hungariæ se conferre dicitur. Nuper Galli etiam in Cameracensem terram eique vicinam vim armatam intulerunt: & ne idem in Galliam hosti liceat, magna cum cura feudorum possessores ad arma evocantur, quod magnum etiam extremis rebus huic Regno semper subsidium fuit. In Italia bellum, quanquam ad id præstrictis fœderibus cum Sabaudo aliisque, nondum prorumpit. Sed magnos dat animos Gallis eorumque amicis, altero prælio victor Rohanius, depulsusque omni iterum Valle Telina ac Valle Monasterii Barmioque hostis, ita ut ille facillimus ex Italia in Germaniam transitus redierit in Rhætorum Galliæ fœderatorum potestatem magna cum Rohanii gloria, Regisque gaudio. Interim & quid eo quod restat æstatis facturi sint Gallicus & Batavicus, qui nunc inter Rhenum Mosamque sunt, exercitus, & quid conjunctæ eorundem naves belliceæ, quæ Hispaniam impetituræ putantur, magna heic est exspectatio. Misit Rex ad Argentoratum & ad Colmariam idoneos homines confirmandis eorum animis, qui & sono pacis, & armis tunc circumstrepentibus, non parum labascebant. Speramus siquos Deus successus Regiis in ea parte armis dederit, omnia in fide mansura. Deus, Serenissima ac Potentissima Domina, diu Augustam Maj. Tuam ejusque Regnum sospitet. Lutetiæ, 17 Augusti novi Cal. 1635.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

ANteverterat literas tuas $\frac{1}{1}$ Iulii datas tristis nuntius de 460
capto ab Hispanis castello Scenquiano. Qui positum loci intelligunt, idoneum inferendo in omnem partem bello, illi demum vident, quàm sapienter Princeps consilium recuperandi hujus loci rebus aliis omnibus prætulerit. Plurimum haud dubiè qua ad salutem qua ad gloriam Batavæ rei interest, eum locum in hostium potestate non relinqui. A Francofurto ne nos quidem quicquam habemus certi, obseptis aut incertis itineribus. Rumores tantùm qui Meti aut Argentorato perferuntur, ajunt civitatem misisse ad Hungariæ Regem ad obtinendas pacis conditiones: jamque nunc liberum esse eò aditum Cæsarianis, eamque ob causam abruptum Saxenhausii pontem. Franquendaliam, Hanoviam, Manhemum, arcem Heidelbergæ ajunt premi, hæc ab hoste, illa magis à fame, quæ & in exercitibus tum Valettæ tum Lafortii, sive potius Incolismensis, (is enim jam Barram advenit,) magna esse dicitur, nec mirum vastatis pridem agris, è Gallia verò commeatuum longo transitu & ob id intuto, ut apparuit, captis nuper à Lotharingico milite iis qui Nanciacum ferebantur. Pro solatio est par apud hostes malum, cui ut medeantur Cæsariani ad Lindaviam & alibi frumentum coëmunt. Lotharingus Dux multùm copiis superat Gallicas sibi oppositas, ideoque & oppidula Darnajum & Fontenajum facilè cepit & equitum aliquid cecidit. Rex ipse Hungariæ apud Vlmam nunc esse creditur, tum ut & eam civitatem ad pacta Noremberganis paria impellat, tum ut Helvetiorum turbet concordiam, qui Regi Galliæ duodecim millia militum ut conscriberet permisere, verbo quidem ad tuendam Vallem Telinam contra novos ex Tirolana Regione paratus, re autem ipsa, ut multi heic credunt, ad comprimendas Aquitaniæ seditiones, adeo non exstinctas, ut Burdegalæ suburbium ab agresti plebe expilatum sit publicanos in pœnam vestigante. De Maguntiaci statu quid dicam nescio. Contulit eò vires non exiguas Galassius. An metu adventantis Valettæ & Ducis Bernhardi (putantur horum copiæ simul efficere viginti millia) abiturus sit trans Rhenum, ut multi sperant, nescio. Illud intelligo à Rege ei vetitum prælio experiri, quod metuo ne emanet. Classis Hispanica disjecta nuper, ita refecta est, ut circa Provinciæ Narbonensis littora appareat. Rex Galliæ ad constituendam cum Cæsare pacem quotidie invitatur. Sed nihil eum constituturum seorsim à sociis arbitror. Video autem hoc Gallis sæpiusculè evenire ut quod ante occasione rapta facilè efficere potuerunt, id postea cogantur tentare immenso majoribus sumtibus & periculis. Neglectus hujus causæ, partim inde, quod qui possunt plurimum negotiis omnibus per se pares esse non possunt, ægro præsertim corpore, quorum autem sunt secundæ aut tertiæ partes ii aut otium quærunt, aut laborem alii in alios rejiciunt. Accedit quod Protestantium res nolunt nimium invalescere, partim ob metum à suis Protestantibus, partim ad aucupandas Pontificis gratias, quas nisi magni facerent, nunquam Frater Cardinalis Riceliaci, Cardinalis & ipse, Archiepiscopatu Lugdunensi se abdicasset, nullo alio

Digitized by Google

alio præmio, nisi Romæ manendi. Ego ut facilè credam sponte sua hunc Pontificem Hispanicæ potentiæ non admodum favere; ita arbitror dum Hispanus tantam Italiæ partem tenebit, nemine illic suis viribus pari, neque hunc Pontificem, nec qui ei sunt successuri liberos satis futuros, ut quæ sentiunt Hispano displicentia aut fortiter agere aut apertè dicere audeant. Hinc illud, quod Pontifex hic ipse post mortem Regis Gustavi, cùm vel maximè formidanda erat Austriaca magnitudo, adjuverit res Hispani, concessis illi per Indias decimis, rogatisque Italiæ Principibus ne deessent laboranti rei Romanæ: indè tot pro Lotharingiæ Duce, proque matrimonio Lotharingico legationes: nec unquam pax commendata, nisi cùm ea egerent Austriaci. Hæc consideratio Galliæ Pontificem respicientis, Pontificis autem sive aulæ Romanæ plurimum pendentis ab Hispano, partim pretio, semper metu, movere deberet Reges Principesque Protestantes, etiam eos, qui armis immixti hoc tempore non sunt, ut stabilita inter se concordia, officiis mutuis & junctis quantum fieri posset consiliis, etiam arma eminus ostentando, rem communem periclitantem perducant ad æquas pactiones, ipsorum deinde inter se fœderibus muniendas. Ego certè apud eum, qui cis paucos dies hic futurus est, Angliæ Legatum non desinam & commune hoc negotium, & quod communi huic negotio innexum est Palatinæ domus, modis omnibus promovere. Est is Legatus, Vicecomes Scudamorius, Vir magna nobilitate & eruditione non minori, apud Archiepiscopum valde gratiosus. Illud displicet quod Anglicanas naves aliquammultas ad Hispaniæ oras ire intelligo, aliquam, quod hic metui video, Hispano operam aut in militum pecuniæque travectione, aut in Brasilia navaturas. Sed hæc certius nos dies docebit: ut & de animo in nos Poloni, quem & ipsum paratos habere exercitus, sive ad promovendam pacem, sive ad bellum gerendum, credi volunt tum qui hic sunt ejus gentis, tum quæ ex illorum locis veniunt literæ. Literæ Cæsaris ad Legatum suum quæ scriptæ dicuntur, quanquam genuinæ mihi non videntur, sunt tamen tales quæ plurima vera & à Cæsare si non scripta, certè cogitata contineant. Illud certum est, Legatum Romæ qui est Cæsaris accusatum à Pontifice quod in pace Saxonica Protestantibus plus æquo concessum esset, respondisse ferme in eam formam quæ est in istis literis, idque ad multos Viros illustres Roma perscriptum est. Nobilissimo D. filio tuo omnia opto prosperrima, & ea si provenerint, inter gavisuros vel primus nomen profitebor meum. Ipsum, familiamque omnem ac te præsertim, Illustrissime Domine, Deus servet incolumes florentesque. Lutetiæ, $\frac{7}{17}$ Augusti, 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

G R V B B I O.

Nobilissime Domine.

461 Nihil hoc tempore abs te accepi: nec ab Excell. D. Cancellario nec à quoquam familiæ ipsius, itaque in magna hic rerum quæ illic geruntur ignorantia vivo, atque interrogatus, ut in Aulis fieri solet, nihil habeo quod respondeam. Nos ex Rhætis res adhuc habemus prosperas, redacto in ditionem Tirolanam hoste, unde frustra hactenus de recuperandis Vallibus Telina & Monasterii consilia agitant. Certum est magnum à Cæsare & Hispano circa eas partes colligi militem; sed neque Rex socios negligit, jussis per Helvetiorum pagos conscribi XII millibus, ita ut spes sit res illa in parte bene cessuras. In Italia quieta adhuc omnia, nisi quod magnæ in Mediolanensi agro Hispani copiæ, Gallorum quoque in Montisferratensi non exiguæ omnia circum implent suspicionibus ac metu: ad quæ accedit, quod classis à procellis disjecta nuper apparere iterum incipit & Gallicæ oræ minatur. Omnes Galassii copiæ versùs Maguntiacum iere, incerto hujusque eventu. Cardinalis enim Valetta, cui adjunctus nunc est Dux Bernhardus, dubitare videtur quid facere potissimum debeat, tutis se locis tenere an periculum adire prælii. Dux Lotharingus in partibus quondam suis nihil nisi agrum tenet, exercitu Lafortium superans, cujus equites aliquot cecidit & missos Nanciacum commeatus intercepit, irruptis & modicis quibusdam oppidis, novo quotidie auctus è Burgundia milite & magno Lotharingorum concursu, quibus nomen Gallicum induere difficile est. De Francofurto solliciti sumus. Agunt cum Cæsare magistratus ejus civitatis ut & Vlmæ: quod si peragant, vix erit ut Hanovia & Frankendalia viribus satis inopes, diu se sustentent Manheimum & Heidelbergæ arcem etiam nunc defendi rumor est. Certi enim nequid habeamus, obstant incerta itinerum. Si hostis, quod hic multi sperant, adigi potest ad transitum in alteram Rheni ripam, erunt omnia exploratiora, & major amicos edocendi copia. Interim tibi, Nobilissime Domine, omnia opto prosperrima, $\frac{7}{17}$ Augustii, 1635.

Vidi orationem quam D. Davausius Stocholmiæ habuit. Vnicè miror tantum illum in eloquentia, qua sanè valet, posuisse fiduciæ ut existimarit persuadere se Suecis posse, ut damno rerum ad se maximè pertinentium pacem à Polono redimant, quò se Germaniæ tantò longius sitæ utiliores reddant.

Tuæ Nob. Domin. addictissimus H. G.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Spero quas antehac statis diebus, interdum & pro occasione crebriores scripsi literas, quanquam longo nec 461 ab hostibus libero itinere, rectè ad Subl. Tuam pervenisse, quibus quæcunque heic aut comperta, aut rumoribus vulgata acceperam significavi quàm potui diligenter. Multum metuo ne quod heic ante tempus creditum de Maguntiaco fuerat verum fiat. Namque hostis Cardinali Valetta & Duce Bernhardo urgentibus derelicto Bipontini oppidi obsidio, deserta & Cæsaris Lautera, quam tanto nostrorum ac suorum cæperat sanguine vim omnem Wormatiam transtulit, quò venturus & Rex Hungariæ, scribitur. Addunt literæ à Meti & Argentorato, nam à locis longiùs absitis habemus nullas, jam Maguntiacum obsideri aut potiùs castellum quod in colle propinquo est, quò omnem militem retractum ajunt. Audio cùm primum convenerunt, Valetta & Dux Bernhardus, Valettam ita præ se tulisse majus fastigium, ut ea res non exiguam offensam in animo Ducis reliquerit, qui nunc juncti exercitus primum agmen ductare dicitur. Lafortius apud Spinalium parvas habet copias, exhaustas dum inde suppletur Valettæ exercitus. Incolismensis, observator Lafortii futurus, nondum advenit. Ducis Lotharingi copias postremi nuntii dicebant non longè abesse à Remiremontio. Argentoratenses missis ad se Galassii literis ipsos ad pacem cum Saxone factam invitantibus, cùm circum se nulla nisi hostilia conspicerent arma, literas ad Regem scripserant ea libertate, quam exprimere res extremæ solent, si manerent ea pericula, sperare se cum bona Regis gratia posse se ad pacem consilia sua flectere. Ea scriptio ita Aulam commovit ut illico mitterentur, & eò, & Colmariam, qui eas civitates magnis pollicitationibus in fœdere retinerent: eodemque tempore Syndico Colmariensi tam diu hic inciviliter tracto concessæ sunt conditiones non iniquæ societatis, quarum mitto exemplum. Magnis laudibus celebratur Rohanius iterum cæso hoste, ejectoque ex omni Valle Telina ac Monasterii & Bormii comitatu; & nunc in Tirolensi agro persecutus hostem ibi se recolligentem dicitur: quarum rerum narrationem adderem fusio-

Digitized by Google

fusiorem, nisi id faceret suis quas mitto literis Sprecherus, vir ob summam reverentiam ac fidem in res Suedicas virtutesque magnas, amari à Subl. Tua optima earum judice, sanè dignissimus. Quantò autem majore fama attollitur Rohanius eò acerbiora ubique verba in Principem Arausionensem audiuntur; non quidem Cardinalis, aut eorum qui ipsius lateri sunt proximi, qui obstinato silentio premunt animorum motus, sed eorum qui ab exercitu missi huc veniunt. Longa apud Trajectum Mosæ mora periisse vera agendi tempora: de victu non provisum: non oppugnatum Lovanium, aliaque id genus. Nec omittit Princeps Arausionensis rejectare in Gallos culpam, quorum copiæ seriùs constituto adfuissent; agrum & fruges alimenta exercituum, licentia & raptu ipsorum corrupta, Marescallis urgentibus, quod impatientes inediæ essent Galli, discessum à Lovanio. Brezæo ferociùs agenti ajunt dixisse Principem, se quidem & Castilionæum pridem imperiis parere didicisse, ipsum autem nihil nisi imperare. Multus metus ne veteres simultates, nequid dicam graviùs, ob prope interversam Principatus Arausionensis possessionem, & fidem auxiliorum, cùm in Flandriam quondam pellectus esset Princeps non præstitam, rupta cicatrice recrudescant. Ad hæc mala cùm accedant tot infortunia quæ nemo animo anteceperat, amissa omnia tam sumptuosæ expeditionis præmia; tum verò quod castellorum Batavicorum opere firmissimum, situ eximium erat ad ipsum Rheni divortium, Gravewarta aut Schenckianum nomine, amissum, & post irrita hæc tentamenta desperatio belli per victoriam finiendi, sequetur haud dubiè in Rectorum populorumque animis ingens induciarum cupiditas. Repositam Gallis à Cardinali Infante belli indictionem, factam demum post Lovanium obsidioni exemtum, verbis magnificam satis miserit Dominus Camerarius. Ego alterum scriptum prioris Regis scripto oppositum mitto, in quo multa in Hispanos jacta remittuntur in Gallos, allaborante & Gallorum, qui cum Regina matre vivunt, ingenio, dum aliud non reperiunt quo se hospitibus suis approbent. Eos inter eminet vir non ineruditus Sanctigermanius nomine, supplicio nuper hic imaginario, ut in absentes mos est affectus, virulentorum librorum in Cardinalem scriptor, eoque merito apud Brabantos Abbatiam consecutus, Episcopatum sperans. His aliisque indiciis satis conspiciens Cardinalis, quàm infensus, præter odia inter gentes, sibi privatim sit Hispanus, per Residentem Cæsaris quicum multum locutus est his diebus, persuadere conatur Cæsari, & belli causas & pacis moras penes Hispanum esse, ægrè ni fallor, distracturus familias tot non tantùm cognationibus, verùm & communibus utilitatibus colligatas. In pecuniario nostro negotio moveo quotidie ipse & per meos, promoveo nihil & prope est ut cum Heufdio dicam ludibrio nos haberi. Nec de legatione aliud quàm quod scripseram futurum puto. Si ad hæc accedet ut sua quidem servent Galli, Maguntiacensem autem regionem ad Cæsarem & Archiepiscopum redire patiantur imperare mihi non potero, quin suspicer non optima fide nobiscum agi. A Vienna scribitur multum ibi ad constituendas cum Gallo conditiones laborare Pontificis Nuntium. Masarinus Ruellæ ægrotat, magna pro ejus valetudine Regis cura. At Riceliaci frater Lugdunensis Cardinalis tanti facit Romæ manere, ut jussis Episcopis Cardinalibus ad suas ire sedes Archiepiscopatu se potiùs abdicaverit, quàm Romam & negotia ibi tum de dissuendo matrimonio Fratris Regii, tum alia publica privataque desereret. In Belgarum ea quæ Picardiæ adjacent, levi manu ingressus Chaunius, rediit nulla re facta memorabili, magno cum Batavorum dolore, qui inde hostium damna sperabant magna & facilia. Lustrantur non longè hinc feudorum possessores è Normannia atque aliunde ad arma, quod nisi in magnis periculis fieri non suevit, exciti. Sed multis paupertatem suam aliaque fortuita excusantibus numerus omnis ultra decem millia futurus non putatur. Seditiones Tributariæ tantùm abest ut desierint, nuper ex novis Magistratibus, quos Electos solent vocare, quidam è fuga Burdegalam reversus à plebe trucidatus est. Fuit apud me vir huc missus à Marchione Badensi Durlachano qui rebus adeo ambiguis certus esse voluerat de Regis in publicum ac se voluntate. Retulit qui missus erat (nam me accessit voluitque suum Principem Subl. Tuæ commendarem) scriptum Regis, pacem nullam facturum se promittentis, nisi ipsius quantum æquitas, & res ferrent habita ratione. Idem Colmariensibus promissum est. Cardinali Valettæ præceptum ne prælii fortunam subeat, ex iis qui nobis favent intelligo. De Duce Lunemburgico varii heic sermones. Existimant non imperiti rerum Valli Telinæ novum imminere periculum & multas eos in locos copias ab hoste mitti, Vienna & aliunde nuntiatur. De Sabaudo video ab Italis ita judicari nihil illum sincerè agere, nihil cujus non conscios faciat Hispanos, ut solet duabus sellis sedere. At in Neapolitano Regno, ex quo bellari in Belgicis regionibus cæptum est edictum Galli excederent, res eorum custodiri jussæ ut talio servaretur. Francofurtum, Hanovia, Franquendalia ut se habent, nescimus, nisi quod difficiles esse dicuntur aditus hoste circumfuso. Ajunt heic D. Davaux Regis Legatum in conventu, qui res Suediæ Poloniæque tractat verba fecisse de controversiis Regnorum compromittendis in arbitrium Parlamenti Parisiensis. Ego non puto virum judicio valentem, credere potuisse id persuaderi posse iis qui in possessione sunt. Redit ad Hollandos Charnassæus, & pecuniam adfert non minùs ibi quàm aliis in locis necessariam. Vestris quæ geruntur in locis, scire & expetunt alii & ego imprimis, ut inde mihi sit benigna compellandi Proceres, & res nostras commendandi occasio, deinde quia ita mos est humani ingenii, ignorata mala majora sibi fingere.

EIDEM.

Vidi orationem quam Legatus Regis D. Davaux, in conventu Suetiæ Stockholmiensi habuit. Miror conari eum Suedis persuadere, ut damno rerum propiorum ipsos intimè tangentium, pacem Polonicam redimant ad curandas rectiùs res longè absitas, neque ad ipsos spectantes nisi per longos consequentiarum gradus. Gallicas naves quæ ad Sanctonicum Oceanum venerant retrogressas jam intelligo, in præsidium ejus pecuniæ quam Charnassæus fert in Batavos, an quod Anglorum vim metuant, quorum naves bellicæ aliquammultæ in Hispaniam eunt advehendo, ut creditur, inde militi, pecuniaque in Flandriam, secundum pacta nuper cum Hispanis inita. Id initium videtur futurum majoris cum Anglis Batavisque discordiæ. In mari Ligustico revixit classis Hispana viginti magnis navibus minoribus aliis, conspecta non longè ab insulis, quas Stæchadas antiquè, nostra ætas Ieres vocat, inde conatibus suis, quantum colligere est, initium factura. Alioqui nisi mari excitetur, terra videtur, hoc certè anno quieturum Italiæ bellum, Sabaudo res Gallicas magis in speciem sequente, quàm fido animo, tum ob dolorem erepti Pigneroli, tum ob spem honorum quos ex Hispania domus illa exspectare potest. In Valle Telina res manet eo quo scripseram statu. Duodecim millia Helvetiorum Regi permissa conscribere: contra decem millia, è Germania in Tirolanam regionem mittit Hungariæ Rex, propius ipse ad eum accedens finem: tum ut Helvetiorum studia cum Gallo dividat, tum ut Vlmam labescentem ad imitationem Norimbergæ impellat. Francofurtum scribitur, aures præbere conditionibus & aditum ad se Cæsarianis, opponente se Visdemo quem sibi infensum civitas putans pontem ob id ruperit. Addunt rumores magis quàm certæ literæ Manhemum bene defendi, Heidelbergæ arcem de con-

463

conditionibus agere. Franquendalium, & Hanoviam rerum necessariarum, victus maximè laborare penuria. Maguntiaci res propriè nostra agitur: commendavi ejus curam, & his Proceribus, & per Ponicam Duci Bernhardo. Profectus & ad Regem fuissem eo nomine, nisi indies literas exspectassem Subl. Tuæ ne multa interrogatus nihil habuissem quod responderem. Dux Bernhardus e 8 Iulii Gramberga Isembergam iter fecisse dicitur: Cardinalis Valetta non procul Cæsaris Lautera hærere sive mandata ab Aula exspectans, sive quod Landstulio, & Heidelbergæ transitu occupatis à Cæsariano milite, illa prius impedimenta removenda, quàm ulterius eundum judicat. Dux Lotharingi Coloredi cohortibus, alioque è Burgundia auctus milite, & ex Lotharingia sibi faventium concursibus partim ad Remiremontium, partim in Barrensi ditione agens multum dicitur superare eas quæ sub Lafortio ad Espinale sunt copias, eoque frustra ad prælium lacessito, Darnayum & Fontenaium loca haud valida cæpisse impetu, ivisse ad Mirecurtem, & quarto hujus mensis die subsidia quædam disjecisse venientia ad Lafortium, qui in hac Aula incusatur, ut per senectam minùs par negotiis, eoque creditur Lutetiam revocandus, ut illum exercitus solus obtineat Incolismensis, qui jam cum Hibernica cohorte, equitibus præterea & peditibus non multis, Barram oppidum pervenit. Ita Protestantibus aut abducuntur exercitus, aut apponuntur custodes. Interim Lafortius Villettam oppidulum Lotharingi partes secutum cepit. Sed magna dicitur & ipse laborare alimentorum inopia, quarum pars Nancium missa à Lotharingis intercepta est. Confluentes quoque Mosellæ obsideri à Cæsarianis intelligimus, eodemque duci eos qui Neuburgo excurrunt & sub Marchione Grada cohortes ferme quatuordecim. Audio Beauregardium quadringenta florenorum millia ferre in Saxonicas partes. Bulionius ad quem sæpe misi, nunc ad rus suum longè ab urbe abiit, interpellatores fugiens. Feudorum possessores edictis evocati, non id virium adferent, quod sperabatur. Multi se excusant, quod non rite facta sit evocatio, probantibus ut mos erat Parlamentis, paupertatem alii adferunt. Et eorum qui ad condictum adfuere, rejecti multi ob tenuem paratum. Voluntarii quidam à Duce Longevillano ex Normannia corrogati; cùm multi spectatum eos ex urbe aliquoties venissent, nam ad ædem Dionysii convenerant, pudore paucitatis, vix enim sexenti erant, non exspectato tempore lustrati in Campaniam abiere. In Belgicis partibus quàm male res proveniant, satis aliunde intelliget Subl. Tua. Certè si hoc anno Gravewarta recipi poterit, multum id erit, atque eo versis Batavorum viribus, periculum erit amittendi interea Limburgi & Trajectus ad Mosam. Nam ad Gallorum reprimenda arma, novus sub Beccio è Germania jam venit exercitus, & hæc quidem rerum ad nos maximè pertinentium summa est. Minora quæ variis ex partibus nuntiantur hæc sunt. Florentini Ducis & Aldobrandini Cardinalis opera utitur Hispanus ut Parmensem sibi reconciliet. Motus Catalaniæ pacati sunt & quatuor ibi conscripta militum millia, in Navarræ Regno alia Barcinonis fama provisum misso frumento à nova Carthagine alioque petito à Sicilia. Novem milliones postulati à Regno Castellæ, qui tres intra annos Regi numerentur. In ea pecunia quæ ex America venit, unam millionem sub alienis nominibus ad Gallos pertinentem, sibi Rex Hispaniæ vindicat. Secretarius Legati Gallici, inde abiens causas quidem belli à Rege suo suscepti exposuit, sed addidit non omissurum Regem mittere Legatos de pace in eum locum, quem Pontifex lecturus esset: Alexandriam in Insubribus munit Rex Hispaniæ, Mutinam & Mirandulam sui Principes. Mediolano tuendo ducenta scutatorum millia ex Hispania venerant, à Neapoli quadraginta, pluraque exspectabantur ex Americano proventu, sperabant brevi ibi fore viginti quinque peditum millia, equitum verò decem è Germania adventare. In Montiferratensi ditione decies mille ajunt pedites esse Gallos, bis mille equites exspectari. Graves jam nunc querelas esse populorum, de eorum militum injuriis, nec videri eos, ut nunc res sunt, aliud quid effecturos, quàm Italiæ vastitatem. Neapolitano in Regno jussis egredi Gallis, excepti sunt qui decem per annos ibi vixerant: iis qui annos quinque, dilatio data est. Lotharingis nec minùs quàm Sabaudis manere permissum. Ad classem implendam & aliena servitia & piscatores, nautasque liberos per vim rapi fama est. A Vienna etiam nunc scribitur diligenter agere Nuntium Pontificium de induciis constituendis. Emerius à Rege Legatus it in Sabaudiam. Ab Imperatore apud Lindaviam frumentum coëmitur. Dux Elbinovanus, Belgicis regionibus, & Regina Matre relicta, Lotharingo se applicat. Per Aquitaniam & vicina loca nondum resedit seditio, ejusque metu neque nova onera audent indicere Aulæ hujus Potentes neque vetera exigere. Leodiensis terræ habitatores à Croatis habentur non minùs hostiliter quàm à Gallis habiti sunt antehac, Bruxellenses urbi suæ muniendæ triginta francorum millia contulere; è Brabantia tuendos ad Atrebates, siquid è Gallia mali immineat, quod quidem nondum conspicitur, missi equites bis mille sexcenti cum peditatu aliquo & machinis. Cardinalis Infans multos secum carros habebat, velut itineri intentus, dum ad Stephani Wartam, cum parte copiarum manet Dux Lerma. Naves duæ Hispanorum, militem hæc, illa merces ferens à Gallis privato sumtu prædam quærentibus captæ sunt, & Diepam abductæ. Iam nunc intelligo ex Ducis Bernhardi veteri militia nonnullos recusasse novum sacramentum, in quo nomen Galliæ Regis admixtum est, eamque causam sumere transeundi ad Cæsarem. Idem Dux Bernhardus dicitur bene animatus fuisse ad Galassium illis ex locis ubi nunc est pellendum prælio, sed Valettam excusare Regis mandata de vitando periculo. Burdegalæ suburbium ab agresti plebe expilatum est publicanorum, quorum aliqui ibi esse credebantur odio. Vienna scribitur, Sabaudum eò scripsisse de his quæ sibi contra Hispanum à Gallo promitterentur & sunt heic qui putant consilia Hispani, & Cæsaris multis in rebus discrepare, quod mihi hoc quidem tempore non fit verisimile, neque ego aliud actura puto Crequiaci in Italico fine arma, quàm ut ostentata eminus impediant, ne Parmensem, & Mutinensem opprimat Hispanus, exercitu satis magno quem nunc circa Mediolanum habet; nec aliud videtur credere Hispanus, qui jam viginti peditum centurias turmas equitum septem è Ticinensi Regione Comum versùs mittit, id est ad repetendos in Vallem Tellinam conatus, vique rapiendum transitum, quem negarunt Rhæti, ita tamen ut simul testarentur nihil se de veteribus cum Austriaca Domo federibus immutare, etiam classem illam Hispanicam magis arbitror metu sui Galliam implicituram sumptibus, (omnis enim Provinciæ ora milite obsepta est) quàm magni quicquam acturam. Illorum autem XII. millium quos in Helvetiis Rex conscribi jubet, haud dubiè pars magna non in bellum mittetur externum, sed ad comprimendas Aquitaniæ seditiones, at ne in has partes serpat contagio, novis tribus millibus augentur Prætoriæ Regis cohortes. In Brutio Italiæ parte cùm ad dilectum è quaque domo unus vocaretur, repugnatum scribunt & ab Hispania venisse ad Parmensem literas quæ omnem ei metum demant. Ethruscum autem sive bello opus sit, sive pace, in utrumque operam suam Hispano liberaliter polliceri: siquid exploratus discam, non omittam scribere. Deus, Excellentissime Domine, consilia sua ad bonum commune gubernet. Lutetiæ, $\frac{7}{17}$ Aug. 1635.

FOR-

Digitized by Google

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

464 RElpondi postremis tuis, quæ 21 Iulii ex novo Calendario scriptæ, ad me per Legatum Venetum pervenerant. Ex eo habemus bona malis permixta. Nam Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus (ut Meti scribitur, nam aliunde non venerunt literæ, ut omnia nunc itinera incerta sunt) coacto Galassio à Maguntiaco Wormatiam recedere, abiere, ille quidem ut Augustum Trevirorum recuperet, hic verò ut Hanoviæ laboranti succurrat, ignoto nobis quis nunc Francofurti sit status, quæ civitas Saxonicis pactionibus aures præbet. Rex ipse itineri se parat, in fines Regni eam partem spectantes. Ex Belgico Germania tristitiam nuntii de amisso castello Scenquiano seu Gravewarta, dolo primum hostili, deinde vi, mitigavit intellectus eò equitatum, deinde & ambos exercitus Batavicum & Regium, adduxisse Princeps Arausionensis ac sic impedisse hostiles incursus in ea quæ Rheno Vahalique interjacentia ex vetere Batavorum nomine Batuam nunc quoque dicimus. Ad Electorem Brandenburgicum misit Rex quadringenta florenorum millia, tum ut eum in bello retineat, tum ut si fieri possit copiæ quædam à Saxone abstrahantur. De magno Cancellario, qui in compluribus conventibus labantes Germanos consilio & exemplo erigit literas indies exspectamus solliciti ob incerta itinera. Felicis & magni Ducis famam hoc anno solus Rohanius obtinet, quem an impedierint Rhæti in Tirolanum agrum manu infesta ire, vetera cum Austriaca Domo fœdera salva sibi cupientes ex te discere cupiam, & si quid aliud vestris in regionibus dignum memoratu accidit. Rex Poloniæ induciis cum Regno Sueciæ in exiguum tempus prorogatis in spem majoris prorogationis, Silesiorum causam Cæsari commendandam suscepit. Additur & quosdam Principum Procerumque ejus terræ in tutelam suscepisse Regni Polonici cui olim contributa fuit Silesia. Si ille paulatim bello in Cæsarem implicari posset, non parum profectum esset ad rem communem. Vale Vir Nobilissime, & nos tui amantes ama Lutetiæ, 12/21 Augusti 1635.

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

465 VT ab eo quod latissimum est auspicer, Maguntiacum ab hoste derelictum, omnes qui Meti veniunt, nuntii, literæque, consentiunt. Addunt Ducem Bernhardum cum Feuquerio Rhenum transiisse, ut Hanoviæ laboranti succurat, educatque eos qui Saxenhusii sunt, & à Francofurtensibus habentur hostiliter. Causa abitus Galassii, qui Wormatiam se recepit, hæc redditur, quod magna exercitus parte in tam multas obsidiones distracta, imparem se Gallis & Vinariensi credidit. At Lotharingiæ Dux copiis & Incolismensem, & qui adhuc cum eo est Lafortium superans, hujus equitatu cæso captoque oppido, Rembarvillerio, deinde Spinali, Pontemossono, aliisque minoribus, crescit quotidie accessionibus tum popularium suorum, tum è Comitatu Burgundiæ. Landstulium Valettani diripuere, arcem etiam nunc quantum scitur tenentibus Cæsarianis. Rhætos intelligimus pati nolle ut Tirolanum agrum hostiliter vexet Dux Rohanius, ita tutandis rebus suis volentes incumbere, ut tamen salva sibi velint cum Austriacis vicinæ loca tenentibus fœdera. Scribit Excellentissimæ Subl. Tuæ de rebus illarum regionum Marinus: sed veteres ejus sunt literæ, & spem belli Gallici per Italiam videbit evanidam. Rex adversis quæ è Germania Belgicisque partibus nuntiantur æger animo, pacis injecto sermone his diebus, dixit se eam velle, sed spem vix videre. Discessit Viennam Residens Cæsareus, à Cardinali Richeliaco dimissus majore cum honore, quàm Regum Legati solent. Nec dubitatur quin mandata habeat proponendi ea quæ ad pacem pertinent: quæ si non sint ingrata, putatur Sanctichaumontius qui Hamburgum & ad Germaniæ quosdam Principes destinatur, iturus longiùs & in Regii Fratris matrimonium petiturus Imperatoris filiam, ut eum Austriacæ Domus gratia, eoque faciliore Pontifice irritum habeatur conjugium prius, atque ita Lotharingus amicitiæ quam tantis suis impensis coluit fructum amittat. Quadringenta illa Florenorum millia per Beauregardium missa, audio dari Brandeburgico, ut eo pretio quoscunque potest Saxoni auferat. Puto non tam morosum fore in recipienda pecunia quàm Batavi fuere, qui florenorum quinquaginta millia sibi à Rege numerari fecerunt, pro intertrimento sacomæ. Batavorum res factis hoc anno supra vires sumptibus, pecuniæ egestate maximè laborant, cui malo remedium aliquod de sua arca offerre dicitur Princeps Arausionensis, sed postulato pignore, puta Vesalia. Heic verò res nummaria nihilo meliùs expeditur, monitusque Rex est, cùm de attingendis privatorum reditibus, quos civitas hæc debet, ageretur, à Magistratu urbano, si pertenderetur, rem non sine seditione abituram. In Aquitaniæ verò multis locis, ita insanitur, ut miles ex iisdem locis adversus seditiones conscriptus seditioni se adjunxerit. Rex & Cardinalis, non longè ab hac urbe sunt, ubi Sequana & Matrona amnes confluunt: sed mittit jam ad me Rex admissionalem suum significans in Campaniam se ire. Velle solum se esse, itaque nec Reginam secuturam, nec Legatos: qui si quid agendum habeant id cum Cardinali agant, cui plenam ipse dederit potestatem. Causa abitionis obtenditur, ægrè laturos Nobiles, qui Præfectos Provinciarum magnis suis sumptibus comitati, eò iere, in supplementum exercitus qui sub Incolismensi est, si Rex eos, ut nuper illos qui ex Normannia, ad ædem Dionysii venerant, visere gravetur. Putantur ii Nobiles numerum facturi IV millium, multis ob paupertatem & alia se excusantibus, famuli duplum. Video alios esse qui interpretentur Cardinalem velle amoto Rege res agere suo arbitratu. Et constat Regem nuper succensuisse, quod quosdam nuntios accepisset serius. Chaunius nihil planè agit, multum dolentibus Batavis qui acre inde bellum in Belgas exspectabant. At ex Adresæ præsidio egressi nuper Galli aliquot in proxima Flandriæ, cum damno rediere. Naves Regiæ Gallorum dux Cæsarea Mauritaniæ, quam hodie Algeriam vocant, redeuntes quò Legatum gentis suæ deduxerant, obviam apud fretum Morinorum navem Anglicam, quæ à Liburno portu Thusciæ veniens gemmis aliisque pretiosis mercibus opulenta erat, demersere, ideo quod inquisitionem, obtentu Hispaniensium mercium à Gallis tentatam pati nollet: non levi etiam hominum damno. Id ad redauspicandam cum Gallia amicitiam Legato qui nunc in itinere esse dicebatur Anglico, non optimum dabit initium. Quin si Anglos rectè novi, ad talionis exactionem priùs quàm ad querelas venient. Hæc ad multa hujus anni mala non levis accessio est, quod quos commune periculum jungere debebat, variè se injicientibus ex causis dissociantur. Sanctichaumontius iste de quo dixi, (futurum enim puto ut & Subl. Tuam videat) homo est superstitiosissimus eaque sola commendatione ad gradus magnos provectus. Regem sunt qui Nanciacum usque iturum existimant, ut rebus ibi periclitantibus, sua Majestate succurrat. Deus, Excellentissime Domine, det nobis brevi res magnas & prosperas audire vestris ex locis. Lutetiæ, 12/21 Augusti 1635.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

QVanquam incerta ubique ferme itinera, sparsis in 466
omnes Regiones utriusque partis armis, nihil certi nun-

nuntiari permittunt, tamen adeo lætus mihi nuntius accidit, liberati Maguntiaci, retroque pulsi Wormatiam Galassii, à sociato Ducis Vinariensis & Cardinalis Valettæ exercitu, ut non tantùm facilè fidem ei habeam, sed & dignum putem, qui ad notitiam Augustiss. Maj. Tuæ quamprimum accedat. Augentur quotidie magna Regis cura tum ille exercitus, tum alter Lotharingiæ propior sub Incolismensis & Lafortii ductu. Neque id satis Rex arbitrans, ipse propius se fert in eum finem, in Campaniam certè, fortè & Nanciacum usque, quantamcunque potest Nobilitatem excitans ad tuendum Lotharingiam, ægrè tam opportunam Provinciam dimissurus. Hæc habemus contra multa per Belgicam Germaniamque improspera, unde nos solemur; sed magis etiam nos erigit spes concepta ex animo prudenti ac vigili Magni Cancellarii, cujus ingenio ac labore quod restitui non potest id pro deplorato habendum est. In Rhætia res adhuc optimè procedunt. Abiit hinc Residens Cæsareus, multa de pace promovenda pollicitus. Nos omnes, Serenissima ac Potentiss. Regina, Domina Clementissima, Augustiss. Maj. Tuæ in ætatem, quanta maxima contingere mortalibus potest, felix Regnum devotissimo animo precamur. Lutetiæ, 13/23 Aug. 1635.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

467 QVod nihil abs te hoc tempore acceperim, itinerum pericula & difficillima literas curandi ratio, mirari me vetant. Rogo tamen ne quæ scribendi occasiones sinantur præterlabi, ipse mea ex parte, quicquid hinc in tanta rerum caligine disci potest, non celaturus. Faciunt autem me nunc breviorem tum raræ ab omnibus partibus & hæ ipsæ sæpe non satis fidæ literæ, tum quod Fritzius per quem has mitto literas tanto omnia melius docere poterit, quanto & à locis venit propioribus & liberalior esse solet oris quàm scripti enuntiatio. Inter multa tristia (nam Francofurti jactura quanti sit, facilè intelligis) solatium habemus, ejecto è Maguntiaci urbe Galassio & ægrè se apud Wormatiam tuente. Tantus est terror à Valettæ & Vinariensis exercitu. Alterum verò Regis exercitum non parum vexatum à Lotharingiæ Duce, ut cui & equestre prælium prosperè cessit, & captum est Remirvillerium, auget Rex multis è locis excita nobilitate, cui ut addat animos ipse ad eum finem, & fortè Nanciacum usque proficiscitur, relicta Riceliaco Cardinali urbis cura. Legatus Anglicus, brevi hic futurus, satis dura habebit negotiorum initia, demersa nunc recens Anglica navi quæ ab Ethruria gemmis aliisque mercibus dives adventabat, vi Regiarum Galliæ navium pertentare illam renitentem volentium. Ita utrinque injuriæ asperant animos, quos inter se concordes esse si quæ unquam tempora hæc certè exigunt. De Saxoniæ Infernatis, Silesiæ, Prussiæ aliisque rebus magna heic cognoscendi sitis est. Deus, Illustrissime Domine, te tuosque servet. Lutetiæ, 13/23 Augusti 1635.

Tuæ Illustriss. Dom. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

468 QVanquam scripsi Veneris die, qui nunc status est, per Caletum tamen euntem ad Subl. Tuam Fritzium, nolui ire mearum literarum inanem. Sanctichaumontius de quo scripseram, jam accinctus est præter alia Daniæ quoque amicitiam ambiturus. Quia vident hocce tempore opus habere Subl. Tuæ auctoritate hi homines, incipiunt non quidem pecunias, ne illas quidem Heusdio promissas, sed verba liberaliùs dare, me certè non credulo qui illos novi promos vocum, rerum condos. Lotharingiæ Duci res adhuc sunt prosperæ, multis captis oppidis; nec in Lotharingia tantum, sed & in Episcopatu Metensi, quas ad res nullos magis adjutores habet quam Gallos ipsos, qui nobilium animos à se abalienarunt injecto duræ transportationis metu, novis vectigalibus in illas partes introductis, rebusque aliis. Itaque non miror, si ad eum magnus fit concursus. Rex nunc Monticellis est, in itinere ad Catalaunum. Nobilitas, quæ magno molimine excitur sicut ad prælium futura esset utilis, quam aleam subiturus Dux Lotharingus non creditur, ita sumptibus impar ad hyemem duratura illis in locis non putatur. Nanciaco difficiles commeatus facit Ducis consanguineus Valdimontius Comes. Galassius jam ad Saxenhusium esse dicitur. De Maguntiaco vacillant sermones. Wormatiam pars equitatus remissa est. Magna ubique vastitas raptisque undique animantibus, nulla arationis spes reliqua. Lafortius duabus ab hoste leucis abest ad Lunixevillam Gallorum quingenti à Croatis cæsi in iisdem partibus. Ex viris magnis intelligo decretum Eusebio. Ad Minermum se conferre, dum duo obtineat. 47. 55. 9. 35. 33. 1070. 73. 1030. 48. 61. ut servet & ne 69. 27. 45. 23. 80. 68. Contracta, 94. 27. 38. 71. 35. lactuarii cum Noe. 70. 1010. 55. 24. 89. 77. 80. 67. suis nimirum cavet operibus. De Tulli re plurimum remissurus est. Frater Regis Episcoporum sententiæ subscripsit, invitus satis, multum commoto ejus animo, literis quas ad ipsum dederat Princeps Margarita, significans se omnia sua vota ipsius commodis submittere. Romæ omnium Cardinalium hæc sententia est, sicuti puniri posse Regii sanguinis Principes, qui contra Regis interdictum matrimonium contrahant, ita contractum rite matrimonium ne à Generali quidem Concilio posse dirimi; tantum abesse ut à Nationali possit, aliud fore si extortum ipsi conjugium probetur. Neque enim sine libertate consensum, neque sine consensu esse matrimonum. Possitne autem ab ipso impetrari hæc confessio, & ad fulciendam confessionem testimonia, multum ambigo. De libero Comitatu sive Hispaniensi Burgundia non idem sentiunt Helvetii. Alii federa de ea Regione tuenda sine exceptione interpretantur; alii Galliæ causam, ut federum tempore priorem, ita præferendam sentiunt. Et hæc quidem in speciem pulchra dicuntur utrinque; reipsa pretio & factionibus agitur res. De XII. millibus quæ Rex ibi scribit duo audio ire ad servandam Vallem Telinam, in quam magnas vires Austriaci comparant. Reliquum vereor, ne interna mala ab externarum rerum cura avertant. Supra primum de quo scripseram millionem Americani proventus, alterum etiam sub fictis nominibus ad Gallos pertinentem, à Rege Hispaniæ confiscatum nuntiant mercatorum literæ, non levi momento ad fidem reficiendam, qua res belli maximè constant. Classis in mari Ligustico Hispanica apparet quidem, sed nihildum efficit, repulsa ab insulis quas attigerat: magna interim Præfecti Neapolitani Regni infamia, quod liberos tot homines ad eam implendam compulerit. Incusatus intra Præfecturæ suæ tempus, quinquagies mille homines, pecuniæ XIII milliones extra id Regnum aliò misisse. Navigia quæ ex illis locis mille pedites, equites quingentos, in agrum Mediolanensem portabant, partim à ventis partim à piratis malè sunt habita. Ita Provinciæ Narbonensis motus ad tempus resedit. Rhæti imprudentiæ ab Italis accusantur, quod captæ Vallis Telinæ, armorumque Galliæ suis viribus sustentatorum rei, existiment sibi cum Austriacis spem manere fidæ amicitiæ. At ipsi morem imitantur Potentiorum, bella certis finibus nominibusque determinantium. Sabaudus antequam Gallorum XV & aliquot equitum millia Alpes transiisse videat, tutum sibi negat in partes descendere. Rex Galliæ naves longas ad usum interni maris quindecim armare vellet quidem, sed hominum numerum ad id non invenit. Hæc sunt quæ nunc habebam, simul nunquam obliturus, Excellen-

cellentissime Domine, Deo valetudinem resque Subl. Tuæ animo addictissimo commendare. Lutetiæ, 14/24 Augusti, 1635.

Habemus à Thuano literas scriptas xiv hujus mensis novi Cal. Erat cum Cardinali Valetta Bingii, ubi laborabatur ut Rheno amni alimenta in Maguntiaci castellum inferrentur. Erat tunc cum Galassio Rex ipse Hungariæ. Qui huc ab Anglia Legatus venit jam Caleti est. Video me errasse nuper cùm Ducissam de Croy nominavi. Ostenderat illa mihi literas Subl. Tuæ pro se ad Ryngravium, sed aliam esse cujus negotia mihi Subl. Tua commendaverat, nunc ex ipsius hominibus intelligo, quos Heppii mendacia hactenus à me averterant. Efficiam ne mea opera ulla in parte ipsi desideretur.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine.

469 SCripsi ante octo dies. Ex eo Rex hinc abiit versùs Castellum Thidrici, ut animos addat Nobilitati variis è Regionibus eò convocatæ ad reprimendum Ducem Carolum qui magnis suorum studiis fretus oppida aliquot minùs minuta recuperavit imparibus Lafortii copiis; cui malo remedium Rex adfert. Maguntiacum iterum tenent nostri, Wormatiæ se muniente Galassio, quo & ipse venisse Rex Hungariæ scribitur. Itaque resurgit ibi bellum. Cum Polonis inducias exspectamus adhuc. Certè in hoc tempus prorogatæ sunt, nec desinunt pro nobis laborare & Galli & Batavi ut illo onere expediti tanto validiùs rebus Germaniæ opitulemur. Quis vester nunc status sit cum Tirolensibus scire avemus, & quæ sint de Italiæ rebus prudentium judicia. Ego si quid boni intellexero illis ex partibus in quibus nunc est Magnus Cancellarius aut aliunde non patiar te ignarum. Literæ omnes tuæ rectè curatæ sunt. Vale Vir Nobilissime. Dabam Lutetiæ 14/24 Augusti 1635.

Tua Nob. addictiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

470 ET magna quæ inter nos sunt intervalla, non patiuntur recentes commeare literas; & tot periculis infesta sunt itinera, mari & à ventis & prædonibus terra per Belgicam Germaniamque incerta inter bellantes possessione, ut rerum prope omnium dubii, eoque solliciti vivamus. Ego, postquam Hamburgum abiit Sub. Tua, neque ab ipsa neque à quoquam è comitatu literas habui: scripsi verò non tantùm septenis diebus, sed & crebriùs, ubi se extra dies solitos aliqua dabat occasio, ut nunc proximè per Fritzium Benfeldi dispensatorem. Illud maximè doleo quod adeo rerum ignarus, frontem vix habeam ad eos accedendi quibus commendare debeo ea quæ mihi injuncta sunt negotia. Nihil enim aliud quàm interpellatorem agere res odiosa est: & tamen non desino obtundere. Sed Bulionius ad quem res maximè pertinet, quoties ad eum mitto, in dies aliquot me rejicit, interim rus se recipit satis longè ab urbe, quod & nunc fecit. Si vera sunt quæ Meti nuntiantur, spes erit ut posthac non certiora tantùm, sed & lætiora audiamus. Ajunt enim Feuquerium Rudelshemi potitum, unà cum Duce Bernhardo ire in occursum Landgravii, qui per Wetteraviam ad Hanoviam venerit xvi ut alii volunt xx ducens millia, in quibus sunt & cohortes à Luneburgico commodatæ, qui cum cætero copiarum Wolfenbutelum premat. Addunt Saxenhusii duas à Duce Bernhardo collocatas cohortes, quæ Regimenta vocant, alam unam: atque inde spem nobis faciunt Francofurti civitatem non staturam pactis cum Cæsare; nam quod de ponte abrupto, factisque hostilibus ipsos inter & Saxenhusium perscripserant nuper, id nunc rectiusne edocti an quod ita ex usu temporum arbitrentur, nolunt credi. Cardinalis Valetta inter Maguntiacum & Oppenhemum habere castra dicitur. Vt facilè emulæ semel spes procurrunt longiùs, jam Galassius Rhenum transire fertur, jam sequi eum Dux Lotharingius: agri prope omnis potiri nostros, alimentorum ex Wetteravia satis, quæ ne supra verum aucta sint metuo. Argentoratenses misisse quidem ad Regem dicuntur Hungariæ, sed conditionibus multum à pace Saxonica dissentientibus, eoque nec sperandis. xii Helvetiorum quæ Rex perscripserat millia jam apud Bresciam convenisse dicuntur. Laborari tum ab Helvetiis tum ab aliis in hoc videtur, ut liber Burgundiæ Comitatus eximatur bello. Quidam qui apud Principem est Arausionensem ad Fratrem Regiæ huic Domui inservientem literas scripsit de iis quæ in Belgico solo acta sunt, quibus Rex intellectis, interrogatoque de iis rebus minore Butillerio, cùm is longè respondisset alia, excanduisse fertur, sentiens multa se cælari. Castilionæus haud dubiè annitente Bressæo, revocatus est & ne in suam injuriam factum interpretetur Arausionensis, major ei quàm ante in Regis copias ibi agentes potestas data est. Princeps Condæus multa quæ aguntur apertiùs quàm antehac improbat, ex quo Frater Regius in matrimonii sui diremtionem subscripsit, eamque ob causam Montispellerii Episcopus, vir facundus admodum, Romam mittitur adjutor Cardinali Archiepiscopo Lugdunensi. Virulentus non ita dudum in Cardinalem Richeliacum liber, veritatis defensæ nomine, in Brabantia prodiit, ubi inter alia dicitur ille Romæ se jactare quod exiguis auxiliis hæreticos in conatus viribus majores impellit, deinde pecuniæ egenos locis munitissimis exuat. Est & alius liber non minùs legi vetitus à mercatorum hujus urbis sex collegiis scriptus, in quo post graves questus orant Regem ut tollat id quod de Regio sigillo appenso mercibus exigitur, item solidum in libram pretii mercis cujusque, & nova vectigalia invectorum in Regnum & evectorum minuat. Maximam verò labem commerciorum præsagiunt, si maneat novum onus omne genus mercibus, quoties intra ipsum Regnum huc illuc transportantur; indictum, qua de causa jam sexcentas familias ex Normannia in Angliam migrasse narrant, magnam ministerii partem ab Opificibus dimissam, planeque in eo rem esse, ut in alienas terras migrent commercia; Civitatis quoque Parisiensis propriæ libertates non tacentur: quæ omnia spargi in plebem periculosum judicarunt, qui rebus præsunt. Ex Hispania habemus sortem septem millionum in pensiones menstruas centies mille ducatorum, distribuendam à Genuensibus sumtam mercatoribus, quibus solutio facienda sit particulatim è reditibus Regni Neapolitani, Siciliæ, Sardiniæ. A Castellæ subditis supra annuos sex milliones, poscere Regem novem milliones in hunc annum, tantundem in proximè sequentem, & in tertium: assentisse Legatos non quidem in tantum temporis sed & in præsentem & quamdiu ea duraret necessitatem, hac lege ut ubi ea causa desiisset redeatur ad veterem modum, qualia plerumque addi, sed vix unquam servari solent. Paratam pecuniam pro viginti millibus militum qui sunt apud Barcinonem, præterea in menstruum stipendium Croatorum quingenta millia Ducatorum: distribuendi curam mandatam Antonio Meloni, qui pro Rege Hispaniæ ambit Italiæ Principes. Ex illis qui apud Barcinonem sunt 11 millia in Italiam transvehi parte earum navium quibus imperat Marchio de Villa Franca. Olivarium res agenti Anglicas multa polliceri pro Palatina Domo, dum res Hispanicas sectentur Angli. Legatus ejus gentis jam heic est, sed Rege nondum salutato latet. Venit oneratus querelis. Regis Hispaniæ iter in Italiam nunc in ver proximum differtur, differendum ut arbitror etiam diutius. Rex Galliæ adhuc est apud Monticellas (*Monceaux* vocant) ubi dum currum ipse, vespere diei Dominicæ pro-

Digitized by Google

proximè elapsæ moderatur, fulmine afflatus est, tacto in vultu graviter carrucario, qui in parte postica sedebat otiosus munus ipsius Rege occupante. Hoc quia & ad lævam & Regi innoxium cecidit, ut mos est omnia regnantibus in bonum omen vertere, fulgorem rerum gerendarum portendere creditur, utinam & ipsius Regis & communi Fœderatorum bono. Deum precor, Excellentissime Domine, Tuæ ut Subl. det successus egregios, ac mihi non esse inutili. 1/11 Aug. 1635.

Cùm apud Subl. Tuam sit Spiringius noster, confido eum mei memorem fore, tum de impendiis itineris quæ transmisi, tum ut in posterum constituatur, ubi recipere debeam trimestria ne sæpe ei molestus sim.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

MElior Germaniæ rebus spes affulget, quando Dux Bernhardus capto Rosselhemo cumque eo Feuquerius Landgravio justo cum exercitu per Wetteraviam ad Mœnum venienti it obviam, ut exemptis periculo Saxenhusio & Hanovia trans Rhenum amissa recuperent, dum Galassium Wormatiæ hærentem, Valetta ad Oppenhemum copias habens detinet; neque Lotharingus diu in sui nominis regione substiturus creditur prævalituro ipsi Gallorum exercitu, ubi excita undique Regis vocatu nobilitas eo advenerit. Rex interim diei itinere Campaniam versùs agens, quintus jam dies est, fulmine gravi, neque in eos qui proximè aderant innoxio intactus ipse, sicut Dei pro se curam agnoscit, ita belli quoque exitum splendidum sibi auguratur. XII quæ Rex conscripsit Helvetiorum millia jam in Brescia coëunt non leve auxilium, partim Vallis Telinæ, partim Germaniæ rebus. Mittit Rex Angliæ tum Viennam, tum in Hispaniam Domus Palatinæ causa. Qui verò ab Anglia huc jam venit utinam propiore nexu duo vicina ac potentia Regna colliget. Faxit Regum Rex, idemque Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Tuæ Majestatis valetudinem & imperium firmet. Lutetiæ, 1/11 Augusti, 1635.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

QVod neque ante elapsis diebus septem, neque his qui nunc finiuntur quicquam abs te acceperim, haud adeò miror, cùm considero quàm mari quàm terra intuta sint omnia: puto enim res illis in locis eo ferme in statu esse, ut nihil magnopere novi possit nuntiari: de Magno Cancellario sollicitum me habet, quod nihil de eo pridem intellexerim. Puto nos ipsis actibus expergefaciet. Iam enim Landgravium intelligo magno cum exercitu, (alii sedecim, alli viginti ei tribuunt millia) per Wetteraviam ad Mœni venire partes eique in occursum ire Ducem Bernhardum & Feuquerium, capto Rudelshemo: nimirum ut Hanoviæ & Saxenhusio laborantibus consulant, videantque an Francofurtenses ad pœnitentiam induci possint nondum impletæ pactionis. Saxenhusium præmissas audio à Duce Bernhardo duas cohortes, quæ Regimenta vocant: Equitum alam unam. Inter Maguntiacum & Oppenhemium est Cardinalis Valetta cum suis copiis. Wormatiæ Galassius, nisi jam, quod quidam augurabantur, Rhenum transiit. Dux Lotharingus an eodem iturus sit ad famam adventantis in se Gallicæ Nobilitatis, dubitatur. Legatus Angliæ est hic, sed inconspicuus Rege nondum salutato. Sunt alii missi Viennam & in Hispaniam, ut expostulent ob exclusam à pace Domum Palatinam. Spem nobis Angli faciunt hoc sibi negotium cordi fore. Quod utinam rebus potiùs, quàm verbis; contemti toties, ostendant. Rex adhuc apud Monticellos est, diei hinc itinere, lætus novo argumento Dei pro se curæ, cùm fulmen his diebus curru ejus tacto, & qui circum erant vulneratis; ipsum ne attigerit quidem. Duodecim millia Helvetiorum quæ Rex conscribi jusserat; jam in Brescia sunt; partim Vallis Telinæ, partim Germaniæ res firmatura. Hæc erant quæ nunc habebam. Deus te, Illustrissime Domine, cum tuis sospitem & florentem servet. Lutetiæ, 1/11 Augusti, 1635.

Tua Illustriss. Dom. observantissimus H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Illustrissime Domine.

INducias an bellum cum Polono habituri simus, in incerto res erat, cùm postremas inde acciperem literas. 473
Certè bellum à nostris in utrumque paratis strenuè ostentatur. Venit in prussiam Magister militum Lagardius, cum sedecim millibus peditum, equitum sex. Dantiscanum portum claudunt naves viginti bellicæ. Ipsamque Dantiscanorum Prætoriam obsessam tenent: quia per vetera Induciarum pacta mari illis armatos esse non licet. Rex Poloniæ apud Montem Regium habere scribitur militum tria admodum millia, in quibus sunt tercenti draconarii. Gallica nobilitas ex Banni & Retrobanni lege in Campania excita, magnam spem facit pellendi Lotharingi. Quid trans Rhenum acturi sint Landgravius, Dux Bernhardus & Feuquerius avidè exspectamus: & hæc quidem docebunt nos alii. Vobis autem quo progressurus sit Crequiacus, & scire facilè, & nobis, ut spero, significare non erit grave. Magnus Cancellarius apud se habebat Saxonis Legatos, interim non omittens curam exercitus & armorum. Vale Vir nobilissime. 4 Septembris Novi Calendarii 1635.

Tua Nob. addictissimus. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

NIhil magis in hac legatione expetiveram, quàm ut fidem meam ac diligentiam Regno Suedico tuæque imprimis Sublimitati approbarem. Neque officio defuisse me puto, neque defuturus sum porro, sed id implere non possum nisi ea norim, quæ Legatos scire æquum est. Ex Suedia nihil unquam ad me pervenit. Quod à Sublimitate Tua postquam Hamburgo abiit nihil accepi literarum, id gravibus ejus curis imputo. Sed nec à Schmalchio ab eo tempore habui ullas: jam ab aliquo tempore nec à D. Camerario, nec à Grubbio. Si inimicorum meorum tanta creditur potentia, quantam ego non credo nec alii qui res patriæ nostræ norunt, ut propterea Legatus hic esse debeam nomine inani, sine notitia, sine actu, non is ego sum, qui iis qui me honestarunt cupiam & oneri esse & simul dedecori. Quare iterum obnixè rogo & supplico ut mihi indemni ad mea reverti liceat: satis magnam quoquò venero, allaturus commendationem, quod Sublimitati Tuæ non displicuerim. Præter ea quæ de Mouterio pictore deque Hottomanni chartis nuper scripseram, si placet Sublimitati Tuæ jubere ut & Comiti Brulono & ejus adjutori pro mea admissione honorarium pro more detur (quando suam nuper hic liberalitatem in illud imputari noluit) putem id honestum fore neque rectè posse differri. Ex partibus ad Rhenum multa nuntiari video valdè discrepantia. A Monchelio nullas unquam habui literas: Gemmingius ubi nunc sit nescio. Quod è multis tutissimum mihi videtur, sequar Thuani nostri qui apud Cardinalem Valettam est literas 23 scriptas Aug. novi Calendarii Binga non longè sed propius Maguntiacum ubi tunc castra erant. Constituerat Valetta conjungere se cum Landgravio, qui tum

Gissæ erat secum habens cohortes, quas Regimenta vocant, quindecim. Sed multum Gallos perculerat inexspectatus nuntius Saxenhusii à nostris pactione facta derelicti; simulque amissa spe omni de Francofurto. Fames & in Gallico & in Galassi exercitu fuit satis magna, sed levata non nihil fluminis propinquitate. Nam ante qui Gallis Meti advectabantur commeatus novem dierum itinere, sæpe ab iis qui præsidio erant Circæ & Landstuli, intercipiebantur. Galassii magis equis alimenta deerant, petenda sex Leucis. Croati ejus laudantur frustra à Gallis impetiti, ultro etiam ditati capta Valettæ supellectile. Falsus est rumor, qui Regem Hungariæ Wormatiam venisse nuntiaverat. Erat enim etiam eo tempore Heilbrunnæ. Valettæ cum Duce Bernhardo non male conveniebat: apud illum potestas, apud hunc auctoritas erat. Literæ inde huc difficulter commeabant, nec nisi ubi nondum se obtulerat comitatus aliquis magno cum præsidio proficiscens. In Lotharingia vicinisque partibus multum auctæ Ducis Caroli vires, nimio Gallorum neglectu. Oppida quæ tenet haud nimium sunt munita, sed agro fermè omni potitur ac proinde & victu facili: crescitque indies ingenti nobilitatis Lotharingæ concursu. Spretis Regis edictis confiscationem bonorum minantibus. Nanciaci valde trepidatur, planeque res cito magnoque auxilio eget. Rex adhuc Monticellis est, ubi admissus ad eum fuit Britanniæ Legatus, qui heri solenniter urbem iniit, quo tempore pugna de loco exorta inter Venetos & meos, Marescallus qui aderat Franciæ meam carrucam in ipso primo agmine ante Regis carrucam collocavit, ut certamen dirimeret. Præter illam Liburnicam navem de qua scripseram nuper, alias etiam à Gallis malè tractatas queruntur Angli, etiam celoces quæ literas ex Anglia in Flandriam ferunt, haberi hostiliter: neque videntur sine talione transmissuri injuriam. Iam & hæc discimus tristia, arcem Heidelbergæ & Manhemum periisse nobis. Addunt rumores in Trevirensi agro oppida non magna Tirbachum & Feldenum cessisse Hispanis: eos qui ad Wormatiam sunt Cæsarianos circa xxv esse millia. Multa alia perscribuntur, sed fulta incertis auctoribus, & quæ proinde metuo transscribere, videns in tam difficili literarum commeatu, variisque etiam in Aula rumoribus, deceptos alios & me quoque: nisi quod de rebus Italicis compertum est, gestas quidem ibi res non magnas, sed tamen commissum esse bellum, capta à Crequiaco trans Padum Villatta, infessisque vicis nonnullis, unde Valentiam Insubrium iter est. Etiam congressis equitibus, tres Hispanorum turmæ à Crequiaci & quod additur Sabaudi milite concisæ, fugatis cæteris ad turmas xx. Rapta vexilla Crequiacus ad Sabaudi uxorem misit. Ex Belgicis partibus mors Marchionis Aytonæ affirmatur; solatium Batavis contra Scenquiani castelli gravem & vix medicabilem jacturam, navesque piscatorum cxxx à prædonibus Dunquercanis mersæ, quod haud dubiè magnos excitabit questus & nimium pacis desiderium. Heic Cardinalis Riceliacus à Rege huic urbi Insulæque Francicæ, Campaniæ insuper & Picardiæ Præfectus, multum id agit, omnibus ut persuadeat nolle se pacem, nisi sociis communem. A Roma Viennaque perscribitur paratos Gallos Duci Carolo culpam deprecanti omnem reddere Lotharingiam, dempto Vico & Mojenvico. Sanctichaumontius abiens me, quod moris erat, non vidit, neque ego de mandatis ejus inquisivi. Apparet hos homines Tuæ Subl. opera egere, quando non tantùm id quod diu debent, sed & additamentum pollicentur, non mihi sed Heufdio, & voce non scriptura ulla. Heufdio nescio quando, sed quod non dubito satisfacient. De cætero manus mihi oculatæ sunt: credunt quod vident. Puto speculaturos quid factura sit Subl. Tua, & pro rerum modo aliquantum erogaturos. Duci Rohanio timeri video, ex xii Helvetiorum millibus tria ad eum mittuntur, tenue auxilium adversùs grandescentes ibi hostium copias. Anglorum classis quæ in portus se retulerat, parandis rebus necessariis, nunc prodit iterum. Colmaria nonnihil alimenti nacta, jam rursum intelligitur premi ab hoste, qui & à duabus leucis Argentorato incommodat. In mari Ligustico magni sunt Galliæ & Hispaniæ paratus: verùm hactenus agitur nihil. Hæc sunt quæ heic nunc habebantur. Ex vestris partibus læta ut proveniant, Deum precamur & ut, Excellentissime Domine, Subl. Tuæ valetudo adsit & res prosperæ. Lutetiæ, 7 Sept. novi Cal. 1635.

Ex duobus Pontificis Nuntiis dicitur Extraordinarius Bruxellam ire pacis causa, manente hic ordinario Masarino.

EIDEM.

Ego quidem non tantùm septenis diebus scripsi, sed & sæpius. Literas autem Subl. Tuæ aut alicujus ex ejus comitatu expectavi impatienter. Non aviditate ulla sciendi res novas, sed quo meliùs Legationi, ac per id Regno sua dignitas constaret. Magno cum gaudio accepi binas hodie, alteras 23, alteras 31 Iulii vet. Cal. datas: cum prioribus etiam scedas quarum meminerant: cum posterioribus nullas quanquam & illæ scedarum faciebant mentionem, ad notam E usque. Id errore illic admisso an per iter infortunio acciderit haud dixerim. Cæterum illud rogo Subl. Tua pro certo habeat, quò plura eorum quæ sciri poterunt sciturus sum, eò me plura, quæ heic & alibi agentur, resciturum. Dignitatis quanta habenda sit ratio vel Venetus satis nos docet, vel Anglus, qui ex quo huc venit res tres magnas confecit. Regem pro quo Cardinalis se à Legatis salutari voluerat, ipsum convenit: allocutus est eum Anglico sermone adstante interprete: Cardinali Riceliaco excusavit se, quod eum visurus non esset, vetitus adire eum qui domi suæ Legatis Regum præferri se postularet. Ita purgarunt se Angli suspicione, qua heic apud Protestantes laborabant, quasi ad Pontificem referrent gradum. Hæc non eò dico quod omnia eorum facta imitanda nobis putem, sed ne ea admittantur, quæ nos in contemptum adducant; quo nihil esse puto rebus Regum Regnorumque nocentius. Scripsi nuper neque monitum me publicè de itu ad vos Sanctichaumontii, neque eum ad me venisse quod moris erat, neque me ad ipsum quod quidam à me iniquè postulabant. Homo est, quantum intelligo asper, & Protestantibus horum locorum invisus. An Germanicis futurus gratior, res docebit. A Cardinali Riceliaco, quandoquidem Rex qui nunc demum in Campaniam iter fecit, ita præcepit, audiri postulavi simulatque Subl. Tuæ literas acceperam. Quod mihi tempus condicturus sit nondum scio. Certè antequam hæ literæ abeant, id fieri res non patitur. A fidis amicis scriptæ circa finem Augusti nov. Cal. ad Rhenum literæ nuntiant tandem Rhenum transiisse Gallos milites, invitos prope omnes, ducibus cogentibus, nisi quod Prætoria cohors cæteris meliùs fuit animata, tantus est famis metus. Est tamen ad hominum alimenta spes aliqua, partim è Gallia magnis cum præsidiis, partim amne Mosella, si Circa & Trevirorum oppidum, quod speratur, recipi possint: pabuli verò equis sustentandis vix ulla. Inter Landgravium & Ducem Bernhardum priusquam inter se occurrerent, certamen aliquod de prælatione in honoribus oriturum videbatur, cui præveniendo de suis tribunis unum Landgravius Hockemum ubi castra erant Gallica & Bernhardi, præmiserat. Galassius ubi jungendi duos excercitus nostrorum consilium ei innotuit, transiit Rhenum & ipse, cum xviii peditum xii equitum millibus, Francofurtum versùs iter instituens visurusque num medium se coituris possit interponere. Gallorum & Ducis Bernhardi exercitus, eo tempore in peditatu viii millia, x in equitatu habebat, crescebatque novis accedentibus copiis, si cum Langravio conjungere se posset, facturus ad xxxv ut ajunt millia. Manheimum quod nobis falsi nuntii eripue-

puerant, clausum: etiamnunc tenetur, ut & Hanovia. Manhemum tria millia custodiunt, quorum majus est pretium quàm loci ipsius. Rex Hungariæ adhuc ex Heilbrunna civitates pactis venabatur. Dux Lotharingus sparsis huc illuc copiis ad quas & nobilitas & plebs magno studio accurrit, ipse circa Ramburvillerium se tenet, adversùs quem Rex nobilitatem suam mittit, magnaque esset illis quoque in locis belli & gravis & diuturni exspectatio, nisi pulsis agrestibus, etiam futuri anni messis desperaretur. In Italia post captam Villattam quæ à Montisferratensi ditione modico amne dirimebatur, transiit Padum Crequiacus, sub se habens ut fama est XII peditum, duo equitum millia, quibus Parmensis addit septem peditum millia, equites mille, Mantuanus quatuor peditum millia, quingentos equites: accedet aliquid à Mutinensi. Sabaudus quoque aliquas contribuit copias, quanquam ductum belli hujus sibi à Rege delatam recusavit. Veneti ut plusquam clam cœptis faveant, laboratur adhuc. Classis Hispanica his rebus intellectis, missis conatibus aliis, militis nonnihil in Mediolanensem transposuit agrum, ubi nunc esse putantur XIV millia peditum, equitum duo. Inter hos bellorum rumores non silent de pace fabulæ. Cardinales tres, Spada, Sacchetta, Aldobrandinus, ad tria mittuntur Christianæ rei Capita, Imperatorem, Regem Hispaniæ, Regem Galliæ, pacis conciliatores. Bavaro interim breves inducias inter eos, si qua potest, cudente. Marescallus Castilionæus ut huc venit, statim ivit ad Cardinalem. Brezæus illis in locis manet, speciem amicitiæ apud Arausionensem Principem retinens. At Marchio Tavanius qui Arausionensis permissu à castris abscessit, Arausionensi adito, sine Bressæi permissu quicum malè illi conveniebat, in Bastiliam datus est. Fuit apud me his diebus nobilis Florentinus, satis gnarus rerum civilium & militarium qui mihi dixit, nam è Brabantia veniebat, certò se ex Hispanis & Belgis intellexisse, si quo tempore junxerunt se Gallicus & Batavicus exercitus, Galli in Picardiæ proxima incubuissent, nihil ipsis obstare potuisse præter Cameracum: adeo nuda erant omnia, distractis huc illuc, incerto quo hostis incubiturus esset viribus, animisque periculo consternatis. Nemo Belgicarum rerum gnarus, illum prospicere potuit quem videmus exitum. Ita Deus nos pilas habet. Philippus Renardus Solmensis mortuus est. De bolo quem ei Gallia objecerat multum adhuc ei debetur, qua de re scripsit ad me mortui uxor. De pace urget quantum audio, & valde urget pacta Iosephi Ratisbonensia. Cardinalis quantum audio manet in proposito, neque de Pignerolo, neque de Fratris Regii divortio, cujus causa Episcopus Montispelleri Romam iturit, quicquam concedere. Nihil nunc quidem habeo amplius, Excellentissime Domine, nisi ut Sublim. Tuæ res & valetudinem summo Rectori commendem. Lutetiæ, $\frac{4}{14}$ Septembris, 1635.

Hæc postquam scripseram Bulionium vidi. Post multas excusationes, & exaggerata Regis onera qui nomine ducenta, centum & quinquaginta non minus reipsa quàm millia militum alat, de ducentis florenorum millibus Heusdio se satisfacturum dixit. Tamen perscriptum ei ne de hac quidem summa quicquam dedit. De reliquis millibus trecentis nihil ajebat in præsens, posse fieri. Spem tamen faciebat si Heusdius novum aliquod vectigal reperiret, inde solvi posse. Talia autem hoc tempore manentibus per Aquitaniam seditionibus, repertu sunt difficilia. Vt reperta sint, antequam Regi & Consilio probentur, antequam Parlamenti accedat auctoritas annus abibit: & res erit incerta. Quare cùm Heusdius mihi trimestre solvere recuset, rogo Spiringius & illud, & quæ misi itinerum impendia ut recipiam efficiat, & in posterum certi constituat aliquid, ut par esse possim sustinendis sumptibus quos dignitas requirit. Ego enim quoscunque de meo potui nummos jam commovi.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVomodo gratiora esse solent quæ exspectantur, ita mihi heri se, earum avidissimo, obtulere literæ tuæ 476
datæ $\frac{7}{17}$ Augusti. Scio curandi vias esse non faciles, ac propterea non miror siquid non venerit, siquid autem venerit, lucro appono. Sanè, ut ais, tarde hic omnia procedunt, majorque est sumtus, majus periculum, postquam tot tam pulchræ occasiones effluxere. Tamen gratias Gallis agamus, qui tandem evigilant. Valettæ & Bernhardi, illius Cardinalis, hujus Ducis, exercitus Rhenum transiere, & fine Augusti Hochemi erant. Nosti, ut puto, locum Francofurtum inter & Rhenum. Miserat eò è tribunis unum suis Landgravius, qui hoc tempore admirandum constantiæ præbet exemplum. Gallicus & Bernhardi exercitus habere scribitur ad VIII peditum, X equitum millia. Si Landgravius, ut ibi putabatur, prope tantundem habeat, facilis collectu est ingens summa, cui non planè par Galassius (dicitur habere peditum XVIII, equitum XII millia,) Rhenum & ipse transiit, sperans intercedere se posse ne Landgravii exercitus cum Gallico coëat. Manet interim Heilbrunnæ Hungariæ Rex & civitates pactionibus captat, non malè procedente hactenus artificio. Ducis Lotharingi adhuc in Lotharingia vires præpollent; prælium ut puto est fugiturus, ut Gallicam nobilitatem fatiget, nec longæ militiæ suetam, nec diuturnis sumtibus parem. In Italia post captum tenue oppidum Villattam nihil actum didicimus: sed copiæ dicuntur esse satis magnæ, Gallorum XII peditum, II equitum millia, dimidium ejus à Parmensi, paulo minus à Mantuano. De Allobroge quid dicam? infideli, ut Horatius olim scripsit novis rebus? fedus signavit, ductum belli à Rege Galliæ delatum sibi, ut invidiosum apud Italiæ Principes, recusavit: copiarum submittit haud ita multum. Vno verbo, sedet duabus sellis. Classis Hispanica in illo mari, neque de insulis Stœchadibus, neque de Provinciali ora cogitans amplius, quot potuit milites tranposuit in proxima Mediolano, quo in agro Hispani nunc habere putantur XIV peditum, duo equitum millia satis ad bellum, nisi graves ibi per autumnum pluviæ dirimant infestos. Captus hic est & in Bastiliam datus Marchio Tavanius, quod permissu quidem Arausionensis Principis, sed impermissu Bressæi, huc venisset. Nobilis Ethruscus rerum valde peritus, his diebus me adiit è Brabantia recens. Ajebat & Hispanorum & Belgarum relatu cognosse se, si cùm conjuncti sunt exercitus, potiùs in Atrebates iisque vicina incubuissent Galli, nullius oppidi tutandi spem fuisse, præterquam Cameraci. Video querelarum & accusationum mutuarum plena omnia. Ego & in hac re & in veteribus historiis observo, quàm sæpe in irritum cadant splendidi quamvis conatus, divina potentia eos difflante, quæ vim suam amat in rebus modicis ostendere. Tum verò licentia militaris tanta fuit, ut non Dei tantùm, sed & hominum æquitatis non oblitorum animos posset avertere. Video mihi videre nunc triumphantes qui cum dissidentibus circa sacra societatem omnem, nimium fortè indiscretè, improbare solent. Nemo erit qui non se vatem putet. Sed multis sophisma imponit τὸ μὴ αἴτιον, ὡς αἴτιον [*non causa ut causa*]. Ad hæc minimè necessaria me protraxit tecum velut præsente, colloquendi voluptas. Spero te à castris jam reversum feliciter, ubi quid sit, quod qui inde adveniunt, huc nuntiant, de immunito loco ab hoste cis Rhenum supra ejus amnis divortium, discere aveo. Spero malum à Dunquercanis in piscatu acceptum, non tantum esse, quantum his in locis dicitur. Rogo credas neminem esse qui tibi, Nobilissimo filio, tuisque omnibus

bus feliciora exoptet quàm ego, illud insuper unicè exoptans, aliquid præstare ut possim, vobis non ingratum. Lutetiæ, 1/11 Septembris 1635.

Ill. Dom. Tuæ omni cultu & observantia addictiss. H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

477 Vix quicquam habeo, quod uberrimis tuis literis, quas à Principe Arausionensi domum reversus ad me dedisti, reponam, præter, quam debeo, gratiarum actionem. Sicut enim à vestris partibus incerta admodum est literas curandi ratio, ita & à Lotharingia Rhenoque ita infesta sunt hostium cursibus itinera, ut Argentorato nihil, Meti ut ab hominibus longè à rerum actu positis præter inanes rumusculos vix quicquam accipiamus. Itaque junxerintne jam arma Landgravius & Valetta nescimus. Illud credi video Francofurtum multa commoda, transitum quoque adferre Galassio. Itaque ab ea parte prospera speramus magis, quàm scimus. At ex Aula, quæ nunc est Catalauni in Campania, scribitur huc. Regem cohortes (Regimenta vocant) ex diversis Galliæ partibus (nam Helvetii nondum advenere) paratas habere xx, ad depellendum Lotharingiæ Ducem Carolum, cujus milites, pedites ter mille, equites quingenti, in Monasterio quodam, ad Sancti Michaelis, obsessi à Gallis spem evadendi vix habent, nisi, quod maximè cupiant Galli, prælium audeat Lotharingus. Rohanius commeatuum eget: spero Venetos ei malo succursuros. Post Villattam nihil actum Crequiaco & sociis: tamen de obsidenda Valentia fama est. Et solet in illis partibus omnis anni tempestas bello esse idonea. De Hispani Regis in Italiam adventu nihil credunt Itali: sed à Rectore Neapolitani Regni hoc obtentu pecunias quæri, non satis procedente astu apud suetas talium aures. Classis Hispanica se nunc non movet. Legatus Angliæ partim, ut mos est gentis, magnificè domum instruens, partim matronas Principes ante videre cupiens, nondum nostris salutationibus vacat. Quantum intelligo, cordi esse incipit Domus nimis diu neglectæ negotium. Et quod de Lotharingia Palatinatuque mones, magnam habet æquitatem. Cardinalis, quem his diebus ex mandato conveni, ait, etiamsi deficiant cæteri, Regem in armis perstiturum. A nostris pacem cum Polono temporariam tam caro redemtam non in aliud arbitror, quàm ut & ipsi validè adsint Germaniæ rebus. Duobus his Regnis duabus ex partibus bellum gerere perseverantibus, credibile est, non omnem Germaniam sui immemorem fore, sed aliquos Principes Landgravii, aliquas civitates Argentorati virtutem imitaturos. Et fieri potest, ut, qui à fœdere abscesserunt, eos brevi sui consilii pœniteat, ubi visuri sunt, se Charybdis fuga in Scyllam incidisse. Dolens intelligo, novum dissidium Batavis exortum cum Anglis, quod ex Anglico portu Batavi Dunquercanam navem abduxerint. Sed id tale non est, ut sanari nequeat. Vidi Magni Cancellarii ad Saxonem monita, quibus nihil dici potest prudentius. Et valdè miror, pro tot benefactis, pro consiliis tam fidis, indignam adeo referri gratiam. Vellent qui hic sunt jam rem inter ipsos ad arma devenisse. Sed in talibus rebus est non leve in mora pretium, vel ad amoliendam invidiam. Damnum illud, quod piscatoribus accidit, metuo ne magnos questus & pacis desiderium suscitet. Gallorum & Dorpii naves nihil planè egerunt, nisi quod Dunquercanorum metu ad tempus levarunt omnem hanc oram maritimam. Galli in Americam aliquid moliri se velle dicunt, meliùs fortè facturi, si societatem Batavorum bonis legibus & tempore jam confirmatam pecunia aliqua ad res magnas excitarent. Electorem Carolum in majorum laudes succrescere, multum gaudeo. Certè tantæ Domus, tot Regnis illigatæ, tam longa calamitas, nunc quidem Principibus omnibus opprobrio est, & in posterum esse debet formidini. Pro transmissis chartis multum debeo. Ex Italia recentes literæ rumores habent de Hispaniæ Regis illuc adventu mense Octobri, sed ne ibi quidem satis creditos. Valentiam obsidendi spem video labascere. Ita illi oppido à milite rebusque aliis provisum est. Bromsæus hic nondum comparet. Est inter domesticos meos quidam consanguinitate illi junctus. Ita non latebit me ubi venerit, statimque accipiet & ad se missas & alteras ad Legatum Batavicum literas. Me noli credere quenquam tibi esse amiciorem, aut qui tibi tuisque magis ex animo omnia optet prospera. Lutetiæ, 1/11 Septemb. 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ perpetuo cultu observantissimus H. G.

GRVBBIO.

Nobilissime Domine.

Tristia sanè sunt, quæ literæ tuæ 4 Augusti vet. Cal. datæ nuntiant, sed tamen qualiacumque sunt, sciri oportet. Iners malorum remedium ignorantia est. De Saxone mirarer, nisi illam aulam pridem fama cognossem. Valde res ignorat, si putat se solum cum aliquot sectatoribus tutiorem fore ab Austriacis, quàm tota Regna Suedeorum & Francorum. Hic res aguntur non quanta vellem cura, attamen nec frigidè. Rex cohortes, quæ nunc regimenta dicimus excivit xx multis è Galliæ partibus, ut Ducem Carolum à populo nimium ipsi studente dimoveat, Helvetiorum exspectans auxilia. Ter mille pedites, equites quingenti è Lotharingicis ad Sancti Michaëlis tenentur Gallorum indagine. Hi aut in casses incident aut Lotharingum implicabunt prælio, quod genus bellandi maximè pro se esse arbitrantur. De Landgravii rebus & utrum se cum Valetta jam junxerit, an impediat hoc Galassius, urbe, ut vult, Francofurto utens, sanè nescimus. Ita omnia itinera partim hostium, partim aliorum insidiis infesta sunt. In Italia frigent res post Villattam captam, exiguum oppidum. Pontifex intercedit bello cujus interest Italiam quietam esse. Tamen Valentiam à Gallis sociisque obsessam, qui optant, credunt. Classis Hispanica quiescit adhuc. Inducias cum Polono non sine nostro damno factas intelligo. Sed ea nostris occasio erit res Germanicas in melius, etiam invitis Germanis, promovendi. Lunemburgici Conventus constituta, ubi finem deliberatio acceperit, tibique commodum erit, exspectabimus. Vereor ne nova intercedant certamina Hollandis cum Anglis, è quorum illi portu navem abduxere hostilem. Velim scire quid de ea re A. D. Feuglero aliisque Hamburgensibus, amicis meis videatur. Puto illos quoque in eorum esse numero, qui commerciorum causa, neque nos neque Gallos neque alios volunt offendere. Ego non illis tantùm, sed omnibus pacem opto veram honestam & tutam. *Pax una triumphis innumeris potior.* Vale, Vir Nobilissime, & cave dubites amicitiam à me tuam fieri plurimi, quod utinam rebus possem potiùs quàm verbis ostendere. Lutetiæ, 1/11 Septemb. 1635. 478

Tuæ Nob. observantissimus H. G.

D. SMALCHIO.

Nobilissime Domine,

Binæ mihi simul abs te heri redditæ sunt, alteræ 26 Iulii, alteræ 10 Augusti scriptæ, pro quibus perpetuaque in me benevolentia gratias habeo, quàm possum maximas. Non repeto quæ nunc ad Magnum Cancellarium scribo, quæque tibi scio patere: nec quæ ante hos dies septem ad te scripsi, ne inutiliter decidam tempora occupationibus tuis. Ego ex quo abiistis, non omisi septimis diebus, sæpe & mediis scribere, & modo mari, modo terra mittere, ut occasio dederat, sed ubique pericula sunt: terra si fortè detegantur ab hostibus literæ, quamquam diligenter sub mercatorum involucris occultatæ: mari à piratis, & quia certa curandi literas ratio nulla constituta est. Landgravius Hassiæ, qui jam non procul Francofurto abesse nuntiatur, quid acturus sit, avidi 479

omnes

Digitized by Google

omnes exspectamus. Dolet quod non ante mutatam validæ civitatis fidem advenerit. Sed etiam sic est quod agat. Bannerii gaudeo tam insignem esse exercitum, cui cùm adeo de proximo jubar Magni Cancellarii affulgeat, id ad præclarissimas actiones incitamentum fore non dubitamus. Gallica pecunia, quanquam exiguæ reliquiæ de magnis promissis, negotium est difficile extricatu. Tamen cùm videant opus sibi esse nostrorum sociis viribus, pollicentur. Sed verba sunt, non sine re tantùm, sed & sine ulla scriptura, ex qua urgeri possent. Itaque ut super rebus Gallicis faciendum est, nihil affirmo. Credo idem & Principem Margaritam sentire, pro cujus matrimonio vidi Italicum libellum Romæ scriptum satis accuratè. Certè si ex Gratiani decreto & ejus interpretibus res definienda est, obruentur Parlamentarii & Episcopi Galliæ magno consensu eorum qui hactenus de id genus quæstionibus per Italiam, Hispaniam, Belgicam, Germaniam & alibi sub Pontificis ditione scripsere. Neque possunt obtinere quod volunt Galli, nisi Canonistarum conspirationi jus Regium & patriæ mores fortiter opponant, quod ipsum est ex parte fortissima transitio in Protestantium castra; sed hujus rei satis implicatæ quis sit futurus exitus, dies docebit. Legi quæ Magnus Cancellarius literis & per Legatos Saxoni Electori significavit. Nihil potuit dici aut gravius aut constantius, aut in publicum utilius. Sed quid ista apud obductos callo animos? Superest igitur, ut ad Gallicum exemplum nostra & ipsi curemus. De Vespasiano, propositum quod scribis, valde displicet. Nonne in Claudium satis liberales fuimus. Sed lactucis facile est de alieno corio ludere. Pertinax, ut video vim sui nominis obtinet. Tamen tam indigna non exspectaveram,

Ἀνδρὸς θανόντος ὡς τάχ᾽ ὄλλυται χάρις

[*Quàm celeriter vita carentis interit gratia*]!

Posterioribus Magni Cancellarii literis abfuisse acta quorum meminerant, jam ante significavi. Tuis quæ nondum tunc parata, missurum te scribis, eorum rogo memor ut sis, ut tanto norim meliùs, quam ad normam mihi dirigendi sint sermones. De cæso Galassio, nihil dum habemus,

Tarpejo nuper quæ sedit culmine cornix
Est bene non potuit dicere, dixit, erit.

Vale vir Nobilissime, nostri, tui non immemorum, memor. Lutetiæ, 20/30 Septemb. 1635.

Heppius Galliam orat annua, & aliquid puto impetrabit.

Tuæ Nob. observantissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

480 CVm intelligam, factas cum Polonia inducias, ea res ut Sacratissimæ Majestati tuæ totique Suediæ bene vertat Deum precor, speroque futurum ut eo bello liberata gens fortissima, liberiùs vacet sustentandis amicorum rebus. Quæ si unquam nunc certè & consilii & auxilii indigent. Nec deest sua ex parte Rex Galliæ, ipse profectus ad partes Lotharingiæ proximas, ut egregio quem ex Galliis undique, & Helvetiis contrahit exercitu, Ducem Carolum illis locis expellat, dum sub Cardinali Valetta aliæ copiæ de Transrhenana possessione cum Galassio certant, & in Italia junctis Galliæ, Sabaudi, Parmensis, Mantuani viribus, irruptio in agrum Mediolanensem & Valentiæ obsidium speratur. Nec quicquam adversùs Galliam movere audet classis Hispanica. Argentoratum aliis civitatibus constantiæ dat exemplum, aliis fidem mutatam exprobrat. Par virtutis specimen inter Principes Landgravius est, à quo magni aliquid ad Rhenum exspectamus. Dirigat hæc omnia Deus ad Christiani orbis bonum, idemque Serenissima ac Potentissima Regina, Domina mea Clementissima, Sacratissimæ Majestatis Tuæ valetudinem ac solium firmet. Lutetiæ, 20/30 Septemb. 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

QVoties ea recogito quæ literis Subl. Tuæ datis 23 & 481
31 Iulii Vet. Cal. continentur, quibusque ante septem hos dies quantum angustiæ temporum patiebantur respondi, vehementer doleo videns, rem communem Germaniæ à Germanis tam multis tamque eminentibus deseri; ad quod malum accedit & aliud, quod Gallia res sibi proximas & propriè suas curare contenta, quæ remotiora sunt brevi aditu transmittit. Cùm Rex abiens Cardinalem summa cum potestate reliquerit, ad quem desideria nostra perferremus, die Dominico ad eum solenniter admissus, detuli quæ mandata mihi erant, de Saxone, de Brandenburgico, de Lunemburgico Bernhardi Ducis Fratre Guilhelmo. Dicebat intellectum sibi Subl. Tuam cum Saxone pactiones moliri. Frustra fœdera fieri si non serventur. Se persiturum in proposito & decipi quàm decipere malle. Respondi offerri quidem aliqua à Saxone Subl. Tuæ etiam privatim ad Suediam spectantia, sed Tuam Subl. illis sepositis per literas primùm prudentissimas ac gravissimas, deinde colloquio cum Legatis ipsius, postremò Legatione ad ipsum missa ostendisse injuriam Galliæ aliisque sociis fieri: esse præterea in pace quædam toti Germaniæ ipsique Saxoni periculosa; nec quicquam omisisse quo adduci possit Saxo ad remedia illis malis quærenda. Cæterum & illud injunctum mihi ut dicerem si desereretur etiam à Gallia Subl. Tua nemini mirum videri debere, si necessitate ad ea trudatur, quæ ab ipsius aliorumque Suediæ Rectorum animo longissimè absunt. Cùm diceret Cardinalis talia solere dici ab iis quibus constitutum esset privatim suis consulere rebus, dixi nihil aliud esse actum, rem esse integram: optandum quidem fuisse ut aliquanto priùs à Rege illuc Legatio mitteretur; sed nunc quoque posse Sanctichaumontio (is nunc etiam Caleti hæret, naves an aliud quid exspectans) ea mandata dari, quæ Subl. Tua per se ad optima quæque prompta confirmaret. Negotium quoque pecuniarium tot pollicitationibus tractum, quod nunc etiam in alia tempora & incertos casus à Bulionio rejiceretur, tempus esse absolvi. De Sanctichaumontio dixit rem bene se habituram, de pecunia nihil: sed cùm addidissem adversùs id quod objecerat nihil agere Bannerium, mirum videri non debere si quamdiu Saxo abstineret armis & spes aliqua ex colloquiis daretur nostri odium non quærerent publicum ex illata in eum vi priore: Cæterum Landgravium Tuæ Subl. & hortatu & auxilio res egregias moliri, dixit exspectandum quid acturus esset. Cùm interrogasset me crederemne Tuam Subl. teneri desiderio in patriam redeundi, dixi ejus animum ad omnia ferri honesta ac gloriosa: quare non dubitare me, quin id maximè in ejus sit votis rebus à se susceptis finem se dignum imponere. Gratias quoquè egi Regi ipsique pro cura rerum ad Rhenum, utque earum partium salutem cordi sibi esse vellet rogavi. In sermone & illud injecit audire se grande esse Principum illic in Subl. Tuam odium, respondi scire ipsum, externis quamvis sapientissimis ac modestissimis non posse id evitari. Inducias duodecennes affirmabat nostris fore, concessa Polonis Prussia, Rege Poloniæ jus quod in Sueciam obtenderet, non dimittente. Magna agitare Regem illum bono publico. Silesiam ab eo in tutelam Poloniæ recipi: nostris omnia pacata ab eo exspectanda. His benignè dissertatis repetitisque iterum pollicitationibus meis sicut in cubiculi ipsius limine receptus, ita in eodem limine dimissus à Cardinali sum excusante, quod non longiùs me prosequeretur, corporis infirmitatem. Observarunt nonnulli eum nescio

Digitized by Google

nescio quid sinistri metuentem ab aliquammulto tempore non iisse ad Regem: Regem, antequam hinc abiret ad ipsum nonnunquam. An conjuncti jam sunt Landgravii, & Valettæ exercitus incerti sumus, nullas enim literas nisi à Meti habemus, easque nihil magni nuntiantes. Tantùm intelligimus Galassium ponti Maguntiacensi incendium struxisse infeliciter; Francofurti urbe eum tanquam sua uti. Rex adhuc Catalauni est, nec ultra iturus videtur podagra dictus impediri. Sed sine ea satis justæ causæ sunt, cur objiciendus non sit Landgravii periculis, Ducis etiam nunc validioribus ibi rebus. Rex præter Helvetios recens conscriptos, qui nondum advenere & quorum pars ut ad Rohanium viginti cohortes quæ Regimenta vocant, partim veteres partim novas contra Lotharingum mittit: cujus milites ter mille quingenti obsessi à Gallis tenentur in Lagrangii Balivatu Sancti Michaelis dicto. Creditur Lotharingus eos potiùs derelicturus quam rem deducturus ad prælium, secundis utens popularium studiis, & è Comitatu Burgundiæ faciles habens commeatus. Chaunius in Picardia nihil agit: contra Croati impune quotidie ad conspectum Ambiani aliorumque Galliæ oppidorum cursitant, etiam vicorum incendiis, ut mos ipsis est, non abstinentes. In Italia post Villattam nihil de Valentia obsessa rumusculi tantùm: scribit ad me Marinus quod verum puto, Pontificem impedire ne in Italiam transeant arma, jamque ab eo inducias cudi. Hollandis nova cum Anglis exorta est controversia, inde quod Dunquercanam navem vi abduxere è portu Anglorum. Accessit me his diebus nobilis quidam Gallus, quo animo nescio; sed quasi hic Americanam navigationem validam meditarentur, rogavit me an ei usui ex Suecia naves emi possint. Dixi id nescire me. Cæterum auditum mihi, agitatum antehac de conjungendis cum Suecia Galliæ Germaniæque viribus ad res in eo Orbe gerendas. Si id consilium allubesceret allaturum me siquid possem. Inter rumusculos qui heic sparguntur mendacissimos sæpe est de Ruperti Palatini cum Regina nostra conjugio & de Gallico præsidio in Maguntiacum inducto à Duce Bernhardo remotis Suedis. Sabini quod volunt somniant. Venit ad me his diebus Insulanus, *de l'Isle* Gallicè, qui res Regis Argentorati agit: rogavi eum ut amicitiæ inter Galliæ & Sueciæ Regna his si unquam temporibus necessariæ curam haberet: neque ea quæ nostra sunt sive retenta semper ex quo bello capta sunt, sive postliminii factis firmati jure ad nostros redire debentia invadi paterentur, qua de re graves contra eum querelas ad me scripserat Ryngravius, quem nunc Francofurti in hostium potestate esse dolens intelligo. Promisit Insulanus sibi id cordi fore, & siquid controversi incideret, non passurum me ejus ignarum. Recriminabatur quosdam qui Ryngravii credulitate nimia abuterentur. Hæc quanquam non max ma referre officii mei esse duxi. Deus, Excellentissime Domine, Subl. Tuæ rebusque ejus adsit. Lutetiæ, $\frac{11}{31}$ Septemb. 1635.

Has signaturus video ex Italia literas quæ me docent Valentiæ esse cIↃIↃ pedites, equites cccc, alimenta & belli instrumenta quantum satis. Itaque ejus obsidione desperata Crequiacum novum castellum struere in confini Montisferratensis & Mediolanensis ditionis. Parmensis militem vi aliqua esse, sed id privatis ipsius cum Cardinali Trivultio certaminibus imputari. Regis Hispaniæ literas 24 & 26 Iulii datas spem adhuc adventus ejus in Italiam facere, jussa ad id mitti classe, Italis tamen haud satis credentibus. Poscitur eo obtentu à civitatibus Regni Neapolitani ut viginti millia peditum tria millia equitum per annum alant, in id & millia scutatorum in menstrua, in præsens cccc M. Scut. ad conscribendum militem III M. pro classe. Civitates rem ad conventum generalem rejiciunt, quem Vicerex metuit indicere. Ex Hispania literæ Legatos inde mitti ajunt Franciscum Melonem ad Imperatorem & Italiæ Principes. In Poloniam Comitem de Sera, qui excuset negatum Fratri matrimonium virginis hæredis Principatus Stilani, & disturbandum alterum Regis cum Palatina: In Germaniam Marchionis Celadæ ut cum Bavaro agat de rationibus retinendæ Angli amicitiæ novis pactionibus. Idem in Alsatia copiis imperaturus dicitur. Castellæ reguum ægrè reperit tributa quibus expediat promissos Regi milliones novem. Interim pro Flandria Germaniaque per mercatores pecuniæ parantur in tres menses septingena millia ducatorum; idque ajunt porro continuatum iri usque dum expleti sunt milliones septem, à Sicilia sperantur C.M. Scutatorum menstrua. Furmentum Barcinonem mittitur magno pretio conquisitum, ob sublata cum Gallis commercia.

Tuæ Sublim. devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

Dolet mihi, quod per eum hominem, qui huc cum 482
literis ad Cardinalem venit nihil ex comitatu Subl. Tuæ acceperim. Nam his in locis qui novi nihil adfert, vix est ut novi quicquam discat. Hispanica classis revixit, & Galeonibus decem, Galeris viginti descensum fecit in duas insulas, alteram Margaritæ, alteram Honorati, sive Lerinam. Eæ insulæ objacent extremo prope littori Provinciæ Narbonensis ad Pedemontanum finem. Nullum ibi munimentum præter turrim unam erat: dicuntur Hispani nunc ibi immunire se. De Valentiæ obsidio rumores sunt, sed rerum Italicarum gnaris non crediti: quanquam Parmensis satis magnificè causas addidit derelictæ Hispanicæ amicitiæ. Sabaudus ita adhuc agit ut credi nolit esse in partibus. Veneti spectant adhuc. Rex Barri nunc agit, Lotharingis qui ad S. Michaelis se immunierant imminens; deinde id agens, ut tuta Nanciacum itinera faciat, quæ nunc mirè per rusticorum latrocinia infesta sunt. Ducis ad Rembirvillerium castra aggredi Incolismensis intutum judicat: famem an ei facere possit, ne ipse quidem in bona copia, incertum. Non procul inde arcem obsidet Lafortius. Rex ipse tum veteris tum novi dilectus apud se habere creditur XII peditum, sex equitum millia. Sed & Duci Lotharingo auxilia valida advenere sub Amazone Pfalsburgica, Merodio, Metterwycko, Badensi, & aliis. Inter Rhenum & Francofurtum quid agatur incerti sumus. Nec minùs de Landgravio quem retro iisse nonnulli ajunt. Sed scribunt Galli ex Aula Regis multùm diffluere Valettæ exercitum, quanquam his diebus XVIII millia Pistoriensium equis eò perlata sunt sed desunt ad vitam necessaria, magnum malum nisi cum hoste commune esset. Castilionæus parat se ut in Picardiam eat, duodecim peditis duo equitum millia secum tracturus, sed effluxit jam anni tempus quò res ad eum limitem geri oportuit. Hæc nunc habebamus; Rogo autem Subl. Tuam ut eorum quæ scripsi antehac ad legationis dignitatem tutandæ pertinentia, memor sit, vel mei, vel publici causa. Deus, Excellentissime Domine, faveat Subl. Tuæ. Lutetiæ, $\frac{11}{31}$ Septembris 1635.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Sicut minora perferri ad aures Sacratissimæ Maj. Tuæ 483
tanto fastigio indignum arbitror, ita siquid ad res communes momentum non leve habens inciderit eo fraudandam non existimo. Quale nunc est quod reversum in Cisrhenanas partes Galassium, Valettæ exercitus cum socialibus insecutus copiis, inter Rhenum ac Mosellam agmen ejus postremum, quatuor & amplius equitum millibus constans, cecidit ac disjecit, machinasque cepit tredecim. Regis ipsius nunc in Lotharingiæ finibus agentis crescunt copiæ, ita ut jam pervenisse credantur ad XX millia peditum VI equitum, præter quos & Helvetii nonnulli exspectantur. Tantis copiis sperat Rex ubi S. Michaelis Monasterium ab hostibus immunitum ceperit vel armis vel fame

me facta se necessitatem abeundi impositurum Duci Carolo. Neque inde tantùm felices alios posthac nuntios speramus, sed & de Crequiaci Gallorum Marescalli, Sabaudi, Mantuani, Parmensis conatibus in Hispano per Italiam possessa & Castilionæi in fines Belgicos. Vitriacus qui Provinciæ Narbonensi præest operam dat ut duabus maris adjacentis insulis Margaritæ & Honorati, quæ nuper occupatæ sunt hostem depellat turre quæ Canes dicitur in terra continente bene contra Hispanicæ Classis insultus defensa. Aulæ hujus Proceres ex pace satis longi temporis Tuæ Sacratissimæ Maj. cum Poloniæ Rege, fortè per Germaniam bellum exspectant, quæ nunc ut res sunt, unica est ad honestam, & non insidam pacem via. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima & olivas & laurus Maj. Tuæ prosperas ferat.

Tuæ Augustissimæ Maj. humillimus subditus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

484 Literis mittendis diem idoneum transmittere nolui, quia classis Hispanicæ exscensus in duas insulas, Provinciali oræ apud Canes oppidum præjacentes, Margaritam & Honorati quæ Lerina olim, satis digna res videbatur quæ nuntiari deberet. Dicuntur ibi se munire Hispani, nudis antehac locis soloque mari defensis. Nihil magni mali hinc video. Imo & boni aliquid, excitata Gallorum, quo magis sibi caveant diligentia. Italicæ res frigent: nec magna agendi nunc tempus est, aquis ibi per hos menses exundantibus. De Valetta & Duce Bernhardo habemus nihil. Nec satis scimus, ubi agat Landgravius. Rex Barri est bono cum exercitu, peditis ad duodecim, equitis ad quinque millia, partim veteris, partim novi dilectus. Dux Lotharingus adhuc ad Rembirvilleriam castra habet, auctus novis copiarum accessionibus & faciliore ipsi è Comitatu Burgundiæ commeatu, quam Gallis è Gallia, media itinera insidentibus latrocinio agrestibus, quorum in Ducem suum magna ejus plebis non minùs quàm oppidanæ ac nobilitatis studia. Brossardus tribunus qui Ducem Wilhelmum Vinariensem nostras res deserentem meliori jure deseruit, à Rege stipendia accipiet, si qua potest, ad Valettam perrupturus. Alia quæ sine auctore rumoribus differuntur, non addo, potiùs ducens tempore uti magistro. Castilionæus parat se itineri in Picardiam cum XII peditum, II equitum, ut ajunt, millibus. Facilè ad exactum numerum defuturum est aliquid, & optima rebus agendis tempora abiere. Deus te, Illustrissime Domine, cum Nobilissima familia sospitet. Lutetiæ 28 Septembris novi Calendarii 1635.

Tuæ Illustriss. Dom. observantissimus H. G.

BENIAM. AUB. MAURERIO.

Amplissime ac Nobilissime Domine,

485 Sicut ex propinqui mei, qui filio tuo adfuit, relatu bonam satis ejus valetudinem lætus intellexi, ita indolui, cùm ex literis tuis didici non respondere ejus diligentiam optatis tuis. Hominibus non paucis vino simile est ingenium quod post primam dulcedinem fervere incipit, opusque habet, ut despumando resideat paulatim, ductaque inde asprítudine aliqua in lenitatem desinat. Tui si nunc animus commotior est, quàm ut sibi modum possit imponere, spero id ætatis esse vitium, cui ipsa ætas accedentibus tuis & amicorum monitis, remedium sit allatura. Ego, sicut antehac, ita nunc accepta occasione ejus quem de eo acceperam nuntii, excitavi eum ad cogitationes te seque dignas; operam quoque, si qua utilis esse posset, obtuli: Deumque precor ut tibi ad bona cætera & hoc addat, ut tum liberos alios, tum hunc videas exspectatione tua majorem de se frugem edere. Rerum quæ ubique geruntur historiam non exsequar, video te in agro positum velut è sublimi specula dispicere ingentes bellorum paratus, lusu quodam Divinæ providentiæ in irritum cadentes, sicut aliis temporibus exiguis è seminibus maximarum rerum nascuntur occasiones; venit jam autumnus pluvialis tracturus post se horridam hyememi quibus tempestatibus velut sepultum bellum per Italiam, Germanias, Belgicam vere reviviscet. Namque id anni tempus, ut olim floribus germinibusque nosci solebat, ita nunc obsidionibus & præliis variegari amat, nec vanos puto astrologos fore, si qui in Ephemeridum prognosticis multa nobis talia interspergant. Magnus Suediæ Cancellarius infidis amicitiis cinctus undique fortunæ sævienti inconcussum opponit animum, id semper cogitans, quomodo rebus tot ac tantis militia à se gestis unum imponat magnum pacis communis atque honestæ diem. Id bonum si nondum meretur orbis Christianus, optare tamen & voto speque antecapere fas esse arbitror; impleat Deus, idemque te, Amplissime ac Nobilissime Domine, cum Nob. uxore ac liberis sospitet, quod una uxor mea ac liberi comprecantur. Lutetiæ, 28 Septemb. 1635.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

MAURERIO, FILIO.

Nobilissime juvenis,

Gaudio mihi fuit ex propinquo meo Ioanne Reigersbergio cognoscere valetudinem ac res tuas. Ego pro 486
eo quem vobis omnibus debeo amore nihil exopto magis, quàm ut quod maximum puto, ista ætate optimum eligas vivendi genus, ad quod jam nunc tibi quærendi sunt commeatus. Et cùm totum orbem tantis malis agitatum circumspicio, cùm hanc in qua vivimus Galliam, inque ea statum eorum qui Protestantes dicuntur, ad vitam cum tranquillitate ac commodis nec sine ornamentis transigendam, viam non video tibi meliorem Legum studio. Sed ut eo quis famam assequi possit (indignum enim te Viri tanti filium in Legulejorum plebe censeri) improbo quodam labore opus est. Nam post Romanarum legum peritiam, quæ ipsa latissimè patet, morum Galliæ totius ac partium, edictorumque Regiorum, rerum prætereа judicatarum insignium, paranda cognitio est. Deinde ut nunc conjunctum est Iurisconsulti cum Oratoris officio, priora ista virum magnum non facient, nisi eloquentia accedat cujus & præcepta & exercitia magnam diligentiam exigunt, præsertim cùm, ut veteres nos docent, orbem quendam disciplinarum ea res in se complectatur. Hæc cave putes me terrendi animo dicere. Sed sicuti viros fortes ipsa pericula excitant, ita generosum animum, proposita rei expetitæ magnitudine, difficultate simul ejus non dissimulata, stimulandum puto. Nihil mihi lætius accedet, quàm si intelligam te spem meam de te conceptam non implesse tantùm, sed & superasse: quam ad rem omnemque felicitatem tuam, si quid ego contribuere possem (cujus certè præter vota quid possim non video) tum verò justissimas usuras pendere me arbitrarer ejus amicitiæ qua me pater tuus honestavit. Vale juvenis nobilissime, & digna semper tuo genere cogita. Lutetiæ, 28 Septembris novi Calendarii, 1635.

Tibi volens optimè H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Regis copiæ cùm novis dilectibus, tum evocatu nobilitatis feuda possidentis etiam ex Transligerinis 487
partibus, auctæ jam putantur ad XX peditum, VI. aut VII. equitum millia, quibus nunc S. Michaelis Cœnobium premens eo in potestatem redacto Ducem Carolum sperat se Lotharingia posse expellere, sive impetu facto in castra

Digitized by Google

castra Rembirvilleriana, quod multi difficillimum judicant, sive præcidendo ipsi commeatus, ipse Picardiam aliaque loca plena congestu frugum prope se habens ad exercitus sui alimenta. Ea res puto & quod retro cesserat Landgravius qui eum traxerat Galassio causam dedit, ponte ad Wormatiam transitq redire ad ripam Cisrhenanam. Insecutus eum est Valettæ exercitus, non dissimulantibus Gallis, cùm Germani ipsi Transrhenana deserant, se quoque eorum omissa cura arma vertere ad partes suis rebus viciniores: inter Rhenum ac Mosellam ad vicum quem Galli, nescio an corrupto ut solent vocabulo Hautrementum vocant, carpsere Galli postremum Galassii agmen. Id quater mille equitibus additis draconariis quibusdam constitisse & concisum omne aut disjectum vulgant, monumentumque victoriæ tredecim machinas teneri. Ea res animos plebis nonnihil hic consternatos nuntiatis ad Ambianum perque omnem Picardiam vicorum incendiis quæ Croati faciunt, nonnihil restituit. Rerum prudentiores desertis non minùs à Duce Bernhardo quàm à Valetta omnibus iis quæ Rhenus à nobis dividit, metuunt ut iis qui Gustaviburgum quique Hanoviam custodiunt satis sit animi ad sustentandum. Ne Franquendalia quidem, concussa Manhemii exemplo, duratura putatur constantia, ubi intellexerit sociorum vires ad Treviros aut Lotharingiam abductas. In illas enim Regiones omnia arma & consilia sua conferunt Galli: credo ut possessione ibi confirmata eò magis pacem conficiant suo ex usu. Pacem enim ab illis expeti non multorum tantùm sermonibus & exspectato Neoburgici huc adventu, nisi fortè jam advenit sed latet, sed & plurimis argumentis cognoscitur. Primum in Valle Telina constitit bellum, in Tirolensem agrum sua arma proferre nolentibus Rhætis, antiquorum fœderum reverentia. Sabaudus ne se moveat ait pro xxx millibus militum, quorum spes erat facta, vix xii exhiberi ad mutandas totius Italiæ res imparem numerum. Nec desinit Legatus Cæsaris obire Principes ut eos à Gallica societate avertat, pertracto & Pontifice ut Parmensi, vasallo quippe suo, quiescendi auctor esset. Ivit quidem in Picardiam Castilionæus Dux Chaunio melior, sed ne is quidem copias habet quibus magni aliquid possit aggredi. Nova onera imponere plebi vix audent qui rebus præsunt, nondum plenè sedatis per Aquitaniam seditionibus, facili inde contagio. Iam verò ex duabus insulis Margaritæ & Honorati classis Hispanica augescens indies, captis quibusdam navibus Gallos omnes maritimam tenentes oram, dum metuunt labem Italici Turcicique commercii impellit ad pacis vota: sicut nunc in Batavis plebs tanto in præsens piscatus damno, ac formidine in posterum fit belli impatiens. Hyems hæc tota, ni fallor, magis arcanis de pace colloquiis, quàm bello transigetur, nam neque nobilitas suo sumtu evocata diu par erit tantis impendiis: neque Gallorum corpora hyberni cæli injurias pati didicerunt: & Regis ipsius valetudo, non urbibus tantùm sed & Regionibus totis, tum suo merito, tum quia sub ipso Galliam regentium eam salvam esse interest, antehabenda, non erit extra periculum per vitam castrensem. Ego verò si mihi liceat de re obscura judicium promere, non credo malle Gallos absque sociis seorsim quàm cum sociis pacem facere, sed id timeo ne illi arcanis colloquiis Pontifice usi conciliatore, rem ita parent, ut quæ ipsi suo ex commodo constituerint, ea alii etiam suo damno cogantur sequi, ut tempore Mausoniensis federis Mantuanus & Rhæti. Nemausi nuper Iesuita eò pervenit audaciæ, ut diceret sicut olim Davidem paganorum, ita Regem nunc hæreticorum federibus uti, utrunque eodem animo, ut à vera religione alienos ipsa societate everterent. Veneti adhuc spectatores tantùm agunt: & quem Cæsarianorum copiæ ex Tirolensi agro in Mediolanensem sibi transitum ipsorum per fines postulant, quantùm audio nec concessuri, nec prohibituri. Regem Hungariæ in morbum quem exierat, recidisse heic qui volunt, facilè credunt. Et jam rumores aulici Regem Poloniæ Imperio Germanico, sororem ejusdem Duci Aurelianensi uxorem destinant. Qui res pro Gallia Viennæ agit ut quidem inde perscribi video, pacis conditiones has proponit, ut Galli Pignerolum retineant, Mantuano liceat externis se præsidiis munire, sociis ipsorum ne noceatur. Hæc si obtineantur spem facit Lotharingiæ non quidem Carolo Duci de Gallia pessimè merito, sed fratri ejus Francisco reddendæ. Indidem scribitur Bavarum copias suas sub imperium dedisse Hungariæ Regis. Ab iis qui Regi adsunt scribitur S Michaelis Monasterium pertinaciùs quam loci ratio ferebat defensum: sed jam exterioribus munimentis detractis ad muros perductam oppugnationem. Itaque nihil aliud quam deditionem in diem 3 aut 4 Octobris novi Calendarii sperari. Ex iisdem literis discimus non sine Gallorum etiam primorum damno abiisse illud cum Galassio certamen, & video esse qui dubitent, utra ex parte major accepta sit jactura. Literas Subl. Tuæ & Landgravii, Marescallus Castilionæus heic demum accepit, itaque mihi has commendavit illis respondentes. Deus, Excellentissime Domine, res & Subl. Tuæ & publicas, Regni ac sociorum sospitet. Lutetiæ, 4 Octobris novi Cal. 1635.

Clerus à Rege pecuniam postulatus, in ipsum Regem Regnumque iniquissima & moribus hucusque servatis dissentanea postulare non veretur. Inter alia quod nuper de conjugio Lotharingæ responderat, id valere non vult nisi idem Pontifici videatur: miseret me Regum qui volentes serviunt, & tot alieni dominatus suis magnis impensis satellites alunt. Adjunxi his quæ de Rhæticis non spernenda ad me scripsit Sprecherus.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Nobilissime Domine,

MEas ad te literas gaudeo rectè pervenisse: Tuas 4 heri accepi per Euskerkium. Maris via, quando alia via nulla est libera usurpanda nobis, & æquè ferenda quæ corrigere in nostra non est manu. De Scenquiano castello puto vere novo aliquid posse sperari, neque enim per hyemem manere ibi cum magnis copiis satis longè à præsidiis suis hostis poterit. Rem maris tam malè curari apud gentem omnia sua debentem mari mirarer, nisi scirem ut hominibus ita civitatibus suos esse morbos, & quosdam eorum longa dissimulatione eò proficere, ut medicinam sine periculosa corporis concussione non admittant. Non tamen dubito quin Arausionensis Princeps prudentissimus re ipsa sit ostensurus & illius partis tutelam sibi non malè creditam: Interim illud metuendum est, ne plebs, acris in privatorum malorum sensu, pacem ardentiùs, quàm fert ratio, exoptet. Sed facilè erit proceribus partim rerum alibi felicium nuntiis, partim spe bonæ pacis, animos vulgi, per se haud mali, in meliora tempora sustentare. Dolet quod famosos libellos spargi audio, vetus quidem, sed non carens rerum novarum periculo malum, præsertim ubi ut Athenis libertas populo indiluta affunditur. Brasiliæ res aliquid contra tot adversa solatii adferent. Et solent res tales quæ in paucorum sunt manu diligentiùs, quàm publicæ curari. Bene agerentur istius societatis res, si quotquot sunt, quorum eam manere interest, oleum afferrent alendæ lucernæ. Nunc & apud illos & apud nationes totas, & apud commune corpus nationum, pecuniarum negotium difficillimè expeditur. Et timendum est, ne augescente ære alieno tandem tabescat fides. Suedi nostri pridem eo malo laborant, magisque laborabunt, amisso Prussiæ vectigali. Gallia patientissimam plebem habens non audet onera intendere, respectu seditionum

Digitized by Google

tionum nondum bene quiescentium, cujus rei magnum argumentum est, quod maximi turbarum concitores nuper, sed sub aliis criminibus, puniti sunt. Sed pro divitiis nobis erit eadem apud hostes paupertas. Neapolitani Regni Rector jamdudum omnia movet, ut duos ducatorum milliones extricet, Siculus ut unum: verum, quantum video, moras & tricas referunt. Similia ex Hispania nuntiantur. Hæc ubi considero, simulque famem quæ omnes per Germaniam exercitus vexat, dubitare cogor an bellum diu trahi possit. Cæsarianos non alienos à pace facere debent & experta antehac adversa, Martisque vices, & ingentes Gallorum copiæ in Picardia, quo nunc it Castilionæus, sub Rohanio Rhætique in ipsis Alpibus, ad Padum sub Crequiaco sociis Sabaudo, Mantuano Parmensi; aliæ sub Incolismensi; & Valletta, qui nunc Galassium ad Cisrhenana se recipientem secutus, agmen ejus ultimum ad Stetrementum, Rhenum & Mosellam inter, cecidit, abstulitque signa tredecim: Ad hæc Rex ipse tum ex nobilitate, tum ex iis qui merent, viginti circa se habens peditum, septem equitum millia; super quæ & Helvetios exspectat, id agens ut capto sancti Michaelis Monasterio, quod jam deditum conjectura credi jubet, Ducem Carolum exturbet Lotharingia omni, & Comitatus Burgundiæ habitatores doceat jura pacis antiquitus ipsis concessa meliori fide servare. Iam verò tuta à Polono Suedia, Danus adhuc Bremensem Episcopatum inhians, Anglia aliquanto quàm ante fortiùs miserans cognatæ domus calamitatem, & ipsa invidia nunquam longè à rebus prosperis, Domum Austriacam, si sapientibus utatur consiliis, movere debent, fortuna ut moderatè utatur. Quod si mors Regis Hungariæ iterum, ut literæ nuntiant, in morbo cubantis accedat? Etiam Canes in continenti oppidum ex illis duabus, quas nuper ceperant insulis frustra oppugnantes Hispani depulsique didicerunt initiis quamvis blandientibus non semper respondere processus. Sunt hic qui Poloniæ Regem Imperio Germanico destinent. Ego cùm video Trevirum Hispanorum in manu, Bavarum nova affinitate implicitum, quicum Coloniensis stabit, Saxonem arcanis, quod non dubito, pactionibus jam addixisse suffragium, Maguntiacensis, cur alio eat nihil esse causæ, non video quæ spes esse possit abalienandi à Domo Austriaca imperii nomen, nisi tempora supra quàm prospicere possit humana mens mutentur. Quanquam commune malum, rei pecuniariæ egestas Batavos insigniter premat, tamen non utilem tantùm ipsis, sed propè necessariam fore arbitror erogationem, qua subleventur labores Magni Cancellarii. In talibus negotiis multum posse Amstelodami civitatem te non latet. Eam nobis, post factum Prussiæ jactum, æquiorem fore arbitror. De Landgravio quid agat, ubi sit, incerti hæremus. Galli versis ad propiora armis ea quæ trans Rhenum sunt curanda Suedis & Germanis relinquunt. Lunemburgico gaudeo aliquid restare fidei veteris notæ Germanorum, sed quam paulatim videmus apud plurimos evanescere. Legatus de Scuto amoris nondum conspicuum se præbet, in parando choragio etiam nunc occupatus. Eum ubi videre licebit, non patiar ignarum eorum quæ me de Palatinatu monuisti antehac, quæque non minùs prudenter addis de Regis Britanniarum ad Cancellarium literis. Wyckius quem Agentem Angliæ vocant, his diebus ad me à Legato veniens, spem injiciebat propioris, quàm antehac fuit, nexus Regum Protestantium inter se & cum Batavis: adfirmavi ei me semper, si quid possem, promtum adjutorem fore & causas aliquot addidi. Quare quod scribis agi de nova in Angliam Legatione, non displicet. Videtur id propositum Anglis ut bella terris includant, mare pacatum reddant. Melius fortè consulerent amicis suis, si oram aut insulam aliquam juris Hispanici caperent retinerentque, donec de Palatinatu promissa toties implerentur. Francofurti mercatus; quanquam eum liberum fore Rex Hungariæ promiserat, non dubito quin frigidissimus fuerit; Neoburgicus hic exspectari dicitur, haud dubiè ad cudenda de pace consilia, initio jam facto per Gallos tam Viennæ, quàm Romæ; si rem communem ut debent, curant socialiter, nihil inde erit mali. Cardinalis Ricelіacus suburbana loca subinde mutans Ruellæ nunc agit, satis bona valetudine. Vellem minores operæ, ut nuper scripsisse me puto, architecti hujus industriæ responderent. Nunc illa quibus ipse non sufficit, modo non curantur, modo negligenter curantur. Præterea vix credibile quas in eum turbas Monachi suscitent, quanquam & Monachis utitur; sed illud hominum genus illis solis amicum est, quos in solidum possidet. Sed me confabulandi voluptas tui temporis furem facit. Deus te tuosque sospitet. Lutetiæ 5 Octobris, novi Calendarii, 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ omni cultu addictissimus H. G.

GRUBBIO.

Nobilissime Domine,

MAgno me beneficio obligasti quod in tempore maximè necessario non es passus me ignarum eorum quæ in vestris partibus geruntur, scribuntur, dicuntur. Binas abs te literas heri accepi, illas 11 Augusti per Eppesteinium, alteras 25 Augusti per D. Camerarium, uberes sanè prudentiæque plenas. Legi & Regis Daniæ ad Saxonem literas. Non miror quod opimum Archiepiscopatum ægrè à domo sua avelli patitur. Sed frigida satis videntur quæ adfert ut se à Lubecensi pactione liberet. Et videtur fine literarum acquiescentis illi pactioni præbere speciem. Vtile publico esset, si & ille Rex ex animo iratus paci Pirnensi videretur. Placet quod Lunenburgicus conventus Suedici Regni sociorumque non exuit memoriam. Qui Galliam regunt cum Imperatore bellum nondum habent, nec omittunt rationes Viennæ, Romæ, alibi amicitiam cum Imperatore sarciendi, pacem autem cum Hispano cudendi. Et sanè arma non multum promovent. Valentiæ obsidio rumoribus jactata ad res nondum venit, & de Sabaudo multi sinisteriora suspicantur. Rhæti bellum in Tirolensem agrum proferre nolunt, contenti sua tenere. Castilionæus Galliæ Marescallus it pro Chaunio rerum bellicarum minùs gnaro ex Picardia arma Belgis illaturus, aut ut rectiùs loquar, Picardiam defensurus, quam sub ipsum Ambiani, Dorlani aliarumque urbium conspectum vastant igne & ferro Croati. Majus aliquid vix pollicentur tenues copiæ. Tota vis belli in Cisrhenanas partes conversa est. Rex ipse cum XX peditum millibus VII equitum è nobilitate maximè Sancti Michaëlis monasterium quod hostis immuniverat obsidet, & jam puto ceperit, ad muros enim pervenerat oppugnatio, postremæ literæ cùm è Regio comitatu scriberentur. Dux ipse Carolus Rembirvillerii castra habet, & illis, ut puto, se tenens patietur Gallos pedites autumni hyemisque incommodis, nobilitatem sine stipendio militantem sumptuum diuturnitate, utrosque verò ipsa mora retundere primos impetus. Transtulit eodem sua arma Galassius à Landgravio liber, qui retrocessisse dicitur. Secutus eum est Valetta Cardinalis cum Duce Bernhardo, an eo relicto Maguntiaci variant rumores. Apud Autrimentum vicum periculum virium constat factum & machinas aliquot ad Regem missas. Eo argumento Galli victoriam ad se trahentes ajunt quatuor justorum equitum millia, draconarios aliquos qui omnes postremum faciebant Galassii agmen cæsos ab se. Qua de re certiora cognoscemus posthac. Gallorum etiam è primoribus quosdam interiisse jam nunc certum est. Pabuli ingens penuria, multis in locis etiam hominibus victus difficilis. Insulas Margaritæ & Honorati tenet Hispanus, atque inde imminet navibus Gallicis Italiam aut

Digitized by Google

aut quæ Turcici sunt imperii petentibus, sed in proxima continente turrem, Canes quæ dicitur, oppugnare parans dejectus est. Quo se datura sint Lunenburgici ac Brandenburgici consilia sciri & hic ad rem pertinebit: multoque etiam magis, si quid tempore & rerum tum communium tum propriarum diligentiore consideratu mitigabitur Saxo. De pactione Prussica multas literas vidi in eundem sensum. Non dubito quin res magnas per Germaniam, Bohemiamque & ei annexa gerendi sit nostris spes, quando cum Polono pacem temporariam fœcundissimæ ut audio terræ & opimi vectigalis concessione redemerint. Deus & hæc & alia tum ad gentis Suedicæ, tum ad totius Christiani Orbis bonum regat, teque Vir nobilissime sospitet. Lutetiæ, 5 Octobris novi Cal. 1635.

Nob. Tuæ addictissimus. H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine.

490 Gratias tibi ago ingentes quod me ea quæ in Rhæticis partibus vicinisque geruntur ita benignè edocueris. Copiæ Regis sub Valetta, quæ trans Rhenum ierant, cum intellexissent Landgravium à Mœno retrorsum Erfordiæ periclitantis causa aut ad sua tuenda cessisse & ipsæ se ad Cisrhenana retulere, secutoque cum exercitu Galassio, post felicem pugnam apud Wautresangium, ubi tredecim cepere machinas, urgente vi majore, bis iterum pugnato, se ad Metim vicinaque loca retulerunt. Rex interim multa cum nobilitate novisque dilectibus capto Sancti Michaëlis Monasterio, quod hostes immunierant, pergit Duci Carolo qui ad Rembirvilleriam castra habet, auferre commeatus. Batavi damnum quod fecerunt amisso Scenquii castello, marinorum piscatorum plurimis interceptis à prædone Dunquercano pensant felicioribus per Brasiliam successibus, ubi non Barbarorum tantùm sed & multorum è Lusitanis accursibus aucti omnem pene tenent oram maritimam, præter oppidum Salvatoris, incipiuntque reponere officinas sacchararias. Interea & Galli & Batavi consilia sociant, quò res in annum proximum majore cum concordia ac spe meliore gerantur. Magnus Cancellarius omnia movet ut causam communem tueatur, sed queritur mirè se ab omnibus deseri. Ego id unum hic ago, ut velit Gallia non tantùm proxima sibi curare, sed & res amicorum sustentare qua consilio, qua ope. Ipse Galassius jam in Lutzenburgico agro esse dicitur, adesis cæteris novos ibi pastus quærens. Nos ex vestris partibus, quid de Valentia sit futurum, quieturane sit Vallis Telina, insulæ Margaritæ & Honorati ab Hispano revelli an possint, exspectabimus. Legati Veneti comitati plurimum debeo per quem literas tuas tutò ac celeriter accipio. Ego tibi sicut omnia opto prosperrima, ita si quid gratum unquam facere possim, neutiquam deero. Lutetiæ, 9 Octobris, novi Cal. 1635.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

491 Literas quas scribere mihi dignata est Subl. Tua die 23 Augusti veteris Cal. ad me perlatas, dies jam sunt quinque, perlegi cum eo sensu malorum quæ continent, qualis esse debet in eo qui res Sueciæ suas quoque esse judicet. Sed cùm ea ipsa scitu sint necessaria, gratias habeo quantas possum maximas, quod me non eorum passa sit esse ignarum Subl. Tua. Vtinam hinc saltem meliora nuntiare possim. Sed sive hominum negligentia sive vi quadam majore etiam his in partibus res eorum quibus fœderati sumus non succedunt. Post primam cum Galassio pugnam, cujus felicitas mirum in modum hic fuerat prædicata, vi tota in Valettam incumbens Galassius, ita se ultus est, ut & ablatas sibi machinas receperit & eas quas Galli habebant abduxerit cum impedimentis; fuga autem Gallorum talis fuerit ut non ante constitum sit, quam perventum Metim fuerat, quo se receperunt Valetta animo, Dux Bernhardus & Feuquerius corpore insuper ægri. Nunc creditur ultra Saram esse Galassius. Rex Sancti Michaelis oppido ac Monasterio ita sibi dedito ut quindecim homines pœnæ permitterentur, incertum metum passus est quadringintis millibus florenorum redimi, cæteri permutabuntur cum captivis quos hostis plurimos & insignis notæ habet. Nobilitas quæ apud Regem est sumptibus gravari incipit, & si quod dicitur, huc venit Rex, retineri nequibit, ita ut spes sit exigua Ducem Carolum aut castris exciendi ad Rembirvilleriam bene munitis aut intercludendi à commeatibus quos Hispanica Burgundia ipsi submittit. Crabati Cæsariani Metim usque procurrunt & partem de reliquiis Valettani exercitus his diebus sedibus suis excusserunt. Valentiæ obsidium nescio quid adhuc moratur, pontem tamen Padi à Gallis ruptum ajunt per quem ex agro Mediolanensi Valentiæ submitti auxilia solebant. Rohanio tria millia Gallorum venere ad tuendam Vallem Telinam, cui haud dubiè imminet hostis, pernecessaria. De Argentoratensium in posterum constantia dubitari video. Multum hoc tempore pendent animi ex vicinis eventibus. Hæc cùm scripsissem nactus sum aditum quæsitum per dies quinque ad Cardinalem, qui nunc Regia vice fungitur. Cùm exposuissem omnia illa adversa quibus plenæ sunt Subl. Tuæ ad me literæ, jussit acciri & Patrem Iosephum qui cum ipso Ruellæ erat. Ibi narravi tenorem Actorum Luneburgensium. Ostendebat metuere se Cardinalis ne tanta difficultatum commemoratio via esset ad pacem peculiarem, cùm honesta ac tuta esse nulla posset, nisi communis quam & ipse optaret. Cùm dicerem ut ad communem pacem perveniretur, multis rebus actionibusque esse opus, nec tacerem neminem esse in Suedia qui res Germanicas curaret, quantum Tua Subl. quæ pro animi sui magnitudine nihil mallet quàm tot laboribus egregium finem imponere, ac illi ex pace Polonica dicerent magnas nasMituras occasiones rerum agendarum, ostendi quantum nobis illa pace si Prussia concederetur abiret, nulla sociorum liberalitate pensandum, multum productis satis amicè sermonibus huc res rediit, quod de Legatione diu postulaveram impletum, misso amplissimis cum mandatis S. Chaumontio. De pecunia Bulionium ut convenirem: conveni Bulionium, erat enim Ruellæ, postquam illi summam rerum explicavi dixit, ut solet, de ducentis millibus se Heusdio esse debitorem additurum & trecenta, si Heusdius aut novum vectigal reperire, aut cum talium opificibus convenire posset. Dixi multum in mora verti, non ignarus post omnia commota unde nummus oriri potest, talia difficilia esse repertu, tum verò si reperiantur in ipsis tentamentis ad rem ea conferendi plurimum esse periculi, seditionum igne adhuc sub cineribus latente. Multa prædicabat Bulionius de ingenti pecuniæ vi, quæ à Rege in Rhætia, Italia, ad Rhenum, in Lotharingia, Picardia, Belgicis regionibus erogaretur, non falsa, nisi quod pecuniæ pars major inter harpyarum partim inermium, partim armatarum manus perit. Multa & Cardinalis ac Iosephus dixerant de legionibus atque alis quibus Rex (haud dubiè inde discessurus) restiturus esset Valettæ, aucturus autem Incolismensis & Lafortii exercitum: sed memorabant, hæc homini minimè credulo, neque ignoranti quantum esset in temporibus momentum. Vt fidem, quam debeam præstem Regno Sueciæ, ac Tuæ cui omnem dignitatem meam debeo Subl. huc res omnis redit, res in his partibus valde esse miseras, pecuniæ incertum, & ut proveniat tardum negotium: pacis præmia penes præripientem fore. Vix abieram

Digitized by Google

ram à Cardinali, cùm ad eum Masarinus venit, Pontificis Nuntius, multum à meis diversa allaturus. Si Pignerolum retinere liceat, maneat ut est incertum cum Lotharingia, matrimonium, de ipsa Lotharingia, decedendi color aliquis reperiatur, haud planè turpis; nihil cum Imperatore pacem morabitur, aut potiùs amicitiæ restitutionem, quia bellum nondum est. Illud tanquam vix relatu dignum pene omiseram, indicium tamen aliquod unde intelligamus inter tot adversa paulo nos magis quàm antehac curari, deductum me à Cardinali aliquantum extra cubiculum, & quidem ita ut me dextrum poneret. Et Iosephus & Bulionius meminerant non spernendæ pecuniæ, centenum scilicet millium Dalerorum, quæ Rex Hamburgum, puto per trajectitias syngraphas transmisisset ad legendum militem, sed cùm accuratè in id inquirerem videtur mihi ista pecunia aliò quàm in manus Subl. Tuæ destinata, si tamen ad eas perveneriterit quod gaudeam. Rogo mei & eorum, quæ mihi ad dignitatem sustinendam sunt necessaria, Tua Subl. meminerit, cui bellum felix, fidos socios, pacem communem, ad hæc omnia, Excellentissime Domine, Deum fautorem precor. Lutetiæ, $\frac{4}{14}$ Octobris 1635.

Franquendaliam in hostium esse potestate, jam nobis nuntiatur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

492 PErgis, ut soles, de me mereri optimè, cùm ita me liberaliter de iis quæ vestris in locis aut geruntur, aut nuntiantur, edoces binis literis, quarum scriptas 15 Septembris novi Cal. ante hos dies quinque accepi, alteras 24 datas, heri. Videmur uterque tu Batavis, ego Gallis Cassandræ esse, id est vera ac necessaria dicere, sed surdis aut surdastris. Ex quo abscessit hinc Maximus Cancellarius, non cesso instare ut promissa pecunia tandem tradatur, & ut mittatur Legatus. Pecunia etiamnunc hæret inter eam tractantium manus. Legatus post tanti temporis & tanta ferentis momenta jacturam, missus est quem vidistis Chaumontius, homo creditus alieno valde à Protestantibus animo. Apud vos, ut video, pecunia non magis procedit; & quæ negotia Legati egebant, mandata sunt D. Aysemæ, intelligenti sanè rerum Germanicarum, sed non immemori beneficiorum acceptorum à Cæsare. Quid agamus? Velimus quod possumus. De induciis cum Polono, ut de re non planè confecta, scribit Magnus Cancellarius. Videtur in Livonico negotio aliquid esse nodi. Nobilitatem Polonicam, quæ non tam gloriolis quàm agri fructibus pascitur, pacem bello prælaturam arbitror, præsertim cùm hostem habeant Tartarum, & illos ad Euxinum Cosaccos; tum verò & Turcarum Imperator ita sit bellicæ laudis avidus, ut nullis videatur retineri posse federum repagulis. Piscatoribus Batavis tantum esse animi, ut mare tam infeliciter expertum tentare iterum audeant gaudeo, speroque, si id bene succedat, quieturas seditiones in plebe, ut mobili, ita non nimium pertinaci. Pervenerunt, ad me tuæ & illæ 3 & 11 Septembris ad me datæ, neque ex prioribus ullas desiderari arbitror. Germaniæ civitates ac Principes nonnullos, præter adversam partium nostrarum fortunam nihil magis ad pacis periculosæ consilia impulit, quàm metus à Gallica societate, innata genti in gentem diffidentia, cujus causas utinam Galli prudentiùs amolirentur. Tum utinam in posterum spes melior affulgeat. Nam & Argentoratum nutat ex fortuna Gallis non satis prospera. Galassius enim cladem parte sui acceptam, tota vi exercitus sui ita ultus est, ut planè in fugam hostem dederit, machinas suas receperit, ceperit alias & impedimenta: nec quieverit Cardinalis Valetta, priusquam Metis urbis mœnia inter se & hostem interjecisset, ubi nunc & Dux Bernhardus & Feuquerius cubant, animi ægritudinem secuto corporis morbo. Circumsita Crabati impunè populantur. Rex capto Sancti Michaelis oppido, parum digno tanto oppugnatore, cùm in deditionis legibus vitam, exceptis quindecim suo arbitratu legendis, concessisset aliis, ab illis quidem mortem redimi cccc M. Florenorum passus est: hos verò commutare instituit cum captivis quos hostis habet plurimos & insignes. At nobilitas ex feudali lege undique ad Regem evocata vix ultra tolerat impendia, semper gravia suo ære militantibus, hoc autem tempore atque illis locis gravissima. Et creditur Rex ipse huc redituriré, quod si fiat, multo magis diffluet ille equitatus, neque multum erit spei abscindendi commeatus Duci Carolo, quæ sola illum è Lotharingia ejiciendi supererat ratio, quando castra ad Rembirvilleriam quæ habet, firmiora sunt quam ut vi expugnentur. De Valentiæ obsidio nihil certi habemus. Pons ibi Padi à Gallis ruptus dicitur. Parmensis quæ gessit hactenus exigua sunt & magis ad privatas controversias, quàm ad causam publicam spectantia. Literas, quarum partem mittis, ab Imperatore credo scriptas. Nam & ante menses aliquot paris argumenti scripserat ad plerosque Italiæ Principes & nunc ad eos Legatum misit Franciscum Melonem: Pontificem quoque rogavit ut Parmensi, Vasallo Ecclesiæ, auctor esset Italiam quietam patiendi: quod Pontificem, ut obnoxia est illa Aula Hispani jussibus, belli præterea finitimi metuens, credo aut facturum, aut fecisse. Ad Rohanium tria venerunt Gallorum millia ad tutelam Vallis Telinæ, haud dubiè denuo periclitantis. Saxo an hostilia cæptaturus sit in Suedos, multum refert, & ubi apparuerit, hic sciri quamprimum erit utile. A D. Grubbio quas habui postremas, eæ datæ erant 25 Aug. Vet. Cal. A Neapoli paria heic habemus iis quæ ad vos sunt perscripta: & cùm cæteræ artes minùs succedant, mutuam à privatis pecuniam quæri, oppositis pignori futuri temporis è Regno proventibus. In Sicilia major spes conficiendæ pecuniæ Hispano esse dicitur. Spem mihi faciunt nota autumni in nostro cœlo mala hyemsque imminens non mansurum in Clivica ripa Hispani exercitum: ita Scenquianum Castellum, si non ante, certè cum hirundinibus ad Batavos rediturum. Atque interim Principem Arausionensem, domum ubi venerit, consilia ad dissensionum scopulos, ut fieri solet, adhærescentia expediturum, consulturumque & maris & terræ rebus. Deum rogo ea ut prosperet, teque, Illustrissime Domine, cum Nobilissimo filio, omnique familia diu tutetur. Lutetiæ, $\frac{4}{14}$ Octobris 1635.

Illustrissimæ Dom. Tuæ addictissimus H. G.

SMALCHIO.

Nobilissime Domine,

QVanto magis vos circumstrepunt arma negotiorumque æstus, tanto plus tibi debeo, quod mei memoriam nec per illa quidem tibi pateris excuti. Rumor heic 493 est Ducem Bernhardum jam multa de pace loqui, nec miror. Fregit enim multum animos clades à Galassio Gallis multo cum fœnore reposita. Vides deinde Galliam, omissis omnibus rerum Transrhenanarum curis, suas agere. Itaque se posthac pro Imperii Principe Galliæ militem fore. Angliæ Legatus hactenus se conspicuum non dedit, partim supellectili parandæ intentus partim hæsitans an sanguinis Regii Principes Celsitudinis titulo honorare debeat, qua de re, ut puto, domo mandata exspectat. Cum Hollandis novas quotidie controversias Angli habent, volentes libera sibi esse cum Dunquiercanis commercia. Valde te rogo, ut eorum quæ

Saxo dicturus facturusque est, certior tuo beneficio fiam & ubi certi aliquid de induciis cum Polono apparebit. Spero Maximum Cancellarium per se memorem fore eorum quæ ad sustentandam dignitatem mihi sunt necessaria, sed si & tu, pro tua in me benevolentia accedas monitor, eò facilius me æqua omnia impetraturum confido. Ex Constantinopoli discimus Turcam Imperatorem intermissas diu belli laudes magna aviditate venari. Credibile est si cum Persa pacem ex usu ac decore suo constituerit, aliqua in Christianum orbem irrupturus. Et quo potius, quàm in Poloniam, cujus patientiam aut vires, terra per Tartaros, mari per Cosaccorum latrocinia prætentat? Ea res & Nobilitatis cura pro propriis commodis semper mihi spem fecit, futurum ut multa Poloni concederent fuga belli Suedici. Pecuniarium hic negotium valde incertum est, nec processurum puto, nisi vos bene bello implicatos viderint. Ego si quid efficere possim, quò magis cognoscas te quanti faciam, erit mihi id lætissimum. Vale. Lutetiæ, 3/13 Octobris 1635.

Post meum negotium, etiam illa, quæ ante, nunc iterum commendo, Admissionalium meorum Hottomanni, Pictoris, & Hepsteinii, omnium res amantium nostras.

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

494 VIx abierat Caletensi via tabellarius, cùm ad me venit Ponica, Ducem Bernhardum iterum valere dicens, cladem acceptam ita imminuens, ut abductas Gallorum machinas non neget. Gustaviburgum, simul atque Gallicus exercitus cis Rhenum rediit, hosti ait deditum. Dux ipse quantum ex ipsius sermonibus cognoscere est, nisi à Gallia montes accipiat aureos se ad pacem privatamque vitam referet ut exspectet hæreditates amicorum, quorum alii orbi sunt, alii non multum absunt ab orbitate. A Bacchylide abducet 34. 48. 234. 23. 61. 55. 7. 71. 77. 33. 61. succedent lactucarii, ut eo melius res Pindari suo ex usu constituant. Hæc extra ordinem duabus viis significanda duxi. Deus, Excell. Dom. Subl. Tuam resque ejus prosperet. 3/13 Octobris 1635.

LUDOVICO CAPPELLO,

Verbi divini Ministro, S. Theologiæ & Linguarum Orientalium Professori in Academia Salmuriensi.

495 ARcanum Punctationis abs te juris publici factum, legi antehac, Vir Reverende; Ac jam tum ita judicavi, si quid tamen mei judicii est, rei inter eruditos diu disputatæ eam lucem tua diligentia allatam, ut dubitare non sit futurum posthac, nisi pertinacium. Sicut autem in eo labore alios, qui te præcesserant, ita in Sacra Critice, etiam istum laborem tuum superasti. In quo nescio magisne indefessam sedulitatem mirari debeam, an uberrimam eruditionem, an judicium limatissimum; quæ tres laudes in hoc opere ita inter se certant, ut in ambiguo maneat, cui de tribus prima palma debeatur. Sunt quidem nonnulla, ut rectè notasti, εὐδιάβλητα [*quæ calumniæ patent*]; sed omnibus placere, nemini datum est, minimè verò iis, qui supra vulgus sapiunt. Contentus ergo esto magnis potiùs quàm multis laudatoribus. Neque desperandum tamen, quin, quod in aliis rebus sæpe, in hac quoque eveniat, ut paucos eminentes sequantur & illi, qui tantùm ad numerum valent. Ego & tibi & iis, per quos opus tuum ad meas pervenit manus, plurimum me debere profiteor. Deumque precor, ut tibi, & si qui tibi sunt similes, ad multa ejusmodi elaboranda, vitam, valetudinem, otium concedat. Et si qua re unquam ostendere potero, te ac tua quanti faciam, non patiar eripi mihi occasiones. Lutetiæ 13 Octobris novi Calendarii 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

QVid nunc potissimum aut nuntiem, aut non nuntiem, 496
necessariis adeo temporibus mirum esse non debet, si nesciam. Argentorato nunquam literas accepi ullas, Meti nullas post Gemmingii abitum. Iam verò utraque præterea itinera ita sunt excursibus infesta, ut, nisi cum magno præsidio aut furtim nihil huc adferatur. Quæ ex Ponica intellexeram, perscripsi intra hos septem dies viis duabus. Is nunc apud Cardinalem est Ricceliacum diei ferme hinc itinere agentem. Præter ea quæ significavi de Gustaviburgo omisso eo ipso tempore cum cis Rhenum relatæ sunt Valettanæ & Bernhardinæ copiæ, deque Ducis Bernhardi consilio subtrahendi Maguntiaco suum militem, rectè suum dico quia fœderatorum nec nomen restat, illud quoque intellexi, queri Ducem Bernhardum quod à Subl. Tua postquam ex illis locis discesserat, nullas accepit literas. Hanoviam, sed & Franquedaliam periclitari ipse fatebatur. Nassavium Dillembergensem cum Cæsare convenisse rumor heic est, an certus equidem ignoro. Inter loca Romæ destinata ad reconciliandos Romano-Catholicos Principes, videtur ob propinquitatem heic maximè placere Spira, atque eo Roma ejus rei causa mitti Guenettius dicitur. Qui plurima tenebunt iis haud dubiè magis ex voto pax succedet. Nunc Rege huc redeunte (Vitriaci est, venturus Versaliam prope hanc Vrbem) Nanciaci iterum consultant Gallici ductores, qua maximè ratione auferre commeatus Lotharingo possint. Ego qui id fieri possit non video cùm Cæsariani & Lotharingus multo superent Regis copias, quibus & Bernhardinas accenseo. Vnum Galassium plus triginta habuisse millia dicebat Ponica, quorum vix tertia pars penes Valettam & Ducem Bernhardum erat; Adde jam Lotharingum populares omnes ad se trahentem & crescentem ex Burgundiæ, Belgicæque auxiliis: adde Waertium. Helvetiorum de XII millibus, tria præsidiis attinentur, tria in Picardiam iere, arcendis Croatorum incendiis. Nobilitas & si autumnalibus morbis, & hoste non attereretur, sumptus tamen tolerare ultra, tam caro victu non poterit. Itaque amoto Regis conspectu, quo solo retinetur, diffluet. In Rhætis res sunt quo antehac scripsi loco. Populi illi amantes libertatis, & infida Regum fœdera experti res tantùm suas agunt. De Valentiæ obsidio nihil quod dicam habeo, nisi qui obsidentur non minores esse quàm qui obsident: Sabaudum qui in castris Gallicis exspectabatur, satis longè Trini agere: ejus interim Legatum in Aula esse Hispanica. Hæc præcipua sunt. Venio nunc ad ea quæ ut momenti minus habent, ita non æquè certa duco. Ex Ponica ista; esse Duci Bernhardo quinque millia equitum; alii multò minorem indicant numerum, Maguntiaci valde esuriri. In castello tamen ad Maguntiacum sollicitè quærenti mihi non negabat esse alimenta ad tempus aliquod: Hogendorpium à Duce Bernhardo in loci tutela retentum: Suedum quendam sub ipso imperantem quod abire vellet etiam vulneribus male habitum ab eodem Duce. Eidem Coburgum obvenisse, Altenburgi & Isenaci spem non longè esse. A Cæsare ei offerri magna, ductum exercitus sub nullius nisi Regis Hungariæ imperio; pactiones æquas cum Franconiæ Episcopo de ejus territorii reditibus. Magnam Duci cum Cardinali Valetta, & prope fraternam esse amicitiam: Pontem qui ad Maguntiacum fuerat translatum ad Mosellæ & Rheni confluentes. Ex Veneto hæc: Civitatem eam iter per terras suas Cæsarianis aut Hispanis non concessuram, neque tamen venturam

Digitized by Google

turam hoc quidem tempore ad hostilia cum Austriaca Domo undique sibi finitima, præsertim post insidæ societatis tot antehac exempla. Alimenta interim à se dari Rohanii copiis, & pecuniam ad terræ suæ præsidia Mantuano. Ab Hispano Pontificem ut Parmensi infestus sit, lactari spe Principatus ejus ad aliquem Pontificis consanguineum transferendi. In Tirolensem agrum super IV quæ fuerant millia, quinque advenisse alia. Roma scribitur ita ibi sentiri de loco conventus ad pacem arbitrium Imperatori permittendum: multum nocere Gallicis rebus quod valetudinis causa absit Cardinalis Riceliaci Frater. Parmensis excusationes vix ibi audiri, & fuisse qui ob turbatam Italiam excommunicandum censerent. Ex Hispania, opimas conditiones ibi Sabaudo afferri: misisse Genuates excusatum quod transire Gallos per suum agrum ad Parmensem sivissent. Ad Anglorum querelas de Palatina Domo è pace exclusa, judicasse Ducem Olivarium non pati tempora ut definitè aliquid respondeatur. In Brasiliam destinata quæ fuerat classis eam attineri defendendis contra Batavos & Gallos Catalauniæ Gallæciæque littoribus. Novem milliones à Castellano Regno promissos Regi quæri magnis in victum vestesque oneribus, & centum scutatis annuis in carrucas singulas. Venditam proscriptis veniam. Ire ad Navarræ fines militem. Pecuniam inde ad res Italiæ, Germaniæ, Belgicæ non missam metu ex Africa & Gallia prædonum. Mediolano nuntiatur Parmensis exercitum nudari fuga. Legatum Melonem eò jam advenisse adferentem quæ sint placandis Sabaudo & Mutinensi. At Neapoli obligatis Regni reditibus missa CXXX M. scutatorum in Germaniam, XL M. in Austriam, LXXX M. Mediolanum quò & peditum decem, equitum duo millia mitti: bona quæ ibi sunt Parmensis addici filio: ejectos Sicilia hospites Gallos. Florentia verò, rapi in militiam externos, ut aut oppidis Etruriæ sint præsidio, aut Mediolani terras defensum eant. Adeo enim profiteri eum Principem Hispanicas partes, ut viso Parmensis scripto illudens dixerit Regem Parmensem Duci Hispaniæ bellum indicere. Vienna hæc habemus, dicere Comitem Ognatensem, & Germanicas & Belgicas res quomodo posset positurum, aut etiam omissurum Hispaniæ Regem potiùs quàm Italiæ negotia deserat. Credi inimicitias inter Sabaudum & Crequiacum; adversùs Trevirensem velle Imperatorem jure agi, quò testatior fiat ipsius clementia. De pace ibidem hos sermones esse, de Pignerolo rem silentio posse transmitti; Mantuanus si Gallos suis ex oppidis dimittat, etiamsi de eo nulla fiat conventio, id satis fore: Duci Carolo si non possit obtineri Lotharingia, ferendum ut Duci Francisco detur. Hæc omnia ut affirmare non est animus, ita reticenda non duxi. Si longiùs æquo moratus sum Subl. Tuæ tempora, observabo posthac quemcunque præstituerit scribendi modum. Atque interim ejus rebus, Excellentissime Domine, fausta omnia precabor. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Octobris, 1635.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

497 PEriisse nobis Gustaviburgum Regis per omnia sæcula mirandi nomen præferens sicut tristes intelligimus, ita pro solatio accipimus quod Vrbs Maguntiacum à sociis defenditur; castellum autem propter situm ita se habet ut ad bellum pacemve magnum adferre possit momentum. Et Galliæ Rex totius Regni vires opesque commovet, ut hostem augescentem in Cisrhenanis partibus aut pellat aut certè à sibi possessis abstineat. In Alpibus Vallis Telina manet penes Rhætos: Trans Alpes de Valentia à Gallis, Sabaudis, Parmensi, Mutinensi obsessa lætos nuntios opperimur. Ne in Picardiam irrumpat hostis obstat missus eò cum Gallo partim & Helvetio milite Marescallus Castilionæus. Inter hæc nec de pace frigent sermones Romæ, Viennæ, Lutetiæ. Nobis qui eventa videmus tam alternantia, causas autem plerasque ignoramus, ne quidem quid optare debeamus satis compertum est: nisi forte illud tutissimum est, quod laudat Græcorum sapientissimus.

Summe Pater, nobis sileamus sive precamur
Da bona: quæ mala sunt quamvis orantibus arce.

In quo voto desinam, si hoc adjunxero ut, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Majestatis Tuæ valetudo ac res perpetuum floreant. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Octobris, 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

RES non optimas nuntiare triste quidem, sed non 498
est effugere necessitatem quam tempora injungunt. Rex huc rediit, est ad S. Germani, Cardinalis Riceliacus Ruellæ. Regis abitu diffluxit Nobilitas, quæ feudi legibus evocata fuerat, gravata sumtus suis opibus majores in tanta præsertim rerum necessariarum caritate, ne fame dicam. Querelæ ubique plurimæ, Nobilitatis, plebis; & quidam liberiùs apud ipsum Regem locuti in Bastiliam dati sunt, quorum est Comes Cramalius militiæ & aulæ vetus. Etiam Suessionensis Comes Regii sanguinis Princeps ab Aula nuper discessit exulcerato animo, quod in Regis conclave ubi de bello instituta erat consultatio, intromissus non esset: Princeps autem Condæus contra bellum in Hispanos susceptum multa disserit. Rumores quibus non populus tantùm, sed & Rex pascitur, Valentiam cis paucos dies sperare nos jubent. Sed rerum prudentes quamvis rupto Padi ponte novis auxiliis iter ablatum est, existimant tantum ex quo Celada intravit esse in oppido militis, ut vi agi vix quicquam possit humente præsertim anni tempestate, alimentorum verò eam copiam ut fames sperari non possit. In Rhætia stat bellum. Helvetios Pontificios intelligimus, transitum Cæsarianis ex Germania in Italia permisisse pecunia inductos, sed addita lege ne gregatim transeant. Tam in illis locis quàm in Germania Gallicæ copiæ vix dimidium implent ejus quod dicuntur. Et Sabaudus neque venit in castra ad Valentiam neque misit quantum pacta exigebant. Legatus interim ejus in Hispania hæc dixit; post Melonis Legati Hispanici abitum res multùm mutatas, coactum se ob necessitates suas suique populi aurem præbere Gallorum postulatis, ita tamen ut nihil ob id immutarit animum boni publici cupientem, neque depositurus sit unquam reverentiam devotam quam debeat Regno Hispanico. Princeps Doria Parmensis terras incursum it, videnturque ejus Ducis res sive bello, sive pace non optimæ fore quod à Gallia longiùs abest, & consilia ipsius à Pontifice non probantur. Galli multum transfugiunt: multos & morbi absumunt. Neapoli non cessatur omnibus modis pecunia fieri, neque auditus Pontificis Nuntius, Ecclesiastis levamentum postulans. Venio ad nobis propiora, Galassius capto Saræpontis & Bipontino oppidis junxit se cum Duce Carolo; ea res ut puto necessitatem imponet Incolismensi & Lafortio qui Lunævillam dereliquere cum reliquiis Valettani exercitus (peditum ei fermè alteram partem clade nuper accepta periisse intelligimus) se conjungendi. Neminem video qui ex illis locis quicquam boni exspectat. Nec meliùs Marescallo Castilionæo res procedit, cui Hispanus non minores copias opposuit. De pace multi sermones, plerique existimant expeditas satis Gallis rationes, cum Cæsare quicum bellum non habent, ex commodo Ecclesiæ Romanensis resarciendæ amicitiæ. Cum Hispano plusculum erit difficultatis, sed tamen cùm neuter quicquam teneant rerum alterius, (exceptis illis Maris mediterranei insulis) non ita difficilis videtur reditus fore ad Pactiones

Digitized by Google

ctiones Verbinenses. Quod de Gallico exercitu eo quem Castilionæus & Bressæus duxerant reliquum est inde revocatur magno impendio mari rediturum. Closelium ad se à Regina Matre missum ad pervertenda Regis consilia Rohanius vinctum tradidit fidei suæ pignus. Missus est hinc in illas partes qui de capite Internuntii sententiam ferat. Ponica noster heic adhuc hæret, pecuniam quærens alendo militi, cujus militis multa improbè facta in Regis subditos, etiam in muliebrem sexum, narrari audio. Dux Bernhardus ut ex Ponica intelligo, queritur nullas se literas à Subl. Tua post abitum accepisse. In castello ad Maguntiacum negat Ponica esse ad victum necessaria ultra mensis unius aut alterius necessitates. Comes Hanoviæ Iacobus multis fortiter factis nomen egregium consecutus huc venit, & me vidit: deseruit urbem pene contactam: nec multum de ea sperat, post tot urbium majorum exempla nisi Casselensis Landgravius eò supplementum introducat. Dux Bulionius & præter eum alius è Nassavia Dillenburgensi Domo in Pontificis Romani sectam transiere, orti majoribus qui nihil tale unquam de posteris suis sperassent. Legatus magnæ Britanniæ vereor ut post amissum Manhemum ac Franquendaliam multum promoveat in Palatinorum negotio, apud hanc Aulam res Protestantium nisi dum validi sunt leviter curantem. Ad pacis negotium sive Spiræ sive Constantiæ tractandum Davausius destinatur, rebus in Septentrione bene peractis inclitus. Meti & Nanciaci multum esuritur. Literas à Publiczio qui Tiguri exsulat accepi etiam ad Tuam Subl. quas mitto: accedunt scripta duo Latinum alterum quod ipsius Cæsaris ad Legatum suum Romæ agentem esse arbitratur: ego non inelegantis ingenii commentum esse censeo: Italicum alterum de Limburgensi Ducatu Palatinis dando in solatium amissi veteris patrimonii, ad fidem Hispani apud Britannum liberandam. Puto & hoc vigilantis esse somnium, quale olim fuit de Sardinia Antonio Navarræ Regi ab Hispanis ostentata. Simile est quod alii ferunt de Andegavensi Ducatu cum summi Imperii jure transcribendo in Ducem Carolum in locum Lotharingiæ. Multi sunt sermones de quadrimestribus induciis pangendis ubique inter bellantes, ut paci paretur via, cujus procurandæ causa Legatus Pontificii lateris Gienettius jam Roma abiit. Cardinalis Riceliacus negat multum se de pace sperare, quamdiu de ea solus verba faciat Imperator, qui cum Gallia bellum nullum habeat, non autem Hispanus. Ad hoc non admodum amici animi signum habemus, Secretarium Legati Gallici adhuc in Aula Hispanica retentum, vetitumque ministri publici officio fungi. Id jus talionis est pro eo quod hic Secretario Hispanico & Salazari evenit. Scripserat Regina Mater Nuntio Mazarino literas belli detestationem & mala omina continentes, quibus prætera ipsa si pax placeret se conciliatricem offerebat. Sed ingratam per se operam ingratiorem etiam effecit, arcanum illud quod à Rohanio patefectum dixi. De Bavaro velut non commodaturo suffragium Domui Austriacæ ad Imperium video susurrantes quosdam: mihi supra vetera vincula nova affinitas contrarium credibilius facit. Et Bavaro cohæret Coloniensis, nisi Gallicis aut Batavicis armis terreatur. Maguntiacensis quin planè Hispanicarum sit partium nemo dubitat. Trevirensis in victoris est potestate. Saxo quid clam promiserit non difficilis est conjectura. Duas cohortes Gallicas quas Regimenta vocant, cæsas à Galassio jam nuntiatur, ipsum quærendis alimentis cogi ad irruptionem in Galliam: cui prohibendæ missum à Rege qui ad duces Gallos mandata ferat, audendi prælium. Deus bene vertat, aut si arma nostra sociorumque prosperare ipsi cordi non est, det sine probro ac periculo pacem, idemque, Excellentissime Domine, Sublim. Tuam bono publico sospitet $\frac{16}{26}$ Octobris, 1635.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

VEntos reflantes prohibuisse credo, quo minus ullas abs te post illas 24 Septembris datas acceperim. De Gustaviburgo & Franquendalia hostium factis, credo intellexeris. Rex huc rediit: videturque Galassius aditum in Galliam sperare, nisi prælio occurratur. Valentia ad Padum capta nondum est. Pontificii Helvetii creduntur iter Cæsarianis daturi. Multi de pace sermones, multi & de induciis quadrimestribus. Sed crescunt interim irritamenta. Secretarius Gallici Legati in Hispania retinetur: & à Regina Matre missus ad Rohanium Closelius ab ipso ad Regem mittitur, graves pœnas daturus tentatæ Ducis fidei. Eo minùs grata esse potest opera, quam Regina eadem pro pace offert suis ad Masarinum literis. Tamen abiit Romæ Cardinalis Gienettius ad pacem inter Romanenses Principes commendandam parum haud dubiè ex Protestantium commodo. Legato Britannico satis cordi est Palatinum negotium. Sed armis talia meliùs quàm nudis Legationibus procederent. Itali Palatinæ Domui ab Hispano Limburgi Ducatum dari volunt. Sunt hic, Ponica pro Duce Bernhardo, & notus factis egregiis Iacobus Comes pro sua Hanoviensi urbe, non dubium quin graviter periclitante (nam & pestis præsidium validè imminuit) laborans. Bastilia Comitem Cramalium aliosque hospites accepit, usos lingua liberiùs, quàm dominantibus expedit, multorum præsertim auribus ad fabulas & animis ad seditiones prurientibus. Magno cum Protestantium dolore huc allatus est rumor de mutato in Pontificium Duce Bulionio: & de alio Nassaviæ Dillenbergensis Domus, idem mihi narravit Comes Iacobus. Non ego tantùm, sed omnis hic Aula sollicita est, quod pridem nihil habeamus de Magni Cancellarii rebus. Deus illi, tibique & tuis, Illustrissime Domine, propitius adsit. Lutetiæ 26 Octobris novi Cal. 1635. 499

Ill. Dom. Tuæ omni studio addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

LIteras à Batavis huc venientes interceptas mari ab hostibus audio, doleoque hoc magis quod magno tenebar desiderio noscendi ea quæ geruntur, præsertim in Saxonicis partibus. Postremas Subl. Tuæ datas 23 Aug. Vet. Cal. accepisse me 7 Octobris novi Cal. jam ante significavi & quod responsum mihi esset à Cardinali & à Bulionio. Ex eo promovi nihil. Sed horum voluntatem haud dubiè propius certiusque ex Sanctichaumontio Subl. Tua intellexerit. Rex heic perstat rem velle ad prælium perducere, idque Mileræus Cardinalis propinquus ad duces Gallos (prope Amantium in Lotharingia ii convenerant collectis hostium exemplo copiis) pertulit, qui ea de re 23 Octobris novi Cal. consilia habebant, in utram partem ceciderint, multum ad rem pertinentia. Hostis ut nobis significat Thuanus, qui nunc apud Cardinalem Valettam & jurisdictioni & pecuniæ præest Regiæ, habere credebatur XVIII. M. peditum XVI. M. equitum, ac se munire Mariæmonti apud Dieusam: credo ad declinandum prælium, victus non egens (quantum ex Iacobo Comite Hanoviensi intelligo) qui partim ex Belgicis terris advenit, partim restat ex Transrhenanis locis illis in quibus messis facta fuit. In hoc rerum salo multum sua referre Rex judicavit, retineri in partibus Bernhardum Vinariensem, qua de re agitur hactenus cum Ponica, qui quotidie ad intima Regis consilia admittitur. Data 500

ei

Digitized by Google

ei fides de cccc M. florenorum in præsens. c M. mense Ianuario sequentis anni, Februario L M. ea lege ut Dux fine hujus anni, si potest augeat copias suas, ut sint VI M. equitum, peditum XII M. siquid desit eò minùs etiam pecuniæ percipiat. In posterum promittuntur Duci IV milliones annui summa ingens, ideoque ad famam magis, ut puto, quàm quod tantum largiri velint Galli, aut Dux tantum speret accipere. Additum, siquid hostilis terræ capiatur, ejus fructus proportione Regem sublevent. Maguntiaco adsitum Castellum diu teneri posse desperat Ponica. Promisit præterea Rex siquando pacem faciat, se cauturum speciatim & Duci Bernhardo & ejus tribunis, centurionibusque. De Valentia nihil aliud intelligo, quàm magno præsidio rebusque necessariis omnibus defendi locum: & nisi jam captus sit desperandum quidem hoc anno ob exundaturos amnes. Sabaudus quanquam ad obsidium adduxit copias, satis tamen Hispano præstitit ad hoc usque anni tracta mora. Hispanus quantum è literis Italicis datur cognoscere, Mutinensem ad otium perducet: Mantuano Duci nuptiæ Ænipontanæ Principis viduæ, & pupillæ quæ sub ejus tutela est, matrimonium cum Archiducum aliquo eminus ostentatur. Sed perstat nullas velle pactiones, nisi probatas Gallo & Venetis, quibus servatæ hactenus rei suæ est debitor. Parmensis copiæ valde sunt imminutæ, ad quem à Pontifice ivit Vicelegatus Bononiensis, ut eum gravibus minis à bello absterreat: IV M. militum è Germania per Helvetiorum Pontifici adhærentium terras Italiam petere dicuntur: & mox sub Fernemontio secutura totidem. VI M. alia destinari ad itineris illius inposterum custodiam, Duci Parmensi quæ in Regno Neapolitano possessa fuerant, vendit fiscus. Classem auget Hispanus nullo facto claram post captas insulas duas. Legatorum nomina quibus Cæsar & Hispanus negotium pacis sint commissuri, nondum audimus, nisi quod Sarmientus dicitur in illis locum sperare. Ecclesiasticæ opes inter sustentamenta sunt belli utrinque; nam & Galliæ Antistites in collationem aliquam consensere. Et de suis Hispanus sumit quantum lubet contribuente & Pontifice. Emissus Bastilia Arnaldus quasi innocens, nullo accusante dum scissa Germania aliud habet quod agat. Rex è Gallia remotiore quantum potest copiarum ad Campaniam vocat, ne desint, qui Galliam ibi tueantur, siquid improsperè prælio eveniat. Fœderatorum Germaniæ, in partibus Galliam tangentibus, inane est nomen, tot Principum tot civitatum defectione, ne Argentorato quidem in rem communem quicquam conferente. Tamen facilè impetravit Ponica, ut Ducis Bernhardi copiæ nominentur fœderatorum demulcendos ad Germanos revera sub Regis imperio non minùs futuræ, quàm quas Valetta, Incolismensis, Lafortius habent. Ita ferunt tempora, neque res tantùm sed & animos immutant; Mitto Subl. Tuæ exemplum postremi fœderis Gallos inter & Batavos diu tracti, multum disputati, exitu hactenus parum prosperi. Multa in eo observatu digna quæ Subl. Tua tractus illius non ignara, facilè intelliget quò pertineant. Spero Subl. Tuam omnium eorum quorum antehac eam commonefeci, ut dignitatem mihi commissam tueri possim, memorem fore. Deo, Excellentissime Domine, res Subl. Tuæ cordi sint. 31 Octobris novi Calendarii 1635.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

501 VErumne sit quod dicitur nescio equidem, literas quæ huc mari veniebant ab hoste interceptas. Certè ter septeni dies ierunt, ex quo nihil inde ad nos advenit. Abs te postremas quas habui, eæ datæ erant die Septembris 24. Mireris quanta hic sit liberalitas. Duci Bernhardo IV. milliones promittuntur annui, ad alendum exercitum federatorum Germaniæ (id enim nomen retinet) ad VI millia equitum, peditis duplum. In præsens cccc M. Florenorum sperat se ablaturum Ponica. Magna est Ducis Bernhardi fama, quod servasse exercitum Gallicum, cùm se nuper à Rheno retrorsum reciperet, creditur: & re, si hostis velit, ad prælium spectante, (id enim Rex qui huc rediit se velle profitetur) & ad vires & ad famam pertinebit, illum Ducem retineri in partibus. Galassius apud Dieusium habere dicitur XVIII peditum XVI equitum millia, superior Gallis haud dubiè, maximè ex quo feudorum possessores sumtibus exhausti & Regis secuti exemplum, ab eo fine abierunt. De Valentia habemus nihil, nisi spem bonam, quæ tamen inanescet, nisi jam nunc aliquid actum est. Imminent enim humentium camporum tempora, quà pene est ut exspectasse dicatur Sabaudus. Ita serò copias promissas adduxit, fratrem interim apud Brabantos habens & procuratorem apud Hispanos. Mutinensis videtur se bello subtrahere, conditionibus ab Hispano latis contentus. Parmensi minatur Pontifex; si spontè id facit, infidus Gallo: si coactus, non pluris faciendus quàm ii qui in aliena sunt potestate. Plura tempus parturit: quæ, ubi apparuerint, scribam. Optans interim, res felices publico, ac tuis, Illustrissime Domine, privatis rebus. Lutetiæ 31 Octobris novi Cal. 1635.

Tuæ Ill. Dominat. omni observantia addictissimus H. G.

VAGESIO,

Professori Hamburgi.

SIcut Hamburgi cùm essem, Vir Clarissime, magno mihi gaudio fuit, tua amicitia propiore frui, ita ex quo abfui, tum per Germaniam tum per Galliam, nunquam mihi excidit animi tui candor, egregius magnæ eruditionis comes: quo magis gaudeo te è cælibum numero in nostrum ordinem transgressum ut non tantùm operibus juvare possis, ut solent amantes literarum, sed & idem olim præstituros posteritati liberos serere. Id indicantes literas seriùs quàm vellem accepi 29 scilicet Octobris novi Calendarii, nec scio de quo queri debeam, nec quis eas ad nos, multum vagatas, attulerit. Cùm igitur hortator ad nuptias serus futurus sim, superest ut precator fiam, tibique & uxori, quàm judicio valere inde quod maritum te delegit, cognosco, omnia optem, quæ novis conjugibus optari solent, aut si quid est amplius. Perfunctorium quid hoc est, fateor: sed si unquam rebus etiam præstare quicquam potero, tibi quod gratum tibive caris sit usui, comperies non parcum operæ. Vale Vir eruditissime, scribebam Lutetiæ 31 Octobris novi Cal. 1635. 502

Tuæ Cl. studiosissimus H. G.

SMALCHIO.

Nobilissime Domine.

POst tuas 23 Aug. Cal. vet. datas, nihil abs te habui, 503
multum desiderans ea nosse quæ vestris in partibus geruntur, tum ut si de iis loquendum sit, nihil dicam abs re alienum, tum ut ea esca piscari possim nuntios rerum, quæ alibi geruntur. Quid heic agat Ponica, quis status Maguntiaci, quis totarum partium sit, ex quo Rex à Lotharingia huc rediit ex meis ad Magnum Cancellarium literis disces. Illud unum, quod quam fidem mereatur vos ibi optimè judicabitis, reticere apud te non possum, scriptum mihi Varempiterum Secretarium in gratia esse apud Hungariæ Regem: neque eum pudere, jactare se quod dum federatis operam navavit, omnia direxerit in usum Imperatoris & pernitiem Suedicæ rei. Besoldus magni nominis Iurisconsultus in Pontificiorum

 Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiam transiit, idem fecisse audio Nassaviorum Dillenbergensium unum. De Duce Bulionio idem hic jactatur, sed nondum satis liquidis rumoribus. Si quid porro scitu dignum evenerit non patiar vos ignaros. Te rogo me doceas quot è Polonia milites Galli conduxerint? quo eant? sint ne cum Saxone induciæ? quid in Prussia retineamus & quamdiu? & si quid his simile est. Vale Vir nobilissime. Lutetiæ 31 Octobris novi Cal. 1635.

Tua Nobil. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

504 Postquam heri scripsi occasionem nactus euntis ad Hollandos amici: accepi quas interiisse putabam Subl. Tuæ literas, datas illas 10 Septemb. vet. Cal. Et ut me pararem ad visendum Regem & Cardinalem, Ponicam primum huc qui diu in Aulæ tractus venerat, conveni, qui res dicit eum in modum inter Regem Ducemque transactas uti scripseram magis ad famam, ut putare me dixi, quàm ut aut hic aut ille eventum parem destinent aut exspectent. Video ex chartis ad me transmissis nihil illis in partibus firmi præter gentem Suedicam. Neque minùs difficile mihi fuit heic conspicere Legationem ad Subl. Tuam & alios ibi Principes non ob aliud differri, quàm ne pars invidiæ ob tardatam Germaniæ pacem in hanc Aulam rejiceretur, quæ per Italiam Germaniamque credi vult suas se injurias contra Lotharingum exsequi: interim hi se non Episcopis tantùm & Bavaro, sed & Imperatori jactant ut desiderantes pacis & Romanæ Ecclesiæ si quisquam studentes. De pecuniæ spe quam nobis faciunt puto commenta esse hominum nostræ patientiæ illudentium. Nam quod de novis tributis, aut vectigalibus loquuntur, temporibus non convenit, commota multis locis plebe, neque magis amante res præsentes nobilitate. Quo magis confido Subl. Tuam alibi reperturam unde consulat non tam meis rebus, quàm dignitati rei Suedicæ, quæ nisi caro sustineri his in locis nequit. Foppium Aysemam rerum Germanicarum scientem novi: à Suedis nonnullis haud optimè se habitum queri solebat, jure an injuria, non dixerim. Si ad pacem res eunt petet sibi gloriolæ & gratiæ partem. Nostri Batavi dejecti à spe tanta, quam tanti exercitus dederant malis terra marique rebus, exhausto ærario, ægrè sustentata fide, vereor ne ad pacem etiam nimiùm præcipites sint. De Sanctichaumontio quid heic existimetur, perscripsi planè quod ille aliis, de quibus cogitatum fuerat, prælatus est indicium manifestum fuit, Aulæ magis Romanæ quàm Protestantium gratiam, ab iis qui rerum potiuntur, spectari. Hæc sunt quæ ad epistolas adeo recentes, addenda nunc habebam, additurus plura, ubi Regem ac Cardinalem videro. Constantiam Subl. Tuæ neque admirari, neque ubi res fert prædicare desino. Deus eventa fortunet, Tuæque Subl. Excellentissime Domine, det magnis laboribus egregium finem imponere. Lutetiæ Cal. Novemb. anno 1635.

EIDEM.

505 Literas Subl. Tuæ 10 Septemb. vet. Cal. accepisse me scripsi tum pridie Cal. nov. tum ipsis iisdem Cal. secundum nov. Calend. ut jussa implerem, optimum factu judicavi à Cardinali incipere quem Ruellæ vidi 3 die Nov. ex eodem novo Cal. Dixi de acceptis literis & quæ iis continebantur, ordine omnia de Electore Brandeburgico, de civitate Brunsvicensi, de Beauregardio, de Aysema, de statu rerum cum Saxone, de Tuæ Subl. ad Mecklenburgicum literis. Addebam credere me jam pleraque intellecta per Nortæi literas, eas ajebat nondum venisse. Suartzenburgico juveni dicebat literas advenisse, quæ Brandenburgicum dicerent pacem sub conditionibus fecisse: Inter eas esse ut & Galliæ & Sueciæ satisfieret. Dicebam ex literis ipsius, quarum exemplum sicut vellet me traditurum, apparere eum pacem fecisse nullis conditionibus. Quæ à Tua Subl. suggesta fuerant plurima, ea referebam, non putasse eum morari pacem debere. Sed suo tempore posse commendari, & de iis agi cum Saxone Electore. Omnibus intellectis Cardinalis multa de religione federum, exempla præcedentium culpam levare non tollere: nulla necessitate cogi quenquam ut turpia faciat. Quæ dicerem eò pertinere ut discedatur ab iis quæ Compendii convenerant. Legationem mihi injunctam pessime injunctam unde nihil nisi dedecus sperari posset, purgandi malam fidem primùm contra Parisiensia facta nunc contra recentiora, hæc non uno tractu sed saltuatim dicenti, respondi ad singula. Tolerasse Tuam Subl. communis rei causa plura quàm quisquam esset toleraturus: perstare solum desertum ab omnibus circum sociis imò totidem propè hostibus circumdatum. Ne nunc quidem eam definiisse quid faciendum esset in summis difficultatibus. Tam diu me promissam pecuniam exigentem profecisse nihil, potuisse sociorum nonnullos fortè retineri, si ad Sueciæ laborem accessisset Regis auctoritas: Toties postulatam à me Legationem Regiam in eas partes serius venire, quàm publica utilitas ferebat. Tamen nihil Subl. Tuam aliud quàm ostendere, quàm in malo statu res esset, ut de remedio si quod inveniri posset cogitaretur. Paratam Subl. Tuam ad communicanda consilia sive per S. Chaumontium sive quocunque modo Rex vellet. Fecisse semper Subl. Tuam quod Viri & boni & generosi esset officium, habituram & nunc officiorum accuratam rationem. Ille de remedio nihil: obtendi hæc ut seorsim pax fieret. Fecisse similiter Landgravium. Ea occasione omnium Protestantium nomen involvit in malæ fidei crimen: inde satis esse unde non tantùm federa ipsorum in posterum caveantur sed & cognoscatur Religionis pravitas. Dixi apud æquos hactenus malæ fidei notam inustam fuisse Concilio Constantiensi ejusque approbatoribus. In Protestantium parte præter vetera exempla constantiæ bonæque fidei specimina non exiguum Subl. Tuam præbere, tot malis invictum, addidi & Ducem Bernhardum, quod cum scirem plurimi fieri: Polonicam pacem pro magno beneficio imputanti atque inde imminuenti pacis cum Cæsare necessitatem, dixi primùm incertam esse pacem quamdiu probata non est: deinde ut rata sit magno constituram Suetiæ concessa Prussia quæ & Regnum tegeret & pecunias rebus in Germania gerendis necessarias subministrasset hactenus. Ad hoc commotior requirebat prudentiam, id quod pro magno beneficio accipiendum esset tam ingratè interpretantis. Cùm dicerem sequi me mihi mandata, in eos qui mandassent vertebat orationem. Viros sapientes fuisse Lagardium, magnum Thesaurarium, atque alios qui pacem istam fecissent. Id non negavi, neque putare me factum quicquam inconsulta Tua Subl. Nimirum viros sapientes cedere sæpe amicorum consensui. Non mirum igitur si etiam cum Suetiæ damno mos gestus esset Galliæ, Angliæ, Batavis. Illo regerente Subl. Tuam id dolere ob amissa sua commoda, respondi Prussiam propriam fuisse Subl. Tuæ Præfecturam neque mirum optasse quam ipso allaborante Suetia Provinciam acquisiisset, eam diu manere indicium sui pro patria laboris. Talis argumenti sermonibus mutatis aliquamdiu ad postremum, velut ex æstu se recipiens dicebat, suum nihil esse nisi audire. Nolle pronuntiare se priusquam appareret quid ageretur. Cùm repetiissem post tam longam patientiam ne nunc quidem omissuram quicquam Subl. Tuam quod Virum bonum ac fortem deceret: nihilque malle quàm ut urgentibus malis medicina inveniretur, mihi verò dolere, quod non daretur mihi lætiora nuntiare, discessi. Exeunti obvius ut nuper fuit Masarinus, de pace credo acturus, ad quam invitari se dixerat Cardinalis. De eo negotio colloquia Itali ajunt Genuam transferri, quo propior Pontifex res suo ex usu diri-

Digitized by Google

dirigat. Quinto die Nov. novi itidem Cal. apud S. Germani à Rege auditus narravi omnia, quæ literis Tuæ Subl. 23 & 30 Iulii, 23 Augusti, 10 Septemb. vet. Cal. continentur. De Saxone, de Lunemburgico, de Edicto milites avocante: de meis hic ad obtinendam quæ promissa fuerat pecuniam irritis laboribus: de Legatione toties postulata: ibi Rex interfatus missum dixit S. Chaumontium. Pergens ostendi serò venturum, cùm jam nemo esset qui retineri posset in fœdere post Lunemburgicum & Meclemburgicum, jam & Electore Brandenburgico Saxonem secuto, ipsaque civitate Brunsvicensi. Cum Prussia auferri omne id unde militi stipendium inveniri solebat: itaque dilabi militem. Fecisse Subl. Tuam plusquam facturus fuisset in tot adversis quisquam alius: neque nunc quicquam constituisse certi: sed voluisse gravissimas difficultates ipsi ex vero proponi, si quod fortè reperiret remedium. Ad hæc ille nihil aliud quàm accusare Germanos, quorum saluti non suis rebus consulens ipse tantos fecisset sumtus, armaque sumsisset deserti fœderis. De remedio nullum verbum. His ante meridiem actis, Rex brevi prandio refectus Cardinalem Ruellis adiit. Ita enim nunc factitatum ab aliquo tempore, ut non Cardinalis ad Regem, sed Rex ad Cardinalem veniat. Credo quod id vitæ Cardinalis tutius judicetur, qui apud se custoditus, alibi magis futurus sit obnoxius inimicorum insidiis. Die 14 Novemb. secundùm idem nov. Cal. vidi Britannicum Legatum. Is Principem Palatinum dicebat in Angliam ire. De Franquendalia essetne salva nec-ne (ipse Ponica qui mihi amissam affirmaverat negavit postea) dubius hærebat. De Polono Rege credebat quidem eum Imperatori non amicum, quod is ad Fratrem Regnum perferri præoptasset, sed auctoritate Episcoporum in illo Regno potentium impediri quominus sublevet Protestantes. In Hollandiæ partibus ad inducias spectare partem maximam, & jam colloquia in id instituta. Cùm opponerem fœderis Gallicani vinculum, dicebat suspectas illis esse Pontificiorum Nuntiorum de pace machinationes; præsertim quod omnia illa consilia clam se haberentur. In Gallia existimabat eam esse nobilitatis & plebis alienationem animorum ab hoc bello, ut nova onera imponi à periculo non sit absuturum. Tum ex ipso, tum ex Italis disco de Valentia capienda spem labascere, Sabaudo cujus cunctatio rem corrupisse creditur, contra Crequiacum accusante, quod contra quàm ipse suaserat, huic se obsidio implicasset. Quo in loco res sint cis Rhenum ex binis Thuani quas mitto literis intelligi poterit. Illud præterea multis authoribus disco, Galassii copiarum partem grassari apud Langres oppidum Burgundiæ Gallicæ. Ponicam intellexerat Anglus præsentia accipere centum millia scutatorum: promitti quotannis ejus quadruplum, quæ ipse in majus ut fama frueretur, extulerat. Castilionæi reditus ex Picardia exspectatur, re acta nulla ob impares hosti copias. Ransovii copiæ multùm nudantur fuga militum. Mitto simul quæ ex Italia scribuntur, & rumores quibus hujus civitatis vulgus pascitur, & literas à Tiguro quibus inclusa sunt quædam à Constantinopoli venientia. Cùm autem & quamprimum & quàm certissima via putarem certiorem faciendam Subl. Tuam de his quæ à Rege & Cardinali responsa essent, misi cum his literis & earum accessionibus filium meum, cujus conspectus ut spero eam memorem faciet rerum mearum, ne supra quàm res meæ ferunt erogatione premar. Dum heic sum & tanta decori causa impendia facienda habeo, nihil accepi præter illud trimestre, quod jam antè adventum meum debebatur. Quod ipsum vix precando obtinui. Interim deberi cœpere duo trimestria. Magna fuerunt itinerum impendia. In idem tempus, incidit supellectis pro dignitate comparatio. Vlterius erogationem facere non queo: & quam feci hactenus non feci sine magno meo incommodo. Spem quam dat interdum Bulionius fallere jam toties, & nunc etiam minùs est quod speretur, cùm voluerit Subl. Tua me ea nuntiare quæ metum illis injiciunt ne seorsim armis se subtrahat Tua Subl. Si qua præterea in re usus esse aliquis filii mei poterit, erit id mihi longè gratissimum. Hæc postquam scripseram die 7 Legatum vidi Venetum: is mihi confirmavit quod eodem die per unum è suis mihi Legatus Anglicus significaverat, introductis per clam emissum militem in Valentiam cum rebus aliis, tum funibus ad musquettarum usum necessariis abiecta ab obsedentibus spe capiendi oppidi, discessum inde: & Parmensem in agrum Sabaudicum abduxisse, quod ipsi restabat militis. Nisi cùm vere novo redeat fortuna melior, non erunt extra periculum tam Parmensis, quàm Mantuanus. Ex eodem Veneto didici Rohanio per Closelium ab Hispano oblatum, Regia matre pararia, Principatum Vallis Telinæ & Rhætiæ, sibi nihil aliud postulante Hispano, quàm jus transeundi & ut religio utraque pari jure uteretur, ipso Rohanio multùm rogato, ut se ad Romanensem transferret: addito perlatam & Fratri ejus Subisio pecuniam ut ex Anglia in Galliam transmitteret, & commotis ibi Protestantibus statum Galliæ turbaret. Rex & Cardinalis omnibus prædicant se in armis perstituros, donec pax communis pariatur. Vtinam qui sub illis res curant eandem magnitudinem animi, & qualem res exigunt fidem ostenderent. Deus prosper adsit & imprimis Tuæ, Excellentissime Domine, Sublimitati. Sub vesperam 8 Novemb. Nov. Cal. Anni 1635.

EIDEM.

Excellentissime Domine.

POstquam cum literis meis postremis filium misi, nihil his in locis dignum memoratu evenit, nisi quod abiit 506
Ponica, præmissis ut ait quadringentis florenorum millibus; promissisque in annos (ita enim dicere perstat) quatuor millionibus, dum exercitus Ducis Bernhardi anno ineunte habeat equitum sex, peditum duodecim millia. Si minùs fuerit copiarum, minùs & pecuniæ detur. Promittit Dux Bernhardus eos qui perstituri sunt in federe Germanico (id enim nomen usurpari placuit, quanquam revera omnis hæc militia Regis Galliæ sit futura) quique se in posterum ei federi sunt adjuncturi, nulla sine Rege inituros pacta. Ipsum instrumentum, quod pollicitus fuerat, mihi non ostendit Ponica, credo quod in eo sit conventum, ut Maguntiacum & ubi victus defecerit castellum adsitum in Gallorum perveniant manus. Rogatus enim à me sæpe nullane esset ratio inducendi eò commeatus, negavit. Credo Ducem & Ponicam pretium percepturos traditæ rei alienæ. Castilionæus jam in hac Aula est, testis quam tenues in Picardia fuerint copiæ. Soluto Valentiæ obsidio, miles Gallicus sociorum agros hostiliter vexat. Rhætica Legatio Ænipontem jam profecta est. Anselmus Felsius Legatus Cæsaris in Helvetiorum conventu gratias iis egit, quod Vallis Telinæ negotium ad quietem traducere cuperent: addidit è re fore, ut eductis Gallis Helvetii Romanenses ea loca Romanensemque ibi religionem servanda suscipiant, donec propius aliquid convenerit. Hæc eò directa sunt ut Galli, qui Rhætis ex promisso reddere Vallem Telinam cunctantur, odiis illorum populorum objectentur. Turmæ equitum aliquot è Bohemia in Tirolim advenere. Et hi, & quod ibi hactenus fuit militum ad tutandum agrum Mediolanensem ire creditur. Metuere enim videntur Hispani ne ubi Vallem Telinam obsepserint Alpinæ nives, Rohanii copiæ & ipsæ in Italiam transeant. Rhætica hæc à D. Sprechero habeo, qui se studiosè, ut solet, Subl. Tuæ commendat. Burgundiam Gallicam aliquanto jam interiùs vastant Galassii excursores. Præter mala alia metus ab induciis Batavis Aulam hanc sollicitam habent: quæ Graecho fidit, quantum 32. 49. 50. 102. 53. 113. 91. Arnautius Ruellæ his die-

Digitized by Google

dicbus visus est, quem vulgus Philippiburgicum vocat. Mitto quæ heic lactandæ plebi sparguntur de mille ducentis hostibus à Duce Bernhardo cæsis vix cuiquam sano, ne ipso quidem Ponicæ credita. Induciarum Suedopolonicarum exemplum ad me per Polonos pervenit: quò ea res abitura sit avidè exspectant omnes. Existimavi in omnia ea quæ evenire possunt non abs re fore edoceri à me Legatos Anglum & Venetum, tum de Tuæ Subl. continuis laboribus ad retinendos in societate Germanos Principes ac Civitates, tum de pecunia ac Legatione quæ heic promissa nobis fuerant tractis tam diu, donec utendæ pecuniæ tempora maximè necessaria effluxissent, corpus autem Germanici fœderis dissutum esset. Hæc postquam scripseram, intelligo, heri huc venisse cursorem è Rhætia ad Regem, qui dicat, hostium qui in Tiroli erant plusquam duo millia à duce Rohanio cæsa. Ponica digressus, hodie obvium sibi quendam nactus à Duce Bernhardo missum, rediit in viam. Non it cum eo Iacobus Hanoviæ Comes, qui hoc ipso tempore venit valedictum, iter suscipiens ad Landgravium, quem nunc ajunt, contra quàm dictum antehac fuerat, perstare in partibus, adferens ad eum chirographa fidem factura pecuniæ in usum militis. Sperat ab eo aliquid se pro Hanovia obtenturum, civitate bene merente, ipse de partibus optimè meritus. Deus omnia in bonum commune dirigat, Tuamque, Excellentissime Domine, Sublimitatem tueatur. Lutetiæ 4/14 Novembris 1635.

Ponica ut huc redierat nihil moratus statim abiit, iterum venit huc Sadlerus: sed eum videre nondum licuit.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine.

507 GRatissimum mihi fuit è literis 11/21 Octobris tum valetudinem tuam, tum res Rhæticas cognoscere. Germaniæ federati & Galliam & Suediam ipsorum in gratiam huic bello implicata Regna, deserunt. Magnus interim Cancellarius ab omnibus sociis prope nudatus relicto Magdenburgo tuendæ ingenti præsidio, ipse cum equitatu in Pomeraniam abiit, quæ ab hoste impetebatur: ubi vires auxerit ex eo exercitu, quem Laguardius in Prussiam, dum incertæ res nostræ cum Polono erant, adduxerat magno ut solet, animo belli fortunam in veteres novosque hostes tentaturus. Galliæ autem Rex & animo vegetus & corpore Duci Bernhardo ad sustentanda equitum sex, peditum duodecim millia dare promittit annuos milliones quatuor, præsentis pecuniæ misit ei quadringenta florenorum millia. In futurum annum magna parantur molimina, qui utinam rebus Protestantium prosperior sit, quàm hic fuit, tot cladibus ac defectionibus nobilis, exempta una Rhætia vestra quæ nobis jam dudum optimos nuntios mittit. Quid Æniponte, quid in Helvetiis conventibus futurum sit avidi exspectamus. Non omisi Magno Cancellario testari constantiam tuam in res Suedicas, atque amicorum ejus Regni fidem, in qua ut perstes, quanquam rogandus non es, tamen, ut quod meum est faciam, obnixè rogo, tibique & amicis omnia precor secunda. Lutetiæ 4/14 Novemb. 1635.

Tuæ Nobil. toto animo addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

508 SAdlerus hic est, & cum eo Vitzdomus, is qui Saxenhusii fuit. Sadlerus literas à Cardinali Valetta ad Patrem Iosephum & Butillerium secum tulit, quas tradidit ipsi. Vicissim datæ sunt quas ad S. Chaumontium ferat, quibus inclusas esse arbitror ad Tuam Sublimitatem scriptas. Sadlerus Maguntiaci castello, quod fuerat alimentorum, jam defecisse judicat, nec aliter censet Vitzdomus. Dixerat abiens hinc Ponica Sadlero omnia quæ Alsatia Rex tenet, data fruendo Duci Bernhardo dum bellum manebit: si pax fiat, Regem effecturum ut ratio habeatur, tum auctarum ipsius rerum, tum & spei de Franconia, semperque etiam pacis tempore exercitum decem millium sumptu Regis ipsius sub ductu fore. De Franquendalia hostium facta jam constat. Scribit Thuanus 10 Novembris nov. Cal. misisse hostem partem copiarum & machinas octo ad obsidendas Tabernas. Vim exercitus hostilis adhuc munimentis teneri apud Meseriam, ita ut pugnæ spes nulla sit: neque tamen otio abire tempus: per Vinariensis diligentiam ademtos hosti vicos aliquos, quibus se tenebat. A Nanciaci præsidiariis cæsos hostium eos, qui ad S. Nicolai prædabundi excurrerant: sperari & audendi occasiones in eum militem, quem Episcopus Viridunensis ex Coloniensi agro & aliunde adduxit; ferme quatuor illi sunt millia Metim inter & Viridunum. Laudat quod ad tuendum Campaniæ limitem copias aliquas Rex habeat sub Comite Suessionensi. Hanoviam aliquid rerum necessariarum importatum dicit, unde, non addito. Addit ei qui Maguntiaci est militi excursus jam esse liberiores. Posterioribus literis adjungit die 11 novi Cal. equitatum omnem ducentibus ipsis Cardinali & Duce Valetta egressum ut Croatos Vergavillæ stativa habentes cæderent: sed non dato ad eos aditu, partem tantùm sarcinarum in Suedi militis venisse potestatem, eam credi valere C. M. scutatorum. Hæc habebant illius literæ, quibus nihil est exploratius, ne apud Aulam quidem. De Landgravii paratibus in bellum aut pacem sermones vacillant. Profectus ad eum per Batavos est Comes Hanovius. Cum eo Hollandiam petiit Heufdius noster, Bressæo & Charnassæo adjutor futurus, ad disturbanda omnibus modis induciarum Batavicarum molimina, quarum in hac Aula non levis est metus: eoque magis quod dixisse feratur Princeps Arausionensis effecturum se brevi, ut Scenquianum castellum in Batavorum potestatem redeat, cujus boni opera quæ illic fiunt peritis spem nullam præbent. Quas cum his mitto literas, puto esse ab Haga nostro. Nescio an illis literis recentius sit quod mihi affirmat Legatus Venetus. Recianum urbem à Turca captam: credique majoris mali metu adactum Persam quovis modo se eo bello explicaturum. Inde in Christianorum partem aliquam incubitura arma Sultani, quantum fama judicat bellacis & apud militem cari. Id si erit, aut Suediæ Galliæque patescet aliqua rei gerendæ occasio, aut Imperator & Hispanus ad æquiora quàm nunc pacta descendent. Pacis avidum esse Imperatorem Vienna scribitur. Addunt literæ de Polono dubia ibi esse judicia. Scripsisse Saxonem rationem agendi quam Tua Subl. institit, plenam esse insidiarum: nihil omittere Sabaudum quo ei Aulæ se purget: societatemque suam cum Gallis necessitate sibi extortam persuadeat. Valli Telinæ minùs jam timetur obsepto per nives Bormii transitu, pestilentia ad hæc per Tirolim sæviente. Angli non modo in Hispanum nihil agunt, sed & veteres cum Batavis controversias asperant. Est jam sub prælo Londini de mari clauso sive de dominio maris, Iohannis Seldeni liber. In duabus à se captis insulis Margaritæ & Honorati tum præsidium militare, tum opera auget Hispanus; crediturque præterea sperare equitem à se in Provinciam Narbonensem posse transponi. Cardinalem Lugdunensem tædet moræ ad Aulam Romanam, & quantum intelligo in negotio dissuendi matrimonii, nihil ibi proficitur. Pavius in Aulam hanc accitus rogatusque, numquid haberet de induciis quæ apud Batavos cuderentur? scire se negavit, nihil ut arbitror mentiens. Eadem hæc Aula abeuntem Heufdium onera-

Digitized by Google

oneravit promissis de pecunia, sed ita, ut nihil ipsi scriptum atque signatum daret. Spargit & rumorem de Suedorum magnis per Bohemiam successibus: utendumque ipsis dari eum militem quem de Polonicis copiis Davaulius conduxerat. Habeantne hæc aliquid in se veri, an temporis causa fingantur, unde discemus? Bulionius ægrotat, illud satis mirari non possum quod ex Ponica se habere dicebat Sadlerus (mihi enim nihil tale dixerat Ponica) sperare se Benfeldium in Ducis Bernhardi potestatem venturum, volentibus aut nolentibus Suedis: sed hæc latiùs explicabit Sadlerus ipse, qui cis dies quatuor iter ad Tuam Sublimitatem arripit. Deus, Excellentissime Domine, vitam, valetudinem, ac res Subl. Tuæ prosperet. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Nov. 1635.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

NICOLAO FABRICIO PEIRESCIO, Senatori Aquisextiensi.

509 MItto, Vir Nobilissime, nonnulla è Porphyrii libris allata à Christianæ fidei defensoribus, unde cognitu facile, quàm multa in eundem usum derivari possint è libris ejus, si totos haberemus; illos præsertim, quos contra Christianos cùm scriberet, plurima ipse in se & suos arma porrexit. Veneno, quod inesse iis libris potest, satis parata remedia ex tot Christianorum veterum Apologeticis scriptis: illis præcipuè, quæ contra Celsum Origenes, contra Iulianum Cyrillus, commentati sunt. Quare ad egregium publicum pertinere arbitror, ut illi libri sint in manu eorum, qui uti & velint & possint. 25 Nov. 1635.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine.

510 QVanquam scripsi nudiustertius per tabellarios, tamen Sadlerum euntem ad Subl. Tuam nolui sine meis literis dimittere. Video rerum prudentes omnes ita judicare non posse diu heic bellum trahi. Causæ ita credendi multæ sunt. Princeps Condæus palam improbat belli indicti consilia. Comes Suessionensis quod à consultationibus potissimis arceatur fert graviter. Nobilitas queritur se impensis gratuitæ militiæ exhauriri, idque contra instituta vetera extra fines. Plebs à Monachis incitata, partim & incommoda gravissima sentiens sublato cum Hispanis Belgisque commercio, multorum & rebus belli jure confiscatis, damnat arma, quasi non in publicum bonum, sed ex unius hominis suas injurias exsequentis arbitrio sumta. De gazis suis quod jactant, nugæ sunt. Videmus ipsi, quantis in difficultatibus imò & periculis vectigalia aut exigantur vetera, aut tententur nova, orta nuper gravi seditione non in longinquis Regni partibus, sed Carnuti. Ipsæ quæ haberi possunt pecuniæ quàm malè administrentur, quis non videt? Numerorum militarium vix tertia pars apparet. Hinc Valentiæ infelix obsidio, nisi & Sabaudi dolus adfuit, quem multi suspicantur: Valli Telinæ imminens vere proximo periculum. Apud Lotharingiam bellum quod in Germaniam parabatur intra viscera receptum, flagrantibus non apud Metim tantùm, sed in Burgundiæ villis igni hostili: pari modo per Picardiam ac vicina non modo in hostem promotum nihil, sed vastitas in agris, deserta itinera ob raptus inultos. Societatum sublata fides. De Germanis taceam, quorum vix ullus est Princeps, vix ulla civitas quæ non pacem aut fecerit, aut precibus ambiat. Principi Arausionensi non magis quàm Sabaudo fiditur. Quid mirum? cùm Sabaudo Pignerolum hi extorserint, Sabaudiæ compedem, Principi autem Arausionensi Arausionem extorquere omni modo voluerint, utrumque autem deceperint, Sabaudum celatum cùm in hac Aula esset ea quæ per Italiam suo ex usu pepigerant: Arausionensem verò in Flandriam ante annos aliquot in spem inanem venturi è Gallia exercitus pertractum. Accedunt ad hæc ex formidine Potentium divisa passim imperia, magnum militiæ malum, nec æmulatus tantùm, sed inimicitiæ apertæ inter Bressæum & Castilionæum, ita nunc inter Incolismensem & Lafortium: nec magis occultæ inter Sabaudum & Crequiacum. Sunt autem mala hæc omnia ejusmodi, ut remediorum spes sit nulla. Cardinalis laborum impatiens, curam rerum in Monachum derivat: is levi cura defungitur. Butillerius filius nihil nisi cursitat: pater differt omnia. Qui ærarium tractant, qui militi præsunt, omnes immissos se putant in auream messem. Horum omnium peccata onerant Cardinalem, vitæ quoque suæ trepidum. Nec segnis per Masarinum Pontifex ostentare pericula, quò magis pacem suo ex usu, id est, cum maximo Protestantium damno conficiat. Videbit Subl. Tua quæ ibi se conditiones offerant ad pacem aut bellum. Ego eos quos convenire licuit, ita edocui, de pecunia tam diu debita, de Legatione postquam utendi tempora abierant missa, de detractis amicorum nobis opera iis in Prussia obventionibus, quibus belli onera sustinebantur, ut quicquid constituerit Subl. Tua, constituta ei sit existimatio. Illud adhuc texi hactenus, quod in tempore promi poterit, non obstrictam fidem Suedicam, nisi Rex bello cum Domo Austriaca implicaretur: implicitus est cum Hispano ad nos non pertinente: cum Cæsare, qui nobis hostis est, non implicitus. Hæc non eò scribo ut quicquam suadeam, remotior à rerum quæ illic geruntur cognitione, quàm ut id possim, sed ut planè videat Subl. Tua liberam sibi esse consultationem quocunque res ducent. Ejus prudentiam Deus bellorum pacisque arbiter, Excellentissime Domine, ad bonum Suediæ, Christianique Orbis regat. Lutetiæ $\frac{15}{27}$ Novembr. 1635.

Tua Sublim. cultor devotissimus H G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

QVanquam literis intra statos scribendi dies per Sadlerum datis breviter explicui quis esset rerum status, 511
hæc tamen per tabellarium addere muneris mei duxi. Sola quæ nobis bonos nuntios pariat est Vallis Telina. Literæ è Rhætia tum Marini, tum Sprecheri scriptæ 5 Novembris utræque, ex novo Calendario, nuntiant Cæsarianos, instigatu Hispanorum, qui sub idem tempus per Sondrium sperabant se posse irrumpere, venisse inter Bormium & Levinum, ubi vallis est Frela nomine: ibique se immunisse. Sed eo cognito Ducem Rohanium, priusquam coïrent hostes, in eos irruisse, septimoque postquam eo venerant illi die, is ex novo Calendario Octobrem finiebat, magnam in eos stragem edidisse; ita ut peditum ceciderint aliquot supra mille, equitatus fuga se servaverit. Vterque eorum qui hæc ad me scripsere se Tuæ Sublimitati quantum possunt commendant. Marinus ad eam & suas mittit: Addit in illis ad me Sprecherus non desituros Rhætos urgere Regem, advocata etiam corporis Helvetici commendatione, ut sibi, veteribus Dominis, reddatur Vallis Telina. Cis Rhenum manent adversi inter se exercitus, multum imminuti utrique; Cæsarianus quod virtus pro militum copia non satis adsit, Gallicus quod ii militari ac difficili victu contenti esse nequeant. Incolismensem huc revocatum intelligo serò nimis: quæ Lafortio parent copiæ super quatuor millia non habere. At Cardinalis Ricceliacus ut ex Legatis aliis didici, hoc anno bellum à Rege cæptum ait, in annum sequentem gerendum animosiùs, multoque magis anno tertio, quarto autem immenso ampliùs. Hæc illi dicere, quàm aliis credere est promptius. Benfeldii intelligo esse quæ sunt opus. Tabernæ, Hage-

Hagenoviæ, Colmario, Sleítado non fine causa timetur. Etiam ad Mosellam Confluentibus audio victus penuriam fieri. Tunc hinc Caletum, tum Diepa eodem versus itinera capientes ab excursoribus quotidie capiuntur, mira præsidum negligentia. Interim & in Cardinalem à Bruxella libri veniunt virulenti, ut nimirum odium ei concitetur non ex publicis tantum negotiis, sed & ex vita privata. Inter alia dicitur Cardinalis sibi non tantùm Trevirensem & Spirensem Episcopatum, sed & Regnum Austrasiæ ex Lotharingi ac Palatini spoliis spopondisse. Quod verum esse non negat Arnaltius Philippiburgi malus custos, qui & ejus rei penes se ait fuisse documenta, quæ eo quo ipse tempore in hostium venerunt potestatem. Hæc an ad otii cupiditatem, an ad vindictam incitatura sint Cardinalis animum, neque metus, neque iræ expertem, in dubio relinquo. Pacis negotium urget Pontifex, impellente, ut creditur, Imperatore. Hispanus more suo cunctatur. Literæ recentes à Madritio nuntiant custodiri adhuc Gallicum Secretarium. Anglicum autem multum satagere ut Palatinæ Domui non quidem Electoratus (nisi fortè Bavari familia deficiente) nec quæ Palatinatus tenet Bavarus, sed aut Palatinatus reliqua, aut pro iis aliquod in Germania aut Belgicis locis territorium Ducale detur. Addunt Legatum ab Hispania in Angliam destinari Bevavidesium. Ad pacis negotium ituri ab aliis alii putantur, ut Ognatus, Mirabelius, Melo qui nunc Helvetios in amicitiam Hispanicam pertrahere nititur, duoque nova militum millia ibi conducit, quibus Helvetii volunt legibus, ut ductores ipsi eligant, ut condicto tempore ac loco pecuniæ solvantur. Italia Gallos multum accusat, quod non irruerint in Mediolanensem agrum priusquam eò auxilia adventarent: quod ad Valentiam tam supinè rem gesserint. De Regis Hispaniæ in Italiam itinere planè refrixit fama, nec mirum, cùm & ea quæ obtendebantur pericula multum remiserint. In Honorati insula validum castellum fecit Fernandinus. Ex Hispaniæ partibus Catalonia præsertim, lectus miles it Barcinonem: legio Majoricensis Perpinianum. In eorum stipendia pecuniam expediunt Genuæ mercatores ex, qua ccc M. ducatorum accepit Melo ad Legationis suæ usum. Naves à Lusitania & Gadibus ad transportandum militem, an ad oræ maritimæ tutelam, bono numero Barcinonem missæ. Mitto rumusculos qui de Suedicis Polonicisque conatibus hîc jactantur. Vera nocendi hoc justior nobis cupido est quod per sesquimestre tempus omnes à Batavis aut per Batavos literas aut venti, aut alia adversa intercluserunt. In tanta caligine quid habemus quod agamus aliud, nisi Deum precemur, prospera ut largiatur publico, imprimis verò, Excellentissime Domine, Sublimitati Tuæ, rebusque ejus. Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Novembris, 1635.

Tabernas jam hosti deditas intelligimus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

512 NVllas me jampridem accipere literas ab Oceano, magis est cur doleam, quàm quod mirer. Est enim commune id omnibus malum, ventis, ut putamus, viam claudentibus. Mihi quod scribam nihil eximium est: adeo frigent omnia: & ad Rhenum ac Cisrhenana resides se mutuo aspectant adversi exercitus: nisi quod ab hostium parte captas Elsatiæ Tabernas nunc demum audimus, eò tristiores, quod si id illis impune licuit, quid ni idem in vicina oppida liceat, nihil apparet. Bene quod Incolismensem cum Lafortio discordem Rex huc vocavit: Bene quod Duci Bernhardo Vinariensi quatuor promittit Florenorum milliones annuos, dum inde alat duodecim peditum, sex equitum millia, quanto minus est habiturus militum, tanto & minus accepturus pecuniæ. Verum hæc quidem spes, ut futura omnia, incerta est: illud certum, quod eidem Duci præsentis pecuniæ missa sunt quadringenta millia Florenorum. Ex Italia prospera pensantur contrariis. Discessum ab obsidione Valentiæ, Sabaudo & Crequiaco per libellos culpam altero in alterum rejectantibus. At Dux Rohanius, qui solus victoriis suis hujus anni diurna implevit, cum $\frac{21}{31}$ Octobris Luvinum & Bormium inter, Valle, quæ Frela dicitur, immuniissent se Hispani ac Cæsariani mille & centenos aliquot die $\frac{21}{31}$ eorum pedites cecidit, equitem disjecit: eodemque tempore ingruentem in Sondrium aliam hostium procellam victoriæ illius fama suique terrore repulit. Inde Rhætis & Protestantibus Helvetiis crescunt animi. Picardia vicinæque Regiones Galliæ ita à Croatis infestæ sunt, ut deserantur itinera, fument villæ. In Honorati insula validum castellum struit Hispanus, ut maris usum Gallis turbet. Deus, Illustrissime Domine, te tuosque servet, morbosque ac cætera mala à vobis arceat. Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Novemb. 1635.

Illustriss. Dom. Tuæ addictissimus observantissimusque H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine.

QVod de Sicilia dicit Cicero, nunquam inde malum 513
nuntium venisse Romanis, id ab eo certè tempore ex quo armis Dux Rohanius præfuit dicere mihi Gallia videtur posse de Valle Telina, ita omnes inde literæ sunt, ut Romanum in morem, laureatæ. Quod autem multum adeo strenuo Duci Regnum hoc debet, ita tibi ego, qui me non pateris, ut fieri hic solet, fabulosis rumoribus pasci. Spero eam rationem fortissimorum sociorum apud Regem fore, ut non sua tantùm servent, sed majoribus indies beneficiis cumulentur. In aliis partibus torpetur frigore. Manent inter se adversi exercitus Gallicus & Gallassianus, nisi quod hujus pars aliqua è castris ad Maseriam facto excursu Tabernas Elsaticas cepit nuper, vicinisque imminet locis. Apud Batavos parantur quæ ad recuperandum vere primo Scenquianum castellum sunt necessaria. Susurratur & de induciis, sed quas nisi Galliæ Rege volente pangi fides prohibet. Rex brevi in Parlamentum venturus creditur: ut super jam repertas aliæ quærantur pecuniæ Regno sociisque tutandis. Interim Magnus Cancellarius à sociis desertus omnibus magnum constantiæ præbet exemplum, totis Regni Suedici viribus utens non ad defensandam modò Pomeraniam, sed & ad remittendum bellum in possessa hostibus. Quò minùs certi aliquid inde haberemus obstitit hactenus ventorum vis, mari enim literæ veniendum habent, ex quo bellum Gallicum terras præclusit. Vbi propius aliquid intellexero non omittam indicando vicem diligentiæ tuæ reddere. In meis ad M. Cancellarium literis non fui tui immemor. Vtinam plus præstare possem, ita credens nihil esse tam magnum quod non summis virtutibus tuis debeatur. Lutetiæ 4 Decemb. novi Cal. Anni 1635.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima.

HYems non solet magna parturire, & exigua ad tan- 514
tam Majestatem perferre non audeo. Contra multos malos nuntios infidæ societatis Germanicæ, habemus aliquid solatii in Regis Galliæ constantia, qui & apud Lotharingiam res quantum potest Lafortianis & Valettanis copiis sustentat, & Ducis Bernhardi militi annua de suo stipendia pollicetur. Dolorem, quem trans Alpes,

Digitized by Google

malè fortunata, ut multis videtur & malè consulta Valentiæ obsidione cepimus, solatur Rohanii ducis victoria de Cæsarianis, qui ex Tirolensi agro trans Bormium per Vallem Frelam conabantur in Volturenam irrumpere. 24/31 Octobris fusus hostium equitatus: peditum plus mille cæsi: simulque disturbati Hispanorum conatus, ex agro Mediolanensi in easdem partes viam apud Sondrium sibi promittentium. Accedit & aliud gaudium, è solo Lotharingico retro in Treviros coactus cedere Dux Carolus, & propius Rhenum se recipere Galassius. De pace communi spes quidem nonnulla, sed satis longinqua est. nec desinit Anglia instare, ut, si fiat, exutæ Domus Palatinæ habeatur ratio. Conjugium inter Poloniæ Regem cum Palatinæ Domus Virgine, sicut jam magis magisque futurum creditur, ita ut quid eò petatur, quò spectetres, hominum talia dijudicare peritorum variis sermonibus agitatur. Et hoc & alia omnia, Serenissima ac potentissima Regina, Domina Clementissima, ut in bonum Majestatis Tuæ vertat, Deum seriò precor. Lutetiæ 6 Decemb. novi Cal. 1635.

Tuæ sacratissimæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

SMALCHIO.

Nobilissime Domine,

515 Non dubito quin aliquæ ex vestris partibus ad me literæ sint in itinere. Postremæ enim quas habui erant Magni Cancellarii scriptæ decimo Septembris vet. Cal. tuæque eodem scriptæ tempore. Ex eo quin multa ibi evenerint non dubito: utinam felicia, quale est quod de victoria Bannerii in Saxones fama nuntiat. Qui à S. Chaumontio huc venit, nihil ad me tulit literarum. Ego filium meum cum literis ad vos misi, non tantùm ut eas quàm posset perferret celerrimè, sed ut & sermones & res externas disceret. Eum si amicitia tua honestes, rem feceris tua bonitate dignissimam. De publicis negotiis crambem non recoquo, gnarus patere tibi quæ ad Magnum Cancellarium scribuntur. Præterea tanta hic est rerum quas audire libeat sterilitas, ut in chartulis illis rumorum nuntiis, quales in hac urbe scis septenis diebus binas, interdum plures provenire, pro expugnationibus nobis nuntientur infessa loca quæ in tabulis vel Atlanticis, frustra puto, quæras, ut Candia, non illa quæ olim ἑκατόμπολις dicta, sed aliquod ad Padum latibulum; tum verò in Lotharingicis terris Charmium & Novicastellum: pro magnis autem præliis (non utor hyperbole) decem homines cæsi apud Atrebates: cùm interim omnis Picardia & ager vicinus Croatorum flammis ac cædibus desoletur. Mitterem talia nisi res nostræ ac sociorum satis difficiles ridere nobis non permitterent. Itaque hæc epistola hoc unum aget, ut noris me tui memorem vivere. Proxima ut spero gratulationem continebit rerum apud vos feliciter gestarum, quibus gaudebo semper, ut par est, tantoque magis si eas certa auctoritate cognovero. Lutetiæ 7 Decembris, Nov. Calend. 1635.

D. Hottomanno ac Mousterio, deque aliis quorum antehac feci mentionem quid factum velit M. Cancellarius, de eo & si quid ultra curatum velit, cupiam tuo beneficio edoceri.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

516 Iactatum diu incertis sermonibus negotium conjugii Regis Poloniæ cum Palatina, & hujus Aulæ præcipui, & qui ex Anglia, quique ex Hollandia ad nos literas perscribunt, pro certo nobis affirmare incipiunt, Legatosque ajunt eam ob causam, tum in Batavis, tum in Britannia exspectari. Cur Domus Palatina eo quo cernimus deserta, ejusque affines ac tutores, Regium matrimonium recusare non debeant, satis causarum est. Sed quod Rex Romanensia sacra sectans, neque liberè regnans, sed & Nobilitatis eadem sacra probantis & Episcoporum, quorum magna est auctoritas, egens benevolentia, uxorem cupiat Reformatam, neque forma illectus quam non vidit, ætate præterea defensus adversùs juveniles cupiditates, neque principatus aut divitias dotales inde exspectaturus, quas causas habeat, dignum fortè est quæri. Anglia solis ferme maritimis viribus censetur. Has ergo videtur Rex ad aliquid sibi destinatum judicare necessarias, cùm ea parte virium destituatur Polonia: sperare præterea Daniæ Regem ob sanguinis vinculum, Batavos ob tutelam & amicitiam jam veterem, per hoc matrimonium, si non apertè fautores sibi, certè nec adversos fore. Id quo pertineat Tuæ Sublimitatis prudentia optimè judicabit. Vt Imperatori se objiciat Poloniæ Rex, sive Silesiæ tutandæ, sive alia de causa, quod Galli credi volunt, non credit Angliæ Legatus. Neque credibile est, id Episcopis & Nobilitati, longè maximam in partem Romanis sacris addictæ, posse persuaderi, qua nisi planè volenti nihil agi potest. Neque verò de Turca abscessit metus, qui si pacem cum Persa confecerit, obducta magis quàm sanata in Polonos odia facilè in bellum sit emissurus. Et video de hoc Sultano, tum ex actibus aliis, tum ex mira in milites liberalitate ita judicari, animum illi ardere desiderio laudis bellicæ. Ad alia ut veniam, Regis Mater aut ægrotat, aut, quo majorem sui misericordiam concitet, ægrotare se simulat. Qui nuper ex Anglia eam missus fuit salutatum, cubantem reperit. Scripserat nuper ad Pontificis Nuntium Masarinum literas, qui eas Regiis ministris ostendit. Dictum est ei qui eas attulerat, hostiles esse in Regem. Itaque nihil responsi datum iri, quod & si daretur aliquod, id quale sit futurum, facilè conjectare ipsam Reginam posse. Rex autem Hispaniæ suis ad eandem literis, dolere se ostendit, quod supra mala alia nuper ei accessisset terror ab armis in ea loca in quibus viveret illatis. Sperare se eam posthac ibi non tutam modò, sed & securam fore: & si de pace aliquando agatur, etiam tum ipsius se non futurum immemorem. Cum legato Angliæ qui agant, dati jam sunt à Rege, multis mirantibus huc trajici negotium, quod in Anglia per Legatos ordinarium & extraordinarium Galliæ cœptum dudum fuit, nisi vicissim Gallicam Aulam introspectare volunt Angli & tempus ducere, ut videant interim quid Viennæ, quid Madritii, ubi suos habent agere possint. Limburgum, quod Italici sermones in compensationem Palatinatus destinabant, nunc in Hispani rediit potestatem. Loquuntur alii de adjiciendis ad septem Electores aliis duobus, Ecclesiastico altero nequid Romanæ religioni discedat, altero ex familia Palatina, ne intermoriantur vetera illa inter Protestantes dissidia. Rem nummariam Galliæ quod attinet, levi pœna repressæ sunt turbæ, quæ Lugduni, quæque Carnuti contra nova onera exstiterant. At Galliæ Clerus postulatus à Rege quatuor milliones, effugia quærit, & hoc inter cætera, non posse res Ecclesiæ nisi Pontificis consensu oppignerari. Cùm quidam ad prolicendam Episcoporum & Abbatum, hominum per se satis tenacium, liberalitatem diceret ad sustinendam vim hostium opus esse Regi triginta & sex millionibus. Episcopus Maloensis, gratiosus apud Cardinalem hactenus, rem dixit sibi periculosam, qui sic efferrent Regni necessitates, ab iis maximæ imprudentiæ accusari Cardinalem, quod adeo imparatus in bellum proruperit. Externorum, Sabaudo minus minusque credi video, & jam plusquam suspicio est, ex quo Clausellus à Regina Matre missus ad sollicitandam Rohanii fidem, & ob id in Valle Telina Regis imperio actus in patibulum, illis consiliis Sabaudum

Digitized by Google

dum immixtum fuisse non reticuit. Ducem Wirtenbergicum veniam ab Imperatore, simulque sua bona recipere, admissis, quæ volet Imperator, præsidiis, his in locis pro vero habetur: & Argentoratenses non modo nihil conferre in causam dissoluti federis, sed & partis victricis captare gratiam, aditu in urbem suam Cæsarianis militibus dato. Galassius cùm captis Tabernis, nescio an & Hagenavia, magna ejus incrementa per Elsatiam metuerentur, subito nuntiatur in Treviros se retulisse, sive ob faciliorem victum, sive ut propior Saxonis res sublevet, cujus copias à D. Bannerio cæsas & rumor, & quidam à Sanctichaumontio missus huc attulit. Dicit idem, nihil magis dolere Sanctichaumontio quàm quod duos aut tres menses serius quàm oportuit eò advenisset. Sed fatale est Gallis sinere elabi rerum agendarum tempora, quarum damnum postea sumtu decuplo, sæpe ne sic quidem satis, sarciant. De Hanovia & Maguntiaco incerti etiamnum sumus, premi ab hoste & fame utramque urbem opinantur plerique. A Gallis ut in fine Lotharingico & circum magni aliquid nunc geratur, ex quo omnis Nobilitas domum abiit, vix sperandum est. Comitatum Burgundiæ Hispaniæ parentem qui colunt, miserunt ad Principem Condæum qui Ducatum Burgundiæ regit, & ad Ducem Carolum ac Cæsarianos, utrique ut arma suos extra fines habeant, quoliceat sibi quiescentibus, more veteri, belli exitum opperiri. Harum rerum commendatores sunt Helvetii ab antiquo Comitatus illius defensores. Post Tuæ Sublimitatis ad me literas 10 Sept. vet. Calend. pro quibus gratias egi agoque, nihil inde accepi, nec quicquam eorum quæ ibi geruntur nisi ex rumoribus didici. Spero omnia bene aut esse aut fore. Inducias Batavorum cum Hispano, quarum avidæ sunt civitates multæ, duæ res maximè morantur: fedus cum Gallo initum & Brasilia, in qua feliciores quàm sperabantur Batavorum successus fuere, quorum potestati cessit omnis illa ora maritima, quæ in Septentrionem obversa est ad LXXX leucarum longitudinem, quæ ibi Hispano restant sunt S. Salvatoris oppidum, quod & Baiam vocant, & alterum cui ab amne Lamiano nomen. Præterea Albuquercius prope Fernabucensem præfecturam ad portum Calvum se immunit. Nunc eo classis ivit ex Hispania, non satis valida ut suis sedibus Batavos excutiat (habere enim dicitur non ultra bis mille homines) sed in id missa, quantum conjectura est assequi, ut Albuquercio & illorum locorum præsidiis supplementum inde sit, deinde ut vastitate agrorum Batavis infructuosam faciant possessionem, præterea ut quæ apud Bajam onustæ sunt saccharo naves sub ejus classis tutela in Hispaniam perveniant. His nihil præterea quod adjungam habeo, nisi serias preces, Excellentissime Domine, pro Tuæ Sublimitatis successibus. Lutetiæ 7 Decembris novi Cal. 1635.

Postquam hæc scripseram rectioribus auctoribus disco apud Landovium esse Galassii copias, Lotharingum & Viridunensem Episcopum propius Mosellam concessisse ut se apud Luxemburgum cum Piccolominio jungant.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine.

517 Literæ quas $\frac{4}{14}$ Octobris dedisti, recentes cùm venirent non erant, traditæ mihi Calendis demum Decembribus, gratissimæ tamen, primùm ut omnes tuæ, deinde quod diu in magna eramus literarum ex illis partibus esurie, ventis transitum prohibentibus. Quod ardenter cognoscere desideraveram, cum voluptate cognovi, publicæ rei statum esse mediocrem, privatim verò in tanta morborum lue familiam tuam Dei ope servatam, quod ut diuturnum sit precor. Gratulor & tibi mihi patriæ, quod receptum tibi tutum placentemque præbuit. Quidam à Sanctichaumontio huc missus attulit affectum à Bannerio magna clade Saxonem. Certiora aut ex tuis aut ex aliorum amicorum literis cogniturum me propediem spero. Nam literæ è Batavis quæ sub hoc tempus exspectari solent nondum advenere. Nec miror: neque enim mari tantum venti, interdum & prædones, desideria nostra frustrantur, sed & terrestre Caleto huc usque iter Croatorum excursibus mirum in modum turbatur. S. Chaumontius Romanensibus sacris ad ultimum usque superstitionis gradum addictus creditur. Id facit, ut eum putem non in id dilectum ut cum solis agat Protestantibus. Cardinalis non desinit fortia loqui. Et sanè aliquid boni sperare nos jubent ea quæ nuper cum Duce Bernhardo pacta significavi. Non omisi itidem per literas indicium facere, de novo decore parto duce Rohanio Bormium inter & Luinum, ubi mille trecentis aut amplius Cæsarianorum Cæsis fugatus est hostilis equitatus. Nunc & Galassium ajunt retro cessisse Treviros usque. De Landgravio varii variè sentiunt, partis majoris credulitas in sequiorem propendet partem. Nassavius quoque Dillenbergensis cum Cæsare dicitur convenisse. Nunc & Wirtenbergensis: & vacillare magis magisque Argentoratum. Ita omnis vis belli in Suedos Gallosque incumbet. Nam de Italia nimis verus vates fui. Nec inde meliora sperare audeo. De Scenquiano castello in ver differenda judicia, tantùm ne prior Mosæ Trajectum hostis obsideat. Tam Galli quàm Batavi vereor, ne cum suo malo surdi sint, ad æquissima Magni Cancellarii postulata, & ne aliquanto post magno redemtas velint occasiones, quas elabi tam supinè patiuntur. Quid agamus? humana humanè feramus. Fidem & diligentiam præstare nostrum est: eventus non in nostra est manu. Gallicæ copiæ non modo sparsæ sunt ut rectè notas, sed & tot interveniunt piratæ manus, ut immensum sit discrimen, inter id quod dicuntur numeri, & quod sunt. Rex jam è consilio intimo nominavit qui cum Legato Anglico agant. Neque dubito quin si de pace agatur pro Palatino etiam Gallia allaboret. Spernenda quidem non est amicorum suffragatio, sed ut Legato dixi, certior & efficacior cum Hispano agendi via est *πειθανάγκη* [*persuasio cum necessitate conjuncta*]: id est metus mittendæ in oram Hispanorum maritimam classis Britannicæ. Sed multum timeo ne languidiora sint Anglorum consilia quàm ut talia conari audeant. Non deerunt certè heic hortatores. Tibi, Illustrissime Domine, tuisque omnibus omnia precor prosperrima. Lutetiæ 7 Decemb. novi Cal. 1637.

Ill. Dom. Tuæ addictissimus observantissimusque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine.

DE quingentis quæ rei nostræ debentur millibus, pro 518
trecentis abeunti Heusdio Bulionius debitorem delegarat quendam, qui olim venditas res fiscales à possessoribus repetit pretio soluto, & Regi pro eo quod plus illæ res valent pecuniam numerat partim, partim numeraturus est. Is homo dixit recepisse se in semet solutionem trecentorum millium, menstruis portionibus vicenis quinis. Nunc, postquam abiit Heusdius, injungit Bulionius ei homini partem aliquam ejus pecuniæ non Heusdio, id est nobis, sed Regi tradere. Ille qui XXIII millia præsentis pecuniæ Heusdio prærogavit, de cetero fidem suam obstrinxit, æquum negat ultra conventa se obligari, & mavult rem infectam. Ut huic malo, si quid possem, adferrem medicinæ, sæpe misi ad Bulionium, convenire eum ut liceret. Quotiescunque misi, nihil aliud, quàm excusationes urgentium negotiorum retuli. Ivi ad patrem Butillerium. Rogavi ut tota pecu-

Digitized by Google

pecunia, post tot moras, in hac rerum necessitate Sublimitati Tuæ traderetur. Ostendi quid æquitas, quid tempora exigerent. Forte non defuturas Sublimitati Tuæ rationes rebus Suedicis consulendi, si Galli factis ipsis demonstrarent eas ad se nihil pertinere. Verbis significabat, satis intelligere se, si Tua Sublimitas seorsim quid constitueret, maximo id cum Galliæ malo fore. Cum id intelligerent, rogavi non modò ne quid Sublimitati Tuæ tædii objicerent, sed omnibus modis animum ei adderent ad res præclaras, ut nunc in illis partibus cœpit, gerendas. Dixit facturum se quod suæ esset potestatis ne omitterem loqui Bulionio. Is denuo se excusat. Miror hos homines in tanta amicorum penuria, non magis curare eos qui ipsis pauci restant, existimationisque suæ adeo securos vivere, & fidem, quam ab aliis exigunt, neutiquam præstare ipsos. Video Italos sic existimare, totum de pace negotium clam Romæ tractari, neque ullum Legatorum conventum fore, nisi prius ibi in arcano de rebus præcipuis convenerit. Pontifex neque Galli neque Hispani res agit, sed primùm ejus religionis cujus ipsi tutela credita est, deinde familiæ suæ, ad cujus opes atque honores Hispanus adeo per Italiam potens plus habet quod conferat, quàm Gallus. Iam nunc tristes accipio Ottonis Ryngravii literas omnem historiam dissoluti consilii, malorumque tum communium, tum privatorum continentes. Rogat ut quando curam istam, suadente Tua Sublimitate, Legatisque Gallicis susceperint, in pace constituenda utriusque Regni autoritas ipsorum saluti, libertati, rebusque caveat. Postremæ quas à D. Camerario habui literæ, erant autem eæ datæ 17 Novemb. novi Calendarii, mentionem faciunt fasciculi à Tua Sublimitate ad me missi, quem ipse pridie deferendum dedisset; sed eum fasciculum non accepi, sive Caleti, ut fit interdum, sive Lutetiæ alicubi delitescat. Ei incommodo quomodo provideri in posterum possit ad D. Camerarium, & alios, qui literas nostras curant, perscribam. Postquam in Alsatiam se cum excercitu tulit Galassius, Galli Vaudemontium & quæ vicina sunt recepere. Ad S. Avonis castra habet Dux Bernhardus. Helvetii Pontificii Cæsarianis & Hispanis per montem Gothardi transitum x peditum IV equitum millibus concessere, additis legibus ut ipsi commeatus secum ferant, nec admisceant peste contactos. Militantibus jam apud se Helvetiis Cæsar & Hispanus stipendia persolvant; & donativa civitatibus: transitus ut sit paucorum simul & inermis. Videntur id malum dilaturæ nives; alioqui periclitabatur Vallis Telina. In Picardia vicinisque agris mirè grassantur hostium excursores. In Brabantia novi quotidie nascuntur libelli ludibria continentes partitionis adeo accuratæ, quam Galli Batavique de Belgicis terris nuper fecerant. Incipit Aulam hanc post res multas improsperas inde enatas pœnitere divisi inter plures militaris imperii. Itaque Incolismensi hic retento agit sine æmulo Lafortius; & de Valetta revocando rumor jactatur. Quid pariturus sit Electoris Palatini in Angliam adventus, magna haud dubio per omnem orbem erit exspectatio. Hæc Aula nihil inde validi expectat. Vtinam in eo fallatur. Hæc nunc habebamus. Quibus quod adjungam nihil est præter ad Deum preces, Excellentissime Domine, pro Regni Tuæque Sublimitatis rebus. Lutetiæ. $\frac{7}{17}$ Decemb. 1635.

Has postquam scripseram, ex Thuani, qui apud Cardinalem Valettam juri dicendo & pecuniis præest, literis intelligo Dieusam quoque à Gallis captam. Apud S. Avonis non paucos Croatos manere: Hostium non minus decem millia peste absumta: Galassium videri insumturum hanc hyemem, & Hagenoviæ obsidio & paciscendo cum Argentoratensibus, magis magisque labascentibus animo. Hyberna Gallorum apud Tullos futura. Valettam Cardinalem in Aulam adventare, non modo ut se purget ab inimicorum calumniis, verùm etiam ut ostendat, quantum constantia sua res Gallicas promoverit, cùm, si priores castra movissent Galli, quod multis placebat, haud dubiè Lotharingia tota futura fuisset Ducis Caroli. Addit Viridunensem Episcopum suis cum copiis fines Lutsemburgicos petiisse. Plane illis in locis hoc tempore apparuit, in paribus incommodis eum vincere cui plus sit patientiæ, quæ nunc, quod rarum est, à Gallis stetit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Literæ tuæ binæ venerunt ad me ὕστερον πρότερον [*præpostere*], illæ 17 Novembris, die hujus mensis Decem- 519
bris octavo: altera scripta 25 Octobris, die hujus itidem mensis decimo. Posteriùs scriptæ illæ meminerunt fasciculi à Magno D. Cancellario ad me: sed eum nondum accepi. Hæreatne alicubi, an à curiosis interceptus sit, nescio. Quare rogo cogites, mihique perscribas mihine directo, an alii inscriptæ eæ literæ fuerint: & per quos curatæ. Posthac, ut talia pericula evitentur, inscriptio facienda erit ad mercatorem aliquem Parisiensem, superaddita altera ad Caletensem aliquem, curandumque, ut & inscriptionis literæ, & literarum complicatio morem mercatorum imitetur. Ad tuas ut respondeam, quid facturus sit Bulionius Dux video & apud vos, & his in locis dubitari. Si professionem mutet, quid eum adigat non intelligo. Video in annos, imò in dies crescere & superstitionem & Pontificis regnum, dolentibus etiam illis, qui in illis cœtibus nati, in iisdem mansere. Nuper liber editus est de scapulari Carmelitarum, certò pollicens qui in eo habitu moriantur, iis ut damnentur, evenire non posse: ne in Purgatorio quidem eos tractum iri, ultra primum à morte Saturni diem. Prodiit & alter liber, preces ad Deum in Mariam conferens, vocum genere mutato: *Mater nostra quæ es in cælis*, & sic ad finem usque. Horum librorum evulgationi intercedere Sorbona cùm vellet, consilii Regii decreto vetita est. Quid mirum, cùm ne pro Regia quidem potestate adversùs Pontificis asseclas, jus suo Domino in terrarum Dominos asserentes, scribere ultra liceat, repressis per Consilium Regium jam sæpe talibus & Sorbonæ & Parlamenti conatibus? Etiam Petri Aurelii liber pro Episcoporum auctoritate scriptus contra Iesuitas, Episcoporum jura spernentes, ab Episcopis nonnullis, apud Cardinalem Ricellacum convocatis, gravi inustus est nota. Hæc ideo significare operæ pretium duxi, ut appareat, non modò emendationis spem esse nullam, sed in pejus cuncta prolabi. Neque verò Pontifex, quod nonnulli obtendunt, suæ cum Pontifice collusioni, Gallis favet, sed suæ familiæ studet magnitudini: ad eam Hispanis non minùs quàm Gallis utitur: nec quicquam unquam dignum memoratu quod sit, à Pontificis gratia consecuti sunt Galli, nec est quod porro se consecuturos sperent: ne illud quidem de dissolvendo Fratris Regii matrimonio; quantum ex literis Romæ scriptis intelligi potest. Venio ad Angliam. Huic Aulæ persuasum non est, magnanimum aliquid inde exspectandum. Nec ego ex Legato intelligere potui, armorum sociandorum consilia. Planè autem tecum sentio, merito metuente, ne quæ sine vi ac metu ab Anglis in hac re aguntur, stent intra verba & voces: certè dignum Regno tam opulento, Domoque Palatina illustri adeò, exitum non reperiant: præsertim cùm totum pacis negotium clam Romæ tractetur, arbitro Pontifice. Per montem Gothardi iter Cæsaris & Hispani copiis Pontifici studentes Helvetii permisere, non sine Vallis Telinæ periculo, nisi nives impedierint. Postquam in Alsatiam concessit cum exercitu Galassius, Galli Vaudemontium eique adsita, Dux Bernhardus S. Avonem occupavit. Lafortius jam sine æmulo exercitum regit, quod pridem factum opor-

Digitized by Google

oportuit. Picardia adhuc excursibus hostium patet. Edicta pecuniis faciendis nova plurima pariuntur. De Batavis nostris quid dicam? Sapienter tu, qui propius res inspicis, & peccata annotasti, & peccandi fontem, luxum gliscentem, unde necesse est, & augeri avaritiam privatas opes vel publici damno quærentem, & deteri illam, quæ quondam terra sæpe, mari prope semper apparuit, fortitudinem. Nisi Princeps Arausionensis auctoritate, quam merito obtinet, utatur ad præcidendas venas crescentibus vitiis, magna militiæ, magna Reipublicæ impendet labes. Metus ille de induciis nonnihil hic remisit, speraturque neminem fore qui federis adeo recentis, & à Rege tanto impendio emti, oblivisci velit. De Argentoratensibus quid sperem, quid metuam nescio. Video Ottonem Ryngravium qui ibi nunc agit, metui propiorem. Gallos impatientiæ reos agere hoc quidem tempore non licet, cùm paribus ipsi incommodis laborantes, tolerando, Galassium à Lotharingia repulerint, qua in re laudari video Cardinalis Valettæ contra molliora aliorum consilia constantiam. At in dilata tamdiu ad Magnum Cancellarium Legatione, quantum peccatum sit, & ipse nunc S. Chaumontius, & qui res hîc gubernant, agnoscunt. Ita solemus negligere occasiones quas mox magno redemtas velimus. Magnum D. Cancellarium in Suetiam jam trajecisse, ad bene fundanda in posterum consilia, existimat qui huc nuuc venit Ranzovius. De Neoburgico post illos primos rumores nihil inaudivi. Electorem Palatinum magna cum pompa in Anglia acceptum audimus. Vtinam inanibus istis res ipsæ respondeant. Plurimum tibi tum ob alia debeo, tum ob nuntiatam duplicem illam prope Albim nostrorum victoriam, quam alioqui, quando fasciculus ille à D. Cancellario ad me nondum pervenit, non nisi per vulgi rumores cognoveram. Non omisi Legatos aliorum qui hic sunt, nostræ lætitiæ participes facere. In Trevirensi causa quod scripsit Pontifex, id ut rectè judicas, fit dicis causa. Prius quàm in talia spernentes quicquam audeat, puto eum, propinquis suis ornandis, partem sumturum aliquam de spoliis Parmensis. Ego hic, multa obtundendo, pecuniæ nobis debitæ partem majorem, ut puto, factam habeo. Tua ut diligentia etiam felicior sit, opto. Si hoc tempore, cùm necessaria adeò est, & Galliæ & Batavis Suedica amicitia, discidiumque maximo ipsis staturum, nihil obtinemus, spes omnis in posterum abjicienda est. Quo minus plura addam, facit tui temporis reverentia. Deus paterna tutela te, Illustrissime Domine, tuamque familiam complecti ne desinat. Lutetiæ. $\frac{1}{11}$ Decemb. 1635.

Illustr. Dom. Tua omni cultu obsequioque addictiss. H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine.

520 QVem nuper scripseram non accepisse me fasciculum, pridie ad me missum quàm postremum scriberes, is tandem ad me venit 17 Septembris die. Nunquam æquè incertæ fuerunt literas curandi rationes quàm nunc sunt, ventis plerumque hac anni tempestate adversis, rara præterea navium copia. Postquam ego scripsi, septem jam sunt dies, nihil evenit significari dignum, nisi quod Rex in Parlamentum hodie venit, gravidus Edictorum, per quæ ambitionem populi sui sibi vectigalem facit. Ita dignitates quotidie plures, plurisque sunt in pretio vulgari: rectè æstimantibus vilescunt. Cancellarii honos, Aligrio, cui nominis umbra restabat mortuo, pervenit ad Custodem sigillorum Seguierium, hominem quem Galli Protestantes minùs sibi æquum judicant. Legatus Britannicus mandata habet expostulandi cum Rege, quod à Legatis ipsius in Anglia Palatinus non ut Elector salutetur. Dixi quid ferrent Acta Heilbrunnensia, probata Legatis Galliæ: quid insecuta federa. Prudenter Rex Magnæ Britanniæ impediit, ne Legati Galliæ Palatinum salutarent, antequam solutus esset is nodus. Si ea offensa dematur, spem nobis facit Legatus Angliæ de federe sui Regni cum Suedia Galliaque. Apud vos res bene succedere, ac de Scenquiano recuperando spem esse propinquam gaudemus, tum boni publici causâ, tum ut querelæ, quas jam diu hic audimus, aliquando desinant. Dubito an is fasciculus quem nunc accepi idem sit de quo scripseras. Datæ sunt literæ Wismariæ 24 Octob. aliæ æquè veteres à D. Cancellario accepi per missum à S. Chaumontio, postquam is homo jam diu his in locis fuerat. Is seræ traditionis causas affert frivolas. Tibi, Illustrissime Domine, tuisque omnibus cum bona valetudine cætera quoque prospera opto. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Decemb. 1635.

Tua Illust. Dom. addictissimus observantissimusque H. G.

SALVIO,
Vicecancellario Sueciæ.

Illustris Domine,

LVbens lætusque ex D. Grubbii cognovi literis non 521
ingratum fuisse Illustrissimæ Domin. Tuæ primùm quod ejus, ut pro meritis debeo, meminerim semper, deinde quod & meminisse me epistolis aliquot missis ostenderim. Rogo credas, inter ea quæ ætatis meæ cum gaudio recordor, esse horas illas, quas de summis tuis negotiis, humanitate eximia deductas, mihi in magno otio Hamburgi agenti concedere solebas & curarum fæces literatissima elegantia diluere. Ego Suedicæ gentis benignitate plurima quæ optari solent, consecutus, hoc quoque consequi ad implendam felicitatem optem, sæpe frui sermonibus tam limati judicii hominum. Quanquam autem nos patria tuæ egens opis munusque hic mihi impositum dividunt intervallis satis magnis, animus tamen exspatians, ut solet, sæpe ad te recurrit, sæpe te audit videtque. Constantiæ tuæ erit, quem nullis meritis provocatus amare tuæque curæ ducere cœpisti, ei porro te præbere fautorem, atque ita credere, si quid fit in quo gratum tibi facere quippiam possim, in eo me non gavisurum tantùm, sed & triumphaturum. Det Deus, Illustris Domine, tibi tuisque res & prosperas & diuturnas. Lutetiæ, $\frac{20}{30}$ Decembr. 1635.

Illustr. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ FILIO.

Illustris ac Generose Domine,

SCripsi ad Illustr. Domin. Tuam aliquoties, ob- 522
ligatus tum Patris in me beneficiis maximis, tum tua singulari in me benevolentia, cui vicem haud aliter quàm grato animo, faustisque tum de conjugio, tum de Legatione ominibus reddere potui. Legationis percepisti fructum Christianis merito gratissimum: pacem satis longam & fortè convento longiùs ituram. Matrimonii ut itidem percipias fructus dulcissimos, sobolem Oxensternium nomen in multa secula transmissurum, faxit ejus sanctissimi federis institutor Deus. Spero jam Excellentissimum D. Parentem teque tali Parente dignissimum Filium, patrio cœlo redditos, ut ibi sementem jaciatis consiliorum, unde suo tempore præclarissimarum actionum messis exsurgat. Id rogo Illustr. Tua Dom. pro certo habeat, nullos esse homines in orbe terrarum, qui se Excell. Patri tuo omnique Domui majoribus nodis devinctos mancipatosque sentiant quàm ego meique omnes. Meum erit primùm operam dare, ne planè impar honori mihi mandato videar, deinde ne qua in parte gratæ mentis officium deseram, atque in id meos instituere. Deum rogo quæsoque, Illustrissime ac Generosissime Domine, ut Excellentissimis Parentibus tuis, tuique sanguinis omnibus, largiatur quæcunque à piis optari jus fasque est. Annus qui adventat felix vobis ineat, felix exeat, aliosque multos ductet similes. Lutetiæ $\frac{20}{30}$ Decemb. 1635.

Tua Illust. Dom. addictissimus perpetuò H. G.

BENE-

Digitized by Google

BENEDICTO SCKYTT.

Illustris ac Generose Domine,

523 HOnos qui tot ante annos mihi contigit noscendi tui, tibi innotescendi: amicitia deinde culta cum felicissimi ingenii juvenibus, & dignissimis eadem institutione ex qua Rex Magnus in tantum principem excreverat, filiis tuis: cum bonitate tua renovata notitia vetus, nuper cùm in amplissima legatione apud Britannos ageres, imponunt mihi dulcissimam necessitatem, sæpe ut tui, sæpe tuorum meminerim: felicemque me judicem, si in parte aliqua animorum adeo Excellentium hæream: multo etiam feliciorem si quanti te, Vir magne, tuosque faciam, quantum eis debere me intelligam, rebus potius quàm dictis demonstrare possim. Nunc nihil habeo, nisi ut Deum precer serio, Illustris ac generose Domine, ut in pace communi, aut certè remotis à patria vestra bellis bellique malis, honesta in quiete à Deo datis diu fruamini, eademque sors posteros sequatur. Lutetiæ 1/11 Decembr. 1635.

Tuæ Illustr. Dom. addictissimus H. G.

D. BRAHE,
Comiti in Suecia.

Illustrissime ac Generosissime Domine,

524 EX literis quibus Illust. Tua Dom. me dignata est mense Iulio, Elbinga, intellexi rem lætissimam, me adhuc hærere in ea possessione benevolentiæ tuæ, in qua me summa humanitas tua, in Germania cùm ageret, collocarat: quo tempore ad honorem quem judico maximum inserviendi Regno Suedico, deinde ad hanc Legationem, tua gratia opitulante, Magni Cancellarii beneficio, perveni: cujus rei ne unquam pœniteat aut ipsum, aut cæteros rei Suedicæ præsides, tùm fide in publica negotia, tum officiis in omnes ejus gentis, quantùm potero, connitar. Ei etiam quem mihi literæ longè gratissimæ commendaverant non desinam omnibus modis ostendere, quanti eos faciam qui Tuæ Illustr. Dom. placere meruerunt. Etiam in familiam meam admisissem, si quis fuisset locus. In aliis quoque rebus si quid erit, quo demonstrare possim, non esse me eum, apud quem beneficia malè collocentur, occasionis arripiendæ ero avidus: idque ante cæteros te oro ut experiri velis. Legationis abs te pro Regno pacando cum vicinis obitæ eventus precor ut Serenissimæ Reginæ, Nobilissimæ genti Suedicæ, tibique inprimis atque ad te pertinentibus omnibus diu felix fortunatusque sit. Exaudiat Deus, Illustrissime ac Generosissime Domine, Tuamque Illustr. Dom. salvam præstet ac florentem. Lutetiæ 1/11 Decembr. 1635.

Tuæ Illustrissimæ Dominationi addictissimus H. G.

GRUBBIO.

Nobilissime Domine,

525 IUstissima est, qua uteris excusatio absentiæ. Quæ si non suppeteret, tamen negotia quæ illis in partibus vos omnes his temporibus urgent, homini non iniquo satis purget etiam diuturnius silentium. Illud nullius culpa, nisi quod sæpe non favent venti, neque semper paratæ sint quæ vehant naves, evenit ut tardissimum sit literarum iter, quemadmodum hæ tuæ, quas habui postremas xx scriptæ Octobris vet. Cal. ad me xvii Decemb. novi Cal. pervenere. Ex itinere Magni D. Cancellarii in Sueciam omnia rebus nostris optima meritò exspectamus. Id enim à nobis exigit illa cum animi eximia magnitudine conjuncta admirabilis prudentia. Hic per hyemem res novæ quiescunt, nisi pro iis habere liceat nova Edicta multa ex immensa quæ hic regnat honorum cupiditate fructum publico quærentia. Cæsarianorum per Alpes transitum in Italiam videntur ad aliquod tempus inhibituræ nives. Vallis Telina hoc anno fœcunda Gallorum victoriis fuit. Nam 1/11 Octobris Dux Rohanius Cæsarianos apud Bormium irrumpere parantes magna affecit clade, in qua mille fermè & quingenti hostium cæsi. Inde Hispanos sub Cerbellono apud Morbegium se immunientes in fugam egit. Est & hoc Gallicæ felicitatis, quod cùm paribus utrinque incommodis laboraretur, Galassius prior in Alsatiam recedens, non modò Burgundiam aliaque Galliæ magno liberavit metu, sed & Lotharingiæ infessa à se loca reliquis occupare volentibus. A vestris partibus magnum Regi Regiisque Administris gaudium attulit Banerii de Saxonibus victoria, & Ridvini altera. Minùs invisum erit quàm esse cæpit Germaniæ nomen, si sæpe nobis inde talia nuntientur. Vale Nobilissime Domine, nostri non immemor. Lutetiæ 1/11 Dec. 1635.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

SMALCHIO.

Nobilissime Domine.

LIteras valde desideratas abs te die hujus mensis xvii novi Cal. accepi, & quantum nunc cognoscere licet, 526
non aliud impedimentum fuit, quo minùs rectè curarentur quàm quod modò venti, modò naves quæ ferrent, defuere. Alterum fasciculum is qui à S. Chaumontio huc venerat, postquam per mensem prope integrum his in locis fuit, mihi satis corruptum reddidit, sed inde non aliud est mali, quàm quod res quæ ibi geruntur scivi postremus, nulla vestra culpa, sed meo infortunio. Spero vobis omnibus felix in patriam iter fore, eaque ibi sumptum iri consilia, quæ ex re sint atque existimatione Suedici nominis. Nihil magni hic fit, & tamen id qualecunque est, habebis in meis ad D. Magnum Cancellarium. Mortuus est Aligrius, cui in villam relegato nomen solum Cancellarii Franciæ manebat. Itaque accrevit illa dignitas custodi sigillorum Seguierio, qui hodie eo nomine jusjurandum dicit. Senex annorum (ut Angli scribunt miro consensu) centum quinquaginta quatuor, translatus in aulam Comitis Arondelii, dum prædia sua visit, & simul documenta ætatis invenerat certa, cùm cælum Londini satis grave, & victum molliorem ferre non posset, desiit præbere non visum à multis seculis spectaculum, diuque tractum corpus, tandem terræ parenti reddidit. Illud, si jocari permittis, memoratu non indignum, reperiri in actis publicis loci ubi vixit, mulctam ei judicio publico indictam, quod annorum duorum supra centum cùm esset, puellam stuprasset. Litem hic novam habemus. Comes Arcurius, Elbouii Ducis frater, apud Parlamentum matrem accusat, quod testamento hæredem ex magna parte relinquere velit eundem Elbouium, majorem fratrem suum, quem ipse indignum dicit omnibus commodis, cùm Reginæ matris partes pertinaciter tueatur hactenus. Hodie res in Parlamento Rege ipso præsente acta est, & adversùs absentem Ducem nova decreta citatio. Hoc ipso in Parlamentum adventu Rex Secretarios Regios novos fecit supra octoginta: novum his præsidem, novos consiliarios, novum urbis præfectum, supra veteres. Vale & nostri quæso meminisse ne desine. Lutetiæ 1/11 Dec. 1635.

Literæ tuæ quas accepisse supra me scripsi, fuere datæ 24 Octob. Ejusdem diei à Magno Cancellario literas per S. Chaumontii hominem biduo prius accepi multo tempore retentas, ut dixi, ab ipso.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

IOANNI GERARDO VOSSIO.

CVm privatus his in locis viverem, Vir præstantissime, 527
ut honestis studiis pro mea facultate prodessem, verti post Stobæanæ collectionis versus & sententias è Comœdiis atque Tragœdiis, etiam Planudeam Epigrammatum Græcorum congeriem. Adjeci epigrammata non pauca præter ea, quæ suæ editioni subnexerat Henricus Stephanus ex inscriptionibus & libris. Postquam huc Legatus veni

ni bene me facturum existimavi, si inchoata absolverem. Et cùm scirem, Salmasium τὸν πάνυ [*excellentissimum*] illa eadem Epigrammata cum antiquæ fidei codicibus contulisse, impetravi ab eo quæ annotaverat, quæque ego ex conjectura notaveram, in iis vidi mihi librorum auctoritatem accedere. Nunc parata sunt omnia, ut in vulgus dari possint Græca & Latina eodem modulo quo Stobæana illa, & scenica, ut velut ad duos fratres pari cultu tertius addatur. De Typographo cogitanti, non dubium est quin priùs occurrat Blaviusnoster, mei meorumque amans. Illud displicet, quod video, si ei res committatur, me incertissimum fore temporis, quo exiturus sit liber. Gnarus gnaro loquor. Deinde nescio, an habeat homines idoneos ad græca maximè corrigenda, & indices faciendos, qui librum juventuti utiliorem faciant. Si his rebus potest aliqua inveniri cautio, extra controversiam præferendus est aliis. Postea de operum majorum editione cogitabimus. Hac de re consilium exspectabo tuum, exemplar quod sequi Typographi debeant, ubi tempestivum tibi judicabitur, transmissurus. Spero epistolia mea de nova pollicitatione Gallilæi acceperis. Legatus qui hic est Britannicus, Archiepiscopo amicissimus, te multùm diligit, multusque mihi cum eo de te sermo. Vondelium ex filii literis intelligo Sophomphaneæ nostro eum exhibuisse honorem, ut eum sua, id est felicissima manu, Batavica civitate donarit. Magnas illi gratias debeo, quod qui de suo præstare potest meliora, amicitiæ testandæ causa, in meis vertendis laboraverit. Vale, Vir Optime, & de nobis bene merendo ne defatigare. Annum qui sequitur & qui sequentur, tibi tuisque felices opto. Lutetiæ 20 Dec. 1635.

Ad indices faciendos erunt & illi, qui in Stephanæa sunt editione in folio, & doctissimæ annotationes Brodæi, velim enim indices esse tales, qualis est nostræ editionis Lucani, cum brevi explicatione.

Tuus tuo merito H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine.

528 SExtus jam dies est cùm Ruellam ivi, ut nummarium nostrum negotium urgerem, amoveremque impedimenta quæ se obtulerant. Ibi venit ad me is, quem S. Chaumontius miserat, traditque literas cum chartis corruptis nonnihil, quod in mare prolapsæ fuissent, ut dicebat. Erant autem eæ literæ, quas 24 Octobris ad me dederat Sublimitas Tua. Fuerat is homo his in locis prope mensem totum. Quo minùs ante tradidisset mihi eas literas, excusationibus utebatur frivolis. Cùm Lutetiam venisset, quæsitam à se domum meam reperiri nequiisse: ex eo Ruellæ se retentum, ut decedere non liceret: Si quis curiosus in eas involavit, ut fieri potest, nihil tamen inde mali metuo. Sunt enim scriptæ ita prudenter ac temperatæ, ut certè prodesse magis quàm nocere possint. Tuæ verò Sublimitati gratias ago maximas, quod & rei privatæ et dignitatis meæ curam tam benignè suscipit. Meum erit operam dare, ne tam continuis magnisque beneficiis indignus videar. Ad notitiam consiliorum, quæ prudentia silentii supparo obvolvi præcipit, absit ut cupiam irrumpere. Satis mihi erit illa, quæ scio nisi optima esse non posse, faustis ominibus prosequi. Quæ verò publicè geruntur, ea, si fieri potest, optem neque postremus nosse, neque ab aliis potiùs, quàm à nostris discere. Video autem nunc non esse, quod de quoquam querar, nisi de ventis, navium quæ literas ferre debent raritate, & quod nunc accessit, eorum qui ferendas suscipiunt, negligentia. Metus, quem hic habent, ex suis ipsorum ut puto actionibus, ne quid seorsum Suecia cum Cæsare paciscatur, efficit, ut si non rebus, verbis certè sint multò quàm ante liberaliores. Impedimentum injectum de quo scripseram, resectum se dixit Bulionius: certòque trecenta millia in rem nostram perventura. Addebat, quod abiens Heufdius mihi non dixerat, & an verum sit nescio, etiam de ducentis millibus reliquis unde solverentur, dedisse se Heufdio. Displicet, quod etiam trecenta illa millia non præsente pecunia numerantur, sed pensiunculis lentis: & quod quamdiu non tenentur nummi, alia atque alia evenire possunt, quæ negotium nulla publica signatione munitum evertant. Quare sicut spem video, ita rem totam pro certa affirmare non ausim. Accipiemus interim quantum dabitur, aut ullo modo exterebrari poterit. Servianus ab arcanis publicis Regi magna in ver proximum de Gallorum molitionibus pollicebatur modò perstaret in bello Suecia. Is ipse & alius qui res maris curat, ajebant, compertum sibi Regias Sueciæ naves aliquot, ut post Prussiam amissam, supervacuas, vendi: velle se aliquas emere. Ego qui ea de re nihil scirem, scripturum me promisi, & si quid intelligerem, ipsis renuntiaturum. Cum his mitto D. Marini literas: alias quoque à Constantinopoli, ut arbitror. Si verum est quod fama nuntiat, in eo esse Turcam, ut bellum in Persam pace commutet, erit cur Domus Austriaca cogitare debeat, quomodo ab aliis hostibus se liberet. Is qui pro 69. 85. 63. 72. 68. 2040. est 81. 37. 74. 63. 119. 98. scribit, vidisse se literas Regis Poloniæ, ad eum qui res Polonicas illic agit, indicantes, animum ejus Regis à Cæsare alienatiorem, non tantùm ob negatum Fratri Principis Stilaneæ matrimonium, verùm etiam quod Imperator oblatam ab ipso operam in pace per Europam concilianda repudiet, obtendens, Pontificem eam rem ad suam curam trahere, neque admissurum honoris participem. Is ipse ad quem eæ erant literæ, dicebat haud ignotum sibi à Davausio tentari omnia, ut bello in Cæsarem implicaretur Polonus, specioso prætextu Silesiæ ad Ius Polonicum retrahendæ: sed etiamsi hæc aliquam vim habere possent in Regis animum, satis magnam apud Ordines fore vel solorum Iesuitarum potentiam ad injiciendos obices. Pasmannus Cardinalis à Cæsare Legationi in Poloniam destinatus, excusat se. Galli cum Camillo sentientibus sibi persuadent, illum Regem à suis sententiis in occulto stare. Et ex Alexandri homine cognovi, non abesse eum longè quin id credat Legatis Batavis dixit. Rex se aut nullas facturum nuptias, aut eum Palatina. Fœderati Ordines eo intellecto, scripsere ad Poloniæ Ordines, promovendo negotio: miror, cùm ipsi ex testamento tutores sint virginis, quorum officiis dissentaneum videtur, eam offerre nuptum. Nunc è Polonia Legati magna cum pompa in Anglia exspectantur, qui eas nuptias ambiant. In ea aula frigusculum quoddam intervenit cum Legatis Galliæ ordinario atque extraordinario, quod rogati à Regiis Ministris, an Palatinum Principem, qui ibi nunc est, ut Electorem essent salutaturi, dixerunt habere se contraria mandata. Rogavit Rex Britannicus differrent igitur ad eum accedere, donec ipse per Legatum suum cum Rege Galliæ ea de re egisset. Legatus mihi dixit mandatum sibi, conqueri apud Regem & autoritate uti Heilbrunnensis Fœderis. Sed Regem alloqui nondum potuit. Idem Legatus in sermonibus mentionem aliquam injiciebat de fœdere ineundo cum Suedia Galliaque. Verùm interim ab Aula Hispanica literæ non unæ nuntiant, Legatum ibi ab Anglia novi fœderis cum Hispano eudendi causa exspectari quotidie. Est heic Regis Daniæ nothus: putatur rem de Bremensi Archiepiscopatu commendare. Comiter à Rege Galliæ exceptus fuit. Ottonem Ryngravium meis literis solatus sum, fecique gnarum eorum quæ nobis feliciter ad Albim evenere: significavi etiam polliceri Regis Galliæ Administros, si pax fieret, rationem ipsius habitum iri. De liberalitate Regia, unde in his calamitatibus sublevetur, impetrare nihil potui. Rex hodie

Digitized by Google

die in Parlamento Edicta parit nummaria, ex novis maximè dignitatibus. De oneribus querelæ multæ audiuntur. Vidi Massiliensis civitatis libellum acriter pactiones cum Comitibus olim Provinciæ, inde cum eorum successoribus Galliæ Regibus factas pro sua immunitate, imminentem prætere a commerciis labem ex immenso salis pretio, urgentem. At Clerus, antequam in usus publicos quod postulatur conferat, multa à Rege petit, ad imminuendam Protestantium Galliæ libertatem, tum in Religionis suæ usu, tum in honoribus adipiscendis; maxime verò in vulgandis libris. Prodiit libellus Pilleterii cujusdam Carminis satis diserti, qui ex Protestante pridem Romanensis factus est, quo matrem Ducis Bulionii hortatur, filii ut exemplum imitata, & ipsa ad sacra proavita redeat. A Roma & Hispania docemur ab Imperatore jam nominatos Pontifici in aurem Legatos paci conciliandæ. Dixisse Nuntio Ducem Olivarium paratum Hispaniæ Regem suos edicere, dum eodem tempore id Gallus faciat, & Pontifex è quatuor propositis ad Conventus locum ab Imperatore urbibus, unam designet. Sed cùm pestis nunc Germaniæ pleraque insideat, Itali, si qua gens alia, vitæ suæ solliciti, mallent Italiæ aliquem locum in id sumi; aut Avenionem quæ Galliæ finitima in Pontificis est ditione. Ab hac Aula creditur ubicunque futurus est Conventus, iturus eo Seguerius Custos sigillorum antehac, nunc per Aligrii qui imaginarium nomen retinebat, mortem factus Regni Francorum Cancellarius. A Pontifice Ginettius Cardinalis itineri paratus scribitur. Addunt ex Hispania literæ, invitos ibi de plebe homines ad militiam cogi, more ibi insolitò, sumto ab Anglis. De Sabaudo bene ibi existimari. Vienna qui scribunt, credi volunt certum esse, Imperatorem de Electorum suffragio pro Hungariæ Rege: sic tamen ut de Bavaro subdubitetur, quem intentum augendis copiis propriè suis, ad viginti millia. Multorum in Cæsaris Aula eam esse sententiam, dignum Sua Majestate facturum Cæsarem, si tot injuriis lacessitus bellum Gallo ultro indicat. Sed dissuaderi à Pontificiis Nuntiis, ne, quo tempore spes resarciendæ concordiæ est, asperentur animi. Eum qui antehac in hac Aula res egit Cæsaris, huc redire. Eum, quantum ex sermonibus judicari potest, existimare maximas pacis moras in Lotharingia & Pignerolo fore. De Trevirensi, atque alia facilia extricatu. At qui in Aula Viennensi pro Gallia agit, Carbonarius nomine, diligenter obierat Proceres, multa illis de sui Regis pro pace ac Religione Catholica, animo pollicens. Cosaccis, qui per Bohemiam eunt Hispano militatum, pecunia mittitur. Aliquid etiam secum in Italiam Marchio Leganesius, Mediolano regendo missus attulit, & Cerbelloni duodecim centuriæ in supplementum mari venere. Alias in Hispani usum conscribit Hetruriæ Dux. Scripsit ad amicos Davausius, à Rege quinquaginta millia dari in rem Suedicam: magna præterea Principibus Regni munera. Comes Suessionensis qui Campaniæ limiti præsidet, Regem rogat, ut sibi prælio certare liceat cum Comite Buquoio, qui Ducis Caroli copiis præest. Hæc nunc habebamus. Ceterum Deus, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitatis consilia ad bonorum ipsius familiæque ejus, Reginæ, Regnique Suedici, ac totius Orbis Christiani gubernet. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Dec. 1635.

Heusdii qui res agit, ait de ducentis millibus audiisse se nihil, de trecentis verba habere & spem: cautionis certæ nihil.

EIDEM.

Excellentissime Domine.

529 POstquam literas hodiernas obsignaveram, intelligo honorem oppressi Gustaviburgi Hogendorpio nostro, quod gaudeo, deberi. Hostibus occisis dirutum castellum, quod defendi nequiret. Literis Ducis Bernhardi Regem rogari, ut Maguntiaco victus penuria periclitaturo quamprimum subveniat. Hanoviam defendi. A Ducis Lotharingi milite (nam Galassianos maximam partem trans Rhenum esse) Dagesteinium Benfeldii accessionem oppugnari gerentibus se strenuè defensoribus. Mochelium quod ab Argentoratensibus non satis comiter haberetur, inde discessisse Benfeldium, cumque & Gallicarum rerum actor Insulanus inde absit, in hac Aula retentus, Valquestenio vacuum dari locum ad promovendas res Cæsaris. Neque tamen id valuisse ejus autoritatem, ut civitas Rheni transitum Cæsarianis suum per pontem, aut qui agros circùm colunt, commeatus eis concesserint. Dari tamen militibus Cæsaris & Ducis Caroli exiguo numero aditus liberos. Multi existimant, consultum Regi fore, ut trans Rhenum & ipse partem mittat copiarum: atque interim bono commeatuum provisu retineat, quæ in Alsatia habet. Hæc addenda censui, Excellentissime Domine, cum iisdem votis. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Dec. 1635.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

SEptem sunt dies, cùm binas misi literas, in quibus de 530
Gustaviburgo irrupto à nostris dirutoque; de Mochelii abitu ab Argentorato, & alia, quæ, quia rectè pervenisse spero, non repeto. De pecunia nobis debita, nihil certi quod dicam habeo. Et redemtor ille prædiorum Fiscalium, & Heusdii cognatus ad me ventitant: queruntur à Bulionio novis injunctionibus everti, quæ semel convenerant. Tum verò idem redemptor testato denuntiat Heusdio, ut sibi, quod prærogatum est, reddat, quando pactis non stetur. Faciam ne quid in diligentia mea requiratur. Illud interim video, cùm verbis tantùm Bulionius Heusdio significaverit, quid facturus sit, nihil autem dederit aut à se aut à Rege subscriptum, fluctuare negotium, ut nobis & spes ostentari possit, & res ipsa auferri, prout tempora tulerint. Galeræ octodecim cum aliis navigiis aliquot ab Hispano apparent in mari, magnumque metum faciunt Provinciæ Narbonensi. Rex vere proximo bellum se multò acriùs gesturum dicit, & præcipuè in Italia viginti suorum millibus præter sociales ibi copias. Non eo minùs ad Colloquium de pace res procedit. Cardinalis Baguius, qui Nuntius Pontificis hic fuit, vir prudens Cardinalem Ginettium, quem huic negotio Pontifex imposuit, parem oneri judicat. Imperator Legatos palam Pontifici nuntiavit suos, Wirtzburgensem Episcopum, Fuggerum Baronem Aulici consilii Præsidem, & Baronem Curtium. Rex Galliæ, nolens videri pacis desiderio Hispanum præcurrere, prior tamen, sed in aurem Pontifici, suorum significavit nomina, Bressæum, Feuquerium, Davausium. Sed Batavi his diebus Regi indicarunt, suæ Reipublicæ mores statumque rerum non pati, ut alibi de pace agatur, quàm apud se, ut quoties opus sit relatio ad nationes, civitatesque fieri possit, neque id refugere Hispanum. Non displicet Gallis, vitari morbos furentes illis in urbibus, quas Cæsar nominaverat. Sed ut Pontificis Legatus veniat in ea loca, ubi non parentium ipsi summum est imperium; sperari non debet. Reperiendum ergo temperamentum videtur, ut locus sumatur non remotus à Batavis, sed Romano-Catholicus, qualis est Leodium. Tempus video destinari mensem Februarium ejus qui venit anni. Videtur Pontifex rem velle ab induciis inchoare, ut sedatioribus animis audiantur, quæ ad pacem spectant. Interim quantopere Hispanum metuat, satis ostendit Pontifex minis anathematis in Parmensem. Non malè Galliæ Rex, ut ad libramentum rem perducat, Pontifici significavit, si quid Parmensi quocunque modo noceatur, se ei vindicem fore. A Clero suo Rex quatuor milliones petit: obtinebit, quan-

Digitized by Google

quantum video tres: sed quæ Episcopi vicissim adversùs Reformatos dura postulent, videbit ex charta quam mitto Tua Sublimitas. Ex iis qui antehac pecuniam Regiam tractarunt, tanquam ex spongiis, pro impunitate rapinarum, videntur exprimi posse milliones alii tres. Sex fortè ex Secretariatibus honoribusque aliis venum propositis. Dubitant tamen rerum periti, an reperiri possint licitatores satis multi satisque animosi, rariore jam nummi copia, ex quo cum Hispanis & Belgis commercia desierunt. Franquendalium in Cæsarianorum locum Hispanicum successit præsidium. Colmariensis Syndicus, qui huc venit ut alimenta suis obtineat, multum queritur de Gallorum militum licentia, in fœminas maximè. Benfeldium, cujus nunc cummaximè, capto quippe Dagesteinio, aditus claudere hostis incipit, ajunt habere ad victum necessaria in biennium: Ducem Bernhardum, præterquam quod ad Regem scripsit, habere in animo aliquid ipsum tentare, quo Maguntiaci necessitatibus subveniat. Galassii copias, quæ Tabernis non longè absunt, multùm imminutas & mortibus, & eorum discessu, qui cum Iohanne Waertio Rhenum transiere: Montem Pellicardi extra periculum non esse. Ad Anglos venio. Habet Romæ Regina Angliæ hominem, nomine res ipsius agentem, revera publicas Regni, quando apparet magna ex parte pacis hujus arbitrium penes Pontificem fore. Intelligo ex Viris magnis, Regi Poloniæ hinc data centum viginti quinque millia scutatorum. Et mussitatur de fœdere inter Gallum, Anglum, Danum, Polonum. Regis Daniæ nothus, præter illud de Archiepiscopatu Bremensi, postulat à Galliæ Rege, ut qui Gallorum sub Norvegiæ littus balænarum capturam exercent, id permissu faciant Regis Daniæ, nimirum ut hoc exemplo Batavi, quorum magnus ex eo piscatu quæstus est, ad tributum pertrahantur, optantibus hoc & Anglis, qui idem jus sibi in harengarum piscatores vindicant. Accedunt his meis Marini literæ, qui non desinit in Turca spes magnas collocare. Sex millia Cæsarianorum ad Brigantium lacum commoda ad transeundas Alpes tempora exspectant. Faustum qui venit annum sequentesque omnes, Excellentissime Domine, & ego & mei omnes Tuæ Sublimitati precamur. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Dec. 1635.

Etiam de Albis vectigali negotium Danus Galliæ commendat.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus. H. G.

EIDEM.

Excellentissime Domine.

531 CVm nuper in Parlamentum Rex Edicta ferret nummaria, ex quibus sub hoc quidem Parlamento tantum se pecuniæ facturos quantum postremis scripsi literis, ex omni autem Gallia ad viginti & quinque milliones sperant, additis iis quæ refundere cogentur ærarii hirudines, Hieronymus Bignonius Regius Advocatus orationem habuit celebratissimam, qua ita ostendit parendum Regi & necessitati parenti, ut interim quàm noxiæ sint publico illæ dignitatum nundinæ non taceret. Nam neque sine populi injuria exerceri munera caro empta, & idoneos militiæ homines ad alia evocari: labare & Galliæ famam apud externos, ut ad ea redactæ quæ ultimis periculis ultima adhiberi solent. Initium in immensum excreturo malo Franciscum Primum fecisse adeo jam tunc aversante Deo susceptos ex reductis inde pecuniis conatus, ut ab illis nihil reliquum Gallia habeat, præter luctus & imminuti Imperii memoriam. Hæc tam liberè dicta Rex indoluit, ideo quod audirent hæc qui eò venerant multi, inter quos & Ducis Caroli Vxor. Fruitur tamen Bignonius præstiti officii conscientia, quanquam à Rege voce Cancellarii reprehensus. At Primus Parlamenti Præses & blandiente oratione & rerum odiosarum silentio, quantum Parlamentariis displicuit, tantum apud Regem inivit gratiæ, ut ad eas quas habet dignitates Præfecturam Vrbis Parisiensis, & Cancellariatum Equestrium Regis Societatum adjunxerit. At Parlamenti classes aliæ se cum Rex venit non convocatas queruntur; omnes verò de Edictis, quæ nec lecta nec audita ad Regis nutum probarunt; de iis jam introspectis querelas ad Regem meditantur. Quia ipsa Edicta ejus generis publicari non solent, rerum contentarum indiculum mitto. Ad Sanctichaumontium trajici pecunias audio. Venerunt in hanc urbem ex Italia Bellevrius, ex Germania Feuquerius & Lagrangius consilia collaturi. De Maguntiaco, Hanovia, Hagenavia; Colmaria sicut certi habeo nihil ita pejora metuo. Illud dolet quod Suedi militis circa illa loca agentis licentiam incusant Galli, ut infestam sibi non minùs, quam ullam hostium vim. Cardinalis Riceliacus majorem indies diligentiam custodiendæ saluti suæ adhibet, jamque & carrucam loricavit inter coria quibus ambitur, interjectis è ferro laminis, quæ transitum globis impediant. Dux Bulionæus, quem jam Pontificium & Pontificii credunt & Reformati, etiam disputatione in vulgus eunte, quasi quæ inter Principem Arausionensem & ipsum intercesserit, huc dicitur venturus, sive ut de Sedano Regi tradendo transigat, quod Reformati metuunt, sive ut purget se de captivis Hispanis qui nuper Trajecti ad Mosam evasere, quod ipsius culpâ factum hic dicitur, quia inde cùm abiret mandata dederat quibus severiorem illorum custodiam inhibebat. Polonos Romæ laborantes, ut cum pace Pontificis Regi suo liceat cum Palatina conjugium facere, multum adjuvant Galli. Mitto Marini literas, qui si quid magni per Italiam sperat, vereor ne fallatur. Gallicarum ad Rhenum copiarum apud Tullos pars maxima est. Galassius ipse trans Rhenum agere creditur, sed relictis satis multis qui Cisrhenanam possessionem Gallis interturbent. Hæc vix scripseram, cùm venit ad me Britannicus Legatus, cui video spem aliquam datam componendi illud Electorale negotium quod cum Gallia controversum ei erat. Perscriptum ipsi fuerat induciarum Batavicarum moram in sola Brasilia esse, id pecunia posse sanari. Misi ad Heufdii cognatum, de pecunia ait se meliùs quàm antehac sperare. Ego eos qui ærarium regunt video diem de die ducere, nihilque nobis dare præter bonas spes & fortè pecuniæ particulas, de cetero re tota pendente ab ipsorum arbitrio. Studii in res nostras signa non video. Siquid præstant, metu præstant, nec longiùs quàm metus durat. Iam nunc à Vienna literas video quæ nihil magni nuntiant, nisi scriptum ad Piccolominium ut terris Neoburgici parcat. Et mitti ad Electores qui captent suffragia. Ex Italia literæ nos docent Gallorum sociorumque exercitum in Somiliana terra agere tantùm ut inde alimenta habeant, ea ubi defecerint propositum in Novariensem agrum ire, qua parte Olegium est. Crequiaco cohortes ex Languedocia duas advenisse: exspectari è Delphinatu & Provincia tres alias: Mediolanensibus sua quoque exspectari auxilia ex Hispania, & è Germania per Helveticas Alpes: nihil tamen ante ver agi posse, validis ibi oppidis nec capi facilibus, nisi justa obsidione. Additur & Parmensem spe Sabromati & Sabaudum spe recuperandi Pigneroli lactari ut à Gallica amicitia discedant: & esse Genuæ Principis Carignani uxorem, paratam itineri in Hispaniam. Ab Hispanis mitigari Papæ animum, parere ejus imperiis jusso Borgia. Eosdem nullam omittere curam retinendas ad insulas. Post hæc omnia, Excellentissime Domine, & hoc anno & secuturis felicia Tuæ Sublimitati comprecor. Lutetiæ 4 Ianuarii, 1636. ex novo Calendario.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

Digitized by Google

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

532 HOdie, quarto novi anni ex nostro Calendario, quem annum tibi tuisque felicem precor, accepi tuas 4 Decembris exacti datas: quæ me, ut debent, delectarunt, cùm & valere te cum familia inter tantas strages video, & mei non deposuisse memoriam. Spero & meas quas 29 Novembris, quasque septimo, decimo tertio & vicesimo Decembris scripsi, rectè ad te perlatas, testes fore non claudicantis diligentiæ meæ. In Valle Telina quæ agerentur, in illis perscripsi. Si quid deest, supplebit his ad Nobilissimum filium tuum literis qui illis in locis agit Marinus. Et ibi, & in Italia res omnes in ver quiescent. Sicut ex Germania copiæ eò transeunt, ita & Crequiaco ex Languedocia, Delphinatu, Provincia veniunt supplementa: neque verò dormiunt doli, laborantibus Hispanis, ut per spes privatas qua Sabaudum, qua Parmensem à Gallis abstrahant. Per hoc Regnum magna pecunia cogitur, sed magna cum invidia. De pace sermones multi, cui negotio Rex Bressæum, Feuquerium, Davausium destinat: Imperator Herbipolensem Episcopum, Fuggerum Præsidem, Baronem Curtium. Hispanus Comitem Ognatensem & Mirabellium, addito ad hos alio, missurus creditur. Locum Imperator Constantiam vellet: Hagam, ut audio, Batavi: media sententia Leodium proponit. Video rogatum à D. Sanctichaumontio Magnum Cancellarium ut & pro Suecia mittantur. Mihi non multum placet Papa arbiter. Batavis magnum pacis impedimentum, ni fallor, erit Brasilia. De Scenquiano castello spem bonam esse gaudeo. De Duce Bulionæo quin factus sit Pontificis, nemo hic dubitat: & de illis Trajecti captivis qui evasere, non bella est fama. Multi ipsum Ducem huc venturum putant, de Sedano ut aliquid conficiat cum Rege. Fuit hodie mecum Britanniæ Legatus, cui narravi, quibus argumentis Ser. Electoris causam, apud Legatum Venetum varia objectantem mihi, egissem. Non erat ingratum ipsi officium: & videtur meliuscula à Gallis sperare. De Maguntiaco, Hanovia, Hagenavia, Colmaria, nihil certi intelligimus, ipsaque nos ignorantia sollicitos habet. Sunt in hac urbe Feuquerius, Lagrangius, Bellearius, consultores satis multi. Deus det bellum nostris felix, aut potiùs parti utrique exhaustæ impendiis fidam pacem: idemque te, Illustrissime Domine, cum tuis omnibus sospitet. Lutetiæ 4 Ianuarii, 1636. ex novo Calendario.

Illustriss. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

533 SAtis intelligo, ademta Prussia, amicis in hostes mutatis, tarda ad exsolvendam promissi fidem Gallia, rem nummariam multum vobis esse accisam; quominus molestum me vobis esse debere de negotiis alienis, cùm satis habere debeam, si mea ad effectum perducam. Tamen ea cùm sit frontis meæ infirmitas, ut petentibus amicis negare nihil possim, rogo veniam des eadem facilitate, qua ego inducor ut talia suscipiam. Nobilis ille ex Prætoris Regia cohorte, ad quem jus à D. de la Ville pervenit, eò minùs commendationis meæ eget, quod ipse ad te scribat, & summè faventem sibi habeat Sanctichaumontium: à quo si magnas, ut hic rumor est, pecunias Res Suedica accipit, poterit hujus postulatorum haberi ratio. Hottomanno, si de chartis ejus comparandis confici negotium non placet, velim tamen, ut antehac, dari aliquid in solatium senectutis, ne se credat in eo quod nostris semper studuit rebus, & quàm potest maximè eas juvat, operam perdere. Trecenti floreni gratum ei munus essent. Marinus queritur, quod nec pecunias nec literas accipiat. Moratur nunc apud Claudium rerum dotalium causa. In rebus Italiæ sæpe fallitur, tardis & incertis nuntiis. Fortè utilior esset Venetiis, ad aucupandos rumores. Sperat ipse iter Constantinopolim. 24 Octobris datæ erant postremæ abs te quas habui literæ, ex eo nullas habui, cum à Mullero habuerit Hebsteinius 12 datas Novembris; quæ vos à Sanctichaumontio adhuc illis in partibus teuneri nuntiabant. Spero aliquas in itinere esse, quas venti aut alia aliqua mora detinet: Et ecce vix huc usque in scribendo perveneram, cùm duas abs te accipio $\frac{6}{16}$ & $\frac{14}{24}$ Novembris datas, curante Legato Camerario. Gratias ago pro iis quæ nuntias. Deus det in posterum etiam meliora. Maximè gaudeo, quod Excell. D. Cancellario video curæ esse, ne indecora publico sit Legatio mihi mandata. Ego quantum fieri potest, annitar, ne quid à me desideretur. Quandoquidem in Pomerania moramini, spero jam advenisse ad vos filium meum, qui ut te amicum meum sentiat, summè precor. Si quis ejus vel exiguus potest esse usus, velim sanè. Sin minùs, redeat, nuntium nobis gratissimum bonæ vestræ valetudinis referens. De Hottomanno dixi supra: illud, quia literæ priores interierunt, repetam. De chartis ejus comparandis mandasse mihi aliquid Magnum Cancellarium, & pretium dixisse tria millia florenorum, velitne id sumi de pecunia quam à Gallis flagitamus, nescio. Etsi consilium mutaverit, an munusculum tamen ei, quale modò descripsi, jubeat tradi. Pictori Mousterio præceperat, ut imagines Primorum in Gallia hominum ad se transmitteret: & pretium illi operæ largiter solvi voluerat. Sed id etiam quantum vellet esse non dixerat. De his quæ sit sententia desidero edoceri, ne quid imprudens aut nimia liberalitate, aut parsimonia peccem. De meis impensorum rationibus spero & te & D. Spiringium ad quem misi, memores fore. Et de trimestribus in posterum. Accepi cum literis tuis etiam pacta induciarum cum Polono, quæ bene ut vertant opto: accepi & reliqua actorum cum Saxone, quæ paulo ante mihi ostenderat Hebsteinius. Mitto tibi longævi Angli, de quo ante scripsi, editam hic historiam, ut sit inter arma, quo te oblectes. Vale & nostri meminisse te oro perge. Lutetiæ 4 Ianuarii, 1636. ex novo Calendario.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

POstquam postremum ad Sublimitatem Tuam scripseram, fuit apud me Legatus Venetus, cujus sermones 534 eo tendebant, ut crederetur ab Hispano pacem haberi non posse, nisi omnibus rebus restitutis in statum quem habuerunt anno CIƆIƆXXVIII. Itaque bellum persequendum omnibus qui restarent. At aliunde disco Batavos aut certè partem eorum potentiorem, Hollandos ac Zelandos, magno teneri desiderio ponendi extra periculum commercia. Idem Legatus ut Pontificem se sectantibus, ita Anglum putabat Protestantibus idoneum fore conciliatorem: cujus tamen consilia in eo non probabat, quod agnosci hic vellet Electoris dignitatem, priusquam fidem fecisset in partes communes bene affecti animi. Pomeraniam ajebat se ex Charnassæo didicisse Batavorum insulis peninsulisque persimilem, in hoc etiam quod defensu facilis. Lubecæ dissidium aliquod intercessisse cum Suedis, quod & aliunde audieram. Rohanio satis animi ad intercipiendos Cæsarianos, qui trans Alpes in Italiam eunt, nisi ejus conatibus, quod metuitur, apertè se objiciant Helvetii: Danum paci in Germania constituendæ

dæ sedulam operam dare. Ex eo res ista Parlamentaria, qua de re scripseram nuper, processit longius. Cùm à Parlamento missi nuper ad fanum S. Germani Regem convenissent, quæsivit Rex, Bignonius ubi esset, auditoque eum in criminum foro occupari, rectè fecisse eum dixit, quod non appareret, futurum alioquin fuisse, ut non ex sententia acciperetur. Adversùs varias has dignitatum nundinas imprimis magnus calor fuit ejus Classis Parlamentariæ, quæ Enquestuum sive Inquisitionum dicitur. Horum libertas non fuit sine linguario. Senatores Laisnæus & Foucaldus capti, & Andegaviam in custodiam missi sunt: Præses Barillonus Salmurium: Severinus Clarimontem in Arvennis, Faber Albonius Brestam, intervallis satis magnis. Pervenit ad manus meas Viri in Anglia eruditissimi Iohannis Seldeni liber, contra ea quæ pro maris libertate à me aliisque scripta sunt, Titulum fecit Mare Clausum, sive de Dominio Maris, primumque asserit, mare occupari, & in jus proprium concedere posse: deinde ab Anglis occupatum, Iurisque Anglici factum, non proximè littus modò, aut quod sinuum nomine venire possit, sed ad Hispaniæ, Galliæ, Batavorum, Germaniæ, Daniæ oras usque, & quidem tanto imperio, ut in tam vastis spatiis nemini piscari, navigare, hostem hostiliter habere liceat, nisi ubi & quatenus Rex Angliæ id permittat. Talia tutanda cùm susceperit, Vir ingeniosus & doctus, haud dubiè multos sibi contradicturos prævidit, me certè spectatore futuro certaminis, quando neque Suediæ jus læsit, ac de me privatim humanè admodum loquitur. De rebus Germanicis quæ habemus, literæ enim inde ad me aut non scribuntur, aut si quæ scribuntur intercipi solent, valde sunt incerta: sed qui hîc est Colmariæ Syndicus ait novissimis se didicisse literis, non ita premi id oppidum, ut non crebrò erumpatur. Hoburgum etiam tùm in Gallorum fuisse potestate: De Hagenovia, ut & de Hanovia bene existimari. Hogendorpio significasse Ducem Bernhardum, ne quas à se aut Gallis suppetias exspectaret, sed locis illis derelictis Confluentem se conferret Treutricam: Cardinalem Valettam ire liberandam ad Alsatiam: in hostilibus castris multùm esuriri. Badensi Durlachio qui hîc est, pecuniam dari, ut octo conscribat cohortes sive Regimenta. Hactenus Gallici exercitus pars maxima apud Tullos est. Vt Suedos Westfalia ejiciant ire ajunt Boinghausium & Granam: quos ex Poloni copiis Cæsar in sua stipendia acceperat, partim Wormatiam venisse: ad tuendas Insulas, quas mari interno Hispani possidere cœperunt, venisse naves longas satis multas: aliaque ejusmodi, quæ, quia non satis certos autores habent, affirmare non audeam. Die Martis quæ abiit, Cardinalem Riceliacum conveni: eique dixi quæ ex Smalchii literis de mora Sublimitatis Tuæ in Pomerania, & de misso ad S. Chaumontium idoneo homine cognoveram. De nostris adversùs Saxones rebus prosperis, dixi me indicem futurum fuisse, nisi serò admodum ad me literæ pervenissent. Eæ erant, quas attulerat à S. Chaumontio missus. Postea incepit dicere Cardinalis, edoceri se meis in Hollandiam literis res Galliæ ut conclamatas describi: addi à me Gallos in paciscendo esse. Negavi hæc, ut liquido poteram, & cùm dixisset hæc à Gallicis Legatis, qui apud Batavos sunt, perscripta, ostendi hæc à conspiratione hominum mihi, non ob aliud, quàm quia malè mihi fecerunt, malè volentium, Pavonis & Arsenii, proficisci: Longè alia de me testimonia præbiturum, si opus sit, D. Camerarium. Natam fortè hanc fabulam, quod Bruxellenses in editis rumusculis scripsissent, captas à se literas meas ad Sublimitatem Tuam, quibus exitium Galliæ Batavisque augurarer, adeo conficto argumento, ut cùm exempla, quæ scribo, literarum contulissem, nihil repererim congruens. Satis ostendere Bruxellenses quàm mihi malè velint, qui mihi inimicos, quos scirent habenti vellent amicorum benevolentiam eripere. Maritimas Hollandiæ ac Zelandiæ civitates florentes navigatu mercatuque non mirum pacis esse cupidas. Me patriæ oblitum, nisi quatenus Rempublicam, in qua tot necessarios, aliquantillum etiam facultatum habeam, salvam exoptem, totum in rebus esse Suedicis: neque aut adeo imperitum, ut nescirem quantum Suedici Regni interesset, dum ipsi bellum manet, Batavos bello non subduci, neque tam malæ fidei, ut consilia velim dare Regno illi Tuæque imprimis Sublimitati, cui omnem meam dignitatem debeo, contraria. Si ipsi placeret ostendere aliquid, in quo prodesse Galliæ commodis possem, multò me calumnias rebus quàm verbis refellere promptiorem. Inter hæc multa vultu verbisque satis benignis interfatus, dixit se liberè ac candidè mecum agere voluisse, atque in posterum fore, ut apertiùs mecum ageretur. Secuti sermones de nostris adversùs Saxonem rebus, de opportuno ad bellum gerendum Pomeraniæ situ, aliaque ejusmodi: nec tacebat quæ hactenus in Gallicis exercitibus peracta essent, ea emendandi sibi, temporis discipulo curam fore. Abeuntem longè prosecutus est, cùm comi excusatione, quod, turbam vitans, non ultra procederet. Illud pene omisi addere de Tua Sublimitate, deque Principe Arausionensi ita locutum, ut qui me crederet utriusque gloriæ toto favere animo. Videt Tua Sublimitas, quibus rebus implere literas Legati cogantur, rerum meliorum ignorantia. Deus, Excellentissime Domine, det mihi & hinc nuntiare grata, & isthinc cognoscere. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Ianuarii. 1636.

Pacis honestæ ac communis negabat se Cardinalis spem adhuc videre.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus. H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ET hyems, & ob prædones quoque non facilè tentan- 555
dum mare efficiunt ut literis sæpe diu careamus, deinde cumulatæ adveniant, ut hodie ad me ternæ tuæ, divisis satis temporibus, partim Novembris exitu, partim 21 Decembris novi Calendarii datæ. De iis quæ à me edoceri possis, spero satisfacturas tibi, quas ante septem hos dies quasque priùs misi literas. Nam ex eo tempore nihil planè certi cognoscimus, nisi de Moguntiaco actum, quando Hogendorpio scripsit Dux Bernhardus, ne quid auxilii exspectaret, sed desertis locis illis ad Confluentes Rheni ac Mosellæ se conferret. De Colmaria, Hanovia, Hagenovia video hic satis bene sperari, ituro ad liberandam Alsatiam Cardinali Valetta. Helvetiorum per montes pars jam dicitur transiisse Cæsariani militis, nec aliud quàm amicitiæ Helveticæ reverentiam obstitisse, quo minùs eos concideret Rohanius. Angliæ Legatus, Vir sanè egregius & Domui Palatinæ optimè cupiens, tecum existimat Hollandos Zelandosque magno teneri pacis desiderio: cujus tamen æquæ & communis vix ullam nobis spem faciunt Galliæ Principes viri. Legati ejusdem negotia ad scopulum adhuc illum de Electoratus titulo adhærescunt. Meliora sæpe ex his locis nuntiare, & aliis & tibi præsertim vellem sanè: sed non semper se præbet materia. Ex Cardinali ipso Riceliaco didici à Legatis Gallicis, qui à sago ad togata officia transierunt perscriptum, meis in Hollandiam literis res Galliæ ut deploratas depingi, omniaque nuntiari hinc ad pacem ruentia. Respondi me paratum stare te teste: sed credere natum hoc mendacium ex eo, quod Bruxellenses de meis ad Magnum Cancellarium literis confinxerant, non à vero tantùm, sed & à veri specie longè remotum. Cùm responsa mea audiisset, dixit, se amici libertate apud me uti voluisse, acturumque posthac etiam apertiùs,

apertiùs, confisum meo in rem communem studio. Tuæ in filium meum, qui utinam aliquando, majus enim nihil habeo ei quod optem, tuo similis evadat, humanitati maximas gratias ago. De Scenquiani recuperatione spem in ver differemus. Induciarum negotio non puto moram fore in aliquo deliquio potestatis Hispano Cardinali datæ, cùm è dignitate sit Fratris Regii, etiamsi arcana mandata habeat, palàm maximam præferre ad agendum libertatem. Res haud dubiè ex Batavorum parte pendebit à Principis Arausionensis arbitrio, de quo qui heic rerum potiuntur, loquuntur amicissimè. Ad Concilia, ni fallor, nationum res non veniet, nisi cocta. Legati duo Gallici, gratia & ingenio valentes, satis efficaces erunt ad disturbanda consilia rebus Gallicis noxia, præsertim cùm ab ipsis stent tam perspicua federis verba. Parmensis tutelam, contra vim etiam Ecclesiasticam, Rex Galliæ suscepit, idque Pontifici significavit. Borgia jam Pontifici parens in Hispaniam abiit. Ipse Pontifex ægrotavit, sed revalescit: cui, siquid contingat humanitùs, successorem Galli velint sibi studentem. Ego, siquis plane Hispaniensis in id culmen ascendat, meliora sperare audeam. Magnum Cancellarium, quod & tuæ postremæ literæ indicant, & ego ex aliis inde missis didici, hyemem acturum in Pomerania, gratè hic accipitur, dubitante nemine, tanti viri vultum ipsum non leve momentum habere ad tutandum limitem, bellumque parandum in ver imminens. Davausius huc scribit, pro certo habere se futurum ut induciarum pacta à Conventu Polonico probentur. Quomodo Benavidius salutaturus sit Palatinum Principem, avida erit omnium exspectatio. Societatis Americanæ quod interest de pace, id audio Hispanos paratos pecunia sarcire, sed in eo negotio plus est quod Reipublicæ interest. Vbi scierimus, quid evenerit hostilibus per Brasiliam classibus, erit inde nobis ad futuri dijudicationem lucis nonnihil. De Seldeni libro totum prope Oceanum Anglis vindicante, quid sentiant Batavi, satis notum habeo: silentione & possessionis suæ fiducia rem sintne transmissuri, videbimus. Galli non tacebunt. Dani nothus hic ob causas fuit similes, præter Bremensem illam scilicet, de vectigali Albis, deque piscatu sub Norvegiæ littora nisi Regis permissu non usurpando. Fortè respondendi ad hæc munus injungetur S. Chaumontio. De Turca absoluturo se à Persa & in Christianos discordes, ut solet, irruituro valde credibilis est tua aliorumque prudentum suspicio. Contenti officii præstiti, ut scribis, conscientia permittamus exitus rerum summo arbitro, cujus paternæ tutelæ, Illustrissime Domine, te tuosque commendo. Lutetiæ 10 Ianuarii 1636.

Ill. Dom. Tuæ addictissimus animo observantissimo H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

536 NOn credas, Vir meo judicio id quod Senatus Romani judicio erat Nasica, quanto gaudio affectus fuerit Diodatius, cùm videret ex literis ad me & ipsum scriptis, nam fortè cùm eas reciperem, id est hodie, intervenerat, quantus in Galilæo honos haberetur bonis in commune literis, abs te tantæ auctoritatis viro, ab Hortensio & à Nob. mihique plurimi semper facto Realio. Rogavit me partem, ut ipsi literarum illam darem, ut bene merito seni & ab inquisitione malè tractato aliquid inde esset solatii. Et quando Galilæi ut rectè judicas ætas non videtur migrationem pati, ipse ejus nomine in Hollandiam ire constituit. Si res, ut spero, bene procedet, aliquid mihi debebunt nostrates, plerique nimium in me ingrati, quod honorem nobilis reperti ad ipsos derivaverim. Eidem, si Seldeni viderint librum, discent plures multo me fieri ab iis, quorum causa tam dura pertuli.

O ingratifici Argi, immanes Graii, immemores benefici.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν [*sed hac qua ante contigerunt omittamus*], non ultra ἀχνύμενοι [*dolore affecti*]. Narsium, quando à Suedis non est consecutus quæ vellem, currere ad Indos non tam ut à pauperie quàm ut à contemptu se vindicet, neque miror, neque damno. Patet viris bonis καὶ ἡ ἀντίχθων [*& terra pedibus nostris opposita*]. De Petro meo quæ scribis; iis nihil potuit mihi gratius contingere, præsertim cùm omnia tua non ut ἐκ τῶν μύθων [*ex tuis orationibus*], sed ut testimonia accipiam. Si ita est, ut scribis, puto me tuæ imprimis curæ id debere, proque eo gratias ago. Leonis Allatii libros ad te mittemus à te dandos cui volueris. Sed propiùs me tangit ἡ ἀνθολογία [*anthologia*], de qua meas ad te literas jam spero pervenisse. Ea dabitur cui voles, dum de tempore habeam certam cautionem. Id enim ob multa mea interest. Atlanti faveo dum ne meos cursus retentet. De paucis ad Tacitum, exspectabimus occasionem ab editionem molientibus. Berneggeri rogo omni tempo memineris. Meretur viri & eruditio & probitas. Nostri te salutant & tuos omnes. V. A. Bignonio malè evenit oratio eloquentissima contra dignitatum nundinas Rege præsente habita. Spero tamen, præter refrigeratam ad tempus Regis gratiam nihil ei eventurum pejus, nam Senatores sex, quorum θαῤῥημοσύνην [*audaciam*] Rex illius δεινότητι [*solertiæ*] imputat, in vincula abducti sunt. Cordesius aliique viri boni, sanè amantes tui in illum non desunt obdurandi ad patientiam tam nobilis animi officiis. Vale cum amicis 10 Ianuarii 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

IN magna rerum Germanicarum ignorantia vivimus, 537
non modò per hostium excursus, verùm & quia Galli literas huc venire non sinunt. Ita fit, ut diu delusi falsis, serò accipiamus vetera, ac plerumque tristia. Rex nihil motus Parlamenti questibus, etiam per literas Classes eorum, quas Cameras vocant, coire vetuit. Illi, quod solum possunt, iustitio se ulciscuntur, quod ipsum diuturnum esse non potest. Feuquerius hic in morbum recidit. Ajunt Aulici, Rohanium à Rege in Germaniam acciri, ad curam Vallis Telinæ successuro ipsi Thoirasio, qui tantis rebus in Rheda Insula & apud Casale gestis, per Italiam hactenus paulo minùs quàm exsulat. Paratus is esse dicitur acceptando oneri, & quidem quarto minore pecunia quàm Rohanio soluta est, dum certus sit de solutione suis diebus, qua in re mirum quanto Regis malo peccari soleat. In Italia nihil nunc fit aliud, nisi quod Galli Lomelinum agrum incursant. Bremam Sesiæ Padoque amnibus adsitum munit Sabaudus. Parmensis acceptis aliquot auxiliariis copiis Laudensium fines populatur; ne propiora Mediolano penetrentur, Vigluanum turribus lunatisque operibus firmante Marchione Costada. Videbimus, quid allaturæ sint novi, quæ trans Alpes, complanatis munitorum opera nivibus, transeunt è Germania ad res Hispanas tutandas copiæ. Interim Masarinum, quod in Gallorum res pronior credatur, revocat timidus Pontifex, & ad Avenionensem transfert præfecturam. Londinii jam pro sacello templum habet Regina, in quo publicè Missa fit, & Gallico sermone Homiliæ, per Elisabethæ Iacobique tempora nec visum unquam nec speratum. Sed hæc fortè levia: illud momenti majoris, quod à rerum peritis intelligo, Gallos in eo esse, ut cum Duce Carolo seorsim rem componant; quod si fecerint, dissoluto Germaniæ corpore, cum quo fœdus Germanicæ libertatis, ut dicitur, causa factum erat, non video, quid Gallis mansurum cum Cæsare controversi, præsertim si & Landgravius se belló subducit, & per particulas amittatur Alsatia. Hæc postquam scripseram ex Legato Anglicano cognosco, nihil

Digitized by Google

hic promotum in Palatinæ Domus negotio ob illam de Electoratu offensam: Iussum Pavonem nomine Procerum suorum heic conqueri, quod Legati ad pacem eam nominati essent, se non præmonitis: Romæ velle Pontificem videre quid decreturus sit Poloniæ Conventus, antequam contrahendi matrimonii jus indulgeat. Si non fallunt me Peblicii literæ, 23 Decembris novi Calendarii Cæsaris, sive Hispani sunt, copiæ nondum transierant Alpes, quod ad promissam pecuniam abesset aliquantillum; Helvetii autem Hispano tantundem habeant fidei, quantum vident tanguntque. Brevitatem epistolæ rogo boni consulat Tua Sublimitas: malim pauca scribere quàm falsa: nolim & incerta: sed id in tanta rerum caligine vitare sæpe nequeo. Prospera omnia, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitati ac per eam Suedicis rebus det Deus. $\frac{7}{17}$ Ianuarii 1636.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

538 QVas nudiustertius abs te accepi literas, multis sunt refertæ rebus, pro quibus gratias debeo agoque, sed, ut nunc fit, veteres, scriptæ scilicet Decembris $\frac{4}{14}$, cùm recentiores alias ab aliis aliquanto ante acceperim. De Scenquiano castello quam conceperamus spem video in ver differendam. Quos ibi sermones habent Regis Galliæ Legati, de constanti Regis animo pacem nisi in commune nullam amplexandi, eosdem nuper habuit mecum Magnus Cardinalis. Et spero D. Grubbium à D. S. Chaumontio ea relaturum, quæ fortissimo Viro D. Cancellario in rebus sanè difficilibus solatio esse possint. Iacobus Comes Hanoviensis planè talis est, qualem prædicas, magnique fit ab omnibus qui eum viderunt. Præmiserat jam magnam sui famam ex rebus actis, quæ multum aucta est conspecta etiam morum comitate. Id quod nunc circa Landgravium faciunt Galli, pridem factum oportuit, non minùs quàm de Legatione S. Chaumontii. Rebus ut nunc sunt constitutis, tempora quamvis brevia, plurimum momenti trahunt. Galassii exercitus creditur maxima ex parte in agro esse Herbipolitano. Congruit in hoc tempus, ut multa simul in motu sint negotia, quæ quorsum sint casura plurimum refert: Polonica consultatio de probandis pactionibus cum nostris, & de matrimonio: Batavorum de induciis: Cæsarianorum trans Alpes transitus, iter Granæ in Westfaliam; Valettæ liberandam ad Alsatiam. Feuquerius heic in morbum recidit, corporis infirmitatem onerante & animi ægritudine, ob neglectas, ita ille censet, optimas per Germaniam occasiones. Rumor est ad Germanicas res vocari Rohanium, in Vallis Telinæ curam successuro Thoirasio, qui post res tam gloriosas in otio haberi sine dedecore Galliæ non potest. Bremam ad Sesiam & Padum diligenter munit Sabaudus: perque Lomelinam, & altera parte per agrum Laudensem vagatur populabundus sociorum miles. Video Regis Daniæ amicitiam hic in pretio esse. Tamen, ut aut ille aut Angliæ Rex palam arma pro suo suorumve jure induant, sperare non audeo. Si tamen vel id tantùm ostendant, nisi æqua impetrentur, esse sibi & vires & animos, hoc ipsum fructu suo non carebit. De templo Pontificio Londinii jam audieris. Puto legeris & Seldeni librum, multos simul adversarios excitantis. Magna est viri eruditio. Dixit mihi Legatus Scutamorius, nihil dum se heic promovisse, non esse tamen sine spe: Romæ differri de matrimonio Palatinæ cum Vladislao Rege auctoritatem, donec quid Poloniæ Conventus facturus sit appareat. Scribit Peblicius Tiguris, $\frac{13}{23}$ Decembris nondum transiisse Alpes conductum ab Hispano militem, quod ad pecuniam Helvetiis repræsentandam aliquid abesset. Masarinum Galliæ faventem hinc avocari intelligo, signumque id esse Aulæ Romanæ magis in Hispanum nutantis. Deus tibi ac tuis fautor adsit, optimaque consilia secundet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Ianuarii 1636.

Tuæ Illustr. Dominat. addictissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

QVo plura majoraque complectuntur tuæ $\frac{2}{12}$ Novembris datæ literæ eo me tibi obligatiorem & agnosco & 539
profiteor. Erunt eæ mihi pro norma, ad quam sermones meos dirigam, præcipuè semper sollicitus in tuenda dignitate atque existimatione Regni Suedici & actionum quas gerit Excellentissimus D. Cancellarius. Ego Mimnernum amo. Nec ignoro bonum omne quo communius est, eo esse melius. Sed utrum lactucæ hoc tempore satis salubres sint & vegetæ contra Simonideam tabem, id qui ibi sunt medici, rectiùs viderint: unde illi certiùs quam 24. 42. 76. 118. dijudicabunt, quantum 13. 71. 53. 106. 69. 79. 78. 30. 71. 12. 79. tribuendum sit. Cimon & Gracchus vehementer catulliunt. Claudianæ hoc tempore consultationes quo casuræ sint, magnum mihi videtur habere ad multa momentum. Itaque si quid didiceris rogo ne me patiaris ignarum. Quæ ego nunc cognoscere potui in literis sunt ad Maximum Cancellarium. Nostri omnes bellè valent & te salutant. $\frac{7}{17}$ Ianuarii, 1636.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

AVdimus Ducem Bernhardum, cùm Mosellam transiisset, ingruentibus in se Picolominii & Viridunensis 540
Episcopi copiis repulsum, nunc apud Spinale agere. Liberandam ad Alsatiam non Cardinalem Valettam ipsum, qui diu substiturus sit, sed alios ire: Croatos, sed populabundos tantùm, ut solent, in Campaniam penetrasse. Rex auditis Parlamenti Parisiensis querelis contra edicta nupera, jussit eos parere primùm, postea bonitatem suam experturos. Putatur aliquam partem novarum dignitatum, per quam veterum honos ac pretia decrescunt, resecturus. Multis rumoribus celebratur paratus classis Gallicæ partim Rupellæ, partim Maloï. Verùm, quantum intelligo, multa ei desunt ut utilis esse possit. Angli ut se Gallis Batavisque jungant, quæ expeditissima videtur ad Palatinatum recuperandum via, nondum sperant rerum periti, præsertim cùm novæ Legationes mutuæ ab Hispania in Angliam, ab Anglia in Hispaniam strepant. Pontificem sive metu, sive quod suis gentilibus inde majora speret præmia, magis magisque urgere ad res Hispanicas, & ea quæ scripsi antehac, & alia indicio sunt. Vrget restitutionem Pigneroli, religionis Romanensis solius in Valle Telina, Lotharingiæ. De matrimonio Fratris Regii negotium in pacis tempora rejicit. Galli, ut duro nodo durum admoveant cuneum, hoc meditantur, ut manu sua perscribat Frater Regius, se nisi à Pontifice Episcopi delegentur qui in Gallia ipsa cognoscant, statutum Parlamenti decretis comprobatis judicio Episcoporum: sperantes fore, ut ea scriptura sibi demonstrata impellatur Pontifex ad id quod maximè volunt. Cum Duce Carolo agi seorsim cœpit per Cognæum, Fratris Regii quondam Cancellarium, nunc in Regis clementiam receptum & per Abbatem Cancamium. Sed Dux ipse in Belgicam profectus dubium reliquit, iveritne persuasurus Principi Margaritæ, ut spem connubii abjiciat, an omnem faciendæ seorsim pacis cogitationem abjiciens. In Italia nihil fit magni, nisi quod vastatur ager

Digitized by Google

ager Lomelinus: Dux Parmensis nondum, quod nuper dicebatur, ad sua rediit. Omnes adhuc Federatorum copiæ apud Bremam, Candiam, Sartiranam hærent. Hispani muniunt Pirigetonum; ut Laudensem Cremensemque agrum habeant tutiorem. Novariæ quoque metuentes, cujus rei causa Præfectus ipse Mediolanensis se Ticinum contulit, pecuniam è Neapoli ac Sicilia è tributis, Genua sub fœnore exspectans. At Neapolitani Regni Rector duas Hispanorum, duas Italorum centurias, quingenta servitia ad implendas Galeras misit in Margaritæ insulam, ex qua interdum exscensus in oram maritimam Provinciæ fiunt, non alio adhuc malo, nisi incendio villarum. Sprecherus noster, qui se Sublimitati Tuæ quantum potest commendat, literis ad me $\frac{21}{31}$ Decembris datis, statum Rhætiæ tranquillum nuntiat, ex quo & Cæsarianos & Hispanos retudit Rohanius. Eorum reliquias ex Tirolensi agro ad IV millia partim equitum, partim peditum, transitum in Italiam moliri, id si nunc tentent, perituris haud dubiè multis itinerum difficultate & frigore, ut qui non hybernè vestiti sint. Italos à Crequiaco & Vitriaco (is Provinciæ præest) nihil boni exspectare: multum à Rohanio & Toirasio. Vt Vallis Telina veteribus dominis Rhætis reddatur, & ipsos laborare Rhætos, & cum iis Helvetios Protestantes, nam Romanenses Helvetios minùs æquo d Rhætis esse, quod ipsos Vallis Telinæ sequestros abnuant; quin & malè ominari audent, quasi iterum, ut Monsoniaco quondam fœdere, delusuri eos sint Galli: verùm se meliora sperare. Mater Principis Stilianæ Mondragonia filiam suam Medinæ Hispano pactam tradere non vult, nisi priùs eidem Medinæ detur regimen Regni Neapolitani, cujus spe in eas nuptias, spreto Polono Casimiro, aliisque assensum præbuit. Patri Iosepho Cardinalatum negat Pontifex. Rex in ver imminens iterum uti constituit opera Nobilitatis feuda possidentis: sed viginti Nobilium apud Lotharingiam millia inedia morbisque absumta, superstitum exhaustæ opes ita terrent alios, ut vix ullis pœnis videantur ad tam periculosam sumptuosamque militiam posse pertrahi. A Vienna habemus, obtinuisse Neoburgicum mandata ad Piccolominium, ut terris ipsius parcat. Audimus in Hispaniam salvam advenisse ab America classem, ferre eam Milliones XIV partem alteram Regi, alteram privatis, an supra verum, famæ quærendæ, vulgetur, haud affirmaverim. Nostræ hic pecuniæ negotium nihilo magis quàm hactenus processit. Promissa pulchra: blanda spes; numeratum nihil: signatum nihil. Lagrangio turmam equitum regendam Rex dedit, & ejus victoriæ jam sunt in chartis nugacibus, quas Gazettas vocant. Hæc præter nihil habebam, Excellentissime Domine, nisi ut victorias quales nunc aliquot nuntiatæ nobis sunt, sæpe obtineas, donec illis imponas culmen honestæ pacis. $\frac{14}{24}$ Ianuarii, anni 1636.

Iam jam intelligo repulsos qui Colmariæ sucurrere volebant. Argentoratum apertiùs quàm antehac ad Cæsarem se inclinat. Itali omnes de Parmensis rebus malè augurabantur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

541 POstremis quas abs te accepi, eæ datæ erant $\frac{4}{14}$ Decembris, respondi ante hos octo dies, scripsique ea quæ tunc intelligebantur. Ex eo nulla ferme suborta est nova ad scribendum materia, nisi quod memoriam mei apud te renovare, satis justa mihi materia est. Fervent hic omnia choreis & comœdiis. Rex ad Parlamenti preces de Edictis nuper factis partem aliquam videtur remissurus. Cardinalis partim Rupellæ, partim ad S. Maloum classem navigando Oceano parat, centum ut fertur navium, quibus si Batavicæ accedant, & utrisque Anglicæ, non difficile sit in Hispania invenire quod pro pignore teneatur restituendi Palatinatus: Videturque ea via futura expeditior, quàm per Legationum inania, quæ toties frustra experta, tamen repetuntur. Ea commercia metuens Rex Galliæ de titulo Electorali difficilem se etiamnunc præbet, testatus interim, ad reddendas Illustrissimæ Domus terras avitas paratum se opem ferre, dum Rex Britanniæ affinitate & religione conjunctior in partem veniat laboris. Quis futurus sit successus expeditionis ejus, quæ ad liberandam Colmariam suscipitur, suspensi exspectamus. Non sunt spernendæ hostium in illis partibus copiæ, non jam illas Galassii dico, sed Episcopi Viridunensis, Piccolominiacarum pars, accedente novo è Polonia milite: quæ Ducem Bernhardum cis Mosellam celeriter se recipere coëgerunt: pars & in Campaniam procurrunt. Sed his malis non segniter parantur remedia à Comite Suessionensi, ac Valetta. Lafortius hic est, meritis & senectute spectabilis, consiliis posthac quàm manu profuturus. Honorum complementum rumoribus Aulæ ei destinatur Ducis Parisque nomen. De pecunia quæ Regi Hispaniæ venerit ab America, quæ per Campaniam Siciliamque cogatur, quæ Genuensium expediatur fide, jactantur hîc multa, sed quæ affirmare non audeam, gnarus aucupandæ famæ spargi & in majus attolli talia: præsertim cùm Hispanus his quoque in locis multos obtentu pietatis sibi faventes habeat: & hoc magis, quod durior indies in Gallos Pontifex arma eorum apertiùs improbare incipit. Hæc scribenti mihi redditæ sunt tuæ 9 Ianuarii datæ, gratæ ut omnes tuæ, hoc magis quod victoriam sanè nobilem nuntiant. Miror Batavos nostros non videre quantum accessurum sit hostium viribus, si bello Suedico semet explicent. Hic quoque lactamur magis spe, quàm veram opem sentimus. Gaudeo literis à Stralsunda edoceri, Rectores Sueciæ jam prospexisse Magno Cancellario de belli impendiis in biennium. Id in utramque partem multum valebit, sive bellum opus erit gerere, sive pax honesta (atque utinam) se offeret. In Italia frigent arma, non optima Crequiaci fama. Non desinunt Rhæti, annitentibus Helvetiis, Gallos interpellare ut sibi Vallis Telina reddatur: nec tamen hactenus multum promovent. Colmariam liberare volentibus rem non successisse hostium oppositu jam audio. Scire cupiam numquis sit Amstelodami, qui nunc negotia curet Suedica ut ei injungam laborem literas curandi, tibique hoc minùs molestus sim. Tibi tuisque omnibus omnia felicissima opto. Lutetiæ 24. Ianuarii novi Cal. anni 1636.

Illustr. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

ADesse jam tibi filium meum, eumque tibi cordi esse multum gaudeo. Lætor etiam equestri in Saxonem victoria. Sæpe nobis talia eveniant. De pecunia res adhuc hic intra verba stat: & nihil signati habemus. 14. 108. 10. 55. 2010. semper optima nuntiat, 74. 66. 72. scilicet vindicis. Porsena 84. 33. 1. 98. 71. 217. corpus est tabidum, ægrè mobile, ac ne Porsena quidem dici potest. Et ipsis quoque Simonides subtrahitur, metuiturque 34. 33. 10. 71. 68. 79. 15. De lactucarum cibis hoc tempore cum Miltiade peritissimo rei herbariæ, sentio. Mimnernum 34. 64. 85. 66. 73. idemque facere video eum qui Sophiæ studet in Cimonis schola. Causæ satis in aperto sunt: Scribit mihi filius, voluisse Magnum D. Cancellarium mihi annumerari octo imperialium millia. Duo accepi. Quatuor aliorum millium, quorum jam dies effluunt, spem mihi per literas facit Spiringius: & ut puto erit bonæ fidei. Rationes expensi spero idem Spiringius expunget, ut in posterum erogationibus non tamen nisi necessariis sufficiam. Admissionalibus pro mea admissione si dari aliquid volet, dabo; & Hottomanno pro 542

chartis III millia Francorum: si chartas Magnus D. Cancellarius non expetit aliquantulum pro opellis quotidianis. Deinde pro imaginibus Mousterio imperatis, quantum volet, ccc puta florenos. Sed hæc & quæ mihi pro pensionibus trimestribus debentur aut etiam ad resarciendos sumptus jam factos, si existimat Magnus Cancellarius aut etiam D. Spiringius ex Gallica pecunia sumi posse, rem sperant valde incertam, quod eo constantiùs dico, quia ne hoc quidem tempore ullum habemus instrumentum, unde certi quid petere possimus. Ita res illa semper fluctuat. Rogo amicum te mihi serves. Ego partibus non deero. $\frac{19}{29}$ Ianuarii, 1636.

Tuæ Nob. amicissimus H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

543 COmitate Legati Veneti literas tuas ipso anni exitu scriptas recepi, neque omisi nunc, ut nec antehac tua in rem studia M. Cancellario & D. Schmalchio prædicare. Gaudeo te, remittente morborum fluentium sævitia, tuis penatibus redditum, quod ut tibi & hoc quem auspicavimus anno & cæteris deinceps felix fortunatumque sit precor. Quæ de pace metuis, quæque de rebus Italicis ais judicari, video & cum aliorum congruere judicio. Dum quisque faciamus quod officii exigit ratio, Deo eventus permittendi sunt. Suedi nostri jam quintum pœnas sumpserunt de Saxone $\frac{7}{17}$ Decembris cæsis ad Kivitzium septem equitum alis quas nunc regimenta dicimus, fugatis qui evaserant Havelbergam usque. Multi Ductorum capti, signa militaria multa, sarcinæ omnes. Non desinit interim Adolphus Meklenburgicus de constituenda pace æquiores quàm antehac conditiones ferre. Magnus Cancellarius à Regno Suediæ factus per Germaniam belli pacisque arbiter mutavit consilium mare transeundi, mansitque Stralsundiæ, ut & militi adderet animos & quæ ad pacem pertinent propius dijudicaret, justas & de Gallis & de Batavis querendi causas habens, quod promissa ope frustretur. Neque tamen ob id omittet boni publici rationem. Expeditio à Gallis suscepta liberandam ad Colmariam, quem exitum habuerit nuntios exspectamus. Dux Bernhardus vi hostium à Transmosellanis locis repulsus incolumis ad Spinale agit. Hic valet mercatus novarum dignitatum. Ea via planior quærendam ad pecuniam in annum qui nunc iniit faciendo bello. In Batavis multus de induciis sermo, sed ita illigati sunt Gallico fœdere, ut sua res salva fide à Gallicis segregare nequeant. Angliæ Legatus laborat ut Principi Palatino qui Londini nunc est, à Galliæ Legatis detur nomen Electoris. Nostri memor ut vivas rogo. Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Ianuarii, 1636.

Tuæ Nob. addictiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

544 MAgis ne morem meum interrumpam, quàm quod digna materia inciderit, nunc scribo. Nam in Italia nihil agitur, nisi quod major quàm antehac speratur Sabaudi cum Crequiaco concordia. Ad Rhenum & Mosellam quæ aguntur, quamdiu fieri potest, celamur. Dediti tamen Maguntiaci conditiones hic vidimus. Ad Picardiæ finem quiescunt arma, præter Croatorum incursus. At Angliæ Legatus ante hos dies quatuor, cum bono nuntio natæ Regi suo filiæ, attulit postulatum ut Principi Palatino daretur à Gallis nomen Electoris: qua de re cum Butillerio minore, quem nunc Chavignium vocant, jussus agere. De fœdere super ea re inter Galliam Britanniamque pangendo, tectè satis lenteque movetur negotium, exitu adhuc incerto. Landgravii pax credi incipit: induciæ Batavorum timeri, qui se posthac belli oneribus impares ne longam quidem pacificationis moram pati ajunt posse: neque verò quod rebus suis conducat exspectare se, pacis ineundæ consilia moderante Pontifice. Ne tamen Regis benefacta ingratè æstimare videantur, duas conditiones ferunt: aut ut jam nunc Rex quoque se bello in Hispanum suscepto explicet sine damno, id est receptis duabus maris Ligustici insulis: aut ut ipsi quidem suas res longi temporis pactione servent, simul autem in annum constituatur inter Gallum Hispanumque ab armis quies, tempus datura ea quæ controversa sunt ex usu Regis utriusque componendi. In hac consultatione nunc versatur hæc Aula, Principibus omnibus, Nobilitate, plebe mirum quantùm pacis avida. Celebratur Principis Condæi dictum, qui inspectis Lotharingiæ rebus, dixerit sibi Galliæ corpus videri simile ægroto, qui clysterem sumserit ita vehementem, ut non modò captum cogat reddere, sed quicquid in visceribus est commoveat. Nobilitas quidvis pati decrevit, quàm ex Edicto, ut nuper, militare. Parlamentorum, plebis urbanæ rusticæque questus nihil opus referri. Famam tamen spargunt magnorum molimінum. Classis quæ in Santonico & Britannico paratur littore inde ducenda dicitur ad recuperandas quas modo dixi insulas. In illam quoque classem divisum imperium est inter Ecclesiasticum unum, Burdegalensem Episcopum, & alterum non minùs maris inexpertum Ducem Longavillanum. Nec ab Hispanica parte cessatur. Nam Cameraci audimus machinarum rerumque aliarum magnum esse paratum, ut cùm vere aliquid cœptetur, nisi pactio aliqua conatus intercipit. Bressæi milites partim dilabi, partim mendicare audio. Masarinus jam abiit. Bruxellis cum Cardinali Hispano consilia confert Galassius. Liber hic prodiit qui Gallicè inscribitur, Veritates Galliæ oppositæ Hispanicis calumniis, Patre Iosepho aliisque consciis editus. In eo Imperatori exprobratur quod Ecclesiæ bona Protestantibus largiendo fœdam pacem redemerit. Non desinunt hi cum Bavaro amicitiam clam colere, inani, ni fallor spe, si Austriacæ Domui erepturos se in posterum putant ad Imperium suffragia, pridem arcanis conventionibus mancipata. Recalescit rumor, de duobus Electoribus ad eos qui nunc sunt adjungendis, Herpipolitano & Palatino, nec videtur Aulæ Romanæ id displicere, in quo & Ecclesiasticæ potestati nihil decedit, & via est ad scindendos Protestantes, simulque Angliæ mos geritur. Cæsariani novi milites qui nunc Alpes transierunt, quid facturi sint, exspectabimus. Manet adhuc apud Vallem Telinam Rohanius. Rerum hoc tempore sterilitas facit hic ut desinam, resque Tuæ Sublimitatis, Excellentissime Domine, Deo commendem. Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Ianuarii, 1636.

De pecunia nihil promotum. De Colmaria & Hagenovia obsidio exemptis dicuntur advenisse nuntii. Certiora dies docebit.

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ETiamsi nihil haberem, præter injunctam mihi amicissimam ad te salutationem à D. Scudamorio Legato Britannico, arriperem vel hanc te per literas compellandi causam. Et sanè præter hanc, quod nunc quidem, torpentibus per hyemem negotiis, nuntiem nihil magni est, nisi quod idem Legatus ante dies hos quinque, cum gaudio natæ suo Regi filiæ ad Galliæ Regem pertulit questus, quod Legati ejus Palatinum ut Electorem salutare cunctarentur. Sperat adhuc aliquid de fœdere in eam rem, quanquam incerto eventu. Cæsariani ad V millia jam Alpes transierunt, grex morbosus, nec facilè aperta sibi Italiæ oppida, morbos adeo metuentis, reperturus. A 545

Bata-

Digitized by Google

Batavicis induciis magnus hîc metus: ego quin pactis staturi sint, non dubito. Sunt adhuc in fermento Parlamenta tot Collegarum accessionem in sui honoris vilitatem interpretantia. Sed evanescet sine viribus ira. Classis quæ in Oceani littore Gallico paratur, ubi omnia habuerit necessaria, quod quando futurum sit nescio, dicitur itura recuperandas ad insulas in ora Massiliensi. Abiit jam Masarinus. Romam pervenit Episcopus Montispessulani ad dissuendas Lotharingicas nuptias: accingitque se eidem itineri Marescallus Estræus, quanquam minùs gratiosus apud Aulam Romanam. Galassium Bruxellis esse latere vos non potest, crebro jam nuntiorum commeatu. Maguntiaci deditionem secuta sunt Erenfelsium & Lhonsteinium tanquam ἐφολκίδες [*appendices*]. Huic malo anteiri non potuisse, affirmare non ausim. Solatium nobis affertur de Colmaria Hagenoviaque liberatis ab obsidione non sine gravi hostium damno, nuntius. τὰ καθ' ἕκαστα [*singula*] ejus rei, ubi propiùs didicero, perscribam. Interim omnia tibi tuisque opto prosperrima. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Ianuarii, 1636.

Tuæ Illustr. Dom. addictissimus omni studio H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

546 Acta Suedici conventus ad me non missa ostendit mihi Hebsteinius, ex quibus gaudeo cognoscere, paci æquæ non minùs quàm forti bello parata corda. De Landgravii pace video nihil ultra dubitari. Cniphusii, quod jam sit imperium, qui successus, rogo te scire ut liceat. De pecunia trahimur ut antehac, nisi quod ex quo ibi est S. Chaumontius spes paulo major ostentatur, sed fluxa admodum, & semper prout tempora ferent, mutabilis. Lactucarii Sophin æstimant 49. 48. 71. 66. 2040. & Simonide 72. 20. 57. 102. 103. 80. 16. Itaque magis respicere videntur Claudium & Sultanum: an & liliorum placeat odor, cum illis miscendus, nondum dixerim. Agit adhuc Vindex cum Tullo, nec sine 76. 25. 52. 266. His conjecturis contentus esse debes, donec certiùs quid appareat. Filium meum amicum ut habeas & rogavi & rogo. Vale vir nobilissime. $\frac{3}{13}$ Ianuarii, 1636.

Acta illa conventus Suedici jam Gallicè edita sunt. Ex aliorum literis cognosco à S. Chaumontio prorogata rei Suedicæ xx millia Imperialium. Ab aliis Iacobum Hanoviæ Comitem accepisse ejus quadruplum.

Tuæ Nob. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

547 In pecunia nihil profectum est. Nummorum nihil accepit Heusdii absentis cognatus. Chartam delegatoriam adhuc sperare inducitur. In Picardia fumant vici, nullo adhuc malo graviore. Haud dubiè Galassii & Picolominii Bruxellis Consultationes eò tendunt, ut per illam partem aut Campaniam irrumpatur in Galliam. Rex ipse dicitur in illas partes iter moliri. A Duce Bernhardo quas accepi literas, earum mitto exemplum. Excusat, quod pro Maguntiaco nihil potuerit, prægravante hostium vi, quorum indiculum, quem misit, addo. Respondebo ei verbis communibus. Tam Germaniæ quàm Belgicæ vix ulla hîc ratio:

Omnis in Italia fatorum vertitur ordo.

Ibi ajunt Galli habituros se brevi xx peditum, tria equitum millia, præter Sociorum auxilia: tres in partes bellum parari: Ex Montisferratensi territorio in Mediolanense: ex Placentino, quo jam copiæ Sociales ad III millia peditum, mille quingenti equites Comite Fabio duce pervenerunt in Laudensem, imperaturo iis in locis Thoirasio Regis permissu magis quàm jussu: ex Valle Telina, ubi retineri Rohanium re consultata placuit in ea quæ Comensi adjacent lacui. Hæc quàm pulchrè dicuntur, multumque ad famam Galliæ pertinet, prosperis quibusdam actionibus retinere amicorum studia, & cavere, ne Papa nutantesque alii planè se in alteram dent partem. Sed ex plurimis aliorum literis, tum & Marini cognosco, tempus effluxisse, quo egregii successus sperari illis in locis poterant. Nunc hosti otium fuit implendi milite oppida, locaque ex Hispania Neapolique & Sicilia per Genuam, ex Germania per Alpes. Hispani qui recens mari advenere, sunt IV millia & quadringenti. Et ad lacum Comensem Dasium, Franciscam, Pradellum munit Serbellonus. Sunt & qui metuunt ne Sabaudus & Parmensis, ubi sua benè immunierint, bello se subtrahant. Tandem Hispanus significavit, paratum se Legatos ad pacem nominare eodem tempore, quo Gallus suos. Futuri putantur Montiregius Neapolitani Regni hactenus Rector, cui succedit Medina, Comes Ognatœus, Mirabellius Legatus in Gallia antehac, addito Belgo Præside Rosa. Video Batavorum in gratiam Leodium Conventui placere, nec Pontifici, nec Hispano, ut creditur, recusaturis. Sed multis indiciis cognosco, Batavorum ad inducias in arcano provectum longiùs negotium quàm Gallis significetur, quod nuper in mensa Arausionensis Principis Mussio Ordinum Actuario objecit Charnassæus. De matrimonii Lotharingici dissolutione differt sententiam promere Aula Romana ad belli exitum. Interim cum ea Aula & Venetis incidit aliquid simultatis, ita ut & res suas agentem illi Roma revocaverint, & Pontificis Nuntio aditum ad Senatum intercluserint. Causa est quod inscriptionem picturæ appositam, qua triumphatus Fridericus I. Imperator ostentabatur, Pontifex mutaverit omissa beneficii Venetorum, quæ ante apparuerat mentione. Ego ipsorum Venetorum magis referre puto, ut pereat memoria ipsorum manibus oppressi Imperatoris egregii, gravi in Principes omnes ipsosque Venetos exemplo. Literæ Thuani datæ 27 Ianuarii Colmariæ nos docent, hostium fuga facilem ad eam urbem Gallis fuisse aditum: mille saccos frumenti à Spinali invectos: exspectari totidem alios indidem: & missos Argentoratum, Basileam, Benfeldium, qui ex illis quoque locis, si quid ipsis superfluit, Colmariam portent. Consilium esse Gallis Guemeram occupare, quo Schlestadium Colmariamque inter, tutior sit commeatus: deinde proximis in locis disponere militem, ut defensa Alsatia Lotharingiæ retinendæ munimentum sit. Galassiani exercitus partem maximam Saxoni laboranti ivisse suppetias: aliquas reliquias Tabernis manere: & has conjungi non posse cum Coloredi copiis, superna Alsatiæ ad Betfordum obtinentibus, ob intercedentes Gallos peditatu validiores, cui valde apta illa regio. Amœnitatem agri circa Colmariam, & in eo tutando Manicampii curam laudant qui viderunt. Classis quæ Regi struitur, XL dicitur esse navium. Angli non videntur his temporibus adduci posse, ut in societatem belli cum Gallis veniant, sed in gratia Hispanica spem Palatinæ Domus collocare. Hispanus quidem Anglis ostentat, paratum se reddatur ut Palatinatus efficere, dum & Lotharingia reddatur. Sed Galli iniquam putant commutationem locorum, quæ teneant ipsi cum locis amissis, & ad se nihil pertinentibus: neque illud ab Hispano, quod id velit, dici, sed ferenda ad dissidia & invidiam Gallis conciliandam. Novæ dignitates Magisterii libellorum supplicum emptores inveniunt. De Senatoriis cum Parlamento Parisiensi nondum transacta res est: alia Parlamenta parere recusant. Burdegalense etiam vetuit, ne quis Edictis novis uteretur. Regi Hispaniæ quæ recens ex America pecunia advenit, esse dicitur VII millionum ducatorum. Ea ex Peruvia Gades advecta est. Alia à Terra Firma & Nova Hispania adhuc exspectari scribebatur. Ex illa pecunia IV milliones, &

Digitized by Google

millia ducatorum per nominum commutationem mercatoribus solitam trajecta dicuntur Genuam, Antverpiam, Hamburgum. Dux Mutinensis Comerium ab Hispano accipit, numeratis CL millibus scutatorum. Viennæ creditur multum Gallicæ pecuniæ Hamburgi esse: sed ab aliis intelligo rediisse huc, quas S. Chaumontius illinc attulerat nummarias literas. Deus, Excellentissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ secundet. Lutetiæ 7 Februarii novi Cal. 1636.

Docent posteriores literæ Govam portam à Venetis immunitam accedere ad causas odii Pontificis in ipsos. Dum Bremam munit Sabaudus, idem à Gallis fieri in Sartirana & Candia, ignobilibus locis. A Rohanio quatuor nova castella fieri ad Comenses fines. Metui novam hostium ex Tirolensi agro impressionem. Qui Alpes transiere, esse V millia peditum, mille loricatos equites. Mediolanensi agro de milite, commeatu, munitionibus prospectum.

Prior inscriptio in Aula quæ dicitur Romæ sic habuit:

Alexander Papa Tertius, Frideríci Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit se Venetiis, & a Senatu perhonorificè susceptus, Ottone Imperatoris Filio navali prælio à Venetis victo captoque, Fridericus pace facta supplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici sua dignitas Veneta Republica beneficio restituta est.

Nova sic habet:

Fridericus Primus Imperator Alexandrum Tertium Pontificem, quem diu cùm insecutus fuerat, post constitutas cum eo pacis conditiones, & damnatum Schisma Venetiis supplex veneratur.

Postquam hæc scripseram intelligo, Anglos classem habere XLVI navium. Querela de mercatorum navibus, quas Galli obtentu belli capiant: non recusare ipsos, pecunias & opem contribuere recuperando Palatinatui, sed ad belli indictionem venire nolle. De Gallicis rebus muniri serò satis Campaniæ oppida, Catalaunum, Trecas, alia: Principem Condæum vocatum, ut Provincias obeat easque cogat novis Edictis obsequi, ad id postulare decem millia, difficilia repertu bello in omnibus finibus strepente. Dux Parmensis ipse hìc erit intra triduum, obsequii sui certam fidem daturus. Swartsenburgii Filius multum hic jam commendat Brandenburgici Electoris de Pomerania restituenda, si pax fiat, negotium. Et cordi id hic esse modò ex Feuquerio, qui jam nunc à me abit, cognovi.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

548 IMplevit spem Colmariense, de quò scribere cœperam, negotium. Ad Gallici exercitus, sex millia fuere, adventum dilapsi hostes facilem eò aditum fecere, 27 Ian. Invecti mille sacci frumento onusti à Spinali: non pauciores indidem altera vectura exspectantur, & missi qui ab Argentoratô & Basilea siquid ibi alimentorum abundet, petant. Nam à Benfeldio, quo itidem misere, nihil accepturos puto, quod id præsidium opus habeat in longum alimentorum copia. Guemeram sperant suæ potestatis se facturos Galli, quo cuncta tutiùs Colmariam inter & Schlestadium commeent: deinde militem in loca proxima distributuri, ipso Cardinali Valetta Tullos reversuro. Galassiani agminis pars magna laboranti Saxoni succursum ivit: pars apud Tabernas hæret, neque se cum Coloredi copiis supernatem Alsatiam obtinentibus sociare potest, ob intercedentes Gallos. Feidet omnis circum Colmariam ager, egregia Manicampii cura. Anglos Galli pertrahere ad belli societatem laborantes, non multum promovent: nèc magis Angli sine ea societate sperantes à Rege obtinere promissum curandi, ubi de pace agetur, ut ad dominos Palatinatus redeat. Illud interim æqui & rerum periti mirantur, Regem Galliæ Domui Palatinæ tribuere nolle veterem Electoratus titulum, cùm qui medios se gerunt faciles præbere se soleant in nominibus talibus utrique certantium parti tribuendis. Nimirum obstant arcana cum Bavaro pacta. Veneti Romæ revocarunt eum, qui res ipsorum ibi agit: Nuntium quoque Pontificium negant Veneti Senatus habiturum copiam, nisi Reipublicæ satisfaciat Pontifex de injuria, quam accepisse se ajunt, quod exoleta inscriptione veteri de Friderico I. Imperatore Pontifici Venetiis supplice facto, aliam suffecerit, omissa, quam prior illa habuerat, memoria meriti Venetorum, cùm navali prælio vincerent Imperatorem, filioque ejus capto ipsum sub jussa Pontificis cogerent: tam malo formidandoque Principibus omnibus exemplo, ut mihi optandum, atque etiam, si possit, magno redimendum Venetis videatur, ne qua etiam in libris exstet ejus facti memoria. Magni paratus fiunt ad bellum Italicum tres in partes inferendum in agros, Mediolanensem à Crequiaco, Laudensem à Thoirasio, qui Regis permissu Parmensi militaturus est, & Comensem à Rohanio. Dolendum est, tantum temporis Hispano datum ad sua operibus ac milite munienda, quæ nuper pæne nuda occasiones agendi egregias dabant. Nunc Germani per Alpes, Hispani, Campani, Siculi, mari ac Genua in fines Insubrum venere. Illud gaudeo, Sabaudi cum Crequiaco majorem quàm antehac sperari conjunctionem. Ad Conventum de pace video adhuc Leodium destinari: Legatos ab Hispano credi Montiregium Neapolitani Regni antehac Rectorem, Ognateum, Mirabellium & è Belgis Rosam. Summa potestas ejus rei Cardinali Hispanò data est. Rex dicitur parare se itineri tuendos ad fines. Novæ incidunt controversiæ Gallos inter & Anglos ob Anglicas mercatorum naves à Gallis captas obtentu belli in Hispanum, vetere Anglorum exemplo. Dicuntur Angli paratam habere classem XLV navium. Sed hæc non minùs vos noveritis. A Bruxellis scribitur emori spem induciarum, ex quo Galli se admiscent. Dux Parmensis paucos dies heic futurus est. Tibi tuisque omnia opto prosperrima.

Si quis sit Amstelodami in aliquo rerum Suedicarum ministerio, nolim tuas curas gravioribus rebus deditas tot non meis tantùm, sed & alienas, quales hic vides, literis onerare. Lutetiæ 7 Febr. novi Cal. 1636.

Tuæ Illustr. Dominationi omni studio addictissimus H. G.

D. DUCI BERNHARDO

Vinariensi.

Excellentissime atque Illustrissime Princeps,

QVanti semper eximias virtutes Celsitudinis Tuæ fecerim, ubivis potiùs, quàm apud ipsam prædicare malim: neque verò tam iniquus sum gratiarum captator, ut imputare cupiam id, quod ex officii regula feci. Cæterùm & cùm primùm Celsitudini Tuæ innotui, id paucis quæ mihi prosperè evenerunt, annumeravi: neque ex eo desii benignitatem, qua acceptus sum, grato meminisse animo, victoriis ejus lætari, atque earum famam quoquo poteram, voce ac literis spargere. D. Ponicæ, amico meo veteri, & Germanica fide cùm multis nominibus debitorem me profiteor, tum ob duo maximè, quod me quidem Celsitudini Tuæ commendavit, ab ipsa autem ad me sæpe faventis animi testimonia detulerit. Quod factis reverentiam Celsitudinis Tuæ non ostendi in eo nulla animi culpa, sed fortunæ est vitium. Pro quo deprecatorem ipsum mihi spero D. Ponicam fore. Hæc si ita vera credit Celsitudo Tua, sicut ego ea verè dici mihi sum conscius, intelliget facilè Tua Celsitudo, quanto mihi gaudio fuerit conspicere literas ad me Principis, non splendidissimæ Domus sanguine, quàm suapte laude clarioris. In quo uno obsequi nunc licuit, literas ad Magnum Suediæ Cancellarium sine temporis dispendio certissima quæ se ostendebat via misi, id unicè optans fidem ut meam ac diligentiam in rebus majoribus Celsitudini Tuæ approbare possim. Dolet mihi, quod 549

omisso

Digitized by Google

omiſſo hoſte communi Proteſtantes cum Proteſtantibus ad Albim Viadrumque collidimur. Tamen non dubito, quin Celſitudo Tua pro ſuo in Reginam Regnumque Suedicum animo gaudens audierit, tum quæ antehac feliciter illis in locis nobis evenerunt, tum poſtremò Kivitſium inter & Havelbergam 7 Dec. vet. Cal. felicem Bannerii pugnam equeſtrem, qua ſeptem alas equitum, quæ Regimenta vocant, partim fudit, partim proſtravit, captis ducibus, captis impedimentis. Adderem oppida complura victrices partes ſecuta; niſi maris itinere, quod unum nunc reſtat, adverſantes per ventos impedito, fama illa ad nos nondum ſatis certis auctoribus perveniſſet. Interim nec de ſucceſſu laboris, quem Dux Megapolitanus Adolfus ad pacem illic conciliandam ſuſcipit, deſperandum eſt, cùm Ordinum Suediæ, qui anno nuper exeunte habitus eſt Conventus, ſicut pecunias in biennium bello neceſſarias decrevit, ita pacis ſimul, æquæ ſcilicet & honeſtæ, deſiderium non obſcurè oſtenderit, utriuſque rei poteſtate plena Regni Reginæque Tutoribus data, qui eam curam liberrimo cum jure in Magnum Cancellarium rejecerunt. Det Deus, ut & his ſimilia & meliora nuntiare ſæpe liceat, idemque, Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, vota Celſitudinis Tuæ diu ſecundet. Lutetiæ 26/5 Ian./Febr. 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime Domine,

550 IMmenſas gratias Sublimitati Tuæ debeo pro literis 11/21 Decembris, quas biduum eſt quod accipio: quod per eas Sublimitas Tua me non ignarum patiatur eorum quæ illis in partibus geruntur, ac conſiliorum, quibus ipſa curam boni communis in tam ſupina aliorum negligentia ſola tanta fortitudine tuetur: fidemque meam ac diligentiam eximia benignitate æſtimat: eorum præterea, quæ ad dignitatem ſuſtinendam mihi ſunt neceſſaria, oſtendit ſe non eſſe immemorem. Si mihi facultas eſſet, quantum eſt ſtudium in res atque exiſtimationem Suedicam, Tuæque Sublimitatis non alius eſſet illis Miniſter utilior. Nunc inter eos vivens, qui magni ſunt eorum quæ agitant occultatores, ipſis quoque rerum, quæ in publico geruntur nuntiis plerunque ſerò ad nos advenientibus, neque rarò falſi quadam admixtione corruptis, doleo, quod pro certis ſæpè cogar conjecturas afferre. Sed ſub tam æquo judice tuta eſt voluntas ſedula, etiamſi non ſemper id quo tendit conſequatur. Putavi è re Legato Anglico patefieri, quanta ſit Tuæ Sublimitatis conſtantia in tuenda Proteſtantium ſalute. Exiſtimat is non quod mandata habeat, ſed quod ita ſuadere videantur tempora, cogitandum de conjunctione quadam Suediæ Britanniæque, hoc magis, quod apud Galliam parum proficiat, ne nomen quidem dignitatis Electoralis Principi Palatino valens obtinere, niſi priùs in belli ſocietatem veniat. Eò autem ne veniant Angli, tum aliis ſe cauſis adduci dicunt, tum quod metuunt ne Galli, ubi alios intricaverint, ſe extricent: adduntque non levia eſſe indicia, cur credant, ne optare quidem Gallos ut Princeps potens profeſſionis Proteſtantium, loca Galliæ vicina obtineat, memores, dejectas quondam res Galliæ Proteſtantium, virium Palatinarum auxilio reſtitutas. 7. 98. 26. 23. his diebus 108. 19. 33. 43. 55. 266. 81. 61. fecere ab Cryza 60. 79. 77. 85. 66. 80. 33. 22. 69. 30. 67. 47. 33. Mimnermi. Qui Roma ſcribunt, poſtquam nomina ſunt edita Legatorum ad pacem, ajunt nodos in eo negotio reperiri quatuor. De reditu Reginæ Matris: de conjugio Margaritæ: de Pignerolo: de Lotharingia: nulla Palatinatus mentione. In quatuor illorum tribus videtur Cardinalis Riceliacus nihil mutaturus de ſuis hactenus conſiliis. Quarti expediendi non ita difficiles ſunt rationes. Dux Bernhardus per ſuos hìc homines propera auxilia poſtulat, premente hoſtium vi, qui aucti novis è Polonia, egregiis ſanè copiis, Louhuium Lutſenburgum & Virodunos inter obſederunt, & jam ceperunt. Ipſe nunc Dux Bernhardus, auctus eorum acceſſu qui e Maguntiaco exiere propè octingenti, in oppido Virodunorum agit, cæſis apud Boviniacum nonnullis hoſtium excurſoribus. In Lutſenburgico atque in Atrebatibus conſtat magnos paratus fieri ad bellum Gallicis finibus inferendum, niſi pax præveniat. Gemera interim potitus eſt Valetta: addunt rumores cuncta in majus attollentes omni Alſatia exceſſiſſe Galaſſium: Argentoratenſem civitatem proprium ſuum militem offerre Duci Bernhardo, quod cognoverit Nordlingam aliaque oppida contra pactorum fidem à Cæſareis malè haberi. Alpium juga jam tranſiere Cæſareorum IV millia, ſequuntur VI peditum, duo equitum millia. Dux Parmenſis jam intra Galliam eſt, & in Aula paratur ei hoſpitium. Itali ajunt, venire eum tum ob alia, tum ut Sabionedum ſui juris locum Gallis tradat. Præfectus Mediolani jam à Ticino in urbem ſuæ Præfecturæ principem reverſus, equitem dimiſit in agros Laudenſem & Cremonenſem, prohibendis hoſtium incurſibus, qui interim in Alexandrinos fines prædabundi graſſantur. At Rohanius Curliacum aſſultans, non procul à Fontani caſtello locum depulſus inde eſt. Daniæ nothus nihil dum reſponſi ad ſua poſtulata accepit. Seldeni liber nihil continet quod Suediam tangat, niſi quod Suedi fœdere facto, de eo jure quod in mare Norvegicum ſibi vindicaverant, ceſſere. Hollandi Cunæo cauſam ſuam defendendam mandarunt. Parant ſe ad reſpondendum & Galli quidam. Venio ad minora. Servianus unus quatuor eorum, quos Secretarios ſtatus vocant, gratia &, ſi famæ creditur, etiam dignitate excidit ob certamen cum Bulionio de militaribus rationibus. Lugdunenſis Riceliaci frater Romæ juſſus eſt depilari, ne totus monachum Cartuſianum (nam ejus Societatis olim fuit) exueret. Epiſcopus Montiſpeſſuli, qui & ipſe eò venit ad diſturbandum matrimonium Lotharingicum, non dubitat quin futurum ſit, ut multis ſufflaminationibus trahatur negotium. Iam nunc diſco ex Thuani literis Schleſtadio ſcriptis 4 Februarii novi Calendarii, ſecundam vecturam frumenti à Spinali Colmariam bene perfectam: nec parum à Benfeldio impetratum, ita, ut non Colmariæ tantùm, ſed & Schlettadio in ſex menſes proſpectum ſit, præter id quod Baſilea ſperatur, quanquam incerto adhuc eventu. Gemeram biduo non diutiùs defenſam, medio inter Colmariam & Schleſtadium ſitu ad Iſlam flumen, egreſſos milites CXX. Iviſſe inde Valettam ut Hagenaviam liberet, cæteris præter Tabernas Alſatiæ locis ab hoſte derelictis, captiſque à Ranſavio Oſtiæ literis, quæ exhauſtas copias, magnamque rerum omnium penuriam ſignificent. Ex literæ Tabernis miſſæ erant ad Principem Stadionem agentem in agro Wittenbergico. Literæ recentes Vienna indicant, lætum Imperatorem ob refrigeratum ab Epiſcopis Polonis Regis Poloni ardorem in Palatinas nuptias ſpem concepiſſe, poſſe illum pertrahi ad conjugium cum Archiduciſſæ filia: auditum in eadem Aula à Tartaria Legatum, idque agi, ut is Rex amicos hoſteſque cum Cæſare communes ſumat. Ab Aula Ottomannica miſſum interpretem, qui turbamenta pacis in Hungarico fine demat. Aliæ ab Italia literæ exigua continent partis utriuſque tentamenta. Neque Belviderium caſtellum tenere Sabaudos potuiſſe, quin & apud Aſtam malè habitos: neque Carucenæ Marchioni Hiſpano Tombium, quod ceperat, potuiſſe defendi. Tanarum municipium irruptum à Sabaudis: & à Marchione Villa (is Parmenſis copias in Placentino agro regit) Ticinum uſque excurri. Deum precor, Excellentiſſime Domine, Tuæ Sublimitatis optimis cogitatis pares det ſucceſſus. 6/16 Febr. 1636.

Servianus ob eam quam dixi cauſam & ob diſſidia cum minore Butillerio, non munere tantùm ſuo demotus eſt, ſed

sed & Salmurium relegatus, aut quam optionem Cardinalis (cum enim abiturus salutare sustinuit) ei pro beneficio dedit, oppidum Nannetum. Is Servianus est, qui conscripserat Edictum Regis nomine, quod causas belli in Hispanum satis disertè explicabat.

Post captum Louhuium sive ut vulgò vocant, Longuium adversùs Virodunorum oppidum pergit hostis.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

551 DE literis tuis verè dixerim, quod de Demosthenis atque Ciceronis orationibus dictum memini, meliores esse tanto, quanto sunt longiores: si tamen longæ dicendæ sunt, vix id concessuro Philemone, cujus illud mihi in mentem venit:

τὸν εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ, καὶ πολὺν χρόνον.
[*Bene dicentem ne prolixum dixeris,*
Quantumvis dicat multa & multo tempore].

Accepi autem illas tuas, pro quibus gratias ago, 18 Ianuarii scriptas, ante hoc biduum simul cum illis à Magno Cancellario. Ego tecum sentio, sicut perniciosa fuit Protestantibus pax Pragensis, ita nihil boni eis sperandum à pace quam pro suo arbitratu recturus sit Pontifex. De Hispanis sic existimo: pacem temporariam daturos Batavis satis commodam, si eos à Gallis diducere possint. Nam magnos in Belgico paratus fieri contra Galliam audimus. At si Batavi, quod fore confido, stant eis quæ cum Gallis pepigere, multæ difficultates, multæ moræ intervenient: tandem tamen, ut arbitror, pax fiet ex usu validiorum, sua vi cætera trahentium. De scripto illo Gallicorum apud vos Legatorum, nihil dum comperi. Quæ Roma his diebus ad Masarinum venere literæ Aulam hanc implerunt spe non malæ pacis. De Lotharingia non ita difficilis futura est compositio. Sunt modi talia temperandi inter novos possessores & veteres dominos. Me quod attinet, video nunquam quieturos illos qui mihi non ob aliud malè volunt, quàm quod malè fecerunt. Ego neque de illis malè sum meritus, & de rebus Suedicis haud malè me meriturum spero. Si non semper læta nuntio, in me ea culpa non residet. Est id belli ingenium, ut res prosperas tristibus misceat, nec ulli se semper & sine exceptione indulgeat. Vt ecce nunc Gemeram captam à Cardinali Valetta audimus: contra Longuium, quod inter Lutsenburgum & Viridunorum oppidum est, obsessum, nisi & captum, ab hostibus, multum auctis accessione novorum è Polonia militum, qui ad sex millia esse putantur: adversùs quos Dux Bernhardus hinc auxilia orat, hostium octingentis ad Boviniacum cæsis novam laudem ac gratiam adeptus. A Curliaci, quod à castello Fontani non longè abest, oppugnatione rejectus est Rohanius. Sed Alexandriæ vicina impunè populantur Galli. Sabaudi consilia multis suspecta sunt. At Parmensis se ipsum fidei pignus adfert.

——οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν τῷ βίῳ
φυόμενον, ὥσπερ δένδρον ἐκ ῥίζης μιᾶς·
ἀλλ' ἐγγὺς ἀγαθοῦ παραπέφυκε καὶ κακόν.
[——*nullum vita in humana bonum est*
Quasi arbor radice una ramos erigens:
Sed mala propinqua sunt bonis atque adsita].

D. Cardinali Riceliaco gratias & egi & debere me profiteor, quod mecum candidè egerit: faciam, quantum mearum erit virium, ne eum bene de me existimasse pœniteat. Tumverò gaudeo adversùs malignos interpretes mihi in tuo quoque testimonio paratum esse præsidium. Vt literas quasdam meas ad Magnum Dominum Cancellarium hostes terra aut mari ceperint, scio fieri potuisse. Sed non ita stultus judicari debeo, ut ad virum tam subacti in illis rebus judicii, de Gallicis Batavicisque rebus, ea scripserim, quæ ipsi, quia volunt, somniant. Acta Conventus Suedici accepi: probantur à sapientibus. Maximi Cancellarii invictam in tam fluxa undique amicorum fide constantiam summopere tecum admiror. Neque si, post tam longi temporis spes irritas, tandem patriæ suæ rebus, ut datur, consulit, reprehendendus erit ab illis, qui, si lumine habebant opus, oleum debuerunt affundere. De Gallis justas habet querendi causas. De Batavis quid judicandum sit, tute scis meliùs. Sed, ut ais, si quid peccatum est, erit corrigendi tempus, inter tardas Lunemburgensis conventus, ita enim credi jubet mos Germanicus, consultationes. Legatus Magnæ Britanniæ, cui ea quæ ad ipsum mandataque ipsi negotia pertinent significavi, gratias tibi agit pro benigno de se judicio, curaque rei communis. Non multum hic promovet; tum quod offendat illa de Electorali nomine parum amica, ut Angli judicant, recusatio: tum quod hoc tempore, dum pacis negotium Romæ cuditur, apertè in bellum descendere minùs tutum existiment. Si quam viam monstrare possim, præcidendis difficultatibus istis, fecerim nihil æquè libens. Quædam non ingrata suggessi. Rediisse Electori valetudinem plurimum sanè gaudeo. Deus diu afflictam Domum clemens respiciat. Beverium audio à Batavis in Britanniam mitti, virum bonum & bono natum patre. Seldeniani libri unicum huc perlatum est exemplum. Nihil habet quod Suediam tangat nisi mentionem federis quo Norvegis jus in mare, quod ipsis objacet, relinquitur. Ego non modò cùm eum librum legi, sed & cùm primùm in eo laborare Seldenum audii, dixi amicis non dubitare me, quin Cunæum respiceret id certamen, valentem judicio, nec minùs antiquæ historiæ quàm juris cognitione egregium. Et nunc audio ab Hollandiæ Ordinibus ei id oneris impositum. De Turca quæ scribis, eadem aliunde nuntiantur. Vtinam vel is metus Christianos Principes, pridem sui nominis oblitos, ad pacem non iniquam compellat. Hæc dum scribo de rebus Alsaticis propiora cognosco: Gemeram intra biduum captam, novem non amplius militum damno. Ita jam Colmaria Sthlestadum tutò commeari: & utrique oppido, tum à Spinali, tum à Benfeldio allatis frugibus contra famem cautum in sex menses, spe aliquid & à Basiliensibus impetrandi. Cardinalem Valettam, in eo obsidio tactum ictu globi prope talum, sed ob intercedentem ocream innoxio, ivisse liberandam ad Hagenoviam, cunctaque Alsatiæ, præter Tabernas, hosti derelicta. Copiarum ejus tenuitatem egestatemque cognitam interceptis Ossæ literis multum animi Gallis addere. Longium captum constat, Viriduno timetur. Hæc nunc erant. In posterum, quæ tempora tulerint, nuntiandis non deero. Deus & tibi tuisque privatim, & publicè publicum amantibus det omnia quæ Christianos optare par est. Lutetiæ 4/14 Februarii, 1636.

Ill. Dom. Tuæ addictissimus observantissimusque H. G.

MARTINO RVARO.

Vir Præstantissime,

LEgatio, quam mihi gratularis, Ruare Clarissime, 552
utinam successus voto meo respondentes habeat: quod tum futurum est, ubi ad pacem communem aliquid nostra conferre poterit opera. Cogitationem certè ad hæc sævissima bella, quæ τοὺς χριστωνύμους [*eos qui Christiani vocantur*] exagitant, sine maximo dolore nunquam flecto, Deumque tecum precor, finem ut faciat, tantæ non magis vitarum ac fortunarum, quàm morum ruinæ. Itaque Suediam ac Poloniam expeditas bello mutuo lætus intellexi, nullum satis magnum existimans pretium quo res tam bona emitur. Germania quam etiam properaverit vides. Nec causam video cur diu Suedi nostri persistent in armis, quæ derelicta cernimus ab iis, quorum pro salute suscepta fuerant. Batavos hujus anni adversa cum-

cummaximè quietis avidos fecerunt. Si qui feriores sunt, eos quoque mitigabit, si non aliud, certè crumena deficiens, optima pertinacium conciliatrix. Grata mihi sunt, quæ mittis munera. Reponerem Tragœdiam editam Amstelodami cui ex Ægyptio Iosephi Patriarchæ nomine Sophompaneas inscriptio est, si ejus exemplar hic haberem. Inspexi Crelliana ad Hebræos, plena eruditionis, nec sine magna utilitate, quam in ejusdem labore ad Galatas etiam pastores Reformati qui hic dicuntur agnoscunt. Quæstio de qua agit libellus alter, magni est ponderis. Ego sic existimo, non habitus tantùm, sed & actus singulos contra fœderis leges, qui προαίρεσιν [*liberum propositum*] habent, id est cum notitia deliberationem tractumque temporis, tales esse ut de statu adoptionis hominem dejiciant, idque mihi Sacris Literis contestari videtur & sensus & mos puriorum sæculorum. Nescio an videris Richardi Thomsoni de Iustificationis intercisione & amissione diatribam Lugduni Batavorum quondam editam. Certè digna est quæ legatur. Gratum est & quod de loco libri mei capite de Iurejurando me mones. Dubius hæreo. Pythagoram, qui exactiùs ista colligunt, floruisse ajunt sexagesima Olympiade, id est sub finem Cyri. In Iudæa eum fuisse, cum Iudæis ibi collocutum Numenius & Malchus sive Porphyrius, Pythagoræ sectatores ambo, prodidere. Addidit Hermippus libro de Vita Pythagoræ: Ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος [*hac verò fecit & dixit Iudaeorum & Thracum sectans sententias*]. Et hoc, πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίων νομίμων εἰς τὴν ἑαυτοῦ μετήνεγκε φιλοσοφίαν [*multa Iudaeorum instituta in suam transtulit Philosophiam*]. Qui autem in Iudæis sint, quorum instituta cum Phythagoricis maximè congruunt, facilè videbit, si quis ea, quæ de Essenorum cætibus ac disciplina apud Philonem sunt, cum ὁμακοείοις [*communibus auditoriis*] Pythagoricorum, qualia Malcho, Iamblicho, Hierocli, & aliis describuntur, contulerit. Nec id inobservatum Iosepho, qui de Essenorum genere agens ait: διαίτῃ χρώμενον τῇ παρ' Ἕλλησιν ὑπὸ Πυθαγόρου καταδεδειγμένῃ [*vivendi instituto utens, quod Gracis à Pythagora traditum est*]. Video apud eundem Iosephum primam mentionem Essenorum fieri ad tempora Ionathæ Asmonæi, sed per occasionem duarum sectaserum, quæ multum eo seculo se negociis publicis immiscuere, Sadducææ, & Pharisææ, nullo adjuncto, quod observaverim, indicio unde colligatur non ante extitisse Essenos: quorum sodalitates ad Rechabitarum, aut etiam Nazaræorum formatas, non improbabilis mihi videtur conjectura. Certè inter Essenorum & Pythagoricorum præcepta rationemque vivendi tantam invenio similitudinem, ut non facilè eam συνεμπτώσει [*concursioni*] assignaverim. Cùm autem Pythagoras à Persis, Chaldæis, Brachmanibus multa sumserit, illa quoque à Iudæis illum hausisse, quàm Iudæorum partem purissimam ad Græci hominis cogitata se vertisse, credibilius videtur. Sed hæc sunto arbitraria. Polonos adolescentes quos mihi commendas, & si quos alios tibi amicos noverim, non illa communi tantùm, sed & propiore amicitia complectar. Vale Vir præstantissime, & si qua in re utiles esse possumus, operæ nostræ ne parce. $\frac{1}{11}$ Februarii, 1636.

Tuus si quid possum H. G.

MATTHÆO VOSSIO.

553 GRatum mihi munus advenere, tanto patre digne juvenis, Annales tui, eò gratiores quod in ea materia non illis editis tantùm sed & apud me latentibus operibus multum curæ impendi, quo mihi promptius fuit, agnoscere primùm diligentiam tuam cui nullæ latebræ fuere impenetrabiles, tum judicium quale ab ea ætate exspectare nemo audeat, quod maximè apparet in illa per Scriptorum partim penuriam partim imperitiam ac socordiam obscurissima Principum Hollandiæ origine, ubi tu non ut multi fumum ex fulgore, sed ex fumo lucem attulisti. Quare ita crede, nihil esse tam magnum quod non à tuis processibus ista tua initia sperare nos jubeant, ac me qui tibi amicus hactenus patris tui meritis fui, nunc tua tanti æstimaturum ut vel ab illis auspicari amicitiam velim. Vale cum omnibus tuis. Quæ de Anthologiæ epigrammatum Græcorum versione Latina mea V.C. Parenti tuo scripsi, ea rectè pervenisse spero: nam responsum quin venti inviderint similium casuum experientia dubitare me non patitur. Si tamen aliquid literis illis meis acciderit, non pigebit repetere. In vobis omnium editionum mearum (non gladiatorias sed literarias dico) spes est posita. 21 Februarii 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

DE pecunia ad S. Chaumontium missa, crebrescit rumor, sed multum imminutus, prius enim de millionibus jactabatur: nunc ad trecena millia ventum est, & munera pretio ducentorum millium tractando Conventui Lunemburgensi. Et amicorum è Batavis literæ negant cum Heufdio pecunias ex federe debitas venisse. Ipsi proprio Regis militi, in quem Bresæo imperium est, per quatuor menses nihil æris persolutum. Cùm è Batavia discederent, direptos ab illis Vicos contra suetam illis locis disciplinam. Nunc equites raptibus agrorum vivere: peditem diffluere, ita ut ex XXIV millibus ægrè septem restent: Eos sparsos per oppida (& quædam accipere abnuunt) stipem orare, partim Magistratuum misericordia tenuiter ali. Compertum ab iis, qui Sylvæducis sunt refossa sepulchra, ut lintea vestitui, ligna foco cederent. Hæc omnia in oculos incurrentia efficaciora sunt apud Batavos meos, quàm splendida Legatorum verba de bello prolatando, magnaque Regis potentia. Displicet & illud quod pactum federis, de conjunctim facienda pace eò trahunt Legati, ut velint Regi curam pro rebus amicorum permitti: in quem sensum & de nostris rebus mecum locutus est Feuquerius, cùm dicerem nihil Protestantibus bonum sperandum ab iis actibus quos Papa regeret, ipse autem responderet, Papam se negotiis tantùm secum sentientium immixturum, Protestantium autem rebus consulturum Regem: ita ut me cogeret dicere, nos igitur alienæ rei accessionem fore. Video viros rerum Batavicarum non imperitos ita arbitrari: in arcano jam convenisse de conditionibus induciarum inter Principem Arausionensem & Cardinalem Hispanum: eò fieri ut Hispani ad publica colloquia Gallos admitti non recusent. Si quid actum est, clam habetur & Nationes quas Provincias vocant & civitates singulas, quarum nonnullæ id conqueruntur, non iniquè si Reipublicæ forma spectetur: sed negotii ea natura est, quæ exceptionem desideret. Americanæ societati pecuniam, qua indemnus servetur offert Hispanus. Ingens est æs alienum tum federati corporis, tum partium: publicos reditus absumunt fœnera: ad nova onera surdescunt aures. Præter Reipublicæ mala apud Frisios civitatum & agros colentium quibus Senatus favet, nunquam bene sedatæ discordiæ redardescunt, haud exiguo periculo, si è Germania in eam regionem se injiciat hostis. Vt Amstelodamenses, pacis haud dubiè cupidos, Principi Arausionensi suspectos faciant Legati Gallici, exemplum literarum Consulis Oetgesii ad ejus urbis magistratus nescio unde nacti interpretando in suos usus trahunt. Hæc quanquam ad meam propriè curam non spectantia, quia ad rei communis dijudicationem non nihil pertinent, reticenda non existimavi. Meti Nassauviis Comitibus Lutheri placita sectantibus Parlamentum interdixit, ne quod

Digitized by Google

quod solebant antehac, domi suæ sacra facerent, Regni legibus impermissa. Id refrigerare Ducis Bernhardi studium in res Gallicas poterit: Et Cardinali Valettæ jam bis scripsit Pontifex, absisteret homo Ecclesiasticus arma cum hæreticis jungere. Episcopus Aurelianensis his diebus vehementem orationem apud Regem habuit in Regni hujus Calvinianos, preces seditiosas, & dogmata bonis moribus pacique publicæ noxia incusans. Anglia feliciter tot aliorum bellis fruitur, commerciis omnibus eò transientibus. Interdum navis aliqua à Gallis capitur, novasque adfert disputandi causas longè alia nunc defendentibus Anglis, quàm olim, cùm vicinis quiescentibus ipsi bella gererent. Seldeni Liber totius maris Controversiam movens diligenter à Cancellario Franciæ, aliisque Proceribus conquiritur, legiturque. Et puto futurum, ut respondeatur heic non minùs quàm apud Batavos, quos præter communem navigandi mercatusque causam propiùs res ista tangit, ob piscatum sub ipsa Angliæ Scotiæque litora, exerceri solitum. Nec desunt apud eos qui hæc aliaque nasci dicant ab Hispanorum largitionibus, quibus Aulam illam contactam volunt. Ducem Bulionium jam in clandestina Missa visum, sui non negant. Lubet videre retenturusne sit præfecturam & militaria quæ apud Batavos habet munera. Venturum se huc ad Regem profitetur. Vxoris animum, cujus blanditiis regitur, ad res Hispanicas propensiorem esse constat. Comiti Hanoviæ qui Meti agit non diffidit tantùm, sed & irascitur hæc Aula, quod repertæ apud eum sint chartæ commeatum concedentes iis quos ad pacem seorsim suam cum Cæsare faciendam missurus esset. Pari de causa ab ipsa Civitate Francofurtum Legatos venisse audimus. Vienna, literæ tolli à Turcis ajunt quæ jaci cæperant bellorum semina, ad quærendas rationes componendæ rei Palatinæ delegatos Episcopum Viennensem, Comitem Mecaujum, Taumemsdorfium & Stralendorfium: Ducis Wirtenburgensis pacem, quam vellent, nondum impetrasse: Saxoni auxilia parari. Ab Italia discimus Gambacurtam cum Hispanis in Placentinum agrum penetrasse; Villam cum Gallis in Mediolanensem, illumque capto Tombio & Guardamilia, hunc locis ad Stradellam, iisque immunitis & præsidiis relictis cæteram manum eò unde venerant reduxisse. Missos à præfecto Mediolanensi equites in Ticino vicina, putari & ipsum venturum, ne Galli eorumque socii Genua iter possint ipsis eripere. Alios è Novaria Vespolam aliaque loca vix nomine cognita Verallis non longè incedisse: Beluderium castellum à custode Helvetio Sabaudis venditum: A Montiregio rectore Neapolitani regni ad necessitates terræ Mediolanensis promitti CM scutatorum in mensem quemque. Thuanus noster literis 15 Februarii scriptis non docet Hagenaviam, à Comite Guioloio, cui equites aderant ter mille invectum pulveris bellici & stipendii nonnihil: sperari futurum ut & CCCC sacci frumento onusti importentur, ac sic in æstatem usque, meliores occasiones pariturum, servetur oppidum. Ipse Thuanus, qui Argentoratenses de commeatus inde obtinendos ambierat, nihil retulerat præter excusationes ex propriis ipsorum necessitatibus. Cardinalis Valetta agmen suum, quod jam magna pecunia alimentorum laborabat, Spinale reduxit, ipse Tullos, atque inde, ni quid intervenit, hanc Aulam petiturus, nescio an pro spe excipiendus, quia video in omnibus quæ de Alsatia liberanda in vulgus eduntur, nomen ejus reticeri. Hucusque scripseram, cùm traduntur mihi literæ Sublimitatis Tuæ fine anni scriptæ cùm adjunctis schedis. Ingentes gratias Sublimitati Tuæ debeo, quod neque res bello prosperas, neque sua prudentissima consulta me fugere patitur. Non ea est mihi perspicacia, neque rerum cognitio, ut quicquam ad consilia momenti afferre possim. Cæterum toto animo probo constantiam jus liberum de bello ac pace statuendi nulla mercede vendentis. Neque de promissis Galliæ quicquam certi habentis nisi oculata fide. Res nostra nummaria hic nihilo magis quàm nuper promota est. Misi hodie ad Heufdii cognatum: nec numerati, nec signati quicquam habet. Ductare sperant tempora spe nos lactando. Deus rerum arbiter, Excellentissime Domine, sicut arma secundavit, ita & præclara Sublimitatis Tuæ cogitata ad finem omnibus pia arma gerentibus propositum ducat. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Februarii 1636.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Post felices ad Colmariam Schlestadumque Valettæ 555
Cardinalis successus, missa pars equitis Hagenoviam intulit pulverem bello, & pecuniam stipendio: Quo minus eodem tempore frumentum importaretur, obstitit Argentoratensium cunctatio. Sed accepti aliunde sacci quadringenti onusti frumento in parato erant, sperabanturque eò perduci posse, ipso Valetta, ob cibi pabulique maximè inopiam, coacto quod habebat agmen retro ducere ad Spinale, unde Tullos, atque inde Aulam hanc petiturus dicitur. Dux Parmensis omni hic voluptatum donorumque genere accipitur, dum ager Placentinus partim à sociis, partim ab hostibus raptatur; eam se maximè in regionem injiciente bello. Villa cum Gallis ad Stradellam; ad Tombium & Guardamiliam cum Hispanis Gambacurtius se immuniere. Ticinensi agro defendendo, servandoque à Genua itineri, equitem misit præfectus Mediolanensis, aliaque manu Vespolam & loca Vercellis non longè invasit. Ita vix dignis memorari rebus ibi tempora transiguntur. Hîc tum à conventu Lunemburgensi, tum ab arcanis Batavorum cum hoste colloquiis ingens est metus. Meti Parlamentum Comitibus Germanis ibi exsulantibus interdixit ne domi suæ Lutherano more sacra facerent. Adversùs hujus Regni Reformatos vehementem his diebus orationem habuit ad Regem Episcopus Aurelianensis. Digniora scribi hybernum hoc tempus nobis non suppeditat. Itaque cum bonis votis finio. Lutetiæ 21 Febr. novi Cal. 1636.

Illustr. Tuæ Dom. omni cultu observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

Quod & mearum rerum curam gerit Sublimitas Tua, 556
& filium meum ex pulvere Scholastico ad res pertrahit, quodque supra res omnes est, suo conspectu dat frui, quod vel unum animo non segni satis ad virtutes omnes esse debet incitamenti, pro iis beneficiis gratiam reddere non est ut sperem, pridem obligatior, quàm ut solvendo sim, ne agere quidem satis dignè possum, nisi ut Deus precibus, ita Sublimitas Tua votis ominibusque velit esse contenta. Apertè cognosco ex horum qui in hac Aula sunt hominum sermonibus, excusari Brandenburgicum in dissidio à nobis facto: Faveri Polono, etiam in spe Regni Suedici recuperandi. De Italicis rebus nihil est hoc tempore quod scribatur. Dux Parmensis, qui adhuc hîc est, pacis etiam nomen abhorret. Quid in Valle Telina, & ad lacum Cornensem agatur, haud magni sanè momenti docebunt Marini nostri diligentes literæ. Batavicæ me literæ docent, nolle Cardinalem Hispanum potestatis sibi factum documentum exhibere, nisi & ipse videat potestatem non ab Ordinum tantùm Fœderatorum Conventu, sed & à singulis Nationibus quas Provincias vocant, suis datam. Nationes quædam

Digitized by Google

quædam ut Zelandia, hac re ad ipsos delata, cuperent inspicere propiùs, quibus legibus pactio speraretur. Interea prohibuere Fœderati, ne qua alimenta amnibus aut mari ad Hispano parentes Terras ferrentur, quasi ipsi talium egentes, revera ut Cæsarianis copiis circa fines agentibus fames fiat. Confluentes ad Mosellam in hostium pervenisse potestatem fama est. Revocata sunt auxilia, quæ Comes Suessionensis Duci Bernhardo jussus erat dare. Cardinalis Valetta hodie hîc erit. Hagenaviam importatum frumenti nonnihil. Vicecomes Turenæ Ducis Bulionii frater seriùs advenit, quàm ut hostium munitiones ad Longium impedire posset. Ægrè fert Princeps Condæus, quod cùm nuper coram omni Parlamento dixerit, si quod ab ipsis parendi initium fieret, de cætero non ursurum Regem Senatorum novorum admissionem, nunc Rex defugiat auctoritatem. Ex Brasilia discimus, qui eò recentes advenerant Hispanos, nihil quidem tentasse adversùs Batavorum opera, sed de suis, quater, aut ut alii volunt, sexies mille exposuisse sedecim Leucis à Fernambuco, ad augendum Albuquercii exercitum, qui jam constabat bis mille militibus, quinquies mille illorum locorum Barbaris: Metuique ne is tanto jam auctior vim in Batavos paret, eoque magis, quod totos quatuor menses nulli mare Euri perflarunt, qui militem victusque ac bello necessaria eò perferrent, quæ ipsa anno CIↃ IↃ CXXV cur Baia amitteretur, causa fuerat. Ducem Parmensem Pontificis Nuntii videre noluerunt, quod de honoribus, quibus ipsos excepturus esset, nequisset convenire. Itaque & cæteri Legati, ego, Anglus, Venetus ab eo salutando abstinuimus. Anglus & ego ne caruccam quidem obviam misimus, gnari futurum, si misissemus, ut Nuntiorum caruccæ nostris præferrentur. Causæ cur nuper odiosè adeò in Reformatos Galliæ apud Regem declamaverit Aurelianensis Episcopus, sunt, quod preces illorum contra Antichristum conceptæ sunt, quo nomine Papam ab illis designari non malè conjectabat: & quod in Psalmo XX qui Latinè *Exaudiat* incipit, sub finem non pro Rege orent, sed pro populo, ut nimirum ejus desideria Rex exaudiat, quod ab ipsis dolo malo immutatum dicebat, quia Latinus cantus aliter habet, & Regem à Deo exaudiri optat, non considerans Gallicam versionem Theodori Bezæ ex Hebræo expressam, eo sensu, quem & Pagninus & Arias Montanus, Romanæ Communionis homines Hebraicè doctissimi suis in versionibus sequuntur. Ita invalidis quod objiciatur, nunquam deest. Et hæc ille ita attollebat, ut non rationibus convincenda, sed carnificis manu punienda diceret, testatus tamen se, ut hominem Ecclesiasticum, de meritis eorum loqui, quorum tamen pœnas non exoptaret, quin magis deprecaretur. Hæc quidem non talia sunt, ut hoc tempore, bello ad omnem finem strepente, vis aliqua Reformatis metuenda sit, sed ut in Regis animo faces relinquere possint aliquando exarsuras. Audio in ipsa Cardinalis domo partes esse, aliis à Brezæo & agnatis, aliis à Mileræo, Comballeta ac cognatione cætera stantibus, multumque imminutam partem illam decusso qui ei faverat Serviano. Hæc dum scribo nuntiatur nobis, Dux Bernhardus avecta etiam ex Belgicis partibus hostium vi, coactus in Campaniam se recipere. Inde in Aulam hanc venturus dicitur; quod tamen ignorant, qui hîc res ejus agunt. Deus, Excellentissime Domine, hæc omnia te præsertim adjuvante, ad bonum gubernet exitum. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Febr. 1636.

Cardinalis Valetta jam huc advenit. Colmariensis qui hîc est Syndicus suam Civitatem, Princeps Wittenburgicus suam Familiam Tuæ Sublimitati commendare me jubent.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

EX tuis $\frac{1}{11}$ Ianuarii datis libenter intellexi res Suedicas bene procedere, & te ob negotia te digna in patriam mitti. Deum precor, ut & patriæ & tibi cuncta eveniant prosperrimè. Et si aut ad hoc aut ad illud mea opera aliquid adferre auxilii possit, tum demum vero solidoque fruar gaudio. Ita ut jusserat Magnus D. Cancellarius, ex quo hac Legatione ornatus sum, scripsi non quidem minima, sed summa rerum literis ad Reginam; nemo est qui mihi unquam è Suedia responderit. Scio D. Cancellarium satis idoneum esse auctorem tuendo muneri quod in me contulit, sed adversùs casus mortalitatis, adversùs controversias, quas hic interdum de potestate Magni D. Cancellarii moveri audio, tum verò, ut constantiùs animosiusque tueri possim commendatam mihi Regni dignitatem, non abs re sit palam fieri, in Suedia probari, quo optimè id fieri potest modo, quod de me constituit Magnus Cancellarius. Ego si illis ingratus non sum, me, meos, meaque omnia honori atque utilitatibus Suediæ dedicare constitui. Utinam tam bene ipsorum fructu quàm ego id optima fide censeo. Filio etiam ad notos mihi D. Comitem Brahe, D. Skytt, D. Salvium si fortè in Suediam iret, literas dederam. Nunc quando is, quod gaudeo, apud Magnum Cancellarium manet, tu mihi ut fidus amicus pro omnibus literis eris. Postquam in propinquis Suediæ partibus est D. Cancellarius, desii in Suediam scribere, quod ea quæ undique nuntiantur collecta, ipsiusque acerrimo digesta judicio, mallem illuc perferri. Planè probo generosum D. Cancellarii consilium, de pecunia quanquam debita non submissè oranda. Certus sum nec daturos nisi nos novis pactionibus suam acceptionem faciant, id verò si quid rectè judico tanti non est. Stulti sunt nisi intelligant, Lesleriana Conventa ne nominari quidem posse nisi cum contemptu Suedici nominis. Ex compendiariis, si prudens adsit interpres, nihil est ipsis compendii. Dani nothus hic sine responso detinetur. Magnificum his videtur multos habere ambitores, & jam in Ducis Parmensis gratiam chorearum ubique est comœdia, quanquam intra quadragesimam. Rumor est, Ducem Bernhardum huc venturum, quem vis hostium credita major in Campaniam non fugere (id enim dicere nefas) sed retrocedere coëgit. Erit cùm pœniteat Gallos sprevisse Suedorum fortem amicitiam. In Italia & Valle Telina res frigent magnis & ibi hostium copiis. Mirum est, Gallos sponte sua festinabundos, nunc optimas occasiones prolatando perdere. Meminimus cùm Rhætia cùm Insubria ita exiguas haberet Hispani & Cæsaris vires à milite, à belli paratu, à commeatu ut occupare volenti paterent. Nunc omnia illis abundè sunt, & crescunt quotidie ex Hispania, Genua, Etruria. Pontifex, qui Gallis in spem crescentis ipsorum etiam per Italiam potentiæ faverat, rebus contra cedentibus subtrahit se, & ut mos est illius Aulæ ad validiorem se applicat. Magnæ in Regno Neapolitano, magnæ per Hispaniam indictiones in sacri profanique ordinis homines fiunt. In Gallia præter novas dignitatum nundinas nihil est quod reperiatur. His quoque Parlamenta intercedunt, apertè quæ longiùs absunt, Lutetianum timidiùs & eo certiore indignatione quod vi premitur. Nobilitas postrema expeditione partim intermortua, exhausta opibus eo incalescunt, ut nullorum graviorum natu cogi possit ad obsequium. Credo & hostibus sua exercitia, sua incommoda: neque eo hæc dico, quod de salute Regni tam potentis desperem: sed quod eorum probem consilia qui ita bello se parant, ut pacem interim æquam & honestam non rejicerent. Rogo me notis ignotisque commendes, & rogo, si quid est in quo utilis esse possim, utantur imperio. Vale Vir Nobilissime. $\frac{1}{11}$ Febr. 1636. *Tuus animo non fucato* H. G. 557

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

558 DVx Parmensis abitum parat Placentia, ut audio, Gallis tradita comi hospitio gratiam persoluturus. Iam nunc in ea urbe duplex est præsidium, Italicum & Gallicum: sed Galli portas, Itali claves tenent: neque re contenti, nomen quoque & conspicuam speciem possessionis volunt. Dux Bernhardus nondum advenit, sed exspectatur, mirantibus multis hoc tempore duces prope omnes in Aula esse, cùm ex Viridunensi agro in Campaniam hostes, & ex Belgico in Picardiam penetraverint, dubium an se conjuncturi. Rex in Picardiam XVII peditum centurias misit: hostis ea in parte X peditum, II equitum millia habere creditur. Plebs hic trepidare incipit. Nobilitas è Normannia locisque aliis ad arma rursus evocata an itura sit incertum est. Seditio non sine causa metuitur: & jam Pictavii ad cædes quæstorum, domorumque incendia progressa est. Paratur adhuc classis Ligusticum in mare itura, ut, si possit, hostem insulis, & fida, quod his hibernis tempestatibus compertum est, statione, quæ insularum objectu tegitur, depellat. Dicitur Dux Bernhardus permissum habere ab Imperatore, ut ad fratres & ad Sublimitatem Tuam mittat. Multum queritur de non impletis à Gallia promissis. Laborabit hæc Aula, ut eum honoribus & spe divitis matrimonii demulceat, quantum intelligo, perplexus hæret. Suedos, qui in illis sunt Regionibus, tædet hujus militiæ: pro vallo sunt Gallis, ad pericula primi, ad stipendia ultimi, neque plus sesquimenstruo accepere, ingenti rerum omnium pretio, præsertim linguam Gallicam ignorantibus. Itaque diffluunt & hi & cæteri Ducis Bernhardi milites, ut vix pars dimidia supersit, multi in itinere Colmariam redituque, signa deseruere. Anglus Legatus non modò ad summam rei nihil proficit, sed etiam de mercatorum navibus incensis captisque negat se jus consequi. Putat futurum, ut ex Anglia aliquis ad Tuam Sublimitatem mittatur, revocato jam Duglassio. Imperatorem ait velle, ut quò faciliùs conditiones commeent, de Palatinatu Bruxellæ agatur. Venit jam in Angliam & Rubertus Princeps. Matri Palatinorum ad alimenta Rex Angliæ reditus obligavit ad CCCC florenorum millia. Galli equites è Bressæano exercitu, qui tandem ventos nacti è Batavia huc venerunt, equos ibi vendidere, duobus Pistoriensibus aut vilius singulos, unde facilis conjectatu, quæ inopia fuerit. Hi nunc in Italiam mittuntur, quo jam nova Cæsarianorum manus ad IV M CCCC per Alpes transiit. Captum hosti castellum Sancti Iohannis, munitus in Parmensi agro locus: neque dubitant Itali, quin brevi subitura sit Parmensem pœnitentia consiliorum Comitis Schotti, valde apud ipsum gratiosi, & Gallicis largitionibus occupati. Badensis Durlachius Marchio, qui diu in hac urbe contentus vixit, simile aliquando Parmensi fatum auguratur. Venetorum cum Pontifice disceptationes intra verba manent, Venetis multa pacis causa concedere paratis, sed duriore Pontifice, vetere ex odio. Vidi, Contolorum librum, quo Bardo & Olivo Venetis de Historia Friderici I. respondet, multa cum sugillatione Venetæ fidei. In Italia nihil agitur magni: nam & Gambacurtius Hispanos à Guardamilia reduxit, & Gallos suos Villa à Stradella Cremonensi & Mutinensi agro per rapinas gravis. Præterea ad Tombium validam munitionem struunt Hispani, duces Florentinum & Mutinensem auxilia poscunt ex fœdere: Galli Pado pontem imponunt, ut populatores Laudensis agri tutum ad suos receptum habeant. Vallem Telinam Hispani volunt liberam esse, ut Monsoniana pactione constitutum, quem in sensum scripsit ad Rhætos Legatnius, Mediolanum regens: At Rhæti sua sub imperia Vallem retrahere volunt, restituique in eam formam, qua fuit ante pactionem Monsonianam factam se inscius. Gallis neutrum placet, sed possessioni insistere. Et, ut color obducatur moræ, excitatur Episcopus Curiensis, ut vetera & obsoleta in eam Vallem sibi arroget. Audimus partem militis qui in Wittenbergensi agro hyemem egit, iter parare illas in partes, ad disturbandos Rohanii circa lacum Comensem conatus: Coloredum adhuc hærere in Basiliensi Episcopatu. A Vienna literæ 19 Ianuarii scriptæ nuntiant, Arseldum cum XII cohortibus quæ Regimenta vocant, Saxoni ire opitulatum: Regem Hungariæ emisse ter mille Missas dicendas pro militibus mortuis: Arnemium cum Gallis sociare consilia: Wittenbergenses Legatos culpam in tutorem rejicere: sed pacis moras esse difficiles expeditu, Herdelarium Comitatum donatum Bavaro, & Aulicis Cæsarianis multa in Ducatu officia. Dejecta ab Hungaris munitione, quam in finibus Turcæ fecerant, consedisse id dissidium, præcisas & à Polono Rege discordiæ cum Turca causas, punitis Cæsariis qui pacem turbaverant. Suspecta hic esse cœperunt Fratris Regii consilia, ideoque in Bastiliæ carcerem conjectus est. Rivirius ejus arcanorum particeps. Dignitatum nundinæ hic frigent, partim intercedentibus Parlamentis, partim, quod pecunia non affluit. Propius inquirens in ea, quæ in finibus geruntur, disco hostiles copias apud Dunum Mosam transiisse: Polonorum duo millia exspectari præter quatuor millia; quæ jam recens supra priores copias advenerint. Comiti Suessionensi qui illi limiti præsidet imperatum, ne periculis rem objectet, sed proxima oppida Menuhicum Desiderii fanum, & Catalaunum bene permuniat. Ajunt illi esse quatuor peditum millia, equites mille sexcentos: illos qui in Picardiam incubuere hostes irrito conatu Bragam ad Samacam, aliaque loca minora adortos. Deum precor, Excellentissime Domine, hæc omnia ad Christiani Orbis quietem tua cum parte gloriæ regat. 6. Martii novi Calend. anni 1636.

Quos Comes Suessionensis ante signa in hostem miserat, periere omnes. XII leucis à Catalauno abest hostis, habens in Campania XII millia. Dux Bernhardus jam Meldas (*Meaux* Gallis) advenit. Heusdii cognato nihil solvitur, nihil perscriptum datur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVod nunciem haud multum habeo: ita incerta sunt omnia. Hostis non longè Viriduno Mosam transiit: 559
Campaniæ oppida strenuè munit, tutaturque Comes Suessionensis. In Picardiam, quò se ex Belgico fine aliæ hostium copiæ contulerant, Rex militem mittit, & tuendo Regno, ut vetus mos est, Nobilitatem evocat. Comiter hic exceptus Parmensis abit locum facturus Duci Bernhardo qui hîc exspectatur, ut consilia societ cum Valetta, Fortio, Feuquerio, qui omnes hic sunt. Res in Regno quietæ hactenus, quanquam non desunt discordiarum semina. In Italia nihil nisi prædæ aguntur, terra marique. Ad Tombium bene se muniunt Hispani, ad Bremam Sabaudus, ad Clavennam & Comensem lacum Rohanius. Pergunt novæ hostium copiæ transgredi Alpes, partim ad Mediolanensem agrum, partim Valli Telinæ infesti. Navium Hispanicarum quæ peditem Hispanum Genua Vadum adduxerant una, ejus generis quas Galeones vocant, tempestatum vi mersa est. Wirtenbergenses Legati Viennæ adhuc detinentur. In Alsatia Ensishemum & Marchelshemum retinent Cæsariani. Argentoratum & Basilea pro fortuna partium modò

dò huc, modò illuc nutant. Ver appetit, res majores, ut credibile est, allaturum. Galli Vallem Telinam planè exemtam volunt Rhætorum imperio, nisi quod è tribus nominatis unum judicem electurus sit Rhætiæ Conventus: Protestantibus neque Sacra neque habitatio in Valle permittitur: sed liceat eis bona sua vendere aut per Romanenses reditus accipere. Censum Rhæti è Valle percipiant belli tempore XV M, pacis tempore XXV M scutatorum. Hæc Rhætis non placent: sed concoquenda sunt validiorum imperia. Ilanæ nunc consultatur his de rebus. Dux Bernhardus jam Meldas advenit. Hostis in Campania Catalauno abest XII leucas. Tibi tuisque omnia opto prosperrima. Lutetiæ 6 Martii novi Cal. anni 1636.

Da veniam, quæso, quod de literis molestus tibi sum, donec alia via monstratur.

Tua Illustr. Dominat. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

560 Nondum digresso Parmensi, novus in hanc Aulam hospes advenit Dux Bernhardus: sed illi in Lupara datum hospitium huic in Armamentario. Dux Bernhardus ob Saxonici sanguinis antiquitatem & decora, multum se præfert Pontificum posteris & vasallis. Sed Parmensis Rex in colloquio caput tegi voluit: cum Vinariensi maluit ipse loqui nudo capite. Parmensis Vinariensi salutatum misit, non ivit ipse: Misimus & Legati. Iturusne sim & ipse nescio, quando mandata diserta non habeo, exspectaturus Legati Britannici circa illa solliciti exemplum. Ponicam ad me misit: is Ducem ait cùm pridem nihil pecuniæ pro exercitu acciperet, (nam post pactiones cum Ponica unius tantùm mensis stipendium acceperat) nuntiique à se missi verba referrent, constituisse ipsum huc venire, ut certi quid reportaret. Rex dixit facturum se ne quid queri possit: neque dubito, quin in præsens pecuniæ nonnihil sit ablaturus. Cæterum ex Proceribus intelligo, non planè probari huic Aulæ ipsius actiones. Ajunt, egregias pugnandi occasiones ab ipso transmissas, sive pavida Nortlingani prælii memoria, sive quod omne militis damnum grave putet, cùm jam id unum habeat salutis auctoritatisque suæ præsidium. At Ducis domestici ajunt Gallos pecuniæ suæ tenaces pericula externis delegare, cùm in hostem progrediendi tempus esset Comitem Suessionensem revocatum.

Bene cessit Gallis, si quod rumor fert, & credi video, qui Mosam transierant hostes, eò unde venerant, rediere. Nec illis qui in Picardiam irruperant quicquam patratum adhuc præter villarum incendia. Nunc Rex ad Sancti Germani est, eodem ituro Duce Bernhardo, aliisque militiæ primoribus, ut Consilia capiantur tempori accommodata. Erigit animos, quod Batavi apertè pollicentur, se ab his seorsim de ponendis armis nihil acturos. Magna in hunc annum Galli præ se ferunt per Italiam molimina. Pontifici quàm pertinaciter hæc Aula studeat, vel hinc intelligere est, quod Rohanii armata auctoritate impelluntur magis quàm persuadentur Rhæti, ut pro vero imperio, in Vallem Telinam, imagine quadam & modico censu contenti sint, & ut iis qui cum Rohanio in Religione sentiunt, in Valle Telina nec Deum suo ritu colere, nec larem figere liceat. De novis dignitatibus ita cum Rege deciditur, ut pars admittatur à Parlamento, pars tertia remittatur à Rege. Neutiquam tamen hujus commento erit ea quæ sperabatur utilitas. Itaque aliud adjicitur, auctum nummi pretium, quadrantis scutatis solidis quatuor, aurei Pistoriensis octo. Ita Rex in præsens in ære militi aliisque persolvendo quintam fermè partem lucrifaciet, tantundem damni censuris privatis privatorum creditoribus. Audio Gallos non satis habere, quod urbis Placentiæ portas teneant: etiam arcis custodiam sibi deposcere: Ea satis magna merces erit sumtuum hic factorum in Italum hospitem, qui ad CCC scutatorum millia æstimantur. Augendo militi proponitur, ut quæque Galliæ Provincia definitum pro sua magnitudine numerum cohortium turmarumque alant. Rediit navis ab Insula Christophori dicta, quam Americæ objacentem Galli Anglique partito possident fructu, non alio quàm tabacci & gossypii, quod cotonem dicimus. In alias quoque ejusdem maris insulas magnas satis, quippe leucarum quinquaginta aut amplius in ambitu Martinegii, Dominegii, & Guardalupæ dicuntur, habitatas Barbaris, aliquot milites Galli misere, usurpandi magis juris, quàm quod ad custodiam sufficerent. Ejus qui Benfeldium regit prudentiam diligentiamque, à Iurisperitis qui ipsum resque ipsius novere, prædicari audio. Hogendorpius hìc est, post quindecim hos dies ad Sublimitatem Tuam iturus, eorum quæ refert, gratiam prælibare nolim. Sed & Ponica futurum putat, ut ad Sublimitatem Tuam mittatur. Negant hi Hanoviam & Confluentes Treviricos defendi ampliùs posse. Literæ à Vienna nunciant, credi in ea Aula non Germanos tantùm sed & Turcam à Gallis in Domum Austriacam incitari, id quoque tentari si Ragozzio depulso Galli alium Transilvaniæ præficere possint, sibi devinctiorem: Ab Imperatore & fines Hungariæ diligenter muniri, & dona Bassis mitti, ut bellum aut arceatur, aut redimatur. Regi Poloniæ (idem ex Italia scribitur) ex Neapolitano Regno CL M scutatorum mitti præsentis pecuniæ obventiones præterea annuas quasdam perscribi, specie transigendi de veteri nomine, reipsa, ut ab aliorum amicitia abducatur, præter hæc Italæ literæ significant, Ducem Mutinensem cum VII M peditum, XVIII equitum ire, ut Villam Gallum suis finibus depellat. A Mediolano auxilia ei mitti CIↃ CCC pedites, equites tantundem: Hispanos jam quosdam eodem præmissos, & sequi Germanicas cohortes, quæ postremæ Alpes transierunt. Florentiæ esse Legatum Imperatoris: Hispanum Melonem ibidem exspectari. Pontificem queri de Gallis Hispanisque, Placentinum agrum Sedi Romanæ Feudali lege obstrictum, perpopulantibus: Interim spectare hæc otiosum, temporibus pro occasione usurum. De iis quæ ad lacum Comensem geruntur, nihil scribo, tum quod exigua sunt, tum ne materiam præripiam Marino, cujus mitto literas. Deus, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitatis actus ad bonum orbis Christiani dirigat. $\frac{4}{14}$ Martii 1636.

Conventus Regni Neapolitani suo Regi donativum dedit duos milliones auri & semimillionem. Rohanii copiæ ita diminutæ sunt, ut ultra bis mille secum non habeat. Mitto ipsa, quæ Rohanius jussu Regio Rhætis exposuit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Omnia hìc conviviis & lætitiæ ostentamentis strepunt: 561
nondum abiit Dux Italus, & Dux Germanus advenit, Bernhardus Vinariensis, æmuli inter se circa honorum inania. Germanus nobilitate multum eminet: Italus hìc præfertur, jure summi, quod tenet, imperii. Cum hoc de Italico bello jam consultatum est diu; cum altero jam de eo quod Rhenum inter Mosamque geritur, consilia capientur. Nam Mosam quæ transierant hostium copiæ, remearunt: & ex Picardia nihil grave nuntiatur. Placet hic per Provincias describere cohortes & turmas, quas suis quæque impendiis, supra vetera onerum, alant. Pecuniæ reperiendæ, præter illud quod significavi antehac de novis dignitatibus, etiam nummi aurei argenteique pretium intenditur, commodo persolventium, & inter

Digitized by Google

inter eos maximè Regis. Ex Viennensibus literis disco, primum id agi, ut Turca aliò avertatur: deinde ut Polonum habeant Austriaci, si non faventem, certè nec adversum: neque parci in rem utramque largitionibus. Dux Mutinensis & Hispani justum exercitum misere, tum ut Mutinensem agrum Gallorum excursibus liberent, tum ut in Placentino se ulciscantur. Pontifex bellum in Italiam penetrare, dolens & tacens spectat. Castellum sancti Iohannis in agro Placentino sibi subegit Hispanus: Galli pignus societatis arcem Placentinam postulant. Levia hæc sunt, præ iis quæ ver novum multis in partibus videtur parturire. Rogandus est Deus omnia in bonum vertat, quem & tibi perpetuo tuisque propitium spero fore. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Martii 1636.

Illustr. Dom. Tuæ observantissimus addictissimusque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

562 DVcem Bernhardum adivimus Legati acceptique ab eo comiter & officiosè sumus & resalutati. Illud quod nuper non ita exactè cognoveram tacendum non arbitror: cùm nuper ad Regem admissus fuit, postquam pauca locutus fuerat, Rege caput suum tegente, idem ipsum fecisse injussum. Apparuisse in Regis jussu offensam, qui nudato capite, ut Duci quoque eadem necessitas imponeretur sermonem abruperit. Post id apud Reginam fuere ambo, tectus Rex nudo Dux capite, quod Dux honori sexus more Gallico datum interpretatur, Galli quod ante peccatum fuerat, eo correctum volunt; eique indicarunt tegendi capitis honorem non negaturum Regem Duci, si titulum sibi Franconiæ alteriusque supremi Imperii asscriberet, nam soli sanguini id deferri haud solitum. Commendat se Dux Tuæ Sublimitati, optatque & ab ea & à Britannia impetrare se posse militiæ suæ supplementa. Id ni obtinet, brevi dilapsis copiis ipsius quoque labescet authoritas. Nunc ad tanum Germani cum cæteris ducibus proceribusque sociat consilia ægrotante adhuc Feuquerio. Quidam è primoribus mihi dixere valde suis commodis intentum Ducem, ægrè magna Cardinalis Valettæ patientia retentam concordiæ speciem. Dux in sermone mihi dicebat Riceliacum Cardinalem sibi affirmasse Brandenburgicum partes relictas resumere, neque de ejus in Galliam fide dubitandum. Aliunde disco Patrem Iosephum polliceri Swartsenburgico, qui consilia Brandenburgici regit, in Gallia principatum si id efficiat, internuntio eo qui hic est Brandenburgici filio. Anglicus Legatus minùs minusque sperare se ait de fœdere cum Gallis. Non dubitare se quin Anglia spem amicitiæ ad Suedos sit translatura, firmiùs hæsuræ per religionis vinculum. Nam à Gallis res non obscurè gubernari ad Pontificis gratiam & Regni & amicorum malo. Abit Parmensis cum donis ad C. M. scutatorum. Duci Bernhardo sex equos speciosos dedit Cardinalis Riceliacus ipsumque domi ipsius resalutavit, ut & Pater Iosephus. Mittitur ad tutandum magis Picardiæ limitem quàm ad inferenda in hosticum arma, non magna cum manu Castilionæus. Novarum cohortium conscriptiones novæ Regni partibus indictæ, & Galerarum paratus recuperandas ad Insulas tardiùs quàm res poscit procedunt, asseverante nihilominus Patre Iosepho cis menses duos hostem ad nullum Galliæ finem appariturum. At in Italiæ agro Lomelino Pralinus ut Gallus inconsulto impetu cum octingentis militibus in hostem ruens ab Leganesio Mediolanensis terræ Præfecto circumfusus, parum abfuit quin cùm omnibus suis interiret. Saluti fuit, quod intellecto periculo subvenit Crequiacus, is quoque ipse magnum aditurus discrimen, nisi hostem fama copias ejus supra verum attollens fefellisset. Dux Bernhardus de pace injecto à me sermoni nihil plane respondit. Accepisse se literas dicebat à Marescallo Hornio, seque curam ipsi reddendæ libertatis tum Cardinali Riceliaco tum Iosepho commendasse; satis tamen metum judicans nihil esse nisi ex pace communi quod speretur. Mirari se dicebat nullas à Mohelio quid ad ipsum scripserat, venire literas. Ego idem miror & aliunde intelligo prædicari ab eo me in hac Aula minùs esse gratiosum. E re sit non ignorare me, quæ illis in locis aut aguntur aut dicuntur, ut ea mihi hic & ad inquirendum & ad judicandum prosint. Princeps Arausionensis ægrè obtinuit ne quid equitum, aut peditum qui nunc Batavis militant, dimitteretur. Induciarum manet ibi ingens desiderium spe difficiliore ob Galliæ connexum. Aysema inde ad Imperatorem mittitur. Comites Sarapontani & per me suas res Subl. Tuæ commendant, & scribunt ipsi. Pavius qui hic est & eo quod in Hollandia obibat eximio munere, & Legatione simul excidit. Hoc illi dedit impensè nimis quæsita Galliæ gratia. Tabernas Alsatiæ cogente fame ac pestilentia à Galassio derelictas intelligimus. Subl. Tuæ, Excellentissime Domine, cuncta prosperrima opto. $\frac{10}{20}$ Martii 1636.

Hæc cùm scripseram venit ad me Priardus res hic Mantuanas agens magnus rerum Gallicarum prædicator. Is ante Maji exitum in Italia, Regis sociorumque copias ait futurum ad XXX millia in quibus duas partes Regis tertiam sociorum: equites in iis quater M. naves autem in mari XL cum VIII hominum millibus: Rohanii præterea exercitum ad XII millia. Hæc si ut dicuntur ita præstantur magnam illic præbebunt ad res gerendas materiam. Anglus nihil se promovere conqueritur.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac potentissima Regina, Domina Clementissima.

CVm Dux Bernhardus Vinariensis, qui nunc in hac 563
Aula magna Regis Procerumque omnium comitate excipitur, & me ut Maj. Tuæ Legatum omnium officiorum demonstratione honestaverit, & in omni sermone eximium cultum Maj. Tuæ fidemque in rem Suedicam ostenderit, omittere non potui quin earum rerum, ipso præsertim id rogante significationem Tuæ Maj. ederem. Est nunc is princeps ad S. Germanum apud Regem, ubi de tuendo Galliæ limite restituendisque Germaniæ rebus ineuntur consilia. In Italia, terra marique strenuè paratur bellum: conscribuntur cohortes novæ: omnibus modis pecunia corrogatur: Campaniæ limitem tuetur Comes Suessionensis: Picardiæ Castilionæus. Iam & Galassium derelictis Tabernis Alsatiam quas pestis famesque consumserat, retro pedem tulisse intelligimus. Deus, Serenissima ac potentissima Regina Domina Clementissima, res sacræ Maj. Tuæ ad bonum Christiani Orbis gubernet. Lutetiæ $\frac{10}{20}$ Martii 1636.

Augustæ Maj. Tuæ dedicatissimus subditus. H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVod literis tuis 21 Febr. ad me datis reponam, nihil 564
magnopere per gratias habeo, nam post ea quæ scripsi ante hos octo dies nihil habemus dignum nuntiatu, nisi quod Dux Bernhardus gratus Regi Proceribusque Legatos resalutans fidem suam in bonum publicum & res maximè Suedicas quantis potuit maximis indiciis, testatus est. Cum eo nunc Rex ac Proceres ad Sancti Germani fanum consilia ineunt, quibus bellum procul Gallico fine in hostium inferatur; intenta maximè in Italiam cura, ubi nuper Pralinus Gallico more pericula audentiùs quàm pru-

prudentius ingerens à Leganesio multo validiore circumventus inclususque, clade affectus: ac quò minùs ipse cum militibus quos habebat octingentos interiret, Crequiaci adventantis fama supra verum copias ejus attollente, servatus fuit, novo super tot vetera documento temperandos consiliis fortes animos. Campaniam adhuc bene tuetur Comes Suessionensis: Ad Picardiæ finem mittitur Castilionæus. Legatum Britannicum affirmare possum tui esse amantissimum tuumque de se tam benignum judicium (nam partem illam literarum ei ostendi) quanti debet æstimare. De cetero is est, qui si quid fieri possit è bono publico, Domusque Palatinæ nihil in se passurus sit desiderari. Tamen quod hic urget, negotium non quantum vellet procedit, sive Bavari respectus obstat, sive privatæ de captis aut mersis navibus controversiæ moram injiciunt majoribus. Turcam multa Bassis largiendo averti posse sperat quantum ex literis discimus Aulæ Viennensis. Daniæ nothus hic nihil efficit. Molitiones Bavari ad firmandam sibi in perpetuum Palatinatus possessionem etiam hic nos intelleximus, neque latet ea res Illust. Regis Britanniæ Legatum. Vtinam tam diu cunctantes vel hoc nuntio ad vera consilia impellantur. Rebus Bannerii tam prosperis in spem erigimur, posse recuperari ea quæ Suedis sua virtus pepererat, & quæ sociorum fuerant. Sed ut dicis æquum est opem conferant quorum id per se vel propinquas necessitudines interest. Ni fit contentis vocum discriminibus in Galliam Batavosque irrumpet etiam ex Germania bellum, victæque gentis viribus Domus Austriaca conjunget disjecta imperia. Hanoviæ timeri video. Literis recentioribus lætis educor, jam convenisse inter Batavorum Proceres de veteri equitis peditisque numero nihil imminuendum. Spero Principem Arausionensem istis viribus providè ut solet, &, quod Deus addat, feliciter usurum. Quo magis procedet annus, uberior ut puto subnascetur scribendi materia. Tibi, Vir Illustrissime, tuisque omnibus cuncta quæ optari fas est, eveniant. Lutetiæ 20 Martii, nov. Cal. 1636.

Illustr. Tuæ Dom. omni studio addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

565 MVltum hic triumphatur ob duo hostium millia, quæ ab Aconio lacu per Lotharingiam ad Lutzenburgicum agrum ibant ut sociis post longam famem se jungerent in campis ad Ravonem à Marchione Lafortio Marescalli senectute emeriti filio partim cæsa partim fugata, egregia peditum ope, quos musquettarios vocant, ornat victoriam captus Iuvenis Colredo cognatus, atque cognominis. Dux Bernhardus hic etiamnum trahitur. Ex Italia discimus Parmensis peditatum cæsum à Duce Mutinensi in ipso Parmensium Gallorumque sub Villa receptu, post tentatam ab iis frustra Castelli Sancti Iohannis recuperationem. Ea prosperitate elatum Mutinensem Placentini agri possessionem sibi despondere. Sed Crequiacum suis Sabaudique è copiis contractis equitibus mille & ducentis, peditum septem millibus parare irruptionem in Ticino amni proxima, ut ea necessitate aliis locis abducat hostem. Ipse Mediolanensis Præfectus qui propior rebus curandis esset Novariam venerat, septem secum peditum tria equitum millia habens præter Mutinensis auxilia. Rex Hispaniæ Pontifici significavit se ultionem de Parmensi Duce federis sui desertore ita quærere, ut summum per ejus terras Ecclesiæ imperium nihil sit imminuturus. A Vienna scribitur Zellero res ibi Anglicas agenti dictum à Cæsarianis paratum Imperatorem efficere, ut Palatinatus inferior ad Domum Palatinam redeat, restitutis Hispano quæ fecit impendiis ad tres æstimatis milliones: de Electoratu nihil posse agi vivente Bavaro: interim bene volentem Austriacæ Domus animum patuisse, dato ab Hispanorum ministris Principi titulo Electoris quem negassent alii. Zellerum ostendisse non placere hoc sibi, sed rem se Regi Britanniæ perscripturum, ad quem à Cæsare mitti dicitur Vertevanus. Esse qui Imperatori etiamnum spem faciant transferendi Poloniæ Regem ad Austriacum matrimonium, Regis ejus Fratrem Casimirum in Poloniam revocatum. Ad lacum Comensem pergit quæ non satis firma invadere Rohanius, inter quæ Colicum nominatur. Rhætos omnes commotos postulato Regis Gallorum, ut jurisdictione in Vallem Telinam parte summi Imperii maxima decedant, Protestantibus Rhætis ad dolorem communem accessisse alterum, quod Galli velint omnes qui Romanæ non sunt Religionis finibus Vallis Telinæ excedere. Ea ratione quantùm Pontificis gratia, tantùm abalienari Protestantium optimè de re Gallica meritorum animos, scribit ad me Sprecherus, indignabundus quod Vallitelinates sanguinariæ rebellionis premium libertatem reportent; Videbimus, quid Conventus qui nunc habetur Curiæ Rhætorum, quo venturus & Lanerius Regis Galliæ Legatus, super illis capitibus sit constituturus. Non deerit Hispanus accendere offensas & qua spe qua donis pertrahere ad se fluctuantes animos: sicut nunc apud Helvetios id laborant ne eis liceat Gallorum signa extra Galliam sequi, adversum id dictitantes sceleribus per quæ Austriacæ Domus connectuntur. Brisaci Præfectus navigia per Rhenum retinere dicitur, ne Hochburgi subveniendi Gallis sit copia: militem Cæsarianum, qui in agro Wittenbergensi, quique apud Vlinam agit, nullis abstinere avaritiæ sevitiæque facinoribus, scribunt plurimi. Angliæ Legatus pergit loqui de amicitia arctiore inter Regna Suediæ Britanniæque. Hæc præter, nihil habebam nunc quidem, præter preces ad Deum, Excellentissime Domine, pro Sublimitatis Tuæ salute rebusque prosperis. $\frac{17}{27}$ Martii 1636.

Iam nunc Hochburgum Cæsarianis deditum intelligimus. Pugnatum. ad Ravonem 17 Martii novi Calend. Hæc cùm scripseram venit ad me Dux Bernhardus, dicit se metuere ne miles noster insolentia peccet, à pace videbatur minùs quàm antehac abhorrere: vellet æstiva sibi in Burgundia Gallica concedi, inde Mosellam versùs iturus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

STerilia rerum novarum esse solent non hyemis tantùm, 566
sed & crudi adhuc veris tempora. Tamen digna nuntiatu victoria apud Ravonem in Lotharingia Gallis contigit. Capiebant isthac iter Cæsariani, quos è Basiliensi agro vicinisque locis fames abegerat, ut agrum Lutsenburgicum peterent, Sociorum ibi copiis se addituri. Re intellecta, neque enim latere agmen duorum ferme millium poterat, occurrit à Novocastello, quod apud Tullos est, Marchio Lafortius, Marescalli patris in laudes succrescens filius, patentibusque ad Ravonem campis, deprehensum hostem, non longo prælio, præcipua tuborum vi, quos Musquettas vocant, partem alteram exitio dedit, alteram fugere coëgit, captis equestribus signis ferè duodecim. In Italia ad reprimendos Mutinensis per agrum Placentinum cursantis processus, Crequiacus cum septem peditum millibus, equitibus mille ducentis aut amplius, partim sui, partim Sabaudici militis, ad Ticino amnis proxima promovit se, ipsumque Mediolani præfectum eo metu Novariam pertraxit. Fontani castello adsita pergit occupare Rohanius. Difficilem in deliberationem idem Dux implicuit Rhætos, qui nunc Curiæ conventum habent, Regis mandato ab eis postulans, ut con-

ut contenti juris imagine vim ipsam imperii in Vallem Telinam remittant, ac ne Protestantibus ibi habitare liceat. Legatus Britannicus disertè à me id postulavit, ut gratias pro se tibi agerem, pro benevolo in se animo, neque te sinerem dubitare, quin & te plurimi faciat, & tibi carum se esse, pro magno ducat. Ea quæ in literis tuis de restituenda Palatina Domo dissertaveras, (quicquid enim usum habere poterat, ei exposui) mirum in modum probat, tuamque prudentiam largiter prædicat. Speramus ubi in Britanniam venerit Beverius, tum ibi, tum hîc aliquid actum iri: Ego, si nihil potero aliud, votis favebo; quæ & pro te tuisque facere non desinam. 27 Martii ex novo Cal. anni 1636.

Ill. Dom. Tuæ addictissimus ejusque observantissimus H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

567 MVltum doleo quod, quas ad te miseram Genevensi via literas, non rectè pervenerint. Tuæ ante has quæ datæ sunt 3 Ianuarii novi Cal. postremæ exeunte anno scriptæ fuere, quibus respondi 14 Ianuarii. Ante id tempus scripsi & 20 Novemb. & 4 Decembris post eas quas à me ultimè habuisse te scribis. Vt insidias caveam literas meas captantium, has beneficio Legati Britannici Tigurinâ via mitto. De prospera valetudine mea certum te facio & tuam opto quantum cujusquam. Negotia mea tanta nunquam erunt, ut non primo loco ponam amicitiæ tuæ mihi dulcissimæ cultum. Capita illa Rhætis proposita vidi, sanè dolens si Rhæti tam bene de rebus suorum meriti cogantur vim imperii, quæ ut rectè dicis pœnalibus indiciis tacenda est, amittere, & si in Valle Telina exemplum datur, quid Protestantes, ubi impuri sunt, exspectare debeant. Quare spero bonitatem Regis & Legati prudentiam temperamentum reperturas, quo & commune Rhætorum & pars eorum egregia Protestantes non tantùm in Societate maneant, sed & in eo quem toties testati sunt animo. Res Suedicæ meliùs meliusque procedunt, Deo non sinente eos lætari illata nobis injuria, qui cùm periculis exemti sint tot Suecorum Regisque ipsius sanguine, gratiam quam debent in facta palam hostilia mutarunt, sexies ex eo cæsi, penultimo prælio exuti equitatu prope omni, quod Bannerio, cui nunc se adjunxit è Prussia Wrangelius, viam in Misniam Thuringiamque patefecit, oculosque omnium iterum in Suecos tanquam Gustavo vivente advertit. Misit in Suediam Magnus Cancellarius, aliis advocandis legionibus, tormentis, commeatibus. Pax nisi Protestantes vel invitos servare propositum Magno Cancellario foret, ad quem Regni Suedici Tutores belli pacisque arbitrium rejecerunt, quidem coiisset, sed ille tam erecto est animo, ut ne contumeliis quidem ullis depelli possit à causæ communis cura. Ab Anglis aliquid boni pro Palatina Domo speramus. Galli per se ut scis acres magis etiam stimulantur cæsis in Lotharingia ad Ravonem Colredi copiis, adestque huic Aulæ præsens hortator Bernhardus Vinariensis. Tui in literis ad Magnum Cancellarium meis monuisse non desino. Deus tibi orbique Christiano propitius adsit. Cal. Aprilibus novi Cal. anni 1636.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

568 DVm hic Parmensis lætos agebat dies, Mutinensis circumsita Parmæ incursavit gravi etiam urbis parum validæ periculo. Placentini quoque agri possessio cum hoste divisa est multum imminutis Gallici fœderis rebus. Clade ea quam 27 Februarii Crequiacus à Vespola veniens occurrente à Vigerano Leganesii exercitu accepit, nudatur turpi ut fertur, Sabaudorum fuga. Peditum pares ferè erant copiæ ad septem millia: equitatus dispar, Hispanis ter mille, Gallis & Sociis octingenti. Mala hæc sunt Gallicæ parti magna in hunc annum per Italiam minata auspicia. Duci Bernhardo significatum intelligo, ne coram Rege caput tegat, tum aliis de causis, tum, quia stipendia ab eo accipit. Anxius est animi ob incertum Gallicæ societatis, metumque, ne ita illigetur, ut referre pedem nequeat, ob id etiam matrimonii cum Rohanii filia valde à matre virginis expetiti mentionem omnem declinat. Præter libertatis curam, quæ major esse multò Germaniæ quàm Galliæ Principibus esse solet, posset Religio movere, cùm nuper in diversorio Badensis, quod rem Divinam Lutherano ritu fuisse dicitur, acris sit facta inquisitio. Ipsis Reformatis quàm posthac futura sint, occlusa ad honores itinera Marchio Lafortii filius documento est, cùm felicis pugnæ præmia exspectanti pecuniæ sint promissæ, Marescalli dignitatem ambienti responsum est: Religionem obstare. Dux Bulionius haud dubiè Pontificius hîc exspectatur de Sedano cum Rege conventurus, nisi jam convenerit. Bressæus qui Bulionium accusare voluit, quasi res per Belgicam ipsius neglectu corruptæ forent, repercussus à Bulionio acceptæ malæque dispensatæ pecuniæ crimine, Salmurim præfecturam suam amandatus est, adversa illi etiam ob sociata cum Serviano consilia, Cardinalis annuntiat. Regis frater Delbenum haud dubium exploratorem sibi à Cardinali additum, & quo differente quidam ei Principi peccati in carcerem conjecti fuere, à se abegit, nec ullis rationibus ut eum reciperet ad se potuit permoveri egregio usus colore, satorem illum semper fuisse dissidiorum inter se & Regem. Chaunio (is est Butillerii filius) multum se purganti dixit, se de Cardinali atque ipso non queri, addito, vos enim Domini nostri estis. De Lotharingico ejus conjugio, cùm Romæ Montispessulani Episcopus vir disertus sententiæ Gallicanorum Antistitum causas exposuisset, quid peteret callidè quæsivit Pontifex; cumque se non ad postulandum quicquam missum diceret, sed ad demonstrandas ejus quod visum Episcopis rationes, scripto ut id faceret edixit Pontifex, tum se de re deliberaturum. Idem Pontifex cujus gratiam Galliæ potentes magno amicorum suorum cum damno sollicitè sæpe ambiunt, Ducis Parmensis traditas sibi literas humi dejecit, & Hispanici exercitus egestatem commeatibus è Latio solatus est. Etruscus adhuc extra auxilia quæ ex Feudali Senæ lege debet, Genuenses in hoc bello medios se præstant, & Veneti pergunt dicere, se merè spectatores esse. De Anglia Cardinalis amicis dixit, se nihil sperare. Princeps Arausionensis postulat Bressæani militis quod ibi restat ad octo ferme millia Regiis stipendiis, ibidem ali præter vetera auxilia, alioqui impedire se non posse, quò minùs ad inducias ruant populi. His durum videtur societatis pretium à Batavis indies intendi. E Vienna discimus, Augustæ pœnitentiarum Patrem Lucam Iesuitam ivisse Æniponte m, ad conciliandum ut creditur conjugium inter Mantuani nepotem & Archiducissæ filiam. Misisse Imperatorem Lutetiam occultos homines, qui, quid Parmensis ageret, explorarent. Neoburgicum nihil opis impetrasse. Saxoni è Silesia subveniri, indici & Bohemiæ Conventum. De pecunia quæ hic nobis debetur, nihil planè fit. Præfectus qui Hochburgum dedidit, jam pervenit Argentoratum. Lusternus huc rediturus exspectatur, qui antehac res Cæsaris gessit hac in Aula. Dux Bernhardus discessui se parat, nec aliud in mora est, quàm pecunia. Sperat trecenta se scutatorum millia ablaturum in stipendium veteris militis, & novo conscribendo. Ponica ad Sublimitatem Tuam mittetur, comes ut credo itineris Hogendorpio futurus. Ginettus Cardinalis Roma abire

Digitized by Google

abire jam creditur cudendam ad pacem in Pontificis usum. Ego honestam firmamque opto & ejus constitutæ honos, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitati Deum oro ut debeatur. Lutetiæ 4 Aprilis 1636.

De Matrimonio Lotharingico judicari Papa Romæ vult; Galli in Gallia præsentibus Papæ delegatis & nisi mutati sine aliis: sed Frater Regis scripto nihil ultra pollicitus, quàm staturum se iis quæ Papa aut Episcopi cum ejus Legatis essent judicaturi. addit quicquid agatur se ad aliud conjugium trudi non posse. Rex Episcopos ne discedant levibus negotiis moratur ut metum Romanis injiciat, sed sine illis rem judicari passurus. At illi gnari quàm multos habeant in Gallia suæ factionis, talia terriculamenta non curant. Breslæi restitutionem cum imperio in Picardiam multi sperant. Chaunius mittitur iterum ad fratrem Regis ut Delbenium familiæ ejus reddat, quod valdè vult Cardinalis. Duci Bernhardo nunc sex esse equitum quatuor aut quinque peditum millia ait Hogendorpius. Hac nocte Dux Bernhardus it apud Cardinalem ad Rohaniam.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

Aurelianensi rerum criminalium Judici.

Nobilissime Amplissimeque Domine,

569 BErnhardum Damke, cujus pater vir est summæ probitatis eruditionisque non mediocris ex aliorum sodalitate in malum dolens intelligo. Solatur me & ipsius & patris amantem, quod veritatis nudatrix dies innocentiam ejus in lucem producere jam cœperit. Neque dubito, quin vos, quos veritatis soror justitia sacerdotes suos fecit, rem bene inchoatam ad felicem perducturi sitis exitum, ut tandem is adolescens liber reatuque omni exsolutus ad senem patrem redeat. Si quid ad hoc preces meæ valent, etiam iis fungentur hæ literæ, simulque testabuntur me, si quid vicissim facere possim, vobis gratum quod sit, nunquam defuturum. Lutetiæ 5 Aprilis 1636.

T. N. Studiosissimus H. G.

Procuratori & Adsessoribus Nationis Germanicæ Aureliæ.

Nobilissimi Domini,

570 SIcut mihi dolet infortunium in quod innocens, quantum intelligo incidit Bernhardus Damke, viri egregii Hamburgensis filius, ita in hac occasione vestram fidem omnium inclaruisse multùm gaudeo: nec dubito, quin rem ex gravissimis difficultatibus explicatam ad felicem perducturi sitis exitum. De re pecuniaria mercator hic habitans mandata accepit, ego si quid adferre potero, quo levetur hoc malum, nihil operæ in me desiderari patiar. Vobis pro benevolo in me animo gratias ago, quantique inclitam nationem vosque singulos faciam, velim rebus posse ostendere. Lutetiæ 5 Aprilis 1636.

V. N. Studiosissimus H. G.

BERNHARDO DAMKE.

571 INcommodum in quod incideras, doctissime Damke, jam famâ nuntiante tristis intellexeram. Scilicet mali aliquid ex vicino malo, quo magis videndum tibi in posterum ut, qualem Pater vir optimus velit, consuetudine utaris. Recreavit me quod carceri exemtus ab ipsis judicibus criminis suspicione liberari cœpisti. Ut plenè absolvaris opto, & siquid possim, conferam libenter, tum tui, tum patris causâ; de re pecuniariâ posteriora mandata, quæ ad me missis derogant, Duisterlous accepit, ad quem cum misi, qui mihi abs te literas tulerat. Deus tibi cum bona mente det fortunam prosperam patrique sistat incolumem. Lutetiæ 5 Aprilis 1636.

Tui Amantissimus H. G.

NICOLAO PEIRESCIO, Senatori.

Nobilissime atque Amplissime Domine,

ACcepi ab Oosterwickio Legato Batavorum, amico meo vetere, & viri admodum φιλοπάτριδος [*Patriæ amantis*] filio, literas ad me tuas, pro quibus multis modis gratias debeo: quod & tu mei meministi, mei semper amantissimus, & mihi gratularis rem dulcissimam, amici consuetudinem. Et nunc quidem ille ad res suas rectè ponendas in Batavos abiit, desiderium mihi reditus sui relinquens; cui apud me non leve accessit pretium inde, quod tibi, ingeniorum animorumque optimo judici, non displicuit. Procopii Grææ editioni Hœschelianæ quæ deerant, Roma, Puteanorum apud fratrem suum commendatione, accepisse gaudeo. Verti in Latinum sermonem Gothica & Vandalica, in honorem gentis, cui me in adoptionem dedi, à patria ter venundatus. Nosti legem 12. Tabularum. De Porphyrio rogo pergas cogitare. Verè enim ita sentio, magnam in eo rem Christianam agi. Æthiopica ex Enochi Apocalypsi, vide an eadem sint, quæ in Eusebianis posuit Scaliger, pagina Notarum 244. unde desumptus est ille in Epistola Judæ locus & alia nonnulla, quibus utuntur Christiani scriptores veteres. Hexaplon eximii operis servasse aliquid, magni fit. Ego & in talibus curis te, ut soles, versari gaudeo plurimum; & id doleo, quod publico me æquè utilem præstare non possim. Publicum jam non partium, sed omnium eorum, qui doctrinas amant intelligo. Faciendo quæ facis innumeros obligas, sed in iis nemo est, qui me libentiùs debitum agnoscat. Vale, Vir Præstantissime. Lutetiæ 8 Aprilis 1636. 572

GERARDO JOANNI VOSSIO.

NOn ingratas, Vir Clarissime, tibi filioque quas misi literas sanè gaudeo, nam quos amo, ab iis & redamari percupio. Quod Petri mei studiis favetis ambo, pro eo etiam gratias ago, rogoque ut eum excitetis ad operam quam nuper ei indixi vertendæ in puram Pandectæ latinitatem meam Batavici juris institutionem. Neque hortatores tantùm vos esse, sed & quando opus erit adjutores cupiam. Anthologia tota editioni parata est: Sed Typorum Græcorum quos mihi filius transmiserat species mihi non placet. Valde amem tales quales sunt in Stephanica Anthologiæ editione cum notis illis discriminatricibus. Sed fortè nusquam tales reperiamus. Indices quoque addi velim exactos Poëtarum, & de quibus agitur, hominum, rerum, locorum. Ita enim liber utilior fiet, monstrantibus viam etiam prolegomenis meis quæ parata habeo. Rogo dispicias ubi editio & accuratissima possit fieri, & cum maxima celeritate. Tua de Poëtica, Filii Maimonidem, de pectore ubi prodierint, duplici cum gaudio legam & ob Scriptores & ob argumenta scriptionis. Origenem, dudum est, quod impatienter desidero: Salmasius ea in re exspectandus non erit prolatator nimius. De Tacito non debet à me Commentarius exspectari nec dissertationes Politicæ. Sed si quis edere velit, iis quæ Lipsio & illis Gruterianis scriptionibus notata, possum correcturas emendationum sexaginta aut circiter addere, ut illâ quoque novâ accessione opus commendetur. Schickardo bene te voluisse non dubito & ex literis tuis certior fieri gaudeo. Sed exonero te eâ curâ. Mortuus est enim ex peste. De eo hoc fecimus Epigramma à Berneggero moniti: 573

Qui stadium Solis penitusque latentia Cœlo
Sidera, qui voces noras Hebraeas tuas.
Optimus interpres, quam Bosphorus alluit, aula
Cui melius multo quam sibi notus Arabs.

 Pesti-

Digitized by Google

Pestifero rapitur Schickardus sidere: docti
Flent, simulatque artes discere quisquis amat.
Vix talem fieri poterunt sperare nepotes
Ut nunc à morbis secula longa vacent.

Mea meique tibi ac tuis omnibus, ut semper prosperrima precantur. Lutetiæ 10 Aprilis 1636.

Tibi Devinctissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

574 GRatias tibi habeo pro iis quæ 10 Martii ad me scribere voluisti, ex quibus heri acceptis, sunt enim curandi literas vix nunc ut difficiles ita sæpe tardæ, didici multa, ut semper ex tuis, maximè de Germanicis rebus, quarum in maxima versabamur caligine eo quod per iter, ut arbitror, Magni Cancellarii nihil ex Pomerania pridem huc venisset. Gaudeo & bellum bene procedere in Saxonia & de pace non omitti cogitationes. Æquum est Protestantes suis prospicere rebus. nam quam pacem cudit Pontifex, cujusque gratia jam Bononiam venit Cardinalis Ginettius, minimè credi debet utilis futura eorum rebus, quos Pontifex ut suæ dignitati commodisque adversos non potest non odisse. Ab Imperatore ei negotio præfecti Bambergensis Episcopus, Fuggerus, Curtius: Ab Hispano Dux Ahala, Franciscus Melo, Cancellarius Mediolanensis, quibus Mediolanensem alium additurus est Leganesius & Belgam Cardinalis Hispanus. A Gallia manent qui destinati antehac Brezæus, Davausius, Feuquerius, Charnassæus. In Italia 27 Februarii cladem accepit Crequiacus à Vespola veniens, cùm ei Leganessii à Vigevano occurreret exercitus. Vires ferme pares, nisi quod equitatu paulò validior Hispanus. Sed Crequiacus Sabaudorum turpi fugâ desertum se queritur, idque ad malè obductas simultates novum vulnus accessit. Nec desinit Sabaudus audire Legatos ab Hispano, & Principis Thomæ apud Hispanos gratiâ rem cæcis suspicionibus implicat. Multum ab hoste incursatur tum Parmensis ager, tum Placentinus. Dux Bernhardus, constitutâ re pecuniariâ, brevi se abiturum Germaniæque rebus subventurum sperat. Et mittet ad Magnum Cancellarium, qui eum de ipsius animo consiliisque edoceant. Gaudeo in Batavis effectum Principis auctoritate, nequid de numeris discederet: & stipendia diligentiùs, resque maris fortiùs tractari. Scenquiano castelló recuperato, quod propediem futurum confido, expeditum erit Principi alió vires vertere. Leodii locus ad pacis colloquia non displicebat Gallis, ut se Batavorum rebus nonnihil aptarent. nec Britanno id incommodum videbatur. Sed Pontifex suæ Majestati convenire judicat, rem in Italia, si non confieri, certè incipi. Et ipse ad 12 millia conscribit militum, partim in speciem virium, partim Venetorum, de finibus quædam disputantium, odio an metu. De Beverii legatione spero optima, nec deerit conferre, quicquid poterit, D. Scutamorius, qui te justo pretio, id est magni æstimat. Quid de Seldeni libro judicaturus sit Magnus Cancellarius, scire avebo. Hic aliqui se ad rescribendum parant, non minùs quàm apud Batavos Cunæus. Incidi his diebus in literas scriptas manu P. Pauli Veneti, Viri quem ex scriptis nosti, ad Gilletium Parisiensem Senatorem, in quibus hæc legi: *Si quam libertatem in Italia aut retinemus aut usurpamus, totum Franciæ debemus. Vos & dominationi resistere docuistis & illius arcana patefecistis. Majores nostri pro filiis habebantur olim, cùm Germania, Anglia & nobilissima olim regna servirent: Ipsique servitutis instrumenta fuere. Postquam excusso jugo illa ad libertatem aspirarunt, tota vis dominationis in nos conversa est. Nos quid hiscere ausi fuissemus contra ea quæ majores nostri probaverant, nisi vos subvenissetis?* Hanc partem literarum dignam quæ exscriberetur judicavi, quod ad res temporum Friderici Primi non parum pertineant. Literas tuas in hostium manus pervenisse doleo. tamen nihil inde video nasci posse tuis aut publicis rebus adversum. Præterea, ut rectè dicis, contra malignos interpretes satis præsidii nobis esse in præstiti officii conscientia debet. De literis ad te, sequar viam quam monstras, nisi per amicos interdum sit mittendi occasio. Dei curæ te omnemque familiam quantum possum commendo. Lutetiæ 10 Aprilis novi Cal. 1636.

Illustr. Tuæ Dom. observ. omni studio cultuque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

CArdinalis Ginetta jam Roma Bononiam abiit à Pontifice dilectus ad pacem constituendam inter Ecclesiæ Romanensis columina. 575 Legati ab Imperatore qui ante à me perscripti, Bambergensis Episcopus Fuggerus, Curtius, ab Hispano Dux Ahala, Melo, Cancellarius Mediolanensis: his alium Mediolanensem adjunget Leganesius, Belgam Cardinalis Hispanus. A Gallia Brezæus Davausius, Feuquerius, Charnassæus destinantur. Poloni de conjugio Regis sui cum Palatina nòn dubitant. Legatus tamen Anglicus sic loquitur quasi id non credat, puto ne ante tempus suspecta sint nobis Angliæ consilia. Idem Legatus à Gallis responsum adhuc exspectat super propositam à se quæstionem, an si arma Gallis jungant sua Galli in bello perstituri sint, donec non Palatino tantùm terræ sed & Electoratus ad veterem Dominum redeat? Interea multæ literæ nuntiant ire in Angliam Legatos à Vienna Wartmannum, ab Hispania Ognatum. Qui in Anglia ærarii curam accepit Londinensis, totus à Cantuariensi pendet, & creditur sanctè functurus eo munere. Dux Vinariensis hic etiamnum detinetur. Vellet de pecunia Gallica certus esse interpositâ mercatorum fide. Militem mallet Germanum Suedum, Britannicum. Consilia sua per Ponicam Subl. Tuæ significabit, excusabitque factam Magontiaci jacturam. Dux Parmensis simul Galliæ fines exiit, amovit à se Secretarium suum, quod is Galliæ Ministris nimium se fecisset familiarem. Episcopus Burdegalensis, ut nunc omnia etiam belli per homines hujusmodi procurantur, it cum classe in mare Ligusticum. Recuperandi insulas spem nullam esse nisi per pacem tum ex hominibus provinciæ Narbonensis, tum ex iis qui cum classe ituri sunt, intelligo. Bene ibi se munière Hispani naves habent plurimas, Italiam omnem aut suarum partium, aut extra partes. Frater regis iratior metuitur esse post depulsum Delbenium, ideo Aurelianæ urbi præfectum suo nomine Rex dedit. Viennâ scribitur 16 Polonorum, Cosaccorum puto, millia in usum Imperatoris conscribi: mitti inde ad Italicum bellum mille quingentos equites, pedites bis mille & quingentos. Neoburgicum nihil obtinuisse, præter literas ad Cardinalem Hispanum ac Piccolominæum. Alii indidem scribunt Imperatorem, ut Anglum sibi conciliet, in eo laborare, quod diu jam dicitur, ut Electores sint novem in iis Palatinus & ex Episcopis novus: Bavaro dare velle partem Austriæ ipsi propinquam ut à Palatinatu discedat. Sunt tamen in Italia qui aliter de ea re differunt & ajunt, Palatino pro Palatinatu alias terras datum iri: jus autem Electoris post mortem Bavari. Regni Neapolitani Rector terra marique vires comparat magnas, qui mos Hispanis tunc maximè cùm de pace fervent colloquia. De pace actionem à Bononia migraturam, Tridentum Constantiam aut Lindavim varii ut fit variè augurantur. Nec desunt qui hæc omnia in speciem ostentari jactarique putant. Re-

vera

Digitized by Google

vera Romæ Estræum cum Papa in arcano de conditionibus conventurum, Papa ipse XII millia peditum conscribit. Parat aliquid militis & Dux Etruscus Pisasque firmat. Dux Mutinensis Parmensi gravis ad Messanam & Rosseum, per quæ Mutinensis ager Mediolanensi connectitur, munivit se diligenter: cæteroqui qui post prosperam Hispanis pugnam captamque ab illis Vespolam nihil magni ibi agitur. Creditur controversiæ de Valle Telina jam diu in conventibus Rhetorum agitatæ is futurus exitus, ut Protestantum religio è Valle exsulet, jurisdictio civilis & criminalis penes Vallitelinates maneat, jus transitus retinentibus Rhætis, si quid controversi inciderit stetur Gallicorum Legatorum arbitrio. Et de religione quidem merito dolet Protestantibus. Jus autem imperii imminutum graviter conqueruntur & Romanocatholici, non obscura pœnitentia in ipsa viscera admissi militis Gallici, ita ut jam imperia detrectari nequeant. Nec tacent quidam æquiora ab Austriacis potuisse obtineri. Hochburgi damnum magni fieri video ob loci situm, repertosque ibi belli paratus. Spero propediem me reditum Tuæ Sublimitatis Stralsundam, ejusque res prosperas intellecturum. Deus, Excellentissime Domine, id faciat cunctaque ad bonum commune dirigat. Lutetiæ, $\frac{1}{11}$ Aprilis 1636.

Docent me recentiores literæ ad complendum illum XVI millium, de quo scripsi, numerum, Germanos qui in Silesia agunt una cum novis è Polonia copiis numerari.

Dum hic in manibus hæret pecunia, diffluit Ducis Bernhardi exercitus & optima supplendis numeris tempora prætereunt.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

D. VOISIN.

Vir Nobilissime,

576 Legi cum voluptate quæ miseras ex Hebræis Latina ex Latinis Græca, illa tua, hæc fratris, pari ac fraternâ felicitate. Maimonidæ, quæ vertisti, dignissima sunt lectu, incenduntque in me multa videndi talia desiderium, audaciam etiam id à te postulandi. Philosophica quæ sunt Hebræorum nihil habent antiqui. Ad eos venere per Arabum rivos ex Græciæ fontibus, unde haurire est limpidiora. Cabalæ pleraque somnia otiosorum. Unum quod à Judæis petendum est interpretatio est legis per Mosem datæ usu approbata: Multæ autem sunt partes dignæ nosci, & intactæ hactenus. Sicut de Rege dedit nobis qui nuper obiit Schickardus: de Synedrio ...... de Templo Constantinus, cognomine Imperator, & novissimè de intestatorum successione Seldenus. Ita te quoque in parte aliqua egregia morum Hebraicorum explicanda velim bene mereri de publico. Ego utilem maximè eam partem judico, quæ de Synagogis est, earumque gubernatione. Sed æquum est eligendi libertatem tibi relinqui; ut dulcior sit, quem elegeris, labor. De Æneidos parte in Græcum versa, dicere audeo ex quo renatæ sunt literæ, paucissimos fuisse, qui Græcos versus tolerabiles scriberent, qui Homeri facilitatem exprimerent, in Italia Galliaque neminem, in Germania unum fortè Rhodomannum, qui tamen si quid rectè judico ad illud omnibus seculis laudatissimum exemplar minùs prope, quàm hic tuus, accessit. Quare pergite quæso, quanquam pauci sunt talium recti judices, bene sperare de nostro seculo aut certè de futuris, cùm vestra sola duorum studia habeant unde alios possint accendere. Ego ut stadii spectator plausu favebo, nec unquam me Deus sivit ita immergi negotiis, ut non talibus ingeniis & legendis & apud alios prædicandis vacem. Vobis opto fortunam dignam tanto literarum profectu. 14 Aprilis 1636. Lutetiæ.

Tuæ Nob. animo toto addictus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

Sollicitum me nonnihil habuit, quod post discessum à Stralsundia Sublimitatis Tuæ nihil de ea intellexerim. Sed & itineris diuturnitas, & Dei cura, cui consilia Tuæ Sublimitatis cordi esse confido, faciunt ut quæ, precor, etiam sperem. Literas à Regina Domina mea Clementissima accepi, datas 28 Ian. Cal. Vet. quibus cùm Legationem mihi Tuæ Sublimitatis beneficio datam, probari videam, pro & quantum Tuæ Sublimitati supra tot alia vetera sim obligatus, utinam, sicut intelligo, ac memini, ita rebus ipsis possim ostendere. Certè ardens id faciendi studium nunquam deerit. Venit ad me ante biduum Dux Bernhardus conquerens trahi se diu, interim & occasiones perire & militem suum imminui. Inde vereri se ne pax aliqua in arcano cudatur. Aliunde tamen intelligo jam numerata illi sexcenta florenorum millia: annuum ipsi honorarium promitti centum & viginti millia. Quatuor milliones promissos fuisse ajunt Galli, exercitus Ducis octodecim millia faceret: nunc cùm ejus numeri pars ferme tertia reperiatur, pro ea portione pecuniam datum iri. Sed quod Dux maximè urgebat, ut finitimæ civitates, quod Parmensi indultum fuit, fidem pro eo suam obligarent, quam deinde mercatores, pecunias suo quamquam numeraturi, sequerentur, non obtinuit. Neque Heufdius noster qui à Batavis huc rediit, Bulionii rogatu semet obstringere voluit. Hinc multum metuo ne paulatim dilabantur Ducis copiæ & Rex suo milite rem malit agere. Heufdius nobis debitæ pecuniæ spem se habere dicit, quod ita sentiat, an quod expedire id credi rebus illis quas curat existimet, non dixerim. Non desinam tamen cum gratiarum actione pro Induciis Polonicis, quam mihi Regina mandat, hoc quoque negotium Regi ad quem Cantiliaci agentem admissionis impetrandæ causa misi, deinde & Cardinali commendare. De Turcicis & Italicis scribit Marinus. Sed habemus recentiora. Sultanum venisse Constantinopolim & inspectasse fratrum occisorum corpora, ut mortis eorum certus esset. Multum attrito Turcarum in Syria vicinisque locis per morbos exercitu Persas ita revalescere, ut de Rovoano recuperando serio cogitent. Parmæ oppidum magno periculo exemtum est, Mutinensi Duce qui non Hispano illigatus sed Parmensi Duci, privatis de causis quæ inter finitimos non desunt, infensus fuisse dicitur, Pontificis per literas inducto, ut arma ex Parmensi territorio, Ecclesiæ feudo abduceret. At Placentia paulo minus quàm obsessa est, fractis multum Galliæ federatorumque rebus infelici ad Vespolam prælio, ita ut nunc ad Verselias se teneant nova supplementa opperientes. Periculum oppidi Placentiæ & rebus difficilibus incerta Placentinorum fides efficient, ut Galli qui nunc cum Italis ibi præsidium partiuntur, pluribus introductis plenam possessionem invadant, an etiam sic tuendo loco pares futuri incertum. Rhætis ne propositas à Gallo super Valle Telina conditiones summo imperio & religioni noxias admittant, auctores sunt Helvetii Protestantes. Quidam mediam proponunt viam, ut hominibus reformatæ religionis cultu habitare Clavennæ tantùm liceat. Batilehennus Istovan Gabrielis illius clarissimi propinquus à Transsilvania ad res movendas per Capucinum è Gallia missum instigatus dicitur. Ragoskio ad tutandam possessionem auxilia mitti ab Imperatore. Galassius ob dissidia cum Ossa atque aliis missionem poscere dicitur. Copiæ ejus in Saxoniam iere. Majores sub Piccolominio & Waertio novum moliri Rheni fortè & Mosæ transitum. A Vienna literæ 8 Martii datæ significant

Digitized by Google

ficant credi in ea Aula peditatum Imperatoris pervenire ad LXXX millia: promissos ab Hispano Daleros ter centies mille: dari operam ut supplementa adsint militi, & commeatus, quorum horreum Donawertæ & Kolsæ. Sexdecim millia militum Duci Lotharingio attributa, quibus ipse imperet. Quæstumbergum ad Palatinum Hungariæ missum, ut cum à Gallicis sollicitationibus avertat. Regem Poloniæ Romæ laborare ut cælitibus adscribatur Ladislaus Costa. Ex Helveticis literis discimus Austriacæ Domus ministros Romæ obstare, ne confirmetur in Episcopatu Curiensi is qui electus est, creditus Gallorum beneficio id adipisci. Tria millia ducatorum, non magnam pecuniam Altorfii retentam à Magistratibus ob ea, quæ suæ civitati ab Hispanis debebantur, certamina accendentibus Gallis. Vxorem Principis Thomæ ad ipsum in Belgium ire. Post prælium ad Ravonem multum imminutas fuga Colredi copias. Ab Anglia video nihil hic quidem magni sperari, ex quo auditur Comes Arundelius inde Viennam mitti. Et Batavi, quanquam Legatum extra ordinem eò misere, magis tamen credunt futurum, ut Angli pergant tractis ad se commerciis alieno bello frui, quàm ut suam pacem bello commutent. Legatus interim Brittanicus mihi significavit, Electoris Palatini commendatione Sublimitati Tuæ concessum à Britannia militem quærere. Ad Peronam Galli milites aliquot ab Hispanis cæsi. Parati sunt Imperator Regesque Galliæ & Hispaniæ Legatos suos mittere de pace quo Pontifex voluerit, sperantque Galli futurum ut pro sociis Protestantibus ipsi sinantur agere ac pacisci, quod ego Batavos concessuros non puto, nam de Suedis id vel cogitare stultum puto. Sabaudus magno fertur pacis desiderio videns tantas hostium copias ut perrumpi non possent, & sperans, quam per se obtinere non potest Pigneroli restitutionem, se per Imperatorem & Hispanum ex pactis Ratisbonensibus impetraturum. Senatores Parlamentarii relegati qui fuerant rediere. Quorum uni cùm gratias pro reditu Regi ageret, Rex dixit nescisse se ipsum absuisse. Daniæ nothus hinc abscessit nulla re, quantum intelligere possum, magna effecta. Non venit me salutatum, quanquam & venturum se dixerat, & alios Legatos salutavit. Deus Tuæ Sublimitati, Excellentissime Domine, salutaria publicè fortiter feliciterque det exequi. Lutetiæ $\frac{8}{18}$ Aprilis 1636.

Has postquam scripseram, Galassianæ copiæ ad XV millia in Lotharingiam ingressæ capto Baccherago ire dicuntur, ut cum Colorechanis se conjungant, qui Bræslei fuerat miles partim huc venit partim Batavis commodatur; à Filio literas & in iis de Tua Sublimitate nuntium, anxiè exspectatum, jam nunc accipio,

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

578 Binas heri accepi literas abs te 27 Martii datas, abs filio 3 Aprilis, gratissimas utrasque, nisi quod posteriores dolorem è doloribus tuis adferunt, cui malo Deum rogo ut quàm primùm medeatur, teque, domum, ac publicum bonum in eo clemens respiciat. Venetos non arbitror quicquam moturos. Rohanio ad res agendas satis est animi: machinæ bellicæ desunt, & illis de Valle Telina conditionibus in Pontificis gratiam propositis multum languescunt Rhætorum studia. Videtur eo res abitura ut tenuis aliqua umbra imperii Rhætis maneat in Vallem, Protestantibus autem ut uno aliquo in loco, puta Clavennæ, sine libertate exercendæ religionis habitandi jus sit. Placentia exemta periculo non est, circumsidentibus hostibus ea vi, ut auxilia penetrare posse vix speretur. Sed Parmam periclitantem & ipsam, liberavit discessus Mutinensis Ducis, Pontificis monitu bello se subducentis pacique referentis: cujus valde cupidus est Sabaudus. Classis interim Gallicæ magni strepunt paratus: & Dux Bernhardus pro millione promisso sexcenta millia Florenorum accepit, & spem in posterum. Pro effigie Magni Cancellarii summas ago gratias, Deumque rogo, ut diu Viro incomparabili vultum illum vegetum, & corpus fortissimo animo par servet, actionesque det ei multas, quales hactenus edere, veras animi effigies. Vides Avaugurius quàm iniqua postulaverit. Galli ea quæ promisere, quibus promissis nos implicuere bello, præstare nolunt, & nos volunt tenere obligatos: nimirum ut si pax facienda sit Papa fiat arbitro, ipsique nostrarum rerum curam gerant. Sed fortè mitigabit hæc dura & parum socialia Magni Cancellarii cum Sanctichaumontio colloquium: de quo literas exspecto. Saxo, ut video, acceptis novis auxiliis induruit. Tales animi rectà doceri nisi malo suo nequeunt. Spem conjunctionis Galliæ cum Anglia non parum imminuit, nunciatus Viennam ab Anglia mitti Comes Arundelius. De castello Scenquiano brevi auditurum me spero, quod ex conjecturis præsagit animus. Id recuperatum ad res majores agendas hunc annum liberabit. Optimè vale cum tuis omnibus. Speciatim Nob. D. filio tuo pro amica mei memoria gratias habeo. Lutetiæ 18 Aprilis novi Cal. 1636.

Illustr. Dom. Tuæ omni observantia addictissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime Domine,

579 Hamburgum te sospitem rediisse è literis tuis 5 & 15 Martii datis libenter cognovi. Nec tantum pro iis quæ nuncias gratias ago, sed vel præcipuè pro summa in filium benevolentia, quam ille literis singulis prædicare non desinit. Vtinam sit in quo vicem referre possim. Valde sanè avebo quo illa Magni Cancellarii cum S. Chaumontio colloquium, quo item Dani conciliaturæ sint abituræ. Hic Duci Bernhardo datur pecunia præsens satis parcè ad sexcenta millia, promittitur in futurum, ut mos est gentis, largiùs. Et Classis magna sive ad recuperandas Insulas, sive ad inferendum Hispaniæ bellum stat vela propediem factura. In Italia magni sumtus Regis sociorumque non multum promovent. Tantum datum est hosti temporis trans Alpes, ex Italia & Hispania implendi milite agrum Mediolanensem. Et Placentiæ timeri video, tanta vi hostium circumsessæ, ut perrumpendi tenuis spes sit. Tamen si Suedia & Gallia concordibus animis rem gerant, multoque magis, si & Britannia accedat, satis erit negotii Austriacis cum tota sua cohorte. Quid de Stada sit & Boxtehuda nihil pridem intelligo. Sed Daniæ Rex quantum cognoscere hactenus potui, viam ingreditur ad vetera sua servanda fortè non ineptam, ad nova quærenda ut Archiepiscopatum Bremensem minus temporibus convenientia. Tibi omnia ut debeo, opto prosperrima tuumque me credi magni facio. Lutetiæ. 18 Aprilis 1636.

Tuæ Nob. observantissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Succiæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac potentissima Regina, Domina Clementissima,

Dies septem sunt cùm acceptis sacræ Majestatis Tuæ 580
literis illico Chantiliacum ubi erat Rex me contuli, comiterque admissus quæ jubebar exposui. Rex vultu peramico accepto sermone ac literis ea respondit quæ ad rem erant. Gratum sibi suam valetudinem ac res prosperas Majestati Tuæ cordi esse. Se vicissim Maje-

Digitized by Google

jestatis Tuæ res bonas intelligere cum gaudio, atque perpetuæ sint precari. Animum suum optione ipsi volentem per Legatos significasse se neque immutaturum quicquam. De induciis cum Polono curam libenter sibi susceptam, ut eo labore explicata Majestas Tua tanto se magis in res Germanicas intenderet: cujus spei videre se cum gaudio successus optimos. De pecunia petita scripturum se Ministris suis, ut quo loco res esset, se edocerent. De Davausio optimè se semper existimasse eoque ad magna negotia ejus se operam delegisse, idemque porro facturum. Gratum sibi judicium Tuæ Majestatis cum suo congruere & non displicuisse quæ gessit. Inde sermonem flexit ultro ad ea quæ nunc sub auspiciis Majestatis Tuæ in Saxonia & vicinis geruntur locis. Exspecto à Magno Majestatis Tuæ Cancellario ea quæ inter ipsum Sanctichaumontiumque erunt gesta, ut iis cognitis ad res publicas juvandas quod potero conferam. Immortales autem Majestati Tuæ gratias ago, quod Legationem mihi ipsius nomine à Magno Cancellario impositam suo clementissimo arbitrio comprobarit, optoque id maximè, ut sincero fidei diligentiæque proposito felices successus Deus addat. De illa pecunia quæ tam diu est quod Tuæ Majestati debetur minimè ad interpellandum cessator fui, cùm præter eorum quæ hic geruntur cognitionem id prope unicum mihi incumberet. Sed hi pollicendo ac prolatando de industria rem traxerunt ad colloquium illud Sanctichaumontii cum Magno Cancellario, ac ne nunc quidem polliceri desinunt. Quanquam verò de paratibus maritimis magni hic sint rumores, tamen ita frigidè res geritur apud Rhæticas Alpes, ad Padum, ad Germanicum, Belgicumque limitem, ut non longè absim ab illorum sententia qui per Marescallum Estræum Romæ negotium pacis cum spe magna promoveri putent. Accedit ad hæc quod Vinariensis Dux Bernhardus, de pecunia in præsens parum, de cæteris in futurum postulatis vix quicquam impetravit. Rex Regum, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Majestatem Tuam non Sueciæ tantùm sed & totius Christiani orbis bono servet incolumem ac florentem resque ejus bello felici ad æquam, fidam, honestamque pacem deducat. Lutetiæ 11/21 Aprilis 1636.

Augustæ Maj. Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

581 MItto exemplum brevis meæ ad Reginam relationis colloquii cum Rege habiti, cùm ei Reginæ literas, quæ gratias pro induciis cum Polono procuratis, & alia boni animi testimonia continebant, ei traderem. Anglos spem pacis propinquam credere, tum ex Legati, postquam Chantiliaco redii sermonibus cognovi tum res ipsa loquitur, quando eodem tempore & extraordinarius huc Legatus mittitur Comes Licestrius Sidneia è Domo & Arundelius Comes Ratisbonam, ubi sperat reperturum se Imperatorem. Duci Rohanio perexiguæ sunt copiæ militares & machinæ desunt. Ad Padum nihil promoventur res Gallici federis post damnum ad Vespolam. Et dicitur eo mitti Cardinalis propinquus Millerius, an Crequiaco amicior, id enim præfertur, apud Sabaudum futurus incertum. Dux Bernhardus Chantiliaci nunc est (id Momorantium quondam prætorium fuit nunc fisci) Regi valedicturus, inde huc redibit, ut & iis qui hic sunt, valedicat: Aufert pecuniæ præsentis ut scripsi antehac millia sexcenta aliquantum in scriptura. Pro honorario quod ipsi propriè solvitur, obligata ipsi audio fiscalia quædam bona per Aquitaniam nuper à Rege redemta. Protestantium Gallorum Laforcii & Chastilionæi ad imperia militaria nullus videtur usus fore: & Rohanius excusari cuperet. Dolet illis nec immerito, quod non modo ad honores processus ipsis apertus negatur: sed & Religionis, quam colunt, libertas domi forisque circumciditur. Si bellum manet videntur in Trevirorum fines itura arma: Sed ante Maii finem non suppetent equis pabula. Frater Regius nihil habens quod agat it spectatum. Classem quæ in utroque mari paratur rectoribus magnam in partem Ecclesiasticis, Principe eorum Burdegalensi. Multi existimant Duci Sabaudo nihil propositum aliud quàm ut Brenio bene munito inde ubi se dabunt tempora Mantuano immineat. Ducis Bernhardi equitatum super quater mille non esse Galli ajunt: iidem queruntur Suedos illis in partibus nullo vivere sociorum hostiumque discrimine. Itaque non minori cautione Gallis adversùs, quàm adversùs Cæsarianos opus. In Anglia re diligenter consultata placuit Galli exemplum in augendo nummi pretio non sequi, ne commerciis, quæ nunc ferme eo derivantur labes aliqua accedat. Prodiit Gallicè ex Hispanico versus liber de itinere Cardinalis Hispani per Germaniam Belgicam, in quo de prælio ad Nordlingam & rebus cohærentibus multa sunt scitu digna. Vnum duntaxat exemplum Bruxellis editum amici comitate utendum habui: misissem alioqui, & dabo operam ut mittam. Deus, Excellentissime Domine, Tuæ sublimitatis valetudinem ac res secundet. Lutetiæ 11/21 Aprilis 1636.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

GRatias habeo Sublimitati Tuæ pro benignis ejus literis 23 Martii veteris Kalendarii ad me datis, proque transmissis chartis continentibus responsum ad oblatam à Rege Daniæ conciliaturam, duas deliniationes federis Suediam & Galliam inter & pacta in quatuor menses valitura, ex quibus & summam prudentiam Sublimitatis Tuæ agnosco, & habeo quod in sermonibus apud Gallos & amicorum Legatos sequar. 582
Ego his meis demissis literis die crastino à D. Cardinali petam audiri, eique ostendam quantum potero meum pro re communi studium. Apud alios Legatos ea loquar quæ vulgari Tuæ Sublimitati ac D. S. Chaumontio visum est. Dux Bernhardus intra dies quinque aut sex discessum parat cum ea quam scripsi antehac pecunia, & bonis promissis. Hogendorpius hic adhuc flagitat id quod Feuquerio (is nondum convaluit) Regis in usus credidit. De rebus Ducis Rohanii qui inter Comensem & Claverniensem lacus vado transgressus nihil aliud quàm villas incendit, agrosque populatus est, ideo quod nec machinas haberet, & milites quos in hostem posset producere non super ter mille, scribit Sublimitati Tuæ Marinus qui in illis nunc agit partibus. Vlterius ex Scriba Ducis ipsius, qui mihi Ducis literas pertulit cætera narrare jussus cognovi, supplementa quæ ipsi promissa fuerant alio fuisse versa. Eo facto dolens Dux ereptam sibi gloriæ parandæ occasionem illum Scribam suum huc miserat seriò id postulans, ut imperio exonerari possit. Sed neque hoc impetrat, neque supplementi nisi parum admodum, ita ut nihil inde magni videatur exspectandum. Post longas altercationes in Rhætorum conventu, quorundam qui aberant non habita ratione, placuit tandem Protestantibus in Valle Telina nec usum Religionis nec domicilium permitti. Jus imperii, quod attinet videtur quidem Vallis Telina libera fieri, sed si quæ inter ejus incolas Rhætosque orientur controversiæ, earum definitio cùm permittatur lectis utrimque arbitris pari numero, quos dissidentes Legati

gati Gallici sententia dirimet; satis apparet vis ipsa imperii ubi sit futura: præsertim ipsa Vallis fræna Castella inquam Gallis retinentibus. Ita fiet quod fieri solet & apologo lepidè significavit Horatius:

Cervus equum pugnâ melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine tanto
Imploravit opes hominis frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste
Non Equitem dorso non frenum depulit ore.

Parma urbs postquam Mutinensis privata in Affinem odia remisit, periculo vacat. Et Placentia ubi ipsa est Parmensis uxor, putatur habere necessaria in menses aliquot. Interim forte fiet aliquid: nam nunc quidem nihil fit. Sabaudum sociis perpetuo suspectantibus tanquam privatis suis rebus invigilantem publica contemnere. Qui transire Alpes hoc vere parant, Germani ad mille equites quinque peditum millia futuri dicuntur. Cardinalis Ginetta paci à Pontifice præpositus Bononiæ exspectat designationem loci, in quem Cæsar, Gallus, Hispanus consentient. Vrbibus quæ ad id propositæ fuerunt antehac partim longius dissitis, partim in æstu belli positis, Leodio intestinis involuta motibus haud dubiè aptissima actioni erit Colonia & Batavis non volentibus. Is qui Viennæ res agit Gallicas ab Imperatore, instigatu ut creditur Hispani, jussus discedere, dixit debere se id prius Regi suo indicare: interim sibi Domi suæ se tenere juberetur sive sineretur cum externis qui ibi sunt amicis colloqui, in eo paratum se sequi Aulæ voluntatem. Classis Gallica multa nunc in sermone hominum constare dicitur quadraginta navibus rotundis bellicis ad Rupellam, viginti longis ad Massiliam, minoribus navigiis quas tartanas vocant, sexaginta, onerariis quindecim. Sed quibus imperium datur, maris expertes sunt. Audio hoc ab omnibus dici Gallorum sociis, Gallos cùm socios quærunt maximas præferre divitias. Vbi solvendum est aliquid, ultimam paupertatem. Duci Lotharingio & Gallis seorsim conditiones ostentari susurratur. Audio à Protestantibus Helvetiis non minùs quàm Rhætis graviter ferri, id quod de Valle Telina constitutum est, passimque ambones strepere criminationibus, maximè in Rohanium ut Religionis suæ incuriosum. D. Banerio res tam pulchrè succedere gaudeo, eoque quod res nostras ipsa Sublim. Tua significare cognovi. Non patiar ignaros, qui nobis favent. Ab Anglis ante finitam Arundelii Legationem nihil in commune exspecto. Eidem Batavis usum maris liberum si ab ipsis petatur, se non negaturos ajunt. Resurgunt Burdigalæ & alibi contra nova onera seditiones. Dux Lotharingiæ Carolus ire Ratisbonam Imperatoris vocatu dicitur. Vnum quod addam habeo, Excellentissime Domine, Tuam Sublimitatem ut intimis precibus Dei tutelæ commendem. Lutetiæ, Calendis Maii anni 1636.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

583 PArat jam abitum Dux Bernhardus Vinariensis, cum pecunia non quantam voluit, sed quantam auferre potuit, millibus Florenorum sexcentis: promissis largè oneratus. Qui si nobis ad Rhenum, atque utinam trans Rhenum, proferre arma poterit, facilius erit in posterum Suedos inter Gallosque & literarum & consiliorum commercium. Classis tum in Santonico, tum in Massiliensi littore ventos & imperia exspectans minatur Hispaniæ, nec Italiam sine metu sinit. Parmæ non timetur, postquam Mutinensis bello se subduxit. De Placentia bene speratur, quod & Ducis uxor ipsa præsens & Dux ex Gallia in Italiam rediisse nuntiatus, animos addunt fidemque firmant oppidanis, & necessaria, etiamsi duret obsidio, in aliquot suppetunt menses. Federati Galliæ, præterquam quod Bremum munit Sabaudus, nihil agunt magni. Dux Rohanius diu jam quiescit ob tenues copias & Mantello, is locus ad Adduam est, muniendo intentus. Ausus tamen est 4 Aprilis, aliquot suorum præmissis, inter Comensem & Clavennensem lacus penetrare in agrum Mediolanensem, magno agrestium terrore, nec sine cæde militum hostilium, quorum pars magna in juga montium suffugium habuit. Quominus quæ ibi sunt oppida aut castella irrumperet, machinæ deerant: nec copiarum satis, quibus supplementum per suos hic flagitat, si non quantum vult, nonnihil tamen obtenturus, vir ingentis animi & rebus parvis bene uti gnarus. Germani ad quinque aut sex millia, super eos qui jam in agro Placentino omne militaris licentiæ genus exercent, dicuntur Alpes beneficio Helvetiorum Pontificiæ religionis, transituri: transire nondum intelliguntur. Hæc sunt quæ nunc habebamus non pessima. Det Deus meliora, teque, Illustrissime Domine, cum tuis omnibus sospitet. Lutetiæ. Cal. Maii novi Cal. anni 1636.

Illustr. Dom. Tuæ omni observantia addictissimus H. G.

D. BARONI SKYTTE.

Illustris Domine,

MAgna cum voluptate cognovi neque apud te neque 584
apud generosissimos filios tuos, paternam etiam ingenio ferentes imaginem, periisse mei memoriam, de quo nisi gaudeam indignus sim eo honore, quem maximè expeto. Dignitas egregia & tot in me benefacta à Regno Suediæ collata, omnibus Suediæ Proceribus in universum me obligant, sed tua tuorumque in me merita ut vetustatis privilegium habent, ita propiore quodam me nexu tenent: quod rogo à me dici credas non Gallica comitate, sed Batavâ fide. Nos hic Gallia utimur ut possumus, non ut volumus. Parum ejus res procedunt ad Padum in Alpibus, ad Rhenum, ad Belgicum limitem. Causa præter illam communem quod in tot loca distractæ vires plus moveant quàm promoveant, hæc propria est, quod ærarii rationes incuriosè tractantur, militesque, si Regis impendia spectes, putes epoturos flumina, ubi reipsa numerantur mireris raritatem. Interim non inutilis nobis est gens adeo strepera & tumultuosa: nam & Hispano & Imperatori tam latè circumlatus terror plurimas erogationes injungit, quibus non leve accedit additamentum ex Gallicæ Classis paratu in mari utroque. Vnde sequitur, ut Sicilia, Campania, Calabria, Hispania denique illa nominibus distincta tutelæ nec minùs sumtuosæ indigeat, quàm si ad finem hosticum esset sita. Pax quin hic desideretur, dubitandum non est, cùm videamus à Nobilitate ad dilectum responderi plebem adversùs nova onera seditionibus insurgere. Sed reddere Lotharingiam & in Sabaudia Pignerolum indignum hac Regni opulentia rebusque non improsperis, probare Fratris Regii matrimonium indecorum, Regis Matri in regnum reditum permittere, etiam rerum potentibus intutum. Et tamen hæc sunt quæ postulantur, hæc sunt quæ Pontifex pacis lectus arbiter æqua judicat. Ad hæc si addamus de Palatinatu controversiam quanta difficultas! ni redditur Anglus irritatur contumelia. Si redditur perit Bavaro & militiæ & affinitatis pretium. Electorum augeri numerum, minuere est eorum, qui nunc Electores sunt, dignitatem. Vicibus partiri & novum & neutri parti solida inde gratia. His tot rebus pacem morantibus frui licuisset, si Protestantibus stetisset concordia, quam utinam restituat

Digitized by Google

tuat Deus & illa omnia involuta adeo ad bonum Christiani orbis explicet: idemque te cum generosissima familia, Illustris Domine, incolumem florentemque bono publico servet. Lutetiæ, Cal. Maii novi Kal. anni 1636.

Illustr. Dom. Tuæ obsequio omni addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

585 EX quo postremùm Sublimitati Tuæ scripsi, collocutus sum cum Duce Bernhardo, deinde cum Cardinali Richeliaco, præterea cum Jacobo Hanoviensi Comite ex Hollandia huc reverso. Dux Bernhardus sexcenta Florenorum millia accepit: ultra nihil. Sperat se ante mensem Augustum ad XII millia: eam ob rem Ponicam in Angliam, inde per Hollandiam ad Sublimitatem Tuam mittit. Interim sperat se commodato habere posse aliquid copiarum à Principe Condæo & Cardinali Valettæ, qui duo jam futuri sunt Regiorum exercituum duces, fruituris otio Protestantibus Lafortio & Castilionæo, ne quid sit quod Papam offendat. Condæo XVIII peditum millia, quinque equitum, xij equitum iv peditum adfutura putabat Valettæ, quanquam aliorum opinio non parùm eo de numero detrahit. Valettam putat in Treviros ire, Confluentibus liberandis, quod oppidum ad res ultimas redactum est. Ipse refovere militem suum cupit in Burgundiæ Comitatu, quam Galli Helvetiorum in tutela positam Germanis se minore cum Helvetiorum offensa permissuros putant, quàm suo nomine irrupturos. Inde ire vult 79. 1. 5. 79. 1. 14. 79. 1. 19. 79. 1. 20. 117. 1. 1. 117. 1. 9. 117. 1. 14. 117. 1. 23. opem sperans Calabri spem dicit sibi esse & recuperandi Thucydidis. Vellet à Xenocrate ad Arcesilaum Theocloreti aliquid mitti. Cardinalis, qui jam & delineationes federum cum Chaumontio & trimestre fedus acceperat, mirè prædicabat res Sublimitatis Tuæ, rebus Magni Gustavi nihil inferiores ducens. Ab amicis non desertum modò sed & oppugnatum trusumque in ipsum littus, potuisse tantillo tempore in mediam Germaniam penetrare, rem esse miraculo proximam. De pecunia partem jam per Chaumontium numerari cæpisse, ne micam hic de reliquo fore, me quoque mira comitate amplectens, per communem utrique cultum literarum orabat quicquid possem in causam communem conferrem, præsertim apud Anglos, addens ad diluenda, quæ mihi dolere non ignorabat, Gallos stultos sæpe esse gentium omnium judicio, sed facilè redire ad bonam mentem. Hæc in me benignitas partim inde nata est, quod Legationem mihi injunctam in Suedia probatam videt, quodque à Sublimitate Tua mihi fidem haberi, simulque quod Pavii in Hollandia auctoritatem collapsam intelligit, ipsumque Principem Arausionensem de me non inimicè loqui. Attollebat Regis paratus maritimos, quibus si se, quod facile est ipsis, Angli conjungerent, nihil non sperandum. E re putabat indicari Anglis, convenisse quidem inter Suedos & Gallos, sed Palatinatus rem ita nobis curæ fore, si & ipsi quod suarum esset virium conferrent; inquè facere Anglos, qui totum maris jus sibi vindicarent. Sed posse ipsis ad tempus aliquid concedi sine fraude in posterum. Hæc quidem ille ita disserebat: at mihi displicet quod Batavorum Legato in Anglia de maris usu & nova & dura præscribi audio: Quodque Arundelius Ratisbonam missus in Austriacos prônior creditur: idque ut non sit, tamen istis novis colloquiis periturum sit anni tempus navigatui oportunum, quod inter hos Gallorum paratus magnam præbere posset Anglis aut, si illi palam hostilia nolunt induere, Domui Palatinæ per Hispaniam grassandi occasionem. Nunc audio Austriacos pro Palatinatu commutationem aliquam Anglis offerre, eoque pertinere legationem à Vienna in Angliam. Jacobus Comes de Polonico conjugio spem dicebat abjectam à Bohemiæ Regina, quod Pontifex nollet canonum interdicta lassare, nisi prius consummato plane matrimonio:

Sed hoc periculum in Filia fieri grave est,

Ait Terentius. Idem Comes Polonum magis ac magis se vertere dicebat ad Cæsaris gratiam. Intelligo etiam renovatum hinc mandatum, quod habuerat Davausius conscribendi per illas partes militis. Idem Comes ut pecuniam hinc Landgravio obtineat, instat quotidie. Miles qui de Brezzano exercitu restabat huc venit: Batavis supra votis debitum tanto datur amplius pecuniæ, quanto tantundem militis ali possit. Vidi & ægrotantem nunc quoque Feuquerium, qui Tuam Sublimitatem officiosè salutari voluit. Ex Anglia discimus retineri adhuc ibi Comitem Licestrium extraordinariæ in Galliam Legationi destinatum. Mortuo qui pro Regina Romæ res agebat, alium surrogatum, qui in eam curam succedat. Exspectari ibi Zavaskium è Polonia: eum, qui Hamburgi res agit Anglicas jussum ire ad Daniæ Regem, oratum ut Rex ille promovere velit ea quæ Arundelio mandata sunt: Roma scribitur Estræum, præter illud negotium de dissuendo Lotharingico Matrimonio quod trahitur traheturque, petiisse ut Gallicæ Classi pateat portus Civitatis veteris, qui dicitur, Hispanis, quippe Feuda Ecclesiæ infestantibus ne pateat. Cardinales, quorum in consilium res missa est, judicantes id unum agi, offensam Hispani Pontifex incurreret, elusere postulatum. Viennæ, qui res Gallicas habebat, ibi morandi donec è Gallia responsum accepisset, facultatem impetrare non potuit. Itaque coactus discedere jam in Venetorum terras pervenit. Ad hoc cùm accedat Imperatoris Epistola, quam mitto, ad Leodienses, acrem continens Gallorum insectationem, suspicari datur, Gallos vel invitos tractum iri ad apertam professionem belli in Imperatorem, quam hactenus studiosè evitant. Nuntiant præterea à Vienna literæ ad Mediolani tutelam promitti ab Imperatore octo millia, partim pedites partim equites. Addere Comitem Ognatensem, constitutum Regi Hispano eundem in usum duo equitum millia conscribere per Silesiam, si ea terra à Polonis tuta maneat. Dari ab ea quoque aula operam componendo inter Mutinensem, Parmensemque dissidio, cujus pacis mora præcipua est, quod Roslenam imperii Feudum, sibi retinere Mutinensis cupiat. Budensem Bassam nihil hostile in Imperatorem agitare. Tartarum Legatum cum multo honore dimissum. Ex Italia discimus circumsessam quidem Placentiam, sed credi satis ibi panis vinique haberi ad finem usque Septembris. Crequiacus duas cohortes in supplementum accepit, nihil agens hactenus, nisi quod Montisferratensi agro gravis incumbit, qua de re questum huc quidam missus est à Duce Mantuano. Cerbelinus recens auctus duobus Hispanorum millibus, nudas prope hactenus terras trans Lacum Comensem defendit sublatis è lacu navigiis, ne Rohanio usui essent. Nondum transeunt summas Alpes, quem Montem Gothardi nostra ætas vocat, Germanorum novæ illæ copiæ, quod nondum expeditæ sint quæ Helvetiis numerari debent pecuniæ, dicuntur huc mittere velle Rhæti, ut, quod nuper multis eorum absentibus placuit, ne quis in Valle Telina habitaret Protestantium, mitigetur, uno saltem illis loco ad larem figendum Deique cultum concesso. Sed vix spes est ut quidquam obtineant, tantum hic est studium demerendi Romanam Aulam: Geneva commeatus valde sibi necessarios ex Gallia impetrare non potest: multaque per Languedociam quotidie nova ad circumcidendam Protestantium libertatem excogitantur. Argenti nonnihil ex Hispania Genuam pervenit; augenturque præsidia tum Monæci, tum

Digitized by Google

in Honorati insula: Mediolanensem terram tuentibus triginta millibus, quorum in hostem octodecim produci possunt: Hispani bene munito loco cui Vallis Tori nomen, etiam Odofredi quod dicitur castellum in agro Placentino firmant; Placentinorum non famem tantùm sed & discordias sperant. Defendit id oppidum Marchio Villa cum equitibus trecentis peditibus septingentis, invalido adversùs cresentes hostium copias præsidio. Multum laudatur hic Rohanius, quod ultima illa hostilis agri populatione templis monasteriisque pepercerit. Dux Bulionius creditur colloquium aliquod eruditorum utriusque partis moliri, ut majore cum specie ac strepitu ad Missam transeat: de Sedano, quin cum Rege conventurus sit, vix dubitatur. Credituri ne sint ei immutati Batavi urbis Trajecti custodiam, an Regi sit militaturus his in locis brevi, sic puto, videbimus. Multi hic sunt novorum onerum repertores. Tributum in carrucarum magnum sanè & publicè inutilem sumtum, rejicit Cardinalis, ut non convenienti sæculi hujus felicitati. Sunt qui suadent argentum omne mensarum domuumque Rex sibi vindicet, soluto quantum ipsi videbitur pretio. Ego rumores quidem perscribo quales hic nuntiantur. Cæterum judicationem liberam mihi servo, multo magis eam Tuæ Sublimitati illarum rerum peritissimæ defero. Sed multum metuo ne oryza Muanermum coquat non ex usu Violæ. Et de Lilio ac Cæsare nescio quid latet. De Bacchylide non optima fide actum antehac censeo. Quid aliud possum quàm Deum precari, Excellentissime Domine, Tuæ ut Sublimitatis concilia Regno Suedico orbique Christiano fortunet. Lutetiæ 8 Maii 1636.

Est hic quidam qui 73. 14. 73. 19. 73. 21. 73: 2. 2. 73. 4. 9. molitur 91. 1. 3. 91. 1. 4. 91. 1. 5. 93. 1. 2. 93. 2. 6. 93. 3. 3. 93. 4. 5. 117. 1. 1. 117. 3. 2. 147. 3. 5. 147. 6. 2. 153. 1. 5. 155. 22. 159. 13: 73. 1. 2. Ego dubito.

Heufdius nihildum signatum nedum numeratum habet, ipsi nihil peribit.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

586 DVcem Bernhardum adhuc febricula hic detinet. Mirantur multi, à Gallis gente calida tam lentè moveri omnia, pridem promoveri nihil. Cæsarianos quoque nihil in has partes tentare, sed in nos maxima parte virium verti. Sunt qui tacitam conventionem intervenisse arbitrantur, his legibus ut Imperator cum Palatina Domo, Rex cum Lotharingo ut Vasallis suis, in modum qui æquus ipsis videbitur, rem componant. Præter hæc creditur Roma aliquid addi velle, quod ad infringendas hæreticorum, quos vocant, vires pertineat. Confluentes interim Trevericæ in periculo sunt. In Valle Telina fraudatus diu pecuniis miles obsequium exuit: Et video idem de Ducis Bernhardi milite metui. Neque enim vel unius mensis ad eum adfertur stipendium: Videnturque Galli Ducem quidem privatis commodis & matrimonio Rohaniæ, à quo non alienum se simulat, illigare suis rebus velle: cæterum exercitus ei conservandi curam non habere. Juveni tamen Principi Wittenbergico promittitur pecunia, unde cohortem sive regimentum, quod planè delapserat, reparet. Dux Bulionius Rege & Cardinali convento abiit, ob Leodii ut creditur, negotia. Missam non adiit: Sed factum id Sedani creditur. Mutatum se sententia non dissimulavit, etiam apud Protestantes. Cardinalis Ricelliacus dixit se laborem sumere velle traducendi ad Romanam Ecclesiam etiam Ducis Rohanii, Vxorisque ejus: credo & filiæ, ut per eam deinde si possit & Ducem Bernhardum ad se pertrahant. Nam Protestantium operam posthac in imperiis militaribus usui non fore & Castilionææ Lafortiorum exemplo manifestum est; Etiam Reformatis pastoribus, quod Lutheranos ad Communionem suam invitaverint, rerum novarum crimen impingitur. Pontificis potestas plus intra paucos annos in Gallia profecit, quàm duobus ante seculis. Licestrius extraordinarius in Galliam Legatus ab Anglia nondum abiit: Exspectant Angli à Cæsare & ab Hispano Legatos. At Galli à Legato hic ordinario Angliæ rogati, an si Rex Angliæ se Gallo conjungere vellet, restituendæ etiam Electoralis dignitatis Domui Palatinæ fidem vellent dare, responderunt videndum prius quid acturus sit apud Cæsarem Arundelius. Id jam fine Aprilis scriptum tradidere, cùm mense Februarii pari excusatione essent usi, quod Viennæ aliquid de negotio Palatino fama ad se perlatum dicerent. Non desii ego in colloquio cum Legato eum hortari, ne post tam longa ludibria diutius se trahi paterentur. Tempus esse aliquid constituendi. Ostendebat is mihi literas quibus Hamburgo ad se perscriptum erat: Suecos & Gallos fœdus iniisse rebus duntaxat suis promovendis, nulla cum aliorum cura. Dixi convenisse ut eorum omnium qui se nobis adjungerent, negotium socialiter ageretur. Dicebat ex Anglia scriptas ad Sublimitatem Tuam literas: Regis Daniæ filio dum viveret Archiepiscopatum Bremensem à Cæsare promissum: Edicto cautum ne Seldeni liber, Maris clausi nomen præferens, extra Angliam editus in Angliam importaretur, id factum occasione accessionum quarundam quas Typographi extranei addiderant minùs Anglis placentium; publicam continet eorum quæ à Seldeno disseruntur comprobationem. Beverius extraordinarius Batavorum Legatus, cùm Angli primo statim colloquio dicerent se jus suum notum omni humano generi fecisse, ac id in rem conferre sibi constitutum, intellecta rei magnitudine quievit, mandata è patria exspectans. Comes Hanoviæ Jacobus de pecunia sibi à Gallis debita multum queritur, nec dissimulat Principem Arausionensem auctorem sibi esse, ut ad Batavorum potius militiam se transferat. Querelas non minores à tribunis qui sub Ducis Bernhardi ductu spe pecuniæ Gallicæ arma tulerunt audio. Accendunt invidiam quæ Duci Bernhardo dantur à Rege munera, quinquaginta Thalerorum millibus æstimata. De eo quod postremis literis per notas addideram, quid judicem nescio: adeo me multa incertum habent: siquid propius rescivero, non omittam indicare, & simul Deum precari, Eccellentissime Domine, ut Tuæ Sublimitatis actiones ad Christiani orbis bonum regat $\frac{7}{17}$ Maii 1636.

Hæc ubi scripseram venit ad me Heufdius, si verum est quod ex ministris Regiis intellexisse se dicit, numerata jam Sublimitati Tuæ xc millia Imperialium, est quod gaudeam. Vienna Literæ indicant à Maguntiacensi indictum Ratisbonensem conventum. Promisisse duos Bavaros in se moram non fore. Coloniam aut Leodium Barbarini Cardinalis ad Nuntium Pontificis Viennæ agentem literis, pacis colloquio proponi. Ab Imperatore spem ostendi, ne hoc quidem paci obstiturum. De Rozzolo in Italia Imperii Feudo, ut id Mutinensi, etiamsi bello se extricet, clienti semper Hispanico, retinere Imperatore auctore liceat laborari ab Hispanis. Sperari Annæ Austriacæ Principis cum Duce Medinæ Torresiæ matrimonium. Coloredum majorem, quod à Galliæ finibus abierit, culpam rejicere partim in Cardinalem Hispanum, qui auxilia sibi contra magnum sub Suessionensi exercitum non submiserit, partim in Polonorum militum obsequia detrectantium contumaciam. Ab Italia discimus Datii Castellum Mediolanensi in solo trans lacus Comensem & Clavennensem situm à Rohanio tentatum frustra, ipsiusque cum damno. Hispanos bene immunitis illis partibus secessisse in circumsita Turno, Alexandriæ, Tortonæ, dum Galli eorumque socii ad Niceam se recolligant, magnis adhuc in Sabaudum suspicionibus. Hispanorum duo millia in Honorati insulam

lam transgressa, spe excensus in littus Gallicum Neapolitani Regni Præfectum homines quærere credulos qui ipsi pro mutuum dent, quod ex augmento vinarii & frumentarii vectigalis & vindicata fisco tertia parte fructuum à fisco pridem alienatis prædiis recipiant. Turcam classem armare & metui Etruscis ne in Ilvam aut Liburnum portum irruat, paratis ipsi si opus sit & in Corsica & in Gallica ora receptibus. Estræum Romæ inter cætera id agere, ut Gallis Palmerolam & Pontiam, feuda Ecclesiæ Parmensi concessa, insidere liceat, ex iis locis mari imminentibus parata ultione, adversus mala quæ è duabus insulis sibi ereptis ferunt. At, contra Ducis Parmensis uxorem, cùm magnam videat invidiam ortam quod Sabioneda Gallis concessa fuerit, anniti ut pro Gallico præsidio liceat inducere Italicum. Castellum Odofredi permunitum ab Hispanis, qui ea possessione contenti non difficiles videantur futuri ad Pontificis monita liberandi Parmensem, Placentinumque agrum belli malis. Tres cohortes alam unam è Germania ad Lacum esse Constantiensem: Exspectari octo millia è Silesia, trans Alpes itura. Sed & Gallorum novas copias tribus viis in Pedemontanam regionem iter capere. Hæc neque certa omnino neque spernendis tamen auctoribus, ut tradita sunt, tradere officii mei duxi.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

587 GRatias quas debeo & meo & publico nomine persolvo Deo Immortali, cùm te non modo periculo exemit, sed & ejecta morbi præcipua causa in spem erexit firmioris in posterum valetudinis, eumque veneror, ut & tuas & omnium bonorum pro te preces semper exaudiat. Legatum Britannicum quo magis nosco, hoc magis & candorem animi ejus, & sincerum pro Domo Palatina studium, & tui in eo amorem non fucatum perspicio, nec eis alendis desum. Gallis ne quid ei apertè respondeant obtentum præbet exspectatio, quò abitura sit Arondeliana Legatio. Spero genti nimium diu residi resurrecturos animos, ne ultra trahi se verbis patiantur & rerum tempora patiantur effluere. Romæ de pace agi dubium non est, priùs tamen arbitror cum Cæsare quam cum Hispano. Galli quid agatur occultant, sed multi sentiunt id agi, ut Cæsar de Palatina Domo, de Lotharingo Gallus suopte arbitratu constituant. Certè non strepunt arma. Ducem Bernhardum in ipso procinctu febricula deprehendit. Abiit hinc Dux Bulionius, Missa nondum adita, cæterum se cum Romanis Pontificibus sentire non dissimulans. Creditur publicum transitum Sedani facturus. Leodii curam Rex ei commendavit, & puto Ordines Federatos civitatis vicinæ tutelam non abjecturos. De Duce Bernhardo scripsisse me antehac arbitror, ipsi unde dignitatem sustentet dari annua cxx millia Florenorum, obligatis terris in Gallia: In usum militis præsentis pecuniæ eum auferre sexcenta Florenorum millia: in Augustum mensem promitti novam ei pecuniam, pro numero quem tunc habiturus est militum. Mittit Dux in Angliam D. Ponicam supplementi quærendi causa: inde iturum ad Magnum D. Cancellarium. Video quæ Seldenus scripsit ab Anglis seriò agi, idque ne cum Batavis concordiam turbet, metuo. Galli piscatum non curant: navigatus controversias temporaria aliqua pactione, ut puto, extricabunt. Daniæ Regem Viennæ obtinuisse filio suo, dum vivit, Archiepiscopatus Bremensis fructum, pro certo scribitur, & credunt id Britanni. Exspectatur hic, ut Princeps Arausionensis, Scenquiano castello tam maturè potitus, in hosticum aliquà penetret, vacuo omni anni tempore per quod in illis partibus bellari solet. Rohanio nunc pecunia submittitur, quod si ante factum esset, in Castellum Datium videtur conatus ejus futurus fuisse non irritus. Turca classe validus terrorem injicit Ethruriæ, præsertim cùm in Gallia portus habiturus sit sibi patentes. Videtur & Pontifici & Imperatori non displicere locus colloquii de pace, Colonia Agrippinensis. Viennenses literæ ad indictum solenniter per Moguntiacensem conventum Ratisbonensem venturos à Bavaro utroque Legatos pro certo habent: eosque morem per omnia gesturos Imperatori. Sed ne molestus sim, Illustrissime Domine, claudo epistolam repetitis quæ supra posui votis. Lutetiæ 15 Maii 1636.

Tuæ Ill. Dominat. observ. omni cultu studioque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

DE negotio 159. 1. 27. 93. 1. 9. 117. 1. 3. 163. 1. 5. 177. 1. 5. 193. 1. 5. de quo nuper bis per notas scripseram, venit ad me Marescallus Hebron. Dixit spondere se velle pro eo, qui rem susceperat cui nomen 32. 1. 15. 33. 1. 2. 33. 1. 6. 3. 5. 1. 2. 37. 1. 12. 39. 1. 3. 47. 1. 5. 49. 1. 4. Virum esse bonum & magno in hanc rem ferri studio. Locutum eum cum Duce Bernhardo, qui nunc in abitu est. Eum primo quidem satis se præbuisse audientem, cunctatum postea. Eusebium quantum necesse esset erogare, in eam rem de pecunia Vindicis velle, si promitteret Iustinus id imputatum iri in id quod lactucæ fragis debent. Iustinus, qui rem tam bonam nolebat morari, perscripsit accepto latum iri, quantum Hebron ex usu judicaret. Ea de re syngrapham ad Eusebium Hebron pertulit. Res urget, & quantum conjectura assequi potest, de exitu bene sperandum. Scio quantum ea res Miltiadi cordi est. Deumque precor propitius adsit. Ponicam qui ad me interdum venit, & post Ducis abitum in Britanniam Batavosque sollicitum video duo ut excuset, quod Dux Bernhardus se Galliæ propius quàm ante addixerit (pacta non vidi) & quod Maguntiaco subventum non sit. Causam inter alia præfert, quod à discessu Sublimitatis Tuæ Dux aliquo tempore Literas nullas receperit. Hogendorpius it conscripturus apud Batavos militem. Confluentibus ad Rhenum, ad Mosellam timeri video, nisi jam nobis periere. Gallassius movere se dicitur, horreis ad Brissaccum & Heilbrunnam jam paratis. Dux Bulionius cum copiis quæ Brezæi fuere è Batavis Mosellam versùs iturus, ni res Leodii retineant. Cancellarium Franciæ vidi his diebus eique causam Crojacæ Viduæ è Pomerania domo calidè commendavi. Spero Referendarium fore Davausii fratrem. Cùm de novo fœdere, inter Suediam Galliamque sermo incidisset, dicebat mandatum sibi ut sigillum Galliæ fœderi imprimeret, puto ita ut à S. Chaumontio conceptum fuit, neque enim id exprimebat. Addebat, cùm de mora in solvenda pecunia tam diu debita conquereretur, rem miram, ante sex menses signatum à se Regis præceptum de scutatis centies millibus in eas rationes persolvendas, id missum Hamburgum, nec scire se, quid intervenisset, quo minus tunc pecunia esset persoluta. Literæ ab Hispania nos docent, Legatum qui ibi est Anglum gratias egisse Regi Hispano, pro navata opera in re Palatinatus. Nimirum quantum video, Angli commercio cum Hispanis fruuntur, & ob id cum Imperatore sibi esse controversiam, quàm cum Hispano malunt, & qualicunque blandimento patiuntur sibi satisfieri. Eædem literæ tres ducatorum milliones ex Hispania mitti ajunt: duos pro Germanicis rebus. Eos jam in Italiam pervenisse à Genua literæ nun-

Digitized by Google

nuntiant. Etiam hoc ex Hispania scribitur, civitates Anliaticas ut naves ibi retentas jure regio, in libertatem recuperent, decem à se naves in usum Hispaniæ, magnas & validas, præbitum iri spopondisse. Olivarius in immensa illa potentia semper floret & crescit, diciturque filius ejus in Angliam mitti. Valleoleti excrescens amnis magna dedit damna. Rohaniam alii Duci Bernhardo alii Lenoxio propinquæ Regis Britanniæ, sermonibus despondent. Rex Galliæ ut conspicuum monumentum maneat promotæ sua auctoritate rei Romanensis, lychnum aureum magnum in æde Tirani jussit suspendi suo nomine, per Legatos Romanæ Ecclesiæ addictos, partim Rhætos, partim Vallitelinates. Venetos audio fidem suam interposuisse pro novis illis pactionibus de Valle Telina. In Germania Hagenoviam, in Italia Placentiam in periculo esse, ni maturè subveniatur intelligo. Et Argentoratum territari à Cæsarianis. Jam & Valetta Cardinalis & Hebron se itineri parant. Ad Rohanium pecuniæ valde egentem missa tantùm centum Francorum millia intelligo. Romæ, nescio unde, sed percrebuit opinio, Regem Hispaniæ quàm Imperatorem pacis esse avidiorem. Hæc ideo festinantiùs scripsi, quod Hollandus Tabellarius hinc abiret citato itinere ut literæ quàm possent recentissimè advenirent. Desinam cum solennibus votis, Excellentissime Domine, Tuam Sublimitatem resque ejus divinæ tutelæ commendans. Lutetiæ 21 Maii 1636.

Liber quem mitto infensus non Hispano tantùm Regi sed & Pontifici, primùm liber vulgatus per hanc urbem est, deinde ardente flagitatu Pontificis Nuntii vetitus vendi.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

589 CVm nudius tertius scripserim per tabellarium qui extra ordinem & properanter valde proficiscebatur, nihil interea evenit quod significarem, nisi venisse heri ad me Ducem Bernhardum, ut iterum mihi valediceret. Dicebat is videri sibi aliquid de pace in arcano agi, qua de re & aliorum conjecturas nuper perscripseram. Abit cras digresso jam Cardinali Valetta. Intra octo dies Ponica Angliam, Hogendorpius Hollandiam petit. Is mihi indicavit Cardinalem Ricceliacum in Duce Bernhardo magnum potentiæ suæ, si qui motus ingruant, collocare præsidium. Ducis miles jam refovere se cæpit hospitio Comitatus Burgundiæ, intacti à bello hactenus. Id quomodo laturi sint Helvetii, qui ejus Comitatus antiqui sunt defensores, videbimus. Video plerosque sic existimare. Principem Arausionensem hoc anno nihil aliud quàm fines Batavos tutaturum. Ita illo, Gallisque cessantibus, Anglo Legationibus se trahi patiente tota vis armorum in Suecos incumbit, quorum vim imminui multi etiam sociorum, ut æmulationis ingenium est, taciti gaudent. Quidam & Romæ jactant sua effectum opera, ut Protestantes inter se concurrant. Edictum Regis de re pecuniaria in præteritum tempus vim suam exserens mitto, & omnia, Excellentissime Domine, felicia Tuæ Sublimitati, rebusque Suedicis precor. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Maii 1636.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. GVISCARDI,

Ducatus Montis-ferrati Cancellario.

Illustrissime Domine,

590 MVlta me voluptate affecerunt & literæ tuæ & is qui eas tulit Prada, testes perpetuæ tuæ adversum me bonitatis, pro qua gratiam sicut quidem debeo, ita unde persolvam non invenio, nisi forte sufficiat tibi fidus beneficiorum custos animus, & publicis utilitatibus, quas nunquam à tuis sejunxisti, intentus. Dicet tibi Prada, & valetudine nos frui Dei munere commodo, & Legationis negotia interpolare dulcibus nunc etiam Musis. Cujus vitæ si alia exempla non habeam, te uno contentus essem. Prodiit hic pridem nihil magni sed sub prælo tardè satis se emoliuntur Biblia Plantinianis, accedentibus aliquot interpretationibus Orientalibus, auctiora, Cyrillusque & Theodoretus. At ex Anglia otioso regno Johannes Seldenus, spectatum jam multis operibus ingenium Mare clausum edidit, mari libero, si fortè legeris oppositum. Eo libro multa sanè eruditione resperso, totum id mare quod ab Anglia ad littora usque Hispaniæ, Galliæ, Belgicæ, Germaniæ, Daniæ patet, Anglico Regno jure proprietatis vindicat. At ne quis ostentamentum ingenii tantùm putet, extraordinario Batavorum Legato, qui nunc Londini est, facta est per Regni Britannici Ministros ejus juris denuntiatio. Edictoque cautum est ne quis eum Seldeni librum alibi editum in Regnum importaret. Ego, si quid paratum habuissem è Græco (& habeo anthologiam omnem Latinis redditam versibus, sed typos satis commodos quæro adhuc) id ausus fuissem tibi mittere, quem Græcis ita tangi scio, ut facilè possis Latina transire. Tragœdia autem illa quam misit D. Priandius inter peregrinandum effusa destituto à librorum auxiliis tanti, quanti tu es, judicii Lectorem merito formidabit. D. tamen Priandio, quod & de hoc partu meo magis pro nostra vetere amicitia, quàm pro merito judicaverit, ignoscendum est. Vale vir summe. Ero semper Excellentiæ Tuæ. Lutetiæ 26 Maii 1636.

Toto animo addictissimus H. G.

SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

QVod literas meas mense exaratas Aprili acceperis, 591 gaudeo. De cæteris doleo diligentiam, quam in curando adhibui, suo caruisse successu. Priolus & literas ad me de Duce Rohanio pertulit & narravit quem reliquerat statum, utinam Protestantibus Vallis Telinæ lætiorem. Sed video ut Dii isti terrestres cæteros pilas habeant. Non debet tamen ea res fortium Rhætorum aures Hispanicis Sirenibus aperire. Melius est exsulare quàm trucidari. Et Galli per consiliorum inconstantiam peccant, Hispani destinatò, eoque insanabiliùs. Audio Venetos auctoritatem suam quæ meritò magna est, his pactionibus adjecisse. De Mediolano quid sperandum sit facilè vides, cùm bellum in ipso limite hæreat. Abiere hinc Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus Vinariensis, aliquid ad Rhenum & Mosellam ut creditur, molituri. Tuendis Galliæ finibus non spernendum exercitum habet Princeps Condæus, & alterum Comes Suessionensis. Suedica arma partim ad Magdenburgum & ei vicina sunt, partim Pomeraniam tuentur crescuntque copiæ militares & commeatus tum ex Suedia tum ex Livonia & Germania. Et quosdam Principes, præsertim Luneburgicum pacis à Cæsare non optimæ servatæ pœnitet. Magnus Cancellarius Stralsundiæ est, incertum an in Suediam iturus. Ego in meis ad eum literis tui & amici optimi optiméque de rebus Suedicis meriti meminisse non desino. Speramus Batavos qui jam Scenckiano Castello recuperato triumphant, quod restat anni non situros abire sine magnis astibus. Et ad alendas Leodiensium iras adversùs Cæsarianos, abs queis malè sunt habiti, mittitur à Rege Dux Bulionius sub imperio suo habiturus reliquias militis quem rexit Brezæus. Classis quoque Regia jam parata est vela facere, cujus se Batavæ naves breviore per Oceanum via adjungent. Vtinam tantundem facere Angli vellent. Ea expeditissima ad repetendum affini Domui Palatinatum cum Electoratu esset via. Non solent enim ii quibuscum nobis res est quicquam reglutinare nisi vi domiti. Speremus optima: feramus qualiacunque eveniunt. Vale Vir

Digitized by Google

Vir Nobilissime & nos amare perge. Lutetiæ 17/27 Maii 1636.

Tua Nob. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

592 ÆGrè tandem, jam dies sunt quatuor, abiit hinc Dux Bernhardus, cujus hospitium Galliæ constat LXX millibus Francorum. Et pecunia si ipsi fuisset tradita cùm primum venerat, & situs abire ipse, Confluentes Treverici, necessarium adeo ad conjungendas res Germanicas Gallicasque vinculum servari potuerant, quo nunc oppido amisso ne Hamestenum quidem mansurum nobis creditur. Hagenovio quoque ne serius subveniatur metuo; & de Colmaria quidam non optimè existimant, quæ si cadunt sequius, quin Argentoratensis civitas pacem qualemcunque amplexura sit, minimè dubitandum est. Tribunus ille, de quo per notas ad librum relatas scripseram, hinc discessit sumsitque secum ex pecunia nobis debita VI millia Imperialium Hebronis arbitratu. Res mihi satis se probat, nisi quid nimium multis tum ex Vindicis tum ex Pyrrhonis hominibus res innotuit, quod ego impediturus fueram si mihi inter primos eam cognoscere contigisset. Adsit Deus. Batavos omnes ita judicare video, conjugium hoc Poloni cum Palatina, quod recalescit, eo pertinere ut à nobis Anglia alienetur, & qui in itinere est ad extraordinariam huc Legationem Comes Licestrius cum mandatis venit non conspiciendi Cardinalis, quod Legatos isti dignitati cedere iniquum judicent & contra Aulæ etiam Hispanicæ morem. Controversia de Mari mota Batavos vix patietur cum Anglis in fedus aliquod coalescere. Galliæ amicitia nobis, siquid rectè judico, paulo diligentiùs colenda erit, & puto ipsam quoque sponte eo ferri, utilitatum sensu. Præter eam pecuniam quam per S. Chaumontium numeratam ajunt, qua de re minimè ex illis locis cognovi, Heusdio dederunt perscriptum præceptum de recipiendis CCC ferme Francorum millibus ex Normandiæ rerum fiscalium revocatis alienationibus. Annitemur ut aut præsens pecunia aut usuræ nobis præstentur. Sed pecuniaria omnia mirum quàm hic sint tardigrada. Dixere mihi amici in libro largitionum Regiarum annuarum meum nomen legi: id errore ne factum sit, transcriptis nominibus ab eo tempore, cùm privatus hic viverem, an dolo malo ut sine causa suspectus redderer, haud dixerim. Id Sublimitati Tuæ sanctè affirmo, me ab his hominibus ex quo Regno Suedico me dedi, nec recepisse teruncium, nec recipere velle, nisi quod in abitu de more aliquando dari poterit. Abunde contentus sum iis quæ Tuæ Sublimitatis beneficio consequor, & Spiringium spero eam mihi habiturum rationem, ut ne nimiis prærogationibus premat. Placentiæ audio de commeatu ac milite prospectum melius, ex quo Mantuano conciliante Mutinensis cum Parmensi transegit. Germani ad tria aut quatuor millia ad Lacum erant Constantiensem trans Alpes ituri. Ad amnem Serium Hispani munimenta vis aquarum disjecit. Exercitus Gallorum & Sociorum illis in partibus erat in peditatu quindecim millium, in equitatu trium millium: paribus ferme Hispani copiis. Sabaudo etiam nunc haud satis fiditur. Dux Bulionius antequam abiret in Belgium Regis Missæ aliquoties interfuit. Liber ille Nuntii Gallici, quem nuper Sublimitati Tuæ miseram, non modo decreto publico combustus est, sed & Librarius virgis cædi, si reperiatur, damnatus. Tanta hic est Papæ auctoritas: & tamen ad matrimonii dissolutionem nihil Romæ proficitur. Est inter Reginæ puellas Fajetta, ad quam jam Rex amores suos sed innocentes transtulit. Ea, Episcopo Lemovicensi avunculo suo & alia propinqua sibi matrona suasoribus, Regis animo religionem voluerat injicere, quasi aliena detinenti, populumque suum à se abalienanti per hæc bella. Sed discusso conatu qui auctores fuerant ab Aula jussi discedere. Hogendorpium nostrum Rex suum jam esse prædicat, ipse non abhorrere videtur, sed nihil facturus Sublimitate Tua inconsulta. Magnum est apud Batavos, quanquam ex Brasilia & merces & boni nuntii venerunt, pacis desiderium. Heic Nobilitas Normannica iterum ad arma nolens satis compellitur. Vienna scribitur Regem Hungariæ duobus millionibus Florenorum ex ærario exceptis abiisse: Coloredum majorem, quod nuper ad Comitis Suessionensis adventum retro cessisset, culpam rejicere in Cardinalem Hispanum, qui promissa auxilia non miserit & in segnitiem Poloni militis. A Constantinopoli discimus Rewanum Persarum machinis verberari, statimque missos, qui subvenirent Ianissaros, etiam emeritos, cum Spahiis. Equos multos aliaque ad ipsius Sultani iter in tempus novi pabuli parari. Supplicium sumtum de Janissaris quibusdam & Spahiis militiam hanc detrectantibus. Transilvaniæ Legatos ab ea Aula minùs benignè dimissos; de Moldaviæ & Walachiæ fide non dubitari. Missas naves longas quæ Tartarorum Chamum Trapezuntem vehant. A Mediolano discimus circa Aprilis exitum Alcalam, Leganesium, Spinolam fuisse Ticini: Gallos eorumque Socios apud Nicæam. Parmensem ad sua iter ægrè reperturum, tum quod supra justum modum amnes excreverint, tum quod hostes intercursent. Rohanio mitti dicuntur ad supplementum VIII millia; ipse panis penuria exercitum suum laborare queritur. Dum ei malo occurritur, missis ad Venetos pecuniis, egregia ad agendum tempora elabuntur. Eorum, qui Puritani nomine in Anglia invisi sunt; millia aliquot se in Americam habitatum transtulerunt, non procul à Batavorum coloniis. Ibi illis suo sensu frui licebit. Scribit de rebus Vallis Telinæ Marinius, quem Sublimitati Tuæ cordi esse confido. Cæterum certò didici ex ipso eo, quem huc misit Dux Rohanius, in pactione illa de Religione, nihil sperandum temperamenti. Hæc nunc habebamus. Det Deus in dies meliora, & idem, Excellentissime Domine, Tuam Sublimitatem servet. Lutetiæ 20/30 Maii 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

NIhil quidem nunc magni scribendum erat: sed quia 593
Jacobus Comes Hanoviensis juvenis fortissimus (id malo ponere quàm fumosos titulos: hoc enim proprium est, fortuita cætera) de suis domesticis unum mittit Hagam, peccaturum me putavi, nisi saltem te salutarem, & si nihil aliud, quomodo valeres inquirerem. Ea enim res me non modicè sollicitum habet. Sunt & alia quæ scire velim, de Lunemburgico, de Landgravio: & quid hoc anno tam feliciter inchoato facturi sint nostri Batavi. Heic res procedunt quidem, sed quàm vellemus lentiùs. Dux Vinariensis & Cardinalis Valetta nunc demum abierunt, amisso Confluentium oppido, momenti non levis. Spero satis futurum temporis, ut Hagenoviæ succurratur, confirmetur Colmaria, sufflaminetur Argentoratum satis ad lapsum præceps. Multum lætor bene procedentibus Brasiliæ rebus. Vtinam & alia Regna, quibus suspecta est Hispanica magnitudo, aliquid ibi audeant. Comes Licestrius jam Rotomagi est. Si Angli nihil aliud quàm verba & phaleras adferunt, nihil agent neque Ratisbonæ, neque Lutetiæ. Et turpe est potenti Regno tam diu trahi. Quid Cunæum, virum eruditiss-

Digitized by Google

ditissimum, retineat, quò minus Seldeno respondeat, miror. In Italia Placentiam audimus commeatus importatos: & Rohanio militis pecuniæque nonnihil mittitur, quod pridem factum oportuit. Panis magna in ejus exercitu inopia est: nec Veneti suppeditare volunt, nisi oculata fide. Dux Bulionius apud Regem Missæ aliquoties interfuit, videturque Rex sua apud Ordines federatos autoritate efficere velle, ne illi ob mutatam fidem minus fidei habeatur. Vale Vir Illustrissime cum omni familia. 30 Maii novi Calendarii, anno 1636.

Illustr. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime Domine,

594 LIteras tuas, quas Maii Calendis datas accepi, eo expectabam avidiùs quod omnia heic de rebus nostris tristiora quàm erant adferebantur. Et habet hoc ignorantia quod ad pejora credenda proclivior est. Magnum damnum accepit res Sociorum amissis Confluentibus Treverinis, quibus consultum voluisset Dux Bernhardus, qui diu hic retentus inter Aulica oblectamenta nunc demum ad res agendas dimissus est, postquam præcipua rerum tempora effluxerunt. Abiit eodem tempore & Cardinalis Valetta seorsim à Duce Bernhardo habiturus exercitum. Fines Galliæ aliis cum copiis tutantur Principes Regii sanguinis Condæus & Suessionensis. In Italia ac Valle Telina stant fermè res, æqualibus partium viribus vitiisque. Pacis magnum per omnem Galliam desiderium video, sentiente plebe commercii damna. Nec Batavi abhorrent. Ad Colloquium Coloniam fermè omnium judicio video destinari, urbem liberam, extra bellum & tamen non longinquam bellantibus. In magna exspectatione sumus quid Comes Arundelius Ratisbonæ sit effecturus, aut hic Comes Leicestrius qui in itinere est. Stada & Buxtehuda quali præsidio teneantur, scire cupiam, tum quæ spes sit de Principe Lunemburgico. De Landgravio varia in dies his in partibus jactantur. Quod de Electore Saxoniæ quæris, mihi videtur expeditu haud difficile. Noverat Leges Imperii & reverentiam Cæsari debitam, cùm armis oppressus opem Suedicam imploravit, seque devinxit fœdere id continente, ne seorsim pax fieret. Video Saxoni faventes Germanos tradita Gallis imperii loca causari: ego quàm id sit factum necessariò aut utiliter, mihi judicationem non sumo, ut quæ exactam requirat rerum & ejus temporis & ante actarum cognitionem. Sed cùm Gallos sæpe querentes audierim de cunctatione Magni Cancellarii in tradendo Philipsburgo, ego Viri summi prudentiam tum in aliis rebus tum in hac præcipuè admiror, qui in negotio invidioso non ultro incurrerit, sed aliorum consensu se passus sit vinci. Nunc postquam is locus tam negligenter custoditus est, quàm ardenter fuerat expetitus, ipsos Gallos nimiæ cupiditatis pœnitet. Dicunt mihi Regis Ministri in solutum partis ejus quod Suediæ debebatur numerata per S. Chaumontium M. D. Cancellario prope CC Francorum millia. De ea re me nihil certi ex illis partibus accepisse, miror. Turcæ vires in Persas verti videntur, à quibus Rewanum obsessum est. Poloni cum Palatina conjugium non ex re fore Suedica, video, multis arbitrari. Dicitur Legatus, qui è Polonia in Hollandiam venit, ex Anglia etiam huc venturus. Si quid scitu dignum evenerit in his locis, aut aliunde cognosci poterit, non patiar te ignarum. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ [illegible] Maii 1636.

Tuæ Nob. addictissimus obsequentissimusque H. G.

MARTINO OPITIO.

595 REcognovi lætus, Vir Clarissime, amicam manum: lætus inquam cætera nisi quod fortuna tua non est qualis vellem, sed qualis sæpe est viris bonis & divina jussa ante crimina habentibus. Cujus argumenti Græcam Tragœdiam Antigonem à te in Germanicum versam, Germaniæ gratulor, & quia de ejus generis operibus meis me interpellas, Oedipum in Colono non verti, Iphigeniam in Tauris verti, sed non edidi, Anthologia mea bonos typos quærit, ut Græcè simul Latinéque edatur. Annales Belgici describuntur. Spero brevi me habiturum hominem idoneum qui illa quæ ad Euangelia scripsi describat. Damasceni *ἀποσπασμάτια* [*fragmenta*] cum quibusdam Polybii aliorumque hactenus *ἀνεκδότοις* [*ineditis*] jam in Gallia interpretem non ineruditum, & cujus studiis faveo, invenerunt. Cornelium nostrum ut ames etiam supra quàm meretur rogo. Ero tibi eo nomine, ut multis aliis obligatus. Nostri Batavi vident plerique non dicam *ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισαν* [*quod præstantissimum Græcorum nequaquam honorarunt*], sed bono civi injuriam factam, adjuvantibus aliis, aliis dissimulantibus. Nunc in Britannia Seldenus magno libro maris libertatem evertit, quæritur maris assertor, & reperiri nondum potest. Non etiam eruditissimo Seldeno.

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν
[*Pendant Danai meas lachrymas tuis sagittis*].

Sed sæpe illud veteris Latini, de Philoctete, ni fallor dictum in mentem mihi venit

O ingratissimi Argi, immanes Graii, immemores Benefici

& quod sequebatur,

Exulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.

Sed Deo sit gratia, quod cum Themistocle dicere liceat: *ἀπωλώλαμεν εἰ μὴ ἀπωλώλαμεν* [*Perieramus, nisi periissemus*]. Tibi si unquam facere quid dulce potero, mi Opiti, id verò mihi erit dulcissimum. Vale nostri memor tui non immemorum. Lutetiæ 3 Cal. Iunias novi Calend. 1636.

Tuus toto animo H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Potentissima ac Serenissima Regina, Domina Clementissima.

TOto hoc vere segnities amicorum totas hostium vires in exercitus Sacræ Tuæ Majestatis rejecit: seroque demum post amissos Rhæni Mosæque Confluentes, qui nodus præcipuè res Germaniæ Galliæque connexurus fuerat, movere se Gallia incipit in Burgundiæ Comitatum, qui, quanquam Hispanici juris ob vetera cum Helvetiis fœdera bello & huic & prioribus exemtus fuerat, sed nunc ita alimentis rebusque aliis juvisse res hostiles comperitur, ut ei pacis jura servari nequeant. Dolam obsidum obsidet Princeps Condæus cum peditatu xx. aut ultra ut dicitur missium, equitatu prope sex millium. Cardinalis Valetta cum mediocri exercitu Hagenoviæ periclitanti it succursum. Minores copias apud se habent Dux Bernhardus Vinariensis & qui limiti Campaniæ præsidet Comes Suessionensis. Dux Rohanius panis inopia, fortiter, ut solet, facere impeditur. Ad Padum Gallorum Sociorumque copiæ extra præsidia sex fermè sunt millia, equitatu, qui locis planis plurimum potest, multum infra hostem; expectant supplementa. Polonus Legatus, qui per Hollandiam transit jam Bruxellæ est, inde huc venturus, ut gratias agat pro pace facta cum Sacra Tua Majestate & det operam ut hæc quoque Aula Regis sui votis si non favens certè nec contraria sit. Ab Anglia jam hic adest Legatus extraordinarius Comes Licestrius pacis cum Cæsare conciliaturam moliens, hoc modo, ut Lotharingiam Rex Galliæ, Palatinatum Bavarus reddat. Aliò mihi tendere videntur Galliam regentium consilia, ut post hæc nunc ultima Re-

Regni satis fessi tentamenta, per inducias eorum qui tenent, sed Lotharingiæ præsertim possessionem firmet, ac si trahant de pace colloquia. De matrimonio Lotharingico Fratris Regii urgent Pontificem, Cæsar, Hispanus, Dux Carolus ut id probet. Gallici Legati intercedunt, ne qua de re ad Regnum adeo pertinente extra Regnum cognitio instituatur. Neutram potentiam offendere volens Pontifex videtur rem prolatando ducturus & Galli contenti futuri Parlamenti Parisiensis pridem facto decreto, aut etiam omnium Parlamentorum consensu coram genere humano testaturi, non valere Principum Regii sanguinis conjugia quæ à Rege vetantur. Sunt qui ex hac controversia dissidium Galliæ ab Aula Romana sperant; sed ego neque Pontificem quidquam constituturum arbitror quo Gallorum sententiam improbet: & multa sæpe friguscula video exoriri manente vetere servitio. Tum verò eorum qui heic in summo sunt fastigio, neque rationes privatæ ferre videntur, neque eorum actiones eo tendere ut de illa mole convellenda cogitetur. Neque id facilè credet qui considerabit nunc recens Gallica auctoritate effectum, ne Protestantibus in Valle Telina habitare liceat. Exspectamus quid ad Saram (eo enim ivit) facturus sit Dux Bernhardus: interim & Hanovia nos multum sollicitos habet. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, armis justis Tuæ Majestatis ejusque Sociorum faveat, & ea bonum ad pacis æquæ perducat exitum. Lutetiæ 5 Junii ex novo Calend. 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

597 MVltos rerum peritos ita existimare video, Gallos natura sua minimè cunctabundos ad hoc usque tempus resides fuisse, non casu sed destinato, ut vi omni hostium in nos effusa, arma nostra religionemque Protestantium, quàm longissimè à vicinia sua amoverent, id ipsum Romæ pro magno merito imputaturi. Præterea dum Lotharingiam ejusve munitiora bello, pace, aut induciis retineant, cætera damna levia ducunt: planeque, quasi cum Imperatore jam convenissent, omissa Germania bellum in Hispani terras, id est Burgundiæ Comitatum transferunt, contemtis Helvetiorum ea de re querelis. His diebus Sorbonicorum unus Du Val nomine Pontificis valdè studiosus collegis inconsultis librum ediderat, in quo dixerat inter multa alia, libros Romæ vetitos ne à Doctoribus quidem Theologiæ licitè legi, nisi speciali concessu Pontificis, cùm hactenus receptum his in locis fuerit, ut jus omnes libros legendi in ipsa collatione Doctoratus comprehensum censeretur. Præterea sententiam quæ Concilium docet esse supra Pontificem (ea autem est Academiarum Galliæ vetus sententia testante Bellarmino) occasionem dare inobedientiæ & rebellioni. Hæc loca carbone nigro Sorbona cùm notare vellet, Regii consilii interdicto vetita est: sic defenduntur jura Regni & veteris libertatis Ecclesiæ Gallicanæ reliquiæ tenues. De matrimonio Lotharingico, quanquam probationem ejus urgeant Romæ, Cæsar, Hispanus, Dux Carolus, rem mansuram puto in incerto, timente Pontifice potentes partes offendere. Fortè Galli, Parlamenti aut hujus aut omnium auctoritate firmabunt id, quod nuper Episcopi quidam consulti responderunt, irrita esse Principum Regii sanguinis conjugia Regis impermissu. Combalettam Cardinalis propinquam Regio Fratri conjugem destinari rumor multus est, sed Cardinali, quantum vulgo patet, aversante. Quid post Siparium agatur, dies deteget. Frater Regius ab ea cogitatione se non alienum præfert, ut tempus trahat, an ut hoc ipso Cardinalem Regi suspectum faciat, variantibus hominum judiciis. Fontebellaqueo Rex nunc agens ibi fratrem exspectat. A Volo ad Mosam loco literas habeo Tribuni Heiburni scriptas XXX Maii novi cal. postridie ejus diei, ut significat, Cardinalis Valetta, qui cum ipso erat, ibat subventurus Hagenoviæ fame periclitanti: Dux Bernhardus interea suo cum agmine ibat Rhenum Mosellamque inter, tum ut distraheretur à Valetta pars hostium, tum ut Saræ adsita ab hostili incursu liberentur, dum majores ex Gallia copias Valetta exspectat: quæ ubi venerint simul cum Duce Bernhardo majora aggredi meditabatur. Hæc ille. Ducis Bernhardi copiis secundo præest imperio Comes Guichius Cardinalis & ipse cognatus, excusato ob morbum, an quod Legationi de pace servetur Feuquerio. Dolam in Comitatu Burgundiæ obsidet Princeps Condæus cum XX. ut ajunt peditum, VI equitum millibus. Ei proximum in militem imperium habet Millercius, cujus avunculus est ipse Cardinalis. Ita non quiescit inter publica negotia privatæ potentiæ studium. Duræum sociandis Ecclesiastica pace Protestantibus laborantem audio, postquam consilia sua Zelandis pastoribus & Gallicæ linguæ per Bataviam Ministris probasset, Hollandis hæsitantibus, profectum in Suediam, promovendo eidem negotio, optando magis quàm facili. Quod nuper scripsi, vereri me ne per Polonicum matrimonium Anglia à nobis alienetur, ejus rei jam initia persentiscere mihi videor: ordinarius enim Legatus (extraordinarium, quia Regem nondum salutavit, conspicere interea per mores non licet) dixit mihi, inaudisse se literas à Tua Sublimitate ad Palatinum scriptas satis frigidas. Dixi credere me scriptas pro rerum statu præsente, alias futuras si in causam Anglia nobiscum vellet descendere. Addidi Palatinæ Domus studiosam semper fuisse Sublimitatem Tuam, cujus rei testes essent Regina Bohemiæ & Administrator. Regis Galliæ animum religione sua & Monachorum instinctu constat pacis esse cupidum, ægreque eum, ne præceps eo ruat, spe rerum meliorum à Cardinali sufflaminari. Madritio scriptæ litteræ XII. Aprilis novi cal. nuntiant commendatum ab Anglis Regi Hispaniæ Palatini negotium. Respondisse Imperatorem ad postremas Hispani eo de negotio literas, velle se morem gerere Regis Hispaniæ postulatis, quantum res ferrent Imperii. Siciliæ donativum & ex Regno Neapolitano IX C M. ducatos impendi rebus Belgicis Germanicisque. In Corunna aliisque Hispaniæ partibus parata haberi navigia, milites, aliaque vitæ aut bello necessaria, metu paratuum Gallicorum Batavicorumque & cum Anglis pace incerta. Etiam in Catalonia locisque aliis dilectus haberi aut eadem de causa, aut ut ex Insulis tentetur aliquid in oram Massiliensem. Melitensibus irasci Hispanum quod novum struere volentes Castellum, ea de re non se aut suum Siciliæ Præfectum eodem tempore quo Papam consuluissent. Vienna literæ datæ 26 Aprilis nos docent Legatos Danicos, præter suum Bremense & de Albis onere negotium laborare in cudenda cum Suedis pace: & de pecunia quidem in solutionem militum danda non fore difficilem Imperatorem, ad illud verò quod suadet Danus ut Suedis concedantur Rostochium, Wismaria, Stralsunda, obhærescere adhuc negotium. Non satis concordes agere Dominos Banerium & Wrangelium iisdem literis perscribitur. Vetustiores paulo Vienna literæ dicebant 5 Maii abiturum Imperatorem, Augustam & Reginam Hungariæ, Lintzæ exspectaturos tempus inaugurandi Regis Romani. Ab Hispano Genuensibus offerri Finale si eo pacto eos possit in belli societatem pertrahere. Missum ab Aula Imperatoris Reusium cum pecunia in stipendium militis per Silesiam agentis. Helvetiorum animos magis magisque abalienari video à Gallis, primùm ob inimica Protestantibus Decreta de Valle Telina, deinde quod stipendia non petantur, qua de causa auxilia Solodurensia jam à militia discessere, idemque se facturos minantur alii.

Tum verò Comitatus Burgundiæ curam honestè derelinqui non posse sentiunt Friburgenses & alii quidam. Transiere jam per eas partes in usum Hispaniæ bis mille Germani: secuturis peditibus aliis ter mille, equitibus mille. Cur ad Padum nihil egerint hactenus Galli ac Socii, causam alii ad amnium incrementa referunt, alii quod Sabaudus pacem spectans consilia moretur: credo & impares fuisse hostilibus copiis, cùm extra præsidia sex tantùm millia apparerent, quibus nunc equites accessere, & cohortes Sabaudiam aliquæ transeunt. Certè neque Parmensis transire hactenus ad sua potuit, & Marchio Villa cùm è Placentia in vicinum agrum exiisset, recipere se coactus est. Scribunt Mediolanenses, extra eos qui præsidiis attinentur, in apertum educi posse sex equitum octodecim peditum millia, credo ad verum aliquid adjicientes dum famæ student. Sed ex Regno Neapolitano mille equites, mari mille pedites cum multo argento venire credebantur, & dirigi in Montisferratensem agrum tentamenta ni Galli alio traxerint. Hispani Duces Ticini adhuc imminent occasionibus. Rohanii gloriam destruere scribitur Legatus Galliæ illis in partibus, multoque magis hìc pecuniarum arbiter Bulionius. Videmus hostes è Tirolensi agro aliquid in Vallem Monasteriensem moliri. Ne illud quidem omittendum censeo quod Mediolano scribitur, Austriacos quod ipsis cum Rege Poloniæ erat controversum de eo transegisse, datis ei reditibus ex Regno Neapolitano, Castello maris quod dicitur, & Rupe Guilielma, qui superent CCCL. scutatorum millia: quod additur eidem Regi à Gallis ostentari matrimonium aut Condææ aut Mantuanæ serum est, quando cum Palatina res pro confecta habetur. Hæc cum cogito, maximè mihi dolet, quod hæc Aula ita Romam respicit, ita intus fluctuat, ut non possit in ea multum fiduciæ collocari. Etiam nunc in re quidem non maxima, nec spernenda tamen, iniquiores fuere nobis. Nam cùm nuper in initu Legati ab Anglia ordinarii Veneto contra nos nimis apertè favissent, nunc cùm facile mihi esset ope meæ familiæ & eorum qui cum Hogendorpio sunt dignitatem nostram tueri, omiserunt quicquam significare aut mihi aut Veneto. Scribit Comes Suessionensis apud Sessam amnem se pugnasse feliciter cum Polonis quater mille, sibi cùm essent tria peditatus, Regimenta quæ dicunt, quatuor Helvetiorum centuriæ, equites partim levis armaturæ, partim Hungaricæ, partim cum Carabinis mille ducenti: cæsos hostium propè quingentos, suorum amissis non ultra septuaginta, signa hostium capta duo, & Ductores aliquot. Scribit D. Thuanus qui cum Cardinali Valetta die Maii 31. ex novo Cal. à Voco Barisæum, quod à Spinali diei itinere abest, pervenerat, consultasse ibi cum Valetta Ducem Bernhardum, ita ut modò ex Heiberni literis scripsi, diversa primùm itinera ut caperent, postea iterum ad meliora ausa coituri. Comitem sunt obviam sibi factos Croatos quingentos, qui frumenti Gallici commeatum interceperant, cùm centum & quadraginta equites secum haberet ipse, disjecisse, occisis eorum triginta quinque ipsa in pugna, captis verò viginti quinque. Literæ scriptæ Divione Calendis Junii novi Calendarii nuntiant, ex quo Dola obsessa est Pesmum oppidum in vicino pari inter Dolam Graiamque intervallo quingentis militibus custoditum, per pactiones venisse in Gallorum potestatem, secutaque Castella, Pinolam, Moscium, Rupem fortem. Habet secum Valetta ter mille pedites, equites totidem, machinas campestres quatuor. Auditur movere se hostis in Alsatia inferiore, Croatos quoque alios citra montes vagari, & Polonos qui in Lutzenburgico agro fuerant in Alsatiam ajunt transiisse, Bussium, cùm Confluentium oppidum periclitaretur, recepisse se in arcem inferius Ermesteino sitam, ibi eum in sesquimensem durare posse. Hæc sunt externa. Ad propiora ut redeam, audio esse qui judicant non sperare Cardinalem Combalettam jungi posse Fratri Regio, neque tam rerum ignarum, ut non prævideat quantæ inde in animo Regis sint orituræ suspiciones, sed hoc suscitabulo eum uti, ut Comitem Suessionensem Regii sanguinis Principem diu circa hoc matrimonium cunctantem impellat. Mitto literas à Ryngravio & Marino: & duo scripta in vulgus edita, alterum quo Regis religio in cohibendis sacrilegiis celebratur, alterum quo color oblinitur turbatæ pacis in Comitatu Burgundiæ permulcendis Helvetiis: Heiburnus ad me scribens rogavit, ut se addictissimum semper Sublimitati Tuæ ipsi commendarem, memoremque facerem XM Imperialium, quos Tua Sublimitas Magontiaci cùm esset mense Julio anni nuper exacti ipsi per homines D. Spiringii numerari jusserat, quod cùm consequi tunc nequiverit, temporum iniquitate, orat ut nunc Lutetiæ ipsi eandem summam recipere liceat. Hæc erat hoc tempore rerum tum hic, tum foris, facies, quam Deus ad optima vertat, idemque, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitati præstet optima quæque. Lutetiæ 6. Junii novi Calendarii.

Tuæ Sublimitatis devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

DVm hic adhuc retinetur Ponica sæpe ad me venit. 598
Ait Ducem suum quæ cum Gallia egit, egisse ut fœderatum. Vlterius illigari Galliæ nec per matrimonium velle. Accepisse eum dono Regis Alsatiam, nullo fructu, tantùm ut eo major sui ratio haberetur, si quando de pace ageretur. Pro exercitu millionem in Augustum mensem promitti. Literas Regias jam paratas esse, quibus ipsi reditus CXX. millium Florenorum attribuantur, obligatis in id agris Regiis, non Aquitaniæ, ut rumor fuit, sed propius sitis. Dari hoc in remunerationem eorum quæ hactenus bene fecisset, nullo in posterum vinculo quo Galliæ addiceretur. Literas tamen illas sibi non conspectas. Neque velle Ducem ea Regis liberalitate uti, nisi Tua prius Sublimitate consulta. Hæc ille quidem ita disseruit, ad quæ nihil respondi, nisi optare me Duci cuncta bene procederent, tum quia mandata habebam super ea re nulla, tum quod res ipsa non satis perspecta mihi esset. Nam Galli de Duce tanquam Regi militante loquuntur: neque eorum ingenio convenit, annua tanta quanta neque Parmensis accipit, neque Sabaudi Ducis filii antehac acceperunt, in id tantùm elargiri quarto Vinariensis Domus hæredi, ne ingrati videantur. Præterea exercitus quem habet majore sui parte ex Gallis constat, qui ei additi sunt ad X. aut XII. millia, cùm contra de Suedis qui sub ipso fuere pars sit apud Condæum Principem. Et jam intelligo certis auctoribus mandata ad eum venisse, ne in Germaniam penetret, sed Galliæ fines tueatur, quod me confirmat in ea conjectura quam scripsi, hactenus res Germaniæ heic sperni. Etiam is miles qui Batavis sub Bresſæo fuit, dictusque erat sub Bulionio Duce in Treviros ire, jam in Galliam venit, partim ad Campaniæ tutelam partim sub ipso Bressæo Picardiam defensurus. Ad Rohanium pecuniæ parum satis mittitur. Princeps Condæus & ipse pecuniam flagitat, acriùs quàm ferre possint ii qui Regni rebus hic præsident. Comes Licestrius adhuc nihil egit nisi amicitiæ in speciem ostentamenta. In ejus initu quidam ex familia Legati Sabaudici, dum de honoribus certatur occisus est. Quare nisi alia præcepta accipiam, abstinendum mihi videtur nugis tam magno constantibus. Dicitur mitti ab Hispania in Poloniam Comes Sorius, in Angliam Comes Ognatus. Qui in Angliam à Cæsare venit Radulphus dicitur nihil adferre solidi, existimantque ii, quibus cum Aula Cæsaris literarum commercium est, magis ibi de commutatione quàm de restitutione Palatinatus aut Electoratus cogitari. Pontifex Gallos nisi de negotio Parmensis audire non vult. Rationes tamen quas

Digitized by Google

quas haberent contra Lotharingicum matrimonium Cardinalibus quibusdam jussit exponi. Sunt qui Gallos id moliri putant, ut de eo matrimonio Ecclesiastica cognitio intra Galliam instituatur, apud Episcopum primum, inde apud Metropolitam, postremo apud Primatem. Ego nihil tutius puto quàm stari Parlamenti decreto, cùm omnis Ecclesiastica notio viam sit apertura, sive per appellationem, sive quod magis puto per nullitatis propositionem judicio Romanæ Sedis. Pater Josephus is esse putatur, qui consilia sæpe nutantia in gratiam Aulæ Romanæ maximè inflectat; dum Cardinalitiam purpuram sibi studet parare. De pecunia nostra perscriptum jam hactenus aliquid: sed video eo rem dirigi, ut solutio tardè & per particulas fiat nostro incommodo, quorum res pecunia præsente maximè indigent. Putant fortè spem ejus pecuniæ magnum momentum habiturum in Tuæ Sublimitatis deliberationibus. Mitto edictum Principis Condæi contra sacrorum locorum expilationes. Feuquerius restituendæ valetudinis causa profectus est ad aquas Borbonias potum balneatumque. Nondum vela fecisse auditur Classis Gallica. Legatus Angliæ extraordinarius, non minus quàm habuit ordinarius præceptum habet Cardinali Richeliaco nihil concedere. An cùm inviserit in lecto pro ægroto cubantem nescio. Ego laudo jus suum tuentes. Tamen non audeo quicquam imitari injussus. Patrem Josephum, quia publicum munus nullum habet, neque ego inviso, quanquam à multis Gallorum rogatus neque eum visuri sunt Angli. Dolet mihi quod tam longè absum, ut accipere mandata nisi magno temporis dispendio nequeam. Hæc postquam scripseram ex Thuani literis 9 Junii ex vico Mariæ in Minis scriptis disco Cardinalem Valettam tuto per Lotharingiam itinere, quod Sandum aliaque loca hostes metu deseruissent, Hagenoviæ subventum ire cum spe optima. Ducemque Bernhardum ideo in limite retentum ut partem hostilium copiarum in se verteret, aut si opus esset, Sociis auxilio accurreret. Hæc nunc habebamus & quæ perpetuò facimus vota, Excellentissime Domine, pro Sublimitatis Tuæ rebus prosperis. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Iunii 1636.

D. D V M A I.

599 ET ea quæ antehac misisti, Vir Amplissime, & ea quæ nunc Calendis Iuniis addidisti, rectè accepi, clara indicia optimæ tuæ voluntatis erga patriam tuam, ejus socios, & me ut amicum tuum veterem. Valde mihi dolet, quod summarum virtutum Principem, cui ut scis ab ætate prima fui devotissimus, videre mihi nuper in urbe per ipsius negotia non licuerit. Edictum Regium de causis armorum in eos qui in Burgundiæ Comitatu pacis antiquæ jura non servaverunt legeram jam ante, prudenter sanè scriptum. Et curam Excellentissimi Principis pro locis rebusque consecratis laudo: optoque ut illustrem ex hoc bello lauream ad tot sua majorumque decora addere ipsi contingat. Suedi nostri strenuè ad Albim Vibiumque rem gerunt, majora acturi ubi dilectus qui nunc per omnem Scandinaviam, Livoniamque aguntur, advenerint. Etiam in Westfalia non quiescunt, capta nuper Minda ad Visurgim, Osnabruggo verò hostili obsidioni exempto. Magnus Suediæ Cancellarius Stralsundi in ora maris Baltici belli pacisque consilia librat. Nobis, si & hoc vacat scire, satis inter negotia otii est ad legendos aliorum labores, sermonesque cum amicis serendos, quos inter utinam te quoque conspicere detur. Lutetiæ 12 Iunii 1636.

Tuus toto animo.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,
Sacræ Reg. Maj. Regn. Sueciæ Sen. Canc.

Excellentissime Domine,

600 BAronem Serotinum ad Sublimitatem Tuam dimittere sine literis meis nolui, quanquam quod ad illas quas quarto ante hunc diem dedi adderem, nihil magnopere erat, nisi quod Dola se præsidio plus ter millium animosè defendit, munimentis mediocribus. Mousloni modicis sanè cum copiis se tenet Comes Suessionensis, nec impedit quo minùs Campaniam populatores magni, Croatæ, incursent. Dux Vinariensis quantum ex postremis literis cognoscitur, apud Davoum erat, exspectans Valettæ ad Hagenoviam successum. Classis Gallica à Sanctinico littore jam discesserit Gaditanum fretum ut creditur petitura, quia variant rumores, post diligentem inquisitionem affirmare non audeam. Proximo stato tempore non omittam, si quid propius ad meam notitiam pervenerit, significare; perseverans semper in votis, Excellentissime Domine, pro Sublimitatis Tuæ rebus. $\frac{6}{16}$ Iunii 1636.

E I D E M.

Excellentissime Domine,

INter dies statos per Baronem Serotinum scripsi quæ 601
tunc rumores ferebant. Ex eo quæ aut certa didici, aut in commune credita, addam. Ab Aula & ab ipso Cardinali affirmatur omnibus Hagenoviam per Cardinalem Valettam exemtam periculo. Tabernas Alsaticas captas à Duce Bernhardo, stragemque editam de Croatis, quorum numerum edere, memor eorum quæ historicis præscribuntur, non audeo. Dixit Cardinalis Richeliacus Veneto Legato, Gallicas copias transisse Ticinum notum etiam vetustis annalibus amnem, unde urbi nomen: parte alia Parmensem cum Sociorum auxiliis Donenti via Placentiam pervenisse. Quæ mihi tam longè absito neque refellere, neque probare est animus. Dicam quod ex literis datur scire. Ex Germania nullas habui: neque enim noster, qui Argentorati antehac fuit, nunc Benfeldii est, unquam ad me scripsit. A Gallis scriptas literas video interdum, sed tunc tantùm cùm res sunt prosperæ. Ab Helvetiorum terris literas legi complures à viris gravibus ad viros graves scriptas. Rohanio cujus consilia & seditio militaris & ad locorum munitiones deficiens pecunia diu remorata est, advenisse ajunt triginta millia Pistoriensium. Sperare eum à Venetiis cccc millia Florenorum. Legatos Burgundiæ Comitatus implorare veterem Helvetiorum tutelam: quosdam non alienos esse, Romanenses maximè: Protestantes, pridem Galliæ addictiores, hærere cum quibus & Altorfienses, jam annus est, publicum fecere decretum, se ita existimare, Galliæ fœdus cum Helvetiorum Communi antiquius esse, quàm ut patiatur, Comitatum Burgundiæ, si cum illo bellandum sit, ab Helvetiis defendi. Conventus Helvetiorum, ut tarda sunt liberorum populorum molimina, ea de re deliberaturus indicitur, procedente interim Dolæ obsidione, quæ præsidio plus trium millium acriter quidem, & non sine aliquo eruptionum successu defenditur, sed, quantum judicari potest, priùs in potestatem Regis ventura quàm decretum aliquid consentiens ab Helvetiis fiat. Ita, dum Romæ deliberabatur, peribat Saguntum. Et jam plurimi Dola Vesonsionem se contulisse & qui manserunt res potissimas eo misisse nuntiabantur, quod ea urbs & per se sit valida, & iis locis unde auxilium exspectatur propior. Certiùs indies docemur, Brisaci Præfectum, non modo intentum esse reficiendis pontibus ad Rinfeldum & Laufenburgum, sed & muniendæ Insulæ incumbere, quæ minùs leuca infra Basileam est. Basileenses, Austriacæ Domus invalescentem potentiam metuentes, ita ut Legato Gallico significaverint, nolle se intra suos fines aut frumentum in usum Galliæ comparari aut militem nisi in usum Helvetici corporis conscribi, Conventum Protestantium civitatum his de rebus postulare. Interim perpetuò alios atque alios Germanos per Alpes, in quas Romanensibus Helvetiis jus est, transire. Alcalam Ducem ex Italia jisse in

Digitized by Google

in Germaniam in speciem cunctis rebus ad pacem parandis, cùm tamen nec Melo, nec alii eidem negotio destinati, abierint: ut rerum introspectores judicant, ne impedimento sit Lagenesio, quominus is liberè Mediolanensem Præfecturam administret. Aliunde discimus Salicium ad Rhætos, ad Helvetios mitti alios Gallorum Clientes cum bonis verbis, & quæ ibi multum valent largitionibus, tum ut sanetur offensa ob mutatas in Valle Telina res suscepta, tum ut disturbentur consilia, quæ pro Comitatu Burgundiæ possent suscipi. Clavennæ, Legati Gallici annisu, ad pœnas vocari eos qui de Pactionibus illis Vallitelinensibus aliter erant locuti, quàm rebus Gallicis expediret. Duas equitum turmas ad Rohanium venisse in Gallia. Transisse per summas Alpes, quem montem Gothardi vocant, duo millia sub Mutinensis fratre, & sex Visdomi turmas: sequi cohortem, id est, Regimentum Comitis de Aro sexcentorum peditum, inde cohortem alteram gravis armaturæ sub Tribuno Lizzo, qui jam sit apud Donawerdam. Post has secuturas cohortes Ridbergii & Piccolominii. Ratisbonensem Conventum prolatari credo, quò tardiùs Anglis respondeatur, sed ut scribunt qui Gallis blandiuntur, ob dissidia Regem inter Hungariæ & Bavarum. Cæterum ab Angliæ Legatis didici, Arundeliæ Comiti potestatem compellandi Cæsaris dari Lintzii: Poloniæ Legatum, sex jam dies sunt, Londinii solemni de more receptum. A Vienna literæ 10 Maii datæ dicunt in ea Aula laborare seriò Brandenburgicum, ut pax cum Suedis fiat, sed velle Cæsarem, ut prævertatur isti negotio electio Regis Romani: Gallos moliri omnia ut Ratisbonensem Conventum disturbent: Gallassio præceptum, Spiram ut muniat. Comitem Soræ ad Regem Poloniæ mitti, eum ut in partes pertrahat Austriacas si fieri potest; intentato ei metu à Turca & Ragotskio, & spe aut ipsi, aut si ipse jam occupatus est, fratri ejus ostensæ conjugis è Domo Austriaca Ænipontana. Interea Bassam Budensem per idoneos homines fidem facere Cæsari de mansura Turcica pace. Tirolenses sibi à Gallis, Gallos qui in Valle sunt Telina ex Tirolensi agro vim mutuò metuere video. Ad Italiam venio. Parmensis cum Mutinensi negotium nondum planè transactum est, obstante de Roseiano controversia. Sabaudus haud obscurè ad pacem spectat, & cùm Socii producere exercitum vellent, suas retentandi causas, quæsivit. Sociorum vires extra præsidia à bene volentibus ad xx. millia feruntur, aliis multum de ea fama detrahentibus. Pars cis, pars ultra erant Tanarum pluribus quidem locis, sed Valentiæ præcipuè imminere crediti: Horum consilia collata Astæ: Hispanorum Ducum Ostagii, unde Alcalo & Melo Genuam, Læganesius & Spinola Castellum novum ad Seriviam erant petituri. Mille ex Regno Neapolitano equites in agro Mediolanensi exspectabantur. Mantuanus pacis studium honestis verbis ad Mediolanensem Cancellarium scribens testatus fuerat: nec aliud armis suis propositum, quàm sua tutari. A Roma inducias cudi. Serbellonem cum navigiis aliquot in Lario esse lacu, quem Comensem vulgò vocant, ut Rohanium observet, scribitur. Nec dubitat quisquam quin omni arte apud Rhætos Helvetiosque studia sibi paret Hispanus.

Nec si muneribus certes, concedet Iolas.

Plerique à Gallis in Italia quæri prælium, ab Hispanis vitari volunt nos credere: & an Parmensis in Placentiam usque perrumpere posset (quanquam id pro facto in hac Aula spargitur) judicia variant. Valentia firmata est accessione præsidii ad trecentos: an alimentorum satis sit civitati & militi, ambigitur. Classis Gallica vela fecisse 10 hujus mensis constanter affirmatur ab omnibus & esse xl. navium bonarum, minorum quas fistulas vocant sex, totidem ad inferenda hosti incendia: ire in fretum Gaditanum, eodemque venturos Hollandos suis cum navibus. Cardinalis Hispani literæ in Italiam missæ atque interceptæ ostendunt, eum extra spem non esse induciarum seorsim cum Batavis. Coloniæ locum ad pacis colloquia Imperatori non improbari audio, quanquam aliud fert hujus civitatis rumor. Et ut paulatim ad propiora me reducam, non est quidem magni momenti, nec reticendum tamen, Lagrangium, qui in Germania Legatus fuit, ad Missam transisse, sed egregiè simulato morbo gravi, ne quid simulare crederetur. Feuquerius aquis Borboniis valetudinem curat, quantum conjici potest nec belli nec pacis negotio interfuturus. Hic nunc erat in summa rerum status, de quo si quid immutaverit, non deero indicationis officio, vota semper faciens, Excellentissime Domine, pro Sublimitatis Tuæ bonis rebus. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Iunii 1636.

Postquam hoc ita ut è fide non indignis acceperam, quædam & ex certis literis scripseram in cæteris video præstare famæ auctoritatem. Tantùm pro Tabernis Alsaticis tradi Sarburgum à Duce captum Bernhardo, 11 novi Calendarii. Profecta est à Rupella Classis. Dolæ jam vallum subitur cuniculis aliisque suffossionibus, capto, quod extra est munimento lunari. Magna in castris Principis alimentorum copia est. Peditum non satis habet contra tot defensores. Flagitat plures mitti. Cùm in manus venissent meas duæ virorum talia intelligentium literæ, Dolæ obsessæ fidam historiam continentes, exemplum earum addidi. Sed jam venit à castris qui & ipse nuntiat & literas adfert quas vidi. Thuani Ducem à Sarburgo reducem capto castello quod Tabernis Alsaticis imminet, impetere oppidum machinis. Missus ad Argentoratenses Thuanus multùm frumenti in usum exercitus à civitate facilè impetravit, qui messem facere nisi favente tam valido vicinoque exercitu nequibant. Ita jam impletum est, id quod Tua Sublimitas scriptis ad Ducem Bernhardum literis, quas apud me aperuit Ponica optaverat. Præter Croatos ad Saram malè habitos, quatuor eorum cohortes ad Daistenum ab Heibruno cæsæ sunt Suedo milite rem inchoante, subvenientibus mox & Gallis equitibus. Duisenemi hostis munitione extructa ab Argentorato ad Hagenoviam commeatus per amnem auferre voluerat, verum adventante Valetta id præsidium deseruere. Multum gaudetur in hac Aula ob has res.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

POst longam & rebus communibus noxiam Gallorum 601
quietem, gaudeo dari lætiora, quæ nuntiem, classem eorum xl bonarum navium, dies jam sunt octo, vela fecisse fretum versùs Gaditanum, ubi ut creditur Batavorum se naves ipsis sunt conjuncturæ. Sarburgum à Duce Vinariæ Bernhardo captam cum Croatorum strage. Hagenoviæ per Cardinalem Valettam subventum: Dolam à Principe Condæo obsideri cum spe optima capiendi, antequam Hispani eo se moveant, aut etiam cunctatores in talibus semper, Helvetii: Ducem Rohanium pecuniis & supplementis aliquot acceptis terrorem inferre partim iis, qui trans lacum sunt Comensem, partim Tirolensibus: Gallorum & iis Federatorum copias quæ trans Alpes sunt, in apertum productas & partim jam Tanarum amnem transgressas in magni conatus alicujus expectationem erigere Italiæ animos. Interim nec de pace frigent sermones, profecto ejus causa, ut præfertur in Germaniam Duce Alcala. Comes Arundelius ab Anglia Legatus dum Ratisbonensis Conventus prolatatur, auditur Lintzii: Poloniæ Legatus in Angliam it, inde huc ut creditur venturus. Comes, qui hic ab Anglia Legationem obit extraordinariam Licestrius exspectat, quid responsi accepturus sit Arundelius. Deus hæc cuncta

Digitized by Google

cuncta, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, ad bonum innocentium, pacem solidam Tuæque Majestatis gloriam regat. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iunii, 1636.

Dolæ Vallum eam suffossionibus & cuniculis impeti certò accipimus. Dux Bernhardus à Sara rediens Castellum quod imminet Tabernis Alsaticis impetu cœpit: oppidum machinis verberat: Argentoratenses largè commeatus præbent Gallis, ibi jam potentioribus.

Augustæ Maj. Tuæ obedient. subditus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

603 ASpexi lætus post multum temporis amicam manum, ternis literis, quarum primæ die non addito satis ostendunt se aliis esse vetustiores, quæ scriptæ sunt 29 Aprilis & 6 Maii Vet. Cal. has omnes heri simul accepi & pro amoris in me perseverantia & iis quæ nuntias habeo gratias. Ex literis ad M. Cancellarium meis cognosces serò sed tamen serio commovere se Gallos. Si simul Leodii habetur, quæ debet cura, si Landtgravius perstat, & Lunemburgicus causâ datâ ad meliora redit, nostraque è Suedia supplementa properantur, nihil video cur non optima speremus. Perscripserat huc Dux Bernhardus auditum sibi, Haersfeldii copias à nostris cæsas. Ego quoties aliquid nostris contigit prosperi quamprimum id scire aveo, tum ut usura fruar gaudii, tum ut eo suscitabulo utar apud Gallos, & si possim apud Anglos etiam. Sultani molitiones credo Domitiani, Nervæ, Trajani animos reddent nostri amantiores. Filio meo quod facies, eo nomine plurimum tibi debeo. Si oneri est, reditum ad nos suade. Si quid per ætatem rerumque imperitiam minùs providè facit, rogo moneas & me tuum perpetuo existimes. Mitto exemplum literarum Marini de conatibus Rohanii. Vale quàm optimè. Dabantur Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iunii 1636.

Filium miseram epistolarum occasione & eorum quæ cum D. Spiringio mihi erant agenda, quamdiu gratam ibi ejus mansionem putavi reliqui lubens: obtrudere eum neque tunc volui, neque nunc velim.

Tuæ Nob. studiosissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

604 PUto jam rectè pervenerint quas 15 Maii scripseram, & quas fine Maii scriptas dederam Iacobi Hanoviensis Comitis domestico. De Leodio bella est occasio tum Gallis, tum Batavis, quam perire credo non sinent. Quippe si ea gens per se impatiens servitutis ad spem mansuram libertatis possit erigi, multum inde emolumenti ad socios nostros perventurum prospicere mihi videor. Militum magna hoc tempore ubique est insolentia. Sed ea quæ Saxonicus miles in Brandeburgico agro admisisse publicis scriptis narratur, fidem omnem superant. Princeps Condæus qui nunc Dolam obsidet edictum severum edidit contra locorum sacrorum direptores. Et Rohanius in Valle Telina & militum quorundam supplicio & restitutis quæ rapta erant, repressit id licentiæ genus. Landgravius quam se in partem sit daturus, ingens hic exspectatio est. Sperari potest aliquid effecturum Sanctum Chaumontium, si cùm verbis res adferat. Galli serius sanè quàm oportuit, tamen nunc satis se movent. Tabernas Alsatiæ cepit Dux Bernhardus cæsis Croatis aliquammultis: Sarburgum captum non Tabernas postea intelleximus. Hagenoviæ necessitatibus subvenit Valetta Cardinalis, eodemque facto Colmariam servavit & Argentoratum inhibuit ne à libramento discederet. Dolam non diu restituram spes est. Nulli adhuc Hispani ibi comparent, & Helvetii an ei bello immiscere debeant se, in longis suis conventibus tam diu disputaturi videntur, donec res peracta sit. Campaniam tuetur Comes Suessionensis, ad Picardiæ custodiam ituro Marescallo Brelæo. Iam & Classis Rupella vela fecit ad Gadicum mare, quo venturæ dicuntur & Batavorum naves. Dux Rohanius pecunia ac milite adjutus Vallisanæ cohortes immittit distrahendo hosti, qui Parmensis iter Placentiam prohibere eo tempore conabatur, simul belli fortunam tentaturus in Lecci Castellum, quod in via est ad Comum. Et Gallorum Sociorumque exercitus parte sui Tanarum transiit amnem, magna minutus parte intra eum constitit. Ratisbonensis conventus trahitur & suspicio est quæri moras eludendæ Angliæ, cujus Legatus Arondelius Lintzii à Cæsare auditur. Polonica Legatio quæ nunc in Anglia est metuo ne quid in nos cudat. Comes Licestrius, si qua verbis fides, optimè se animatum pro Domo Palatina proque communi Protestantium bono ostendit: sed hactenus nihil egit nisi ea quæ legationem auspicantibus in more sunt posita: opperiens haud dubiè eventum eorum quæ Arondelio sunt mandata. Conjugium Regis Poloni cum Palatina hac in aula pro confecto habetur negotio. De Zawatskio si huc venerit, quid faciendum mihi sit hæreo. Tibi, quod me de ea quoque re monuisti, gratias habeo. Gaudeo apud Nobilissimum filium tuum restare mei amicam memoriam. Ipsi, Tuæque Familiæ omni, ac imprimis tibi, Illustrissime Domine, valetudinem cæteraque prospera opto. Lutetiæ 19. Iunii nov. Cal. 1636.

Principis Condæi exercitum xx millium est, nec minor putatur is qui sub Galliæ sociorumque signis in Italia militat. Dolæ Vallum ipsum jam partim subruitur, partim cuniculis & omni igniario opere tentatur, capto lunari quod extra oppidum erat munimento. Jam nuntium à castris, simulque literas certas accipimus, post captum Sarburgum Ducem Bernhardum ivisse, Tabernas Alsatiæ versus, castellum cepisse oppido imminens, oppidum machinis quatere. Præter Croatos ad Saram cæsos, quatuor alias eorum alas Heibrunni Suedi equitis opera ad Dacksteinum partim occidit, partim fudit. Argentoratenses ut messem facere sibi per Gallos impunè liceat commeatum exercitui largè præbent. Accepit & hoc boni quod munitionem factam in ripa amnis ad Drusemennum hoc proposito, ut Commeatus Argentorato Hagenoviam impedirentur, hostis veniente Valetta deseruit.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ observantissimus.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

EX quo postremum scripsi, nihil admodum mutatum 605
est. Classis ad Bellam Insulam, quæ oræ Armoricæ præjacet, aucta venientibus à Bresta navibus major aliquanto quàm fuerat, fretum Gaditanum versùs abiit. De Dola capienda spes est. Tabernæ Alsaticæ quin captæ sint non dubitatur. In Italia Gallorum sociorumque exercitus dicitur hærere quibus nuper in locis, amisso dum arcem quandam hostilem speculatur Toirasio, viro magnis factis cognito, cujus virtutes liberaliter prædicavit semper Italia, Gallia non ignoravit, sed ignoranti similis transiit. Rohanius excursu trans Larium lacum facto prædam retulit, unde ad tempus delinire militem poterit. Seditio nuper hic Lutetiæ orta coëgit imperii compotes demere novum coriarium vectigal. Apud Sanctones Rustica plebs in armis est ob causas similes. Credebatur nuper in frigusculo quodam apud Regem esse Cardinalis Riceliacus, per arcanas mulierum molitiones:

nes: sed discussus is rumor est, postquam Cardinalem Rex adiit ad Confluentes Sequanæ & Matronæ. Regis cùm fratre magna nuper una cum viverent & cubarent ad fontem Bellaqueum, apparuit concordia. Multi eo tempore sermones erant de danda nova uxore Fratri regio. Et congruit ut forte eodem tempore vitæ periculum adiret Princeps Margarita, pila bellica trans parietem tam prope epulantem adacta, ut tantùm non tangeretur. Legatus Polonus superbè à Cardinali Hispano exceptus dicitur, quod prius Batavos salutasset. Elector Brandenburgicus scribitur ire Ratisbonam, suum simul & Saxonis suffragium ferens: crediturque futurum ut Hungariæ Rex Regis Romani titulum, majore quàm quisquam antehac consensu adipiscatur. Comes Suessionensis ab exercitu Virodunum rediit, indignè ferens, quod mandatis Regis Cardinalis Valetta, ubi ab Alsatia revertisset, alternato imperio sibi æquabatur. Redit domum à Legatione extraordinaria Pavo, ad ordinariam hic Legationem nominatus juxta alios duos, Aspernatem, & eum qui Venetiis est Osterwyckium. Creduntur qui ei cæteros honores detraxerunt, ne hunc quidem concessuri: quanquam nec appeti ab eo crediderim dignitatem sumtu ea quæ præbentur annua exsuperantem. Videtur Leodiense negotium segnius quàm pro sui magnitudine curari, Gallis Britannisque spectatoribus adhuc, dum Hoium aliaque oportuni situs Cæsariani insident. Duci Bulionio quanquam religione mutato, mansuram præfecturam & munera militaria promisit Princeps Arausionensis. Creditur Classis, de qua dixi, Gallica milites habere quos possit exponere ad quinque millia: nautarum plus aliquanto: naves sexaginta, præter fregattas sex, fistulas quas vocant duodecim, incendiarias sex. Adest Hollandus quidam qui in Hispania diu vixit. Dolet multis qui cum imperio præsunt, esse maris imperitos. Hæc postquam scripseram vidi literas à D. Thuano Papenhovii scriptas 16 mensis hujus ex novo Calendario. Tabernæ eo tempore captæ nondum erant. Defendebatur præsidio sexcentorum hominum, ad hoc oppidanis multis, & pertinacia Tribuni, qui Castellum oppido adsitum, simul ut scalis à Duce oppugnabatur, ita festinanter deseruit, ut nec unius hominis damno victoria ea Duci constiterit, eamque culpam omni modo conatur eluere. Tardiùs procedebat oppugnatio, machinarum penuria, quarum duæ Hagenovia submissæ erant, cum mille ducentis musquettariis è Valettæ exercitu. Neque de bono eventu citra paucos dies quos jam impletos arbitror dubitabatur. Locus is ubi castra tunc habebat Valetta medio situ Tabernas inter & Hagenoviam ad tutandam Alsatiæ messem, valde oportunus, is ipse est ubi Dux Carolus Suedorum victus prælio Lotharingiam Gallis occupandam dedit. Comes Guichius cum CIↃ CC hominibus ex Valettæ exercitu Duci se adjunxerat. Pars ejusdem exercitus Vigevani, pars ad pontem Moussionium erat, quo ibat Vicecomes Turonæ frater Ducis Bulionii non ita magno intervallo, ut non si hostis urgeat, quatriduum intra jungi copiæ possint. Nam qui hostium in Lucemburgico fuere agro ad Saram amnem, inde Spiram ire credebantur. His nihil nunc quidem quod addam habeo nisi vota, Excellentissime Domine, pro bono publico ac nominatim pro Tua Sublimitate ejusque rebus. Lutetiæ $\frac{1}{2}\frac{6}{6}$ Iunii anno 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

606 CAptæ feruntur Tabernæ Alsaticæ. De Dola bona spes est, an ei causæ immiscere se debeant discordantibus etiam nunc Helvetiis. Classis Gallica quæ se ad Bellam insulam tenuerat, aucta navibus à Bresta, dicitur fuisse cum abiret navium LX præter fregattas sex, totidem incendiarias & fistulas quas vocant XII: militum ferè quinque millia, nautas quinque mille sexcentos, vires satis magnas ad terrendam Hispaniam, nusquam infirmiorem quam domi suæ. Ad Mortaram dicitur esse Gallorum & Sociorum in Italia exercitus, nulla dum re acta magna, damno facto satis gravi in morte Toirasii, dum arcem hostilem speculatur. Rohanius Dux transgressus Larium lacum ubere cum præda redut. Poloniæ Legatum tectus capite perpetuò audivit Cardinalis infans, iratus quod priores salutasset Batavos. Arundelius Lintzii adhuc est, Ratisbonensem conventum exspectans, ad quem iturus scribitur Brandenburgicus & suo & Saxonis nomine. Mensis hujus 16 Pafenhovii erat pars copiarum cum ipso duce Valetta Cardinali, loco felici quondam Suedis, prælio prosperè pugnato in Ducem Carolum, quo Gallis aperta est Lotharingia: pars alia erat Vergavillæ, pars ad Pontem Moussonii, ita ut, si necessitas ingruat, jungere se facilè possint. De Arundelii successibus, nihil dum certi, quorum nuntium hic oppetitur Comes Licestrius. Omnia tibi tuisque precor felicissima. Lutetiæ $\frac{1}{2}\frac{6}{6}$ Iunii anno 1636.

Tuæ Illustr. Dom. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

INdicavit mihi Legatus Venetus à Nuntio Pontificis sibi verba facta, de pangendis induciis duraturis usque dum pax inveniatur perpetua. Cardinalem proferre animum non aversum. Sive quod re ipsa à Gallorum rationibus non alienam judicet talem pactionem, per quam ipsis mansura sit Lotharingia & Alsatia, nullo penes Hispanum belli præmio præter insulas duas, easque hactenus neque ipsi utiles admodum, neque Gallis noxias, sive quod præcipitem videns in pacem Regis pietatem, sufflaminandum eum censeat, simulatione ejusdem desiderii, interim nuntiis quantum potest prosperis ducens tempus. Quemadmodum nunc in aula rumor spargitur, prudentibus rerum Italicarum nondum firmè creditus, transgressas Ticinum Gallorum Federatorumque copias statim ita feliciter pugnasse, ut duo aut tria hostium millia, Germanicæ maximæ gentis, conciderint. Additur, implendum ad gaudium, adfuisse huic rei Sabaudum, de quo per id omnis sinistrior suspicio excussa sit animo. Cumque Sociorum copiæ ad XX millia sint, hostem non ampliùs quam XII millia posse educere, quod Mediolano jam propinquent arma, præterea ex Montis Ferratensi agro Novaria, Alexandria, Dertona, ex Placentino & Parmensi Lacus Pompeja, Cremona, Crema, Ticinum in metu sint, eoque plurimi militis in suam tutelam absumant. Ducem tamen Parmensem ad sua penetrasse nondum accepimus. Nec quicquam eam in rem profuit postrema ultra lacum Larium Rohanii expeditio, qui ut scripsi his diebus, & attestabantur hæ Marini literæ, & machinis & pecuniis destitutus, non modo à rebus magnis agendis impeditur, sed & militari seditione & Rhætorum à Signis decedere cupientium minis vexatus fuit. Pacta nuper facta de Valle Telina in magna adhuc offensa sunt apud Helvetios Rhætosque. Accessit apud Helvetios alia, ex bello Comitatensibus Burgundis illato, quam causam Friburgenses calidiùs agunt, lentiùs cæteri, misso cum ob rem ad Regem Legato, & aliis ad Condæum Principem, qui Dolam strenuè defensam nondum cepit, sed cuniculos parat incedere per quos ad mœnium oppugnationem via fiat, vulnerato nuper cum hostes erupissent Ransovio, nisi jam & mortuus est. Sauciatus etiam ma-

Digitized by Google

manum fuit Dux Bernhardus, dum impetum in Tabernas facit, amissis suorum ducentis. Quo statu nunc id oppidum sit, nescimus, quod nuntii aliquot per dies cessaverint. Classis in Oceano Gallica nuper abiisse credita, quantum nunc intelligo, adhuc ad Bellam Insulam detinetur, ventis an imperio non satis affirmaverim. In mari Mediterraneo alia Regis classis constans Galeonibus duabus, duodecim Galeris, quadraginta Tartanis defendit oram Massiliensem, cui imminet hostis XLV Galeonibus, XXX Galeris, multo milite. Venit huc quidam à Leodio, videoque mutuo accusari à Gallis Batavos, à Batavis Gallos, quod tam bella occasio non diligentiùs arripiatur. Angli Legati nihil propius ad causam communem accedunt: veterem urgent cantilenam, de reddenda à Rege Lotharingia ut vicissim & Palatinatus reddatur. At Bavarus è suis domesticis unum misit ad Cæsarem, quantum conjici potest, ut certus sit, mansura sibi quæ possidet priusquam ad Conventum Ratisbonensem veniat. Arundelius jam eum Conventum in ipso Ratisbonæ oppido exspectat. Magnifica loquuntur Angli, sed videtur is futurus tandem eventus, ut commutationem aliquam pro Palatinatu accipiant. Certè si quid fortiter facere vellent, non hoc tempore ita à se alienarent Batavos, coacta nuper suppara demittere navi quæ Legatum Joachimium ferebat, & refricata illa odiosa adeo de piscatu controversia. Tum verò Roma ex Tirolensi agro nondum progressos hostes: sed congeri eò quæ alendo militi belloque sunt necessaria. Præter Germanos qui jam transiere Alpes, ad II CIↃ IↃ pedites, equites sexcentos exspectari & alios qui Vlmam pervenerunt. Basileenses perseverantur deprecari ne frumenti copiam Galli sua in urbe deponant: à Rege sollicitari Ducem Wittenburgicum ut Castellum Hansuiliense ipsi vendat. Alcalam pacis negotio præpositum, ut & nuper scripsi abiisse. Secuturum Franciscum Melonem pari cum potestate: Cancellarium Mediolani & Tribunum Schinchinellium, ut adjuores. Leganesium Dertonæ esse; Valentiæ præsidium auctum accessu IↃ militum. Castellum Sancti Johannis à Villa captum cùm ab hominibus tantum XL defendebatur. Quos Dux Etruscus, per Senam obligatus, Mediolano tuendo milites miserat eos maximam partem defugere. Ducem eundem invigilare firmandis opere & milite maritimis suis oppidis, habere & Pisis equitem & Griffonem, Virum Nobilem legari ab eo ad Ratisbonensem Conventum. In Hispana classe maris Mediterranei, cujus memini ante, VII esse militum millia. Ab Hispanis muniri Sanctum Stephanum, metu Gallicæ classis Massiliensis. Neapoli pacandæ plebi ob id commotæ mitigatum vectigal impositum conductis ædibus, ita ut non majus sit futurum quàm vicesima in minores mercedes, in majores decima. Ab eo qui res agit Poloni Regis dici, nolle Regem suum fructus prædiorum, pecuniam velle præsentem. Ad amœniora venio. Attulit mihi Jolivetus XII libros dicatos honori magni Regis Gustavi, quibus nomen fecit Fulmen in Aquilam. Legi; amor in Regis memoriam, gratiam & præmium meretur, sed ego edendi operis suasor esse nolim. Tam multa sunt Latinitati tam multa versuum legibus, quædam & rerum gestarum veritati contraria; si pauca fuissent, monuissem: sed Augiæ erat stabulum. Materiam ex libro maximè Gallico sumsit cui titulus Militis Suedi. Proficiscuntur hinc cras in Angliam Ponica, in Hollandiam Hogendorpius, deinde in Pomeraniam ad Tuam Sublimitatem, cui Deus, Excellentissime Domine, omnia optima concedat. Lutetiæ 4 Iulii novi Calendarii anni 1636.

Iam nunc miles à Crequiaco advenit certa ferens de prælio ad Ticinum. Audax fuit Gallorum facinus. Nam Crequiacus absente Sabaudo, qui alioqui, cura summi in omnes copias imperii, defugiturus aleam fuerat, cùm amnem transiisset, X peditum millia secum habens, equites CIↃ IↃ, misso feciali hostes multum numero præcellentes, erant enim XVI M peditum, equites III CIↃ ultro ad pugnam vocavit, & donec parati essent exspectavit. Pugnatum est per sex horas dubio Marte. Interea advenit Sabaudus. Cæsi Gallorum mille: hostium ter mille. Victoriæ à Gallis partæ non dubia documenta, Duces hostium interfecti Martinus Arrago, Gambicurta, & tertius qui sub illis præerat: capti octingenti in quibus multi Tribuni & Centuriones: machinæ undecim: sarcinæ, commeatus, signa militaria aliaque belli instrumenta plurima: & quod maximum est agrorum messisque magnæ integra penes Gallos possessio. Tabernæ Alsaticæ jam pactis se dedere voluere: sed simplicem deditionem volebat Dux Bernhardus. Metus est ne hostis obsessoribus superveniat, priusquam Dola capiatur. Leodium Rex misit hominem idoneum & pecuniam.

CHRISTINÆ,

Reginæ Succiæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

Res lætæ Sociorum non ad gaudium tantùm Tuæ Majestatis, sed & ad necessariam his temporibus rerum dijudicationem pertinent. Certus ab Italia nuntius advenit, Crequiacum cum X millibus peditum, equitibus CIↃ IↃ transiisse Ticinum, & hoste vocato ad prælium pugnasse diu ambiguè. Sub finem prælii ipsum advenisse Sabaudiæ Ducem. Victoriam penes Gallos fuisse, non incruentam, mille suorum amissis, sed claris præmiis: occisis hostium tribus millibus, Ducibusque ipsis Martino Arragone & Gambicurta: Captis hominum octingentis, quos inter Præfecti multi, machinis undecim, signis multis, commeatu, sarcinis & quæ bello usui, agroque circum omni, qui plenus est frugum, facto Gallorum potestatis. Spes est majorum successuum, uti ex altera parte Larium transgressus lacum incubuerit hosti Rohanius. Tabernæ Alsaticæ sub pactis dedere se cupiunt: plenam deditionem vult Dux Bernhardus. Dola etiam nunc obsidetur. Deus res æquè prosperas sæpe largiatur amicis & præcipuè, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Tuæ Majestati. Lutetiæ 4 Iulii novi Cal. 1636. 608

Augustæ Majest. Tuæ obedientissimus subditus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Gallos & eorum Federatos feliciter transgressos Ticinum amnem constat. Accedit rumor prosperi ipsis prælii, quo hostes prope ter mille, Germani partem maximam, interierint, cujus rei certior auctoritas exspectatur. Dola adhuc obsidetur: nec movent se ultra Helvetii, quàm quod Regem per Legatum rogant, bellum ut illis locis, suæ tutelæ commendatis, abstineat. Sed quando jam in co est Princeps Condæus, ut cuniculos incendat, deinde impetum faciat in oppidum, spes est prius id captum iri, quàm aut ab Alpibus aut è Belgico ei subveniatur, præsertim si Leodiensis res hostem diu, quod optatur hîc, detineat. Classem in Oceano Gallicam, ad Bellam Insulam venti morati sunt. De Comite Licestrio hæc Aula optimè existimat. Sed ne is quidem promovere quicquam poterit, antequàm responsum sit Comiti Arundelio, qui Ratisbonæ Conventum, satis tardi moliminis negotium, opperitur. Misit ad Imperatorem Bavarus, suæ possessioni firmandæ ante omnia studens. Alcalam in Germaniam profectum, pacis, ut præfert, causa, subsequetur pari cum potestate Franciscus Melo, & adjutores illis, Cancellarius Medio- 609

diolanensis & Tribunus Schinchinellius. Interim aliæ Germanorum copiæ ad Vlmam pervenerant, quarum pars in Italiam ire, pars Gallassii ad Spiram exercitum colligentis vires auctari credebantur. Tabernæ an captæ sint, necdum scimus: sed jam oppugnatio ducentos absumpsit milites, ipsiusque Ducis Bernhardi vulneravit manum. In mari Mediterraneo classes Hispanica & Gallica mutuo metu tempus hactenus terunt. Hæc quanquam non multa scribere recentia, quàm acervum majorem exspectare malui. Tibi tuisque opto rés felicissimas. Lutetiæ 4 Iulii novi Cal. 1636.

Hæc postquam scripseram, miles à Crequiaco missus victoriæ trans Ticinum partæ Gallis certos nos facit. Gloria operis ad Crequiacum pertinet, qui cum x millibus peditum, equitibus mille quingentis ausus est ad justum prælium provocare hostem cui xvi millia erant peditum, III equitum. Pugnatum per sex horas. Tandem cùm & ipse Dux Sabaudus supervenisset, vicere Galli suorum mille amissis: Hostium interfectis tribus millibus, in quibus Duces ipsi Martinus Arrago & Gambicurta: captis octingentis hominibus, machinis undecim, signis, commeatu, sarcinis multis. Per hanc victoriam agri latè patentis messis penes Gallos erit. Tabernæ de deditione jam agunt.

Illustr. Dom. Tuæ perpetuò observantissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

610 POst 18 Iunii Novi Calendarii, cùm plures tuas quarum postremæ datæ erant 6 Maii accepi, nullas ad me venisse à Pomerania mirarer, nisi ne ab Hollandia quidem ullæ venissent interea, nec ventorum id importunitate accidit, sed Gallorum Batavorumque injuria nullas in eum usum naves paratas habentium. Multum vereor ne is qui à Claudio missus est tum apud Lilia tum apud Vindicem aliquid cudat Sophi rebus adversum. Vbi tempus venerit, quæ explorare potero scribam. Nunc enim ille etiamnum est 7. 31. 6. 10. 71. 78. 89. 113. 118. Hebsteinium Pontificii ad suas partes traducere laborant. Non desinam eum confirmare & spem dare nostros ejus non futuros immemores. Marinus singulis ad me literis queritur sui rationem non haberi. Sed spero solatium ei allaturas quas à Magno Cancellario missas ad eum transmisi literas. De pecunia pro Admissionalibus, qui alioqui aliis contra nos favebunt, pro pictore, pro chartis Hottomanni Spiringium interpellavi. Exspecto ab eo super his & de meis trimestribus impendiisque responsum. De Bannerii morte cladeque nostrorum spero falsum fore, qui per aliquot dies hanc urbem pervagatus est, nuntium. Cætera ex literis disces ad D. Cancellarium. Mea & filium meum quantùm possum maximè commendo. De carmine Soliveti M. Cancellarium monui, non quod illi non optimè velim ob affectum in res Suedicas, sed quod Regis omnium maximi facta nisi à præclaris ingeniis celebrari velim.

Edicto vetuit ne quis se prater Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Reprehenditur quod à Chærilo incultis versibus res suas cani passus sit. Itaque idem cujus verba adduxi Horatius Alexandro Augustum præferens addit,

—— —— Quod si
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros & ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotum in crasso jurares aëre natum,
At neque dedecorant tua de re judicia, atque
Munera qua multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque Poëta.

Vale & sæpe nobis prospera, quibus ad firmandum Regis animum opus est, nuntia. Lutetiæ 4 Iulii novi Calendar. 1636.

GERSDORFIO,
Nobili Dano.

NIhil tibi præstiti, Vir Nobilissime, quin amplius deberem, non modò virtutibus tuis summis, sed 611
& communi vinculo literarum, atque ipsi adeò humanitati. Vt tantis tuis prædicationibus non nimium impar sim, optanda mihi uberior materia est, in qua te quanti faciam, uberiùs eluceat. Vnum est in quo respondere nunc possum, animi benevolentia, de qua sicut tibi plenissimè credo, ita mutuum polliceor. De literis ubi tempus erit meminero, ne apud Rhætos aut apud Venetos notore tibi opus sit. Pacem amicitiamque regnorum, quæ sibi ultimus Septentrio seposuit, diu servet, arctiusque constringat fautor pacem amantium Deus. Mea si quid eo conferre opera poterit, id semper erit in promptu. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ 6 Iulii novi Cal. 1636.

Tua Nobil. amicissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

NVnquam tanto tempore literas ab Hollandia esurivi quàm nunc. Mensis est & amplius quod frater 612
mihi scripserat, condixisse se ad prandium, cui & tu fores interfuturus: ibi acturum de Anthologia, quem librum Morellus sibi tradi velit: ego, si typi sint & inspectores, quales oportet, edi in Hollandia malim. Quia nihil certi intellexi ea de re, (nec mirum) nam literas nec alii acceperunt, ideo nunc exemplar Græcum Latinumque non mitto. Sed ut omni modo juvem eos qui apud nos literas amant, mitto viri eruditi scriptum, qui nomen suum, ut in argumento iis in partibus odioso dissimulans, Pythagoricum vetus nomen, ob sententiæ communitatem, sibi indidit. Viris istorum peritissimis Hortensio & Blavio judicium permitto, edendum censeant, an remittendum eo unde venit. Tibi tuisque omnia opto prosperrima. Idem faceret uxor, ni rus iisset. Lutetiæ 9 Iulii 1636.

Tuus semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

DE victoria ultra Ticinum, quam postremis literis 613
nuntiaveram, quæ hic ex Crequiaci aliorumque literis minutissima quæque continentibus in vulgus eduntur mitto. Parciùs de rebus illis loquitur Sabaudi Legatus & velut æquata clade. Itaque an campis & messe potituri sint Galli dubitari video. Multa ubique aguntur negligentiùs, quàm debeant: unde sunt qui ad pacem res spectare arbitrantur, crederem & ego, si id Cardinalis negotiis expediret. Dola adhuc defenditur, sed qui è castris scribunt, sperant ut ad 20 hujus mensis diem cogi possit ad deditionem, postquam per cuniculum lacerata fuerint mœnia. De Tabernis nihil dum certi habemus nisi quod dum per conditiones oppidum accipere non vult Dux Bernhardus, jam multorum Præfectorum, ipsiusque Comitis Iacobi Hanovii morte, dispendioque temporis oppugnatio constitit. Etiam ab Oberenkemi obsidione abscedere coactus fuit Manicamus ob adventum aliquot millium Croatarum circa Colmariam. Interim magno cum equitatu ac pedite in Campaniam ingressus hostis Capellam simulque Guisiam obsidet. Classem Gallicam quæ in Oceano est Mercatores ajunt adhuc ad Bellam Insulam hærere, defectam multis

Digitized by Google

multis rebus necessariis per imperitiam eorum qui præsunt. At si urbanis rumoribus credimus, jam ante ipsam Portugalliam est. Schavaschius Poloniæ Legatus sine pompa urbem iniit, manetque velut latens donec se suosque Gallico habitu phalerisque ornaverit. Ego ad eum non mittam, à D. Camerario monitus, spretum quondam ab eo salutationis quod ipse obtulerat, officium. Graviter me habet, quod jam per mensem & amplius nullæ ex Hollandia, ac proinde nec ex Pomerania ad nos venerint literæ. Multas etiam meas ad Sprecherum, Sprecheri ad me literas in itinere periisse, video. Marinus quas scribit mitto. Habet quod queratur Dux Rohanius, præsertim amissa nuper per machinarum penuriam bella occasione, sed si verum est agri circum Mediolanum Dominos esse Gallos, facile ad eos perrumpet, quæque deerunt, inde accipiet. Venit ad me aliquoties Lambermontius militiæ Suedicæ vetus Tribunus, cui cum Smidbergo vetus lis est, quam paratus est Ducis Bernhardi arbitrio permittere. Is Lambermontius, si quam operam utilem rebus Suedicis præstare potest offert sese, ac Sublimitati Tuæ se commendat. Hodie ab hac urbe proficisci constituit Hogendorpius, retentus diu repetenda, quam Galliæ mutuam dederat, pecunia. Sed hæc ipse narrabit. In Transilvaniæ motibus multum hic spei ponitur. Literæ medio Martii scriptæ Viennæ urbis ejus custodiam mandatam dicunt Archiduci Imperatoris Filio. Regis Daniæ Legatos ab ea Aula abiisse satis lætos iis quæ de Archiepiscopatu Bremensi impetraverant, darique operam ut is Rex Domui Austriacæ devinciatur, quanquam nec desint ii qui dicant eum arcana ope favere rebus Suedicis. Ducem Wirtembergicum pepigisse cum Imperatore, retentis rebus suis ac religionis arbitrio, conciliante Saxone. Scribebatur indidem credi ad Osnabrugum esse sex millia peditum Cæsarianorum: Copias Suedicas & Sociorum accedere ad VI M peditum, quater M equitum. Saxoni esse VIII M peditum, II M equitum. Maracino VI M. Azfeldio IX M. Galassio XIV M peditum VI M equitum. Lotharingo V M peditum. Lamboio ad Hanoviam III M. Piccolominio in Gallico limite VIII M. Iohanni Waertio cum Bavaricis VIII M, apud Prussiam II M I Ↄ. Cozacos. Præter hos in Silesia Ognatii militem ad VII M pervenire. Contra hos Suedicas copias præter supplementum quod exspectetur censeri ad XVIII M. Lunenburgicas ad VI M. Landgravii Cassellensis ad V M. Vinariensis ad decem millia: præter has esse Galliæ aliorumque Principum auxilia. Literæ Mediolano scriptæ ante prælium ad Ticinum dicunt Corbellonem Mussum tenere: & Lacum inde usque ad eam partem unde non longè abest Castellum Fontani insidere navigiis: adversùs eum missum trans Lacum Salicem Tribunum à Rohanio. Germanos, qui nuper Alpes transierant per Baregium in terras Mediolanenses intrasse. Placentiam rediisse præsidii ejus Rectorem Villam: & Hispanos à Dertona cis Padum. Timeri ne Parmensis in suas terras penetret atque inde Laudensi agro & Cremonensi mala adferat. Parum ubique messis esse ob fugam agrestium. Pelicianum ac Solerium, non longè ab Alexandria capta à Gallis & Federatis. Irasci Hispanos quod de Etrusco missa ex Federe auxilia, multum absint à justo numero. Tributa Mediolani intendere volenti Præfecto multum contradici. Franciscum Melonem & duos adjutores pacis negotio præpositos, esse adhuc in ea urbe, Præfecto Tridentum atque inde in Germaniam Alcala. Intelligo multis Anglorum injuriis, ita irritatos fuisse Batavos nostros, ut parum abfuerit, quin in bellum apertum prorumperent. Queruntur proculcari dignitatem Reipublicæ, hostem inde pecuniæ transmissione & commeatu juvari, vim tentari in piscatores, hostilia fieri omnia, nisi quod vis non reponitur. Nec dubium est quin & quæ Danis agit gravissimè displiceant Batavis. Cùm belli in Hispanum gravi mole impediantur, & suis & alienis malis adferre remedia, dubium non est, quin id ipsum apud multos desiderabiles inducias faciat. Deus consiliorum omnium inspector eventuumque moderator, Excellentissime Domine, tum actus aliorum, tum præcipuè Tuæ Sublimitatis ad bonum humani generis, & maximè Christiani orbis gubernet. Lutetiæ 10 Iulii Novi Cal. 1636.

Valedicit jam mihi juvenis Princeps Wirtembergicus iturus ad castra Principis Condæi. Dux Parmensis Placentiam venit. Mille quingenti milites Rohanio mittuntur. Ad Capellam periculo eximendam retinentur, qui in Italiam ituri fuerant, & Nobilitas è Normannia atque aliunde excitatur. Cras solemniter urbem inibit Schavaschius, ad me non misit.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

PVblica videbis ex meis ad M. Cancellarium literis. 614
Dux Bernhardus privatâ quadam offensione in Præfectum Tabernarum Alsaticarum commotus, cùm benignis conditionibus recipere oppidum nollet, inter oppugnandum, digitum unum amisit, & Comitem Iacobum Hanovium, aliosque primores. Prælii ad Ticinum famam video imminui. Machinas captas negatur. Martinus Arrago qui occisus scribebatur tantùm est vulneratus. Quæ ea de re evulgantur mitto cum literis ad D. Cancellarium. Mea, filiumque tuæ commendo benignitati. Nescio quid inter Hollandiam Galliamque intervenerit, nullas accipimus literas neque ego neque alii jam ferme sesquimensi: quas à te postremas accepi, erant jam datæ 29 Aprilis ex veteri Calendario. Interim de itinere Magni Cancellarii in Suediam, de novis supplementis ex Suedia, de adversis nostris, quæ hostes nunciant, de Landgravii constantia, de Luneburgici conciliis, nihil habeo quod sciscitantibus respondeam. Spero his incommodis aliquod fore remedium. Vale quàm optimè. 10 Iulii novi Cal. 1636.

Tua Nob. amantissimus H. G.

D. SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

MIror quid literis nostrûm utriusque evenerit. Quin- 615
que sunt menses, ut ais, quod à me nullas recepisti. Ego hoc anno abs te accepi scriptas 3 Martii nov. Cal. deinde datas 6 Maii præterea has nunc ultimas diem ferentes 2 Iulii. Respondi omnibus, scripsi & non interpellatus, nempe 30 Ianuarii novi Cal. primo die Aprilis, 17 Maii: quarum literarum exempla penes me sunt. Curavi autem modò per Genevam, Relingeri opera usus, modò per Rohanii hic domesticos, semel etiam per Anglum Legatum qui ad suum in Helvetia missurum se dixerat. Marino itidem scripsi diligenter quoties literas ejus acceperam. Noli credere quicquam unquam à quoquam mihi dictum quo tibi obtrectaretur. Et si esset ego non crederem, gnarus, si quis alius virtutis tuæ, & ejus quam secutus es religionis semper studiosissimum, cùm ipsorum consilia non semper cum tuis congruant, noli mirari, si literas aut ad te aut tuas intercipiunt ac detinent. Sed hæc frequentia nunc sunt terrâ marique pericula, queis viri boni terreri non debent, quo minùs honestissima cogitata, quibus offendi nemo potest, nisi qui de se malè sentiat, inter se communicent. Tuæ mihi literæ, tua manus, tua verba, tui sensus & sunt & fuerunt & erunt semper gratissima. Neque à tuis sententiis super communi bono ullâ in re discrepo. Et quæ abs te accepi eorum participem semper feci faciamque M. D. Cancellarium, cùm tuæ constantiæ summæque probitatis, ut debeo, testimonio. Nec dubito quin iste ob tua merita ac meo etiam, si quid id potest elogio plurimi faciat. Haud dubiè

Digitized by Google

bie Duci Rohanio ad omnes occasiones intento per illud quod accepimus ultra Ticinum flumen prælium via struitur, ut se cum suis popularibus ac Sociis in agro Mediolanensi conjungat. Video ex literis Mediolano scriptis multum ibi trepidari, portas lapidibus obstrui, agrestium ingentem fieri fugam. De Rege Hungariæ quin Rex Romanorum sit futurus, non dubito. Angli trahi se patiuntur, interim labitur tempus. Bavarus res suas firmat: committuntur mirâ Hispanorum arte ac felicitate cum Batavis Angli, dum hi piscatum impediunt Batavis, Flandris pecuniam ac militem transvehunt. Hanovia obsidio liberata est à Suedis nostris: Lamboiæ nihil minùs exspectanti adempta castra cæsus eques deinde & pedes ipse cum mille suorum Steinheimii, quo profugerat, obsidetur, machinisque impetitur. Et credo jam ipsa & id castellum & ingens frumenti quæ ibi erat copia in potestatem devenerit. Dola & Tabernæ Alsaticæ oppugnantur ac defenduntur. Capellam intra Galliæ fines cepit exercitus sub Principe Thoma ex Belgio satis magnus: non sine mala fama Præfecti ut ignavi, quanquam ipse culpam rejicit in eos qui necessaria ei sæpe postulanti subministrare debuerant. Spero hoc periculum quod Galliam jam ipsam aggreditur, excitaturum animos Procerum ut multis & magnis hactenus peccatis medeantur. Nihil magis opto quàm sæpe abs te cujus & fidem & judicium plurimi facio, edoceri de his, quæ ibi aguntur ac judicantur, paratus vicem reponere. Vale Vir Nobilissime, Amice optime. Lutetiæ 17 Iulii novi Cal. 1636.

Venti nobis literas & ab Hollandia & à Pomerania pridem est quod invident. Illud scimus VIII M. & amplius ex Suedia recens in Germaniam venisse. Habemus exercitus in Brandenburgico, in Westphalia, ubi Minda capta Osnabrugum obsidioni eximimus, & nunc ad Mœnum egregios. Magdenburgum bene defenditur. Doleo, in oppugnatione Tabernarum periisse nobis Comitem Iacobum Hanovium & Tribunum Heibrunnium Scotum, Viros egregios.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorûmque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

616 HAbebunt hæ literæ, ut solent res humanæ, læta, tristia, media. Multum hanc civitatem terruit nuncius irruptionis hostilis in Tirasciam, Galliæ Regionem Campaniæ proximam, & Capellæ quintum intra diem captæ. Præfectus quod unius tantùm hominis damno tam brevi oppidum tradiderit, reus captusque huc adducitur: ei nomen est Baroni Dubeo. Rex ipse ad urbem venit sui conspectu populum confirmaturus. Ex eo fama est hostiles copias bipartito divisas: partem ivisse Barrum versùs Ducatus alterius ad Lotharingum quondam pertinentis caput, à cujus Præfecto trepidæ huc venerunt literæ. Pars quæ substiterat dicitur se apud Guisiam ac Sancto-Quintinum ostentare, quæ oppida multo præsidio firmata sunt. Dola etiamnum se pertinaciter defendit, oppugnandi artium non æquè ut pugnandi peritis Gallis. Quid quod nec Tabernæ capi hactenus potuere. Secundo Iulii die, per scriptas in castris à Thuano literas, hactenus Dux Bernhardus in suburbio milites locaverat: urbem iterum oppugnaverat, nova quæ dicitur, ita improsperè, ut Gallorum prope centum vulnerati aut interfecti sint. Minori damno minium ruinas insederat eo ipso quo literæ scriptæ sunt die, credebaturque hostis aut omissurus defensionem urbis novæ, aut eam etiam incensurus, ut urbem veterem defendat, arcemque parum validam muro infirmo, sine fossa. Videntur defensores obdurati spe aliqua auxilii, quod tamen nondum apparet. Qui ex Luxemburgo venerant Croatæ, cum Germanorum una cohorte in Comitatum Burgundiæ pervenerunt: Poloni Cæsariani in Bipontinum agrum irati ob æra non soluta, usque adeo ut aut abire militia aut transgredi Rhenum minentur, quibus ad obsequium reducendis incumbit Galassius. Apud Narbonem XX M hostium exscensum venisse rumor est, timidis creditus, quod si verum esset non careret res periculo, accedente maximè per Languedociam & Sanctonas agrestium tumultu, ordinato militiæ in morem. Ex Italia post victoriam ultra Ticinum, non tanti usus quanti initio sperabatur, nihil magni: nisi quod gravis Parmensis cum Sabaudo nuper contentio, ac Pontificis auctoritas multos cogunt metuere, ne Parmensis se bello subducat, contentus sua servare. Et Sabaudus Crequiaco discors manet, neque dubitant asserere, qui ista introspiciunt, ex isto prælio nihil aliud Sabaudum quàm interitum Crequiaci sperasse, retenturumque fuisse omnes quæ cis Ticinum erant copias, sed Gallorum qui apud eum erant multitudine proprioque periculo coactum, ut opem ferri laborantibus Sociis pateretur. Recreat nos Hanovia planè exemta obsidioni, id enim literæ à Francofurto 22 Iunii & huc & in Valettæ castra missæ nunciant. Pridie ut scribitur nostri oppidum ingressi intulerant necessaria. Incenderant castra Cæsaris, decepto à suis ipsius exploratoribus Lamboio, quos captos jurejurandoque devinctos, ut triduo adesse hostem non posse renuntiarent, nostri remiserant. Antequam struere aciem, disponere machinas posset Lamboius, subito nostrorum impetu equitatus ejus disjectus est, deinde & peditatus, acri quanquam pugna tuitus se aliquamdiu. Ipse Lamboius cum suorum mille Steinheimum profugus, ibi machinarum verberatu oppugnabatur, quod ubi captum erit, sicut jam esse creditur, venient in manus nostrorum II M saccorum farinæ, destinata Maguntiacum. Nescio an credi debeat, quod additur, adfuisse operi ipsum Landgravium Guilielmum: Facilius de Lesleo Melandroque crediderim. Copiæ eorum esse scribuntur, CIↃIↃ loricati equites, levius armati III M draconarii CIↃIↃ, Carabini III CIↃ, VIII M pedites, VIII tormenta majora, minora XII, mortaria quæ vocant quatuor. Non multo antequam hæc fierent Wolfius Darmstadiensis Landgravii Cancellarius scripserat, nugas esse quæ de adventu hostium nuntiabantur, & ipse Lamboius scripsit ad Francofurtenses Magistratus literas, venire sibi auxilio XXX CIↃ. Capella amissa dissidium jecit inter Noijerium novum Status Secretarium & pecuniæ Arbitrum Bulionum, dum ille hunc à se ter monitum ait de rebus necessariis quæ Capellæ deerant, hic pernegat. Cardinalem Richeliacum non parum hoc damno exterritum erexit Marescallus Lafortius, parata remedia monstrans, sed ejusdem Marescalli filius Marchio iturum se ad limitem negat, nisi bene sibi suisque prospiciatur, si non de stipendio (miles omnis hoc anno unum duntaxat menstruum habuit) certè de pane, qui nuper ipsis defuisset. A Vienna sexto Iunii scriptæ literæ negant pestem esse Ratisbonæ: ire eo Principes ac civitatum Legatos. Primum negotium fore de pacandis Suedis: alterum de Palatinatu. Regem Poloniæ adjutorem esse Ognatio ad conscribenda IIII M per Silesiam: eundem Regem favere Ragotskio atque inde in odio esse, apud Budæ Bassam. Nihilominus credi ejus Regis cum Palatina matrimonium: Fratrem ejus Casimirum liberari velle Cæsaris militia, sed ita ut vicario hactenus suo tradat cohortem. Comiti Soræ viaticum deesse quominus injunctum in Poloniam iter prosequatur. Cæsos in Austria agrestes cum suo Duce qui jam ad LXX CIↃ excreverant. Marescallum Hornium evasisse (quod Deus avertat) retractum ex fuga. Maris Imperium ab Hispanis offerri Principi Thomæ, ne partes susceptas deserat. Priores itidem à Vienna literæ dixerant, parari à Cæsare dona, distribuenda postquam Regis Romani facta esset electio.

Polli-

Digitized by Google

Pollicitos venturos ſe Saxonem & Brandenburgicum, quanquam bellum domi habentes: idem feciſſe Maguntiacenſem & Colonienſem. Treverum petere ut in poſſeſſionem libertatis reponatur, captivi nullum eſſe ſuffragium: putatur præteriri poſſe. Bavarus ſibi cautum vult: alioqui de Rege Romano daturus ſuffragium, cæteris deliberationibus ſe non immixturus. Sunt qui eum putant ab Auſtriacis poſſe abſtrahi, mihi quo minùs id credam obſtat ejus matrimonium & ex matrimonio ſpes ſobolis, & uxor jam uterum ferre dicitur. Aquisgranenſium civitas perpetuis precibus Aulam Viennenſem obtundebat, ut à militaribus ſuperindictis libera eſſe poſſet. Vidi & à Madritio literas ſine Maii datas, quibus docemur Aulam illam ab induciis non abhorrere, dum Braſilia decedant Batavi. Anglicam navem Corunnam, qui antiquus portus Brigantinus, adveniſſe, quæ juvenem Ognatium in Angliam vehat, pecuniamque in Flandriæ uſus: Laboraturumque Hiſpanum quovis modo, ut in re Palatinatus Anglis concedatur tantùm, ut retineri eorum amicitia poſſit, ad multa Hiſpano, quod ſatis apparet, utilis. Milites qui Corunnæ itidem cum navibus Hiſpanicis parati Flandrico itineri habebantur, peſte multum imminutos. Ituros tamen ſub præſidio navis iſtius Anglicæ, quo & ipſi tutiores ſint, & Anglus Batavis ſuſpectior fiat. Præfectam Portugalliæ Margaretam Principem ſcripſiſſe conſpectas ad eam oram XL naves: putantur privatæ eſſe Batavorum, imminentes Hiſpanicis cum ſacharo è Braſilia. Marchionem quoque Velladam ire in Flandriam cum nova cohorte per Galliciam conſcripta. Eos qui in Catalonia militiæ adſcripti fuerant, peſte & egeſtate atteri. Vbi Epiſcopatus aliquis conferendus eſt, dari cum onere alendi turmam aut cohortem. Ab Italia præter ea quæ ſcripta ſunt antehac, hæc habemus: Veniſſe eo Ducem Medinam de Torres, ut Præfecturam Regni Neapolitani & quam ſine eo habiturus non fuerat Principem Stilianam uxorem tandem accipiat. In claſſe itura ad oram Gallicam, machinas eſſe multas & cæteros belli paratus: alimenta in menſes tres: Tabulas quibus deſcripta hoſtium oppida, Caneva, Friulium, Tolonum: pedites ad VII CIↃ. Legatos Poloni non pati ſibi ſatisfieri de veteri nomine, niſi in præſente pecunia ſaltem L CIↃ ſcutatorum accipiant. Putari rem tractum iri. Florentiæ æſtimabatur claſſis Gallica ejus maris itura ad ſinum, Genua non procul, cui Speciæ nomen: Dux Etruſcus ſua mari adſita muniebat, ſimul & pacem ſervare & ſibi cavere cupiens, quod & Genevenſes facturi credebantur. A Cardinali Riceliaco Ruellis miſſum tabellarium magna celeritate ſeptimo die Romam veniſſe. In Sicilia eſuriri & ob id Etruſcas naves, quæ frumentum aliunde ferebant ibi retentas. Aliæ Mediolano paulo ante prælium ſcriptæ, agreſtes magno numero in eam urbem confugere: Leganeſium munito Rhodofredi Caſtello, veniſſe Abiograſſam: portas Mediolani quaſdam lapide obſtructas. Putabantur Gallorum ibi Sociorumque copias eſſe trans Ticinum, id eſt, Mediolanum prope XVIII M. in ripa, quæ Navariam reſpicit, ſex millia. Leganeſii verò X CIↃ peditum, equitum IV CIↃ, hac certè parte validiore Hiſpano, cùm Gallis equitatus ultra III CIↃ eſſe non crederetur. Videntur Galli ad pacandos Helvetios oblaturi paratos ſe Dolam ipſis cuſtodiendam permittere, dum de omni Comitatu Burgundiæ idem fiat, caveantque Helvetii nequid inde hoſtile admittatur. Sprecherus ſe Tuæ Sublimitati commendat atque inter cætera Rohanio eſſe (ſcribebat autem 11 Iulii) X Gallorum millia præter Rhætos, quibus fidit tenuiter ut externis & offenſis. Rhæti poſtremò Davoſii conventu, qui paulo ante erat habitus, ſcripſere Principi Ænipontanæ Claudiæ velle ſtare ſe antiquis cum Domo Auſtriaca federibus, modo & ipſa caveat nullum ab ea Domo periculum Rhætis fore, antiquenturque pacta per vim Rhætis extorſa à Leopoldo Archiduce anno 1617. Hæc poſtquam ſcripſeram, intelligo ex ordinario Legato Anglicano qui me ſalutatum venit, auditum à Rege Scavaſchium, mirari ſe ajebat non eſſe inter nos ea quæ inter amica Regna eſſent officiorum commercia. Verum eſſe dicebat deſcendiſſe Hiſpanos apud oram Narbonenſem: numerum variè tradi: putari ſexdecim millia. Hoc in arcano 94. 70. 77. 4. 74. 30. Vindicis ita ſciſcitari ſibi datum ab Euſebio 69. 33. 63. 72. 78. 69. 23. Intelligo & ex ipſo & aliis Tribunum Heibrunnum ad Tabernas mortuum, idque à Rege damnum magni fieri. Duci Bernhardo ſcripſiſſe Regem: Tabernas quibus poteſt conditionibus capiat: deinde ſuas & Valettæ copias paret ad hoſtem è Galliæ finibus vel prælio deturbandum, ea cura cæteris omnibus potiore. Captæ ab Anglis Caletenſes naves quatuor & retineri in ultionem navium Anglicarum, quas in Hiſpaniam aut Flandriam proficiſcentes Galli velut belli jure, quo & Angli olim uti ſolebant, ceperant. Addebat & hoc Anglus, Parmenſem paratum Hiſpani præſidia tum Parmæ tum Placentiæ admittere. Deo, Excellentiſſime Domine, res Tuæ Sublimitatis commendo. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iulii 1636.

Capella quod ita brevi capta ſit, cauſam præcipuam fuiſſe intelligo, quod ex quinque oppidi propugnaculis unum ſubtus factum eſſet ad reponendos belli paratus cavum, quod cùm ipſius opificis transfugio hoſtes cognoviſſent, facilè iſthac penetraſſe.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Sereniſſima ac Potentiſſima Regina, Domina Clementiſſima,

POſt illum de victoria ad Ticinum amnem, de quo ſcri- 617
pſi, alium quoque nuntium non minùs lætum Francofurti literis accepimus $\frac{13}{23}$ Iunii, Majeſtatis Tuæ copias ita improviſas Lamboio Hanoviam obſidenti, superveniſſe, ut caſtra ejus ceperint incenderintque, equitatum diſjecerint & poſt pugnam acrem etiam peditatum. Ipſum Lamboium cum ſuorum mille Steinheimum ſe recepiſſe. Ibi à noſtris premi machinarum incuſſu. Spemque eſſe ut jam jam locus ille & Dux ipſe & ingens frumenti vis, alendo Maguntiaco comparata, in manus noſtrorum veniat: Hanoviam non tantùm, à penuria rerum, quibus carebat, ſed & à metu liberatam. Tabernarum Alſaticarum ſuburbana jam tenens Dux Vinarienſis Bernhardus, urbem oppugnaverat, collocaveratque ſuos in ipſis, valli terrei, quo oppidum defenditur ruinis. In Dolam aditus cuniculus ſperatur. Hoſtilis ex Belgico exercitus, capto Galliæ oppido Capella, partim vicinis locis obhæret, partim Barrum Lotharingiæ finitimum petiit. Excitati tam propinquo periculo Galli intentiores ſpero poſthac erunt in res ſuas, quæ ad res communes multum trahunt momenti. Novit Deus etiam mala (quale quod & de deſcenſu hoſtium apud Narbonem ſuſurratur) in bonum vertere: cujus paternæ tutelæ, Sereniſſima ac Potentiſſima Regina, Domina Clementiſſima, Tuam Majeſtatem, reſque ejus commendo. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iulii 1636.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illuſtriſſime Domine,

POſt victoriam ad Ticinum quæ Mediolanenſes valde 618
exterruit, exhilarat nos Hanovia obſidioni planè exemta, ut nos literæ 26 Iunii Francofurto datæ docent. Laus operis Landgravio Wilhelmo aſſcribitur, quem adfuiſſe, quanquam affirmantibus literis, multi non credunt, ſed à Leſlæo & Melandro rem peractam. Lambojum deceperant & Wolfii, qui Darmſtadienſi inſervit, literæ,

Digitized by Google

literæ vanum de adventu hostili rumorem dicentis, & exploratores Lamboji ipsius capti à nostris, & cum falsis nuntiis, quos se perlaturos juraverant, reversi, qui triduo non posse adesse hostem ei persuaserant: interea magna auxilia exspectabat: improviso superventu exutus est castris, ipse equitatu primùm disjecto, peditatu pugna acri superato, cum suorum mille Steinhemum profugus, ubi machinis oppugnatur, & credo jam coactus est se, locumque dedere cum II M saccis farinæ Maguntiacum destinatæ. Hanoviæ de necessariis omnibus abunde provisum. Dola adhuc obsidetur. Venere in Comitatum Burgundiæ Croatæ & cohors Germanorum Cæsariana Poloni; Cæsariani qui itidem ex Luxemburgico in agrum Bipontinum incubuere. Tabernarum suburbia tenet Dux Vinariensis, & in valli, quo oppidum cingitur ruinis militem locavit. eo capto restat Vrbs vetus, & arx infirma opere, fossæ expers. Scribuntur nostræ Hassicæque copiæ ad Mœnum, quem ponte junxerunt, esse ad CIↃ IↃ loricatos, III CIↃ levius armatos equites, Draconarios CIↃ IↃ, Carabinos III CIↃ, VII CIↃ peditum, VII machinas majores, minores XII cum mortariis, quæ vocant, nonnullis. Post captam Capellam in illa regione nihil promovet hostis, validioribus circum præsidiis quàm ut facilè tententur. Præfectus Capellæ qui fuit, reus fit ignaviæ. Mittitur in eas partes Bressæus cum milite, & excitatur è Normannia locisque aliis Nobilitas acrius in comuni ac propinquo periculo pugnatura. Ac spes est penetrantis mali sensum, causam fore, ut multa segniùs curata antehac emendentur. Illud valde mihi dolet quod Tabernarum oppugnatio post Iacobum Comitem Hanoviensem etiam Tribuni Heibrunni morte nobis constitit. Caletenses naves quatuor Angli captivas abduxere, ut damnum suarum, quas Galli partim in Flandriam, partim in Hispaniam euntes in præda habuerunt, resarcirent. Hæc nos hactenus, vestris quæ gerantur in partibus, dudum est quod nobis notitiam invident venti. Avebo cum bonis publicis, tum quoque privata cognoscere. Lutetiæ 18 Iulii novi Cal. 1636.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

619 PRæter ea quæ ad M. Cancellarium scribo, quæ tibi scio patere, mitto salutem tibi officiosam & elogium Thoirasio in Italia factum, .44. 81. 59. 273. Liliarii post longam deliberationem adivere cætum Martialis 12. 14. 27. 66. 72. 78. 77. 73. 63. 71. Qui à Claudio venit in sermonibus apud alios dixit, mandatum sibi ne quem videat Caji Ministrorum. Alexandri homines ei favent, minusque Iustini amicitiam quàm ante colunt. Vereor ne & mala ad se pertrahant isti. De Dario hic sermones sunt quasi se cum Imperatore jungeret, me non credente. Quæ vestris in partibus geruntur, rogo, ubi occasio erit, ne ignorem. Nunc scio ventos impedimento esse, qui aliquas haud dubiè abs te literas detinent. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Iulii 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

620 GRatias ut debeo maximas ago Sublimitati Tuæ pro $\frac{22}{31}$ Maii datis, iterque in patriam ipsi patriæque salutare, nec minùs prosperum reditum precor. Gaudeo & quæ Angliæ & quæ Galliæ nomine dicta sunt legisse & prudentissimum Sublimitatis Tuæ ad Gallica responsum. Et ut hinc jam scribere incipiam, video cursores celerrimos à Cardinali ad Pontificem, à Pontifice ad Cardinalem mitti, præcipuè ut creditur de pacis negotio. A Conciliatore Pontifice rebus nostris nihil boni sperari potest. Et pro certo mihi ab Italis affirmatur, Pontificem nolle agi quicquam nisi inter Gallum & Austriacos. Nempe ut Gallus Federatorum suorum & inter eos Sueciæ curam gerat. Quod sanè neque ex dignitate, neque ex usu sit Regni Suedici. Angli Legati non diffitentur, esse in sua Aula homines Austriacis æquo plus obnoxios, & vix quicquam spei esse pro Palatina domo, nisi fortiora quam antehac consilia capiantur. Vnum tamen intelligere ex illis gaudeo, Regem ipsorum non passurum sibi satisfieri, nisi integro Palatinatu sibi reddito. Scribit ad me Dux Bernhardus $\frac{7}{17}$ Iulii, ac significat pridie deditas Tabernas Alsaticas, cùm Galassius Drutenhemi esset quatuor leucarum Germanicarum intervallo. Ex Thuani literis disco, ex quo eo advenerat Valetta, permissum ipsi à Duce esse imperium. Addit qui fert Ducis literas, fuisse ei eo tempore equitum IV millia, pedites vix quingentos, optare eum ut à Rege cohortes sibi attribuantur, Germanicæ potiùs ut Randsovii & Dagenfeldii quam Gallicæ, ob ingenii morumque disconvenientiam. Dicebat idem deditam & arcem Hochbariensem & paulo ante Oberenheimum: Regem ipsum Hungariæ in Galassii venisse castra, unde conjectura est, eodem venturas partium præcipuas vires: Ducem Wirtembergicum matrimonio jungi cum ea cui patruus est Rhingravius: pacta ejus cum Imperatore esse talia, ut si ipse sine liberis discedat, hæredem habeat Austriacam Domum, multum indignante & se opponente Ducis Fratre qui apud Danum est. Scavaschius languet cœli puto insuetudine. Gratias egit Regi pro induciis: commendavit pacem, Legatos à Polonia duos ad id negotium promisit, cum Cardinali in arcano egit diu. Haud dubiè amicos ambit ad persequendas aliquando spes in Suedriam. Et quod dicitur in Anglia durè acceptus ob postulatum sane inhumanum, ut Palatina Regis sui matrimonium mutatione religionis emeret, ego puto propositum id dicis tantùm causa, captandæ Pontificis gratiæ, idque ab Anglis satis intelligi: nam à Polonis accepi Nobilitati non displicere hoc conjugium, nec offendi eos diversitate Religionis: ne Episcopos quidem aliud exigere quàm ut Pontificis accedat consensus: qui non video cur minùs sit impetrabilis, quàm fuit ad Angli cum Gallicâ nuptias. Sed hæc haud dubiè istis in partibus rectiùs cognoscentur. In Italia victoriam ad Ticinum amnem partam nihil magni sequitur. Rohanio quo minùs in hosticum penetret multa video deesse, præsertim ipsorum Rhætorum studia abalienatorum illis de Valle Telina conditionibus demerendo Pontifici repertis. Sed de his scribit Marinus. Ego Pontificis nomine ad parva quædam uti interdum Gallos video. Cæterum Cardinali rerum hic Domino, suæ sunt causæ cur Romanam Aulam demereri velit, quæ certo nihilo in Gallos quàm in Hispanos est propensior, solita res suas agere, & Regum dissidiis frui. Itaque jam per annos aliquot per Legationes sex, septem, Galli nihil ibi obtinent, nisi fortè magnum id putant, quod non apertè ipsis adversatur Pontifex, sed hæc in Gallia & peccantur jam, & ut puto, diu peccabuntur, præsertim quoties penes purpuratos erit jus Regni. Dolam adhuc Princeps Condæus obsidet, non moventibus se contra Gallum Helvetiis. Interdum crescunt etiam in illis partibus vires hostium, Barro obsesso, impedimento nonnullo illis erit Befortum captum à Comite Susa $\frac{13}{23}$ Iunii. Ad Picardiæ finem coactæ undique Gallorum copiæ, & accurrens Nobilitas efficit ut hostis qui Esam flumen transierat, retro se tulerit, neque post Capellam ceperit quicquam. De Classis Gallicæ abitu à Bella Insula nihil dum accepimus, & sunt qui putant id præcipuè in destinatis fuisse, ut Insulæ illius ad Ducem Retensem pertinentis possessionem firmandæ potentiæ suæ Cardinalis acquireret. Nec quid ad Narbonam agat hostis cognoscere dum licuit. Rex & Cardinalis

nalis in suburbanis locis agunt ad confirmandos hujus civitatis animos. Literas vidi ex oppido Sancti Quintini, dicentes Gallo militi illis in partibus per sex menses nihil numeratum. $\frac{7}{17}$ Iulii hostem inde non longius III leucis abfuisse habentem XX M equitum, quod rarum, peditum XCIↃ; & siquid metuendum sit, magis Sancti Quintini oppido metuendum, quàm Guisiæ, quæ toto prope exercitu IX scilicet Gallorum millibus defenditur. Bressæus apud Feram se tenet cum IV CIↃ equitum, peditum XXIV CIↃ; illius literæ ab illis Sancto-Quintinianis non nimium discrepantes hostis copias ea in regione faciunt, equitum XVI CIↃ peditum XIV CIↃ. Vt ad longinqua veniam, Persis magna vi bellum molientibus, recepto jàm Revano, vix exspectandum videtur, ut Turca se vel in Transilvania pro Gaboris cognato vel alibi contra Austriacos commoveat. Naves illæ quatuor quas Angli in suarum ultionem Caletensibus eripuêre, magnos hic motus cient. Arondelius Ratisbona retro Viennam cur ierit, cùm Lintzii sit Imperator, interpretari non possumus. Pecuniarum nostrum negotium lente, ut solet, procedit ac testudinio gradu, quanquam & egeat Heufsdius: non desinimus quantum possumus hos tricones impellere. A Vienna literæ, 13 Iunii datæ, docent nos ab Imperatore promisso titulo regali, quem ambit, tentari Sabaudum ut à Gallis abducatur. Neque desperari de abstrahendo & Parmensi. Saxonem ipsum non venturum Ratisbonam, sed missurum suos. Metui ne Galli itinerum se quæ è Germania ad Alpes ferunt compotes faciant. Bene evenisse Imperatori, quod Budæ miles ob non soluta stipendia, seditionem fecerit, Bassæque in castellum fugere coacti ædibus direptis, exuerit obsequium. Credi Getzum in Alsatia iturum, tribus cohortibus ad Hermesteni obsidium relictis. Mediolani qui sunt 22 Iunii scribebant, satis ibi paveri, multosque se in Cremensem aut Bergomensem agrum recipere. Leganesium habere secum X M peditum, IV M equitum ad Samam & Sextum, ut aut Rohanio obstet, si is ad Lacum Majorem procedat, ut Crequiaco, si is à Ticino longiùs se promoveat, ac præsertim ut prohibeat ne conjungant se isti exercitus. De prælio ad Ticinum nuper commisso quæ ibi sit fama, non parum ab iis quæ hic vulgantur discrepans, charta, quam ex literis Mediolanensibus descripsi, ostendet. Addunt metuere Hispanos ne itinera Genua Mediolanum à Gallis intercipiantur. Dicebatur Parmensis Niceam iisse: Dertonam Gatta custodire duabus equitum turmis, peditibus sexcentis. Video simultates esse nec leves Cardinalem inter Valettam & Ducem Bernhardum, sed hic mussitare cogitur, satis auctoratus Galliæ, militi etiam suo novum stipendium, dubito an non inaniter, in mensem Augustum exspectans. Oberenhemii capti historiam, cujus gloria haud dubiè ad Benfeldii præfectum maximè pertinet, ita ut hic vulgatur, mitto. Deumque precor, Excellentissime Domine, te ut Suediæ communique Christiani generis bono servet ac prosperet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iulii 1636.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

621 VEntus quæ diu debuit, tandem cumulo nobis persolvit omnia. Accepi enim eodem tempore literas Nobilissimi filii tui datas 9 Iunii: tuas 17 Iunii ejusdem & 20 datas. Pro quibus utrique gratias ago summas: Deo autem maximas, quod valetudinem tibi dederit commodiorem, cum spe etiam melioris in posterum. Morbus quo tentaris frequens est pertinaciter studentibus, quare huic etiam quamvis honestissimæ rei adhibendus à nobis modus. Equitatione autem quod uteris, multum laudo. Est enim ea corporis motio efficax satis ad discutienda ea quæ coalita noxam ferunt & tamen composita, nec vehemens nimium. Nobis gaudium attulerunt deditæ 16 hujus mensis Tabernæ Alsaticæ, caro quamvis emtæ, multa non militum tantùm, sed & ducum sanguine, quos inter multum desiderantur egregius juvenis Comes Iacobus Hanovius & peritus belli Heibrunnus. Etiam Hochbari arx in potestatem venit, cùm jam ante Oberenhemum, Croatarum qui ibi apparuerant discessu, nostris accessisset. Clara Duci Bernhardo hæc victoria, hoc magis quod Galassius cum exercitu Drusenhemi erat, ad quartam leucam, quo & Rex Hungariæ venisse nuntiatur: Dola etiamnunc, quantum scimus, arma Gallica retundit. Post Capellam in Picardia nihil promovit hostis, quanquam equitatu quadruplo validior. Sed ejus ad obsidia exiguus est usus. Oppidum Guisia toto exercitu, id est decem prope millibus militum, defenditur, sane necessario, quandoquidem isthac ad interiora iter est, nec sine periculo ad ulteriora tendentium à tergo relinqui potest. De Comite Licestrio magna in hac Aula est existimatio. Creditur melior esse quàm quæ habet mandata. Certè aulam Britannicam debilitari quorundam in Domum Austriacam studiis nec negat, nec gaudet: & nobiscum sentit, opus fortioribus consiliis, nisi jacentem pati velint Domum Palatinam. Dolet nobis omnibus, sæpe enim colloquimur, quod cum Batavis de piscatu aliisque rebus, cum Gallis ob naves captas utrinque, à Gallis quidem jure belli ad vetanda cum Hispanis commercia, ab Anglis autem talionis obtentu, controversiæ oboriuntur asperantque animos, neque eos sinunt rebus majoribus intentos esse. Ego hæc ut auferantur diligenter laboro, & omnia moveo, neque in eo defatigabor. Audio Pontanum scriptitare aliquid pro Dano contra Seldeni θαλασσοκράτημα [*maris imperium.*] Princeps Arausionensis Wilhelmus inter alia nascenti tunc maximè reipublicæ & hoc prope necessarium constituit, ut quæ erant inter nationes Belgicas civitatesque ambigua, quiescerent, donec belli finis repertus esset, neque medii temporis possessio fraudi cuiquam esset. Vellem inter regna ac populos, quorum interest modum adhiberi magnitudini Austriacæ, idem nunc fieret, dilatis Areopagitico more in centum annos litibus ἀπόροις [*perplexis.*] De pace video nuntios commeare, Pontificem inter Regemque. Sed excelsus Cardinalis animus rebus præsertim lætis ad Ticinum perque Alsatiam, & à Picardico fine, ut sperare est, depulso periculo, non projiciet arma, nisi iis conditionibus, quibus testata sint apud posteritatem ipsius in Galliam merita. Interim in hoc persto, Pontificis conciliaturam non posse non inimicam esse Protestantibus. Arondelius à Ratisbona retro Viennam iit, credo amicis ibi comparandis. Nam Imperator ipse Lintzii est. De liberata Hanovia scripsi antehac, sed tantum est illinc huc intervalli, tamque infesta in medio omnia, ut ista prope citius ad vos, quàm Lutetiam perferri arbitrer. De Leodicis, non defuimus Legati prope hîc omnes ostendere, quantum intersit eos non deseri, amantes adeo libertatis, & bello natos. Spero Batavos quoque invigilaturos occasioni tam vicinam tamque utilem amicitiam ostentanti. Gaudeo Principem Arausionensem podagra liberatum, nam quanquam capite imperatur, non pedibus, habent tamen & pedes usum suum, nec in militia tantùm, sed & in imperiis. Hîc qui ærarium tractant, perpetua chiragra laborant: nec id Suedia tantùm experitur, sed & sociorum alii. De Classe Gallica nihil dum audimus: nescio an morantem tamdiu ad Armoricum littus auferre qui nunc flant Euri poterunt. Sed imperant Classi alter antistes Burdigalensis, alter Harcurtius terra bonus. Rex Romanorum quin futurus sit qui nunc Hungariæ est, prudentium vix quenquam video dubitare. Bavarus tamen cunctatur nonnihil ut certus sit retinendi quæ possidet. Scutamorius plane & sine fuco tuus est. Dabo operam ut idem sis apud Licestrium, virum præter cæteras vir-

Digitized by Google

virtutes eximiè eruditum. Deus te Tuosque servet & res fluctuantes ad bonum commune gubernet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Iulii anni 1636.

De Lunemburgico si quid accipis certi, rogo particeps fiam.

Illustr. Dom. Tuæ omni observantia addictus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

622 QVod mihi à publicis negotiis subsecivi est temporis, id rerum Suedicarum antiquitatibus inquirendis insumo. Eam ad rem velim transmitti mihi si quod est Dictionarium Suedicum sive addito Latino, sive alio quovis sermone: Novum quoque Testamentum Linguâ Suedicâ & exempla vetustissimarum inscriptionum sive sepulchralium, sive aliarum. Vidi & Latinè versas Leges Suedicas, quas itidem, si fieri potest, videre cupiam. Ad hoc si adjutor mihi esse poteris obligabis me; & dabo operam ne sterile hoc beneficium apud me desideat. Hucusque scripseram, cùm tuas accipio datas $\frac{2}{12}$ Iunii in quibus miror cùm septimo quoque die ad M. Cancellarium, ad te quoque scripserim, mensem & mensis dimidium elabi potuisse, ut nihil acciperetis. Sed & literæ ad Sprecherum meæ omnes & ipsius ad me ab aliquot mensibus in itinere nescio quomodo periere: & quas nuper ad Rhingravium miseram, pervenerant ad ipsum, sed sine Magni Cancellarii literis quas unà miseram. Si à Gallorum artibus hæc eveniunt, non bene statur pactis de curanda literarum libertate. Literas Magni Cancellarii scriptas $\frac{8}{18}$ Maii mittente D. Camerario rectè accepi. Habeo gratiam pro iis quæ nuncias, & pro bonis verbis Britanni, ad quæ responsum Magni Cancellarii videre avebo, ut ad ejus prudentissima præscripta ego quoque sermones meos temperem. Te videre ac complecti, coramque testari, quanti faciam à te diligi, utinam detur. Nostri omnes amicissimo animo te salutant. Miror à filio meo me nihil habere literarum. Valere te opto quàm optimè $\frac{4}{14}$ Iulii 1636.

Tuæ Nob. studios. H. G.

DVCI BERNHARDO Vinariensi.

Excellentissime atque Illustrissime Princeps,

623 VIctorias omnes quas Celsitudinis Tuæ magno animo largitus est belli pacisque Arbiter Deus, semper ut læto accepi animo, ita celebrare ac vulgare nunquam desii. Hanc verò, deditis Tabernis Alsatiei tanto majore gaudio cognovi, quod ejus ad me nuntius pervenit non aliunde quàm à tua Celsitudine & quidem ipsius auctoris tot fortium operum manu. Damnum quod sinistra fecit, dextra facilè repensabit. Lætitiæ hujus statim ut debui participem feci & Serenissimam Suediæ Reginam & Magnum ejus Regni Cancellarium, quem nunc in Suediam profectum ex literis ipsius comitumque ejus conjecturam facio. Nondum tamen Stralsundio abierat $\frac{2}{12}$ Iunii, Regni quidem Rectoribus eum in Suediam vocantibus, sed validiùs adhuc retinentibus Germaniæ negotiis. Sperat se bimestri spacio itum reditumque posse absolvere. Bannerius eo quod dixi tempore ad Werbenium erat, in obsidio Magdeburgi haud quicquam proficiente hoste. Mazarinus otiabatur in ulteriore Pomerania. Eventus conatuum Landgravii & Leslæi sollicitè ibi exspectabatur. Missus à Britannia Vir prudens pro Legato, egregia oratione laudavit Magnum Cancellarium hortatorque fuit ad perstandum in bello ac proposito sublevandi per vim dejectos, præcipuè Domum Palatinam. Facile conjectu est quid ei Cancellarius responderit. Scripsit ad eundem Cancellarium & Sanctichamontius Regis Galliarum Legatus Hamburgo, de pacis negotio communibus consiliis regendo. Respondit Cancellarius benignè, actis Regi gratiis; Cæterum sequestre actionis Pontifice non videre se, quid boni sperare Protestantes debeant: ubi Suediâ redierit allaturum se mandata specialia: & aut ipsum iturum ad eum conventum, qui de pace instituitur, aut si id res non permiserint, venturos eò alios, qui sua consilia cum Legatis Gallicis sint communicaturi, ac tantundem ab ipsis exspectaturi. Deus hæc cuncta ad bonum commune gubernet, idemque Excellentissime atque Illustrissime Princeps Tuæ Celsitudinis egregiis virtutibus egregios det successus. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Iulii 1636.

Tuæ Celsitud. cultor addictissimus H. G.

D. GRASWINKELIO.

TVo in me tam benigno animo, Vir Clarissime, nihil est quod non debeam. Auxilia quæ à me habere potuisti exigua sunt pro iis quæ felicitati ingenii tui & tuæ diligentiæ debes. Ostendit hoc egregium tuum pro Venetis opus, dignum tantæ reipublicæ Majestate. Quæ nec dubito, quin quicquam es susceperus, id famam tuam, quam magnam jam adeptus es, facturum sit majorem. Ego de eo quod à me magis honoris mihi habendi causa quàm quod opus sit tibi, petieras, ad Magnum Cancellarium scripsi, ut quid mihi faciendum sit, pro suo in me jure statuat. Distuli tibi rescribere ipsius responsum opperiens, id quod non venerit, nescio occupationesne ipsius gravissimæ, an iter in Suediam in causa sit. Cæterum si quid est, quod à me proficisci possit gratum tibi tuisque, scis me eum non esse, qui multum rogandus sim. Admonuisse suffecerit. Vale & bene rem gere. 24 Iulii 1636. 624

Tuus ut semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

AD Dolam res sperato tardiùs procedunt, imperitia, ut videtur, artium obsidendi. Itaque in partem fossæ amissam hostes se restituerunt. Interim creditur Insulanus vim parare, ut Gallos obsidione depellat. Et creduntur eodem tendere Ducis Lotharingi copiæ quæ nuper ad Barrum visæ, illo conatu omisso, Sanctimielium cepere. Galassius easdem in partes an in Transrhenana concessurus, dubitari video. Ducem Bernhardum post Tabernas captas profecisse quidquam non intelligimus. Gallica Classis quæ diu ad oram Britanniæ hæserat, obiterque Bellæ Insulæ compotem fecerat Cardinalem, ex Hispania conspecta scribitur, dum fretum petit Gaditanum, inde ut ajunt qui res hîc moderantur, intrato mari interno, conjunctura se cum navali Regis paratu in ora Massiliensi, ut pariter Regnum Neapolitanum, aut Siciliæ infestent. Magnus ille equitatu, nec pedite spernendus, hostium in Picardiæ limite exercitus, post Capellam captam, Ambianum versùs flexit, Castellettoque oppido, triduo tantùm insumto, potitus est. Et Capellæ & Castelletti milites ob debita diu stipendia pugnare tutandis mænibus recusarent, obtendentes contumaciæ non Regis, sed Cardinalis rem agi, Reginæ Matris odio moventis hæc arma. Centeni aliquot etiam perfugêre. Nec deest Cardinalis Hispanus novo Edicto proritare dissidia, cujus exemplum eo magis mittendum censui, quod & Suedorum in eo sit mentio. Mira est, quanta in oppidis periclitantibus sit inopia & machinarum bellicarum & igniferi pulveris, ita ut nuper vacuo Armentario talium, ex Tabernis hujus urbis quærendus undique fuerit, cùm quotannis eo nomine in rationes Regis expensa ferantur, XVII centena millia

millia Florenorum. Hæc plebem mirum in modum concitant, & liberiores quàm antehac, sermones audiuntur, concitandæ in Potentes invidiæ. Et Rex & Cardinalis extra sed prope hanc urbem morantur. Comes Suessionensis, qui summo cum Imperio in Picardia nunc est, graviter conqueritur deesse sibi necessarias machinas maximè. Similia Marchio la-Fortius, Lanum & Remos missus, renuntiat. Interim Dux Longevilla voluntarios quot potest Nobiles ex Normandia locisque aliis colligit. Nec ante eorum adventum aleam prælii subeundam, quanquam ad id ex Aula excitatus censet, is quem dixi Comes Suessionensis. Etiam partem sui militis in Campania habet hostis, ibique Beaumontium cepit. Picardiæ quid ultra sit aggressurus, Hanum an Corbiam, an quod multi putant, Dorlanum incerta sunt judicia. Dicitur & mari omissa Narbonensi ora in Languedociam penetrasse hostis & loca quædam invasisse. Briaisius is qui nos convivio & comœdia excepit, nuper Vannia veniens, ubi formosam fœminam viderat, ab ejus feminæ marito in itinere obtruncatus est plebe ab urbana adeo infesta etiam mortuo, ut corpus ejus, ni subductum maturè fuisset, dilacerata fuerit. De 57. 17. 66. 31. 79. 42. 1009. 113. quid spei sit ex literis ad me quas apertas mitto & ex clausis ad mortuum Heibrunnum, quas resignare Tua Sublimitas poterit, dabitur cognoscere. Laudatur fidei nomine is, qui huic incumbit negotio: & spero non periturum id quod rei tantæ negari non potuit impendium. Literæ ex Italia ab Helvetiis consentiunt Parmensem in Genuatem agrum se contulisse, iturum inde in suasne terras an Florentiam incertum. Offensus dicitur altercationibus cum Ducibus Gallis, sed eo maximè quod Villa Placentiæ præfectus negavit se ipsius imperata facturum, nisi eadem ab aliis federis ducibus signata essent. Famam prælii ad Ticinum ita mutant Hispani, ut ferme sesquplo plus Gallorum quàm suorum cecidisse dicant. Certè qui secuti sunt eventus, non respondent magnitudini victoriæ, qualis hic nuntiabatur. Et credi video cis Ticinum redituras copias federatorum, sive quod Sabaudus ita velit, sive quod curandum imprimum est, Novariensi agro infesso, hostis commeatus, qui à Vercellis maximè adventant ipsis intercipiat. Ideoque & Villa cum suo milite, & qui Gallorum apud Dertonam erant, eò ire dicuntur, nec minùs illi quibus circa Nicæam æstiva fuerant. Id si fit Laudensem & Cremonensem agrum ab hostilibus injuriis exemtum liberè jam possidebit Hispanus. Non videtur sperandum ut Rohanius se cum federatis, quippe retrocedentibus, jungat per Comensem tractum. Et alia accedunt mala, seditio militis non satis sanata, & pestilentia. In Novariensem regionem octingentos equites miserat Leganesius. Et à Neapoli auxilia nova Mediolani exspectabantur, quinque peditum millia, cccc equites. Accusant Helvetii tardum reditum Balivi Badensis, in hanc Aulam Legati, ob negotium Burgundici Comitatus. Interim consilia eorum manent suspensa, tempusque teritur in conventu reformandæ rei nummariæ. Et dolet Protestantibus, in illis Clavennensibus de Valle Telina pactionibus nihil Regem rogatum quamvis mutasse, sed indefinitis verbis adhibuisse delinimenta. Cerbellanus à Rohanio non longè abesse dicebatur, & alia vis metui è Tirolensi agro. Qui res agit Hispaniæ apud Helvetios Pontificios agebat de transitu concedendo militibus, quos per Silesiam conscripsit Ognatius. Angli Legati, quibus multa cum Polono consiliorum est communicatio, nihil cum Gallis promovent. Operiuntur quid acturus sit Arondelius, cui insoliti honores habiti ab Imperatore & Hungariæ Rege & diaria data majora, quàm is cum omni Comitatu possit insumere, suspicionem præbent fraudis latentis. Exspectabatur Ognatii firmior valetudo, ut de Palatina Domo ipso conciliante agi incipiat. Sed poposcit audiri nuntius Pontificius priusquam aliquid statuatur, idque obtinuit facilè. Idem Ognatius urget Conventum Coloniæ, an serio multis dubitantibus. Alcala Tridenti adhuc hæret. Savellius Vienna ad Bavarum mittitur, à Saxone Ratisbonam Meizius Præses consilii arcani & Gerselius Iurisconsultus. Ibidem agetur de querelis Augustæ aliarumque civitatum satis gravibus. Viennæ leges fiebant contra luxum in vestibus: & à Turca motum nonnulli ominabantur ob pecuniam à Budæ Bassa missam juvandæ Agriæ ab Hungaris interceptam. Sed hi Hungari prædones fuisse dicuntur, & puto facilè id credituros Turcas, quibus grave satis cum Persa negotium est. Hispanicæ literæ Madritii scriptæ 14 Iunii sperabant oram Neapolitanam ab omni incursu tutam fore, defensante classe cui præest Montiregius. Corunnæ retineri ajebant etiamnum naves Dunquercanas. Refoveri augerique militem apud Barcinonem, ut inde Languedociæ metus sit; exspectari ibidem Ducem Fernandinum. Pro Melone qui cum Alcala pacis negotio præpositus est, Crollium ad Principes Italos mitti: Hoc addam à viris prudentibus incrementa per Angliam Pontificiæ factionis metui, ex adventu Conæi qui Pontificis nomine apud Angliæ Reginam moraturus est. Videbimus, quid ibi sit acturus Ponica. Nam si apertè pro Palatina Domo arma nolunt sumere Angli mercaturæ commodis inescati, & Gallorum ut videtur societatem suspectam habent, possint Duces Germanos gente, vel pecunia juvare. Sed vereor ut vel hoc impetretur: ita supernumerarium Electoratum novum, & nescio quid non, per Hispani gratiam se obtenturos somniant. Quanquam ejusdem nationis qui hic sunt alii, Palatinatus tantùm inferioris spem ajunt fieri; de Electoratu nullam nisi mares Bavaræ stirpis deficiant. Huc usque cùm scripsissem, literas video è Castris Valettæ & Ducis Bernhardi à Thuano. Nuntiant Gallassium Drusenhemi nihil agere nisi quod castella quædam munierit, neque impedire posse quo minùs commeatus Argentorato adventent Gallis. Croatos ibi non aspici: detentos ut creditur, tuendo ponti ut alimenta quæ Argentoratenses ipsis negant ex Durlacensi habeant agro. Valettam & Ducem Bernhardum observata hostium hac formidine aut negotio, ad duas leucas accessisse propius, speculandis quæ aguntur, & occasionibus intentos. Eodem labore Argentoratensium messis defendetur, & ipsi à Cæsarianorum populationibus liberabuntur, modo ipsi persten in juvandis Gallis commeatu, sinantque impediri hostium pabulationes, ut ad prælium cogi possint, quod Galli expetunt, validioribus nunc suis per illa loca quàm hostium copiis. Nam & quod dictum erat Regem Hungariæ in castra venisse Galassii, dubitatur nunc. Landgravius Cassellensis rogatus ut Mæno transito Galassium territaret, propiorem sibi curam dixit objiciendi se hostili exercitui per Westfaliam crescenti: præterea inter se & Gallos quæ sunt media ita esse adesa, ut iter illac justo agmini non pateat. Hæc sunt quæ certis satis auctoribus vulgabantur. Addunt Angli minorem Ognatium jam pervenisse in Angliam, Windesoræ audiendum à Rege. Rumores ferunt Sigenhemii esse Cassellensem Landgravium & Leslæum è Darmstadiensi agro, emuncto C M Thaleris, parare abitum. Ab Hispanis nullo prohibente teneri quicquid agri cis Samaram est Belgis, etiam Bohanium oppidulum, cunctaque vastari eorum incendiis. Dolæ cuniculos inhiberi saxis intercedentibus: auctum duabus cohortibus Condæum Principem. Detectam Sancto-Quintini factionem Hispanicam an Reginæ Matris haud dixerim, ejusque Principes in Bastiliam missos: Comitem Suessionensem non longè esse ab oppido Corbia cum IV CIↃ equitum, XII CIↃ peditum. D. Spiringium spero mei futurum memorem, quod per Hollandiam res majores agenti ei haud satis vacavit, ut levatus nimiis erogationibus possim & alacri animo & cum

cum dignitate agere quæ mei sunt officii. De quo ipsum quoque per literas rogare non desino. Heri Pontificius Nuntius Regi de pace locutus est, rogavitque Legatos ut Coloniam mitteret. Auditus est benigne. Hodie idem Nuntius fratrem Regium convenit, de matrimonio ut creditur: quod tamen matrimonium nunquam futurum ante hos sex septem dies Cardinalis Fratri Regio dixerat: Et querenti eidem de non solutis annuis, quæ Rex ipsi pollicitus esset, dixit necessitatibus temporis condonandum aliquid. Facere id & Reginam. Si tamen egeret pecunia, de sua se arca ipsi daturum: Idem Cardinalis audita Briaisii morte dixit nihil mali in eo esse, nisi quod in patibulo pridem debuisset mori. De matrimonio sunt qui id agi putant, ut Princeps Margarita se sterilem fassa ingrediatur monasterium, dissolutionemque conjugii ipsa postulet, idque restituendæ Lotharingiæ pretium fore. Decem millia Vrbanæ plebis mittuntur tuendum ad limitem, simul ut subtrahatur facilis ad seditionem multitudo. Schavaskius heic etiamnum est, profecturus, ut ait, ad Genevenses, Helvetios, Rhætos: inde Ratisbonam: Aliquid adversùm Suediam cuditur.

BENIAMINO AVB. MAVRERIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

626 MAxima me voluptate adfecerunt literæ tuæ. Quid enim mihi gratius accidere possit, quàm eos mihi commendari, quos & præter indolem ipsorum, & veterem Patris amicitiam carissimos habui semper, habeboque. Is, qui ad familiam pertinet Principis Arausionensis, citiùs quàm arbitratus fueram, discessit. Igitur, quas ipsi traditurus fueram, misi ad Senatorem Reigersbergium, ipsum, omnesque nostri amantes, rogans, ut filius ille tuus ipsis adjuvantibus processus faciat, dignos suis virtutibus..... ut simul legatione, simul eximia quam obtinebat dignitate, eversus sit, audieris. Hæ sunt rerum vices: & prava consulta in auctores recidunt. Felix à turbis remota vitæ tranquillitas, qualis est, qua tua senectus fruitur. Ad qualem optimum iter capit filius tuus, qui se foro, id est liberrimo, ut nunc sunt tempora, vitæ generi dedicat, tanta fide atque sedulitate, ut neque tu pater, neque nos à patre amici proximi, majus in eo studium debeamus optare. Dolet mihi, quod vox ejus hactenus audiri publicè & famam, qualem auguramur, mereri, non potuit. Sed hoc temporis interusurium magno, ut speramus, cum fœnore brevi pensabit. Nostra familia bene valet. Tuæ matronæ, liberis carisque omnibus, eadem, quæ meis precor. Lutetiæ, 31 Iulii 1636.

D. THVANO.

Amplissime & Nobilissime Domine,

627 SErius fortè venire videor ad officium quod lugentibus amicis præstari solet. Non advocabo ad excusationem negotia: ita enim pridem de me meritus es, ut quicquid differri ullo modo potest id tuæ curæ atque amori posthabere debeam. Aliud dicam, Multi Amicorum festinarunt quod monendum te putarent, ne te nimium dolori permitteres. Ego ut te scirem a prima ætate tinctum penitus omnibus divinæ humanæque sapientiæ præceptis, ne monendum quidem te censui, sed dandum aliquod spatium quo ea quæ nosti optimè in memoriam tibi ipsi usumque revocares; Nos hac lege natos æquo ut animo feramus hoc universum sapientissimè regentis voluntatem; Nihil heic nobis mancupio datum, usu omnia; Præter ea quæ de mentium humanarum immortalitate eruditè ab antiquis Philisophis dicta sunt, habere nos Euangelii promissa ipsius Expromissoris sanguine redituque in vitam testata: quorum certi non debeamus invidere amicis sortem meliorem, commodi nostri aut voluptatis causa: Hæc Thuanus aliis debet dicere, Thuano nemo nisi ipse. Quare cum jam satis temporis præterierat, quo ista cogitata sæpe jam recogitare posses, non ego te hortor, ut amaritiem illam, nulli bonam, gerenti gravem, his pro quibus suscipitur, si id sciant, maximè displicituram, pellas ex animo, sed nihil addubitans jam pulsam gratulor. Si quæ tamen sepulti ignis favillæ supersunt, memorabo tibi quid mihi jam sæpiùs similia passo in mentem venerit: superesse nobis multos propinquos & propinquis nihilo posteriores amicos; injuriam autem esse in superstites non de hoc bono magis gaudere quàm uno damno affligi. Non malè cum illis agit Fortuna, quibuscum minorem partem auferre contenta decidit. Quid quod sapientium multi pro iis ipsis quos extra mortales casus mors sola sepoluit, gratias liberatori Deo habendas credidere, attestante & Græcorum proverbio:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ' ἀποθνήσκει νέος
[Flore in juvenili moritur quem di diligunt].

Id si rationem semper aliquam habet, certè hoc nostro seculo habet maximam. Aliæ ætates hominum exsilia vidére; nostra totos populos patria extorres; Terras quondam beatissimas, non ad sterilitatem, sed ad illas Arabum solitudines videre est redactas. Bella ubique, & in ipsis bellis alia bella per militum sævitiam ac rapacitatem. In tot malis aut circumstantibus, aut impendentibus, tutum nihil nisi mors. Qui tanto rerum turbini eripitur, quid aliud quàm evasisse censendus est. Illud præterea è tuis ad amicos literis cum gaudio cognovi, virile te doloris solatium ex negotiis quærere. Larga tibi se dat materia, es apud illustrissimos Duces: apud exercitus, qui longissimè hostem submovent, ostenduntque Rheno veteri Galliæ limiti, oblita ibi jam olim Gallorum arma. Cùm animum per omnes terras circumfero, video nusquam melius Regi procedere. Hostis damni sui spectator tandem factus est. Tot armatis hominibus juris incutere reverentiam, & ex castris civitatem facere, res magna teque digna est. Castrensis jurisdictio, quæ, ut Taciti verbis utar, calliditatem fori non exercet, eget illa, quam idem scriptor in socero suo laudat, naturali prudentia. Tum verò in tanta ubique peculatuum impunitate, atque etiam gloria, dare abstinentiæ exemplum quanti censendum est? Harum virtutum sibi esse conscium, ingens tranquillitatis scutum est, nullis adversarum rerum telis vulnerabile. Nos verò omnes amici tui laudes tuas festis omnibus prosequimur, id optantes ut semper tui, semper patris semper avi sis similis. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ Calendis Augusti.

Tuus toto animo H. G.

SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

PEr Rhætos iter facienti Ioachimo Gersdorfio, Dano 628
prænobili meque roganti, ut quicquid possem ei conferrem, ut itineris sui fructum consequi posset, id est virorum excellentium rerumque egregiarum notitiam, non alterius magis amicitiam ei parandam censui, quàm ejus qui Rhætiæ veteris & recentis res æternæ memoriæ tradidit, & quam manu consiliisque adjuvit patriam, eandem quoque scriptis suis illustravit. Quare te rogo, ut ei de tuo lumine lumen commodes, atque etiam iter ejus tuis monitis instruas. Vale Vir Nobilissime. 4 Augusti novi Calend. 1636.

Tuæ Nob. studiosus H. G.

D. GVISCARDI.

Illustrissime Domine,

CVm Italiam peteret Ioachimus Gersdorfius, Da- 629
nus gente prænobili, egregiè literatus, moratusque; & in-

& inter causas peregrinandi haberet præcipuam, conspicere viros eminentes; peccaturum me putavi in amicitiam quam cum eo colui, nisi ei ad tui notitiam aditum patefacerem: quod vel unum tanti itineris satis pretium existimo. Facies pro perpetua tua bonitate, si eum conspectu colloquioque tuo impertiveris. Quod si & Mantuam videre tutò poterit (cupit enim quàm maximè), hoc quoque abs te sperare audeo, te commendante copiam ipsi fore ea videndi quæ externis ostendi solent, ut etiam ejus urbis magnitudinem, domum aliquando reversus, aliis narret, eosque ad similia itinera invitet. Pluribus hæc te precari, diffidentis sit humanitati tuæ. Deus te, Illustrissime Domine, diu sospitet. Lutetiæ, 4 Augusti 1636.

Illustr. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

D. CASAVBONO.

Vir Reverende,

630 BOnitatem, paternum tibi non minùs bonum, quàm ipsa est eruditio, magnam in te semper credidi: magnitudinem tamen ejus satis complecti animo non potui, nisi postquam literas legi Idibus Aprilibus ad me datas. Et Reygersbergius quidem ut spero, aliquando tuo conspectu fruitur, mihique nuntium lætissimum feret prosperæ tibi valetudinis rerumque aliarum. Interim ita mihi auxisti de summa in me benevolentia tua fiduciam, ut alios etiam tibi juvandos tradere non verear. Stenardus gente Schotus, & quæ ejus gentis laus velut propria est, ingenio per omnes Philosophiæ partes bene exercito, Sedani eam disciplinam feliciter juventuti instillavit. Sed discors ei Molinæus vim omnem Presbyterii in ipsum effudit. Ita coactus inde discedere, venit Lutetiam, ibique multis bonis & eruditis se suamque operam probavit. Vocatus hinc in Lugdunensem Batavorum fuit Academiam. Sed amor Patriæ communis & virorum magnorum hortatus eum ad vos perduxere. In Britanniam ut venit, rogat me quem sibi optimè volentem noverat, ut se in notitiam Maximi Angliæ Primatis introducerem. Non ausus fui tanti viri perpetuas pro Regno proque Ecclesia curas meis precibus interpellare: sed ad te recurri qui ei sive præsens sive absens aditum ad eminentissimum Archiepiscopum parare & pro eo qua merito polles gratia possis, & pro tuo in literas literatosque studio non gravatè id sis facturus. Ipsum quoque pronum adeo ad benefaciendum plurimis animum D. Archiepiscopi gaudere credo, cùm monstrantur ei qui in aliqua studiorum parte utiles esse possunt. Tu si mihi aliquem vicissim commendaveris, dabo operam ut appareat quanti te primùm, deinde & tibi caros faciam. Vale vir eruditissime. Literas viri summi Parentis tui ad me, quas ante annos aliquot in Hollandiam cum aliis ejusdem literis edendas miseram, cùm fides promissi non impleatur, jussi per meos repeti. Rogo ne defatigeris bene de publico mereri, nosque non operum tantùm, sed & cogitationum tuarum facere participes. Vale cum tua ac tuis quàm suavissimè. Lutetiæ, 5 Augusti novi Calend. 1636.

Tuus optimo animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

631. VIdeor mihi rectè incepturus ab Enniano versu, voce una immutata,

Gallia terribili tremit horrida terra tumultu.

Nempe Samoram transiit hostis, tanto agmine (XX CIↃ equitum X CIↃ peditum esse dicuntur) ut nihil contra ausus sit Comes Suessionensis qui illis in partibus curabat: Galli Esiæ pontes pene omnes abrupere, ut intra eum amnem hostem sisterent. Sed & hunc vado transgressi excursores flammis, cædibus, rapinis etiam circumsita Compendio vastant. Cardinalis Richeliacus ad remedia decurrit, quæ satis apparet periculo expressa. Marescallum Lafortium ad Magistratus civitatis hujus allegavit, ut ipsa re ac fide potens, milites conscriberet. Facit, multaque ex officinis & tabernis & otiosa juventute millia confluunt, quia præter arma dantur singulis præsentis pecuniæ XX Floreni, aut pro ea vestes: & septeno quoque die solventur stipendia, per eos quos civitas ei negotio præficiet: credoque ad alias etiam civitates manaturum hoc exemplum. Mali magnitudo etiam vetera Religionum odia ità obruit, ut civitas hoc onus in se suscipiens postulaverit ne quis alius Marescallo Lafortio fines laborantes tutaretur, idque impetraverit. Itaque Comes Suessionensis in Campaniam, unde venerat, Bressæus in Caletum præfecturam suam mittitur. Evocatus etiam à secessu suo Castillionæus jussusque sine mora ire ad Comitem. Langovillius verò precibus pollicitationibusque Normannicam & vicinam Nobilitatem, satis malè habitam anno priore, excitat ut in hoc discrimine patriæ manus suas commodet. Rex ipse in hoc urbe nunc est, conspectu suo reprimens seditionum semina, alioqui facilè eruptura; tantum est in potentes, præcipuè qui pecuniam tractant, plebis odium. Incommodè evenit quod Dola Regis arma etiamnunc detinet. Exercitus Valettæ & Ducis Bernhardi satis habet Gallassii, modico intervallo dissiti, conatus impedire, quanquam is Polonorum stipendia negâta querentium secessione (trans Rhenum iisse creduntur) non parum imminutus est. At in Italia manent discordiæ cunctaque corrumpunt. Parmensis nondum quidem descivit, sed aures dat Hispano. Sabaudus sua curans & semper ad Hispani gratiam respectans, impedivit, quo minùs post prælium Mediolano sane trepidanti admoverentur arma; ad Lacum majorem morari ei visum. Interim à Neapoli V millia militum per Genuatum agrum novum hosti auxilium cùm venissent, nulla jam spe quicquam promovendi, retro Vercellas, & in subalpina, ductus est sociorum exercitus. Rohanium, nequid agere possit, sua mala exercent, pecuniæ inopia, fluxa fides, pestis, formidataque non militis tantùm, sed & plebis Rhæticæ seditio, iratæ Gallis, iratæ suis etiam Magistratibus, sed hanc narrationem Marino relinquam: Mittunt huc iterum Helvetii, ut pacem orent Comitatui Burgundiæ reddi, Rhæti ut debita sibi stipendia obtineant. Schavaskius morbo, an quod morbum simulet, hæret adhuc hìc. Interea in Angliam alios è Polonia venisse audimus. Multum refert Principem Arausionensem hoc tempore aliquid moliri quo hostem distrahat: & faciet puto, si adsit pecunia, Anglis jam, dum vim minantur in piscatores, non parum ejus Reipublicæ impendia onerantibus. Iidem pecunias hosti, iidem milites, iidem cuncta bello necessaria transportant. Batavorum arma in Dunquercanos, quantum possunt prohibent, quo hæc cuncta consilio, ego non video, fortè nec ipsi vident. Exitus docebit, an hæc in Hispanum obsequia Palatinæ domui sint profutura. Duo millia ex Cardinalis Valetta exercitu, totidem ex eo qui Dolam obsidet abstrahuntur ad ea quæ magis urgent Picardiæ mala. Tum verò quos divitiæ invidiosos vulgo facere possent, propriis suis sumtibus militem exhibendo, faciunt se populares. Parlamentum II CIↃ homines alet: Rationum præpositi CIↃↃↃ: collegium quod superindictis præest quæ auxilia & subsidia vocantur CCCC: Regis Secretarii non illi primores, sed minorum gentium, quorum tamen magnæ sunt immunitates itidem CCCC. Cancellarius, dico summi ærario præfecti, cum tota sua cohorte CIↃ equites; domus quæque Carucam habens equitem unum. Magistratus Parisiensis II CIↃ præter IV CIↃ quæ civitas in se suscipit: proximi vici IV CIↃ. Iam & civitates aliæ exemplum Parisiense sequuntur, & quæ hinc sunt, Blæsas

 X CIↃ pol-

x CIↃ polliceri, dicuntur. Omnibus hujus urbis habitatoribus imperatum est arma tutandæ urbi parata habeant: ipsa urbs qua in hostes obversa est, & ad eandem partem spectans Dionisii vicus, muniri incipiunt: nec mirum, cum diei itinere non longiùs hostis Abbatiæ ædem Sancti Eligii ad Etiam incenderit. Divionense Parlamentum Principi Condæo in supplementum eorum qui in Picardiam missi ex ejus exercitu, II CIↃ suo impendio misit. At Cardinalis magno cum strepitu hodie ex hujus urbis armamentario eduxit sex bellica tormenta magni ponderis. Mitto edictum Regis quo omnes Nobiles, & qui arma gerunt, jubentur ire ad exercitum qui est apud Compendium. Rex ipse omnium opificiorum hujus urbis magistratus allocutus est, ne in hac necessitate patriæ deessent. Promisere omnes liberaliter, quidam addita conditione, ne à Bulionio pecuniæ tractarentur, Rege id futurum pollicente. Nomen militiæ dederunt, unde cognoscatur hominum hic copia, ex urbe, demtis suburbiis, sutores mille quingenti, laniorum tria millia, iique celibes omnes. Equi ex stabulis abducuntur in usus publicos. Regis Frater qui satis nolens Blæsas abierat, evocatur. Dum hæc scribo malus advenit nuntius, captæ ab hoste Corbiæ ad Samaram, loci ad transmittendas quoties opus copias, machinasque oportuni. Speramus nos ex vestris partibus, Excellentissime Domine, prosperiora audituros. Lutetiæ 8 Augusti novi Cal. 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

632 NOn dubito quin multo cum terrore fama ad vos pertulerit, hostis arma Samaram transgressa. Et sanè hic quoque vulgi magna fuit trepidatio. Sed Regis præsentis constantia ac pro republica labor restituit animos, spemque facit, ut ex malo non magno (nulla enim post Capellam & Castellum capta sunt oppida) multum boni proveniat. Duo sanè videmus quæ antehac sperare non fuisset. Reformatæ Religionis Duces neglecti diu evocantur, Lafortio etiam summa tutandi finis cura creditur: & regimen adductum valde antehac ad libertatem inflectitur, dum civitates rogantur, ut ipsæ legant militem, ipsæ alant. In hac urbe magnus ad delectum concursus est, quia præsentis pecuniæ dantur cuique xx floreni, præter arma & septeno quoque die per civitatis Legatos stipendium numerabitur. Mittetur in præsidia hic tyro: vetustiores milites educti præsidiis in hostem ibunt, quem nunc Esia amnis cohibet. E Principis Condæi adhuc ad Dolam sedentis exercitu duo millia, totidem è Valettæ abducuntur ad tutandum limitem laborantem: Et Dux Longovillanus eodem precando pollicitando elicit Normannicam vicinamque Nobilitatem. Si periculi sensus remedia afferre peculatui potest, multum actum erit Regi. Illud nunc omnes optant, ut aliquid se dignum aggrediatur Princeps Arausionensis: deinde ut Angli tandem à veterno excitentur. Hic sanè magna sunt hominum studia. Parlamentum Parisiense suo sumtu exhibet Regi III CIↃ: Camera rationum quæ dicitur CIↃ CC; Subsidiorum CCCC: Regis Secretarii qui multi sunt CCCC. Cancellarius, Præfecti Ærarii duo, & eorum adjutores CIↃ equites: domus quæ carucam habet equitem unaquæque: Civitas & Magistratus Pariensis VI CIↃ: aliæ inter hanc & Blæsam civitates X CIↃ: proximi Parisiis vici IV CIↃ: Divionense Parlamentum Principi Condæo submittit suo ære II CIↃ. Oppidani omnes arma habere jubentur: res agitur minimè negligenter: & Rex ipse dicit se in hostem iturum, Fratri commendatâ urbis cura. Exercitus ejus nunc apud Compendium est. Deus nobis, vobis, bonisque omnibus propitius adsit. Lutetiæ 8 Augusti.

Captæ ab hoste Corbiæ rumor urbem pervagatur, utinam falsus.

Illustr. D. Tuæ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

COrbiam, quæ capta credebatur, verberari adhuc hostilibus machinis & valido præsidio, nulla tamen spe evadendi, sustinere adhuc se credibilior fama est. Sed præter Capellam & Castelletum, Roiam & Mondiderium Hispanis cessisse constat, & ex captis locis auctum illi tormentorum numerum, cùm ipse ex Belgio quadraginta attulisset. Etiam Noviodunum (vulgo *Noyon*) in hostis esse potestate, asseveratur, rumores tales graviter quamvis comprimente Aula, quod adversa loquendi libertatem dare soleant. Atque adeo passim multæ audiuntur infensæ potentibus voces, præcipuè in Cardinalem Riceliacum invidia erumpente. Objiciuntur ei hæc maximè, quod junctos sibi sanguine, quanquam impares, magnis muneribus imposuerit, quod rem pecuniariam pessimè tractari passus sit: quod urbem hanc tum ut suos hortos extenderet, tum ut nova monasteria surgerent, non una ex parte in tam gravi ac propinquo bello mœnibus nudaverit, nova moliens nimis longo ambitu: quod pecunias, tormenta, pulverem miserit in suum Portum Gratiæ: Postremum hoc præter cætera, his diebus in Parlamento graviter jactatum est, ut Amplissimi Ordinis nomine querelæ ad Regem perferrentur, præcipuo incitatore Præside Memmio fratre Davausii nunc in Galliam reducis. Primum Præsidem idem Memmius insectatus est, ut publica commoda prodentem dum privatis studet commodis. Sed Rex his auditis quosdam è Parlamento ad se vocavit, & in his Memmium severeque eos increpuit, quod litibus judicandis Præfecti Regni res attingerent: sufficere se Regimini: neque tamen aut se aut Cardinalem (is adstabat) aures occlusurum, si quis privatim haberet, quod è republica duceret: sed in concessu ipsorum turbidè ac per factiones agi: quare interdicere se, nequid talium negotiorum in consultationem vocarent. Quæ in Portu Gratiæ ad tutelam oppidi maritimi magnique usus misisset Cardinalis, suo misisse Imperio. Addidit Cardinalis etiamsi à Rege non defenderetur, satis sibi esse rationum, quibus se suaque acta apud omne genus humanum defenderet. Abiere Senatores trepidi, mussitantes, assentantes, etiam Memmius memor indicti sibi ante annos duos exsilii. In urbe hac munienda laboratur. At Pontifex ut Cardinalis Riceliaci animo religionem si posset super his bellis injiciat, misit ei responsum Astrologi, qui inspecta genesi Cardinalis, negat eum anno toto pervicturum. Idem Astrologus magna in æstimatione apud Pontificem talibus credulum prædicit pacem futuram anno demum 1639. Mater Suessionensis Comitis graviter expostulavit cum Cardinale, quod filio suo pericula mandarentur, nullis ad depellenda viribus: nam cùm ad Braiam aut propinquum ei Serisium vicum 4 Augusti, Samaram amnem cum magnis illis copiis (XVI CIↃ equitum, XX CIↃ peditum fuisse aiunt transiret, non erant Comiti Suessionensi octo hominum millia. Pôtuerant hostes à Nobilibus rusticisque Picardiæ sisti: sed iis arma pridem Rex abstulerat, ut feras sibi servaret. Dux Longovillus multum hoc tempore laborans, nullos è Picardia Nobiles, & Normannia ægrè ducentos, excire potuerit. At Hispanorum crescere dicuntur copiæ, bis mille nuper ad Capellam, deinde ter mille aliis transire visis. Et ad Arleusiam Cameraco non procul alium exercitum habet Hispanus Cardinalis. Spes hic est Batavos non quieturos, quamquam illos alieno sane tempore novis impendiis 633

diis defendendum ad piscatum Angli implicant; misso cum Classe Northumbrio, ut tributum piscarium extorqueat. Id solventibus præsidio sit. Batavi verò totis Imperii suiviribus certaturi sunt, ne id onus, quod semel institutum in immensum glisceret, ut illud in freto Danico subeatur. Frater Regius quanquam se nuper imperato ab urbe abitu offensum non dissimulans, corrogat quod potest mittitque tuendis finibus. Cardinalis de sua arca duos milliones Regi se mutuos dicit dare. Bulionio partem ejus pecuniæ quam hæc civitas in novi militis stipendia collegerat sibi tradi, velut ad promovendum Dolæ obsidium postulanti, negatum id metu viscatarum manuum. At Princeps Condæus ad Dolam etiamnunc hæret, & quo minùs II CIↃ equites de suis castris mittat, dicit equitis multum sub Galassio Brisacum atque inde Comitatum Burgundiæ petere: esse & alios sub Duce Carolo in vicinia, quibus opponi debere vim equestrem aut malum accipi. Ita spe auxiliorum ferociunt Dolani, ut per tubicinem Principi Condæo significaverint, dare se illi sex dies liberos, ut indemnis cum exercitu abeat. Post id tempus si maneat, impune id ei non fore. Ille pari contemtu negavit se eos ad veniam accepturos, nisi colla restibus vincti supplicent. Malè Gallis evenit, hæc hostis in frugiferas maximè Galliæ terras irruptio tempore messis, quam totam suam fecit Hispanus, unde ipsi ingens copia, & in urbe caritas plebi gravis. Putantur civitates & vici suo sumtu exhibituri Regi L CIↃ hominum, sed hoc remedium necessitate expressum, sicut stipendii administrationem populo dabit, ita & loquendi libertatem valde formidatam potentibus. Rhotomagum in magno metu fuit, non minùs quàm urbs hæc. Nunc ad novas vires parandas dato tempore, resurgunt animi, manentque hi qui secedere decreverant. Dux Sulliacus qui sub Rege Henrico IV. pecunias & armamentarium rexerat, dixit Regi patris temporibus fuisse semper arma in publico parata, unde centum millia instruerentur. Sed obturbabant eum Aulici Nogamus & Sansimonius, ut liberè sermonem pertexere non posset. Ab aliis nec hoc tacetur, quæ tam cito hosti cesserunt oppida, non ob aliud amissa quàm quod nec militi stipendium esset, nec oppidanis arma, erepta ne adversùs tot novorum onerum repertores, & redemtores vulgus insurgeret. Nuper in hac urbe cùm Cardinalis incomitatior ostentandæ securitati per urbem vectaretur, quidam anteambulonum ejus à plebe malè tractatus est. Displicet multis quod Incolismensi Duci, parum grato in vulgus, equitatus per Picardiam regendus datur, infringendæ, ut creditur, auctoritati Marescalli Lafortii, qui cohortibus tantùm imperabit. Ex tot Monachorum sodalitatibus soli Carthusienses & Cœlestini pecuniam usui publico obtulere, singuli Ordines ad alendos milites quadringentos, tantundem de suo promisit Vniversitas. In Italia res per discordiam pereunt, relatusque in Hyberna ille modo Mediolano imminens exercitus. Sabaudus adversa in suam utilitatem rapiens Pignerolum reposcere incipit, alioqui ut creditur exemturus se bello: Idem Parmensis ut faciat, suadet Etruriæ Dux. A Rohanio quoque nihil est hoc tempore quod speretur Sociis procul remotis, & metu irruptionis hostilis ex agro Tirolensi præter alia mala prioribus literis memorata. Rhætos supra vetera & hoc offendit, quod perscripta eis Dux dare recusat, quæ ad pacta super Valle Telina Rex addidit, cupientibusque illis & Conventui ostendere, dixit nihil in iis esse, quod Rhætis noceret, quædam ipsis utilia: Id est unum hoc ni fallor, quod pro annuo tributo à Valletelinatibus debito communi Rhætorum Rex se expromissorem facit: manentibus cæteris quæ jus Imperii libertatemque Religionis imminunt. Mittuntur itaque ad eum Legati qui ex ore ipsius Regi placita intelligant & ad Conventum referant, tamque exigua illis in locis fides habetur Gallis, ut incolæ Vallis Mussolinæ duo illis tormenta commodare noluerint, nisi pecunia quantum valerent, apud se deposita. Quæ apud Lacum Constantiensem se tenuere hostium copiæ, partim in Alsatiam flexere, partim adhuc in Italiam transitum minantur, sollicitis Altorfiensibus, ne in itinere hæreant Helvetiis graves. Eosdem Helvetios rogavit Pontifex ut ad pacem promovendam mittere velint, Legatum suum Bononiæ esse, ut ubi de loco colloquii convenerit eo se transferat. Dissolutus est Helvetiorum Badensis Conventus, non aditus ab ullo ministro Cæsaris. Bernæ, Friburgo, Soloturno, negotium datum pacandi Comitatus Burgundiæ. Quatuor illa Polonorum millia quæ secessionem ab exercitu Cæsaris fecerunt transque Rhenum se tulere, Silesiam creduntur atque inde patriam repetere. Stipendii inopia dubium utros gravius vexet: nam sicut ob eam Poloni signa Cæsaris deseruere, ita ex Crequiaci Rohaniique exercitu multi se ad hostes conferunt. Quid agat classis Gallica non audimus, nisi quod ex Hispania literæ eâ visâ multum ajunt per Lusitaniam trepidatum, metuque incerto magna ubique fieri impendia, Ducesque inter se discordes agere. Andalusiis petentibus suo sumtu naves ut armare liceret, negatum id ne populi per se satis impatientes fræni, parere dediscant. Ducem Cordonam in Languedociam aliquid moliri additur. Angli qui hic sunt Legati videntur Gallicum fœdus magis quàm antehac expetere, sive revera id volunt, sive ut eo rumore plus impetrent à Cæsare, omnes componendæ ejus controversiæ rationes agitante Comite Ognatio. Mihi non videntur aliquid facturi ex usu publico, quoties arcana cum Polonis sub nuptiarum velo latentia considero, & nova cum Batavis, quæ per totum sæculum quierunt certamina, & pecuniam Hispanicam, supra quatuor milliones, quæ retineri in Anglia ceperat, repente permissam transvehi in Flandriam. Comes Licestrius non dissimulat validam esse eo in Regno Hispani factionem. Se rogatum ut, sicut fecerat Comes Arundelius atque alii, contribuere aliquid vellet, ad novam instituendam societatem, quæ piscatum Harengarum Hollandis interciperet, detrectasse id, ne sub favorabili obtentu Hispani negotium gereret. Edicta aliquot mitto, diaria atque horaria potiùs. Nam ea jam ex quo hostis Samaram transiit sæpius mutata in aliam atque aliam formam vidimus, prout intenderat aut remiserat metus aut ab hoste aut a plebe. Schavaskius mutasse consilium videtur eundi longiùs, & velle mari ad suos reverti. Scripsit Pontifex ad Electores, commendans Hungariæ Regem ad Regnum Romanorum. Pro quo beneficio prolixæ gratiæ ei actæ ab Imperatore & Rege filio. Feuquerius ab aquis Borboniis, ubi valetudinem refoverat, vix reversus, ire jussus est ad exercitum in Picardia. Ab Alsatia qui veniunt Galli in Tabernarum oppugnatione multa ajunt impetu magis quàm ratione facta, atque ex eo accepta tot damna. Hæc dum scribo, intelligo. Principem Condæum in eo esse, ut ab obsidio Dolæ discedat, in speciem ut Legatis Helvetiis id pro beneficio detur, reipsa quod spes ibi sit exigua, & propiora pericula urgeant. A Massilia literæ certos nos faciunt jam advenisse eo Gallicam obita Hispania classem, junctamque cum Regis navibus longis, terrorem facere Italiæ. De Novioduno nihil dum mali est. Deus, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitatis res prosperet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Augusti 1636.

Rogo, Sublimitati Tuæ cordi sint meæ res, quas & D. Spiringio commendavi, ut dignitatem tueri possim. Tum verò in præcessionibus, rebusque ejusmodi quid mihi sequendum sit, doceri velim. Ad Ducem Bernhardum nihil dum mittitur de pecunia in hoc tempus promissa. Noviodunum assultant hostes sed nondum cepere. Marchio Bonivetus Gallus ad hostes transivit. Præfectos Castelleti & Capellæ damnavit Rex absentes ut equis distrahantur. Id tempori datum facilè cum tempore

Digitized by Google

pore sanabitur. Poloni milites qui secesserant, ad exercitum Cæsaris redeunt.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

634 CORbia, contra quam rumor fuerat, bene adhuc defenditur: paulatimque consîdet terror ille, qui ex hostium initu in fines Gallicos populum invaserat. Vix credi possit quanta sint studia civitatum, vicorum, collegiorum in collatione militum aut pecuniæ ad hostes avertendos. Etiam monastica sodalitas Carthusianorum dat stipendium militibus quadringentis: Cœlestini totidem: & totidem Parisiensis Sorbona cum cætera studiorum Vniversitate. Burgundiæ Comitatum pacare, & eo modo finire Dolæ obsidium nituntur Helvetii. Classis Gallica ex littore Santonico, circumnavigata Hispaniæ ora, jam Massiliam venit, ibi se cum longis navibus in mari interno junctura, non sine terrore Italiæ, ubi, terrestri bello per Ducum discordias propemodum corrupto, incipiet navale. Multum hic optatur aliquid nunc faciant Batavi, &, quia quæ volumus facilè credimus, jam de Hulsto rumores sunt. Anglici Legati videntur propensiores esse quàm antehac fuerunt ad fedus Gallicum, & sperare se ajunt, illam de mari, sanè intempestivam controversiam, prudentia D. Ioachimi posse componi, quod sanè valde velim publici causa. Alioqui metuo ne si committantur inter se οἱ θαλασσοκρατοῦντες [*qui mari dominantur*] incalescat certamen.

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ.

Schavaskius etiamnum heic est, parum commoda valetudine. Et videtur mari reditum in patriam meditari. Quid nova Polonica Legatio in Anglia agat, ibi meliùs dabitur cognoscere, ubi vos estis. Pontifex Electoribus commendavit negotium Regis Hungariæ de Regno Romano: pro quo beneficio gratiæ ei liberaliter actæ sunt, tum ab ipso Rege, tum à Patre ejus Imperatore. Exhilaraverat hanc Aulam rumor de Hispanicis pecuniis in Anglia retentis, quod id pignus futurum sperabatur ad Palatinatus restitutionem. Nunc audimus partem earum transiisse in Flandriam: & de reliquo idem exspectari. Ejus etiam quid sit, scietis vos meliùs. Deus Illustrissime Domine, te tuamque familiam sospitet. Lutetiæ 14 Aug. novi Cal. 1636.

Illustr. Tuæ Dom. observantissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

635 HÆc Aula noxis mutuis in Austriacos magis magisque accenditur, & cùm nuper Picardiam invaderet Hispanus, Cardinalis in edicto posuit id se etiam Cæsaris mandato facere. Sed mirum quàm in Aulæ Romanæ gratiam consilia hic versentur, non levi, ni fallor, periculo Galliæ & Regentis cuncta Cardinalis. Iam nunc Archiepiscopus Parisiensis publicè in Ecclesiis moneri homines jussit, ut à familiari convictu ac colloquio Protestantium abstinerent, cùm mutuum inter diversa sentientes commercium amicitiamque edicta imperent. Et tamen optimi Duces, Rohanius, Laforcius, Castilionæus ex illis sunt, & civitates in quibus eorum numerus prævalet, ut Montalbanum, magno studio militeque ac pecunia rem communem juvant. Remisit jam eo usque, quæ in hac urbe fuit, trepidatio, ut imminutæ alibi sint excubiæ, alibi & negligantur: nimirum quod hostes omisso ut videtur, Esia, qui inter Samaram Sequanamque medius fluit, Samaræ adsita, ac proinde Belgico fini propiora adoriantur, quanquam, quid nunc agant, quoniam Corbia ipsis nimis facilè per ignaviam præfecti obtigit, dubitatur. Interim bene est, quod Regi tempus datum est exciendi civitatum terrarumque vires, ita ut propediem LX millia ad finem Picardicum habiturus credatur, eisque bipartitis, altero exercitu prælium ausurus, altero interiora obtecturus. At in Burgundia, postquam à Dolæ obsidione abitum est, trepidari à Gallis incipit, quod occupato Viroduno ad Ararim cum equitum ferme IV. millibus illuc irruperit Dux Carolus. Cardinalem Valettam & Ducem Bernhardum alimenti inopia coegit Alsatia digredi & in Lotharingiam se ad Fenestrangium referre, quorum abitu securior Galassius, postquam Drusenhemum bene permunierat, ad Rhenum concessit, incertum utram in ripam bellum portaturus. Classes Regiæ, tum quæ ab Oceano venerat, tum quæ in ora Massiliensi, quo illa nunc venit, antehac fuerat, nihildum agunt nisi quod Italis, ad omnes rumores paventibus, incutiunt metum. Deum rogo, Illustrissime Domine, ut tibi tuisque adsit. Lutetiæ 18 Augusti novi Cal. 1636.

Illustr. Dom. Tuæ omni observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

HEri venit huc D. Schmalchius è cujus sermonibus simulque transmissis chartis, pro quibus summas gratias Sublimitati Tuæ habeo, didici plurima, ad quæ sermones meos dirigam. Quod Sanctichaumontius me revocari postulat, ostendit satis, quàm leves motus hi homines habeant; Cùm postremum Regem vidi, benignissimè ab eo acceptus sum. Combaletta uxori meæ multis præsentibus dixit, plurimi me à Cardinali fieri. Comes Brulonus rogavit, Regem ut salutarem, etiamsi nihil haberem negotii: id ei gratum fore. Etiam ipso die hesterno Berlisius alter Regiorum Admissionalium mei salutandi causa ad me venit: Duæ sunt fontes hujus in me molitionis: alter à Pavio ejusque adjutoribus alter à Gallis. Pavius & qui ejus sunt partium, cùm hanc Aulam faventem sibi habeant, sperant se à me jam Legato extorsuros, quod à privato extorquere nunquam potuerunt, ut iis à quibus indignissimè tractatus sum ultro supplicem. Nimirum

——— ——— Libertas pauperis hæc est

Contusus rogat & pugnis concisus adorat.

Ego verò sicut Batavis, ut Regni Suedici amicis commodare data occasione nunquam negligam, ita cavebo ne de me quisquam triumphet. Sed hæc causa, Pavio id in se passo quod mihi struxerat, minùs valitura in posterum est: Nam qui huc veniet Legatus Batavorum D. Osterwykius, qui apud Venetos hactenus Legatione functus est, Vir nobilis, probus ac literatus, nihil mihi adversum struet: quin si qua poterit, favebit mihi. Altera à Gallis causa hæc est, quod Regnum Suedicum multum infra se dejicere cùm cupiant, me ad eam rem parum facilem experiuntur. Et sanè si quid detrimenti accipere dignitas Suedica debeat, malim id per alium fiat. S. Chaumontium à me adiri mos vetabat, ut & Venetus mihi Legatus & alii dixere. Hominem privatum Patrem Iosephum, quoties apud alios eum reperi benignè alloqui non omisi: ut eum domi suæ adirem, hoc quoque moribus erat adversum. Chavignium (ita nunc vocatur Buttelerii filius) sæpissimè compellare volui: misi, horam accepi, ædes adii, non vacavit ipsi. Questus sum per uxorem ea de re apud Combalettam: responsi nihil accepi. Etiam nunc si quid agendum sit, experiri paratus sum an audiri possum. Cardinalem antehac vidi sæpe: purgavi me de falsis criminationibus, præ se tulit satisfactum sibi. Nunc quod eum non adeam, causæ sunt duæ. Prior quod non amat interpellari, nisi quid sciri dignum

dignum adferatur. Sciscitabitur quo loco sint res delineati fœderis. Certi aliquid respondere res me non patitur. Deinde verò cùm Angli duo Regni sui dignitatem, contra ea quæ Cardinalis sibi arrogat, præfractè tueantur, ego quid facere debeam mandata exspecto, quæ simul accepero sequar. Interim nihil est quod urgeat, res fœderis non hic sed ibi tractanda est: quare nec multum refert, multum hi an parum fidant mihi, cùm negotii nihil nunc certè habeam, nisi nuntiare quæ fieri video audioque. Nec solent hi homines cuique fidere, nisi quem sibi obnoxium habent. Vident se me suorum consiliorum ministro uti non posse, cùm oblatam mihi iterum annuam Regis liberalitatem, ita ut Legatum decebat, iterum recusaverim. Ideo mihi negant se fidere, ego verò cur iis non nimium fidam caussas ex rebus mihi cognitis veteribus ac novis plurimas habeo. Non desinam stationem tueri munusque mandatum. Si transferor, & hoc æquo animo feram, dum sine damno ac dedecore meo fiat. Schavaskius etiamnunc hic hæret: & ajunt à Dano quoque Legatum exspectari. Poloni contra nos causam Anglo affinitas commendabit credo & Dano: Gallo Pontifex, ad cujus nutum quàm res omnes hujus aulæ versentur, & sæpe monui antehac, & hæ quoque Marini literæ docebunt. Pacificatoribus Pontifice, Anglo, Dano, Polono nihil boni sperare audeo. Hoc Regnum, quò acriùs bello in Hispaniam implicatur, eo fortè se promtiùs ab Imperatore absolvet. Bavari copiis debere hoc Gallia creditur, quod non statim, ut Samaram transierat hostis, Lutetiam properaverit, expositam prædæ reperturus urbem, si id fecisset. Italiæ res corruptas, dum Sabaudus sua agit & nunc apertè in Pignerolam recipiat, dissidium minatur. Parmensis non ab Ethrusco tantùm sed & à Genuatibus ad causam suam à Gallis dissociandam impellitur; consentiunt Venetus & Mantuanus quos ea de re disserentes audivi. Rohanii & Rhætorum res quo sint in loco, parco dicere, ne à Marino memorata repetam. Dolæ ab obsidio discescit Princeps Condæus ita properè, urgente quippe Picardiæ periculo, ut honestam aliquam speciem, per pactiones, quas Helvetii conficerent, opperiri non valuerit: Hostis partim cis partim ultra Samaram est. Qui Samaram non transiêre ceperunt Corbiam, nullius rei ad victum bellumve egenam & præsidio incessam militari sexcentorum hominum. Integris mœnibus. Oppidani ad deditionem militem pertraxêre. Ob id flagitium capti sunt præfectus & adjutor ejus Sancurius, simul Ambianum venerant, capite culpam luituri: qua in re vicem doleo præsidis Memmii &, qui recens in Galliam à Legatione venit, Davausii quorum sororem in matrimonio habet Sancurius: eadem pars hostium Ambianum cœpit obsidio claudere, oppidum non firmum nimis sed valida arce. Pars quæ Samaram transgressa est inter eum amnem & Esiam sita populationibus vastat. Interim tempus datur Regi vires colligendi egregias. Exercitus qui Dolam obsiderat pars ibi manet, ut Ducatum Burgundiæ contra arma Ducis Caroli & Lamboii tueatur: bis mille equites ad finem Picardiæ veniunt: totidem fermè ex Valettæ exercitu Ducisque Bernhardi duce Comite Guichio. Plus quàm mille ex attributis sibi regionibus adducit frater Regius: nec paucioribus ex Normannica vicinaque nobilitate Longovillius: IV M fermè habebat jam ante Comes Suessionensis: proximæ civitates & hæc imprimis addunt bis mille. Ita duodecim M equitum paucos intra dies futura sperantur: hosti creduntur esse octodecim: Peditatum quoque Rex auget adjutantibus civitatibus, speratque ei in eo fine futura ejus XXV M: Rustica plebs quæ in tanta necessitate ad subitariam militiam vocatur, non minus efficiet: His viribus pares se prælio judicant: eoque animo Rex qui Silvanecto in urbem redit, brevi iturum se dicit aut Compendium, aut ad loca propinqua cum Cardinali, qui ex Portu Gratiæ machinas XL deferri jubet. Edictum quod mitto, quo ex quaque urbana centuria tricenos sibi Rex sumit, opificesque vetat plus uno ministro uti, causa est, cur multi damnosam militiam metuentes, hinc aufugiant, quidam & ad hostem, quod ut prohibeatur pontes ubique magnis insidentur præsidiis. Exercitus Valettæ & Vinariensis potissima adhuc retentat Gallassius, firmis se munimentis ad Drusenhemum tenens. A suburbanis Bellovaci magnam vim pecorum nuper abduxêre Hispani. Marescallus Lafortius, cui, ut dixi antehac, cohortium cura mandata est, discedere non vult, nisi de machinis, & quæ bello sunt necessaria, deque alimentis bene sibi prospectum sit. Seditiones rusticæ in Lanquedocia creduntur multa Regis concessione medicinam accepturæ. Spes magna est bonorum successuum à gemina Regis classe, altera à Santonico, altera Massiliensi litore quæ nunc coiêre, creduntúrque magni aliquid efficere posse in regno Neapolitano, ubi delectûs duritas seditionem excitavit, modicis auxiliis in bellum civile ituram. Illud ad meas res pertinens minimè reticendum putavi. Pavii, cùm & Batavico munere & Legatione exutus hinc abiret, filium venisse ad me patris missu & operam ejus si qua in re cuperem in Batavis obtulisse. Respondi, siquid vicissim in Gallia gratum ei facere possem, me facturum. Cùm diceret, optasse patrem occasionem sibi aliquam datam, ut mecum colloqui posset, respondi & me, si se obtulisset occasio, non diffugiturum fuisse colloquium humanèque exceptum dimisi. Comes Suessionensis quod nunc intelligo, Esiam transit tuendo Bellovaco. Rex Cantelliaci est, ubi hodie ad eum venturus exspectatur cum copiis Frater: De induciis susurratur. Deum precor, Excellentissime Domine, ut Regno Tuæque Sublimitati res prosperas largiatur. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Augusti 1636.

Putatur Vindex 27. 11. 266. Eusebio 70. 60. 79. 74. 78. 55. 73. 66. D. Spiringius quid pro me ad Heufdium scripserit mihi non constat. Heufdius paululum mihi dedit. Interim debitis mihi trimestribus & tot itinerum gravibus mihi impendiis premor. Cui malo & in præsens & in posterum remedia, ut spero, Tuæ Sublimitatis bonitas reperiet.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRæter ea quæ ante septem hos dies scripsi nihil ma- 637
gni accidit, nisi quod Corbia cùm nullius rei egeret, ne præsidii quidem, nam mille sexcentos habebat, solo oppidanorum in res præsentes odio dedita est ante hos dies quinque. Præfectus & ejus adjutor, Ambianum cùm venissent, capti sunt jussu Regis & culpam quod oppidanis, hostique non restiterint capite, ut videtur, luent. Alter eorum Davausii sororem in matrimonio habet, cui recenti à legatione tristis hic statim occurrit nuntius. Dolæ obsidione abscessum est, ita urgente periculo Picardiæ, ut tempus honesto obtentui ex novis pactionibus per Helvetios cudendis exspectari nequierit. Manet pars ejus exercitus ad tuendum Burgundiæ Ducatum: ut Valettæ & Vinariensis, ad cohibendum Gallassium, qui misso Brissacum Lamboio ipse ad Drusenhemum se adhuc tenet. Sed pars utriusque exercitus & in eo equitum fermè quatuor millia eunt ad finem Picardicum, quo & Rex ipse brevi se iturum dicit, ubi illæ copiæ equestres & aliæ sub fratre Regio & Longevillano, ex ipsorum præfecturis coierint, impleturæ cum iis quos jam habet Comes Suessionensis XII, ut putatur, millia. Classis Gallica LX fermè navium, quæ Hispania circuita, cum Regis longis navibus XVI minoribus aliis,

liis, ad Massiliam se junxit, terrore magno concutit omnem oram hostilem, præcipuè Neapoleos Regnum, ubi delectûs acerbitate seditio non longè abest à civili bello. Comes Suessionensis, quod nunc intelligimus, transiit Esiam tuendo Bellovaco. Rex Cantiliaci est, ubi ad eum venturus hodie exspectatur Frater cum copiis. Deus Illustrissime Domine tibi familiæque Tuæ omnia prospera largiatur. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Augusti 1636.

Ill. Dominat. Tuæ observantia omni addictiss. H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime Domine,

638 REdiisse te Hamburgum & ad literarum commercium gaudeo. Doleo de Magdeburgo, nec mihi tantùm sed omni huic Aulæ. Solantur nos quæ de Banneriì egregio exercitu deque Wrangelii copiis supplemento auctis, & de Stargardio fortiter defenso nuntias; speramusque audituros nos propediem his meliora, quæ non tantum res firment nostras, sed & Gallorum animos confirment satis gravibus adversis concussos. Nam ex quo ad te scripsi postremum, felix ille Gallorum trans Ticinum in Hispanos pugna 22 Iunii novi Calend. nihil magni peperit, quamvis jam Mediolani multùm trepidaretur. Sabaudus semper ad pacem Hispanicam respiciens moram injecit, donec à Neapoli nova auxilia Mediolanensibus ad V CIↃ adventarent. Tum desperato progressu in Hyberna reditum est, simul adempta spes Rohanio copias suas ex Valle Telina in agrum ducendi Mediolanensem conjungendique se sociis, quem præterea seditio militum ob dilata stipendia, & morbi pestiferi per exercitum grassantes, præterea non satis secunda Rhætorum studia, ob ea quæ de libertate Valletelinatium, & prohibenda ibi Protestantium Religione Regi placuerant, mirum in modum affligebant. Tabernas Alsaticas diutius quàm oppidum illud putabatur duraturum, obsessum à Valetta Cardinali & Duce Bernhardo 14 Iulii nov. Cal. deditum est post multa damna, interque ea mortem Comitis Hanovii Iacobi & Tribuni Hebrunnii. Interea temporis Befurtum à Comite Susæ, Oberenhemum à Benfeldensibus nostris captum solatii aliquid attulêre. Dola in Burgundiæ Comitatu ab initio Iunii à Principe Condæo obsessa, magno præsidio pertinaciter se tutata est, etiam in obsidentium opera multis eruptionibus felix; nunc dies sunt quatuor quod ab eo obsidio discessum est, quia & Gallassius per Brisacum, & parte alia Carolus Dux Lotharingiæ magnis cum copiis adventabant, & majus periculum urgebat ex Picardiæ limite. Iulii quippe initio ingens exercitus Hispanorum ad XVICIↃ equitum, peditum non pauciora in illam partem incubuit, paucosque intra dies captis Capella & Castelleto, quia pulvis bellicus deerat, & militum multi aut pugnam detrectabant aut transfugiebant etiam stipendii inopia, 4 Augusti nov. Calend. ad Brajam transiêre Samaram amnem, invalidiore Comite Suessionensi, quàm ut obsisteret, ut qui VIII CIↃ secum non haberet, & qui circum habitabant nobiles, agrestes, oppidani, partim ferarum servandarum causa, partim metu ne odio tributorum res novas molirentur, exuti essent armis. Itaque nunc quæ inter Samaram & Esiam sita sunt incendiis & rapinis vastant parte interim suorum relicta ad Corbæ obsidium, quod nunc peregerunt. Lutetiæ magna se initio ostendit alacritas civitatis, Parlamenti, sodalitatum, ac collegiorum omnium ad militem & pecuniam conferendam, sed postea augescente sermonum licentia adversùs rerum potentes, Rex in Parlamento agi de Regni negotiis vetuit. Qui Regias pecunias tractant, cùm & ejus pecuniæ quam civitas hæc spontè confert ut militi inde æra solvat, partem ad se trahere voluissent, frustra fuere. Rex præterea ex singulis centuriis, quas civitas conscribebat tricenos secum ire voluit, interdixitque, ne quis opifex plus uno ministro uteretur, ut ea ratione minueretur prompta ad seditiones multitudo, cogereturque ingens turba militiam capessere; sed multos videmus in alia oppida diffluere, ab aliis militiam deseri, transfugere etiam non paucos. Classis Gallica LX fermè navium quæ Hispania circuita cum Regis longis navibus XVI minoribus aliis ad Massiliam se junxit, terrore magno concutit omnem oram hostilem præcipuè Neapoleos regnum, ubi delectûs acerbitate seditio orta non longè abest à civili bello. Comes Suessionensis quod nunc intelligimus Esiam transit tuendo Bellovaco. Rex Cantiliaci est, ubi ad eum venturus hodie cum copiis Frater. Deus, Nobilissime Domine, Tibi rebusque tuis propitius adsit. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Augusti 1636.

Literas rectè ad me curare poterit Verportius Mercator ad Blonnium qui Amstelodami res curat Suedicas.

D. STENONI BIELKIO, Legato.

Illustrissime Domine,

MAndatam Illustrissimæ Dominationi Tuæ curam re- 639
rum Germaniæ lætus intelligo, idque ut prosperum gloriosumque Patriæ ipsique eveniat Deum precor, gaudeoque tam præclarum magnis ejus virtutibus campum obtigisse. Ego sicuti omnes Suedici Regni Proceres qua debeo veneratione prosequar, ita imprimis Illustrissimæ Dominationi Tuæ cupiam testimonium posse edere meæ erga ipsam reverentiæ. Cujus rei occasionem opperiens non omittam interim rerum quæ hic atque alibi geruntur eam gnaram facere. Felix illa Gallorum, &c. (*ut modò supra.*) Comes Suessionensis quod nunc intelligimus transiit Esiam luendo Bellovaco. Rex Cantiliaci est, ubi ad eum venturus hodiè Frater cum copiis 22 Augusti, 1636.

DVCI BERNHARDO VINARIENSI.

Excellentissime Domine,

LIteras accepi Hamburgo datas 26 Iulii ex vetere Ca- 640
lendario, quibus doceor 8 ejusdem mensis juxta idem Calendarium magnum Cancellarium Suediæ Calmariam feliciter appulisse, postero die iturum Holmiam. Cum digrederetur, chartas ad me misit plurimas, indices earum rerum quæ cum Rege Daniæ cumque Megalopolitano actæ erant: ex quibus apparet, si Suedicis tantum negotiis consultum voluisset Cancellarius, potuisse jam arma poni, nec aliam pacis moram fuisse, quàm quod bellum pro bono sumptum Protestantium conditionibus, in commune profuturis terminare desideravit. Exponit Regni Rectoribus statum rerum & quicquid actum est hactenus, dabitque operam, ut quicquid in Regno est virium conferatur ad tutelam causæ à gloriosissimo Rege Gustavo tam fortiter susceptæ defensæque. Stadam missi sunt à Suedia Legati ad componendas eas, quæ cum Rege Daniæ exortæ erant, controversias, ut iis sublatis magis conspirare possint duo Regna vicina ad ea quæ utrique & amicis utriusque sunt utilia. Regem etiam Angliæ responso ad ejus pro-Legatum dato accendere nisus est Cancellarius, ut afflictissimam domum sui sanguinis partem, quando irrita tamdiu sunt verba, rebus juvet. Et aliquid nobis subinde spei ostentat extraordinarius qui hic est Angliæ Legatus, quam utinam probet eventus. Princeps Arausionensis haud dubiè movet exercitum, aut aliquid acturus magni, aut certè avulsurus malum Picardiæ incumbens. Comes Mauritius Nassavius in Brasiliam it, ad eas quæ ibi sunt copias novas adducens IV millia. Ex Asiæ India sex naves advenêre, quæ præter cætera bona nuntium afferunt stabiliti per Sinas commercii magna spe quæstûs in posterum. Hæc nunc habebamus, & vota quæ semper facimus pro Celsitudinis

Digitized by Google

nis Tuæ rebus prosperis. Deus ea, Excellentissime atque Illustrissime Domine, rata faciat. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Augusti, 1636.

Tuæ Celsit. cultor addictiss. & ad obsequia paratiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

641 EA me benevolentia Tua Sublimitas complectitur, eamque mei curam gerit, ut rationem ei non negotii tantùm, sed & otii mei debeam. Cùm horas à mandatis mihi partibus vacantes ejus Regni honori vellem impendere, à quo mihi honos obtigerat, legere cœpi ea quæ Latinè, Italicè, Germanicè, Gallicè de rebus Gustavi Magni conscripta erant. Sed cùm ea omnia viderem à consiliis cuncta regentibus nuda, neque locorum accuratas descriptiones, neque acierum ordinem, neque oppugnandi tuendique artes continentia, vidi nullam inde hauriri posse materiam operis, secunda posteritatis judicia speraturi. Itaque in præsens ad vetera me verti, cumque Gothica & Vandalica nemo antiquorum pleniùs diligentiusque tractasset Procopio, viro rerum perito, ut qui Belisario ab arcanis consiliis fuerit, versatus in iis locis ubi Gotthorum Vandalorumque arma floruerant, neque sui tantùm sed & prioris temporis res exsecutus, Latinè autem quæ ejus exstat editio magnis partibus mutila esset, & à sensu ipsius aberrans creberrimè, inelegans præterea, ex Græca editione Hæschelii novam feci atque integram versionem, adhibitis etiam manuscriptis duobus è bibliotheca Regia, ex quibus editi codicis loca plurima, partim etiam ex conjectura emendavi. Consilium est addere ex arcana Procopii historia, quam Alemannus Romæ edidit, idemque ex Agathia quæ ejusdem sunt argumenti. Et cùm manuscriptum Vaticanum Gothicorum Vandalicorumque Procopii pleniorem esse intelligerem eis codicibus quos Hæschelius erat secutus, oravi amicos Romæ, ut hiatus quosdam, qui in editis sunt, inde supplerent, mihique ea supplementa transmitterent, quod futurum spero. Ut nihil desit eorum quæ ad Scandinaviæ antiquitates pertinent, adjungere constitui quæ apud Strabonem, Plinium, Tacitum, Ptolomæum, præterea & apud posteriores, Helmoldum, Egenarthum, Adamum Bremensem, atque alios sunt ad eas pertinentia: Tum verò Gothica Iornandis: Sidonii Apollinaris epistolam de moribus Theuderici Wisigothorum Regis: Ennodii Ticinensis panegyricum datum honori Theuderici Ostrogothorum & Italiæ Regis: Leges Ostrogothorum Westrogothorum atque etiam Longobardorum cum libro Pauli Diaconi, qui ipse Longobardus ex illa eadem Scandinavia Longobardos deducit, de rebus Longobardorum, deinde nomina hominum ex illis gentibus, quæ in historiis, appellativa etiam vocabula quæ in Legibus apparent, cum eorundem origine atque explicatione. Nunc Sublimitatem Tuam suæ patriæ, quod bene Deus vertat, redditam precor, ut siquæ sunt inscriptiones veteres, siquæ Leges antiquæ, siquid aliud extra edita, quod ad explicandam Suecorum antiquitatem faciat, iis ut instruar, quò consummatius exire possit id quod destino opus. Tum verò Sublimitatem Tuam rogo pro certo habeat, me non pro salute tantùm Regni Suedici, sed & pro ejus gloria nihil quod virium mearum sit omissurum. De Cardinali Riceliaco nihil mediocre loquuntur homines. Sorbonista nuper fuit, qui ei ut numini litandum (ipsa verba posui) censuit: alius pro *Richelieu* vocandum *Richedieu*: quippe non nisi Dei esse tam sapientibus consiliis Regem informare. At alii minùs ei faventes publicis locis programmata affixere, siquis librum reperisset sagacitatis Cardinalis Riceliaci à mense jam & ultra perditum, ei pro indicio pretium fore. Infelicem se in procurandis suorum consanguineorum processibus, ne ipse quidem dissimulat, multum nuper conquestus de Bressæi ferocia deque Millereii rapinis; quibus addere potuit Ponticurleium navibus longis Præfectum, qui per imperitiam ita rem navalem nuper turbavit, ut non alia res magis classis Regiæ iter morata sit, missique huc Legati qui querelas perferrent. Tentavit Comitis Suessionensis animum Cardinalis, an consortem imperii in exercitu Bressæum ferre posset: cùm pernegasset, aliò vertit consilia, vultque copias veteres quæ sub Comite sunt & novas quæ à civitatibus totius Galliæ magno studio suppeditantur, quæque à Principe Condæo & Cardinali Valetta submissæ sunt (eæ omnes brevi ad LX M futuræ putantur) distribuere in duos exercitus, quorum alterum regat Comes prælium si possit tentaturus: alteri velut subsidiario præsit ipse, simulque utrique exercitui curet pecunias, belli instrumenta & quæ alendo sunt militi. Iam ex hoc malo quod hostis intulerat, nonnihil boni illatum est. Solidus in libram impositus rerum promercalium, & aliud in epistolas vectigal demta sunt. Civitates cùm militem suppeditent loqui etiam liberiùs incipient. Cardinalis ipse subitò popularis factus, accedere Regem, Fratrem Regium, ire per urbem comitatu exiguo. Queruntur tamen Reformati quod Archiepiscopus Parisiensis his diebus per Ecclesias populum admonuerit, ut illorum colloquia diffugeret, contra edicta Regia quæ amicitiam coli inter utriusque sententiæ homines jubent. Nimirum Romanæ gratiæ id datum, cùm optimi duces sumantur ex Reformatis, plurimumque ipsi ad bellum conferant, ut Montalbanensis civitas integram cohortem. Post Corbiam captam quid facturus sit hostis etiamnum latet. Sancurius qui nulla de causa Corbiam dedidit, sive studio in Reginam Matrem, sive ut prædiis suis circumsitis parceret, cùm à Rege capi Ambiani jussus esset, evasit non sine Chaunii (is Ambiano præerat) infamia. Fit apud Dionisii Fanum lorica à Sequana ad Matronam, ne si Esiam transeat hostis (quod tamen moliri non videtur, metu augescentium Regis copiarum) isthac irrumpit. Sed videtur consilium Hispani esse, ea potiùs adoriri quæ Belgico fini propiora facileque tam capi, quàm capta custodiri possint. Itaque præcipua parte hostilium copiarum ad Samaram se tenente, Esiam transgressus est Comes: tantaque huic urbi velut sublato periculo, securitas rediit, ut quæ in portis agitari cœperant excubiæ omitti incipiant. At in Burgundiæ Ducatum mirum quantum trepidationis intulerit Dux Carolus, qui cum equitibus fermè quater mille capto Verduno ejus tractus oppido irrupit: adeoque parum in Principe Condæo ejus Provinciæ Præfecto fiduciæ habent Provinciales, ut per Legatos hic significaverint, si à se in Picardiam abstrahatur Gassio notæ virtutis tribunus, res pessimo loco futuras. At Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus, commeatuum ut ajunt inopia & ne frugum quod erat absumendo res arctas Argentorato facerent, Alsatia relicta ad Lotharingiæ Fenestrangium se contulere: quod ut vidit Gallassius, bene munito Drusenhemo, propius Rhenum concessit, incertum an transiturus. Inter actus Aulæ quos populus incusat, hoc etiam est, quod Arnaldus edito libello Philippoburgi jacturam in Germanorum proditionem refert, & velut re bene gesta centum millia Florenorum de publico accepit. Parlamento dolet, quod Rex implacidè in eos invectus, Hispano eos studere dixit. Multi senatores ut eam suspicionem tollant, crebriùs etiam quàm solent ad me ventitant. Regi tantum est animi, ut in sermone nuper jactaverit, se hoc anno urbem Bruxellas incensurum. Et credo id fieri posse, non hinc ex Gallia, sed è Batavis, si nihil potius agendum habeat Princeps Arausionensis, qui ad Mosam agitare aliquid videtur. Nec mari quiescitur, sed ma-

Digitized by Google

naves ab India Asiatica reduces per Sinas constabilitum commercium referunt. Mittitur in Brasiliam Comes Mauritius Nassavius ad eas quæ ibi sunt copias IV M recentia adferens, in spem haud dubiè conatuum dignorum Nassavio nomine. Sed magna illis damna sumtusque Angli irrogaverunt alienissimo tempore, si qua Palatinæ domus cura est. Northumbrius decimam de piscatu postulans effecit, ut piscatores omnes Batavi mari decederent: unum eorum, ducem ceterorum ad se colloquii specie vocatum avexit in Angliam: quod quàm ægrè futurum sit Batavis facile intellectu est. Comes Licestrius ita loquitur, quasi & fœderis cum Gallis & restituendæ cum Batavis amicitiæ spem bonam habeat. Idem mihi dixit, intelligere se ad Sublimitatem Tuam ab Imperatore venisse literas: factasque à Suedis inducias trimestres: quorum nihil mihi gnarum respondi. Alter Legatorum Scudamorius velut ob morbum uxoris abiit ad Aquas Pougenses, ingratus sane Gallis hospes: sed non ita ab his contemnitur Anglia, ut expetere ausint ejus revocationem: si faciant nihilo magis promoturi quàm Pontifex, qui jam bis ter amoveri Roma Estræum postulans hoc ipso ostendit utilem esse Gallis, qui ibi retinetur. Sancurius, cujus modo memini in Angliam se recepisse creditur, futurum puto, ut Rex eum reposcat. In Italia nihil boni sperandum est. Ita omnia Sabaudus corrupit, corrumpitque societate infida. Et in valle Telina quàm inopes sint Rohanii res, quàm adversa Gallis Rhætorum studia ob libertatis periculum, dicet Marinus. 14. 27. 61. 37. 60. 77. 42. 78. 2010. 113. 217. Suis ad me literis jubet me bene sperare ego quod facere potui rem Deo commendo. Apud Cancellarium Franciæ commendando sæpe Annæ Pomeranæ Principis negotium, ita ut Sublimitas Tua mihi præscripserat, effeci, ut decretum ejus rebus commodum fieret, quod ad ipsam transmisi. Cum his literis eunt duæ delineationes pactorum, altera quondam Falkenbergio satis probata, nova à priore nonnihil discrepans altera, de locis desertis Estoniæ & Ingermaniæ ad culturam redigendis. Viri sunt in Batavis primores qui id suscipere volunt. Quare rogo Sublimitatem Tuam, chartis his perlectis, ut æstimet, à quod proponitur non tale sit, quod præter alias utilitates etiam momenti aliquid sit allaturum, quo magis status Suedici salus ei reipublicæ cordi sit. Puto & D. Spiringio aliquid de eo innotuisse. Scribit mihi D. Grubbius se cum D. Salvio in id laborare, ut cum Daniæ Rege concordia sanciatur. Nescio ego an aliquod sit fœdus quo Dania ad tuendum eum, quo nunc est Suediæ, statum, si forte armis quis impetat, obligetur. Haud dubiè cogitabit Tua Sublimitas, si qua sit ratio, qua id regnum à Polonicis molitionibus possit abstrahi. Literæ Coloniæ 9 Augusti Gotzium ajunt ab Hamburgi arcis oppugnatione rejectum abiisse, ad Gallassium an ad Albim incertum. Inter Francofurdienses & Hanovienses restituta commercia. Scottam Darmstadiensis tractus oppidum irruptum à Ramsæo conpulsamque ad belli tributa Wetteraviam. Ratisbonam rediisse Comitem Arundelium, eodemque venire Cæsarem. Erenheitsteinii res bono esse in loco. Pecora multa in ambitu pasci: ipsosque præsidiarios sæpe transito Rheno præda graves redire. Viri quidam Galliæ rerum admodum periti, qui me accessêre ita judicant, non posse Galliam diu bello sufficere: tum quod regionibus maximè frugiferis ab hoste infessis (nam & Campaniam invasisse Isolanus nuntiatur) neque solitis Gallis in longinquum prospicere brevi alimenta defutura sint militi, tam quod pecuniæ in parvi temporis impendia ægrè corrasæ sint & alias reperiendi viæ fermè obstructæ. Nam agrestium quos Crocantes vocant seditio per Languedociam vicinasque terras sedata est concessa immunitate omnium onerum de quibus querebantur: quo exemplo forte & necessitate aliæ quoque provinciæ levamenta orant atque extorquent: nec jam redemtores reperiri possunt, qui onera exigenda suscipiant: & Rex ipse crebris subditorum questibus inflectitur. Oro Sublimitatem Tuam me meaque ut pro sua bonitate curet: Deum verò, Excellentissime Domine, ut ei optima consilia suggerat. Lutetiæ 1/11 Augusti 1636.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

D. GRVBBIO.

Nobilissime atque amplissime Domine,

Literæ quas 26 Iulii ad me scripsisti, tum quod multa scitu digna nuntiant, pergratæ mihi sunt, tum quod virum summum Dominum Salvium, cui plurima debeo, mei memorem ostendunt. Ego quantum vestrûm utriusque amicitiam faciam, si rebus potiùs quàm verbis possum ostendere, gaudeam. De Magdeburgo & Stargardia minuit dolorem anticipata jam mali utriusque exspectatio. Magis cupiam illud de Landgravio: sed quanti temporis sint quæ cum hoste iniit pacta, & an Gallis facta consciis multum refert. Domini Iohannis Skytii casum doleo. Spero ea esse belli commercia quæ libertatem facilè indulgeant. Danus multum metuo ne præter veteres simultates Poloni in res nostras molitionibus implicetur. Vnde si qua pactione atque etiam concessione eorum quæ ob locorum situm Albimque penè præclusum ægrè defenduntur, abstrahi poterit, id bene erit: sin minùs, etiam atque etiam videndum, an Suecia præter apertum hostem Cæsarem & Pontificios Germaniæ tot aliis clancularriis par esse possit, & quæ sunt rationes horum malorum parte saltem aliqua semet explicandi distrahendique infestos. Hæc Aula noxis mutuis in Austriacos magis magisque accenditur & cùm nuper Picardiam invaderit Hispanus Cardinalis in edicto posuit id se etiam Cæsaris mandato facere. Sed mirum quàm in Aulæ Romanæ gratiam consilia hic versentur, non levi, ni fallor, periculo Galliæ & regentis cuncta Cardinalis. Iam nunc Archiepiscopus Parisiensis publicè in Ecclesiis moneri homines jussit, ut à familiari convictu ac colloquio Protestantium abstinerent, cùm mutuum inter diversa sentientes commercium amicitiamque edicta imperent, & tamen optimi duces Rohanius, Lafortius, Castilionæus ex illis sint, & civitates in quibus eorum numerus prævalet, ut Montalbanum, magno studio militeque ac pecunia rem communem juvent. Remisit jam eo usque ea quæ in hac urbe fuit trepidatio, ut imminutæ alibi sint excubiæ, alibi & negligantur, nimirum quòd hostis omisso ut videtur Esia qui inter Samaram Sequanamque medius fluit, Samaræ adsita ac proinde Belgico fini propiora adoriantur; quanquam quid nunc agant, postquam Corbia ipsis nimium facilè per ignaviam Præfecti obtigit, dubitatur. Interim bene est quod Regi tempus datum est exciendi civitatum terrarumque vires, ita ut propediem LX millia ad finem Picardiæ habiturus credatur, eisque bipartitis, altero exercitu prælium ausurus altero interiora obtecturus. At in Burgundia postquam à Dolæ obsidio abitum est, trepidari à Gallis incipit, quod occupato Viroduno ad Ararim cum equitum ferme IV millibus illuc irruperit Dux Carolus. Cardinalem Valettam & Ducem Bernhardum alimenti inopia coëgit Alsatia digredi & in Lotharingiam se ad Fenestrangium referre; quorum abitu securior Galassius, postquam Drusenheimum bene permunierat, ad Rhenum concessit, incertum utram in ripam bellum portaturus. Gotzius ei se juncturus an aucturus sit ad Albim hostium vires dubitatur & hoc. Hanoviam intelligimus cum Francofurdiensibus restituisse commercia: nec minùs prosperè armis rem gerere, quando Scotum Darmstadiensis tractus oppidum irrupisse, Weteraviamque ad tributa bellica compulisse dicitur Ramsæus. Elenbreidsteinium & pecore abundare & prædis ditari nuntiatur. Ratisbonæ

æ jam est Angliæ Legatus Comes Arondelius, & ipse, nisi exspectatio hominum fefellit, Imperator; Electores alii in itinere, alii præmissis Legatis secuturi. Ajunt quidem Angliæ Legati nihil se boni Ratisbonæ sperare, sed tamen neque fœdus cum Gallis faciunt, & Batavorum labores pro re communi impediunt, disjectis viâ ac metu eorum piscatoribus, qui mari decedere maluerunt quàm semel suscipere onus ex quantuliscunque initiis cum tempore tanta sumturum incrementa, ut quæstum incertum & modicum facilè sint exhaustura & sic transmotura plebem maritimam ad terras ejus oneris immunes. Hæc res & pecuniæ Hispanicæ ex Anglia in Flandriam transvectio in causa sunt, cur restitutionem Palatinæ domus à proximis suis derelictæ vix sperare liceat: videtur mihi Anglus conciliaturam suam oblaturus ad ea quæ Suedis Danisque intercedunt negotia, si ea tamdiu trahuntur. Fatigat enim se illa gens Legationibus & plerumque irritis. Gallis & hoc minùs consilia sua probabunt, quod in Angliam recepisse se dicatur Sancurius deditæ citra necessitatem Corbiæ reus. In Italia nihil agitur, adeo titubat ista societas, ad Hispanos semper Sabaudo respectante. Et Rohanio vix quicquam est virium, adversa præterea Rhætorum studia, ideo quod Galli potentiam firmare munimentorum possessione quàm populorum liberorum benevolentia malunt. Classis tum illa quæ per Oceanum ad oras Massiliensium, obitâ Hispaniâ, venit, tum illa quæ jam antè ex longis navibus constans in Mari erat interno, nihil adhuc agit, occasiones rei gerendæ an pacis per Pontificem cudendæ tempus exspectans. Hæc nunc erant. Quicquid posthac nosci dignum inciderit, non patiar vos ignorare, rogoque ut quicquid in illis geritur partibus quod mihi ad bonum publicum sit cognitu utile id ne ignorem. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, tibi, Domino Salvio, nobisque omnibus propitius adsit. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Augusti, 1636.

Tuæ Nob. addictissimus ad omnia obsequia H. G.

LUDOVICO CAMERARIO
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

643 VEnêre ad me Calendis Septembribus literæ quas 6 Augusti dederas, uberrimæ illæ & eo quoque nomine gratissimæ, ut quæ non modo rerum cognitione me instruant, sed & ad rectas judicationes facem alluceant. Ego quod eis reponam, haud multum habeo: quia ex quo postremas scripsi (scripsi autem crebrius ob quotidianas rerum mutationes) nihil magni intervenit. Si Landgravius ex temporaria pactione perpetuam facit, perierit partibus nostris totum, quod bello obtendimus, Germaniæ nomen. Nam Ducem Bernhardum Gallis accenseo: quem ea, quam rectè præsagiebas, frugum pabulique inopia ad Metensium fines retro egit, parte equitatus abducta ad has partes graviter eo tempore periclitantes. Eadem deserendi Dolæ obsidii, & quidem præproperè nulla pactorum specie, causa fuit. Nunc dato Regi tempore ad sananda multa quæ laborabant, supplendas copias veteres, scribendas novas, contrahenda quæ bello necessaria, metus hujus civitatis ita resedit, ut omitti excubiæ incipiant, nimirum quod appareat hostem, non procedentibus quas speraverat seditionibus, omnia jam consilia vertere ad Samaræ adsita, sibique propiora. Etiam Burgundiæ Ducatus minus pavet, recepto Principis Condæi armis Viroduno ad Ararim. Gallassius ita exercitum habet, ut in utra Rheni ripa agendi se dederit occasio, eo se possit vertere. Hactenus tamen nihil efficit. Classis Regis, quæ ex Oceano profecta cum illa quæ interno mari præsedit hactenus se conjunxit, hoc habet mali, quod ab hominibus regitur rei maritimæ ferè ignaris, terror tamen latè sparsus Hispanum impendiis illigat. Ex Italia brevi nihil spero. Sabaudus intempestiva cunctatione sivit ita increscere hostium vires, ut jam duplæ ex sint ad Gallorum Sociorumque copias. Rohanio, quo minùs ad Socios pervaderet, pecuniæ & machinæ & Rhætorum studia defuerunt. Video post scriptas literas tuas incaluisse Anglorum cum Batavis certamen, magno rei communis incommodo. Non desino ostendere Legatis qui sanè me amant, piscaturam istam, ut alendæ multitudini necessariam, ita minimè esse quæstuosam, & si vel minimum oneris agnoscatur, gradum ad graviora fieri. Nullum potuisse tempus esse alienius commovendo quod tamdiu quieverat negotio. In Ratisbonensi Conventu futurum ut consentientium suffragiis Rex Romanorum fiat, neminem dubitare video. Palatinum negotium trahetur, quamdiu id ferre Angli poterunt. Spes nos solatur quo longior fuit patientia, eò in justiorem indignationem erupturam. Sed interim dilabitur totum illud Protestantium corpus. Literas Magni Cancellarii ad Reginam Bohemiæ vidi, scriptas, ut omnia sunt illius Viri, prudenter & fortiter. Det Deus ut quæ ipso ejus scripsit hortatu, aures non surdas inveniant. De Bannerii Wrangeliique copiis optima me sperare jubent, quæ ex illis regionibus ad me perscribuntur. Siquis inde bonus nuntius advenerit, multum valebit ad confirmandum Regis animum, ubi viderit suos maximos labores à fœderatis pro ipsorum parte sublevari. Magisque etiam crescent ei animi, ad reponendam hostibus de malis Galliæ illatis ultionem, si quid prosperi Principis Arausionensis arma & per Brasiliam Batavorum conatus pariant. Rex Daniæ utinam possit, non dicam sociari nobis, id enim supra spem est, sed eò flecti ut in pace cudenda cordi illa habeat quæ Religionem ipsius, & in propinquos pietatem decent. Legatus Poloniæ ad me non misit, neque ego ad eum, tuis literis præmonitus. Manet hic ob morbum, ut ait: & certè non optimè eum valere satis constat. Interim cum Anglis agitur & per Pontificis ministros cum Gallis etiam, in ea intentus quæ ad turbandum aliquando Sudiæ statum dirigantur. Rex & Cardinalis ad exercitum qui Picardiam tuetur, abeunt: Legatos sequi se noluerunt, relictis in urbe Bulionio Butillerioque patre cum quibus ageremus. Regina hic manet. Equitatus Galassii in Ducatum Burgundiæ Bressiamque incumbit. Turcæ res adversùs Persas post amissum Rewanum malè procedunt, exercitu ejus multum imminuto morbis & fugis, ob stipendii penuriam. Præterea in Asia magno militum numero ad seditionem versos & Tartaro ad Pontum Euxinum, nutante. Deus, Illustrissime Domine, res communes teque & familiam cordi sibi esse velit. Lutetiæ 4 Sept. 1636.

Tuæ Illustr. Dom. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

POstquam postremum Sublimitati Tuæ scripsi, dies jam sunt quinque. Venit ad me is qui nuper quoque apud me fuerat Regis Admissionalis, Brulonii Comitis collega, sororem habens in Bulionii pecunias tractantis matrimonio. Missus à Rege erat ut mihi, Legatisque aliis indicaret, ire Regem tutandos ad fines, placere sibi ne Legati sequendi se laborem sumerent. Si quid haberent agendum aut significandum relinqui hic Bulionium & Butillerium patrem, quos adire possemus. Nam Cardinalem & Butillerium filium Comitem Chavigniacum Regi comites fore. Regina hic manet. Frater Regius an hic sit mansurus incertum est. Rex & Cardinalis jam abiêre Compendium, quo contrahitur exercitus ex veteri ac novo milite. Hostes qui multum crevisse, & ex 644

novis

novis dilectibus & ex longinquioribus exercitibus, Regis ad hunc finem copias non ignorat, Corbiæ muniendæ intentus nihil dum magni aggreditur, habens & in alteram partem Principis Arausionensis conatus quos respectet. Hic in urbe magna securitas. Excubiæ paucis in locis aguntur cum hastis, non ut ante cum musquettis, quia nuper domesticos quosdam Cardinalis, urbanas vigilias obtrectantes, musquettis armati trajecerant. Sanctisimonius hactenus gratus apud Regem, captata occasione, quod propinquus ejus esset qui Castelletum tradidit, quasi aspectu suo vulnus Regi refricans, ex Aula in exercitum extrusus est. Davausius primo statim adventu per Patris Iosephi gratiam rem magnam perfecit, ut post tam durè tractatam famam absentium qui Castelletum & Capellam tradiderant (equis enim discerpi jussi sunt) Sancurius qui Corbiam neque præsidii, neque machinarum, neque bellici pulveris, ut alia illa oppida, egenam tradidit dissimularetur cùm excusationi cum amicis nihil aliud obtendat, quàm quod captam Lutetiam, ac propè omnia periisse existimans sibi consuluerit. Verdunum ad Ararim recepit Princeps Condæus: sed maxima pars Gallassio cum equitatu ei abit, mala quo Comitatui Burgundiæ illata sunt in Ducatum, si potest, vindicaturus. Cardinalis itaque Valetta, ut ex literis quas Meti Thuanus scribit 27 Augusti cognoscimus, putat se, ei Ducatui simulque Campaniæ Gallicæ tutandæ, quibus nunc est in locis mansurum. Hostem qui ad Samaram est, agitare Dorlani obsidium multos credere video, commeatibus abundat, quarum magnam partem Roia capta invenit, messem præterea eripuit Gallis. In Regis exercitu haud dubiè multa desiderantur. Idque inter causas esse suspicamur, cur nos abesse malit, ne vitia appareant. Edidit Bipontinus quidam Stella nomine è Protestante factus Pontificius dissertationem de pace Pragensi, in qua Saxonem non figuratè sed simpliciter satis perfidum vocat, multisque criminibus & ipsum & ejus exemplum secutos onerat. Lectus est liber antequam prodiret, à Medico Cardinalis, quo is librorum Latinorum censore maximè utitur. Puto per D. Camerarium ejus libri exemplum ad Sublimitatem Tuam perventurum. Romæ Estræus tandem à Pontifice liberum dicendi jus, non ut Pontifex voluerat, adstrictum ad Parmensia negotia deseruit, amovitque æmulum, ordinarium Romæ Legatum. Cardinalis Ginettus parat se itineri Coloniensi. Scribit ad eum Pontifex: *Martio Ginetho S. R. E. Cardinali Diacono, Almæ urbis Vicario nostro & Sedis Apostolicæ de latere Legato, ad Ferdinandum I I. electum Regem*, &c. nec non ad utrumque Regem. Quod Imperatori Romæ non coronato titulum det Regis tantùm, moris est Romani. Schavaskius ægrotat, ut Medici ajunt non sine periculo. Vienna docemur Arondelium magna minari, nisi obtineat quod æquum putat. Id autem ut obtineat cum Bavari pace nemo non difficillimum videt. A Duce Brunsvicensi dicitur postulare Imperator, ut in Conventu qui futurus est Coloniæ, ostendat suum in Imperatorem studium: deinde de Hildesheimo moram non fore. Maguntiacensem ideo ordinari more Ecclesiastico voluisse, ut ritus in electione Regis Romani usurpari solitos exerceat. Henricum Vasques ab Ænipontana Principe venisse Viennam, atque eodem prope tempore à Mediolano Senatorem ad præstruentia consilia Conventus Ratisbonensis. Commeatus multum Heilbrunam mitti; à regionibus illis propè Danubium magna ab Imperatore tributa exigi: Laboraturum Ognatium ut si possit à pacificandi negotio Alcalam submoveat. Scriptas ab Imperatore ad Mantuanum literas, ne se bello infelici ulterius involvat: Sabaudum autem, quicquid fecit hactenus, quod Cæsari Hispanisque adversum videri posset, excusare ut necessitate expressum. Manent ejus Ducis implacabilia cum Crequiaco diffidia: nec quicquam video inde bonæ spei, quando cuncta ad Ticinum munimenta Galli deseruere, camposque impunè persultat hostis cum XX CIↃ ut scribitur, vix dimidium tantum extra præsidia habentibus Gallis eorumque Sociis, qui prope Sesiam se tenent. Arcem Mediolani Hispani majore præsidio novisque operibus firmant. Rohanium præter famem pestemque retinet metus è Tirolensi agro. Regiæ naves quæ ad Massiliam sunt, adhuc otiantur. Literas ab Argentorato hostis intercursans nobis invidet. A Tiguro Literæ 2 I Augusti nov. Cal. ajunt 57. 42. 66. 31. 55. 48. 61. 113. 72. 69. 27. 76. 71. 1080. 85. 52. 77. 66. 33. 82. 66. 33. 14. 85. 24. 32. 81. 61. 118. Non temerè credo. Sed non placet mihi tantum de eo esse fabularum, unde id sit video. Nec impedire potui. Discimus ex iisdem literis qui Poschavium indictus est Rohanio Duce volente Conventum, quantum conjici potest, nihil acturum magni, sed ut fieri amat, res renuntiaturum civitatibus. Interim Tribuni & Centuriones Rhæti in fide ad tempus retinentur, arte Gallica negligendi milites, obligandi duces. Nam cùm pecunia non suppetat, panis cohortibus datur valde imminutis per morbos & fugas, quasi integræ essent, quod Ducum lucro cedit. Queruntur Galli cùm Curiensis Episcopus postremum electus est, ad Ænipontanam scriptas à Rhætis literas æquo submissiores. Illi quo duriùs habentur à Gallis eò magis ad Austriacos se inclinant: neque tamen multum efficiunt iis quæ postulaverant, dictitante Ænipontana consulendum sibi Imperatorem. Novæ Germanorum, post eas quæ transierant in Italiam, copiæ non apparent: quanquam misit eam ob rem idoneum hominem ad Regem Hungariæ Mediolanenses terras regens Leganesius, & ajunt Hispani adventare tria millia peditum, mille equites ab Ognato, non ut putabatur, ex Silesia sed aliunde collecta. In locum copiarum quas Gallassius in Ducatum Burgundiæ & Bressiam misit supplementum ei venire ajunt ex Suevia, ad VI CIↃ partem eorum non longè à Schafhusio se tenere. Vtramque enim Rheni ripam planè jam teneri à Cæsarianis. A Constantinopoli quas vidi literas, satis veteres sunt 12 scriptæ Iunii novi Cal. Nuntiant post Rewanum amissum magna Imperii Turcici mala. Persarum validum exercitum. Ipsorum imminutum morbis, & malè curato stipendio. Tum verò custodes Asiæ milites seditionem captasse gravem, quod in stipendiis rebusque aliis præferretur ipsis novum militum genus à Sultano conscriptum, quos Seimenos vocant. Dari quidem operam à Sultano mitigandis animis, sed dubia spe. Ipsum Sultanum hyemis impatientem, ante ver Constantinopolim non abiturum. Accedere ad hæc quod Rex Tartarus ad Euxinum Pontum ire in Asiam detrectet, & interfecto Bassa Caffensi, quanquam excusatores in Aulam miserit, insolentiam illius & concussiones accusans, suspectus tamen fit rerum novarum, quapropter Legati ad eum missi sunt, honoris specie, cæterum ut consilia ejus explorentur. Suspectam & Poloniam, & displicere mandata quæ Legatus attulerit, ideoque dubitari an eum auditurus sit Sultanus, retineri tamen spe incerta: Missum ex ea Aula qui Russi amicitiam augeat, Thomam gente Græcum: & alium qui Moldaviæ Waiwodam Valacho, in utilitates ejus Aulæ, conciliet. Consuli & oræ Euxini misso cum classe Sabam Zeio adversùs Cosaccorum rapinas: aliam classem ad Euboicum ivisse mare intentam prædis. Ab Alexandria classem anniversariam bene appulisse Constantinopolim. Hæc postquam scripseram vidi recentiores ab Italia literas datas 2 Augusti novi Calend. Inde disco etiam cuncta ad Sesiam loca derelicta à Gallis eorumque Sociis. Nec ullum retineri ab eis pretium tot laborum, præter Valettam & Bremum. De Sabaudo & hostibus tanto validioribus probantur quæ modo posui. Additurque omnia movere Leganesium, ut in Subalpinam regionem, quæ Pedemontana dicitur, bellum regerat. Centena scutatorum millia menstrua ab Hispano rebus Mediola-

Digitized by Google

diolanensibus destinata. In Neapolitano Regno conscribi quæ fine Augusti parata sint XII CIↃ peditum, equitum quatuor: & ab Hispano venire Philippum Sylvam cum VI CIↃ militum. Aucta hæc fortasse nonnihil in majus, cæterum ostendunt ingentes hoc anno esse hostium paratus, qui si retundi poterunt in annum sequentem aut bellum nobis felicius aut pax æquior sperari poterunt. Parmensis privata odia adversus Auriam exsequitur, capto Sancto Stephano ad fauces Vallis Tari, in id auxilia Gallorum sibi ventura exspectat, ubi sua bono posuerit loco, quâ fide adversus socios futurus haud dixerim. Mantuanus nihil aliud quàm patitur belli mala in Montisferratensis ditionem undique ingruentia. Dux Ethruscus spectat hæc, auget classem, præsidia & munimenta. Hic erat nunc rerum status, quem Deus, Excellentissime Domine, faciat nobis secundiorem. Lutetiæ 5 Septembris, nov. Cal. 1636.

Tartaros Poloniæ finitimos incursare Poloniam ipsi Poloni ajunt: & in id ipsum ad Ducem eorum Cantamerum à Sultano missa munera, eadem illæ à Constantinopoli literæ docent.

D. * HOLSTENIO.

645 NOn amo, Vir Eruditissime, mihique semper Charissime, negotium exhibere amicis; itaque peperci tibi hactenus: quod nunc quò minùs faciam obstant amici duo qui Romam eunt, alter ab arcanis & epistolis Suediæ Cancellario; alter mihi propinqua admodum affinitatis junctus necessitudine, fratre meæ matris familias genitus. Illi nomen Schmalchius, natales Suedici: Zelandus alter, eodem, quo mea uxor, nomine Reygersbergius. Volunt videre Romæ veteris reliquias & splendorem novæ, & quia externis multa accidere possunt improvisa, tutelam quærunt; quam ego in te homine Germanicæ fidei eos reperturos non dubito, paratus, si quid velis, paria facere. Quidni etiam de literis, illis dico nostris, aliquid adjiciam? Cùm Suediæ Regno me dederim, quæro cuncta quæ ad gentium Scandinaviæ veterem historiam pertinent. Verti Procopii & Gotthica & Vandalica ex Græca editione optimi Hæschelii. Contuli cum manuscriptis ex Regis Franci bibliotheca duobus, quorum altero usum video Hæschelium, & partim ex iis, partim ex ingenio, ut solemus, correxi multa properanti Hæschelio præterita. Sed hiatus qui in Hæscheliana sunt editione (deprehenduntur autem ex versione Latina quanquam aliis in locis mirè mutila) iidem in illis erant manuscriptis codicibus. Eorum hiatuum indicem (sunt autem non multi) ad D. Perresium amicum communem miseram, ut ejus gratia eorum supplementum abs te potissimum, si tibi non vacaret, ab alio obtinerem. Nunc ex Puteanis intelligo, Elsevirium & supplementum eorum hiatuum, & multas ex vaticano codice quo usum Stellemannum video emendationes secum ferre in Bataviam. Non invideo: & eorum editionem si non nimium morantur, opperiar. Cæterum si tuo veteris amici beneficio sarcire possim illa quæ hiant, de cæteris non ita multum sim sollicitus: audeamque cessantibus si fortè Elseviriis mea negotiorum multorum subseciva protrudere. Sed hæc omnia tui sunto arbitrii. Tibi omnia quàm prosperrimè procedere & opto & magno semper cum gaudio intelligam. Vale 10 Septembris 1636.

Tuus ut semper H. G.

D. GERSDORFIO.

Vir Nobilissime,

646 ITer in Italiam sub idem ferme tempus, quod tibi destinatum arbitror, duo mihi perchari alter conjunctus publicorum negotiorum vinculo D. Schmalchius, Magni Suediæ Cancellarii Secretarius, in magna apud ipsum gratia, alter affinitate propinqua admodum, fratre genitus meæ conjugis. Qui si te nondum transgressum Alpes, aut alibi locorum invenire poterunt, felices judicabo: Idque si Deo volente evenit: mutuam ut amicitiam inter vos colatis, illos monui, te verò precor. Si quid vicissim facere potero, quod tibi sit gratum, nihil aliud erit opus, quàm ut sciam. Vale & nos ama 10 Septemb. 1636.

Tuus vero animo H. G.

D. GUISCARDI.

Illustrissime Domine,

NEscio an per ea in quibus agis loca transituri sint 647
D. Schmalchius, Magno Suediæ Cancellario à Secretis, & fratre genitus meæ conjugis meæque domi versatus hactenus D. Reigersbergius. Sed felices judicabo, si eis conspectu colloquioque tuo, quæ ego sæpissimè desidero, dabitur frui. Quod si ipsis Deus concesserit, rogo ut referre aliquando possint meæ commendationi apud Virum tantum ponderis fuisse aliquid, ut in eo triumphem. De iis quæ geruntur nihil addam: nam & serò puto perventuras has literas & diligentiam Domini Priandii nemo est qui exæquet. Vale Vir summe. Lutetiæ 10 Septembris 1636.

Tuæ Illustr. Ampl. addictiss. H. G.

D. STENONI BIELCHIO,
eadem &
D. CAMERARIO & GRUBBIO.

BEllum Galliæ duabus ex partibus incubuit. Nam dum 648
ad Picardiam periclitantem miles à Principe Condæo abducitur, in Ducatum Burgundiæ incubuit Dux Carolus & Galassiani exercitus bona pars, tanta vi, ut eo tractus sit cum copiis quæ ipsi restabant Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus, hic capto prius per scalas in Lotharingia Rembirvillerio parum firmo oppido. Etiam his accessionibus sustentatus Princeps Condæus ægrè sperat se parem fore reprimendis illis hostibus. At qui ad Belgicum sunt finem hostes in utraque agunt Samaræ ripa, Corbiamque muniunt, ut transitum amnis suæ potestatis habeant. Rex Sylvanecti agit, Reginam urbi, exercitui summo cum imperio Fratrem præfecit: & affluente ex omni Gallia tum Nobilitate, tum eo quem civitates collegerunt milite XV instructis machinis ultro Belgis minatur. Hæ curæ propiores de Italia cogitari non ferunt. Itaque ibi agros tenet validior haud paulò hostis. Classis Gallica & Hispanica mutuo metu tempus transigunt. Magna spes in Principe Arausionensi ponitur, in Anglo vix ulla. Legatus Polonus commodiore jam valetudine dona Regia exspectat & molitur abitum. Landgravius Hagæ quid egerit nondum hic cognoscitur. Deus, Illustrissime Domine, tibi res prosperas concedat. Lutetiæ 11 Septemb. 1636.

Illust. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

MEnsis hujus initio cùm Rembirvillerium in Bur- 649
gundia scalis irrupisset Dux Bernhardus, Principis Condæi omnem Burgundiam periclitari à vi hostium clamantis literis excitus ipse ac Cardinalis Valetta eo profecti sunt, & jam hostis, præter excursores aliquot, se in Comitatum recepisse dicitur. Duci Bernhardo audio IV esse equitum millia, peditis vix quicquam. Narravit mihi Degefeldius, cùm Dola obsessa esset, tantam fuisse imperitiam disponentium machinas, ut globi plerumque intacta urbe, in partem castrorum alteram inciderent.

Ad

Digitized by Google

Ad Corbiam nihil dum aliud, quàm munit se hostis. Rex Sylvanecti est: mitto acta quibus Reginam huic urbi, Fratrem armis summo cum imperio præponit, multo verborum honore, velut longa experientia cognitos, cùm hæc prima sint utrique regendi rudimenta. Reginæ consilium additi Bulionius & Butillerius quem Angli non minùs quàm ego, siquid obveniat, adire jussi: præterea Princeps Parlamenti Lesaius & Leo. Fratris Regii nomen repertum est, sub cujus umbra Cardinalis imperaret, cui fasces submittere noluerat tentatus Comes Suessionensis. Veteri sanguinis profluvio non sine ulceribus ac dolore laborat Cardinalis, flans interim ingentes spes. Nam Fratri Regio dixit, se ipsi à Sacris futurum Bruxellæ, hac expeditione. Creditur Rex brevi in his partibus habiturus LCIↃ, egregiis Nobilium civitatumque studiis. Machinæ ei sunt XL, eductæ è Portu Gratiæ pleræque. Turcam sperant Galli moliturum aliquid quo vires Hispani distrahant. ego ægris adeo, ut nuper scripsi, ejus Imperii rebus nihil magni sperare audeo. Bressæus quod de se questum sciat Cardinalem infensus, privatis insuper stimulatus in Milereium odiis, videtur abjicere velle publica munia, dolente nemine. Classiarios omnes Pontcurleio (alius hic est Cardinalis propinquus, longis navibus præfectus) iratos dimissionemque postulantes literis & melioris imperii promissis placat Cardinalis. Iam tertium intra paucillum temporis salutatum me venit Regis Admissionalis, dixitque Schavaskium redditum meliori valetudini, iter domum parare per Venetias. Quid egerit nescio. Cæterum aliquid nobis noxium latere suspicor. Ait Heufdius polliceri Bulionium nobis sub anni hujus exitum XXXII Imperialium dalerorum millia. An staturus sit promissis nescio. Certè impellere non desinam, summa tota repræsentata valere ad res agendas potuisset. Istæ particularum solutiones nihil aliud sunt quàm vincula, quibus nos retineri putant obstrictos. Londinio Rex Angliæ ob luem digressus Oxoniæ nunc est. Ait Comes Licestrius non in Imperatorem tantùm & Bavarum, sed & in Hispanum justas sibi armorum causas, quod hic procuraturum se ut Palatinatus cum Electoratu reddatur promiserit. Procurandi verbo includi præstandi necessitatem volunt Angli, cùm Hispani operam se debere, non & eventum prædicent. Quamdiu cum Batavis de mari calet controversia, quis est qui Anglos qua oportet fortitudine Palatini negotium curaturos putet? Landgravius quid Hagæ egerit, quid acturus sit Arausionensis Princeps, magna est expectatio. Iuvenis Princeps Wittembergius ivit ad castra Regis, mihique valedicens rogavit, ut Tuæ Sublimitati per me commendaretur. Milereius magnus antehac Religionis Reformatæ defensor, sed à suis abscissus dum Cardinalis Riceliaci auspiciis conciliaturam inter Romano-Catholicos & Euangelicos molitur, nihil deterritus libri antehac à se editi successu improspero, aliud vulgavit inscriptum Cardinali, hoc titulo: *Christianæ concordiæ inter Catholicos & Euangelicos in omnibus controversiis instruendæ consilium*: nihil aliud haud dubiè, quàm apud illos irrisum, apud hos offensam lucraturus, cum initium faciat ab assertione Primatus Petri quem perpetui Ecclesiastici Regiminis causa institutum asserit. Neque videt Cardinalem aliosque Pontificis Ministros sub pacis vocabulo nihil aliud agere, quàm ut speciosum obtentum subministrent iis, qui ob metum aut spem à parte afflicta ad valentiorem cupiunt transgredi. Ratisbonensis Conventus jam coiisse creditur, atque inter cætera acturus de Trevirensis depositione. Crediderim magnas esse inter Rhenum atque Ararim hostium copias, quando Princeps Condæus nuntiatur nobis incendisse suburbia Divionis, ne illis latebras præberent, & Colmaria magno exercitu premi. Opto, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitati res prosperas. Lutetiæ 11 Septemb. 1636.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

AD Sylvanectum sunt nunc quoque Rex & Cardinalis, 650
Rex bene valens: Cardinalis super corporis dolores animo quoque æger, dum cogitat quantis rebus & Fratrem Regium & Comitem Suessionensem, armis nunc Regiis ita cogente necessitate impositos, offenderit, cunctaque consilia circumspicit, per quæ non Galliæ tantùm, sed & sibi consulat, & sua & propinquorum oneratur invidia, non ita placatis dejecto Bressæo Nobilium vulgique animis, ut stantem Milereium patientes aspicere possint, cujus avaritiæ nova hæc Regni vulnera feruntur accepta. Accedit fama ipsam Reginam matrem Capellam venisse, ut è propinquo factionem, si posset, suscitet, quod tamen vix successurum creditur, quia ultio ejus cum Hispanorum rebus conjuncta est, quorum odium metusque apud Gallorum animos omnibus inimicitiis graviora sunt. Corbiam hostes ita in altum excitatis operibus munierunt, ut oppidi aspectum abscondant. Partem tamen copiarum habent in iis locis, quæ nobis cis Samaram sunt, quasi prælio paratam, quanquam non credunt rerum periti consilium ipsis eam aleam jactandi. Nec magis id Rex, quanquam & ipse pugnaturi famam spargit, facturus videtur: nam & Pictaviensem & Armoricam Nobilitatem venire ad se paratam in ver distulit. Rembirvellerio per vim capto bonam famam assecutus est Dux Bernhardus, quod mulierum præsertim divino cultui dicatarum pudicitiæ eam curam gesserit, quam hinc abiens Reginæ promiserat. Pulveris bellici quod è Portu Gratiæ venit in Picardiam portatum est. At in Burgundiæ Ducatu tanta fuit penuria, ex regentium non incuria sed peculatu, ut coacti fuerint Divionis Magistratus à Genevensibus petere, obtinuerintque decem librarum millia, postquam tantundem Helvetii se Genevensi armamentario reddituros promiserant. De Alsatia nihil habemus certi: & conjuncturusne se sit cum Rege Hungariæ Galassius, an in Campaniam, quia Ducatui Burgundiæ satis à Rege prospectum sit, iturus dubitatur. Classis Regia progressa ad Stæchadas re nulla acta rediit; neque mirum, cùm XII naves longas habeat haud amplius contra Hispanicas ejus generis XXXVI, quibus se aliæ à Duce Ethrusco adjungant, quasi ex Senensi odore ex quo & cohortes præbet, revera quod ipse ut alii Principes Itali, statum præsentem Italiæ moveri nolint. Navibus quæ rotundæ dicuntur validior Gallus: habet enim prope LX, cùm Hispanus supra XIV non habeat: sed earum silente cœlo, quod sæpe in illo mari evenit, usus exiguus. Tum verò militum classis omnis Regia plus sex mille non habet, quod ad terrestres conatus parum est. Sperarunt per Petrum Mancinum exsulem multis ejusdem fortunæ comitatum in Regno Neapolitano aliquid movere Galli: sed ei quoque rei obviam iisse videtur Regni ejus Rector, præter eas quas habet copias ab Ethrusco Duce quater mille peditum auxilio adjutus. Postquam Galli diminutum ad sex millia exercitum multis laborantem incommodis in agrum Montisferrati & Pedemontanum retro duxere, Hispani agrorum compotes Gatinaram incendere, Fontanam cepere tridui oppugnatione, & alia manu Redibum in Mediolanensi Ducatu. Auctum utriusque loci præsidium. Discordiæ Gallos inter & Sabaudum non desinunt: neque occultæ sunt, nuper etiam ad mutua vulnera progressis inter se militibus, dum morandi sedem in Pedemontanis quibusdam locis Galli sibi vindicant, Sabaudi negant. Ducis Parmensis copias Gallorum auxiliis, quæ mari Genuensi venerant, nonnihil auctas in agro Placentino cecidit Dux Hispanus Martinus Arrago, quinque millia

secum

Digitized by Google

ſecum habens, Germanos maximè, Caſtellumque Rototredum periculo exemit. Neque verò armis tantùm invalidus Parmenſis, ſed & Pontificis, cujus Vaſallus eſt imperiis concutitur, minantis ei certam excommunicationem, ni intra XXX diem armis abſiſtat, miſſa pari ad Doriam vicinum ejus atque hoſtem denunciatione. Creduntur ambo Mutinenſis exemplo bellum relicturi iis qui potentiores ſunt quàm ut talibus territentur. Etiam Marchioni Eſtræo per amicitiæ ſpeciem Cardinalis Barbarinus oſtendit monitorium in Regem Galliæ paratum: & in Cardinalium conſeſſu adverſùs Riceliacum, ut pacis Chriſtianæ turbatorem, declamatum conſtat, nimirum ab Hiſpanica, quæ multum ibi poteſt factione. Et extra ordinem Iubilæum publicavit Pontifex pacis à Deo expetendæ gratia. Pontificis qui hic eſt Nuntius, Regis permiſſu ad Cardinalem Hiſpanum miſit de induciis; ejus negotii eventum opperitur ſimulator morbi Schavaskius, ut ſi ſuccedat, ſuas res apud Gallos ſimul & Anglos eandem opportunitatem exſpectantes, promoveat. Video multa tentari in Poloni gratiam, metuique ne aliquando etiam apertius controverſum nobis fiat jus Regni. Ideoque ego qui non nimium rigidus circa honoris oſtentamenta eſſe ſolebam, cogor circumſpicere atque obſervare ſingula. De Rohanii morbo, quem remittere intelligimus, quantaque ibi ſint rerum gerendarum impedimenta, ſcribit Marinus, cujus res Tuæ Sublimitati cordi eſſe non dubito. Ad Comitem Liceſtrium Rex Britanniarum nec minus ad Arundeliæ Comitem ſua manu ſcripſit. Sperant inde aliquid è re ſua Galli. Sed in poſtremo colloquio cum iis quos Rex Galliæ ei negotio impoſuit, Gallis fœdus offerentibus, ſi jam nunc arma Angli ſociare vellent, negavit ejus ſe rei poteſtatem habere Liceſtrius. Neque aliud quicquam Galli obtulere: quos miror etiam nunc ſperare abiturum Ratisbonenſem Conventum ſine electione Romani Regis. Ajunt Imperatorem ex majoris numeri ſententia Regem Romanum non niſi conſentientibus ſuffragiis fieri poſſe. Facilè aliquos Electorum rem prolataturos ad pacis tempus. Ego videor mihi videre curſuros certatim Electores, ut ſua ſtudia Imperatori ejuſque filio cunctas terras per arma inſidentibus probent. Bavarus matrimonio & ſpe communium liberorum, gravido jam uxoris utero adſtringitur: Saxo & Brandenburgicus per Conſiliarios Auſtriacis mancipatos arcanasque pactiones: Eccleſiaſtici Religionis ſtudio. Et ne Trevirenſis diſcrepet, aut captivi ſuffragio diſputatio oriri poſſit, alius ſurrogatum iri dicitur: idque inter capita conſultationis fore juxta pacem Suedicam bellique in Gallos molimina, & tributorum ordinationem. Landgravium fama ſpargit ab induciis receſſiſſe, acceptis è Gallia L M ſcutatorum & cohortibus duabus. Plerique ſic exiſtimant, Patrem Ioſephum, in quem negotiorum maxima tranſmittit Cardinalis, dum Aulæ Romanæ gratiam & ſibi purpuram quærit, ea agere, quæ & res Sociorum & Galliæ, & ipſius Cardinalis Riceliaci plurimum labefactent. Recentiores ab Italia literæ nuntiant Afros prædones à Biſerta & Tuneto excenſu in oram Neapolitanam facto, ſine damno depulſos. Germanicæ verò literæ quanquam eæ veteres magno ad nos ambitu veniunt, metuere nos jubent Colmariæ, Montipellicardi, Schledſtado. A Gozio Padernam obſideri: venientes ad Galaſſium ſeptem peditum cohortes, unam Draconariorum ad Norembergam conſpectas dici in itinere eſſe decem cohortes è Sileſia, duo militum è Weſtphalia millia, paulò plus à Saxone, quæ ſe aut cum illo, aut cum Rege Hungariæ jungant. Hanoviam de induciis pangendis laborare. In Anglia eſt jam Ponica. Illud quoque non præterierim cùm hic Galli exterique omnes fraudari ſe non tantùm ſuetis Regis liberalitatibus, ſed & ſtipendiis debitis querantur, Comitis interim Suarzenburgici Brandenburgicam Aulam regentis liberè honoraria ad diem perſolvi. Hæc poſtquam ſcripſeram redit ad me 57. 27. 61. 55. 60. 68. 73. 78. 53. 72. 14. 73. 66. 78. 79. 59. 266. nihil ſpei, mutata omnia. Pecuniæ quam hic acceperat poſt multa impendia, reſtant Tiguri II CIↃ VIII C Imperiales. Ea ſumma ſi ſuppleatur ut fiant VI CIↃ Imperialium ait poſſe redimi ſupellectilem 14. 17. 66. 78. 55. 112. Bis tantum valentem quæ 48. 6. 30. 98. eſt. Ipſe dubitat hic cohortem quæ Heibrunnii fuit, ambire malit, an ad Tuam Sublimitatem proficiſci. Putat Principem Condæum cum Valettæ, & Ducis Bernhardi copiis, impares tamen hoſti multum illas in partibus creſcenti fore. Præterea Vallis Telinæ laboraturas res incurſu hoſtilium copiarum, partim è Lindavia, partim è Tirolenſi agro. Regem Hungariæ ipſum iviſſe ait Ratisbonam. Mitto Peblitzii literas de illo negotio loquentes, de quo jam per notas ſcripſi & Sprecheri, ex quibus cognoſcet Sublimitas Tua inſidias quæ literis noſtris fiunt. Rediit jam huc à Nivernenſi peregrinatiuncula Baro Scudamorius ordinarius Angliæ Legatus: venitque ad me & literas mihi Nortumbrii Comitis oſtendit, ex quibus video Batavos piſcatores cœpiſſe ſubire jugum piſcarii vectigalis. Pro ea mercede Angli eos à Dunquercanorum rapinis defendent. Ita introducuntur onera quæ paulatim in immenſum exeunt. Deus, Excellentiſſime Domine, Tuam Sublimitatem reſque ejus proſperet. Lutetiæ 7/17 Septemb. 1636.

Polonorum literæ nos docent pacis negotio deſtinatum Schavaskium: Ratisbonenſi Conventui Oſſolinskium in mandatis habentem, ut Regis Hungariæ præſentationi faveat, ut pacis Germanicæ adjutor ſit, & ut amicos ſibi paret per quos induciæ cum Suedis in pacem ex ipſorum commodo mutentur. Rex ſecum habet in Picardia fermè XLV M milites. Fratri Regio adeſt Lafortius, Comiti Sueſſionenſi Caſtilionæus. Et hic Alchimiſta glorioſus Boismaillæus nomine, cum Rege & Cardinali multa collocutus auri, ſi credimus, tam properus opifex, ut ſeptenis diebus CC M ſcutatorum facilè ſit daturus, egregium rebus egenis ſubſidium. Patior facilè Regem nequid ei prodeſſe poteſt, hac fama frui.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Nobiliſſime Domine,

FErvent hic de pace ſermones, miſitque ad Cardinalem 651
Hiſpanum Pontificis hic agens Nuntius, ut ad pacem tractandam tempus ab armis quietum obtineat. Angli urgent, ut reddatur Lotharingia, ſperantes ſe opimiores conditiones impetrare poſſe Palatinæ domui: bellum ubique majore ſtrepitu quàm proceſſu agitur. Nam præterquam quod Corbiam exactè muniit hoſtis, nihil aut cis aut ultra Samaram magni agitat, & Rex Nobilitatem ab extimis Regni partibus adventantem in ver diſtulit, ita ut prælium exſpectandum non videatur. In Burgundia quid futurum ſit, dubitari poteſt: ſunt nunc ibi Principis Condæi, Cardinalis Valettæ, Ducis Bernhardi copiæ: ſed magnus eſt Regis Hungariæ & Galaſſii exercitus: creſcitque è Sileſia, Saxonia, Weſtfalia. Vallis Telinenſis res non optimè ſe habent, ægrotante Rohanio ſimulque rebus Rhæticis, & imminente hoſte, tum ex Lindavia, tum ex Tirolenſi agro. Mari nihil agitur, naves longas triplo ſupra Gallos numero habente Hiſpano, cæteris minùs illi cœlo idoneis. Per Italiam Gallis Sociisque ad Hiberna repulſis agro potitur Hiſpanus, cepitque Caſtella Fontanam ad Seſiam, Rebidum non longè Alexandria Inſubrium, exemit obſidio Rotofredi caſtellum in Placentino agro, cæſis quas ibi collegerat Parmenſis copiis. Parmenſi diras minatur Pontifex, ni bello abſtineat. Angli Ratisbonenſia adhuc reſponſa exſpectant. It eo à Polonia Oſſolinskius Regis ſui jus in Suediam commendaturus Imperatori & Electoribus, Paciſque

Digitized by Google

quæ se Germanicæ conciliatorem oblaturus. Simul Regi Hungariæ si quid potest, ad Romanum Regnum adipiscendum navabit operam. Hanovia de induciis agit rerum periculo. Tempus efficit, ne quid adjungam aliud, Illustrissime Domine, quàm votum pro Ill. Dominationis Tuæ rebus prosperis. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septemb. 1636.

Illust. Dom. Tuæ omni observ. addictissimus H. G.

D. SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

652 NUllæ fuerunt literæ tuæ quibus non responderim, sed puto utriusque nostrum literis evenire, ut à curiosis intercipiantur: Postremæ quas à te accepi datæ fuere 6 Maii; etiam ad eas illico respondi. Nunc his nihil novi perscribo. Satis enim certi eorum quæ geruntur nuntii erunt amici hi mei D. Schmalchius, is de cujus apud Dominum M. Cancellarium gratia antehac tibi scripsi, quemque tui amantissimum semper comperi, & D. Reigersbergius quem uxoris meæ fratre genitum, domi meæ hactenus habui, & direxi ad ea discenda quæ bene natum discere oportet. Scio utrique tuam amicitiam utilissimam esse posse, quare rogo ut eos eo complectaris amore quem tibi ego semper præstabo. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Septemb. 1636.

Tuus tuo merito H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

653 VEnit ad Sublimitatem Tuam Tribunus Hamilton Amicus fide optima Mareschalli Hornii, cui nihil magis nocuit quàm quod nimium multis Gallorum & Germanorum res, quæ quàm maximè celari debebat, innotuit. Ego ferme postremus eam scivi. Feci ne pecunia deesset, contribui consilium & operam, jam tum tamen multum metuens ne res, tam multis indicata, res nostras suo ex usu nec ultra æstimantibus displaceret. Nunc per Angliam transit Hamiltonus ibi quoque communi causæ si quid potest profuturus. Puto dignum qui à Suedis bene excipiatur, tum ob virtutes ejus quas à multis prædicari audio, tum quia Gallicæ militiæ Suedicam constanter præfert. Deus det ut ejus opera, Excellentissime Domine, Suedia Tuaque Sublimitas felices utantur. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Sept. 1636.

Tuæ Sublim cultor devotissimus H. G.

D. GALILÆO GALILÆI.

654 COgnationem nobis esse cum cœlo ex tuis maximè operibus didici, Vir Sapientissime, omnem humanum conatum superantibus, quibusque effectum est ut neque vetera scripta desideramus, neque metuamus ne ulla posteritas de hoc seculo triumphet. Nolo id mihi gloriæ sumere, ut me inter discipulos tuos fuisse dicam; magni enim est ingenii ista vel te præeunte assequi. Inter admiratores si me dixero semper fuisse, nihil mentiar. Felicem verò me si qua tuis partubus in immortalitatis lucem exeuntibus obstetricari possim. Quia causa est cur, ubi ex amicorum optimo Adeodato intellexissem te, post tot exquæsitissima studia etiam ad illam tam diu, tam frustra quæsitam, longitudinis deprehensionem adjecisse vim perspicacissimæ mentis, non ignarus quantum in eo momentum navigantibus versaretur, Batavis & maris, & maris domitorum domitoribus, præcipuè sacrandum hoc repertum, cunctas humani generis utilitates post se relicturum judicarem, viam monstravi, quam ineundam censerem, cui spero successum adfore dignum tanti operis merito, paratus in id conferre quicquid aut meæ aut amicorum est opis. Veneror te qui ista ætate, tam ingratos expertus animos, adversùs utrumque invictus hæc & alia plurima ac maxima suscipere pergas. Ista verò non senectus dicenda est, sed vitæ perfectio & de omnibus fortunæ injuriis gloriosissima victoria.

Hunc ego sublimi quæsitum mente triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompeje, quam scandere colla Iugurtha.

Valetudinem Tibi opto prosperrimam, quod cùm facio humani generis negotium gero.

Tuorum meritorum non ingratus æstimator H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

MItto literas, quas pro te ab Hebsteinio accepi. Nos 655
rectè valemus omnes, tibi valetudinem & iter optamus prosperum, læti tum crescente indies Regis exercitu, quem partim ipse regit, partim Frater, partim Comes Suessionensis, tum Royâ ex hostibus receptâ. Nam quæ in Burgundia geruntur, quanto propiores estis, meliùs vos scire oportet. Tributum piscarium à plurimis Batavorum navibus extorsere Angli, indignantibus Batavorum Proceribus, qui classe XXXVI navium obsessum eunt Flandriæ portus, ne posthac Britanni eò viros, arma & pecunias inferant. Princeps Arausionensis eduxit quidem exercitum, sed quid tam sera anni tempestate facturus sit, aut facere etiam possit, incerti hæremus. Vale cum Reigersbergio. Lutetiæ 22 Septembris 1636.

Tuus tui studiosissimus H. G.

D. SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

LIteræ Tuæ quas scriptas $\frac{9}{19}$ cum Peblitzii literis ac- 656
cepi ita gratæ mihi fuerunt, ita plenæ fidei, optimique affectus in res & communes & Suedicas, ut eas ipsas cum testimonio quod virtutibus tuis debeo, Magno Cancellario transmiserim. Insidias fieri nostrûm utriusque literis, & tu rectè mones, & ego pridem sensi. D. Marini literæ bene ad me perveniunt, tuæ non item. Causam attigisti. Quæramus quàm poterimus tutissimas curandi vias, & si tamen eæ fallunt, cogitationum optimarum conscientia freti spernamus incerta casuum. Res vestræ Rhæticæ eò iverunt, quò ituras semper judicavi. Det Deus ne in pejus ruant. Ex Germania habemus satis prospera ex quo Leslæus se cum Bannerio junxit: captum à nostris Luneburgum oppidum, & arx Winzemum munita satis ad quartam ab Hamburgo leucam: Maracinus relicta castrorum sede retro coactus cedere Saxoniam versùs. Burgundiam contra Regis Hungariæ Gallassiique copias defendunt egregia manu Princeps Condæus, Cardinalis Valetta & Dux Vinariensis; Picardiam & propiora tripartito exercitu, Rex, Frater ejus, & qui Royam recepit Comes Suessionensis. Autumnales morbi, deinde hyemis incommoda infestos dirimunt. Interim Coloniam Agrippinensem petere pacis cudendæ causâ dicuntur Ginettius à Pontifice, pro Gallia Riceliaci frater Lugdunensis Cardinalis; sed lentis passibus, tanquam si Iunoni sacra ferent. Vale & nos quoties poteris non tantùm rerum quæ geruntur, sed & conjectationum tuarum fac participes. Lutetiæ 22 Septembris 1636. Novi Cal.

Tuus toto animo H. G.

D. STENONI BIELCKIO.

Illustrissime Domine,

PArùm uberem scribendi materiam nobis suppeditat 657
temporis hujus inertia, per æquatas tum in Picardia tum in Burgundia bellantium vires. Magni sunt exercitus in Picardia & locis vicinis, quinquaginta non minùs millium & ex Gallica, & ex Hispanica parte. Hi Cor-

Digitized by Google

biâ bene munitâ Dorlanum obsident. Illi Royam receperunt. In Italia iniquum certamen. Dux Parmensis cæso aut capto ejus milite Rotofredum qui obsidebat, Placentiæ haud ausus consistere, Parmam refugit. Eò quoque insequutus eum est Martinus Arrago dux Hispanus, & ex parte Padi altera quæ Cremonam respicit, tendit eodem Cardinalis Trivultius, quò faciliùs inter se jungantur imposito flumini ei ponte. Pontem alterum eidem amni ad Bassignanam imposuit summæ belli impositus Leganesius, Montis-ferratensi ut videtur regioni imminens, quò se recepere Galli, ut in Pedemontanos agros Sabaudi, nihil molientes perpetuis inter malè sociatos discordiis. Mari nihil fit, nec magis in Valle Telina; Valde, quod dolendum, abalienatus à re Gallica Rhætorum animus. Angli etiamnunc Ratisbonensia consulta exspectant, & ut multi judicant, conditionibus etiam mediocribus faciles se & tractabiles Austriacis præbebunt; quod quò magis credamus faciunt istæ alienissimo tempore resuscitatæ & indies magis magisque calescentes cum Batavis controversiæ. XIX mensis hujus ex novo Calendario quod hic sequimur, copiæ Cardinalis Valettæ & Ducis Bernhardi, quibus se Rantzovius conjunxerat, cum eo milite quem habuerat Princeps Condæus, erant Montsavioni: Champliti Gallassius & Dux Carolus intervallo leucarum trium in collimitio Burgundiæ. Deus, Illustrissime Domine, Tuam Illust. Dom. servet ac sospitet. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Septemb. 1636.

Significant Batavi per Legatum suum Regi Britanniæ se novum piscarium vectigal non toleraturos. Naves Hispanicæ XXVII Dunquercam ingressæ sunt cum IV CIↃ & ultra militibus, non sine culpa classis Batavæ.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

658 NOn multum agitur paribus ferme bellantium utrinque viribus. Putantur Frater Regius & Comes Suessionensis habere XL M peditum XIV M equitum. Rex præterea VIII CIↃ hominum ad sui custodiam. Roya recepta à Comite Suessionensi. Dorlanum hostis obsidere dicitur. Comes Suessionensis sæpe tentatus antehac an Cardinalis imperium pati posset, apertè respondit se ejus inimicitias malle quàm in servitutem se dare. Tamen rem Cardinalis obtinet, Rege tam prope admoto, ut vix quicquam nisi eo consulto agatur. Et creditur Cardinalis fortunæ suæ, an & Astrologorum, quibus multum tribuit, promissis fisus, calida consilia cautis prælaturus. Nuper cum Marescallus Lafortius haud ita celeriter propellendas in hostem copias censeret, dixit Rex sibi idem videri, sed non placere id consilium Cardinali. Idem homini, qui à Regina matre literas de pace tulerat, respondit, nihil ea de re actum iri, nisi ipsa prius in Gallia esset, quod per ludibrium dictum sit, an ut spe pacis eo trahatur, ubi in veterem custodiam recidat, diversa est interpretatio. Lafortio autem dixit Rex de pace si quid sit, id se latere. Angli Legati perseverant non videre Cardinalem nequid dignitati Regni decedat eaque in re negant suum Regem quicquam mutaturum. Dux Vinariensis non longè à Gallassio in Comitatu Burgundiæ castra habet. Auctique ibi sunt Cæsariani novem ex Silesia partim draconariorum, partim peditum cohortibus quæ Regimenta vocant. Exspectantur à Gozio tres aliæ. In Italia quiescitur, crediturque Parmensis honesta specie parendi jussis Pontificiis ab armis abiturus. In Valle Telina nihil fit, palamque in Austriacam Domum reflectuntur Rhætorum animi, Gallici dominatus odio. Scribitur inde Marinum ire Constantinopolim. Colmaria obsessa non est, tantùm clausi fuerant exitus ut tutò transirent Gallassiani exercitus impedimenta. Cùm nuper è Ducis Bernhardi & Principis Condæi castris Suedi milites in Picardiam ituri non longè Fontebellaqueo prætergrederentur, ortus rumor ridiculus, Reginam Suediæ auxilium Regi Galliæ XV millium ducere, totam urbem pervaserat, ita ut multi ad eam videndam ad nos accurrerent. Milereium valde objurgavit Cardinalis. Bresiæus ruri latet. Inter Fratrem Regium, Comitemque Suessionensem magna amicitia Cardinali non suspecta esse non potest. Iubilæus Papæ vim quidem suam hîc habet, sed suppressa ejus Bulla, propter illa verba *utrumque Regem*, qui & in Ginettii mandatis posita dixi. Interim res eadem graves rixas inter Archiepiscopum Parisiensem, qui jure Episcopali publicavit Iubilæum etiam in hoc Sancti Germani suburbio, cùm Abbas Sancti Germani qui est Metensis Episcopus Regis natura frater id jus sibi vetere Pontificum indulto vindicet. Qua de re edictum Archiepiscopi mitto. Edidit Evortius Iolivetus poëma suum quo Regis Gustavi acta ut potest, canit. Puto exemplum ad Tuam Sublimitatem aut misit aut missurus est. Petieram ab eo ut scriptum priusquam ederetur ad Tuam Sublimitatem mitteretur; impetrare id ab eo editionem festinante non potui. Ego sicut sollicitè mihi cavi ob causas multas, ne ad edendum auctor adjutorve fierem, ita externi hominis in res Suedicas studium non indignum suo præmio censeo. Quam de Parmensi modo posui conjecturam ea plurimum firmatur rebus ejus Ducis improsperis, quas literæ circa finem Augusti scriptæ nuntiant. Nam cùm Rotofredi castellum, ut scripsi nuper, obsidioni exemit, agrum Placentinum ingressus Martinus Arrago (id factum die ejus mensis XV novi Cal.) sexcenti ferme qui juxta agebant Galli Parmensique milites occisi sunt, capti CCCC cum impedimentis omnibus. Auctum quod in eo loco erat præsidium recenti milite: oppido castelli Sancti Johannis detracta mœnia. Agros ibi non minùs quàm aliis in partibus tenente hoste. Dux Parmensis ne Placentiæ includeretur metuens Parmam se recepit. Secutus eo Martinus Arrago, postquam Trebiam transiit ad Padum se posuit, ubi in adversa ripa Cremona conspicitur, incendiis rapinisque terribilis. Vt cum eo suas copias conjungere possit Hispano militans Cardinalis Trivultius, postquam imposuit Pado dum Alexandriæ se tenet Leganesius, exercitum in Bassiniana habens, id quoque ad Padi transitum facilem ponte facto. Ex Paviæ urbe amne Ticino in Padum demissa tormenta bellica & ingens Mortariæ in oppido paratus pabuli cibique aliquid minantur, quem locum suis conatibus destinent incerto adhuc. Galli interim ad Bremum in agro Montisferratensi non sine agrestium damno quiescunt. Sabaudi miles in Pedemontana regione. Vidi à Vienna literas 16 Augusti scriptas ab homine satis curioso. Ait placere Consiliariis Imperatoris, ne Coloniam mittantur qui de pace acturi sunt, nisi Ratisbonensi Conventu omnia quæ priùs oportet rectè sint constituta. Multum conferri consilii inter Anglum & Polonum Legatos: illum verò ad Saxonem ire commendatum quæ habet negotia. Proponi ab aulicis quibusdam, ut præter Inferiorem Palatinatum Ducis etiam Wirtembergensis (qui Imperatori supplicaturus conditionesque ab eo accepturus Saxonis adventum & pro se preces exspectat) ditio, ubi morte possessoris vacaverit, detur Principi Domus Palatinæ cum matrimonio filiæ Cæsaris. Ad Saxonem missum esse ab Hispania quendam cum muneribus, gratum esse ei Electori Hatzfeldii, ut observatoris sibi appositi conspectum. Et de Ognatio Gallasium queri, quod pecunia & alimenta militi non adsint. A Duce Brunsvicensi ad componenda quæ cum Domo Austriaca controversa habet Legatos exspectari Ratisbonæ. Laborare Cæsarem ut Sophin turbet

Digitized by Google

per 68. 59. 1090. 70. 30. sed spe exigua. A Frisio quondam noto Sublimitati Tuæ literas è Saxonia veteres accepi, quas mitto, tum quia vertiunt ab eo qui etsi, ut judico, hostis non est, apud hostes tamen vivit, tum quia scitu dignum est, quod de viro prudente scribit, qui pacem Pirnensem ita improbaverit, ut ob eam Electoris se consiliis subduxerit. Legatus Sabaudus ab aliquo tempore desiit Anglos invisere, haud dubiè ut suspiciones communicatorum inter ipsos consiliorum vitentur. Decimonono hujus mensis, ut ex Thuani literis disco, copiæ Cardinalis Valettæ & Ducis Bernhardi erant Monthavioni in Burgundiæ finibus. Champlitæ, qui locus inde tres leucas distat, Gallassius & Dux Carolus. Deus, Excellentissime Domine, Tuæ Sublimitati & per eam Regno Suedico fautor sit. Lutetiæ 17/27 Sept. 1636.

Molam frumentariam extra Corbiam Galli incenderunt, & ajunt sperare se oppidi famem, me vix credente, dum litus oppidi Hispanus assidet. Literæ ex Zelandia nos docent castra Principis Arausionensis adhuc in agro Hollandiæ Langestratensi hærere, infesta à peste. Dunquercam ingressas naves XXVII quæ milites ferebant IVCIↃCXLI, unde novæ in Dorpium querelæ, qui XXI optimas naves & mandata prohibendi habuerit. D. Joachimum in Angliam missum, ut Regi dicat, non toleraturos Ordines novum harengarium vectigal.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

659 NOn multum agitur. Hispani Cateleto, Atrebatum oppido, Cameraco magnis præsidiis prospexere, & Corbiam se tutaturos sperant. Eo milite qui ex Silesia venit in Campaniam irruentes abstraxerunt à fratre Regis, qui Bapalmam versus iverat, cum parte exercitus Comitem Suessionensem. Princeps Thomas inter Bapalmam & Atrebatum oppidum, Capellæ & vicinis locis Piccolominius esse dicitur: Iohannes Waertius Hesdinum inter & Monstrolium. Gallassius cum XXX millibus, minore cum exercitu Galli, sed equite præpollentes, in Ducatu Burgundiæ sunt, cis Ararim nobis exiguo intervallo dissiti, quod levibus præliis dat occasiones, quorum unum Gallis minùs cessit prosperè. Sed si interius in Galliam penetrare nequibit Gallassius, Helvetiorum damno hyemem transiget. In Navarram quoque Gallis parentem ex Hispania infunditur bellum, magno ibi habitantium metu. Italiæ agros & adjacentium terrarum impunè percursat Hispanus, immanibus, ut Galli ferunt, sævitiæ exemplis. Valli Telinæ Cerbelo imminet, novis copiis auctus. Mari duas naves longas fortè obvias, quarum altera Hispanica erat, Hetrusca altera (nam sex suarum auxilio Hispanis Dux Hetruriæ miserat) repressere Galli. Sed crescent Hispanis animi, si verum est, quod multis è locis scribitur, novem illis auri milliones ab America venisse, proventum annorum XXXV & XXXVI, præter classem quæ à Terra Firma adhuc exspectatur. Cardinalis Ginettius Venetiis est tempus eundi Coloniam exspectans. Hæc nunc habebam præter incertos rumores, quorum auctor esse nolim. Deus, Illustrissime Domine, tibi favens adsit. Lutetiæ 2 Octob. novi Cal. 1636.

Illustr. Dom. Tuæ omni observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

660 IAm quintus huc Bruxellâ nuntius venit ad cudendas inducias. Sed Galli jam egregiis instructi copiis magna, ut solent, minantur. Frater Regius & Comes Suessionensis Peronam prætergressi sunt, quasi Bapalmam impetituri. Rerum gnari putant non satis illis commeatuum fore, direptâ ab hoste Picardia maximè frugum ferace. In remedium inopiæ, quicquid in oppidis repositum est, aufertur invitis velut in futuri temporis tributa imputandum. Parte aliâ Galli hostium munimenta quæ nobis cis Samaram sunt Corbiam contra, vi cepere. Ita liber posthac ab incursibus erit ager qui Samaram inter & Esiam jacet, ablato qui unus erat transitu. Rex Royam à suis receptam ingressus non longè se tenet. Incendiis utrinque ex conventu abstinetur. In Dorlani obsidione an perseveraturi sint hostes, tantis juxta Gallorum viribus, meritò ambigitur. In Burgundia pugna adversa Gallis fuit, mari secunda, ad Mergas mensis ut famam spargunt, duabus hostium navibus longis, quarum altera una erat de sex, quas Dux Ethruscus auxilium Hispanis miserat. Classis Gallica illa, quæ ab Oceano in mare internum venit, in tres partes dividitur, Britannicam, Normannicam, Aquitanicam. Prima pars prætoriam habet quæ mille tonnarum esse dicitur cum machinis LIV, in qua vehuntur Archiepiscopus Burdegalensis & Harcurtius, quibus imperium mandatum est, alia IↃL tonnarum cum machinis XXXVI, novem aliæ quingentarum tonnarum, præterea una ter.centum, alia ducentarum, alia CLX, postrema CXX tonnarum. Pars secunda navem habet principem CCC tonnarum duas CC tres CL, centum aliam. Adsunt incendiariæ sex CC, CL, & C tonnarum: quatuor Fluttæ Flandricæ ad ferendos ægrotos cum medicaminibus: viginti ejusdem generis onustæ commeatibus, cum CXX militibus singulæ. Pars tertia navem vicariam habet IↃL tonnarum cum machinis XL. aliam IↃ quatuor alias CCC, duas CCL, quinque CL tonnarum, harum aliæ XXX aliæ XX aliæ XV ferunt machinas. His adsunt CC tonnarum Fregattæ cum machinis XX: decem quas Patacias vocant LXXX aut amplius tonnarum: machinæ his senæ. Decem Fluttæ quæ militem vehunt: machinæ singulis XIV: magnitudo inter CC & CCC tonnas: minores aliæ tonnarum CL, partim CC capacitate machinas habent denas, & alia tormenta terrestria quæque in terram descensuris usui sint futura. Præterea aliæ C aut supra tonnarum, octonis machinis, in quibus alimenta: scaphæ centum ferme collectæ è Massilia oraque vicina octonis hominibus instructæ. Tales illi vires suas publicant, ut in Oceano fortè valituras, ita in illo mari longis hostium immenso pluribus impares. Edictorum non aliud tempus fœcundius fuit. A 17 Septemb. novi Cal. ad hunc diem numeravi XLVII pleraque alia aliis contraria insita genti mutabilitate. Horum pars potissima plebem etiam invitam ad arma compellit, qui mos ab Anglia primùm profectus nunc & Hispaniam Italiamque pervadit. Equos in bellum abducit: deinde desertores capite plectit. Ego cum tanta multitudine, primùm belli imperita, deinde in militiam per vim protrusa prælium experiri non audeam. In Italia Parmensis vapulat. Galli & Sabaudi mœnibus se tuentur. Helvetiorum Solodurienses, Poschiavensis, Rhætorum Conventus pleni questuum in Gallos ob non soluta cohortibus stipendia: Rhætorum præterea quod frænum sibi castellis à Gallo retentis impositum sentiant; inducti & alterum malum Iesuitas, & Vallitelinates Gallis obnoxios, tum Religionis vinculo, tum quod eorum auctoritate invitis Rhætis libertatem extorserint. Cerbelo acceptis novis trans Alpes summas copiis aliquid in Vallem Telinam molitur. Tragica si vera sunt, de Hispanorum per Italiam vicinasque regiones sævitia, vulgant Galli, oculos dominibus excussos, aliis detractam pellem, alios in frusta discerptos: stupra, sacrilegia sine numero: Iam nunc intelligo Duci Bernhardo Vinariensi sexcenta Florenorum millia per particulas numerari, loco millionis in mensem Augustum promissi. In Ducatu

Digitized by Google

tu Burgundiæ non in Comitatu bellum strepit, dicunturque castra habere, ut scripsisse memini, Dux Vinariensis Montausoni, Valetta Cussiaci, Anxonnæ Ransavius, Champlitæ Gallassius, Graiæ Dux Carolus. Putantur his esse XXX millia. Gallis non totidem sed plus in equite. Parte altera Galliæ circa Bapalmam se habent bellantium copiæ, Atrebates versus Princeps Thomas, ad Capellam Piccolominius, inter Hesdinum & Monstrolium ut ajunt Iohannes Waertius, firmatis oppidis Cameraco, Bapalma, & Cateleto validis præsidiis. Frater Regius die 27 Clariæ erat, inter Peronam & Brayam: Comes Suessionensis cum parte exercitus inde in Campaniam avocabatur, quo irrumpere dicitur Bitlerus cum iis quæ ex Silesia venere, secuturis & aliis & Viridunensi & Lutzemburgico. Mala alia interveniunt, bellum ex Hispania in ea Navarræ quæ Galli tenent semet injiciens, tanto terrore, ut Bajonam plerique confugiant. Et quod maximum est, duæ classes ab America anni XXXIV & XXXV in Hispaniam perlatæ cum novem auri millionibus. Et aliam à Terra Firma brevi exspectari fama est. Creditur Gallassius nisi in Galliam interiùs penetrare poterit, apud Helvetios hyberna sumturus, in Aulâ leves, ut solent, gratiæ. Barradæ duo, diu extorres cùm in Galliam revenissent, jussi ire in Italiam. Sanctisimonius longius ab Aula remotus: cujus locum invasurus creditur Chavigniacus: ita enim nunc appellatur filius Butellerii, aut, ut vulgus credit, Cardinalis ipsius. Hæret hic Schavaskius, nihil palam, clam multa moliens, exspectatque ut videtur ea quæ fient Ratisbonæ. Cudi id quod scripsi ut credam, pluribus indiciis ducor conjecturis. Literas neque ex Pomerania pridem, neque ex Hollandia accepi: neque miror. Eorum qui publicos cursus conduxerunt avaritia id accidit, qui multarum hebdommadum fasciculos coacervant, ut in magno suo lucro impendiis parcant. Neque verò patiuntur mercatores Batavos, quorum id interest remedia adferre. Et cùm à partibus illis quæ ad Alpes aut Rhenum spectant sæpe intercipiantur literæ, in magna caligine vivimus, quæ Gazettis magnam dat mentiendi licentiam. Deus, Excellentissime Domine, Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis res prosperet. Lutetiæ 3 Octob. novi Cal. 1636.

Mitto à Rhyngravio literas. D. Schmalchius per Augustam Taurinorum in Italiam transit, Helveticâ viâ per pistem obseptâ.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

661 CArdinalis Ginettius Coloniam petens transiit Basileam: tendent eodem Davausius & qui jam ab Italia venit Lugdunensis Cardinalis. Venetus Legatus persuasum mihi voluit ex Schavaskio (qui jam bene valens adhuc tamen hic hæret) se cognovisse nihil futurum de Regis sui cum Palatina conjugium ob aversas Polonorum voluntates. Angli Legati credere me volunt, nihil se cum Gallis acturos nisi Suedis consciis eorumque pro meritis ratione habita. 81. 79. 1030. 192. 39. 60. 85, 66. 22. 40. collega Cæcilii mihi dixit, multa agitari de pace componenda Suedos inter & Polonum. Ostendi ego Batavico exemplo & rationibus, in talibus controversiis inducias longas faciliùs, quàm pacem perpetuam quæ rogati juris abdicationem requirat, cudi. Sparguntur rumores parum certi de reconcilianda Cardinali Regis Matre hac lege, ut illa ab se omnes eos qui in Cardinalem hostiliter scripsere ablegет: & de revocando Guisio, dandaque ei Britanniæ Armoricæ præfectura, & filio ejus in matrimonium Anna Mantuani Ducis filia altera, ut habeat Cardinalis quem opponat Comitis Suessionensis, sibi magis magisque suspecti molitionibus, simulque ut Lotharingicam Domum distrahat. Comitem certè perstare in consilio de dignitate sua nihil largiendi satis apparet: & ab eo metuere sibi Cardinalem & hunc apparet: quod Nobiles aliquammulti, animo manuque promti, Regio imperio jussi sunt ab eo discedere, nulla probabili de causa. Manet Rex fidus Cardinali non tam amore quàm quod sine tali adminiculo se rerum oneri imparem judicet. Ambiani aut juxta ambo sunt: eâque in urbe cum ducibus jam bis consultatum est. Priore conventu placuerat Comitem penetrare in Belgicos fines: altero cùm appareret obsidium nullum tentari posse, hoste circum valido, & commeatus euntibus defore, prævaluit Lafortii consilium, non tanti æstimantis vicorum incendia & prædas, ut periculum pugnæ famisque subeundum foret. Intervenit & hoc malum, quod stativa Degenfeldii, in itinere Dorlanum, irrupit hostis, equosque & sarcinas abripuit, ægrè servato Degenfeldio ac Duce Wirtembergensi. Hostium pars bona inter Dorlanum & mari propiora se tenet. Video plerosque ita existimare, Gallassio intra Ducatum Burgundiæ, alii cuipiam hostium duci intra Campaniam hyberna fore, magno Galliæ incommodo. Dux Rohanius vix tria millia secum habens sui militis, adversis Rhætorum & Helvetiorum animis damnum aliquod à Cerbelone novis ut scripsi copiis aucto, accepturus videtur. In Italia pessimo in loco sunt res Sociorum, ita ut imprudentiam Ducis Parmensis qui se huic bello implicuerat, ipsi auctores Galli nunc palam incusent. Nihil ei Principi restat extra Parmam & Placentiam: hujus arcem servat, oppidi haud satis compos ob aversa ab hoc bello studia habitantium illic. Accessit & frequens infelicibus malum, hostium crescens numerus. Nam & Dux Ethruscus præter terrestria auxilia classem quoque Hispanicam suis navibus longis auxit & Genuates non modò Gallo militi aditum ad Parmensis terras per suos fines negarunt, sed & classem Gallicam, cùm apud Vadum consisteret petiere machinis: quo malo coacta illa in oram Massiliensem se recepit. In Montisferrati agrum injiciunt se hostes, & Dux Mantuanus quod prohibere non potest ultro concedit, velut paci se redditurus. Hæc tot ac tanta mala, præcipuè verò alimentorum & pecuniæ inopia (nam vetera onera plurima placandæ plebi remissa sunt, adeo nova instituere nemo nunc audeat) omnibus penè Gallis ingens injiciunt pacis desiderium, Cardinali ad ejus nomen, ut suis rebus parum utilis, trepidante, neque ad eam venturo, nisi necessitate, quod rerum peritissimi futurum putant, trudatur. Etiam ea quæ Corbiæ prajacebant nobis cis Samaram munimenta, quæ à Gallis capta perscripseram, amissa rursum sunt, quia machinæ quibus defenderentur non aderant, incredibili tum ibi tum alibi negligentia. Agri quod Bononiam Morinorum respicit pleraque vastata à Waertiano milite impunè. Legatus Venetus cùm nuper in Aulam iisset, Cardinalem convenire non potuit. Nunc iterum eo profectus est, ingerens se ultro Poloniæ Angliæque negotiis. Nos in rerùm nostrarum magna vivimus ignorantia: quia literas ex Hollandia nullas pridem accepimus, ac proinde nec ex ulterioribus locis, cùm Angli accipiant septimo quoque die. Id eo evenit quod naves à Zelandia ad Caletum quæ literas ferant referantque institutæ non sunt, & audio Batavis id cupientibus noluisse Gallos, nimirùm ut ipsi tantùm per suos homines interdum commeantes rerum notitiam accipiant, cæteros eam celent, rumoresque venditent suo ex usu. Incipiet jam agi aliquid Ratisbonæ, ex quo Legati Saxonis adsunt. Dicitur pacem cupere deque ea seriò agere Cassellensis Landgravius. Argentoratenses octo Gallicis cohortibus negarunt transitum. Archidux Oenipontana, Rhætos bonis verbis lactat. De negotio Episcopi Curiensis promittit operam suam apud Cæsarem. Firstembergum interim locum ditio-

Digitized by Google

ditionis Episcopalis retinens fine Rhætorum, ut polliceatur, malo. Tribunorum & Centurionum qui Gallis militant querelas corpus Helveticum huc pertulit, & sanè habent quod doleant, non solvi sibi stipendia, quæ ipsi gentis more, suis quisque militibus coguntur numerare. Sed surdas aures publica pauperias facit Galorum nunquam divitum, nisi cùm faciunt fœdera. Classis Gallica non modò nihil nocuit Hispanis, sed & profuit, prætextu dato, quo civitati Neapoli millio unus, alter Nobilibus exprimeretur, intenderetur que impositum farinæ vectigal. Centum scutatorum millia inde accepit modò Leganesius. Exspectans quinquaginta alia millia, quæ à Sicilia jam Genuam venerant. Præter auxilia Ducis Ethrusci suo sumtu in terris ejus pergit militem scribere Hispanus. Hafkirchii qui militiam suam offert Regno Suedico, laudes multis prædicat Marinus, rogatque eum ut Sublimitati Tuæ commendem. Marini literas ego rectè accipio: ille meas non item. Ad Sprecherum meæ, Sprecherique ad me, pereunt prope omnes. Ad Hanoviam intercludendam à commeatu parari cuncta intelligimus. Venit huc modò quidam à Colmaria, qui Syndici ejus civitatis literas mihi monstrat, & in iis obsidionis metum haud satis valido, si vis ingruat, ad oppidi tutelam præsidio. Scribit ad Sublimitatem Tuam Rhyngravius: mihi idem significat literis 20 Septembris, spem esse eum quem castris ceperunt locum Valetta, & Dux Bernhardus ad Montsausconium, defendi facilè posse adversùs crescentes quantumvis hostium vires, favente ipsis situs oportunitate. Id ipsum quo magis & ego sperem facit, quod ex Picardico Regis exercitu, quando penetrari in Belgas non potest, aliquot millia illuc mitti intelligo. Ex eodem Regis exercitu Nobilitas, nullo stipendio, fessa sumtibus domum properat: crediturque Rex ipse brevi huc futurus, vel una satis gravi causa, quod pestis castra vastet. Corbia ingenti hostium præsidio ad quinque millia defenditur. Bressæus refrigeratus antehac, apud Cardinalem huc usque in gratiam rediit, ut pro Caletensi Provincia Andegavensem acceperit. Etiam nunc à Caleto venit Tabellarius nec quicquam nobis à Batavis adfert. Deus, Excellentissime Domine, prosperrima omnia Reginæ, Regno, Tuæ quoque Sublimitati largiatur. Lutetiæ 10 Octobris Nov. Cal. anni 1636.

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

662 CONsilium Gallorum ducendi in Belgicæ interiora exercitus, magno captum animo, successum tamen non habuit, apparente illico, ut processum fuerat, commeatuum inopia. Interim Degenfeldii stativa quæ in via Dorlanum erant, hostis noctu irrumpens diripuit, & cuncta inde ad oram maris usque populabundus percursat, multumque timeri video, ne ut in Ducatu Burgundiæ, ita & in Campania hybernet non levi Galliæ malo hostis. Et Cerbelo aliquot millibus auctior vix sustineri à Rohanio poterit, præsertim aversioribus à Gallia Rhætorum animis. Dux Parmensis præter Parmam & Placentiam toto suo patrimonio exutus est, & quod fieri solet, potentiori adjungunt se etiam qui spectatores hactenus fuere, Ethruscus & Genuates. Classis Gallica etiam ante hanc virium accessionem hostibus factam minùs eis par, nunc ab ora Ligustica reversa est, magno constans, re effecta nulla. Tot mala desiderium Galliæ injiciunt pacis, ad quam cudendam Cardinalis Ginettius per Germaniam it Coloniam, Lugdunensis eodem hac transiturus creditur. Schavaskius Polonus jam bene valens hic etiamnunc hæret, minimè otiosus. Angli à Ratisbonensi Conventu, jam per Imperatorem inchoato, negant se boni quicquam sperare: ac credere me jubent promptos se cum Gallis aliquid pacisci, Suediamque, si pronos æquis conditionibus Gallos repererint, conscium se facturos eorum quæ agentur. Metuunt obsidionem & Colmarienses & Hanovienses, deque Landgravio Cassellensi judicia sunt varia atque incerta. Scribit Montsausconio 20 Septembris D. Rhyngravius spem esse eum ipsum locum quem sibi opportunum castris suis ceperunt Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus, defensari posse adversùs hostium quantumlibet crescentes copias. Idem spero, eoque magis quod ex Regis in Picardia exercitu millia aliquot, abundantia quando in Belgicam penetrari non potest, illuc mitti intelligo. Deus, Illustrissime Domine, publico tibique ac tuis res det prosperas. Lutetiæ 10 Octobris, novi Cal. 1636.

Illust. Dom. Tuæ omni cum observantia addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

NEque pro merito tuo, neque pro nostra omnium in 663
te benevolentia exceptus es à nobis tantillo tempore, quanto tibi visum est Lutetiæ subsistere. Felices sumus quibus negotium est cum tam benigno etiam minimorum officiorum interprete. Vos rectè pervenisse Lugdunum & iter sumsisse minùs morbis obnoxium per Augustam Taurinorum gaudemus sanè, optamusque ut cætera itineris vobis eadem prosperitate eveniant. Id autem sæpe ex literis vestris cognoscere dulce nobis erit. Nos Dei munere bene valemus. Verum est & Ginettium & Lugdunensem Cardinales diverso itinere se Coloniam ferre. Interim multa in arcano aguntur. Nobis venti adversi per mensem totum nuncios ex Hollandia Germaniaque per maris viam invidere. Sed quæ à longo Germaniæ ambitu veniunt literæ, octo hostium cohortes à nostris cæsas affirmant. Edidit Dux Rohanius librum *Perfecti Ducis* Gallicè, lectu non inutilem. Cætera hic sunt qualia reliqueras. Si qua in re opera nostra tuis rebus conducere potest, rogamus omnes ei ne parcas. Lutetiæ 14 Octobris, anni 1636. novi Cal.

Tuus ad omnia tibi officia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

POntificius quidam Romæ bene notus, pro certo sibi- 664
que cognito mihi affirmat, habere Polonum Regem à Pontifice perscriptam permissionem ducendæ Palatinæ: sed occultari id, ut virginis animus incerto eventu tentetur ad mutandam de sacris rebus professionem. Schavaskius, si domesticis ejus credi potest, votorum compos reditum parat per Venetias, jamque Reginæ propter Regis absentiam valedixit. Quo sæpius ac diligentiùs Gallorum qui ad me veniunt avertere à me suspiciones volunt omnium adversùs res nostras molitionum, eo minùs fido blandienti sereno. Constat apud omnes Ioannis Waertii copias cædi potuisse & flagranter id concupuit Comes Suessionensis: sed Fratrem Regium qui aderat ad cunctandi consilia perpulit comes ejus & speculator individuus Butillerii filius. Hoc ipsum & quod ab expeditione in Belgicam revocatus est idem Comes, prudentes multi in argumentum trahunt tacitæ cum Cardinali Hispano conventionis, ne fines alteri alterorum exercitu hostili invadant, donec propius aliquid Coloniæ transigatur. Et de Regina Matre revocanda, remotis iis, quos sibi infestos Cardinalis indicat, multum agitatur. Ad Anglos ut veniam, dicitur Arondelius præ se ferre offensam: sed arcana ejus cum Bavaro colloquia cum-

cumque Hispaniæ & Poloniæ Legatis, deinde verò incalescentia Anglorum cum Batavis certamina de piscatu & de Flandrico commercio, & milite, pecunia, paratuque bellico, quæ ex Hispania in Flandriam sub Anglorum præsidio perducuntur, argumentum videntur præbere, quo credamus, promissis Austriacorum de reddendo Palatinatu & partiendo fortè Electoratu, devinctos esse Anglorum animos, nisi ea gentis socordia est, ut & publicam salutem & dignitatem propinquorum pari supinitate abs se segregent. Certè quin Batavi tot Anglorum, sic enim interpretantur, injuriis ad ingens desiderium induciarum, quo maximè spectant Hispani consilia, impellantur velut præcipites dubitari non potest. Galli verò sicut sua negotia clam Batavos habent, ita de Batavis idem suspicantur, miréque formidant Aysemæ moram Viennæ, accedentibus ad diffidendi causas Cardinalem Riceliacum & Principem Arausionensem inter plus quàm simultatibus. Vidi Londinio literas quæ nunciant Hispanicum illic Legatum iterum adiisse Regem, palamque profiteri portare se Palatinatus restitutionem: classemque Anglicam iterum in mare prodiisse, ut neminem sine Regis sui permissu piscari patiantur. Hollandi piscatores, quanquam nolentibus Rectoribus, facilè inducuntur ut florenum in Lastam, leve in præsens onus, sed quod introducto semel exemplo immensos auctus accipere possit, persolvant, pollicentibus Anglis præstituros se ne quid à Dunquercanis damni sentiant, quod haud obscurum est ipsorum cum Hispanis consensus indicium. Rex Galliæ sub finem mensis hic exspectatur: justa est à Picardia abeundi causa, grassantes in castris & oppidis morbi, multa hominum strage. Neque ex Suedia, neque ex Pomerania, neque ex Germania ullas à multo tempore literas habui. Sed is, quem hic miserat Dux Vinariensis, mihi significavit, habere eum literas de septem cohortibus hostium nostrorum virtute cæsis. Addebat idem bono loco esse castra Ducis: sed valde ei dolere, quod pecuniæ à Rege nec quantum promissum esset acciperet, nec suo tempore, eoque novo milite augere copias suas non posset. Is ipse ex quo hæc intellexi, in Angliam ad Ponicam ibat propero itinere. Audio tamen aliquem ex Leodiensi agro militem Duci advenire: qui hosti Brisacum è Silesia advenere milites Hispano militant: septem putantur millia, è Croatis vicinisque gentibus, omnia circa Placentiam etiam Trebiam sui juris fecit Hispanus: Mantuanum conditionibus tentat. Anglis ab India Orientali duæ naves advenere, Batavis dives una à Coromandelensi ora, quod portionibus in Societate pretium incendit. Comes Mauritius itineri in Brasileam se parat, egregio comitatu. Conqueritur Landgravius non impleta sibi Galliæ promissa. Wardenburgii & Mulleri cohortes Gallico stipendio militantes apud Batavos inopia diffluunt. Idem multis locis in Gallia fit. Dux Rohanius non satis habens exemplo instruere milites, addidit & librum quo ex Cæsaris Iulii rebus gestis utilia profert documenta. Corbiæ aditus à Gallis eminus clauduntur. Comiti Licestrio ubi in Angliam redierit, destinari audio Hiberniam Provinciam. Angli Legati Regis sui operam offerunt, si quid apud Danum è nostra re fieri possit. Non desunt hic ad populum phaleræ: nostræ victoriæ attolluntur in duplum: affirmatur Princeps Arausionensis in Flandriam, in Brabantiam Dux Bulionius incubituri, ut eodem tempore hinc invadantur Atrebates: pari famæ libertate conjunx Polono destinatur Borbonia Condæi filia. Rex ipse pacis præcupidus & plebi parcens lactatur quotidie spe auri Alchimistici egregio ad hanc artifice eo de quo scripsi Boismaillæ, ridentibus & tacentibus aliis. Batavi & Bohemiæ Regina, ut jam nunc ex literis cognosco, credunt Arondelio sine circuitione edictum Palatinatus partem utramque redditum iri, ubi persoluta fuerint facta in eum ab Hispano Bavaroque impendia.

Electoratum Bavaræ Domui, ad quam & olim pertinuit, auferri non posse. Inde illi spem concipiunt utinam non vanam, ad aperta fortiaque consilia venturam Angliam. Aysemæ Viennæ multus honos habetur, & ut Legato & privatim, redditis ei quæ in Germania possederat, auctisque titulis. Principi Thomæ conscribere militem in Anglia negatum. Opto, Excellentissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{0}{1}$ Octobris 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SCripsi breves literas ad te, sed septimo quoque die, ut 665
rerum hic sæpe mutantium faciem quàm sæpissimè ac recentissimè conspiceres. Tuas datas 27 Augusti nunc demum, id est, sesquimense quàm scriptæ sunt pôsteriùs accipio. Non tota in ventis culpa est, sed quod navigia nulla sunt in id instituta ut cum literis ultro citroque commeent. Spero Batavos huic malo remedium reperturos, ut sic quoque maris possessionem retineant. Schavaskius, ut & antehac significavi, si fortè perlatæ sunt literæ, visus mihi non est. Excusatores misit. Valedixit Reginæ (nam Rex ab urbe est) domum rediturus per Venetias. Literas habeo Dantisco, quæ pendere adhuc nuntiant illud de conjugio cum Palatina virgine negotium. Cum Veneto hic Legato ita locutus est Schavaskius, quasi plurimæ difficultates intervenirent ob Religionis dissidium, alii putant hæc fingi omnia, ut, si fieri potest, labefactetur virginis summatis circa sacra animus: cæterum si constantiam, de quo ego non dubito, retineat, non eò minùs constitutum rem conficere. Legam literarum tuarum filum, ut de singulis quod nunc intelligimus significem. In Burgundia hactenus pares bellantium copiæ mutuo metu tempus extraxere. Nunc quid futurum sit postquam è Silesia septem fermè millia Hispano militantia Cæsaris vires auxere, exspectamus. In Italia malæ adhuc res sunt. Cuncta circum Placentiam, etiam flumen Trebiam tenet Hispanus & id ab urbe abducit: atque eum Principem bello opprimit, alios conditionibus tentat. Dux Rohanius, cùm ad res agendas multa ei desint, suo exemplo probat, non esse eam fortunæ vim, ut eripere sapienti possit, ne utilem se publico præstet. Edidit nobis Commentarium in Commentarios Cæsaris, dignum opus & se & Cæsare, qui perfectissimum ducem (is libri titulus est) & describit & facit. Classis Gallica à Vado rediit nullo effecto operæ pretio quod tantis impendiis respondeat. Tamen Archiepiscopus Burdigalensis, qui classi præest, quod potuit, id est, vota sua contulit. Non videntur Angli remissuri id quod jam magna spe devorarunt piscarium vectigal. Et haud dubiè Batavorum privatis privata & præsentia tantùm respicientibus blanditur onus initio modicum, & magna pensatum utilitate, quod ipsos Angli à Dunquercanis præstare velint immunes. Spero Rectorum prudentia concordiæ viam inveniet, ad quam Comes Licestrius, magnæ nunc auctoritatis (in reditum ei præfectura destinatur Hiberniæ) adferet quicquid à viro egregiè cordato & publici amante exspectari potest. Landgravio cuncta benè procedant, optandum est. Hanoviæ novum parari obsidium multæ literæ nuntiant. Daniæ Regem, quando mos ei à nostris gestus est, spero nobis paulo plus quàm non inimicum fore. Et ad id operam suam pollicentur Angli. De septem hostium cohortibus Suedica virtute cæsis auctorem habemus Sanctichaumontium. De Turcæ in Poloniam odio consentiunt cum tuis Constantinopolitanæ quas vidi literæ. Sed potentiæ ejus cursum mirè sufflaminant & Persarum arma & motus interni. Poloni autem in rebus sunt satis prosperis, depulso

Digitized by Google

pulso Tartaro & cum Russo reconcinnata pace. In Picardia res quiescunt: & morbi magis magisque fluentes brevi, ut puto, Regem hic sistent, dilato in ver bello, nisi pace præcidatur. Huc usque scribendo processeram, cùm literæ mihi tuæ recentes admodum, quippe 7 Octobris datæ, quas Maurerius pertulit, redduntur. Gratias pro iis ago maximas, quod non minùs sunt uberes illis, quarum modo memini prioribus: tum verò gaudeo meas in non parvis rebus conjecturas tuo firmari, quod facio plurimi, judicio. Responderem & his singulatim, nisi me ipse opprimeret obsignandi mittendique articulus. Præterea sunt non pauca de quibus jam dixi quid aut didicerim aut suspicer. Pauca tantùm festinans addam. In Cardinalem odia haud dubiè publico nocent. Rex eum tutari perstat. Princeps Arausionensis multa habet hoc tempore adversa, quæ Galli, spe & ingenio festinabundi, non suis ponderibus æstimant. D. Ioachimium feci semper maximi: ac dignum censeo cui obtingat honos reconciliatæ cum Anglis patriæ. Navem istam Indicanam spero jam Batavi intra sua præsidia duxerint, ne id quoque alimentum ad tot discordiæ causas accedat. De Brasilia puto esse cur bene sperent. Non deseret Princeps Arausionensis, cujus summa est auctoritas, res quibus propinquum suum passus est inseri. Quid sit quod à Maguntiacensi in causa Palatina Hispanus desideret, tam scire aveo, quàm nequeo suspicari. Cum Gallis nullum dum fœdus coiit Anglis quod sciam, & promittunt Legati, qui me amant, se quid fiet me non celaturos: & ostendunt, si iniquitate Austriaca vim experiri cogantur, etiam Suedicam à se societatem expeti. De supplimentis quæ ad nostros exercitus pervenere, multum gaudeo. Magni Cancellarii præsentia haud dubiè egent res Germanicæ. Sed ille ubi ubi, publico semper erit utilissimus. De Schavaskio quid nobis adversum agitaverit aut egerit, facilius est suspicari, quàm rescifcere. Discedet puto cras, ut domestici ajunt, bene confectis rebus. Galli in spe danda liberales sunt dum ne federibus se adstringant: etiam federibus adstricti sæpe elabuntur. Meas ad Deum preces cum tuis jungo, ut, si non ubique, certè inter Christianos sit pax qualis esse debet, utque tibi ac tuis cuncta è sententia eveniant. Lutetiæ 17 Octobris nov. Cal. 1636.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

Vir Nobilissime amicorumque antiquissime,

666 MAgno cum gaudio cognovi & bene valere te, & manere neque amicorum neque earum quas semper excoluisti literarum immemorem. Legatio de qua mihi gratularis splendida quidem est, sed magnis eget præsidiis ad quæ paranda laborare quidem paratus sum, sed præcipuè Dei favorem precibus mihi implorandum intelligo. Ad eam rem bonus adjutor mihi erit Brandanus Dætrius, quem tibi probari illis præsertim ex partibus, quæ apud me plurimum valent ac valere debent, multum gaudeo. Satis suaviter hic vivimus cum amicis illis tuis quos in litteris nominas, qui tui meminerunt sæpe, teque amant mutuò. Inter alia hujus loci bona est ingens & librorum & utilium colloquiorum copia. Valesius Ammianum edidit, optimis usus manu conscriptis codicibus. Tui ut & de illo scriptore & de aliis optimè meriti mentionem facit. Vale. Datum Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{8}{}$ Octobris 1636.

Tuus H. G.

IACOBO LAMPADIO.

667 FElicissimis mihi illum semper annumeravi diem, Vir Nobilissime, quo mihi te videre ac nosse contigit, sermonesque sociare de iis, quæ Christianam concordiam turbant, deque eorum remediis. Valde cum meis sententiis conveniebant quæ ex te audivi, neque unquam excident animo. Eandem esse mentem viro eximio D. Calixto, tum ex ipsius libris tum amplius ex tuo relatu cognovi. Quare ex quo certa mihi sedes cum Legatione hac data est, nihil magis optavi, quàm ex illius optima disciplina habere aliquem mihi quàm conjunctissimum. Quod nunc mihi in Brandano Dætrio contigisse gratulor, simulque & tibi & D. Calixto, quod mihi hanc ad rem adjutores fuistis, ago gratias: Deumque veneror, ut veram æquamque pacem Christiano orbi, illisque imprimis in quibus vivitis regionibus restituat. Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{8}{}$ Octobris 1636.

Tuus optima fide H. G.

HENRICO VAGETIO.

668 *OMnia cum duris bellum circumstrepat armis,*
Nilque satis tutum Mars ferus esse sinat;
Tu tamen en thalamos audes tentare jugales,
Blandaque conjugis fœdera pacis opus.
Sed Musis belli datur exarmare furorem,
Et trahere infestos ad meliora viros.
Hoc tu præsidio, Vageti doctissime, fisus
Vincula non metuis quæ tibi fecit amor.
Pronuba Calliope genialia carmina cantat,
Prælucetque sacras ipsa Thalia faces.
Et quæ tu parvus facias fœcunda Poëtis
Tempora fulmineo libera Marte paras.

Habes epigramma, Vir eruditissime mihique amicissime, simulque votum meum, quod effectum det Deus. Venit ad nos Brandanus Dætrius, tibique cuncta satis rectè procedere nuntium mihi pergratum attulit. Ego si quid unquam possim facere quo appareat, quanti mihi sis, non exspectabo dum roger. Interim tibi amicisque veteribus cuncta opto prosperrima. Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{8}{}$ Octobris 1636.

Tuus ex animo H. G.

D. CASAVBONO.

QVod non colloquio tantùm interiore, sed & lare ac mensa Reigersbergium meum excepisti, Vir Reverende, id beneficium quanti faciam, magis animo concipere quàm verbis exprimere possum. Vtinam non huic tantùm, sed & aliis tuis officia paria facere possem. Inter officia autem illud vel maximum est, quod summatim à me institutum juvenem de eis dogmatibus quæ ad pietatem faciunt, & reverentia quæ primorum temporum Ecclesiæ optimo jure debetur, confirmasti ea in re edocuistique ampliùs. Ipse vestræ Ecclesiæ, & qui utinam Ecclesiæ diu præsit Magni Archiepiscopi conspectus magnum illi ad optima quæque incitamentum erit. Stevarsdus si sibi defuit, non habet quod aut in me qui commendavi, aut in te qui commendatum suscepisti requirat. Si se ostenderit, cogitabitis an in docendis Philosophiæ præceptis, in quibus multum se exercuit, aliquis ejus usus esse possit. Rogo te ut si qua sit occasio, norit per te Archiepiscoporum omni laude eminentissimus me in ipsius veneratione nemini concedere. Tibi verò bona opto tot atque tanta quanta devinctissimus amicorum optimè merito amico optare unquam potuit poteritve. Etiam optimæ matronæ conjugi tuæ pro sua summa in nostrum propinquum comitate gratias ago, cunctaque precor felicissima. Lutetiæ $\frac{1}{2}\frac{9}{}$ Octobris 1636.

Tibi addictissimus H. G.

HERMANNO CONRINGIO.

QVantum Poëtica facundia valeas, Conringi doctissime, ostendit Lessus, felix Claudiani imitatio, quanta autem sit in te cognitio rerum naturalium, ac præcipuè excellentissimi inter corpora humani, & eorum quæ id perpeti natum est, docent theses Medicæ quas ad me misisti, præter ea quæ antehac tua videre mihi 670

summa

summa cum voluptate atque utilitate mea mihi contigit. Ego verò sicut omnium eruditorum amicitiam feci semper maximi, ita imprimis expetivi illos nosse, illis nosci, quos generosi animi impetus ad scandenda artium culmina, unde vulgus longè despiciatur, impellit. Quare dubitare noli, quin tuo merito tuus sim, idque ut videas ex amicitia hoc mihi juris sumam, ut per te viris egregiis collegis tuis, & supra cæteros D. Calixto, cujus pietatem eruditionemque juxta suspicio postulem commendari. Vale Vir eruditissime. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Octobris 1636.

Tuus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

671 Abiit tandem Schavaskius, multum à suis sordium accusatus: comitatu tenui, mensa plebeia. Etiam quod à Cardinali Hispano munus acceperat, vendidisse in Anglia dicebatur. Ratisbona Arundelium adhuc retinet. Silentio tegitur oratio longa Cæsaris ad Principes; exspectatur ibi Brandenburgicus Elector & Coloniensis. Hic inter Gallos Anglosque federis spes est aliqua, sed nondum confectum est negotium. Si cum Batavis Angli de mari controversiam ad æquas pactiones deducere poterunt, magna res acta erit. Cardinalis duos suspectos sibi ab exercitibus amovit, quorum Frater Regius nunc hic est, Blesas porro iturus: Suessionensis in Campaniam amandari creditur. Regem sub finem mensis hujus aut hic aut hinc non longè futurum credimus. Nuper Ransovius prima nocte Isolani castra invenit, prædæque multum abduxit: primo demum mane supervenit Valetta Cardinalis & gloriam victoriæ sibi vindicat. Sub idem tempus Picolominæi castra damno affecit Dux Bernhardus. Corbiam Galli claudunt circumducto aggere, nullius rei, quod sciamus, egentem, nisi quod molæ lapidesque molares deesse dicuntur, quorum defectus aliis commentis suppleri potest. Conspectus amissi oppidi, & malorum quæ inde nasci possunt reputatio, sopita aliquamdiu, ut scripseram, odia in Saucurium Davausii affinem resuscitat. Est is in Anglia, postulantque cum sibi dedi Legati Gallici: responsum accepere moratorium. Nempe ut illi tempus abeundi detur. Veneti Pesarum virum egregium mittunt ad pacificationis negotium Coloniam. Eodem se per Augustam Ginettius contulit. Sed credibile est nihil actum iri priusquam res transactæ sint Ratisbonæ. Præter illa sex aut septem è Silesia millia, Bavaricæ cohortes aliquot pontem Brisaci transiêre cum machinis XXIV centum carris farinæ. Dicuntur eodem modiorum frumenti undecim millia è Wirtembergensi agro portata, & ex eodem agro Sueviaque novas eò copias ducere Glenius. Iam certè ita viribus suis confidit Galassius, ut non Bellegardam tantùm & Ausonam intercludat aditu, sed & Ludam machinis verberet: unde Montipellicardi periculum imminet, hoc majus futurum quod Comes Susæ, notæ industriæ atque animi vir mortalitatem explevit. Pars quædam Imperatoris copiarum ad Tigurim se ostendit, metusque est ne ex ea parte, & simul à Lacu Comensi, propter quem Germanus miles se tenet, irrumpatur Rhætia, fessa insuper discordiis. Duces Rhæti omnes ob non soluta per undecim menses stipendia à Gallis debita militiam deseruêre, tribus demtis. Conventus novus Curiæ habetur, quo ipse se, quanquam & animo & corpore æger transfert Rohanius, iratos, si potest, verbis placaturus. Quis sit Vallis Telinæ status exhaustæ peste & agrestium ob militares injurias fuga, Marinus dicet. Loca quæ Hispani in territorio Placentino cepêre hæc præcipua nominantur: Comporanata, Florentiola, Burgum, Sanctidominicum, Curtis major, Buscittum, Montcella, Pleudola, Salinæ ad Saxum. Aqua præterea amnis ab oppido Placentiæ abducta, & oppidanorum aversi animi Ducem ipsum intra arcum conclusum trepidumque tenent. Iam & Albam & Niceam Montisferratensis ditionis oppida suæ potestatis fecêre Sylva & Ferrandinus, & Astæ minantur. Classis Gallica in ora est Provinciali. Hispanica Genuæ, in id se parans, ut Insulis Margaritæ & Honorati commeatus, qui ibi desiderantur, adferat. Alia Classis ad Caretam contrahitur. Landgravius quid agat incerti sumus. Credi volunt Galli, auctum illum Gallicis cohortibus ire, ut Dortmundo Ermensteinoque subveniat. Hanoviæ præsidiarii Offenbachum invasisse dicuntur, ad eripiendum hunc illis locum movente se Darmstadiensi. Interim nec pactionum cum oppido tentamenta conquiescere. Multum dubito verumne sit Turcas Neuheuselæ insidiatos: Deinde viginti eorum millia missa ad expellendum Transilvaniæ Ragoskium, desertum ab Imperatore, metuente ne novum in se bellum concitet. Anglos intelligo, priusquam bellum in Austriacos sumant, magno id indicare Batavis, nempe volentes Flissingam sibi tradi, ut è propinqua sede arma moveant, deinde veterem Britannum militem sibi concedi, accepto ejus in locum novo. Hæc meis popularibus persuaderi posse vix arbitror. Tum vero metuo, ne rejectæ res à Ratisbonensi Conventu in Norembergensem anni venturi, Anglos tot annos trahi solitos trahant amplius. Ne id quidem crediderim, quod fertur, cudi Ratisbonæ proscriptionem, quàm Bannum vocant, in Landgravium Casselensem & Ducem Bernhardum. De Gozio rumores sunt varii, alii ad Visurgim, alii longiùs iisse. Sed hæc ex propioribus partibus cognoscentur certiùs. Nihil aliud nunc quidem habeo, Excellentissime Domine, nisi ut Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati precer optima. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Octobris 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Foederis Galliam inter Britanniamque spes videtur se magis quàm antehac ostendere, sic tamen ut dubitandi sint causæ; Arondelius etiam nunc Ratisbonæ trahi se patiens, & duræ leges quas Britanni Batavis ferunt, antequam hostilia in Hispanum aut Cæsarem velint capessere. Schavaskius tandem hinc abiit. Belli res, ut fieri anno declinante solet, prope dormiunt; in Picardico fine maximè, unde Frater Regius fessus belli malorum abiit, Rex tum ob alia, tum ob morbos semet vulgantes intra hunc mensem abiturus, & huc venturus putatur. In Burgundia aliquid actum est: nam & Dux Bernhardus Picolominæi, & Isolani castra nocturna irruptione imminuit, præmissus Ransovius, subsecutus Cardinalis Valetta. Sed præter Silesias cohortes Bavaricæ aliquot non paucis cum machinis pontem Brisaci transiêre, quo magna vis commeatuum è Wirtembergi agro locisque vicinis transit, etiam copiæ militares sub Glenio nonnullæ. Validior Galassius per hæc incrementa Ludam oppugnat: loca vicina Bellegardam & Ausonam eminus includit, ut Corbiam in Picardia Galli. Nec pacis artes frigent, cui promovendæ transiit Augustam Ginettius, destinatur à Venetis Pesarus, & privatis pactionibus interim tentatur Hanovia, Offenbacho nuper infesso superba: Valli Telinæ & ex Tirolensi agro & per Helvetios, ut videtur, montes malum minatur Hispanus, utrinque ingruens: gnarus ob debita diu stipendia parum pronos Gallis & Helvetiorum & Rhætorum animos. Classes quæ in mari sunt Ligustico, Gallica portubus suis, Hispanica Genua se jam tenet, intenta hæc ut Margaritæ Honoratique Insulis adferat multum desideratos commeatus. Transilvaniæ res à Turca agi- 672

agitari fama hic est, sed talis, ut de fide dubitare liceat: Hæc pauca scribere malui, quàm multa quæ parum certis auctoribus ex cujusque usu vulgantur. Simul, Illustrissime Domine, tibi omnia Dei munere prosperrima opto. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Octobris 1636.

Tua Illust. Dom. addictiss. ejusque observantissimus H. G.

IOANNI FRIDERICO GRONOVIO.

673 FAcis magis pro ingenii tui bonitate quàm pro meo merito, Gronovi doctissime, quod mei benignam memoriam, amoremque neque temporum, neque locorum intervallis finis perire. Noli dubitare quin ego præstem mutuum, tuisque studiis tam feliciter procedentibus (sunt enim locupletes ejus rei testes literæ tuæ) toto animo faveam, laudemque propositum Minervam imitandi, quæ foliis tantùm oculos oblectantibus oleam & jucundam & utilem prætulit. Tum verò quod à rerum majoribus vacantes horas Statianis foliis impendis, valdè id me juvat, qui scriptorem illum etiam in illo versuum genere cum mira majestate floridum colui semper: quod ut agnoscas resumpsi in manus editionem Tiliobrogæ, & quæ olim tuæ ætatis cùm essem margini illevi tibi dijudicanda trado, quorum non dubito quin aliqua occupaverit Gevartius, cujus editio mihi nunc ad manum non est. P. 3. *Martem non amplius armis* video defendi posse sed *alius* malim; & mox *nec tardo raptus prope flumina cursu*, ut nova sit pars comparationis. Pro *afferta munere prolis* plane scribendum putem *ascita*. Nam *adsciscere* est adoptare. Octavianum apparet intelligi, qui Cæsarem Dictatorem adoptione Patrem in Deos primus retulit. Pag. 4. *Crinem terit ungula* erit rectiùs. Nam quod sequitur *infessa* pro *insessa* typothetæ culpam puto. P. 4. *Ora Taras* pro *Tonans* non dubito quin & alii monuerint. Ejus effigies præclara Tarenti spectabatur, & nunc quoque in nummis Tarentinis. P. 7. *Lumine virga* pro *limina*, error est iterum librarii. P. 8. *Nunc tibi plectra dedis* pro *hinc* ut sit *nunc* pro adversativa *sed*, potuerat Stella epos scribere, sed maluit lyræ se dare in Veneris honorem. Illud. P. 9. *Profugus liquisset & Evan*, quem sensum habeat te non fugiet, quanquam fugit alios. Hoc enim dicit, si Violantilla adfuisset Ariadnæ desertæ à Theseo, Ariadnem non minùs Bacchus deseruisset, quàm eam deseruerat Theseus. P. 12. *Huic Lycii montes* nempe Apollini, ut statim *illi*, id est, Baccho. P. 13. *Consurgat ad æthera tellus*, ut respondeat quod sequitur *tumeat*. P. 14. *Firma beatis* pro *forma* error typothetæ. Eadem pagina *Dignas digitis contingere gemmas*. Dicit eas quæ dignæ erant unde annuli fierent. P. 15. *Quonam sub domino* pro *quo non* quod sensum non habet: semel enim exciditur arbor. P. 18. *Prima toga virtus: illa quoque clarus*. Deinde: *Laudem & opes, quantas nec qui mandaverat ausus exspectare fuit*. Quantas Imperator, qui id negotium dederat sperare non audebat. P. 19. *Benignum virus* annotaveram: sed cùm Tiliobrogæ notata inspicio & hoc & prius posita quædam reperio. P. 20.

Tuque inimica feræ volucer Tegeæ sonora
Terga premas.

Quod de Mercurio ejusque reperta testudine intelligendum. Ad p. 21. illud *tenuem volvunt hypocausta vaporem*. Vide si placet Martialis Epigramma de Etrusci Thermulis. Quod sequitur. *Et tua jam melius discat fortuna renasci* ad exilium pertinet irrogatum Patri Etrusci, de quo & vide mox epicedium. Pag. 22. *Plebes altera non minor sedente* ad libertos Cæsaris pertinet. P. 23. illud *qua-nam* cum admiratione pronuntiandum. P. 25. *In amicitiæ colore* par Horatiano illi: *Omnis Aristippum decuit color*. P. 29. *Porgit* non *porris* exigit connexio. P. 39. *Non soli celebrant sua funera Cycni* rectiùs cohærebit. P. 1. *Nec pectora novit*, id est, fortuna animos non respicit: & mox scribe *stemmate cuncto*: dicit enim animi nobilitatem quavis generis nobilitate fuisse majorem. P. 43. *Vita adulta* dicitur quæ in Legibus plena pubertas. P. 44. Velim *quid terga dolori, Urse damus?* Cur dolori cedemus? P. 45. Errant, qui *puppem temerariam Minervæ* aliter quàm de Argo exponunt. P. 50. Lege *Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem*. Leonem scilicet, id est, Leonis exuvias. P. 59. Notandum non ordine temporum dispositas Silvas. Nam hoc Etrusci Patris Epicedium scripsit postquam sui Patris scripserat. Eadem pagina scribas. *Hunc & in Arctoas:* Caligulam nempe de quo proximè sermo. Notæ ejus Germanicæ expeditiones ex Tacito & Suetonio. Quod eadem pagina præcesserat *geruntur* pro *reguntur* hypothetarum peccatum est. P. 60. Pro *vigilis te* ponam *vigil iste*. Est autem locus hic insignis in notandis Romani Imperii reditibus & impendiis. Domitiano jam imperante factum hoc poëma apparet ex eo quod est. P. 61. *Progeniem claram* &c. P. 62. arbitror legendum, *Lictore quo*. P. 63. *Pœnas* pro *pœnis* rursus typothetæ error est, sed corrigendus tamen. Eadem pagina *exemplo meritus* sensum faciet meliorem. P. 80. Est egregia circumlocutio feriarum æstivarum. P. 82. Non placuit Gevartio, quod eum monueram rescribendum. *Nec enim retinentum alma pectus amicitia*. At ipsius expositio (memini enim) mihi se non probat. Nullus, inquit, in amicitia te constantior, quod deinde duabus comparationibus illustrat. De Hercule Expiatorio, confer Martialis Epigramma ejusdem argumenti. P. 89. *Tot dominis clamata domus* ex Iure Civili quo etiam vivo Patre Filii quodammodo rerum paternarum domini censentur. Condiendi corporis morem ab Ægypto profectum habes descriptum. P. 99. Confer Herodotum. P. 100. *Nec paupere clavo* scribam de prætexta & toga pura locus egregius fine. P. 104. *Optate* proprium nomen est. P. 106. pone: *Et lachrymas rari quas nunc habuere parentes*. Ea erat seculi avaritia, ut pauci liberi parentes mortuos flerent. Ideo & supra in Etrusci Epicedio, ut magnum posuit. *Pater est qui fletur*. Mox *ruitura maritum*, quanquam & *in* pro *super* defendi potest. P. 107. *Supremos inclusit gemitus*. P. 108. *Sed audax Ingenii*. P. 109. pro *obsitus* ponendum *ibem*. P. 109. *Lituo remoque notatus collis* est Milenum. Mox scribe *Lanea cur Phrygii est coma flaminis*, docuisti unde flamini diali mos gerendi apicem. P. 112. Nescio an audeam pro *Felix* scribere, *si Phryx*, ut simile sit ei quod sequitur *si chelyn*. Mox *si Thessalicas Admetus in oras secum una retro Phylaceida retulit umbram*. Deinde *Qua porta malignum cornea vincit ebur*. P. 114. *Tu me cabyrne mæstum Obruis: ah duro*. Eheu, inquit, tantum malum perpetior & vivo. P. 115. *Primogenitum qui protinus ortu Implicui, fixique mihi, cui verba sonosque monstravi, (quæ estune & vulnera cæca resolvam?)* Hæc sunt quæ à me olim notata reperi, quæ qualiacunque sunt (neque enim mihi nunc accuratè illa expendendi otium est) tui facio arbitrii. Vale cum amicis omnibus & de publico bene mereri ne desine. Lutetiæ 28 Octobris 1636.

Tuus optima fide H. G.

GEORGIO CALIXTO.

DVdum est, Vir plurimum Reverende, quod te ex 674
fama, quæ nihil tale latere patitur, cognovi atque suspexi. Hamburgi cùm essem accessit & amandi te causa, cùm per amicos tuos & animum tuum mihi optimè volentem & benigna de laboribus nostris judicia cognovi. Legi eodem tempore cum voluptate præfationem tuam ad Augustini libros de Doctrina Christiana & ad Commonitorium Vincentii Lirinensis, qua nihil prudentius, nihil hoc seculo utilius scribi potuisse censeo. Nisi enim interpretandi sacras literas libertatem cohibemus intra lineas eorum, quæ omnes illæ non sanctitate minùs quàm primæva vetustate venerabiles Ecclesiæ ex ipsa prædicatione Scripturis ubique consentiente hauserant, diuque sub crucis maximè magisterio retinuerant:

Digitized by Google

stant: nisi deinde in iis quæ liberam habuere disputationem fraterna lenitate ferre alii alios discimus, quis erit litium, sæpe in factiones, deinde in bella erumpentium finis? Neque verò documenta dare contentus, addidisti & documentis congruens exemplum, in illa nobili de conjugio Clericorum controversia, qua super re quæ scripsisti itidem Hamburgi agens cum voluptate summa legi: & hæc quæ legeram aliis legenda monstrare non omisi. Francofurtum cùm venissem magno meo bono adeptus sum amicitiam Viri Amplissimi Iacobi Lampadii, quicum liberè collocutus, si quid mei ad pleniorem tui tuarumque sententiarum notitiam deerat cognovi, tum ipsius relatu, tum ex libro tuo quo me donavit, qui Theologiæ maximè necessariæ, id est, ad mores Christianos, sine quibus cætera omnia infructuosa sunt, pertinentis partes exsequitur potissimas, addita appendice contra novum hominum genus in hoc ratione utentium, ne ratione uti liceat. Has ob causas animo tibi factus sum indies conjunctior, fortunæque meæ, quam Deus ex diu aspera in mitiorem commutavit, id maximè deesse credidi, quod non aliquem, cui eadem placerent quæ tibi ac mihi, haberem vitæ socium. Id cùm nunc tua ope consecutus sim, misso ad me Brandano, debitorem tibi me eo nomine profiteor: deinde verò & pro cumulo quem huic beneficio addidisti, donatis mihi libris tuis, tum iis quos hactenus videram, tum illo non minùs laudando de cursus nostri clausula, id est, extremo judicio. Legi & hunc eodem quo cætera scriptum judicio atque animi moderatione. Efficiam & ut alii legant, qui lectis pridem tuis scriptis de harmonia Euangeliorum, & illo quem ego hic legendum pluribus tradidi de Theologia morali libro, te verò pretio æstimant, quos paucos esse & ignobiles veto te credere. Confido futurum ne me advocati Brandani, neve Brandanum adventus huc sui pœniteat, utque noster convictus ad ea quæ me tecum connectunt vincula accedat. Vale Vir plurimum Reverende. Dabam 3/13 Octobris 1636.

Tuus tuo merito H. G.

DUCI BERNHARDO VINARIENSI.

Excellentissime Princeps, Illustrissime Domine,

675 NOn dubito quin & à Regis ministris & ab ipsa quæ tantæ rei deesse non potest per Germaniam fama edocta sit Tua Celsitudo de prospero Marescalli Bannerii ad Witstochium prælio. Officii tamen mei existimavi Celsitudini Tuæ perscribere quod ex literis D. Salvii, scriptis die Michaëlis Hamburgi, heri autem demum ad me perlatis, didici. Abiens magnus Suediæ Cancellarius curam belli ad Albim Bannerio, ad Viadrum Wrangelio, ad Visurgim Leslæo mandaverat. Evenit, ut Elector Saxo auctus è Germania Haetsveldii, è Pomerania Marazini copiis præpolleret militum vi. Quæ causa fuit, ut & Bannerius Leslæum è Westphalia, Witzhumbium autem è Wrangeliano exercitu, illum cum VII CIↃ hunc cum VI CIↃ militibus, ad se vocaret, hisque accessionibus firmatus ad Parchimum in territorio Mechlenburgico subsisteret, speculaturus quid hostes, qui tum Havelam inter & Perlebergam se tenebant, agitarent. Illis tempus otiosum terentibus ultro Parchimo Perlebergam se infert, prælio, si ejus daretur copia, certus experiri. Cùm illi oppidi intra munimenta tuti spem certaminis eluderent, Havelbergam properat, eaque in deditionem accepta die 18 Septembris Vet. Cal. Werbam incipit tormentis verberare, donec affertur nuncius Electorem Saxonem 20 Septembris Prutzwalchium iter sumpsisse. Quo cognito relictâ Werbâ eodem ipse movet agmen. Witstochii factus obvius hostibus, id est, Electori ipsi, & duobus quos dixi Imperatoris ducibus, ab altera post meridiem hora diei 24 Septembris ad usque multum vesperæ, ut illi campo tandem cesserint Bannerioque reliquerint victoriam, & maximam victi peditis partem, machinas omnes, currus, impedimenta, signa ad hæc CXXX, non sine spe futurum, ut hunc successum alii subsequantur. Quæ cuncta Deus Optimus Maximus ad Christiani orbis bonum dirigat, suaque tutela, Excellentissime Princeps, Illustrissime Domine, Tuam Celsitudinem sospitet ac prosperet. 3/13 Octobris 1636.

Numerum vexillorum ab aliis minorem tradi video, ut dubitem sitne in eo vitium ejus qui ad me literas descripsit.

Celsitudini Tuæ ad omnia obsequia devotissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

MUltum præstitit Cardinali nostrorum Witstochiensis victoria. Nam Regis aliorumque animis ob pecuniæ imminentem penuriam, aliaque incommoda præcipites ad pacem, in spem meliorem erexit. Iamque fama, sæpe in bello non minùs quàm res ipsæ valens, ait Gallassium qui capto Mirebautio Burgundiæ Ducatum penetraret, coactum peditatus sui bonam partem auxilio mittere laborantibus. 676 Iis verò qui ad Corbiam sunt tantum accessit fiduciæ, ut, quanquam alieno anni tempore putent se affodiendo breve intra tempus pervenire posse ad oppidi oppugnationem, præcipuo impulsore Castilionæo, edocto talia Batavorum commilitio. Rex ipse jam Chantiliaci est. Cardinalis ad Abbevillam, Frater Regius inani cum ira Blesis. Sanctisimonius, qui nuper in flagrantissima fuit apud Regem gratia, amotus, ut scripsi, ab Aula nunc etiam præfectura Blesensi, aliisque dignitatibus exuitur, accessurus ad exempla instabilis potentiæ. Etiam Franciæ Cancellarii nutare dicitur fortuna. Angli adhuc rem cum Gallis trahunt, Ratisbonensia, ut videtur, eventa opperientes, cum Batavis concordiæ vix audent spem dare: Mari nihil agunt neque Galli, quorum classis partim ad Villam Francam se tenet, partim Mare oberrat, nec Hispani quorum naves partim ad Vadum sunt, partim Genuæ, quæ civitas eis commeatuum inopia laborantibus subvenit. Terreste bellum ut ante scripsi, prosperum Hispanis, adeo ut Villattam, quæ præter Bremum sola de partis hoc bello Gallis restabat, Galli, quod defendi posse desperarent, munimentis nudaverint. A Rohanio nihil exspectandum, imminutis per morbos, famem, diffugia ejus copiis. Sed hæc Marino testi oculato narranda relinquo. A Polonis suis ob non soluta stipendia iterum deseri Gallassium rumor est, nescio an non ex utilitate confictus. Venit ad me his diebus 57. 108. 13. 10. cui multum cum Nonio commercii. Dicebat exhaustas Vindici pecunias: neque esse unde nova fierent, haud mansuris in obsequio provinciis, si quid ultrà eis, quùm volentibus esset, imperaretur. Itaque in Aquitania, Languedocia, alibi fermè precaria tantùm esse imperia. His necessitatibus Cardinalem, invitum quamvis & quamdiu posset reluctantem in pacem trudi. Præterea urgeri à Pontifice Batavos mutuò & metuere, ne sine ipsis transigatur, &, ne ipsi id facere occupent, metui. Eusebium inter & Gracchum manere dissidia & suspiciones satis apparet. Pater Iosephus ægrotat, præcipuum Cardinalis instrumentum. Literis Windesora datis 3/13 Octobris putat revocari Arundelium Ponica, ipsius negotia obhærescunt ad incertum federis Anglos inter & Gallos. Addam vota pro Regno, Regina, Sublimitate Tua, Suecorumque omnium gloria. Lutetiæ 3/13 Octobris 1636.

Accepi jam Roma partes egregias quæ in editis Græcè Procopii Vandalicis, Gotthisque desiderantur.

LVDOVICO CAMERARIO;

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

677 HAud multum agitur. Sed Witstochiensis nostrorum victoria attollit hic animos, spemque dat fore ut Gallassiani exercitus partem à Burgundia avellat rerum Saxonicarum necessitas. Corbiam oppugnare parant Galli, jubetque nos bene sperare non imperitus talium D. Castilionæus. Rex Chantiliaci est: Abbavillæ Cardinalis: Blesis Frater Regius. Mari otium est, ad Genuam & Vadum tenente se Hispanica classe, ad Villamfrancam Gallica. Neque in Valle Telina fit quicquam. In Italia Galli Villattam, quod defendi posse non videretur, detractis munimentis reliquere facilem prædam agros tenenti. Polonos stipendii inopia digredi rursum à militia Imperatoris parum certus rumor est. Angli adhuc cunctantur. Vtinam cum Batavis eorum controversiæ ad concordiam deduci possent, quam ad rem se nulli operæ parsurum ait Comes Licestrius, si qua se spes ostendat. Alchymista Boismaillæus Aulam famis replet. Pacis negotium pergit urgere Pontifex: sed nostræ res si porro ut cœperunt successerint, existimabunt Galli sibi quoque obvenisse aut agendi tempora aut ex commodo gloriaque sua paciscendi. Ponicæ negotium, ut ex ipsius cognosco literis Windesora datis $\frac{2}{12}$ Octobris prolatatur, donec videant Angli quo loco res ipsorum cum Gallis sint futuræ. Interim in ea Aula rumor erat revocari Arundelium. Tibi tuisque omnia prosperrima toto precor animo. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Octobris 1636.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

678 ET publico me & privato affecit gaudio Tuæ Excellentiæ data Hamburgi Michaelis die Epistola; Publico, nuntiata nostrorum illustriore, quàm à multo tempore ulla contigit victoria, majores etiam de se successus pollicente; privato, quòd eum me video retinere in Excellentiæ Tuæ amicitia locum, quem mihi pridem nullo meo merito ipsius bonitas concessit. Nostra hæc prospera, fama nihil minuente, huc perlata refoverunt animum Cardinalis Riceliaci, non parùm concussum rebus minùs secundis, & acri Pontificis ad pacem molitione. Dici autem non potest quantum Gallica Aula hoc quidem dominatu Romanæ sit obnoxia. Tum verò in Italia res Sociorum afflictæ, partim Sabaudi infida societate, partim eorum qui res Gallicas curant modò negligentia modò insolentia. Cuncta locorum quæ capta erant amissa, extra Bremum & Villattam; agrorum ubique dominus hostis; ita ut in arce Placentiæ ferme captivus teneatur Parmensis abducto & amne Pado ab oppido, & à Duce oppidanorum studiis. Quædam & in Montis-ferratensi agro hostium facta: nec spes ulla medendi, tam gravi in alias partes incumbente bello. Etiam Rohanii in Valle Telina copiæ inutiles, tum ob morbos, tum ob annalem prope stipendii inopiam: quæ res simulque nimia duritia Gallorum in amovendis in Valle Telina Protestantibus, Romæ in gratiam, mirum quàm animos Rhætorum Helvetiorumque alienaverit. In mari ingentes sumptus circumducta ab Oceano totam Hispaniam classe, quæ ubi in mare Ligusticum venit ipso usu ostenditur parùm idonea silentibus sæpè ventis. Et præterquam quod nihil effecit (nec mirum cùm ei præessent duo, alter Archiepiscopus Burdegalensis, alter terrestris miles Harcurtius, maris rerum inexperti ambo) insuper & Ethruscum & Genuam compulit Hispanis se addere ad tuendam Italiæ pacem. Cæterum aliis in locis non cessatur à Gallis; nam Burgundiam contra Gallassii quanquam auctas è Silesia Bavariaque copias egregiè defensant Cardinalis Valetta & perpetuus ei comes Dux Bernhardus, ultroque hostem incessunt, ut nuper 9 hujus mensis ex novo Calendario irruptis impetu nocturno Isolani & postridie Picolominii castris non levi horum damno. In Picardia multum actum est, quod post capta hosti oppida Capellam, Castelletum, Corbiam, datum Gallis tempus est se recolligendi, ferventibus civitatum atque agrestium dilectibus, cùm si fiduciam ad pergendum hostis habuisset in prima consternatione & multorum animis præsentia haud multum amantibus, patuisset ingressus in regni viscera, & ut prudentissimi judicant, in ipsam hanc urbem. Nunc auctus undique Rex, missis in hostem Fratre & Suessionensi Comite, ipse in proximo se tenens bellum ultra Samaram repulit. Quo minùs Belgarum in fine se infunderent Galli, pestis & alimenti inopia raptis ab hoste frugibus obstiterunt: contigitque Ioanni Waertio Degenfeldii stationem nocte populari. Rex nunc morbida loca fugiens Silvanectum prope est in Chantiliano Mommorantii quondam prætorio. Frater Regius multa conquerens in secessum suum Blesensem abiit. Manet ad circumducendum Corbiæ aggerem militarem Suessionensis Comes. Principem Arausionensem satis cupidum sibi & gloriam parare & Regis Galliæ gratiam impediunt vicinus Feriæ Ducis exercitus, pestilens autumnus & pecuniæ res arcta. Successus in propinquo negatos Batavi longè in Brasilia quærunt: quò it egregia cum classe & milite Nassavius Comes Mauritius. Interim nec pacis consilia quiescunt: jam transgresso Augustam Ginettio Cardinali, ut Coloniam Agrippinensem petat, quò & à Gallia it Riceliaci frater Lugdunensis Cardinalis. Ego tam Riceliacum quàm Arausionensem arbitror, nisi magna premat necessitas, non posituros arma in quibus illius salus, hujus magnitudo posita est. Mihi semper lætum erit res & gestas illic & speratas tua auctoritate cognoscere. Est hic Alchymista in Aula, ostentator egregius, in hoc Regi admotus, ut animum Regis pecuniæ inopia anxium soletur. Interim Cardinalis de sua plenissima arca quædam subministrat, quæ ab Aschymista proficisci Rex credat. Ita Mundus agit histrioniam. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Octobris.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

MAlus sum mercium permutator qui pro lætis tristia reponam: sed ita ferunt tempora. Hispani facto in Vasconicum littus exscensu magnis cum copiis S. Ioannis de Luce municipium & portum in propinquo quem munire Galli cœperant tantùm ceperunt tanto in Bajonam terrore, ut eam urbem tueri non ausi Provinciæ ejus Præsides Espernonius & filius ejus Dux Valetta se subduxerint. Gallassius nihil de suo milite in Saxonis gratiam imminuens, cura ejus rejecta ad militem, qui in Westfalia Hassiaque est, totis suis copiis putatur ad XL esse millia sine morbis neque arcto commeatu; post captum Mirobautium, caput Burgundiæ Gallicæ, Divionem, insesso qui urbi imminet monte, infestat. Gallis ad Corbiam & anni tempestas impedimento est & alimentorum inopia; nam pulveris bellici penuriæ remedium à Batavis petitum est. Sæviunt morbi profluentes, etiam ubi Rex est Cantiliaci. Placentia premitur. A Cerbellone in metu est Vallis Telina, impare hosti Rohanio. Tot malis distractus non potest mederi omnibus ingens Cardinalis animus. Arundelius Francofurti nova mandata exspectabit. Hic Angli etiamnum fluctuant. Magni beneficii loco accipiam si quæ illis in partibus geruntur ignorare non sinar. Lutetiæ 5 Novembris 1636. 679

Tuæ Excellentiæ addictissimus H. G.

AXE-

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

680 AD duo Galliæ vulnera Picardicum & Burgundicum, tertia plaga accessit Vasconica, qua Galliæ in Hispaniam vergentis littus Oceano ambitur. Lucarum portum cœptum à Gallis muniri, exscensu ibi facto permunit Hispanus, irrupto & municipio locuplete magis quàm firmo Sancti Ioannis de Luce quod dicitur. Iam verò & Bajonæ ita imminet, ut eam tutari non ausi Dux Espernonius filiusque ejus Dux Valetta, inde abscesserint, magna circum populorum trepidatione. Numerum hostium haud facilè dixerim, minuentibus eum aliis famæ cura, aliis augentibus odio in dominantes. In Burgundia nuper Mirebautium cùm hosti caperetur, ægrè evasit Dux Bernhardus, qui in auxilium venerat, impar neutiquam quanta erat creditæ hostium multitudini. Neque enim ut putabatur militem miserat in Saxoniam Gallassius, quo ituras è Westfalia Sueviaque copias multo est credibilius. Nuntiant qui ab exercitu Gallassii veniunt esse apud eum XL millia. Tantis fretus copiis Principem Burgundiæ urbem Divionem terret, jam capto colle qui eam despicit. Video multos ei quoque urbi metuere. Qui à castris ad Corbiam veniunt nugas esse ajunt quod de ea oppugnanda aut hoc tempore aut per hyemem quicquam speretur. Cardinalis Riceliacus Abbatisvillæ est, multo in omnium odio. Monachus Iosephus revalescit, durè satis nuper objurgatus à Cardinali, quod cùm Regis in animo labascere vidisset Cardinalis gratiam, ipse quoque omnium arcanorum consors, ejus curas obtrectare cœpisset. Idem monachus effecit, ut quibusdam de Alchymista Boismaillæo tanquam de impostore loquentibus Regis nomine denuntiaretur, parcerent infamare hominem Regi fidum. Ginettium Cardinalem jam Coloniam Agrippinensem venisse fama est. Sed nova mora pacis negotio incidit, indignante Hispaniæ Rege quod à Gallia in locum Bressæi surrogatus sit Lugdunensis Cardinalis, ut scilicet togæ purpureæ fulgor Legatis Hispanicis præradiet. Dum ea de re ultra citroque commeant nuntii, dum aut Galliam tentat Pontifex, aut absistere ab hac mutatione cupiat, aut Hispanus quem opponit parem quærit (Cardinalem Cuevam prudentissimum virum fama jam destinat) abibunt menses aliqui: edictumque Feuquerio & Davausio, ne se ante Quadragesimam parent. Arondelius Ratisbonâ quidem digressus creditur, sed nova mandata exspectaturus Francofurti. Id signum videtur consiliorum adhuc parum fortium, quanquam concessum Sublimitati Tuæ militem per Scotiam scribere ex Legatis disco. Cum Gallis agunt adhuc. Claudio hic faveri in eo quod in Sophia sibi irrogat, multorum sermonibus magis magisque cognosco. Video & validas Oryzæ apud Lilium molitiones, quas successu carituras spero. Rex novum cum Batavis fedus fecit, ut quando in Belgicam arma inferre jam non datur, pro ea det Batavis sesquimillionem ut in bello perstent. Sed pecunia ea ut rectè solvatur metuo, tam manifesta Galliæ inopia, ut cohortes quasdam inter tanta pericula Rex demiserit, & in castris ad Corbiam valde esuriatur: pulvis tormentarius cùm & ipse è Gallia non suppeteret ex Hollandia petitus est. Ad Leccum locaque vicina tenet se Cerbellenus, curamque injicit Rohanio Morbegnum aliaque sollicitè custodiendi, rejecto jam in Gallos, quem non ita dudum Hispani senserant metu, quo deserta quæ fuerant ad Larium loca frequenter rursum coli incipiunt. Commune utrisque à morbis malum. Parmensis res miseræ. Ducis Bernhardi quantam Cardinalis curam agat vel hinc apparet, quod tantis in difficultatibus extricata illi sint CC M scutatorum, quo plus petere verecundè non poterat. Habere creditur III CIↃ equitum. E Gallassii exercitu & hoc nunciatur, neque morbis eum vexari, neque alimenti penuria. Vt summam dicam, ita res sunt in Gallia, ut pacem etiam non optimam sitiant summi medii infimi, unaque ejus mora credatur Riceliacus. Tria millia è Regno Neapolitano Placentiam circumsidentibus accessere. Naves Flandricæ externæque aliæ per id Regnum retinentur in usus hujus temporis. Gallica classis nihil agit, abundans imperitis rectoribus, egens necessariis rebus. Mockelium ad me nunquam scribere miror haud defuturum respondendi vicibus. Ermesteino timetur. Iam intelligo etiam à Gramontio, qui propius Bajonæ profectus est, urbem derelictam, quæ ab illo quod ante nominavi S. Ioannis municipio quatuor distat leucis. Deus cuncta in bonum vertat Christiani orbis, idemque, Excellentissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati prosperè adsit. Lutetiæ 7 Novembris novi Cal. 1636.

D. SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

HEri in templo hujus urbis primore Laus Deo canta- 681
ta est ob Corbiam receptam, Gallassiique exercitum trans Ararim repulsum. In utroque non potest satis prædicari Regis optimi felicitas. Iam & pecunias tum in Italiam tum in Vallem Telinam mitti audio, haud dubiè diu desideratas. Novam illam è Pyrenæis montibus procellam speramus staturam ad Bajonæ mœnia. Ingens quæ Suedis nostris contigit victoria 24 Septembris / 4 Octobris ad Wittstochium in agro Brandenburgensi, cæso Saxonis, Marazini, Hatsfeldii peditatu aut capto, raptis machinis XXXII, signis CXXX & ultra, sarcinis, bellique paratu omni, magno Regem perfudit gaudio, tum ob rem ipsam, tum ob spem majorum successuum. Imperium Bannerius habuit, fuitque cum eo Leslæus & cum parte copiarum Wrangelii Witzthumbius. Pugnatum ab hora secunda in noctem, loco nostris adversiore, quod collem quod Sancti Sepulchri dicitur præcepisset hostis. Princeps Arausionensis non potuit vergente in hyemem anno, pluviali cœlo, solo ut scis palustri, retinere contactum morbis exercitum: sed retinet eum in proximis oppidis, ut si quis subitus casus se offerat non desit occasioni. Novo federe quod & pecunia sancitur Rex illigavit Batavos, ne sine se pacem perpetuam temporariamve faciant, & puto staturos promissis. D. Magni Cancellarii indefessum ad res magnas agendas animum satis nosti, omnes Suediæ opes viresque movet, ne impune ferant qui fidem fefellerunt. Landgravius in magno periculo constitutus se suaque non deserit. Vnum in omnium votis est, ut Angli diutius trahi nolint, & post tot irritas Legationes experiantur quid armis possint. Agunt quotidie cum Gallis de federe, & Suedis nostris permiserunt militem in Britannia cogere, quod initium est ad bonam spem. Rhætorum maximè Protestantium sæpe me miseret. Vtinam illorum questibus adhibeantur æqua remedia. Ego, quoties ulla se dat occasio, commendandis eorum rebus non desum. In meis ad Magnum Cancellarium literis amica semper tui mentio. Qui enim oblivisci possum amici tam boni, tam veteris? cui ego omnia opto prosperrima, ut qui sim & esse perpetuò cupiam. Lutetiæ 13 Novembris novi Cal. 1636.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

VEnit ad me nudiustertius Admissionalium Regiorum 682
alter Berlisius. Cùm per multa circumegisset sermonem,

nem, tandem convenit, cujus causa missus ab affine Bulionio videbatur, ut percunctaretur ex me, an Suecia Coloniam missura esset. Dixi quæ ex Sublimitatis Tuæ literis didiceram, de rejecta ad Regni prælidis consultationem: difficultatem subesse in conciliatore per Legatum Pontificis, cui tamen remedium fortè reperiri posset: optare Sublimitatem Tuam, si res ferant, interesse ipsam Conventui, ut sapientissimorum hominum, quales haud dubiè futuri sunt Regis Galliæ Legati, consuetudine frui liceat. Cùm ille diceret id quod de Pontificis auctoritate objiceretur nihilo magis ad nos quàm ad Anglos pertinere: pace facta opus, cùm bello illigati nondum essent. Si in causam descenderent, quod ille in propinquo esse volebat credi, tunc rationem disparem non fore. Heri adivi extraordinarium Angliæ Legatum, præcipuè ut intelligerem quid de fœdere esset cum Gallia: nam & ab aliis Gallis audieram jactari convenisse jam hâc tantùm exceptione, si quæ placuerant hic Regi Angliæ probarentur. Pernegavit convenisse quicquam, neque spem se ullam videre ut in bellum apertum Anglia prorumperet, hoc quidem rerum statu. De piscario quoque negotio cum Batavis transactum nondum esse quantum ipse sciret. Corbia ante hos dies tres quatuor dedita per urbem vulgabatur. Iam discimus petitum ab obsessis colloquium, datumque permutatis obsidibus: sed cùm deprehenderentur tempus trahere in spem nescio quam, abruptam actionem obsidibus redditis ac receptis, reditumque ad oppugnationem lunati extra fossam munimenti. Rerum necessariarum nihil obsessis quod desit intelligere potui. Credo non omissurum Cardinalem, quin præfectos pecunia, milites (nam magna pars transfugæ sunt) impunitate, & si ultima clausi experiantur inevitabilis supplicii metu tentet. In Burgundia feliciter Gallis successit municipii Sancti Ioannis ad Lonam suscepta liberatio. Audiebantur jam à Gallassio verberari mœnia. Metusque erat ne qui die 31 Octobris novi Calend. magno satis ambitu eo iverant, seriùs quàm necessitas pateretur advenirent. Obtulit se propiore per Auxonam itinere subventurus oppido Ransovius: profectusque serò vespere 2 Novembris novi Cal. cum equitatu Condæi Principis, ac parte turmarum Ducis Vinariensis, duabus Germanicis cohortibus, altera sua, altera Batilii, cùm per madentos exundatione amnium campos noctem totam incessisset, mane Auxonam ut transierat obvios Croatas obiter cecidit. Sonus inde perlatus, monuit obsessores urgere cœpta, antequam veniret auxilium obsessis, quod vero majus suspicabantur. Iam ante captis munimentorum exterioribus 2 Novembris post meridiem irruptione facta in disjectam valli oppidani partem, egregia defensorum virtute dejecti sunt ducentis suorum amissis. Ransovius quanquam auditu oppugnationem compererat, ea demum repulsa advenit: ac postero mane significat oppidanis ut erumperent, hostes qui Draconarii erant CCC, coëgit in receptum ita turbidum, ut ni equitatus Gallassii subvenissent, perituri omnes fuerint. Sic quoque in abeuntium invectus latera, multos fecit captivos, metuentibus propius accedere II CIↃ hostium equitibus qui illos periclitantes eximere malo jussi fuerant. Ransovius in conspectu hostium ad suos rediit. Hostiles exercitus nihil ultra de illo oppido sperant. Mirebautium unde venerat, rediit, crediturque Ararim transiturus Gallassius, qui Burgundiam Hispaniæ ditionis à Gallica disterminat, ut ibi & tutius & in meliore victus copia hyemem transigat. Scripseram nuper de hostium initu in maritima Vasconiæ. Ea de re hæc recentiora didicimus. 23 Octobris nov. Cal. Præfectus Hispanus Pompeiopoleos cum peditum XVCIↃ equitibus IↃ Hispanis omnibus Hironem transgressus hostis, capto municipio Hendara, apud Herognam oppidum posuit castra. Misit contra eos Gramontius, qui Bajonam regit, Damontium: sed cœpta pugna eum conspicatus imparem, redire jussit oppidumque ab habitatoribus deseri. Equites quingentos haud plures habuerat Damontius. Hostis infessa Harogna, Ciburcum it Dux Valetta Espernonii filius cùm à municipio ditissimo Ioannis de Luce accurrisset, conspecta hostium vi, satis habuit recipere se, postquam Ciburci in præsidium Vasconas paucos & quosdam de paterna prætoria cohorte reliquerat. Cum reliquo ejus cohortis idem Valetta die 25 meditamenta hostilia speculatum progressus, vidit eos ad prælium instructos monuitque tum Ciburci, tum S. Ioannis de Luce municipes viriliter ut se defenderent. Sed quinque locis Ciburcum oppugnavit hostis cepitque ægre elapso Valetta. Eodemque tempore XXVIII Pinassæ & VIII bellicæ naves adortæ S. Ioannis municipium & municipes ipsos & paucos è cohorte Espernonii qui aderant fudère facilè. Iam ipse Navarræ, quam Hispanus tenet, Regia vice Rector Bajonæ obsidium parat, pollicitus Regi suo se ante Dominicum Natalem oppidi, sanè permuniti, compotem fore. Dicitur militis aliquid eo aut immisisse aut induxisse Gramontius. Arces duæ sunt altera in Præfecti Regis Galliæ, altera in oppidanorum potestate. Ægrotat ipse Espernonius Daquæ: oppido S. Spiritus præsidium dedit mille homines: tantundem Petri oppido. Etiam vicina Vasconiæ loca ad Aquitanicam præfecturam pertinentia nominantur, quæ hostis irruperit latè agros tenens, ingenti circum trepidatione. De Parmensis rebus omnium prope judicio conclamatum est. Comes Brionius quod Fratri Regio carus esset plusquam expediret dominantibus in Bastiliam est datus. Feuquerio Verdunensis datur Præfectura, nec ipsi nec Davausio quicquid adhuc de itu Coloniam imperatum est. De Bresszo in Cardinalis gratiam restituendo agitur, fortè ut omissa illa de Cardinalis Lugdunensis Legatione cura, dematur Hispano nova tergiversatio. Misit & Rex recuperatum Insulas Maris Ligustici duas, quo exitu docebit dies. Certè Margaritæ Insula cujus appendix altera est Honorati, non magnum ambitum, totum habet machinis præseptum: præterea arx valida toti incumbit Insulæ. Datum Vitriaco qui Provinciæ Narbonensi præest, Harcurtioque hoc negotium. Inter maritima loca quæ in Vasconia insedit hostis, magni fit ob situm Socova. Iampam felix ad nos venit nuncius eos qui intra Corbiam sunt iterum ad pacta venisse, & cras exituros. Est quod jactet Cardinalis fortunam sibi militare. Habet Tua Sublimitas Marini è Valle Telina literas, multum erit si tutari qui ibi sunt sua poterunt, tam felicibus per Italiam Hispani armis, & tot è partibus impetita ipsa Gallia. De Turca dum bellum cum Perso durat motusque interni, quid speremus? Commendat se Sublimitati Tuæ Sprecherus noster, cui istas, quarum memini jam sæpe in gratiam Aulæ Romanæ à Patre Iosepho cusæ pactiones planè non probantur. Non malè judicat Italorum omnium id votum esse, ut Galli in limine sint Italiæ, non intra Italiam. Hispano autem, si is Belgico bello explicare se possit, Gallicum bellum formidini non fore. Deus, Excellentissime Domine, cuncta det Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati salutaria & gloriosa. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Novembris 1636.

Socovara & S. Ioannis de Luce oppidum diligenter muniunt Hispani. Espernonius cum morbo Burdegalam portatus est.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

RAnsovius super vetera decora novam sibi gloriam 683
peperit exempto discrimini oppido Burgundici Ducatus Sancti Ioannis ad Lonam. Circumsederant id Lotharingici, jamque machinis verberabant: metusque erat,

erat, ne Conturius, duce Verderonna, in auxilium missus, quod ad vitandos hostes magno usus esset ambitu, serius quàm erat opus adveniret. Ransovius igitur 2 Novembris novi, quo hic utimur, Calendarii, iter ingressus est brevius periculosiusque, assumto Principis Condæi equitatu, ala Vinariensi, cohortibus Germanicis duabus, altera sua, altera Batilii. Per noctem totam ingressus per plana exundantibus fluviis stagnantia venit Auxonam, Croatasque obvios cecidit. Qua clade exciti hostes qui ad S. Ioannis municipium erant, instare acriùs, ut tempus adventuri auxilii, quod fama vero majus fecerat, antecaperent celere victoria. Cesserant munimenta externa omnia, & post meridiem 3 Novembris, jam & mœnium labefacta parte, parantem illac hostem irrumpere defensores ducentis prope occisis, depulerant, cùm adest Ransovius. Manebat hostis in sede veteri, &, qua ille advenerat, CCC Draconarii locum suum tutabantur. Mane diei 4 Novembris eruptio facta est & illinc hostium fuga, quos equitatus hostium occidioni eripuit. Abeuntium lateribus institit Ransovius, equitibus II CIƆ hostium, qui præsidio dati cæteris erant, non ausis propius accedere. Ita per medios hostes reditum ad suos habuit Ransovius non incolumem tantùm, sed & captivis quos adducebat illustrem. Totus qui illic fuerat hostium exercitus, cùm adversùs oppidum bene firmatum nihil speraret retro unde venerat cessit, Mirebautium primùm, deinde ut creditur Ararim versùs, ut cum Gallassio transgressus in Comitatu Burgundiæ sibi quærat tuta hyberna & commeatus. Hæc felicia, ut in bello fit, aliis pensantur adversis. 23 Octobris ex eodem ut ante Calendario Hispanus Pompeiopoleos præfectus cum XV CIƆ peditum, equitibus IƆ, Hispanis omnibus, Hironem amnem transiit, statimque cepit Hendaiam. Die 24 Gramontius qui Bajonæ præest Damontium miserat hostium vires speculaturum, sed eundem multo Hispanis imparem jussit reverti. Tantùndem fecit mox Espernonii filius Dux Valetta, nisi quod ex paterna prætoria cohorte militum aliquid Ciburci & S. Ioannis de Luce, municipio prædivite reliquerat. Sed milites pauci erant præ tanto hostium numero, & illorum locorum Vascones sive formidine, sive Regentium odio ad resistendum malè parati. 25 die Ciburcum terra, Sancti Ioannis autem de Luce municipium mari XXVIII Pinassis, octo bellicis navibus, oppugnarunt hostes, ac facilè ceperunt. Cessit eis & Socova bono situ portus, quem Galli munire cœperant tantùm. Iam Navarræ pro Rege Hispano Rector, Regi suo Bajonam audet polliceri ante diem Dominici Natalis. Est ingens munitumque oppidum: nec quicquam ferme est quod metuatur præter aversos à rectoribus suis populi animos, supra oppidum, de duabus arcibus tenentis alteram. Etiam Aquitanicæ Præfecturæ quæ ad Vasconiam accedit loca quædam memorantur ab hoste occupata, sed minùs nobilia. In Britanniæ Armoricæ littus exscensum facere prohibitus hostis fuit. Interim Rex Vitriacum Provinciæ Narbonensis Præfectum misit ut Insulas Margaritæ Honoratique eripiat Hispano. Qui intra Corbiam sunt tentato colloquio cùm moras quærere viderentur redditis obsidibus rejecti, iterum ad pacta venere, exituri die crastino Veneris, magno Galliæ bono. Causa non alia apparet, quàm morbi. Crescendo impulisse & metum inevitabilis supplicii apud transfugas qui multi erant, & fortè præmia in præfectos. Opto cuncta, Illustrissime Domine, Tibi tuisque prosperrima. $\frac{4}{14}$ Novembris 1636.

Tua Illust. Dom. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

EXiere Corbiæ die 14 mensis hujus, ut hic numeramus dies, tres equitum vexillationes, pedites cæteri, simul ad mille ducentos bene valentes: morbidi aut saucii sexcenti, sed horum quoque pars altera semiægra belloque non inhabiles. Sic quæ intra septimum diem nuper Gallis perierat, intra septimam quàm oppugnari circumjecta munimenta cœperunt diem recepta est, cùm intactum staret non modò vallum oppidi fossaque, sed & prætextus fossæ agger, quem contrescarpam mos militaris vocat. Nihil compertum eis defuisse, præter medicamina. Causa tam subitæ deditionis non apparet: brevi apparituram qui exierunt dixere, cùmque is qui præfecti mortui vices implebat Belga ad Hispanos redierit, evanescit suspicio, pecunia corruptum, nec aliud conjectantibus relinquitur, quàm credere in arcano aliquid cum Hispano Cardinali convenisse. Angli Legati, qui sæpe jam cum Regiis ministris colloquuntur, ita disserunt, quasi cum Hispano velint salvam sibi pacem & commercia, rem sibi non nisi cum Imperatore & adhærente ei Germania. Eodemne tractuti sint Galliam, ut omisso Hispano illuc incumbat, & aperténe bellum facturi sint Angli, an ut apud Batavos, Scotos, Gallos, olim solebant, causam alienam sua pecunia ac milite adjuturi, non eadem omnium est existimatio. Gaudeo ex Furlisho Comite discere colligi permissu Regis Britanniæ in Britannia militem in usus Suediæ. Landgravium is qui ab eo missus huc venit nuntiat acceptis CC M Imperialium novum cum Gallia fedus quando prius servatum non fuerat, inivisse. Sic & Batavos Galli novis obstrixere pactis, pro irruptione in Belgicam quæ priori federe promissa erat, sesquimillionem Francicorum illis polliciti, quod illam de bello in Germaniam vertendo suspicionem firmat. Re ex oppidanis militibusque qui transfugerant inquisita, magis quàm ante patuit Saucurii, qui Corbiam nuper dedidit, socordia, ita factum ut affinium gratia impedire nequiverit, quo minùs in absentem eadem quæ in Castelleti Capellæque præfectos pœna decerneretur, addita etiam XVIII M Francicorum mercede in caput ejus. Hæc domestica calamitas fecit ut Davausius se à Legatione Coloniensi excuset. Pater Iosephus ita quibusdam locutus est, quasi ipse eo iturus esset. Gallassius ubi sit non certò scimus. Numeratus est ejus exercitus præter oppida Burgundiæ Ducatus transiens ad XXXVII bene valentium millia. Rumores editi ipsum die hujus mensis 11 fuisse ajunt ad Vigennam in Comitatus Burgundiæ confinio. Alii Trans-Rhenana repetiturum ajunt, alii in Helvetiorum finibus hybernaturum. Circa Bajonam Dux Valetta & Gramontius XVI M habent militum subitariorum, sed Vasconicæ gentis in illis partibus, qui Romanæ sunt Religionis occulta pro Hispano vota habent, quæ per occasiones se aperiunt. Pecuniæ quæ fuerant, defecere, nec mirum inter tot vera impendia, & rapiendi tantam licentiam: novam reperiendi difficultas summa est. Sunt qui in litium summas, mutuique nomine, tributa nova animo conceperint, sed vix audent Rectores irritare plebis patientiam, resurgente cùm maximè per Aquitaniam seditione eorum, quos Escrocantes vocant. Dicebat mihi his diebus Berlisius, affinem suum Bulionium præcepisse, ut Suedis pars debiti numeraretur, at Heufdius ne chartas quidem quibus ut eo perveniatur opus est, datas sibi ait, quanquam multum instanti. Neque ego desii ostendere illam per exiguas particulas diversam solutionem ad res agendas nobis esse inutilem. Hanoviam induciis trimestribus tutam esse intelligo. Fama spargitur, sed parùm certa, captas à Gallis naves onerarias qua-

684

Digitized by Google

quatuor, quæ victui belloque necessaria ferebant in illas Insulas, quas in Ligustico mari Iuris Gallici Hispani nunc armis tenent. Corbia non amplius quàm sex machinis fuit verberata. Ex Italia nihil habemus, nisi à Mantuano Duce missum fidum hominem in Hispaniam. Multa consilia inter Hispanum & Ethruscum sociari: optare Pontificem, ut & Parma, &, cujus periculum magis urget, Placentia sibi custodienda ad tempus pacis tradantur. Interim & in Parmensi agro Castrum Farnesium, Betolam aliaque cepêre Hispani. Ex Hispania duo milliones Ducatorum rebus Italicis destinari dicuntur, partiendi in centena millia in mensem. Mediolanum CCCC M Ducatorum mittebantur. Cardinali Riceliaco res prosperè succedunt. Coloniensem Conventum & omnia de pace colloquia morari speciosè potest apud Regem, felicibus Galliæ Sociorumque rebus, apud Pontificem semper aliquid interjectando quod Hispanus nolit. Videt scilicet nullam spem pacis à Pontifice ostentari, nisi reditu concesso Regis Matri, quam rem meritò sibi exitiabilem judicat, deinde firmato matrimonio Lotharingico. Iam verò & Pigneroli & Lotharingiæ restitutio, magnam ipsi gloriam detractura, vix poterunt evitari. Itaque nihil aliud ei restat, nisi ut vitandæ invidiæ pacis studium præferat, reipsa bellum, quantum potest, trahat. Præter cætera commoda, hoc magnum est, quod Galli externo metu avertuntur ab internarum rerum cura. Quod tamen ut diuturnum sit vereor, quia Frater Regius improvisus venit in hanc urbem, sermonibusque sociatis cum Suessionensi, qui læsam à Cardinali Riceliaco dignitatem suam non dissimulat, heri sub noctem discessit, eodemque tempore alio itinere Comes Suessionensis, coituri, ut fama est, in Aquitania, ubi de seditionis incendio, ut modò dixi, cineres reviviscunt. Espernoniusque & Sanctisimonius nuper Regis dejectus gratia, præfecturas & clientelas habent. Metuendum sanè ne si ad civilia arma venitur tempus Hispano detur penetrandi in eas partes quæ hactenus ei Regis vigil cura præclusit. Franciscus Melo & Mediolani Cancellarius jam iter Coloniam ingressi sunt. Ibunt & eo Legati Helvetiorum, Rhætorum quoque & Vallitelinatium, sub Pontificis Legato controversias suas disceptaturi. Ratisbonæ jam omnia parata dicuntur ad Regis Romani electionem. Legato Angliæ digresso manet ibi qui minori sub nomine res Anglorum procuret, aut quæ geruntur spectet. Angli Legati hesterno cum ministris Regiis colloquio nihil aliud quàm responsum perscriptum exhibuere ad delineationem fœderis, quam Galli in Angliam transmiserant. Creditur Rex, qui nunc Versaliæ est, huc venturus, ne populus hic satis inquies auditis principum offensis attollat cornua: semper quidem Deum oro, sed hoc maximè tam necessario tempore, Excellentissime Domine, ut Christiano Orbi, Sueciæ Regno Reginæque, ac Tuæ Sublimitati det salutaria. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novembris 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

685 Liberali scriptioni Tuæ multas gratias debeo. Illas 26 datas Octobris, die mensis hujus 17, biduo serius alteras, 2 Novembris scriptas, per Landgravii consiliarium accepi. Quas miseras Coloniensis consiliarii interceptas, illico in Gallicum versas misi Comiti Licestrio.. Is postero statim die misit ut cum Regiis ministris colloquium repeteretur, Vir strenuus, & in rem communem optimè affectus. Agitur res inter Gallos & Anglos de federe satis accurato silentio. Gallis confectum negotium jactantibus, idem negantibus Anglis, sed ut spem bonam apparere affirment. Schavaskius & per Admissionales Regios & per Legatos Angliæ & per Gallos, qui ipsum adibant, significatum mihi voluit, se mei videndi cupidum mandatis impediri. Ego ita respondi, ut viderem illum nec ne, id neque Sueciæ rei, neque mea referre ostenderim. Sumsit secum imagines & Condææ virginis & Mantuanæ. Succurrit illud Claudiani:

Lena per innumeros iret pictura penates.

Cæterum Galli, suasores se Palatini potiùs conjugii fuisse, credi volunt. Corbiam tam cito in Gallorum venisse potestatem, mirantur exteri, Gallique ipsi. Verberata tantùm circumjecta munimenta fuere, nec amplius quàm sex machinis, integro vallo, fossa, & aggere, qui fossæ prætextus contrascarpa dicitur. Exiere valentes milites pedes equesque super mille ducentos. Sexcentorum ægrorum pars semisana, neque bello inidonea. Ad victum bellumque necessariorum nihil defuisse constat. Sola medicaminum penuria adfertur, haud satis justa causa, ob quam intra septimum diem egregiè munitum oppidum dederetur. Vigilum præfectus Belga, qui mortui præfecti oppido locum implebat, ad Hispanos se referens, suspicionem pecuniæ acceptæ diluere videtur. Ipsi qui exibant dixere, causam cur exirent brevi apparituram. Id quid sit, diversa diversorum est conjectatio. Gallassius, non sine incommodo ac periculo, die 11 mensis hujus ad fines Comitatus Burgundiæ pervenit, illis in locis acturus hyemem, an Germaniam repetiturus incertum. Circa Bajonam sedecim ferme Vasconum millia collegit Dux Valetta. Non affirmaverim verum esse, quod fama fert, captas à Gallicis navibus naves onerarias quatuor, quæ belli paratum & alimenta, valde desiderata, ad Honorati Margaritæque Insulas ferebant. Pontifex Parmam & Placentiam vellet sibi tradi ad tempus pacis, oppidulis quibusdam Parmensis agri jam ab Hispano irruptis. Magnam hic exspectationem excitat res illa Transilvanica: nec minorem sperati nostrorum post tam illustrem victoriam successus: & jam aliquos fama nobis affingit. Avidè etiam quæritur, veneritne jam in Pomeraniam Magnus Cancellarius: & missurane sit Suedia ad Conventum Coloniensem, qui circa initium Quadragesimæ futurus hic dicitur. Velle se etiam cum Suedia agere, ubi cum Gallis convenerint, præ se ferunt Angli. Pax honesta nisi fida omnium conjunctione obtineri non potest: quo magis optem, adferri aliquid à D. Ioachimi, quod maritimam contentionem leniat. De Brasilia non possum non optima sperare ex virtute Comitis Mauritii. Res Landgravii meliores speramus, ubi se cum eo Leslæus junxerit. Postquam hæc scripseram, intellexi conventu hesterno Anglos nihil aliud quàm responsum perscriptum dedisse ad formulam federis, quæ ex Gallia in Angliam transmissa fuerat. Franciscus Melo & Mediolani Cancellarius iter Coloniam ingressi sunt. Mittent eò & Helvetii & Rhæti & Vallitelinates. Omnium Electorum exhibitas Ratisbonæ literas audimus potestatem Romani Regis eligendi continentes. Manet ibidem qui res Angliæ procuret sine Legati nomine. Motus novi à Proceribus præsentia gravatis metuuntur in Gallia. Librum Rohanii Ducis, ut primùm potero, mittam. Mitto interim quæ de cladibus à Gallassio acceptis hac in urbe in majus, ut fieri solet, vulgantur. Iam nunc audimus ivisse in Germaniam Gallassium: relicto apud Comitatum Burgundiæ Comite Martino. Deo, Illustrissime Domine, te tuosque commendo. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novemb. 1636.

Ill. Dom. Tua constanti cultu observantiaque devinctus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

Ita justa mihi videtur causa D. Eliæ Diodati, ut etiamsi 686
amicus meus non esset ab annis plus viginti, tamen suffragari

fragari ei auderem apud æquitatis omnis servantissimam Sublimitatem Tuam. Nunc ad causæ bonitatem accedit viri virtus & eruditio, quibus laudibus jampridem virorum summatum gratiam meruit. Audio Raschii bonis injectam manum Regiam. Itaque in proclivi esse negotium, cùm ex eorum bonorum obventionibus æquum sit exsolvi nomen quod fecit. Id verò etiam ad Suedici Regni honorem pertinet, cùm qui ei crediderunt ejus Regni commoda juvare in animo habuerint. Quod ergo commendavi antehac Tuæ Sublimitati, commendo nunc etiam, ut aliqua inveniatur ratio, qua rem suam servet vir publici boni perpetuò studiosissimus. Nihil his adjungam aliud præter vota, Excellentissime atque Illustrissime Domine, pro salute Tuæ Sublimitatis rebusque prosperis. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Novembris 1636.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Nobilissime Domine,

687 PRoficiscentem ad Batavos Nobilem Suedum D. Sternschildium rogavi ut Ducis Rohanii novum lectuque dignissimum opus ad te perferret. Novi, postquam postremum scripsi, nihil magni evenit, nisi quod qui conjuncti putabantur Frater Regius & Comes Suessionensis, in diversa discessere, ille Blesas secessum suum, hic Sedanum, scriptisque ad Regem literis testantur, se non rerum novarum studio, sed justo mali metu abiisse. Datur opera nunc, ut Frater Regius, cui minor metuendi causa, in Aulam veniat: Comes in Helvetiorum fines, ubi novum Castellum Duci Longavillano ipsius affini paret, abeat. Sic speratur hæc procella sine malo publico abitura. Baiona obsessa non est: sed Socovam inde non longè diligenter munit Hispanus. Placentia in periculo est, & res ejus Ducis. Sabaudi Frater Cardinalis palam Romæ Austriacis se dat partibus, suscepto Germanicarum rerum patrocinio: unde de Sabaudi consiliis facilis conjectatio est. Rex, cùm ei nuper res prosperas gratularer, magnis laudibus Marescallum Chastilionæum, ob receptam maximè Corbiam prædicavit. Anglicum negotium in hunc diem imperfectum hæret. Deus in tanto hoc rerum salo, Illustrissime Domine, publicas res, domusque tuæ proprias secundet. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Novembris 1636.

Ill. Dom. Tuæ omni cultu observantiaque devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

688 MItto Orationem qua Regem à bello reducem salutavi $\frac{18}{28}$ mensis hujus, brevem quod amant Reges, Franci præsertim. Respondit Rex benignè, gaudio sibi semper fore res Suedorum lætas: ab ipsis hoc anno initium bene gerendæ rei factum: Gallos exemplum secutos. magnos Hispani fuisse conatus: (de Imperatore tacebat) bene evenisse quod Picardia Burgundiaque liberatæ essent periculo. Pro Corbia recepta multum deberi Cardinali Riceliaco: deinde Marescallo Chastilionæo: Addebat quædam ad accusationem Germanorum qui à federibus discesserant. Constat Corbiam deditam Italis contradicentibus, qui in præsidio erant, Hispanis, quæ gens alioqui in tutandis oppidis minimè ignava est, volentibus, ea de causa eum qui præfecti locum implebat apud Atrebates sunt qui dicant. Id nisi sit, latuit sub negotio arcana cum Cardinali Hispano pactio, quam credibilem faciunt Nuntii Pontificii ad festinandum Conventum Coloniensem labores. Est ibi Ginettius: in itinere sunt Alcala, Melo, Cancellarius Mediolani, & pro Gallis Cardinalis Lugdunensis, cujus se rationem ut Legati Gallici non ut Cardinalis habituros testantur Hispani. Dixit mihi Legatus Venetus, cum Nuntius Pontificius suscipere in se nollet operam obtinendi liberi commeatus pro Suedicis Legatis ab Imperatore, se per eum, qui res ibi Venetas agit id negotium agere. Acturum tantundem S. Chaumontium apud Sublimitatem Tuam aut eos qui Suedicis rebus præpositi sunt pro Legatis Saxonis aliorumque. Dixi ego incompertum adhuc mihi quid factura esset Suedia, tum eorum memor quæ pridem ex Sublimitatis Tuæ literis cognoveram, tum ex auctoritate ea, quam ibi habiturus est Pontificis Legatus, è presentia Poloni, ex omnium Pontificiorum in nos odio, multa augurans nobis aut noxia aut inhonora. Libenter intelligo, optare & Batavos ut alibi sua res agatur, cùm omnibus ad pacem, si ita successerit, præparatis possit addi lex, ne conventa ante valeant, quàm & cum Gallis convenerit. Sed hanc ego curam Tuæ Sublimitatis summæ prudentiæ relinquo. Angli nihildum confecere: spem conficiendi federis neque tam propinquam volunt, quàm prædicant Galli neque remotam nimis. Interim Cardinalis fama velut confectæ rei fruitur utili ipsi ad multa intra extraque Regnum. Discessus duorum Principum à Lutetia Rege insalutato, qui in propinquo erat, nihil dum mali parturire videtur. Comes Suessionensis Sedano quo profectus est scripsit, se nec quicquam cogitantem quod Regi displicere posset, nec malè de Gallia meritum abiisse libertatis retinendæ causa, cui malum strui multis indiciis compeπisset. Creditur Cardinalis ultro submisisse homines qui ei metum carceris facerent, ut sic ipsum sicut olim Reginam Matrem Gallia extruderet, minùs è longinquo nociturum. Susurrabant quidam cum Duce Bulionio Sedani Principe, ejusque avunculo Principe Arausionensi, aliquid in Cardinalem Riceliacum, de quo conquerendi causas illorum uterque habeat, moliri Comitem. Eam suspicionem ut avertat dicitur Comes obtulisse Regi paratum se, si is velit, abire in Helvetiorum fines, ubi novum Castellum affinis ipsius Longavillanus tenet. Frater Regius Blæsis scripsit, factum se alieni metus participem, daturque opera ut in Aulam pertrahatur, quò minus spei in eo habeant quibus præsentia displicent. Socova in Vasconiæ ora tribus castellis ab Hispano munitur, ad exscensus faciendos naviumque receptum aptissimus locus. Bressiam incendiis populationibusque incursat Gallassianus miles. Cardinalis Valetta & Dux Bernhardus Burgundiæ Ducatum tueri posse satis habent. Placentia adhucne defendatur, an jam in Hispanorum sit manu dubitatur, planéque conclamatæ judicantur res Principis illius. Perdidit illum & res ibi Sabaudus Gallicas, spe ipsi ab Hispano facta ut per pacem Pignerolum recuperet: jamque palam frater ejus Cardinalis Romæ Austriacis partibus se applicat, suscepto Germaniæ patrocinio. Itali omnes, ut in his Veneti pacem ardenter optant. In Valle Telina nihil agitur. Perstat Rex in illis quæ præscripsit antehac multorum Rhætorum animis ad Austriacas amicitias respecturis, nimirum quod futura pericula subire malint, quàm jamnunc certam servitutem. Literæ Constantinopoli datæ 12 Sept. novi Cal. ajunt Visiro qui in Persas bellum gerit res prope omnes deesse necessarias, ex mille quadringentis qui transierunt Ianizaris Persam, additis aliis, conscribere militiam ejus nominis, aliamque Spahiorum vocabulo, ad Turcicum instar: ac dare gregario militi asperos in diem duodenos. Dici & ab iis qui Babylonæ præsidium habent, fugatum Achmetem Bassam. De Sultani in Asiam itinere nullos etiamnunc sermones esse: sed naves mitti quæ alimenta militi ferant. Abiisse ab ea Aula Poloni Legatum, de Moldavia irritus labor. Dictum ei Tartarorum populationibus iri finem facturum Turcam, si ipsi Cosaccos compescerent.

Spem ei aliquam factam abducendi Cantanutii. Cæterum servorum nulli libertatem impetrasse, nec immunitatem iis quæ asportabat, demtis quæ ipsius usibus erant, necessaria. Tartarorum Chamum Precopensem id agere, ut se in gratiam Sultani restituat, pollicitus nihil sibi commune cum Cosaccis fore. Dissimulari à Turca offensas, & si fidem præstet, spem ei fieri amovendæ classis quæ in ipsum immissa fuerat. Fratrem Bethlehemi Gaboris Stephanum donis ambire Sultani Bassarumque amicitiam. Iamque effecisse ut Sangiacis qui in proximo sunt praeciperetur, suis ut copiis auxilio essent, quo Procerum Transilvaniæ consensu, dejecto Ragosckio, in eum Principatum inducatur. Ragosckii qui in Aula fuerant Legatos nihil eorum, quæ voluerant, obtinuisse. Ex Italia præter quæ dixi discimus Genuates satis se medios gerere. Esse ad Vada Hispanicas naves longas, itemque Etruscas: alias naves XIII per Neapolitanum Regnum, per Hispaniam novem armari, ut Gallis opponantur, quorum in Insulas conatum haud valde metui. Crequiacum nihil posse, exhaustis copiis. Cardinalem Riceliacum, si qua res anxium habet, hæc est, quod neque pacem vult seriò quanquam invidiæ declinandæ aliud præ se fert, neque ad alendum bellum pecunias reperit sine odio ac periculo. Pendet adhuc consultatio, an imminuta Parlamenti Parisiensis omnium augustissimi jurisdictione, duo erecturi sint nova, Lugduni alterum, alterum Pictavii, ut ex eorum dignitatibus ingentes summas faciant. Proponuntur & alia non minùs difficilia: quorum metu magnum apud omnes Ordines est pacis desiderium. Heufdius de pecunia debita adhuc trahitur dicitque maximam partem perire interusuriis. Nihil ita collectim datur ut usui esse possit. Comes Egmundus natus Domo ut perillustri Regumque affinitatibus sæpe innexa, ita infelici, cujus avus pro pactis ad S. Quintinum & ad Gravelingam victoriis præmium ab Hispanis habuit cervices præcisas, cùm Hispanis se suspectum videret, ut ferè sunt Proceres omnes Belgæ, in Gallia securiorem habitationem sumsit, mansitque etiam post exortum hoc bellum. Bona habet in Belgica sub Hispano: ea ut ipsi maneant, idque caveatur pace si qua futura est, optat, inque id ambit Regis gratias, etiam Reginæ nostræ, ad quam ea de re scribit, nec minùs ad Sublimitatem Tuam ejusque filium. Die 21 Novembris novi Cal. Cardinalis Valetta ad Marsiliacum erat prope Lingonum oppidum, Lotharingium versùs ducere cogitans militem ad terras minùs exhaustas. Gallassiani exercitus pars major ad Ararim hærebat Lamboio, qui ipse nuper vix elapsus est Gallos equites cursores, cum decem cohortibus quas Regimenta vocant Rhenum transiit. Ardet eum insequi Dux Bernhardus Vinariensis, eaque de causa in Aulam hanc venturus accipiendis mandatis creditur. Postremæ ab Italia literæ nuntiant Placentiam centum quinquaginta equitibus, musquettariis trecentis non ampliùs defendi. Hispanos in via quæ Parmam ducit castellum fecisse, & loca in montibus interstitis occupasse. Cerbellonis cohortes ad minorem numerum reduci, quo pauciores sint ductores minusque impendii. Ex Hispana classe quæ ad Vada est, peditem in terram exponi ob curam valetudinis. Frumenti exportationem vetitam in agro Mediolanensi, aliaque edici quæ victum faciant parabilem. Duos milliones & dimidium à civitate Neapolitana sperat Regni ejus Rector, & cum Florentinis mercatoribus agitur, ut pecuniæ aliquæ Mediolanum transmittantur. Dimissi sunt qui in usum classis detenti erant nautæ, pars maxima Belgæ, minore per hyemem à Gallis metu, & ab Hispania atque aliunde accitis qui naves impleant. Præter hæc nihil nunc habeo, nisi perpetuum illud, Deum ut precer, Excellentissime Domine, pro Reginæ, rerumque Suedicarum, ac Tuæ Sublimitatis salute. 14/24 Nov. 1636.

Quidam Gallos & Anglos cum Austriacis jam putant convenisse: sed tegi conditiones, ut honos confecti negotii Pontifici servetur. Arondelius dicitur adhuc hærere Ratisbonæ. Et quando nos sua celant etiam Angli, metuo ne quid Polonici subsit.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

EVm qui Corbiæ postremo pro hostibus præfuerat, Atrebati non modò in vincula datum, sed & supplicio affectum discimus: & Rex ipse hoc oppidum utrimque amissum ait, pari flagitio. Quæ quanquam tacitæ conventionis suspiciones diluunt, multum tamen de armorum aut generali aut locali suspensione susurrant. Credibile id faciunt res Cardinalis, ex quibus res Galliæ pendent: qui cùm pacem videat coiri non posse, nisi ut & de restituenda Regina matre agatur, & de matrimonio Lotharingico, quod priusquam rescindatur, prius se Pontificatu abiturum dixit Pontifex, & ad bellum ægrè expediri pecunias, facilioribus ad motus vulgi animis ob hostium propinquitatem & ob Principum ab Aula aperta jam dissidia, ipsa necessitate ad viam illam tertiam trudi videtur, quod eò honestiùs processurum videtur, si prius Aquitania depelli possit hostis, & insulæ duæ recipi, qua spe pleni jam sunt Galli, publicantes hostium classem & duces à sua partim duos aditus insularum tenente, partim circumnavigante clausos teneri. Si id succedat, de quo dubito, constitura tum demum est tot impendiorum in classem factorum ratio. Nuntius Pontificius literarum commeatus nescio an omnibus certè sibi per Brabantiam recuperavit. Mutatum de Dausio consilium, iterumque placuit mitti & hunc Coloniam, credo ut hic arcanis rerum immineat pater Iosephus. Angli responsum adhuc super charta sua exspectant: cúmque retineri se Ratisbonæ, post electum jam Regem Romanum, passus sit Arundelius, pro certo haberi debet, nova illos spe lactari, & potiùs sumturos quicquid offertur (id quid quantumque sit nescire se heri mihi seriò dixit Licestrius) quàm ut bello se induant, quo tempore alii eo se exuere parant. Rogatus ab illis quid Suedi ut pacem faciant postulent sibi, dixi amicorum certam salutem, & quàm longissimè amotos videre eos qui sibi nocere si possint velint. Landgravii Casselienses duo fratres me accesserunt: item adolescens Princeps Wittembergicus ab hac urbe nescio quo abiens, puto ad occultandam alibi paupertatem, quando nihil ei à Regiis ministris persolvitur. Omnes se Reginæ, Rectoribus Regni Suedici ac nominatim Tuæ Sublimitati commendant. Wittembergicus Suedicam militiam cupere videtur, quanquam alii mihi dicunt permissum ei à Rege ea conditione quam Domui ejus Imperator indulget, & ipse fruatur. Mitto purgationes ad Regem missas à Fratre Regio Blæsis, à Suessionensi Sedano. Nam is ibi manet neque ad Helvetios ut dictum fuerat abit. Additur fratrem Regium spem facere sui in Aulam adventus. Suessionensis mater Regem primùm, jam & Cardinalem adiit, imò & Combalettam. Ex hujus spreto matrimonio nata creditur Cardinalis ab eo alienatio, aucta nuper cùm centuriam suam prætoriam à Cardinalitia sua præcedi Comes noluit Principis Condæi id concedentis exemplum aspernatus. Quod ut ulcisceretur effecit, ut multa Regis imperia in castra Comitis ipso Comite ignaro perferrentur: utque Comes cùm capta Corbia Regem salutaret in præfecturam suam Campaniæ digredi volens non sineretur, sed Lutetiam juberetur ire, quo tempore Rex Principis Condæi labores liberaliter prædicans de Comitis actibus nihil dicendo infensiorem animum satis ostenderit. Iam verò postquam collocuti inter se Frater Regius & Comes præsentia se gravatè ferre manifestum fecere, Cardinalis satis intelligens quantum inde ad publica in se odia alimenti accessurum sit

sit lenibus remediis sanare hoc malum potiùs, quàm pristina severitate asperare aggreditur. A Polonia quàm nihil amicum nobis exspectandum sit, si alia non essent argumenta, monere nos posset Legati Polonici Ratisbonensis oratio. Tamen ambiri ab eo Rege in matrimonium Imperatoris filiam, quod passim spargitur, & quidem Silesia dote dicta, vix est ut credam. De Legatis ad pacem varii sunt sermones. Alii audito Lugdunensem, is nunc apud Helvetios est, à Gallia mitti, constitutum & Imperatori & Regi Hispaniæ ajunt Cardinales pro se quoque mittere, Pasmannum & Borgiam ajunt. Alii displicere ajunt Pontifici quenquam Cardinalem nisi à se venire. Imprimis displicere Borgiam. Sed hæc dies expediet. Interim in Aquitaniam missa sunt peditum IↃCIↃ turmæ quatuor. Cardinalis plus quàm antehac vitæ suæ cavet, & nuper cùm ab Ambiano Ruellam veniret cingebatur justo propè exercitu. Nec mirum, nam Rex ipse cognito duorum Principum discessu, statim quæsierat, an interfecissent Cardinalem. Combaletta amissa spe majorum conjugiorum, dicitur nuptura Cardinali Valettæ, qui exuta purpura magnas accepturus sit præfecturas. In Bastiliam sex nobiles viri dati sunt, qui duorum Principum consiliis immixti creduntur. Fratri Regio libertas datur, in qua volet domuum suarum aut Regiarum degendi: & si pertendat, oppida quoque datum iri, securitatis munimenta. Sed privatim ipsi honorificentius, publico utilius fore, si ad breve cum Rege colloquium veniat. Ducem Bernhardum in Germaniam ire avidum fortè huc trahet Cardinalis, ut in propinquo habeat salutis suæ propugnatorem, quod in mentem mihi revocat illud Taciti post detectam Pisonianam conjurationem. *Volitabant per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat Princeps quasi externis.* 23 Novembris novi Cal. ad Ionssejum erat Gallassius, cujus sub id tempus equites loricati cccc à Tubatelio cæsi. Rhenum transiturus sit, an Comitatensibus eorumque vicinis mansurus gravis, necdum scitur. Ad xxx millia imminutus ei creditur exercitus: Gallicus cum Germanis XV CIↃ facit, Barrensi in agro & in proximis Campaniæ hyemem ut creditur acturus. Ex edicto Regis contra oppidanos Corbiæ apparet, quàm periculosa sit Galliæ, si quando in Hispanum bellandum est, monachorum factio. Aysema, Comes ab Imperatore factus ut audio, laborat ut in solido locet Germaniam Batavosque inter pacis veteris jura, adjutore Coloniensi antistite, illud credo, quod apud Lucanum est, cogitante,

——— ——— *nos præda furentum*
Primaque castra sumus.

Rhætorum de Gallis querelæ, haud injustæ sanè, nisi multa pati temporum necessitas cogeret, parum secundis Helvetiorum animis exceptæ sunt, nisi apud Lucernates. Coloniam illud quoque negotium transmovetur, ut & eorum de quibus Ratisbonæ disputari cœperat, pleraque. Quæ ultra Samaram sunt hostium copiæ quiescunt. Miles omnis etiam proximè hanc urbem sumtu Vicanorum vivit. Mitto præceptum Regis de iis quæ militi præbenda sunt à Vicanis, sed hic multo plura præbere militibus coguntur, ac præterea à suis Magistratibus, quos Electos vocant, indictionibus sub nomine annonæ militaris, quarum pecunias scilicet eidem magistratus sibi retinent, ad compensanda impendia quibus minutas illas dignitates emerunt. Hæc comparatio efficiet, ut populi minùs de Suedis Galliæ jampridem, sine stipendio militantibus querantur, præsertim si & nunc quid pecuniæ eò à Rege mittitur, firmè inter viscatas ducum manus adhærescat. Rogandus Deus est cuncta ad bonum vertat. Idem, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Serenissimam Reginam, Rectores Regni ac Tuam præcipuè Sublimitatem valentes vigentesque servet. Lutetiæ 5 Decembris novi Cal. 1636.

EIDEM. 690

Excellentissime Domine,

CVm Sublimitati Tuæ pro me curam ex ipsius $\frac{4}{14}$ Octobris datis, & ex D. Spiringii literis ad me datis cognosco, verba quibus gratias agam non invenio. Nam si me debere Tuæ Sublimitati dixero dignitatem, commoda, meque ipsum, minus dixero, quàm sentio. Quod unum licet, omni ope, omni in Reginam, Regnum, Tuamque Sublimitatem fide annitar ne tanto fautore indignus videar: De federis cum Gallia ratihabitione dilata, ubi sermo inciderit, meminero præscriptum sequi. Rex Daniæ utinam sepositis privatarum rerum parum Regalibus curis, seriò animum vertat ad ea quæ ad salutem sunt omnium Protestantium. Hoc enim tempora hæc si ulla unquam exigunt, ipsiusque non minùs quàm cæterorum id interest. Pergo quicquid mihi à negotiis est subsecivi temporis Suediæ Gotthorumque antiquitatibus impendere, speroque exiturum aliquando opus Tuæ Sublimitati aliisque gentis ab omni ævo gloriam amantibus haud ingratum. Alphabetum literarum vetustissimarum, inscriptiones si quæ sunt antiquæ, & leges mitti mihi cupiam. In edocendis me rebus Germanicis spero D. Salvium & D. Camerarium non cessaturos. Nunc ad res harum partium venio. Angli Legati fedus se fecisse cum Gallis, qui ea fama se jactant, constanter negant: moram in Gallis esse dicunt, credo quod fedus Angli velint sine suo bello. Interim retineri se Ratisbonæ electo, ut scribitur, Romano jam Rege patitur Arondelius. Qui res introspexisse se putant, ajunt offerri utriusque Palatinatus restitutionem, detractis bonis Ecclesiasticis, credo iis quæ possideri cœpere post pacem Passaviensem. De Electorali dignitate res explicatu difficilis, præsertim cùm jam hæredem Bavarus habeat, nisi is, quod quidam spargunt, vivere desiit, sed ita ut experta semel fœcunditas prolem novam vetet desperare. Tres viæ dicuntur proponi: ut promittatur Electoralis dignitas, si Maximiliani stirps virilis deficiat, ac sic Alberti liberis Palatina Domus præferatur: ut fiat alternis jus eligendi inter duas familias, sicut olim Ludovici Bavari temporibus: ut ad septem Electores quorum sit Bavarus adjiciantur duo, alter Episcoporum aliquis, alter Palatinus. Postremum hoc, quanquam sine justo Conventu expediri non potest, & difficile est persuasu aliis Electoribus, quibus tantùm honos imminuetur, quantum augebitur numerus, placet tamen, ut ex Legato Scutamorio, cùm heri me inviseret, cognovi Papæ, apud quem Anglus qui est, ut mihi affirmat quidam Romanæ Aulæ peritissimus, & Nuntio familiaris, non Reginæ, ut dicebatur, sed ipsius Regis Angliæ nomine res agit. Ea ex re aliisque indiciis mirum quantas de Anglia spes Pontificii concipiant, quas ego per Regis, Archiepiscopi, cordatorumque Procerum prudentiam spero vanas fore. Arundelio vetus est cum Romana Aula commercium. Si de Palatinatu res componitur, posset tamen iniri fedus inter Gallos Anglosque, ut se tueantur mutuò in iis, quæ cuique pax datura aut relictura est, renoveturque quod & olim promissum puto, ne deficientes ab obsequio subditos alter alterius juvet, etiamsi speciosus accedat à Religione prætextus. Metuunt Batavi ne & accedat aliquid adversum ipsis, quo jus Anglorum, quod in mare sibi vindicant firmetur. Ego nequid Polonicum misceretur, timui. Transferretur aliò is metus, si vera esset fama, Regem illum mutato consilio Imperatoris generum fieri velle, quod Angli negant se credere. Iidem falsò vulgatum ajunt, Atrebati supplicio affectum eum qui pro Hispano Corbiæ præfuerat: adduntque per duos monachos ultro citroque commeantes agi cum Cardinali Hispano, non de plena pace, ut arbitror, quæ res multa implicata habet Cardinali Ricelliaco formidanda, sed de armis inhibendis, nisi jam ex

ex parte aliqua clam inhibita sunt, cùm ad hunc limitem nihil hostile tentetur. Multum fuisset, si Insulas duas Maris Ligustici recuperare Galli potuissent. Sed ea spes evanescit, accedente ad mala alia Vitriaci Provinciarum Regentis, & Archiepiscopi Burdegalensis maritimis rebus impositi, tam manifesto dissidio, ut hic sacerdos illius militis verbera non effugerit. Similis inter Cardinalem Valettam & Ducem Bernhardum discordia non eousque erupit: nec tamen planè tegitur: & intelligo in novissimis pactis Ducem Bernhardum astu Gallico elusum, millionis integri damno, nunc fraude intellecta indignari. Contra eum accusant Galli, quod pecunia omnis inter ducum manus obhærescente milites relinquat egenos, eoque effusos ad omnem licentiam, neque minus ipsis hostibus metuendos. An huc venturus sit, incertum est. Alii bellum intra ipsam Germaniam ab eo expeti, alii ad pacis vota eum verti ajunt. Coloniensem Conventum trahit novis quotidie commentis Cardinalis Riceliacus. Ego in libero sermone ad Baronem Scutamorium dixeram, prævidere me multa parum honorifica Protestantibus, si & ipsi Legatos eo mittant, ubi tanta erit Pontificis potentia, tantus Cardinalium strepitus. Dixit jam mihi se eam cogitationem dignam censuisse, quam Angliæ Senatoribus suggereret. Exspectare se quid facturi sint. At nuper ad me Venetus Legatus venit, sponte an submissus haud dixerim, nisi quod suspicio est optare Cardinalem, ut ego Coloniam abeam, nihil ibi acturus, & hinc absim. Dicebat Venetus, quod aliquando objecissem de Pontifice rei futuro moderatore id non metuendum nobis, quando ex Nuntio didicisset, Legatum Pontificis ea curaturum, quæ ad Romanensis Ecclesiæ Reges ac Principes pertinerent. Protestantium rebus immisceri eum nolle. Neque tamen secuturum alterum, quod & ipsum objeceram, Galliæ nos futuros accessionem, quando ibi futurus esset Pesarus Venetiarum Legatus, optimè Suecis volens, & Polonus, qui omnia ad pacem ducentia essent inter dissidentes propositurі. Mirabar de Polono eum meminisse, cùm nescire non posset, abstinere à nostri conspectu ejus gentis Legatos. Dignitatis Regni nostri, si quando Coloniæ in locum communem aliquem conveniendum sit, qui sperem rationem habitum iri, cùm nuper, quo tempore adeundus mihi Rex erat, Admissionales de industria Venetum in conclavi, in quo exspectandum Regis commodum erat, detinuerint, ut suscitatum ante annum certamen renovarent, rixæque spectaculo fruerentur, quod ego sedibus dispositis non utendo, & stare potiùs eligendo declinavi? Hæc cùm cogito in mentem venit dubitatio, an non omissa Legationis pompa, satis futurum sit esse ibi aliquem, non cum paciscendi, sed cum auscultandi mandatis, & talem in quo dignitas periclitatura non sit. Sed hæ res aliaque omnia Tuæ Sublimitatis exactissimæ prudentiæ permissa sunto. Pater Iosephus purpuram brevi sperat, præmium pro eversis ubique sub federum imagine Protestantium rebus. Per eum factum est, ut Rhætorum animi aversi à Gallia ad Austriacos reflectantur, à quibus offertur ipsis libertas plena & jus vetus in Vallem Telinam, dum militi Austriacorum pateat transitus manibus divisis, qualis ab Helvetiis nunc conceditur; quod præter Marini literas ex iis, quas ad se scriptas mihi Legatus Anglicus ostendit, disco. Placentiam & qui in ejus arce est Parmensem Ducem præsenti periculo eripere Pontifex misso Legato laborat. Hispani suum non Ecclesiæ feudum ajunt esse Placentiam investituræ non unius argumento. Præter Legatos Galliæ destinatur Coloniam & Gothofredus historiæ veteris Gallicæ peritissimus, ut ad retinendam Lotharingiam argumenta suppeditet. Spargitur in hac Aula rumor ad amicitiam nostram rediisse Brandeburgicum Electorem. Cardinalem Hispanum de conjugio cogitare non arbitror, ne in se suspiciones fratris irritet. Tamen non desunt qui ei Regii hîc Fratris filiam fabulis despondeant, nec qui Poloni sororem. In Hispaniam quæ recens advenere cum Americanis opibus naves fidem Hispani reficient, animosque addent, atque vires maximè ad ea tutanda quæ in mari aut ad mare Gallis erepta tenet. Ad Fratris Regii permulcendum animum Comes Guichius, ad Suessionensem in obsequio retinendum Leancurtius mittitur. Putatur mox ad Fratrem Regium iturus & Chavigniacus, id est, Butillerii filius Tuæ Sublimitati visus, cujus nunc magno odio tenetur Frater Regius. Pesarus Coloniam iturus non est, nisi prius Imperatoris & Hispani Legatos ire cognoverit. Aysema qui Ratisbonæ est, putat sex menses elapsuros priusquam Coloniæ agi quid incipiat. Madritii Legatus Anglicus obtinuit jus invehendi in Hispaniam aliquot navibus merces Gallicas, unde ipsi lucrum futurum est quinquaginta millium Ducatorum. Dolanis civibus quod Gallorum obsidium fortiter tulerint, immunitates & honores dati. Viginti naves ex Hispania ibant auctura vires Ferrandini qui apud Insulas cum classe est, & Biscaini militem sua impensa addidere, id malentes quàm pecuniam. Etiam alimenta & belli paratus omnis mittuntur ad Ferrandinum, quod non Hispanicæ tantùm, sed & Italicæ literæ affirmant, adduntque hæ, omnia alimenta ex urbe Placentiæ in arcem comportata, inde oppidanis ad dimensum distribui. Spem auxilii à Gallis ad Ducem penetraturi vanam haberi. Partem militis Hispani in Placentino agro hyematurum. Partem trans Trebiam iisse, ut cum Mortaræ ibi agentis copiis conjungatur, ut Parmæ incommodent: sed ei urbi satis prospectum de necessariis. Novum Germanorum agmen Alpes transit. Hermesteino timetur. Præter hæc nihil nunc quidem habeo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, nisi Deum ut precer velit Reginæ, Regno, tuæque Sublimitati semper adesse propitius, & pro in me benefactis vicem reponere, quam ego non possum. Lutetiæ $\frac{2}{13}$ Decembris 1636.

Hæc postquam scripseram intelligo bonis auctoribus, Comiti Guichio, affini Cardinalis Riceliaci in itinere Blesas rixam ab obviis motam. Idem intra urbem his diebus vexillario equestris turmæ Riceliaci accidisse. Hispanorum classem recente adventu ex Hispania XXXVI navium longarum auctam machinis CXX: ut jam nihil sit quod de recuperandis Insulis sperare debeant Galli. De Alchymista Boismaillæo scripseram nuper. Ejus fraudes cùm ita appareant, ut neque Regi ultra neque populo verba dari possint (& fortè dixerat aurum ita se facturum, si ipse inde cudere nummos sineretur) datus est impostor in carcerem Silvæ Vicennensis adjuvantibus ejus ruinam Capucinis, quorum Religionem professus quondam, mutatus in Protestantem, horrenda arcana vulgabat. Si illius ars promissa præstitisset, non jam gemeret plebs agrestis, ex qua XXXV milliones Florenorum in annum sequentem exprimere proposuerunt ii, quorum in manus res Galliæ est. Inter Fratris Regii postulata unum est non iniquum, ut domesticum ministerium sibi ipse eligat, quod hactenus ei Rex, id verò est Cardinalis, elegit, ut circumventus undique proderetur.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SPero rectè ad vos pervenerit D. Sternschildius nobilis Suedus, cui librum Rohanii ad te perferendum dederam. Tuas, ut omnia tua, gratissimas, quas 15 Novembris ad me dedisti cum accedentibus chartis heri accepi. Belli res nullas nisi è mari audimus, & eas minùs Gallis, quàm speraverant, prosperas. Nam de In- 691

Insulis non succedit: & ex Hispania, quæ aucta est novis ex America pecuniis, mittuntur eò naves, miles, commeatus, bellique instrumenta. Coloniensis Conventus tardè coibit, moras quærentibus Gallis. Non mittent eò Veneti, nisi prius iverint eò quorum præcipuè res agitur. An missuri sint Angli, in incerto est, ut & Arundelianum negotium, & alterum hic de fœdere. Comes Licestrius brevi abiturum se dicit. De Palatinatu restituendo multus rumor: de Electorali dignitate, vix invenitur qui explicari possit. Bavari infantem mortuum nescio an ex vero, quidam prædicant. Sed ut id sit, ex eodem utero exspectabitur proles alia. Scripsisse se ad Reginam Bohemiæ ait Baro Scutamorius, de infecto adhuc hic federis negotio. Culpam illi in Gallos, Galli in Anglos conjiciunt. Interim pereunt agendi occasiones, & qui conjuncti esse debuerant suspicionibus ac simultatibus distrahuntur, quarum magnum alimentum est illa cujus meministi cum dolore, de Mari controversia, quam sedatam, si det Deus, magno cum gaudio intelligam. Ego à Gallis quicquid obtineri potest lucro apponendum censeo: satisque intelligo strepente ad tres Galliæ fines, præterea & per mare, bello, averti multum vires hostium cæteroqui in alios tota mole incubituras. Sed præcipua Protestantibus salutis suæ fiducia ex mutua consensione & fidis inter se auxiliis in posterum petenda est. Optandumque imprimis, ut eodem curas suas vertat Daniæ Rex, incendiumque ad se procedens opprimat dum tempus est. Vtinam tam fortes in repetendo Palatinatu cum omni jure sint Angli, quàm in retinenda Lotharingia Gallos puto constantes fore. Bellum tam acre cum Persis Turcæ est, & quidem huic adversum hactenus, ut Transilvaniæ motus aut non diuturnos, aut non satis validos ad accidendas Imperatoris vires futuros suspicer. Trevirensis suo exemplo terrebit alios, ne, quamvis durè habiti, externa præsidia circumspectare posthac audeant. Maguntiacensem Electorem apertè, ut observas, ex empto tenet Hispanus. Banerii Wrangeliique arma feliciter in hosticum penetrasse brevi, ut spero, audiemus. Interim satis est quod gaudeamus, ob ea quæ de Saxonicorum seditione nuntias, deque magno Landgravii animo, cujus hic duos fratres vidi. Dux Bernhardus venturus ne in hanc urbem sit, manet incertum. Ionvillam cepit in Comitatu Burgundiæ, lateque in illas partes immittit equitatum. De tanto Principum Germanorum numero duo hi, quos jam nominavi soli nobis restant, uterque multum innexus Galliæ, quanquam hic magis, &, quod doleo, non sine querela interdum. De matrimonio inter Poloniæ Regem & Imperatoris filiam, video nihil credere Anglos: non magis quàm Poloni sororem Cardinali Hispano nubere. Oratio Ossalinii talis est quæ satis ostendat iniquum in Suedos animum: quò minùs fidendum induciis, quantumlibet longis. Ayzemam in gratia esse apud Aulam Imperatoris audio: & credo, ut nunc res sunt, pacem ibi cum Batavis & commercia, quàm bellum apertum optari. Batavos fidem præstituros federi Gallico, pro certo habeo: nec esse quod illos inde abstrahi posse speret Hispanus. Comitem Mauritium faventes venti, opto, in Brasiliam opis auctoritatisque indigentem, ferant. Magnum D. Cancellarium & hyems & Suediæ negotia jam à Pomerania intercluserint. Gaudeo servari interim locum ab eo vacantem à D. Stenone Bielkio, viro egregio. D. Spiringius, cùm pecunias regat, non dubito quin nostrum utrique sit consulturus. Novæ è Germania cohortes Alpina juga transgredi scribuntur, & Ermensteinum, ni promtè subveniatur, esse in periculo. Placentiam ad ultima perductam, nulla auxilii spe, eximere malo conatur Pontifex. In agro circa eam urbem, Parmamque, hyemem agit magna pars Hispanici exercitus. Rhætos Austriaci sollicitant, salva libertate, nihil ab illis aliud poscentes quàm innoxium militi transitum. Ac nisi Galli lenierint animos tumentes dolore ereptæ jurisdictionis in Vallitelinates, & exclusæ inde Protestantium Religionis, metus est, ne quæ eò res trahit factio invalescat. Continent se quietos etiam nunc Frater Regius Blesæ, Sedani Comes Suessionensis, adhibenturque μαλάγματα [*lenimenta*]. Dolanis magnas immunitates honoresque tribuit Rex Hispaniæ ob toleratam fortiter obsidionem. Alchymista Boismaillæus post magnos acceptos in hac Aula honores, in carcerem Silvæ Vicennensis datus est. Ex agrorum tributis in annum sequentem multum pecuniæ Rex facturus putatur, nec quicquam ob de pace sermones frigent belli meditamenta: quæ cuncta Deus in bonum Christiani orbis dirigat: idemque tibi ac tuis, Illustrissime Domine, sit semper propitius. Lutetiæ 12 Decembris 1636.

Illust. Dom. tuæ omni observantia addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Semper quidem, Vir eximie, summa cum voluptate lego literas tuas: sed eas jam suaviores mihi fecit ipsa exspectatio. Frequenter nunc accidit, ut naves sæpe ventus, sæpe & absentia præsidio futurarum navium moretur: eoque epistolæ multò quàm destinantur, adventent seriùs, quod nunc illi meæ accidisse, nihil miror. Sed imprimis Philolaum rectè pervenisse gaudeo. Nam scriptori ejus nuper me interpellanti dolebam certè nihil respondere potuisse. Hortensio Blavioque judicibus aut prematur aut exeat id opus: sed si exiturum est, cito exeat ne Blavianæ tarditatis ad Meursium novus accusator accedat. Ad ἀνθολογίαν [*Anthologiam*] edendam obtulit se & Morellus. Ego amicitiæ causa præferrem Blavium, sed his legibus si typi satis nitidi tibi videntur, si homines habet idoneos qui typothetôn peccata corrigant, quique indicem faciant locupletem poëtarum, hominum ad quos & de quibus scribitur, historiarum locorum, quæque alia scitu utilia, inspectis quæ plurimum ad id lucis conferent Brodæi notis, & meis quæ addam Prolegomenis: addendum & hoc, si definiti temporis, quando visurus sit lucem liber, certus ex syngrapha esse possim. Salmasium eædem quas dixi remoræ detinuere. Tuum de Idololatria librum, simul venerit, avidè vorabo. Argumentum erat dignissimum tractari ab eo qui abstrusæ antiquitatis intima nota habeat. Bona accessio erit filii Maimonides, Iudæorum prope solus sani judicii. Philyram Heinsianam, ubi prodierit, spero ad nos amici mittent, ut cogitemus an abjicienda nobis sit de notis nostris poliendis (nondum enim edendis dico) cogitatio. Si tecum essem etiam de historia Belgica quid faciendum esset, consilium tuum exquirerem. Nunc verò totum me, etiam subcesivis temporibus, Suediæ dedi: σπάρταν ἔλαχον ταύταν κόσμει [*Spartam qua contigit orno*]. Veterum Gothorum res & præclarè facta undique exquiro & in lucem traho. Procopium quando edituri sint Elzevirii cum versione Vulcanii, quam interpolaturus est Heinsius, scire juvabit. Ego Gothica tantùm & Vandalica verti instituto meo serviens: habeoque, habent & illi, supplementa ἐλλειμμάτων [*hiatuum*] è Vaticana. Ego præterea Hæschelianam editionem cum duobus manuscriptis Regiæ Bibliothecæ contuli: multisque eam locis tum eorum librorum auxilio, tum conjectando emaculavi. Edam aliquando cum omnibus testimoniis à Plinio ad Helmoldum usque ad res Suediæ Gothiæque pertinentibus, ut genti sua dignitas constet minimè suspectorum testium fide. Accedent prolegomena, meo more, non parca. Sed hæc tibi ut amico veteri dicta sunto. Petrum meum se vobis probare gaudeo. Tibi, uxori, liberis, ego, uxor, liberi optamus felicissima. Lutetiæ 12 Decembris 1636. 691

Tui studiosissimus H. G.

Digitized by Google

GEORGIO SLVPECKI DE CONARI, Capitaneo Pilsnensi.

Vir Nobilissime,

693 EAdem hora literas abs te accipio binas Calendis Augusti & 19 Septembris datas. Nam illas quibus respondisti à me scriptis, non accepi. Gaudeo tam constantem tibi esse mei memoriam, quàm ego tui oblivisci nunquam possum. Radsevilii Ecclesiasten non vidi, alii ad me literas tuas pertulere. De Gallicis quod quæris rebus, hæc summa est. Magno & animo & felicitate Rex hostem intra fines ingressum ultra flumina Picardiæ Samaram, Burgundiæ Ararim rejecit. Accesserunt ad hoc quod præcipuum est, magna decora, Corbia oppidum munitissimum hosti ereptum gravi jam autumno, obsidentibusque magis quàm obsessis metuendo: Sancti Ioannis ad Lenam Burgundiæ oppidum hosti obsidenti sub idem tempus ereptum: pugnæ felices multæ. Belli præmium Lotharingiam adhuc totam, Alsatiæ pleraque tenet Rex: hostes nihil juris Francici, præter novum Aquitaniæ portum Socovam Bajona non procul & Ligustici maris Insulas duas Margaritæ & Honorati nomine. Nam Capella & Castelletum in Belgico fine, vix digna sunt memoratu. Venio ad illud de Iudæis. Facis pro tua bonitate, quod non facilè credis eorum criminationibus qui odio Religionis in alios inardescunt. Piè non minùs quàm prudenter ab Imperatoribus Honorio ac minore Theodosio constitutum est *L. 14. C. de Iudæis*, ne quis cùm sit innocens tanquam Iudæus obteratur, neve expositum eum ad contumelias Religio qualiscunque perficiat. Quid non Christianis veteribus, quid non illis nostri prope sæculi, qui à Pontifice secesserant, & ante Valdensibus, objecit freta potentibus præsidiis & ex accusatæ partis publico odio impunitatem sperans mentiendi licentia? Iudæi ex quo Patria exsules infestis Dominis serviunt, haud dubiè ad calumnias patent. Nec tamen semper innocentes præstem, cùm exsecrari Christianos fas piumque habeant, ut ex Thalmudicis aliisque libris apparet. Neque factis abstinere sunt soliti ubi vires ipsis suæ placuerunt. Quid Cyrenenses Iudæi fecerint vide Dionem Trajano. Quid alii inter Chalcedonem & Antiochiam, Sozomenum lib. VII. hist. Eccl. cap. 13. & 16. Socratem lib. VII. cap. 17. Nicephorus dubiæ nonnullis habetur fidei. Videnda tamen quæ dicit de Iudæis Arabibus, Samaritanis, Antiochenis lib. XVII. cap. 6. & 24. lib. XVIII. 44. præsertim cùm de postremo attestantes habeat Paulum Diaconum lib. XVIII rerum Romanarum, Zonaramque in Phoca; Anglia expulsos ob detectum crudele consilium ait Polydorus lib. XVI. De pueris occisis, eorumque sanguine collecto nescio quos in usus Monachii, Tiguri, Bernæ, Weissenscho in Turingia, Vberlingæ Vindelicorum, Dieffenhovii ad Acronium auctores sunt Stumphius, Thomas Barbariensis in Fortalitio fidei, Michaël Neander in erotematis linguæ sanctæ. Certior his de Tridentinis Iudæis idem affirmat Sabellicus lib. VII. Enneadis. X. De Tirnaviensibus in Hungaria Bonfinius lib. IV. Dec. V. Vt magica aut superstitiosa taceam, cùm constet puerilem sanguinem in eo se proluentibus lepræ esse remedium, cujus quæsiti multi infamati sunt Reges, potuere Iudæi qui medicinam faciunt hoc promptiùs eò decurrere, quò magis Christianos odêre, nisi pœnarum metu absterrerentur. Apparet ergo vetus esse hoc sive crimen, sive fabulam. Vtrum apud nos sit non facile dictu est. Nam neque omnibus, neque nulli credendum est,

Αἱ πίστις γὰρ ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας

[Evertit multos non credere, credere multos].

Expendenda sine motu animi testium Religio, numerus & oculatine sint, an auriti tantùm. Nulla fides autem est, cui minùs fidei esse debeat, quàm tormentorum. Mentietur, ut ait vetus quidam, qui ferre potuerit: mentietur qui ferre non potuerit. Infinita mihi exempla suppetunt isto tam fluxo argumento iniquè interfectorum. Neque miror fuisse viros graves qui Christianis omnino à quæstionibus illis violentis ac periculosis abstinendum censerent, cùm certum sit in sapientissima Mosis Lege fuisse incognitas, & nunc Angliam sine iis non minùs tutò quàm alias gentes vivere, Romæque dum libertas stetit immunia ab iis fuisse civium corpora. Apud Batavos Iudæi suspecti talium facinorum non sunt, sive mitius habiti mitescunt & ipsi, sive recentes advenæ cautiùs vivunt. Certè pridem non levibus de caussis Belgica omni, non minùs quàm Gallia exacti fuere, ut de Hispania nihil dicam, ubi præter æquum eos tractatos non nego. Meminerint ergo judices, suæ Religionis esse, falso Religionis affectu non abripi, & ubi res non planè liquet, tutiorem esse quamvis nocentis absolutionem, quàm innocentis damnationem.

Nulla satis de vita hominis cunctatio longa est.

Hæc sunt quæ mihi nunc ad id quod quæreras in mentem veniebant. Si quid est in quo utilis esse possim, noli operæ meæ parcere, meque tuo perpetuo in me amore obstrictum scito, mutuum ut faciam aut etiam te utconer vincere. Lutetiæ 12 Decembris novi Cal. 1636.

Tui amantissimus H. G.

D. STENONI BIELCKIO.

Illustrissime Domine,

MVltis modis bearunt me literæ quas ab Illustrissima Dominatione tua $\frac{13}{23}$ Octobris scriptas jam triduum est quod accepi, quippe & prosperam valetudinem Illustrissimæ Dominationis tuæ cum gaudio summo inde didici, & res nostras ad Witstochium majores etiam fuisse quàm fama vulgaverat tum cognoscere per se egregium, tum præsertim tanto auctore. Quod verò Illustrissima Dominatio tua tanta me benevolentia complectitur, gratamque habet, quam Regno Suedico pro virili navo operam, est quod triumphem. Corbiam tam munitum oppidum septimo quàm oppugnari cœptum erat die, is fuit Novembris 14 ex novo Calendario, deditum, ipsi qui in deditionem accepere mirantur Galli, nec facile est causam suspicari, nisi quod eorum qui præsidio præerant fides pretio victa creditur. Gallassius adhuc ad Ararim se tenet, nec impedit quò minùs eodem excurrat sæpe Ducis Bernhardi Vinariensis eques, etiam oppidulo uno alterove irrupto. Ab internis motibus qui è subito ex hac urbe discessu Fratris Regii Blesas, Comitis Suessionensis Sedanum, metuebantur, quieta adhuc est Gallia, & missis qui utriusque animum demulceant mansura quies speratur. Novæ in Hispaniam provectæ ab America pecuniæ fidem animosque Hispanis addent, præcipuè ad tuendas Insulas quas oppugnatum iverant Galli, & ad retinendam in Aquitanico littore Socovam. Legationes Coloniam tardè procedunt. Qui extra bellum sunt, ut Veneti, Helvetii, aliique non mittent nisi eos, quorum præcipuè res agitur in via esse intelligant. Nam mutatio injecta à Gallis, addito ad Legatos antehac nominatos Davausium Feuqueriumque Cardinalis Riceliaci Fratre Cardinali, & ipsi Lugdunensi Archiepiscopo controversias parit, & videntur qui Galliam regunt de industria tempus trahere. Venturusne huc sit Dux Bernhardus etiam qui ipsius res agunt dubitare video. Magno tenetur desiderio intra ipsam Germaniam ostendendi, quid armis valeat. Rex Romanorum quin factus jam sit nemo dubitat; & hæret Ratisbonæ Arundelius. Nec quicquam nisi quod nos latet hic agunt Angli. Non indignum observatu est ad noscenda Monachorum ingenia, cùm Hispanis dedita fuit citra ullam necessitatem Corbia, impulsores præcipuos fuisse Benedictinos tanta cum inverecundia, ut Gallis ni id facerent absolutionem negarent & Sa-

& Sacramenta: idque publico Regis edicto testatum. Comes Licestrius quasi brevi hinc discessurus loquitur: & de transactis rebus super Palatinatu cum Cæsare & Bavaro multum susurratur. Ea forte causa est cur Angli Coloniam missuros se negent. Agunt multi restitui Palatinatum sine bonis Ecclesiasticis, de Electoratu spem tantùm dari. Novæ Germanorum copiæ Alpes transcendunt: & Hermestenium cum periculo est. Rhætos, à Gallis dum Pontifici præter æquum student habitos duriùs, Austriaci student ad suas partes pertrahere ostentata conditione meliori quàm à Gallis sperent, nec quicquam sibi stipulatum volentes præter liberum transitum, divisis multum manibus, qualem nunc Helvetii concedunt. Omnia, Illustrissime Domine, Tuæ Dom. Illust. prosperrima exopto. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Decembris 1636.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu addictissimus H. G.

MARTINO HORTENSIO.

Vir Præstantissime,

695 ITa de me merita est civitas Amstelodamensis, ut, quicquid possim, id semper ad juvanda ejus commoda promovendamque ejus gloriam promptissimo animo sim collaturus. Quare cùm ad notitiam meam pervenisset Viri in sublimibus studiis egregii Galilæi cogitatio ad deprehendendos locorum terrâ marique ad cœli partes respectus, statim dixi honorem dedicandi laboris hujus ad Ordines Fœderatos, qui pridem omnia ingenia ad hujus rei inquisitionem invitarant, jure optimo pertinere. Vtendum autem commendatione ejus civitatis, cujus talia sciri plurimum interest. In ea civitate, imo in omni Fœderatorum imperio, neminem esse qui meritis, auctoritate, rerum etiam istarum recta dijudicatione par sit Nobilissimo D. Realio. Quare per eum parandos aditus sapientiæ audientiam sibi postulanti. Secutus est, me auctore, annitente D. Elia Deodato, Galilæus hoc consilium. Quod ipsius D. Realii, tuaque & amicorum aliorum prudentia eousque perductum est feliciter, quoad usque negotii status patitur. Quod restat, id à Galilæi primùm perspicacia, deinde à Fœderatorum Ordinum magnanimitate exspectabimus. Valde autem lætatus sum, quod hujus rei notio ipsi D. Realio, tibique & Blavio nostro, omnibus & amicis meis, & ad eam rem necessaria quæ sunt omnia aliundè superque habentibus, delegata est. Digni enim estis quos Respublica Triumviros Sacris naturæ aperiendis, demerendoque humano generi faciat. Legi cum voluptate Decretum, dignum tantæ rei Majestate: nihilque magis opto, quàm ut pulcherrimæ molitionis fructum gustare ætas nostra incipiat, incrementa haud dubiè cum posteritate sumpturum. Tibi verò Vir Eruditissime, primum quod publicis bonis tam sedulo invigilas gratiam pro mea parte habeo, deinde & privatim, quod amicitiam eam quam nobis injungit urbis natalis consortium, studiorumque in te profectus, in me reverentia, cùm aliter datum hactenus non sit, per mentis interpretes literas tam benignè foves. Vale Vir mihi semper future maximi. Lutetiæ 12 Decembris 1636.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

696 IVbet me Magnus Cancellarius Germaniæ res Excellentiæ Tuæ beneficio cognoscere. Itaque exspecto discere prosperos post bene gestam rem ad Wittstochium Bannerii Wrangeliique processus. Hic Corbiæ obsidio, de qua scribere cœperam, contra quàm ratio sperari sinebat, bene Gallis evenit. Oppidum munitissimum intra septimum diem quàm oppugnari cœperat, non vallum oppidi, non fossa, ne agger quidem fossâ circumjectus, sed exteriora his omnibus munimenta, plenum rebus ad vitam tutelamque necessariis à militibus sanis mille & quingentis deditum est 14 Novembris novi Calendarii. Si, qui oppidi præsidio cùm dederetur præfuit, apud Hispanos evadit pœnam (varia enim de eo fama est) supererit suspicio tantæ conventionis super inhibendis circa hunc finem armis inter Cardinalem Hispanum & Regem; eò credibilior quod nec hostes nec Galli quicquam movent in illis quidem partibus. Nam in mari Ligustico Insulas Margaritæ & Honorati contra Gallorum classem strenuè tutantur Hispani, acceptis ex Hispania auxiliis, commeatibus & belli paratu. Iidem Socovam portum Bajonæ non procul captum à se, diligenter muniunt: Gallassius adhuc ad utramque Araris ripam se tenet, imminutus rerum inopia ac cladibus nonnullis, acrem habens adversarium Ducem Bernhardum, qui Ionvellam nuper in Comitatu Burgundiæ cepit plenam frumenti vinique. Felicitas Galliæ, quæ hoc anno ingentes hostium exercitus ultra limitem suum repulit, in hoc quoque apparet, quod & Frater Regius & Comes Suessionensis, cùm subitò insalutato Rege ab urbe hac digressi, omnium animos metu rerum novarum concussissent, quiescant, ambo, hic Sedani, Blesis alter, periculum quod suspicabantur intervallo locorum depulisse contenti. Placentiæ in Italia in Germania Ermesteini res malo loco sunt; sed hic spes auxilii, ibi nulla nisi Pontificis auctoritas tueri potest vasallum, sed controversi juris; cùm Placentiam suum ab antiquo feudum esse dicant Hispani. Si sacrorum majestas non plus ibi valet, quàm nuper apud Vitriacum Narbonensi Provinciæ Præfectum valuit, qui Archiepiscopum Burdegalensem classi præpositum ac contradicentem sibi baculo refutavit, actum erit de Flaminico jure. Memini, Hamburgi cùm essem, loqui te mihi de eo genere Planorum qui se Alchymistas vocant; hoc ex genere egregius fumorum venditor, cùm diu non exiguum sui usum præbuisset ad lactandum spe opum novarum, postquam veteres deficiebant, Regis animum, multis tunc adversis labefactatum, rebus in melius flexis, non impunitam tulit audaciam, aurum de suis fornacibus ita pollicens, si ipse nummos inde cudere sineretur, datusque est in carcerem sed nobilem, Silvæ Vicennensis, Boismallæus ei nomen est. Hæc erant quæ tempus hoc suggerebat præter ea, quæ omni tempore mihi injuncta arbitror, pro incolumitate Excellentiæ Tuæ vota. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Decembris 1636.

Illust. Excell. Tuæ observantissimus H. G.

THEODORO GRASWINKELIO.

ET *vitulâ tu dignus, & hic, & quisquis honores* 697
Aut cupiet dulces, aut experietur amaros.

Cupiet dulces, ut tu: experietur amaros, ut ego & Seldenus, sed ego libertatem maris dum propugno, meam amisi. Seldenus libertatem maris oppugnans suam recuperavit. Tibi amico veteri opto ex animo feliciora, ut neque is quem sumpsisti labor malum tibi pariat, neque eo opus habeas ad mali alicujus remedium. Vale quàm maximè è voto. Lutetiæ 14 Decembris 1636.

Tuus toto animo H. G.

STENONI BIELKE.

Illustrissime Domine,

HYems ut aliarum rerum ita & eorum quæ nuntianda 698
veniunt sterilis est. Rediit ab Anglia Ponica, spem delectuum tum pro Duce Bernhardo, tum pro Suedia in ver rejectum ait: conscribi ibi aliquid militis magis in terrorem, quàm quod bellum parent & pro honore propinquorum se periculis (ut loquuntur) induant exuantque commerciis, nunc si unquam lucrosis. Itaque videntur in pacificando ita se gesturi ut gratiam sibi Imperatoris atque Hispani pariant, cujusvis alterius damno, sicut cùm Suedos Prussiæ damno mulctarunt. Etiam Gallis

lis video nostra non multum curari haud eo tantùm argumento, quòd pecunias jam olim debitas cunctantur solvere, sed & quod sermones injiciant de restituendis iis quæ bello possessorem mutarunt, in quibus & Pomeraniam exceptis aliquot maritimis locis includant, ipsi interim firmi retinere Pinerolium & Lotharingiæ potissima. Itaque nobis nostra quà pace quà bello curanda erunt. Duo Principes Regii sanguinis cùm formidare se dicunt, formidandos se faciunt; perstant in emanendi proposito; Frater Regis sic, ut urbes sibi tradi saluti suæ tutandæ flagitet; Comes Suessionensis ita, ut literis ad civitates & Campaniæ Præfectos scriptis, non tantùm se Fratremque Regium de libertate periclitatos dicat, sed ut & se testetur extra causam esse onerum plebis & belli: quæ Rex (ad eum enim literæ, non resignatæ ab iis qui acceperant, missæ sunt) ut turbamenta vulgi interpretatur. Pacem certè ab omnibus Ordinibus hic desiderari satis apparet: idque videns Cardinalis Riceliacus eam intra breve tempus pollicetur. Melo Legatorum Hispanicorum unus iter Mediolano Coloniam incepit. Germani qui per Alpes, qua summæ dicuntur, transeunt, ad tria millia negantur pertingere. Rhætos nisi paulò socialiùs tractent Galli, in periculo illis in locis res utrorumque erunt, hoste duabus à partibus imminente armis, intus & parante sibi factionem. Arundelius puto in Batavis jam est, ab Imperatore si nihil melius, certè spes blandas secum ferens. Gallorum ad Insulas, quas repetitum iverunt duas, nullos dum successus audimus. Deus, Illustrissime Domine, fautor adsit & rebus nostris & Illust. Dominat. Tuæ. Lutetiæ 17 Decembris novi Calend. 1636.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus eique addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

699 QVietis à bello per hyemem rebus sermonum materia sunt principum duorum, quibus præsentia non placent, consilia & paratus ad pacem. Apud Fratrem Regium post Guichium fuit Chavigniacus, exceptus ab eo cum eo honore, quo debebat Regis Legatus: sed spei irritus rediit. Perstat enim Regius Frater Aulam defugere, diciturque præterea poscere urbes securitatis suæ pignora, quales olim Hugenottis datas magno cum gaudio Gallia non sine labore recepit. Addit siquis miles per Aurelianum mittatur, id sibi displiciturum, causamque fore aliter sibi ut perspiciat. Semel è Gallia ejectus à Cardinali, videt id ei non æquè facile vicinis ad tres fines hostibus, & sibi, si urgetur promtum transire Ligerim & movere validas & acri in Rectores odio tumentes Provincias. At Comes Suessionensis Sedano literas misit ad Campaniæ quæ Præfectura ipsius est civitates, & eos qui ibi cum imperio sunt civili aut militari. Literæ nec resignatæ ad Regem missæ sunt, qui durè interpretatur quod Comes, velut rem summam sui judicii faciens, testetur tot onerum quæ plebem premunt bellique hujus causas à se non adesse, abitioni suæ obtendens quod & se & Fratrem Regis in carcerem dare propositum fuisset iis qui res digito temperant. Credunt multi occasionem opperiri hos Principes, ut ubi bellum desierit, sine invidia ac sine hostium commodo sibi destinata exsequantur non defuturis adjutoribus. Cardinalis interim Riceliacus communibus Galliæ votis verba accommodans ait intra sex menses omnino pacem ubique fore. Et venit ad me his diebus Gothofredus is quem comitem ac quasi magistrum iturum cum Legatis Coloniam scripsi. Non posse evitari pacem ajebat tanto ejus apud populos desiderio, deficientibus pecuniis, & si novæ ad eas quærendas viæ tentarentur manifesto periculo. Honestissimam pacis rationem fore restitutionem omnium principum in jura vetera. In Rege Galliæ quo minùs reddatur Lotharingia, retento uno atque altero præsidio ad tutelam quietis, moram non fore. Pinerolum & speciosè retineri posse, quia specialis de eo cum Sabaudo facta sit pactio, & necessario debere Italiæ totius, ipsiusque adeo Pontificis causa, ad quos ab Hispanorum, si quando opus sit injuriis tenendos non alia sit via. Suedos sperabat contentos maritimis aliquot oppidis atque Insulis fore. Respondi generaliter, eos qui Suediam gubernarent pacis æquæ, communis atque honestæ percupidos esse; cæterum intercessisse speciales & de Pomerania conventiones. Videndum nobis ut in tuto sint amici, etiam ii quos prava consilia à nobis abstraxere, quique perire sine communi malo non possent, & ut quàm longissimè à Suedia amoveantur suspecti exercitus. Cæterum sic me æstimare Cardinali Riceliaco, è cujus rebus pendeant Galliæ consilia, utiliores fore inducias omnia quæ sunt loco relicturas, quàm pacem plenam in qua agendum sit de Regina Matre, de matrimonio Lotharingico & aliis ipsi aut periculum aut nimis odium factura. Heri ad me venit Ponica ex Anglia referens spem dandi militis Duci Vinariensi non ante ver. In idem tempus differri arbitrabatur supplimenta quorum Suedis spes facta esset, nempe ut hoc metu si possent, conditiones ab Imperatore sibi meliores impetrent. Nam ne in bellum veniant Angli facilè impedituram factionem Hispanicam, à qua stet calidissimus quisque. Ab iis non taceri multo minore impendio in Anglia, Scotia & Hibernia terras Palatino dari posse, quàm bellum ejus causa adversus Imperatorem Hispanumque suscipi. Vereri, multas ne Archiepiscopi molitiones per gradus quosdam rem ad Papismum reducant. Severo & comiter & magnificè habitum prædicabat. Vidi his diebus apud me etiam Comitis Nassavii Wilhelmi Heusdæ Præfecti filium, qui in cætero sermone arctas apud Batavos ærarii res atque inde induciarum non desiderium tantùm sed & necessitatem indicabat. Dixi sustentandum, donec in commune quid fieret. Cæterum quanquam & Gothofredus inducias Batavis procurandas mihi dixerat, Cardinalem Riceliacum scio id agere largitionibus, ut etiamsi Gallia se bello eximat, illi tamen in bello maneant, & quod jam cum Imperio Germanico pacis commerciorumque jura stabiliant, id ei maximè improbari, Principemque Arausionensem, ut talium suasorem, ob id incusari. De Feuquerio Davausioque ut Coloniam eant constitutum manet. Pro Cardinali Lugdunensi, homine minimè fraterni ingenii, quidam putant substitui Valettam itidem Cardinalem, Riceliaco fidum, & rebus Regnorum tractandis aptiorem. Cardinalem Pasmannum ab Imperatore mitti vix credibile, ajunt qui ista intelligunt, cùm is Pasmannus Romæ antehac Imperatoris nomine rem ausus sit omni hæresi invisiorem, territare scilicet Papam Concilii universalis convocandi minis. Borgiam quoque maximè Pontifici exosum ab Hispano mitti vix est qui credat. Optasse Ducem Bernhardum ait Ponica, ut ipse Ducis negotia curatum Coloniam eat. Verùm se arbitrari multo utiliorem suam operam Lutetiæ fore, unde ventura essent mandata quorum finibus Legati Gallici, Coloniæ ubi erunt, coërceantur. Comes Licestrius cùm in editis rumusculis legisset Landgravium Casseliensem armis Palatini ducem destinari, advocato ad se eo qui res hic agit Landgravii, percunctatus est quo auctore id vulgaretur, non dissimulans offendi Anglos tali fama. Conventus locum sumtum Coloniæ video jam multis Gallorum ob id displicere, quod non futuræ sint in tuto literæ per Hispani terras commeantes. Forte & hinc aliquid tricandi materiam rapiet Riceliacus. Natalis Dominicus novos nobis Romæ pariet Cardinales. Sæpe mecum cogito fieri non posse, ut diu in forti proposito perstet Gallia, non tantùm ob gentis ingenium per se mutabile

Digitized by Google

bile, verum etiam quod pretio pervia sint omnia in tanto luxu honorumque nundinis, deinde quod magis magisque in populorum animis gliscet de summa in res omnes Papæ potestate opinio, injuncto iis qui contradicere solebant Sorbonæ ac Parlamentis silentio, ipse autem Papa, etiam hic qui nunc in Ecclesia regnat Vrbanus, per se haud factiosus, cogatur tamen se accommodare ad voluntatem Hispani, qui & ipsum & ipsius Aulam tanto per Italiam dominatu velut obsessum tenet. Riceliacus autem non levi suo periculo jam sentit pœnas, quod plus intra paucos annos, quàm qui ante eum fuere multis sæculis Papæ res promoverit, magno Regni & Regis malo. Etiam cùm de matrimonio Lotharingico consulerentur Episcopi, sententiam dicere nemo eorum ausus est aliter quàm cum hac exceptione, ni aliter Papæ videretur. Ita homines magno labore quærunt quibus vinciantur compedes. Gallos & antehac noluisse & nunc etiam nolle, ut Dux Bernhardus trans Rhenum arma ferat, cùm is id maximè velit, ait Ponica. Magna præda potitus est Ducis Bernhardi exercitus Ionvellæ, sed doleo accusari fidem pactorum violatam. Notus quidam mihi à Polonia primulum reversus ait Regem, non spernendum cætera, multum diei somno impendere: amicæ autem delinimentis ita captum teneri, ut de uxore ducenda seriò non cogitet. Famam ibi esse, Duglassium sibimet mortem consciviſſe, dum pœnam metuit, quod ante confectum Palatinæ matrimonium auxilia xxx navium Anglicarum obtulisset Polono, eaque re territis Suedis excussisset Prussiam. De Rhæticis relinquo Marino suam provinciam: verùm sic existimo, nisi Galli multum decedant de suo in eos rigore, ac simul debitum diu auxiliis stipendium persolvant, rem in periculo esse abalienatis adeo Sociorum animis, quo tempore hostis duabus imminet partibus ex Tirolano & è Lacu Lario. Dux Parmensis tædio rerum non mirum si ægrotat. Conatur ei Hispanum placare Hetruscus. Melo Legatorum ad pacem unus iter Coloniam incepit. Qui per Alpes summas transeunt Germani plus III CIↃ esse non putantur. In Aquitania non Socovæ tantùm sed & Ciburii & Andoiæ se permuniunt Hispani. Lotharingiam equitatus vastam facit, tum Ducum Caroli & Francisci, tum Gallicus sub Longavillano. Arundelius jam puto in Batavis est, si non rebus certè spe onustus, quæ apud credere volentes tantundem quantum res valet. Insulas maris Ligustici nondum quantum ex fama discimus oppugnarunt Galli: & arduum id negotium est. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, rebus Sublimitatis Tuæ prosper adspiret. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Decembris 1636.

Hæc scribenti intervenit Ponica cras iturus ad Cardinalem, qui ipsum illico ducem quamprimùm poterit exspectat, volebat Ducis nomine significari Sublimitati Tuæ, quæ consilia de se & exercitu suo is cepisset, ea necessitate expressa. Doliturum ipsi quod non redeat in Germaniam hac hyeme Tua Sublimitas, de se verò dicebat idem Ponica mandatum optatumque sibi ex Anglia in Pomeraniam transire, ut ibi Sublimitatem Tuam conveniret, eique de rebus actis & imminentibus loqueretur. Sed intellecta Tuæ Sublimitatis in Suediam profectione huc se vertisse iter. De ducis in rem Suedicam studio, mira.

DVCI BERNHARDO VINARIENSI.

Excellentissime atque Illustrissime Princeps,

EX colloquio D. Ponicæ magis magisque cognosco Celsitudinis Tuæ animum erga rem Suedicam, præterea ex literis ejusdem ad me Ionvellà datis clementem in me benevolentiam: pro hac gratias ago quantas debeo, daboque operam ne eo favore indignus unquam videar; de illo certiores faciam, ut & feci antehac quorum in manu est res Suedica, fructusque ejus amicitiæ egregios à Deo optabo. Novi nihil ferme est quod nunciem, cùm de rebus Germanicis quæ nobis satis sunt prosperæ, recentiora quàm ego acceperit D. Ponica. Literas à Magno Cancellario habui Stockholmia 8 Octobris veteris Calendarii, ex quibus intelligo eum gravibus tum belli tum pacis deliberationibus in patria hanc certè hyemem detineri. Recepi & Stetino D. Stenonis Bielke Legati Suedici literas, 22 Octobris datas dicti Calendarii, ex quibus cognosco, majorem etiam, quàm prædicata est, fuisse hostium cladem ad Witstochium, cum CↃX signa nostrorum in manum venerant, præterea haud multo post à nostris vetere Stetino egressis cæsam partem hostilis equitatus, cui minor Burgstorfius præerat apud Paitzum. Pacis negotium lentè promovetur ab Hispanis, qui tuti itineris literas, quales Rex Galliæ pro Hispanicis Legatis miserat, pro Gallicis mittere cunctantur, quod Bressæo Cardinalis Lugdunensis suffectus sit, cavillantes. Ratisbona quoque scribitur non multum & ibi properari. Si Deus armis Suedicis dederit, quales dare cœpit, successus, id non exiguum erit tardis incitamentum. D. Feuquerius jam huc vocatus est, ut Coloniam eat; Paratus est & Davausius. Deus cuncta hæc ad optimum commune gubernet, idemque, Excellentissime atque Illustrissime Princeps, T. C. fautor adsit. Lutetiæ, $\frac{4}{14}$ Decembris 1636.

Celsitud. Tuæ ad omnia obsequia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

MItto literas Comitis Suessionensis ad civitatem Trecensem, cujus tenoris sunt & aliæ ad civitates Campaniæ. Accusatur illud in fine literarum, quod desiderium pacis & levandæ plebis ostentando censorem videatur agere imperii & se jactare auris popularibus. Accedunt ejusdem ad Regem literæ, satis & hæ grandiloquæ, nec pro exulis fortuna. Mitto & responsum quod Frater Regis Chavignio præscriptum dedit, in quo difficilis Regi proponitur electio. Nam & probare matrimonium ex domo, quæ gravissimè se à Gallia læsam queritur, periculosum est, & post tot collectas ad id rescindendum & Parlamenti & Episcoporum auctoritates, parum dignitati conveniens: &, si id negetur dare urbem cui ut pignori incumbat, non tantùm fidei publicæ aliquam habet sugillationem, sed &, ut priorum temporum docent exempla, belli semen. Sunt qui putant Cardinalem, cùm pacem videat inevitabilem, spontè concessurum ea quæ alioqui hostibus pactio & Pontificis majestas sint extortura. Et de matrimonio eo posse permitti minore cum noxa, quod ejus feminæ futura sterilitas (ita enim ex signis quibusdam judicatur) & Fratris Regii inconstans animus facturi sint, ut facilè vilescat gratia. Sic & ut altera pacis mora tollatur, de Regina Matre difficultas laborat Cardinalis, Ginettii Coloniæ negotia quærentis jussu is qui Bruxellæ est Pontificis Nuntius, eò perducta jam re, ut non revocetur quidem, quod ipsa speraverat, sed si redire spontè velit, sinatur, aut si scribere ad Regem velit benignum responsum exspectet, multum à Nuntio rogata, ut quicquid potest ad pacem conferat, tantoque bono, siquid est privatim durum concoctu, condonet. Iam permota est, ut sine Chantelupio & Sanctogermano tot libellorum in Cardinalem fabris, parata videatur reverti, sed ita tamen, ut illos quoque sub communi obliviscendarum offensarum lege comprehendi velit. Sed de his quid futurum sit dies docebit, quæ, ni fallor, antequam expleantur colloquia, satis erit longa. Nam Hispani pro Legatis Gallicis tuti itineris sponsores literas, quales Hispanicorum in usum Galli miserant, cùm novissimus indè venit tabellarius, non misere,

Digitized by Google

fere, perseverantes conqueri, quod pro Bressaeo cui parem delegerant, substitutus sit Lugdunensis Cardinalis. Adjuvat hanc conjecturam quod ab Aysema scriptum memoraveram nuper; ita existimari Ratisbonæ, intra sex menses nihil magni actum iri. Is Aysema apud Ognatium visus est Ratisbonæ, privato fortè impulsu, aut imperio Principis Arausionensis. Nam publica mandata nulla habet: imò vetitus est de induciis serere sermonem. Si verum est, super quâ venerat re illum accepisse responsa quæ è Batavis huc ad non ullos perscribuntur, inde quoque apparet, quæsitis cunctationibus tempus ab Austriacis duci. Hæc enim sunt capita quæ adjecta restitutioni pristinæ inter Germaniam Batavosque pacis & commerciorum dicuntur. Quod hæc pacta non debeant præjudicare juri nec Domus nec Imperii: (dicuntur pati ut similiter apponatur, salvo & ordine Belgicorum jure) reservari casum extremæ necessitatis, residuarum Provinciarum & Indiarum, (hæc vero adjectio quanquam dicitur captandæ servandæque tantùm Hispani gratiæ fieri, non totam evertit) si Hispani vellent restituere loca Imperii (non puto ego futurum ut id dicant Hispani, nam & Cameracum Imperii est & Trajectum ad Rhenum & multa alia) an Ordines quoque idem offerrent. Renuntiatio federum contra Cæsarem & Imperium (facilis solutio est nulla esse talia.) Evacuatio Landgravii & Suedorum ex Westphalia (id verò ab Electoribus præpositum jam abiret extra terminos status medii: Batavosque amicis hostes faceret) debent pacta unicum habere finem & scopum ad faciendam totalem pacem & quasi interim durare, (hoc postremum Batavis necessitatem imponit induciarum cum Hispano. A Rusdorfio aliisque Ratisbonâ quæ adferuntur literæ, nihil habent de morte Bavarici Infantis. Offerri Arundelio restitutionem inferioris Palatinatus, sub lege permittendæ ibi Romanæ Religionis, additoque ut Angliæ Rex se pacis ejus quæ fiet custodem fore profiteatur. De Superiori Palatinatu & de dignitate Electorali negotium aut propiori transactioni aut judicio servari. De alternanda electione mentionem non ferre Bavarum. Additur dixisse Rex Hungariæ Arundelio, pacem ita faciendam, ut & Palatini & Lotharingi, quantum æquitas feret, ratio habeatur. Indidem scribitur Mansfeldium in Silesiam contra Wrangelium mitti, in Prussia Truxesium Imperatori conscribere XV M militum, & ab ipso prærogari pecuniam. A Ragotskio victos prælio Turcas Bassarumque aliquos captos. Hic qui sunt ab Anglia Legati cum Gallis agunt nonnunquam, tentati tamen, an si intra definitum diem non reddatur Palatinatus uterque cum Electoratus jure, conjungere sua cum Gallicis arma velint, hæsitant, tractantque interim de commerciis, aliaque id genus leviora negotia, quanquam persto credere, posse & fœdus aliquod inter ipsos Gallosque fieri ita valiturum, si pax cum Hispano fiat. Venturos ad arma Anglos tum ob alia credibile non est, tum quia parant se in ver ut Batavos piscatores vectigales iterum faciant, magno gentis illius dolore & Hispani gaudio. Controversia quæ nuper exorta erat, inter Cardinalem Valettam & Ducem Bernhardum nata erat ex delectu locorum ad stativa. Nunc Valetta Metis agit, & Parlamenti Senatum, conspectu suo semper præfectis gravem, Tullos removet. Dux Bernhardus Gallorum auxiliis ex parte nudatus ita gravem sentit Gallassium, qui contracto quod poterat copiarum in ea se intulerit, ut coactus sit cum suo omni milite se eis Ararim recipere, ne ibi quidem in tuto futurus, quando pontem in sua potestate habet Gallassius, nisi novis hinc copiis firmetur. Ea, quominùs in urbem veniat, quod alioquin desiderat Cardinalis Riceliacus, mora est. Ad conficiendos XXXV milliones, de quibus scripseram in annum sequentem, cùm agri non sufficiant, ad urbes itur immunes antehac, sperantùrque ab iis corradi posse XX milliones, quorum duos & semissim hæc civitas sit toleratura, octavas mercedum quas domus pendunt soluturis dominis ex altera parte, ex altera verò conductoribus. Iam nunc ad mulcendum Reginæ Matris animum promittuntur ei de suis reditibus L millia scutatorum menstrua. Questa est apud Pontificis Nuntium quod Pontifex paternam curam ad ejus calamitates tam sero verteret. Præter postulata Fratris Regii, quæ ut perscripta ab eo data sunt transmitto, ore insuper petiit, ut de domestico suo ministerio ipse sibi prospicere sinetur: utque pecunias suis sumptibus destinatas ex arca quæstorum Provincialium reciperet in posterum, nec sibi cum Bulionio res esset, tanto tricone nummario: qui quotiescunque in odio se esse sentit ut nunc, abiturum se de præfectura ærarii minatur, nec abit tamen. In Campaniam qui absentis Comitis Suessionensis locum impleat, mittitur Castilionæus. Princeps Condæus in Aulam advocatur, ne omnes Regii sanguinis sibi infestos habere credatur Cardinalis, & is dum rem faciat, quidvis perferet. De eximenda belli malis utraque Burgundia agi audio, Feuquerius jam hic vocatus est, ut Coloniam eat, non cessurus, quantum audio, Davausio, qui priorem sibi in hac Legatione locum deberi existimat. De Cardinali aut Lugdunensi aut alio mittendo cogitationem jam à Gallis abduci edoceor. Legatus ab Anglia extraordinarius, qui mihi resalutationem debebat, misit aliquoties horam petitum, deinde excusatores misit. Excusavit se & ordinarius quem ego vice ad me reversa salutare decreveram. Causam esse suspicor quid interrogari, ut factum est aliquoties, metuunt de iis quæ nunc cum Gallis agunt, ne aut falsa dicere cogantur aut ante tempus aperire quæ celata cupiunt. Nec caret res suspicione quo & sermones quidem me ducunt, cudi inter cos conditiones futuræ pacis, ex ipsorum magis quàm ex nostro commodo. Et quominùs Protestantium res prosperas cordi esse Anglis credam, facit magna in eo Regno aut Pontificiorum aut certè ad Pontificios multa inflectentium auctoritas. Quo magis intenditur Protestantibus, communi consensu ac constante boni publici respectu, se ac sua in tuto collocandi necessitas. Deum rogo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, ut Reginæ, Serenissimæ, Regno Tuæque Sublimitati adsit propitius. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Decembris 1636.

Quin Rex Romanus electus sit, nemo dubitat hic amplius. Monavius monachus vafer à Sabaudo huc missus pacis negotio se immiscet. Ionvella non ultra tenetur à Gallis & periculum est damni majoris, ac proinde nulla spes hoc tempore ut in Germaniam eat Dux Bernhardus. Ab Aula veniens Ponica sermonem injecit de non probatis pactionibus cum S. Chaumontio factis, dixi, duplices fuisse pactorum delineationes, quæ hinc ad Regem, inde ad Reginam perferrentur. Cæterum iniquum esse, ut qui quotidie suas præbent aures, occludant alienas. E bono publico fore, si intellectis utrinque iis quæ intelligi oportet, postea aliquid statuatur in commune utile. Hæc ei dixi ut homini, quem mea dicta in Aulam deportaturum haud nescirem.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Manet heic etiamnum Comes Licestrius, quanquam minatus abitum, agitque cum Gallis, quantum intelligi potest, non tam ad bellicam societatem incundam, quàm ut pacem futuram suos utrique in usus vertant. Pacem Cardinalis Riceliacus, ut brevi futuram, sperari jubet, eò justiùs, quod Comes Suessionensis, scriptis ad Campaniæ civitates literis ejus desiderium professus, inde vulgi gratias captet. Et literæ tuti itineris sponsores jam à Gallis pro Hispanicis Legatis missæ sunt. Non remisere

Digitized by Google

misere suas Hispani, nolentes pati, ut Cardinalis aliquis à Gallis mittatur, & videntur Galli ea cogitatione abstituri. Reginæ Matri reditus, & bonorum suorum fructus ostentatur, si abs se segreget consiliorum, quæ hactenus secuta est, auctores. Frater Regius, tempus hoc sibi oportunum ratus, petit à Rege, aut approbari matrimonium, aut sine mora rem judicari, gnarus Papam à se stare, nec quicquam quod ei damnetur ausuros Galliæ antistites, cùm & dato antehac responso suo adjecerint exceptionem, nisi Pontifici aliter videatur. Si Rex ratum facere conjugium nolit, urbem aliquam ad sui tutelam postulat, neque causam suam dissociare vult à Comite Suessionensi, ad cujus res inspectandas missus Sedanum est Iustellus. Dux Vinariensis, multum in hac Aula exspectatus, quominus veniat, à Gallassio impeditur, qui contractis in unum copiis ipsum multo imparem coëgit ea quæ trans Ararim sunt ipsi derelinquere: Ac nisi confestim auxilia Duci mittuntur etiam Ducatus Burgundici possessionem, habet enim pontem, cum Gallis partietur idem Gallassius. Ponica ab Anglia redux spes inde adfert, sed quas haud magni facit, prævalida illic ea quæ nobis adversa est factione. Rhæti à Gallis pecunia, partim in milites, partim in homines apud populum gratiosos data, placantur. Parmensis dicitur adversis subactus respectare ad Hispani cupita, medio Ethrusco Duce. Feuquerius huc properare jussus est, ut cum Davausio (quis Princeps sit futurus Legationis in obscuro adhuc est) Coloniam eat. Deus cuncta hæc in bonum vertat orbis Christiani, tuæque Illustrissimæ Dominationi prospera det omnia. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Decembris 1636.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu observantiaque addict. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

703 SUspectæ multis modis sunt causæ & circumstantiæ mali ejus, quod nuper Duci Bernhardo evenit, quæ à Ponica satis dissimulata, literis aliorum cognovi. Non de nihilo illi fuerat id de quo scripsi ante cum Cardinali Valetta certamen. Nam ita voluere Galli, ut Ducis copiæ (erant equitum quatuor peditum duo millia) contiguas hosti sedes haberent, Gallicæ autem eo præsidio tutæ ad duodecim aut quindecim leucas interius sine periculo incommodoque hyemem agerent. Quod ubi factum, ut per captivos transfugasque fieri solet, hosti innotuit, primum multis impressionibus is factis non levia Duci damna intulit, postremo graviora metuentem coëgit die 20 Decembris novi Cal. & sequente triduo, recipere se Mottam usque in Lotharingia, quo eum ad duas usque leucas secutus est Gallassius. Laudatur Ducis & prudens animus & vigilantia, tam in hoc quam in illo olim à Maguntiaco receptu, quod eum fecit sine gravi suo malo. Præcedebat peditatus & duæ equitum turmæ in machinarum sarcinarumque tutelam. Tergum ipse duobus equitum millibus tuebatur. Vicecomes Turenæ Frater Buillonii Ducis multum missu Ducis rogatus, ut auxilio ipsi veniret, absentiam Cardinalis Valettæ (is Metis tum erat) excusabat. Neque magis properavit Dux Longavillanus, qui Normannicas turmas regebat. Captivus quidam è primoribus copiarum Isolani dixit, accepisse Gallassium mandata eundi in Germaniam: sed oblatam occasionem tam benignam ex divisis hostium copiis prius ab illo arreptam. Longavillanus ad Castellum Chenetium Duci condixerat, ut ibi de eo quod agendum restaret agerent. Sunt ei duo peditum millia equites mille ducenti. Hæc nos fidæ literæ docent. At Ponica à Rege & Cardinali in hac urbe blandè exceptus, ut cujus consiliis versari ducem non ignorent, aut Condrecurtii nunc esse Ducem cum aliquibus à Longavillano auxiliis, ut Gallassium ab interioribus arceat (metuebatur enim ne & Mosam transiret, quod tamen ego non arbitror) aut instet recedenti. Impetravit Dux ut Alsatiæ campis militem exhaustum sibi resovere liceat, ut Rhenum transgredi liceat, si eo se ferat Gallassius, non obtinuit, sed & occasione cum aliquid, etiam iniussu Regis, tale ausurum frustra ut credam laborat Ponica. Scio enim quàm arctè Gallicis imperiis alligatus sit. Non desino interim & Ducis & Ponicæ amicitiam colere. Ex Aquitania scribit Regi Espernonius nunc quidem adversus hostem in locis humentibus nihil agi posse: sperare se cum vere eum posse pelli. Id si eveniat, non puto moram fore in Cardinali, quominus induciæ fiant per quas maneat Pignerolum & Lotharingia quo sunt loco, nam de Insulis recuperandis abit spes. Tempestates sævæ Gallos ab earum aditu prohibuere, interim ex Hispania Italiaque advenit eo magna vis navium militumque. Classis Gallica ad Villam Francam, Hispanica ad Mergas ac Vadum se continent. Non est autem harum Insularum possessio cum Lotharingia ullo modo comparanda. Et quo minus bellum ducat Cardinalis, multa obstant, præcipuè quod concepta animo tributa in agros & urbes non audet in rem conferre, quamdiu duo Principes Regii sanguinis ipsius actus obtrectant, pacemque laudant & captant gratias populi, adeo ut Frater Regius etiam de convocandis Galliæ universæ ordinibus facere verba sit ausus. Spem probandi matrimonii facit ei Rex, si in Aulam veniat: sed emanere perstat, & urbem tutiorem poscere. Cùm ad Comitem Suessionensem Fiascum virum nobilem, & utrique amicum mitteret, nequid ei sequius in itinere eveniret, Chavigniacum Butillerii ad se à Rege missum obsidem retinuit, observarique eum jussit. Nuper etiam dixerat nolle se Aulam conspicere, quamdiu regnaret Cardinalis. Nunc dicitur remissiùs loqui, sic tamen ut fraudes, nec immerito, suspectet. Comiti Suessionensi graviores etiam causas esse cur sibi metuat, judicant omnes, quare Sedano exiturus non putatur, rogavitque ne copiæ ullæ Regis ad se intra decem leucas accederent. Tentat adhuc Campaniæ studia. Missus est ad viduam Bullionii Ducis, ejus qui nunc est Ducis Matrem, Iustellus ejus hic res agens, ut eam admoneret, nequid Sedani pateretur moveri, quod Regno esset noxium, & honesta verba retulit. Etiam Espernonius à Fratre Regio ad amicitiam invitatus amica, sed intra obsequium Regi debitum stantia respondit. Hæc omnia cum tam adversa omnium ordinum in se voluntate in unum tempus & quidem manente bello congruentia, non mirum est si Cardinalis animum vehementer exagitant. Nostris victoriis fruitur: neque tamen de pecunia solvenda Heusdio spes fit, nisi particulæ & Mense Februario. Feuquerius hodiè hic futurus putatur: an iturus Coloniam nescio, quando Regis consilium locum priorem Davausio adjudicarit, quod ante Legationem Parlamenti Parisiensis pars fuerit. Ex Anglorum Legatis didici ut in bellum veniant spem non esse: neque ultra id urgeri à Gallis. Posse se concessa militum conscriptione, navibusque si opus sit ad littorum tutelam datis, utiles se facere Gallis aliisque. Pecunias à se non exspectandas, quod Parlamentum convocari non possit ob turbidos multorum in plebe animos. Satis se intelligere, etiamsi præter inferiorem Palatinatum redderetur & superior, nulli id fore usui, quamdiu Germania bello vastaretur. Pacem optari à se, an Coloniam mittere debeant, visuros ubi Arundelius (is nunc apud Batavos navigationem parat) in Britanniam advenisset. Cùm diceret mihi Comes Licestrius auditum sibi fedus, quod Tua Sublimitas cum Gallis fecerat, in Suedia esse improbatum, dixi nihil plane conventum fuisse: sed duas formulas ad Reginæ Regisque arbitrium relatas. Venetus Legatus multo sermone persuadere mihi voluit Gallos aures nullis præbere conditionibus, sed tantùm rem rejicere ad Conventum Coloniensem. Nisi eo mitterent

& Protestantes, appariturum hostibus discordiam, & inde secuturas pactiones quæ fo--os essent disgregaturæ. Respondi me multis è locis doceri, non planè ad conditiones obsurduisse Gallos. Si ipsis Pontificis habenda esset ratio, nobis quoque non spernenda quæ à Regibus Principibusque Protestantibus in bonum publicum proferrentur. Coloniæ totam auctoritatem penes Pontificis Legatum fore. Civitatem iniquam Protestantibus: nulla fide hospitia: aditus sub custode. Posse & alibi rem prætractari & tamen nihil absolvi sine communi omnium qui in bello sunt voluntate. Me tamen an Suedia Coloniam, aut ad alium aliquem in vicinia locum missura esset, aut minori aliquem cum nomine, ideo ignorare, quod pridem nullæ venissent litteræ, partim ventis obstantibus, partim quod inter Gallos Batavosque non essent dispositæ naves ad curandas literas. Ex Italia discimus quatuor Gallorum millia datura operam, ut per Genuatem agrum Placentiæ extremo in periculo positæ subveniant, dubium an non post tempus. Parmensem Ducem in tantis malis præstare fidem Galliæ, neque cum Hispanis pacisci velle, nisi ea probante. Ex Rhætia. Tribunos quidem aliquot stipendiorum solutione pacatos: sed manere difficultates de Valle Telina, iisque turbari animos ejus qui nunc habetur conventus. Ex Hispania habemus, Ognatium Comitem cum Marescallo Castagnetta Imperatoris res agente, ita convenisse ut Vallis Telina tum à Comensi parte, tum à Tirolensi invadatur; coganturque Galli quæ in Italia habent dimittere. Auxilia & pecunias Hispanus Imperatori ut det ea lege, ut Imperator exercitum XL millium partim in Italico partim in Gallico fine habeat, cum machinis omnique paratu. Idem exercitus, si pax cum Gallo fiat, neque in eam veniant Batavi, in Batavos mittatur. Post hæc cum Imperatore conventa, Ognatius Ratisbonæ multa in Electores largitur, ut etiam cum corpore Germaniæ perpetuum Hispania fedus habeat: alteri alterius tutela curæ sit: hostes communes; pax nulla seorsim. Ex amicis Gallis disco, probatum Regi novum cum Batavis fedus, per quod impediantur cum Hispano pacisci, etiamsi Rex arma in Belgicam non inferat, quod priore federe cautum pecunia redimitur. Cardinali feliciter evenisse res à nostris ad Witstochium gestas, quibus factum ut precipites ad pacem, ipsi noxiam, Gallorum animos in spe bona retineret: dari ab eo operam ut Menotus monachus à Sabaudo huc missus, acer Aulæ inspectator, hinc Coloniam amoveatur: offerri Fratri Regio solutionem annuorum in posterum è quæstorum manu sine interventu Bulionii ærarium Regentis: de iis quæ antehac deberi cepere, facturum Regem quantum Regni res permitterent, nempe ne quam præsentem pecuniam ad amicos parandas Frater Regius habeat. Permitti illi quoque ut omnes quos habuit domesticos ad se revocet. Sed Riverium, cujus maximè desiderio tenebatur, quominus eum è Bastilia adduceret Chavigniacus, ajebat morbum ipsius obstare. Est autem Bastilia locus non tantùm ut alii carceres tædio solitudinis, verùm multis etiam victu exitialis. Ad Matrem Suessionensis missi his diebus Præfectus ærarii Bulionius & Secretarius status Noyerius, voluere monstrari Regi literas quas ad filium scriberet & ab eo acciperet vicissim. Dixit omnia sua, & hæc quoque Regi exposita, cæterum videre satis fe tum ex hoc postulato, tum ex eo quod Liancurtius jussus esset omnia quæ ei Sedani dixisset Comes Suessionensis Regi dare & perscripta & signata, quæri filium suum criminandi obtentus. Augebit ejus suspiciones quod apud Maseriam, non ita longè Sedano, pars est Gallici militis. Reginæ Matri ut in Galliam veniat ipsi etiam Hispani suasores sunt, gravati ejus hospitio, & utilem ejus operam sperantes aut ad pacem promovendam, aut ad augenda Galliæ dissidia. Cardinalis eam verbis lactare creditur, ut spe reditus ea Coloniæ promoveat (missum enim eo dicitur & Coignæum & Vieuvillam) quæ ipse suo esse ex usu judicabit. Et quia Regina Mater eam quam facienda est ante actorum obliterationem vult prodesse etiam Sancto Germano & Chantelupo, dicit Cardinalis pati se posse, ut eorum nominibus non expressis, generaliter omnibus caveatur, quos Regina Mater pro suis sit agnitura. Pignerolum ut reddatur quantum nititur Sabaudus, tantum ne id fiat laborat Cardinalis, id Italiæ & Pontificis interesse dictitans. Cardinalis Valetta Parlamentum Metense ex ea urbe Tullos amovere non potuit. Frater ejus Dux Valetta qui in Aquitania est nonnihil suspectus Regi esse cœpit, ob contractam non ita dudum cum Comite Suessionensi amicitiam. Rex è domesticis Comitis Suessionensis ipse eligit, quibus de Comitis reditibus honoraria præstentur, ut illos sibi obliget, cæteros inopiæ metu terreat. Cùm Riceliacus Patrem Iosephum Capucinum ad Cardinalatiam purpuram Pontifici commendet, etiam Imperator & Hispanus suos commendant Capucinos, ut hoc obtineant, an potiùs ut illud impediant. De augendis salis & vini vectigalibus consultatur hic, sed anxiè, ob motuum formidinem. De Anglis quominus forte quicquam speremus, etiam ad alia hoc accedit, quod in ver classem parant, rursum Batavos coacturam ad emendum piscandi jus, Batavis contra edicto testantibus nequis quid eo nomine pendat. De Tuæ Sublimitatis Stralsundiorum adventu rumor hic spargitur. Addunt quidam venire eam ad Conventum Coloniensem. Scribebam hæc ipso initio, ut quidem in Gallia tempus putamus, anni 1637. quem, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Reguo, Tuæque Sublimitati prosperum toto animo precor ut

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

Captivi sic ajunt abiturum Gallassium, ut relicturus sit ad finem Gallicum pedites quater mille, loricatos equites bis mille, Croatos omnes, & quicquid copiarum habuit Dux Carolus, quibus adjuncturi sint Burgundi Comitatenses de suo delectu sex millia. Sed jam nunc certè cognosco Helvetiorum opera paratas à Principe Condæo pactiones, per quas Burgundia Hispanica & Gallica bello eximatur, & adesse nunc qui rem ad Regem referat. Eo gratior erit hæc res Gallicanis Burgundicis, quod tres milliones, quos ad alendum ibi militem prorogare, repetendum de Provinciis aliis, poscuntur, corradere non possunt. Quatuor milliones dabit Pauletta, id est annuum, quod datur ut dignitates emptas etiam vendere liceat. Sed de XXXVIII millionibus, quos ægrè reperient Galli, pars major, id est XX milliones nullum sui usum debent, quippe obligati ad solvendos reditus, pro quibus solvendis civitates jam olim, & hæc maximè, fidem suam Regio jussu interposuere. Fiescus apud Suessionensem manere mavult. Pro eo huc alter veniet, Miniettus nomine, qui quid sit allaturus, adhuc latet. Dubitare cogor an non in arcano illud quod nunc patefit de Burgundiis negotium confectum fuerit, quo tempore ad Gallassii impetum expositus fuit Dux Bernhardus. Pictones, audio, ad Fratrem Regium misere sociatum consilia. Multum metuo ne illi Principes homines apud se habeant, qui nullo Galliæ, nulla Principum cura sibi tantùm lucrum è turbidis quærant.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ANglicæ res manent, quo fuerant loco: & sicut fedus aliquod fieri posse non desperem, ita in bellum 704
venturos se & ipsi negant, & Galli tantam rem sperare desinunt. Pacis igitur eos conciliatores potius quàm armorum socios sperare debemus. Allubescunt illis commercia

mercia & quod animo præceperunt vasti maris imperium. Tum verò ad bellum desunt pecuniæ, quamdiu publici Conventus, ut Regibus infesti, metuuntur. Galli nostris prosperis ostendunt se lætari, nec immerito, cùm per ea magnis exempti sint periculis: neque tamen desinunt moras nectere in solvendis pecuniis, quas nobis debent. Dux Bernhardus & exercitus ejus tam à Cardinalis Valettæ, quàm à Longavillani copiis magno satis intervallo destitutus (namque hi, cùm illum hosti objecissent, se ad interiora ac tutiora retulerant) in periculo fuit: acceptoque ab hostis assultu non levi damno, coactus fuit se in Lotharingiam Mottam usque recipere, quo ad duas leucas secutus eum est hostis, à 20 Decembris, ut hic numeramus, ad quartum inde diem perpetuo receptum ejus, sanè prudenter institutum, infestans. Nec quicquam profuit Duci Bernhardo aut Turenæ Vicecomitem, aut ipsum Ducem Longavillanum, quorum ille Cardinalis Valettæ, hic suas regebat copias, in auxilium advocare, quippe quibus excusationes & trahendi artes non deerant. Nunc nonnullis auctus copiis Gallorum, Condricurtum venisse dicitur, & ex iis quos hostium cepit discere, mandatum Gallassio in Germaniam ut eat, sed relictis ad Galliæ finem peditum quatuor millibus, equitum loricatorum duobus, Croatis omnibus, quibus adjuncturi sint Burgundi Comitatenses sex suorum millia, nisi pax quædam propria inter utramque Burgundiam coit, quod & ab ipsis & ab Helvetiis optatur. Dux Bernhardus exhaustum laboribus multarumque rerum inopia militem quærit refovere in Alsatia, idque ei conceditur à Rege. Ab Insulis Gallos & tempestates hybernæ rejecerunt, & auctæ ex Hispania Italiaque hostium vires: Nec video quicquam spei esse Gallis de maris rebus, nec Aquitania ab hoste ut liberetur, ante ver novum, cùm mador decedet terris. Vallem Telinam duabus è partibus è Tirolensi & Comensi agro aggredi constitutum Hispanis & Cæsarianis, novo in id, & contra Galliam, icto & per Ognatium fœdere, cui & Germaniæ corpus illigare Hispani pace ac pretio nituntur. Feuquerius in horas hic exspectatur, ut cum Dausio Coloniam eat. Exspectatur & à Sedano qui à Comite Suessionensi responsa ad Fratrem Regium referat: cui & ipsi mulcendo, ut & Reginæ Matri, varia adhibentur lenimenta, incerto adhuc eventu. Placentiæ subventum mittunt Galli per Genuatem oram quatuor millia, utinam ne serò. Meretur id Ducis constantia omnem pacem, quæ ipsum à Gallis dividat, aspernantis. Pecuniis quærendis multum hic incumbitur; sed rem per se semper difficilem magis etiam implicatam reddunt, erecti ubique per duorum Principum cum Aula dissidium, plebis animi. Dabam Calendis Ianuariis, ut hic quidem numeramus, anni 1637, quem, Illustrissime Domine, tibi felicem precor. Lutetiæ.

Tuæ Illust. Dom. omni observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

05 NIhildum boni aut Galliæ aut Galliæ amicis augurari possum ex hoc duorum Principum molimine. Fiescus, qui rumorem sparserat, mansurum se Sedani, hac ignoratus cum Minietto Blesas transiit, suasor, ut creditur, futurus utrique ne causam suam dissocient. Et sequuntur ambo hactenus id consilium, Comes apertè testans se suam fidem Fratri Regio obligasse, hic verò illius desideria Regi sedulo commendans. Reversus est Blesis in Aulam Chavigniacus; sed responsum non affert, quod per Chaudebonum se missurum dixit Frater Regius. Quod minimè futurum Frater Regius speraverat, sed in hoc postulaverat, ut eo negato causam suam redderet favorabiliorem. Rex matrimonium ejus, de quo rescindendo tantum in Gallia tantum Romæ laboratum est, ratum habere se dixit, ejusque decreti sui conscios fecit vocatos ad se Parlamenti Parisiensis primores. Sed ita ut incauto vox exciderit, coactum in id se, quam mox corrigens obligatum se id ut faceret, dixit. Verùm Frater Regius tam subita mutatione deceptus scribam suum Goulasium accusat, quod perperam in eo scripto, cujus exemplum transmisi, pro sermone conjunctivo disjunctivum posuisset. Se enim & uxorem & urbem sibi tutam simul, non horum alterum petiisse, cùm tamen tota scripti series ei sententiæ repugnet, & ipse illud manu sua signaverit. Nunc, si Rex, quod dicitur, eo it cum cohortibus, metus est ne ille in Pictones se conferat, validam gentem & rerum nunc potentibus infensam. Neque enim quiescitur ab augendis tributis, solo eo quod in vini onera adjectum nunc est in hac urbe effecturo duodecies centena Francorum millia. Paria & in aliis urbibus & in sal & in lignum parantur, tanta interim divitiarum ostentatione, ut cæna, qua hodie Regem excepturus est Cardinalis, taxetur centum Francorum millibus. Comes Suessionensis Sedani in arcis ambitu hospitium habet, fossa ab arce, porta ab urbe diremptus. Bis audivit missos à Thoma Principe. Displicet id Regi, ideoque per Iustellum, qui Sedano jam rediit, monuit Matrem Ducis Bulionii, quæ Sedani est, & per literas ipsum Ducem Bulionium, ne quid agi ibi paterentur sibi noxium. Sedanensis principatus sub tutela Galliæ est, duris satis legibus, ut hostes habeat, quoscumque Rex & ut Regis militi pateat. Non plus duabus leucis abest inde pars exercitus ejus qui sub Valetta Cardinali fuit. Non dissimulavit apud me Iustellus, in Aula hac non extra suspiciones esse Ducem Bulionium favoris in Comitem Suessionensem quo cum vetus illi amicitia est. Additurque & altera causa alienus à Cardinali Riceliaco Principis Arausionensis animus, apud quem tanta est Ducis Bulionii gratia, ut per eum in præfectura Trajecti ad Mosam servetur, quanquam in Pontificiam Religionem transgressus, contra quam mos habet Batavæ Reipublicæ. Sed Iustellus multis modis Ducem suum purgare nititur, & ostendere præmonito nemine Sedanum venisse Comitem. Princeps Condæus jam huc venit Aulæ ab aliis nudatæ speciem additurus. Pontificis Nuncius quotidiè cum Patre Iosepho de induciis agit. Sed novus hic nuntius de Principum alienatione à Galliæ Rege haud dubiè consiliis Hispanicis moram injiciet. Itaque nec liberi commeatus, literæ ab Hispania pro Legatis Gallicis venere, & Gallassius subsistit, recentia, ut videtur, ex nata occasione mandata exspectans. Nantuam oppidum apud Bressam cepisse rumor eum fert, nescio an certus. At Cardinali Valettæ modica per Lotharingiam oppida Sanctavonis, Vaudrevangiæ & Creangiæ cessere, unde Siricium petere dicitur. De Colonensi conventu ut in multum tempus dilato omnes hic loquuntur, adjiciuntque nonnulli Davausium interim per Britanniam & Batavos in Poloniam mitti. Gothofredus, de quo scripseram nuper, ad me reversus quæstionem proposuit, an is qui Principem vicinum offendisset, cùm Vasallus ipse esset alterius, principatum suum jure posset amittere: ego qui Lotharingiam designare satis intelligerem, dixi non vasallo tantùm alieno ob graves injurias posse quæ teneret adimi, sed & domino superiori vasalli jus suum, si is non modò demere injurias neglexisset, sed & bellum indixisset vicino, sicut nunc Imperatoris nomine bellum Regi Galliæ indixisset Cardinalis Hispanus. Cùm subjungeret arbitrari se effugi non posse quin restituatur Lotharingia, ut etiam aliis Principibus Germaniæ erepta redderentur, quod se curaturum Rex promisisset, dixit & Tuam Sublimitatem in omnibus quæ cum Saxone acta sunt majorem illorum Principum quàm commodorum Suediæ habuisse rationem, quanquam ipsi pridem & res

res suas & amicorum turpi ignavia destituissent, causasque dedissent graves, cur permitti possent suis ipsorum consiliis puniendi. De Cardinalium & Legatorum contentione loquenti dixi in Hispania Legatos Regios Cardinalibus non cedere. Cumque Ricelíaci propriam esse diceret rationem ob eam, quam in Regno hoc obtineret, auctoritatem, contentus fui respondere, illam auctoritatem nullo certo nomine designari, unde nobis ejus dignitatem metiri liceat. Alius quidam amicus meus rerum peritus narravit mihi, rogatum se ut consilium daret, quid de Lotharingia faciendum esset, respondisse nihil ea de re dici posse, nisi ab eo qui nosset, quid animi habeant illi, quorum res Gallicæ in manu sunt. In Britannia Ordinum Conventus pecuniarum quærendarum causa habetur. Meti Cardinalis Valetta præfectus & Parlamentum contraria, inter se edunt edicta sub Regio nomine, hi ut maneatur Meti, ille ut Tullos abeant. Crequiacum rumor in Cardinalis Lugdunensis locum, quandocunque Coloniam eundum erit, destinat. Qui Corbiam pro Hispano malè tutatus est Leodium se recepisse auditur. Scribuntur sex milliones à Rege Hispaniæ parari ad res Italiæ, id est, ad exitium Parmensis & ad irruptionem in Vallem Telinam. Dicitur Frater Regius in nexum amicitiæ ac fœderis filiam suam, cujus dos annuos habet reditus millia Francorum quadringenta, spopondisse Suessionensi. Ponicæ nostro à Rege dantur annui mille octinginti Franci. Superest, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Regni, Reginæ Tuæque Sublimitatis Deo sospitatori commendem. Lutetiæ 9 Ianuarius novi Cal. 1637.

Cardinalis nescio an famam reveritus pro cœna Comœdiam Regi & Reginæ dedit, magnificam sane, sed non tanto sumtu.

Tua Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

D. SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

706 Litteras tuas, tum ob amicitiam nostram veterem, tum ob integerrimum tuum de negotiis, quæ ibi geruntur, judicium, & exspecto semper avidè, & ubi ad me pervenerunt, lego maxima cum voluptate: itaque & pro acceptis antehac, & pro postremis datis $\frac{8}{18}$ Decembris gratias ago, tuumque animum adeo rebus Suedicis & faventem & studentem amplector atque exosculor! neque ei quod debetur à me testimonium apud Magnum Cancellarium deerit. Bannerii magni successus rumoribus ad nos transvolant: nam certa, quo minùs disceremus, venti diu jam est quod obstiterunt. Wrangelius Francofurti ad Viadrum potitus ab iisdem rumoribus nuntiatur. Gallicæ res cùm satis bono essent loco, post rejectos hostiles exercitus hinc trans Samaram, inde trans Ararim, concuti cœperunt, non quidem gravi modo ullo, sed metu internorum dissidiorum, Regis Fratre & Suessionensi, hoc Sedani, Blæsis illo, abalienatos ab Aula animos satis apertè profitentibus. Regis tum æquitas, tum prudentia, Deusque etiam inter summa pericula Galliæ semper propitius, graviora, ita speramus, arcebunt. Nihil malim quàm Rhætis in commune, peculiariter autem Protestantibus demi, quæ super Valle Telina constituta non possunt ipsis non acerba esse, ut sic non modò captationes Austriacorum in irritum cadant, verùm etiam volentioribus ad omnia sociis Rex Francorum utatur. Ducis Rohanii prudentiam non minùs quàm fortitudinem admiratus sum semper. Itaque spero, sicut isto curante difficultati de dilatis stipendiis aliquid inventum est remedii, ita & ad benignum aliquod temperamentum perventuras illas jactatas jam sat diu pactiones. Hoc qualecumque futurum sit, & quæ causæ Ducem Rohanium cum D. Legato Lanerio commiserint, ex te, ubi commodum erit, discere mihi suave erit. Annum quem inchoavimus, cujus die $\frac{1}{11}$ hæc scribo, publico Rhætorum, tibique privatim felicem precor. Lutetiæ.

Tua Nobil. studiosissimus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

Remissus à Rege est ad Fratrem Chaudebonnus responsa non placitura adferens. Poposcerant & Frater Regius & Suessionensis urbes ad sui tutelam, ille Nametum, aut Brestum aut Blavettum, firma Britanniæ Armoricæ loca externisque auxiliis receptandis idonea, & pro transitu Salmurium: alter Viridunum & Stenaium. 707
Rex offert longè à limite sita & ad modicam vim cessura, illi cum Salmurio Andegavum, huic Sanctimenulium & Vitriacum Francicum. Cùm tam multum distent postulata à concessis, dicitur Rex Fontembellaqueum ire atque inde cum copiis Fratrem versùs, qui ultra Ligerim Cheram amnem transiturus, & si vim sentiat imminere, Regni partes Aulæ hujus odio accensas petiturus dicitur. Comes autem Suessionensis, si tuto ei Sedani esse non liceat, putatur Trajectum ad Mosam se recepturus non nolente Arausionensi Principe, qui non minus quàm Dux Bulionius suspectus hic est illius consilia & participasse & fovere. In eo mimo quem Cardinalis Regi nuper exhibuit, multa sunt dicta figuratè in Fratrem Regium, sententiæque omnes directæ ut penitus insigeretur Regis animo, exitiosam esse Regibus ac Regnis omnem adversùs detrectatores obsequium, quantumvis sanguine proximos, misericordiam. Dux Bernhardus in Barrensi agro locisque circumsitis ubi militem disposuerit, huc se promittit venturum. Feuquerius qui jam hic est, ne Davausio cedat, mavult secundum à Duce Bernhardo imperium, ex pactis nimirum Parisiensibus, quàm Legationem, quod an & Rex sit probaturus incertum adhuc est. Interim friget Coloniæ Ginettius, frigent & negotia: neque pro Legatis Gallicis literas commeatus misit Hispanus, sed significavit probaturum se ratumque habiturum quicquid facturus est Imperator. Ab Anglia literæ nunciant Arundelium, qui eo jam advenit, adferre conditiones ab Imperatore, nec plane malas, nec tamen quales optaverat: id est, ut ego suspicor, restitutionem Palatinatus inferni in præsens & gratis, superni post pecuniam aliquam Bavaro redditam, hac lege ut Romana Religio introducatur & Ecclesiasticis reddantur pridem erepta: spem præterea Electoratus, si stirps mascula Maximiliani defecerit. Pater tamen Iosephus, in quem se Cardinalis exonerat, sicut de Anglis bene sperare se ait, ita de Suedis inclementer loquitur, quos ait contra fidem Rege inconscio aures præbere hostibus. Ego cùm datur occasio, non cesso ostendere nostros ab omni vinculo cum Gallia liberos, tamen omnia ad id quod in commune expedit dirigere. Captus est vir nobilis literas à Fratre Regio ad Suessionensem ferens, materiam haud dubiè Cardinali præbituras, ut non se sed Regni quietem Regisque jus impeti ostendat. Pecuniam ab Arausionensi datam Suessionensi mutuam, an ex vero ferant nescio. Inducias Hanovienses ad Majum usque probatas ab Imperatore intelligimus. Meti post occlusam curiam etiam primi Præsidis domum milite sepsit Valetta, nequis inde jus petat, neque tamen Tullos discedunt Senatores, quod à Rege, quo major sibi esset auctoritas, Valetta impetrarat. Comes Egmondensis in Angliam mittit, aliquam è Palatina Domo conjugem filio suo moliens. Multi hic damni dedit glacies, plurimis navibus & quod inerat vino in amne corruptis. Gallassii copiæ quædam circa Argentoratum creduntur esse, ut Rhenum transeant, & ipse Gallassius Basileæ exspectatur internis Gal-

Digitized by Google

Galliæ motibus frustra speratis ad priora consilia rediturus. Ab Heusdio petiit Pater Iosephus ut Sublimitati Tuæ scriberet, satisfactum sibi de pecunia Regno Suedico debita, quod à monitore Sanctichaumontio profectum credibile est, at ille respondit non posse se id facere, priusquàm certiora videat, quàm sibi hactenus videre contigerit. Ager Galliæ qui deseri passim ceperat, ejus tributi quod Taliam vocant ad viginti milliones levatur, id damnum sarcietur auctis oneribus vini, ligni, salis & rerum aliarum quarum omnes indigent. In hoc ipso articulo accipio Sublimitatis Tuæ literas Stocholmæ 19 Novembris datas, pro quibus, ut & pro perpetua Sublimitatis Tuæ cura in me edocendo ornandoque gratias ago immortales, propiora jussa, ubi res ferent, opperiens. De Legatis Coloniam mittendis, quæ in utramque partem differuntur, ea qua debeo fide, transcripsi. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, res Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis sospitet. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Ianuarii 1637.

Chavigniacus Butillerii filius non tantùm apud Fratrem Regium, qui ei ad tempus arrisit, in odio est, sed & apud Regem ipsum planè refrigeratus, quod quæ promiserat adeò præstare non potuerit, ut contra accenderit offensas. Cardinalis Riceliacus in rebus est perplexis. Mittit Monbasonium ad Fratrem Regium, Botruium ad Comitem ut eos aut placandi aut fallendi vias inveniat. De Turca velim vera esse, quæ mittit Marinus. Sed qui hic fidem habent rumores ajunt Ragotskium in clientelam Turcæ se transtulisse, sub lege Bethelemio bona quæ habuit restituendi. In Italia non Placentinus modò ager, sed & Parmensis territorii bona pars ab Hispano tenetur. Largitionibus id agunt Galli, ut conditiones duras Rhætorum primoribus & per eos plebi approbent. Sed hæ artes non semper succedunt, & ubi innotescunt plures inimicos quàm amicos parant. Sicut, nunc in Batavis actum est, ubi qui pecunias à Charnassæo acceperant coguntur dicere quantum & quam ob rem. Miros questus quotidie audio de milite Ducis Bernhardi, cui minus dicunt esse & fidei & humanitatis quàm ipsis Croatis.

GVILIELMO GROTIO.

708 ANnus est & ultra quod Mileterius, magnus olim partis Rupellanæ Antistes, & D. Tileni adversarius, librum edidit Gallicè pertinentem ad conciliandos Romanenses cum Reformatis: quo proposito, nescio. Alii dicunt hominem sibi non displicentem (idque satis apparet) appetere magnæ rei gloriam. Alii, inops cùm sit, ali eum Cardinalis, cui operam navat, apertèque dedicat, beneficio. Qui interiùs hominem norunt, benigniùs ejus propositum interpretantur, adversis edomitum animum à factione bellique consiliis ad pacis desiderium flexisse. Salmasius vetus ei amicus est, neque de eo malè sentit. Iam menses aliquot sunt, cùm librum edidit Latinum, in quo ea, quæ involutiùs dixerat, explicat, non tamen sine latebris aliquibus, præsertim ubi de Primatu in Ecclesia agit, deque Eucharistia. Varia fuere judicia eorum qui planè Pontificiis parent, eorum qui Calvinum acriter sectantur, & quorundam in utroque grege temperatiorum. Molinæus, diu exspectato, missum ad se librum excepit duro responso, ut & priorem fecerant tum ipse, tum Rivetus. Rescripsit Mileterius Molinæo salsè satis, quippe Gallico sermone, quo plus valet, & quædam dixit ad Molinæum pertinentia non vanè. Cameronis sententiam de prædestinatione & gratia (nam de his quoque egit libro illo Latino, & fusè apertèque satis) ita probat ut emendet, aitque voluntati isti Dei de servandis omnibus, quam Camero agnoscit, consentaneum esse, ut in iis, qui non convertuntur, aliquid sit quod ipsis fuerit evitabile. Arminio tamen consentientes adeò non vult videri probare, ut dicat solum fuisse Cameronem qui ipsis os occluserit. Post unum eximium ejus gregis (Tilenum) debellatum, neminem ausum exsurgere nisi unum dissimulato nomine (Episcopium intelligit). Huic extremo Mileterii scripto, D. Dallæus suum opposuit, Latinius sane quàm erat Mileterii, sed satis aculeatum. In eo, quod miror, Synodi Dordracenæ decreta magnificat, cùm iis tamen conciliare vult illas sententias de Dei voluntate ad servandos homines, miris effugiis & ἀσυςάτοις [*male cohærentibus*]. Dignam arbitror hanc occasionem de qua cogitent, qui ibi sunt viri eruditi, si forte ex hoc oblisu durorum satis hominum lucis aliquid excitetur. Iam pridem curaveram ad D. Episcopium mitti, quæ Amyraldus & Testardus, discipuli & hi Cameronis, eo de argumento scripserunt, putaveramque illum ea, quæ olim Camerone vivente scripsit pro sui libelli, qui ἀνώνυμος [*suppresso authoris nomine*] exierat, defensione, eodemque mortuo, ne cum larvis luctaretur suppresserat, nunc refictа nonnihil, editurum, vel in hoc maximè ut istud σοφὸν φάρμακον [*pigmentum*] de voluntatis immobilitate, nisi quatenus ab intellectu determinatur, quo haud dubiè Deus causa statuitur inevitabilis culparum omnium, etiam primæ, denudatum ob oculos ponatur, si qui fortè inde rem, non tam per se quàm tractantium vitio obscuram, pervidere incipiant. Si D. Episcopio non vacat, erunt forte alii. Sane aut fallor, aut est aliquid agendum. si modo veritatis, non hic aut illic, sed ubique spargendæ habetur quæ debet ratio. Meæ occupationes mihi quod permittunt id facio. D. Brandanus optimè sentit, sed nondum exercitatus est in istis controversiis, sed dat operam ut sit. D. Aurato non expedit fortunis incertis ista in hoc solo moliri. Britannicorum legatorum Pastores, oratores sunt magis quàm disputatores. Mileterius Legatum Britannicum extraordinarium adiit, me non vidit, credo veteris offensæ metuens, quam ego ex animo delevi, quotidie in hoc intentus, ut privatis cogitationibus emotis, publico vigilem, eique me totum dedam. Publicum autem cùm dico, Christiani Orbis bonum intelligo. Quo rectius totum hoc negotium introspicias, mitto omnes qui de eo scripti sunt libros, teque oro ut primùm D. Senatori Reigersbergio ostendas, deinde quos veri pacisque amantes nostri. 29 Decembris 1636.

Spero jam receperis Mileterii, & contra Mileterium scripta, quæ si quid rectè judico, necessitatem imponunt Remonstrantibus Latinè aliquid scribendi, & committendi inter se homines tanta confidentia sua placita venditantes. 15 Ianuarii 1637.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

QVantam mei curam gerat Sublimitas Tua, tum aliis antehac summæ benignitatis indiciis cognovi, tum 709
ex postremis D. Spiringii literis, per quas præceptum mittit ad Heusdium ut mihi persolvat, non tantùm quæ feci impendia, sed & quæ debentur mihi trimestria quæque debebuntur Iunio tenus. Pro his beneficiis gratias ago Sublimitati Tuæ, Deumque precor ut major quàm hactenus mihi detur materia, in qua elaborem ne indignus appaream tot ornamentis, neve inutilis Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati mea sit opera. Ad Conventum Coloniensem video non properari, dum Hispanus moras nectit spe Galliæ motuum, neque festinat Cardinalis cui bellum pace tutius, præsertim si bene procedat novum rei pecuniariæ commentum, jussis urbibus, municipiisque ac vicorum etiam quibus mercatus est, tantum Regi dare nomine mutui, quantum Rex in singulas descripsit. Id autem tantum est, ut inde confici possint qua-

Digitized by Google

quadraginta & amplius milliones. Accessit ad me iterum is cujus antehac memini Gothofredus. Causas cur putaret Legatos à Suedia mitti Coloniam non debere, præterquàm quod civitas tota alieno à nobis sit animo, has afferebat, quod Pontificis Legati exsortes suæ communionis ne aspicere quidem cupiant, adeo quidem ut, qui Verbinum ad pacificationem Hispaniæ Galliæque missus fuerat, abiturum se dixerit, si Angli eodem admitterentur: deinde quod evitari nequiret certamen de dignitate atque ordine Legatorum inter se haud dubiè animos aspeaturum. Hic cùm aliqua inseruisset pro Regno Francico ad vindicandum ei locum ab Imperio Romano proximum, liberali dissertatione ostendi in Conciliis, quæ ad Ecclesiastica pertinerent, nihil observatum aliud, quàm ut pro tempore Regnum quodque, quo Ecclesiæ & quidem Romanæ se aggregasset, locum obtineret. Id verò ad res civiles nihil pertinere. Et tamen ab Vpsaliensi Episcopo principem locum deberi Regno Sueciæ, magnificè in Concilio Basiliensi disputatum. Cæterùm, quæ plurimum ad conciliandam Regnis dignitatem valent, antiquitas & finium amplitudo spectarentur, his Suediam facile vincere. Opponenti possessionem Regum Francorum, dixi, ea si vera esset non ultra tamen posse extendi quàm adversùm eos qui cessissent. Nostros pridem nulla habuisse negotia extra sui Septentrionis orbem, ubi concessissent nemini: ex quò propius ad has partes ipsos sua virtus tulisset, in fœderibus rebusque aliis cum Francorum Regibus ex æquo egisse. Dicebat idem Gothofredus, optimum fore ut Gallia primùm suam pacem faciat, quam Lotharingia reddita paucis retentis præsidiis obtineri non difficilem, addito ne pro confecta res habeatur, nisi & Suediæ pax detur: ad quam deinde Gallos conciliatores fore. Nihil ad hoc dixi, mecum cogitans, si ita se res offerant, inverti pari jure posse eum quem ipse proponebat agendi ordinem. At alius vir rerum prudens è Protestantibus tum sociis nostris, tum iis etiam qui abducti essent à nostra societate, non existimare nos è re esse communi eo loci mittere, ubi regnatura esset Pontificis auctoritas. Paratos nos alibi agere de iis quæ ad Protestantium salutem pertinerent, & re ipsa ostendere, non tam nostra nobis commoda quàm quæ nobis ipsisque sint communia, esse cordi. Addebat idem non abs re fore si quis linguarum rerumque actarum sciens sine Legati nomine Coloniæ sit; non tam ibi pacturus quicquam, quàm quæ agantur visurus auditurusque, atque ea omnia & si quid socii aut amici suggerent, perscripturus ad eos, quorum res Suediæ per Germaniam in manu sunt. Hæc alia aliorum cogitata significanda duxi, si quid forte ad eam quæ in Suedia super hoc negotio suscepta est, consultationem lucis adferre possint. Non dubitat Venetus Legatus quin Rivaltam, unde magis prematur Placentia, teneat Hispanus, qui agros Placentinum Parmensemque permisit coli, sed postulatas inducias negavit. Vt Galli rebus ibi extremis succurrant, vix quicquam spei non magis quàm de iis quæ mari frustra speraverant. Marinus quas mittit literas, eæ seriùs ad me venère, quàm quas nuper misi recentiores, sed ejusdem planè argumenti. Quæ accedit Parmensis Ducis epistola elatior est quàm pro presente rerum ejus statu, & verè ne scripta sit, an ab Italo aliquo Galliæ favente supposita dubito. Dux Bernhardus commoda ad transigendam hyemem militi suo loca in Barrensi agro circumque accepit, itaque brevi hic futurus creditur. Propiores ad vestram notitiam sunt res Polonorum, tamen quod ex ejus gentis literis discimus, reticendum non arbitror, consultari apud eos de tutandis contra Turcas, Moschosque finibus & reficiendo in Borysthene Castello, quo Cosaccorum excursus prohibeantur, deque nummorum æquo pretio. Ragoskium in Turcicam fidem receptum, fama hic manet. Miror quod Rasisbona scribitur in tuti commeatus literis, quæ ibi scriptæ sunt pro Batavorum Legatis additum, ut in tutela essent fidei publicæ ad Conventus usque finem. Videtur enim pro Imperii hostibus haberi quibus eum in modum cavetur. Viderit haud dubiè Sublimitas Tua causas quas Hispani adferunt, cur Batavis ab Imperio jus pacatorum affirmari publico pacto non debeat, ingeniosas satis. Haud parum refert ejus negotii quis futurus sit exitus. Mitto Gallicum Instelli librum pro causa Domus Palatinæ. In eo tamen quod defendit Electorum in Imperium delinquentium posteris jus ad Electoratum perire non posse, contra se habet plerosque Germaniæ Iurisconsultos, & exempla tum in Palatina, tum in Saxonica Domo. Iam nunc ex D. Thuano disco Gallassium cum parte exercitus trans Rhenum ivisse, quod tamen sibi nondum compertum ait Ponica, addens missos à Duce excursores in Comitatum, qui captivos adducant, unde certiora cognoscantur. De Principum duorum consiliis quid dicam nescio. Ad Comitem Suessionensem misit iterum Princeps Thomas; dicunturque ei Hispani offerre copias, quæ sub ipsius nomine militant, quas augeri posse, ab iis quos in Gallia Comes sibi faventes habet, qui efficere possint, ut clam ad ipsum dilabatur à se miles. His diebus Sedani exspectabatur Frater Regius, cunctis in occursum paratis, nec aliud impedimento putatur fuisse, quàm quod obsepti erant Regis cura transitus. Si perrumpere potuisset, putabatur eodem ventura Regina Mater. Nunc Rex de suo consilio Leonem ad Fratrem misit, ut æquis quas Rex obtulit concessionibus contentus sit: simulque Rex Fontibellaqueum it, inde ut creditur, iturus Aurelianum & Blæsas & quidem cum exercitu. Frater Regius quin fugam sit capturus non dubitatur. Sed an populos aliquos ad arma tracturus, an mari quæsiturus iter in Angliam variè existimatur. Princeps Condæus Rege absente urbis hujus præfecturam accepit, hac lege ne onera intendantur, alioqui periculum prospiciens. Multi putant Cardinalem, ne internum bellum simul cum externo in se trahat, pacem cum Hispano & Imperatore facturum qualemcunque poterit, hoc excusabiliùs, quod culpam corruptæ gloriæ in eos sit rejecturus qui Regis obsequia exuerunt, hoc inter cætera prætexentes quod pacem omninò faciendam judicent. Princeps Arausionensis amicitia sedulò hic jam colitur: deditque ei Rex in literis Celsitudinis titulum, nunquam antehac usurpatum possessoribus tum modici, tum summi Imperii jus quod attinet, diu disceptati. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginam, Regnum, Tuamque Sublimitatem aspiciat propitius. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuar. 1637.

Hæc postquam scripseram, intelligo Comitem Suessionensem à Piccolominio quatuor accepisse equitum millia; quorum is consiliis maximè utitur homines esse magni animi, sed non uni Cardinali, verùm & Regi infestos ob ereptas dignitates, aut non datas. Apud Fratrem Regium esse Rupifocaldium potentem apud Pictones. Suspectos Regi & Duces Retzium Bellæ Insulæ ad oram Armoricam opportunæ ad receptanda auxilia dominum, & Longavillanum Ducem Normanniæ Præfectum, Comitis affinem, & Sanctisimonium, nuper gratia Regis ejectum, cujus in manu Bressa, Armoricæ portus & hic. Adjiciunt quidam Blavettæ in eadem ora præfectum Brissacum. Espernonius se Regi purgavit. Lugduni civitas novo isti oneri sub mutui nomine, audenter se opponit, & creditur latiùs manare exemplum. Rex jubet, haud dubiè, ad arma respectans Ducem Bernhardum illicò ad se venire, ubicunque futurus est. Est autem nunc Fontibellaquei. Legati Britannici Agentem suum in Angliam mittunt, ut cum mandatis novis quamprimùm redeat. Ajunt se nihil hic pacisci velle nobis inconsciis. Scribitur Ratisbona Electoratum Trevirensem dari Leopoldo Imperatoris filio. Ita cuncta quæ adversùs magnitudinem Austriacam structa erant ad eam magis magisque stabiliendam vertuntur.

LVDO-

Digitized by Google

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Nobilissime Domine,

710 HAbemus rerum novarum haud ita multum, nisi quod pro certo jam habetur, trans Rhenum ire Gallassium, parte copiarum circa Burgundias relicta. Metuendum est, ne interni motus belli externi consiliis impedimenta adferant. Rex ad Fratrem misit quidem conditiones per Leonem consiliarium Regium, sed ita ut simul iter ipse paret Fontembellaqueum, inde Aurelianum & Blesas, armis expressurus obsequium, ni sponte pareatur. Comiti Suessionensi oblatum ab Hispano militem satis constat: sed speratur prudentior futurus, quàm ut exosæ apud omnes Gallos genti causam suam immisceat. Rex à civitatibus municipiisque magnas pecunias poscere instituit mutui nomine. Sed vix patientur id effectum dari tempora. Certè Princeps Condæus hujus urbis præfecturam, dum Rex aberit, suscipere noluit, nisi hac lege, ne quicquam novi oneris injungeretur, malum alioqui providens. Interim gravissimè premitur Placentia, etiam Rivaltæ in proximo agro Parmensi potitis Hispanis. Classis otiosa desidet, non per hyemis tantùm incommoda, sed per rerum quoque multarum penuriam. Erit hic brevi Dux Bernhardus, collocato bonis in locis ad agendam hyemem milite. De Ragoskio variè hic disseritur, aliis à Turca in fidem receptum, aliis à Turca eum oppugnari dicentibus. Tanta hic fervent negotia, ut de Coloniensi conventu cogitandi vix otium sit: nec sane properat Hispanus. Nuntii tamen Pontificii, tum qui hic est, tum qui Bruxellis, non desinunt moliri conciliaturas. Scripsit Iustellus librum pro Domo Palatina, dignum sua eruditione. Non dubito quin ad vos jam exempla venerint. Duci Bernhardo à Rege imperatum est ad ipsum, qui jam Fontembellaqueum abiit, quamprimum ut veniat. Ratisbona scribitur Leopoldum Imperatoris filium Electorem Trevirensem fieri debere. Deum rogo, Illustrissime Domine, tibi tuisque ut res det prosperas. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Ianuarii 1637.

Tuæ Illust. Dom. omni cultu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

711 QVid de Principum motu ex quo multa pendent, futurum sit, difficilis etiamnunc est divinatio, nisi quod omni modo id agit Cardinalis, eorum ut in se consensum distrahat. Oblatam Comiti per Botruium quam signaret cautionem mitto. Sed eam ille repudiavit, ut cavillationibus obnoxiam, & quia Monsorium ita infirmum est eoque situ aut ad securitatem cujusquam conferre nihil possit. Leo, qui apud Fratrem est Regium, scripsit suspectiorem se, quàm ut multum proficere queat: rogat mittatur alius. Interea Aurelianensis civitas dubitare cœpit an Regem, si in Fratris Principis ipsorum peculiaris malum armatus adveniret, recipere deberent. Et Cardinalis ob nova onera ibi quoque invisum se sciens dubitat, an eo loco citra periculum esse possit. Frater vicissim Regius exercitui Regis videt se fore imparem. Deinde dicitur eum spes, quam in Duce Valetta & eo quem is habet milite collocaverat, fefellisse. Ita mutuus metus rem ad quietem videtur adducturus, Rege quidem substituro in itinere inter Fontembellaqueum & Aurelianum, Fratre autem tutam habitationem sibi suisque habituro, ubi nunc est, Blesis. Ad hæc firmanda expressit à Rege satis invito Cardinalis, ut Chavigniacus mitteretur, quanquam irrisus nuper multum à domesticis Fratris Regii, quos ipse antehac non tam gratia quàm comitatu ipsius depulerat, quos inter Riverius è carcere reversus mira Fratris Regii comitate ac gaudio fuerat acceptus. Lafortius nuper ad Cardinalis colloquium admissus apertè ei dixit, si sibi custodienda itinera obvenissent, si videret ea transire Fratrem Regium modico comitatu, se id dissimulaturum, idemque facturos alios quibus eam curam mandare Rex vellet, insito omnibus cavere eorum offensas, qui summæ spei propinqui sunt adeò. Duci Bulionio cùr diffidant qui hic possunt plurimum, causa non levis est. Nam cùm nuper ad eximendum obsidio Ermestenum mandatum à Rege accepisset, & imperium in reliquias Bressæani exercitus, primum Chavigniacus Charnassæum, sibi addictum, socium ejus imperii ascripsit, ignaro Patre Iosepho: cumque intelligitur ægrè id pati Dux Bulionius, revocatæ subitò sunt copiæ, ita ut prius in Gallia essent, quàm ipse mare ingressus esset. Principi quoque Arausionensi creditur memoria eorum, quæ ad eripiendum ei Principatum facta sunt, hærere firmiùs quàm ut inani Celsitudinis titulo possint obliterari. Crequiacus serò ab armorum per Italiam regimine abducitur, postquam illius & Sabaudi vetera dissidia res occasionesque egregias perdiderunt. Parmensem coactum iri ut cum Hispano transigat, nisi perire velit, multi æstimant. Ita Montisferratensis Mantuani Regio manebit ab æmulis aut etiam inimicis duobus hinc Sabaudo, inde Parmensi circumsessa, communisque belli pœna in ipsum incumbet. Misit tandem Imperator suo Regisque Hispani nomine literas tuti commeatus pro iis, quos Gallia mittet ad Coloniensem Conventum; erunt autem hi S. Chaumontius & Davausius, laborante adhuc ut se excuset Feuquerio, qui ad præfecturam suam abit Virodunensem, ibi cùm erit morbum forte causaturus. Angli non negant se in eo esse, ut aliquid cum Gallis paciscantur, cujus rei absolvendæ causa missus in Angliam est Ogerius. Cùm verò ad arma eos venturos credi non sinit fuga omnis Parlamentaris Conventus, & nihil remittens illa de mari cum Batavis contentio, quale futurum sit quod moliuntur fedus, incerta conjectatio est, nisi quod eo inclinat, ut credantur adjuturi se invicem ad pacem constituendam è suo utrorumque usu, sepositis aliorum rationibus, præsertim Suediæ. Principi Condæo hujus urbis præfectura non per scripturam & approbationem Parlamenti, ut solet, sed sola Regis voce data est, ut Rege jamjam huc reversuro. De Burgundiis bello eximendis hæret adhuc negotium. Interim quos bello cepit Dux Bernhardus, huc venturus cis paucos dies, ii Gallassium ajunt cum sex millibus Transrhenana petere, ab iis qui mansere & quos sub se habuit habetque Dux Carolus obsideri Montipellicardum: addunt aliorum literæ, percursari ab iis quæ inter Ararim Rhodanumque: capi & incendi arces & trepidationem Lugdunum usque pervadere. Ionvellam hostis etiamnunc tenet. Regem Hungariæ non electum tantùm sed & inauguratum more majorum Galli in editis chartis prætensum Regem Romanum vocant, quod Trevirensis abfuerit suffragium, quodque in medio armorum æstu peracta sint comitia. Non est dubitandum quin hæc nova dignitas, novam etiam Coloniæ suscitatura sit de Legatorum ordine controversiam, cùm veteribus exemplis constet Reges Romanos ab Imperatoribus proximum sibi locum vindicare, non ferentibus id Gallis. Multi ad me adferunt, valde sollicitam esse hanc Aulam, ne Suedi sine se hoc bello se extricent. Cardinalis Ricceliacus Pontificem excitat in controversia de Ferrariam spectantibus finibus, cùm Romæ operam suam ad ea promovenda quæ Pontifici placent, multum jactaverit. Princeps autem Condæus ita ambit Cardinalis gratiam, ut Bressæi filio filiam suam nuptum offerat, nolentem quamvis & nolente matre. At Comitis Suessionensis Mater Regem filio suo infensum adire veretur, quanquam non ignorare potest

Pp Rex,

Rex, multa filios facere quæ matres nolunt. Comes Guichius propinquus Cardinalis amotus ab Aula gratiaque, quod nuper ad Fratrem Regium missus multo vino linguam non tenuerit in iis, quæ ut maximè arcana ipsi fuerant credita. Dux Carolus decem millia scribitur habere, eos augeri novis è Comitatu Burgundiæ militibus. Mari nihil agitur, & in ora Aquitanica manet hostis, munitior quàm ut facilis expulsu sit futurus. Hæc scribenti intervenit Feuquerius accinctus itineri Virodunum. Nescire se dicit an Coloniam iturus sit, nec id optare, sed facturum quod Rex voluerit. Putabat è re fore ut sine Legati nomine aliquis à Suedia sit Coloniæ, & vicissim è Gallia aliquis Lubecæ aut ubicunque de pace in Germania agetur, utque non tantùm nihil definitè paciscantur alteri sine alteris, sed & mutuo se, quæ agentur quæque offerentur, faciant participes. Promisi me scripturum quæ dixerat. Reviviscit hic rumor de futuris Polonum inter & Imperatoris filiam nuptiis: Galassius ipse Friburgi adhuc esse dicitur. Nuntius Pontificius amicis dicit in magna se spe esse pacis. Interim multum militem ab Imperatore scribi, magnos commeatus Brisaccum & Heilbrunuum ferri undique scribitur. Metu seditionis in hac urbe jubentur opulentiores in armis esse. Tum verò quanquam sperare jubemur Fratris Regii cum Rege concordiam multæ cohortes à limite Ligerim versùs eunt. In Angliam simul venerat Arundelius, Legatus Hispanicus per duas horas cum Rege Angliæ collocutus est. At ex hac urbe Nuntius jam nunc acceptis ex Brabantia literis ad Regem subito profectus est. Cùm in sermone percunctaretur Feuquerius quis futurus esset Legatorum ordo, quid Suedi & quantum & quamdiu in Pomerania postularent, ecquid pro libertate Bohemiæ aut Electoratus illius jure in alium transferendo essent acturi, partim silentio partim indefinita dissertatione ista declinavi. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, rebus Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitati faveat. Lutetiæ 10/20 Ianuarii 1637.

Regi persuasum est, Comitem, cùm Corbia adhuc obsideretur, in necem Cardinalis cepisse consilia, eòque ei est implacabilis. Nonnulla suspicio est Gallos jam certos esse quibus conditionibus cum hostibus possint depacisci, quia nos quoque aurem præbere ad pacis leges, quod ante nolebant, video nunc eos facilè pati.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

712 MVltiplicem tibi gratiam debeo quod die hujus mensis 25 binas abs te accipio litteras, 20 & 30 datas Decembris, chartis legi dignissimis comitatas, & ipsas per se uberes. Perplacet illud de pace Antalcidæ. Aysemam impetraturum puto, ut Imperatori, & ipsius partes sectanti Germaniæ, Batavi pro pacatis habeantur, in speciem scilicet, & mansuro more, bellum gerendi sub persona. Gaudeo probari tibi Ducis Rohanii laborem ea in arte in qua sanè excellit. Captivi quos cepit Dux Bernhardus ajunt Gallassium cum sex millibus ivisse trans Rhenum. Cæteras ejus copias satis magnas cis Rhenum mansuras sub Duce Carolo, additis quos is habuit, quosque è Comitatensibus conscripsit novos. Ab his percursari quæ inter Ararim Rhodanumque sunt Lugdunum ferme usque, captis ibi & arcibus & à parte eorum obsideri Montempellicardum literæ illis ex locis nuntiant. In maritima Aquitaniæ ora manet Hispanus. Vere futurum ut pellatur spem dat Espernonius, si modo ab internis motibus quiescat Gallia, quòd Rex unicè optat, misso ad fratrem D. Leone. Mari nihil agitur, & Crequiacus bello Italiæ infelici semet exuit. De Placentia in exspectatione ac metu sumus. Legatio Coloniam multas habet moras. Non vult Cardinalium opera Reges uti Pontifex, & ipse Lugdunensis haud satis par negotiis. Putantur eò ituri Crequiacus, S. Chaumontius & Davausius, excusato Feuquerio. Angli Legati spem nobis dant aliquam federis, cujus rei causa Ogerius in Angliam ierit. Quale id sit futurum fedus, nec ipsi dicunt, & conjectatio est difficilis. Meliora augurarer, si Parlamentarium conventum tolerare posset illa Aula, & si de Mari cum Batavis certamen sopiretur. Tuos monitus subjicere Legatis non desino, & ostendere quantum sit capere temporis articulum. Quæ de redditis à Comite Arundelio literis, causaque ejus rei scribis, eadem hic ab Anglis intelligo. Suediæ sententiam super pactis à S. Chaumontio delineatis exspecto cum primis Magni Cancellarii litteris, unaque de Legatione ad Coloniensem Conventum. Mihi neque locus satis æquus videtur Protestantibus, neque salva fore dignitas, ubi Pontificis Legatus res digito temperabit. A Duce Megalopolita seriò cupi pacem, ut credam facit rerum ipsius status pace quàm bello futurus melior. Danus quod agit, quo agat animo, plurimùm refert. Si minaciter agit, apud gentem magnanimam, veterumque injuriarum nondum satis oblitam, parum proficiet. Landgravii memores spero Gallos fore, non quod semper faciant quod debent, sed quod præsens eos necessitas impellat. Nobis tamen nihil dum dant, sed daturos se dicunt. Batavis onera crescunt in annos ex edaci fœnore, idque haud dubiè multos agit in belli tædium. Regem Romanum & electum & inauguratum constat. Id novam pariet controversiam Coloniæ de jure προεδρίας [*præsidentiæ*] præter veterem illam Hispanos inter & Gallos. Angli an eò missuri sint dubitare se ajunt. Vellem cum Suedis apertiùs agerent, bene semper de Palatina domo meritis. Classis eorum valida haud dubiè aliò utiliùs mitti posset, quàm adversùm piscatores. Banerium circa Erfurtum agere & nos hic discimus. Optimum est consilium, ut Imperator, quando aliena parum cordi habet, suarum rerum damno ad pacem trahatur. Iam nunc intelligo Regem non ire Aurelianum, quod creditum fuerat, sed in itinere subsistere, misso ad fratrem cum bonis conditionibus Chavigniaco. Venit ad me & Feuquerius, incertus an iturus sit Coloniam. Nunc in præfecturam suam it Virodunensem. Is Crequiacum iturum non putat. Misit jam Imperator suo Regisque Hispani nomine literas tuti itineris pro Galliæ Legatis. Dux Bernhardus hic futurus creditur intra octo aut decem dies. Laborabit, ut auctus copiis trans Rhenum sinatur ire. Sed metuendum, ne propiores curæ id impediant. Fama hic resurgit de nuptiis futuris inter Polonum & Imperatoris filiam. Nuntius Pontificius ab hac urbe ad Regem profectus est, dixitque amicis bona in spe pacis se esse. Legatus Hispaniæ cum Rege Angliæ diù collocutus scribitur. Erfurtum jam in manu esse Banerii multorum literæ significant. Deus te tuosque servet Illustrissime Domine. Lutetiæ 10/20 Ianuarius 1637.

Ill. Dom. Tuæ omni cultu atque observantia addictiss. H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

SI quando necessaria fuit in scribendo diligentia, nunc eam maximè à me requiri arbitror, quo tempore res hic omnes in eo sunt motu, qui ad externas etiam deliberationes plurimum ponderis adferre possit. Cùm & Feuquerius mentionem injecerit an temporaria possessione eorum quæ in Pomerania tenemus vellemus esse contenti, & Comes Licestrius sperare se dixerit, nihil nos habere velle de Germania, nisi dominorum voluntate, tentor credere, fedus aliquod inter Gallos Anglosque cudi, 713

cudi, quale scripsi antehac. Illud video, nunquam magis trepidasse hanc Aulam, ne à Suedis deseratur, tam malo suo tempore, hoste quatuor in finibus loca insidente Galliæ, ipsa autem intùs adeo discordante. Itaque Heusdio promittunt intra annum se soluturos quod Suediæ ex fœdere debent, voluntque ut ipse, tanquam de præsente pecunia, fidem suam Sublimitati Tuæ obliget, quod video eum, qua est prudentia, non facturum iis verbis quibus obstringi posset, quanquam spem facilè & accepturus & daturus est, nec quicquam in sua sedulitate patietur desiderari. Sed quod maximè ipse metuit, hoc est, ne brevi totius Aulæ circumagatur facies. Comes perseverat nihil credere. Frater Regius quid facturus sit variant conjecturæ. Ante paucos dies navi Ligerim ingressus, fugæ famam sparserat: rediit Blesas. Brionus Comes bis eò commeavit, & ad Regem rediit missus iterum Chavigniacus. Spem conciliationis adferebant quæ heri literæ venere Aurelianis, ubi Rex est & Cardinalis: Princeps Condæus & alii hic proceres, non putant id animi fore Fratri Regio, ad Regem Cardinali comitatum ut veniat, utque ipse audeat, non ausuros qui nunc apud ipsum sunt horum, quæ nunc sequitur consiliorum, auctores. Quod si ille aliquà perrumpit, & aut Sedanum longo ambitu penetret, aut adjungat se ad nobilitatem populosque regentibus infensos quæ sint inde occasiones hosti nascituræ, quod periculum Galliæ, nemo non videt. Ex hac urbe, quæ quotidie in seditionum est metu, machinæ aliquot Aurelianum pertrahuntur. Et in oppidis omnibus ad Ligerim aliisque circum Blesas aucta præsidia, obsessa quantum fieri potest equitatu itinera. Ad Comitem Suessionensem missi à Regina Matre nunc Cognæus & Fabionius, augent metum. Vectigal vinarium & mutuo petitas pecunias passim recusat populus, nec est qui cogere audeat. At Comitis Russiaci (is sororem Ducis Bulionii in matrimonium habet) bona annotantur, quod nuper Comitem Suessionensem è Gallia discedentem in itinere hospitio exceperit, ne quis circa Fratrem Regium idem impunè se laturum speret. Parmensem cum Hispano transegisse pacificante Ethrusco credunt Itali. Nisi Frater Regius jussis pareat, inque Regis sit potestate, vix putatur Coloniam iturus Davausius, quod pater ipsius fraterque impensè semper Fratris Regii gratias captaverint. Id si est, Feuquerius non defugiet legationem, qui iter Virodunense distulit, ut cum Duce Bernhardo colloqui possit, in dies hic exspectatur. Ex Principe Condæo Legatoque Licestrio intelligo, literas tuti commeatus ab Imperatore, itemque à Cardinali Hispano scriptas pro Legatis Galliæ literas, sociorumque ejus, Reginæ nimirum coronæque Suediæ, Ducis Sabaudi, Ordinum Batavorum. Ita Galli sine postulatu nostro, me ne admonito quidem, nostrum egêre negotium, seque venditarunt Austriacis tanquam nos haberent inter accessiones suas. Venit ad me his diebus quidam è publicanorum genere: ajebat Electorem Brandeburgicum mercatoribus quibusdam cessisse id quod ipsi restabat ex pecunia olim à domus suæ Principibus credita Henrico IV. rebus arctis ipsius. Summam quæ restaret esse CCIX millium & CLXV Francorum. Si à Cardinali & Bulionio impetrare possem solutionem, hoc obtentu, quod ad Reginam Reginæ nostræ parentem res ea pertineret, cessura mihi XX millia. Ego, qui satis scirem non eam meam esse hic gratiam, ut vetus debitum tamdiu flagitatum, reciperem, & pecuniæ si unquam nunc maximam esse inopiam, tamen, ut rem certo cognoscerem, nihil respondi nisi velle me documenta inspicere. Dedit mihi exemplum Chirographorum, delegationum, & apocharum quæ retinui. Reliquum esse quantum dixerat apparet. Iis inspectis dixi, minimè decorum mihi fore si commendarem ejus negotium, qui hostis esset Suediæ. Nam Matris Reginæ negotium hic verti, mihi non constare, si quando Elector Brandeburgicus ad Suedicam amicitiam se referet, tum visurum me quid mei esset officii. Iuris mercatoribus cessi documentum. Sed ejus loco mandati instrumentum, ad recipiendam solutionem, signatum ab Electore, vacuo relicto spatio in quo nomen procuratoris scriberetur. Hæc autem sic tractavi & perscribenda judicavi, ut si quid forte Reginæ Dominæ nostræ Matri debeatur ab Electore Brandeburgico, vel dote, aliave causa, cogitemus an suo tempore hinc servari possit, si poterit, mihi satis grande lucrum erit, officii præstiti conscientia. Comitis Suessionensis Mater ab hac urbe jussa discedere est. Iamjam dicit mihi Legatus Baro Scudamorius missum ad Regem Daniæ Wyckium qui hic res Angliæ egit, in Suediam verò Barclaium, narraturos quæ in Comitis Arundelii Legatione evenerunt, simulque significaturos paratum Regem Angliæ ad fortia pro Palatinatu consilia, si socios reperiat, quæ conditio tam laxa est, ut ad multa effugia pateat. Fama tamen hic spargitur, quindecim millia militum ab Anglia Landgravio datum iri. Campio nobilis à Comite missus ad Fratrem Regium Aureliani retentus est, ne spem concordiæ inter Fratres turbaret. Mitto postremam Regis epistolam ad Fratrem, cui an pariturus sit scire avet hæc civitas. Rupifucaldius Pater novandi suspectus, quod magna ejus apud Pictonas sit potentia, filium suum Regi misit obsidem. Mater Suessionensis Regiis literis jussa Drosam oppidum ire, negat id valetudinem suam pati, satis liberè, additque impermixtam se filii de abitu consiliis, gnarumque id Patri Iosepho. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno Tuæque Sublimitati prosper adsit. Lutetiæ 6 Februarii 1637. novi Cal.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime Domine,

TErnas jam literarum congeries Caleti retineri audio, ventisne adversantibus, an quod navigia desint, an & arte eorum qui sua mala, hoc præcipuè tempore, nolunt innotescere, haud dixerim. Postquam postremùm scripseram, salutavi Principem Condæum, hujus nunc urbis præfectum. Cùm is multum de Batavis quereretur, dixi iis tamen solvi promissa, Suedis non solvi. Et cùm de Pavone injectus sermo esset, dixi ejus solius opera factum, quòd tam multa mihi in obeunda mea Legatione injecta essent impedimenta. Puto eum aliquid nostrorum sermonum significasse Regi aut Cardinali: venit deinde ad me Heusdius paulò jam quàm antè explicatiùs loquens, missas ad S. Chaumontium literas delegatorias pro iis quæ nobis deberentur ex fœdere Wismariensi, si id probaretur, ad finem usque anni 1636. Pro veteri reliquo ex fœdere anni 32 se fidem suam obstricturum, ita tamen ut rogaturus sit Spiringium, si quæ res turbidæ ex transverso interveniant, venia ut sibi detur, qui injectum sibi à potentibus officium recusare non potuerit. Addebat velle ad me venire præfectum Regiæ pecuniæ Bulionium, & venit is postridie Regis jussu, cujus & literas mihi prælegit. Quæ mihi indicavit hæc erant. Adfore brevi hic Ducem Bernhardum (is heri advenit) retentum hactenus nonnullis in illis locis, unde venit, seditionibus. Propositum Regis eum auctis copiis in Alsatiam mittere. Optare Regem ut Gallia, Suedia, Batavi naves hominesque mittant in oram Hispaniæ, credo, ut si nihil aliud bello in Hispanum nos quoque illigent. Delineatum cum Anglis fedus: cumque ea scriptura ivisse in Angliam Ogerium, sensum hunc esse, ut promittat jam nunc Anglia nihil se facturam quovis Austriaca invalescat, naves det Galliæ utendas quindecim: militem apud se permittat legi. Tum verò ni tres intra menses Rex Angliæ ab Imperatore impetret restitutionem Palatinatus utriusque cum Electorali dignitate, (dempto quod Gallia, si pertendatur Maximiliano Bavaro dum vivit relinqui debere Electoratum, velit pacem non eò minùs 714

minùs accipi) tum ut in belli societatem cum Gallia veniat, inviteturque Suedi & Batavi se adjungere, fidemque dare & accipere nullius pacis in commune admittendæ. His dissertatis addebat compositum negotium Regem inter fratremque. Sperari idem de Comite, (missus ad eum est Brionus, ejusque exspectatur reditus) & quo magis impellatur missum se ad Matrem ejus, peritum Regis nomine, ut si Drosam non potest, certè in prætorium aliquod aut suum aut Regis discedat. Id Regno, id ipsi, id filio expedire. Addebat feminam esse liberioris linguæ, quàm ferrent hæc tempora. Post hæc de pecuniis eadem dixit, quæ pridie dixerat Heusdius, ipsumque simul Heusdium, nam unà venerat, sed in conclave non intraverat, advocari ad nos jubet, clareque dicere, quod fecit, suscepturum se onus solvendæ pecuniæ quæ ab anno XXXII nobis deberetur. Me verò rogabat (quod & ante Heusdius fecerat) Cardinali Riceliaco ut scriberem contentum me eis quæ proponerentur. Sed hoc defugi, dicens mihi quidem flagitationem injunctam, recipiendi autem curam Heusdio. Itaque rectius fore, si quod Sublimitati Tuæ scripturus esset, id signatum daret Cardinali legendum mittendumque. Vrgebam ut præsens pecunia mitteretur, qua in rebus adeo urgentibus uti Tua Sublimitas posset, & mecum idem ab Heusdio postulabat Bulionius, paratum se dicens usuras pendere. Sed Heusdius illud de usuris non recusans, ajebat se Spiringio potestatem facturum, ut partem aliquam ejus pecuniæ, quando vellet, sumeret, ipsique solutionem injungeret. Puta ad LXXX Francorum millia. Eodem die post meridiem venit ad me Comes Licestrius, cui cùm de iis rebus locutus essem quæ mihi Bulionius dixerat (quanquam enim is rem latere voluerat, id tamen ita intelligendum sensi, ne apud eos taceretur, quorum esset hoc negotium) dixit mihi nihil conventum: multumque timere se ne præscripta illa lineamenta evanescerent, maximè quod ad bellicam pertineret societatem. Valde autem se metuere ne pacem præripiat Suedia. Respondi indefinitè, ostendisse semper Suedos ac Tuam maximè Sublimitatem quantopere cordi ipsis esset salus eorum, quos Religio metusque communis nobis conjungerent. Ad res Batavas cùm delapsus esset sermo, dixit mihi Angliæ Regem ad Galliæ Regis exemplum jussisse salutari Celsitudinis titulo Arausionensem Principem, qui tamen in acceptando hoc nomine cunctari dicitur. Die qui hunc est secutus venit me salutatum Princeps Condæus. Repetivit quæ Bulionius Heusdiusque dixerant, ita ut appareat mihi rem ipso conscio gestam. Inter Conventiones Regis Fratrisque dicebat esse ut valeret matrimonium tamdiu disceptatum. Neque se unquam sensisse aliter (credo quod feminam illam desperatæ fecunditatis esse intellexerit) & credere se idem mihi semper visum. Dixi sententiam, quæ valere talia conjugia vellet, esse haud dubiè receptiorem. Cepit inde de aliis Theologicis controversiis loqui, de Eucharistia maximè, deque Pontifice. De hoc facilè inter nos convenit omnia quæ Regum quæque Episcoporum essent sibi per vim vindicanti Pontifici obsisti aliter nequiisse, quàm ut etiam concessa eriperentur, ut fieri solet in liberis civitatibus, ubi primorum aliquis dominatum parat invadere. De Anglico fœdere vix quicquam sperabat, & Comitis Licestrii id optantis dicebat nullam esse in Aula Anglica auctoritatem. Neque dissimulabat eas esse Galliæ res ut festinatæ pacis egerent. Hæc ut ab illis didici ita suo ordine commemorare duxi officii mei. Inter alias causas quæ Gallos de nobis sollicitos faciunt (sunt autem satis multæ ex rerum ante actarum conscientia) hæc est, quod Ratisbonensia Imperatoris ad monitus Electorum responsa huc pervenerunt, unde apparet id omni modo velle Imperatorem, ut seorsim cum Suedis, seorsim cum Gallis agatur, & cum Suedis priùs si fieri potest. De Italiæ rebus, quanquam bene nos sperare voluerat Bulionius, dicens Sabaudo ad res bene gerendas multum copiarum subministrari, aliter rerum peritos omnes judicare video, neque eos dubitare, quin ipse Pontifex volens, an quod tempora aliter non ferant, Hispani rebus se aptet, ita ut nuper in arcano per Comitem Carpegnam Duci Parmensi suasor fuerit, se ut ad Hispani partes referret. Placentiam audimus Hetrusco permissam ut sequestro. Ducis Parmensis conjugem inde egressam venisse Parmam. In iis quæ me vetant de Anglis sperare quæ optantur, hæc sunt, quod Pontificis res agens Londini sacellum ibi apertum habeat more Nuntiorum, quod post Arundelii adventum non modò Legatus Hispanicus longum cum Rege Angliæ habuerit colloquium, qua de re monui antehac, sed & una cum Rege Arundelii magnifico convivio interfuerit, quod falsa comperitur jactata fama de Cottingtono refrigerato apud Regem, planeque rerum potentes manent qui fuere antehac. His addam, quod vix credibile sit, novum Romanorum Regem ita palam se ingesturum fuisse Palatino negotio, nisi speraret aliquid se conficere posse, quo amicitias pararet utiles imperium inchoanti. Frater hic Regius Blesis mansurus creditur & Sedani Comes Suessionensis, apertioribus inter ipsos & Cardinalem odii causis quàm ut tuto unà esse possint. Spargitur hic rumor quidam mihi non creditus, cujus tamen apud me etiam Princeps Condæus meminerat, velle Imperatorem suum, quod Bohemiæ est suffragium dare Palatinæ Domui, id autem, quod Palatinorum fuit, relinquere Bavaro ejusque posteris. Die hujus mensis octavo sub vesperam advenit huc Dux Vinariensis, vidi eum inter primos die decimo, suum studium in rem Suedicam desideriumque placendi Tuæ Sublimitati largè prædicat. Quo magis credam seriò hæc dici est, quod Gallicam amicitiam & Cardinalis Valettæ prægravem potestatem expertus, vix ultra tolerare hanc sortem potest. Neque tacet Ponica, nisi seorsim cui imperet accipiat exercitum, id eum acturum ut à Gallia se liberet. In illud ut proprias habeat copias sibi uni parentes, opem meam invocant, quæ, si quid possim, ei defutura non est. Nam & ante ejus adventum id negotium per Legatos alios commendaveram, ac ipse per me in sermone, tum apud Condæum Principem tum apud Bulionium. Ait Dux Gallassium non sine periculo ægrotare Friburgi. Pater Iosephus homo inquies, Stellæ Bipontino qui contra pacem Parmensem Latinè scripsit, mandata dedit scribendi edendique causas, ob quas illegitima censeri debet, quæ facta est nuper Regis Romani electio. Præcipuum argumentum, quod à Bavaro olim se accepisse ajunt, hoc est, quod Rex Romanus non ut Imperator, majore suffragiorum parte fieri possit, sed consensus ad id omnium requiratur, nempe quia extraordinaria neque necessaria sit hæc dignitas. Miror consilium, cùm scripta talia irritent hostem, vires autem ejus non imminuant. Quòd sæpè ex altis audiveram, contra quàm hic vulgaverat rumor, verum esse ex Duce ipso cognovi, Gallassio non multo minus fuisse XX millibus, cùm ipsi Valettæque ultra XX millia non essent. Venturus huc jam dicitur Frater Regius, multisque utrimque lachrymis cum Rege collocutus. Purgavit autem ita se, ut omnem culpam in Comitem Suessionensem transtulerit, cujus posthac satis dura erit conditio, nihil aliud illi relinquens, quàm perpetuum sub hoc Regno exilium, aut reditum cum summo periculo libertatis. Mater ejus Creilam discessit adsitum Esiæ amni oppidum. Dum hæc scribo literæ mihi redduntur Tuæ Sublimitatis datæ 13 Augusti, & posteriores 3 Decembris cum chartis adjunctis, pro quibus summaque Sublimitatis Tuæ in me benevolentia gratias habeo maximas. An literas meas ullas Galli interceperint nescio, non videntur mihi ullæ intercidisse. Si quas tamen aperuerunt, nihil repererint à me malignè scriptum, secutus semper sum aut vera, aut credibilia.

Digitized by Google

dibilia. Cùm Bulionius à Rege ad me venerit, videntur nonnihil de sua in me acerbitate remisisse. Quod si tamen pertendunt, mihi omnis erit grata sedes ubi Reginæ, Regnoque utilem me præbere potero. De Conventu Coloniensi video quæ Regni Curatoribus placuere, cum iis quæ hic semper sensi, dixique, & quæ ad Tuam Sublimitatem scripsi, congruere. Pacificator Coloniæ erit Legatus Pontificis, cui quo nos loco habeat non ignoramus. Cùm eo agere nos non possumus. Agent Galli, nosque volent suam accessionem fieri. Præterea quam dignitatis Regni Suedici studiosi non sint, multis argumentis possem ostendere. De Vismariæ delineatis pactionibus dixi semper exspectare me à Suedia literas, quibus nunc acceptis, ad earum tenorem sermones dirigam. Redibo ad Regii Fratris negotia, ut quæ postea didici adjiciam. 8 hujus mensis ex novo Calendario is Princeps Aureliani cum Cardinali locutus est per tres horas: cœnavit deinde cùm Rege. Decem de domesticis suis, carissimos antehac, à suo comitatu removit, Rege ita volente: hæc deditio magis, quàm pax est. Mutuæ illæ, quas Rex oppidis pagisque indixerat, pecuniæ tot impedimenta tot excusationes reperiunt, ut vix quarta pars ejus, quæ sperata erat, pecuniæ summæ ad Regem perventura videatur. De Burgundia utraque bello eximenda non procedit negotium. Rex Dordani est, inde Versaliam qui locus hinc diei distat itinere sicut creditur venturus. Venit hac hora me resalutatum Dux Vinariensis. Perstat poscere proprias cui imperet copias, negatque, ni id fiat, sibi in hac militia duraturam potentiam. Venit & Legatus Angliæ ordinarius, qui ita nos de Anglis jubet sperare ut nihil definitè promat. Ne longior sim desinam, si prius, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Dei tutelæ Reginam, Regnum, Tuamque Sublimitatem commendavero. Lutetiæ 7/17 Februarii 1637.

Ransovius ait Vallettæ & Ducis Bernhardi copias fuisse ad XII aut XIII millia, Gallassii ad XXIV CIƆ, quod annoto, quia ab eo quod ex Duce intellexeram, multum differt. Angli Legati negant in Anglia constitutum quid, Coloniam missuri sint, nec ne. Heufdius non dedit mihi exemplum ejus epistolæ quam ad Sublimitatem Tuam mittendam prius monstraturus erat Cardinali, quod tamen mihi se daturum dixerat. D. Schmalchius jam à nobis abit.

STENONI BIELKE.

Illustrissime Domine,

715 Hemnitium, etiamsi mihi literæ tuæ Illustrissimæ Dominationis, cujus apud me semper maxima erit, ut esse debet, auctoritas, non commendassent, satis conciliabat & nota virtus, & communes literæ, & patris dignitas & Avi summa cum pietate eruditio, ac præclara horum omnium in rem communem merita. Rectè evenit, ut paulo post acceptas eas literas huc veniret Dux Vinariensis, quem illico ejus negotii causa conveni, reperique jam admonitum, nec minùs id cordi habentem, quàm ego habebam. Itaque scripturum se sine mora dixit ad hostium duces, nec ante quieturum quàm virum optimum restituisset luci ac libertati. Compellavi eadem de re D. Ponicam, cujus magna apud Ducem gratia est, ut adjutor is mihi esset ad peragendum hoc opus. Credo enim præstiturum quod suscepit, ego insuper non dormitabo. Venit huc Cardinalis Valetta pridem, jam nunc & Dux Vinariensis parum concordes. Spes fit Duci fore, ut seorsim exercitum habeat, cumque eo in Alsatiam aut ultra mittatur, distrahendo hosti liberandæque Galliæ à molestis hospitibus. Magno cum gaudio accepit hæc civitas, omnisque Gallia Regem, Aurelianum & Blesas inter, fratri collocutum, multis utrimque lacrimis verum amorem redditum testantibus. Putatur cum Rege in urbem hanc venturus, dum durat nobilis in hoc suburbio S. Germani mercatus. Quid facturus sit Comes Suessionensis, ad quem Comes Brionus, index rerum transactarum à Fratre Regio missus est, haud dum liquet, nisi quod Sedani mansurus creditur potius quàm se commissurus eorum fidei, qui ipsum totius hujus motus, tam alieno tempore suscitati, reum agunt. Matrimonium Fratris Regii cum Lotharinga tanta vi per Galliam, tanta Romæ oppugnatum nunc ut valeat, convenit. Hæc scribenti interveniunt datæ ad me Decembri Illustrissimæ Dominationis Tuæ literæ, quarum liberalitas in me edocendo ea quæ ad Fukram, Viadrumque geruntur, magno me beneficio obstringit. Erit mihi magno usui hæc scire, ut rerum Suedicarum commemoratione eorum, qui hic plurimum possunt, animos excitare queam, ad res pari fortitudine gerendas: quare rogo Illustriss. Domin. Tuam quotiescumque materia aderit, & spero sæpe adfuturam, majoraque negotia id permittent, me eorum qui gerentur, gnarum facere ne grave ducat; ego ne quid in mea diligentia desideretur, curabo, Deumque precibus adibo, Illustrissime Domine, ut Illustrissimæ Domininationi Tuæ semper favens adsit 7/17 Februarii 1637.

Tuæ Illust. Dom. omni cultu observantissimus H. G.

Gallassius Friburgi ægrotat.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

Literas Excellentiæ Vestræ datas fine anni, qui exiit, 716
lætus accipio, tum quod multa inde disco, quæ me scire ad implendum munus refert, tum quod video, me apud Excellentiam Vestram eo esse loco, quo esse cupiam maximè. Respondere incipiam à parte postrema, quæ me propriè tangit, quod Cardinalis Ricceliacus hinc me amotum vult, ejus rei de causâ gaudeo à Regni moderatoribus vestraque Excellentia, ita ut se res habet, mihique testis conscientia judicari. Efficiet hæc tam æqua de me existimatio, ut tales molitiones fortiùs etiam quàm ante contemnam. De Banerii, Leslæii, Wrangeliique rebus edoceri, præsertim à tam gnaro omnium, gaudeo, gratiasque ago. Brandeburgicum Electorem miror id agere ut Suedorum odia præter ea, quæ in commune peccata sunt, privatim insuper in se accersat. Gallassius suorum sex millia Rhenum transduxit relictis cæteris apud Ducem Carolum cum eo quem is habuerat milite, & novo quem dedit Comitatus Burgundiæ: ad hos à Gallia abstrahendos Rex Ducem Bernhardum, copiis ejus adauctis, in Alsatiam aut ulteriora mittit, quod mihi significavit his diebus per præfectum ærarii Bulionium. Ipse Dux in hac urbe est Regisque adventum exspectat. Rex commotus Fratris Comitisque Suessionensis, Regii sanguinis, & hujus discessu ab hac urbe turbido, Aurelianum se contulerat, ut in fratrem, cujus maxima ob propinquam spem successionis est auctoritas, simul armorum minæ simul blandimenta ad concordiam admoveret, post multas conciliatorum itiones reditionesque venit quinto ante hunc die Aurelianum Frater Regius, & cum Cardinali Riceliaco, in quem ante satis inclementer invectus fuerat, per tres collocutus horas, cœnavitque cum Rege, & Blesas habitationem sibi solitam regressus, promisit se in urbem venturum manente etiamnum eo, qui nunc hic celebratur, mercatu. Ita desertus Comes Suessionensis iræ Regis & Sedanensi exilio relinquitur, Mater ejus majoris animi fœmina, quàm potentibus expediat, ab hac urbe in Creilam oppidum relegata. Ad Coloniensem Conventum Legati à Gallia, suffectus in locum Lugdunensis S. Chaumontius, Feuquerius, Davausiusque, nondum itineri parati sunt, Feuquerius etiam ante Virodunum ad præfecturam suam iturus, ibi ut mandata exspectet. Magnis rationibus suffulta mihi videntur quæ de Legatione ad eum Conventum,

Digitized by Google

tum, quæque de ratis habendis, quæ Wismariæ perscripta utrimque fuerant, Rectores Suediæ constituerunt. Certum est neque Coloniam urbem esse æquam Protestantibus, neque ubi Legati Pontificii cuncta reget auctoritas, nostris aut dignitatem aut commoda congestitura. Reges Septentrionis facient quod ex suo publicoque usu est, si ad æquam pacem repetiendam consilia sua dirigant: propriè autem Danus, si sapit, id curabit, ne per Protestantium Germaniæ servitutem ad ipsum manet periculum. Quæ Ratisbona ad vos scripta sunt planè congruunt cum iis, quæ ad nos quoque pervenerunt, Imperatoris data Electoribus responsa: nec dubium est quin Imperatoris rebus id maximè expediat, Gallos à Suedis, Suedos à Gallis distrahere: sed pax ea demum firma videtur futura, quæ sancietur mutuis nexibus eorum, quorum interest modum aliquem ponere Austriacæ magnitudini. Ratisbonæ electo Rege Romano, coronato insuper ipso & uxore, nihil admodum quod agatur, restat; nuntiaturque nobis, non minùs quàm vobis, reliqua consultationum Viennam transferri. Saxo, si quod non in nostros modò, sed & in se ipsum perperam admisit, incipit agnoscere; spes quidem difficilis, sed tamen aliqua corrigendi. Angli quid facturi sint valdè etiamnunc incertum est. Ivit in Angliam cum delineatione aliqua fœderis, qui Angliæ res sub Legatis hic egit, Ogerius. Mittitur in Suediam Barclaius Vir Nobilis, in Daniam Wyckius, qui & ipse hic res egit Anglicas. Sed Aula illa adhuc in manu est eorum, quorum fuit hactenus, & post Arundelii reditum non modò Legatus Hispanicus per horas duas à Rege auditus est, sed & idem Rex idemque Legatus apud eundem Arondelium epulo excepti sunt. Principi Arausionensi Rex primùm Galliæ deinde & Angliæ Celsitudinis dedere titulum, quo in illa, cui præest, Republica, vivat augustior. Fit hic in Gallia liber, qui electionem Regis Romani, ut non jure factam, multis argumentis incuset. Nihil addam, Excellentissime Domine præter vota, ut Deus Excellentiam Vestram diu Reginæ, Regno, Amicisque, inter quos me numero, servet incolumem atque florentem. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Februarii 1637.

Excell. Vestræ observantissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

717 NOn multum quidem est quod nunc scribam: est tamen aliquid epistola dignum. Antè hos dies quinque Regi coràm conciliatus est Aureliani in urbe Frater Regius, magnis utrinque fraterni amoris verè reducti indiciis. Subsistet Blesis per dies aliquot, inde venturus, ut dicit, in hanc urbem, amotis à sua familia decem ferme, qui Regi displicebant. Apud Suessionensem Comitem est nunc Brionius, qui à Fratre Regio literas ad eum attulit, significantes se suo transacto negotio, jam ad ipsius bene ponendum anniti: quod an fieri possit, multum ambigitur, præsertim cùm ejus Comitis mater jam inexorabili Regis jussu pressa ab hac urbe Creilam discesserit. Sed graviora sæpe mala sanavit tempus: speroque Ducem Bulionium, ejusque matrem ita se temperaturos, ut neque in Regis obsequio claudicent, neque Regium sanguinem minoris quàm oportet æstiment. Habemus in hac urbe Ducem Vinariensem, quem quotquot hic sumus Legati omni ope adjuvabimus, ut cum proprio exercitu mittatur in eas partes, unde maximè negotium hosti faciendo Banetium, in quem tantus undique fit concursus, sublevare possit. Rex cras, puto, Versaliæ erit. Regni intùs res bene se habent. Vides malle me literas quamvis breves mittere, quàm te ulla parte rerum, quas sciri intersit fraudare. Deus te, Illustrissime Domine, cum familia sospitet. Lutetiæ 16 Februarii novi Cal. 1637.

Illust. Dom. omni cultu observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTERNIÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

CVm de litteris meis amplius cogito, inducor ut credam earum quas ad Sublimitatem scripsi Tuam, nullas visas Gallis. Alioqui res certas dicerent, nec confugerent ad suspiciones, ut facit S. Chaumontius. Cæterum potuisse fieri, ut meas ad aliquos Legatorum Suedicorum literas viderint, aut ab ipsis Legatis, quod nihil in iis esset, quo possent Galli offendi, amicè monstratas, aut ab eorum domesticis non anxiè custoditas, haud negem. Sed ex illis literis nihil magni deprehenderint. Legatus Batavorum qui à Venetiis huc habitatum venit, cùm sæpe per amicos significasset velle se mecum ea, quæ inter Legatos Sociorum sunt commercia, ac veterem quam habuimus amicitiam colere, & à me paris animi accepisset responsa, cùm per dies aliquot in urbe pro ignoto latuisset, nudiustertius misit ad me Legationis suæ publicum Secretarium Euskerckium ac per eum rogavit ut urbem postridiè palam inituro carrucam de more mitterem. Id recepi me facturum, misique carrucam & gratulatorem nudiustertius. Miserant eodem Legati Angli ambo suas carrucas & homines. Nostri locum cepere ante Anglos & tenuerunt aliquamdiu. Cùm rixa oriretur & educerentur gladii (Angli omnes suos domesticos miserant, ego paucos ut moris est) Marescallus Lafortius, qui Legato introducendo missus à Rege fuerat, interposuit se: cùm nostri se nihil iniqui facere ostenderent, dixit Lafortius temporibus Henrici III. decretum, hic ut Angli Suedos præcederent. Nescio an eo tempore Legatio aliqua à Suedis in Galliam venerit. Gallorum autem judicium nobis obstare non posse satis patebat. Dixere nostri antiquitate se Regni, causa justissima, niti. Cùm impar futurum esset vi certamen, nostri conditionem quam ferebat Lafortius, quod sine juris nostri detrimento fieret, accepere, ut mea & Angli ordinarii carruca pariter discederent: quod factum est. Sed nostris aliud iter ingressis nova rixa de ordine nata est inter extraordinarii Legati Angli & Mombasonis carrucam, quæ Lafortium sequebatur, atque eo usque incaluit, ut Gallorum unus ab Anglis interficeretur, herique Nobiles Angli in singularem pugnam provocarentur. Ego sicut ante publico nomine, ita heri privato per meorum unum Legato Batavo omnia quæ à me proficisci possunt liberaliter obtuli. Nunc Anglorum exemplum speculabor, ut aut Legatum Batavum apud me exspectem, quod antehac Danos fecisse, scio, aut si Angli præiverint, eum ut peregre adventantem salutem. Quid faciendum sit, postquam à Rege auditus fuerit, videbimus. Ego sicut dignitatis Regni, quam debeo, habebo curam, ita in honesta humanitate concedam nemini. Carrucario nostro, quod dixisset se Marescalli Lafortii imperiis non teneri, heri Galli malum minati sunt. Spero tamen intra verba rem staturam. Mitto indicem copiarum Galassii, qui verus hic creditur. 23.33.78.73.1090.2010. qui hic pro 67.27.11.102.10.73. est, existimat inter Eusebium & 73.60.71.81.80.66.72.23.70.91.79. de 64.27.12.72. Idem existimant Liliarii. Hostis nihil movere intelligitur: fieri potest ut internas Galliæ turbas speret. Manet enim in metu Comes Suessionensis, aditusque est Sedani à Principe Thoma affine, quo tempore & Mater Regia & Frater Regius qui nunc causam suam segregavit, Sedani exspectabantur, obtulitque Principibus quater centena millia Ducatorum præsentia, in annos duodecies centena millia ea lege, ut exerci- 718

Digitized by Google

tum alerent pedestrem ad decem, equestrem ad sex millia, & quæ sibi vi aut pactione quæsivissent oppida ea retinerent. Rex ut ex adjuncto scripto datur cognosci, veniam offert Comiti, sed is generosior est quàm ut eam accipiat & cautior quàm ut ei fidat. Nemo est qui dubitat, quin si mansisset Lutetiæ carcer ei domus futura fuerit. Frater Regius nondum huc venit, morbum excusans, & est obnoxius articulorum doloribus nimia venere. Domesticis quos à se ablegavit, de impunitate Rex cavit. Dux Wittenbergicus res suas cum Imperatore composuisse scribitur: & Mons Pellicardi extra periculum esse. Hispani ad Vincentii promontorium classem parant, credo, ut parati sint, si quid fortè Angli moveant: quod tamen vix sperare Batavos video. Ex Italia significatur nobis Bremum, castellum firmum Sabaudi, in Hispanorum venisse potestatem. Cum Parmensi, clam Pontificem, per Pandolfinum ab Ethrusco missum, agi ut bello eximatur. Idem Dux Ethruscus non rogatus, ut puto, pro Batavis literas commeatus proprias, non quales ante scriptæ erant cum Gallis communes, ab Imperatore sumpsit. Missus fuit Ratisbonam à Cardinali Hispano Stephanus Gamara, tum ut gratulatione de nato puero apud Bavarum fungeretur, tum ut Batavorum postulatis de pace cum Germania firmanda obstaret, daretque operam ne à Belgico fine abstraherentur Waertius & Picolominæus. Dux Vinariensis ne cum Hassiacis se jungat ibidem metuitur. Rex & Cardinalis cras hic futuri putantur. De suspendendis per inducias armis inter Gallum & Hispanum sermones audio, sed parùm certos. Regii Fratris uxor (ita enim nunc hic loquimur) ventura huc non creditur, nisi locum impetret ab injuriis satis tutum. Rem addam ridiculam. Princeps Thomas & Cardinalis Sabaudus testationem Romæ perscribi fecere, Ducem Sabaudum Fratrem suum satis marem non esse. Ita liberis quos Regis Galliæ soror peperit, controversiam intendunt status: dicerem & ipsam traduci adulterii, nisi adultera dici non posset, quæ maritum non habet. Dixit mihi is quem nominavi modò Enskerckius, à Gallorum res Regentibus affirmatum sibi probata in Suedia pacta Wismariensia. Hoc amplius Cardinalis Riceliacus Memoto res Sabaudi hic agenti dixit, Tuam Sublimitatem vere primo venturam ad gerendum in Germania bellum, id enim ipsam pollicitam S. Chaumontio. Existimo hac publica testatione juris nostri facta ita ut modò narravi, in posterùm posse me honestè defugere tales concursus, qui causas præbent sanguini & cædibus, à quibus abhorreo. Et id in posterùm sequar, nisi aliud Tua Sublimitas mihi præceperit. Batavo Legato si hoc officium negassem, haud dubiè non erant defuturi qui id in signum malè affecti in rempublicam illam animi mei caperent. Gaudeo improbari ab hoc Legato quæcunque adversùm me fecit Pavo. Video metui ne, Oenipontana Rhætorum Legatio turbas det animosque à Gallis magis etiam avertat. Sunt, qui Persarum de Turcis victoriam recentem magnis verbis celebrant: sed nullas dum vidi literas ejus auctoritatis cui credi omninò debeat. Iamjam veniunt ad me duo missi ab utroque Legato Anglico, quærunt an meo jussu mei homines fecerint dixerintque ea, quæ fecerunt dixeruntque. Dixi mandasse me meis quod mihi mandatum esset, ut dignitatem Regni Suedici, tanquam omnium Regnorum inter Christianos antiquissimi & maximi, tutarentur. Neque id factum in Angliæ injuriam, cùm etiam in federibus cum Gallia initis alteræ semper tabulæ Suediæ nomen priore loco ferrent. In modo agendi si quid peccatum esset, à me non mandatum, qui ideò tam paucos misissem, ne ad vim faciendam missi crederentur. De loco atque ordine paciscendi quicquam, neque me potestatem habuisse, neque meis dedisse. De cætero me velle exspectari à me omnia quæ ad fovendam amicitiam inter Regna interque Legatos & me privatim pertinerent. Ad hæc nullo dato responso comiter à me discesserunt. Iam audio missa à Gallis quatuor millia hominum mari, duce Arcurtio, ut Parmensi subveniant, serum, ut vereor, auxilium. Dicitur Anglia, subtracto publico nomine, privatorum ope velle sublevare rem Palatinam. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati omnia prospera. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Februarii 1637.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Die mensis hujus 23 novi Cal. Regem in urbem reversum salutavi, domuique ejus restitutam concor- 719
diam gratulatus, exposui simul ea quæ ad res communes pertinent, iis verbis quæ perscripta mitto. Respondit felice satis memoria ad singula: sibi fratrique optimè convenire, nec unquam eum fuisse lætiorem, quàm quod tantis se molestiis expediisset. Intellexisse se quas Suedi res gererent, à Duce Vinariensi, & cùm ver nunc appetat, promoturum se arma hostem versùs: neque unquam se sua commoda à Suedorum commodis separaturum. Interim video ubique deesse hic pecunias. Parmensis haud dubiè jam pacem non tantùm fecit, sed & sua recepit, tum in quibus locis bellabatur, tum in Regno Neapolitano. Putant aut putari volunt Galli Principem eum neutras posthac secuturum partes: & commento satis transparente, die anticipato misêre literas, quibus permitterent, quod jam vetare non poterant, ut speciem famamque amicitiæ servarent. Creditur secuturus Sabaudus hoc exemplum, quando Bremo, non quidem amisso, ut ex rumore scripseram, sed in arcta redacto, videt res Gallicas in Italia nihil habere spei. Mittit ei Rex XII cohortes, sed valde inanes & ita tarde se molientes ut antè Majum Alpes attingere nequeant. Interim multa fient: & sicut Parmensis creditur rebus suis deploratis, medio conscioque solo Ethrùsco, pacem redemisse arcanis pactionibus Hispani ad utilitates directis, interque eas de tradenda Hispanis Sabioneta portu egregio, Genua, non longè, imo ad Padum, quæ à duobus litigantibus ipsius custodiæ permissa erat, ita & Sabaudum credibile est, amicitia, ut solet, pro temporum ratione usurum suæque saluti ac dignitati consulturum, posthabita societate parùm certa. Rhæti Oenipònte reversa Legatione nihil magni accepere, nisi ut, si agere cum Austriacis velint, compedibus se Gallicis liberent. In arcano dictum Legatis ut, si quas fauces Vallis Telinæ suæ potestatis facere possent, auxilia ipsis ab Imperatore Austriacisque non defutura. Rohanius Legatum Regis Lanerium sibi adversantem, quæsitis jurgiis inde amovit. Nunc id laborat ut illas odiosas adeò pactiones Clavennenses conventui, quæ Curiæ Rhætorum, insinuet, quod factu satis arduum, nunc præsertim invalida adeò re Gallica, nec egit quicquam, nec quicquam acturus, peritis rerum speratur. Ransovius parat se Danico itineri, res Gallicas ibi, quantum poterit, promoturus. Et ex hominibus non vanis intelligo ingentia munera hinc in Suediam, Daniamque mitti, in Suediam, ne ea seorsim pacem faciat; in Daniam verò, ut pax concilietur è maximo Galliæ usu. In Comitem Suessionensem nisi pareat, id est nisi in maxima se induat pericula, dura parantur. Sunt qui frangi his ajunt ejus animum & respicere interdum ad spretum diu matrimonium. Alii in fortuna quamvis aspera perduraturum putant, idque probabilius videtur iis, qui ingenium ejus introspexere. Ab Anglia Ogerius, quem eò à Legatis missum scripseram, spem per literas præbet, auditus à Rege aliquoties, & à Regis consilio; Sed qui illam Aulam penitius norunt, ajunt eos hyeme semper bellum minari, æstate nihil agere. Non placet Gallis Batavorum conatus ad firmandam novis pactis cum Germania amicitiam, præsertim cùm Imperator Arausionensi Principi magna pollicitari dicatur. Sed quod cum Gallia habent fedus eos

Digitized by Google

eos bello cum Imperatore, aut Germania non illigat. Heri Bulionium Ærarii præfectum, qui ad me nuper Regio imperio venerat, accessi, retuli quæ Avaugurio responsa sunt super Coloniensi Conventu, & causis cur eo Suedia non mitteret: de duabus delineationibus federum Wismariæ facta, & de eo quod maximè peteret Suecia, ut Imperatori bellum Rex Galliæ indiceret: Loquebatur quasi res ea non difficilis erat, contra quàm ego censeo, spectatis & quæ hactenus sunt acta & eo qui nunc est Galliæ statu. Et in hoc mecum sentit, qui ad me postea scripsit Ducis Vinariensis jussu Ponica. Is Dux multis modis se Sublimitati Tuæ commendat, eique fidam à se operam pollicetur. Quod Regi dixeram, idem Bulionio dixi, è re fore, ut is Princeps quàmprimum proprio cum exercitu Rhenum transeat, hostiumque partem à nostris, alioqui tanto copiarum hostilium concursu periculum adituris, abducat. Video valde metuere Gallos, ne Suedi seorsim bello exeant. Idem de Gallo pergit metuere Sabaudus, ut scripsi nuper. Non is sum, qui inanibus multum movear: tamen & minuta observare hominis est non indiligentis. Video Gallos, cùm Anglis nihil debeant, observare tamen magis eorum quàm nostram amicitiam: plus ab iis honoris deferri eorum Legatis. Gazettarum opifex, qui nihil, nisi consultis potentibus, edit, historiam certaminis nostros inter Anglosque, cùm præterire facilè posset, nugis suis inseruit, Anglorum de industria præposito nomine, & à me primùm per Hebsteinium lucri ipsius participem, deinde per domesticorum meorum unum monitus, ut in nova charta nostrum præponeret nomen, diceretque non compositam controversiam, quod ipse factum fallò affirmaverat, noluit, dixitque se solis Regis ac Cardinalis imperiis teneri, quamquam ego & minas adjeceram, significans futurum, ut Suedia ostenderet, sibi quoque ad dolorem suum vindicandum vires non deesse. Quò magis rerum longinquarum ignari, quales multi sunt, mirantur Suediæ Regnum de loco primo contendere, eò magis mihi placet institutum meum demonstrandi ex collectis undique testimoniis Regni ejus antiquitatem: ac rogo siquid est à fratribus Magnis prætermissum eò quod pertineat, siquid inscriptionum, legumve veterum id ut nanciscar, daturus operam ne desim ornandis iis à quibus ornatus sum, neque indignum me ea quam mihi adsceivi patria. In sermone post orationem cum Rege, itidemque cum Bulionio, non omisi ostendere, quanto labore agendum esset Tuæ Sublimitati ut sub pupillari Regno languentes animos ad consiliorum fortia excitaret, ideoque vividis sociorum actibus addendum pondus ejus auctoritati, ne sumptuum sanguinisque fusi pertæsa multitudine, dulcedine otii præceps decurreret. Frater Regius octo sunt dies quod in hanc urbem venit. Comiceis ludis quotidiè distinetur, & inter fabularum actus, multis ipse fabula est. Prudentes extra Aulam viri exitio proximam hoc anno fuisse Galliam fatentur, nisi eam Suedorum per Germaniam virtus labantem fulsisset. Coloniam dicuntur Legati hinc antè Majum non ituri, & Pontifici quidem, ut se jactet, nolle id colloquium declinare Cardinalem: cæterùm ignaro & Pontifice & aliis 29. 56. 75. 66. 33. 22. 48. 16. 73. 7. 55. 66. 72. Chavigniacus, Cardinalis ope, gratiam auctoritatemque recepit. In nostro cum Anglis certamine, Batavorum quotquot aderant, Suedis faverunt. De Lactucis multam nobis hic casus querendi materiam dedit. Credo faciliùs se de nobis triumphaturos sperant, si nos priùs Liliariis triumphandos objecerint. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati propitius adsit. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Februarii 1637.

Viri in Aula Anglica potentis literæ ajunt offerri inde Gallis decem millia Scotorum: & duo equitum millia sub ductu Landgravii: sed multos opinari, arcanas cum Imperatore pactiones istis artibus obumbrari.

STENONI BIELKE,
Eadem D. SALVIO,
Et D. CAMERARIO.

Illustrissime Domine,

Regem conveni, dies jam quintus est, eique concordiam cum fratre restitutam gratulatus, exposui quanto in periculo res Suedica per Germaniam foret, coorientibus tot undique exercitibus in eos hostilibus, ni maturè Rex arma in eas partes moveret, quam ad rem optimam dari occasionem, agente nunc in hac urbe promtoque ad accipienda & exsequenda mandata, Vinariensi, fortissimo Duce. Dixit Rex Fratrem nunquam sibi conjunctiorem fuisse, multumque eum esse in gaudio, quod turbis ac difficultatibus esset expeditus: Res Suedorum egregias per Germaniam à Duce Vinariensi sibi explicatas: Nec incognitas sibi hostium coitiones, cùm jam Ver appetat, nihil se omissurum quo socios sublevet: neque se suam causam à Suedica segregaturum. Non omisi ostendere, quantus labor esset Magni Cancellarii, eo qui nunc est Suediæ statu retinere animos ad perstandum in bello gravi ac sumptuoso: quare omninò necessarium, ut ejus consilia fortibus amicorum factis adjuvarentur. Dixi eadem Bulionio Ærarii præfecto, quem nuper Rex ad me miserat, qui & in cæteris opem suam promisit & de pecuniis maximè, quæ propria ipsius cura est, dixit se omnia ordinavisse, quæ desiderari à Suedia possent. Pro vetere debito spopondisse Heusdium. De iis quæ deberi nuper cæpissent ex Wismariensi (sperant enim probatum iri) federis delineatione ad S. Chaumontium data mandata. Multum haud dubiè Suedorum armis debet Gallia, per quæ stetit, quo minùs in Regni intima hostis hoc anno penetraverit. Video pecunias, ut in bello sperato diutiùs durante, difficulter expediri: militem tardè. Hæ causæ, & Regentum discordiæ, Gallos Italia excussere, quod videns Parmensis Dux pacem seorsim fecit Ethrusco conciliante, recepitque tum quæ bello perdiderat, aut jam jamque erat perditurus, tum quæ per Regnum Neapolitanum fiscus ei abstulerat. Neutrarum eum partium futurum ajunt Galli, & probare se ajunt quod vetare nequierunt. Prudentiores, dum quo in periculo Parmensis fuerit considerant, & quis fuerit conciliator, non dubitant arcana intercessisse pacta in rem Hispani, quæ tempus deteget. Sabaudo mitti hinc dicuntur XII cohortes, sive Regimenta, quæ si properè eò adveniunt, & non nimium absunt numeri ab eo quod dicuntur, quæ frequentissima est his temporibus & summo cum periculo juncta labes, poterit Bremum, quod ab hoste premitur, simulque Ducis nonnunquam ad Hispanos respectans animus retineri. Rhætis multitudo imperat, eoque magis metuenda ibi studiorum inconstantia, præsertim non omittentibus Austriacis magna illis ostentare, si se à Gallicis vinculis expediant, quod illis, ut maximè velint, difficile sit futurum; ita arctè non pactis solis, sed præsidiis tenentur. Mari nihuldum boni prospicio, nec sane ulla pars virium curata est negligentiùs. Frater Regius comœdias spectat, forum, quod hic nunc celebre est mercibus, ambit, lætatur otio: negotium nec ipse habet, nec exhibet cuiquam. De Comite Suessionensi quid futurum sit incertum est, multi non exilium ei tantùm sed & inopiam minantur. Coloniam Legati antè Majum hinc ituri non videntur. Ransovius in Daniam it, non sine mandatis à Rege hoc. Ex Anglia Ogerius benignè se auditum scribit & sperare nos aliquid jubet boni, pridem sperando defatigatos.

Adjecta ad Epistolam D. Bielke.

Has obsignaturus eram cùm Tuæ Illustrissimæ Dominationis accipio literas datas 17 Ianuarii plenas rerum & chartis utilibus hoc tempore comitatas, pro quibus

Digitized by Google

quibus omnibus gratias ago, utarque eis pro bono publico apud Regis Ministros, Ducem Vinariensem, aliosque. De rebus prosperis Reginæ, Regno, Ducibus gratulor. Videtur mihi Imperator, si pacem seriò vellet, alio quovis potiùs, quàm illis quos ad hanc rem delegit, fuisseusurus. Tum verò Gallassii & quæ Rhenum transierunt, & quæ citra eum manserunt non modicas esse copias Dux Vinariensis captivorum relatu affirmat, quantumque ex omnibus locis intelligimus, eæ sunt hostium vires, ut neque ad belli paratus segnes esse debeamus, nec ita facilè & properè nobismet ipsis pacem, qualis optando est, polliceri. Non dubito quin Suedia sapientibus nixa consiliis parata in utrumque sit futura.

Adjecta ad Epistolam D. Salvii.

EN resumo calamum, quia dum in eo sum ut has obsignem Tuæ Excellentiæ litteras accipio datas 26 Ianuarii, pro quibus quanto rerum cognitu & utilium & jucundarum sunt pleniores, eo plus debeo. Quæ iis nuntiantur læta erunt Regi ac Ministris Regiis, à quibus gravissima pericula non alia re ulla hoc anno, quàm Suedica virtute depulsa sunt. Sed qui lucerna uti volunt, opus est affundant oleum. Ego in mea hic diligentia nihil desiderari patiar. Brandeburgicus novam in nos hostilitatem, accepto ductu copiarum Imperatoris, professus, deinde id unum agens, ut quomodo Borussia nobis extorta est, sic & Pomerania nobis extorqueatur, minùs idoneus mihi videtur ad reperiendas pacis vias. Aptiores futuros puto qui à nobis absunt longiùs. Danum publico in nos quicquam facturum vix puto. Polonus quod contra pacta fecit, poterit usum habere, si alibi pax nobis contingat. Propius ad Germaniam accedere Magnum Cancellarium gaudeo. Credo priusquam mare transeat, introspecturum penitus & hostium & sociorum consilia. Hæc urgente articulo quo mitti literæ debent, in id maximè addidi, ut Excellentiæ Tuæ literas à me acceptas, lectasque, & nihil à me optari magis quàm multas ut tales accipiam, appareret.

Adjecta ad Epistolam D. Camerarii.

HUcusque cùm scripsissem, redduntur mihi tuæ, Nobilissimique filii tui, datæ, illæ postridie Calendas, hæ 10 die Februarii una cum rebus per Germaniam gestis, ex relatu ipsius Banerii aliorumque, pro quibus gratias ago maximas, gaudeoque ipse iis cognitis & publico gratulor. Mea vota ac labores eodem tendêre, quo tua tendunt monita, ut cunctatione omni abrupta, Suedicorum facta egregia vi sociorum sustententur, adjuventurque eorum consilia, qui per constantem virtutem ad communem certamque pacem viam quærunt, ex iis quæ modo scripseram cognosces. De Anglia tecum suspendo conjecturam. Pontifex ex quo Galliæ res in Italia lapsæ sunt, more ejus Aulæ, Hispani captat gratias, arma tamen ejus non extra finium tutelam, & jus quod ipsi cum Venetis controversum est muniendum, pertinere arbitror. A Coloniensi Conventu Suedos prudenter abstinere judico, in speciem quidem id obtendentes, quod nec ab hostibus nec ab eo, qui se conciliatorem profitetur, rogati sint, sed revera, ut arbitror, majore latente causa, quod quicquid ibi agetur, haud dubiè in perniciem Protestantium erit comparatum. Ego quæ à Ratisbona scribebantur de Suedis ad pacem propriam invitatis, spargenda & hic & alibi censui, ut amicis excuterem torpedinem nostrique contemptum. Nihil nostros malle quàm pacem in commune bonum, modò & alii, quorum id interest, id sibi ostendant cordi esse & publicè & privatim dixi, dicamque donec definitius aliquid constitutum à nostris cognovero. Eodem tenore ad me, quo ad te, scripsit Magnus Cancellarius, accepique ea quæ Avaugurio responsa sunt, ad quam normam sermones meos dirigo. Si amici omnes aut hostes fiunt, aut sua consilia à nostris separant, eò facilior Suedis erit ratio, sibi & amicorum reliquis consulendi. De Erenbreitstenio nihil hic compertum habemus; utinam quæ scribis affirmet fama certior. Magnus Cancellarius, ut puto, priusquam de itinere suo quicquam constituat, diligenter explorabit, sociorum animi ad pacem an ad bellum sint proniores, & si bellum malint, an ea parent & qua cura oportet, quæ ad repellandas tantas hostium vires sunt necessaria: Hæc nunc habebam, quæ posthac tempus suggeret, ad nullum potiùs quàm ad te relaturus. Deus, Illustrissime Domine, tibi tuisque semper sit favens. Lutetiæ 27 Februarii novi Cal. 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu addictissimus H. G.

D. SPRECHERO.

PErgratæ mihi fuere literæ, ut sunt omnes tuæ, quas ad me 7 Februarii dedisti; neque omisi quæcumque iis continebantur cum amica tui mentione ad Magnum Cancellarium perscribere, qui nunc quò proprior sit Germanicis rebus, Calmariam advenit. Post Witstochiense prælium, simul cum Torgavia capta, VIII cohortes, quas Regimenta vocant, Saxonum Suedicas res secutæ sunt, cæsique hostium non pauci tum à Pfortio, tum ab Hodilsio nostris. Pax Suedis offertur per Marchionem Brandeburgicum Sigismundum subdelegatum ab Electoribus Maguntiacensi & Brandeburgico, qui potestatem ejus negotii ab Imperatore acceperunt, sed nulla pax nostris placet, nisi communis & ex omnium usu. Hic in id laboratur ut Comes Suessionensis ad exemplum Regii Fratris se in Regis restituat gratiam. Est hic & Dux Vinariensis id urgens maxima cum diligentia, ut quamprimùm agat aliquid quod rebus Germaniæ conducat. Vallis Telina impeti ab hoste dicitur, cui jam supersunt copiæ, Parmensi ac Placentino territoriis bello exemptis. Quid contineant Clavennenses, quorum meministi, articuli, breviter edoceri abs te cupiam, & si quid porro dignum cognitu in Rhætia contingat. Vale vir præstantissime & amicissime. Lutetiæ 3 Martii novi Cal. 1637. 721.

Tuæ Nobil. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

POstquam postremùm scripsi, habui apud me Bulionium, Ducem Vinariensem, Legatos ambos Angliæ & Batavum. Bulionius omnia quæ nuper dixeram probabat. Paratum Regem Imperatorem pro hoste habere, deque ea re instrumentum, si accipiendi mandatum haberem, mihi tradere, rata facere quæ Tua Sublimitas Wismariæ præformasset. De Duce Vinariensi mittendo bonis cum copiis seriò Regem agere. Causas cur ad Coloniensem Conventum non mitterent Suedi, Regi non improbari, visurum an mediorum interpositu ei difficultati remedium inveniri possit. Dixi vicissim, me quidem nullam specialem potestatem habere acceptandi id, quod de bello in Imperatorem conscripturi essent; cæterum si vellent mihi tradere, missurum me & laboraturum, ut instrumentum, quo rata fierent Reginæ nomine, quæ Wismariæ à Tua Sublimitate præformata erant, ad me perveniret. Optare me ut de Anglia res è voto succederet, & collaturum siquid meæ esset opis. Rogare præterea ut de Duce Vinariensi, quantum posset, deproperaretur negotium, & quidem ut ei *66. 14. 33. 31. 48. 61. 266. 107. 27. 80. 35. 32. 55. 4. 33. 60. 37. 12. 52. 66. 33. 28.* Recepit hoc sibi curæ fore. Postea ex Heusdio intellexi instrumentum illud de hostilitate in Imperatorem missum ad S. Chaumontium. De bello publicè Imperatori indicendo, sicut Hispano indictum 722.

Digitized by Google

est nullum verbum. Accepi postea literas Illustrissimi Domini Bielkii de commeatu dato Sigismundo Marchioni: nostris id propositum ut explorarent hostium animum, verè ne pacem cuperet, an simularet tantùm aut tempori ducendo studeret: cæterum nihil separatim à Gallia ab iis agitari, sed ostendi animum non alienum à pace, quæ Suedis amicisque Galliæ maximè in commune sit bona. Hujus rei haud dubiè lætissimæ Gallis nuntium ut adferrem, Bulionium convenire volui. Sed cùm is se excusasset ob articulares dolores quibuscum conflictatur, eadem per Heusdium, cui omni hora ad eum patet aditus, significavi. Dux Bernhardus poscit à Rege xx millia, iniquum fortè ut æquum ferat. Propositum ei 66. 14. 33. 35. 37. 107. 80. 78. 76. 79. 77. 2010. 59. 22. 112. 81. 82. 70. 4. 33. 44. 63. 73. 76. 80. 10. 66. 55. 119. 78. 13. 75. 60. 10. 79. 48. 61. 81. 35. 10. 33. 84 79. 67. 27. 22. 69. 23. 101. 75. 61. 80. 77. 72. 38. 82. 73. 78. 68. 72. 6. 27. 66. 56. 72. 63. 68. 73. 66. 27. 3. 55. tum verò ponere se 79. 78. 77. 72. 66. 4. 14. 85. 63. 64. 61. 33. 38. 10. 27. 41. 48. 11. 37. 8. 30. Præterea multum à se 70. 60. 76. 80. 77. 79. 98. curavi Regi commendari. Sperare se habiturum quæ oportet intra 701. 101. 71. 60. 85. 6. Legati Anglicani de fœdere deque proposito suo obscurè, perplexeque loquebantur. Indicia habeo cur credam eos de 12. 59. 78. 55. 81. 56. 55. 73. Cæsaris cum Cicerone non desperata. Comes Licestrius etiam de rixa, quæ inter nostros nuper evenerat, loquebatur. Dicebat ne auditum quidem id quod nos diceremus. Dixi auditum pridem in Concilio Basiliensi: explicui quàm latè pateret Regnum Suediæ, & quousque extenderet: quæ ejus esset antiquitas etiam externorum testimoniis comprobatæ. Præter Tacitum veteresque scriptores alios, usus sum & Brigittæ authoritate & librorum etiam multorum qui Romæ probati editique essent. Dicenti in Gallia olim aliter visum, respondi non putare me, eo tempore quo diceretur, ullam hic fuisse à Suedis Legationem: res nostras aliquamdiu in solo Septentrione versatas: ideo minùs cognitum in his partibus, post illa Gotthorum arma, Suedicum nomen. Pontificis utenti auctoritate dixi, nihil me de ea constare, sed solere eam potentiam omnia constituere, non tam ex ratione quam suo ex usu: & si qua tyrannidis tempore gesta essent, ea dejecta tyrannide rescindi. Ordinem sumendum ex tempore quo Regna Christiana facta essent, quod ille urgebat, non concedebam, & dicebam concedi non posse sine magno rei Christianæ malo. Præcludi enim, certè impediri viam antiquorum Regnorum paganis aut Mahumetanis Regibus ad Christianam Religionem, si dignitas eorum, puta Turcæ aut Persæ, in infimum gradum dejiceretur, puta post Bohemiam. In Ecclesiis quod cantatur (*non eripit terrestria, qui Regna dat cælestia*) id ad omnia dignitatum momenta pertinere. Testatus sum me nihil præterea dare privato affectui, cùm Angliæ, siquis usquam, essem amantissimus. Literæ ab Anglia ajunt editum ab Electore scriptum contra electionem Regis Romani, dari Electori utendas naves à Rege, primoribus mercatoribus, quibus accessuræ essent à Batavis aliquæ; permitti ipsi & militem scribere; brevique aliquem ex Anglia futurum apud Vinariensem Ducem. Ego Anglos arbitror cum Tulipa 25. 70. 39. 52. 6. 37. 24. 72. Ebresteinum fœda fame, ut audio, premitur. Germani prædictionibus credula natio jactant à Maestino Tubingensi Astrologo ante annos quindecim dictum Ferdinando II. cuncta prospera fore; Ferdinando verò III adversa, & quæ ille quæsivisset, hunc perditurum. Iidem ruptos glacie arcus duos pontis Ratisbonæ, in omen malè successuri conventus ea in urbe habiti trahunt. In Italia cuncta Hispano proclivia, & pecuniæ non desunt, cujus rei inopia juxta regentium discordias labefecit res Gallicas. Nunc discordiis adfertur remedium, avulso Crequiaco, magnisque auxiliis promissis quibus summo cum jure imperaturus sit Sabaudus, cui & spes fit dandi nominis Celsitudinis regalis, quod pridem ambit, ut multis minoribus datum Celsitudinis titulum aliquo fastigii additamento obumbret. Post Parmensis Defectionem, Papa, Veneti, Itali cæteri, Hispani ad gratiam, ut mos est humani ac præsertim Italici ingenii, se componunt. Venetus hic Legatus nuper ad me miserat epistolam à se conceptam ad Serenissimam Reginam Dominam nostram, monui ut ad Serenissimæ titulum potentissimæ adderet, nam & Regem sic scribere. Literas curandi, (continebant significationem destinati Coloniam Senatoris Pesari) cùm ego obtulissem operam, alia via uti maluit. Credo cum literis Gallorum, quorum suscitatu scripsisse se dicebat. Rogavit me putaremne induci posse Suedos ut Coloniam & ipsi mitterent. Dixi putare me, siquis medius non certos faceret hostes, id expetere tum visuros Suedos. Daniæ Regem pridem conciliatoris sumpsisse partes: neque facilè eum posse repudiari. Audio venisse jam Imperatoris de commeatu Legatorum literas, quales hic cupiebantur. Tamen qui hinc Coloniensem ad Conventum ituri sunt, putant satis tempori se ituros mense Septembri, cùm antehac Majus nominaretur. Interim Pontificis hic nuncius audet nobis intra sesquimensem inducias & intra sex menses pacem polliceri. Et sanè videntur à Gallis multa pacis impedimenta futura tolli: probatum quippe à Rege Fratris conjugium, quanquam addito quod & in acta Parlamenti relatum est, venire se eò coactum, deinde apposita lege, ut secundum mores ritusque Galliæ de integro solennia peragerentur, quæ, si ita ferat occasio, obtentum dare possunt mutandæ sententiæ. Parlamentum Metense, quod recens contra veterem morem introductum fuerat, & sine dubio difficilem habitura fuisset in pace tractationem, paulatim silentio indicto destruitur. Maximus nodus in Pinerolo est. Nam de Lotharingia facilior videtur fore sub aliqua lege restitutio. Interim Præfecti Sanctonici literæ significant timere se ne Hispana classis ad Rupellam aut Oleronem Insulam veniat, dum 67. 80. 66. 10. 79. 3. 71. 98. 71. 41. 14. 37. 70. 41. 77. Lactucarii. Pecuniæ quàm difficilè hic expediantur documento est Parlamentum Rhotomagense, quod nuper sub pœna capitali vetuit effectum dare id quod Rex imperaverat, de pecuniis mutuis (nempe ita mutuis ut nunquam redderentur) in civitates ac vicos indicendis: qua re læsam summam potestatem suam Rex querens, parat ire Rhotomagum aliquos Senatorum exemplum facturus cæteris ne talia audeant, quanquam excusant illi se quod, quo tempore Regis Frater & Suessionensis moturi aliquid metuebantur, ea quibus apud se quies civilis turbari potuerat qualicunque remedio præcavissent. Rex Senatores Parlamenti Parisiensis his diebus alloquens, obedientiam dicebat potiorem esse sacrificio: & periclitante re summa etiam Romanos ad libera Dictatorum confugisse imperia. Comes Suessionensis quæ ad Regis Fratrem scripserat, quoque modo venia Regis uti noluerit, videbit Tua Sublimitas ex charta adjuncta. Territatur minis confiscationis: missusque nunc ad eum Hilario Capucinus monachus: creditur sermonem injecturus de Combalettæ matrimonio, quod ne sibi aliquando noceat Princeps Condæus timens, filium suum Podiolaurentii quondam uxori aut alteri cuivis Gardinalis cognatæ studiosè offert. Alius Monachus è Minimorum ordine in Hispaniam ivit, velut votum persoluturus, Reginæ nomine Beato Isidoro, quem illa Cælitem maximè veneratur: creditur ab Eusebio 23. 79. 77. 119. 79. ut agat 10. 52. 64. 70. 22. 33. De amplis conditionibus quas Imperator Suedis offert, loquuntur multa Angli, Galli que non sine metu. Is eos, ut spero, ad amicitiam Suedicam retinendam quærendamque excitabit. Italica ad Marinum plerumque perveniunt rumore sero, sæpè & per Gallos vitiato, ut ex Parmensis negotio apparet.

Lau-

Digitized by Google

Laudanda interim quæ intelligit sedulò perscribentis diligentia. Fuit rursum apud me 9. 59. 10. 33. 34. 75. 53. 2010. ait debere Vindicis Curtiique populos inter se convenire, ut hi de Othonis vicinisque terris illi de Tullo tantundem utrique retineant. Ego sive bello sive pace, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati precor prosperrima. Lutetiæ 7 Martii novi Cal. 1637.

STENONI BIELCKIO.

Illustrissime Domine,

723 TRiduo postquam literis Illustrissimæ Dominationis Tuæ 17 Ianuarii scriptis responderam, accepi literas 22 ejusdem mensis datas. De Anglia meliora nos sperare jubent, quæ inde veniunt literæ. Editas ibi electoris Palatini objectiones adversùs Regis Romani electionem: dari ei naves, dilectus Gallis, & amicis eorum Germanis permitti, & alia illa Fletwodiana. 11. 72. 60. 112. 69. 61. 37. 63. Tulipam 24. 72. 61. 59. 76. 82. 33. 66. 76. 68. 24. 72. 12. 55. 63. Hannibalem 78. 79. 76. 37. 70. 7. 71. 72. 78. 59. 78. 57. 61. 71. 63. 33. paucos intra dies qui exspectatur hic Ogerius efficiet notimus certiora. Planè eadem quæ sunt in fine epistolæ jam dixeram Regi, Regiisque Ministris explorare nostros, quid hostes cupiant: cæterùm omnia ab iis dirigi ad communem cum Gallia amicisque cæteris pacem: id eis accepta epistola ipsis ejus verbis multò asseverantiùs confirmavi. 10. 69. 20. 81. 71. 78. 70. 66. 71. 72. 63. 66. 71. 34. hic est, literas ad se destinatas nondum accepit, sed meo exemplo pro literis usus est. 16, 17. 78. 80. 22. 14. 2050, 27. 11. Eusebio. 71. 63. 57. 71. 76. 82. 80. 78. 71. 80. 61. missus est, 81. 73. 77. 55. 101. 42. 66. 72. 9. 71. 78. 70. solvendi specie. 71. 67. 10. 33. 82. 70. 12. 72. 80. 9. 72. 68. 12. 81. 16. 91. 60. 55. 81. 80. 66. 72. In Italia fides Hispani refecta est, ex quo classis Americana in Hispaniam advenit. Apud Gallos tum ibi, tum in Valle Telina, multa laborant inopia pecuniæ, & quæ per Galliam quæruntur rationes novæ, ut ista nuper de mutuis pecuniis à civitatibus, vicisque sumendis, adeò non bene procedunt, ut Parlamentum Rhotomagense gravibus sub pœnis interdixerit, ne quod Rex jusserat fieret, sed ad coërcendam hanc periculosam Regno libertatem Senatorum aliquot pœna, Rex ipse paucos intra dies Rhotomagum proficiscitur. Ebrestenii fames multùm hic timetur, neque planè secura est Gallia à Sanctonico littore, cui imminere classe hostis creditur. Nuntii interim Pontificii inducias intra mensem unum aut alterum, pacem non ita multò post sperari jubent. Coloniam missio magis magisque prolatatur, cùm tamen literæ commeatus pro Legatis jam ab Imperatore, quales petebantur, venerint. Vrgemus hic negotium Ducis Bernhardi Vinariensis, ut brevi exercitum accipiat. Sperat id futurum. 79. 78. 107. 80, 70. 101. 79. 60, 33. 16. 76. 75. 10. 72. 61. 11. 74. 45. 234. 89. sperat inter, 66. 14. 75. 78. 69. 61. 75. 68. 10. 70, 63. 69. 11. 79. 69. 61. Comes Suessionensis longum exilium bonorumque jacturam metuens, quærit vias, quibus recuperet amicitiam eorum, quorum potentiæ se imparem serò sentit. Cum Suedia fœdus placere sibi Galli ajunt, etiam illis, quas Magnus Cancellarius Wismariæ scripsit conditionibus. Deus, Illustrissime Domine, Illustrissimam Dominationem Tuam servet. Lutetiæ 7 Martii novi Cal. 1637.

Tuæ Illust. Dom. observantissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

724 NOvissimo quo literæ mittebantur die, hæc epistola, (die 27 Februarii scripta) me fortè avocato, à meis claudi mittique neglecta est. Ea nunc venit cum accessione. Literæ Londinio planè nos in spe de Anglis, præsertim de navibus Palatino commodandis, concepta confirmant: itemque de Gallico fœdere, quod utinam ratum faciat, qui hic eis paucos dies exspectatur Ogerius. Legati ipsi perplexè satis loquuntur: Galli nolunt me dubitare. Dux Bernhardus sperat intra Aprilem traditum sibi iri proprium exercitum: qua in re ipsi collaborare non desino, simulque Gallos jubere, securos esse de colloquiis hostium nobiscum, cum nulla, nisi quæ in commune bona sit, pax placitura sit Suedis. Idem Dux Bernhardus ex Anglia brevi ad se qui mittatur exspectat. Comes Suessionensis dicitur, metu publicationis bonorum, quærere rationes per quas se in eorum, quibuscum ipsi hactenus minùs convenit, amicitiam restituat. Ehrenbrestenio multùm timet Dux Bernhardus. Dicitur fames obsessos ad fœdissima compellere alimenta. Galli cum Suedis fedus quibuslibet conditionibus expetunt, parati ejus causa etiam hostes se Imperatoris profiteri. Hæc tot virium conjunctio magni nos aliquid sperare hoc anno jubet. Secundet Deus idemque, Illustrissime Domine, te ac tuos servet. Lutetiæ 7 Martii novi Cal. 1637.

Mitto quæ Suessionensis ad Regis Fratrem & super Regis de se Edicto scripsit.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVod reversus ab Anglia apportavit Ogerius, non 725
parvo discrimine remotum ab eo quod Galli præformaverant, partim ex ore Comitis Licestrii, sed uberiùs postea ex præfecto Ærarii Bulionio intellexi. Vult Rex Angliæ suarum navium quindecim utendas dare Palatino, & Galliæ Rex iis navibus alias adjungere subditis suis liberum facit. Paratus ad hoc est polliceri, se neque recta neque obliqua via adjuturum res Imperatoris aut Hispani, neque seorsim ulla cum illis pacta facturum, permissurum se ut quibus bellum cum Imperatore Hispanoque est, iis militem scribere per Britanniam liceat, sed ad definitum numerum haud sanè, ut audio, magnum. Vicissim petit, ne Suedi, Galli, Batavi absque ipsius conscientia, assensuque bellum aut inducias faciant, donec eorum omnium instituatur conventus, Danique insuper, in quo constituant singuli quas putent pacis leges æquas suisque rebus convenientes fore, invicemque se obligent nisi ea obtineantur, arma se non posituros. Is conventus ut intra tres menses habeatur, postulata deinde omnium intra mensem perferantur ad Imperatorem, qui ea nisi acceptet, tum Angli ad arcendam inferendamque vim cum aliis illis omnibus fedus se facturos, cujus jam nunc conditiones perscriptæ sunt, spondet. Intelligo inter alia apertè eos voce scriptoque testari, eò se tendere omnia, ut Protestantibus quæ habuere restituantur. In illis omnibus esse & Vespasianum 82. 81. 77. 59. 1009. Video hæsitare Gallos an ob hanc accessionem se ad bellum trahendum obstringere debeant. Sed si omnino hac æstate bellorum fortunam experiri decreverunt, apponent fortè lucro quantulumcumque est quod offertur. Propositum autem hoc ipsis multæ sunt conjecturæ. Primò confirmor in eo quod scripsi antehac Legatos hinc Coloniam non ituros ante Septembrem mensem, quanquam Imperatoris Legati Fuggerius & Curtius, itemque ab Hispano duo Mediolanenses parare se ad Pascha dicuntur. Dux Vinariensis ait suum exercitum esse x millium: totidem alios addi à Rege, quod his temporibus multum est. Queritur tamen toto millione in stipendium promisso fraudari se à Bulionio. Cardinalis Valetta alium habiturus est exercitum: ambo pabuli tempus, nec quicquam ultra exspectant. Qua parte ad Pirenæos montes

Digitized by Google

montes Aquitanicus accedit Oceanus, prope à Fontarabiæ, quod nunc flumen Hispaniæ Galliæque est terminus, castellum Talantiguinum nomine struxerat Hispanus, id ei Dux Valetta 24 Februarii eripuit, & solo æquavit. Id Gallis spem facit & cætera quæ ibi sunt Hispanorum castella, quorum præcipuum est Socovæ, posse recuperari: quod si fiat, haud magni futura sint pretii, quæ Gallorum alibi ex hoc bello tenet Hispanus, dum verò & Imperatoris mors, quam multæ literæ nuntiant, spem facit Gallis fore ut mandatis quæ de pace cum Suedis conficienda data fuere, per mandantis mortem exstinctis, haud facilè reviviscat negotium, quod Regi Hungariæ de jure ad Romanum Regnum controversiam putent motum iri à Suedis non minùs, quàm à Gallis sit Anglisque. Interea per Germaniam prosperos Suedorum successus animo præsumunt, flagraturasque bello ipsas domui Austriacæ avitas terras. Ita domestici mali sensu venturos ad accipiendam pacem qui nunc deberi sibi putant, ut tum ipsi dictent. Rex pecuniæ faciendæ, præter ingentes illas mutui nomine collationes in oppida vicosque descriptas, nova edicta magno numero (quadraginta arbitror) in alias provincias mittit. Rhotomagum ipse perfert, ubi qui jussibus ejus obstiterant Senatores pœnas dant intempestivæ libertatis, septem munerum functione interdicta, duo amissis dignitatibus non servato quod pro ipsis pependerant pretio. Id linguarium mutos faciet alios. Scriptum quod ab Electore est editum Palatino non mitto, multa credo habere exempla D. Camerarium: ego unum quod habeo descripsi ex eo quod legendum mihi dederat Anglicus Legatus. Locum conventui illi, quem Angli animo conceperunt, destinari Hamburgum video. Galli dant operam ut controversia de mari Anglos inter Batavosque ad quietem certè temporariam deducatur, quod sanè necessarium judico, neque desino allaborare. Itali omnes vellent spectatores esse eorum quæ agentur per Germaniam, atque ipsi interim otio frui aut ex convento, aut versis illuc bellantium viribus. Parmensis præivit, cujus urbem Placentiam tenebat Ethruscus, sed præsidio stipendium Hispanus dabit. Vallis Telina inde à Comensi Lacu, inde ab ea parte, quæ Rhenum fundit, assilitur, ægrè res sustentante Rohanio, cujus inopiæ medentur nonnihil Veneti, qui Ducis Vinariensis norunt res, ajunt equites ei esse bis mille & centum, peditum per præsidia distributa millia quatuor. Sed hæc augentur in majus, nequid desit quo Suedi animari possint ducendum ad bellum, Dolæ urbis obsidium repeti velint Gallici Burgundiones. Sed patientia, machinarum usus, obsidendi oppugnandique artes unde Gallis? Dux Longavillanus arcem quandam (faucinia-ta dicitur) Catalauno Campaniæ non procul oppugnat. Fuit apud me Pater Menotus in Aula Sabaudica valde potens Iesuita. Ait & bellum & pacem Suedorum in manu esse. Certum illud ait 10. 74. 16. 15. 24. 29. 12. 14. 59. 79. 6. Tulipam 14. 37. 24. 12. 61. 71. 1080. 40. Comiti Suessionensi cum affinitate Cardinalis ostentatur spes dignitatis Comitis stabuli. Rex in acta Parlamenti referri jussit, se ei ignoscere ejusque comitibus (sicut & fratri suo se ait ignovisse) dummodo intra mensem faciat quod subdito convenit. Ita indulgentiæ Regiæ beneficium ei velut per vim ingeritur. Nec desunt minæ in contumacem. Etiam Aulæ magisterium, quem honorem ille habuit hactenus, in Condæi filium transfert curiosorum destinatio. Miror ex certis testibus me cognoscere, partem maximam classis, per quam ora Neapolitana ac vicinum mare à Gallorum vi defensum est, constitisse ex Batavis, qui captos se ajunt, & capti sunt, non bello, sed magna mercede. In ea republicatum alia quædam, tum res maris, qua ea stat maximè, curatur satis negligenter. Habet suos Mediolani homines Sabaudus, itemque Genuæ & Florentiæ, quos satis notos illis tolerari gens suspicax Itali ad parum fidæ cum Gallis amicitiæ, argumentum trahunt. Qui aliquid de Tuscis consiliis scire videri volunt, ajunt id apud Clodium ut Tullius & Numa 32. 74. 18. 75. 103. 66. 33. 78. 77. 69. 4. 37. 24. 61. 27. 78. 48. Oryza. Ego id non affirmaverim. Ad exemplum Galliæ in Neapolitano etiam Regno dignitates magno vænire incipiunt. Dicitur qui Mediolano præest Leganesius octo millibus transitum Helvetios Romanenses poscere', sed hæc minora sunt. Id quod maximè me torquet est 78. 75. Lactucæ 74. 77. 80. 78. 96. 74. aliquid 31. 59. 76. 12. 98. 60. 74. 78. 68. Dux Vinariensis pergit se commendare Tuæ Sublimitati, suumque prædicare in rem Suedicam studium. Ait se Gallis quâ potest uti. Rex Angliæ consuluit judicum præcipua auditoria, an jus ipsi esset sine Parlamento indicere, quæ exigit Regni necessitas. Responsum tulit, quale voluit. Sed in præsens lætum, ob favorem in Domum Palatinam, quo postremo sit evasurum, rescisso vetere Principem inter populumque benevolentiæ vinculo, dies docebit. Rediere à Floristano Galli, id in Sardinia municipium turrisque est, quam captam diruêre, nullo alio facto ibi operæ pretio. Hæc habebam, Excellentissime atque Illustrissime Domine, cum precibus ad Deum pro Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis rebus prosperrimis. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Martii 1637.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Rediit ab Anglia, qui missus à Legatis Anglicis eò fuerat, Ogerius, refertque non quas hinc tulerat conditiones, sed alias novas. Palatino Electori vult concedere Rex suarum navium quindecim, & privatis permittere, eundem ut suis juvent navibus, prædas agendi causa, sed petita auctoritate à Galliæ Rege per literas Marcæ. Paratus est præterea polliceri, nihil se opis Imperatori Hispanove præstiturum, neque seorsim cum iis acturum quicquam, permissurum præterea eorum hostibus, ut per Britanniam ad definitum numerum legant militem. Hæc cuncta valitura, donec Conventus Anglorum, Suedorum, Gallorum, Batavorum, Protestantium Germaniæ Principum, non præteritis & Danis, instituatur Hamburgi aut alibi, ubi consentiatur ad promovendam restitutionem excitorum bonis Protestantium, & simul in ea quæ Galli, Suedi, Batavi rebus suis commoda volent postulare. Quod consensu æquum videbitur. id Anglos breve intra tempus ad Imperatorem perlaturos: qui nisi ea concedat, tum se cum cæteris arma, federe jam in id præformato, juncturos. Vult Rex Angliæ intra tres menses incipi eum conventum. Eo finito intra mensem se ad Imperatorem velle mittere. Neque obstare se Coloniensi Conventui: sed ibi tanto plus valitura postulata, si junctim ex consensu fiant. An Gallia hanc accessionem virium tanti sit factura, ut propter eam velit se ad pacem intereà sine Anglis haud faciendam adstringere, nondum certò affirmare audeo. Video nutare consilia. Sed si omnino Gallis constitutum est hujus æstatis fortunam bellicam experiri, videntur, quicquid ab Anglis haberi potest, appposituri lucro. Sunt sanè egregii paratus, magnæ dantur Sabaudo copiæ. Dux Vinariensis exercitum se sperat habiturum XX millium, pabulandi tempus exspectans. Neque segniùs hostis rem gerit. Omnes quæ Wormatiæ, Spiræ vicinisque in locis erant copiæ Rhenum transiere: Vallis Telina à Lacu Comensi, & ab iis locis unde Rhenus fundit sese, assultatur. In Aquitania Oceano adsita bellum itidem strepere incipit, castella Talatanguino, ad ipsum Galliæ Hispaniæque terminum, Gallorum impetu extorto Hispanis de 24 Februarii novi Cal. Leganesius à Romanensibus Helvetiis transitum ad se octo millibus postulat. Impera-

peratoris mors hic creditur. Obiisse dicitur 15 Februarii nov. Cal. Id si verum est, novæ circa pacis colloquia difficultates exorientur apud eos, qui Hungariæ Regem nolent ut Regem Romanum agnoscere. Pecuniis quærendis fervet hic multorum labor. Hoc ipso ecce tempore tuas accipio 7/17 Februarii datas. Ad partem earum pro responso erunt quæ supra scripsi. Exspectamus de Lipsia, cæterisque Suedorum successibus nuntios. De prælio rumor qui hic fuerat, evanescit. Erat autem dupliciter vulgatus, ut hic varii pro nobis contraque nos sunt hominum animi. Ad Coloniensem Conventum Curtius & Fuggerus, item Mediolanenses duo, parare se dicuntur, ad Pascha ferme. Literæ Imperatoris pro Galliæ aliisque Legatis venere quales exspectabantur. In Cardinalis Hispani literis nomen Batavorum desiderari audio. Ad Comitem Suessionensem qui iverat monachus, in Regis gratiam eum restituendi causa, is nondum reversus est. Frater Regius in Aula hac agit, lætus quod se turbis emoverit. Ita de quiete interna Regni est cur optimè speremus, eamque firmabunt, ni fallor versa in externum bellum arma animique. Rediit à Sardinia classis Gallica, diruta turre, cui nomen Floristano, cæsisque ibi hostium signis aliquot. Deus, Illustrissime Domine, tibi, tuisque adsit. 12 Martii 1637.

Tuæ Ill. Dom. omni studio observantiaque addictiss. H. G.

D. WITTIO,
Consiliario Meclenburgico.

Amplissime Domine,

727 QVanti te semper fecerim ignorare non potes, si tuas virtutes meque candidum virtutum æstimatorem bene nosti. Valde dolet mihi, quod literas quas scripsisse te memoras ad me non miseris. Est etiam in publicis rebus non optimis aliquod ex amicorum colloquiis solatium: & meministi quàm apertus inter nos semper, & honestissimi præpositi testis sermo fuerit, quò magis doleo tuis consiliis non ubique fuisse eam, quam voluissem, auctoritatem. Germaniæ enim communis patriæ amantissimus cùm sis, inque eis rebus exercitatissimus, non potuerunt tua cogitata sperni sine illius malo. Placet illud quod Magno D. Cancellario priusquam is mare transiret, adfuisti, quodque ibi mei facta est mentio, quæ non potuit non in me esse benignissima à summo amico meo ad summum fautorem, & tu rectè judicasti non alium facilè reperiri posse, qui Germaniæ melius velit, quàm ego, ne Germanum quidem: & Magno D. Cancellario ob hoc quoque multum debeo, quod his difficillimis temporibus meas hic in Gallia ut ita dicam excubias putat esse non inutiles; si ipsi posthac cum tuo bono visum fuerit me in Germaniam avocare, curram festinus ac neminem ibi quam Te communemque amicum veterem D. Salvium libentiùs amplectar. De meo in patriam reditu cura te libero. Patria est ubi bene est nobis, ubi bene agendi seque ostendendi detur occasio. Suediæ totum me dedi, Suedus sum adoptione, animoque toto. Per Batavos transitus Legato semper patebit, plus non desidero. Interim ipsorum etiam rebus quippe ad communes non leve momentum habentibus, quantum possum opitulor, ejusque rei plurimos habeo testes. Angli nunc mari aliquid pro Palatino conantur nec tamen suo nomine, Gallosque & nos sollicitant, ne ab hoc bello, nisi Palatina Protestantiumque rebus bene positis, exeant. id nunc in Gallia consultatur, inde in Suediam transitura deliberatione: sed ut Anglis Batavisque conveniat, in soporem collocanda est illa de Neptuni vinculis controversia, aliæque similes quæ amicitias turbant. Confer quod potes, potes autem multum, auctoritate, gratia, peritia: ego planè amicus Anglis, Batavis non inimicus adjutorem me promitto. Galli in Sardinia Turrim Floristanam; in limite, Galliam Cantabriamque inter, Castellum Talantigium & ceperunt & diruerunt utrumque. Vale Vir mihi semper amicissime. 12 Martii 1637.

Tuus quem satis ut spero notum habes H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

80. 35. 96. 37. iis federibus de quibus scripsi nuper, 728
non id tantùm agunt, ut Ciceroni consulant, sed & ut Vespasianus Caio decedat. Id enim 107. 80. 57. 71 68. 66. 74. 103. 79. 77. 81. 77. 71. 59. Violarum sine qua, 78. 73. 7. 69. 78. 77. 25. 27. 39. 72. 61. fieri. Scriptum illud quod hic fieri cœperat, quo electio in Regem Romanum vitii arguitur, jam confectum est: an proditurum sit cum privilegio nescio. Cum Verre 108. 19. 72. 50. 37. 2010. Speciatim agit. Dux Vinariensis in spe sua manet. Curtius à consilio Imperatori missus ad Bavarum dicitur, ut ei persuadeat decedere de Palatinatu, repensationem ab Austriaca Domo alibi recepturus. Additur & cum Brandeburgico agi, ut is quoque in Silesia accipiat possessiones, pro Pomerania quæ concessa Suedis pacem sit factura. Galli cum Anglis etiamnunc disputant, voluntque illam de mari cum Batavis controversiam ante omnia componi, quod ipsum in Gallica federis præformatione comprehensum in sua Angli de industria omiserant. Comes Suessionensis quid per Comitem Brionium nuntiarit, latet hactenus. Putatur cum Regis venia iturus in Batavos aut Novum castellum, quod Longavillani in Helvetio fine oppidum est. Interim, quod Rex de Comite in publicum edidit, mitto. Condonat ei qui peccasse se negat. Apud Reginam Matrem omnia potest Coignæus, antehac Fratris Regii Cancellarius, putaturque Chantilupium & Sanctogermanium brevi de gratia demoturus; quæ via an reditum Reginæ Matri in Galliam datura sit dubito. Inter Regem & Parlamentum Rhotomagense de novis tributariis edictis disceptatur. Parlamentarii novem edicta probare parati sunt, de quinque controversiam movent. Frater Regius scripto promisit se Comiti, si quid agat Regi quod displiceat, non modo non fauturum, sed obstiturum quoque. Dux Bulionius ejusque Mater, quod colloquia Comiti cum Hispanis Sedani non impedierint, suspiciones hujus Aulæ non evadunt. Helvetii Pontificii, non sine mercede, transitum octo millibus militum in usum Leganesii concessere: dubitatur nunc usuri ne eo sint Hispani, an tantùm Gallis invisos facere Helvetios satis habituri. Nam idem & apud Rhætos agunt, quorum Legati hoc ipso tempore sunt Mediolani. Timetur etiamnum Valli Telinæ præsertim quod machinæ nonnullis in locis ut Mantelli & Rivæ desint. Ratisbona quæ veniunt literæ ajunt laborari, ut electio Romani Regis à Trevirensi Antistite probetur, aut certè à Capitulo addita promissione ne novus eligatur Antistes, nisi qui acta probaverit. Suedis pecunias offerri, sed impensa Protestantium: Suedos verò magna postulare, restitutionem sacrarum profanarumque rerum in veterem statum, fedus Regni sui cum Imperio contra hostes externos, concessionem Pomeraniæ partisque de Meclenburgico, utque cum Gallia itidem conveniat. De Curtii Legatione modo quod scripsi, id nonnulli existimant non eò pertinere, ut quod præfertur fiat, sed ut Angli trahantur spe ut hactenus. Nos hic in rerum Germanicarum magna versamur ignorantia, ob incerta literarum per mare, ventos & insidias. Filium meum natu minimum, qui per annos duos obsidionale illud bellum apud Batavos vidit, nunc in Familiam do D. Ducis Vinariensis, ut alterum bellandi genus castrense ac præclare itidem addiscat, atque in utroque utilem se aliquando præbeat Regno Suedico, cujus rebus meorum

Digitized by Google

meorum omnium operas destino. Ego diligenter pergo in conquirendis omnibus quæ ad antiquitates ejus Regni ortarumque inde gentium illustrandas pertinent. Iam nunc Alsaticæ Nobilitatis literas ad me perfert ejus ordinis Syndicus & querelas de præsidio Benteldensi: scio multa talia surda aure debere prætervehi, & necessitate m esse legem temporis. Negare tamen illis non potui, quin qualiacunque dicunt transmitterem, si quod fortè levamentum publicis rebus non incommodaturum reperiat Tua Sublimitas. Anglus Legatus ordinarius etiam post rixam inter meos ipsiusque domesticos exortam dixit mihi Angliæ Regi gratum fore, si ad amicitiam inter Suediam Angliamque fovendam eo mittar. Id non eo dico quod hic me esse tædeat, sed ut constituat Sublimitas Tua ubi potissimum opera possit esse Reginæ Regnoque utilis. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno Tuæque Sublimitati in utriusque bonum faveat. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Martii 1637.

Video Marinum incipere timere rebus Rhæticis: nec sine causa. Rogavit me per literas Comes Georgius Fredericus Hohenloius se ut Tuæ Sublimitati commendarem. Davausius it hinc Legatus in Poloniam acturus de 12. 73. 24. 79. 67. 9. 79. 42. Ciceroniano Liliorum rogatu & de aliis non 71. 24. 66. 72. 61. Sophis. In literis commeatus Cæsareis est, quod accusent Galli, quod non pro singulis Legatis Gallicis singulæ sint datæ ut Galli fecerant, quodque non Imperator eas dedit, sed ejus nomine Rex Romanus, nempe volens pro tali agnosci, de Imperatoris morte certi venere nuntii. Scripsit ad Cardinalem Comes Suessionensis se ex Hilarione monacho intellexisse bene sibi velle Cardinalem. Crediturum se, si res viderit, videtur velle manere Sedani, in quo oppido dicitur concessu Ducis Bulionii mutasse præsidium introductis duabus centuriis. Ad Sabaudum XII CIↃ militum mitti dicuntur.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

729 DOlet mihi, quod tanto temporis dispendio, tu meas, ego tuas, quas maximi facio, literas accipimus, quæ si rectè curarentur, pridem à me habere debueras quæ scire expetis. Argumentum ejus quod dico & hoc sit, quod tuas 23 Februarii, hodie demum recipio. Non pigebit repetere quæ scripsi, ut siquæ fortè mearum interciderint, earum damnum sarciatur. Fratri Regio concessa est uxor, ea lege ut secundum mores Francicos de integro fiant nuptiæ. Ventura tamen hoc rerum statu non creditur. Reditus sibi attributos ipse posthac è Provinciarum quæstoribus, non è Bulionii recipiet manu. Qui sectam ejus hoc tempore secuti sunt, eos à se, pacto id ipsis innoxium fore dimisit. Comiti Suessionensi, siquid agat Regi quod displiceat, non modo se non adfuturum, sed & obstiturum promisit. Quid à Comite Suessionensi reversus Brionius Regi portarit, necdum scitur. Creditur Comes aut apud Batavos, aut apud Novumcastellum Regis permissu victurus. Rex edicto in acta Parlamenti relato ait, se oblivisci eorum quæ ab eo perperam facta sunt, dum intra dies XV officium faciat. Cum Rhotomagensi Parlamento Rex agit, ut tributaria quædam edicta nova probentur. Quinque sunt quibus maximè contradicitur. Ogerius quæ attulit, non parum distantia ab iis quæ Galli perscripserant, disputantur hic & dedolantur. Displicet quod ad maritimos Electoris Palatini conatus à Gallia auctoritas petitur: quodque paciscendi libertas per novam formulam adimitur Gallis; donec in communi conventu quid ab Imperatore peti debeat, convenerit: quod fortè futurum nunquam est, ob diversa eorum qui bellum cum Austriacis habent inter se & ab Anglis studia ac cogitata. Non desino laborare ut tollantur, quæ fedus morantur difficultates: ac præcipuè ut illa de mari cum Batavis, si componi plane non potest, sopiatur controversia: quod in Gallica federis præformatione positum ab Anglis silentio præteritum Galli queruntur. Sed quando ipsas formulas non vidi, nihil explorati possum perscribere. Quid Barclaius ferat, è Suedia discendum nostrum utrique erit. Verum est pro IↃ M pridem debitis Heusdium fidem suam Suediæ obstrinxisse. Missæ & ad S. Chaumontium literæ ad persolvendas pecunias ex Wismariensibus pactis, cum professione perscripta, Imperatorem à Rege Galliæ pro hoste haberi: quibus rebus præstitis, nullam fore in ratis habendis pactis Wismariensibus moram, dicere me Magnus Cancellarius jusserat. Publica tamen belli denuntiatio Imperatori, Regive Romano facta nulla est, nisi fortè sufficit ipsi Galliæ indictum bellum à Cardinali Hispano, etiam Imperatoris, ita enim loquebatur, nomine. Existimant autem Galli, cùm Imperatoris arma Burgundiam impetierint, si ipsi, in Suedorum gratiam, hostes aperti fiant Imperatori ejusve successori, etiam Batavos ex federe Lutetiæ facto eorundem hostium hostes fieri debere, neque posse manere medios. Quæ inter me ac Ærarii præfectum Bulionium acta sunt de illa vetere pecunia, deque aliis ad Wismariensia pacta pertinentibus, ea Ducis Bernhardi huc adventum præcesserant: ejus autem negotium, ut scilicet cum magno exercitu mittatur adjutum res Germaniæ, & Regi & ministris Regiis commendavi, non sine fructu; nam & hoc pars est pactorum Wismariensium. De Lipsia, Bannerique victoriis caluit hic Aula rumoribus. Sequatur præsagia par eventus. Ehrenbreitstenio quoque illatum aliquid commeatuum, quod dictum hic est, utinam verum sit aut fiat. Ad Coloniensem Conventum tardæ fiunt progressiones. Vt scripsi, satis in tempore ad Septembrem mensem ibi se futuros Galli putant. Et si certa est, ut hic creditur, mors Imperatoris, dubium jus Romani Regis novos nodos injiciet. Paratum enim hic scriptum est, sed nondum editum, quo electio ista in controversiam rapitur. Bene valere Principem Arausionensem ejusque puerperam gaudeo. Pecuniæ reperiendæ si ibi multæ se objiciunt difficultates, minùs mirandum est in statu Polyarchico, cùm in hoc monarchico res ista quotidie magis magisque intricata sit. Sed diuturna bella sine illis incommodis esse non possunt. Multum autem rei communis referet, ut quamprimùm Batavi se moveant. Magnum Cancellarium puto de suo in Germaniam adventu, aut mansione in patria, ex sociorum actibus circa pacem bellumque constituturum. Curtius Imperatori à consiliis ad Bavarum ivit, ut illum, repensatione oblata, eò adducat, Palatinatum ut reddat veteribus dominis, electioque fiat alterni juris. Id seriòne agatur, an ut opera venditetur Anglis, si fortè spe nova lactari se patiantur, tu rectiùs judicabis. De Imperatoris morte certi jam adferuntur nuntii. Mittuntur Sabaudo XII CIↃ militum. Deus publica negotia, ac tua simul, Illustrissime Domine, cordi sibi velit esse. Lutetiæ 18 Martii nov. Cal. 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu devinctissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

ABs nobis quidquid tibi gratum proficisci potuit, id volentissimo animo factum multoque esse quàm vellemus minus dubitare te veto: apud Magnum Cancellarium esse te, nisi res potior retineat, vel ob hoc velim, ut ne ignarus sis eorum quæ D. Mullerus Hebsteinium diligenter edocet. Gaudeo defunctum te duplici periculo maris & hostium rectè ad Batavos venisse nostrosque tibi conspectos. Quid constiturus sit de Germanico suo 730

Digitized by Google

suo itinere. Magnus Cancellarius & per se momentum habet, & nobis dabit de cæteris judicandi materiam. Multi hic rumores fuere de nostrorum felice prælio, captaque Lipsia. Ego certis auctoribus credo, ubi eos non habeo, contineo me intra vota. De Polonorum consiliis non aliud quàm tu judico. Videbimus quid & portaturus sit qui illuc mittitur, gratiosus in ea Aula Davausius. Bonum tibi obtigisse comitem itineris in Suedia gaudeo. Nostri omnes valent, teque resalutant. Dux Vinariensis adhuc hic hæret, nec moturus se est ante mensis hujus finem. Classis Gallica in Sardinia capto tantùm Oristano dirutoque nihil egit aliud. Ad Sabaudum XII CIↃ militum mitti dicuntur. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Martii 1637.

Tuæ Nobil. addictissimus H. G.

D. BIELKE & SALVIO.

Illustrissime Domine,

731 DAbis veniam, si pauca quàm nihil malo scribere. De Imperatoris morte convenit jam consentientibus nuntiis. Adversùs novum Regis Romani titulum scribitur hic, sed liber nondum prodiit, & an proditurus sit permissu publico plurimum dubito: si Galli in apertum bellum cum Rege Romano veniunt unà trahuntur ex fœdere Batavi. Cum Anglis etiam nunc de conditionibus disputatur: interim mittitur ab Imperatore ad Bavarum Curtius, quasi ut ei persuadeatur de Palatinatu ut decedat repensatione accepta, serione an ut Angli lactari, ut solent se sinant. At qui Coloniam destinatus erat Davausius litera una mutata in Poloniam mittitur, gratiosus ibi impetrata aut extorta Prussiæ concessione. Quid ibi acturus sit conjectura non adeò nobis, quibus pernotæ sunt res istarum partium, difficilis futura est. Cum Parlamento Rhotomagensi res tributaria transacta est, restitutique Senatores qui libertatem alieno tempore usurpaverant. Helvetii Pontificii petitum à Leganesio transitum VIII CIↃ militum permisere. Creditur non tam concesso usurus Hispanus quàm dissidia serere, quod illi & apud Rhætos non malè succedit, qui suos nunc Mediolani Legatos habent, ita ut verum appareat illud Papinii.

Et qui mos populis venturus amatur.

Valli Telinæ velim meliùs prospici, & Comitem Suessionensem, qui Sedani Hispanis aures præbet ad quietem deduci. Constantinopoli quæ veniunt literæ nos docent pacatas Transilvaniæ res, & clade à Persis acceptа, vires imperii in ejus ultionem exardescere. Deus cuncta ad bonum commune regat, idemque, Illustrissime Domine, Tuæ Illust. Dom. adsit propitius. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Martii 1637.

Tuæ Illust. Dom. omni cultu observantiaque addict. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque illustrissime Domine,

732 TRistior est 81. 9. 78. 80. 66. 71. 74. 35. 67. 37. 76. 113. 118. quod minùs ex voto res eat. Comes Suessionensis mutato ad suum arbitrium præsidio Sedani potens, volente Duce Bulionio, videtur obtenturus, ut concedatur ei quod eripi non potest, non eis nunc Gallorum rebus, ut ad obsidium ejus oppidi parati sint. Putatur ergo permissurus ei Rex, ut cum bona ipsius pace ibi maneat, nihilque tentet Regis rebus adversum, quippe si prematur parato, adiutore Hispano. Princeps Condæus ad Burgundiam abiit, armatus à Rege nova potestate ut edicta tributaria in Parlamento probari faciat, non aliter quàm si Rex præsens adesset, id est non exquisitis senatorum sententiis. Quæ in Sardinia gesta sunt, parum certè è gloria nominis Gallici, non ut in vulgus sunt edita, sed ut certis auctoribus accepi, mitto. Itemque postremam significationem voluntatis suæ, quam Anglis post Arundelii discessum dedit ante mortem Imperator, eo ut videtur pertinente, ut Electorale jus fiat alternum inter Bavaram & Palatinam domum. Vidi his diebus Legatos Angliæ duos: venit & ad me jussu Bulionii, qui cum eis colloquia agitat Heufdius, deinde & agens Anglorum Ogerius. Ajunt omnes Regem Angliæ adduci non posse ut bellantibus se societ, nisi explorata de integro novi Imperatoris circa pacem voluntate: interim passurum ut navibus privatorum (de Regiis enim negant) Palatinus utatur, auctoritate Galliæ Regis. Batavica de piscatu controversia, quam ante omnia sopiri Galli non sine causa voluerant, manet, nec quicquam ad perscriptam de eo Gallorum postulationem Angli responderunt. Laboratur tamen etiamnunc in eo. Gallis placet quod de conventu Hamburgi instituendo vocandisque eò præter Suedos Gallosque Batavis, Danis, Germaniæ Protestantibus Angli proposuerant: sed ajunt se obligari Anglis, causam nondum suam apertè sociantibus, interim nolle. Creditur ad eum conventum idem qui in Poloniam iturus Davausius. Suspicor aliquid 39. 42. 31. 81. 33. 41. 71. 67. 112. 85. 79. 78. 77. 33. 4. Alexandrum & Vindicem, quod Sophin 60. 80. 68. 72. 80. 3. Me Vespasiano quo eos tendere arbitrer, scripsi antehac, in eoque persisto multis adductus rerum verborumque argumentis. Eo in conventu tendet omnium conspiratio. Sunt qui existimant apud Augustum actum iri non tantùm de ea re de qua scripsi nuper, sed & in spem erigatur adipiscendæ dignitatis Annibalicæ. It Davausius Spiritus Sancti quod vocant insigni ornatior. Is qui in Hispaniam hinc ivit monachus Bachelius dicitur. Cum Lotharingo tum per alios, tum per Chevreuziam agitur. Cardinalis Hispanus potestatem accepit seorsim cum Batavis agendi. Ego ne id fiat & fidem reipublicæ obstrictam Galliæ, & Principis Arausionensis prudentiam obstituram puto. Demota hic est in Ponte novo ea, quæ Regi Galliæ Imperatoris dabat titulum, inscriptio. Inter nova tributa etiam hoc cuditur, ut qui è publico salaria habent, quantum uno anno percipere solent, tantum bima die pendant, ita ut dimidium jam præsens conferatur. Insulas duas in mari Ligustico jam petere dicitur classis Gallica, munitiores ab omni re quàm ut sperare expugnationem audeam. Piccolominæus Bruxellis est, metumque Galliæ ad Picardiæ Campaniæque finem injicit. De nostris per Germaniam rebus multùm diversi hic rumores per urbem jactati sunt, pronisque accepti animis aut ab iis qui nobis favent ob commune periculum, aut ab iis qui religionis odio in nos inflammantur. Mitto & epistolam brevem quam per Comitem Brionium Regi remisit Comes Suessionensis, de quo, ad modo dicta, hoc adjiciam, credi in hac aula non posse ejus animum flecti ad illud quod proponitur cum Combaletta matrimonium, quanquam matre ejus jam in id inclinata. Hæc scribenti intervenit Comes Licestrius satis alieno tempore, velut properans. Queritur de duritie Gallorum, qui cùm paratus sit Rex Britanniæ ad ea quæ ipsi postulaverant, si rei summa spectetur, nunc cessum eant, fedusque in Hamburgensem conventum differant. Præsagire se sui Regis offensam talem, ut eum suos Legatos Hamburgum missurum non putet, decisurum eum potiùs cum Austriacis, quoquo modo poterit, eorumque rebus, ut potest, commodaturum. Rogat me ut quando Galli Suedorum Batavorumque consensum se ajunt opperiri, suadeam eis ne occasionem fortè elapsuram è manibus dimittant. Nihil in hoc periturum Sued iæ Batavorumque rebus, si Rex Galliæ id quod sine ipsorum fraude fieri potest polliceatur. Postea se & cum Suedis & cum Batavis acturos, ubi tentatæ iterum pacis rationes erunt. Respondi me omnia optima velle Angliæ Pala-

Digitized by Google

Palatinæque domui. Et de eo quod non viderim fœdere nihil mei esse judicii, generaliter tamen commendasse me Gallis amicitiam Angliæ & quæcunque eas gentes arctiore vinculo possent adstringere. Neque tamen mirandum adeò si societatem differant cum iis qui bello immisceri adhuc nolunt, & ne auxiliatorum quoque nomen habere cupiunt. Non esse credibile Gallos ante Hamburgensem conventum cum hoste transacturos. Id quod maximè expeterent, salvum manere Anglis: satis obstare Gallis, ne id faciant, pacta Vismariensia, quæ probata cupiant. Antequam verò Suedi Gallique inter se ac deinde cum hostibus convenire possint, longiore opus tempore, quàm intra quod incipi possit Hamburgensis conventus. Indicabam etiam ad res communes bene constituendas opus fore, ut ista cum Batavis de mari tollatur disputatio. Ad hoc dixit nihil aliud, quàm Regem Angliæ in eo facturum quicquid æquum est, Regique Galliæ id precanti quantum incolumi jure suo posset obsecundaturum. Neque credibile esse classis suæ, quam tuendis amicorum littoribus offerant usum ullum adversùs Batavos, quos nunc maximè amicos cupiant, fore. Rogatus an Rex regias naves electori commodaret, dixit parum referre Regiæ essent an aliæ ad bellum non minùs validæ. Ego tamen ad famam multum id interesse dicebam. Addidi exspectare me à Suedia aut Pomerania literas quarum præscriptum sim secuturus, & quantum per id liceat, daturum me operam ut optimè velle Angliæ domuique Palatinæ cognoscar. Cùm diceret egisse cum Suedis Gallos, egisse cum Batavis, se inconsciis, haud mirum id dixi, cùm Angli, extra bellum positi, res suas seorsim agerent. Inter eos qui socii essent consilia debere esse communia. Cùm cætera extra Palatinatus causam ad se non pertinere vellet credi, ostendi quam formidanda esset vis Austriaca conjuncta cum Hispaniæ armis, etiamsi Imperii splendor auctoritasque non accenderent, quæ nunc illa domus sibi voluit, propria fecisset. Galliæ Suediæque non ea esse incrementa, quibus invideri debeat: Batavos suis rebus contentos fore. Hæc ferè longi satis sermonis rebus iisdem, per alia ut fieri solet verba, repetitis fuit materia. Mihi ex quas significavi conjecturæ nondum evelluntur. Sed eas meaque omnia exactissimo Tuæ Sublimitatis judicio suppono. Illud omittendum insuper non est quod dixit Licestrius, nullas Regi suo in Hispanum justas belli causas; verbaque illa, procuraturum se ut Palatinatus ad dominum redeat. Quæ olim dixit mihi ipse de id præstandi obligatione, nunc ad solam commendationem retulit. Venit & hoc in mentem, æquum non esse ut Galli si fortè, quod nescio, probatum jam in Suedia est fœdus Vismariense, conditionem pacis nobis duriorem efficiant aliqua cum Anglis pactione, quam nobis inconsultis confecerint. Cùm sua quoque agit, melior est conditio occupantis. Multi mihi indicant id agi ut 77. 72. 66. 77. 79. 80. 82. 70. 66. 76. orietur ex Sultano, Augusto, Pitamone, Galba, quibus accedat Alexandrini & lactucarii. Sabioneta jam Hispani accepit præsidium, pretium pacis cum Parmensi. Sabaudi consilia pergunt suspectare omnes qui Galliæ benevolunt. Creditur quæ pro Homero facit 10. 69. 20. 43. 81. 60. 71. 73. 24. 79. 2010. non facturus, nolente Gracho, unde de ipsius in Eusebium voluntate fit conjectura. Deum rogo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, cuncta ut det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati saluberrima Lutetiæ $\frac{17}{16}$ Martii 1637.

Equitatus hostilis ad Hesdinum apparet. Duci Vinariensi Gallicæ offeruntur copiæ tutando, ut puto, limiti. Et dicitur numerus à XX millibus ad VI millia decrescere. Ni obtineat quod æquum putat, comiter missionem flagitat. Hæc jam signaturo ipse intervenit. Queritur tamen hi se à Gallis, præsertim in re pecuniâria. Sperare tamen dari sibi Gallorum VI millia quæ cum suis copiis facta sint ferme XVI CIↃ. Proditurum se intra mensem Aprilem.

D. CAMERARIO, Eadem D. SALVIO, & D. BIELKE.

Illustrissime Domine,

PLacet Gallis is quem Angli proposuerant Hamburgi instituendus conventus eorum quibus nunc bellum cum domo Austriaca est, Danorum præterea & Germaniæ Protestantium, in quo quærantur communiter quæ ad pacem æqua sunt proponanturque Imperatori, ut si is respuat, fœdus deinde fiat cui Anglia accedat. Verùm quod insuper volunt Angli, ut pro eo quod se hostium rebus nihil opis allaturos, neque de Palatinatu seorsim conventuros, usumque navium sub Gallico nomine Electori permissuros spondent, jam nunc Galli se pacem sine ipsis non facturos promittant, in eo Galli res multum inæquales inter se ajunt comparari, totumque hoc obligationis negotium ad communem illum conventum referre cupiunt. De eo jam disputatur, Gallis honestum sibi, nihil incipere novi, nisi sociis consultis, dictitantibus, Anglis contra minantibus, ni ea obligatio antecedat, non missuros se ad conventum Hamburgensem, imo & seorsim suis se rebus consulturos. Ego, qui delineationes fœderum non vidi, quod unum possum, generaliter ea quæ ad amicitiam gentium coagmentandam faciunt, commendo, & quod eò ducit, ut marina illa tempestas, quæ Anglos cum Batavis collisura videtur, ad quietem deducatur aliquam: quo & à se laborari seriò ajunt Galli: Angli verò eam rem aut silentio involvunt, ut in pactorum conceptu formula factum ab ipsis intelligo, aut indifinitis quibusdam pronunciatis, puta facturos se quod æquum, multumque tributuros Galliæ precibus, neque nunc ea esse tempora, ut classe in Batavos usuram Angliam credibile fiat, eludunt. In his omnibus operam dabo, ne quid in commune utile à me omittatur. Galli post parum prosperos in Sardinia successus ajunt se occupatas ab Hispanis insulas velle recuperatum ire: dubito an id agant, & si agant, an possint. Adeò eas munitas esse à milite, ab operibus, ab omni belli apparatu è gnaris intelligo. Princeps Condæus in Burgundiam præfecturam suam ivit, cum nova potestate, ut quæ Rex vult Edicta, ita ibi in Parlamenti Acta referantur, ac si Rex adesset ipse, id est non exquisitis Senatorum sententiis. Ita gliscit quotidie dominatio. Comes Suessionensis Regi scripsit de ipsius se optima adversùm se voluntate non dubitare. Interim Sedani agit quæ vult: putaturque Rex ipsi concessurus, quod hoc tempore ei eripere difficile est, ibi ut maneat, nihil noxium Regno Regive moliens. Non est hoc tempus quo res moveri in Gallia oporteat. Piccolominæus Bruxellis nunc agens, metum Galliæ facit. De Batavis quondam meis, variè hic judicatur. Ego perstituros in fœdere cum Gallis inito non dubito, Principis præcipuè Arausionensis prudentiæ fisus. Valde expeto de rebus per Germaniam nostris sæpe edoceri. Est enim id ad multa utile. Mors Regis Hungariæ, sive is Rex Romanus, sive Imperator dicendus est, affirmatur à multis, parum certa tamen fide. Sabioneta jam præsidium cepit Hispanicum qua se mercede, ut suspicati hic fueramus, Parmensis à malo imminente redemit. De Sabaudo malè plerique pergunt existimare. Deus, Illustrissime Domine, tibi tuisque ad sit. Lutetiæ $\frac{17}{16}$ Martii 1637.

Tuæ Ill. Dom. omni studio observantiaque addictissimus H.G.

Adjecta ad literas Camerarii.

HUc usque cùm scripsissem, literas accipio Illustrissimæ Dominationis Tuæ datas 23 Februarii in quibus de Ros-

Rortæi prolatis, ac responsis quorum prudentiam maximè miror. Certum habeo agere Eusebium cum Verre cumque Clodio. Sed & quæ cum Alexandrinis aguntur 76.81.67.82. 72. 39. 77. 80. 32. 81. 78. 77. video 39.69.53.71.113.118.178. 79. 63. 80: 61. 64. 86. 66. 77. 74. 61. ex 60. 71. 7. 37.42. Galba, Augusto, Pertinace, Sultano, quibus lactuca posset accedere. Resuscitatur Augusti cum Cicerone negotium: adduntur inania, ut spes honoris Annibalici Augusta: Fabio hæc talia injuncta sunt. Ad Coloniensem conventum jam in itinere sunt Imperatoris Legati. Gallia an apertè titulum Romani Regis aut Imperatoris datura sit, nondum liquet. Interim si rem trahere volunt, quando literæ commeatus pro Legatis Romani Regis, Imperatore tum adhuc vivente, nomen præferunt, bella occasio est. Angli non videntur eam controversiam moturi. De Claudii principe puto nec ipsos Vindicianos quod dicunt credere. Vt à Callimacho abstineat facilè ab eo obtinebitur, vel per Tacitum. Sed hoc Fragorum malo redimere ut antehac facere se dixere, injustum sit. Illud de Cosaccis optimè discussum est, aptissimo responso. Galbæ propinquum pergere in instituto valde è re sit, utilitatisque inde oriturae causâ, dissimulanda etiam non levia. 9..70. 60. 115.73.76.24. 42. 11.71.67.55.78.76.37.44.71. 27. 66. 37. non est dubium. Deo, Illustrissime Domine, res publicas, Tuæque Illustriss. Dom. privatas commendo. Lutetiæ $\frac{26}{16}$ Martii 1637.

Tuæ Illustriss. Dom. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

734 Reginæ Clementissimæ Dominæ nostræ literas cum illis ad Galliæ Regem jam nunc accipio, ac quanquam ipse per me facere jam occupavi, quæ facere jubet, tamen ex speciali mandato eadem repetam, Reginæque responsa quæ haud dubiè ei placitura erunt, sine mora perscribam. Proficiscitur hinc intra Pascha Davausius ad Batavos, Danum, Polonum Legatus. In meis quas perscripsi conjecturis etiam sermones me confirmant eorum qui ab Aula ad me mittuntur. Sperant Mantuani Ducis Ministri sui Ducis filiam egregia forma ac virtutibus virginem Regi Polono nuptum ire. Ego tamen ex Polonorum colloquiis literisque disco de Palatina nondum abjectam cogitationem, quod & Angli jubentur credere. Cum Anglis nihil quod quidem palam notum est convenit. Nec sanè magni faciendum est de navibus quod offerunt, cùm illæ naves quanquam sub Regis, ut proponitur, Galliæ Electorisque Palatini nomine, nihil tamen facturæ sint nisi quod Aulæ Anglicæ placeat; quippe pertinentes ad subditos Angliæ. Id autem non erit ut loca aliqua Hispanici juris invadantur; cum Hispano enim bellum sibi nolunt atque profitentur, sed ut in prædam rapiantur Batavorum Naves quæ permissu Hispani sæpe in Hispaniam eunt, aut Regem Hungariæ aut Bavarum cogant facere quicquam, quod sua sponte facturi non essent. Quin & dubitari potest, daturine sint eas naves, an tantùm id ostentent, cùm etiam Batavis non ita dudum paria polliciti, deinde se extricaverint. At certè quamdiu illa cum Batavis de mari disceptatio ad concordiam, saltem temporariam non deducitur, non video quid benè agi possit. A Mediolano Legati ideo Coloniam, tempore nondum ad res agendas idoneo, properare putantur à Gallis apud Pontificem moras pacis ut imputent. Piccolominæus apud Atrebates esse dicitur, & Picardiæ iterum minari. Scripsit ad amicum in Italia Parmensis causam, quæ ipsum truserit ad pacta cum Hispano facienda, fuisse quod auxilia quæ mari missuros se Galli dixerant, diu exspectata, ne rebus quidem Placentiæ ad extrema redactis apparuerint, neque solutæ sint pecuniæ quæ ad sustinendam partem sumptuum, unde præsidia sustentarentur tum Placentiæ tum Parmæ, ex fœdere debebantur. Ministros rerum Gallicarum acriter incusans, de Rege reverenter, de Cardinali amicè loquitur. Intelligo & in Montisferratensi territorio maximeque Casali, ob non soluta Gallo militi stipendia, rem proximè seditionem, ægreque indigenarum quamvis in summa inopia, collationibus vitatum periculum. At in Rhætis non jam periculum, sed ingens motus coortus est, tum illa eadem ex causa, quod Rhæticis cohortibus quæ Galliæ militant stipendia pridem non darentur, tum quod Galli, præsertim Legatus Laparius minaciùs ferociusque illic egerit, quàm ferre possunt ingenia sueta libertati. Itaque ter mille Rhæti urbem Curiam suæ potestatis fecere, factio haud dubiè Hispanica, publicantque velle Austriacos, ut Vallis Telina ita ut olim sub imperio sit communis Rhætorum, maneant vetera fœdera, & ex eis liber transitus. Iam Ducem Rohanium intra castellum quod Francicum dicitur velut obsessum tenent. Et pecuniario quidem malo Rex mederi parat, missis illuc LX CIↃ scutatis. Sed animi multis malè tractationibus exulcerati ad sanitatem ut redeant, optandum quidem est, utinam & sperari possit. Sabaudus quin clam cum Hispanis agat, nec Veneti dubitarunt, nec Mantuani. Magnas res ab Hispano parari in hunc annum tum alia indicant, tum sex Milliones Francorum qui sedecim longis navibus Genuam perlati sunt, super quos tres alii exspectantur brevi, quæ omnis pecunia partim Italico, partim Germanico destinatur bello. Helvetii conventum habent, gliscit ibi quoque favor in Austriacos, quem accendunt Rhætorum è Curia urbe literæ, orantes eos, ne Gallis libertatis oppressoribus iter per Alpes in malum commune concedant. Imperatoris necem à veneno quidam profectam putant, quod dederint ei Walsteinianæ mortis propinqui vindices. Recentes ab Helvetia literæ nuntiant, Cæsarianas quæ in Franconia sunt copias in Bohemiam mitti. Imperatum idem iis, qui in Wirtembergico sunt agro, sed hos excusatione uti, quod fracti incommodis belli hyemisque ante Majum Mensem movere se non possint. In Thuringia è fame solitudinem factam: Affectum capitis supplicio à Saxone eum qui Torgaviam Suedis dediderat. Ex Italia præter ea quæ supra memoravi, scribitur, voluisse Cardinalem Sabaudum ad fratrem Ducem venire, sed ei Duci visum non convenire tempori, ne frater apertè addictus Austriacis Gallorum in se suspiciones irritaret. Neapoli ex vectigalibus locatis millionem ducatorum factum: tantundem aut paulo amplius à collatione civitatis exspectari. Mitti inde auxilia Mediolanum: classem præterea rebus necessariis instrui: Sabionetam vocabulo esse in potestate Stilianæ quæ Medinæ Hispano nupta est: reipsa in Hispani possessione. Dissidia nata inter Siciliæ Rectorem & Melitensem Societatem satis gravia. Non dubitari quin Parmensem inter & Hispanum pacta intercesserint, quæ Gallos aliosque celantur. Sardiniam milite & armis firmari, ne Galli, quod nuper improsperè evenit, repetant. Cuncta Deus in bonum vertat commune, Excellentissime atque Illustrissime Domine, idemque Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati benignus adsit. 2 Aprilis novi Cal. 1637.

Ex literis Polonicis video cuncta ad nuptias parari, incerto adhuc quæ nuptura sit. Rex ipse Davausio sæpe affirmavit se tam deformem quàm est Austriaca ducturum nunquam. Video & inter ea, de quibus in conventu Polonico consultabitur, esse de sumptu in classem faciendo.

Digitized by Google

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

735 DAvausius itineri se parat, ante Pascha, ut creditur, iturus ad Batavos, Danum, Polonum. Cum Anglis, Ducisque Vinariensis, etiamnum pendent negotia. Piccolominius apud Atrebates esse dicitur, & Picardiæ iterum minari. Apud Rhætos ii, quibus nolentibus est Gallica societas, Curia urbe occupata, scriptis editis, multa Gallos incusant, ut infestos libertati, Helvetiosque orant, ne transitum ei genti ad se dent. Rex, qui non ignorat ex non solutis stipendiis magnam ejus motus partem enatam, mittit pecunias ad LX CIↃ scutatorum, & verba, leniendis animis, & iis confirmandis qui in amicitia Galliæ perstant. Interea non leves dilatæ solutionis pendit usuras, captante hoc internæ discordiæ tempus Hispano, tum à Comensi lacu, tum è Tiroli. Promittunt Austriaci Rhætis jus imperii in Vallem Telinam, libero,. ut olim fuit, transitu: neque Protestantes è Valle Telina ejectos volunt. Et tamen hi sunt, qui Gallis, multo hac in parte durioribus, favorem in Protestantes, tam sæpe ac tam inclementer, objectant. Parmensis Dux scriptis ad amicos literis, quod pacem seorsim fecerit, excusat per exspectata diu, & ad ultimum usque rerum suarum periculum, Gallorum auxilia pecuniasque. Genuam ab Hispania advenere duo milliones auri: tertius ibidem brevi futurus dicitur, in usum rerum per Italiam Germaniamque. Neapoli quoque magnæ colliguntur pecuniæ: mittitur inde miles Mediolanum, inde ad Vallem iturus Telinam, & classis reficitur, Sardiniaque custoditur diligentiùs. Cæsarianas è Franconia copias ire in Bohemiam scribunt Helvetii: eas quæ in agro sunt Wirtembergico, quò minùs idem, ut jussæ erant, faciant, excusationem obtendere, quod refovenda sint militum corpora, fracta belli hiemisque incommodis, nec ante Majum possint digredi. Hæc nunc erant, pauca sanè, quæ habebam. Sed hæc pauca tamen recentia meliora existimo multis iisdemque veteribus. Ver novum nova parturit, quæ secundet Deus: idemque Illustrissime Domine, Tibi, tuisque faveat. Lutetiæ 2 Aprilis novi Calendarii, anni 1637.

Tuæ Illustriss. Dom. omni cultu addictissimus H. G.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

736 VEnit ad vos, Vir Clarissime, juvenis nobilis, amicus mihi, patre natus mihi dum viveret, amicissimo, Regis Galliæ Legato apud Batavos, Benjamino Auberio Maurerio, ad quem non pauca leguntur ab Heinsio Gevartioque scripta. Dedit se in comitatum viri eximii, qui in vestras partes Legatus à Rege Galliæ proficiscitur, ut locorum rerumque sibi notitiam pariat, virorum præterea doctrinarum laude florentium amicitiam: quos inter cùm nominis tui claritudo emineat, tibi eum præsertim commendandum putavi, ut ubi ex colloquio tuo, ut potest multum profecerit, tum sentiat me sibi non fuisse inutilem. Sic ego quod amicis debeo cùm de mea non possum, solvo de amicorum arca: quod ut me facere patiaris rogo. Ita diu valeas, literisque simul & literatis hominibus prosis. Lutetiæ 7 Aprilis 1637.

NICOLAO FABRICIO PIERESIO,
Senatori Parlamenti Aquensis.

Nobilissime atque Amplissime Domine,

737 ACcepi ab Oosterwyckio Legato Batavorum, amico meo Vetere, & viri admodum φιλοπάτριδος [*Patriæ amantis*] filio literas ad me tuas, pro quibus multis modis gratias debeo, quod & tu mei meministi, mei semper amantissimus & mihi gratularis rem dulcissimam, amici consuetudinem. Et ille quidem nunc ad res suas rectè ponendas in Batavos abiit, desiderium mihi reditus sui relinquens, cui apud me non leve accessit pretium inde quod tibi ingeniorum animorumque optimo judici, non displicuit Procopii Græcæ Editioni Heschelianæ quæ deerant Roma Puteanorum apud Fratrem suum commendatione accepisse gaudeo. Verti in Latinum sermonem Gothica & Vandalica, in honorem gentis cui me in adoptionem dedi à patria ter venundatus. Nosti Legem XII tabularum. De Porphyrio rogo pergas cogitare. Verè enim ita sentio, magnam in eo rem Christianam agi. Æthiopica ex Enochi Apocalypsi vide an eadem sint quæ in Eusebianis posuit Scaliger pagina Notarum 244. unde desumtus est ille in Epistola Iudæ locus & alia nonnulla, quibus utuntur Christiani scriptores veteres. Heraplon eximii operis servasse aliquid magni sit. Ego & in talibus curis te, ut soles, versari gaudeo plurimum, & id doleo, quod publico me æquè utilem præstare non possum. Publicum jam non partium, sed omnium eorum qui doctrinas amant, intelligo. Faciendo quæ facis innumeros obligas. Sed in iis nemo est qui libentiùs debitum agnoscat. Vale, vir præstantissime. Lutetiæ 8 Aprilis, 1637.

Tuæ Nob. addictissimus devinctissimusque H. G.

HIERONYMO VÖGLERO,
Consuli Hamburgensi.

738 PRoficiscentem ad vos, Vir Amplissime, Theodorum Gothofredum Jurisconsultum Regisque Galliarum Ministrum ad suggerendas veteres novasque historias, quarum est peritissimus, filium verò nobilissimi legum illustratoris Dionysii Gothofredi, cùm pro amicitia quam per multos annos sincera fide coluimus, commendare virtutes ejus ignorantibus deberem, cumulatè simulque compendio id me præstiturum arbitratus sum, si eum in T. A. notitiam introducerem, qui & civitatis florentissimæ princeps es, & per omnem ætatem literarum fautor ac literatorum. Credidi autem me dum de ipso bene mereor, simul tibi quoque facturum rem non ingratam, qui experiendo didicerim, quàm viri hujus eruditissimi probissimique non jucunda tantùm, sed & utilis sit consuetudo. Lutetiæ.

Tuæ Ampl. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

REsumtum ex quo hic consilium est, Davausium mittendi Coloniam, simul ab Estræo Roma literæ venerant, & ut quidam suspicantur, aliæ à Clodio. Substiturusne ibi sit diu, an ostensurus se paratum, priusquam omnes Cæsariani, Hispanique adsint, deinde iter suum in Batavos & Hamburgum persecuturus, in obscuro est. Id constat, Pontificem ut disputationes de Rege Romano praecideret, ipsum dedisse pro Legatis Gallicis literas commeatus, quas perinde, quasi ab iis à quibus exspectari poterant datæ essent, valituras spopondit. Ducis Vinarensis res tardè procedit. Datus ei Comes Haillæus qui Gallico militi ipsum secuturo imperet. XII C millia Francorum ei à mense Novembri ex pactis debebantur: de iis VII C millia dari propediem volunt, quam omnem ipse pecuniam erogari ait in præsens ad armandum militem, expediendasque machinas cum equis, coemendisque alimentis. Quod restat, id detracta parte aliqua numerare Galli volunt, ad Iunium mensem: ita duplex damnum Dux facit, in summa & in tempore: 739

re: quod ei accedente memoria non ita pridem millione toto se elusum, voces interdum liberiores excutit: ni sui quæ debet habeatur ratio, se seorsim sibi suoque militi consulturum. Scripsit ad militem ut undecunque poterit se sustentet. Propositum ei his diebus fuerat, ut Dolam obsessum iret, id planè rejecit, non tantùm quod Germaniæ rebus juvandis se destinatum diceret, sed & quod sedendo attritum iri suas copias prævideret. Mirè perculit hic animos nuntiatus Sigismundi Ducis iter in Suediam. Ex eo cum Anglis quotidie sociata consilia, haud dubiè ad præformandam pacem, quam quæ impedire poterant multa jam sublata sunt, concesso fratri Regis si vult matrimonio, & reditu in Galliam Reginæ matri, everso Parlamento Metensi, quæ res erat nova contra jura imperii: ad quæ accessere jam nunc duæ res aliæ. Insulam Margaritæ, quæ subjectam vi sua habet Honorati alteram, egressi è navibus Galli intrarunt 28 Martii, eodemque die ac sequente duo cepere castella Hispanorum, & receptus, quos reductus vocant, aliquos. Sed supersunt castella hostibus complura, unum egregiè validum, quod si expugnare poterunt, classis sumtuum nunc demum ratio constabit, recuperatis insulis illis, quæ multum videbantur pacem moraturæ. Tum verò Rhæti, ut scribere antehac memini, turbare pergunt. Scribet Historiam Marinus. Fortuna Rohanio adfuit, quod Curia urbe exierat, ubi eum comprehensuri fuerant hi qui adversùs Gallos arma ceperunt: deinde cùm in castellum proximum se recepisset, pænè obsessus fuit: sed hoc quoque periculum advocatis aliunde Gallicis cohortibus, & tempus colloquiis extrahendo feliciter vitavit. Scripta quæ edunt Rhæti illi inclementia sunt in Gallos, tanquam fidei incuriosos & oppressores libertatis. Helvetii Pontificii qui sunt, alunt hos conatus: qui Protestantes sunt, rogati ut Gallis si qui eò adventarent iter præcluderent, misere qui res spectarent, easque ad quietem aliquam, saltem temporariam deducerent. Iactant illi qui Curiam tenent parata sibi ab Hispanis, Austriacisque auxilia; sed minæ magis hæ putantur esse, quàm propositum animi. Eò autem cuncta tendere, ut Galli cogantur decedere castellis, quæ in Valle Telina habent, ejusque vallis plenum imperium transitusque dandi ac negandi arbitrium Rhætis, ut olim, permittere. Futurum autem videtur ut eò impellat Gallos tum illa maxima Rhætorum partis ab ipsis abalienatio, tum metus ingens ab hoste, tum è Comensi lacui proxima Valle, tum è Tiroli Bormium ingruente. Quod si eò venitur, jam illud quoque non leve pacis conficiendæ obstaculum removebitur, remque ad Mausoniana pacta, quibus stari volunt Austriaci reducet. Quod si deinde de Pignerolo cum Sabaudo aliquibus conditionibus conveniri possit, & Lotharingus particulæ alicujus concessione cætera redimat, haud multum curaturis Alsatiam Gallis, si Socovam & Picardiæ oppidula recipere possunt, confecta pax erit, quò etiam eos qui in bello rem faciunt, publica egestas & vota omnium trahent. Princeps Condæus cùm eo modo, quo Rex ubi ipse adest, solet, edicta tributaria non perrogatis sententiis in acta Divione referri vellet, dilabente toto Senatu Parlamentario, cùm actuario relictus est solus. Eam ob causam ex potestate quam acceperat, omnes Senatores muneris sui functione interdixit. Est & illud aut inopiæ aut malè dispensati ærarii argumentum, quod cùm rei communis plurimum intersit quamprimùm movere se Batavos, tamen pecuniæ ipsis pridem debitæ non modò non numerantur, sed ne promittuntur quidem nisi longa die: de quo Legatus Batavus qui nunc hinc discessit, graviter conquestus est, ut mihi abiturus dixit. In Comitatu Burgundiæ oppidulum Sancti Amoris quod dicitur captum est à Duce Longavillano, cæsique hostium ducenti: an & arcem jam tenet dubitatur. Cum Davausio Coloniam ibit Gothofredus hostoriarum novarum ac veterum sanè peritus, & Stella Bipontinus pacis Pragensis criminatione famam assecutus; cujus liber quo electionem Regis Romani in controversiam vocat, nondum prodiit, & ut puto, proditurus non est. Elector Palatinus ex Anglia in Batavos ire dicitur. Ego terriculamenta hæc esse arbitror. Revera Anglos accepturos quod obtinere poterunt. Et conatùs isti mare prædis infestandi etiamsi procederent, non multum nocere Hispanis possent, qui naves in propinquo non habent. Ita in aliarum gentium mercatores videtur incubitura, si modo se commôrit, illa tempestas. Omnia hæc quæ aut fama aut conjecturis assequor qua debeo libertate ac fide Tuæ Sublimitati scribo: nec me terret quod Pater Iosephus Priandio res Mantuanas agenti amico meo dixit, se & in id connisos antehac, & nunc etiam conniti, ut ego hinc amovear, quod pro comperto habeant me Galliæ rebus adversari. Ad quæ responderi jussi, parum mea referre hic an alibi Regno Suediæ operam navem: me remoto venturum alium qui non magis futurus sit in ipsorum potestate. Cùm fidum mus Reginæ, Regnoque Suedico Tua Sublimitas judex optimus talium credat, si ipsi Suediæ non bene velint, jam non diffiteri me causam esse, cur mihi diffidant. Audimus à Bavaro conscribi LX millia. Brisacum venisse in stipendia CIↃ CIↃ ducatorum: Romanum Regem jam Imperatorem vocari. Hæc scribenti intervenit 56. 59. 68. 14. 42. 94. 75. 53. 2010. 266. Ait Fabium primum ire ad Cimonem, inde ad Nervam, collaturum ibi cum Sophianis. Intellectis amicorum 10. 75. 82. 70. 22. 33. Sententiis petiturum præcocia. Existimat rem ad Minnernum ire. Restituendos dejectos omnes, etiam Ciceronem; sic tamen ut 24. 22. 43. 2040. aliquantum de Vespasiano, Vindici de Tullo maneat. Jam nunc ad me venit Ordinarius Angliæ Legatus. Dicit mihi ad se scriptum Regem Poloniæ velle partem Silesiæ accipere permutatione cum iis bonis quæ in Regno habet Neapolitano: Piccolominæum ire Wormatiam, eò coire è Belgica & aliunde copias. Haud dubiè Batavos cum Hispano Cardinali de induciis habere colloquia, & à Duce Bulionio operam interponi. Davausii iter prolatari, donec appareat quid inter Gallos & Anglos futurum sit. Super maris piscatusque controversia inter Anglos & Batavos proponi à Gallis quietas res in biennium. Ego ad hoc dixi, expeditiùs mihi videri, ut Legati qui hic sunt ex mandato promittant nihil in Batavos motum iri, ante Hamburgensem conventum. Ibi ut aliquid mansurum constituatur iis verbis, quæ neutram partium lædant. Si Angli in bellum velint se socios addere, videri mihi rescindendam istam Belgicæ partitionem, quæ satis præproperè Gallos Batavosque inter facta est, ut Anglis dematur æmulatio. Si Cardinalis Hispanus adduci nequit, ut Princeps sub amicitia Galliæ Angliæque malit esse quàm alieni imperii minister, in id laborandum tota ut Belgica libera fiat. Posse nolentes fame ad discidium ab Hispano cogi, si mari cum Anglis Batavi oram maritimam, fines alios hinc Galli, inde Batavi & aliquis Suedorum in Westfalia exercitus obsideant. Sed hæc ne surdis canam multum metuo, sed parva est operæ talis jactura.

——— *Semper tibi pendeat hamus.*
Quo minime credis gurgite piscis erit.

Post Legatum adit me Dux Vinariensis. Ait Chavignium, credo quod intellexisset duriùs Ducem locutum Noyerio, qui Regis item à secretis res belli curat, bis ad ædes suas se absente fuisse. Ideo se ad eum itasse. Ostendisse quàm iniquè secum ageretur, quantæque è manibus occasiones elabi sinerentur. Apparebat Cardinalem, ut plerumque nunc fieri solet, dum is valetudini suæ otium quærit, nihil eorum quæ acta erant scisse. Promisit cum Cardinali se acturum Chavignius: speratque Dux remedium suis questibus. Inaudierat & ipse Gallos seorsim pacem venari. Dixi credere me aures ab illis præberi, sed eo animo

Digitized by Google

ut nihil absque sociis constituere cupiant. Idem nobis destinatum. Hic nunc erat rerum status, quem ut alia omnia Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, in bonum Regni Suedici, Reginæ, Regni, ac Tuæ Sublimitatis regat. Lutetiæ 9 Aprilis novi Cal. 1637.

PAVLO DV MAY,
Senatori Parlamenti Divionensis.

740 Responsi ad literas aliquot tibi debitor, Vir Amplissime, nihil habeo quod scribam potius, quàm in hoc nos laborare totos dies, ut bono cum exercitu brevi mittatur Dux egregius Vinariensis, damna Burgundiæ vestræ hostium damnis ulturus. Qua de causa ex speciali Reginæ Dominæ meæ mandato allocutus his diebus Regem Christianissimum, pollicita accepi digna magno tanti Principis animo. Qui ab exercitibus Suedicis ad me veniunt, ajunt, eos vegetos validosque esse, Banerii apud Torgaviam, Leslæi ad Salam, Wrangelii partim ad Custrinum, partim ad Dresam in Brandeburgico agro. Sollicitamur ad pacem per Sigismundum Brandeburgica è Domo Marchionem. Sed Suediæ Rectoribus stat sententia sine Rege Galliæ, cujus & merita & amicitiam faciunt maximi, nihil pacisci. Pacem optant, sed honestam, solidam, diuturnam, qualis ab hostibus prospera sua nimis confidenter urgentibus, obtineri, nisi retusa eorum vi elatisque animis repressis non potest. Ideo novi per Suediam dilectus fiunt, cunctaque parantur bello necessaria, instigatore præcipuo Magno Cancellario, qui nunc in Suedia cùm sit, non minùs utilem se rebus Germaniæ præstat, quàm dum in Germania dux partium egit, eo sua cuncta consilia referens, ut ex eventu ipso videat orbis Christianus quo proposito Rex incomparabilis Gustavus à Balthico mari ad Rhenum Danubiumque vincendo penetraverit, quibusque votis intactum pavori sanguinem suum impenderit. Vale, Vir Nobilissime, & nos amare perge. Lutetiæ 9 Aprilis 1637.

Tuæ Ampl. addictissimus H. G.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

741 Qvod feceram antehac ex mandatis generalibus, id nunc largiùs præstiti ex Augustæ Majestatis Tuæ speciali mandato, gratulatusque sum Regi defensam Picardiam, Burgundiamque, receptam Corbiam, dejectum à finibus cum damno Gallassium: significavique Majestatis Tuæ animum optima ipsi precantem, paratusque magnos ad bellum hoc anno strenuè gerendum, quam ad rem & novum in Suedia legi militem, & alia congeri eam ad rem necessaria. Tum verò rogavi ut quod cœptum esset negotium cum Duce Vinariensi ei quamprimum finis imponeretur, ut is nimirum cum bono exercitu mitteretur in Germaniam cum potestate consilia, & si ferat occasio, arma jungendi cum Majestatis Tuæ ducibus, adversùs quos tantas consurgere hostium copias, ut nisi eæ distrahantur, difficile Suedis futurum sit tam fortiter partis insistere. Addidi morem hunc esse Austriacæ Domui, ut quoties novus Princeps bello imponitur, eximio conatu augeant militem, pecunias vel sub fœnore corradant, ut famam ei circumdent, cujus in bellis magna vis est. Quanto id nunc facturos impensiùs, ut humano generi ostendant solam suæ domus esse magnitudinem, quæ Imperii Germanici onus sustinere possit. Iam & Polonos à seditione ad obsequium revocatos accedere copiis è Gallia, Belgico, Germania, Silesia coëuntibus: plurimosque milliones ad Germanici maximè belli alimenta Genuam perductos. Tantis eorum molitionibus vis par ut opponatur, magna diligentia animorumque conspiratione opus. Ostendit Rex gratam sibi esse Majestatis Tuæ adversùm se benevolentiam, seque ipsi vicissim prosperrima fraterno optare animo; nec quicquam omissurum, quod id rebus apertum faciat. De Duce Vinariensi jam factum ad quod Majestas Tua hortabatur: iturumque eum cis paucos dies Germaniam versus, ad ea agenda quæ Majestas Tua desiderat. Dandam operam ut eodem impellantur Batavi: fortè cum tempore accessuros & Anglos. Postquam ego ei gratias, ipse Majestati Tuæ egisset, discessi. Sed cum dolore nunc ex ipso Duce Vinariensi intelligo, multum inter ipsum & Regis ministros de pecuniis disconvenire. Nisi eo negotio bene composito, abire eum non posse, quare ut id quàm primùm transigatur & ego nunc & alii laboramus. Res Gallicæ extra fines partim prosperæ sunt, partim tristiores. Bene evenit quod classis Gallica excensu facto in Margaritæ Insulam littus & castella minora aliquot, quanquam multo suorum cum sanguine, tenuere, atque ita nunc Insulæ ejus possessionem cum hoste, castella & plura numero & unum validissimum tenente, dividunt. Bene & hoc quòd sancti Amoris oppidum arcemque in Burgundiæ Comitatu cepit Dux Longavillanus. Sed hæc gaudia sincera esse vetant Rhætorum res, qui Curia urbe occupata Ducem Rohanium penè ceperunt. Mox & obsidere intra castellum quo se receperat voluere: sed ille accitis undique Gallorum cohortibus prævenit periculum. Durat interim motus, magna cum infestatione Gallici nominis: sollicitatique velut ad communis libertatis tutelam Helvetii, misere qui res inspectent, & si possint, inducias constituant. Iactant quidem hi qui societatem Gallicam incusant, favere sibi Austriacam, Hispanicamque Domum. Sed revera eo videntur tendere eorum conatus, ut perterriti his minis Galli castella reddant, quæ illis in regionibus tenent, Vallisque Telinæ plenum imperium Rhætis, ut olim habuere, restituant. Deum precor, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, ut Tuæ Majestatis Sociorumque actus prosperet. Lutetiæ 10 Aprilis nov. Cal. 1637.

Nuntii à 66. 79. 115. 41. 54. 33. 60. 10. 37. 59. 10. 37. 59. 10. 81. 12. 55. optimam spem præbent effecta dandi, quæ animo conceperat. Parmensis Mediolani est. Laudatur multum fortitudo Gallorum quæ in Insula prælio ad manus deducto apparuit.

Tuæ Maiestatis cultor ac subditus obedientissimus H. G.

STENONI BIELKE,
Eadem D. CAMERARIO
Et D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

Avausius cis paucos dies abiturus creditur, Batavos primùm petens, inde Hamburgum, ut cum Suediæ qui ibi sunt ministris de pace agat. Res Ducis Vinariensis ad pecuniarias quasdam tricas adhærescit. Nec dubito, quin futurum sit ut eæ expediantur, quod ipse mihi Rex Reginæ nostræ nomine id postulanti promisit, sed dolet mihi in occasionibus adeò fugacibus tempus amitti. Non desinam urgere negotium hoc, in quo multum rerum nostrarum verti intelligo. Res Gallis prosperæ in Comitatu Burgundiæ marique, in Alpibus adversæ satis. Nam in Comitatu, Sancti Amoris oppidum arcemque, aliquammultis hostium occisis, cepit Dux Longavillanus. Mari Insulam Margaritæ, quæ potior est obnoxiamque sibi habet illam Honorati, die 28 Martii novi Cal. ingressi Galli, eo die ac postero duo castella & alios minutiores receptus suæ potestatis fecere, haud levi suorum damno. Multa alia castella unumque validissimum defendunt Hispani. Ea quoque expugnandi spes aliqua est Gallis, quod dicant rerum multarum inopia 742

Digitized by Google

inopia intus laborari, quanquam mihi videtur non difficilior ex Italia aditus in Insulam esse quàm ex Gallia fuit. Cum Anglis nihil dum apparet conventum. Quid Electoris in Batavos adventus portaturus sit, exspectabimus. Dixerat mihi Rex multum referre ut quamprimùm Batavi se moveant. Et debemus nos quoque eò adniti. Sed præcipua impellendi vis in Gallica pecunia est, quæ multo tardiùs condicto procedit. Neque id mirum, cùm, quò diutiùs trahitur bellum, difficiliùs corrodantur nummi, adeò quidem, ut cùm nuper Princeps Condæus Divione, non perrogatis sententiis, ita ut potestatem à Rege acceperat, edicta tributaria quædam in acta referri vellet, Senatores omnes abeuntes ipsum cum actuario reliquerint, quo nomine Princeps omnes muneris sui functione interdixit. Ii nunc ad Regem misere purgatum se si possunt. Pontifex videns de Regis Romani nomine controversiam moram injicere Conventui Coloniensi, ipse pro Gallicis Legatis literas commeatus misit, quibus ubique paritum iri spopondit. Calet hic rumor Sigismundum Marchionem in Suediam usque ire, multumque id consilia ad pacem incitat. Ad Alpes ut revertar, Helvetii rogati à Rhætis qui Curiæ congregati ad octo millia Gallorum res arctant, ne quos Gallos per juga ad se transduci paterentur, quippe inimicos libertati, misere res visum & ad inducias conciliandas, donec in Badensi Conventu durabiliora remedia huic malo quærantur. Creditur res eò perventura, ut Galli, castellis, quæ tenent, digressi liberam Vallis Telinæ possessionem relinquant Rhætis, summumque ut olim imperium & jus dandi aut negandi transitus. Terrent Gallos non tantùm animorum alienatio à Gallico nomine, sed & hostes duabus è regionibus Comensi & Tirolensi parati internas discordias in suum commodum rapere. Vt eorum Rhætorum qui minùs exulcerati sunt studia retineantur, mittuntur, pecuniæ hinc, magna nunc quidem celeritate, sed multò quàm oportuerat tardiùs. Non didicere illi populi sine stipendiis militare. Multum augere copias suas Bavarus scribitur, nec parva pecunia venisse Brisacum. Duci Vinariensi à Rege adjutor Gallis imperaturus datur Haillæus Vitriaci frater vir notæ fortitudinis. Deus tibi ac tuis, Illustrissime Domine, sit semper propitius. Lutetiæ 10 Aprilis 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni observantia addictissimus H. G.

N. N.

743 VIdi his diebus librum non editum Molinæi, in quo Testardi & Amyraldi sententias acri censura notat. Dignum est legi hoc argumentum tractatum. Non improbo quod dicit Arminium plus judicio valuisse quàm Cameronem & Cameronis sectatores: itaque illum loqui inter se cohærentia, & his quæ semel statuit consentanea: hos verò ea loqui quæ inter se pugnent; quippe cum qui à Deo seriò desiderari credat hominum singulorum salutem, pariter debere agnoscere dari à Deo dona per quæ impossibilitas se convertendi (sive illa naturalis vocetur, sive moralis, negat quicquam referre, dum vis sit eadem) superari queat. Loquitur sæpe in illos Fratres suos satis inclementer. Quædam enim eorum negat se sine horrore legere potuisse: subrui ab illis fundamenta, ipsamque pietatem; & in fumum verti Christianam Religionem, ne micam quidem rationis nonnullis eorum dictis inesse: tribui ab eis Deo injustitiam, crudelitatem, μισανθρωπίαν [*odium contra homines*]. Tantæ iræ causa præcipua est, quod eorum dictis convelli videat, magnam partem Canonum Synodi Dordracenæ, cujus ipse, quanquam absens, inter præcipuos fabros fuit, solusque causa cur in Gallia, ne expensa quidem, probaretur. Negat ulla esse Dei decreta conditionalia. Itaque & promissa & præcepta nulla esse sine decretis præstandi aut aures dandi. Illud non immeritò accusat in illis quos dixi, quod negent Adamo datas vires quarum ope tentationem posset repellere, neque malè ostendit quam ipsi impossibilitatem moralem vocant, ipsam esse naturalem ex ipsorum positis. Gratiam universalem secundùm Arminium esse utilem, secundùm ipsos inutilem. Hæc sunt quæ inter legendum excerpta tibi in antecessum significanda duxi. Nunc eum librum transcribit Mercerius ut Episcopio mittatur. Scripsit hunc librum Molinæus postquam ei à rectoribus Sedani, ne in eo argumento quicquam scriberet, interdictum fuerat. Dixit se posthac taciturum, neque hoc vulgandi scripsisse animo, sed ut Nationali Synodo, quæ exspectatur, facilior sit dijudicatio. Queritur Testardus, ex quo Molinæus in se cœpit scribere, etiam Rivetum ab ea sententia, qua tolerandam hanc opinionum diversitatem crediderat, abiisse. Senatores tamen Reformatæ Religionis mihi affirmant, se id laboraturos ne quid definiatur, maneatque dissentiendi libertas, repressa apud populum ista disputandi licentia. Die parasceves anni 1637.

MATTHIÆ BERNEGGERO, Professori Argentorati.

EA est tua facundia, Vir doctissime, ut quos intra silentium amas, eos maximo bono prives. Neque tamen queror, quod abs te compellor infrequentiùs, dum id ipsum non mihi sed publico imputes. Studia enim quæ juvi dum potui, quantumque potui; nunc cùm id facere per negotia vix sinor, certè impedire nolo, tempora occupando quæ ipsis sunt debita. Quod si literas tibi mittere non vacat, certè juvenes mihi sæpe tales mitte, qualis hic est tuus, morum quoque filius, quem ni amem, oblitus sim omnium eorum, quæ per omnem ætatem colui. Pergere te in editione Latinorum qui historias scripsere gaudeo. Cùm enim omnia tempora ea lectione opus habeant, hoc certè maximè. Vnde enim potiùs hauriant aut documenta rudes, aut solatia infelices, aut moderationem felices? Iuvat & hoc me, nam omnia tua ad me pertinere censeo, quod non minùs favente Deo generos eligis quàm filios educas. Et Freinshemio gratulor, quem non mentiar, si vocavero ἀντίθεον. Pergite magno animo provocare literas, ut dici aliquando de vobis possit: 744

Socer generque reddidistis omnia.

Vale mi Berneggere. $\frac{4}{14}$ Aprilis 1637.

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MVltum mihi gaudii attulerunt Tuæ Sublimitatis datæ 25 Februarii vet. Cal. literæ, tum quod ea quæ Avaugurio prudentissimè responsa sunt edocear, ad quæ sermones meos dirigam, tum quod meam qualemcunque operam tam benignè ab Illustrissimis Sueciæ Rectoribus æstimari video: quod mihi ad intendendam diligentiam ingens erit incitamentum; atque utinam tam cætera mihi ad hanc legationem idonea adsint quàm fides & sedulitas nunquam sunt defutura. Interni motus hodie in Gallia nulli sunt, quanquam haud parva eorum sunt semina. Frater Regius otio luxuque marcet. Comes Suessionensis si nihil ei ultra noceatur Sedani quietum se continebit, quanquam ut credibile est, si pax fiat, maneatque potestas penes quos nunc est, ea quæ libertatis suæ causa fecisse se dicit, quæque fecit ejus in gratiam Dux Bulionius, neque hic neque ille impune laturi: trahiturque in partem culpæ Arausionensis Princeps, quanquam multis in eum honorum velamentis ira obtegitur: Credoque Davausii inter mandata & hoc fore, ut statum rerum Batavarum, animorumque motus ad 745

Digitized by Google

ad pacem aut bellum introspiciat, Arausionensi persuadeat Regem ipsius causa nihil non facturum, deinde coeat aut Hamburgum, aut Coloniam, ut res tulerit. Coloniæ sunt jam præter Ginettium Alcala & ab Imperatore substituti in aliorum locum Questembergius Craniusque; in itinere autem Franciscus Melo & Mediolani Cancellarius ab Hispano. A 60.37.45.35.59. nihil vegeti exspectandum & ex aliorum & ex ipsorum sermonibus disco. Intelligo Eusebium 80.43.73.7.71.81.70.4.37. responsa accepisse super Mimnermo. Non dubium est quin Cajum velit suarum rerum accessionem facere. Urgetur ad pacem Gallia non tantùm Ærarii morbis difficilibusque remediis, sed & infelicibus per Italiam rebus. Quod pridem à peritis prævisum fuerat evenit, ut Rhætorum vexata nimis patientia, tum per insolentiam eorum qui à Gallis illuc missi, non ad socios se, sed in provinciam advenisse arbitrabantur, tum per incuriam præstandæ fidei, in id furoris eruperit, quo Galli, ne Siculum in morem ad internecionem cæderentur, coacti sunt castellis, finibusque se exituros polliceri, ac dum id planè effectum detur veniunt sub Rhætorum fide planè velut captivi. Ipsas pactiones Caudinis illis haud multum absimiles mitto, unde cognoscere est præcipuum castellorum ad Rhenum jam Helvetiis custodiri. Ita Hispani Domusque Austriaca Gallorum magis peccatis, quàm sua vi aut prudentia id sunt adepti, quod per ducentos annos venantur, ut transitum habeant per quem res suas Italicas cum Germanicis connectant, non sine magno Venetorum aliarumque gentium periculo. Præter copias à Tiroli, & illas Cerbellonis ad Comensem lacum, etiam ad Constantiam miles apparet, Gallassiani exercitus reliquiæ. Scribitur Palatinatus inferus in Hispani traditus potestatem, ita ut fuerat anno 1630, idque ex arcanis pactionibus Pragensibus. Doria naves longas parat ad defendendam contra Gallos Insularum possessionem. 69.71.24.70.66.55.74.78.76.79.32.118.217. de Simonide transegit aliquo suo damno. Vix videtur 71.77.81.4.2010. ante Maium medium & an in rosam dubito. 10.15.60.80.30.366.373. enim primum aut ei vicina petere jubetur. Fingit id sibi non admodum placere. Piccolominæus habere dicitur XXX millia, inque eorum stipendia accipere C M scutatorum menstrua. Hollandis pecuniam dare Galli differunt, quanquam ex postremis pactionibus Charnassæanis jam debitam, priusquam educant militem: illi oculatas habent manus, neque verbis duci volunt. Inter hæc certamina elabuntur occasionum tempora, multusque sermo ubique de induciis saltem brevibus. Certè literæ per Brabantiam ita ut in pace commeaturæ brevi dicuntur. Et venere jam à Cardinali Hispano Regis sui nomine tuti commeatus literæ pro singulis Galliæ Legatis, proque sociis omnibus venere quales hic desiderabantur, aliæque similes ab Hispanico Romæ Legato, si fortè illæ à Bruxella fefellissent. Nuntius Pontificius qui Viennæ agit rogatus à Cardinali Riceliaco ut ad præcidendam tituli controversiam commeatus literæ generali Domus Austriacæ nomine obtinerentur, noluit negotium tanti odii suscipere, cùm Pontifex Ferdinandum III. Imperatorem agnoscat. Ipsos quoque Gallos remissuros hoc certamen arbitror, interim videre num quis ejus usus esse possit. Crequiacus in Italiam remittitur, volente Sabaudo, qui Milereium Cardinalis Riceliaci propinquum illuc alio. qui venturum magis metuebat, quàm Crequiacum oderat. Existimat 61.74.31.73.1090.2010. cujus memini antehac ire Fabrum, ut Cimonem Sophimque spe Callimachi lactet, cùm Vindex interim satis certus sit 29.8.39.2040. Pacta quæ Rhæti cum Austriacis nuper fecere non habeo, sed ut habeam do operam. Per ea Protestantibus libertas domicilii ac Religionis in Valle Telina non eripitur, quam Galli in Romanæ Aulæ gratiam fidissimis sociorum abstulerant. Posthæc scripta venit ad me Legatus Venetus: quærit an quid accepissem à Suedia super oblato à Venetis conciliatorum officio. Respondi ei ex formula responsi Avaugurio traditi, qua de re scripturum se Venetias & Viennam dixit. Ostendit mihi literas ab eadem Vienna res Venetas agentis, unde disco noluisse Imperatorem literas tuti itineris dare pro Legatis Landgravii, Ducis Vinariensis, Argentorati, quod diceret, sine ullo conciliatore externo, patere illis, quippe subditis Imperii, aditum ad pacem Pragensem. Dixit mihi idem Legatus Rhætis datum iri ab Hispano XXV CIↃ scutatorum annua pro transitu per Vallem Telinam. Cùm Sanctichaumontius cùm abiret mihi non valedixisset, quod erat moris, nec ego Davausio cùm à Legatione rediit ivi gratulatum. Ea causa est cur alter alterum non viderimus. Ego salva dignitate Regni aliter facere non potui. Ne Batavum quidem Legatum ubi huc advenit salutassem prior (neque enim Davausius Venetiis id fecerat) nisi præeuntibus Anglis veritus fuissem ne id, velut privato odio factum, exciperetur. Excellentiæ ei titulum, quem nos dedimus, negare perstat Venetus. Opto felicissima omnia, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1637.

Literæ Regis Hispaniæ suis diebus jam per Galliam tutò transeunt. Sabionetæ, cujus custodiam jam habebat à Parmensi Hispanus, etiam proprietatem emit à Stiliana Medinitorresii uxore. Rex Suessionensi permittit ut per annum Sedani maneat. Rogat is indefinitè id sibi concedatur & pecunia à Rege in stipendium præsidii Sedanensis. Interceptas audio ejus literas Bruxellam missas, sed eas nihil magni continere. Captum qui tulerat, sed evasisse.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO, Eadem D. CAMERARIO, & D. SALVIO,

Illustrissime Domine,

TAndem in ingens Galliæ ac sociorum malum erupit suppressa diu Rhætorum libera indignatio, coëgitque Rohanium Ducem & Gallos circumsessos undique vitam, qua poterant, pactione redimere, pro qua pactione obses Curiæ Rhætorum honestè, sed diligenter custoditur ipse Rohanius. Promisit Gallos omnes ante 5 Maji excessuros Rhætorum finibus ac Valle Telina, castellis omnibus in manus Rhætorum redditis, quorum præcipuum quod ad Rhenum est jam nunc Helvetiis permissum est: soluti Gallico Sacramento, qui Rhætorum illis militabant. Quod in hac re pessimum est; habet Domus Austriaca, quod per duo sæcula quærit, ut transitus compos commeabiles inter se Italiam Germaniamque habeat, eoque vinculo dissitas possessiones mutuis auxiliis jungat. Protestantibus Vallis Telinæ libertatem habitandi Deumque colendi à Gallis ademptam permittit Hispanus, vela vertens uti se ventus dat. Quantum hinc Venetis gentibusque aliis malum immineat, nemo non videt. Parmensis Dux Mediolani magnis accipitur honoribus. Ad Insulare bellum acriter se movent Galliæ Narbonensis civitates, & contra cum navibus longis Doria. Piccolominæus habere dicitur XXX hominum millia, & iis alendis stipendia in menses ad C millia scutatorum, quæ procella Galliæ an Germaniæ minetur, incertum est. Sed nec de pace induciisque ad eam ducturis silent sermones. Venere enim pro Gallicis Legatis singulis, proque eorum amicis, tales à Cardinali Hispano, Regis Hispani nomine, tuti itineris sponsores literæ, quales Galli optaverant. Deum precor, Illustrissime Domine, ut tibi tuisque semper faveat. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1637.

Tuæ Illust. Dom. omni cultu addictissimus H. G.

D. SCHMAL-

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

747 Amstelodami esse te, in urbe in qua plurimarum rerum utilium discendarum ampla est copia, gaudens ex tuis 7 Aprilis datis literis cognovi, simulque non exolevisse apud te nostri memoriam, pro quo multum à nobis exspectes cupio. De Banerio, Kingioque lætor. Arnhemium, rectè nostri fecerint, si in Suediam vehant, efficiantque primùm ut quæ ejus ministerio contra Suedos acta sunt, norint: deinde ut videant an cum Marescallo Hornio possit commutari. De Polonica classe si quid discis propiùs, rogo ut gnarus sim. Spes nobis, sed non ex certo fonte datur venturi cum exercitu in Germaniam Cancellarii mense Majo. De eo quoque, si quid certi accipis, fac nos quæso participes. Quid possit læsa liberi populi patientia, Rhæti ostendunt, quorum conspiratione circumsessi Galli & Rohanius, ut rem suo nomine signem, ad deditionem venere, polliciti se omnes de Rhætorum finibus ac Valle Telina excessuros intra unum mensem, castellis, quæ tenent in Rhætorum finibus ac Valle Telina traditis, quorum unum maximum jam ex consensu tenent Helvetii. Gallorum Sacramento liberati Duces Rhæti, & dum promissa præstentur manet obses Curiæ Rhætorum ipse Rohanius, & procerum alii. De Insulis maris Ligustici certatur adhuc, ingressis Gallis, defensantibus Hispanis. Spero inter Dominos Camerarium Spiringiumque amicos meos tuosque amicitiæ conciliator fueris: quod si est, gaudeo. Vale quàm optimè. Lutetiæ 7/17 Aprilis 1637.

Postquam has absolveram scribere, duas alias abs te accipio datas 24 & 31 Martii. Danus & Polonus ita Nobilitati suæ sunt obnoxii, ut non facilè eos quicquam contra nos moturos arbitrer. Illa de Polonico itinere Avaugurii sunt & ad me missa cum responso. E Germania pauca accipio, & pleraque ad Ebsteinium scripta. Colloquium Marchionis & Bielkii commovet hanc Aulam, neque nocent nobis rumores ejusmodi. Erit jam in Suedia post Fleswodum Barclaius ab Anglia. Noli quicquam inde vegetum sperare, ut Imperatori, aut Regi Hungariæ (controversia enim ei de titulo movetur) bellum Gallia indicat, sperare hoc tempore tam malis Galliæ rebus non audeo. De Brandestenio rectè factum. Spiringius pauca erogando multum proficit, ut video. Felix tibi iter ad Magnum Cancellarium opto.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

PETRO HOLING.

748 Literas à te, Vir Nobilissime, accepi binas, alteras, anni sunt, ni fallor, quatuor, Hamburgi cùm essem, alteras, ex quo Lutetiæ Regni Suedici Legatione fungor. Erant autem hæ posteriores tuæ scriptæ Memphide anno Æræ Christianæ 1634, traditæ mihi per amicum & popularem tuum qui te in Ægypto reliquerat. Respondi utrisque literis tuis ut debebam, liberaliter, pro amicitia nostra proque dignitate argumenti quod tuæ literæ continebant. Responsum Hamburgo Lutetiam misi ad Hotomannum, amicum communem, qui nunc pridem obiit: alterum dedi amico illi tuo Lubecensi, qui Venetias se missurum dicebat, unde porro in Ægyptum curarentur. Nunc cùm juvenis quidam honestissimarum rerum expetens, & ipse tibi quondam Lutetiæ, unde domo est, notus, in Orientem iter instituat, periclitari volui an fortè hæc epistola, si priores ad te, quod in tantis locorum intervallis metuo, non pervenerint, prosperiore fato te, fortè ab Æthiopia in Ægyptum reducem, inveniat. Quod prioribus tuæ pietati consentaneum tibi commendaveram, hoc erat, ut per Christianas Orientis Ecclesias quicquid posses veterum versionum Veteris Novique Testamenti, Liturgias, Acta Conciliorum tum Vniversalium, tum Nationalium & fidei expositiones corraderes. Specialiter memineram Concilii Niceni, cujus plures Canones Arabicè exstant (credo ex nationalibus Synodis additi) quàm Græcè Latineque, unde ingens inter eruditos enata est disputatio: ut quæcunque posses ejus exempla nanciscereris, tum si quid aliud ad disciplinam, ordinationes, appellationes, totum denique Ecclesiæ regimen pertineat. Illud quoque monueram, sedulò inquireres quænam sint antiquissima Christianismi apud Abyssinos indicia, sitne aliquid antiquius Constantini temporibus: tum circumcisio & alia quædam, sintne ab antiquissimis seculis, quod Herodotus & alii quidam scriptores indicare videntur, an à Iudæis, qui illuc pervenerint, an à primis Christianis Orientis, quos & Sabbathum & alia multa observasse satis constat. Tum verò cibis à Mose interdictis abstineant valetudinis causa, an ex Iudaismo, Eutychetem quoque & Dioscorum secutæ sint illæ Ecclesiæ fato quodam & reverentia Alexandrinæ Sedis, cujus velut colonias se profitentur, an quod sententiarum diversitatem ac momenta scrutatæ illuc se inclinaverint. Simile est quod de veteribus per Indiam Ecclesiis, si quis inde fortè tibi obtegerit, aut ulla sit literarum occasio, scire percupiam, fuerintne Christianæ jam olim, & à Thoma, ut dicitur, an à Nestorii discipulis qui Romano pulsi Imperio per loca Persis subdita atque inde longiùs se propagarunt. Hæ quoque dogma Nestorii acceperint, quod tales accepere Magistros, an cum aliqua controversiarum ejus temporis notitia & affectu. Sic & à Maronitarum, Cophtarum, Græcaque lingua utentium Ecclesiis non dubito quin tua sedulitate habituri simus, unde vetustissima eorum dogmata, regimen, ritus cognoscamus. De rebus harum partium nihil addam. Nam quia qui has fert, non festinat, hæsurus, ut puto, in Italia vetera futura prævideo quæ scribam. Hoc tamen dicam breviter, Germaniæ res esse miseras. vastitatem ubique qualis in Arabum desertis; literarum quod diuturno sævoque bello est consequens, internecionem maximam. Gallia Suediaque nec minùs Batavia incipiunt cogitare quid in pace sit boni: & creditur Ferdinandus III, qui Rex primùm Romanorum dictus, ab Electoribus, patris morte Imperatorium nomen accepit, alienior à Iesuitarum consiliis, ad mitiora & magis æqua Protestantibus se vertere. In Italia dominabitur multò quàm antehac imperiosiùs Hispanus, quando Mutinensem, Parmensem, Rhætos à Gallica abduxit amicitia, ac de Sabaudo Mantuanoque sperat paria. Galli Insulam Margaritæ, quam Hispani armis insederant ingressi, dubiam Hispano eam possessionem faciunt, magnumque decus peperere, repulsis à Burgundiæ Ducatu Hispanis, & à Picardia præter Capellam & Castelletum. Nam Corbiam ipsi recepêre. Tenet in litore Aquitanico & Socovam Hispanus Bajona non procul. Sed contra Galli ad hæc pace, si bello non datur, recuperanda magna habent pignora Lotharingiam omnem & Alsatiæ pleraque. Batavorum bellum est, ut solet, sine magno processu & levi damno. Angli Palatinatum pace sperant se obtenturos: arma non movent, sed minantur interdum. Deum rogo pacem det Christianis, tibique vir egregie felicem & bono rei Christianæ peregrinationem & ad tuos reditum. Lutetiæ 11/21 Aprilis 1637.

Tuæ Nobil. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Venit ante hos dies quinque ultro valedictum mihi 749
Davausius, quò eat & quorsum multis ambagibus obtegens, nisi quod pacis se communis procurandæ causa

causa mitti diceret, & quidem Hamburgum, atque ita loquebatur, quasi eò transferri Colonia posset tota de pace actio, quod mihi tum ob alia, tum ne offendatur Pontifex, vix sit credibile. Numquid aliquem ibi nostrorum reperturus esset interroganti dixi, ibi esse D. Salvium, an alii venturi essent ignotum mihi. Negotium pacis rerumque aliarum in Germania D. Bielkio mandatum. De Tuæ Sublimitatis itinere transmarino nihil me affirmatò posse dicere. Dicebat æquum putare Vindicem ut Sophi de Vespasiano concedatur aliquid. Id aliquid, videbatur exiguum esse. Ego totum jus ei explicavi. De Alexandri hominibus dicenti mihi, videri eos id agere ut alieno damno impensisque res suas agant, aliis idem videri ajebat. Quærenti an Veneti nobis conciliatores placerent, respondi ita planè ut Avaugurio responsum eſt. Poscenti ut liberè dicerem ecquid grata Suedis fuisset obita ab eo antehac Legatio, dixi me pro ea gratias Regi egisse verbis amplissimis. Tamen non tacuisse me etiam dolorem nostrum de amissa Prussia: cùm id à nobis datum sit Germaniæ rebus, eò justiùs nos à Rege opem exspectare auxiliarem, tum in bellum, tum in pacem nostro è commodo faciendam, in quo illud præcipuum ut maneret penes nos Pomerania, magnum futurum pacis firmamentum, quod, si fallerent Austriaci, scirent paratos è Suedia vindices. Commendavi ei etiam Ducis Bernhardi negotium, quod trahi non posset sine communi malo ac periculo, crescentibus adeò per Germaniam hostium copiis. De Colonia quanquam contradicturi non simus si ab hoste invitemur, videri tamen mihi urbem & Religionis & partium studio nobis infestam, neque satis magna cum libertate ibi fore qui res nostras facturi essent. Angli verò, nam utrumque vidi, negant credere se quenquam suorum iturum Hamburgum, nisi fedus hoc coëat. Ego in meis antehac conjecturis persto, eoque magis quod abiturum se brevi hinc dicat Licestrius tanquam transacta re. Idem à me petit exemplum federis quod anno 1631 Suediam Galliamque inter convenit; negavi habere me. Videntur existimare nos ex pactis ejus temporis satis obligatos, non pacisci cum hoste nisi Germanis omnibus Principibus restitutis, ita ut novum nobiscum fedus inire non teneantur. Sed cùm apertè id non objiciatur mihi, respondere, quod alioqui difficile mihi non foret, supersedeo. Video eosdem Anglos, de omnibus eis quæ pro Brandeburgico super Pomerania dici possunt plenè edoctos. Galli quoque eam amicitiam spe, ni fallor, inani, quod putent id suffragium aliquando Domui Austriacæ posse subduci, fovent. Et hi & illi id agunt, ut Suedi suas rationes ad ipsorum commoda aptent. Mitto postremas literas quæ inter Regem Cardinalemque, & Comitem Suessionensem commutatæ sunt: tum quæ ore postulari à Rege jussit idem Suessionensis. Puto solo hostium metu impetraturum, cùm ne quid sibi noceatur hoc quidem tempore. A Ducis Bernhardi milite in Comitatu Burgundiæ dicuntur cæsæ cohortes, quæ regimenta dicuntur, hostium duæ: alii æquatam cladem narrant. At pactiones illæ Rhæticæ mirè Aulam, mirè Italiam sociosque omnes turbant. Rohanii uxor Cardinali coram objecit Patri Iosepho prædictum id à se ipsi, neque allata quæ debebant remedia, ipso negante id dictum sibi. Serbellonus ad Lacum Comensem habet IV M peditum VI C equites. Orant eum Rhæti retro ducat copias, putaturque facturus, ubi ex Rohanii sponsione Galli Rhætorum finibus ac Valle Telina decesserint. Bremo & Casali metui video, & ne tam Mantuanus quàm Sabaudus seorsim pacem facere, seque periculo eximere occupent. In Margarita Insula aliud castellum exiguum, juxtaque puteus aquæ dulcis, cujus tenuis in ea Insula copia est, venere in Gallorum potestatem. Sed & ab Italia auxilia quædam Hispanis advenere, & Archiepiscopi Burdegalensis Harcurtiique dissidiis Gallica consilia, ut ferè ubique turbantur. Dicitur novus Imperator, si ita appellare eum fas est, Iesuitis edixisse, ne posthac laborem sumant consiliis publicis semet ingerendi, ut quibus patrem suum minus feliciter usum judicet. Pro certo habeo nihil magis ex usu esse Domui Austriacæ ad muniendam vim Imperii sui, quàm Protestantium Romanensiumque per Germaniam libratas tenere vires, & utriusque partis modò gratia, modò metu res suas firmare atque provehere, ut Rudolfus & ante eum Maximilianus fecere. Sed ubi superstitione capti Principes sacerdotibus se dant regendos, prævalent consilia violenta, periculosa, & Pontifici quàm Principibus ut fortuna maximè faveat utiliora. Intelligimus & Antistitem Herbipolis, & Melonem cum suo collega iter suum tardè promoturos, ne Coloniam ante Gallos adveniant. Interim ab Hispano Schinchinella hospitiorum metator Coloniam venit. Multum pecuniæ & Brisacum & Hildeshemium venisse audimus ad parandos hosti commeatus. Dux Bernhardus accepta jam pecunia equos trahendis machinis conquirit. Deum precor, Excellentissime atque Illustrissime Domine, ut pacis bellique res ad bonum ac gloriam Reginæ, Suedici nominis, Tuæ Sublimitatis regat. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Aprilis 1637.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Minùs celeriter quàm & vellemus, & expedit, perveniunt literæ: quibus moris id fiat nescio. Et parum postremas audimus interceptas mari ab hostibus. Nec futurum ut terra eant, spes nobis fit, utinam sic certum. Nam & ibi sunt, quas metuamus, insidiæ. Tuas [illegible] & [illegible] Martii recepi [illegible] Aprilis. Insistam posteriorum vestigiis in respondendo: deinde siquid ultra est in prioribus, ne hoc quidem intactum relinquam. Galli & Angli quid fecerint nescis; nihil enim vidi. Ajunt utrique nihil sibi convenisse. Amplius addunt Angli, ne missuros quidem se Hamburgum, ni priùs hic fedus coëat. De quo quod nihil sperent, ideo scilicet brevi discessum se parare ait Licestrius. Non destiti adferre omnia quæ pertinerent ad ea amolienda quæ Angli aut cum Gallis, aut cum Batavis habebant disceptabilia. Quid profecerim nescio, nam quid dicant apparet, quid agant non item. Galli ajunt se quicquid petitur facere paratos, si Angli, bellantes aut aperta belli professione, aut certè auxiliari milite ac pecunia juvent. Idem video dicere nostros Suecomanas, tanti nunc quod apud eos est luminis fulgore cuncta clariùs quàm antehac conspicantes. Davausius paratus itineri quò eat non dicit. Hamburgum puto & Coloniam, utro priùs non dixerim. Hamburgi sperat se ex nostris intellecturum, quid ipsis animi sit, ad pacem bellumque. Coloniæ sunt, ut nosti, ab Imperatore, ut eum Germani appellant, ne quid in causa controversa præjudicem, Questembergius & Cranius. At Herbipolitanus in itinere subsistit, idemque faciunt illi ab Hispano Alcala, Melo, Cancellariusque Mediolanensis, ideo quod Gallos antevertere nolint: id est S. Chaumontium, & Davausium. Nam Feuquerius se excusat, ob æmulatum eum Davausio. Cardinalis ne quis mittatur, dudum inter Reges convenit. Danus, Polonus, Germani, Hamburgum an Coloniam missuri sint videbimus. Est planè, ut in comœdiis quibusdam, duplex scena. Maximè me cruciat, quod interim hostiles per Germaniam crescunt copiæ: hic cessatur adhuc: quanquam est, quod nos recreet, duæ cohortes, id est, Regimenta hostium à Ducis Bernhardi milite in Comitatu Burgundiæ cæsæ: ipse Dux, pecunia accepta quantam satis judicat, trahendis machinis equos corradens undique & ut abire sibi liceat instans quotidie. Cùm tamen Gallorum, non ex suopte ingenio, sed ex temporum necess-

Digitized by Google

necessitate cunctationes video, nolo opponere me Ranzovii jam hanc Aulam intelligentis conjecturæ. Vt Princeps Arausionensis quamprimum in apertum moveat, & Suediæ & Galliæ interest plurimum. Quare omni ope in id nitendum est. neque omisi Regi, quem his diebus ex mandato vidi, ostendere, quantopere ex usu sit tantæ rei moras rescindere, id est, pecunias hic tractantium, tricas, qui homines sæpe Regem cogunt suæ viscosæ tenacitatis graves pœnas pendere, ut nunc fit apud Rhæticas Alpes, qua de re supersedeo scribere, quia mala & quidem tam gravia, semel indicasse satis in se habet tædii, ut non recoquatur hæc crambe. Ferdinandum III pro Imperatore tota agnoscit Germania, etiam Ecclesia Trevirensis, cujus quàm Episcopi potius fortè jus est. Et quæ pro Palatino scripta sunt, ita sunt temperata ut intra arctissimos sua jura leniter tuendi stent limites, anxiè evitatis quæ Potentes irritent. Quid hac de re factura sit Suedia, avebo scire: tum quia res est per se cognitu digna, tum quia aliquid confert ad futuri judicationem. Stella quem eo de argumento fecerat librum, is non prodiit, nec proditurum unquam putavi. Cæterùm de novo Imperatore sic existimari video, eum ut superstitioni Iesuitisque superstitionem ex usu suo versantibus minùs obnoxium, ita dominationis cupiditate multum trahere de Hispano: quæ res Protestantibus usui an damno futura sit, varia est conjectatio. Angli callidorum nomen merito ferent, si, quod volunt, efficere poterunt, ut fructum alieni belli, sumptuum, periculorum, in se derivent ac suos: retineant commercia; recipiant aliqua pactione Palatinatum: nobis dictent interdictum non *Vti possidetis*, sed *unde vi*. Pontificis ne Galli quidem ullam si sapiunt habere rationem debent, cùm non Italia tantùm, sed & omni in posterum spe rerum Italicarum exciderint, ita ut posthac & Roma & quicquid per Alpes aditur respectare Hispani aut jussa aut cupita debeat. Itaque Pythias illa non διὰ λοξῶν θεσπισμάτων [*per obliqua oracula*] sed σαφέστατα [*perspicua*] posthac φιλιππιεῖ [*Philippo favebit*]. Nisi Galli se & citò & validè moverint, haud mirum adeò foret si Suedi nostri ea quæ ipsos propiùs tangunt, id est, oram Baltici maris, repetant, & Germanis relinquant solidam quam expetunt rerum Germanicarum curam.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

Batavis offerri inducias & creditur hic, & utile est id credi. Ad pacta Wismariensia quod pertinet, pro veteri debito anni XXXII cautionem suam Heusdius interposuit. De noviter promissis ad S. Chaumontium missæ sunt literæ, quæ quales sint nescio: sed quod præcipuum caput est, de bello Imperatori indicendo à Gallia, ejus nihil apparet: tantumque abest ut bellum sumatur novum: tædet veteris. Nuntii literæque Bruxellam commeant. Sed hæc propiùs ex D. Salvio discemus, postquam & D. S. Chaumontius illuc venerit. Scribitur mihi inter D. Bielkium, Marchionemque Sigismundum nihil actum, nisi quod colloquia habita, de modo, loco, tempore. De Brandeburgici Electoris destinatis, haud dubium est quin rem tetigeris. In Pragensi pace quid sit arcani subdolique, nemo meliùs quàm faber talium Arnimbius dicet, quem in nostrorum esse potestate, aut fallor, aut multum refert. Saxo verè inter ferrum & incudem est, positu sanè non optabili. De Ehrenbreistenio utinam netardum sit: nam magna inde mala nuntiantur. Sed multa talia tolerando dies sanat. Suessionensis contentus est relinqui Sedani, πρᾶγμα οὔτε ἔχων οὔτε παρέχων [*negotium neque habens neque exhibens*]. Suedicæ quantæ dicantur transnavigaturæ copiæ, velim edoceri: nam hic rumor omnia auget, & eorum quos ista nosse par est, tacent literæ. Et Veneto Legato & Davausio percunctantibus, an Venetos se bello interponere componendo nobis placeret, respondi ut præscriptum mihi erat, si desideret Imperator ut mittamus Coloniam, si dignitas Regni salva erit, si norimus quid in pacificatione propositum sibi habeant, qui se medios profitentur, nos ad æqua omnia fore faciles. De literis tuti commeatus à Ferdinando pro Legatis Gallicis puto Pontificem comminisci σκέμμα [*commentum*] aliquod πολιτικὸν [*Politicum*] quo evitetur de titulo controversia. Cardinalis Hispanus sua ex parte desideriis Galliæ satisfecit. Seditiones apud Austriacæ Domus militem nullas hic audimus. De Lipsia quid in re sit, sciri & hoc interest. Levibus quotidie præliis damna dari & accipi, mirum non est: neque inde pendet rerum summa. Thesauri Ehrenbrestenii carbones credo fient. Haud obscurum est validos esse in Anglia, qui sibi quàm Palatinæ Domui melius volunt. Is morbus an ad sanitatem perduci possit, arrecta est Europæ totius exspectatio. Fledwodio quid responsum sit, perscriptum ad me est. Vtinam ad illa responsa apertius quid Barclaius illuc missus adferat. Qui nucem edere vult, frangat oportet nucleum. De Legatis qui hic sunt, non est cur non optima omnia exspectem. Sed meministi tituli in jure, *quod cum eo qui in aliena potestate est gestum esse dicitur*. Aysema, vir Germanicarum rerum callidus, ut Batavicarum non ignarus, miror quod se amicosque in res tam invidiosas induerit. Semper credidi eum arcanis mandatis niti, quod nunc contra esse intelligo. Galli in Margaritæ Insula pugnant fortiter. Divisa est inter ipsos hostesque possessio, & utrisque auxilia venere, certantibus studiis inde Italiæ, hine Galliæ Narbonensis. Siquid post has quas commemoravi scripsisti, id puto in hostium venisse manus, si vera est fama. Quare rogo siquid necessarium est scitu, repetere ne pigeat. Res eo in loco sunt ut, si unquam, orandus sit Deus cuncta ut in optimum publicum vertat, cujus paternæ bonitati, Illustrissime Domine, te tuosque commendo. Lutetiæ 1/11 Aprilis 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

MVltum E. T. debeo pro litteris 4/14 Martii datis, 751
plus etiam pro earum ubertate inter tantas E. T. occupationes. Sequar earum ordinem. De D. Banerii prosperis rebus, est quod gaudeamus: interim satis apparet crescere undique hostium copias & difficile ei fore infessa loca tutari, ni socii se moveant. Itaque non desumus hic officio ad urgenda quæ de Duce Bernhardo cum bono exercitu mittendo capi cœpere consilia. Pecunia jam accepta equos undique contrahit ad machinas trahendas, Propediem sperat se iturum: sed id propediem & diu duravit & quando futurum sit definire non audeam: interim narrat mihi, duo hostium regimenta à suis cæsa in Burgundiæ Comitatu, quod bonum initium omenque est: si cætera itidem ut optamus processerint, firmabuntur Banerii res, dabiturque eum Vinariensi consilia fortè & vires jungere. De novo Imperatore, ita enim eum cum Germanis appellabo, quod sine fraude sit ejus controversiæ, quam Gallia de nomine ei movet, existimant plerique non abesse quidem ab eo Imperii ac gloriæ sitim, mala Hispanica, sed animum ejus ab Iesuitis remotiorem, quorum consiliis nimis violentis uti ipse nolit, patrem usum doleat. Novit jam E. T. Coloniæ esse Questembergium ac Cranium ab Imperatore. Herbipolitanus Episcopus, & ab Hispano Alcala, qui Augustæ esse scribitur, & Franciscus Melo, & Cancellarius Mediolani dicuntur sustinere iter, ne ante Gallos adveniant. Horum S. Chaumontius dicitur Hamburgum iisse: eodemque se tendere ait qui nunc in abitu est Davausius, qui haud dubiè cum E. T. quam ibi esse, ei id inquirenti dixi, sermones de pace conferet. Ait Regi placere ut aliquid nobis de Pomerania maneat. Ego quæsitum nobis in totam

Digitized by Google

tam jus dixi, eademque de re cum Anglis Legatis, Brandeburgico studere se parùm dissimulantibus, disputavi. Inter Gallos Anglosque satis jam convenit, quamquam non id præferant, aitque Licestrius brevi se discessurum, quod confectis rebus fieri solet. Numquam credere potui Sigismundum Marchionem idoneum esse ad patiendam nobis pacem, quæ rebus nostris non sit adversa, cùm præcipuus nodus in Pomerania sit. Aysemam de religione tacturum, quod fecit, nunquam dubitavi. Imperatoris eum gratiam colere satis apparuit, credidi tamen eum prudentiorem, quàm uti id faceret, cum tam manifesta popularium offensa, nisi fortè ab ipsorum se rebus extricare atque aliò traducere vult. Valet ingenio & rerum germanicarum notitia majore, quàm habeat Batavorum quisquam. Cùm tantis beneficiis acceptis Imperatori se auctoraverit, etiamsi patriæ fidem præstet, quod facturum sanè spero, certè Suedicas res si tractet, non videtur eas tractaturus Suediæ bono, quamquam alioqui satis intelligo pacis æquæ Suasores qualescumque non esse repudiandos. Nam de sociis quæ scribis verissima sunt. Germani Principes quorum in gratiam arma à Suedis suscepta sunt, adeò à nobis servari volunt, ut in nos arma sua converterint extra Landgravium & Ducem Bernhardum, qui uterque rerum Gallicarum facti sunt accessio. Gallus Imperatorem, neque eum qui est mortuus, neque ejus hæredem hostem suum nominat. Bellum cum Hispano gerit, à quo ut sua recuperet facilè Germaniæ se rebus exuet. Iam literæ, jam nuntii Bruxellam commeant. Anglos ad transactionem super Palatinatum ferri satis apparet. Eam ut opimiorem sibi adipiscantur in pacis negotio faciles erunt alieni largitores, nam ut arma moveant, sperandum non est. Quod verò de navibus Palatino commodandis spargunt, ut res sequatur, de quo dubito, non aliò spectaturum est, quàm ut interclusa Batavis Germanisque Hispaniæ commercia soli occupent. Id lucrum in populum Regemque ingens, pluris eis est quàm Palatinæ domus splendor. Batavi & cum Imperio Bellum sibi nolunt & cum Hispano clam socios agunt. Vt in hosticum educant copias, cùm Gallicæ pecuniæ ex stipulato eis non numerentur, sperare vix audeo. Quod illi ad res conferent nostras pauxillum sanè est ad tanta impendia.

Veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago subducere fontes,
Non magis ablatis numquam decresceret æquor,
Quàm nunc crescit aquis.

Danicam Nobilitatem cujus magna est in eo Regno auctoritas existimem non ita infestam esse nobis, ut non pacem æquam & diuturnam cum Germania nobis optet. Regis impetus senescent puto cum ætate. Regis Poloni media ætas, è rebus gestis gloria, favor apud suos & in Suediam spei reliquiæ nobis non suspecta esse nequeunt: quæri ab eo maritimas vires apparet, ad quas se amicitias applicaturus sit nondum liquet: sed facilè eas reperiet apud eos qui nobis invident. Quod si est, optandum sanè est ne nos bello alii illigatos deprehendat, ut olim Danus. Hæc ego eadem libertate eademque fiducia, tecta hæc quantum oportet fore, scribo, qua T. E. literas accepi servoque. Non impedient hæc me cogitata quò minùs Gallos, Ducemque Bernhardum impellam, Anglosque incitem quantum mearum erit virium. Æquissima sunt quæ Reginæ nomine dicta sunt Flutwedo. Barclajus nihil ut arbitror certius adferet. Sed de duobus quæ optanda Anglis proposita sunt neutrum accepturos puto. Quod autem offerunt quantillum est! ut militem conscribere apud se nobis liceat, nempe quod Hispanus sæpe fecit, ut classis ipsorum otiosa & ad oram tutandam supervacua mari nostro naviget. Gallia omnis tantùm abest ut bellum nunc Imperatori edicere incipiat, ad pacem non it sed ruit, frustraque sit Cardinalis, si retinere eam velit:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Nec mirum cum exhausti sint populi tributis, terræ non ab hostibus tantùm sed & à suo milite Vinariensis maximè copiis attritæ: tum verò in Picardia Castelletum & Capellam, in Hispaniæ confinio Ciboram & Socovam, in mari Insulam Honorati totam, Margaritæ maxima ex parte teneat hostis, classis tanta impendia perierint hactenus, defecerit Mutinensis & Parmensis & Rhætus omnis; de Sabaudo & Mantuano metuantur paria. Pax autem cùm differri diutius vix possit, quin ea futura sit optima, quæ communiter à sociis fiet, mutuaque sponsione pacta tutandi firmabitur, dubitandum non est: eam opto, in eam si quid modò possum contribuam lubens. Lutetiæ ¹⁄₁₁ Aprilis anni 1637.

Excellentiæ Tuæ observantissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

QVas Hagæ 17 Martii dedisti multò post, id est, ¹⁄₁₁ 22 April. Novi Cal. accipio; & quamquam vetustas, cui maris tabellariorumque incerta jam sæpe causam faciunt, detraxit eam gratiam quæ à novitate est; tamen illa mihi sufficit, quæ ostendit vivam semper mei apud te esse memoriam. De Lipsia nihildum præter rumores, eosque incertis auctoribus accepimus. Poloniæ Rex quam parùm fidam cum Suedis pacem colat, non dubito: neque illud circumspicere eum sibi maritimas vires, sed ad quas se applicaturus sit amicitias dies docebit. Galli nobis pro beneficio imputant quod eum ab Austriaca domo abstraxerint, & puto nunc quoque talem operam vendidaturus est, qui iter parat, Davausius. Audienda omnia & rerum testimoniis magis, quàm verborum blanditiis credendum est. Gallia quin belli fessa sit minimè obscurum est, sed in paranda pace sua quisque consilia habet. Magnus interim Cancellarius ut puto opperietur eventus aliquos, unde de Belli aut Pacis successibus judicatio fieri possit, antequam mare transeat. Quantum sit militis, quod in Suedia cogitur, scire cupiam. Hic omnia ejusmodi fama auget, me non ridente, cùm apud hujus orbis multitudinem perque omnem Galliam id usum aliquem sui præbeat. Lefflerum credo peritum esse rerum Germanicarum. Rumores indefiniti de pacis conditionibus quæ Suedis proponuntur, adeò Suedis nostris non nocent, ut etiam hic prosint plurimùm. Eget interdum sociorum segnities talibus fulcitabulis. Sed an Brandestenius, an Aysema apti sint ad eam conciliaturam, an verò nimium privati sui nostris publicis immisceant, alterius est dispectionis. Anglica navigatio ad eosdem hæret scopulos, hostes fieri nolunt, & quæ offerunt aliis non tanti videntur ut propterea pacis suæ spem vinculis irretiant. Nostras res quod attinet, cùm præcipua difficultas pacis in Pomerania sit posita, non modò Electoris Brandeburgici opera ad pacem, sed & omnium eorum qui ei magis quàm nobis favent, non potest nostris non esse suspecta: aures tamen claudere parum sit decorum, satis sit si animus prudentibus cogitatis præmuniatur. De Insula Margaritæ pugnant quotidie Galli, Hispanique. Magnum malum non Galliæ tantùm: sed & quidquid ab Hispani imperiis liberum est, accipiet hac pactione, quæ Duci Rohanio in summas angustias redacto, extorta est: metusque est ne ea res & Mantuanum pro Casali sollicitum terreat, & suspecta pridem Sabaudi consilia denudet. Videntur omnia ad pacem se præcipitare. Vale, vir Clarissime. Lutetiæ ¹⁄₁₁ Aprilis 1637.

Tua Nob. studiosissimus H. G.

D. BIEL-

D. BIELKE.

Illustrissime Domine,

753 AD ea quæ postremùm scripsi haud multa addam, ne occupationes Illustrissimæ Dominationis Tuæ, semper graves, hoc verò tempore gravissimas onerem, aut verborum inanibus, aut rerum exiguis. Post res Galliæ afflictas in Valle Telina, magno Italiæ nec minore Germaniæ malo, Sabaudus Bremo, Casali Mantuanus haud immeritò timent, videnturque de Parmensis facto non ita malè sentire, ut non nisi celeriter succurratur, hic quidem pari via se liberaturus sit periculis, ille autem impleturus quorum pridem suspectus est. Mittuntur eò copiæ, intereaque in Margaritæ insula pugnatur, jamque Galli præter primos ab exscensu successus, parvo castello quodam, & aquæ dulcis, quæ ibi rara, puteo potiti sunt. Sed nova & ibi dissidia inter sacerdotem & militem Archiepiscopum scilicet Burdegalensem & Harcurtium dissidia interjiciunt se rebus minimè ejus mali egentibus. Dux Bernhardus cæsis per milites suos in Burgundiæ Comitatu cohortibus sive regimentis duobus & pecunia hic accepta lætus, quærit undique machinis trahendis equos, ut expeditioni animo sanè magno se paret. Davausius valedixit amicis, etiam mihi, mitti se ad pacem communem fabricandam profitens. Hamburgumne priùs an Coloniam iturus haud dixerim. Solet enim hæc Aula consilia sua implicare, & ipse satis est cœlans sui. Vbi agat Illustrissima Dominatio Tua, & cum Marchione Sigismundo nihil peractum, dixi ei. Brissacum multum pecuniæ venit ad commeatus coëmendos. Veneti ad pacificandum se nobis ingerunt. Respondi eorum Legato itemque Davausio, ita ut Avaugurio in Suedia responsum est. Imperatorem hunc novum, si tamen sic appellandus est, ab Iesuitarum consiliis alieniorem esse quàm fuit pater, passim creditur. Eodem ibit, sed alio itinere. Anglorum in negotio nihil promotum est, quod quidem nos norimus. Opto, Illustrissime Domine, Illustr. Dom. Tuæ rebusque Suedicis omnia prosperrima. Lutetiæ 14/24 Aprilis 1637.

Illust. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque illustrissime Domine,

754 SI quid ad diligentiam adjicere possim, satis me inflammant Sublimitatis Tuæ datæ ad me 18 Martii veteris Calendarii literæ, cùm operæ meæ sedulitatem Tuæ Sublimitati Rectoribusque Regni cæteris ita ostendunt probari, ut ultra quod optem nihil sit. Literas eas quod arcani nihil continerent, Duci Bernhardo legendas misi, ut inde quantæ sit curæ ipse Tuæ Sublimitati intelligat. Excepi eum epulo nudiustertius, neque Reginæ neque Tuæ Sublimitatis immemores. Quæ præterea in literis continentur, ea apud Regem ministrosque Regios peracta sunt. Nam & Dux Bernhardus abitui paratus est, acceptis pecuniis, & ait Heusdius se vetus illud reliquum anni XXXII persoluturum D. Spiringio ipsius jussu. Ipsum tamen Chyrographum quod ea de re fecit Heusdius, quanquam ostensurum se mihi pollicitus non ostendit, ita ut nescio exceptio aliqua aut mora adjecta sit nec ne. De novis pecuniis nihil habeo aliud quàm quod & Princeps Condæus & Bulionius affirmant delegatoria præcepta ad eas persolvendas missa ad S. Chaumontium. Davausius novo imperio Regis hic in dies aliquot retentatur; significavit is mihi cùm ipsum resalutarem, magnum desiderium insinuandi se in amicitiam Tuæ Sublimitatis, multum se Reginæ gentisque Suedicæ in se humanitati debere profitens. Ex quo postremò scripsi evenit, ut Rex ob Imperatoris mortem lugubres vestes sumere decreverit & nobis Legatis edicere, nequis ad se veniat nisi pari habitu. Et ut quidem ad tempus à Rege salutando abstineam, video sine rerum detrimento posse fieri. Vt autem lugubribus induar, quanquam id è decore fore mihi persuadere Comes Brulonus voluit, probare non possum; quod alia mea sit ratio missi à Regina cui in Imperatorem bellum fuit, alia Legatorum aliorum: videoque meam hac super re cogitationem aliis talium prudentibus laudari. Dux Vinariensis Aulæ Gallicæ in hac quoque re sequitur exemplum. Neque tamen eò minùs dicitur Romæ Estræus Regis nomine significationem edidisse, Ferdinandum Tertium pro legitimo Imperatore à Gallis non haberi. Belli negotia quiescunt adhuc, præterquam in Insula Margaritæ, ubi post prima illa castella cum exscensu capta, etiam majus aliud quod Arragonicum dicitur & turris juxta Batila nomine, in Gallorum venere potestatem, bisque rejectus est hostis parans XXIV navibus longis militem aliaque necessaria in eandem Insulam exponere. Maximum quod Hispano restat castellorum jam triginta Gallorum verberatur machinis. Etiam in Burgundiæ Comitatu oppidula quædam, Dortanum, Migraudum, Tigeles & Sancti Claudii partim vi capta sunt, partim vim deditione prævenere, & de aliis in propinquo locis paria Galli sperant. Venetus Legatus non ex imperio, ut dicebat, sed privatim sumta colloquendi libertate, repetivit sermonem qui nuper inter nos fuerat, de conciliatura ab ipsis oblata, deque iis quæ, secundùm quæ Avaugurio dicta erant, responderam. Putare se ajebat consensum Ferdinandi, ut Coloniam & nos mitteremus satis appariturum, si literæ tuti itineris pro Legatis nostris perscriberentur. De eo quod dixeram curandum ut dignitas sua Regno Suedico constaret, rogabat id sibi enucleatiùs exponi. Interim non dubitare se quin curaturus esset Rex Galliæ, nequid haberemus conquerendum. De conditionibus ad quas dirigi posset hæc conciliationis opera, visum iri in ipso conventu. Ad hæc dixi ego itidem non ex mandato, sed amica collocutione, Coloniam ut à nobis non præfractè recusari, ita nec quicquam esse, cur nos priores de eo loco ageremus, cùm Imperatoris Aula nunquam nobis eam urbem proposuerit, sed Brunsvicum aut Francofurtum ad Viadrum nuper per Sigismundum Marchionem, cui nos contra Hamburgum aut Lubecam ut nobis commodiora nominassemus: quod si harum altera placeat Ferdinando, non videre me quomodo nostri id possint defugere. Quod ad dignitatis curam pertineret, multa esse quæ in mentem venirent, unum jam dicturum me, olim cùm Rex Gustavus viveret incidisse ei quædam controversa ejus generis cum Imperatore, qui tamen rediisset postea ad æqua. De conditionum præcipuarum summa ut à pacificatoribus edoceantur partes bellantes, haud novum esse. Sic Henricum IV. ad Verbinianum colloquium non misisse, nisi postquam certus per Pontificem factus esset de quibusdam super quibus disputari nollet. Fecisse idem Batavos ante inducias. Antehac à Rege Daniæ ea nobis proposita ex quibus justa esset suspicandi causa, non seriò ab hostibus pacem expeti. Id nunc quoque videndum nobis, eoque justius, quod pupillari Reginæ ætate cavenda sint omnia dissidiorum in Regno semina. Olim in ea ipsa Coloniæ urbe tracta per multos menses super Belgica pace colloquia, eò quod fundamenta priùs solida jacta non essent, nihil effecisse aliud quàm quod Belgas inter se commisissent. Cùm quæreret, an non ex Marchione Sigismundo cognossemus super præcipuis pacis capitibus hostium voluntates. Dixi eum de via ad pacem eundi egisse tantùm, de loco scilicet ac tempore. Scripsit ad me Hanovia Ramsæus, aitque à se mitti exemplum literarum hostilium magni momenti. Sed id exemplum non apparet, ac quomodo disparuerit nescio: sed dicit mihi qui res agit civitatis Hanoviæ, se ab eodem

eodem Ramsæo literas tulisse ad Regem, ac vidisse se apud Chavigniacum exemplum simile. Esse literas ab Aula Bruxellæ ad Boccabellam qui res Hispanicas in Palatinatu agit scriptas, indicantes omnem primùm vim exercituum è Germania Belgioque in Suedos verti: iis expulsis tum demum in Galliam vertenda arma. Venit ad me & Comes Egmundus. Rogavit numquid responsi accepissem ad eas literas, quas ipse Reginæ, Tuæque Sublimitati scripserat: negavi accepisse me quicquam. Rogabat præterea, ut ego cæterique Legati adjutores essemus ipsi, ut Comitis Warfusæi filius adolescens, patrisque negotiis impermixtus, qui, se quippe avunculo advocante, publica Regis accepta fide huc venisset, jamque in Bastiliam contra eam fidem conjectus esset, inde eximeretur. Pater ejus juvenis inter eos fuit qui ante annos aliquot in Belgica contra Hispanorum dominatum res moverant: nuper verò pertæsus longi exsilii gratiam sibi Regis Hispaniæ novo merito redimere voluit, urbem Leodium, in qua sedem fixerat, traducendo ad factionem Episcopi, cui Hispanus favet: ideoque contrariæ factionis, cui favet Gallia, principem, urbisque consulem Ruellium nomine vocatum ad epulas, introductis gladiatoribus paucis primùm, deinde pluribus obtruncavit, plebique ad id concurrenti persuadere conatus est factum hoc à se, quod cognosset id agere Consulem ut Gallis urbem traderet. Sed contra credens plebs occisum libertatis suæ vindicem, atroci ira corpus ipsius Warfusæi truncatum laceratumque suspendit ad patibulum. Nunc Comes Egmundus affinis sui facinus detestans, id laborare se dicit, ne filius, cui malè cum patre convenerit, paterni criminis pœnas luat, neve ipse apud exteras gentes suspicionem adolescentis propinqui à se proditi incurrat. Vitriacus Provinciæ Narbonensis Præfectus in Aulæ offensas incidit, crediturque iturus eò Princeps Condæus, ut è Parlamento Divionensi quidam apud ipsum gratiosi in jus exercendi muneris sui restituantur. Scribitur Francofurtum missas à Ramsæo naves duas, quæ frumenti ducentos saccos, oryzæ quatuordecim, laridum præterea oleumque & medicamina ferrent, Ehrbresteinium salvas pervenisse. Hucusque cùm scribendo pervenissem, intelligo certis auctoribus & discessisse jamjam Davausium & tantam spem factam Anglis Legatis ineundi cum Gallia fœderis, ex iis quæ postremò perscripta dedit Chavigniacus, ut vix putent aliquid evenire posse quò minùs coëat: nisi quid jam arcani Gallis cum Imperatore convenerit. Comes Suessionensis Regi significavit ne quem ad se ampliùs mitteret, nisi probare ac signare vellet quæ nuper ipse Regi proposuerat satis confidenter: tantum illi animorum fecit Hispanicæ opis pollicitatio. Cardinalis Riceliacus ita indies magis magisque infra se dejicit Legatos Regum, ut ego certè sine speciali mandato quidvis patiendi, præsertim cùm contraria mandata Angli habeant, eum accedere non audeam, ne quid dicar diminuisse Regni majestatem. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati faveat. Lutetiæ [illegible] Aprilis 1637.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

755 Literas 11 Aprilis ad me abs te datas, legi cum ea qua omnes tuas soleo voluptate, unaque cognovi tuo beneficio, quæ mandata Sigismundus Marchio habuerit, & quid Pomerani Primores consilii dederint super Pomeraniæ interregno: pro quibus omnibus gratias ago maximas: ero autem in respondendo ob id brevior, quod ante hos octo dies quæcunque digna scitu putavi, scripsi, & ex eo nihil magnopere notandum evenerit. Retentus hic est contra spem suam Davausius, Hamburgum, ut ait, primùm iturus: inde aut Coloniam, aut in Poloniam ut res se dederint. Ehrenbresteinio immissum ab Hanovia Ramsæi cura, navibus duabus frumentum, oryzam, oleum, lardum, medicamina à Francofurto ad nos scribitur. In Comitatu Burgundiæ oppidula Dortamum, Megraudum, Tigeles, Sancti Claudii, partim vi, partim pactionibus Galli in suam potestatem accepere. In Margaritæ Insula, super ea quorum memini antehac, cepere castellum Arragoniæ quod dicitur, & turrim Batiliam nomine: nunc maximum castellorum, quod Hispano restat, XXX machinis verberant, bis repulsis hostibus ne XXIV navibus longis militem aliaque ferentibus, in eandem Insulam exscensum facere possent. Dux Bernhardus paucos ad abitum dies sibi dicit reliquos. Rex Imperatorem luget, idemque facere vult Legatorum si quis ipsum aditum velit. Stellæ liber an proditurus sit videbimus. Ipse cum D. Gothofredo Davausium comitatur. Non videntur hic quicquam promovere Angli, & Licestrius abitum parat. Æquæ videntur mihi quæ Fledwodo propositæ sunt in Suedia conditiones. Scriptum illud majus pro Electoris jure, spero mihi comitate Anglicorum Legatorum videre dabitur. De imitanda Cadamensi pactione prudenter mones, non desinam anniti. Nondum intelligere potui, an in formula delineati federis id comprehensum sit. Aysema puto se ad Imperatorem transferet, cui pridem addictior fuit, quàm aut nostris aut Batavorum rebus expediret. De mari certamen, si tolli poterit, optandum id quidem: si non poterit, ad temporariam quietem erit deducendum. In eo quoque negotio, si quid hic possim, mea non deerit opera. Ex Arnhemio quin multa disci possint, quæ sciri his temporibus expedit, minimè dubium habeo. Videntur Austriaci magnas spes bellicorum successuum concepisse animo, quod sociis, Lunemburgico præsertim, leges adeò parùm amicas non dubitant præscribere. Epistolæ quæ ab Aula Bruxellensi ad Hispanos in Palatinatu scriptæ in manus Ramsæi venere, testantur vim omnem armorum hoc tempore omissis Gallis in unos Suedos converti. Conventum in Polonia discessisse nullo facto operæ pretio, relictis quin etiam dissidiorum seminibus, ex Poloni non unius relatu literisque jam cognoveram. De classe tardum puto fore negotium, & multa quæ interturbent. Quod autem sperant Galli, posse à se tum Regem induci ut Silesiam appetat, mihi videtur non admodum credibile. Ut Batavi se quamprimum moveant, nos non minùs quàm Gallos optare inque id laborare par est. Dixi D. Davausio maximum stimulum fore, solutionem in tempore pecuniarum promissarum, nec omisi ostendere, quantum malum cessando accepisset apud Rhætos res Gallica, quod nunc maximis impendiis redimi nequiret. Comitis Warfusæi filius hic in Bastiliam datus est, conquerente multum Comite Egmundo læsam publicam fidem, sub qua adolescens huc venerat. Quæ Leodii acta Regem commoverunt ut id constitueret, haud ignota vobis erunt. Hæc postquam scripseram duo intelligo certis auctoribus, discessisse jam Davausium: & Legatos Anglicos, ex iis quæ proposita ipsis à Chavigniaco sunt his diebus, spem concepisse fœderis prope certam, quam tamen ego affirmare nondum ausim. Gothofredus hic retinetur. Deus, Illustrissime Domine, te tuosque servet florentes. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Aprilis 1637.

Tuæ Illust. Dom. observantissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

Ælius Diodatus vir in omni literarum genere florentissimus, præterea magno pridem in pretio apud Galliæ summates viros ob egregiem etiam civilium rerum peritiam à Magno Cancellario Sueciæ, cùm is hac

transi-

Digitized by Google

transiret, promissum acceperat, fore ut quam pecuniam in honorem Suedici nominis, D. Raschio mutuam quondam dedit ipsius Diodati frater, eam aut à D. Raschio aut à Regno Suedico, recuperaret. Nunc cùm audiam ejus pecuniæ persolvendæ curam Tuæ Excellentiæ à Magno Cancellario esse injunctam, amicitiæ quæ mihi cum Ælio Diodato perquam vetus est, & ipsi quoque æquitati hujus negotii negare non potui meas ad te preces, ut quàm poterit primùm justissima Magni Cancellarii voluntas exitum consequatur: id si sibi cordi esse velit Tua Excellentia, me primùm sibi obstrinxerit, deinde & illum sibi officiosissimum virum perpetuò amicum paraverit. Neque ultra Tuæ Excellentiæ tempora invadens omnia ei precor prosperrima. Lutetiæ 4 Maii nov. Cal. 1637.

Tuæ Excellentiæ observantissimus H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. CAMERARIO
Et D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

757 TEmpus hoc, sicuti nihil dum certi parit, ita multarum magnarumque rerum exspectatione est gravidum, arrectis omnium animis, quid Hamburgi acturus sit Davausius, & missuri ne eò sint & Angli, quæ duo maximè Coloniense de pace colloquium, quanquam Pontifice impellente, sufflaminant. Tunc verò de bellicis rebus, spes ac metus. Metus, ne exacto jam quinto Maii die decessum sit castellis omnibus quorum quædam, Leceus Gallorum Tribunus retinere velle dicebatur: sed pro suis pactis obses Rohanius, Rhætorum magna in hoc negotio concordia, & ad Colicum montem imminens, si pacta non impleantur, Cerbellonus, ipsaque hic Rohanii uxor res conclamatas testificans, faciunt procliviorem ad sinistra suspicionem. Accedunt magnæ Imperatoris copiæ, ad Rhenum & ad Brigantinum maximè lacum, in Suevis, apud Vlmam, alibi: novique per Stiriam & vicina dilectus. Contra hæc in spem nos erigunt, res prosperæ in Margaritæ Insula, ubi maximum castellorum à Gallis tormentis supra XXX verberatur: magni paratus Regis, eunte in Comitatum Burgundiæ adversus erescentes ibi hostes, Principe Condæo, in Picardiam Vallettis duobus, Duce ac Cardinali: Duce autem Bernhardo cum florentissimis, ut ait, copiis, & suis & sub Haillerio Gallicis, eò quò ipse expedire judicaverit, liberrima instructus potestate. Resurgunt sermones de Poloni cum Austriaca matrimonio: & ajunt qui ista scire se affirmant, compertum, illis qui sub Warfusæo fuere, non militibus dicam sed latronibus, etiam in necem Principis Arausionensis sumpta fuisse consilia: quod si est, magna satis causa ei Principi videtur esse, cur apertum bellum malit, quàm insidiosam pacem. Gothofredus amicus noster communis in menses aliquot hic retinetur, donec maturescat pacis negotium. Video in eo rem esse ut aliquid cum Anglis constituatur: quod quale sit futurum, multum etiam nostra refert. Hæc nunc erant, non multa, neque magna, sed talia tamen quæ scire, quàm ignorare sit satius. Deus te, Illustrissime Domine, cum familia sospitet. Lutetiæ 7 Maii novi Cal. 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

8 VIdeo differri à Gallis in menses aliquot Coloniensem pacis actionem, quanquam multum eam propellente Pontifice, ita ut & minetur Ginettium à se revocatum iri, ni veniant Regum Legati. Argumentum opinionis meæ hoc inter alia habeo, quod digresso jam Davausio retinetur hic ad tempus aliquod, menses minimùm duos, Gothofredus, qui paratum habet quicquid in Lotharingum, aut Lotharingiam à Gallis dici potest, & ea quæ ad Pinerolùm pertinent. Dux Bernhardus intra quatriduum abiturum se affirmat, jamque in Campaniæ finibus paratas suas & Haillerii se comitaturi copias. Princeps Condæus, omisso aut dilato illo de mutanda illa Provinciæ Narbonensis Præfectura consilio, it in Burgundiæ Comitatum. In Picardiam Valettæ duo, Dux alter majorque natu, alter Cardinalitia dignitate fratrem præfulgens, sed qui ita inter se fraternè compararunt, ut pari futuri sint jure imperaturique aut partitò aut vicibus. In Margaritæ Insula oppugnatur etiamnum à Gallis castellorum maximum. In Valle Telina, Clavenna, Bormio, jam dies exiit intra quem deseri cuncta à Gallis quæ insedere hactenus debuere. Quædam jam tradita sunt. De quibusdam injecta mora, sed spe nulla effugiendi necessitatem, ut omnibus prædicat Rohanii uxor. Veneti hæc dolenter patiuntur. De Poloni Regis cum filia ejus Imperatoris qui obiit matrimonio, reviviscunt tum hic, tum in Polonia ipsa, ut à Polonis edoceor, sermones. Galli ut in Ferdinandum III. apertè ac sine dissimulatione hostilia induant, eò minùs spero, quod Stellæ, qui in novam electionem librum scripsit, edictum est, ut ipse mihi narravit, si edere librum vellet, ne aut suum ipse nomen, aut ullam Gallicam urbem adscriberet. Sabaudi Legatus vires hostium, Principis sui imbecillitatem affert prætextus, ut videtur, exeundi è bello. Mitto, ita heic edita est, historiam illam tumultus Leodiensis, ajuntque Galli, milites à Warfusæo conductos captosque fateri etiam in necem Principis Arausionensis, Comitisque Henrici Herembergensis quosdam suorum emptos; quod si certis argumentis docetur, erit cur abhorrere Princeps Arausionensis debeat à pace quam nunc Batavis offerre dicitur Præses Rosa Belga, Hispanorum præcipuus Minister. Dux Bernhardus ob duo gaudet, quod & suæ meliores sint quàm antehac copiæ, quæsitis è rapto equis & quod mittatur summa cum potestate bellum gerendi ex occasionibus. Ex Germania & Helvetiis literæ docent nos multum militis Imperatori merentis esse ad Brigantinum lacum, multum in Suevia, conscribi alios in Stiria locisque vicinis, viderique id propositum, ut Ferdinandus & Bavarus sua diligenter servent, Germaniæ miseriarum securi. Cerbellonus quidem iter sibi stravit ad Colicum montem, neque tamen irrupit, exspectans an quæ cum Rohanio pacta sunt impleantur: quod si fit, jam Hispanis Rhætisque pax erit ad leges novi Oeniponte facti federis. Diligenter servanda erunt hominibus nostris omnia dignitatis momenta, omnes occasiones mirè captantibus Gallis, & præter cæteros Davausio ut se hic jactet. Bonis auctoribus intelligo firmari aliquid Gallos inter Anglosque; verùm id quid sit silentio premitur. Davausius ejus rei puto exitum opperiens inter Lutetiam Caletumque hæret. Feuquerium rumor Aulæ ait Coloniam mitti, si Davausio negotia se offerunt ob quæ in Sarmatiam eat. Sed hæc talia cùm in Aula tam mutabili indies alio atque alio vultu spectanda sese dant, dubito interdum scribenda sint, nec ne. Sed levis est in tantis rerum dispendiis verborum jactura. Et aliquid scribendum est, vel in hoc ipsum ne mos scribendi interrumpatur. Vt cætera desint satis magna mihi ad epistolam erit materia, Deum precari, Excellentissime atque Illustrissime Domine, res ut Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis prosperet. Lutetiæ 8 Maii 1637.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SAtis commendant Vlfsparrerum, cui has dedi literas, cognita ipsius nobilitas, propinquo sanguinis 759

Digitized by Google

vinculo connexa cum D. Archidapifero, tutore ipsius, & cum maximo viro D. Cancellario, cui & Suedia omnis, & qui Suediæ nos dedimus, tantum debemus quantum dici non potest. Tum verò pares generi virtutes satis ipse ostendet, præsertim tibi tam acris exactique judicii viro. Dabo tamen illi quod debeo, non quo opus habet, testimonium, dum hîc Lutetiæ fuit, cognitum mihi amicitia interiore, talemque repertum ut generis adeo splendidi commendatione non egeat. Durum est quod rogo, ut tantis ornamentis refulgens sentiat meam quoque sibi amicitiam profuisse. Et tamen hoc ipsum à tua bonitate, & ea quæ inter nos est atque esse debet, non communis duntaxat rei, sed & studiorum honestissimorum conjunctione, sperare audeo. Deo te, Illustrissime Domine, tuosque & tibi caros omnes commendo. Lutetiæ $\frac{1}{1}$ Maii anni 1637.

Tuæ Illust. Dom. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

760 CVm scribat Dux ipse Vinariensis eas quas abiens mihi ostendit literas, parum est quod de ejus rebus, quas ipsi quàm aliis notiores esse par est, addam. Tamen reticere non possum, Gallos qui cum ipso sunt ituri palàm detrectare Rheni transitum, & Ducem ipsum interdum sic loqui, quasi hostis ipsius consilia ex suspicione antevertisset. Deinde solet hæc aula, cui ille innexus est adeò ut & major copiarum pars futura sit Gallica, sæpe aliud simulare, aliud agere, sæpe consilia sumere extemporalia. Supersedeo etiam de rebus Rhæticis scribere, quando has partes suas bene implet Marinus. Illud miror, quod Marini ad me veniunt literæ, Sprecheri non veniunt, quem Marinus mihi suspectum conatur facere, neque tamen me de quam de, Sprechero semper habui, existimatione depellet. Civem bonum Rhætiæ eum esse arbitror, sed quia non totum se Gallis dat, literas ejus à Gallico Legato qui apud Helvetios est intercipi. Lilia puto cum Lactucis convenisse, non ad Callimachum, sed ad Mimnermum, utinam ne Sophis malo. Nam de Vespasiano, quod antehac monui, magis magisque introspicere videor. Cardinalis Richeliacus hominem Ecclesiasticum facundum populique auribus gratum, Bernhardum nomine, his diebus ad se vocavit, voluitque ex ipso scire, qualis sua apud populum fama esset. Is cùm se excusasset nonnihil, coactus cœpit dicere de omnium ordinum in Cardinalem odio, subverso æquo jure tributorum, in agros maximè, onere intolerabili. Cardinalis ut habet affectus, aut certè eorum signa, in potestate, flens testatus est, mala hæc esse belli quod pro Regis Regnique gloria omitti non potuisset. Cæterùm fidem suam se interponere, quatuor intra menses pacem fore. Tum se effecturum, ut omnes ordines sibi gratiam haberent, cùm visuri essent Galliam multò quàm unquam fuit beatiorem. De 81. 70. 60. 72. 77. 115. 98. cum Arcesilao conjunctione, est item quod dubitem. Iubentur jam edicto Regio hujus Regni Protestantes aulæa foribus obtendere die cùm sacramentum circumferetur. Vt audio, non facient. Mulctæ indicentur, alibi graviores, alibi leviores arbitratu Magistratuum. Reperta hæc ad captandas Aulæ Romanæ gratias à Patre Iosepho maximè, Cardinalatum jamdiu frustra sperante, animos Protestantium mirè turbant. Sed vana est fine viribus ira. Oppidula duo Gallis cessere, vix digna quæ nominentur Saviniacum in Comitatu Burgundiæ: Chamblaium prope Metim. In Margaritæ Insula ad maximi castelli vallum exterius Galli pervenere. Equitatus Gallicus qui in Valle Telina fuit jam ad Genevam venit: nullam video spem sanandi hoc vulnus. Viennâ literæ nos docent vim totam potentiæ esse penes Traumensdorfium. Advocari interdum Episcopum Viennæ, Wardenbergium, Chevinvillerium, Slavatam, Brunerum. Mitti versus Comitatum Burgundiæ XXX millia. Bavaros duos colligere militem. Polonæ nobilitati non placere Austriacam affinitatem. In locum Alcalæ qui mortuus est, Coloniam destinari Mirabellum aut minorem Ognatium. Parari naves & Neapolitanas & Ethruscas in usum belli maritimi. Testamento Imperatoris cautum, ut bona quæ avita sunt Domus Austriacæ sequantur Primogenitum; quod Leopoldo non placere. Augustæ Viduæ relinqui bona quorum reditus perveniant ad LXXX M florenorum. Inquiri avidè in divitias publicis functionibus partas, ac Walmerodii filiis ademtas ingentes pecunias, dato illis duplo sortis quam pater privatus ad IV. M. dalerorum habuerat, & de quinque filiis cuique tantum quantum in sorte fuerat. Exspectari ut Sabaudus se bello eximat. Literas salvi itineris Protestantibus Principibus ab Aula Cæsariana negari, quod subditos suos ab externis curari nolit. Electorem Treverensem orare ut sinatur Episcopatum permittere Pontificis arbitratui, accusarique ab eo Moguntiacenea quasi rebus Gallorum amicorumque Galliæ prosperis easdem fovisset partes. Esse in aula Saxonis Legatos qui levamenta Circulis Saxonicis precentur onerum sub quibus gemunt. At Wittenbergensibus Legatis ut à Ferdinando II concessa implerentur, pro responso datum nihil moræ futurum, post redditam Lotharingiam à Gallis. Video constare clam illata Ramsæi providentia Ehrbresteinum alimenta: sed tamen metum non abesse, ni major vis hosti se opponat. Venit jam Antunnacum Melo & Mediolani Cancellarius: sed ultra ituri non sunt, nisi Galli Coloniam venerint. Id circa Autumnum fore putant Gothofredus & Stella, qui id tempus hic opperientur. Pontificii Helvetii volunt conventum Helvetiorum omnium convocari, ubi agatur de pacando Burgundiæ Comitatu, de residuis quæ à Gallia debentur, de Rhæticis rebus. Filium meum natu minimum misi cum Duce Vinariensi, ut percepta belli gerendi ratione utraque, tum Batavica, ubi bis castris interfuit, tum Germanica, utilis aliquando esse possit Suedico Regno. Cui & me & meos in solidum consecro: Deumque precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta ut in bonum Regni ejus Reginæque, ac Tuæ Sublimitatis moderetur. $\frac{1}{1}$ Maii 1637.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H.G.

STENONI BIELKE,
Eadem CAMERARIO,
& D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

COnvenit inter Gallos & Anglos, sed res clam habetur. Pertinent conventiones ad obtinendam pacem communi ex usu. Dicitur Hispanorum consiliis abstineri à properanda pace, novi Imperatoris, ut apud suos appellatur, animus, ideoque negare literas tuti itineris pro Principum Protestantium in Germania Legatis. Bellici successus nostrorum sociorumque multum ad amolienda hæc impedimenta poterunt. Videbimus eum ineunte Iunio, quid facturi sint Dux Bernhardus cum XVIII millibus, Gallis plerisque, cum non minori numero Valettæ duo, quorum ille jam abiit Comitatum Burgundiæ versùs, hi Picardiam primùm petent, ulteriora pro occasionibus dispositurі. In Margaritæ Insula ad vallum exterius magni castelli, quod unum restat Hispanis, pervenere Galli. Dicuntur ad eos deturbandos conari aliquid à Neapoli & Hetruria classes. De rebus Rhæticis pessima nuntiantur. Vidi Rhætorum ad Helvetios literas, quibus Gallos accusant, de quaque rebus promissis cùm eo venere, nihil implesse. Reddi castella necesse erit Rhætis, nisi jam reddita sunt.

De

Digitized by Google

De transitu in posterum præcludendo Hispanis, sperant adhuc aliquid, mitigatis Rhætorum animis, accedente & Venetorum opera, se impetraturos Galli. Sed multos pejora metuere video; culpa in Rohanium reiicitur ad Aulam exonerandam. Novus Imperator ad Saxonum preces, tributorum levamenta orantium, surdus esse scribitur: trahere & Wittenbergicos Legatos donec norit an Lotharingiam reddere Gallus velit. Interim spongias eos facere qui de publicis pecuniis nimios quæstus fecere: mitti ab eo triginta millia hominum in fines Burgundicos: potentiam omnem esse penes Trautmansdorfium. Trevirensem id agere ut antistitium suum Pontificis permittatur arbitratui, nec parum ab eo accusari Magontiacensem, quasi & is ad opes Gallorum, cùm eorum sociorumque validiores res essent, respexerit. Polona nobilitas aversa dicitur ab Austriacis affinitatibus. Venere jam Autunnacum Franciscus Melo & Mediolanensis Cancellarius: sed Coloniam ante Gallos advenire nolunt. Id ante Autumnum futurum non videtur. In Alcalæ mortui locum destinat fama eidem Legationi Mirabellium aut Ognatium minorem. Hic in Reformatos nova cuduntur edicta, ut aulæa oppandant foribus, ubi transitura erit pompa die Sacramenti, aut mulctas solvant. His consiliis cùm gratia captetur Aulæ Romanæ, nequit tamen Cardinalitiam purpuram obtinere Pater Iosephus. Hæc habui quæ dicerem, simulque precarer, Illustrissime Domine, tibi tuisque omnia felicia. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Maii 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu devinctissimus H. G.

CLAVDIO SALMASIO.

762 MVltum irati fuimus ventis, vir Nobilissime, & ego, & Labbæus & tota cohors amicorum, quod te tam diu detinuere, non quidem solum, quem tantus semper sequitur literarum comitatus; sed publico minùs quàm esse soles utilem. Itaque tu, si Lycæum sequimur, minùs tunc beatus fuisti, destitutus instrumentis ad egregias actiones necessariis. Si verò Porticum audimus cuncta in animo ponentem, fuisti etiam tunc beatissimus. Cæterùm redditum te lari tuo, redditum libris (non enim dixerim amicis, quorum cara ibi annona est) gaudemus omnes, exspectamusque inde eos fructus quorum nobis spem facis. De fœnore & usuris quæ duo distingui vult Cujacius titulo Digestorum de Nautico fœnore, quæstionem rectè explicari vestris in locis hoc magis velim, quod jam ex eo tempore quo Fisci gessi patrocinium cognovi, post eos quos Lombardos dicimus, improbissimos fœneratores esse plerosque Ministrorum & Seniorum. Carolus Molinæus scripsit eo de argumento μάλα φιλοσοφικῶς [*admodum philosophicè*]. Sed quod Legis totam vim ponit in originatione vocis נשך [*morsus*], in eo vereor ne fallatur, cùm & מרבית [*augmentum*] reperiatur inter vetita, ac sic intellexerint Rabbini. Cloppenburgius præter ea quæ hujus sunt argumenti propria, habet quasdam γενικὰς ὑποθέσεις [*generales positiones*], quas, ni fallor, defendere illi tam difficile erit, quàm Magistratus Amstelodamenses de solio deturbare. Tua hac de re cogitata eò magis intelligere expeto, quod pridem consulere te volui, qui sint ἡμιόλιοι τόκοι [*sesquialtera fœnora*] in Canone Nicæensi. De Arnobio quæso ne differas. Notas ad novum Testamentum ubi prodierint legam inter primos. Escartii Physica & Mathematica laudari intelligo. Est hic unum duntaxat exemplum, quod videre nondum contigit. Videre lubebit an non in edendis Casauboni literis omissuri sint quasdam ad me, quas pridem Puteani à me acceptas Elseviriis dederunt. Sunt enim in iis nonnulla, quæ cum illorum locorum κυρίαις δόξαις [*propriis opinionibus*] non satis congruunt. Heic Sirmondi Theodoretum, Auberti Cyrillum brevi habituros nos speramus. Cæteroqui torpent librariorum officinæ emortuis commerciis. Optanda pax vel eo nomine, ut resurgant studiorum adminicula. Vxor te tuamque amicissime resalutat. Tu verò sive nobis posthac Latinè, sive Gallicè males scribere, eris nobis utriusque sermonis Magister optimus. Lutetiæ 16 Maii 1637.

Tua Nob. studiosissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVem videre desiderasti librum contra electionem Regis Romani, eum tibi fert scriptor ipse Stella, in hac aula sanè gratiosus, datusque à Rege D. Davausio ad res Germanicas adjutor. Ille, qui se multa tua bonitate discere posse sperat, publico profutura, pro magno habuit tuam amicitiam mereri. Ego officium adituro parandi, quod nemini literato eram negaturus, huic eximiè literato & viris magnis probato lubens præstiti. Plura non addo, nam gnarus eorum quæ hic geruntur ipse ea perferet. Vale vir Illustrissime. 19 Maii 1637. 763

Tuæ Illust. Dom. observantissimus H. G.

FRIDERICO LINDENBROGIO.

NVper Maurerium qui sponte D. Davausium Regis Francorum Legatum comitabatur in notitiam tuam introduxi, Vir doctissime. Nunc idem officium Stellæ negare non potui, multæ eruditionis viro, Aulæ hujus potentibus caro, quique Regis mandato it, ut ejus quem dixi Legati labores sublevet peritia sermonis rerumque Germanicarum, quam aliquot scriptis ostendit. Ego qui norim quàm tua comitas omnibus pateat, eam ut imiter, non vereor viros literatos, qualis hic est, interdum & literarum amantes, tibi excolendos tradere. Vale Vir Clarissime. $\frac{7}{17}$ Maii 1637. 764

Tuus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVaternas abs te accepi literas uno tempore, id verò est nudiustertius: non multò meliùs curatas quàm meæ sunt, præter postremas. Et tamen eodem die datas amicorum jam octo dies sunt quod accepi, in quibus Hulstæ historiam, ex qua cum mærore disco animos Batavis non terra minùs quàm mari labascere, quæ res quantum adferre Reipublicæ malum processu temporis possint, malo apud me cogitare quàm malus ominator haberi. Prima epistolarum tuarum quatuor, exemplum erat ejus quam accepi antehac & cui jam respondi. Adjiciam tamen nonnulla. Scriptum illud magnum pro Palatino supprimi audio, nec proditurum. Stellæ liber prodiit quidem, sed tanquam Hanoviæ, sine ipsius nomine, vitandas ad offensas. Sed hæc ipse dicet meliùs: puto enim eum ad vos iturum, ut eo itinere Davausium adjutor futurus sequatur. Davausius ipse puto, jam Hamburgi est, vectus Anglica nave, quod argumentum adjicere Seldenus poterit ad sua de Maris Dominio. Pontanus si de me benignè locutus est, ut scribis, (neque enim librum vidi) fecit hoc magis pro amicitia inter nos pervetere, quàm pro meis meritis. Fuit enim meum opus de Mari libero optimò scriptum in patriam animo, sed ætate juvenili. Nunc & in Dania audio responderi Seldenio, puto non ut disputetur an Mare in jus proprium cujusquam possit concedere, sed quanta cuique pars cessura sit. Fortè & Suedi in ea positione aliquid reperient sibi utile ad Balticum, Finnicum, Botnicum mare vindicandum. Iis ne vel imprudens adverser, intra silentium me contineo. ἀκίνδυνον γάρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας [*Tutum enim est silentii præmium*]. Etiam Gothefredo, qui hic est,

fra-

fratris sui librum eo de argumento adferenti, idem respondi quod Angliæ Legatis de Seldeno percunctantibus, probari mihi eruditionem scriptorum. Digna esse opera ingentis excitatis ac sublimibus. Cadameulis pactionis mentionem non inutilem fecit in suo libro Stella. Sed frustra aliquid constans in hac re à Gallis speramus, cùm Pontifex jam pro electione pronuntiaverit, cujus auctoritatem qui oppugnare audeat, Potentium nemo est: si qui sunt quibus id facere sit animus, ii nihil possunt. Valde è re erit arcana consiliorum adversùs nostros, quorum auctor Arnhemius, ex ipso cognoscere. Et siquid didiceris, rogo sim particeps. Brandeburgicum esse agnatum Pomerani intellexi, & scio quæ pacta Pomerani cum Suedis pridem fecerint. Sed an in investituris, quas vocant, simultaneis, comprehensus antehac fuerit, siquid nosti, cupiam discere. Davausius an in Poloniam iturus sit, incertum est. Si it, ait se daturum operam ut Polonus aut in communem societatem pertrahatur, quod sperandum non puto, aut certè retineatur, ne communi rei noceat. In oratione quæ Galliæ Regis mandatu in Polonia habita est, hæc verba sola Palatinam Domum spectantia invenio: *Denique cùm Christianissima Majestas à suis & vestris Legatis negotium matrimonii Serenissimi Regis Poloniæ cum Principe Palatina, ob certa obstacula, diversam nempe Religionem, non posse constitui intellexerit, sed Serenissimam Majestatem animum suum aliò convertisse adverterit, nihil gratius jucundiusque Christianissimo Regi, nihil gratius Galliarum Regno accidere posset, quàm si sua Majestas in Regno Galliæ sibi consortem Regni & vitæ eligere vellet. Inde enim novus quidam animorum & affectuum utriusque gentis fructus emergeret, ex quo uberrimus fructus in rempublicam vestram, præsertim in bello quod vobis à Barbaris imminet, redundabit.* Et hæc quidem sunt ibi quæ legi. Fedus, belli certè causa, ut inter Gallos Anglosque coëat sperare se negant & hi & illi. Licestrius ait sua si consilia valuissent ante menses quinque Regem suum futurum fuisse hostem Austriacæ Domus. Galli Anglos ajunt nihil minùs quàm hoc voluisse, sed fama oblatæ societatis voluisse res suas bene constituere. Audio Galliæ Legatos desiisse Palatino tribuere quod cæperant Electoris nomen, spe fortè illa quæ tam diu fallit amicitiæ Bavaricæ. Ac fortè Anglia mediocri aliqua conditione depacisci contenta erit. Ex animo miseret me adeò excellentis, adeò nunc desertæ Domus. Dux Vinariensis contra voluntatem tractus est hic nimis diu. Hæret ipse Trecis, & in hac urbe Haillerius. Interim hostis loca suspecti insidet, multumque vereor, ne in solum Burgundiæ Comitatum incumbant hæc arma, & Vallettæ in ea quæ in fine sunt Picardiæ, Germania interim permissa suis & aliorum periculis. Fortia ubique apparere Suedorum consilia gaudeo, tum quia ad ipsorum gloriam id pertinet, tum quia in tanta aliorum segnitie res communis eo ferme solo adminiculo nititur. Aquila rapax animal, urtica vel tacta nocens, quid parturiant videbimus. Aysema, pridem Suedis adversus, quo tandem se applicaturus sit, videre desidero. Credo nusquam ei nobis nocendi majorem fore copiam, quàm in eo loco quem obtinuit hactenus. Video Dunquercanos magis magisque in Maris possessione progredi, patientibus si non & faventibus Anglis, Batavorum verò exolescente virtute, & quidem ea in parte virium, unde natæ & qua steterunt hactenus eorum res. Nobilis filius tuus Schmalchiusque spero rectè jam in Suediam pervenerint: quibus, ut mihi amicissimis, omnia opto prosperrima. Lubens intelligo, gratias hic agi D. Salvio, quod D. S. Chaumontio cuncta quæ inter Sigismundum Marchionem ac D. Bielkium erant acta aperuerit. Inter bonos bene agier oportet. Alcalæ mortuo fama subrogat, ut scripsisse puto, Mirabellium, aut minorem Ognatium. Dicitur Cardinalis Ginettius mandata habere Roma, ante meridiem vacandi suis Catholicis, post meridiem iis quos hæreticos vocant, nempe ne permisceantur cælestia infernis. Ego ovibus auctor non sim rem suam ut lupo commendent. Verum est, monachum hinc iisse in Hispaniam, ut Reginam Galliæ voto liberaret, quo ea se Isidoro obstrinxerat, Cælitum creditorum uni. Nec abit à verosimili, aliquid subesse majus inter Cardinalem & Olivarium. Sic & inter Bavarum Patremque Iosephum nova communicari consilia, certum est. Spes ejus suffragio utendi aliquando ad demovendam ab Imperio Austriacam Domum, mirè his hominibus blanditur. Sed turpe est in eodem loco sæpiùs cespitare. Velim & Landgravium, & siquid est in illis partibus sociarum virium, Ehrbreditenо consulere: & illas quæ è Suedia exspectantur copias jam esse in media Germania, quo melius Banerius & Wrangelius res suas tueantur. Rohanius est in agro Bernate: scriptis famam suam tuetur adversus eos, qui aliena culpa ipsum onerant. Putatur secessum sumpturus apud Venetos. Interim ex formula pactorum tradita sunt Rhætis castella omnia, qui ea dejecturi dicuntur, an satis prudenter nescio. Hispanus jus traducendi copias redimit annuis XX millibus scutatorum, magno Italiæ, magno Germaniæ malo. Gallicos Legatos ante mensem Septembrem Coloniæ futuros non puto. In id tempus retinetur hic Gothofredus. Interim Cardinalis quæ ad bellum quæque ad pacem faciunt, experiri non omittit. Cardinalis Hispanus quas dedit pro Legatis tuti itineris tabulas, equidem non vidi. Batavos omissos audio: quod cum iis seorsim agendum judicet: sicut & Suedos à Gallis distrahere percupiunt. Marstallerus si ad me venerit, videbit & virtutibus suis & tuæ commendationi apud me constare quod debet pretium: quod si tales sæpe ad meam notitiam introduxeris, habebis me non minùs obligatum quàm quibus id eris præstiturus. Ad Tribunum Kaplivium curavi literas: ac rogo quando in rebus majoribus utilis esse non possum, quod velim maximè, des mihi qualemcunque materiam in qua ostendam, quàm tua omnia mihi sint cordi. Crequiacus in ea quæ Pado adjacent it, quò & Cerbellonus à Valle Telina duxit copias, Bremo, ut conjectura est imminens. Leodiense factum atrox intelleximus. Luit paternum crimen immerens filius in Bastiliam hic datus. Hæc ita sparsim scripsi, dum literarum tuarum doctum persequor. Habeo gratias maximas pro responso Pomerano dato. Utile est habere talia, ad quorum normam sermones regamus. Preces meas cum tuis jungo, Illustrissime Domine, pro bono publico tuoque & tuorum. Lutetiæ 20 Maii nov. Cal. 1637.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

Literis tuis delector quidem omnibus, cùm sint semper & rerum nosci dignarum nuntiæ, & animi nobis optimè volentis indices; sed quas 21 Aprilis Hamburgo dedisti, hanc insuper commendationem habent, quod sitim meam qua magna tenebar rerum novarum explent: nam à D. Salvio quas accepi erant datæ 20 Martii, ex eo neque ab ipso, neque ab ejus domesticis accepi quicquam. Iter tibi, minorique Camerario felix, & destinatorum prosperos utrique eventus opto. Valde mihi dolet inter patrem ipsius, Dominumque Spiringium viros mihi amicissimos intercedere frigускula, quibus ego demendis si quid possem, libens operam impenderem: sed si tu ita te præsente nihil potuisti, nihil ego potero per epistolas, quarum minor vis atque efficacia est: adde quod absens nec veras mali causas datur nosse. De D. Spiringii magnificentia multa ad me ex Batavis scribuntur, habet unde sumptum faciat. Abiturit nunc & ipse in Suediam D. Legato Camerario, quominùs longinquum iter suscipiat

scipiat, justa est ab infirmitate corporis excusatio. Sicut classis & militis è Suedia magna hic est exspectatio, ita plebem terrent de Brandesteiniana pacificatione rumores. Galli pacta Wismariensia rata facta ajunt Anglis id non credentibus. Miror Reginam Matrem sibi ipsi impensarum modum statuere non posse. Sed non sine causa Romani veteres, ut Livius nos docet, feminas sub perpetua tutela esse voluerunt. Prudenter fecit, ut omnia Magnus Cancellarius, quod ministerio Regni Suedici auctoravit eos, qui jam magnam rerum Suedicarum non minùs quàm Germanicarum notitiam erant consecuti. Danus quid velit multum refert, nam quod vult, valde vult. Vix verum puto, quod hic scribitur eum in Aplustribus aquilam ostentare signum acceptæ ab Imperatore maris Baltici præfecturæ. Barclaium ea ferre quæ Suedi proposuerant, quo minùs credam faciunt Legati hic Angli, qui negant classem Palatino dari, quod cum Gallis convenire sibi nequiverit, & jus suum de mari in Batavos urgere velle videntur. Accedit quod liber pro Palatino in Anglia scriptus supprimitur, & dicitur Hispanus redemptos à Bavaro Palatinatus velle Palatino reddere sine Electoratu. Valde avebo videre quid Seldeno oppositurì sint Dani, & an de generali quæstione super dominio maris conventuri sint cum iis quæ Seldenus ponit. Rogo & in Suediam cùm veneris me de iis quæ agentur sæpe doceas, mutuumque exspectes. Rorteii puto esse orationem in Polonico habitam conventu, quæ ut Legati Gallici oratio ad me missa est. Absterret Polonos ab affinitate Austriaca; si de Palatina res impediatur Gallicam commendat. Ego de Palatina non esse rem desperatam puto, tamen & Mantuana sperat eas nuptias. D. Davausius jam Hamburgi erit, videbit ibi D. Salvium, si potest & D. Bielke, si qua spes est venturi in Germaniam D. Cancellarii eum exspectabit. Bannerio, Wrangelioque gaudeo res bene succedere, multum eos juvisset si in tempore appropinquasset ipsis Dux Bernhardus, qui nunc etiam Trecis hæret, & iturus videtur in Burgundiæ Comitatum: Capellam versùs Valettæ duo. Res in Valle Telina improsperas, unde eductis copiis castellisque omnibus derelictis abire coactus est Rohanius, qui nunc in Bernati agro se tenet, compensat sub Gallorum potestatem redacta Margaritæ insula, cujus maximum quod unum Hispanis restabat castellum, die hujus mensis 12 novi Cal. Gallis traditum est, qui nunc alteram Honorati Insulam oppugnare dicuntur. Crequiacus in Italiam redit, ubi Bremo aut Casali metuitur, in quam partem & Cerbelloni se tulere copiæ. De Magdenburgi deditoribus quod factum est judicium æquitate severitatem temperat. Aysema cur Hagam non venerit Ordinibus Fœderatis se excusavit ob morbum metumque inimicorum, erat tunc Oldenburgi, nunc ad Imperatorem conferre se dicitur, cui semper quàm Suedis impensiùs favit, interim negare nolim illud de Amelandia negotium odiosiùs quàm rei natura exigit agitatum. Mursa haud dubiè subfeudum est Imperii: Ait Princeps Arausionensis ob negatam investituram se homagio adversùs Cliviæ Principem liberatum. Si qua fuit Clivii Principis culpa ea jus Imperii nequiit imminuere. Itaque si Arausionensis pro eo homagium obtulit Imperio, fecit quod æquum erat. Sed ajunt Galli actum ampliùs, ut is Comitatus in Ducatus fastigium attolleretur, id an verum sit, nescio. De literis ad D. Camerarium missis videtur mihi non inanis tua suspicio. De Brandesteinio miror quid facturus sit Saxo. Nostra domus tota te officiosissimè resalutat. Rogo si quid est in quo possim hic tibi esse utilis, id ut norim. Vale quàm optimè. $\frac{22}{12}$ Maii 1637.

Tuæ Nob. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

Magis magisque confirmor in eo quod suspicatus sum Gallos & Anglos tum inter se tum cum novo 767
Imperatore clam convenisse. Rex Galliæ satis multo tempore à morte Ferdinandi II, subitò cùm minimè id exspectaretur, lugere eum cœpit. Suscepta calidè, ut videbatur contra novam electionem disputatio ita refrixit, ut liber Stellæ Hanoviæ nomen præferat, dissimulato scriptoris nomine. In Germaniam non it Dux Bernhardus: neque id cogitatum à Gallis sed Comitatum Burgundiæ impetere. Non magis ad Mosellam Valetta it, qui Capellam versùs se molitur. Contrarii rumores nobis fallendis sparsi. Iam verò in Anglia suppressus liber magnus qui pro Palatino scribebatur. De navibus ei dandis evanuit negotium, manet cum Batavis de mari certatio. Pomeraniam nobis invident utrique, ut Prussiam antehac. Nec demtus mihi de Polono & Palatina metus, quamdiu alias nuptias non video, quanquam non ignoro quæ de Cæsarea jactentur. Itaque in Hispanos hoc anno bellum erit, nec id forte longum. De Valle Telina controversia, quæ XX millionibus Regi constitit, contra ipsum finita est. Reddita castella diruuntur à Rhætis & annua XX millium scutatorum mercede habebit Hispanus ex nova pactione jus traducendi copias. Sabaudum belli haud obscurè tædet. Is Bremo metuens, Casali Mantuanus (nam & eo ivit Cerbellonus nihil in Valle Telina habens quod agat) otium expetunt. Margaritæ Insula tota Gallorum est, castello quod restabat, & dedito, & jam à Gallis intrato. Speratur brevi, secutura Honorati, quia cætera ejus rupibus inaccessa hosti, angustiæ verò maris Insulas inter, qua hæc adiri facilis, Gallorum navibus tenentur. Iam si Capellam & Castelletum capere Valetta possit, quid restabit nisi ut induciæ fiant, ac per eas cum Lotharingo quàm maximè è suo usu poterunt, decidant Galli? Scribitur Palatinatus uterque, Hispano Bavarum pecunia placante, redire ad Dominos. De Electoratu cognovi ex Legati Anglici sermone spem ab Anglis abjici, neque offenduntur, quod Galli nomen hoc, quod Palatino dare in Anglia cœperant, nunc subticent. Duo sunt præter mutabile gentis Gallicæ ingenium quæ nobis nocent maximè: quod qui hic plurimùm possunt, Cardinalis tuendæ, Iosephus parandæ dignitati dum student, gratiosi esse volunt apud Aulam Romanam: alterum quod putant aliquando & Bavari & Brandeburgici aliquem usum esse posse ad Imperatorem faciendum extra Austriacam Domum. Cardinalis etiam terriculamentis quibusdam nocturnis exagitari dicitur. Rohanius in Bernati agro se tenet, scriptisque culpam à se in alios rejicit: deductus est honestè Rhætorum addito ipsi præsidio. Comes Suessionensis per triennium Sedani manere permittitur, nuper cùm extra id oppidum deambularet ex jactu globi à militibus temulentis, ut dicitur, periculum vitæ adiit. Præsidio Sedanensi ipse de suo dat stipendia, auxitque numerum præsidii, à ducentis ad sexcentos nomine, reipsa ad trecentos tantùm, id, ipso non nolente Præfecto lucro cedit. Ad causas multas pacis desiderandæ à Gallis accedit quod in Petricoriis vicinisque locis rustici se movent contra tributa. Dicuntur esse plus L millibus. Incitamentum illis audendi est, quod aliis in locis par seditio antehac non impunè tantùm fuit, sed & onerum peperit levamentum, jam publicanos quosdam mutilatos neci dedere. Ea prima furoris alimenta. Crequiacus in Italiam iit, liberiore quàm antehac potestate, copiis non quantis exigunt res adeò depressæ. Ermesteinio invectum quod est, in mensem fortè sufficiet: tum reditura necessitas, ni contra acre Ioannis Waertii obsii

Digitized by Google

obsidium vi aliquid audetur, quod futurum vix videtur. Brandestenii iter & quæ mandata habere dicitur, non tam Aulam, quàm plebem turbant. Wismariensia pacta probata ajunt Galli, negant id se credere Angli. In Bononiensem agrum his diebus incursum ab Hispanis. Romæ Pontifex cùm in Hispanorum gratiam Cardinalem quendam fecerit, proponit Gallis an Mazarino si ea detur dignitas, non Gallo sed Gallizanti, id sibi imputari ferant. Eadem in Aula probata est novi Imperatoris electio, nihil obnitentibus Gallis. Amicus quidam veniens à 47. 70. 107. 72. Fabii certum me facit hominem è Rosa quo Lactuca utitur fuisse apud Augustum & multis rationibus dissuaso negotio 44. 75. 34. 59. 66. 42. 4. 33. Hannibalis spem magnam retulisse de Ciceroniana. Multa sunt quæ id ut credam me impellunt: inter alia quod orationem Galliæ Regis mandatu in Conventu habitam Claudii alio atque alio tenore circumferri video. Fayetta una virginum quæ Reginam sectantur mirè gratiosa apud Regem Pœnitentiarii Regis suasu in monastica claustra se dedit, magnaque molestia liberavit Cardinalem cujus consiliis adversari dicebatur. Hanc epistolam ob gravitatem argumenti, & quia video multa mari terraque pericula duabus viis mitto, semper Deum obsecrans, Excellentissime atque Illustrissime Domine, res ut Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati semper bene procedant. Lutetiæ 12/22 Maii 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

NICOLAO FABRICIO PEIRESCIO,
Senatori Parlamenti Aquensis.

Nobilissime Amplissimeque Domine,

768 NOn novum est quod facis, cùm de me meliùs, quàm res fert existimas. Si ea mihi esset quam vellem facultas, non deesset unquam mea opera adjuvandis iis qui ad tuam tutelam pertinent, id est, viris literatis. Holsteinius quoque eodem quo tu morbo laborans mea in majus extulit. Dixeram ei collegisse me fragmenta Christianorum primi secundique seculi diligenter. In iis erant & illa ex Epistola Clementis quæ nunc publici est juris, & alia ex Barnabæ Epistola quam nunc nactus sum prope totam: dixeramque ei quod & tibi dictum volo, magno me ardere desiderio habendi è Græcia Pastorem Hermæ adeò prædicatum jam ab Irenæi temporibus librum; fragmenta ejus quæ sunt apud Græcos cum ea quam Latinam habemus versione non malè congruere video. Sed ex ipsis Græcis ejus seculi locutionibus multa daretur observare usui futura. Illa ex Enocho non verti: & nunc Gotthicis detineor. De Iosephi ea parte, quæ Legis præcepta continet, interpretanda notis additis cogitavi sanè: sed eam cogitationem partim operum alia, partim itinera quibus jactatus sum interscidere. Nunc cùm id susceperit Petitius magnæ vir diligentiæ linguarumque sciens, multùm eo nomine gaudeo, paratus conferre quicquid potero, quod in hoc negotiorum æstu sanè exiguum est. Salmasius ante Arnobiana librum nobis dabit δανειστικὸν [*fœneratorium*] Heinsii ad Novum Testamentum Notata sub prælo sunt & Casauboni Epistolæ. Laudari videor Cartesii Galli partim Physica, partim Mathematica, edita in Batavis: sed quorum unum quod in hac urbe est exemplar videre mihi non contigit. Vale Vir Nobilissime & perge amare non literatos tantùm, sed & literarum amantes, quibus si meum adscribas nomen, id mihi honoris abunde erit. Lutetiæ 22 Maii 1637.

Tuæ Nobil. addictissimus H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

769 AD ea quæ scripsi septimo ante hunc die addam pauca quæ priores meas sententias confirment. Liber scriptus hic contra electionem Regis Romani prodiit, sed tamquam editus Hanoviæ scriptoris celato nomine. Pari modo & quod est ampliùs in Anglia supprimitur liber magnus pro Palatini jure scriptus. Literæ multis è locis affirmant Hispanum quovis modo impendioque id agere, ut Palatinatus ambo restituantur Dominis. Electoris titulum dari cœptum, Galli nunc Palatino detrectant dare, Bavarumque ut ante respiciunt. Multæ hic de Brandesteinio fabulæ mirè animos turbant. Dux Bernhardus Trecis in Campania hæret, proximus illi imperio Haillerius etiam nunc hic est: pro Germania Comitatum Burgundiæ petere dicuntur, Capellam eique vicina Valetta. Castellum illud quod Hispanis unum in Margaritæ Insula restabat, die hujus mensis 12 in potestatem venit Gallorum. Putaturque altera Honorati cujus aditus hosti difficiles faciunt partim abrupta, partim Classis Gallica, haud diu restitura. Rhætis castella, quæ Galli tenebant tradita sunt omnia, qui ea dejectum iri putantur. Hac pactione impleta dimissus Rohanius in agro se tenet Bernate, seque scriptis contra famæ suæ vulneratores tuetur, recepturusque se creditur ad Venetos, Aulæ huic se non audens credere. Hispani jus transeundi habebunt emptum xx millibus scutatorum annuis. Pontifex Romæ factam Regis Romani electionem confirmavit, id causæ satis erit Gallis ne quid in posterum ea de re mutiant. De Classe ab Anglis Palatino danda nihil sperare Legati nos jubent mutatis scilicet rebus. Crequiacus in Italiam it, ubi Bremo timetur, ex quo & Cerbilloni copiæ in eas venere partes compositis ex sententia Rhæticis rebus. Magni sunt in Petricoriis, Arvernis, vicinisque locis motus rusticorum, additis & Nobilium nonnullis contra nova onera. Non mirum si invenerit æmulos felix antehac paria molientium audacia, quibus pro pœna immunitas parta est. Comiti Suessionensi Sedani per triennium manere permissum est. Hæ nunc res erant quas meliores faxit Deus, Teque, Illustrissime Domine, servet incolumem in rebus florentibus. Lutetiæ 12/22 Maii 1637.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus eique addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

770 REum periti qui me accedunt plurimi non dubitant, quin Angli certi sint de tali restitutione Palatinatus, qua in præsens velint esse contenti, obligatos promisso in rebus cæteris ad pacem pertinentibus bonam operam navare novo Imperatori, amicisque ejus, præcipuè ut arbitror Brandeburgico. Nec magis dubium est quin in hoc postremo idem cum ipsis velint. Itaque quotidie multa hic jactantur contra jus Regno Suedico in Pomeraniam quæsitum. Galli etiam se cum hostibus vias pacis experiri minùs quàm antehac dissimulant, dicentes à Suedis idem fieri, per Bannerium maximè. Ad ea quæ Cardinalem Riceliacum ad pacem propellunt accedit gliscens & cum tempore augmenta sumens in Petrocoriis viciniisque locis seditio ita ex rusticis constans, ut multos etiam de Nobilitate metu sui an Regentium odio in se traxerit, captis & Bergeraco & Sanctæ Fidei non spernendis oppidis, editisque libellis plebem aliarum Regionum ad paria invitans, tanquam pro Rege contra Regis ministros, quod apud Gallos vetus turbandi velamentum est. Maximo odio exagitatur onus mercium solidus in libram. Etiam Fayettæ de qua scripseram nuper discessus mœrorem Regi parit, estque eam ob rem in offensa aliqua Chavigniacus, ejus rei minister Dux Bernhardus multo quàm oportuit seriùs ivit ad exercitum, secutusque nunc primùm eum est Haillerius. Ibunt puto versùs Burgundiæ Comitatum, quod simul erit tuendo Ducatui contra Ducis Caroli arma. Multo interim milite Galassius utramque

Rheni

Rheni ripam insidet nimium nactus temporis ad antevertendos Ducis Bernhardi conatus. Iam & alterum malum supervenit, quod equi, quos trahendis machinis comparari Dux his in locis mandaverat, gravi culpa Gallorum quibus id mandati datum est reperiuntur labori impares. Id quoque rebus moram non exiguam adferet. Vnum habemus bonum quod post Margaritæ Insulam etiam minor Honorati cessit invictæ virtuti Harcurtii. Intelligo & ex Heusdio & ex aliis VIII C millia florenorum per literas ad S. Chaumontium missa, incertum ad nostros spe ejus pecuniæ tentandos ut pacta Wismariensia probent, an verò ad largitiones privatim faciendas. Ex Italia habemus Ethruscas naves in Turcam ire, neque nunc ut antehac jungere se Hispanicis. In eadem Ethruria sumtibus leges poni, augerique onus farinæ injunctum. Mediolanum ex Hispania venisse CC M scutatos, C M ex indigenis collecta, in belli usus. Videri Rhætos castellas in Valle Telina locisque vicinis nova dejecturos, servaturos vetera. Sex ab iis populis Legati ivêre Mediolanum jurare jussi in pacta Oenipontana, tres eorum ultra proficisci in Hispaniam putantur, ut Vallitelinatibus ejus Aulæ gratiam præripiant. Ad Aquas Helvetiorum habetur conventus, ubi & Galli suos & Rhæti habent. Ajunt Angli Legati sermones jactari variis in locis de reddendo Palatinatu inferiore gratis, superiore si Rex Angliæ sex milliones numeret Bavaro. Addidi ego, intelligere me velle Hispanum partem ejus pecuniæ de suo dare, ut amicitiam Anglicam redimat. Etiam de mari prævidere se nova cum Batavis certamina, iidem Legati mihi significant. Dolens intelligo multos se Reformatorum illis agrestium motibus addere, metuique ne controversiæ populari illa Religionis se admisceat, & arma de manibus extorta resumat. Sunt isti rerum novatores ingenti numero: sed ex eo numero exercitum fecere XXXVI millium, ne major oneri esset sibi ipsi. Nobilium quidam ab amicis moniti, ne se inconditæ multitudini miscerent, dixere non ita se stupidos: sed exspectari Ducem summæ dignitatis. Pacem populo suo ut daret etiam à Fayetta discedente oratus est Rex, non sine utriusque lachrymis. Gallassius ad Drusenhemum munimenta restituit. Deum rogo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, cuncta ut ad bonum gloriamque Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis regat. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Maii 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. CAMERARIO,
& D. SALVIO.

771 MAgnum sibi decus peperit Harcurtius è Lotharinga Domo Dux Regius, cùm post Margaritæ Insulam etiam illam S. Honorati Galliæ reddidit. Factæ impletæque conditiones 14 Maii novi Calendarii. Castellorum quæ à Gallis receperant Rhæti videntur disjecturi nova, servatis veteribus. Iam demum hinc abiit Hailerius ad Ducem Bernhardum, qui hoc ipso tempore ad exercitum suum venit. Magna facta est temporis occasionumque jactura. Carolus Dux in Burgundiarum confinio multum habet militis: lateque Rheni utramque ripam insidet Galassius, restitutis & ad Drusenhemum munimentis. Internum rusticæ, sed cui & nobiles se miscent, seditionis tum apud Petrocorios, tum in vicinis locis, malum, adeò non refrigescit ut captis Bergeraco & Sanctæ fidei oppidis inardescat speciemque accipiat corporis, legibus, judiciis, pœna, confiscationibus & libellis alios ad eandem audaciam excitantibus. Ex multo majore numero XXXVI millia legerunt quæ exercitum facerent. Multum vereor ne resurgant Anglorum cum Batavis de Mari certamina. Quod quamdiu erit, nihil ab Anglis forte sperari debet. Multique vagantur sermones de eorum cum Imperatore tacitis conventionibus. A Mediolano bellum strepere incipit, perlatis eò ex Hispania pecuniis ad CC M scutatorum, C M collectis è collatione plebis oppidanæ. Manent interim intacta quæ Sabaudi sunt, quod Sociorum in ipsum suspiciones alit. Rhætorum Legati sex Mediolani jurant in pacta Oenipontana, per quæ transitus Austriaco militi per Vallem Telinam datur. Eorum tres eunt in Hispaniam Aulæ ejus gratiam publico suo sibique privatim paraturi. Ad Aquas adhuc conventus est Helvetiorum, ut mos est gentis, tardigradus. Adsunt à Gallia & à Rhætis Legati, parùm inter se concordes. De Burgundiæ Comitatu bellicis motibus eximendo, laborari ab Helvetiis video, sed frustra, ut arbitror. Hæc quantumvis pauca scribere, quàm in uberiorem materiam differre scriptionem, malui. Deus, Illustrissime Domine, det Illust. Dom. Tuæ prospera cuncta. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Maii 1637.

Illust. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

MAnat in vulgus etiam rumor de fœdere inter Gallos, 772 pressis silentio conditionibus. Neque interim ab Anglis ulli paratus armorum. Dux Bernhardus adhuc in Campania hæret. Stellæ liber contra electionem Regis Romani vænire hic prohibitus. Hæc me in iis quas antehac scripsi suspicionibus multum confirmant, & multi me quotidiè accedunt bene nobis volentes, etiam Germani, qui eadem timent. De Bergeraco à Rusticis qui arma contra tributa ceperunt occupato verum est. De Sanctæ Fidei oppido deceperat nos rumor, fuit tamen in periculo: & alia sunt minora oppida, quæ illi factioni indies valescenti cessere. Dubium non est quin ea in se tractura sit magnam partem militis qui in hostem utendus fuerat. Qui literas hinc ad Hispanicum finem tulere, ajunt & Hispanicam plebem magno incendi pacis desiderio. Interim Parlamentarios Senatores Rex graviter increpuit, vultque eos Edictis se præsente in acta relatis, parere simpliciter, non in causas inquirere, non modum de suo addere. Ermesteinum verberatur machinis à Waertio. Qui in Anglia est federatorum Legatus Hispanos ibi plurimum ait posse. Palatinatus restitutionem eos pro re certa credi velle: auxilia promittere Anglis ad tuendam maris contra Batavos possessionem. Quæ utinam vera non sint. Addit idem, proponi ab Hispanis ut post mortem hujus Bavari jus Electorale alternetur, offerri etiam ab Hispano Anglis conditiones, si in belli adversùs Batavos societatem possint pertrahi, quod tamen ego non metuo. Video enim Anglos id præcipuè agere, ut commercia cum gentibus omnibus libera habeant, eademque eripiant aliis. Spes quidem Batavis facta fuerat, quieturum hoc anno de piscatu certamen; sed video Anglos Legatos qui hic sunt id pro incerto ponere. Ab Hanoviensi milite expilatum Ascasnaburgum accepimus: Solingstadii verò etiam possessionem ab iis retineri. Hæc scribenti intervenit Lagardius Nobilis Gallus, ex ea Domo ex qua est Regni Suedicæ Marescallus: it Coloniam, nihil ibi aliud quàm significaturus iis qui ibi sunt Legatis, (est autem ibi jam & Cancellarius Mediolanensis) fixum Regi, nihil seorsim à sociis agere, Suedis præsertim Batavisque. Mortem adeò propinquam ut supremam unctionem acciperet, evasit tamen senex Espernonius. Cardinalis Valetta ad castellum est, Perciani quod dicitur. Millereius Cardinalis Riceliaci propinquus, Bononiæ in motu est: quæ circumjecta sunt cum bono equitatu petit. In Insulis dejiciuntur omnes munitiones minores, servatis iis quæ sunt validæ ac necessariæ. Omnia prosperrima Sublimitati tuæ opto, Excellen-

Digitized by Google

cellentissime atque Illustrissime Domine. Lutetiæ 4 Iunii novi Cal. 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELKE.

Illustrissime atque Excellentissime Domine,

773 LIteris ab Illustrissima Dominatione Tua quæ 26 Aprilis subscriptum habent, gaudeo cognoscere res nostrorum, Banerii, Wrangelii, Kingii, satis bonas. Hic in bello nihil jam promovetur. Hæret etiamnum in Campania Dux Bernhardus, maximè ob eam, quam & antehac significavi causam, quod equi, quos ad trahendas machinas emi jusserat reperiuntur non idonei: neque magis ad Belgicum finem quicquam hactenus quidem agitur. Sustinent partem hujus culpæ furentes captis passim armis rustici, quibus cœptum excuti jugum reponi, nisi multo milite non poterit. Anglos inter Batavosque de mari nondum convenit: novaque Edicta per Angliam publicata sunt, nequis inconcessu Regis Angliæ mare piscando usurpet. Inter Batavos an vis opponi possit, an debeat deliberatur. Ob pacis negotium jam Mediolanensis Cancellarius Coloniam venit. Galli Legati eo nondum sunt, causantes quod nec pro Suedis ut Coloniam mittant literas itineris tuti dederit Cæsarea Aula, nec pro Batavis Hispanus Cardinalis. Novum nunc cœpere Galli consilium, ut Lagardium Nobilem ejus sanguinis cujus est regni Sueciæ Marescallus, mittant Coloniam, qui Regis sui nomine significet Legatis nolle ipsum in pacis negotio quicquam agere seorsim à sociis ac fœderatis. Is jam nunc itineri paratus valedixit mihi, summamque mandatæ sibi operæ indicavit. Commodum evenerat, ut sub idem tempus accepissem illas Illustrissimæ Dominat. Tuæ litteras, unde eum certum vicissim feci perstare Suedos in ea sententia pacem in commune nec aliter faciendam. Si Galli rebus ipsis ostenderint idem sibi esse animi, de nostris non esse quod dubitarent. Ex Anglia scribitur & quidem à Legatis ibi qui sunt, multum ibi posse Hispanos, dicere eos inferiorem Palatinatum in hoc se in suam cepisse potestatem ut ilicò redderent. Vt superiori decedat Bavarus non auctoritatem se tantùm suam sed & pecuniam conferre velle. Electorale jus mortuo Bavaro hoc posse alternis de familia in familiam desilire. Deponi etiam de iis conditiones Anglis largas si Hispani armis sua in Batavos sociare velint, quod tamen ego Anglos facturos non arbitror, tum alias ob causas, tum quod capi eos videam liberorum commerciorum dulcedine. Ego nihil eorum quæ ad conglutinandos cum Gallis ac nobiscum Anglos pertinent, quæque ad impellenda Galliæ arma valere possint omitto omissurusve sum. Multum hic exspectatur nuntius de Suedi militis novo in Germaniam adventu. A Brandenburgicis aut Electore aut Marchione Sigismundo nihil hoc quidem tempore, quod rebus conducat Suedicis, sperari posse censeo non obscuris de causis. Omnia prosperrima Tuæ Illustrissimæ Dominationi ex animo precor. Lutetiæ 4 Iunii novi Calendarii 1637.

Tuæ Illustriss. Dom. addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

774 REm mihi gratam facis quod scribis sæpiusculè. Et tibi ab Oresundio Suediam petenti, & D. Grubbio eunti ad Bannerii Castra iter prosperum resque omnes secundas opto. Avebo intelligere copiarum è Suedia in Germaniam adventum & quid de suo itinere aut domi mansione constituturus sit Magnus D. Cancellarius. Hamburgi Civitatis me miseret quæ tam gravem adeòque implacabilem vicinum habeat. Sed in eo negotio occupatus minùs, ut puto, quicquam ausurus est nobis quod sit adversum. Si quid in ejus Regis molitionibus propius cognoveris rem nobis pergratam facturus es, si nos patiaris non ignaros. Dux Bernhardus in Campania hæret nunc quoque magno occasionum dispendio. Belli interni, quod à rusticis in tributa insurgentibus excitatum est, metus partem regiarum virium illuc trahit, id est in Petrocorios Avernos vicinosque, estque id inter impedimenta, quo minùs quantis oportet copiis animisque in hostem eatur. Sunt & qui secreta de pace colloquia suspectant, palam certè negant Galli se suam Causam à Sociis segregare velle: idque significaturus Coloniam, quo jam & Mediolanensis Cancellarius venit, mittitur Nobilis Gallus Lagardius, cum regni Suedici Marescallo sanguine, nomineque conjunctus. Angli Hispanos audire non desinunt, qui Palatinatum inferiorem statim se ajunt velle reddere: ad obtinendum à Bavaro superiorem, velle se contribuere non operam, sed & pecuniam: Electoralis Iuris per vices inter familias duas commutandi, ubi vita excesserit hic Maximilianus: Bavarus spem faciunt. Incendunt iidem illam Anglorum cum Batavis de mari controversiam, quæ quàm diu si non sublata certè sopita non erit, nihil ab Anglis forte quod sit expectandum asseverare dubitem. Vale. Nostri te salutant. Lutetiæ 4 Iunii novi Calend. 1637.

Tuæ Nob. ad omnia officia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VAlde mihi dolet quod crescentibus in nos hostium 775
copiis à Gallis ita cessatur, præterfluitque tempus & occasiones rei bene gerendæ: præsertim verò quod à Duce Bernhardo pridem nihil habeo literarum: neque verò quicquam de eo quod scire juvet, intelligo. Galli qui ejus exercitum aucturi erant, detrectant iter, diffluunt, ita quidem ut pro x millibus hominum ægrè IV millia peditum, equites CCCC appareant. Hæret ille interim Campaniæ gravis, majoribusque oppidis exclusus invalida irrupit, commeatumque militi suo alendo iis expressit. Ego nunquam seriò cogitatum Gallis in Germaniam eum mittere & credo & diu est quod credidi. Subducunt enim Galli se Germaniæ rebus, & aut valde fallor aut pacis rationes cum Imperatore satis constitutas habent: id restat ut nos quoque in eam quam ipsi animo destinarunt pacem nostro cum damno trahant, adjutores in eo habituri Anglos, qui omnia bello turbata in veterem formulam restitui volunt, nempe ut aliis pericula delegent, ipsi ferant præmia periculorum. Huc consilia tendunt, non ita tecta ut non sæpe in sermone indicia erumpant. Qui in Hispaniam missus fuerat voti persolvendi specie Monachus multa quotidie cum rerum potentibus in arcano agere inde perscribitur. Bellum in Petrocoriis vicinisque locis agrestium fervet, & aggressus eos nocturno prælio inter primum secundumque Iunii diem novi Calendarii Dux Valetta damnum fecit militis & machinarum. Intellexeram levi concessione posse eos homines non placari tantùm, sed & eò adduci ut in hostem manus suas commodent, paratumque Marescallum Lafortium sedando huic malo dare operam. Allegavi amicos ad eos qui plurimum possunt, ut cogitarent essetne levi aliqua declinatione vitanda tempestas. Sed video surdas ad hæc aures, decretumque armis reponere obsequium, quod si faciendum est, utinam quàm primùm feliciter fiat, ne mora hostis lucro cedat. Ad Belgicum finem boni aliquid spero, moventibus se sub idem tempus inde Batavis, hinc Cardinali Valetta. Ita in duas partes distractus Hispanus vix poterit utrobique res suas in tuto locare. Classis Gallica victrix Insularum, præter naves longas, freto Gaditano

in

Digitized by Google

in Oceanum redit. Dux Carolus superior copiis Longavillanum Ducem coëgit agro excedere Comitatus Burgundici, nec videtur ei obsisti posse, nisi & Dux Bernhardus & Rohanius eo se ferant. Rohanius scripto Genevæ edito famam suam purgavit de iis quæ in Rhætia acta sunt. Marescallus Castilionæus, postquam plurima Regi consilia dedit de iis quæ ad Belgicum finem utiliter fieri possunt, in otio relinquitur, ne in partem veniat gloriæ quam sibi spondet Cardinalis Valetta. Docent nos ex Hispania literæ laborari ibi de restituenda per Italiam commerciorum libertate. Legatum Anglicum multa cum Olivare contulisse: uxorem Principis Sabaudi Thomæ, quæ Comitis Suessionensis est soror, id eniti ut Aulæ Hispanicæ amicitiam Comiti Suessionensi paret, usui futuram si casus eveniat, ad successionis in Regnum jus ipsi Comiti asserendum contra Principem Condæum: CCCC Mauros in Hispanicum littus ad Alicantam vi tempestatis impactos mitti ut remigium Fernandini augeant. Cardinali Francotto concessum ut merces Gallicas ad pretium usque C M ducatorum importare in Hispaniam posset. Ex Italia discimus ægrotare cum periculo Pontificem, metuique ne ejus morte locus pateat molitionibus Hispani ad creandum aliquem suæ factionis. Serbellonum mitti ut ex Navarra bellum Galliæ faciat. Leganesium movere se: Bremo cautum aliquot ad vetus præsidium centuriis additis. Casale ne obsideatur timeri. Iam nunc intelligo Ducem Bernhardum & Longavillanum convenisse de die quo jungant copias suas. Apud Gravelingam novam Hispanorum munitionem, frænum Caleti, cùm impedire Galli vellent aliqua sua cum clade repulsi sunt. Deum precor, Excellentissime atque Illustrissime Domine, ut Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati det res prosperas. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Iunii 1637.

Abiit ad castra Cardinalis Vallettæ Baro Degenfeldius optimè affectus erga res Suedicas, cumque in Gallicam militiam se cum bona gratia Tuæ Sublimitatis dederit, sperat si qua pax fiat habitum iri sui rationem: ideoque ut se Tuæ Sublimitati commendarem à me petiit. Voluit ex me scire Venetus Legatus numquid constitutum sit super literas, quas Reginæ scripserat, quibus Venetorum operam offerebat ad pacem conciliandam. Ego quæ super ea re scripsisse memini, non repetam.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

776 NUdiustertius ad me venerunt literæ satis veteres tuæ, datæ 11 Maii. Illas ad Relingerum misi. Exspectabimus avidè tum quid pariturus sit Suediæ conventus, tum quæ arcana proruptura sint per Arnimium. Dausausium audio apud Regem Daniæ fuisse. Principem Arausionensem, cum illa de Hulsto spes fefellerit, ad apertam vim sine mora transiturum speramus. Aysema quin ad Imperatorem se tralaturus esset, dubitavi nunquam. Filii tui iter ut felix sit, utque privata tua optimè eveniant, opto: nec est cur dubitem, cùm norim virtutes tuas Magno Cancellario, aliisque Regni Rectoribus esse percognitas. Duces Bernhardus, Longavillanus, Rohanius juncturi sunt copias adversus invalescentem in Burgundico Comitatu Carolum Ducem. Cardinalis Valettæ exercitus præclari aliquid molitur ad Belgicum finem cum spe bona, si eodem tempore Batavi se moverint. In Rhætia dejiciuntur castella Rheni, Rivæ, Mantelli: manent Clavennæ, Sondrii, Tirani. Classis Gallica, præter naves longas, captis jam Insulis, per fretum Gaditanum in Oceanum redit. Ad Gravelingam novam munitionem facientes Hispanos adorti Galli, sed numero minores cùm essent, facilè repulsi sunt. Rusticorum motus manet: & nuper pugnato, eripuerunt Duci Valettæ machinas aliquot. E re sit hunc tumultum, cui multi se Protestantium Gallorum admiscent, sedari quamprimum, ne serpat longiùs, Regiasque vires ab hoste abducat. Ego siquid consiliis juvare potero, non cessabo. Pontificis morbus Gallos sollicitos habet ne, si moriatur, succedat alius ex Hispanica, quæ nunc Romæ præpollet, factione. Casali video metui. CCCC Mauri tempestatibus impulsi ad Alicantæ littus mittuntur ad instruendam classem Fernandini. Ex Hispania discimus crebrò colloqui Legatum Angliæ, Ducemque Olivarem. Scribitur ad me è Polonia, parari cuncta ad nuptias Austriacæ: Conventum Regni novum haberi ad vim opponendam Turcis, tollendas cum Russis controversias, unde Legatus in Poloniam venerat, & ut solvatur quod Duci Croiaco debetur. Baudissium in eo Regno larem figere. Deus, Illustrissime Domine, tibi favens adsit. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Iunii 1637.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REm pridem, quantum ego arbitror, confectam nunc primùm aperire Angli incipiunt, quorum ordinarius 777
Legatus ad me venit, mihique significavit, convenisse se cum Gallis: restare ut ad Regem Angliæ mittatur quod perscriptum est, ut probet, in quo non putare se quicquam fore difficultatis. Eo cuncta tendere ut restituantur in sua Germani Principes, imprimis Domus Palatina. Hamburgi rogatum iri Suedos Batavosque in idem fedus ut veniant, utque id jubeant Lutetiæ à suis juxta Gallos Anglosque signari. Ubi Hamburgi consensum fuerit in ea quæ ex æquo postulari ab Imperatore poterunt, Anglos ea proposituros Imperatori. Is si abnuat, suam se causam & arma cum nostris sociaturos. Polliceri Galliæ Regem se ad finem usque Iulii nullas facturum cum Imperatore aut Hispano pactiones his contrarias. Sed quando breve est id tempus ut intra id omnia illa Hamburgi peragantur, facilè impetratum iri à Galliæ Rege, id tempus ut producat. Eadem mihi Heufdius à Bulionio veniens significavit. Quod ajunt se ad Angliæ Regem quod perscriptum est mittere, eò pertinet ut excusationem aliquam habeant, quo minùs mihi sua conventa ostendant. Restitutionis generalitas Pomeraniam nobis ereptum it, & quin utrique ea in re Brandeburgico contra nos faveant, dubitandum non est. Ad arma non venire constitutissimum Anglis docet is qui est ejus Aulæ nunc vultus: docet ipsa Angliæ utilitas ex commerciis fluens, unde Regi soli redeunt annui sex auri milliones. Sunt ergo certi, Palatinatum legibus tolerabilibus sibi reddi & spem aliquam Electoratus. Hoc illi ab Imperatore & Hispano non obtinuere, nisi operæ ipsis Austriacis circa pacis negotium utilis futuræ pollicitatione. Quod cùm Gallos latere non possit, sequitur habere & ipsos jam explorata pacis suæ, saltem cum Imperatore, rationes, multaque antehac erupere indicia, & peritorum sermones quotidie audio, qui me inducant ut credam non fore Gallos in retinenda Lotharingia pertinaces. Quod si est, haud dubiè urgebunt & Suedos ut dimittant belli præmia. Et quod hic signari tabulas volunt, in eo aliquam ab ipsis dignitatis præcellentiam captari existimo. De Duce Bernhardo nihil audimus aliud nisi penetrasse eum in Burgundiæ Comitatum, cum minoribus aliquanto, quàm speraverat, copiis. Interim, benè evenit Galliæ quod motus ille agrestium resedit abolitione data acceptaque. Ita ingressus Bergeracum est Dux Valetta, liberataque Gallia non levi motu. Cardinalis Valetta ad Hanoviæ partes ire creditur, & Principem Arausionensem

Digitized by Google

fem jam habere in aperto exercitum celeres nuntii attulere. Batavicarum navium privatarum aliquammultæ in mari interno ab Hispanica classe interceptæ magnum in mercatores damnum dabunt. Eadem classis Hispanica, adjuta etiam ab Ethruscis, dicitur Provinciæ Narbonensi imminere: sed magna Provincialium fide ac diligentia ea ora defenditur. Delegati à Synodo Protestantium quæ Alençonii nunc habetur egregia oratione de sua obedientia securum Regem fecere. Fedus illud immortale quod cum magno Europæ malo fecere cum Austriacis Rhæti, ab Helvetiis probatum est, qui & Rhætis auxilia sua promittunt, si quis quicquam contra Rhæticam libertatem moliatur. Procedunt valde Hispanorum extra Gravelingam munitiones. Pro Casali sollicita est Italia. Ermesteinium an jam transierit an extrema toleret dubitatur. Scribitur è Germania Galassius ipse ivisse Pragam, quo & Imperator & Electores Saxo & Brandeburgicus sint venturi. Miles ejus partim Mosellam petere, partim Burgundiæ Comitatum: & jam bonam partem Brisaci Rhenum transgressam, quo & stipendium eis venerit ad C M Thalerorum Imperialium. Hæc postquam scripseram venit ad me Legatus Angliæ extraordinarius Comes Licestrius. Longus multumque circumductus sermo eò tendebat ut non Palatina Domus tantùm, sed & Germani omnes restituantur. Ego ostendi ab ipsis & ipsosmet & nos esse desertos. Et cùm æquitatem commendaret cuncta restituere jubentem, memorem eum feci Hiberniæ quam nullo nisi armorum jure Anglia teneret. Cùm adderet non eas esse Sueciæ vires ut Pomeraniam tueri possit, dixi non ita eum existimare debere de ea gente, quæ nostra memoria uno tempore Polonis, Russis, Danis restitisset. Ait Northumberlandium (is proxima affinitate ipsi conjunctus est) maris utendi libertatem rursus Batavis turbaturum, nisi eam Batavi magnis pro Domo Palatina officiis, verbisque jus Angliæ non lædentibus redimant. Ego à controversiæ definitione me temperans satis habui ostendere, quàm necessaria piscandi libertas esset ei Reipublicæ, quamque ipsa Respublica ad tutelam totius Europæ. Sed hæc quotidiani sermonis infarcire his literis pigeat. Voto finiam, Excellentissime atque Illustrissime Domine, pro Regno, Regina, Tuaque Sublimitate. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Iunii 1637.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. CAMERARIO,
Et D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

778 TAndem ex ipsis Anglis licet scire, quod pridem credidimus, convenisse inter ipsos Gallosque ad procurandam Germanorum Principum restitutionem. Vt Hamburgi Suedi Batavique pertrahantur in federis hujus communionem laborabitur. Interea Rex Galliæ spondet ad finem usque Iulii nihil se facturum cum hostibus in fraudem hujus federis: ostenditque, si prorogari id tempus opus sit, non difficilem se fore. Cupiunt à Suedorum Batavorumque Legatis hoc fedus Lutetiæ secum signari. Postulata omnium, ubi de iis convenerit, (difficile autem id satis, ob spes utilitatesque aliorum alias) Angli ad Imperatorem perferent, qui si pacem æquam abnuat, tum iidem Angli arma nobiscum, sic ajunt, sociaturi sunt. Ego quæ Hamburgi futura sint colloquia, discere multum avebo. Vtque de iis quæ aut fient, aut dicentur edocear, multum in his temporum articulis refert. Rusticus ille motus accepta à Rege venia consedit, bono Galliæ, & quod oppidum ab agrestibus tenebatur Bergeracum, in id Dux Valetta ingressus est. Et Protestantes Galli, quorum Alençonii habetur Synodus, Regi verbis obsequentissimis fidem suam affirmavere. Classis Neapolitana ac Sicula, additis Ethruscis navibus, imminere oræ Narbonensis Provinciæ videtur. Sed ejus tutelæ satis prospectum audio. Ab eadem classe naves privatæ Batavorum magno satis numero captæ non leve in mercatores damnum ferent. Exspectamus quid ad Hanoviæ fines facturus sit Valetta Cardinalis & in Comitatu Burgundiæ Duces Vinariensis ac Longavillanus. Casali metuit Italia. Rhætorum cum Austriacis fedus ab Helvetiis probatum est, promissaque Rhætis auxilia si quis eorum libertatem impetat. Et hæc cuncta bene ut cedant, Deum precor, Illustrissime Domine, & ut tibi cuncta sint prospera. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Iunii 1637.

Tua Illust. Dom. omni cultu addictissimus H. G.

HIERONYMO BIGNONIO,
Advocato Generali Regis in Senatu Parisiensi.

Vir Summe,

ROgavit me enixè Girautius ut causam hanc ad se pertinentem, cujus & nomina & brevis conjectio hoc epistolium comitantur, commendarem tibi quantum Religio judiciorum patitur. Est is juvenis adjutor Admissionalium Regis, cujus amicitiam non ob hoc tantùm colo quod sæpe opera ejus opus habeo; sed & quod humanitas ejus amari meretur. Neque leviter me sibi obligavit, cùm initio Legationis meæ ad superandas quæ se objiciebant difficultates, quod potuit, id autem non parum erat, contulit: non omittam duo addere quæ eum tibi propiùs insinuent, quod & avunculus ei fuit Servinus vir magnus nisi successori comparetur, & Præceptor Emundus Richerius: Ad hæc sacra mihi nomina nihil addo ampliùs, nisi precari & hoc eum, ut causæ hæc conjectio diligenter servetur ne ad adversarios manet. Lutetiæ 21 Iunii 1637.

Tua Nobil. Ampl. obligatissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DAbit mihi veniam Tua Sublimitas, si homo publicis negotiis leviter occupatus rationem ei reddo etiam ejus quod inde mihi superest temporis. Mitto præfationem, satis longam, qua editionem Procopii novam Latinam, à vetere ita diversam ut non pauciora sint quibus discrepet, quàm quibus conveniat, aliorumque Scriptorum de rebus Gotthicis, Wandalicis, Wisigotthicis, Langobardicis, libros, eorumque populorum leges, Tuæ Sublimitati, ut non minùs de me quàm de re Suedica optimè meritæ, consecro. Causa in multum productæ dissertationis apud virum tantùm, tantisque rebus occupatum, duplex est. Prior, quod respondendum habui Cluverio, qui primus nostris omnia ista clarissimarum gentium nomina, invidia an Danica mercede emptus haud dixerim, ereptum ivit: quod utique tot ac tam apertis testimoniis fecisse me confido, ut neminem alicujus judicii futurum sperem, qui eandem nobis næniam occantet. Altera, quod cùm indigenarum prædicatio in quaque gente suspecta sit, à nostris quoque Sueonibus multa sint tradita parum certæ fidei, ea quæ maximè ad Sueonum, propagatarumque ex eis gentium gloriam pertinebant, externa auctoritate firmata produxi. Non verò hæc tantùm præfatio, sed & ipsum cui ea servit, propositum, Tuæ Sublimitatis, ut exactissimum judicium, ita jussa semper apud me potentissima exspectat. In hac descriptione, quale describo Gotthorum vetus imperium ab eo multum distat Gallicum quod nunc conspicimus. Itaque novos subinde motus exoriri haud sanè mirum est. Vix sanato Petrocoriorum malo aliud simile nascitur apud Lemovicos & Querciacos nec minùs circum Tolosam insanitur: planè ut magnum corium, si partem pede presseris, exsurgit alia. Neque tamen negligi-

gligitur bellica administratio. Nam è Burgundia literæ 21 Iunii datæ nos docent Romaniam arcem, quam hostes ceperant, à Duce Bernhardo receptam, capta autem Champlitum & Autream. Postridiè exspectabatur Ducis Longavillani in Comitatum Burgundiæ adventus per Salinas, & Ducis Rohanii per Sancti Claudii. Itaque sperant Gallici Burgundiones omnem eum Comitatum cis mensem in sua fore potestate. Credo excepta Dola & Graia, bene munitis locis. Ab exercitu Cardinalis Valettæ docent nos 19 hujus mensis literæ obsessum ab eo Landresiam, à fratre autem ejus Castellum in Cameracesso quod dicitur, oppugnari; is frater est Dux Candalius: Nam Dux Valetta qui dicitur exercitum ad reprimendos motus internos habet. Exercitus ejus Cardinalis habere dicitur XVI peditum, sex equitum millia, machinas LXXX. Receptum ab eo Irsonum quod ceperat Isolanus. Captum Cimacum & minora alia. Ciliaci Rex his diebus de omni bello ac pace consultationem habuit. Interni de quibus dicere cœpi motus, non sunt spernendi, cùm facilè possint iis se addere oppida quædam Protestantium ac disjecta munimenta reponere, qualis de Monte Albano strepit rumor. Accedit quod Comes Suessionensis conditiones omnes rejicere, & præter quod præsidio Sedanensi stipendium dat ipse, alium insuper militem conscribere metuitur: neque satis intelligi potest unde ei vis pecuniarum, nisi ab Hispano, apud quem etiam soror ejus Principis Thomæ uxor causam ejus, si de successione aperiat se controversia, commendat, ut scripsi antehac. Pontifex periculum mortis præsens ex apoplectico malo ita evasit, ut plenam valetudinem recepturus non credatur. Itaque Hispani jam ad alium suo ex usu faciendum consilia cuncta disponunt. Trevirensi audio libertatem offerri, si culpam Gallis consultoribus admissam deprecetur, ac successorem adsciscat Leopoldum. Hispanorum classis ad oram Provinciæ Narbonensis apparuit, sed & navium Gallicarum oppositu & accursu pedestrium copiarum repulsi sunt. Sunt nunc Hispanorum arma in agro Montisferrati, ubi cepisse dicuntur oppidum Nicæam, quæ Paleæ habet cognomen. Mutinensis & Parmensis quæ habebant controversa transegerunt omnia. Algerienses & Bisertinæ barbarorum naves aliquid magni agitare dicuntur. Neapolitanus Rector à mercatoribus CCC M scutatorum sumit mutua; pro iis augmenta quædam vectigalium oppignerat. Rhæti castella vetera per Vallem Telinam, quæ non placuit diruere, servant suo quidem milite, sed ab Hispano datur stipendium. De restituenda Rhætis jurisdictione in Vallem Telinam quam habuere postremo Oenipontano federe nihil disertè cautum est: multumque postulant Vallitelinates, ut tam dura imperia effugiant. Præfectus Mediolanensis implere se velle dicit ea quæ Monsoniano fœdere continentur, remque omnem in eum statum reponere in quo fuit, cùm primum eas in partes Rohanius advenit: extra ea siquid postuletur, consulendum Hispaniæ Regem. Ita is arbiter fit controversiarum Rhæticarum, ipsique militabunt non paucæ Rhætorum cohortes. Lætus intelligo Tuæ Sublimitatis curâ & studia & commercia reflorescere, augeri Regni reditus, publicum statum locari. Neque verò minora bona ex tam benigni sideris adventu sperari poterant. Deus qui suggessit, Illustrissime Excellentissimeque Domine, consilia eadem secundet. $\frac{17}{27}$ Iunii 1637.

Classem Hispanicam audio esse XXV magnarum navium, XX earum quas Feluccas vocant: IIIMIↃ pedites ea vectari: nec extra metum esse Italos ne specie belli cum Gallis aliqua Italiæ invadant, puta Savonam, aut Sinum Specici, ut vocant. Venetus Legatus iterum locutus mihi est de suorum officio ad pacificationem. Cùm diceret Coloniæ tutos satis nostros fore, si literæ darentur commeatus, dixi non de eo laborare nos, sed an satis libertatis habituri simus in urbe infesta. Dignitati dicebat satis cautum fore, si nomen Reginæ in literis iisdem exprimeretur. Dixi esse & alia quæ circa tuendam dignitatem essent cogitanda. Cæterum nulla me mandata habere aut expetendi aut optandi literas ad eum conventum. Postremo dicenti se existimare rem eò posse perduci ut & pecuniæ darentur Suedis, & loca aliqua maritima; dixi has conditiones oblatas nobis eo tempore cùm res Suedicæ multo essent pejore loco, & cùm nemo nostros crederet ad extrema prope redactos oræ maritimæ unquam in Saxoniam redituros. Cæterùm me eorum quæ scripsisset futurum memorem ut gnaros facerem quos oportet. Iam nunc intelligo & castellum Cameracesii cessisse Gallis, malè defensum à præfecto Hispano, cùm essent ei milites trecenti: victus multum & Landresii paucos esse defensores, ac molam extra urbem qua una utebantur, exustam. Præterea Duci Vinariensi esse V M equitum, peditum duo tantùm. Hallierio V M peditum, equites VIII C. Loca Provinciæ Narbonensis ad quæ apparuit Hispanorum classis sunt Sancti Tropasii & S. Raphaëlis. Biscaienses Galli Hispanicæ Biscaiæ portum quendam cepere, sed ignobilem.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELKE,

Eadem D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

MVlta me, quæ scire avebam docuit epistola Tuæ 781
Excellentiæ data $\frac{13}{23}$ Maii, nam & quo statu essent exercitus nostri, auxiliaque Landgravio missa scire me publici intererat, ut ad res præsentes sermonem quoque meum accommodarem: tum verò quæ Polonus, quæ Danus agerent adeò nobis vicini sæpe & æmuli, nosse maximæ erat utilitatis. Illa verò maximè quæ ad conventum aut Hamburgensem, aut Coloniensem pertinent & quæ de pace aut dicuntur aut finguntur; incidunt enim quotidie occasiones iis de rebus disserendi, quod rectè & ex usu fieri nequit, nisi quæcumque haberi undique indicia possunt congerantur. Eorum quæ bellum spectare videntur duo sunt, de quibus certa nosse plurimum refert. Transitus supplementorum è Suedia in Germaniam, & in eandem Germaniam M. Cancellarii adventus, cujus interim præsentia, quod fruitur Suedia magnas inde usuras percipiet. Ad retinendam Pomeraniam quin cœlum mari mixturus esset Brandeburgicus nunquam dubitavi, & pro certo habeas velim caveri ei contra nos etiam ab iis, qui dum nostra egent opera amicitiam nostram aut induunt, aut expetere videntur; cæterùm neque nostros processus amant & consilia habent à nostris disjunctissima. Quo magis & tuenda est, quæ Suedis bono titulo obtigit possessio & cavendæ fraudes. Satis sit Prussiam tam bene munitam amisisse, & quidem amicorum ut dici volunt conspiratione.

Improbè Neptunum accusat qui iterum naufragium facit. Batavi ut quid magni agant Gallos, Galli Batavos exspectant: non desinemus impellere eos, hic ego, ibi D. Camerarius. Status præsens rerum hic est. Ad Belgicum finem Cardinalis Valetta fraterque ejus Dux Candalius Cimaco minoribusque oppidulis captis Landresiam parat obsidere, eodemque tempore castellum quod dicitur Cameracesii. Pulcher scribitur esse exercitus, XVI peditum, VI equitum millia, machinæ LXXX: egregia ad res magnas instrumenta, si prudentia, si ordo adsit, & simul seriò se moveant Batavi, quod sine Galliæ pecunia ex promisso præsente non facient. In Comitatum Burgundiæ post receptam arcem Romaniam, quam Gallis eripuerat hostis, venit Dux Bernhardus cepitque de hoste Champlitum & Autream. Iam credo in eundem Comitatum venerit per Salinas Dux Longavillanus, per Sancti Claudii fanum Rohanius, magnaque in spe sunt Galli posse

Digitized by Google

posse à se brevi occupari omnem eum Comitatum, quamquam meo judicio validæ obstant urbes, Dola & Graja. Classis Hispanica interni maris XXV constans magnis navigiis, feluccis quas vocant XIV, apparuit ad oram maritimam Galliæ Narbonensis; sed navibus primum mercatorum deinde accursu ducum ac militum repulsa est. Magnas pecunias partim vetera onera augendo, partim mutui nomine contrahit Rector Regni Neapolitani: partim in maris usus (& jam Itali suis portubus & Savonæ, Sinuique Specici qui dicitur metuunt) partim ut res juvet quas è Mediolanensi terra gerunt, unde jam vis belli in Montiferratensem agrum immissa est, & nisi nos rumor fallit jam Nicæam, cui Paleæ cognomen, cepit. Rhæti qui Mediolani Legatos habent suos non tam facile reperiunt quàm speraverant negotium de Valle Telina, pecuniam quidem, unde Rhæti stipendia solvant præsidiis castellorum veterum, quæ servanda judicarunt, dant, voluntque cohortes aliquot Rhætorum Hispaniæ militare. Cæterùm de imperio in Vallem Telinam negant quicquam aut Monsoniano vetere, quod sequi velit Hispanus, aut postremo Oenipontano cautum fœdere. His quæ continentur ea se effecturum dicit Præfectus Mediolanensis, si quid extra ea sit, exspectanda Hispaniæ jussa. Planè eo loco sunt res Rhætorum, ut postquam cum Gallis fregere tesseram, comiter colenda sit ipsis Hispanica Majestas. Neque ea quæ de Marchione Brandeburgico, nec quæ de Francisco Alberto Lauwenburgico nuntias spem mihi faciunt pacis. Coloniam Galli non properabunt, sed si bello Imperatori non indicto adjuvantibus Anglis illigare nos poterunt, ne pacem nisi ipsis volentibus faciamus, multum egerint. Societas ut sapienter dixisti vera est, ubi qui commodorum vult habere partem, etiam pericula sumat paria. Rogo ut de iis quæ Legationem meam instruere possunt aut per Excellentiam Tuam aut per ejus domesticos, ubi ipsi non vacat, edocear. Lutetiæ 13/23 Iunii 1637.

Iam nunc disco exercitum Ducis Bernhardi esse ad V CIↃ equitum, II CIↃ peditum, Haillerii, qui ei adjunctus est ad V CIↃ peditum, equites IↃ CCC. Captum à Gallis Castellum Cameracesii, & Landresiam modico præsidio defendi, & molam frumentariam quam unam habebant suburbanam exustam. Loca Galliæ Narbonensis ad quæ apparuere naves Hispanicæ esse Sancti Tropasii & Sancti Raphaëlis. Portum Hispanicæ Biscaiæ quendam Galliæ propinquum captum à Gallis.

Excell. Tuæ semper summo studio observantissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

782 Literas sub hoc ipsum tempus ab Illustrissima Magn. Tua binas accipio, datas alteras 24: alteras 30 Maii. Et ex his, & ex iis quas à D. Salvio habeo, gaudeo intelligere florentem statum exercituum sociorumque per Germaniam. Gaudebo etiam magis cognoscere novarum è Suedia copiarum adventum cis mare, & quid de se constituturus sit Magnus Cancellarius. Batavi spero jam se moverint, vectante aura pecuniæ Gallicæ. De Gallorum conatibus, quanquam seris, est cur bene speremus. Initia non mala sunt: captum à Cardinali Valetta, fratreque ejus Cimacum, & jam castellum Cameracesii quod dicitur: Landresia pressa valde, modico intus præsidio victuque: exercitus in eo fine Gallorum egregius XV CIↃ peditum, VI millia equitum, machinæ LXXX. In Comitatum Burgundiæ, post receptam Romaniæ arcem, ingressus Dux Bernhardus habens secum V CIↃ equitum, II CIↃ pedites, cui adest cum auxiliis Gallicis Hallerius ducens V peditum millia, equites octingentos: capta ab iis Champlitum & Autrea: sub idem tempus in eundem Comitatum ingressi via Salinarum Dux Longavillanus, via autem S. Claudii Dux Rohanius, bonis cum copiis, quæ spem Gallis faciunt brevi redigendi in suam potestatem eum Comitatum. Accedit & mari fortuna non mala. A S. Tropesii & à S. Raphaëlis portu qui in ora sunt Galliæ Narbonensis, rejecta classis Hispanica, vi navium ad Gallos mercatores pertinentium, deinde & Ducum militumque accursu: tum verò captus à Gallis portus Biscaiæ Hispanicæ. Ea quam dixi classis Hispanica constat XXV bonis navibus, XX feluccis, quo major Gallorum gloria est. Adversi, præter quod Rhæti magis magisque ad Hispanorum nutus, pecuniasque respectant, nihil admodum, nisi quod Nicæam Paleæ in Montisferratensi agro cepit Hispanus. Hæc quæ dixi ostendent à vero non abire Charnassæum, cùm ait de pace inter Gallum Hispanumque peractum nihil: præterea verò si Batavi Gallorum diligentiam imitentur, esse cur omnia speremus optima. Ex D. Salvii nuntiatis nondum video eam offerri pacem, quæ Suedorum pro gloria, Germanorum pro libertate pugnantium vota expleat. Fortibus igitur, ut dicis, factis erit parienda. Certè, ut idem rectè observas, quid cum virtute juncta prudentia possit ingens exemplum est Banerius. De Ehrenbredstenio video & hic spem emori. Et qui hic sunt Landgravii fratres multum de corruptis moris suis loquuntur. Fortè hæc damna Westfaliæ damna ulcisci dabitur. Tegunt Angli, Gallique sua pacta. Nam per Barclaium in Aula Suedica cuncta pateфiant, metuo Suedi aliquid quod non è re sua sit, suspicabuntur. Trevirensi audio libertatem offerri, si probet ipse ipsiusque Ecclesia electionem Romani Regis, & Coadjutorem, ut vocant, faciat Leopoldum Archiducem, & culpam deprecetur crimine in Gallorum consilia rejecto. Sed illam puto videris jam, & librum, qui sine ipsius nomine, ascripto mendaci loco Hanoviæ prodiit. Qui ei suasores fuere, defugiunt auctoritatem, postquam Romæ Comitia Ratisbonensia probata sunt. Cum summa voluptate intelligo Magni Cancellarii consiliis firmari, augerique rem Suedicam, & gaudeo præclarissimarum tanti viri actionum spectatores fore filios nostros. Veneti pro Suedis Legatis literas tuti commeatus ab Imperatore volunt impetrare, ut Coloniam eant. Ego verò id officium acceptandi jussum non habeo nec mirum: cùm ab hoste eò invitati non simus, nec ex dignitate sit Regni aliorum se facere accessionem. Quis eventus futurus sit colloquiorum Hamburgi, multum refert: inde enim quæ belli, quæ pacis spes erit, dijudicandum. Vt boni quid fiat, aut auferenda, aut sopienda esset illa de mari disceptatio; quam ad rem Tuam Illustrissimam Magn. annisam non dubito: ego itidem non desino conferre quicquid possum, gnarus id è bono esse publico. Si quod commentum habes expediendæ istius difficultatis, promitto me adjutorem, præsertim cùm videam nihil malle Comitem Licestrium Northumbri affinem. Sed jam tempus est desinam negotia tua diutius quàm oportet interrumpere. Ero semper, Illustrissime Domine. Lutetiæ 13/23 Iunii 1637.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

MVltum gaudeo reducem te factum patriæ ac Magni Cancellarii in te eum esse quem olim vidi, quemque perpetuum tibi opto, animum. Et Gallia & Germania duos nuntios avidè exspectat, transitum supplementorum in loca cismarina & ipsius Magni Cancellarii in eadem loca adventum. Prius illud peractum brevi spero cognoscemus, eritque id Gallis non leve incitamentum. De altero non modo quid futurum sit, sed etiam utrum pe-

Digitized by Google

præstet venire cum an manere dubito, præsertim cùm præclara ejus consilia, uberrimosque inde fructus ad Regnum omne redeuntes te significante (pro quo beneficio plurimum tibi debeo) contemplor. Exercituum Suedicorum res bene se habere, est quod gaudeamus. De novo Imperatore (ita enim à suis dicitur, à Pontifice Rex Romanus, quod is Imperatoris titulum abs se velit peti) ita video judicari, minùs eum esse sacerdotalibus suggestionibus obnoxium, dominationis autem percupidum & sua sponte & Hispanorum consiliis: quæ res facit, ut credam facilè, eum plus aliquid, quàm pater fecerit, largiturum Protestantibus, quando id ipsum video ipsius rebus fore utile. Gratiæ auctoritatisque fastigium Traumensdorfius haud dubiè obtinet. Dicitur Dano minùs benè cum Imperatore convenire, quod rogatus subscribere paci Pragensi, ut Dux Holsatiæ, id subterfugiat. Sed & ipse est contra Hamburgum. Lactantur spe producendi aut præcidendi vectigalis, quo Albis premitur. Ea res quorsum se datura sit brevi apparebit, eritque inter ea quæ in futuri judicationem nos ducent, ut & Poloni conjugium. Alexandrini hic & alibi multis involucris res suas agunt. Velim me fallant, & aliquando ad recta fortiaque consilia se applicent. Ne sperent se nugas in Suedia venditturos. Res ibi valent, inania transmittuntur. Galli serò quidem, sed tamen agunt, verùm sibi. Dux Bernhardus Haleriusque ei adjutor datus in Comitatu Burgundiæ detinetur, Receptaque arce Romania, captis ab hoste Champlito & Autrea penetrat longiùs, ibidemque cum aliis copiis Duces Longavillanum, & Rohanium exspectat. Cardinalis Valetta cum fratre Candalio cepit de Belgis Cimacum, & Castellum Cameracesii; nunc Landresium obsidet cum spe potiundi ejus brevi. Sed hæc prospera aliquantum corrumpunt novæ seditiones apud Lemovices, Quercios, circaque Tolosam ac Montem Albanum. Hispana classis ad duo loca oræ Provinciæ Narbonensis cùm apparuisset, disjecta est. Hæc nunc habui, quæ nuntiarem, ubi plura majorave erunt officio non defuturus. Abs te Suedica primùm, deinde & si quæ sunt Danica, Polonica, Russica, præcipuè verò Barclaiana illa, quatenus scire fas est, discere juvabit. Nostri omnes per hoc cœli incendium vapidè se habentes te resalutant. Scripsit tibi antehac uxor, puto literæ ad te pervenerint. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iunii 1637.

Filio meo scripsi ad nos ut redeat, quando ibi otiosus est, scio quàm ei utile sit exerceri, rogo eum impellas, id ut faciat.

Tua Nob. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

84 MIsit ad me Legatus ab Anglia extraordinarius Ogerium Agentem Anglicum, qui significaret Regi suo probata quæ inter ipsos Gallosque in hac urbe convenissent. Repetebat quod nuper ipse dixerat Legatus, placuisse Gallis & Anglis ut Suediæ Batavorumque nomine fedus hic signetur. Interim mihi legendum id fedus non exhibuere: de iis quæ continentur, dicunt mihi quantum lubet. In iis quod est de restituendis omnibus Germaniæ principibus in sua bona juraque, non potest non nocere nobis, quanquam Ogerius sperare me vult, non difficiles fore socios in relinquenda nobis Pomerania. Multa sunt quæ suspiciones meas augent. Haillerii miles apertè negat Rhenum se velle transgredi. Marescallus interim Bannerius solus ad vim concurrentium undique hostium exponitur. Fayettam quæ nunc in monasterio est, heri ibi Rex solus solam diu vidit. Præfert ea virgo, Regi ob ingenium cara, ingens Religionis Romanensis studium, multumque & bellum hoc & cum Protestantibus federa aversatur. Non puto permissurum fuisse Cardinalem, qui illius puellæ libertatem in loquendo plurimum metuit, eam ut Rex accederet, nisi & ipse ad pacem qualem illa commendat, consilia sua verteret. Iam verò ad Anglos ut me referam, dixit mihi Comes Licestrius Northumbrium affinem suum mare rursum ingredi, piscatum vectigalem faciendi causa: idemque mihi è Batavis transcribitur. Et à Scudamorio notitiam vidi classis ejus, quæ triginta navibus in mari hoc nostro constat: accedunt in Hibernico mari duo, contra Mauros piratas quatuor. Speraveram conciliante Bohemiæ Regina hoc dissidium posse componi: sed ne certamen id reardescat pertimeo. Mitto indicem copiarum quæ ex terra Mediolanensi egressæ Montisferratensibus incumbunt, parcentes Bremo quod in Mediolanensis soli extremis tenet Sabaudus, frænum Ducis Mantuani. Ea res non potest non suspectum facere sociis Sabaudum, quanquam eas suspiciones ut minuat, Principis Thomæ uxor ab Hispania quasi non impetratis quæ sperabat, redierit. Champlitum cepit Dux Vinariensis, sed Gallicum ei præsidium imposuit Haillerius. Consultatur de diruendo oppido arceque. Dux idem objiciente se frustra Duce Carolo Ararim transiit, cum XXV machinis, quas equi trahunt terni aut quaterni, ripam instruxisset. Transgressus hostium cecidit octingentos, reliquis fuga saluti fuit. Rea dicitur locus ubi Amnem transiit. D. Ponica Divione in morbo cubat satis gravi, magno haud dubiè Ducis dolore. Non sunt quantæ dicebantur aut Ducis aut Hallerii copiæ: & quæ sunt Hallerii diffluunt magis magisque. Dux tria peditum millia ex Alsatia exspectat. Ad Landresium munire castra sua Galli cœpere, mox oppidum aggressuri. Et Gassio ex vetere Gustavi Regis disciplina bonus miles hostilis equitatus bis mille ac centenos aliquos adortus prælio, interfecit ducentos, cepit prope totidem. Ehrbresteinium animam agit. Oppidum Leonis Saunerii in Comitatu Burgundico obsidet Longavillanus Dux, arbitrorque frustra in longis conventibus suis consultare Helvetios, de eo Comitatu belli malis eximendo, Gallis, ut sunt in rebus prosperis spe nimii, jam eam possessionem sibi despondentibus. Captus est à Cardinali Valetta quidam à Comite Suessionensi missus ad milites à Regia militia ad suam (molitur enim haud dubiè aliquid) avocandos. Alchymista Boismaillæus cujus dolis ad faciendam Regi fidem ingentium divitiarum usa Aula fuerat, his diebus in patibulum actus est. Dicuntur Viennæ etiam pro Batavis datæ liberi itineris literæ, & misit eò Gallorum rogatu Venetus qui hic est Legatus. Etiam Bruxellis datas similes pro Batavis literas intelligo, demto contumelioso rebellium nomine. Docent nos à Massilia literæ Hispanorum cohortes in ea ora exscensu facto multa incendiis ac populationibus corrupisse, quanquam oriente undique Gallo milite tenere loca nequiere: navibus ibi Gallicis nec disciplinam esse nec stipendium. An verum sit quod mihi dicunt Poloni, laboratum Russo ut Polonos non minùs quàm Persas in Turcam accenderet, propius erit in locis vestris nosse. Castilionæus levem quendam exercitum in Campania habet. Longiùs abest Ehrbresteinium quàm ut ejus periculis ab ipso occurri possit. Princeps Arausionensis nisi quid eximium hoc tempore aggreditur, non vitabit Gallorum offensas. Venit ad me, hæc postquam scripseram, Ordinarius Angliæ Legatus, Baro Scutamorius, eadem dicens quæ dixerat Ogerius. Cùm quærerem an ad Barclaium missum esset fedus, ut expendi in Suedia posset, dixit arbitrari se præcipua capita ibi expositum iri. Respondi ego, imprudentium esse parte lecta de federe judicare, ac si non magno consessui, certè Tuæ Sublimitati ea fiducia, quam ipsius virtus meretur, ostendi pacta debere. Ille ad hoc Hamburgi id rectiùs fieri posse dicebat: neque tamen certò scire se, an non



 & hoc

Digitized by Google

& hoc quod ego faciendum judicabam facturi essent Angli: addebatque, si unquam magnam nunc spem esse, aut egregiæ pacis, aut felicis belli. Ego illia. 35, 79. 57. 79. 60. 39. 73. 56. 55. 68. 70. 66. 72. arbitror 53. 74. Callimacho. Sed eos Mimnermum velle facere sui arbitrii. Deus hæc aliaque omnia, Excellentissime, Illustrissimeque Domine, ad bonum gubernet Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis. Lutetiæ 3 Iulii, anni 1637.

Hæc postquam scripseram venit ad me missus à Duce Vinariensi Præfectus domus ejus cum literis ad me Ducis ipsius, itemque filii mei, qui mihi historiam misit pugnæ felicis ad Ararim, simulque fusarum copiarum notitiam, quæ his literis quò res tota meliùs nosceretur, addenda censui. Mortuus est Ponica magno Ducis damno, rerum peritus & hac Aula uti sciens. It Palatinus in Hollandiam. Oppidum Gisa in Comitatu captum à Duce est Vinariensi, crediturque Dux ire obsessum Vesontionem.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. WITTIO,
Consiliario Meclenburgico.

Amplissime Domine,

785 AGnovi magna cum voluptate amicam manum, animumque veterem, illud tantùm gravi dolore me afficit, quod ad senectutem, satis grave per se malum, accedunt morbi, quos ut tibi Deus adimat, non tui tantùm amicitiæque nostræ tot per annos perpetuæ sed & boni publici causa, cujus tu semper totus fuisti, ardentibus votis precor. Ego, ut tibi scripseram, Regno Suecico me sine exceptione, sine ullo alio versùm respectu tradidi. Arbiter vitæ meæ idem est qui Regni Magnus Cancellarius, is ut jusserit, stabo, aut curram. Interea dubitare noli, quin Germaniæ indoleam malis non minùs quàm Germanus si essem, & si quid levamenti afferre possim vel hinc, ubi sum, vel aliis è locis, nihil me facturum libentiùs. At quamdiu aliter iis prodesse non possum, adero precibus, quas & quotidie privatim, & publicè Domi nostræ quoties dies Dominicus in orbem recurrit, pro Germaniæ pace facimus. Illustrissimum Principem vestrum non dicam inter cæteros, sed supra cæteros ejus boni desiderio uri, & bonitas ipsius, & regionum quibus imperat, positus & multa quæ intellexi tum ex Magni Cancellarii tum ex aliorum literis, faciunt ut credam. De me mutuum ut credat rogo. Deus tibi vitam proroget, restituat valetudinem, restitutamque conservet, ut aliquando tuo mihi amantissimo conspectu, doctisque juxta ac piis colloquiis frui possim. Lutetiæ 3 Iulii ex nov. Cal. 1637.

Tua Ampl. addictus toto animo H. G.

LVDOVICO MAVRERIO.

786 BEne vobis evenisse iter, Nobilissime Maureri, multum gaudeo, ita de me merente amicitia, quæ mihi cum patre fuit, cum liberis omnibus est, eritque. Gaudeo non minùs quod D. Davausio tam commodè se obtulit Regis Daniæ in illas partes adventus, quem & ego in eodem Fortunæ oppido privatus à meis toties malè habitus vidi, atque ita ab eo sum exceptus ut ipsius summæ humanitati plurimum debeam. Cùm verò & ipsi Regi & civitati Hamburgensi, cujus diu hospes fui, velim optimè, nihil est quod malim quàm inter hanc & ipsum æquas inveniri amicæ vicinitatis rationes. Ostendit mihi per literas Lindenbrogius se & amicitiæ nostræ meminisse perveteris, & tua recente delectari. Magni autem faciendus est D. Lindenbrogius tum per se, est enim non mediocriter eruditus, & jam olim amicus eruditissimis, tum vel ob id maximè, quia, ut rectè observas, cæteri homines etiam illiterati qui non sunt, ad utilitates se vertunt, ut in lucripetarum urbe. Consilium tuum Auberique videndi Lubecam, Daniam, Sueciam, Dantiscum, & si res ferant, Poloniæ interiora multum probo: cum enim nullam non gentem utile sit nosse, tum eas nosse quæ ob longinquitatem paucis notæ sunt, apprimè est gloriosum, & spero in Suedia nostra fore, quæ digna sunt conspici, nam ad extima Laponiæ vos profecturos, nisi si historiam [illegible] [ambitus] scripturi estis non puto. Vale, & si qua in re utiles esse possumus, me meisque utere. Lutetiæ 3 Iulii nov. Cal. 1637.

Tibi tuo jure Amantissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRobatum est à Rege Angliæ fedus, quod Legati ejus cum Gallis fecerant. Id quale sit aut in Suedia apparebit, aut Hamburgi. Plusculum spei concepissem, si sopiri potuisset illa cum Batavis de piscatu controversia: quæ vereor ne recalescat, hoc novo egressu classis Anglicæ, quæ XXX navium erit, ut audio, inter Angliam Belgicumque littus: II in mari Hibernico: quatuor aliis missis ad coërcendos piratas Mauros. In agro Montisferratensi qui est Hispanorum exercitus XXVII millium esse scribitur. Dux Vinariensis copias Ducis Caroli transitum Araris impedire ipsi ad Ream volentes machinis depulit, transgressusque amnem cecidit eorum ad octingentos, fugavit cæteros. Exspectat ex Alsatia pedites ter mille. Dux Longavillanus oppidum Leonis Saunerii in Comitatu Burgundico obsidet. Venêre in eundem Comitatum & Ducis Rohanii copiæ: ipsum morbus Genevæ detinet. At Cardinalis Valetta ad Landresium jam castra sua communivit, paratque oppidum operibus accedere: iisdemque in partibus Gassio turmis hostium obvius, ducentos interfecit, cepit prope totidem. Castilionæus quoque in Campania aliquid habet copiarum: spargiturque rumor, sed dubitatæ fidei, ire eum succursum Ehrbresteinio periclitanti. Audimus & Viennæ & Bruxellis perscriptas pro Batavorum Legatis tuti commeatus literas. Ita fervent simul pacis, simul belli molimina, quæ Deus in bonum regat orbis Christiani, idemque, Illustrissime Domine, tibi tuisque adsit propitius. Lutetiæ 3 Iulii novi Cal. 1637.

Gisam quoque oppidum in Comitatu Burgundiæ cepit Dux Vinariensis. Mortuus Divione est Ponica, magno Ducis dolore. Creditur Dux obsessurus Vesontionem. Oppidum Leonis Saunerii jam captum nuntiatur.

Tua Ill. Dom. omni studio observantiaque addictiss. H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

OMnem quæram viam ut maturiùs & permittam literas meas, & tuas recipiam. Nam & tuas avidè semper exspecto, legoque summa cum voluptate: & meæ gratiam nisi ex novitate sperare non possunt. Liberalius illud scriptum pro causa Palatini, videre multum cupio. Erit ea nobis ad bonam spem fax aliqua. Stellam tibi innotuisse gaudeo. Cardinalis, non malus ingeniorum judex, operâ ejus ut vides, uti pergit. Liber ejus publicè hic non prostat, & audio esse quos pœniteat permissam in eo libro defendi tam apertè causam Palatini. Scis autem in præformatione federis id cautum à Gallia, ne Bavaro dum vivit adimatur Electoralis honos. Pontificis in dijudicandis Ratisbonensibus comitiis eò plus hic valet auctoritas, quod credatur controversia honestè moveri non posse nisi ex persona Trevirensis: ejus autem suffragium

gium cùm non necessarium judicaverit Ecclesiasticorum omnium, quos illi vocant, summus Præfectus ac vindex, eo ipso eripiatur potissima, certè apud Romanenses favorabilissima, juris species. Coloniensem Conventum arbitror, & illud cum Anglis cœptum fedus, pendere ab iis quæ agentur Hamburgi. Wyckium ibi scio esse, qui Agens Angliæ hic fuit. An quis alter cum Legati nomine eò sit iturus, nondum comperire potui. Nuptias Poloni cum Austriaca veras esse ut credam eo inducor, quod Veneti jam ad eas in mensem Septembrem sunt invitati. Odium certè publicum meretur ista, virginis natalium sorte eminentissimæ ludificatio: qui dolus nostris quoque Suedis magno constat. Bavarum ab Austriaca amicitia qui divelli tanto non potuit tempore, nunc post tam arctam affinitatem, & spem communis ex ea prolis minùs posse divelli sensi dixique semper, & dicere non desino. Neque verò aliter possum credere, quàm eos qui talia sperare se simulant, alia habere occultiora consilia, quibus ista prætendant velamenta. Dux Vinariensis quæ fecerit ad fusas usque Lotharingi copias, captamque Gisam Comitatus Burgundici urbem, scripsi. Inde & Sancti Lupi cepit arcem iisdem in locis. Nunc Basileam versùs iter ei esse dicitur. Ad Landresium satis proficitur, capta jam inferiore eoque minùs munito oppido. Præter hæc nihil in Gallia agitur magni: neque dum consederunt illi in Lemovicibus aliique motus: & à Comite Suessionensi metuuntur novi: quæ cuncta incommodè satis eveniunt rebus communibus. Quæ me doces super Pomeraniæ rebus scire pridem avebam, nunc didicisse gaudeo. Cùm Suedi instent pactis cum Bogislao ordinibusque Pomeraniæ factis, nisi totum Germaniæ corpus retributione aliqua indemnem servet Brandeburgicum, spem pacis videre vix possum. Paratur hic pecunia quæ Batavis promissa est, ut cunctatio omnis abscindatur. Nisi brevi aliquid moliatur Princeps Arausionensis, & Gallorum res in Belgico fine, & in Germania Suedorum, partim impedientur, partim implicabuntur periculis. Holmiam pervenisse D. Schmalchium ex literis ipsius cognovi. Gaudeo ipsi, Nobilissimoque filio tuo cuncta rectè procedere, totiusque Regni res consiliis Magni D. Cancellarii statum accipere pulchriorem firmioremque. Peditatus è Suedia quin in Pomeraniam advenerit, non dubito, de equitatu adhuc incertus hæreo. Tum verò & numerum cupiam scire, ut habeam interrogatus quod respondeam, aut unde ultro Gallos incitem. Magna Landgravii virtus sanè, ita ut scribis, meretur sociorum pro se curam. De Ehrbreitstenio spes heic labascunt. In Italia magnas video esse hostium copias præ Gallicis & amicorum. Tamen Bremo & Casali de præsidio deque rebus necessariis pulchrè prospectum gaudeo. Mari quiescitur utrinque. Genuates Legatos suos mittunt huc & in Hispaniam, Agentem ad Batavos, novæ amicitiæ inchoamentum. Montempelicardi obsidere scribitur Dux Carolus: vicissim Cateletum Picardiæ recuperatum ire Milereius. Persa misit Revanum, inde ad Turcam acturos de pace Legatos, quam optare creditur magnus Visirius. In Transilvania res videntur mansuræ quo sunt loco. Longinqua quidem hæc, sed talia quæ ad propiorum rerum conjecturas momentum habeant. Est hic Regis Daniæ è Christina filius: Slefwici & Holsatiæ Comes dicitur. Eum magnis benevolentiæ testimoniis ab Hispano Cardinali exceptum discimus: neque verò dubitandum est, quin quod semper fecit hoc maximè tempore factura sit Domus Austriaca, ut sibi Regis illius quærat amicitiam. Hostium nobis & inimicorum abunde est: ut amicos habeamus & firmos & efficaces optandum, laborandumque. Et Viennæ & in Hispania inexpertas antehac pecuniæ corradendæ rationes quæri video: magnam vim navium parari in Americam, Brasiliam, Italiam. Iam & duos felices accipio nuntios, Vesovium oppidum vi irruptum à Duce Vinariensi: Saviniacum autem in Bressia, quod ante sex menses hostes ceperant, receptum à Longavillano. Ad Landresium nihil aliud quàm castra muniuntur à Gallis. Neque adhuc ad Cateletum accessit Milereius. Hispana classis ad oram Provinciæ Narbonensis apparet. Castilionæus ad S. Menehaudil in Campania exercitum habet, quo consilio incertum. Rex & Cardinalis prope urbem sunt. Precor, Illustrissime Domine, felicissima cuncta tibi, tuisque. Lutetiæ 7 Iulii nov. Cal. 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu & affectu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

HAbent me sollicitum hæc tempora. Video enim rursum, ut antehac molem illam belli per Germaniam 789
Suedis solis incumbere, suoque onere eos premere, sociis aut cessantibus aut aliud agentibus, extra unum Landgravium, qui & ipse viribus tantùm Suedicis stat. Dux Vinariensis post Gisam, arce capta Sancti Lupi, Basileam versùs iter instituit, utinam felix, dum à Duce Carolo obsidetur Monspellicardi. Disco consilia ejus egregia illud præsertim 10. 72. 66. 71. 112. 13. 85. 60. 10. 37. 73. 217. 273. corrupta per moram quam Lactucarii injecere. Et nunc quoque quid dicam, cùm ex eo qui à Pyrrhone missus huc venit intelligam 14. 70. 71. 69. 115. 72. 66. 79. 223. 266. 1009. copias ita diffluere, ut ægrè 77. 52. 4. 228. 61. 71. 7. 265. 3. 273. restent. Quæ causa sit ejus rei, conjectura magis indagare, quàm certò affirmare liceat. Landresium jam oppugnari incipit, sed nisi Princeps Arausionensis validè se movet, eum fortè locum capient, cæterùm nihil magni agent Galli. Iidem de Ehrenbrestenio spem abjiciunt. Ita peribunt illis quæ magno cum Germanorum odio sibi pepererant omnium claustra. In Batavis rumor est inducias jam factas Gallos inter & Hispanos, puto id extra verum spargi ab iis qui eo colore ipsi ad inducias properant. Ego verò non ignoro in Hispania monachi qui è Gallia missus est quotidianis cum Olivare colloquiis de induciis primùm, deinde & de pace agi. Et Helvetios video iterum in id laborare, ut Comitatus Burgundiæ, quem tutari plerique tenentur, seponatur à bello. Sed hæc omnia non facilia sunt explicatu, atque interim procedit bellum. Et Cateletum quoque obsessum ire dicitur Milereius. Rohanius in Comitatum Burgundiæ copias quidem mittit suas: sed ipse non venit ob simultates cum Principe Condæo Ducatus Burgundiæ Præfecto. In Italia valescunt res Hispani. Rhæti federe & largitionibus tenentur: quanquam sunt quos ita festinatum pœnitet, cùm de dominatu in Vallem Telinam, quam semper maximè expetiverunt, nihil certi habeant. Educta à Mediolanensi terra copiæ sunt XVIII M peditum, V M equitum. Bremo prospectum satis & Casali auctis præsidiis, rebusque introductis necessariis. Quid aggressurus sit ibi post Nicæam Hispanus, opperimur. Sed ut fides & constantia maneant Gallis, quas vehementer concutit Aula Romana, inducias, si posset, ubique, si id obtineri nequeat, per Italiam certè moliens, interna eos mala vetant in hoc rerum æstu movere lacertos. Nam & agrestium motus manet, & cùm Regis copiæ inciperent circumvenire Sedanum, evasit Comes Suessionensis, Hispanorumque fidei se permisit, intentus ad omnes rerum novarum occasiones. Iam verò de Austriacis Poloni nuptiis vetor ultra dubitare, cùm ad eas in mensem Septembrem invitati sint Veneti. Ita hostis ille qui suum tempus exspectat, cum alio hoste præpotente conjungitur. Qui hic est ex Christina Dani Regis filius, à Cardinali Hispano ea acceptus est humanitate atque epulis, ut ejus quoque Regni amicitiam ab Austriacis quæri,

Hamburgi primùm, deinde & nostro malo non obscurum est. Pomeraniam ut obtineat cuncta Regna Imperiaque adit Brandemburgicus: & video faveri ei etiam ab iis quos amicos habemus, terretque me Prussiæ exemplum, & multi sermones parùm nobis æqui: tum verò ab hoste adeò florente pacem nostro ex usu ut impetremus, optare licet, sperare vix audeo. Adversùs has difficultates duæ spes se ostentant, ab Anglo & à Turca, si se ei fortè commoveant. Sed nullos ex Anglia paratus ad bellum video. Naves quas promittunt sub Palatini Gallique signis, quid acturæ sint, nisi fortè oram Gallicam defensuræ, equidem non intelligo. Nam bellum sibi esse cum Hispano volunt, idque profitentur. Per Germaniam verò pacem ita suis rebus judicant necessariam, ut sine ea inutilem sibi fore dicant Palatinatuum restitutionem. Vtinam verum sit, quod me credere vult Legatus Venetus, in pace cudenda eos nobis de Pomerania non adversaturos. Turcam quod attinet, petit, ut ex literis ad Venetum missis vidi, pacem Persa, legatosque misit, eandemque exoptat magnus Visirius. Ragoskius federi nuper facto staturum se, donaque missurum annua promittit. Ita rebus alibi quietis, possent fortè arma in Poloniam excitari, præsertim si cognoscat eorum ope aut consiliis foveri Tartaros qui terra, & Cosaccos qui mari Turcicum Imperium territant: quanquam de Tartaris in amicitiam reponendis veterem, Legati ipsorum spem fecere, comiter excepti ac cum bona spe dimissi. At contra Cosaccos in Pontum Euxinum missa classis partim galeonibus, partim navibus constans longis, pariter XXX, quæ res efficit ut Mediterraneum Mare, præter perpetuas quasdam custodias, ferme à Turcica classe vacet. A Vienna scribitur Imperator ab alieno nutu non pendere: interim remissior esse quàm Imperio conveniat. Ita culpas quæ corrigi cœperant resurgere. Pecuniæ ibi fiunt omnibus modis, etiam ex iis beneficiis quæ pater Imperator indulsit. Earum pecuniarum aiunt tum alios usus fore, tum ut Suedi pro eis pacem dent. Protestantibus Germanis pax Pragensis, nihil aliud ostentatur. Dicitur & super formula literarum tuti itineris pro Legatis Principum Pontificiorum, qui summi Imperii jus obtinent, disputatio calere, cùm nolint illi Principes aut poni ut Regum accessio, aut aliusmodi literas accipere quàm quales dantur Regum Legatis. Veneti qui pridem Legatum apud Imperatorem non habuere, nunc eò mittunt. Idem faciunt Genuates, sed hi & apud Batavos agentem habituri. Venetorum qui hic fuit Legatus, multa rerum Gallicarum notitia instructus, nunc in Hispaniam Legatus ibit. Eodem Legatum mittunt Genuates, cunctis jam Italis eam potentiam ut multum apud se prævalentem respectantibus. Itaque & naves Ethruscæ iterum se cum Neapolitanis ac Siculis conjunxere. Et Helvetii verbis quidem utuntur mediis, cæterùm apud eos quoque multum decessit de Galliæ auctoritate, festinaruntque Tigurini quæ cum vicinis Abbatibus controversa habebant componere. Ad præsidia Rhætica in castellis Clavennæ Sondriique alenda dat in mensem VII millia scutatorum Hispanus: & mille octingentos Rhætos adscribit suæ militiæ in terra Mediolanensi, iisdem quibus Germani militant conditionibus. Madritio scribitur succensere Pontificis Nuntius quod se & Pontifice ignaro, colloquia super pace instituantur. Inter quærendæ pecuniæ rationes multiplices omne factum argentum sumi à privatis, rependique æreis nummis quibus dives est gaza. XI naves in Americam quæ Castellanorum est, mitti. Ad res Brasiliæ sustendandas, ubi Portum Calvum aliaque loca invasere Batavi, etiam externas naves Olysippone corripi. Parari & acriter bellum in Galliæ partes quæ Hispaniam contingunt, è Fontarabia per Ducem Nocerum, è Perpiniano per Cerbellonem qui ex Italia illuc tralatus est. Itaque Socovam missas machinas L. & in Navarram XII CIↃ peditum, equites mille. Abiisse inde Principis Thomæ uxorem, quasi iratam Hispanis, monilibus ad iter divenditis. Principem Bosiolum, ut Sabionetam recipiat, offerre sequestrationem omnium rerum quas à se petat Stilana, donec lis ab Imperatore judicetur: sed occlusas ad hæc Hispanorum aures ob loci opportunitatem. Id est castellum in quo cùm nullum præterquam pro Stilana custodiæ jus haberet Parmensis, eo Hispanis tradito, pacem suam redemit. Fernandinum quoque classem reparare, qua in Italia utatur, creditum imminere Monæci aliisque portubus. Heusdius transmisit pro Batavis CCC M. florenorum, assignationes habet ad alia VII CIↃ & exspectat alias, ad semi millionem. Eiusne pecuniæ exspectatio, an interna dissidia, an morbus Principi Arausionensi impedimento sit, an favor in Comitem Suessionensem, variè disputatur. Spero futurum brevi ut actibus ipsis hos rumores refellat, quod sanè hoc tempore imprimis est necessarium. Transiit hac viditque me Hofkirckius sæpe mihi à Marino commendatus. Aiebat ire se ad Tuam Sublimitatem ut ei se nescio quibus de rebus purgaret. Mitto scriptum Gallici leporis in quo sub diversorum nomine graphicè mores, studia, fortunæ, spes Principum Galliæ describuntur. Illud quod scripsi antehac non possum non repetere, & ex Gallis & ex Veneto intellectum mihi hoc quod nunc agitatum federe cavisse Gallos, ut Bavaro, dum vivit, maneat Electoralis dignitas: nec recusare id Anglos. Quomodo ergo ex Palatini jure possunt vitii arguere Regis Romani factam Ratisbonæ electionem? Valet enim electio etiam ab eo facta qui jus non habebat, sed in possessione erat eligendi quod & in ecclesiasticis functionibus collatis à non Patrono, sed jus Patroni possidente, & constitutum est & observatur. Dicenti mihi nuper Comitrio (est enim eruditus) Suedorum nomen in externis historiis non apparere, nominavi ei Tacitum, Eginhartum, Adamum Bremensem, Helmoldam Saxonem, Imperatores quoque & Pontifices. Cæterùm quia cum Anglo res mihi erat, rogavi Monasteriensem Anglum legeret, qui inter nationes quæ per CCL annos Britanniam vexarunt, Swatidas nominat, addidique rei quoque monumentum Stocholmiam in agro Pembrociensi. Rarius aliis si nominentur, mirari id debere neminem, cùm longe remotæ res eorum ab aliorum rebus fuerint, ut quibus in Russos, Slavos, Danos, Norvagios bella satis negotii facerent. Gothos verò, Vandalos, Langobardos inde ortos: Normannorum autem nomine Suedos non minùs quàm Norvagios, quàm Danos designari, plurimis apparere testimoniis. Spero futurum ut Tuæ Sublimitatis prudentia ac fortitudine Suedica gens veterem suam obtineat claritatem. Quod ut fiat Deum precor, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem ut servet, sospitet, augeatque. Lutetiæ 10 Iulii ex novo Calend. 1637.

Monachus ille qui in Hispania est huc scripsit, responsumque exspectat. Dux Vinariensis Vesovium oppidum vi cepit. Saviniacum, quod in Bressia est ab hoste captum ante hos menses septem, recepit Dux Longavillanus. Gallos in federe ab Anglis stipulatos intelligo, ne sibi impedimento sint in retinenda per pacem Lotharingia. Sedanum ab omni commeatu per Gallos intercluditur. Dicitur comes Suessionensis titulum sumere Ducis exercitus pro Regina matre. Faciunt hoc discrimen Itali ut quibusdam regibus scribant, Serenissimo ac Potentissimo, aliis Serenissimo. Neque dubito quin hoc in literis ad Reginam secuti sint Veneti: quam dignitatis imminutionem cavendam, non est quod moneam. Ad Landresium nihil aliud adhuc quàm castra muniuntur. Milereius non longè est, nec verum de Cateleto. Hispana classis ad oram Narbonensem apparet. Castilionæus ad Sancti Menehaudi in Campania aliquid exercitus

Digitized by Google

tus habet, incertum quo consilio. Hispani omnes suæ gentis Cardinales Romam mittunt in spem vacaturi Pontificatus per infirmam Pontificis valetudinem. Rex in arce Madritii, Cardinalis in villa Bassompetræ.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

D. SALVIO, & D. BIELKE.

Illustrissime Domine,

790 MAgna in Batavis est opinio de Induciis Gallum inter & Hispanum. Ego agi ea de re in Hispania non ignoro, & literas inde huc venisse, quæ responsum exspectent. Neque obscurum est esse, quæ id suadere possint. Motus nondum sanatus rusticorum multis in locis, ad quos & nobiles se applicant quidam. Suspecta Comitis Suessionensis consilia, qui cùm Sedanum videret circumveniri à Regiis copiis evasit, seque ad Hispanos transtulit. Tum verò labores assiduos nuntiorum Pontificis hic, in Hispania, Bruxellæ id omni modo agentium, ut Italia quieta sit. Cæterùm ego antequam conspectum fuerit quid pariturus sit Hamburgi conventus, nihil tale formido, præsertim cùm bellum satis ardere multis in locis, paratus etiam ubique magnos contemplor. Nam arcem S. Lupi, deinde Virovium oppidum cepit Dux Vinariensis, iterque versùs superna instituit, ut Montem Pellicardi obsidio, quod Dux Carolus parat, eximat, aut etiam majora tentet. Saviniacum in Bressia oppidum captum ab hoste ante sex menses recepit Dux Longavillanus. Landresium premitur à Cardinali Valetta, diciturque fames non minùs urgere obsessos. Circa Mediolanensem agrum Hispanorum exercitus habet XVIII peditum, V equitum millia. Metu obsidionis & Bremi & Casalis aucta præsidia. Ingentes in Hispania classes, quæ Americam tueantur, Brasiliæ possessionem Batavis dubiam faciant, Galliæ oram infestent, simulque Italiæ portubus insidientur. Pecuniæ quærendæ nulla via negligitur, sumpto per Hispaniam in Regis usus argento privatorum, quod æreis nummis Rex repensurus sit: etiam Viennæ decimantur priorum Imperatorum liberalitates & beneficia, addito rumore pretium corradi quo Suedi accepto de Germanica exeant. Multum refert quid acturus sit Princeps Arausionensis, qui pecuniam ni fallor Gallicanam exspectat tardè & particulatim procedentem, & videtur ipse pari se passu movere. In fœdere quod cum Gallis Angli fecere comprehensum, ut Electoralis dignitas Bavaro, dum vivit, maneat, & ne Angli quicquam moliantur quò minùs Lotharingia aut ejus præcipua Gallis maneant. Magnis honoribus ab Hispano Cardinali acceptus est Regis Daniæ ex Christina filius Slesvici & Holsatiæ dictus Comes, ut satis appareat nihil omissuros Austriacos quo Regis illius sibi amicitiam parent. Veneti ad Poloni cum Austriaca nuptias invitati sunt in mensem Septembrem. Ita multa undique se ostendunt adversa, magnum Suediæ gentis animum probatura. In eam partem Galliæ quæ Hispaniam respicit duo mitti dicuntur ab Hispano exercitus, ducibus Nocera & Cerbellone, & ad tutandam Socovam machinæ quinquaginta. His quod addam nihil habeo nunc quidem Illustrissime Domine, nisi vota pro Illustrissimæ Dominationis Tuæ rebus prosperis. Lutetiæ 10 Iulii novi Calend. 1637.

Illustriss. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

791 MAgis magisque etiam ex 7. 55. 22. 103. 4. 71. 112. 113. 118. sermonibus comperio l. 3. 59. 7. 119. 75. Alexandreos sibi cum Callimacho esse negotium; neque verò permissuros ut Vespasianus Sophianis 16. 27. 63. 33. 70. 77. 266. Tunc verò illud vel maximè notandum, quod edoceor convenisse 71. 24. 26. 33. 66. 217. 273. lactucas & lilia ut etiamsi 76. 59. 82. 14. 71. & Simon se non aggregent. 71. 82. 76. 79. 246. 118. 103. 33. 78. 68. 266. 12. 73. 31. 81. 74. 78. 28. 2040. Ita tamen loquuntur quasi aliquid Nævio proximum, Philemoni non sint negaturi. S. Chaumontium jam Caletum venisse rumor hic est, an certus haud dixerim. Spem nobis faciunt Angli Legati quieturam hac æstate de piscatu cum Batavis controversiam. Interim verò naves primùm duodecim, deinde octo & viginti multis onustas rebus necessariis Dunquercam intulere, fortè quod existimant se talia agendo necessitatem imposituros Batavis aplicandi se ad Anglorum consilia. Princeps Arausionensis cunctari per morbi occasionem aut simulationem creditur, ut pecuniam accipiat quæ promissa est Batavis: in eâ expedienda nunc sudat Heufdius. Intelligimus metum Hamburgensibus ab Imperatore fieri ne patiantur apud se conventus haberi Imperio noxios. Id si manet, Hagæ fore conventum aiunt Angli. Tres cohortes sive regimenta ad augendas Batavorum vires hinc mittuntur. Regis Daniæ filius qui hic nunc est Hispani in usus militis non nihil obtulit. XXVIII Iunii, ut hic numeratur, in potestatem Archiepiscopi Coloniensis venit Ehrbresteinium, reddendum Treviro petenti, ubi novus Elector fuerit. Comes Suessionensis Sedano nonnisi propter venatum egressus eò rediit: agiturque rursum de reconciliatione, quanquam non tantùm abrupta sunt inter Gallos Sedanumque commercia, sed & homines capi utrinque cœpere. Dux Bernhardus simulavit quidem conatus in Germaniam: revera propositum ei est Vesontionem vi aggredi. Id ut fiat depellendus primùm erit Dux Carolus & Marchio Sancti Martini Præfectus Burgundico Comitatui, qui inter eam urbem & flumen cui Dulce nomen leviter se immuniere. Misit Dux Bernhardus de suo exercitu obviam IV illis millibus per Alsatiam sibi conscriptis: queis auctus aliquid magni tentabit. Scribuntur ejus equites hostium quatuor millia partim interfecisse, partim disjecisse, captis & nonnullis. Nec ab aliis in eodem Comitatu cessatur. Nam Ducis Rohanii, quanquam Genevæ absentis, miles, Arbosiam cepit: Dux autem Longavillanus post Leonem Saunerium, cepit Orgelesium: obsidetque Bleteravium, vetus Nassavici juris oppidulum, bono situ & arce firmum. Nec ad Belgicum finem segniùs administratur, ubi præter egregium Cardinalis Valettæ exercitum Milereius Cardinalis propinquus suum habet cui imperet militem, decem prætorianas centurias, Helveticam præterea, Marinam & Vidami. Cum eo Bohanium cepit, arcem hostilem trium leucarum intervallo ab oppido Sancti Quintini. Deinde se conjunxit cum Cardinali Valetta ad Landresium, pari jure cum eo Cardinali, nisi quod Cardinalis signum dat excubiis. Communitis ibi jam castris sinuosis inter humum excavatis viis ad oppidum acceditur, sperareque nos jubet Degenfeldius (qui se Sublimitati Tuæ plurimùm, præsertim si pax aliqua fiat commendat) intra mensem alterum Gallos oppido potituros. Habet id oppidum propugnacula quæ bastiones vocant quinque. Amnis Sambra oppidum inferius, quod vice suburbii est, alluit. Eo à Gallis insesso qui in oppido sunt sub Hemno forti Præfecto tria lunata fecere opera tegendis portis. Nullum enim est vallum extra fossam. Ipsa fossa oppidique vallum non spernenda. Sed parvitas oppidi præsidiique facit, ne diu defendi posse putetur. Est Valentianis hostis, cum III millibus equitum pari peditatu, exspectatque Picolominii auxilia. Novus è Gallia Legatus Bellevrius in Angliam mittitur. Ait Comes Licestrius metuere se sub Dominatum Regis Daniæ Hamburgum cadat, non fine An-

Digitized by Google

Anglorum etiam damno. Havræum idem ait in Suediam mitti. Gaudebo si quæ ibi agentur cognoscere, ut normam habeam ad quam sermones meos dirigam. Ad Gravelingam novæ hostium munitiones multum procedunt. Rogavit me Comes Egmundus an rectè pervenerint, quas in Suediam miseras literas. Postquam præfationem meam ad Gothica Tuæ Sublimitati misi non pauca se inter legendum obtulere, quæ sententias meas validè confirmant. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Regnum, Reginam, Sublimitatemque tuam sospitet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Iulii 1637.

STENONI BIELCHIO, Eadem D. CAMERARIO, & D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

792 DVx Bernhardus simulavit quidem conatus in Germaniam: revera propositum ei est Vesontionem vi aggredi. Id ut fiat depellendus primùm erit Dux Carolus & Marchio Sancti Martini præfectus Burgundico Comitatui, qui inter eam urbem & flumen cui Dulce nomen leviter se immuniere. Misit Dux Bernhardus de suo exercitu obviam quatuor illis millibus per Alsatiam sibi conscriptis: queis auctus aliquid magni tentabit. Scribuntur ejus equites hostium quatuor millia partim interfecisse, partim disjecisse, captis & nonnullis. Nec ab aliis in eodem Comitatu cessatur. Nam Ducis Rohanii quanquam Genevæ absentis, miles Arbosiam cepit. Dux autem Longavillanus post Leonem Saunerium cepit Orgelesium, obsidetque Bleteravium, vetus Nassavici juris oppidulum, bono situ & arce firmum. Nec ad Belgicum finem segniùs administratur, ubi præter egregium Cardinalis Valettæ exercitum Millereius Cardinalis Ricceliaci propinquus, suum habet, cui imperet, militem, decem prætorianas centurias, Helveticam præterea, Marinam & Vidami. Cum eo Bohanium cepit, arcem hostilem, trium leucarum intervallo ab oppidulo Sancti Quintini. Deinde se coniunxit cum Cardinali Valetta ad Landresium, pari jure cum eo Cardinali, nihil quod Cardinalis signum dat excubiis. Communitis ibi jam castris, sinuosis inter humum excavatis viis ad oppidum acceditur, sperareque nos jubent ibi qui sunt, intra mensem alterum oppido se potituros. Habet id oppidum propugnacula quæ bastiones vocant, quinque. Amnis Sambra oppidum inferius, quod vice suburbii est, alluit. Eo à Gallis insesso, qui in oppido sunt sub Henino forti Præfecto, tria lunata fecere opera, tegendis portis: nullum enim est vallum extra fossam. Ipsa fossa oppidique vallum non spernenda, sed parvitas oppidi presidiique facit ne diu defendi posse videatur. Est Valentianis hostis, cum tribus millibus equitum, pari peditatu, exspectatque Picolominii auxilia. Pecuniæ Batavis debitæ properantur: itaque spero brevi nos inde boni aliquid audituros. Imperator in Hungaria non parum militis colligit. Deus Illustrissime Domine, tibi tuisque propitius adsit. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Iulii 1637.

Illustriss. Dom. Tuæ addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

793 IAm confectum putabam mandatum tibi à Noomsio mihi abs te negotium; nam natales ejus opesque, ingenium ac studia, ita descripseram, ut ipse potiùs ornaturus illam ἱπποσύνην [*dignitatem equestrem*], quàm ab ea honorem accepturus videretur. Intervenit impedimentum quod non timueram: dixere enim mihi viri summates qui res istas tractant, non ita pridem constitutum Regi, nequis illum honorem ab Archangelo Michaele dictum participet, nisi qui sit planè Romano-Catholicus. Duæ sunt, quantum judicare possum, quæ restant viæ. Altera ut D. Charnassæus Regis apud nos Legatus significet Domino Chavigniaco, eam esse potentiam atque auctoritatem D. Noomsii propinquorum, ut eorum caussa aliquid extra id quod decretum est, fieri debeat: altera ut sumatur idem aut par honos ab Angliæ Rege, ubi nihil obstitura est de sacris sententia professioque: nam de Imperatore nihil dicere audeo, hoste scilicet Regni Suedici. Petrum meum exspecto & tuas quas Hagam misisse scribis literas. Exspectamus δανειστῶν [*fæneratorum*] Salmasii, notas ad novum Testamentum Heinsii, & si quæ alia apud vos prodituriunt. Hic Biblia illa Regis regaliora sistit impendii magnitudo. Cyrillus multis partibus auctior etiam græcis illis contra Iulianum, cis aliquot menses exibit. Theodorotea Syrmondi tardiùs procedunt. Vbi poetica tua? ubi εἰδωλολατρείας [*Idololatriæ*] historia? Nam multi amici me in ice hæc flagitant. D. Nicolaum Fabricium Peiresium Senatorem in Parlamento Aquarum Sextiarum optimè, si quis hoc seculo, de literis Literatisque meritum nescio an noverit Barlæus, si eum novit, gratus erit nobis omnibus, multi enim sumus, D. Peiresii amicis honos carminis, si quid ab ipso, cujus in eo studio ingens fama est, impetrari poterit. Rogo & ipsum & amicos Amstelodamenses præcipuè, ac tuam uxorem liberosque & meo & meorum nomine salutes quàm benignissimè. Lutetiæ 17 Iulii 1637.

Tuus tuo merito H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

QVas abs te habui, iis respondi omnibus, & scriptiones tuæ gratæ mihi sunt, & scribendi intermissio per iter aliasque moras facilè excusatur. Tuas tibi res è voto in patria succedere, multum gaudeo, neque minùs res Suedicas Magni D. Cancellarii consiliis, quorum mihi partem prioribus explicuisti literis, partem ego conjectura assequor, in meliùs procedere, strenueque parari bellum, quo nullus nuntius huic aulæ potest advenire lætior, nisi unus de adventu Magni D. Cancellarii in Germaniam, quod in omen accipitur magnorum conatuum. Reginam vestram matrem sanis consiliis obsequi multò est satius quàm in eas se inducere difficultates in quas se conjecit Regis Galliæ mater, quæ conatur Comitem Suessionensem suas in partes pertrahere: quem ut sibi reconciliet Rex partim minis utitur, interdicto cum Sedanensibus apud quos vivit commercio, partim eum tentat conditionibus. Idem Rex nunc Madritiano in Prætorio apud hanc urbem agit animo mœstior, non tam ob publica negotia, quæ tum in Burgundiæ Comitatu, tum in Hannonia feliciter procedunt, ut ex literis ad D. Magnum Cancellarium cognoveris, quàm quod oblivisci Faiettæ non possit, multum ipsi amatæ, sed amore Platonico Virginis, quæ nuper immissis susoribus qui non tam ipsius, quàm aliorum agebant negotium, eò perducta est ut in monastiicam disciplinam se conjecerit. Vidit eam Rex in monasterio nuper demtis repagulis, neque ex eo desiit videri tristior. Itaque Regina Regis uxor cui nihil potius, quàm benè valentem vegetumque videre conjugem, quærit modos quibus illam puellam, antequam professione aperta se vitæ claustrali illiget, in libertatem retrahat. De Amhemio deque Barclaio quidquid scire fas est, avebo doceri. Angli quanquam firmato jam cum Gallis fœdere, non desierunt Dunquercanis prospicere de rebus ad vitam bellumque necessariis. Rex Daniæ militem Hispano offert. Polonos domestica dissidia tum Ordinum inter se tum Magnatum facilè impedient, ne quid nunc quidem aliud quàm nuptias cogitent: sed hæ ipsæ nuptiæ quid cum tempore sint parituræ non Suedis tantùm sed & Polonis cogitandum erit. Inter D. Camerarium

Digitized by Google

rium ac D. Spiringium non eò usque prorupisse simultates ut insanabiles sint, neque rejici quas facti sui adfert D. Camerarius excusationes, pro ea quæ mihi cum utroque intercedit amicitia, sane gaudeo. Magno D. Cancellario nihil non debeo quod & commodorum meorum & dignitatis tantam habet curam. Commoda magna sanè sed quod verè asseverare possum non supra ea quæ impendo ad tutandum ornandumque honorem mihi mandatum, ita enim meum ingenium est, ut æstimationi famæque cuncta mortalium rerum secunda semper duxerim, animumque mihi satis calentem magis etiam inflammat magni D. Cancellarii exemplum, quamquam in tanto intervallo sortis, subsequi tamen & quantum possum imitari mihi pro vitæ norma sumsi. De filio quod me adjuvas, gratiam habeo. Sohorlingius interdum ad me scriptitat. Multa in literis curandis per bellum per mare interveniunt impedimenta. Vale vir egregie. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Iulii 1637.

Spero me numquam Regno Suedico oneri futurum, vivente præsertim ac florente Magno D. Cancellario, sed si quando id evenerit, non deerunt qui me excipient. Rex hinc ad oppidum Suessionem proficiscitur, ea ad Sedanum via est. Domino Croesio huc si venerit, nulla à me officia deerunt.

Tua Nob. obsequentissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

795 NOn negant Angli se Dunquercanis, quorum oppidum impeti hoc tempore à Gallis & Batavis credebatur, subvectasse necessaria, & rectè id se facere autumant, quamdiu nondum Batavi federi inter se Gallosque facto accessere. Ejus rei spem si faciant Batavi, tum passuros se rem de piscatu quiescere hoc tempore, ac putare se Palatinum Principem mandata id significandi habere. Galli Veneto, Mantuano, aliis affirmant, probata pacta Wismariensia. Ego me nihil certi habere dico. Cæterùm sperare me bene conventurum: pacem autem nolle Suedos nisi communem. Ait Venetus Viennæ dici ab iis qui res administrant datas tuti itineris literas etiam ad Coloniam, si eò mittere velint, pertinere. Ego nostris Coloniam pro loco conventus dixi à Cæsarianis non esse propositam, sed alias urbes. Cardinalis Hispanus quas dedit literas pro Germaniæ Principibus qui in bello sunt, in iis nihil audio esse quod reprehendatur; sed quas pro Batavis dedit Imperator, eas non placere Batavis, credo, quod cum Batavis, tanquam sibi obsequii aut reverentiæ aliquid ab antiquo debentibus, agere Imperator, velit. Bene evenit quod Comitis Suessionensis placidè transactum est negotium, permissumque ei in annos quatuor manere ubi est, in Aulam venire, non venire, suo arbitratu & sine Regis offensa, salvis ipsi bonis atque honoribus, reddita & mactri commorandi ubi voluerit libertate. Mansurus ubi est creditur. Multum ei ad res bene ponendas inserviere adversarii inter se in ipsum certantes studiis, hinc Bruxellenses Hispani, inde Princeps Arausionensis cum Duce Bulionio Sedani domino. Nam eo ipso quo Rex ei has conditiones misit tempore, redibat à Bruxella missus à Comite Sanctibarrius multa magnaque offerens. Princeps autem Arausionensis & pecunias misit Comiti, ut quem diceret nihil in Regem commisisse: si quæ privatim inter eum ac Cardinalem essent controversiæ, cavendum ne eæ in malum publicum erumperent. Ad Landresium alibi ad oppidi propugnaculum mœnibus adhærens, alibi ad fossam, pervenere opera: brevique speratur deditio, non ea vi Piccolominii, qui in agri Lutzenburgici proximis agit, ut bene munita castra adoriri audeat. Millereius præter eum militem quem in ista castra adduxit, alium ad sex prope hominum millia habet ad Bononiam Morinorum, crediturque & ipse & capto Landresio Cardinalis Valetta, Flandriam, quo mari se fert Princeps Arausionensis, terra petituri. Nova hostis ad Gravelingam munimenta, & quod portus ibi ad naves capiendas & deprimitur & dilatatur, tum Gallos urit metu ne Caletum exhauriatur, tum Batavos ne majus inde quàm à Dunquerca, cujus portus recessu maris denudatur, & arenis magis magisque obstruitur, damnum accipiant. Habeo literas abs Duce Bernhardo & à filio meo qui apud eum est, datas 15 & 18 Iulii novi Calendarii: præterea accessit me is qui hic res ejus agit Rotenhanius. Ex iis disco, capta Duci Balmas, & Montemmartini: Gallum verò sub Halerio militem ita dilabi ut de omni equitatu ægrè ducenti supersint. Consilium quod Pyrrhon pridem habuerat de 66. 79. 112. 63. 13. 33. 45. 10. 79. 91. conscius ejus is qui montempellicardum tenet Granchæus præripere Pyrrhoni id voluit, metu Lactucariorum, ne si Pyrrhon eo potiretur, 15. 32. 55. 11. 55. 77. 33. 78. 33. 4. 72. 26. non Vindici. Literæ quas ea de re scripserat Granchæus, ita negligenter curatæ sunt, nisi & 53. 73. 60. 2010. latet, ut in hostium manus venerint. Conqueritur ea de re in hac aula Dux; & tamen si hæc spes fefellerit, sperat alia via se venturum. 107. 70. 78. 76. 4. 19. 72. 31. 93. 61. Illud quoque compertum mihi duxi non tacendum 25. 73. 78. 71. 72. 98. data quotannis à Terentio XVIII millia florenorum: tanti illis erat ipsius dominum pro arbitrio versare. Alsatica nobilitas de Præfecto Benfeldensi pergit conqueri. Ego rerum quæ ibi geruntur ignarus, judicium non interpono meum, literasque ad me scriptas tuæ mitto Sublimitati. Naves ex Hispania Iunio ineunte digressæ, cum quibus XVIII scutatorum millia exspectat Cardinalis Hispanus, nondum comparent, resque ipsi arctas faciunt. Genuates tum ob formidinem ne ipsorum portubus insidias struat Hispanus, tum ob captas nuper ab Hispanis naves Batavorum decem, nec redditas quæ in iis merces ad Genuates spectabant, id student, ut Gallorum Batavorumque amicitia expediant se nimiis Hispanorum nexibus. Cæterùm in Italia nihil magni agitur post arcem Aglianam captam ab Hispanis. Id evenit 22 Iunii. Scribitur ex iis locis Astæ & Albæ imminere Leganesium. Sed alii magis putant in loca Montisferratensis territorii incubituram vim belli. Crequiacus ad Casale advenit cum quatuor cohortibus. Non est libera Italiæ ora à Turcarum Algeriensiumque incursibus: ii nuper in Calabriæ littus exscensum fecere Tuni & Cereale Genuatum juris municipium irruerunt, morati quidem non diu, sed ita ut prædam captivosque abegerint. Neapolitano in Regno duriora in dies Rectoris imperia: nec est qui querelas in Hispaniam deferre audeat. Sex inde turmæ mittuntur per Brutios in agrum Mediolanensem. Ab Ethrusco it Legatus ad Regem Poloniæ & ad Imperatorem. Imperator ipse, & Oenipontana ad fines aut non longè à finibus, deducturi putantur eam quæ Polono pacta est. Basilea serò videt se duobus castellis à Cæsarianis premi. Poscitur frumentum à Vinariensi. His de rebus, etsi fortè Comitatui Burgundiæ pericula (quod futurum non puto tam bonis Gallorum processibus) averti possint, Badam rursus coeunt Helvetii, magni, ut semper, cunctatores. Austriaci eorum quæ circa ea loca tenent oppidorum auxere præsidia: Longavillanus in Comitatu Burgundiæ Orgeleto capto à Bleteraria rejectus est. Rohanius ob inimicitias cum Principe Condæo, quo minùs eas in partes veniat, se excusat. Gravatur invidia alienæ culpæ circa res Rhæticas. De peracta in mensa Galassii cæde Gordonii, qui Fridlandio necem intulerat, vulneratis & aliis qui in illo facinore Gordonio adfuerant: item de Penso Legato Dani spoliato in itinere à Cæsarianis, congruunt

Digitized by Google

gruunt nuntii. Multum heic exspectatur adventus in Germaniam tuæ Sublimitatis. Det eum Deus prosperum, Excellentissime atque Illustrissime Domine, pariterque res cunctas ipsius, bono Regni Reginæque, sospitet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iulii 1637.

Venit jam nunc ad me Melitensis ordinis Legatus, qui me rogavit ad Tuam Sublimitatem ut scriberem, quod eò minùs omittere potui, quando & Rex, qui illam Societatem Majorum suorum exemplo in sua tutela complectitur, hoc ipsum mihi negotium per Admissionalem suum commendat. Quid petant ex commonitorio quod adjunxi videbit Sublimitas Tua, quæ id rogo constituat, quod ex æquo bonoque & usu publico esse judicaverit. Quicquid autem constitutura est, id ut ne ignorem rogo, ac habeam etiam in hoc negotium normam ad quam sermones regam. Tres cuniculi facti sunt adversùs Landresium, speraturque cessurum Gallis ante 6 Augusti. Exercitus constat XIII mille peditibus, VIII mille equitibus, cui alimentorum benigna copia. Sex illa millia hominum quæ Bononiæ erant Caletum venere, propiùs Gravelingam. Rex Parlamento huic interdixit, ne quid ad se adferrent; statum publicum tangens. Si qua essent negotia ipsorum corpus spectantia, se auditurum. Fayetta habitum sumpsit monasticum. Dux rusticæ seditionis cùm ad Gallos Duces sine permissu sponte venisset, captus est. Nomen ei Galastio. Mittit jam nunc Venetus Legatus exemplum literarum tuti itineris pro Suedis Legatis Coloniam, quas ipse à Cardinali Hispano à nemine, nisi à Gallis, rogatus impetravit. De industria omissus est & Serenissimæ & Potentissimæ titulus. Galli titulum Regalis Celsitudinis Fratri Regio ad Hispanorum exemplum cœperunt dare, & Cancellarium Franciæ appellare Magnum Cancellarium.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

796 QVæ ad me scripsisti Iunii diebus $\frac{7}{17}$, $\frac{18}{28}$ & ante 22 novi Calendarii, ea cuncta ad me eodem tempore, die scilicet hujus mensis $\frac{1}{11}$ pervenere. Tabulas tuti itineris pro Germanis à Cardinali Hispano datas non vidi: sed tales esse intelligo. In quibus nihil desideretur. Multum hic gaudii attulit motus Principis Arausionensis, in Flandriam, ut putatur. In easdem partes credo iturum Cardinalem Valettam & Milereium, ubi Landresium ceperint, cujus nunc partim ad propugnacula, partim ad fossam perventum est. Ac præter quas eò duxit copias, habet is ad Bononiam sex fermè millia. In Comitatu Burgundiæ Dux Longavillanus Orgeletum, Dux Vinariensis Balmas & Montemmartini cepit. Hic in Germaniam an iturus sit, dubitatur etiamnunc: & queritur dilabi Halerii equitatum, ita ut vix ducenti supersint. Non placet Gallis Rhenum transgredi. Et quàm parum curent Transrhenana, documento est Erhbresteinium amissum & Ransovii neglectus miles. Non negant Angli multa à suis invecta Dunquercam. Sed & ab eo se abstituros ajunt, & piscatoribus quietem fore, si quod cum Gallia pepigere fedus, ei se Batavi adjungant: quod & significaturum ipsis Principem Palatinum. Fedus ipsum non vidi: quæ verò eo contineri dicuntur, scripsi antehac. Belli paratus ab Anglis in ver parari audio, hyemem sumpturos ad exercendum militem. Sanctichaumontius nondum huc venit, sed venturus creditur. Præ se ferunt Angli, non nolle se ut Hagam transferantur conventus de federe, quando Hamburgi non satis libera sit futura deliberatio. Ex Hispania literæ nos docent id laborare Tellerum ut ab Imperatore Legatio in Angliam veniat. Æquissimum mihi videntur Suedi nostri dicere, non debere expertes esse belli onerum, qui ad pacem suo ex commodo faciendam aliena opera uti volunt. Multum prædicatur D. Banerii non fortitudo tantum, satis cognita, sed & in rebus disponendis prudentia: speramusque, si non quò usque vellemus procedant Gallorum arma, tamen in id valitura, ut parte hostilium virium D. Banerium liberent. Ego Gallos coram, D. Ducem Bernhardum per literas incendere non desino. Commoda D. Landgravio ad pascendum militem esset, Frisia Orientalis: sed an id placiturum sit Batavis, equidem nescio. Intelligimus & Ferdinandum, & Oenipontanam parare se ut Poloni sponsam fines versùs deducant. In Italia postquam Aglianum arcem 22 Iunii cepit, nihil promovit Hispanus. Mittitur tamen è Neapolitano Regno eques Mediolanum. Captas nuper eo in mari Batavorum naves ulciscitur pirata ab Algeria & Biserta, oram tam Liguriæ quàm Calabriæ ita impunè incursans, ut & municipia quædam diripuerit. Genua magis magisque suspectas habet Hispanorum in se molitiones. Gaudemus omnes Comitis Suessionensis tranquillatum animum, concesso ipsi in Aulam venire, aut emanere suo arbitratu, dum nequid Regno noxium tentet: ita bono Galliæ rerumque communium abstractus est ab iis consiliis quæ ipsi dabat Bruxellensis Aula, & ei favens Sanctibarrius. Non dubium est, quin D. Principis Arausionensis, Ducisque Bulionii benevolentiæ in se multum debeat Comes, & ob eum servatum ipsa Gallia. Etiam de equitatu Ducis Lotharingi pars aliqua a Ducis Vinariensis milite cæsa est. Landresium tribus cuniculis oppugnatur. Cessurum creditur ante 6 diem Augusti. Qui obsidet exercitus habet XIII mille pedites, VIII mille equites in magna copia commeatuum. Sex illa millia ad Bononiam quæ fuerant Caletum venere. Dux rusticæ seditionis Galastius nomine ad Regios duces non acceptis commeatus liberi literis cùm venisset, in vincula ductus est. Vidi exemplum literarum tuti itineris pro Legatis qui pacis faciendæ causa ituri sunt Coloniam, in quo nihil desideratur, nihil est quod offendat.

Illust. Dom. Tuæ observantissimus eique addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

FAma Tuæ Sublimitatis in Germaniam venturæ om- 797
nium gentium animos in exspectationem aut belli validioris, aut bonæ pacis, erexit. De Duce Vinariensi nihil dignum scriptu audimus: neque magis de Longavillano. Rohanius Genevæ manet. Castilionæus Villaunum aliaque prætoria magis quàm arces ad Mosam cepit. Ejus exercitus simulque ille melior Cardinalis Valettæ, potitus ante spem Landresiò, die mensis hujus 23 novi Cal. ac præterea Millerei copiæ insignes, quæ partim ad Cardinalem Valettam venerant, partim ad Caletum sunt, magni aliquid intra Belgicos fines agere poterunt, præsertim moventibus simul se Batavis, qui nunc Bredam obsident, nisi Pontifex arma hæc ad quietem perducat. Certè in Italia nihil mari agitur, ne terra quidem, hærente non longè ab Asta Hispano, ut suspicio sit tacitæ conventionis. Cum Belgis Hispaniensibus restituti literarum commeatus, quem sequetur & mercium; multusque & hic de induciis sermo, ita ut Archiepiscopi cujusdam, qui Regi est à Status consiliis, literas viderim, quinquennales inducias pactas affirmantes. Princeps Arausionensis & Galli se mutuo accusant: hi illum quod tempus otiosum transmiserit, Flandricumque iter simulaverit tantùm, cùm eo ipso tempore Henricus Nassavius ad Bredam, ducendi mandata haberet: ille verò Gallos, quod cùm sesquimillionem deberent, trecenta tantùm millia florenorum miserint: tum verò

quod

quod Millereius, qui cum omni exercitu suo ad Flandriæ finem esse debuerat, partem ejus in obsidionem Landrecii duxerit. Addit excusationes ventorum, & eorum quæ humana prudentia mutari nequeunt. Et hæc quidem inter ipsos disputantur. Cæterùm constat spem capiendæ Gravelingæ, magnæque partis de maritima Flandria, aut ereptam, aut elapsam. Ab Anglia præter pacis ipsis commodæ molitiones nihil exspecto. Nam rediit in Batavos Palatinus cum fratre, nullos armorum paratus, sed pecuniæ annuæ ad vitam paulò splendidiorem, non ad bellum promissa secum ferens. Nec potuit componi illa de mari controversia, Northumbriusque classi præpositus, diplomata fert secum, per quæ jus piscandi petentibus indulgeat. Dux Vinariensis alimenta pro exercitu suo habet Montepellicardi. Dolet Anglis quod de priore loco non cedamus ipsis. Itaque satis de abrupto eum sermonem mecum renovavit Licestrius, Daniæ & Norvagiæ, antiqui itidem Regni, Regem Anglis ajens concedere. Ego quid alii facerent & qua de causa dixi mihi non constare, nec id si esset, jus lædere nostrum. Cùm quæreret quàm vetus esset Suediæ Regnum, dixi esse supra annalium omnium memoriam: sed ad id quod agitur sufficere antiquitatem Tacito testatam, qui & gentis, & Regiæ in ea, magnæ admodum potestatis & validæ classis armorumque meminerit. Opponenti longum post de eo silentium, nominavi qui quoque sæculo Suëonum meminissent, apud Germanos, Francos, Anglos. Si minùs creber de iis sermo, haud mirum, cùm negotia ipsis ferme perpetua non cum longinquis gentibus, sed cum Russis, Slavis, Danis, Norwagiis fuerint. Quod ad Christianismum seriùs venissent, nam & hoc in nos telo pugnabat, id ad Regni causam dignitatemque nihil pertinere. Eodem jure regnare paganos, Mahumetistas, Christianos. Segregatam salutis æternæ viam à temporalibus imperiis. Nec per baptismum Regis conditionem ulla in parte deteriorem fieri. Velletne Bohemo aut Polono postponi Turcam aut Persam, si Euangelium Alcorano præponerent? Quærebam etiam quem locum Czari Russorum dare vellet, cui Suedi Reges nunquam cessissent. Miratos multos, cùm induciæ apud Batavos fierent, quod Angli perpetuo Gallos sequuti fuerint, accepta tantùm testatione, id ipsis fraudi non fore. Cùm interrogaret, quomodo igitur convenire in unum possent Regum plurium Legati, sibi quoque sedem primam vindicantes: dixi, multas posse inveniri rationes quæ jus nullius læderent. Quoniam verò non de Regno tantùm, sed & de familia Regia sermo incidit interdum, dixi apud Suedos Reges fuisse è gentibus nobilissimis, ad Slaviam gentem, dum Regnatricem, pertinuisse eos qui jam per sæculum regnarent. Reges alios cum Regibus Suediæ multis affinitatibus connexos. Gothica origine Hispaniæ Reges etiam gloriari. Et quoniam ejus rei in mentionem deventum est, hoc quoque significandum duxi, scripsisse Olympiodorum, qui sub Theodosio Arcadii filio Romanam historiam Græco sermone scripsit, Gotthos vocatos à Wandalis Trollos. Videbit Sublimitas Tua me aliquid habuisse otii, quod eam occupatam tantis negotiis audeo ad veteres historias vocare. Sed gaudeo quod hoc potiùs quàm aliud agentem me deprehendunt Tuæ Sublimitatis literæ scriptæ $\frac{12}{22}$ Iunii, pro quibus, simulque pro chartis adjunctis, gratias ago, quantas possum. Habebo normam quam in sermonibus sequar longè optimam. Atque interim apud me gaudeo, quod & de Pomerania, & de iis quæ Angli valde indefinita proponunt, semper meæ dissertationes his congruentia tenuerunt. Ego, quoties cum Anglis loquutus sum, semper eos ursi, ut promerent quibus legibus nos pacem facere æquum judicarent. Nam si ea in re nostra ipsorumque consilia discrepant, ut discrepare certus sum, quid est in federe sub istis ostentato conditionibus, præter inanias? Ego omnia mea pro rebus Suedicis vota in hoc uno comprehendo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, ut Deus Tuam Sublimitatem diu valentemque servet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Iulii 1637.

Piccolominius ipse ægrotare Treveris dicitur. Altkircham arcem à Montepelicardo leucis decem cepere Galli. Hispani Nicæam Paleæ & Aglianum bene muniunt. Piccolominii copiæ propiùs ad Castilionæum accessere.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Binas abs te accepi modico temporis intervallo literas. 798
Scriptæ 14 Iulii mihi 26 redditæ sunt: scriptæ 21, die 29. Faciunt hæ mentionem & aliarum, quas filio meo dedisse significas. Sed is filius ad me nondum venit. D. Banerii sicut ipse ab infessis diu locis abitus habet aliquid triste, ita quod tutum exercitum Landsbergam usque perduxit, ibique clades hostium aliqua facta est, arripiendum pro solatio. Si quam partem hujus mali sensura est Gallia, erit quod sibi imputet, tracto tam diu duce Vinariensi: & nunc quoque, post tanti temporis dispendium, qui cum eo sunt Galli, partim dilabuntur, partim negant se ulla mercede adduci posse Rhenum ut transeant. Ego jam antequam tuas aliorumque de derelicta Torgavia acciperem literas, Principi Condæo, qui in urbe est, aliisque eximiis viris id quod evenit, metui debere ostenderam, ac ne nunc quidem desino, ut promoveant sese. Nam quæ in Burgundiæ Comitatu càpiuntur oppidula, ignobilia sunt nullumque ad summam belli pondus habentia. In Belgico spero bonos processus Gallis dari, quando Landrecium multo ante spem cessit, deditum 23 mensis hujus. Præter illum exercitum sunt ad Caletum Millerei sex millia: paulo ampliùs sub Castilionæo in Lotharingiæ, Lutsenburgique confinio. Bene & illud cadit, quod oppositu Crequiaci & Sabaudi Hispanorum properationi in loca finitima injecta est manus. Ad Astam dicuntur nunc esse. Mari nihil fit. In Germania, ut rectè judicas, arena nunc belli fiet ager Brandeburgicus, habebitque malorum successorem Saxo. Principis Arausionensis moras translataque alio arma accusantibus Gallis, ut gens est oris liberi, respondeo nihil tam fortuitorum capax quàm mare. Præterea & penes ipsos moram fuisse in solvendis pecuniis quas pridem debebant, quas solvere multò ipsis facilius esset, quàm Batavis urbes hostium capere. Si Breda recipitur, non perierit annus. Fortè & insperati accedet aliquid. Neque enim dubium est, patiturum locum multis conatibus, dum tantæ è Gallia, tantæ è Batavis vires, distrahent, neque pecuniæ, neque militis multum abundantem hoc tempore, Cardinalem Hispanum. Et restant adhuc menses utiles aliquot. De equitatus & peditatus Suedici adventu in Pomeraniam, gaudeo; speroque & è Scotia venientibus mare secundum fore. Nam amnes præcludere Rex Daniæ dicitur. Palatinæ Domui pecunias ab Anglis dari video, arma dari non video. Et quæ spes federis cum iis, qui belli pericula oneraque defugiunt, atque interim pacis arbitrium utilitatesque ad se volunt trahere? De iis quæ 27 & 28 Iunii ad me scripsisti, veto te esse sollicitum, rectè enim ad me pervenerunt, custoditeque habentur. Northumbrium audio codicillos habere per quos Batavorum id petentibus jus piscandi indulgeat. Id si fit, recrudescet, ita metuo, controversia. Hamburgi an sit mansurus qui inchoatus ibi est Conventus dubitare nos facit, quod Imperator comminatoriam epistolam misisse dicitur Magistratibus, siquid in sua urbe patiantur sibi adversum cudi. Hagam video à multis destinari colloquio. Nam Colonia certè

Digitized by Google

certè locus est iniquus nobis, in odium nostri accensis pridem ibi habitantium animis. Et quantnm ei flammæ adjectura est Legati Pontificii ibi præsentis auctoritas? De jubilæo Pontificis, de Bilderbekio non nisi seorsim à Lagardio audito, quæ narras, ostendunt Protestantes ibi salva dignitate, imo absque dedecore esse non posse. Tum verò observabuntur à tot infestis omnium ad Legatos aditns, literæ ab omni parte ad insidias expositæ erunt. Denique plurima sunt, quæ illam urbem nobis vitandam moneant. Rex Galliæ it castellum Thiderici, ut de propinquo belli rebus consulat. Piccolominius ægrotare Treveris dicitur. Galli Altkircham decem leucis à Montepelicardo cepere. Vale cum omni familia, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1637.

Illust. Dom. Tua devinct. ejusque observantissimus H. G.

D. SALVIO.

799 MVlta his temporibus apprimè necessaria didici è literis Excellentiæ Tuæ datis $\frac{2}{12}$ Iunii qnas $\frac{10}{20}$ Iulii accepi. Non desii his temporibus ostendere Principibus Proceribusqne Galliæ, quot copiæ nostros urgeant, quàm necessaria sit virium hostilium distractio, maximeque per Germaniam, sicut quæ ad affectam partem corporis proximè ponuntur cncurbitæ meliùs avellunt humorem nociturum. Scripsi semper ad Excellentiam Tuam aut Schorlingium diligenter, atque inter alia non omisi indicare, simul ac vidi magnos illos de Germania armis Vinariensibus impetenda strepitus in Comitatum Burgundiæ verti, non alio credo consilio, quàm ut facilior fiat permutatio cnm Hispano, qui & in Picardia & in Aquitania loca nonnulla Francici juris tenet. Id qnò magis eredam facit, qnod non literarum tantùm sed & mercium quarundam commeatns inter Galliam & Hispanenses populos restitui cœpit, multusque rumor est cudi inducias per Pontificales Ministros. Quæ res si proveniat & fortè Gallos in eo aut comitentur aut imitentur Batavi, videt Tua Excellentia quanta in Suedos surrectura sit tempestas, ut jam maximæ pecuniæ à Gallis promissæ suis temporibus respondeant, quod difficile speratu est; nam & fontes pecuniarum bello exarescunt, & ingens earum pars viscatis tractantium manibus adhærescit, eunctaque hic impetu, nullo ordine, nullo provisu geruntur. Itaqne periit eis Ehrbrestenium. Ransovius Hanovia quotidiè ad me scribit quæ ipse in Regium militem fecit impendia, nulla ex parte sibi resarciri. Et Ransovii copiæ stipendii penuria diffluunt, & Landgravius multa habet quæ queratur. Batavis pro sesquimillione ccc millia florenorum persoluta sunt. Princeps Arausionensis hanc qnoque moræ suæ causam prætexuit, diuque cunctatus, postquam minis, perquam sumptuosis, hostem in Flandriam traxit in Bredam se vertit, ita curans publica nt privata Domus suæ commoda non negligat. Hæc dum scribo nuntios à D. Camerario accipio de D. Bannerii à Torgavia discessu planè congruentes iis quæ modo vaticinabar. Video bellum nostros gerere majore Germaniæ quàm suo malo. Verumtamen etiam vincendo tam diu exhauritur viris Snedia, & præter Imperatorem, Saxonem, Brandeburgicnm, Bavarum, Episcopos, jam licet & Polonum certis hostibus annumeremus, devinctum Austriaca affinitate in cuncta nobis infesta, sub alieno nomine aliquamdiu, si qua major occasio se dederit, etiam cum induciarnm credo contemptu. Regis Daniæ semper suspecta Suedis vicinia periculosior etiam fiet, si quo tendunt ejus consilia, Hamburgum Bremamque suarum virium accessionem fecerit. Hæc cuncta qnin observentur satis eorum animis, quorum res Snedica in manu est planè non dnbito. Non possum tamen non meam quoque pro eis curam & bonæ pacis desiderium in sinum Excellentiæ Tuæ deponere. Hanc tamen pacem neque ex Marchionis Sigismundi neqne è cujusquam Brandeburgicæ Domus opera sperare datur. Colonia civitas alienissima ad colloquium, quippe tota quanta est infesta nobis, & cuncta circum hostilia, insidiisque in Nuntios & literas oportuna: Pontificis verò Legatus ne visurus quidem est Protestantium quemquam nisi contumeliæ causa, fierique nequit eo res moderante, quin ludibria nostris multa devoranda sint. Veneti præterquam qnod nos minimè eo loco habent, quo Franciæ, Hispaniæ & Angliæ Regna, postquam in Italia res Galli miserè gesserunt, Hispano, quærunt approbare operam suam, eaque de causa, qui hic nunc est Gallicæ Aulæ perquam gnarus Contarenns it Legatus in Hispanism: & mos eorum ab antiquo est, nt ventus fert, ita velum vertere. Si Imperator belli felicis spe tumet, nihil efficient pacificatores, si seriò pacem cupit, poterit credo etiam sine illis per latentes personas transigi. Anglorum consilia non ad societatem belli nobiscum spectare, sed ut nostrorum armorum metu, pacem suo magis quàm nostro ex nsu faciant vidi, dixique pridem: & jam XXVIII ab iis naves Dunkerkam quam oppugnaturus pntabatur Princeps Arausionensis, commeatus resque alias necessarias, attulere, & Palatinus in Batavos rediit nullo ad bellum paratu, lentam spem recuperandi Palatinatus consolaturus centenis florenorum millibus annuis quæ ei promittit Rex Angliæ, fratrique ejus vicena. Actibus respondent sermones Legatorum qui hic sunt, nihil opis certæ pollicentes, & inde facilè collectu non aliud eos agere quàm ut se pacis arbitros faciant: sed hæc ex ipsis quæ Hamburgi, aut si quis reperitur Hamburgo locus aptior, habebuntur colloquiis, apertiora fient, præsertim si initium inde fiat, explicent ut dicant qua conditione Suedos pacem facere cupiunt. Landresium Cardinalis Valetta multò priùs quàm speraverat 23 hujus mensis novi Calend. in Regis Galliæ redegit potestatem. Eo negotio expediti poterunt & illi & Millerei qui ad Caletum est miles & Castilionæus cum iis copiis quibus modica Luxemburgiei agri præsidia expugnat, majns aliquid aggredi, diversoque metu distrahere Cardinalem Hispanum pecuniæ indigum: nam quæ ab Hispania mari ei mittebatur, aut ventis aut Batavorum fretum obsidentium formidine prohibita tardatur. In Italia Hispanorum exercitus ab Astis non longè est, qnid acturus incertum. Scire velim verumne sit quod dicitur ab Electore Brandeburgico demotum honore Golsium Cancellarium, quod amieitiæ cum Suedia suasor semper fuisset. Picolominius ægrotare Treveris dicitur. A D. Schorlingio literas accepi datas 27 Iunii, & 4 Iulii eum chartis literas comitantibus, pro quibus omnibus gratias ago. Tuam verò Excellentiam rogo mihi ut bene velle pergat, & si qua in re utilis ei esse possum, imperet. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1637.

Excell. Tua observantissimus, eique addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine,

PRo binis literis debitor tibi sum, nam prioribus re- 800
spondi omnibus: sunt autem ex dierum $\frac{2}{12}$ Maii & [illegible] Iunii, redditæ mihi pariter $\frac{10}{20}$ Iulii. Venetus sæpe me urget, num quid responsi ad ipsius literas acceperim. Ego facilè credidi displicituram nostris inscriptionem, præsertim cùm facilè suspiearer qualis esset ex eo, quod mihi monstratnm & à me reprehensum fuerat, quod cùm animadverteret Venetus noluit per me curari literas. Ego quam illi offerunt neque pro dignitate fore Regni, neque ex usu arbitror. In Dano satis esset dignitatis si satis in nos esset benevolentiæ aut æqnus certè animus. Ansiaticas eivitates minùs nobis adversas arbitror, sed earum tenuis est fortuna atqne auctoritas. A Polono hostilia omnia exspectanda nunc etiam magis postquam ad hosti-

Digitized by Google

hostiles affinitates se applicuit. Video interdum pacem coaluisse sine parariis, & id fortè nostris rebus esset congruentissimum. Sed cùm difficillima sit de Pomerania controversia, nemo è Domo Brandeburgica huic negotio immixtus spem mihi ejus transigendæ faciet. Scriptum Davanguro datum super Venetorum oblata opera non vidi. Comes Egmundanus, quas miserat literas id petebant, ut si quando de pace generali ageretur, id est cum Hispano non minùs quàm cum Imperatore, quod ipse futurum Coloniæ putabat, ipsi quoque caveretur, ut bona quæ in Brabantia, Flandriaque habeat possidere ei liceret, quam ad rem Galliæ quoque & Angliæ opem imploraverat. D. Ducis Bernhardi amicitiam & cùm hic esset, colui, & nunc etiam per literas colo. Gaudeoque & in hoc ipso & in eo quod de D. Cardinali, deque lugendo Imperatore constitueram, non improbari mea consulta iis, quibus actuum meorum rationem debeo. Hodie accessit me Brulonus, rogavitque an Cardinalem visurus non essem. Dixi facturum me secundùm ea quæ mihi è Suedia imperarentur. Angli de suo proposito nihil mutaturi sunt ea in re. Vidi responsum Reginæ ad literas Brandeburgici Electoris, dignum opus magno Magni Cancellarii animo. Quod dicis, omnes terras populosque commoturum Brandeburgicum ut ei Pomeraniam adipisci liceat, dubitandum neutiquam est, contraque obfirmanda sunt consilia, ne quod per multas difficultates quæsitum est, nimia facilitate amittatur. Coloniam ad Conventum nostris rebus esse incommodum semper credidi: tota civitas, totus ille tractus nobis adversatur, deinde nihil ex honore & dignitate Protestantium agi potest, ubi Pontificis Legatus habenas negotii tractat. Barclaius si quid solidi adferat, mirabor: nam heic Angli apertè satis profitentur se in bellum venire nolle. Palatino nullæ dantur naves. Dunquercam, quo iturus Princeps Arausionensis putabatur, Angli viginti & octo navibus ingressi ubere commeatu rebusque aliis. Cum Batavis de piscatu manet controversia, & habet Northumberlandius à Rege Angliæ diplomata, quæ jus piscandi petentibus concedunt. Ita Batavi detruduntur terra marique de libertatis possessione. Arnhemii si quæ erunt talia quæ nuntiare liceat lubens cognoscam, creditus semper est valere ingenio rerumque peritia, sed infestus esse Suedico nomini. Ego quid copiis nostris in Scotia conductis Albi opus sit non video, cùm possint mari Baltico ad oram Pomeraniæ advehi, hunc autem transitum, ut audio, Danus prohibere ne conatur quidem. D. Deodatus & gratias tibi agit pro summa benevolentia, & rogat ne quiescas donec ad exitum perducas quod feliciter cœpisti. Ego hic Principem Condæum qui ad urbem est, aliosque proceres admoneo quotidie promovenda Ducis Bernhardi arma, priusquam coëuntibus undique hostium copiis pressus Bannerius cogatur absistere infessis, tandemque Suedis imponatur necessitas sibi seorsim consulendi. Non video multum me proficere; quia Galli omissis Germaniæ curis id agant, ut Hispano aliqua eripiant, quæ deinde cum iis quæ in Gallico solo Hispanus tenet, commutent: & jam literarum, merciumque commeatus Gallos inter Hispanicique imperii populos restituuntur, quæ ad inducias via est, de quibus multus ubique rumor. Batavi qui quàm pro inani nomine pugnent nunc demum intelligunt, & ipsi inducias sibi esse vellent, sed quomodo eas nanciscantur non inveniunt, ita compediti, atque irretiti, ut neque pactione exitum sperare possint, neque in bello ullos egregios processus. Omissa cogitatione Flandriæ Bredam Princeps Arausionensis, sui quippe juris oppidum, sibique utilitates allaturum, oppugnat. Galli Ehrbrestenium quàm negligenter curaverint, intellexeris. Ambit jam Præfecturam Landreciensem Arvaldus ille Philippoburgi damno cognitus, & fautores habet. Hinc conjecturam fac de cæteris. Scriptitat sæpe ad me Raamsaius, se plurimùm impendisse ad alendam cohortem, quam Rex Hanoviam miserat; de restituendis ei illis impendiis, ne verbum quidem audio. Heusdius quo Galli planè tamquam suo utuntur, heri ad me venit rogans, probata ne essent pacta Wismariensia: dixi nondum esse, sed bonam me spem videre, dummodo Galli se æquitati accommodent. Pecuniam, quæ ex ea conventione Suedis danda esset paratam esse Hamburgi, seque suam in id pro Gallis apud mercatores Hamburgenses fidem interposuisse, dixit mihi idem ille Heutdius. Civitati Hamburgensi, quin à Rege Daniæ majus majusque indies ingruat periculum, non est dubium. Angli ita loquuntur quasi misericordia tangantur ejus civitatis: sed ego pro certo pridem habui magnam consiliorum societatem inter Anglos Danosque intercedere. Quid ea quam corradit pecunia facturus sit Danus brevi credo apparebit. Filius ejus qui hic est ad me se venturum dixerat, sed non venit. De Persico commercio multi jam anni sunt, quod jactantur rumores: non exterret ea res Batavos qui mari magnisque navibus multo minore sumptu transvehere sericum aliasque ejus orbis merces possint quàm alii per terras, mare Caspium & amnes. Helsatus cujus nomine res ista agitur, quin fixum habeat neque Imperatorem offendere neque Hispanum puto causas dubitandi nullas esse. Xenocrati cuncta opto maxima non ipsius tantùm causâ, sed & quod nihil felicius patriæ ejus potest contingere. Antistitalem procellam consedisse gaudeo, non apparent umquam sine periculo sacri illi ignes, & in herba opprimere exoriens malum veræ sapientiæ est. Iuveni quem mihi commendas faveo, velimque ei benefacere; sed munus de quo significas, in tempus abitionis eorum, qui nunc apud me sunt, addixi cuidam etiam Belgici sermonis, quo multum in scribendo utor, gnaro. Dux Bernhardus in Comitatu hæret Burgundiæ. Castilionæus arces modicas in Lutzenburgico agro capit. In Italia non longè est ingens Hispanorum exercitus. Exspectamus quid facturus sit Cardinalis Valetta, propinquusque Cardinalis Riceliaci Millereius, postquam Landrecio potiti sunt multò citiùs sperato. Vale Vir egregie. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Iulii 1637.

Tuæ Ampl. ad omnia obsequia paratus H. G.

RESumo calamum, ut etiam illis tuis, quas $\frac{5}{15}$ Iunii datas simul atque meis quas vides subscripseram accipio, respondeam. Ego non spernendos arbitror cujusquam 33. 38. 79. 27. 30. 27. 66. 63. 14. 33. 23. 71. 112. ad Mimnermum hortatus adhibitis modo quas oportet cautionibus. Multas è Vienna vidi literas, unde apparet idem ibi seriò optari ut in posterum minùs à Virginio pendeant. Retineri illum hominem cui arcana & Polonii & Galbæ sunt cognita, rectum judico. De Fabio numquam judicavi aliter, ipsiusque & aliorum sermonibus satis cognovi id agi. Omnes id agunt & curant ut Mimnermo sua inveniant commoda, quod futurum arbitrantur, si ipsorum maxima sit in eo faciendo auctoritas. Æquum autem est ut potiùs qui onera sustinuere emolumenta sentiant, quàm qui aut spectatores fuere, aut apertam suo nomine hostilitatem profiteri ausi non sunt. D. 21. 70. 60. 81 71. 2010. mihi scripsit cum tuis satis consentientia, sed obscuriùs. De Bannerio jam intelleximus mutatam ei sedem. Luat Brandeburgicus pœnas quas luit Saxo, imò ipsa potiùs patrimonia Hannibalis, quandoquidem eum Rosæ non miseret. Rogo filio meo consilio, auxilioque adsis: nihil meis nocentius otio. Si ibi non est quod agat, erit hic unde excutiamus ei veternum. Non dubito quin & Spiringius ea in re, ut in aliis fecit, præstiturus sit, quod amici est. Gaudeo te mihi tam apertè scribere. De fideli custodia silentioque ne dubita. Cunctis tuis quas accepi, respondi. Itaque si quæ sunt ad quas responsum non habes, eas intercidisse pro comperto habe. Illud de æqualitate super Tullo & Vespa-

Digitized by Google

Vespasiano plurimum in se habet inæqualitatis, ut jam dicere attigi; sed ideo repeto ut videas me tuarum literarum ductum diligenter sequi. Simonides ille, quo uti Fabius voluit bene positus esset, si posset id quod dicis consequi. Plurimùm in tempore vertitur. Cum vulpibus vulpinandum est. Raschium ad nos venisse etiam D. Deodati causa gaudeo, cujus negotium spero & pro æquo ac bono ac pro ipsius viri virtute tibi aliisque cordi fore. Vale quàm optimè. $\frac{21}{31}$ Iulii 1637.

Tua Nobil. addictissimus H. G.

STENONI BIELCHIO.

Illustrissime Domine,

801 NEscio quo modo ubique cessatur, nec nisi tenuis nobis suppeditatur scribendi seges. Dux Bernhardus quid agat non intelligimus, est ut puto etiam nunc in Burgundiæ Comitatu. Castilionæus in confinio Lotharingiæ Lutzenburgiæque Villaunum cepit, aliasque arces modicas. Illud satis prosperum Gallis, quod Landresium, sperato citiùs, hujus mensis 23 Gallis se dedit, quibus nunc vacuum illum exercitum & quas Millereius copias ad Caletum habet, illas præterea Castilionæi, conjungere, ut quod restat anni capiendis in Belgio oppidis, transigatur, dum alia ex parte Cardinalem Hispanum pecuniis leviter instructum Batavi detinent Bredæ obsidio, quod simulatione in Flandriam expeditionis feliciter inchoatum est. In Italia nihil fit, laboratque Pontifex ut induciæ inter suæ sectæ homines ubique, aut certè in Italia fiant. Restituta sunt literarum Gallos inter & Flandros Brabantosque itinera, sperantque mercatores eandem fore mercibus commeandi libertatem. Angli nihil nisi de pace loquuntur, nec ullæ datæ sunt naves ad Palatinorum, qui nunc in Batavis rediere, jus prosequendum: ne illa quidem de mari cum Batavis controversia ad transactionem aliquam perduci potuit, quod sanè factum oportuit, siquid Angli in Austriacos molientur; enimverò non desinunt res omnes necessarias Flandriæ qui sub Hispano sunt portubus advectare. Rex hinc it ad Castellum Thiderici, amœnum & salubre oppidum & Belgicum finem respiciens. Picolominius in Treveris ægrotare dicitur. Vale Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1637.

Illust. Dom. Tua Addictissimus H. G.

ANDREÆ CONRADO.

802 FIlius tuus, vir Clarissime, iis est moribus, & ingenii præstantia, eo rerum omnium honestissimarum discendarum studio, ut ad commendationem ejus spectari noscique satis sit. Delectatus sum ejus colloquiis, quod ei præstare potui parum est: id autem fuit ut de via studiorum dubitantem consilio dirigerem, & ipsius alacritatem hortamentis accenderem. Feci autem id perlibenter, optoque ipsi, ut bene valens bene valentes reperiat suos, tibi verò ut diu tam beata prole frui possis. Vale vir optime. Scribebam Lutetiæ 3 Augusti novi Cal. anni 1637.

Tuus optimo affectu H. G.

MARTINO RVARO.

803 QVem mihi commendasti, vir doctissime ac præstantissime, Andreæ Conradi filium, ejus consuetudo suavis mihi fuit, fecerisque mihi rem pergratam, si ejus probitatis ingeniique juvenes sæpe ad me allegaveris. Optima enim est negotiorum gravium intermissio ad amœnitatem literarum & prioris ætatis studia se recipere interdum & refovere animum mitibus colloquiis. Libros, quorum mentio est in secundis tuis literis, non accepi, alioqui ea, qua inter nos utimur libertate mei judicii te facturus participem. Velim credas si quid est in quo tibi aut tuis quos charos habes possim commodare, facturum me id non prompto tantùm sed & gaudente animo. Lutetiæ 3 Augusti novi Cal. 1637.

Tibi optimè volens H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

PIcolominius valetudine sua recuperata ad exercitum 804
suum rediit, qui septem peditum millibus, mille & octingentis constat equitibus. Mosam transiit ad Ginaium Carlemontio non procul. Quod cùm 3 hujus mensis cognovissent Cardinalis Valetta & Millereius, de eo exercitu qui Landresium ceperat tribus peditum, quatuor equitum sumptis millibus, machinis octo, alimentis in sex dies, ivere visuri an pugnæ reperire occasionem possent, relicto quod supererat copiarum sub Ducis Candalii imperio ad Malbodii obsidium. Apud Gravelingam tria castella, sed modica, cepere ab hoste Galli sub Sanctipreulio. De Duce Bernhardo nihil pridem intelligimus. Et quicquid nunc acturus est, si quid tamen id erit, serum erit nobis. Pontificis morbus vitam ei ad finem hujus anni vix videtur permittere. Ex quo Cardinalis Medicæus, validissimo cum comitatu Romam ingressus, cuncta vi sua tracturus videbatur, Pontifex milites cccc Corsos in urbem advocavit. Genuatibus merces quæ in Batavorum repertæ erant navibus non reddit Hispanus, accessitque ad offensas, quod Genuates, velut per annonæ curam, mitti alimenta ad Hispanicos exercitus, & ad loca Liguriæ Hispanis infessa vetuere: diciturque is, qui nunc Ducis ibi Magistratum adeptus est, Gallicæ quàm Hispanicæ amicitiæ addictior. Hispani Aglianum muniunt, castraque habent Asta non procul à Cruceblanca Tanario tenus, nec inter eos Sabaudumque agitur quicquam: quin & Gallum militem à se ablegavit Sabaudus, quasi ad tutelam agri Montisferratensis, non tamen ut sermones evadat consilia ejus à Gallicis aliena pridem spectantium. Ager ille Montisferratensis multum raptatur ab Hispano. Bremi præsidiarii detrahunt Lomelli quæ fuerant munimenta. Rhæti tandem, post relationem credo in Hispaniam ejus negotii factam, responsa accepere, quibus ipsorum imperium jurisdictioque in Vallem Telinam ac Clavennam firmatur. De Religionis Reformatæ exercitio nihil eis promittitur. Videtur enim velle Hispanus ea res ut perpetuò sui sit arbitrii, laxaturus aut adducturus fræna pro usu temporum. Helvetii duces multum instant apud Legatum, qui ibi est, Galliæ, ut stipendia sibi persolvantur. Ille eos ad Balionium Ærarii Præfectum, Bulionius ad Legatum vicissim rejicit. Vt Burgundia utraque bello eximatur, laborat etiam Sabaudus, sed nihil dum proficit. Vesontionem tutatur castris propter positis Dux Lotharingus commeatus habens uberes. Sicut Austriaci oppidorum silvestrium præsidia, ita suum auxere Basileenses, pressi supra infraque Cæsarianorum castellis. Mauri piratæ Marugium in Tarantina ora expilarunt. Ex Polono juvene intelligo, in ea quoque gente de Persico commercio consilia agitari. Venit ad me S. Chaumontii domesticus Hamburgum rediturus. Dicebat inter cætera videri sibi non eam esse inter Gallos & Suedos, quæ deberet, fidem & societatem. Respondi multa, sed præcipua hæc: Suedos non posse abs se arcere invidiam belli adeò graviter affligentis Germaniam, nisi audiant quæ ad pacem proponuntur. Nolle tamen eos sibi seorsim absque Gallis consulere: quod si facere voluissent, habituros pridem fuisse pacem sibi non incommodam. Durum interim eis hoc evenire, quod sperata Gallicorum armorum in Germaniam progressio non conspiciatur: relictusque sit tot hostium exercitibus unus obex Banerius,

magno

magno Suediæ, ut jam apparet, magno rei communis malo. Dicebat spem sibi factam quod nos optemus id nunc futurum. Incusavi tarditatem in tempore tam necessario. Si quid tamen etiam nunc fiat in id profuturum, ut post tantam jacturam quæ sunt reliqua serventur. Eadem apud alios differere non desino. Landresii capti historiam breviter scripsi antehac. Exactiùs eam Sublimitas tua cognoscet ex Baronis Degenfeldii literis, quas è castris ad me misit, quæ simul memoriam Sublimitatis Tuæ convenire poterunt, ut, si qua pax fiat, ejus quoque viri optimè in Suediam affecti habeatur quanta poterit ratio. Legi his diebus Paulini Gothini historiæ Arctoæ libros tres. In primis partibus multa ex Ioanne Magno parùm credibilia, & auctoribus fulta suspectis, qualis est Pseudoberosus aliique subjectitii libri ex Anvii Viterbiensis monachi officina. Ex aliis etiam veris scriptoribus citat quæ ibi non comparent, credo quod aut malos interpretes, aut alienam secutus sit fidem. Cæterùm quo ad nostra tempora accedit propiùs eò plura habet cognitu dignissima, ob quæ prodiisse eum librum gaudeo. Cùm nuper in Anglia multi prodiissent in Episcopum libelli Papismi eum accusantes, inquisitum in auctores fautoresque, & Lincolniensis Episcopus carcere mulctaque gravi repressus: tribus aliis Theologo, Iuridico, Medico aures præcisæ judicio Cameræ Stellatæ. In ea cognitione sermonem habuit Archiepiscopus sane egregium (vidi enim Anglicè editum Regio jussu) quo se purgat ejus criminis, Deumque testem invocat, nihil aliud sibi propositum quàm Religionem, qualis publicè in Anglia recepta est, tueri. Cæterùm si ea quæ ad aliud nihil quàm ad exacerbandos animos valebant mitigaverit, gestusque in templis pietati consentaneos requisiverit, iniquum id sibi vitio verti. Inter ea quæ ipsi objecta sunt & multa & frivola, est & hoc, quod pro D. Elizabetha Regina Bohemiæ, ejusque prole preces sustulisset. Ostendit morem esse Angliæ nominatim pro nemine post Regem Reginamque precandi, nisi pro eorum liberis. Se Reginæ Bohemiæ optimè velle, ac pro ea Deo privatim vota fundere. Cæterùm videri qui id accusent ita existimare, tutiorem fore statum Religionis sub ipsa ejusque sobole quàm sub Rege ejusque liberis ac posteris, quod ut in Regem injuriosum, se detestari. Salutavit me ex Suetia Angliaque reversus huc Forbesius: atque & se & Primores Angliæ id optare, ut in Anglia Legationem obeam. Nihil gratius contingere Archiepiscopo posse. Respondi ei mihi in æquo esse, hic, an ibi, an alibi operas Regno Suedico præstem. Quod eo duntaxat animo scribo, ut norit Tua Sublimitas & amicos ibi nunc esse aliquos, & me loci mutationem neque ambire neque defugere. Saludius qui in arce fuit Ehrbresteinii malè à Rege acceptus est. Hamburgum in gravi periculo esse amittendæ libertatis censet Licestrius, qui & ait servari eam civitatem non posse nisi per fraga aut Cimonem. Ab aliis autem intelligo in Anglica Aula laborari à Daniæ Regis hominibus ut Societas mercatorum Anglica ab Hamburgo se Gelvestadium transferat. Hæc postquam scripseram venit ad me unus domesticorum Noyerii, qui Secretarius est Status, belli negotia curans. Ait Regi propositum mandare Pyrrhoni ut 37. 63. 113. 66. 59. 67. 70. 61. 217. 72. 70. 77. Cupere verò ut & Iustinus ei scribat. Id verò non est difficile. Verùm is sic opinatur, omnia hæc esse 73. 1010. 69. 22. 71. 70. 76. 273. In Ione 37. 63. 50. 81. 66. 9. 69. 31. 53. 71. 27. 78. 79. 1. 4. 8. 60. 27. 9. 55. 77. 81. 66. 266, 1009. 12. 73. 24. 107. 70. 62. 70. 66. 69. 16. Deum rogo, Excellentissime atque Illustrissime Domine, ut sub Tuæ Sublimitatis ductu Suedi aut bellum fortiter faciant, aut pacem prudenter. 6 Augusti 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO, Eadem D. CAMERARIO, & D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

PRo literis 6 Iulii ab Illustrissima Dominatione vestra ad me datis gratias habeo: & ea quæ Dominus Banerius prudenter fortiterque fecit, ipso narrante cognoscere si non dulce (neque enim omne tempus parit dulcia) certè mihi perutile fuit ut de re ipsa qualis est loquar, & ex ea arripiam occasiones pressiùs etiam agendi, quod pridem ago, ut homines hos satis somniculosos circa res Germanicas, si non nostrarum rerum respectu, proprio ipsorum periculo excitem. Æquum enim esse dico ut nos in pacificando amicorum habeamus rationem, sed ita si & ipsi nos in bello non negligant hostibusque objectent solos & improtectos. De Ducis Bernhardi progressibus sperare nos meliora Galli jubent, serò sanè hac anni tempestate, tantumque retroactis rebus nostris. Sed tamen id qualecunque erit apponemus lucro. Picolominius valetudine sua recuperata ad exercitum suum rediit, qui septem peditum millibus, mille & octingentis constat equitibus. Mosam transiit ad Genaium Carlemontio non procul. Quod cùm 3 hujus mensis cognovissent Cardinalis Valetta & Millereius, de eo exercitu qui Landresium ceperat tribus peditum, quatuor equitum sumptis millibus, machinis octo, alimentis in sex dies, ivere visuri an pugnæ reperire occasionem possent, relicto quod supererat copiarum sub Ducis Candalii imperio ad Malbodii obsidium. Apud Gravelingam tria castella, sed modica cepere ab hoste Galli sub Sanctipreulio. Pontificis morbus vitam ei ad finem hujus anni vix videtur permittere. Ex quo Cardinalis Medicæus validissimo cum comitatu Romam ingressus cuncta vi sua tracturus videbatur, Pontifex milites CCCC Corsos in urbem advocavit. Genuatibus merces quæ in Batavorum repertæ erant navibus non reddit Hispanus, accessitque ad offensas quod Genuates velut per annonæ curam, mitti alimenta ad Hispanos exercitus & ad loca Liguriæ Hispanis infessa vetuere: diciturque is qui nunc ibi Ducis Magistratum adeptus est Gallicæ quàm Hispanicæ amicitiæ addictior. Hispani Aglianum muniunt, castraque habent Asta non procul à Cruce blanca Tanaro tenus. Nec inter eos Sabaudumque agitur quicquam: quin & Gallum militem à se ablegavit Sabaudus, quasi ad tutelam agri Montisferratensis, non tamen ut sermones evadat consilia ejus à Gallis aliena pridem inspectantium. Ager ille Montisferratensis multum raptatur ab Hispano. Bremi præsidiarii detrahunt Lomelli munitiones. Rhæti tandem post relationem credo in Hispaniam ejus negotii factam responsa accepere, quibus ipsorum imperium jurisdictioque in Vallem Telinam ac Clavennam firmatur. De Religionis Reformatæ exercitio nihil eis promittitur: videtur enim velle Hispanus, ea res ut perpetuò sui sit arbitrii. Helvetii Duces multum instant apud Legatum, qui ibi est, Galliæ, ut stipendia persolvantur. Ille eos ad Bulionium Ærarii Præfectum, Bulionius ad Legatum vicissim rejicit. Vt Burgundia utraque bello eximatur, laborat etiam Sabaudus, sed nihil proficit. Vesontionem tutatur castris propter positis Dux Lotharingus, commeatus habens uberes. Sicut Austriaci oppidorum silvestrium præsidia, ita suum auxere Basileenses, pressi supra infraque Cæsarianorum castellis. Mauri pyratæ Marugium in Tarantina ora expilarunt. Ex Polono juvene intelligo in ea quoque gente de Persico commercio consilia agitari. Deus, Illustrissime Domine, Illustrissimæ Dominationis Tuæ adsit propitius. Lutetiæ 8 Augusti 1637.

Tuæ Illust. Dom. studio observantiaque addictissimus H. G.

805

Digitized by Google

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

806 IAm nunc ad me filius adfert quas ad me $\frac{1}{11}$ Iulii & $\frac{11}{21}$ mensis ejusdem dedisti. Pro utrisque gratias habeo, & iis quos mihi commendas, aut commendaturus es, nihil eorum quæ à me proficisci possunt deerit. Stellæ liber hic, & prior de pace Pragensi eo scriptus est aceto, ut non tuto eum, si noscatur, versaturum in Germania putem. De oppugnandis Comitiis Ratisbonensibus, video nonnihil labascere hic animos. Circumspectant quid facturi sint Angli. Ii in sermonibus prætensum Imperatorem vocant. Tamen audio eum qui res Anglicas Viennæ agit, satis apertè ac sine exceptione titulum Imperatoris Ferdinando huic dare. Federis Gallos inter & Anglos quæ restabant missæ ex Anglia difficultates, per colloquia sublatæ sunt, ita ut res, ipsos quod attinet, sub illis quibus ipsis visum est conditionibus, peracta sit. Qua lege Suedos invitent, & quid constituturi sint Suedi, tu puto primus intelliges, si modò Hagæ tractatur, ut Anglis placet nec Batavis displicere potest, id negotium. Exemplum Lutetiani federis jam puto in Suediam pervenerit. Responsum quod Barclaio datum est, reipsa congruens cum eo quod Fledwodus acceperat, plenum est & æquitatis & prudentiæ. Et ad eam formam sermones meos dirigo. Aut palàm indicere bellum debere, aut ad id contribuere eos qui in pacis societatem venire cupiunt. Nec aliter sentire videtur Licestrius. Nondum hic est S. Chaumontius: exspectari tamen dicitur. Davausius quid Suedi facturi sint, observabit. De Magni Cancellarii in Germaniam adventu cogimur etiamnum dubitare. Multa quotidie evenire possunt quæ id consilium aut impellant, aut tardent. Si huc venit, haud dubiè eò transcurrere etiam Electorem operæ pretium sit. De Vinariensi nihil audimus. Scripsit ei Rex Rhenum ut transeat. Sed tenuissimæ sunt Haillerii copiæ, & Princeps ille sicut decoris parandi occasiones non negligit, ita ictus sapit. Præterea tempora quibus transiri amnem ad arma nostra sustentanda oportuit, contra monitus sæpe nostros, transmissa sunt. Rusticorum quotidie imminuitur vis & quiescente Suessionensi spero nihil magni fore quod intus sit metuendum. Reformati ex Synodo Alensoniana misere qui liberaliter Regem de sua obedientia certum facerent. In Picardia Malbodium brevi cessurum speratur: & Rex, qui nunc Chantiliaci est eò misit omnes prope prætorias cohortes, & equitatum qui ipsum comitari solet. Tum verò & Castilionæus liberatus à Picolominio qui in Belgicæ interiora se retulit, cis Mosam reduxit suas copias, quas, si opus sit, cum Valettanis poterit conjungere. In Italia ad Vercellas hostium equites qui eò populatum venerant mille & quingenti à Gallico pariterque Sabaudico milite cæsi trecentos ferme suorum amisere. Nunc Hispani omnes derelictis ad Astam castris in Mediolanense solum abiere. Itaque friget in illis partibus bellum, & novas inter Mutinensem, Mantuanumque copias composuere Veneti. De America cogitare Anglos bona res est. Possunt per federa ibi res suas promovere pace Hispanica illæsa, dempto tantùm nomine publicæ auctoritatis. Galli ad Canadam adhærescunt, quæ nunc navigatio exercitores habet Iesuitas. De Batavorum in Brasilia rebus optima hic sperantur. Banerius quam scripsit recessus sui narrationem vidi, quæ magnam ostendit in eo prudentiam; nam de fortitudine ejus nemo unquam dubitavit. Spero jam transierint omnes quæ è Suedia exspectabantur copiæ, ut in Silesiam aut ei propinqua irruere possint. Landgravii qui hic est frater multum Hanoviæ metuit. Meruit constantia sua Præfectus & civitas ut eorum causa etiam insolita tententur; credoque voluntatem non deesse Landgravio. Rex Galliæ iratus est Ehrenbredsteinii Præfecto, ei scilicet qui intra arcem fuit. Regis Daniæ filius Regem Galliæ vidit incognitus. Legatus non conspicitur nec aliis primoribus. Discit sermonem & exercitamenta Gallica: diciturque valere ingenio & rerum bonarum appetitu. Bruxellis cùm esset auxilia Hispano dicitur obtulisse: estque ibi honoratè habitus. Rex ille suas res agit, vicinisque civitatibus formidini est. De pace Turcæ cum Persa nihil dum intelligo idque ipsum, præter successus alios, duriores ad æquam Christianismo pacem concedendam Austriacos facit. Veneto, qui Viennæ est, literas tuti itineris poscenti pro Legatis, dictum est, Suedi si eas vellent, habituros etiam sine proxeneta. Germaniæ Principibus, quippe subditis Imperatoris, nullas datum iri, neque pati id Majestatem Augustam, ut subditorum suorum negotiis externi se admisceant. De Batavis videndum quid facturus sit Hispanus. Id se securos. Deus te tuosque servet, Illustrissime Domine. Lutetiæ 15 Augusti nov. Cal. 1637.

Resumo calamum hæc ut adjiciam: quæ jam nunc nuntiantur. Cepere Galli in Comitatu Burgundiæ pontem Hordæ: arcem verò Sancti Laurentii in rupe sunt emercati ibidem. In Atrebatum agro Biesium arx capta est. Ex Constantinopoli discimus, in Syria moveri res, Persa credo adjuvante, & in Tartaros Precopenses iras & arma verti, nec abesse cum Moschis belli semina. Genuatibus libertas aufertur in Regno Neapolitano vendendi reditus, pro quibus oppignoratæ sunt res fisci. At Algerienses prædones in ora Genuatium Giriolam & Borgettum populati, jam in Corsos eunt. Suessionensis Comitis mater huc redit, nequid desit ad restitutæ concordiæ testimonia.

Illust. Dom. Tuæ omni studio observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

LEgatorum Anglorum uterque me vidit. Sperant fu- 807
turum ut fedus, quod cum Galliæ Rege fecerunt, cujusque jam difficultates quæ restabant omnes remotæ sunt hic à me signetur. Ego dixi Domino Camerario datum esse mandatum ut fedus cum Anglis aliisve, si volunt, faciat: non ut signet ab aliis factum. Multo meliùs conceptus animi nostri nostris exprimi verbis, quàm alienis. Quærenti mihi cur Principi Palatino non dentur ea, quibus jus suum persequi possit, respondent, id futurum ubi qui invitantur ad fedus, accesserint. De Pomerania quasi eam nobis non invideant, ita loquuntur, nec tamen hac parte satis se exprimunt. Fedus illud Lutetianum jam puto ad Tuam Sublimitatem pervenisse. Ego de rebus non conspectis tacere quàm incerta conjectare malo. Celsitudinis titulum quem hactenus dare principibus Regii hic sanguinis noluere jam daturi videntur. Et certè frustra hic hæsitant cùm Charnassæus ita salutet Principem Arausionensem. Hispani à locis circa Astam in sua id est in Mediolanensem agrum se recepere. Nuper tamen postquam Cairum castellum Sabaudus ceperat, equites eorum ad mille quingentos in Vercellensem agrum venere populabundi. Iis se adversos tulere Galli & à Sabaudo Marchio Villa. Galli suorum prosperorum minimè parci prædicatores cæsos ajunt hostium plures trecentis. Inter Mutinensem & Mantuanum quæ exarserant controversiæ, nec longè à bello aberant, Venetorum opera compositæ sunt. Habere Crequiacus dicitur VI CIƆ pedites, equites mille ducentos. Castilionæus, cùm in Belgicæ interiora recessisse Picolominæum intelligeret ipse, quoque Lutsenburgico egressus cis Mosam militem retulit. Malbodium non diu restituturum spera-

Digitized by Google

speratur, jamque Montem Hannoniæ audent spei suæ despondere Galli. Auxere Valettanas ibi copias cohortes & turmæ quæ Regem comitari solent. Nec ipse minùs longè quàm credebatur substitit, Chantilliaci. Accepit Venetus Legatus à Vienna literas. Responsum à Viennensi Aula accepit, cùm posceret Legatus ad pacem tuti itineris literas qui ibi est Venetus, Suedos ubi desiderarent tales literas habituros sine parario. Subditis Imperii non dari: neque passuros se, ut externi horum negotiis se admisceant. De Batavis visuros se quid facturus sit, ad quem præcipuè ea res pertineat, Hispanus: ejus exemplum sibi pro norma fore. Causæ ob quas Colonia Conventui locus Suedis non placet, quas latè hic explico, tales sunt ut neque Angli eas improbent, neque Venetus. Landgravii qui hic est frater timet Hanoviæ. Hæc dum scribo nuntiatur captum Malbodium 5 mensis hujus. Abest à Monte Hannoniæ tres leucas. Die 7 capta in iisdem ad Sambram locis arx Emericum. In Burgundiæ Comitatu captum à Gallis municipium Pons Hordæ & in Atrebatum solo arx Biesium. Ex Turcico Imperio discimus in Tauroscythas arma verti, Cantamirio qui Constantinopoli est incitante: in Syria Turcæ negotia exhiberi à propinquo Fakudini. Etiam à Russis Moscovitis metum non abesse: eò naves mitti in ostia Danubii. Genuatibus in Regno Neapolitano libertas aufertur vendendi reditus, qui pro pignore habent res fiscales. Algeriani prædones populati in ora Genuatuum Ciriolam & Borgettum; jam Corsis damna inferunt. Vrbis Romæ præsidium rursus auxit Pontifex contra Medicæum & Columnam, ut Galli interpretantur. Sunt enim duo isti validi clientes & Hispano addictiores quàm fert illius Aulæ ratio. Exercitus Cardinalis Valettæ partim creditur oppositurus se Piccolominio, parte alia aut Capellam obsessurus aut Montem Hannoniæ de quo dixi. Comitis Suessionensis mater in reditu est Lutetiam, sed obiter vota solvit quibus se obligavit. Longavillanus arcem Sancti Laurentii in rupe non dicam cepit, nam vendita ei à Præfecto creditur, cùm alioquin res esset aliquanto majoris temporis. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati adsit propitius. Lutetiæ $\frac{8}{18}$ Augusti 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

IOANNI FREDERICO GRONOVIO.

808 Legi Statiana tua, vir doctissime, non mediocri cum voluptate, pridemque nihil habui quo magis luberet graviora negotiorum interstinguere. Multis locis & hujus & aliorum scriptorum affudisti haud dubiam lucem; multis vocibus parum notum vulgo sensum ex intimis doctrinæ penetralibus dedisti. Multas locutiones è latebris eduxisti, quare ut ita pergas rogo hortorque. Epistolæ quam dudum est quod ad me miseras responderam epistola satis longa, in qua annotaveram quæcunque à me olim, Silvas Papinianas cùm legerem, margini erant allita: miror eam ad te non pervenisse. Habeo ejus exemplum, sed non mitto; foret enim inutilis is labor, cùm pleraque partim abs te, partim ab aliis quos ego non videram, sunt occupata, quædam autem mea cogitata ita probabilia, ut alia non minùs probabilia tibi aut aliis in mentem venerint. Neque verò legi tantùm tua hæc, sed & alios viros eruditos, quales multos habet Lutetia, ad eorundem invitavi lectionem. Ita non ego tantùm tuis faveo studiis, sed & multos tibi fautores colligo. Vale mi Gronovi. Lutetiæ 19 Augusti 1637.

Tibi volens optimè H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Cum omnes Suedos fraterno ut debeo amore complector, omnemque materiam quæro in qua id possim 809
ostendere, tum verò ejus juvenis, quem mihi Tua Sublimitas commendat, Haraldi Anderæ præclaros conatus patriæ se reddere studentis utilem quantacunque in me erit ope adjutabo. Mihi cuncta Tuæ Sublimitatis imperia exsequi, hæc autem etiam sine imperio exsequi persuave est. Femineæ quædam molitiones ad turbandas res Cardinalis Richeliaci diligentia in herba oppressæ sunt. Quidam ex Reginæ cubiculariis in Domo Ducis Chevreusii ab ipso Cancellario Franciæ jussus exhiberi captusque est, & literæ quædam quæ apud eum servabantur. Inde ivit Cancellarius idem in monasterium Religiosarum Vallis Gratiæ: ibi quoque literæ quædam captæ: statimque ab Archiepiscopo Parisiensi, qui Cancellarium comitabatur, demota Abbatissa è Comitatu orta Burgundiæ fratremque habens Præfectum Vesontionis. Surrogata ejus in locum alia. Ducis Chevreusii uxor, quanquam apud Turones absens hoc quicquid est conscierat, Itaque Lochum abducta est, & Abbatissa illa in monasterium satis longè hinc Charitatis. 66. 74. 113. 266. 56. 71. 78. 70. 61. 217. hæc spectant omnia, eique Vindex jussit significari nescio quid. Ex eo alter alteram non vidit nisi in Ecclesia. Felix est Eusebius in præveniendis iis quæ adversùm se multa struuntur. Princeps Margarita oravit per literas, ut nuptiæ suæ sicut à Parlamento damnatæ sunt, ita ab eodem Parlamento probentur. Responsum est, pati posse Regem ut eam uxorem Frater, si vult, habeat, sed ita ut matrimonium secundùm leges contrahatur, non ut quasi ante contractum valeat. Heri apud Venetum fui. Is mihi prælegit responsum quod latinè datum est Viennæ ipsorum ibi res agenti, postquam literas tuti itineris pro federatis Galliæ (ita verba habebant) poposcerat. Exemplum tamen mihi non dedit. Ait in eo Imperator partem eorum pro quibus posceretur ipsos id nolle, ut Wirtembergicum & Argentorati civitatem. Cæteros quoque Imperatoris subditos ac Vasallos Galliæ federatos esse nullo jure posse. Æquum, ut Regi cuique jus relinquatur liberum de suis statuendi subditis. Etiam in Ratisbonæ cum Gallia conventis id primum esse, ne alter alternis jussa detrectantes subditos adjuvaret. Cum Suedis agi jam cœpisse. Si tamen hi abruptis cœptis colloquiis mallent Coloniam mittere, quod se non arbitrari, non negaturum se petentibus literas tuti itineris. Sed nec Batavis si id postularent. Addebat Imperator ita se credere, Venetos quod hac in re agerent, magis agere quod rogati à Gallis operam negare non potuissent, quàm quod ipsi postulata æqua existimarent. Ea occasione delapsi sumus ad sermonem de conditione Principum Germaniæ: in possessione eos esse à multis sæculis federa faciendi patriam communem non lædentia. Vt cum talibus egisse Imperatores sæpe. Denique illustre adferebam argumentum ex pace Verbiniana, in qua Regum uterque plurimos Germaniæ Principes ut socios atque amicos suos comprehensos voluisset. Et quia Sabaudum pro cujus Legatis datæ essent literæ plus habere juris quàm Germaniæ Principes Cæsariani dixerant, disserui eum quoque Vasallum esse Imperii ejusque per Longobardiam Vicarium. Quod verò Germaniæ Principes præter homagium etiam judiciis quæ Spiræ nunc exercentur teneantur, in eo par ipsis in alios jus quale aliis in ipsos, tantundemque eis accedere quantum decedere. Nam & ab ipsis quosdam legi judices: & ipsum Imperatorem ibidem conveniri. Illud addebat Venetus dixisse Imperatorem, ni ipsum ut Imperatorem

Digitized by Google

torem agnoscat Rex Galliæ, se quoque eum pro Rege Galliæ non habiturum. Mihi videntur ne inchoari quidem ulla posse colloquia, si in limine ea offensa jaciatur. Invitanti nos ad Coloniensem Conventum eidem Veneto, dixi eum locum nostris hominibus infestum, cunctaque circumjecta & literis & commeantibus minari periculum. Idque facilè ei persuasi. Cæterum ita me arbitrari sive Hamburgum sive Haga placeret ponendis ad pacem fundamentis, facilè Suedos aptaturos se amicorum desideriis, idque tam Anglis quàm Gallis significatum. Ex Helvetiis habemus conventuros Rhætos, & ut videtur probaturos quæ acta sunt Mediolani, mitti ab iisdem Legatos in Hispaniam. Nolle Helvetios transitum per suas terras Dux Bernhardus capiat, tum ob alia, tum quod Constantiæ metuant. Ex Italia multum imminutum morbis Hispani exercitum: in Vercellensi agro sævam fuisse populationem: plura indies erumpere indicia arcanæ conventionis Hispanum inter & Sabaudum. Exspectari à Crequiaco V M peditum, equites IↃCCI sed credo non admodum in promptu esse id auxilium. In Regno Neapolitano refoveri classiarium militem, & ad novos mari conatus impulsorem esse Oquendum, petito etiam à Majorica milite. Quæ de Batavis captæ sunt merces præter naves ipsas æstimari millione & CCC M scutatorum. Ab iis cùm Livornum perductæ essent, magnam pecuniam accepisse Ducem Ethruscum pro ea quæ sibi à Regno Neapolitano deberetur; Genuatibus etiam per Hispaniam prohibitum quos ibi reditus habent alienare. Pontificis malo loco esse valetudinem. Is si moritur, fitque ut credibile est, ad Hispani nutum Pontifex, poterit ea res Gallos excitare ad ea consilia quæ à rebus Protestantium minùs erunt aliena. Hæc postquam scripseram, intelligo adversùs 4.33.9.2.78.27.23. illam qui Chevreusii mitigatum 66.72.1009.56.2040.113. sunt tamen nobiles quidam de domo 66.72.9.71,31.98. relegati. Ivojum in Luxemburgico octingentis militibus defensum subegit Castilionæus. Sancti Pauli Fanum in Belgico fine ab hoste desertum Cardinalis Valettæ cessit militi. Nunc hi Hesdinum petere dicuntur: vix est ut quicquam magni agant hoc anno. Nescio an pro certo affirmare ausim, quod Galli prædicant, transgressos Rhenum apud Rhinavium Benfeldio non procul, Haillerium primò, deinde cum suis Ducem Bernhardum. Literas enim nondum habemus de ea re. Gunichaudus Iesuita, quod mirum in ejus Societatis homine, uti quod hoc modo alia sua purgare quærunt in Ecclesia hic insigni, quæ est Germani Antisidoriensis, publicè dixit homines esse judicii exigui, qui de belli hujus quod nunc Rex gerit justitia disputent. Se ex cathedra veritatis affirmare omnibus, paratumque id se vel suo signare sanguine, justissimè proque ipsa Religione sumpta hæc arma, tenerique omnes Regis subditos & bona & vitam tam Sancto proposito devovere. Nisi enim se Rex opposuisset sese, eò abitura fuisse Hispani Regis consilia, ut Pontificem suum faceret Eleemosynarium. Piccolominius magno cum exercitu Montem Hannoniæ tegit. Plura nunc non erant, nisi ut, quod semper facio, Deum precer, Excellentissime atque Illustrissime Domine, pro rebus Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis prosperis. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Augusti 1637.

Rusticæ seditionis millia aliquot in Querciaco agro cæsa. Metuere Germanos video Erfurdo, Lunemburgo, Hanoviæ. Ioannes Waertius in Badensi agro VIII millia: sex ad Rhenum habere Savellius creditur. Iam nunc nuntium certum accipimus de Rheno transito à Duce Bernhardo, & aliquot post diebus cæsis Waertii copiis, cujus rei historiam ita ut à filio qui apud Ducem Bernhardum est mihi mittitur hic addo. Scribit mihi Dux, ex quo hinc abiit XXII obsidiones tum magnas tum parvas sibi peractas.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

HAbeo gratiam pro liberali epistola data 4 Augusti novi Cal. Coloniensis Conventus satis otiosus est hactenus. Vtinam Hamburgi, aut Hagæ fiat aliquid, quo nectantur inter se ii, quorum interest ne Austriacæ magnitudini plus accedat. Nam ut pax æqua ab hostibus impetretur hoc tempore, ipse præsens rerum ubique conspectus credere nos vetat. Valde aveo intelligere quæ futura sint judicia, motusque animorum apud Suedos & Batavos, ubi fœdus quod Gallos inter Anglosque perscriptum est conspexerint. Ego quanquam ex sermonibus multa de pactis illis mirum in modum suspensis intellexi, tamen de non lecto mihi fœdere parco judicare. Labor iste, ut puto, aut D. Salvio, aut tibi incumbet, quem prosperum utinam tam causas sperandi habeamus, quàm habemus optandi. Vides quàm multum retro egerit Suedos amicorum tepor. Iam primùm omnia ostendunt se moliri Galli ut Rhenus transeatur, & rumor quidam est factum id non procul Benfeldio. Interim damnum temporis quantum est? Ivoium à Castilionæo captum est. Cardinalis Valetta & Millereius bonum habent exercitum. Sed nec minorem opponit Piccolominius & ubi de Breda desperaverit hostis vires huc vertet, ita ut pro magno habituri sint Galli, tutari sua. Principes Palatinos eam addiscere artem, sine qua cæteræ Principum jacent, non ipsorum tantum, sed & publici interest plurimum. In Anglia non ita infirmam esse eam partem, quæ consilia fortiora probat, quin facilè sustentari possit, si eò consilia hortamusque conferant Suedi, Galli, Batavi, multi me docent Aulæ illius periti & ab ea recentes. Waertius in *Bavaria sit*, an in Badensi agro hæsitat fama. Rheni interim ripæ præsidet Savellius. Putantur huic sex esse millia, illi plus octo. Interim & de Erfurdo, & de Lunemburgo & de Hanovia audimus quæ timere nos cogunt. Conspecti sunt prope Norembergam IICIↃ Hongari ac partim Croatæ, qui Hanoviam petere putantur. Landgravium Cassellensem persistere in bello eique novum sub Ransovii adventurum militem, rumor est, qui his locis utiliter spargitur. Polonus quin per affinitatem Domus dominatricis suspiciones in se sit concitaturus eorum qui libertatem acrius amant, dubitandum non puto. Præterea rebus fortè nostris non incommodè accidit, quod ille Rex Sueciæ imminens, Regnum Angliæ, mari præpotens, abs se alienaverit, ad eos autem se applicaverit, à queis & ante nihil nisi hostile exspectabamus. In Italia segniter res geruntur, brevique Sabaudum cum Hispano inducias habiturum ajunt Hispani, & credunt quidam Pontificis ministri. Apud Batavos vetus est illa dissensio, aliorum arma, aliorum quietem & tutos navigatus malentium. Sed utrorumque interest res Brasilianas, sanè speciosas, diligenter foveri, ingens momentum aut in bello ad distrahendas hostium vires, aut ad subigendum ejus animum ut æquam pacem pati possit. Quo magis gaudeo Comiti Mauritio rem bene procedere. Sancti Pauli fanum ab hoste desertum invasere qui cum Cardinali Valetta sunt. Nunc Hesdinum ituri putantur, Montem Hannoniæ magnis viribus tuente Piccolominio. Molitiones quædam femineæ contra Cardinalem Ricceliacum ejusque consilia, ut creditur, causam dedere, cur quidam ex Reginæ domo captus tortusque sit. Abbatissa Vallis Sanctæ Gratiæ, quò sæpe itabat Regina, loco suo demota, alii ex Reginæ domo relegati, literæ tum apud Ducem Chevreusium, tum in illo Monasterio Vallis Gratiæ captæ. Abbatissa illa ex Comitatu erat Burgundiæ fratrem habens Præfectum Vesontione. Natum inde inter Regem Reginamque

que frigusculum. Sedari paulatim videtur. Quicquid deprehensum est tegitur. Ipse Franciæ Cancellarius capiendis hominibus literisque adhibitus credi facit aliquid magni aut actum aut creditum. Rusticorum qui arma in Regem ceperant pars in agro Querciacensi cæsa, dicuntur fuisse ad sex millia. Viennensis Aula Venetas res agenti literas tuti itineris pro Legatis Principum Germanorum, ut subditorum Imperatoris, disertè negat: & ait Imperator se Regem Galliæ pro Rege Galliæ non habiturum, nisi ab ipso ipse ut Imperator agnoscatur. Iam nunc certos accipimus nuntios captum Duci Bernhardo Ensinhemum 6 Augusti frustra obsistente Waertio, transisse ejus militem Rhenum. Immunisse se. Vi repulsum Waertium cùm munimenta oppugnaret, amissis suorum septingentis. Vale, Illustrissime Domine, cum tuis omnibus. [illegible] Augusti 1637.

Excell. Vestra observantissimus omni cultu H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

811 PErtulit mihi literas is juvenis quem & Magnus mihi Cancellarius & tu quoque commendaveras, faciam ejus causa quidquid meæ erit opis, gratumque mihi feceris, si ejus probitatis atque ingenii juvenes sæpe ad me allegaveris. De pace video in tam prosperis rebus Austriacorum per Germaniam spem esse exiguam, tempora nobis ad eam obtinendam non iniqua, fuere meliora, fortè & redibunt talia. Suedorum erit sapientiæ cùm ea pulchra se dabunt, non sinere elabi. Vident quàm frigeant veteres socii, novos illigare quàm sit difficile. Quæ hoc anno gesta sunt à Gallis sanè exigua sunt, nec quicquam magni hoc quod restat anni exspectandum est. Angli aliis nutant, aliis nictant, fœdus suum cum Gallis tegunt, neque apud Suedos de Gallis loquuntur, neque apud Batavos de Gallis, aut de Suedis. Nunc Palatini Principes belli artes ad Bredam discunt: sero sanè. Mari adeò nihil faciunt Angli nobis quod prosit, ut Gallorum insuper capiant naves, ideo quod Galli quasdam Anglicas Hispanica commercia agitantes, ceperint. Laudo quod nostri ad bellum se parent quasi duraturum: sed copiis majoribus opus erit ad ea quæ restant tutanda, multoque etiam id magis erit necessarium, si & Silesiæ inferre arma propositum est. An verò id pati possit Suedia, ut multa inde hominum millia educantur, nescio. Haud dubiè tot ac tam diuturna bella Regis Caroli, Gustavique multam gentem exhauserunt. Magnus D. Cancellarius cùm in aliis rebus omnibus plurimum ostendit prudentiæ, tum & in hac cunctatione super maris transitu. Ibi enim esse debet ubi res maximæ aguntur. Inter ea autem numerari debet & redituum publicorum diligens procuratio; Moschum quieturum & ego credo. Gens est satis deses. Danus satis sibi esse putabit, si Suedis non impedientibus, ei licebit adversus propinquas civitates sua promovere consilia. De dissidiis in Polonia ex Polonorum & literis & sermonibus cognoveram. Periit Regi, ut videtur, Anglica amicitia, Austriaca verò non potest non ipsis, qui in Polonia libertatem amant, esse suspecta. Quare sic existimo si Austriaca vis infringi poterit, non multum esse cur Poloniam metuamus. Ad S. Chaumontium, qui credito diutius Hamburgi hæret, pridem missæ erant literæ unde pecuniæ fierent Suedis solvendæ; non tamen quantæ ex Wismariensi fœdere, si id ratum fiat, deberentur. Apud Anglos haud dubiè factiones sunt duæ, & Suedis & Gallis, & Batavis in id laborandum est, ut valescat illa quæ ab Hispano est aversior. Hic oppressa sunt consilia quædam contra Cardinalem Riceliacum, quorum Regina suspectabatur: capti, relegatique de domo ejus nonnulli, & cujus amicitia illa multum utebatur, Abbatissa Vallis Gratiæ inde demota. Cætera ad Magnum D. Cancellarium scripta non repeto. Vale, Vir egregie. Lutetiæ [illegible] Augusti 1637.

Tuæ Nobil. addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

IAm nunc accipio literas Excellentiæ Tuæ datas 812
25 Iulii/4 Augusti & pariter cum iis judico maximam D. Bannerio laudem accessisse ex hoc receptu. Alia sunt fortitudinis opera, hoc verò prudentiæ, quæ cùm inter omnis vitæ humanæ decora tunc etiam in militia excellit. C. Cæsar apud Lucanum in mari à gravi tempestate deprehensus sic loquitur,

> ——— *Tantusne evertere, dixit,*
> *Me Superis labor est, parva quem puppe sedentem*
> *Tam magno petiere mari.*

Paria dicere Bannerius potest, unius nec maximi exercitus ductor, tot petitus exercitibus, undique in se coactis, amicis nihil aliud quàm spectantibus. Ergo quod tantis adversùm se coitionibus elusis, ad tuta pervenit, gratulandum ipsi, gratulandum Suediæ, gratulandum & iis quorum interest nos salvos esse, qui sane plures sunt, quàm qui hoc intelligant, aut si intelligunt, profiteantur. Credibile sanè est tantas copias, quæ nostros insectantur sibimet ipsis brevi graves fore. Et jam ex Germania literæ nuntiant partem eorum retroiisse in Rheni ripam ferme sex mille. De Rebus Gallicis video ad nos sæpe læta magis quàm vera adferri. Ego sicut illis opto prosperrima, ita auctor nisi rerum aut certarum aut valde probabilium haberi nolim. De Breda, quin ad Dominum suum reditura sit & quidem brevi non dubito. Galli post gestas res hoc anno, neque spernendas neque maximas, satis puto habebunt tutari sua, quando desperatis Bredæ rebus promtum erit Cardinali Hispano Belgicas vires eò vertere. Elector Brandenburgicus pacis ultra æquum avidus nihil aliud quàm hostem putavit. Quæ super fœdere suo cum Gallis restabant difficultates, eas omnes nunc sublatas prædicant Angli: sed id suspensum est iis conditionibus, quarum exitum vix sperare est. Interim nihil pro Palatinis fit, nulla belli onera subeunt Angli, fruuntur commerciis, operam suam Austriacis jactant. Wismariensium pactorum valde hic expetitur probatio, neque dubium habeo quin facilè impetraturus sis ab eis, & pecuniæ non nihil & ut ea mutentur quæ M. D. Cancellario minùs placebant. A Daniæ Rege non video quid sperari possit nisi ne nobis noceat. Nec aliter judicare de eo mihi videntur Angli. Ivoium in Lutzenburgico cepit Castilionæus octingentis militibus defensum. S. Pauli fanum desertum ab hoste incendit miles Cardinalis Valettæ, isque Hesdinum ire creditur: nam Montem Hannoniæ bonis eum copiis tuetur Piccolominius. Fœmineæ molitiones contra eos qui nunc plurimum possunt in causa fuere cur quidam ex Reginæ cubiculariis caperetur & torqueretur. Abbatissa Vallis Gratiæ, quæ fratrem habet Vesontionis Præfectum, demoveretur loco, literæ ibi atque alibi caperentur ab ipso quod magnæ rei creditæ inditium est Franciæ, Cancellario. Alius Nobilis è Reginæ domo relegatus. Literæ ex Germania metum indicant pro Erfurdo, Hanovia, Lunemburgo. Bis mille Croati ad Norimbergam conspecti, Hanoviam contra ire creduntur. Waertium alii in Bavaria, alii in Badensi agro aiunt esse. Sabaudum adhuc Itali tanquam respectantem ad Hispani amicitiam suspectant. Nihil ibi terra, nec plus mari geritur. Scribebam [illegible] Augusti 1637.

Rustici quidam eorum, qui arma contra Regis imperium sumsere, cæsi in agro Quereinio, sex millia fert rumor cuncta in majus augens.

Excell. Vestra servus observantissimus H. G.

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

813 Die lunæ proximè exacto Silvanectum profectus, postridie apud Chantiliacum Regis alloquendi habui copiam. Gratulatus ei de hujus anni prosperis, actisque gratiis pro tantis curis atque laboribus in rem communem, veni ad res Ducis Bernhardi, & quando is jam Rhenum transiisset, ibique immuniisset sese, rogavi ut augerentur ejus copiæ, eique vires darentur non modò ad tenendam sedem jam captam, sed & ad promovenda arma sublevandosque eorum animos qui jam sub gravi jugo in Germania gemunt. Nostros Suedos nulla in parte defuisse officio, sed cùm aliubi cessaretur, coortis cunctis hostibus in Marescallum Bannerium, nihil ei reliquum factum extra prudentem receptum. Nunc in id laborari, ut ei submittatur novus è Suedia miles ad invadendam Silesiam aut hostium alia. Pacis colloquia discussa à nostris, ideo quod appareret dissidium inter ipsos Regemque à Cæsarianis quæri. Rex se vicissim Reginæ nostræ sorori suæ, dixit precari fausta omnia. Laudavit valde Bannerium, ostenditque se rationes consiliorum ejus bene intelligere. Duci Bernhardo velle se tantum militis mittere, quantum maximùm ferre Gallicæ res possent. Haud dubiè eo tendere hostes, nos ut dissocient. Id verò unicè cavendum. Dixi ego præterea datum nostris Legatis mandatum agendi cum Legatis ipsius de nexu propiore. Id verò Rex silentio præteriit. Cum Anglis quotidie agunt Chavigniacus & Bulionius, & quid agant celant nos sedulò. Signatum utrimque fedus aiunt Angli. Bulionius negat quicquam peractum, nisi & Suedi accedant & Batavi: urgerique se ut aliquid seorsim conceptum signent, verùm se non properaturos: probarique volebat videri quòd ego dicebam, qui pacis nostræ participes esse vellent, eos aut apertè debere in causam descendere aut certè & onerum belli subire partem. De Regina mirè rumores Aulici magno consensu aiunt eam, cùm intelligeret deprehensas esse literas suas, quas per Angliam in Hispaniam miserat notasque intellectas, & super eis rebus interrogaretur, ad Regis indulgentiam confugisse, fassamque coram novem testibus, in quibus Pænitentiarii & Regis & ipsius, rerum belli à secretis Noyerius, se Hispanis significasse rationes disturbandi federis Anglici, indicasse loca Galliæ invalida, consilia Gallorum in urbes Belgicas, & ne quid Hispani crederent Batelerio monacho Minimorum societatis, qui missus in Hispaniam fuerat sumto prætextu exsolvendi voti, quod S. Isidoro Regina fecisset: revera ut animos Potentum circa pacem bellumque exploraret. Neque hæc confessam tantùm sed & sua manu signasse addita & mentione condonatæ alterius culpæ, cùm anno 31 cum Farginia molitiones quasdam habuisset Galliæ rebus contrarias. Addunt dictum ei à Rege in Hispania non condonari talia, vetitamque in exteras Regiones quicquam scribere nisi subscribente Senesæa, quam ipsi Rex comitem dedit. Qui verò Cardinali malè volunt, ficta hæc esse dicunt omnia, nihil repertum in literis; id verò restitisse, ut qui matrem, fratrem, Regii sanguinis Principes omnes Regi reddidisset invisos, nuper & caram Regi puellam Fajettam expulisset Aula, nunc & in thalamum Regis inferret discordiam, & Reginæ exitio vacuum faceret locum Combalettæ matrimonio, quæ liberos in Gallia regnaturos undecunque quæreret. Sed Reginæ dejectus animus vultusque, etiam ex mœrore morbus, & infrequentes apud eam Principes feminæ credibile faciunt aliquid admisisse eam monachis suasoribus, quod ipsa crederet in rem cessurum Religionis Romanæ, eorum malo quos hæreticos vocant. Auditus jam quater cubicularius Reginæ qui in Bastilia servatur. Multi quotidie de Reginæ domesticis amandantur. Bonum hinc sperari unum potest, implacabilius inter Hispanos Gallosque odium, accedentibus ad causas publicas privatis insuper offensis, quanquam Nuntii Pontificii sermones promittunt inducias. Bulionius cùm ei adessem dixit & hoc, omnis pecuniæ quæ nobis promissa esse etiam chartas ad S. Chaumontium transmissas. Sed eum Regia pecunia satis liberè ad res uti alias, nec Bulionius dissimulabat, & affirmat gnarus talium Heusdius. Ab Anglis illud quò nos vocarent colloquium trahi quam diu vellent posse, atque interim impediri pacificationem nostram nosque in bello teneri Anglis spectantibus tantùm fatebatur idem Bulionius. Mitto tabellam munitionum quas in Rheni insula inque ripa ulteriore fecit Dux Bernhardus, à filio mihi transmissam. Addo & historiam à Gallis editam, ut cum ea quam à duce Bernhardo acceperam comparetur. De Manicampii fideli opera quæ dicunt non mentiuntur. Cæterùm neque Haillerius neque quisquam è Gallis auxilio Ducis à Rege datis cùm Rhenus transiretur, cumque depelleretur Waertius, adfuere. In Belgico fine nihil fit aliud nisi quod ad Malbodium diligenter se Galli muniunt. Mitto & Marini literas, qui de Vesontione quod dicit in eo fallitur. Reginæ inter cætera & hoc objicitur quod dixerit se, si optio detur ut aut Delphinum pariat, aut pacem faciat, hoc prælaturam. Intelligimus à Rhætis Legatos ire in Hispaniam, testandi obsequii causâ, & ut firmentur aut etiam augeantur concessa à Leganesio. Eosdem à Leganesio urgeri ut promissum Hispaniæ in usus militem sine mora mittant. Missum & à Duce Parmensi Legatum in Hispaniam de suis rebus. Cairum oppidum in via qua ad Finale itur captum à Gallis & Pedemontanis, quos nunc imminere Carcanæ, loco inde haud ita multum absito. Iam nunc nuntii adveniunt rei non magnæ, sed quales quotidie evenire inter propinquos hostes necesse est, ad Belgicum finem captum à Gallis oppidulum Bellimontium & municipium Soram. Hæc supra nihil nunc habeo, nisi ut deum precer, Excellentissime & Illustrissime Domine, res ut Regno, Reginæ, tuæque Sublimitati secundet. Lutetiæ 11/21 Augusti 1637.

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. CAMERARIO,
& D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

Omnis illa inquisitio in via Angliam versùs in Monasterio Vallis Gratiæ, apud Chevreusium, captusque & auditus Reginæ cubicularius qui in Bastilia est, Laportius nomine, eò pervenit, ut non literis tantùm, sed & sua scripta signataque confessione Regina manifesta esse dicatur sociatorum cum Hispania consiliorum in fraudem Galliæ. Ea res facit, ut sperare liceat etiam graviùs quàm antehac exarsura inter Gallos Hispanosque odia, dubiam Reginæ famam illis onerantibus, his tuentibus. Rex, cùm ei his diebus Ducis Bernhardi negotium commendarem pollicitus est se ipsius aucturum copias, quantùm Galliæ res paterentur. Laudabat idem Rex Marescalli Bannerii res gestas, & quidem ut peritum se talium judicem satis ostenderet: addebatque non obscurè id agi à Cæsarianis, ut Suediam Galliamque distraherent. Quod vel maximè cavendum utrisque. In Belgico fine mutuo metu Hispani Gallique distinentur, & illi ad Montem Hannoniæ se tenent, hi ad Malbodium sedulò se immuniunt: videturque sine ulla re magna iis in locis transiturus hic annus. Legati Angli frequentia cum Regis Galliæ ministris colloquia habent. Volunt tamen Galli nos credere nihil actum esse, nihil actum iri, nisi hac conditione, si & Suedi se adjungant & Batavi. Multæ ex 814

Ger-

Germania literæ ajunt Bavari filium esse mortuum, filium autem minorem Alberti Bavari fore Coëpiscopum Coloniæ. Bernatibus infensam esse Aulam Cæsarianam, tum ob alia quæ vicinarum urbium Præfecti in pejus nuntiavere, tum ob permissum aliquoties transitum militi externo. Constantiæ auctum præsidium. A Rhætis Legatos ire in Hispaniam, testandi obsequii, & ut firmentur, aut etiam augeantur, concessa à Leganesio. Eosdem à Leganesio urgeri ut promissum Hispaniæ in usus militem sine mora mittant. Missum & à Duce Parmensi Legatum in Hispaniam de suis rebus. Cairum oppidum, in via qua ad Finale itur, captum à Gallis & Pedemontanis, quos nunc imminere Carcanæ, loco inde haud ita multum absito, Itali nuntiant. Sanè nunc nuntii ad nos adveniunt, capta à Gallis, qui ad Belgicum sunt finem, alterum oppidulum, alterum municipium. Illi Bellimontio, huic Soræ nomen. Ea evenere diebus 22 & 23 hujus mensis, ut hic numerum inimus. Precor omnia optima tibi familiæque tuæ, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Augusti 1637.

Excell. Tuæ perpetua observantia addictus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

815 Binas jam nunc eodem tempore abs te accipio literas magno satis scriptas temporis intervallo, 13 Maii & 28 Iulii ut hic numeramus. Appelbomius jam ante 15 hos dies tradiderat quas ei dederas: atque eis jam responsum. Nihil magis est necessarium quàm augeri Mareschallorum nostrorum copias. Rex promisit mihi se & illas quas habet Dux Bernhardus aucturum, ut is in Transrhenanis locis quam cepit sedem tueri atque inde ulterius promovere se possit. Dixi Regi multa de pace, quæ Suedis offerantur ab hominibus Cæsarianis. De Cancellario Sultani quod scribis nosse pergratum est. Novos delectus nostros è Scotia per fretum Danicum transiisse nondum audio. Galbæ de Vespasiano pauci sunt qui non faveant contra Sophos. Sed horum erit aut vires parare proprias quæ sufficiant aut amicos circumspicere, 66. 70. 78. 34. 59. 81. 79. 112. 113. 118. copias diffluere audio stipendii penuria, neque ipsius privatæ opes sunt quantæ Crassi, ut ex suis reditibus exercitum alere possit. De Ridwemo dolet mihi deseri ab eo res Suedicas. Quid Barclaio responsum sit jam vidi. De Tibullo quod scribis ejus rei apud me quoque mentionem fecerat Alexandrinorum major. Respondi planè ut ibi responsum scribis, eamque formam in prioribus sermonibus paris argumenti servo. Neque enim alia reperiri potest minùs ansata. Magnum D. Cancellarium rectiùs nunc valere & Suedici Regni & totius Europæ, & si ad tanta privati etiam aliquid licet addere, nostrûm utriusque gaudeo causâ. Literas abs te ab Hollandia D. Spiringio, si Lutetiam ad Heufdium inscribas rectè perventuras arbitror. Mullerum exspectabimus nihilque omittemus circa eum quod nostræ erit copiæ. Epistemius immeritò de me queritur. Post rixam inter meos & Anglorum homines Renaudottus rumusculorum venditor narrationem chartis suis inseruerat, in qua Anglos præposuerat Suedis ita dubio sermone, ut intelligi id inter nos transactum posset. Vocavi ad me Epistemium, cui cum Renaudotto lucri societas est: dixit ita se esse necessarium Renaudotto, ut sine dubio ipsius causâ facturus esset quod volebam, id est ut in alia charta vicissim Suedos Anglis præponeret. Vrsi eum id ut faceret, spopondit se non laboraturum tantùm sed & effecturum: sed rogavit ut ego quoque anniterer misso ad Renaudottum meorum aliquo, quod feci. Cùm is parum auscultaret, bis terve Epistemio aurem vulsi, ut præstaret quod susceperat. Ille verò accusare Suedos tardæ solutionis, dicere sibi undequaque quærendam vitam, in Renaudottum sibi nullum imperium. Vt magis eum impellerem ad id procurandum quod ipsius esse in potestate ex ipso cognoveram, dixi si bonam hac in re præstaret operam, me quoque ipsi opitulaturum, ut ei solveretur quæ ipsi assignata erat pecunia, adeo promovi nihil ut pro bona opera consilium mihi daret absurdum, ut Renaudottum in jus apud Parlamentum vocarem. Angli qui non in bellum, ut nostri, sed in nugas plurimum expendunt pecuniæ, facile largiendo nos vicere apud homines nugatores. Hæc ipsa est rei veritas, miros, quamquam satis in meo dicto fidei esse arbitror, testes habeo. Academias apud nos scholasque in melius restitui gaudeo, & sunt eæ quoque res non indignæ cura viri Principis. De Duræo quid responderint Vpsalienses vidi: si quid ultra in eo negotio geretur, sive id procedat, sive cessim eat doceri gaudebo, ego quoque difficultates non parvas video, sed non omnino insuperabiles. Antiquarius hic quidam Britannorum Armoricorum originem, quam eruditi omnes ex magna Britannia petunt, vocis quodam sono non abludente sperat se in Prussia posse reperire, ejusque rei signa undique indagat. Si quid tibi fortè eò pertinens in manus venerit, rogo id ne invideas, non dicam mihi cui illud commentum non persuadetur, sed ipsi. Vale Vir eximie. $\frac{17}{27}$ Augusti 1637.

Tua Nob. Addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Svnt quidem literæ & rumores, quæ Ducem Bernhardum ajunt in citeriorem ripam retraxisse copias: 816
sed hæc supra verum aucta credimus, atque inde orta, quod pontem suum Dux è locis superioribus, ubi jam equis pabula defecerant, ad inferiora ad Drusenhemum deduxit. Laboramus quotidie ut promissa ei auxilia Rex properet, eaque tanta faciat ut in Germaniam penetrare Dux possit, ni id faciat, commeatuum inopia haud dubiè laboraturus, cùm Argentoratenses suam ipsi famem metuentes, pauca transmittant. Leucatam ferit hostis machinis. Adversùs eam vim, & quæ deinceps timentur, Languedociæ civitates quindecim ferme millia collegere, sed novi militis. Ad Dampvilleriam opera imbres nonnihil tardant: est enim solum palustre. 21 Septembris novi Cal. Cardinalis Hispanus, captis Aymeria & Barlemontio locis, Malbodium inter & Landresium sitis, Candalii ad Malbodium castra, è tumulis quibusdam machinis cœpit lacessere, intellecto jam traditam Capellam, cui liberandæ venerat. Cùm nihil proficeret, recessit. In abitu clade affectum rumor attulerat, sed ei auctoritas defuit. Nocte quæ eum præcessit diem, Ruminguanum oppidum Atrebatici soli, Ardresiæ, quæ Caleto non longè est, Præfectus Sampreulius impetu cepit. Dunquercanis ita crevit audacia, ut & naves quasdam Gallicas apud Rhodam Insulam ceperint, & in ipsam Insulam fecerint exscensum. Putamus jam in unum coiisse Cardinalis Valettæ & fratris Candalii copias, ut arcendo hosti pares sint. Majus enim aliquid hoc tempore, versis illuc totis è Belgica viribus, non speratur. 26 Septembris ex novo Cal. duas hostium turmas è Cameraco egressas à Gallis cæsas accipimus. Literæ $\frac{17}{27}$ Septembris à Benfeldio ostendunt tunc etiam in potestate Ducis fuisse munimenta ad Rheni transitum: sed quæ defendi diu nequirent, nisi citò adessent è Gallia auxilia: equos mori ducentos in dies. Non scripsi antehac, quod certos auctores non haberem; cæterùm nunc certò compertum, Ioannem Waertium in ea pugna, quæ pugnata est 5 Septembris novi Cal. cùm pontem qui ad Insulam ducit cepisset, & alteri majori ponti immineret, vulnus accepisse à mala dextra ad aures. Pugnatum à quinta matutina ad pomeridianam secundam. His addam vota, Illustrissime

strissime Domine, pro te familiaque. Lutetiæ 3 Septembris anni 1637.

Tua Excell. addictissimus ejusque observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

817 IN magna exspectatione est hæc Aula quid futurum sit Hamburgi super pactis Wismariensibus, & Hagæ super Anglicano fœdere. Venit ad me Venetus Legatus: ait in Hispania planè recusari literas tuti itineris pro Batavis. Orat, si missuri sunt Coloniam Suedi, ut Venetorum operam in impetrandis tuti itineris literis gratam habeant; additque intelligere se è Gallis, in pactis Wismariensibus, quæ jam probatum iri pro certo habeatur, Coloniam locum colloquio placuisse. Dixi nihil definitè ea de re convenisse: sed pro eo qui tunc erat rerum statu visum eum locum non incommodum. Evenisse interea multa quæ sententiam mutare possint, circumsessa omnia hostili milite, Legatum ita se in Protestantes gerere ut præter ludibria nihil sit exspectandum; propositum ab Anglis, ut antequam cum hostibus ineantur colloquia, priùs cum ipsis agatur de modo legibusque poscendæ pacis. Interea Nuntius qui hic est Pontificius è Regis Galliæ ministris quæsivit, an aliud quid obstaret Conventui Coloniensi præter tuti itineris pro Legatis literas. Boswellus qui res Anglicas in Batavis curat, ut nunc mos esse incipit, Principem Arausionensem priùs quàm Ordines convenit, ut ei placeret eligi aliquos cum quibus agi posset. Respondit Princeps Arausionensis videndam priùs formulam conceptam Lutetiæ. Id video minùs ex voto esse. Anglorum Legatus ordinarius ab Anglia dixit intellexisse se ex Bulionio fore, ut pro Suedia fœdus aut à me aut ab aliquo Secretario signaretur. Dixi mihi ex æquo esse mea an alterius opera ad signandum fœdus, si probaretur, Regina uti vellet. 55. 53. 85, 61. 118. 217. mihi dixit Cæcilium in rebus agendis 54. 55. 53. 75. 71. esse 23. 70. 60. 98. Avennas Hannoniæ oppidum cœpit obsidere Cardinalis Valetta, parte suorum aliqua ad muniendum Malbodium relicta. Sunt in præsidio Avennis mille quingenti. De successu Galli nonnihil dubitant, quia quinque bona propugnacula habet Vallum urbis, & extra id opera lunata, vergitque jam annus. De Socova in Vasconico littore oppugnando jactantur sermones. Sed is locus firmus est ab operibus & milite, facilesque ex Hispania aditus habet, ut ex tabula quam mitto Tua Sublimitas cognoscet. Dampvilleriam in Lutsenburgico municipium circumsidet Castilionæus. Apud Bleteranum in Burgundiæ Comitatu cæsi sunt hostium pedites: equites aliquammulti in Lutsenburgico apud Olisium. Venit à Duce Bernhardo Manicampius, Colmariæ Præfectus: ait is pontem è navibus impositum Rheno: rursum feliciter in Waertianos pugnatum. Regem suppetias orat, quæ nisi accelerentur, vix erit ut infessa tutari possit Dux Vinariensis, si verum est quod scribitur, accessisse ad Waertium sub Savellio equitem, & sub Forgatio Croates, Granamque cum machinis adventare eodem: Ducem verò Carolum Lotharingum à tergo semet inferre. Additur his quosdam Vinariensis milites ex insidiis cæsos, & credibile est inter tam vicinos exercitus multas fore in utrumque præliorum vices. S. Chaumontius, quantum intelligere datur, apud Regem Daniæ nihil obtinuit & huc venit. Hagenovia egressi Galli apud Kaltenhusium castella quædam cepere inter duos amnes in proximo coëuntes. Colligunt copias Bavarus, Moguntiacensis, Coloniensis, Wurtsburgensis, contra Hanoviam, an repellendo Duci Bernhardo incertum adhuc. Dum omnia scrutor Suediæ Antiquitatis monumenta incidi in locum Constantini Porphyrogennetæ Imperatoris Constantinopolitani, ex quo manifestissimum est & Vandalos & Langobardos, contra quam vult Cluverius, Gotthicæ esse originis. Is locus ex Græco in Latinum versus sic habet ex Theophanis historia desumptus. *Erant tum temporis Gothi aliæque gentes & multæ & magnæ in Septentrionalibus terrarum ad Danubium usque. Inter eas præstant Gothi, Gepidæ, Vandali, nominibus non re alia diversi, eodem sermone omnes, Arii prava placita sectantes omnes. Hi sub Arcadio & Honorio transgressi Danubium in Romani Imperii locis se collocaverant. Et Gepidæ quidem, divisi postea in Langobardos & Avares Sirmio & Singedoni circumjecta insedere. Wisigothi cum Alaricho Romam populati in Galliis se posuere, devictis ibi populis. Gothi cum Pannoniam primum tenuissent, Theodosio minore concedente, cum is annum nonum & decimum regnaret, in Thracia sedes accepere, ibique morati per annos* LVIII, *Ducem habentes Theudericum, qui & Patricius & Consul erat, Zenonis concessu, Occidentis potiti sunt Imperio.* Hæc ille, apud quem sequuntur & alia ad eosdem populos pertinentia. Iam nunc venit ad me Truchesius qui huc missus est ad negotia promovenda Ducis Bernhardi. Docet me duo non bona. Ducem Carolum Brisaci Rhenum transiisse cum IV millibus equitibus plerisque. Hallerium qui octo millia ex promisso habere debebat, non habere secum plures octingentis: cæteros aut missos ad alios Regis exercitus, aut fuga dilapsos. Queritur per Manicampium Dux tantum temporis jam amissum etiam ex quo Rhenum transiit. Qui verò ipsi auxilio venturi promittebantur, ubi res exigeret, Longavillanum nihil habere militis, Castilionæum abiisse longiùs quàm ut necessitate urgente adesse posset. Retulit etiam Regi sermonem Ducis Bernhardi, non tamen tanquam jussus, Manicampius: videre Ducem id agi à Gallis, ut ipsum perderent, quomodo Rohanium & Rhætos perdiderunt. Se verò id daturum operam ut si pereundum sibi esset honestè periret. Hæc omnia perpulere Regem, ut & pecuniam sub finem hujus mensis numerari juberet, quæ Duci debetur ad sexcenta florenorum millia, pro quibus spondet Heusdius, & militem promitteret, tria scilicet peditum millia, equitum quingentos. Hos, si Rhenum transire recusent, censet in præsidia distribuendos Manicampius: contra ex Alsatiæ oppidis & Montepellicardo sumendos ad parem numerum qui Ducem sequantur. Videtur is ardere in prælium & omnes quærere occasiones. Argentoratensis civitatis pronus in ipsum favor. Viginti quinque naves inde ei submissæ, unde pons factus est. Sed mos est illi civitati, aliisque multis, ut ventus est ita velum vertere. Itaque si illis in locis res hostium invaluerint, facilè ab illis studiis deseretur. Hæc sunt, quæ nunc videbantur scriptu digna, quæ ut meliora faciat Deum rogo, simulque, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati clemens aspiret. 5 Septembris novi Cal. anni 1637.

Scribitur Principis Francisci Nicolai Lotharingi uxor quæ in Batavia est uterum gerere. Id difficiliorem Gallorum causam ad retinendam Lotharingiam faciet. Scribit è castro Cardinalis Valettæ Degenfeldius captivos dicere etiam Piccolominium ire adversùs Ducem Bernhardum. Arduum erit ei ut video certamen. Literæ 3 Septembris ex castris Cardinalis Valettæ nuntiant Avennarum derelicto obsidio ob plurimas difficultates, translatam curam ad obsidium Capellæ.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO,
Eadem D. CAMERARIO,
& D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

VEnit huc in Aulam Manicampius Colmariæ Præfectus, Duci Bernhardi mandatu Regem oraturus, ut

ejus

Digitized by Google

ejus augeat copias, quando ad Waertium adjungere se audiuntur & Savellius & Grana: tum verò & à tergo superventurus Dux Carolus Lotharingus: præterea & Bavarus & Antistites Maguntiacensis, Coloniensis, Wurtzenburgicus, contrahere in ipsum vires. Habet jam Dux Bernhardus pontem è navibus instratum Rheno. Pugnæ, ut vicinis hostibus, crebræ, & modo his, modo illis secundiores, haud magno in rem summam momento. Pugnatur eum in modum & alibi: 12 Augusti novi Cal. in Comitatu Burgundiæ, qui Bleterano erant egressi Hispanorum partim equites, partim pedites pene centum à Gallis ductore Gebriano cæsi: in Hannonia apud Landresium 21 die mensis ejusdem, itidem hostium aliquot à Gallis interfecti. Ajunt Galli suorum ducentos ibi fuisse contra mille ducentos hostium, minimè parci rerum suarum prædicatores. Iam verò & Castilionæus circumsesso Danvillerio arcibusque nonnullis occupatis, equites hostium fudit, quos fuisse ajunt turmas quatuor, præter trecentos arcubusarios itidem in equis, & adjunctos eis peditum ducentos, apud Olisium. Egressi Hagenovia Galli castella cepere aliquot apud Kaltenhusam, unde non longè duo qui ibi sunt amnes coeunt. Cardinalis Valetta parte sui exercitus relicta ad permuniendum Malbodium majora cum parte obsidere cepit Avennas, nobilem Hannoniæ urbem, quinque Valli propugnaculis & extra lunatis aliquot munimentis, præsidioque mille & quingentorum hominum sese tutantem, incerto an responsurus sit spei Gallorum eventus, præcipitante jam anno, & Hispano, postquam de Breda liberanda desperare cœpit, cunctas vires isthuc vertente. Iam nunc edoceor Carolum Ducem Brisaci Rhenum transiisse cum quatuor millibus, equitibus plerisque. A Rege verò Duci ad supplendas quæ fuga exhaustæ sunt Hallerii copias mitti tria peditum millia, equites quingentos: data & mandata sub finem hujus mensis solvendæ ejus quæ Duci debetur pecuniæ ad IX florenorum millia. Videtur res ad prælium spectare. Argentoratenses satis commodos se Duci præbent. Inde missæ pleræque naves è quibus structus est Pons. Magna est & Gallorum & Anglorum exspectatio de approbatione federis Wismariensis, & hujus quod cum Anglis factum est Lutetiæ. Etiam Picolominium ire adversùs Ducem Bernhardum ajunt qui apud Cardinalem Valettam sunt captivi. Literæ ex ejusdem Valettæ castris scriptæ 3 Septembris nos docent derelicto ob difficultates Avennarum obsidio verti curas ad obsidium Capellæ. Precor omnia prospera tibi familiæque tuæ, Illustrissime Domine. Lutetiæ 5 Septembris novi Cal. 1637.

Excell. Tuæ perpetua observantia addictus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Vir Præstantissime,

819 Accipio jam Tuæ Clarit. literas datas 25 Iulii. Nulla est tuarum, quæ ad me pervenerit, cui non responderim, misique literas in eodem fasce in quo illas ad D. Magnum Cancellarium. Bannerii, tum ab aliis rerum gnaris, tum ab ipso Rege, quem salutavi his diebus, prudentia in receptu bene regendo laudatur. Wismariensium pactorum ratihabitionem hic avidè exspectari video. Venetis nihil responderi haud miror, quærunt enim suæ dignitati velificari nostræ dispendio. S. Chaumontium revocatum arbitror pecuniæ Regiæ ut audio largum erogatorem. Non dubium est, quin plurimum & Suediæ & Germaniæ rebus nocuerit mora à Gallis interposita, non modo antequam Ducem Wismariensem ad Rheno propinqua misere, verùm etiam ex quo is Rhenum transiit. Et sanè si fecissent quod Dux toties, quod ego pro Regno Suedico ursimus, non in Misnia tantùm, sed ad Rhenum puto esset Marescallus Bannerius. Nisi nunc major cura majorque celeritas adhibetur in gravi periculo Dux erit: tantæ in eum ex omni Germania insurgunt copiæ. Hallerio autem fuga suorum nudato non toti mille homines restant. Non desumus ego, Manicampius, Truchesius, qui hic res Ducis agit, impellere Regem, Ministros Regis, ostendere discrimen, monstrare occasiones. Promittit ei Aula & pecuniam & militem. Vt ad literas redeam tuas, longa illa cunctatio suspiciones nobis injicere potest, non optari à Gallis magnos processus nostros, qui etiam essent maximi, suspecti Gallis esse non deberent, utiles eis maximè ad arcendum longè à Burgundia Gallica, Campania, Picardiaque hostem, sed ut Ovidii verba sensumque leviter ad hoc argumentum inflectam.

Est Deus in Gallis, illoque agitante calescunt,
Spiritus Ausonius sedibus ille venit.

Fortè meliùs ibunt res, si Hispani Papam planè suum faciant. Duræi labor si id unum ageret ut Suedicam Ecclesiam cum Anglicana, quæ plurima ex antiquitate retinet, rituum gubernationes & sententiarum consociet æquis legibus & suis cuique moribus salvis, spem mihi daret aliquam. Cum omnibus autem qui reformatos se vocant, ut id fiat, nec ipsum credo sperare Angliæ Primatem, fortè nec optare, adeò à rigidis Calvini discipulis vexatum traductumque nuper. De Polonia audieram me dubium habere quin minus in se suspiciones irritaturus fuerit amantis libertatem Nobilitatis Palatinæ quàm Cæsarianæ matrimonio. Nam in Religione, si Antistites paucosque alios excipias, leves sunt Polonorum motus, in libertatis studio conspirant, quæ ab affinitate tam potentis & tam latè Regnatricis Domus non potest non periclitari. Fœdus cum Gallis factum rotundè affirmant Angli, Galli cùm negant, perplexiloquio utuntur, quia nolunt credi rem consummatam quæ destinabatur nisi & Suedi & Batavi accedant. Mihi quid de eo negotio videatur jam sæpe ad Excellentissimum D. Magnum Cancellarium perscripsi. Mullerum adhuc exspectamus & nuntium de adventu in Hollandiam Spiringii. Lutetiæ 5 Septembris, novi Cal. 1637.

Tuæ Præst. toto animo advinctus H. G.

CHRISTOPHORO FORSTNERO
Mombelicarti.

Amplissime Domine,

Cum nuper veteres virorum præstantium ad me lite- 820
ras revolverem, inveni & tuas tum eruditionis tuæ tum amoris indices, & ecce sub idem fermè tempus redduntur mihi tuæ à Montepellicardo, ex quibus cognovi & dignitatem tibi obtigisse non modicam, & in qua splendidius elucere virtutes tuæ possint. Præterea verò eundem te in me esse qui jam olim fueris, utque tua mihi, ita tibi mea commoda cordi esse ac voluptati: in hoc ergo pares cùm sumus, uno vincor, quod tu in filio meo mihi benefeceris, ego verò quo vicem beneficio rependam nihil invenio. Sed id quoque magnorum animorum est, quoties materia non suppetit, amico gratoque animo contentum esse. Notas ad Tacitum tuas maximi à me fieri, illum autem de Conventu Ratisbonensi libellum inter prudentissima sæculi opera à me poni norunt, qui de studiis mecum colloquuntur: ii autem in hac urbe sunt, ut te non latet, plurimi, ob indigenarum externorumque ingentem copiam. Vale, Vir Amplissime, & me tui amantem semper, nunc etiam magis tuo hoc recenti merito, tuum crede. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1637.

Tuæ Ampl. observantissimus H. G.

D. DVRÆO.

ID, in quo tu tam strenuè laboras, vir Reverende, id 821
ipsum est, quod ego ab ea ætate, quæ mihi prima aliquam bonarum rerum notitiam concessit, optavi sem-

per nec optare unquam desinam, ut scilicet quæ à Pontifice Romano discessionem gravissimis de causis fecere Ecclesiæ inter se propius & animo, & animorum conspicuis testimoniis coalescant, neque ignoro expertus etiam, quantæ se huic labori objiciant difficultates, ex politicis rationibus, ex Theologorum suspicionibus, amore etiam in sua cujusque placita, eaque multum attollendi, & ab aliis specie pietatis quàm longissimè se amovendi cupidine. Sed hæc omnia terrere neminem debent, quò minùs rem præclarissimam, si possit, efficiat, si nequeat, certè conscientia tam erectæ cogitationis fruatur. Ego ut antehac feci ita nunc quoque Magno D. Cancellario, tuam pietatem, tuam eruditionem, tuique animi in hoc proposito purum sincerumque studium commendare non desinam, successum ardenter optabo, & quid quantumque promoveris quoquo tempore gaudebo cognoscere. Vale Vir optime. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1637.

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

822 QVod mihi Sublimitas Tua literis 22 Iulii veteris Calend. datis præcipit, jam ipsa mihi res transgresso Rhenum Duce Bernhardo injunxerat. Scripsi jam, optima me responsa accepisse à Rege & Bulionio, de mittendis ad Ducem militibus, & quæ debetur pecunia. Milites Truchesius, qui à Duce missus ad eum redit, dari ait paulo plures quàm dictum initio fuerit, ad quater mille pedites, equites quingentos: dixisse præterea Magnum Cardinalem Longavillano injunctum ut alia cœpta potius omnia quàm Ducis pericula deserat. Is Dux Longavillanus plus quatuor millibus non habet, quibus cepit Bleteranum oppidum priùs, nunc & arcem duplice defensam fossa. Est id in Comitatu Burgundiæ ubi hactenus se tenet Longavillanus. In Ducem Bernhardum tantæ intelliguntur consurgere undique copiæ, ut non promissa tantùm impleri, sed & adjici aliquid debeat, si processuum ejus aliqua cura est. Est sanè quod doleamus, non tantùm annum à Gallis, quod res Germanicas attinet, transmissum utilem ad hoc usque tempus quo Rhenum Dux transiit, verùm etiam ex quo transiit, tantum elapsum temporis, tanta momenta in utrumque trahentis. Et nunc non desunt qui existiment vires suppeditatum iri non majores Duci Bernhardo, quàm quibus Insulam, quam cepit, & ripæ ulterioris marginem, in munimentum eorum quæ per Alsatiam Galli tenent, tueri possit, relicta suis malis Germania: quod ad eam de qua scripsi conjectationem facit. Cæterùm cum Hispano satis calet bellum. Nam præter quod de Bleterano dixi, Dampvillerium in Lutzenburgico obsessum à 18 Augusti accedit operibus Castilionæus. Capellam qui obsidet Valetarum exercitus eruptione forti eorum qui obsessi sunt ad milites quingentos damni non parum accepit. Neque tamen id spem adimet cogendi ante hyemem ad deditionem oppidi. Majus hoc est quod mari Hispanorum octo millia prope Narbonem facto descensu Leucatam oppidum paucis defensum militibus obsident, nisi jam ceperint. Nonnulli hostium multo majorem numerum prædicant, ingentemque Languedociæ omnis trepidationem, etiam urbis Narbonis. Præest ei Provinciæ Dux Alovinus Chombergii filius paternis meritis magis provectus quàm suis. Rex & Regina ad S. Mauri sunt duabus ab hac urbe leucis. Pluresque indies amoventur è Reginæ domesticis, quanquam manente in speciem conjugii concordia. Abbatissa Vallis Gratiæ, quam in aliud monasterium amandari scripseram, capta in itinere est, constitutumque hac occasione ab urbis hujus Archiepiscopo, nequis nequa ipsius impermissu Monachas invisat. Evernhemio Benfeldii Præfecto optimè de re communi, ac peculiariter de Gallia merito audio quod annui ei Rex promiserat malè persolvi. In Italia nihil agitur scriptu dignum. Pontifex valere rectè vult credi, nempe ne ex decreto vetere Cardinalium corpus, quod agitare dicitur Hispanica factio, Regimen urbis Ecclesiæque per obtentum sontici Pontificis morbi invadat. Cæterum apoplexia correptus antehac Pontifex vix est ut ad veram sanitatem redeat, si qua fides Hippocraticis responsis. Itaque jam nunc & ab Hispanis & à Gallis consilia disponuntur, veluti haud dubiè vacatura sede. De spe capiendæ Bredæ, de Venloa amissa, de Ruremundæ periculo, differtandi materiam iis qui propiores sunt relinquo. Reiderlandia in Ostfrisia quam occupatam à Landgravio audio, ager est si rectè memini fertilis multumque ei commodaturus. Comes Licestrius in magna apud hanc Aulam est gratia, nec dubito quin aliquid gratum ipsis confecerit. Scripsit ad me Duræus de eo negotio quod in Germania inchoaverat. Scio vastum esse quod ab eo proponitur. Cæterùm si quando fortia consilia Angli suscipiant, posse ex politica Sociatione etiam de Ecclesiastica ni fallor, inter Suediam Angliamque (multa enim habent communia) cogitatio institui. Ego nunc contentus ero ejus propositum hactenus commendare, quatenus id neque Regni Suedici, neque Ecclesiarum ejus tranquillitati obstiturum judicabitur. Nam tunica propior pallio. Hæc nunc sufficient, si vota addam, Excellentissime atque Illustrissime Domine, pro Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis salute. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1637.

Haillerius ægrè sexcentos habet secum; de Socova obsidenda rumor est: sed non credo adesse quæ ad id opus sunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

INcertas esse literarum vias, & pridem experti sumus; [?] & nunc tuæ ostendunt literæ, quas binas, scriptas 14 & 17 Augusti uno tempore, sed sero, decimo nimirum Septembris novi Calendarii accipio. Ego in iis quæ ad te sunt curandis tuum præscriptum posthac sequar. Historiam recessus Banerii Hamburgo accepi. Certum est non Erfurdiam tantùm & Lunemburgum haud nobis diuturna fore, sed & Hanoviæ timendum, ni ingens à Duce Bernhardo metus cuncta ad se rapiat. Quando, ut observas, angustus est Pomeraniæ ager ad alendos Suedicos exercitus, adventantibus maximè supplementis, tentandum erit an qua in Silesiam & vicina irrumpi queat. Galli de Wismariensibus pactis jejuniùs loquuntur. Anglorum sermo ad pacem procurandam, per quam dejecti omnes restituantur, pertinet. Sed de illo Salvius, de hoc tu certiora cognosces. Interim non miror quod in Republica è tot membris majoribus minoribusque composita, ii qui alieno nomine res administrant ante omnem consultationem videre volunt fedus illud, quod sicut Lutetiæ sedulo occultatum fuit, ita nunc quoque quantum & quamdiu potest cælatur. Et habet, credo, rationem suam hoc consilium, sed apud homines suspicaces ista subtiliter reperta sæpè contrà cadunt. Angli præter illud de minis Imperatoris, cur Hamburgum non sit conventui idoneus locus, etiam hanc adferunt causam, quod Danus, (sperant autem Angli eo se uti posse) in urbem quam suo juri vindicet, tanquam in urbem liberam, mittere abnuat. De piscatu dicunt Angli nihil se remissuros, nisi priùs videant quid de federe facturi sint Batavi. Ita dum suum quisque negotium alieno vult antevertere, nascuntur tricæ inexplicabiles. Sunt qui hic susurrant aliquid

quid

quid à Gallis in arcano agi, mihi id non videtur. Glisceere enim quotidie Gallorum Hispanorumque odia novis ex causis video. Bredæ capiundæ voluptatem jam spe præcipimus. Sed eam deflorat malus de Venloa nuntius, de Rurmunda etiam rumores, nisi quod, ut in ludo, pro victore habendus est qui plurimum aufert. Est autem Breda multis oppidis ἀντίπαλος [*æmula*] Zelandorum Insulæ facilè se tuebuntur. Rex iterum ad urbem accedit propius, agitque ad Sancti Mauri, conciliatus in speciem Reginæ, cujus interim domestici ablegantur, ipsaque illa Vallis Gratiæ Abbatissa, quæ in monasterium aliud amandari dicebatur, capta in itinere est. In Hispania agi aliquid de pace constat, ut facilè peragi possit, non video. D. Ioachimius gnarus Anglicæ Aulæ & senectute venerabilis quod eò remittitur, è bono publico esse arbitror: & D. Cornelio Hagæ à longa Legatione reditum ad suos gratulor. De rebus Tauroscytharum intellexeram. Videtur ab ea parte nihil esse Turcæ quod metuat. De equestri Gallorum in Italia prælio, res fuit exigua. Pontifex se velut valentem ostentat, ne scilicet ex vetere decreto per ipsius morbum sonticum Cardinales jus imperii eripiant Barbarinis qui sub patrui regnant nomine. Cæterùm apoplexia, qua laboravit, ex iis est morbis qui, si quid Hippocrati credimus, graves ubi sunt nunquam, leves difficulter ad sanitatem veniunt. Firmat se in omnem eventum factio Hispanica. Responso, quod Placentino datum ad me misisti, par, & verbis ferme iisdem, accepit is qui Viennæ res agit Venetas. Apparet rebus prosperis ferociores factos, quàm ut æquam pacem velint, qui talia respondent. A Sigismundo Marchione nihil exspectari potuit aliud, quàm quod evenit. In Boswelianis mandatis si quid promovetur, id scire & juvabit & usum hic habebit suum. Quæ hic intelligimus hæc sunt. Bleteranum urbem priùs, deinde & arcem duplici cinctam fossa cepit Longavillanus, impetu urbem, arcem deditione. Dampuilleria contra Castilionæum præsidio quingentorum militum defenditur: Par fermè præsidium Capellæ, quod circumsidet Cardinalis Valetta, factaque his diebus in obsidentes eruptio satis prospera. Spes est tam benè processura opera ut ante hyemem in potestatem veniant. D. Duci Bernhardo IV millia peditum, IƆ equites mittuntur, dubito an validum satis auxilium ad coorientes hostium copias. Sed accedit pecunia, & mandata ad Ducem Longavillanum ne, si quid gravius ingruat, ejus periculis desit. Sed aliud Galliæ malum exortum est in Languedocia, non longè à Narbone, ubi VIII Hispanorum millia pedites, equites sexcenti, quanquam alii longè majorem produnt numerum, exscensu in oram facto Leucatam obsident oppidum, modico milite defensum, si tamen etiamnum defenditur. Ea res ab aliis cogitationibus atque etiam diu jactata rumoribus obsidione Socovæ, ad se traxit animos. In illa Capellanorum obsidione interiit Bussius Lametus, vulneratus cum periculo est Remburius, Marescalli castrorum uterque. Vale quàm optimè, Illustrissime Domine. Lutetiæ 12 Septembris 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu affectuque addictus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Vir Præstantissime,

Ex quo postremùm ad te scripsi, dies jam sex sunt: tres tuas accepi literas, turbato nonnihil ordine. Nam 11 Iulii scriptas, hujus mensis, uti hic numeramus, septimo, scriptas autem 27 Iunii & 20 Iulii, die hujus itidem mensis decimo accepi. Pro diligentia gratias habeo, eoque magis quod multa inde didici ad agenda ea quæ sunt mei muneris apprimè conducentia. Suspicionis meæ cujus primæ tuæ meminerunt literæ, majora mihi indies argumenta subnascuntur ex horum & illorum sermonibus actibusque. Itaque à tempore consilium petere, Xenocratem nihil miror. Venio ad alia quæ in tuis sunt literis. Vocem *Potentissimi* omittere ubi ad Reges suffragiis factos scribitur, Aulæ Romanæ commentum est, vitandùm nobis anxiè, ut antehac monuisse memini. Huic non dissimile Palatini illud ab Anglia haud dubiè protectum, & hoc non sine Lactucariorum, credo, consilio. Cavendum etiam ne cum Venetis agamus nullo dignitatis discrimine, cùm ea Respublica Reges sequatur, sed non æquet. De Palatini matrimonio sanè diu tracti sunt rumores, donec res ipsa eos refutavit. Et vocatam ad Nuptias Reginam nostram, & remissam excusationem magnanimam utrumque gaudeo. Strengnesii, de quo scribis Episcopum qui nunc ad majorem cathedram promotus est, esse Paulinum arbitror, cujus historica quædam cum voluptate legi. Spero futurum ut ei similes multos edat Suedia, qui Ecclesias regant, Academias ornent. Illustrissimo Domino Ioanni Oxensternio processum dignitatis non ob paternas tantùm, sed & ob ipsius virtutes, patriæ denique causâ opto. Quod dicis minùs urgere Gallos hoc tempore præ quàm ante fecerunt, ut rata habeantur pacta Wismariensia, verum est & multis hic quoque apparet indiciis, idque me in ea, cujus jam memini suspicione confirmat. In pecunia moram negant fore. Ad alterum illum scopulum videtur res adhærescere. Dux Bernhardus in magnis est difficultatibus, nisi & celeri & magno auxilio sustentetur. De D. Bielchio quid sit scire cupiam. De Miltiadis transitu puto nihil constitutum in hoc anno. Quod Ridwinius tam benè est habitus id alios Scotos Suedicæ militiæ faciet cupientes, quos inter video esse Forbesium, qui me hic convenit. D. Springio larem puto in Batavis fore, quod tamen non nemini molestum fore haud ignoras. Hogendorpius de Gallis queritur, illi de ipso vicissim. Danum amiciorem factis fuisse quàm verbis promiserat, est cur gaudeamus. De Polonia persto credere, ab Austriaca affinitate plus Regi invidiæ quàm virium fore. Et illud jam ab Austriacorum consiliis est, Iesuitarum uti opera, quæ & ipsa nova apud Ecclesiasticos alios odii seges erit. Regni Rectoribus, Senatoribusque non displicere meos quâ publicè quâ privatim pro re Suedica labores, non tantùm lætus intelligo, sed & hoc maximum incitamentum habeo ut ad tuendum hunc cursum aut augendum etiam si fieri potest omnes meas vires commoveam. Multum apud omnes rerum peritos laudatur, ut & ante hac scripsi, D. Bannerii prudentia in tam periculoso receptu. Quæ ad ejus res inde secutas pertinent, aut à D. Bielchio, si is vivit valetque, aut à D. Salvio exspectabo. Duræani negotii difficultates me non latent, & partem earum attigi in postremis ad te literis. Digna tamen res est de qua cogitetur, cùm malorum Germaniæ pars non exigua è dissidio Protestantium nata sit. D. Deodati causam si quid restat quod ex æquo & bono pro eo fieri possit, tibi, bonisque omnibus commendatam cupio. Galli Dampvillerium & Capellam circumsident. Hispani non longè Narbone exscensum fecere. Res inter has duas gentes satis fervet; sed Germaniæ bellum unis Sueonibus incumbit. Puto respondisse me omnibus iis quæ in tuis literis erant de quibus respondendum esset, quamquam breviter, quod hoc tempore multa me multorum literæ premerent, & Ducis Vinariensis præsertim negotia non parvo agentis in periculo. Vale quàm optimè. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Septembris 1637.

Tuæ Nob. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Quidquid habeo temporis, quidquid habeo virium 825
quidquid aut ingenio aut labore possum, id me totum

Digitized by Google

Tuæ Sublimitati pro summis in me beneficiis debere profiteor. Quod ne solùm Tuæ Sublimitati, mihique notum sit, volui & humano generi patere: eaque mihi præcipua fuit causa moliendi ejus operis, cui summus accedet honos ex inscripto Tuæ Sublimitatis nomine, cui non ingratum esse hunc temporis ab injunctis mihi negotiis superantis fructum, non mediocriter & gaudeo, & si id non nimis elatum est triumpho. Iubebo igitur describi paulatim & congeriem externorum testimoniorum, quæ gentis Suedicæ antiquitatem & præclara facta ita conspicua faciunt, ut qui contradicere velit nihil aliud quàm pertinaciæ famam sit relaturus. Et Procopii Vandalica & Gotthica à me emendata & in Latinum sermonem versa, & quæ alia accessionem non inutilem hujus editionis facere possunt, si quid interim aut Tuæ Sublimitati, aut alii minùs occupato in mentem venerit in quo præfatio mea aut corrigi possit, aut augeri, id discere non minùs mihi suave erit quàm operi utile. Planeque ita velim credat Tua Sublimitas, ita me non ministerio tantùm sed toto animo esse Suconem, ut Reginæ, Regni, Gentisque honor & commoda nulli indigenæ magis cordi esse possint. Quod ego (sic spero) ita factis ætati præsenti, ita scriptis ætati posteræ apertum faciam, ut neque huic, neque illi mea fides, gratusque animus in obscuro sit. det modò vires Deus, cujus paternæ tutelæ, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem commendo. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

826 NOn minùs dulce mihi quàm utile fuit per D. Mullerum, & per ea quæ scripta mandata accepit cognoscere statum rerum in Suedia Germaniaque, & ea discere ad quæ verba actionesque meas possim componere. Nunc in eo sum ut ad Regem aditum obtineam, eique tradam Reginæ literas, quæque mihi injuncta sint explicem, ut deinde D. Mullerus pergat rem urgere apud D. Cardinalem. Rex Fontebellaque ex piscatu venatuque voluptatem capit, quam noluit negotiis interpellari. Itaque ajunt admissionales exspectandum ejus reditum, qui futurus sit intra quatuor aut quinque dies. Vt magni aliquid agere & in Germaniam penetrare possit Dux Bernhardus, majoribus ei quàm quæ mittuntur copiis video opus fore: in id enitemur. Venit ad me Lagardius is qui Coloniæ fuit. Legatum qui ibi est Pontificium laudat, ut æqui amantem. Locum tamen Conventui Coloniam, ob adversa civitatis studia, parùm commodum esse non negabat, interque sermones cogitatio nobis incidit an transferri possit ista collocatio in locum aliquem propinquum Batavis, sed à bello vacuum, qualis est Sevemberga aut Hussa Clivix oppidum, intra Batavorum amnes. Non videbatur ille id improbare. At Venetus Legatus, quem vidi postea, negat sine maximis difficultatibus mutari posse eum qui semel & Regibus & nobis quoque in pactis Wismariensibus placuisset locum; & iis quæ ego adferebam incommodis putabat reperiri posse remedia, addebatque certum sibi Regem Galliæ missurum Coloniam, simulatque datæ à Cæsarianis & Hispano essent tuti itineris literæ pro Legatis amicorum, sive Suedi eò mitterent, sive non mitterent: crediturum enim se quod sui esset officii præstitisse, ubi facultatem eo veniendi amicis fecisset. Pontificiam auctoritatem à Rege sperni in ea re honestè non posse. Interim Pontificii Nuntii de induciis componendis inter Austriacos & Gallos laborant, tum Madritii, tum Viennæ. Imperator recepit quod rogabatur se facturum, missurumque Romam tractando ei negotio. Difficultates interim tres movebat, de Lotharingia, de Regina Matre, de obsidibus quibus induciæ munirentur. Ad primum caput respondit Nuntius sperare se, si Rex Galliæ duo loca Lotharingiæ retinere sinatur, facilè eum passurum ut Lotharingus in cætera redeat. At in Hispania, nisi etiam de conditionibus pacis quis sit Regis Galliæ animus in antecessum intelligant, non videntur placere induciæ, ideo quod ea ratio pertineat ad confirmandos Gallos in possessione rerum alienarum, quæ possessio paulatim in speciem juris sit transitura. Hæc docemur literis scriptis mense Augusto, Madritii quidem 22 Augusti, Viennæ autem 8 Augusti. Hispanicæ illæ literæ præterea nobis significant pacatum Nuntii animum, qui non tantùm ab Aula se subduxerat, sed & excommunicationem minatus erat magistratibus, quorum jussu quidam è familia Nuntii ob rixam cum apparitoribus virgis cæsus fuerat, in quo ille jura & gentium & Ecclesiæ violata querebatur. Irruptionem illam in Languedociam factam spe Provincialium animos abstrahendi à Regis obsequio, concitoribus Mommorantii propinquis; & classem Oquendi, quæ in Brasiliam ire dicebatur, illuc jam destinari, retinendas & multas naves ad tuendam Hispaniæ oram, cùm Bisertum prædones ad Carthaginis Hispanicæ & ad Alicantiæ agros populabundi se tulissent, nec ab Anglis abesset metus: eademque de causa non audere Hispanos pecunias navi transmittere, quanquam in magna egestate esse Cardinalem Hispanum, & stipendii penuria diffluere Piccolominii copias haud latebat. Genuatium amicitiam redimi, constituto reddenda eis quæ ipsorum fuerant in Batavorum captis navibus. At à Vienna quas dixi literæ præter jam commemorata hoc habebant, deliberari adhuc de mittendo ad Cardinalem Hispanum supplemento 11 mille equitum, quod ad res Germanicas magis necessarium videretur cavere, ne Vesontio obsideri posset. Ex literis Constantinopoli scriptis 5 Iulii, discimus missum quidem Legatum à Persa ad Visirium qui apud Aleppum est, inde iturum Constantinopolim, sed tamen credi difficiles fore ad pacem inveniendam rationes ob controversiam de Mesopotamia & quia Turca nihil hostile à Transilvania, Tartaria Precopensi, Poloniave metuens ferocior futurus esset. In Transilvaniam missa ad Ragotskium munera & codicillos firmantes ei principatum; sed quibus subesse dolum & arcana ultionis consilia non pauci suspicarentur. In Tartaria jam novum certumque Turcæ clientem Regno impositum. Eum qui ibi antehac regnaverat, nuperque centum & quinquaginta ductaverat millia, alii in privatam fortunam redactum, alii & interfectum narrabant, insigne exemplum ad noscendas rerum humanarum vices. Cum Polonia pacem Turca & velle & habiturus creditur. Nam qui ad ipsum cum literis Regis Poloniæ & armorum Ducis venerat remissum cum donis ac mitibus verbis: Cantamirii qui Polonis nocuerat factum adeo non probari, ut ipsius sors à captivo parùm distet; filius autem ejus præcisis cervicibus luerit Poloni cujusdam cædem. Turcicas copias ad Istrum accessisse non malo in Poloniam consilio, sed ut novus Tartariæ Rex firmam possessionem tutamque haberet: neque aliud ad solidam pacem amicitiamque desiderari, quàm ut Cosaccorum rapacitatem vicissim reprimant Poloni. Ii enim quadraginta fermè navigiis infestum habent Pontum Euxinum. Veneti ad conciliandos Turcæ Polonos plurimùm laborant. Addunt quædam literæ interfectum & Cantamirium, quò pleniùs Polonis satisfieret, idque in itinere cùm ad novam iret Præfecturam. Turcicis in Ægæo navibus damni aliquid, sed non magni datum à navibus Ethruscis. Refero me à longinquis ad propiora. Dux Bernhardus optima fecit initia per Germaniam belli. Nam cùm simulasset se Konsingam obsidere velle, captis jam priùs Molbergo & Etteinhemo, hostis auctus jam Isolani ductu cohortibus sive Regimentis Croatarum undecim minimè ferendum ratus eripi sibi oppidum, quod & ad Brisacum & in Wirtenbergensem agrum uberem iter pandere,

deret, prælii avidus occurrit duplici peditum agmine, cum Croatis & Draconariis omnibus, quatuor autem loricatorum cohortibus. Horum partem simulato recessu Dux cùm in se traxisset, subitò conversa fronte eos impulit, egitque in juxta fluentem rivum, ubi mersi multi, multi trucidati sunt. Nocte tota sparsos Dux insecutus partem eorum integram reperit in valle non longè ab hostilibus castris, & hos quoque per tres horas laceratos coëgit per silvam se in castra referre. Adducit hosti alias copias & Goetsius. In Italia Galli cum Sabaudis rem bene gessere Asta non procul, ubi sex hostium millia cæsa dicuntur. Certiores nuntios exspectamus. Qui hostium in Languedociam penetrarunt, omissa cogitatione Leucatæ obsidendæ, Palmam &c. alia quædam invalida municipia cepere, frumento ibi aucti satis multò. Numerum Alurnus Præfectus Languedociæ esse scribit XIII peditum millia, equites mille quingentos, sed ut solent qui in periculo sunt, cuncta in majus effert quò promptiùs ipsi subveniatur: quod ut fiat & Rex laborat & omnes Languedociæ civitates; crediturque brevi ibi futurus Gallorum ad XX CIↃ exercitus, nec diu passurus hostem ibi grassari. Baro Degenfeldius egressus castris ad Malbodium cum bono equite incidit in excursores hostium, iis captis cognovit in propinquo latere hostium insidias, delectum ex omni exercitu militem. Eas ille corona circumvenit, nulloque suorum vulnere cepit milites centum, non paucos ductorum. Ivoii qui in præsidio erant Galli omnes oppidanorum conspiratione trucidati documentum dedere aut deserenda minora oppida, aut tanto tenenda præsidio quod victæ magis quàm domitæ multitudinis vim non metuant. Uxor Chevreusii ex illa in Reginæ Domum inquisitione malum sibi metuens, sumpto habitu ejus sexus cujus curas induerat, in Angliam profugit. Et sunt qui eodem ituram putant Reginam Matrem indignè nuper habitam à plebeis Magistratibus suspicantibus Gallos milites in ejus Domo abscondi. Ajunt Dani scripsisse Imperatorem Regi suo, exisse jam tempus vectigalis in Albim. Sed Regem minari Hamburgensibus, ni secum transigant, se & in Oceano & in Baltico mari, non ut Holsatiæ aut Stolmariæ Ducem, sed ut Regem Daniæ naves ipsorum hostiliter habiturum. Iam audimus retro cis Rhenum in sua se recepisse Ducem Lotharingum, ideoque Longavillanum huc misisse, ut copiæ sibi majores fierent: tenet hic etiamnum se ad Bleteranum. Ad Dampvillerium perfecto jam castrorum ambitu, sperant Galli ejus oppidi se intra sesquimestre tempus potituros. Rex Fayettam iterum vidit, incertum an gnaro Cardinali. Longavillano, cujus uxor mortua est, Aula matrimonium destinat Combalettæ, qua ratione & rem suam familiarem ab omni ære alieno sit explicaturus & firmaturus jus præcessionis quod contra Guisios, hoc tempore satis invisos, sibi vindicat. Non desunt hic homines supra quàm æquum sit suspicaces, qui collusione mutua Cardinalis Hispani & Principis Arausionensis Bredam cum Venloa & Ruremunda permutari volunt, secuturasque mox inducias: interim belli specie lactari Gallos. Multa sunt quæ mihi id faciant non credibile. De Hanovia dolet quod audio, utinam falsus sit rumor, transegisse eam cum Imperatore, dicturosque oppidanos sacramentum & Imperatori & Comiti, egresso acceptis pecuniis Ramsæo. De quo ego homine & forti & literato tale quid horreo credere. Iam puto in Anglia erit Reius, à Polonia missus, ut de spreto Palatinæ conjugio Regem suum excuset. Si illud de Hannovia verum comperitur, multum metuo ne ab Alexandrinis id fit profectum, & hi idem cum Arcesilao moliantur. Quod si quando Vindex ad Alcæum respiciet, quid de cætero futurum sit, ominis vitandi causa parco dicere, optoque cuncta in melius procedant: præcipuè verò ut Tua Sublimitas, Excellentissime Illustrissimeque Domine, res gerat fæliciter. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Sept. 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ACcepi nullo ferme temporis intervallo & illas, quas D. Mullerus attulit 21 Augusti, & alteras 31. Non 824
repetam gratias quas agere debeo semper, neque judicationes de rebus quæ nunc in motu sunt. Est enim idipsum eò minùs necessarium, quod non tantùm vota nostra pro re communi, sed & judicia congruere video. Eis igitur omissis quæ dicta sunt sæpe, percurram tuas cum responso, & addam quæ post missas à me postremas evenere. Multum debeo D. Mullero, amico communi, è cujus sermonibus & scriptis, quorum me fecit participem, ea cognovi quæ hoc tempore nosse ex usu est publico. Quod dicis de D. Duce Vinariensi, verum est: nec ipse defuit à Majo jam mense monstrandi quid facto opus esset officio. Ex eo quæ vices obtigerint rerum, nihil attinet gnaro dicere. Ex quo jam Rhenum magno cum periculo transiit, quantum periit occasionum? urget ille & meritò urget, ut non tantùm majores accipiat copias, sed & citò. Laborabimus D. Mullerus & ego, non tantùm ut fiant, de queis scripsi, sed & ut addatur aliquid ad numerum & ad diligentiam. Venere jam contra eum sub Isolano cohortes, sive Regimenta appellare est rectiùs, undecim. Contigit ei ad omnes occasiones vigili egregia victoria, cùm captis Molberga & Ettenhemo oppidis, Kensingum obsideret, quæ via est ad Brissacum, eoque non dubitaret, quin tantis ferox incrementis se hostis opponeret: quod & fecit, magna peditum, magna equitum vi. Dux receptum simulans eos divisit, & conversa fronte aggressus insecutos trusit in propinquum rivum, partimque cecidit, partim egit in fugam: sparsosque insecutus tota nocte, erat autem luna fulgens crescensque, reperit eos qui à priore pugna abfuerant mane in valle ab hostilibus castris haud multum absita, & hos quoque ad satietatem cecidit, donec reliquiæ in castris salutem quærerent. Ea de victoria Regem Dux certum fecit misso huc Betzio, & literis scriptis 19 Augusti. Addit venire in se Goetsium multo cum milite. Quod verò tu Ducem dicis facere oportere, idem ipsi consilii est. Bredam Batavis, Gallis Dampvillerium, ubi nunc perfecta est castrorum munitio, fodique ad urbem aditus intra paucos dies incipient, itemque Capellam fine autumni cessura speramus. Et Baroni Degenfeldio egregia & incruenta victoria obtigit, cùm captis excursoribus hostium, ex iisque cognitis quæ in proximo erant insidiis eas corona inclusit, captivosque fecit plus centum, milites ac duces. At in Languedocia, omissa Leucata, introrsum se penetrant hostes, Palmaque & aliis municipiis irruptis plurimum ibi frumenti repererunt, in quo apparuit Gallorum eam Provinciam regentium imprudentia negligentiaque. Dicitur eodem se conferre classis sub Oquendo, quæ in Brasiliam dicta est ire, magnaque spes esse Hispanis in propinquis Mommorancii, qui in Languedocia multi sunt. In Italia non procul Asta prælium felix Gallis & Sabaudis fuit: ajunt cæsa sex millia. Sed certiorem historiam exspectamus. Agitur de induciis & Viennæ & Madritii & rationes monstrantur componendæ de Lotharingia controversiæ. Turca rebus in Transilvania & in Taurica Scythia ex voto compositis, Polono pacem offert, & pignus dedit Cantamirii filium, qui Polonum occiderat, publico supplicio interfectum. Addunt nonnullæ literæ etiam patrem, suspectum Polonis, ad mandatam ei Præfecturam trucidatum. Legatus à Perside Aleppum, inde Constantinopolim venit. Pacis cum Persa multa prævidentur impedimenta: certamen de Mesopotamia: ferox rebus in limite pacatis Turca. Sed multa provenire possunt etiam cau-

Digitized by Google

cautissimis improvisa. Pontificis valetudo incerta, & parant Reges factionum fomenta. Nam his ventis agitatur illud mare. Hic muliebrium molitionum manet ratiocinatio. Itaque Chevreusii uxor, post muliebria vitia ad virorum curas transgressa, in Angliam dissimulato habitu se tulit, capi metuens. De Anglis nihil nunc dicam, nisi inhibere me judicium, donec conspectæ sint in Suedia Lutetiani federis tabulæ. Hamburgi duo jam peudent magnum trahentia momentum negotia, de Wismariensibus pactis, quod ad exitum spectare arbitror, & alterum quod Hagæ tractatum iri putabam, nunc illuc translatum video de eo quod dixi federe Lutetiano. Literæ quas recentes à Magno D. Cancellario accepi non parum de hac re quam conceperam spem mihi imminuunt, quando perplexantur Angli, neque satis animi sui sensa evoluunt. Landgravii ea est virtus ut optima ei optare & communis rei & ipsius debeamus causâ. Sed utilior fuisset ejus exercitus, si ad Ducis Vinariensis conatus se admovisset propiùs. Vtamur tamen eo quantum licebit. Germaniæ, ut dicis, miser est status, servitutem suam tanto emeptis pretio. Fames est in agris, solitudo in urbibus, Imperium in armis, Principum vix quisquam dignus Principis nomine. Iactura Venloæ discent Batavi, quàm periculosa sint pacta, cum civitatibus quæ belli jure accipere leges possunt ipsorum rebus idoneas, talia quæ Pontificiorum cœtus & emissarios alant augeantque. Nam inde profectam magnam ejus mali partem arbitror. Venit ad me qui Coloniæ fuit Lagardius. Placet ei is ad colloquium locus & Legati Pontificii prædicat æquitatem. Idem facit Venetus. Mihi nec pacificator iste, nec locus satis placent, ut scripsi antehac, & te consentire cognovi. Præterea apparet, ibi res tantùm eorum qui sectantur Pontificem curatum iri: Suedorum, Batavorum, Landgravii non aliam haberi rationem quàm si fortè ab amicis divelli possint. Quod Batavi de Anglis nihil sperant boni, haud multum miror. Ducuntur enim, ut observas, multorum annorum experimentis. Sed ut mare, ita Insulana ista Aula facilè mutationes recipit: quæ ut in meliorem cadant partem & Suedis & Batavis per ideonos homines laborandum est. De Ranzovio sermones sunt ita ut ais. Spero ab eo jam Landgravio aliquid accessionis fore, nisi fortè hic quoque ad propriam pacem, quod non spero, res suas dirigit. Reius vocatur Legatus qui 3 Augusti Dantisco abiit in Angliam, excusaturus rem, de qua scribis apud bonos judices excusatu difficilem. In Marienburgensi Prussiæ conventu nihil aliud quàm ampliatum tum de rebus aliis tum de maritimis oneribus intelligo, novumque Thoram indictum conventum. Scriptum autem ab Imperatore Regi Dano, exiisse tempus vectigalis quod Albi impositum fuit. Sed ipse Rex Hamburgensibus (sed hæc meliùs norit D. Salvius) ni secum decidant bellum & intutum mare Danici Regni Imperatori nihil debentis nomine minatur. Tibi, Illustrissime Domine, Tuisque exopto felicissima. Lutetiæ 19 Septembris 1637.

Excell. Tua toto animo addictissimus H. G.

STENONI BIELCHIO, Eadem D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

825 VEnit huc me gaudente D. Mullerus. Laboramus ambo ad rem communem & eam maximè quæ Ducis Vinariensis egregia virtute nititur, promovendam. Is & magnis & celeribus indiget auxiliis. Venit contra eum Isolanus cum cohortibus sive Regimentis Croatarum undecim, earum ut advenere copiarum & earum quas Waertius habebat bonam partem in pugnam Dux prolicuit simulato post capta Molbergam & Ettinhemum Kitsingæ obsidio, (nec eum fefellit consilii prudentia) urbis ad Brisaci aditum adeò opportunæ, ut ab hoste deseri non posset. Itaque obvium is se tulit magno peditum, magno equitum numero, & Duce metum ac receptum simulante, pars ejus tracta in loca rivo impedita, converso Duce & Gallorum Duce Hallerio, partim in aquas acta, partim trucidata, partim dispersa est. Quod superérat agmen tota nocte Dux insecutus mane proximo reperit in valle quæ à castris hostilibus aberat non longè. Pugnavit in hos quoque per tres horas feliciter, profugosque in castra pepulit. In Italia quoque non minùs prosperum sibi evenisse ad Astam prælium ajunt Galli, cæsaque jactant sex millia, & Sabaudo, fortè nec volenti, ingentes agunt gratias pro sociali opera. In Languedocia omissa Leucata, hostis introrsum penetravit, captisque municipiis ignobilibus magna ibi frumenti, quod à Gallis alibi custodiri debuerat, potitus est copia. Dux Lotharingus Carolus à Brisaco retro se tulit & in Lotharingia habet non mediocrem exercitum, quem Longavillano ad Bleteranum in Burgundico Comitatu sedenti opponit. Ad Dampvillerium Castilionæus permunivit, nunc inchoabit flexuosos cavosque aditus, speratur & id oppidum & Capella sine autumni aut citius aliquantum ventura in potestatem. Baro Degenfeldius, eis quæ ad Malbodium fines Gallicos tutantur castris egressus, hostium insidias excursorum in quos incidit indicio cognitas clausit indagine, fecitque plus centum captivos, partim selectos milites, partim ductores ordinum. Chevreusii uxor capi metuens ob eas causas quarum rei aguntur multi ex amicis uxoris Regiæ, in Angliam fuga evasit. Est in eadem Anglia nunc ut arbitror Reius à Polonia Legatus, ut Regem de spretis Palatinæ nuptiis excuset. Turca, ut audimus, cum Polonis pacem firmavit una lege ut Cosaccos reprimerent. Ipse Cantamirii filium quod is Polonum occidisset quemdam, mortis affecit supplicio; addunt quidam & interfectum in itinere ad Præfecturam ipsum Cantamirium invisum Polonis. Tartaria Præcopiensis à novo Turcæ cliente sine æmulo jam possidetur, evoluto fortunis Rege, qui nuper centum millia & quinquaginta ductabat. Ragotskius tributum solvit: recepit munera à Turca, insidias fortè & ultionem occultantia. De induciis Gallos inter & utramque Domum Austriacam per Pontificis homines agi & Viennæ & Madritii, certum est, sed peracta difficile est id negotium. De Hanovia rumor hic est utinam falsus convenisse eam cum Imperatore. Vale vir Excellentissime. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Septembris 1637.

De pace Persam inter & Turcam vacillant eorum qui rem norunt judicia, quanquam Legatus à Perside Aleppum, inde Constantinopolim cum muneribus venit.

Excell. Vestra omni cultu addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

ACcepi rectè, & quas per D. Mullerum misisti & posteriores 8 Augusti literas. Multum gaudeo, quæ optima fide nuntio, publico non inutilia judicari. Opto tibi iter sit fœlix optatosque successus adferat. Et dissidia de queis scribis spero deseævitura, ut quod oportet, unum sit certamen consulendi publico. Quod scribis de D. Ioanne Oxenstierno, velim sanè fiat, eaque res Suedi felicior eveniat, quàm illa quondam de Prussia. Quæ scribis de D. Salvio Davausioque multum cogito quorsum sint evasura. D. Chaumontius hic creditur fecisse quod Galli propè omnes, id est, quocumque modo rem facere voluisse, mittam posthac, si quid dignum significatu evenerit, literas Hamburgum ut inde ad te aut in Germaniam, aut in patriam mittantur. Scribebam Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Septembris 1637. 826

Rogo si quid ultra potes pro D. Deodati enitaris. Chevreusii uxor capi metuens in Angliam evasit. Gallis prælium

lium fœlix ad Astam fuit, & Duci Bernhardo apud Kinsingam. Hostis Languedociam populatur. Galli Capellam adhuc obsident, & Dampvillerium. Ego & D. Mullerus negotia Ducis Bernhardi promovemus sedulò.

Tua Præst. optimè volens & observantissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

327 SEcutus mandata Augustæ Majestatis Tuæ data 30 Iunii aditum ad Regem, qui per dies aliquot à negotiis vacare voluerat, obtinui nudiustertius ad Sancti Mauri non longè ab urbe. Dixi adferre me res duas, promptum Majestatis Tuæ ad rem communem juvandam animum, & eas quæ se nobis offerunt difficultates, ut illud quidem excitamentum sit ipsi, his verò pro sua sapientia potentiaque adferat remedium. Rem altiùs petendo commemoravi quàm præclarè se egisset Magnus Majestatis Tuæ Cancellarius, cùm è Gallia in Germaniam pervenisset, quanquam non desertus modò à Germanis Principibus sed & oppugnatus: potuisseque tunc quoque res iis in locis in quibus bellum erat sustentari, si ex alia parte negotium hostibus nostris factum fuisset: eo neglecto tantas in unos Suedos insurrexisse undique hostium copias, ut multitudini impares coacti se sint ad oram maritimam referre. Idem nunc accidisse iterum. Haud ignotum Regi quanta fortitudine retulisset gradum fixissetque in media Germania Bannerius, cum maxima spe majorum successuum. Sed quia nulla aliundè fiebat hostium distractio, quinque in eum conglobatos exercitus qui se ad LX millia esse jactent. Ea vi coactum & hunc recessisse ad eandem oram maritimam, ibique eum in locis arctis premi, exitusque ei occludi. Quæ hinc alia sequi possint mala, si nihil aliud habeat quod agat tam potens hostis, malle id me tacere quàm malè ominata eloqui. Non cessari in mittendis Bannerio Wrangelioque è Suedia supplementis. Sed quò minùs ea sint valida effici trium Regnorum suspecta nobis vicinitate. Polonum non pacem nobiscum habere, sed inducias nunc quoque quàm ante incertiores ob Austriacam affinitatem, facilè ejus consilia suos in usus tracturam. Cum Dano, cum Russo controversa multa: atque ita triplicem finem custodiis validis sepiendum. Haud obscurè eò hostem tendere, ut quando nihil in Germania præter Suedos adversum sentiat, eos inde amoveat, in Galliam postea venturus multò quàm antea formidabilior. Magnas esse Domus Austriacæ etiam sine Imperio vires: Hungariam, Austriam, Bohemiam cum Silesia, Moravia, Lusatia, Tirolem cum Carinthia, Dalmatiam & Croatiam ingentia terrarum spatia complecti, multum inde virorum, nec parum pecuniæ suppeditari. Annexam ei non sanguine tantùm, matrimoniisque & federibusque, sed & mutuæ successionis lege vim Hispanicam latè per quatuor orbis partes Regnatricem, ita ut stirps utraque pro uno corpore habenda sit. Ad has vires si accedat Germania, Europæ tanta pars, neque jam jure Principatus delati suffragiis, adstricti legibus, sed & velut bello quæsita, retenta armis Provincia ad Bohemiæ modum, quantum id futurum sit incrementum prægravis jamdudum potentiæ Regis prudentiam non latere. Non ignotum Imperatori ejusque sectatoribus præcipuum concupiti ipsis dominatus impedimentum in Gallia esse positum, quod velut vallum Christiano orbi obtenditur. Id vallum ut diruant aut lacerent nulli parsuros operæ. Etiam antequam ad illam omnia vastissima spei suæ proponentem Austriacam Domum devolutum esset Teutonicum Imperium, semper Regibus Galliæ æmulos atque infestos fuisse Cæsares. Quanto nunc magis, ex quo dignitas illa in Domo per se adeò valida tantisque suffulta possessionibus radices egit? Etiamsi Rex reddere cupiat quæ nuper armis quæsivit, quod de Rege tam magnanimo credi nefas, nihil tamen id ad pacem profuturum, cùm Imperatores Metim, Tullos, Virodunum repetitum sæpe miserint, Regnum autem Arelatense asscribant Imperio, sub quo nomine comprehendantur Burgundiæ Ducatus, Provincia, Delphinatus, nobilissimæ partes Galliæ. Neque verbis tantùm, sed & factis apparuisse infensos Galliæ animos. Carolum Quintum Cæsarem ipsum ingentes armorum motus in Provinciam intulisse. Visa nuper intra Burgundiæ Ducatum magno totius Galliæ periculo Cæsariana signa. Neque verò jure tantùm belli agere illos solitos. Esse illis pecunias, artes atque audentiam dissidia serendi in Regiam Domum. Si quid in Principibus, si quid in plebe turbidum ab ipsis ali. Neque verò solos Imperatores esse tales: sed & Saxonem ex quo de cæteris earundem partium conjectura fieri debeat, eo in Galliam accendi odio, ut discessioni suæ ab amicitia Majestatis Tuæ causam obtendat Majestatis Tuæ cum Galliæ Regno federa & pactiones. Non ergo id quæri, obsistendum ne sit tam grandi tamque inimicæ potentiæ: id enim ipsam extorturam necessitatem; sed quando id facere ex usu maximè sit Galliæ & quomodo. Tria autem circa deliberationes tales præcepta posse verissima ex bonis malisque Regum aliorum eventibus demonstrari, nisi Rex ipse suis actibus ita ostendisset ea infixa esse animo suo, ut non aliunde ea potiùs depromenda sint quàm ex rebus hactenus gestis ipsius, optima in se documenta continentibus. Ea autem præcepta hæc esse. Crescenti magnitudini contra eundum, dum adhuc supersunt ii quibus exitium de proximo imminet, non autem cunctandum, donec hi accessio fiant inimicarum virium, victique unà ad vincendos alios trahantur. Melius esse turbamenta in alios inferre quàm tempus illis dare nostra turbandi. Bellum in hostico quàm domi tutiùs ac minore impendio geri, idque ipsum pacis internæ esse munimentum. His de causis orari Regem, ne differat abstrahere à nobis partem hostilium copiarum. Bellam esse occasionem inde, quod Dux Vinariensis non Rhenum transierit tantùm, sed & ibi immuniverit se. Verùm non satis ad id fore si copias habeat, quibus ea munimenta possit tutari; aperiendum in penetralia Germaniæ iter, quod nisi magno exercitu fieri nequiret, quando non Holanus tantùm magnam Croatarum manum ad Waertium adduxerit, sed & valido cum agmine in eum irruat Goetzius, aliique dilectus agantur in Bavaria, & apud Episcopos Wirtsburgensem, Salburgensem & alios. Quod si Duce Vinariensi in Germaniam se injectante signum ad libertatem erectum appareat, resurrecturos qui jam jaceant Principes nobilesque, civitates quæ jura sibi adempta nunc silentio gemant, animos vocemque resumpturas. Suedos verò, amota parte eorum à quibus nunc velut obsidentur, inventuros viam aut redeundi in Germaniam, aut invasuros avita Austriacæ Domus bona. His dictis tradens Regi Tuæ Majestatis Augustæ literas, dixi eam rogare, ut quid usus facto est, id Rex & citò & viribus se dignis faciat, atque à Tua Majestate vicissim ea exspectet, quæ à constantissima generosissimaque Heroina exspectari possint. Adjeci gratulationem de rebus bene gestis in Italia, & ad Rhenum, deque capta Capella. Rex loquentem nonnunquam interfatus, in hoc tantùm ut ostenderet & nota sibi esse quæ narrabam, & monita mea à se probari, dixit postea jam se Duci Vinariensi misisse auxilia. Velle ea augere eum in modum ut non tantùm Suedi sublevari, sed & intrari Germania posset. Nisi Castilionæus obsidione Dampvillerii attineretur, eò iturum fuisse. Id se & optare & agere, ut cum Majestate Tua optima sua sorore, arctiùs etiam quàm antehac conjungatur. Super quo actis gratiis, dixi ea de re Hamburgi nunc agi, meque optimos sperare successus. Hæc qua debeo fide renuntianda Augustæ Majestati Tuæ credidi.

didi. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Clementissima Domina, vitam, valetudinem, Regnumarmaque Majestatis Tuæ propitius secundet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Septembris 1637.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

828 PRælii ad Astam historiam ita ut hic in vulgus editur mitto, sine certo tamen auctore. Decem machinas à Gallis captas video consentiri: de numero cæsorum placet veterum historicorum exemplum sequi, qui eum nunquam prodi voluere ob variantes famas. Capella 21 mensis hujus ex novo Calendario in Regis potestatem rediit, impletis jam fossis subrutaque parte munimentorum urbis vallo adhærentium. Sed plurimùm impulit obsessos pestilentia. Eum exercitum, & alterum qui sub Candalio ad Malbodium erat in unum collegit Valetta Cardinalis, paratus prælio, si id audeat Cardinalis Hispanus ad Montis oppidum sedens paribus cum copiis, id est, ad quindecim millia. Dampvillerium jam operibus approximantibus impetitur, speratque deditionem Castilionæus citra dies 14: quem deinde speramus iturum auxilio Duci Bernhardo: ita enim sperare nos Rex ipse jubet, cui quàm necessaria sit aliqua hostilium virium per Germaniam revulsio, quanquam per se satis intelligenti, multis rationibus explicavi nudiustertius, beneque auditus bona responsa retuli, nihil omissurus eorum qnibus ea ad exitum perduci possint. Chevreusii uxor non in Angliam abiit, ut dicebatur, sed in confinium Benearni & Hispaniæ, propinqua perfugio, si res urgeat. De Hanovia Imperatori conciliata perstat utinam mendax fama. Vale, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Septembris 1637.

Excell. Tuæ omni obsequio addictissimus H. G.

STENONI BIELKE.

Illustrissime Domine,

829 ACcepi cum gaudio literas Illustrissimæ Domin. Tuæ scriptas 10 Augusti tinctas illas & prudentiæ aceto, & melle elegantiæ. Nam & rernm inest solida substantia & verbis suus adest nitor veræ eruditionis. Fueramus sanè magno hic in metu, tantis in nos concitis hostium viribus, sociis adeò frigentibus. Quò magis gaudeamus nostros bene se sustentare ac servare se, quod magnorum est animorum, rebus secundis. Magnam adeptus est famam, ut scripsi antehac, D. Banerius receptu tam providè instructo. Non minorem ipsi ac D. Wrangelio pariet hæc in rebus arctis sui tutela, captis sapienter ad eam pertinentibus locis. Quod verò inter has belli curas non omittuntur pacis colloquia, laudandum sanè: nam ut insperata aliqua hora causæque nunc etiam latentes illam nobis dabunt qualem esse oportet, quæ Suedicam gentem deceat, aut is rumor illos, quorum interest nostros è Germania non ejici, è somno nimis diuturno excitabit. Ad quos nodos implicata fuerit de pace collocutio, partim ex Illustrissimæ Domin. Tuæ literis, partim ex actis quæ D. Mulleri comitate legenda accepi, video. Nihil ex parte Suedica dictum est quod non dignum sit Tuæ Illustrissimæ Domin. prudentia. Leves videri possunt istæ de titulis disceptationes; neque tamen ur nunc sunt res hominum in umbris & inanibus plurimùm constantes, negligenda omnia, quando ea est dignitatis omnis natura, ut ubi semel de fastigio suo decidit, facilè per gradus quosdam longiùs detrudatur. Regna omnia à voluntate civitatum orta constat ab ea dependisse, etiam in magna, sed libera sanguinis Regii reverentia, quæ paulatim per artes Regum in jus transiit, eoque occasionem nacti Reges in leges ac magistratus magis magisque insurrexere, adjuvante imprimis sub mutuæ opis pacto Aula Romana sub nomine Religionis Regiam potestatem, dum ipsis favebat, attollente. Ab ea Aula nata distinctio nominum, ut natos liberrimeque regnantes Reges Serenissimi ac Potentissimi advocabula sequantur, electos verò ac legum adhuc quibusdam inclusos repagulis Serenissimos tantùm. Eum morem appellandi sequuntur Itali & Cæsariana Aula ratione nnlla, cùm non Imperatori tantùm sed & Regi Romanorum dentur eadem quæ Regibus nomina, volente nimirum Pontifice, quod sua intersit maximos haberi eos, quos ritè crean sine suo assensu negat posse. Cum Imperatore Galli Reges planè ex æquo vivunt in indigitamentis cunctisque rituum, solo excepto ordinis privilegio, ubi aut ipsi simul sunt, aut Legati eorum, curioseque id servavit in Germania nuper Davausius. Cæterùm quanquam in Suedia successoria lege regnatur, tamen Itali & qui eorum sectam sequuntur Suediam non alio loco habent quàm Poloniam, quod mutationem quæ cum mntatione sacrorum facta est pro non facta habeant. Cætera offendicula, ni fallor, facilè tolli possunt, nec talia sunt quæ rem magnam morari debeant. Interim non inutilia sunt & ista ad faciendam dijudicationem bonane fide pax desideretur, an blandum nomen obtendatur fallaciæ. Prout enim isti scrupuli aut pertinaciter moventur aut remittuntur leniter, ita bene aur malè de adversariorum consiliis sperandum est. Hæc quidem mihi sic in mentem veniebant, sed quæ Illustrissimæ Domin. Tuæ accuratissimo judicio ut mea omnia subjecta esse cupio. Prælii ad Astam historiam ita ut hic in vulgus editur mitto, sine certo tamen auctore. Decem machinas à Gallis captas video consentiri: de numero cæsorum placet veterum historicorum exemplum sequi qui eum nunquam prodi voluere ob variantes famas. Capella 21 mensis hujus ex novo Calendario in Regis potestatem rediit, impletis jam fossis subrutaque parte munimentorum urbis vallo adhærentium: sed plurimùm impulit obsessos pestilentia. Eum exercitum & alternm qui sub Candalio ad Malbodium erat in unum collegit Cardinalis Valetta, paratus prælio, si id audeat Cardinalis Hispanus ad Montis oppidum sedens paribus cum copiis, id est, ad quindecim millia. Dampvillerium jam operibus approximantibus impetitur speratque deditionem Castilionæus citra dies 14, quem deinde speramus iturum auxilio Duci Bernhardo. Ita enim sperare nos Rex ipse jubet, cui quàm necessaria sit aliqua hostilium virium per Germaniam revulsio quanquam per se satis intelligenti multis rationibus explicavi nudiustertius, beneque auditus bona responsa retuli, nihil omissurus eorum quibus ea ad exitum perduci possint. Chevreusii uxor non in Angliam abiit, ut dicebatur, sed in confinium Benearni & Hispaniæ, propinqua perfugio, si res urgeat. De Hanovia Imperatori conciliata perstat, utinam mendax, fama. Vale, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Septembris 1637.

Illust. Excell. Tuæ observantissimus eique addictiss. H. G.

LVDOVICO MAVRERIO.

VIdeo ex literis tuis, Nobilissime Maureri, eundem 830
te in me esse, qui fuisti, & tu semper & ante te Pater tuus; meaque bona, id est honorem & existimationem, quæ semper in summis posui, tibi cordi esse. Discemus ex te, ubi redieris, qualis sit illa mundi pars, quem sibi rigidus Septemtrio seposuit. Etiamsi nihil ibi videris præter Magnum Cancellarium, satis erat causæ, cur in illas mundi partes, si cum Antiquitate loquamur, ultimas excurreres. Ejus me amicitia speciosiorem quàm ipsa Legatione censeo. Bene tibi evenir, quod in illas oras sub ipsum nuptiarum Polonicarum tempus venisti. So-

lent tales conventus dare cognoscendi viros magnos uberrem copiam. Is enim est mercatus, ad quem profectum te scio, qui ut tibi evadat fructuosus opto ex animo, velimque conferre, si quid possim. Epistola ad fratrem bene curata est, eademque diligentia curabitur quicquid aut mihi aut meis injungere volueris. Vale quàm optimè. Scripsi 26 Septembris 1637.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

831 QVid Regi dixerim, quid is mihi, literæ ad Reginam continent. Multum vereor ut satis magnæ Duci Vinariensi dentur copiæ ad penetrandam Germaniam. Multi enim Gallorum sic disserunt, & Galliæ & Cardinalis ob multa quæ evenire possunt, referre ne ille à finibus abeat longiùs. Credibile est & Aulæ Romanæ ministros, cùm inter suæ sectæ Principes inducias moliantur omni modo laboraturos, ne longiùs quàm nunc est serpat bellum. Non deerimus nostro officio ego & Mullerus, cui Cardinalis quò se videndum non præbeat excusat per valetudinem, additque si Patri Iosepho quæ sibi dicenda erant velit promere, eum sui facturum copiam. Id autem amplectitur D. Mullerus, ne optimam ad itinera facienda tempestatem elabi inutilem sinat. De Italico prælio historiam ut editur, (nihil enim quod certius sit ad me hactenus pervenit) mitto, & epistolam Cancellarii Montisferratensis eodem pertinentem. Capella 21 postquam obsideri cœpta est die, qui idem hujus mensis erat 21 dedita est, cùm jam fossa facta pervia, & vallo urbis adhærentia munimenta labefactari machinis, subruique cœpissent. Chevreusii uxor, non in Angliam, ut dicebatur, sed in ultimam Gallici Regni partem, qua Benearnum ad Hispaniam proximè accedit, se recepit, parato, si quam vim sibi intentari intelligat, perfugio. De Reginæ Matris profectione in Angliam nihil nisi rumor est. Ratihabitionem pactorum Wismariensium multum hic desiderari video: rogatique sumus & D. Mullerus & ego ab Heufdio, qui res Gallicas sibi præcipuas putat, ut eniteremur ad auferendas si quæ sint moras. Diximus singuli ita nos arbitrari, si Galliæ placeat concepta à Tua Sublimitate formula, facilè conventurum. Idem diximus misso ad nos super ea re tentandos Avaugurio. Ni sperato citiùs dedita fuisset Capella, quod ob pestem maximè quæ urbem invaserat contigisse creditur, magnum imminebat periculum parum munitis Gallorum castris ab oppugnatione, quam parabat Cardinalis Hispanus ad Montem Hannoniæ ingentem habens exercitum. De Hanovia Imperatori conciliata perstat fama, & mihi ea quam nuper scripsi suspicio. Si Alexandri homines res suas & Arcesilai apud Hannibalem commodo loco possent ponere, esset cur Cimon ex Regione ad 27.61.80. 67.55.93.61. 113.118. metueret. Nam Lilium favit. 12. 59.61. 55. 68.55. contra 99.75. 11.72.61. Est autem is ejus Regionis situs qui plurimùm nocere Cimonis rebus possit. Successor mortuo Charnassæo in Legationem ad Batavos mittitur Estampius Domo Valencæa bonis artibus notus. Chavigniacus à Rege missus est Capellam ad sananda quæ inter Cardinalem Valettam & Millereium intervenere dissidia. Rogarat me Berlisius admissionalis, an non Chavigniacum priùs conventurus essem quàm Regem, id facere Anglos, Venetum, Sabaudum. Dixi me ex Anglis ipsis intellexisse, non esse hoc eis perpetuum: quod deinde fatebatur. Cæterùm alii tempori conveniret, me visurum. Nunc cùm literas ab ipsa haberem Regina non debere earum sensum ad Regem perferri ab alio delibatum, ac metuere me, si agerem aliter ne id Rex ipse sinistrorsum interpretaretur. At si quid Rex me audito lectisque literis me agere cum ministris suis velit, me non cessaturum in eis conveniendis. A Roma nuntiatur mors Cardinalis Sixti quem Pontificiatui destinabat Hispanica factio, sed in eo parum est situm, cùm facilè alium sint reperturi. Cohors sive Regimentum, cui Charnassæus præfuit, à Principe Arausionensi commissum dicitur Douchampio. Is cùm Reginæ Matris partes secꝫtatus sit, diu satisne sit placiturus Cardinali Riceliaco, & an non nova hinc in Principem Arausionensem veteribus adnascitura sint odia, dubitari potest. De titulis quæ disputatio fuerit inter Marchionis Sigismundi homines & D. Bielkium ex ipsius D. Bielkii literis & ex actis quæ mihi ostendit D. Mullerus cognovi. Aula Romana Reges qui nascendo Regnum accipiunt electis præfert, & his Serenissimi tantùm dat titulum, illis insuper potentissimi. Suediam pro Regno posterioris generis habet, rejecta ea mutatione, quæ per Gustavum primum facta est, & cunctis rebus secutis, quod ea omnia conjuncta sint cum Religionis mutatione. Morem Aulæ Romanæ sequuntur, & Veneti & Cæsariani. Cavendum autem nunc imprimis, cùm de conventu instituendo agatur, ne quid admittatur Suedicæ dignitati noxium. Iam nunc disco fidis ex literis Cardinalem Valettam in unum contrahere copias, tum quæ Capellam cepere, tum quæ ad Malbodium sub Candalio agebant, præliumque concupiscere, si eò adduci possit hostis pares ferme copias habens, id est xv ferme millia. Ad Dampvillerium quæ sunt operibus jam ad urbem admotis sperant intra dies XII aut XV eam ad deditionem compelli posse; quod si sit, urgebimus ut impleatur, quod Rex sibi propositum dixit. Hæc dum scribo duo mihi interveniunt, Avaugurius jubens me credere optimè mihi velle Patrem Iosephum; tum verò is quem dixi Estampius ad Batavos Legatus, qui me rogavit ut literarum & amicitiæ commercia bono Suediæ Galliæque secum colerem, quod in me recepi; eique commendavi debitis ornatos laudibus D. Camerarium & D. Spiringium. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, tibi adsit favens Tuamque Sublimitatem semper sospitet augeatque. Lutetiæ 26 Septembris anni 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MVlta sunt ob quæ vereor ut magni aliquid in Germania geratur. 832
Annus præceps & consumpta jam quibus in locis Dux Vinariensis erat pabula: ingentes hostium copiæ, Ducis tenues, & auxilia hinc satis tarda. Itaque rumor per hos dies in urbe fuit, concessisse eum in ripam citeriorem. Sed Botzius cùm abiret existimabat inde natam famam, quod Dux pontem transmovisset Drusenhemum versùs, quærendis pabulis. Quod si est, an Insulam & munimenta diu possit, videbimus. Ad sequiorem rumorem accedebant à Tiguro literæ quas mihi ostendit ordinarius Angliæ Legatus. Vidi & extraordinarium Angliæ Legatum, qui Hanoviam cum Imperatore convenisse ajebat, ac credere se, neque mirari, cogitare & de sua pace Landgravium: volunt enim Angli hæc omnia evenire, quod fœderis cum ipsis perfectio trahatur tamdiu. Ego de Suedis jussi eos æquissima sperare, omnia mitti Hamburgum mandata; eum enim locum præ Haga postremis consultis & ut intelligerem Angliæ quoque consensu placuisse. Cùm de Batavis dicerem, timere me ne commerciorum per Germaniam amor obstaret, putabat Licestrius vanum hunc esse obtentum, cùm jam iidem Batavi inito cum Gallis fœdere tenerentur Imperatorem sibi hostem sumere quoties id faceret Gallia: neque Angliæ vires deficere quibus se de Batavis, si molesti esse cupiant, vel ad exitum ipsorum vindicent. Ego verò dixi, si quid tale moliri cognoscerentur, patitura Batavis remedia, per inducias ab Hispano, aut propiores cum Gallia nexus, quos tamen non fore

Digitized by Google

fore fine periculo libertatis fatebar. Valde Anglis placet quod Wifmatienfibus pactis fperant addi legem, ut apertè bellum Imperatori Gallus edicat. Valde etiam probabant quæ à me proximè dicta Regi fuerant, de malis Galliæ imminentibus, fi Germania Auftriacæ potentis jam adeò Domus Provincia fieret. Leucatam refumpto primo confilio verberat hoftis machinis. Dicitur benè munitum oppidnm: etiam ad ejus pericula avertenda collectus in Languedocia xv millium exercitus. Ad Dampvillerium minùs jam opera procedent, madente cœlo, quod in locis uliginofis grave. Cardinalis Hifpanus cùm ad Capellam obfidione liberandam fero fe veniffe intelligeret, die 21 Septembris, ut hic numerus initur, cepit Aymeriam & Barlemontium pofita inter Landrefium & Malbodium oppidula. Inde caftra ad Malbodium quæ regit Candalius ex locis eminentibus cùm verberaffet aliquandiu, nullo progreffu, retrogreffus eft. Chavignius inde reverfus magna cum clade dejectum hoftem multis perfuaferat. Sed aliud complurium literæ nuntiant: neque dum fcimus an exemplo Cardinalis Hifpani, qui fibi adjunxit Piccolominium, etiam Cardinalis Valetta cum fratre Candalio copias fociaverit. Invalefcunt etiam in obtentu Galliæ mari Dunquercani, captisque aliquot Gallorum navibus etiam in Rhedam Infulam exfcendere aufi funt. Exfpectatur Dunquercæ xxxii navium claffis, tres milliones & multum ferens militis, quæ fi eò, ut antehac factum eft, penetrare poterit, erit cur miremur à populo cuncta fua maritimis rebus debenti maris poffeffionem tam ignavè deferi. Scribet Mullerus quàm humanè ab ipfo Cardinale exceptus fit, multum Gallorum animos adeò perhorrefcere Rheni tranfitum: & ut Bavariam attingi haud velit Pater Iofephus. Manent fufpiciones mutuæ Gallos inter & Batavos: & nova acceffit materia, miffi ad propinqua hoftibus hinc Chavignius inde Mufchius, arcanorum miniftri, creditique pari utrinque diffidentia feorfim de pace agere aut induciis. Ego cùm video quantas fibi opes parent Cardinalis Riceliacus ejusque propinqui per bellum, quod multa falfis erogationum nominibus occultat, vix adducor ut credam aut pacem ab eo expeti aut illas longas, de quibus cum D. Mullero locutus eft, inducias. Eft & Atrebatibus oppidum haud magnum Ruminganum nomine; id nocturno impetu cepit Sampreulius, Ardrefæ quæ Caleto non longè abeft Præfectus, inter 20 & 21 dies Septembris, ut hic computatur. Dixit mihi inter alios fermones Liceftrius, optare fe eam effe ætatem Principis Angliæ, ut de conjugio Reginæ noftræ cogitare poffit. Refpondi multos haud dubiè cogitaturos, fed inter omnes neminem mihi occurrere potentior qui fit. Et ipfe & ordinarius Legatus oftendunt valde fe expetere, ut præter fedus, quo de nunc agitur, etiam Ecclefiarum Regni utriusque aliqua fiat confociatio, idque ipfum gratiffimum Archiepifcopo fore. Eos Hifpanos qui in Languedocia jam funt eò portatos fuiffe Batavicis navigiis fama eft, captis credere malo, quàm qnod quidam fufurrant per avaritiam mercatorum: quo tamen malo laborare multos ejus gentis etiam ad publicum usque periculum non nego. Scribit mihi qui apud Ducem Bernhardum eft filius meus $\frac{14}{24}$ Septembris dum apud Rhenum agunt periiffe equos quater mille, præter quos hoftes cepere: ac nifi brevi è Gallia auxilia adfint futurum, ut aut in Lotharingia aut in Burgundiæ Comitatu Hybernent. Duas hoftium turmas Cameraco egreffas 26 Septembris novi Cal. à Gallis cæfas accipimus. De poftrema pugna quæ inter Ducem Bernhardum & Waertinm fuit 5 die Septembris, varia fuit fama. Cæterùm optimis teftibus id videor difcere, captum tunc à Waertio pontem minorem per quem in infulam ibatur. Cùm imminerct majori alteri, occurriffe ipfum Ducem: in ea pugna ictum Waertium vulnere quod à mala dextra aurem usque pervadebat. Ita receffiffe eum à prælio, quod à quinta hora matutina ad fecundam poftmeridianam duraverat. Interea temporis ajunt Mufquettarum ejaculationes factas LM, tormentorum IↃCCC: quod verum ne fit an famæ datum judicare fuperfedeo. Illud conftat, ad id ufque tempus, & ad [illegible] Septembris duplas fuiffe hoftium copias ad illas Ducis. Deus cuncta det optima, tum publicis rebus, tum Tuæ Sublimitati, Excellentiffime atque Illuftriffime Domine. Lutetiæ 3 Octobris novi Cal. 1637.

Angli de Hamburgo mutatum ajunt, ac rurfus prælatam Hagam colloquiis de federe. Videntur autem mihi parùm properare ea in re, dum nos bello detinemur, fruentes ipfi totius Europæ commerciis, fecuri rerum Palatinarum, aut lactati, ut amant, nova fpe aliqua.

Tuæ Subl. cultor devotiffimus H. G.

STENONI BIELKE.

Illuftriffime Domine,

SVnt quidem literæ & rumores, quæ Ducem Bernhardum ajunt in citeriorem ripam retraxiffe copias, fed hæc fupra verum aucta credimus atque inde orta, quod pontem fuum Dux è locis fuperioribus, ubi jam equis pabula defecerant ad inferiora, ad Drufenhemum deduxit. Laboramus quotidie ut promiffa ei auxilia Rex properet, eaque tanta faciat ut in Germaniam penetrare Dux poffit: ni id faciat commeatuum inopia haud dubiè laboraturum, cùm Argentoratenfes fuam ipfi famem metuentes pauca transmittant. Leucatam ferit hoftis machinis. Adverfus eam vim & quæ deinceps timentur, Languedociæ Civitates quindecim fermè millia collegere, fed novi militis. Ad Dampvillerium opera imbres non nihil tardant. Eft enim folum paluftre. 21 Septembris novi Cal. Cardinalis Hifpanus captis Aymeria & Barlemontio locis Malbodium inter & Landrefiam fitis, Candalii ad Malbodium caftra, ex tumulis quibusdam machinis cœpit laceffere; intellecto jam traditam Capellam cui liberandæ venerat, cùm nihil proficeret, receffit. In abitu clade affectum rumor attulerat, fed ei auctoritas defuit. Nocte quæ eum præceffit diem Ruminganum oppidum Attrebatici foli, Ardrefiæ, quæ Caleto non longe eft Præfectus Sampreulius impetu cepit. Dunquercanis ita crevit audacia, ut & naves quasdam Gallicas apnd Rhedam Infulam ceperint, & in ipfam infulam fecerint exfcenfum. Putamus, jam in unum coiiffe Cardinalis Valettæ & fratris Candalii copias, ut arcendo hofti pares fint; majus enim aliquid hoc tempore verfis illuc totis è Belgica viribus non fperatur. Inquifivi quantum potui in advocabula Regi Francorum dari folita. Literæ Imperatorum veteres habent, Sereniffimo Principi Regi Francorum fratri & Confanguineo, Gallicæ autem fic: *A Tres-haut Tres-excellent & Tres-puiffant Prince nôtre tres-cher & tres-amé Frere & Coufin.* In ipfa epiftola nonnunquam Fraternitatem veftram, nonnunquam Serenitatem veftram, infra *Vôtre Frere* vel *Vôtre bon Frere*; alibi, Serenitatis veftræ bonus frater. Veneti fcribunt Sereniffimo & Chriftianiffimo Domino, in epiftola Majeftatem veftram Chriftianiffimam. Hæc fi fortè ufum aliquem habere poffunt fcribenda duxi: cumque nihil nunc quidem fe aliud offerat, Deum precabor, Illuftriffime Domine, ut Illuftriffimam Dominationem Tuam diu fervet. Lutetiæ 3 Octobris novi Cal. 1637.

26 Septembris ex novo Calendario, duas hoftium turmas è Cameraco egreffas à Gallis cæfas accipimus. Literæ $\frac{14}{24}$ Septembris à Benfeldio oftendunt, tum etiam in poteftate Ducis fuiffe munimenta ad Rheni tranfitum, fed quæ defendi diu nequirent, nifi citò adeffent è Gallia auxilia, equos mori ducenos in dies, non fcripfi antehac, quod certos auctores non haberem: cæterùm nunc certò comperi. Ioannem Waertium in ea pugna quæ pugnata eft 5 Septembris novi Cal. cùm pontem qui ad infulam ducæ

ducit cepisset, & alteri majori ponti immineret, vulnus accepisse à mala dextra ad aurem. Pugnatum à quinta matutina ad pomeridianam secundam. Hoc adjiciam didicisse me ex literarum exemplis aliter Imperatorem scripsisse Regi immortalis memoriæ, quàm scribere Regi Francorum solebat, Amico nempe & consanguineo: & in epistola, Dilectioni Vestræ ad officia paratus consanguineus. Rex tunc in responso ei dedit Serenitatem, & in superscriptione Serenissimo & Potentissimo Principi, ita quidem hic edoceor, sed ista vobis cognitu sunt propiora.

Illust. Excell. Vestræ addictissimus ejusque observant. H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

834 GAudeo ex literis tuis ¹⁄₁₁ Augusti datis cognoscere res ibi tuas rectè procedere. Fœderis Gallo-Britannici quis futurus sit exitus scire avemus, & quod præcedere, ni fallor, debet pactorum Wismariensium. Cum Spiringio spero venturum filium meum. De Quernhemio facilè credo, nihil eum facere præter quod officii est & necessitas imperat. Quid Averio responsi sitis daturi, quid peracturus Lavenburgicus, etiam ista nosse ex usu erit rerum hujus loci ac temporis. Exspectamus hic quid futurum sit de auxiliis quæ Rex Duci Bernhardo nimis diu pomittit, nimis serò præstat. Sunt res ejus non optimo loco, alterum tantis hostium copiis. Leucatam verberant machinis Hispani. Dampvillerium adhuc obsidet Chastilionæus. Cardinalis Valetta se, ut hic creditur, cum fratre Candalio conjunxit, quorum hic Cardinalem Hispanum à Malbodii oppugnatione feliciter depulit. D. Mullerus hic etiamnunc agit auditus à Patre Iosepho, deinde ab ipso Cardinali. Abitum parat citra quinque dies. Hæc nunc habemus. Vale quàm optimè. Lutetiæ 3 Octobris novi Cal. 1637.

Video qui Upsaliæ sunt typos Græcos esse parùm elegantes, chartam non optimam. Hebraici typi an sint & quales nescio. Sunt hæc etiam inter res majores digna de quibus cogitet, omnia Regni complectens, Magni Cancellarii animus.

Tuus Tibi volens optimè H. G.

MATTHIÆ BERNEGGERO.

Clarissime Vir,

835 PRoficiscentem ad te D. Mullerum tuum olim *ὁμοσίτιον* [*contubernalem*] amicum autem meum, sine meis ad te literis ire nolui, tum ut scires manere mecum tui memoriam nunquam obsolescentem, tum ut id quod molitur D. Duræus, quod ex chartis cognosces, quas adfert D. Mullerus, quin mihi quoque cordi esset non dubitares. Est id sanè difficile his præsertim temporibus. Sed & alia non minùs difficilia felicem aliquando nacta sunt exitum. Tum verò ad res optimas conniti, etiamsi successu destituatur conatus, habet lætæ conscientiæ fructum. Tua studia inter hos tantos armorum strepitus, & Historicæ editiones quomodo procedant, gaudebo aut ex literis tuis, aut ex D. Mulleri, ubi ad nos cum sua matre-familias redierit, relatu discere. Vale, Vir Præstantissime. 5 Octobris novi Cal. anni 1637.

Tui studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

836 QVid Regi dixerim, cùm literas ei Reginæ datas 30 Iulii traderem, quid ille mihi, jam scripsi. Ex quo D. Mullerus Patri primùm Iosepho, deinde ipsi locutus est Cardinali, datum est à Rege perscriptum responsum, ad utrumque nostrum pertinens. Id mitto, simulque literas Regis ad Reginam Dominam nostram; Cardinalis autem ad Sublimitatem Tuam. Quæ promittuntur speciosa sunt: sed res urget, & Dampvilleriæ obsidio, ex quas pars pendet promissorum, durat etiamnunc. Hostis Duci Bernhardo ut nuper indicavi, duplo validior erat 24 Septembris novi Cal. Post id tempus certi nihil de eo accepimus, rumores tantùm non optimos. Et quod vere proximo facturos se dicunt, longum est, & rapiendis occasionibus, si quæ iterum ad pacem se dederint, oportunum: videturque, ut nunc res sunt, in Lotharingia aut locis vicinis Dux hyemem acturus. Arma pro libertate sumpta Germaniæ, quod exprimendum censuere, in eo videtur mihi respici propositum federis Gallo-britannici, quòd nisi aliquid, ut semper censui, nostris rebus adversum occultaret, non tam diu ac tam anxiè premeretur. Movet me & hoc valde quod, qui hic Hanoviæ res agit, ait de ea urbe pactiones à Comite factas conscio Landgravio: quod Landgravius & ipse paci inhiare dicitur, & ad eam uti Anglorum consiliis, idque intrata jam Frisia Orientali, ubi multa Comiti, multa Imperatori poterit, si velit, commodatura efficere. Ad hæc accedit quod non modò in Germania hactenus nihil hinc agitur, resque egregiæ per moram corruptæ sunt; sed & quod post factum illud Gallo-Britannicum fedus de Wismariensi federe loquuntur, ut antehac monui, parciùs cunctantiusque; neque mihi credibile sit, laborantibus cùm maximè Pontificis Ministris ad pacem perpetuam aut temporariam inter Pontificios constituendam, hanc Aulam, quæ ob plurimas causas Aulam Romanam respicit, venturam ad indictionem belli in Ferdinandum III. ejusque socios Pontificios. Pater Iosephus, in quem pleraque curarum Cardinalis Ricelliacus per malam valetudinem labori impar rejicit, Cardinalitiam purpuram sperare perseverat. Bellevrio in Angliam eunti hinc Legato ejusdem Patris Iosephi imperio comes additur Iesuita. Idem fit aliis. Hæc illi cùm agunt suis se rebus bene consulere existimant: nostris autem rebus parum hæc sunt convenientia. Dampvilleria 27 Septembris novi Cal. machinis feriebatur XIV: perruptumque erat operibus vallum urbis, quod extrinsecus fossam ambit, quæ contrascarpa militari vocabulo dicitur. Multæ & Granatæ jactantur in urbem, saccoque bellici pulveris fortè incenso periculum adiit D. Feuquerius. Ingens in hac urbe Aulaque lætitia est, hodieque ad Hymnum Te Deum canendum Rex in urbem venit, ob res supra quàm sperari poterat prosperas ad Leucatam. Nam liberata ea urbs obsidio est tracto in 30 dies, ac præterea irruptæ hostium quæ ibi erant munitiones egregiæ, clara Gallorum virtute, qui Hispanos numero pares (ad quindecim millia utrinque fuisse dicuntur) operibus verò defensos, eo perculerunt impetu, ut fugam illi ceperint, machinis victori relictis XLV, mortariis IV, captivis factis 10, cæsis, ut hic fama est, quatuor millibus. Dux erat Hispanorum Cerbelo ille notus Rhætorum malo; cujus scipio ac tunica in præda reperta sunt. Signa capta nuntiantur equestria quinque, pedestria duodecim. In Italia mortuus est Dux Mantuanus, hærede nepote commendato Venetorum tutelæ, quibus honos obtigit, qui Romanis sæpe dum liberi adhuc erant, ut ipsorum fidei summæ fortunæ pupilli crederentur. A Neapoli literæ ajunt in illo ad Astam prælio, quod magnificè à Gallis prædicatum fuit, periisse ex Hispanico exercitu sexcentos, machinas desiderari sex, ex eo nihil actum; sed ex Neapolitano Regno turmas decem, quæ in speratam Pontificis mortem paratæ tenebantur, missas jam Mediolanum. Ipsum Leganesium prope Valentiam esse: ad Novatam Martinum Arragonem: in Alexandrino agro eos qui Hispano militant Germanos: pontem Pado impositum ut coire, si opus sit, copiæ possint. Marchio Villa Gallus apud Vercellas habebat VI millia peditum, equi-

Digitized by Google

equitis aliquid, tantumque negotii in Italia erat Hispanis, ut rogatas in Comitatum Burgundiæ suppetias mittere nequierint. Postrema hæc è Mediolano scribuntur. At Tiguro dilatum adhuc iter & Rhætorum & Vallitelinatium Legatorum in Hispaniam, dum utrosque blanda spe sustentare mavult Leganesius, quàm definitione controversiarum alteram partem offendere. In Lucernensi Pontificiorum Helvetiorum conventu actum nihil: sed conqueri Helvetios, quod nec pecuniæ promissæ ad diem solvantur, & contra pacta populares ipsorum ad opera facienda apud Finale novo Castello struendo cogantur. Ex Anglia discimus Polonum Legatum non populo minùs quàm Regi ingratum: nec mansuram Batavis, quæ hoc anno simulando transmissa est, piscandi libertatem. Remissi à Rege qui huc è castris venerant Chavigniacus & Thuanus, ut in re præsente constituant, ex usu sit Malbodium defendi an deseri. Quæ hic cursitant de Hannovia pactiones, Comiti indulgent ea quæ pax habet Pragensis, & si qua in pace futura erunt magis ex ejus usu: fructus monasterii Sluchterensis: præsidium in oppido ut Comes habeat: sed & hoc ut oppidani Imperatori quoque fidem & auxilia in hostes jurent: captivi ut liberi sint: Ramsæo dentur L M Thalerorum Imperialium. Hæc ut rata habeat Imperator, utque concedat Ramsæo, quæ Suedi ipsi in Germania donarunt prædia, curæ suæ ducturum Maguntiacensem: interea datum iri obsides. De Trevirensi quin libertatem receperit, probata electione Romani Regis, venia accepta Gallici fœderis & adjutore Leopoldo, hic desiit dubitari. Non omisi monere hominem Hannoviensem, qui hinc it ad Batavos, ut memorem faciat Comitem Hannoviensem ante actorum, neque speret tantæ injuriæ, cùm pacta ferme his similia intercessissent, oblituram unquam Domum Austriacam. Tamen intelligo, & cum dolore intelligo, signata ab ipso pacta ut ægrè regressus detur, & à Ramsæo stipulatæ pecuniæ colorem obduci, quod impendia fecerit magna in cohortem sive Regimentum missum eam in urbem à Rege Galliæ, cui stipendia nulla sint soluta. Ad hunc dolorem accedit alter, quod à Benfeldio literæ Secretarii Ducis Vinariensis nuntiant, illud sub Manicampio auxilium, cujus præcipuè mentionem Rex in responso facit, multùm esse infra numerum qui dicitur, nempe mille quingentos pedites, equites trecentos. Id si fit in illa præcipua promissi parte, quid est quod de reliquo dicturi simus? De munitionibus ad Leucatam Hispanorum sic audio, fuisse eas perductas opere perpetuo ab ea urbe ad Lacum qui ad Narbonem est, horæ itinere, castellis interpositis quinque, propugnacula habentibus quaterna, receptibus præterea, quos reductus vocant, satis multis. Protestantium Gallorum causa gaudeo Cebennenses (sunt enim hi plerique Religionis istius) plurimam virtutis laudem in illa ad Leucatam pugna retulisse. Illud addendum historiæ ejus pugnæ qua Waertium vulneratum nuper scripsi, cùm Gallis, quos tutando trans pontem Castelli Dux Vinariensis liquerat, laborantibus, Germani subvenissent, parum tum eos Germanos abfuisse quin hostium machinas caperent, sed à Gallis fuisse derelictos. Vidi scriptum Baronis Lecquii qui pro Duce Rohanio, dum is Curiæ abest, præsidia rexit Vallis Telinæ, Bormiique ac Clavennæ, famam Ducis Rohanii multum onerans. Ait enim nunquam credere Rohanium voluisse quæ ei per fidos auctores de Rhætorum cum Hispanis consociatione significabantur pacta fecisse, nulla urgente, ut Lecquius sentit monuitque sæpe, necessitate. In iis posuisse se ea daturum effectui, etiamsi contraria à Rege mandata advenirent. Scripsisse eum Lecquio sæpiùs, distinctè mandatum sibi à Rege, sic ut ageret. Cùm Lecquius misisset qui ipsa inspiceret mandata, nihil repertum aliud quàm, si aliter non posset, educeret Regium militem: retentas ab eo Noyerii literas ad Lecquium, quibus jubebatur Crequiacus, dare omnem operam, ne tanta munimenta desererentur, donec jam Lecquius Rohanii imperiis & consilio Legati Gallici apud Venetos impulsus, Valle Telina ac annexis locis excessisset. Ego de causa quidem tota nihil judico: sed video satis esse causæ, cur Rohanius Genevæ esse malit quàm in Gallia. Deus, Excellentissime Domine, Reginæ Regno, Tuæque Sublimitati propitius adsit. Lutetiæ 8 Octobris novi Cal. 1637.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DAmpvilleria 27 Septembris nov. Cal. machinis feriebatur 14: perruptumque erat operibus vallum urbis, quod extrinsecus fossam ambit, quæ contrascarpa militari vocabulo dicitur. Multæ & Granatæ jactantur in urbem, saccoque bellici pulveris fortè incenso periculum adiit D. Feuquerius. Ingens in hac urbe Aulaque lætitia est, hodieque ad Hymmum Te Deum canendum Rex in urbem venit, ob res supra quàm sperari poterat prosperas ad Leucatam. Nam liberata ea urbs obsidio cœpto in 30 dies, ac præterea irruptæ hostium quæ ibi erant munitiones egregiæ, clara Gallorum virtute, qui Hispanos numero pares (ad quindecim millia utrinque fuisse dicuntur) operibus verò defensos, eo perculerunt impetu, ut fugam illi ceperint, machinis victori relictis XLV, mortariis IV, captivis factis 10, cæsis (ut hic fama est) quatuor millibus. Dux erat Hispanorum Cerbelo, ille notus Rhætorum malo, cujus scipio ac tunica in præda reperta sunt. Signa capta nuntiantur equestria quinque, pedestria duodecim. In Italia mortuus est Dux Mantuanus, herede nepote commendato Venetorum tutelæ. Remissi à Rege, qui huc è castris venerant, Chavigniacus & Thuanus, ut in re præsente constituant, ex usu sit Malbodium defendi an deseri. Quæ hic cursitant de Hannovia pactiones, Comiti indulgent ea quæ pax habet Pragensis, & siqua in pace futura erunt magis ex ejus usu: fructus monasterii Sluchterensis: præsidium in oppido ut Comes habeat. Sed & hoc ut oppidani Imperatori quoque fidem & auxilia in hostes jurent: captivi ut liberi sint: Ramsæo dentur L M Thalerorum Imperialium. Hæc ut rata habeat Imperator, utque concedat Ramsæo quæ Suedi ipsi in Germania donarunt prædia, curæ suæ ducturum Maguntiacensem: interea datum iri obsides. De Trevirensi quin libertatem receperit, probata electione Romani Regis, venia accepta Gallici fœderis & adjutore Leopoldo hic desiit dubitari. Mitto exemplum responsi quod Rex dedit ad ea, quæ à D. Mullero ac me ipsi dicta sunt & tradita. Pollicitationes sunt egregiæ si cito præstentur. Interim audio Manicampium venisse ad Ducem; sed cum multo minore quàm promissum erat numero, mille quingentis scilicet peditibus, equitibus trecentis. Protestantes Galli, quales fermè omnes qui in Cebennis habitant, in isto ad Leucatam prælio plurimum laudis gratiæque apud Regem retulere. His addam nihil aliud quàm vota, Illustrissime Domine, pro te familiaque. Lutetiæ 8 Octobris novi Cal. 1637.

Excell. Vestræ addictissimus ejusque observantiss. H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

EX literis 19/29 Augusti tuis video etiamnum esse te Holmiæ. Felix tibi in Germaniam iter quandocumque id futurum est & negotiorum exitus prosperos opto. Beneficium Nobilitatis in Graswinckelio non malè collatum est. Ostendit is, quid possit erudito pro Venetis libro, & nunc in controversia, quam de mari movet Anglia se exer-

exerceat: neque verò dubito quin eo quoque in argumento famam faventem sit habiturus, novi enim eum pridem interiore amicitia heic Lutetiæ cùm viveret. D. Buckhorstius, quem Nortvicensem vocant, affinitate quadam mihi conjunctus est, neque nescio multum eum posse in patria sua atque adjutorem eum fuisse ad res Suedas promovendas, quo magis gaudeo ipsum quoque exemplo fore non esse ingratam in bene merentes Suediam. De filio meo id placet quod tandem exuturus est otium: dabo enim operam ne veterno deterior fiat, quantum potero. Non enim semper talia sunt in nostra potestate. Tibi quod ei te beneficum præbuisti, gratias ago maximas. Blondio bene esse gratulor. In Anglia velim esse aliquem Latinæ linguæ & rerum civilium ac sacrorum bene peritum. Res Germanicas D. Salvii diligentia ac comitate discere me gaudeo. De Sigismundo nihil boni spero, Rorteius quid adferat (vidit is me abiens) operæ pretium erit cognoscere. Rex Polonus nihil pro nobis, ita credo, facturus est boni, nisi quod operosè semet commendando iis quos cepit affines, Polonos ipsos sibi facturus est per suspicionem infidos. Dux Longavillanus uxore amissa vacuus matrimonii D. Combalettæ maritus per rumores datur. Regina Regi conciliata est, manet tamen ὕπουλον [*sub cicatrice latens*] aliquid. Dux Rohanius Genevæ hæret, neque se audet huic Aulæ credere, sua peccata ipsius per infamiam expiare quærentis. Romæ quiescitur, Pontifice longiùs quàm Hispani speraverant vivente: ea causa est, cur eques conscriptus in spem Romanarum rerum in Regno Neapolitano, missus sit Mediolanum. Non repeto quæ ad Magnum D. Cancellarium scribo. Literæ omnes mihi quas miseras, bene curatæ sunt, pariter & quas missurus es, curabuntur. Vale. 9 Octobris novi Cal. 1637.

Rex heri mihi per admissionalem jussit significari victoriam ad Leucatam.

Tuæ Cl. Addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

839 VNo tempore accipio & Schorlingii literas 5 Sept. & Excell. Tuæ datas $\frac{11}{21}$ Septembris, pro utrisque gratias ago, eoque majores, quod his temporibus mihi ea quæ illis aguntur in partibus apprime est scire necessarium, ut percunctantibus habeam vera quæ respondeam, & aut rebus Suedorum secundis ostendam, quàm bene animata sit ea gens, aut minùs secundis excitem Socios nimis dormitantes. Meæ quod non displicent literæ in eo perpetuam Excellentiæ Tuæ bonitatem agnosco. Fides & diligentia à me non aberunt. Sed ad pernoscentia Gallorum & Anglorum anxiè quæ agunt occultantium consilia, non sum quàm vellem perspicax. Tamen quod Rex Daniæ Excellentiæ Tuæ dixit, quamquam ob auctorem suspectum esse potest, cum meis hucusque cogitationibus satis congruit. Cætera ad eandem rem pertinentia cùm literis ad Magnum D. Cancellarium sim complexus, quæ cùm Regis ad Reginam nostram Cardinalisque ad eundem Magnum Cancellarium literis & responso alio has comitantibus meas repetere supervacuum sit. Illud certum est Gallos postquam cum Anglis fecere fœdus, (quanquam Galli perfectum negant Anglis contra id affirmantibus) de Wismariensi fœdere rem minùs urgere, loqui cunctantiùs, per alios atque alios à se emissos id suscitari quantulo Pomeraniæ contenti esse possimus. Interim quæ neglectæ sint occasiones rei per Germaniam bene gerendæ, quantæ nunc etiam pereant satis gnaro nihil dicere attinet. Sed nimirum si honesta dignaque Suedico nomine pax se non offert, devoranda etiam hæc tædia, & apponendum lucro quidquid hic orando, monendo, minando exterebrare poterimus. Verum est multos multisque in locis exercitus à Rege Galliæ ali, ita rebus poscentibus; sed aut fallor, aut si actum fuisset trans Rhenum quod agi poterat, injuncta fuisset pridem hosti sua tutandi necessitas, quæ nunc Galliæ incumbit. Gallis & Anglis, quantum ex iis quæ apparent colligi potest, bene convenit. De Landgravio Cassellensi quæ hic fama sit, quid suspicentur multi, itidem in meis ad Magnum Cancellarium literis perscripsi; nec est cur id repetendo Excellentiam Tuam obtundam. Rex mihi heri victoriam Leucatensem per Admissionalem significari jussit. Dixi sperare me brevi de nostris par aliquid allaturum, quo eum vicissim exhilarem. Hæc scripsi die 9 Octobris novi Cal. anni 1637. cuncta Excellentiæ Tuæ optans prosperrima, ut qui sim

Excell. Vestræ observantissimus eique addictissimus H. G.

D. CALIXTO.

Reverende Domine,

D. Brandano Christianæ vitæ testimonium, ut debeo, 840
ita lubens reddo. Dedi operam ut eum absterrerem à tractandis in publico controversiis, quæ plerumque magnos animorum æstus, tum in loquentibus, tum in audientibus solent excitare; præsertim ubi aliorum cætuum, quales hoc in Regno duo sunt, alter Regia auctoritate, alter permissu Regio, sed certis sub legibus vivens, insectatio accedit. Feci autem illud tum ob causas alias, tum habita ratione locorum in quibus vivo, injunctæ Legationis & exempli aliorum Legatione fungentium. Cùm id obtinere non potuerim, ita ut opera ejus mihi utilis esse nequiret, dolui excidisse me proposito meo. Si quid unquam edidero reddam gratiam Cl. Tuæ, pro transmissis qui me judice multum hic leguntur, magnique à viris magnis fiunt. Opto Cl. Tuæ amicisque ejus prospera omnia, & quod in his vel præcipuum est, pacem Germaniæ. $\frac{4}{14}$ Octobris.

Tuæ Cl. studiosissimus H. G.

CLAVDIO SALMASIO.

DEbitor pridem tibi magnæ sortis, usuras quas per- 841
solvere meum fuerat; ut avaritiam meam videas tertiò abs te exspectabam, cùm iterum me nomen tuum facis tam benignè de nostris è Græco versionibus existimando. Non falluntur Elsevirii, cùm arbitrantur neminem esse, ex iis quos literarum fama commendat, quem pluris quàm te faciam; idque velim & ipsis & aliis planè appareat. Cæterùm meum opus Procopianum nondum eò perductum est ut edi possit. Præterea aliud meum est institutum, aliud Elseviriorum. Hi Procopium volunt dare bonum Græcè ex manuscriptis, bonum Latinè ex interpretatione Vulcanii Græcè doctissimi, quod ei testimonium liberaliter sæpe reddidit Magnus Scaliger; & justissimè approbo, quippe eo usus magistro & studiorum meorum adjutore. Mihi verò propositum est contrahere quæ ad illustrandas antiquitates Gotthorum consanguinearumque gentium pertinent: & ad eam rem, uti par est, tum mandata, tum adminicula è parente Gotthorum Scandinavia opperior. Faveo igitur illorum labori: meum lentè inter occupationes varias, tamen promovebo, & Deo volente ad finem aliquando perducam. Flagitamus tuas Centesimas & Arnobium & Militiam. Vale, Vir summe, mihi inter eruditionis tuæ Veneratores locum da non infimum. Lutetiæ 14 Octobris 1637.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

QVid aut velint Angli aut nolint, difficile divinatu est. 842
Scriptum sibi ajunt, Hagæ actum iri de toto hoc Lutetiano

tetiano fœdere. Atqui Batavi ejus rei, ut audio, causa Cracovium mittunt Hamburgum. Cùm Legato dicerem à Bosvelio fœdus Ordinibus Federatis prælectum esse, mirabatur si totum. Quærenti mihi an arcanæ aliquæ pactiones essent, respondit satis circumspectus, nullas tales esse signatas. De eo quod ex me intellexisset, non pervenisse fœderis exemplum ad Sublimitatem Tuam, scripsisse se ajebat in Angliam. In Italia mortem Mantuani excepit mors Sabaudi Ducis. Ea verò speratur nihil nocitura Gallicis rebus, quando tutela Principis pueri ac Principatuum data est viduæ Regis sorori, cujus semper propensus pro Gallis fuit animus. Ejus auctoritatem haud dubiè Rex cunctis defendet viribus: & ipsa infensa Cardinali Sabaudo ac Thomæ Principi, à quibus non mediocriter læsa est, eò magis se consiliis Galliæ datura est, quod illorum hic Hispano militet, alter rerum Hispanicarum tutelam in Aula Romana susceperit. Mortuus est & Comes Verrucæ, intimæ apud defunctum Ducem gratiæ. Ambos febris abstulit maligna, non ultra undecim dies Duci tracta. Videtur vis consiliorum posthac maxima ex parte futura penes Patrem Menotum Iesuitam magnæ solertiæ peritiæque. De Hanovia nihil mirari Gallos miror. Multi de Mimnermo sermones, propendetque eò haud dubiè Vindicis animus. Malbodium à Gallis derelictum est: & junxere se exercitus Cardinalis Valettæ & fratris ejus Candalii, frustra id impedire nixo Piccolominio. Longavillanus Chaussimum obsidet, misitque duas cohortes, quæ efficere milites dicuntur bis mille quandringentos, ad Ducem Vinariensem. Castilionæus Dampvilleriæ jam fossam obruit. Scriptæ Narbonæ IV Octobris, ut hic numeramus, literæ nos veriora quàm vulgata sunt antehac, de prælio ad Leucatam docent. Cecidisse quingentos ferme partim è Gallis, partim ex hostibus. Gallorum vulneratos mille, vocarique ab ipsis hoc prælium felicem temeritatem. Habebat Cerbelo octo millia peditum, equites mille ducentos, exspectabatque novas copias; neque urbs Leucata ultra triduum poterat defendi. Vtrumque prævenit Gallorum audacia, adfuitque successus spem ultra. Nocte enim sequente, nulla satis gravi, quæ quidem cognoscatur causa, hostis munimenta egregia à mari producta ad lacum, machinasque deseruit. Victoria ut solent Galli facti negligentiores. Pulvis bellicus & alia belli instrumenta, quæ servari ex usu fuerat, rapinis dispersa. Pecuniæ, quæ post victoriam numerata centurionibus fuerat, nihil ad milites cùm pervenisset, dilapsi ii magna pars, & relicta inhumata cæsorum hostium corpora cælum infecere. Hostis contra acceptum malum curam auxit, diciturque firmatus IV M militum proxima Pirenæi loca tenere, & imminere occasionibus. Venit huc Calvus ut Eusebio opem ferat. Nam 81. 79. 78. 10. 118. 217. 37. 12. 2040. circa 108. 76. 74. 43. 71. 69. 61. 78. 69. 77. 27. 38. animus, præsertim ex quo 66. 74. 20. 217. his diebus iterum 13. 80. 79. 85. 68. 112. 70. 61. 217. vidit. Creditur mitti mox Princeps Condæus in Aquitaniam aut in Languedociam. Quidam Espernonii consilia suspectant. Ego non arbitror eum trium filiorum magnificas fortunas objecturum casibus, tantæ experientiæ prudentiæque senem. Injeci sermonem apud Angliæ Legatum, posse inter Angliam Suediamque novum quoddam fœdus, à Lutetiano diversum, magisque optandum ad tutandas res Protestantium confici. Sed aut fallor valdè, aut illi nihil aliud quàm pacem ex suo commodo spectant. Mitto, quam modò accepi, historiam à viro fidei optimè accuratæ scriptam de iis quæ Gallis in itinere evenerunt, dum à Malbodio exercitus cum altero à Landrecio veniente conjunctum it, multum distantem ab ea quæ plebi exhilarandæ vulgatur. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, res Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis ac familiæ ipsius prosperet. $\frac{7}{17}$ Octobris 1637.

Est Mantuani heres annorum novem: Sabaudi quadrennis longa tutela, agnati pro hostibus, Gallos in Italiæ aditu non passurus Hispanus, longa belli materia nostris, ni fallor, rebus haud incommoda.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Miror qui factum sit, ut literas tuas $\frac{11}{21}$ scriptas Sep- 841
tembris $\frac{3}{13}$ demum hujus mensis acceperim. Sed video idem sæpe meis evenire literis, cui incommodo si quod adferri posset remedium, vellem sanè, tum mei causa, qui summam semper voluptatem ex tuis capio literis, tum quia publici interdum id interest. Rex sanè magnos quosdam, multos haud dubiè, alit exercitus in Italia, in Aquitania, in Languedocia, in fine Burgundico, in fine Campaniæ, in fine Picardiæ. Verùm ita existimavi, dixique sæpe, si in tempore Duci Bernhardo datæ fuissent copiæ, si saltem, ex quo Rhenum transiit, habuisset auxilia quibuscum in Germaniam penetrare posset, & suscitare partes prope intermortuas, futurum fuisse ut illud, quod nunc in tot Galliæ finibus geritur bellum, sine Galliæ periculo in ipsa Germania gereretur. Inter quæ duo quantum intersit non desii & Regi & iis qui pollent aliquid, nec semel ostendere. Quid hæc impedient, tuæ prudentiæ haud difficile conjectatu est. Vanum, sed miserum satis, solatium est, si surdis loquimur, futurum ut surdi priùs ista mala quàm Suedi nostri sentiant. Ea quæ isthic de Duce Bernhardo accepisti vera sunt. Distinctiora ac posteriora meis literis ex certo relatu ad te perscripsi. De nostrorum in Pomerania rebus ea accepi, quæ ad depulsum à Demmino hostem intercessere. Interim parte ea, quæ introrsum Germaniam spectat, exclusi nostri Lunemburgo succurrere nequiere: & Hanovia, quantum fert fama, in periculo est, nec mirum tam longè semotis omnium sociorum viribus. Quò magis miror laudoque Erfurdiæ constantiam. Comes autem Hanoviæ, quantum ego arbitror, nunquam bene se purgabit Imperatori de iis, quæ in urbe ejus antehac evenere: nec est immemor talium Domus Austriaca, & ad nocendum facilè arripitur obtentus. Treris se redemit quanti potuit minimo, deprecatione culpæ, probatis quæ sunt acta, & sumendo adjutorem nomine, reipsa dominum. De Landgravii Cassellensis morte, falsa, ut spero, sed tamen fama hic est, nec ullas nunc quidem accepimus literas quæ nos isto metu expedirent. Frisia illa trans Amasim, pridem intestinis ardens odiis, si eam ex vetere memoria bene novi, fluctus illius Simpuvii miscebit cum fluctibus maris Ægæi, id est communium Germaniæ malorum se faciet partem. Angli de negocio fœderis Hamburgine id, an Hagæ sit tractandum ajunt incertos se esse, nec multum sua referre. Sperare autem eum Suedis bene se conventuros: de Batavis hæsitant. De culpa illa non missi ad D. Magnum Cancellarium fœderis Lutetiæ facti, admoniti à me Anglici Legati ad Regem suum scripsere, sperantque jam eam labem sanatam. Certè ut dicis dolendum est illa consilia, ex quibus non Germaniæ tantùm, sed Europæ prope totius pendet salus tot modis trahi, tanto temporum occasionumque dispendio. De Cracovio audieram, idque facit, magis ut credam ibi fore ut tractetur aut prætractetur id quod cum Anglis agendum est. Legati qui hic sunt ambo optant tuam in ea re operam intervenire, cujus & prudentiæ tribuunt plurimum & de amore in Domum Palatinam non dubitant. Quod à Bosvelio exemplum fœderis non postulasti, in eo gaudeo meum factum simile tuo probari. Sed an satis certum sit, prælecta omnia Ordinum Legatis, cupiam scire. Illa de piscatu controversia,

sia, ut sæpè inter nos scripsimus, alieniore tempore moveri non potuit. Spero & te & D. Ioachimium & Beverium & omnes qui aliquid auctoritate aut ingenio valent, laboraturos, ut id certamen nonnihil refrigeretur ac sic ad quietem perveniat. Bonum de Breda, urbe inquam arceque, nuntium exspectamus in dies. De Trajecto ad Mosam nihil nunc quidem timendum est, & antequam sequens æstas adveniat, poterunt hostem alio trahere Batavi, nisi quod hi alternis annis amant nonnihil interquiescere. Quid mecum D. Mullerus egerit non repeto, scripsi enim ea de re, ipsumque transmisi Regis responsum. Filius tuus, Vir Nobilissimus mihique amicissimus, jam spero bene perfectis propter quæ iverat, in itinere erit, quod ei faustissimum precor & ut diu alter altero fruamini. In Italia post mortem Mantuani subsecuta statim mors Ducis Sabaudi febri fervida rapti intra undecim dies, cùm circa idem tempus obiisset & primæ gratiæ Comes Verrucæ. Viduæ tutela liberorum principatuumque data dicitur, quæ ut Gallici est sanguinis ita fida semper Galliæ & per mariti fratrum injurias infensa ipsis & per ipsos Hispanis, quorum illi partes, alter armis, alter consiliis fovent. Rex omni ope sororis tuebitur auctoritatem, neque erit cur ei quantum marito, vaferrimo Principi, diffidat. Malbodium derelinquere Gallis potius visum est. Interim frustra obnitente Piccolominio coiere Regis exercitus, qui sub Cardinali Valetta quique sub fratre ejus Candalio. Longavillanus Chaussinum obsidet, diciturque ad Ducem Bernhardum misisse ferme duo millia hominum. Dampvilleria obsidetur etiamnum, sed processum eis, ut obruatur jam fossa. Certiora quàm habuimus hactenus nos docent literæ 4 Octobris, ut hic numeramus, scriptæ Narbone. Pugnam illam de qua hic Deo sunt actæ gratiæ evenisse 28 Septembris, durasse per horas quinque, spectatissima Cerbelonis ipsius virtute. Cecidisse quingentos ferme, partim è Gallis, partim ex hostibus. Gallorum vulneratos mille. Habebat Cerbelo octo millia peditum, equites mille ducentos, exspectabatque novas copias, neque urbs Leucata, jam ruina aliqua mœnium facta, defendi ultra triduum poterat. Vtrumque prævenit Gallorum audacia, adfuitque successus spem ultra. Nocte enim sequente, nulla satis gravi quæ cognoscatur causa hostis munimenta egregia ab mari producta ad lacum machinasque deseruit. Sed ut fit excitati ad curam victi, victores negligentia incessit. Itaque & belli paratus qui ingens repertus inter rapaces manus diffluxit, & pecuniæ centurionibus post victoriam numeratæ ita ipsorum adhæsere manibus, ut miles spe fraudatus fuga exercitum nudet, cùm contra Cerbelo IV millibus auctus è proximis Pirenæo locis insidietur occasionibus. Mitto historiam pugnarum, quæ evenere in itinere, dum à Malbodio exercitus cum altero à Landrecia veniente se junctum it, quanquam aliorum narrationes, cum hac edita, tum in aliis rebus, tum in numero hostium interfectorum minimè congruunt. Dei tutelæ, Illustrissime Domine, te tuosque & bonum publicum commendo. $\frac{7}{17}$ Octobris 1637.

Illust. Dom. Tuæ omni cultu devinctus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

844 Literæ tuæ omnes mihi gratissimæ, illæ verò datæ 26 Augusti vet. Calend. à me receptæ $\frac{7}{17}$ Octobris, vel ob hoc gratiores quod longiores, id quod tamen nolim accipias, tamquam in tua tempora nimis rapaciter involare cupiam; sed quod accipiam perlibenter quidquid abs te sine tuo incommodo mihi dari potest. Multum gaudeo Regni obventiones cum erogatoribus comparari, ut si pares sint rationes gaudeamus, si non sint, Regentium cura aut illæ augeantur, aut hæ minuantur, ne Suedis accidat quod Batavis, qui eo usque ære alieno mersantur, ut multi ipsorum nisi beneficio novarum tabularum salvos esse non possint. Quantum autem in se mali habeant talia remedia, aut morborum mutationes potiùs, nihil attinet perito dicere. De Wismariensibus pactis quæ mandata habeat, scripsit ad me D. Salvius. Minùs id negotium jam impellunt Galli, metuentes credo, illud de indicendo bello postulatum. Nam si id ipsis placeret, credo res Germanicas non paterentur ita misere dilabi. Xenocrates ut omnia prudentissimè, ita & hanc rem tractat. Quæ sive rectè confieri possit usu non carebit, sive non possit fama tamen apud Socios & hostes nihil nobis detraher. Regina Mater apud vos habet unde exemplum sumat, ne abrupta malit cum contumacia quàm tuta cum lenitate. Quæ in alienum innubant Regnum, Regni ejus affectus, non domesticos sumere debent. Quod Salomonis uxori in Psalmis sapienter dicitur. Et novimus esse, quæ exilium suum diu minatæ, postquam minas implevere brevi senserunt plus se sibi quàm iis, quibus nocituras se speraverant, nocuisse. Hospitum tantorum quoquo advenerint brevis est gratia. Itaque Reginam Reginæ parentem spero cùm ductilis sit ingenii, daturam se consiliis ipsi, Regno, filiæ salutaribus. Blondius ut sagax est haud dubiè observabit & nuntiabit si non Aulæ intima, certè cognitu digna. D. Bielchio utinam pro animi magnitudine esset firmitas corporis, non alius eum locum meliùs tutaretur. Paulini non spernendus est labor, ut dixi me judicare, si spectentur quæ propriè sunt ipsius non illa tralatitia. Moslenius quarum artium homo fuerit, cujus vitæ, qualis eruditionis discere cupiam, tum quæ illa sint in quibus ei mecum convenit. Si aliquid ejus edatur optem donari exemplo, ne quid me rerum veterum istius orbis lateat. Literæ ad D. Degenfeldium tuæ, item ad D. Deodatum, cujus causæ quod reliquum est tibi cordi quin sit non dubito, curatæ sunt rectè, pariterque curabuntur cæteræ quascumque miseris. Regis hic cum Regina gratia in speciem redintegrata est. Prælio ad Leucatam actum quidem non parum, quod urbs obsidione liberata est, & munimenta ab hoste cum machinis derelicta; sed neutiquam pro fama cædes facta est. Sabaudi mors ut & Mantuani nihil incommodatura rebus Galliæ putatur, cùm certi sint hæredes & tutela illa apud viduam Regis sororem Galliæ faventissimam, hæc apud Venetos. Vale Vir egregie. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Octobris 1637.

Tuæ Præstant. addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

Nullas hoc tempore Hamburgo venisse literas miramur. Ego quæ his in locis aut geruntur aut cognoscuntur mitto aperta, ut ab Excellentia Tua legi possint, 845
utorque hoc laboris compendio. Quid agant exercitus nostri scire & per te dulce est & sæpe rebus nostris utile. Rumores hic cursitant, nescio an per hostium emissarios, qui satis multi sunt his in locis, disseminati, Bannerium pacem cudere. Id Aulam turbat non nihil. Ego affirmo ipsi mandata belli non pacis data; id oro ut quod sum credar. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Octobris 1637.

Iam nunc ad me venit D. Scharpie Secretarius D. Chamondii. Nihil est quod non ejus causa paratus sum facere, tantum habentis commendatorem. Placet mihi ejus ingenium, neque ei præclusus ad me unquam erit aditus. Literæ quas ferebat Excellentiæ Tuæ sunt datæ 10 Augusti. Itaque pro responso erunt quæ scripsi antehac. Mortem Landgravii Cassellensis pro re certa mihi nuntiat.

Excell. Tuæ observantissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Potentissima ac Serenissima Regina, Domina Clementissima.

846 EX novò Augustæ Majestatis Tuæ imperio aditum ad Regem cùm postulassem, dilatus is per dies aliquot quos venatui Rex dederat, datus est die $\frac{11}{21}$ Octobris. Reperi Regem ad Sancti Germani bene valentem beneque animatum. Dixi non libenter me sæpe obstrepere ejus auribus, & interpellare curas pro Regni ac tot sociorum ipsum respicientium salute. Nunc tamen ut ejus patientia uterer adactum me mandatis. Eorum mandatorum duas esse partes: priorem esse gratulationem de prosperis Regis rebus per Picardiam, Burgundiamque; adjecturam fuisse haud dubiè Tuam Majestatem etiam gratulationem de insigni ad Leucatam victoria, deque feliciter junctis à Malbodio ac Landrecio exercitibus, frustra hoste id impedire conato, si ea res tunc, quod nunc factum sperem, ad ejus notitiam pervenissent, maximum Majestati Tuæ gaudium allaturæ. Alteram mandatorum esse partem ut rogaretur Rex sine mora vim armorum validam in Germaniæ transrhenana inferre. Eam minùs futuram fuisse necessariam, si jam tum accepisset Majestas Tua responsum nuper ab ipso mihi ore & scripto datum: pro quo maximas me Regi gratias agere, nec aliud expetere quàm ut curentur quæ promissa sunt ad exitum perduci, sine longiore temporis tam cari dispendio. Id autem eò me rogare impensiùs quod exspectarem quotidie lætum de Dampvilleria nuntium, ut is qui ibi esset exercitus, aut omnis aut pars ejus major mitti ex Regis constituto ad Ducem Vinariensem possit. Quod dixissem antehac Imperatorem non minùs quàm Hispanum haberi debere pro certo hoste Regis Regnique Gallici, id nunc multò etiam quàm ante habendum exploratius post excessum Sabaudi Ducis, tutelamque hæredis matri Regis sorori delatam. Neque enim Regem tam magnanimum ac justum deesse posse optimæ sorori vindicandæ in causa æquissima: neque passurum Imperatorem ut Princeps femina non sanguine tantùm, sed & animo semper innexa Galliæ & Galliæ viribus sustentata teneret aditum Italiæ, immineret Mediolano, Vicariatu denique Imperii, quod Ducum Sabaudorum jus est, per Italiam fungeretur. Accessuros stimulos à Ducis defuncti fratribus, quorum arma alter pro Hispano ferret, alter apertè Romæ res ageret totius Austriacæ domus. Itaque nihil exspectandum aliud, si cunctaremus, nisi ut perdomitæ Germaniæ vires Imperator in Sabaudiam ipsamque Galliam inferret. Id mali non aliter vitari posse quàm si Germaniæ possessio ipsi turbetur. Suedos nostros suis non defuisse partibus. Quod ut ostenderem narravi quæ ad Anclamum, Stolpamque & ad Deminum sunt gesta, quoque in loco nunc essent copiæ nostræ. Neque tamen dissimulabam, dum nos ibi pæne circumsessi teneremur, non potuisse longiùs positis consuli. Ita Lunemburgum cessisse hostibus. Hanoviam pacisci. Iam verò & Wismariæ obsidium minari hostem. Accessisse & aliud ex inopinato malum, mortem Landgravii, qui Principum in Germania unus in societate nostra perstiterat, partiumque nomen sustentaverat. Eam verò mortem fractos jam animos magis perculsuram ad libertatis desperationem, nisi inde Suedi, hinc Galli per Germaniam signa ad spem meliorem erigerent. His dictis Augustæ Majestatis Tuæ literas 19 Augusti datas in Regias manus tradidi. Rex partim interfatus, partim absoluto meo sermone, dixit velle se impleri quæ promisisset eo cujus memineram responso. Et jam copias aliquas Duci Vinariensi missas, secuturasque majores. Pro sorore sua defensanda usurum se totius Regni viribus: neque defore sustentandæ etiam Landgravii viduæ sortem, ut ex literis ejus apparebat, retinenti animum, pupillique ejus. Cùm Legatus Sabaudus mortem Ducis mihi sui amicè significaverit, si quid præter doloris testimonia mandare mihi Augusta Majestas Tua voluerit exspectabo, & in luctu induendo exemplum Anglorum qui ea de re in Angliam scripsere & mandata operiuntur, sequar: nec aliud addam quàm vota, Serenissima ac Potentissima Regina Domina mea Clementissima, pro Majestatis Tuæ salute rebusque prosperis. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Octob. 1637.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus. H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

HIspani à Leucata repulsi retro à Perpiniano se tenent. De Dampvilleria bonum exspectamus nuntium, quanquam Itolanus eò & Dux Carolus se contulisse dicuntur, serò, ni fallor, tam bene munitis Castilionæi castris. Galli qui ad Belgicum sunt finem tam præcipite anno nihil ultra acturi videntur, quanquam de obsidendo Castelleto sunt rumusculi. De Duce Bernhardo pridem nihil habemus certi. Dicitur autem repetiisse Ketlingi obsidium. Iohannes autem Wertius Offenburgi esse & copiis Ducem superare etiam nunc. Ad famam venturi in Germaniam Ducis Bernhardi, Stuccardi in Wittembergico solo quædam coitio Protestantium orta dicitur & suppliciis repressa. In urbe taurinorum factio quædam Cardinalis Sabaudi erupit, quo magis Regi curæ esse debet, ut sororem, etiam Ducis testamento sibi commendatam, & jam ab Ordinibus Sabaudis & Subalpinis Rectricem eorum populorum dictam, & armis & sui nominis auctoritate sustentet; quæ quidem auctoritas, quò magis in conspectu Italiæ fulgeat, Princeps Condæus creditur illuc mitti. Veneti, quanquam belli adhuc exsortes, arma tamen sibi contra incerta omnia circumdant. A Mediolano literæ pergunt dicere in illo à Gallis adeò prædicato prælio non longè ab Asta ad Monbaldonum plures cc non occisos. Esse in Alexandrino agro Hispanorum exercitum, ipsumque Alexandriæ Leganesium. Ducis Mirandulani hæredem esse Principis Galeotti Filium, eumque exemplo patris fidei se Hispanorum commisisse. Ad Aquas Helveticas conventum haberi Tiguro discimus, ubi vetera illa repetentur, toties irrita, de dejiciendo Rheni in valle Telina Castello, de pace constituenda inter utramque Burgundiam, de pecuniis quas Galli debent. A Bavaro multum cogi militis indidem scribitur: A Florentia verò, præfecturam maris ab Hispano dari Cardinali Ethrusco: Parmensi Duci quicquid ereptum fuerat reddi. His addo quæ soleo vota, Illustrissime Domine, pro te familiaque. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Octob. 1637.

Piccolominius ad Quesnojum se immunivit.

Excellent. vestræ addictissimus ejusque observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VIdit me Comes Licestrius, incertus adhuc, quantum si sermones ejus ferebant, Hagæne an Hamburgi coituri essent à Suedia Lutetiaque acturi de federe Lutetiæ reformato. Ea res si succedat, (persisto autem diffidere) posset & de Ecclesiastica unitate inter easdem gentes sperari aliquid. Qua de re loquens idem Licestrius, putabat, si Germani Principes ob bella in eandem consultationem convocari nequirent; tamen non prætereundos Bata-

Batavos. Dixi cognoſſe me ex Duræi literis Batavos ab eo conſilio averſiores, quod Dordrechtanæ Synodi Actis Reipublicæ ſuæ quietem niti crederent. Ea autem quæ ibi ut neceſſaria urgerentur, à Lutheranis, quos vocant, damnari ut noxia, quod ei multis explicui, & neganti excludendos eſſe Batavos, reſpondi poſſe initium ab aliis fieri, & ipſos invitari poſtea ſi fortè exemplum ſequi velint: neque id magis ad eorum injuriam pertinere, quod cum Gallis Angli fedus iniiſſent, ad quod jam & nos & Batavi ab ipſis vocaremur. S. Chaumontius in aulam ut venit multum conqueſtus de pecunia per Heufdium nobis numerata: ita enim exiſtimat, ac ſic exiſtimari opus eſt perveniſſe jam ad Tuam Sublimitatem eam pecuniam. Ejus autem pecuniæ retentionem unicum fuiſſe quo Tua Sublimitas cogi poſſet, ut pacta Wiſmarienſia rata fieri ſignataque tradi curaret. Præterea apparuit Aulæ, ut me monet Heufdius, plus à S. Chaumontio, de illis quingentis, quæ debebantur millibus perſolutum Tuæ Sublimitati fuiſſe quàm hic fuerit creditum, atque ob id Heufdio quoque plus quàm reſtabat adſignatum. Ideo ſi crederent nondum numeratam Tuæ Sublimitati per Heufdium pecuniam, revocarent adſignationes. Quare omnino opus eſt ita cuncta diſſeri agique, ne numerationem non credant interceſſiſſe. Qua de re etiam D. Spiringium moneo, ut conſonent ea quæ dicit hic Heufdius cum iis quæ iſthic dicentur. Reſponſum quod Galli Nuntio dedere Pontificio, inducias ſuadenti, an ad Sublimitatem Tuam pervenerit, miſſum enim à Gallis audio, itemque federis Lutetiani formula, ſcire me erit utile. Hiſpani à Leucata repulſi retro à Perpiniano ſe tenent. De Dampvilleria bonum exſpectamus nuntium, quanquam Iſolanus eò & Dux Carolus ſe contuliſſe dicuntur, ſerò ni fallor tam bene munitis Caſtilionæi caſtris. Galli qui ad Belgicum ſunt finem tam præcipite anno nihil ultra acturi videntur, quanquam de obſidendo Caſtelleto ſunt rumuſculi. De Duce Bernhardo pridem nihil habemus certi. Dicitur autem repetiiſſe Kitſingi obſidium. Iohannes autem Waertius Offenburgi eſſe & copiis Ducem ſuperare etiam nunc. Ad famam venturi in Germaniam Ducis Bernhardi, Stuccardi in Wittembergico ſolo quædam coitio Proteſtantium orta dicitur & ſuppliciis repreſſa. In urbe Taurinorum factio quædam Cardinalis Sabaudi erupit, quò magis Regi cura eſſe debet, ut ſororem, etiam Ducis teſtamento ſibi commendatam, & jam ab ordinibus Sabaudis & Subalpinis Rectricem eorum populorum dictam & armis, & ſui nominis auctoritate ſuſtentet; quæ quidem auctoritas quò magis in conſpectu Italiæ fulgeat, Princeps Condæus creditur illuc mitti. Veneti quanquam belli adhuc exſortes, arma tamen ſibi contra omnia incerta circumdant. A Mediolano literæ pergunt dicere in illo à Gallis adeò prædicato prælio non longè ab Aſta ad Monbaldonum plures. cc. non occiſos. Eſſe in Alexandrino agro Hiſpanorum exercitum, ipſumque Alexandriæ Leganeſium. Ducis Mirandulani hæredem eſſe Principis Galeotti filium, eumque exemplo patris fidei ſe Hiſpanorum committere. Ad Aquas Helveticas conventum haberi Tiguro diſcimus, ubi vetera illa repetentur, toties irrita, de dejiciendo Rheni in Valle Telina Caſtello, de pace conſtituenda inter utramque Burgundiam, de pecuniis quas Galli debent. A Bavaro multum cogi militis indidem ſcribitur: à Florentia verò præfecturam maris ab Hiſpano dari Cardinali Ethruſco: Parmenſi Duci quicquid ereptum fuerat reddi. Quod Iuſtinus exiſtimavit ſemper idem & 113. 118. 14. 108. 13. 53. 79. 2010. 118. putat, Lactucarios à Callimacho quod Annibalem attinet 70. 60. 71. 72. 78. 91. 67. nec aliter idem ille de Cimone exiſtimat: multæque ad Iuſtinum ex 11. 70. 68. 27. 69. 2040. literæ paria ſignificant. Credibile eſt Cryzam aliquid conſeciſſe. 71. 78. 77. 33. 66. 266. Vindicem & Annibalem. Deus, Excellentiſſime Domine, Reginæ, Regni, Tuæque Sublimitatis res ſecundet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Octob. 1637.

Tuæ Sublimitatis cultor devotiſſimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentiſſime Domine,

PVto aliquas ad me literas eſſe in itinere. Poſt illas enim Excellentiæ Veſtræ datas $\frac{18}{28}$ Septembris accepi ab illis partibus nullas, quo ſit ut de multis noſtrorum rebus quæ rumoribus circumferuntur interrogatus nihil habeam quod reſpondeam. Haga ad me ſcribitur negotium illud Gallo-Britannici federis præparatum iri Hamburgi, ſummam autem manum accepturum Hagæ. De eo quid ſit & de Wiſmarienſi federe ſcire me non erit publico inutile. Vale, Excellentiſſime Domine. Scribebam Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Octob. 1637. 849

Excell. Veſt. addictiſſ. ejusque obſervantiſſimus ſemper H. G.

D. DE WIT.

Virorum atque Amicorum optime,

ACcepi literas tuas per D. Bremſium; accepi & quæ ei ore nuntianda mandaveras. Agnoſco conſtantem tuum animum & ardens deſiderium juvandi patriam, juvandi amicos. Reſponſum jam ipſius, id meum eſt, puto jam acceperis. Malis Germaniæ & Illuſtriſſimi Principis veſtri, quem æquæ pacis cupidiſſimum ſemper credidi, totus indoleo: ſed ut piè obſervas, eſt interdum vis quædam major quæ humanis rebus intervenit, & aut bona conſilia non ſinit audiri, aut conſiliis quamvis bonis non bonum dat exitum, ob cauſas ſæpe latentes, injuſtas nunquam. Video eos qui Aulam Imperatoris gubernant, ſucceſſibus quibusdam elatos ferocire, neque pacis æquæ & bonæ admittere mentionem. De Germanis etiam Principibus multò aliter loqui quàm mos habet antiquus. Tum verò ad veteres belli cauſas nova in Sabaudia exarſit, tutelam matri novi Ducis invidentibus Ducis defuncti fratribus; ſed ſicut multa pejùs quàm rebantur homines cecidere, ita poterit, Deo res Chriſtianas miſerante, ex improviſo ſe res in melius convertere. Ego pro pace ad Deum preces fundere non deſinam, nec deerunt à me quæ eo ferant conſilia, ſi modo aliqua ſe ſpes patefecerit. Vale mihi ſemper honorate, atque honorande. Lutetiæ. 27 Octob. 1637. 850

Tuus qualem olim noſti H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

DAmpvilleria jam perductis ad vallum operibus obſidentium dedita eſt, commodùm in ipſo articulo, cùm ad oppugnanda caſtra Iſolanus & Cantelmus adveniſſent. Vrgebimus nunc ut impleantur ea quæ in hunc eventum Rex nobis de mittendo ad Ducem Bernhardum milite promiſerat. Nam huc uſque tenues ſunt quæ ad eum venere copiæ, ut mihi ſcribit ibi qui militat Ryngravius. De Hanovia meliùs ſperare incipio, quando qui hic ejus urbis res agit Comitem abrupiſſe cogitationes itineris illuc narrat, & Rex XX millia florenorum Comiti, totidem pro factis impendiis & ad emenda alimenta Raamſeio, neque minus militi mittit. Cardinalem Hiſpanum auctum intelligimus CIƆ CIƆ Croatis & equitatu aliquo. Sed neque illi neque Gallis quicquam moliendi tempus indulgebit annus. Vitriacus Provinciæ Præfectus in carcerem Baſtiliæ datus eſt. Hæc illum pœna ſequitur ob pulſatum Archiepiſcopum Burdegalenſem, quæ res ad injuriam Eccleſiæ pertinere creditur. 851

Digitized by Google

tur. Reginæ matri in multis adversis aliquid feret solatii veteris inimici calamitas. In Espernonium manent offensæ, tanquam is in Aquitania illa quæ Hispaniam attingit bellum malit quàm victoriam, hostisque possessionem firmet dissimulando. At Chevreusii uxor non satis tutam se sub Regis imperio putans, relicto Benearno intra Hispaniæ fines concessit. Pugnæ aliquæ factæ in Comitatu Burgundiæ & signa quædam capta hostium. Heri magno cum honore celebrata justa & laudes prædicatæ Ducis Victoris Sabaudi, cujus frater Cardinalis palàm sibi partem tutelæ deberi vulgat. In Portugallia motus esse aliqui nuntiantur: & Rex quò hostium mala & questus plebis intendat, vetuit ex maritimis Regni sui Provinciis cannabim aut cannabinas telas exportari, sine quibus naves instruere Hispani nequeunt. Sed Gallicorum Præfectorum avaritia metuere nos facit ne satis serventur talia edicta. De Anglis nihil dum video cur meliora sperem quàm antehac; nam quod Leslæus in usum Ducis Bernhardi permissus est ɪↄ ccc milites conscribere, beneficium tale est quale & Hispanis sæpe conceditur. Majoribus opus sit testimoniis ut eos seriò publicis commodis studere credamus, quanquam Batavi Iuvenis Ognatii fastum gravem esse Anglicæ Aulæ credunt. Ipsi Batavi super federe Gallo-Britannico consiliis studiisque distrahuntur, quantum intelligo. Rohanii opera videntur usuri Veneti, Regis concessu. Volunt enim illi Patres non quidem misceri bello, sed arma ostentando suæ tutelæ totique Italiæ consulere. Videntur Hispani sugillatam hic nuper Regiæ uxoris, Hispanæ, ulcisci velle aspernando probris gravibus Regis sororem, quæ in Sabaudia est, licentiùs sanè viventem quàm mores Itali ferant. Iniere Dampvilleriam 27 mensis hujus ex novo Calendario, cùm pridie trecentos Cantelmianorum militum castra sua adortos cecidissent. Venit ad me Venetus Legatus, narrans intellectum sibi ex sermonibus quos hic habuisset D. Mullerus, displicuisse in Suedia literas quæ Reginæ nostræ solùm Serenissimæ, non & Potentissimæ, dedissent nomen. Non id factum quod minoris quàm oportet Regnum Suedicum æstimarent, sed ex suo more veteri: nec Regi Galliæ scribi aliter quàm Serenissimo & Christianissimo, nec Regi Hispaniæ quàm Serenissimo & Catholico. Respondi nos nihil Venetis præscribere: Cæterùm Reges Suediæ à Galliæ Angliæque Regibus salutatos semper Serenissimos & otentissimos: neque æquum esse ut ab ullo Principe aut Republica aliter salutentur. Reges quos nominaret Christianissimi fortè titulum & Catholici tanti æstimare quanti illum Potentissimi. Suedorum potentiam oblitam longinquis gentibus, quod gravia eum vicinis bella eorum vires pridem detinuissent, solitas cæteroqui longè lateque nosci. Addidi & alia quæ ad dignitatem gentis pertinebant. Dixit scripturum se suis Rectoribus. Tam Hispanicus quàm Gallicus exercitus, ut nos recentes literæ docent, in hyberna abeunt, cura obsidendi Castelleti dilata in annum venientem. Vitriacus satis rigidè custoditur, jussis in agros discedere & uxore & filio. Provinciæ Præfectura Comiti Alaisio, qui à Rege Tuæ Sublimitati missus fuit obviam, mandatur. Duci Aluino ob res ad Leucatam bene gestas Marescalli Franciæ honos obtigit. Scripsit Cardinalis Sabaudus Viduæ venire se velle, ut coram ei omnia præstet obsequia. Ipsa respondit id tempori non convenire. Crequiacus arcem Romansiam in subalpina regione ab hostibus recepit. Ab Aula Hispanica literæ ostendunt, mandata inde Romam missa agendi de induciis. Legato, qui ibi est Anglico benigna verba liberaliter dari in negotio Palatino, spe abstrahendi Anglos ab iis quæ nunc cælent federibus. De tribus millionibus in Flandriam mittendis rumorem magis esse quàm rem paratam. Et Vlyssippone & Eboræ ob tributa ita motam plebem, ut ab incendio etiam Regiarum domuum sibi non temperaverint. Principi Thomæ qui in Belgica militat data sex millia scutatorum annua, ex fructibus eorum quæ in Regno Neapolitano possedit Dux Sabaudus. Quartam partem usurarum pro quibus pignora data sunt, item mercedum ædium locatarum Regem per duos hos annos sibi sumere: id ei valiturum milliones duodecim. Ex Neapolitano Regno salis oneri adjectos Carolinos duos: statimque repertos mercatores qui Millionem auri eo vectigali sibi obligato promitterent, partim præsentem pecuniam, partim in menses distributam. Ex sexdecim nummis, qui grana dicuntur, in focos confieri ibidem cxɪ millia scutatorum. A Mediolano etiam de pupilli Mantuani tutela disputari inter sanguine propinquos: octingentos ibi à Neapoli exspectari equites. Addam his preces, Excellentissime & Illustrissime Domine, pro Tuæ Sublimitatis Regnique rebus prosperis $\frac{21}{31}$ Octob. 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

INiere Dampvilleriam Galli 27 Mensis hujus ex novo [illegible] Calendario, cùm pridie trecentos Cantelmianorum militum castra sua adortos cecidissent. Vrgebimus nunc ut impleantur ea quæ in hunc eventum Rex nobis de mittendo ad Ducem Bernhardum milite promiserat. Nam hucusque tenues sunt quæ ad eum venere copiæ, ut mihi scribit, ibi qui militat Ryngravius. De Hanovia meliùs sperare incipio, quando qui hic ejus urbis res agit Comitem abrupisse cogitationes itineris illuc narrat, & Rex xx millia Florenorum Comiti, totidem pro factis impendiis Raamseio, neque minus militi misit. Cardinalem Hispanum auctum intelligimus ᴄɪↄ ᴄɪↄ Croatis & equitatu aliquo. Sed neque illi, neque Gallis quicquam moliendi tempus indulgebit annus. Vitriacus Provinciæ Præfectus in carcerem Bastiliæ datus est. Hæc illum pœna sequitur ob pulsatum Archiepiscopum Burdegalensem, quæ res ad injuriam Ecclesiæ pertinere creditur. Reginæ matri in multis adversis aliquid feret solatii veteris inimici calamitas. In Espernonium manent offensæ, tanquam is in Aquitania illa quæ Hispaniam attingit bellum malit quàm victoriam, hostisque possessionem firmet dissimulando. At Chevreusii uxor non satis tutam se sub Regis imperio putans, relicto Benearno intra Hispaniæ fines concessit. Pugnæ aliquæ factæ in Comitatu Burgundiæ & signa quædam capta hostium. Heri magno cum honore celebrata justa & laudes prædicatæ Ducis Victoris Sabaudi, cujus frater Cardinalis palam sibi partem tutelæ deberi vulgat. In Portugallia motus esse aliqui nuntiantur: & Rex Galliæ quo hostium mala & questus plebis intendat, vetuit ex maritimis Regni sui Provinciis cannabim aut cannabinas telas exportari, sine quibus naves instruere Hispani nequeunt. Sed Gallicorum Præfectorum avaritia metuere nos facit ne satis serventur talia edicta. His addo vota Illustrissime Domine pro te familiaque. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Octob. 1637.

Excell. Vestra addictissimus ejusque observantissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

MInùs faventes nunc habuimus ventos & mare, per quos factum est ut literas tuas datas 28 Septembris & 5 octobris, die demum 28 Octobris acciperem. Quæ in eis continentur pleraque in meis antehac missis literis attigi, exposuique tum quæ ad notitiam pervenerant meam, tum quæ conjectatio suggerebat. De Pactis Wismarien-

marienſibus eò ſum incertior, quod jam aliquot nuntii ad me nihil Hamburgo attulerunt. Et de altero iſto negotio, quod Hamburgo Hagam, Haga Hamburgum jactatur, qualis te, me quoque ſollicitudo inceſſit. At hæc duo ſunt è quibus pendent res maximæ. Interim diffluit quicquid in Germania ſpeciem corporis retinebat. Suedos noſtros intelligo in eo perſtare ne Coloniam mittant: & puto eos optimis niti rationibus. Pontificiorum incrementa ne cum temporis proceſſu malum dent & in Anglia, & apud Batavos meritò metuunt prudentes. Ac ſicut id periculum facilè proſpicitur, ita remedia invenire non æquè expeditum, quamdiu ipſi inter ſe Proteſtantes novas partes faciunt. Veriſſimum eſt quod ſcribis, in Italia fugæ plus fuiſſe quàm cædis. Itidem ad Leucatam. Claſſes otiantur. Eſtampius jam ad vos advenerit, vir bonæ famæ. Intelligo Leſlæo qui Duci Bernhardo militat permiſſum in Scotia milites ſcribere octingentos. Hæc iis quæ in altera epiſtola ſcripſeram adjungenda cenſui, maneoque, Illuſtriſſime Domine, Lutetiæ 31 Octob. 1637.

Excell. Tuæ obſervantiſſimus ſtudioſiſſimusque H. G.

CLAVDIO SALMASIO.

Vir eximie,

354 DEbitor pridem tibi magnæ ſortis uſuras, quas perſolvere meum fuerat, ultro abs te exſpectabam, cùm iterum nomen me tuum facis, tam benignè de noſtris è Græco verſionibus exiſtimando. Non falluntur Elſevirii, cùm arbitrantur neminem eſſe ex iis, quos literarum fama commendat, quem pluris quàm te faciam: idque velim & ipſis & aliis planè appareat. Cæterùm meum opus nondum eò perductum eſt, ut edi poſſit. Præterea aliud meum eſt inſtitutum, aliud Elſeviriorum. Hi Procopium volunt dare bonum Græcè è manuſcriptis, bonum Latinè ex interpretatione Vulcanii, Græcè doctiſſimi, quod ei teſtimonium liberaliter ſæpe reddidit Magnus Scaliger, & ego juſtiſſimè approbo, quippe eo uſus magiſtro & ſtudiorum meorum adjutore. Mihi verò propoſitum eſt contrahere, quæ ad illuſtrandas antiquitates Gothorum conſanguinearumque gentium pertinent: & eam ad rem, ut par eſt, tum mandata, tum adminicula è parente Gothorum Scandinavia opperior. Faveo igitur illorum labori; meum lentè per occupationes varias tamen promovebo, &, Deo volente, ad finem aliquando perducam. Flagitamus tuas Centeſimas, & Arnobium & Militiam. Vale, Vir ſumme, mihique inter eruditionis tuæ veneratores locum da non infimum. Lutetiæ, 31 Octobris, 1637.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

355 INcipiam à mira Gallorum felicitate, qui poſt receptas inſulas, & Picardiam omnem excepto Caſtelleto, pulſum Languedocia hoſtem, ſubito etiam Aquitaniam recuperarunt, ubi ſtructa egregia Caſtella Bordagainæ, Carræni, Socovæ & Ciburæ, præter minora Oroniæ Handaiæ, Hiſpani $\frac{17}{27}$ Octobris deſeruere, quod maximè mirum, nulla parte dejecta, exieruntque ut ſcribitur, ſexies mille pedites, turmæ decem. De cauſa tam ſubiti conſilii variè diſſeritur. Multi graſſante peſtilentia, derelicta loca morbida aiunt, accedente etiam aliquo Vaſconii inſultus metu. Nonnulli gliſcentes per Hiſpaniam ſeditiones ad ſe traxiſſe hunc militem putant. Alii de arcanis induciis murmurant aliquid, cui tamen ſuſpicioni obſtant non pauca. Nam Cardinalis Riceliaci intereſt haud dubiè & ſparſos & occupatos tenere eos qui potentiæ ipſius ſe poſſent opponere: & belli impendia multas & ipſi & conſanguineis ejus lucrandi latebras præbent: & jam in annum ſequentem LX milliones extra ordinem in belli uſus colligendos deſcribit. Accedit quod res Italiæ quietem vix paſſuræ videntur. Venit ad proxima Pedemontio Genuatium loca magna celeritate Sabaudus Cardinalis, habens indigenam nobilitatem multum ſibi faventem & metuentem. Galliæ ſocietatis Iuſſus fuit emanere. Pater Menottus, cujus magna jam ibi auctoritas, admittendum in oppidum aliquod, &, ſi quid moveret ut moturus videbat, cuſtodiis circumſepiendum cenſuerat. Nec minora in Mantuani Ducis ditione turbarum ſemina. Mater pupilli in Hiſpanos pronior cohibetur à Primoribus aliis in participationem tutelæ vocatis, & quia Caſalis præſidium potiore ex parte è Gallis conſtat, Venetorum autem mercenario milite tenetur Mantua. Leganeſius in agro Mediolanenſi habet novem prope millia peditum, equites bis mille. Miſſæ Neapolim naves, quæ novas pedeſtres copias adducerent. Sicut hæc non mala ſunt, ita ſummè dolendum eſt Germaniæ curam ita à Gallis projectam hoc anno, contra quàm nos & res ipſa monebamus. Halerius vix quadringentos habet, ultroque non modò petentibus miſſionem dedit, ſed & obtulit non petentibus. Nova auxilia, quæ ad octo aut ampliùs millia promiſſa erant, ad mille homines non perveniunt. Dux Bernhardus mortibus equorum ea paſſus eſt damna (ſeptem millia equorum mortua memorantur) ut ei plus mille ſexcentis qui equis vehantur non ſuperſint. Imparem hoſti ſe videns Caſtella inſulæ & trans Rhenum Gallis tradidit aut ſervanda aut ipſorum cum dedecore amittenda. Ipſe ad quartam Leucam à Baſilea in montanis locis ſe tenet, mandataque Regis exſpectat, Burgundiæ Comitatum hyberna ſibi deſtinans. Capta jam pridem eſt Dampvilleria, in quod tempus promiſſorum pars magna dilata fuerat; ſed tardum jam erit auxilia mittere in locis arctis ægrè ſe ſuſtentanti. Nec ipſe jam militem, ſed pecunias ob pontis impendia & caritatem annonæ extraordinarias poſtulat. Inſulam interim Brunbacenſem incurſat hoſtis quotidie. Quæ cuncta quò certiùs Tua Sublimitas cognoſcat mitto exempla epiſtolæ Ducis ad me liberum dolorem teſtantis, alteram ad me filii qui apud Ducem eſt, poſtulationem præterea cum quibus in hanc Aulam à Duce miſſus venit Truchſius, tabulæ etiam quæ penes captivos hoſtes reperta eſt, inſulam quam modo nominavi & appoſita ei munimenta depingentis, adjecta narratiuncula quadam. Cardinalis Riceliacus magnitudinem ſuam in dies magis oſtentat. Nuper cùm laudes mortui Ducis Sabaudi in magno Templo celebrarentur, ſedem ſibi poni juſſit qualem Regi, dempto quod pulvilli non erant liliati: habuit autem ſecum & ſatellites ſuos & ſatellitum Præfectum, quæ cuncta nunquam ſpectata hactenus. Vitriacus in Baſtilia etiam nunc eſt, urgetur à Provinciæ Legatis crimine peculatus, non tam falſo, quàm cum Præfectis aliis communi. Putatur tamen Halerii fratris favor, & odium in eum Reginæ Matris valiturum, ne quid ultra carcerem patiatur, ibi violatæ dignitatis Eccleſiaſticæ pœnas ſatis graves luiturus. Et dicitur hanc calamitatem parum militariter ferre, homo ferox in ſecundis, adverſorum intolerans. Eſtampium ad Batavos Legatum Marchionem Rex fecit, quò cæteros Legatos præfulgeat. Audio in Friſia Orientali eſſe viduam Landgravii in amicitia Gallica conſtantem ſatis & eodem iviſſe Hanoviæ Comitem cum ſorore. Sed frater defuncti ex ſecundo conjugio turbat res in Haſſia, & Sigenhemum, ut audio, invaſit. Procerum præterea, in iis locis plerique ad pacem feſtinant. Pater Ioſephus, in quem Cardinalis pleraque negotiorum reclinat, ita diſſerit, quaſi indicere bellum Imperatori non detrectaturi ſint Galli. Cæterùm appetens Romanæ gratiæ ita pergit favere Bavaro, ut id vel maximè Ducis Bernhardi conatibus obſtiterit. Principem Palatinum ſe ducem præbiturum exercitui qui Land-

gravii

gravii fuit, rumor hic fuerat: ſed Angli id negant ſe credere, nec conceſſura videtur Landgravii vidua, niſi magna præſtent Angli, quod futurum nondum videtur. Dicenti in colloquio mecum heſterno Legato ordinario Anglo agi de Daniæ Regis filio marito dando Reginæ noſtræ, dixi intempeſtiva adhuc eſſe de ea re conſilia, ea Reginæ ætate quæ moribus Septentrionis à nuptiis ſatis longè abeſſet. Cùm adjiceret credi Polonum in pretium novæ affinitatis aliquid in Suediam ſi non ſuo, at Imperatoris nomine moliturum, reſpondi vix me id credere, cùm nobilitas Polona, cujus maxima poteſtas eſt, talis belli ſenſura ſit adverſa tantùm, patente ipſorum terra ad noſtros & Moſcoviæ nobis amicæ incurſus: ex proſperis autem, ſi qua Regi proveniſſent, quod vix ſit ſperandum, nihil acceſſurum ipſorum genti; libertatem verò etiam in majore futuram periculo. Ajebat idem Legatus à Rege ſuo liberam electionem noſtris aliiſque dari, Hagæ an Hamburgi, quæ urbs mihi ſemper noſtris rebus opportunior viſa eſt, agere de fœdere Lutetiano vellent. Addebat veniſſe in Angliam Legatum à Marocenſi Rege, qui ejectis Anglorum ope piratis potitus ſit Saleæ, ſed quam jam circumſideat novi vatis exercitus: cui malo valde ab antiquo obnoxia eſt Afrorum ſuperſtitio. Oſtendit idem mihi literas ad ſe D. Archiepiſcopi in me magis quàm auſim dicere honorificas: narravitque datum à ſe & collega ſuo Liceſtrio Principi Condæo Celſitudinis titulum, cùm primùm Regis ſuper ea, quod is titulus ſubjectis alterius juris dari non ſoleret, voluntatem exploraſſent, atque is dixiſſet boni ſe conſulturum honorem domui ſuæ habitum. Ego eorundem Legatorum exemplo luctum indui tum de Sabaudo, tum de Landgravio Reginæ noſtræ fœderato. Princeps Condæus de itinere in Italiam ſe excuſavit. Mater Mantuani Ducis plus 28 annis non habet. Mortui Ducis teſtamentum executores ejus præceptorum nominat Ducem Longavillanum & D. Davauſium. Princeps Arauſionenſis Caſtilionæi filios duos ad ſe vocavit, ut præter agnatos plurimos, etiam cognatos habeat adminicula potentiæ. Mitto præter quæ dixi & Ducis Rohanii apologeticum libellum, nullo ſe magis quàm rerum taciendarum ſilentio defendentis. Maria Nivernenſis ac poſtea Mantuani Ducis filia, hujus pueri Ducis amita, bona ejus Domus in Gallia ſita ſibi vindicat, jure Albinagii, quod tale eſt ut extra Regnum natos à poſſidendis rebus ſoli, niſi Regis impetraverint veniam, excludat. Mihi non videntur ferre tempora ut is rigor adverſùs ſummi Imperii compotem fœderatumque Galliæ principem uſurpetur. Iſta habebam hujus temporis: id verò perpetuum quod Deum precor, Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine, pro rebus, Regno, Reginæ Tuæque Sublimitati proſperis. Lutetiæ 7 Novembris novi Cal. anni 1637.

Tuæ Subl. cultor devotiſſimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

856 *Illuſtriſſime Domine,*

IN magno hic ſumus non gaudio tantùm, ſed & admiratione, quod incredibili Gallorum felicitate, poſt receptas inſulas, Languedociæ oram, Picardiam, præter Caſtelletum, etiam Aquitania quæ Bajonam reſpicit liberata ſit ſubito diſceſſu hoſtium $\frac{11}{21}$ Octobris, ex caſtellis juſtis quatuor ad Boidagainam, Carreriam, Socovam, Ciburam, minoribus aliis ad Oroniam & Handaiam, quæ omnia, ita ut erant, integra Gallis reliquere, nulla ſatis gravi apparente cauſa, niſi quod peſtis accuſatur. At exiere ſub Duce Nocera ſex millia peditum, turmæ decem. Quidam ſeditionibus per Hiſpaniam ortis quæſitum hinc remedium conjectant. Atque ut hæc ſunt inſigniter læta, ita eſt quod doleamus de curatis tam negligenter Germaniæ rebus. Dux Bernhardus ſuo equitatu peſte equos abſumente ita imminutus eſt, ut ultra mille ſexcentos ei non reſtent, Halerio plus quadringentis non habente, eo autem quod ei, poſt tot promiſſa ac tanta, tam tardè advenit auxilio ad mille ſimul equites peditesque non perveniente, pontem, inſulam, & quæ adjacent munimenta Gallis tradidit tutanda, ſi poſſint: ipſe ad Baſileæ vicina conceſſit, pecuniaſque extra ordinem poſtulans ob eximiam alimentorum caritatem videtur in Comitatu Burgundiæ acturus inertem hyemem. Tantum nobis moræ ex moris & res multum intra verba ſtantes nocuere, ut jam, Dampvilleria, quod exſpectavimus, capta ſerum ſit eò copias mittere. Cardinalis Sabaudus cùm jam ad fines Pedemontii perveniſſet viduæ literis emanere juſſus eſt, crediturque in Genuatium ſolo hærere atque inde concitare partes ex faſtidio Gallicæ amicitiæ. Noſti illud vetus

Noviſque rebus infidelis Allobrox.

Mantuani pupilli mater, annorum XXVIII femina, Hiſpanis favere creditur: ſed adjuncti ei ſunt ad tutelam primores, Galliæ bene volentes, teſtamentoque cautum, ut voluntatem ultimam exſequerentur Dux Longavillanus & Davauſius. Præterea in Caſalis præſidio prævalent Galli; Mantuam tenet Venetorum miles. Saleam Mauritaniæ urbem, piratarum diu latibulum, Anglorum ope ſuam fecit Maroci Imperator ſive Rex dicendus eſt. Sed obſidet eam vates, efficax apud ſuperſtitioſas gentes malum. Hamburgi aut Hagæ electionem, ubi de fœdere agatur, liberam noſtris ſe relinquere ajunt Angli. Cardinalis Riceliacus LX milliones extraordinarios in annum ſequentem bello perſequendo parare ſe dicit. Iam tuas accipio, non ſanè veteres, datas $\frac{16}{26}$ Octobris. Quæ ad eas dici poſſunt, poſui pleraque in his quas antehac miſi literis, habes & in his quædam eò pertinentia. Filio tuo opto felicem ad vos reditum. Brandeburgicum ad Pontificios magis indies ſe vertere multi nuntiant. Neſcio an verum ſit, quod hic dicitur Sigenhemum à Landgravii fratre, ejus dico qui obiit, ad novas res occupatum. Ego & pro Duce Bernhardo laboro quotidie, & Landgraviarii exercitus curam Regi multis argumentis commendavi. Legati Britannici te amare deque tuis curis ſperare optima pergunt. Videntur mihi Angli in Suedia, planè ut in Batavis, non fœderis inſpiciendi poteſtatem facere, ſed ſummam quandam oſtendere. Verùm lege tota non perſpecta ex parte ejus judicare, non tantùm, ut Iuriſconſulti ajunt, incivile eſt, ſed & à prudentia alienum. Regem Daniæ filio ſuo ambire Reginæ noſtræ matrimonium, Polonum autem arma cum Imperatore jungere, etiam per Angliam rumores ferunt: ſed ut illa conſultatio immatura eſt, ita nobilitatem Polonam arbitror non immixturam ſe bello, unde nihil præter libertatis & alienæ & ſuæ periculum habeant exſpectandum. Bulionæo Duci manſuram Trajecti ad Moſam Præfecturam arbitror, & Galliæ Regis, & avunculi favore, quanquam id cum præceptis in iſta Republica jam diu valentibus pugnare ſatis apparet. Maris curam rectè faciunt Batavi quod potiùs hominibus mandant, qui per gradus navalis militiæ increverunt, quàm iis qui ſocordiæ obtendunt fumoſas imagines. Omnia optima, Illuſtriſſime Domine, & tibi & tuis comprecor. Lutetiæ 7 Novembris novi Cal. 1637.

Excell. Tuæ obſervantiſſimus eique addictiſſimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præſtantiſſime Domine,

VNo hoc tempore id eſt 5 Novembris novi Cal. ternas abs te accipio datas $\frac{1}{11}$ Septembris Stockholmiæ $\frac{5}{15}$ Septembris ibidem, poſtremas verò Hamburgi $\frac{10}{20}$ Octobris. Pro ſuſcepto labore rerumque ſcitu neceſſariarum indicatione gratias ago. Cæteras quarum meminiſti eas accepi omnes, demptis illis quæ datæ ſunt $\frac{16}{26}$ Septembris.

bris. Respondi autem ego omnibus. Fœminæ nostrates in epistolico caractere parum se exercent. Hamburgum te rectè pervenisse gaudeo, & placent mandata. De Catullo multum metuo ne Vindex aliquid 12. 60. 27. 23. Sophos agat. Fraudem, quæ subest in mutatione nominum, in pactis, & quò ea tendat rectè olfecistis. Vide ne quid & ad dignitatem Regni spectans lateat. Anni 32 reliquum jam pro persoluto haberi debet, cùm pro eo responderit Heufdius. Dicit S. Chaumontius plus solutum quàm ex eo anno debebatur. Cætera quæ vos postulatis de pecunia numeranda ab eo tempore quo inita sunt pacta æquissimum est, cùm fructum societatis nostræ re ipsa & quidem ingentem perceperint. Coloniam nostris rebus accommodatam non esse satis liquet, an Gallorum rebus apta sit ipsis dispiciendum relinquo, cùm & urbs & cuncta circum sint hostilia. Hamburgum ob Suediæ propinquitatem commodius mihi videtur ad consultationes tam de pace quàm de federe, quamquam Hagam video præferri ab Anglis. De Gallo-Britannicis pactionibus haud multum boni exspectare videtur D. Camerarius, & illa prior pars quam auxiliarem vocant, nihil est revera, pars altera suspensa & conditione insperabili. Video exercitus suos in arctum cogi magno suo malo. Potuit id præveniri si in tempore vires habuisset Dux Bernhardus penetrandi in Germaniam: nunc neque eas habet, & si habeat effluxere rerum tempora. Danus quid seriò agat, quid simulet tantùm, scire plurimùm refert. De Landgravii vidua bene hic speratur, scripsitque ad eam Rex. At qui Cassellæ sunt plurimi pacem quamlibet malunt; itaque turbarum metus est. S. Chaumontium à Rege parùm benignè exceptum ob quas dicis causas hic didici. Per 100. 200. 27. 61. tentari Hannibalis animum, non abs re sit. Lactucarii quid agant, quid acturi sint cælant satis, illud de omisso Potentissimi titulo à 69. 72. 6. 72. 77. 2040. primùm ipsorum ut apparet consilio, deinde ab ipsis, non placet. Et vereor ne quid ad Claudium spectans lateat Oryzæ molitionibus. Scis Serenissimi titulum Ducibus Italiæ dari solitum Regesque, ab iis aut Potentissimi aut Christianissimi aut simili alia adjectione distingui. Multi & hic & in Anglia sermones sunt de Reginæ nostræ matrimonio, quod Rex Daniæ filio suo minori expetiverit. Non dubium est quin adversùs hanc petitionem competat dilatoria exceptio. De Poloniæ Rege, quod dicitur, bellum ab eo in nos parari non credo, cùm id quod Nobilitati Polonæ super ea re in mentem venire posset considero, ne auxilia quidem, quæ Imperatori inde venire possent multum metuo. Vale, Vir egregie. Lutetiæ 7 Novembris novi Cal. 1637.

Multum dubito verumne sit quod hic vulgatur pacem esse Turcæ cum Persa, & ad mare Euxinum loca aliquot capta à Cosaccis & Moscovitis.

Tuæ Cl. addictissimus H. G.

D. REIGERSBERGIO.

858 MAssiliam rectè te pervenisse, Nobilissime Reigersbergi, gaudemus omnes & jam in Italia te esse auguramur, quod felix tibi faustumque sit. Ei quam ante hac mihi miseras epistolæ, respondi, neque me pigebit umquam, aut legere tuas aut tuis rescribere. Memento videre, si Casale adveneris, D. Cancellarium Guiscardium, si Florentiam Galilæum Mathematicorum ac Physicorum principem, si Bononiam Iustum Ryckium Belgam. Nam de salutandis Romæ Puteano & Holstenio, nihil credo te admoneri opus. Antiqua monumenta & loca in quibus res gestæ sunt memorabiles, etiam transiens spectare cura: inquire, quantum licet, in principum civitatum vires ac studia: denique illam tibi præcipuè para scientiam, qua Itali cæteras gentes facilè antecellunt, imperio regendi populos. Vale & nos omnes tui memores crede, idque nos abs te exspectare mutuum. Lutetiæ 10 Novembris novi Cal. 1637.

Tuus tibi faventissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eximie,

TArdipedes tuæ fuere literæ scriptæ circa Eidus Quintiles, ad me pervenere circa Eidus Novembris. Ita 859
curari solent, quæ per amicos mittuntur, iter quippe facientes suo ex usu, non ex desiderio nostro. Is ipse per quem miseras Danus, accessit quidem ædes meas, sed me non reperto, ita volentibus rebus ipsius, ab hac urbe abiit, & mecum colloquia in reditum distulit: ego & ei, & quoscumque vel leviter commendaveris, præstabo omnia quæ meæ sunt opis. Tua de Idololatria nec minùs de arte Poëtica, non credas quàm hic exspectantur avidè. Nostræ ad Euangelia notæ ut facilè vides exspectandum habent Heinsianas, Gothica quoque nostra Procopii editionem quam moliuntur Elzevirii, Anthologiam paratus submittere, si tibi placent Typi Græci, si adest corrector & qui indicem concinnet, valde hujus Operis usui necessarium. Præterea video agi cum illis moratoribus non debere nisi ex Syngrapha, ut nisi intra præstitutum diem absoluta sit editio, committatur pœna. De Annalibus & Historiis belli Belgici an edi debeant, certè ad inducias usque tuum & quos amicos nobis nosti judicium exspecto. Nolo lucrum ex editionibus facere, sed indemnem me præstari æquum est. Id nisi centum habeam exempla chartæ melioris bene compacta consequi non possum, tantus est eorum quibus debeo numerus. Si quis Tacitum ediderit, habeo multas ad eum conjecturas. Ad Lucanum quoque notas duplices conjunxi, multaque addidi, si quis fortè uti velit. Nostri te, tuamque Matremfamilias ac liberos resalutant. Lutetiæ 10 Novembris 1637.

Tuus tibi obligatissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

AD implenda ea quæ Rex per se perque Cardinalem mihi ac D. Mullero promiserat, conveniendum mi- 860
hi censui Noyerium, cui inter quatuor status Gallici Secretarios belli cura gravis lateque patens incumbit. At ipse ad me venit prior, ac cùm ei ostendissem quantum nostrâ interesset aliquid à Gallis per Germaniam tentari, quantum ex mora accepimus detrimenti, quàm res ea jam proclivis esset Regi, post Languedociam & Aquitaniam hostilibus armis liberatas, ipsaque perlegissem pollicitationis Regiæ verba, dixit nihil opus me id quod nostrâ referret multis exsequi, cùm idem non minùs referret & Regis & Galliæ. Copias per Manicampium missas aliquanto majores faciebat quàm Dux & Truchsius ad CIƆ CCC. Mitti nunc alias ex Cardinalis Valettæ exercitu & eo qui Dampvilleriam cepisset. Eas postea dixere mihi & Heufdius & Truchsius fore ad mille equites, pedites mille, addebatque Heufdius eam pecuniam quæ fine Novembris Duci deberi inciperet prænumerandam ei, si Rhenum transgredi vellet. At Noyerius ita loquebatur, quasi vix speraret Ducem Transrhenana petiturum, quod in montanis ubi nunc esset locis, Basileam inter & Comitatum Burgundiæ, diu à bello intactis, opulentæ ipsi militique sedes forent. Pontis membra disjecta jacent sub præsidio castelli ad Rhenum, quod à Gallis defenditur, quò minùs pateant ad hostium injurias. Is quem dixi Noyerius ita est Pontifici ejusque placitis ac rebus addictè serviens, ut etiam de eo Cardinali faciendo Romæ sermones sint. Talis cùm sit, promptiore

Digitized by Google

te animo ut ea sit facturus quæ Protestantium per Germaniam alibique res labefactent, quàm quicquam eorum per quæ ei vires recipere possint. Ac sicut isti homines induci non possunt quin Bavaro velint optimè, in quem præcipuè diriguntur Ducis Bernhardi, si Rhenum transeat, consilia; ita video etiam Brandeburgici causam apud eos non parum habere favoris. Et his studiis suis obtendunt spem, ni fallor, inanem per hoc aliquando Domui Austriacæ auferri posse continuum jam tam diu in eorum sanguine Imperium. Interim dum ipsi de pace agunt & induciis, nostras spes rejiciunt in ver proximum. Pontifex plurimùm ad inducias laborat, aut universales aut certè per Italiam. Heusdius ex iis quibuscum loquitur sermonibus putare se ait, ut rata habeantur pacta Wismariensia. Gallos promissas pecunias sine imminutione depensuros. In bello Imperatori indicendo non æquè fore faciles. Et exspectaturum ea de re nova mandata Davausium. Castelletum in Picardia ajebat Noyerius recuperari à Gallis potuisse, si voluissent: sed id non tanti visum. Sunt multi qui credant imminere Cimaco Gallos, ut in hostili Belgarum solo hyemem agant. Castilionæus dicitur ire in obsidionem Ivoii, quem locum nuper Hispani receperant. Id si est, parum ex eo exercitu perveniet ad Ducem Bernhardum; sed poterit, si res seriò agitur, id suppleri ex iis quæ Rohanii fuere copiis; nisi fortè attinebit & has Longavillanus Salinarum in Comitatu Burgundiæ obsidione, nam id quoque dici audio. Multum lætantur Galli ob seditiones hinc in Hispaniam transgressas. Portugallia maximè ita commota, ut non procul à defectione res sit. Id si durat, cogitandum esset Gallis ac Batavis quomodo vetera illa inter Castellanos & Portugallenses odia ad mansurum aliquod dissidium perduci possint. Olim Angli Antonium nothum in Portugalliæ Regnum reducere voluerunt, quod ipse populi levitate adeptus pari facilitate amiserat. Is nothos reliquit duos, quorum alter Hispani prælatis partibus in Brabantia vivit, alter in Gallia: neuter ullis bonis actibus cognitus. At si conspirent, quorum interest negotium Hispano facesci, viresque initiis subministrent, nemo ad faciendas ibi partes sit potior Duce Bragantiæ, opibus clientelisque pollente, ortus ex Catharina filia Eduardi, qui Eduardus frater fuerat ejus Henrici qui post Sebastianum regnavit. Catharinæ autem illius jus omnes per Portugalliam scholæ defenderant, priusquam eis silentium imponerent Philippi Castellæ Regis arma, nimirum quia existimabant eruditi, filiam ex filio natam in pari gradu præferendam filio nato ex filia, qualis erat Philippus. Sed de his cogitare illorum sit quos ea res propiùs spectat. Bredæ Præfecturam rumor destinat Frederico Principis Arausionensis notho, qui hic militaribus artibus instruitur. Archiepiscopus Remensis juvenis filius Ducis Guisii Rege inconsulto ex Italia in Galliam venit amore percitus Annæ, quæ minor est filia Ducis Mantuani modò mortui. Non difficulter ei matrimonium hoc permitteret Cardinalis Riceliacus, si ei vellet sacerdotia, quæ multa & optima possidet, purè à se abdicere: at is non ita amens amore est, ut non cupiat ante nuptias omnia illa sacerdotia in fratrem suum transferre, quod perdifficile obtentu erit. Cæterùm ut Hispaniæ res credam non optimo esse loco, etiam hoc accedit, quod Cardinalis Sabaudus cliens haud dubius Hispaniæ, à Genuati agro retro se Romam tulit, acceptis à fratris Vidua literis, quibus ei reditus tum profani tum sacri à defuncto Duce adempti non in futurum tantùm, sed & in perpetuum reddit. Det Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati cuncta prospera. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Novembris 1637.

Venit, hæc postquam scripseram, ad me Truchsius. Is multa incerta nunc habet, quæ priùs certa duxerat. Iubetur, multùm circumducto itinere, ire ad Feuquerium qui apud Virodunum est. Is verò iturusne sit ad Ducem Bernhardum, & copias ducturus, an missurus, & quas & quantas, nescit Truchsius. Heusdius pecuniam numerare differt, donec mandatum Ducis speciale acceperit, quasi idoneus rerum actor non tanti sit, quanti scripta mandata: nec concessum petenti Duci ut ad vitanda intertrimenta pecunias è Gallia ad se portari faciat. Tum verò quod minimè placet, Noyerius ad minuendos sumptus pontem vult derelinqui, quia partim ex conductis navibus constat. Perendie constituit hinc abire Truchsius. Dux Bernhardus ultra sex millia non habet, ex pactis cum Gallia obligatus alere XII equitum, sex peditum millia, sed id quò minùs præstet, excusant eum loca in quibus vivit & equorum hominumque mortes. Miratur ipse Truchsius tantam in suis negotiis de subito mutationem, nec quid potissimùm suspicetur satis scit. Etiam quæ de obsidionibus scripsi, ita quidem rumoribus circumferuntur, sed parum adhuc explorata sunt. Quod hic de Regis in pacem studio in vulgus editur, mitto. Dicitur Dux Bernhardus per Ascham & Angestenum ivisse versùs Laumontium & Delmontium.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

STENONI BIELCHIO, Eadem D. CAMERARIO, & D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

LAboramus etiamnum ut majoribus copiis firmetur in Dux Bernhardus. Ajunt ministri Regii mitti eò equites mille ex Castilionæi & Cardinalis Valettæ exercitibus, bis mille pedites, Rohanii nuper militem. Agit ipse in montanis Basileam inter & Comitatum Burgundiæ, in uberibus satis locis belloque diu intactis: & hostium quosdam eò ingressos depulisse dicitur. Castella insulæ & trans Rhenum Galli custodiunt, & pontem, sed dissolutum ac castelli præsidio tutum ne ab hoste impetatur, qui per vada aut scaphas insulam incursitat. Pecunia quoque aliqua Duci in antecessum dari promittitur, si transgredi Rhenum velit, quod hac anni tempestate, adeò invalescere permissis hostibus, erit satis difficile. Tamen Ivoii obsidium etiamnum tentat Castilionæus: Salinas, ut dicitur, Longavillanus. Is qui in Hannoniæ fine est exercitus Cimacum versùs se promovet, ut si eo potiri possit in hostico agat hyemem. Magnas spes concipiunt Galli ex Portugalliæ seditionibus, quæ à defectione dicuntur abesse non longè. Sed tales flammæ in ipsis initiis facilè emarcescunt, ni alimenta suggerantur. Pontifex de constituendis induciis aut ubique aut in Italia multùm laborat. Archiepiscopus Remensis, Ducis Guisii filius, ex Italia, ubi cum patre Regis jussu vivebat, in Galliam venit, nuptias expetens Annæ, minoris filiæ ejus qui mortuus nuper est Mantuani Ducis. Nuptias videtur à Rege impetraturus, nisi vellet sacerdotia quæ opima possidet priùs transferre in fratrem: quod erit perdifficile. Legi Pontani librum ex occasione scriptum Seldeniani. Ostendit se historiæ gnarum, novæ ac veteris. Sed ipsam de mari possidendo quæstionem tractat involutè, de industria, ne quid Daniæ Regi, cujus est popularis & beneficiarius, incommodet. Rediit Romam à Savona Cardinalis Sabaudus, pollicitus nihil se moturum aut pupillorum aut Viduæ rebus adversum, cui vicissim promissi sunt reditus tum sacerdotales, tum alii, etiam pro elapso tempore, quos ei Dux jam mortuus ob offensas noluerat persolvi. Id quoque adjici potest ad indicia laborantis rei Hispanicæ, quæ alioqui tam bellam occasionem non fuit emissura de manibus. Opto, Illustrissime Domine, tibi tuisque cuncta felicissima. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Novembris 1637.

Tuæ Excell. addictissimus ejusque observantiss. H. G.

D. SCHMAL-

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

862 Accipio pariter 12 Novembris, ut hic numeramus, tuas datas 26 Septembris & alias datas 23 Octobris. Ad illas priores nihil responderi opus, cùm ad recentiores illas, quas 20 Octobris scripseras, jam responderim. De pecunia si perstatis, puto vos quod vultis impetraturos: idem judicat Heufdius. Quæ scribis de tractanda re Mimnermi partim ad præcoqua, partim ad Nervam indicium mihi facit, non venturos Lactucarios apertè in Callimachum cum Hannibale. Ad id quod Xenocrates de Iustino in privato sermone disseruerat, scito hunc semper in illius fore potestate, nec quicquam ducturum grave quod ipsi placuerit. De Archiepiscopatu Magdenburgensi promisso Hallensi & hic audivimus; sed nempe si mors præcedat filii Saxonis. De Lusatia verumne sit dubito, & Regem Daniæ & civitatem Hamburgensem quàm diu poterit suspensos tenebit Imperator, ut ad suos usus & hanc & illum verset. Pro D. Deodato gratias habeo. Ea est ejus virtus & eruditio, is etiam in te amor, ut bene positum sit quidquid in eum confertur. Gaudeo habere vos capita federis Gallo-Britannici, an plena cogor ambigere. Episteinius ut mihi malè velit causas non habet; res ipsius promovi semper, sed non ita cæcus sum, ut non videam Vindicianos eo sæpe uti suo arbitratu. Miser sim, si etiam Doliveto invideam, homini nec Grammatices quidem & Prosodiæ leges bene callenti. Ridendum me propinasse doctis omnibus, si me probante tale opus de Rege tanto scriptum prodiisset. Interim ut pro benevolo in res nostras animo & conatu qualicumque, aliqua liberalitate permulceatur & monui & moneo. Ex omnibus Anglorum sermonibus cognovi, malle eos Gallis cedere & ab iisdem in loci secundi possessione defendi, quàm à nobis controversiam pati. Vale quàm optimè. Lutetiæ 14 Novembris novi Cal. 1637.

Pransus est mecum D. Deodati, tibique summas agit gratias de effectu nihil diffidens.

Tuæ Præst. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

863 Incipiam à re jocosa, sed quæ, ni fallor, ducit seria. Rex initio hujus anni & se & Regnum suum voto dicavit sanctæ Virgini: nec dubitat huic voto referre quæ ipsi hoc anno in omni Galliæ limite feliciter cecidere. Nec tantum quater centena Francorum millibus altare parat Virgini excitare in Ecclesia hujus urbis cathedrali; sed & diem qui in medium mensem Augustum incidit ab Assumptione, quam vocant, Virginis nomen habentem, multò quàm antehac impensiùs vult coli, eisque de rebus literas suas mittit ad Parlamentum Parisiense, cujus ego inspectioni relinquam an congruat satis ad id quod agitur cum Salica lege. Quod si jam sancta Virgo, ut credibile est, D. Cardinalem Riceliacum Vicarium juris sui fecerit, quid restabit aliud quàm ut Rex devotè pareat? An ex eodem hoc voto fluat, quod auxiliis & serò missis & valde exiguis in Germaniam penetrare non potuerit Dux Vinariensis, quod in locis arctis agens Ducis speciosus ille exercitus ad IV millia, ut Angli ad se scribi ajunt, defluxerit, & nunc quoque imminuatur indies in montanis illis locis, non uberibus sanè, ut mihi dixerat Noyerius, sed macris & exsuccis: quod denique castella trans cisque Rhenum, & pons ipse & munimenta alia, Gallorum commissa custodiæ in hostium venerint potestatem, prudentiæ Sublimitatis Tuæ dijudicandum relinquo, & parco de illis malis plura scribere, quando & ipse scripsi postremùm ea quæ ad Truchsii usque abitum cognoveram, & accuratiùs ea depingit qui in vicinis locis nunc vivit D. Mullerus. Certè eos qui hic res tractant maximas, ita suas res agere, etiam Protestantium auxilio, ut tamen sæpe in gratiam Romanæ Aulæ res Protestantium evertant, jam diu est quod conspicimus. Nec id cælanda Sublimitas Tua quod nunc 4. 17. 30. 27. 246. 273. discimus, vixisse in Fabii familia, dum is apud Sophos ageret quendam nomine 92. 72. 81. 66. 71. 1009. qui cuncta quæ cognoscere potuit transcripsit ad 11. 27. 66. 43. 80. 66. 71. 81. 23. 273. 276. 22. 80. 66. 10. 79. 78. 27. 60. 72. 61. cujus operæ mercedem is homo nactus est opimum Beneficium Viroduni. De obsidionibus Ivoii, Salinarum, Cimaci fabulæ fuere. De Catullo multi sermones. Hosti ad Rhenum esse audio decem millia. Dux Vinariensis nisi aliquis Galliæ ager, Campanus puta aut Burgundus ei ad hyberna datur, etiam illas tenues exercitus sui reliquias ægrè servabit. Inter alias pecuniæ faciendæ rationes etiam hoc hic repertum est, quod redituum qui ex publico privatis debentur, quarta duntaxat pars persolvitur. Venit huc à Genuensi Republica Legatus, cui gratulatum quidem de more misi: sed carrucam illico redire jussi, ne rixa meis oriretur cum hominibus Nuntii Pontificii, iniqua nobis futura his in locis. Ego eundem Legatum prior adire constitueram, ut Batavo feci nuper; sed cùm mihi dixerit Legatus Anglicus Extraordinarius se ad eum non iturum, neque Excellentiæ ei daturum titulum, quibus de rebus proprium non habeo mandatum, & id è tam longinquis locis opperiri serum sit, nihil rectiùs putavi me posse facere, quàm si illius exemplum sumam pro mandato. Idem Legatus Anglicus dixit mihi suum Regem paratum per suos agere de inducendis ad fedus Lutetianum aliis, sive Hamburgi, sive Hagæ, ideoque & Boswelio dedisse mandata, qui Hagæ est, & iis qui Hamburgi sunt, Wyckio, Averioque. Cæterùm dolere sibi ajebat, quod, dum non eligitur locus, tempora diffluant. Dixi arbitrari me, nostros jam difficiles fore in sequenda Regis Angli voluntate, locum quod attinet: Hamburgum tamen videri mihi ad nostras consultationes opportunius. Cùm urgerem aliquid ad bellum esse ipsis conferendum, dixit pecuniis carere Regem suum, me non reticente, cùm Europæ prope totius commercia in Angliam corriventur, fieri non posse quin multum inde increscant Regis vectigalia. De bello à Gallis profitendo in Ferdinandum III. puto, ubi ad rem ventum erit, apparituros nodos quos nunc occultat Davausius. Vnum est Anglorum factum virile quod Legatum Polonum à se dimisere, non dato ei Regis conspectu. Helvetii minaciter apud Ducem Vinariensem conquesti sunt, quod miles ejus in ipsorum agros excurreret. Preces addam, Excellentissime & Illustrissime Domine, pro Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis rebus prosperis. Lutetiæ 1/11 Novembris 1637.

Rumor hic est Oranum Africæ oppidum, quod Hispani possident, obsideri à Mauris. Gallicus exercitus qui ad Belgicum finem est circa Hanapium esse dicitur: Hispanicus partim apud Cameracum & Bouchaimum, partim apud Quesnoium & Bavasium.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Hic omnia, ut cœptante hyeme frigent. Neque de 864
obsidendo Ivoio, aut Salinis, aut Cimaco verbum ultra. Germaniæ res quàm negligantur, docent castella ad Rhenum cum ipso ponte munimentisque minoribus capta ab hoste: Dux autem Vinariensis, dilatis tam diu auxi-

Digitized by Google

auxiliis, in sterilium montium redactus angustias imminente quotidie ejus exercitu, ut negent Angli plus illi reliquum quatuor millibus. Nunc etiamsi adventent ei quæ promissa sunt auxilia, oneri magis erunt, ob annonæ ac pabuli difficultatem, neque tutos excursus, inde Savellio ac Waertio, hinc Duce Carolo prementibus. Pecuniam maximè Dux expetit ut copias refoveat. De cætero spes nostræ in ver rejiciuntur. Vidi indicem copiarum quæ sub Savellio, Waertioque sunt: ex perveniunt ad decem ferme millia. Scripsere ad Ducem Vinariensem satis minaciter Helvetii, nolle se pati militis ejus in suas terras excursus. Polonus Legatus ab Anglia abiit non impetrato Regis conspectu. Utinam Angli in rebus aliis tam fortiter agerent. Rumor hic est Oranum Africæ oppidum, quod Hispani possident, obsideri à Mauris. Gallicus exercitus qui ad Belgicum finem est circa Hanapium esse dicitur; Hispanicus partim apud Cameracum & Bouchaimum, partim apud Quesnoium & Bavasium. Opto, Illustrissime Domine, Excellentiæ Tuæ prospera omnia. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novembris 1637.

STENONI BIELKE.

Excellentissime Domine,

865 QUas 26 Octobris novi Cal. scripsit Excellentia Tua ad me literas, eas hujus mensis Novembris die 18 accepi. De Wismariensibus pactis quantum conjectura duci possum sic existimo, de pecunia conventurum inter vos, & si perstiteritis, impetraturos vos quod vultis. Cæterùm super bello profitendo in Ferdinandum III. ejusque sectatores, apparituras suo tempore, quæ nunc latent, difficultates. De Gallo-Britannico fœdere dicunt, qui hic sunt Angli, paratos se agere aut Hamburgi, aut Hagæ nostrorum arbitratu, dataque ut Boswellio, qui Hagæ est, ita Hamburgi agentibus Wyckio Avetioque de ea re mandata.) Ego dixi ita me credere, non difficulter nostros Anglorum desideriis se aptaturos. Cæterùm mihi Hamburgum videri ob situm Suediæ propiorem rebus nostris opportunius. Sed urgenti mihi, æquum ut aliquid ad bellum conferant, pecunias negant abs se exspectandas, inopiamque obtendunt; cùm tamen omnes maritimæ travectiones per aliarum gentium bella illuc se transtulerint, publicè privatimque lucrosissimæ: quare suspectus mihi est excusationis tam frigidus color. Quid porro fiet ad Rostochium & Ribnitzium, & an eat in Hassiam Kingius scire avebo. Felices hoc anno fuere Galli in omni suo limite. Cæterùm neque ad Malbodium quicquam actum aliud, nisi quod servata sunt castra: & in Italia exigua hostium clades fuit, & ad Leucatam parum sanguinis, multumque fugæ. Sed tamen gloriolis illis inflare Gallos pars prudentiæ est. Polono ut video non minus odii quàm lucri feret Spiringianum commentum. Hic omnia cœptante hieme frigent, neque de obsidendo Ivoio, aut Salinis, aut Cimaco verbum ultra. Germaniæ res quàm negligantur, docent castella ad Rhenum cum ipso ponte munimentisque minoribus capta ab hoste. Dux Vinariensis dilatis tam diu auxiliis in sterilium montium redactus angustias imminente quotidie ejus exercitu, ut negent Angli plus illi reliquum IV millibus; nunc etiamsi ei adventent quæ promissa sunt auxilia, oneri magis erunt, ob annonæ pabulique difficultatem, neque tutos excursus inde Savellio, Waertioque, hinc Duce Carolo prementibus. Pecuniam maximè Dux expetit ut copias refoveat; de cætero spes nostræ in ver rejiciuntur. Vidi indicem copiarum quæ sub Savellio Waertioque sunt, ex perveniunt ad decem ferme millia. Scripsere ad Ducem Vinariensem satis minaciter Helvetii, nolle se pati militis ejus in terras suas excursus. Polonus Legatus ab Anglia abiit non impetrato Regis conspectu. Utinam Angli in rebus aliis tam fortiter agerent. De pecunia pro anno 22 debita, quasi ea jam soluta sit, sermo instituendus, ne, si minùs conveniat, revocent Galli eas delegationes quas dedere Heusdio qui pro ea pecunia nobis spopondit. Opto, Excellentissime Domine, Excellentiæ Tuæ felicia omnia. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novembris 1637.

Rumor hic est Oranum Africæ oppidum, quod Hispani possident obsideri à Mauris. Gallicus exercitus qui ad Belgicum finem est circa Hanapium esse dicitur, Hispanus partim apud Cameracum & Bouchaimum, partim apud Quesnoium & Bavasium.

Excell. Tuæ observantissimus eique addictissimus H. G.

IOANNI DURÆO.

Vir Reverende,

EX literis quas ad me III nonas dedisti, pervenere autem 866
eæ ad me hujus demum mensis die quarto, cum dolore intellexi impedimenta quæ se objiciunt proposito tuo pio, ac publico utili; solantur autem me primùm tua constantia, deinde D. Magni Cancellarii propensus ad hanc rem efficiendam animus, quem præter literas tuas, etiam D. Mulleri multa hac de re colloquia testata sunt mihi. Idem mihi Mullerus scripta, quæ inter te Suecosque nostros commutata sunt hoc super negotio ostendit, proficiscensque Argentoratum literas meas secum tulit ad virum optimum doctissimumque Matthiam Bernеggerum, quibus eum rogavi, ut quibuscumque posset modis tua consilia promoveret, leniretque animos asperiores: quod eum facturum confido. Egi etiam de re eadem cum ambobus ab Anglia hic Legatis D. Comite Licestrio, & D. Scutamorio. Utrique videtur, ut & mihi, ut conventus instituatur omnium, qui ubique sunt Protestantium, non ferre hæc tempora, per quæ illis ne pax quidem ulla communis humanæ societatis constat inter se. Optimum igitur fore, ut sicut amicitia inter se junguntur, brevi fortè etiam jungentur fœdere, Suediæ Britanniæque Regna, ita & eorum Regnorum Ecclesiæ suæ concordiæ edant professionem publicam, primumque vicinis Suediæ Danis & Norwegis, deinde & aliis dent exemplum, quod imitentur. Constituto semel aliquo tali Ecclesiarum corpore, spes est subinde alios atque alios se aggregaturos. Est autem hæc res eò magis optanda Protestantibus, quod quotidie multi eos deserunt & se cœtibus Romanensibus addunt, non aliis de causa, quàm quod non unum est eorum corpus, sed partes distractæ, greges segreges, propria cuique sua sacra, crorum communio, ingens præterea maledicendi certamen. Quæ quidem ut sanentur, referre Protestantium, in tanta præsertim malè ipsis volentium conspiratione, quis non videt? Ego cùm vix aliud possim præstare, ejus, laborem tuum adjuvabo seriis ad Deum precibus, sermonibus etiam ad eos qui aliquid possunt, quoties se dabit occasio. Modum autem agendi quod attinet, suadeo eum, quantum potes ad ea accommodes, quæ D. Magno Cancellario & optima & tempori locoque convenientissima videbuntur. Deus, Vir Reverende, tuos gressus regat, tuaque cogitata prosperet. Lutetiæ 21 Novembris 1637.

Tuæ Rever. Cl. addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

FErt has literas Domesticus D. Davausii missus ab ipso ut mandata Regis referret. Nudiustertius venit ad me D. Chavigniacus, is qui Regis arcana circa gentes exteras tractat, summa florens apud Regem & Cardinalem gratia & auctoritate. Locutus mihi de iis, quæ inter Excellentiam Tuam & D. Davausium sunt disceptata. Dicebat ea partim ad pecunias pertinere, partim ad tempus per quod duratura esset societas. De bello Austriacæ

Domo

Digitized by Google

Domo indicendo silens. Triennium dicebat numerandum à tempore quo rata habita forent pacta, pecuniam quoque non nisi ab eo tempore deberi, paratum tamen Regem aliquid facere dispendii, & pro eo quod effluxit tempore dare millionem unum, qui per interusurium ipsi constiturus sit plus XII centenis florenorum millibus. Rogari me à Rege, ut significarem Excellentiæ Tuæ nihil ultra id à Rege datum iri, ego cùm ei explicassem quantis sumptibus quantas hostium vires nostri sustinuissent, omniaque ea præstitissent quæ ex pactis Wismariensibus Galli poterant sperare, quod autem serius traderetur ratihabitionis charta, in eo Magni Cancellarii apparuisse prudentiam, qui eo Regni Suedici statu, ut omnibus Ordinibus satisfaciendum sit, non extorquere autoritate voluerit sui consilii probationem, sed lento persuadendi labore id obtinere, ut nemo etiam eorum qui pacis avidiores fuerant, aliter faciendum quàm ipse fecerat judicarent, addidi præter cætera nostrorum facta fortia etiam Landgravii res, unius ex tanta Societate tunc reliqui Principis, nostris sustentatas auxiliis, quare precari me ut Regem induceret ad res nostras majore pecunia adjuvandas. Non invidere nos Batavis, quibus annui darentur milliones duo, credereque nos bene Regi, constare ejus impensæ rationem, sed neque minùs utiliter positum iri quod Suedis daretur. Si id obtineri possit, sperare me, quamvis mandata haberem nulla, de producendo societatis tempore nostros haud nimium fore difficiles. De reliquo anni 32 loquenti dixi, id jam sub Heufdio persolutum. Querenti cùm communis esset bellandi causa, neminem tamen esse bellantium qui non Regem Galliæ pecunias posceret, dixi haud mirum si ab unoquoque sociorum exspectarentur eæ, quæ pro cujusque essent viribus. Alios milite valere, Regem Galliæ & milite egregium & pecuniis opulentum, nunc maximè cùm Burgundiam, Picardiam, Languedociam, Aquitaniam hostibus liberasset. Non dissimulabat D. Chavigniacus damnum acceptum amissis ponte Castellisque ad Rhenum, addebatque venisse à D. Banerio literas, quæ Ducis Vinariensis in Germaniam adventum valde optarent. Pro solatio adserebat mitti D. Feuquerium cum duobus equitum, quatuor peditum millibus, & non extra spem esse posse Rhenum gelu pervium fieri: ac ni id succedat in proximum ver eas parari copias, quæ hostium partem magnam à nobis avellerent, atque ita viam nobis in terras hosticas panderent. Hanc sermonis inter nos habiti summam, cùm & ipse id posceret & Excellentiæ Tuæ eam scire interesset, significandam his literis duxi, siquid ultra dignum cognitu evenerit, id primo die, quo tabellarius proficiscetur indicaturus. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Nov. 1637.

Excell. Tuæ addictiss. ejusque observantissimus H. G.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

868 QVi ad me nunquam venerat ante hac D. Chavigniacus, nunc qua de causa venerit, quibus usus sit sermonibus, quos à me retulerit, cognoscet Sublimitas Tua ab exemplo literarum, quas ipsius rogatu scripsi ad D. Salvium, dedique, ut voluit, D. Davausii domestico, qui postridie abiturum se dicebat, cæterùm, ut nunc audio, adhuc his hæret in locis. An seriò voluerint commendari à me negotium federis, & spes tantæ quantam exigimus pecuniæ præscindi, an verò Austriacis ostendere cupiant in sua esse potestate fedus ubi velint facere nobiscum, parco in rebus tam obscuris judicare. Scio de induciis multos esse sermones. Scio à Rege Episcopum Lexoviensem mitti ad Reginam matrem: Riverium nobilem ad Margaritam Lotharingam: neque ignoro fugam Gallorum à Rheni castellis, ne tentata quidem defensione, non dissimilem Hispanorum ab Aquitania fugæ, patere ad suspiciones. Tum verò Feuquerii uxor nescit an omnino ullis cum copiis iturus sit ad Ducem Vinariensem maritus suus, an verò consilii tantùm communicandi causa cum aditurus. Alii ajunt cum illuc proficisci cum IV millibus, non sex, ut dicebat Chavigniacus. Eques dicitur sumi ex Castilionæo exercitu, pedes ex Germanis, qui sub Cardinali Valetta fuere. Sunt & de Longavillano se cum Vinariensi conjuncturo ad capiendum 66. 55. 112. 113. 13. 33. 6. d. 71. 69. 266. 61. 1009. susurri: de quibus omnibus difficilis est judicatio, quod ob pericula raræ, ob longos ambitus tardæ ad nos perveniant epistolæ. Dubito etiam verumne sit, quod Massilia scribitur, Nicæam Sabaudici juris urbem maritimam à classe Hispana, cui adfuerit Cardinalis Sabaudus, impetitam, sed à Gallicis navibus, quæ fortè illac in Africam ad reposcendos captivos ibant, exemtam malo, arcique urbis inductum Gallici militis præsidium. Ex Anglorum sermonibus cognosco malle eos de suo federe Hagæ agi quàm Hamburgi. Galli dicunt Anglorum consilia sibi magis magisque suspecta fieri, & per Normanniam injecere manus in naves mercesque Anglicas, in repensationem earum navium, quas ceperunt de Gallis Angli, ideo quod per Gallos liberè uti Hispaniensi navigatu non sinebantur. Manicampius, cùm pons & castella hosti cessere, Argentorati per morbum fuisse scribitur. Ajunt Galli pati jam Ferdinandum ut & Principes Germaniæ agant secum de pace, sed ad itineris securitatem contenti sint literis, quæ pro Gallis eorumque sociis generaliter dabuntur: id si est, apparet compositionem, si qua secutura est, magis ex voluntate Pontificis futuram quàm ex usu Germanorum Protestantium. Iohannes Waertius omissa Alsatia dicitur repetiisse Transrhenana, Croatis tantùm nonnullis cis Rhenum relictis. Multùm metuo ne de Alcæo aliquid actum sit quod occultatum sit 14. 2. 72. 113. 61. 67. 273. interim tempus Sophis pereat. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, favens adsit Reginæ, Regno & Sublimitati Tuæ. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Novemb. 1637.

Heufdius, ut alii, intelligit mitti cum Feuquerio IV millia, partim equites, partim pedites illorum plures. Pecuniam Duci fine Novembris debitam in parato esse, si adsit Ducis scriptum mandatum. De Nicæa multi putant fictum esse periculum, ut obtentus Viduæ daretur redigendi in potestatem suam loci, per quem, etiam terrestri itinere impedito, potentiæ suæ subsidia è Galliæ Regno accipiat, idque mihi satis se probat. Venit ad me Avaugurius in Germaniam abiens. Cælavit me ubi sedem fixurus esset. Quanti à suo milite fiat Dux Vinariensis, etiam eo patet, quod bis mille equites equis per morbos absumtis pedibus eum secuti sunt, mille nunc equos ab Helvetiis eum emisse intelligo.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

L V D O V I C O C A M E R A R I O,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVid agat Dux Bernhardus, quid Dux Longavillanus, multumne inter se absint, incerti sumus, eo quod & raro ad nos & tardæ advenient literæ. Illud constat valde accusari Gallorum ignaviam, qui Castellorum ad Rhenum alterum dediderunt, alterum deseruerunt fuga, neutrubi defensione tentata. Manicampius, cui Dux illa castella tutanda commiserat, Argentorati erat eo tempore, per morbum ut dicitur. Dicitur nunc ad Ducem ire D. Feuquerius cum VI, aut ut alii ajunt, IV millibus, equite ex Castilionæi, pedite Germano ex Cardinalis Valettæ desumto castris. Nova hic contentionum 869

seges enata inter Gallos & Anglos, cùm per Normanniam Anglorum navibus mercibusque Galli injecerint manus, ad damna, ut ajunt, resarcienda. Imperator pati jam dicitur ut & Protestantes Germaniæ de pace secum agant, non specialibus tuti itineris acceptis literis, sed comprehensi sub generali Galliæ sociorum nomine. Massilia scribitur XVIII longas naves, quibus adfuerit Cardinalis Sabaudus, imminuisse Nicææ Sabaudici juris urbis maritimæ, sed prohibitas quò minùs quod vellent efficerent, à Regiis Gallicis navibus, quæ in Africam iter habentes propter navigabant, inductumque in Nicææ arcem Gallicum præsidium. De pace induciisque multi sunt & obscuri sermones. Mittitur à Rege ad Matrem Lexoviensis Episcopus, ad Margaritam Lotharingam nobilis Riverius. Helvetii inter alia consultant quo optimo modo impedire possint ne in suas terras penetret Vinariensis miles. Literas jam pariter abs te accipio duas, alteras 18 Octobris, alteras 16 Novembris; illas tam veteres venire miror. De Portugalliæ motibus durant rumores. Quæ de Hermanno Landgravio scribis, & de labascentibus Hassorum quorundam animis, eadem hic audio. Illud quod ex Anglia ad Palatinum Principem scribitur, utinam res esset, non spes, quali jam dudum Angli & se trahi patiuntur & alios trahunt. Rottræi scriptum non vidi: sed summa quædam ejus capita mihi significata sunt. Quod de induciis quas cudit Pontifex scribis, tecum censeo, pertinere eas ad evertendas res Protestantium Germaniæ. Dicit mihi D. Chavigniacus, si pro exacto tempore millione uno contenti sunt Suedi, paratos se fore ad implenda pacta Wismariensia, inde tempus triennii ineat, ex quo erit traditum ratihabitionis instrumentum. Brandenburgici majorem in aula Cæsariana nunc quàm Saxonici esse gratiam multi existimant, pacisque Suedicæ negotium ipsi in manus traditum. Vidi literas eadem ferentes, quæ de Administratore Magdenburgensi ad vos nuntiantur. Est tamen, ut mones, aliqua dubitandi causa. Regis Poloni novum titulum quo mare Balticum sibi vindicet non vidi, nescioque id sibi Poloniæ nomine arroget, an tanquam Suediæ accessionem. Spero eas esse mari Suedorum vires, ut non facilè ad oram Baltici sinus penetraturus sit hostis. Grata hic erit D. Vosbergii legatio & productionem federis facilè obtinebit. Cætera quæ isthic apud vos, pro more Reipublicæ semper aliquid habentis fluctuum moventur, facilè componet Arausionensis Neptunus. Filium tuum rectè rediisse plurimum gaudeo, atque utinam tam illi utilis esse possem quàm optimè volo, tuo ipsiusque merito. Quæcunque ad me miseris curabo & sedulò & libenter. Angli Hagæ quàm Hamburgi mallent agi de federe, ut Reginæ Bohemicæ authoritate uti ipsis liceat. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novemb. 1637.

Tuam Excellentiam omnemque ejus familiam Divinæ commendo tutelæ.

Excell. Tuæ addictiss. ejusque observantiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

870 ACcepi duas à Duce Vinariensi literas, & à filio totidem, quarum posteriores tulit, qui huc missus est ad exigendam promissorum fidem, Betzius. Accepi & à Mullero & ipsum audivi Betzium. Equorum damna captis equis aliis ad ter mille in Episcopatu Basileensi & montium vicinis locis, miles resarcivit. Est is ad tria millia & quingentos: quanquam dicuntur esse sex millia. Helvetii misere ad Ducem legatos XIII pagorum sive Centorum nomine. Postulant iis locis decedat: aut certè Helvetiorum sociorumque agris abstineat. Alioqui oppositúros se sui federis vires. Manicampius non in optima fama est, quod commissa tutelæ suæ castella, morbi ut quidam interpretantur simulatione, dereliquerit. Assultantur Ducis Vinariensis copiæ, partim à Waertianis equitibus, partim à Duce Lotharingo qui Comitatus Burgundiæ claudit aditus. Ea propter optat Dux Longavillanum ad se accedere propiùs, receptui adversùs pericula futurum, mittique promissa auxilia. Ea auxilia sub Feuquerio mitti audio, non ad sex millia, ut dixerat Chavigniacus, sed equites sexcentos, pedites non multo plus mille. Ipsum Feuquerium post colloquium cum Duce statim ad suas præfecturas rediturum. Dixit Halerius Regis jussu Duci Vinariensi, nolle quidem Ferdinandum commeatus literas Germanis Principibus, quippe suis Imperiique subditis dare, sed pati posse eorum negotia à Rege Galliæ, ubi de pace agetur, proponi; id enim pro responso datum Venetas res agenti. Nolle regem sua commoda à Ducis commodis segregare, aut pacem facere, nisi per quam & ipsi consulatur. Respondit Dux prudenter, se non pro sua privatim causa pugnare, sed pro communi Principum Ordinumque. Id moliri Austriacos, ut Principes Germaniæ inter se & ab amicis Regibus ac Potestatibus segregentur. Id ne fiat multorum interesse. Sperare se Regem cum Regina Suediæ Regio animo ita id quod commune est curaturum, ut ad æquiora cogatur hostis. Se semper paratum quod privatim suum esset condonare publico: securoque animo Regi se permittere id ut statuat, quod ex usu videbitur. Jam verò à Vienna intelligo Venetos ibi Legatos magnis acceptos honoribus. Haud dubium est quin Pontificis voluntate, quicum meliùs jam ipsis convenit, Veneti admoveantur, ad reperiendas pacis rationes. Cur nobis inde nihil sit exspectandum boni, multa mihi in mentem veniunt, & inter hæc sollicitè quæsita ab ipsis Poloni amicitia, & quod in honore mihi habendo aliquid de solitis detrahere cæperunt. Mirum est quàm palàm Hispani per Italiam terrasque omnes vulgent & Duci Sabaudo & Comiti Verrucæ, quo arcanorum Ministro is Dux maximè utebatur, venenum datum à Ducis uxore nunc Vidua, in convivio cui interfuerit Crequiacus, carior, quod additur, ei feminæ, quàm matronalis honestatis leges ferunt. Gallorum odium apud Sabaudos vetus multum favoris Cardinali Sabaudo apud nobilitatem plebemque conciliat. Adversùs ea studia haud dubium est, quin Vidua in armis Gallicis spem habeat: sed quo magis illa se muniet externis præsidiis, hoc magis invisa erit multis. Non dubitat Hispanica factio hæc omnia Eusebii consiliis accepta ferre, infamati pridem talium artium. Dicitur in hac aula 67.70.78. 12.77.71. 12. 14. 27.61.59. 63. 38.37. 2010. 266. 217. de pecunia Vindicis intercepisse CL millia Thalerorum Imperialium: Genuates neque hic neque apud Batavos aliud agent, quàm quod metu novarum amicitiarum ab Hispanis impetrabunt quæ desiderant. Triginta & sex potentissimas ejus civitatis domus per fœneratas pecunias, & accepta in terris Hispano parentibus pignora, ita illigatæ sunt rebus Hispanicis ut expedire se nequeant. Et jam intelligimus multa illis ab Hispano concessa: eoque factum ut pro Senatore, quod prius constitutum fuerat, minor aliquis sine Legati nomine mitteretur ad Batavos, utque is, qui nunc illo digresso apud Batavos relictus est, ad res Genuatium agendas jus impetraverit liberè commeandi in Belgica loca Hispanis subdita, credo cusurus, si potest, inducias: quarum ingenti desiderio tenentur maritimæ Batavorum Civitates. Quæ ob id & D. Vosbergii iter in Galliam, mandatum ei ad exigendas quæ debentur pecunias, & ad prorogandum tempus pactionibus, quæ cum Charnassæo convenerant, improbarunt, calideque urgent ut militares numeri ærario prægraves minuantur. Dux Lotharingus Angliæ auctoritatem ad res suas bene componendas implorat. Chevreusii autem uxor, inquies fæmina, jam in aula est Hispanica. Ostenderunt

mihi

mihi qui hic cum Landgraviis adolescentibus sunt, interceptas Cæsarianorum literas, unde apparet ingens Ducis Georgii in res Cæsarianas studium: & ad Bilefeldium capiendum suscepta Cæsarianis consilia. Legati Angli sperare se aiunt, controversiam illam quæ modo captis per Normanniam Anglorum rebus ferbuerat brevi perventuram ad tranquillitatem, eaque de re componenda se potestatem accepisse. Vidi & Archiepiscopi ad Ordinarium Legatum literas de Duræano negotio prudentes, apparet neque ignotas ei quæ se objiciunt difficultates, neque tamen pro desperata ab ipso rem haberi. Erat autem ea epistola humanitatis in me plenissima. Rumor est nescio an satis certus, destrui à Savellio capta ad Rhenum castella: eorum loco unum excitari novum quod insula contineatur. Vt Castellum illud quod in Valle Telina ad Rhenum est, diruatur, frustra adhuc laborant Helvetii. Dixere Cæsariani Venetis à se quietam fore Italiam si per Gallos liceat. Amnis Dubius qui dicitur nunc Lotharingi copias à Vinariensibus dispescit. Equi & in his & in illis castris mori non desinunt. Lotharingus, qui magicis artibus id fieri persuasum habet, quinquaginta fœminas ejus criminis titulo ignibus dedit. Ego in rebus Ducis Vinariensis promovendis ad diligentiam reliquum nihil patiar. Valde dolet quod apud homines agimus aut surdos aut parum memores. Cimacum ad hyberna ponenda, alioqui nullius firmitatis oppidum cepere Galli. De Nicæa quod scripseram parum adhuc exploratum est. Lutetiæ 5 Dec. Nov. Cal. 1637. Deus Tuam Sublimitatem protegat.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

871 DVcis Vinariensis copias plerunque agunt in valle quæ Montana dicitur: excurrunt in Montes qui dicuntur Franci sive liberi, & omnia Episcopatui Basileensi circumjecta. Equorum inde ceperunt tria millia, necessarium valde supplementum in tanto equorum interitu, qui ne nunc quidem cessat. Premit eum hinc Savelli sive Waertii miles equestribus excursibus, inde Dux Lotharingus ex Burgundico Comitatu, medio amne qui Dubius dicitur. Dux, sicut non desiderat eos qui commeatus ipsi faciant arctiores, ita subsidia vellet habere in propinquo adversus vim ingruentem. Ideoque velit & Ducem Longavillanum, qui in eodem est Burgundiæ Comitatu, propiùs, non tamen ita ut nimis prope, ad se accedere, & mitti ad se non voce tantùm, quæ facilè in auras abit, sed & scripto promissa auxilia è Cardinalis Valettæ & Castilionæi exercitu. In id jam laboramus. Sed hæc perdito ponte ac castellis in hoc utilia esse possunt, ne exercitus Ducis, qui ultra quatuor millia habere non creditur, totus contabescat. Cæterùm movendi aliquid in Germania & animum restituendi gementibus spes omnis in ver differtur: & utinam ne in vernas abeat nebulas. Hispani Sabaudi Viduam palam infamant veneni dati & marito, & potenti apud maritum Comiti Verrucæ. Id quoque ad odiorum accedet alimenta. Cæsariani dixere Venetis quieturam per sese quidem Italiam, si per Gallos liceat, qui certè apud nobilitatem plebemque Sabaudicam mirum quàm non sint favorabiles. Ea res Cardinalis Sabaudi, quanquam multùm quæ agitat dissimulantis, spes incitat. Dux Lotharingus ad suas res meliore in loco collocandas Anglorum sibi quærit gratias. Vxor Chevreusii Ducis in Aulam advenit Hispanicam. Ab Helvetiis parum æqui sperandum est Duci Vinariensi, adeo potens ibi est Pontificis & Hispani factio. Legati Conventus gravia ei denuntiant nisi ipsorum abstineat agris. Angli sperant quod his diebus in Normannia rebus ipsorum apprehensis incaluit dissidium brevi desiturum, cùm ad componendam eam controversiam mandata acceperint. Literas vidi Cæsarianorum interceptas, quibus docemur Ducem Georgium Lunæburgensem non perfunctoriè, sed magno studio amplexum res Cæsarianas. D. Vosbergii gratus hic est adventus, quod prolaturus tempus pactionum Charnassæi ministerio factarum, in quibus multùm res Galliæ vertitur, venerit. Manicampius non optimè audit, quod à castellis ad Rhenum suæ fidei commissis, quo tempore ea maximè periclitabantur, per morbi aut occasionem aut obtentum abscesserit. De Genua ab Hispanis abducenda nihil video spei. Arctiùs quàm per federa tenentur vinculis pecuniarum, quæ apud illos pluris sunt libertate. Cimacum non firmum, sed opportunum ponendis Hybernis oppidum cepere Galli: de eorum præsidio in Nicæam inducto nihil dum certi habemus. Modò est quod literas accipio tuas datas $\frac{13}{23}$ Novembris, gratissimas, ut sunt tua omnia, sive suavitatem, sive utilitatem considero. De Arlono nihil intelligo: nec spes ulla ibi processuum antè primam hirundinem. Ad alenda Portugalliæ dissidia, si animum adjicere externi Principes velint, non illis utendum foret ignavis hominibus, nullo unquam forti facto cognitis, sed iis qui in ipso Regno sunt, Regio è sanguine, domi potentes ac gratiosi & ob id suspecti Castellanis, non tantùm veteri inter accolas odio, sed & ob sensum privatarum injuriarum. De Navarra Galli novos libros ediderunt: sed dudum est quod

——— ——— *Sisyphus versat*
Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.

Induciarum, ut dicis, generalium negotium valde perplexum est. Cardinalis Sabaudus, quanquam verbis comibus Viduam mulcet, clam magnas sibi parat clientelas: & vix fieri potest ut non erumpat, ubi percoctum erit id factionis adversùs Gallicam potentiam semen. D. Ioachimium ob virtutes facio maximi, neque dubito, quin ejus prudentia, bonis instructa mandatis, multum conferre possit ad jungendos propiùs Britannos & Batavos, potentes mari, si viribus suis uti norint, populos. Principi Arausionensi prosperam opto valetudinem, & ipsius & rei communis causâ. Non autem ita declivis ei est ætas, ut è quartana majus sit malum metuendum, quàm decisio de parte temporis magnis negotiis debiti. De Domino Vosbergio si quid intellexero propius scribam. Qui hic sunt juvenes Landgravii bene sperant ac bene sperare nos jubent. Illud de traducendis ad Principem Palatinum copiis inexspectabile est, nisi se moveat Anglia: quod an factura sit videbimus, ubi firmato Wismariensi federe ad expendendas Lutetianas pactiones ventum erit. De Bannerio utinam reperiantur vera quæ rumoribus nuntiantur, haud inutilibus interim. Nihil pridem fecit Anglia fortius, quàm illud quod in Polonum Legatum constituit; neque dubito quin à viro magni animi Antistite Cantuariensi manarit, ut suspicaris, id consilium. Angli Legati te semper, ut debent, faciunt plurimi. Neque ego ulla in parte omitto in id pro viribus niti. De Dantisco, pace Persica, Poloni molitionibus apud Tauroscythas, sunt omnia digna cognitu, quia ad res communes non leve habent momentum. Rumores hic feruntur, nescio an veri, Ragotskium irrupisse in Hungariam, Turcas in Podoliam. Ego, si quid certi didicero, non ero in significando piger. Tuam diligentiam & in me benevolentiam non opus est excitem. Deus, Illustrissime Domine, tibi, Nobilissimo Filio, atque ad te pertinentibus cunctis prosper adsit. Lutetiæ 5 Dec. Novi Cal. 1637.

Tuæ Excell. observantissimus eique addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

SIgnificavit Rex Galliæ Duci Vinariensi Bernhardo 872
per Venetos didicisse se, nolle quidem Ferdinandum

dum III. dare Germanis Principibus à se dissidentibus literas liberi commeatus: cæterum non intercedere se quò minùs Rex Galliæ eorum quos curæ habet desideria proponat. Nolle Regem seorsim ab ipso quicquam agere, commoda ipsius æquè ac sua sibi cordi fore. Respondit Dux non imprudenter, hæc Cæsarianorum molimina spectare ad causam communem Principum Germaniæ, quæ ipsa non exigui esset momenti etiam ad res Principum externorum: se libenter privata sua condonaturum publico, Regisque prudenti arbitratui permissurum hoc quidquid est negotii. Verùm existimare se facturum Regem regaliter, si conjunctis cum Regina Suediæ consiliis ea sumat agenda, per quæ hostes ad æquiora & in commune Christiani orbis utiliora perducantur. Rogavit & meam super ea re sententiam. Ego nihil melius possum suggerere, quàm quod ipsi in mentem venit, secuturus tamen libenter id quod Tuæ Excellentiæ optimum factu videbitur, cui hæc, quando ad præsentium temporum deliberationem aliquid fortè conferre possunt, indicanda quamprimùm censui. Maneo, maneboque, Excellentissime Domine. 5 Decemb. Nov. Cal. 1637.

Tuæ Excell. observantissimus eique addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

873 CUm omnia quæ in hac vita nos delectant, præter bonam conscientiam, Tuæ Sublimitati debeam, libensque feram accepta, nihil mihi potest accidere lætius, quàm ubi aliqua mihi datur materia, in qua ostendam quàm non immemorem tot ac tantorum benefactorum animum mecum feram. Excedentis modum humanitatis fuit, quod Sublimitati Tuæ placuit id mihi commendare, quod suo jure poterat injungere, quodque ego etiam sine ullo aut imperio aut commendatione sponte facturus fueram, ut prælustri juveni D. Croesio, sanguine, propinquitatibus & subolescente ad magnas virtutes indole spectabili, præstarem quod nostræ est opis, quod ipsum exiguum est, nisi quantum Tuæ Sublimitatis in me comitate eximia sum consecutus. Nihil erit consilii, nihil auxilii, nihil obsequii, quod ei à me meisque omnibus deerit. Parant Elzevirii Lugdunenses librarii Procopii novam editionem ex versione Vulcanii, quam se correcturum profitetur D. Heinsius. Voluerunt meam habere versionem. Sed ego neque Persica verti, neque de Iustiniani ædificationibus, cùm Gothica tantùm & Wandalica & ex Procopio & aliunde colligere mihi cordi sit, ut reipsa ostendam & huic & futuris sæculis qui sint quibus omnia debeam. Quare ita constitui opperiri ipsorum quam se moliri dicunt editionem: deinde mea versione & brevibus notis ostendere non indiligentem me fuisse & Gothicorum & Wandalicorum Procopii non minùs quàm aliorum quibus idem argumentum tractatum est lectorem. Historiæ Belgicæ multa scripsi: ea quæ ad inducias anni 1609 usque pertinent talia sunt, ut edi cum fructu possint. Vellem dedicare Reginæ nostræ nisi aliter Sublimitati Tuæ videatur. Est enim inter Historias nostri ævi illa vel utilissima ob enatam ita subitò, tantis auctam incrementis Rempublicam, arma quæ exiguis finibus tutandis comparata erant, diffusa in ultimos Mundi recessus. Obsidendi autem tutandique oppida artes nusquam terrarum in id perductæ fastigii. Tum verò navalis Martis insignis diu penes illas partes gloria, nec sine ingenti periculo ab aliquot annis neglecta. Hæc talia quod tam gravibus Sublimitatis Tuæ occupationibus interjicere audeo, dabit illa veniam, non tam mihi quàm bonitati suæ, quæ nos huc usque libertatis provexit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem eique caros omnes conservet. 5 Dec. Nov. Cal. 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

D. GRONOVIO.

PApinium, Vir doctissime, magni feci semper, ut qui Virgilio omnigena eruditione haud multum cedat, spiritu autem Poetico certè quibusdam in partibus, si per Criticos dicere liceat, dubiam ei faciat palmam. 874
Quò magis te gaudeo post collucatas ejus Sylvas accingi, ut & Thebas depleas & Achilli reddas florem juventæ. Nec dubito, quin sicut prælusio tua multum habuit gratiæ, ita justiora quæ exspectamus opera plenam tibi coronam sint paritura. Perplacent quæ edidisti: perplacent & quæ epistola continentur: nec mihi tantùm, sed & viris eruditis, quorum concursu non minùs honesto mihi gratoque, quàm ipsa hæc Legatio, strepit mihi limen. Ego, quod unum possum, ex cavea tibi applaudo. Cætera, quibus olim me oblectavi, invident mihi injuncta negotia. Neque enim mihi vacat cogitare quantus ingentes Homoloidas Hæmon exierit, dum Gallos castellis ad Rhenum exiisse doleo: & pro Rhæteo litore Pomerania mihi semper ob animum versatur. Itaque ne relegere quidem mihi illa licuit, quibus lætam fecit Statius urbem amatam mihi semper. Tantùm quæ ad oram editionis Lutetianæ alleveram, ea fratri meo misi, ut si quæ sunt, quæ non correxerit posterior aliqua editio, de iis & ipse & tu cogitetis. Rogo autem credas, me non modò famæ tuæ favere plurimùm, sed & si quid sit, in quo te adjuvare aut ornare possim, facturum id maxima mea cum voluptate. Lutetiæ 10 Decemb. 1637.

Tuæ Eruditionis fautor integerrimus H. G.

IANO FRISCHMANNO.

Vir doctissime atque humanissime,

MErito tuo te sic compello, cùm testem utriusque rei habeam epistolam tuam. Sed doctrina nimia esse non potest, humanitas est ut modum excedat. Neque nescis, eas quæ immoderatæ sunt laudes veteribus creditas vim habere fascini ac nocere laudatis, nisi ritè conceptis verbis avortantur. Illud amplector, quod Regis Gustavi Magni eximias virtutes & afflictos sublevandi verè regale propositum animo æstimas memore gratoque. Me multa perpessum adversa, hoc vel maximè solatur atque erigit, quod Rex tantus, cùm velut finem suum divinitus præsentiens multa daret suis mandata, inter ea & me jussit in ministerium Regni Suedici advocari, quam ipsius voluntatem executus est D. Oxensternius, solus par repertus, qui vacanti à Regum maximo oneri humeros supponeret. Horum in me amor, sive etiam de me judicium, facilè me confirmabunt, ut hominum neutiquam illis comparandorum sive obtrectationes sive odia contemnam. Gaudeo & quod meum, cùm de Iure Belli Pacisque scriberem, institutum rectè attigisti. Duo enim proposueram mihi, rerum potentes abducere à feritate bellandi parùm decente homines, minimè verò omnium homines Christianos, quibus an bellum gerere omnino liceat, dubitarunt nonnulli; quin sic gerere non liceat bonus nemo est dubitaturus: deinde verò iis qui juris in studio essent velut navigaturi, præsertim quibus otium ac juventus velut auræ felices suppeterent, signare quædam quasi sidera, ad quæ iter suum regerent. Quod si quid est in eo libro egregii, id iis debetur scriptoribus quorum auctoritatem & secutus sum & laudavi. Facietis tu, tuique similes, ut si quid temporis liberi imposita cura permiserit, id non tantùm mihimet instituendo, sed & juvandis aliis impendam. Tua verò ita de me meretur benevolentia, ita de omnibus eruditio, ut non tantùm epistolæ tuæ respondere officii mei duxerim, verùm etiam spondeam, si quando huc veneris, patituras tibi non ædium tantùm nostrarum, sed & aurium fores. Vale, Vir Eruditissime. Lutetiæ 10 Decemb. 1637.

Tui amantissimus H. G.

AXE-

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorúmque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

876 VEnit ad me D. Vosbergius missus huc à Conventu Federatorum apud Batavos, quorum ipse pars est, ad poscendas pecunias & proroganda pacta Charnassæana. Multi inter nos sermones. Dicebat inter alia filium Brandeburgici Electoris cum cura in Religione institui, ejus rei præcipuè causa venisse eum in Batavos: infensum maximè Swartsenburgico, ita ut ei recusarit dare confirmationem donationum paternarum. Fabula hæc mihi videntur. Dantiscanum vectigal, ni in tempore eatur obviam, dicebat eam allaturum Polono opulentiam, quæ aliquando in malum Suediæ esset eruptura. Ego vero dicebam commodè eam rem nobis evenisse, quod Rex cum Nobilissima civitate ad vim usque dissideret. Cæterùm non dubitare me quin Batavi, Angli & Dani acturi sint id quod è re sua existiment esse. Apud Batavos actum, agique eo de negotio dicebat; ego addebam videri me & Anglis id curari. Adversùs Anglicanos ritus graves oriri motus in Scotia & ipse mihi dicebat, & ex Archiepiscopi literis cognovi. Protestantibus Galliæ metum injicit inter Regni hujus Ecclesiasticos homines nova coitio, quam congregationem propagandæ fidei vocant: timent enim ne ad vim ipsis inferendam ea res paulatim perveniat. Ego nihil magni inde eventurum arbitror: sed captari omnibus modis Aulæ Vaticanæ gratias. Ex iisdem Protestantibus quidam in amissis ad Rhenum munimentis plus aliquid quàm culpam suspectant. Id agere qui Galliam regunt, ut Protestantes quàm longissimè à vicinia etiam & conspectu Galliæ amoveantur. Cardinalem esse cui Rex non modo sacerdotiorum omnium collationem (id enim Rex ipse profitetur) sed & Regnum quodammodo ipsum transscripserit: huic proximos in potentia duos, Iosephum & Noyerium ejusdem purpuræ esse petitores. Metui etiam ne, si Dux Vinariensis Trans Rhenum se moverit, liberet ipse sese, nec dicto, ut nunc, sit audiens. Is Dux quædam sibi cara, quod in Gallorum aut aliorum Regis subditorum manu ea esse nollet, penes me deposuit. Ivit tandem ad eum Feuquerius, sed consilii tantùm communicandi causâ: nam copiæ, non ipsi, ut dictum erat, sed Longavillano traduntur, ad quas si quod periculum ingruat ab hoste, Dux receptum habere possit. Pecunia ei solvitur, deberi cœpta exitu Novembris. Ea res eum consolabitur, multum enim opulentiæ inde ad eum pervenit. Sed ut è Gallia nummos ipsos exportare sibi liceat nondum obtinuit, laborantibus in id Betzio Heusdioque. Scribitur ad me è castris ejusdem Ducis tanto esse Gallos in odio apud Germanos, ut vix quisquam sit Germanus, qui non pacem cum Imperatore optet qualemcunque, ut de Gallis ulcisci se possint. Rumor his diebus per urbem erat sparsus, venisse hominem qui ratihabitionem pactorum Wismariensium ferret. Id si mulcendæ plebi repertum est, fieri potest. Sed timendum ne ea fama hostem quærant ad suas perducere conditiones. Angli rursum ab Hispania classem XL ferme navium in Dunquercam induxere, ajuntque non desituros se talia facere, donec Batavi fœdus suum amplexi fuerint. Hoc verò est extorquere societatem. Mensis Novembris die 14 Stenai arcem in Lotharingia aggressus est Præfectus Lutsenburgici Cantelmus: sed Tibautius qui pro Rege oppidum arcemque curabat, Cantelmi militem, machinis in eum directis & injectis in fossam ignibus, tum ad cognoscenda meliùs omnia tum ad arcendos qui scandere parabant, cum damno illius, scalarumque & armorum non levi dejecit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regno, Reginæ Tuæque Sublimitati faveat. $\frac{4}{14}$ Decembris 1637.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

NOn multum hic agitur, ut per hyemem cessari his in locis solet. Rediit Cardinalis Valetta, exspectatur & Candalius. De nudando à munimentis satis tenuibus Cimaco deliberatur. Cum Duce Vinariensi consilia communicat Feuquerius. Sed quæ mittuntur in eas partes copiæ, eques Gallus, pedes Germanus, non Feuquerio dantur regendæ, sed Longavillano, ut ad eum, si quid durius ingruat, recipere se Dux Vinariensis queat, cui pecunia numeratur, cujus dies sine demum Novembris venerat. Hujus regni Ecclesiastici non pauci consilia inter se communicant, Regis permissu. Ea congregatio propagandæ fidei dicitur, suspecta valde Protestantibus Galliæ, metuentibus ne ad vim ea res spectet. Anglis non placet Polonicum vectigal apud Dantiscum, an fortiter contra ituri sint dubito. Malè habebit Batavos, quod iidem Angli classem navium ferme XL in Dunquercam rursus introduxere. An ea agendi ratio profutura ipsis in hoc sit quod sperant, ut Batavos in fœdus suum pertrahant, mihi certè non constat. Cardinalis Sabaudus Genuæ, aut vicinis se tenet locis. Lumellum, à Bremo non longè, munire pergunt Hispani. Leganesius Mediolanensis territorii Rector Helvetios Pontificios rogat militem, & ad Lindaviæ Præfectum scripsit III millia ut sibi mittat Germanorum. Creditur Hanoviæ Comes non omnem abjecisse spem paciscendi cum Imperatore & Episcopo Wurtsburgensi eaque causa iter ingressus in illas partes. Comes Lingarius ex Hispania in Brasiliam mittitur, etiam privatorum attractis eò navibus. Seditionum in Portugallia fuit aliquid. Sed quod fama suo more extulit supra verum. Waertius ad Kentzingam manet, an à castello Drusenhemi repulsus sit, ut hic fert rumor, adhuc incertum nobis est. Apud Helvetios laborare pergunt Comitatenses Burgundi, ut sibi à bello libertas impetretur ex pactis veteribus quæ cum Helvetiis habent. Sed Galli tam bona hyberna nolunt amittere, multaque à Comitatensibus facta ajunt, propter quæ pro spectatoribus belli haberi non debeant. Literas tuas jam accipio, scriptas exeunte Novembre. Quin pacem Suedis offerant Cæsariani dubium non habeo, sed pacem segregem & Gallis primùm, deinde Suedis nocituram. Non facile futurum & Cæsarianis puto expellere Hassos de iis quæ trans Anasium cepere locis, propinquo præsertim à Batavis subsidio, aut ad eos receptu. Iniquum est quod Darmstadiensis postulat, eandem ob causam ob quam Romanæ leges cavent, ne pupillus apud substitutum educetur. Andreæ Reio Legato Polono quas tribuis laudes, eas firmari video consentiente multorum testimonio. Sed de bello Turcico videtur mihi frigidior excusatio, quàm ut aut vectigalis asperitatem leniat, aut abstergat injuriam factam Domui Palatinæ, Regique Angliæ. Stenaii arcem in Lotharingia Cantelmus Lutsenburgici Præfectus 24 Novembris nocturna oppugnatione aggressus cùm esset, diligentia Tibautii, qui pro Rege Galliæ oppidum arcemque tutabatur, jactis in fossam, ut cuncta apparerent, ignibus, machinisque in aggressores directis, depulsus est cum suorum, scalarum, aliarumque rerum damno. De vectigali quid facturus sit Danus multum refert. Rogo ne te pigeat sæpe me de iis quæ aguntur, quæque ad res Suedicas aut directè, aut per consequentiam pertinent edocere. Deus, Illustrissime Domine, te tuamque familiam protegat. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Decembris 1637. 877

Excell. Tuæ addictissimus eique observantissimus H. G.

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

878 ABiit hinc ad Ducem Vinariensem Betzius impetrato permissu exportandæ ad ipsum è Gallia pecuniæ ad c millia Francorum. Ad Longavillanum quod mittitur militis, haud multum est, nec quicquam hac hyeme, ut Betzius censet, agetur, dilatio in ver consiliis ac paratu. At Duci Lotharingo auxilia advenere, à Piccolominio equites CIↃCC, à Savellio sive Waertio peditum cohortes sive Regimenta quinque. E castris Vinariensibus literæ mensis hujus, ut hic numerus initur, principio scriptæ nos docent, eorum quæ ad Rhenum facta fuerant castellorum id manere quod maximum est: Basileæ locisque aliis nonnihil militis Duci conscribi. Vicinis in locis multos esse de pace sermones, quam conficere laboret Papa. D. Mullerus metuit ut subsistere possit in istis hybernis Dux Vinariensis. Betzius duos adhuc menses ibi maneri posse arbitrabatur. Helvetios idem dicebat nihil ultra contra Ducem Vinariensem movere. Legati Angliæ volunt nos credere Regem suum jam planè ad arma ferri si socios reperiat. Dixi ei quæ Tua Sublimitas Regni Suedici nomine obtulerit Anglis, sive suo nomine bellum indicere cuperent, sive nostras bellantium vires suis firmare auxiliis. Si quid ad ea respondere quàm antehac vellent explicatius, audiendi mandata habere tam D. Camerarium quàm D. Salvium. Quis futurus sit exitus novæ super pactis Wismariensibus controversiæ & ipsi, &, ut ex Heufdii sermonibus disco, Galli avidè exspectant non sine formidine, ne inter has moras pax aliqua eudatur, de qua agere Bannerium putant. In Scotia Episcopi nimis calidè promoventes ritus Anglicanos populum pridem aliis innutritum institutis ad Genevense exemplar conformatis, & è nobilitate nonnullos, commoverant. Sed audio Regis prudentia ac moderatione effectum ne quid gravius suboriretur. Combaletta Cardinalis propinqua effecit, ut quem emit ipsa principatum Eguillonensem, is quam olim habuit dignitatem Pariæ, ut hic loqui mos est, reciperet: quo nomine ipsa apud Reginam sedendi jus consecuta, Longavillani Ducis jam vidui matrimonio Aulæ rumoribus destinatur. Cosinius Regi à confessionibus Regis primùm excidit gratia, quod ex Fayetta Rex intellexisset ipsam se ejus consilio subduxisse ab Aula. Cardinalis autem Riceliacus hominem in Regis animo labefactatum facilè de eo quem tenebat loco depulit, non eam ob causam ob quam Rex ei irascebatur, sed quod religionem idem homo Regis injecisset animo de fœdere cum Batavis. Aliorum enim Principum rebelles, quales ipse Batavos habebat, non esse Regum armis adjuvandos ut probaret, argumenta quædam diversis è libris collegerat, quæ perscripta in conclavi ipsius inventa sunt. In publicum non hæc res proficiet, quando constitutum Cardinali est Regis conscientiam in potestate Iesuitarum relinquere. In Italia nihil fit. Turcica & Rhætica D. Marinus perscribit. Die 28 Novembris Christina Sabaudi Vidua, ut filii sui Francisci Hyacinthi tutelam ex jure communi, moribus Sabaudicis & mariti voluntate sibi vindicans, Edictum edidit quo vasallos, oppida & universitates Sabaudiæ & cohærentium terrarum ad fidem sibi obligandam vocat. In agro Lutsenburgico ad Noaumæum vicum turma quædam Hispanorum à Gallis castello Reginaldi egressis magna ex parte concisa est die quinto mensis hujus. Charnassæana cum Batavis pacta in annum prorogari arbitror, debitasque pecunias reipsa persolvi. Metus hic à seditione, concitoribus maximè monachis, in causa est cur & suburbia & suburbanus ager multo insideatur milite. Pater Iosephus Cenomannorum Episcopatum accepit, tanto jam speratæ purpuræ propior. Comitatenses Burgundi Channitam oppidum recepere, & Molbergam Cæsariani. Vienna remissos intelligimus magni Chami Legatum & à Turca nuntium: datum Mutinensi Duci investituram, & Reginæ Poloniæ Baronatum Wittinganum in Bohemia: Ducem Wittenbergicum ivisse Sturgardum dato in Imperatoris potestatem Hohentwylo, & exutum bonorum parte quam aliis elargitus est Imperator. Comitem Hanoviensem ut ad pacem veniat remittere jus in monasterium Solitariense. Pacem Pragensem acceptam ab Hassia inferiore. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati prospera. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Decembris 1637.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

CArolo Lotharingo auxilia advenere, à Piccolominio equites CIↃCC, à Waertio peditum cohortes sive Regimenta quinque. His ille Longavillanumne sit aggressurus, an Ducem Vinariensem incertum est nobis. Si hostium vis absit, putatur quibus est in locis Dux Vinariensis per duos menses habere posse, unde suos sustentet, Helvetiis nihil jam ultra adversùs eum molientibus dum suis ipsi discordiis distinentur. Multis illis in locis sermones sunt de pace quam Pontifex fabricet. Bellici paratus omnes hic in ver novum differuntur: nec multò quàm erat validior factus est Longavillanus. Dux Vinariensis aliquantum militis Basileæ vicinisque locis conscribit. Legati Anglici volunt credi Regem suum fortiora quàm antehac consilia animo agitare, quod utinam res ipsa nobis persuadeat. Rituali certamine commotos nonnihil Scotorum animos salubri Regis temperamento consedisse intelligimus. Per D. Bannerium de pace agi rumores hic sunt, eoque ardentius exoptant Galli consummationem pactorum Wismariensium, & cum Gallis Angli simul. Cosinius Iesuita, cujus opera ad confessiones Rex utebatur, excussus est eo munere, creditus Regis animo religionem objecisse super Batavico fœdere. Sed Iesuitæ succedet alius Iesuita. Ita manet ea Societas in possessione versandi Regis animum. Rhætorum Legati satis comiter habentur in Hispania, cum dolore Vallitelinatium quorum impar gratia. Tuendis ad initia Rheni castellis pecuniam Hispani suppeditant: nec quicquam proficiunt Helvetii qui ea vellent diruta. Neque magis curantur eorundem querelæ de novis Constantiæ contra pacta, ut ajunt, munitionibus. Cosacci Moscovitici Asachum oppidum sociis Turcarum Tartaris eripuere, atque inde infestum prædis habent Euxinum mare, ipsumque oppidum muniunt. Ea de causa Turcæ oppressis reliquiis ejus, quæ ipsis adversabatur apud locorum illorum Tartaros factionis, fœderatos sibi Tartaros in Moscoviam magna vi immittunt. Turcarum præterea exercitus ad Danubium juxta Walachorum fines advenit, duce Mahumete Bassa. Irascitur & Transilvaniæ Principi Aula Turcica. Multi hæc valitura putant ad pacem Persæ dandam, quam petit cum magnis muneribus Persicus Constantinopoli Legatus. Die 28 Novembris Christina Sabaudi Vidua, filii sui Francisci Hyacinthi Ducis tutelam ad se pervenisse dictitans ex jure communi, moribus Sabaudicis & defuncti mariti voluntate vasallos, oppida, universitates edicto vocavit ad fidem sibi promittendam. In agro Lutsenburgico ad vicum Noaumæum hybernabat Hispana turma Cantelmi jussu. Eam egressi ex Castello Reginaldi Galli mensis hujus die quinto ita perculere, ut evaserint pauci. Is qui surrogatus est in Cosinii locum Binetus dicitur.

Quod

Quod in itinere literas nonnunquam vetustescere quereris, non de nihilo esse hoc ipso tempore experior. Accipio enim jam demum eas quas 9 Novembris dedisti, quibus non respondeo, quod de iis quæ in illis continentur quæ mihi cognita sunt jam ante scripserim. Sed solantur me, neque perpetuum esse hoc malum ostendunt alteræ tuæ sanè recentes, scriptæ quippe mensis hujus die septimo. Pro his & addito programmate Regis Poloni, verbisque per Legatum ejus habitis ago gratias. Apparet cordi esse Regi vectigal illud, cujus odium forte civitatem Dantiscanam ad externas amicitias complexandas coget. Puto neque Danos neque Batavos opem suam ipsis negaturos. Ex Castilionæi copiis nihil ad Ducem Bernhardum pervenit. Residunt in Portugallia motus nec quanti dicebantur, fuere. Novum illud inter Gallos & Anglos alieno satis tempore certamen, si rectè judicant Angli Legati, ad quietem brevi deducetur. Vix futurum videtur, ut aut Oldenburgicus ager vacet à milite, aut Orientalis Frisia iis quos habet liberetur. Curtiana Legatio haud dubiè excitabit Gallos, pigrè hactenus negotium illud de pactis Wismariensibus tractantes. Redactis ad angustias Suedis sumptuosum erit bellum, neque periculo cariturum: argumento sint quæ nuper Wrangelianis militibus evenere. D. Vosbergius multum quotidie à Regis hominibus auditur. Neque dubitari debet quin avidis manibus arrepturi sint Galli quod offertur, haud ignari quantum sua referat Batavos semper quidem si fieri potest, hoc vero tempore maximè in bello retineri. Foppii Aisemæ morte nihil Batavis, nihil Suedis decessit. Comes Hanovia quò evasurus sit, miror, nec quo loco nunc sit Hanoviæ per itinerum intuta satis discimus. Metus hic à seditione, concitoribus maximè monachis, in causa est cur & suburbia & suburbanus ager multo insideatur milite. Pater Iosephus Cenomanorum Episcopatum accepit, tanto jam speratæ purpuræ propior. Comitatenses Burgundi Channitam oppidum recepere, & Molbergam Cæsariani. Vienna remissos intelligimus magni Chami Legatum & à Turca Nuntium: datum Mutinensi Duci investituram, & Reginæ Poloniæ Baronatum Wittinganum in Bohemia: Ducem Wittenbergicum ivisse Sturgardum dato in Imperatoris potestatem Hohentwilo & exutum bonorum parte, quam aliis elargitus est Imperator: Pacem Pragensem acceptam ab Hassia inferiore. Deus, Illustrissime Domine, te tuosque servet. Lutetiæ 6/16 Decembris 1637.

Excell. Tuæ addictissimus ejusque observantissimus H. G.

NICOLAI REIGERSBERGIO, Senatori.

Vir Amplissime,

380 DVbitavi sæpe, rectiusne sit respondere stultis & improbis criminationibus, an earum vanitatem bonæ rectæque mentis fiducia contemnere. Posteriorem sententiam pridem constanter amplexum nihil est quod inde me possit dimovere, præter tuam auctoritatem tot meritis subnixam, quorum non minimum est quod causam meam, sanè optimam, fido fortique proposito egisti, ut vel ob hoc unum gerendus tibi mos sit, ne tua in me tutando diligentia tranquillitati meæ pigritiæ imaginem induat. Libri mei de Religione Christiana leguntur magno piorum atque eruditorum cum plausu, non iis tantùm quibus ego scripsi linguis, sed Suedica, Gallica, Germanica, Anglica. Quærunt homines, qui suâ referre putant ne ego bene Christianus existimer, quæ carpant, quæ arrodant. Illud non minùs ridiculum quàm falsum, quod Castellionis, hominis meo judicio nec inerditi, nec mali, usus sim versione. Ego mihi certus sum, non visum mihi cùm mea scriberem Castellionis librum. Conferat qui volet, mihi enim otium non est, videbit quantum mea & illius discrepent. Ego ex Hebræo Græcoque sensum meis expressi verbis; ut olim Tertullianus, Cyprianus, Veterumque alii, cùm nulla adhuc esset in Ecclesia publicæ auctoritatis interpretatio. Si planè eadem, quæ sponte ego eram scripturus scripsit ante me Castellio, mirabor convenientiam non meditatam; neque dicam, ut quidam apud Senecam: *Pereant qui ante nostra dixerunt*, sed, *Bene illis sit qui mecum non mentem tantùm communem, sed & verba quibus mentem exprimerent, habuerunt.* Iam verò quid Castellioni cum Socino, cui ille notus, ut arbitror non fuit? In quinto Matthæi capite quædam, ita ut Socinus, dicor interpretatus. Modicæ verò lectionis homines, qui non viderunt esse eam interpretationem Græcorum Latinorumque pene omnium qui veteribus sæculis cum pietatis fama famam eruditionis habuere. Hos si quis compendio nominatos videre cupiat, legat doctissimos ex Romana Ecclesia interpretes, quos si quis Socino favere putat, valde aut ipsos aut Socinum ignorat. Quàm verò iniquum est id à nobis exigere nihil Socino veri in mentem venire potuisse? Si Socinus in antiquitatis sententiam non quæsitam (ita enim erat homo antiquitatis incuriosus quantum quisquam Genevensium) incidit, estne ea ob id deterior facta? Quod si à Socino veri didicissem aliquid, etiam hoc liberè profiterer, exemplo Cypriani, qui Tertullianum Magistrum vocabat suum, exemplis Hieronymi, qui per Apollinarem, Augustini qui per Tycherium, Græcorum prope omnium qui per Origenem in sacris literis intelligendis profecerunt. At quàm multa sunt in eodem v. Matthæi capite, quæ contra Socini mentem sic interpretor, ut cum singulis ipsius argumentis conseram manum? Matrimonii institutionem sic interpretatus sum, ut unum unius viri conjugium, monstratum tunc magis quàm disertè imperatum sentiam. Quid verò id mali secum trahit, cùm certum habeam tradamque Christianis quales Dei dono nos sumus, non nisi unam conjugem permitti. Estne in eo facinus, si prædicatæ sanctitatis Patriarchas à peccato contra conscientiam & quidem permanente immunes fuisse credimus? At verò non minùs quàm nos benignè de illis existimavit veterum Christianorum chorus. Hos insequi mihi lubet, ridere autem eos, qui se exclusis cæteris, Ecclesiam vocant superba non minùs quàm stulta jactatione. Si pro satisfactione Christi non respondi Crellio, feci prudenter, & ex consilio etiam Galliæ Protestantium Pastorum, qui quæstiones huic cœlo incognitas ne refutando quidem in vulgus mittendas censuerunt. Refelli ista gloriosè possunt, neque ab omnibus, sed ignorantur tutiùs. Ego verò locis Scripturæ Sanctæ à me productis, additisque explicationibus & explicationum firmamentis tantum tribuo, ut non verear ea sine alio præsidio apud bene animatum judicem, cùm omnibus postea dictis, aut etiam nunc dicendis committere. Præterea rationem quæ Socino potentissima videtur ad ea loca in sensum figuratum cogenda everti, satis, ni fallor, efficaciter, quanquam agens aliud de pœnarum communicatione §. XI. In Veritate Religionis Christianæ contra Iudæos disputans verba Esaiæ cap. LIII. ita verti, ut sententiam Socini sententiæ contrariam apertè exprimant. In ejusdem libri peroratione expiationis peccatorum morte Christi peractæ disertam mentionem ut facerem, illud ποιησάμενος [*faciens*] initio ad Hebræos, quem præsenti tempore vertit Socinus, ut sensum ejus effugiendum ostenderem, verti præterito tempore. Tum verò in iis scriptis, quæ non edidi, sed quæ etiam post me meam in recta sententia tuenda constantiam testari poterunt, multa congessi eò spectantia, non transcripta ex aliorum laboribus, unde multi imperiti famam sibi mendicant, sed multiplici lectione omnis generis scriptorum mihi observata. Illud me verò etiam excusandum habeo, quod Martino Ruaro id petenti, homo homini, aditum non negaverim? At certè non otiosus, neque

pœnitendus mihi is cum ipso congressus fuit. Dixi ei causas cur veterum Ecclesiarum consensum tam anxiè quærerem, tam anxiè sequerer. Ostendi ex Philone quo sensu λόγον [*Verbum*] posuisset Ioannes; quàm novum atque inauditum esset illud commentum de Christo ante mortem in cœlum rapto, ut inde descendisse dici possit. Satisfactionis dogma ostendi nil habere quod à ratione discrepet, sive Iudæos respicimus judices. Et horum insignia quædam ad id testimonia adduxi. Non tacui quam vim inferret Sacris Literis, quàm periculosum esset, quo pœnæ impiorum post hanc vitam negantur. Et confido me apud ipsum profecisse, si non quantum vellem, certè plus quàm facturi fuerant clamosi convitiatores. Literarum quoque commercio abstinere cur debuerim non video, cùm id beneficium etiam paganis præstitisse videam eos, qui columina Græcæ Ecclesiæ fuerunt. Non mihi tanti est maligna curiositas, ut eas literas proferam: si luberet, jam adspicerent, non illas quæstiones propter quas Photinus & Photini sectatores malè audiunt, sed quid sit unius uxoris vir apud Paulum, expellendus ne sit à communione, qui nuptias fecit legibus civilibus solis vetitas & alia ejusmodi. Est verò Ruarus propter vitæ ac consuetudinis lenitatem in tanta apud Dantiscanos Reformatos gratia, ut quidam eorum, inter eos Andreas Conradi liberos suos ad me cum ipsius testimonio miserint, quibus ego ita me comem facilemque præbui, ut uberrimas mihi gratias & ipsi egerint & ipsorum parentes. Ego verò ejus sum animi, ejusque instituti, ut mihi cum hominibus cunctis, præcipuè cum Christianis quantumvis errantibus necessitudinis aliquid putem intercedere, idque me neque dictis neque factis pigeat demonstrare. Lutetiæ 19 Decembris 1637.

De lenitate in eos qui hæretici aut sunt aut dicuntur in libris de Iure Belli ac Pacis non alia mea est sententia, quam quæ ibi Salviani Augustinique verbis expressa est. Rex Gustavus, qui omnes illos meos libros diligentissimè legerat, adeo nihil in iis venenosum reperit, ut etiam in Suedicum sermonem jusserit verti.

Tibi obligatissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime Domine,

881 QVod scribam hoc non cœli magis quàm rerum frigore haud multum est, præter frigidiuscula quædam. Hæret adhuc in quibus antehac locis Dux Bernhardus, quanquam dictus hic fuit in Comitatum penetrasse Burgundiæ, me vix credente ob tanto majores Lotharingi copias. Nuper Abbatiam quandam, cui nomen, ni fallor, Bellelaio occupare parante Duce Bernhardo, Bernates & subditos & socios in armis esse jussere ad vim arcendam. Ioannis Waertii miles partim in Wirtenbergico est, partim in Brisgoico. Multum esuritur cis Rhenum, etiam Argentorati, ita ut plebs Magistratibus infensa sit ob missa ad Ducis Bernhardi exercitum alimenta. Intendit famem Waertius, qui è Transrhenanis cis Rhenum ferri fruges non patitur. Rhætorum quoque plebs Rectoribus suis parum æqua est, instante jam maximè tempore quo occultatum diu cum Domo Austriaca fedus palàm jurari debeat, exigente id per literas Archiduce Claudia quæ nunc est Oeniponte. Brucherus & Salis Gallicarum semper partium tribuni haud desunt concitandæ plebi, nec multum tamen promovent. In Italia videtur bellum vere primo futurum acre. Neque enim desinit Hispaniam & Itatiam commovere Sabaudus Cardinalis, ne deseratur ea factio quam ipse contra Viduam Gallosque clam suscitat, palàm amicitiam simulans. Tum verò Lomelli perfectæ jam sunt munitiones repressuræ excursus qui è Bremo fieri solebant. Est Paduæ Præfectus Mediolanensis, speratque vere habiturum se XXX CIↃ peditum, V CIↃ equitum aut amplius. In id per Regnum Neapolitanum, perque Siciliam Italiamque omnem fiunt delectus novi supplenturque turmæ. Crequiacus Casali agit, feruntur que rumores, de industria ut puto, conficti, quasi ei cum Sabaudi Vidua non satis conveniret. Promiserat à Montisferratensi agro satis diu lacerato abducturum quod erat equitis. Id tantùm abest ut fecerit, ultro & pedestre agmen intulit in easdem terras quas ex altera parte raptant Hispani, qui Nicææ quæ Paleæ dicitur & Aquis Lombardicis præsidio sunt. Ita minores Principes & hostium & sociorum præda fiunt. Effugit id malum Parmensis, qui Romam ire nuper voluit, sed comitatior quàm gratum esset Pontifici. Vellet Pontificis propinquus Thaddæus à Parmensi extorquere castrum quoddam ejus, cui nomen Boulionio, pro pecuniis quas ei Thaddæus mutuas dedit. Sed creditur persoluturus pro Parmensi id debitum Dux Ethruscus, Pontificis observans, sed intra modum. Nam & cùm Ecclesiasticis Florentiæ Ethruriæque severè interdixisset Pontificis Nuntius, ne in farinam impositum onus penderent, etiam excommunicationem minatus in Ecclesiasticæ libertatis temeratores, pertendit ille pendique jussit. Neque dum Romæ, quò Victorium suorum unum Ethruscus misit, composita est ea res. Ab Hispali naves quædam Livornum appulere, commeatum ferentes Hispanicis exercitibus. Redit Vosbergius bene expedita re, certus solutionis earum quæ debentur pecuniarum, & promisso in annum sequentem ex Charnassæis pactis in id tempus productis sesquimillione, de cætero manente Parisiensi fœdere. Episcopatum de quo scripseram Cenomanensem abnuit Pater Iosephus: & confessionibus Regis admotus est non quem dixeram, sed mutato consilio Iacobus Sirmundus vir eruditione ut ex notis ejus ad Sidonium, Ennodium, Facundum & Concilia Galliæ apparet, attamen Iesuita & quidem veteranus, quippe octuagenarius. Mitto alterum exemplum Marini litterarum, quas miseram nuper ita eo volente, ne quid ad diligentiam testandam omittat. Dignus est cujus habeatur ratio. Deus, Excellentissime ac Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati adsit propitius. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Decembris 1637.

Multis indiciis cognosco 98. 33. 78. 85. 77. 73. 67. 217. 248. res Oryzæ agere: & ut nunc res sunt Laconis ad Annibalem reflecti. Non videt hæc aliaque talia Lactuca, cunctaque molitur extra contra Violam, intus contra Martialem. Pyrrhon Simonide facilè placatur & omittit magnificas cogitationes Vindicis. Homines miris artibus id agunt, ut ipsi Mimnermi sint domini. Veneti qui Viennæ fuere Legati de literis tuti itineris pro Legatis curam aliis reliquerunt. Dicit qui hic est ideò factum, quod contra morem suum postulata perscripta tradere juberentur. Creditur cum iis actum de pecunia Imperatori credenda sub pignoribus in Dalmatia & vicinis locis. Drusenhemi castellum, nihilo meliùs quàm ad Rhenum alia servatum à Gallis venit in hostium potestatem.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

HÆret adhuc in quibus antehac locis Dux Bernhardus, quanquam dictus hic fuit in Comitatum penetrasse Burgundiæ, me vix credente, ob tanto majores Lotharingi copias. Nuper Abbatiam quandam, cui nomen, ni fallor, Bellelaio, occupare parante Duce Bernhardo, Bernates & subditos & socios in armis esse jussere ad vim arcendam. Iohannis Waertii miles partim in [illegible]tenbergico est, partim in Brisgoico. Multum esuritur

Digitized by Google

ritur cis Rhenum, etiam Argentorati, ita ut plebs Magistratibus infensa sit ob missa ad Ducis Bernhardi exercitum alimenta. Intendit famem Waertius qui è Transrhenanis cis Rhenum ferri fruges non patitur. Rhætorum quoque plebs Rectoribus suis parum æqua est, instante jam maximè tempore quo occultatum diu cum Domo Austriaca fedus palàm jurari debeat, exigente id per literas Archiduce Claudia quæ nunc est Oeniponte. Brucherus & Salis Gallicarum semper partium tribuni haud desunt concitandæ plebi, nec multum tamen promovent. In Italia videtur bellum vere primo futurum acre. Neque enim desinit Hispaniam & Italiam commovere Sabaudus Cardinalis, ne deseratur ea factio quam ipse contra Viduam Gallosque clam suscitat, palàm amicitiam simulans. Tum verò Lomelli perfectæ jam sunt munitiones, repressuræ excursus qui è Bremo fieri solebant. Est Paviæ Præfectus Mediolanensis, speratque verè habiturum se XXX CIↃ peditum, V CIↃ equitum aut ampliùs. In id per regnum Neapolitanum perque Siciliam Italiamque omnem fiunt delectus novi, supplenturque turmæ. Crequiacus Casali agit, feruntur que rumores, de industria, ut puto, conficti, quasi ei cum Sabaudi Vidua non satis conveniret. Promiserat se à Montisferatensi agro satis diu lacerato abducturum quod erat equitis. Id tantùm abest ut fecerit, ultro & pedestre agmen intulit in easdem terras, quas ex altera parte raptant Hispani qui Nicææ quæ Paleæ dicitur & Aquis Lombardieis præsidio sunt. Ita minores Principes & hostium & Sociorum præda fiunt. Effugit id malum Parmensis, qui Romam ire nuper voluit, sed comitatior quàm gratum esset Pontifici. Vellet Pontificis propinquus Thaddæus à Parmensi extorquere Castrum quoddam ejus, cui nomen Boulionio, pro pecuniis quas ei Thaddæus mutuas dedit: sed creditur persoluturus pro Parmensi id debitum Dux Ethruscus, Pontificis observans, sed intra modum. Nam & cùm Ecclesiasticis Florentiæ Ethruriæque severè interdixisset Pontificis Nuntius, ne in farinam impositum onus penderent, etiam excommunicationem minatus in Ecclesiasticæ libertatis temeratores, pertendit ille pendique jussit. Neque dum Romæ, quo Victorium suorum unum Ethruscus misit, composita est ea res. Ab Hispali naves quædam Livornum appulere, commeatum ferentes Hispanicis exercitibus. Redit Vosbergius bene expedita re, certus solutionis earum quæ debentur pecuniarum, & promisso in annum sequentem ex Charnassæis pactis in id continuatis sesquimillione, de cætero manente Parisiensi federe. Episcopatum de quo scripseram Cenomanensem abnuit Pater Iosephus: & confessionibus Regis admotus est non quem dixeram, sed mutato consilio Iacobus Sirmundus Vir eruditione clarus, ut ex notis ejus ad Sidonium, Ennodium, Facundum & Concilia Galliæ apparet, attamen Iesuita & quidem veteranus quippe octogenarius. Drusenhemi castellum nihilo meliùs quàm ad Rhenum alia servatum à Gallis venit in hostium potestatem. Accipio nunc tuam epistolam scriptam $\frac{1}{11}$ Decembris, agoque pro ea gratias & Nobilissimo filio tuo pro constante in me benevolentia, cui semper pari studio respondebo. Ad D. Krusen nullæ erant in fasciculo literæ: quæ erant ad D. Gothofredum eas curavi & ad Heustium mihi ignotum alteras. Vivit hic D. Krusen pro natalium dignitate magnæ sanè spei juvenis & bono patriæ crescens. De Colmaria ab hoste obsessa rumor his diebus fuit, sed parùm exploratæ fidei. Quod scribis de literis tuti itineris Viennensibus non tradendis, nisi una tradantur & Gallicæ, haud dubiè eò pertinet, ut cogatur Rex Galliæ Ferdinando dare nomen Imperatoris. Et eò laborant tum Papa, tum Veneti: & credibile est decessuros de proposito Gallos, quod videant non habere se ejus adjutores aut Suedos, aut Anglos, aut Germanos Principes. Suedos non missuros Coloniam tecum sentio, & probo eorum consilium. In dandis literis pro Batavorum Legatis venturum arbitror Hispanum ad temperamentum aliquod, præsertim cùm multa quotidie etiam in bello negotia incidant quæ tractari se aliter non patiantur. Et meliùs id ipsi, quàm eos ponere in accessione Galliæ. De Wismariensi federe bene spero, quando redit eam ob causam Hamburgum Smalchius & de pecuniæ tantùm quantitate pro exacto jam tempore solvendæ, restat quæstio conciliatu non planè difficilis. Hassiacas copias ut curæ suæ esse velint Angli, optare licet, sperare utinam liceret. Ego ex sermonibus Legatorum nihil dum cognosco tale. Gallos pecuniam mittere Ramzæo & militi an quantum vult nescio. Puto eum memorem futurum quid Suediæ debeat. In arctis Pomeraniæ locis ita sumtuosum erit Suediæ posthac bellum, ut facile eos tædere possit impensarum, nisi contribuant quorum interest id bellum trahi. Alioqui si eo bello se exsolvant Suedi, nemo est qui eorum fidem accusare possit, nemo etiam ad quem non propiùs quàm ad ipsos spectet periculum. Quæ de Dantiscanis rebus nuntias etiam inde ad me perscribuntur. Fruemur spectaculo. Quæ ex Constantinopoli dideram scripsi nuper. Iudicabis an congruant cum iis quæ ad Batavos inde veniunt literæ. Literas ad D. Marinum mittam primo die. Opto, Illustrissime Domine, tibi filioque Nobilissimo felicia omnia. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Decemb. 1637.

Excell. Tuæ addictissimus & observantissimus H. G.

GERARDI IOANNI VOSSIO.

HAbeo gratiam, Vir summe, pro Epistola quam ad me dedisti medio Decembri. Optima ac verissima sunt per quæ me de socru mei semper amantissima, uxorem autem meam de matre ad meliorem vitam præmissa, consolaris. Ætatem ei datum est longam feliciter agere, & videre pronepotes. Ab abnepotum conspectu parum abfuit. Cunæi judicium magni feci semper, & puto fuisse φιλοπάτριδα, [*patriæ amantem*] eoque magis doleo quod in eo Academia fecit damnum. Barlæo valetudinem opto prosperiorem, vel poëseos causa quam ornat. Pro illo opere de bene recepta apud vos Regina Matre nihil eum hinc quidem capturum præmii fide mea spondeo. Et tamen quotquot nunc prodiere Panegyrici ob natalem Delphini, omnes in fronte editiones præferunt, *Honora Patrem & Matrem.* Vidit me hic dudum Jacobus Sirmondus, vir, ut scis, eruditissimus. Is Regis conscientiam nunc gubernat, bono sanè publico; nam alii antehac eo functi munere Religionem sæpe objecere Regis animo ob fidem cum Suedis & Batavis, quod hic facturus non est, gnarus illius sententiæ prudentis Prudentii: 883

——— ——— *Siquidem cœlestia nunquam*
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.

Non ita autem se dedit aulæ Sirmondus, ut non tempora sibi reservarit ad editionem Theodoreti & Hincmari, cum multis accessionibus. Eamque ob causam habitat in veteri cellula. Vedelius si ferit alios, non minùs ipse à Montacutio vapulat, homo ineptus. Schokius homo sit malus oportet, qui me tamdiu à popularibus meis vexatum, nihil ipsis debentem, nondum quiescere patiatur. De Satisfactione librum quo scripserim animo, quo proposito, tu optimus testis es. Et gaudeo librum eundem cum toto, qui Ravenspergero, homini tali qualis est Schokius, respondet, editum nuper Oxoniæ placere eruditis. Liber veritatis Christianæ, ut de Germanicis duobus & Gallica versione non loquar, editus est in Anglia Anglicè. Vertit eum Græcè Pastor Legati hic Anglicani. Pontificii autem nunc Persicè vertunt, ut Mahumetistas, si Deus aspiret, faciant Christianos. Dicat hos omnes nihil videre, qui, si ipsi credendum est, & propinquis & longinquis Gentibus Socinismum propinent. Triados probationem in eo libro directè aggressus non sum, memor ejus quod à Viro magno socero tuo audie-

Digitized by Google

audieram, peccasse Plessæum & alios, quod rationibus à natura petitis, & Platonicis sæpe non valde appositis testimoniis astruere voluissent rem, non ponendam in illa cum Atheis, Paganis, Judæis, Mahumetistis disputatione, qui omnes ad Sacras Literas ducendi sunt, ut inde talia hauriant, quæ nisi Deo semet patefaciente cognosci nequeunt. Mosem apertè temporalia tantùm promittere, & Christi præcepta ipsius præceptis esse perfectiora, scis esse dogma Veterum, idque abundè probasti. Quòd si novum fedus legerent & intelligerent ut oportet, reperirent hoc ipsum scriptum Matth. v. Hebr. VIII.6. & alibi; & fecit hoc ipsum nuper his quoque in locis apertum Mileterius. Christum etiam ob id Filium Dei dici, quod ex Spiritu Sancto conceptus, id non negat Thomas Aquinas. Et quid aliud significat διὸ [*propterea*] Lucæ I. 35. ut jam taceam etiam ob muneris impositi sanctimoniam, & ob resurrectiouem idem nomen satis apertè ei tribui. Crellio quod non operosè respondi, in eo fecisse me prudenter existimo. Quid enim opus bene & satis liberaliter dicta repeti? Si non possit ipse probare, injustum esse, ut volens aliquis pro altero pœnas ferat, quod nunquam probabit, & contrarium omnium gentium Sapientibus placuisse, tum in ipso libro de satisfactione ostendi, tum post Crellii librum editum, in meis de Iure Belli ac Pacis, titulo de pœnarum communione § XI. ampliusque docebo ex multis admodum Hebræorum testimoniis ad Matth. XX. 28. cujus particulæ exemplum dedi nuper D. Gossio Theologo Anglo, qui ex Anglia mei potissimùm salutandi causâ venerat; sequitur omnino nullam fuisse causam aut Socino aut Crellio cur à verborum λύτρα [*pretii redemptionis*] placaminis, expiationis, redemptionis proprietate discederet, manifestissimumque piæ Antiquitatis consensum desereret. Non tanti autem facio aut Schokium aut Magistrum ejus, ut huic aut illi respondendum putem; neque me pudeat consentire Socino, si quando is in veram veteremque sententiam incidit; ut sanè fecit in controversia de Justitia per fidem, & aliis nonnullis. Scripsi super his rebus non ita dudum ad D. Senatorem Reigersbergium, qui me apud Polonum Legatum traductum à Riveto Socinismi crimine ad me scripserat; in ea epistola ostendi, si quis sententiam meam post conspectam Crellii scriptionem scire cupiat de argumento inter me & Crellium controverso, ei satis eam apparituram ex loco Esaiæ LIII. ita ut à me versus est in disputatione cum Judæis, & inde quod in fine operis de Veritate religionis Christianæ illud Hebr. I. 3. καθαρισμὸν ποιησάμενος non in præsentis temporis, ut Socinus, sed in exacti significationem interpretor. Hortensio & iter opto fœlix, & successum respondentem causæ. Ego si quid adjuvare possum, meo more non deëro. Iansonio Anthologia, si velit, committi potest. Ad cætera autem mea, sive Theologica, sive Politica, opus est omnino librario bene de rebus talibus sentiente. Si quis Blaeuwii liberûm est, qui talia suscipere velit edenda, sed sine temporis dispendio, gaudebo. Si inter eos nemo est, multùm me obligabis, si repereris alium, eumque mihi quamprimùm indicaveris. Habeo enim multa, ni fallor, profutura publico, quod mihi post injunctas Legationis curas maximum est studium. Vitæ incerta sunt spatia, & rectiùs eduntur, quæ nobis eduntur superstitibus. Deinde licet corrigere, licet adjicere: de Asoto meminero. Vxor te ac tuam amicissimè resalutat. Cal. Ianuarii 1638. quem tibi ac tuis felicem precor.

Illud addam, siquis meam de summa Trinitate sententiam scire cupiat, reperturum quod satis sit in poëmatis nuper editis. Amplior explicatio Notis reservanda est. Rogo Manassem roges, ne Manasses sit, id est, obliviosus mei. Illud maximè scire velim, an id, quod in Doctores in diversum à Synedrio euntes constitutum fuit, ad omnia dogmatum rituumque pertineat. In Hincmari editione multa erunt ad Godscalci causam pertinentia, etiam quæ Cordesius non vidit.

Tuus ut soleo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

EX Veneto Legato didici quod jam fama ad me pertulerat, ab ea Republica Mantuæ custodiam cum bona Imperatoris gratia retineri sub promisso nihil inde hostile rebus Imperatoris eventurum. Vellet sane Dux Mantuanus tantundem pro Montisferratensi Territorio detineri posse. Verùm is ager tam sociorum quàm hostium copiis tenetur, atque atteritur, & Casali præpollent Galli, à cæteris per Italiam, excepta Sabauda, sociis pœne omnibus derelicti, non minus quàm per Germaniam, ubi, quantum audimus, Landgravia Vidua ægrè res ultimas sustentat, Hanoviæ autem Comes cum pretio velit transire. Vinariensis autem quibus ante se tenet locis, Helvetiis frustra conquerentibus. Misit Imperator literas tutum iter pollicentes pro Suedis Batavisque, tradiditque Cardinali Ginetto, paratus & pro Gallis dare, ubi Galli pro suis dederint, nimirum ut si Imperatoris sibi datum non fuerit nomen, habeat expediendi causas. Cardinalis Riceliacus, pridem multis invisus, belli insuper odio premitur, & Rex novos amores reperit ipsi suspectos. Batavi res hic suas è voto confecere. Mitto leges quibus per oppida hyematur, Regis sunt milites. Ex Rorteio acceperat Venetus responsum iri è Suedia suorum literis. Dixi me nihil habere certi, nec causam videre cur ipsi, qui ad Serenissimi titulum illos Christianissimi & Catholici ac similes addunt apud alios, Reginæ nostræ Potentissimæ adjungere titulum tot Regum exemplo præeunte, grave judicent. Si Wirtenbergicus Dux Hohenwilum tradit Imperatori novis claustris prementur Helvetii. Vinariensis pecuniæ aliquantulum dedit militi. Argentoratum à Cæsarianis promissis ac metu tentatur. Rohanius Dux Genevæ hæret, neque in Aulam venit quamquam vocatus. Videt enim gravibus se criminationibus impeti, more Aulæ suas sæpe culpas aliena eluentis infamia. Scriptum pro ipso per Italiam vulgatum mittit Marinus. Vidi ab eodem Duce Rohano descripta tria postrema Reformatorum bella quorum dux ipse præcipuus fuit. Ei libri quantum dijudicare possum, nec apud Batavos, nec apud Anglos, nec in Gallia edentur, quando Anglos & Batavos desertæ oppugnatæque Religionis ejus quam profitentur, Galliæ autem Proceres Reformatos ingentis perfidiæ accusant; eorum autem qui nunc etiam res pro arbitrio versant ingenium depingunt vivis coloribus. Veneti magni eum faciunt, & quod antehac ei dedere annuum augere ad XXV millia scutatorum. Princeps Arausionensis, Hollandis maximè reluctantibus, ægrè expressit, nequa militum missio fieret, addito hoc solatio stipendia ne ultra solverentur quàm quantum reipsa esse in numeris recensendo comperirietur. Deum optimum maximum seriò precor, hunc ut annum felicem det Reginæ rebusque Suedicis ac nominatim Tuæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati, armaque ad bonam pacem gubernet. Scribebam postremo Cal. Ianuarii 1638. ut hic numeramus Lutetiæ.

Habebat literas à Constantinopoli Legatus Venetus, quibus dicebat doceri se Legatum à Persa nulla attulisse ad pacem mandata, neque ejus pacis spem affulgere. Ramsæum audio nulla Suedorum cura, inter Imperatorem Galliamque hærere sua librantem commoda. Ego ad eum scripsi aliquoties ac monui, quantum ipsi fidei Tua Sublimitas Suedique omnes habuissent semper: sed pridem responsi accipio nihil. Datus est in Bastiliæ carcerem

Digitized by Google

rem Princeps Marsillacus Ducis Rupifocaldii filius, quod adjutor Chevreusiæ ad effugium fuerit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

885 DOleo non esse quàm vellem bonam valetudinem tuam, eamque tibi meliorem, etiam communis rei causa, precor. Vinariensis hæret ubi antehac: necdum quicquam profecisse adversùs eum auditur Dux Lotharingus. Illud de vectigali ad Dantiscum negotium video displicere multis, sed nullos agere calidiùs, quàm Danum & Batavos, qui fortè in societatem suorum conatuum & alios trahent. Suedis ea controversia, dum durat, & Regem cum Dantisco, Prussiaque omni, multis etiam Polonorum committit, in fructu esse poterit. Cæterùm si Regi contingat secura possessio, aut, de qua nunc fama loquitur, redemptio ejus sub magnis pecuniis, erit quod metuatur ista opulentia. De Pomeraniæ rebus eadem quæ memoras, & Wolgastum oppidum, non & arcem, nostris periisse, tristis intelligo. Curtianum iter si eò quò dicitur pertinet, poterit nostras res facere meliores, si non offerendo quæ acceptari possint, at accendendo alios qui circa nos frigent. Smalzius ad me Holmia scripsit accinctus, ut jam mox iret Hamburgum, ubi nunc eum fore confido. Gallos, sicut Batavorum desideriis se aptarunt, ut eorum retinerent societatem sibi prope necessariam, ita ut Suedos sibi devinciant, multa quæ abnuerunt concessuros puto. Hassiacæ res & auxilio & celere indigent. Regimen penes feminam, nomen penes puerum, aversa à bello Provincialium studia, vires attritæ, nimium malorum tam malo nostro tempore. Cum Anglis non video quî possit conveniri, nisi formulam quam fecere federis propiùs ad ea quæ ipsis à Suedis proposita fuere, accommodent. Video hic incusari Anglos deductæ illius classis Hispanæ: si falsò, ut sentit Regina Bohemiæ, aliquid decedat de dolore Batavorum, gravi satis sic quoque malo, ut nulla veterum amicorum culpa accedat. De Hanovia metuam, donec certi quid accepero. Turcarum pacis cum Persa spem evanescere dixit mihi Venetus Legatus, Constantinopolitanis edoctus literis. Quod si & illud verum est, quod addebat, incalescere Turcarum cum Cosaccis, Moscoviticæ tutelæ, certamina, securus ab ea parte Ferdinandus minùs minusque se præbebit tractabilem. Literas quas ad Heussium esse putaveramus ægrè tandem, fallente nos diu literarum ductu reperimus eas esse quas Crusio mitti indicaveras: itaque ei sunt traditæ. Datus est in carcerem Bastiliæ Princeps Marsillacus Ducis Rupifocaldii filius, ideo quod adjutor Chevreusiæ ad effugium fuerit. Deus, Illustrissime Dómine, faustum det hunc annum & publicis & privatis domus tuæ rebus. Scripsi postridie Calendas Ianuarias anni inchoantis 1638.

Excell. Tuæ ad omne obsequium addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

886 HAmburgi jam te esse existimabam cùm Holmia ad me postremùm scriberes, verùm bene quod ad iter jam accingebaris. Spero nos brevi scituros quomodo inter nostros ac D. Davausium composita erit nova hæc controversia, nam fore ut componatur quasi pro certo habeo, cùm considero quantopere solliciti fuerint Galli ut Batavos adstringerent. Neque enim ignorant, si antequam res suas cum Imperatore, Hispano, Lotharingo ad pacem perduxerint à Suedis Batavisque aut ab horum aut his aut illis deserantur, quanta in illos se injectura sit belli tempestas, quotque ex partibus ad hostiles incursus pateat Gallia. Nullius pecuniis ratio meliùs iis constat quàm ejus per quam arma Galliam laceratura, & si quid est morbidum commotura in alias gentes rejectant. Gaudeo quæ apud Regem his temporibus congruentia dixi vobis non improbari. De pacanda Italia laborat Pontifex: & Cardinalis Sabaudus palàm dicit se quieturum, sed multa erumpunt indicia, quibus appareat sollicitari ab eo non modò Subalpinorum animos, sed & Hispaniæ Imperatorisque auxilia adversùs Viduam haud dubiè subnixam vi Gallorum, satis exosæ per Italiam gentis, maximè ex quo pro libertate, quam ex armis suis servare Italiam jusserant, nihil præter vastitatem, & quidem in sociorum magis quàm in hostium terras intulere. Puto optimum factu esse quod scribis, ut in luctu rebusque similibus quando nimis longum sit mandata exspectare è tam remotis locis, sequar exemplum eorum qui Regia ut ego Legatione funguntur, & mores harum partium notiores habent, & ad consultandos suos siquid obscuri inciderit propiores sunt. De Mimnermo non tam ex Lactucæ quàm ex Eusebii rationibus judicandum est. Fruitur is Callimacho cum omnibus propinquis suis, sed gravi multorum odio laborat, & ægrè Vindicem in sua detinet sententia, cujus animus miris artibus factiosorum sæpe concutitur. Et nunc novæ in Aula turbæ audiuntur, admiscentibus se ut in Gallia fieri solet fœminis, quæ non ob id dico quod certi aliquid augurer, sed quod omnia hic videam esse valde incerta. Adde quod mors unius hominis infirmi multum adferre mutationis possit. Legati Tartarici quid ferant nisi fortè in Moscovitam aliquid miror. Hassiæ res auxilii & quidem celeris indigent labescentibus populorum animis; ita ut jam pars eorum cum Imperatore transegerit, ut & Hannoviæ Comes qui urbem suam, si Ramsæus non impedit, tradet. A Ragotskio non video quid boni nobis esse possit. Getzii literas hic vidimus, & de rebus Pomeraniæ non qualia vellemus audivimus, sed amat Mars vices rerum. Non si malè nunc & olim sic erit. Contra vectigal ad Dantiscum non Danos tantùm sed & Anglos & Batavos commovêri videmus. Galli quid illæ gentes quibus plus ibi commercii est facturæ sint exspectant; alioqui & ipsi non faventes isti oneri, eoque minùs quod Rex ille magis magisque res sequatur Austriacas. Fœdus Gallo-Britannicum cujus conditiones audivi tantùm, legere ac penitus introspicere tuo beneficio si liceat, res erit & grata mihi & publico, ut spero, non inutilis, tantundem precor si quid Rosteio respondebitur. Literas omnes ad me missas rectè curavi, rogoque ut quoties usus ita tulerit neque meæ curæ, neque meorum satis otiosorum parcatis. Vale cum amicis omnibus postr. Calend. Ianuarii novi Cal. 1638. Lutetiæ.

Tuæ Præst. obligatissimus H. G.

D. WITTIO.

Amplissime Domine,

ET meum cum Brensio colloquium, & quas deinde 887
misi literas non displicuisse tibi, cui ac mea placere semper feci maximi, plurimùm lætor, neque mihi quicquam erit gratius quàm tecum viro tam cordato de iis, quæ ad optimum publicum pertinent, sæpe conferre cogitata, per sermonem quidem, si quando id dabitur, per literas interim; nam in Germaniam sum venturus, an substiturus in hac in qua collatus sum specula, id verò non mei est arbitrii, sed eorum quibus me regendum tradidi; verùm ubicumque ero locorum retinebo animum Dei beneficio Christianum, veræque & æquæ cupidum pacis. Quod si mea valuissent vota, jam pridem Germania à tam diurnis malis respiraret, revirescerent literæ boniqne mores, quibus non minùs quàm urbibus agrisque vastitas tam fero bello infertur. Quale jus sibi Regina Suediæ in

in Pomeraniam & unde vindicet intelligere tum ex aliis tum ex D. Salvio potuisti, putoque non ita latere quæ super ea re tum Pomeranis ipsis, tum Electori Brandeburgico Suediæ Regni nomine perscripta sunt, ut non ad tuam notitiam pervenerint. Gallus Lotharingiam tenet, veterem, ut ait, Galliæ partem novos successus adornans antiquis historiis. Anglus Palatinatum diu est quod Legationibus repetit, & id ut obtinere possit, socios sibi corrogat. Landgravii Cassellensis causam neque Suedi honestè neque Galli deserere possunt. Oblivionem offensarum intra exceptionem tota prope Germania Imperatorem in Conventu oravit Ratisbonensi, & nunc quoque orare non desinit. Et rumor est dedisse jam aliquid Imperatorem totius ferè generis humani precibus. Sed etiam qui resoluti jam sunt queritantur accisas res suas. Ecclesiastici videntur non iniqua petere, cùm sacra profanari vetant. Sed, ut in Græca quædam historia ait Tullius, Durum est movere quinquaginta aut ampliùs annorum possessiones. Hæc tam multa tam implicita quis expediet? nisi Deus fortasse ubi sat pœnarum Germania dederit, seque ad avitam simplicitatem retulerit? Illustrissimo Principi vestro opto omnia tanta domo tantisque natalibus digna; nihil autem ei posse contingere quod ei gloriosius cunctisque sit utilius, quàm si ipsius gratia, prudentia, moderatione tot illi nodi ad quos adhærescit pacis negotium solvantur aut dissecentur. Ad rem tantam conferamus ambo, tu consulendo ego optando, quod possumus; sed memento magnanimos esse Suedos, tales autem qui sunt, ad conventiones perduci faciliùs suis prosperis quàm adversis rebus, ne ad fortunæ impulsum contraxisse animos videantur. Vale Vir optime mihi amicissime. Lutetiæ postridie Cal. Ianuarii 1638.

Tuus quem pridem nosti semper idem H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

888 MVltum nimis confirmor sententiis literis quas abs te 11 Decembris accepi; scripsit ad me ex Holmia Schmalchius quem jam apud vos esse credo. De Curtii adventu & huc perlata est fama, quæ in hanc Aulam multum attulit trepidationis: neque desino eum alere rumorem, nimirum ut quod rectè mones pluribus luctantibus inveniatur justum rei pretium. Angli, si credendum est qui hic sunt Legatis, mallent illud de suo sanè periculoso sedere negotium Hagæ quàm Hamburgi tractari: causam ei obtendunt consilio, quod & Reginæ Bohemicæ auctoritate, multum apud Batavos ob Religionis consanguinitatem valente, & Principis Arausionensis ibi cunctipotentis non tam gratia, quàm imperio, pro Domo Palatina cui ipse est proavunculus, uti se posse sperent. Accedunt forte causæ & aliæ; tamen paratos se ajunt aut Hagæ agere aut Hamburgi, ut se res tulerit. Valde placet responsum sanè festivum, quod Hamburgensibus à Legatis, qui nunc ibi sunt, datum est. Quid de vectigali isto ad Dantiscum sit futurum in magna sum exspectatione. Non Prussia tantùm Regia & Ducalis ad eam rem commovetur, sed & Batavi ut in re pecuniaria seriò valde, Angli, ut solet, lentè, Galli tamquam speculabundi. Doleo nostros in urbes cogi, id enim bellum nostris sumptuosum faciet, vereor ne & tædiosum populis nostris, quorum in pupillari Regno major quàm alio tempore solet haberi ratio. Quæ his in locis aut aguntur aut differuntur scripsi septimo quoque die aut ad te aut ad Scorlingium. Novi in hac Aula motus sunt adversùs Cardinalem. Prospicit is sibi quantum potest & magno motu magna odia compescit. Ad Cardinalem Ginettum misit Imperator tuti itineris literas pro Suedis & Batavis, pro Gallis ut ait missurus, ubi Galli suas dederint, nempe ita ut ipsum, quò ea res tendit, Imperatorem vocent, alioqui eas pro nullis habiturus. Deum precor, Illustrissime Domine, hunc annum cujus ut hic numeramus Lutetiæ die altera hæc signo, prosperet Excellentiæ Tuæ cui me proprium dico κτήσει ϗ χρήσει [*Possessione & usu.*]

STENONI BIELKE.

Illustrissime Domine,

ANnum heic inchoamus novum, quem feliciorem nobis rebusque nostris det Deus quàm fuit pars magna ejus qui nunc effluxit; erit autem felicior si aut subministrent opulentiores socii sumptus, unde bellum in locis tam arctis trahi diu possit, aut ad ea pacta hostes veniant quæ sine dedecore tutoque accipi possint. Vtrum sit melius, scit Deus, ac Tua Illustrissima Excellentia propius quàm nos spectare ac dijudicare potest. Nos eminus piis votis id quod nostrum est præstabimus, nam ut aliquid significare possimus, quod momentum ad res tantas habeat, vix sinit frigida hæc atque iners anni tempestas; illud tamen fortè non silendum, quod Venetus Legatus edoctus Constantinopolitanis literis affirmat, aversa Turcarum consilia à pace cum Persa, manenteque eo bello simul virium partem in Moscovitas verti, quod Cosaccos Euxini maris prædones tutandos susceperint. De Hassia, de Hanovia audimus satis dura; utinam ne brevi audiamus pejora. In Aula insuper hac non desinunt novi motus qui Cardinali Riceliaco difficile reddunt regimen & ipsius & belli odio. Bene se habet quod sustentat se quibus hactenus in locis Dux Bernhardus, & pecunia aliqua resovit militem, neque dum quicquam adversùs eum profecisse auditur Lotharingus. Adde quod Batavos novis sibi pactionibus Rex Galliæ adstrinxit. Misit Ferdinandus ad Cardinalem Ginettium tuti itineris literas pro Suediæ Batavorumque Legatis, missurus & pro Gallis, ubi Rex Galliæ pro suis miserit. *Id eo pertinet*, ut si pro Imperatore à Gallo illis literis habeatur, expedita sit ea difficultas; sin minùs ut tum justam & ipse recusandi causam sibi esse dicat. Videtur utrimque non pax quæri bona, sed invidia permanentis belli ab aliis in alios certamen derivari. Deus, Illustrissime Domine, cuncta in bonum vertat eventum, idemque Tuæ Illustrissimæ Excellentiæ det valetudinem meliorem ac res prosperas. Lutetiæ ubi nunc alter dies procedit anni 1638.

Illust. Excell. Tuæ omni obsequio addictissimus H. G.

HENRICO HOPFNERO,

S. Theologiæ Doctori & Professori Lipsiæ.

Vir Reverende,

MAnet apud nos læta sermonum, quos cùm Hamburgi, tum Lipsiæ tecum habui, memoria, tuique cultus, cujus pietatem, eruditionem, animumque pacis & publicæ & Christianæ amantem exosculor. Vnde collectu tibi erit facile quo cum gaudio tuas acceperim literas. Quod autem libris te delectari dicis, id si judicium est, felix sum, si amor, etiam sic felix satis. Propositum mihi fuit prodesse juventuti, eamque velut manu ad recta studia ducere, non ab iis legi, quos docendo scribendoque claros magnæ doctrinæ fama circumdat. Ego verò tuorum quæ legi Lipsiæ, nunquam depono memoriam, velimque multa mihi sæpe legenda talia contingerent. Cæterùm ut tranquilliùs jucundiusque laboribus ejusmodi dare te possis, Deum precor, ut Germaniæ pacem statumque veterem reddat. Privigni tui, quem mihi commendas, pergrata mihi est consuetudo: utque efficere ei possim vitam hic non insuavem, quàm minimo ipsius sumptu & laboravi & laborabo; habet ille, ob quas non recipi tantùm, sed & quæri debet virtutes. Sed multæ domus occlusæ sunt aliter de Religione sentientibus;

bus, quædam etiam occupatæ. Ego tamen conniti non desinam. Postridie Cal. Ian. 1638.

Tui amantissimus H. G.

LUDOVICO MAURERIO.

Nobilissime Maureri,

891 MUltum me delectat constans apud te nostri memoria, neque minùs gaudeo sospitem te visis tribus ad Septentrionem Regnis Hamburgum rediisse. Nos quoque noris bene valentes vivere tuique memores, atque optare omnes ut tibi tuisque hic annus feliciter procedat; velim & Europæ omni, sed id sine pace sperari non potest, quæ quantum video, nos fugit, dum alii successibus aliquot inflati ad æqua venire nolunt, alii post damna accepta reditum fortunæ exspectant, servantque se rebus melioribus. Interim quæ sit Germaniæ agrorum vastitas, urbiumque miseria, quæ familiarum disjectio adeò omnino te non latet. Quæ Wrangeliano militi minùs commodè evenerunt didiceram quidem, sed non ita minutim ac stirpitus ut tu ea exsequeris, pro quo labore abs te mei in gratiam sumpto, multum tibi debeo. Amat quidem semper vices Mars; verùm id non in alio magis bello, quàm in isto Germanico apparuit. Itaque brevi credo revolaturam ad nos victoriam, eoque magis quod adversa viris fortibus animum imminuere non solent, prudentiam verò etiam addere. Mirè aveo cognoscere quis futurus sit exitus novi ad Dantiscum vectigalis. Commovet ea res Suediam pactionibus, ut rectè observas innixam, Prussiam utramque, Daniam, Batavos, Anglos quoque & Gallos. Legatus Polonus qui apud Batavos fuit, & hanc rem & de mutato matrimonii quærendi consilio metu Turcici belli excusat, frigidum satis commentum, in Persam & Moscovitam distractis Turcæ viribus. Itaque neque Rex Britanniæ honori suo satisfactum arbitratur, neque Batavi sui commodi curam ob id omittent. Sed in Britannia ne admissus quidem ad Regem est Legatus, à Batavis verò cum responso non quale voluerat dimissus. Fuit hic Batavorum missu D. Vosbergius, deque solutione ejus quæ debebatur pecuniæ certus, etiam in hunc annum paris liberalitatis promissa refert. Rogo, Excellentissimo D. Davausio offeras quidquid à me proficisci potest, cujus nunc frater Memmius uxorem luget, sed moderatè ut & vetulam & sibi sterilem: præterea verò etiam D. Baronem de S. Romano, & D. Lindenbrogium amicissimè salutes. 5 Ianuarii 1638.

Tuus ut semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

892 LIberaliter collocutus cum utroque Angliæ Legato, eò direxi verba ut intelligerent satius esse rei incumbere quàm personæ. Non perdenda longiùs irritis interpellationibus tempora; id agendum potiùs, ut pignora habeant, per quæ Imperatorem cogant stare promissis. Neque id difficile adeò patente ipsis & mari & Batavorum terris. Videbantur delectari hoc sermone. Adjeci siquid ad societatem nobiscum nectendam vellent proponere, paratos qui audirent sive Hamburgi, sive Hagæ mallent. Posse dum de Wismariensibus pactis disceptatur, etiam hoc negotium promoveri. Multum nos fidei habituros Britannis, si quid pollicerentur, tum quod Anglorum Scotorumque perspecta nobis essent in nos studia, tum quod salvas esse res Protestantium ipsorum non minùs quàm nostrâ interesset: quod in aliis non æquè haberet locum, qui Protestantes vellent si non interire, at quàm longissimè à finibus suis submoveri. Ex Germanis intelligo Frankendaliæ & aliquot vicinis in oppidis manere Reformatam Religionem. Id judicium esse putant Imperatoris animi, eorum locorum restitutione Anglos placare sperantis. Venere ad me Galli rerum quæ aguntur non imperiti, omnibusque modis persuasum mihi voluere à Rege Galliæ Estræo, qui Romæ est, data mandata cum Pontifice agendi de pangendis induciis. Causam hujus consilii afferunt, quod ægrè in bello se retineri Rex sinat, ob injecta ipsi Religionis terriculamenta, Cardinalisque in periculo sit supra populi odium etiam Regis excidendi gratiâ. Tum verò si Regi quid eveniat humanitus, qui infirmitatis suæ his diebus Versaliæ admonitus fuit animi deliquio, nihil esse mali quod non metuendum sit Cardinali in tantis inimicitiis tanto præsidio destituto. Neque verò vanum esse, quod etiam manente vita de mutatione animi metuitur, inde patet, quod cùm ad Fayettam post id deliquium ire constituisset, & id colloquium semper formidaret Cardinalis, elusum sit id propositis medicis ablegatis qui medicando Regem detinerent. Sed verumne sit hoc de induciis, an in id spargatur mihique significetur, ut eò festinetur magis ad ea arripienda quæ offert Davausius, Tuæ Sublimitatis prudentiæ æstimandum relinquo. Queritur etiam hæc aula de Duce Vinariensi, quem aiunt clam misisse ad Imperatorem ad tentandas conditiones. Habet nunc is Princeps III CIↃIↃ equites, pedites ferme II CIↃ IↃ. Nec sperandum est etiamsi continuetur bellum, ut ante ver agat aliud quàm se ut sustentet. Ait Ramsæius, ut audio, se sine ejus Ducis assensu Hanovia non exiturum. Hollandi aliquantillo minus quàm speraverant accipiunt, itque cum D. Vosbergio missus hinc Vir nobilis illico huc rediturus. Marsilliacus non diu in Bastilia retentus suorum gratia libertatem recepit. Pecuniæ Regiæ dispensator Bulionius ad eos milites qui nuper Dampvilleriam ceperant centum Francorum millia miserat, volueratque ea numerari non nisi bene valentibus. Milites inhumanum id rati & pertinere ad corrumpendos animos militares, ægrotis sauciisque ante alios omnes dari pecuniam voluere, contenti eo quod esset superfuturum. De Burgundiæ Comitatu seorsim ponendo extra bellum, quod Helvetii agitant negotium, Gallis non placet. Itaque per Legatum suum qui apud Helvetios est, proponunt ea quæ obtineri spes non est, quale est ut Comitatenses omnia damna, quæ hoc bello passus est Ducatus Burgundiæ, sarciant. Tiguro docemur Ducem Vinariensem leniendis Helvetiis paratum quædam quæ in Episcopatu Basiliensi cepit castella tradere in manus Soloturiensium: de cæteris locis se decessurum cùm primùm poterit. Duci Lotharingo Iohannes Waertius dedit tres Croatarum cohortes sive Regimenta, Draconariorum duo, quibus Ducem Longavillanum prohibeat à Salinis oppugnandis. Argentoratensibus abstinentur commeatus, si eo modo ad Imperatoris partes traduci queant. Nondum persanatæ sunt simultates Hispanos inter & Genuam. Itaque nova via Hispani à Monæco & Finali per Feuda Imperii, terrasque Ducis Ethrusci & Doriæ, intactis Genuatum finibus, in Mediolanensem agrum militem ducunt. Sed multi diffugiunt ob frigoris incommoda. Manet etiamnum Florentina illa cum Ecclesiasticis super farinario vectigali controversia, neque Romæ quicquam de eo promotum est per Victorium quem Dux Ethruscus miserat. Ticini hærebat Leganesius, qui Rhætorum ad se Legatos exspectare super Valle Telina responsa ab Hispania jussit. Cardinalis Sabaudus Genuæ occasiones & Principum quorum ambit amicitiam literas aut nuntios opperitur. Archiepiscopus Cantuariensis suis ad Legatum hic Ordinarium Anglicanum literis ostendit, accepisse se à Duræo literas super coagmentatione Ecclesiarum, idque negotium si non alieni ab eo sunt Suedi, sibi cordi fore. Ego de ea re ad Doctissimum D. Berneggerum scripsi, tum rogatu Duræi tum & D. Mulleri consilio. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, & eam rem & alias

Digitized by Google

alias omnes ad rei Suedicæ bonum pertinentes prosperet, Tuæque Sublimitati consilia patriæ salutifera, ipsi gloriosa semper inspiret. Lutetiæ 9 Januar. N. St. 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

893 AGitatur iterum hæc aula clancularijs molitionibus, quarum pars magna eò tendit ut Regis animus religione quadam à bello hoc continuando avertatur. Cardinalis Riceliacus æger corpore, Regis præterea conspecta infirmitate, quæ se per hos dies ad deliquium usque prodidit, servaturus ne sit quam servavit hactenus consiliorum constantiam, an urgenti nimis oneri cessurus tandem, varia est conjectatio. Dux Bernhardus pecunia Gallica instructus habere creditur 111 millia & quingentos equites, pedites ad bis mille & quingentos. Helvetiis responsum dedit placidum, arces se quasdam (quæ nimirum oneri magis ipsi erant quàm usui) Soloturiensibus, si velint, traditurum. Decessurum de cæteris ad Episcopatum Basileensem pertinentibus, cùm primùm id belli ratio permittet. Dux Lotharingus à Waertio, qui in Suevia se tenet, accepit cohorces aliquas, effecitque ne Salinas obsidere Dux Longavillanus posset. Argentoratum magis magisque tentatur inopia commeatus & commerciorum. Hanoviam dicit Ramsæus non traditurum se, nisi Ducis Vinariensis consensu, qui nunc solus dissoluti federis nomen sustinet. Cæteræ spes utrinque bellantium in ver differuntur. Leganesius Ticini hæret. Rhætos ad responsa Hispaniæ rejicit: militem accipit à Monaco & Finali, non ut ante per Genuatium terras, sed longo ambitu, adjuvante Ethrusco. Ejusdem Ethrusci Ducis cum Ecclesiasticis suæ ditionis super farinario vectigali manet controversia. Sabaudus autem Cardinalis Genuæ occasiones & amicorum, quos ambit, responsa exspectat. Marsillacus Bastiliæ colonus non diu fuit, libertatemque amicorum precibus recepit. Misere Galli ad Principem Arausionensem, prout responderit, liberalitatem suam adducturi aut laxaturi. Franco sive Burgundiæ Comitatui otium à bello daturi non videntur, cùm dura postulent, inter quæ, ut quæ Ducatus Burgundiæ damna pertulit, à Comitatensibus sarciantur. Erfurdum audimus iterum ab hostibus circumveniri, & diligenter servari Rheni ripas, ejectis jam inde ab omni parte Gallis. Scribitur & damnum passa Austria eluvione Danubii. De Portugallia refrixere rumores. Opto tibi, Illustrissime Domine, tuisque omnia prosperrima. Lutetiæ 9 Ianuarii Novi Calendarii 1638.

Excell. Tuæ observantissimus omni studio H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

894 MAnet anxius de Regis in suaque consilia animo Cardinalis. Vt clavum clavo trudat, veteres Hautefortiæ amores apud Regem resuscitat, quò faciliùs se Faiettæ, ne in Monasterio quidem quiescenti & factioni ejus opponat: succeditque hactenus non malè is conatus; ita ut his diebus Rex Ruellam iverit, ibique apud Cardinalem choreis se oblectaverit. Video tamen ita judicare rerum peritos, tantas esse tamque validas contra Cardinalem molitiones, ùt necessariò brevi aliqua eventura sit mutatio in hanc vel illam partem. Ostendit mihi Venetus Legatus responsum novum à Cæsariana Aula datum res ibi Agenti Venetas: in quo primùm illud observo, Duci Reipublicæque Illustrissimi tantùm dari titulum, cùm Serenissimi dari Electoribus ab ipso Imperatore discam ex libello, qui nuper de vita Aulaque Ferdinandi II. prodiit. Germaniæ Principibus perstat, ut hic apparet, Imperator non dare tuti itineris literas, itidem ut Batavis Hispanus. Has verò literas quas Suedis Batavisque promittit, si velint, Imperator, non sinit tradi nisi acceptis Galliæ literis pro suis Legatis; quas quidem, id enim ore additum, non alias vult recipere, quam eodem tenore, quo patris sui Legatis dandæ erant, id est, cum pleno nomine Imperatoris. Quod si Veneto credendum est, Cardinalis id ei nomen priùs quàm agi de pace cœperit, aut induciæ certè coiërint, dare abnuit, perseveratque urgere ut & pro Germaniæ Principibus civitatibusque dentur literæ ab Imperatore, pariterque pro Batavis ab Hispano. His artibus quanquam belli manentis invidiam alii in alios rejiciunt, tamen de induciis posse aliquid convenire tanto Pontificis nisu, multi existimant. Feuquerius fuit apud Ducem Bernhardum, sed sine copiis. Quæ ei promittuntur nunc agunt in Borbonio Bassigniacoque agro. Interim nihil agit Dux Bernhardus: Lotharingi autem equites capta Champlita ad Divionem usque excursitant. Vidi tandem mittente ad me D. Smalzio duas federum Britannicorum delineationes. In priori nihil video nobis quod prosit, quod obsit aliquid, nisi propositum dejectos restituendi arctetur ad res verè ac reipsâ non animo tantùm & imagine possessas. Posterior non video quomodo exitum reperire possit, tam difficili adjecta conditione. Intercurrunt & passim captiosa quædam aut ambigua. Quæ inter Daniæ Poloniæque Reges gerantur intellexi rebus, ni fallor, nostris haud incommoda: quale est & illud de sacramento novæ militiæ Polonicæ titulo immaculatæ Virginis, quod non miror Protestantium quidem omnibus, Romanensium verò sapientissimis esse suspectum, tanquam suggestum ab Austriaca Domo instrumentum firmandæ augendæque dominationis. Calent hic de Curtio ut pacem Suedis adferente sermones, ingenti Gallorum trepidatione. Ego non desino prædicare fortes in rebus adversis Suedorum animos, paratosque etiam nunc ad implenda pacta Wismariensia; modo quæ æqua sunt præstentur. De Helvetiis rebus novum Conventum, deque Rhæticis reditum ab Hispania Legatorum exspectantibus scribit D. Marinus, cujus negotia commendarem, nisi satis ipsum sua commendaret diligentia. Galli ut aliquid pro se movere possint, nunc apud Rhætos non video. Ita jacet eorum per Italiam fama, multaque minùs socialiter ab eis gesta hærent recenti memoria, ad quæ accedit quod frumentum Rhæti nisi à Mediolano aut Tirolensi agro habere vix possunt. Galli Batavis in his quæ cum Vosbergio egere, detraxerunt non nihil de pecunia per Charnassæum in annum promissa. Sed repensatur id demtis vicissim oneribus cohortium quarundam, quibus ipsi æra præbere de suo tenebantur. Exspectatur hic reditus viri nobilis, qui cum D. Vosbergio missus est ad Principem Arausionensem, ad capienda in ver quod venit consilia. Is Princeps & Cardinalis Riceliacus utuntur alter altero, sed parum certa amicitiæ fide. De Turca manet quæ antehac existimatio, implicitum & Persico, nulla dum spe pacis ob certamen de Mesopotamia, & Moscovitico insuper bello, non vacaturum rebus aliis. Ne Polonum quidem habere quod inde metuat. Incitant Galli Helvetios ut castellum illud Rhæticum ad Rhenum evertatur; nec tamen multùm promovent. At qui res Anglicas ibi agit, quasi jam facto cum Gallis federe, exquirit quo itinere in Vallem Telinam miles induci possit, si id usus Rhæticæ libertatis postulet. Idem de Suedis conqueritur, eosque ait ideo federi non accedere, quod Lutheranæ, ut illi loqui libet, Religioni non etiam Reformatæ per pacem cautum velint. Veneti ab Imperatore Hispanoque securi militem stipendiaque imminuunt. Archiducissa Claudia partes quasdam

Digitized by Google

quasdam territorii Wirtenbergici sibi retinet. A Duce Vinariensi in Italiam perfugiunt non pauci, incitantibus Helvetiorum Pontificiis. Hostis adeò transitum ejus Ducis Trans Rhenum non metuit, ut illud castellorum maximum, quod Witteweriùm dicebatur, diruerit. Multa me pro publico sollicitum habent: eoque ardentiùs Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati det optima consilia capere, capta bene secundet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Januarii 1638.

Observatu ne hoc quidem indignum, in responso Imperatoris, Coronæ Suedicæ, non item Reginæ fieri mentionem. Nam quod Poloniæ Regi addit & Suediæ titulum, id tralatitium est. Comes Hanoviæ & Solmensis Canbushius in arce tenentur inclusi à Ramsæo suspicante aliquid eos in suam moliri fraudem. Quod Galli dant Batavis pervenit ad XII C CIↃ florenos. Onera detracta non minùs efficiunt III C millibus. Ita constat ratio. Dux Rohanius Venetias it Regis concessu. Putantur Espernonius filiique ejus Valettæ Cardinalis & Dux & Candalius non quàm possent bene res in Aquitania & ad Belgicum finem gessisse, dum Romæ gratias venantur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

895 AGuntur hic, ut fert tempus, Bacchanalia, neque multum fit. In aula amores, choreæ, comœdiæ: neque eò minùs latentia turbarum semina. Perstat Gallus Ferdinando, donec aliquid agatur ampliùs, subtrahere nomen Imperatoris: Ferdinandus verò negare literas tuti itineris pro Legatis Germaniæ Principum ac civitatum. Dux Bernhardus hæret, hærebitque hanc, puto, hyemem in Episcopatu Basileensi & vicinis locis. Dux Lotharingus, Champlita recepta, in Ducatum Burgundiæ excursus facit. De morte ejus falsus comperitur rumor. Metus hic magnus est à Curtio & à Tartaris spei nonnihil. Nam à Turca spes decollavit, adjecto ad Persicum Moscovitico bello. Suedi nostri ab Anglis accusantur apud Helvetios, quasi penes eos stet quò minùs fedus cum Gallis exitum suum habeat. Scripsi ad Marinum ea quæ apud æquos homines facilè nos ab hac culpa sunt liberatura. Veneti copias ac stipendia minuendo consulunt ærario, eademque opera fidem habendo Cæsari Hispanoque, ipsorum vicissim fidem sibi obligant. Magnam Batavis famam circumdat arx Minæ in Africa ad Oceanum capta, cum magna spe brevi omnem eam oram ipsis cessuram, invalido pridem Portugalliæ Regno, cui ea portio obvenerat, & nunc suis motibus involuto. Witteweriùm præcipuum castellorum quæ Dux Bernhardus ad Rhenum fecerat, diruêre hostes, in tantùm ab ea parte securi. Magnam hic prudentiæ laudem nactus est Ramsæus, cùm Comitem in sua ipsius arce Hanoviæ inclusum tenet, ne quid seorsim paciscі, aut, si pactus sit, effectum dare possit. Mitto ipsum responsum quod Imperator Veneto dedit, in quo non pauca sunt contemplatu prudentiæ tuæ digna. Opto Illustrissime Domine vobis omnia prosperrima. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Ianuarii 1638.

Excell. Tuæ addictissimus H. G.

D. SCHMALCHIO.

Præstantissime Domine,

896 MUltum tibi debeo & pro literis quas 25 Novembris Vet. Cal. ad me dedisti, & pro iis quæ accedunt exemplis duorum federum Britannicorum. Legi utrumque; in priori pro nobis nihil, contra nos fortè quædam: alterius federis conditio à qua pendet ea sperabilis non est; & si sperari potest, impleri nequit sine nostro damno. Captiones præterea indicat mihi addere non paucas. Numquam facturos, aliter credidi Rectores nostros quàm nunc faciunt, quum testudineo eunt gradu, eò sanè justiùs, quod ipsi Britanni quorum proximos hæc res tangit maximè, nihil admodum properant, speculantes quid ferant tempora, ut Veneti, quibus nunc cum Imperatore & Hispano bellè convenit. Puto nunc Suedis evenire quod olim Parthis, de quibus festivum adagium refert Plinius, quò plus bibissent Scytharum Legatis, eò plus sitire Parthos. Epistolas ad te meas posthac recta Hamburgum ad Verportium mittam, idque jam facere cœpi. Quas ad Illustrissimum D. Cancellarium scribo, soleo per D. Spiringium curare. Spero nihil penes ipsum peccatum iri, quò minùs quàm celerrimè curentur. Nam his talibus, ut scis, literis, multum utilitatis, nec parum gratiæ adimit mora. Scripsi ante hac putare me de quibus scribis Tartaros esse Tauroscythas illos Euxini accolas, apud quos qui fecere motus, eos jam decedisse, omnesque in Turcæ receptos clientelam ex Constantinopolitanis literis disco. Augoscio etiam nunc malè cum ea aula convenit, quæ ne de Hungaria, Polonia, Transilvania vexanda cogitet, satis habet negotii ad Persicum accedente Moscovitico bello ob Asachum. Quid Daniæ Rex fecerit adversùs classem Spiringianam jam Dantisco didici. Læta verò commissio Suedis spectantibus. Videris credo formulam Sacramenti Equitum immaculatæ Virginis in Polonia. Nugas quis non putet? sed tales sunt quæ seria ducunt. Et hoc jam olfacere videntur non Protestantes modò sed & Romanensium prudentiores. Nos rectè valemus tibique ac tuis annum hunc felicem precamur, cujus initia hic per ludos, jocosque & amores amænos transferuntur. Vale. Lutetiæ 16 Ianuarii Nov. Cal. 1638.

Valde solliciti sunt Galli de Curtianis mandatis; quotidie me adeunt percunctatores.

Tuæ Præstant. addictissimus omni studio H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

NUlla res majoribus nunc sermonibus quàm Reginæ uterus celebratur, speratus ambiguis admodum indiciis, in mensem demum alterum durantibus eoque incertioribus, quod ipsa tamdiu infœcunda nunc quadragesimum ætatis accedit annum. Concipiuntur tamen jam preces publicæ, & Rex ipse credere incipiens multo eam quàm antehac pluris facit, Aulaque ad eam convertitur, ingentia accepturam gratiæ potentiæque incrementa, si partus virilis stirpis vota Regis populique impleverit. Animum Reginæ ad pacem spectare & sanguinis docet ratio, & plurimis constat argumentis; ipsa id minùs minusque dissimulat. Cùm antehac pro Duce Bernhardo huc venisset Betzius, graviter cum eo expostulavit Cardinalis Riceliacus, quod Galli tam malè ab ipso ejusque milite haberentur, ut quæcunque isthuc mitterentur copiæ in certum se exitium conjici censerent. Malè id habuit Ducem, animique sui motus satis acres apud Halerium nudavit. Sedavit nonnihil hos æstus Feuquerii adventus & in ver magnæ pollicitationes. Oblatum Alsatiæ principatum recusavit Dux, pleno in præsidia imperio contentus. Rumor verò hic est eum seorsim apud Imperatorem tentasse pacis vias. Accessit & alter metus ex amicitia ipsius per literas culta cum Duce Rohanio, ne partes in Gallia Protestantium exarmatas pridem resuscitarent, validis adhuc apud Cebennas eorum reliquiis. Qua de causa Rex amovere à vicinis locis Rohanium & ad Venetos eum specie honoris amandare magni duxit. 897

Germani quoque tribuni & præfecti qui in Gallia sunt vellent adesse Duci Bernhardo & cum ipso habere belli, aut pacis, ut res tulerit, societatem. Sed quantum audio, de Gallicis copiis eò mittendis loquitur. Minuitur interim Ducis exercitus crebris in Italiam diffugiis, spe certioris stipendii. Venere huc duo Palatini Principes Electoris fratres, quibus obviam processere ab Anglia Legati. Vellet Elector habere exercitum, eumque cum Hassiæ copiis conjungere, qua de re agitur Groningæ. Sed pecunia deest, neque eam daturi sunt Galli, nisi Anglis præeuntibus. Susurratur hic & de induciis ea lege, ut Nanciatum interim Lotharingus, Frankendaliam Palatinus habeat. Sed nulla res magis sollicitos habet Gallos, quàm pax ab Imperatore Suedis oblata, Lubecæque instituta colloquia. Quotidie novi ad me ob id pereunctatores veniunt. De Regum agnominationibus scripsi ad D. Bielkium antehac, scriboque nunc ad D. Salvium. Est æquissimum ad Serenissimæ titulum etiam Potentissimæ dari Reginæ nostræ, cùm Galliæ Rex præter Serenissimi nomen accipiat alterum Christianissimi, ut Hispanus Catholici, nudumque Serenissimi nomen Electoribus detur etiam ab Imperatore, ut videbit Sublimitas Tua ex libro quem mitto de Aula Ferdinandi II. in quo quædam sunt digna nosci. Majestatis vocabulum dat Imperator Hispano, & in unis literis non semel. At Danus contentus fuit jungi Dilectionem & Majestatem. Verùm is non modò pro Holsatia cliens est Imperatoris, sed ipsa etiam Dania olim in Feudum ab Imperio accepta est. Solent autem Imperatores etiam amissa possessione, juris aliquam retinere imaginem. De Suedia idem dici non potest, quæ sui semper juris nunquam in ullius se dedit clientelam. In Portugallia resedisse tumultus, accepta venia, dicitur. Argentoratenses difficiliori indies utuntur commeatu, quò tandem sua versuri consilia incertum. De Hanovia nihil habemus explorati. Hassiaca D. Camerarius meliùs nuntiabit, cui ea propiora ac cognitiora sunt. Sex Florenorum milliones ab Hispano in Belgicam pervenisse audio: tres alios mitti in literis Fuggerorum. Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Regno, Reginæ, Tui Sublimitati res prosperas. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Ianuarii 1638.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

898 TErnas sub idem fere tempus abs te literas, gratissimas omnes accipio, scriptas 28 Decembris, 5 & 11 Ianuarii. D. Rodium nondum vidi, si videro, amicum me senties & suo merito & tua, quam facio maximi, commendatione. Illustrissimis Principibus Palatinis non deerunt quæcunque à me proficisci possunt obsequia, ut qui domui ipsorum optimè velim, maximoque cum dolore videam ad ejus restitutionem in fortunam meliorem tam tardos fieri gradus. Incipiam respondere à postremis Homerico ordine. De Vsedomia, de Wolgasti arce quid in re sit scire aveo, eò magis quod literas ab Hamburgo non habeo seriùs scriptas $\frac{1}{11}$ Decembris. In hæc autem de pace ac bello consultatione, quæcunque eveniunt momentum ingens habent, scirique singula & quidem quàm celerrimè, præterquàm quod de sollicitudine sæpe aliquid demit, usum insuper habet. Non mirabor, si in Conventu Ordinum Suediæ multorum animi, conspectu patriæ quæ à viris exhauritur, pecunias autem quantis bellum ex hostili solo in nostra perductum indiget, neque à se habet satis magnas, neque à sociis accipit, vertant se ad exuenda arma, pro illis suscepta, qui quasi deseruisse parum esset, ultro etiam nos oppugnant. Dantiscani vulgantes quod fecit adversus Polonicas naves Rex Daniæ, se non modò non suscitantibus, sed ne gnaris quidem factum, ægrè fidem inveniunt. Displicet omnibus id vectigal: & signo jam ad id prohibendum dato, multi se alii, ut fit, aggregabunt. Nobis dolere non debet, quod Rex, qui spes suas in Suediam distulit tantùm, hostes reperit foris & malè parentes domi. Novæ militiæ institutum à Domus Austriacæ consiliis ortum credo, ut sub Religionis nomine, quo multi inescantur, instrumenta suppetant ad retinendum in familia Regnum, ejusque vim intendendam. Voces ambiguæ successorum & infidelium pro successu interpretationes accipient. Verum est quod dicis, controversiam de conceptione in peccato originario aut absque eo Sanctæ Virginis, definitam non esse Romæ. Sed indicto veteri sententiæ silentio, nova in ambonibus triumphat. Quo loco struatur nova illa Vladislai munitio, nondum intellexi. Sed in pactis induciarum tria video esse, quæ si pertendat Rex Poloniæ, ad rumpendas pervenire possint, vectigalia ut rediguntur in eum modum quo ante bellum fuere, Prussiæ Ducali ejusque civitatibus sua jura privilegiaque ut maneant, & ne ex redditis locis hostile quid Suedis inferatur, caventibus de eo Prussiæ regalis civitatibus. Spero apud Batavos eam fore Reipublicæ Præsidum & vigilantiam & potestatem, ut ne inde Poloni naves accipiat, ipsis non minùs quàm Suedis incommodaturas. Sed profectò, ut mones, sæpe rumpit leges lucri amor, & ut Euripides dixit:

Ἀνάλωτος ὄχλος, ναυτική τ' ἀναρχία,
Κρείσσων πυρός, κακὸς δ' ὁ μή τι δρῶν κακόν.
[*Indomita plebs, & nauta frenari solens*
Minùs igne: malus est qui nihil fecit mali].

Sicut Polonus ab Imperatoris Aula, ita Imperator ipse ab Hispanis consilia accipit pleraque. Hos autem omnes valde ignorant Batavi, si non vident, omnes eorum molitiones ad ipsorum Batavorum pernitiem, partim directè, partim per aliorum latus tendere. Hassiæ rebus metuo multum: & Hanoviæ quod cœpit agere Ramsæus, calidum satis est, magnaque cum cura tuendum. Angli utinam vel in arcano res Palatinas sublevent. Motu ipso augetur calor & ex simultate bellum fit. Sed urgent illi ut fedus Lutetianum perficiatur, eaque de re agendi in urbe Hamburgi mandata jam habere Wyckium, Averiumque intelligo. Si seriò id agitur, posset id negotium fortè eodem pertractari tempore quo alterum de pactis Wismariensibus. Batavi quod Cæsarianos quàm longissimè possunt à se submovent, faciunt prudenter: sed an id agendo pacis jura cum Germania servare semper possint, videbimus. Leodienses ne deprimantur ad Gallorum pariter Batavorumque spectat curam. Duci Bernhardo rixarum non parum cum Gallis fuit. Nunc à Feuquerio, qui ei adfuit, magnas res in ver exspectare jubetur. Argentoratensibus intelligimus arctos commeatus fieri, ut sic cogantur facere imperata. Si vis major immineat, Dux Bernhardus se promittit volentibus vindicem. In Italia Hispanus vires suas auget, Rhætosque partim spe, partim pecuniis lactat. Sirmundus eruditus est & nisi spiritu Societatis afflaretur, haud malus. Quod autem ista Societas miris artibus res suas promovens in possessione manet Regiæ Exomologeseos, id signum est formidinis eorum qui apud Regem plurimum possunt. Soli illos homines non metuunt, qui semel in perpetuum eos exclusere Veneti. D. Vosbergius, si comparentur onera detracta cum pecunia paullulum imminuta, tantundem obtinuit, quantum in pactis erat Charnassæanis. D. Crusius optimis studiis animum corpusque parat in egregios patriæ usus, suæque domus & consanguineorum affiniumque gloriam. Probo quæ Stetini acta sunt ad sanciendam disciplinam. Et Lilii Sparri virtus ostendit nullis adversis frangi Suedorum animos. Smalzius Hamburgi exspectabatur cùm inde postremas accepi literas. Scripsit ipse ad me 25 Novembris veteris Calendarii, de implendis Wismariensibus pactis spem præbens optimam. Oblata à Tauroscythis auxilia etiam

Digitized by Google

etiam apud hostes prodesse nobis poterunt, hostemque monere ne experiri velit quousque procedere possint pacem æquam desperantium consilia. Veneti inclinatis ad Hispanum Italiæ rebus nihil non faciunt, quò ejus Imperatorisque aut amicitiam parent, aut fugiant inimicitiam. Et fortè si ad pacem itur, meliùs ea res sine parario procedet. De Duce Neoburgico quæ scribis tenebo memoria, neque uti, si occasio erit, desinam. Galli Palatinorum Principum negotium ita cordi sibi esse ostendent, si præeant Angli, quos ea res ob Religionis sanguinisque consortium propiùs spectat. Principis Arausionensis melior valetudo, & Dunquercæ non quantum metuebatur militis illatum, sperare nos faciunt, etiam illis in locis non inutile ver abiturum, quod Galli ardentissimè expetunt. D. Ioachimio cuncta ut bene procedant etiam ipsius causâ opto, quem feci semper magni faciamque. Angli si harengas piscari ipsi volent, magis rem licitam fecerint, quàm sibi utilem. Nam quæstus ille satis tenuis sola parsimonia defenditur, cui non æquè Anglos, ut Batavos, assuefeceris. Palatini Principes urbem hanc iniere, comitantibus eos qui obviam ipsis præcesserant Anglorum Legatis. Regina hic prægnantem se credit, indiciis adhuc parùm certis. Dat tamen ea res apud populum haud elinguem sermonibus materiam. Opto, Illustrissime Domine, Tibi Tuisque omnibus prospera cuncta. Lutetiæ 14/24 Ianuarii 1638.

Excell. Tua add. ejusque singulari studio observantiss. H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

899 SEriusculè ad me pervenit epistola Excellentiæ Tuæ, ideo quod amico eam curandam commiserat D. Camerarius, qui mari iter sumpsit, quod hac anni tempestate multis moris obnoxium est. Epistolarum mearum alteram in itinere resignatam propter exemplum displicet, alioqui in re nihil ipsi est incommodi. Pleniùs Excellentia Tua me docente intellexi, quæ sit inter ipsam & D. Davausium controversia, quàm ex Chavigniaci sermone cognoveram, cùm Cardinalis belli trahendi causas etiam privatim habeat non paucas, & rumor de pace Suedis oblata hic multus sit. Non dubito quin de pecunia quod vultis sitis impetraturi, præsertim si tempus federis aliquanto fieri possit productius, quod valde hic expetitur. Bellum indicendum Ferdinando ejusque sociis non tam paratos puto, quàm videri volunt. Multum autem differt hostes se eorum Galli clam dicant, an federe, an palàm editis scriptis profiteantur. Bellum enim legitimè indictum tum alii sequuntur proprii effectus, tum hic etiam, quod facilius est pacem nonnihil vulneratam sanare, quàm restituere immortuam. Heufdio sum locutus, is ait pati quidem se ut dicatur nobis residuum anni 1637 persolvisse, ne Galli si de federe minùs conveniat, eam rem infectam velint reddere; cæterùm sibi non pecuniam datam, sed assignationes quas vocant, ex quibus ut pecunia fiat tempore esse opus. Lubecam puto ad colloquia de pace locum fore non inidoneum, neque esse cur Cæsarianis displiceat. Laborabo ut exempla literarum tuti itineris potestatisque Legatorum, si fieri potest, nancisca r. Illud certum est pro Galliæ Legatis, pro Suedis, pro Batavis scriptas tuti itineris literas à Ferdinando, & ostensas Legato Pontificis qui Coloniæ est, sed tradi eas Ferdinandus non vult, nisi eodem tempore à Gallo pro suis Legatis dentur, quas quidem accepturus non est nisi disertim datum sibi videat Imperatoris nomen, quod hactenus illi controversum ipsi faciunt, quod non mirarer si saltem unus esset Electorum possidentium qui electioni contradiceret, quam jam probavit etiam Trevirensis. Multas vidi Imperatorum literas ad Regem Galliæ, ut quæsito Tuæ Excellentiæ respondeam. Inscriptiones sunt Serenissimo & Christianissimo Principi Domino &c. olim additum Fratri & Consanguineo nostro Charissimo. Mutatum ab aliquo tempore scriptumque, Consanguineo Fratri nostro Charissimo, in quo minus esse aliquid volunt talium periti. Simili modo incipiunt literæ, Serenissime & Christianissime Princeps Consanguinee & Frater Charissime; deinde in ipsis literis Serenitati Vestræ. Rex Galliæ Henricus IV. Rudolpho scribens pro Serenitate reddebat ei Majestatis vocem, subscribit ad Regem Galliæ Imperator, Serenitatis Vestræ bonus Frater. Idque secutus est etiam Ferdinandus II. & quantum intelligere potui toleratur etiam nunc ista scribendi diversitas à Gallis, negligentia hujus Aulæ circa talia quæ non tam sunt quàm videntur inania. Non ignoro olim Romanis Imperatoribus promiscuè datos titulos Majestatis & Serenitatis, ut Græcè βασιλείας & γαληνότητος, sed neque illud ignoro, non sine consilio mutatam ab Imperatoribus scribendi rationem, cùm in antiquis actis appareat sæpe Majestatis ἐπωνυμία [*cognomentum*] Franciæ Regibus vicissim data ab Imperatoribus & Regibus Hispaniæ, qui vix sperare possunt ut communi judicio per omnia æquentur Galliæ Regibus, detur hodieque Majestatis agnominatio & quidem in iisdem literis bis terve, ut in Cancellaria Hispanica à D. Camerario edita videre est. Adversùs Regem Daniæ, qui pro Holsatia vasallus est Imperatoris, & ex Domo Germanica nova reperta est agnominum mixtio, ut Imperator ejus dignitatem Majestatemque nominet, ut ex actis Lubecensibus pacis disci potest. Cùm verò Imperator Regi Franciæ scribens præter Serenissimi titulum det alterum Christianissimi, & Regi Hispaniarum Catholici, quæ illi elogia faciunt maximi, minimè videntur mihi cæteri Reges, pro Serenissimi agnomine, quod Imperator dat Electoribus contenti esse debere. Nobis autem eò magis cavendum censeo, ne minora vocabula quàm Reges alii accipiunt obtrudi nobis sinamus; quod Romæ ubi ista cuduntur discrimina non eodem pretio estiment Regna, quæ successoria lege, & quæ suffragatione deferuntur: Regnum autem Suedicum ibidem ponatur in classe secunda, quod omnia quæ post mutatas res sacras acta sunt pro nullis irritisque habeant. Famam de pace quam fert Curtius, quantum possum, alo. Vivimus enim hic iis in locis, ubi faciliùs metu quid extorqueas, quàm bonis dictis factisque eblandiare. Quare quidquid ejus rei erit, quidquid etiam credibiliter dici poterit fac quæso sciam publici causa. Leslæus spero in Scotiam ierit conscribendi militis causâ. Vsedoni insulam ab hoste intratam quanto cum dolore audivimus, tanto nobis gaudio erit cognoscere, inde eum vi Bannerii expulsum, quod multorum literæ sperare nos jubent. Metus à Præcopensibus Tartaris usui esse poterit, ut Cæsariani ad pacem cum nostris festinent, ne ad ultimæ desperationis consilium Suedi trudantur. Ragotskio malè cum Aula Constantinopolitana convenire, & intelleximus antehac, & novis literis vetamur aliter credere. De Dani cum Polono certamine intelleximus, & ea quæ porrò sequentur avebo discere, ut faveam utrivis vapulanti. Quo obtentu Rex Poloniæ sibi dominatum vindicet maris magna ex parte litoribus Suedicis interfusi, non video, nisi & ille suos Seldenos habeat. Vt Angli tandem provehant sua cogitata tempus est, nam dum illi deliberant Hamburgi an Hagæ incipere malint, hostes ubique res agunt suas, Palatina Domus manet calamitosa, ipsi divites sanè, sed inglorii. Ego multis de causis negotium id Hamburgi tractari, quàm Hagæ satius arbitror, nec Batavos contradicturos puto. Illud pene prætermiseram, non spernendum tamen, in responso ab Imperatore dato ei qui agit res Ethruscas, Reginæ & Coronæ Suediæ fieri mentionem; in altero quod Veneto datum est Coronæ Suedicæ non & Reginæ. Palatinos Principes Electoris fratres in hanc urbem introduxere obviam eis progressi Angliæ Legati. Regina alterum jam mensem se gravi-

gravidam credit, credique vult argumentis non admodum certis, tamen hæc qualiscumque spes eam & Regi chariorem & apud alios venerabiliorem faciet. Opto, Excellentiæ tuæ felicia omnia. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuarii 1638.

Excell. Tuæ addictissimus & observantissimus H. G.

STENONI BIELKE.

Excellentissime Domine,

900 VAlde sollicitos habet Gallos rumor de pace quam Cæsariani offerunt Suedis, nec immeritò; ea enim res si exitum reperierit, incommodè interveniet his, quæ nunc sunt Galliæ rebus. Magnas enim per Italiam & per Germaniam copias hostis partim habet, partim etiamnum contrahit. Galliæ autem quot sunt limites patere ad hostiles incursus aut terra aut mari, & veteribus & recentibus constat experimentis. Accedunt & multæ intus discordiæ facilè aliquam hostibus occasionem patefacturæ, aut prorupturæ per se, siqua, ut fit, adversa auctoritatem res administrantibus detraxerint. Quare non dubito, quin hi quorum res Gallica in manu est, parati sint magna pecunia redimere hos metus, quod ni faciunt in tempore, serò eos pœnitebit ita destituisse Suedos, quorum sola vis irruentem in Germaniam Austriacæ Domus procellam arcebat. Nunc habent quidem Galli, quod nonnulli eorum voluere, Protestantium res per Germaniam accisas; sed simul tanta inimicæ magnitudinis incrementa, ut si qi resistere ipsi poterunt, certè sine maximo suo vulnere damnoque non poterunt. Hæc non semel Regi exposui, videbaturque intelligere periculum; sed cura à Rege in Cardinalem, à Cardinali in alios rejecta, per aliorum sinistros affectus, aliorum per negligentiam aut tenacitatem, eò malorum deventum est, ut mederi sit perdifficile. Duci Bernhardo, fesso credendi sperandique, Feuquerius in ver appetens magna promisit; sed amissus est quæsitus tanto labore transitus, ripamque Rheni utramque validis armis hostis insidet, ipsumque Argentoratum, unde magna ad Vinariensem exercitum commoda pervenere, nunc per frugum commerciorumque inopiam nutat. Hanoviæ Comes Ramsæo, Ramsæus Comiti diffidit timendumque ne dum singuli res suas agere cupiunt, neutræ bene agantur. Landgravii Vidua bellum adhuc trahere cupiens, adversa in eo maximæ partis popularium suorum studia experitur. Extra hos quos dixi cuncta nobis per Germaniam hostilia, ac bellum quod, si voluissent socii, jam junctis exercitibus ad Rhenum Danubiumque geri potuit in ultima ora, & jam ad mare ipsum gravi Suedorum impensa geritur. Nec illud leve, quod Suedia per XL annos inquies, tantum juventutis & in ea tantam spem sobolis perdiderit, opposita interim vicinis, qui ea haud æquis oculis aspiciunt & nocendi tempora exspectant. Hæc & alia multa ad finiendum bellum Suedos impellere possent, nisi unum obstaret, quod rebus nostris multum retro actis, parum digna fortibus animis videatur talis hoc tempore cogitatio. Nos longius positi, quàm ut iis de rebus rectè judicare possimus, Deum precabimur, ut Tuæ Excellentiæ aliisque propiùs eas inspectantibus saluberrima consilia, consiliis autem pulchros det eventus. Interea hæc Aula intumescit, intumescente ut quidem credimus, quamquam ex indiciis sæpe fallentibus, Reginæ utero; cujus fœcunditas si votis ipsius populique respondet, multum ei inde accedet auctoritatis, & quæ ipsi placent consilia ad pacem ferentia invalescent. Est & de induciis rumor ea lege propositus, ut partem suarum regionum recipiant interim tum Palatinus tum Lotharingus, hic Nanciacum, ille Frankendaliam. Sed multa talia rumoribus jactata mox evanescere vidimus. Pro Palatina Domo nihil facient Galli nisi præeuntibus Anglis; ei autem mirè in hoc negotio cunctatiores sunt. Deus, Illustrissime Domine, Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ valetudinem & consilia secundet. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuarii 1638.

Illustr. Excell. Tuæ addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVæ ab Hamburgo ad Gallos Anglosque perscribuntur, liberant eos metu Suedicæ pacis, cujus occa- 901
sionem per tot adversa corruptam putant. Interim de belli paratibus multi hic sermones. Est in Aula Princeps Condæus apud Reginam, tanquam prægnantem gratulationis functus officio. Is ad bellum in Navarræ partibus gerendum mitti dicitur, suspecto sanè Espernonio, quasi non satis diligenter quæ ibi agi poterant, curasset. Duci Bernhardo promittuntur sex millia peditum, equitum duo ad bellum in Germania administrandum: multumque laboratur, ut pertrahatur in partes Gallicas etiam Argentoratum, ejectis Pontificiis invisa jam Imperatori civitas. Et Angli clam, dempto Regis sui nomine, id agunt, ut Palatino Electori detur pecunia à Rege quæ solebat Landgravio dari, ut inde, & amicorum liberalitate adjutus, militem scribat, quem jungat cum Hassiacis, communi in utrosque imperio functurus. Cæterùm serione hæc agantur, an ut didito hoc rumore plus quàm antehac à Cæsarianis impetrent Angli, video dubitari. Sicut in Polonia juramentum dictum immaculatæ Virgini, ita hic congregatio propagandæ fidei non Protestantibus tantùm sed & aliis metum injicit, ne liceant ad Inquisitionem semina. Id negotium nunc in Parlamento cum cura tractatur. Venit ad me aliquoties jam Rodius, quem tanti facio, ut eum promptissimè aliis sim, si ita res ferat, commendaturus. Dixi ei, me quicquid meæ est potestatis collaturum ad implenda horum Principum totiusque Domus Palatinæ desideria. Principes ipsos videbo ubi Regem salutaverint. Deus, Illustrissime Domine, te ac tuos servet incolumes. Lutetiæ 30 Ianuarii novi Cal. 1638.

Excell. Tuæ addictiss. ejusque observantiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

GAlli & cum Gallis Angli in malis rebus nostris id 902
gaudent, quod pacis non modò bonæ verùm etiam tolerabilis conditiones nobis in longum tempus periisse existimant. Agunt interim Angli cum Gallis, ut quam pecuniam Galli dare Landgravio solebant eam dent Electori Palatino, ut is copias suas quas privatorum ut ajunt liberalitate adjutus scribet (Regem enim suum in hac re nominari nolunt) ad Hassiacas addat, & utrumque suscipiat regimen. Cum Duce Bernhardo pacta præformaverat tantùm Feuquerius, in iis est ut sex millia peditum duo equitum ei det Rex ad bellum in Germania gerendum. In iis firmandis versatur jam heic Ducis mandatu Betzius. Vt rata jam hæc fiant, nisi Germanos Duci miserit Rex nihil bonæ spei apparet. Ita Galli omnes à Rheni transitu ex quam ex priorum temporum experientia metuunt fame abhorrent. Atque adeo cùm nuper Dux Gallis ob hyemem siqui discedere vellent id liberum faceret, nemo planè mansit, postremusque abiit Halerius. Tum verò comesis omnibus, in quibus locis fuit hactenus Dux Bernhardus, cogetur incitare sedes, Burgundiæ ut puto tam hostili quàm amica pro sua usurus. Argentoratum ivere Mullerus & Scavaliskius, ut civitatem nutantem in partes suorum trahant. Nec levis conficiendi negotii inde spes est, quod Pontificii jam ex ea

urbe

urbe ejecti esse scribantur. Rhætorum Legati ab Hispania bene excepti, bene donati abiere. Apud Helvetios post mutatas res Rhæticas pars Pontificia, id autem est Hispanica, fit indies audentior. Protestantes languent. Sed de eorum locorum rebus scribo parciùs, quod id officium bene fungitur Marinus, cujus literas ut & Ducis Bernhardi mitto. Est hic quidam 145. 1. 11. 165. 1. 5. 167. 2. 8. 73. 1. 2. qui Lactucæ suadet ut 601. 12. 61. 1. 8. 62. 1. 13. 97. 11. 116. 2. 4. 149. 1. 1. 152. 3. 1. 153. 1. 2. 80. 1. 3. accipiat ab Aristophane, atque inde bellum faciat Manlio. Est in hac urbe Princeps Condæus, cui negotia Suedica quantum potui commendavi. Promisit se collaturum quod suæ esset potestatis. De Bulionii tenacitate queritur. Est in Aula Princeps Condæus, Regi Reginæque spem partus gratulatus est, dixitque eò se id magis optare, quod sibi cum Fratre Regis non usquequaque conveniat. Creditur mitti ad bellum circa Pirenæos montes faciendum, quod Espernonius negligentia an alia de causa bonas occasiones de manibus emisisse dicatur. Rediit ad me retentus diu apud Batavos filiorum meorum natu maximus, qui Tuæ Sublimitati pro summa in se benevolentia ac beneficentia plurimum debet & pro eo etiam ego. Dabo operam quotidiana institutione & exercitatione, ut aliquando quod velim maximè Regno Suedico utilis esse possit. Rex nondum à Palatinis salutatus est, quomodo eos sit excepturus incertum est, quando scriptum huc est ex Anglia, Episcopum Cantuariensem, cùm Electorem fratresque ejus ad se vocasset, Electori locum supra se & fratribus infra se dedisse. Hæc postquam scripseram adii Chavigniacum de isto negotio, de quo per notas scripsi modò. Promisit se acturum cum Rege meque facturum participem de eo quod is constituet. Ex eo venit ad me noster admissionalis Berlisius, dixit perterritam esse Aulam rumore pacis quam dicatur cudere Bannerius. Respondi quantum meæ esset notitiæ, nullam ejus rei potestatem alii datam quàm Tuæ Sublimitati & D. Bielchio sub tua Sublimitate. Domini Bannerii partes esse armis hostem aggredi aut repellere. De causis eorum quæ nobis hoc anno adversa accidissent addidi aliquid; neque tamen eos esse Suedos quibus cum fortuna deciderent animi. Nihil fore quod in eorum fortitudine desideretur, modò amici quod suæ est opis adferant. Mitto Sublimitati Tuæ exemplum eorum quæ inter Ducem Bernhardum & Feuquerium acta sunt. Est nunc in Aula etiam Feuquerius: fuit ibidem Betzius, sed is mihi dicit in præsens nihil dum peractum de sex illis & duobus hominum millibus. Satis temporis hinc ad Majum mensem fore, ut id pertractetur: nunc se instare, ut de sumptibus extraordinariis quibusdam Dux servetur indemnis, & ut, hoste per Regem avocato, ad novas aliquas sedes Duci patescat aditus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati det res secundas. Lutetia $\frac{21}{31}$ Ianuarii 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

E I D E M.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

03 VAldè mihi dolet, quod non tantùm adversa multa è Pomerania nuntiantur, sed & à Lactucariis culpa eorum conjicitur in Excellentissimos Regni Suedici Rectores, quorum lentitudinem, æmulationes inter se, invidiam in Bannerium gentili loquacitate incusant. At exterorum alii 11. 70. 78. 112. 72. 66. 37. 48. 30. 113. 118. reum subdunt malæ fortunæ, ejusque amicitias apud Claudium Othonemque suspectant. Negotium de 61. 17. 60. 10. 27. 69. 71. 27. de quo postremis literis per notas arcaniores significaveram, vix est ut succedat. Negat 62. 70. 68. 72. 4. 71. 73. 67. 33. 13. Vindicis animum pati ut quicquam moliatur, quo decrementum in 14. 81. 24. 9. 70. 66. 71. 80. aut alibi accipiant. Pulchrum alioqui fuerat 22. 42. 34. 27. 22. 119. 17. 67. Augusto subducere. Nec desunt speciosi obtentus æra per xx annos non soluta, attentata Religio, libertas & querelarum aliæ. Pyrrhoni videtur meliùs quàm antehac cum Lactucariis convenire. Nihil tamen de auxiliis peractum est. Quingenta scutatorum millia destinata audio maritimis paratibus. Ad Oceanum pertinere ostendunt naves quadraginta quæ ei mari sunt idoneæ: accedunt incendiariæ XII & aliæ quas Flutas dicunt ferendo pediti. Alii propositum putant valere Portugalliæ motus, quos nondum resedisse ajunt. Alii quod credibilius 92. 70. 24. 90. 55. 80. 23. peti, idque video suspicari etiam Liliarios, minùs æquo id laturus animo, quamdiu cum ipsis actum nondum est. Naves longæ quindecim & aliæ viginti parantur ad infestandas, ut fama est, maris Italiam Hispaniamque alluentis insulas. Manet spes de Reginæ utero, precesque pro ea fiunt. Purgavit se Cardinali Riceliaco Cardinalis Valetta. Multus in Aula sermo de adjicienda Normannia ad cæteras Cardinalis Riceliaci Præfecturas: de danda Longavillano Duci qui Normanniam habuit Burgundiæ Præfectura: Æquitaniæ autem Principi Condæo pro Burgundia: Arvernis Espernonio seni pro Aquitania, additis pecuniis quibus pensetur inæqualitas. Dux Lafortius mitti dicitur ad bellum in Navarra Comitatuque Ruscinonensi qui in Pirenæis est saltibus gerendum. Dux Vinariensis Gallos si ad se mittantur mansuros secum non sperat. Germanos, cujus gentis tribuni hic sunt octo aut novem, tutandis finibus & internæ quieti servandos apertè satis significat is, cui nunc maxima pars negotiorum publicorum incumbit Pater Iosephus. Palatini Regem nundum videre, quod eos aperto apud se esse capite Rex nolit, sicut antehac idem Duci Vinariensi Electoralem & ipsi sanguinem pro se adferenti Rex denuntiaverat. Legati Angli consultationem ea de re in Angliam rejecere, quanquam nec ibi apud Regem Britanniæ tecto capite his Principibus esse licuerit. Si contenti fuerint sedile sibi offerri apud Reginam ut Duci Vinariensi oblatum fuit, confido obtenturos. Bauditzius si Elector Palatinus arma sumat (sed de ea re spem mihi nullam Angli faciunt) promittit mille homines. Rusdorfius se ejus domus negotiis extricare vult, quod Ferentium gratia validiorem videatur. Dari intelligo ex Anglia Electori unde vivat trecenta Francorum millia annua, matri prope tantundem, Roberto viginti quinque millia, cæteris nihil definiti, sed pro necessitatibus. Is qui hinc Hanoviam cum pecunia remissus fuerat Rulsavius Francofurti ad Mænum detinetur. Mauri Cæsareæ quæ Algeria vulgo dicitur enata ob captivos cum Gallis controversia, castellum quod juxta struxerant Galli diruerunt, palamque hostilia in eos agitant. Ad Comitem Suessionensem pleniùs Regi, id est Cardinali, conciliandum mittitur Sedanum Dux Longavillanus, oblaturus ei ductum belli per Italiam. Perseverant tum Imperator tum Cardinalis Hispanus non dare tuti itineris literas, hic Batavis, ille Principibus Germanis. Illud pro vero non affirmaverim quod hic lactandæ plebi spargitur, pugnasse jam mari Portugallenses in Castellanos, publicisque sacerdotum & monachorum concionibus illorum animos incendi. Quantum à Dunquercanis periculum in mari adierit D. Vosbergius, scribendum D. Camerario relinquo. Venit ad me heri Princeps Condæus sollicitus, ut apparebat, ob de pace Suedica rumores. Respondi comia nec obligantia. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, optima Tuæ Sublimitati suggerat, & eventu prosperet. Lutetiæ 6 Februarii nov. Cal. 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDO-

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

504 Strepunt hic omnia, non bello quidem, sed belli parandi rumoribus. Oceano immitti dicuntur armatæ naves XL, incendiariæ XII & ferendo militi aliæ: At interno mari quindecim naves longæ, XX aliæ: pecunia in eos usus parata ad 10 scutatorum millia. Hispaniam peti multi inde augurantur, quod resurgere credant Portugalliæ motus, inflammantibus sacerdotibus ac monachis, ita ut jam navibus pugnatum in Castellanos velint. Sed ambiguæ fidei sunt auctores quibus ista nituntur. Bellum in Comitatu Ruscinonensi, & propinquis Navarræ locis videtur mandari perito earum Regionum Lafortio. Quæ Duci Vinariensi itura sint auxilia, nondum pertractatum est. Manent cum Anglis represaliarum controversiæ, & vereor ne accedat nova, super eo habitu ac gestu, quo apud Regem Reginamque Galliæ futuri sunt qui huc venere Principes Palatini, qua de re cùm minùs placeret Legatis Angliæ id quod à Regiis hic Ministris proponebatur, censuere Legati scribendum in Angliam. Interim nos alii ab eorum Principum salutatione abstinemus. Longè alias consultationes tempus desiderat. Sed jam pridem conspicimus alia esse quæ aguntur, alia quæ agi deberent. Russacium qui cum pecunia Gallica Hanoviam missus erat, Francofurti detineri intelligimus. Perstant & Cæsariani pro Germanis Principibus & pro Batavis Aula Bruxellensis negare tuti itineris literas, quod magnum satis argumentum est ferociores esse animos Austriacis quàm ut veram pacem velint. Algerienses hostilia in Gallos cœptavere ob ortam de captivis controversiam: etiam munitione quàm in proximo sibi fecerant Galli diruta. Iamnunc accipio binas abs te literas, alteras 18, alteras 25 scriptas Ianuarii. Ab Hamburgo nihil accepi: sed video eos qui ad Angliæ Legatos scribunt spem bonam habere de consummandis pactis Wismariensibus, cui fundamento superædificari deinde alia poterunt. Cùm video aversos à novo vectigali non vicinorum duntaxat, sed & Polonæ nobilitatis animos, ferme eò trahor, ut credam ad redemtionem aliquam spectare hoc negotium. Nostri voti sitres sit, Regem illum Suediæ imminentem & Austriacæ magnitudini magis magisque se alligantem domi occupari è re sit. Audio exspectari Hamburgi Curtium, cunctaque in ejus adventum parari magnifica ab ea civitate. Metuendum ne & illam & alias civitates permoveat ad naves præbendas sive Imperatori, sive quod eodem ferme recidet Polono. Qui ab illis veniunt partibus, dixerant mihi infensum esse novo vectigali etiam Brandenburgicum. Sed credo Pomeraniæ recuperandæ spem facilè apud ipsum omnibus populi commodis potiorem fore. Conventus Holmiensis quæ futura sint consulta plurimum ad res communes refert. Et sapienter facit Magnus Cancellarius qui incertorum eventuum auctoritatem solus præstare non vult. Non exiguum ad futuri judicationem momentum adferet etiam Polonicus qui jam appropinquat Conventus. Videbimus an dominationis consilia sub Religionis velo latentia plus valitura sint, an libertatem tutantium Romanensium prudentiorum Protestantiumque consensus. Reginam ferre uterum & obstetrices & qui hic obstetricum munere funguntur periti talium viri pæne deierant, incertis quanquam ante mensem quartum indiciis. Principes omnes gratulationis funguntur officio, & accuratissimè illi quorum interest ne id verum sit. Augetur in Italia Hispanorum exercitus ex iis quibus missionem dant Veneti. Futurus creditur ad XX millia. Scripsit ad Helvetios Imperator ne in terras Episcopi Basileensis Vinariensem penetrare patiantur, habetque Lucernæ suum Commissarium Baronem Swartzenbachium, quasi in Imperii urbe. Pontificios illorum populorum à communi libertatis cura avocat Religionis fervor, Badamque rursus vocat. Conventus erunt, ut ex præteritis colligere est, non alii fructus, quàm inanes querelæ de Hohentwilo, deque Steigi & Rheni Rhæticis Castellis. Quid ex Hispania allaturi sint bene excepti donatique Rhætorum Legati, ubi domum revenerint, cognoscetur, maximè de valle Telina, an valitura sint Mousoniana pacta. Dei tutelæ, Illustrissime Domine, Te Tuosque commendo. Lutetiæ 6 Februarii Novi Cal. 1638.

Excell. Tua omni cultu devinctus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Mitto rerum proxima æstate ad Leucatam gestarum narrationem accuratam satis, nisi quod editioni non accessit tabula, quam tamen frons promittit. Virtuti an fortunæ Gallorum plus in eo successu debeatur, haud facilè dixerim. Pridem certè nihil evenit admirabilius, si prælium nostrum ad Witstockium excipiatur. Lege totum rituale novæ militiæ Polonicæ. Non obscurè Rex Sedis Romanæ honorem Regni sibi crediti saluti ac commodis anteponit, & ut rem eloquar, seque & florem nobilitatis addicit auctoratque Pontifici, ut omittam nunc multa superstitionis damnata apud plurimos etiam Romanæ communionis. Ab Hispania apparet profecta hæc consilia, ubi illa de concepta Virgine sine labe originaria pugnans cum omni antiquitate sententia regnat ac triumphat. Itaque cognoscere desidero ea res in Poloniæ Conventu quomodo sit abitura. *Discedit hinc* Betzius ad Ducem Vinariensem, cui numerantur pro extraordinariis impendiis CCCC L millia florenorum, mittiturque ei auxiliator Guebrianus Castrorum Marescallus cum 1ↃCCC equitibus, peditibus prope ter mille. Aiunt repertum alium 4. 14. 72. 24. 37. 107. 80. 35. 21. 71. 68. 81. 61. 217. 246. 273. Venetorum qui novus venit Legatus de honore qui mihi habitus antehac in verbis aliisque detrahit nonnihil, & aliquid quanquam latentiùs cœperat tale moliri decessor ejus. Hæc ab Aula Romana venire non dubito, ut & illud de Serenissimæ nudè, absque additamento Potentissimæ, elogio Reginæ dato. Quod monere eò magis cogor, quod collatis indiciis video destinatis consiliis hæc agi. Vertit planè se illa civitas ad Austriacæ Domus & propter eam etiam Poloni amicitiam. Thuanus noster in consilium status à Rege adscriptus est. Litteræ à Baiona ac vicinis locis nuntiantes terra pugnatum inter Castellanos & Portugallenses, captasque ab his illorum machinas multas, descivisse ab obsequio minores civitates, etiam Rege sibi facto è Domo Aveiros, quia Brigantius Dux oblatum sceptrum non recusaverat tantùm, sed & Madritium se transtulerat vitandis suspicionibus, fidem paullo ampliorem apud hujus urbis plebem inveniunt, quàm apud peritos, supra verum augeri ista credentes. Reginam prægnantem esse spes manet. Palatini duo Regem videre etiamnum abstinent. Majori eorum Mauritio non malè cederet hæc peregrinatio, si uxorem nancisci posset Ducis Rohanii filiam cum spe opulentissimæ hæreditatis. Milites quidam capitali supplicio interemti sunt, qui liberare instituerant eos omnes, quos Bastiliæ detinet carcer. Iam nunc ad nos litteræ veniunt, è quibus certi reddimur Ducem Vinariensem die 29 Ianuarii cepisse oppida Austriacæ ditionis Silvestria quæ vocantur, Seggingam, Transrhenum, Lauffenburgum, in quo est pons Rheni, & Waldersdaufum, cæsis etiam turmis hostium duabus, quæ ad Lauffenburgo ferendas suppetias serò advenerant 27 Ianuarii,

Digitized by Google

nuarii, ut hic numeratur, die. Vetus Hesdinum reliquiæ magis oppidi quàm oppidum à Gallis captum incensumque est. Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta ut Tuæ Sublimitati prospera largiatur. $\frac{1}{11}$ Febr. 1638.

Post ea quæ dixi oppida capta, obsidere Rynseldium Dux Vinariensis cœperat, idque jam captum putatur.

Tuæ Sublimit. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

906 Læta sunt quæ & ex tuis & ex D. Salvii literis de Anclamo, de Vsedomo, & de Wolgasti urbe intelligo: speroque pro hoc anni initio cætera deinceps fore, semelque à mari repulsum hostem cessim iturum magis ac magis. Schmalcius ut video $\frac{1}{11}$ Ianuarii nondum Hamburgi erat. Sed de consummatione pactorum Wismariensium vix dubitari video, & de Anglis sperari meliuscula. Quod si res ipsa id probat, puto in Gallis moram non fore quominus resurgat Domus Palatina. Rex Daniæ ob communis Religionis curam videtur mihi ad pacificationis officium fore non inidoneus. Vt autem pax fiat in commune potiùs quàm seorsim, etiamsi bona fides non exigeret, prudentiæ regulis convenit. Idem ille Rex Daniæ si commoveri poterit ad prohibendas Holsatici Bremensisque agri vexationes, tantò eo utemur faventiore. Ex Borussis intelligo Dantiscanæ civitati ad defensandam immunitatem animos non defore, modò certi sint de societate eorum quorum in eo negotio res vertitur, Dani maximè, Batavorum & Borussorum. Polonicæ cujus meministi, militiæ novæ instituta ac cerimonias vidi: neque miror si cordatis non placet commentum, quo & Regis potestas in libertatis fraudem increscit, & in ipsum Regem Regnumque potestas Pontificis. Tum verò multa admiscentur ita superstitiosa, ut non possint etiam Romanensium æquioribus probari. Propter hæc arrectis animis exspectare debemus quid Polonicus conventus parturiat. Periculum in quo fuit D. Vosbergius, ostendit hostibus mari neque vires adhuc neque audaciam deesse. Literæ à Baiona aliisque locis, quàm certæ haud dixero, credi volunt prælium Portugallensium non ut ante maritimum, sed terrestre felix in Castellanos, captis horum machinis, & lecto partium Duce è Domo Aveiros, ideo quod Brigantiæ Dux turbarum contagium fugiens Madritium se contulerat. In Hagæ Oratoris morte, si accidit, ob eximiam quàm longa tractatione erat consecutus rerum peritiam, damnum fecit ingens Batava Respublica: in Honartio autem etiam omnes bonæ literæ, quæ in foro agentibus plerisque immeritò sordent. Manet hic spes & lætitia de Reginæ utero. Milites aliquot supplicio affecti, qui Bastiliam captivis exonerare voluerant. Ad Ducem Vinariensem, magni aliquid molientem mittuntur CCCCL millia Francorum, equites IↃCCC, pedites ter mille duce Guebriano. Iam nunc auspicata nobis nuntiantur, 29 Ianuarii partim nocte, partim die capta à Duce Vinariensi oppida Silvestria ditionis Austriacæ, Seggingam, trans Rhenum, Lauffenburgum in quo pons Rheni & Waldershautam: cæsas hostium turmas duas quæ Lauffenburgo suppetias serò ferebant. Optandam ut hujus transitus custodiendi & ad bonum Germaniæ convertendi major quàm alterius antehac habeatur ratio. Rynfeldium jam captum spero: obsessum à Februarii die secundo. Rumor hic est, sperò vanus, Hassi Viduam cum Imperatore agere, ut ipsa illi suas copias transdet, dummodo nihil ultra mali ipsa liberique à Darmstadiensi, malo consanguineo, patiantur. Det Tibi Deus, Illustrissime Domine, sexagesimum sextum ætatis annum & quos bonitati ipsius addere placebit, feliciter decurrere. 13 Februarii, ut hic scribimus, 1638.

Excell. Tuæ observantissimo cultu devinctus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Exprimere verbis vix possim, quo me dolore affecerit calamitas tua, quæ vix bene obductum vulnus novo & quidem tam gravi incussu rupit. 907

Facilè quippe intelligo, etiam meis experimentis edoctus, quàm teneri acristes tractantium, sint animi. Adferunt enim illa studia ad animum molle aliquid, & offensarum etiam levium fugiens. Neque ego nunc tibi dicam, quæ ipse in simili casu dixi mihi, quæque tu multò melius dixisti & mihi & aliis ὅτι χρὴ φέρειν τὸ φέρον [*oportere ferre quod ferendum est*], & vitam honestè exactam quantumvis brevem nihilo minoris esse quàm longam. Tum verò quàm multa mala & vitæ huic communia, & hujus corruptissimi sæculi propria effugiantur moriendo. Vnum te rogo, temetipsum ut excutias, & sepositis amœnitatibus, quæ ferme delicatiores nos faciunt, pectus munias fortioribus illis cogitationibus, quas nobis primùm Apostolica & veterum Christianorum scripta, deinde & Philosophorum clarè dicta aspirant. Videmus totas urbes è Germania simul evulsas, & miramur, si ad domum nostram perveniant mala totos populos vastantia. Absorbentur à mari terræ: contraque terris manu factis pereunt maria, & indignamur si diuturnum non est quod à nobis genitum est. Tum verò ea est Dei gubernatio, sed novo maximè fœdere à caducis nos ad æterna vocante, ut suspectus sibi merito esse debeat, cui diu datur in rebus esse prosperis. Præcipua ejus disciplinæ pars est exerceri asperis, & quantò magis premitur humana infirmitas, tantò divina præsidia & expetere ardentiùs, & sentire efficaciùs. Iam dudum tuum de Idololatria librum exspecto, & ejus cogitatio etiam hoc menti meæ subjicit, idolum fieri quicquid Deo ejusque decretis præponimus. Censent eruditorum nonnulli ab iis qui superstites sibi liberos nimis anxiè optabant, superstitionis natum nomen, & ex impotente amissorum liberûm desiderio natam εἰδωλολατρείαν [*idololatriam*] putat Hebræus magnæ auctoritatis sapiens. Apparet periculo non vacare affectum, qui in tam fœda processit: habes liberos quibus te solere: habes & alteram sobolem libros,

Ἠνδρωμένους τε, πάντῃ ἐστεφανωμένους,
Οἷς ἀναλωθεὶς τοὺς σεαυτοῦ συντρόφους
Σοφίην τε παραδώσει παισί τ' ἐπιτρέψεις.

Vale, Vir optime & eruditissime, & me meosque crede non minùs tuos esse, quàm qui ex te nati sunt. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Febr. 1638.

Tuus tibi obstrictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

Omnes quidem litteræ Excellentiæ Tuæ valde me oblectant, sed insigniter illæ quæ datæ 9 Ianuarii post multa adversa res nobis lætiores nuntiant, derelictum ab hoste Anclami obsidium, urbem Wolgasti & quæ maximè me sollicitum habebat, Vsedomi insulam. 908

Itaque spero ab hoc initio redituram ad nos fortunam. At quod in fine est litterarum, plura ex inclusis, quò pertineat intelligere non potui, cùm nihil præter nudas literas ad me pervenerit. Nam quæ ad Mullerum erant, eas ad ipsum misit Epsteinius. Si quid posthac ad me scribitur, poterit id tutò per Verpoortium ad Heusdium mihi inscriptum mitti. De pace ita existimavi semper, si qua ejus obtinendæ æqua dico & honesta spes esset, nihil opus parariis fore, cùm facilè per latentes nuntios conveniri possit. At si quis sumendus sit pacificator, Danum quàm Venetos malim, non quod ignorem vetera inter accolas

las dissidia, sed quod Danos propiùs tangit Protestantium cura. Veneti præterquam, quod dignitatis controversiam nobis faciunt, planè ad Austriacorum gratiam se convertunt: etiam Polono se jactitant. Inhibitam pactorum Wismariensium consummationem ut priùs à Batavis eliceretur pecunia, quàm eis constaret nos novo fœdere ad bellum alligatos, & suspicatus sum semper, & consiliü laudo prudentiam. Angli quid facturi sint valde scire avebo. Hic enim perplexè loquuntur, sive incerti consiliorum, sive quod ea latere cupiant. Spero priusquam solvatur Suediæ Ordinum Conventus, habituros nos è Germania aliquid quod fortiora suadentibus addat auctoritatem. Mittuntur hinc ad Ducem Vinariensem, CCCCL millia Francorum, & auxilium equitum IↃCCC, peditum IIICIↃ. Literæ à Baiona terra pugnatum Castellanos inter & Portugallenses nuntiant, & ab his captas illorum machinas. Ducem etiam discidio factum è Domo Aveiros, quod Dux Bragantiæ se subduxisset turbis & Madritium ivisset. Manet hic spes nasciturì Delphini, quanquam indiciis usquequaque certis. Milites aliquot qui Bastiliæ captivos liberare voluerant deprensi morte crimen luerunt. Legi ritus legesque novæ militiæ quam Polonus instituit. Miror eum ita apertè in superstitiones ferri, multis etiam Romanensium improbatas. Tum verò Regni eum curam, quæ bono Regi prima esse debet post obsequium in sedem Romanam ponere. Non mirum si jura avita amantibus displicent peregrina consilia sub Religionis velo dominandi artes obtegentia. Gaudeo antequam claudam has literas nactum me unde paria faciam, reponendo lætis non minùs læta. 28 Januarii Dux Vinariensis cepit supra Basileam arces Pessingam & Angelstenum, nocte Rhenum transiit contra Seggingam. Transgressus cepit id oppidum & alterum in quo pons est Rheni Lauffenburgum, deinde & Waldeshutum. Cecidit turmas hostium duas quæ Lauffenburgo serum auxilium ferebant. Speramus eos porro successus fore qui ad capienda in Conventu Suedico digna ejus gentis nomine consilia non parùm sint valitura. Deus Excellentiam Tuam servet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Februarii 1638.

Scribit altero Februarii die Dux Bernhardus ire se obsessum Rynfeldium.

STENONI BIELCHIO.

Excellentissime Domine,

909 GAudeo dari mihi lætiora quàm antehac scribendi materiam, transgresso iterum amnem Rhenum Vinariensi Duce. Factum id nocte post 28 Ianuarii contra Seggingam. Captum id oppidum in ripa situm Transrhenana & alterum quod utramque ripam ponte jungit Lauffenburgum & juxta aliud nomine Waldershutum diebus proximè sequentibus mensis ejusdem, in ditione omnia Silvestri Austriacæ Domus vetere patrimonio. Mittuntur Duci hinc extra ordinem pro factis impendiis CCCCL millia Francorum: equites octingenti: pedites ter mille Guebriano duce. Si hic transitus meliùs à Gallis defenditur quàm is qui antehac captus fuit, non modica spes est hostium copias quæ jam à Pomerania retro se tulere, longiùs inde rebus eas trahentibus, recessuras. Sic Galliam exoneravere Portugalliæ motus, qui si quid Baionensibus litteris credi potest ita recrudwere, ut dux factus sit partium ex Aveirorum illustri familia, quia Dux Brigantius sanguine, clientelis, opibus potior se turbis subtrahens in Aulam Madritiensem concesserat, atque, prælio terrestri facto, machinæ Castellanorum multæ à Portugallensibus captæ sint, trucidata millia aliquot. Hic per hilaria strepit Aula comœdiis & choreis, & sperata fœcunditate Reginæ. Lugent interim Bastiliæ carceris coloni reclusi arctiùs, deprehensis militibus qui eos libertate donare se posse speraverant. Legi non juramentum tantùm, sed & instituta ac ritus novæ militiæ Poloniæ. Miror non tantùm ea quæ superstitiosa multi ex ipsis Romanensibus judicant, sed & Regem inventum qui palàm profiteatur se Regni sui salutem Sedis Romanæ honori posthabere. Sed non novum hoc est ut mutuas operas præstent Pontifices & Reges, ut populis libertatem amantibus duplicem dominatum speciosis nominibus imponant. Deus, Illustrissime Domine, Illustrissimam Dominationem tuam servet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Febr. 1638.

Rynfeldium nunc puto itidem captum à Duce Bernhardo qui id obsedit à secundo, ut hic numeramus, Februarii die.

Illust. Excell. Tuæ addictissimus semper H. G.

Παναγιωτάτῳ τῆς νέας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ Κυρίλλῳ.

Πρὸ πολλοῦ ἤδη καὶ τὰς σῆς ἁγιωσύνης ἐπιστολὰς ἐν Ὀλλανδίᾳ ὢν ἀνέγνων, χαρακτῆρα σοφίας καὶ ἀγάπης ἀξίας. καὶ ὕστερον πολλὰ περὶ τῶν αὐτῆς καμάτων πρὸς τὴν ἐκκλησιῶν ἐνότητα ἤκουσα, καὶ ἴδον αὐτῆς κακῶς συνέπασχον, καὶ ταῖς αὐτῆς ἀναψύξεσι συνέχαιρον, μάλιστα δὲ ηὐφράνθην ὅτε ἤκουσα ἐμοῦ αὐτὴν εἰς τὸν σεβασμιώτατον θρόνον ἀποκατάστασιν, ἀεὶ ὡς ἔτι ἀγαθὰ ἐκ ταύτης τῆς ἀποκαταστάσεως ἐλπίζων. Τοῦ δὲ καὶ ἐμοὶ φίλτατος ὁ νῦν ἐν κυρίῳ τελευτήσας λαμπρότατος Ἄγγλος τῆς σῆς ἁγιωσύνης καὶ μαθητὴς ἐκεῖ καὶ κῆρυξ πανταχοῦ. ἐν ὀλίγῳ δὲ καὶ ὀλιγάκις, μὴ ἑτέρως γράψας, ὅτι καὶ τῶν ἐμῶν ἀπομνημονευμάτων τινὰ πρὸς τὰς σῆς ὁσίας χεῖρας ἦλθεν καὶ ἐπαινετικῆς πρὸς αὐτὰς ψηφίσματος ἔτυχον. διὰ ταῦτα προθύμως ἅπτομαι πρὸς τὴν σὴν ἁγιωσύνην γράφειν διὰ τοῦτον φέροντα ἐπιστολὴν Ἀλεξάνδρου Βεγγράδου, ὃς ἐκ μὲν τῆς Ἰσβονίας ἐστιν ἐπαρχίας τῆς τῶν Σκύθων βασιλείας, ἧς ἐγὼ ὑπηρετῶ ἐπίτροπος, πολλὰ δὲ συνωμίλησεν τοῖς ἐπισκόποις καὶ ἀρχιμανδρίταις τῆς σῆς συνάξεως μετόχοις. Δέομαι δὲ τῆς σῆς ἁγιωσύνης, πρῶτον μὲν ἐμοῦ μεμνῆσθαι ἐν ταῖς πρὸς θεὸν προσευχαῖς, ἔπειτα δὲ τὸν ταῦτα βαστάζοντα τὰ γράμματα ἐν πᾶσι καλοῖς καὶ τῇ χριστιανῶν πανηγύρει ὠφελίμοις συλλαμβάνεσθαι. ὁ ἀρχιποιμὴν τῆς ἐκκλησίας τὴν σὴν ἁγιωσύνην φυλάττοι. Ἔγραψα ἐν τῇ ἐν Γαλατίᾳ βασιλίδι πόλει Παρισίῳ. τῆς δὲ φεβρουαρίου ἡμέρᾳ ... κυρίου ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως. αχλη.

Τῆς σῆς ἁγιωσύνης ἐν χριστῷ δοῦλος

Οὗγων Γρώτιος, τῆς τῶν Σκύθων βασιλίσσης πρεσβευτής.

D. GRONOVIO.

PLacent mihi valde, doctissime Gronovi, tua ad Statium pa-
cogitata, quæ per Rodium mihi misisti. Mea pauca illa cùm mitterem, Statium non relegeram, sed raptim exscripseram, quæ juvenis olim ad oram annotaveram libri mei. Itaque tuo judicio illa stent aut cadant. Locutus sum cum iis qui Librarios hic norunt. Negant spem esse adornandæ heic novæ editionis, quia non ita pridem exierit Statius cum interpretibus cunctis, tomis duobus. Præterea per bellum frigent hic & officinæ & tabernæ. Puteanorum fratrum ea est comitas, ut si quid gratum tibi facere possint, facturi id sint volente animo. Me inter occupationes quæ his temporibus gravescunt juvat interdum remetiri vetera studia, & tetricas curas Musarum amœnitatibus interstinguere. Magni Casauboni literas vulgari gaudeo, tum ob alia, tum ut pateat quanto ille de me meisque consiliis benigniùs quàm alii judicaverit. Tibi prosperos & vitæ & studiorum cursus opto. Lutetiæ 17 Febr. 1638.

Tuæ Eruditionis candidus æstimator H. G.

NICOLAI REIGERSBERGIO, Senatori.

Vir Amplissime,

MVltum me semper delectavit, Nobilissime Reigersbergi, tuus in me amor, cujus testimonia tum alia habeo multa, tum recens ex literis quas jam nunc accipio 13 scriptas Ianuarii ex urbe diu terrarum Principe, nunc etiam vim ingenii ac sollertiæ de eo Principatu multum retinente. Literas abs te Roma nullas accepi hactenus.

Alio-

Digitized by Google

Alioqui is meus mos est ut omnibus amicorum literis respondeam, quantò magis id officium redditurus tuis, quem semper amavi plurimùm, non tantùm ut propinquo mihi junctum vinculo affinitatis, verùm insuper ob spem quam de indole tua concepi semper maximam. Gaudeo multùm in notitiam te pervenisse Philosophorum & Mathematicorum maximi D. Galilæi, cujus in oculis (invasit enim eos cœcitas) majorem jacturam fecit genus humanum, quàm ut sentiri ejus magnitudo, nisi à paucis sicut oportet talia ingenia æstimantibus possit. Ipsa, ni fallor, rerum natura pulcherrimum Dei opus dolet tanto se carere spectatore & publicatore ipsius arcanorum, sed hæc, ut humana omnia, ferenda sunt humanè. Quæ de rebus Italiæ significas, diligentiam mihi tuam probant, eoque magis quod eorum præcipua aliunde etiam fidis satis auctoribus mihi nuntiantur. Demereberis me si à talium peritis audita, & sæpe & copiosè ad me scribas. De pace Suedica cum Imperatore nihildum confectum est. Legati in Germania nostri aures præbent Comiti Curtio Viceecancellario Imperatoris ad pacem invitanti, Gallis federis jam pridem inchoati consummationem petentibus, Anglis novum fedus proponentibus. Quid ni cùm & Tartarorum Legati septem auditi nuper sint Stockholmiæ, quanta vix credi possint equitum millia in usum Regni Suedici offerentes, quo tempore etiam à Transilvania, Pomerania, Hassia Legati eodem venerant. Nocet armis nostris hyems infensa hoc anno & illis locis nunquam lenis, quæ & flumina pervia fecit hostibus & nobis è Suedia in Pomeraniam præclusit adstrictum mare. Quid futurum sit ita ambigua est conjectatio, ut nemo adhuc rerum peritus facilè inveniat quorsum inclinet judicationem. Si adhuc Romæ es, cùm has meas accipis, rogo D. Puteanum & D. Holstenium meo salutes nomine; & Bononiam si veneris, D. Iustum Ryckium & si qui alii intra mare superum & inferum vivunt nostri memores. Vale 19 Feb. ex Cal. Romano 1638.

Tui amantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

913 IS de quo scripseram 60. 37. 81. 73. nomen habens. 80. 60. 74. 20. 70. 6. 10. 72. 66. 81. 49. 31. 10. 33. 66. 14. 106. 10. 33. 31. 217. 246. ab Eusebio Vindiceque auditus & torque donatus ivit ad Aulam Aristophanis literas ferens ad eum qui ibi lactucas curat. Ego rogatus ei literas ad 12. 2. 66. 79. 7. 112. 69. 16. dedi, nihil aliud quàm aditum ei parantes. Si illud de 61. 73. 60. 10. 70. 48. 70. 27. ea quam proposuerat ratione, non facilè apparet majus 107. 71. 11. 81. 68. 48. 61. si nec hoc succedit, vult 68. 76. 66. 77. 80. 66. 73. 67. per Claudium immittere in Manlianas terras, & loca quædam capere in 82. 73. 60. 42. 7. 71. 80. super postremo hoc consilio differens, ostendi quæ mala inde sequi possent. Rectius fortè fore eam rem fragis tractandam permittere, quibus id genus hominum esset satis notum. Me tamen hac in re suadendi aut dissuadendi nulla habere mandata. Siquis hic veniret à 66. 27. 9. 73. 67. 15. 79. 59. apud eum de se nullam volebat fieri mentionem. Egit plurimùm cum 79. 59. 76. 72. 13. 42. Et hoc quidem negotium quò exiturum sit dies docebit. Ego his diebus Chavigniacum conveni. Dixi ea quæ Rex Daniæ D. Salvio significari jusserat, quæque ille responderat placebant. Commendavi simul curam Ducis Vinariensis & ut à paciscendo cum Cæsare averteretur Landgravii Vidua. Promisit, ut hic solent, liberaliter. Cæterùm Guebrianus dictus eò ire cum copiis non ivit. Pecunia Duci missa est præter illam priorem de qua scripseram, ad L millia scutatorum. Parum habet peditis ad peragenda obsidia, tutandaque ea quæ cepit. Ne equitis quidem satis, ut in Germaniam penetret. Interim habebunt unde se ad tempus alant. Mitto rerum ibi gestarum narrationem paulo accuratiorem missam mihi à filio. Mitto & Edictum Anglicum contra Pontificios, seriæne voluntatis indicium, an commentum ad placandos Puritanos videbimus. Quidam his diebus Vir illustris missu procerum ad me venerat, suadens ut de 77. 70. 66. 68. 80. 66. 71. 63. negotium Vindicis hominibus proponerem. Dixi mihi id non è re videri; Sophos cogitaturos quid ea in re factu esset opus. Vellent isto odio nos onerare, eoque difficiliores facere Mimnermi vias. De Rynfeldio nihil dum scimus. Rumor hic est agere Ducem Vinariensem cum Duce Hohentwilæ, ut is deserto Duce Wirtembergico qui cum Imperatore transegit Protestantium malo, arcem eam tradat juveni Wirtembergico, qui in castris est Vinariensibus, & spem esse boni successus. Dux Longavillanus per Ducatum Burgundiæ copias in Comitatum ducit novas. Imperiosè satis Galli cum amicis agunt. Nam & Viduæ Sabaudi dura minati sunt, nisi à se abigat Menotum Jesuitam à bello satis alienum, & per Estræum egere apud Pontificem, ut Mazarinus huc remittatur, Eusebio percarus. Neutrum obtinuere. Volunt illi res suas suo ex usu ordinare, non ad aliorum desideria. Polonos satis multos Hispanis in Belgica venire auxilio audimus. Quo ordine hic sint ea quæ dixit 6. 71. 48. 42. an rumor quæratur & terriculamentum apud Hannibalem dubitare cogor, quod tanto cum strepitu res tractata est. Ait tamen ille homo flagranter expetere Vindicem, ut fiat 82. 66. 73. 77. 75. 12. 77. 17. 66. 12. 17. 76. 27. 39. 119. 73. 66. 81. 16. Id verè esset quod dicitur longas regibus esse manus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regno, Reginæ Tuæque Sublimitati propitius adsit. Lutetiæ $\frac{10}{20}$ Febr. 1638.

Rynfeldium teneri à CCCC militibus, opugnari quatuordecim machinis discimus. Interim excursus fieri in agrum Wirtembergicum.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

HAbeo gratias pro literis 8 datis Februarii. Hic nihil dum magni agitur. Missa sunt ad Ducem Vinariensem præter priorem pecuniam L millia scutatorum. 914
Copiæ sub Guebriano quæ mitti dicebantur, eò non eunt. Si multum pecuniæ Dux haberet, posset è vicinis Germaniæ locis & ex perfugio hostium colligere exercitum. Nunc an quid quale speramus efficere possit, dubito. De Rynfeldio nihil accepimus. Fit spes & de Hohentwilo traducendo in potestatem juvenis Ducis Wirtembergici, qui apud Vinariensem est, per ejus loci Præfectum aversum à Cæsarianis rebus. Dux Longavillanus novas copias per Ducatum Burgundiæ in Comitatum ducit. Laborant Galli ut Menotum Jesuitam à Vidua Sabaudi semoveant. Sed parum succedit ea molitio. Edictum in Anglia publicatum est contra Pontificios. Ea res si seriò agitur, multorum animos reddet minùs suspicaces. Valde hæc Aula avet cognoscere adventum Schmalcii Hamburgum. Vbi illud de Wismariensibus pactis confectum erit negotium, tempus erit audire Anglos qui videntur nostræ societatis quàm ante appetentiores. Verùm haud facilè conventurum puto, nisi accedant aliqua ad ea quæ hic præformata fuerant. De Landgravii Vidua monui proceres. Dicunt satis sibi cordi esse ut ea à passione præcipiti avertatur. Commendavi & Palatinæ domus negotium. Sed id ab Anglicano pendet federe. Rodius magis magisque se mihi probat, ingenio, eruditione, studio etiam in bonum commune.

 Puto

Digitized by Google

Puto ingrata fore quæ portabit D. Vosbergius. Aliena liberalitas haud nimis anxiè ad calculos vocanda est. Curtius quantum audio nihil nobis attulit. Daniæ Regis operam non sperni, laudo. Sperem usui nobis fore & ejus cum Polono certamina, & curam pro Holsatia, ut ab insessione militum sit libera. Si Batavi in Warsaviensi conventu nobilitatem Polonam commovere possent, ut & ipsa vectigali intercederet, rem facerent sibi utilem. Argentorensium necessitatibus jam aliquoties subvenit Dux Vinariensis. Non difficile Gallis fore arbitror eam civitatem ad longum fedus pertrahere, si pecuniam alendo militi dare vellent, non ipsi, quod aliquoties agitarunt, præsidium imponere. Protestantium Gallorum res fiunt indies duriores, infensa Edictorum interpretatione, dum Magistratuum quisque Ecclesiasticis se venditat. Ex Italia intelligimus venisse in Mediolanensem agrum è Neapolitano CIƆCCC Hispanos, è Brutiis equites CIƆ: ex Germania in supplementa legionum CIƆIƆ: plures exspectari. Rynfeldium, ut nunc ad nos scribitur, præsidium habet CCCC militum: oppugnatur XIV machinis. Excursus fiunt in agrum Wirtenbergicum. Reginam uxor mea vidit, reperit omnia signa eam habere prægnantis feminæ. Deus & ipsi & Tibi Tuisque, Illustrissime Domine, fautor semper adsit. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Februarii 1638.

Tuæ Excell. omni obsequio addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

915 Discessum hostilium copiarum è Pomerania, paucis tantùm ibi præsidiis relictis, deinde Daniæ Regis cum Polono certamen & alterum propinquum cum Cæsarianis Holsatiæ agros insidere parantibus, lætus Excellentiæ Tuæ literis datis 22 Ianuarii intellexi. Daniæ Regis ejusdem pro pace labor sicut à nostris rejiciendus non est, ita suspectus est Gallis, quanquam ego illis affirmo Rectoribus nostris placere conjunctim agi. Coloniensis Conventus evanescit, credo, sed Romæ Pontifex molitur inducias. Regina hic quin gravida sit vix ultra dubitatur. Medici & Astrologi virilem stirpem ei pollicentur. Quod si exitu probatur, magna erit Reginæ auctoritas pacem cupientis haud dubiè. Nec desinit cum ea arcana literarum commercia habere Hispanus. Moram Schmalzii glaciei hic assigno, satis probabiliter. Cæterùm à Batavis pecuniam & aliquid promissi in posterum jam impetratum intelligo. Ab Anglis nec quid obtentum sit scio, nec quid obtineri possit satis video, ita perplexantur, & audio novum ab Anglia Legatum ivisse in Hispaniam. Valde illi avent intelligere pactorum Wismariensium consummationem, ut metere ipsis liceat de alieno semente. Interim quam cum Gallis habuerunt controversiam de repressaliis, ad quinque ferme milliones pervenientem, ea composita est; sed nondum signata transactio. Palatini qui hic sunt Regem non sunt visuri. Dux Vinariensis Henningam cepit, Cellam oppugnat, ad Rynfeldii fossam opera sua perduxit. In Germaniæ interiora quò minùs penetret deest ei peditatus. Neque Galli ulla eo auxilia jam mittunt. Missuros se dicunt Majo exeunte. Id verò tardum est, colligente omnem è Suevia militem Brisaci Præfecto. Helvetiorum qui Badæ est Conventus Imperatoris concitatu misit ad Ducem Vinariensem, ut à Rynfeldii obsidione absisteret. Ad hoc qui Helvetiorum Pontificii sunt. Duci vim minantur, sed retinentur à Protestantibus & Legato Gallico, qui, si quid tale cœptetur Regem fedus pro rupto habiturum, apertè pronuntiat. At Hohentwilæ Præfectus, deserto Duce Everhardo cujus pactionem cum Imperatore religioni suæ ait esse contrariam, in tutela Galliæ se futurum pollicetur. Est ea non parva accessio ob magnum uberemque agrum. Germani qui hic sunt re concepta posse à se Transrhenanam Nobilitatem in arma, civitatem in desertionem impelli, urgent Regis ministros, ut copiæ partim Germanicæ partim Gallicæ mittantur Vinariensi. Sed parum hactenus promovent, pereunt occasiones incertum quando redituræ. Putatur brevi justus Galliæ exercitus in Comitatu Burgundiæ fore. Præerit ei Dux Longavillanus, qui modo Sedano rediit, sed abducere inde nequivit Comitem Suessionensem, quanquam ostentato ei matrimonio opulento Mariæ filiæ Mantuani antehac Ducis, quæ ut in Gallia nata, Domus Nivernensis bona in Gallia sita jure Albinagii sibi vindicat, contra quam venit disputatum huc missus novi Ducis aut matris ejus Episcopus Casalis. Comes Arcurtius Elbovani frater è Lotharinga Domo ducere parat Cardinalis cognatam, infelicis Puylaurentii viduam, & quo viduitatem solatur hæredem. Is est Arcurtius cujus virtuti receptas insulas debet Gallia. Landgravii Vidua sollicitos nos habet. E Batavis literæ putant eam popularium consiliis pacem calidè cupientibus cessuram. Galli proceres & qui hic sunt Landgravii juvenes meliora sperare nos jubent. Ea si se subduxerit quando Princeps Vinariensis magis in Gallorum quàm sua est potestate, nihil in Germania restat Suediæ federatum, nec quicquam impediret quò minùs hinc Galli, inde Suedi excitati eorum qui societate abierunt cura, de Germania quicquid rapere possunt sibi sumant. Bene rem gerat, floreatque Excellentia Tua. Scribebam $\frac{1}{11}$ Februarii 1638.

Excell. Tuæ observantissimus perpetuo studio H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Obsidentium opera ad fossam Rynfeldii perducta intelligimus, cum spe bona capiendi oppidi priusquam superveniant, quæ undique se colligunt, copiæ hostiles. Hinc nulla adhuc auxilia ad Ducem mittuntur: 916
ne promittuntur quidem nisi in mensem Majum, laboratque Baro Degenfeldius ut ipse sub id tempus eò eat cum cohortibus turmisque partim Germanorum, maximè suis Sillarti Streifii, partim Gallorum qui ad sumendum id iter perduci poterunt. Ego multum dubito an Gallis allo modo cordi sint res Germaniæ, præsertim ex quo heri apud me fuit D. Feuquerius. Is sub Duce Longavillano iturus est in Burgundiæ Comitatum, ubi aliquid sperant se acquisituros quod ex propinquo defendi retinerique possit. Interim nec rumores dormitant de induciis quæ Romæ cudantur. At quibus in locis sunt Germani, Protestantium per Germaniam reliquias commovere, civitates ad defectionem sollicitare vellent, quæ omnia ne inchoari quidem possunt nisi Dux Vinariensis cum magno Exercitu conspiciatur in penetralibus Germaniæ. At Galli ut dicere cœperam suo limiti proferendo student, & commodùm eum qui Hohentwilæ in præsidio est, in suam suscepere tutelam. Quæ de Helvetiis scribit Marinus nihil est cur repetam. Ego nihil ab illis neque boni neque mali exspecto. Cellam quoque oppugnant Vinarienses milites, & si ipsorum conatibus adsint successus sperant Wirtembergicum Ducem Eberhardum ad pœnitentiam damnosæ sibi cum Imperatore pactionis posse perduci. Angli valde desiderant intelligere consummationem negotii de pactis Wismariensibus aliena arma sumptusque & labores, versuri si possint in rem suam. Audio missum ab eis Legatum in Hispaniam. Interim quæ de repressaliis inter ipsos Gallosque orta erat controversia transactione finem accepit; superest tantùm ut signetur transactio. Palatini qui hic sunt Principes Regem constituerunt non videre, itaque eos ibo salutatum. In Italia Galli socios tutari si poterunt magnum id erit. Validis cum copiis & Montisferraten-

ratensem agrum in quo Ponsonum nuper irruperant & Pedemontanum videntur impetituri Hispani. Medicus quidam Lanavus nomine sideralem scientiam profitens ante hos annos quinque Reginæ prædixerat in hoc tempus gravidam eam fore. Nunc ad Reginam revocatus confidenter ei dixit, futurum ut marem pariat, & anno post alterum marem. Sed amicis dixit absente Regina, vereri se ut satis valenti corpore sit is quem primo pariet, alterum vegetum fore. Ita audacter illi homines de futuris loquuntur sæpe aliena magis credulitate quam sua arte freti, & si res ut dixerunt cadant in ingenti sunt gloria, si quid aliter eveniat, in oblivionem eorum dicta veniunt. Cæterùm si vera sunt quæ profatur, omnino, magna erit Reginæ auctoritas & formidanda iis maximè, qui nunc plurimum possunt, & à quibus se læsam ipsa putat. Princeps Condæus armis per Aquitaniam imponitur. Rediit Sedano Dux Longavillanus. Quid cum Comite Suessionensi, affine suo egerit parum liquet. Sed dicitur is Comes conjugium expetere Mariæ Mantuanæ, quæ quod in Gallia nata est, bona omnia Nivernensis, Albinagii, ut hic loquuntur, jure non Duci qui ad petenda ea bona Legatum huc misit Episcopum Casalis, sed sibi deberi contendit. Galli Iurisconsulti pro Virgine respondent, videturque Rex ad legitimam cognitionem rem rejecturus. Interim Arcurtius è Lotharinga Domo insularum captarum fama egregius sponsalia fecit cum propinqua Cardinalis Vidua Puilaurentii, quæ magnum luctus sui solatium habet opulentissimam mariti hæreditatem, ex tabulis nuptialibus tunc confectis, cùm jam ipsi marito exitium strueretur. Genuensis Legatus (ipsum non vidi) significavit mihi, Rempublicam istam memorem humanitatis qua Rex olim Gustavus Legatos ipsorum excepit, quicquid gratum Regno Suedico possit facturam libenter. Dedere Genuenses Duci suo regalem Coronam ob Corsicam, & Serenissimi titulum, Senatoribus autem Excellentissimorum, ei verò qui Corsicam regit Viceregis nomen. Ita ipsi Venetorum exemplo ad Regium fastigium admovent sese & Sabaudus. Celsitudinis Regalis adscito sibi vocabulo. Ob has molitiones diligenti nobis cautione opus est, ne Regiam dignitatem imminui patiamur ascensione minorum potestatum. Quid Landgravii Vidua constitutura sit incerti planè sumus. Galli & qui ex ea Domo sunt juvenes bene sperare nos jubent: metuere verò complurium è Batavis literæ. Intelligimus etiam Henningam sub Basilea oppidum cessisse Vinariensibus. Lis illa de qua Angli cum Gallis depacti sunt, ad quinque millionum summam perveniebat. Conventus Ordinum qui nunc, puto, in Suedia habetur consilia, Excellentissime & Illustrissime Domine, ductu Tuæ Sublimit. Reginæ gentique prosperet. Lutetiæ $\frac{12}{17}$ Februarii 1638.

Interceptæ sunt novæ ex Hispania ad Reginam literæ, sed nemo est qui molestus esse ei audeat. Guardalupi insulam in ora Americæ permuniunt Galli, sæpe oppugnati ab indigenis, concitante Hispano. Fert ea insula saccharum, tabaccum, gossypium & ligna ad colores quædam.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

7 EX literis tuis 15 Februarii datis, de Pomeraniæ rebus, de Danicis ac Polonicis, eadem ferme disco quæ ex D. Salvii satis recentibus ad me literis. Valetudinem tibi mitiorem mitescente cœlo spero optoque. Interim gaudeo, quod crebris amicorum alloquiis temporis tædium tibi diluitur. Dux Longavillanus, à Sedano jam reversus, ubi Comitem Suessionensem affinem suum convenit, brevi cum exercitu erit in Comitatu Burgundiæ. Princeps Condæus apud Pirenea juga, unde iterum Leucatæ imminere dicuntur Hispani non spernendis cum copiis. Mari utinam fiat magni aliquid. Illud certè bene evenit, quod controversia cum Anglis orta de Repressaliis transigendo finem accepit, nec restat aliud quàm ut transactio signetur. Palatini Regem non accedent. Dicunt tamen Galli se favere eorum Domui, nec defuturos si Angli participes & sanguinis & religionis sibi curæ esse ostendant. Id verò quando futurum sit, novit is qui Regum corda moderatur. Hoc video, valde Anglos exoptare confectum videre federis Wismariensis negotium, utne ipsi accedant, an ut alieno sumptu ac labore desides fruantur, haud satis etiam dispicio. Quotidiana nunc opera mea est, urgere Gallos ut Duci Vinariensi auxilia mittant magna, celerata. Hohentwila ejus partes Galliæque tutelam amplexa est, manente, quod erat, præsidio. Cessit Ducis armis Henninga. Cella verberatur. Rynfeldii ad fossas perventum est. Helvetii quorum Conventus Badæ est, ad Ducem misere, ut obsidione hac abstineat, nec cessant Pontificii incendere in eum odia, vim etiam admoturi, nisi à sociis Protestantibus sufflaminarentur, & minas minis opponeret Gallia, per Legatum professa si vim in Vinariensem intentent, eo fedus cum Gallia ruptum fore. Germani qui hic sunt, sperant omnes, si copias habeat Vinariensis, & Nobilitatem Suevivam, sub jugo gementem, & civitates malè habitas, imprimis Norimbergam cum Bavaro de rebus non exiguis litigantem, ad partes nostras posse retrahi. Quæ ut vastæ sunt spes, ita non est dubium, quin multæ egregiæ occasiones enascituræ sint, si Dux Vinariensis justum exercitum in ipsa Germania interiore ostentare possit. Nam nisi arma socialia & quidem ad tutelam amicorum satis valida conspiciant illi qui servitutem suam gemunt, haud credibile est, quenquam se moturum. D. Feuquerius aliique magna pollicentur: sed in Majum mensem. Interim coëunt è Suevia & aliunde hostium vires: & nihil quietum sinet Imperator ut à proprio suo patrimonio amoveat hostem. Nec enim levia aut ludiera petuntur præmia. Multum laboro ut mittantur ad Ducem partim Germani, partim Galli: Germani ob notitiam locorum & amicitias usui futuras: Galli ut numerum augeant, Germanisque permixti meliùs retineantur, & per fautores suos stipendia sibi commilitibusque obtineant. Pontifex de induciis cudendis cogitationes resumsit. Agetur de ea re Romæ, non Coloniæ. Hamburgensium colloquiorum, Conventus in Suedia, alteriusque in Polonia quis futurus sit exitus multum ad cuncta refert. Quantum intelligo non desunt Dantiscanis animi, si socios reperiant. D. Vosbergio quæ data est pecunia, ea data est lege, ne quid militis ibi militia solvatur, & ùt quamprimum se moveant Batavi. Id ut fiat non Gallorum tantùm, sed & Suediæ interest. De Susato lætus est nuntius. Sed quorsum se inclinatura sint consilia Viduæ Landgravii exspectamus non sine sollicitudine. Galli & qui hic sunt juvenes Landgravii bene sperare nos volunt. Neque verò dubitamus, quin omnia facturi sint Batavi, ne ille copiæ Cæsarianis ipsorum terras prope circumsidentibus, accedant. Medicus quidam, astrologum non minùs se prædicans, qui ante hos annos quinque Reginæ prædixerat sub hoc tempus eam prægnantem futuram, nuper ab ipsa vocatus, ulteriora prædicere ausus est, parituram nunc marem, & anno post iterum marem. Quod si eventu comprobatur, haud dubium quin magna & contra eam luctatis formidabilis futura sit Reginæ hæredibus suffultæ auctoritas. Arcurtius Comes è Domo Lotharinga solus præter Chevreusium nunc in Gallia vivens, magnumque decus adeptus insularum receptione, uxorem capit Cardinalis propinquam, Puilaurentii viduam ex mariti hæreditate opulentissimam. Comiti Suessionensi fama despondet Mariam Mantuani quondam Du-

Ducis filiam, quæ, quod in Gallia nata est, cùm Dux pupillus natus sit in Italia, Nivernensis Domus magna per Galliam bona sibi ex Galliæ vetusto jure vindicat, contra eam disputatum misso huc à novi Ducis matre Casalensi Episcopo. A Guardalupa Americana insula literæ venere, nuntiantes rectè valere qui ibi sunt Gallos & contra indigenas, quos Hispani suscitant, bene munitos. Deus cuncta ad bonum regat publicum tibique ac tuis perpetuo faveat. Scribebam 27 Februarii anni 1638 manebamque, Illustrissime Domine. Lutetiæ.

Excell. Tuæ perpetuo cultu observantissimus H. G.

STENONI BIELKE.

Illustrissime Domine,

918 CEssatur his in partibus præterquam ad Rhenum, ubi Hohentwilæ Præfectus derelicto Duce Eberhardo in fidem Galliæ se commendavit. Post Lauffenburgum, Seggingam, Waldshutum, etiam Henninga Duci Vinariensi cessit. Cella machinis verberatur. Rhynfeldii ad portas perducta oppugnatio. Brisaci Præfectus quoscunque potest è Suevia aliisque locis copias, ut obsessis subveniat, colligit. Imperator literis Helvetios excitat, ut se Duci opponant: Helvetii verbis apud Ducem quàm armis agere malunt, diversi inter se religionum dissidio, & metuentes ne fedus ipsis suum Rex Galliæ renuntiat, quod Legatus Gallicus seriò minatur. Pontifex Romæ fabricat inducias. Angli cum Gallis de maritimis quibusdam prædis transegere. Princeps Condæus it in Aquitaniam, cui novis cum copiis imminet Hispanus, Navarra & Comitatu Russinonensi pridem captis, non contentus. Batavi sub ver moturos se Gallis pro pecunia promisere. Dux Longavillanus à Sedano rediit bellum Comitatui Burgundiæ parans inferre. Quid Angli facturi sint forte Hamburgi apparebit. Cæterùm dicuntur in Hispaniam rursus misisse Legatum. Astrologi Reginæ partum hunc ac deinde alterum promittunt virilis utrumque stirpis. Pax in Gallia, potente ac pleno quamvis virorum Regno, mirum quàm exspectatur à summis, mediis, infimis. Deus, Illustrissime Domine, eam nobis det bonam, tuæque Illustrissimæ domui favens semper adsit. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Februarii 1638.

Tuæ Illust. Excell. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

919 QVid Galli sibi velint, haud satis intelligo. In obsidione Rynfeldii fossa ad quam Dux opera perduxerat, est fossa exterior. Eam inter & oppidum altera interjacet: exiguus ei peditatus, machinarum haud satis multum, tardi processus. Interea Basileæ Rhenum transiit Ioannes Waertius. Copiæ ejus partim Brisaci transiere, partim se colligunt. Videns Ducis virtutem bonamque fortunam & spes Germaniæ inde pendentes in periculum vadere, non desii ipse & per amicos, etiam per D. Feuquerium, Degenfeldium, Heufdium flagitare justa auxilia, ne ut nuper ita nunc rursum bene parta malè pereant. Permittunt Degenfeldio ire cum equitibus sexcentis; ipse id & ad rem & ad famam tenue nimis judicat. Et certè pedite magis opus est & quidem multo. Guebrianus aliquos ductat, non tamen ad Ducem, sed in Burgundiæ Comitatum. Pater Iosephus & Noyerius frigidas adferunt excusationes. Nunc nolle Gallos Rhenum transire, nunc metuere se ne cohortes ante æstatem, in quod tempus exercitum magnum in Germaniam ajunt se velle mittere, diffluant. Ostenditur contra maximum in celeritate momentum verti, dum æstas exspectatur non occasionum tantùm, sed & eorum quæ tenentur posse damnum fieri. Rogat Degenfeldius, ut sibi liceat reperire & Germanos, & qui eò ire parati sint Gallos. Multi haud dubiè futuri sunt, præcipuè quod jam commeatuum major sit copia. Machinæ haberi poterunt partim è Bentfeldo, partim ex Audentwilo, arce ut ex tabula conspexi, egregii situs. Galli non Germanorum Protestantium res, sed suas agere volunt. Suspecta etiam sunt ipsis colloquia Ducum Vinariensis & Rohanii, qui adhuc vicinis in locis hæret, ideo quod Venetias nisi per terram nunc hostilem Vallem Telinam ire nequeat, id autem facere nolit nisi diserto Regis præcepto. Reformati Galliæ durè satis habentur, extra honores, etiam siquid bene fecerint, sine gratia gloriaque, & cadente semper contra eos edictorum interpretatione. Hi, si quis ad latus Galliæ sit sub Duce Protestante exercitus, eò confluxuri metuuntur. Gallus quidam nobilis Sabranius nomine à Sabaudi Vidua veniens captus Lugduni, quod de amovendo Patre Menoto negotium minùs cordatè egisse dicatur. Hispani Fontarabiæ flumen inter se Gallosque terminum transgressi, in exteriore ripa se immuniere. Apparent & in Languedocia rursum. Ea res in causa fuit, cur ex Ducis Longavillani copiis decem cohortes illuc mitterentur, quod ipsi Longavillano impedimento futurum est, quò minùs in Comitatu Burgundiæ magni aliquid efficere possit. Vxor mea heri rogata ab ordinario Angliæ Legato, baptismo infantis ipsius testis ac sponsor adfuit. Extraordinarius me monuit è re fore communi, ut in Anglia sit aliquis qui Suedica negotia procuret. Scio ei curæ destinatum Blonium: sed dubito an non in Belgicis partibus utilior sit ejus opera. Palatinos vidi. Salutavi eos Batavico cui assueverunt sermone, ne cogerer Celsitudinis eis dare titulum, quem Galli in Anglia Legati eis nunquam dedere. Angli verò Principibus Regii in Gallia sanguinis dare diu cunctati, ægrè nunc cœpere. Metuendum ne vilescat id nomen antehac solis summum Imperium habentibus datum, quod manante semper latiùs exemplo, sibi nunc poscunt omnes, non Electoribus tantùm, sed & Principibus Germaniæ orti. Preces hic palàm fiunt pro pace orbis Christiani, ex edicto Regis, quo simul, exemplo Regum veterum, Episcopos jussit ire in suas diœceses, rectè ac prudenter. Fiunt præterea preces pro utero Reginæ. Deus hæc & alia, Excellentissime & Illustrissime Domine, in bonum commune Reginæ nostræ, Regni Suedici, Tuæque Sublimitatis prosperet. Lutetiæ 6 Martii nov. Cal. 1637.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

920 QVid attulerit Schmalchius, eò quod attulit satis sibi fieri an passurus sit Davausius, Angli verò an ad præformatum Lutetiæ fedus adjecturi sint aliquid, rebus Suediæ propriè conveniens, aut etiam communi federi fedus peculiare cum Suedia præmissuri, brevi ut puto, ad notitiam nostram perveniet, magno futurum usui ad rerum hujus temporis dijudicationem. Pomeraniæ prope totius possessionem ad nostros rediisse, novosque in Suedia fieri ad bellum paratus, gaudeo: de Rugia autem spero falsum repertum iri rumorem. Videbimus brevi in quam Germaniæ partem cum Gallassio intratura sit vastitas, quando in Holsatiam penetrare non datur. Hæret adhuc, quantum quidem nobis noscitur, ad Rinfeldium Dux Vianriensis: & est ei oppido præter fossam, ad quam is pervenit, fossa altera. Savellius à Bavaro & aliunde ad VIII millia collegit, ex utraque Rheni ripa Duci se oppositurus. Basileæ Ioannes Waertius Rhenum transiit, in citeriori regione rem gesturus. Pontificii Helvetii à Pro-

Protestantibus impediti hactenus, quominus ultra verba & epistolas in Ducem Vinariensem quicquam tentarent, Badensi Conventu per jurgia exacto, proprium nunc inter se Conventum habent. Dux, duorum quæ per epistolas petierant, alterum promisit, ne Helvetiorum agri vexarentur, alterum, quod est de reddendis Episcopo Basileensi arcibus, tacitum prætermittit. Non desunt Lucernæ & alibi Cæsarianorum flabella. Nos quotidie urgemus hanc Regiam, ut properè mittantur auxilia, ne Duci & parta pereant, ut nuper, & occasio. Volunt hi equites mittere ferme sexcentos. Id verò neque ad usum, neque ad famam satis est. Iustum exercitum pollicentur, sed in æstatem. Verùm interea tempus multa evenire possunt quæ metuimus, quæ non metuimus. Dux Longavillanus magna in Burgundiæ Comitatum parabat: sed repentina quædam necessitas cohortium ejus bonam partem traxit aliò, apparente in Languedocia rursus Hispano, aliaque manu transgresso Fontarabiam, veterem Regni terminum, ita ut in Gallica ejus fluminis ripa munimentum excitaverit. Illud de Electore Palatino quod scribis utinam procedat: poterit hoc etiam ad Hassos in partibus retinendos valere. Multum etiam proderit si citò educat in apertum copias Arausionensis. Suedicus, ut videtur, Conventus novos ad bellum spiritus edet: Polonicus, ad instar Hungarici, interna dissidia per sensum præsentis damni ac metum futurorum. Ex multis Borussis cognosco, Dantiscanis ad immunitatem suam tutandam non defore animos, si fides ipsis fiat auxilii à Dano & Batavis: addent se fortè & Ansiatici federis quæ restant civitates. Nam Suedos spectatores puto futuros: & Electorem Brandeburgicum nihil contributurum præter verba. Satis puto cupiditatis esse Austriacis ut in ultimum usque Septentrionem jaculentur spes suas. Cæterùm Gallia & propior est, & ad prædam uberior: patetque sex aut septem ex regionibus. Haga si vivit, & ob amicitiam veterem, & ob utilitates publicas gaudeo. In omnibus hic locis preces & vota concipiuntur, tum pro pace Christiani orbis, tum pro Reginæ utero. Rex Episcopos abire ad Ecclesias suas jussit, sapienter & optimorum Principum exemplo. Reisius Poloni Regis Legatus D. Salvio honorem exhibuit debitum, tanto sapientior Zawatskio, homine superstitioso. Persevero in votis, pro bono publico, tuoque ac tuorum. Sum enim, Illustrissime Domine,

Excell. Tuæ observantissimus eidemque addictiss. H. G.

D. S A L V I O.

Excellentissime Domine,

921 EX literis Excellentiæ Tuæ fine Ianuarii veteris Calendarii scriptis Schmalzii adventum gaudens intelligo, eoque justiùs, quod mandata attulit aliqua ad conficiendum Wismariense & Anglicanum negotium. De Wismariensi federe conventuros vos arbitror. Est enim ejus magnum hic desiderium. Angli an apertiùs se explicaturi sint quàm hic fecere Lutetiæ dubito. Sed Comes Licestrius putat fedus proprium Suedos inter & Anglos posse fieri: deinde verò venire ad fedus illud commune. Pertentandi erunt quid de Pomerania fieri æquum censeant, & si pax ex communi voto non obtinetur, quantum exercitum allaturi sint, nam navibus ni fallor nihil est quod agant in Germania. Illud de Austriæ vicinis mihi perplacet, & Pomeraniæ agros ad nostros pervenisse gaudeo. Exclusus Holsatia quò se injecturus sit Gallassius videbimus. Est planè ut Excellentia Tua rectè dicit: fruitur bello Imperator & externa arma obtentum ei pretiosum præbent domandi cives. Sed ut exscindantur Protestantes non puto velle Imperatorem, neque id Hispanorum, quorum prudentia multum utitur esse concilium. Satius ei erit eos servare, sed accisis ipsorum rebus, ut usui aliquando esse possint, si aliquando Pontificii in Germania jactent jugum. Sic olim valida se Romana Gallia suismet viribus conciderat & Provinciarum sanguine Provinciæ vincebantur. Sic Bructerorum LX millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius oblectati oculisque ceciderunt, manus suas in vicinorum perniciem Chamavis commodantibus. Videntur autem belli Germanici mala & vastitates in orbem eò unde venerant regredi, tantumque relinqui medii temporis, ut conseri possint arva quæ miles metat. Regem Poloniæ miror super vectigalis satis grave negotium alterum sibi accersere instituta militiæ, quæ & Protestantibus & Græcarum sententiarum hominibus non possunt non esse suspecta. Quod D. Reisius Iura temporariæ pacis & humanitatis observaverit laudo, meque ac meos labores benignè ab eo æstimari, lætor. De Sawatskio rectè eum judicare arbitror, multique Poloni apud me de eo ad eundem modum sunt locuti. Nos hic multum laboramus ut Duci Bernhardo mittantur auxilia quanta res exigit. Parati sunt Galli mittere equites sexcentos, exiguam opem, cùm pedite magis Dux indigeat, hæreatque ad Rynfeldium etiamnum quantum quidem nos cognovimus: cùm interim ex utraque Rheni ripa in eum coëant copiæ, ipso Waertio Basileæ Rhenum transgresso. Magna in æstatem Galli promittunt. Sed quis nobis spondebit tam diu res tutas, ut jam de occasionibus quæ effluunt, taceam. Badensis Helvetiorum conventus jurgiis transactus est, retusis contrario nisu Protestantium iris Pontificiorum in Ducem Vinariensem, qui literis ad se scriptis communi Helvetiorum nomine, partem earum implevit de non vexandis Helvetiorum terris, partem alteram de Episcopo Basileensi reddendis arcibus transmisit sapiente silentio. Indignantur Pontificii & seorsim ab aliis cœtus habent. Savellius, cui juncturus se est Ioannes Waertius, habere jam scribitur octo millia. Nascuntur & alibi Galliæ negotia. Nam & Fontarabiæ flumen, veterem ex illa parte Imperiis limitem, transiere Hispani, citraque se immunivere, & in Languedocia aliæ se eorum copiæ ostentant. Ita qui de inferendo bello magna minabantur, cogentur sua tutari. Eam ob causam à Longavillano abductæ sunt cohortes sive Regimenta decem. Preces hic ubique fiunt pro pace Christiani & orbis, & quod eo ducit, Reginæ utero. Scribebam 6 Martii novi Cal. 1638.

Excell. Tuæ observantissimus obsequentissimusque H. G.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

LIvo iste, de quo jam scripsi aliquoties, dum hic erat nomen Alexandri Verheiden commodato sumpserat, ut 922
lateret sub eo velo, quod nunc intelligo ab amico qui literas ejus Lugduno accepit, eumque jam Massiliæ esse existimat aut in navigatu quo destinaverat. Puto & nomen Moldaviæ suppositum pro Walachia & Transilvania, quia harum Provinciarum Satrapas audio suspectos esse Aulæ Byzantinæ, illius verò percarum. Promisit ille homo scripturum se literas missurumque via triplici, & quæ agentur aut sperabuntur significaturum. Die Saturni proximè acto Noyerium conveni, Secretarium Regis curantem bellicas res. Ostendi in periculo esse non oppida tantùm Duci Vinariensi capta, sed & ipsum Ducem, exercitumque pertenuem coëuntibus in eum undique hostium copiis. Satis intelligere Imperatorem non hic de Principum Germaniæ quos socios parum curat, sed de suis rebus, de aditu in Helvetiorum terras agi, neque nescire Bavarum quàm facilè Rheno transito ad se veniri possit. Itaque omnes eos vires suas excussuros, ut ingruenti in se malo eant obviam. Is rem hanc Regi cordi esse dicebat, narrabat de pecuniis antehac ad Ducem

Ducem, missis velle Regem & alias mittere pecunias quamvis magnas, si miles colligi possit in locis circa quæ Dux versatur. Cùm de Consilio Degenfeldii agerem, qui quater mille partim Germanos, partim Gallos eò ducere averet, dixit agi cum eo cœptum, & quia res urgeret, rogatum ut cum sexcentis iret equitibus, id tanquam exiguum nec satis gloriosum sibi eum detrectasse. De majore auxilio ductando nunc cum eodem agi, de pecuniæ quæ prænumeranda esset quantitate haud satis convenire. Agi & cum Smidsbergio Leslæo qui è Britannia milites aliquos Duci adduxisset, putabat eos esse octingentos, ego trecentos esse comperi & ducentos alios exspectari; concessum ut se in limite Galliæ per mensem aut ampliùs refoveret. Multa alia adjiciebat, per quæ volebat fidem facere curari seriò hoc negotium à Rege, Cardinali, seque. Verùm ego multis ex indiciis deprehendere mihi visus sum postea, non pro rei magnitudine festinari. Nam dixit mihi Degenfeldius nondum eousque secum perducta colloquia, ut de pecunia quæreretur. Feuquerium autem non tacuisse, suum esse consilium ne auxilium ante mensem Iunium mitteretur. Prætendi à Gallis pabuli inopiam, cùm fœni in illis locis sit satis unde interim equi se sustentent. In hac cura versanti mihi multumque sollicito, adferuntur mihi 7 Martii, ut hic numeramus, literæ à Noyerio ad me scriptæ Regis ipsius jussu, quibus mihi ingens Ducis victoria parta 2 Martii captusque Ioannes Waertius & Sperruterus nuntiantur. Supervenit mox Truchsessius ipsius Ducis literas ad me ferens & Savellium quoque captum adjiciens. Ordo rei gestæ non frustra me in metu fuisse ostendit. Vltimo Februarii novi Cal. ita pugnatum æquo marte fuerat, ut in Rynfeldium Waertius ducentos aut trecentos milites immitteret. Quo Dux viso derelicta obsidione copias machinasque contrahit, ac postridie, id est Martii Calendis, duo loca trans Rhenum situ commoda hosti eripit. Die Martii altero cum hostili equitatu, peditatus enim longiùs aberat, graviter pugnatum egregia Ducis Vinariensis & Rohanii qui se Vinariensi socium sponte addiderat, & quinque vulnera accepit, virtute. Capti Duces hostium, equitum multi: signa decem ex multò pluribus captis fert ad Regem Truchsessius: cui ego suasi ut Benfeldii custodiantur captivi, sperans hunc successum adjumento nobis fore ad Homium liberandum; qua de re & ad Ducem scribam cùm primùm mittendi epistolam erit occasio. Interim ad Admissionales missi, ut Regem mihi convenire liceat, rogaturus eum ne quid in tam pulchra occasione auxilia diutius prolatando peccetur. Vrbs Rynfeldium & antehac animosiùs quàm pro præsidii numero defensa est, & nunc aucto præsidio defendetur pertinaciter. Duci non XIV ut hic dicebatur, sed VI solæ sunt machinæ. Antequam pugnatum est cuniculi partim eruperant, partim adhuc agebantur in turres ac munitiones, quæ fossas duas inter sunt positæ. Si ea urbs non capitur, vix spes est retinendi cætera. Spero ab Hohentwilo quod Dux in sua jam habet potestate machinas ei venturas. His enim eget maximè ac peditum bono numero, cujus ad obsidia peragenda vis maxima est. Grangia Burgundiæ oppidum haud plus sex horarum itinere à Ducis abest castris. Inde vicinisque è locis peditem Duci quamprimùm mittere, non multæ moræ consilium foret. Si Galli tardare pergunt, habebit Dux causas succensendi & videndi an suis ipse rebus consulere, & ab externis se vinculis expedire possit. Forbisherus ad agenda Regis Poloniæ negotia hic exspectatur. Est Hagæ Bleitnerus, qui diu Præfectus rei munitoriæ apud Regem Polonum fuit, notitiamque habet magnam Poloniæ locorum. Is si perduci posset, ut Suediæ Regno addiceret operam, magno id usui fore confido. Vacat nunc & laborant hic quidam ut Galliæ se utendum det: ego id differam quantum potero, si fortè Tuæ Sublimitati placeat cum ipso agi. Mitto narrationem rerum ad Rhynfeldium gestarum, ita ut mihi tradita est ab Truchsessio, quæ inter cætera digna lectu commemorat capta signa equestria XXXV, pedestria XXV. Sed in quo modò erraveram, Rohanium priore non posteriore prælio vulneratum, & per vulnera posteriori non interfuisse, nos docet. Dum is apud Helvetios agit, Galli quidam in itinere insidias ei struxere: sed capere eum bene custoditum non potuerunt. Apparet eum in hac Aula non esse gratiosum. Multa sunt quæ me sollicitum tenent: sed quamvis involuta Deus expediat, cujus tutelæ & quidem paternæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regnum, Reginam, Tuam Sublimitatem commendo. Lutetiæ 7/17 Martii 1638.

Hoc ipso momento ex Aula ad me scribitur, decretum Regi mittere Duci Vinariensi V CIↃ peditum, equites mille: tempus non definitur. Additur quatuor milliones in bellum Italiæ sepositos. Interim Mantuam ab Hispano venit Legatus pacis peculiaris tentandæ causâ: Et non est cur Vidua pacem nolit, quarta jam parte Montisferratensis agri amissa, cæteris partibus paria mala ferentibus ab hoste ac socio. At altera Vidua, Sabauda scilicet, tam apertè Gallis se dat, ut Menottum Iesuitam Gallis id poscentibus, à se amoverit, quod vel exempli causâ facera non putabatur. Die eadem ac loco.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

MAgno in periculo fuit Dux Vinariensis ob tarda Gallorum auxilia. Verùm Dei ope suaque virtute se expodiit. Pugnavit bis cum hoste, cui Duces erant Savellius, Ioannes Waertius, Sperruterus ultimo Februarii, ut hic numeramus, & Martii die altero. Prioris prælii dubia fuit fortuna, in quo Rohanius, qui Duci Vinariensi sponte se dederat adjutorem, quinque accepit vulnera: ducenti aut eo plures à Waertio immissi in Rynfeldium penetravere. Alterum cum equitatu hostili fuit, derelicto jam à Duce obsidio, contractisque machinis, quæ sex solæ erant, & copiis, id est equitibus ter mille, peditibus minùs quàm bis mille. In eo capti sunt tres quos jam nominavi hostium duces, vexilla equestria XXXV, quorum decem cum bono hoc nuntio ad Regem pertulit Truchsessius. Nunc in id laboramus omni studio ut auxilia festinentur. Rynfeldium ni capitur, vix erit ut retineantur cætera. Habet defensores fortes, & nunc cum numero crevit fiducia. Omnia movebimus, ne tanta Ducis virtus ab amicis destituta successibus careat. Leslæus è Britannia ferme trecentos adduxit à Duce ipso conductos: alii ducenti propediem puto aderunt: deinde ad Ducem ibunt. Sed id in tanto periculo & exiguum est & tardum. Poterit ex vicinis Germaniæ & Helvetiorum locis aliquid militis Dux colligere, si pecuniæ suggerantur. Et qui Germanorum Galliæ Regi militant, valde cupiunt armis sibi in amissam patriam reditum quærere. Nec desunt Galli, Protestantes maximè, qui se ultro offerant. Satis est unde boni quid fiat, si hæc Aula bene consultum vult Protestantibus. Venturus huc est Regis Poloniæ missu Forbisherus. Helvetii suis prospectant finibus, nutantque inter diversa federa, desultoriis, prout præsens utilitas aut metus traxerit, consiliis. Pontificii pagi denuntiarunt Protestantibus, se eam culpam fore, si dissimulati Ducis Vinariensis processus & arces Episcopatus irruptæ malum latiùs traherent. De castellis ad Rheni primordia, mansurane sint, quod Hispani volunt, an verò futurum, ut, quod optant Helvetii, diruantur, exspectatur Rhætorum Legatorum ex Hispania reditus. Ego quod Hispanus voluerit futurum conjecto. Venetos Austriaci omnibus modis demulcent honoribus novisque titulis. Et ipsi tractandos se præbent.

Turca-

Turcarum Dominus rursus in Persam se commovet, Euphrati adsita repetiturus. Irata est ea Aula & Walachiæ & Transilvaniæ Regulis, qui cum Polono sociasse consilia adversùs Moldaviæ Principem Turcis fidum dicuntur. Moscovita cum Turcarum Domino amicitiam sibi esse vult, defugiens autoritatem eorum quæ Croaci & Tartari in Asaco capiendo aliisque rebus Turcarum Imperio adversis fecere. Interim alii Tartari præda divites è Moscovia rediisse nuntiantur. Multum pecuniæ ex Hispania Genuam pervenit. Hispanus Ethruscum sibi conciliat, venditis ei arcibus quibusdam sub pacto ut redimere liceat, id maximè studens Livorni portu uti ut sibi liceat, si fortè Genuæ civitas, ubi Hispanica factio minùs jam valet ob adversa novæ nobilitatis studia, suos portus bello claudat. Victoriarum Ducis Vinariensis nuntium Rex ipse simul atque acceperat ad me misit, adjiciens scire se quàm essem eo gavisurus. Nunc commodum Regis exspecto ut ipsum adeam, gratiasque ei agam & quæ restant agenda commendem. Iam modo tuas accipio literas Calendis scriptas Martii, medio inter duo felicia nobis prælia die. D. Davausius misit huc, ut nova mandata super Wismariensi federe accipiat. Spero tamen explicitum iri id negotium. Neque iniquum neque inutile fore censet Comes Licestrius, si proprio inter Suedos Anglosque federe res ad commune fedus paretur. Si pecunia ab Anglis detur Electori Palatino, non dubito quin & Galli aliquid de suo sint addituri. Sed festinandum esset, quemadmodum ais, ut ver occupetur terrestri aliqua expeditione, quando mari non video quid Imperatori ejusque Sociis possit nocere. Fortibus Magni Cancellarii ad Suediæ Ordines consiliis non parum accedet ponderis ex prosperis rebus Ducis Vinariensis, si tam felicibus initiis alimenta dentur quæ oportet. In Polonico Conventu turbas rectè prospicis: ac miror ita cunctari Batavos in mittendis Legatis. Rugiam retentam, cæsos à Wrangelio hostes, apparere in juvene Gustavo animos paternos, gaudens tuo indicio didici. Si cum vere novæ è Suedia copiæ in Pomeraniam venerint, brevique suum militem produxerit Arausionensis, spes erit & bene rem posse geri, & eos qui nunc labescere videntur, retineri in partibus. Miseret me Domus Palatinæ, & si quid à me proficisci posset, quo ejus res meliores fiant, nulli sim parsurus operæ. De stella, cujus meministi, si quid eruditum exierit, gaudebo videre. Sunt qui hic eandem visam putant. Sed ea de re etiamnum inquiro. Iam jam intelligo Regem promittere Duci Vinariensi. VII CIƆ peditum, equites mille, sed cæca die. Ajunt præterea Galli in bellum Italicum, quod hactenus satis infelix ipsis fuit, sepositos IV milliones. Vidua Sabauda Fratri se totam dat, & quod non putabatur, Menotum Iesuitam Aula depulit. At Mantuana Legatum ab Hispano Mantuæ exspectat. Rodium & sui & tui causa amabo semper, nec quicquam desideraturus est quod meæ sit facultatis. De Hanovia, si quid erit certius, juvabit discere. Addo vota pro bono publico tuo tuorumque. Lutetiæ 13 Martii Nov. Cal. 1638.

Excell. Tuæ addictiss. ejusdemque observantissimus H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime atque Amplissime Domine,

924 Latinè igitur scribam, cujus sermonis elegantiæ si olim studui otium cùm suppeteret, eam mihi curam & adversa multa & negotia ademerunt. Olim frui, non dicam licuerit, sed libuerit; nunc uti satis est, id est, intelligi. Misi ad Aulam aliquoties, obtinuique diploma tuti itineris, quod mitto. Exspectabimus te, tuam, tuos ego & uxor: & quicquid nostræ est facultatis conferemus ad sublevandas itineris vestri molestias. Vxor mea & ipsa nolens & me nolente differre in aliud tempus iter suum cogitur, maris ob corporis constitutionem impatiens & quò minùs terrestre iter aggrediatur, territa rumoribus qui crescunt indies de militum partis utriusque effræni licentia. Accedit quod Estampii Legati apud Batavos Gallici uxor diploma ab Aula Bruxellensi impetrare non potuit, nobis autem invidiosum sit obtinere quod ipsi negatum est. Berneggero Viro & optimo & eruditissimo omnia precor prosperrima, velimque multos reperiri eo judicio, ea animi moderatione. Gratias habeo maximas pro nuntiatis rebus fortissimi Ducis Vinariensis. Intelleximus ex eo duo ejus prælia, & eorum altero captos hostium duces. Magni sunt dignique tanta virtute successus, sed nihil profuturi Germaniæ, nisi validis auxiliis alantur & quidem in tempore. In id laboro quotidie apud Regis Administros: Germanos militum Præfectos hic qui sunt, excito, ut instent mecum & ipsi, nec elabi patiantur tam pulchrè natam recuperandæ patriæ occasionem. Postulavi & aditum ad Regem, cujus tempus ut mihi significetur exspecto. Satis intelligo quantum in celeritate consistit, velimque id & alii intelligant, & qui intelligunt cordi sibi esse velint. Ab Hamburgo nihil habui postremo die. Anterioribus literis didiceram, liberatam ab hostilibus copiis Pomeraniam, præter præsidia Dammini, Lontzæ & arcis Wolgasti: venisse Schmalchium cum supremis mandatis Rectorum Suediæ, tum ad consummanda pacta Wismariensia, tum ad fedus faciendum cum Anglis. Appariturum utrique negotio nihil ab ipsis moræ futurum, si amici patiantur se ad æqua deduci. Polonus novas parat vires ad tuendum vectigal Spiringianum contra se armantibus Dano & Batavis. In Conventibus partium Regni, qui Conventum generalem indictum Warsaviæ antecesserunt, jurgia & rixæ fuere, ferme quales & Hungariæ super eum vectigalis metum etiam Nobilitati gravem. Formido ingens incessit & Protestantes Poloniæ & Græcæ religionis homines, ob militiam illam novam immaculatæ conceptionis B. Virginis quam Rex Pontifice instituit auctore. Habet is Rex hic unum hominem res suas acturum Forbiskium nomine. Audio eum magna clade affectum à Cosaccis qui imperia ipsius exuere cœperunt. Vale Vir Amplissime cum Nobilissima Familia. 7/17 Martii 1638.

Tuæ Nob. Addictissimus H. G.

D. CUNÆO.

Virorum eximie,

Ex filio quem ad vos remitto intellexi cum dolore eas 925
quas ad te misi antehac epistolas non pervenisse. Accidit autem hoc idem mihi sæpius & in aliis epistolis, ut non venirent quò volueram, sed maximè in eis, quæ Lugdunum destinabantur. Causam suspicari mihi facilius est, quàm certò dicere. Nunc verò cum nactus de cujus fide ac diligentia in meis præceptis exsequendis, non dubito, neque magis de tui observantia, dedi ei has literas, primùm, ut me nôris inter eos non postremum esse, qui summam tuam eruditionem virtutesque tanta eruditione dignas suspiciunt libenterque aliis prædicant; tum verò debere me multum tibi, quod pro vetere amicitia quæ mihi cum viro excellente socero tuo tecumque fuit, quàm adversis meis indolueras, tam lætatus sis iisdem in prosperiora conversis. Deinde etiam, quod quæ absenti mihi præstare officia ac benevolentiæ testimonia non poteras, ea in alterum me, id est, filium meum abundè liberaliterque contuleris. Mihi verò quanquam respondere his benefactis nisi animi grata cogitatione non possum; tantum tamen est in tua bonitate fiduciæ, ut rogare te ausim, ne grave ducas, quæ bene cœpisti, porro tueri, filiumque hunc meum ut patiaris de tuo maximo lumine lumen sibi accendere. Ego vicissim in iis, quos mihi commendare volueris ostendam plurimum tibi apud me esse auctoritatis. Vale optime, cum tuis omnibus 17 Martii 1638.

Tuæ Amplitudinis studiosissimus H. G.

Digitized by Google

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

926 OB res à Duce Vinariensi prosperè gestas hymnus Te Deum in Ecclesia hujus urbis Cathedrali cantatus est. Ei supplicationi frequens interfuit Parlamenti Senatus, qui paucis ante diebus dignum veteri gravitate decretum ediderat, rescissa sodalitate quæ propagandæ Fidei aut Exaltationis Sanctæ Crucis sibi nomen indiderat, auctore ejus instituti Hyacintho Cappucino, probatore Pontifice & Cardinalium Collegio quod Romæ eidem negotio propagandæ, ut loquuntur, fidei præest. Multa moverunt Parlamentum ad evertendam hanc molitionem. Inter cætera quod religionis obtentu abstrahi à parentibus liberi cœperant. Forbischus qui huc à Rege Poloniæ venit in ejus Regis literis vocatur Legatorum externorum receptor, & nunc ejus Regis Nuntius ad Galliæ Regem. Vocem Nuntii pro Legato voluit accipi, quod Regii Admissionales qui hic sunt nolunt ei concedere. Si Legatum voluisset dicere Rex Poloniæ, usurum fuisse eo ipso Legati vocabulo, præsertim cùm Legatorum mentio in iis ipsis literis præcessisset, quorum ille scilicet non autem Nuntiorum receptor dicitur. Interrogante quid mihi hac de re videretur Comiti Brulono dixi, mihi quoque videri Nuntii nomen subsidere infra Legati dignitatem. Die $\frac{6}{16}$ mensis hujus Regem adii. Gratias egi quod felicis prælii me ante alios gnarum fecisset, neque dubitasset quin ea re, ut par erat essem gavisurus. Affirmavi ei gaudere me ex animo, tum quod Regis res multum hoc successu promoverentur, tum quod Duci Vinariensi omnia velim optima; præterea verò quod præviderem futurum, ut Tuæ Sublimitatis labores in conventu Ordinum Suediæ ad fortia consilia perducendo multum hoc tam felici nuntio adjuvarentur. Auspicatissimi esse ominis quod in victorias annus se panderet, & ver novum priùs laureas pareret Regi quàm flores cæteris. Gravem superbis Deum severè repressisse elatos spiritus, qui primam atque potissimam Christianarum urbium suis rapinis ausi fuerint destinare. Scriptum nobis omnes Cæsarianos duces nullas merces avidiùs sibi comparare quàm Galliæ tabulas, ut quà intrari ea posset speculentur. Non invidere nos ei aditum in Galliam, sed ea lege ac conditione qua eam visuri sunt Savellius & Waertius. A bonis ominibus ad hortamenta versus, oravi Regem ut tam pulchris cœptis ad majores res gerendas uti velit, detque Ducis virtuti crescendi materiam justis ac celeribus auxiliis. Regem Hungariæ qui sociorum suorum mala satis securus spectaverit, in proprio domus suæ damno, præsertim in iis locis quæ velut claustra essent Helvetiorum terræ, non fore negligentem. Nec magis quieturum Bavarum qui in se iter parari videret. Quicquid aut huic aut illi esset virium, illuc concursurum: ac ni properè capiatur Rynfeldium etiam alia jam capta haud extra periculum fore. Peditatu opus partim quidem è Gallis pugnacissima gente, partim è Germanis, qui gnari locorum multas habentes in Germania necessitudines, rem communem provehendi opportunitates plurimas suggerere possint. Id si curetur ingentia me brevi sperare incrementa. In Hungaria discordias ad mutua procerum vulnera processisse. Etiam Poloniæ Regem, haud obscurè studentem affinium suorum Austriacorum rebus, domesticis dissidiis & vicinorum inimicitiis implicari. Hamburgi Suediæ Legatum in id incumbere, ut fedus Wismariense consummetur, deinde Angli invitentur ad societatem. Pomeraniam extra pauca præsidia ad nostros rediisse. Tentatam infeliciter ab hoste Rugiam, quem non exigua clade affecerit Wrangelius. Si & Batavi quod speratur citò se moveant, & Rex bellum, priusquam id ad se perveniat, in hostiles inferat terras, non dubitandum quin fœcundus rebus prosperis futurus sit hic annus. Illustrissimarum Domuum Palatinæ & Hassiæ curam, illa ut è longis calamitatibus resurgat aliquando, hujus ut præcaveatur ruina, non tam commendandam, quàm laudes ei gratesque agendas, quod hæc cordi sibi esse factis egregiis demonstraverit pridem, pergatque demonstrare. Reginam Rectoresque Suediæ lætissimis animis accepturos res Regis secundas, ut qui perpetuò Deum precentur, Rex diu ut floreat & post eum ipsius posteritas, cujus quod spem aliquam nobis Deus fecerit, de eo nos Deo gratias agere, acturosque apertiùs, ubi Regis, Reginæ, Galliæ, amicarumque Galliæ gentium vota rata fecerit divina bonitas. Cum animi alacritate & hilaritate vultus audiit hæc omnia Rex, dixitque se Duci Vinariensi missurum ad quinque peditum millia, ut aliquid de numero decedat sicuti fieri solet, certè tria futura millia. Additurum & equitis aliquid. Fore inter ituros Smitsbergium, cujus laudes me probante prædicabat. Summam imperii in auxilia Guebriano se daturum. Rogavi rursum ut quamprimùm id fieret & quàm maxima possent mitterentur auxilia. Deinde D. Crusium admovi ad Regem, qui eum valdè comiter amplexus est, spoponditque gratissimum semper futurum, quoties ad se accederet. Dixi eum spectata Regia urbe ire visum alias partes: unde cùm redierit stiturum se Regi, ut nuntios de ipsius valetudine quàm recentissimos in patriam suam summopere eam ob rem gavisuram ferat. De supremo prælio quod in silva Rynfeldio non longè pugnatum est hoc accepimus. Iohannem Waertium conspecto apud oppidum Ducis equitatu, partem tantùm ibi esse copiarum hostilium existimantem, sperasse corona eos posse circumveniri. At Ducem qui non equitem tantùm omnem, sed & peditem & quod ei supererat machinarum assumserat, ter explosisse machinas, dumque id fit accessisse propiùs propiusque. Ac primùm musquetarios quos in oportuni situs fossa Waertius locaverat inde ejectos, ibique de tribus quas priori prælio Dux amiserat machinis receptas duas. Non multò post labefactatos ordines peditum quibus aderat Waertius, Equitem à Tubatelo in effusam pugnam datum. Captum Waertium in ipsa fuga pugnantem pertinaciter. Savellium in fuga itemque Sperreuterum, & hunc quidem in vico Ruga Basileæ propinquo: captos & milites ad mille octingentos: occisos IↃC admodum, cùm è Vinariensibus non plures X desiderentur. Provectò longiùs Tubatelo venisse in ejus potestatem Castellum Hunningam & hoc non longè à Basilea. Repetitam obsidionem Rynfeldii à victore, in quo oppido servantur ab hoste Schaveliskius & Erlachius cari duci, capti priore prælio. Cœnasse cum victore hostiles duces, exceptumque Waertium paulo duriùs, quod irreverenter de Duce solitus esset loqui: comiter Savellium, & hunc quanquam imperio minorem in mensa collocatum supra Waertium, eosque duos dum culpam infelicis prælii alter in alterum conjiciunt suaviter à Duce auditos. In Regiis literis quibus supplicatio pro re bene gesta jussa est fieri, quas mitto, Rex exercitum Ducis à se ali non tacet, aitque hoc successu justa consilia armorum suorum à Divino Numine approbata. Legatorum Anglorum tentavi animos sponte mea, an ex usu existiment federi Lutetiano communi præmitti fedus speciale Suediam inter & magnam Britanniam pro Regnorum securitate, libertate commerciorum, salute Protestantium. Nihil dum responsi accepi, nisi cogitaturos ipsos hac de re. Queruntur de Gallis, Galli de ipsis non minùs. Dubitant Baro Degenfeldius & qui hic res agunt Ducis Vinariensis Truchsessius & Lutsavius, cupiantne Galli bene procedere res Protestantium trans Rhenum. Ejus rei hæc habent argumenta: quod in occasione adeo ancipiti tam tarda mittuntur auxilia: quod ea ipsa supra millia tria futura non videan-

Digitized by Google

videantur. Quod ductor illis imponitur non è Germanis, sed è Gallis pontificius Guebrianus, quod Pater Iosephus dixerit Germanos id iter defugere, cùm ipsi valde id se dicant expetere, præsertim Degenfeldius qui & consilia & arma conferre velit, ut in patriam sibi redire liceat. Magnum quidem Galli præter hæc auxilia exercitum pollicentur, sed adulta æstate. Interim bene evenit, quod Caroli Lotharingi incursus in eas partes, in quibus agit Dux Vinariensis, à Guebriano in Comitatu Burgundiæ Ducis Longavillani copias regente inhibiti sunt. Ego non desino apud omnes quotquot video urgere, ne tanta res geratur segniter, præsertim cùm inde Suedi conjecturas capturi sint, quid in posterum à Gallis sperandum sit. Deus bene hæc cuncta prosperet, favensque adsit, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati regnoque ac Reginæ $\frac{17}{27}$ Mart. 1638.

Sperreuterus ut reus custoditur. Audio & Waertium & Savellium missos Benfeldium, magnamque pro iis pecuniam offerri à Rege. Iam nobis nuntiatur nescio quàm certo auctore ex hostium partim captivis, partim transfugis CIƆ IƆ CCC equites, pedites verò CIƆ CC ad Vinariensis exercitum accessisse. Sermo ibi est de permutando Savellio cum Marescallo Hornio. Mitto indicem eorum qui capti sunt, & qualitatum, eundem quem Dux misit Regi. Dicitur Poloniæ Princeps Casimirus sperare Portugalliæ Præfecturam. Helvetii nullos à se milites exire patiuntur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

927 IAm modò accipio tuas datas 8 Martii, tibique pro tam benigna opera, Deo autem pro restituta tibi valetudine ago gratias. Principibus Palatinis injuria fit ab Admissionalibus Regiis, qui eis nolunt apud Reginam id honoris concedi, quod Duci Vinariensi concessum est. Angli autem Legati quorum consilio utuntur, ferunt id satis iratè. Ego, sicut compositis maritimis controversiis plurimum sum gavisus, ita doleo novas subseri simultates: in quibus auferendis omnia moveo, & spero me cum tempore promoturum aliquid. Ac sicut hoc negotium Admissionalibus, ita alterum majus de fœdere quod Hamburgi cuditur, Anglis Legatis commendo. Illi quod unum possunt, scripturos se in Angliam dicunt. Velim communi fœderi speciale alterum inter Suediam & Magnam Britanniam præmitti, multas ob caussas. Ad promovenda Ducis Vinariensis cœpta tam speciosa adii Regem exacto Martii die. Non omisi territare periculis, allicere occasionibus, ut auxilia & magna eò mittantur & citò. Id ad consultationes etiam quæ nunc in Suedia habentur plurimum habiturum momenti. Commemoravi Hungariæ ac Poloniæ mala intus, extra metum: res nostras in Rugia Pomeraniaque prosperas, labores Magni Cancellarii, Palatinæ Domus longas calamitates cum sæculi opprobrio, Landgravii Viduæ nutantia consilia & quicquid præterea ad impellendum Regis animum facere videbatur, cui præterea precatus sum, ut quam Deus spem nobis regnaturæ post ipsum posteritatis ostentare cœperat, eam ratam ut faciat, votaque Regis, Reginæ, Galliæ, federatorumque exaudiat. Rex & ore & verbis non displicere sibi hanc occasionem ostendit: promisitque illico se missurum sex millia Duce Guebriano qui nunc in Comitatu agit Burgundiæ, nuperque Ducem Lotharingum retinuit ne in Vinariensem procederet: in eo auxilio & Germanos aliquot fore. Gratias egi, & ut quamplurimi, & quàm celerrimè mittantur oravi. Nec cesso quotidie & de ea re compellare eos qui aliquid valent. Dicunt omnes magnum eò exercitum iturum æstate media. Sed eam moram res non patitur. Rynfeldium enim nisi capitur, in periculo sunt & cætera. Neque putandum in hoc rerum suarum discrimine cessaturos aut Imperatorem aut Bavarum. Sapientia sunt Ordinum Suediæ, aut potiùs Magni Cancellarii eos regentis consilia, quæ uti spero secundabit Deus. Gallassius terreri adversâ fortunâ Waertii debet,

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Egregium erit hic captivus Galliæ spectaculum, cujus Regiam urbem sibi in prædam spoponderat. Curtius siquid attulerit, audiendum sanè erit. De Hanovia doleo & Ramsæi quem amavi semper, & ipsius etiam Comitis nomine, cui dubito an satis tuta futura sit hæc pactio. Interim incommodè ea publicis evenit rebus. De Meppa bene se habet, modo accedat exercitus. Galli ajunt se sicut præcurrere nolle, ita paratos in Electore juvando exemplum sequi Anglorum, & videntur æqua loqui. Dantiscanis, nisi firma cum Danis Batavisque fœdera habeant, video durum certamen fore. Et Batavi, ut solent, plus justo cunctantur. Si bellum oritur nihil inde mali prævideo Suedicis rebus. De Portugalliæ motibus nulli hic ultra rumores sunt, quos Aula hæc ex minimis inflando maximos facere solet. In Brasiliam ituram Hispanorum classem & ad recuperanda Africæ litora credibile est. Spero in Trajecto ad Mosam tutando eam emicuisse Ducis Bulionii diligentiam, quæ ipsum à nimis fortè formidolosorum suspicionibus liberet. Fore credo ut Ligurnum portum Ethruscus, acceptis pignoribus, utendum det Hispano, qui Genuæ nonnihil diffidere incipit. Sabauda soror Regis planè suam approbavit fidem, remoto ab Aula Patre Menotto Iesuita. Montisferratensis regio in bello est: Mantuana in pace per Venetos: vultque Hispanus Mantuam Legatum mittere: sed Rex Galliæ obstat ne admittatur. In Pedemontanum agrum ingens bellum Hispanus parat. Madritianæ quarum meministi literæ jungunt Gryphas equis. De supremo prælio quod in silva Rynfeldio non longè, 3 Martii pugnatum est, hæc accepimus. Iohannem Waertium conspecto apud oppidum Ducis equitatu, partem tantùm ibi esse copiarum hostilium existimantem, sperasse corona eos posse circumveniri. At Ducem, qui non equitatum tantùm omnem, sed & peditem & quod ei supererat machinarum assumserat, ter explosisse machinas, dumque id fit accessisse propiùs propiusque. Ac primùm musquettarios quos in opportuni situs fossâ Waertius locaverat, inde ejectos, ibique de tribus quas priore prælio Dux amiserat machinis receptas duas. Non multò post labefactatos ordines peditum quibus aderat Waertius: equitem à Tubatelo in effusam fugam datum. Captum Waertium in ipsa silva pugnantem pertinaciter: Savellium in fuga, itemque Sperreuterum, & hunc quidem in vico Ruga Basileæ propinquo: captos & milites ad mille octingentos: equites multos occisos, sexcentos admodum, cùm è Vinariensibus non plures decem desiderentur. Provecto longiùs Tubatelo venisse in ejus potestatem Castellum Hunningam & hoc non longè à Basilea. Repetitam obsidionem Rynfeldii à victore, in quo oppido servantur ab hoste Schaveliskius & Erlachius, cari Duci, capti priore prælio: cœnasse cum victore hostiles duces, exceptumque Waertium paulo duriùs, quod irreverenter de Vinariensi solitus esset loqui: comiter Savellium, & hunc, quanquam imperio minorem, in mensa collocatum supra Waertium: eosque duos, dum culpam infelicis prælii alter in alterum conjiciunt, graviter à Duce auditos. In Regiis literis, quibus supplicatio pro re bene gesta jussa est fieri, quas mitto, Rex exercitum Ducis à se ali non tacet, aitque hoc successu justa consilia armorum suorum à Divino Numine approbata. Capti sunt hoc prælio præter maximos duces, tribuni sive colonelli IV, adjutores eorum III, præfecti vigilum IV, centuriones turmales XVII, pedestres XIV,

 adju-

adjutores eorum XXII, signiferi equestres XXXII, pedestres IV, metatores VII, decuriones manipulorum XXXIX, signa præter decem priore capta prælio equestria XXXVIII, pedestria XVIII. Dicuntur Benfeldium mitti Waertius & Savellius, & hic quidem, ut cum Marescallo Hornio commutetur. Sperruterus ut reus custoditur. Dicitur Poloniæ Princeps Casimirus sperare Portugallici Regni Præfecturam. Nullos à se exire milites Helvetii sinunt. Addam preces, Illustrissime Domine, pro re communi, te tuisque omnibus. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Martii 1638.

Excell. Tuæ addictissimus & observantissimus H.G.

D. SCHMALCHIO.

Vir Præstantissime,

928 SAlvum te Hamburgum venisse gaudeo, eoque magis quod metuebam ne hyems illis in regionibus acris semper, nunc autem etiam solito intentior, tuo itineri obstaret. Video non falsum sententiæ me fuisse, cùm difficiles fore Gallos credidi in bello indicendo Imperatori, quem Regem Hungariæ hic vocant. Persto idem credere. De cæteris putem posse inveniri inter eos consentiendi vias. Auxilia quæ Duci Vinariensi post occupata ad Rhenum oppida, post captos hostium duces, in tanta rei gerendæ occasione non mittuntur nisi brevia, & ea ipsa nondum mittuntur, cùm nos in flagitando assidui hic simus, efficiunt multi ut credant Gallos Austriacis quidem negotium quærere, sed nolle eos res Protestantium illis in locis multum invalescere. Sed quotidie multa eveniunt quæ nobis ad rectas judicationes viam monstrent. Quamdiu cum Gallis transactum nondum est, rectè facere vos puto, quod Curtianis conditionibus aures non occluditis. De Anglis illud mihi displicet quod in sermonibus suis negant pecuniam à se dari posse; quod tamen multò minùs est quàm exercitum suo nomine mittere. Naves autem quas afferunt, quem nobis usum præbere possint quidem non video. Si quid propiùs ab ipsis cognovero, non parcam perscribere. Vale suaviter $\frac{18}{28}$ Martii 1638.

Tuæ Præst. addictissimus H.G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

929 MVltum optem addi federi, quod nunc inter Excellentiam Tuam & D. Davaulium disceptatur, cujus numeri exercitum Rex ad Transrhenanos velit mittere. Video enim cum dolore neque pro occasionum, neque pro periculi quod nondum plane abiit magnitudine, eas res curari. Itaque die Martis exacto conveni Regem, ostendi quantopere hi successus Ducis Vinariensis excitaturi sint & Imperatorem cujus res privatè hic agitur, & Bavarum ad quem via intenditur. Coituras brevi copias ingentes, & ni Rynfeldium brevi cedat, ne cæterorum quidem firmam fore possessionem. Rex promisit se missurum sex aut quinque millia partim Gallorum, partim Germanorum, Duce Guebriano. Sed addebat ipse quod est verissimum, facilè fieri posse ut in itinere ad tria millia decrescant. Rogavi ut & plures, & citò mitterentur. Commendavi negotia Palatinæ & Hassiacæ Domus. Non reticui Hungariæ & Poloniæ motus in Pomeraniam. Rugia cum clade pulsos hostes. Labores Magni Cancellarii apud Ordines Suediæ, ut per bellum forte ad pacem honestam veniatur. Neque verò apud Regem tantùm, sed & apud alios quoscumque video, insto quotidie ut tam pulchris cœptis alimenta dentur. Sed qui sunt Germani Protestantes, ut est ea gens satis suspicax, verentur, ut cordi sint Gallis ipsos videre florentes, præsertim apud Galliæ fines. De supremo prœlio quod in Sylva Rhynfeldio non longè pugnatum est, hæc accepimus. Ioannem Waertium conspecto apud oppidum Ducis equitatu, partem tantùm ibi esse copiarum hostilium existimantem, sperasse corona eos posse circumveniri. At Ducem qui non tantùm equitem, sed & peditem omnem & quod machinarum ei supererat assumpserat, ter explosisse machinas, dumque id fit accessisse propiùs propiusque, ac primùm musquetarios quos in opportuni sinus fossa Waertius locaverat, inde ejectos, ibique de tribus, quas priore prœlio Dux amiserat machinis, receptas duas. Non multo post labefactatos ordines peditum quibus aderat Waertius, equitem à Tubatelo in effusam fugam datum. Captum Waertium in ipsa silva pugnantem pertinaciter, Savellium in fuga itemque Sperreuterum, & hunc quidem in vico Rugæ Basileæ propinquo, captos milites ad CIↃ IↃCCC, occisos IↃC admodum, cùm è Vinariensibus non plures decem desiderentur. Provectò longiùs Tubatelo venisse in ejus potestatem Hunningam, & hoc non longè à Basilea. Repetitam obsidionem Rynfeldii à victore, in quo oppido servantur ab hoste Scaveliskius & Arlachius, cari Duci, capti priori prælio. Cœnasse cum victore hostiles duces, exceptumque Waertium paullo duriùs, quod irreverenter de Vinariensi solitus esset loqui, comiter Savellium, & hunc quanquam imperio minorem, in mensa collocatum supra Waertium: eosque duos dum culpam infelicis prælii alter in alterum conjiciunt, suaviter à Duce auditos. In Regiis literis quibus supplicatio pro re bene gesta jussa est fieri, quas mitto, Rex exercitum Ducis à se ali non tacet: itaque hoc successu justa consilia armorum suorum à Divino Numine approbata. Legatorum Anglorum tentavi animos sponte mea, an ex usu existimant fœderi Lutetiano communi præmitti fedus speciale Suediam inter & magnam Brittanniam pro Regnorum securitate, libertate commerciorum, salute Protestantium. Nihil dum responsi accepi, nisi cogitaturos ipsos hac de re. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Martii 1638.

Promittit hæc Aula CIↃ CIↃ peditum, mille equites Duci Vinariensi, tempore non definito. Et ait quatuor milliones in bellum sepositos Italicum. Viduæ Sabaudæ persuasit ut Menotum Iesuitam, pacis haud dubiè suasore à se amoveret. At Mantuana Vidua quid factura sit nescio. Hispanus erepta ei parte quarta agri Montisferrarensis pacem offert, mittitque Legatum Mantuam, quæ jam per Venetos, volente Imperatore, custodes bello exempta est.

Excell. Tuæ addictissimus H.G.

D. MVLLERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

POstquam priores meas ad te literas Litzavio dederam, 930
quem tunc discessurum illico putabam, retentus autem is fuit multò ultra speratum lentitudine ac tepore hujus Regiæ circa res Germanicas, accepi tuas 21 Feb. Vet. Cal. datas, neque multò post per Ebstenium historiam felicissimi prælii, quo hostium duces & tot hostium in manus venere. Habeo gratias pro sumpto labore, neque multum quod reponam habeo, nisi auditum me à Rege ante hos dies sex. Cùm ei ostenderem quàm necessarium esset Duci auxilia neque pauca, neque tarda mitti: id ni fieret, cuncta parta esse in periculo, multumque id difficultatis ad ambiguas hoc tempore Suedorum consultationes allaturum. Contra si properaretur magnas spes bonorum successuum turbidis Hungariæ Poloniæque rebus, nec citra metum belli etiam externi. Adjeci & alia quæ movere poterant, non immemor & Palatinæ Domus miserè oppressæ & Hassiæ lapsantis ni sustentetur. Dixit Rex id jam se agere, ut augeatur Dux VI CIↃ sub Guebriano partim Gallis, partim Germanis, & inter hos Smitsbergio. Ego metuo ne ut hic fieri solet multum de eo numero decedat: deinde ne minùs festinetur quàm

poscunt

poscunt tantorum rerum momenta. Itaque non desino quoscunque video incitare aut etiam impellere. Schmalchius Hamburgi est cum plenis mandatis ad res Gallicas & Britannicas. Novos nodos nectit Davausius, nec de pecunia tantùm, sed & de bello Cæsari indicendo. Et non desunt à Cæsare novæ Suedis ad pacem incitamenta. Putat ille tamen venturos ad æqua Gallos, & iter ipse in Galliam, ita ferentibus ut ait mandatis meditatur: quæ mandata habeat ubi venerit videbimus. Nostri omnes Tuam Amplitudinem tuosque omnes amantissimè salutant. $\frac{4}{14}$ Martii 1638.

Tuæ Nobil. Ampl. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

931 Abiit cis paucos dies Smitsbergius, copias suas collecturus, aucturus ad bis mille, deinde cum Guebriano ad Ducem Vinariensem iturus. Id iter intra mensem confecturum se sperat. Dux autem majorem habet exercitum quàm hic aut creditur aut credi expedit, ne in auxilio mittendo lentiores aut contractiores fiant hi homines. Et captivi multi & transfugæ ejus militiam sumpsere, deinde, ut fit, ad tam illustris victoriæ famam & spem prædæ concurrerunt multi; ita ut decem ferme millia sint universi, tum novi, tum veteres. Princeps Condæus adhuc itineri Aquitanico se parat, cum mandatis non in hostem tantùm, ad Espernonium Præfectura illa excutiendum & introducenda vectigalia, quibus restitum est hactenus, Espernonio dissimulante. Signa quæ prælio adeptus est Vinariensis suspenduntur in æde hujus urbis Episcopali. Hautefortia Regis animum ut ante possidet, multisque honoribus attollitur. Chevreusii autem uxor illecebrosa fœmina, amari dicitur ab Hispaniæ Rege in cujus Aula nunc agit. Nihil dum ex Anglis intelligere potui, quod magni me aliquid sperare jubeat de Palatini rebus, unde pendere videtur & Hassiacæ viduæ deliberatio. Captivorum quos adeptus est Dux Vinariensis, Savellius apud ipsum mansurus creditur; cæterùm alii Montempellicardi, alii Benfeldium, alii Hohentwilam deportari. Decimo hujus mensis, ut hic numeramus die, Præfectus Rhynfeldii militari more interpellatus est de oppido dedendo iisdem legibus, quibus Nordlingam olim cœperat Gallassius. Bodendorfius cujus insignis in supremo prælio virtus fuit, magno cum honore humatus Basileæ. Nuntius Polonicus nondum auditus à Rege est. Dicunt qui ipsum videre, omissum à Rege Poloniæ illud de nova adeo suspecta Protestantibus, militari societate consilium. Rex ad sex millia quæ Duci Vinariensi missurum se dixerat, addit duo millia ex iis copiis quæ Cardinalis Valettæ in Italiam nunc ituri, fuere. Sed hæc quæ dicuntur octo millia, ad quinque puto recedent per deliquia & diffugia. Rhætorum Primoribus XX millia scutatorum divisit Legatus Hispanicus. Nec minùs Lucernæ Pontificios Helvetios sibi largitionibus mancipat. Protestantes earum partium, sicut de victoria Ducis Vinariensis gaudent, ita metuunt ne belli procella & in ipsorum terras effundat Cæsarianis & Bavaricis prope Constantiam, ut fama est, illuc parantibus. Sed hæc uberiùs exsequetur Marinus. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut res Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis propitius adspiciat. Lutetiæ $\frac{4}{17}$ Martii 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Literæ tuæ ad me datæ XV Martii rectè ad me pervenerunt. 932 Angli ita loquuntur perplexè, ut quid velint vix possit intelligi. Interim maritimas illas cum Gallis dissensiones gaudeo esse compositas. Pacem, ut rectè judicas, & universalem & bonam Cæsariani daturi non sunt: seorsim à Gallis non volent Suedi: neque verò poterunt, consummato jam, ut sperare me ab Hamburgo literæ jubent, Wismariensi fœdere. Præterea crescent Suedis animi ex prosperis rebus Ducis Vinariensis, quæ Bannerio rem bene gerendi & occasionem & exemplum dabunt. Capta à Duce signa pendent è tholo maximæ hic Ædis. Captivi partim mittuntur Benfeldium, partim Hohentwilam, partim Montempellicardi, dempto Savellio, cujus consuetudine Dux delectatus eum apud se retinet. A Batavis non dubito quin Elector habiturus sit illa quæ petit. Sed pecunia opus, sine qua nec fit, nec servatur exercitus. Eam Rex Angliæ daturus ne sit, aut passurus à suis subditis dari, id est quod nunc συγκαραδοκοῦμεν [*sollicitè exspectamus*]. A Batavis quamprimùm ire aliquem ad Versaviensem conventum è re sit. Mittet eodem Daniæ Rex. Præter externos multos etiam Polonorum vectigal inimicos habebit. Nam in regionalibus Conventibus quidam omittendum vectigal illud censuere, quidam non Regi, sed Regno eos deberi reditus. Si obtinere propositum Rex Poloniæ poterit, non dubium est, quin Suediam quiescere non sit passurus. At si alii satis multi validique se opponunt, erit id & suave & utile Suedis spectaculum. Nuntius Polonicus nondum auditus est: dissertaturus creditur de pace & pro vectigali. Quod dignitatem Regni tutatus es in Reisio non salutando, laudo plurimum. Ostendit periculum Trajecti ad Mosam, quàm intuti sint illi hospites, qui id malum sunt machinati, quò diligentiùs erunt observandi in posterum. In Brasilia Batavorum arma tantum tenere oræ maritimæ, & gloriosum est, & non parum id confert ad res communes, parte hostilis curæ viriumque eo tracta. Sicut his lætor, ita tristem me sollicitumque reddunt Hassiacæ induciæ, majus malum pariturae, nisi brevi in armis appareat Palatinus. Vinariensis res satis bene processuras spero. Exercitus ejus jam habet decem millia, auctus transfugiis & ad victoriæ famam concursu. Addent ei Guebrianus & Smidsbergius millia, ut dicuntur, octo: sed, ut solet, decrescet nonnihil is numerus. Tum verò, si & Galli in Navarra aliquid promovent, & Bannerius Silesiam ingreditur, & Batavi citò se ostendunt, & Cardinalis Valetta, qui ob Crequiaci mortem in Italiam mittitur, Hispanos occupatos tenet, erit quod hunc annum non infelicem nobis fore speremus. De Rynfeldii deditione exspectamus nuntios, interpellatione jam, ut mos habet belli, ritè facta. Rhætorum Primoribus XX millia scutatorum divisit Legatus Hispanicus, nec minùs Lucernæ Helvetios Pontificios largendo sibi devinxit, iter, ut videtur, per eas terras ad Constantiam atque inde in Vinariensem quærens. Ea res Protestantium, qui illis sunt in locis, gaudium ob Vinariensis victoriam metu injecto refrigerat. Opto valeas floreasque cum tuis omnibus, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{4}{17}$ Martii 1638.

Excell. Tuæ singulari cultu observantiaque perpetua devinctus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

Quandoquidem ex literis Excellentiæ Tuæ datis $\frac{14}{24}$ Februarii, video vix quicquam restare quò minùs consummentur pacta Wismariensia de pace, spem nullam video, 933

Digitized by Google

video, cùm eam nostri nisi cum Gallia communem accipere nequeant, Cæsariani autem dare nolint, nisi seorsim. Conditio illa Batavis prudenter addita est federi, ne illi refrigescant in nos juvandi studio, ubi nos bene bello adstrictos intellexerunt. Magnum haud dubiè pondus apud Suedos fortibus Magni Cancellarii consiliis addet insignis de qua scripsi Ducis Vinariensis victoria, qui partim hostium transfugiis, partim concursu ad rerum prosperarum famam, habet exercitum & novis & veteribus militibus ad decem pervenientem millia. Rex ei auxilio mittet octo millia verbo, re puto quinque. Inter eos Smitsbergius ibi se futurum sperat intra dies 20. Rynfeldii Præfectus cum acri comminatione interpellatus, ut oppidum dedat, permissusque tympanistam mittere qui captivorum ingens agmen coram videat, speratur moram haud longè facturus. Credibile est egregios fore Ducis hac æstate progressus, quod si simul ea evenerint, quæ Excellentiæ Tuæ literæ sperare nos jubent, & Batavi ut Regi sunt polliciti in tempore se commoverint, Gallique in Pirenæis jugis, quod facturi videntur, rem gnaviter gerant, hæc nobis viam pandent ad bonam aliquando pacem, quam cur expetat Rex Daniæ, causas ei puto esse satis graves. Polonus ut video pertendit in exigendo vectigali, super qua re variæ quæ dictæ sunt sententiæ in Conventibus regionalibus. Aliis consentibus abolendum onus externa bella tracturum, aliis verò id lucrum ærario publico non Regis fisco deberi, præsagire nos jubent universi Conventus Varsaviensis magnas turbas. Miror Batavos tam lentos esse in Legatione illuc mittenda. Puto & à Rege Daniæ illuc mitti & à Galliæ Rege. Nuntius Polonicus qui hic est, nondum Regi mandata exposuit, quæ erunt ut arbitramur de pace & de non impediendo vectigali. Signa quæ ceperat Vinariensis ornant Ædem hic cathedralem. De captivis Savellius apud ipsum manet: cæteri distribuuntur ut sint alii Hohentwilæ, alii Montipellicardo, alii Benfeldii. Rhætorum Primoribus xx millia scutatorum divisit Legatus Hispanicus, ut castella maneant. Nec minor largitio ab Hispano Lucernæ facta in Pontificios Helvetios, & pertinere credita, ut per eas terras Cæsarianis ac Bavaricis copiis iter in Constantiæ adsita, porroque adversùs Vinariensem pateat, quæ res terrorem incutit Protestantibus, gaudiumque ex Vinariensi victoria natum minuit. Ajunt Galli huc jam pervenisse scripturam rati habiti federis Wismariensis. Si ita est gaudeo, neque improbo consilium occultandi id ipsum, donec Batavi collationem suam fide obligaverint. Ero semper, Excellentissime Domine, Lutetiæ 18/28 Martii 1638.

Excell. Tuæ observantiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

934 Docent me qui res hic Ducis Bernhardi agunt, ipsum cum meliori copiarum parte ivisse contra Gotzium, qui ex Hassia, per inducias quiescente, cum octo cohortibus aut regimentis adventat, obsidium interim oppidi Rynfeldii mandatum Forbuschio, cui à Benfeldio quatuor machinæ ad oppidi murum verberandum mittuntur. Ad idem Benfeldium perductum esse Ioannem Waertium bono cum præsidio, cujus vi depulsos non sine damno qui è Brisaco ad ipsum è captivitate eximendum exierant. Novum hic gaudium est inde, quod Regina quod in utero gerit vitaliter moveri senserit. Smitsbergius, jam abiit colligitque militem, quem ad Guebrianum ducat. Proximè exacto Dominico die magna cum pompa signa equestria & pedestria plus quinquaginta suspensa sunt in Æde primaria, mixto Ecclesiæ Deum laudentis cantu cum tympanorum, tubarumque sono. Invitatus à Regiis Ministris, & iis qui res Ducis Bernhardi hic agunt, de loco superiore cum meis spectator adfuit. Rex præter eum exercitum qui vicina Navarræ petit sub Principe Condæo, cui adest juvenis Lafortius, mittit alium in Belgicas partes sub Castilionæo, cui ne socius imperii daretur, Princeps Arausionensis obstitit, ostendens mala quæ ex talibus imperiis sequi solent, neque se in communicandis consiliis eadem fide cum aliis posse agere. Præter hunc, exercitus alius datur Duci Lafortio & Bresliæo, pariter regendus aut partiendus ut retulerint. Optat Dux Lafortius, qui me adiit suumque animum optimè volentem rebus Suedicis Tuæque inprimis Sublimitati abundè ostendit mitti ad purgandam hostibus Alsatiam, gnarus locorum longa in illis Regionibus militia. Cardinalis Deo non percursoriè gratias egit, ob vitatum periculum. Gallus quidam rerum capitalum militaris quæsitor scedam dejecerat in cubiculuim uxoris Lotharingi Ducis Caroli, ad ipsius libertatem, maritumque multis eximendum malis, rationem se expeditam habere profitens, si decem millibus florenorum ad socios parandos juvaretur. Lotharinga, dubitans an fides sua tentaretur, Cardinali scedam ostendit: is eam jubet scribere non esse sibi tantum pecuniæ, sed si mille quingentis scutatis juvari posset, se vel rebus suis venditis id contracturam: sed velle se scire, quænam essent ejus consilia, ut de eis judicare possit. Id responsum perfertur ad locum quendam in agro non longè à Dionysio oppido, quem locum pollicitator ille in sceda designaverat: is alia iterum sceda in idem illud cubiculum demissa significat, si illa pecunia ad designatum illum locum deferatur se rem confecturum, conducto conclavi ex adverso ejus domus in hac urbe quam Cardinalis habitat: inde se ubi Cardinalis cum carruca procederet, duo crepitacula quæ petardos aut bombos vocant dejecturum in carrucam. Cardinalis ubi id cognovit, dat negotium octo validis hominibus, ut illum illo in loco ubi pecuniam erat subter lapides positam sublaturus comprehenderent. Sed ille id agi videns, tres eorum pugione ad mortem vulneravit, à cæteris vulneratus captusque, priusquam è vulneribus moreretur, judices accepit delegatos, Cardinali fidos. Ab iis auditus, cùm diceret se quod fecisset eo tantùm fecisse animo, ut Lotharingam pecunia emungeret, ac proposuisse ea quæ fieri nequirent, damnatus eodemque die, in lectulo portatus ad supplicium undecim ictibus ex intervallo repetitis in rota fractus est. Ea pœnæ atrocitate effecturum se sperat Cardinalis, ne quis posthac talia moliri aut etiam fingere audeat. Magni etiam motus sunt tum in Parlamento tum in urbe, quod reditus qui à civitate privatis plurimis debentur & ad octo milliones annuos perveniunt non modò non solvantur; verùm & iis solvendis attributæ pecuniæ in alios vertantur usus: quam ob causam Cormiellus, præcipuus eorum qui sub Bulionio ærarium curant, nuper in via plebis iratæ concursum ægrè vitavit. Milites, quos in Leodiensi agro Rex conscripserat, in ipsis quæ sibi prope Trajectum excitaverant munimentis ad mille ducentos ab Isolani militibus cæsi, pars reliqua dispersi sunt. Mittitur hinc ad Ducem Vinariensem ea pensio quæ ex pactis ei deberi Februario cœperat. Id ipsi ad magna quæ animo concepit exsequenda adjumentum erit. Ex Comite Licestrio disco esse jam in Anglia qui Suedicas res procuret Scotum ortu, qua de re gaudeo, utilitatem inde sperans gentis utriusque. Dixit mihi idem, affinem suum Northumbrium, qui classi antehac extra ordinem imperavit, factum jam Maris Præfectum perpetua dignitate. Spem majorem quam antea facit pecuniæ ex Anglia mittendæ ad Electorem. Videtur hic annus spes nobis bonas portendere quas ratas faciat Deus, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regno, Reginæ Tuæque Sublimitati favens adsit. Postridie Cal. Aprilis novi Cal. 1638.

Recentiores nuntii nos docent rediisse ad obsidium Rynfeldii Ducem Bernhardum, vano comperto rumore de adventu Gotzii: illud quoque de octingentis à Brisaco auctum esse supra verum. Nomen Galli supplicio rotæ puniti est Franciscus Sorbessius. Erfurtum cum Saxone paciscitur. Bavarus victui & bello necessaria misit Augustam. Præfectus Constantiæ Cellam munit.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

935 De pecunia Electori Palatino suppeditanda plusculum quàm antehac sperare nos jubent Anglorum Legati. Rex sexcenta millia florenorum, quæ à Februario deberi Duci Vinariensi cœperant, per Heusdium persolvi curat. Auxilia etiam sic satis promoventur, profecto jam hinc ad suos colligendos, atque inde porrò ad Guebrianum Smidsbergio. Et sanè properato opus est, cùm jam Fuligensi via, qua Waertius venerat, veniat cum VIII cohortibus sive Regimentis Gotzius, adversùs quem profectus est Dux cum equitatu suo & peditis parte, cum parte alia relicto ad peragendum Rynfeldii obsidium Forbuschio, qui à Benfeldio machinas oppido verberando quatuor exspectat, ubi eæ venerint decem numero habiturus. Benfeldium jam perductus est Waertius, cæsis aut disjectis octingentis qui ad eum in itinere liberandum venerant Brisaco. Rex præter eum exercitum qui Pirenæis montibus subdita petit, mittit tres alios sub Castilionæo, sene Lafortio, Bressæo, qui aut junctim aut seorsim, ut tulerint occasiones, rem administrabunt, in Belgicis maximè, ut creditur finibus. Castilionæo plurimum profuit Principis Arausionensis ei se fidem habere maximam testantis commendatio. Venit huc Dux Valetta, qui an Patrem Espernonium in gratiam hujus aulæ sit restiturus, dubitari video. Regina jam in utero motum sentire cœpit. Concurrunt undique gratulatores, alii seriò, alii composito ad simulationem vultu. Lento rotæ supplicio punitus hic est Gallus senex, qui Cardinali aut necem destinaverat, aut certè ea pollicitatione pecuniam se sperarat auferre posse ab Lotharingi uxore, quæ non modò indices ejus consilii schedas ostendit Cardinali, sed & ad comprehendendum eum hominem scribendo adjutrix fuit. Ratio occidendi Cardinalis, quam aut meditatus erat, aut finxerat, fuit, quod crepitacula, quæ petardos aut bombos vocant, diceret se velle immittere in Cardinalis prætervehentis carrucam. Fuit & metus aliquis in hac urbe ob reditus quos civitas privatis debet retentos. Ei rei nunc in Parlamento remedia quæruntur. Pro iis quæ 18/28 Martii ad nos scripsisti, gratias ago debeoque. D. Schmalchium exspectabimus & certiores nuncios de Suedicis consultationibus, rebusque in Pomerania & vicinis regionibus. Gaudeo pacis nunc nisi communis nullam esse exspectationem. Ea res Anglos quoque movere deberet ut in causam descendant apertiùs. De Hassiacis induciis quid sit deinceps futurum Majus mensis docebit. Ramsæum quin amet Dux Bernhardus, dubium non est, neque ignorat suis hortatibus illum maximè impulsum ad conditiones omnes obsurduisse. Sed de Gustavi Hornii per hanc occasionem libertate obtinenda, tum in hac Aula, tum in castris Vinariensibus multus sermo est. Ego & scripsi ea de re, & locutus sum res Ducis procurantibus: neque dubito quin ex Suedia brevi venturæ sint ea de re literæ. Batavi illud de vectigali negotium nimis lentè tractant, nisi sub specie teporis fortiora consilia occultant. Illud de Cosaccis si verum est, & ut oportet alitur, non parum ad res nostras conferet. Knopium nondum vidi. Si appareat, efficiam ut norit plurimum tibi apud me esse auctoritatis. Recentiores nùntii nos docent reversum ad Rynfeldii obsidionem Ducem Vinariensem falsò comperto nuntio de Gotzii adventu: neque verò tantum esse quantum dicebatur de egressis Brisaco. Cellam munit Constantiensis Præfectus. In urbem Augustam quæ vitæ quæque bello necessaria misit Bavarus. Nomen rota hic fracti est Franciscus Sorbessius. Opto, Illustrissime Domine, cuncta prosperrima tibi ac tuis, Lutetiæ: postridie Calendas Aprilis novi Calendarii, anni 1638.

Excell. Tuæ cultu perpetuo & observantia addictus H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

Filiorum meorum natu maximùs, quem in Suedia agentem, amicitia tuâ plurimi nobis facta faciendaque semper dignatus es, Musis Martem prætulit: neque paternum duxi tentato diu ejus animo reluctari, gnarus patere & hoc ad gloriam iter, neque verò usum omnem in bello perdere impensa literis tempora. Cùm inter nostri temporis Imperatores multum excellat Dux Vinariensis virtute & rerum experimentis, nullus fuit cujus sub signis eum militare mallem. Quapropter eum Smitsbergii auxiliorum partem istuc ductantis numeris allegendum dedi. Spero in eas partes perventurum priusquam tu discesseris, ut tuæ prudentiæ consiliis, quæ ne ei invideas precor, regi possit. Ego si id mihi largiris, magni hoc muneris loco ducam, optaboque vicem reponere. Novi nihil fermè est. Schmalchius in itinere est, qui nobis nuntios & chartas plurimas adfert. Gotzium ab hoste tentatum infeliciter scribit ad me D. Camerarius. Elector Palatinus scribit militem suo, matris & paucorum amicorum consilio. Anglicam pecuniam exspectat & Angliæ exemplum Gallia. Nostri Suecones huic Regno jam bene alligati nodos quærunt quibus & illud alterum adstringant. Ducis Vinariensis quos propior aspicis, egregii successus, Gallorum exercitus, ad Navarræ fines unus, duo circa Belgicam, sene Lafortio & Castilionæo ducibus, Principis Arausionensis jam se commovens, Hungarorum & Transrhenanorum iræ in Imperatorem, in Regem Poloniæ Cosaccorum, sidera ipsa, si quid Astrologis credendum est, huic Imperatori infelicia magna hoc anno & deinceps sperare nos jubent. Sed ista suo nutu temperat summus Arbiter, cujus bonitati & negotia publica & tua, Nobilissime & Amplissime Domine, quantum possum commendo. 4 Aprilis 1638. 936

Tuæ Nobil. Ampl. addictissimus H. G.

FORTUNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

Repetitum inter nos literarum commercium gaudeo, neque id desinam mea ex parte colere. Rhæticorum rerum mutationem doleo & Rhætorum & communis rei causa. Minùs tamen me feriit malum, prævisum pridem, haud obscurè se ostendentibus causis. Ducis Rohanii virtutem semper sum admiratus, ad cujus veteres laudes non leve pondus adjectum est, cùm priore ad Rynfeldium prælio res Protestantium Germaniæ ultro ivit adjutum, suoque periculo & vulneribus accendit socios. Captis jam hostium ducibus, signis, Rynfeldio, speramus fore ut & Helvetii Protestantes apertiùs faveant causæ & Germanicæ civitates sequantur Germanum Principem Germaniæ liberatorem. Ego quæ evenere, memoriæ recolens, video nihil tantum nocuisse Protestantium causæ, quantum ipsorum inter se aperta nimis dissidia, quæ cuncta pravitatibus & suspicionibus implerunt, neque consilia tantùm socialia corruperunt, sed & conspectu discordiarum, audituque non paucos impulerunt, in alios greges, nonnullos etiam tenuere velut in bivio διακρινομένους [*hæsitantes*]. Sed his malis humana ope validioribus Deus ubi ipsi visum erit medium adfert. Galli multa 937

se

se pecuniis suis sperant posse efficere, verùm novit eas artes Hispanus.

Nec si muneribus certes concedat Iolas.

Aut si pro Maroniano versu Terentianum mavis

Et habet quod det, & dat nemo largius.

Verùm ut ad Hispanum quoque Poëtam, quandò garrire tecum dulce est, veniam:

Munera magna quidem mittit, sed mittit in hamo

Et piscatorem piscis amare potest?

Sed ut puto concutiet aliquandò Ægida suam Pallas Rhetica. Honorem tibi à Rege Christianissimo collatum gratulor, neque deero ubi se dabit occasio virtutibus tuis dare testimonium, quippe Nobil. Tuæ amans more veteri ac simplici. Lutetiæ 5 Aprilis 1638.

Tuæ Nobil. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

938 DEditum est Rynfeldium Duci Vinariensi $\frac{13}{23}$ Martii, æquis conditionibus. Captivi qui in eo erant oppido, quorum erat Schavaskius sine pretio liberati. Commeatus & quæ ad bellum usui cessere victori, qui non dubitavit in pactis Ferdinando huic Imperatoris dare nomen. Ducenti ferme de præsidio in sacramentum Ducis transiere. Literæ ex capto oppido scriptæ $\frac{13}{23}$ Martii, nos docent sub Tubaleto equitem in agrum ivisse Wirtembergicum, postquam minora quædam oppidula Danubium versùs spectantia Rosæ tribuno se in potestatem dederant. Addunt alii Nortlingam & Tubingam aliaque oppida parata deditioni, ubi exercitus apparuerit. Eone iturus sit Dux, an Friburgum & Retelam, an Constantiam petiturus, an Brisacum, variè judicatur. Brisaci multarum rerum egestas est: salis maximè & igniarii pulveris. Montepellicardi quæ adventant literæ ajunt, cæsos à Ducis milite qui commeatum inferre in Brisacum tentarant: Gotzium apud Francofurtum habere aliquid copiarum: majores opperiri. Nuntiatum etiam illuc, sed parùm liquida fama, à Ratisbonensibus pulsum Cæsarianum præsidium. Savellius Lauffenburgi satis negligenter custoditus sacerdotis, qui ad ipsum solandum venerat, habitu indutus evasit. Ea res Gallis dat conjectandi loquendique materiam, eò magis quod Savellius in Aula Viennensi gratiosus, & si quando de pace agatur Duci ad benignas conditiones adjutor sperari à nonnullis creditur. Rumor hic nunc est, sed nullo certo auctore eundem Savellium à fuga reprehensum. Bene evenit quod Rynfeldii asservatur Ioannes Waertius, neque dubito quin Tua Sublimitas scriptura sit ad Quernhemium, ne is emittatur nisi & Marescallo Hornio liberato. Et Comes Bergensis qui apud Batavos est Waertiumque novit, aliique multi ajunt in Imperatoris partibus nullum ei Ducem anteferri. Accedit quod Bavarus qui Hornium tenet, ad Waertium, sibi propriè auctoratum, libertati reddendum, nihil omissurus eredi debeat. Interceptæ literæ, quas procurator rerum Imperatoris Heilbronæ ad Præfectum scripsit Brisacensem, ostendunt multum trepidari ad Danubium usque. Donawertæ & commeatus & bello necessaria servantur augenturque. Incommodè evenit quod Hanovia paulo ante amissa est, quàm hæ res tam pulchrè se darent, cùm hoc tempore ingentem sui usum præbitura fuerit. Gallicum auxilium tardè procedit, exspectans, ut videtur, pabuli ubertatem, an & altiore consilio. Præterea de pecunia Duci debita detrahi partem satis iniquè, dixit mihi Heufdius. Hæc atque alia quæ antecessere efficient ut Dux, si possit, conaturus sit se ab alienis imperiis expedire: & dicitur postulasse à Rege ut Rynfeldium & Lauffenburgum custodire sibi liceat, cùm alioqui Galli oppida quæ bello capiuntur sibi cedere æquum existiment. Germani præter Smidsbergium, omnes, qui multum optarant in patriam suam mitti, Castilioniro attribuuntur. Manicamus Colmariæ antehac Præfectus cùm vocatus huc venisset, intellexissetque in sequiorem partem trahi absentiam suam sub morbi specie, quo tempore pons ad Rhenum ab hostibus captus est, latuit in hac urbe & clam se abduxit Rege non viso. Præfectura cum vicinis locis data Guebriano. In ipsum creduntur judices dari qui ipsum citent, & ni compareat, damnent. Dux Valetta obtinuit ut fert fama, patri suo gratiam Aulæ & mansuram dum vivet, Aquitaniæ Provinciam; belli tamen illic imperia penes Principem Condæum futura. Quidam offensas patris filiique simulatas tantum ajunt fuisse, ut per eos & Fratris Regii & Comitis Suessionensis consilia intelligerentur. In Italia minùs prospera Gallorum res. Bremum cepit hostis, primùm in Mediolanensi solo structum à Gallis & Sabaudo castellum. Nunc Pontem Sturiæ idem obsidet. Novariam, Valentiam aliaque circum oppida commeatibus omnique belli paratu instruit. VI M pedites II M equites è Regno Neapolitano exspectat. Helvetiorum motus ac dissidia scribit Marinus, accingens se ut video itineri in Suediam ad negotia conficienda. Senatores aliquod Parlamenti relegati sunt, quod in causa redituum quos civitas debet liberiores dixissent sententias quàm ferre hæc Aula posse. Apud vulgus in magna iidem sunt fama. Si quæ ex Germania scribuntur vera sunt, immensus in Ducem Vinariensem venit hostilis exercitus, ad decem millia equitum, peditum totidem, multis sub ducibus quorum indiculum mitto. Si auxilia Duci adfuissent valida & in tempore, magni processus se ostendebant rebus Protestantium, quorum opera sic utuntur socii, ut multum tamen eos invalescere non videantur velle. Illud interim boni sperare licet, quod ad Rhenum & Danubium tracta magna parte hostilium virium Bannerio ad res novas ingrediendas via patescit. E Batavis literæ Electoris Palatini, cùm ex Anglia & pecunia non veniat, & Galli nisi præeuntibus Anglis dare abnuant, cœpta neque magna neque diurna fore suspicantur, ipsique ante fores adstare inopiam, ubi, quod ei pecuniæ reliquum erat effuderit. Batavi ipsi in Brasilia aliisque longinquis partibus res gerunt satis feliciter, interim maris sibi propinqui possessionem in dies magis magisque remittunt. Deus det res prosperas, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati. Lutetiæ 10 Aprilis novi Cal. 1638.

Scheffelingius mercator Hamburgensis mihi notus rogavit me, ut quæ in Suedia habet negotia commendarem quod facio quantum æquitas fert. Conquestus mihi est Cancellarius Montispellicardi, præsidium quod ibi est Gallorum jam plus anno vivere sumptu oppidanorum, longè aliud pollicitis Gallis; sed bellum scilicet ex præscripto geri non amat. Non arbitratur Truschius Galliæ auxilium quod Duci Vinariensi mittitur futurum majus III M. Dux Everhardus Wirtenbergicus Viennam ivit. Spargunt Galli famam de capta à suis insula Sardiniam aspectante quæ Asinaria dicitur. Algerienses prædones plurimas cepere Hispanorum naves, quasdam etiam ex India venientes. Damnum factum dicitur millionum septem.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

RYnfeldium $\frac{13}{23}$ Martii deditum est Duci Vinariensi, qui in pactis nomen Imperatoris huic Ferdinando dare non recusavit. Schavaskius & alii qui in eo oppido captivi tenebantur liberati sine pretio. Pulvis ignarius & alia belli instrumenta Duci cesserunt. Brisaci egesta

gna egestas est salis, fœni, rerumque aliarum. Eone iturus sit Dux, an Friburgum, Retelam, Constantiam, incertum adhuc. Ex literis hostium interceptis apparet per Sueviam Bavariamque ad Danubium usque perculsa omnia terrore victoriæ, oppidula quædam in tribuni Rosæ potestatem venere, alia dedere se parata sunt, ubi exercitus apparuerit. Ipse Dux Wirtenbergensis Everhardus si invalescere res Protestantium videat, fortè ad pœnitentiam perduci posset damnosissimarum pactionum, per quas tertia redituum pars sacerdotibus reddenda ei decedit, multum auferunt potentes in Aula Cæsariana & Bavarica homines, & Claudia Archiducissa: pignora ei eripiuntur sorte non reddita: lites contra eum judicatæ. Bavarus commeatus & quæ in bello usui ex aliis oppidis Donawertam confert. Interceptæ ab Heilbrunna ad Brisacensem Præfectum literæ multum ubique trepidationis ostendunt. Tam benignas ad rem gerendam occasiones sunt quæ turbant: Hanovia in ipso temporis articulo quo utilissima esse partibus poterat, amissa: Gallicum auxilium tardè se movens, &, ut videtur, serum ver opperiens: interim coëuntes undique hostium copiæ, non quidem tantæ, quantus hic fert ex Germania indiculus, ad X millia equitum, peditum totidem, sed magnus tamen. In eo malo id boni est, quod aliò tracta pars tanta hostium, Banerio, ut speramus, liberos datura sit exitus. Savellius Laufenburgi negligenter custoditus Sacerdotis ad se admissi evasit habitu. Iohannem Waertium, credo, majore eum cura Benfeldi servaturus est Quernhemius vel Marescalli Hornii causa. Germanos Galliæ militantes, quos in Germaniam mitti haud dubiè nostris rebus fuerat optabilius, secum trahit Castilionæus ad II CIƆ CCCC. unà Smidsbergii cohors Guebrianum, qui Duci Vinariensi auxiliator datus est, sequetur. Manicamus, qui abfuerat quo tempore pons ille apud Wittewerum captus ab hoste est, in hanc urbem cùm venisset, comperto graviter incusari absentiam suam, latuit primùm, deinde clàm abiit. Iudices in absentem datum iri credo. Præfecturam Colmariæ & vicinorum locorum accepit jam Guebrianus. Espernonius per filium Ducem Valettam restitutus in Aulæ hujus gratiam retinebit Aquitaniæ præfecturam. Senatorum Parlamenti quidam in agros relegati sunt ob liberas voces, cùm de reditibus illis à civitate Parisiensi debitis consultaretur. In Italia res minùs procedunt Gallis. Hispani Bremum, firmum castellum, quod in Mediolanensi agro Galli & Sabaudi struxerant cepere. Nunc Pontem Sturiæ, quod oppidum est Montisferratensis agri obsident: in Novariam, Lumellum aliaque vicina loca plurimum intulere commeatuum & eorum quæ bello inferendo sunt necessaria. E Neapolitano Regno VI M peditum, equitum II CIƆ exspectant. Sabaudos & Pedemontanos, avidè nimis pacem expetentes ægrè in bello retinet Vidua Princeps. Magna res est, si veri sunt qui à Montepellicardo vicinisque locis veniunt nuntii, à Ratisbonensi civitate expulsum Imperatoris præsidium. Equites Vinariensis cursare pergunt per Sueviam Bavariamque. Pedites Helvetii & Germani ad CIƆIƆ per Vallem Telinam Mediolanum ivere. Helvetii, ut solent, distrahuntur religionum studiis, & hinc metu à minis Cæsarianorum, inde spe ex prosperis rebus Vinariensis. Eorum Protestantes qui sunt seorsim suis rebus consultant Aroviæ. Pontificii dubitant an per Tergoviam transitum concedere debeant Cæsarianis, dum finitimis invident obliti communis libertatis & periculorum ei imminentium. Pergunt eidem Helvetii rogare Gallos ut Comitatus Burgundiæ bello eximatur, sed nulla obtinendi spe, quod ejus terræ homines animum hostilem nimis nudaverint, plurimaque mala dederint Galliæ. Præfectus Hohentwilensis quod Ducem Wirtenbergensem Everhardum deseruit eo defendit, quod non ipsi tantùm, sed & Suedico Regno & federi se dicat obligatum. Fatigat is quoque hostem excursibus. Scribitur ad nos Cosaccos plurimos in Polonum insurrexisse ob vim factam religioni ipsorum & nova tributa: Tartaros adhuc in Moscoviam ire populabundos: reposci à Turca Asachum: Moldaviæ regulum Iohannem Mohylam ab indigenis recusatum fugisse in Transilvaniam. Inter Moldavos eosdem & Walachos belli quædam exstitisse initia, sed repressa vi Turcæ se interjicientis. Hæc partim respondebunt literis tuis datis $\frac{17}{27}$ Martii: siquid ultra est id eisdem relectis jam adjiciam. D. Schmalcium & cum eo nova multa exspectabimus. Ab Anglis nihil dum mihi ad spem meliorem lucet. Vt Batavi bellum sumant in Imperatorem, vix sperandum tibi consentio. Sunt tamen rationes non leves quæ suadere possint ut præveniant temporibus insidiantem inimicum & latenter hostem. Rex & pecuniam ex fœdere Duci Vinariensi suppeditat, & præterea mittit auxilia, sed sanè tarda in tanta rerum occasione. Majus exibit, ut videtur, priusquam se jungant, coëuntibus interim, ut jam dixi, hostibus undequaque, non ignaris quanta res agatur. Bellum hoc quod novis incrementis ex Suedia incalescit sine magno Brandenburgici malo non abibit. De Ramseio nihil hic didici. Abs te siquid certius venerit exspectabo. Vereor ut suffecturæ sint Palatini opes ad alendum exercitum, nisi Angli eas sustentent. Elector in hac fortuna Crassus non est. Quid Hassiacæ Viduæ sit consilii ubi Melander vobis adfuerit, cognoscemus. Aquisgranensis urbs Imperatoris infessa milite, ut rectè judicas, & alias civitates terrere debet exemplo & vicinitate Batavos. Princeps Arausionensis brevi in apertum proditurus hic speratur. Erit id tum ad alia utile, tum ad impellendos homines ingenio suo cunctabundos, & quos trahere sæpe faciliùs possis quàm ducere. In re Dantiscana puto eos satis acres fore, si responsum è Polonia non quale volunt acceperint. Suedi sapienter aliorum ea de re speculantur consilia. Dux Everhardus Wirtenbergicus Viennam ivit. Spargunt Galli famam de capta à suis insula Sardiniam aspectante, Asinaria nomine. Algerienses prædones plurimas cepere Hispanorum naves, quasdam earum ex India reduces. Damnum factum dicitur millionum septem. Mitto Edictum quo Rex Galliam S. Virgini in tutelam dat non probatum à Parlamento. Deo te tuosque, Illustrissime Domine, toto animo commendo. Lutetiæ 10 Aprilis Nov. Cal. 1638.

Excell. Tuæ omni cultu observantiaque addictissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

HAnnemannus qui has fert literas ejus est eruditionis, ejus probitatis ac pietatis, ut eum tibi, non tralatitio more, sed propiore quadam cura commendare audeam. Quanquam, ut verum loquar, non tam commendatio hæc est quàm nomenclatura. Ipse apud tam rectum judicem facilè se commendabit sermone ac moribus, modò admissionalem habuerit, quod ei officium, ut spero, satis feliciter hæc epistola præstabit. Vale Illustrissime Domine. Dabam Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Aprilis 1638. 940

Excell. Tuæ observantissimus semper H. G.

D. CASAVBONO.

ANnus est quod pro mellita epistola tibi sum debitor. Tardum me nomen dices. Non nego. Culpa tamen moræ in me non residet. Dixeras exemplum te mihi mittere Theophylacti in Epistolas Paulinas. Id exemplum diu exspectavi. Intellexi etiam venisse in hanc urbem unoque in fasce cum libris multis aliis asservari: sed abesse Librarium cui jus sit aperiendi. Is venturus mihi in dies & horas dum dicitur effluxit annus & pauxillum supra, neque dum comparet Theophylactus, quanquam inqui- 941

inquisitores misi multos. Neque tamen minùs tibi sum obligatus, cùm beneficium non ex eventu, qui tuæ non fuit potestatis, sed ex liberali animo accipiat æstimationem. Quomodo igitur debitum exsolvam. Experiar an id possim delegando. Hannemannum hunc bene eruditum & omnis honesti amantem virum tibi trado. Cogitabis fortè quod res est, me hoc cùm facio novum facere nomen. Non hoc nego. Sed cùm bonitatis, quæ in te, ut olim in patre tuo maxima est, id sit ingenium, ut quamplurimùm amet se diffundere, nonnihil tibi præsto, qui tibi ejus exercendæ non infelicem præbeo materiam. Vale, mi optime Casaubone. 11 April. 1638.

Casauboniana amicitiæ verus cultor H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

942 ET Relingerus & negotium ejus Tuæ Sublimitati quàm mihi est notius. Vnum de meo addere possum verissimum, nunquam eum fatigari in adjuvanda re communi. Nam & dignissima scitu sæpe nuntiat, & pro ea quam habet rerum peritia, consilia sæpe Duci Vinariensi & aliis dat utilissima. Tam constans ejus voluntas meretur, ut si qua est ratio qua possit indemnis servari, sive bello, quod nunc nobis multa videtur polliceri prospera, sive pace, ea ne negligatur. Id, si fieri potest, non ipsum modò, qui nunc apud Ducem Vinariensem & apud Helvetios valet auctoritate, reddet alacriorem, sed & alios, quorum aut opera, aut pecunia usus esse poterit, excitabit exemplo. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Tuæ Sublimitatis secundet. Lutetiæ $\frac{6}{11}$ Aprilis 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

943 DIe Martii 20 & octavo Novi Calendarii, qui dies erat Palmarum Retelæ arx in Ducis Vinariensis venit potestatem, priùs capto scalis circumjectu. Captus & præsidii Præfectus Rempfius nomine: milites qui custodierant, ferme XXX in Ducis militiam transiere. Postridie nuntiatum Duci est Ducem Carolum quanto poterat contracto commeatu è Burgundia Hispanica, copias suas colligere circa Dambelinam vallem, quatuor admodum leucis à Montepellicardi. Satis intelligebatur id eò pertinere ut Brisaco multarum rerum egenti subveniretur, ubi victui necessaria non suppetere in menses quatuor satis constat. Quid inde evenerit nondum scimus. Sed significant qui in castris sunt, si Gallicum auxilium adfuisset, ut spes pridem fuerat, potuisse hosti ingens damnum dari. Nunc distracto in tot præsidia Ducis Vinariensis milite non esse ut magni quid audeatur. Die Martii 30 Newenburgum medio inter Basileam & Brisacum itinere, adsitum Rheno oppidum Duci Vinariensi accessit, Rhynfeldio non minùs firmum. Ibi & præsidium Dux reliquit centum musquettariorum, & pontem è navibus nectit. Interim equitatus ejusdem Ducis per Nigram quæ dicitur silvam Memmingæ tenus cursitat, divisis cuneis, Rosa, Nassavio, Taupadelo, Calembaro ducibus. Rosa captis oppidis Belinga & Tuclinga quadraginta hostilium equitum cecidit, centurionemque misit Duci. Dux Friburgum jam obsessurus creditur defensum à militibus quingentis. Gotzius apud Heilbronam esse dicitur cum cohortibus sive Regimentis XIV: quatuor turmæ ab Heidelberga venire ut se jungant, bis mille equites venire à Bavaro, & alii equites Croati totidem. Additur quod commeatuum Donawertæ fuerat, translatum Augustam, ejusque urbis auctum præsidium: multum præterea hostilis militis esse ad Lindaviam, Cellam, Constantiam. Casatus Hispani Legatus Lucernæ iter isthac IX millibus Germanorum. Tria alia millia Rhætis concedentibus Mediolanum ivere. Eidem Rhæti ex consilio Hispanorum, novas ibi turbas Gallorum concitu metuentium, augent præsidia Castellorum ad Rheni initia & Steigam. Erfurdum audimus pepigisse cum Saxone. Sed in pendenti esse rem, donec à Suedis probentur pacta. Savellii fuga non eodem narratur modo. Scribitur Basilea & Sacerdos qui adjutor fuerat, & is qui custodiæ præerat affectus capitali supplicio Lauffenburgi. Ex Tiguro literæ ajunt, dum per lætitiam captu Rynfeldii milites ejus custodes vino indulgent, linteis à lotrice subministratis de fenestra elapsum, & scalis transcendisse mœnia. Venisse Badam. Salutatum ab Legato Hispanico & eo qui res ibi curat Imperatoris. Inde profectum Constantiam colligendo exercitui. Scripsisse Viennam, nisi Iohannes Waertius temerario impetu, ante adventum majoris partis peditum simulque machinarum, prælium festinasset, vitari non potuisse exitium à Duce Vinariensi ejusque exercitu. At contra Waertius è carcere epistolam apertam misit Duci Bavaro, ignavia Savellii rem malè gestam indicans, ut qui primo conflictu fugiens aliis pessimum dederit exemplum. Comes Hanoviæ scriptum edidit, quo consilia sua defendit, atrox in Ramsæum qui nunc arctissima custodia tenetur Dillenbergi. Rynfeldium munit Forbischius. Alter ejus nominis hic à Polono missus nudo capite Regem adiit, pacem commendans & sui Regis ad eam conficiendam offerens opem. Bremi Præfectus qui fuit, quod ante tempus locum dediderit, reus est, putaturque disciplinam militarem suo supplicio sanaturus. Putatur Pons Sturiæ jam in hostium venisse potestatem. Pontifex, Veneti, Ethrusci quid inter se pepigerint nondum liquet. Videntur inducias cudere. In Bernati solo repertæ sulfuris & plumbi venæ, belli fortè in eas partes ingruentis indicia. Ad Viduam Hassiacam jam bis missa hinc pecunia, quinquagenum millium Florenorum. De pecunia, pulvere ignario, machinis quæ Palatino sint ventura ex Anglia negant Legati se quicquam scire. Perstat fama de pulso à Ratisbonensibus præsidio Imperatoris: sed civitatem non mutatis partibus suæ tutelæ ipsam prospicere. Petierat à Regis Ministris Baro Degenfeldius sibi ut privatim ire liceret ad Ducem Vinariensem, sed non permittitur. Et Guebrianus moras nectit: & Germani ut scripsi, præter Smidsbergium omnes mittuntur alio. Suspicantur nonnulli id agi à Gallis & Suedis, ut hi Pomeraniæ, illi Lotharingiæ potissima pace aut induciis retineant, relinquantque Germanos suæ malæ fidei puniendos. Ego D. Schmalchium exspecto ut & quæ gesta sunt & quæ gerenda posthac discam. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1638.

Quatuor milites, oppidani tres conscii fugæ Savellii capite id luerunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

GAllia nondum se movet: Ducis autem Vinariensis res nec optimè nec pessimè procedunt. Potuerat, si Gallicum auxilium jam adventasset, obsideri Brisacum: poterant & Ducis Lotharingi copiæ, quæ non longè à Montepellicardo ad necessitates Brisaci sublevandas coierant, cædi. Nunc distractis in multa præsidia militibus Ducis, nihil quidem tale tentari potuit. Neque tamen cessatum est. Die Martii, ut hic numeramus 28 capta arx Retela & Præfectus. Milites militiam mutavere. Die 30 Newenburgum, Basileam & Brisacum inter ab hoste derelictum. Id nunc à Duce Vinariensi permunitur 944

tur ut & Rynfeldium. Equites ejus ad Memmingam usque curfitant. XL ab iis hostiles equites cæsi. Capta Belinga, Tutlinga & oppidorum minora alia. Magnus inde per Sueviam Bavariamque terror effecit, ut commeatus à Donawerta, tanquam minùs tuto loco, Augustam transportarentur, ejusdemque urbis Augustæ præsidium augeretur. A Ratisbonensibus expulsos Cæsarianos milites perstat fama, non tamen ut partes civitas mutaverit. Dux Vinariensis etiam pontem facit ad Newenburgum, crediturque Friburgi obsidionem moliri. Erfordæ pacta cum Saxone ita dicuntur valitura, si rata à Suedis habeantur. Gotzius ad Heilbrunnam XIV habere cohortes sive Regimenta dicitur. Quatuor turmæ venire Heidelberga. Exspectari & Croatas bis mille & totidem à Bavaro equites alii. De Savellii fuga, quomodo evenerit, variat fama. Constat elapsum Lauffenburgo venisse Badam, atque inde, cura Magistratuum, quibus se aperuerat, deductum Lucernam. Ibi hospitio exceptum Nuntii Pontificii, salutatum ab Hispanico Legato & eo qui res agit Imperatoris: scripsisse Viennam, nisi Waertius ante adventum machinarum & peditum partis maximæ præcipitasset se in temerariam pugnam, actum fuisse de Vinariensi ejusque exercitu. Waertium verò è carcere apertam misisse epistolam ad Bavarum, qua infelicis pugnæ culpa in Savellii ignaviam conjicitur, qui ipso primo conflictu fugæ exemplum dederit. III millia per Rhætos Mediolanum transiere. Iidem Rhæti quæ manent castella, metu seditionum, majore præsidio custodiunt. Hispanicus ille qui Lucernæ est Legatus, iter per Helvetios IX millibus poscit: puto ut Constantiam ducantur, ubi nunc Savellius recolligere exercitum dicitur: incipientibus & ibi & ad Lindaviam, Ceblamque ostendere se hostilibus copiis. Comes Hanoviæ scriptum edidit, in quo Ramsæum graviter incusat. In Italia consilia sociant Pontifex, Veneti, Ethruscus, credo ad cudendas inducias. Bremi Præfectus, quod deditionem ante necessitatem fecerit, pœna sua sanciet, ut scribitur, quam læsit disciplinam. Helvetii Protestantes iratum sibi Imperatorem metuunt, tutandisque urbibus suis incumbunt. Et commodùm repertæ in Bernati agro venæ novæ plumbi sulfurisque. Poloni nuntius Forbuschius nudo capite Regem allocutus, pacem commendavit, suumque Regem ad eam rem opitulatorem obtulit. Responsum puto referet satis indefinitum. Nunc ad tuas venio literas 5 Aprilis datas. Angli fedus quale Lutetiæ factum est probari expetunt: neque in eo mussitant. Sed de iis quæ in Suedia Fledwodo aliisque eò missis significata sunt, nihil apertum loquuntur. Negant etiam ad se quicquam perscriptum ex Anglia de pecuniis rebusque aliis mittendis ad Palatinum Principem. Et Scotiæ motibus facilia ajunt fore remedia. A Batavis Palatinum juvari gaudeo: & Vidua Hassiaca, quæ brevi bis à Gallia pecunias accepit, ad bellum redeunte, video spes præclaras. Sed iis de rebus quæ dicturus sit Melander, quæque scripturus Wolfius tua comitate edoceri gaudebo. Soldnero Curtioque peribit opera, nisi pacem aut inducias etiam cum Gallis velint. Vitzthumii mors Warnæmundæ jacturam non compensat. Redibit ad nos, spero, fortuna, Banerii virtute, præsertim si properè adsint è Suedia novi dilectus. Dunquercanorum rapinis facilè finis adferri poterit, si Galli & Batavi velint, & non nolint Angli. Colonia civitas ut sibi consulat, potest fieri: boni aliquid in commune inde non exspecto. Neoburgicum quoque tenacioribus vinculis illigatum puto, quàm ut expedire se possit. De Gustavo Hornio mones memorem: & spero adventuras pro eo ex Suedia literas. De Palatinatu neque Hispanus decedet, neque Bavarus, nisi Angli rem sibi cordi esse aliter quàm verbis ostendant. Milites quatuor, oppidani tres conscii fugæ Savellii aut culpæ rei capite id luerunt. D. Schmalchius nondum hic adest. Aveo ex eo & acta & agenda discere. Tibi tuisque det Deus prosperrima. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1638.

Excell. Tuæ summa observantia addictus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

ACcepi per D. Schmalchium Sacratissimæ Majestatis Tuæ literas datas fine anni ante hunc exacti, & hujus anni mense Februario, die ejus mensis decimo. Accepi etiam mandata tum quæ ad implementum probati utrinque federis Wismariensis & oblatam à Republica Veneta operam in conficienda pace, tum quæ ad inducias à Rege Galliæ propositas pertinent. Dabo operam, ut quàm maxima non fide tantùm, sed & sedulitate sequar præscripta, & quæcunque in illis negotiis aut scitu aut cogitatu digna se obtulerint, illico significem. Deum Opt. Max. interim rogans suppliciter, ut & arma Sacratissimæ Majestatis Tuæ ad pacem gubernet, & ipsam pacem det aliquando bonam Tuæ Majestati, bonam regno, bonam orbi Christiano. Idem Deus, Serenissima & Potentissima Regina, Domina Clementissima, Majestati Tuæ vitam, valetudinem resque omnes favens prosperet. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ April. 1638. 945

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

IS qui institutioni tuæ plurimum debet Petrus meus ad Batavos redit. Facit Civitatis Amstelodamensis in me benevolentia, ut partem mei sinam vivere iis in locis, ubi ego tam malè, tanta cum infestorum nobis pertinacia sum habitus. Rogo studiorum ejus curam, ut antehac fecisti, ad te pertinere censeas. Vale, Vir Præstantissime. Lutetiæ 22 Aprilis 1638. 946

Tuus ut semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEnit ad me D. Schmalchius, attulitque mandata ad implenda ea quæ insunt federi Wismariensi, & ad cudendas inducias pertinentia. Quam ob rem gaudeo plurimùm; nihil enim malo quàm præscriptis lineis insistere, gnarus multa adversùs utilitates publicas etiam optimo proposito peccari, ab iis maximè qui à locis multum absunt ubi consilia capiuntur. Præter mandata ipsa etiam colloquia D. Schmalchii me de multis rebus edocebunt. Vt initium agendi faciamus, aditum ad Regem postulavi qui mihi cras dabitur. Interim mitto quæ Forbezius hic dixit Poloniæ Regis jussu, quæque ipsi respondit Rex Galliæ, culpam tardatæ pacis in hostes rejectans. In hac Aula qui plurimum possunt eorum magnitudini, securitati, opulentiæ quoque bellum non esse inutile omnes judicant. Et si fortuna, ut jam cœpit faverit Regi ejusque sociis, populus quoque ipse, pacis cæteroqui appetens, bellum extra Galliæ fines semotum leniùs feret. Vnum me malè habet, quod Corrarus Legatus Venetus qui Contareno successit, mihi ipsum salutanti neque in compellatione neque in sessione detulit quæ par erat, cùm ego cum Contareno anxiè æqualitatis jura servassem. Sunt Itali miri talium captatores. Quæ me causa invitum coëgit à reditu ad ipsum abstinere. Nunc cùm negotia videantur colloquium exigere, dubius hæreo, dissimulare acceptam injuriam rectiùs sit futurum, an D. Schmalchio, qui hic nunc est, uti internuncio sine 947

periculo dignitatis. Tum ut in hac re dijudicanda plus habeam lucis, tum ut mandata exsequar ad eam pertinentia, & Legatum Angliæ extraordinarium virum in hac Aula gratiosum, & eum qui sub ipso res Anglicas hic procurat, Ogerium rogavi, ut me edocerent, an mos sit Venetis Regi Britanniarum Serenissimi tantùm, an & Potentissimi dare elogium. Dixerunt se in Angliam scripturos, mihique significaturos quod intellexerint. Ex eodem illo Legato didici, mitti Hamburgum D. Anstruterum, quod & ipsum gaudeo, cùm norim ei viro magnam esse rerum Germanicarum peritiam, & non minus studii ad juvandam rem Protestantium communem. Sæpe is mihi conqueri solebat, omnia sua consilia per Duglassium destrui. Ex Anglia Blonii literis disco centum millia florenorum ad Palatinum mitti. Legati quater tantum credere nos jubent. Postquam Njeuburgum ab hoste derelictum insederat Dux Vinariensis, obsidere cœpit Friburgum nobilem Brisgaviæ urbem. Octavo die machinis ita verberata est, ut aditum daret oppugnationi, quæ nono die facta est, & fortiter repulsa, favente defensoribus edito muri lapidei situ. Sed cùm & alteram oppugnationem, & multo magis cuniculos, qui sub murum ducebantur metueret Præfectus, ad pacta venit, quæ à Duce quidem Vinariensi signata, sed eo absente ab ejus militibus, pridem desuetis imperia pati, magna cum infamia violata sunt, multa in milites hostiles, & in paganos cæde. Quod pro merito graviter fert Dux, vultque primorum pœna redintegrare disciplinam sanctimoniamque fidei. Nondum eò pervenit Guebrianus, quæ mora dici non potest quantum adferat pulchrè dantibus se occasionibus detrimentum. Dux Rohanius cùm vulnera ejus nihil habere periculi viderentur, eo ipso tempore cùm glans plumbea de pede ejus eximebatur, attonito corporis stupore, quam apoplexiam medici vocant, occubuit. Comitis Arcurtii cum vidua Puilaurentii matrimonium firmatum nunc est, adferetque feminæ splendorem è Lotharinga Domo, Cardinali ejus avunculo subsidium non leve in virtute novi affinis, ipsi marito dotem opimam ex Puilaurentii spoliis. Commeatus quos jussu Lotharingi Ducis Tannum contulerat Mercius ut Brisaci necessitatibus subveniret, adhuc Tanni hærent, viam obstruentibus Ducis Vinariensis militibus. Crescunt interim coëuntque hostium copiæ, tenentque se citra Mœnum & Nicrum ulteriora tenente Vinariensis equite. Imperator ad Helvetios leniùs quàm ante scripsit, ita ut in alto ventus est vela vertens. Monet rogatque, ne antiqua cum Austriacis federa, se ea quàm maximè servari cupiente, corrumpant. Helvetiorum Pontificii qui sunt tum diligenter cavent, ne quid inde ad Vinariensis castra perveniat, tum militem Hispanis ad bellum Italicum subministrant. Bellum in Italia Gallis non optimè procedit. Timetur Casali. Cardinalis Valetta, cui id bellum mandatum est, in itinere est illuc. Est in hac Aula Montispellicardi Cancellarius, conquerens stipendia per annum & ampliùs non soluta, magno cum oppidanorum metu. Filius meus maximus natu literis & ipse arma prætulit, militiamque sumit sub Smidsbergio egregio Duce, minimus meorum in comitatu est Ducis Vinariensis, medius jurisprudentiæ dat operam. Nihil magis optem, quàm in eo quod quisque elegerunt vitæ genere, eos ab ipsis processus fieri, ut aliquando possint Regno Suediæ esse non inutiles. Ita ipsis bene sit, sicut ex animo opto, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati res prosperrimas. Lutetiæ $\frac{24}{14}$ Aprilis 1638.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DVx Vinariensis, nondum quanquam acceptus è Gal- 948
lia auxiliis, haud sanè cessat. Friburgum Brisgaviæ octavo postquam obsederat die machinis verberavit, ita ut locus pateret oppugnationi, quæ die nono instituta est. Defensores eam repulere fortiter, adjuti ejus muri, qui urbem lapideus ambit, celsitudine. Sed cùm a cuniculis eundem murum suggredientibus motus esset, fecere deditionis pacta, quæ à Duce signata quidem sunt, sed, per ejus absentiam & militum malos mores, fœdè violata, trucidatis & hostium militibus & paganis. Tam insignem imperii irreverentiam, pollutæque fidei libertatem gravi in primores supplicio Dux scribitur vindicaturus. Coëunt interim hostes, tuti adhuc interjecto inter ipsos & latè cursantem Vinariensis equitatum Nicro Mœnoque. Et Helvetiorum Pontificii ne quid inde ad Ducis castra perveniat anxiè cavent. Scripsit ad commune Helvetiorum Imperator literas multò quàm ante leniores, salva fore federa pollicens, si mutua ipsis cura sit. Eunt ab iis & Rhætis quotidie milites ad bellum Hispani per Italiam, cui se oppositurus Cardinalis Valetta jam hinc abiit. Dux Rohanius, dum glandem plumbeam filii de pede eximi curat, apoplectico stupore correptus exspiravit magno Protestantium cum dolore, non item Aulæ hujus, cui vivebat suspectus exsul. Commeatus in Brisacum inferre Mercius, à Duce Lotharingo missus, non potuit hactenus. Lætus ex Angliæ Legatis intelligo Hamburgum mitti Anstrutherum, cui multus usus rerum Germaniæ, tum animus Domui Palatinæ ac Protestantibus optimè volens. Iidem Legati Palatino Principi dari ajunt CCCC florenorum millia, cùm non nisi centum dari nuntient ex Anglia literæ. Forbesius, qui pro Rege Polono hic est, Regi Galliæ significavit sui Regis studium pro pace: oravit autem Galliæ Regem, ut tuti itineris literas pro Ferdinandi III. Legatis det tales, quales Ferdinandi II. Legatis daturus fuerat, parique modo potestatem agendi det Legatis suis. Id eò pertinet, ut Imperatoris nomen ei detur. Respondit Rex, quominus procedat id negotium penes se non stare, qui paratus sit Coloniam Legatos mittere, ubi Rex Hispaniæ tuti itineris literas dederit pro Legatis Batavorum quales Batavi poscunt: Rex autem Hungariæ tum pro Suedis, tum pro Legatis Ducis Vinariensis, Viduæ Hassicæ, aliorumque Principum & Civitatum, quos Rex per Germaniam socios habet. Id responsum datum VI mensis hujus. Gaudeo discere è literis tuis datis $\frac{1}{11}$ Aprilis Cracovium mitti Hamburgum, utinam iis cum mandatis, ut brevi peragi possit aliquid. Legati qui hic sunt Hassici si pecuniam impetrent, ostendunt se in societate mansuros. D. Bielchii periculo moveor, quem ex literis cognovi virum literatum, prudentem, cordatum. Suedici dilectus novi si citò ad D. Banuerium venerint, Galassio jam pedem referente, via haud dubiè in hostilicum illi patescet. Transamasiana loca ut infestoribus liberentur, meritò optat vicinus malo Oldenburgicus & pro eo consanguineus Daniæ Rex: sed tempora ut nunc sunt sperari id vix sinunt. De Ioannis Darmstadiensis itinere eadem est Comitis Licestrii quæ tua conjectura, nihil eum effecturum putat. Cunctationes Batavorum meliùs abrumpere non poterit Princeps Arausionensis, quàm si in apertum educat militem. Necessitas semper optima consilia illis populis suppeditavit, quorum lenta ingenia trahas faciliùs quàm ducas. Reperientur stipendia militi, ubi sine gravi periculo differri nequibunt. De vectigali Prussico non caret veri specie quod futurum aliquando suspicaris. Satis justas habet in Polonum Suedia belli

belli causas. Sed dum ipsa bello Germanico manet implicita, bene facit, quod aliorum motus speculatur, suamque vim in liberiora tempora reservat. Inclemens est Comitis Hanoviensis scriptum in Ramseium: sed Ramseii, ut olim, Callisthenis vox carceri includitur. Itaque sustinenda erant judicia, donec liceat ἀμφοῖν μῦθον ἀκοῦσαι [*amborum orationem audire*] Magontiacensis si in Hispaniam it non circumstrepetur belli sono:

"Οὔρεα πολλὰ μεταξὺ θάλασσά τε ἠχήεσσα.

[*Multi montes intermedii sunt, mareque resonans.*]

At Wittenbergicus si domi se tenuisset, exspectare potuerat multas in melius fortunæ conversiones. Nunc ipse se, insolitum Principibus, dat obsidem. De interceptis à Duce Vinariensi literis, præter illas ab Heilbrunna, quarum summam retuli antehac, nihil intellectum mihi. Omnia felicissima tibi tuisque opto, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Aprilis 1638.

Excell. Tuæ omni observantia advinctus H. G.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Potentissima ac Serenissima Regina, Domina Clementissima.

949 FActum est quod Augusta Majestas Tua imperaverat: Regem adii die Aprilis $\frac{7}{17}$, dixique ei, aperire se hunc annum ipsi cum victoriis & federibus. Sperare me & ex victoriis victorias, & ex federibus federa porro nascitura. Significatam jam ei per Davausium perfectionem pactorum Wismariensium, novis quibusdam additis, accommodatis ad præsentia tempora. Tuam Majestatem tum eo nomine gaudere, tum ipsi gratulari, optareque ut hæc res magnos ipsi ac gloriosos pariat successus. Omnino propositum Tuæ Majestati implere singulas partes, neque dubitare eam, quin idem sit Regi animus, ac quin curaturus sit, ut omnes qui ei parent, pro mandatis partibus effectu dent ea quæ Regis optimæ fortissimæque voluntati congruunt: præsertim in eo capite quod ad bellum è Gallia in Germaniam transportandum pertinet. Bene se dedisse initia Ducis Vinariensis, sed ad res magnas agendas magnis ei copiis opus. Dum ex tardè procedunt, & tenues pro Regis magnitudine, datum tempus hostibus contrahendi undique vires & illuc trahendi. Nisi & festinetur magis & augeantur auxilia, non perituras tantùm occasiones, sed & jam pacta in periculo fore. Intellectum præterea Majestati Tuæ facere Regem, quod eum qui non nomine tantùm, sed & re sit Christianissimus deceat, cùm cuncta armorum suorum consilia ad pacem refert, sed pacem æquam, honestam communem ac per hoc tutam. Eodem spectare Majestatis Tuæ curas ac molitiones multò quàm ante majores mari ac terra, pedite & equite. Quod Rex suaserit pacificatricem admitti Venetorum Rempublicam, nec in eo refragaturam ipsi Tuam Majestatem, dum ab ea Republica is habeatur honos Majestati Tuæ quem haberi par & æquum est. Cùm verò ad pacem viam parari posse Rex judicaverit per inducias longi temporis, in eo quoque ostensum voluisse Majestatem Tuam, quantum Regis prudentiæ tribuat, potestatem mihi eo de negotio agendi & ad id præformandum paciscendi quæ opus est cum his quos Rex voluerit delegare. Hæc cùm dixissem, tradidi Regi Majestatis Tuæ literas, addidique, si scivisset Majestas Tua spem quam nobis Deus daret sobolis ex Rege & Reginæ Galliæ conspiciendæ, haud dubiè & gavisuram eam fuisse, & mihi injuncturam officium ejus gaudii significandi. Quod ego optassem antehac, Regique enuntiassem, idem scire me optari à Majestate Tua, à Suedis denique universis, ut diu Galliam regat Ludovici Sancti, Henrici Magni ac Ludovici justi posteritas; ac sub ejus imperio Gallia proficiat ad sanctitatem, crescat magnitudine, justitia conservetur. Non aversus audiit hæc Rex, jussitque indicari Majestati Tuæ, certam jam rem esse de Reginæ utero. Ad cætera orationis meæ respondit, gratam sibi consummationem pactorum Wismariensium: ac velle se cuncta sua ex parte impleri, neque aliud se sperare de Tua Majestate. Ad Ducem Vinariensem jam ire Guebrianum: scire se quantum intersit ejus virtutem foveri, & insurgentes contra hostium vires retundi. Itaque non omissurum se in dies magis ac magis augere copias, conatusque ejus omnibus modis adjuvare. Rogare se vicissim, ut & Majestas Tua, quantum fieri potest, maturet incrementa suis mittere exercitibus magna. De Venetis ita se sperare, nihil eos facturos quod lædere possit splendorem Majestatis Tuæ, atque eam ad rem suam quoque curam non defore. Negotium mecum de induciis agendi daturum se Chavigniaco. Inquisivit de Bannerio. Dixi brevi me sperare nuntios de ipsius in Silesiam aut alia Austriacis possessa ingressu. Post hæc uxor mea Reginam Galliæ vidit, ut ratio fert prægnantium, bene valentem atque hilarem. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina clementissima, Majestatis Tuæ vitam, valetudinem resque omnes tueatur ac foveat. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1638.

Tuæ Majestatis Augustæ subditus obedientissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SVmmam ejus sermonis quem cum Rege habui, ad 950
Reginam Dominam nostram perscripsi. Non tacui, in tractatione federis Wismariensis plurimas se obtulisse difficultates, partim ex negotii natura, partim ex iis incommodis quæ pupillarem Regum aut Reginarum ætatem comitari solent: quæ superatæ non sint sine maximo labore Tuæ Sublimitatis, id unicè studentis ut Suedia Galliaque inter se propiùs nectentur. Moram insumpti in hoc temporis repensatam admirabili consensu, non Rectorum tantùm, sed & omnium Suediæ Ordinum. Majores esse belli paratus, quàm in Suedia à multo tempore spectati auditive fuerint. Vultum auctoritatemque Sublimitatis Tuæ non utilem modò fuisse, sed & necessarium illis in locis. Nunc postquam fortiora consilia publico decreto firmata sunt, sperare nos futurum, ut eadem Sublimitas Tua se in Germaniam transferat, bellumque sibi mandatum è propioribus locis efficaciùs gubernet. Quæ omnia à Rege lætè accepta, addito testimonio quale Tuæ Sublimitatis eximiis virtutibus perhibere semper solet. Regina quin prægnans sit, motus infantis dubitari ultra non sinit. Putatur postquam partu soluta fuerit, venturus huc ad gratulationis officium ab Hispania Legatus. Id si eveniat, puto eum mihi salutandum fore, quia bellum nobis nullum cum Hispania intercedit, imò etiamsi intercederet, nisi aliud Sublimitati Tuæ videatur. Nudiustertius ad me venit Chavigniacus: multum asseveravit lætari Regem de perfecto federe: ab ipso neque ad mittendas ratihabitionis tabulas, neque ad persolvendam quæ Majo deberi incipiet pecuniam nihil moræ fore. Cùm dixissem ei habere me à Regina potestatem agendi de iis quæ ad ea cum ipso, quem Rex ad id delegasset paciscenda, quæ ad obtinendas inducias in commune utiles aut non damnosas pertinent, quæsivit an & potestatem haberem ipsas inducias pangendi. Dixi si priùs inter nos de necessariis convenisset, & aliquis huc veniret ab Imperatore tali instructus potestate, qui cum pro Suediæ Regno, conjunctis quidem cum Gallia consiliis, sed propria tamen pactione transigere id negotium possim, habere me & ejus rei facultatem. Dicebat ex D. Schmalchii cum D. Cardinali sermone inopinatum id sibi evenisse, quod videremur sperare tantùm à Rege per inducias quantum ad bellum gerendum promisisset Rex. Non dubitare se quin ipse ego id ab æquo abire sim judica-

Digitized by Google

dicaturus, cùm & longæ futuræ essent induciæ, & impendia non comparanda. Respondi per inducias manere bellum, mansura & nobis belli onera, imo & graviora fore, ideo quod sine magnis copiis servari possessa nequirent. Commodum autem per latam agrorum insessionem alendi militis nobis decederet, cum ea locorum esset ratio, ut cuncta ferme essent limitanea & hosti exposita, præsidiis ferme tantis opus fore, quanti nunc essent exercitus. Putante illo in pactis induciarum convenire posse de numero militis habendi in finibus, dixi id nobis non magis tutum fore, quàm Batavis fuisset, qui per inducias antehac factas necessarium judicassent servari sibi libertatem quanto vellent milite fines suos tutandi: quam etiam ob causam Rex Henricus Magnus, & qui nunc feliciter regnat eadem liberalitate res ipsorum per inducias sustentassent, quàm bello impenderant. Et cùm ille regereret tutiores fore has inducias propter numerum magnitudinemque paciscentium, dixi tam longè à sociis nostris abesse quæ nos teneremus, ut adversùs subitas hostium insidias, non in ipsorum ope, sed in nostra vi ponenda nobis securitas esset. Tandem eò venit, quemadmodum & D. Cardinalem fecisse ex D. Schmalchio intellexi, ut diceret posse eò perduci Regem ut aliquantum daret, puta CC Imperialium millia, magna Regis onera plurimùm attollens. Ego contra eum rogavi, ut sua gratia Regem permovere vellet ad plenam illam pecuniam fœdere Wismariensi promissam, cùm mandata nobis data etiam ampliùs postulari vellent. Neque Suedos ita appetentes esse induciarum, ut eas gravi suo cum damno aut metu velint emere. Ostendi deinde in pactis adjectis ad explicationem fœderis Wismariensis illud quoque comprehendi, ut bellum Rex magna vi in Germaniam transferret. Quod id non tempori satis nec viribus quantas res exigebat factum esset, eò res nostras immensò factas deteriores. Ad id dixit, Guebrianum jam ivisse ad Ducem Vinariensem cum quinque millibus. Secuturum Ducem Longavillanum cum decem peditum quinque equitum millibus, non verbo sed reipsa. Ei dari negotium ut Duci propinquet, neque tantùm subsidio sit adversùm pericula, sed & Rhenum transeat si bene res gerendi se ostentet occasio. Hoc postremum à nobis optari, & congruere non spei tantùm nostræ, verùm & pactionibus demonstravi. Cùm delapsi essemus ad sermonem de tuti itineris literis, dixi Reginam nostram contentam fore paribus literis, quales Rex acciperet, & pares etiam daturam. De Imperatoris vocabulo ita loquebatur, ut vellet intelligi se de eo non ultra certaturos. Tum verò si Imperator adduci non posset ut Hassiacam Vinariensem & alios Suediæ Galliæque socios pacisci secum pateretur, satis fore si eorum Legatis iter tutum promitteretur ad ea loca in quibus futuri essent Suediæ Galliæque Legati, ut cum eis colloqui, & per eos desideria sua nota facere possint: quam viam mediam dixi nostris quoque non displicituram. Cùm interrogaret ecquid aliud esset præformandum, dixi me ad ipsum ubi vellet allaturum potestatis mihi datæ literas; ipse pares se obtenturum à Rege dicebat. Deinde me propositurum ordine, quæ in mandatis haberem: hoc tamen in antecessum dicere non abs re judicavi, cùm Rex voluntatem suam significasset Reginæ nostræ, laborandi in id ut Reginæ Pomerania per inducias maneret, de ea re, deque retinendis aliis possessis, nisi commodum possidendi permutationis aliquid exigeret, constituendum aliquid certi inter nos fore. Cùm verò Rex jam discesserit Chantiliacum, inde porrò iturus compendium aut ultra ad lustrandas copias suas, incertus Chavigniacus quando eum deberet subsequi, locuturum se dixit cum D. Cardinali, deinde significaturum se mihi, quod nondum fecit, ante discessum suum, an post reditum inchoanda essent colloquia inter nos, ad quæ venturum dixi mecum D. Schmalchium, ut & ea quæ coram in illis locis didicit subjiciat nobis, & certior aliquando testis in Suediam referat, Gallorum pro salute ac commodis fiduciæ curam socialem. Ad hoc quoque colloquium vocaveram D. Schmalchium: sed cùm Chavigniacus post condictum diu moraretur, & multa jam vespera non videretur venturus, abierat à me D. Schmalchius, paulo antequam veniret jam non exspectatus ultra Chavigniacus. Guebrianus alta usus est ut Gallos suos ad Rheno propinqua duceret, famam spargens ire se ut Ioannem Waertium in manus acceptum in Galliam pertraheret, quo nihil lætius audiri dici potuit. Dux Carolus Vesontione ingens periculum adiit vitæ percussoribus aliquammultis, unde immissis haud dixerim, carrucam ejus aggressis. Dolet mihi quod in rumusculis hic editis culpa violatæ Friburgo fidei in Suedicæ gentis milites rejicitur. Sed ita vulgo appellari solent omnes qui signa Vinariensis sequuntur. Gottus habere jam secum XV millia scribitur: & Mercius qui Brisaco subvenire speraret, non posse diutius hærere illis in locis multarum rerum penuria. Dux Vinariensis si Rex ei det X millia peditum, equitum tria, Brisacum se dicit capturum. Sed quia non explicat, capta urbs in cujus sit futura potestate, negligenter ea res a Gallis curatur. Interim accepit Dux de pecunia sibi ex pactis debita CCCC millia florenorum, magno usui haud dubiè futura. Marescallus Castilionæus profectus jam est ad limitem, habiturus secum ad XVI millia, inter quæ erit equitatus externus, rectore Degenfeldio. Etiam assignationes datæ Heusdio pro Batavis. Et Hassiacæ in ut ante annua CC millia Imperialium puto promitti. Quæ Suediæ ex fœdere Wismariensi deberi modo incipiet pecunia, eam ipso tempore solutum iri Chavigniacus dixit, Heusdius intra mensem quartum. Exspecto ab amicis exempla quædam literarum tuti itineris pro Legatis, factarum aut olim, aut conceptarum dum vivebat Ferdinandus II. Rodericum juvenem Ducem Wittenbergicum morbus incessit tam gravis, ut & mentem imminuerit. Sed multò imminutioris mentis esse videtur ejusdem domus Dux Everhardus qui Viennam se contulit. Palatino venisse ex Anglia CC millia florenorum intelligimus. Parum ad tanta molimina. Gaudeo intellexisse me ex D. Schmalchio levari nos labore urgendi Gallos ad bellum Imperatori indicendum, & ad urgendos eos ut definitiùs quàm lubet loquantur de numero militum ad res Transrhenanas, & de Meppa commentum placet. Ut aliquid de literis adspergam, quarum summam semper curam scio fuisse Tuæ Sublimitati, parant Berneggerus Professor Argentorati, vir, si quid mei judicii est, totius Germaniæ doctissimus, & Frinshemius ejus gener scriptis clari ambo, quorum quædam etiam sub æternum victuro Sublimitatis Tuæ nomine leguntur, editionem Taciti, magnam, utilem cum paraphrasi quadam, & contractis tot interpretum notis. Res est magni sumptus lucri exigui per hæc bella musis inimica. Cùm D. Mochelius favens eorum conatibus spem eis fecerit posse Suedica liberalitate tam pulchros conatus juvari, ut ipsi ad me perscripsere, non potui pro mea vetere in literas observantia, non meas quoque si quid valent, preces ad id obtinendum adjicere. Spero confecto jam fœdere Wismariensi, firmiorem Suedos inter Gallosque amicitiam mihi quoque ad faciliùs quæ mihi incumbunt curanda profuturam. Quod opto simulque, Excellentissime ac Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Aprilis 1638.

Forbezius Poloni Nuntius Viennam se confert. Misit jam ad me D. Chavigniacus ut cras colloquamur. Condixi locum apud ipsum & horam ei commodam. Scriptum Calendis Maii novi Calendarii. Fieri potest ut Reginæ uterus Cardinalem impellat ad obliquandos sinus mutandaque consilia. Helvetii sibi timentes nullum ultra à se militem patiuntur discedere.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDO-

Digitized by Google

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

951 ET ego & D. Schmalchius sedulo laboramus, ut & bellum impellamus ex hac parte, & simul ad inducias, si quæ se ostendant, paremus quæ sunt necessaria. Vtrunque satis pulchrè procedit. Guebrianus cum IV millibus aut paulo ampliùs, puto, jam apud Ducem erit Vinariensem, decepto milite quasi ad Ioannem Waertium accipiendum & in Galliam perducendum irent. Dux Vinariensis si ei dentur à Rege peditum decem, tria equitum millia, non dubitat quin Brisacum obsidione sit capturus. Id consilium an placiturum sit Gallis videbimus. Mittetur certè brevi in illas partes Dux Longavillanus cum tantis quantas Vinariensis expetit copiis, subsidio ipsi adversùs pericula futurus, fortè & progressurus longiùs, si occasio traxerit. Ducis Lotharingi quæ non longè à Brisaco abfuerant copiæ, victus penuria cessim ivere in Burgundiæ Comitatum: & ipse Dux Vesontione cùm ageret in carruca sua vitæ suæ periculum à percussoribus nescio unde immissis adiit. Missa ad Ducem Vinariensem ex veteribus pactis CCCC florenorum millia, parantur pecuniæ & Suedis & Batavis & Hassis ex factis conventionibus. Neque dubito quin ad exemplum Angliæ aliquid daturi sint Galli & Palatino. Castilionæus abiit in Belgicum finem arma illaturus, cum XVI hominum millibus, in quibus erit equitatus externus Duce Degenseldio. Princeps Condæus cum bono exercitu ad Navarræ est limitem. Erunt alii sub Lafortio & Brezæo. Ad inducias via struitur, perductis jam Gallis, ut Ferdinando III. non negent Imperatorium nomen, nemine Germanorum id in controversiam vocante, Ferdinando autem, ut velit tutum iter polliceri Legatis Hassiacæ & Vinariensis & si qui sunt alii Gallorum Suedorumve socii, ut scilicet veniant eò ubi futuri sunt Suediæ Galliæque Legati & per eos desideria sua proferant. Ipsæ tamen his de rebus formulæ nondum ad manus meas pervenere. Est autem cur speremus, si ad inducias venitur, Regem Galliæ Suedis ad omnia æqua obtinenda adjutorem fore: & ad custodienda quæ Suedi tenent, aliquid collaturum pecuniæ. Rex ipse Chantilliaci venatur: inde ibit ad Compendium, aut ultra, lustraturus suos exercitus. Regina, ut captus est prægnantium, bellè valet. A Constantinopoli literæ credere nos jubent & Transilvaniæ Principem Turcæ conciliatum, & bellum ibi in Persam redintegrari. Ingentem è Moscovia captivorum numerum, nec paucos è Cosaccis abductos à Tartaris. Sicut magnum hic est gaudium de confecto Wismariensi fœdere, ita multum exspectatur nuntius de Suedorum supplementis quæ in Germaniam ventura sunt. Proximum ab hoc votum est Gallorum, ut festinent se movere Batavi. De rebus cunctis quæ aut nunc aguntur aut imminent, prudentissimè judicant literæ tuæ datæ $\frac{7}{17}$ Aprilis. Hanovia videtur in Comitis mansura potestate, sine Cæsariano præsidio. Sed ut Comiti hinc pecunia detur, vix sperandum est. De Vlma pridem nihil habemus explorati. Illud de Hungaris utroversum cadat, multum refert. Itaque siquid intelligetur, doceri gaudebo. De literis tuti itineris pro Batavorum Legatis, puto cessurum Ginettio Cardinalem Hispanum. Vt Hamburgi cum Anglis fœdus aliquod fiat, quamdiu illi ultra Lutetiana pacta nihil offerunt, difficile erit. Poterit fortè cum Palatino, qui jam in causam descendere incipit, aliquid confici. Batavorum bellum ejus est generis, ut pace finiri vix possit. Per inducias suspendi, iisque, ut apud Helvetios evênit, productu sæpius, obliterari potest, si modò id ipsorum rebus convenit, quod multas inspectiones recipit. Cæterùm video tecum eos perstare in fugiendis consiliis quibus cùm Germanis commercia ipsorum interire possint, aut imminui. Ita ingenium est ejus gentis, in qua plurimum valet Mercurii natio. Dunquercani quin insidientur alicui Galliæ portui dubitandum non est; quò magis laborandum etiam Gallis, ut ab ista tam noxia hominum colluvie mare purgetur. Neque res esset difficilis si & mari Batavi & terra Galli id agerent. Sed & sequior Principis Arausionensis valetudo, & Batavorum cunctatio incommodè his temporibus intervenit. Pecuniam Batavis non superfluere satis credo. Sed id quod Suedis aut dant aut promittunt pro exiguo duci debet, si comparetur cum eo onerum incremento quod sensuri sunt Batavi, si semel Suedi se bello subduxerint. Brasilianum illud certamen illum in modum componi debuisse semper sum arbitratus: & nunc factum gaudeo: ut & de Meppa. Multum etiam juvabit me scire quæ ferat Wolfius. Nam quin Hassica societatem Galliæ simul Suediæque, rebus Vinariensis tam bene procedentibus, tanto per utrunque Regnum belli paratu, prælatura sit iniquis, cusis à Darmstadiensi, conditionibus, neque res ipsa nos sinit dubitare, neque ii qui hic res Hassicas agunt. Batavi nec quæ trans Amasium tenent omissuri sunt, neque exacturi, puto, ab aliis quod ipsi facere nolint. Est autem ea Regio bellum in Germaniam parantibus opportuna, jam inde à Romanis temporibus. Quò injecturæ se sint Galassii copiæ, quò Banerius, brevi apparebit, & inde lucis aliquid nobis erit ad futuri judicationes. Et Saxo & Brandenburgicus & qui cum illis societatem Suedicam in hostilia mutarunt, satis pœnarum ferent, relicti suis consiliis, & quod voluerunt servitio, miserante nemine. Iubeamus illos miseros esse libenter. Palatini Principes, ut audio, Regem accedent, eruntque tecto capite, cùm eum alloquentur Angliæ Legati, qui honos etiam Ducibus ac Paribus Galliæ, tali tantùm tempore, conceditur. Forbeschius Poloni Nuntius Viennam se confert. Opto Tibi ac Tuis valetudinem aliaque cuncta prospera. Lutetiæ $\frac{20}{30}$ Aprilis 1638: & maneo Illustrissime Domine,

Excell. Tuæ singulari studio addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eruditissime,

HÆsitavi sæpe in inquirendo sensu loci nobilis Deuteron. XVII. 12. neque dum satis me expedio, lectis & relectis quæ alii, quæque ego olim eum in locum annotaveram. Nam si de magno Synedrio capiendus is locus, cujus authoritati parendum in omnibus controversæ interpretationis aut consuetudinis fuerit ad evitandum schisma, quod velle videtur Maymonides, quæro cur Sacerdos nominetur, qui non necessario pars erat magni Synedrii, tum verò judex an sit extraordinarius aliquis rector excitatus divinitus quales in libro שופטים memorantur, an ipse נשיא Synedrii caput: tum verò cur disjunctè nominantur Sacerdos & judex, an ad tempora distinguenda, quia extraordinarii illi rectores non semper fuere, an ad discernenda controversiarum genera, ut II. Paral. XIX. 11. Velim etiam doceri, an extraordinarii illi rectores pars Synedrii fuerint, an res debuerint gerere ex Synedrii sententia, cum Spiritu Divino ducti videantur: An verò dicendum, verene à Deo agerentur, nec ne, id ipsum cognitionis fuisse Synedrii. De his rebus rogo Manassem Israëlidem, à me officiosè salutatum, meo consulas nomine, mihique ipsius sententiam, si id obtineri potest ab ipso perscriptam mittas. Habebo id magni beneficii loco. Tua de Idololatria, Salmasiana de usuris, Heinsiana ad Novum Testamentum exspectamus. Vale vir eximie. Lutetiæ 30 April. 1638. 952

D. SAL-

CLAVDIO SALMASIO.

953 GRatiam tibi, Vir magne, magnam habeo pro misso ad me libro de Vsuris. Rependisti nobis usuras sanè graves pro eo, quo novi abs te aliquid exspectavimus, tempore. Neque verò pro libro tantùm donato debitorem me tibi profiteor, sed & pro tam multis, quæ nos doces in opere plenissimo eruditionis sacræ, profanæ, Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Arabicæ, rerum vocumque ditissimo penu. Illud verò non in meriti mei, sed in singularis tuæ adversùm me benevolentiæ testimonium accipio, quod mentione mei tam benigna me honestaveris. De argumento ipso sic mihi videtur, esse rei cujusque, operæ etiam, & usus rei, pro tempore quoque ac loco, justum quoddam pretium; quod quanquam ἐν στιγμῇ [*in puncto*] definiri nequit, non tamen in immensum patet. Pretia rerum non ex affectu aut utilitate singulorum, sed communiter fungi dixit Paulus Iurisconsultus; & alibi, non affectiones æstimandas, sed quanti quidque omnibus valet. Ad id pretium æstimationes, in familiis herciscundis, in communi dividundo faciunt boni judices. Contrahentes sæpe eum egrediuntur modum. Ea est, ut ait scriptor vitæ Isidori, ἀδικία ὑπὸ μὲν τοῦ νόμου ἀφειμένη [*injustitia à lege quidem permissa*] plerumque scilicet, τὸ δὲ δίκαιον ἀνατρέπουσα [*æquitatem verò subvertens*]. Eget vicinus aliquis ob caussas necessarias, parte soli mei quod mihi sit pro supervacuo. Id videns, si ei supra quàm quanti communiter tantum est soli indicavero, transgredior officii limites. Venit externus aliquis ob negotia, & domicilium non invenit. Ego, qui habeo, pensionem ab eo posco prægravem: non facio, quod viri est boni, maximè Christiani. Neque enim in lucrum arripere debeo alienam necessitatem. Ante Diocletianum per Leges Romanas licebat rem, venditoris rebus ita ferentibus, emere infra dimidiam veri pretii partem. Non tamen id fecerit ante eam legem vir probus: ac ne nunc quidem post eam legem faciet, ita ut tertia pars justi pretii venditori absit; quod lex ista, quam & in cæteris contractibus horum temporum leges imitantur, concedit. Nimirum leges civiles noluerunt ista ad vivum resecare, ne quovis prætextu contractuum laboraret fides: neu litium cresceret numerus, ut solent ad multa mala connivere mali alterius vitandi causa, sicut ad divortia lex Mosis, ad lupanaria multarum civitatum leges. Ne Ecclesia quidem omnia potest sua censura exsequi, præsertim cùm eam non deceat scrupulosè inquirere, quanti res quæque bene aut malè ematur conducaturve. Plerumque ergo judicium id permittendum est religioni contrahentium, qui tamen à piis doctoribus moneri debent, ne quæstui habeant aliena incommoda. Quia verò, ut optimè abs te notatum est, mutuum ad locati naturam proximè accedit, si nempe aliquid mercedis exigatur, hoc solo discrimine, quod in locato species, in mutuo genere idem redditur; facilè, qui æquum bonumque sequi volet, ex altero contractu ad alterum ducto argumento, quid rectum sit, inveniet. Pecunia mea opus quis habet; erat autem ea si mihi mansisset, mihi futura non inutilis, empto agro aut domo fructum datura. Quod ergo ipsius in gratiam eo commodo cariturus sum, id ipsi imputabo. Accedat aliquantulum pro periculo, quod & ipsum æstimari solet in contractu suscepti periculi. Qui multos nummos perpetuo in alienos usus expositos habent, multorumque in id ministerio utuntur, etiam aliquid sinantur addere pro operarum mercede. Quia verò nulla res est cujus sæpius egeant homines, quàm pecunia mutua, & paucissimi sunt, qui æqua usus sibi abscedentis compensatione contenti sunt, eò fieri puto, quod non Latini tantùm, sed & Græci Patres invehantur in malum fœnebre, spectantes scilicet id, quod fit ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerumque*]. Insignis inter alios est locus Chrysostomi in caput ultimum prioris ad Corinthios. Sed hæc haud dubiè tu fusius in altera, quàm promittis, operis tui parte explicaturus es, ac sic facilè omnem præcisurus ansam calumniæ. Præter ea verò, quæ æqui norma præcipit, sunt alia, quæ diligendi proximi officium à nobis exigit. Est cùm vir dives viro bono egenti mutuam pecuniam dare debeat, etiam donandi animo, si ille ad meliorem fortunam non perveniat, quanto magis si quis sortem possit post tempus reddere, non item usus pretium, ab eo, qui in re est opima erit adjuvandus? Et in his quidem officiis ad misericordiam pertinentibus spectari & hoc potest, lucrumne alter ex pecunia mea facturus sit nec ne: in illa autem priore de eo quod per se æquum est consultatione, non quid illi valitura sit pecunia videndum, sed quid mihi eam mutuam danti absit; planè ut in contractibus aliis. Est enim par ratio. Et ob id quicquid in ullis contractibus justum excedit modum à mutuo, ut maximè frequentato contractu, deducta tralatione, usuræ nomine appellatur, ex quo scilicet tempore ipsa usuræ vox, ob vitium quod plerumque ei accedebat, in deteriorem partem sumi cœpit. Nunc aliud est quod abs te discere cupiam. Senarii numeri apud Græcos nota quæ nunc sit, notum est. Sed quæro quæ olim fuerit. Hoc si mihi expedire volueris, efficies ut sæpe te consulam: id novum & inversum erit usuræ genus, non modò nihil tibi pendere, sed & ob id quod mihi benefeceris, sæpius tibi exhibere negotium. Vale, Vir eximie, & sæpe nos scriptis tuis bea. Lutetiæ.... Maii 1638.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

BEllum hic & tenuiter & lentè paratur. Castilionæus equitatus nihil dum habet, peditis promissi vix quartam partem, æger ipse corporis animique. Senex Lafortius in offensam quandam Aulæ incidit: abiit tamen, sed exercitus ejus nondum comparet, ut nec Bressæi. Princeps Condæus in Aquitania omisso adhuc hoste novis edictis auget plebis onera. Longavillanus qui sexdecim millia habiturus dicitur, sex habet. Guebrianus pro sex millibus ad Ducem Vinariensem duo adduxit. Validiores in Burgundiæ Comitatu hostes esse vel hinc apparet, quod Bleteranum hi obsident. Ad partes Metenses iturus dicitur Bressæus: in diversas Picardiæ regiones & Castilionæus & Lafortius. In Italia Bremi deditio expiata est capitali supplicio Præfecti Nantigaliardi nomine, centurionum aliorum exautoratione. In Calabria terra movisse scribitur multa oppidorum hominumque strage. Apud Ardresium à Caleto non longè conspectæ quædam hostium copiæ. Dant mihi spem Angli proprii alicujus cum Suedia federis, quo ad Lutetianum fedus muniatur via, Cum Gallia jam eis satis convenit, & aliquid hinc pecuniæ, præter eam quæ Landgraviæ promittitur, ad Palatinum perventurum non desperant. Vicecomes Turenæ in Leodiensi agro multum jam habet militem & latè per Germaniam grassatur. Sed ea de re scribet qui propior est D. Camerarius. Die Dominica quæ erat convenimus ex condicto D. Chavigniacum, ego & D. Schmalchius super eo quod rogavi primo loco quibus conditionibus Rex ineundas ex parte sua inducias censeat. Si fortè cum Pontificis Nuntio de iis convenerit, vel convenire decreverit, dixit nondum de conditionibus actum, sed qualemcumque induciarum factam mentionem perferri Regem Galliæ ad Reginam Sueciæ voluisse amicè ac socialiter. Esse illud in Induciis velut tralatitium, ut possessa retineantur. Præter hoc injectum sermonem, ut qui rebus suis ejecti sunt Principes ii factis induciis accipiant pro induciarum tempore honesta alimenta

menta sumptu bona possidentium. Videtur ea res Lotharingum & Palatinum maximè tangere, qui totis patrimoniis exuti sunt. Ad quæstionem alteram, quomodo res tractari ac concludi debeat, dixit, placere Regi, non urgere hoc negotium, sed opperiri leniter quid propositi sint, qui se interponunt medios. Ad illud quid faciendum sit pro Landgravia, Duce Bernhardo amicisque aliis generaliter, respondit faciendum pro iis quicquid fieri poterit, intelligendumque ex ipsis sociis qui pro se fieri maximè velint sperentque: Ducem Bernhardum parum amisisse bello: ac multò pluris esse quæ teneat: Hassiæ quod ereptum sit, id aliis per Westfaliam partis compensari. Cùm ad postremam venissem quæstionem, quomodo Regina Suediæ conservari possit in possessione Pomeraniæ & aliorum locorum quæ per Germaniam tenet, ostendit non obtineri ab hoste posse, imò nec honestè ab Rege proponi, ut & Pomeraniæ quæ nobis absunt, redderentur nobis & relinquerentur quæ tenemus alia. Diximus Pomeraniæ aliam esse rationem quàm mero belli jure partorum: titulum enim accedere ex consensu Principis Ordinumque, & Regem ad conservandam nobis Pomeraniam ultro obtulisse operam, ad hoc sperare nos brevi Bannerii virtute reditura nobis quæ per Pomeraniam hostis eripuisset. Hoc verò ille se optare dicebat, &, ni succederet, posse de commutatione aliqua ibi amissorum & alibi partorum cogitari, quod & ego dixi non carere exemplis. Delapsi deinde sumus ad sermonem de tuti itineris literis. Pro Reginæ Suediæ Legatis & ego dicebam tuti itineris literas nunquam ab hoste recusatas: & contentos nos fore paribus, quales Galli acciperent. Indicabat se controversiam de Imperatorio nomine remissuros, si Ferdinandus velit literas dare pro Germanorum Principum qui socii sunt Galliæ Suediæque Legatis, ut & ipsi venire possint tum Coloniam, tum aut Hamburgum aut in urbem aliam puta Lubecam, qui Imperatori simul & Suedis placeret. Instantibus nobis opera ut daretur, quo ipsis illis Legatis agere liceret cum Legatis Cæsarianis, dixit id diu frustra tentatum, ac si repeteretur, nihil aliud quàm inutilem rebus allaturum moram. Ego verò non video quid nobis id nocere possit, quod & Imperator & Galli volunt. Imo ex dignitate esse videtur Regni nostri, ut per nostros proponantur amicorum desideria, & cùm mandata id à nobis concedi permitterent, non existimo esse cur contra tendamus. Post hæc cùm dixissem si nobis Rex vellet edere conditiones aliquas in quas iniri communiter induciæ possent, gratum id nobis fore, dixit ille se nihil habere; sed si quid tale nos perscriptum haberemus, visurum se libenter & ad Cardinalem relaturum. Vt materia disserendi daretur, cœpi ei quæ traditurus eram, undecim nimirum illa capita in mandatis mihi transmissa prælegere, præfatus non eo animo hæc tradi, ut ad singula præcisè ac sine exceptione ulla Regem astringamus, sed ut ipsi quoque sua quoque cogitata explicandi demus occasionem. Sic autem præmolliendum mihi ejus animum censui, quod & ex Cardinalis colloquio cum D. Schmalchio & ex ipsius Chavigniaci sermone, ex ipsius denique rei natura præviderem acerba illis visum iri postulata duo, de pecunia tanta, deque recipiendis per Pomeraniam locis, retentis quæ alibi teneremus. Pecuniæ negotium ut minùs odiosum facerem latè disserui, cùm induciæ rerum retinendarum causâ fieri solerent, non posse à nobis Pomeraniam adeo objectam hostibus & à Suedia mari diremptam contra hostiles insidias tutam haberi, nisi tantis præsidiis qui exercitum justum conficerent. Id autem nobis tunc multò quàm ante futurum sumtuosius, quod per inducias cessatura esset agrorum vicinorum insessio, magnum impendii levamentum: cùm verò Suedia tantæ oneris accessioni par non esset, orare nos ut Rex sua liberalitate nos adjutare pergeret: & exemplum attuli non alienum ab hac re, cùm inducias fecere Batavi, & Regem Henricum Magnum, & Regem hunc prudentiæ suæ conveniens judicasse ut, quo tutiores ab hoste essent Batavi, annuum illic per inducias darent quantum sufficeret x millibus militum alendis, quæ ferme pars tertia esset earum copiarum, quæ eo tempore sub signis habuere Batavi. Si rectè cuncta expenderentur, repertum iri rationes ejus quod nos peteremus, ab eo quod tunc ex usu esse communi existimatum est, non esse dispares. Tum verò in nostro, tum in Hassico negotio, arbitrabatur iniquum fore, ut plus per inducias haberemus quàm fortuna belli nobis dedisset, nisi commutatio, ut ante dictum fuerat, fieret aliqua. Illud verò de satisfactione à Protestantibus danda Suediæ, & de restituendis Principibus dejectis, satis intelligebat ad pacem potiùs quàm ad inducias pertinere: sed dixi non absurdum fore, ut etiam ante inducias certa fieret Suedia quorsum sua ad pacem consilia dirigere Rex vellet, & quousque nobis commodare. Hæc quæ perscripta dedimus Cardinali se missurum scripsit Chavigniacus, iterumque ea de re interpellatus à D. Schmalchio, qui scripturus est ipse, sumpsit ad respondendum tempus non longum. Discedere autem eum cras ad Regem & Cardinalem audio. Id responsum ubi acceperimus, tum verò dabitur nobis judicare bellumne prælaturi sint ob suas utilitates non leves qui res hic digito temperant, an Reginæ prærepturi honorem induciarum pacisve procuratæ, cui quidem Reginæ quantum crescit uterus tantumdem crescit auctoritas & apud Regem gratia. Idque vel imprimis in causa fuisse creditur, cur Rex ab ea abstraheretur, specie lustrandarum apud Compendium copiarum. Regina mihi crastinum dedit diem, ut ei gratuler de spe prolis, prosperamque fœcunditatem exoptem. Res atrox his diebus Lutetiæ accidit, quæ potentiam Millereii Cardinalis propinquitate subnixi, ac per se minimè popularis novo gravavit odio. Consobrinus Millereii virginem divitem noctu cum armatis quadraginta, exutam vestibus præter interulam, quod cubitum ire pararet, invitam eripuit matri lamentanti, multumque verberatæ, & in carruca eam præsidio militari circumseptam Corbiam abduxit, ubi ille cognatum habet Præfectum. Non multò ante ejus virginis frater unicus ac cohæres in eadem hac urbe trucidatus fuit, conspectusque inter percussores domesticus quidam hujus raptoris, Doradoris nomine. Qui hic res Hassicas agit, eum videre non potui, quod ad me ita ut moris est non miserit, Gallorum fortè consilio. Si quid ad Batavos pertinens inciderit, de eo agam cum Heusdio, communi & Suediæ & Batavorum ministro, quando Osterwyckius mihi, quomodo debeo, tueri dignitatem meam mihi non permisit. Super re Veneta adhuc ab Anglia responsum exspecto. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, belli pacisque negotia ad gloriam Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis favens gubernet. Lutetiæ 7 Maii Novi Cal. 1638.

Vectigalia & reditus quæ habemus in Pomerania & Wismariæ ut retineamus per inducias non iniquum censebat Chavigniacus. Suspectus mihi nonnihil est qui exspectatur adventus huc Cardinalis Biquii. Rex dum lustrat copias multas cohortes, etiam prætorias suas reperit bene inanes. Castilionæus videtur iturus in Flandriam ubi plenus erit ejus exercitus. Machinas habet multas. Forbesius qui pro Polono hic fuit, Principem Casimirum comitabitur ad iter Hispanicum & Italicum.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Laboramus hic & ego & D. Schmalchius, tum ut 955
Hamburgum mittatur instrumentum, quo rata fiant

quæ ibi convenere, tum ut suo tempore, id est propediem, Amstelodami numeretur ea de qua convênit pecunia. In neutro moram fore promittit D. Chavigniacus. Exspectamus & responsum super iis quæ ad pangendas inducias ex usu communi præmittenda duximus. Puto autem futurum, ut & Ferdinando det Rex Galliæ nomen Imperatoris, & hic vicissim Germaniæ Principibus, Suediæ Galliæque sociis, det tuti itineris literas ad duos super pace futuros conventus, Coloniæ alterum, alterum aut Hamburgi aut Lubecæ. Audimus etiam pro Batavis similes literas dari à Cardinali Hispano, sed his ut ipsi pro se paciscantur, cùm Germani sua desideria per Gallos Suedosque sint prolaturi. Lentè adhuc bellum his in locis procedit, nihil adhuc ad Navarræ finem movente Principe. Guebrianus ad Ducem Vinariensem duo millia aut non multò hoc amplius perduxit. Longavillanus, sedecim ut dicitur millia habiturus, vix dum sex habet, tanto ibi validiore hoste, ut Bleteranum obsidere aggressus sit. Bressæus in vicina Metensi regioni iturus, quas habiturus sit copias, nondum liquet. Neque magis de Lafortio affirmaverim. Castilionæus ægrè quartam partem ejus quem habere debet peditatus contraxit. Equitum plerique emansores sunt. Videbimus an Regis ad propinqua Picardiæ accessus cita remedia allaturus sit his cessationibus, quod optandum maximè. Apud Ardresium apparuit hostium aliquid. In Italia nihil sit magni: sed qui Bremum præproperè dediderat Montigaliardius capite præciso culpam expiavit, dejectis militia qui eandem culpam participaverant centurionibus. De terræ motu qui in Calabria oppidis multis hominibusque perniciem attulisse dicitur, certiora exspectamus. Anglis meliùs quàm ante eum Gallis convenit, & pecuniam se pro Palatino impetraturos pro certo affirmant, & de fœdere aliquo cum Suedis specialiter ineundo Hamburgi spem nobis faciunt, quæ apud me hoc major est, quod scio virum communis boni, quàm sit Anstrutherus, amantiorem mitti potuisse neminem. Quod de Brisaco optant literæ tuæ $\frac{1}{11}$ Aprilis datæ, minùs quàm vellemus procedit, & post Friburgum nihil ad nos venit de Ducis Vinariensis rebus. Wirtenbergici pavida consilia excusationem unicam ab aliorum exemplis habent. Neoburgicus necesse est frænum mordeat quod accepit. Episcopi Coloniensis vana sine viribus ira. Nostros Suedos video & bellum administrare fortiter, & tamen à pacis temporariæ primùm, deinde & perpetuæ, consiliis non abhorrere, dum ea retineant quæ ipsis ad Regni amicorumque tutelam ac certæ pacis munimentum sunt necessaria. Ginettius post multum frigus nova spe recalescere incipit. Soldneri & Curtii haud dubiè irriti sunt labores, nisi communem omnibus qui in armis sunt pacem aut inducias velint proponere. Firmior est ille nodus qui Wismariensi Hamburgensique fœderibus nexus est, quàm ut dilatis tam diu, ac post tempus prolatis conditionibus rumpi possit. Galassii copias attritas mirum in modum esse, nec à Daniæ tantùm Rege per Holsatiam ac Bremæ circumsita, sed & à Lunemburgico magna diligentia excludi malos hospites, lætum nobis est, nec minùs illud de circumsesso Gotzio. Et Wolfius & Melander quæ sint allaturi juvabit scire. Quod scribis de Palatino, idem & mihi in mentem sæpe venit, nisi potenter adjuvetur, hinc, ex Anglia, à Batavis, non modò nihil effecturum quod dignum sit suo genere, sed & prodactis quæcunque ipsi restabant, propiorem, quàm hactenus, inopiæ fore. D. Gunderodio non dubitandum quin res bene sit processura. Hanoviæ non frustra metuis, præsertim si quid Comiti acciderit humanitus & rerum arbiter maneat Solmensis Labachius. Ita meretur Ramseii virtus, ut non Regina tantùm Bohemiæ, quæ laudem hanc præripuit cæteris, sed & Principes omnes pro eo laborare debeant. Credibile est, si pactiones nondum consummatæ sunt, ducis, qualis est Waertius, usum pluris fore Bavaro quàm eam pecuniam quanti Gustavum Hornium æstimaverat. Et generosus Ducis Bernhardi animus, & quod Benfeldii esse Waertium voluit, spem mihi facit, si aliter liberari Hornius non poterit, Suedorum preces apud ipsum irritas non fore. Ingewaldus Crusius, ad nos si venerit, experietur potentissimas esse apud me commendationes tuas. Forbisherus, qui pro Rege Poloniæ hic fuit, it cum Principe Casimiro in Hispaniam & Italiam. Castilionæi copiæ jam nunc augescere incipiunt. Principi Arausionensi bonam firmamque valetudinem ac res prosperas precor, nec minùs tibi Illustrissime Domine ac tuis. Lutetiæ 7 Maii Novi Calend. 1638.

Excell. Vestræ perpetuo cultu addictissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

REx etiam nunc Compendii est, incertum in diu 36
mansurus. Dolet tenuiores ubique reperiri quàm pro spe copias suas, per crebra diffugia bellique tædium. Castilionæus cum octo millibus Samaram transiit. Intra paucos dies it ad eum Degenfeldius externo equitatui præpositus. Ducis Bernhardi eques trans Rhenum multas prosperas pugnas fecit: ad Alsebergam LXXX hostium equites partim cecidit, partim fugavit ac spoliavit, ipsumque oppidum cepit. Alibi XXX, alibi CXX hostium strati aut fusi. Nunc cùm ad ipsum III millia aut aliquanto amplius adduxerit Guebrianus, opponet se Dux hosti, qui magno cum exercitu jam appropinquat, alias interim in subsidium copias parante Bavaro cum Episcopis: adeoque in eam partem tota vis belli rapitur, ut eodem venturus dicatur ipse Imperator. Palatini adolescentes ad Cardinalem Riceliacum admissi, exceptique comiter, spem accepere pecuniæ Gallicæ ad res afflictæ domus sublevandas, sub titulo solvendi veteris debiti. Romæ non probatur quod cùm nuper hic in Templo suspenderentur capta de hoste signa Lutherani adfuere aliquot. Clades major quàm prima tulit fama è motu terræ afflixit Calabriam, & vicina per spatium plus CC milliarium Italicorum. Casale nuper ab Hispano insidiis impetitum fuit infeliciter. Tenet nunc Hispanus ea Montisferratensis territorii quæ Genuatium solo conterminasunt, ac sic maris viam sibi apertam per Finale habet, Gallis autem eandem intercludit: nec dubium est, quin ex belli malis metuque se quovis modo extricatura sit Vidua Mantuana, nisi in Casalis præsidio Galli validiores essent, quorum cæteroqui in illis partibus, ut Cardinalis Valetta scribit, pertenues sunt copiæ. Romæ de induciis multus sermo: breves non recusaret Hispanus: sed ex Gallis non placent. Biquius Cardinalis ea de causa huc venit, &, ut audio, aliquis à Cardinali Hispano, sub obtentu gratulationis apud Reginam prægnantem peragendæ. Bleteranum in Burgundiæ Comitatu immisso milite rebusque aliis firmavere Galli contra vim hostium. Salmurii in carcerem datus est Presbyter quidam ex Patribus Oratorii, quod in notis ad Augustini librum de virginitate dixisset, Laudabilius esse in sublimi proposito perstare sine voti vinculo, & alia quædam monachis hujus sæculi non probata. D. Wolfii adventus, quem literæ tuæ, 3 Maii datæ, nuntiant, quid allaturus sit exspectabimus. Ego quin Hassica Vidua nostram societatem amplexura sit non dubito. Si & Palatinus bonas habeat copias, & è Suedis se aliqui adjungent, erit in Coloniensi circumsitisque agris bellum gerendi non difficilis ratio. Ne ex Oldenburgico solo in ea quæ Amasio adjacent, atque inde in Frisiam aut Isalæ adsita, irrumpant hostes etiam atque etiam curare debent Batavi. Ut Neoburgicus in agnati Palatini societatem pertrahatur, video esse qui sperent. Ego sicut eum à Cæsarianis non bene haberi satis video, ita tantum illi animi fore ut vim

vi

vi repellat non puto, præsertim cùm offensas populorum suorum in se concire non desinat, calcatis eorum privilegiis ac religione. Et in pacis & in hoc quod nunc sub incude est induciarum negotio tam Suedia quàm Gallia curam gerent pro federatis suis. Quare, nisi Hamburgi aliquid Angli nobiscum confecturi sunt, ratione non caret tuus pro domo Palatina, federibus nullis innexa, metus. Puto minorem dignitatem Cracovio obstare non debere, quò minùs cum eo agant Legati, modò potestatem accipiat plusquam spectandi & audiendi. Pridem à D. Salvio nihil accepi. D. Bielkii mortem tecum doleo. Nam & ex literis ejus & ex fama didici talem fuisse virum cui paucos pares habeat Suedia. Et copiarum Suedicarum trajectus, & Bannerii novæ molitiones, multum hic exspectantur. Qui hic sunt Poloni ajunt ita se credere, neque in novæ Militiæ instituto, adeo cunctis suspecto, perstiturum Regem suum, & de vectigali rem ad concordiam spectare. Sed illud de Spiringii captivitate, fabulam puto. Res maris, cui Batava Respublica originem suam, incrementa & securitatem debet, ita negligenter ab illis tractari non immeritò miraris. Qui hic vulgantur rumusculi ajunt damni aliquid accepisse Vinarienses, dum hostiles in suburbanis Brisaci stationes calidiùs oppugnant. Sed capta ab equitibus Vinariensibus oppida Aurachum, Altkircham, Gopingam. Quibus de rebus certiora opperimur. Apud Kinzingam LXXX hostium capti militiam victoris secuti sunt. Terræ motus ille in Italia hominum XX millia aut amplius absumsit. Casalis Præfectus ab Hispano corruptus fuisse scribitur. Bleterani deprehensi qui oppidum voluerant incendere. Bene valet D. Schmalchius vosque omnes salutat, & cum eo egò, Illustrissime Domine, precor tibi ac tuis cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Maii 1638.

Excell. Vestra cum summa observantia addictissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Potentissima ac Serenissima Regina, Domina Clementissima.

957 CVm Rex per hominem ad id missum mihi Legatisque aliis significasset Reginam uxorem suam esse prægnantem, Angli autem Legati in Angliam id perscripsissent, mandata ad eam rem pertinentia exspectaturi. Ego, quod præviderem me, si scriberem, responsum accipere non posse, nisi tanto temporis intervallo ut sera ac ob id minùs decora futura esset gratulatio, aditum ad Reginam hanc postulandum mihi censui, eumque consecutus die 8 Maii hujus Calendarii, dixi ei, simulatque exorta nobis fuit spes sobolis ex Rege & ipsa, non omisisse me ejus rei significationem Tuæ Augustæ Majestati edere: non tamen ausum exspectare specialia mandata ob loca tam longè disjuncta, ut multum temporis inter literas & responsa intercederet, præsertim cùm spei susceptæ nova securitas, Deo dante accessisset. Itaque properasse me ut quod Majestatem Tuam velle scirem, gaudium ejus, omniumque eorum qui Tuæ Majestati ad sunt, super hac re testatum facerem, & quæcumque à Majestate Tua grata ipsi possunt proficisci seriò offerrem. Incidisse me in Græcam inscriptionem datam honori Reginæ Græcæ breve habentem sed magnum elogium, fuisse eam filiam Regis, sororem Regis, nuptam Regi, matrem Regis, neque tamen in tanta fortuna elatos eam unquam habuisse animos. Virtutem hanc bonitatis & modestiæ tanto in ipsa esse illustriorem, quanto ejus sors & illam Reginam & omnes alias superaret, ut quod nupta esset Regi, cujus Provinciæ, imo & urbes Regnis pares essent, Filia Regis, neptisque Regum & Imperatorum qui ad vetustissima quæ tenerent Regna, plurima & Regna & Imperia per quatuor orbis partes sibi peperissent, soror itidem Regis potentissimi. Vnum defuisse prosperitati ejus ut mater quidem fieret non quidem Regis, optare enim Galliam & amicos ejus omnes ut Rex omnium Regum longævitatem vinceret, sed Principis nati ad capiendum sceptrum florentissimæ gentis. Id quoque adjectum Deum velle, quomodo sacra nos doceat historia matronæ idem cum Regina ferenti nomen, patientiæ ardentissimisque precibus concessam à Deo desperatam jam fecunditatem. Tam verò sacris quàm profanis monumentis doceri nos, qui ita præter exspectatum nascuntur infantes, tolerantiæ precumque fructus, eos à Deo ad res eximias destinari. Cogitanti mihi quid ab hoc futuro partu sperandum nobis esset, occurrisse illud quod rerum naturæ inquisitores nos docent, Delphinum quoties multum se commovet, finem adferre tempestatibus & serenum mare facere. Sic & nos præsagire cum hoc quem optaremus Delphino redituram Europæ serenitatem, pulsis quæ eam agitant belli procellis. Evenisse commodè hoc ipso tempore, ut mandata Augustæ Tuæ Majestatis acciperem ad colloquendum cum Regiis hic ministris super pace, aut si pacem difficultates adhuc morarentur, super induciis. Eò id mihi evenisse lætiùs, quod scirem in hoc labore auxilio futuras nobis ipsius Reginæ preces, quas res ipsa doceret, adeo potentes esse, ut quæ miraculis sunt proxima, ea à cœlo obtinerent. Ostensuram Augustam Majestatem Tuam arma Regis Gustavi Magni ac sua non aliud sibi habuisse propositum quàm orbis Christiani quietem, statumque tranquillum. Optare me ex animo & hujus tractandi jam negotii bonum exitum & ipsi Reginæ facilem uteri solutionem, partumque talem qui perpetuo in gloria rebusque prosperis crescat. Dixit Regina se de benevolentia Tuæ Majestatis, ejusque votis pro sua incolumitate neutiquam dubitare, ac vicissim à se ipsi optari prosperrima omnia, & quicquid suæ esset facultatis ipsi offerri. Hæc Augustæ Majestati Tuæ significanda duxi, ut cogitet si quid ultra dicendum faciendumve imperare voluerit. Scribebam Lutetiæ, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Deumque precabar Tuæ ut Majestati semper adsit propitius. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Maii anni 1638.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DE gratulationis officio à me apud Reginam peracto, 958
scripsi ad Reginam Dominam nostram. Fecere tantumdem postea Angli splendido cum comitatu. Cardinalis Biquius jam intrasse Galliam intelligitur. Venit sine Legati nomine ac pompa, vitandis, ut creditur, certaminibus quæ antehac exorta super honorum signis. Induciarum ac pacis fabricationes quin secum adferat, dubium non est. Chavigniacus ad Regem proficiscens significavit mihi, se aut rediturum brevi ut cœptum negotium conficiamus, aut scripturum mihi eò ut veniam ubi Rex erit. Pecuniæ nobis hoc mense Majo incipientis deberi solutionem planè puto coloribus variis differri, donec copiæ nostræ mare transierint. Castilionæus pro viginti millibus octo habens Samaram transiit. In aliis quoque exercitibus infrequens est miles, tum quod stipendia non procedant, tum quod ingens est apud omnes belli hujus tædium. Ea causa Principem Arausionensem moratur, ne educat ipse militem. Valde enim cupit obsidioni alicui implicitos videre Gallos priusquam ipse se moveat, ne Gallis aut cessantibus, aut levia conantibus, tota vis belli è Belgica Germaniaque in ipsum incumbat. Ducis Bernhardi eques sub Tubatelo Rosaque multis in locis rem gessit prosperè trans Rhenum. Cæsi, capti fugati hostium alibi XXX, alibi CXX, alibi LXXX & Alsebergum

Digitized by Google

bergum oppidulum vi irruptum. Apud Kinsingam musquettarii plus LXXX capti in Ducis militiam transiere. Guebrianus cum Smitsbergio jam apud eam esse creditur, ducens III millia aut paulùm amplius. His copiis auctus Dux in hostem ibit, qui collecto undique exercitu satis magno appropinquat. Dicitur ipse Imperator in illis partibus bellum gesturus. Romæ sinistrè acceptum est, quod cùm capta signa in Templo Cathedrali hic suspenderentur, Lutherani aliquot adfuerint. Cardinalatus Patri Iosepho promissus, qua de re Marescallus Estræus ad hanc Aulam scripserat, nova quadam offensa suborta ei abnegatur: quod ipsum verborum acerborum commutationi inter Estræum & Cardinalem Barbarinum causam dedit. Ibidem Romæ breves inducias Hispanus Legatus concessurus videtur: sed rejicit eas Estræus. Hispanus Cardinalis ad sororem suam Reginam mittere vult, qui faustas ominationes ei perferat. Id quoque colloquiis ad pacem viam aperiet. Terra quassatio illa per Calabriam latè grassata est spatio milliarium Italicorum plus CC. Tenuissimæ sunt per Italiam Gallorum copiæ. Mille ac ducentos esse scripsit è Taurinis Valetta Cardinalis. Hispanus verò præter Ponionem, captis Aquis & Nicæa Paleæ locisque aliis Montisferratensis territorii qua Mediolanensi confine est, omnem à mari quod Genuam & vicina alluit viam, Gallis intercepit; ipse autem per Finale facilè jam mari copias & quæ bello necessaria sunt accipit, ac nuper Casale petiit insidiis. Mater Mantuani Ducis multum optat bello eximi, & jam pacta esset ad Parmensis exemplum, nisi in Casalis præsidio Galli essent valentiores. Palatini Principes Cardinalem Riceliacum videre, facitque is eis spem fore ut Domus Palatinæ tentamenta foveantur pecunia Gallica sub titulo solvendi veteris debiti. Dabitur illis in hac Aula honos idem qui Vinariensi datus est. Bleteranum in Burgundiæ Comitatu firmatum à Gallis milite rebusque aliis immissis. Et ex Chavigniaci & ex aliorum sermonibus colligo, cupere Gallos ut uno tantùm in loco & ipsi & nos de pace agamus. Ego quin perstandum nobis sit firmiter in iis quæ Hamburgi nuper placuerunt, planè non dubito. Neoburgicum sunt hic qui sperent in Electoris Palatini societatem posse pertrahi. Mihi id non fit credibile, quanquam durè satis eum à Cæsarianis haberi non ignoro. Presbyter quidam eorum è numero quos Patres Oratorii vocant scripserat his diebus in libro edito Virginem Mariam permansisse in perpetuo virginitatis proposito, sine voti vinculo: & id laudabilius esse sponte res sublimes præstare quàm ex voti necessitate. Placet id Patribus Oratorii, qui morem habent votis se non obligandi. Sed ita excitavit ea res crabrones, id est monachos, ut ad eos placandos Regis jussu is scriptor Salmurii in vincula datus sit. Galli utut mihi blandiuntur & per D. Feuquerium nuper significarunt nihil se malle quàm ut hic maneam, amotum hinc quin me velint non dubito, ideo quod oblatas ab ipsis largitiones constanter repudio: neque ut Legati nonnulli, ipsorum me arbitrio versari patior. Ob id ipsum causas ferunt, quibus cogar aut de dignitate Regni multum remittere, quod facturus non sum, aut odia incurrere, quod vitabo quantum licebit. Sed quicquid fecero in perplexis istis negotiis, erunt quod accusent. Ego me bonæ conscientiæ fiducia sustento, speroque magis ac magis apparituram meam in Regnum Suedicum fidem: cui proposito ut vires addat Deus, ipsum precor, simulque ut Tuam, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem cum Regno, Reginaque clemens foveat. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Maii anni 1638.

Rumusculi qui hic cursitant, ajunt apud Brisacum damni aliquid accepisse Vinarienses, cùm aggressi essent eos hostium qui in suburbanis stationes habebant. Oppida autem à Vinariensium equite capta nominant Aurachum, Alckirckam, Goppingam. Sed de his certiora exspectamus. Castilionæus Bononiam, id est Flandriam versus ire creditur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

VIdeo semper cum gaudio Nobilitatis tuæ literas, 911
tum ob memoriam amicitiæ veteris, tum ob eum, quem in te semper cognovi amorem rerum omnium honestarum, præcipuè verò Rhæticæ libertatis. Valde mihi placet illud quod in summo monte Atula scriptum fuisse narras epigramma, congruens cum illo vetere oraculo quod Lacedæmoniis datum legimus

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δ' οὐδέν.

[*Pecunia cupiditas Spartam perdet, nihil vero aliud.*]

Dux Rohanius non multum hic desideratur, erectioris animi vis quàm ferre possent ii qui Protestantium res accisas volunt. Florebunt immortali fama res gestæ ejus, haud dubiè illustriores futuræ si, quæ ipse præstare de suo non poterat, aliunde ei fuissent suppeditata. Fidei ejus in causam Protestantium etiam hoc non leve signum est, quod nullo juris vinculo coactus, sua ipse sponte Germanorum pericula participare voluerit: quæ res cum mortem ipsi attulerit, grata Germanorum memoria celebrari meretur. Pastorum Protestantium apud nos querelæ seræ magis sunt quàm inanes: & potest spes dura populi conversiones magnas parere: utinam in melius. Video enim vestram Rempublicam in Scyllam & Charybdam non sine periculo navigare. Ego ita animatus semper fui, ut populis liberis optimè vellem. Et alios quidem ejus fortunæ populos, paludes, amnes, maria tegunt. Vobis autem tanto excelsiores esse debent animi, quanto vos in locis editioribus atque adeo in ipso Italiæ, Germaniæ, Galliæque despectu natura, velut terrestres quosdam cœlicolas collocavit. Marescallus Castilionæus Lamaram amnem transiit; secum habens externum equitatum. Dux Vinariensis acceptis jam Gallorum auxiliis, haud dubiè oppidum aliquod jam captis vicinum obsessurus est. Speramus etiam brevi moturum se Principem Arausionensem. Nostri novi è Suedia dilectus, mense Iunio puto stabunt cis mare. Landgravia quin mansura sit in partibus non dubitamus. Et Palatinus Elector ad parandum exercitum pecunia juvatur & Anglica, & ut puto Gallica: Ita ut haud dubiè magnæ futuræ sint hoc anno ut vires, ita & molitiones nostri fœderis. Si quod scriptum legi dignum apud vos prodierit, ejus exemplum ad me mitti pervelim. Ego vicissim in illo negotio interpretis, & si qua in re potero alia paratus sum pro te, tanquam pro viro mihi dilectissimo quicquid meæ erit facultatis facere. Opto, Nobilissime Domin, Tuæ Nobil. cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Maii 1638.

Tuæ Nobil. Dom. observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

NVdiustertius ad me venit D. Chavigniacus, ad cujus plus colloquium etiam D. Schmalchium advocari. Dixit missum instrumentum quo rata Rex habet pacta Wismariensia & Hamburgensia: missam etiam schedam cambialem ad solvendam quæ hoc mense debetur pecuniam: de qua pecunia quid futurum arbitrer scripsi antehac qua debeo fide. De Guebriani ad Ducem Bernhardum adventu dicebat vera: de Ducis Longavillani copiis quæ vera vellem. Vt ad nostrum negotium ventum est, dicebat eam quam posceremus induciarum tempore pecuniam, esse haud dubiè nimiam. Posse dari CCC millia florenorum annua, quod ego in tantis impensis quasi nihil esse dixi,

dixi, rogatusque ultima promere, addidi per mandata nobis non licere minore contentos esse quàm quod manente bello promissum foret. Repetivi quæ damnosissima locorum custodia dixeram antehac, & de exemplo valde simili induciarum Batavicarum. Ostendi nobis etiam majus periculum fore, quod mare intercederet non semper pervium. De Pomerania iniquum judicabat, neque à Rege honestè proponi hostibus posse, ut quæ nos hosti, hostis nobis eripuisset ea per inducias ad nos redirent. Ego Pomeraniæ possessionem alterius esse generis dixi, quàm ea quæ sola vi niterentur. Fulciri eam pactis cum principe populoque initis. Regem ipsum per Rosteium huic se curæ obtulisse. Non habere nos causas, cur induciarum appetentes essemus, nisi quod Regis amici consilia etiam cum nostro incommodo non nimis magno parati essemus sequi. At nisi & pecunia suppeteret alendis præsidiis, & Pomerania integra penes nos maneret, reditusque iis quos in Pomerania & in Mecklenburgico solo haberemus, inducias nobis intutas fore. Ad cætera quæ scripto nostro continebantur delapso sermone, ipsi si de pecunia transactum foret, videbatur nulla ultra pactione inter nos opus, neque posse Regem se adstringere, ne inducias nisi illis quæ proponeremus obtentis faceret. Ego verò regessi jam & nos Regi Galliæ, & Regem nobis obligatum, ne inducias nisi communi consensu facerenus. Antequam verò Rectores Suediæ dispicere possint an utiles Regno Suediæ induciæ sint futuræ, certos eos esse debere de iis rebus quæ si adessent, bonas inducias, si verò abessent, malas nobis facere possent. Esse tamen discrimen inter ea quæ à Rege solo penderent, & inter ea ad quæ hostium consensus desideraretur. Illa planè præstanda: in his verò laborandum quantum fieri possit: & hæc ipsa esse duplicia, aut enim ad inducias aut ad pacem pertinere. E re autem esse nostra scire quid à Rege sperandum habeamus, si ad pacem veniendum sit, ut de eo edocti rectiùs judicare possemus an induciæ quæ ad pacem ducunt amplectendæ nobis sint nec ne. Tandem post multum sermonem ita discessum est, ut diceret se id quod Regi videretur comprehensurum scripto nobisque traditurum. Hoc ergo nunc exspectandum est. Quanquam verò dixit Chavigniacus ne Gallos quidem inducias expetituros, nisi ea unica ad pacem esset via, ego tamen ita arbitror pacem ab ipsis non optari, inducias ideo sumi, quod & Regem & Galliam omnem belli tædeat, & crescens Reginæ auctoritas bellum diutius trahi vix sinat. Hæc incumbens ipsis necessitas efficiet, ni fallor, ut si in postulatis perstemus, multa eorum simus impetraturi. Miror dici à D. Schmalchio quò minùs hinc avocer Gallis negari ultra non posse, cùm nuper admodum ad me venerit D. Feuquerius Cardinalis jussu, dixeritque mihi antehac eos laborasse ut hinc tollerer, quod metuerent ne faciendo federi obstarem. Nunc eo confecto, me etiam quod non ignorarent adjutore, non modò se non optare ut hinc auferar, sed & si quid ipsorum preces valerent, oraturos ut hic relinquar. Ego verò neque palpo, neque metu patiar me à recto tramite abstrahi, consciusque impleti officii me meaque omnia Deo ac Tuæ Sublimitati permittam. Venetus Legatus ad me satisfactum misit: significavitque si quid peccatum esset, non id dolo malo admissum, sed errore aut inconsiderantia. Admittam hanc purgationem & eum adibo, colamque amicitiam si per ipsum liceat. Verè affirmare possum fugientem me offensarum esse quantum quisquam. Nec quicquam fecisse aut facere nisi ex præcedentibus parium exemplis. Interim video sæpe astu quodam tendi mihi laqueos, ut aut in frigufcula quædam cum amicis incidam pertendendo, aut si quid concessero, trudar in præceps, ubi nusquam consistendi sit locus. Si explorata mihi in singulis talibus esset Tuæ Sublimitatis voluntas, eam pro lege sequerer. Nunc cùm tanta sint locorum, tanta temporum intervalla ad mores receptos & aliorum exempla me converto. Chevreusia ut in Hispanica Aula regnavit, ita in Anglia nunc regnat, ingenii non minore quàm corporis venustate. Cardinalis metuens ne illa Angliam ad Hispano utilia trahat, literis suis eam in Galliam revocat, comibus verbis minas addens, futurum ut, ni veniat, absens citetur damneturque. Castilionæum fama quidem fert obsidionem moliri Atrebatum oppidi, aut Hesdini, aut Audomari: sed exercitus ægrè ad decem millia perveniens, ægrè nos magni aliquid sinit sperare. D. Mullerus paucos adhuc dies à Duce Bernhardo detinetur. Auxilia quæ cum Guebriano venere, tria millia esse scribit egregii militis. Ipse Dux Basileæ fuit, hostique dixit se ire obviam, præmissis jam machinis, & parte copiarum in agrum Wirtenbergicum. Laufenburgum & Rynfeldium munit. Obsidium Offenburgi aut Kelingæ agitat, Brisaco famem facturus intensiorem. Scripsere ad eum Bohemiæ Regina & Elector Palatinus. Si quid adversi eveniat Duci non aberunt à periculo Protestantes Helvetii, idque prospicientes consulunt quantum possunt suæ tutelæ. Apud Rhætos Ecclesiarum Pastores Protestantes, quod in Valle Telina videant sua sacra non restitui ad Gallicam amicitiam respicere incipiunt, sed & pactis & largiendo præpollet adhuc Hispanus. Laudo carmen quod viator nuper transiens in summo jugo scripsit:

Indomiti Rhæti, quis vos superaret, in istis
Montibus, externum si vos non perderet aurum?

Aurachum à Tubatelo captum jam constat: sed arcem ab hoste defendi postremæ literæ dicebant. Pater Iosephus valdè ægrotat, commotus ob negatam purpuram. Pontifex ultra spem medicorum vivit hactenus, sed in Apoplecticum malum recidit, magno infirmi corporis documento. Et Ioannes Waertius & Eckenfortius Rege ita petente, huc mittuntur, custodiendi in carcere sylvæ Vicennensis, & aut ad conventiones faciendas profuturi, aut certè non nocituri dum bellum manet. Legatus Angliæ ordinarius multum me rogavit, Palatinum ut negotium Sublimitati Tuæ commendarem, ostendens bellam nunc esse occasionem illigandæ Galliæ bono Protestantium, haud facilè redituram si hoc tempus effluat. Dixi ego facilè conventurum inter D. Roum & D. Salvium, si velint Angli jam nunc inire societatem, non eam ostentare tantùm suspensam ab incerto conditionis eventu. Hic meæ est vitæ tenor. In ea quæ sciri possunt, inquiro diligenter, ea quæ sciri non possunt, conjectura persequor, quod à negotiis vacat temporis, impendo scrutandis Suconum, Gotthorum, Wandalorumque antiquitatibus. Iamque adeo eam quam Tua Sublimitas vidit præfationem multis auxi testimoniis quæ facem allucent latitanti historiæ. Det mihi Deus ut videam florere diu, Illustrissime Domine, Regnum, Reginamque & Sublimitatem Tuam, & his meam operam approbem. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Maii 1638.

Iam nunc intelligo ex destinatis Lafortio copiis equites CIↃCC, cohortes octo ad Castilionæum missas. Pecuniam autem nostram non per Heufdium qui onus id defugit, sed per Rembuletum curari. Eorum quos Galli in Leodiensi agro collegerant militum equites mille Sedanum venere. Sequitur pars cætera. Erunt sub imperio Bressæi. Princeps Casimirus Genua in Hispaniam profectus est.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PErgimus cum D. Chavigniaco munire iter induciis, 961
si quæ fortè à rebus nostris non alienæ se offerant. Interea dum bellum nostri parant tantis viribus quasi induciæ

ciæ ſperandæ non ſint. Ita decet in utrunque paratos eſſe. Tria millia quæ ad Ducem Bernhardum adduxit Guebrianus boni ſunt milites: ipſe Guebrianus magnæ virtutis, Ducique pergratus. Baſileæ Dux fuit, ibique dixit ſe hoſti ire obviam. Pares ſunt ferme utrinque exercitus ad XV millia. Multi putant aut Offenburgo aut Kenſingæ à Duce obſidionem intendi: ſperari & Briſaei famem, redituram brevi abſumptis quæ pauca nuper illata erant alimentis. Caſtilionæus dicitur ire in obſidium aut Heſdini aut Sanctaudomari, aut Atrebati. Multum dubito an par ſit exercitus ejus magnæ molitioni. Mirum quàm infrequens ubique ſit miles, deficiente ſtipendio & ſuboriente belli tædio. Nihil dum magni agitur, neque apparent exercitus illi Principis Condæi, Lafortii, Breſſæi. Longavillanus aliquid habet copiarum in Comitatu Burgundiæ: ſed nec ipſe ultra quàm parta tutatur. Mittit Dux Bernhardus Regi captivos Waertium & Eckenfortium colonos futuros carceris in Silva Viennenſi, usque dum pax fiat aut induciæ. Aurachum à Tubatelo captum jam hic conſtat: ſed arx dicitur ab hoſte defendi. Bene muniuntur Rynefeldum & Laufenburgum. Chevreuſia ut in Hiſpania gratioſa fuit, ita nunc in Anglia eſt. Metuit inquietis feminæ ingenium Cardinalis, ideoque literis eam domum revocat, additis minis, ni veniat, in abſentem lege actum iri. Helvetii Proteſtantes ab Aravienſi conventu ita diſceſſere ut conſtituerint omnibus modis ſuæ tutelæ cavere, magnum proſpicientes periculum niſi eos tegerent res ſecundæ Ducis Bernhardi. Rhæti Proteſtantes maximeque Eccleſiarum Paſtores dolent ſe eluſos ſpe ſua, maximè de reſtituenda in Vallem Telinam Religione. Et ſperant Galli in hoc animorum motu reſuſcitari poſſe partes ſuas. Sed adſtricti tenentur Primores, & federibus Auſtriacorum & largitionibus. Pontifex in apoplecticum morbum relapſus ſpem non dat longæ vitæ. Et apud nos Pater Ioſephus gravi tentatus morbo fuit: ſed revaleſcit paululum. De D. Roo, qui prælatus ad Legationem Anſtruthero fuit, optima omnia ſperare nos Angli jubent Legati. Multum lucis ad res præſentes adferet, ſiquid ille allaturus eſt novi. Ex literis 10 Maii datis lubens cognovi D. Wolfium bene valere & eſſe apud vos. Magni ſemper faciam ejus amicitiam & colam quantum potero. De Landgravia quin apud noſtras partes manſura ſit non dubito. Sed poſtulata ſua de pecunia auxiliari multum intendit, credo ut fieri ſolet iniquum petens quò faciliùs quod æquum eſt teneat. Paderborna capta addit animos. Nullus huc adferri poterit lætior nuntius, quàm trajectus è Suedia militis ad Bannerium. Vtinam brevi in libertate ſit Mareſeallus Hornius, ut ejus quoque prudentia ac virtute patria utatur. Vbi jam ſint Galaſſiani vultures, quæ Palatino copiarum incrementa, gaudebo diſcere. Quid huic futurum ſit ſi qua propera pax fiat, antequam deliberaverint Angli, rectè ariolaris. Auſtriacos haud dubiè ſi res ſuas bello promoveri ſperent poſſe, nulla populorum miſeratio ad pacem adducet. Sed dura magiſtra, pecuniæ egeſtas, ſicut Gallos jam vexare incipit, ita nec Auſtriacos diu relinquet immunes. Sed iſta tempora pacem cupientibus ita exſpectanda ſunt, ut nec metuatur bellum, nec ſpes incerta ſegnitiem adferat. De tuti itineris literis pro Germanis proque Batavis certa ſunt quæ ſcripſi antehac, formulas nondum vidi. Princeps Arauſionenſis ut vegetos habeat nervos & ſuos & belli optandum maximè: tum verò ut citò utrunque rebus ipſis appareat, & iſta quæ apud vos nunc ſtrepunt armorum irritamenta in veros actus tranſeant. Eſt hic in carcerem datus Abbas Sineiranus inter Romanæ communionis homines vir optimarum ſententiarum amicus Segenotti illius qui ad Auguſtini de virginitate librum Notas edidit nuper, inviſas Monachis, eoque ut ſcripſi carcerem & ipſe meruit. Proteſtantibus autem ubique acriter injungitur aulæa ut oppandant foribus ſuis quo die circumfertur Sacramentum, quod antehac facere coacti non ſunt. In aliis quoque rebus libertas eorum multum circumciditur, & omnis Edictorum interpretatio contra eos cadit. Rex ad Sancti Germani rediit. Iam nunc intelligo auctum Caſtilionæi exercitum mille ducentis equitibus, cohortibus octo quæ Lafortio attributæ fuerant. Vicecomitis autem Turenæ militem in Leodico collectum Sedani exſpectari quo jam equites mille ejusdem dilectus pervenerint. Hunc omnem militem pariturum Breſſæo. Princeps Caſimirus Genua in Hiſpaniam profectus eſt. Det ipſi Deus tuæque, Illuſtriſſime Domine, domui felicia cuncta, quod precabar. Lutetiæ [illegible] Maii 1638.

Excell. Veſtræ omni ſtudio addictiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

RECeptis Reginæ Dominæ noſtræ Clementiſſimæ ad ſ[illegible] Regem & ad me literis, aditum poſtulavi ad Regem cujus nunc commodum exſpecto. Quæ à Duce Vinarienſi geruntur, ſatis latè explicant diligentes D. Mulleri literæ. Non duplicabo itaque Sublimitati Tuæ legendi laborem. Apud Legatum Venetum fuimus ante hos ſex dies ego & D. Schmalchius. Literas ei tradidimus, tum quæ ad ipſum erant, tum quæ ad Ducem Venetum, quorum ſe jam accepiſſe dicebat exemplum. Quæ dixi de inſcriptione ad Reginam non ex more facta à Venetis, cum à Regibus Principibusque omnibus ſalutari ſoleat Sereniſſimæ Potentiſſimæque elogio, ſilentio tranſmiſit. Neque ego ultra inſtiti quàm ut dicerem in poſterum id emendandum ſi literas ſuas gratas eſſe vellent. Locutus de hac re fuiſſem preſſiùs, ſi quid ab Anglis didiciſſem certi, qui me trahunt obtenduntque morbum Secretarii Regii. Quod à nobis poſtularit Venetus, ut non longè à Colonia eligeremus locum colloquii de pace, quò minùs moræ inter commeandum intercederet, id à Gallis profectum ex Chavigniaci antehac ſermonibus, & ex miſſo ad me nuper Priandio non dubitabam. Reſpondimus diu de loco in Suedia conſultatum: neque potuiſſe adduci Suediæ Rectores, ut locum ſumerent nimis longè à ſe remotum, qualia eſſent ea quæ ſunt circa Coloniam. Sæpe opus fore ut ipſi à Legatis conſulantur, quod eò citiùs poſſet fieri quò abeſſent propiùs. Hamburgum aut Lubecam ſæpè à Cæſarianis ipſis propoſita nobis. Vtram urbem mallent, nos contentos ea fore. Eſſe in iis regionibus vicinos Principes, quibuſcum ſæpe Legati communicanda habituri eſſent de pace conſilia. Neque verò impedire nos poſſe, quominus & alii operam ſuam ad pacificandum conferrent. His de cauſis in federe cum Gallis inito ſpeciatim id expreſſum, ut ipſi quidem Coloniæ de pace agerent, nos verò Hamburgi aut in vicina Hamburgo urbe. Ab eo ſemel conſtituto non poſſe decedi. Quare ſi placeret Cæſarianis de pace agere, dare eos debere tuti itineris literas pro Legatis Suedicis Hamburgum aut Lubecam ituris, proque eorum comitatu, & commeaturis ultro citroque tabellariis. Tum verò pro iis, qui res Suedicas procuraturi eſſent Coloniæ, eorumque itidem comitatu & tabellariis. Præterea pro Legatis viduæ Haſſicæ, Ducis Vinarienſis, & aliorumque Reginæ Suedicæ federatorum qui mittere vellent Hamburgum. Hac autem de re ita locutus ſum indefinitè, ut ipſine iſti Legati ſua deſideria eſſent propoſituri, an eam curam relicturi Legatis Suedicis, id in ambiguo relinquerem. Dicebat apud Cardinalem Ruceliaeum eſſe literas tuti itineris antehac miſſas pro Legatis Suedicis qui Coloniam ituri dicebantur, mutato loci nomine, poſſe manere cætera. Reſpondi me, nihil unquam ejus vidiſſe, neque de formula non viſa poſſe judicare. Volebat operam dare ut eam à Cardinali acciperet

Digitized by Google

ciperet, quod ego ipsi liberum reliqui. Cæsarianos dicebat, in dando itinere pro subditorum suorum Legatis, maximè Vinariensis qui familiæ ne suæ quidem caput esset nonnihil tricari. Ego ad hoc ostendi Germaniæ Principes non merè subditos esse, sed cum libertate federa faciendi; patere id Verbiniana pace, ubi multos eorum Rex Galliæ, non paucos Rex Hispaniæ tanquam socios quibus vellent cautum, nominassent. Ipsum Ferdinandum II. & hunc tertium egisse ac pepigisse cum multis Germaniæ Principibus: conditiones obtulisse sæpe Duci Bernhardo, nato Electorali stirpe, quales qui essent in Germania etiam ipsis Ducibus, magna territoria possidentibus, ob originis splendorem anteponerentur. Cæsarianos putabat neque à pace, neque ab induciis averso esse animo: moram omnem ab Hispano esse. Divagante ad multa sermone cùm diceret in pace cudenda nodum esse difficilem inter Hispanos Batavosque de Indiis, dixi mihi non videri eum inexplicabilem, sive Hispanus vellet utrinque teneri quæ tenerentur, & liberum esse apud gentes neutrius partis imperia agnoscentes commercium, sive pace apud superos facta atque incolumi, bellum vellet relegari ad inferos, id est ad loca trans Cancri circulum sita, quo jure Galli Anglique cum Hispano viverent. Namque inter eos id observari, ut quæ in tam longinquis partibus vi agerentur, ea hujus nostri orbis pacem non turbarent. Dicenti videre se lentiùs quàm vellent pacem amantes processurum hoc negotium, regessi mirum id haberi non debere, cùm in fabricandis Batavicis induciis per biennium & aliquantum ultra sudatum esset. Nunc quiescimus & ego & D. Schmalchius, ambo exspectantes responsum tum à Chavigniaco, tum à Veneto, ego verò etiam tempus compellandi Regis. Castilionæus XV apud se habens millia putatur in S. Audomari obsidium accingi. Lafortius cujus miles Castilionæo attributus est, alias copias quærit. Princeps Condæus mulos conducit multos ad scandenda cum machinis Pirenæi juga. In Hispania trucidatum Olivarem, qui principem in ea Aula gratiæ tenuit locum, rumor huc advenit, paucum lætus exemplo. Genuæ sectatorum Auriæ conatus pro Hispano successit infeliciter, validiore ea parte quæ libertatis studium & amicitiam Galliæ sibi obtendit. Misit huc Rex Magnæ Britanniæ virum nobilem ad gratulationem & bona vota pro utero Reginæ. At duorum istorum Regnorum amicitiam, si unquam, hoc certè tempore necessariam, dissuere incepit res non magna per se, nisi omnia tanti essent, quanti æstimantur. Apud Reginam Angliæ, neque Legatorum uxoribus, neque principibus feminis considere mos est, contra quàm apud Galliæ Reginam. Chevreusia tamen ab itinere statim Reginam Angliæ accedens, quasi ab itinere lassa, considere jussa est. Dissimulatum id fortè in alia foret. Sed in hac femina è Gallia exulante multum displicuit Legato Gallico, qui uxori suæ à Regina jus considendi poposcit. Neque enim æquum Legati uxorem minori esse honore quàm Chevreusiam. Regina Chevreusiæ semel id datum dixit ob lassitudinem ex itinere, non repetitum postea: neque verò se adduci posse ut veterem Angliæ morem novo introducto more immutet. Id huc perscriptum huic Aulæ non satisfecit: cumque Legati ordinarii Anglici uxor ad Reginam salutandam itaret, obviam ei missus est, qui diceret eam Reginæ non adsessuram. His inanibus tempus teritur, dum perit Palatinus. Id enim futurum prævidemus nisi Meppa recipitur, & major pecunia ex Anglia mittitur. Neque enim qui eum adjuvat Crewenus Crassus est, qui exercitum suis è reditibus alere possit. Post Mulleri literas longè alia docemur. Hostem alio itinere simulato consedisse ad lacum Constantiæ. Inde Steno ubi pons est imminere, ut commeatus ab Helvetiis aliisque locis intercipiat Vinariensi. Et Helvetios minis territos, retinere penes se omnia. Ipsorum verò Pontificios, ne iis quidem rebus quæ è Gallia veniunt, permittere transitum, æmulatione in vicinos, partim & emptis studiis. Cæsarianos supra XVIII millia esse: Vinarienses præter eos qui præsidiis attinentur, ad XIV millia: eos ivisse, non ut ante consilium fuit, in Wirtembergicum agrum, sæyè habitum à Cæsarianis, exusta ut dicitur, & Stugarda, sed Landshutum & Hohentwilam versùs. Lotharingos verò Longavillani metu ad Comitatum Burgundiæ tutandum retro cedere. Galassium Rheno se admoturum propiùs, ut Gotzio, si fortè, laboranti sit subsidio. Hæc postquam scripseram adii extraordinarium ab Anglia Legatum. Habetur is fautor rerum Galliæ. Is verò neque Gallos posse adduci existimat, ut Protestantium res esse velint validas, neque Batavos ut Imperatori se hostes faciant, & horum opera factum ne Gallia, poscentibus id Suedis, Imperatori bellum denuntiaret. Multis verbis ostendi ei quàm prope exitium venisset res Palatina, nisi eam prostratam erigendi exemplum ab Anglis daretur. Non æquum id eos exspectare, ut consanguinei ipsorum nobis magis cordi quàm ipsis essent. Iam significatur mihi die crastino Regem mihi vacaturum. Prima quæ post hanc veniet à me epistola, quid ibi egerim, quid intellexerim significabit. Dicit mihi Heufdius rursum naves ex Hispania XL cum pecunia, milite, rebusque aliis necessariis perductas Dunquercam, Anglorum præsidio & tutela. Hæc res nihil inde bonæ spei nobis ostentat. Inter causas cur Cardinalis Richeliacus inducias malit quàm pacem, una est, quod in pace reditus Reginæ matris vitari non poterit, quem ipse maximè metuit. Deum rogo, Illustrissime Domine, ut quæ nunc in actu consiliisque versantur, ea omnia ad bonum, gloriamque Regni Suedici, Reginæ, Tuæque Sublimitatis regat. Lutetiæ 11/21 Maii 1638.

Is qui Olivarem interfecit nepos naturalis fuisse dicitur Ducis quondam Ossunæ. Principem Casimirum, tempestatibus à Genua repulsum, in oram Massiliensem advenisse audio, retineri ibi, quod additur, non puto, neque enim ullam video in eo juris speciem.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

VT literis Excellentiæ Vestræ scriptis 7/17 Maii respon- 961
deam, in ratihabitione eorum quæ Hamburgi acta sunt nulla hic mora est. Puto instrumentum ea de re jam missum ad Davausium. Dicunt Galli missas & literas cambii ut Amstelodami solvatur quæ nobis nova pecunia deberi cœpit mense Maio. Sed priusquam ea persolvatur aliquantillum puto intercessurum temporis. Castilionæus est ad S. Audomari, parans obsidium. Princeps Condæus movet se ad limitem quo Gallia ab Hispania dispescitur. Hostis qui ad Rhenum est simulato alio itinere ad lacum Constantiæ XVIII ferme hominum millibus consedit, ponti ad Stenum imminens, ut commeatus Duci intercludat, Helvetiis etiam quæ apud se sunt victui aut bello idonea retinentibus, partim metu, partim factione. Dux præsidiis per oppida relictis cum XV ferme suorum millibus Hohentwilam versùs se tulit. Restat jam videamus an ei cum fame, an cum hoste pugna sit futura. Vt tristem de Meppa accepi nuntium, statim Legatum extraordinarium Comitem Licestrium adii: ostendi quo in periculo esset Domus Palatina, nisi subito ei suppeditarentur quibus ea se relevet: cujus rei initium, & quidem validum, non aliunde quàm ab Anglia posse exspectari. Id si fiat, & Gallos pecunia, & Suedos Hessosque milite, prohibituros ruinam lapsabundæ Domus. Si verò pax fiat aut induciæ, priusquam eadem Domus per se perve Angliam ulli sit innexa federi, serò Anglos desideraturos

raturos elapsam occasionem. Fatebatur hæc & verè & utiliter dici. Tamen nihil certi de Anglica pecunia, præter eam quæ jampridem auribus nostris adstrepit, asseverabat, paratus tamen quantum suæ esset facultatis conferre. Interim incommodè accidit quod nubecula quædam se inter Galliæ Angliæque regias interjicit, inde orta, quod Chevreusia è Gallia exsul apud Angliæ Reginam sedere permissa est præter Angliæ morem: qui honos cum Legati Gallici uxori esset negatus, testante Regina nihil se posse de veteri more immutare, neque ipsam Chevreusiam quod sibi ab itinere lassæ concessum esset pro jure sumere, Galli vicissim Legati Scudamorii uxorem, cùm ad Reginam Galliæ salutandam iret, monuerunt ne sedendi jus in posterum speraret: quod tamen uxori meæ negatum non iri iidem Galli affirmant, ideo quod hæc controversia Anglos tangat solos. Nugæ hæ sunt: sed nugæ tales interdum seria aut ducunt aut impediunt. D. Roum bene velle rebus Protestantium & credo, & credi ab aliis video. Quid Batavis utile sit factu non dixerim. Cæterùm Cracovium non habere mandata qualia vellent Angli facilè mihi persuadeo. Et hoc de federe negotium lentum erit, & non minùs alterum illud, de pace. Nam Coloniam deserere Galli non possunt, nisi Romam velint irritare, & Suedi, justis de causis, locum volunt sibi propiorem. De Brisaco falsa fuit fama. Cras Regem accedo, ut Reginæ nostræ nomine eum rogem, quantum potest augere velit Ducis Vinariensis copias, tam valido ac propinquo hoste & crescente in dies. Gallassianus miles ne vegetior sit quàm putatur, metuendum puto. Kingii clara est, quàm narras, victoria. Et Melandri & Gunderodii artes eodem puto tendere, ut hic à Gallis, ille à Batavis multum pecuniæ impetrent, metu induciarum. Sed hæc brevi viderit D. Wolfius. D. Salvius aliter quàm respondit Regi Daniæ respondere per fidem federum non potuit: scripsitque eundem in sensum Saxonibus Lauwenburgicis Regina Suediæ. De adventu novi Suedici dilectus ad Banerium nihil dum accepi. Poloni qui hic sunt sperare nos volunt de vectigali ad Dantiscum paria iis quæ ad vos perscripta sunt. Addunt alii Radzevilium in armis esse & vi obstitisse nequid Vilnæ in Religione mutaretur. Miror Regem, celebratæ diu prudentiæ, ita se dare consiliis aut Romanis aut Austriacis ut in Religionis negotio, quod, sicubi terrarum, certè in Polonia liberum esse debet, offendat animos eorum quorum opera ad res magnas uti posset: quæ culpa etiam Cosaccos ab eo alienavit, haud spernendam manum. Sed est hoc sæculi nostri vitium, sacra profanis miscendo utraque corrumpere. De Turca quæ ad vos perlata sunt iis consentientia à Constantinopoli accepimus. Bellum ejus in Persam securum in Hungariæ limite præstabit Imperatorem, & ob id ad pacem minùs tractabilem. Princeps Casimirus à Genua ad Massiliensem oram tempestatibus repulsus est. Dubitatur an retineri jure belli possit, quia Præfecturam à Rege Hispaniæ accepisse dicitur. Deus, Illustrissime Domine, vestros omnes sospitet. Scribebam Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Maii 1638.

Excell. Vestræ observantissimo cultu devinctus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

964 PRo binis tibi literis sum debitor, veteribus illis ab 6 Ianuarii, his recentibus à Maii Calendis. Is qui jam ad vos venit filius meus, habet Anthologiam Latinam: habet & alterum opus, cujus neminem præter te volo esse conscium. Velim prius edi Anthologiam, bellè ac bono cum indice. Si Blavio non satis id placet, quærendus alius. Cogitaveram an in Anglia edi posset. Sed quando video virum doctissimum, ut ex hoc ejus opere apparet, affinem tuum Franciscum Iunium sua ad nos mittere, subsisto agere Iunio gratias pro dono ubi librum quem inspexi tantùm, perlegerim. Nunc antequam perlegere vacaverit accepit eum à me quidam amicus qui eum forte apud me viderat, talium callens. Quantum cursim cognoscere licuit, miror diligentiam, judicium, ordinem. Ad mea redeo. Incerta vita est. Velim autem quæ parata habeo alia post alia videre edita. Ideo fugo moratores. Fac ope, consilio quantum potes. Vulnus, tuum non refrico; gaudeo te id ferre viriliter. Matrona etiam tua ut spero, aut exemplo tuo aut die sanabitur, imò quod malim jam sanata est. Verissimè dicis, ita in pejus ire mores, ut gratulandum nunc vel maxime sit iis qui citò absolvuntur. Forma Anthologiæ, ut scripsisse me puto, eadem esse debet, quæ Stobæanorum nostrorum & Excerptorum ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis. De librorum mihi dandorum numero potest aliquid remitti, dum qui dantur sint chartæ melioris, & bene compacti. De altero opere si velim, multum lucri facere possem, quod scio Marchiones aliosque Magnates sibi turpe non judicasse. Nonne satis facilis sum cui sufficit esse indemni? Pro Anthologia putem Privilegium posse obtineri. Alterum opus priusquam editum sit, inspici multas ob causas nolo. Notas ad Novum Testamentum rescribi curabo, ubi Heinsianas viderim. Atlas iste Atlante opus habet, qui tantum onus sustentet. Non bene evenere Typographis tam vastæ molitiones. Biblia Regiis meliora hic desinunt procedere urgentibus impensis. Interim omnem qui sperari poterat, fructum abedet interusurium. De Idololatriæ tuus liber, ut tua omnia, quanto major erit, tanto & utilior: & gaudeo obiter te etiam opposito vitio, impietati scilicet occurrere. Socinum sectæ ejusdem Principes, nuper Vogelius, nunc Ruarus non probant in eo quod circa Dei cognitionem petita è natura rerum argumenta abdicaverit. Contra talem feram, qualis est Epicuri insania, omnibus armis dimicandum est. De Noomsii morte quod scribis cum dolore intelligo, præsertim cùm talem depingas qualium jam cara est annona. Polycarpi epistolæ Græcæ non puto plus habere Sirmondum quàm habeat Salmasius. Vltima sunt ἀλλὰ τ̀ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ.... desunt cœtera. Et Græcia quin id damnum sarcire possit siquis allaboret, non dubito. Danda opera est ut quæratur & Hermas Græcus, qua de re Anglos quosdam monui. Terrent me isti testudinei gradus in Philoli opere, multoque magis quæ de Meursianis dicis. Video aut cum illo homine, aut cum alio quovis ejusdem artificii agendum ex Chirographo, addita pœna ni intra præstitutam diem absolvatur editio. Alioquin pars magna vitæ inter exspectandum efflueret: interim de aliis nihil posset constitui. Hortensium nisi mittant vestri Proceres quamprimùm ad Galilæum, magnam & humano generi & sibi ipsis facturi sunt injuriam. Senex is optimè de Vniverso meritus morbo fractus insuper & animi ægritudine haud multum nobis vitæ suæ promittit; quare prudentia erit, arripere tempus, dum tanto Doctore uti licet. Haud dubiè quæ ad longitudines investigandas reperit, si non omnes quæ sperantur, utilitates adferent, adferent tamen magnas, & ad quas comparatum itineris illius impendium pro levi duci debeat. Vt autem operam suam etiam in posterum vestræ Civitati obliget Hortensius & æquum & publico utile fore judico. Ad perficienda Galilæi cœpta opus erit viro perito talium ac diligente qualem esse credo Hortensium. Valde dolerem, post rem huc usque etiam me adjuvante deductam, si tanti commenti aut honos aut utilitas ad alios potiùs quàm ad Amstelodamenses perveniret. Constantini Imperatoris librum ipsius dono nondum accepi; sed ut omnia ejus magni facio, simul atque huc exempla venerant, emi legique & aliis commendavi. Bonus est liber quanquam plusculum quàm res est in rubrica ostentans. Non enim Hebræorum leges alias continet, quàm de damno dato, id est, ut Romano more loquar, legem Aquiliam de

pa-

pauperie & affinia quædam. Velim multæ tales Thalmudici juris partes tam peritis interpretibus ad nos veniant. Gaudeo domum tuam omnium gentium esse Oraculum, tuæque fidei summorum virorum libros tradi. De Lugdunensi Schola veteri nutricula nostra, quæ ex te aliisque intelligo, gemitum mihi exprimunt. Novæ quæ alibi nunc succrescunt Scholæ aliquo tempore meliores erunt. Post & illæ corrumpuntur contagio sæculi & dogmatum peccatis blandientium. Vondelius rem mihi pergratam fecit, quod Tragœdiam nobilis argumenti, optimæ οἰκονομίας, facundæ elocutionis mihi tanquam gustum aliquem habenti talium inscripserit. Deinde gaudeo nomen meum quovis modo apud vos retineri. Stulti verò illi fuere qui in Tragœdia argumenti tribus sæculis retro se agentis mores nolunt exhiberi illorum temporum, planè ut Genevates, qui in Gallica Cominæi editione, ubicunque Rex Galliæ Missam audiisse narrabatur Cœnam reposuerant. At verò etiam Barbara sacra spectatoribus ostendere nec Æschylum puduit in Persis, nec Euripidem in Taurica Iphigenia. Vel hinc videas quàm pauci sint talium boni judices. Illud quod vestræ urbis Rectores metuunt, ne Fœderati Ordines semel dato initio plus indies juris sibi usurpent in maritimos proventus, non imprudenter cogitatum est. Sed magnanima civitas vel de suo hunc sumtum facere debet; aut si id nolit, in Hollandiæ rationes imputare. Scylacem & Mæotidis Periplum exspectabimus. Gaudeo tuos omnes scriptis inclarescere. Cujus ætatis sit Periplus iste, fac quæso me gnarum. Vxor & filia, te, tuam, tuos amantissimè salutant. Filios non addo, quorum eum qui istic est tibi, ut jam olim tuum commendo: duo alii in castris sunt fortissimi Ducis Vinariensis. Lutetiæ 28 Maii 1638.

De Blaeuwio hoc in mentem venit, rectè facturos Magistratus Amstelodamenses, si sub gravi pœna vetarent, nequis Typographus opus novum ab alio intra urbem editum, intra decennium intra eandem urbem excuderet. Id si non omnium, certè Municipum avaritiam coërceret. Cogita.

Tuæ Cl. observantissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

965 Dilatam scriptionem verbis excusari nihil opus. Satis in se habent excusationis tot ac tanta negotia quæ Excellentiæ Vestræ curas onerant. Tum verò hæc data 28 April / 8 Maii epistola, ita me liberaliter docet, de cunctis quæ sciri opus, ut temporis vacui, etiamsi id longius fuisset usuras penset uberes. Fuit autem hæc eò gratior, quod multa læta nuntiet, de Bannerii rebus, de appropinquante Suedici dilectus adventu, de diffugio Galassiani militis ob incertas sedes & nova alibi eoque opimiora stipendia, de fœlice Kingii prælio. Hassiæ Vidua quantum judicare licet perstabit in nostro fœdere: nec aliò puto spectare cunctationes ejus, quàm ut quàm plurimum pecuniæ à Gallia auferat. Palatini conatus quàm tenuiter ab Anglis juventur, quamque non felicibus initiis procedant D. Camerarii diligentiæ perscribendum relinquo. Cæsariani isti & qui se medios interponunt post tempus venere, cùm jam salva fide famaque nulla à Suedis pax seorsim à Gallis possit accipi. Itaque exspectanda & pactio aliqua communis, cui rei ut aliqua jaciantur fundamenta, dedi D. Chavigniaco perscripta nostra optata, si ad inducias veniendum sit, super quibus responsum Regis exspecto, ex eo defæcatiùs judicaturus, quò vergant Gallorum consilia. Bellum trahi refert eorum, qui res hic manu versant. Sed id vix patitur crescens cum utero Reginæ gratia omnisque Galliæ aversus à bello animus. Anglis Legatis dixi sæpe, nisi propius quiddam cum Regno Suedico velint pacisci, non facilè coiturum fedus in ea quæ Lutetiæ præformata non satis arctè nodum stringunt. Videndum ecquid certius secum ferat Rous. Batavi ut ad bellum in Imperatorem se obligent, multum obstat & commercii Germanici utilitas & sollicitudo Principis Arausionensis pro iis quæ per Germaniam possidet. Iam & illud minimè boni ominis intelligo, Anglorum ope ac præsidio pervenisse Dunquercam XL ab Hispania naves, viris, pecunia, rebus onustas. Cæsariani sub Gotzio & Savellio post sævè habitum agrum Wirtenbergicum, non Brisacum ut facturi videbantur, sed ad Constantiæ lacum iter flexere, ibique ponti imminent qui ad Stenum est, captisque locorum opportunitatibus & minacibus ad Helvetios literis, commeatus omnes à Vinariensibus castris parant avertere. Et Helvetii ipsi, alii studio in Austriacos, cœteri metu nihil ultra à se avehi patiuntur. Dux Vinariensis ad Hohentwilam transtulit castra, ausurus prælium si hosti par esset numero. Hostis namque ad XVIII millia habere dicitur, & crescit indies. Cras Regem accedo oraturus ut ejus Ducis copias additis iis quæ sub Longavillano sunt aut bona earum parte augeat, & ut Waertium in sua jam habens potestate, Marescalli Hornii libertatem sui beneficii faciat. Interim Castilionæus S. Audomari oppidum circumsedere incœpit. Princeps Condæus exercitum admovet Hispano militi ex Aquitania. Quid facturi sint Lafortius & Bressæus, quid incepturus, qui & ipse jam educit ex Hybernis militem Princeps Arausionensis videbimus. Fuit apud me Heusdius, narratâ Rege datam sibi scripturam præcepti, per quam jubebantur ipsi solvi 305840 floreni Turonenses, ut reliquum 500 millium florenorum qui deberi Regno Suedico cœperant Novembri anni 1637. dictumque ipsi cœteros florenos 194160 ejus pecuniæ persolutos Hamburgi Excellentiæ Vestræ. De eo quod ipsi solvi jussum est se apocham dedisse Quæstoribus Regiis ex mandato, quod à Magno D. Cancellario pridem acceperat. De ea pecunia se rationes exputasse cum D. Spiringio. Dicere autem S. Chaumontium plus quàm illos 194160 florenos Excellentiæ Vestræ numeratos, quod in hac Aula cùm illud præceptum Heusdio datum est, ignorabatur. Illud plus, si ex causa alia ut fieri potest, datum est, nihil ad 500 millia illa florenorum pertinet. Sin datum est in rationes ejus pecuniæ Galli æquum postulant. Vxor Ducis Chevreusii è Gallia extorris ob quasdam ut dicitur, cum Regina Galliæ molitiones, honoratè habita in Hispania, & quia lassa itinere, considere apud Reginam Angliæ permissa est, quod Legatorum uxoribus ibi permitti non solet. Ideo in hac Aula considendi apud Reginam Galliæ honos uxori ab Anglia Legati negatur; & hæc quoque inania ad amicitiæ quæ inter Gallos & Anglos vix unquam satis fida est, turbamenta accedunt. Vale, Illustrissime Domine. Scribebam Lutetiæ 12/22 Maii 1638.

Princeps Casimirus à Genua tempestatibus ad viam Massiliensem repulsus est, dubitatur an jure belli retineri possit, quod Præfecturam aliquam à Rege Hispaniæ sibi delatam dicitur accepisse.

Excell. Vestræ observantissimus eique addictissimus H. G.

IOHANNI CORVINO.

Accepi magno cum gaudio, Vir egregie, literas tuas 966
15 Calendas Maii memor & amicitiæ veteris & laborum tuorum in tuenda veritate salutari. Vloswyckius, qui eas mihi tulit & tot propinquorum nomine & sua & tua commendatione erit nobis acceptissimus. Rectè facis quod filio tuo Iurisconsulti titulum mavis in Gallia quàm apud Batavos dari. Nam qui apud Batavos dantur, vix quicquam extra eas vicinasque terras valent: qui in Gallia, ubique terrarum. Eromata tua ad Iurisprudentiam pertinentia legere avebo, præsertim quia scio te in recto docendi ordine magnum esse artificem: quæ facultas quibus deest, eorum video libros, quamvis multa re-

refertos eruditione, minùs esse utiles. Antiwalæum vide an in Britannia possis edere, ubi tua magno sunt in pretio, quod prestiùs quàm alii premas veneranda antiquitatis vestigia. Corcellionis liber multum habet lucis: eritque hic non inutilis: quare velim quàm plurima huc mitti exempla. Mileteriana quæ ad fratrem misi, rogo videas. Nunquam vidi hominem magis mutatum, non dico sententiis tantùm, sed animo toto. Ita est atrocium injuriarum, quas ei inferunt Romanenses & Protestantes, patiens, maledictorum abstinens, propositi sui tenax, nullo commodi incommodive respectu, quo magis sicubi non pervidit omnia, venia dignus est, in partibus etiam laude. Excommunicatus est à Reformatis jam bis terve: frequentat tamen ipsorum cœtus. Romanensium cœtus non adit, neque cœtum seorsim colligit, cùm tamen habeat pastores quosdam sibi faventes. Carentonum itat: audit multa in se dura dici: respondet libellis lenibus: metuendum tamen ne megistarum quidam, honorum vitæque securæ cupidi arripiant hanc occasionem transeundi satis speciosam, quod viri pii & eruditi, qui pro causa Protestantium plurima & fecere & passi sunt, palam agnoscant erratum in præcipuarum controversiarum quæ discidio obtendebantur, judicatione. Qui illam optimam antiquitatem sequuntur ducem, quod te semper fecisse memini, iis non eveniet, ut multum sibi ipsis sint discolores. In Anglia vides quàm bene processerit dogmatum noxiorum repurgatio, hac maxime de causa, quod qui id sanctissimum negotium procurandum suscepere, nihil admiscuerunt novi, nihil sui, sed ad meliora secula intentam habuere oculorum aciem. Socinus non hoc agens in antiquæ Ecclesiæ sensus nonnunquam incidit: & eas partes ut ingenio valebat percoluit feliciter. Admiscuit alia quæ etiam vera dicenti auctoritatem detraxêre. Idem nonnullis apud Batavos accidisse vidi, ac tecum dolui: ac si quando alios eruditione spectabiles video idem agnoscere & quantum fieri potest malo mederi, plurimum id me delectat. Bene facis quod eadem opera Walæo principaliter respondes, aliis autem accessionis modo, ne frustra augeatur labor & scribenti tibi & aliis lecturis. Ego omnia studia ut tibi tuisque procedant quàm felicissimè ex animo precor Deum. Lutetiæ 28 Maii 1638.

Nolo te quicquam meorum latere. Habeo paratum volumen veterum de antiqua Historia Gothorum, Wandalorum & Longobardorum, cum præfatione & notis quibusdam, habeo annotata ad vetus Testamentum: habeo & notas grandes.

Tua Cl. Amantissimus H. G.

FRANCISCO IVNIO.

967 MAgnas tibi gratias ago Iuni doctissime, pro donato mihi libro tuo De dictura veterum, qui ipse vivam habet ingenii eruditionisque tuæ picturam. Miror diffusam lectionem, judicium, ordinem & quæ ex cunctis artibus ad hanc artem ornandam attulisti. Planè simile mihi videtur hoc opus tuum illis imaginibus quæ è lapillis diversicoloribus compaginatis fiunt, qualis illa Satyri Epigrammate Græco celebrata & Theuderichi Gothorum Regis memorata Procopio. Delectat varietas, multoque magis ex ista varietate consurgens pulchra species. Rogo te ut multa nobis des similia: ut verò Pictorum veterum nobis des nomina operaque, etiam ex promisso te convenio. Quò magis videas legisse me libri tui omnia, quæro quæ quid sint apud Claudianum vela Iudaica. Scis Iudæis impermissum ullam exhibere animantis effigiem vel in velis. Cogita an legendum *Lydiacis quæ pingitur India velis*: aut si quid habes melius, ad nos scribe. Ita etiam parte me levabis sollicitudinis quæ me movet, ut quotiescunque aliquem ex Anglia video, ex eo de te tuisque rebus inquiram. Quod si pateris & hoc adjici, meo ut nomine comiter salutes viros egregios. Seldenum, Patritium ὁμώνυμον [*cognomenem*] tuum, Petlæum & si qui his similes sunt alii, ad multa merita tua, quibus obstrictum me habes novum hoc adjeceris. Lutetiæ 31 Maii 1638.

Tuus toto animo H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

DIe Saturni proximè exacto conveni Regem ad Sancti 968
Germani: incepique sermonem agendo gratias quod significari mihi jussisset Reginam uxorem suam esse prægnantem. Flexi me inde ad laudes justitiæ à qua virtute virtutes cunctas, ut veteres dixerunt, suo complectente ambitu Regi cognomen pulcherrimum consensu humani generis tributum esset. Apparuisse eam Regis virtutem domi forisque: domi cùm præclaris legibus & singulares dimicationes & malorum alia sustulisset: foris, cùm arma toties objecisset adversùs externas injurias. Gratam justitiæ comitem esse bonitatem. Ejus quoque magnum documentum dedisse Regem, cum Principes alios prostratos erexisset, alios ne ruerent sustentasset. Sicut hæc essent egregia, ita Dei justitiam ac bonitatem amantis in omnibus, in Regibus autem maximè, beneficia in Regem fuisse multa, magna & admirabilia: ut quod civilia dissidia quæ Galliam per tot annos fœdè laceraverant disparuissent, ac regimen regale quantum fieri potest, compositum esset ad imaginem hoc universum gubernantis providentiæ: quod mare alibi siccatum Regi dedisset pedibus transitum, alibi ventis undisque obsequium præbuisset classes mittenti, alibi acceptus à Rege claustris aditum hostibus pernegasset: quod aperuissent se Alpes adventanti Regi: quod prælia ipsius, fulminis modo, horæ momento confecissent ingentes hostium exercitus: quod prolati essent Galliæ limites eorum damno qui eos voluerant retro agere. Post tot Dei munera unum restitisse quo nullum hujus vitæ majus Regibus dari potest, quod ex summa benevolentia Davidi promisisset Deus, futurum scilicet ut in ipsius solio posteritas ipsius consideret. Hujus etiam boni quod spem vivam Deus Regi, Reginæ ac Galliæ daret, pro eo nunquam satis magnas ipsi gratias agi posse. Lætari meritò Galliam, quæ speret perpetuò se visuram in augusta sede Regis tanti non sanguinem modò, sed & virtutes, illas præcipuè de quibus dixeram, justitiam ac bonitatem. Lætari & socias, præcipuè verò Suediam recenti nunc fœdere connexam Galliæ, unde bona hujus ad se quoque pertinere credat, speretque amicitiam fore æternam non inter Regna tantùm, sed & inter posteritatem Regis atque eam quam Deus aliquando Reginæ daturus esset. Hac gratulatione peracta adjeci preces me præterea duas Tuæ Augustæ Majestatis jussu adferre ad Regis meritò prædicatam à me justitiam, deinde & bonitatem. Iustitia ipsius dignum fore si quod facere cepisset facere pergeret, atque adversùs tantum undique concursum, novosque dilectus per Bavariam, Saltzburgicam, Bambergensem aliasque Germaniæ partes, per Hungariam, Austriam, Stiriam, Bohemiam, Ducem Vinariensem iis firmaret copiis, ut vires haberet aggrediendi aliquid magno suo animo dignum. Bonitatis verò Regiæ fore quod orem alterum, si placeat Regi tot hostilium Ducum compoti curam suscipere reddendæ libertatis Marescallo Hornio, de cujus virtutibus ideo abstinerem loqui, quod scirem eas Regi non esse incognitas. Pro singulari id beneficio habituram Sacram Majestatem Tuam, cujus ipsi literas datas 12 Aprilis in manus tradidi: simulque narravi Kingii prosperam in hostes pugnam, & addidi credere me mense Iunio mare transituras è Suedia ingentes

Digitized by Google

tes copias. Rex amicissimum se atque optimè volentem Majestati Tuæ professus, fedus cum ea sibi dixit gratissimum, ideo literas misisse ratihabitionis, & promissam pecuniam, confidere se etiam è Suedia sub idem tempus ratihabitionis pares literas eodem, Hamburgum scilicet perventuras. Ad petita minùs definitè respondit: misisse se ad Ducem Vinariensem auxilia: ac missurum majora prout exigerent ferrentque tempora. Iohannem Waertium non suum esse captivum, sed Ducis Vinariensis, cui ipse fidem de eo restituendo dedisset. Respondi non dubitare nos, quin si quid Rex pro nobis facere velit, idem & Duci Vinariensi sit placiturum, ad quem itidem scriptum ea de re ab Augusta Tua Majestate. Rogabat me Rex an Majestatis tuæ literas ad Venetam Rempublicam dedissem Legato: audierat enim nondum à me traditas. Dixi tradidisse me, postquam misisset ad me Legatus ac de quibusdam inter nos certatis satisfecisset mihi. Esse autem literas inscriptas Duci Veneto, & alteras ipsi Legato. Ea de re se gaudere Rex dicebat, credo quod videret me injuria apud se accusatum, quasi communia commoda morarer. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina Domina mea Clementissima, det Augustæ Majestati Tuæ cum bonis consiliis optimos successus. Lutetiæ 5 Iunii Novi Calend. anni 1638.

Tua Augusta Majestatis subditus obedientissimus H. G.

IOANNI FREINSHEMIO.

969 EPistolam tuam Aprili datam Freinshemi doctissime, & rectè accepi & legi cum voluptate. Non desino enim in quantovis æstu negotiorum amare dulces ante omnia Musas: nec aliud esse honestius censeo curarum levamentum. Vidi quæ antehac edidistis; vidi & novam hanc Taciti ἔκδοσιν [*editionem*] emendatam, bellam, ornatam abs te plenissimis judicii notis, addito indice utilem factam quamvis occupatis. Quid reddam pro tam dilecto mihi munere? Amorem tui & laudem operis: præterea & hæc non magni pretii, quæ mihi Tacitum legenti aliquando in mentem venerant. Eorum delevi quædam, observata, ut postea vidi, aliis, aut aliorum felicioribus conjecturis posthabenda. Reliqui duo aut tria, quæ tibi viroque excellenti socero tuo, priusquam ego id scirem, placuisse non gaudeo tantùm, sed & glorior, εὐστοχώτερος [*solertior*] enim mihi videor, postquam vidi hanc συνέμπτωσιν [*concursionem*]. Cœtera vestro utriusque judicio stent cadantve. Nam mihi minùs defæcata sunt tempora, quàm ut aut de meis aut de alienis conjecturis satis liquido decernere valeam. Interim fautorem studiorum vestrorum neminem esse fide meliore credatis velim: quod utinam factis mihi potiùs approbare, quàm dictis profiteri liceat. Valete candidissimæ animæ ... Iunii 1638.

Vester H. G.

MATTHIÆ BERNEGGERO.

Vir Eruditissime atque optime,

970 PRiùs novum nomen fio, quàm veteri me exsolverim. Quod literis tuis mense Martio ad me datis, & illis doctissimi Freinshemii, non ante responderim, eò factum est, quod Tacitum vestrum exspectabam. Eum mihi attulit D. Mullerus cum literis tuis, quæ quanquam scriptura sunt vetustiores, mihi tamen sunt recentiores, quia posteriùs ad manus meas venerunt. Dicam quod sentio inverso Catulli versiculo:

Socer generque reddidistis omnia.

De nova ac majore, quam molimini, editione scripsi ad magnum Sueciæ Cancellarium commendavique & opus hoc, quo ille vir prudentissimus delectatur unicè, & editionem & editores. Adjutor ad excitandum ejus memoriam erit mihi D. Mullerus, qui pulcherrimum adfert & libri ejusdem exemplum. Curtium pari elegantia exspectavimus & D. Mulleri & D. Duræi cogitata pro concordia eorum, qui magno jam nunc malo, & majore periculo inter se dissident, probo. Sed & tibi assentior, nondum eò venisse morbum, ut medicinam pati possit. Veniat aliquando illa dies quæ post tot accepta vulnera nunquam nisi sera veniet. Exurgant Constantini, Theodosii, Martiani, Iustiniani, Caroli Magni.

At nobis casso saltem delectamine
Amare liceat, si potiri non licet.

Pauci sunt, mi Berneggere, tui similes: pauci in Germania: pauci in Gallia: pauci ubivis. Nosti & legisti fortè carmen, quod Casauboni olim exercitationibus præposui. Sed hæc ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ [*exspectabimus quamquam solliciti*], tibique ac tuis studiis optabimus secundiora tempora. Vale, vir eximie. ..... Iunii anno 1638.

Tuarum virtutum non ingratus æstimator H.G.

AXÆLIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MIsit ad me his diebus Chavigniacus unum è domesticis suis. Is dixit Ioannem Waertium Regis esse 971
captivum, cùm tamen eum in Ducis Bernhardi esse potestate Rex mihi dixisset. Nuper admodum esse captum; neque multas ex eo utilitates ad Regem pervenisse, quales hostes percepissent ex longa captivitate Hornii. Habere & nos viros insignes captivos. Neque Regem à nobis ea occasione postulasse quicquam. Actum de liberando Hornio à Suedis cum Bavaro insciis Gallis, ac ne nunc quidem satis se scire quo in loco ea res esset. Ego qui certi nihil de iis quæ cum Bavaro acta sunt cognovissem, ita temperavi responsum, ut dicerem cum Bavaro nihil actum, nisi de danda ei pecunia. Metuere nos ne captis suorum ducibus mutet sententiam. Itaque ad Regis bonitatem nos confugere, non ut quicquam ei præscriberemus, sed ut eum oraremus, si qua se offerat occasio id faciendi, quod ipse se ultro se velle dixit, cùm hac transiret Tua Sublimitas, ea ne negligeretur. Nescio an mecum expostulare voluerint, quasi hoc peti suaserim. Certè non justa hæc est querelæ materia. Cæterùm si ad me mittatur pactio quæ cum Bavaro est inita, videor nihil iniqui facturus, si orem ut priusquam liberetur Waertius cogatur Bavarus iis stare quæ de Hornio convenere. Ad eruditiores sermones delapsi sumus ego & ille quem miserat Chavigniacus, inter cætera de Thuani historia, quam & ipse laudabat, culpare tamen quod initio ferme historiæ dixisset ab Hispanis Caroli V. tempore, datum exemplum quomodo exclusa Pontificis auctoritate defendi servarique posset Catholica Religio, rectiùs facturum si narrata re cogitandum hoc lectori reliquisset. Ego dixi optimo id factum animo, ut, si quando eveniret Galliæ Regibus, quod evenisset Philippo Pulchro, quod Henricis III. & IV. quod deinde Venetis, quam ad rem si quis unquam fieret ab Hispana factione Pontifex, vel alioqui favens Hispaniæ, aut crescentem in dies Hispani per Italiam vim metuens, aut per beneficia ei obnoxius, non defuturus esset obtentus, vel ex federibus quæ cum Protestantibus Rex Galliæ coleret planè necessaria, cæteris societatibus ab Hispano occupatis, tum scirent Galli quod huic malo pateret remedium. Neque alio ferme diversam fuisse causam Caroli Quinti, Philippi Pulchri, aliorumque à causa Protestantium, quàm quod Protestantes, manente mali metu, & ita exigente status publici quiete, perpetuum id fecissent, quod apud illos alios fuerat temporarium. Hæc ideo addere his literis volui, quod quæsita mihi videretur hujus sermonis materia, non aliena ab his temporibus, cùm Pontifex hic Gallis æquior à vitæ exitu non longè

longè abesse credatur, ita ut & de vita ejus dubitans Galliæ Legatus, ut certus fieret, invitis custodibus nuper in cubiculum ipsius irruperit; nec desint in Aula, imo & inter Episcopos, qui, si quis fiat Pontifex à Galliæ rebus alienior, putent facto à Romana Aula dissidio, præficiendum Galliæ sacris Patriarcham Gallum, haud dubiè non alium ei oneri destinantes quàm eundem qui Regni curas nunc sustinet. Certè in Italia retro labi res Gallorum multis argumentis liquet. Vix Cardinali Valettæ sunt duo millia, contra XII millia hostium Montisferratensis territorii reliquiis imminentia. Agitari matrimonium viduæ Mantuanæ cum Cardinali Hispano multæ ex Italia literæ credi volunt. Ad Sabaudam autem missos pacis suasores ex Vienna & Madritio. Huc in Aulam Cardinalis Biquius de pace & induciis acturus nondum venit. Sed multæ eò pertinentes literæ inter Cardinales Riceliacum & Barberinum commeant: quas ipsi soli custodiunt. Nos à D. Chavigniaco nihil dum responsi accepimus, qua de re eum qui ad me missus fuerat interpellavi. Venetus ut puto Vienna exspectat responsum. Princeps Casimirus retinetur etiamnum in ora Massiliensi, ut Galli nunc vulgant non tempestatibus eò perlatus, sed consilio explorandi locorum situs, demovendo Hispano à quo classis Portugallicæ Præfectura ipsi data aut promissa est. Prætextus eum retinendi alius sumitur. In navi qua ipse Genua venerat, Hispani erant sex. Ea de causa à maritimæ rei judicibus qui hic sunt, navis & quæ in navi erant confiscata. Vtuntur enim eo jure Galli, ut navem qua hostes vehuntur prædam faciant. Merces tamen quæ in navi fuerant, non ut ex jure, sed quasi beneficio redditæ Genuatibus. Itemque homines Genuates. Cæteri retinentur Seloni. Maii 17 ut hic numeramus Gotzius, persequente ipsum Duce Vinariensi, certus vitare prælium donec majores ex Austria ac Tiroli copias acceperit, à Constantiæ lacu retro cessit, transiitque tenuem adhuc illis in locis Danubium. Transiit eundem insistens tergis & Dux Vinariensis cum XIV millibus, XVIII millia habente hoste. Sed Gotzius clam itinere alio quinque suorum millia, partim equitem, partim peditem misit ad propinqua Nieuburgo, cum quibus conjuncturi se putantur qui per Rhæticas Alpes descendunt Hispani, hoc maximè consilio, ut Brisacum periculo eximant. Brisacum si Longavillanus Dux se conjunxisset cum Vinariensi capi potuit; sed malunt Galli, ut videtur amoto Vinariensi, suis tantùm copiis id oppidum aggredi, certamque sibi facere possessionem. Ad dilectus illos qui in Tirolis & Austriæ fiunt partibus CCM ducatorum ab Hispano pervenere. Ad milites alios ferme quinquies mille ex Helvetiis conscribendos pecuniæ Lucernam missæ. Nonnihil etiam ad Ducem Lotharingum. Dux Vinariensis præsidia satis magna in oppidis reliquit. Castilionæus à 22 ad ultimum Maii oppidula quædam & loca alia quibus S. Audomari ambitur oppidum vi aut deditione cepit. S. Pauli, S. Martini in proximis, Pernam, munitionem quandam in ruinis Teruanæ nobilis olim urbis, arces Arquensem, & Blandekensem, viam munitam quæ Atrebates à Flandris dispescit, Abbatiam Clarimariscam, Esperlecum, postremo & Casselam olim Castellum Menapiorum, quo in oppido alimenta exercitui in duos menses reperta sunt. Nunc Castilionæus habens secum XIV hominum millia & quædam supplementa exspectans castra munit, paludes adjacentes siccat, amnem ab urbe abducit, ut obsessis adimat usum molarum amnicarum, in suburbio quodam castellum struit. Quæ capta dixi oppida & loca non à militibus omnia, quædam à rusticis defendebantur. Galli contra quàm edictum ipsis fuerat, incendiis ubique grassantes, incommoda sibimet ipsis hospitia fecere. Dux Longavillanus decem ferme habet millia. Chausinum oppidulum metu ad deditionem compellere parat, inde rem majorem, Salinarum scilicet obsidionem animo agitans. Vicecomes Turenæ cum milite illo Leodiensi huc venturus dicitur, & in Italiam mitti. De Principe Condæo, de Lafortio, de Bressæo nihil intelligimus. In Italia Hispani, qui Alexandriæ præsidium habent, Parettum cepere. Protestantes Helvetii non desinunt clanculum commeatu juvare Vinariensem. Hostis multum copiæ ad victum intra Constantiam habet. Rex Hispaniæ ut controversia de religione præcidatur, paratum se ostendit emere quæ bona Protestantes intra Vallem Telinam habent. Idem pecuniam mittit Rhætis suæ factionis qua militem conducant, ad compescendos eos quibus præsentia displicent. Audio Landgraviæ millionem à Gallia annuum dari. Tantum ei lucri breves induciæ & ne producerentur metus peperere. Anglus Legatus ordinarius spem mihi aliquam facit propriæ pactionis cum Suedis, quæ ad fedus illud commune viam struat. *D. Springius* præceptum se habere negat à Tua Sublimitate solvendæ mihi pecuniæ, pro tempore semestri jam elapso, quam tamen in antecessum mihi numerari Tua Sublimitas, ni fallor, voluerat. Rogo ut mei in tantis sumptibus quotidianis habeatur quæ debet ratio. Itinerum quæ feci impendia haud magna sunt. Pecuniæ enim publicæ, planè ut meæ, parco. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginam, Regnum, Tuamque Sublimitatem sospitet. Lutetiæ 5 Iunii novi Calendarii anni 1638.

De Olivaris morte non perstat fama. Pater Iosephus convalescit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRinceps Casimirus adhuc Seloni in ora Massiliensi re- 972
tinetur, navi qua ipse Genua venerat, pronuntiata in prædam cecidisse, quod Hispanos quinque veheret: mercibus tamen Genuatium, hominibusque Genuatibus, non ut ex jure, sed, quasi beneficio, redditis. Is color Gallis placuit; revera altior subest causa, quod ad oræ illius situs explorandos venisse credatur, Hispano gratiam redditurus pro data aut promissa classis Portugalliæ Præfectura. Dux Vinariensis Gotzium, prælii fugientem, quanquam huic majores erant copiæ, compulit omisso Constantiæ lacu retro se trans Danubium recipere: quem & ipse transiit: sed Gotzius, Brisaco præcipuè metuens, quinque suorum millia, equitem peditemque Nieuburgum versùs misit, ut, si possint, id oppidum capiant, ac sic Brisaci pericula antevertant. Cum his quinque millibus juncturi se putantur Hispani qui per Rhæticas descendunt Alpes. At Dux Longavillanus in Burgundiæ Comitatu Chausinum oppidum puto jam ceperit, Salinarum deinde obsidionem an Brisaci, peracturus, incertum. CCM ducatorum ab Hispano missa ad dilectus in Austria & Tiroli, nec tenues pecuniæ Lucernam, & Curiam Rhætorum ad scribendos & ibi milites. Aliquid etiam Carolo Duci Lotharingo datum. Habet Dux Vinariensis, præter qui in præsidiis sunt relicti, XIV ferme millia: Gotzius XVIII CIↃ & plures exspectat. Dux Longavillanus X habet millia: Castilionæus XIV CIↃ in obsidio S. Audomari, ubi nunc castra munit, in suburbio castellum struit, amnem urbi abducit, molarum usum ipsi sic ademturus, quæ amnis vi versabantur. Intra 22 Maii & Calendas Iunii multa oppidula locaque alia cepit non longè inde absita, Sancti Pauli, Sancti Martini in Fraxinis, munimentum in ruinis Teruanæ, arcem Arquensem & Blandequensem, munitam viam quæ Atrebates à Flandris separat, Abbatiam Clarimarissam, Castellum Esperlecum, postremo Casselam, quæ olim Castellum Menapiorum, ubi exercitui

Digitized by Google

tui alimenta reperta in duos menses. Illud ex licentia militari malum, quod vici multi, & alia usui futura, ignibus quotidie corrumpuntur. De Principe Condæo, Lafortio, Bresſæo, nihil audimus. Creditur Vicecomes Turenæ cum suo Leodiensi delectu huc venire, & hinc in Italiam mitti, ubi Cardinalis Valetta vix quicquam habet militis quod opponat hostium XII millibus, quæ, Paretto capto, Casali vicinisque locis imminent. Sabaudi Vidua perstat in Galliæ amicitia, quanquam multum tentata conditionibus, à Vienna & Madritio. Viduam Mantuanam Cardinali Hispano despondere Italorum conjecturis, etiam hic audimus: sed magis credibile est, perstiturum Regem Hispaniæ in ea quæ pridem ibi invaluit cura, ne qua sit Regii sanguinis proles extra Regnantis liberos. Excellentiæ Vestræ literas 24 scriptas Maii rectè accepi. Laudo, quod Princeps Arausionensis, diversis ex partibus metum ostentans, incerta hosti consilia facit. Accendent ipsum res quæ geri cœpere, quæque geruntur à Castilionæo, qui & incrementum exercitui suo exspectat. Hassis multum hinc pecuniæ datur. Sintne ii reddituri Paderbornam, captam induciarum tempore: deinde ad Meppam recuperandam an suas cum Suedis juncturi sint vires, intenti exspectabimus. Est, ut dicis, ingens Hispani domusque omnis Austriacæ odium in Gallos, quod hoc maximè obice frænari cursus suos satis intelligant. Sed & Pontificis, aut pacem aut inducias struentis, magna est apud partem utramque auctoritas. In Italia non est dubium, quin & Aula Romana & prudentia Veneta magis quàm antehac respecturi sint ad Hispani nutus, vix ulla spe, post tot irritos conatus, reliqua resuscitandi illis in partibus auctoritatem Galliæ nominis. In Palatinæ Domus negotio exspectat Gallia exemplum Angliæ, cujus liberalitas nunc tantum intendi debet, quantum increvit periculum. Non dubito quin qui hic sunt Legati libente animo quicquid suæ est opis ad avertendam ejus Domus, satis in præcipiti stantis, ruinam, sint collaturi. Quid obtulerit Electori Wolfius, quid oblaturus sit Suediæ Regno Elector, ubi tempus feret, gaudebimus doceri. Melander excitandus est Ducis, nuper qui fuit, Bulionii exemplo, qui olim ipsa nuptiarum suarum nocte, omissis uxoriis amplexibus, improvisus, si unquam, hostile oppidum cepit. De Erfurdia nihil certi habemus. Danum ad derelictas partes reduci posse multi sperant, argumentum sumentes tum ex magnis quas habet copiis, tum ex nummi recens cusi inscriptione. Certè Holsatia, Archiepiscopatus Bremensis, Oldenburgica ditio, ipsum proximè tangunt: quo si semel penetraverit miles Cæsarianus, frustra postea legum auxilia implorabuntur. Est autem ea Regis Daniæ potentia, ut facilè vicinos aliquos in societatem arcendi mali sit tracturus. Idem Rex naves iterum, ut audio, mittit prohibendo vectigali, quod jam probatum est conventus Polonici auctoritate, in id duntaxat laboraturis proceribus quibus id negotii datum est, ut modus aliquis imponatur vectigali, ad tria & semissem puto in centena, ejusque proventus inter Regem gentemque Polonam dividatur. Quid ea de re constituri sint Batavi, scire erit operæ pretium. Nam Suedos adhuc perstituros puto in spectandi voluptate. De Olivaris morte non perstat fama. Pater Iosephus convaluit & res ut ante versat. Nos hic omnes rectè valemus, vobisque omnibus optamus prosperrima. Scribebam, Illustrissime Domine, 5 Iunii 1638.

Excell. Vestræ omni cultu observantiaque addictissimus H. G.

CORNELIO GROTIO.

973 VEnit ad vos D. Iohn ab epistolis Excellentissimo Duci. Ei ut omnibus hinc illuc euntibus te commendavi. Pecunia de qua nobis scripsisti parata est ut hic solvatur. Mitto ad te librum Romæ editum de studio militari à Gabriele Naudæo Gallo, sed medico, nec unquam belli spectatore. Itaque quod olim Græcus quidam dux inspecto libro simili dicebat ἄτ⊙ ὁ λόγ⊙ ἐ πε- σεσαλπισμευ, idem hic dici potest. Interim ostendit se multos legisse libros & inter eos meum quoque de Iure belli ac pacis non indiligenter. Me nusquam nominat, id enim Romæ nefas, sed designat tantùm. Si frater tuus jam ad vos venerit, quod omnino spero, & ex Mulleri sermonibus ita esse confido, poteris & ipsi hunc librum dare legendum. Nos satis rectè valemus omnes, tibique ac fratri omnia optamus prosperrima. 7 Iunii 1638.

Tibi optimè volens pater H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DIe Iovis cùm ad Patrem Iosephum ivisset D. Schmalchius venit ad me Legatus Venetus, deditque mihi 974
duas quas mitto formulas, acceptas à Vienna, quarum prior Legatis Suediæ ad pacis negotium ituris cavet, altera iis qui à Germanis venient. In priore nihil admodum desidero, nisi ut non coronæ Suedicæ solius, sed, ut moris est, Reginæ & Coronæ fiat mentio: deinde ut pro Colonia ponatur Hamburgum aut Lubeca. In altera odiosa illa mentio criminis læsæ Majestatis aliena est à pacis studio. Præterea formula opus esset pari pro iis qui se Legatis Suedicis essent adjuncturi. Cætera expendenda Tuæ Sublimitatis accuratissimo judicio reservo. Gunthrodius qui pro Hassiæ Vidua hic est, misit ad me, erroremque nuper admissum correxit, dando mihi ea honoris vocabula quæ Legatis Regiis dari solent. Ego & offensarum sum fugiens, & memor tamen dignitatis, eaque vel difficillima pars est injuncti mihi muneris. In Italia magnus est Hispanorum exercitus, ad XIV CIↃ peditum, equitum VII, Vercellas obsident & capturi videntur. Mantuana Vidua suspecta hic est, ideoque in controversia Gallicorum ejus Domus bonorum filiabus mortui Ducis possessio adjudicata est, hoc colore quod neque Dux extra Galliam vivens de bonis in Gallia sitis testari potuerit, neque eorum bonorum capax sit Dux puer extra Galliam natus. Id jus Albinagii dici solet. Duo millia recentis militis ex Hispania longis navibus ad oram Genuatem, inde ad Leganezium pervenere. Castilionæus ad premendum S. Audomari oppidum quinque struit castella, rusticorum septies mille opera. Rentiacum cepit & Abbatiam Wartæ ubi captus est Iesuita Bruxella veniens, credensque se in Hispanorum incidisse manus qui militari licentia infesti essent iter facienti, ea quæ de necessitatibus S. Audomari deque consiliis Aulæ Bruxellensis cognoverat, Halerio quem Hispanicarum partium ducem per errorem putabat enuntiavit, missusque est huc Lutetiam. Obsidetur & Ruminga oppidulum. Lafortius alium colligit exercitum quò Castelletum recuperet. Is ad XIV millia futurus dicitur. Cùm à Rotwilo per Vallem Kintzingensem retro se ad Rhenum vertisset Gotzius, cum parte primùm suorum, deinde majori agmine, placuit Duci Vinariensi alio itinere, nam illud concædibus factis hostes abstulerant, eum subsequi & ad Friburgum considere. Perstat Gotzius apud Offenburgum considens vitare prælium, unicè intentus ut Brisaco subveniat, cujus aditus equite ac pedite Dux Vinariensis obsessit. Sed nuper quatuordecim currus alimentis onusti qui Basilæa Argentoratum ibant à Brisacensibus intercepti erant, incertum an comitantium dolo. Dux Longavillanus in Comitatu Burgundiæ capto Chausino Salinis imminet. Eum Galli videntur mittere velle ad Brisaci obsidium. Sed Vinariensis in solo Germanico alteri imperium non concedet, & urbem, si capi possit, sibi velit custodire, ut partem Alsatiæ sibi à Rege concessæ.

Digitized by Google

cessæ. Itaque id per Erlacium huc missum urget, ut pecuniæ sibi mittantur & commeatus, & auxilia ad sex millia peditum, equitum duo. Benfeldienses nostri Argentoratenses literis hostilia minantibus terruere, ne hostem rebus aut ad vitam aut ad bellum necessariis adjutent, sumpto consilio ex necessitate & exemplo Gotzii qui pari modo Helvetios territavit. Ego per D. Mullerum Patrem Iosephum monui ut à Rege eadem minantes literæ ad Argentoratenses mittantur, nequid per ejus civitatis aut metum ab hoste, aut socordiam, aut privatorum avaritiam damni accipiatur publicè. Præter illum exercitum ad Offenburgum, alius hostium exercitus ad Basileæ fines se ostentat. Pro Bavaro præest Gotzius, pro Imperatore Furstembergius. D. Schmalchius clam me apud D. Chavigniacum fuit. Ei dixit de pecunia multum nos remissuros, partem scilicet alteram. Dicit ea de re se habere literas Excellentissimorum & Illustrissimorum Regni Rectorum, quas ego non legi, scriptas Suedico sermone. Hoc video ipsum agere ut sibi captet gratiam, mihi odium conciliet, ausus etiam in sermone cum uxore mea non semel mihi grande malum minari, quod ipsius privatis & iniquis desideriis morem non geramus. Hæc Batava simplicitate significanda duxi Tuæ Sublimitati, cæterùm paratus ferre omnia quæ sine injuria committi mihi muneris ferri poterunt. Significavit tandem mihi Residens Anglicus Venetos in hunc modum scribere Regi Anglo: Serenissimo Principi ac Domino, Domino Carolo Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi Illustrissimo. Sed & ipse Legatus Venetus promisit mihi se daturum inscriptiones quibus ad Reges alios uti solent, ne qua in parte nos læsos putemus. Habet Dux Vinariensis ad Nieuburgum pontem è navibus factum in Rheno. Roma quanquam assueta inanibus, luxum miratur Legati Eckenbergii, cujus sola carruca xxv millibus constitit. Princeps Thomas ad Poperingam exercitum ostentare nunc demum incipit. Princeps Casimirus retinetur adhuc, & posset hic quoque nobis usui esse ad pariendam libertatem D. Hornio. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det bona omnia Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati. 12 Iunii 1638.

Venit ad me Erlachius, qui res hic agit Ducis Vinariensis. Ait nullas ultra hostium copias apud Basileam esse, Gallis constitutum mittere in obsidium Brisaci, omissis Salinis, Longavillanum Ducem pari futurum imperio cum Vinariensi, ei esse decem peditum, duo equitem millia; sed eos negare Brisacum & Brisgoiam sub concessione Alsatiæ comprehendi. Etiam de extraordinariis impendiis aliquid inter Ducem & Regis homines disputatur. Princeps Condæus Tolosæ est, nihil ad bellum quidem promovens. Espernonius Aulæ huic suspectus in agresti prædio continere se jussus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

975 Retro ad Rhenum à Danubio se tulere exercitus, hostium primò, deinde Vinariensis: ille per Vallem Kitzinganam: alter per magis avia, confidentque non magnis intervallis, ad Offenburgum hostis, ad Nieuburgum & vicina Vinariensis, ponte è navibus facto ad faciliores Rheni transitus. De Brisaco claudendo hic, periculis eximendo ille certat. Ad plenum obsidium Dux Regem orat mitti sibi auxilia ad sex aut octo millia, pecuniam, alimenta. Galli totum exercitum dicunt se velle mittere, sub Duce puto Longavillano, qui Chausino capto nunc Salinas obsidet. Verùm id si fiat, metuo ne rebus obstet de summa imperii inter Germanum ac Gallum contentio. Interim currus aliquot alimentis onusti, qui à Basilea Argentoratum veniebant, à Brisacensibus intercepti sunt, incertum an collusione eorum qui currus comitabantur. Et Argentoratenses hostili etiam exercitui commeatus mittere parati erant: sed terrentur Præfecti Quernhemii & Moskelii minacibus literis, ac denuntiantibus pro hoste se habituros qui hostem adjuvisset. Speramus similes literas à Rege Galliæ illuc ituras, ut par pari referatur. Nam sic & Cæsariani Helvetiis malum prædixere, si Ducem Vinariensem adjuvarent commeatu. D. Castilionæo res pergunt bene procedere. Septem castella struit septies mille rusticorum labore, per quæ omnes ad S. Audomari oppidum aditus intercludat, captis, præter ea quæ scripsi antehac, etiam Renno, & Abbatia Warta: puto nunc & Ruminga. Warta Iesuita, Bruxella veniens, cùm eum locum adhuc ab Hispanicis teneri putaret in Gallos incidit, Haletoque, quem Comitem Fortium esse rebatur, & mala oppidi S. Audomari, unde missus fuerat, & Bruxellensis Aulæ consilia enuntiavit. Is nunc in hanc urbem perductus est. Lafortius Castelletum it recuperaturus. XIV millia brevi se habiturum sperat. In Italia magnus est hostium exercitus ad XIV peditum, VI equitum millia. Iis obsidetur Vercellæ; & duo millia novi militis ex Hispania mari ad oram Genuatem, inde terra in Mediolanensem agrum venere. Filiabus Ducis Mantuani adjudicata hic est, bonorum ejus Domus quæ in Gallia sita sunt, possessio, hoc colore, quasi puer Dux extra Galliam natus capax non esset bonorum in Gallia: revera, ut hoc metu retineatur Vidua Mantuana à partibus Hispanicis, in quas propendet. Pro Cæsarianis formulis, quas mihi Excellentia Vestra cum literis misit pridie Calendas Iunii datis, mitto alteras, quas Venetus mihi dedit. Videbis & in his verba parùm pacifica & accendendis magis quàm sanandis vulneribus. Dum bellum undique paratur lento gradu ire ad colloquia de induciis aut pace nihil nocebit: duoque diversa, in quibus agetur ea res, loca magis magisque ostendent quid hostes cupiant, metuantve. Pontifex hic diu victurus non putatur. Ejus mors Regum studia nudabit. A Principe Arausionensi magnum aliquid exspectamus. An Regi Daniæ curæ sit futura Bremensis terra & Oldenburgica, tempus est ut appareat. Quod Palatini copiis coëundi locus in solo Transisalano conceditur, & Imperatorem irritabit, & initium fortè Batavis erit, unde incipiant minùs timere Imperatorem. Video omnium qui D. Roum novere judicia cum judiciis Excellentiæ Vestræ congruere. Itaque ex ejus adventu Hamburgum aliquid lucis ad bonam spem nobis affulgebit, quantum ominor. De Vidua Landgravia pergo bene sperare. Vectigal illud Dantiscanum opulentiorem Regem faciet, quanquam dimidia parte cedente in usus Reipublicæ, quàm eum esse Suediæ, aut ipsius etiam Poloniæ intersit. Cùm Rex Daniæ, ad quem minùs perventurum est incommodi ad onus id rescindendum naves mittat, quid Batavos facere æquum est, gentem ut lucri avidam, ita damni cujuscunque impatientem? Iam intelligo omissis Salinis Longavillanum cum decem peditum, duobus equitum millibus ad obsidium mitti Brisaci, pari imperio cum Vinariensi. Princeps Condæus nihil dum in bello promovit. Espernonius à Rege jussus est agresti se prædio continere. Quæ accedunt his literis sunt à D. Gothofredo. Dux Lotharingus minuta quædam loca cepit prope Landresiam. It ei occursurus Vicecomes Turenæ cum Leodiensi milite. D. Mullerus apud nos est & Excellentiæ Vestræ mecum precatur res prosperrimas. Vale, Illustrissime Domine. Scribebam Lutetiæ 12 Iunii 1638.

Excell. Vestræ summè observans eique addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEnit ad me die Saturni Noyerius, Secretariorum status Regni unus, cui res belli obvenere, missus ad me ut vicem obiret Chavigniaci morbo colico ægrotantis. Salutavit me & Regis & Cardinalis nomine, deditque in manus hoc scriptum breve nostro quod tradideramus longo velut respondens. Cardinalem dicebat dixisse jam de eo convenisse. Cùm ego me nescire dicebam: nos scriptum tradidisse, ad id hactenus exspectasse responsum, ut eo viso faceremus quod nostrarum esset partium, explicatiùs dixit cum D. Schmalchio rem transactam. Legi scriptum: dixi nihil me dicere posse, nisi locutus essem cum D. Schmalchio: quanquam enim in meum nomen conscriptæ essent literæ potestatem dantes, illum tamen mihi adjunctum. Itaque diceret Cardinali nihil me seorsim respondere posse. Duci Vinariensi dixit mitti adjutorem Ducem Longavillanum in Brisaci obsidium. Principem Condæum ire arma illatum Hispaniæ: idem & ex aliis intelligo & quidem adversùs Fontarabiam eum ire. De obsidione S. Audomari famam adversam quæ eo tempore audiri hic cœperat refellebat quantum poterat. Cæterùm sic se res habet. 7 Junii Castilionæus palustribus qui ex parte oppidum ambiunt locis diffidens miserat cohortes sive regimenta duo, Espagnii & Fouquesolæ, cum turmis expeditis duabus, ut locum commodo situ, per quem transituri hostes putabantur, antecaperet. Sed ii, cùm & ob impedimenta quæ secum sumpserant, tardiùs fecissent iter, usi etiam præter quàm imperatum ipsis fuerat ambitu quodam, hostium occurrerunt septem millibus, quorum dux erat Princeps Thomas, & tentato per equites certamine, sed nimium impari, in vicum quendam refugi plærique, ibi sunt aut trucidati aut capti. Capta & signa XXVI. Dum hæc aguntur, hostes per paludes satis profundas, auctasque apertis aquarum emissariis, quadraginta lintribus homines ferme mille quingentos intulere in oppidum, in quo jam ante præsidium habebant mille milites, præter oppidanorum quinque ferme millia militibus nihil cedentia neque animo neque armorum exercitatione. Vidi ex castris literas quæ post hunc eventum de obsidione minùs bene sperarent. Sed Rex Ducis Lafortii exercitum appropinquare castris jussit. Is nunc in ruinis est veteris Teruanæ. Refotus eo subsidio Castilionæus continuo opere, nisi qua paludes impediunt, urbem ambit, spemque nobis facit boni successus dispositis ad paludes machinis, & intra eas ligneis natantibus castellis; cæterùm judicia variant. Eo die quo ad me veniebat Noyerius adfuerat captivis Waertio & Enckefortio quos hodie ad Confluentes Sequanæ & Matronæ convivio splendido excepit Cardinalis. Rumor spargitur eos militiam mutaturos. Credibilius est de Mimnermo aut Catullo cum eis agi, simulque ex liberali sermone explorari res, vires, consilia, spes hostium. Ego ut ostenderem sincerè à Suedis agi, narravi Noyerio quid Regina Ducibus scripsisset Lawenburgicis, quid D. Salvius respondisset Cæsarianis. Ea ipsa nunc perscripta nactus à D. Salvio ad ipsum Noyerium mittam, quo magis fidem ipsorum fidei nostræ exemplo obstringam. Addam de Vidua Hassica, quando ea seorsim inducias facit producitque non abs re fore, si ipsi tam Galliæ quàm Suediæ nomine significetur, nisi abstineat privatis conventionibus, neque Galliam neque Suediam ullam ipsius rationem habituram si quando pacis communis negocium tractandum se dederit. Breslæum apud Reteletum esse dicebat Noyerius: Vicecomitem Turenæ tutari Campaniæ proxima. Idem aliorum literæ confirmant. Principem Casimirum dicebat etiamnum servari Seloni. comitatum ejus sumptu gravem, à Rege minui. Meritò hostis loco haberi, cum qui & ipse, & per comites suos, & portus & stationes & vada oræ illius pertentaverit: qui denique & Genuæ & alibi salutatus exceptusque sit ut classis Lusitanicæ Præfectus. Hæc est summa colloquii cum Noyerio qui ex meis ædibus illico in Aulam rediit. Commemoravi hæc D. Schmalchio. Is convenisse se negat. Quid & quousque locutus sit, non satis intelligo. Sed cùm valde urgeret me D. Schmalchius, ut verborum quibusdam minutiis mutatis rem probarem, ut mandatis quæ ipse seorsim accepisset, sermone scripta Suedico, congruentem (in iis comprehendi dicit ut vel ducentis Florenorum millibus accipiendis contentus esset) respondi mei esse officii quæ mihi mandata, non quæ alteri sunt, sequi, præsertim cùm in incognito mihi sermone, quanquam interpreti non diffidebam, vox aliqua, aut vocum consequentia sensum mutare posset. Iurisconsultorum esse morem in mandatis quorum fines anxiè custodiendi sint, apices singulos sollicitè scrutari. Repetito inter nos hac de re sermone perstiti in proposito, eò justiùs quod ubi nihil est quod properari jubeat, sicut certè hic non est, ubi & longè abest spes induciarum & præscriptæ mihi lineæ cunctari me jubent, prudentiæ semper habitum sit, dare rerum Potentibus spatium ut possint consilia aut priora sequi, aut nova sumere, pro ut tempora, quæ sæpe multas mutationes recipiunt, etiam improvisas, exigunt. D. Schmalchius hic maneat, an ad alias res se accingat, mihi in æquo est. Sed videbunt cum otio Excellentissimi & Illustrissimi Suediæ Rectores, quid in hac formula, sive in re, sive in eloquendi modo, mutandum, addendum, demendum sit. Idem & D. Mullero faciendum videbatur, cujus prudentiam modestiamque satis pro merito prædicare nequeo. Mitto cum his literis etiam decretum Regis, quod magnam in Gallia sermonum materiam, majorem Romæ dabit. Vetat id edictum, ut olim sæpe, pecunias aut literas solvendæ pecuniæ mandatrices è Regno Romam mitti ad comparandas Bullas Episcopatuum, Sacerdotiorum, beneficiorum, addita causa, quod earum mercium incensa sint pretia contra antiquas pactiones. Multi arbitrabuntur semen hoc esse dissidii à Roma. Ego id vetor credere, cùm video eos qui priscas Galliæ sententias tuentur in carcerem conjici opprimique. Sed cùm Rex vices suas in conferendis Episcopatibus, Sacerdotiis, beneficiis Cardinali Ricelliaco mandaverit, puto id eum expetere, ut & Pontifex suas approbandi partes ipsi, velut Legato, aut Primati, deleget. Et quia ab Aula Romana nihil Reges nisi metu extorquent, Cardinalem intentato gravioris dissidii periculo territare Romanos, ne quid sibi negare audeant. Addit spem, Pontificis hujus æquitas, facilè prospectantis magna Galliæ mala, si quis ei succedat Hispanis addictior, & ex usu Hispaniæ res Gallicas versaturus. Cæterùm cur in Religionis negotio nihil moderaminis sperem, facit congregatio propagandæ fidei quæ dicitur, quæ magna cum pompa hic crebrò celebratur, & ad inquisitionem valida jacit fundamenta, habens per omnes Galliæ Provincias atque oppida speculatores suos, qui cuncta huc referunt, præsertim Cappucinos ex quorum societate est Hyacinthus iste hujus commenti faber. Iesuita is qui apud Noyerium servatur, ut ipse mihi dixit Noyerius, si S. Audomari oppidum capiatur, cessura brevi Gallorum armis judicat Flandriæ plæraque, maritima præsertim. Sed mirum non est, si ad potentioris gratiam sermonem suum temperant captivi. Commendanti mihi Marescalli Hornii libertatem, orantique ut, si Bavarus sponte id facere nollet, stare pactis per Regem tanta habentem pignora cogeretur, respondit, ubi de dimittendo Waertio instituetur deliberatio, satis tunc temporis nos ea de re acturos. Rex it in Picardiam, obtentu hoc, ut, tanto propior, efficaciùs nobilitatem commoveat ad augendas Castilio-

ſtilionæi & Laſortii vires, reipſa, ut à Regina, quam ſpes partus gratioſam facit, abiit longiùs. At in Aquitania Eſpernonius, quanquam prædio ruſtico continere ſe juſſus, nomen tamen Præfecti retinens, nobilitatem à caſtris Principis avertit. Guntrodius apud me fuit: ego viciſſim apud ipſum. Cuncta amicè tranſacta, & incolumi ea quæ tuenda mihi data eſt dignitate. Millio qui Haſſis promittitur ad hunc dumtaxat annum pertinet, veteribus etiam reſiduis in id imputatis. Ego & hujus Domus & Ducis Vinarienſis negotia commendavi Noyerio: inque iis quas ad ipſum, quia adhuc ægrotat Chavigniacus, mitto literis, ei ſignificabo cùm ſcriptum quod mihi tradidit cum meis mandatis non conſonet, relationem à me factam Suediæ Rectoribus: à quibus reſponſum me exſpectaturum, quod confidam & æquitati & amicitiæ inter Regna neceſſariæ conſentaneum fore. Vercellis metuo. Obſidentur à XII millibus peditum, equitum IV. Alia decem millia partim peditum, paucorum equitum non longè inde campos tenent. Gallorum omnis ſumma putatur eſſe decies mille peditum, equitum bis mille illis in locis: Nobilitas autem omnis Pedemontana & Sabaudica à bello averſa. Vidua Mantuana ita nutat, ut ejus defectionem multi metuant. In Caſtilionæi exercitu puto eſſe decem millia peditum, equitum quatuor. In Laſortii octo peditum, equitum duo. Id quod D. Salvius reſpondit Cæſarianis, qui Lubecæ ſunt, etiam ad Venetum Legatum miſi, ut videat quæ nos hic ei diximus, quæque ibi à noſtris dicuntur, eſſe eadem. De literis tuti itineris exſpecto quod imperabitur. Interim ut apud Venetum, ita apud Noyerium, non reticui quàm aliena à pacis ſtudio eſſet, illa mentio læſæ majeſtatis. Multum deſiderari à Gallis arbitror, ut federa & Wiſmarienſe & Hamburgenſe ad pacem usque prorogentur: ideoque facilè eos conceſſuros plura nobis quàm præ ſe ferunt. Quæ autem ſint quibus conſtantiſſimè inhæreri debeat, partim quidem ex mandatis mihi datis intelligo; amplius autem de eo edoceri à Tua Sublimitate percupio, ne qua in re ignarus offendam. Gotzius ad Offenburgum manere ſcribitur cum XV millibus: alimenta habere è Bavaria. Sperreterus è fuga retractus compedibus cuſtoditur. Vinarienſis commeatus Rynfeldii & Neuburgi aſſervantur. Incendia quibus Galli, etiam Atrebatum & Cameracum usque graſſantur, nocent & hoſti; ſed nec minùs ipſis, quibus & hoſpitia fiunt minùs tuta adverſus cœli injurias, & victus copia tenuior. Hæc poſtquam ſcripſeram 17 Iunii die, venit ad me Cardinalis juſſu Chavigniaci præcipuus Miniſter Labardeus. Ei omnia dixi quæ ad Noyerium ſcripturus fueram. Sed & literas ad Lauwenburgicos & illud D. Salvii reſponſum jam à D. Davauſio miſſa, ex ipſo didici. Malui ſupervacuæ diligentiæ argui quàm ſuſpiciones illis ullas relinquere minùs fidæ ſocietatis. Eidem Labardeo interroganti, quid de ſcripto nobis dato ad Cardinalem eſſet relaturus, reſpondi, mihi data mandata non pati me eousque progredi, ut in id conſentirem. Sed Regentium deliberationi rem à me permiſſam, brevique habiturum me quod ſequerer. Diſſerenti non poſſe per inducias ſperari niſi quod teneretur, & ſi dimidium per inducias daretur ejus quod bello promiſſum foret, debere id nobis ſatis videri, nolui in diſputationem ingredi, ut cuncta Regentibus integra ſervarem. Id quod ego ſignificandum Viduæ Haſſicæ cenſueram, fore, ut ſi ſua agat ſine Suedis Galliſque, ab his viciſſim, ubi de pace agendum erit, ipſius cura deſeratur, factum jam eſſe dixit mihi Labardeus. Deum precor, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, conſilia Tuæ Sublimitatis ut bono & Suediæ & orbis Chriſtiani proſperet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Iunii 1638.

Cardinalis Biquii adventus non procedit. Multum laborat Nuntius ut publicationem Edicti impediat. Et jam Franciæ Cancellarius ad Primum Parlamenti Præſidem ſcripſit, non eſſe quod feſtinet rem in conſilium mittere. In convivio Confluentino Cardinalis ipſe infirmitatem ſuam excuſavit, ne una pranderet. Sedit in ſummo Frater Regius. Iuxta quem loci duo utrinque vacui. A dextra porrò Dux Incoliſmenſis, Breſacenſis & præfecti bellici. A ſiniſtra Waertius & Enckefortius, hi duo nudo ſemper capite. In ſermone ſolati ſunt hi fortunam ſuam exemplo Regis Franciſci I. Dominus Schmalchius apertè mihi dixit, ſibi jus datum ſeorſim à me agendi de quibus ipſe poteſtatem perſcriptam ſignatamque ad ſe attulit, neque minùs de cæteris rebus ad Legationem meam pertinentibus. Ib ſi ita eſt, ridebunt utrinque Galli, me Legatum nomine ſine re, illum Legatum re ſine nomine: quanquam & Legatum domi ſalutari ſinit, & ſic ad ſe literas inſcribi. Durum eſt mihi, cujus ætas jam præcipitat, certamen cum juvene, ac præferoce. Occaſionem hanc tracti negotii de præparatis inducarum, velim arripi dirigique in bonum Mareſcalli Hornii: cujus calamitate ita moveor, ut putem neminem moveri magis.

Tuæ Sublimitatis cultor devotiſſimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illuſtriſſime Domine,

A Sacris incipiam. Rex edicto vetuit, ne quæ hinc pecuniæ aut literæ pecunias ſolvi mandantes Romam mittantur ad comparandas bullas de Epiſcopatibus, ſacerdotiis, beneficiis, ideo quod ſupra pacta vetera onera iſta petitoribus augeantur, aliæque tricæ addantur ab Aulæ Romanæ, lucro ſine lege modoque inhiantis, ingenio. Id Edictum hodie magno conſenſu gaudioque Parlamenti probabitur ac vulgabitur. Puto ad hæc terriculamenta ceſſuros Romanos Gallorum poſtulatis. Alioqui docent nos hiſtoriæ ſæpe ex talibus initiis ventum ad pertinaciora diſſidia. Sed ſicut hæc res bonæ ſpei aliquid videtur oſtendere, ita viris cordatis mirè diſplicet quæ cum magna pompa in hac urbe celebratur propagandæ fidei congregatio, ad quam ex omnibus Galliæ oppidis locisque adferuntur Monachorum, ac Cappucinorum maximè, diligentia quæcunque Roma hic optet fieri. Ad S. Audomari oppidum minùs bene procedit obſidio, quanquam munito jam caſtrorum ambitu, propter magnas & profundas quæ intercedunt paludes. Per eas 7 Iunii die naviculis XL homines mille quingenti in oppidum penetravere; eo ipſo nocturno tempore miſſæ cohortes Gallorum ſive Regimenta duo, ut locum quendam idoneum antecaperent, tarditatis ſuæ & longioris ambitus culpa, in hoſtium ſeptem millia, quibus ductor Princeps Thomas, inciderunt, ac ferme omnes aut capti ſunt aut interfecti. Narrationem ejus rei, ita ut hic levando malo editur, mitto: aucto præſidio augeri debuit & numerus obſidentium. Itaque Teruanam jam venit Regio juſſu Laſortius, cum VIII peditum, II equitum millibus. Ipſi Caſtilionæo eſſe putantur X peditum, IV equitum millia. Apud Retelam Breſſæus manet. Campaniæ propinqua contra Lotharingum tuetur Vicecomes Turenæ. Princeps Condæus Fontarabiam armis petere nuntiantur. At in Italia ingens hoſtium vis. Obſident Vercellas XII peditum, IV equitum millia. Alius decem millium exercitus in propinquo campos tenet. Galli ſociique in illis partibus decem peditum, duo equitum millia, in apertum poſſunt educere. Vidua Mantuana magis magiſque ſuſpecta eſt ad Hiſpanos ſe vertere. Sabaudi Vidua conſtat in Galliæ cultu, ſed multum turbatur ſtudiis ſuæ nobilitatis averſis ab hoc bello, cujus mala ſentiunt, bona nulla ſperant. Briſacum ut claudatur, ſive ad vim veniendum eſt, ſive fames exſpectanda, magno opus habet exercitu. Itaque exſpectamus quantis cum copiis ſe Duci Vinarienſi adjuncturus ſit Longavillanus,

lanus, optandaque concordia æquatis imperiis. Iohannes Waertius & Enchenfortius à Cardinali opiparo convivio, cui & Frater Regius adfuit, excepti sunt. Circumlata pocula cum voto pacis. Pro literis Excellentiæ Vestræ ad me datis 5 Iunii gratias habeo: exspectoque nuntios de pecunia Gallica quæ numerari debet Amstelodami, deque transitu copiarum è Suedia. Nam naves equiti ferendo jam perlatas in mare Balticum spero. Galassius, si ei tempus detur, brevi refovebit attritum exercitum. Dux Vinariensis provisum aliquid commeatus habet Rynfeldii & Nieuburgi. Vt duret, è Gallia juvandus erit. Promittunt Ministri Regii omnia prolixè. Sui in Gallos odii exercendi materiam hoc anno, ni fallor, hostes non habebunt. Sed in longum prospicere prudentum est. Princeps Arausionensis jam satis tuto obsidium aliquod aggredi poterit, postquam ex parte Galliæ bellum fervet. Leodici & avitæ libertatis & veterum exemplorum ostendunt se memores, cùm viam licentioso militi dare abnuunt, nisi indemnitati suæ cautum sit. Anglis eadem inculcare non desino. Neque sane monitoribus opus habent, ut videant quo in periculo sit res Palatina. Ne inducias faciamus valde metuunt, & meritò, quamdiu illa domus nulla bellantium societate fulcitur. Id de quo D. Wolfius Gallos admonendos censuit, jam à Gallis factum est, fietque amplius si necessitas postulet. Istæ pactiunculæ peculiares & fortium conatibus obstant, & hosti addunt animos ex nostra discordia. D. Rous rectà nave Regia ex Anglia Hamburgum se conferet. Vtinam jam ibi sit, & adferat qualia tempus exigit. Non desino hic laborare ut eradicentur quæcunque exsurgunt simultatum inter Gallos Anglosque principia. Est jam in itinere ad vos D. Mullerus. D. Schmalchius hic adhuc hæret. Deum precor, Illustrissime Domine, Excellentiæ Vestræ ejusque domus fautor ut sit. Lutetiæ 19 Iunii 1638.

Nuntius multum cursitat ut Edicti publicationem impediat. Et jam Franciæ Cancellarius ad Primum Præsidem Parlamenti scripsit, nequid festinet. In convivio de quo scripsi non assedit Cardinalis infirmitatis usus excusatione. Frater Regius in summo fuit. A latere, relicto tamen intervallo, dexteri Galliæ proceres Incolismensis & Bresaccus Duces, Princeps Geminius, Gassio, Noalius: sinistri Waertius & Enchenfortius, hi duo nudo semper capite.

Excell. Vestræ perpetua observantia obstrictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

978 PRo iis quæ Excellentia Vestra mihi significavit $\frac{4}{14}$ Maii gratias habeo ingentes. Opus est, hoc maxime tempore, edoceri me de iis quæ in illis geruntur partibus, ut nostrorum exemplo & æmulatu excitentur Galli. Quæ ad Lauwenburgicos scripta sunt à Regina, quæque Excellentia Vestra respondit Cæsarianis, habebunt jam Galli per Davausium. Alioqui ego illis daturus fueram, ut hoc quoque amicitiæ testimonio magis adstringatur federis fides. Mitto formulas literarum pro tuto itinere Legatorum Suediæ, item Germanorum, quales mihi dedit Venetus. Ego vicissim eum participem feci responsi illius quod Excellentia Vestra Lubecam misit, ut videant & socii & pacis suasores apertè à nobis simpliciterque agi. In illa pro Legatis Suedicis formula, si nomen Reginæ adjiciatur ad Coronæ nomen, puto non multum desideraturos Rectores nostros, ad quos eam misi. Altera pro Germanis paci procurandæ minùs idonea est, inserta criminis exprobratione. Alioqui ut Germani non ipsi sua proferant desideria, sed per Suedos Gallosque Legatos, tolerabile videri potest. De præparando ad inducias negotio sensum suum perscriptum nobis dedit hæc Aula. Sed cùm pro millione quem mandata mihi data posci jubent, semissem ejus polliceantur, rem integram servavi Regentium consultationi. Nuntios de transitu militis è Suedia, deque Bannerii conatibus exspectabimus, & quò versurus sit se refoto jam exercitu Galassius, & an sine vi sit abitura classis Suedicæ Danicæque ad Varni Ostia vicinitas. Præterea quid acturi sint tam illustres è Dania Legati. De Imperatoris titulo, quantum video non ultro controversabuntur Galli, si modò illud & de tuto itinere pro Germanis comiter transigi possit. Mihi certè nullus videtur probabilis color denegandi Ferdinando honorem, quem ei dedit Germania, probavit Roma, agnoscunt Suedia, Anglia, etiam Dux Vinariensis, nullo Electorum, quos quidem pro Electoribus Gallia agnoscat, refragante. Addam huic epistolæ pia vota pro bona pace, proque Excellentiæ Vestræ valetudine rebusque prosperis, utpote. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iunii 1638.

Excell. Tuæ observantissimus semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

ACcipio jam Sublimitatis Tuæ literas die XII Maii veteris Calendarii Stockholmiæ datas, pro quibus duplices gratias debeo, quod & de iis quæ scire me oportet edoceor, & adjecta Sublimitatis Tuæ manu scriptura benevolentiæ adversùm me illustre præbet testimonium. 979
Pacta quæ Hamburgi ad Wismariensia adjecta sunt vidi, gaudeoque ex D. Salvio intelligere rata ea facta ab Regina nostra & à Galliæ Rege. Ea res ut ipsis & utrique Regno prosperè cedat opto toto corde, nec quicquam omittam quod ad alendam hanc societatem amicitiamque facere possit. De eo quod monet D. Davausius, quid sit, D. Salvium edocui. Heufdius à Rege accepit 305840 florenos Turonenses ut reliquum 500 millium florenorum eorumdem quæ deberi Regno Suedico cœperant à Novembri anni 1632. De ea pecunia suam dedit apocham Regiis Quæstoribus ex mandato quod ipsi dederat Tua Sublimitas. Pars altera integræ istius summæ id est 194160 floreni persoluti esse Hamburgi ei dicebantur, idque verum erat. Sed plus aliquanto datum fuerat à S. Chaumontio quàm tunc hic sciretur. Id plus, si in rationes datum est ejus quod Regno Suedico debebatur, non autem extra ordinem, deduci poterit ab ea pecunia quæ Novembri hujus anni deberi nobis incipiet. Nam quæ Maio deberi cœpit, de ea solvenda jam literæ hinc Amstelodamum missæ sunt, non per Heufdium, sed per mercatorem alium Rembulictum. Heufdius de eo quod accepit rationes exputavit cum D. Spiringio, in quibus & quid ego acceperim apparet. De iis rationibus haud dubiè jam Sublimitatem Tuam edocuerit ipse D. Spiringius. Heufdius nihil apud se esse residuum ex pecunia Suedica ait. Imò plus se recepto erogasse. Idque ipsum mihi evenit incommodè admodum, cui jam totius anni pensio debetur. Scio nullam hac in re Tuæ Sublimitatis fuisse negligentiam, quæ adeo mei fuit memor, ut etiam in antecessum mihi aliquid numerari voluerit. Sed longè præter sententiam & Tuæ Sublimitatis & meam res cecidit, quod Heufdius nihil habeat pecuniæ Suedicæ. Ea de re sæpe à me admonitus D. Spiringius, serò quidem, attamen scripsit, ut mihi indicat, Tuæ Sublimitati, ut quod mihi pro elapso jam anno debetur mihi solvatur Amstelodami ex ea quæ præsentissima erit pecunia, sive à Gallis data, sive ex ære. Id ut & nunc fiat & in posterum (nam Heufdius nihil posthac est recepturus) Sublimitatem Tuam rogo quantum possum, ne in tantis, quanti hic faciendi sunt, sumtibus cogar aut ex Hollandia semper meam pecuniam, unde fructus habebam aliquid, huc transferre, aut aliunde sumere mutuam, quorum neutrum

Digitized by Google

trum sine gravi detrimento fieri potest. Occasio sermonis de Gallica pecunia me pertraxit ut facerem quod mei moris non est, id est, ut de privatis priùs quàm de publicis loquerer, ad hæc nunc me refero. Transitus è Suedia copiarum quantum hic exspectetur facilè Tua Sublimitas intelligit. De Rege Daniæ quod significat Tua Sublimitas, ejus meminero, ac ut non modò non obsit, sed & prosit sermonem temperabo. D. Schmalchius iterum Ruellæ fuit apud patrem Iosephum. Quid fecerit & an absolverit sine me quod sine me cœperat nescio. Ac facilè cum patior sua sequi mandata, dum ego à meis non discedam. Sed dicit placere his qui hic possunt omnia, ut in Suediam discedat cum ipsorum literis. Sive autem id faciendum sibi ducat, sive hic subsistendum, me in neutro sibi adversum habebit. Cæterùm in ea persto sententia, nisi spes ipsis facta fuisset totum semissem remittendi, multò plus impetrari à nobis potuisse, quia Galli nihil æquè cupiunt quàm ad pacem usque prorogari tempus fœderis. Hoc Gallorum desiderio ad majorem pecuniam stipulandam uti debeamus, an ad liberandum Marescallum Hornium, quod facile Gallis qui non Waertium tantùm & Enckefortium, verùm & Casimirum Principem tenent, in arbitratu erit Tuæ Sublimitatis collegarumque. Sed de Waertio & Enckefortio illud non obliviscendum est, quod & Mullerus refert, fidem Regis obstrictam, ut restituantur Duci Vinariensi, ita ut cum ipso non minùs quàm cum Rege agi debeat, si quid per illos captivos speratur posse peragi. Regis Picardicum iter abruptum est, sive quod necessitas abiit, ex quo ad Castilionæum se adjunxit Lafortii exercitus, sive cura pro Regina Septembri mense paritura eum retinet. S. Audomari fanum Castilionæus intra mensem alterum in potestatem suam redacturus putatur. Et de egregio Condæi Principis exercitu ad impetendam Fontarabiam durant rumores. Fuit apud me Cancellarius Montispellicardi. Is promissum sibi ait in posterum & stipendia præsidio & alimenta à Gallis datum iri, quibus in rebus cessatum antehac est magno civitatis periculo. Vicecomes ad Iainvillam est. De nuptiis etiam audimus, Virginis Rohaniæ cum Principe Roberto Palatino, Filiæ Regis Angliæ cum Hispaniæ Principe, id moliente Chevreusia. Certè Anglos Bruxellis aliquid struere pactionum multi putant, nisi fortè hac fama frui volunt Angli ad bene ponendas alibi res suas. Edictum Regis contra Bullas dormit, spe per Nuntium Pontificium facta componi placidè rem posse. Est inter eos qui cum Regina matre exsulant Sanctigermanus vir doctus & disertus. Is cùm nihil habeat, quod agat, novis semper libellis Cardinalem lacerat, & nunc edidit causas cur pacem nolit Gallia. Eæ verò quas adfert causæ ad Cardinalem non ad Galliam pertinent, ne de Regina Matre restituenda agatur, ut Proceres occupati bello locisque distracti nihil in ipsum, externis etiam auxiliis fultum, moliantur, ut ipse clientesque ejus magnos quæstus sub belli nominibus occultent, aliaque similia. Cardinalis Valetta amnem, qui ad Vercellas pervenit, transiit. Neque tamen spes ulla est, quantum Itali judicant, detrahendi ab obsidio hostem duplo validiorem. In ipso oppido duo sunt præsidiariorum millia, non longa oppugnantibus mora. Ex Erlachio intelligo multum de Gallis queri Vinariensem Ducem: quod Alsatiæ promissæ ipsi loca aliquot Galli teneant ut Colmariam & Tabernas: quod pro ingentibus impendiis factis in pontem quem Gallis poscentibus tradidit, nihil accipiat: neque nunc extraordinariorum ipsius sumtuum habeatur æqua ratio. Quod quæ præsens jam numerari debuit pecunia trahitur assignationibus, & aliquid ei etiam hoc anno de ordinaria pensione detractum est artibus Noyerii, res belli tractantis, cujus animus Pontifici addictissimus cunctis Protestantium suspectus est. Hæ causæ effecturæ videntur, ut si quando pax fiat, Vinariensis aut possessa aut sperata per Germaniam bona prælaturus sit pecuniis annuis, quas ipsi, si id eveniat, promittunt Galli magnas, sed mutabilitate & ingenii Gallici, & Aulicæ potentiæ valde incertas. Parant se Galli etiam ad maris bellum, Hispaniæ, ut credi volunt, imminentes. Ab Offenburgo recessit hostis, cujus parte ad Engam conspecta, metuens Dux Vinariensis ne hæ copiæ conjunctæ cum iis quæ apud Helvetios scribuntur Hispano, Lauffenburgo aut vicinis oppidis malum adferrent, auxit prælidia, addito & circum equite. Interea & supra Brisacum tres in Rheno insulas hosti munitas cepit. Speratur capta ipsi, & idoneo situ ad oppidum mola, itidem munitionibus ab hoste insessa. Quod si processit, propositum ipsi est immittere novi artificii opera quæ pontem Brisaci lacerent. Croatæ ferme viginti à Calembachio capti sunt, qui Brisaco exierant. Fortuitum ex pulvere igniario incendium & domos ferme XL. & plurimum farinæ, ad saccos cccc perdidit. Cæsariani omni modo laborant ut subveniant oppido: eaque spe, ac simul vastandi agros circum Hagenoviam, Benfeldium & Colmariam, pontem ex navibus injecere Rheno, Spiram propter. Facilè vitabitur id periculum, si maturaverit eò ire Longavillanus, captis jam in Comitatu Burgundiæ Pauliniaco & Arbesio. Estque id hoc magis necessarium, quod in illas partes, in quibus est Dux Vinariensis, inferre se dicatur Dux Carolus. Sexcentorum hominum eruptio ex S. Audomari oppido feliciter à Gallis repressa est. Hæc nunc habebemus. Majora ac meliora det Deus, cujus paternæ tutelæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam non perfunctoriè commendo. Lutetiæ 19/29 Iunii 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & *Legato* apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Literis Excellentiæ Vestræ datis 14 Iunii, ut omnibus ilo antehac acceptis, delector plurimum. Puto ad S. Audomari oppidum rem bene processuram. Eruptio militum ferme sexcentorum his diebus feliciter repressa est, & tantus jam est militum numerus, accessione Lafortiani exercitus, ut ad claudendum ambitum quamvis magnum sufficiat. Citra mensem hinc alterum speratur oppidum fore in Gallorum potestate, eoque magis quod Piccolominius inde ad ingentes Principis Arausionensis minas se verterit. De Castilionæo verissimè judicas. Est is strenuusque militiæ gnarus, & præliaris, Gallorum exemplo, & Poliorceticæ ex Batavorum disciplina. Quæ ad Scaldim geri cœpere ex Zelandia didici. Si audaci consilio fortuna adfuerit, bene: sin minùs ad Vahalim & Mosam ire videtur bellum: quanquam utinam in Flandriam potiùs, illam infestam navigationi, & auxiliis inter Gallos Batavosque commeaturis nou leve impedimentum. Vidua Hassica nisi in Suediæ Galliæque societate perstiterit, malè sibi consuluerit. Si quid de Guntradiana pactione, deque Paderborna intellexeris, id cognoscamus rogo. Electoris Palatini periculum me commovet. Haud dubiè multum impendit pecuniæ ad illos delectus. Quod ex Anglia ei advenit sanè, pro tanta mora tantisque Regni divitiis, perexiguum est. Privatorum collatio facilè exarescit: Locum ubi consistat ægrè invenit, aliis vicinorum militarem licentiam ad summum progressam hoc sæculo, aliis apertum cum Imperatore bellum ex tali initio, formidantibus. Ego quæcunque excutere socordiam possunt ostendere, imo inculcare, Anglis non desino. Displicet mihi quod de societate conventiones ab Electore in Suediam usque rejiciuntur. Tum verò Roöus quæ ampla adferre dicitur, utinam non sint moratoria. Res per Brasiliam gestæ ex quo eò venit D. Comes Mauritius

ritius tales sunt, ut magnum ipsi, magnum Batavis decus adferant, ad quæ si captum Salvatoris oppidum accesserit, Brasiliæ valedicat licebit Hispanus, cui Asiatica India pridem nihil nisi damnum adfert. Quod si aliquando successibus invitati Batavi aut ex Asia aut ex Brasilia in opulentiora Americæ arma transtulerint, tum verò Hispanus brevi accisas sibi opes sentiat, illas, quibus fretus Europæ quietem turbat. Conventus iste Polonicus luculentum vectigal inter Regem, Poloniam, civitatemque Dantiscanam, ut poterit, dividet, internis compositis, securus de externis, nisi quid Danus infremat. Nam Suedia habet quod agat. Batavi verò, ideo quod bello & gravi, & ut videtur inexplicabili, distinentur, non Polonis tantùm, sed & Anglis Danisque spernuntur impunè. Quid Suediæ rectores sint constituturi de postulatu Danorum ad liberum Varni navigatum, exspecto intentus. Dunquercanorum naves quæ ad Biscaiam, inde abituras non puto, suspecto cummaximè Gallorum maritimo paratu, qui magna minatur quò faciliùs Principi Condæo, egregium jam habenti exercitum, res ad Fontarabiam procedant. Quæ de Turca habetis confirmant Veneti. Moschorum certamen cum Tartaris eosque tutantibus Turcis componi, è re fortè nostra sit. Vicecomes Turenæ ad Iainvillam est, profecto, ut hic audimus, adversùs Vinariensem Duce Carolo. Longavillanus in Burgundiæ Comitatu cepit & Pauliniacum & Arlesiam, loca modica. Iam institurus creditur Ducis Caroli vestigiis, aut eum, Salinarum obsidione, retracturus. Hostes, ex quo ab Offenburgo abierant, rursum ad Engam, quod in itinere ad Hohentwilam est, apparuere. Quod cùm didicisset Dux Vinariensis Lauffenburgo vicinisque oppidis metuens, auxit eorum præsidia, circumjecto & equite. Idem interim Brisacum premit: Croatas ex urbe egressos cecidit, aut cepit XL: cepit tres supra Brisacum in Rheno insulas: etiam, quod necdum scimus, sed speramus, molam, idoneam situ, cuncta hostium operibus munita. Id si successerit, novæ artis machinas paratas habet quibus diruat pontem ad Brisacum. Novum interim è ratibus navigiisque pontem in Rheno fecit hostis, Spira non longè, quò transitus faciliores habeat, ac Brisaci necessitatibus subveniat faciliùs, tum verò, si liceat, etiam agros populetur circum Hagenoviam, Colmariam & Benfeldum. Sed hos ejus conatus facilè reprimet, modò festinaverit, Longavillanus, hactenus nimium testudinei gradus, unde ei cognomentum ex Gallico detortum in Germanicum Germani fecere, de quo D. Mullerus vos edocebit, cujus consuetudine, dicere vix possim quantum sim delectatus. Dabam, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{9}{1}$ Iunii anni 1638.

Verum comperio Brisaci casu ex pulvere igniario incensas ædes XL & saccos farinæ CCCC. Quod non levem spem facit obsessuris. Angli monendi sunt sæpiùs evenisse ut qui duabus sellis sedere volunt, inter utranque decidant. Hæ literæ quæ post D. Mulleri abitum ad me venerunt ipsi reddantur velim.

Excell. Vestræ perpetuo cultu devinctus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

81 Lubens cognovi quæ literæ Excellentiæ Vestræ 8 Iunii ad me missæ significant: præcipuè verò novos è Suedia dilectus partim transiisse, partim transire: & ad Visurgim res nostris obtigisse prosperas. Vtinam verum sit, quod hic dicitur, spem affulgere Lunenburgici aut retrahendi ad partes nostras, aut certè abducendi ab eo in quod se dedit servitio. Quid decreturi sint Regni Suedici Rectores super Danorum navigatu Rostochium, scire erit operæ pretium. Et libertas ista permissa exemplum trahit, & tamen multiplicare hostes minùs expedit. Videtur putare Rex Daniæ si armatus sit, plus sibi ad conficiendam pacem fore auctoritatis, sed illius copiæ, quid ad tantos utrimque exercitus? ac, ni fallor, brevi eum, aut certè populares ejus, tædebit impendii. Responsum ab Excellentia Vestra Cæsarianis datum plenum prudentiæ est, nec aliud hoc rerum statu dari potuit. Dedi Veneto, daturus & Gallis, nisi illi jam accepisse se dixissent per D. Davausium. Mos iste Anglorum apud diversas partes eodem tempore agendi, ut alios aliorum metu ad commoda sua pertrahant, jam dudum non bene ipsis procedit. A Chevreusia proponi conjugium inter Principem Hispaniæ & Angliæ filiam audimus, sed hoc negotium, si ad conditiones unquam venietur, maximas reperiet difficultates. Miror à Cæsarianis inter eos qui pacem Pragensem non accepere Viduam Hassicam non poni, quæ profectò minùs prudenter fecerit, nisi quamprimùm ab illis induciolis se removerit, alioqui non expers futura belli malorum, & in pace à sociis negligenda. Quod sicut Galli significasse se ipsi ajunt, ita à Suedis pariter significari non abs re erit. Quæ Roöus portaturus sit, quid nobis à Vienna venturum, solliciti exspectabimus, tranquillo ut Philosophos decet animo, neque ad bellum avidi, neque ad pacem fastidiosi. Cracovius erit, ut video, auditor tantùm. Nihil erit difficilius quàm persuadere Batavis, ut inimicitias, quas cum Imperatore satis magnas habent, in bellum mutent. Gaudeo rata facta quæ Wismariæ Hamburgique convenerant. De pecunia quod monet Davausius, ejus quantum ex Heufdio intellexi, jam Excellentia Vestra meis literis cognoverit. Mea diligentia & huic & aliis negotiis non deerit. Si quod plus dedit S. Chaumontius quàm ratum hic fuit, cùm reliquum anni 1633 percepit Heufdius, servari à nobis aliter non potest, optimum erit differri id, ut detrahatur de pensione ista quam Galli Suedis debebunt venturo Novembri. Nam ut pensio Maio qui exiit deberi cœpta solvatur, missas Amstelodamum literas intelligo. Velim si fieri potest, habere quæ cum Bavaricis de libertate Marescalli Hornii convenerant, ut habeam certi aliquid, quod Gallis possim dicere. Sed Waertium & Enkefortium Rex promisit semper in potestate fore Ducis Vinariensis. Itaque & ipse Dux super hoc negotio compellandus foret: nisi fortè Poloni Principis captivitate ad nos juvandos uti velint Galli: de quo subdubito. Bellum Gallia habet nunc in Italia ad Hispaniæ, & Belgicæ fines, parat & mari. In Italia hostis ferme altero tanto validior, id est, XXIV habens in aperto millia, mirum ni Vercellas rapiat, duorum millium præsidio custoditas. Princeps Condæus ad infestandam Hispaniam egregium jam habere scribitur exercitum. Castilionæus Lafortii copiis ita increvit, ut spatiosum quamvis ambitum urbis S. Audomari clausurus sit, brevi & intra mensem, uti sperat, alterum potiturus oppido, è quo factam eruptionem sexcentorum militum feliciter his diebus repressit. Longavillanus in Comitatu Burgundico Pauliniacum, & Arlesium cepit. Inde ibit ut spero, auxiliaturus Duci Vinariensi, qui Lauffenburgi, vicinorumque locorum præsidia auxit, quod ab Offenburgo Engam profectus hostis, eò se cum novis per Helvetios Hispani dilectibus illaturus crederetur: tum verò egressos è Brisaco Croatas per insidias cecidit aut cepit XL. Tres in Rheno insulas supra Brisacum ab hoste munitas cepit. Quod si eam ceperit, quod speratur, molam idoneo ad urbem situ, annitetur pontem Brisaci rumpere, noviter repertis ad hoc machinamentis. At hostis pontem alium è navibus imposuit Rheno ad Spiram, partim ut illuc transitum habens faciliùs Brisaco subveniat, partim ut vastet quæ Colmariæ, Hagenoviæ & Benfeldio sunt circumjecta. Et dicitur eodem se ferre Dux Carolus. Ita satis erit ibi quod agatur. Vicecomes Turenæ cum Leodicensi suo milite ad Iainvillam est. De Bressæo nihil audimus. Illud de Gallica pecunia si penitius introspicere velit Excellentia Vestra, rectè fecerit ad D. Spi-

Digitized by Google

D. Spiringium si scribat, ut is qui cum Heufdio rationes contulit, quo in statu cuncta sint, eam edoceat. Mihi semper dulce erit & hoc commercium literarum cum Excellentia Vestra colere, & me ei, quàm possum maximè, approbare. Ero enim semper.

Omisi dicere, quod non parum facit ad spem capiendi Brisaci, in eo oppido casum ex pulvere igniario, incensas domos XL, & quod non minoris est, saccos farinæ CCCC servatos in horreo publico.

Excell. Vestræ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

982 MAximo cum dolore meo video atque intelligo res Ducis Vinariensis sic trahi, neque subministrari ei in tempore tam necessario pecunias unde alimenta exercitui suo comparet, neque auxilia eum accipere quibus Brisacum premat, ubi circumductam ab hoste molæ suburbanæ fossam abducta aqua sibi fecit perviam, jam ipsa aggressurus ejus loci munimenta, simulque machinamenta quæ lutoso itinere tardata sunt, parata habens ponti diruendo, nisi jam fortè conatus isti suos successus habuerunt, sed nobis non nuntiatos. Moras Aulæ hujus in occasione tam præcipiti, sunt qui Noyero imputent, homini mirè addicto Pontificis sententiis studiisque; alii putant crescentem potentiam Vinariensis in Galliæ vicinia suspectam esse, tum ut Germani, tum ut Protestantis. Quidam etiam magni nominis mihi suggesserunt cum Bavaro Gallos aliquid in arcano moliri. Dux Longavillanus Pauliniacum non, ut Divione ad nos perscriptum fuerat, ceperat, sed voluerat capere. Prævenit enim eum exercitu decem ferme millium Dux Carolus: interque eos pugnæ fuere 19 & 20 Maii. Cæsi aliquammulti utrinque. Longavillanus quod duas campestres machinas ceperit, pro victore se gerit: neque tamen ad Ducem Vinariensem progreditur, cùm præter illud iter quod insedit Dux Carolus, alterum sit quo nuper Guebrianus incessit. Obtendit subsistendi consilio curam pro Burgundia &, quo validior fiat, Vicecomitem Turenæ ad se vocat. Ad S. Audomari oppidum castra nunc demum munita sunt, multo inter opus absumto tempore, quod & palustria quæ intercedunt latè diffunderent ambitum, & hostis in propinquo minimè otiosus sæpe turbaret. Lafortius centenos aliquot suorum amisit, dum structum à Gallis apud Ardresam Castellum, ab hoste captum, recuperare calidiùs laborat. At trans Alpes apud Vercellas fortuna Gallis adfuit. Nocte enim inter 19 & 20 Maii diem mille & quingenti per amnem Sesiam pectore tenus madentes in oppidum penetravere, captis etiam ac dirutis in transitu munimentis hostium duobus, quæ ad ripam amnis arenosa ex humo excitata facilè diffluebant. Id obsessoribus moræ nonnihil adferet, præsertim cùm & panis copia ad exercitum veniens à Valettæ milite sit intercepta. De bello ad Hispaniæ finem magna nos sperare Galli jubent. Terret me quod video bona Cardinalis destinata inter manus secundarum ac tertiarum operarum corrumpi aut administrari segniter, adeo ipsorum specialia ignorante, ut nuper pro certo adfirmaverit Castilionæi & Lafortii copias ad XL millia efficere, cùm junctæ XX millibus haud multò sint majores. Bressæus Carlemontium sit obsessurus, an additurus se Castilionæo in incerto est. Sed haud dubiè spes magnæ se Gallis dabant in Flandria promovendi limitem, nisi Batavorum in alia Flandriæ parte cœpta per missorum eò formidinem non leve Reipublicæ damnum, plus etiam cæteros metus, intulissent; qua de re historiam D. Camerario scribendam relinquo. Alterum Gallicis per illa loca processibus impedimentum est ab Anglorum æmulatu, qui per hos dies ingentem vim pulveris igniarii omnisque bellici instrumenti Dunquercam intulere, spreta Batavorum classi quæ portui adsidet. Negantque Angli se à tali commercio abstituros, donec Batavi in ipsorum fedus venerint, quod quò minùs fiat Gallos ajunt clam obstare. Bullitio ista contra bullas Romanas deferbuit hic nonnihil. Impetravit enim Pontificis Nuntius spatium sesquimestre ad experienda remedia, inter quæ Pater Iosephus futurum putat, ut Cardinalitiam purpuram, pertinaciter sibi negatam hactenus, adipiscatur. Non desunt tamen, me quidem non audente tam vasta animo concipere, qui Cardinalem ab his initiis insurrecturum putant, sibique vindicaturum jus Patriarchicum, id est prope Papale: &, ut inclinatis ad credendum animis cuncta eò rapiuntur, in eum sensum trahunt nonnulli versus hos Nostradami nobilis quondam Astrologi, à quo multa futura verè prædicta vulgi opinio est:

Celus qui estoit bien avant dans le regne
Ayant chef rouge, proche hierarchie
Aspre & cruel, & se fera tant craindre
Succedera a sacrée Monarchie.

Vidua Sabaudica ab Helvetiis militem petit. Pontificii verò Helvetii Hispano quotidie militem mittunt. Cæsariani Hagenoviæ imminent, latè populati agrum circumjectum, nec minùs quæ vicina Argentorato. Rodericus Princeps Wirtembergicus in hostium manus venit. Dux Vinariensis per pontem qui ad Neuburgum est faciles habet Rheni transitus, crediturque in hostem iturus si validior esset aliquanto copiis, quarum partem non exiguam præsidia absumunt. Livo iste de quo scripseram antehac, quantum ex literis ipsius, quas Venetiis scripsit, conjectamus jam Constantinopoli est, ubi quid agat brevi intelligemus. Rogo Sublimitatem Tuam, ut si utilis esse possum, me, sicut fecit hactenus, tutari velit, qui quicquid feci hactenus optimo feci in rem Suedicam animo, nec parum negotii habui, dum gentis non ita pridem hic cognitæ, gloriam verbis factisque attollo. Si verò opera mea utilis esse non potest, multò malim in privatam fortunam reverti, quàm onus Regno, mihi dedecus, accersere. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati cuncta prospera. Lutetiæ 3 Iulii novi Cal. 1638.

Pransus est his diebus apud me Enskerckius Agens Batavus, cum quo colloqui possum, nullo dignitatis certamine, ut & Venetus facit. Cæterùm si videatur Sublimitati Tuæ Batavos ita ut Venetos per omnia æquandos Regibus, non invidebo popularibus quondam meis hanc majestatem. Quæ de Bavaro dicta mihi sunt, non disconveniunt ab iis quæ intellexit D. Wolfius, id tentari ut in Galliæ tutela sit Maguntiacensis. Scripsit monitu meo ipse Heufdius ubertim Sublimitati Tuæ de pecuniario negotio.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

MAgna hostium per Flandriam damna sperari potuerant, si & Principis Arausionensis conatibus adfuisset fortuna, & ad S. Audomari oppidum celerius processissent opera. Nunc ad Calloam quidem quid pulchra initia corruperit, scire illos æquum est, qui propiores sunt: Gallorum autem labores tardavit & ingens ob paludes intercedentes ambitus, & nullæ ad manus machinæ majores, & hostis è vicino turbator frequens: ita ut nunc demum munita sint castra. Et Lafortius damnum non leve accepit, dum castellum structum à Gallis ad Ardresam,

Digitized by Google

sam, sed captum hosti, vi recipere tentat. Felicior in Italia Gallorum audacia, ubi mille quingenti nocte 20 Iunii per Sesiam amnem urbi allabantem pectore tenus madentes in urbem ingressi sunt, dirutis & in transitu duabus hostium ad ripam munitionibus, quæ ex arenoso solo structæ facilè dilabebantur. Helvetiorum Pontificii pergunt ad Hispanos auxilia mittere. Illud verò dolendum maximè quod Duci Bernhardo non properiùs mittantur & pecuniæ, unde commeatus exercitui suo comparet, & militares copiæ. Dum hæc nescio quo consilio aut negligentia trahuntur, hostis & Argentorato & Hagenoviæ adsita populatus, huic etiam obsidium minatur. At Dux Carolus cum x cIↃ ferme hominibus ad Pauliniacum, quod Longavillanus non, ut significatum nobis fuerat, ceperat, sed capere voluerat, se contulit. Pugnatum est 19 & 20 Iunii æquata prope clade, nisi quod Longavillanus irrupta munitione hostium quadam, duas cepit machinas campestres. Is nunc quo validior sit, Vicecomitem Turenæ ad se vocat. Ad Ducem Bernhardum quò minùs eat, (præter enim id iter quod insedit Dux Carolus, est alterum per quod ivit nuper Guebrianus) Burgundiæ tutandæ cura, an causis latentibus retineatur, haud dixerim. Interim multæ elabuntur occasiones Duci Vinariensi, qui tamen non cessat. Nam & aquam abduxit à fossa qua mola quædam suburbana præmuniebatur, & ad Pontem Brisaci diruendum parata multa habet, quorum eventum nondum intelleximus. Tentamenta adversùs Bullas Romanas quiescunt hic in sesquimestre tempus, quod dari sibi Nuntius Pontificis voluit, ut adversùs Gallorum querelas remedia inveniat. Timendum ne, ut fieri solet, boni publici prætextus in privatum aliquod desinat. Rodericus Princeps Wirtembergicus, nuper per morbum emota mente, ut nondum bene convaluerat, egressus Basilea in hostium venit potestatem. Angli apertè negant destituros se inferre Dunquercam non tantùm quæ victui, sed & quæ bello necessaria, donec Batavi fedus secum fecerint. Ego non desino ostendere sæpius, quantum id Palatini rebus planè jam nutantibus, noceat. Avidè ergo exspectamus quid ferat D. Rous, & quod feret, an Batavis satis sit placiturum. Post literas Excellentiæ Vestræ datas 21 Iunii ex Zelandia nuntios & recentiores & tristiores accepimus. Sed neque in alea, neque in bello feliciter semper luditur: & fortuna, certè hactenus Principi Arausionensi mirum in modum obsequens, amat vices. Satis adhuc restat anni ad novos, &, ut spero, prosperiores conatus. Præcipuè vero gaudeo, res maris ibi diligentiùs quàm antehac administrari. Comitis Wilhelmi Nassavii filius mirum in modum se mihi probaverat, magnis dignisque Nassavio genere animi virtutibus: quò magis morte ejus & Illustrissimorum parentum tam gravi luctu moveor. De formulis tuti itineris bene Excellentia Vestra judicat, nullum inde apparere pacis bona fide cupitæ indicium. Videamus an commodius aliquid à Vienna ad D. Salvium sit perventurum, & quid portatura sit Dani tam splendida Legatio. De restituendis Germaniæ Principibus honesta oratio, sed res effectu difficilis. Si Legatos Hamburgum mittent Batavi, multum referet, & qui ii sint futuri, & qua cum potestate. Meppa & Suedos & Hassos & Batavos faciet ad sua tutanda cautiores. Quod verò Palatini copiis in Batavorum oppidis datur morandi facultas, id initium esse poterit pertrahendi vivos Mercuriales eò quò perduci se hactenus suasionibus non patiuntur, ut quos inimicos sibi esse satis sciunt, iisdem hostium dare nomen ne metuant. Iam puto retulerit quæ sibi acta Gunterodus, finemque induciis & ipse & tempus fecerit. Itaque consiliis Excellentiæ Vestræ prudentissimis spero jam locum fore. Poterit id eò etiam pertinere ut Angli, sine quibus Palatinum nihil posse satis constat, odia Austriacorum incurrant, & id ubi senserint, ulciscantur se liberiùs, retenta veteri generositate. Quod D. Wolfius scripsit ejus & me aura quædam præstrinxit. Quàm id futurum sit publico noxium satis intelligo. Non desinam esse in specula. D. Mullerum jam ad vos pervenisse sospitem gaudeo, eique opto, ut & Excellentiæ Vestræ ejusque domui, cuncta prosperrima. D. Schmalchius novis mandatis hic retinetur, &, ut puto, Regem, si is hinc abit, est secuturus. Vale, Illustrissime Domine. Lutetiæ 3 Iulii novi Cal. 1638.

Excell. Vestræ omni cultu observantiaque addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEnit ad nos 11. 79. 103. 85. 66. 81. 72. 60. 44. 37. 2010. missus à 4. 70. 9. 17. 67. 15. 55. 73. fedus hic postulat & pecuniæ aliquid ad alenda præsidia, ut XL hominum millia in 57. 69. 63. 56. 70. 66. 71. 27. 30. immittere possit, mense Septembri. Suspiciones antehac in illum Principem ortas bene purgat, dicit cum Aristophane bene jam sibi convenire. Quamdiu ibi prævaluere male ipsi volentes, coactum se dissimulare Manlii injurias & suæ genti illatas & 57. 69. 78. 56. 80. 66. 2040. quibuscum ipse est federatus. Negotium manifestæ utilitatis commendavi per literas D. Patri Iosepho. Ejus procuratu venit ad me Labardius. Dicit is Eusebii ea de re judicia cum meis congruere. Quod si processerit, ut sanè videtur processurum, imperandum 11. 27. 78. 75. 66. 79. 59. ut 67. 79. 60. 74. 76. 37. 80. 23. quamprimùm invadat. Ille homo mandata huc idonea attulit. Scripsisse se ait ex itinere & in Suediam, ubi antehac ob defectum potestatis penes eum qui missus fuerat, nihil actum sit. Nunc se non dubitare quin brevi imperata super hac re, maximi sanè ponderis, sim accepturus. Gallis multis in locis fortuna favit, præcipuè ad fines Hispaniæ, ubi captum Ironum invalidum, sed dives oppidum, & castellum ad amnem Handaium Passagium nomine: quo in loco repertas sex Galiones Hispanicas, & in iis tormenta bellica ex ære sexaginta, viginti è ferro levi negotio venisse in potestatem; sex ad hæc naves alias, & duas imperfectas Galiones quæ incensæ sunt, discimus; Pontem quoque ad Fontarabiam captum. Oppidi ipsius quod quatuor propugnaculis defenditur, clausos aditus, magna in his rebus gerendis Espernonii, qui Principi Condæo adest, virtute. In Italia Cardinalis Valetta intercepit opimos commeatus, qui in Castra ad Vercellam ab Hispano mittebantur, cæsis custodibus, dicunturque ibi obsidentes mala pati quæ obsessi solent. Vindicarunt se Hispani capitali supplicio Centurionum, quorum culpa nuper factum ut novus miles Gallicus in oppidum penetraret. Risimus editum à Leganesio Programma quo Regi Galliæ violata pacta Ratisbonensia narrat, extorto Sabaudis Pignerolo & coactis iisdem societatem Gallicam induere. Regi Hispaniæ cordi esse salutem Domus Sabaudiæ, Viduæ, pupillorum; nec quicquam à florentissimo ejus exercitu hostile ipsis timendum, si, quam inviti accepissent Galliæ societatem, eam volentes dereliquerint, eximerentque se bello. Quod si facerent, eoque nomine à Gallis malè haberentur, Hispanum vindicem fore, qui toties ante hac adversùs Gallorum injurias ejus Domus Principibus fidem opem tulisset: Gallorum esse morem, ejicere Principes rebus suis, modò per amicitiæ speciem, ut Mantuanum è Monteferrato, interdum vi mera ut Lotharingum: Hispanum verò etiam quæ antehac bello cepisset à Sabaudis simulatque pax placuisset, reddidisse. Nec aliud nunc propositum ejus armis, quàm libertatem Italiæ & jus suum cuique. Pedemontanis nihil mali fore, nisi sponte sua id accersant. Hæc ut rerum sunt inania, ita accipiuntur & à Gallis & à Vidua Sabau-

984

Sabaudica, qui majore quàm antehac cura ac diligentia bellum in illis partibus administrant. Ad S. Audomari oppidum cœpere jam promoveri cunctæ viæ per quas mos est ad obsessas urbes arrepi, videoque sperari bonum exitum ante finem Augusti. Guisiæ urbis obsidium minatur Hispanus. Sed id ut prohibeat, negotium Bressæo datum. Inter hæc tot Gallorum prospera unum malè cecidit, quod contra Brisacum conatus retro ivere. Primum enim igniariæ naves Ducis Vinariensis, priusquam ad Pontem pervenirent, vadis retentæ, ibi erepuerunt, non alio effectu quàm quod domus quædam intra urbem disjectæ sunt: eoque cognitum non vanam futuram fuisse vim, si quò destinabatur pervenire potuisset. Interea superveniente Gotzio majore exercitu multò quàm erat Ducis Vinariensis, quem & præsidia exhauserant, & loca varia incommodo situ distinebant, Dux se ad Neoburgum retulit. Ita hosti licuit id efficere quod agebat maximè, XXVII currus, navis una CCC saceos frumenti ferens introducta in oppidum satis alimenti in mensem, si non ultra, attulere. Nunc exspectat adventum Vicecomitis Turenæ Dux Vinariensis, Gotzio in Wirtenbergicas terras digresso, ad obsidionem Brisaci, ut creditur, rediturus. Gotzium fames retro egit quæ & homines & equos absumere cœperat. Dux Longavillanus, Pauliniaco potitus se ad Salinas oppugnandas vertere scribitur, non ita facili opere, ob quinque quæ circum sunt militaria castella. Scribunt ad Legatos suos qui apud Aristophanem sunt & Galli & Batavi ad promovendum id negotium de quo initium est hujus epistolæ. Exspectamus inde etiam aliquid de isto Livone de quo scripsi sæpiùs. Est is 66. 80, 56. 73. 67. 15. 71. 59. inimicitior. Itaque alterius consilia apud alterum cælanda sunt, qua de re feci moneri P. Iosephum, cujus cura hæc tractantur omnia. D. Schmalchius sæpe mihi ex literis ad se scriptis recitat quæ ipsi visum est. Ego autem per omnia sequar quæ mihi perscripta sunt, quæque intelligo: neque ducar ut nervis alienis mobile lignum. De pecunia mihi debita quæ scripsi, ut & scripsisse se ait D. Spiringius, ea spero Sublimitati Tuæ cordi esse, imò & fuisse. Apud Rhætos novæ turbæ quò evasuræ sint, nondum satis apparet. Plebs in Gallos reflectitur. Sed largiendo & milite præpollet Hispanus. Tum verò Veneti qui ex propinquo Gallicas partes fovere solebant, aut quiescunt aut dant se potentiori. Mitto censuram Sorbonæ satis acerbam in Seguinottum, qui ob dicta pauca, multis probata, captus Salmurii, nunc in Bastiliam perductus est, mira indagine ruspante talia congregatione, quæ se propagandæ fidei vocat: quæ res magnum terrorem infert moderatiora & antiquiora sentientibus. Rex partum uxoris ad S. Germani manens opperiri statuit. Deus & prospera nostra & adversa, Excellentissime & Illustrissime Domine, regat ad bonum orbis Christiani, deinde & Reginæ, Regnique Suedici ac Tuæ, cui plurimum debeo, Sublimitatis. Lutetiæ 10 Iulii novi Cal. 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

985 IGniariæ Ducis Vinariensis naves, vadis retentæ, pontem attingere nequierunt; incendio tamen suo & ingenti erepitu domos quasdam intra Brisacum disjecere. Interim majoribus cum copiis adventans Gotzius compulit Ducem decedere iniquis sibi ad pugnandum locis & Neuburgum se conferre. Ita vacuum hosti in oppidum iter, quo currus 27 & navis una commeatus intulere, ad mensem haud dubiè, si non & diutius, suffecturos. Gotzium fames hominibus equisque infesta non passa illis in locis subsistere in Wirtembergensem agrum egit, quo digresso, sperat Dux Vinariensis, ubi ad se venerit Vicecomes Turenæ cum quinque suis millibus, obsidionem à se posse repeti. Hoc quantumcunque est adversi magnis alibi Gallorum prosperis abundè pensatur. Namque in fine Hispaniæ captum ab illis Ironum, oppidum invalidum, sed opulentum, castellumque cui nomen Passagium ad amnem Handaium: in quo amne Galiones sex, & in iis tormenta bellica ex ære sexaginta, è ferro viginti, facilis præda fuere, naves præterea sex aliæ, & imperfectæ Galiones duæ quæ incensæ sunt. In Italia Cardinalis Valetta intercepit opimos commeatus qui ad castra Hispanica ferebantur, cæsis custodibus multis: speratque se illaturum obsidentibus ea quæ ultima obsessis sunt mala. Ibidem ab Hispanis supplicio affecti sunt, quorum negligentia nuper Gallis in oppidum Vercellas transitum dederat. Castilionæus castra habet omnibus rebus necessariis referta, bene munita, jamque cavatis viis, ut mos est Batavicus, ad oppidum S. Audomari accedit. Interim capto Pauliniaco Salinas & ei circumjecta castella circumsessurus videtur Longavillanus: Princeps autem Condæus, post illos quos dixi felicissimos successus, obsidionem parat Fontarabiæ, quæ castellis quinque defenditur, ponte jam capto. Marchio Leganesius Edictum edidit quo benignam Gallis materiam ridendi præbet, Regem Hispaniæ promittens Viduæ pupillisque Sabaudicis defensorem fore, nihilque Pedemontanis ab ipso hostile futurum, modò, quam coacti suscepere Gallicam societatem, eam pace mutent. Morem Hispano tueri Principes: Gallo eos spoliare, aut per amicitiæ speciem, aut aperta vi. Ratisbonensia pacta violata, Pignerolum domino extortum verbis narrans ampullatis: adversùs quæ si Galli multorum Principum ac populorum de Hispanis querelas regerere velint, non deerit vel magno libro materia. Sed malent eos gladio ἀντιμυκτηρίζειν [*vicissim subsannare*]. Guisiæ obsidionem minari videtur hostis: sed ei oppido vicinisque locis tuendis mittitur Bressæus. Apud Rhætos plebem haud obscurè tædet amicitiæ Hispanicæ, sed Hispanus partim proceribus largiendo, partim cuncta prolatando impetus feroces magis quàm diuturnos eludit. Nunc ad literas Excellentiæ Vestræ venio, scriptas 28 Iunii. Longas Principis Arausionensis res prosperas non mirum est si aliquid adversi retudit: istæ sunt bellorum vices. Sapienter autem facit, quod aliorum negligentia acceptum damnum sua diligentia resarcit. Vt in Flandriæ partem incumbat aliquam, hic optatur. De Sancti Audomari oppido id ad supra dicta addam, sperare Castilionæum id sibi cessurum ante finem Augusti. De molitionibus congregationis quæ se propagandæ fidei vocat, quò magis credat Excellentia Vestra verum esse quod scribit, mitto Sorbonæ nimium jam servientis, acerbam censuram in Seguinottum, qui à Salmurio in carcerem hujus urbis, inde in Bastiliam ductus, exemplo est, quàm intutum sit tot crabrones, monachos dico, irritare. Ipsi qui in Romanensi communione sunt, sed moderatius sentiunt, metuunt quò hæc res sit evasura. Et hoc & alia multa me vetant credere fortia consilia contra Romam hic capi. Waertio Enckefortioque multa libertas deambulandi permittitur: sed & custodes adsunt & ex intimis Regni locis haud ita facile effugium. De Vidua Hispanica dubium quidem me reddunt quæ vidimus hucusque: sed tamen cùm quid ipsi expediat video, vix concipere animo possum abituram illam à societate Suediæ Galliæque, rebus nostris florentibus & magna spe rerum meliorum. Est hic Bisterfeldius, commendavi calidissimè negotium. Res bene procedit. Qui hic sunt Palatini Principes in bona sunt fama amanturque tantum suo merito quantum coluntur originis veneratione. Valde aveo nosse quantum copiarum ad Bannerium accesserit. D. Mullerus apud vos esse gaudeo, devinxit me sibi maxima sua humani-

Digitized by Google

manitate. Itaque nihil est boni quod non ei ex animo optem, ut & Excellentiæ Vestræ ejusque domui, ut qui sim, Illustrissime Domine, Lutetiæ 10 Iulii Novi Cal. 1638.

Excell. Vestræ perpetua observantia addictissimus H. G.

PETRO GROTIO.

Mi fili,

986 SIcut Hagam te salvum rediisse & amicos vidisse sospites gaudeo, ita doleo eo te ibi fuisse tempore quo aberat D. Vossius. Debebis igitur per literas cum eo colloqui. Et quicquid de meis scriptis simul constitueritis, id gratum habebo. Blauwius urgendus non erit, quando videtur non esse talium avidus. Et sanè Atlas ille magnum onus sustinet. Rogo resalutes eos quos nostri reperisti memores. Ego & juvenis Comitis Nassavii, cujus egregias virtutes feci plurimi, morte commoveor, & parentum unico orbatorum vicem miseror. Tu vide diligenter ea discas quæ juris, forique sunt. Et si qua in re nostri consilii aut auxilii eges, ejus me mone, quàm poteris sæpissime. Lutetiæ 10 Iulii 1638.

Si quæ ad me scribas, quæ in aliorum manus venire periculosum sit, mitte cum superscriptione ad Heufdium. In epistolis pecuniæ nostræ ne parce. Et illud quod tibi commendavi depositum, vide ne alio evadat quàm quorsum volo. Nosti enim meas de eo opere curas. Nihil de eo constitue nisi me consulto, nec alterius quàm D. Vossii utere consilio.

Tibi optimè volens pater H. G.

EIDEM.

987 LIteras per nautam tuas, mi fili, & Opitianos Psalmos vidi nondum. D. Mullerum si videris colueris-que cum eo eam quæ inter nos est amicitiam, rectè feceris. Ad eas quas per tabellarium misisti, antehac respondi: magnoque velim repertum nobis faventem ἢ ὁμόψηφον [*& ejusdem sententiæ*] Typographum, cui mea sine periculo possim credere. A D. Vossio literas librumque de Idololatria exspecto. A fratrum tuorum minore literas habeo 6 Iulii datas. Videtur adhuc manere voluisse in quo erat loco. A majore literas exspecto. Saluta amicos & cum illis optimè vale. Lutetiæ 16 Iulii 1638.

Tibi optimè volens pater H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

988 DIe Mercurii exacto Regem salutavi, eique gratulatus sum res in Hispanico fine prosperas, hortatusque ad repetendum Regnum avito jure ipsi debitum, in quo Hispani possessio sola vi niteretur. Commendavi & Ducis Vinariensis negotium, & illud alterum de longinquo fœdere de quo scripsi nuper: & de Vidua Hassica in bello retinenda, spem ipsi faciens magnarum actionum à Bannerio aucto jam supplementis Suedicis. Cùm ad hæc omnia ea quæ optabam respondisset, obtuli ei D. Crusium quem dixi in Suediam proficisci, ibique in tempore haud dubiè partem aliquam habiturum in Regni rebus & inter vincula fore retinendæ Suediam Galliamque amicitiæ, ut qui ex utraque gente ortum duceret. Rex eum amicè complexus petiit ab eo ut se Sublimitati Tuæ commendaret. In reditu magnum adii periculum, dum per turbam transeo, quæ fortè in vicum quendam supplicii causa convenerat quod ibi de latronibus sumebatur. Suspicione populi, ut videtur orta, quasi ad liberandos reos venissemus, ideo quod cursorum unus ad viam nobis faciendam fuisset violentior, globis petiti sumus, & multum & diu etiam postquam Legatum me esse & ego clamassem, & is qui mihi à Rege adjunctus aderat. Ejus rei, quæ multis sermonibus materiam præbet, circumstantias, ne nimium excrescant literæ, nuntiandas D. Crusio relinquo, qui periculi hujus, non testis tantùm, sed & particeps fuit. Experior verum Horatianum illud,

Quid quisque vitet, nihil homini satis
Cautum est in horas.

De Brisaco obsidendo video spem nullam hoc anno esse. Tantum invectum commeatuum pecudumque, non sine aliquo tamen hostium damno, qui tres cohortes inde recedentes perdidit. Exspectat adhuc Dux Vinariensis Vicecomitem Turenæ, à Remiremontii oppugnatione rejectum nuper, ac præterea à Longavillano duas cohortes sive regimenta. Die sexto Iulii, ut hic numeramus, Ducis Vinariensis exercitus apud Friburgum erat, hostilis apud Kentzigam, quatuor ferme leucarum intervallo. Non illis tantùm in locis, sed & alibi res Galliæ retro labi cœpere, multis multorum moris culpisque. Vercellæ 6 Iulii dum oppugnantur deditæ sunt, ut scribit ad Viduam Sabaudicam Villæ Marchio, cujus tamen literis hæc Aula credi non vult: populum bona spe, quandiu potest, alens. Castra ad S. Audomari oppidum multis locis adorti sunt hostium duces, hinc Princeps Thomas, inde Picolomineus. Damni nonnihil passi sunt. Sed Princeps Thomas aggerem quendam negligenter custoditum tenuit, cumque eo amnem & aditum in urbem, quam ipse non clam, sed tympanis sonantibus ingressus est. Et alia in parte Manicampius, qui priorem infelicitatem novis ausis purgatum iverat, Castellum Baccum quod dicebatur, seque & suos hosti dedere coactus est. Nondum quidem discessit ab obsidio Castilionæus: sed qua spe mansurus sit ad urbem hosti apertam non video: quanquam sunt qui sperant si eò eat Rex, ipsius præsentiam malo huic allaturam remedia. De Fontarabia capienda spem bonam haberem si jam adesset ibi, ut debebat, Classis Gallica, ad arcendos à maris parte hostes. Dux Vinariensis Reginæ nostræ, nostrisque omnium literis excitatus ad Regem scribit, se vel omnes sui juris captivos retinendo, Waertium maximè & Enckefortium, libertatem parare cupere D. Marescallo Hornio, modò Rex idem velit. Mittit quoque Regi fratrum suorum & Electoris ad se literas, hortantes ipsum, paci ut studeat, quas qui pertulit literas ab ipso Imperatore diploma tuti itineris accepit. Ad utrumque horum quid Rex Regisque ministri sint responsuri ex D. Erlachio cognoscam, ubi is ab Aula, quo ivit, redierit. Brevi is molitur reditum ad Ducem, non bene confectis hic negotiis, maximè quæ rem pecuniæ spectant. Offeruntur à Gallia Duci Vinariensi, si pax fiat, ut hic maneat L millia scutatorum annua. Dux, si ei terræ tantum in reditu habentes perpetuo jure dentur, eas accepturus, pecuniæ valde per tempora incertæ spem non tanti facit, ut Galliam ob id Germaniæ præferat. Dux Rohanius, de cujus filia maritanda multi nunc sermones sunt, ante mortem amicis dixit vitam suam à Gallis impetitam. Duci Nemorosio juveni admodum dari eam virginem Rex velit, ne in Protestantium parte resídat tam ingens hæreditas. Sed & ipsa & mater Religionis dissidium in suam domum inferre nolunt. De Brisaco accusant se mutuo Galli & Dux Vinariensis. Certum est, impediri invectionem commeatuum sine prælio non potuisse. Prælium autem periculosum Duci futurum fuisse, non acceptis, quæ ex Gallia opperiebatur, auxiliis. Dixit mihi 11. 79. 112. 103. 75. 66. 69. 72. 60. 10. 55. 2010. Gallos id voluisse, ut fœdus fieret, continens Vindicem non facturum Mimnermum, nisi Principe illo comprehenso. At ipse æquale fœdus expetit; nempe ne exuatur Callimachus, nisi utriusque consensu. Dixi rectè facturum eum Principem, si Hamburgum aliquem mittat, quod facturum arbitror. Venetus

Digitized by Google

netus mihi dicit Gallos, etiamsi illud de rebellione aut crimine læsæ Majestatis omittatur, non tamen contentos fore literis Legatorum Imperatoris pro tuto itinere eorum quos Germani missuri essent, sed ipsius Imperatoris literas directè id promittentis se velle: ac universaliter pro Germanis, non verò cum adjectione, qui reconciliati Imperatori nondum essent. Id vero Imperatorem minimè concessurum putabat Venetus, ne viam panderet querelis omnium eorum qui in pace Pragensi aut ejus observatione aliquid desiderant. Formulam mihi novam ostendit, qualem ab Imperatore super hoc negotio Galli exigerent: sed eam non ad me misit, ut facturum se dixerat. Etiam formulam inscriptionis ad Angliæ Regem nondum mihi dedit, pollicitus tamen daturum: excusans interim constantiam suæ gentis ita retinentem moris antiqui, ut Cardinalibus non det Eminentissimi titulum, quod omnes Reges faciant, sed Reverendissimi & Illustrissimi, in quo more ipse eos tutatus sit Pontifex. Qua die ego à Rege sum auditus adfuit Regi & Generalis Cappucinorum Romæ missus ob suæ Societatis, ut præfert, negotia, sed quantum audio etiam cum mandatis cudendi inducias, aut universim, aut certè per Italiam, quod valde optat Roma. Viduam Sabaudicam sunt qui putent ob metum insidiarum, & aversos à se nobilium plebisque animos venturam cis Alpes & in Gallia, tutiori sede, ad tempus se locaturam. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati cuncta optima. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Iulii 1638.

Causa mali in obsidione S. Audomari fluxit è clade Batavorum: quæ Picolominæo libertatem dedit illuc se transferendi, distinendique Lafortium. Castilionæo autem sibi in tam ingenti ambitu castrorum, quantus esse debuit, ob intercedentes paludes, non satis erat militum machinarumque ad bene servanda Castella omnia. Quidam & æmulationem incusant quæ inter ipsum Lafortiumque fuerit. Cardinalis Valetta haud multò plus quinque millibus apud se habet. Itaque Casali metuitur multum. Magna sunt inter 66. 33. 9. 71. 41. 80. 61. & Eusebium dissidia. Misit ad me Rex Comitem Brulonum ad testandum dolorem suum super eo quod die Mercurii mihi accidit: addens se pœnas sumere velle de sontibus si eos nosset, satis jam serò. Rex ipse it Ambianum.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

SAMVELI ANDREÆ.

Præstantissime ac Clarissime Domine,

989 GRatias ago Præstantiæ Vestræ pro continuato ad me scribendi labore. Vidi antehac responsum illud quod D. Salvius Soldnero dedit, dignum sanè ipsius prudentia. Literæ quas à Constantinopoli habet Venetus, dant Turcæ hominum CCCC militiæ idoneorum millia, quibus dicitur petere Babylonem, quæ XXX millibus defensatur. Ingentem vim commeatuum eodem mari mitti, sed quibus periculum sit à navibus Ethruscis & Melitensium. Domus Ottomannica, ut mones, paucis stat fulcris, quæ si ruant, videtur dissilitura ista potentia, ut olim illa Alexandri: quod si quando eveniat, non tam quietem videtur allaturum Orbi Christiano quàm incrementum Austriacæ magnitudini. Pax nisi communis omnibus qui arma sumpserunt, neque accipi honestè post fedus, neque satis tutò potest. Cætera ad Magnum D. Cancellarium scribo, maneoque, Lutetiæ 16 Iulii Novi Calendarii 1638.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

990 MInùs quàm vellemus procedunt res Gallicæ. Nam & Vercellas die 6 Iulii inter oppugnandum deditas, pulvere igniario deficiente, scripsit ad Viduam Sabaudiæ, eam consolans Marchio Villa. Quanquam id non impedit, quominus hæc Aula contrariis rumoribus plebem lactet. Brisacum verò tanti sunt illati commeatus & pecora, ut spes repetendi obsidii nulla sit, quanquam cæsis tribus cohortibus hostium dum Brisaco redeunt. Vicecomes Turenæ vi rejectus ab oppugnatione Remiremontis ad Ducem Vinariensem nondum pervenit. Obsidium verò urbis S. Audomari non video qua spe trahatur, cùm Princeps Thomas multis ex locis Gallica munimenta adortus, cum clade mutua, aggerem quendam minùs diligenter custoditum tenuerit, simulque amnem, & palam sonantibus tympanis inierit urbem. Iam & deditum illi audimus castellum quod Baccum dicitur, cui tutando Manicampius se devoverat, ad purgandam sinisteriorem de se ex anni præteriti fortuna famam. Classis Gallica nondum pervenit ad Principem Condæum, qui ejus maximè opus habet ad peragenda quæ cœpit. Cappucinus Generalis hic est Roma missus, induciarum, ut creditur, molitor. Scribit ad Regem Dux Vinariensis paratum se, modò Regi videatur, captivos, etiam qui hic sunt, in id retinere, ut liberari Marescallus Hornius possit. Mittit item ad Regem literas per quas ipsum fratres & Elector Saxoniæ, Imperatore volente, ad pacem invitant. Die sexto, ut hic numeramus, Iulii exercitus Ducis Vinariensis ad Friburgum erat, hostilis ad Kentzingam, quatuor ferme leucarum intervallo. Hæc omnia, quanquam non optima, pars responsi erunt ad gratissimas Excellentiæ Vestræ literas datas 5 Iulii. Non imprudenter facit Cardinalis Hispanus qui tantam militum multitudinem cunctatur dimittere, præsertim reperto aliquo juris obtentu. Spero fore, ut & Excellentiæ Tuæ & D. Estampii monitis incalescant animi malo eventu refrigerati. Piccolominæus oppugnandis Gallorum castris ad S. Audomari urbem adfuit. De illo autem ad Ardresam castello scripsi antehac. Accipimus è Germania adventum copiarum è Suedia perquam speciosarum ad D. Banerium, validam præterea nostrorum in mari classem. Dani copias diffluere intelligimus, imò & ad Imperatorem transire plerosque militum, ex quo Rex ille neque sibi neque filio tale quale concupierat imperium per inferioris Saxoniæ Circulum impetrare potuit, objectante se imprimis Lunemburgico. Sed hæc jam certiùs ad vos perlata erunt. Pacis quod lentum erit negotium mirari non debemus, cùm, præter eas quas Excellentia Vestra adfert causas, accedat & Imperatoris & aliorum quæstus è bello. Videamus quid allaturus sit D. Rous, & quod exstinctis jam induciis aggressura sit Vidua Hassica; nam in utroque magnum momentum est. Neque minùs dignum cognitu, quid sit quod Principem Palatinum in conditionibus offenderit. D. Mullero & qui cum eo sunt faustum opto iter, gaudeoque non inanem dimissum. Precor & Excellentiæ Vestræ ejusque domui faustissima cuncta. Lutetiæ 17 Iulii 1638.

Malum in obsidione S. Audomari è clade Batavorum fluxit, quæ liberum fecit Piccolominæo iter in has partes. Lafortium is distinuit. Solus autem Castilionæi miles non sufficiebat ad tuenda tot castella, ac diffusum tam latè, ob intercurrentes paludes, castrorum ambitum. Sunt & qui inter duces æmulationem incusant.

Excell. Vestræ perpetuo cultu devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MItto exempla epistolarum quas Rex & Noyerius ad 991
Ducem scripsere Vinariensem, cùm captivos illustres duos huc mitti poscerent, per quas spondetur semper eos captivos fore in Ducis potestate. Mitto & literas

Ducis

Digitized by Google

Ducis ad Gottium, quibus Dux significavit laborare se velle, ut cum Waertio commutetur Marescallus Hornius, si idem Cæsarianis placeat. Locutus mecum est de hoc negotio Erlachius, dixitque se hoc ipsum commendasse & Regi & Cardinali: sed utrumque perstare in retinendo Waertio, quod ab eo plus mali metuant quàm boni ex Hornio sperent. Hæc bene conveniunt cum iis quæ Chavigniacus antehac mihi dicenda misit. Planè sic existimo, nisi in pactione de futuris induciis & prorogatione temporis federum Wismariensis & Hamburgensis, hæc conditio de Marescalli Hornii libertate inseritur, nihil amore nostri facturos Gallos. Ejus rei argumentum habeo inter cætera ex 11. 71. 112. 103. 72. 41. 81. 74. 60. 10. 37. 73. quem omni modo impellere voluit Pater Iosephus, ut cum solo Vindice Societatem faceret, multa etiam privatim ad id promittendo. Sed cùm is diceret diserta se mandata habere fedus faciendi cum omnibus qui in armis sunt, etiam cum Lilio si velit, idque pro communi libertate & vi dejectorum restitutione. Quod si tale fedus Lactuca respuat, patere adhuc Principi suo reditum in gratiam Annibalis. Eusebius vela vertens auctor ei fuit ut quamprimùm federatos adiret, literasque dedit ad illum Principem & Regis & suas satis tempori congruentes. Inchoatum fuerat ab Arcesilao id negotium: nunc metuo ne ejus 48. 79. 44. 79. 80. si nos deserat, hoc quoque perturbet. Et in hoc ipso periculo amittendæ societatis 57. 29. 1080. 37. 12. 98. miror Vindicis homines ita frigidè agere, neque multis meis hortatibus excitari potuisse, ut paulò minaciùs agerent. Erlachius heri diu apud Waertium & Enckefortium fuit. Postea supervenit uxor mea quæ videndi captivos erat avida non minùs quàm Guebriani uxor, quæ sub idem tempus illuc advenit. Multa Germanico sermone cum uxore mea locutus est Waertius, valde dolens in Gallorum se esse manu. Bellum mansurum ad octo aut amplius annos dicebat: sed Suedorum cum Gallis conjunctionem diuturnam non futuram. Gallis magna instare mala interna externaque: Suediæ nihil mali evenire posse. Cupidissimus erat mei videndi, sed ego suspiciones evito. Abit Erlachius cum bona spe auxiliorum. Ea ubi Dux acceperit, putat, 68. 79. 66. 59. 7. 71. 113. 266. inferenda arma. In Demosthene nihil fore quod vim sistat. Hæc ita dicuntur facilè. Sed non semper respondet eventus. Rex quid magni facere possit Ambiani, non satis video. In Fontarabiam ex S. Sebastiani portu Hispanico naviculæ intrant sæpissime. Nuper tamen aliquot captæ sunt à Gallis in quibus erat Dominicus Consalvus, qui nuper in Anglia fuit, captæque cum eo literæ quas ferebat à Cardinali Infante. Dux Longavillanus quominus Salinas obsidere possit, à Duce Carolo qui se Vesontionem ac Salinas interposuit prohibetur. Capto castello uno aut altero levis famæ, videtur in alia Comitatus Burgundici oppida vertere animum. Additur ei S. Chaumontius cum sex millibus. Videbimus an opera ejus in bello quàm in Legatione futura sit utilior. Quidam militum Longavillani in silvestribus locis ab hoste cæsi sunt, & avecti qui ad castra itabant commeatus. Bleterani grassatur pestis. Sed hostium qui Dola egressi erant, ut molas circum oppidum S. Iohannis de Launo urerent, repulsi nullum operæ pretium fecere. Duodecim Gallicæ naves, quas jam ad Fontarabiam esse oportebat, adhuc Rupellæ hærent, & Pictonico agro milites epibatas exspectant. Ante finem Augusti vix est ut in Oceano Galliæ Hispaniæque confinium alluente esse possint. Castilionæus omnium quæ ad S. Audomari urbem peccata sunt reus in Hollandiam jubetur ire. Vxori imperatum ut ex urbe in agros iret. Eorum qui sinistris illum rumoribus aspersere, præcipuus est Halerius. Venit ad me his diebus Berlisius Comitis Bruloni collega. Iterum multa mihi dixit de dolore Regis ob periculum nuper meum sanè maximum. Datum Franciæ Cancellario negotium ut inquiri faciat, & severè in eos qui deliquerint animadverti. Ego tam longè me ab ultionis cupiditate abesse dixi, ut si quid illis immineat gravius, Regem pro illis sim deprecaturus. Neque tamen abs re fore si quantum hæc res Regi displiceat, testimonium exstet aliquod, tum ut ego sim tutior, tum ut alii Legati, neque in Gallia exemplum fiat violandi morem tot inter gentes, tot per sæcula sanctè servatum. Nihil tamen fieri audio. Vt sanarentur veteres quæ sunt offensæ inter D. Crusium & Schmalchium laboravimus benignis verbis ego & uxor, eosque pariter mensæ nostræ adhibuimus. Sed incommodè evenit his diebus, ut cùm apud Heusdium pransi incaluissent vino, venissentque ad nos, verborum asperitas inter eos ita creverit, ut Schmalchius diceret D. Crusium esse hominem stolidissimum, Gallicè *le plus grand marant de la terre*, id ipsum repetens aliquoties, atque etiam gestu manus D. Crusio minaretur: quod ille nobilitate ingenita ferre non valens, alapam impegit Schmalchio. Forbesius autem tribunus qui forte aderat, ita iratus fuit Schmalchio, ut, nisi uxor mea obstitisset, magnum ei illaturus fuerit malum. Ego aberam, multumque doleo primùm accidisse hæc, deinde domi meæ. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati adsit. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iulii 1638.

Auriga meus mortuus est ex duobus globis, quales è pistolettis ejici solent, qui ambo in corpore ejus reperti sunt. Ii globi vix digiti unius aut alterius intervallo caput meum transierant, à tergo in Carrucam immissi.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Ambianum quidem Rex ivit: sed an sanare possit mala 992
ad S. Audomari oppidum accepta, dubito. Et Halerius & Aula magno consensu malæ fortunæ reum subdit Castilionæum, qui ob id jussus est ire in Hollandiam, uxor autem ejus ab urbe discedere. Classis Gallica navium XII sub Episcopo Burdegalensi ad Rupellam etiam nunc hæret: ad Fontarabiam, ubi exspectatur planeque necessaria est, ante Septembrem non erit. Interim naves è Sebastiani portu sæpissime in Fontarabiam intrant. Interdum & capiuntur à Gallorum Pinassis: quod nuper ei navi evenit quæ à Dunquerca in illas partes ferebat Dominicum Consalvum, eum qui nuper in Anglia fuit, ignarum ullos esse in ea ora Gallos. Deprehensæ apud eum sunt literæ quas à Cardinali Hispano ferebat. Erlachius hinc ad Ducem Vinariensem revertitur, cum spe bona, brevi futura apud Ducem tanta auxilia, cum quibus longè lateque in hostem terrorem malumque inferre possit. Longavillanus quominus Salinas obsideret prohibitus fuit inter eam urbem ac Vesontionem se objectante Duce Carolo. Castella tamen quædam cepit: sed miles ejus coortis è silva insidiis hostilibus damnum accepit, amissis simul qui ad castra ferebantur commeatibus. Contra verò hostibus è Dola egressis ut molas circum oppidum S. Iohannis Launæi urerent, fortuna fuit adversa. Marchio S. Chaumontius adducere ad Longavillanum jussus est sex millia. Ea ubi acceperit Longavillanus, speratur aliquid ausurus in Dolam, Gream, aut Vesontionem. Dux Vinariensis per Erlachium oravit Regem ut sibi commutationem Iohannis Waertii cum Marescallo Hornio facere liceret. Sed Galli Iohannem Waertium, hominem nobilis audaciæ, dimittendum, hoc certè tempore, non censent. Multum planè debeo Excellentiæ Vestræ pro iis quæ me docent ejus literæ $\frac{1}{11}$ Iulii. A Principe Arausionensi etiam hoc anno exspectamus aliquid quo resarciatur partium fama. Bannerium non quieturum facit ut credamus, & ipsius ingenium, & tanta

virium acceſſio, & ingens ſociorum exſpectatio. Potuerunt ejus boni ſucceſſus & Haſſos à peculiaribus pactionibus abſterrere, & Anglos excitare ad expetendam ſocietatem noſtram. Ex Legatis Anglis cum dolore intelligo Hamburgi etiamnunc tempus teri ἐν τοῖς πρὸ τοῦ πράγματος (*in iis quæ negotium antecedunt*). Vel rumpi moræ ille debebant, ſi ſolvi nequeunt. Quæ ſuper illis rebus ex D. Mullero & D. Ruſtorfio didiceris, eorum rogo me participem facias. In Scotia audio fore gentis Conventum, ſed circumſcriptum legibus, ne ubi vires ſuas aſpexerit vulgus intumere incipiat, gradumque facere, ut olim, ad ſpernendam Regiam poteſtatem, in qua vinculum eſt Reipublicæ. De illo conjugio negant ſe quicquam ſcire Angli. Comitis Guilielmi filium novi, & ſcio tum in Anglia, tum in Gallia tentatum à Ieſuitis, quorum aliquot penes eum literas fuiſſe credo. Cæterùm nunquam ad eos ipſum tranſiiſſe & ipſius ſermonibus cognovi, & relatu viri boni & eruditi qui ei morum formator aderat, quique nunc eſt mortuus. Is ſæpe mihi prædicavit ſummam ejus pietatem, quæ in morbo maximè, quo valdè periculoſo agitatus fuerat, apparuiſſet. Militem Palatini in ſtipendium Batavorum tranſiiſſe, dictum nobis fuerat. De Moguntini molitionibus nihil dum ſatis exploratum habeo. Vir ille ſanè eruditus de quo agit poſtrema pars literarum Excellentiæ Veſtræ, eſt hic etiamnunc, adiitque me. Adjuvi quoque eum conſilio & commendatione. Res, quantum ferunt tempora, bene proceſſit, ut ipſe brevi referet, acceptis hinc quales optabat epiſtolis. Byzantini Imperii motus magni ſunt in Euphrati adſita, neque brevi, quantum prævidere datur, deſituri. Interim quibus iſta vicinitas terribilis eſſe ſolebat, ab eo latere ſecuri, Germaniæ pleraque, & ei finitimas terras, intenſiore quàm unquam dominatu, premunt. Nec minùs Italia prope omnis Hiſpani fit patrimonium; ſpectantibus hæc nimis otioſè multis à quibus non longè abeſt hoc incendium. Deus hæc cuncta in bonum vertat, Excellentiamque Veſtram cum ejus domo tutetur propitius. Vale Illuſtriſſime Domine. Scribebam Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iulii 1638.

Excell. Veſtræ perpetua obſtrictus obſervantia H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

993 REx & Cardinalis ſunt ad Abbatis villam. Obſidio S. Audomari planè derelicta, retroque in agrum Caletenſem & Bononienſem ducti exercitus. Caſtilionæus Regem quod ſciamus nondum vidit. Dubitatur an Regis favorem ſit recuperaturus, apud quem antehac in magna fuit exiſtimatione boni ducis. Iratus ei Rex eſt quod & militum habere ſe ſatis & de urbe capienda non dubitare Regi ſcripſerit. Fecerat autem id inſtinctu Euſebii, velut ad tranquillandum Regis animum. At Rex qua de cauſa id ſcriptum fuerit, neque gnarus, neque curans, deceptum ſe queritur. Inviderunt pridem Caſtilionæo propinqui Cardinalis magna imperia ſibi potiſſimùm vindicantes, fama ei haud pares. Interceſſerat ei & quædam cum Duce Laforṭio ſimultas primùm, deinde & jurgium, quia Lafortius poſcenti Caſtilionæo militem non miſerat, dicens ſe eo opus habere ad introducendos in ſua caſtra qui adventabant commeatus. Nunc illi duo ſerò nimis in amicitiam rediere, poſt vulneratam & publicam rem & utriusque exiſtimationem. Regi conſilium videtur Rentiacum, Airam & alia quædam non nimium munita oppida capere, ut ita ad Atrebatum oppidum proceſſus fiat. Tubadelus 9 Iulii hoſtem qui cis Rhenum à Merskelſemo ad Argentorato propinqua ſe recipiebat apud Stenfeldum cecidit aut fugavit. Croatæ erant prope univerſi qui ſub hoſtium ſunt ſignis. Capta impedimenta. Hiſtoriam exactiorem exſpectamus. Longavillanus non ſatis habet militis ad urbem aliquam obſidendam. Itaque otiatur. Ad Fontarabiam mari ſecludendam advenere Gallorum naves bonæ octo. Dicuntur eodem mitti aliæ ad quinquaginta. Vnus metus eſt, ne Rex Hiſpaniæ eas anteveniat, miſſis in eas partes ſuis claſſibus. Erlachius ad Ducem Vinarienſem rediit. Putat is, quanquam promiſit Rex Waertium & Enckefortium perpetuò in Ducis fore poteſtate, vix tamen futurum ut remittantur, moram ex mora quæſituris Gallis. Is qui huc venerat pro 66. 80. 9. 73. 67. 15. 71. 42. 118. 217. ad Aulam iit, inde per Batavos collaturus ſe Hamburgum. Oſtendit mihi ea quæ in conventu 14. 81. 78. 56. 70. 66. 71. 98. acta ſunt, probabilem ſatis armis materiam. Dubito ex poſtremis ipſius colloquiis an hoc anno exſpectandum ſit aliquid, & doleo in urbe jam multos hac de re fabulari. Placebit Euſebio quod is Princeps fœdus expetit ad communem libertatem & reſtituendos qui dejecti ſunt. Quæ cùm obtineri poſſe Euſebius non ſperet, gaudebit eo obtentu bellum ſe poſſe trahere. Nam Vindici hinc abeundi conſilium ob id maximè datum eſt, ne aures ejus 66. 75. 56. 71. 78. 27. 85. ſermonibus de Mimnermo paterent. Ipſam interim obſident Cancellarius Franciæ & Bulionæus ob id ad S. Germani vicum profecti. Reginæ partus circa Septembrem exſpectatur. Parienti de more aderunt Frater Regius & pro Principe Condæo ejus uxor & liberi. Nam Comes Sueſſionenſis cum matre Sedani eſt & redire abnuit. Venere ad me his diebus quidam, Cancellarii Franciæ miſſu, ut teſtimonia audirent de vi nuper in me facta. Ex eo nihil ultra audivi. Poſtquam poſtremas ad Sublimitatem Tuam obſignaveram literas, domi meæ reconciliati ſunt inter ſe D. Cruſius & Schmalchius. Ego & Erlachium mitigavi graviter iratum Schmalchio ob verba, ut dicebat, in Ducem Vinarienſem contumelioſa. Anglis placet valde illud de 107. 70. 78. 76. 79. 60. 81. 80. 24. 55. 27. neque miror. Ajunt apertè iidem Angli non defuturos ſe Dunquercam cuncta quæ viſum invehere, donec Batavi ſecum in fœdus venerint. Ita malorum abundè eſt. Bona det nobis Deus, Tuamque, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, Sublimitatem ſoſpitet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Iulii 1638.

Mitto duas chartas à Veneto. Prior eſt formula qua ad Regem Angliæ ſe dicunt ſcribere. Diſconvenit ab illa formula quàm ex Anglia accepi, ubi bis Domino ponitur. Altera formula ab ipſo propoſita & ut videtur Gallis non improbata pro Legatis Germanorum, mihi diſplicet, ob mentionem inominatam Criminis & quidem graviſſimi læſæ Majeſtatis. Sed ſuper omnibus & judicium & juſſa Tuæ Sublimitatis exſpecto. Iam nunc coniceor ſeptem aut octo homines ex eo vico ubi mihi nuper illud mali accidit in carcerem hujus urbis adductos. Non diſplicebit mihi oſtendi publico ſecuritatem Legatorum Regi eſſe cordi: cæterùm curabo nequis intereat ob id quod in me deliquit. Venit ad me hodie matrona nobilis, vici illius domina, deprecatum pro captivis. Dixi id me exſpectaturum, ut Religio judicum de rei veritate cognoſcat: abſolvantur innocentes: pro nocentibus me fore precatorem. Heuſdii rationes gaudeo bene exputari. Ego annua mea tardè admodum recepi, ſine uſuris, maximo meo incommodo qui ex ſorte, aut reditibus meis haud nimium magnis, pecuniam ſumendam habui. Itinerum impendia exigua ſunt, præter illud unum à Magontiaco Lutetiam. Iam annus eſt & amplius quod nullum nummum accepi. Non dico hæc quod quicquam conquerar, ſed nequis me arbitretur de pecunia Suedica ludere: quod multum abeſt à meo ingenio atque more. D. Spiringius pridem eſt quod pollicitum mihi perſtat. Illud ſemper æquum exiſtimavi, cùm ego ex Hollandia pecuniam ad uſus meos neceſſariam mihi petendam habeam, etiam quod perſolvitur ita perſolvi

quasi in Hollandia id mihi persolveretur. Et tamen si id grave est, ero quanto Tua Sublimitas volet contentus.

Tua Sublimitatu cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

4 ACcepi simul cum D. Salvii etiam Excellentiæ Vestræ literas, datas has $\frac{9}{19}$ Iulii. In Pomerania locisque vicinis fieri non potest quin brevi strepat bellûm, auctis jam Bannerii copiis & contra eum conglomerante se hoste. Non minor est mea de federe quod Hamburgi agitatur exspectatio. Batavi certè & suopte ingenio, & Reipublicæ, ex multis particulis æquo jure compositæ, conformatione tardi sunt, & novos sibi hostes sumere reformidant. Itaque etiamsi majores Cracovio mittantur Legati, vix est ut in fedus quale sub incude est pertrahi possint, quanquam non nego causas esse graves quæ aliud suadere possint. Sed quid D. Rous, præter illa Lutetiana ad D. Salvium allaturus sit, multum refert. Ex Legatis qui hic sunt Anglis nihil ad eam rem pertinens intelligo, nisi quod non abstituri sint Hispano se præbere commodos, donec à Batavis quod volunt extorserint magis quàm impetraverint. Ego siquid possim ad minuenda harum gentium dissidia adferre, faciam perlibenter. Principi Arausionensi speramus satis fore temporis, ut acceptam cladem hostibus reponat. Obsidio S. Audomari planè jam derelicta est. Rex & Cardinalis ad Abbatis villam sunt. Videntur id agere ut capiant loca quædam ad Atrebatum urbem ducentia, puta Rentiacum, Airam. Est autem Atrebatum urbs magna magis quàm valida. De Brisaco nihil spero. Non fuit tamen sine rebus prosperis Dux Vinariensis, cæsis per Tubatelum Croatis hostium plerisque, captisque impedimentis, apud Steinfeldum in itinere Argentoratum versùs. Ejus pugnæ quæ nono Iulii die pugnata est historiam exactiorem etiamnunc exspectamus. Longavillano Duci non satis est militis ad obsidionem aliquam cum bona spe inchoandam. De Fontarabiæ obsidione est cur bene speremus, si modò naves Gallicæ quæ eò destinantur LX (octo jam earum illuc pervenisse intelligo) portum clauserint, priusquam eò se contulerint Hispanicæ. Reginæ partum circa Septembrem exspectamus, sub quod tempus & ex Hispania Legati huc venturi putantur. Videtur in Italia non conquieturus hac æstate Hispanus, ingens copiis, & Vercellis haud dubiè jam captis ferox, perculsis autem, aut aversis à bello sociorum Galliæ animis. Dux Vinariensis prudentem se non minùs quàm fortem ostendit, datis Regi omnibus literis quas ad ipsum attulerat Hofmannus. Ex Regis voluntate respondit Dux, si pacem seriò velit Imperator agendum de ea re in iis qui nunc instant Conventibus. Hassicæ negotium quò sit evasurum sollicitum me habet. Puto sapienter facturam si societatem certè non invalidam paci incertæ, aut etiam novo cum sociis bello, præferat. Elector Palatinus quid facturus sit, quid etiam hoc rerum statu facere possit, non satis video. Sed Electoris Coloniensis miror verba minacia, & ipsi allatura periculum, si quando fortuna quædam melior Batavos respexerit, quos vel nunc adventus ille septem ex ultima Asia navium, tum verò ingentes illi per Brasiliam paratus, faciunt non spernendos. De Palatinis Principibus est ita ut scripsi. Rhodium amo magnis suis meritis. Transilvanici negotii tractator literas à Rege ac Cardinali accepit quales voluit ad Principem suum. Brevi apud vos erit. Comitem Mauritium quàm alienum à Pontificia Religione judicaverint Pontificii, ex iis quæ Antverpiæ edita transmitto, dabitur cognosci. In Sorbona nihil est veteris libertatis, ex quo, contra Parlamenti decretum, Regia auctoritate Monachis omnibus qui Doctores sunt Theologiæ jus in eorum conventus veniendi sententiamque dicendi datum est. Ex eo omnia ibi ad Pontificem fluunt. Vix duo aut tres restant qui veteres Galliæ sententias Concilii Basileensis decreto firmatas, animo magis quàm voce retinent. Propterea nolim quenquam hoc quidem tempore aliquid è Gallia forte contra Romam sperare. Laudo Archiepiscopum Cantuariensem, qui his diebus pulchra epistola Davidem Blondelium Reformatorum Pastorum doctissimum hortatus est ad edendum, quem scripsit contra usurpata à Pontifice jura librum. Scotiæ suspiciones & motuum semina sanari gaudeo. Castilionæus cum Lafortio, à quo asperius dissederat, quàm utrique expediret, reconciliatus est. An Regis etiam benevolentiam sit recepturus, mansurusque hic in imperio militari, nescitur. Laborant pro eo multi. Sed nec paucos habet ex æmulis factos inimicos: quorum præcipui sunt propinqui Cardinalis cuncta Regentis. Deus, Illustrissime Domine, cuncta in bonum Christiani orbis vertat, Excellentiamque Vestram & domum ejus respiciat favens. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1638.

Excell. Vestra omni cultu addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime Domine,

ET literæ Excellentiæ Vestræ delectant me semper & postremæ maximè, quæ adventum novarum ad Bannerium copiarum nuntiant, spemque faciunt fore ut brevi latè sonet sociosque recreet molitionum ejus fama. 995
Id maximè hic optatur, ut in Silesiam Moraviamve se injiciat, detque sua vicinitate animos Hungaris multa conquerentibus, quorum motus finitimorum non pauci videntur exspectare usuri occasione in rem suam. Ut rectius futura dijudicemus, expediet scire quantum jam militis Bannerius habeat, quantum Galassius, Saxo, Brandenburgicus. Vidua Hassica, si quid sapit, societatem nostram non deseret, alioqui belli futura non immunis & pacis semper incerta. Et sunt sane quæ Gunterodius huc egit talia, ut sperni non debeant. Palatini copiis ad tempus usuros Batavos credo. Palatinus ipse quid facere possit, nisi major ei pecunia mittatur ex Anglia non video. De Brisaco scripsi antehac, discessum ab ejus obsidione, neque ejus repetendæ spem relinquere invectos tot ac tantos commeatus. Cæterùm Tubatelus qui Duci Vinariensi adest, Croatorum maximam partem apud Steinfeldum non ita longè ab Argentorato IX hujus mensis, ut hic numeramus, fudit aut cecidit. Cepit impedimenta signaque. Corbus vulnus accepit. Pax communis optanda haud dubiè Germanis, quibus bellum hoc & gravissimas in præsens adfert calamitates, & in posterum durum servitium. Sed maximas tricas habet id negotium. In eo dum laboratur, si Rex Daniæ armis arcere vult armatos hospites, id in ea re erit boni, quod priùs cum Cæsarianis quàm cum nostris certandum habebit. Est aliquod initium ad spem pacis quod non recusat Imperator, quò minùs & Lubecæ de ea re agatur & Coloniæ. Gallos video ejus esse sententiæ, debere pro Legatis Germanis tuti itineris literas ab ipso Imperatore, non ab ejus Legatis dari. Nescio an id tanti sit, ut propterea diu sit litigandum. Facimus & quod per alium facimus. Verùm Galli aliud exigunt, quod Cæsarianis etiam multò displiciturum est amplius, nempe ut etiam illis qui pacem Pragensem probarunt liceat suos homines & querelas suas ad hoc de pace colloquium mittere. De die ubi quid apud vos convenerit, gnarum ejus faciam Venetum qui hic est, Legatum. Cracovius ita missus est ut semper animo percepi. Non ferent Batavi se implicari bello in Imperatorem. At Angli non desinent Dunquercanos omnibus modis, ut certè faciunt, juvare, donec Batavos in fedus suum pertraxerint, idque sibi constitutum esse non dissimulant. Credo Excellentiam Vestram D. Roo

 prope

prope eadem daturum responsa quæ data sunt ex Anglia in Sueciam missis. Si quid consiliorum Angliæ se clarius aperuerit, gaudebo doceri, & hic apud Legatos allaborare ad utilitatem communem. Dantiscanum illud vectigal, quando de summa rei inter Regem Poloniæ ordinesque ejus gentis convenit, mansurum video; nisi se Dani aut Batavi seriò opponant. Nam Suedis nostris id non vacare ut credam, tum alia faciunt, tum quod video ab ipsis controversiam etiam cum Danis, gente semper æmula, non exigua commodorum suorum remissione vitatam. Gallicæ res ut & nuper scripsi, procedunt non optimè. Obsidio urbis S. Audomari planè derelicta est non immerito, cùm obsessa non posset dici urbs, ad quam aditum liberum hostis habeat. Rex & Cardinalis ad Abbatis villam sunt, meditanturque vim in oppida invalida Rentiacum, Airam atque alia per quæ ad Atrebatum oppidum magnum magis quàm firmum perveniri possit. Longavillano non satis est militis ad obsidendum aliquod Burgundici Comitatus oppidum. Fontarabia à Principe Condæo quâ terram respicit obsessa, adita hactenus est hostium navibus. Nunc octo eò Gallicæ naves bonæ pervenisse dicuntur, & subsequi aliæ ferme ad quinquaginta, quarum nonnullæ apud Batavos fabricatæ aut emtæ sunt. Eæ si illuc pervenerint antequam suas classes contrahat Hispanus & eodem mittat, erit quod bene speremus. Regina paritura creditur Septembri ineunte. Credibile est non multò post venturos huc ex Hispania gratulatores. Omnia, Illustrissime Domine, prosperrima opto. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1638.

Mitto duas chartas missas mihi à Veneto. Altera est quomodo se scribere ajunt solitos ad Britanniæ Regem. Altera formula pro Legatis Germanorum qui Coloniam volent ire, in qua mihi illud de crimine Majestatis, ut ante hoc scripsi non probatur.

Excell. Vestra observantissimus H. G.

SAMVELI ANDREÆ.

Præstantissime Domine,

996 Literæ Cl. Vestræ 26 Iunii datæ rectè ad me pervenerunt, nec quicquam obstat, quò minùs directè ad me quæcunque posthac venient mittantur. Cum gaudio intelligimus attigisse jam oram Pomeraniæ naves & copias quas faustis ominibus abeuntes eratis prosecuti. Speramus etiam in rebus cæteris fortunam ipsis ac D. Bannerio adfore. Vt in Silesiam moveat aut Moraviam hic maximè expetitur. Nec desunt ei consilio suæ causæ. Pacem si nunquam hostis bonam seriò obtulit, non est quod Suedos producti ad hæc tempora belli pœniteat. Neque verò Suedos ullo probabili colore objicere invidiæ possunt Cæsariani, si Suedi quidem pacem in commune bonam non recusare se ostendunt. Cæsariani autem, rem sibi ipsis turpem pergunt exigere, prolationem initi fœderis. Pax autem in commune bona, quæ sola honesta solaque tuta est, habet quidem suas difficultates, sed non insuperabiles. Germaniæ Principes ac civitates, quin seriò pacem velint, miserrima eorum per hoc bellum conditio dubitare nos non sinit. An eam itidem velint Imperator & Gallia ut discamus tempore magistro opus est. Neutra pars, si modo rectè sapit, etiamsi quid huic aut illi prosperè evenerit, ita intumescet levis fortunæ aura, ut ob id aures occludat æquis conditionibus. Cætera ad D. Magnum Cancellarium perscribo pergoque vota facere pro pace, pro armis non nisi ob pacem. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Iulii 1638.

Tua Cl. studiosissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

997 Typographum velim nobis experiri talem, cui & Politica scripta & Theologica possim tutò credere. Anthologia minimum est inter ea quæ curo. Sed ab hac incipi non abs re erit. Omnino cavendi mihi Synodiæ, mancipia Aulæ, & id genus fæx alia. Quæro bonum civem & bene Christianum. Scripsit ad me Collega tuus Vir Cl. Martinus Hortensius, cujus ego summam in rebus Mathematicis peritiam facio maximi. Gaudeo & ipsi & tibi & vestris Rectoribus quos epistola ipsius nominat curæ fuisse admirandum Galilæi repertum. Nocuit ei rei, ut multis aliis mora. Itaque jam ad Collegium Inquisitorum, quod est Romæ, delatus est eo nomine, quod hoc commentum hæreticis propinaverit. Vult quidem eum Dux Ethruscus in hac causa æquissima tutari. Sed invidiam dum est recens, declinare vult. Præterea Solis ad Iovem propinquitas menses octo aut amplius faciet inutiles contemplandis Curetibus illis τοῖς Διὸς ἀρχηστῆρσι [*Iovis circum saltatores*]. Itaque videtur has ob causas differendum in tempus aliquod D. Hortensii iter, quâ de re ad ipsum scriberem Hortensium, nisi & nunc respondendum haberem literis plurimis & ad Hortensium scriberet D. Adeodatus, qui mihi ad hanc rem longè splendidissimam promovendam impulsor primùm, deinde adjutor fuit. Ego quacunque parte studia & generis humani utilitates promovere potero, faciam id animo volentissimo. Tua autem scripta, tuas epistolas si mihi sæpe legere, tuisque consiliis uti si liceat, felicem me putabo. Vale quàm optimè cum uxore & liberis. Nostri te salutant. 31 Iulii 1638.

Nescio an venerint ad te literæ meæ, in quibus quæro, quæ olim apud Græcos fuerit Senarii nota. Deinde rogo, ut norim, quæ sit Rabbini Manassis viri eruditissimi sententia de loco Deuteronomii XVII, 11, 12.

Tuus ut semper H. G.

MARTINO RVARO.

Vir Præstantissime,

Qvem mihi commendasti, vir doctissime ac præstan- 99
tissime, Andreæ Conradi filium, cujus consuetudo suavis mihi fuit, fecerisque rem mihi pergratam, si ejus probitatis ingeniique juvenes sæpe ad me allegaveris. Optima enim est negotiorum gravium intermissio, ad amœnitatem literarum & prioris ætatis studia se recipere interdum, & refoveri amicorum mitibus colloquiis. Libros, quorum mentio est in secundis tuis literis, non accepi, alioqui, ea, qua inter nos utimur, libertate mei judicii te facturus participem. Velim credas, si quid est, in quo tibi aut eis quos caros habes, possim commodare, facturum me id non prompto tantùm, sed & gaudente animo. Lutetiæ 5 Augusti novi Cal. 1638.

Postquam literas ad te obsignaveram, Vir Præstantissime, relatum mihi à librario Slichtingii librum Meisnero oppositum legi. Video ab eo statui non adulterii tantùm, sed & scortationis actum talem esse, qui hominem Christianum, si subitò moriatur, à vita æterna sit exclusurus. Quod cùm haud dubiè & de aliis delictis æquè gravibus ac deliberatis sentiat, nihil habeo quod contradicam. Verùm non modò de scortationis, sed & de adulterii actu aliter sensisse Socinum, videbar ex ejus scriptis didicisse. Nescio an me fallat memoria. Puto pervenisse jam ad te Clementis Epistolam ad Corinthios in Anglia editam; de ea quid sentias, ubi otium erit, discere amabo. Vale quàm optimè.

MARTINO OPITIO.

Svmmam tibi gratiam habeo pro missis ad me Psalmis versis eleganter, & si quid hoc ad rem pertinet, etiam vestitis eleganter. Dignus erat Rex Poëta interprete Germanicorum Poëtarum Rege: nihil enim tibi blandiens dico: ita sentio à te primùm Germanicæ poësi formam datam & habitum quo cum aliis gentibus possit contendere. Ante versus inde vidimus, quales

Tam

—— Vates olim Faunique canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat
Nec dicti studiosus erat.

Gaudeo autem videre opera tua tum ob eruditionem ac nitorem, tum quia ostendunt id quod opto maximè, vivere te, valere, vigere. Ne verò tardum me responsorem putes, scriptas abs te Aprili ineunte literas scito ad me ineunte demum Augusto pervenisse; priores quas tibi scripseram quasque intercidisse quereris, nihil ferme continebant aliud, quàm constantem tui amorem, candidamque tuorum bonorum æstimationem. Vectigal illud Civitati in qua vivis grave, mansurum videtur, nisi Danus ac Batavus se moveant. Hungariæ Protestantes quid facturi sint diu latere non potest. Bannerius novis auctus è Suedia copiis haud dubium est, quin nova virtutis suæ sit editurus specimina. Gallis de obsidendo Brisaco itemque S. Audomari oppido malè processerunt consilia. Ad Fontarabiam, quæ itidem obsidetur, spes est melior. Bene servantur hic in Vicennensi sylva Ioannes Waertius & Enckenfortius. Legatio quæ mihi obtigit id habet commodi, quod aliquantum mihi temporis relinquit ad legendum, si quid prodit novi, aut etiam si quid antiqui in lucem protrahitur; deinde ad colenda cum viris eruditis aut sermonis aut literarum commercia, inter multorum literas tuæ mihi semper erunt suavissimæ. Vale Vir egregie. Lutetiæ 6 Augusti 1638.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

1000 ACcepi qua debeo reverentia epistolam Augustæ Majestatis Tuæ, datam 23 Iunii, ex qua intellexi quæ sit Majestatis Tuæ sententia super iis literis tuti itineris, quæ ab Imperatore postulantur pro his quos ad Conventum super pacis negotio instituendum mittere volent Principes ac civitates Germaniæ: sequar & hac in re, & in aliis omnibus præcepta Majestatis Tuæ, ad eamque normam & actiones & sermones meos dirigam. Deum perpetuo orans ut & arma & consilia Majestatis Tuæ ad bonum regat orbis Christiani, Tuæque Sacræ Majestatis, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, vitam, valetudinem, Regnumque respiciat favens. Lutetiæ 7 Augusti ex novo Cal. anni 1638.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1001 INter formulam scriptionis Venetæ ad Britanniæ Regem quæ mihi ex Anglia missa est, & eam quam mihi dedit Legatus Venetus hoc, præter id quod de voce Domini in hac semel posita, in illa verò bis, jam ante monui, est discriminis, quod in illa etiam Principis vox vocem Domini præcedit. Rex impatiens abesse ab uxore, huc intra triduum aut quatriduum reverti dicitur. Castilionæi uxor cùm in agros ivisse crederetur, Ambiani fuit, conventoque Cardinali maritum suum restituit in gratiam: atque ipse maritus epistolam scripsit plenam prudentiæ, culpam omnem non in alios transferens, sed fortunam accusans & perpetua divisis imperiis mala. Itaque manet is non modò in Gallia, sed & in rerum actu, partem commissi sibi hactenus exercitus retinens. Nam partem alteram regendam accepit Millereius, qui quid acturi sint hoste tam valido non satis video. Sed Rentiacum obsidet & cavatarum, ut mos est, viarum flexibus accedit Bressæus. Longavillanus Dux copiis imminutus, quæ partim in Picardiam, partim ad Ducem Vinariensem ivere, ad Besmam & Balansonum non longè à Grea se contulit, infirmior est quam ut magni aliquid aggredi possit. Dux Carolus & milite & munimentis præpollet, ultroque Bressiam incursat. In Italia Valetta Cardinalis non multò plus quinque habet millibus. Hostis agros tenet, crediturque Astam & Trinum vi rapturus, vere autem venturo aggressurus Casale. Principem Casimirum Aquis Sextiis quæ Princeps est Provinciæ urbium jam esse & honestè custodiri dicitur. Princeps Condæus jam ad Fossas Fontarabiæ opera sua perduxit, speraturque jam ei adesse classis Gallica. Optaverat Regina Matronam aliquam apud se gratiosam præficere educationi ejus infantis quem quamve paritura est; sed prævenit Cardinalis, duosque sibi cognatos ei curæ imposuit Dominum de Lansac & Dominum de Pontecastelli. Vidi acta Varsaviensis conventus pertinentia ad illos quos Arrianos, alii Samosatenianos, alii Socinianos vocant. Video illis Racoviam, ubi scholam habuere adimi: & ut credo pauci erunt quos eorum tanget misericordia, quod in odio sint multorum deviæ illorum à vetere consensu sententiæ. Sed videndum an non per ruinam infirmissimorum, Antistites gradum sibi in cæteros, quos eodem novatorum vocabulo appellant, sint facturi. Certè videtur planè Rex Poloniæ ab Austriaca affinitate hausisse consilium jactandi operam suam Pontifici & Ecclesiasticis. Nihil addam nisi quod Deum perpetuo sum precaturus, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Sublimitati Tuæ rebusque ejus adsit semper propitius. Lutetiæ 7 Augusti ex novo Cal. anni 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

ADdam hoc ei quam hodie mihi epistolæ, Cardinalem mandatum dedisse Matri Comitis Suessionensis, quæ apud filium Sedani est, ad revocandam huc certis sub legibus Reginam Matrem, nimirum ut gliscente apud Regem Reginæ, uxoris Regiæ, gratia, quam valde metuit læsam non mediocriter, feminam feminæ opponat. Quod ipsum cùm periculo non careat, satis ostendit Cardinalem magna necessitate adactum ad hæc decurrere remedia. Regi dolet, quod à Regina abductus fuerit in Picardiam, eo rerum statu ut nullam ibi gloriam indipisci posset. Deus te servet, Excellentissime & Illustrissime Domine. Scribebam Lutetiæ 7 Augusti 1638. 1002

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

REx impatiens abesse ab uxore, huc intra triduum aut quatriduum reverti dicitur. Castilionæi uxor cùm in agros ivisse crederetur, Ambiani fuit, conventoque Cardinali maritum suum in ejus restituit gratiam, atque ipse maritus epistolam scripsit plenam prudentiæ, culpam omnem non in alios transferens, sed fortunam accusans & perpetua divisis imperiis mala: itaque manet is non modò in Gallia, sed & in rerum actu, partem commissi sibi hactenus exercitus retinens; nam partem alteram regendam accepit Millereius, qui quid acturi sint, hoste tam valido, non satis video. Sed Rentiacum obsidet & cavatarum, ut mos est, viarum flexibus accedit Bressæus. Longavillanus Dux copiis imminutus, quæ partim in Picardiam, partim ad Ducem Vinariensem ivere ad Besmam & Balansonum non longè à Grea se contulit. Infirmior est quàm ut magni aliquid aggredi possit. Dux Carolus & milite & munimentis præpollet, ultroque Bressiam incursat. In Italia Valetta Cardinalis 1003

non multò plus quinque habet millibus. Hostis agros tenet, crediturque Attam & Trinum vi rapturus: vere autem venturo aggressurus Casale. Principem Casimirum Aquis Sextiis, quæ princeps est Provinciæ, urbium, jam esse & honestè custodiri, dicitur. Princeps Condæus jam ad fossas Fontarabiæ opera sua perduxit, speraturque jam ei adesse classis Gallica. Rectè accepi & Excellentiæ Vestræ literas & illas à Regina ac D. Salvio. Plurimum dolet mihi quod Hassica Vidua videtur plus spei in propriis pactionibus ponere, quàm in armis aut pace communi. Item quod Electori cum Suedis convenire non potuit super conjungendis copiis. Rogavi D. Comitem Licestrium, ut & ad hanc rem componendam, & ad reperiendas concordiæ vias in eo negotio quod inter D. Salvium ac Roum tractatur sua apud Regem proceresque Britanniæ auctoritate ac gratia uti velit. Dixit se facturum & facturum puto, quippe optimè volentem & rebus communibus & Palatinæ Domui. Placet mihi quod Excellentissimi & Illustrissimi Suediæ Rectores volunt tuti itineris literas dari ab Imperatore singulas pro iis quos singuli Principes civitatesve missuri sunt, etiam Elector Palatinus si velit. Gallos optare magis, ut Angli desinant, se ita commodos præstare Hispanis, quàm ferociter id exigere credo: tamen non omiserunt Galli ostendere quantum damni publica res accipiat ex istis Dunquercam invectionibus. Prudentiam Rectorum nostrorum qua certamen cum Dano vitarunt laudo. Dubitandum non est quin tot simul rebus prosperis elaturi se sint Austriaci, durioresque futuri ad nostra & Gallorum postulata. Sed & Gallos belli quod extra Galliam maxima ex parte geritur, non tædet: & Bannerii florentissimæ copiæ sub duce fortissimo magna promittunt: & aliunde etiam facilè aliqua procella exoriri poterit quæ deprimat magna flantes. Gallos in solvenda Suedis pecunia puto jam tricones non fore. Vinariensis quanquam non omnia obtinuit quæ voluit, tamen ostendit se iis quæ impetravit esse contentum: neque de ejus constantia ulla dubitandi causa est. Rediit huc à Batavis Lestradius cum Rege consilia Principis Arausionensis communicaturus, neque hic dubitatur quin is Princeps hujus anni reliquum pulchris actionibus sit impensurus. Quod quò meliùs procedat gaudeo sanatas internas discordias. Ab induciis Hispanum quàm Imperatorem esse alieniorem & Roma scribitur & credunt rerum prudentiores. Multa sunt indicia Hispanum moliri aliquid in aliquam partem oræ maritimæ Gallicæ: sed & Rex bonas in mari interno habet naves, & littora diligenter custodiuntur. Astrologi Italiæ ac Siciliæ magna mala prædicunt: mihi satis mali videtur esse, sub Hispano servitus. Bisertani sunt illi prædones qui ex Italia prædam egere. S. Audomari urbis obsidio planissimè derelicta est. Omnia felicia Excellentiæ Vestræ ipsiusque Domui opto, maneoque, Illustrissime Domine, Lutetiæ 7 Augusti anni 1638.

Carnontium arx non longè à Rentiaco Gallis se dedidit.

Excell. Vestræ ad omnia cultus officia addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir egregie & Amicorum optime,

1004 VEnit ad nos Petrus Pelsius gratus & suis virtutibus & vetere patris nobiscum amicitia & tua insuper commendatione. Petri nostri studia tibi amicisque cæteris non improbari plurimum gaudeo. Solus ille mihi restat in eo vitæ genere quod nostrum uterque, sed ego salebrosiore, tu expeditiore via trivimus. Epistolam quam promittis exspectabo ut dulcissimum negotiorum levamen. D. Manassi viro pereruditо, qualem scripta edita ostendunt, pro eo quod Hispanico sermone ad me misit, gratias ago maximas. Video eum in illo Deuteronomii loco explicando consentire cum magni judicii doctore Maimonide. Mihi quædam in mentem veniunt de quibus amplius edoceri velim, an non possit locus ille exponi, non dico de appellationibus, quas non video usitatas fuisse apud Hebræos, sed de relationibus, quas judices oppidorum faciebant ad Synedrium; sicut Præsides Romani ad Imperatores; super quibus relationibus quod respondisset Syedrium, id ipsis omnino sequendum fuerit. An ii qui vocantur [illegible] jus non habuerint per se judicandi, absque Synedrio. Video enim esse qui ita sentiant, eoque velint illos majores fuisse quàm fuerint [illegible]. Cùm errare potuerit Synedrium: (nam & sacrificium pro errore ejus expiando erat constitutum) an etiam errantis valere debuerint auctoritas & quousque, an ut idem sentirent omnes, an ut ne quis contra publicè doceret & faceret? Cùm ad schismata cavenda hanc legem datam Hebræi velint, cur ea usi non sint adversùs Sadduceos libera adhuc ipsorum Republica. An de iisdem negotiis omnibus consulendi fuerint sacerdotes & judex? an de aliis illi, hi de aliis; & quæ sint in Paralipomenis XXVI. 30. libro priore & XXII. 11. libro posteriore negotia Dei & Regis, & cur his Sabadias, illis verò Amarias præficiatur loco posteriore, cùm in priore iisdem hominibus utraque committantur. Video ego quod non incommodè super his dici posset. Sed priusquam meam exponam sententiam, desidero scire, quid de his senserint Hebræorum doctissimi, ac veteres maximè, ut eorum auctoritas me confirmet aut ducat ad rem pensiculatiùs examinandam. Philolai editionem urgeas, oro; nimis illi lenti sunt. Gaudeo amplissimis urbis vestræ Rectoribus & Galilæi repertum sicut meretur cordi esse, & D. Hortensii in istis studiis peritiam magni, ut certè debet, fieri. Cæterùm cur videatur dilatum nimis diu D. Hortensii iter nunc nova de causa differendum, & ipse ad te scripsi, & uberiùs ad D. Hortensium maximus Galilæi amicus Adeodatus. Nostri omnes mecum tibi, Vir eximie, & uxori & liberis precantur cuncta felicissima. Amplissimis Magistratibus vestris, quod meas suggestiones optimo factas animo non spernunt, plurimum debeo. Scribebam Lutetiæ 7 Augusti 1638.

Tuæ Cl. studiosissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

MItto literas meas ad Magnum Dominum Cancellarium non obsignatas, quas & obsignandas & curandas, Excellentiæ Vestræ committo. Eroque propterea in his brevior, quod nihil opus sit semel dicta repeti. Pro literis ad me datis [illegible] Iulii maximas habeo gratias, & pro chartis quæ eas comitantur ad me de rebus quæ nunc tractantur edocendum plane necessariis. Gaudeo Bannerium tantis auctum copiis è Suedia Suediæque Provinciis & his accessisse Polonos. Quid facturus jam sit Galassius in multas distractus curas, videbimus. Placent mihi, quæ pro Legatis, Agentibusque Regum præformata sunt diplomata. Quod ad illa pertinet quæ petuntur pro Germaniæ Principum, Civitatumque Legatis, credo sanè non facilè impetrari ab Imperatore posse, ut nostris postulatis se accommodet, sed nihil opus est meam dicam sententiam, cùm videam Excellentissimos & Illustrissimos Dominos Suediæ Rectores firmè tenere propositum: neque verò minùs Galli cupiunt & ab Imperatore directè dari diplomata & dari singulis: quanquam illud videntur pati posse, ut desideria illorum Principum, Civitatumque per Regios Legatos proponantur. Sed credo Suedici Regni magis interesse quàm Gallici, salvam esse libertatem Germanis Protestantibus, plurimumque & ad Regis Gustavi memoriam honestandam & ad famam Reginæ nostræ pertinere, palàm fieri, quid sibi propositum habuerint arma Suedica. Magni D. Cancellarii in oram istam adventus, non tantùm pacificationi, sed & armis

Digitized by Google

armis gerendis quæ brevi videntur vehementer se commotura, utilis esse poterit. Dat mihi spem Legatus Angliæ, Comes Licestrius, fore ut D. Rous ad Lutetianum fœdus quædam addat Suediæ rebus congruentia. Displicet tamen mihi quod cum Electore de conjungendis Suedicis ipsiusque copiis nequit conveniri. De vectigali ad Varnum laudo Rectorum Suediæ prudentiam, qui cupiditati suæ modum ponere, quàm alios super alios hostes sibi accersere maluerunt. Credo non difficilem futurum Vinariensem Ducem in permutatione Waertii cum D. Hornio. Sed Waertium jam Galli tenent, & quantum video diu tenebunt, metuentes ejus audaciam magnis Gallorum malis, majoribus etiam periculis cognitam. Promisere quidem Galli liberum Duci fore statuere de captivo suo quod velit, sed & norunt Ducem pecuniæ Gallicæ egentem non fore in urgendo jure suo pertinacem. Itaque censeo interpellandum Ducem Bavarum, ut impleat quæ ipsius nomine ac mandato pacta conventaque sunt, à quibus nullo superveniente casu potuit liberari, aut quærendas rationes per quas Galli depellantur ab isto retinendi Waertii proposito. Domino Mullero opto, ut & Excellentiæ Vestræ, felicissima. Lutetiæ 7 Augusti Novi Cal. 1638.

Excell. Vestræ observantissimus H. G.

IOHANNI STOINSKY.

6 NOsci abs te, Vir Clarissime, non parvi duco, præsertim cùm & ipse mihi notores des viros mihi amicissimos, quorum partim morte indolui, partim etiam nunc superstitum amicitia oblector. Amavi semper, amaboque non dicam homines homo, quanquam & hoc rectum est, sed latiùs diffusum quàm de quo nunc ago, sed Christianos Christianus, literatos literarum amans. Ego verò neque hominis, neque Christiani, neque literarum amantis, quas humanas non immeritò vocamus, dignus sim nomine, nisi & aliorum movear calamitatibus, quas persentiscere tanto debeo teneriùs, quanto ipse experiendò didici, quid sit captivum esse, honoribus, fortunis, patria exui. Præter hæc quæ animi paulò mollioris sensus effugere non potest, sunt alia in hac re quàm ex literis tuis ad me & Hirtenium, & ex actis ipsis didici quæ me movent. Video enim ex paucorum culpa nec ea meditata, toti universitati perniciem intendi: incipi in maximè imbelles ea quæ semina videantur ituri & ad alios paulò validiores, sed nec ipsos tamen, si virium certamen fiat cum cœteris comparandos, mali. Et vox illa innovationum, ex mente partis apud vos præpollentis latè patet. Ita video sentire multos. Regem vestrum, ex quo se ad Aûstriacam affinitatem applicuit longè alium futurum quàm futurus putabatur. Libertas sentiendi quæ velis, & dicendi quæ sentias, legibus Regni apud vos nititur, καὶ οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγον [*& non est parum quod à parvo*] Aristotelis viri πολιτικωτάτου [*maximè politici*] hoc est monitum. Ejusdem hoc est non spernendum, nasci τὰς τυραννίδας ἐκ τῶν βασιλέων παρεκβαινόντων τὰ πάτρια δεσποτικωτέρας ἀρχᾶς ὀρεγομένων [*tyrannides & Regibus patrias leges transgredientibus & magis herilia imperia appetentibus*]. Interim Christianorum eorum quibus leges publicæ sui curam non commisere, est, hæc mala non perpeti tantùm, sed & iis gaudere, quoties conscientiæ causa inferuntur; quid enim nobis majus in hac vita potest contingere quàm in partem vocari crucis Christi? εἰ γὰρ συμπάσχομεν καὶ συμβασιλεύσομεν [*si enim unà patimur & unà regnabimus*]. Tuum consilium apud Batavos subsistendi, dum certior aliqua sit futuri dijudicatio, non improbo. Quod si res ita tulerint, ut in Galliam venias, cognosces me & gentis vestræ, quam pridem amo, & omnium pietatem amantium esse studiosissimum. Vale quàm optimè. Deus tibi sit solator. Scribebam Lutetiæ 7 Augusti 1638.

Tuæ Cl. omnia optans optima H. G.

CLAUDIO SALMASIO.

NOn possum dignas satis agere gratias pro literis uberrimis, quibus desideria mea non implevisti tantùm, sed & superasti. Neque enim de nota tantùm senarii numeri planè me certum reddidisti, sed & addidisti affinia de sexta litera veteris Alphabeti Syriaci primùm, deinde Græci: qua in re te mirarer tot viris eruditissimis nec visa, nec cogitata in lucem protraxisse, nisi pridem ex scriptis tuis didicissem, omnia inexspectata abs te potissimum exspectanda. Nisi igitur pridem essem tuus, inciperem esse, hoc summo tuo beneficio. De usuris non dubito, quin alter liber ea, quæ γενικῶς [*generaliter*] sunt tractata, ita sit πρὸς τὸ εἰδικὸν [*ad speciale*] aptaturus, ut nihil coloris relicturus sit obtrectare cupientibus. Doleo cum tam pertinaciter duris hominibus rem tibi esse, ut tibi tua lenitate uti non liceat. Sed in hac etiam περιστάσει [*afflictione*] facilè repereris quid sit agendum. Ego ex meis studiis, non quidem quàm vellem assiduis (semper enim aut negotiis sui districtus, aut adversis abreptus) hunc fructum cœpi maximum, quod non te tantùm, sed & tibi non dicam pares, (ubi enim inveniam?) sed suppares, didici venerari. Vides quàm pauca & protrita tuis tam multis tamque excellentibus reponam, adeò non usurarum persolutor, ut etiam sortis debitor maneam. Vale, Vir eximie. Lutetiæ 7 Augusti 1638. 1007

CONSTANTINO L'EMPEREVR.

ACcepi, Constantine doctissime, nunc quidem tua liberalitate pro qua gratias ago maximas, sed legi multò ante ac diligenter legi, virisque talium amantibus commendavi librum tuum egregium, ut omnia sunt tua de illis Hebræorum legibus quæ Romanis legibus, Aquiliæ ac de Pauperie aliisque nonnullis respondent. Ostendis planè utriusque te hujus juris & maximè ejus fontis unde fluunt leges, id est, æqui bonique esse intelligentissimum. Maximi facio quæcunque abs te hactenus sunt edita: quibus si unum etiam addere velis munus, explicationem eorum, quæ Hebræi de regimine Synagogarum scripsere, facies rem publico utilem, mihi verò & aliis quos novi multis expetitam plurimum. Clavem Thalmudicam me nondum vidisse miror. Sum enim inquisitor satis diligens in talia, quæ nisi abs te tuique similibus dari non possunt: ego si qua in re possim ostendere quanti tua dona quanti eruditionem tuam planè singularem faciam, nulli parcam operæ. Vale Vir eruditissime cum omnibus qui virtutem literasque amant. Lutetiæ 7 Augusti 1638. 1008

Ignorare non debes me literas tuas Octobri scriptas anni qui exiit modo demum accipere, ne me negligentem in respondendo gratiasque agendo putes.

Tuus tuo summo merito H. G.

D. REIGERSBERGIO.

HAbeo gratiam, Nobilissime Reigersbergi, pro iis, 1009
quæ de Legato Cæsariano nuntias. Digna sanè sunt spectatu illa quorum causa Romæ substitisti, cùm nos jam te Venetiis esse crederemus. Non facilè video qua tutò ad nos redire possis, nisi mari rursum utaris. Itinera enim alia partim armis partim morbis obsessa intelligo. Vide ergo nobis specimen des prudentiæ tuæ in bene regendo hoc reditu. Si quid ultra inter Pontificem & Imperatorem ejusve Legatum dignum scitu evenerit, rogamus ne nos ignaros patiaris, nos vicissim si qua in re tuis commodis opitulari poterimus, non erimus segnes. Batavorum clades ad Calloam alia secum traxit mala: nam eo metu liberatus hostis magna vi in Gallos se intulit, obsidionemque S. Audomari perrupit & solvere eam Gallos coëgit. Hi nunc Rentiacum obsident & in Hispanico fine

fine Fontarabiam, cum spe boni eventus. Ducis Vinariensis equites duobus locis hostem cecidere, plurimaque illi signa, nec parum sarcinarum eripuere. Nostri omnes te salutant, tibique optant cuncta prosperrima. Lutetiæ 10 Augusti 1638.

Tui studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1010 AB Anglis Legatis singulis singulas accepi formulas Veneticæ ad Regem ipsorum inscriptionis. Quam mihi dedit ordinarius, est qualem & ante misisse memini: Serenissimo Principi ac Domino, Domino Carolo Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi Illustrissimo &c. at ea quam mandatu Extraordinarii mihi attulit Agensogerius affirmans hanc esse quam novus à Venetis Legatus secum tulisset, sic habet: Serenissimo & Excellentissimo Domino Carolo Dei gratia Regi Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Illustrissimo. Ex hac varietate nihil colligere aliud possum, quàm non eundem semper scribendi servari modum. Mitto Sublimitati Tuæ historiolam de picturis quibus fores suas ornavit Legatus Imperatoris Romæ, multus circa inania. Orationes ejus & Pontificis responsa duo huc perlata sunt. Vetiora putantur quæ seorsim à picturis mitto. Rex nondum huc rediit. Remisit Lestradium ad Principem Arausionensem, ut eum impellat ad audendum hoc anno aliquid. Addidit pro Principis uxore pulchros uniones. Classis Gallica præterquam quod obsidionem adjutura est Fontarabiæ, spectat etiam portum aliquem Hispaniæ se impetu posse capere, militum ferens prope sex millia. Quare boni aliquid inde exspectamus. Rentiacum ante hoc triduum Gallis se dedidit. Sed in Lotharingia oppidum Longavilleriam cepit Dux Carolus. Regina mater ad iter Spadanum accincta est. Inde Coloniam itura sit pacis promonendæ causa an in Galliam variè disseritur. Qui apud eam nunc valent plurimum Coignæus & Montsigotius, cùm bona in Gallia habeant, omni modo pro reditu laborant & illius & suo. Turcicus Sultanus Aleppi jam esse creditur. Longas naves ejus, quatuor ad Amastrim tempestas depressit. Tartarorum Rex fratrem suum ad eum misit cum auxilio sex mille equitum, ipse ad Azaci iturus obsidium, ut huc scribitur. Certiùs jam ad nos perlata sunt illa quæ apud Ducem Vinariensem geruntur. Decimo Iulii, ut hic numeramus, Tubadelus hosti cladem eam intulit de qua scripsi antehac. Benfeldo non longè tredecim cepit signa equestria. Decimo quarto ex insidiis Offenburgum capere speravit Dux: sed abfuit successus, neque tamen sine fructu iter id fuit, nam quatuor ferme leucis ab Argentorato, tres alæ hostiles partim loricatorum, partim Draconariorum à Duce concisæ sunt. Goetzii exercitus qui viginti fuit millium fame, fuga, cladibus ad sex millia decrevit. Is nunc apud Dinsenhemum transgressus Rhenum Offenburgo non longè est. Cùm postremæ inde ad nos scriberentur literæ, id est 23 Iulii, Bavarus dicebatur novas adducere copias & alias ex Italia Savellius. Dolendum est tantum periisse temporis & occasionis, dum Duci auxilia parantur, quæ cùm illæ quas dixi, scriberentur literæ, sub Vicecomite Turenæ prope Montempellicardi venerant. Multa hic quotidie per negligentiam peccantur.. Deum oro, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati optima consilia det capere, capta autem ut secundet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Augusti 1638.

Quantum ex Anglis intelligere possum, pecuniæ collationem aliquam ab illis impetrabimus. Mitto ea quæ in Polonia contra Oselinskium disceptantur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

REctè ad me pervenerunt & literæ Excellentiæ Vestræ
datæ postridie Calendas Augusti, & illi, quorum
meminerunt fasciculi, octo ante diebus missi. Utinam
verum sit, quod de Banerii victoria dicitur, eique res
semper in majus procedant. Colloquia de pace adhæsura
puto ad scopulum de diplomatibus tuti itineris pro Ger-
manis. Nam quæ nostri volunt, multum distant ab iis
quæ Cæsariani offerunt. De fœdere cum Batavis non fa-
cilè convenient Angli, cum Suedis facilè, si modò, quod
sperare nos Legati jubent, parte impendiorum belli Sue-
diam velint sublevare. Credibile est Austriacam domum
prosperis per Italiam, non improsperis per Germaniam
rebus ita inflatum iri, ut pacem non sint desideraturi: ne-
que minùs credibile non satis æquis oculis adspecturum
Daniæ Regem nostrorum incrementa. Tum verò Has-
sicæ Viduæ cunctatio magnas occasiones perdit. Fore
consilia captura est ex iis quæ agentur Hamburgi. Ca-
stilionæum recuperasse Regis gratiam, uxoris maxime,
sapientis feminæ opera, & in imperio manere, scripsi
jam ante. Classis Gallica non modò Fontarabiæ obsidio-
nem sperat se promoturam, sed & aliquid præterea
capturam in ora maritima Hispaniæ. Vehit sex millia mi-
litum. Princeps Condæus bellum magna sanè diligentia
administrat, scriptitatque ad Regem & Cardinalem sæ-
pissimè. Redit ad vos Lestradius cum donis à Rege ad
Principis Arausionensis uxorem & ad ipsum hortamen-
tis. Plurimum publici interest, ne ibi cessetur. Nisi ul-
tro agant aliquid Batavi, non patientur eos quiescere Hi-
spani, sed ubicunque poterunt quærent pugnandi occa-
siones, quod eo belli genere præstare se putent. In illo
ad Benfeldum prælio, de quo scripsi antehac, quod com-
missum decimo Iulii est, tredecim equestria signa cepit
Tubadelus. Quarto post die Dux ipse quatuor ab Argen-
torato leucis hostium tres alas, loricatorum unam, Dra-
conianorum duas ad satietatem cecidit. Offenburgo quas
struxerat insidias ex ut sæpe talia, successum non habue-
re. Vicecomes Turenæ jam ad Montempellicardi vene-
rat. Et Bavarus ex Germania, & ex Italia Savellius sup-
plementa ducere scribuntur Goetzio, cujus florentissi-
mus antehac exercitus ad sex millia diffluxit. Iam ad Dru-
senhemum Rhenum transiit Goetzius & ad Offenbur-
gum se contulit. Ducis Vinariensis constantiam & fidem
in Galliæ Regem, relatis ad ipsum quæ de pace accepe-
rat, literis antehac scriptis testatus sum: sicut & argu-
menta attuli, cur de Mauritio Comitis Guilielmi filio
credi non debeat qui sparsus fuit rumor. Vix impetrari
Gallis poterit ut Waertium dimittant. Adeo ejus audа-
ciam metuunt. Debet quidem is esse in potestate Ducis
Vinariensis: sed ipse Dux, pecunias à se non habens
alendis copiis, ob id ipse in potestate est Regis Galliæ.
Ille à Transilvania puto jam erit ab Aula absolutus, & in
itinere ad vos. Negotium ejus bene si provenerit, mire
turbabit res ac spes hostium. Rentiacum die Martis pro-
ximo Gallis se dedit. Contra, oppidum Lotharingiæ
Langavilleriam subito impetu cepit Dux Carolus. Mit-
to orationculam Cæsariani Legati ad Pontificem & re-
sponsum Pontificis. Quæ antehac circumlata fuere com-
mine, non vera comperiuntur. Deus Excellentiam Ve-
stram ejusque domum sospitet. Scribebam Lutetiæ
14 Augusti 1638.

Veneti Turcas qui armatis navibus sinum Adriaticum
ipsorum impermissu intraverant, pessimè tractarunt.

Excell. Vestræ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1012 ACceptis Sublimitatis Tuæ literis, datis 28 Iulii, adii Heufdium, eique id quod de Marino literæ continebant accuratè commendavi. Obtinere ab eo non potui quin se excusaret, saltem donec rationes quas in Suediam cum documentis misit, dispunctæ essent. Ingentis summæ se creditorem esse Regno Suedico non nunc primùm mihi dixit, sed antehac sæpius: eaque de causa mihi quoque pridem nihil dedit, nisi ut mutuum reddendum à me in Hollandia, quod jam feci aliquoties non sine meo incommodo. Sed ipsius Heufdii verba quibus se excusat mitto. Mitto simul & chartam quam à Spiringio habeo, unde cognoscet Sublimitas Tua persoluta mihi annua quæ ut Legato debentur & cum annuis impendia ad Iunium usque anni 1637. Post id accepi ejusdem Spiringii cura duo millia Thalerorum Imperialium pro honorario trium annorum quod mihi dat Regina ut consiliario suo. De ea quoque re chartam posteriorem mitto. Nunc rogo Sublimitatem Tuam, quæ ita mihi bene voluit, ut etiam in antecessum pecuniam numerari mihi præceperit, sed sine effectu, quia nulla hic erat pecunia, jubeat id quod pro anno qui Iunio 1638. exiit, mihi debetur persolvi, non Lutetiæ, ubi Heufdius daturum se negat, sed Amstelodami: idemque in posterum fieri de iis quæ mihi quoque tempore debebuntur. Ego ne quid in me diligentiæ requiratur, tum ad commoda, tum ad honorem Suediæ tutandum, operam dabo. Deus, Excellentissime Domine, fautor sit perpetuus Sublimitati Tuæ. Lutetiæ 4/14 Augusti 1638.

Veneti Turcas mare Adriaticum armatis navibus suo impermissu ingressas malè tractarunt. De usuris quas Heufdius petit, debeanturne illi, & an tantæ, & an à Gallia, an à Suedia, res mihi planè obscura est.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima.

1013 IMperia Augustæ Tuæ Majestatis tantò accepi animo lætiore, quod video ante accepta hæc, sponte me fecisse, quod ejus voluntati congruebat. Nam, ut indicavi antehac, Bysterfeldii negotium his qui res hic administrant, commendavi calidè: ipsum incitavi ut Hamburgum se conferret quamprimùm, quod & facere eum puto. Dixi præterea, quanquam de re nondum bene cocta mandata nulla habebam, ita tamen me existimare, si velit ille Princeps illatas & sibi & Transilvaniæ injurias armis arcere & ulcisci, simulque ex veteri Transilvanico fœdere curam habere libertatis Hungaricæ, paratissimam fore Majestatem Tuam ad faciendum fedus, hoc inter cætera complexurum, ne pax nisi communis fiat. Sanè & causæ quibus adductum eum Principem ad bellum dicebat, & consilia & vires, quales describebat Bysterfeldius, talia mihi videbantur, ut non modo non spernenda, sed & ultro quærenda fuerint. Plura non addam, cùm ipse qui jam in itinere est Hamburgum, cogitata Principis sui multò, quàm ego, rectiùs aut ibi, aut apud Majestatem Tuam sit explicaturus. De Meerbothio rem omnem mihi narravit. De Ordinibus Federatæ Belgicæ, quæ super hac re consilia sint capturi, incerta, ni fallor, est dijudicatio. Quæ cum Gallia aut fecit aut præformavit pacta Bysterfeldius, ea mihi non ostendit, neque id miror. Quæcunque de ea re discere potui scripsi diligenter, ut debeo, ad Magnum Majestatis Tuæ Cancellarium. Ego & in hac re & in aliis omnibus, tum præscripta diligenter sequar, tum extra præscripta, pro nata occasione, ita sermones actusque meos dirigam, ut neque fidem obligem Majestatis Tuæ, neque desim iis quæ utilitatis aliquid in publicum promittunt. Non possum reticere Majestati Tuæ hic Lutetiæ de hoc negotio & in magna turba dissertare Gallos, & publicè ea de re edi rumores. Ego tum in aliis rebus, quæ si ante tempus patescant, corrumpi possint, tum in hac maximè anxii silentii fui tenacissimus. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, det Augustæ Majestati Tuæ id consequi, quod arma parentis Regum maximi sibi habuere propositum, ut Christianus orbis in meliori sit statu. Lutetiæ 11/21 Augusti 1638.

Tuæ Augustæ Majestatis subditus obedientissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DIxit mihi Venetus Legatus, eam formulam diplo- 1014
matis pro tuto itinere Germanorum, quam postremam ad Sublimitatem Tuam misi, ab ipso Cardinali datam sibi fuisse. Ego ei dedi id quod ad me super eo negotio à Regina Clementissima Domina nostra missum fuerat. Miranti quod duriores Gallis essemus, rationes attuli, quod Germanorum causa & ob religionis societatem & ob federa directè contra Imperatorem, ut hostem, facta ad nos, quàm ad Gallos propius pertineret. Videntur autem mihi Galli animum referre ad caput illud primum federis, quod olim Ratisbonæ cum Imperatore procuderat pater Iosephus. Tum verò dixit Venetus se ad Reginam Dominam nostram scripturum, gratiasque acturum pro scriptis ad se literis. Daturum autem se Reginæ titulos ex meo præscripto, ut qui liberiùs id posset, quàm ipsa Respublica, morum antiquorum tenax. Egregia est Gallorum classis cujus descriptionem editam mitto. Ea Iulio ineunte pervenit ad oram illam Hispaniæ; Cataram cepit portum ulterioremoppidi Sebastiani, quod à Fontarabia proximum est. 7 Iulii classis eadem ad Fontarabiam apparuit. Sex aut septem millia hominum ad Principem attulit. Is cuniculos duos jam sub urbis vallum fecerat, qui dissiliere haud magno fructu. Interim advenit in terrarum proxima & Hispani exercitus, viamque invenit militis non parum immittendi in urbem. Mareschallus Bressæus post captum Rentiacum, ideo quod culpa quædam in ipsum rejectaretur non adjuti nuper ad S. Audomari urbem Castilionæi, iratus, deserto exercitu, se Salmuriam in Præfecturam suam contulit. Exercitus Regimen Hallerius accepit. Rex ad S. Germani vicum rediit uxoris partum exspectans, post id rediturus creditur ad confinia Belgicæ, ut ex captis cum Principe Arausionensi consiliis bellum promoveat. Literæ 6 Augusti, ut hic numeramus, scriptæ Friburgi, significant advenisse eò Vicecomitem Turenæ non quanto sperabatur cum auxilio. Esse ei sexcentos equites, pedites mille trecentos. Hostis erat ad Kentzingam & Offenburgum, invalidus satis, sed Savellium cum Hispano Italoque milite opperiens. De Bavaro nihil jam addebatur. Multum equorum morbis assumitur & in Ducis Vinariensis, qui prope mille equos sic amisit, & non minus in hostilibus castris. Signa illa nuper per Tubadelum capta portavit ad Regem Galliæ Doradorius. Videtur Dux non quieturus. Mitto rem judicatam qua absentes damnantur qui vim nuperrimè fecerant. Deo laus sit, qui tantum à me periculum avertit, cujus paterno præsidio, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem toto corde commendo. Lutetiæ 11/21 Augusti 1638.

Digitized by Google

Mitto item scriptum non illepidum de equestri illa societate cujus abortum fecit Rex Poloniæ. Vidi modo Chavigniacum: gratulatus ei sum restitutam valetudinem. Dixi, læta ipsi, nec minùs læta futura Regi, de Gartzio, de fuga Electoris Brandenburgici: de iis quæ super Transilvanico negotio acceperam. Causam libertatis D. Marescalli Hornii magno studio ei commendavi. Respondit dubitare nos non debere, quin Regi cordi futura sit ea res satis laxè. De salvis conductibus nihil ei dicere consultius duxi & exspectare quid aut ipsi mihi dicturi sint, aut Venetus. Iam nunc literas accipio à Duce Vinariensi de nova ejus ad Rynfeldium victoria de Gotzio ac Savellio, qui se conjunxerant ut Brisaco novos adferrent commeatus, deinde ut assumpto Ducis Lotharingi exercitu Ducem Vinariensem possessis depellerent. Pugnatum per horas octo 11 Augusti ut hic loquimur. Interfecti plus mille, capti homines plurimi, plurimum commeatus, armorum, chartarum, machinæ omnes id est undecim, signa tum pedestria tum equestria supra octoginta. Reliquias victi exercitus ad Offenburgum profugas Dux persequitur & Ketzingam obsidet. Pridem nullum fuit cruentius prælium.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1015 GRatias habeo pro iis quæ me literæ Excellentiæ Vestræ, datæ 8 Augusti docent. Quid capto jam Gartzio facturus sit Banerius exspectabimus. Discessus iste Brandenburgici à fuga abest non multum. Haud dubiè & moras & difficultates pacis negotio adferet magnas disputatio de diplomate pro tuto itinere Germanorum. Quæ super federe D. Roo respondit D. Salvius & æquitatis & prudentiæ sunt plena. Brevi elucescet quid de ea re sperandum sit. Mandata quæ ex Suedia super Transilvanico negotio accepi, planè congruunt cum iis quæ sponte mea jam feceram dixeramque. Gaudeo etiamnunc Constantinopoli esse D. Hagam, ut ubi Bysterfeldius per Batavos transibit ipse mandata à proceribus accipere possit adjutandi id negotium. Valde optandum ut successorem accipiat pari ingenio virum. Peritiam tempus adferet. Ad ea quæ in Polonia hoc quidem tempore agi possunt, D. Pelzium suffecturum puto. Venetias siquis mittitur, habebit & cum Gallis & cum Venetis, super titulis & honoribus, quod disputet. In Moscovia ut habeant quod agant Batavi, commerciorum utilitas facit. Rex ad S. Germani vicum rediit uxoris partum opperiens. Creditur ad Belgicæ propinqua mox rediturus ad implenda ea, quæ inter ipsum ac Principem Arausionensem convenere. Ista Batavorum arma quæ magnam hostium vim in se trahunt & occupatam tenent, faciunt ut plus sperare successuum Galli possint, quàm olim cùm in Belgas inter se concordes bellarunt. Sed multa ita negligenter administrari video, ut de spe ista multum deterant. Ad Fontarabiam cuniculi duo non magno fructu prorupere. Et invenit hostis viam qua militem ad obsessos mitteret. Ita gravius erit quàm putabatur certamen. Sed classis, cujus eam quæ hic editur descriptionem mitto, jam eò advenit, post captam Cataram portum, qui ultra illum S. Sebastiani est & captivis aliquammultis. Non possunt Hispani veteres suas artes omittere & morem per fas ac nefas nocendi. Nam deprehensus miles qui aquas venenis corrumpere voluit quibus utebantur Galli, suspendioque punitus. Ex Hispania naves aliquot in Brasiliam missæ, hic creduntur. Electoris negotium si quo modo promovere potero faciam id animo volentissimo. Utinam & ipse bonis utatur consiliis, & eos quos maximè tales esse oportet, sibi faventes habeat. Gaudeo Marchionem Hamiltonum in Scotiam remitti cum iis mandatis, quibus sedari ista tempestas possit, valde sanè intempestiva. Siquid tamen Anglis boni in animo est. Ad Vinariensem, qui Friburgi est, advenit jam Vicecomes Turenæ, sed minimè cum quanto sperabatur auxilio. Sexcentos habet equites, pedites mille ac trecentos. Et Ducis, & hostilis, qui ad Kentzingam & Offenburgum est, exercitus equorum ingentem numerum morbis amisere. Hosti Savellius adducit novas vires ex Italis Hispanisque. De Bavari adventu in eas partes, nihil ultra scribitur. Allata huc ad Regem sunt tredecim illa signa equestria quæ ceperat Tubatelius. De Brisaco hoc quidem anno spem video nullam. Deo, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram omnemque ejus domum commendo. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Augusti 1638.

Bene valet Rodius & iter Italicum meditatur. Iam nunc optimum nuntium Ducis Vinariensis literis & relatu Truxii accipio. Cùm coissent Savellius & Gotzius, vellentque Brisaco novos inferre commeatus, inde assumto Duce Lotharingo ejusque copiis Ducem Vinariensem possessis dejicere, cæsos hostes ad Rynfeldium: capta signa equestria ac pedestria prope nonaginta. Machinas undecim. Multum cædis. Multum captivorum. Commeatuum bellicique paratus capta ingens copia. Tubadelus obiit. Reliquias cladis apud Offenburgum Dux persequitur & Kentzingam obsidet. Pugnatum per horas octo fuit, Marte diu ancipite.

Excell. Vestræ omni studio cultuque devinctissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime atque Amplissime Domine,

NOlit quæso Nobilitas Vestra Lutetiani transitus mei apud me meminisse. Non possum enim sine meo dolore meminisse eorum temporum, cùm ædes meæ per se speciosæ magis quàm bene distinctæ, per infelicitatem aliorum qui ad me confugerant, erant factæ arctiores quàm ut mihi liceret tanto hospite & frui & gaudere: sed & Latinum sermonem nolit quæso excusare Amplitudo Vestra, ne & me timidiorem faciat. Agnosco enim nunc ex literis, antehac ex sermone, dignum Berneggero convictorem. Magni Cancellarii in illas oras adventus pridem promittitur, & quod non dubito, prudente consilio. Nunc si venit, magis ad arma gerenda quàm ad pacem constituendam venturum puto. Nam certè melior est ad hoc usque tempus Austriacæ Domus fortuna quàm ut æquæ paci accipiendæ se præbeat, ne dum ut Imperator in Germania, in Italia, in orbe prope omni sic appellatus, Hungariæ se Regem dici ferat, idque à Gallis, hoc quidem anno, neque diligentibus admodum, neque felicibus. Causæ quas adfert Nobilitas Vestra propter quas Galli pacem, si non optare, certe pati debeant, sunt neque paucæ neque exiguæ. Verùm non ex communi nobilitatis aut civitatum voto, sed ex commodis eorum qui possunt plurimum, pendent consilia. Et ad pecunias reperiendas magna hic semper messis & messores strenui. Regis ad finem Belgicum appropinquatio nihil nobis attulit præter Rentiacum captum. De Fontarabia in fine Hispanico, nuntios exspectamus, & Reginæ partum, quæ si quid gratia valebit unquam quin ad pacem ea utura sit non est dubium. Nostri omnes mecum, Nobilissime & Amplissime Domine, Amplitudini Vestræ & Nobilissimæ lectissimæque conjugi optant omnia prosperrima. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Augusti 1638.

Tuæ Nobil. Ampl. observantissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

BInas jam nunc abs te eodem tempore accipio, scriptas alteras 15, alteras 22 Iulii, Gallicè illas, has Latinè, elegan-

elegantes utrasque, ita ut de neutro excusare te debeas utriusque sermonis potens. Fuere mihi eruntque semper literæ Nob. Vestræ gratissimæ. Civitates quæ libertatem suam iis rationibus, quæ neque iniquæ sunt, neque degeneres tutantur, vestramque inter tales eximiam, feci semper maximi faciamque. Postquam publici Conventus auctoritas aliqua accessit ad Regis Vestri cupiditates, non tam facilem puto, quàm forte optanda vobis esset, inter vos & Regem conveniendi, viam. Temporariæ redemptiones quàm nihil prosint, docet Hamburgum. Regem vestrum non minùs quàm alios Reges, sed contra spem quæ de ipso concepta fuerat video, multum se jactare Sacerdotibus & Aulæ Romanæ. Poloniæ vestræ infelicitatem deploro, ex qua exire debeant, qui valetudini recuperandæ student. Hic nihil sit magni. Captum à Rege Rentiacum. Obsidetur à Condæo Principe Fontarabia. Dux Vinariensis præliis Gotzium lassat de Brisaco desperans. Quid apud vos portaturæ sint novæ super modo vectigalis deliberationes, quid item facturi illi rudes Græcæ Ecclesiæ discipuli, scire avebimus. Interim Nobilitati Vestræ ejusque amicis optantes omnia prosperrima. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Augusti 1638.

Nobil. Vestræ obsequentissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1018 VAlde mihi placet responsum prolusorium, quod Excellentia Vestra dedit Domino Roo, miror & diffusum dicendi genus & rerum non vacans. Exigit tempus & Germaniæ miseria, si ea moventur, ac præcipuè Domus Palatinæ calamitas, ut apertiùs loquantur Angli, & si pacem communem, suoque ex usu volunt, reddant & se bello utiles. Scotici motus an eos facturi sint benigniores in Domum Palatinam, sanè dubito. Sed speramus ea in Scotiam mandata referre Marchionem Hamiltonum, per quæ sedari queant istæ procellæ, quanquam extortum metu Parlamentum, extorta Synodus, faciunt, ut metuam pertinaciam gentis pridem æmulæ Anglis, nunc & accensæ per vehementissima illa flabra odii Theologici. Gaudeo Excellentiam Vestram habere mandata sine deliquio. Batavi si eò perduci poterunt, ut etiam in Imperatorem se bello cum Suedia illigent, sicut in Hispanicum Galliæ sunt devincti, mirabor, & quò minùs res speranda videtur, eò magis publico gratulabor. Sermones meos tum de fœdere cum Anglis, tum de pace cum Imperatore ad id quod Excellentiæ Vestræ literis didici dirigam. De Gartzio est sanè quod gaudeamus: neque hic taceri debet tam bonus successus. Cætera de D. Banerio & de Galassio discemus cum tempore. Electoris Brandenburgici tanta minati extra Germaniæ fines abitus fugæ quàm itineri est similior. Rex Daniæ quantum videò magis videri vult agere, quàm agit. Magnus est quantum conjectura possum assequi, nodus ille, qui pacis colloquium implicitum tenet de formula tuti itineris pro Germanis. Plerique eorum non meriti sunt, ut multum pro eis Suedia laboret: sed si quæ se bonæ spes ex bello ostentant, & sunt sanè aliquæ, haud absurdum est consilium alienis etiam controversiis speciosa facere arma nostra. Vale, Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Augusti 1638.

Exc. Vestræ omni studio addict. ejusque observantiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

9 DE prælio illo, quo Dux Vinariensis Savellium Gotziumque devicit, nondum quidem ex Truxio, qui nondum rediit, sed collatis complurium literis, discimus specialiora: diem quo pugnatum est fuisse undecimum ut hic loquimur Augusti ac Lunæ diem: locum ubi concursum est non longe Offenburgo ad Schutteram. Initio statim prælii prima acies hostium cæsa, captæque ejus machinæ: sed instauravit prælium, dubiamque ejus per octo prope horas fortunam fecit postrema hostium acies, cui se Ducis exercitus fortiter opposuit, pari Germanorum & Gallorum virtute, feroque victoriam adeptus est. Cæsi hostium plus mille, signa, ut scripsi antehac, capta supra octuaginta, hominum numerus ingens, machinæ, sarcinæ, chartæ & commeatus magna copia, pedites abjectis armis fugerunt prope omnes. Epistola ad me Ducis scripta erat Mittenwegiæ statim post pugnam. Rumor hic sparserat, se Basilea veniens, Savellium mortuum, Gotzium à Rosa captum; sed nihil certi comperimus. A castris ad Fontarabiam habemus 3 Augusti naves Hispanicas, quæ globos multaque alia inferre ad obsessos agitabant, à Gallica classe fugatas, captas Pinassas tres, septem depressas mersasque. 4 ejusdem mensis die ex eo milite quem classis Gallica attulerat, datos successores præsidiariis Passagii. At quinto die terrestri itinere in oppidum penetrasse itidem cum globis ac bellico pulvere Hispanos & Hibernos ad octuaginta. Septimo die alii hostium quadringenti, qui & ipsi in oppidum se perventuros speraverant, repulsi. Octavo facta ex oppido eruptio in littus maris cum clade ipsorum retusa. Duodecimo capti à Gallis qui literas ad Præfectum oppidi ferebant, auxilia promittentes duplicibus copiis ex Castella & ex Navarra: qua de re edoctus Princeps Condæus, diligenter inquisivit in vias per quas auxilia illa advenire possent. Publicant Galli cæsas à se tres cohortes Ducis Caroli ad Montempellicardi secundo Augusti. Vndecimo autem non longè à S. Quintini oppido cæsos ad CLXXX homines qui ex præsidio Cameraci exierant. Aliunde discimus Vadanum oppidum captum à Duce Carolo: à Longavillano verò Autream captam, impeti Chenitum. Chevreusia, accepta à Rege venia ac pecunia, huc se transfert. Galli, qui Rentiacum ceperant, & jam sub Halerio sunt duce, Cateleti obsidium inceptant. Literæ Italicæ nos docent 13 Iunii captas à Melitensibus tres Turcarum naves apud Siciliam. Aliæ verò, circa Pragam tenere se novos dilectus in Austria factos, exspectari ibidem & Imperatorem & Electorum Legatos. Naves illas, quas à Venetis in Adriatico sinu captas dixeram, fuisse duodecim naves longas, Brigantinas duas, à Tunete & Algeria. Siciliam multum infestari à Turcis. Rentiacum Galli, detractis munimentis, relinquunt ejus potestati, qui per agros plus valebit. Quid facturus sit Castilionæus, nondum apparet. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitatis consilia bono Reginæ, Regni, orbisque Christiani sospitet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Augusti 1638.

Venit jam ad me Truxius, ait in prælio Duci non plus fuisse octo millibus, cùm hosti essent prope quatuordecim millia. Brisacum sperat intra tertium mensem fame venturum in Ducis potestatem: Tubadelium non mortuum esse sed captum, jam cognoscimus. Mitto historiam rerum ante prælium & prælii quam dedit mihi Truxius.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DE prælio illo, quo Dux Vinariensis Savellium Got- 1020
ziumque devicit, nondum quidem ex Truxio, qui nondum rediit, sed collatis complurium literis, discimus specialiora: diem quo pugnatum est fuisse undecimum, ut hic loquimur, Augusti ac Lunæ diem: locum ubi concursum est non longè Offenburgo ad Schutteram: initio statim prælii prima acies hostium cæsa, captæque

 ejus

ejus machinæ: ſed inſtauravit prælium, dubiamque ejus per octo prope horas fortunam fecit poſtrema hoſtium acies, cui ſe Ducis exercitus fortiter oppoſuit, pari Germanorum & Gallorum virtute, ſeroque victoriam adeptus eſt. Cæſi hoſtium plus mille, ſigna, ut ſcripſi antehac, capta ſupra octuaginta, hominum numerus ingens, machinæ, ſarcinæ, chartæ, & commeatus magna vis. Pedites abjectis armis fugerunt prope omnes. Epiſtola ad me Ducis ſcripta erat Mittenwegiæ ſtatim poſt pugnam. Rumor hic ſparſerat ſe Baſilea veniens, Savellium mortuum, Gotzium à Roſa captum. Sed nihil certi comperimus. A caſtris ad Fontarabiam habemus 3 Auguſti naves Hiſpanicas & Hibernicas, quæ globos multaque alia inferre ad obſeſſos agitabant, à Gallica claſſe fugatas, captas Pinaſſas tres, ſeptem depreſſas merſasque. 4 ejuſdem menſis die ex eo milite quem claſſis Gallica attulerat, datos ſucceſſores præſidiariis Paſſagii. At quinto die terreſtri itinere in oppidum penetraſſe itidem cum globis ac bellico pulvere Hiſpanos & Hibernos ad octuaginta. Septimo die alii hoſtium quadringenti qui & ipſi in oppidum ſe perventuros ſperaverant, repulſi. Octavo facta ex oppido eruptio in littus maris cum clade ipſorum retuſa. Duodecimo capti à Gallis qui literas ad Præfectum oppidi ferebant, auxilia promittentes duplicibus copiis & ex Caſtella & ex Navarra: qua de re edoctus Princeps Condæus, diligenter inquiſivit in vias per quas auxilia illa advenire poſſent. Publicant Galli cæſas à ſe tres cohortes Ducis Caroli ad Montempellicardi ſecundo Auguſti: undecimo autem, non longè à S. Quintini oppido, cæſos ad CLXXX homines, qui ex præſidio Cameraci exierant. Aliunde diſcimus Vadanum oppidum captum à Duce Carolo: à Longavillano autem Autream captam, impeti Chenitum. Chevreuſia, accepta à Rege venia & pecunia, huc ſe transfert. Galli qui Rentiacum ceperant, & jam ſub Halerio ſunt Duce, Cateleti obſidium inceptant. Literæ Italicæ nos docent 13 Iunii captas à Melitenſibus tres Turcarum naves apud Siciliam. Aliæ verò, circa Pragam tenere ſe novos dilectus in Auſtria factos, exſpectari ibidem & Imperatorem & Electorum Legatos. Naves illas, quas à Venetis in Adriatico ſinu captas dixeram, fuiſſe duodecim naves longas, Brigantinas duas, à Tunete & Algeria. Siciliam multum infeſtari à Turcis. Rentiacum Galli, detractis munimentis, relinquunt ejus poteſtati qui per agros plus valebit. Quid facturus ſit Caſtilionæus nondum apparet. Manicampius Ambiani in carcerem datus eſt ob veterem culpam amiſſi ad Rhenum pontis. Hæc puto in partem reſponſura gratiſſimis quas ab Excellentia Veſtra accepi literis datis 16 Auguſti. Credo Principem Arauſionenſem in Geldriæ partibus facere aliquid & poſſe & velle, & facturum. Hiſpani in Italia haud dubiè cuncta pro arbitrio agunt, agentque. In Burgundiæ Comitatu & vicinis locis multum pollet adhuc Dux Carolus. Gallia jam intra ſe bellum haberet grave, niſi virtus Ducis Vinarienſis obſtitiſſet. Gartzium expugnatum facit nos bene ſperare de Suedorum viribus. De Sileſia quod ſperat Excellentia Veſtra mihi nec improbabile videtur, nec diſplicet. Eſt enim ea via ad juvandas res illas de quibus inter nos ſcripſimus antehac. Multum eſt Wiſmariam eſſe longiùs à periculis quàm fuit. Mala quæ ſunt in Galaſſii exercitu neſcio an à noſtris caſtris, quantum vellem, abſint. Miror Curtii molitionem contra D. Dauſium: cur non eadem contra D. Salvium conatur? Nempe hoc agit ut duo Regna bene conjuncta dividat. Non dubito quin ſi Angli cum pacis ſocietate aliquam ſaltem belli, quamvis non planè apertam ſocietatem velint, conventurum ſit inter eos & noſtros. Illuſtriſſimus D. Comes Liceſtrius optimè vult rei communi & fecit quod poteſt, utinam quantum vult & poſſet. Ego non deſinam & excitare eum & conſilia quàm poſſum optima ſuggerere. Eſt enim res ἐν αὐτῇ τῇ ἀκμῇ [*in ipſo articulo temporis quo agi debet*], ſi quid rectè judicamus ambo. Durum eſt ſanè, quod ipſos Batavorum Proceres ita in ſe aſperos experitur D. Elector. Sed ita mos eſt ſæculi, ſua quisque agunt, interdum publica, ſæpe & privata: unde quid exſpectandum, prudentes vident. Quare ſæpe mecum cogitans, felices judico gentes quæ & locorum longinquitate & mari intercedente tantùm à periculis abſunt, ut, ſi velint, non per annos aliquot, ſed, quantum conjectura licet præſumere, per ſæcula aliquot ſpectare poſſint quid ſit eventurum inter partes potentes duas, alteram prudenter ac lente ſua promoventem conſilia, bene junctis inter ſe ejus membris, alteram calidam, mutabilem, amicis non ſemper fidam. Verùm humanæ conjecturæ habent ſuas divinationes quæ valent ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerumque*]. At divina potentia ſæpe diſflat tales conjecturas. Noſtrum tamen eſt, ut medicorum, ſequi artem. Certè motus illi Scotici peſſime interveniunt huic tempori. Neque poſſunt non aliquid nocere Domui Palatinæ. Regina Regis Mater quid velit judicabimus ex eo quod ſumet itinere. Alii in Galliam redituram ſperant: alii putant in Angliam eam ire: alii quæri ab ea gloriam confectæ inter Hiſpanum & Batavos pacis ſi non perpetuæ, certè temporariæ. Aveo intelligere quid & de hoc negotio & de aliis judicat D. Eſtampius. Quid factura ſit Vidua Haſſica multum ſanè refert. Tricæ iſtæ nec mihi placent, nec ipſi utiles futuras arbitror. Videmus quantò meliùs & famæ ſuæ & communi Germanorum cauſæ conſulat Dux Vinarienſis. Iam puto erit apud vos Biſterfeldius, quem puto candidiùs agere quàm egit antehac Meerbotus, explorator magis quàm rerum actor. Hunc in Galliam veniſſe nondum intellexi. Principi de quo extrema pars loquitur epiſtolæ ad Excellentia Veſtra ſcriptæ omnia exhibebo quæ potero, ut certè multas ob cauſas debeo. Deus orbis Chriſtiani miſerè dilacerati, per quos minimè oportet, miſereatur, & Excellentiæ Veſtræ, Illuſtriſſime Domine, ejusque domui ſemper adſit propitius. Lutetiæ 28 Auguſti 1638.

Venit jam ad me Truxius, ait in prælio Duci non plus fuiſſe octo millibus, cùm hoſti eſſent prope quatuordecim millia: Briſacum ſperat intra tertium menſem fame venturum in Ducis poteſtatem. Tubadelium non mortuum eſſe ſed captum, jam cognoſcimus.

Excell. Veſtræ omni obſervantia devinctiſſimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine,

PRo iis ſcriptis quorum me per D. Camerarium Ill. tunc D. Legati Camerarii filium participem fecit Nob. Veſtra gratias ago. Duæ res magnæ ſub incude ſunt, ut & inde & aliunde diſcimus: fedus cum Anglis, & pax cum Imperatore. Fedus cum Anglis procedet, ſic arbitror, ſi quid certæ opis ad hoc tam grave bellum Suedis, fortibus magis quàm opulentis, Angli ſpondeant. Nam cùm Gallis ob promiſſum tale obligati jam ſint Suedi, ne pacem ſeorſim faciant, quid ni eadem conditione & Anglos in partem onerum odiique pertrahant. Mora non dicam pacis, multum enim dubito an eam Cæſariani velint, ſed colloquii de pace maxima eſt in illa diſputatione diplomatum pro Legatis Germanorum. In ea re faciliores eſſe Gallos quàm Suedos non miror. Gallis, ſicut Religio Proteſtantium cordi non eſt, ita nec libertas Germaniæ, ut ex pactis, quæ Ratisbonæ Pater Ioſephus fecerat, apparuit. Suedi & conſortio Religionis ſociantur Proteſtantibus, & ſuſcepta à Rege immortalis memoriæ tutela Germanicæ libertatis, curare debent, ut ne hanc corrumpant gloriam, rebusque ipſis oſtendant, ſi quid olim Germanis tale eveniat, quale Suedi ſæpe ſurdis nimium prædixerunt, eſſe aliquam in terris gentem (verba uſurpabo Græciæ Romanorum quondam laudem celebrantis) quæ ſua impenſa ſuo labore

Digitized by Google

bore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum. Nec hoc finitimis aut propinquæ vicinitatis hominibus aut terris continenti junctis præstet, maria trajeciat, ne quod toto orbe terrarum injustum imperium sit, & ubique jus, fas, lex potentissima sint. Cætera Nobil. Vestra ex D. Salvio cognoscet. Fama magna Ducem Vinariensem sequitur ex postremo hoc prælio. Ad Fontarabiam res lentè procedunt. In Burgundiæ Comitatu nihil fit magni. Ad Belgicum finem aliquid adhuc agitur, sed neque hoc magnum futurum puto. Deus, Nobilissime Amplissimeque Domine, Amplitudini Vestræ fautor sit perpetuus. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Augusti 1638.

N. V. addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

22 *Excellentissime atque Illustrissime Domine*,

Dicto hanc epistolam in reliquiis febris, quæ me per hos dies jactavit, imminutis etiam inter medicandum viribus. In Anglia parata cuncta sunt ad recipiendam Reginam Matrem. Scotiæ motus non ita faciles sedatu videntur quàm creditum fuerat: id ex Legato Angliæ extraordinario didici, qui hoc insuper mihi dixit, Dominum Salvium Domino Roo dixisse, non futurum ut Batavi addant se concepto federi, quæ & mea pridem fuit existimatio. Pergunt Angli Batavis infesti esse, capta nuper eorum navi, quæ à Guinea veniebat, multisque concessis repressaliis. Cursor huc venit à Domino Davausio, occultantur quæ attulit, at à Fontarabia cursor, Rege præterito, ad Cardinalem se contulit. Quod hic de rebus illic gestis spargitur, est Archiepiscopum Burdigalensem in portu Gatariæ, quæ non est capta à Gallis, ut hic dictum fuit, sed alius quidam apertus in vicino locus, incendiariis navibus feliciter immissis excussisse Galeones Hispanicas undecim, tres naves grandes Dunquercanorum, navigia minora aliquot. Arragonensis nobilitatis millia aliquot, quæ Fontarabiæ subventum ibant, Principe Condæo obviam profecto fuga retro cessisse, sed Regem ipsum Hispaniæ in illis partibus exspectari. Dux Longavillanus Chanitam cepit, partem exercitus in Lotharingiam misit adversùs Ducem Carolum, aliam in Bressam & vicina, at Dux Bernhardus gnarus uti victoria à Gotzio liberatus, qui non sine clade nova de qua certiora exspectamus Donavertum versùs secessit, misit qui Offenburgum obsiderent, ipse adversùm Brisacum ivit, sperans Præfectum ejus oppidi ad deditionem posse perduci, non tantùm quod fames immineat, verùm etiam proprio periculo, quia accusatur à Cæsarianis vendidisse privatum ad lucrum, commeatus oppido necessarios. Literæ, quæ id continebant, interceptæ, novissimo illustri prælio ad ipsum missæ sunt. Fuerant & aliæ literæ eodem tempore interceptæ, quæ omnibus commeatibus ac commodis arcendum Argentoratum & Basileam docebant. Eæ quoque ad eas civitates missæ, augendis, non malè per se volentium, studiis. Vercellas ab Hispano dari in potestatem Cardinalis Sabaudiæ, ut inde Pedemontani populi nobilitatisque animos turbet, intelligimus. Est jam in Anglia antistes S. Andreæ, in quem maximè ardescunt Scotorum iræ. Simulatque valetudo Dei beneficio mihi redierit, ibo commendatum Regi, & Regis ministris negotium Ducis Vinariensis de pecunia præter ordinariam, ad quærenda hyberna & resarciendam jacturam equorum, quorum aliquot millia morbo, non pauci & præliis periere. Ad Cateletum cavis flexibus accedunt. Quid Castilionæus facturus sit & Lafortius nondum cernimus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno Tuæque Sublimitati fautor sit perpetuus. Lutetiæ 3 Septembris nov. Cal. 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Dicto hanc epistolam in reliquiis febris, quæ me per 1023
hos dies jactavit, imminutis etiam inter medicandum viribus. Iam nunc sub noctem veneris diei literas Excellentiæ Vestræ datas 23 Augusti accipio. Ero ob morbum in respondendo brevior, alio tempore id compensaturus. Vt sæpe scripsi dixique multis, existimo Suediam si aliquando exeat fedus cum Gallia, neque prorogetur, posse nullo suo cum malo, nullo etiam cum metu in longissimum tempus subducere se bello, ac spectare quò res evasuræ sint: id miror non considerare Anglos, neque eos, quod facere se velle dicunt, tempus lucrari: neque enim ignorare possunt, quæ sint illa quæ sibi speciatim poscit Suedia, cùm sæpe ea Stockholmiæ Anglorum res agentibus dilucidè explicata sint. In Anglia parata cuncta sunt ad recipiendam Reginam Matrem, quam à Legato Gallico non invisi, mirum multis videbitur. Et de illo ex Transylvania ubi hæreat miror. De Scotia cum Excellentia Vestra judico & locutus sum cum D. Comite Licestrio de intempestivis illis Anglorum cum Batavis certationibus maritimis. Scotiæ motus non ita facilè sedatu videntur quàm creditum fuerat: id ex dicto Comite didici, qui hoc insuper mihi dixit Dominum Salvium Domino Roo dixisse, non futurum ut Batavi addant se concepto federi, quæ & mea pridem fuit existimatio. Cursor huc venit à Domino Davausio. Occultantur quæ attulit. At à Fontarabia cursor, Rege præterito, ad Cardinalem se contulit. Quod hic de rebus illic gestis spargitur, est Archiepiscopum Burdigalensem in portu Gatariæ, quæ non est capta à Gallis ut hic dictum fuit, sed alius quidam apertus in vicino locus, incendiariis navibus feliciter immissis excussisse Galeones Hispanicas quatuordecim, tres naves grandes Dunquercanorum, navigia minora aliquot. Arragonensis nobilitatis millia aliquot, quæ Fontarabiæ subventum ibant, Principe Condæo obviam profecto fuga retro cessisse, sed Regem ipsum Hispaniæ in illis partibus exspectari. Dux Longavillanus Chanitam cepit; partem exercitus in Lotharingiam misit adversùs Ducem Carolum, aliam in Bressam & vicina. At Dux Bernhardus gnarus uti victoria, à Gotzio liberatus, qui non sine clade nova de qua certiora exspectamus, Donavertam versùs secessit, misit qui Offenburgum obsiderent, ipse adversùm Brisacum ivit, sperans Præfectum ejus oppidi ad deditionem posse perduci, non tantùm quod fames immineat, verùm etiam proprio periculo, qui accusatur à Cæsarianis vendidisse, privatum ad lucrum, commeatus oppido necessarios. Literæ, quæ id continebant, interceptæ novissimo illustri prælio ad ipsum missæ sunt. Fuerant & aliæ literæ eodem tempore interceptæ, quæ omnibus commeatibus ac commodis arcendum Argentoratum & Basileam docebant: eæ quoque ad eas civitates missæ augendis non malè per se volentium studiis. Vercellas ab Hispano dari in potestatem Cardinalis Sabaudiæ, ut inde Pedemontani populi nobilitatisque animos turbet, intelligimus. Est jam in Anglia antistes S. Andreæ, in quem maximè ardescunt Scotorum iræ. Ad Cataletum cavis flexibus accedunt. Quid Castilionæus facturus sit & Lafortius nondum cernimus. Quid futurum sit de Baja & Geldria avebimus cognoscere, optantes prosperrima omnia ut & D. Baverio. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiæ Vestræ sit fautor perpetuus. Lutetiæ 3 Septembris novi Cal. 1638.

Excell. Vestra omni observantia devinctissimus H. G.

Digitized by Google

CHRISTIANO CASSIO.

1024 ERam à morbo debilis ac languens, nec à doloribus vacans, cùm me tuæ, Charissime Cassi, literæ non parum recrearunt. Acceperam quidem gustum aliquem tui boni ex filii ad me epistola; sed lætum fuit tua etiam manu pariter cognoscere & felicitatem tuam & amoris in nos constantiam, quem talem semper sum expertus, ut quicquid tibi è voto evenit, in eo mea quoque vota à Deo exaudita interpreter. Quare primùm Deo immortali gratias ago, quod te exoptatissimo conjugio beaverit, ipsumque matrimonii auctorem rogo, ut qua concordia ego & uxor mea viximus hactenus, vivatis & vos, liberosque vobis in spem præclaram crescere videatis. Quod ad nuptiarum solemnia me meosque invitas, pergratum est, eroque etiam hujus tui in me animi perpetuò memor. Vides quantis locorum intervallis disjungamur. In Holsata nobilitate nemo est ita mihi notus, cui aliquid injungere audeam. Sed tu qui amicos ibi habes, aliquem delige, qui & suum & meum impleat locum. Ei ego velut nominatim, vices meas mando. Quod si quando in vestras venerim terras, id autem ita opto, si quid ad pacem conferre possim, non omittam te tuamque salutare, ac coram vobis fausta precari omnia. Nostri omnes te plurimùm resalutant, lætisque ominibus nuptias vestras prosequuntur: quod & pactæ tuæ per te ut innotescat, omnes rogamus. Lutetiæ 10 Septembris 1638.

Tuæ Cl. amicitia singulari in perpetuum devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1025 CVm ex Berlisio intellexissem, esse in Aula qui sibi dari à Rege cuperent bona eorum qui in me vim fecerant, oravi eum Regem ut precaretur, ne id faceret, sed ut aut ea bona nemini donata custodiri sub manu Regia pateretur, aut si id Rex mallet, mihi permitteret ut illi homines, ubi tempus venisset indulgentiæ, per me ea reciperent sine ullo intertrimento; me enim nec teruntium velle. Hoc & dixi & scripsi D. Berlisio, duxique & Tuæ Sublimitati indicandum, ne qui fortè, ut hic multi sunt malitiosi, me lucrum aliquod sperasse putet ex infelicium hominum calamitate, quam omni modo sublevatam cupio. Et jam ante hunc morbum meum Regem pro iis essem deprecatus, nisi sententia ista, quam perscriptam nuper misi, neque pronuntiata esset, neque, ut hic adversùs absentes fieri solet, exsecutioni data. Quid autem sit in causa, neque mihi dicitur, neque ego per me intelligo. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam prosperet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1026 REcreavit me in hoc languore quem morbus reliquit, lætitia publica tanta certè quanta unquam in ullo populo conspecta fuit, ingens fidumque argumentum, quantum à suis Rex ametur, cùm spem de prole ejus aliquando regnatura tanto cum gaudio excipiant. Post steriles annos matrimonii XXIII natus est Regi 5 Septembris ut hic numeramus, tribus ante meridiem horæ quadrantibus, puer pulcher & vegetus. Ego, quanquam morbo non liber, apud Patrem Iosephum & D. Chavigniacum (nam abest ad finem Belgicum Cardinalis) per literas hoc gaudio persunctus sum, simulque commendavi utrique id quod nunc in manu est Ducis Vinariensis negotium: nempe ut præter pecuniam ex pacto debitam, quæ jam ei ad mensem usque Augustum persoluta est, novo auxilio firmetur, & liberalitate aliqua extraordinariis bus actis adeò extraordinariis. Milites ad eum bis [illegible] sanè bonos, sed paucos & qui Ducem imparem [illegible] cerent. Itaque Ducem & omnem ejus exercitum [illegible] maximo internecionis fuisse periculo. Evasisse cum gloria, sed metuendum proverbium: quem sæpe transit casus aliquando invenit. Plus millibus duobus equitum ex militare, quorum equos morbi absumpserint. Vt hoc damnum reparetur, pecunia opus: neque minus ad peragendum Brisaci obsidium, quod ni capitur, fore & quæ capta sunt in periculo. Suedos verò jam potenter armatos tanto se in hostem commoturos alacriùs, quanto impleri à Rege Galliæ viderint quod præcipuè in fœdere Hamburgensi spectavit Suedia pepigitque, ut nempe ni omni Gallica arma in Germaniæ penetralia inferantur. Spero hos monitus neque intempestivos, neque inutiles fore. Putat Truxius in Brisaco commeatus non esse qui ultra duos menses sufficiant. Ad Fontarabiam cuniculus quidam cæteris efficacior disjecit propugnaculum, & in eo locarunt se Galli. Principis postremæ literæ brevi sperare nos deditionem jubent. Opera quæ ad Castelletum fiunt jam ad ipsum oppidi vallum pervenere. Sed in Italia Astam obsidet Hispanus. nec quisquam est qui ejus vim sistat. Castilionæus quam recepisse dictus erat gratiam, aut non nisi imaginariè receperat, aut iterum perdidit. Præter Cataletum nihil aliud acturi videntur Galli. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæ Sublimitati sit fautor perpetuus. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1638.

Castilionæus jam in rus suum jussus est discedere. Imperium in utrumque exercitum Lafortius accepit. Astæ obsidio parabatur, sed intermissa est per morbum Leganesii & ducum discordias.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

REliquit mihi morbus languoris & doloris, in capite, [illegible] nonnihil, quod tempore erit superandum. Interim & ipse mihi partem sumo de publico gaudio, quod hic sanè tantum est ut nihil adjici possit, nec ut credi possit simulari, ita ubique prorumpunt veri amoris populi in Regem sincera indicia, pro summa habentis felicitate quod post bonum Regem alterum ei similem exspectet. Quod sit Regis, quod Reginæ gaudium facilè concipi animo potest, si quis consideret quantopere privati homines, quibus lautior res est, prolem sibi hæredem desiderent, & quàm inopinum inexspectatumque hoc tantum bonum evenerit post sterile per XXIII annos matrimonium. Laboramus hic ut Duci Vinariensi & plus militis & extra ordinem pecunia submittatur tum ut equos comparet, quorum multa millia morbis absumpta sunt, tum ut bene claudat Brisacum, in quo oppido commeatus non esse ultra menses duos suffecturos dicit nobis Truxius. De Fontarabia postremæ Principis literæ jubent nos brevi sperare deditionem. Iam cuniculo quodam feliciter dissiliente, in disjecta propugnaculi parte bene se locaverant Galli. Et ad Casteleti vallum usque oppidanum opera perducta sunt, aliud nihil molientibus Gallis. Omnes enim quæ in his partibus sunt copiæ, illuc se tulere. De Castilionæo iterum excusso gratia, rumores volitant. Astam obsidet Hispanus, nec est qui obsistat. Habeo gratiam pro humanissima epistola 30 Augusti data, De Geldra doleo. Solent Batavi, ubi aliquid accepere mali non ita facilè resumere animos. Itaque vara vibiam sequitur. Spero tamen præter irritum co-

Digitized by Google

conatum, nihil magnæ cladis acceptum. Et fortè expediet eos talibus velut aculeis exstimulari interdum ad militiam prœliarem, cujus, longa desuetudine, facti sunt immemores & incuriosi. Longus etiam ille splendor fortunæ Principis Arausionensis mirandum non est si nebulis quibusdam interstinguitur, cùm perpetuus inoffensusque rerum tenor, in bello præsertim, contingat nemini. Quod de Austriacis dicit Excellentia Vestra meliùs illius partis inter se membra cohærere, verissimum est, & ego in quadam nuper epistola attigeram. De Regis Hispani in Navarræ Regnum adventu nihil dum intelleximus. Sed in Gallia plurima malè administrari dum unius animus cuncta complecti nequit, minores autem duces inter se discordes, nulla publici cura, privatis student rebus, nimis apparet. Ad Fontarabiam deprehensus est qui pro globis ferreis semper lapides in urbem jecerat, globos sibi lucrifaciens. Delphinus hic videtur pacem nobis allaturus, quam tamen à D. Cardinali, nisi communem, expeti non puto. Quod Anglus de sex millibus ad pacem usque in usum Principis Palatini alendis offert, non est planè spernendum. Sed XV illæ naves quid facturæ sint non satis intelligo, cùm Hispani offensam illi tam graviter, nec sine aliqua causa, metuant. Quod verò allaborare se velle dicunt, ut Coronæ Suedicæ debitè satisfiat, requiro verba magis adstringentia, & mentionem specialem relinquendæ nobis Pomeraniæ totius. Conjunctio ista cum Kingio priùs fieri debuit. Sed tamen etiamsi nunc si fiet utilis erit Electori. Hassicam Viduam ut à nobis abstrahant multa concessuros Cæsarianos, credibile est. Ipsa viderit. Causas Rostochio irascendi nostros habere credo. Sed an explicabile sit hoc negotium jure dubitat Excellentia Vestra. Angli de Reginæ Matris in Angliam transitu, negant se quicquam scire. Si suo sumptu vivet, erit Batavis non gravis & solatio alteri non minùs infelici Reginæ. Gaudeo venisse ad vos illum qui Dacica procurat, amo eum ob virtutes & eruditionem. Poloni in Germaniam adventus propiora quædam fœdera parturit. De commerciis illis Persicis diu jam trahitur negotium, & non video quomodo pariter & tuta satis & lucrosa esse possint, alterum alteri obstat. D. Hagæ felicem domuitionem precor, ac Vestræ Excellentiæ ejusque Domui prospera omnia. Lutetiæ 11 Septembris 1638.

Castilionæus jam in jus suum jussus est discedere. Imperium in utrumque exercitum Lafortius accepit. Astæ obsidio parabatur, sed intermissa est per morbum Leganesii & ducum discordias.

Excell. Vestræ perpetuo cultu devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

8 POstquam miseram postremas ad Sublimitatem Tuam literas, sententiæ in eos qui vim mihi intulerant latæ exsecutio, ita ut hic in absentes mos habet, in imaginibus facta est. Ego jam nihil aliud quàm firmiorem valetudinem opperior, ut Regem adeam, eique post publica negotia preces adferam meas ad dandam his reis ejus, quod impetu non proposito deliquerunt, indulgentiam. Nuper ad D. Chavigniacum cùm scriberem, misi ei quod Veneto ante tradideram scriptum, de iis quæ Regina Domina nostra Clementissima desiderat in diplomatibus pro Germanis. Vellet Venetus qui heri apud me fuit me novam aliquam scribere formulam: verùm ego dixi frustra id futurum, priusquam Cæsarianorum mens super illis annotatis intellecta fuerit: itaque ut ea intelligatur dixit se allaboraturum. Ego, si quis cum ministris Regiis ea de re sermo inciderit, tenebo me intra præscripta. Regina Cardinali Riceliaco manet infensa: sed hujus auctoritas in Regis animo credentis sine ipso nihil se posse, firmiores egit radices, quàm ut à quoquam homine convelli possint. Ad pacis tamen desiderium poterit & hæc res & ortus Delphini suum habere momentum. Cœperatque jam & Hispanus Romæ eam expetere. Sed is novis mirisque successibus inflatus suum jam putabit eam dare magis quàm accipere. Deus belli pacisque arbiter, Excellentissime & Illustrissime Domine, det orbi Christiano, Reginæ Regnoque Suedico ac Tuæ Sublimitati cuncta quæ optari jus fasque est. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVas è Vinariensibus castris literas satis recentes habeo, eæ me docent Oberkircham & oppida minora 1029
alia, itemque castellum Drusenhemum venisse in Ducis potestatem. Octo turmas ab eo missas in tractum Durlacensem, Spiram usque pervasisse. Ipsum verò cum peditatu & alis equitum duabus Brisacum aditu intercludere: ni properè ei subveniatur, quod ut fiat valde laborari ab Imperatore, Bavaro & Episcopis, ultra mensem non par tolerandæ inopiæ, ita testantibus captivis etiam de quibus quæstio habita est. Proximum qui succurrere Brisaco nunc possit, esse Ducem Carolum, sed ei sua esse quæ agat. Hæc omnia excitare hanc Aulam debent, ut Duci & plus militis & extra ordinem pecuniæ aliquid mittatur, quam ad rem se laboraturum significavit mihi Pater Iosephus: sed vix quicquam posse fieri, antequam huc venerit D. Cardinalis, qui in oppido S. Quintini nunc est fruens gloria recuperati Castelleti, quod die 14 hujus mensis impetu multo cum sanguine captum à Gallis est. Fuit Gallis etiam felix mari prœlium primo die mensis hujus sex leucis à Genua, cùm ipsorum naves longæ quindecim Hispanas totidem insectarentur, primumque propinquis telorum jactibus, inde manu rem gererent æquali diu & cruento certamine. Sed Galli tribus suarum amissis, sex hostilium navium cepere. Mortui hinc & illinc supra quater mille. Et hæc quidem bene se habent. Sed ad Fontarabiam præter exspectatum Deus infensus spes resque Gallorum corrupit, ipsa natali S. Virginis in cujus tutelam Rex se Regnumque dedit. Nam cùm tres cuniculi dissultu suo ruinarum nonnihil fecissent, placuissetque oppugnari oppidum, cohortes sive Regimenta, præsertim Milereiana & Coronæ apertè detrectarunt pugnam. Causa dicitur quod stipendia pridem non essent soluta. Adjiciunt quidam cœptam à Duce Valletta Espernonii filio oppugnationem, mox traditam Archiepiscopo Burdegalensi cum classiario suo milite, indignante Valetta, cujus pater pridem illarum partium Præfectus plurimas in nobilitate clientelas habet easque pro arbitrio versat. Spectabat hanc Galli militis contumaciam ex propinquo monte Arragoniæ Admiralius bono magis quàm multo cum milite, utensque temporis commoditate, castrorum eam partem quæ Ducis Lafortii filio Marchioni attributa fuerat, firma operibus si defensores adfuissent adsultat, frustraque se cum suis domesticis, neque enim miles obsequebatur, objectante aliquoties Marchione Lafortio, perrumpit: ad quod exemplum desertam itidem à milite partem illam castrorum in qua Princeps ipse Condæus fuerat, intrat Hispanus, fugientibusque Gallis capit machinas, impedimenta, commeatus, signa, pecuniæ insuper vim magnam, cujus penuria miles Gallus disciplinam exuerat. Archiepiscopus se ad naves recepit: idem fecit Princeps Condæus, in aquas se injiciens, ac per eas transiens donec Scapham apprehenderet. Mersi & trucidati ferme Gallorum bis mille. Cæteros fuga aut Baionam aut cis flumen Handaiam pertulit, jam multo à tempore nullo tam gravi inflicto vul-

Digitized by Google

vulnere Gallicæ existimationi. Quantum hæc res inflatura sit Hispanos facilè ex ingenio gentis intelligi potest. Eoque magis quod mille & ducenti equites Hispani tantùm hoc negotium confecere. In Manicamium adhuc inquiritur. Et læsit eum suo testimonio etiam Piccolominæus in iis quæ ad exitum è Castello Bacci pertinebant. Castilionæus, quod imperio tantùm excidit evasisse se putat. Bastiliam enim metuebat, ideo quod defugisset onus obsidendi Cateleti, non satis sibi esse ad id militis dicens, cùm tamen eodem cum milite Halerius nunc id oppidum ceperit, hostem submovente Lafortio. Rumor est in Aula Viduam Sabaudam cùm non acciperet sperata à Gallis auxilia, sibimet consuluisse, signata pactione qua se à bello eximat, receptura ab Hispano Vercellas. Ejus rei quid sit brevi apparebit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Tuæ Sublimitati cuncta felicia. Lutetiæ 18 Septembris 1638.

Ajunt Angli Reginam matrem exspectari in Anglia, & dixisse Galliæ Cancellarium Regem ei permissurum, ut bonis suis fruatur, quandoquidem ex hostico exivit. Venit jamjam huc à Duce Vinariensi cum captis signis LXXXIII Lutzavius. Duci propositum ait tria facere castella ad Brisacum, eaque perpetuo opere connectere, nequid, ut huc usque fit, victus ab Helvetiis aut rusticis inferatur. Sed magnas copias colligente hoste, nihil eum acturum nisi novis à Rege auxiliis instruatur. Itaque in id omni modo laborabimus. Ipse Dux ad Reginam scribit. Mitto historiam exactè scriptam de clade ad Fontarabiam. Rumor nunc hic spargitur, plebi fortè solandæ, recolligi à Principe Condæo exercitum ad XVIII millia. Ab Archiepiscopo autem Burdegalensi captam Gattariam, & disjectis munimentis loci veteribus, aliud strui quo portus servetur. Cateleti Præfectus captus est. Germanis qui ibi fuere data vita.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1030 QVas è Vinariensibus castris literas satis recentes habeo, ex me docent Oberkircham & oppida minora alia, itemque castellum Drusenhemum venisse in Ducis potestatem. Octo turmas ab eo missas in tractum Durlacensem Spiram usque pervasisse. Ipsum verò cum peditatu & alis equitum duabus Brisacum aditu intercludere; ni properè ei subveniatur, quod ut fiat valde laborari ab Imperatore, Bavaro & Episcopis, ultra mensem non par tolerandæ inopiæ, ita testantibus captivis etiam de quibus quæstio habita est. Proximum qui succurrere Brisaco nunc possit, esse Ducem Carolum, sed ei sua esse quæ agat. Hæc omnia excitare hanc Aulam debent, ut Duci & plus militis & extra ordinem pecuniæ aliquid mittatur, quam ad rem se laboraturum significavit mihi Pater Iosephus: sed vix quicquam posse fieri, antequam huc venerit D. Cardinalis, qui in oppido S. Quintini nunc est, fruens gloria recuperati Castelleti quod die 14 hujus mensis impetu, multo cum sanguine, captum à Gallis est. Fuit Gallis etiam felix mari prælium, primo die mensis hujus sex leucis à Genua, cùm ipsorum naves longæ quindecim Hispanas totidem insectarentur, primumque propinquis telorum jactibus, inde manu rem gererent, æquali diu & cruento certamine. Sed Galli tribus suarum amissis sex hostilium navium cepere. Mortui hinc & illinc supra quater mille. Et hæc quidem bene se habent. Sed ad Fontarabiam præter exspectatum Deus infensus spes resque Gallorum corrupit, ipso natali S. Virginis in cujus tutelam Rex se Regnumque dedit. Nam cùm tres cuniculi dissultu suo ruinarum nonnihil fecissent, placuissetque oppugnari oppidum, cohortes sive Regimenta, præsertim Milereiana & Coronæ, apertè detrectarunt pugnam. Causa dicitur quod stipendia pridem non essent soluta. Adjiciunt quidam cœptam à Duce Valetta Espernonii filio oppugnationem, mox traditam Archiepiscopo Burdegalensi cum classiario suo milite, indignante Valetta cujus pater pridem illarum partium Præfectus plurimas in nobilitate clientelas habet easque pro arbitrio versat. Spectabat hanc Galli militis contumaciam ex propinquo monte Arragoniæ Admirallius bono magis quàm multo cum milite, utensque temporis commoditate, castrorum eam partem quæ Ducis Lafortii filio Marchioni attributa fuerat, firmam operibus, si defensores adfuissent, adsultat, frustraque secum suis domesticis, neque enim miles obsequebatur, objectante aliquoties Marchione Lafortio, perrumpit: ad quod exemplum desertam itidem à milite partem illam castrorum in qua Princeps ipse Condæus fuerat, intrat Hispanus, fugientibusque Gallis, capit machinas, impedimenta, commeatus, signa, pecuniæ insuper vim magnam, cujus penuria miles Gallus disciplinam exuerat. Archiepiscopus se ad naves recepit. Idem fecit Princeps Condæus, in aquas se injiciens, ac per eas transiens donec Scapham apprehenderet. Mersi & trucidati ferme Gallorum bis mille. Cæteros fuga aut Baionam aut ci flumen Handaiam pertulit, jam multo à tempore nullo tam gravi inflicto vulnere Gallicæ existimationi. Quantum hæc res inflatura sit Hispanos, facilè ex ingenio gentis intelligi potest: eoque magis quod mille & ducenti equites Hispani tantùm hoc negotium confecere. In Manicamium adhuc inquiritur. Et læsit eum suo testimonio etiam Piccolominæus in iis quæ ad exitum è castello Bacci pertinebant. Castilionæus, quod imperio tantùm excidit, evasisse se putat. Bastiliam enim metuebat ideo quod defugisset onus obsidendi Cateleti, non satis sibi esse ad id militis dicens, cùm tamen eodem cum milite Halerius nunc id oppidum ceperit, hostem submovente Lafortio. Rumor est in Aula Viduam Sabaudam cùm non acciperet sperata à Gallis auxilia sibimet consuluisse, signata pactione qua se à bello eximat, receptura ab Hispano Vercellas. Ejus rei quid sit, brevi apparebit. Habeo gratias pro literis datis 6 Septembris. De chartis quas Dux Vinariensis nactus est, scripsi nuper. Puto apud vos quod restat anni, iners futurum. Haud dubiè quæ hoc anno accepere Batavi mala, Cæsarianis potissimùm accepta ferre debent. Sperabam Brasilianis successibus repensatum iri adversa quæ evenerunt, sed ibi quoque fortunam eis contrariam fuisse intelligo. Sit utinam D. Bannerio melior. Ab Anglis doceor apertè prædicare Curtium se de Palatino negotio clausas habere aures. Et cùm mecum considero quàm multa hoc anno Hispano supra spem evenerint, vix est ut eum ad æquam pacem, nisi belli vicibus mutatis, ut sæpe fieri solet, sperem posse perduci. Nisi reipsa Angli pecuniam suppeditant Electori Palatino, quod facere se velle dicunt Hamburgi, aliud exspectari non potest quàm ut tenues istæ Electoris copiæ Batavicis accedant. Multum igitur aveo cognoscere quid de isto federe quod Hamburgi cuditur sit futurum. Inde pendent & ultimæ spes Palatinæ domus & Suedicarum consultationum pars aliqua. Nec minùs refert quorsum nutans tamdiu Hassica Vidua se aut consilio aut necessitate sit inclinatura. Scotici illi motus pessimè huic tempori interveniunt. Utinam utrinque & prudentiæ & moderati animi satis sit ad reperienda malo tam periculoso remedia. Illud pro certo habeo si quid vis Regi per Scotiam extorserit, manaturum ad Anglias exemplum, quando & ibi non desunt, quibus displiceant præsentia. In Anglia exspectari Regis Galliæ matrem Legati qui hic sunt affirmant. Si verum est, quod ipsis dixit Franciæ Cancellarius, Regem matri permissurum ut ipsa suis bonis fruatur, eò gratior erit hospes, oneri non futura. Tamen si, dum in Batavis est, posse in

Digitized by Google

in gratiam filii, cum potestate in Gallia vivendi, restitui mater, esset fortè id & Regi & ipsi suavius. Veniunt quidem mihi ob mentem hac de re cogitanti, offensæ veteres & suspiciones in posterum; sed cùm vicissim cogito, quid sit esse filium, inducor ut credam negotium hoc magis difficile esse quàm inexplicabile. Habere Reginam matrem de Hispanis querendi causas, puto. Neque enim potest diu convenire inter gentes adeo insociabiles. Exspectabo, si quid novi referet è castris Bisterfeldius. Turca quendam vaticinii specie res novantem in herba oppressit. Totus res Persicas, nec aliud in animo habet. Votum Excellentiæ Vestræ in extrema literarum parte bene convenit cum eo quod apud Claudianum legisse memini, duabus syllabis mutatis:

Vindicet Eous contemtas advena leges:
Barbara Germano succurrant arma pudori.

Deus, qui & ex tenebris elicit lucem, hos tam varios bellorum casus, minasque commutet in bonam pacem. Lutetiæ 18 Septembris 1638.

Venit jamjam huc à Duce Vinariensi cum captis signis LXXXIII Lutzavius. Rumor nunc hic spargitur, plebi fortè solandæ, recolligi à Principe Condæo exercitum ad XVIII millia. Ab Archiepiscopo autem Burdegalensi captam Gattariam, & disjectis munimentis loci veteribus, aliud strui quo portus servetur. Cateleti Præfectus captus est. Germanis qui ibi fuere data vita.

Exc. Vestræ observantiss. eidemque obsequi promtissimus H. G.

FRANCISCO IVNIO.

1031 MVltis nominibus te amo, Iuni doctissime, & abs te vicissim amari magni facio. Scis quàm vetus hæc sit inter nos amicitia, quàm firmas radices egerit. Cæterùm in iis quæ nuper scripsi perlecto tuo de veterum pictura libro, cave credas quicquam à me huic amori datum. Sicut in causis judices, ita ex actis pronuntiant ut amici inimicique non discernant personam, ita mihi in scriptis alienis facere mos est. Et in hoc quidem quò certiùs mihi constet judicii mei ratio, exquisivi & aliorum virorum eruditissimorum sententias, quas omnes cùm meæ congruentes repererim, quæ ultra restabat dubitandi causa? Beasti me quod D. Seldeno & D. Patricio Iunio memoriam mei renovasti. Plurimum ipsis debeo & publico nomine ob labores ipsorum quibus humanum genus sunt demeriti, & privato, quod multis argumentis comperi eos mihi optimè velle. Beneficium quod ultro offert D. Patricius Iunius, faciendi mihi copiam lectionum variantium, quas è Græcis codicibus misit Cyrillus, maximi facio ut debeo, neque tantùm gratissimum erit id munus, sed & operam dabo ut id quàm plurimis prosit. Venit jam ad vos D. P. Reigersbergius, cui uxor mea matertera est. Nemo est cui eum libentiùs quàm tibi commendem. Rogo igitur tuo consilio efficias, ut hæc peregrinatio ei fiat quàm utilissima. Talis autem erit, si te tuique similes noverit. Vale quàm suavissimè. Lutetiæ 23 Sept. Nov. Cal. cùm tertio ante die tuas 14 Iulii datas accepissem.

Tuus ὁλοχερῶς *planè* H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

1032 VIdua Sabauda in Hispaniam misit, neque dubitatur, quin se bello exemtum eat, si non jam res confecta est, quod multi existimant. Post id perierit omnis per Italiam cultus Gallici nominis, cunctaque ad Hispanum vergent. Mirum est quod Astrologi prædicant, qui genesin Cardinalis Hispani expenderunt, summa illi omnia à fatis, sed in Ecclesiastica dignitate portendi. Si eo servitutis venerit Italia ut ex Domo tam latè regnatrice Pontificem sumat, non poterit res abire sine schismate. Quod Galli circa diplomata pro Germanis indulgentiores sunt quàm nostri, nescio an inde sit quod in pacis cudendæ negotio nos velint præcurrere. Certè Millereius Cardinalis propinquus nuper magno certare voluit intra hanc hyemem inducias futuras. Est in Hispania Mutinæ ac Regii Dux: ei pro magnis quas per Italiam habet possessionibus Regnum Sardiniæ in fide ac clientela Regni Hispanici offertur. Ita omnibus modis id agit Hispanus ne qua sit per Italiam potentia quæ ipsi obsistat. Is qui pro libertate Casimiri Principis huc venerat, nihil dum promovet. Sed multi persuasum mihi volunt Poloniæ Regem vires quærere, ut quæ cum Suedia pepigit vi abrumpat. Ego respondere soleo non permissuram id Polonam nobilitatem; neque enim è re esse ipsius, & ea nolente, fiducia opis externæ bellum moliri, non sine periculo fore. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta in bonum commune vertat. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Septembris 1638.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SCotici motus quantum ex literis sermonibusque & conjectura ex iis quæ alibi antehac evenere, assequor, metuo ne grave negotium dent Anglis. Nam & pertendere adversùs concordes & armatos periculosum est, & remittere de jure Regio, sicut prudentiæ est interdum, ita apud populos feroces causa sæpe est, cur majora indies postulent, suique metu exprimant, tandemque calcata summæ potestatis reverentia, vim imperii ad multos transferant. Accedit quod qui Palatinæ Domui non optimè volunt facilè hinc speciosum arrepturi sint prætextum, quovis modo cum Imperatore depaciscendi; ad quam rem utilis ipsis esse poterit fama eorum quæ à Suedis Gallisque ipsis offeruntur. Quare magna cum sollicitudine exspecto ecquid Hamburgi inter nostros Anglosque conventurum sit. Cum Imperatore pacificationem, ut video, durus nodus moratur de diplomatis pro Germanis. Non iniquum videtur quod Imperator postulat, ut nominentur quos Regina Suediæ pro federatis suis habet. Omnes autem de minùs exactè servata pace Pragensi querelas ad Lubecensem conventum deferri, grave erit Imperatori, &, quantum Venetus hic judicat, non impetrabile. Præfectus qui Casteleti in Gallorum venit potestatem appellatur Gabriel de las Torres. Cùm captum est oppidum, patebat duabus ruinis per cuniculos factis. Germani se dedidere, quibus laborantium partium altera tuenda obvenerat. Alteram strenuè dum licuit defenderunt Hispani & Walones, interfectique sunt prope omnes, ut & oppidani. Periculum in quo fuit Dux Vinariensis postremo prælio inde apparet, quod Cæsariani & machinas quasdam ei eripuere, receptas postea, & bis eum loco moverunt. Inter signa à Duce capta sunt quæ inscriptiones habent non indignas observatu, ut *Malleus hæreticorum*; *Vivat Ferdinandus III. & Ferdinandus IV. Gallus excitat jacentes. Lavabit manus suas in sanguine peccatoris. Quid cecidisse nocet?* In illo navali ad Genuam prælio dicitur tempestas suborta, quæ pugnantes diremit, favisse Gallis, quibus re jam ad manus deducta, difficilius futurum fuerat certamen, quod militum multò plus esset in Hispanorum navibus. Benigna nunc fama celebrat & Ponticurlæum, qui navibus illis longis præfuit, & Halerium qui Casteletum cepit intra 22 dies, militum habens octo millia, machinas sexdecim. Putatur cum aliis quibusdam accepturus Marescalli Franciæ dignitatem. Manicamius, qui capitis adibat periculum, precibus Ducis Vinariensis donatus ad ipsum mittitur. Gotzius ad Pforsheimum dicitur veteres novasque copias colligere, & Dux Lotharingus conari

nari omnibus modis ut se cum eo possit conjungere. Quò magis curandum est Gallis, ut Duci Vinariensi miles novus submittatur. Brisaci Præfectus Rhinacerus quotquot habebat captivos emisit liberos, ne cibum ipsis præbere teneretur. Tribunus Ducis Vinariensis Ohmius Wirtembergicum agrum percursat. Tenent adhuc Cæsariani Offenburgum & Stolhovium multumque eo inferunt commeatus, in spem subveniendi Brisaci. Machinas multas eò mittit Bavarus: Magontiacensis militem: aliique, Croatæ & Draconarii è Bohemia per Franconiam adventant. Dicitur & Galassius jussus ei XIV cohortes sive Regimenta mittere, cum conditione credo, si tutò poterit. Iam nunc ex Truxio intelligo mille quingentos equites, sex millia peditum, quæ in Italiam destinata fuerant, exsoluto jam, ut videtur, ab ea cura Hispano, adversùs Ducem Vinariensem mitti. Dux ipse Colmariæ valetudinem curat, æger animo non minus quàm corpore, quod non ea ipsius habeatur ratio, quam & tempus & merita ipsius exigunt. Qui in Picardiæ limite sunt Galli, ad 6 Octobris in hyberna se recipient. Interim diffluunt multi. Dux Longavillanus copias suas divisas ante hac recollegit, quò faciliùs Ducem Lotharingum cohibeat. In iisdem partibus & Chamnitæ & Autreæ, quæ Galli ceperant, detrahuntur munimenta. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regno, Reginæ ac Sublimitati Tuæ propitius adsit. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Septembris 1638.

Rex in febrim recidit. Manet ad S. Quintini Cardinalis ad retinendos in officio milites. Legato Gallico qui in Batavis est interdictum, ne Reginam matrem salutet. Missa tamen ad eam, ut audio Cardinalis cura ducentena millia florenorum. Dicuntur à Longavillano copiæ quædam ire ad Ducem Vinariensem; sed de eo nihil habemus certi. Genuates rogati ab Hispanico Legato ut se prælio miscerent noluere: post pugnam receptum dedere Hispanis, & in vulneratos captivosque multam ostenderunt misericordiam. Quosdam Gallorum & redemerunt.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1034 MVltum debeo Excellentiæ Vestræ quod per literas 13 Septembris datas meam valetudinem ostendit sibi esse cordi. Redit ea tardè non per morbum tantùm, sed & medicando attritis viribus. Ego vicissim Excellentiæ Vestræ inoffensum precor ætatis cursum, tranquillo animo & corpore: gratiasque ago pro transmissis chartis perutilibus ad earum rerum quæ nunc in æstu sunt dijudicationem. Placent mihi D. Salvii scripta. Verum est quod Excellentia Vestra dicit Gallis nullam esse magis fidam possessionem, quàm eam quæ sociis potiùs quàm Gallis ipsis custodienda permittitur. Quod quanquam durum auditu est, tot tamen comprobatum est experimentis, ut neque negari, neque taceri possit. Vt Philippoburgum taceam, ubi Treviri, ubi Confluentes, ubi Ehrbrestenum, ubi pontes & castella ad Rhenum? De Bannerio læta intelligere gaudeo, & lætiora sperare jubent virtus ejus ac prudentia. Polonum aliquid contra Suedos moliri multi existimant. Quod si est, necesse est externis fidat viribus; nam domi consensum in id obtineri posse vix arbitror. Et commodè nobis evenit quod & qui Græcæ & qui Protestantium sunt religionis Regi diffidunt, neque ei animum deesse putant ad evertendam sacrorum libertatem si vires adipiscatur. Ex iis quæ nunc inter Cæsarianos & D. Salvium disputantur brevi apparebit serione illi pacem desiderent, an id simulent captandæ famæ. Hassicam Viduam speculari puto quæ aguntur Hamburgi. Si Melandrum sua Amazon ad fortiora excitet, poterit & hoc aliquid adferre momenti. Electoris copias cum Kingio, quod pridem factum oportuit, junctas gaudeo: sed tam tenues esse doleo. Vt jam augeantur ad sex millia, quantullum hoc ad Suedorum copias, ut hi propter accessionem tam exiguam Anglos sibi æquent, pacique difficultates injiciant vix superabiles per conditionem reddendi Palatinatus? Tum illa ad Mulhemum nubes quo se dejectura sit, metuendum. A Scotia nihil non triste intelligo. Et præterquam quod novum hoc ac grave negotium ut modo dixi, speciosum dabit obtentum bello abstinere cupientibus, ne id etiam per alias causas Domui Palatinæ noceat, præformido. De Regina matre arbitror Anglos non gravatim eam hospitio accepturos, si certi sint perventuros ad eam bonorum in Gallia reditus. Pecuniam à Batavis illa si elicere sperat, hoc verò est aquam è pumice. Videndum an non de induciis dictura sit aliquid, unde judicari poterit, an verè sit infensa Hispano. Cardinalis Riceliacus velitne eam in Galliam admittere certis legibus, an malit eo metu coërcere Reginam Regis conjugem, dubitari potest. Bysterfeldius quid boni sit è castris reportaturus, scire avebo, cuncta ipsi ipsiusque Principi optans prosperrima. Deus, Illustrissime Domine, cuncta ad finem optatum gubernet, idemque Excellentiæ Vestræ ejusque domui semper adsit propitius. Lutetiæ 25 Septembris 1638.

Rex in febrim recidit. Manet ad S. Quintini Cardinalis ad retinendos in officio milites. Legato Gallico qui in Batavis est interdictum ne Reginam Matrem salutet: missa tamen ad eam, ut audio Cardinalis cura, ducentena millia Florenorum. Dicuntur à Longavillano copiæ quædam ire ad Ducem Vinariensem; sed de eo nihil habemus certi. Genuates rogati ab Hispanico Legato ut se prælio miscerent, noluere. Post pugnam receptum dedere Hispanis, & in vulneratos captivosque multam ostenderunt misericordiam. Quosdam Gallorum & redemerunt. Ex literis Ducis Vinariensis ad me datis $\frac{4}{14}$ Septembris cognosco valere eum meliùs, sed nisi nova auxilia accipit, res esse in maximo periculo. Demonstrabo id Regi.

Excell. Vestra observantissimus eidemque ad cuncta officia promtissimus H. G.

SAMSONO IOHNSONO.

Reverende Domine,

SIquid unquam pietati tuæ boni per me contigit, id certè non tibi quàm mihi est suavius. Summa enim cum voluptate recordor tempus illud cùm mihi sermonibus tuis doctissimis sanctissimisque frui licuit; quales ego in magna quamvis salutatorum hic copia, non parvo mihi emptos velim. Sed cùm tam beato mihi esse nunc non detur, quod proximum est isti felicitati per literas commercium arripiam libens: deinde verò & ei qui literas tuas attulit, quem videre ab itinere recentem nondum mihi contigit, & iis omnibus, quos mihi commendare, aut quovis modo notos facere volueris, ostendam quàm verus sincerusque tuæ pietatis amor apud me maneat, quantique faciam summas tuas virtutes cum singulari eruditione conjunctas. Accepit Gallia damni nonnihil ad S. Audomari urbem & ad Fontarabiam. Sed præter capta Rentiacum & Castelletum, tantum est de virili stirpe Regi nata gaudium, ut omnes dolores facilè exturbet. Vestri illi vicini spiritu aguntur sui gregis, & nisi ratio invenitur dissolvendi illegitimum fedus, magnum metuo vulnus, non jam dicam Episcopali, sed Regiæ auctoritati. Non credas quantum me pro summo meo erga gentem vestram studio, hæc res sollicitum habeat. Magnam vim habet ad furiandos homines rerum imperitos illud Knoxii Buchananique classicum, præsertim cùm in oculis sint felicium defectionum exempla. D. Seldeni præclara

clara jam habuimus ex Hebræorum scriptis deprompta; quare in animo illi esse novis nos muneribus suis ditare gaudeo. De Synedrio pauca pro materiæ ubertate dedit nobis Cochius. Non dubito quin D. Seldenus pro ista sua multijugi lectione plurima scitu utilia ac jucunda possit velitque addere. Nec minùs placet alterum recondita eruditionis argumentum de Iure Gentium, quale Hebræi coluere. Est sanè, ut dicis, multa in Rabbinorum scriptis occurrunt quæ ostendunt judicii tenuitatem. Sed sunt & alii, qui lectis Philosophorum Græcorum & Arabum libris nonnullis & Christianorum, accedente ingenii quadam bonitate, interpretationes adferunt non improbabiles, quos inter excellunt Aben-Esra & Maymonides. Manasses autem Ben-Israël tum in Conciliatore suo, tum in libris de Creatione & Resurrectione, cùm diversorum diversas adferat sententias, ut nonnulla habet laude digna, ita quædam etiam Rabbinica, id est, absurda atque ridicula. Spilmanni Concilia haud dubiè ad Ecclesiæ res cognoscendas lucem magnam adferent. Et utinam sicut Hispaniæ habemus & Galliæ, nunc & per ipsum Angliæ, ita gentium omnium Christianarum Concilia bona fide emendateque edita habeamus. Sed aliud etiam ab eodem Spilmanno exspectamus, partem scilicet Germanici veteris Lexici alteram, multum & hanc ad intelligendas leges historiasque collaturam. Socini sectatores maluissem totas epistolas meas quàm partem earum dedissent legendas: ita clariùs apparuisset mea in iis quæ in ipsis non probo constantia. Cæterùm respondere literis, etiam si quid in iis qui à nobis dissident est boni, id agnoscere, humanitatis esse arbitror & convenire ei societati quam inter omnes homines esse naturæ opifex voluit. Poteris autem, vir optime, omnibus qui nos norunt affirmare, me de iis quæ contra Socini admiratores defendi non modò nihil discedere, sed & illorum aliquos mea opera adductos ad meliorem sententiam; quò magis gratias tibi habeo pro edito nostro libro de Satisfactione Christi, in quo argumento illos à proprietate verborum tam multorum in Sacris Literis, & à manifestissimo antiquitatis consensu positionibus quibusdam inanibus abstractos non dubito. Patricium Iunium amavi semper, amo nunc etiam, quod post catenam in Iobum & Theophylacti quædam, etiam Euthymium boni judicii in sera ætate scriptorem, publici facit. De Cartesii & Galilæi eminentium Philosophorum opera tibi visa gaudeo. Nescio an & mechanica Galilæi & de motu locali videris. Francisci Iunii liber de veterum pictura non minùs me delectavit quàm ipsæ picturæ talium studiosos solent. In Salmasii libro de Vsuris sunt multa minimè protrita. Nunc, ne quis eum putet nimium laxare habenas avaritiæ, addit alterum de modo usurarum. Inter ipsum & D. Heinsium tentatæ conciliaturæ successum non habuerunt. Itaque brevi ἀγῶνα [*aliquod certamen*] habebimus. Bene compositum par. Ego ubi Heinsiana, & ut credo, etiam Salmasiana ad novum Testamentum videro, quid mihi de meis faciendum sit, constituam. Testardus & Amirautius nihil aliud quàm mala dogmata pulchris verbis incrustant: & quicquid dare videntur una manu coacti scilicet Scripturarum luce, id eripiunt altera. Maxima me voluptate perfundit literarum tuarum pars postrema quæ brevi te Hagam iturum, & quidem adeo honesto cum munere significat. Non decrescet mihi amicorum numerus ubicunque futurus es. Præterea literarum facillimus est inde huc & hinc illuc commeatus. Mihi de te semper intelligere prosperrima, vitam ipsam reddet vitaliorem. Ego nunc tertiana lassatus paulatim vires recipio. Quod me precibus tuis juvas gratissimum est. Tibi vicissim à Deo precor cuncta quæ optari jus fasque est. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Septembris 1638.

Tuæ Reverendæ Pietatis observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SPargitur hic rumor ex auctoritate D. Davausii, dixisse D. Salvium ipsi, Suediam etiam ante tempus Wismariensi & Hamburgensi federe præfinitum exire è bello posse, si ita res Regni ferant, cùm contra utilitates publicas nulla valeant verborum vincula. Ego, quanquam idem reipsa à Gallis non dictum tantùm, sed & rebus ipsis effectum adversùs Anglos Batavosque memini pace Verbiniana, & non multò post idem assertum ab Anglis in disputatione cum Legatis Batavis; tamen D. Salvio, cujus mihi nota prudentia est, hoc tam crudè excidisse non arbitror, sed Gallos hoc arripere, ut fidem Suedicam aliis, Anglis maximè, quibuscum ne quid clam ipsos Suedi paciscantur, metuunt, suspectam faciant. Est hic Cnutius missus à Batavis ut Cardinalis tentet animum, malitne Reginam Matrem in Galliam redire, an manere in Batavis Rege filio præbente matri unde honestè vivat. Vtrorsum res casura sit videbimus. Nam ut in Angliam sinatur abire multis de causis dissuadet Princeps Arausionensis. Regis Angliæ jussu mittitur ad Reginam Bohemiæ Pastor Anglus qui Domi ipsius, more Anglico, sacra administret. Scoticus tumultus quò sit evasurus, metuo. Gens est pertinax, & Religionis nomen efficax societatis coagulum, præsertim ubi & regiminis popularioris spes & exempla accedunt: tum verò incertum unde majus periculum, si vim opponas, an si concedendo doceas multitudinem majora exigere aut extorquere. Habet autem hæc res eò me magis sollicitum, quod ad impediendum cum Suedia fedus, aut causam potest præbere aut obtentum. Deus & hæc & alia ad bonum Christiani orbis gubernet, Tuæque Sublimitati, Excellentissime & Illustrissime Domine, det quicquid optari potest. Lutetiæ 2 Octobris novi Calendarii anni 1638. 1036

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

GRatias habeo maximas Excellentiæ Vestræ pro faustis votis quæ sunt in literis 20 Septembris. Ego paulatim, non valetudinem tantùm, sed & εὐεξίαν [*bonum habitum*] recupero, Dei benignitate. Heri Regem vidi, Reginam puerperam, Delphinum, bene valentes omnes. Peregi gratulationis officium. Præterea Regi multis argumentis commendavi res Ducis Vinariensis, qui omnium prope ducum in his locis solus cum magnis virtutibus etiam fortunam habet obsequentem. Rex ipse, cùm diceremus magnas in eum copias mitti, dicebat intellectum sibi, quasdam venire, & à Gallassio. Cordi sibi fore rem dixit, & missurum se auxilia. Cùm etiam pecunia extraordinaria opus diceremus ad peragendum Brisaci obsidium & supplenda equorum morbis absumptorum damna, Rex præsentes necessitates nonnihil excusavit. Instabo & apud Regis Ministros. Non puto hoc tempore Cardinali placere ut huc veniat Regina Mater: sed magis ut in Batavis maneat accepto dimenso. De Hispanis puto querendi causas esse Reginæ Matri: de Rege Hispaniæ non item, qui ei cùm in mense Augusto digressa sit, ad Septembrem usque liberalitatis suæ pensiones persolvit. Dicitur Delphis malle vivere extra turbam, quàm in conspectu procerum Hagæ. Ad Fontarabiam acceptum vulnus, & rei & famæ gravissimum, Galli verbis attenuant. Scripsi de ea re & Casteleto antehac 1037

quæ non repeto: ut nec de felice Gallorum pugna navali prope Genuam. Verum est quod dicit Excellentia Vestra, si quid Galli duces Protestantes infeliciter gesserint, pro crimine esse fortunam vivis, mortes in lucro haberi: si bene rem gesserint, periculum ex invidia, neque eò minùs gloriam in alios verti. Dux Vinariensis tum alia loca, etiam Keisersbergam, Amerswegam, Kentzingam bene custodit, tum captis idoneis ad Brisacum locis, immunit se; sed & Vicecomitis Turenæ miles pæne omnis diffugit, & ipsius, morbis vulneribusque distinetur. At hostes haud dubiè magnas colligunt copias: cum quibus vult se conjungere Dux Carolus, multo commeatu Thamum comportato, quem Brisaco inferre cupiat. Rosa quosdam hostium cecidit equites. Gotzius ad Eslingam est. Rotenhamius in captivitate mortuus scribitur. Ad Constantiam novi dilectus fiunt, daturque ab Episcopis opera ut Ratisbona reconcilietur Bavaro. Legati Wirtembergici bonis cum responsis dimissi Vienna dicuntur. Batavis advenis suasoribus & adjutoribus fossa ducitur per solum Bernatium in spem derivandi Lemanni Lacus in Iuerdunum lacum, ad juvanda commercia, variis de futuro eventu judiciis. Exspectamus quæ in Pomerania geruntur. De D. Roo velim verum esse. Galli nequid speciatim se ignaris inter Suedos Anglosque conveniat, metuunt, & D. Davausius D. Salvium ubicunque potest suspectum facit. Vt Elector Palatinus validè juvetur, res ipsius & communis exigit: neque id desino Legatis Anglicis ostendere. Verissimum est quod jampridem observat Excell. Vestra Primorum in Batavis multos finitimis Principibus & Antistitibus multa gratificari, easque amicitias privatim ipsis in fructu esse. Credibile est Imperatorem non difficilem fore in ratis habendis quæ cum Hassica Vidua transigi cœpere. Certè Religionis libertatem quod attinet, ita existimavi semper, è re esse Domus Austriacæ, ut in Germania duplex potiùs quàm unum sit Protestantium genus, neque id nolle Pontifex debet. Rex Poloniæ jam esse Viennæ, hic dicitur. Hyems hæc nihil aut hic aut apud vos magni promittit. Differenda in ver consilia. Bene est, quod è mercibus lucrum belli Brasiliani minùs prosperos eventus solabitur. Et in tempore Hamburgum veniet Bisterfeldius. Non tantùm quæ Meerbotus egit in Suedia facilè rescifcere potuit Imperator, sed & quæ hic egit Bisterfeldius. Ita palàm ea de re dissertarunt Galli sermonum largi, ad hoc avidi fruendæ formæ novarum societatum. Confirmandus erit omnibus modis Princeps ille. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram ejusque domum omnem sospitet ac prosperet. Lutetiæ 2 Octobris novi Cal. anni 1638.

Hispani Pomaram obsident non procul à Casali. Rex aliquid copiarum in Italiam mittit. Duo huc viri nobiles venere, alter à Rege, alter à Regina Angliæ cum gratulatricibus epistolis.

Excell. Vestræ singulari cultu observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1038 HEri vidi Regem, Reginam, Delphinum, Regem à febre bene liberatum, Reginam è puerperio factam vegetiorem, infantem quoque sanum ac validum. Dixi ea quæ tempus ferebat, & quanquam Serenissimæ ac Potentissimæ Reginæ Suediæ Dominæ nostræ bonum hoc significassem, tamen quod multum interesset itineris noluisse me differre gaudii testationem & prospera omnia. Addidi apud Regem commendationem quam potui calidissimam rerum Ducis Vinariensis: revocavi Regi in memoriam, qui ostendebat se ejus non ignarum, quantum periculi Dux adiisset utroque quidem prælio, sed maximè posteriore ob copias hostilibus impares. Nunc ingentem colligi exercitum ab Imperatore, Bavaro, Episcopis, accedentibus etiam qui in Italiam erant destinati, & jungere se parante Duce Carolo. Addebat Rex ultro, audire mitti adversùs Ducem etiam à Galassio non parum militis, quod literis interceptis deprehensum & ego affirmabam: & id D. Bannerio quidem patefacturum viam ad fortia ausa, sed Ducem tanto majore in discrimine fore, nisi novis magnisque auxiliis fulciretur, præsertim cùm Vicecomitis Turenæ agmen diffluxisset prope omne. Promisit Rex se quantum posset facturum ad vires ei augendas. Molliter injiciebam mentionem etiam liberalitatis extraordinariæ non alibi impendendæ utiliùs, tum ob ea quæ obsidio Brisaci desiderat, tum ad equos reddendos equitibus ultra bis mille in pedestrem militiam redactis per frequentes equorum mortes. Brisaco capto & cætera in tuto fore. Sine ea fluxa omnia. Rex pecuniam non quidem negavit se daturum, sed excusatione usus est gravissimorum quibus undique Gallia premeretur onerum. Postremo, cùm Regi gratias egissem, quod jubendo jus severè administrari demonstrasset quàm sibi displiceret vis mihi illata, quando exemplo factum esset satis ad conservandam Legatorum sanctimoniam, orari eum multis rationibus additis, ut adhibere huic malo vellet remedium ex clementia, qua virtute ad Deum proximè Reges accederent, & reis vitam concederet, bona redderet. Quæ quanquam Rex, ut ajebat, mei fecisset arbitrii, me tamen inde nihil velle præter beneficii facultatem. Rex cùm id tam seriò peterem, mihi se dixit negare id nolle, daturumque se mandatum Cancellario de indulgentia perscribenda signandaque; ad eundem Cancellarium me quoque gratias agendi & hujus de venia negotii commendandi causa iturum dixi. Rex Angliæ virum nobilem misit cum literis gratulationem de prole Regia continentibus. Misit & alterum Angliæ Regina. Eos cras Legati ambo ad Regem, Reginamque deducent. Quod Veneti nuper piratas Afros in terras usque Turcici imperii, ad Aulonem olim, nunc Velonam dictam, persecuti sunt, ibique eos inclusos in suam redegerunt potestatem, tam iratè ferunt Turcæ, ut Bassa quidam oratorem Venetum pede percusserit, minis insuper adjectis in Rempublicam gravissimis. Regina Mater videtur Regis concessu in Batavis mansura & acceptura hinc unde vivat. Si de Hispanis habet quod queratur, de Rege Hispaniæ certè non habet, qui ei promissæ liberalitatis pensiones omnes bene persolvi jussit & quidem ad mensem usque Septemb. cùm Augusto discessisset. E Germania literæ nos docent Batavorum advenarum suasu tentari fossam in Peruensi agro, quæ Lemannum lacum cum Iuerduno committat juvandis commerciis, eventu adhuc dubio: Ducis Wirtembergici Legatos Vienna domum remissos cum bonis responsis. Laborare vicinos Episcopos ad restituendam concordiam inter Ducem Bavarum & Ratisbonam. Mortuum in captivitate Rotemhamium. Gotzium apud Eslingam esse. Exspectari ibi cum copiis Bredam: apud Constantiam dilectus fieri: etiam Ducis Caroli crescere copias, multumque ab eo commeatum Thamum comportari, in spem subveniendi Brisaco. Circa id oppidum communire se Ducem Vinariensem: sed per morbos & vulnera valde imminutas ei vires. Keisersbergam, Amerswegam, Kinsingam bene custodiri à Comite Nassavio. A Rosa autem cæsos hostium non paucos. Tribunum hostium Wertzium deductum esse Benfeldium. Rumor hic per urbem vagatur, mitti ad Brisaci obsidionem adjuvandam Ducem Longavillanum. Id si ita est, mala æquatis imperiis solita accedere & certamen de possessione Brisaci præformido. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Regni Tuasque Sublimitatis secundet. Lutetiæ 2 Octobris novi Calendarii anni 1638.

Hispani Pomaram obsident, non longè à Casali. Rex

copia-

copiarum aliquid in Italiam mittit. Mitto epistolas duas à rerum gnaris scriptas de iis quæ ad Fontarabiam evenere. Legi scripta Dantiscanorum pro sua immunitate, magnis sanè fulta documentis, si vires adsint.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1039 VEnit ad nos Maurerius, mihi semper amicus, nunc etiam gratior, quod Nob. Tuæ ad me literas adferat, & cum literis argumenta, quæ pro vectigali à Regiis contra vectigal à vestris adferuntur. Legi ea, quanquam ex morbo recens, alacriter, multum gaudens me in hac nobili controversia ea conspicere quæ à causæ utriusque patronis plurimum habere ponderis judicantur. Vos pacta adfertis non obscura, illorum rationes pleræque ab utili ducuntur. Doleo vobis non Regem tantùm, sed & corpus Poloniæ adversari, unde nisi externa habeatis præsidia, durum vobis erit certamen. Suedi nostri non dubium est, quin vestræ immunitati, cui consultum etiam suis pactionibus voluere, foveant. Ego verò à prima ætate semper fui φιλελεύθερος [*libertatis amans*]. Quare si quid possim civitati vestræ gratum facere, nulli sum parsurus operæ. Nos hic Delphini nati gaudio sensum malorum, quæ Galli ad S. Audomari oppidum, deinde ad Fontarabiam, Batavi verò ad Scaldim Mosamque & trans mare in Brasilia accepere, abstergimus. Sed & ne de belli fortuna nimium queramur, virtus Ducis Vinariensis & Bannerii faciunt. Ad Bannerii res noscendas vos propiores estis. Dux Vinariensis postremo ad Wittenwerium prælio cepit hostium signa LXXXIV quæ ad Regem perlata sunt. Vale Nobilissime Domine. Lutetiæ 2 Octobris novi Cal. anni 1638.

Tuæ Nobil. omnia volens optima H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

1040 LIteras abs te quàm lætus accipiam ex meo adversùm te amore colligere facilè potes. Itaque & Maurerius per se amicus mihi, quod literas tuas attulit, hoc ipso mihi factus est amicior. Et est is sanè, qui non parum debeat tuæ disciplinæ. Mars, ut Gallis ita vobis hoc anno adversus fuit. Vobis etiam in alio orbe. Nunc credo hic consilia capi, per quæ in ver proximum res melius procedant. ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος [*semper agricola in annum novum dives*]. Non parum est interim, quod res maris, vita viresque Reipublicæ Vestræ, curantur quàm ante aut diligentiùs, aut feliciùs. Prædæ, quas nunc hostes capiunt tenuiores sunt, quàm ut inde tantam classem alere diu possint. Honos Regis Matri habitus Regi displicere non potest, & ostendit excelsum vestrorum animum. Ea sanè in Batavos fuere beneficia Reginæ istius, dum Regis tutelam gerit, ut oblivione sepeliri non debeant. Deinde scis illud Statii: *Res est sacra miser.* Tantæ fortunæ nomina ipsa fortunæ injuria commendat. Credo in id laborari, ut filii animum Rex Matri restituat. Nos rectè valemus. Vxor & filia te, tuam, tuos amicissimè salutant. Lutetiæ 2 Octobris novi Cal. 1638.

Tuis maximis meritis tuus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1041 NIhil dum definiti dicitur aut mihi, aut Truxio Lindavioque huc à Duce missis Vinariensi, quid auxilii Rex Duci, qui tantis hostium impetitur copiis, velit mittere. Sed de Duce Longavillano mittendo sermo est. Id si fit, æmulatio inter Duces & de Brisaci possessione certamen evadi vix poterit. Tum verò parum habet militis Longavillanus ad tria millia. Habet præter hos aliquid Bellefontius in eodem Burgundiæ Comitatu. Vt & hi accedant, nihil adversùs tantas quæ coëunt undique hostium vires. Nam præter eos quos Bavarus & Episcopi colligunt, & quos mittit Bohemia, aliæque Austriaci juris regiones, veniunt & ex Italia cohortes & Lambeius cum sua manu & cum parte Gallassiani exercitus Breda. Videntur metuere Galli fortem ad fines suos Principem Germanum & Protestantem. At quanto id satius, quam Austriacos habere vicinos & hostem intra Galliæ viscera, quod sola Ducis virtus hactenus prohibet. Sed multa talia hic peccantur, peccarique necesse est, dum is qui cunctis præsidet ministris multos deligat, qui aut res non satis intelligunt aut sua admiscent studia sive Religionis sive privati honoris aut commoda. Pomaram non longè à Casali Hispani captam, quod custodia digna haud videtur, à munimentis nudarunt. Regina Regis Mater nec in Galliam admittitur, cujus rei spes ei facta fuerat, non alio consilio, quàm ut ex Hispanici juris solo abduceretur, & si in Batavis maneat, etiam dimissis illis quos Rex aut Cardinalis maximè invisos habent, non tamen impetrat à filio alimenta, qui eam vult ire Florentiam, quo ipsa nihil magis aversatur, dedignans privata conspici, unde tanta olim cum pompa deducta est, & propinquis parere quos tam longè infra se positos habuit. At Regii Ministri ajunt alicubi eam esse velle ubi res movere possit: ac ne in Batavis quidem quieturam, ubi multi sint induciarum appetentes. Miror tamen id de induciis objici, cùm eas facere Batavi non possint, nisi Rex pacem simul faciat. An forte sperant Galli etiam se pacem facientibus Batavos largitionibus Regis in bella posse retineri? Cancellario Franciæ commendavi id quod nuper Regi, indulgentiam scilicet Regis pro iis qui in me deliquerant, salva vita, bonis omnibus sine delibatione restitutis. Quod ut secundum mores Galliæ fiat, sibi curæ fore spopondit. Ita isto negotio satis difficili honestè, ni fallor, expeditus sum. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Sublimitati Tuæ cuncta salutaria. Lutetiæ 8 Octobris ex novo Calendario anni 1638.

Est hic quidam ab Electore Palatino missus. Pecunias petit non impetraturus quantum video, nisi exemplo majore quàm hactenus præeant Angli. Lindavius à Gallis rogatus, ut ad Ducem Longavillanum eat, excusat se & cum Truxio rectà ad Ducem Vinariensem redit. Tota Valettarum Domus suspecta fit. Espernonio seni rigidè interdictum ne rure suo exeat. Dux Valetta in Aulam advocatur, dubium an iturus. Cardinalis Valetta Romam mittitur. Archiepiscopus Burdigalensis classem reduxit ad Bellam Insulam Britanniæ Armoricæ littori objectam. Miles in oram proximam expositus ibi hyemem aget. Aliarum quoque regionum milites in hyberna mittuntur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

CVm nihil ferme novi hic se offerat, sequar filum epistolæ quam 27 Septembris ad me misit Excellentia 1042
Vestra, actis primùm pro tam amica opera gratiis. Acceptum ad Fontarabiam vulnus hoc quidem anno non est ut sanetur. Ex Veneto Legato didici diploma pro Batavis missum Romam, quale desiderare possint. Disputationes de diplomatibus pro Germanis, ut res hactenus se ostendit, intricatiores sunt, quàm ut brevi videantur posse transigi. Itaque etiam de Domini Magni Cancellarii adventu in Germaniam dubitare cogor. D. Nicodemi

demi prudentiam sæpe laudatam memini. Quare non tam ipsi quàm Suediæ gratulandum est, quæ ex ejus ministerio fructus, quos optat, consequetur. Deus, cujus in manu sunt Regum corda, ad æquam pacem ea flectat, Germaniæque acerbissimis calamitatibus bonum imponat finem. Verum est vires ab hostibus maximas colligi, etiam ex Italia & Bohemia, contra Ducem Vinariensem. Nos, nisi ei magna mittantur auxilia, periculum Ducis, exercitus, ipsiusque Galliæ ostendere non desinimus. A Gallis, ut verum dicam, & leviùs & lentiùs tractatur hoc negotium quàm oportet. Loquuntur de mittendo Longavillano. Copiæ ejus sunt exiguæ, & æquata imperia bene processura vix sperandum est. Regis Daniæ sicut omnes actiones & consilia bene sunt inspectanda, ita amicitia si quo modo parari potest, aut certè vitari offensa, dignum est in quo ponatur opera. De Curtiano effugio super re Palatina, meminero apud Anglos. Qui huc ab Electore missus est pecuniam non facilè impetrabit, nisi Angli majore exemplo præeant. Landgraviæ pacem video pro consummata haberi, & Melandrum conciliaturæ non exigua referre præmia. Ad Kingium spectat ejus facti ultio. Interim sapientiæ erit quem illa habuit militem aut transducere ad nostras partes, aut saltem ab hostili militia avertere. Durum est quod Electori evenit à Principe consanguineo & ab hospitibus suis. Sed Anglos, ut bono sunt stomacho, hoc etiam facilè concocturos puto. D. Brederodius pro natalium suorum splendore venire huc non potest nisi μετὰ πολλῆς φαντασίας (*cum multa pompâ*). Batavorum autem res parsimonia indigent, nec est quod opulentiam ostentent, ubi inopiæ professio utilior est. Res belli, ut glires, puto totam hyemem dormient. Laborat pro Regina matre Knutius: sed hactenus haud multum proficit. Alimenta ei promittunt Regii ministri, si eat Florentiam, quod illa pejus Purgatorio habet. Metuunt hi ne apud Batavos non satis quiescat, sed eos accendat qui inducias volunt, quas tamen nemo est qui facere velit, nisi Gallia simul paciscente. De nato Delphino nulla Reginæ matri facta est significatio. Non parum effecit Cardinalis quod spe reditus in Galliam eam ab Hispani patrocinio abduxit, & simul causam, quæ inter pacis moras esse poterat, sustulit. In Anglia non experti ejus adventum & ego hic comperio. Sollicitum me habent res Scoticæ. Ego, si ea gens Liturgiam suscepisset Anglicanam, & ritus antiquitati consonantes, sicut Episcopos jam ante acceperant, nihil peccaturam fuisse arbitror, potuisseque etiam ad coagmentandos magis unius Regis populos pertinere istam morum congruentiam. Verum nunc, cùm aversi sint animi, non tam fortè è rebus ipsis quam è suspicionibus, alia est, & sanè difficilis, commoto populo, Regisque auctoritate labefacta, consultatio, quæ ut in partem eadat Regi Regnisque salutarem, Deum supplex veneror. Academia Abredonensis in Scotia, hos motus ut illegitimos & Christianis indecoros damnavit. Sed id an sedare possit adeo concitatos, sanè dubito. Quid Hamburgi acturus sit Bysterfeldius, lubens cognoscam. Ex Turcæ Imperio ne nos quidem quicquam habemus cognitu dignum. Deus Christiani Orbis res in melius ducat, idemque Excellentiam Vestram servet sospitem florentemque. Lutetiæ 8 Octobris Novi Calendarii anni 1638.

Malus ad Fontarabiam eventus Valettis imputatur. Itaque senex Espernonius jubetur rure suo se continere. Dux Valetta nescio an satis sit habiturus fiduciæ ut in Aulam, vocatus quanquam à Rege, veniat. Romam mittitur Cardinalis Valetta. Milites undique in hyberna mittuntur. Classis Regia sub Burdegalensi antistite reversa est ad Bellam Insulam quæ Britanniæ Armoricæ præjacet. Qui in classe fuit miles, in ora proxima hyemem transiget.

Excell. Vestræ singulari observantia addictissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

FElicem me putarem, si qua in re potuissem ostendere quanti prudentiam, eruditionem, humanitatem denique Nobilitatis Vestræ faciam. Servabo hanc in animo sementem, fructum daturam ubi bona se dederit occasio. Literas interim meas, qualecunque animi obligati optimeque volentis testimonium non ingratas fuisse plurimum gaudeo. Ac sicut hoc me oblectat, ita doleo valetudinem Nobilitatis Vestræ non fuisse qualem velim. Mea itidem vexata fuit, febri non tam periculosa, quam molesta tertiana. Sed Dei bonitati plurimum debeo, quod non valetudinem tantùm, sed & vires recepi. Vices autem Vestræ Nobilitatis in me edocendo quæ scire intererat abundè supplevit Nobilis D. Camerarius pater, ejusque dignus parente majoribusque suis filius: quibus pro eo officio, sed Vestræ Nobilitati imprimis, unde origo data est, debeo plurimum. Curtius etiamsi nihil egisset aliud, quàm quod simulata cum Rege Daniæ amicitia veteres Suedorum in Danos suspiciones simultatesque auxit, non periit ei opera. Sed cum eum Regem sua nobilitas frænet, non puto futurum ejus Regis in Suedos si quod est odium, aut obsequium ejus emptum ab Imperatore in publicum aliquod malum erumpat. Dubitandum non est, quin pacem cupiant, pacis etiam egente Germania, bellantes utrinque ejus moras alter in alterum quærant rejicere. Quare sicut prudentiæ est Cæsarianorum in nos eam derivare invidiam, ita nostra erit tales ferre conditiones quæ hominibus æquis & extra nostros æstus positis se probent. Et dies ad Conventum indici & domus conduci Lubecæ facilius possunt, quàm convenire de diplomatis, quæ nostri indefinitè pro Principibus Civitatibusque Germaniæ postulant, etiam iis quæ jam cum Imperatore transegerunt, quod Imperator, si quid Veneto credi potest, non est passurus. Landgravia jam sequuta est exempla tot Principum, quos, non jam dicam quibus de causis, pertæsum est nostræ societatis. Elector Palatinus auxilium à nobis in rebus arctissimis accepit, priusquam ullo se federe nobiscum illigaret. Anglia quàm suspenso gradu procedat, videtis. Multumque metuo ne Scotici illi tumultus eam impellant in consilia, neque nobis neque Domui Palatinæ optanda. Pro chartis gratias habeo, sunt sanè dignæ & lectu & consideratu. Penzium non miror ad Imperatorem se vertere, magisque etiam id facturum puto ubi intellexerit quas sibi fortunas Melander Hassica pactione pepererit. Magna pars hominum non religione, non partium studio, quanquam hæc magnifice prætenduntur, sed utilitatibus suis ducitur. Laudo plurimum Illustrissimi Domini Salvii, cui me plurimum commendo, prudentiam in collatione cum Angliæ Legato & Rectorum Suediæ mandata ipsius consilium probantia. In diplomate pro Hollandis non est mora. Datum jam est missumque Romam sine vitio. Nec in eo pro illis Principibus plus erit difficultatis, nisi quod metuendum est, ne duæ fœminæ, sexus meticulosus, id faciant quod fecit Hassica Germanici fortiorisque generis. De induciis planè cum Regni Suedici Rectoribus sentio, non minùs eas habere tricarum, quàm pacem ipsam. Magnum hic & serium fuit gaudium populi ob Delphinum natum 5 Septembris Novi Calend. ante meridiem, unde oblivio inducta malorum quæ Gallia ad S. Audomari oppidum & ad Fontarabiam accepit, minimè compensata captis Rentiaco & Casteleto in fine Belgico. Batavorum hoc anno mala non memoro. Sunt enim ea vobis propiora. Soli partium famam sustentavere Vinariensis & Banerius, hic Suedus, ille ex Suedica disciplina. Deus Nobilitati Vestræ ejusque familiæ semper faveat. Lutetiæ 8 Octobris Nov. Call. anni 1638.

Nobil. Ampl. Vestra ad obsequia paratissimus H. G.

Digitized by Google

NICOLAO REIGERSBERGIO.

Nobilissime Reigersbergi,

44 VEnetiis te esse, id est tantò nos propiùs, sanè gaudemus. De vulnere dolemus plurimum. Vides ab hoc exemplo, quàm inopinatis malis subjaceat hæc vita, quò magis ita vivendum nobis est, ut mortem audeamus intrepidi excipere. Cæterùm speramus Dei bonitate jam remedia reperta isti malo, brevique tibi redituram valetudinem ac vires, ut lætos tuos lætus videas. Ego à tertiana jam planè convalui. Cæteri nostri valent omnes, te amant ac salutant. Planè ita tibi persuadeas velim, nullum esse officiorum genus quod non à nobis exspectare debeas. Id absens, id præsens experiere. Deus te incolumem nobis sistat. Vale optime Reigersbergi. Lutetiæ 12 Octob. 1638.

Tuus toto animo H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

5 AD literas Excellentiæ Vestræ mihi gratissimas, datas 4 Octobris, ut respondeam, Scoticos motus & durare, & ingravescere & difficilia repertu esse remedia ex Anglis qui huc nuper venere tristis intelligo. Movet me & gentis utriusque in bellum civile aut potiùs sociale magno, ut quidem adhuc videtur, gradu euntis miseratio, & non obscurum inde in res nostri federis malum. Libelli hic sparguntur, oleum igni affundentes, qui parum regaliter Britanniarum Regem aiunt agere, quod cum subditis, quasi cum paribus, agat, per Legationes & pactiones. Det Deus ut optima consilia prævaleant, & exstinguatur incendium nulli nisi Austriacis profuturum. Iter in Suediam D. Mulleri vetat me sperare Magni Cancellarii cis mare adventum. Spero D. Salvium aut per se aut per alios facturum, ne ignoremus ea quæ ex usu sunt muneris nostri. Responsum à Regina nostra Danicis non video dari posse, nisi verbis honestis & indefinitis, pacis æquæ tutæque desiderium testantibus. Specialia enim ad ipsum colloquium remittenda sunt, cujus unam moram video controversiam istam de diplomate pro Germanis. Ut aut Suedi aut Batavi in pacis negotio à Gallis se dividant, post tam arcta federa, nullam recipit honesti speciem. Itaque operam perdituros existimo, qui id sperant. Danum ad Imperatoris partes transiturum non puto: sed, siquid irritetur, facilè posset efficere, ut suæ copiæ ad Imperatorem se transferrent. Multumque metuo ne in arcano tale aliquid etiam in Hassica pace convenerit. Eam pacem ab Imperatore, ut certè ejus intererat fieri, probatam huc scribitur. Certè in illo capite de Religione quin facilis futurus sit Imperator, ob causas ab Excellentia Vestra expressas, & quas ego in postrema epistola addidi, dubitari non debet. Sanè est cur nos Germanorum misereat, quanquam pars magna quæ nunc sentiunt mala sibi ultro accersivere. Sed hominum est, etiam culpis ignoscere, atque is est bellorum pulcherrimus exitus. De Wolgasti arce nihil dum audieram. Suspicio de colloquio Regis Poloni cum Imperatore, duriorem hic causam Principis Casimiri efficit. Itaque trahitur qui hic est Demskius sine spe profectus. Non dubito, quin multi è Polonica nobilitate in memoriam revocaturi sint ultima Samoskii monita, exitialem Polonicæ libertati fore Regum cum Austriaca Domo affinitatem. Et est gens suopte ingenio suspicax. Dantiscani causam suam scriptis faciunt favorabilem. Sed oportet, ut Solon dicebat, ὁμοῦ δίκην τε καὶ βίαν συναρμόσας [*simul justitiam & vires congruere*]. Nisi in tempore validas societates sibi parent, inter quas præcipuo loco pono Batavicam, impares erunt conspirationi Regis & Poloniæ. Nihil hic ferme aliud quàm in hiberna ducitur miles. Knutius quæ agit, satis clam habentur. Sed quantum intelligo pertendit Rex ut Mater, ali si velit, eò eat, unde olim, non in has spes, pedem extulit. At si alterutrum necesse sit, puto malle Regem eam in Batavis esse, quàm apud Britannos. Coignæus & Montsigotus quin quovis modo in Galliam cupiant reverti, nemo est qui dubitet. Metuitur ultionis cupido, nec mirum, in femina, & Itala & Ethrusca, & Medicæa, & diu regnatrice. De Cyrillo Patriarcha audieram: sed totius rei historia mihi necdum comperta est. D. Hagæ & felicem reditum, &, nequid ei pereat de tam longi laboris fructu, opto. Literas mihi commendatas rectè curavi & curabo si quæ mittentur posthac. Morte pueri Sabaudiæ Ducis pervenit jus illud ad puerum alterum quinquennem. Dati sunt à Rege judices in Ducem Valettam ex inobedientiæ & proditionis crimine Machautius & Potteriacus. Princeps Condæus, qui pro tempore Præfecturam Aquitaniæ administrandam accepit, omnem culpam rei ad Fontarabiam malè gestæ in illum rejicit. Tantò indignius est quod accidit. Tam fuit patens valli oppidani ruina, ut per eam Hispani equis vecti oppidum intraverint. Comes Henricus Nassavius nudiustertius demum à Rege gratulationes peragens auditus est. Res Gallorum per Italiam adversæ ita omnes qui ibi sunt addixere Hispano, ut Pontifex ejus militi ex Neapolitano Regno Mediolanum ituro non iter tantùm concesserit, sed & commeatus dederit liberaliter. Petunt Genuæ Galli navem hostilem à se nuper captam, tentamque per horas 24, quæ se postea in Genuensi portu ab ipsis liberaverat: idque aut obtenturos aut jam obtinuisse arbitror. Dux Vinariensis, pro quo merito sollicita est Vestra Excellentia, jam septem quæ ad Brisacum struxerat castella valida, connexuit inter se perpetuo vallo castrensi. Et ego & qui hic res ejus agunt multum interpellando effecimus, ut Duci extra ordinem dentur centum millia florenorum, ad equos emendos aliasque necessitates: ut duo millia militum è Longavillani exercitu jam transierint fauces quæ Exclusa dicuntur, Geneva non procul, brevique in castris Vinariensibus sint futura. Ex eodem Longavillani exercitu alii alia via per Lotharingiam ad eadem castra mittuntur, numero adhuc incerto. Duo sunt mala quæ metuo, hostilium copiarum undique ingentium adventus, & pabuli inopia in castris locisque vicinis, nullo ejus provisu facto. Pollicentur Galli etiam operam se daturos, ut Hassici militis bona pars ad Ducem Vinariensem transducatur, qua in re Excellentiam Vestram, si quid potest, fore adjutricem, certus sum. Gotzius ad Witlingam se tenet, Blomberga nondum potitus. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram, familiamque ejus suæ semper esse velit paternæ tutelæ. Lutetiæ $\frac{1}{1}\frac{6}{6}$ Octobris 1638.

Misit Dux Vinariensis ad Regios ministros interceptas hostium literas indices firmi hostium propositi de bello in viscera Galliæ importando: & pro Brisaco omnia eos tentaturos. De Comite Henrico erravi. Speravit se à Rege auditum iri, ut & Lutzmarius. Sed decrevit Rex sine Legati titulo missis, nisi à Regibus veniant, carrucam suam non mittere, quod ipsis displicet. Et, puto, mandata exspectant. Navis illa de qua scripsi modo, Arassium profugerat portum juris Genuensium. Inde abducta est. Magistratus Arassiani damnati à Senatu Genuensi parem navem Gallis reddere.

Excell. Vestræ cum omni obsequio observantissimus H. G.

SAMUELI ANDREÆ.

Clarissime Domine,

OMnes mihi Claritudinis Vestræ literæ pergratæ sunt, 1046 neque deero in respondendi vice. 20 Iulii veteris Calendarii scriptæ erant, quas postremas accepi, cum

char-

chartis. Earum chartarum nonnullæ jam ad me pervenerant, Curtii ad Regem Daniæ epiſtola & ſcriptum illud Polonicum pro vectigali quod ei oppoſitum eſt non videram: ſed acceperam ab amico legeramque ea quæ pro jure ſuo Dantiſcani publicè edidere, egregiis ſanè ſuffulta documentis. Habeo amicos Dantiſci: ad eos ſcripſi aliquoties, placere mihi quod injuſtitiæ exutique obſequii non ferenda bonis crimina à ſe abſtergant. Sed fruſtra jus oſtentari, niſi vires adſint juri tuendo, quas cùm vix illi à ſe ſolis habere poſſint, circumſpectandas ipſis fidas ſocietates. Claſſem veſtram, quæ militem Germaniæ, terrorem maximum hoſtibus intulit, ſoſpitem in patriam rediiſſe, gaudeo. De captis à D. Bannerio locis, deque proluſionibus & cum Imperatore pacis & cum Anglo fœderis Hamburgo quædam accepimus: ſperoque D. Mullero jam in Suediam profecto D. Salvium memorem noſtri fore, ut ea ſciamus quæ ſcire nos publicè intereſt. Si quid poſthac attulerint dignum cognitu qui Regis Daniæ res apud vos agunt, id veſtro beneficio diſcere gaudebimus. Menſes prope duo ſunt quod me non vidit D. Schmalchius, ne tunc quidem cùm ægrotarem. Cauſam nec ſcio nec inquiro, gnarus à me nullam ei factam injuriam, cùm ego & mei multa habeamus quæ de eo poſſemus queri. Redibit ad vos opimior. Ego ei pecuniam quam à Gallis magnam jam ante menſes duos accepiſſe dicitur, non invideo, legem interim abſtinentiæ quam egomet mihi dixi & ſervans & ſervaturus. Quò juſtius arbitror ut ad ſolvenda quæ mihi debentur, quorumque tempus diu effluxit, magni Cancellarii cura pro me vigilet. Qua de re nolo ſæpius obtundere, cùm verecundo homini monuiſſe ſatis ſit. Valde carò hic vivitur: & prærogationes longæ multum mihi incommodant. Precor Clar. Veſtræ feliciſſima omnia, ipſi, Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Octobris 1638.

Ad cuncta officia paratiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

1047 MOrte pueri Ducis Sabaudi, ditiones iſtæ ad alterum puerum quinquennem devenere. Adverſùs Ducem Valettam, qui non venit vocatus in Aulam, inſtituitur judicium criminis, tanquam in inobſequentem & proditorem. Ita verba habent decreti Regis, qui judices in eum dedit Machautium & Potteriacum. Damnabitur abſens. Præfectura Aquitanica, quæ ipſi poſt Patris Eſpernonii mortem promiſſa fuerat, Principi Condæo, donec aliter ei proſpectum fuerit, mandatur. Cardinalis Valetta Romam nondum ivit. Principem Thomam intelligimus ire in patriam ſuam, aut loca ei vicina, fovendis eorum ſtudiis quibus bellum diſplicet. Ad Fontarabiam quod acceptum eſt malum, hoc plus habet pudoris, quod valli oppidani tanta jam pars per ruinam patebat, ut Hiſpani in equis vecti per eam oppidum intraverint. Lutzmarius, qui hic pro Electore Palatino eſt, vix quicquam proficit, volentibus ſcire Gallis, quid & quantum pro eo facturi ſint Angli. Demskius à Polono huc miſſus, ne ipſe quidem multum ſperat: &, niſi melior aliqua lux affulget, Principem Caſimirum aditurus non eſt Comes Henricus Naſſavius, à Principe miſſus Arauſionenſi ad peragendum gratulationis officium ob natùm Regi filium. Heri demum auditus eſt, tractus diu ob quædam certamina honoraria. Pontifex equitatui Neapolitano Mediolanum proficiſcenti non tranſitum tantùm per terras ſuas, ſed & neceſſaria liberaliter præbuit. Petunt Galli à Genuenſibus navem quandam quæ à Gallis capta & poſſeſſa per horas 24 in portu Genuenſi ſe liberaverat: idque obtenturos puto. Croatæ Briſacum rurſus farinæ non parum intulere. Id argumento eſt non ſatis clauſos aditus. Duci Vinarienſi ita dolet tam bonas occaſiones amitti, ut ad amicos ſcripſerit ſe, ſi Turcæ militaſſet plus repertum fuiſſe fidei: & Truxius à Cardinali Ricelìaco interrogatus quid de pecunia factum eſſet quam à Rege Dux accepiſſet, dixit ea eſſe Ducis in Galliam merita, ut talem interrogationem non exſpectaverit. Ex Burgundiæ Ducatu ad nos ſcribitur Ducem Longavillanum ire, ut peditatum ſuum, qui ad bis mille quingentos pervenire dicitur, ducat ad Vinarienſem per arctas fauces apud Genevam quibus Excluſa nomen eſt: inde cum equitatu ſuo ipſum retro rediturum in Burgundiæ hyberna. Cohortes duas jam per Excluſam tranſiiſſe Geneva ſcribitur: ac præterea auctum Ducem militum præſidiis Colmariæ, Schleſtadii, Dageſteinæ, Rynfeldii, Lauffenburgi, Hohentwilæ, datamque ab eo pecuniam, ut equos qui amiſere, comparent alios: habere eum machinas triginta: hoſtium partem maximam in Nigra eſſe ſilva apud Willingam; ad eos infeſtandos miſſum Roſam: obſideri ab hoſte Blombergam: Croatas hoſtiles alios tranſire Rhenum. Rumor eſt hic aliquos quatuor millia Helvetiorum à Rege conduci, ut Duci Vinarienſi ſe adjungant, quod ſanè velim. Nam copiæ ejus tenues ſunt, & ex omnibus quæ nominavi Alſatiæ præſidiis ægrè collecti ſunt ſexcenti. Hoc ultimum mihi jam nunc ad me veniens confirmat Truxius, & ex Ducis ipſius literis ſcriptis $\frac{8}{18}$ Septembris me docet, jam perfectum eſſe vallum caſtrenſe, quo ſeptem caſtella circum Briſacum ſtructa inter ſe continuantur. Addit eos qui per Excluſam tranſiere eſſe bis ferme mille è Longavillani exercitu. Alios ex eodem exercitu, numero incerto, permitti; non verò eadem via, ſed per Lotharingiam iter capturos. Multum inſtando centum millia florenorum ſe extra ordinem pro Duce impetraſſe: ejuſdemque Ducis monitu, ſperare ſe, Gallos in id laboraturos, ut Halſici militis pars bona ad Ducem perveniat. Maximum incommodum eſt pabuli inopia, ſine quo equitatus retineri nequit. Cras ad Ducem redit Truxius. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, ſive bello, ſive pace rem Suedicam, Tuamque Sublimitatem ejus rei tutorem ſoſpitet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Octobris 1638.

Blomberga nondum, quod ſcimus, in hoſtium pervenit poteſtatem. Miſit Dux Vinarienſis ad Regios miniſtros literas hoſtium interceptas, quibus & conſtans propoſitum non deſerendi Briſacum & conſilium in Galliam inferendi belli apparent. Inanis eſt ille quem ſcripſeram de Helvetiis rumor. Nolunt enim illi contra Imperatorem militare. Dux Longavillanus ipſe manet in quibus fuit hactenus locis. Comes Henricus Naſſavius ſperavit quidem ad Regem admitti, ſed admiſſus non eſt, quia conſtituit Rex ſuam carrucam non mittere niſi Legatis aut iis qui ſi non ſunt Legati, à Regibus ad ipſum veniunt. Eadem res moratur Lutzmarium. Navis illa à Gallis ut dixi capta profugerat in portum juris Genuenſium dictum Araſſinm: & inde abducta eſt vi Hiſpanorum. Senatus Genuenſis Magiſtratus Araſſianos damnavit parem navem Gallis reddere.

Tuæ Subl. cultor devotiſſimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobiliſſime Domine,

GRavis impendebat Poloniæ illa à Coſaccis procella, quam deſæviiſſe literis Nobilitatis Veſtræ datis 23 Septembris diſco. Non eſt tutum offendere tot cingatos, & Religioni legem imponere velle non eſt Polonicum. Quid de iſto Regiomontano in merces onere, quid de veſtro maritimo ſit futurum exſpectabimus; de illo quidem ſecuri ſatis, pro vobis verò ſolliciti. Decet enim Suedos libertati omnium favere, ut qui pro libertate non ſua, ſed aliena arma etiam ſuſceperint. Metuitur hic ne in Aquis illis calidis, ad quas Rex & Regina Poloniæ profecti

fecti sunt, incendium aliquod erumpat. Certè ea suspicio pro Principe Casimiro non faciet. Brisacum jam & castellis & intercedente inter ea perpetuo vallo militari inclusum est. Duo millia à Rege eo missa sunt ad peragendum obsidium. Speramus fore ut & aliæ accedant copiæ ad augendum Ducis Vinariensis exercitum. Is nunc solus in actis est, torpent cæteri. Regina Regis Galliæ Mater, sicut Hispanicum hospitium Batavico mutaverat, ita Batavicum mutat Anglico. Quotidie huc novi de Delphino nato gratulatores adveniunt. Strepunt omnia carminibus tum Gallicis tum Latinis. In Italia post Pomariam captam nihil profecit Hispanus, quanquam Gallis ibi se non moventibus. Vulnus quod Gallia ad Fontarabiam accepit, imputatur Duci Valettæ. Vocatus in Aulam non venit. Itaque reus fit absens, judicibus in eum datis. Vale quàm optimè. 21 Octobris 1638.

Tuus optima fide H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1049 CUm à multo tempore me non viderit D. Schmalchius, non dubito, quin animum mihi nocendi, quem hic multis ostendit indiciis secum ferat. Et hoc & alia ab eo sperare Gallos, qui magnas pecunias nemini frustra dant, haud obscurum mihi est. Cæterùm conscius optima me fide & quanta potui industria inservisse rei Suedicæ, nec aliud aut optasse aut egisse, quàm ut ea sive bello, sive pace foret quàm beatissima, calumnias non metuo, præsertim cognita mihi Tuæ Sublimitatis æquitate, quæ mihi mei defendendi non sit negatura copiam. Itaque & me & mandatæ mihi Legationis honorem Tuæ Sublimitati commendo, ipsam verò Deo immortali. Ero semper, Excellentissime & Illustrissime Domine. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Octobris 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1050 DE rebus ad Brisacum, scripsi jam aliquoties, addam nunc quæ propiora didici literis inde acceptis, quæ scriptæ sunt Octobris quinto & septimo ut hic numeramus. A latere Transrhenano bene clausum est oppidum ternis castris, quorum unis Dux præsidet Germanum militem secum habens, alteris Vicecomes Turenæ, tertiis Guebrianus, cum quatuor hic, ille cum quinque cohortibus quæ Regimenta nunc vocant. Inter castra sunt receptus militum, quos reductus appellant, non majore inter eos quàm quingentorum passuum intervallo. Eos connectit vallum militare. Restat nunc ut etiam ex Cisrhenano, sive Alsatico latere prohibeantur aditus. Ad cuncta hæc tuenda multo opus milite. Præter duo millia è Longavillani exercitu quæ jam ad Ducem advenere, alia auxilia Rex promittit: sed video de effectu dubitare, Truxium qui jam hinc abiit, & qui nunc abit Lutzavium. Dux interim, quanquam colico tentatus dolore, omnia movet, ut exercitum augeat. Kentzingam nudavit munimentis, ut Leslæi cohorte, quæ ibi in præsidio erat, uti possit. Friburgum Gallis non multis custodiendum dedit, ejectis oppidanorum quotquot suspecti erant, id est, plurimis, atque inde ad se vocavit cohortem Moseri, quingentos habentem milites. Etiam Germanicam cohortem quæ Rynfeldium servabat inde eduxit, commendata Hohentwilæ Præfecto ejus oppidi custodia. 24 Septembris Croatæ ducenti qui ad Philippiburgum Rhenum transierant, noctu diuque factis itineribus, Brisacum, nondum ut nunc clausum, intraverant, statimque ut frumentum secum allatum deposuerant, egressi erant. Id frumentum putatur ad victum minùs quàm in mensem sufficere. A captivis transfugisque dicuntur homines valentes in oppido non esse supra quadringentos, cùm ad tantum oppidum tantaque ei addita opera defendenda, opus sit ferme quatuor millibus. Id spem facit Duci præter famem etiam oppugnando aliquid posse profici. Equitatu parum valet absumptis morbo equis, ita ut qui equis uti possint non plures sint mille quadringentis. Id cursandi impunitatem dat Croatis, qui secundo Octobris die Savaliscium & Sillartum tribunos sub mœnia Neoburgi cepere. Savellius ad Heilbrunnam est. Gotzius cum sex millibus in silva nigra. Lamboius cum pari ferme numero silvam cui ab Occidentali positu nomen, transierat. Timetur ne eas in partes veniat & Dux Carolus, hostisque Rheno occupato, qua Basileam & Neoburgum interfluit, commeatus à superna parte Duci auferat. Illud nobis commodè evenit quod Bavarico equitatu de sedecim cohortibus in septem contracto Gotzius multos offenderit, primùm deducendo quosdam in gradum inferiorem, deinde ex illis aliquos puniendo, quasi qui in postremo prælio victoriam hosti tradidissent. Per utrunque asperatis animis, credibile est eum milite usurum minùs obsequente. Omnes consentiunt, si Duci tamdiu id flagitanti in tempore venissent à Rege auxilia, jam eum capto Brisaco in Bavaria aut ultra staturum fuisse. Supinitasne hæc vocanda sit, an subsit consilium altius, parco nunc inquirere. Livo ille, de quo scripseram antehac, in itinere, à Constantinopoli non procul captus est ex suspicionibus. Sed cùm scriberet, libertatem sperabat. Cyrilli Patriarchæ cædes, & Cosaccorum cum Rege Polono reconciliatio, efficit ut de ipsius molitionibus minùs sperem. Galli mutato, ut sæpe solent, consilio, carrucam Regis & Reginæ Henrico Nassaviæ obviam misere. Itaque nudiustertius à Rege auditus est. Regina Regis Galliæ Mater, non communicato cum Regina Bohemiæ aut Anglico agente proposito, mare transiit. Venit in Angliam. Ibi obviam ei missi Northumbrius, Gorinus, Vennius, magnæ dignitatis viri. Tristis haud dubiè erit Reginæ Angliæ Matris ita jactatæ conspectus. Scoticos motus ad quietem spectare sperant Angli. Concessit Rex Scotis conventum minorem ac deliberatorium tantùm in mensem Novembrem: dilato Parlamentari in Majum anni sequentis. Medium inter hæc tempus utile sibi fore ad dividendam factionem existimat, & Barones Scotos, qui à consiliis sunt ipsi, dimisit per Regiones ad tranquillandos plebis animos. Verùm indulgentiam eorum quæ commissa sunt accipere Scoti noluerunt, ut qui nullius se culpæ conscios dicant. Vult Rex pro novo hoc federe vetus instaurari, quod sub Iacobo Rege factum probatumque ab ipso fuit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis res prosperet. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Octobris 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

TAnta fuit in significandis mihi rebus quæ vestris in partibus gerebantur D. Camerarii utriusque & diligentia & fides, ut non modò nihil sit Nobil. Vestræ excusandum, sed & mearum sit partium maximas agere gratias quod effecerit, quod ea ad me quamprimùm pervenerint. Nam cùm rerum fere omnium pretium in novitate positum sit, tum verò ea maximè quæ nuntiantur usus sui magnam partem amittunt sui vetustate. Nam actiones Politicæ versantur, si Scholasticè mihi licet loqui, in hic & nunc. Vidi formulas à Nobil. Vestra missas mihi pro Gallis & à Gallis. Puto tales esse ut in iis non multum futurum sit difficultatis. Sed quæ in iis invenio de commonitorio Suedico, ad quod istud scriptum 1051

 se

se refert, nescio an intelligere debeam de ea charta quam accepi, satis diu jam est, inscriptam defectus atque vitia in salvis conductibus Principibus ac Statibus Imperii Regum Sueciæ ac Galliæ confederatis oblatis notati & emendandi. An verò aliud intercesserit inter Cæsarianos & Suedos scriptum posterius mihi non visum, qua de re quid sit, quia functionis meæ interest, scire percupio. Cæsariani pacem nunc velint an non, video in utramque partem dubitandi causas. Sunt sanè hujus anni successus pro iis tales, ut Domui nunquam de se parva sentienti animos addere possint. Sed eidem Domui non incautæ, & sua ex consiliis magis quàm ex impetu disponenti, suspecta multa esse possunt, vis Turcæ quæ facilè bello Persico explicare se potest, infensa Hungaria, metus à Transilvania, Ducis Bernhardi felix virtus, & Gallia adhuc tam vegeta, ut & sua teneat omnia & fines longè protulerit. Sed exspectemus quid allaturus sit Franciscus Carolus, pacis ut dicitur, apprimè cupidus. Dux Bernhardus certè à Ratisbona satis longè abest, ægrè quæ tanto periculo peperit tutans, & de Brisaco valde incertus, non quod quicquam omiserit eorum, quæ suæ erant facultatis, sed quod è Gallia tenuia ei mittantur auxilia, unde animi ægritudo orta etiam valetudini ejus labem attulit. Quantum autem mali futurum sit, si quid humanitus ei Principi acciderit, horreo cogitare, nedum dicere. Banerii res si bene procedant, ut certè initia bene se habent, præsertim quæ Nob. Vestræ scribit de Slangio & Wolgasto, multum in eo momenti erit ad spem belli aut bonæ pacis. Danici quod comiter, ut inter vicinos decet agunt, rectè se habet. Mirarer data illis de quibus scribit Nob. Vestra mandata, nisi plerique nunc Legati exploratores essent. Sed vincit Danicam subtilitas Suedica quæ ipsorum speculatorum consilia speculatur. Ego tamen Danum, rebus nostris non malis, arma etiam suis civibus improbata sumpturum neque nunc credo, neque antehac credidi. Quare strepitantes illi paratus neque Imperatorem obligabunt, neque terrebunt Suedos. De Anglis quid conjectem nescio. Si Palatinæ Domus aliquam habent curam, tempus est ut & ipsi eam sustentent, & se firment societatibus. Sed in ea Aula multi Gallis invident, aliqui Hispano sunt obnoxii, alii civium commoda propinquitatibus Regiis antehabenda existimant. Tum verò & motus hi Scotici, si durant, metuo ne duplex malum pariant, & novas excitando suspiciones & mali interni sensu avertendo externas cogitationes. Si à novo pastu arceri possit Gallassius, haud dubiè nostri, qui propinquum habent mare, durabiliores erunt. Non est quod calami festinationem Nob. Vestra excuset, sunt enim omnia scripta & sensu optimo & verbis elegantibus. Dux Vinariensis nescio colicone morbo, an ex ægritudine ægrotat. Tarda accipit auxilia: pereunt occasiones. Duo nunc millia militum accepit, parum sanè ad tuendas tantas munitiones quibus oppidum Brisacum undique inclusit, adventantibus cum maximè è Bohemia, Austria, Bavaria, Italia, Belgica hostium exercitibus. Magna tamen & Ducis & militum ejus virtus vetant nos desperare. Et Rex plusculum militis promittit. Sed de effectis qui res hic agunt Ducis dubitant. Regina Mater in Angliam advenit, onerosa hospita. Vale, Nobilissime Domine. Lutetiæ 22 Octobris 1638.

Has ad Magnum Cancellarium literas bene curari velim.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1052 GRatissima est mihi benevolentia Excellentiæ Vestræ restitutam mihi valetudinem gratulantis. Vestram ut servet Deum precor. Regina Mater in Anglico littore honorificè excepta est, obviam missis Northumbrio, Gorino, Vennio. Coignæus auctor consilii ad abitum fuisse creditur, sibi metuens à Gallis qui in Batavis militant, ut pote gnarus se potissimùm Cardinali invisum. Comes Henricus Nassavius ad Regem deductus fuit nudiustertius in Regis carruca, comitante Reginæ carruca. Ita de subito hic mutantur consilia. Respublica ista, in qua vivitis, etiam nostris temporibus suas habebat labes. Sed plurimum ab eo aucta multa vitiorum genera, tristis intelligo. De Scoticis rebus quæ hic sunt, Angli sperare nos jubent meliora. Rex foedus hoc novum mutari vult eo fœdere quod Iacobo regnante factum est. Conventum minorem & in quo deliberetur tantùm, permittit in mensem Novembrem. Parlamentarem differt in Majum anni sequentis. Interim Barones Scotos qui à consiliis ipsi sunt, mittit per regiones ad sedandos vulgi animos. Sed indulgentiam commissorum, quam Rex dat, planè recusant accipere Scoti, causæ suæ se fidere dictitantes. Si serenum illinc ut videtur affulgens nos non decipit, licebit nobis & de D. Roi negotiis Hamburgi, & de iis quæ ab Electore missi, tum hic, tum in Suedia agunt bene sperare. Regis Reginæque Polonicæ iter, velatum Aquarum sumendarum nomine, suspectum hic est, nec Principi Casimiro prodest. Habuere quidem hoc anno Austriaci successus non exiguos. Sed & ab iis quæ apparent, & ab aliis quæ latent, multa illis metuenda sunt, quæ prudentùm animos ad moderatam pacem possint flectere. Cosaccos Regi Poloniæ conciliatos & de Prussico etiam vectigali inter Regem & Brandenburgicum convenisse intelligo. Eo magis Suedi ad res suas bene ponendas vigiles esse debent. Exspectabimus & de Demmino capto gaudium, & responsum illud quod Danicis datum est: & de Magni Cancellarii aut domi mansione aut transitu, nuntium: itemque de rebus Turcicis. De matrimonio Danico rumor mihi non fit credibilis. Literæ ad Ducem Vinariensem optimè curatæ sunt. Iuvenem qui & illas & Wolfii ad me literas attulerat, cùm ad iter ei pecunia non suppeteret, domi meæ retinui, magis misericordiæ causa, quàm quod ejus opera mihi multum utilis esse posset. Deus Excellentiam Vestram servet. Lutetiæ 22 Octobris 1638.

Exc. Vestræ observantiss. & ad cuncta officia paratiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MAgna sunt quæ à Geneva nobis nuntiata certiorem 1053
auctoritatem exspectant, Ducem Carolum, cùm Brisaci necessitatibus iterum subvenire vellet isse eò cum alis equitum octo, peditum millibus duobus. Sed à Duce Vinariensi, ad quem profectionis istius fama manarat, missas septem equitum alas & musquettarios sexcentos obvium habuisse hostem ad Ginhemum Mulhusio non procul die mensis hujus 1/11. Disjectum facilè equitum hostilem: peditum egregiam apparuisse virtutem, non sine equitatus Vinariensis damno. Sed machinarum Vinariensis vi disjectos illos receptum sibi quæsivisse in silvam propinquam. Ibi ab equite Vinariensi circumventos postero die venisse ad deditionem. Captas hostium machinas omnes, id est, quinque cum impedimentis. Ipsum Ducem Carolum cum iis quos adferebat commeatibus subductum periculo. Mortuum, ex Primoribus Lotharingici exercitus Mercium: ex altera parte Wittershemium. Addebant literæ Gotzium nihilominus appropinquare habentem secum decem ferme millia. Partem eorum Rhenum transgressam prope Laufenburgum. Aliæ à Basilea literæ significant 11/21 mensis hujus die captum à Duce Vinariensi castellum, quod extra Brisacum est, con-

Digitized by Google

contrà Libenspergam, Vettenum nomine. Id viam facere Duci ad pontem Brisaci oppugnandum. Vidi apud me Lautmarium qui ab Electore Palatino missus est. Roganti, ut negotia sibi commissa commendarem, promptè id pollicitus sum, sed monui, Gallos pecuniam non daturos, nisi norint quid quantumque Anglus promittat ad juvandum consanguineum Principem. Idem ut faciat, in Suedia exspectari. Initia ejus malè procedunt; nam redditæ ipsi sunt per Chavigniacum quas attulerat ab Electore, fidem ipsi facturas literas, quia more Germanico, Regiam non Majestatem, sed Dignitatem nominaverant. Post Calendas Ianuarias anni quem exspectamus, iis qui sine Legationis nomine à Principibus ad Regem mittentur carruca Regis non dabitur. A Constantinopoli habemus vati illi qui res novare cœperat pellem detractam. Ipsum Turcarum Imperatorem Aleppi esse & multas ad eum è Græcia atque aliunde ire copias. Neque tamen hoc paratu territum Persam, quin ultro de bello inferendo cogitare. Fruges ab eo aquasque corrumpi. Redierat è Polonia Constantinopolim Chiausius quidam, Polono à Rege misso comitatus, qui Polonus latè jactabat de Cosaccis partam victoriam. Sed gloriationi ejus multum detrahebat is Chiausius, narrans nobilitatis Polonæ cum civitatibus dissidia, paupertatem publicam & per totum biennium absque stipendio milites. Strangulatus & in mare abjectus fuit Cyrillus ex mandato quod ab Imperatore ex itinere venerat, Iesuitis, ut creditur, suasoribus, emptisque in id Bassis. Qui Patriarchatum Aulæ gratia alterum nunc adeptus est Caraferiæ antistes Pontifici quàm Protestantibus propior esse creditur. Hagæ interpres captus est: ipsi crimini datur quod homo externus nimium se immiscuerit Aulæ Græcorumque factionibus. Periculum eum, nisi fortè pecuniæ, si quam adipisci potetunt Turcæ juris gentium satis incuriosi, adire non puto. Sed Venetis ob violatum Dalmatico in solo Turcicum territorium, præter quod injuriosè Bajulum tractavere, etiam bellum Turcæ minantur. Creduntur hanc procellam Veneti sparsis in Bassas pecuniis redempturi. Reginæ Matri in Anglia audio dari ducentos in diem Sterlingos. In Italia nihil agitur planè quasi induciæ essent. Ad bellum jam pridem nihil confert Mantuana. Hispani Romæ de Delphino nato non minùs quàm Galli ipsi gaudium solitis in id signis ostentarunt; reddiderunt etiam eandem ob causam captivos quos Fontarabiæ habebant trecentos. Mitto acceptam à Veneto formulam diplomatis, quam Cardinalis Hispanus misit, signatam pro Batavis, non ipsorum expresso nomine, sed designatis sub vocabulo Galliæ federatorum. Sed credibile est ipsos alio diplomate contentos non fore, quàm quale olim Legatis ipsorum datum est qui Antverpiam ivere, finem imposituri induciarum negotio. Quanquam pridem ego nullas pecunias accepi, sustinendis, quæ hic sustineo, impendiis, ideoque meritò alienis negotiis abstinere poteram, meo non expedito, tamen Marini precibus ac necessitati hoc dedi, ut ei ab Heufdio ducentos imperiales impetrarem. In Italia sermones sunt de permutando Cremonensi territorio cum Montisferratensi. Rhæti qui ab Hispania rediere, referunt inde, firmatum Rhætis in Vallem Telinam imperium vetus, sed sine Protestantium sacris. Hujus decreti pars prior Vallitelinates offendit, Rhætos altera. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, varias has belli vices ad bonam pacem dirigat. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Octobris 1638.

Pontem è navibus qui ad Neoburgum erat Dux Vinariensis, ne quid in eum hostibus liceret, sustulit. Mitto epistolam Ducis ad me quam jam nunc è castris accipio, & alteram filii. De peditatus deditione video inanem fuisse rumorem. Cætera satis præclara sunt. Sunt aliæ literæ quas non vidi. Nuntiant præter id de quo scripsi, castellum captum à Vinariensibus & alterum quod pontem tegebat; pontis arcus quatuor incensos. Id hostibus ad commeatus ab Alsatica parte, nam præclusa est altera, invehendos impedimento fore. Id factum nocte inter 19 & 20 hujus mensis. Eo tempore unà erant Gotzius & Lamboius, aut castrorum aut Friburgi oppugnationem, ut dicitur, molientes. Nos hic pro Duce Vinariensi omnia moliri non desinemus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

EAm formulam pro Batavis, quarum Excellentia Ve- 1054
stra literis $\frac{8}{18}$ mensis hujus meminit, mitto. Gallis ea non displicet, sed puto verum dicere vestras literas, non contentos hac generalitate Batavos fore. Neque verò ego causam comminisci possum, cur non tale det diploma Cardinalis Hispanus, quale Albertus & Isabella dedere cùm Antverpiam ituri essent Batavorum Legati ad finem imponendum induciarum negotio. Rex Daniæ, ut video, vellet disputationem de diplomate, quod nos pro Germanis postulamus, differri, usquedum Legati bellantium Lubecam venissent, ibi & de hoc scrupulo, & de re principali pariter acturi. Nostri verò certi esse cupiunt de tali quale postulant diplomate, antequam conveniant Legati, aut dies statuatur Conventui. An Imperator & Hispanus pacem cupiant, ut cuncta Principum, obscurum arbitror. Læti quidem successus contra Gallos & Batavos ferociores eos facere queant; sed & Dux Vinariensis & Bannerius in penetralia Austriacæ Domus viam sibi ferro patefacere possunt, & Anglus ad fortiora se vertere, & Hungari, sensu injuriarum, atque ope vicinorum in arma accendi, & Turca Oriente omisso in Occidentem se convertere. Præter hæc alia multa mihi in mentem veniunt, cur non imprudenter facturos putem si belli incerta vitaverint. Italiam & Germaniam non appeti tantùm, sed & teneri ab ipsis prope omnem, aut armis, aut terrore video. Hæc si eripi illis bello possunt, pergendum est. Sin id frustra jam diu Suedi Gallique tentamus, exspectanda nimirum alia sunt tempora, dum ipsis sua magnitudo, ægrè quæsita continens, obstet, & inimicos sibi novos reperiat superba dominatio. Polono quid suasuri sint Austriaci, si bellum maneat, facile conjectu est; neque tamen id nimium metuendum arbitror. Polonia in externum bellum, si infelix sit, damnum ipsi, si felix, nihil civibus boni, Regi vires adversùs libertatem allaturum, non facilè commovebitur, ut jam dissidia inter ipsos taceam & incertam Cosaccorum fidem, metumque à Turca, Tartaro, Moscovita. Externis viribus si fidat Rex Vladislaus, etiam hoc Poloniæ intutum suspectumque; & facilè exarescunt tales fontes. Literæ D. Magni Cancellarii ad D. Roum sunt sanè quales esse Excellentia Vestra judicat, dignæ prudentia scribentis. Palatini rebus & ipse pessimè metuo, nisi Angli & loquantur apertiùs & agant liberaliùs. At Dux Vinariensis, si Brisacum, quod fore confido, capiet, magna erit in gloria, in ampla possessione & in spe justa rerum majorum. Gratulationis officium jam apud Reginam, etiam & ad infantis cunas peregit D. Oosterwyckius. In Angliam dicitur se jam conferre & Dux Valetta rerum ad Fontarabiam reus & judicium declinans. Ea, post Ducis Chevreusii uxorem, & Reginam Matrem, tertia jam erit Gallis causa cur limis oculis Anglos intueantur. Regina Mater, ni fallor, apud Hispanos, tessera hospitali jam fracta, ægrè fidem inveniet. Tamen omnia circumspectare, non abs re erit. De Scoticis rebus meliora jam sperare Legatos Anglos video. Et videtur mihi prudens esse quod postremò captum est super illis negotiis à Rege Magnæ Britanniæ con-

consilium. De Transilvanicis nihil hic intelligo. Deus Excellentiam Vestram sospitet, pacemque det Christiano orbi. Lutetiæ $\frac{20}{30}$ Octobris 1638.

Pontem è navibus qui ad Neuburgum erat Dux Vinariensis, ne quid in eum hostibus liceret, sustulit. Quas jam nunc à Duce & alias è castris accepimus literas, ex nos docent de peditatu dedito nihil esse, cætera vera. Signa capta hostium XIX, equestria omnia. Captum inter multos Bassompetram qui hostilibus machinis præerat. Commeatus quos advexerat hostis Thanum pervenere. Sunt aliæ literæ quas non vidi, nuntiant præter id de quo scripsi castellum captum à Vinariensibus & alterum quod pontem tegebat: pontis arcus quatuor incensos. Id hostibus ad commeatus ab Alsatica parte, nam præclusa est altera, invehendos impedimento fore. Id factum nocte intra 19 & 20 hujus mensis. Eo tempore una erant Gotzius & Lamboius, aut castrorum aut Friburgi oppugnationem, ut dicitur, molientes. Nos hic pro Duce Vinariensi omnia moliri non desinemus.

Excell. Vestræ cultu perpetuo devinctus H. G.

SAMVELI ANDREÆ.

Clarissime Domine,

1055 MVltum me obligavit sibi Clar. Vestra missa oratione Danorum & Reginæ Dominæ nostræ responso. Et hoc responso, & literis quas ab D. Roum scripsit Magnus D. Cancellarius, nihil dici potuit, nihil est quod cogitari possit aut æquius aut prudentius. Felicem Suediam, quæ tam bonis consiliis regitur; felices etiam vos quibus datum sub tali Magistro proficere. Pacem cupientium non est ad belli aspera addere contemptum eorum, qui dum in armis sunt, hactenus saltem pares sunt, & sæpe ulciscendi se reperiunt occasionem. Qui autem adstringere nos volunt ne pacem faciamus, nisi rebus suis bene positis, suscipere justam onerum partem debent, præsertim potentes & longa pace opulenti, hoc ipso nostris futuri feliciores, quod ad ferenda belli incommoda tantò serius & tam propinqua spe pacis accedunt. Deus hæc utraque consilia ad bonum tum Orbis Christiani, tum Suedici Regni regat ac gubernet. Lutetiæ 30 Octobris 1638.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

Summarum Laudum Viro

GERARDO IOANNI VOSSIO.

1056 MVltum me oblectarunt, ut solent, nunc verò luctu socrus commotum etiam solatæ sunt plenæ veteris in me ac mea benevolentiæ ac fidei literæ tuæ, datæ mensis hujus 14. Auxit beneficium longus quem mecum habes sermo ac planè qualis inter nos esse solebat confabulatio. Ego nunc multis responsionibus destrictior potiùs brevis ero quàm moræ reus. Talis est ille quem χαρακτηρίζεις [*describis*] qui nobis obliviscendus posthac, multum remotus à Manutiis, Stephanis, Plantinis. Neque verò de Elseviriis cogitandum, ob eum qui apud eos regnat hominem nobis infensum, ad cujus literas tacui hactenus, quod & ipse ad me tacuerit tam diu, fortunæ homo, quem, ut puto, attondebit satis strictim noster Salmasius in Simplicii editione. Non dubito quin hujus ὁρμὴ [*impetus*] illi facturus sit ἔκκλισιν [*vitationem*]. Nos autem decet κατὰ τὸν Ἐπίκτητον, μὴ συγκατατίθεσθαι ταύταις ταῖς φαντασίαις [*juxta Epictetum, non assentiri ejusmodi opinionibus*]: illius autem notæ ad Sacros Libros quo sunt loco, quando proditurae? nam mearum relectionem eousque differo. Iansonius qualis sit animi circa sacra & Rempublicam scire cupio, non ob Anthologiam, sed ob alia quæ editurio. De typis judicium tibi talium experienti lubens permitto. Velim autem in Anthologia tales esse qui ad Stobæana & Excerpta è Græcis Tragœdiis Comœdiisque à me edita proximè accedant, ut hi libri fratres fiant tergemini. Meursii vel solum Lexicon Græco-Barbarum meretur, ne eum aut contemnat Heinsius, aut trahant librarii. Fuit apud me Philolaus; gaudet tandem rediturum ad se fœtum suum. Sed alterum quem paratum habet ejusdem argumenti librum, non committit istis testudinibus. Hortensio si quid per me boni evenit, gaudeo, & ipsius & Matheseos causa. Me sive videat hoc veniens, sive id offensarum metu defugiat, mihi ex æquo est. At filius viri Amplissimi Conradi Verburgii ad me si venisset, expertus esset eam quam omnibus bonorum civium liberis exhibeo comitatem. De Gravii morte doleo. Cara est talium virorum apud vos annona. Bicherus, Verburgius aliique his similes si nos amare pergunt, est id pergratum, & apud me mutuum. Manassi valetudinem opto commodam. Est vir publico, etiam literario non inutilis. Ego, sicut ab eo quædam discere interdum percupiam, ita molestus, ne sano quidem, esse velim. Scylacem exspectarem avidè, nisi avido non esse liceret, ubi cum tantis triconibus res est. Periplum autem Mæotidos etiam ob Gothica mea legere desidero. Ægrotat vir optimus D. Cordesius. Bignonus nuper filiam honestissimè elocavit. Rigaltius in Lotharingia & Mediomatricibus est τὰ πάντα [*omnia*]. Efficiam, ut te sciat sui esse memorem. Vale vir optime ac doctissime. Lutetiæ 30 Octobris 1638.

Edit Argentorati in mediis bellis Freinshemius Curtium cum doctissimo Commentario.

IOHANNI STOINSKY.

GAudeo, Vir Clarissime, me eum tibi credi, qui esse 1057 primùm, deinde & credi laboro, amantem bonorum virorum. Tibi eum esse, qui Christianis esse debet in adversis non levibus, animum gaudeo, proque eo, ut & pro superata magna morbi parte Deo habeo gratiam, utque id quod deest impleat, eum veneror. Tum verò multum debeo, quod cordi tibi fuisse pericula mea, quorum illud quod in itinere adii magnum sanè fuit, nec minus iis quæ in calidissimis præliis adeuntur, ostendis, quodque me eo juveris officio, quod vel maximum haberi debet, ad Deum precibus. De rebus Poloniæ vestræ persto in meis, quas video ab aliorum ejus regni peritorum judiciis non abire, conjecturis. Deus malos eventus avertat. Venio ad locum libri mei de Belli Pacisque jure. In eo video mentem meam aut à me non lucidè expressam, aut ab aliis non bene intellectam. Vltionis vox si rigidè sumitur pro ea quæ tantùm alterius dolore se satiat, eam interdictam Christianis non dubito, idque apertum feci me sentire capite quod est de Pœnis. Si autem leve aliquid sit quod à Magistratu exspectandum habeat is qui me læsit graviter, non vitam auferens, non corpus mutilans, ne patrimonio quidem eum spolians, atque ego justa adductus ratione, non videam quomodo hominis illius insolentia, aliter à malis, aut paribus, aut majoribus, mihi aut aliis inferendis, coërceri possit, puto me non peccaturum, si cautione utar qualem morbus requirit, coactus tamen utar nec gaudens. At verò eo quem adducis loco, distinguo ulcisci & arcere, illud ut majus & gravius, hoc verò ut multò æquius favorabiliusque, & oppositionem in Domini nostri verbis puto esse non directam, sed à majore ad minus. Permisit Mosis lex etiam ultionem à privato exactam, datam ab judice. Ego verò non modò hoc vero, nempe eo quo jam dixi sensu, sed & defensionem contra injuriam non omnem permitto, sive illa injuria corpus impetat, non tam cum periculo aliquo nostro quàm cum contemtus significatione, sive de bonis aliquid imminuat, dummodo scilicet non nimis grave sit hoc aut illud malum, quod ἐν στιγμῇ [*in puncto*] definiri non potest, sed homini patienti ac benigno ipsa lenitas bonitasque suggerit. Sic in Tunica & Pallio intelligo damnum tolera-

lerabile. In milliari uno aut altero laborem nobis non exitiosum. Eandemque interpretationem adhibeo ad præceptum non litigandi, & ad præceptum petita non abnuendi, quæ à prioribus discreta esse, sed tamen ex eodem bonitatis fonte venientia, non primus sentio, sed cum Christianis antiquis, ut puto, omnibus. Quod verò nonnulli posteriorum illud τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι [*ei qui vult tecum contendere*] interpretentur potiùs quàm ut te ulciscaris, sanè coactum est. Ego hoc nec minùs illud αἰτοῦντί σε δίδου [*qui petit à te da ei*], per se sumendum arbitror, non autem connectendum cum prohibita ultione. Neque enim rigidus ordo in Aphorismis talibus exigendus est, non magis sanè quàm Analysis in Psalmis. Sic igitur intelligo præcepta illa, ut tacitè insit exceptio, sive ex ipso exemplo, puta alapæ, comprehendi facilis, sive supplenda ex æquitate reique natura, ut de jurejurando. Ideoque ἀντιστῆναι [*resistere*] mihi est vim imminentem vi arcere, quod minorem habet mali speciem quàm post factum se per judicem ulcisci, in quo plerumque est animus alterius malo semet exsatians. Libanius, homo paganus, sed Euangelii non indiligens lector, in oratione de custodia reorum laudat præceptum de chlamyde aut tunica non litigandi. Iustinus verò Martyr hæc ipsa quæ dixi præcepta explicans Apologetico II ait: Περὶ δὲ τοῦ ἀνεξικάκους εἶναι καὶ ἀοργήτους ἃ ἔφη ταῦτά ἐστι [*hæc quæ dicit ideo dicit ut tolerantes injuriarum, & minimè ad iram proclives simus*]. Chrysostomus illud, *Petenti dato*, explicans ad locum 2 Corinth. VII. ait: Ὁ Θεὸς τὸ κατὰ δύναμιν ἀπαιτεῖ, καὶ καθ' ὃ ἔχει τις οὐ καθ' ὃ οὐκ ἔχει [*Deus id quod in potestate est exigit & secundùm id quod quis habet, non secundùm id quod non habet*]. Addit tamen prudenter, ἐπαινεῖ μὲν τὸ ὑπὲρ δύναμιν· οὐκ ἀναγκάζει δὲ τούτους ποιῆσαι ταῦτα [*Laudat quidem id quod supra potestatem est: non cogit verò hos ea facere*]. De alapa verò idem Chrysostomus hunc in modum Philosophatur VII. ad Romanos: Τοῦτο γὰρ ἡ λαμπρὰ νίκη τὸ πλεῖον αὐτῷ παρασχεῖν ὧν βούλεται, καὶ τοὺς ὅρους τῆς πονηρᾶς ἐπιθυμίας αὐτοῦ τῇ δαψιλείᾳ τῆς οἰκείας ὑπερβῆναι μακροθυμίας [*Hæc enim est splendida victoria plus ei exhibere, quàm exigit, & terminos pravæ ejus cupiditatis abundantia propria tolerantiâ prætergredi*]. Causam reddit in prima Oratione de Eversis statuis: ὕβρεις οὐκ ἀπὸ τῆς γνώμης τῶν ὑβριζόντων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς διαθέσεως τῶν πασχόντων ἢ συνίσταται ἢ ἀπόλλυται [*Injuria non pendet à voluntate eorum, qui eam inferunt, sed pro affectione patientium vel formatur vel deperit*]. Præceptum de vitandis litibus in libro illo explicavi quibusdam Christianorum veterum dictis: quibus addi potest illud ex Concilio Carthaginensi quarto: *Episcopus nec provocatus de rebus transitoriis litiget*. Multa alia adferre possem sanctioris ætatis testimonia, eam quam cœteris prætuli, interpretationem firmantia; verùm id epistolæ modum excederet, quam claudam, repetitis ad Deum pro te & Christianorum universitate precibus. Lutetiæ 6 Novemb. 1638.

Tuus ut debeo amantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1058 ADii ante hos sex dies D. Chavigniacum, commendavi ei conatu quanto potui maximo res Ducis Vinariensis. Volebat pro certo haberi bis mille illos, de quibus scripsi antehac, integrè ad Ducem pervenisse. Ego fisus Ducis literis abesse dimidium asseveravi. Rogavi is promissus pridem numerus ut suppleretur. Vt festinare juberetur Longavillani exercitus jam tantò expeditior, quod ejus quem ipse observabat Ducis Caroli fractæ essent vires. Tum verò ut equitatus bono numero mitteretur Vinariensi, qua parte copiarum & egeat & opus is habeat maximè. Præterea ut promissa auxilii pecuniarii pensio augeretur extraordinaria liberalitate, ut in impendiis extraordinariis quæ secum ferret tanta, talisque obsidio. Hæc omnia sibi cordi fore promisit. Dixi autem me de iisdem acturum cum Rege, simul ejus commodum id ferret, quod etiamnunc exspecto, Rege in venatu occupato. Narravi itidem Chavigniaco summatim, quid responsum esset in Suedia Danicis, quid Tua Sublimitas scripserit D. Roo, & quo in cardine illud cum Anglis versetur negotium. Probabat omnia, addebatque per D. Davausium ex D. Salvii relatu significata eadem. Sicut nos Germanico conventu diem præstituere nollemus, nisi certi priùs de diplomatibus pro Germanis, ita & se idem exspectare, tum pro Germanis, in quo putabat difficultatem non fore, tum pro Batavis, quibus, verborum generalitate offensis, æquum censebat satisfieri, repositis verbis quæ olim paulò ante transactionem de induciis usurpata ab Alberto & Isabella fuerant. His expeditis nodis posse pariter inchoari & illum Lubecæ aut Hamburgi Conventum, & Coloniæ alterum, ac pariter deinceps procedere, hoc præcipuo proposito, ut si veram rectamque pacem nolit hostis, id Orbi appareat, maneatque nobis talis pacis non spretæ gloria. Etiam de Electore Palatino collocuti sumus. Non toleraturum Regem dicebat dignitatis Regiæ sibi titulum dari, cùm Majestatis vocabulo ad eum uterentur & Bavarus & Brandenburgicus, & ipse ex Anglia ita scripserit Palatinus. Saxonis aliter scribentis literas non recipi. Cæterùm negotium ejus cordi fore, & quanquam id vel maximè optetur, ut Anglus in fedus veniat, tamen ne in ea mora malum aliquod accipiatur, daturos se operam, ut Hassicus equitatus ad ipsum Electorem transducatur, modo & in hoc Anglus contribuat. Dixi laudare me consilium: sed rem videri difficilem, cùm qui apud eum militem plurimum possunt, Cæsareis beneficiis sint obligati. Ex eo tempore didici duces omnes inter se pactos ne quicquam seorsim agant ab alio alius, donec persolutis stipendiis missionem acceperint. Hæc ita inter nos dicta. Post id literæ Lugduno nuntiant à Gotzio, qui XX secum millia habeat, captum Friburgum deditione, oppugnata castra, eodemque tempore obsessos rem machinis explosis gessisse strenuè. Eventus nobis adhuc obscurus est, nisi quod depulsos oppugnatores, magna utrinque cæde, nuntient eædem literæ. Id si ita est, creditur ad Neumburgi obsidium versurus se hostis, ut Duci Vinariensi commeatus faciat arctiores. Speramus Brisacum jam in Ducis esse potestate, post cibos consumta etiam spe auxilii socialis. Interim graviter nos habet ex alia parte nuntiata clades Electoris Palatini & Kingii, quos a Lemgoviæ obsidio dejectos hostis perculit. Planè videtur Domus Palatina, infirma & antehac, hoc novo malo labefacta, ruinam facere, ni properè eam sustentet Anglus. In Burgundiæ Comitatu quæ capta à Duce Carolo fuerant, recuperare nititur Arpajousius, Dux non spernendus. Qui hic ærarium regunt in annum sequentem, partim ex tributis, partim ex venditione redituum, accepturos se putant milliones CXX, si cum fide dispensentur magnum ad res bellicas instrumentum. Si verum est, quod rumores ferunt, novum Sabaudiæ Ducem ægrotare, veneni dati suspicio eum urgebit qui successioni est proximus, Sabaudum Cardinalem. Ac si mors sequatur, magna prospicitur rerum mutatio. Legatus Venetus promisit operam se daturum, ut præter diplomata pro Landgravia si velit, & pro Duce Vinariensi, detur generale pro Suediæ federatis. Ex eodem didici in Assyriam penetrasse Turcas. Suam cum Turcis controversiam ex piratis Vticensibus ortam in eo esse ut componatur. Legato Hagæ lites à Græcis moveri, sed de iis quoque sedandis spem esse. Non improbabat Legatus idem Venetus quod Batavi Rempublicam suam in diplomate speciatim exprimi vellent, se tamen negare non potuisse aliis, quin tentaret Batavorum animos, si fortè generalitate contenti forent. Dux Valetta in Italiam, Angliam, an

Digitized by Google

an ad Batavos eat, nondum liquet. Qui in Reginæ matris comitatu fuerant Galli, ii omnes jussi sunt excedere finibus Belgicæ Hispanicæ, excepto monacho Chantilapio & Presbytero Sanctogermano. Marchioni Vieuvillæ id oranti productum est ibi morandi tempus ad Pascha. Certum tamen est, Reginam matrem cùm è Batavis in Angliam abiret, quendam suorum misisse Bruxellam. Ex his argumentis fluctuant quæ de ejus animo capi possunt conjecturæ. Scripserunt iterum ad me Berneggerus & Frinshemius de nova, magna, & perelegante quàm struunt editione Taciti. Spem eis fecerant & D. Mullerus & D. Mockelius, sicut alii principes aliquid ad sumptus graves futuros contulerant, idem facturam Reginam nostram suasu Tuæ Sublimitatis. Ego qui Tacito non parum debeo, illos autem duos viros eruditissimos facio maximi, ab ea re commendanda absistere non potui. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Regni Tuæque Sublimitatis beet. Lutetiæ 6 Novembris novi Calendarii anni 1638.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1059 DE Scoticis & ego meliora spero. Formulam tamen transactionis non vidi. Quæ de ea re hic comperi, scripsi antehac. Reginæ matris in Angliam adventus, ut expetitus non est, ita prohiberi honestè non potuit. Quæ sit consilia captura ex iis quibus plurimum fidei tribuit hominibus apparebit. Est in eadem Aula Chevreusia, inquies femina, & quæ in Galliam invitata reverti hoc tempore non vult. Tum verò si eodem veniat Dux Valetta, accendentur suspiciones concursu tot hominum res Galliæ præsentes gravatè ferentium. Ego sic arbitror, hanc Aulam, sicut maximè illud concupivit, ut in Ethruriam iret Regina, ita maluisse eam manere in Batavis quàm transgredi in Angliam, præsertim fœdere nondum facto. Summas habeo gratias Excellentiæ Vestræ, filioque ejus nobilissimo, quod eorum quæ Hamburgi aut geruntur aut probabiliter exspectantur, me ignarum non sinant. Magni Cancellarii in Germaniam adventum prope esse, etiam ex Suedia literæ credere nos jubent. De formulæ mutatione puto obtenturos quod volunt Batavos, si pertendant. Puto & Suedis satisfactum iri super diplomate generali pro Germanis: nam ut aut Suedos aut Batavos à Gallis avellant Austriaci, si quam spem conceperant, ea fallax aut jam apparuit, aut brevi apparebit. Suedos ad pacem non repudiandam, si æqua dabitur, hæc duo vel maximè movere possent, quod Gallia tam tenuiter lenteque in tantis periculis juvando Vinariensem, satis ostendit Protestantium in Germania res prosperas suis votis non congruere, quodque Anglia post tantas cunctationes nihil offerat quod dignum sit respici. Palatinus certè quam nunc accepit cladem (ejus historiam quamvis tristem ab Excellentia Vestra exspecto) nulli magis quàm Anglis acceptam ferre debet. Et ni vel nunc tum festinantiùs tum fortiùs agant Angli, periit funditus Domus Illustrissima, capto eo Principe cujus maximè militare ingenium, & Comite qui suis opibus res afflictas adjuvabat, & exercitus duce. Etiam quæ illa sit clausula quam paci Hassicæ adjecit Imperator, dignum erit cognitu: & ad quam militiam vertere se videantur copiæ illæ Hassicæ. Saxo & Brandenburgicus haud dubiè pertinaciter persequentur quam institerunt viam. Regi Poloniæ, ut scripsi nuper, prius vires deerunt quàm animus nobis nocendi. Nec aliter sentiunt qui hic sunt Polonorum Protestantes. Dantiscani quid faciant, anxii multum pendent, ab eo quod constituturi sunt Batavi. Non est dubium quin id agant Iesuitæ, ut Græcam Ecclesiam, liberam per tot sæcula, Romanæ subjiciant. Qua de re quos cum Veneto Legato sermones habui, eos spero non futuros inutiles. Deus bonis consiliis adsit, idemque Excellentiam Vestram ejusque illustrem familiam sospitet beetque. Lutetiæ 6 Novembris 1638.

Excell. Vestræ omnis observantiæ cultu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

LEgato Veneto inter sermones ostendi, id agere qui 1060 in Turcico Imperio sunt Iesuitas, ut, per eum qui Cyrillo suffectus est Patriarcham, artesque varias & Græca Ecclesia & quicquid præterea est Christianorum in Oriente colla subdat Romano Pontifici, quo antehac populi illi, etiam in maximis suis calamitatibus, adduci nunquam potuere, freti antiqua libertate & œcumenici Concilii non unius decretis. Suspicari me Iesuitis hac in re adjutores esse Gallos, suo ipsorum, ni fallor, malo. Rem sua magnitudine dignam facturos Proceres Venetos, si, quemadmodum in sua urbe præberent Græcis hospitium cum plena sacrorum ex suo more peragendorum libertate, ita etiam foris homines, etiamsi nihil novi mali accideret, satis afflictos, consilio, ope, commendatione sustentarent. Id, præter misericordiæ officium, etiam ex re eorum fore qui Pontificiorum fulmina aut sensissent antehac, aut metuerent, multis rationibus conatus sum demonstrare, à quibus ipse non alienus esse videbatur. Ducis Valettæ scriptum quo se de Fontarabia purgat, huc redit. Se ab initio obsessæ urbis suasisse ut in monte Guadalupæ castellum justæ magnitudinis fieret, quod indè castris, id quod evenit, periculum prævideret: sed impediisse id Condæum Principem, qui eo venturum hostem, quasi certus, negabat. Itidem contra consilium suum fuisse derelictum locum qui Passagium dicitur, quem nisi suæ potestatis fecisset hostis, nunquam ex sancti Sebastiani oppido potuisse ad eum pervehi quæ bello aut ad vitam erant necessaria. Præterea cùm sibi difficillima ad impetendam urbem loca tributa essent, contra facillimis acceptis à Principe, cujus Principis opera ob id multò erant admota ad urbem propiùs, cum tamen, moræ non diuturnæ intolerantem, ante tempus incendisse cuniculos. Atque ibi, spe omni corrupta, transtulisse labores ad regionem dexteriorem, sed irritos magno & temporis & pulveris nitrati, vel maximè necessarii, impendio. Deinde, ubi ad diluenda quæ sibi objectantur venit, ait, quò minùs oppugnaretur oppidum per se non stetisse. Etiam cùm à Principe juberetur eam in qua ipse administrabat regionem Archiepiscopo Burdegalensi tradere, non ultra cunctatum, quàm donec traditum sibi esset perscriptum mandatum ejusdem Principis. Videre se & hoc incusari nomine, quod cùm ingrueret hostis, suas copias non miserit ad Principem, verùm eas quas habebat copias non majores fuisse CIↃCC hominibus, & turmis duabus: hostem autem magno cum agmine adversum sibi & ex latere constitisse. Neque verò rogatum se ut in aliam partem copias transferret. Quod si & rogatus esset, & quod rogaretur fecisset, tam celerem tamen atque effusam fuisse in ea parte quæ assultabatur fugam, ut antequam ea fieret, viæ dimidium confecturi non fuerint si quos eò misisset. Hæc quanquam speciosè dicuntur, & quosdam faventes inveniunt, tamen plerisque persuasum video, & patrem Espernonium & Ducem Valettam, graviter ferentes quod alius in ipsorum venisset Præfecturam, multis modis id egisse ne quid ibi gloriæ Princeps adipisceretur, præsertim cùm etiam Archiepiscopum Burdegalensem sibi prælatum Dux Valetta conspiceret. Sed nihil Valettæ periculosius, quàm quod,

quod, cùm Regiæ hujus mos sit omnibus adversis aliquem reum subdere, faciliùs tutiusque in ipsum id onus inclinari possit, quàm aut in Regii sanguinis Principem, aut in antistitem. Hæc, quanquam non maxima, tamen in accessionem aliorum perscribenda duxi. Post quæ, sola vota adjungam, Excellentissime & Illustrissime Domine, pro rebus Sublimitatis Tuæ. Lutetiæ 6 Novemb. N. Cal. anni 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1061 GRatias ago maximas, quod mea valetudo Nobilitati Vestræ curæ sit, quæ cùm mihi jam plane Dei beneficio sit restituta, tantò ero & alacrior & paratior, ut si qua in re possim, Nobilitati Vestræ vices referam pro summo mei amore, cujus testes habeo & epistolas suavissimas, sive res, sive verba considero, & laborem sumptum in me edocendo, etiam per chartas transmissas, de iis quæ me, hoc loco positum, scire refert. Neque verò parum D. Legato Camerario ac Nobilissimo ejus filio debeo, qui suis temporibus me participem faciendo eorum quæ ad ipsos pervenerant, amicorum officio optimè functi sunt, ut solent. Quare nolit Nobilitas Vestra sollicita esse, sive adsit, sive absit scriba. Nam ut video, etiam absente illo facilè eâ quâ cœptum est agi viâ, discam quæ mihi ad hoc munus & honestè & cum utilitate publica implendum sunt necessaria. Intellexeram jam illa de Ducibus Lauwenburgicis & D. Reventlavio, quem antehac vidi, cognovique Gelvostadii. Mithofii literæ spem mihi faciunt aliquam adipiscendæ pacis. Saxonem credo postquam semel se iis, quos sequi voluit, consiliariis dedit, perstiturum in ea quam instititit via. Audimus jam trans Albim ivisse Galassium, fortè ut ipse aut pars copiarum Ducem Vinariensem, ægrè ea quæ magna animi fortitudine cœpit tuentem, à sociis, quod nec ipsi ignorant, non ut oportet adjutum, ad ruinam præcipitet. Eò si iverit, quid Duci Vinariensi sit metuendum, non dixero: sed Bannerio occasiones se aperient. Dux Vinariensis in liberis epistolis mirè queritur se deseri, nec injuria. Fuit enim & est ipse ipsiusque exercitus in periculo maximo. Post prælium illud feliciter pugnatum in Ducem Lotharingum Gotzius non minùs XX habens millia Friburgum cœpit. Nec miror, exhausit enim præsidia omnia Dux Vinariensis, ut castra in amplum diffusa meliùs tuetur. Scimus oppugnata ab hoste castra: scimus ex urbe tonuisse vi maxima machinas, quid evenerit ignari trepidamus. Sed solantur nos à Lugduno Galliæ literæ, quæ depulsum ab oppugnatione hostem, multo cum sanguine & assultantium & defendentium dicunt. Planè Galli, sicut Austriacæ magnitudini non sine causa invident, ita res Protestantium nolunt augescere, ideo quod qui rerum sunt potentes, non ullo sententiarum studio, sed, ut honores ac commoda aut serventur aut adipiscantur, Aulæ Romanæ se mancipent. Ea res Suedorum nobiles conatus & evertit & evertet. Aliud esset si ipsi per se aut fidos socios vires haberent ad implendum verè regale Gustavi Regis propositum, sed nunc, quid aliud quàm Germaniam, cui sublevandæ nos dicimus venisse, tenemus in maximis calamitatibus? Angli, ut solent quædam insulæ fluctuare, nutantibus consiliis, nulla certa destinatione, venales, pars magna, quid aliud quàm domum Palatinam, sive per suspiciones, sive per inertiam, sive quod ex commerciis commoda sanguini præferant, sive quod sua quisque curent, deserunt, produnt, evertunt? quod si id ipsi æquum censent, certè non est quod aut Suedi, aut Galli, multò minoribus officiorum vinculis innexi eidem Palatinæ Domui, incusentur, si oculis partim indignantibus, partim miserantibus, hæc spectant. Bysterfeldii iter diu est quod credidi eò spectare, ut Princeps ipsius externarum societatum fama res suas cum Imperatore suo ex usu componat. Nam nec quid in Gallia fecerit, ostendit mihi, neque cum D. Camerario egit quàm oportet apertè. Vidi illa de Prussicis in Brandenburgica ditione vectigalibus. Ius quidem est Suedis ista vindicandi, sed prudentiùs facient, si alios quorum interest, ista arceri, hostibus hostes concitent, fruanturque non usu tantùm, qui ad ipsos potest redire, sed & oblectamento spectaculi. Pro Duce Vinariensi laboramus quantum possumus. Bis mille qui missi ad eum fuerant, vix mille pervenerunt. Longavillani milites tardè procedunt. Equitatus supplemento opus habet, tot equis per morbos absumptis & pecunia ipsa plus quàm ea quæ dari solita est, tantis factis, tantis faciendis sumptibus. Novi Ducis Sabaudi ægrotatio Italis suspicacibus hominibus dat fabularum materiam. Cætera aut D. Salvius aut D. D. Camerarii Nobilitati Vestræ significabunt. Lutetiæ 6 Novembris novi Calendarii anni 1638.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

Viris Clarissimis summeque Doctis

MATTHIÆ BERNEGGERO, & IOANNI FREINSHEMIO.

ACcepi legique, Viri Clarissimi, tum amicissimas literas Vestras tum pagellas de Commentariis in Curtium: quas & legendas dedi eruditissimis qui hic sunt viris. Omnes & in congerendo diligentiam & in dijudicando solertiam mirantur. Ego quod addam nihil habeo, ita omnia abstulistis cum pulvisculo. Quæ ad Tacitum annotaveram gaudeo rectè ad vos pervenisse. Sunto ista vestri arbitrii, ut, quæ utilia esse possunt inserviant publico, resecentur cætera. De nova editione Taciti, iterum memoriam appellavi Magni D. Cancellarii, digna est omnium ope vestri animi magnitudo, qui inter æstus bellorum, in orbe vix tutos habente aditus exitusque, tam præclara molimini. Si ejus editionis Taciti, quam vestra liberalitate possideo, exempla aliquam multa huc venire possent, vendibilia fore prævideo, ostendi enim procerum multis, qui mirè amant elegantiam, curamque adhibitam in Notis, in Indice, in adminiculis ad margines. Rogamini non meo tantùm, sed & omnium qui hic literas amant nomine, inter quos eminet Hieronymus Bignonius Advocatus Regius, ne defatigemini in isto de omnibus bene merendi studio. Valete felices. Lutetiæ 9 Novembris novi Cal. 1638. 1062

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVantum & ex Veneti & ex Heusdii sermonibus colligo, Galli aut bellum trahere volunt, aut, si id ob aversos & populi & Pontificis animos minùs fieri potest, venire ad inducias. Neque id mirum, cùm nihil in Gallia teneat hostis, ipsi autem in externo solo multa, quæ per inducias sperant se posse retinere, pace non item. Interim res Ducis Vinariensis non ut ex re communi est sociorum hic curari, manifestissimum est. Multum metuit Cardinalis ne hoc & aliis sumtis obtentibus, Suedi seorsim à Gallia paciscantur. Ego omnibus affirmo omnia prius futura, quàm ut gens Suedica fidem fallat. Apparet & hoc esse Gallorum consilii, in omnibus quæ cum hoste aut directè aut per conciliatores agentur, res sociorum sui arbitratus facere. Quod cùm olfecerint Batavi, in diplomatis pro itinere comprehendi sub generali nomine federatorum Galliæ non ex suo usu duxerunt. Sed Batavos, etiam si quid Gallia cum hoste paciscatur, in 1063

Digitized by Google

in bello manere Gallis sit utile, & ea in re puto adjutorem ipsis fore Principem Arausionensem & alios quibus bellum lucro est. Rogandus interim Deus ut ad veram solidamque pacem omnium flectat animos, Tuæque Sublimitati, Excellentissime & Illustrissime Domine, salutaria adspiret. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Novemb. 1638.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1064 BAsilea & aliunde quæ veniunt literæ, nos docent oppugnata Vinariensis Ducis castra trans Rhenum Brisaco adsita à Gotzio. Tertio impetu perruptam munitionum partem, intratumque castellum quod ponti cuidam, quem ibi fecerant Vinarienses, prætendebatur. Sed Ducis magna virtute hostes inde depulsos, interfectos ad CIↃ IↃC, submersos CCCC, captos IↃC, plerosque autem horum qui perierunt aut capti sunt ex Lamboii fuisse milite. Has pugnas prope continuas à nocte post $\frac{18}{28}$ Octobris protractas ad vesperam diei $\frac{14}{24}$. Eædem literæ Friburgum nondum in hostium venisse potestatem aiunt, contra quàm hic nuntiatum fuerat. Sed missos à Gotzio caduceatores qui & Friburgo & Neumburgo periculum denuntiarent, ni se dederent. Fuisse Gotzii exercitum simul cum Lamboiano milite ad XIV millia. Nudiustertius Regem, quem venatus antehac longiùs à nobis abduxerat, conveni, commendavique ei illa omnia quæ voluerat Dux Vinariensis, ostenso, quantum periculum & ipse adiret, & exercitus, & res omnium sociorum, nisi copias acciperet quantæ ad repellendas tantas, quæ undique in eum coëunt hostium vires, sufficerent. Habere me è Suedia diserta mandata, res ejus Ducis, quasi propriæ nostræ essent, promovendi, eoque justiùs, quod spe videndi intra Germaniam Gallica arma postremum fœdus sociale factum esset. Respondit Rex verbis generalibus, neque de supplendo eo quod ad numerum duorum quæ mitti dicta erant millium deerat, neque de pecunia extra ordinem ad obsidionis sumptus subministranda quicquam definiens. De equitatu autem Germanorum Galliæ militantium Duci mittendo, etiam excusationes nectens, quasi eos in Gallia retineri ex usu esset, quanquam me non tacente, utiliores esse eos posse in patriis cognitisque sibi locis, & hyemem ferme solere in Galliæ Belgicæque confinio transire otiosam. Cæterùm Longavillanum Ducem, recepta per quosdam suorum Lunævilla, ivisse dicebat contrà Savellium, qui Rhenum jam transgressus esset. Itaque in eo moram non fore. Sæpius repetivi, quantum sit damni factum, & adhuc metuendum ex damno temporis, tanta in bello momenta secum trahentis. Ex comitatu Reginæ depulsa est Regis jussu Senesæa, matronarum quæ Reginæ adsunt dignitate prima. Demskius qui Poloni missu hic est, nihil obtinuit. Propositum ipsi, an velit Rex Poloniæ sponsor esse nihil unquam à Principe Casimiro rebus Galliæ nocitum iri. Injuriosæ sunt in Gallos quas ille attulit literæ, insolentiam in advenam exprobrantes: neque Regi Galliæ alium dantes quàm Serenitatis titulum. Opto, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Novembris 1638.

Pons iste cujus supra memini insulam cum castris Vinariensibus jungebat. Savellius ad Drusenhemum transiit Rhenum. Dux Carolus Ensishemi arcem obsidet. Frater ejus Franciscus arcem quandam prope Moyenvicum cepit. Captivi Gotziani exercitus aiebant se quinque per dies panem non gustasse, sed pomis silvestribus sustentasse vitam. Cuncta Brisacensium extra oppidum castella, dempto uno in Ducis Vinariensis sunt potestate.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

LIteris Excellentiæ Vestræ datis Calendis Novembri- 1065
bus varié affectus sum. Nam sicut me delectant & res & spes bonæ à Bannerio, ita maximo dolori sunt quæ jampridem infelicem Domum Palatinam novis malis pressere. Principem Rupertum audimus ab hostibus perhumanè haberi. Laborabunt in id credo, ut eum à fratribus fratrumque causa distrahant. Quæ sane causa planè jam deplorata est, nisi subitò erigitur. Erigi autem non potest, nisi Anglo, ad quem propiùs pertinet, præbente exemplum. Ita ostendit mihi se sentire Rex & Ministri Regii, videoque & Suedos non sentire aliter. Scotici morbi, sanatine sint penitus, an lateat vomica, vix appariturum puto ante tempus Conventus Parlamentaris. Illa de Religione difficultas quæ pacem Hassicam morari videtur, facilè ab Imperatore tolli poterit, arcanis promissis quæ Cassellensi Domui sufficiant, & famam Imperatoris Romæ non lædant. Protestantium calamitates ab ipsis maximè natas Protestantibus sapienter Excellentia Vestra observat. Dubitari tamen potest, an non partem aliquam culpæ & socii sustineant, illi dico, qui non satis demonstrarunt actionibus suis, salutem Germaniæ sibi curæ esse. Knutius, ita ut jussus erat, nihil egit nisi quod Cardinali placeret. Is autem negat apud Regem verba de Matre fieri posse quæ ipsum non offendant, quamdiu Mater homines Regi invisos apud se retinet. Quod si Regina Mater eos à se dimittat, quid tum futurum sit postea, non addit. Æquum postulant Batavi, si tale Legatis suis diploma dari volunt, quale olim ab Alberto & Isabella datum est. Cæterùm an Suedi, si qua spes se offerat pacis, Batavos, nullo sibi fœdere innexos, exspectare debeant, præsertim cùm & plurimi & potentes apud Batavos multi nullam pactionem ex usu Reipublicæ suæ esse judicent, disputationem recipit. Quò minùs dies colloquio sive Lubecæ sive Hamburgi instituendo præfigatur, nihil obstare video, præter diploma quod pro Germanis postulatur. De Turcicis rebus quæ hic intelligere potui, scripsi nuper. Deum, Excellentiæ Vestræ ipsique caris omnibus faventem comprecor. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Novembris 1638.

Excell. Vestræ singulari observantia addictissimus H. G.

ELECTORI PALATINO.

Serenissime Princeps,

SIcut malis Excellentissimæ Domus Vestræ semper to- 1066
to animo indolui, ita gavisus sum non leviter, cùm ex literis, quibus me honestavit Celsitudo vestra Electoralis, & ex relatu Nobilissimi viri D. Luthmarii cognovi non displicere Celsitudini Vestræ Electorali meos labores ad remedia iisdem malis reperienda. Non fuere quidem mei quàm tot aliorum in ea re labores hactenus feliciores, sed tamen neque optimum propositum mihi defuisse, neque diligentiam, satis mihi sum conscius. Impulere me, ut ita facerem, summa à multis seculis eminentissimæ Domus in orbem Christianum merita. Impulit Magni Gustavi immortali memoria dignissimi Regis in ea sublevanda constans studium. Impulit ipsa reverentia fortunæ Principalis, tot ac tam pertinacibus vexatæ adversis, non sine seculi nostri opprobrio. Ad quæ adversa cùm nova nuper facta sit accessio, meritò nostrum dolorem cum dolore Celsitudinis Vestræ Electoralis, Serenissimæque Matris Reginæ Bohemiæ contribuimus, non sine spe tamen futurum, ut sicut morbi multi medicinam non recipiunt, nisi postquam ad summum venerunt, ita impleto quantus maximus ad testandam patientiam

tiam requiri poterat malorum cumulo, incipiat se reddere spes meliorum. Qua de re & cum Christianissimo Rege ejusque Ministris sum locutus & cum Regis Britanniarum Legatis, scripsi itidem ad Reginam Primoresque Suediæ quæcunque ad eam promovendam facere existimavi. Neque verò dubito, quin, præeuntibus illis quos per sanguinem res proximè spectat, & Suediæ Regina, & Galliæ Rex ostensuri sint quantopere ipsis cordi sit tantæ Domus restitutio in statum feliciorem. Faveat Deus, qui Regum consilia quò vult derivat, proque summo suo arbitratu alios de solio dejicit, alios dejectos reponit. Idemque, Serenissime Princeps, Celsitudinem Vestram Electoralem tueatur, foveat, prosperet. Lutetiæ $\frac{8}{18}$ Novembris 1638.

Electoralis Vestræ Celsitudinis cultor devotissimus & inservire paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1067 ACcepto nuntio cladis, quam sanè gravem sensit Domus Palatina, officii mei duxi adire Legatos Angliæ, & utrique ostendere, jacere eam Domum planè prostratam, neque posse, nisi Anglis præeuntibus, & quidem vi valida sublevari: eaque de re quos cum Rege cumque Ministris Regiis habuissem sermones, ipsis narrare. Scutamorius videbatur spem facere, si non sumendi apertè belli, certè conferendi pecunias & militem ad bellum nostrum, quomodo Gallia in Batavicum bellum fecisset diu antequam ipsa quoque hostem se Hispano profiteretur. At Licestrius veterem occentabat næniam de duplici fœdere. Neque enim Regem Angliæ pro sua justitia ac prudentia facturum si bello se contra Potentissimos Principes involveret, nisi certus esset quid bello peteretur. Sibi cordi restitutionem Germaniæ in statum veterem. Alios id agere ut ex aliena calamitate lucrum faciant. Et de Pomerania quidem quod speraret Suedia, nixa consensu Principis ejus terræ Ordinumque, præsertim Domo quæ possederat extincta, non iniquum etiam sibi videri. De Lotharingia, de Alsatia rem esse aliam. Cùm mala Palatinæ Domus ipsos propiùs spectare diceremob sanguinis vinculum, respondit, ut antehac, Regum consilia ad eam normam non dirigi. Mirum verò, id proferri à Gallis hoc tempore, Matre Regis exsulante, fratre non ita pridem pro hoste habito, & nunc ardente bello in Regis affinem proximum. Non omisi demonstrare etiam famam Regis Angliæ in eo verti, ne, quod æquum esse ipse tot Legationibus missis judicasset, sperni semper pateretur: præterea tantum impositum esse jugum Principibus Civitatibusque Germaniæ, ita ipsos inter se discordes, assuetosque servitio, ut si maximè nunc pax fieret, restitutis etiam qui dejecti sunt, nihilo ob id meliore loco futuræ sint res Europæ. Potentiam illam adeo jam magnam ut ab Anglis formidaretur, insidiaturam temporibus, superventuramque Galliæ præsertim, quo nunc potissimùm vallo libertas Europæ, post Italiam Germaniamque ad respectandos Austriacorum nutus perdomitas, nitcretur. D. Cardinalis in Senesfææ locum, quam depulsam graviter fert Regina, substituit Brassacam, propinquam suam, quæ nunc apud Reginam principem obtinebit locum, aditum sermonumque assidua custos. Hoc experimento didicit Regina non multum sibi auctoritatis ex partu partum. Deus Sublimitatem Tuam, Excellentissime & Illustrissime Domine, sospitet. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novembris 1638.

Cùm diceret mihi Scudamorius mirari se, navium, quarum auxilium obtulissent, tam parvam à nobis rationem haberi, cùm navium Anglicarum metu quondam adacti fuerint Hispani ab Elisabetha pacem petere, dixi pacem & petivisse ab Elisabetha & ab Iacobo obtinuisse Hispanos, ut Anglorum ope destitutos Batavos opprimerent. Classem Americanam quæ aurum argentumque fert tam bene ab Hispano custodiri, ut nec ab Anglis, nec à Batavis capi unquam potuerit. Oppida autem maritima, quæ cepissent Angli, ut Corunnam, Gades, & in America S. Dominici & Nominis Dei statim ab eis derelicta, ut qui in prædam, non in bellum proficiscerentur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVod Rex diceret Lunævillam receptam à Longavillano, in eo fallebatur. Quod postremum castellorum extra urbem Brisacensibus restabat à Præfecti Rhinackers dictum nomine, venit in Ducis Vinariensis potestatem. Qui arcem Ensishemi contra hostem oppidi positum tutati sunt, nihil eorum omisere quæ à viris fortissimis sperari possunt. Erant in oppido, arcemque oppugnabant sexcenti pedites, equites autem centum reliquiæ exercitus Lotharingici. Misit eò Dux Rosam Gallis quibusdam additis, quos exspectare non ausi Lotharingici, oppido excessere: sed in abitu à Rosa oppressi, post brevem pugnam in fugam acti, & ad satietatem cæsi sunt, CC captis & Mercio. Evenit hoc Calendis Novembribus, ut hic numerare mos est. Post id Dux etiam ex Cisrhenano latere Brisacum munitionibus circumvenit, speraturque, ut consentire literas video, deditio intra mensem, aut citius. Quinto Novembris die, ut ex captivis est cognitum, restabant obsessis XVI boves, C porci, frumenti pauxillum; equinæ carnis libra solidos XII valebat. Longavillanus habere creditur VI millia peditum, duo equitum. Feuquerius ab eo præmissus partem aliquam Savellianorum cecidit. Rex Angliæ Reginæ socrui suæ obviam ivit ad leucas quatuor. Filia autem matri extra portam urbis, ipsa matre orante ne longiùs prodiret, gravida quippe. Est & in Anglia Dux Valetta. Hi cum Chevreusia & Subizio speciem ibi faciunt Aulæ Gallicæ. Nam Regina Mater non minùs ducentos secum habet. Rex idem Angliæ, ut ex Legatis intelligo, Scotis metum omnem ademit non de Liturgia tantùm Anglicana, sed & de introductis antehac ritibus quinque, nolens vim inferre ipsorum animis. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Regno, Reginæ, Tuæque Sublimitati cuncta salutaria. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Novembris 1638. 1068

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRincipem Casimirum hic retineri, dum bellum manet, magni existimant Galli. Quare metuo ut procedat illa permutatio cujus mentio est in literis Excellentiæ Vestræ datis 8 Novembris. Satis intelligunt Legati Angli prostratam jacere Domum Palatinam, nisi subitò aliquid magni pro ea fit. Ostendi utrique quid facto sit opus. Nihil definitè respondent, sed ferme toties jam ante dicta repetunt, ad quæ respondendi non deest nobis materia. Gaudeo interim calamitatem tam gravem aliquibus nostrorum ibi prosperis & novi militis adventu nonnihil temperari. De Bannerii quoque rebus, cuncta quæ audimus hactenus, jubent nos bene sperare. Saxo quæ fecit, satis aperta est servitutis confessio. Principis Brandenburgici morbus, quem suspicione oneret, non obscurum est. D. Knutium puto jam adesse vobis, hominem ut intrepidum, ita fortuna utentem mirè obsequente. 1069

quente. D. Comes Nassavius hic subsistit & venatur interdum cum Rege, non ingratus comes. Video esse qui putent Silesiam ab Imperatore dari ad tempus custodiendam & tutandam Polono. Faciliùs id crederem nisi Polonia jus sibi in Silesiam ab antiquo vindicaret. Talibus autem custodia haud satis tutò mandatur. Literas bene curavi. Deus, Excellentiæ Vestræ, domuique ejus perpetuò faveat. Lutetiæ $\frac{10}{20}$ Novembris 1638.

Quæ ad me sunt literæ optimè per Heufdium curabuntur. Iam nunc mihi nuntiatur cæsus à Duce Longavillano ad Blamontium exercitus Savellii, cui & Dux Franciscus Lotharingus aderat. Exspectabimus exactiorem ejus prælii notitiam.

Excell. Vestræ omni cultu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1070 DVx Vinariensis, captis idoneis ad infestandum Brisacum locis, supra urbem mola, infra colle Molsbergo, his addere parabat montem Eckersbergum, qui arcis in modum ex proximo urbem despicit. Munitiones castrorum cis Rhenum mille ac ducentorum militum labore bene procedebant, scalæque è Colmaria ducentæ in castra venerant, cùm postremæ inde literæ scriberentur. Dicebant perfugæ ex urbe, non esse in ea ultra centum & quingentos milites bene valentes. A Geneva literæ etiam missos ex urbe dicebant in castra, qui de pactis loquerentur, unde sparsa latiùs fama jam deditam urbem vulgaverat. Dux Longavillanus jam capta per suos Lunævilla, multis præterea hostium ad Blamontium cæsis, tutò jam poterit se cum Vinariensi conjungere, & oppugnantium, si opus est, augere numerum. Constat dissidere inter se graviter Gotzium & Lamboium. Gotzius, repulsus ab arce Gutemberga Landshuto non procul quam oppugnare cœperat, peditem suum in valle ad Kentsingam tenebat, equite misso ad vicina Constantiensi lacui. Dicitur in eas partes se transferre Piccolominæus. At trans Alpes nova exorta est procella. Cardinalis Sabaudus, accepta Hispani munere Nicæa Palea oppido, inde se in terras Pedemontanas cum armis intulit. Diffisa popularium animis Vidua Sabaudica, ac persuasa conjuratum à multis, ut ipsa, filius infans, & Cardinalis Valetta in Cardinalis Sabaudi manus traderentur, in arcem Augustæ Taurinorum & in alia ejus regionis loca præsidiarios Gallos magno numero recepit; & in arcem quidem trecentos. Quod ipsius consilium, sicut necessitate excusari potest, ita dubium non est quin inflammatos populi animos magis etiam sit irritaturum. Accedit aliud periculum ex morbo Ducis infantis, qui si aut suo fato aut Itala arte intereat, jus imperii Sabaudici extra controversiam ad Cardinalem Sabaudum, Hispanicæ factionis hominem, devolvitur, quippe cùm feminæ antiquitus incapaces sint ejus Ducatus tenendi. Galli majores copias illuc mittunt, certi contra quemvis possessioni insistere. Orator sive Bajulus Venetus qui Galatæ habitabat inde migrare Constantinopolim jussus, Præfecti ejus urbis imperio custodiis circumseptus est. Contra Espernonium vetera ac nova conquiruntur crimina. Est hic missus Geneva ad Regem Senator Saracenus nomine, qui civitatis istius animum rebus Suedicis ac Vinariensibus optimè volentem largè mihi prædicavit. Gratulationis officio apud Regem, Reginamque & bonis votis apud infantem, perfunctus jam eram, lætitiæque publicæ participem me & lucidis ignibus & vino liberaliter vicinis præbito ostenderam antehac. Non omittam tamen ex speciali jussu renovare gaudium, literasque Reginæ, Dominæ Clementissimæ, Regi tradere, deinde quæ responderit significare. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, omnia salutaria det Reginæ, Regno Tuæque Sublimitati. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Novembris 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

FAsciculos & ab Hamburgo & è Suedia, cura Excel- 1071
lentiæ Vestræ rectè accepi: & in perplexis illis rebus meliùs quàm quod Excellentia Vestra locorum ingeniorumque illorum gnara, dem consilium non habeo, nisi forté eveniat quod in Græco est versu:

——— ——— πολλάκις
Ταὐτόματον ἡμῶν καλλίω βουλεύεται.
[*Meliora quàm nos sæpe casus consulit*].

Plurimum autem ad famam multaque alia referet, si Suedi omnibus ostendant modis, pacis moras sibi non esse imputandas. Videtur de Germanis optimè dici posse, quod de Britannis olim, servitutem eos suam quotidie emere, quotidie pascere. Magni D. Cancellarii adventum in Germaniam hoc quidem tempore sperari non puto posse, mari innavigabili, & suspectis terra itineribus. Interim & ipsum & alios Regni Rectores iis fore in locis, unde citiùs mitti idonea rebus natis præcepta possint, gaudeo. De diplomate quod Batavi constituerunt, probo. Quæ hic commendat D. Luthmarus, ea puto irrita non fore, modò Angli loquantur explicatiùs. Mallet autem Luthmarus Regia liberalitate juvari res Electoris Palatini, reservato in aliud tempus vetere credito. Electoris colloquium cum D. Legato Roo momentum ad res hactenus nutantes adferre poterit. Non facilè arbitror assensuros Suedos aut ad iterandam cum Palatinis armorum conjunctionem, aut ad danda illis stativa, quamdiu fedus nullum coiit. Et iniquum petunt qui societatis commodis omnibus frui volunt, sine obligatione mutua. Quid olim Gallis, quid Batavis præstiterit Domus Palatina memini, & ipsos meminisse cupiam: sed sæculo vivimus, tum ob multa alia, tum ob hoc vel maximè accusando, quod faciliùs beneficium seras quàm gratiam metas. Scotici dissidii vulnus ut satis coïerit metuo. Multa sunt τεκμήρια [*signa*] latêre ὕπουλόν τι [*sub cicatrice aliquid*], quod ut rectè sanetur, neque in publicum erumpat malum, Deum precor. Æquum planè est quod dicit Excellentia Vestra, quando Mater Regis Galliæ sumptui est Anglis cum magno suo comitatu, & incertum quando abitura, Gallos vicissim in propinquos Anglorum debere esse non illiberales. Hassicæ copiæ ne ad Imperatorem transeant, ubi tricæ istæ, quæ in Hassicam pacem incidunt, exemptæ fuerint, est cur metuamus. Galli in negotiis talibus multa moliuntur, parum expediunt. D. Knutii huc iter damnosum ipsi non fuit, & ea multis Legationes reperiendi novas causa est. De Principe Ruperto & hostium circa eum machinationibus congruunt mea cum Vestræ Excellentiæ judiciis. Deus Excellentiam Vestram domumque ejus sospitet, pacemque det nobis bonam. Lutetiæ 27 Novembris 1638.

Excell. Vestræ omni observantia cultuque addictissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

PRo literis Nobil. Vestræ datis 11 Novembris, quanto sunt uberiores, meque de pluribus rebus docent scitu dignis, tanto majores æquum est me agere gratias. Neque verò molestum mihi est, quod Germanicè scriptæ sunt, imò est in eo & commodi aliquid, quia gentis cujus-

jusque res facillimè & clarissimè proprio ejus sermone exprimuntur. Ducis Georgii Lunemburgici aversum, à rebus nostris animum in ea contra Palatinum & D. Bannerium, quæ videmus erupisse, mirum non est. Non difficilis fortè in eum esset ultio, nisi nostros retineret fedus illud per Saxonicas regiones Principum, speciosum sua tutandi vocabulo, & per Dani accessionem non invalidum. Quid in tali rerum statu faciendum sit, de eo consilium dare longè positis non satis expeditum est. Iure quin possint nostri invadere quæcunque illorum sunt qui paci Pragensi adversùm nos factæ subscripserunt, dubitationem nullam recipit. Sed an expediat in illam novam compagem arietare, meritò quæritur. Nescio an sine gravi suo incommodo abstinere locis illo fœdere comprehensis Bannerii equites peditesque possint, & aliò cum bona aliqua spe transferre bellum, ita ut non nimis longè à sibi possessis abstrahantur. Si abstineri ad tempus potest, non dubito quin brevi hostiles copiæ licentiæ aliquid in eadem loca sint usurpaturæ, quod deinde nostris invidiam importatorum in illas partes armorum sit detracturum sequentibus hostium vestigia aut exempla. Sed spero brevi ex ipsa Suedia mandata adfore quæ expensis omnibus quæ aut sperari aut metui possunt, caliginem hanc dispellant. Videntur sanè Bremensis Antistitis ferocia dicta factaque, contra & beneficiorum memoriam & pactorum fidem, aliquid mali nobis portendere, à Rege semper æmulo Suedis, nunc & invidente eis quæ per Germaniam tenent. Mecum cogito an Senatores & Nobilitas Danica velint possintque dimovere Regem, ne, quamvis sub Holsatici Ducis titulo, citra necessitatem induat se rursum in pericula, quibus se ante annos aliquot non magna cum gloria extricavit. Ad ea quæ Illustrissimo D. Salvio proposuere illi qui Geluckstadio veniebant, non absurdum fortè responsum foret, æquum esse ut ab Imperatore primùm impetretur perscripta cautio, qua promittat se militem extra illas terras habiturum: Suedos deinde omnia æquâ facturos. Ita & tempus ad deliberandum extrahi posset & aut dissui fedus aut certè æquitatis species in nostras transduci partes: sed certè ut dixi modò, de his videre illorum est, quibus & loca illa sunt propiora, & res ipsæ ac quotidianæ earum mutationes notiores. Si bona pax sperari non potest, utile erit quantulumcunque offeret Anglus arripi, ut causæ illigetur. Bene curatæ sunt ad Marchionem Badensem literæ. Deus Ill. Dominum Salvium vestramque Nobilitatem propitius servet ac sospitet. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Novembris 1638.

Nobil. Amplitudinis Vestræ studiosissimus H. G.

S A M V E L I A N D R E Æ.

Clarissime Domine,

1073 LÆtum fore virilis stirpis enatæ nuntium apud Reginam nostram, Suediamque omnem, sicut sæpe hic Regi ac Reginæ ejus uxori affirmavi, ita id ipsum rebus perspicuis comprobatum gaudeo. Neque in iis referendis & repetendo gratulationis officio ero cessator. Quid de diplomatis illis pro tuto Germanorum itinere postulatis factura sit Aula Viennensis, attentè exspectat Orbis Christianus, ex eo judicaturus, penes quem stet quod tam diuturnis Germaniæ calamitatibus non adfertur medicina. Vt pax reperiatur aut colloquiis, quod sanè optandum est, aut si hostium pertinacia eò nos compellit, armis, perutile erit Excellentissimos D. D. Regni Rectores in proximis locis velut in specula esse atque inde lucem immittere rebus caliginosis. Habeo gratiam pro chartis transmissis, è quibus cognosco Palatinum, ad avunculi sui hactenus quidem exemplum, tales expetere contractus qualia Iudæorum sunt conjugia, à quibus vir potest discedere, mulier non item. Eos contractus Iurisconsulti claudicantes vocant. Multum effecerit si quis cancros istos marinos doceat recta incedere. Ego apud vos quæ geruntur discere maximè cupio, ut ad Arcticorum siderum conspectum meos cursus regam. Vale Vir Clarissime. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Novembris anni 1638.

Clar. Vestræ optima volens animo amicissimo H. G.

D. G O F F.

Vir Reverende,

QVod summam pietatis tuæ in me benevolentiam non pluribus officiis sum prosecutus, de eo venia danda est occupationibus nostris. Gratias verò maximas tibi debeo, quod initæ inter nos amicitiæ memoriam & animo retineas, & literarum commercio testeris. In utroque ne me vincas operam dabo. Nihil mihi lætius contingere potuit quàm quod significant literæ tuæ, non ingratum esse Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Angliæ Primati, eum quem pridem eximiis ejus virtutibus devovi cultum. De differenda editione dignum ipsius sapientia consilium est. Poterunt cum tempore & alia adnasci, quæ, si non publicè utilia, mihi certè sint oblectamento, negotiorum æstus distinguenti studiis tranquillioribus. Scotorum σκότωμα [*vertiginem*] lucis omnis Auctorem, ut sanet, precor. Vt autem prudens aliquis dixit, plurimum adversus tales morbos conferunt dies & quies.] Regina Regis Galliæ Mater si studium in Hispanos exuit, est quod nos Suedi, quibus non quidem in Hispanos, sed in Domum Austriacam, Hispanis per multa vincula innexam, bellum est, gaudeamus. Et vestra Aula hoc maximè tempore fortibus consiliis eget. Ideoque in Dominæ Chevreusiæ abitu nihil factura damni est. Deus te, Vir Reverende, & omnes recti verique amantes servet, tueatur, sospitet. Lutetiæ 30 Novembris 1638. 1074

Tuæ Pietatis obligatissimus H. G.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DE Brisaco ita variæ sunt famæ ut nihil asseverari possit, & captivis & transfugis diversa renuntiantibus ex affectu, opinione aut dolo. Equinæ carnis aliquantum restare constat. Farinæ quantum fuerit, nunquam percognitum est. Dux interim Vinariensis, famem, ut videtur, opperiri, adventante præsertim per Lutzemburgicum agrum Piccolominæo, nolens, aggreditur eum montem qui urbi ita superincumbit, ut arcis pene sit loco. Gotzius ad nuntium adventantis Piccolominæi commovet se rursum sexdecim militum millibus. Blumberga & Gutemberga arces, in quibus Dux Vinariensis commeatus posuit aliquid, præsidia autem levia, jam sunt, ut puto, ejus in potestate. Nam quassare eas machinis cœperat. A Schafhusianis poposcit transitum: & creduntur concessuri id homines nec mali, nec malevolentes, sed prætimidi & quovis modo medios se ostendere cupientes. Ex eo capitur conjectura aut Laufenburgi aut Rynfeldii obsidium moliri hostes. At Helvetios, etiam Pontificios, negare per fines suos transitum copiis quæ ex Italia in Germaniam ire parant, scribit Legatus Gallicus. Ex Ducis Longavillani exercitu (sexcentos hostium, vi capta Lunævilla, cecidisse is dicitur) missi pedites ferme ter mille, equites sexcenti ad augendum Ducis Vinariensis exercitum, jam debent eò advenisse. Rumor ille de conspiratione Metensi evanuit. Espernonio tamen minùs minusque fiditur, & ablata ei modò custodia arcis quæ Burdegalæ est & Trompetta dicitur. Dolæ in Comitatu Burgundiæ & vicinis locis miserè vivitur ob famem, & per eam accensas impunitasque militum rapinas. Sed non unius loci utrunque hoc malum est. Dux 1075

 Vina-

Vinariensis pontem è navibus insternit flumini infra Brisacum, & literas intercepit Rhinackeri ad Gotzium, quæ alimenta obsessis nondum deficere indicant. Rex Principem Casimirum libertate donare recusat, nisi & Rex Poloniæ & ipsa Polona Respublica caveant, nihil inde mali eventurum Galliæ. Radzivilius juvenis Rhotomagum jam venit, publico missu an peregrinandi causa, necdum scimus. Sed jam jam mihi dicitur privatus venire, magno tamen cum comitatu, & esse ejus, qui nunc principatum istius familiæ obtinet, non filius, sed fratris filius. Regem vidi, ut ad Reginam scribo Dominam nostram. Inveni anxium pro Duce Vinariensi & de Brisastram. Inveni anxium pro Duce Vinariensi & de Brisaco: quanquam Piccolominæum dicebat adhuc ad Mosam hærere. Missus à Landgravii Vidua nobilis & is qui hic ejus res agit, Regi de filio gratulati sunt. Rex injuriam sibi factam pactione illa se inconsulto inita dissimulavit silentio. Deus, Excellentissime atque Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam Regno Reginæque præstet incolumem. Lutetiæ 4 Decembris Novi Calendarii anni 1638.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1076 EX literis Excellentiæ Vestræ datis 22 Novembris & res arctas D. Bannerio & consilia satis perplexa satis intelligo. Deo & prudentiæ ipsius rem committemus. Gallia nunquam quiescit. Novi quotidie in Aula motus, & extra eam in Valettarum domum gravis procella. Velim scire quid Palatino dederit Rex Angliæ, ut apud Legatos & Galliæ ministros habeam quo sermonem dirigam. Reginam matrem aliquid pro Hispano moliri, quanquam infensa ei palam credi vult, sunt qui suspicantur multi. Et facilè id credent Scoti, ut solent iritatis semel animis omnia in deterius conspici. Omnium Magnæ Britanniæ bene volentium est, aquas adferre restinguendo incendio ex cineribus resurgenti. Non puto autem Reginæ matri, dum in Britannia erit, quicquam ex Gallia venturum pecuniæ. Causa negandi obtenditur, ne ex ea pecunia ipsa non se, sed in Gallia factiones, ad quas materia non deest, alat. De Hassicis rebus etiam hic nihil certi audio. De Batavis puto verum esse illud, semper casuris similes, nunquamque cadentes. Si inter eos minùs conveniat, habent præsentem arbitrum. Dedecori quod ad Havanam acceptum est & à Dunquercanis quotidie accipitur mederi debent leges, præmia, pœnæ & ad publica munera dilectus ex virtute non ex gratia & ambitu. Quibus moribus cœpit Respublica, iisdem tutanda est. Argenti Peruäni potiri, res non exigua, his maximè temporibus, fuerat, sive ad augendas Batavorum, sive ad accidendas hostium vires. Inter captos ad Calloam audio multos esse culpæ exsortes & abs quibus bonam operam sperare patria debeat: itaque gratulor eis redditam libertatem. Lubecam magis placere Imperatori puto, quod ibi majorem sui putet esse reverentiam, ut in civitate quæ Imperio & Imperatoribus multum debet, Hamburgensibus ob Danica vectigalia alienioribus. Ex responso peremtorio super diplomatis apparebit exspectandus sit, annon, Conventus. Interea cum Anglo Palatinoque aliquid fieri è re sit, utrocunque, in bellum sive in pacem, ille se daturus est exitus. Magno D. Cancellario tempus erit deliberandi quid facere debeat usque dum appetat ver. Moscoviæ Princeps liberos an reliquerit, &, si non liberos, an valde propinquos, cupiam edoceri. Iesuitæ nusquam quiescunt. Et Turciam & Persidem nunc commovent: sed in Moscovia notiores puto, quàm ut fautores reperiant. Venit jam in Galliam Radzivilii fratris filius, nescio an publico nomine. Est enim etiam nunc Rhotomagi. Si de Principe Casimiro locuturus venit, reperiet difficile negotium. Audio tamen id tentari ut contentus sit Rex Galliæ sponsore Poloniæ Rege, ac Republica nihil fratrem facturum adversum Galliæ rebus. Sed ita Casimirus nudavit animum, ut etiamsi arma ejus nusquam appareant, consilia ejus formidare Gallia debeat. De Hollatorum Persico mercatu si res cum lucro ipsis succedat, mirabor. Et Papæ & Hispanis multum blandiuntur Veneti. Apud Turcas nisi blanditias argenteas admoverint, frustra erunt. Mirè patent illius Aulæ sinus. Venetorum orator etiamnum Constantinopoli est, & à centum Ianizariis custoditur. Deus, Excellentiam Vestram, & omnes ad ipsum pertinentes sospitet. Lutetiæ 4 Decembris Novi Calendarii, anni 1638.

Excell. Vestræ singulari cultu addictissimus H. G.

MAGNO SUEDIÆ MARESCHALLO.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SUmmis pro Regni salute curis Sublimitatis Tuæ datum est, quod præter in commune significata, proprias ad ipsum literas non miserim, quibus significarem tum reverentiam quam eximiis ejus virtutibus & in Suediam meritis debeo, tum animum ei per omnia quæ meæ sunt facultatis inservire paratissimum: quæ interim duo apud omnis ordinis gentisque homines nunquam tacui. 1077
Quantopere Galliæ Rex amet Tuam Sublimitatem quamque liberaliter laudes ejus prædicet, & ego testis esse possum ex multis ejus sermonibus & D. Crusius generosissimus juvenis. Gaudeo etiam eos qui veteri sanguine Sublimitatem Tuam contingunt interdum ad me accedere, ut illis quoque, verbis & si occasio se præbeat, factis possim ostendere, quàm in ipsius cultu cedam nemini. Ex his intelligere ipsa potest, quàm lætus acceperim literas ejus, per quas Virum Doctissimum Matthiam Mijlonium commendat. Efficiam ne quod in me officium desideret. Quod cùm & sine commendatione facturus libenter fuerim vel Suedici nominis, vel literarum causa, nunc eò faciam promptiùs quod primus mihi obtulit optatam diu materiam testandi quàm sim fide optima Tuæ Sublimitatis venerator. Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut tantam virtutem diu Reginæ Regnoque incolumem servet. Lutetiæ postridie Calendas Decembris ex novo Calendario anni 1638.

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

IN publicis negotiis significandis secutus sum quam mihi Excellentia Vestra præscripsit normam. Nunc privatæ rei causa ad eum perfugio. Plus annus est quod Magni Suedici Regni Cancellarius pro sua in me benevolentia, gnarus quanto meo privato sumptu mihi totum hoc Legationis choragium comparassem, in antecessum mihi pecuniam quæ annua mihi huic oneri sustinendo assignata est solvi voluerit. Verùm hæc ipsius benigna voluntas adeò exitum non habuit, Heusdio ullas penes se restare pecunias rationum Suedicarum negante, ut Calendis quæ jam instant Ianuariis anni 1639. mihi debiturum sit Regnum Suedicum octodecim mensium salaria, quæ faciunt XII millia Thalerorum Imperialium. Præterea in usus publicos erogavi per tres annos ex quo postremas misi rationes, Thaleros ejusdemmodi mille & ducentos, de quibus ad D. Spiringium, ut soleo, rationes mittam. Scripsit autem mihi D. Spiringius curam, ut quod mihi debetur recipiam, Excellentiæ Vestræ & D. Magno Cancellario mandatam. Quare rogo ut de pecunia

cunia quam Gallia numerari jubet Spreckelshemius retineat in meos usus illos Thaleros ter decies mille ac ducentos ei dandos cui ego imperaverim. Adeo hic omnium rerum pretia immensorum onerum accessione creverunt, ut non tantùm ex Legatione nihil mihi seponam, sed & intribuam aliquid. Quare rogo Excellentiam Vestram ut veterem suam in me benevolentiam hoc meo tempore maximè necessario mihi ostendat, à me vicissim omnia exspectans quæ mihi ipse voluerit injungere. Deum autem rogo, Illustrissime Domine, ut Excellentiam Vestram bono publico præstet sospitem. Lutetiæ 4 Decembris novi Calendarii anni 1638.

Excell. Vestra addictissimus omni observantia H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima.

1079 GRatulationem de nato hic Regni hærede, non tantùm postquam uterum ferre Reginam Rex Legatis significaverat spe futuri partus præsumsi, sed & eo jam edito Regem Reginamque adii orationibus, lætitiamque, ut Legati cæteri, testatus sum ignibus, conviviis, vinoque viciniæ præbito. Nunc verò accepto speciali imperio Augustæ Majestatis Vestræ, heri Regem & Reginam puerperam adii rursum, dixique tempori convenientia quorum hæc summa est. Apud Regem quidem gratias egi pro tam amica gaudii sui significatione, & verbis ipsius, quæ literæ ipsius ad Majestatem Tuam continent, repetitis, dixi non frustra eum amicitiæ Majestatis Tuæ confidere, quæ vicissim quàm illa Regi vult optimè, tam & Regem sibi velle non dubitet. Dedisse Majestatem Tuam fidi gaudii signa epulo & machinarum sono: quibus insit præsagium fore magnum & in civili re & in militari eum qui bono Galliæ amicorumque sit genitus. Quod si vera sit veterum sapientum sententia, nomina non fortuitò, sed fato quodam dari eminentis fortunæ hominibus, tum verò terrestribus naturæ cognitionem esse cum cælestibus ejusdem vocabuli, magna & hinc nobis ad spes egregias omina præberi. Quippe Delphini astrum nobile astris circumdari talibus quæ pulchra ferant præsagia; esse circum id sidus Aquilam, Pegasum, Sagittam, Aquarium, Cygnum. Aquilam altivolantem & solem contra audentem tueri portendere nobis sublime pueri nati ingenium. Equitatu eum potentem fore Pegasum esse indicio, peditatu Sagittam, maritimis viribus Aquarium. Canoram avem Cygnum imaginem ferre poëtarum, historicorum, oratorum, qui, ut paternum nomen, ita & ipsius omni eloquentiæ genere sint celebraturi. Novem in Delphino stellas ab Astrologis ad novem Musas referri, omnium artium ac scientiarum, quæ hunc Principem ornaturæ & ab ipso ornandæ sint, præsides. Neque illud omittendum quod Delphinus tangat Æquatorem Circulum, qui cœlum in æquas portiones dividens, noctesque diebus adæquans, Iustitiam designet, à qua virtute natum cognomen Regi cum laudatissimo Rege Melchisedeco commune, justi scilicet Regis, hæreditario jure ad filium quoque sit perventurum. Quod si etiam eum qui in mari excellit Delphinum contemplari libeat, tria in eo à Physicis notari ad hanc rem maximè pertinentia, esse id animans hominis amantissimum, crescere minimo tempore, celerrimum esse præterea, ita ut malos supervolet, vela transvolet. Hinc non immeritò capi omen posse Principis, qui deliciæ humani generis sit futurus, citissima habiturus sit incrementa & in actu ostensurus se sit impigrum. Peroraturus rogavi Regem, ut pro certo habeat Majestatem Augustam Tuam sanctissimè impleturam fidem facti federis, nihilque ei gratius posse contingere, quàm perpetuò ejus frui amicitia ac de eo audire prosperrima, libenterque collaturam ad ejus magnitudinem quicquid vires sinerent. Excusavi etiam quod non extra ordinem missus esset aliquis, dicens causam esse tantam, ob quam nemo nisi ex primoribus mitti debuerit. Eos autem omnes bello partim gerendo, partim disponendo ita esse occupatos, ut pro certo habendum sit Regem eos malle in ea cura quàm in itinere versari. Hoc ultimum Rex læto planè vultu asseverabat, mutuamque spondebat & fidem in federe & amicitiæ constantiam, ut erga sororem optimam. Si Majestati Tuæ bellum persequi esset animus, sibi eundem animum fore. Apud Reginam, dixi me è longinqua regione adferre nuntium à Regina ad Reginam concepti gaudii ex ipsius partu, valetudine & vegeto infante. Ex intervallo temporis, post quod hæc ex speciali præcepto gratulatio adveniret, locorum intervalla posse intelligi. Et sicut in eo dolendum esset aliquid, quod tantis spatiis Regna hæc distarent, ita lætum illud quod in Suedico Regno esset Gothia, unde originem suam deducere longa serie magni Hispaniæ Reges non erubescerent. Aspicere me igitur maximo cum gaudio in Francorum Regno Gothici sanguinis Reginam, & in cunis maximæ spei Principem ad Gothos materna stirpe pertinentem. Fuisse antehac Imperatores & Reges qui se Adeodatos aut quod idem est Theodoros aut Theodosios vocarent. Verum nomen hoc nulli justius competisse quàm infanti post tantam exspectationem, quæ spem prope omnem consumserit, parentum populique precibus divinitus donato. Natum eum Solis die qui ad Solis instar suo calore ac lumine beaturus sit Galliam & Galliæ amicos, inter quos Tua Majestas, animi sui sibi optimè conscia, eo jure locum sibi principem vindicaret. Natum frugifero Autumno, qui fructus omnium virtutum speciosissimos ac suavissimos Mundo sit editurus. Optare Majestatem Tuam ut hic felicissimus infans quàm citissimè & corpore & animi dotibus crescat. Ipsi autem Reginæ Majestatem Tuam omnia benevolentiæ amicitiæque testimonia ex animo offerre, precarique ei tum prosperrimas res, tum perpetuum ex hoc puero ejusque actibus gaudium. Regina & vultu ostendit placere sibi gratulationem & fausta vota, gratiasque agi Majestati Tuæ voluit quod in sensus suos ipsius gaudia admitteret, animumque suum sincero affectu Tuæ Majestati conjunctissimum significari, addens quicquid à se proficisci posset expositum semper Tuæ fore Majestati. Deus, Serenissima Regina, Domina Clementissima, sospitet Augustam Majestatem Tuam. Lutetiæ 5 Decembris novi Calend. 1638.

Augustæ Majestati Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

ADhuc Brisacum nos inter spem metumque incertos 1080
tenet. Quis ibi rerum status fuerit ante duodecim dies, ex literis quas ad me filius ex Ducis Vinariensis comitatu scripsit, potest intelligi. Ex eo tempore Longavillanum suo cum exercitu ad Vinariensia castra advenisse sparsus quidem hic rumor est, sed non verus: mandatane ejus rei ad Longavillanum data sint, nescio. Sed etiamsi ea haberet, retinetur, hinc à Lamboio, inde à Duce Carolo, qui inter se ut jungantur laborant. Pugnæ quædam non longè à Ravone & Dia fuere Longavillani militibus cum hostibus tum Lotharingicis, tum Lamboianis, quarum penes se fuisse victoriam Galli vulgant. Sed sinceriùs judicantes de eventu, quis fuerit, dubitare video. Præcipua spes hostium est, etiamsi Brisacum Dux Vinariensis capiat, quod tamen non capiet nisi quàm serissimè ob virtutem & præsidii & præfecti, brevi id se recuperaturos abcisis & à Duce & ab urbe à super-

superna parte commeatibus. Ei rei vix poterit obviam iri sine prælio. Præliorum autem aleam toties tentare periculosum. Quem sæpe transit casus, aliquando invenit. Sed hæc Deus in meliora vertat. Sed & quos antehac à Longavillano missos scripsi ad Vinariensem, minore fuerunt quàm à nobis crediti sunt numero. Mauritius Palatinus Princeps it ad Vinariensem, ut ibi militiæ ponat rudimenta. Cum epistola filii mei quam mitto, convenit planè altera ipsius Ducis ad Noyerium, nisi quod adjicit Waldshuto imminere hostes, ut eo insesso intercludant commeatus ab Duce. Comes Suessionensis in hanc Aulam nuntiavit processum Piccolominæi ad Rhenana. Luthmarius haud multum hic proficit. Sperat negotia sua promotum iri per Legatum in Anglia Gallicum. In Espernonium manent iræ: ac nuper Princeps Condæus in Parlamento Burdegalensi eum incusavit velut conscium cædis Henrici Magni. Quæ criminatio illum quidem rectà at per obliquum Reginam matrem ferit. In Scotia Episcopi quidam, minùs ex regula actæ vitæ rei totum ordinem infamare volentibus materiam & seditionibus alimenta præbent. Radzivilius privatus hic agit, & sua tantùm curat. Sed audimus mitti huc è Polonia Legatos dignitate eximios, Opoliskium Marescallum Poloniæ & Casonoskium cubicularium Regis, acturos de pace & de Casimiro. Est hic è Bergensi ditione juvenis, qui musquettas & pistolettas reperit continuato ordine ejaculantes globos tricenos. Accepit à Rege annuam pecuniam 10 pistorienses & Domum ad S. Clodovæi & ibidem molam ad sua fabricanda. Hoc adhuc, post tot repertas humani generis pestes, deerat. Grave interim fit Gallis bellum, quod hoc anno centum millionibus constitit, si ad Regis impendia addantur quæ à provincialibus miles extorsit. Neque tamen eò minùs durabit bellum, fructuosum potentibus. Quod si id bona pace mutare velit Deus, magnæ ipsi gratiæ à Christianis omnibus debeantur. Ejus paternæ bonitati, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam, quàntum possum, commendo. Lutetiæ 10 Decembris novi Calend. anni 1638.

Regina Mater in Anglia mille habet in diem Florenos. Vidit eam Legatus Gallicus & cæteri præter Hispanum. Florentiæ repertum est dioptræ genus quod apparere facit Lunam ea magnitudine qua est ibi area, tanta quanta Lutetiæ quæ dicitur *la Place Royale*. Inde nobis maria & montes renuntiabunt Astrologi.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1081 ET Anglica Aula, & Gallica strepunt cantibus, cho-
ræis, comœdiis, pereunte interim Palatino, Gallia non quidem pereunte, sed gravissima metuente si de Brisaco res minùs successerit. Quam rem, nunc difficillimam, facillimam facere antehac in Regis fuit manu. At is levi auditu seria transmittens, noctes insomnes, diesque anxios agit, ob ferociam Hautefortiæ, cujus amore, quanquam innocente, non minùs cruciatur quàm Venereis quondam amoribus pater. Puella autem superbiens & formæ & ingenii conscientia minatur, ad exemplum Fajettæ, velle se Aulicam vitam mutare Monastica, nempe quia avia ipsius locum principem apud Reginam obtinere non potuit, prælata Domina Brassaca Cardinalis propinqua. Id Rex metuens, per omnia Monasteria edixit necubi admittatur. Cum Regina optimè convenit Hautefortiæ, quod rarum inter uxores & amicas eorundem Principum. Spero nihil mali fore. Sed sæpe in Gallia per mulieres aguntur non muliebres fabulæ. Et certè rescivi paulò priùs quàm Faietta ab Aula se subduceret, structa fuisse omnia & ad Cardinalem Riceliacum capiendum & ad pacem faciendam cum Hispano. Hæc significari haud multum fortè interest, nisi ut cognoscatur quàm sæpe hic levia prævertantur maximis, tum verò quantæ quamque repentinæ mutationes rerum, consiliis hujus Regiæ, & aliis ab ea non parum pendentibus, intervenire possint. Deus & hæc & alia ad bonos regat exitus, Tuæque Sublimitatis, Excellentissime & Illustrissime Domine, & consilia aspiret optima & consiliis addat felicitatem. Lutetiæ 10 Decembris novi Calendarii anni 1638.

Tua Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ANte hos dies quatuordecim Dux Vinariensis è castris 1082
prodierat, hostium, qui ad Laufenburgum apparuerant, consilia speculaturus. Defenditur id oppidum à militibus octingentis sub egregio Præfecto Tribuno Flersheimero, eoque non ita promptum est capi: credibiliusque hostis destinata in Heningam ferri, castellum semileucæ spatio infra Basileam, ut inter Helvetios & Ducem Vinariensem medius à commeatibus hunc intercludat, eoque ipso aut eum à Brisaco abstrahat, aut Brisacum, si capiatur, facilè recuperet. Sita est Heninga in Transrhenano solo, sed ita Rheno adsita, ut ex Cisrhenanis locis inferri eo miles & necessaria, quantum cupias, possint. Itaque accedente Ducis Vinariensis vigile cura, speratur & hoc malum posse vitari. At Lamboius ad Drusenhemum transpositis equitum tribus millibus, & cum Duce Carolo, quod creditur, conjungere se parans, metum alium injicit, ne ex utraque ripa hostis repetere velit castrorum oppugnationem. Quamobrem ad Ducem Longavillanum scripsit Vinariensis, ut is sibi cum toto exercitu suo opem ferat: scripsit & ad hanc Aulam, ut id facere Dux Longavillanus jubeatur. Sed quantum nunc intelligo, ut maximè nunc mandata accipiat Dux Longavillanus, quæ pridem eum habuisse oportuit, vix quod expetitur effectum dare poterit, hinc Lamboianis, inde Lotharingicis itinera obsidentibus, quæ aperire sibi Galli volentes, quanquam penes se victoriam fuisse prædicant, tamen voti sui compotes non fuere. Hodie pæne tricesimus est dies quod Brisaci inter milites panis distribui desiit. Equina se sustentant, magna cum patientia, ob spem suppetiarum à sociis. Tanto non fuere, quanto scripseram numero, qui antehac à Longavillano ad Ducem Vinariensem penetraverant. Putat Vinariensis, si Heningam non impetat hostis, cui loco præsens ipse prospicere voluit, Waldshutum an insidere possit eum tentaturum. Nam & inde commeatibus ad castra venturis poni posse impedimentum. Schafhusiani Gotzio alimenta suppeditarunt. Non item alia quæ is petebat permisere, horreum in arce ea habendi libertatem, & jus transeundi. Exspectare creditur Gotzius & Piccolominæi copias & alias Mediolano, faventibus Helvetiorum Pontificiis iter reperturas, quanquam publicè decretum est ne id fiat. Sed facilis erit impedire nolentibus, quasi non potuissent, excusatio. Etiam à Bohemia, Austria, Bavaria venire illi miles dicitur: pecunia & à Schafhusia & à Basilea: commeatus à Constantia vicinisque locis. Pontificii Helvetii ad Pontificem, Regesque Galliæ & Hispaniæ scripsere pro pace. Adjecerunt, si ea haberi nondum potest, Comitatus Burgundiæ belli malis exemptus ipsorum custodiæ permittatur, magis quod hoc officium Hispano negare non potuerint, quàm quod à Gallis, graviter è Comitatu læsis, & multa nunc ibi tenentibus, impetrari id posse sperent. Rhæti verò, præformidantes ne, si Brisacum capiatur, veniant ad se Galli, & plebem iratam quod Vallis Telina non redditur Rhætico imperio, amplius in proceres incitent, ca-

Digitized by Google

castella sua Hispanis id maximè volentibus milite complent, Legatosque suos ab Hispania exspectant. Parum amica Suedis loquitur qui illis in partibus residet Angliæ Regis nomine. Rex Poloniæ & Pontificem & Italos Principes ambit ad obtinendam Principi Casimiro libertatem, quam ob causam etiam Opoliskius & Casanoskius dicuntur huc venturi Legatorum titulo. Nam Radsivilius privatum hic agit, neque isti negotio se admiscet. Et qui in Aula Cæsariana est Venetus Legatus, multum cum Rege Poloniæ collocutus est & hac de re & ad præcavenda quæ à Turcis Veneti metuunt mala. Accepit ab Imperatore jussa Eckembergius aptandi se ad Pontificis voluntatem. Dux Ethruriæ, quanquam Hispano addictior, in speciem tamen belli medius, naves Gallicas in portum Liburni recipit. Duci Mutinensi in Hispania XXX millia ducatorum annua pro honorario dari audimus. It ad Vinariensem Mauritius, unus Palatinorum Principum. Luthmarius non multum hic proficit, speratque per Legatum Gallicum, qui in Anglia est, promotum iri res suas. Ego quid de tota hac re dicam nescio, & novum in Bremensi agro acceptum malum doleo. At si Angli sive de pace procedant, sive non procedant colloquia promittere volunt se apertè bellum facturos, ineunte Majo, interim daturos justum exercitum Palatino & Suedis CC M Imperiales, non spernandam arbitrer qualemcunque societatem, quanquam rectiùs facturi sint Angli si evitent multiplicia imperia semper rebus socialibus noxia, suasque copias communi imperio Magni D. Cancellarii, sub titulo Directoris Federis, regendas permittant. Audio in Scotia Episcoporum quosdam vitæ illaudabilis argui. Id vereor ne commotos animos ad plura indies petenda & extorquenda instiget, cum è re sit communi quietam intus esse Britanniam, ut externis rebus intendere se possit. In Galliâ tranquilla satis sunt omnia, præter muliebres in Aula factiunculas & gravem iram in Valettas, eò provectam usque, ut Princeps Condæus in Parlamento Burdegalæ Espernonium asperserit crimine occisi Regis Henrici Magni, quod telum directè in illum fertur, ex obliquo etiam aliò pertinet. Ita solent qui potentes sunt & se munire undique, & inimicis odium cum periculo quærere. De D. Bannerii equitatu imminuto quem capere possumus dolorem gaudeo pensari clade hostium ad Boitzenburgum & in agro Brandenburgico, & spe successuum tum alibi tum ad Warnemundam. Regem Daniæ arbitror res agere Imperatoris, specie pacificantis. Id me credere jubent præter veteres in Suedos æmulationes spes ejus non tantùm Episcopatus retinendi alios, alios consequendi, sed etiam insidiandi liberis civitatibus in quas partim ipse, partim filius juris quandam obtendunt speciem. Quomodo consiliis ejus obviam iri possit, non æquè facilis dispectio est, longiùs præsertim absitis, quare eam curam propiùs agentibus relinquam, intentus interim siquid intelligere possim, quod significari expediat. Angli Hispanorum & classem & militem qui in Brasiliam ivere validos esse prædicant: neque videri Batavorum ibi posthac magnos processus fore, ut jam damna vitari possint. Cardinalis Ginettius quod de Austriacis idem de aliis dicit, nulli pacem esse cordi, suæ potentiæ amplificandæ studere eos quorum in manu sunt arma, immotis ad populorum mala animis. Imperator partim vi militari, partim per minores illos conventus sibi expetita obtinens, non amat universalem cernere Conventum, in quo Germania tota se videat, gemitusque conferat, viresque suas veteres & nova mala expendens, de remediis cogitet. Deum pacis oro ut eam nobis det, sed bonam, utque Excellentiam Vestram cum omnibus ejus caritatibus servet ac prosperet. Lutetiæ 11 Decembris novi Cal. anni 1638.

Regina Mater in Anglia mille habet in diem Florenos. Videt eam Gallicus Legatus, non & Hispanus.

Excell. Vestræ perpetuo cultu addictissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

Eadem perscripta ad D. Mullerum quæ ad D. Camerarium præcedenti epistola, his annexis.

Hæc quæ variis ex locis intellecta collegi, post seriam gratiarum actionem ex parte pro responso erunt ad epistolam Nob. Vestræ datam 15 Novembris ex qua plurima didici bona partim, partim mala, ut sunt res hominum, & belli maximè. Ego ut hoc beneficium mihi præstare pergat Nob. Vestra etiam precor, Illustrissimoque D. Salvio, quem maximis in unum hoc tempus ingruentibus curis premi video, gaudeo eis levandis obtigisse tam bonum adjutorem. Præter jam dicta ad Nob. Vestram epistolam pauca adjiciam. In diplomatis tuti itineris pro Germanis, illis dico qui nominari se volent, non multum erit difficultatis. Generalis illa formula an obtineri possit ita ut non disertim mittendi libertas ad conciliatos restringatur, videbimus. Non audet id sperare Venetus. Pro Batavis nihil causæ est cur Hispanus recuset sequi formulam olim probatam, cùm Antverpiam ad inducias transigendas Legati Batavorum ivere. Pro Sabauda quoque & Mantuana non video quid esse possit difficultatis, tot similium diplomatum exstantibus exemplis, à quibus velle discedere id sit moras pacis sibi assignari velle. De bello mari gerendo quod loquuntur Angli, vereor ne id, non dicam Suedis quod satis apertum est, sed & communi causæ non multum conferat. Ita me judicare jubent expeditiones eorum antehac in Hispaniam Americamque susceptæ, quæ prædis tantùm actis nihil de cætero operæ pretii fecere. Quare nisi definitiùs se obligent, non magni id quidem faciendum arbitror. A Batavis ut se Germanico bello implicent, ægrè obtinebitur, si maritimarum civitatum sensus bene pervideo. Præterea, an is qui Batavorum res digito temperat, id velit, dubitandi sunt causæ. Palatini nomine quæ proposita sunt iniquissima judico. Eorum quæ nostri suo sumptu peperere, particeps vult fieri, partem æquam habere in iis quæ posthac quæri poterunt, in communes Regni Suedici, suasque copias sibi poscit imperium, nostros obligare vult ne pacem faciant nisi ipsi dignitas & bona reddantur, nostris vicissim promittit nihil. Et hæc tanta adipisci vult quantillo pretio, equitibus quingentis, peditibus quater mille. A quibus? Ab iis qui per tot annos tanti belli onus sustinuere, & nunc sextuplum ejus quod offert sustinent. Hoc verò est nescire leges τῆς ἀναλογίας [*proportionis*]. Britannia tuta uno sub Rege tot per annos alta pace, aliquot jam annis totius Europæ commerciis fruitur. Suedia per quadraginta & amplius annos in bellis agit. Et illi dites, illi potentes fessis & pæne exhaustis suas sarcinas volunt imponere. De Transilvania semper credidi, quod nunc quoque ne eveniat metuo, quæsisse Principem illam famam externarum societatum, ut suam pacem Imperatori tanto cariùs venditet. Vidi enim non apertè agi, quæ ad Regem Galliæ, quæ abs Rege Galliæ scriptæ erant literæ, non me tantùm sed & D. Camerarium clam haberi, sermones esse varios ac distortos. Si quid rectè judico quæ Stadæ & Geluckstadii convenerunt, non in id comparata sunt, ut exuatur jugum pace Pragensi susceptum, sed ut qui bellum in nostros voluere, belli malis se eximant: cæteri cum Imperatore colludendo res suas agant, partim Suedorum, partim aliorum malo. Deus Nob. Vestræ ejusque domui favens adsit. Scripsi ad Illustrissimum D. Salvium. Non dubium est de pecunia quæ mihi debetur à Regno Suedico, ut eam mihi, ex Gallica pecunia per Spreckelshemum recipere liceat. Æquum est quod postulo. Graves erogationes feci ad instruendam quam obeo Legationem, pro quibus nihil unquam poposci. Quæ annua aut semestria mihi dantur, eorum solutio diu dilata coëgit

1083

coëgit me pecunias bene collocatas è Batavia huc transferre non levi meo damno. Coactus sum ita vivere ut nihil lucratus è re Suedica, nihil ab aliis expetens, nescirem quid mei haberem, quid non haberem. Magnus D. Cancellarius plus anno est non tantùm solvi mihi quæ debebantur, sed & in antecessum pecunias aliquas, damnis meis repensandis, numerari mihi jusserat per Heusdium. Sed Heusdius negavit se pecunias ullas Suedicas habere. Spiringius sæpe ad ipsum scribenti mihi nihil ad rem respondit. Ex eo tempore debentur mihi salaria mensium octodecim quæ perveniunt ad XII millia Imperialium Thalerorum. Expendi præterea in usus publicos, quorum rationes ad Spiringium mitto, Thaleros ejusdem generis mille & ducentos. Hæc quæ mihi debentur si accipiam (ita enim vivitur) pro beneficio interpretabor. Quare Nob. Vestram rogo, ut mihi hac in re sit adjutrix apud Illustrissimum D. Salvium, quem mihi bene velle non dubito. Est autem festinato opus. Audio enim D. Davausium dicere magnas à se pecunias D. Bannerio missas, quæ an tantæ sint quantas dicit, quanquam Gallici moris gnarus, non inquiro. Sed ego ne hic perpetuis impendiis onerer & pro operæ præmio ex longis interusuriis damnum faciam, neque Nob. Vestra puto, neque Illustrissimus D. Salvius æquum judicabunt. Det veniam Nob. Vestra quod ipsi rerum mearum curam injungo, paratus autem sum vicem, si qua se obtulerit occasio, referre. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Decembris anni 1638.

Nob. Vestræ obligatissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1084 ET patriæ vestræ bene, & Nob. Vestræ optimè volo. Quare gaudeo & literas quas mihi antehac non ingratas fuisse, & quo sunt animo profecta mea vota pro vestra libertate & veteri immunitate, eodem accipi. Laudo autem vestræ civitatis Rectores, quod pecunia non modica redimere Regis gratiam voluere, quò apertiùs, si quid imminet gravius, ejus invidiam, & apud Polonos & apud externos à se in novorum consiliorum auctores declinent. De Conventu Imperatoris & Regis Poloniæ multa huc rumor, aliqua & suspicio pertulit, quæ Principi Casimiro optimo jure capto nihil sunt profutura. Eum Principem in Imperium Moscoviticum à nonnullis expeti sunt qui dicant, mihi id multas ob causas non fit probabile. Scire cupiam liberosne ullos Moscoviæ Princeps reliquerit & quis ad spem Principatus aut jure aut Potentum gratia sit proximus. Nos hic de Brisaco incerti hæremus inter spem metumque. Sperare nos jubet Ducis Vinariensis diligentia, opera contra urbem, in urbe panis pridem deficiens & ad equos vescendos redacta inopia. Metuere magnæ Gotzii jam nunc copiæ, majores exspectatæ illi à Mediolano, à Bavaria, Bohemia, Austria. Consilium ejus à parte superna commeatus Duci auferre dum Lamboius & Drusenhemum transgressus Rhenum cum peditibus ter mille, equitatu multo, & alia ex parte, sed in ripa eadem Dux Lotharingus Ducem Longavillamum retinet ne Vinariensi subvenire possit. Vale, Vir Nobilissime. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Decembris 1638.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1085 DE iis quæ attigeram nuper hæc propiora didici è literis scriptis 2 mensis hujus è Neuburgo ubi tum Dux erat Vinariensis. Cùm ad Lauffenburgum nuper ex parte Transrhenana accesserat hostis, partem oppidi eadem sitam ripa cepit, & pontem præclari operis, quanquam per Vinarienses à ripa semotum, incendit. Quæ ad Drusenhemum Rhenum transiit, pars magna equitatus hostilis ducem habebat Horstium Vigilius Præfectum, junxitque se cum Lotharingis Ducibus Carolo & Francisco ad Remiremontium. Consilium erat ipsi Gotzioque novo impetu adoriri castra ac liberare Brisacum urbem præ fame aut fedis alimentis spem ultra trahere non valentem. Verùm Gotzius intra triduum amissis per fugam suorum duobus millibus ab itinere quod Brisacum intenderat coactus fuit ad Lauffenburgo adsita reverti. Eodem tempore à Duce Longavillano ad Ducem Vinariensem pervenere sex millia, ipse Longavillanus ad eum locum qui Mariæ in fodinis nomen habet hostium observat consilia, si se promoveant inhæsurus tergis. Sperabatur intra dies octo deditio oppidi, non ex cuniculis qui obsessoribus parum feliciter cessere, sed ex fame. Neque eo contentus Dux Vinariensis Gotzii agmen quod movere se intelligebatur incertò castrane versus, an retro in tutiora Germaniæ, quærere & prælio aggredi constituit. Inter hostes discordiam esse satis constat. Complures ad Ducem Vinariensem scriptæ literæ addebant, Gotzium ipsum custoditum in Aulam Cæsarianam mitti, reum aut fortunæ sibi adversæ, aut quod veri aliquam habet speciem dilatæ castrorum oppugnationis ultra quàm oportuit, magnam habituræ spem successus si properata fuisset priusquam vallo operibusque permunita erant castra. Dicitur ergo ab Imperatore missus qui eum caperet, tribusque cohortibus sive Regimentis circumdatum ad causam dicendam traheret, imperio quod ipse habuit translato in Wolfium è Comitibus Mansfeldicis. Augustæ Taurinorum multi dati in vincula, quorum exspectatur supplicium simulque historia conjurationis cujus caput dicitur fuisse quidam Valerius nomine. Cardinalis Riceliacus ad formandam feminæ sanè periclitantis potentiam missurum se promisit in ver venturum quindecim peditum millia, equitum verò quatuor. Papa novos Cardinales parturit. Interim venit huc, sed sine Legati persona, Cardinalis Biquius Riceliaco pridem amicus pacem commendans, aut certè per Italiam, quam maximè quiescere Paparum interest, inducias. Dicuntur eadem de causa alii ire ad Imperatorem & Hispanum. Idem ille Cardinalis Riceliacus scripsit Bernartio, facundo & populari imprimis concionatori, neminem esse qui se magis pacem expetat, dira sibi imprecatus si mentiretur. Id se velle per ipsum atque alios populo notum fieri. Etiam Mirabelius Legatus ab Hispano in Belgicam accepta à Galliarum Rege venia hac in Hispaniam transit, obiter & ipse circa pacem animos tentaturus. At Veneti Turcarum territi minis, ingenita ipsis formidine, sed nec levi causa accedente, si verum est quod rumor fert, Persam à Turca pacem redimere concessione Babylonis, si qua vis in ipsos ingruat auxilia orant & hic & Romæ. Sed Hispani præcipuè eos ope niti arbitror, proximi quippe ad periculum si in Adriæ ora arma Barbarica inferantur. Et cum Polono Rege multa, eodem, ut creditur, pertinentia, egit Venetorum qui apud Imperatorem est Legatus. Mulcta gravi, quinque puta millionum, si eam pendere Veneti velint, remissurus injuriam Turca scribitur. Valde expetunt Brisaci capti nuntium & Galli & Helvetii. Galli quod ex eo Burgundiæ Ducatui securitas dabitur. Helvetii quod auxilium non è longinquo paratum habeant tuendæ, si opus sit, libertati. Bernates finibus suis prospiciunt. Pontificii interim Helvetiorum & Marchio Baderius plurimum commeatus hosti mittunt, magnam ejus sibi copiam paranti, non tantùm ad suas necessitates, sed & ut Vinariensi eam præripiat: qui tamen aliunde accepit alimenta in multum temporis. Princeps & præsentia bene disponens & in futurum providus. Mitto quod hic datum est Knutio responsum,

signum

signum evidens implacabilis Regii in Matrem animi, cui interim comœdia, cantus, choreæ in Anglia parantur, pretiosa solatia. Galli cum Palatino aliquid struunt quod non patet: mitto etiam Campanellæ, ex astris & aliunde divinandi artem sibi vindicantis, pro Delphino auguria. Deumque precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta ut regat in bonum Regni, Reginæ, Tuæque Sublimitatis. Lutetiæ 18 Decembris 1638.

Venit modo ad me Pater Sirmundus, vir in hac Aula potens, quippe à confessionibus Regi, qui me maximopere oravit, ut Landgravio qui ad Romana sacra se transtulit reddi possit commenda quædam in Osnabruggensi solo, ad ipsum avito jure pertinens, sed alii per bellum hoc data. Eò minùs negare ei potui hoc de ea re scribendi officium, quod Regi quoque placiturum scio maximè, si quid in hoc negotio pro illo Landgravio fieri potest. Quare commonitorium, quod ipse mihi dedit Sirmundus mitto. Non impedit Sirmundum Aulica functio quò minùs & literas adjuvet. Edidit antehac Concilia Gallica. Nunc in Theodoreti editione tribus tomis versatur.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1086 Tum pro literis Excellentiæ Vestræ datis 6 Decembris, tum pro chartis, quæ eas comitabantur, plurimas ago gratias. Plenæ sunt æqui & honesti quæ D. Bannerius Regi Daniæ scribit. Qui neutrarum esse volunt partium sua tutari cùm modò possunt, nobis autem cripere eos qui ultro nobis hostes esse voluerunt, non possunt. Videbimus quale sit futurum diploma, quod pro Germanis in commune pollicetur se impetraturum idem Daniæ Rex. Nam de Suedicis diplomatis pro Magontiacensi & Brandenburgico eorumve Legatis, nihil puto fore disputationis. Sed ut his rebus nondum plane expeditis veniant à Suedia Senatores, Majestas Regni, quantum ego intelligo, non patitur. Ut Imperator invitetur ad peragendum, non baptismum Delphini, qui peractus est, sed superfluentes baptismi ritus, sicut fieri posse credo, ita nihil de eo certi comperi. Id quidem apparet fieri hoc non posse, nisi de Imperatoris nomine certamen Galliæ Rex omittat. Non dubium est quin Pontificis hoc sit consilium, primum omnium inter adhærentes sibi Principes rem in arcano componere, antequam agatur cum Suedis, Germanis, Batavis, ut nimirum hi metu amittendæ societatis & incubituræ in dessertos bellicæ molis, eò trahantur quò ferent illorum commoda. Ego verò Cardinalem Riceliacum arbitror pacis esse non appetentem, &, si ea omnino facienda est, nolle aliam quam quæ conjuncta sit cum bona in socios fide. Interim in bello video multa administrari non ut Protestantibus conducit, ac nisi Deus singulari quadam providentia expediisset Ducem Vinariensem, hærebat in maximis periculis. De Suedis nostris non dubito, quin ea futuri sint animi magnitudine, ut decipere Gallos nolint, & prudentia, ut decipi se non patiantur. Infamant sanè se, ut bene notat Excellentia Vestra, Germani Principes, qui ubi offa aliqua Episcopatus ipsis objicitur desertores fiunt; eoque ipso ostendunt non pro Religione, non pro communi libertate, sed cupidine saginandi se bonis Ecclesiæ susceptà à se arma, neque Deo neque hominibus probanda. Sicut autem diuturnæ esse non solent societates quæ ex diversis utilitatibus, præsertim si insuper minùs honestæ sint, conflantur, ita credibile est dissiliturum & hoc Saxonici federis malè compactum corpus. Negotium pacis Imperatorem inter & Hassicam Viduam, pro confecto habeo. Nam neque ipsa pro sociis pertendet quos dereliquit: neque Imperator quæ concedi possunt ei negaturus est, quò sibi hostium minuat numerum. Batavorum erit cavere ne hostes aut aperti aut dissimulati ad Amasium penetrent, navium etiam maximarum capax flumen. Magnæ prædicantur esse vires Hispanorum, quæ in Brasiliam ivere. Quibus ut resistere possit Americana in Batavis societas, primùm concordia inter participes, deinde & publico, ni fallor, auxilio egebit. Multum interim est, quod ut pridem India Asiatica, ita nunc Brasilia Hispano populisque ejus infructuosa redditur, dum belli onera reditus mergunt. Apud Moscovitas quid fiat cò justiùs scire desideramus, quod Suediæ sunt contigui. Transilvanus agatne seriò quod præfert, an occasiones quærat opimiorum apud Imperatorem conditionum, brevi, ut puto, apparebit. Novi nihil fiat, si aut oppressi, aut opprimi metuentes Christiani, etiam barbarorum ope utantur. Neque enim manet communio, ubi suam quisque salutem non reperit. Deum tamen orare pergo, ne nostræ discordiæ Mahumetismo pridem præpotenti novas aperiant vias. Idem Excellentiam Vestram ipsique caros sospitet. Lutetiæ 18 Decembris anni 1638

Exc. Vestræ singulari observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Venit ad Regem cursor, Brisacum benignis conditionibus Duci Vinariensi deditum nuntians. Magnum id 1087
Duci firmamentum erit ad retinenda quæ ceperat alia, famamque ei augebit virtutis, prudentiæ, constantiæ, ut qui copiis exiguis maxima à se pericula depulerit & rem maximam confecerit. A Gallis hanc urbem non minùs Duci quàm hosti extorquere volentibus diu ita fuit adjutus tenuiter, ut prope desertus videri posset. Serò qualia ante oportuerat auxilia venerunt in partem propinquæ jam gloriæ. De Gotzii reatu & successore ejus Mansfeldio literæ huc multis ex partibus adventant: adjiciunt eæ Laufenburgi partem Transrhenanam ab hoste derelictam. Gotzii periculo commotos qui sub eo fuerant duces minari atrocia. Mansfeldium esse ad Gutembergam arcem nuper captam à Cæsarianis, ubi alimentorum nonnihil repererit. Ad Sennas itinera sua divisisse Ducem Carolum & Horstium, hunc in Burgundiæ Comitatum, illum ad Drusenhemum. Ducem Vinariensem commeatibus bonis acceptis ex Helvetico solo, Laufenburgi in Alsatica ripa præsidio collocasse musquettarios sexcentos, equites quingentos. In eadem ripa novum ab eo strui castellum Henningam contra. Partem equitatus missam in vallem Wesendaliam refovendis suis equorumque corporibus. Fugis exhaustos Cæsarianos exercitus, vix ut eorum qui sub Gotzio fuere partes duæ tertiæ, aliorum dimidia restet. Mortuus hic est pater Iosephus, nihil minùs quàm quod dicebatur Cappucinus, ideoque Cappucinis odiosus semper non minùs quàm proceribus plebique. Ostendunt id quæ ad lacerandam ejus memoriam scribuntur quotidie. Is per iniquissimam spem multum nocuit rebus Protestantium. Est tamen nonnihil damni in ejus morte, quia aliquos se pejores reliquit in negotiis. Gliscit Venetorum à Turca metus, eoque illi se magis ad Imperatorem & Polonum vertunt, quod & ego hic signis quibusdam experior. De pace Turcæ cum Persa Italorum literæ ultra dubitare nos vetant, adduntque ducentis navibus Cretam à Turcas peti. At Veneti ajunt se exspectare à Persa Legatos. Augustæ Taurinorum Valerius quidam & alter hospitiorum comitatus Aulici designator supplicio affecti sunt. Historia criminum nondum ad nos pervenit. Exspectantur novi Cardinales à Pontifice, cui non parum molestiæ decessit mortuo patre Iosepho assiduo ejus purpuræ flagitatore. Viquefordius brevi hic aderit, Ducis Vinariensis missu, quantum audio, in

Digitized by Google

Angliam iturus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det nobis ea quæ ad bonam pacem ducunt. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Decembris anni 1638.

Mitto tabulam exactam Brisaci qualiter obsessum fuit. Pons qui Philippiburgi fuerat, translatus est Drusenhemum. Dux Mutinensis ab Hispano Oceani Præfecturam accepisse dicitur, quomodo jam ante interioris Maris frater Ducis Ethrusci. Mogorensis Rex Persidem invadens, necessitatem Persæ conficiendæ quoquomodo pacis imposuisse scribitur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1088 GRata fuere quæ literæ Excellentiæ Vestræ scriptæ 13 Decembris nuntiant de D. Banerii rebus gestis ejusdemque consiliis. Est nonnihil diem de die sine damno ducere, donec dissipetur illa Dano-Saxonica nubes. Super veteres causas novam dedit satis gravem Lunemburgicus, cur hostiliter à Suedis haberi debeat, cùm Albis transitum permisit Gallassio. Et qui eum hostem Suediæ tuendum susceperint, etiam illi eo sunt in loco ut pro hostibus haberi possint, si modò id expediat. Conspicitur nunc passim apud Germanos illa, ut Symmachus loquitur, validior omnibus vacationis remediis exhausta fortuna. Possitne aut infelicium populorum miseratio, aut certè defectus rerum per quas bellum alitur dominantium animos ad pacem aut flectere aut cogere, videbimus. Sive autem daturus est id bonum Deus, sive obstitura Germaniæ peccata, Rectores Suediæ in propinquo esse, è re erit. Vt autem mare transeat Magnus D. Cancellarius, neque Regni dignitas hoc negotiorum statu, neque tempus anni permittit. Elector Palatinus Hamburgi promovere poterit res & suas & communes. Quod si Anglia in fedus nobiscum veniat, & stet promissis, non dubito quin Regis Galliæ liberalitatem expertura sit Domus nimis diu non sine sæculi opprobrio in adversis jacens. Quæ de Frisia Transamasiana prudenter monet Excellentia Vestra, eorum participes Legatos Anglos feci, quod ad ejus quoque Regni sollicitudinem pertinere arbitrer amnis illius & maris adjacentis bona ac mala. Sperant Angli Gallos effecturos ut qui ibi est Hassicus miles, in Gallicam aut sociorum Galliæ militiam transeat. Sed exposui illis argumenta cur id mihi minùs certum videatur. De Portugallensis classis infortunio, nihil hic habemus. Cæterùm nova, ni fallor, belli arena erit posthac Brasilia. Ita longa catena res Europæ cum Americanis & Indicanis connectit. Nam & pacis Persicæ cum Turca causa fuit Mogorensis Rex in Persis possessa irruens. Piccolominæus venturus credo ad Rhenum fuerat, si Duci Lotharingo & Horstio sui conatus bene successissent. Nunc amissa de servando Brisaco spe, superest ut in ver nova serat consilia. In Moscovia si quid novi geritur, pertinebit id quoque per consequentias ad res harum terrarum. Dicuntur Cosacci Polono exhibere negotium, & cum Cosaccis Tartari. De Principe Casimiro nihil intellexi post ea quæ scripsi antehac. Sed dicitur exspectari hic è Polonia Legatio: interim Veneto tentante si quid possit. Radzivilius sua tantùm agit. Det Deus Excellentiæ Vestræ & omnibus ejus caritatibus res prosperrimas. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Decembris 1638.

Excell. Vestræ perpetuo cultu observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1089 SErmones habui cum D. Comite Licestrio, de iis quæ per D. Roum & D. Salvium præformata & in Sueciam Angliamque missa spem nobis bonæ societatis præbere videbantur. Rogabam adjutor ut esset. Ipse autem ostendebat displicere sibi D. Roi consilium, priusquam certò sciretur quò arma nostra tenderent. Quantum ex sermone ejus nonnihil diverso ab iis quæ dixit antea, conjicio, placet Anglis Danica illa cum Saxonicis coitio, vellentque & ipsi de nostro largiri Pomeraniam pro Palatinatu recipiendo. Dicebat Gallos tanto Suedis validiores semper paratos fuisse cum Anglis talia pacisci qualia nunc Hamburgi cuderentur, etiam exclusis Suedis. Quod tamen Galli semper pernegarunt. Præter hoc negotium, commendavi & ipsi & collegæ ejus curam pro Transamasiana Regione, maritima quippe & ad flumen posita navium maximarum patiens, unde Batavis primùm, fortè & Anglis aliquando malum immineat. Si Hassicus qui iis in locis agit miles Cæsarianus, deinde ex Cæsariano, ut nunc mos habet, subito Hispanus fiat. Vereri me ut verum sit, aut satis diligenter agatur, quod Galli dicunt, laborare se ut Hassicas illas copias in suam aut Electoris Palatini militiam traducant. Manet hic etiamnum Cardinalis Biquius. Laborat inter cætera, ut componat controversiam quam Roma habet cum Ricelıaco Cardinali ob edictum illud de pecuniis Romam non mittendis. Causa ejus edicti fuit, quod Cardinalis Riceliacus plurimas habens Abbatias, unde beneficia plurima pendent, ea ipsa beneficia Romæ à Pontifice donari & sibi magna quæ ex collatione provenient lucra interverti non patiebatur. Nunc in eo sunt ut prædam hanc partiantur. Quod si fiat, tollaturque edictum, spondet Biquius liberum fore posthac Cardinali Antonio exercere protectionem Gallicam & eo jure Episcopatus in Gallia vacantes nominaque eorum quos Rex Episcopatibus destinat collegio Cardinalium proponere. Delphinus jam ter mutavit nutricem. Fugiunt eum conquisitæ ad hoc feminæ quod ubera earum morsicando lancinet robustus calidique spiritus puer, non sine ominе futuræ rapacitatis. Hæc nunc habebam, Excellentissime & Illustrissime Domine, & vota pro Tuæ Sublimitatis prosperis rebus. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Decembris anni 1638.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REgem conveni nudiustertius, gratiisque actis pro copiis auxiliis Duci missis Vinariensi, ostendi quantum in Brisaco capto, de quo ipsi gratulabar, momenti esset, ad securitatem Ducatus Burgundiæ & Campaniæ, ad retinendam Lotharingiam & Alsatiæ loca, ad tuendam Helvetiorum libertatem, ad novos per Germaniam processus. Non ignarum id Imperatori qui Brisaci causa tot exercitus, tot duces objecisset periculis: neque obsessos id nescisse qui ad morandam deditionem ad ea venissent quæ sine horrore narrari nequirent. Magnam hujus obsidii famam per omnem orbem fore, claram Regi, claram Duci. Neque Marescalli Bannerii nullam in hac re operam fuisse, qui magnas hostium copias eodem incubituras retinuisset habuissetque occupatas. Addidi quæ de turmis ad Padebergam ab eo cæsis & impedita bellici instrumenti per Albim subvectione audieram: obiterque rogavi ut promissæ nostris pecuniæ posthac suo die solverentur. Id si fiat ea aggressurum Bannerium, quæ Regi plurimum essent profutura. Retuli deinde quæ de itineris diplomatis pro Germanis acta essent hactenus, ac quomodo nostri ad colloquia venire detrectassent, priusquam etiam Italis Batavisque Regis sociis cautum esset. Si iniquitas hostium longiùs nobis bellum injungeret, apparituram Suedorum virtutem. Si pacis spes esset aliqua in utroque Conventus loco, rem paribus ituram gradibus, non aliter quàm si uno in loco pariter ageretur. In utrovis rerum statu palàm fore si à Germanis nonnullis mi-

migrasset bona fides, in Suedia firmas ei sedes esse. Rex de Brisaco quod dixeram comprobans, ostendit intelligere se quanti hæc res esset, addidit duos ob id hostium absumptos exercitus. Lætari se Bannerii rebus prosperis, ac de pecunia suis temporibus curaturum se nobis ut satisfiat. Brisaci qui è Ducis exercitu, Galli maximè, captivi servabantur, nullis acceptis alimentis interiere multi, sex horum corporibus duodecim alii miserabilem vitam produxere. Quod nefas cùm Vinarienses milites intelligerent exeunte jam præsidio, parum absfuit quin pacta ob cælatum facinus tam inhumanum irrita haberentur. Sed non injustas iras Ducis clementia repressit. Pacta ipsa mitto, in quibus observatu dignum quod tam sollicitè Dux omnes chartas ad urbem regionemque pertinentes tradi sibi voluerit, velut certus possessor. Legati hic exspectantur & Polonia, à Venetiis, ob natum Delphinum, Venetorum pericula & libertatem Principis Casimiri. Dubitatur an ausurus sit Imperatori se sistere Reinacius, ideo quod paulò antequam obsideretur frumentum vetus vendidisset, spe coëmendi novi, cujus habendi facultas mox ei interclusa est: & ipsum illud vetus frumentum magnam in partem ad Ducem Vinariensem pervenit, qui agrestium specie milites suos ad emendum submiserat. Hanc culpam incredibili post pertinacia compensare voluit. Romanensium sacra Brisaci relicta, Protestantium etiam sua concessa. Exiere milites trecenti. Machinæ venere in potestatem plus ducentæ, pulveris bellici immensa vis. Cardinalis in supplicationibus ad Deum pro capto Brisaco addi voluit mentionem desideratæ pacis. Dabit operam Dux ut ad culturam revocetur ager, qui circa Brisacum ad XX leucas desertus jacet. Delphinus jam nonam nutricem fugit, aufugiunt omnes quod mammas earum malè tractet. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det ea quæ in publicum sunt bona optima. Calendis Ianuarii anni novi, ut hic numeramus 1639. quem Regno, Reginæ ac Tuæ Sublimitati faustum precor.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

091 MInistri Regii Viquefordium qui res hic agit Ducis Vinariensis tentant, an Dux in urbem Brisacum admittere velit Gallos pari aut majore quàm Germanos numero. Dux verò id admissurus non est, qui & sibi certam sedem in usum belli aut pacis parare vult, atque hoc modo se amicis aut hostibus facere pretiosiorem, & memoriam non deposuit amissi Philippiburgi per nationum discordiam, aliarum verò urbium & castellorum per Aulæ hujus negligentiam. Videtur Dux munitionibus factis duabus ad Stolhovium & Drusenhemum inferna amnis Rheni clausurus Argentoratensibus, superna premente Brisaco, ut magis obsequentem habeat civitatem, cujus plebs satis in ipsum prona primorum factione prohibetur. Annum qui hodie incipit more Gallico faustum, Excellentissime Domine, rebus communibus Tuæque Sublimitati precor.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

92 QVanti sit usus ad civilem prudentiam Cornelius Tacitus, multi antehac, etiam Itali, qui in illa sapientiæ parte plurimum sibi vindicant, ostenderunt. Dici id autem nulli minùs opus quàm Sublimitati Tuæ, ex cujus actibus sermonibusque instaurari eadem præcepta possint, si Tacitus periisset. Dedere jam nobis luculentam ejus editionem in octavo viri duo eminentes eruditionis omnigenæ laude Berneggerus & Frinshemius, addito indice locupletissimo rerum ac verborum & perutilibus ad marginem annotationibus. Legi cum voluptate, miratus multùm tantum illis fuisse animi in urbe paullò minùs quàm circumsessâ armis. Etiam qui hic sunt doctrina præclari viri opus illud à me ipsis ostensum mirificè & laudant & habere expetunt. Nunc iidem duo soceri generque juvandis literis nati, majorem in Folio editionem moliuntur, cum perpetuo quodam commentario ex omnibus qui ad hoc usque tempus ad Tacitum scripsere, summatim collecto. Ego quoque post aliorum vindemias meam racemationem ad ipsos misi. Erit sumptuosum opus, &, nisi potentum liberalitas subveniat, ipsis damnosum, prostratis per bella ut aliarum rerum, ita & librorum commerciis. Multi jam Principes honestissima erogatione promotum iverunt hunc Principibus instituendis utilem laborem. Audent sibi aliquid spondere munificentia etiam Reginæ Dominæ nostræ: non immeritò, cùm nemo hodie regum sit qui adjutorem habeat rectiùs quàm Tua Sublimitas de rebus istis judicaturum. Ego plurima debens literis quæ mihi in rebus adversis solatio, in prosperis ornamento fuere, facturum me rem credidi ab ingenio meo alienam, nisi, quod & antehac fecisse me memini, & opus publicè utilissimum & ipsos susceptores viros summè eruditos, meo primùm quidem testimonio, deinde, si quid ea valet, etiam commendatione proveherem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Sublimitati Tuæ res agere dignas quæ scriptorem nanciscantur Tacito, si tamen id fieri potest, parem.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVod ad vos rumor præproperus pertulerat, de eo hic 1093 verè cognito ingens Regis ac populi gaudium est. Quantum sit positum in capto Brisaco ad tuendas extimas Galliæ partes & quæ Rex bello peperit, præterea ad Helvetiorum securitatem & majores in Germania progressus exposui Regi his diebus, qui & ipse satis se hoc intelligere sermone ad rem apposito ostendit, & duos hostium exercitus, dum ei liberando student absumptos addidit. Pertinacia Rinacii, ut culpam admissam antehac in vendito frumento vetere dum novum exspectat elueret, per mensem ultimum ea in fame tenuit civitatem, ut captivorum, qui sine alimentis inclusi tenebantur, duodecim sex sociorum corporibus pasti sint. Quod cùm ad notitiam militum Vinariensium pervenit, (nam dum pacta fiebant ignoratum fuit) paulò minùs omnibus præsidiariis exitium attulerat. Sed Ducis clementia servavit, exemplo edito tam nefario, exempla in se gravissima meritos. Vtraque Religio in urbe exercetur. Dux agrum circa vastum ad culturam revocat, tutelam suam pollicens agricolis. Exiere ex urbe milites trecenti. Si satis haberet equitatus Dux jam nunc in Bavari fines se transmoveret. Sed ad eam virium partem recuperandam tempore opus. Patris Iosephi mortui memoria virulentis multorum scriptis laceratur, & à multis quotidie insultatur ejus tumulo per ignominiam. Fecit multa Palatinæ Domui infensa ob spes illas de Bavaro inanes. Vinariensis tamen conatus non parum juvit: vereorque ne alii nunc sint in negotiis minùs id curaturi. Cardinalem enim Riceliacum corporis infirmitas cogit multa in alios rejicere, multa etiam ignorare. Solemur tamen nos bona spe, cùm videamus Duci Vinariensi multa supra spem bene provenisse. Lætatus est Rex iis quæ de Bannerio ipsi narravi. Arnimius homo vafer nocebit haud dubiè eis qui ipsum tam negligenter custodivere. Nam, ut audio, consiliis valet & apud Daniæ Regem in auctoritate est. Quare omnia circum-

Digitized by Google

ſpectè agenda ſunt noſtris. Ad pacis colloquia quin veniatur vitari vix poterit expeditis, ni fallor, nodis diplomatum pro Germanis. Quæ pro Italis ac pro Batavis deſiderantur, difficultates non habebunt magnas, ſi hoſtis paci non planè adverſatur. Idque nobis ad hujus rei dijudicationem optimum erit argumentum. Pergit Turca minari Venetis, Veneti vero pertimeſcere. Ad pacem conſequendam utile haud dubiè foret componi hanc litem & arma Turcica ad Pannonicum potiùs finem ſe oſtentare. Mittent huc extra ordinem & Veneti & Poloni, ad gratulationes de Delphino & pro Principis Caſimiri libertate, ſimulque ad arcendam, ſi ingruat, vim Turcicam, pace inter Chriſtianos conſtituta. His addent ſe Pontificis miniſtri. Quæ Principis Palatini nomine in Suedia fuere propoſita, ſpem mihi federis dabant exiguam, paulò plus ea quæ inter D. Roum & D. Salvium placuerant. Sed ut ea in Anglia rata habeantur, ſicut optandum maximè eſt, ita an ſperare auſim neſcio. Movent me ut metuam, & Legatorum hic ſermones, & Scotica illa nubes, ut rectè judicat Excellentia Veſtra, nondum bene diſſipata, & Dani conſilia multum in Aula, ni fallor, Anglica valitura. Pomeraniam pauci ſunt qui nobis non invideant. Cùm Bannerius ſuo milite opus habeat, novus autem ex Suedia, ſatis præterea viris exhauſta, venire hoc tempore non poſſit, niſi & brevi & validè ſe commovet Palatinus, periclitaturas in Weſtfalia res Suedicas, prudenter Excellentia Veſtra judicat. Pedemontanam ditionem ita nunc tenent Galli, ut deceſſuri non ſint, etiamſi puero Duci aliquid humanitus evenerit. Mantuana ſolo Caſalis pignore retinetur quò minùs invitis Gallis pacem faciat. Laborandum eſt ut quietos ſe; certè contra Turcam, teneant Moſcovitæ. Rex Daniæ quid agat, quid ſperet, quid velit, ſollicitè hoc maximè tempore erit obſervandum. Deus annum, quem hodie auſpicamur, felicem det Suedis, Excellentiæque Tuæ & omnibus ipſam contingentibus. Lutetiæ 1 Ianuarius 1639.

Excell. Veſtra ſingulari cultu obſervantiſſimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobiliſſime Domine,

1094 Literas meas quod Nob. Veſtra ſupra meritum æſtimat, bonitatis eſt: quod me de iis quæ ibi aguntur edocere pergit, beneficentiæ. Quæ de Bannerii rebus nuntiat epiſtola 24 Novembris, ea narravi Regi. Gaudebat is & D. Bannerio omnia optima precabatur, curamque ſe habiturum ejus in ſuppeditanda ſuis temporibus pecunia promittebat. Iam pervenerint Hamburgum literæ mercatorum ad ſolvendum quod Novembri cœpit deberi. Sed magni tricones ſunt mercatores ubi quid ſolvendum eſt: in exigendo lucripetæ. Mei, qui ab ipſorum ingenio abſum longiſſimè, ut habeatur ratio, & Ill. D. Salvium & Nobil. Veſtram ut rogare cœpi, ita nunc etiam rogo, ne ad multas moleſtias accedat fortunarum mearum fluctuatio. Briſacum captum nunc invidia quidem aliqua onerabit victorem, qui Germanicum maxima ex parte præſidium imponit, ſacrorum introducta libertate; verùm qui invidetur is vim habet, & ita ſunt hodie Gallorum ingenia, ut faciliùs ab illis metu aliquid quàm miſeratione obtineas. Helvetii eum tanquam libertatis ſuæ vindicem reſpicere incipiunt. Et poſſeſſio tractus iſtius ac fluminis & rerum quas geſſit fama efficient, ut eum ambiant hoſtes ſociique. Munitiones ad Varni oſtium retineri, certè ad pacem uſque ſatius erit, quàm in ea re gratificari Regi æmulo, &, ſi timeri ſe ſentiat, nullum talia flagitandi facturo finem, donec Suedos ultra mare Balthicum redegerit. Movet & Arnimii libertas, hominis infeſti Suedico nomini & non modicæ apud Daniæ Regem auctoritatis. Prudentia opus ac fortitudine, quarum virtutum hoc tempore apud nullam gentem quàm apud Suedos melior eſt ſeges. Planè autem cum Nob. Veſtra ſentio id curandum, ne qui extra bellum ſunt nobis ulla cum ſpecie imputare poſſint belli protracti mala. Evolutis nunc illis difficultatibus, quæ Germanorum diplomata ſpectabant, non arbitror Hiſpanos in iis quæ Italos Batavoſque tangunt recuſaturos priora ſequi exempla: neque Gallos Ferdinando diutius negaturos nomen Imperatorium, quod ei poſt conſenſum Germaniæ Roma quoque detulit. Aliter ſi facient aut hi aut illi, erit cur bello frui & alienas calamitates in uſum ſuum vertere velle credantur. Non iniquæ ſunt ſuſpiciones de Regis Daniæ arcanis cum Imperatore conventionibus. Expediat nobis, ſi illi Domi aliqua naſcantur turbamenta, quæ ipſam à rerum alienarum arbitriis nimis imperioſis & ad proprium ipſius quæſtum tendentibus abſtineant. Angli antehac ita locuti quaſi Pomeraniam nobis manere æquum ſatis & tranquillitati Germaniæ conveniens arbitrarentur, nunc nihil aliud quàm reſtitutoria interdicta pronuntiant. Lotharingo quin faveant dubium non eſt. Neque enim nimis excreſcere Galliam volunt, & vident inhoneſtum fore Imperatori reddere bello parta, ſuos autem ſocios ſpoliatos deſerere. De fœdere tamen an interceſſerit dubito. Princeps Eckebergius mandata ab Imperatore accepit aptandi ſe ad Pontificis voluntatem. Itaque introiit urbem magna cum pompa, probataque eſt à Pontifice & Cardinalibus electio Ferdinandi III. in Regem Romanorum. Alio enim nomine Romani Cæſares non inſigniunt ante coronam Romæ acceptam. Ea de re quod Roma ſcriptum eſt mitto; mitto etiam commendationem editionis Cornelianæ quam moliuntur viri eruditiſſimi, mihique amiciſſimi ſocer generque literarum optimarum ſeduli adjutores. Annum qui hic nunc incipit felicem Nob. Veſtræ, ejuſque domui, omnique Germaniæ & orbi Chriſtiano ex animo precor.

Nobil. Veſtra ſtudioſiſſimus H. G.

D. SALVIO.

Illuſtriſſime Domine,

Accepto epiſtolio Excellentiæ Veſtræ, miſi illico ad 1095
Heutdium. Is mihi quod reſcripſit mitto. Quare cùm in præſens, quantum ego iſtas res ſatis perplexas intelligo, in Regiis his Miniſtris mora ſit nulla, contentus fui Regem monere ut in poſterum dies præſtituri bene ſerventur. Ita futurum ut Dominus Bannerius res agere poſſit quales & Rex & ipſe deſiderant. Id ſe curaturum Rex reſpondit. Rogo autem ut prioribus literis feci Excellentiam Veſtram, ut mihi ex hac pecunia meum ſervare liceat. Neque enim æquum ſit me hominem haud valde pecunioſum poſt magnos de meo ſumptus factos ad exornandam Legationem, hoc inſuper operæ ſi non quàm vellem felicis, certè non indiligentis ferre præmium, ut multi temporis fructus ejus quam ex Hollandia petere ſine fine certo cogor pecuniæ, amittam. Cal. Ian. 1639, ut hic numeramus, quem ego annum Excellentiæ Veſtræ felicem precor.

Excell. Veſtra ad omnia officia paratiſſimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Habeo gratiam, Vir ſumme, pro epiſtola quam ad me 1096
dediſti medio Decembri. Optima ac veriſſima ſunt per quæ me de ſocru mei amantiſſima, uxorem autem meam de matre ad meliorem vitam præmiſſa gratularis. Ætatem ei datum eſt longam feliciter agere & videre pronepotes, ab abnepotum conſpectu parum abfuit. Cunæi judicium magni feci ſemper, & puto fuiſſe φιλόπατριδα [*Patriæ amantem*], eoque magis doleo, quod in eo Academia fecit damnum. Barlæo valetudinem opto proſperiorem, vel poëſeos cauſâ quam ornat. Pro illo opere de bene

ne recepta apud vos Regina matre, nihil eum hinc quidem capturum prœmii fide mea spondeo. Et tamen quotquot nunc prodiere Panægyrici ob natalem Delphini omnes in fronte editionis præferunt, *Honora patrem & matrem.* Vidit me his diebus Iacobus Sirmondus, Vir, ut scis, eruditissimus. Is Regis conscientiam nunc gubernat, bono sanè publico. Nam alii antehac eo functi munere religionem sæpe objecere Regis animo ob fœdera cum Suedis & Batavis, quod hic facturus non est, gnarus illius sententiæ prudentis Prudentii:

——— Siquidem cœlestia nunquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.

Non ita autem se dedit Aulæ Sirmondus, ut non tempora sibi reservarit ad editionem Theodoreti & Hincmari cum multis accessionibus: eamque ob causam habitat in veteri cellulâ. Vedelius si ferit alios, non minùs ipse à Montacutio vapulat, homo ineptus. Schockius homo sit malus oportet, qui me tamdiu à popularibus meis vexatum nihil ipsis debentem, nondum quiescere patiatur. De Satisfactione librum quo scripserim animo, quo proposito, tu optimus testis es. Et gaudeo librum eundem cum tuo, qui Ravensbergero homini tali qualis est Schockius respondet, editum nuper Oxoniæ & placere eruditis. Liber Veritatis Christianæ ut de Germanicis duabus & Gallica versione non loquar, editus est in Anglia Anglicè. Vertit eum Græcè pastor Legati hic Anglicani. Pontificii autem nunc Persicè vertunt, ut Mahumetistas, si Deus adspiret, faciant Christianos. Dicat hos omnes nihil videre, qui si ipsi credendum est & propinquis & longinquis gentibus Socinismum propinent. Triados probationem in eo libro disertè aggressus non sum, memor ejus quod à Viro magno socero tuo audieram, peccasse Plessæum & alios quod rationibus à natura petitis & Platonicis sæpe non valde appositis testimoniis adstruere voluisset rem non ponendam in illa cum Athæis, Paganis, Iudæis, Mahumetistis disputatione, qui omnes ad Sacras Literas ducendi sunt, ut inde talia hauriant, quæ nisi Deo semet patefaciente cognosci nequeunt. Moysen apertè temporalia tantùm promittere & Christi præcepta ipsius præceptis esse perfectiora scis esse dogma Veterum, idque abunde probasti. Quod si Novum Fedus legerent & intelligerent, ut oportet, reperirent hoc ipsum scriptum Matth. v. Hebr. VIII, 6. & alibi. Et fecit hoc ipsum nuper his quoque in locis apertum Mileterius. Christum etiam ob id filium Dei dici quod ex Spiritu Sancto conceptus sit non negat Thomas Aquinas. Et quid aliud significat διὸ [*ideo*], Lucæ I. 35. ut jam taceam etiam ob muneris impositi sanctimoniam & ob resurrectionem idem nomen satis apertè ei tribui. Crellio quod non operosè respondi, in eo fecisse me prudenter existimo. Quid enim opus bene ac satis liberaliter dicta repeti? si non possit ipse probare, injustum esse ut volens aliquis pro altero pœnas ferat, quod nunquam probabit, & contrarium omnium gentium sapientibus placuisse tum in ipso libro de Satisfactione ostendi, tum post Crellii librum editum in meis de jure Belli ac Pacis titulo de Pœnarum communicatione §. XI. ampliusque docebo ex multis admodum Hebræorum testimoniis ad Matth. XX. 28. cujus particulæ exemplum dedi nuper D. Goffio Theologo Anglo, qui ex Anglia mei potissimùm salutandi causa venerat. Sequitur nullam omnino fuisse causam aut Socino aut Crellio cur à verborum λύτρα placaminis, expiationis, redemtionis proprietate discederet, manifestissimumque piæ antiquitatis consensum desereret. Non tanti autem facio aut Schockium aut magistrum ejus, ut huic aut illi respondendum putem. Neque me pudeat consentire Socino, si quando is in verum veteremque sententiam incidit, ut sanè fecit in controversia de Iustitia per fidem & aliis nonnullis. Scripsi super his rebus non ita dudum ad D. Senatorem Reigersbergium, qui me apud Polonum Legatum traductum à Riveto Socinismi crimine ad me scripserat. In ea epistola ostendi, si quis sententiam meam post conspectam Crellii scriptionem scire cupiat de argumento inter me ac Crellium controverso, ei satis eam apparituram ex loco Esaiæ LIII. ita ut à me versus est in disputatione cum Iudæis, & inde, quod in fine operis de Veritate Religionis Christianæ illud Hebr. I. 3. καθαρισμὸν ποιησάμενος [*purgationem faciens*] non in præsentis temporis, ut Socinus, sed in exacti significationem interpretor. Hortensio & iter opto felix & successum respondentem itineris causæ. Ego si quid adjuvare possum, meo more non deero. Iansonio Anthologia, si velit, permitti potest. Ad cætera autem mea, sive Theologica sive Politica omnino opus est librario bene de rebus talibus sentiente. Si quis Blauwii liberûm est, qui talia velit suscipere edenda, sed sine temporis dispendio, gaudebo. Si inter eos nemo est, aut me, ut alios, trahere expetunt, multum me obligaveris, si repereris alium eumque mihi quàm primùm indicaveris. Habeo enim multa, ni fallor, profutura publico: quod mihi post injunctas Legationis curas maximum est studium. Vitæ incerta sunt spatia, & rectiùs eduntur, quæ nobis eduntur superstitibus, deinde licet corrigere, licet adjicere. De Aloto meminero. Vxor te ac tuam amicissimè resalutat. Lutetiæ Calendis Ianuariis anni 1639. quem tibi ac tuis felicem precor.

Illud addam, si quis meam de summa Trinitate sententiam scire cupiat, reperturum quod satis sit in poëmatis nuper editis, amplior explicatio notis reservanda est. Rogo Manassem roges ne Manasses sit, id est, obliviosus mei. Illud maximè scire velim, an id quod in doctores in diversum à Synedrio euntes constitutum fuit, ad omnia dogmatum rituumque pertineat.

Tuus ut soleo H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Mittuntur hinc ad Helvetios hujus Regni federatos 1097
CCCC M florenorum. Vt & Duci Vinariensi mittatur pecunia, habeaturque ratio ingentium, quas fecit, impensarum, laborat is, qui hic adhuc hæret ob ista negotia Viquefortius. Creditur hîc, obsideri à Duce Vinariensi, & qui ibi sunt Gallis Thanum aut Offenburgum aut horum utrumque. Vult Cardinalis redeunte vere iterum obsideri Fontarabiam, eique operi præficere vult Archiepiscopum Burdegalensem virum magni animi ac paris diligentiæ. Est nunc in Wirtenbergico agro Lamboius, is enim Imperatoris copias regit, profecto in Aulam Mansfeldio. Ad Vallis Telinæ fines hærent Hispani bis mille. Felicibus rebus Vinariensis ut exterrita est Vrbs Constantia, ita lætantur Protestantes Helvetii, meritò, modò ne ea res ipsos justo securiores faciat. E re foret ad tutelam mutuam fedus aliquod inter hos & Ducem fieri. Inter Gallos & Mantuanam, parum concordatur. Exspectatur Mantuæ qui res agat Imperatoris. Vidua, irata ob supplicium Præfecti Casalis, Gallos à majoribus imperiis amovit. Galli ut id ulciscantur Episcopum Casalis retinent. Veneti in componendis his turbis, sed frustra hactenus, laborant. Iidem, metu Turcæ, amicitias quærunt; sedatis quas cum Pontifice habebant controversiis. Dixit eis Legatus qui apud ipsos est Imperatoris, de itinerum diplomatis rem esse jam expeditam. Obtinuerunt à Pontifice decimas in annos octo. Orator ipsorum qui Constantinopoli est jam liber per urbem ambulat, sed bellum instare & magno molimine parari scribit, nisi de navibus Vticensibus Turcis satisfiat. Etiam adversùs Galliæ Legatum turbæ quædam Constantinopoli exortæ sunt ob ignes quosdam contra morem

morem excitatos. Veneti duo millia peditum in Dalmatiam misere, Zaram Corsos quadringentos, paratas bello habent Galeras XXX, Galeassas IV. Venere ad eos duo viri à Rege missi Poloniæ, qui inter alia nuntiant à Persa Legatum jam ad fines esse Poloniæ. Evenere & fortuita mala Hispanis & Venetis. Nam Hispanorum Galeræ duæ non longè à Brundisio fractæ sunt vi tempestatis. At Venetorum ad fossam Clodiam naves ignis corripuit, exstinctusque est non sine damno. Multa & gravia testimonia dicuntur quotidie in Ducem Valettam. Deus Excellentiæ Vestræ, omnibusque ipsam contingentibus adsit propitius. Lutetiæ 8 Ianuarii novi Calendarii 1639.

Excell. Vestræ singulari cultu observantissimus H. G.

EIDEM.

1098 DEbitor sum, ab antiquo quidem pro multis beneficiis Excellentiæ Vestræ, recens verò pro literis binis, datis 27 Decembris & 3 Ianuarii. Nam priores illæ per aliquod itineris infortunium posteriùs ad meas manus pervenerant, quàm miseram meas ultimas. De Brisaco ingens est per Galliam omnem & apud Helvetios gaudium. Subjeci Duci Vinariensi cogitationem, an non ex usu sit, aliquid cum Helvetiis pacisci, quod his libertatem, ipsi verò possessiones suas reddat tutiores. Timent sibi hostes, etiam hac hyeme. Cellæ auctum præsidium & commeatus. Dux Bavarus cuncta ex agris in oppida vectari jussit. Ducis autem Vinariensis meritis responsuram speramus Regis liberalitatem. Brisaci in præsidio præpollebunt Germani. Manent oppidanis bona, religio, libertas. Res mobiles, quæ Austriacæ Domus fuerant, Duci victori cessere. Patris Iosephi mors nulli gravis est, præterquam Cardinali, qui in eo magnum technarum suarum instrumentum amisit. Nobis quidem nihil in eo periisse arbitror. Laudo Excellentiæ Vestræ cunctationem in dando consilio super re satis perplexa. Facilè aliquid evenire potest, quod nos parte periculi ac curarum levet, sive ex Bannerii prosperis, sive ex male cohærente novi federis compage, sive ex distractione aliqua Regis Daniæ ab Imperatore, qui quidem Imperator jam nunc ægrè ferre dicitur, quod Poloni commodis Danus obstet. Revocarit ne Danus à Dantisco naves suas, solo hyemis, an ex offensarum talium metu, tempus expediet. Sed moneor, Melandrum simile fedus eorum qui inferiùs Rheno adsident moliri, quale illud est Saxonum Inferiorum. Si Gallus quæ verbis jactat de transducendis ad se copiis Hassicis, re efficit, laudabo. Alioqui velim Anglos eas sibi parare, simulque transitum per Amasium amnem, ubi erit opus. Et videntur non alieni ab hoc cogitatu, si modo talia curare permisserint ii, qui nos meritò sollicitos habent, Scotici motus. Gliscit, quantum audio id malum, & vix tractari se patitur. Quod à Rege Daniæ postulant Batavi, æquum sanè est. Ac prout id cadet, ita de hostium ad pacem aut bellum animo judicabimus. Et quod eidem Batavi aures occludunt ad omnes de induciis, sine Rege Galliæ, sermones, laudanda constantia est, tot præsertim ante oculos exstantibus desertorum federum exemplis. Propiorem sibi esse Magnum D. Cancellarium, sicut non sine causa optet D. Salvius, ita causæ quoque sunt cur magnus ille rei Suedicæ moderator per locorum & temporum intervallum res sibi, quamdiu potest, servet integras, & sumat quantum potest ad deliberandum spatii. A proavunculo nihil magni relaturum Electorem facilè credidi, cùm avunculus ita tardè se moveat. Solatur tamen me nonnihil illud, quod de Anglica pecunia scribit Excellentia Vestra. De iis quæ D. Rous in Angliam scripsit, sicut desperare nolo, ita sollicitum me reddunt Comitis Licestrii sermones, æquum dicentis nosci priùs quousque tendant arma nostra, quasi non id ex fortuna pendeat, quæ uti se dat, ita spes nostras laxare solemus aut contrahere. Et quis est, qui bello manente vincendi sibi fines unquam posuerit? Pacem esse Turcæ cum Persa credunt alii: soli id credi nolunt Veneti, qui neque imprudenter fecerint, neque contra morem suum, si jactu aliquo naufragium rediman; alioque mittant impendentem sibi procellam. Quod si illa ab Euphrate arma ad Danubium se vertant, eodemque tempore se moveant Transilvanus, & quibus Hungarorum præsentia displicent, aut pacem brevi habebimus, aut certè multum sufflaminabitur rapidus ille dominationis Austriacæ cursus. Veneti & Imperatoris & Hispani & Poloni gratias studiosè captant. Rex Poloniæ, quominus Turcam sibi hostem faciat, ut vel maximè eum laudis cupido incitet, suorum, ni fallor, consensu retinebitur. Primo Poloniæ Conventu haud dubiè & de hac re, & de Dantiscano vectigali, & de parienda libertate Principi Casimiro, & de Cosaccis reprimendis agetur. Ad eum Conventum mittere suorum aliquem Batavi omnino debent. Piratas puniri semper haud dubiè interest. Sed videant Principes ne & ipsi cœlesti judicio pro piratis habeantur. Hispanorum classis & miles in Brasiliam pervenisse hîc creditur. Sed ista satis rimabuntur Batavi. Mansfeldium qui Viennam ivit, Lamboioque temporarium imperium tradidit, Philippum esse arbitror. Cui, si redierit, difficile erit cum Principe, forti, experiente, felice, certamen. Ad Brisaci capti famam audio jam erigi animos iis qui Vlmæ alibique consultabant, liberiusque detrectari onerum graviora. Qualia tandem emersura sint pro Gallis, Gallorumque Federatis, & nominatim Batavis, diplomata ab Imperatore & Hispano, avidè desidero cognoscere. Quod tam apertè Lunzburgicus hostilia in Suedos ausus est, signum est illos homines viribus suis fidere. Quod si tales protegit Danus, quantillo minùs agit, quàm si nobis bellum indicat? Vechtæ damnum, documentum esse debet ad vigilantiùs custodienda cœtera. Vidi qui Kingium accusarent, quod in illa armorum sociatione properantior fuerit. Factum providè est, quod summa belli Bannerio mandata est. Homericum illud οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη [*imperitare malum plures*] ad bellum propriè pertinet. Et habemus, præter tot vetera, recentia aliquot per Galliam exempla æquati infeliciter imperii. Bysterfeldius quid acturus sit, multum refert hoc tempore, & scire ex usu erit. Erfordii titubare videntur induciæ. Rediit in Italiam Mutinensis. Deus Excellentiam Vestram & ejus affectus servet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Ianuarii 1639.

Excell. Vestræ omni observantia cultuque addictissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

GRatissimæ mihi fuere Nobilitatis Vestræ literæ 1099 24 Decembris datæ cum accessionibus suis. Spero Excellentissimos Regni Suedici Rectores super Saxonico federe ea capturos consilia, quæ ipsorum fortitudinem & prudentiam deceant. Et sanè perplexum negotium maximè ob indicia non optimè volentis nobis Daniæ Regis. Dicitur Imperator valdè improbare, quod is Rex magnus vectigalium concupitor aliena per Poloniam vectigalia impugnet, imminuatque vires Regis Poloniæ Domui Austriacæ tam arctis innexi vinculis. Idne ab Imperatoris amicitiis avellere Danum possit, an verò hic cessurus sit illius auctoritati, & sua posthac acturus, rectiùs dijudicabunt, qui propiores sunt. Video & à Rege Daniæ & ab aliis id agi, ut recusatæ pacis invidia Suedos onerent, quò magis laborandum est nostris, ut, si non omnibus, quod fieri nequit, certè æquissimis Principum patefaciant eam culpam ad se non pertinere. Illustrissimi D. Salvii ad Daniæ Regem epistola querelas de hostium circa pacem effugiis multas satis continet alias aliis speciosiores.

Illud

Illud justissimum mihi videtur, quod nisi & Gallis paratis, incipere colloquia, locis divisa, rebus cohærentia non possumus. Pro Gallorum autem federatis præcipuè Batavis, nondum data sunt diplomata. Lunæburgici Conventus consulta nobis ad cuncta dijudicanda lucem adferent, quæ utinam viam nobis sternant ad honestam æquamque pacem, quàm augeant hostium numerum. Alterum unde augurii signa capiamus, sunt Scotici motus, qui si manent, & ut nunc gliscunt, honesta erit oratio internas curas externis prævertentium. Metuendum verò maximè ne Hispanica arte ac largitione, & Scoti in Regem suum concitentur, & Rex in Scotos. De Gallica pecunia Suedis debita quid sit jam perscripsi. Ego pergo & Illustrissimo D. Salvio & Nobilitatis Vestræ meum æquissimum negotium commendare. Minùs aptos nos reddunt ad publicas dispectiones privata incommoda. Quod si semel constituto unde petam quod mihi promissum est, ab isto salo atque agitatione liberer, facilè Schmalchii minas contemnam, neque ei invideam Gallicas auras aurumque. Non est incredibile id quod dicit Asterius, & purpuratus ille magnus & talium auceps. Ego hanc stationem quàm maxima potero diligentia tutabor, præsertim vobis amicis me adjuvantibus. Deus, Nobilissime Domine, vos salvos præstet. Lutetiæ $\frac{4}{17}$ Ianuarii 1639.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobiliss.me Domine,

10 IMperatoris & Regis Poloniæ colloquia, ut semper potentum, parturiunt aliquid, viderint sibi Germani & Poloni. Suedi, qui satis norunt quàm invisi sunt & huic & illi, arma ac vires arcanis machinationibus providas cautiones opponent. Conventum in Polonia cudi audimus, ubi agatur de Cosaccis, de Principe Casimiro, de vectigali apud vos & de Turca. Digni vindice nodi, & non tam facilè explicabiles. Captum post longam famem & irrita toties hostium tentamenta Brisacum, multum famæ Duci Vinariensi, multum securitatis & Gallis in illo fine, & Helvetiis attulit. Mansere civitati bona, libertas, etiam Religionis præsidium erit ab ipso Vinariensi, quod lætius futurum creditur Germanis, quàm si Gallis detur, negligentibus sanè in ista rerum custodibus. Deinde si quid in Germania Germaniæ est reliquum, poterit reviviscere spes prope intermortua libertatis, ubi in conspectu erunt felicia arma Germani Principis. Magnis hîc animis paratur bellum in Hispaniam & per Italiam. Turcæ cum Persa pax facta creditur. Negant tamen Veneti qui anxii socios quærunt. Pecuniâ satis magna impendentem metum credo rediment, quanta scilicet incensas in Dalmatia Vticensium naves Turca æstimaverit cùm mulctæ auctuario. Palatinus miram adversùm se experiens fortunæ sævientis contumaciam Hamburgi nunc est, ut fedus quod inter Suedos Anglosque cuditur, pro suis viribus promoveat. Ab illo filo ultimo pendent omnes spes tam graviter concussæ Domus. Vobis omnia tranquilla opto. Quod Rex Daniæ naves suas reduxit, fecit, ut ais, cœli procellas, fortè & alias Aulæ Viennensis metuens. Dicitur enim Imperator fidus Regi Poloniæ affinis non leniter ferre quòd Danus se rebus externis immisceat, præsertim in re vectigalaria, ipse tantus vectigalium sititor. Sed ejus rei quid sit vos meliùs noveritis. Vale Vir Nobilissime. Scribebam 15 Ianuarii anni 1639, quem Nobilitati Vestræ ejusque amicis fortunatum precor.

Nobil. Vestræ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

FVit iterum apud me Comes Licestrius. Sermones ejus 1101
eodem perpetuò relabuntur, non posse fedus iniri nisi cognoscatur quid sibi propositum habeant nostrorum arma. Ne cum Gallis quidem placuisse sibi fedus sub legibus quales nunc Suedi postulant. Dimidium Pomeraniæ videntur nobis concessuri Angli, si res ipsorum arbitrii fiat. Ego contra ostendi in federe quale cupimus nihil esse iniqui, & de Pomerania nos optimo jure niti. Cum Lotharingo quicquam actum sibi iidem Angli negant. Quod antehac illos monueram, cogitarent de custodia regionis trans Amasium amnem, videntur in animum admittere. Nam de Gallis, an quid consecturi sint, dubitatur. Sed aiunt ipsos Trans-Amasianos ordines deliberare de conducendo suam ad tutelam Hassico milite: præterea verò Melandrum id moliri, ut ad exemplum intra-Saxonici federis fiat infra-Rhenanorum. Cum dicerem Licestrio, quod ad me perscriptum fuerat, Residentem apud Helvetios Anglicum minùs amicè de Suedis loqui, negabat id esse verum. Nisi Licestrius de industria occultari ad tempus vult famam federis quod cuditur, crediderim ego malle Anglos arbitros esse pacis suo ex usu, quàm belli socios. Sed utrumvis volent, multum illis & auctoritatis & virium detrahent motus Scotici, qui adeo non resederunt ut erumpant violentiùs. Hyems hæc nihil novi parit, nisi quod mirè torquetur Rex ob id quod nupturire videatur Hautofortia. Landscrona, quam reddi convenerat, nondum quod sciamus in Ducis Vinariensis venit potestatem. Dux mutinensis in Italiam rediit. Erfordenses ut diuturnæ sint suæ induciæ metuunt. Aucta sunt præsidia & commeatus Cellæ. Dux Bavarus ex agris quæ transportari possunt omnia in oppida convectari voluit. Idem S. Virginem à Gallicis partibus ad suas volens traducere in ejus se tutelam commendavit: ego verò divinæ tutelæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginam ac Tuam Sublimitatem. Lutetiæ $\frac{4}{17}$ Ianuarii 1639.

Pecuniarium negotium & meum, ob causas gravissimas, & D. Marini Sublimitati Vestræ sollicitè commendo. Delphinus soluto linguæ retinaculo fugit meliùs & multum lacte cocto utitur. Novi sunt rumores de dirimendo Fratris Regii matrimonio cum Lotharinga.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

ACcepi his diebus exemplum literarum Augustæ Ma- 1102
jestatis Tuæ tum ad me, tum ad Regem, planè quales jampridem acceperam, quarumque imperium, Regi ob nomen patris adeptum gratulatus, impleveram. Quare non existimavi adeundum mihi rursus Regem, sed literas has, quarum pares jam diu est quod Rex habet, apud me detinui. Valent bene & Rex & Regina & puer Regius, qui nunc lactet quàm antehac meliùs expeditiusque. Consilia & res magnæ in ver differuntur, quod ut felix fortunatumque sit Majestati Tuæ ejusque sociis, Serenissima & Potentissima Regina, Domina Clementissima, Deum supplex veneror. Lutetiæ $\frac{14}{17}$ Ianuarii anni 1639.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXE-

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1103 Maximo meo cum gaudio intellexi ex literis Sublimitatis Tuæ, quas 4 datas Novembris modò demum accipio, summam illam, qua ipsa me semper prosecuta est, benevolentiam manere, neque negotiorum meorum, quæ ipsi commendaveram, excidisse memoriam. Quare confisus planè Tuæ Sublimitatis verbis, vivam non paulò securior, ac proinde etiam ad ea quæ mihi agenda sunt intentior, levatus ea sollicitudine futuri, quæ me non minùs quàm præsentia incommoda, premebat. Heusdius & pecunias Suedicas habere se negat, & cùm mihi antehac dedit aliquid, dedit & tardè, tanquam de suo, & per particulas exiguas, ita ut nunquam mihi id quod ex Hollandia huc protraxeram reponendi ad fructus faciendos facultas ulla fuerit. Delectavit me etiam illa pars literarum, quæ Reginam Dominam nostram bene valere & in spes magnas crescere, significat: præterea paratam esse, ita ut oportet, Suediam, aut ad capessendam pacem, nec iniquam, nec segregem, aut ad arma armis repellenda. Deus, utrocunque res ceciderit, eventus det bonos Regno, bonos etiam Orbi Christiano. Brisaci Præfectura data Erlachio est, Helvetio. Præsidium ipsum ad bis mille propemodum ex Germanicis est cohortibus Flequensteni & Halsteni, exceptis Gallorum ducentis. Cæteri Gallorum, partim Mosellam versùs rediere, partim ad Thanum sunt, capto jam eo oppido, arci imminentes. Ducis eques vicinas insidet valles ad iter defendendum commeatibus, qui non parva copia Brisacum advehuntur, equos reddit iis qui suos prælio aut morbis amiserant. Partem item equitis multumque peditis versùs Comitatum Burgundiæ misit. Nobilitas Alsatica operam dat ut redire in villas & agros possit. A machinis ita bene instructus est Dux, ut cùm nuper gratiæ Deo in Templo Cathedrali actæ essent solenniter, ac festum deinde consilium celebraretur, trecentæ urbem Brisacum personuerint. Brisaci in suam potestatem pertrahendi adhuc valde cupidi manent Galli, ac pecunias, quarum ob ingentia impendia, egere Ducem sciunt, retinent. Prætexunt metum, ne, si quid Duci sinistrius eveniat, hostis urbe potiatur. Ego contra iis qui me hac de re convenerunt, itemque Anglis, ostendi ipsorum Gallorum interesse, ut à Germanis urbs teneatur. Vidisse nos tot loca amissa per negligentiam, partim eorum qui sub Cardinali res, non semper ex ipsius voto, curant, partim præfectorum. Quid non opus metui, si quid Cardinalis patiatur humanitus, cessaturaque sit illa eximia, quæ multa peccari vetat, auctoritas? Quid si, quod Galliæ frequens, cum hominibus & consilia mutentur? Quo tum in periculo Ducem fore, si Brisacum non ipse habeat? Sperare nos futurum, ut, Anglis annitentibus, resuscitetur intermortuum prope federis Germanici corpus. Posse Principes, Nobiles, Civitates in id pertrahi, si Germanici sanguinis Principem potentem videant, habentem arma, tenentem in finibus loca. Si & ipsum, & ea loca videant Gallici Regni fieri accessiones, alienos à tali societate fore omnium animos. Missus ad Ducem est qui eum in hanc Aulam pelliciat. Si venit, pro certo habeo Brisacum Gallorum futurum. Sed & multa sunt, quæ Ducis præsentiam requirunt in Alsaticis partibus, & Aulæ otium luxusque ei displicent, & difficile ei est hic dignitatem, ut vellet, tueri. Anglis ostendi, quantum in Brisaco Duci permittendo momenti sit ad res quæ nunc agitantur. Premi eum maximè pecuniæ penuria. Ei malo mederi Anglis hactenus feriatis, quàm Suedis longo bello exhaustis, facilius. Videntur id non rejicere, & qui ibi pro Anglia residet, jamque in Angliam rediturus est, spem fecit Duci eam rem promovendi. Alterum quod Ducis firmare animum, viresque posset, foret, si Helvetii Protestantes, quorum exitio imminere Austriacos, maximè verò Bernatium ac Basileensium, multis literis interceptis, multis præterea argumentis aliis compertum est, perduci possent ad fedus faciendum cum Duce Vinariensi tutelæ mutuæ causa, saltem dum bellum hoc manet. Indicavi, & ipse, & per amicos, Genevensibus Helvetiorum vicinis & amicis, ut conciliatores velint esse hujus rei, quæ alioqui neque à Duce facilè neque ab Helvetiis capiet exordium. Spem feci, si id fiat, posse, ubi pax componetur, etiam Helvetiorum securitati caveri, nominando eos inter amicos Suedorum, ut fieri solet. Gratum Duci esset si super hoc Brisaci negotio Regina nostra suos ipsi sensus panderet. Videtur enim optare ut ea quoque auctoritate sibi uti liceat ad trahendum negotium. Relinquo Sublimitatis Tuæ prudentiæ dispiciendum, quid ea in re factu sit optimum. Anglis iterum de Transamasiana regione, ad transitum in Westfaliam necessaria, vulsi aures. Convenerunt cum Gallis ut CL millia florenorum Galli, totidem Angli contribuant, ut Hassicum militem pariter ad se pertrahant. Et agit nunc de ea re Vesaliæ Estampius. Sed aversos audio esse à Gallis Hassicos, quod promissa antehac minùs processerint. Scribit ad amicos quos hic habet Milander, se, si militaturus sit ultra, nulli nisi Duci Vinariensi militare velle. Id an ex animo scribat, inescatus Cæsarianis pollicitationibus, dubitari potest. Landscrona etiamnunc Duci resistit. Sed spes est, aquarum penuria deditionem posse exprimi. Arx in montis jugo sita est: in clivo urbs. Vidit me qui Palatini res agit Luthmarius. Responsum quod ore enuntiatum est illi, nunc scriptum exspectat, abnutivum est. Causam quam Galli præferunt, cur petita abnuant, miror. Dicunt videre se summas in ipsius negotio difficultates, cùm Imperator ne iter quidem iis quos ille missurus sit velit addicere. Revera exspectant Galli, quid facturi sint Angli super federe, & rectè. Moram federi adferre potuerunt recrudescentes motus Scotici, quanquam, ut dixi Anglis, pars sæpe prudentiæ est, sub belli externi specie amovere factionis capita & hominum militarium florem. Credibile quoque est, multas iniquas suspiciones emorituras, ubi palam adjutari res Palatini ac Protestantium apparuerit. Editus hic nuper est magnorum virorum annisu liber continens deprompta ex Actis Regiis ac Parlamentaribus documenta splendida earum libertatum, quas sibi Regnum & Ecclesia Gallicana, non, ut Pontificum dono acceptas, sed ut ab antiquo more retentas perpetuoque usu defensas, vindicat, dignum lectu etiam externis opus, ut appareant tum artes Pontificum in annos vim suam intendentium, tum difficillimi labores quibus ægrè se tutantur qui gliscenti semper potentiæ jus relinquunt ad captandos plebis animos. Quantum hæc evulgatio nocere sibi posset, satis intellexit Pontificis Nuntius, multumque moliendo, adjutoribus & monachis, effecit tandem, ut pro Rege ac Regno fictus liber, à consilio Regio nomine Regis ipsius, divendi vetaretur. Ita sub Regibus aut ignaris aut ignavis, tantum sæpe fit damni, quantum successores ægrè farciant: mirumque est pro Regibus scribi Lutetiæ non licere, cùm Romæ quotidie contra Reges & eorum jura libri fiant. Pater Iosephus paulò ante mortem inhiabat Archiepiscopatui Remensi, & obtineret credo, si viveret, etiam Cardinalatum. Plus in eo homine jacturæ fecit Bavarus quàm Gallia. Cardinalis, ut magis etiam se muniat, præter cohortem quam habet sibi propriam, mille Draconarios ad tutelam sui assumit. Eò etiam ex Regii corporis custodibus multi confluunt, ideo quod certiora sint Cardinalem quàm Regem sectantibus stipendia. Octodecim naves longæ armantur, usui futuræ in mari,

Digitized by Google

mari, qua Italiam alluit. Davausium huc vocari pater ipsius D. Rossiacus asseverat, speratque ei traditum iri negotia quæ Pater Iosephus habuit, quod quomodo Chavigniaci bona cum gratia fieri possit, equidem non video; quippe Pater Iosephus, ut monachus, & Ecclesiasticis honoribus semet parans, Politicarum dignitatum nomina non curabat. Davausius verò, post tot tantasque Legationes obitas, non videtur contentus fore labore sine honoris titulo. Secretarii autem status quatuor jam sunt, nec plures unquam fuere. Si novus fiat ad res externas, id decedit Chavigniaci gloriæ & commodo. Noyerius qui res belli curat, ægrè fert Brisacum introducta quæ victor sequitur sacra, multumque is potest ad labefactanda res Protestantium, sive non vidente omnia, sive dissimulante multa Cardinali. Existimantque prudentes talium, si ad Fontarabiam res bene processissent, non abfuturum fuisse ab exitio Ducem Vinariensem. Audio Hamburgi inter Legatos certari calidè, sed quibus de rebus non intellexi. Philippus Mansfeldius in reditu est ad exercitum. Elector Magontiacensis in urbe sua manere non ausus Saltzburgum se recepit. Vidua Sabaudica cogentibus magis quàm orantibus Gallis Patrem Menottum in carcerem dedit. Imperatoris copiæ ad Danubium & in Franconia se tenent. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, semper Sublimitati Tuæ protector fautorque sit. Lutetiæ 1/11 Ianuarii 1639.

Iam modò per D. Sucheum accipio literas, quibus Sublimitas Tua mihi ejus res commendat. Curabo eas tanquam Suedicas, summa animi promptitudine. Pari, omnia quæ Tua Sublimitas mihi commendabit exsequar. Nummi Brisaci cuduntur insignibus Saxonicis & Brisacensibus.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1104 AD ea quæ scripsi hodie hæc addenda habui, me omni modo per amicos qui hic sunt, quique apud Ducem sunt, dehortari Ducem ab itinere ad Regem hoc tempore. Interjecta locorum spatia multos dant trahendi temporis colores. Multis, ubi coram agitur, ad negandum frons tenera est: quod si negare quis perstet, major ex ipso conspectu offensa. Matrimonia Duci à Gallis ostentantur duo, alterum Combalettæ, quæ nunc Ducissa est Eguillonia, potens opibus & Cardinalis propinquitate; sed & suis natalibus & per mariti memoriam minor quàm ut eam respiciat Saxonici generis Princeps: alterum virginis Rohaniæ, magno genere, magnorumque bonorum hæredis. Sed hoc posterius tentandi Ducis causa repertum est, minimè enim velit Rex tali conjugio augeri vires & animos Galliæ Protestantibus, multum vexatis, & si qua detur occasio, semet vindicaturis. Hanc virginem Rex collocare voluit in matrimonium Ducis Nemorosii. Ipsa ut id effugiat pactam se dicit à Patre Principi Ruberto Palatino. Revera Comitis Suessionensis amores sperare creditur, si quando ei melior fortuna affulgeat. Adversùs illam difficultatem quam movent Galli de periculo Brisaci si Dux moriatur, dixi posse Præfectum qui nunc est, ex gente natus Regis socia ac federata, aut si quis ei successurus est, jurejurando obstringi, si quid tale Duci eveniat, se urbem nemini traditurum, nisi ex Suediæ Galliæque consensu. Significavi etiam Duci ipsum & consilia & spiritus sumere debere Principis magnum territorium possidentis, quales Principes non solent, nisi necessariis planè de causis, finibus suis excedere. Inter præsidiatios Brisaci sunt à Benfeldio trecenti. Princeps Rubertus multò quàm ante duriùs custodiri à Cæsarianis scribitur. Opto, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati prosperrima omnia. Lutetiæ 1/11 Ianuarii 1639.

Rex dilata diu CCCC millia florenorum subito misit ad Helvetios disturbandis iis quæ agitare ibi Vinariensem putat.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVod significant literæ Excellentiæ Vestræ datæ 10 Ianuarii, sperare Cæsarianos, non bene conventurum 1105 Gallis cum Duce Vinariensi de possessione urbis, in eo haud planè vana eorum conjectura est. Cupidi sunt magis Galli fines proferendi, quàm diligentes in partorum custodia. Dux maximè premitur pecuniæ penuria. Magna fecit impendia, quæ ei non redduntur. Brisacum aliaque oppida ut serventur, novis sumptibus, ad arma, commeatus resque alias opus: reddendi multis equitum equi. Huic incommodo mederi possent Angli, possent & Helvetii. In utroque laboramus, præsertim si Helvetios ad fedus aliquod pertrahere possimus. Galli Ducem in Aulam vocant, an venturus sit, multum dubito. Præpositus præsidio Brisaci est Erlachius. Præsidium est ex Germanorum cohortibus Flersheimei & Herstenii: Galli ad hoc ducenti: paullò plures è Benfeldio. Machinæ in urbe trecentæ. Commeatus in urbem adferuntur multi, & ad itinerum istorum tutelam in proximis vallibus tenet se pars equitum: pars alia, adjuncto etiam pedite nonnullo, Comitatum Burgundiæ petunt. Galli qui à Longavillano venerant ad Mosellam se retulere. Guebriani & Smidsbergii miles Thani arcem oppugnat, capto jam oppido. Landscronum pergit nolle se dedere. Sed necessitatem impositura ei creditur aquæ penuria, à qua satis longè abest arx ejus in jugo montis sita, clivum obtinente oppido. Nobilitas Alsatiæ reditum ad sua orat: agricolas ultro Dux revocat. Comes Bilia à Mediolano rediens suadet Cæsarianis, ut ante omnia Helvetios, Bernates maximè ac Basileenses, aut expugnent, aut metu cogant imperata facere: eo curato, cuncta quæ ad bellum sunt necessaria Duci defutura, facilemque de ipso victoriam fore. Nunc inter Helvetios trepidatur, discordatur, coitur Araviam. Rex ipsis ad refovendos animos misit CCCC florenorum millia. Rhætorum amicitiam impensiùs quàm ante captum Brisacum colunt Hispani, adduntque à Gallis metum: quo permoti procerum illi, qui sine vi Hispanica ne contra plebem quidem satis tutos se putant, auctis Stegæ, ad Rheni pontem & Clavennæ præsidiis, videntur duas Hispanorum cohortes in Vallem Telinam recepturi ad claudendos transitus. Actum quicquam hic cum Bavaro nondum percipio. Sed Leuthmarus satis triste accepit responsum, non posse à Rege suscipi negotium Palatini, tam arduum, ut Austriaci ne iter quidem iis quos ipse missurus sit velint concedere. Verùm res hæc, ut ego judico, non alio spectat, quàm ut illigetur Anglus, quod fieri ipsius potissimùm Electoris Palatini interest. Tota de re ut judicare liceat, videndum ante omnia an successurum sit negotium traducendi in usus & Galliæ & Angliæ Hassici militis, paribus impensis, ad quam rem parata habet Rex Galliæ CL florenorum millia, dum tantundem det Anglus: deinde verò, an placitura sint in Suedia Angliaque pacta ea quæ inter D. Salvium Roumque præformata fuerant. Gotzius extra periculum non erit. Quia & multos inimicos habet, & mos est potentum, quamvis fortuitis, reum subdere. Illud quod de Principe Ruberto moliri Bavarus dicitur, credibile fit etiam Anglis. Casimiri Principis libertatem non video in propinquo esse, & si esset, Rex in eo beneficio nihil nisi suas res respiciet, nisi in federe aliquid etiam de eo convenerit. In literis D. Salvii ad Daniæ Regem, multa

 simul

Digitized by Google

ſimul congeri video, alia aliis ſpecioſiora. Sed culpa tardatæ pacis apud hoſtem manet, quamdiu Batavis de itinere non caverit. Magnus D. Cancellarius de ſuo cis mare itinere tempus deliberandi in ver ſumſit, interim quæ evenient in conſilium adhibiturus. Venetos audio jam hoſtilia paſſos à Turcis trans Adriam. Tamen perſto in hac ſententia, futurum ut Veneti divites, & more divitum timidi, bellorum incerta redimant quanti poterunt minimi, amicis etiam quorum id fieri refert, in id allaboraturis. De Britannicis diſſidiis nihil boni intelligo. Sed ſi Rex Britanniæ curam Palatini ac Proteſtantium per Germaniam ſuſcipit, ſperem id profuturum ad ſanandas ſuſpiciones, præterea amotis ad externum bellum quibus arma placent, redituram plebi quietem. Batavis & ventos, quoquo opus eſt, ſecundos opto, & conſilia qualia res ipſorum ac communes expetunt. Scribit ad amicos Melander nullam ſe militiam ſumturum, ſi quam ſumturus eſt, niſi Ducis Vinarienſis. Et ab ipſo conſilia poſcit. Liber de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ex Actis deſumtus publicis, quo Regis Regnique jura contra molitiones Pontificias defenduntur, ipſius Regis juſſu vendi eſt prohibitus. At Romæ ſcribuntur libri qui Regna omnia velint à Pontificis pendere nutu, non modò ſi Tyranni ſint, quod populare eſt, aut hæretici, quod ſuperſtitioſos decipit, ſed etiam ſi negligentes, cujus culpæ ſanè magis exſortes ſunt hoc ſæculo Pontifices quàm Reges. Philippus Mansfeldius in reditu eſt ad exercitum. Maguntinus Epiſcopus urbem ſuam metu deſeruit. Deo Optimo Maximo valetudinem reſque omnes Excellentiæ Veſtræ & omnium ad ipſam pertinentium commendo. Lutetiæ 12/22 Ianuarii 1639.

Excell. Veſtræ ſingulari cultu obſervantiæ addictiſſimus H. G.

FRANCISCO IVNIO.

Vir Eruditiſſime,

1106 IS qui ad me & à D. Voſſio & abs te commendatrices attulit literas, quæcunque à me præſtari poterunt tantis ſuffragatoribus facilè obtinebit. Te bene valere & opportuno ad ſtudia frui otio, plurimum gaudeo. D. Patricius Iunius ita eſt de literis meritus, ut ab amantibus literas omnibus amari debeat. Accedet ad communem cauſam privata, ex qua me debitorem habeat, ſi ipſius beneficio quod ipſius nomine & D. Goffius mihi obtulit, nanciſci poſſim Codicis Cyrilliani novi federis excerpta. Mitti autem tuto chartæ poterunt ad D. Ternerium, qui diſcedente jam hinc Illuſtriſſimo D. Legato Scutamorio manſurus hic eſt, ut filii ejus inſtitutioni præſit. Vale Vir mihi multis nominibus cariſſime. Dabantur Lutetiæ 12/22 Ianuarii 1639.

Tuus ut ſemper tuo jure H. G.

MAGNO SVEDIÆ MARESCHALLO.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

1107 VT D. Soucheo ea præſtem omnia quæ proficiſci à me poſſunt, ſufficere poterant vel auctoritas apud me Sublimitatis Tuæ vel meritorum illius prædicatio. Nunc cùm utrunque hoc ad ejus commendationem coëat, hoc magis annitar ut deſideria ejus non ſubſequar tantùm, ſed &, ſi poſſim, præveniam. Rogo autem Sublimitatem Tuam, ne ulla in re quæ ad ipſam amicosve ejus pertineat meæ parcat operæ; nihil enim opto magis quàm Excellentiſſimis Regni Rectoribus & univerſis inſervire publicè & ſingulis privatim. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, Sublimitatem Tuam diu Regno nobisque omnibus incolumen ſervet. Lutetiæ 12/22 Ianuarii 1639.

Tuæ Subl. cultor devotiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

VIdi, ut debui, Condæum Principem: reſalutatum ille me venit illico: multa inter nos de rebus illis quæ nunc apud omnes ſermonum materiam faciunt. Valet naturali judicio & rerum experientia. Conveniebat inter nos neque Riceliaco Cardinali, neque Arauſionenſi Principi, expedire bellum finiri, quo truantur ad ſecuritatem, gloriam & commoda ſua & ſuorum. Suediæ putabat eas eſſe res ut pacem pati poſſit, retenta ora maritima ad ſui tutelam, imo & pacis ipſius, quod ipſum ut fiat, ſi quando pax coëat, è re eſſe Galliæ. Pecunias quibus bellum eget, in Gallia deeſſe nondum, in Batavis non facilè defuturas, &, ut deſint, eſſe in Gallia unde id ſarciatur. Suediam pecuniæ non divitem, hominibus exhauriri bellis & gravibus & jam diuturnis. Tributa quæ per Galliam exiguntur intenduntur que in dies, ut lucroſa tractantibus, ita populo eſſe gravia & multa inde poſſe evenire non proviſa. Bonorum virorum eſſe pacem, etiamſi obtineri non poſſit, à Deo precibus expoſcere, neque civilem tantùm, ſed & Eccleſiaſticam. Hac occaſione, & editi libri de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, cùm de diſcrimine poteſtatis ſpiritualis & temporalis, ut mos eſt loqui non ſatis accuratus, quædam diſſereret Princeps, dixi & ex antiquis ſcriptoribus confirmavi Eccleſiaſticam functionem miniſterium magis eſſe quàm poteſtatem, cujus miniſterii uſus venerandus ſit, quippe à Deo per Filium inſtitutus, & proinde dignus quem Reges tuentur; abuſus autem Deo ingratus, Eccleſiæ & Reipublicæ nocens ſubſit coërcitioni Regiæ poteſtatis, cujus munus eſt Dei legem & ſalutem populi tueri, mala autem omnia comprimere. Hæc veriſſima eſſe & ipſe fatebatur, neque Imperatores tantùm Romanos, ſed & Reges, Francos maximè, eo jure uſos. Detritum id partim Regum, partim eorum qui Regibus adſunt ſocordia, horum etiam privatis cupiditatibus, induſtria verò ac diligentia Pontificum & hominum ipſi ſervientium. Vt quis hoc ſæculo Chriſtiani nomen, Catholici cognomen ſibi vindicet, requiri ut Sacris Scripturis fidem adhibeat, non ex privata cujusque interpretatione, quæ ſeditionibus, ſchiſmatis, ſæpe & bellis dat occaſionem, ſed ex conſenſu veterum Eccleſiarum univerſali atque perpetuo, apparente paſſim in ſcriptis virorum præſtantiſſimorum, maximè verò in Symbolis & Actis Conciliorum verè Vniverſalium quæ ante divortium Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ habita ſunt, & ab Imperatoribus Eccleſiisque omnibus probata: præterea verò, ut abſtinens à calumniis & factionum ſtudiis allaboret ad reſtituendam Eccleſiæ veritatem, qualis à Chriſto imperata, & ab Apoſtolis conſtituta eſt, omnesque voti ejusdem, quamvis per eos qui Eccleſiis dominantur, externa communione, quod dolendum eſt, divulſos, pro fratribus ſuis, id eſt pro Chriſtianis ac Catholicis, habeat. Hæc omnia Princeps & ſibi dicebat probari & ſapientiſſimis quos cognoſſet hominibus. Hæc ad Legationem meam non multum pertinentia ideo tamen liberaliùs commemoranda cenſui, ne ignoretur quis hic ſit virorum eminentiſſimorum ſenſus iſtis de rebus. Nam eorum qui in Parlamentis ſunt prope omnium eadem eſt ſententia: habenturque tales Romæ nihilo meliores hæreticis. Pecuniæ ab Hamburgo recipiendæ ſpes me feſellit. Neque Spiringius aut Heuſdius definiti quicquam loquuntur. Ego tamen curæ Sublimitatis Tuæ per literas jam menſe Novembri mihi teſtatæ confidere non deſino. Cæterum videor mihi, niſi id nolit Sublimitas Tua, Principis & amicorum commendatione poſſe conſequi, ut de pecunia Gallica ſuis temporibus

ſalaria

Digitized by Google

ſalaria mea accipiam. Heuſdius cui aliquando locutus ſum ea de re, id minimè vult, ob cauſas mihi non incognitas, ſed ipſi quàm aut Suediæ aut mihi utiliores. Landscronum jam in poteſtatem ſuam accepit Dux Vinarienſis, & in propinquo arcem aliam. Obiit Benfeldii Præfectus Luernhemus, vir egregius, &, quod genus hominum Princeps Condæus maximè apud me laudabat, publico utilis non inutilis ſibi. Queritur graviter Dux Carolus de Imperatore & de Hiſpano. Spem concepere Galli eum à veteribus amicis malè curatum in Gallicam amicitiam transferri poſſe & induci, ut pro Lotharingia & Barri Ducatis accipiat loca introrſum in Gallia ſita, puta Ducatum Andegavenſem aut Bituricenſem, præſertim cùm liberos nullos habeat. Ad Chevreuſiam, quæ multum apud eum Ducem ſibi cognatum valet, miſſus eſt Abbas Doratus, ut huc veniat ei negotio conciliatrix futura. Princeps quem dixi Condæus filium ſuum, magnæ ſpei juvenem, offert ultro in matrimonium Mareſcalli Breſſæi filiæ, ut hac affinitate Cardinalem magis ſibi devinciat. Dux autem Guiſius diu jam abſens & lites metuens damnoſas ob naves, quas olim cùm mari Maſſilienſi præeſſet dubio jure cepit, & ipſe filio ſuo Principi Iainvillio matrimonium aliquod intra Cardinalis neceſſitudines quærit. Legitur multum emiſſa jam in vulgus oratio Principis Condæi, qua culpam non captæ Fontarabiæ in Ducem Valettam rejicit. Eam mitto ut & ipſius qui eam dixit, quanquam quædam in Valettarum Domum duriora omiſſa in editione ſunt, eloquentia noſcatur, & documentum hoc ſit, quàm res narrari ſoleant diverſè. Nam ſummam defenſionis Ducis Valettæ miſi antehac. Eſt hic Vir quidam rerum non imperitus, qui Regi monſtrat rationem, abolitis tributis novis omnibus ſub quibus plebs gemit, ob exactorum injurias & lites, in menſes ſingulos vertendi in fiſcum ſuum novem milliones librarum Francicarum, ac præterea perpetuò alendi militiam millium quinquaginta. Commentum hoc huc abit, ut cuivis homini non egeno injungatur in diem ſolidus unus, quales ſolidi viginti libram ſive florenum Francicum faciunt. Ego verò neſcio an id placiturum ſit res pro nutu verſantibus. Sed ſi introducatur ſemel, manſurum & hoc puto, & non minùs alia. Nunc peregrini omnes ad cenſum vocantur. Cardinali Riceliaco cum Arauſionenſi Principe meliùs jam convenit, conglutinante eos Principis uxore, quæ magna à Rege dona accepit. Exiſtimat Princeps Condæus, ſi Dux Vinarienſis in Aulam veniat, omnino Briſacum Regis futurum, peccatumque in eo à Gallis, quod cupiditatem ſuam, quamvis non iniquam, nequando aut per Ducem ipſum aut per ſucceſſores ejus ad hoſtes Briſacum perveniat, nimis citò nudaverint, cùm priùs fuiſſet Ducem huc pertrahere. De Rohaniæ conjugio cum eo Duce, nunquam aſſenſurum Regem, ne Proteſtantium Gallorum hac conjunctione res revaleſcant, fractorum viribus magis quàm animis. Idem Princeps laudabat Patrem Ioſephum, ita tamen ut non diſſimularet, erraſſe eum diu & poſt contractum à Bavaro matrimonium inexcuſabiliter, quod Bavarum putaſſet ab Auſtriaca amicitia, ſpe Imperii ad ipſum traducendi, poſſe abſtrahi. Quæ Marinus diligenter ſcribit, non repetam. Addam tantùm, multum trepidari circa Briſacum in illis quæ Auſtriaci tenent locis, cunctaque impleri præſidiis, præter Conſtantiam, quæ ſibi tutandæ ſe parem putat. Sex millia Helvetiorum Rex conducit. Mercius Lotharingicus ductor in parte Lotharingiæ hybernat, gravis popularibus. Dux ipſe Veſontione eſt, minùs valens. Ad Comitatum Burgundiæ tuendum, quem & Vinarienſis & Gallus miles incurſant, exſpectantur Hiſpani. Anglos ita ſciſſos eſſe inter ſe factionibus, ita tenaces commerciorum quibus prope ſoli fruuntur, ita Palatinos ab illis aut ſegregari ut extraneos, aut ſuſpectari tanquam domeſticos, ut nihil inde ſperandam ſit vegetum & acre, conſtans hujus Aulæ ſententia eſt. Picolominæus Francofurto Viennam tranſiit. Wormatia, Franckendalia, Heidelberga, Spira plena ſunt præſidiis. Apud Eſlingam màxima ſe pars habet Cæſariani exercitus. Ducis Vinarienſis exercitus recenſione ad Porentruiam ad undecim millia compertus ſcribitur. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, Reginæ, Regno Tuæque Sublimitati proſper ac favens adſit. Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Ianuarii 1639.

Tuæ Sublimitatis cultor devotiſſimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illuſtriſſime Domine,

VErum eſt quod ſcribit in epiſtola 17 Ianuarii Excellentia Veſtra, Gallos calidè id agere, ut in ſua manu ſit Briſacum. Metuere ſe dicunt ne per Ducis mortem aut caſum alium quod ipſorum pecunia partum eſt, in hoſtium perveniat manus. Contra verò Dux timet, ne ſiquid Regi aut Cardinali acciderit humanitus, mutatis, ut ſolet fieri, Gallorum conſiliis, pax Briſaci largitione redimatur, ſibi pereat belli præmium. Terrent & exempla tot urbium, tot caſtellorum amiſſorum per Gallorum negligentiam: Neque verò ſpernendum aliud, quod Germanos, quorum voluntates, ſi fieri poteſt, nobis recolligendæ ſunt, nulla res graviùs offendet & à Duce alienabit, quàm ſi videant morem introduci augendi Galliam de rebus Imperii. Quid futurum ſit, & an media aliqua poſſit reperiri via, quæ utriſque metum demat, videbimus. Si quod fert rumor & ipſe prædicat, venturus huc eſt Dux, id nobis ſignum erit, non irritos ſpei ſuæ Gallos fore. Ex Italia & aliunde literæ nuntiant Hiſpanis ita videri, non poſſe recuperari Briſacum, neque Vinarienſem à poſſeſſis detrahi, niſi captis Helvetiorum illis urbibus, unde Ducis alitur exercitus. Ea res an Baſileenſes & eorum vicinos excitare poſſit ut conſiliis fortibus ſuæ proſpiciant tutelæ, diſcemus cum tempore. Apud Rhætos magis magiſque gliſcit paucorum potentia, plebe invita. Et Stegam & pontem ad Rhenum Rhæti ex Mediolanenſi Regione revocati tenent, quibus ſtipendium ab Hiſpano eſt. Princeps Condæus, qui hîc nunc eſt, ſperat ſe anno hoc magni aliquid geſturum ad Hiſpaniæ fines. Det Deus. Quomodo de anteactis ſe purget, videbit ex charta quam mitto Excellentia Veſtra. Vidua Sabaudica in literis ad Helvetios eam conjurationem quæ deprehenſa eſt, eò pertinuiſſe ait, ut Auguſta Taurinorum caperetur, conſcio & arcis Præfecto, ac præterea Carmaniola. Sed rumor per Italiam ſparſus adjicit, propoſitum fuiſſe iis qui hanc rem ſuſceperant & Viduam & puerum Ducem transferri Mediolanum. Duci ipſi haud firma valetudo accendit ſpes Cardinalis Sabaudi, qui, amiſſis nunc reditibus quos in Subalpina regione habebat, ab Hiſpano victum petit, multum laborante Sabaudi Legato, ut Romam revocetur à Pontifice. De pace Perſica dubitatur. Nam literæ, ſed veteres, de obſidio adhuc Babylonis loquuntur. Sed quando in fines Perſarum ſe injecit Rex Mogolenſis, credibile & Perſas utrique pares non fore. Niſi hyems impediret, non levibus, ut nunc, pugnis, ſed juſtis prœliis, & obſidionibus & claſſibus inardeſceret in Venetos bellum. Non dubium eſt, quin proceſſus Bannerii nihil magis impediat, quàm, ſi ipſe in Luſatiam, Sileſiamque ſe promoverit, ſuſpectus à tergo Danus cum ſociorum agmine. Quorum de conſiliis ut rectiùs judicemus, exſpectanda nobis acta Conventus Luneburgici. Bellum hoc, ſi quod unquam, inſolentiæ ſplenum eſt & licentiæ militaris, poſt ſe trahens inopiam ac ſolitudinem, quarum, ad defugienda tributa, vis eſt omni oratione efficacior. Niſi Angli in fedus veniant, de quo Galli pæne

1109

ne desperant, non puto hîc quicquam actum iri pro Ruberto Principe, quem audio ita antehac rerum sacrarum fuisse incuriosum, ut facilè spe aliqua honorum ad mutationem impelli possit. Inter Principem Mauritium, qui hîc est, & Ducem Nemorosium nuper verborum intervenit acerbitas. Reconciliatio facta est auctoritate Condæi Principis, cui ego diligenter causam Palatini, ut æquiorem, commendaveram. Venit ad me Princeps Condæus ipse & narravit mihi curæ sibi fuisse honorem Principibus omnibus suspiciendæ domus. Legatorum Britannicorum Scutamorius hinc abit, manet Licestrius. Multa hostium tenent Galli & Vinariensis: hostis Gallici soli nihil. Itaque credibile est Gallos ad pacem difficiliores fore, præsertim cùm pecuniæ adhuc suppetant, & advocatur huc Chevreusia, ut Ducem Lotharingum, apud quem gratiosa est, permoveat ad proprias pactiones. Offertur ei pro Lotharingia Ducatus intra Galliam aliquis: nec sanè deest ei quod de Imperatore queratur. Legatus à Polonis qui Venetiis fuit, Genuam ac Florentiam invisit, inde ad Pontificem iturus. Italorum sermonibus ad Cardinalatum destinatur frater Imperatoris. Legatus qui Constantinopoli est Venetus in adventum judiciumque Sultani reservatur. Dicitur qui ad Euxinum est Tartarus, cum millibus quinquaginta in Moscoviam irrupisse. Multæ autem Cosaccorum Asacensium naves à Turcis captæ. Nobis magis expediret Turcam, omissis Persis, Venetis, Russis, pro aggere se objicere Austriacorum felicitati in multorum perniciem exundanti. Landscronum se Duci Vinariensi dedidit. Magnis præsidiis tenet hostis quæ circa Brisacum restant. At Constantia ait sibi se tutandæ sufficere, militum metuens. Mortuus est Benfeldii Quernhemius, Vir egregius. Sex millia militum ex Helvetiis conducere, Regi permissum. Thanum etiamnunc defenditur. Mercius in Lotharingia hybernat. Ad defensandum Comitatum Burgundiæ, in quem hinc Galli, inde Vinarienses irruunt, exspectantur Hispanorum sub Sarmiento cohortes. Deus Excellentiam Vestram & ejus necessitudines servet sospitetque. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Ianuarii 1639.

De incluso epistolæ epistolio feci quod Excellentia Vestra voluerat. Legi cum magno dolore: atque utinam tam meæ sit potestatis adferre remedium, quàm malis talibus commoveor. Compertus est Ducis Vinariensis exercitus ad Porentruam undecim millia.

Excell. Vestræ sincero cultu obstrictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1110 EST hic juvenis Marchio Iagrendorfius è Brandenburgica Domo, Electoris post ejus filium hæres proximus, ab ipso Electore neglectus jam ab aliquo tempore, prævalente apud eum auctoritate illorum quibus improbantur partes quas pater hujus juvenis constanter tutatus filio exemplum reliquit. Petit hic à Rege ut siqua pax fiat sibi vetera jura salva sint, & interim aliquid unde vivat, & ea discat quæ tanti sanguinis Principem decent. Non omittam eum, quà potero, juvare commendationibus, memor & propinquitatis quæ ei cum Regina Domina nostra Clementissima intercedit & beneficiorum quæ in hunc juvenem contulit Sublimitas Tua, cujus omnia facta mihi pro præceptis sunt. Dixit mihi Tribunus Souchius offerri sibi à Gallis eum locum quem nunc implet Beauregardius apud D. Bannerium, cum annuo novem ferme millium florenorum. Eo munere putabat fungi se posse simul & tribunatu, aliorum Gallorum quos nominabat exemplo. Sed meam ad hanc rem auctoritatem cùm posceret, & testes ejus ad Davausium literas, excusavi ideo quod cognitum non haberem an placeret Excellentissimis Regni Rectoribus operas ejus cum Gallis partiri. Quod poteram, scripturum me dixi Tuæ Sublimitati. Angli Legati, quorum Scutamorius jam Regi valedixit in Angliam rediturus, manet hic Licestrius, probant Dani Regis actiones, ob id maximè quod eis præscribat studium restituendi dejectos, videnturque in eo tantum spei ponere, ut non facilè induturi sint nostram societatem. Cum Duce Lotharingo Galli seriò agunt. Marchio Villa gratiosus apud eum Ducem antehac & captus Lunævillæ ex carcere liberatus est, missusque ad Ducem, sed ex itinere à Cardinali revocatus ad accipienda propiora mandata, statimque iterum missus. Res eò spectat ut possessiones illi in penetralibus Galliæ dentur. Vxor Ducis non quanti antehac hic fit, ex quo Dux ad amores Cantecroiæ Principis se transtulit, eaque pro uxore utitur. Ereptus Brisaci bolus urit etiamnunc Gallos, aitque Noyerius inciviliter à Vinariensi Duce factum, quod priusquam de præsidio ejus urbis quicquam constitueret Regem non ante consultasset. At Dux, quantum ego judicare possum, cautè ac providè se gerit. Sparsa fama ire se in Aulam & Comitem Guebrianum, & qui cum eo erant Gallos, simul etiam qui in præsidio erant Brisaci abduxit, in Burgundiæ Comitatum, ibique Ponterlerio oppido irrupto hyberna cepit, Germanis peditibus, ut scribitur, ter mille quingentis, Gallis aliquanto paucioribus, Draconariis trecentis, mille equitibus qui equos habent, ter tantis qui non habent, machinis magnis duabus, sex minoribus. Pars horum ad Vesontionem usque excurrit, ubi ægrotat Dux Carolus. Pars alia sub Rosa in Valle Mortavia multum & frumenti & equorum reperit. Qui pro Hispano Comitatum Burgundiæ tuentur parum inter se concordant. Populus ad Helvetios fugit. Thani obsidium interruptum repetitumque est. Hispani etiam Dolæ & Graiæ præmetuentes, commeatus eò intulere. Cæsariani à Constantiensibus expressere ut quingentos reciperent milites. Exercitus maximè Suevis incumbit, Nordlinga aliisque civitatibus præsidia recusantibus. Helvetii partim discordes, partim pavidi diu consultant Soloduri. Tigurini Stenum & alia Rheno adsita suis firmarunt præsidiis. Apud Rhætos non minùs quàm apud Helvetios diffidetur. Smidsbergius missionem postulat. Existimant Germani non esse consilium Gallis bellum inferre in Germaniam, sed in Hispanum potiùs se vertere. Dicitur autem Princeps Condæus Fontarabiæ obsidium repetiturus: in Belgas se injecturus Milereius, ipso Cardinali futuro in propinquis locis, ut quæ opus est affluant. Exspectaturque hîc Cnutius ad Principis Arausionensis destinata aperienda Cardinali, ipsiusque vicissim intelligenda. Sunt ad Rupellam naves centum, aliquid mari acturæ. Si vera sunt quæ ex longinquis adeo locis huc nuntiantur, Babylon sive Bagdetum rectiùs dicitur, adhuc defenditur à militibus vicies & quinquies mille, obsidetur quingentis millibus Turcarum, machinis magnis centum. Reginam Matrem parati sunt apud se retinere Angli, dum Rex filius eam alat. Sed id impetratum nondum est. Chevreusia an commissura sit ut huc veniat, dubitatur. Lutetiæ 5 Februarii 1639.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

GRatias ago plurimas Nobilitati Vestræ pro opera in- 1111
sumpta non tantùm pro me, sed & pro Domino Camerario, cujus tanta sunt merita, ut non majorem ejus haberi rationem valde mirer. Ego eum & eruditionis & probitatis & peritiæ nomine facio maximi, venerator pridem totius domus, quæ per totum seculum literarum laudibus floruit. Ego quomodo ambo tractemur satis video. Neque mihi deerunt alii, qui mea opera uti volent, si regno sum oneri quod hic dixit Schmalchius.

Sponte



Digitized by Google

Sponte creditam stationem non deseram, dum ea quæ debet mei & sumptuum quos sustineo habeatur ratio. Nam sine fine damnum facere quis mihi suadeat? Daniæ Rex dubium non est quin in his quæ agit & Suedorum quærat imminutionem & sua commoda. Sed an hanc opellam quanti indicat, Imperatori possit vendere multum dubito. Verissimum autem est illud Aristotelis, facillimè dissolvi amicitias, quæ non honesti studio, sed utilitatibus & quidem diversis constant. Accepi D. Roi literas ad Conventum Lunæburgicum, non item D. Salvii, quod qui evenit miror. Pro iis accepi literas Lunæburgici Conventus ad D. Bannerium satis indefinitas. Quare quod deest suppleatur rogo: nisi fortè D. Salvii literæ sint eæ quarum jam accepi exemplum, datæ scilicet 17 Decembris. Quod si ita se habeat rogo Davausii literas videam. Ostendit D. Roi epistola quod ego metui semper, non ad societatem nostram respicere Anglos, sed ut oblatæ societatis famam in alios vertant usus, quod ne & Danus faciat itidem formido, præsertim cùm video rerum tempora deliberationibus, itineribus, nuntiis, epistolis teri. Legati qui hic sunt Angli, quorum Ordinarius jam Regi valedixit in patriam abiturus, alter manet, sermonibus suis Dani consilia approbant, illecti vocabulo restitutionis dejectorum, quam si illi obtineri putant posse precibus, multum falluntur. Planè sperant Galli se Lotharingum Ducem deducturos ad proprias pactiones, eoque magis quod liberos non habeat, sed ob id facilè permutationem aliquam sit accepturus. Ego tamen ipsius ingenium quale prædicatur animo figurans durum ac pervicax, de successu dubito. Certè, ut ait Nob. Vestra, sola est Ducis Vinariensis virtus quæ partium decus hoc anno sustentaverit. Cui ut omnia felicia eveniant, inter quæ vel potissimum est, ut Brisacum neque ab hostibus eripi, neque ab amicis emulgeri sibi patiatur, etiam atque etiam nobis optandum est. Cui voto addam alterum pro Illust. D. Salvii Vestræque Nob. valetudine ac rebus per omnia prosperis. Lutetiæ 5 Februarii 1639.

Nobil. Vestræ studiosissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

112 IN veteri jure Augurali proditum est, auguria aliaque omnia ad eos non pertinere qui ea se observare negaverint. Ideo nec vobis nocebunt illa quæ epistolam Nob. Vestræ comitabantur, missa ad me vaticinia. Vates dicuntur tum Poëtæ tum Prophetæ. Quod si hic in in vocibus aliquot ostendit Poëticæ se nescisse leges, quis ei de prophetia credat? Duo tamen laudo quod frugalitatem & modestiam dicit civitatum esse tutelas: deinde quod in accersendis externis auxiliis cautione aliqua est opus. In responso multa sunt & cordata & lepida. Regis vestri cum Electore Brandenburgico colloquium & iter tam pertinacis propositi in Lithuaniam, vigilandi necessitatem finitimis denuntiant. Atannon satis una superque cum Domo Austriaca affinitas fuerat? Credibile est formidaturam Polonam Nobilitatem, ne vinculum illud duplex suam compediat libertatem. Cosacci si inter se concordes sint, & Turcam habeant fautorem, monere poterunt Poloniæ Regem ne turbas cum periculo, quàm quietem sine damno malit. Dux Vinariensis postquam Brisaci custodiæ bene prospexit in Comitatum Burgundiæ duxit exercitum, ibique capto oppido Pontarlerio latè tenet agros, latè territat urbes. Helvetii trepidant, circumsepti ferme undique vi Austriaca; quæ jam clientes habet Rhætos. Constantia aliæque circum urbes magnis Austriacorum præsidiis tenentur. Ad tutandam libertatem una illis patet via quæ castra spectat Vinariensia. Magni in ver quod imminet paratus hic belli sunt terra marique in Hispanos & Hispanienses Belgas. Sed ne pro certis habeamus quæ sperantur, annus jam exactus & Gallis & Batavis, ad Brisacum etiam Cæsarianis, magister esse potest. Vale, Vir Nobilissime & nos ama. Lutetiæ 5 Februarii ex novo Calendario 1639.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

LIteras quas Excellentia Vestra scripsit 23 Ianuarii jam 113
nunc accipio, solito serius, quod tabellarius in itinere in prædones inciderit. In negotium illud Helveticum velis remisque connitimur. Videbimus an satis animi illis sit futurum, ut suæ securitati consulant. Certè Austriacæ Domui à qua prope circumsidentur non immemore veteris Imperii, cur multum fidant, nihil causæ est. Sed mira torpedo invasit sæculi nostri homines, nec quisquam mala sua sentit, nisi postquam cavendi tempora abierunt. Apud Rhætos paucorum potentia Hispanicis se viribus munit. Plebis inania sunt murmura. Brisaci multum est copiæ ad victum. Dux cum Gallis Guebriani ac magna sui militis parte in Comitatu est Burgundiæ captoque Pontarlerio oppido territat Graiam, Dolam, Vesontionem. In hac urbe ægrotat Dux Carolus ad quem pelliciendum in conditiones missus est ex ipso carcere, in quem belli sorte inciderat, Marchio Villa valde apud eum gratiosus, cum mandatis à Cardinali Riceliaco. Rosa Vallem Mortaviam invasit, ibidemque multum reperit equorum & commeatus. Dux tamen Vinariensis pergit famam spargere de suo in Aulam itinere. Quod si suscipit, necesse erit ut de Brisaco id constituat, quod placebit Gallis. Multa illi matrimonia ostentantur. Sed videtur alienus à nuptiis bellatoris animus. D. Bannerius ut aliquid in Bohemiam moliatur, putem è re esse nec occasiones defore. Sed magna intervalla ab iis quæ nostri tenent, & suspectus à tergo Danus spem mihi hanc imminuunt. Fortè aliquid boni nuntii nobis adferet hirundo. Imperatorem ita arbitror favere Polono, ut Danum, hoc quidem tempore offensurus non sit. Danum verò ita gratias captare Imperatoris, ut privata semper utilitas transluceat. Nobilitati Polonæ in Regem suum suspiciones accendet Regis ejusdem cum Electore Brandenburgico colloquium. Quod Suedis quoque non potest non esse formidolosum, sive mare Balticum, sive Livoniam respicimus. Dantiscanorum jus viribus eget, quas quia per se non habent opus est socios quærant. Sicut autem Danorum non spernenda, ita Batavorum societas illis esset utilissima. Video apud Batavos Conventum ex Conventu nasci, expediri parum: qualis cunctatio Germaniam perdidit, occasionum celeritate non exspectante gentis tarditatem. Habent quod agant & domi & apud Indos. ὁ δ' ἀρῶν τὰ τοῦ μέλλοντος ὄχεται φέρων. Galli & antehac pecuniam obtulere Americanæ in Batavis societati, & offerunt nunc, sed pro ea plusculum inspectionis in res societatis sibi postulant, quàm Batavis tutum videatur concedere. An cum Tribunis quibusdam Hassicis egerit D. Legatus Estampius, nescio: Melandrum autem Galliam militiam suscepturum, planè non arbitror: & Excellentiæ Vestræ accedo credenti non defore Imperatori rationes evolvendi ejus nodi ad quem pactio Hassica videtur adhærescere. Quid futurum sit de infra-Saxonico, quid de nondum facto fœdere infra-Rhenano, brevi appariturum puto. De contracto fœdere inter D. Salvium, & D. Roum, nihil ad me D. Mullerus, potiùs contraria: neque verò Legatorum hic Britannicorum sermones multum mihi spei faciunt. Metuere eosdem video, ne Parlamenti tempore resurgant dolosis magis cineribus obruti quàm exstincti ignes Scotici: quod

Digitized by Google

quod ut Regis popularinmque sapientia evitetur, Deum rogo. De Magni D. Cancellarii in citeriores partes adventu, video utrinque causas quæ dubitare nos sinant. De morte Illustrissimæ Principis Palatinæ ex animo doleo, & Reginæ causa & ejus qui hic est Principis spei optimæ, qui in tam bona ac provida matre, non levem fecit jacturam. Sed *ἀνθρωπίνως τὰ θεῖα χρὴ θνητὸν φέρειν* [*humanè oportet divina mortalem ferre*]. Hæc exempla nos quotidie monent, spectare metam. Quæ ex Thracia veniunt literæ ajunt obsideri Babylonem à quingentis hominum millibus, quibus machinæ magnæ sint centum, defendi à millibus XXV quorum sex millia sint Christiani, operum militarium non ignari. Veneti trepidant. Negotium illud Danicum diutiùs trahitur, quàm ut certi aliquid polliceri mihi audeam. Vereor ne Princeps ille aliorum invitationibus apud alios se facere velit pretiosiorem. Sed hæc Galli nobilis qui eò ivit perspicaciæ exploranda relinquo. Etiam D. Alstedii obitus mœrorem mihi adfert. Noram eum ex scriptis, famaque, virum egregium. Tales amittere non levis est accessio ad alia horum temporum mala. Thani obsidium repetiere Galli. Hispani non parum ea in parte sollicitî, commeatus invexere in Dolam & Graiam. Cursitant Vinariensis milites longè lateque ut solent. Tigurim, Stenum & Rheno adsita muniunt. Constantia præsidium accepit militum 1Ↄ. In Suevia pars maxima agit copiarum Imperatoris. Exspectatur hic Cnutius, consiliorum arcanorum inter Principem Arausionensem & Cardinalem internuntius. Belli Gallici paratus magni apparent in Hispanos & Belgas, etiam ad Rupellam collecta centum navium classe. Reginam Matrem libenter apud se retinebunt Angli, si filius ei det, unde vivat. Æquum enim est in eo officio filium genero anteferri. Sed hic metus etiam nunc aures obstruit. Deus Excellentiam Vestram cum omnibus ei caris sospitem faciat. Scribebam Lutetiæ 5 Februarii 1639.

Excell. Vestra constantissimam observantiam debens H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

1114 COgnovi ex epistolio. Claritatis Vestræ quanto ipsa me amore absens non minùs quàm præsens prosequatur. Gratiam debeo multò justiorem ea, quam mihi nihil tale merito habent literæ istæ. Sed quando bonorum mos est benevolentiam pro beneficio accipere, patiar me pro beneficio haberi, dum eadem lege te quoque beneficiis asscribam. At quanti faciam studium illud in me Claritatis Vestræ scio quidem nunc ego apud me, sciet & Claritas Vestra ubi aliquid mihi in quo id significare possim indicaverit. Isti homuncioni quem schedula innuit nihil nisi bonum opto. Inter bona autem ni fallor, & hoc est ut se nosse suoque modulo se metiri discat. Generosissimum D. Crusium, cujus ego fortunam splendidissimam non tanti puto, quin virtutem pluris æstimem meliùs valere gaudeo. Deumque precor ut id ei sit diuturnum & felices nuptiæ. Vale optime Appelbomi. Lutetiæ 7 Februarii 1639.

Clar. Tuæ omnia optima volens H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima.

1115 PErvenit ad nos nuntius ejus luctus qui Augustam Majestatem Tuam de propinquo satis attigit, morte Illustrissimæ Principis, cui magnus in terris honos obvenerat, ut & soror esset summi Regum Gustavi, & soror non minùs ad summa enitentis Majestatis Tuæ; major autem infinito nunc honos in cœlo à Deo seponitur. Quin pro pietate sua senserit hoc malum, quod sentimus omnes, Majestas Tua, dubitare non licet, sed pariter scimus Majestatem Tuam, quod in ista ætate mirandum est, eò pervenisse sapientiæ, ut norit Deo obsequi, uti adversis, mortalia cuncta quanti sunt tanti habere. Quare non tam solatiis, quibus abundat tam excelsa mens, opus est, quàm faustis votis, ut nihil posthac ei dolendum eveniat, sed læta lætos populos regat, exemploque sit Principibus aliis, quàm paternè tueatur se diligentes Deus. Quod ut fiat, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, ipsum, per quem Reges regnant, ex animo precor. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Februarii anni 1639.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

Excellentissimo Illustrissimoque Principi Domino

IOANNI CASIMIRO,

Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bavariæ &c.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

CVm in eo essem ut à luctu domestico animum ad studia, suavissima curarum lenimenta abducerem, novum ecce fulmen intervenit, directè quidem missum in 1116
Illustrissimam Excellentiam Vestram ejusque liberos, sed ita ut non levis inde ventus & Reginam nostram optimam & Regnum ipsum afflaverit. Indignus sim Suediæ bonis frui, si non & mala ejus participem. Sensi igitur quo motu animi debui hoc malum, quantumque ac quale sit mihi ipse exposui, nullam partem ejus abscondens. Quæ hac cogitatione mihi sint obversata nihil opus est apud eum explicari cui ista, ut propiora, ita & notiora sunt. Scio non deesse Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ in Suedia piè eruditos qui tales morbos tractare norint & initio adferre quæ tumentem in dolore suo animum comprimant; deinde & quæ ad sanitatem reducant. Tum verò priusquam hæ istuc pervenire poterunt literæ, quæ etiam infirmioribus medetur dies, exoneraverit mœroris non exiguam partem. Officii tamen mei existimavi, tum ob munus quod hic mihi Reginæ mandatu incumbit, tum ob honorem eximium quo me ornatum judico, cùm meæ etiam curæ ab Illustrissima Excellentia Vestra Illustrissimus filius ejus summi ingenii virtutisque Princeps commendatus est, ea dicere in hoc luctu, quæ mihi & sæpè & jam nuper dixi, &, quantum futura prævideo, dicenda sæpe habeo. Philosophi quorum non spernenda habemus scripta lugentes solantia, auxilium potissimum sumunt à divina lege quæ nata omnia mori voluit, quam impatienter ferre, non modò inutile sit adversùs invictam potentiam, sed & iniquissimum, cùm non alia conditione quàm ferendi talia in hujus universi conspectum usumque introducti simus, laudantque multum Græcos Cleanthis versus quos Latinè sic reddidit Seneca:

Duc me parens celsique dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora est,
Assum impiger. fac nolle: comitabor gemens,
Malusque patiar quod pati licuit bono.

Est in hoc clypeo contra adversæ sortis tela nonnihil munimenti; sed multò id validius fiet si addamus, quod ex divinis didicimus oraculis, non ex sola naturalium causarum serie, ad quam philosophi respiciebant; sed ex singulari Dei cura iis quos Deus amat provenire vitæ hujus finem. Nam si ne pilo quidem deteriores fieri possunt tales, nisi provida patris Æterni directione, quantò minùs credibile est, sorte aliqua aut communi lege illis procedere decretorium illum & illa æterna secum trahentem diem? De qua re cùm dubitare nobis non liceat nisi projecta Christiana fide, tam benignæ constitutioni contraire non immorigeri tantùm sit filii, sed & ingrati, sc læva accipientis quod dextra datur. Pervenit Princeps sanctissima

ſima ad quietem placidiſſimam &, ut cum Lucano loquar:

——— vidit quanta ſub nocte jaceret
Noſtra dies.

Non illam turbant ampliùs impacta Regnis Regna, totorumque populorum exſilia, & redacti ad egeſtatem Principes, ad mendicitatem nobiles, ad ferarum vitam ruſtici, verſi in hominum paſtus homines, oppida quaſſata extrinſecus, ſuffoſſa intrinſecus, agri ſine frugibus ſanguine conſperſi, & prælia terris dominos mutantia & à terrarum malis non liberum mare. Nunquam tam bene actum eſt cum rebus humanis, ut non ab iis expediri felicis fuerit. Sed præter cætera ita fœtum eſt miſeriis hoc noſtrum ſæculum, ut nemo ſit mitioris animi, qui non gaudere debeat ſi à tam triſti ſpectaculo abſolvatur. Contigit hoc illi, nec hoc tantùm, ſed & in altiſſima ſecuritate opperiri tempus illud, quo cuncta quæ nec dici, nec cogitari poſſunt bona in ſibi caros effuſurus eſt Deus tam ſine modo, quàm ſine fine. Volumus ergo eam ab iis quæ habet, ab iis quæ tutò exſpectat gaudiis, in hos noſtros labores atque ærumnas detrahere? Nam quid aliud agunt vota lugentium? At nobis triſtis eſt hæc jactura. Credo equidem, ſed amantium eſt plus ei quem ames quàm tibi ipſi optare, quanto magis ob utilitates noſtras temporarias neque diu duraturas non invidere illis ſtatum & beatum & immutabilem & perpetuum. Conceſſi decedere aliquid utilitatibus noſtris, magis quod ita loqui moris ſit quàm quod res imperet. Eſt enim eſt profectò in adverſis ſæpe quàm in ſecundis rebus utilitas nobis major. Secundis languemus, adverſis excitamur; quoque nobis magis præſentia hæc diſplicent, eò magis ad ſuperna ac manſura rapimur. Etiam philoſophorum aliis ſummum, aliis unicum bonum virtus, quæ duris, non alitur tantùm, ſed quod adjiciunt, gaudet, ut miles cui à duce magni labores ac pericula imperantur. Quanto magis id Chriſtianos ſentire æquum eſt, quibus iter per crucem ad Regnum cœleſte ſtravit ipſe, cujus nomine fruſtra appellamur, ſi exemplum ſequi piget. Quid Apoſtoli ejus? quoties nobis fructum ex quotidianis malis & patientiæ laudes ſupra omne id quod laudari poteſt prædicant? Hanc viam inſtiterunt ipſi: hac eos ſecuti ſunt Martyres & Confeſſores & totus ille cœlo deſtinatorum chorus. In horum aſſcribi ſocietatem quàm ſplendidum ac glorioſum eſt! Itaque expandamus licet omnem ſcenam tragici apparatus, nec quicquam malorum ſubducamus oculis noſtris, dum ſimul addamus: tanti nos Deus æſtimavit. Ne parentum quidem illi qui liberos cum ratione amant delicatè eos ſed fortiter educant. Apud Terentium mœſtum ob filii abſentiam patrem conſolans vicinus inter cætera ait:

Tibi parce: idem abſens facere te hoc vult filius.

Ingenioſè ex ipſa dolendi cauſa ſumpſit, unde dolorem oppugnaret. Abſentem diligis? fac quod ſi adeſſe liceret ille à te eſſet poſtulaturus. Et nos, ſi interrogare poſſemus eos quos promiſimus, quid audiamus aliud, quàm Parcite voſmet infelices aut credere aut facere felicium cauſa. Cogitate quæ à vobis diſcedentium ultima fuerint vota, eorum nos compotes facite. Hæc, ſi ſicut æquum eſt, animo noſtro imprimantur, non eorum quorum meminiſſe ſæpe oportet recordationem nobis ipſi faciemus horribilem addito gemituum ac lachrymarum comitatu, ſed lætam potiùs, adjunctis apud Deum gratiis quod eorum conſpectu & conſuetudine frui tamdiu licuit, præterea commemoratione earum quas habuere virtutum. Has & imitari ſtudebimus ipſi, & imitandas proponemus eorum poſteris ac neceſſariis. Hæ ſunt optimæ defunctorum imagines: hæc juſtiſſima veneratio. Sic illis frui ſemper in animo noſtro victuris, licet. Habet Illuſtriſſima Excellentia Veſtra ſuperſtitem adhuc in liberis Matrem, in Regina amitam, quæ ſemper illius præcepta retentura animo, exempla autem ſuis moribus expreſſura, pulcherrimum tibi exhibebit uxoris laudatiſſimæ ſimulacrum. Scio duplicatam eſſe curam Excellentiæ Veſtræ, ut liberis quidem cum patre matrem quoque exhibeat. Reginæ verò præſtet ne quid, te ſalvo, illa perdiderit: ſed utrunque hoc adeo formidandum non eſt ut etiam ſolatiis accenſeri debeat. Occupatis & aſſiduè laborantibus faciliùs quod triſte eſt elabitur, minuſque patitur agens ſemper aliquid animus. Vnum prope omiſeram, quod tamen omittendum non fuit, ita ferendam ipſius mortem, ſicut ipſa Regis Guſtavi mortem tulit, fratris maximi ſoror optima. Amiſerat Regem, etiam Regibus venerabilem, in quo exornando virtutes omnes ac fortuna conſpiraverant: illum qui adverſùs Reges tres vicinos feliciter experta arma ad ſublevandas aliorum calamitates admirabili bonitate tranſtulerat, qui Suediam cunctis gentibus invidendam fecerat, veramque Gotthicæ ac Wandalicæ fortitudinis parentem eſſe mundo approbaverat, qui omnes pacis artes belli laudibus miſcuerat, cui parem in omnibus hiſtoriis fruſtra adhuc quærimus. Amiſerat autem in florentiſſima parte ætatis, in medio victoriarum curſu, cùm edomito Viſtula, Viadro, Albi, Viſurgi, Rheno, Danubio, ad nomen ejus jam & Tybris & Tagus tremerent. Attamen in hoc malo immoderato moderari triſtitiæ potuit. Cogitavit quomodo vicem & Regi ſuo & fratri meliùs quàm lugendo redderet & reddidit: imo beneficia beneficiis vicit. Quid enim tantum acceperat, quantum fuit filiam ejus ita inſtituere, ut ne ætas quidem & ſexus obſtent quò minùs in ea agnoſcatur Magnus ille Guſtavus. Fuere Reges qui felicitatem ſuam ſuſpectam habuerunt & aliquid ſibi optarunt accidere adverſi, quò majores metus expiarent. Regiam Domum hac tempeſtate concuſſam fuiſſe proſit in poſterum. Et proderit, ſi quam Deus pro ea expoſcit victimam pio ſubmiſſoque offeramus animo. Eſt cur ſperemus, ſi quid Suedorum mores pendere meruerunt, ſatis id luſtratum duplici funere, ut poſthac tutus ab omni ſortis acerbitate floreat Regum Guſtavi Caroliqué ſanguis. Ita voveo, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Princeps. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Februarii 1639.

Illuſt. Excell. Veſtræ cliens addictiſſimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illuſtriſſime Domine,

VAletudinem Excellentiæ Veſtræ quam nonnihil læ- 1117
ſam epiſtola fine Ianuarii data queritur, ut integram reſtituat, Deum precor. Et de Briſaco & de rebus aliis Excellentiæ Veſtræ probo judicium. Sparguntur rumores nunc de hoc, nunc de illo matrimonio quo Dux obligetur Regiæ Domui. Sunt qui putant, non modò non è publico, ſed ne è Cardinalis quidem bono fore, ſi penes Gallos ſit Briſacum; potiùs futurum ut Dux ibi potens fido amicitiæ nexu Cardinali illigetur, habeatque hic, ſiquid ei adverſi ſupervenerit, & perfugium in illa loca, & in Ducis exercitu præſidium. Quidam futurum inſuper putant, ut Dux de religione tentetur. De cujus in Aulam adventu perſtant rumores. Sed adventat rerum agendarum tempus, quod ipſi ne ex illis locis abeat aut impedimentum aut excuſationem dabit. Apud Helvetios procedit conſcriptio Gallici militis. Neuſtadium irrupit nuper & diripuit Canofskius. Imperatoris copiæ, præter urbium quæ circa Briſacum ſunt præſidia in Suevia, Franconia & inferiore Palatinatu ſe tenent, crediturque ipſe Imperator, ut ea quæ maximè ad ſe pertinent regat de loco propiore, aut Auguſtam venturus aut Ratiſbonam. Dixit Baſileenſibus Dux Vinarienſis habere ſe unde negotium det Cæſarianis, efficiatque ne eis vacet aut de Helvetiis vexandis, aut de Briſaco recuperando cogitare. Galli quoque magna minantur & exercitum

Digitized by Google

tum ad Belgicos fines perventurum ajunt ad xxv millia. Aut est aut jamjam erit apud vos Lestradius consiliorum inter Cardinalem Riceliacum & Principem Arausionensem, pararius. Hassici exercitus primores, puto alios aliam quæsituros militiam, suis ex commodis. Vt Galli & Angli bona fide socientur, optandum nunc sanè cummaximè, an unquam sperandum, non immeritò Excellentia Vestra dubitat. De Domitzii derelicta obsidione sicut doleo, ita cætera D. Bannerii & exhaustæ ibi hostium copiæ in spes bonas me erigunt. Ipsum Sultanum audimus esse in Bagdeti obsidiu & rem ad inducias spectare. Quod si fit, & Galli Venetos, Suedi Moscovitas possunt extra bellandi cum Turca necessitatem ponere, multa enasci possent commoda & Ducis Vinariensis & D. Bannerii conatibus. Rex Poloniæ, præter res cæteras, etiam eo in offensam incurrit procerum suorum, quod neque ipsi Regi habitus ab Imperatore honos qualis olim Henrico III, neque Senatores qui Regi aderant, dignitati suæ satisfactum credidere. De Scoticis motibus quæ tum per sermones, tum per amicorum literas intelligo, mihi non placent. Videtur malum ex malo nasci. Exspectandus erit qui in mensem Maium indictus est Parlamentaris Conventus. Interim quod præformatum inter D. Salvium & D. Roum erat, nondum ex Anglia ad D. Roum rediit, quantum ex postremis literis discere licuit. Quare suspendo judicationem, ita tamen ut formidini quàm spei sim propior. Ipse Princeps Elector haud dubiè nihil omittet eorum quæ ad avertendum imminens domui suæ exitium sunt necessaria. Patri Iosepho in illas extraordinarias operas nemo successit. Et qui ipsi adjutor fuerat Hyacinthus ab Aula desertus apud Cappucinos suos suæ *περιεργίας* [*curiositatis*] pœnas luit. D. Chavigniacus qui nunc sub Cardinali res externas tractat, bene velle rebus nostris creditur, ita ut perituras sperem offucias Bavaricas. Liber ille optimus de Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus non modo vænire est vetitus, sed & à Cardinali Rupifucaldio, homine Pontifici mancipato, contractis Episcopis aliquot jugulatus crimine Hæreseos & Schismatis, monitique per epistolas Episcopi alii ut plebem à lectione absterreant. Hæc Reges & Regum consiliarii vident & ferunt. Dux Valetta ex decreto quod coram Rege ac Cardinali à Marescallis Franciæ & Parlamenti Præsidibus aliquot factum est, absens citatur, bonis annotatis. Emanebit procul dubio & capitis damnabitur. Pater ejus Dux Espernonius Avenionem an se ut dicitur contulerit, incerti adhuc sumus. Accedet hoc ad exempla non perlatæ ad finem usque diu faventis fortunæ. Componunt Veneti suas cum Pontifice controversias, & per Iudæos dona Constantinopoli alibique distribuunt redimendo bello, paratis & quæ Sultano dent, ubi domum is redierit. Brisacum diligenter munitur. Curiæ Rhætorum occisus est ab hominibus personatis Ienasigius Rhætus, inter primos Hispanicæ factionis. Deus Excellentiam Vestram paterna cura protegat. Lutetiæ $\frac{8}{18}$ Februarii anni 1639.

Excell. Vestra cultu immutabili devinctissimus H. G.

SAMSONO IOHNSONO.

Vir Reverende,

1118 GAvisus sum videre amicam manum & quidem è Batavorum terra, ubi *πολλὰ μὲν ἐσθλὰ κακοῖσι μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά* [*multa quidem bona malis mixta, multa verò tristia*]. Scio eo te pollere judicio, ut fructum & apud te & per te bonum adferre possint, utriusque generis tum res, tum homines. Ego amicitiam illam in Germania nobis inchoatam, dum mari non Gallico dicam, sed Britannico, ut vult noster Seldenus, dividimur indivisam, quò minùs obliteretur, literis alere nunquam gravabor, & quod initium scribendi erit justissimum, opto tibi in quo nunc es loco fausta lætaque omnia, & ut Serenissimæ Reginæ, cujus virtutes suspicio quantum quisquam, ex adversarum rerum consolatore fias prosperarum gratulator. Præterea ne intra literas solas stet hoc commercium, collocutores tibi pro me dabo duos, filium meum qui ibi est, & uxoris meæ fratrem Senatorem Reigersbergium, ad quos jam nunc ea de re scribo. Spero illos non minùs caros tibi fore, me tradente, quàm mihi fuit te tradente D. Goffius, Vir & magnæ eruditionis & suavissimæ consuetudinis. Causæ sunt justissimæ quas adfers, propter quas se Princeps Elector Hamburgum recepit. Si Anglia velit, paratum est fœdus & salva quantum humanis judiciis assequi datur, Domus Palatina. Sin aliter, parco malè ominari. Si verò Suedia tot annorum impendiis exhausta, quærit unde depleta farciat, neutiquam id mirandum est, cùm societatis hæc situatura, ut quod alteri minùs suppetit, id ex alterius copia suppleatur. Ex Hassico exercitu alios alio ituros suspicor: quidam dicuntur Gallicæ militiæ promisisse operam alios Imperator lactat. Felicia Ducis Vinariensis prœlia & capti Brisaci decus Gallorum & Batavorum aliquot hoc anno adversa compensant, & spem nobis faciunt successuum, modò vestra Britannia adspiret. Nam & Galli & Batavi terra marique se movent, & Bannerii exercitus Imperatoris & duorum Electorum copiis non cedit, mittenturque ad eum vere adulto homines, machinæ, commeatus, & si qua alia bello necessaria. Tum verò, si, quod creditur, pacem aut inducias cum Persis facit Turca, & à Venetis conditionibus æquis averti potest, erit, cur Imperator aut Pacem Germaniæ det bonam, aut domesticis distentus malis, de aliis lacessendis non cogitet. Scotis tumultuantibus gaudeo ereptum mantellum Religionis. Nunc alter prætextus restat libertatis, qui quò sit evasurus, ex Conventu Parlamentari apparebit. Vereor ne paucorum dominatus, cum damno Regii juris, sub populari umbra lateat. Gaudeo ad probandam veram veteremque Christianorum sententiam de non opponenda Regibus vi Aberdonensibus probatam, neque inutiles ad id fuisse labores nostros. Libri quem molitur Bysterfeldius paginam unam vidi. Vereor & ego, ne quod Kekermanno evenit, ei eveniat, & nimiæ subtilitates aliqua parte ad impetum eorum in quos pugnat, pateant: omnia quæ in negotio Trinitatis dicuntur, extra *τὰ ἐν ταῖς γραφαῖς κείμενα* [*ea quæ in Sacris Literis habentur*] & pauca quæ ad eorum explicationem consensus antiquus recepit, periculum habent. Optimè Chrysostomus & ex eo Isidorus Pelusiota, *ὅτι ἅπερ ὁ Θεὸς ἡμᾶς οὐκ ἐβούλετο εἰδέναι ταῦτα βιαζόμεθα μανθάνειν, οὔτε εὑρήσομεν· πῶς γὰρ μὴ βουλομένου, καὶ τὸ κινδυνεύειν ἡμῖν ἐκ τοῦ ζητεῖν περιέσται μόνον* [*Quod si ea quæ Deus non voluit nos scire conamur discere, operam perdimus; quomodo enim Deo non volente! & solum periculum è curiositate nobis restat*]. Cui illud addam Maximi *τὸ γεγραμμένον καὶ σὺ λέγε καὶ μὴ κινδυνεύσεις* [*id quod scriptum est tu etiam dicas & in periculum non adduceris*]. In quem sensum plurima sunt in disputatione Basilii contra Eunomium. In illis Dei attributis, quæ nos respiciunt, justitia maximè ac bonitate, dat nobis & Sacra Scriptura, & impressæ mentibus nostris *προλήψεις* (*præsumptiones*) uberem, dissertandi materiam; quæ verò ad internam Dei naturam pertinent, aut circumscriptè eloquenda, aut silentio veneranda sunt. Bysterfeldio omnia felicia opto, tum quæ ipsum privatim, tum quæ Principem à quo missus est, spectant. Prodiere hic desumpti ex Parlamentariis Actis libri egregii, quibus titulus Libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Eum Cardinalis Rupifocaldius contractis Episcopis quibusdam Pontifici quàm Regi fidelioribus damnavit hæreseos, eaque de re ad alios scripsit Episcopos. Rex, sua ipse jura deserens, recudi eos libros vetuit. Sed hoc magis & quæruntur & leguntur. Sirmundus adhuc in Theodoreto sudat: ac præterea Hincmari editionem auctiorem pollicetur. Miletetus tam de justificatione quam de operibus plurima jam edidit,

Digitized by Google

dit, quæ Calvino nimiùm addictos mirum quàm urant. Vale Vir doctissime. Lutetiæ scribebam $\frac{1}{11}$ Februarii 1639.

Tuus tuo merito H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1119 MIra sunt quæ de Duce Bernhardo somniat fœcunda talium hæc civitas. Huc si venerit laboraturum Regem ac Regios omnes, ut ad Regni Franciæ sacra transeat, illigeturque Domui Regiæ per matrimonium filiæ Regii fratris, aut si id malit, Viduæ Sabaudi, & hoc si fiat, aliquidque puero Duci eveniat, Ducatum Sabaudiæ sibi teneat contra Cardinalem Sabaudum & Principem Thomam vi Gallica tutandus. Alii Cardinalem Riceliacum putant speciem quidem præbere id studentis ut Brisacum ad Regem perveniat, intra animum autem malle ut id in Ducis Bernhardi maneat potestate, dum secum Dux fidam amicitiam federet, ut, si qua, ùt in Aulis fit, procella in Cardinalem incubuerit Brisacum ipsi perfugium præbeat & tempus recolligendi vires. Rex, dies jam nonus est, ad S. Germani vocavit ad se Cardinalem Riceliacum, Cancellarium Franciæ, Marescallos & Parlamenti præsides universos supra viginti. Ibi actum de causa Ducis Valettæ, & quanquam non paucorum fuit sententia rem mittendam ad Parlamentum, ut legitimos judices Ducum ac Parium Franciæ, prævaluit tamen voluntas Regis, ut per delegatos judices cognosceretur, decretumque factum ut caperetur si fieri posset, si non tubæ cantu & voce viatoris publici in finibus ut fieri solet citaretur, bonis ejus omnibus annotatis & sub Regia positis manu. Quater citatus nisi compareat, quod certò facturus non est, superest ut damnetur capitis & bona confiscentur. Gaudet Princeps Condæus alieno reatu se absolutum. In illo consessu Præsides post Marescallos sedere, contra quàm in Parlamento fit, quod ipsis doluit: causam autem dixit ejus rei Cardinalis quod vocati eò essent non ut Præsides, sed ut consiliarii Parlamenti. Apertè id agit Rex ut omnem veterem splendorem Parlamento auferat. Ex Britannorum sermonibus ac literis disco, metui adhuc Scoticos motus: detracto jam turbatoribus velo Religionis restare eis alterum non minùs populare libertatis, quod arrepturi sint in Conventu Parlamentari, qui Maio mense habebitur. Homines Ecclesiastici, qui pacis auctores esse debuerant, sicut in Scotia validissimi sunt turbarum concitores, ita in Gallia Regia jura proculcant. Nam liber ille Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ex Actis desumtus publicis ac morum veterum fidus index, à Cardinali Rupifocaldio homine acriter res agente Pontificis, & Episcopis aliquot ejusdem ingenii damnatus est ut hæreticus & schismaticus, scriptæque ea de re ad alios Episcopos literæ, ut populum à perniciosi libri lectione avertant. Reformatos qui hic vocantur metuere video, ne ad colloquium vocentur sibi insidiosum. Ab Italia literæ nos docent Venetos & Cahimacani gratia & Iudæorum opera uti, ut pacem redimant donis partim Sultano dandis, quæ in adventum ejus parantur, partim Satrapis, jamque privatis Venetorum naves suas redditas & restitutam commercii libertatem. In castra ad Bagdetum venisse Ianizaros, multum imminutos rixa inter se, quæ quatuordecim millia absumserit. CCC millia Regalium nummorum, quæ ad castra adventabant, à Persis intercepta. Suspecta plurimum Sultano Imperatoris cum Rege Polono colloquia. Venetos adhuc parare se bello, sed lentiùs, & de mercede locatarum domuum quartam sumere publico. In Turcico Imperio multas strui Galleassas & Galeras. Quatuordecim Galeras datas Afris illis prædonibus. Ipsum Sultanum jam in castris esse ad Bagdetum: crediqué rem ab induciis esse non longè. Eckenbergio optimè jam convenire cum Pontifice, planeque id agere Imperatorem, ut Domus Barbarinæ magnitudinem sibi cordi esse ostendat: qua arte maximè obligari Pontifices solent. Exspectari Romæ Cardinalem Cornarum, ut si quid inter Pontificem & Venetos controversum manet, componat. Ex Polonis discimus infensos Imperatori Senatores ejus Regni, quod quidam ejus Ordinis non pro dignitate habiti sint apud Imperatorem nuper cùm essent, neque Regi Poloniæ dextrum latus apud se concesserit Imperator, ut olim Henrico Valesio. Exercitus in fine Belgico, cui præfuturus est Millereius, futurus dicitur XXV millium. Est hic rumor evasisse è Gallia Espernonium, metuentem ne filii aut culpa aut mala fortuna se afflet contagio. Quæ hic intelligimus de Tartaris & Moscovitis non scribo: id enim sit aquam in mare ferre. Sed sicut non dubito quin Regni Suedici Proceres laborent, ut Moscovita pacem cum Turca & iis qui res Turcicas sequuntur habeat; ita Gallos excitare non desinam, ut Venetos extra periculum ponant. Si enim finiatur Persicum bellum, nec aliud Turca negotii habeat, poterit ostentando arma sua ad Pannoniæ fines permovere Imperatorem ut pacem det Germaniæ æquam, aut attractis eò Imperatoris viribus, liberum res suas promovendi spatium Suedis & Gallis dare. Brisacum & munitur operosè, & impletur rebus ad vitam necessariis. Neustadium diripuit Canofkius. Imperatoris copiæ partim adhuc in Suevia sunt, partim in Franconia & inferiore Palatinatu. Ipse Imperator, ut propior sit rebus, Augustam se creditur transferre aut Ratisbonam. Conscriptio Gallici apud Helvetios militis procedit. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Regno, Reginæ Tuæque Sublimitati fautor adsit semper. Lutetiæ $\frac{4}{11}$ Februarii 1639.

Fretus & bonitate Tuæ Sublimitatis & ejus literis mense Novembri ad me scriptis securior vivo, nec queri cupio. Attamen scire velim Tuam Sublimitatem ab eo tempore me nec teruncium accepisse, & ubi Martius exierit fore, ut mihi debeantur Salaria mensium XXI præter impendia quædam. Ea res quàm mihi in hac rerum omnium inaudita caritate incommodet vix dixerim. Venio nunc à D. Chavigniaco, cui commendavi pacem Venetam cum Turca, res præsentes & futuras Marchionis Sagrendorfii, Tribuni Souchei, & consanguineorum D. Regni Mareschalli de la Gardye. Curiæ Rhætorum occisus est à personatis hominibus Senatzius Rhætus Hispanicæ factionis inter primos.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

EX literis Excellentiæ Vestræ datis postridie Calendas 1120
Maii dolens intelligo, eas quas 23 Aprilis dederam literas non perlatas suo tempore. Miseram eas more solito, ideoque spero jam emerserint. Quod si placet Excellentiæ Vestræ indicare mihi aliquem Hagæ qui sit ad quem meas literas posthac mittam, præscriptum sequar: interim optans felicem Excellentiæ Vestræ hanc rusticationem, quæ neque negotiis obstitura est, & valetudini, ut spero, conferet aliquid. Fama de D. Bannerii victoria crescit indies, multumque hanc Aulam exhilarat, Regis etiam ex eo leniore morbo. Addunt multi captum & Friburgum & hostilium machinarum LX. Dux Bernhardus ipse quidem Brisaci est, jamque urbem munit fossa depressa in pedes octo, aliisque operum egregiis. Interim copiæ ejus quæ in Comitatu Burgundiæ circaque eum sunt, dedito sibi Hippolyti oppido, nunc Thanum oppugnare incipiunt. In id plus peditatus & machinas exspectant,

ſpectant, dum Guebrianus arces ſubigit quæ propter Salinas ſitæ. An in Germaniam progreſſurus ſit Dux, quod maximè rebus expediat, dubitare adhuc cogimur, nulli interim quo id obtineri poſſit, parcentes labori. Sed fœderatorum non idem ſibi proponentium id malum eſt, quod conſiliis ſæpe diverſis agantur. De Erlachio Domum revocando ſiquid dictum ab Helvetiis eſt, ea blandientium, non ſe obligantium verba fuere. Trans Alpes hoſtium conſilia, Auguſta Taurinorum in ſpem tantùm ſeditionis nequicquam aſſultata, in Caſale verti videntur, captis jam quæ circum ſunt oppidis Aſta & Monticalvo, & ſic aditu ad Caſale Gallis vix ſperabili. Batavorum validam in freto Morinorum eſſe claſſem etiam nos hic diſcimus. In Scotia intermortuæ planè partes regiæ, aliis exemplo tractis, qui diutiſſimè perſtiterunt terrore. Rex interim Britanniæ nobilitatem Anglicam pecunias rogat, duos autem præcipuos eorum qui Puritani vocantur, metuens ne factionis capita fierent, in cuſtodiam dedit. Externorum opera ad tollendum hoc diſſidium, oblata quamvis, ſpernitur. Helveticæ tamen Proteſtantium civitates ad Britanniæ Regem ſcripſere tempori convenientia. D. Comes Liceſtrius in Anglia adhuc ſubſiſtit, ibi quoque non inutilis, quippe tranquilliorum conſiliorum auctor, Hiſpanicæ magnitudini infeſtus. Ego pluris hic duci arbitror captivitatem Caſimiri Principis, quàm Principis Ruperti libertatem, niſi Anglia negotium hoc calidè urgeat, cui tamen rei non favent tempora, ſuſpectis in Anglia Gallis, quaſi qui Scotos, veteres ſocios ſuos, foveant. Bellum hic maximè in Italiam fertur. Ivere eo ex Languedocia VIII peditum Gallorum millia, equites octingenti. Aliæ item ex Delphinatu & Provincia copiæ. Quid Millereius ad Belgicum finem acturus ſit, nondum liquet. Cardinalis Riceliacus eodem ſe tranſlaturus dicitur. Biſterfeldius hic eſt, & me convenit. Quærit an ad Tranſilvaniæ Principem miſſuri ſint Suedi. Dico ego rem fore facilem, ſi appareat quid is Princeps propoſiti habeat. Fatebatur ſequius ſuſpicandi ex ipſa mora injecta negotio cauſæ eſſe aliquid. Sed id diluebat ſincero Principis ſtudio ad juvandas per Hungariam res Proteſtantium. In exſilium acti antehac in Vallem Telinam vi rediere. Tum verò in propinquo copias habet Hiſpanus validas, coërcendis Rhætis, ſi fortè manu militari in poſſeſſionem ſe Vallis Telinæ velint reponere. Mitto Excellentiæ Veſtræ reſponſum ſatis triſte D. Luthmaro. Is quando Electoris titulum impetrare non valet, id agit ut pro Principis Palatini nomine, ponatur nomen Domus Palatinæ, quæ ſimul fratres quoque & ſorores & agnatos comprehendat. Deus, Illuſtriſſime Domine, det Excellentiæ Veſtræ cuncta ſalutaria. Lutetiæ 14 Februarii 1639.

Excell. Veſtræ ad omnia officia ſacratiſſimus H. G.

FRIDERICO SPANHEMIO.

Vir Reverende,

1121 Plurimum me tibi debere, ut verè, ita libenter profiteor. Debere autem & publico & privato nomine. Publico quod res proſperas Regni nationiſque Suedicæ cordi tibi eſſe ſemper & ſermone & ſcriptis & factis abunde oſtenderis, neque gloria eorum prædicandæ defueris. Privatim, quod benignum in me affectum, benignum de me judicium teſtari volueris, & literis ad me ſcriptis & in ipſis editis libris honeſta mei nominis mentione. Præterea verò quod Tomis ſecundo & tertio Dubiorum Euangelicorum liberaliter me donaveris. Legi eos quamprimùm potui maxima cum aviditate. Satis mirari nequeo diligentiam tuam in evolvendis tot interpretibus, partim antiquis, partim novis, quibuſdam etiam horum mihi ignotis hactenus; tum verò non pauca Chronologiæ, Hiſtoriæ præceptorum video abs te quàm ab aliis enucleatiùs expoſita. Neque doleo quædam, quæ ego pridem annotaveram, mihi tuo labore prærepta. Quin gaudeo potiùs meum judicium tuo, viri tam eruditi, judicio confirmari. De dogmaticis, quæ paſſim libris iſtis interſparſa ſunt, quid ſentiam, dicere, neque negotia, quæ me nunc urgent permittunt, & ſi permitterent excederet ea res epiſtolæ modum. Quare alii tempori & occaſioni id reſervandum eſt. Interim velim mihi dari in quo & beneficiis tuis vicem rependam & quanti mihi ſis patefaciam. Rogo ſalutes meo nomine viros ampliſſimos D. Saracenum & D. Gothofredum ac virum Reverendum D. Adeodatum. Tibi ipſiſque & omni Reipublicæ veſtræ omnia opto quàm feliciſſima. Scribebam Lutetiæ 16 Februarii 1639.

Tuæ Cl. ſtudioſiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

Mitto ſcriptum quod in Anglia edidit Regina mater, 1122 improbato alio quod ſub ejus nomine hic vulgatum fuerat. Temperavit maternam gravitatem reverentia in Regem, nec in Cardinalem quicquam dixit inclementer, niſi eò quis trahat, quod ſe negat, cùm Regni teneret gubernacula ullas ſibi quæſiviſſe arces, ſed pro arcibus habuiſſe ſubditorum benevolentiam. Mitto & epiſtolam per quam infirmiora Comitatus Burgundici oppida ad ſe trahere conatur. Aliam qua Dux Carolus hujus qui modò exiit anni acta ita deplorat, ut non modò oſtendat quàm imbecilles ſint res Imperatoris, ſed & animi offenſi det indicia, quò juſtior videtur Gallorum ſpes poſſe eum ad proprias pactiones perduci. Aliam prætereà ab aliquo Cæſarianorum ſcriptam ad tentandam *Ducis* Vinarienſis fidem. Eſpernonius Gallia non exceſſit, morbo retentus. Dux Candalius ejus filius corpore æger in Italia eſt: Cardinalis itidem ejus filius in eadem Italia æger animo, contactu Regii fulminis quod in Ducem Valettam mittitur. Ita fortuna quos diu in deliciis habuit, deſtituere tandem ſolet. Cardinalis Rupoſocaldii & antiſtitum aliquot ad antiſtites alios epiſtola contra librum Libertatis Eccleſiæ Gallicanæ continentem non exit in vulgus. Libri autem & nova editio & diſtractio vetita eſt. Non impedit id quò minùs clam væneat. Sed Regia jura ab Rege ipſo deſerta vindices poſthac non invenient. Cardinalis Bichius qui hinc abiit multa ſecum fert Romam Regis munera, titulum comprotectoris & ſalarii partem in anteceſſum. Mos eſt Pontificibus ad Regum liberos mittere faſcias cunales benedictas ut loquuntur. Eas Rex ad Delphinum mitti vult non per alium quàm per Mazarinum hominem Cardinali Ricelaico addictiſſimum. Ad Chevreuſiam miſſa eſt abolitio omnium quæ ipſi objectari poſſent. Ventura tamen an ſit dubitatur. Scoticos motus recrudeſcere video, dejectis Epiſcopis, ſumtis armis contra Regiam voluntatem. Rex ipſe Britanniæ non videns quid contra vim ſine vi agi poſſit, ducum potiſſimos ſuæ gentis è Batavis ad ſe vocat: ipſoſque Batavos putat non extra partem eſſe hujus culpæ. Unde alantur illi motus, parum conſtat. Sed Hyacinthum qui Patri Ioſepho erat individuus, faces ſubjeciſſe compertum eſt. De Eſtampio è Batavis revocando agitur. Neſcio quid in negotiis Haſſicis peccaſſe arguitur. Rex Pontifici aliquos propoſuit, è queis Cardinalis novus fiat. Inter eos eſt Archiepiſcopus Burdegalenſis, bellicis actibus quàm Eccleſiæ miniſterio notior. Caſtilionæo pars aliqua belli mandabitur. Dux Bernhardus, quem in Germaniam mitti magis ex uſu communi & voto Germanorum Proteſtantium fuerat in Comitatu Burgundiæ attinetur, Rege in Hiſpanum, quàm in Imperatorem arma ſua experiri malente. Dux Vinarienſis cepit Nazare-

tum

Digitized by Google

tum urbem in Comitatu Burgundiæ ad jus Principis Arausionensis pertinentem. Sancti Claudii oppidum de conditionibus agit quibus se ei dedat. Interim obsidet Dux arcem Iouxiam, in quo præcipuam spem defensandi Comitatus illius posuit olim Carolus Quintus. Constituit Brisacum excurrere, cui urbi bene prospexit de machinis victuque. Alia etiam quæ tenet loca & in Comitatu stativa plena sunt frumenti, vini, lardi. Incipiunt Comitatenses se colligere ad Orsanum sub Principe Francisco, Duce ipso Lotharingo ad Remiremontium hærente. Cæsariani itidem alimentorum copia instruunt ea quæ circum Constantiam lacui adjacent; & Ducem Vinariensem & militiæ ejus potissimos tentant promissis. E ducibus Cæsarianis potissimi Viennam ad capienda consilia ivere. In Franconia qui fuerant milites in Sueviam retrahuntur. Dutlingam oppidum cepit Widerholtius Hohentwilæ Præfectus. Hæreditariæ Austriacorum terræ gravibus & ipsæ premuntur tributis. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta hæc ad bonam pacem deducat, si modò id Christianorum peccata patiuntur. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Februarii anni 1639.

Tuæ Subl. devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1123 DE Brisaco justa est Excellentiæ Vestræ sollicitudo in literis 7 Februarii datis. Perstat Aula cupere urbem. Dux in Aulam nondum venit: & causas habet justas, appropinquante belli gerendi tempore, quod ipsum in Germania impendi quàm in Burgundiæ Comitatu publicè utilius fuerat. Gallorum multi nec Protestantes tantùm, sed & alii ipsi Galliæ tutius ac conducibilius fore existimant Brisacum Duci & rebus propinquo & vigilanti custodiendum relinqui, simul efficacius id fore ad amicitias Germanorum retinendas aut quærendas. Videbimus an rationes istæ & Ducis constantia plus valitura sint, quàm cupiditates Gallorum. Ducis Lotharingi interceptæ sunt literæ, quibus non dissimulat ingens dedecus Imperatoris ni hic annus prioris anni peccata corrigat. Vbi redierit huc Marchio Villa vidibimus ecqua sit spes Ducem illum ad Gallorum partes transducendi. Ego id vix fieri posse arbitror. D. Bannerii tam bonus præ hostili exercitus, præterea colloquium ita deproperatum cum D. Davausio aliquid nobis magni pollicentur. De pace nihil sperari potest, quamdiu pro Batavis negatur diploma, quale datum olim fuit. Hæc hostium tergiversatio causam nostram meliorem facit. Imperator videtur cætera post Brisacum ponere. Itaque sedem positurus in aliqua urbe quæ à Rheno non multum absit. Rex autem Galliæ & Cardinalis concessuri putantur ad Belgicæ fines magna ad eam partem successuum spe. Interim vastitas agrorum, populorum miseriæ, & si Persa, quod & hic creditur, ad pacem adigatur, gravis primùm Pannoniæ Turca, mox metuendus & aliis, magna sunt ad dandam accipiendamve pacem argumenta, nisi spes ut agricolas, ita Principes aleret, meliora sibi semper in futurum ominantes. Nacti sunt largiendo Veneti potentes amicos, per quos sperant in gratiam Sultani se posse restitui: quo & Gallia allaborabit parato jam ad iter Legato illuc ituro Lahaio nomine. D. Hagæ periisse ex naufragio fructum diuturni laboris & literatis quam is attulerat in qua se exercent materiam, dolendum sanè. Sed maximè mors Patriarchæ Cyrilli & quæ inde consecutura est, rerum mutatio. De Episcopis dejectis, & coitionibus armatis Scotorum contra Regis voluntatem, intellexi & ego. Cumque etiam è Batavis duces ad se Rex vocet, videtur res utrinque ad vim spectare, & ad illa domestica versis Regni curis, mansura Domus Palatina quo nunc est in statu, id est, miserrimo. Nec aliud hic quod dicam habeo quàm τ̃ ἀδοκήτων πόρον εὗρε Θεός [*insperatis Deus invenit viam*]. Cepit jam Dux Vinariensis in Comitatu Burgundiæ Nazaretum oppidum. Alterum S. Claudii oppidum ad pactiones venit. Arx Iouxia firmissima in eo tractu obsidione ab eo premitur. Castra & quæ loca Comitatus vicinorumque montium in potestate sunt Ducis plena sunt frumenti, vini, lardi. Neque minùs Brisacum, quo & XXX machinas novas misit Dux, videturque ipse eò se transferre velle. Comitatenses Burgundi ad Orsanum sub Principe Francisco se colligunt, ipso Duce Lotharingo tenente se ad Remiremontium & consiliorum quæ capiat incerto. Cæsariani quæ circa lacum sunt Constantiensem implevere alimentorum copia: militem qui in Franconia hyemavit in Sueviam revocant: literis & promissis tentant primos Vinariensium, atque ipsum Ducem, qua de re literas immensa pollicentes, sed apud tam constantem animum inanes vidi. Ex iisdem Cæsarianis ductorum non pauci Viennam ivere consultatum de hujus anni rebus. Non nimis expeditum erit Imperatori quò se vertat. Nam & hæreditariæ ipsius terræ sub onerum sarcina gemunt: suspectus Transilvanus: formido à Turca: perplexa multa. Hohentwilæ quoque Præfectus Widerholtius cessator non est. Cepit is modò Dutlingam. Magnæ Duci Bernhardo, magnæ D. Bannerio ostentant se occasiones, si pecuniæ non desint. Deus cuncta ad bonum regat universalis Ecclesiæ, ac Excellentiam Vestram sospitet. Lutetiæ 19 Februarii 1639.

Excell. Vestræ sincero cultu observantissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

ANnus qui exiit, habuit adversa Gallis nonnulla. Sed 1124
ut scribit Nob. Vestra duabus rebus lætissimis, Delphini natalibus, & capto Brisaco pensantur. Interim culpa mali eventus ad Fontarabiam tota in Ducem Valettam conjicitur, qui ad delegatos à Rege judices citatur absens, bonis jam annotatis. Cum Duce Lotharingo spes est aliquid paciscendi; qua de causa & Marchio Villa de carcere emissus est & Chevreusia huc invitatur. Bellum hic & terra & mari strenuè paratur. Pax adhuc adhæret ad nodos super deplomatis tutum iter præstituris. Poloniæ Regi bene cecidit quod Cosacci frænum mordent. Quid allaturus sit ille Regis ejusdem cum Brandenburgico Electore Conventus, intenta exspectat Suedia, nihil interim omittens eorum quæ ad sui tutelam sunt necessaria. Immunitatem veterem vobis salvam optamus Suedi, quæ si pace obtineri potest bellum nemo vobis suaserit; sed ni fallor aut suscipiendæ vobis clitellæ, aut quærendi qui vos sublevent. De Principis Casimiri libertate, si non alia spes est quàm ea quæ hic data est Demskio, est ea perexigua. Rex Galliæ, ut puto, eo de negotio tempus in consilio adhibebit. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ 19 Februarii 1639.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

PErgratæ mihi fuere, ut omnes quæ ad me veniunt Nob. 1125
Vestræ literæ, ita quæ nunc perlatæ ad me sunt, scriptæ autem 15 Ianuarii. Pavor ille Legatorum Cæsaris & Lunæburgensis Conventus fuga ad Bannerii adventum, bonum sunt omen nobis, melius verò quòd idem Conventus Imperatori ut video, nihil respondit πρὸς ἔπος [*ad rem*]. Quod sive factum est armorum nostrorum metu, sive tædio jussorum Imperatoris, est unde aut securiores simus aut alacriores. Curtius iste, ut video non is est qui in voraginem desilire velit, duo

eò illaturus Romana bona, arma & virtutem. Gaudeo quod speraveram fecisse Nobilitatem Danicam, & intercessisse motibus Protestantes amplius distracturis. Ad Domisium quod hyems prohibuit, dare æstas poterit. Domini Bannerii cum D. Davausio ita subita, ita bene cælata colloquia, dubium non est quin magni aliquid parturiant. Doleo verò vicem Illustrissimi D. Salvii qui iter ingressus periculo non vacans à proposito aberraverit. Lunæburgicos & Brunsvicenses Principes puto quieturos in propria pelle. Resurgentibus cùm maximè Scoticis tumultibus credibile non est ausuros Anglos quod antehac cum Scotis concordantes ausi non sunt, nec quicquam forte mihi pollicentur quos hic audio sermones. Miser Elector Palatinus quoquo it nihil aliud quàm testem circumfert quàm nihil aut ipse possit aut pro eo velint qui possunt. Transilvaniæ res longinquæ sunt nobis, & facile est ut in iis fallamur. Nec si cordi esset properare, quantum exigit occasio, hæsisset tamdiu in Batavis Bisterfeldius alia potiùs omnia agens quàm publica. Responsum à Regina Wibio datum, dignum est Suedica generositate. Brisacum futurum ne sit operæ navatæ an pecuniæ præmium dubitamus adhuc. Ego omnibus edico id quod hac in re optimum est Germaniæ rebus, idem Galliæ esse tutissimum utilissimumque. Regina Mater scripto edito Regi blanditur ut redeat. Sed ad ejus Sirenis cantum, ut Vlysses olim sociis, ita Regi aures inceravit Riceliacus Cardinalis. Cætera ex aliis meis literis Nobilitati Vestræ promptum erit cognoscere. Deum rogo, ut Illustrissimum D. Salvium ac Nobilit. Vestram sospitet. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Februarii 1639.

Nobil. Vestræ obligatissimus H. G.

FRANCISCO IVNIO.

Vir Eruditissime,

1126 PLurimum Iuniis duobus Patricio, Francisçoque debeo pro datis liberaliter, transmissis diligenter lectionum discrepantiis. Sunt in illis observatu digna non pauca, quibus suus erit usus: sed nunc maximè Euangelia me occupant: quare si cumulare beneficium beneficio velitis & me earum lectionum, quæ ad Marcum, Lucam, Ioannem pertinent, compotem facere, felicem me tanto munere judicabo. Rogo autem ut tua comitate & gratiæ agantur D. Patricio quod hæc mihi præstiterit, & D. Seldeno, quod vir meo judicio maximus mei vivat memor. Exspectabimus ejus quicquid est. Non potest enim non egregium esse quod ab ipso proficiscitur. De loco Claudiani & mihi in mentem venerat posse defendi, si animantium, non quæ conspiciuntur, sed quæ finguntur formas velis impressas intelligamus. Vale Iuni optime. Scribebam Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Februarii 1639.

Res Scotiæ si in melius procedant lætus id intelligam.

Tuus jure veteri H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1127 MAximo cum dolore intelligo, resurgere procellam Scoticam, quæ mirum quàm incommodè his temporibus intervenit. Indicant quæ inde veniunt literæ, postrema in Synodo, quæ Glascuæ habita est Novembri ac Decembri mensibus, depositos & excommunicatos Archiepiscopos, qui duo erant in Scotia Andreapolitanus & Glascuensis: aliorum Episcoporum qui erant duodecim, sex & excommunicatos & depositos, sex alios sine excommunicatione depositos à suo munere, ita ut jam tota Scotia Episcopis careat, quod regimen Ecclesiæ antiquissimum etiam paci publicæ inservit, dum Regum beneficio ad Cathedras provecti & sermone & exemplis populo præeunt ad obsequium Regibus præstandum, cùm contra gubernatio ista, quæ consistorialis dicitur, planè sit popularis, & Imperio civili alterum Ecclesiasticum ex æquo opponat, atque ita scindat statum, unde & olim gravissimæ in Scotia seditiones violentissimique motus exstitere. Ejecti & pastores aliqui, partim dogmatum, partim vitæ criminatione. Non dubitant Scoti, quin ægerrimè hæc ferant & in Anglia Episcopi & cujus in instituendis Episcopis potestas maxima est, Rex ipse. Neque à vicinis opem exspectant. Ajunt Deo se fidere cum spe bona, Ecclesiam in elegantiori nitore futuram. Ego verò nunquam vidi bellis civilibus meliores fieri homines, qui verus est Ecclesiæ nitor, quod præcipuum Deus & spectat & postulat. Ei nitori non modò nihil obstiterunt illi purissimorum sæculorum Episcopi, sed & profuere plurimum. Etiam priorum Synodorum, quæ in Scotia habitæ Episcopale regimen confirmaverant, acta rescissa sunt. Iam in utroque Regno terra marique fiunt apparatus bellici, res quæ ad multum sanguinem spectat, etiam prodigiis quibusdam significatum. Rex autem, credo quod metuat ne & Anglorum pars duobus nominibus speciosissimis apud plebem, purioris Religionis & majoris libertatis, trahatur in contagium Scotici morbi, Anglorum octo millia misit ad Cardinalem Hispanum, ipse ab eo Walonum quod optimum militum genus est, quatuor millia recepit, vi externa, quod triste, usurus in subditos malè parentes. Ad has dolendi causas satis graves alia accedit, quod dicuntur è Suedia missa ad Scotos Regi inobsequentes arma pulvisque bellicus, quod quanquam sat scio neque jussu, neque conscientia factum publica, & privatos, quò minùs res suas distrahant, vix posse inhiberi, tamen ne id ad aliquam animorum alienationem perveniat, multum metuo. Angliæ Regina præpropero partu soluta, corpore invalido ita ut tabes timeatur, medicis ut cœlum mutet suadentibus, de itinere in Galliam loquitur. At huic Aulæ suspectum est hoc iter, ne forte apud Regem matris suæ causam agat, amata semper matri, & amans matris, filia. Brisaci ardente cupidine etiamnunc flagrant Galli, ajuntque literas Ducis Vinariensis spem magnam facere: tantùm plus ab eo pecuniæ peti, nempe duos milliones cùm minus Rex offerat, neque dubitant Primores uxori Comitis Guebriani pro certo affirmare eum Guebrianum Brisaci Præfectum fore. Missus est à Rege qui Duci iter in Aulam suadeat Insulanus. Verùm literæ 13 Februarii, ut hic numeramus, scriptæ Ponterlerii, nuntiant nobis Ducem paratum tum fuisse itineri, non in Galliam, sed Brisacum, tum ut duodecim millia saccorum frumenti ex Comitatu Burgundico collecta illuc inferat, per Aram amnem qui à Novo Castello defluens in Rhenum illabitur & à Ponterlerio plus septem horarum itinere non abest: tum verò ut Præfectum Benfeldio imponat in Quernhemii locum, quanquam audio ea de re aliquid controversi ipsi esse cum D. Mokelio. Ego verò cùm ignorem qua potestate circa illud negotium à Regno Suedico instructus sit aut Dux aut D. Mokelius, interrogatus de ea re, nihil dixi in partem alterutram. Eædem à Ponterlerio literæ docent nos tum ibidem Ponterlerii, quod octo horarum itinere abest à Vesontione, tum in cæteris Comitatus Burgundici locis commoda esse militi hospitia. Nazareti agere Comitem Guebrianum. Lotharingicas autem copias ab eodem Comitatu recessisse Lucemburgum versùs in loca victus egena. Alimentorum inopiam & Dolæ & Graiæ esse maximam, Vesontione etiam esuriri, bellissimamque dari Gallis, si eo se intendant, rapiendi totius Comitatus hoc qui nunc agitur anno, occasionem, ipsis Comitatensibus id optantibus, quorum agrestes infestissimos se Lotharingicis militibus, Gallis & Vinariensibus mirum quàm benevolos præbuere. Nimirum quod ab his quàm ab illis habiti sint humaniùs. Nunc Lotharingicas illas copias Rosa persequitur.

quitur. Ianachius de quo scripsi antehac, occisus securi eadem, qua ipse ante 23 annos, Minister tunc Ecclesiæ, Plantam occiderat, terret Hispanos, qui multò quàm ante diligentiùs Rhætos mulcent eisque possessionem promittunt Vallis Telinæ. Dicitur frater Imperatoris ipse futurus in Castris ad Rhenum. Helvetios ea res terret, neque tamen absistunt, Bernates maximè & Basileenses juvare quantum possunt res Ducis Vinariensis. Multæ ab Oriente literæ gravem cladem Turcarum nuntiant à Persarum partim armis, partim & astu, quo amnem, qui à tergo Turcis erat, ruptis aggeribus in ipsos effuderint. Sive hoc malum, sive manentis adhuc belli grave negotium, mitiores Venetis Turcas facit, ita ut affirmaverit Legato Veneto Cahimachanus intra annum nihil fore hostile: ac, si ad bellum veniendum sit, mansura tamen commercia. Itaque & Venetis naves per omne Turcicum Imperium redduntur: & totum illud anni spatium Gallis occasiones pulchras dabit componendi ortas controversias, ac jam nunc refrixere paratus navales Venetiis non minùs quàm Constantinopoli. Interim & Melitenses & Ethrusci, si bellandum sit, auxilia sua Venetis offerunt, estque illis placatior quàm ante Pontifex, ita ut & novam inscriptiouem, de qua conquesti erant Veneti, sublaturus dicatur. Cardinalis Contarenus venturus huc putabatur extra ordinem Legatus. Sed cùm ea Legatio præcipuè propositam sibi habuerit Principis Casimiri libertatem, cujus nulla spes à Gallis datur, puto parsuros Venetos nihil profuturo sumtui. Laboravit Dux Vinariensis ut Hassicas copias ipse nanciscatur, constituitque de hoc aliisque negotiis Wickefortium mittere ad Melandrum. Verùm Melandri ad Wickefortium literæ, sicut de pace Landgraviæ cum Imperatore suspensè loquuntur, ita illud affirmant convenisse, ut, si pax fiat, copiæ non tradantur aliis sed dimittantur, ituris, quo volent, singulis. Detinetur hic in carcere Silvæ Vicennensis Abbas S. Cyrani vir apud multos laudatæ pietatis & eruditionis. Infesti ei sunt Monachi & Iesuitæ. Inter alia docuisse accusatur, ab annis sexcentis nullum fuisse qui cognosci posset vultum Ecclesiæ: sed ad eam respiciendum, quæ ante illa fuit tempora. Definitionibus autem Tridentinæ Synodi ut neque liberè neque legitimè neque ex norma veterum Synodorum factis, neminis conscientiam obstringi. Absolutionem nullam esse, nisi præcedat contritio: neque deberi dari absolutionem, ante injuncta & impleta pœnitentiæ opera. Hæc eadem multaque alia tueri dicuntur qui se illuminatos vocant, quorum ingens est per Hispaniam, imo tanta, ut inquisitores eam attingere non audeant, multitudo. Deus omnes populos ea veritate quæ ad pietatem facit illustret, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ fautor sit perpetuus. Lutetiæ 26 Februarii 1639.

Mortuus in Italia est Dux Candalius Ducis Valettæ frater. Est adhuc Venetiis Baro Bibonius Legatus Regis Poloniæ & poscit Venetorum operam pro libertate Principis Casimiri. Landstuliam & Cæsaris Luteram Cæsariani in Hispanorum custodiam dedere. Literæ Ducis Vinariensis ad Wickefortium ostendunt eum satis intelligere quid Germaniæ sibique & familiæ suæ sit optimum gloriosissimumque in hac de Brisaco deliberatione. Mitto epistolam Cardinalis Rupifocaldii & Episcoporum aliquot contra librum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, specimen invalescentis contra Regiam Pontificiæ potestatis. Literæ recentiores à Pontarlerio datæ $\frac{14}{24}$ Februarii nos docent arcem Iouxiam, quæ soli Regi Ludovico XI. olim restitit venisse in Ducis Vinariensis potestatem, partim aquarum penuria, partim præsidii discordia. Rosæ deditam arcem Villanam nomine, aliam arcem quæ Vetus vocatur defendi adhuc.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Bene ad me pervenit gratissima, ut omnes, Excellentiæ Vestræ epistola, data 14 Februarii. Helvetios 1128
terret fama venturi in eas partes Fratris Cæsarei. Manent tamen hactenus benevoli commodique Duci Vinariensi, præcipuè Bernates & Basileenses. Rhætos, conspecta Ianaskii cæde, paullò molliùs tractat Hispanus, ac possessionem ipsis Vallis Telinæ promittit integram cum omni jure. Lotharingi copiæ in Lutsenburgicum agrum recessere, derelicto Comitatu Burgundico, cujus agros latè tenent Vinariensis & Guebriani milites, hi ad Nazaretum, illi ad Pontarlerium in magna victus ubertate, cùm hostilia oppida Dola, Graia, Vesontio strenuè esuriant. Marchionis Villæ exspectandus erit reditus, ut judicemus an aliqua spes sit Lotharingum Ducem abducendi ab Austriaca parte. Nam Chevreusiam, ob idem negotium accitam, venturam vix puto. De Palatina Domo quid dicam? Restant pia vota, cùm spes humanæ ab ea magis magisque fugiant. Dux Vinariensis in Aula quidem hac exspectatur, misso ad ipsum Insulano, qui iter hoc suadeat, magnasque offerat pecunias, honoresque & commoda pro Brisaco. Cæterùm ipse à Pontarlerio Brisacum ivit, ut XII millia saccorum frumenti ad Novum Castellum, quod Pontarlerio abest septem horarum itinere, inde in Arani amnem qui ad Lauffenburgum in Rhenum illabitur, ac porro Brisacum invectet. Est ei Duci controversum quid cum D. Mockelio de mandanda Brisaci præfectura. Sed ei negotio legem ponere Rectorum est Suediæ. D. Bannerius Erfurtum iturus etiam hic creditur. Bene evenit quod illi qui terruerant Saxonici pavere incipiunt, quodque Regis Daniæ miles oneri esse incipit Provincialibus. In mentem illis credo veniet dictum Laconicum καλὸν ἡσυχία [*pulchrum quies*]. Et Misnos & Thuringos, cùm nullum habeant idoneum vindicem, facilè imperata facturos credibile est. Nam de pace quid est quod speretur, quamdiu Batavis de tuto itinere non cavetur iis vocibus de quibus olim convenit? Felicitas Ducis Vinariensis facit ut Germaniæ civitates liberiùs detrectent onera partim imperata, partim promissa. Quod si & auri argentique Americani travectio aut prohiberi, aut arte tardari poterit, accedet hoc ad alia multa, quæ nobis & à Duce Vinariensi & à D. Bannerio, tum verò & à Gallis Batavisque magnos hoc anno successus pollicentur. Clivensis territorii cùm loca quædam non spernenda jam invaserint Cæsariani, haud mirum foret, si, qui apud Electorem Brandenburgicum potest omnia, ei suaderet jus controversum & possessionem incertam, si non Hispano, certè Imperatori transcribere. Regis Poloni cum eodem Brandenburgico congressus videtur mali aliquid minari Suediæ. Sed, ut rectè judicat Excellentia Vestra, restinguent, siquid tale inardescat, Proceres Poloni, in quos casura sint belli adversa, de victoria nihil lucraturos, nisi periculum imminuendæ libertatis. Turcas à Persis malum accepisse, partim vi, partim amne in ipsos abacto, multæ literæ nuntiant, adduntque non modò Venetis commercia per Turcicum Imperium restituta, verùm à Cahimachano fidem datam Legato Veneto intra annum vertentem nihil in ipsos motum iri. Itaque belli navalis paratus in armamentario & Turcico & Veneto interquiescere. Gallorum erit accipere vacuum tempus, ut bene componatur hæc controversia, quod processurum puto. Scoti magnam rem confecisse se putant, quod Episcopos loco movere omnes, qui nunc in Anglia exulant, quodque decreta in Synodis facta antehac jusserunt esse irrita, dejectis quibusdam insuper Pastorum. Hæc quan-

quantopere displicitura sint non Angliæ modò Episcopis, sed & Regi, ipsi non ignorant. Itaque arma parant, quibus ut obsistat Rex, Walonum ex Belgica quatuor, ut audimus, advocavit millia, ipse vicissim Anglorum octo millia in Hispaniensem Belgicam mittens. Hæc quid nobis spei de fœdere cum Suedis relinquunt? Præsertim accedente & rumore alio, de belli instrumentis è Suedia missis ad imperii Regii desertores Scotos, quod quanquam injussu publico factum certus sum, tamen suspicionibus sermonibusque aliis quàm hæc eximgunt tempora præbibit materiam. Deus hæc in meliorem statum reducat malaque omina in hostes vertat. Regina Angliæ immaturo partu levata non bene se habet, medicisque mutari cælum suadentibus cogitat de itinere in Galliam. Sed id hic ob matrem suspectum est, cujus scriptum Londini editum vidi, temperatum ex materna gravitate & reverentia in Regem, Præsidis Coignæi, ut creditur, opus haud paullò prudentius iis quæ in Brabantia prodierant. Sed, ut de Cardinalis formidine taceam, Regis ipsius adhuc valde aversus à Matre animus nuper apparuit, cùm apud ipsum de Ducis Valettæ causa consultaretur. Itaque videtur nec in Galliam reditum obtentura, nec à Rege alimenta, quamdiu in vicinis suspectisque Galliæ locis se tenet. Quantum fortunæ etiam in eminentissima capita liceat, non aliud puto sæculum documenta dedit majora. Viennæ laborabitur haud dubiè, ut propriis honoribus ac commodis Princeps Rubertus à domo sua avellatur. De Transilvano siqua spes, quàm hactenus certior, affulgeat, gaudebo & scire & cum Galliæ primoribus ea de re loqui. Principem Casimirum, quantum audio judicoque, dimissuri non sunt Galli manente bello: eaque causa est, cur huc non veniat qui venturus putabatur extraordinarius à Venetis Legatus. Wickefortius Ducis Vinariensis missu ibit brevi in Hollandiam, inde ad Hassicam Viduam & Melandrum, ut si fieri potest, quod ego tamen sperare non audeo, rumpatur pactio Magontiacensis, aut, si pax coëat, copiæ ad Vinariensem perveniant. Verùm & illæ copiæ tradantur nemini, sed libertas cuique fiat eundi quò velit, in pactionibus comprehensum est. Novæ à Pontarlerio literæ datæ 20 Februarii novi Calendarii, nos docent arcem Iouxiam, quæ sola olim Ludovico XI. Regi restitit, venisse in potestatem Ducis Vinariensis, partim internis dissidiis. Arcem quoque Villanam Rosæ deditam. Vidi literas Ducis Vinariensis ad Wyckefortium in quibus ostendit se & quomodo à Gallis tractatus sit magno suo & exercitus periculo, & quid optimum sit Germaniæ, quid etiam familiæ suæ intelligere ac meminisse. Laborat adhuc Venetiis pro libertate Principis Casimiri Bibonius Legatus Regis Poloni. Landstuham & CæsarisLuteram Hispani tenent, concessu Cæsarianorum. Mortuus in Italia est Dux Candalius Frater Ducis Valettæ. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram, omnesque ei caros sospitet. Lutetiæ 26 Februarii anni 1639.

Excell. Vestræ perpetuo cultu addictissimus H. G.

CORNELIO GROTIO.

1129 Literæ abs te binæ, mi fili, rectè ad me pervenerunt Pontarleriæ datæ ambæ, priores omisso die, posteriores verò celeriter quæ huc pervenere $\frac{5}{15}$ Februarii datæ. Ex iis didici quæ ibi geruntur, qualia sæpe, per te præsertim, cognoscere persuave mihi erit. Gaudeo benignè acceptum ab Illustrissimo Duce quod optimo in res ipsius animo suggesseram. Censet Wickefortius non peccaturum te interdum si libertatem sumas alloquendi Principem, ubi quid relatu dignum ex bonæ fidei auctoribus intellexeris. Nunc quidem nihil fit; nam rumorem qui multum hic spargitur de adventu in Galliam Anglicæ Reginæ ad reficiendam valetudinem quæ tabem minatur, non planè affirmaverim. Paratur tamen hospitium & ipsi & Principi vestro. Strepunt cuncta canticis, choreis, comœdiis, ignesque magnifici parantur in honorem Reginæ Francicæ & D. Delphini. Scoti mirum quàm tumultuentur. Archiepiscopos duos & sex Episcopos in Synodo excommunicarunt, sex Episcopos alios deposuere. Episcopatum Regis Iacobi auctoritate constitutum & Synodos eum firmantes abrogarunt. His injuriis Rex Britanniæ coactus Eboracum se transfert, & contra eos qui arma privata & abs se districtè vetita sumpserunt ad publica arma militem & nobiles convocat etiam externis Walonum usurus auxiliis. Hæc incommodè interveniunt his temporibus quibus fedus cum Anglia Suedi Gallique non optabamus tantùm, sed & sperabamus. D. Bannerius, ut putamus, jam ad Erfurtum est, pars militis ejus in Westfalia. Cæsariani in Clivico Principatu Cliviam urbem & Xanthemum, olim Castra vetera & Calcarium & Goechiam cessere, suspecti Batavis vicini. Vale mi fili. Nos rectè valemus. Frater tuus Argentorati studet; negligit pulchras honoris adipiscendi reique faciendæ occasiones, nisi aliam instet viam, futurus ipse sibi gravis. Calendis Martii novi Calendarii anni 1639.

Tibi optimè volens Pater H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Antevertit hoc anno socios nostros hostium diligentia, 1130 videnturque ipsi potiùs designaturi locum ubi bellandum sit, quàm eum accepturi. Nam & Cæsariani insessis Cliviæ oppidis profitenturquidem salva fore Batavis pacis jura: attamen tam suspecta vicinitate (nam plus duabus leucis à Novimago non absunt) multum illis dant negotii. Et Hispani Castellum Cameracensis agri oppidum ante veris initium obsidere cœperunt. Ad Reginæ Angliæ literas de suo huc itinere rescripserat Rex daturum se imperia ut bene reciperetur. Sed mutasse videtur Regina consilium, sive in melius mutata valetudine, sive quod intelliget Regem meditato abitu colloquia ipsius declinaturum. Dux Lotharingus ita constans manet in fide adversùs Cæsarem, ut Marchionem Villam missum ad se cum conditionibus nec aspicere voluerit, seque in Brabantiam transtulerit, quò magis omnes diffidentiæ occasiones præcludat. Duci Bernhardo paratur etiamnunc hic hospitium. Sui tamen eum venturum non putant, velintque à Regina nostra ad eum literas scribi, quibus excusationes ipsius adjuventur. Inter eas excusationes non minimum est, quod Leopoldus cum magnis copiis ad vicina Brisaco loca venturus creditur, ipse autem Imperator iturus contra D. Bannerium. Capitatio hic nova instituitur ex censu, grave semper populis onus. Præituri cæteris exemplo Cardinalis Riceliacus & Bulionius, centum millia Florenorum singuli contribuunt in publicum, facilè id de publico resumpturi. Creditur Candalii Ducis mors aliquas vias apertura ad sanandum Ducis Valettæ malum, quia magnum ea morte patrimonium ad Ducis Valettæ filium devenit, cui Bressæi filiam in matrimonium rumor despondet. Peregrinis etiam in Gallia habitantibus, tum qui adepti sunt jura civitatis, tum qui adepti non sunt, tributa indicuntur magna. Hæc cuncta efficiunt ut bellum mirè detestentur omnium Ordinum homines. Ducis Vinariensis & peditatus & equitatus integritati suæ restitutus est. S. Claudii oppidum nondum se dedidit. Rogatus est ab Helvetiis Dux ut parcat salinis, unde sal ipsi habere solent. Et Gallici militis apud Helvetios, & apud Rhætos Hispanici conscriptio tardiusculè procedit, quod utrique factioni contraria se objicit factio. Hispanicæ partis homines Ianaskii mors non parum exterruit, eoque magis quod judices non

non pro facti atrocitate in conscios inquirunt. Vt Helvetii, quamquam non levi in metu politi, bello se implicent, hoc incredibilius mihi videtur, quia cum Pontificiis civitatibus iis cohærent vinculis, quæ ut planè rumpant, vetustamque connexionem divellant non facile sit persuasu. Philippiburgi magnus est paratus eorum quæ ad alendum instruendumque militem sunt necessaria. Nec dormiunt doli. Nam & Hohentwilæ præfectus tentatus est promissis Cæsarianorum. Gaudeo brevi hic futurum Illustrem D. Baronem Oxenstiernium Archidapiferi filium. Non parcam ei ostendere, quantum Sublimitati Tuæ, totique domui ejus debeam, Deumque, Excellentissime & Illustrissime Domine, pro omnium ad eam pertinentium incolumitate precari. Lutetiæ 5 Martii novi Calend. 1639.

Vidi librum scriptum à Cæsariano apud Helvetios agente, in quo id agit ut absterreat Helvetios ne delectu aut opera Gallos juvent, Gallis latè exprobrans aviditatem immergendi se in aliena præcipueque insidendi Alpes & Rhenum, ut hinc Germaniam, inde Italiam infestent. Explicat fœdera Helvetiorum cum Austriacis & quid Imperio debeant: nec reticet exempla eorum quibus societas Gallica malè cesserit tum vetera, tum quæ in oculis sunt Treviri, Parmensis & Mantuanæ, addito & Sabaudiæ periculo. Specialiter Helvetios habere quod timeant colligit inde quod Rex in propinquo à Sabaudo jus in terram Vauxensem, à Longavillano in Novicastellum emerit. Libertatem Florentiæ per Gallos periisse multaque alia ejusmodi, magnis Imperiis objectari solita & quibus similia sæpe objecta sunt Austriacis. Iamjam literas accipio à Pontarlerio quæ nuntiant D. Insulanum redire in Galliam re infecta. Ipsum autem Ducem ire Brisacum. Scriptæ sunt $\frac{17}{27}$ Februarii. Adfertur & nuntius illud in Cameracensi agro oppidum, Castellum quod dicitur, exemptum obsidioni. Mitto edictum de Peregrinis. Dissertationem ad Principes Christianos & scriptum virulentum contra memoriam Patris Iosephi. Et conditiones dediti Iouchii. Bajonæ detecta & punita proditio factionis Hispanicæ.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

1131 Multa didici ad usum hujus temporis ex epistola Nobilitatis Vestræ & prudenter & eleganter, ut omnia sunt ipsius scripta. Haud dubiè id aget Curtius & Cæsariani alii, ut primùm, si possint, illos Brunsvicenses & Lunæburgenses in nos concitent, id si non possint ut sub nomine servandæ pacis illos à nobis quàm possunt longissimè abstrahant. Sed hæc omnia Mars dijudicabit arbiter, prout enim se dat fortuna, ita plerique hominum aut humiles sunt aut superbi. Miror valde quod illum de Hildemiensi Episcopatu nodum explicare non valuerit Cæsarianorum solertia, qui alioqui de Episcopatibus tanquam de pilis ludunt. Hodie enim Germanorum Principum unusquisque egregium publicum sibi obtendit pro mantello, cæterùm ad rem suam quisque catus est. Et hæc est causa cur tam facilè segregentur collecti vinculo malè cohærente ex privatis utilitatibus. Vix futurum arbitror ut Daniæ Proceres consentiant in bellum Suedis inferendum partim Religionis, sanè in magno versantis periculo, partim consanguinitatis respectu, addere fortè possem curam propriæ libertatis. D. Penzius non miror, si tantis affectus honoribus ab Imperatore, favet ejus rebus. Certè cùm tot vicinorum Principum animos à nobis aversos video, planè judico laborandum nobis ne qua speciosa ansa detur obtrectatoribus. Detrectandi colloquii causas facilè nobis Galli, ipsi facilè & Gallis persuadebimus. Aliis Principibus ac populis, quos mala ista urgent, non item. Quamdiu Imperator & Hispanus diplomata non dant pro Batavis, qualia data sunt olim, causam moræ habemus favorabilem. Inter cætera quibus utimur ad amoliendam à nobis invidiam sunt quædam publicè utilia, juris tamen haud magnam habentia speciem; alia per se haud magna, in cumulum tamen valere possunt. In literis Davaulianis ad conventum Lunæburgensem bene cantat Gallus; sed artes gentis ejus jam pellucent. Pecunia quidem aliquanta Rex Daniæ, si velit, Imperatorem juvare poterit, sed id tale erit ut non multum sentiatur. Bellum hoc non est contentum modicis pabulis, milliones poscit. Causas cur non nimium se promoveat D. Bannerius graves esse video. Dux Vinariensis ut puto jam Brisaci est cum multis & commeatibus & machinis. Missus ad eum Doctor Insulanus non rediit, & sine ipso rediturum puto. Incipit enim accedere tempus rerum gerendarum, eoque magis id urget, quod & Cæsariani in Clivia & in Cameracensi agro Hispani exemplo suo docuerunt etiam ante ver tentari aliquid utiliter posse. Quæ incommoda sequi possent, si Brisacum Gallis tradatur, monet sapienter Nobilitas Vestra, monuimus & nos Ducem & ab eo missos. Sed quod in Suediam scripsi fore utile ut Reginæ nomine ad hoc ipsum animetur, idem & nunc censeo, tum ut videat suos labores in Suedia quanti debent æstimari, tum ut sociorum consilia ipsum parte invidiæ levent. Si quid mei judicii est non Suediæ tantùm & Germaniæ & Ducis, sed & Galliæ ipsius interest servari à custode diligentiore, quàm Galli fuerunt Brisacum, & salvum manere Duci Vinariensi nomen ac famam Germani & curantis Germaniam Principis. Aurum illud quo Melander Gallos emunxit, vereor ne aurum Tolosanum fiat Estampio, qui subitò in hanc Aulam à legatione revocatus est. Scotici motus majores adhuc sunt, & quantum conjectura datur assequi, diuturniores, quàm ut ab Anglia tamdiu hæsitante, hoc tempore fortia pro nobis & Germaniæ rebus consilia sperare audeam. Eadem planè, quæ ibi D. Rous, hic dicit Comes Licestrius. Facilè hoc illis est dictu, restituenda in integrum omnia, ut cùm ipsi nihil impendii fecerint, alienum bellum & damna in suos usus vertant. Sed Suedorum mos non est alienum negotium suo periculo, suo sumtu gerere.. Vt res agit Bysterfeldius, quod pridem suspicatus sum, suspicari pergo, Principem illum diem de die ducere, ut consilia capiat ex fortuna temporum & ipso rumore oblatarum societatum uti, quò magis sui pretium apud Imperatorem accendat. Scripsere ad Helvetios & Imperator & Archidux Claudia literas benigniores quàm antehac, federumque eos faciunt memores & quid Imperio debeant. Libellos etiam spargunt per quos Gallorum vires ostendantur periculum afferre ipsorum libertati, præsertim cùm & jus Sabaudi in ditionem Vauxiam, & à Longavillano Novum Castellum Galliæ Rex emerit. Sed Gallis non deerit Austriacos vicissim criminandi materia. Conventum extraordinarium Helvetiorum suis sumptibus postulat Imperatoris Legatus. Veneti Chausium à Turca exspectant & ab eo spem pacis aut minas belli. Vale Vir Nobilissime. Scribebam 5 Martii novi Calend. 1639.

Insulanus sine Duce Bernhardo in Galliam redit. Dux Brisacum ivit. Nova spes nobis datur de Hassicæ pacis interitu. Id Estampio bene cedet. Castellum oppidum in agro Cameracensi Galli obsidioni exemere.

Vestra Nobil. obligatissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Valetudinem Excellentiæ Vestræ non tam esse prosperam quàm ego ex animo opto, quamque negotia 1132
publica desiderant, dolens ex literis 21 Februarii datis intel-

intelligo, Deumque precor ut eam plenè restituat, publicaque simul & privata in statum reducat meliorem. Quod optimum Excellentia Vestra judicat, idem secuturum Ducem Vinariensem credo, nunc maximè, cùm ingentes in Suevia sint hostium copiæ, & Philippiburgi magna congeries alimentorum & eorum quibus bellum indiget: ac Leopoldus dicatur in eas venire partes, ipso Imperatore consessuro illis in locis unde se Bannerii conatibus possit opponere. Non abs re foret etiam Suedicis literis Ducem in suo confirmari proposito, & inde quoque excusationibus ejus, quò minùs in hanc Aulam veniat, pondus aliquod adjici. Ego interim quod re cogente suasi, porro suadere non desinam, satis intelligens quantum in eo vertatur & Ducis & Germaniæ negotium. Inter causas quæ retro egerunt Bannerium & hanc fuisse arbitror, quod Dux Vinariensis non ad ipsum propiùs, sed in Comitatum Burgundiæ profectus esset. Dedit quidem hoc Dux Galliæ utilitatibus. Sed ipsius quoque exercitus non alibi meliùs ali per hyemen potuit, planeque & equitatus & peditatus vires ibi recollegerunt. D. Estampio nocuit Vesaliensis actio, in qua hujus Aulæ desideriis satisfactum non est. Eadem hæc Aula queritur nec venire D. Cnutium, nec certi quid haberi an secutura sint quæ in se receperat. Amstelodamenses video secutos morem veterem, qui id habet, ut siquid federati aut postulandum aut conquerendum habeant, id non ad civitates singulas, sed ad Conventum Hollandiæ perferant, ex quo Conventu deinde, si opus sit, mittatur ad civitates deliberatio. Electorem Palatinum ivisse ad castra D. Bannerii arbitrabatur, qui huc ejus missu venerat. Cæterùm de Scoticis rebus nihil dum boni mihi mens auguratur. Ita & quæ inde veniunt epistolæ, & qui hic habentur sermones læva nuntiant. Deus has nubes discutiat, quæ dum Britanniam agitant, nihil audeo sperare de federe. Illustrem Baronem Oxenstiernium pridem exspecto. Ostendam ei, ubi venerit, quanta mihi sit in veneratione id nomen, quantique Excellentiæ etiam Vestræ commendatio pondus habeat. Dux Carolus Marchionem Villam nec audire voluit, abiitque Bruxellam, nequa adversùs se suspicio relinqueretur. Tributa hic magna indicuntur ex censu tum indigenis tum peregrinis. Hispanus Gallos antevertit obsesso Castello in agro Cameracensi oppido. Satisne maturè venturi sint, quos ad eam vim dissipandam misit Rex Galliæ, dubito. Et Imperator & Claudia Archiducissa literas ad Helvetios scripsere, quibus eos admonent tum reverentiæ Imperio debitæ, tum federum cum Domo Austriaca, ea ne turbent externa arma adjuvando. Et Legatus Imperatoris Conventum extraordinarium poscit Helvetiorum, suo sumptu, libellosque spargit ad infamandos Gallos: quorum interim dilectus parum procedunt, ob non solutas quæ debebantur pensiones. Tres Helvetiorum civitates Tigurum, Berna, Soloturum nominarunt centuriones, qui præsint custodibus corporis Delphini. Sed adjici volunt Pontificii, ne iis se liceat immiscere bello contra Imperatorem aut Hispanum. Curiæ Rhætorum magistratus in eos qui cædis Ianascii fuere participes non multum inquirunt; quo ipso non parum territatur Hispanica factio, dilectusque Hispanici non minùs ibi morarum inveniunt quàm apud Helvetios Gallici. Rex Hispaniæ Burgos venit, ut propior sit rebus, colligitque per Hispaniam quod potest militis. Id autem non ita multum est, quod Hispania multis suis partibus sterilis sit hominum, præterea exhausta tot externis præsidiis, quæ causa est cur terra Mediolanensis Germanis nunc maximè defensoribus utatur. Veneti è Turcarum Imperio Chiausium exspectant. Is nobis auctor erit, quid de bello aut pace cum Venetis credendum habeamus. De Hassis audio sperari meliora, quod si est, bene id etiam D. Estampio eveniet. Iam jam intelligimus oppidum illud dictum Castellum in Cameracensi obsidioni exemptum. Insulanus

gaudeamus. Si quid de mandatis Hemolitii intellexeris, fac sciamus. Cætera mater adferet quæ itineri parare se incipit. Vale cum amicis, præsertim parentibus, patruo, uxore liberisque ejus. Lutetiæ 9 Martii 1639.

Tibi optima volens Pater H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1135 LAboravi summa diligentia ad obtinendas liberi commeatus literas pro cannabaceis, unde vela fiunt. Postulavi autem monitu Thorii pro ducentis fascibus trecentos. Polliciti mihi sunt se id effectum daturos, tum Chavigniacus, tum is cui ferme omnem operam delegat Chavigniacus, propinquus ei Labardius. Trahi tamen me video hactenus, & fieri potest ut hæc hilaria, comœdiæ, choreæ, convivationes aliquid impediverint, accedit alia conjectura, quod Labardius qui antehac Regno Suediæ multis in causis commodum se præbuit, in impedimentorum Sublimitatis Tuæ travectione, in re D. Spiringii, in multorum Suedorum itineribus, &, quod Heufdius me admonuit, in pittaciis pecuniam nobis solvi jubentibus, nullam à nobis unquam expertus est liberalitatem, cùm ab aliis negligi non soleat. Quare ex usu judicem præcipi Heufdio ut aliqua largitione fiat nobis devinctior. Chavigniacus in sermone etiam de adeundo à me Cardinali dixit aliquid, sed obiter tantùm. Respondi me omni modo ostendisse quanti facerem à viro Eminentissimo nosci. Sed ex quo Angli eum adire defugerint, mihi quoque mandatum ut eorum sequerer exemplum: habeo autem Schmalchii ea de re literas. Addidi si Comes Licestrius & publici boni studiosissimus & Cardinalis amicitiam mirè expetens aliquam inveniret rationem dignitati & Regis sui & Cardinalis satisfacientem, habiturum me quod imitari possim. Verùm dixit mihi Comes Licestrius Regem suum in proposito perstiturum. Neque ego sine novo mandato quicquam audeo. Fieri etiam potest, ut, per multos quos habent exploratores, cognoverint qui res Gallicas agunt, me neutiquam suasorem fuisse Duci Vinariensi ejusque hominibus, ut Brisacum in Gallorum manus daretur. Habui autem ejus facti mei causas tam graves, sive Ducem spectabam, sive Germaniam resque communes, sive Galliam ipsam, ut ejus me nec minimum pœniteat. In Choreis, quæ his diebus tum ad S. Germani, tum in urbe saltatæ sunt, Suedis suus habitus est honos. Mundo enim in quatuor partes dissiliente, cessit ipsis pars quarta, non minùs quàm Gallorum & Hispanorum regibus, & Germaniæ, Anglo otioso spectante. Versus tunc dictos mitto, in quibus & Illustri Saxoni, id est Duci Vinariensi præbitum est quod virtuti ejus debebatur, testimonium. Venit huc rursum ab Aula Anglica nobilis Germanus nomine ad commendandum Reginæ Matris negotium. Parum promovet, Rege metuente Matrem, ut putat, vindictæ cupidam non modò in Gallia videre, sed & in vicinis locis alere, ne ipsa factionem alat, haud ignarus multos esse, quibus non placent præsentia. Marchio Iagrendorfius in his choreis à Cardinali benignè exceptus est: prospectum ipsi ne desit unde se honestè exhibeat. Videtur nunc iter struere ad Matrem quæ Basileæ est, & ad Ducem Vinariensem. Gallorum res in Comitatu Burgundiæ in spe bona sunt. Eques Vinariensis eas terras percursans nihil hostile reperit. Graiæ, Dolæ, Vesontione libra panis venit quinque Gallicis solidis & pecunia deficit. Ad Legatum Gallicum qui apud Helvetios est, missa est pecunia, unde solvantur pensiones, id præcedere debet antequam dilectus effectum habeat. Muniunt se Helveticæ urbes belli motu. Iam tempus in eo est, ut effluat quod ad dandam Rhætis Vallis Telinæ possessionem sibi præstituerat Leganesius. Itaque videbimus plus ne cupiditas an fides sit valitura. Imperator & diligenter militem scribit in propriis terris, & victus copiam tum in alia loca cogit, tum Constantiam. Sabaudi Vidua & ipsa conducit militem in locis non procul à Geneva, caletque sibi opus continuandi Lemanni eum altero lacu qui Iverdunus dicitur. Venire Imperatorem Vlmam rumor est. Haud dubiè magni erunt hoc anno conatus hostium, quibus non nisi magno consensu contrairi potest. Deus armorum pacisque arbiter cuncta ad commune Christianitatis bonum dirigat, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem sospitet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Martii 1639.

Venit ad me jam Viquefortius. Video plane id metuere Ducem, ne ipse exercitusque ejus pertenuis accessio fiant exercitus qui datur Duci Longavillano cum dignitatis gloriæque suæ detrimento. Poscam ad Regem aditum, ut ipsi res Ducis Vinariensis seriò commendem. Leganesius novum munimentum struit inter Lesiam & Landavam. Dux Lotharingiæ ad Vesulam oppidum hæret cum IV millium agmine. Transiit hac ex Brabantia in Hispaniam Mirabellus Legatus Regis Hispaniæ.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SPerare me faciunt literæ quas Excellentia Vestra fine 1136
Februarii dedit, in melius procedere ipsius valetudinem, quod beneficium ut solidum nobis præstet, Deum precor. Brisaci puto jam esse Ducem Vinariensem & captum ab eo consilium quod ipsi, quod Germaniæ, quod Galliæ maximè expedit. Ego quidem ob graves causas quid de hoc negotio sentirem non nisi tenuiter ad Ducem scripseram: sed rationes quibus movebar liberaliter admodum explicaveram D. Wickefortio qui eas perscripsit, & quicquid suæ erat facultatis contulit, ut magis quid utile esset Galliæ quàm quid Gallia expeteret, spectaretur. Est in reditu Insulanus Legatiunculæ suæ irritus. Sed multum metuimus, ne Aula hæc repulsarum impatiens pecunias, quibus maximè Dux indiget, retentando se vindicet. Attamen non sine spe sumus fore ut ingentes hostium motus tales offensas obliterent. Certè Imperatorem per terras Domui suæ proprias magnos facere dilectus etiam hic cognovimus: copiam victus Constantiam & in alia cogi loca: plenam milite ejus Sueviam: exspectari ipsum Vlmæ. Non parum trepidant Helveticæ civitates: quædam & munitiones suas augent. Rex ad Helvetios quod debebat pecuniæ misit. Id omissum hactenus impedimento fuerat ad conscribendum militem. Dies prope exiit intra quem ex Leganesii promisso Vallis Telina tradi Rhætis debuit. Itaque brevi discemus quid ea in re constituerit Hispanus. Interim cædium invalescit licentia, Rhætique aliquot à Vallitelinatibus trucidati sunt. Leganesius in Hispaniam misit, ut novo milite augeatur. Apud Helvetios suspiciones in Gallos & discordias serit, quantum potest, Legatus Hispanicus Didacus Sarmienta. Pro Sabaudi Vidua circa Genevæ fines miles scribitur: pergitque illis in locis opus cœptum ad conjungendum lacum Iverdunum cum Lemanno. Hic omnia strepuere choreis, in quibus actæ personæ tum Suedorum, tum Illustris Saxonis, magna cum & hujus & illorum laude. Graiæ, Dolæ, Vesontione multum esuritur, tanta panis caritate ut libra panis quinque Gallicis solidis liceat. Accedit malum alterum, pecuniæ penuria. Agrum autem omnem ab hoste derelictum Vinarienses milites reperere. Nobilis Anglus, Germanus nomine, huc iterum venit ob difficile illud de Regina Matre negotium. Nam Regina Angliæ de suo huc adventu

ventu mutasse consilium dicitur. Hic vehementer perstatur in proposito de non alenda Matre nisi in Etruriam concedat. Marchio Iagrendorfius bene hic excipitur & à Rege honestè alitur. De Lotharingo video spem transactionis contabescere. De Principe Ruperto semper id quod scribit Excellentia Vestra futurum credidi, ut omnibus modis tentetur ad faciendum à Domo sua divortium. Navalis Batavorum de Dunquercanis victoria sanè gloriosa est, & in reddendis præmiis procerum munificentia aliis ad paria agenda erit incitamentum. Non parum hæc res promovebit, id quod commune est, si tempori non desumus. De Hassica pace datur & hic spes fore ut disturbetur. Mihi non videtur ita religiosus fore Imperator ut pacem sibi imprimis utilem ad Religionis nodum patiatur implicari. Si aliorum detrectationes metuit, poterit, ut sæpe factum alibi, arcanis pactionibus res expediri. Et, ut scripsi antehac, è re est ipsius Imperatoris magis quàm Protestantium, duo esse eorum per Germaniam genera. D. Estampio objicitur, quod ante pecuniam dederit, quàm de militia ab Hassicis copiis suscipienda certus esset. Hi enim homines spem pretio non emunt. De Scoticis rebus quanquam molliter loquitur Comes Licestrius, metuo tamen duriora, Deumque rogo ut deservit exitiosè his temporibus se interjiciens procella. De Transilvano, est quod semper putavi. Speculatur fortunam partium & tempore utitur. Venetorum controversiam in eo esse ut componatur sperari video. Sed de Persica pace nihil dum habemus. Oratori Hagæ, ut & D. Baroni Oxenstiernæ itinera precor felicia, Vestræque Excellentiæ cuncta prosperrima. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Martii 1639.

Excell. Vestræ constanter devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1137 CUm aditum ad Regem ut mos est, postulassem, venit ad me Comes noster Brulonus, & post sermones alios significavit venisse se ut intelligeret quid Regi dicturus essem. Regem enim dicebat sæpe commoveri ubi non exspectata audiret, quasi id diceret debere ei præmansum dari. Ego ei de D. Bannerii exercitu multa prædicabam egregia, & quæ grata futura Regi & ego credebam, & affirmabat ipse. Cùm ultra me urgeret, dixi secuturum me mihi mandata. Die impetrato à Rege qui fuit Lunæ ultimus, Regem reperi bene valentem: & gratulatus ei de Castello oppido agri Cameracensis obsidioni exempto, simulque de bono omine veris se tam auspicatò aperientis, ostendi Suedos non esse cessatores: &, cùm ei de rebus D. Bannerii ea narrassem quæ mihi erant cognita, adjeci in animo fuisse ei interiùs penetrare Germaniam si, quod speraverat, Ducem Vinariensem intellexisset & ipsum in propinqua venisse, ut si qua ab hoste vis validior alteri ipsorum ingrueret, alter ad auxilium ferendum esset non ita longè. Scire Regem duobus federibus Wismariensi & Hamburgensi in id conspiratum à Regina nostra atque ipso, ut bellum in proprias Austriacæ Domus terras inferretur, quando ejus Domus Principes Germaniæ nihil miserescceret, imò & calamitates Germaniæ potentiam ipsorum intenderent, augerent opulentiam. Remittendum bellum ad suam originem, sicut Romani fecissent qui ad liberandam sexdecim annorum malis Italiam Scipionem majorem eum exercitu misissent in Africam, eoque tractis Punicis viribus uno felice prælio finem imposuissent cruentissimo bello. Id ut fiat Duci Vinariensi opus pecunia & milite, quando ea quæ nunc haberet tot oppidorum præsidiis si non exhaurirentur planè, minuerentur certè plurimum. Hyemem jam exeuntem fateri me & gaudere bene impensam & Regis & Ducis bono: Regis, ad circumjiciendum Galliæ tutamentum ex Comitatu Burgundiæ: Ducis autem ad refovendum peditem victu, equitem in equos reponendum: quæ ex communi voto successisse utrique. Nunc verò, cùm id anni appetat tempus quod ad res agendas oportunissimum est, exspectare nos, ut Rex illius propositi iis federibus expressi memor Duci Vinariensi det vires ad reperiendum iter eò ducens, ut eo conspectu etiam D. Bannerio detur fiducia ulterius se injiciendi in terras hostiles: id si fiat, Reginæ quoque nostræ decretum, quamprimùm se aperiret mare, Bannerio submittere novum militem, alimenta, & omnem belli paratum. Præterea pro confecto habens quod mihi erat pollicitus D. Chavigniacus, gratias egi Regi pro concessa nobis evectione telarum cannabacearum, quæ usui Reginæ nostræ futuræ essent ad rem navalem, curandam nunc multò quàm antè diligentius, sive ad ineundos Germaniæ amnes sive ad tuendam maris possessionem contra novas hostium è Prussia molitiones. Si qua in re Rex opus haberet rebus in Suedia abundantibus, non abfuturam ipsius beneficio vicem. His Rex auditis de cannabaceis telis, ut postulatis nostris mos geretur imperasse se dicebat Chavigniaco, se suam causam nunquam à Regina Suedica separaturum. Ad illud præcipuum de Duce Vinariensi, nihil aliud quàm cùm multis in locis distringeretur, non posse se quæ vellet omnia. Repetii orare ut hoc vel imprimis curæ suæ duceret, neque id Reginæ Suedicæ magis quàm ipsius interesse. Tantam enim si id fiat fore virium hostilium distractionem, ut ea & tempus & locum libera datura sit Regi ad res suas promovendas in Belgico Hispanicoque fine. Deum hactenus favisse & ipsius & Suedicis armis, bonamque mihi spem esse, futurum ut id porro duret, quando & Reginæ nostræ & ipsi Regi nihil bello quæratur præter bonam solidamque & Christiano Orbi omni communem pacem. Verùm neque de hoc pacis desiderio neque de transferendo in terras Austriacas bello quicquam Rex dixit, sive quod improvisa hæc illi obvenerant, sive quod altius aliquid lateat. Namque & nuntios, præter eum qui nunc hic est, audio duos adventare, alterum qui fascias ferat à Pontifice, ut loquuntur, benedictas ad D. Delphinum, alterum qui pacis inter Pontifici obedientes sit hortator, nostro, si is audiatur, haud dubiè malo. Certant hic interim & luxus & onera nova. Nam postremæ quæ apud Cardinalem actæ sunt choreæ, si impendia undique in summam colligantur, non minùs constitere centum Francorum millibus, quorum triginta millia intribuit ipse Cardinalis. Onera autem primùm in peregrinos ita sunt gravia, ut magnam minentur commerciis fugam: tum verò in agris alibi ingens est egestas, alibi & vastitas. Vrbes autem, & hæc maximè, pecuniam ostentando tributa irritant, & tamen, si comparatio fiat, multum his parcitur. Nihil boni facturos Gallos pro Duce Vinariensi pro certo habeo. Nam ex quo huc rediit Insulanus conquestus est apud Heufdium Cardinalis, non modò non venisse Ducem in hanc Aulam, quod tum Rex speraret, tum ipse Cardinalis propioris amicitiæ cum Duce ineundæ desiderio, sed & mutationem in eo non levem deprehendi, obliquè & eo directo sermone quasi metueret ne Brisacum Dux Imperatori traderet: non quod revera id metuant, sed ut aliquid habeant quod prætexant cupiditati suæ. Nunc id agunt ut Ducis, quem & potentem & vicinum nolunt, vires destruant. Dant enim Feuquerio magnum exercitum qui per Alsatiam res Galliæ sit promoturus. Tum verò augent Germanicas suas cohortes ac turmas, quarum præfecti alii Basileam, alii Argentoratum ivere militem quæsituri, tum præsente pecunia quam Rex illis dat liberaliter. Ita fiet ne Dux in locis sibi propinquis invenire militem queat ad copias suas supplendas augendasque. Inter cætera dixerat Cardinalis nescire se unde hæc esset in Duce à Gallia animi alie-

Digitized by Google

alienatio, nisi quod crederet Wickefortium & alios quosdam has ferere simultates. Iam verò super hæc intelligo Ducem satis conjicientem, quanto ardens Gallorum in hac re cupiditas fuit, tanto elusam in odium gravius erupturam, contracta inde animi ægritudine incidisse in morbos qui anxietatem atque mœrorem sequi solent. Id ei impedimentum fuisse, quominus iter Brisacum perficeret. Cubare eum in arce Iouxii. De pecunia tamen ordinariæ pensionis charta aliqua, sed incertum quando effectum habitura, data Heufdio est, nulla impendiorum extraordinariorum habita ratione. Hæc omnia sollicitum me faciunt, ut Dux hoc anno ea inchoare possit quæ & ipsius gloriæ & communi rei conducerent maximè. Mitto permissum Regis de evectu cannabacearum. Par exemplum ad Thorium mitto. Omnino opus erit, Labardius, qui & sæpe nobis utilis fuit, & erit in posterum, aliqua liberalitate permulceatur, ut ab aliis qui ejus opera indigent fieri solet. Omnia enim externa aut deproperantur aut tardantur, ut ipsi placet, sæpe aliud agente Chavigniaco. De Bagdeto duplex venit fama. Alii oppugnatum dicunt. Alii expugnatum, & vi quidem, ac multa Persarum cæde. Et hæc fama plures auctores habet. Quod si est, videtur non dubitandum de induciis cum Persa. Veneti non immeritò timent. Nihil enim certi habent de sua pace, restitutis quanquam commerciis. Itaque dilectus & alia bello necessaria majori diligentia resumunt pro Dalmatiæ locis maximè solliciti. Et nostra & sociorum omnium nostrorum plurimum interest, ut vis Turcica quovis alio potiùs vertatur. Ob hunc metum Veneti non modò cum Pontifice quæ habent controversa componunt, sed & Imperatori Hispanisque se obsequentes præbent. In Italia manet cum imperio Cardinalis Valetta solus suæ domus mala non sentiens, exspectatque majores copias. Nam & Leganesius novas ex Hispania opperitur. Mantuana se eripuit bello, sed non eò magis quiescitur in Montisferratensi agro, Casale Gallis tenentibus, & commerciis quæ inter partis utriusque populos permissa hactenus fuerant abscissis, atroce in Gallos & Gallorum arma sequentes Hispanorum edicto. Princeps Condæus abibit brevi, habiturus exercitum ad Hispaniæ fines. Guebrianus in Comitatu Burgundiæ rem geret. Ad Belgicum finem tripartito res geretur sub ducibus Milereio, unde non longè aberit Cardinalis, Castilionæo, Halerio. Nuper cùm apud Cardinalem Riceliacum choreæ agitarentur, dispositor ibi rerum fuit Carnutensis Episcopus, qui nunc cum aliquot Episcopis aliis Cardinali caris à Pontifice datus judex est ad corrigendos Episcoporum mores, quorum unus Mandæ Episcopus in Bastiliam adductus est, creditus aliqua moliri pro Regina matre, in cujus negotio Anglus, nomine Germanus, nihil dum proficit. Licestrius Comes, accepta à Rege suo venia it in Angliam ob res suas privatas, quæ longiorem ejus absentiam non ferunt, brevi, ut ait, reversurus. Estampius Carnutensis quem dixi Episcopi frater à legatione Batavica revocatus, Cardinalem videre nondum potuit, mandatorum non satis exactè curatorum reus. Regina Angliæ quod huc non venit Rex Galliæ in causa est, qui dixit non tempestivum id fore se ad exercitus proficiscente. Multi autem existimant id agere Cardinalem, ut Rex finibus Galliæ ob bellum Italicum excedat: ipse autem quod nunc re habet ejus & nomen adipiscatur, & declaretur Regens Franciæ, qui honos olim Abbati Sugerio contigit. Pontifex ad Imperatorem, Reges Galliæ & Hispaniæ mittit pro pace, facturusque est Cardinales novos. Rumor hic est, inter eos fore Noierium, hominem Romanis rebus addictissimum. Dunquercani post acceptam cladem reparatis viribus in mari revalescunt captato abitu Batavæ classis, cui successum oportuit priusquam statione abiret. Daniæ Regis filius Veronæ, quod literas pro tuto itinere per juvenilem imprudentiam secum non attulisset, libertatem debebit Hispano Legato, qui ejus negotii commendationem suscepit. Veneti legem severam fecere contra epularum sumtus, coquis qui in legem commissuri sunt ad remigium damnatis. Senatorum quidam existimant non dandum Turcæ tempus se parandi, sed à Venetis inchoandum bellum. Quod aliis, præferentibus quæ timidi cauta vocant, ægrè persuadebitur. Nuper hic contumeliosus in Cardinalem libellus cum inscriptione ad Regem jactatus fuit in cubiculo Regis, sed eum, bono Cardinalis, puer cubiculi non ad Regem sed ad custodiæ præfectum detulit, is verò ad Noyerium, qui aperuit. Inter Cancellarium Franciæ & Bulionium gravia fuere ob causam quandam tributariam verborum certamina non sine mutua famæ laceratione. Bulionii & sententia & auctoritas apud Cardinalem prævaluit. Trecenses in Campania jussi sunt quicquid in agris est alimentorum in urbem suam convehere, quod in eam in partem se injecturus hostis crederetur. Frustra ab Hispanis per Helvetios laboratur, ut Comitatus Burgundiæ pacem habeat, prævalente apud Gallos spe totam adjiciendi Regno, nec sine causa, cùm indigenæ hostilem in Gallos animum satis nudaverint. Et pro Gallia & pro Hispania miles apud Helvetios scribitur. Etiam transeundi jus poscit Imperatoris Legatus. Vlma ita malè est à Cæsarianis habita, ut si exercitus aliquis noster sociorumve in propinquo sit, facilè ad derelictum fedus sit reditura. An idem cupiant Galli, alia dispectio est. Ad Neoburgum pons reficitur. Dux Carolus rediit in loca propinqua Vesontioni, habens secum partim de suis, partim ex Gotzianis copiis pedites paulò plus quater mille, equites bis mille quingentos. Hæc erant, Illustrissime Domine, quæ nunc habemus, Deum verò rogo ut ea det quæ optima sunt Orbi Christiano, regnoque præsertim Suedico, ac Reginæ Tuæque Sublimitati. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Martii 1639.

Hæc postquam scripseram venit ad nos Illustris Baro Gabriel Oxenstierna, cujus præsentia ita me recreavit, ut omnem mihi de rebus meis sollicitudinem quanquam non sine causa gravem absterserit. Rogo Regi gratiæ habeantur de cannabaceis telis. Id enim futurum promisi ut suspiciones evitarem quæsitæ utilitatis privatæ, quod sæpe à Legatis fieri solet. Pecuniæ ne teruncium quidem accipio. Promittunt tamen Spiringius Heufdiusque, sed incerta die. Interim ego difficulter nec sine damno gravi reperio quæ erogem ad tam longas necessitates. Rogo in posterum ratio ineatur quæ me tam molesta anxietate liberet, ut quæ mihi incumbunt non cum fide tantùm exsequar, sed & alacriter. Gotzii præcisæ sunt cervices Ingelstadii. Dux Vinariensis extra præsidia contrahere poterit peditum v millia, equitum tria. Id autem est ad parta tuenda aliquid, ad inferendum bellum non satis.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DVx Vinariensis literarum Excellentiæ Vestræ da- 1138
tarum 7 Martii spem in eo implevit, quod Brisacum Gallis, flagranti studio id cupientibus, non dedit. Cæterùm inter præsentes offensas & cogitationes futuri anxius ex mœrore contraxit morbum, impeditusque Brisacum ire, cubat in arce Iouxii. Deus fortissimum Principem valetudini, rebusque agendis restituat. Ab hac Aula pensio illi ordinaria promittitur, extraordinariorum sumtuum nulla habita ratione. Sed habebit, ut dicitur, in Alsatia exercitum Feuquerius, seorsim à Duce res Galliæ promoturus. Et Germani Duces Regi qui militant in locis Duci vicinis militem conscribunt, ac sic Duci auferunt facultatem suas augendi copias: quæ si essent quales vellemus, & Duci corpus nunc esset magni

animi ministerio par, pulchra spes esset resuscitandi per Germaniam partes intermortuas, Vlma & ut credibile est aliis civitatibus id cummaximè exspectantibus. Liteseras & Imperatoris & Claudiæ ad Helvetios vidi. Blandiùs agunt quàm antehac, idque vel unum Helvetios reddere debet cautiores. At ipsi, non minùs quàm Rhæti, discordes inter se, præbent viam externis factionibus. Et Galli & Hispani scribunt ibi militem. Cæsariani etiam transitum postulant. Vallitelinates, cùm videant eò loci res esse ut ipsorum damno Hispani Rhætorum sibi amicitiam parent, ad exemplum Curiensium, cædibus grassari & ipsi incipiunt, interfecto Malacrïadisio Protestante, & additis minis, idem eventurum aliis. Senatorum Tigurinorum quidam sibi mortem fecit, testatus saturum se vitæ. Dux Lotharingus ad propinqua Vesontioni rediit, habetque secum IV millia aut paullo amplius peditum, equites bis mille & quingentos. D. Bannerii sanè egregii sunt processus, quibus si ex animo bene vellet Gallia, prospicio occasiones pulcherrimas, præsertim cùm undique adsint nuntii de vi capto à Turca Bagdeto, unde secuturæ videntur cum Persa induciæ. Metuunt quidem rebus suis, ac Dalmaticis maximè possessionibus, Veneti, nondum certi suæ pacis, quanquam restitutis commerciis. Sed spero futurum ut ibi reddito sereno inquieta illa tempestas incumbat aliò, quod sine nostro sociorumque nostrorum bono fieri nequit. Sed terrent me alia, Pontificis Legationes pro pace ad Imperatorem, Galliæque & Hispaniæ Reges. Novi Cardinales in fabrica, quos inter & Noyerio, rerum Germanicarum tractatione id merito, purpura destinatur. Pontifex & Episcopis quibusdam, inter eos & Carnutensi, qui frater est Estampii, in alios Episcopos animadversionem mandavit. Isti autem omnes, qui judices dati sunt, amicissimi sunt Cardinali. Et jam Mandensis Episcopus, ob amicitiam cum Regina matre, suspectus Cardinali, in Bastiliam datus est. Videamus autem quod consilium capturi sint Infrasaxonici, à quibus, ut & à Rege Daniæ metus, sperato citiùs nobis evanuit. Cadit & hoc nobis commodè, quod hostis eam init viam, qua nulla est melior ad nos tardatæ pacis invidia exonerandos, cùm diplomata dari Batavis, qualia data sunt olim, tergiversatur. Quamquam enim distinctæ sunt res Suedicæ à Gallicis, ut & Gallicæ à Batavicis, tamen cùm ea facta sint quæ jam innotuerunt omnibus federa, nulla æquitatis specie postulare Rex Danus, aut alius quivis potest, ut aut sine Batavis Galli, aut sine Gallis Suedi ad conditiones audiendas veniant. Atque in hac re, ut maximè probabili, in præsens immorari nostros malim, quàm alias convehere disputationes, in quibus tamen quædam juris, quædam utilitatis publicæ specie non carent. Electoris, totiusque Domus Palatinæ me, si quem alium, miseret: Scoticos autem morbos ad sanitatem perduci quàm maximè cupiam, tum quod optimè velim omni Magnæ Britanniæ, Scotisque peculiariter ob eorum in rem Suedicam bona merita, tum quod res communes id flagitant. Solent in ejusmodi motibus calida esse initia: sed cum tempore lassari & plebs & nobilitas, neque diu pati hæc ab agris suis, illa ab opificiis absentiam. Externa auxilia apparent nulla. Pecuniæ sterilis est Scotia, sine qua bellum non durabile est. Præterea facilè inter capita oriuntur discordiæ. In summa, dies plerunque pro Principe. Parlamentarius Conventus, nisi Regis assensu justus haberi non potest. Meritò autem Rex quem dederat assensum revocabit, cùm & in Synodo quæ ipsis permissa erant excesserint, & contra Regis præceptum sumserint arma. De Reginæ Anglicæ huc transitu, mutata sunt consilia. Et qui ab ea huc venerat Nobilis, Germanus nomine, in materno illo negotio nihil expedit. In pace cum Imperatore & ego arbitror Melandrum progressum longiùs, quàm ut pedem referre, aut possit, aut velit. Tum verò videtur mihi de Religione difficultas non ejusmodi esse, ut extricari nequeat. D. Estampius hic est, nihil ei nocetur. Sed ad Cardinalem aditum nondum habuit, qui eum incusat mandatorum suorum non bene observatorum, præsertim cùm Melandro dedit pecuniam, priusquam stipulatus esset ut ipse copiæque ejus in Gallicum sacramentum transirent. D. Osterwyckius nihil aliud quàm pecuniis instat. Cætera peraget Lestradius, quando Cnutium huc remittere Batavis non placet. Planè credo propositum Cardinali strenuè agere in Belgico fine. Cavendum ne rursus nimia propinquitas Gallorum & Batavorum suspiciones & simultates serat. Satis patet Belgica ut dissitis in Regionibus fines suos proferre utrique possint. Deus & hæc & alia omnia ad Christiani Orbis bonum regat, Excellentiamque Vestram & omnes ei caros diu sospitet. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Martii anni 1639.

Versus Caledonios legi. Videtur mihi qui scripsit, nec vanus esse poëta, nec civis optimus. Tum verò inscriptio satis inepta est. Mantuana planè Galliam deserit. Incalescit tamen in Montisferratensi territorio bellum, ob Casale & loca quæ Galli tenent. Sabaudorum consilia Genevensibus suspecta sunt. Gotzius capite luit, non dolum, sed culpam. Dux Vinariensis extra Præsidia contrahere poterit ad summum quinque millia peditum tria equitum.

Excell. Vestræ optima fide addictissimus H. G.

MERICO CASAVBONO.

Vir Reverende,

Venit ad vos Richewartius bono ingenio, egregio- 1139
que literarum tinctu juvenis pluraque discendi cupidus. Hæc illum causa in Angliam agit, & ut eruditos videat, in quibus illustre obtines nomen. Amo illum tum ob alia, tum quod cùm Romæ vivere sine suo sumptu posset justas causas habuit cur eam vitam spreverit, neque minùs justas cur miscere se nolit Batavorum turbis. Poterit fortè in Anglia opera ipsius alicui esse non inutilis. Ego qui te norim ea esse bonitate ut omnes literatos demerendi occasiones non arripias tantùm oblatas, sed & quæras ultro, facturum me putavi quod utrique debeo, si te ipsi notum cum virtutibus tuis facerem, ipsum autem tibi commendarem. Vale Vir doctissime. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Martii anni 1639.

Tui nominis studiosissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

Non ita meis incommodis damnisque percellor, ut 1140
non Illustrissimo D. Salvio vestræque Nobilitati optem persolvi meliùs ea, sine quibus neque dignitas sustineri neque animi alacritas retineri possunt. Mihi & D. Spiringius & Heusdius egregia pollicentur. Sed hactenus de tanta summa quàm erogo quotidie nec teruncium accepi. Spero magnum D. Cancellarium rationes inventurum in posterum quæ me ab hac sollicitudine liberent. D. Bannerii res prosperas lætus intelligo. Spero eum brevi prope à nobis abfore. Quod si nunc Dux Bernhardus valeret, quem Iouxii morbus ex ægritudine animi contractus retinet, haberetque copias quales vellet, possent resurgere afflictæ per Germaniam res, & quod his diebus Regi ostendi tum factis federibus tum & communi utilitati congruere, transferri in eas partes unde venit, bellum, ut qui Germaniæ malis fruuntur, adeò non indolent, suarum rerum damno ac metu ad pacem bona fide expetendam cogantur. Sed & quæ debetur Duci pensio tardè procedit, & offensam non dissimulat Cardinalis, & Rex Germanicas suas cohortes tum Basileæ tum Argentorati dilectu instituto augens subtrahit Duci militem, pecuniæ abundantior, eoque largior.

gior. Præterea ut res illis in locis Galliæ, non Germaniæ gerantur, habiturus dicitur in Alsatia exercitum Feuquerius. Si aut Suedia, quæ bene Duci vult, pecuniam haberet, aut qui habet Anglus, Duci eam daret, non dubito, quin hoc anno res ingentes sperare nobis liceret. Nunc hac in parte rebus laborantibus spes nobis omnis in D. Bannerio est, fortè & aliquid in Turca, qui capto, ut rumor ab Italia fert, Bagdeto, bellum cum Persa finire vult, quæsiturus alios in quos incurset, quietis impatiens. Veneti extra metum non sunt, pacis adhuc suæ incerti, quanquam reddita & commerciis libertas. Itaque Dalmatiæ loca quantum possunt firmant, operibus, milite, classe. Sed spero Gallos id effecturos in Aula Ottomannica ut coëat pax talibus legibus, quæ neque graves nimium sint divitibus Venetis, neque ingratæ avidis donorum Turcis. Id si fiat, viderint Hungariæ & Poloniæ Reges. Quæ suadet D. Bannerius Brunsvicensibus Lunæburgicisque Ducibus ratione non carent. Sed, ni fallor, metus ne res Imperatoris aliquando resurgant, tum & pudor, ne toties mutatæ fidei arguantur, detinebit eos in periculoso illo statu neutra arma sequentium. Illustrissimi D. Bannerii literis ad Electoris Saxonis filium delectatus sum, redeunte mihi in memoriam Lysandri dicto, qui gladium teneat, eum de terrarum finibus optimè disputare. Placent & Illustrissimi D. Salvii literæ ad Regem Daniæ, qui certè nihil habet quod de nobis queratur, quamdiu Batavis, sine quibus agere Gallia non potest, non minùs quàm sine Gallia Suedi, non cavetur de tuto itinere & recepta semel formula. Quando armorum à Rege Daniæ metus abscessit, reque compertum est non posse ab eo diu inutilem militem ali, verba ejus non facient, quò minùs Suedi nostri & belli & pacis negotium ex suo magis quàm ex ipsius usu digerant. Dolent mihi quæ de Principe Electore Vestra Nobilitas scribit, non magni negotii res est adeò concussum Principem funditus evertere. Est sanè, qualem Nob. Vestra describit, D. Rusdorfius. Britannis otii cupido malè cedit, quod foris cum lucro habere potuerunt cum damno inveniunt domi. Et quantum video nondum curationem patitur illud malorum novis, ut fit in seditione, causis quotidie accrescentibus. Id si ita durat, habebunt quidem Angli quo se nobis excusent, ne arma socient, sed quo minùs & nos ipsorum exemplo fruamur spectaculo obstare non poterunt. Deus Nob. Vestram propitius tueri pergat. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Martii 1639.

Nobil. Vestræ studiosissimus atque obligatissimus H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ, Regni Archidapifero.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

41 IN homine ingrato semper credidi omnia latere vitia. Essem autem talis nisi & agnoscerem & profiterer, me quicquid habeo splendoris, quicquid fortunæ debere Excellentiæ Vestræ Domui. Nunquam quisquam cuiquam tam gratus advenit quàm mihi Illustris D. Gabriel Oxenstierna, tum ob ea quæ ipsius proximis debeo, tum ob vinculum commune bonarum literarum, in quibus tantum fecit profectum, ut, etiamsi in minori fortuna esset, splendorem inde posset consequi, nunc verò splendorem addat familiæ splendidissimæ. Literæ mihi Sublimitatis Tuæ tum per se fuere gratissimæ, tum plurimum mihi addunt animi, cùm ex iis disco, meam in hac Legatione operam, non sanè quàm vellem utilem, sed plenam bonæ fidei, tam benignis judiciis æstimari. Contendam igitur plus etiam posse quàm possum, ne tantos viros Regni Principes tam prolixè de me meritos, aut judicii de me aut bonitatis in me suæ pœniteat. Efficiam ut Illustris D. Baro & Regem & D. Cardinalem & quicquid hic conspici dignum est conspiciat, & ab ipsis conspiciatur, quorum, ea est ipsius virtus, non hoc magis, quàm illud ipsi erit honorificum. Illustri D. Crusio, non jam dicam ob ipsius necessitudines, sed ob ipsum singularemque ipsius comitatem, tantum debeo ut neque potuerim factis id ostendere, neque nunc verbis queam prædicare. Sed si verum est, quod Philosophi dicunt, gratum jam esse qui gratus esse voluit, illis quidem divitiis abundo: ac proinde, ne tempora Regno debita morer, Deum precabor, ut cum Regina ac Regno, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam, omnesque ejus caritates tegat ac sospitet. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Martii 1639.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

D. GRONOVIO.

TAntæ sunt suavitatis, Gronovi Doctissime, observationes tuæ, ut semel in manus sumptas quanquam in 1142
multis negotiis deponere nunquam potuerim. Sunt omnia plena emendationibus ingeniosis, explicationibus pereruditis. Ipsa tot Scriptorum, de quibus bene mereris, varietas mirè oblectat animum; mei quoque quod benignam fecisti mentionem pergratum est. Scis me istis studiis dum ætas vitæque sivit ratio lætatum. Nunc quoque non in re alia libentiùs acquiescit, ubi fessus graviorum est, animus. Non desunt tibi Lugduni vicinisque in locis magni hortatores; tamen si meæ etiam preces aliquid habent ponderis, oro te ut nos sæpe per ista vireta deducas, alacri te pede secuturos. Cum verò pro universo opere multum & tibi debeam, tum præcipuè pro Lucano & Tacito, quos ego duos, illum ob sublimes spiritus, hunc ob prudentes sensus semper feci maximi. Nihil habeo quod magis tibi optem quàm felix otium, ut quam maxima tua cum laude & aliorum fructu pulchrè institisti viam, in ea non securus tantùm, sed & hilaris pergas. Lutetiæ 25 Martii anni 1639.

Famæ tuæ ex animo favens H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DUx Vinariensis morbo satis gravi ac periculoso de- 1143
tentus Pontarlerii, meliùs habere se incipit, quod nobis nuntiant, qui inde celeribus equis intra diem quintum veniunt. Ut agat aliquid quale vellemus, & firmiore ei valetudine opus est & copiis majoribus, quia magna pars ejus quem habet militis attinebitur tot locorum præsidiis. Literas Reginæ, quæ simul cum Excellentiæ Vestræ literis datis 14 Martii ad me venere, ad Ducem misi. Per Hispaniam, Neapolim, Siciliam nihil omittitur unde pecunia fieri possit, magnis descriptis oneribus in reditus ex agris domibusque, in nomina, & in omnis generis contractus. Ea pecunia an ad hujus anni bellum suffectura sit, ut ipsi prædicant, dubito. Certè inde factæ sunt cambii literæ missæque in Italiam & Belgicam. Americanam classem hoc mense Hispani exspectant. Non debent terrere nos ista sociosque nostros, sed nostram diligentiam excitare. Quantum possit constantia, ostendunt dissipata tam brevi tempore Danica adversùm nos consilia. Sed verissimum est quod ait Excellentia Vestra, si verterit se fortunæ aura, redituras minas quæ nunc interquiescunt. De Hassis ut sequiora suspicer, faciunt quæ ab illis acta clam socios sunt hactenus. Tamen, ut certior sit judicatio, exspectandus erit exitus colloquii illorum cum D. Wolfio. Magna sunt quæ egit jam D. Bannerius: majora etiam sperare jubent eximiæ ejus virtutes. Quæ in Westfalia sunt hostium copiæ, ni fallor, tenuiores sunt quàm ut metum incutere nostris possint. In Austria verò ut partem quas habet copia-

copiarum retineat Imperator, facient & exulcerati Hungarorum animi, & metus à Turca, qui, si cum Persa, quod credibile est capto jam Bagdeto, & oblatas à Venetis conditiones bonas non spreverit, non video quò se, otii impatiens, nisi in Pannoniam injiciat. Multum sanguinis Persici fusum est, dum Bagdetum expugnatur; etiam triginta millibus, qui se Turcæ arbitrio permiserant, decollatis. Rex Mogorum cum Turca belli fecit societatem, iratus Persæ qui filium suum expulit ob ductam in matrimoniam Mogoris filiam. Nec video quid aliud Persa facere nunc possit, quàm ab utroque hoste redimere se, quanti poterit minimi. Miserat bonum exercitum ad servandum Bagdetum. Sed munitiora erant Turcarum castra quàm ut perrumperentur, & multos suorum Turca Persis adversos miserat, quibus illi conspectis retro pedem tulere. Veneti verò, quid de se futurum sit incerti, Galeis decem, Galeassis quatuor quam in mari habebant classem auxere, perguntque militem scribere, & in locum Ducis Candalii qui præfectus militiæ ipsorum fuit, creduntur advocaturi aut Melandrum aut Ducis Mutinensis filium. Interim omnes tentant ad pacem vias, Bajulo ipsorum ita custodito Galatæ, ut tamen multa largiendi, plura promittendi adempta ipsi non sit facultas. In Bavariam, si tuta cuncta à tergo haberet, penetrare D. Bannerius posset. Duci Vinariensi ad id vires, qui soli possunt Galli, si quid prospicio non dabunt. Et putat D. Luthmarus reviviscere Patris Iosephi consilia, & aliquid arcani cum Bavaro agi: se verò abiturum spei suæ irritum. Ego verò mihi persuadeo, omni ratione in id niti Pontificem, ut pax aut induciæ fiant inter sui gregis Principes. Id si obtineri nequeat, saltem ut Gallica arma in Hispanum potiùs vertantur, quàm in Germania se occupent, ubi felicia esse sine aliquo Protestantium commodo non possunt. D. Lestradius haud dubiè arcana Principis Arausionensis destinata huc pertulit, sed quæ ne impediantur, Cæsarianis per Cliviæ loca invalescentibus, & partem Batavici militis ad illum finem custodiendum tracturis, multi metuunt. D. Osterwyckius in pecuniis, etiam olim debitis, petendis exactor est satis diligens: præterea jussa Ordinum opperitur, an novo instituto hic peregrinitatis tributo opponere se, Anglis jam præeuntibus, debeat. Estampius periculum carceris adiit. Saluti ei fuit fratris, Episcopi Carnutensis apud Cardinalem gratia. Rediturus ad Legationem non est. Successorem fama ei dat Tuillerium qui Legatus apud Venetos fuit, aut affinem Bulionii Berlisium. Spes aliqua nobis datur Scotos ad obsequium redituros, jam primoribus eorum inter se discordibus, & apud plebem subeunte tædio longæ militiæ graviumque onerum, haud satis causæ videntem cur se his malis & majorum metu implicent. Et certè, si Rex tanto cum exercitu intrat Scotiam, quantum habere dicitur, octies mille equitum, peditum vicies & quater mille, ægrè subsistet Scotorum portio in Regem armata. Sed mitiora augurari nos jubent Hemulitii ab Arausionensi Principe isthuc missi gratus adventus, & prolatata dies, quam itineri Rex præfinierat. Ut bona ratio concordiæ ineatur, & Britanniæ totius, & Domus Palatinæ causa, ardenter exopto: neque opus habeo excitare Excellentiam Vestram ut contribuat quod potest. Gonzaga an in Hispania impetraverit duos quos poscebat mutuos milliones, adhuc nescimus. De vectigali maritimo rem transactam inter Poloniæ Regem & Brandenburgicum Principem, certò constat. An non aliquid etiam actum sit de infestandis mari Suedicis, Brandenburgico nomine, vires suppeditantibus Lithuanis, dubitari potest. De captivorum illa permutatione nihil hic intelligo: non sunt autem Galli faciles de suo largiri ut aliis commodent. D. Comes Licestrius impetrato Regis sui permissu, ideo quod privata ipsius negotia sperato longiorem absentiam suam non ferrent, in Angliam jam abiit, brevi, ut ait, ad perfungendam Legationem rediturus. Nam & munera nulla accepit, qualia à Legatione abeuntibus dari solent. Exspectabimus Bisterfeldium. Sed suspecta mihi esse pergit in occasione tam præcipiti tanta lentitudo. Veneti & suas & Ethrusci controversias cum Pontifice componunt. Rex Hispaniæ sive inferendo sive arcendo bello se parans, quantum ex nobilitate & equestribus sodalitiis potest, militem colligit. Id autem non ita multum est. Et Leganesius domesticas necessitate excusat, ne imperata sex millia eò mittat. Neque è Germania est quod numerosum militem exspectet, cùm magnis exercitibus Imperator ipse opus habeat contra Bannerium, contra Ducem Vinariensem & Gallos, & contra metus incertos aliunde. Scripsit ad Helvetios, ut Badam indicatur Conventus, & à Pontificiis Helvetiis accipit militis nonnihil. Basileenses non sine causa laborant ut ante Badensem Conventum Protestantes inter se consultent. Nam & iter pro Cæsarianis per eas terras Legatus Hispanicus postulat, qui ob id Friburgenses Bernatesque ipse adiit. Dicitur autem Gallassius, quem Galliæ opponere Cæsar constituit, xx millia habiturus, jusso Piccolominæo coërcere, quantum quidem poterit, Bannerium. Genuates in amicitiam cum Hispanis rediisse indicio sunt, navis ab ipsis Gonsagæ usibus data, & dimissus captivus Modrutus. Rhæti, per ingenii mutabilitatem, non externis tantùm, sed & inter se suspecti agunt. Vis regnat silent jura. Galli tamen adducti in spem aliquam plebem rapiendi ad suas utilitates, mittunt eò ad allicienda studia Priolaum qui Duci Rohanio ab epistolis fuit. Fama etiam, sed parum adhuc liquida huc pertulit, Venetas naves duas in Tunetanorum venisse manus, qui piratica feritate captivis & nares & aures absciderint. Hæc sunt quæ nunc habebamus. Meliora det Deus, Excellentiamque Vestram & ei dilectos conservet. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Martii 1639.

Excell. Vestra perpetuo obsequio devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

NOn aliunde auspicatiùs ordiri has literas possim, quàm à bona valetudine Ducis Vinariensis, quam nobis nuntiant non literæ tantùm, sed & homines qui intra quintum diem à Pontarlerio celeribus equis venere. Rosa Lotharingos cecidit cccc. Luthmarius ad me venit. Nihil dum proficit in causa Palatina & Domum videtur rediturus inanis. Putat iterum cum Bavaro hic cudi aliquid. Ego magis censeam Pontificem id agere, ut Gallica arma in Hispanum vertantur, ubi nihil periturum sit Romanis sacris, quàm in Imperatorem aut socios ejus, ubi cum Galliæ rebus permixtæ sunt res Protestantium. Estampius qui apud Batavos Legatus fuit Batavis non ingratus, ob non satis exactè servata Cardinalis mandata periculum adiit Bastiliæ: ad Legationem rediturus non videtur. Consentiunt jam undique literæ captum Bagdetum impetu 25 Decembris. Persarum in expugnatione occisa multa millia. Triginta millibus, qui in urbis tutiora cùm se recepissent neque tutari se diutius possent Turcis se permiserant, præcisas cervices. Decem primores Persarum ituros Constantinopolim, Turcici triumphi ornamentum. Causam cur Mogorum Rex cum Turca societatem armorum fecerit, hanc fuisse, quod Persarum Imperator filium expulisset ob ductam in matrimonium Mogoris filiam. Bajulus Venetorum in Galata custoditur etiamnunc, &, multis largitionibus in Bassas datis, spem magis adhuc habet, quàm fiduciam futuræ pacis. Ideoque Veneti non omittunt controversias cum Pontifice componere, etiam Ducem Ethruscum conciliare Pontifici, decem naves longas, Galleassas quatuor

tuor addere classi, firmare quæ trans Adriam tenent. Legem etiam tulere prudentem ad vitanda juvenum calidiora plerumque consilia, ne quis minor XXXVI annis in Senatum, quem Precatorum vocant, alligetur. Mortui in ea urbe Ducis Candalii res & chartas obsignari curavit Legatus Gallicus, si quid fortè Regis interesset. Successor Candalio in imperium copiarum Venetarum destinatur ab aliis Ducis Mutinensis filius, ab aliis Melander. Misere Veneti supplementum præsidio Mantuano, rogaruntque Legatum Imperatoris, ut qui res agebat Imperatoris Mantua decederet ad meliùs servanda pacis jura. Legatus non difficilem in eo fore Imperatorem monstravit, modò & Galli revocarent quem ibi habebant. Discessit hinc in patriam Comes Licestrius. Rediturum se dicit, idque Regem suum velle, qui roganti sibi iter hoc privatorum negotiorum causa concesserit. Sunt tamen, qui futurum putant ut ibi retineatur. Rex Magnæ Britanniæ paratum habet in Scotos egregium exercitum, octies mille equitum, peditum millia viginti & quinque. Pecunias accepit à subditorum multis mutuas. Iter tamen ejus, quod hoc tempore futurum dicebatur, prolatum est, quod spes aliqua data sit redituros ad saniora qui defecerunt. Sunt enim in Scotia multi fideles Regi, inter eos Gerdanus. Populum deservente æstu primo tædere incipit absentiæ à domo & graviorum quàm sub Rege onerum. Denique, ut semper, dies pro Principe. Dolet mihi quod bene de Suedia meritus Alexander Leslæus habetur præcipuus ibi concitor motuum & contra Regem partium dux. Mitto scriptum non Ducis Valettæ, sed sub ejus nomine factum, ea in Principem Condæum acerbitate, ut qui auctor creditur, vulgasse certè comperitur, in carcerem ob id sit datus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res orbis Christiani in meliore collocet statu cum gloria Sublimitatis Tuæ. Lutetiæ 14/24 Martii 1639.

Novo tributo in peregrinos hic instituto Angli seriò se opponunt, quorum exemplum sequentur credo Batavi. Mittunt Galli ad Rhætos hominem idoneum turbis ibi concitandis, spe aliquid inde sibi accessurum. In plebe fortè credulos reperient, in primoribus non æquè, duræ societatis jugum animo memore revolventibus.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SPerare me faciunt literæ, quas Excellentia Vestra ad me dedit 21 Martii, meliorem ejus valetudinem quam firmet augeatque omnipotens Deus. Non desii ostendere Illustri D. Baroni Oxenstiernæ quanti ipsum faciat Excellentia Vestra, atque ei commendare negotia Excellentiæ Vestræ, quæ ipse sibi cordi esse respondit, & ad id se multis acceptis beneficiis obligatum. Puto, jam apud vos erit Vickefortius, is cuncta ad Ducem Vinariensem pertinentia certa notitia optimaque fide narrabit. De valetudine ejus meliora in dies audimus. Nec desperamus de pecunia obtinenda, quanquam tardiusculè res procedit. Audimus & non multum Cæsariani militis ad Heilbrunam colligi. Et Legatus qui venturus est ab Imperatore alteri exercitui iter per Helvetiorum terras & alimenta postulabit, in speciem ad tutandum Burgundiæ Comitatum qui in Helvetiorum tutela est, sed id jus perdidit pacis cum Gallis jura temerando, reipsa ad recuperandum Brisacum & quæ ei sunt vicina. D. Banerii certè res prosperæ sunt ac gloriosæ, capto hostium duce, cæsis copiis, raptis machinis, signis, vexillis, oppidis ad deditionem properantibus.. Quod si jam haberet quas optamus copias Dux Vinariensis, pateret via, non sine Bavari malo, transferendi belli in proprias Domus Austriacæ terras, quod ut conveniens & Wismariensi & Hamburgensi federi urgere quotidie non cesso. Pax enim ab iis, quibus Germaniæ calamitates in fructu sunt, aliter obtineri nequit. Quin Pontifex per suos homines quantum potest sit laboraturus, ut à Moguntino Bavaroque deflectat Galliæ arma, dubium non est. Neque tamen tam hoc metuo, quanquam & in Aula habet suam factionem Pontifex, quàm perpetuam Gallorum curam, ne Protestantes in ipsorum vicinia invalescant, animosque iis qui intra Galliam sunt Protestantibus resuscitent, cùm tamen scire debeant, nec in Germania, nec apud Helvetios, Rhætosque fidos Galliæ amicos esse alios quàm Protestantes. Quæ in Hungaria tument facile eruptura arbitror, si Transilvanus quorum spem jam diu facit aggrediatur. Persam existimo, omissa urbe de qua certabatur, & ex altera parte infenso Mogore, consilia sua ad pacem perpetuam, aut temporariam versurum. Quod si jam Veneti malum sibi imminens sua largitione & suorum amicorum auctoritate sedare possunt, facilis conjectura est, ubi se occupaturus sit victor & quietis impatiens Turca. Is metus, si pacem æquam ab Austriacis exprimere non potest, superest ut duritiei suæ pœnas non molles ferant. Certè recusatio diplomatum pro Batavis nullam habet æqui speciem & culpa pacis tardatæ manifestè nos liberat. Quæ consilia capturi sint qui Lunæburgum convenere, videbimus, & ex eo alia judicabimus. Quod uxorem ad se vocavit D. Rous credere me facit, longas negotii moras ab eo prospici. Meliora sperarem, si Scotici morbi ad sanitatem se reducerent. Sed audio & eorum qui in Scotia coïerunt crescere numerum, & Regem magnis instructum copiis constituisse tueri imperii majestatem. Deum rogo pacem ibi det, Regi decoram, Regno utilem. Tempus adventat, quo exspectatur ut se moveant Batavi. Nam Regii hic milites jam ad fines ire jussi sunt. Dunquercanorum in mare eruptio documentum erit Batavis, ut alia posthac classis submittatur, priusquam prior fessa domum redeat. Nihil ei Reipublicæ sæpius quàm mora nocuit, & tamen semper peccantur eadem. De Hassis, quantum etiam ex sermonibus qui hic habentur judico, plus adhuc metus quàm spei video. D. Estampium ad vos rediturum eò minùs arbitror, quod, præter illud de pecunia præmaturè Hassis data, credatur favere Reginæ Matri. Vidua Sabaudica ad Viduam Mantuanam Legatum misit consciis Hispanicis Mediolani ministris, qui transitum ei dedere; quid agatur, latet adhuc. Interim Hispani contra Sanctidovallum novum castellum struunt, quo omnem ad Vercellas aditum Gallis obstruant. Rhætorum ab Hispania Legatus in reditu est, diciturque ferre de Valle Telina ea quæ Rhæti expetunt, necessaria sanè, ad pacandos animos valde ulceratos. Leganesii excusationes adversùs sex millia in Hispaniam petita, nihil valuere. Stat enim Hispaniæ Rex imperatis. Scribitur præterea ab Hispano miles non Neapoli tantùm, sed Florentiæ, Lucæ, Mutinæ. In ipsa Hispania, hominum sterili & tot externis præsidiis exhausta, non ita facilè colligitur exercitus, quem reget Marchio Lovelasius Arragoniam & Navarram vice Regia curans. Princeps Thomas virum nobilem ad Viduam Sabaudam misit. Vocatur is Comes Seravallius, domo Vercellensis. Arcani aliquid portat, sed prædicatur significare Viduæ futurum ut Princeps Thomas ipse ad eam veniat, suamque ad omnia adferat operam. Quod tamen seriò agi alii non credunt. Quippe, ut ipse id audeat, non tamen permissurum Cardinalem Hispanum. Helvetiorum Conventus erit Badæ. Interim Pontificii pagorum seorsim Lucernæ congregati viam struunt qua impleantur Imperatoris desideria, & prohibeantur aut accidantur dilectus Gallici. Scribitur Imperator Augustam venire. In Comitatu Burgundiæ bene res Gallis procedunt, & si adsit diligentia, videtur hic annus quod hosti restat urbium, proximè famem rerum omnium

Digitized by Google

omnium caritate adductum, Gallis promittere. In Guebriano certè nihil boni ducis desideratur. Bagdetum captum à Turca intelligimus 24 Decembris, fossis repletis magno numero saccorum lanis refertorum, facta in mœnibus ruina per quam obsessor transiit, multoque Persarum sanguine se satiavit. Deus det nobis ea quæ Christiano Orbi sunt optima. Lutetiæ 2 Aprilis 1639.

Intelligimus Principem Thomam in Italia esse in oppido Laudensi. De Lipsia hic nihil.

Excell. Vestræ perpetuo obsequio addictissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1146 Bene ad me pervenerunt literæ, quas dedisti 17 Februarii. Solent conventus & colloquia magnorum Principum plus occultare, quàm publicetur. Sic & consilia, quæ sumpta sunt à Rege Poloniæ, & ab Electore Brandenburgico qualia sint, tempus docebit, nec aliud video contra occulta ejusmodi remedium, quàm νῆφε, ϗ μέμνησ' ἀπιστεῖν. Curlandiæ Principi faveo, & olim, cùm in parte Reipublicæ Batavicæ versarer, eam causam non tantùm ejus Reipublicæ Proceribus commendavi, sed & effeci, ut & eorum literis Regi Sigismundo, aliisque Principibus commendaretur. Interfuit non Germaniæ tantùm, sed & Galliæ, ut Brisaci custodia vigilantissimo Principi, cujus eximia virtute parta est Vrbs, committeretur. Nos hic in id laboramus, ut habeat à Rege, quod opus est, ad transmovendum ultra Rhenum felicitatem suam, & fiducia vicinitatis addendos Bannerio, magna agenti, majora molienti animos. Non scribam vobis, qui ea propiùs quàm è Gallia nosse potestis, captum à Bannerio Salissium, cæsas ejus copias, captas & machinas, & signa equestria & pedestria, paucisque munitioribus urbibus exceptis, cætera Saxoniæ, Misniæ, etiam Thuringiæ multa, ejus armis cedere. Rex Galliæ Principem Condæum mittit in Hispaniæ fines, sanè trepidantis & militum egenæ: etiam quæ Belgarum propinquis Galliæ urbibus obsidiones minantur copiæ, coire jam incipiunt. Alius exercitus erit, qui conficiat, quod in Comitatu Burgundiæ restat. Mittuntur & Sabaudicæ Viduæ supplementa, perquàm rebus ejus necessaria. Planè hic Annus videtur & actuosus fore, & nobis felix, nisi res Americanæ Batavis minùs succedant, & circumfusi eorum urbibus Cæsariani partem virium illic retentent. Civitati vestræ omnia opto prosperrima. Lutetiæ 2 Aprilis anni 1639.

Nobil. Tuæ ad officia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1147 Accepi à D. Cardinali instrumentum quo ratum facit, ex potestate sibi concessa, permissum Regis de cannabaceis telis per nostros evehendis, ejus mitto exemplum. Idem Cardinalis domum quam in hac urbe habet splendidissimam donavit Regi, etiam scripturis interpositis. Hac liberalitate credidit & se levari parte invidiæ & firmiora fieri cætera successoribus suis. Incipiunt movere se milites ut præstituta die sint in iis collimitiis ad quæ destinantur. Sed res Ducis Vinariensis tardiùs quàm pro occasionum tantarum celeritate procedunt. Nos nihil omittimus quo impelli hæc Aula ad promovendum bonum publicum possit. Interim in tanto sumptu bellico non desinit Gallia ostentare divitias, data pecunia mandatisque Noyerio, ut quæ ad luparam quadrandam deficiunt, consummet. Millereius Cardinalis propinquus honorem sibi quærit reducti in patriam Comitis Suessionensis, & de conditionibus cum eo per literas ac nuntios agit. Rumor his diebus per urbem sparsus fuit Suedos & Ducem Vinariensem seorsim moliri inducias, quem ego & fidei apud Suedos sanctimonia & ipso terum D. Bannerii cursu refutavi. Det Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, cuncta felicia Regno Reginæ Tuæque Sublimitati. Lutetiæ 2 Aprilis novi Calendarii 1639.

Dicitur hic Princeps Thomas esse in Italia in oppido Laudensi.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

IN rebus Ducis Vinariensis hactenus processum est, 1148
ut datæ sint assignationes pro sexcentis Francicarum librarum millibus quæ deberi ex federe ei cœperunt mense Februario: extraordinariorum quos fecit sumtuum nulladum habita ratione. Verùm venit huc Erlachius qui ubi Regem nunc febricula impeditum ac Regis ministros viderit, haud dubiè ad nos quoque veniet, mandatorumque suorum & eorum quæ hic impetrare poterit, aut non poterit, nos faciet participes. Habet Dux in sua potestate Iousiam arcem eamque diligenter munit, Regi Galliæ ad res in Comitatu Burgundiæ promovendas utilem locum. Si quæ æqua sunt à Gallis accipiat, ipse quæ æqua sunt vicissim præstabit. Idem quem dixi morbus Regis me quoque impedit hactenus ne quod postulavi ipsum adeundi tempus accipiam, ubi acceperim perducturus ad conspectum salutationemque Regis Illustrem D. Baronem Oxenstiernam. Magnas copias colligere Imperatorem ad Francofurtum, ad Heilbrunnam & alibi certum est. Et in Helvetiis Comes Althemius Legatus Imperatoris laborat ut iter obtineat. *Duci Vinariensi* tantum imminet negotii ut beatum *se hoc anno, ni fallor,* putaturus sit, si possessa tueatur. Pars Cæsariani exercitus in ipsum & Sylvaticas urbes incumbet. Pars major in D. Bannerium ibit florentem sanè rerum gestarum gloria, sed longè à præsidiis suis remotum, neque tutum adversùs incerti martis aleam. Italicæ res non parum Gallos perturbant. Mantuana palàm se bello exemit, relictura Casale præmium potentiori. Sabaudiæ Vidua bellum sustentat invita nobilitate ac plebe Pedemontana, quæ nunc eò validiùs movetur ad pacis desiderium quod vis hostilis capto Chirassio non plus quàm dimidii diei itinere absit à Taurinorum urbe. Suadent Galli Viduæ ut suæ ipsa securitati prospiciens in tutiora se referat, puta in Montimilianum firmissimam situ & opere Sabaudiæ arcem. Recreatus est Rex nuntio fortè in majus aucto, qui fert, cùm hostis bipartito divisisset exercitum, partem alteram à Cardinale Valetta cæsam. Is Cardinalis Valetta hactenus plus quatuor hominum millibus quos in apertum produceret, non habuit. Nunc nova quindecim millia ad eum mitti dicuntur, duo fuêre exercitus contra Hispaniam, alius in Comitatu Burgundiæ sub Longavillano, duo alii ducibus Millereio & Castilionæo ad Belgicum finem, alius sub Feuquerio incertum quò se versurus. Iam undique ad fines se movent copiæ. Maio mense iturus eò est Castilionæus. Regem ipsum rumor est iturum non Lugdunum quidem, ubi multum ægrotatur, sed ad vicina ut propior sit Italiæ rebusque laborantibus. Etiam ex Polonia multus miles ad Imperatorem venire dicitur. Piccolominius verò quasi abundet Austriacis miles & se & exercitum suum Angliæ Regi obtulit, sperans puto beneficio, quo Rex non sit usurus, gratiam & laudem parari posse. De ipsis Angliæ Scotiæque rebus nihil boni habeo, quod augurer. Crescit per Scotiam factio. In Anglia militiam non obscuri viri defugiunt. Exercitum habet Rex magnum, sed unde eum alat pecunias ægrè invenit. Regium jus hinc, inde liber-

Digitized by Google

libertas, speciosa nomina, accendunt animos, neque sana consilia audiri sinunt. Qui in Anglia sunt Episcopi & Sacerdotum cæteri, tanquam in sua causa, Regi in hoc bellum decimas suorum redituum pendunt. Hollandia naves Gallicas à Dunquercanis captas, à se receptas, ita ventis cogentibus intulere in Gallicum portum Gratiæ qui dicitur. Galli quæ sua fuere sibi vindicant. Hollandi cùm per horas plus XXIV nempe XXXVI naves istæ in potestate Dunquercanorum fuerint, negant postliminio locum esse. Coget scilicet res ipsa aliquid in posterum super ejusmodi controversiis certum constitui. Mittit Rex ad Batavos Nobilem de Monte dictum: in Sabaudiam verò Emeriacum Legatum extraordinarium. Contra Ducem Valettam pergunt citationes. Frater ejus nothus hic in Bastiliam conjectus est. Chevreusia in Galliam venire planè recusat. Video cum dolore inter Anglos & Gallos veteres recrudescere inimicitias, partim quod tributum in peregrinos Angli ad suos quæstus imminuendos pertinere judicent, partim quod suspicio sit Gallicis ventis, præsertim à Patre Iosepho, commotos Scotiæ fluctus. Præterea Legatus Scutamorius discedens munus ad se à Rege missum, ut minus eo quod Gallicis Legatis in Anglia datur, remisit & an rediturus sit, ut ipse speravit dixitque, Comes Licestrius dubitatur. Referet autem in Angliam Comes Licestrius non sperandum esse ut Galli pacem velint, inescati terris bello partis. Videtur etiam mari hoc anno inter Gallos & Hispanos certatum iri. Nam Hispanus quidem ad Barcelonam habere dicitur naves longas XL, totidem bellicas alias: Gallicæ autem naves bellicæ à Portu Gratiæ decem, aliæ è Bresta aliisque locis coëunt apud Rupellam. Quàm incerta sint sæpe quæ magna cum auctoritate ad nos scribuntur, documento sit illud Gotzii supplicium quod quidam vidisse se retulerat. Is Gotzius nunc & vivere nuntiatur & copias ducturus esse. Et ecce exemplum falsi rumoris aliud. Venit jam nunc ad me certus auctor qui dicit pugnatum ad urbem Taurinorum; Cardinalem autem Valettam qui versùs Laudem Pompeiam, ubi Sabaudi fratres erant, speculatum processerat, cùm eorum exercitus ad ipsa mœnia Taurinorum venisset, insecutum ut trepidantibus urbanis animos adderet, amissis suorum octingentis penetrasse tamen in urbem, in cujus arce se tenet Vidua. Hosti esse XX peditum IV equitum millia & in ipsa Pedemontana regione Fratrum duorum, Cardinalis Sabaudi & Principis Thomæ validam esse factionem. Naves quæ Calendis Martiis Constantinopoli profectæ decimum post diem Venetias advenere, nuntiant urbem aliam Bagdeto vicinam oppugnari à Turca; remissum ab eo in Persidem Legatum Persam pro torque circumdatum decem procerum Persarum capitibus, affirmat Legatus Cæsareus apud Venetos. Iidem Veneti Bajulo suo mandarunt gratulationis officium de capto Bagdeto, quod tamen peragendum per Legationem extraordinariam monet, qui Venetis bene velle credi vult, Caimacamus. Terret tamen Venetos ingens Constantinopoli paratus maritimus, quanquam affirmantibus Turcis in Cosaccos hæc strui, eos, qui mare Euxinum infestum habent. Verùm & Afris prædonibus Constantinopoli & longas naves & alias fabricare ac comparare permittitur. Veneti tamen quas Venetiis parant Galeassas duas & longas naves sive Galeras decem, emittere ad Pascha differunt. Det Deus ut Turcicæ minæ bonam Christiano orbi pacem pariant, idemque, Excellentissime ac Illustrissime Domine, Reginam, Regnum ac Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ 9 Aprilis 1639.

Cardinalis Valetta cum toto suo exercitu est in Taurinorum oppido. Vulgant Galli & leves pugnas sibi prosperas in Montisferratensi agro, in collimitio utriusque Burgundiæ & in fine Belgico ad Landresiam.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Meritò dolet Excellentia Vestra literis 28 Martii datis, fortissimum Principem Vinariensem non pro 1149
suis meritis æstimari. Morbus quidem abiit, sed facilè rediturus, si causæ maneant. Hactenus in ejus negotio quotidianis flagitationibus profecimus, ut assignationes datæ sint de eo quod ipsi ex fœdere mense Februario deberi cœpit. Vt verò ingentium, quos fecit, sumptuum extra id quod pactis comprehensum est ratio habeatur, non impetramus. Duo tamen sunt quæ mihi spem faciunt etiam hæc desideria nostra non fore irrita: quod huc à Duce venit D. Erlachius, qui quid ferat cognoscemus, ubi is Regem viderit, qui nunc febricula impeditur ne quem audiat: deinde quod Iousiam arcem Dux & retinet & bene munit, quo munere, Regi sanè opportuno, si Regem donet Dux, merebitur ea liberalitas novam Regis liberalitatem. Cùm verò pars Cæsarearum copiarum per Helvetiorum terras & eis circumdata, quod docet mandata ab Imperatore Comiti Althemio Legatio in urbes illas Silvaticas, irruere propositum habeat, multum vereor, ut hoc anno Dux plus agere possit, quàm sua tueri, si tamen id plenè poterit. Maxima autem pars Imperatoris copiarum quæ ad Francofurtum, Hailbrunam & alibi coit, in D. Bannerium ingruet, qui eò diligentiùs cavere sibi debebit, quod, ut prudenter observat Excellentia Vestra, nihil socium prope se habebit & longè à præsidiis suis aberit. Germaniæ autem civitates, quanquam durè habitæ ab Imperatore, non facilè ab eo deficient, nisi res primùm nostras bene firmatas circum se viderint. Helvetiorum corpus, ne ruptis quibus ægrè cohæret vinculis, dissiliat, maximum hoc tempore periculum est. Protestantes viribus præstantiores aliorum numero prævalentium consensu vinci se, neque curari pro discriminis magnitudine communem societatem, indignantur, agitaturque satis per se mobilis pars utraque procellis, hæc ab Hispania & Imperatore, illa à Galliæ flantibus. Protestantibus Ducis Vinariensis tutela non deerit, sed inchoare bellum, odiosum est: exspectare autem donec inimici vim inferant, periculosum. Illud verò gravissimum, quod in tam perplexis rebus nemo ipsis consilium dare potest, qui suspectus non sit. Quod Principes illos civitatesque Germaniæ attinet, qui bello eximere se voluere, apparet extortum id præsentis periculi metu. Si verò iterum circum ipsos invaluerint imperatoris arma, iterum bello in nos se implicabunt. Qui ex tempore fidem mutarunt, eis non ultra quàm ferunt tempora, credi potest. Magni sanè sunt Galliæ paratus, naves à Portu Gratiæ decem, aliæ à Bresta locisque aliis ad Rupellam ivere, opposituræ se Hispani conatibus qui ad Barcinonem XL naves longas, totidemque bellicas habens Galliæ litoribus imminet. Exercitus terra contra Hispaniam ipsam Rex habere constituit duos. In Italiam mittere se dicit XV millia ubi capto Chivasco hostis prope ad Taurinornm urbem accessit, magno Viduæ etiam à suis periculo, quibus omnibus nolentibus bellum est. Suadetur ei Viduæ ut Mommelianum concedat. *Solatur* tamen nos, quod Rex nuntium accepit, cæsam à Cardinali Valetta partem hostilis exercitus, quem hostis nihil tale metuens diviserat, nisi fortè, ut solet fieri, in majus ista inflantur. In Comitatu Burgundiæ rem geret Longavillanus contra Lotharingum, cui supplementa mittunt Imperator & Comitatui metuens Hispanus. Milereius & Castilionæus cum suo quisque exercitu Majo mense cœpturi putantur hostilia in finitimos Belgas. Alium exercitum Feuquerius eò vertet, quò usus exiget. In Aula rumor est Regem ipsum eò iturum, unde propior

pior sit Italiæ rebus. Pecuniæ cum gemitu quidem & querelis multorum, tamen reperiuntur, fractis exemplo aliorum quibus imperia abnuisse malè cessit omnium animis. Tamen peregrinitatis tributo acriter contradicunt Angli, vereorque ne & hoc accedat ad resuscitandas gentium inter se simultates, præsertim cùm sint Anglorum quidam ita suspicaces, ut Scotorum incensos animos putent admotis & è Gallia flabellis. Legatus certè Scutamorius donum quod Rex Galliæ de more abeunti miserat, ut dignitate sua inferius, remisit. Hispanus hæc videns, non desinit operam suam venditare Angliæ Regi, in tantum ut Piccolominæus ei & se & exercitum suum obtulerit. Videtur omnino crescere illud intestinum Britanniæ malum, neque medecinam recipere, magno & Regis & populorum & rei communiter Europam spectantis detrimento. De pace Germaniæ, quantum prospicio, in longum tempus spes nos deserit, beneque evenit, quod æqui homines intelligent penes hostem stetisse quominus ad colloquia veniretur, negatis diplomatibus qualia olim Batavis data sunt. Turcam sanè quod metuant habent Austriaci, si is cum Persa res suas composuerit. Sed dicitur in alias Persarum urbes vertisse vim belli, ac Persam Legatum remisisse circumdatum pro torque decem procerum Persarum capitibus. Veneti in bona spe sunt pacis mansuræ, & putantur Legatum extra ordinem missuri ad eam firmandam, simulque peragendum de Bagdeto gratulationis officium. In Cosaccos illos qui mare Euxinum infestum habent classis è Constantinopoli exiit. Credibile est aut aliquid mali è Lithuania metuere Poloniæ Regem, aut aliquid eum mali aliis moliri, quod tam diu abest à solita sede. Dantiscanis sanè metuo, cùm contrarios jam sibi habeant Regem Poloniæ, Poloniam ipsam & Prussiam Electoris Brandenburgici. Suedos ne se eorum negotiis misceant tam grave bellum satis excusat. Quod si cunctantur Batavi, sola in Dano spes restat, cui quantum fidi possit, respectanti Imperatoris gratiam, nec amico liberis civitatibus, equidem non video. Regium illud in Scotos edictum nondum vidi. Non deerunt parti utrique speciosa vocabula. Deum seriò precor, ut ad pacem eos flectat, jacentis diu Domus Palatinæ misereatur, Excellentiamque Vestram benignus sospitet. Lutetiæ 9 Aprilis 1639.

Iam certiora disco de Pedemontanis rebus. Cùm ad Laudem Pompeiam apparuisset cum exercitu magno Cardinalis Sabaudus, profectum eò cum milite Valettam Cardinalem: sed illo transeunte flumen & magno cum strepitu territante Taurinorum mœnia, accurrisse eò subitò Valettam & pugnasse cum octingentorum ferme de suis clade, sed, quod maximè necessarium erat, ad firmandos Taurinorum animos, penetrasse in urbem. Vidua Sabaudica ibidem in arce adhuc est, non sine metu externi internique mali. Gotzium quæ interfecerat fama resuscitavit, dicitque eum brevi adfuturum cum imperio militari. Venit ad me jam Erlachius qui mandata habet gratulandi Regi de Delphino, excusare Ducem quod negotiis deinde morbo impeditus huc non venerit, orare augmenta sui exercitus, & intelligere ex Rege quid hoc anno agendum censeat. Vulgant Galli & pugnas sibi prosperas, sed leves in Montisferratensi agro, in collimitio utriusque Burgundiæ & in collimitio Galliæ ac Belgicæ inter Landresiam & Avennas.

Excell. Vestræ perpetuum ad cultum obligatus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1150 VEnit ad me priusquam putaram, necdum viso Rege, Erlachius mandata habens gratulationis de nato Delphino, excusandi Ducis quod huc non venerit per negotia & morbos, orandi supplementum exercitui suo & intelligendi cogitata Regis super his quæ hoc anno agenda sunt. Dixi me sermones meos apud Regem & ejus Ministros directurum ad has lineas. Arcem Iousiam mallent Helvetii manere penes Ducem, sed si Rex pertendat petere non facilè poterit ei negari, quanquam ad hyberna Duci usui magno esse poterit cum vicina regione. Sed Regia liberalitas & conditiones quas stipulari licebit, poterunt hanc disputationem abrumpere. Roganti an crederem de Brisaco instituros adhuc Gallos, dixi cùm viderint adeo hanc postulationem adversam esse Ducis animo, arbitrari me non postulaturos ut ab urbis custodia Dux abscedat: sed fortè optaturos ut caveatur ne, si quid Duci eveniat eorum quibus obnoxii sunt homines, maximè verò qui in bellis & quidem tanta cum virtute versantur, damnum ipsi per hanc urbem sentiant. Dixi videri mihi posse timori huic occurri, si ipse Erlachius aut qui ei in Præfecturam successuri sunt sanctè promittant, si quid tale acciderit se de urbe Brisaco nihil mutaturos, nisi ex Suediæ Galliæque Regum consensu: quod ipse probabat, addebatque dicturum se Regi paratum se præfecturam deponere, si minùs gratus Regi esset. Cumque ego regererem non debere quenquam magis in hoc placere Regi, quàm ipsum qui Regi federatæ gentis esset, non ex Germania ac subjectus aut obnoxius Imperatori. Non dissimulavit, ideo se minùs hic gratiosum esse quod non planè ex nutibus Gallorum penderet, & antehac bene de illis meritus esset, nullo operæ pretio aut levi. Brisaci dicebat florere officinas, patere commercia, coli agros circum. Slestadi Gallos licentiosè, ut alibi, vivere, neque minùs civitati quàm Duci optandum, ut id oppidum cum Alsatiæ, quam Rex Duci dederit, locis cæteris ab ipso Duce custodiretur. Ducem cùm de permutandis contra Iohannem Waertium captivis verba à Cæsarianis facta essent, dixisse fidem se servaturum Reginæ Suediæ, ne cum alio eum quàm cum Marescallo Hornio permutaret. Ex eo placuisse Regi, ut pro Hornio, Tubadelio, Chavelisquio redderentur Iohannes Waertius, Enckefortius & Bassompetra. Super eo responsum à Cæsarianis exspectari. Putabat Feuquerium in Rhætiam iturum ad res ibi novandas. Ego de eo dubito, magisque credo futurum, ut 115
ad Rhenum res Regis promoveat. Nescio an hoc dignum sit adjici, comœdias quæ intra tempus non longum actæ sunt apud Regem & Cardinalem, quatuor Florenorum millionibus haud minus, constitisse. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam servet. Lutetiæ 9 Aprilis 1639.

Sublimitatis Tuæ devotissimus cultor H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime Domine,

BInas à Nobilitate Vestra eodemque tempore literas 1151
accepi, datas Martii $\frac{7}{17}$ & $\frac{8}{18}$, statimque eis acceptis misi ad Admissionales, ut ad Regem aditum mihi facerent. Sed quò minùs eum subitò habere possim obstat infirmior Regis valetudo, quæ fecit ut & Nuntio Pontificio Regem excusaret. Instabo tamen, nec unum sinam diem perire ut quamprimùm Regi & illud pecunias Suediæ debitas quod attinet, & alterum Ducis Vinariensis negotium commendem. Venit ab eo Duce huc D. Erlachius. Quid ferat incertum est, recens enim advenit, & ut mos est hic, ante Regem salutatum non invisit alios. Ex ipsius mandatis certior nobis de Ducis Vinariensis rebus dabitur dijudicatio. Conveniam & D. Bulionium Ærarii Præfectum de utroque negotio, altero directo nostro, altero per consequentiam. In Ducis Vinariensis re controque profectum est, ut de ordinaria pensione, cujus dies mense Februario cessit, datum sit Breve Regis & assignati Fiscales reditus quidam unde solutio fiat. Hæc autem pensio pervenit ad VI centena Francorum millia. At Dux ob sumptus quos sanè grandes fecit, anno exacto,

æquum

æquum putat se extra ordinem juvari: præsertim cùm & Iouxiam arcem ceperit munieritque & Regi paratus sit tradere. Res prosperæ Bannerii lætis hic Procerum populique accipiuntur animis. Sed qui lumine gaudent opus est oleum affundant. Ex chartis quas ad me misit D. Camerarius video, nihil malle Infra-Saxonicos quàm ut belli exitum tutis sibi spectare liceat. Credo equidem. Sed quis nobis spondebit, si iterum invaluerint Cæsarianæ res non illos nova ex metu sumpturos consilia? Interim placet quod & successus nostri & Curtianæ circa pacem tergiversationes eò perduxere Daniæ Regem, ut sua se in pelle teneat. Quod & Regem Poloniæ facturum confido, si non sua sponte at sufflaminatum à Polonica nobilitate. Fortè & Turca ei dabit quod agat. Si Francofurtum Mœni versùs procedit Bannerius, poterimus nos de eo nuntios celeriter huc perlatos vobis mittere. Daniæ Rex cum Batavis controversi aliquid habet de piscatu apud insulas Septentrionalis Oceani. Fortè eò naves suas diriget. Dantiscani non sunt extra periculum, nisi bonis federibus muniantur. Vnde autem ea, Suedis bello Germanico distentis, Batavis suo more cunctabundis, Dano solito suas res agere, suspectoque liberis civitatibus? D. Rous ea in parte non infelix est, quod insurgentis inter Anglos Scotosque belli nec culpam nec damna feret. Illud tamen miror quod D. Salvii colloquia vitet, nisi fortè Imperatoris & Poloni gratias talis frigusculi jactatione captat. De Transilvano non dubitavi unquam quin fama quæsitæ à nobis societatis suæ usurus esset ad res suas apud Imperatorem bene ponendas. Atqui jam eo qui abiit, autumno cum quinquaginta millibus, eum in aperto fore dicebat Bysterfeldius, qui nunc, ut audio, otiosus professiones Academicas captat. Vale, Vir Nobilissime, & fac quæso ea quàm sæpissimè intelligamus quæ sciri refert. Lutetiæ 9 Aprilis novi Calendarii 1639.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

52 CONveniunt cum Excellentiæ Vestræ literis ea quæ de Bannerii rebus ad me scribit D. Mullerus. Non omisi itaque victoriam utramque, de Salisio priorem, posteriorem de Saxonicis copiis hic significare, ubi magno cum gaudio talia excipiuntur. Et ut quantum in ipsis est Regii ministri nostra arma promoveant, de pecuniis quæ Maio mense deberi incipient, jam factum est perscriptumque præceptum Regium, ita ut brevi eas pecunias Hamburgum perventuras confidam. De augendis Ducis Vinariensis copiis & Regem & Regios Ministros conveni iterum. Sentiunt planè id faciendum: verùm ut quàm optimis suis conditionibus id faciant, constituerunt cum Erlachio colloqui Bulionius, Chavigniacus, Noierius. Manet adhuc Brisaci cupido. Difficile est negotium. Dux perstat sibi retinere urbis custodiam, & ipse jam eò ivit. Erlachius Gallis edicit, si suspectus sit Regi, paratum se de Præfectura decedere. Videbimus an temperamentum quæri possit, fide Præfecti, successorumque ejus in id obligata, ne, si quid Duci humanitus eveniat, de urbe quicquam constituatur, sine Reginæ Suediæ Regisque Galliæ assensu. Hostiles copiæ crescentes ad Francofurtum, ad Hailbrunam & alibi, Gallos monent ne quid cunctentur. Legatus Cæsarianus apud Helvetios, & qui res ibi Hispanicas agunt, postulant sociales Helvetiorum copias ad Comitatum Burgundiæ liberandum, iter exercitui Imperatoris per eorum terras & vitæ belloque necessaria dato pretio, ac præterea ne Galli sinantur per eorum terras militem scribere. De his rebus Badæ deliberabitur, scissis, ut credibile est & mos habet, studiis. Interim ducenti à Tiguro milites, totidem è Rhætia in Galliam eunt, exiguum ad res Galliæ multum juvandas, ad Hispanum & Cæsarianos irritandos satis. Rhætos tum alia in Hispanos incitant, tum quod nondum rediere ab Hispania Legati, novis ibi semper moris ad moras priores adcrescentibus. Magni Cæsarianorum paratus ad Constantiam & Lindaviam credi faciunt velle eos illac ad urbes Silvaticas perrumpere. Novos in Portugallia motus oriri non certus rumor adfert. De Hassis ex D. Mullero intelligo aliquid repertum quo nodus ille de Religione, non quidem pro parte universa, sed quantum Hassis sufficiat, explicetur. Et puto eos tandem hoc ipso contentos fore. Dux Vinariensis jam non sanitate tantùm, sed & viribus receptis Brisaci est, misitque huc de cubiculo suo puerum, ut quantum potest res conficere properet Erlachius. De Americana classe nihil dum certi hic habemus. Et placent quæ de Americana in Batavis societate, contra adversa majores sumente animos, Excellentia Vestra scribit. Concordiæ in ea societate restitutæ exemplum utinam & Reipublicæ Rectores sequantur. De D. Estampio quidam censent, non ita eum omni excidisse gratia, ut non post aliquod temporis intervallum in Legationem restitui possit. Interim non desunt qui eò mitti velint. Edictum Regis Britanniarum in Scotos exiguam mihi spem relinquit de reditura brevi Regnorum pace. Videntur utrique virium suarum periculum facere velle.

Hoc hostis velit & magno mercentur Iberi.

Quod ei edicto scriptum reposuere Scoti, si ad manus Excellentiæ Vestræ veniat, legere cupiam, ut tanti mali causas omnes pernoscam penitus. Persici Regni majores esse vires arbitror, quàm ut à Turcis sub imperia aut iniquum planè fedus subigi possit. Quamdiu verò id bellum manet, arbitror alias gentes, Venetos puta & Hungaros, ex ea parte tutos esse. Veneti interim non desinent omnes quærere vias quibus imminens malum avertant. Patent enim ad insultus, non domi tantùm, quod si eveniret, Italiam omnem ingenti terrore concuteret, sed & in Creta, Corcyra, Dalmatia. Fuere autem maxima ex parte infelicia eorum in Turcam arma. Præterea dura ipsorum in plebem, dura in subditas urbes imperia non ferunt ut belli multos casus recipientis periculis diu se objectent. Transilvanus speculari videtur fortunam partium, ea quæ nobis bene maleve evenerint in consilium suum assumpturus. Peregrini hic pecunia quadam communi nomine Regi data se à graviori vexatione rediment: facilè id accepturis Regiis, tum alias ob causas, tum ne Scotorum, federa vetustissima proferentium, offendantur animi. Ne altera capitatio, quæ in opulentiores indigenarum imposita est, se quoque oneret, multum consultant, multum laborant Parlamentarii hic Præsides & Senatores. Pedemontana pericula gravescunt: quæ causa est, cur pars militum quæ jam per Languedociam Hispanicum versùs finem progrediebatur, mutato itinere in Italiam mittatur. Multum hic exspectamus, ut Princeps Arausionensis in tempore moliatur aliquid. Deum rogo, Excellentiam Vestram omnesque ei caros ut sospitet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Aprilis 1639.

Fama hic est qui circa Norembergam fuerant Cæsarianos petiisse Lutmarisium. XII cohortes sive Regimenta ex Silesia eodem venire: XII alia ex terris Domus Austriacæ propriis. Friburgum nostris deditum. Obsideri ab iisdem Mauriciburgum. Philippiburgi hostem in eo esse ut pontem è navibus faciat ejusque custodiæ firmum imponat castellum.

Excell. Vestræ perpetuo fidoque cultu advinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DIe Martis modò exacto aditum ad Regem, à febricula liberatum, nactus sum. Narravi ei prospera 1153

Bannerii, quæ jam acceperat, dixique non dubitare me quin sicut Suedia ipsius Regis res secundas suis felicitatibus annumeraret, tantundem de Suedicis processibus Rex faceret, quod ille ita se habere & verbis & vultu affirmabat. Ostendi autem coeuntibus undique hostibus ad Mœnum, ad Hailbrunam, apud Helvetios magnum periculum D. Bannerio, tam longè à Suedicis præsidiis progresso fore, nisi & ipsi augeantur copiæ, & aliud præterea detur per Germaniam Austriacis quod agant, id autem aliter quàm per Ducem Vinariensem fieri non posse. Quando igitur huc missus esset Erlachius ad petenda Ducis exercitui supplementa, rogare me Regem, ut benignè eum audiat, neque negligat occasiones egregias permovendi rem communem per Germaniam, multas etiam civitates retrahendi ad partes nostras, quæ quanquam malè habitæ ab Austriacis nunquam se commoturæ sint, nisi nos circum se validos ea vi, quæ duratura videtur, conspexerint. Parari in Suedia Bannerio copias ad x millia quæ vere maturo mare sint transitura. Cùm verò ad eas colligendas, transportandas alendasque magna pecunia opus sit, orari Regem ut pecuniam auxiliarem, quæ Majo mense deberi nobis incipiet, parari jubeat, ne quid ex mora damni sit. Præterea cùm id anni appetat tempus, quo mos sit Imperatorum Regumque Christianorum liberare captivos, pro uno me captivo precari Mareschallo Hornio, magnis meritis illustri, diu dura passo, & si quando sui juris fiat, ingentes de se utilitates communi rei præbituro. Eò verò confidentiùs me ea de re loqui quod intellexissem Regem sponte jam sua de ea cogitasse, atque insuper à D. Duce Vinariensi Regi proposita quæ huc ducerent. Rex, his auditis, in hoc se jam esse ut bona responsa det Erlachio dixit. De solvenda suo tempore pecunia Suediæ promissa, daturum se suis Ministris mandata, ad quos me quoque iturum dixi. Sed ad illud de Mareschalli Hornii libertate, quanquam repetente me preces illas aliquoties, Rex obfirmatum silentium tenuit, quod meas spes non parum imminuit. Sermone peracto locutus sum Regi de Illustri D. Barone Oxenstierna. Is enim mecum venerat, aderatque in proximo. Vbi eum, quo esset ortu, quos contingeret, quorsum in Galliam venisset, Regi depinxi, Rex ultro ei obviam progressus benignissimo amplexu eum accepit, dicique jussit se & D. Parenti & D. Patruo omnia velle optima, idque semper se rebus ipsis testaturum. Ipsius D. Baronis adventum sibi esse longè gratissimum. Siquid boni Landgravio illi, de quo scripseram antehac, sine incommodo publico fieri poterit, id Regi pergratum fore cognosco, & causam nostram idipsum facere poterit commendabilem. Die Mercurii vidi D. Bulionium eique narravi, cujus eo die nuntium acceperam, novam D. Bannerii de Saxonicis victoriam & fugam hostium Dresdam usque. Nec tacui, quantæ ex ejus successibus utilitates consequi possint, si & ipsius conatus ab amicis adjuventur, & alia ex parte hosti fiat negotium. Libenter hæc omnia percepit, & quod addidi de novis copiis quæ è Suedia ad Bannerium mittentur. Dixit verò, roganti mihi ut in tempore cura gereretur pecuniæ quæ ex fœdere debebitur Suediæ mense Majo, se jam nunc quæ ad id opus essent, paraturum. Esse aliquid sibi pecuniæ Amstelodami, esse & Hamburgi. Quod deest hinc se suppleturum. Ad alterum quod rogavi, de augendo Ducis Vinariensis exercitu, dixit se & Chavigniacum & Noyerium potestatem accepisse cum Erlachio agendi. Si suum consilium cæteris probaretur ita se existimare, rectè facturum Regem, si aliis exercitibus aliquid subtraheret ad hunc augendum. Confirmavi eum in hac sententia, narrans Imperatorias ejus Ducis virtutes & nutantes in Germania civitates, nec aliud exspectantes, quàm ut tutò se referre possint ad eas partes quas vi coactæ, aut metu exterritæ deseruerunt. Summam mihi exposuit earum pecuniarum quas anno jam exacto Dux receperat. Dixi sperare me cùm sumptus quos Dux fecerat omnem speratum modum plurimum excedant, fore ut eorum Rex liberaliter rationem habeat. Venit ad me postea Erlachius ex quo didici nonnihil offensæ mansisse in animo Cardinalis quod Dux huc non venisset, quicum amicitiam Cardinalis arctam se coire voluisse dicebat: & quæ fuerunt exhibita spectacula, quæque præterea adornata, ad ipsum, si venisset, cum honore excipiendum fuisse destinata. Addiderat tamen cùm id non successisset, ostensurum etiam nunc se quàm ei bene vellet. Sed mala consilia Duci suggeri ab iis qui ei suaderent, ut aliter se adversùm Galliam gerat, quàm aut ratio ferat aut civilitas. Hæc verba non aliò tendunt, quàm ut Dux se per omnia Gallorum subjiciat voluntati. Nam & de Brisaco, quod futurum non speraveram, aurem iterum Erlachio vellere cœpit Noierius. Videbimus quò abiturum sit hoc colloquium. Nam per puerum quem heri Dux misit equis celeribus, Erlachium in tractandis his negotiis jussit quàm posset plurimum properare. Ostendit mihi Bulionius generi sui qui pro Gallia Legatus in Anglia est literas, quæ docent à factione Scotica captam Edimbergi arcem, firmo situ, veterem Regum sedem. Tum verò ex edicto Regis, in quo se Anglis purgat, tantum video acerbitatis insidere animis, ut nisi cum multo tempore, exhaustisque Regnorum viribus, reditura non videatur concordia. Iamnunc & Aberdonium urbem ab eadem factione obsideri intelligo. Palatina Domus, quod maximè dolendum in his malis, habet & calamitates omnes domus jacentis & simul stantis invidiam. Dicit mihi jam Heusdius præceptum à Rege datum de pecunia quæ Maio, ita ut dixi, Suediæ debebitur. Id indicium est non perfunctoriè rem hanc curari. Tributum quod indictum peregrinis erat mitigatur, hinc Aula exterrita minis Anglorum mari rapacium, & seditionis metu, inde verò mercatoribus id maximè optantibus in tanto malo, ut ipsi inter se de distribuendis oneribus conveniant, & communi nomine certum aliquid Regi dependant, puta quater centena Francorum millia pro Lutetia. Ex altero edicto capitationis in divites indigenas, cùm ad præsides etiam & Senatores Parlamenti veniretur, misere deprecatum ad Cardinalem, & cùm ab eo bonis verbis lactati, tamen exigerentur, inter se constituerunt ultima opperiri potiùs quàm quicquam persolvere. Puto ea quoque res ad redemptionem aliquam perveniet. Ita enim agunt qui nunc res gubernant: durissima quæque intentant, non quod vires suas cum periculo experiri velint, sed quod exterritos formidine carceris, exsilii, lectionis bonorum homines prævideant ultro cursuros, ut summam aliquam offerant aut donativi aut mutui ad Calendas Græcas solvendi nomine, quæ res & lenitate vocabuli blandiatur civibus, & externis, præsertim Scotis & Batavis querendi ansas præcidat. Pars exercitus in Hispaniam destinati, quæ per Languedociam movere se illò cœperat, mandatis novis in Italiam mittitur prægravantibus curas alias Pedemontii periculis. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, res ut Sublimitatis Tuæ perpetuò secundet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Aprilis 1639.

Chartas quas nuper missas in itinere intercidisse intelligo, mitto iterum. Turcarum Sultanus Taurisium bello impetere scribitur, & permisisse Afris prædonibus ut in Anatolia militem scribant. Fama hic est qui circa Norembergam fuerant Cæsarianos petiisse Leutmarisium. XII cohortes seu Regimenta ex Silesia eodem venire. XII alia ex terris Domus Austriacæ propriis. Obsideri à nostris Mauriemburgum, Friburgum iisdem deditum. Philippiburgi hostem in eo esse ut pontem è navibus faciat ejusque custodiæ firmum imponat castellum.

CASPA-

Viro omni doctrinæ genere florentissimo

CASPARI BARLÆO.

Vir Præstantissime,

1154 MEdiceam hospitem videre pridem desidero: gratiasque ago pro exemplo ad me misso, quod tamen ad me nondum pervenit: neque id mirum per maris incerta & lentum Rhotomago huc iter per adversum Sequanam. Vbi pervenerit, legam avidè in honorem ejus qui scripsit, in honorem Reginæ bene olim de multis, bene & de Batavis meritæ, in honorem urbis quæ se tanta hospite dignam ostendit jam, ostendetque in æternum te interprete. De charta transmissa vera est conjectura tua, meæ manus fuisse inscriptionem. Rogaverant me ut id facerem Puteani fratres, Peirescio, qualis & ego fui semper, amicissimi. Causa autem cur meas preces ad eblandiendum à te carmen aliquod non adjecerim, ea ipsa est quam ad excusationem adfers. Sciebam ignotis ista non facilè præstari: tum verò sponte nasci ista debere, non ex imperio aut importunis flagitationibus. Tamen siquis est proquo liceat inverecundum esse petitorem, is fuit Peirescius, solitus bene facere & ignotis & non petentibus. Celebratus in Italia est orationibus. Nunc etiam carmina ex toto orbe ad ornandam ejus memoriam colliguntur, quadraginta, quod factum nunquam est linguis. Ego, majoribus operum impar, Epigrammate Latino persecutus sum viri de publico ac de me quoque optimè meriti nomen. Mirari autem non debes, si Italia, non iniqua tuorum operum æstimatrix, vulgo Poëtarum non contenta, abs te quoque Poëtarum Principe, condecoratum velit conspicere amatum sibi Peiresium. Cæterùm, sicut justas tibi excusandi fore causas & ipse præsensi, ita ad eas unam justissimam ex morbo accessisse valde doleo: præter enim quod amicitiæ veteri mihique debeo, satis intelligo quantum in eo sit publici mali, Deumque rogo ut Cl. Tuæ, Dominoque Vossio ac familiæ vestræ det res prosperas in bona valetudine. Vale Vir Præstantissime. Lutetiæ 16 Aprilis 1639.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

55 ATtulit ad me literas Nobilitatis Vestræ D. Colmerus gratus ob suas virtutes & Nobilitatis Vestræ commendationem. Erit ei semper liber ad me aditus, nec quicquam in me desiderari patiar, quo cognoscat quàm mihi grata sit ipsius consuetudo, ob hoc etiam quod propinquitatis jure Nobilitatis Vestræ, quam semper feci maximi, partes apud me implebit. Eodem tempore accepi & literas Nobilitatis Vestræ recentiores datas Martii 17. Principi Curlandiæ restitutionem avitæ hæreditatis, quanquam sub novis oneribus gratulor. Bene fecit quod à paterna calamitate se redemit damno quàm potuit minimo; ubi odor ingentis lucri semel afflavit Reges, non facilè inde abduci se patiuntur. Si causa vestra satis favorabilis valida haberet federa quibus sustineretur, minùs metuendum vobis esset ab ista Regis Poloniæque & Brandenburgici conspiratione. Nos hic Bannerii lætamur prosperis, damusque operam ut & Dux Vinariensis hoc anno aliquid agat. Galliæ virium bonam partem hoc anno Italia occupabit. Sed nec ad Belgicos fines cessabitur. Si Turca cum Persis & Venetis pacem faciat, videtur inde quoque negotium habiturus Imperator. Vale Nobilissime Domine. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Aprilis 1639.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

5 LIteras à me missas antehac ad magnum Suediæ Cancellarium in itinere apertas, & quod chartarum adeptum fuisse doleo. Itaque in posterum diligentiùs ei malo occurram. Conjecturas Nobilitatis Vestræ super Curtiano Bremam itinere approbo. Fortè etiam cum Archiepiscopo Bremensi novi struet aliquid. Certè si non aliud, consilia civitatis illius speculabitur. D. Bannerii processus hoc negotium injungent Imperatori, ut nulli parcat operæ ad quærendum militem, &, sine quo miles non fit, pecuniam. Audimus etiam ad Mœnum, ad Heilbrunam & alibi magnas coire Cæsarianorum copias. Propiores jam Rheno Danubioque sunt Suedi nostri quàm mari Baltico, ne istuc eos brevi remigraturos speret Curtius unde venerunt. De postulatis Suediæ Galliæque singulatim ne disputem, certè apud æquos Principes non facilè se excusabunt Batavis quod negant diplomata ad veterem formulam. Novam D. Bannerii victoriam quam postrema literarum Nobilitatis vestræ pars affirmat, nuntiavi Ministris Regiis, qui sive pacem cupiunt, sive quod magis reor bellum, certè nostra prospera lucro suo deputant. Miror ita contemni à D. Bannerio scripturarios, ut ne suæ quidem gloriæ divulgatores secum habeat. Atqui, si Horatium audimus, qui & miles fuit & Aulicus:

Paulum sepulta distat inertia
Calata virtus.

Semper de Hassiæ rebus ita existimavi facilè repertum iri aliquid, quo Vidua Princeps, tacitè de Sacrorum libertate quantum sibi petit, acciperet: ut verò etiam pro aliis ipsa tantundem stipuletur, res major videtur ipsius viribus, & quam ipsa Anglia etiamsi maximè pacem domi haberet, vix auderet sibi polliceri. Ego verò & hoc addam, posse quidem Imperatorem sine pacto Sacra relinquere quo reperit statu: ut sine Ordinum Conventu possit Religionem à secunda dissonam ac segregem admittere, haud facilè putem concessuros qui jura publica Germaniæ callent:

——— *nisi quod tu, docte Trebati,*
Dissentis.

Felicissima omnia precor Nob. Vestræ. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Aprilis 1639.

Venit ad nos Chemnitius doctissimi Theologi Chemnitii nepos, Cancellarii, ni fallor, Holsatici filius. Eum mihi bonis moribus probatum commendare vobis æquum censui. Pro fratris ipsius qui Viennæ captus habetur libertate laboramus. Speramus Ducem Vinariensem egregia hinc auxilia habiturum. Copiæ Regis quæ in Hispaniam destinabantur partim nunc in Italiam mittuntur sublevandis Viduæ Sabaudiæ periculis.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

TRans Alpes res satis infeliciter procedunt, capta ab 1157
hoste post Chivascum & Crescentinum etiam Verruca nobili prædiis antehac ibi factis ad Padum oppido. Ita nunc omnis Gallorum miles agris pulsus aut in Casali est, aut quæ pars maxima, cum ipso Cardinali Valetta in oppido Taurinorum. Ejus oppidi habitatoribus ita diffidit Vidua, ut præterquam quod oppidum toto exercitu Gallorum insidetur, quæ in arce sunt machinas omnes in oppidum obverterit. Arripit Cardinalis Ricelliacus hanc occasionem, ut Regi persuadeat profectionem in Provinciam Lugdunensem, relictis ipsi Cardinali Riceliaco Regni gubernaculis sub Regentis titulo. Verùm Rex & tertiana retinetur ex curis & mœrore contracta, & animum adhuc habet ab isto itinere satis aversum. Video plerosque existimare iturum trans Alpes magnis cum copiis Ducem Longavillanum. Inter peregrinos de summa colligenda qua Regi satisfieret, convenire non potuit,

tuit, ideo quod per Aulæ gratiam subtraherentur oneri tres ditissimi Heufdius, Lopes, Lumaga, quorum opera interdum Rex utitur, tum verò & inter cæteros in partiendo onere magna orirentur certamina. Itaque abeunt alii, ducuntur alii in carceres, quorundam abripitur supellex, aliorum ædes milite insidentur: nec minus difficultatis reperit altera in divites indigenas capitatio. Mirum quàm inanes reperiantur quæ ad fines coëunt cohortes sive regimenta, ita ut quædam unius quidem centuriæ modum expleant. In Campania pro duodecim millibus ægrè duo millia reperta sunt. Multi clam in Angliam abeunt, in novo bello uberrima sperantes stipendia. Nihil decrescit Scotorum pertinacia capto jam & Aberdono & pulsis ferme undique iis qui in Scotia Regias partes tutabantur. Haud equidem affirmaverim, quod suspicantur Angli, Gallicis pecuniis sustentari Scoticam factionem pauperiorem cæteroqui quàm ut bello diu sufficiat. Creduntur autem id facere Galli, non tantùm ex æmulatu vetere, verùm etiam quod cum Batavis nunc consilia socient ad capienda Flandriæ oppida maritima, quod cùm solus prohibere possit Anglus, domestico ob id negotio distinendus sit. Regis Daniæ qui hic nunc est ex Christina filius, domesticique ejus omnes, multis honoribus ab Hispanis excepti, non obscurum præ se ferunt studium in Hispanum & Imperatorem. Multis in Galliæ agris & frumentum & vinum corrumpitur, quod desint qui curent, fugientibus rusticis, tum ob tributa & exactorum injurias, tum ob militarem licentiam, hostili nihilo leviorem. Pro solatio sunt majora hostium mala, Germaniæ vastitas, Hispaniæ egestas & novi per Portugalliam motus. Deum rogo, cuncta hæc & à Turca metum, in bonam Christiano orbi pacem vertat, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati favens adsit. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Aprilis 1639.

Scribitur Imperator in Hungaria quatuor millia militum facere. Princeps Floreminus & Reinackius in Austria, in Polonia Hofkirckius, in Bohemia Coloredus, Schlickius, Tuliacus militem conscribere. Praga transiisse quingentos à Vienna currus belli rebus onustos, machinas item aliquot.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1158 QVantum judicare possum, clam nos habent quod de de Brisaco agunt inter se Regii homines & illi qui res agunt Ducis Vinariensis. Videtur eò res abitura ut custodia Duci maneat, sed ut Dux Galliæ fidem juret. Cùm nuper in colloquio fuissent Regii cum Erlachio multis audientibus, ita discessum est quasi conveniendi spes nulla esset, quod ipsum cùm minùs apertè ageretur suspiciones auxit. Facilè autem intelligere possumus quicquid hac in re ex voto Gallorum agetur, id clam habendum tum alios, tum Germanos maximè, quorum studia in Principem Vinariensem prolicienda magis quàm exstinguenda sunt. Marescalli autem Hornii libertas an seriò desideretur multum dubitare cogor. Cardinali Valettæ subductæ fuere vires & gloriæ materia: superest ut & imperium ei subducatur, suspecto, non tam per se quàm quod credi non possit æquo animo laturus domus suæ exitium. Si Rex sorori ejusque filio consultum voluisset, pridem ei permittere debuit ut se bello nihil eis profuturo, nocituro plurimum eximeret. Verùm videntur neque Galli Viduam & pupillum, neque Hispani Sabaudos fratres multum curaturi, si possint hi Pedemontanam illi Sabaudiam suis imperiis annectere. Oppidum Taurinorum ab obsessio haud multum distat. Regi manet febris & ex ipso vultu apparet non levis sollicitudo. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Suedicas, Tuamque imprimis Sublimitatem servet. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Aprilis 1639.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

BElli vis maxima hoc anno in loca subalpina vi quadam 1159
subita trahitur. Hispani enim, validi illis in partibus etiam accessione multorum qui ad fratres Sabaudos, Cardinalem & Thomam Principem accurrunt: capta post Chivascum, Crescentinum, Verrucam, etiam Eporedia, quam nunc corruptè Iuream vocant, Biella præterea, & Osta, & Valle ab Osta nomen habente, atque ita insessis quæ in circuitu sunt urbis Taurinorum, mox eam urbem justa obsidione claudere nunc & machinis oppugnare cœperunt. Ita inclusi nunc tenentur, Vidua, Princeps, Cardinalis Valetta cum omni Gallico exercitu, hi in urbe, illa in arce, exiguis alimentis pro tanta multitudine, & bellici instrumenti tenui copia. Mittitur eò Dux Longavillanus cum exercitu, cujus partem facient qui in Languedocia milites ad Hispanicum finem promovere se cœperant, etiam Principe Condæo ab eo fine revocato ad Burgundiæ tutelam. Sed ut maximè properet Longavillanus ægrè antevertere periculum poterit. Nam quæ illis ex partibus veniunt literæ, tolerari obsidionem ultra mensem ab urbe posse negabant, arcem aliquot septenis diebus post urbem posse defendi. Dux puer Chamberii est: ivitque citato itinere nec sine pecunia eò D. Chavigniacus, ut, si fieri potest, puerum in Galliam ducat, usuram ejus nomine ut ferent res Galliæ: Fratres autem illi Sabaudi duo, ita inter se comparasse dicuntur, ut Cardinalis abdicata matrimonii cogitatione, jus successionis Sabaudicæ ac Pedemontanæ Principi Thomæ relinquat, Princeps Thomas vicissim & transcribat ingentes reditus quos ipsi Rex Hispaniæ de Archiepiscopatu Toletano concessit. Non incredibile est Hispanum in Languedociam, nudatam jam à milite, illaturum ea quæ in propinquo parata habet arma. Id si est, Gallia pœnas dabit quod fortes D. Bannerii conatus non in tempore juverit. Cum Erlachio aliquid, quod cognosci nolunt, pepigere Regii hic Ministri; eo contenti, Duci octo millia militum mittent. Hi milites & quos secum Dux habet, magis destinantur quantum intelligo, tutandis quæ jam tenentur, quàm intrandæ Germaniæ. Exactiones de indigenis, de peregrinis, graves sunt etiam ipso exsequendi modo & in odio magno. Et his testis diebus concionatores apud Regem liberè exposuere urbium, sed maximè agros habitantium mala. Ex hac urbe elabuntur multi: è Lugduno centum familiæ Avenionem concessere. Vix videntur durare posse quæ tantum in se habent violentiæ. Præfectus arcis Mommelianæ, quæ in Sabaudia validissima est, ad imperium Principis Viduæ Gallicum militem accipere abnuit. In urbe Taurinorum sunt, ut dicitur IV peditum, duo equitum millia, quò plures sunt eò citiùs esurituri. Perstat Cardinalis Richeliacus optare, ut Rex iter suscipiat Lugdunum versus & Noyerium objurgavit quod id Regi persuadere nequisset. At Rex ab eo itinere abhorret, & qui animum ejus ea de re tentant, iracundè rejicit, memor gravis morbi quem olim Lugduni pertulit. Ajunt Galli Longavillano ad res Italas dari XXV hominum millia, sed ibi fortè veniet quod in Belgico fine, unde rediit Millereius, nullam spem videns agendi quæ proposuerat ob militum diffugia & cohortes ita inanes, ut quædam centuriam non impleant. Multi in Angliam militatum eunt spe melioris stipendii: nam in Gallia pro tota æstate plus duobus menstruis stipendiis non datur. Abiit jam ad Ducem Vinariensem visendum Marchio Brandenburgensis Iagerendorfius, cui Rex multa pollicitus pro toto quo hic fuit tempore jussit dari mille scutatos, quorum partem dimidiam coactus fuit illis relinquere à quibus petenda erat solutio. Vivit is Principe liberalitate Daniæ Regis. Nunc etiam it in easdem partes ad Rhenum Princeps noster Gusta-

Gustavus. Permissum Regis de evehendis cannabaceis cum Cardinalis Ricceliaci approbatione dedi ei cui dari Thorius jusserat. Dixit idem Thorius paratum se solvere si quid impendii factum esset. Sed cum Labardii qui Chavigniaco & propinquus est & rerum adjutor, opera ad multas res antehac usi simus, & in posterum tum ipsius tum ejus qui actuarius est Riceliaci Cardinalis amicitia nobis possit esse utilis, rem hanc ad judicium Tuæ Sublimitatis perducere malui: simulque commonefacere, ut literæ scribantur ad D. Cardinalem aut ad D. Chavigniacum, per quas gratiæ agantur Regi atque ipsis de hoc concessu evehendi trecentos fasces cannabaceorum, id enim ego me effecturum promisi, ut extra suspicionem essem quæsiti in eo negotio mei commodi. Meas res quod attinet ut publicis privata subnectam, nihil dum pecuniæ accepi, ita ut mense Iunio futurum sit ut biennii totius mihi debeantur pensiones. Mihi hæc res incommodè evenit. Quare quantum possum Tuam Sublimitatem rogo, velit excitare D. Spiringium ut me ab his molestiis extricet via brevissima, ita animo tranquilliore quæ mihi peragenda sunt peragam. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam tutetur perpetuò. Lutetiæ 1/11 Aprilis 1639.

Hæc postquam scripseram venere ad me Germani è primoribus. Ajunt Duci Bernhardo dari quatuor millia militum à Rege, & pecuniam ad conscribenda quatuor altera millia, non esse propositum Regis ut Dux in Germaniam penetret, sed ut sua tueatur. Facilè huc ferri Erlachium caventem & Præfecturæ quam obtinet & Helvetiis suis. Non dubitant iidem quin Dux per Erlachium pro iis quæ tenet Regi homagium præstiterit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

160 VT respondeam epistolæ quam misit ad me Excellentia Vestra 18 mensis hujus & Homericè ab extrema parte incipiam, valde mihi, valde, inquam, dolet, quod causa Excellentiæ Vestræ data est desiderandi missionem à munere tanta fide tantaque industria tamdiu pertolerato. Ego siquid peccatum est id ut corrigatur opto, atque ut liceat nobis pariter hoc jugum trahere. Interpositam interim tam gravibus laboribus, tristibusque publicis permultis, privatis etiam nonnullis, rusticationem, adeo non improbo, ut ultra gratuler, præsertim eo in loco, qui inter urbes præclaras medius, prætereа antiquitatis Romanæ peritis talium non pauca exhibet monumenta. Quare ut hoc consilium Excellentiæ Vestræ bene vertat Deum seriò precor. De literis posthac curandis meminero, memoresque alios faciam. Convenit aliquid de Brisaco inter Regios hic ministros & D. Erlachium, quod quale sit, cùm latere ipsi velint, non indagabo. Galli hoc obtento octo millia Duci militum promittunt, quæ simul cum iis quas Dux habet copiis egregium efficient exercitum. Major ab eo sperari utilitas potuit, si in procinctu fuisset priusquam adversus D. Bannerium, qui id exspectabat, eaque spe ad intima Germaniæ processerat, tantæ undique se conglomerarent hostium vires. Quorum impetum si sustinere D. Bannerius non valens retro se ad vetera præsidia referet, habebit etiam ibi quod agat scilicet: sed pro Gallia metuo, ne quæ agere potuit, pati incipiat. Nam in Hispania magni sunt in Languedociam paratus. Omnis autem qui ibi erat miles trans Alpes mittitur, ad arcendum, si tamen arceri nunc potest, periculum Principis Sabaudi matri, Cardinali Valettæ omnique exercitui Gallico imminens, quos omnes hostis obsidet, captis Eporedia, Biella, Osta & ad Ostam locis, ipsis quin etiam urbis Taurinorum insessis anteurbanis, machinisque adversùs urbem dispositis. Missus est Comes Chavigniacus qui puerum Principem, is nunc Chamberii est, huc perferat. Mittitur Dux Longavillanus cum exercitu ut his malis medeatur, qui utinam ante rerum omnium ruinam eò adveniat. Nam deest urbi in tanta hominum copia victus, desunt bello necessaria. Interim pro Duce Longavillano, qui Burgundiam tueatur revocatus est, qui in Hispanico limite bellum parabat, Princeps Condæus. Magna hæc & subita rerum mutatio metum incussit iis, qui modò metuendos se credebant omnibus. Interim ob onus illud in peregrinos, diffugiunt plurimi, è sola Lugduno plus centum familiæ, quæ Avenionem concessere. Ab hac quoque urbe plurimi. Qui mansere, eorum domus plenæ militum, aut supellex abripitur, aut ipsi aguntur in carcerem. Exigitur enim à quoque, non quantum facere potest, sed quantum redemtori libuit. Hæc durare vix possunt, repeti planè non possunt. Si retrocedere cogitur Bannerius, etiam Erfurtum in periculo erit. De Infrasaxonicis autem planè dubitari non debet, quin, ut bene judicat Excellentia Vestra, quæ metu cepere consilia, ea dempto metu sint mutaturi. Noierius adhuc res belli hic versat. Is, absente nunc maximè Chavigniaco, dubium non est, quin in Pontificis gratiam parsurus sit quantum poterit Bavaro. Si pacem non volunt Cæsariani, certè eam nec illi optant, qui res habent in manu. Populus autem ingenti tenetur pacis desiderio, neque desunt concionatores qui populi mala liberè satis Regi ponant ob oculos. Daniæ Rex quin & Imperatoris captet gratias ac concessiones, iniquisque oculis aspiciat inhærentes tam diu Germaniæ Suedos, non obscurum est. Sed neque ad omnia sua cogitata obsequentem habet nobilitatem suam, & cum Polono ac Batavis sementem habet negotiorum. Miror non fecisse pridem Hispanos, quod eos facturos putat D. Rusdorfius, ut diplomata dent Batavis ad veterem formulam. Eripuissent enim nobis eam criminationem, quæ omnium est speciosissima. Turcam planè arbitror magis magisque in Persam inardescere. Et audio jussisse eum Cæsari nuntiari, nequid dubitet de mansuris, si modò ipse velit, induciis. Venetos absolvat an differat discemus ubi Chausius qui Venetias mitti dicitur, eò advenerit. Placet mihi quod Dunquercanis ex Hispania militem & pecuniam referentibus omni modò occurrendum censuere Batavi. Terra vereor ut hoc anno tantum præstare possint, quantum & ipsi volunt, & nos hic optamus & res communis exigit. Helvetii concordant in servandis cum Austriaca Domo federibus, in vendendis commeatibus, rebusque bellicis, dum ne ea res ipsis annonam reddat gravem, aut auferat ad sui tutelam necessaria. Sed dissentiunt circa iter, quod Cæsariani in Comitatum Burgundiæ ituri sibi postulant. Id enim Pontificii æquum putant & federibus cum Domo Burgundica factis conveniens, Bernatesque ipsos multum instando eò perduxere, ut per suas terras transitum illis magis non negarent, quàm concederent, testati etiam si Dux Bernhardus ipsis occurreret, id cum periculo fore postulantium. Se spectatores fore. Alii Protestantes dixere iter sibi non probari nisi inerme & manipulatim. Vult adhuc Rex Hispaniæ per literas quas ad Rhætos scripsit, & per homines quos misit Leganesius Rhætos lactare spe restituendæ Vallis Telinæ: sed illi, ut homines montani ac feroces, dixerunt eorum quæ poscuntur nihil se facturos, nisi re visa. Qua in re non desipiunt, mea quidem sententia. Anglorum firma opinio est, res Scoticas pecunia Gallica foveri. Sæpe autem, ut Sophoclis utar testimonio,

Τό τοι νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρατεῖ.

[*Opinio veritatem vincit.*]

Verissimum est, facilè rumpi nondum bene obductas cicatrices, qualis est illa odii veteris inter duplices Britannos. Ego ubique pacem opto, bella omnia odi, intestina

na

na maximè. Pacta illa cum Polonis Lithuanica & æquo & utilitate publica nituntur. Quod si observassent & Rex Angliæ in Scotia, & in Belgica olim Rex Hispaniæ, credo tantas quæ acciderunt mutationes anteverti potuisse. Audio etiam in Suedia novos esse motus, ob tributa insueta ei genti. Ego tales ἀκαταστασίας [*seditiones*] planè non probo. Sed Deus etiam talibus rebus utitur ad cogendos in pacem animos. Puto autem hostes nostros sentire non minora incommoda, & meritò. οὐ γὰρ προσωπολήπτης ὁ Θεός [*non enim personarum acceptor Deus*]. Deus lenem det senectam & quæ alia sunt hujus vitæ solatia Excellentiæ Vestræ. Lutetiæ 30 Aprilis 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantiæ cultu devinctissimus H.G.

MATTHIÆ BERNEGGERO.

Vir Doctissime,

1161 VEnit ad vos, sed ut magna interdum sidera faciunt, luminis sui fulgorem abscondens, Princeps Gustavus, è Domo Palatina, familia Bipontina Excellentissimi & Illustrissimi Ducis Iohannis Casimiri filius natu maximus, materno sanguine Regio, & Reginæ nostræ proximus. Peregrinatur ad mercatum sapientiæ. Ejus mercis pretium est labor, & justa virorum talium quales sunt Berneggerus & Freinshemius, æstimatio. Neque vobis melius ostendere potui quanti vos facerem quàm commendando vobis tantum Principem, neque ipsi Principi utilius præstare officium quàm ei monstrando per quos proficere plurimum possit. Valete viri eximii. Ero semper. Lutetiæ fine Aprilis 1639.

Vestræ eruditionis prædicator H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1162 SI tam bene procedent res civitatis vestræ quàm ego ei benevolo, optimè prospectum erit & libertati ejus & immunitati. Laudo τοὺς εὐέλπιδας [*bene sperantes*]. Interim multa me sollicitum habent, Spiringiorum apud Regem Poloniæ gratia & molitiones indefessæ, tum quod hoc tempore, ut non malè observat Nobilitas Vestra, omnes Reges fiunt Alabarchæ & quemvis lucri odorem sagaci nare persequuntur. Rex Daniæ parùm probabiliter in aliis damnat rem cujus ipse exempla auget, intenditque. Batavi in Legatione decernenda cunctantur, nempe quod semel parùm honorificè excepti metuant impingere in eundem lapidem. Suedi satis alibi negotii habent, præsertim nunc parum prosperis Bannerii rebus, dum differt Gallia Duci Vinariensi vires dare quibus Rhenum transeat; quod tamen nunc post vulneratam non leviter causam factura pollicetur. Exercet præter hoc Suedos suspecta cùm maximè Danorum vicinitas. Nos hic bellum à Gallia ingens in Germaniam, Hispaniam Belgicamque exspectamus. Sed & curas & armorum partem potissimam ad se non traxit, sed rapuit subitum Hispanorum fulmen in Taurinos, quorum captis oppidis compluribus, inter ea Verruca & Eporedia, nunc ipsam urbem principem obsident machinisque pulsant. In arce est Princeps Vidua, in urbe Cardinalis Valetta cum omni Gallorum exercitu satis valido ad tutanda mœnia, si habeant unde vivant & quod jaculentur. De utroque dubitari video. Dux puer Chamberii est. Dant operam Galli, ut & puerum, & si fieri potest Matrem in Gallia habeant. Turca pergit iras suas in Persam effundere, magno Dei in res Christianas beneficio. Vale Vir Nobilissime. Dabam Lutetiæ 5/15 Aprilis 1639.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

1163 EGo etiamnunc & à D. Spiringio & à D. Heusdio nihil præter pollicitationes in cæcam diem accipio. Negat Heusdius eam pecuniam unde mihi solvendum sit, præsentem fore ante anni tempus. Ita post biennii ferme exspectationem trahor incertus & cogor pecunias alias post alias magno meo incommodo unde possum sumere. Maximè autem me terret cogitatio quas habituri sint molestias uxor & liberi, si quid mihi humanitus evenerit. Neque miror si hæc tædium Legationis concivere D. Camerario, neque cur rus secedat causæ sunt conjectu difficiles. D. Duci Bernhardo, post aliquas cum Erlachio arcanas de Brisaco conventiones, Rex promittit octo militum millia. Ea si citò præsto sint, possent occasiones dare D. Bannerio restituendi fortunam, quam illi adversam cecidisse dolens magis quàm admirans intelligo. Nam quid aliud exspectari poterat, retento longè ab Rheno Duce Bernhardo, quàm coituras undique ingentes Imperatoris & tot sociorum ejus copias adversus eum, qui sperato hostem alibi distractum iri, satis audacter procul à præsidiis suis se in penetralia Germaniæ immerserat. Verùm nunc quoque metuo ne potissimas Galliæ vires in se trahant res Transalpinæ, ubi & Augusta Taurinorum & in ea urbe principe Principis mater, Cardinalis Valetta & omnis Gallorum exercitus ab hoste obsidentur, captis post Verrucam Eporedia, Biella locisque circum aliis. Et nescio an satis properè eò adventurus sit Dux Longavillanus, qui cum magno exercitu eò mittitur, ut mederi periculo possit. Interea perierunt in Hispaniam conatus, ipso Principe Condæo ad tutandam Burgundiam per absentiam Longavillani revocato, & magna parte copiarum ei attributarum missa in loca subalpina. Suedi nostri rectè facient si D. Bannerio supplementa quamprimùm poterunt, mittant. Magnus ille tot summatum virorum ad Regem Daniæ concursus, vires ejusdem Regis maritimæ, Legatio quam in Suediam parat, sollicitum me facerent, nisi scirem moris esse ei Regi multum commovere pulveris. Sed negotia jam habet duo gravia cum Polonis & cum Batavis. Neque suorum fortè paratos animos ad omnia quæ ipsi in mentem venerint. Prorogationem Vectigalis in Albi suis opellis impetrabit ut puto Rex Daniæ ab Imperatore facilè de alieno largiente. De banno adversùs Hamburgenses non idem arbitror. Neque enim id ferre videntur tempora. Tum verò de deflectendo Alstera illud per difficile arbitror. Non facilè patitur natura vim sibi afferri. Ea res in memoriam mihi revocat versus Græcos duos

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε μηδ' ὀρύσσετε,
Ζεὺς γὰρ κ' ἔθηκε νῆσον εἴ κ' ἐβούλετο.

[*Isthmum verò neque munite neque fodite,*
Deus enim & insulam eum posuisset, siquidem voluisset].

Addam ex Tacito mutato nomine, ipsum Albim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. Germani Principes supra infraque Saxonici dubium non est quin vela sint versuri, ut flabit ventus. De Turca audimus pertinaciter eum perstare in bello Persico; certum ab eo factum Cæsarem de mansuris cum ipso induciis; mitti etiam ab eo quendam ad Venetos vius pacis tentandi, an consilia illorum speculandi causa. Itaque existimo Hungariæ nihil esse ab ea parte periculi. Deus, Illustrissimum Dominum Salvium, ac Vestram Nobilitatem diu servet in rebus prosperis. Lutetiæ ipso fine Aprilis 1639. ex hujus loci Calendario.

Nobil. Vestræ studiosissimus eique addictissimus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

APparuit hostes plus spei in seditionibus civium quàm in vi adversùs Taurinorum urbem sperasse. Venerant ad urbem 13 Aprilis ad XII millia peditum, equitum ... Motus in urbe exstitit aliquid, sed duorum supplicio repressus

pressus est. Tum Hispani tribus ex locis urbem machinis verberare cœperunt. Sed cum crebris eruptionibus [illegible], quippe cum sex millibus, Gallorum maxima ex parte, [illegible] referta, abiere illi die ejusdem Aprilis 25, [illegible] adverso sita cepere Pontem Sturæ & novam quæ dicitur Astæ urbem. Magnum hic nuntius gaudium Regi dedit, ita ut & febris ejus conspicuum in modum [illegible] imminuta. Ad Ducem Vinariensem eunt IV promissi ei millia. De pecunia ad novum militem e Germania & Helvetiis scribendum ei attributa centum millia scutatorum jam accepit. Per absentiam Chavigniaci significavi Labardio res Bannerii: ab ipso Bannerio non minus quam a multis in Germania primoribus & civitatibus exspectari ut Rhenum Dux transeat. Id si fiat, etiam Suediæ Reginam curaturam ut supplementa ad D. Bannerium veniant rebus magis gerendis sufficientia. Dixit Regi quoque id placere ut Dux trans Rhenum arma inferat. Dubitant tamen alii. Ad finem Hispaniæ, itemque Belgicæ nihil dum agitur. A Belgico fine rediit modò propinquus Cardinalis Millereius. Renuntiat nihil agi posse ob infrequentem militem, penuriamque & humani victus & pabuli. Ab Vlma literæ nuntiant res ibi satis trepidas. Est ibi suspicio in arcano morte affectum Gotzium. Pontifici mortem prædicunt Astrologi, genus hominum quod Romæ & vetabitur semper & retinebitur. Id multorum spes metusque commovet. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res cunctas ad bonum dirigat Christiani Orbis, Reginæ, Regnique Suedici ac Tuæ Sublimitatis. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

55 Rectè ad me pervenerunt quas Excellentia Vestra 25 Aprilis ad me dedit literas. De pecunia Suedis debita res bene procedit. D. Erlachius Ducis mandato convenit cum Ministris Regiis. Qualis fides Ducis erga Regem intervenerit, tegitur. Interea accepit Dux IV Gallorum millia, & pecuniam ad conducenda IV alia millia è Germanis & Helvetiis. Ejus pecuniæ jam centum Scutatorum millia ei numerantur. Laboravi apud Regem Regisque Ministros ut cum his ac suis veteribus copiis Dux, qui & equitatum auget nunc, trans Rhenum eat. Bellè promittunt. Quid futurum sit, dubito. Certè ab Vlma literæ ostendunt à multis id sperari. Eædem literæ Gotzium in arcano interemptum putant. Bannerii res prosperiores esse quàm fama pertulerat, ut ipse gaudeo ita & gaudii participes eos qui in hac sunt Aula feci: ac spe bonorum ibi processuum vel maximè usus sum hos homines ut excitarem ad distrahendam hostium partem: addidique, si id seriò hic curatur, Reginam vicissim Suediæ facturam quod suarum esset virium, in augendis Bannerii copiis. Helvetii parum in commune constituunt. Partes duæ sua seorsim capiunt consilia. Rhætorum Legatus ab Hispania in reditu est. Sed, quanquam bona verba dante Leganesio, neque ad tuendam Regionem Mediolanensem, neque ad usus ipsius Hispaniæ (utrumque enim poscebantur) quicquam dare militis volunt Rhætii, nisi sub suo imperio videant Vallem Telinam. Planè bona datur Gallis occasio delendi priorum offensarum memoriam, novarum, quæ plerunque magis urunt, injuriarum comparatione. Hassi an plus nobis mali facturi sint nescio. Certè quod hactenus nobis nocuere, non parum est. Scriptum illud Scoticum vix permittit ut sperem, quod tamen Scotos hic quosdam sperare video, brevi desæviturum illud dissidium inter gentes duas quas sub uno Rege magis magisque indies coalescere oportuerat. Tum verò audio non admitti à Rege exteros concilia[illegible]. Qui hic est à Venetis Legatus, non putat tam le[illegible] dicit pre[illegible] credibile est non [illegible], [illegible] Et sanè cresse bello [illegible] cum [illegible] Per Saltumam. Bisirreldium nec [illegible], nec audivi de [illegible] quam. Gratias habeo pro exemplo Traumansdorfianæ epistolæ. Non est [illegible] D. Salvius [illegible] Conventum ac seorsim à Gallis indicti [illegible] pacis ipeure [illegible] debeant. Cæterum spes magna quam de Daniæ Rege conceperunt Cæsariani, suspectam ejus Regis [illegible] præsertim tanto nisu ingestam, nobis facere debet. Lanæburgici futuri sunt temporum [illegible] homines. Quis autem ille est quem Traumansdorfius arguit magna mercede, pro Gallica, emi ut bellum alat, Bannerius ne, an alius dubito. Batavos de captivorum permutatione aut redemptione aliisque similia interdum cum hostibus loqui, credo. Inducias eos seorsim à Gallis cudere ut credam nec fides futurorum cum Gallia federum sinit, neque Reipublicæ [illegible] constitutio, in qua vix quicquam clam agi possit. Solent tamen sæpe Batavi de [illegible] metum induciarum incutere Gallis, quo majus amicitiæ suæ pretium faciant, & Gallis, in implendis promissis oblivionem morasque excutiant. Contra verò Galli non modo de induciis, sed & de rebus minoribus quicquam illic agi sine sua conscientia morosè satis ferunt. Sed talia inter socios frigusculа facilè sanat mutuæ opis indigentia. De diplomate Hispanico pro Batavis nihil dum intellexi. Si quid compertero, scribam. Ab urbe Taurinorum abiere Hispani eoque ostenderunt spem suam in seditionibus fuisse positam, quæ paucorum supplicio repressæ nihil efficere potuerunt. Aprilis 13 ad eam urbem se admoverant Hispani: ejusdem mensis die 25 discessere. Medio tempore tribus ex locis urbs pulsata machinis: sed & crebræ factæ sunt eruptiones & pugnæ, quippe cùm in urbe essent sex Gallorum sociorumque millia, obsidentium verò equites plus ter mille, pedites plus decies mille: qui exercitus, desperato obsidionis istius successu, ad loca minora se retulit, cepitque Astam novam & Pontem Sturiæ. Millereius ad finem Belgicum bellaturus jam Samaram transiit, quem nunc Somam vocant. Habere autem secum dicitur XV militum millia. Helvetiorum sex nova millia jam Burgundiam transierunt, ac eis paucos dies hic erunt. Legi his diebus Tomum tertium Veritatum Gallicarum contra Hispanicas calumnias, juvitque me frequens ibi Excellentiæ Vestræ cum merito honore mentio. Lenem ac placidam senectutem Excellentiæ Vestræ domumque felicem seriis votis opto. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Excell. Vestræ meritis ad perpetuum cultum obligatus H. G.

MARTINO RVARO.

Svnt, interdum, Vir eruditissime, fortunata quædam infortunia, qualia mihi nonnunquam evenerunt. At nunc etiam in libris quos ad me bis misisti. Nam prior eorum congeries, quæ periisse credebatur, paulo ante hanc secundam ad me pervenerat, ejusque partem alteram retinueram mihi, partem alteram Mercerio dederam. Legi omnia: reperi non pauca cum iis quæ ego in meos usus observaveram consentientia: dissidentia ab iis quædam, sed quod maximi facio, plena omnia iis monitis, quæ ad emendandam vitam valent plurimum: cujusmodi scriptorum cara hoc seculo est annona. Missa posteriùs congeries eorundem librorum jam nunc ad me pervenit, cum uno, quem non videram libro, Ethices compendio: in quo multa sunt docta, multa ad vitam utilia. Nimis in quibusdam ἀριστοτελίζει [*Aristotelem sequitur*]. Verùm hoc ipsum quoque deprehendisse, sed morte præventum emendare nequisse ex præfatione disco. Hujus libri alterum exemplum mihi meisque retineo. Mercerio dedi alterum. Cæterorum 1166
verò

verò librorum quos jam videram, exempla dedi V. N. Theophilo Milleterio, qui olim inter reformatos partium prope dux, nunc dogma de justificatione & piorum operum ad salutem necessitate multis libris defendit, invictus adversus offensas. Est discipulus Cameronis. Altera exempla missorum posterius librorum dedi D. Cordesio Præsbitero moderatissimarum in Religione sententiarum, cujus cura nobis Hincmari & Cassandri dedit opera. Gratias autem tibi ago pro duplici liberalitate, tam meo, quam aliorum, qui ista acceperunt, nomine. Si quid à me vicissim proficisci poterit, tibi aut iis quos amas carum, semper expositum vobis erit. Deo, quod me duobus, quorum ad vos fama pervenit periculis eripuit, sicut gratias agere debeo, ita te mihi ea in re esse adjutorem multum gaudeo. Tetigerunt me vicissim vestra mala, quibus utinam levamenti aliquid per me evenire possit. Quod si opera mea non est ad eam rem, quam vellem, efficax, preces certè ad Deum pro vobis confido irritas non fore. V. N. Iuanicium optimumque Hirtenium amo, ut certè debeo: meque ab ipsis mutuò amari & credo & gaudeo & facio magni. Exigua sunt pro animo quæ ex exhibui animi mei testimonia. D. Pelsius scio ea est bonitate, ut si qua in parte solari vestras calamitates possit, non sit id omissurus. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Tuus ex animo H. G.

VINCENTIO FABRITIO.

1167 PErvenere jam nunc ad me, poëtarum suavissime, poëmata tua, quorum tam varia, tamque jucunda lectione ita sum delectatus, ut & sæculi causa gaudeam, ac privatim, pro inscripta meo nomini parte, gratias agam quantum possum maximas. Digna sunt tua omnia quæ conjuncta legantur, non tantùm cum eruditionem venerantium, qualis ego semper fui, semperque ero, sed eruditissimorum virorum nominibus, famamque iis dent & ab iis vicissim accipiant. Revocasti me ad juventutis meæ memoriam, cum solebam severiora studia, talia non præstando, sed conando, interstinguere. Tantum hæ tuæ prolusiones dederunt nobis ingenii tui gustum, ut non dubitem cuicunque te arti dederis, in ea mihi de te maxima polliceri. Ego si quanti te æstimo aliter ostendere quam verbis possem, verbis non uterer. Vale vir nosci dignissime. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Tuus tibi obligatissimus H. G.

I. FREDERICO GRONOVIO.

1168 ACcipio jam nunc, Gronovi doctissime, & Casauboni epistolas, & quam proximè Casaubonianas pono, tuam. Casaubonianas inspexi, misique illico ad librarium. Neque verò differre responsum meum, id est, gratias quas pro jucundissimo utilissimoque munere debeo, donec illas recepissem legissemque æquum judicavi. Satis se commendat liber Casauboni ac tuo nomine. Ego verò eorum, quæ in hac vita mihi felicia contigerunt, inter prima numero, viro illi non minùs pietate, probitate ac candore, quàm in immensum patente eruditione conspicuo, carum me fuisse. Deinde in difficillimis temporibus me ipsius potissimùm, & eorum quos ipse probabat, usum consiliis. Ad ea ego tempora animum non tristis refero. Latratus autem illos de quibus scribis, planè non curo, contra quos præsidium maximum est in boni propositi conscientia, deinde in ejus laudatore Casaubono: quod si illi viro tanto non defuere obtrectatores, non jam dico in Ignatiano grege, sed apud Batavos nostros, quid mirum est si nos tam præclara vestigia secutos paria sequuntur? Ipse etiam Erasmus habet nunc ibi suarum virtutum admiratores: at certè dum vixit, nullis minùs quàm suis fuit cognitus. Quare & ubivis potiùs locorum quàm ibi potissimam ætatis suæ partem voluit agere. Hæc autem dico, non quod non suum ponam pretium egregiis cuique [illegible] quæ ibi sunt ingeniis: sed quod [illegible] legendo, de[illegible]de & experiendo didicerim, ubique terrarum nullam frugem facilius provenire quàm ingratorum hominum. Brunium nondum vidi, neque de eo quicquam scio. Pute[illegible] tres satis ex operibus tuis te norunt, suntque [illegible] talium æstimatores; alioqui si opus fuisset libenter [illegible] dicis [illegible] præstitissem officium. Nunc cum id opus non [illegible], tamen si quid agendum hic habes, en assiduus eorum appellator. Si verò, quod malim, ipse huc veneris, videbis me neque contractæ olim Hamburgi amicitiæ, neque recentium tuorum in me beneficiorum immemorem. Vale & ornare sæculum perge. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Meritorum tuorum non ingratus æstimator H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MVltus per urbem sermo est de conatu Cardinalis, 1169
ut regimen Galliæ Delphini Parlamentario decreto accipiat, si quid Regi, de cujus valetudine non quæ vellemus judicant medici, humanitus evenerit. Aiunt adjecisse fratrem Regium, opposuisse se Reginam conquerentem id si fiat, se vilem fore, nec aliud sibi superfore quàm reditum in Hispaniam. Haud dubium est quin si quid accidat tale, Parlamentum Parisiense, cujus ab antiquo jus est Regni regimen in pupillari Regum ætate mandare, suffragaturum sit Reginæ, odio rerum præsentium & ingenti pacis cupiditate. Regis quoque animus per concionatorum orationes vehementer per hos dies ad pacis desiderium impulsus fuit. Dixit ei Cardinalis pacem si nunc velit Rex, esse eam in Regis potestate. Cæterùm si aliquantisper sustentet obtineri pacem posse mansuram & Regi, & si quid Regi accidat, Delphino. Id Regis animum sedavit nonnihil. Verùm dici vix potest quantopere & novarum quæ in dies crescunt onerum, & militaris licentiæ omnium ordinum homines tædeat. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, florentem servet Tuam Sublimitatem. Lutetiæ 7 Maii 1639.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

REdit ad Augustam Majestatem Tuam tribunus Sou- 1170
chius, Vir, quantum ex sermonibus actibusque cognovi, ingenio ac prudentia supra militem valens, Augustæ autem Majestati Tuæ omnique rei Suedicæ optime ex animo volens. Non dubito, quin sicut antehac Majestati Tuæ suam fidem, operamque approbavit, ita idem porrò sit facturus, putoque ei & quæ credita sunt antehac & his majora non tutò tantùm, sed & cum publica utilitate maxima posse credi. Hoc ipsum, cæteraque ut bene veniant Regiæ Majestati Tuæ Deum, Serenissima ac Potentissima Regina Domina Clementissima, ex animo precor. Lutetiæ 4/14 Maii anni 1639.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

D. MARESCALLO DE LA GARDE.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

CVm ob virtutes plurimas, maximè verò fidem in Regnum Suedicum, industriamque in rebus agendis tribunum Souchium magni meritò faciam, tum etiam

etiam facio pluris quod ex beneficiis Tuæ Sublimitatis & creverit & crevisse se libenter fateatur. Neque verò dubito, quin Sublimitas Tua opus suum sit tutatura, virumque nec indignum nec ingratum porrò ornatura, quod ipsum è re fore Regni Suedici confido ac confidere me testor libenter, Deumque rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati cuncta det prosperrima. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Maii 1639.

Subl. Tuæ cultor devotissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1172 ET fidem D. Souchii in rem Suedicam, & acre parque magnis negotiis judicium satis prædicare non possum. Injuriam tamen fecissem, non tam ipsi, quàm Regno Suedico, nisi ei libenter admodum summarum virtutum testimonium reddidissem. Scio quidem ipsum & factis suis & sermonibus satis posse nosci, neque dubito quin ut talis jam innotuerit Sublimitati Tuæ. Ego tamen, quod mei est officii, reticere non debui esse in eo & Gallici ingenii vigorem & Suedici constantiam, raræ felicitatis temperamento. Quare non tam commendatione mea quàm votis eget, ut cuncta etiam ipsius ministerio, Excellentissime & Illustrissime Domine, bene Regno, bene Reginæ, bene Sublimitati Tuæ proveniant. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Maii 1639.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1173 IN Augustam Taurinorum non videntur præcipuè directa fuisse Hispanorum consilia, sed tantùm an quid ipsis utile quæ in urbe est fratrum duorum factio ferre possit. Cæterùm Casalis obsidionem videntur animo agitare, capta jam & Asta & Monticalvo. Transiere Alpes Gallorum equitum octingenti, peditum octo millia ex Languedocia; alii milites ex Delphinatu & Provincia eodem mittuntur. Ita illuc versæ sunt Gallorum curæ ac vires, ut alibi nihil dum agatur. Quid moliturus sit ad finem Belgicum Millereius, nondum liquet. Fuit apud me Bysterfeldius, quæsivit an missura esset aliquem Suedia ad Transilvaniæ Principem; id enim & Gallos percunctari, ut quid sibi faciendum sit possint decernere. Dixi intellexisse me, non alienam à mittendo esse Suediam, modò clarè conspici possit Principis illius propositum; metuendum enim esse ne fama duntaxat oblatarum societatum frui velit, ut ab Imperatore commoda quædam obtineat. Quam suspicionem ipse non carere quidem suis rationibus fatebatur, sed tentabat eam diluere, tum ex studio ejus Principis ad tutandas per Hungariam res Protestantium, tum quod non expediret ipsi in offensas Turcici Sultani incurrere. Hæc tamen non talia sunt, ut me intacto per tot ambages negotio securum esse patiantur. Doleo valde magis magisque accendi Anglorum Scotorumque dissidia; horum verò affectionem ita cuncta Scotiæ invadere, ut etiam qui Regias partes tutati fuerant coacti sint, nisi exsulare & bonis exui vellent, addere se insanientibus. Hamiltonius à Scotis accusatus, ut patriæ contemtor, scripto se purgavit, sincerumque suum pro pace laborem demonstravit. Anglorum Procerum eorum qui Puritani vocantur duos eminentissimos, & capita haud dubiè futura partium, si quid in Anglia motus exsurgeret, in custodiam dandos Rex, dum Eboraci substitit, censuit. Idem Rex epistolas misit ad Regni sui nobiles, pecunias ab ipsis mutuas rogans. Quæ ratio faciendæ pecuniæ, citra Conventum Parlamentarium, libertatis quàm Regis amantioribus quibusdam non placet. Scripsere ad eundem Regem Helvetiorum Protestantium civitates, pacem ei internam commendantes, etiam ob publicum Europæ bonum. Agere sincerè eos arbitror. Verùm ego id non magis profuturum puto quàm operam ad pacificandum oblatam à Daniæ Rege & ab Arausionensi Principe, à Rege autem non acceptam, aliena in suorum Regnorum negotiis arbitria recusante. Dux Vinariensis, ut puto, Brisaci est etiamnunc: militibus ejus dedidit se Hippolyti oppidum. Nunc Thanum iidem obsident. Arces autem quædam circa Salinas Guebriano cessere. Brisacum munitur profunda fossa operibusque aliis. Rhæti Legati in itinere sunt. Interim turbatur in Valle Telina, ingressis eò per vim quibus exsilium indictum fuerat, & Hispano non tenues copias proximè eam Vallem habente, ad impediendos Rhætos, si armis eam possessionem velint repetere. Difficilem puto fore compositionem inter Viduam Sabaudam & pupilli patruos, controverso tutelæ jure. Tamen in id laborari à Pontificis Ministris audio. Militis Regii mira hic est licentia. Sub ipsas Lutetiæ portas spoliantur de die viatores, ne dissimulata quidem, ut fieri solebat, figura raptorum, qui tamen impunè id ferunt. Tum verò ob novas gravesque capitationes & hac aliisque urbibus decedunt. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Reginæ, Regno, Tuæque Sublimitati felicia omnia. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Maii anni 1639.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MEdicus Regis Bovarsius dixit Regi nihil certi affirmare se posse de Regis valetudine, si Rex publicis 1174
negotiis se ultra immisceat. Id à Cardinali dictatum creditur, ut viam sibi paret ad Regentis titulum, sicut alia ex parte multis modis Pontificem territat, ut Legati perpetui jus ab eo obtineat. Sic conjuncta potestate utraque civili & ecclesiastica, sperat futurum ut ad potentiam quam nunc habet adjungat etiam nominis fulgorem jurisque speciem. Quod quò sit evasurum, videbimus. Tuæ Sublimitati, Excellentissime & Illustrissime Domine, omnia quàm felicissimè succedant bono Regni Suedici reique Christianæ. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Maii 1639.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

CUm scirem Regem à S. Germani vico discedere velle 1175
Chantiliacum, deinde porrò Compendium, quò vicinior sit exercitibus ad Belgicum finem bellum gesturis, mori morem gerendum censui, ut ipsi valedicerem, quod feci heri, simulque ei redditam valetudinem, quam valde prosperam esse & dicebat ipse, & vultus sermoque solito expeditior testabantur, gratulatus sum, & prælii ad Chemnitium historiam ipsi particulatim exposui, cujus cognitione multum lætabatur, dicens omnia Reginæ nostræ bona abs se ut sua sentiri, amicitiæ constantis ac federis jure. Quærebat item de Praga, ecquid haberem certi. Ego qui sollicitè semper caveo, nequid temerè affirmem, ut fides mihi apud Regem constet, dixi nihil de ea compertum mihi: sed cùm urbs sit vasta magis quàm munita credibilia mihi, quæ de ea prosperis rumoribus vulgabantur. Ostendi quantæ spes hanc victoriam sequerentur, ita tamen ut metum quoque non demerem, si Gallassius, Hatzfeldius, fortè & Piccolominæus recollectis animis viribusque Bannerium assultarent

rent aut includerent, nisi alia quoque ex parte negotium daretur Cæsarianis, quam ob rem orare me non modò curaret præstari ea quæ Duci Vinariensi promissa essent, sed etiam eum excitaret ad arma trans Rhenum ferenda, magna successus spe ob infensos Austriacis multarum civitatum animos. Rex de civitatibus ostendebat se credere, ac pridem res per Germaniam non fuisse nobis luculentiores. Piccolominæum non iturum quidem dicebat contra Bannerium, sed missurum eò copiarum suarum partem. De Duce Vinariensi facturum se quicquid posset. Nuntii à Pontifice extra ordinem huc veniunt duo, alter ad pacem commendandam, alter ad tollendas illas quæ Galliæ cum Roma intercedunt controversias. Exercitus Rex in his partibus tres habet sanè speciosos. Millereius ad Ayram est non longè à Teruana, habet sexdecim peditum, quatuor equitum millia. Accepit tamen damni aliquid improspero excursu Gassionum, id duobus notis fortitudine ducibus nomen est. Ad Luxemburgicum finem duodecim ferme peditum, tria equitum millia habet Feuquerius. Castilionæus autem pares his copias habens iit versùs S. Quintini oppidum, ubi hostile agmen apparuit. Cùm & Rex ipse, & Cardinalis se ad illum limitem promoveant, dubitari non debet quin magni aliquid agitetur.. Quod si cum Batava classe classis se Regia sub Archiepiscopo Burdegalensi conjunxerit, dabitur in Flandriæ maritima aliquid moliendi occasio, dum Angli, id alioqui impedituri, domesticis malis distinentur, bellum tamen parantes adhuc magis quàm gerentes. Iidem Angli si præsidio esse volent venientibus ab Hispania Dunquercanis, cogentur Batavi vim illis opponere: quod haud dubiè velit Hispanus. In Italia jam nihil Gallis restat præter Casale, cui famem facere hostis conatur, Taurinorum urbem & Pignerolum, ubi jam Gallorum sex millia transiere Alpes, sequentibus & aliis. Duce Longavillano progredi jusso, cùm dubitaret an pergendum sibi esset post exemtam periculo urbem Taurinorum, Rex dixit se in has partes intra menses quinque non rediturum. Comes Licestrius huc rediturus est. Conduxit enim ædes mihi pervicinas. Ei priusquam decederet Rex placere sibi dixerat Principem Casimirum cum Principe Roberto commutari, si idem Ferdinando placeret. Sed qui res hic gubernant, quod cum ipsis ea de re actum sit nihil, verbis talibus Regis, ut non præmeditatis, pondus ac vim detrahunt. Verùm ejus rei quis futurus sit successus, tum apparebit ubi venerit huc Licestrius. Labardius Chavigniaci propinquus ac minister præcipuus Legati honore ad Batavos it. Per hujus Chavigniacique absentiam, quis externorum negotiorum curam sit accepturus, intenta exspectat Aula. Propositum Regi fuit, si pecuniam ad eam rem dare velit, posse colligi exercitum ad sexdecim millia, sub cujus tutela Clivia & Iuliacum eisque vicina hinc Leodici, inde Westfaliæ loca liberentur ab insessione Cæsarianorum aliorumque. Sed cùm talis exercitus futurus sit neutrarum in bello partium, non placet id Regi, qui sibi scribi militem mavult. Vidua Mantuana dicitur Montisferratense territorium clam alienasse in Hispanum, accepta ab ipso vicissim Cremonensi ditione, quæ Mantuanæ est vicinior. Quin ejus feminæ animus ad Hispanum vergat, dubium non habetur. Imperator contra testamenti tabulas pupilli Ducis Sabaudi tutelam Cardinali Sabaudo ac Principi Thomæ permisit: & quæ urbes Pedemontanæ ditionis se illis dediderunt, in eam jurarunt formam. Bavaricæ copiæ circa Donavertam coëunt sub Glenio & Mercio ad XIII millia. Vinarienses post S. Hippolyti oppidum, Francimontium quoque & Novum Castellum ceperunt & Lotharingicos quosdam milites in Comitatum Burgundiæ irrumpere parantes damno affectos repulere. Guebrianus modicas arces apud Salinas cepit. Lilerium autem Flandriæ oppidum Millereius. Thanum adhuc à Gallis obsidetur. Deus Excellentiam Vestram, domumque ejus ab omnibus malis intactam servet. Lutetiæ 11/21 Maii 1639.

Excell. Vestræ perpetuo cultu advinctissimus H. G.

MARTINO OPITIO.

IActatum te multis fortunæ æstibus tandem venisse ad 1175
portum sedemque tranquillam, Vir Amplissime, & Tui, ut amici perveteris, & literarum, quas feliciter excolis, causâ gaudeo. Neque illud minùs, quòd quæ mandata tibi sunt à Serenissimo ac Potentissimo Poloniæ Rege negotia otii tibi relinquunt ad edendos, ut soles, pulcherrimos ingenii tui fœtus. Horum utrumque, ut perpetuum maneat tibi, Deum precor. Nobis in hac Legatione nihil est dulcius, quàm quòd in urbe vivimus & librorum & eruditorum hominum plena, quodque post id quod rebus Suedicis debetur, temporis non parum nobis superest, quo aut discam aliquid, aut memoriam eorum quæ olim didici nutriam. Neque enim ita Mars invasit seculum, ut non sit & lectu digna scribentium & scripta legentium larga seges. Vir doctissimus Iacobus Sirmondus dedit nobis non ita dudum tres Tomos Conciliorum Galliæ, utilem Librum; & nunc, quanquam Regis confessionibus præpositus, Theodoretum nobis proludit, & Hincmarum promittit multò quàm ante ampliores. Etiam Cyrilli opera habemus & in iis multa hactenus inedita, etiam Græca adversùs Iulianum studio ac labore Auberti. Prodiere & Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sed statim notatæ gravi Censura Cardinalis Rupifocaldi, & Episcoporum aliquot, quanquam desumtæ ex Actis Parlamentariis. Lugduni non quiescitur, in Batavis dico:

Τίς δ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι

[*Quisnam ipsos deorum contentioni commisit pugnare*]?

Heinsium dico, & Salmasium. Vidisti enim credo hujus de Vsuris librum primum, cui duos attexet alios, in quibus multa Heinsii reprehensio. Iam & Heinsianas in Novum Testamentum notas exspectat Salmasius, tanquam Mirmillonem Retiarius. In edendo ad Epictetum Simplicio pariter ad palmam concurrunt. Excitabit hoc veternum pridem partæ famæ indormientem Heinsium, ut fiat Hesiodeum illud: ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι [*contentio verò hæc etiam utilis, mortalibus*]. Iam verò immensi laboris judiciique Vossius magnum nobis volumen de omni Theologia religioneque Gentium molitur. Barlæus verò pergit Claudianum provocare carminibus, & nunc nobis exhibet Amstelodami exceptam Regis Galliæ Matrem, pariter & suæ urbis, & ingenii sui vires ostendens Orbi. Sunt & duo in Batavis Germani juvenes, dicerem supra Germaniæ saporem, nisi tu pridem Germaniæ crassitiæ labem abstersisses: horum Gronovius Criticem cum laude exercet: Poësin Fabricius, digni qui noscantur ambo. De publicis quid dicam? Ægrotat cum Ecclesia Pontifex, regnat sub alieno nomine Cardinalis Richeliacus, navigant Batavi, capit urbes Vinariensis, cædit hostes Bannerius. Pax interim à nobis fugit iniquo seculi sidere, quod & Scotos nuper Anglis commisit. Scoti exactis Episcopis populare regimen introducunt in Ecclesiam, quod exemplum ne & ad Imperii res transeat, & inane nomen sibi relinquatur, Rex metuit. Galli & Batavi spectati diu ab otiosis Britannis nunc illos domi negotium habentes vicissim spectant. Apud vos fervent, ut video, de vectigalibus certamina, invidentibus Regi Poloniæ novas opes etiam iis, quorum opes eo quæstu constant. Ego civitati in qua nunc vivis, optimè volens, malim dissidium hoc domesticis colloquiis, quàm externis arbitriis componi. Turca magis magisque in Persiam incenditur, neque puto nunc quidem esse, cur quicquam ab eo sibi metuat Imperator. Magnum Regni Suedici Cancellarium mare hoc anno transiturum non puto,

puto, belli rebus satis bene per Bannerium procedentibus, pacis autem spe nulla. Rex Daniæ qua nunc est ætate ac rerum peritia velim cogitet illud *καλὸν ἀσυχία* [*pulchrum quies*]. Non puto inter nos & ipsum rem in bellum prorupturam. Sed ex veteri æmulatione suspecti mutuò vivimus. De Cosmographico libro, cujus mentio est in epistola tua, locutus sum fratribus Puteanis. Aiunt, se arbitrari eum esse librum, quem utendum olim Bertio dederant, ab ejus vidua se repetituros. Ego interpellare non desinam. Vale Vir doctissime. Lutetiæ ¹⁄₁₁ Maii 1639.

Tuæ Eruditionis non ingratus æstimator H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1177 Faciam quod mei moris non est, sed fieri nunc multum solet, & à privatis incipiens in publica desinam. Intelligo mandatum esse Excellentiæ Vestræ ut partem dimidiam ejus quod mihi debetur, id autem ad XL ferme florenorum Francicorum millia pervenit, salario per biennium non soluto, factis præterea impendiis, mihi persolvi curet ex Gallica quæ hoc tempore isthuc pervenit aut perveniet pecunia. Id si ita sit gaudebo, primùm quia pecunia opus habeo, consumptis quæ de meo cum damno non levi huc perduxi; deinde quia beneficii debitor nemini futurus sim libentiùs quàm ei quem mei supra omne meritum amantissimum pridem cognovi. Quod si aliter res habet, id quoque scire quamprimùm velim, ne vana spe lacter & aliunde mihi consulendi occasiones amittam. Pro literis Excellentiæ Vestræ datis ¹⁄₁₁ Aprilis gratias ago maximas, nihilque malim quàm sæpiùs tam prudentibus epistolis doceri quæ geruntur, quod tamen sine incommodo Excellentiæ Vestræ rerumque magis urgentium dispendio fiat. Alioqui satis mihi satisfaciet vicaria alterius opera. D. Mullerus mea hac in re desideria abundè implevit, cui in Suediam digresso iter cunctaque alia prosperrima opto. Mareschalli Bannerii res magnæ sane sunt læteque acceptæ in hac Aula, apud quam non desino id agere quod pridem ago, orare & monere Regem Regiosque Ministros, ut Duci Vinariensi dentur quæ opus sunt non modò ad sua tuenda, verùm etiam ad transmovendum in penitiorem Germaniam bellum. Spondent se id facturos, & copiæ quidem ad ipsum missæ sunt ad IV Gallorum millia, tum pecuniæ ad conscribendos Germanos totidem. Sed Imperatorne ipsi an ipse Imperatori definiturus sit arenam certaminis nondum liquet. Galliæ virium partem maximam ad se trahit Italia. Arnimbius quam in fabula quæ nunc agitur personam sumpturus est, brevi sciemus. Davus esse solebat. Curtius fortè per Dantiscum Viennam redibit desperata pace, quanquam nodum illum maximum de diplomate pro Batavis explicatum audio, sed nescio in quam formam. Rex Daniæ, quantum ego judicare possum, hac sua ætate, tam bonis Suedicis rebus, nobilitate Danica & Holsatica quietis amante, vi armata in nos non incurret, sed moliendo aliqua, ostentando plura, sperat se metum sui Suedis posse incutere, quo commoti ad pacta veniant. Unde honos & commoda ad Imperatorem, ad ipsum verò Imperatoris gratia redundet. Sed dici ei à Suedis potest quod in Æsopeo est apologo, alios ista Leonina pelle territa, nos te novimus. Tentantur Reges hoc seculo omnes vectigalium dulcedine, populis maneat inanium querelarum libertas. Si tamen aliquid mercium onerandum est, minore cum invidia id fiet in illis quæ ad hominum exitium comparatæ sunt, quàm in iis sine quibus non vivitur. Batavi ad duos Reges vectigalarios mittunt Legationes, sed quarum præsagio exitum quem indicat Excellentiæ Vestræ epistola. Daniæ Rex & piscandi jus in Arcticis insulis controversum Batavis facit ea sibi vindicans, quæ ubi sita sunt non satis novit. Cætera ex literis ad Magnum D. Cancellarium Excellentia Vestra cognoscet, cui omnia opto prosperrima. Lutetiæ ¹⁄₁₁ Maii 1639.

Excell. Vestræ omni cultu observantissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

AD Albiniana jam esse Excellentiam Vestram ex literis ejus XV hujus mensis datis cognovi. Neque dubitò 1178
quin & secessus hujus & cæterorum consiliorum Excellentia Vestra justissimas causas habeat. Deum ut ea omnia in bonum publicum Excellentiæque Vestræ vertat rogo. Illud verò vel maximè, ut in Legatione tanta cum laude, tanta cum Regni utilitate obita, retineri ipsa possit: quod cùm precor, meum quoque gero negotium, qui à tantæ prudentiæ peritiæque collega plurima & didici & discere potero. Dux Vinariensis ipse quidem Brisaci est, ni fallor, at copiæ ejus adhuc in Comitatu Burgundiæ hærent, ubi S. Claudii oppidum vi cepere. De Bannerii successibus multum gaudet hæc Regia. Sed ut maneat nobis hæc felicitas, distrahi ab eo partem hostilium copiarum & satis vident ipsi, & ego monere non desino. Sed Romanæ auræ adversùm nos flant: venitque jam huc novus Nuntius qui fascias cunales à Pontifice benedictas adfert. Batavi non in hoc tantùm mari, ubi insignem expeditionem gravis sumptus sustinent, sed & Brasiliæ in locis difficile habent negotium. Rex tamen non desinit quantum potest eos excitare, ut etiam terra agant aliquid, partemque Hispanici militis à Rege avocent, quò meliùs procedant Regi illata in Flandriam arma. Ad Hesdinum enim jam & flexuosis itineribus accedi & machinarum incursu res geri cœpit. Moram facient egregia oppidi munimenta sex propugnaculis, partim & palude defensa, ultraque lunatis operibus, fossa aquosa, deinde vallo exteriore. Sed præsidii non ita multum est, ad novem centurias & agrestium sexcentos. Pars enim præsidii missa fuit jam ante ad S. Audomari oppidum, quod periclitari credebatur, sparsa à Gallis eò se ituros fama. In Italia agris potitur hostis, Casale undique circumvenit, apto loco obsidet Trinum, nulla vi obvia, Gallis pro occasionum celeritate tardè Alpes transeuntibus. Pro rebus Suedicis, quas nuntiat, Excellentiæ Vestræ gratias habeo. Daniæ Legatos in Suedia nihil egisse & audio & credo. Quod Bremæ fecit Archiepiscopus satis violentum mihi videtur, neque novis motibus egent per Germaniam res Protestantium. Bannerius spero in tantis successibus memor erit suæ securitatis potiorem esse curam debere, quàm ulciscendi hostis. Turcam puto seposuisse ad tempus cogitationes de nostro orbe; videtur enim Persam magis magisque inflammari, ad quam rem nova causa accessisse dicitur, petita in ipsa Babylone vita ejus Persarum insidiis, qui cum pulvere bellico cuniculum Mosqueæ subdiderant, in quam festo die venturus Sultanus credebatur. Sed eum imber & bonum fatum domi detinuit. Cuniculus suo tempore crepuit & qui doli auctor fuerat supplicium evasit facta sibi manu morte. CXXX servi navem longam Turcicam, occisis qui conscii non erant, suæ potestatis fecere, repertaque per Hellespontum fuga lucrati sunt libertatem. Ad Anglorum & Scotorum concordiam nihil dum spei video. Optare tamen eam non desino. Sine Regia auctoritate privatos Anglos suas naves locare ad perducendos Dunquercam Hispanos & pecuniam, hic rumor est. Qui si est verus, sine Regis offensa impugnari illi à Batavis poterunt. Principem Condæum à reditu in Burgundiam arcent adhuc Hispanorum in Galliam molitiones. Itaque ille nunc quoque in Aquitania subsistit. Interim ipse quoque Burgundiæ Ducatus non extra omne periculum est. Duplici enim

via penetrare hostis potest & è valle Augusta apud Taurinos quam tenet, & per Helvetiorum terras, Pontificiis pagis daturis militem, Protestantium autem, si Bernates excipias, nullis satis animatis ut iter vi prohibeant. Certè Sarmientus Friburgi est, ibique tria millia à Pontificiis pagis exspectat, promovetque rem sex mensium prærogato stipendio, Bernatiumque tentat animos. Inter Rhætos & Hispanos gliscunt discordiæ, illis militem in Mediolanensem agrum à se ire non ferentibus, his subtrahentibus stipendia quæ ad castellorum prope Rhenum custodiam dabant: eoque res processit, ut Curiæ Rhætorum deliberetur an duo qui ibi sunt Hispaniæ Agentes retinendi sint, donec Rhætorum qui Barcinone detinentur Legati advenerint, quæ omnia pulchras dant Gallis occasiones, si uti & properare norint. Ravensburgi de bello ad Rhenum deliberant Cæsariani Duces. Deus orandus est seriò ut pacem extorqueat nolentibus, bonam det volentibus. Feuquerius in eo est ut Mosam transeat. Savellius in Italiam it, monasticam vitam acturus. Addam votum alterum pro Excellentiæ Vestræ & valetudine & rebus. Lutetiæ 28 Maii 1639.

Excell. Vestræ perpetuo devinctus observantia cultu H. G.

D. CAMERARIO IVNIORI.

Vir Nobilissime,

1179 GRatæ mihi fuere Nobilitatis Vestræ literæ datæ 16 Maii & quæ iis continentur libenter cognovi, optoque sociis & amicis Regni Suedici omnia felicia. Quæ hic habemus non ita multa, sunt comprehensa meis ad illustrissimum D. Parentem Nobilitatis Vestræ literis. Eas literas apertas ad Nobilitatem Vestram mitto, idemque sum facturus in posterum. Piccolominæum mansurum in Belgicis partibus, sed partem ab eo copiarum ad Cæsarianos mitti hujus Aulæ opinio est. Quo modo se Elector Saxoniæ eximere bello possit equidem non video. Lunæburgici & Brunsvicenses medii esse volent dum nostræ res meliores sunt, si fortuna contra nos stare cœperit ex mediis hostes fient: nam & fides & constantia è Germania emigrasse videntur. Batavi rectiùs mihi facturi videntur, si in Daniam alios, alios in Poloniam mittant, tum ne Regum postpositus fiat ipsis immitior, tum ut eodem tempore res utrobique geratur, communicatis Legatorum inter se per literas consiliis & actibus. Nobilitati Vestræ opto prosperrima. Lutetiæ 28 Maii 1639.

Nobilitati Vestræ ad omnia officia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1180 NOn fuit quàm credebatur leve damnum, quod nuper Gassiones, cùm pabularentur incautiùs, accepere, quingentis suorum amissis, inter eos non paucis qui ordines ducerent. Millereius cum suo exercitu obsidium incepit Hesdeni bene muniti oppidi, partim propugnaculis sex, partim palustri solo, quæ cuncta operibus lunatis, deinde fossa profunda & aquis plena tum vallo exteriore. Præsidium non ita grande est ad centurias militum novem, quibus accessere agrestes ferme sexcenti. Pars præsidii paulò ante obsidium missa fuerat ad urbem S. Audomari, quod eam Galli obsessuri crederentur, de industria vulgato eo rumore. Die hujus mensis 22 duabus è regionibus, quarum altera vetus Hesdinum, altera Monstrolium respicit, cavatis & obliquis ad oppidum viis accedi cœptum est. XXIII machinæ dispositæ ad verberandum oppidum, quod contra se tuetur machinis quinquaginta. Rex Cantilliacum abiit, inde iturus Compendium ad lustrandum, qui eo coit, Castilionæi exercitum. Reliquit ad S. Germani Reginam & Delphinum calore nimio laborantem, ita ut missus sit tam parvulo sanguis. Pontifex ad Delphinum fascias cunales benedictas misit per Nuntium Scotium qui Bologneto in munus Nuntii hic ordinarii succedet. De adventu alterius Nuntii, pacis causa, hæret adhuc negotium. Dux Bernhardus Brisaci est: miles autem ejus in Comitatu adhuc Burgundiæ versatur, cepitque ibi impetu S. Claudii oppidum. Princeps Condæus ne in Ducatum Burgundiæ rediret, retentus in Aquitania fuit Hispanorum in Galliam molitionibus. Dux Valetta cùm ad edicta non compareret damnatus absens fuit ut caput ei abscindatur, bona in fiscum redacta. In Italia Hispanus quæ vult agit & Casale omni ex parte circumvenit. Cepit Conum. Nunc Trinum, bonam urbem, obsidet. Galli lentè admodum Alpes transeunt. Scribitur ex Oriente, Sultanum Turcicum è magno periculo servatum, ideo quod festo die, cùm iturus religionis causa in Mosqueam crederetur, imbre impeditus non ivit, quo ipso tempore magna vi dissiliit factus à Persi quodam subter Mosqueam cuniculus refertus bellico pulvere. Servi CXXX capta in qua servabantur navi longa, qui obnitebantur occisis, fugam per Hellespontum & libertatem sibi peperere. Batavos magna maris impendia ita onerant, ut terra vix magni aliquid aggressuri videantur, quanquam Rege multum excitante ipsos & Arausionensem Principem. In Brasilia res eorum laborant. Pervenere enim ad oppidum Salvatoris sive Sinum omnium Sanctorum hostium naves XL cum multo bellico paratu. Comes qui ibi est Mauritius reditum in patriam sibi concedi obnixè petit. Deo, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam commendo. Lutetiæ 21/31 Maii 1639.

Princeps Condæus Agenni à seditione populari ingens periculum adiit. Nuntius alter qui hic exspectatur Avenione est. Feuquerius in eo est ut Mosam transeat. Savellius in Italiam it Monasticam acturus vitam.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DVcis Vinariensis exercitus Rhenum non transit, 1181
nec ad id peditum satis habet: & quæ ei ad novum militem conscribendum promissa erat pecunia nunc demum ei solvetur. Thano capto hæret adhuc exercitus ille circa Burgundiæ Comitatum. At Feuquerius Mosam transiit, crediturque in obsidione versari Mommedii. Hesdinum à Millereio verberatur machinis. Speratur in potestatem Regis perventurum intra mensis hujus orbem, vix digno tanti temporis impensarumque pretio, nisi quod Gallicis limes ea accessione tutior fiet. Speraverant Batavi majores in ea parte conatus, vereorque ne & ipsi levi aliqua opera defungantur. Rex ad Abbatis villam est. Compendii ægrotat Castilionæus, exercitus ejus ad Guisam pergit. Princeps Condæus arma immittit in Comitatum Ruscinonensem, qui ab Hispanis possidetur, olim Gallorum fuit. Dux Longavillanus hæret Lugduni, milite paullatim Alpes transgrediente. Trinum Hispani jam tenent. Laboravit Chavigniacus, ut à Vidua Sabaudica obtineret Augustam Taurinorum & quinque & aut sex oppida quæ sola Viduæ restant in Pedemontana ditione custodiæ Gallorum tradi, quod reipsa appareret non satis tutò credi indigenis, qui partim suopte ingenio, partim auctoritate Imperatoris moti, qui ad eos scripsit aliquoties, proniore in Ducis patruos quàm in ipsam essent animo: præterea si ad pactiones res veniret, Regem si urbes illas teneat, faciliùs expressurum Hispano ut & is quæ tenet reddat, metu ne & Rex Galliæ restitutionem alioqui detrectet: multis ad hæc verbis persuadere

suadere ipsi laborans fieri hæc à Rege fraterno in ipsam more quod ipsius id interesse crederet. Cæterùm non videntur satis valida fuisse hæc argumenta apud feminam jam nunc ob Gallorum amicitiam odia magna sentientem, neque audentem ea ultra accendere. Quare versis consiliis aliud agitur, ut quæ illa, quæque Hispani tenent in custodiam tradantur Romani Pontificis. Sed qui plura jam locis tenet speratque cætera Hispanus, ægrè eò perduci poterit. Classis Regia Gallorum in Oceano navigat, Hispaniam petitura, an quod multi credunt, junctura se Batavis ad bello impetenda Flandriæ maritima, incertum adhuc. Nostri successus efficiunt ut minus hic curetur Vidua Hassica, quæ arma resumit adversùs Cæsarianos, de quo & Vicquefortius & alii dubitant. Potent id lenire offensas in Estampium, & ei reddere Legationem apud Batavos. Nam Labardius cui ea destinabatur impetravit ut pro excusato habeatur, lucrosiore hic fungens munere. Dux Longavillanus litem instauravit, motam olim à majoribus suis de Principatu Arausionensi, apud Magnum Regis consilium, magis intercumpendæ præscriptionis causa quam quod speret se tam valido possessori eripere Principatum posse. Exspectamus hîc Bexium à Duce Vinariensi. Apparet Gallos ejus Ducis armis malle suum proprium quàm commune negotium geri. Præterea nolunt Galli Protestantium res, per Helvetios & Genevam satis magnas in illis partibus, magis adhuc invalescere, ne aliquando quæ nunc in Gallia oppressa pars est, ea vicinitate reviviscat. Castilionæi de quo dicere cœperam morbus non abest à periculo, ad colicum malum accedente duplica tertiana. E castris ad Hesdinum literæ improsperam ex oppido eruptionem nuntiant, & vineas ad propugnacula oppidi perductas. Hostiles copiæ ad Barburgum coëunt sub Isemburgio Comite. Rex populatores in Flandriam mittit. Rex Britanniarum pecunias quærit & ægrè invenit. Id spem facit Scotis pacis à Rege impetrandæ; interim Parlamentarium Conventum habent nolente Rege. Ea libertatis usurpatio multos in Anglia, pridem Parlamenti avidos, ad paria desideria impellit, quorum animos ne amplius exulceret Rex, qui nunc Durhami est, Savim & Broockium quos in custodiam dederat, libertati restituit. Misere literas Scoti ad Regem, partim purgandi se causa, non sine minis tamen & acerba insectatione eorum qui consiliorum adversùs se principes putantur. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Suediam ejusque Reginam & Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ 4 Iunii 1639.

D. Pelsius qui pro Batavis Dantisci est, manet, ut semper fuit, optimè affectus erga rem Suedicam, multaque utilia ad me scribit. Filii ejus utor opera, fidemque ejus & diligentiam laudo. Princeps Casimirus à Selone Cisteronem translatus queritur locum hunc minùs esse salubrem. Laborat ut in Bastiliam aut silvam Vincennæ Princeps is transportetur juvenis Radsivilius & qui hîc sunt Poloni. Sed proficiunt parum, metuente Cardinali ne quæratur evadendi occasio. Aliæ literæ Principem Condæum aiunt ire Pompeiopolim versùs, quod Navarræ à Rege Hispano possessæ caput est. Vt Niceam maritimam Sabaudiæ urbem tueantur Galli, & naves misere mari & terra militem. Dux Longavillanus quibusdam suspectus est quasi ob affinitatem cum Principe Thoma minùs promoveat res Italicas; hæret adhuc Lugduni. Non plus adhuc una cohorte id est Regimento Alpes hinc transiit, metuentibus id cœlum Gallorum plerisque. Melo in Italia & ad Constantiam parat exercitum contra Alsatiam. Isemburgii ille exercitus jam ad Airam pervenit non longe Hesdino, auxitque S. Audomari præsidium, & Ardresæ. Peregrini à Lugduno, alii Avenionem, alii Genevam diffugiunt. Iam nunc venit ad me Betzius cum literis Ducis Vinariensis, ut una promoveamus consensum Regis, ad permutandos Waertium & Enckefortium cum D. Marescallo Hornio, Tubadelo, Sakafeliskio, quo negotio nullum mihi potuit gratius obtingere. Itaque nulli parcam operæ.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1182 GRatias habeo Excellentiæ Vestræ pro literis 21 Maii datis & pro iis quæ per eas significantur. Vt Princeps Arausionensis magni aliquid hoc tempore aggrediatur, multum in hac Aula optatur. Regia classis bona jam in Oceano est, præsto futura siquid in maritimam hostium oram tentare Batavi velint. Pecunia & ad Ducem Vinariensem & ad nostros jamjam perveniet. Sed Vinariensis exercitus, capto Thano, adhuc res Gallicas magis quàm communes agit circa Burgundiæ Comitatum hærens. Ad Rhenum transeundum nescio an præcepta habeat. Peditatus certe quantum ad id requiritur habet nondum. D. Bannerio video manere cum virtute fortunam. Sed hi ipsi successus nostri Gallos lentiores ad multa faciunt, præsertim in Hassico negotio. Dabo operam, ut multum interpellando ac monendo hunc ipsis veternum excutiam. Si Saxo bello eximi velit, ea utendum erit nostris prudentia, ut iis illigetur quæ receptum ipsi ad Imperatoris gratiam intercludant. Pro Bohemia acriter certabit Imperator, sed & Ducis & militum nostrorum fortitudo omnia me sperare maxima jubent, & solent crebræ victoriæ tum copias augere, tum animos. De Magni D. Cancellarii in Pomeraniam transitu dubito. Video & quæ id suadeant, & quæ id dissuadeant, causas. Galli non quiescunt. Princeps Condæus in Ruscinonensem Comitatum mittit militem. Feuquerius trans Mosam stat & Mommedio obsidium minatur. Hesdinum à Millereio XXXII machinis verberatur. Repressa oppidanorum eruptio est, vineæque ad propugnacula accedunt. Ante hujus mensis finem deditio speratur. Rex ad Abbatisvillam est cum Cardinali. Hostiles copiæ sub Isemburgio ad Borburgum coëunt. Decem jam ferme sunt eorum millia. Castilionæum Compendii detinet colicus dolor & gemina tertiana. Exercitus interim ejus Guisam petit. Et hæc quidem sic satis bene. At trans Alpes Trinum hosti cessit. Instat Chavniacus ut quod Viduæ restat oppidorum, sunt autem præter Augustam Taurinorum sex admodum, id omne tradat Gallis, ut suo malo edocta ab indigenis in patruos pupilli pronioribus prodi oppida aut ignavè defendi. Et detraxit pudorem perfidiæ Imperator scriptis ad Præfectos literis, ut patruos pro tutoribus habeant. Verumtamen Vidua odia jam in se magna non audet, cuncta Gallis permittendo, magis accendere, malitque quæ ipsa quæque Hispani tenent Pontificis custodiæ ad pacis usque tempus credi, quod vix erit ut Hispano probetur, qui multa jam armis, cætera autem spe devoravit. Si privato ausu Angli Hispanorum arma adjuvant navibus, non erit dubium quin iidem à Batavis hostiliter tractari possint, sine ulla Regis injuria. Scoti ad Regem suum scripsere, purgantes se, non sine minis tamen, si ad extrema trudantur, constantiam sibi non defore, addita & gravi insectatione eorum qui consiliorum ipsis adversantium principes habentur. Parlamentarius Conventus invito Rege apud ipsos jam habetur, & Anglorum multis allubescit exemplum. In Scotia publicæ preces fiunt pro civitate Londinensi cum ingenti ejus laude, quod adversùs Religionis, ita loquuntur, vindices pecuniam conferre detrectaverit. Si quid erit quod ad condonandas offensas Regem permovere poterit, erit pecuniæ penuria. Spem mitioris de se animi excitavit Rex, libertati redditis Saio & Brokio quos custodiæ mancipaverat.

verat. Rhæti & Helvetii nutant adhuc, apud hos metu Hispani, apud illos odio valentiore. Nuntiant aliæ literæ, arma Principis Condæi in Navarram Hispano possessam tendere. Galli pro Nicæa maritima Sabaudiæ urbe timentes & naves eò mittunt mari & terra milites. Classis Regis in Oceano, ad Bellam Insulam est. Hispanicus ille Hemburgici exercitus jam ad Airam venit, Ardresæque præsidium auxit. Ex Italia & ad Constantiam alius contra Alsatiam exercitus paratur. Quæ de Turca scribit Excellentia Vestra eadem & hic audimus. Omnes Sultani cogitationes ingenti impetu in Persas ferri apparet. Idque viam, ni fallor, sternet Venetis ad pacem non iniquam. Deus Excellentiæ Vestræ det placidam senectutem, prosperamque ipsi, Illustrissimæ ejus uxori, ac domui valetudinem. Lutetiæ 4 Iunii 1639.

Excell. Vestræ omni observantia devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1183 Dicit mihi Heufdius se literas Cambii misisse, ex quarum præscripto pecunia, quam ex fœdere Galli Regno Suedico debent, sine hujus mensis Amstelodami numerabitur. Scire velim an quod D. Spiringius mihi significavit pro certo habere debeam, ex ea pecunia me consecuturum dimidium ejus quod mihi debetur. Biennium est quod nihil accepi, magnis pressus impendiis. Salaria & quæ ad necessitates publicas erogavi ad XL millia florenorum perveniunt. Si ita res posthac trahetur, non magis ego hic, quam apud Batavos D. Camerarius sustinere dignitatem potero. Cætera ex literis ad Magnum D. Cancellarium cognoscet Excellentia Vestra, cui me commendo. Lutetiæ 4 Iunii 1639.

Excell. Vestræ omni observantia devinctissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1184 Eodem tempore ad me pervenerunt, ante hoc triduum, binæ ab Excellentia Vestra literæ, quorum alteræ diem habebant 26, alteræ 30 Maii. Quod si meas posthac Excellentia Vestra in ipso itinere accipere tantò citiùs poterit, gaudebo, eaque spe Excellentiæ Vestræ non autem, ita ut institueram, Nobilissimo ejus filio literas inscribam. De rebus D. Bannerii, postquam ad Chemnitium pugnatum est, certiora avemus intelligere, ob rumorum diversitatem. Simul audiemus quæ consilia capturus sit Saxo, quem Protestantium in Germania plerique respicere solent. Bavarus ad Donawertam VII millia habere dicitur, præter duo millia missa ab ipso ad Hatsfeldium qui ad Norimbergam esse scribitur. Dux autem Vinariensis Brisaci quidem ipse est: at exercitus ejus in Comitatu Burgundico adhuc hæret, videturque obsidionem agitare Salinarum: quanquam hostes apparet & urbi Constantiæ & Cellæ metuere, quò muniendi gnaros misit Archidux Claudia. Conveni qui hic sunt Proceres, non tantùm ut libertatem Marescalli Hornii, ob quam missus huc à Duce Vinariensi fuerat Betzius, sed & ut Hassicum illis negotium sollicitè commendarem. Promiserunt utramque sibi cordi fore, scripturosque se in Aulam. Quod si D. Hornio aut hac quam nos ingressi sumus, aut alia quæ D. Salvio se aperit via, libertas, quod Deus faxit, contingat, puto certè nos brevi alterum visuros exercitum Suedicum non minorem Banneriano aut duce aut copiis. Comes Licestrius adhuc in patria retinetur, ibi quoque inutilis, si qua fortè concordiæ inter duas gentes spes affulserit. Poloni Legationem pro Principis Casimiri libertate pridem moliuntur, sed mittere eam cunctantur, nisi prætentatis hic animis, qui tales nondum sunt ut bonum successum labori suo sperare audeant, cùm ne translatio quidem illius Principis ex Cisteronensi arce, ubi nunc custoditur, impetrari potuerit in locum alium, ideo quod crederetur fugæ quæri [illegible]. Pacta nova cum Fratre Rege iniit Sabaudiæ Vidua, [illegible] post deliberationes satis anxias id præter [illegible] speciosum, sed his temporibus necessarium [illegible] ut oppida aliquot in Regis traderet custodiam. [illegible] nunc serio Galli hoc negotium ut suum agant, [illegible] que Alpes Dux Longavillanus cum equitum duobus [illegible] ditum septem, ut ajunt, millibus. Rex in [illegible] Hesdinum, ibi jam ad fossam perventum est. [illegible] que spes intrandi oppidum intra mensem hunc. [illegible] proximo sunt ad Lillerium, habent ibi XIV [illegible] millia. Cardinalis Hispanus ipse Insulis agit, [illegible] autem Theodonis villam obsidet. Adversus [illegible] Piccolominæus inter Moussonum & S. Viti oppidum [illegible] rus. Metenses interim milites propinqua [illegible] capiunt, pontemque e navibus ponunt in M[illegible] Hagenoviæ & Schlestadi de frumento prosp[illegible]. [illegible] Princeps Condæus adhuc ad Carcassonem hæret [illegible] dum ingressus Ruscinonenses terras, sed hostes [illegible] tans, ac retinens, ne forte Baionam aut alia Galliæ [illegible] ris attentet. Classis Gallica quæ ad Bellam Insulam in Armorica se tenuit, vela nunc fecit, & quidem, ut [illegible] bitur, Corunnam versus, ubi Dunquercanæ [illegible] naves. Suarum autem aliquammultas Rex Hispaniæ [illegible] sit ut præsidio sint venturæ ex America classi. [illegible] Ducem Valettam judicata, quatenus in absentes id [illegible] moris est, executioni data est, tristi exemplo fortunæ [illegible] vertentis se à diu felici domo. Rhæti lab[illegible] cunt, [illegible] niti verbis magis quàm rebus post Legatorum reditum. Itaque militem negatum diu in Mediolanensem agrum nunc miserunt. Disputatur inter Hispanos & Bernates de transitu militum, bis mille per summas Alpes, bis mille per Pontificios pagos, quem Bernates non nisi sparsim & sine armis quæ humeris portantur volunt concedere, has leges ægrè ferentibus Hispanis. Videtur Turca cum Persa aut decidisse aut in eo esse ut decidat, quando in Bosnia & in Peloponneso interdictum est Venetis commercium, Bajulusque eorum durius custoditur. Laborandum & ipsis est & toti Italiæ ut aliò quovis potiùs tanta vis vertatur. De Magni D. Cancellarii in Germaniam adventu, dubitare cogor. D. Bisterfeldium qualem describit Excellentia Vestra talem cognovi, amicitiaque ejus mirificè delector. Deus ejusmodi viros cum Excellentia Vestra diu sospites præstet. Lutetiæ 11 Iunii 1639.

Clades aliqua ad Theodonis villam à Gallis accepta est, derelictumque ab iis oppidum S. Claudii.

Excell. Vestræ constante observantia cultuque devinct. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

AD fossam Hesdini jam pervenere Galli, manetque [illegible] spes potiundi oppido intra hunc mensem. Hostis [illegible] XIV millibus in proximo ad Lillerium est, ostenditque [illegible] & S. Audomari oppido & Flandriæ maritimis metuere [illegible] hac parte, neque minùs his & Callois & Saxo Gandavensi à Batavis: quanquam classis Gallica quæ ad Bellam Insulam, quæ Britanniæ Armoricæ objecta est, se tenuit, vela ventis in Hispaniam ferentibus fecisse dicitur, Corunnam fortè petitura, ubi adhuc hærent Dunquercanæ illæ naves militem & pecuniam portaturæ. Ex Hispania missæ naves bellicæ aliquammultæ quæ tutum iter præstent venienti ex America classi. Feuquerius Theodonis villam validam in Luxemburgico urbem obsidet. Contra eum it Piccolominius cum X millibus Mousoni castra positurus. Princeps Condæus ad Carcassonem est

ſt Ruſcinonenſi Comitatui adhuc minatur tantùm. Vidua Sabauda neceſſitati tandem ceſſit, convenitque cum Comite Chavigniaco de tradendis in Gallorum manum oppidis potiſſimis. Alacriùs haud dubiè defendent Gal- ſibimet poſſeſſa. Itaque moratus tam diu Lugduni Longavillanus cum multis copiis jam tranſit Alpes. Rex ipſe caſtra ad Hesdinum vidit, & opera quædam adjecit. Theodonis Villa præſidium habet pedites CIↃ IↃ CCC urmam præterea Croatarum. Ex Meti milites vicinas rces capiunt, pontemque è navibus injiciunt Moſellæ. Dux Carolus Bruxellis Siricum rediit. Baionæ proſpiiunt Galli, ne eos præveniens Hiſpanus illuc irruat. Cùm e Ducis Valettæ pœnis ageretur, etiam Rex ſententiam ixit. Decretum quod factum eſt jam, quatenus in abntem poteſt, effectum datum eſt. Pro libertate D. Maſcalli Hornii ſcripſi literas ad Noyerium & Labardium. onveni autem eos qui hic ſunt Boutillerium & Bulioum, ſimul & ob Haſſicum negotium. Prolixè promire ſuam operam ambo, ſcripturi & in Aulam. Video men & Betzium & Heuſdium metuere, ne poſtulatis noris difficultatem objiciat formidata Gallis Iohannis Vaertii audacia, quanquam ego ita bene jam protectum deo ubique Gallicum limitem, ut non facilè irrumpi oſſit. Dux Vinarienſis videtur Salinis imminere, urntibus id Helvetiis maximè, præterea dare operam ut dat trecentos equites Lotharingos circa Comitatum rgundiæ vagantes. Hagenoviæ & Schleſtado de frunto proſpectum. Hoſtes Zellæ & Conſtantiæ metuere oſtendunt. Quæ Alpes tranſeunt copiæ, eſſe creduntur millia equitum VI peditum. Hæc ſunt quæ his gerunr in partibus, quæ cuncta Deus bene vertat, idemque blimitatem Tuam, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Doine, cum Regina, Regnoque favens tuetur. Lute- $\frac{1}{11}$ Iunii 1639.

Pergit Bavarus ad Donawertum colligere exercitum VII millia ſub Glenio ac Mercio. Præterea Hatzfeldio i ad Norembergam eſt, duo millia miſiſſe dicitur. Veti ſibi à Turca timent, quod eum putant cum Perſa jam tranſegiſſe aut in eo eſſe ut tranſigat. Certè comrcia Venetis per Boſniam & Peloponneſum interdicta nt: & orator eorum duriùs quàm antehac cuſtoditur. laſſis Turcica apud Siciliam apparet. Ad Theodonislam res Gallis malè ceſſiſſe nuntiatur: & disjecta cum de Gallorum obſidio. Hiſpanicus exercitus qui Prini Condæo eſt oppoſitus, dicitur eſſe XII millium, ice Modena. Caſtilionæus meliùs valere incipit, ite ad reprimendum Piccolominæum ne is Galliam in-. Rogatur Dux Vinarienſis quoſdam ſuorum milin dare in bellum Italicum, proque ſuis accipere Gal-

Hiſpani illi per Helvetiorum terras tranſibunt ut erunt, prohibente nemine. S. Claudii oppidum deis munimentis deſertum à Gallis, rediit in poteſtatem mitatenſium.

Tuæ Subl. cultor devotiſſimus H. G.

WILHELMO GROTIO.

Egi & tuas, mi Frater, 30 Maii ſcriptas literas & illas D. Spiringii, Reigersbergii, Graswinckelii. Gaudeo rehenſum eſſe quod in Dominum Spiringium & me ebatur mendacium. Verùm Senatorem Reigersbern ideo contumelioſè haberi, quod rumoris accepti inm ob fidem datam nominare noluerit, miror, & duan non quæſita ſit inimicitiæ materia. Ego ad omnes o quàm poſſum leniſſimè. De Socinismo vide quoo ſe purgaverit optimus ſenex Vtenbogardus, cujus omilias cygneas legi, agnovique nihil mutatum ab illo lim tanto concurſu audiebatur. Ego puto & edita & da ſcripta mihi ad tuendam ὀρθοδοξίας [*rectæ opiniones*] m ſufficere. Interim impacta ſine probatione crimigaſſe ſufficit. De Heinſianis ubi dabit ſe occaſio, rogo memineris. Galli & Hesdinum & Theodonisvillam obſident. Dux Vinarienſis videtur Salinas aggreſſurus. Venetorum res cum Turca turbantur iterum. Vale, mi Frater, & nos, ut ſoles, fortiter tuere. Velim D. Senatorem Reigersbergium ad Magnum Cancellarium rem ut geſta eſt perſcribere, quia ſcribet ad eum D. Spiringius. Vxorem autem, quam primùm venerit, dare operam ut ſedetur hæc procella. Lutetiæ 11 Iunii 1639.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

D. GRASWINKELIO.

Vir Clariſſime,

Occupatior eram, cùm literas accepi tuas, ſuaves ea 1187
parte quòd conſtantem te in amore noſtri, tuendaque exiſtimatione, quæ tam crudeliter nulla de cauſa læditur, video; triſtes verò ob eas procellas quæ in caput D. Spiringii tortæ, nunc in affinem meum optimè de me meritum recidunt. Pro mei amore mutuum ſpondeo, idque factis ſemper oſtendam. Alterum illud me torquet: video enim inter ſe committi inimicorum meorum nimia felicitate, eos quos ob ſuas virtutes & in me benefacta facio plurimi. Ego D. Spiringium ea ſcio eſſe prudentia, ut facilè norit diſtinguere in meis literis ea quorum alii participes fieri poſſint, & quorum non poſſint. Sunt enim quædam quæ non modò ſine periculis, ſed & cum fructu vulgantur; quare non deſinam ei omnia quæ ſcio, quæ audio, quæ ſuſpicor, committere, ut ejuſdem Regni fido miniſtro, ut amico veteri. Nunc verò cùm falſimonia tota fabulæ detecta ſit, mendaciumque deprehenſum, quod de oſtenſis libris ſparſum erat, hoc magis gaudeo & D. Spiringii & meo nomine. Ego affinem meum bonam ſemper rebus Suedicis navaſſe operam certus ſum, etiam nuper in pecuniario hoc negotio. De D. Spiringio ſemper ad me ſcripſit, ut qui eum amaret, coleret, obſervaret. Neque ſanè potuit aliter mihi optimè conſultum volens, mea cauſa plures labores, interdum & odia ſuſtinens. Cæterùm intereſſe arbitror omnium, ut etiam quæ adverſùs ſe ſuſurrantur, intelligant: neque verò eum qui talia ad amicum defert, auctorem prodere ſemper aut teneri, aut honeſtè poſſe, præſertim ſi fides data interceſſerit. Qui rumores malos ſeminat, ut pro eorum auctore habeatur niſi auctorem nominet, æquitatem fortè habet; non item ut & is qui in arcano accepta, in arcano apud eum cujus id refert, deponit. Quare ſi quid aſperius inter vos intervenit, id velim vel amicitiæ, quæ inter vos fuit, vel ei qui mecum eſt & mea ex parte manſura eſt ſemper, condonari. Non ita multos in illis locis mihi faventes habeo, ut eos collidi ſine graviſſimo dolore ferre poſſim. Ad Theologicum illud venio; quantopere ego intra pactos ab antiquitate fines me tenuerim ſemper, non in ſententiis modò de ſumma Trinitate, de utraque Chriſti natura, de ſatisfactione Chriſti, & aliis quæ Socinus aut Sociniani oppugnant, norunt omnes qui me norunt. Cum Ruaro congreſſum non formidavi, ut tuerer veteri mea more, & ſi non quantum vellem, aliquid tamen me profeciſſe putabam. Iohnſonum verum & eruditum & bonum credidi ſemper; cum eo etiam quæ illis de rebus olim ſum collocutus omnia editis antehac à me ſcriptis congruebant. Harum rerum conſcientia fretus & ſpe alia edendi quæ propoſiti mei teſtentur conſcientiam, facilè illas calumnias contemno. Ad D. Reigersbergium non minùs pro te ſcribam quàm pro eo ad te ſcribo. Ad D. Spiringium pro utroque. Iterumque vos omnes rogo ut de corde hanc amaritiem detergatis ſinguli. Ego viciſſim ſi quid veſtri & præſertim tui, quem mihi optimè volentem ſcio, cauſa potero, nihil defugiam laboris. Vale, Vir clariſſime & doctiſſime. Lutetiæ 11 Iunii 1639.

Tuus beneficiis obſtrictiſſimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1188 QValia nuper feci vota pro Excellentia Vestra faciam semper, nihilque magis opto, quàm ut & ipsi semper bene sit & ego tam boni Collegæ felicitate diu fruar. Ducis Vinariensis copiæ in Comitatu Burgundiæ adhuc hærent, neque facilè nunc inde discessurus videtur, quod metus sit ne Piccolominæi victoria ferox in Pontemoussonum aut alia Lotharingiæ irruat, contra quem mittitur quidem cum exercitu Castilionæus, qui Verbinum transiit, sed & ad tuenda interiora magnis opus erit copiis, cæso quicquid fuit ad Theodonisvillam peditatu. Nam eques præpropera fuga & semet servavit & peditem prodidit. Feuquerius obsidium hoc incipere jussus fuerat, cùm magna adhuc abesset exercitus sui pars: tum verò tanto cum agmine, VIII mille equitum, peditum non minùs, venturum hostem nunquam putaverat, præterea sperabat eripere se posse hosti quem transiturus erat pontem, quod contra evenit, jam eo ab hoste præcepto. Ita multis modis deceptus Feuquerius in potestatem hostium venit, vulneratus in brachio. Reliquias tenues recolligit Castilionæus. Ad Hesdinum oppidum tamen res adhuc bene procedunt. Fossæ implentur virgultis. Parantur cuniculi contra ipsa oppidi propugnacula. Accepta damna aliqua, eruptione ex oppido in eos qui fossam implebant. Præterea hostium viginti inobservati in oppidum intravere. Alii octuaginta cùm idem tentarent prohibiti sunt. De Bavaricis quod scribit Excellentia Vestra & nos intelleximus. Hartfeldius Ratisbonam transiit, juncturus se Gallassio. Saxonem puto in rebus esse arctis, perplexisque consiliis. Si Hassici militis bona pars, quanquam ad tempus, Batavicam sumit militiam, quantumvis jura id sinant, poterit tamen offendi eo Imperatoris animus, difficiliorque pax reddi. Piccolominæus ubi negotium habuerit, jam satis apparet. Legatus Batavus apud Regem est, destinata Batavorum ad ipsum, ut puto, perlaturus. Sed casus tales, qualis ad Theodonisvillam evenit, mirè consilia perturbant. Priorum perit occasio. Nova antequam capiantur, damnum fit temporis. Turcæ præter quod Afros prædones fovent, etiam hostilia quædam in Venetos jam in Dalmatia cœptavere: quæ res confirmat suspicionem prospectari pacem cum Persa. Intelligo non longè à Barucio & Regem esse, qui secum habeat IV equitum, XIV peditum millia, X alia millia Vasallorum exspectet, & ad partem alteram eum XV millibus Lesłæum: classem autem Regis ad oram esse Edemburgo adsitum. Parlamentum haberi à Scotis invito Rege summam belli XII viris mandatam. Eos appellari Supremos Dominos. Anglos à Rege & Scutagium posci, vetus ad bella Scotica tributum, & jusjurandum quo fidem suam Angli adversùs Scotos factionesque omnes Regi obligent. Ad hæc cùm accedant scripta quorum mentio in Excellentiæ Vestræ est literis, nihil adhuc bonæ spei ad restituendam concordiam video, quam tamen precibus apud Deum exposcere non desinam. Evenit in Scotia, quod & alibi sæpe, ut ad nomen religionis validum in plebis animos accedat alterum omnibus dulce augendæ libertatis. Ita speciosis nominibus in maxima mala trudimur. Vidua Sabaudica Gallis tradere dicitur oppida Conisum, Carmaniolam, Savillanum, Segusionem quæ vulgò Susa dicitur. Rex Polonus Legationem in Galliam adornat, pro Principis Casimiri libertate, præmissis ad Regem & Cardinalem Richeliacum ea de re literis. Betzius adhuc apud Regem pro Mareschalli Hornii libertate laborat. Si alia via non succédet, poterit & hoc negotium, cum negotio Principis Casimiri permisceri. Waertium formidabiliorem fecit accepta ad Theodonisvillam clades. Non omittemus omnia experiri. Deus & hanc rem & omnia Excellentiæ Vestræ vota prosperet. Lutetiæ 18 Iunii 1639.

Excell. Vestra ad omnia officia cultus constantis paratissimus H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,
Senatori in Parlamento Parisiensi.

Vir Amplissime ac Nobilissime,

GRatias habeo & tibi & Peytaredo, mei, quod semper credidi ac semper experior amantissimis. Simul atque me litterarum, quas functio hæc mihi imperat, redeunte semper in orbem labore, liberavi, cum voluptate injeci oculos in Poëtæ & Critici Vasconis literas, eò mihi gratiores, quod in iis mei mentionem video cum tuo honore conjunctam. Inspexi Silvarum Statianarum, amati mihi semper operis, loca. Video emendationes quasdam felices: aliquas & à me pridem in margine libri annotatas: nonnullas ab aliis præreptas. Sed non debet illi nocere, quod alii ante ipsum quæ ipsius erant dixere; quædam vero loca puto medicina non egere; sed de his uberius agemus, ubi hoc fieri aliquid tibi otii indulserit. Nam me quod attinet, satis dives sum temporis, paucis diebus exceptis qui pensum exigunt. Cæterum tempus cui potius rei, quàm studiis impendam? Studiis autem imputo non eas tantùm horas quas do lectioni, sed eas vel maxime, quæ mihi concedunt frui colloquiis tuis, tuique similium, qui non tantùm legistis plurima, sed & legi digna protulistis. Vale Vir Amplissime & bene rem gere. Lutetiæ 18 Iunii 1639.

Tui observantissimus ut debeo esse H.G.

ISRAELI IASKY.

Vir Nobilissime,

TAm scribenti Nobilitati Vestræ habeo gratias, quàm tunc non scribentis facilè recipio excusationes. Nostræ res Suedicæ non malo sunt in loco, vestræ civitati tantundem opto. Quid Rex Daniæ agat, benè observat epistola Nobilitatis Vestræ, quod hic in Albi quod in ipso ore Baltici maris licere sibi credit. Idem quò minùs Rex Poloniæ licere sibi credat in ore Vistulæ, nisi aliquid sit quod metum incutiat, sperari vix potest. An Vestra per se civitas satis valida sit ut metum Regi facere possit nescio, præterea quicquid moliemini erit odiosum. Spes potissima videbatur esse ab exteris quorum interest quam maximè immunes esse mercatus. Horum potissimi Danus & Batavi: sed Danus neque speciosè potest damnare, quibus paria facit ipse, & Imperatoris gratias multis de causis quærit. Batavorum sunt magnæ mari vires, sed nisi prius certi aliquid cum ipsis convenerit, vereor ne missa inde Legatio reportet dona ac bona verba & præterea nihil. Bella omnia à Christianis vitari quàm maximè velim, primùm illa quæ Religionis titulum sibi induunt, cùm tamen Religio Christiana mala ferendo non inferendo semper invaluerit: deinde vero & illa quæ rem spectant nummariam cum tot hominum vita, quæ in periculum adducitur, non comparandam. Contentus vestri Polonici quis futurus sit exitus exspectabimus. De Cosaccis nihil est quod miremur, solitum obtinent: ibi fas, ubi plurima merces. Nobilitati Vestræ pro constanti amore nostri plurimum debeo, mutuum polliceor. Lutetiæ 21/31 Iunii 1639.

Nob. Vestra addictissimus H.G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

MAreschalli Bannerii prospera & nobis & Regi Gallisque obvenirunt lætissima, nec parum solatii afferunt adversùs accepta hic damna. Pacis ne ego quidem 31

magnam

magnam spem video, digrediente ad Imperatorem Curtio. Rectè tamen fecit Excellentia Vestra quod non omnem ad colloquia viam præscidit: famæ enim Suedorum interest ut pacem magis etiam quàm hostes, aut ex æquo certè, cupere credantur. Nihil est in quo magis laboraverim, laboremque continuo, allocutionibus, literis, injecto & metu, quam ut Rhenum Dux Vinariensis transeat. Sed Galli verborum liberales pergunt suas res in Comitatu agere, eruntque nunc in eo pertinaciores quod metuant ne Lotharingiam invadat victor Piccolominæus. Attamen neque in hoc negotio neque in illo deliberando Mareschallo Hornio quicquam ad diligentiam faciemus reliquum. Hatzfeldius Ratisbonam transisse scribitur, & jam fortè Galassio se junxerit, quò magis exigit tempus, ut Mareschallus Hornius ad fortitudinem eam, quam non minùs antehac ostendit, prudentiam adjungat. Lutetiæ 18 Iunii 1639.

Excell. Vestræ observantissimus & ad officia omnia eidem paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Accepta ad Theodonisvillam clades multum hic consilia, nonnihil & animos perturbat. Cœperat obsidium Feuquerius antequam sibi destinatas copias accepisset: & tamen intellecto venire ad se Piccolominæum, ut oppido obsesso militem immitteret, ut pontem amnis qua transire debebat Piccolominæus antecaperet, progressus ei est obviam: sed reperit jam transgressum eum pontem, multoque majorem quàm fama tulerat, omni ferme cum peditatu Belgico ad octo millia, equitis haud minùs. Eò jam ventum erat, ut sine pugna abiri nequiret, in qua pedes Gallus bene fecit; sed ab equite suo destitutus, servare se non potuit. Effecit tamen ne tota clades unius partis esset. Cohortes quas Regimenta vocant Navarrea, Picardica, Remburiana, Sanctipruliana concisæ, captæ machinæ duodecim, Feuquerius vulnere in brachium accepto captus. Hostes quantum mali acceperint nescitur. Sed solantur se Galli edito rumore mortuorum hostium majorem esse numerum. Nunc Castilionæus suo cum exercitu Verbini est, ut fidentem victoriæ Piccolominæum arceat ab ingressu aut Lotharingiæ (nam Pontemousonum ab eo peti multi suspicantur) aut Galliæ ipsius. Regis valetudo hujus mali nuntio læsa iterum, additis articulorum doloribus. Hesdinum clam intravere hostium xxv, leve auxilium. Alii octuaginta, qui idem speraverant, prohibiti. Implentur virgultorum fascibus fossæ, non sine laborantium damno per eruptiones ex urbe. Duabus in partibus ad ipsa ventum oppidi propugnacula, adversùs quæ cuniculi parantur. Oppida quæ Vidua Sabauda in Gallorum dat manus esse dicuntur Conisum, Carmaniola, Savillanum, Segusia vulgo Susa. Apparet nunc arcanis mandatis retentum in Gallia fuisse Longuevillanum donec hæc conficerentur. Vidi literas Poloni Regis tum ad Galliæ Regem tum ad Cardinalem Riceliacum, Legationem etiam pollicentes, pro libertate Principis Casimiri. Miror si quid effecturæ sint eæ literæ multum feroces & querulæ, & pro magno beneficio imputantes quod pro caduceatore Legatum Poloni mittant. Ego Polonis qui me ea de re adiere dixi, nullas esse Reginæ nostræ privatas cum Principe cognato inimicitias: neque me ulla ei ut nocerem mandata unquam accepisse. Ad sanitatem Scotorum nihil spei video. Parlamentum ejus gentis cœptum est $\frac{17}{27}$ Maii. Leslæus cum xv millibus valde prope Bartvicum est, citeriùs paulò Bartvicum Rex cum iv equitum xiv peditum millibus. Classis Anglica ad oram prope Edemburgum est: partim insulas occupat. Alia decem millia è Vasallis Rex exspectat, vultque solvi sibi tributum vetus bellis olim adversus Scotos usitatum Scutagii nomine, cujus & res & nomen post coalita Regna in spem mansuræ concordiæ abolitum fuerat. Nunc ægrè resuscitatum jusjurandum etiam Rex ab Anglis suis exigit adversùs Scoticam & similes Scoticæ factiones. Inventi quidam, sed pauci, qui id detrectarent. Legatus Batavus in comitatum Regis ivit. Ibidem Betzius pro Mareschallo Hornio laborat non sine difficultatibus, quas auxit accepta ad Theodonisvillam clades, & per id factus formidabilior Waertius. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Reginæ, Regni ac Tuæ Sublimitatis sospitet. Lutetiæ $\frac{8}{18}$ Iunii 1639.

Recentiores nuntii afferunt ex cohorte Navarrea & Piccardica vix sex, aut septem esse superstites. Feuquerium non in brachio tantùm, sed & in ventre & crure vulneratum: ad uxorem ejus comitate Picolominæi missum Feuquerii & filium & cognatum, potestatemque factam uxori ad ipsum veniendi. 7 mensis hujus bene mane pugnatum: pedites Piccolominæi maximam partem pone equites equis vectos: ita biduo confectas leucas xxxii; fuisse apud hostem machinas xl sed leves: mortua Gallorum iv millia, iii capta cum omnibus sarcinis bellique instrumentis. Piccolominæum videri imminere Viroduno. Regem introrsum se referre ad Ambianorum urbem. Princeps Condæus nihil dum agit magni: habet xvii peditum, equitum tria millia. Seditio Massiliæ fuit, sed repressa est. Archiepiscopus Rhemensis è Guisia domo, amore captus virginis Mantuanæ è domo, cùm Regi id conjugium minus probaretur, Sedanum se recepit. Cardinalis dolorem ostendit ob captivitatem Feuquerii, quem nonnulli ex vulnere mortuum dicunt. Classes ab America & India Asiatica venisse in Hispaniam scribuntur, & ferre hæc octodecim, illa xxxvi milliones.

Sublimitatis Tuæ devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

De successu obsidionis Hesdini esset aliqua dubitandi causa, si se eò ferret Piccolominæus, quia castra 1193
non ex omni parte adversùs vim externam permunita sunt. Sed, quantum intelligimus, Moussono obsesso, in Lotharingiam fert se Piccolominæus, fortè ulterius ad tuendum Comitatum Burgundiæ penetraturus, quia Salinis, deinde & Vesontioni imminere creditur Dux Vinariensis, qui nuper Hohentwilæ fuit, non sine terrore civitatis Constantiæ, sed rebus ibi curatis, Rhynfeldum se retulit: inde in Comitatu exspectabatur. Quare de Hesdini deditione bene sperare pergo, eamque diu differri non posse judicant omnes. Piccolominæi molitiones Castilionæus observat. Habere creditur cum reliquiis Feuqueriani exercitus xx millia. Et jam nunc advenit nuntius ejus superventu à Mousoni obsidio rejectum non levi suorum damno Piccolominæum. Princeps Condæus captis in Comitatu Ruscinonensi, quæ sola terra cis Pirenæum Hispano tenetur, arcibus Aupouzia, Maiolæ ad Clairam, Sanctangeli ad Gravam, Salzam urbem obsidere aggressus est. Fama ei multum dat militum, ex partibus Tolosanis viginti millia peditum, equitum duo, è cætera Languedocia equitum parem numerum peditis plus ejus dimidio. xxiv millia aut supra habere creditur ad Hesdinum Millereius. Classis centum habet naves, partim bellicas partim alias, milites sexies mille. Ducis Vinariensis copiæ, præter præsidia, aut esse aut futuræ dicuntur ad quinque equitum, septem peditum millia. Glenius in Wirtenbergico territorio octo millia habet Bavarici militis. Hatzfeldius quin jam cum Galassio se conjunxerit, video non ambigi, quæ res me, morante citra Rhenum Vinariensi Duce, pro Bannerii rebus solici-

Digitized by Google

licitum facit. In Italia Saniam hostes aut premunt, aut jam cepere. Octo ferme Longavillani millia transiere Alpes, serum sanè rebus hic valde ægris auxilium. Leganesius abundare copiis videtur, cùm ex Italia militum aliquid mittatur in Alsatiam, quò & ex Helvetiis Pontificiis novus dilectus, accepto à Bernatibus certis sub legibus itinere, transit. Augustam Taurinorum Helvetico milite implevit Vidua indigenis diffisa, tum ne omnia Gallis tradere dicatur. A Pontifice quanquam parco satis, obtinuit Imperator xx millia scutatorum menstrua. Nunc & Principes Italos ambit, ut laboranti per Germaniam Ecclesiæ subveniant. Idem Pontifex, Astrologorum dictis quibusdam territus, differt implere numerum Cardinalium, viginti ferme locis vacantibus. Dicitur autem æstivis diebus ne mentis quidem, adeo non sanitatis compos. Scoti Regis Britanniæ iram nonnihil lenivere, ad edictum Regis decem à Barvico milliaribus retroducto exercitu, expetitoque colloquio, ad quod delegati sunt Anglorum Hollandiæ & Bristoviæ Comites & Secretarius Cokius. Verùm Scoti Parlamenti justi habendi potestatem sibi à Rege fieri postulant. Comes Lintzæus Scotus à conjuratis in vincula datus est, quod consilia eorum prodere Regi crederetur. Venetis à Turca metuendum Itali judicant. Ita turbarum satis ubique est. Deus hæc cuncta ad bonum Christiani Orbis dirigat, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem sospitet. Lutetiæ 25 Iunii 1639.

Grande incendium fuit Constantinopoli. Sultanus adhuc ad Euphratem agit. Audio Pedemontanarum urbium arciumque earum quas Gallis se tradituram Vidua promiserat, Præfectos Gallica præsidia recusare.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1194 OMnes hactenus Excellentiæ Vestræ literæ bene ad me venerunt: etiam illæ 13 Iunii. Quare nihil esse videtur cur itineri isti diffidamus. In Flandriam ut aliquid tentetur, id verò vel maximè Galli optant. Valde autem mihi se probant Excellentiæ Vestræ suspiciones super actibus & consiliis Melandri. Dux Vinariensis Hohentwilæ fuit, terruitque sua vicinitate Constantiæ civitatem. Sed inde Rynfeldium se retulit, venturus porro, ut creditur, ad exercitum qui in Burgundico Comitatu manet, & Salinas obsessurus creditur: cui urbi, deinde & Vesontioni metuens Piccolominæus, abjecta spe liberandi Hesdini, cœpto obsidio Moussoni penetrare in Lotharingiam, iterque sibi ad tuendum Comitatum quærere videtur, quò & ex Helvetiis Pontificiis novus dilectus & ex Italia militis nonnihil properat. Quare Hesdinum brevi speramus in Regis fore potestate. Piccolominæi gressus observat Castilionæus ex suis copiis & ex Feuquerianæ cladis reliquiis habens secum xx prope millia. Aliquanto plus habet ad Hesdinum Millereius. Principi autem Condæo fama, quæ solet hic satis esse liberalis, tribuit peditum plus xxx millia, equitum IV collecta magnam in partem ex Tolosana & aliis Languedociæ regionibus. His viribus instructus, captis arcibus tribus nunc oppidum Salzam obsidet: quæ omnia in Comitatu sunt Ruscinonensi, unde initium nunc est Hispanici Imperii, quod olim Pirenæis montibus claudebatur. In Italia Saniam hostes obsedisse & jam tenere creduntur. Octo millia Longavillani Ducis jam per Alpium fauces transiere. Augustam Taurinorum Vidua Helvetico milite custodit. Cætera prope omnia servabunt Galli. Bavarici militis in Wirtenbergico agro octo millia habet Glenius. Hatzfeldius quin Galassio jam se junxerit, non dubitatur. Pontifex Imperatori dat xx millia scutatorum in mensem quemque. Rogantur & Itali Principes ut ad tuendam in Germania Romanam religionem conferant aliquid. Hæc omnia me pro Bannerio, tam longe à nostris præsidiis progresso, nihil ferme habente in Germania cui tuto possit fidere, sollicitum habent, præsertim videntem quos ad usus Ducem Vinariensem retineant Galli. Tamen ipsius & fortitudo & prudentia & felicitas hactenus bene sperare me jubent, bonæque spei ad Deum preces adjungere. A Daniæ Rege dimitti militem satis constat: an eum Imperatori tradat, non item. Quid autem ejus aut fecerit aut facturus sit, plurimum sanè refert. Sed in rebus incertis fruamur sanè intersurio melioris spei. Scotos inter & Anglos delegati sunt qui de concordia agant: sed cùm Scoti jam nunc Parlamenti convocationem à Rege concedi postulent, acerbissimique libelli contra Antistites Angliæ spargantur ab iis quos Scotis favere suspicio est, cogor dubitare de eventu. Regis res non ubique ex fide curari vel hoc indicio sit, quod per biduum pane caruit ejus exercitus. Gaudeo interim nullum adhuc fusum sanguinem & in eo Scotos morem gessisse Regi quod retro à Barvico abduxerunt suas copias. Dolendum summopere, ita scindi inter se sententiis, studiis, armis Protestantes. Sed & qui cum Roma sentiunt, non minùs animis consiliisque dissident, Principe eorum Galliæ Rege sua tutari nequeunte aliter, nisi & Austriacis se opponat, & Protestantes Austriacis inimicos sublevet. Hic Europæ status in mentem mihi revocat Homericum illud:

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα

[Et tunc jam aureas pater extendebat bilances].

Eum patrem, Deum verum, precamur, ut Christiani Orbis misereri velit: idem Excellentiam Vestram ejusque domum sospitet. Iam nunc bonus advenit nuntius depulsum à Mousoni obsidio sua cum clade Piccolominæum armis Castilionæi, & in Lutzenburgicum ac porrò in Belgicam eum ire, ut Principi Arausionensi se opponat, quò & Cardinalem Hispanum trahi audimus. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Iunii 1639.

Excell. Vestra perpetuo observantia nexu devinctus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

CRoatas duobus locis à nostris cæsos gaudens intelligo, speroque de Pirna & processu in Bohemiam 1195
intellecturos nos non minùs læta. Placet & quod militem dimittit Rex Daniæ, dum ne Imperatori eum transscribat. Quod & Lubecam & Visurgim navibus suis observat idem Daniæ Rex, eo non minùs quàm aliis rebus ostendit quàm parvi faciat civitates liberas parùm inter se concordes & nullis externis societatibus spectabiles. Quod verò nitri travectionibus incommodat, id Batavis quàm Suedis magis curandum arbitror, cùm his in Pomeraniam transitus pateat, freto ipsius & quos infidet amnibus intactis. Cætera sunt in literis ad M. D. Cancellarium. Deus Excellentiam Vestram, ejusque consilia sospitet. Lutetiæ $\frac{15}{25}$ Iunii 1639.

Excell. Vestra observantissimus H. G.

D. CAMERARIO IVNIORI.

Nobilissime Domine,

REctè ad me pervenerunt Nobilitatis Vestræ literæ 1196
scriptæ 13 Iunii pro quibus insumptaque opera in me edocendo ea quæ illis in partibus gerantur audiunturque gratias ago. Quæ hic intelligimus ea ad illustrissimum Nobilitatis Vestræ Parentem scripsi, neque hic repeto, cùm scio inter Patrem filiumque omnia esse communia. Nos hîc accepta ad Theodonis villam clade perturbata videmus quæ capi cœperant consilia. Neque tamen desinimus bene etiam de hujus anni successibus sperare: expecta-

Digitized by Google

ſpectamus enim ut nuntietur nobis Hesdinum ceſſiſſe Millereio, Salza Condæo Principi, Duci Vinarienſi Salinæ. Præcipuum verò momentum in hoc eſt ut non leve aliquid aggrediatur Princeps Arauſionenſis: ita enim de conſiliis ejus judicant omnes, ut ſi quam urbem obſidere cœperit, ea ſit potiturus. Melander cum Haſſico milite bellum nundinatur. Alii nutant, alii nictant, alii pangunt ſuavium. D. Bannerio omnia optanda ſunt proſperrima, quæ & ſperare nos jubent res antehac ab eo geſtæ. Cæterùm hîc pro certo habetur conjunxiſſe jam Hatzfeldium ſuas cum Galaſſio copias. Quod ſi eſt, hoc circumſpectiùs D. Bannerio res erunt adminiſtrandæ. Lutetiæ 25 Iunii 1639.

Nobil. Veſtræ ſtudioſiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

1197 COmitantur hanc epiſtolam chartæ tres, quarum prima epiſtolas continet Regis Poloniæ ad Regem Galliæ, & ad Cardinalem: altera hiſtoriam hic editam de iis quæ ad Theodonis Villam & ad Mouſſonum evenere: tertia non editam narrationem eorum quæ Principi Condæo geſta ſunt in Comitatu Ruſcinonenſi. Epiſtolæ illæ ſatis habent Sarmatici. Tamen precibus Principis Razivilii, aliorumque hic Polonorum id datum eſt, ut Princeps Caſimirus è Ciſterone huc in Silvam Vicennenſem transferatur, quod gradum ei aliquem facit ad ſperandam libertatem. Hiſtoria illa edita huc tendit, ut minuatur fama cladis ad Theodonis Villam acceptæ: contra verò attollatur decus rejecti à Mouſſoni obſidio Piccolominæi quod tamen fami maximè debetur. Cauſæ cladis ad Theodonis Villam acceptæ hæ memorantur, quod juſſus fuit obſidium aggredi Feuquerius cùm exercitus magna pars ei adhuc abeſſet, quod neque multa militum neque adjuvante ruſticorum manu caſtra lentè munita ſunt, imperfecto adhuc opere cùm ſupervenit hoſtis: quod exploratores non habuit Feuquerius per quos hoſtis adventum cognoſceret: quod improviſo oppreſſus ad ordinanda cuncta quæ tale tempus requirebat, non ſatis præſente animo fuerit. Hæc ſunt quæ à peritis diſſeri audio. Princeps Condæus poſt modicas de quibus antehac ſcripſi arces, etiam Cleram & Ripas altas ad Eglium flumen cepit quæ ei ad premendam Salzam erunt uſui. Hesdini qui ſunt, cùm Galli jam abrupto cuniculo in propugnaculorum uno ruinam initumque ſibi in urbem feciſſent, venere ad pacta. Itaque hoc ipſo tempore poſſeſſionem urbis capiunt, nihil auſo ad liberandam urbem Piccolominæo, quod ſatis ei negotii cum ſolo Caſtilionæi exercitu eſſet. Ab Ivoia non longè ſunt & hic & ille: crediturque Piccolominæus, confectis quæ in Gallia fieri poterant retro ſe ad Cardinalem Hiſpanum relaturus, ut eum adjuvet in reprimendis Batavorum in Flandriam conatibus. Dux Vinarienſis arces cepit quaſdam in via ad Salinas. Rediit ad Regem Betzius ut ſimul cum domeſtico D. Hornii libertatem hujus quantum fieri poterit (ſpes autem nobis datur aliqua) promoveat. Eſt iiſdem in locis Illuſtris D. Baro Oxenſtiernius eò profectus ad ſpectanda & obſidentium & obſeſſi militis opera. In Italia res non optimè procedunt. Saniam & alia quædam circum hoſtes vi cepere. Ducis Longavillani miles, Italicum bellum, quod per æſtatem grave eſſe ſolet, perhorrens, plurimum diffluit, ita ut ægrè quatuor millia quò deſtinata erant perventura credantur. Tum verò civitates quæ hoſti non ceſſere, Viduæ ut Gallis jam planè obnoxiæ imperia detrectant: inter eas Nicæa: videturque res eò veniſſe ut arma in hoſtem neceſſaria in cives vertenda ſint. Cardinalis Valetta plus ſex millibus non habet. Rex nunc Monſtrolii eſt, ad Abbatisvillam Cardinalis. Quò ſe verſuri ſint, Hesdino jam capto, variant conjecturæ. Alii Ambianum, alii Caletum ituros putant. Bulionium conveni his diebus, ut ei oſtenderem quantum mali res communis accepiſſet per dilatum Ducis Vinarienſis trans Rhenum iter, acceptumque porrò eſſet, ni id fieret, narrans quæ hic audiebantur de conjunctis Hatzveldii cum Galaſſio copiis, de Hungaro equite, & ſub Gotzio peditatu non exiguo in Bohemiam properantibus, quæ cuncta non tantùm ſpes noſtras de proceſſibus in Bohemia intercidere, verùm etiam D. Bannerium in magnum periculum conjicere poſſit. Reſpondit ille per ambages, quas inter dixit dubitare ſe an Dux Vinarienſis Germaniam penetrare malit quàm ſua cuſtodire, in uberibus agris Comitatus Burgundiæ refovere militem, & Helvetiis, ſi quid mali ingruat, præſto eſſe. Ego dixi non dubitare me, quin tanta ſit Regis apud Ducem auctoritas, ut eò ſit verſurus arma, quò maxime id ex uſu eſſe rerum communium Rex ſit judicaturus. Idem Bulionius ſua in Regem merita non tacens, dicebat effecturum ſe, ut ſi pax fieret, XVII millionum onere annuo populus levaretur; annui autem LX milliones Regi reſtarent, cùm pater ejus plus XVI millionibus in omni reditu non habuerit. Non mirandum eſſe, ſi tanta pecunia ſine aliquo plebis queſtu çorradi nequiret. Regis quæ in Oceano eſt claſſis Portugalliam verſus vela facere dicitur. Deus cuncta hæc bene vertat, idemque, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, Regnum, Sublimitatemque Tuam ſoſpitet. Lutetiæ 2 Iulii novi Cal. anni 1639.

Salza jam verberari incepit. Defenditur munimentis ad veterum modum: machinis triginta. Tum Piccolominæus tum Caſtilionæus habere quiſque ſcribuntur ſexdecim millia. Cardinalis Hiſpanus ad Airam erat. Captivos Piccolominæus plus trecentos habet qui in imperio aliquò fuere. Viſum mittere & libellum Scotorum ad Regem Britanniarum, & novum juramentum Anglis propoſitum. Ad Nicæam Sabaudiæ ſua ſub præſidia redigendam properant Galli ex Italia, ex Provincia, nec minùs mari.

Sublimitatis Tuæ cultor devotiſſimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illuſtriſſime Domine,

BEne ad me pervenerunt literæ Excellentiæ Veſtræ 1198
datæ 19 Iunii. Pro literis ad uxorem meam curatis gratias ago. Fuit ſanè damnum non leve quod ad Theodonis Villam acceptum eſt: ſed duo hujus cladis ſolatia Galli habent, exemptum Piccolominæi obſidio Mouſonum eo ipſo tempore cùm jam oppugnatio immineret, & Hesdinum jam inde deditum, poſtquam disjecta propugnaculi parte ruina aditum in urbem dediſſet. Ita penſantur adverſa proſperis, retinetque ſuum Mars ut ſit ἀλλοπρόσαλλος [*modò harum modò illarum partium*]. Ducis Vinarienſis iter trans Rhenum inſtanter hic poſcimus: promovemus parum, quia & Galli ſpes ſuas in Comitatum Burgundiæ Proteſtantium commodis anteferunt, & Erlachius Helvetius patriæ ſuæ ſecuritati ſtudet. Quod ſi tamen, ut cum Excellentiæ Veſtræ votis mea jungam, hæc bona malaque inter ſe mixta æquam nobis pacem parient, erit de quo Deo ex animo gratias agamus. De Electorum Conventu Francofurti & nos hic audivimus, & cogitat Rex Galliæ aliquem eò mittere. D. Bannerii proceſſus in Bohemia magni eſſe potuerant, ſi ad Rhenum & Danubium hoſtes occupatos tenuiſſent arma Gallica & Vinarienſia. Nunc tanto tempore conglomerandi ſe hoſtibus dato, & ſpes noſtræ acciduntur & mali creſcit metus. Regem Daniæ neque nobis neque Polono gravem fore arbitror. Batavos ſcio gravi bello implicitos eoque ſuetos

suetos multa dura concoquere. Quæ causa est cur & in Polonia non multum valituram putem horum auctoritatem. Doleo intercidisse Domum Culemburgicam, quæ inter Reipublicæ istius decora erat. Princeps Arausionensis nisi magni aliquid aggrediatur Gallorum spei non satisfaciet. Ipsi verò, capto jam Hesdino, satis adhuc de hoc anno habent temporis ut hosti negotium facessant. Rex Monstrolii est: D. Cardinalis ad Abbatisvillam: ituri Ambianum, Caletum aut alio, prout res belli exigent. Castilionæi & Piccolominæi exercitus non procul Ivoia sunt ambo. Piccolominæus illum sibi exercitum oppositum habens, intutum sibi putavit quicquam pro Hesdino moliri; crediturque peractis, quæ in Gallia peragi potuere, additurus se Hispano Cardinali ad reprimenda Batavorum arma. De Marescalli Hornii libertate spes nobis aliqua datur, sed incerta adhuc. Princeps Casimirus rogatu Radzivilii à Cisterone in Silvam Vicennensem transfertur. Hoc ipsum & quia Legatus huc è Polonia venit, facit ne libertas ejus desperetur. Magnus D. Cancellarius mare transiturus nondum videtur. Audio minas adhuc magis quàm vim intercedere inter Anglos Scotosque: sanguinis, subita occasione, fusum aliquid, sed Rege, quod bellum nondum promulgaverit, improbante. Sed controversiæ tam multæ sunt tamque graves, ut difficiles sint futuræ ad concordiam viæ. Ab Helvetiis & Rhætis nihil adhuc generosum. Pontificii quantum possunt impediunt alios ne in dilectu permittendo aliave re ulla Gallis commodent, & Vallem Telinam videntur à Rhætis emere velle Hispani. In Italia Saniam cepit hostis. Diffluit multum Ducis Longavillani miles, metu cœli Italici: tum verò civitates nonnullæ obsequium in Viduam detrectant, favore in Ducis pupilli patruos & imperiorum Gallicorum metu. Opto Excellentiæ Vestræ cuncta felicissima. Lutetiæ 2 Iulii novi Cal. anni 1639.

Exc. Vestræ ad omnia observantiæ officia semper paratiss. H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1199 Domini Bannerii prospera semper veritus sum ne retunderentur crescentibus indies contra eum hostium copiis, neque ulla hinc vi Rhenum transeunte, quæ partem Cæsarianorum & Bavaricos in se traheret. Cùm apud homines hos multum laborando non multum profecerim, superest ut apud Deum agam precibus ut malum omen à nostris exercitibus avertat, detque adventantibus supplementis quà mari quà terrâ felices transitus. In Westfalia non inertia esse arma nostra gaudeo. In iis quæ ad pacem viam struunt num quid Cæsariani de asperitate sua remiserint, libens intelligam. Tum verò precor Excellentiam Vestram ut mihi auxilio sit ad levandum me iis quibus per biennium jam integrum premor & incommodis & sollicitudinibus. Ad res magnas bene agendas animo opus est à talibus curis libero, neque fieri potest ut rebus privatis non bene constitutis ex dignitate gerantur omnia. Tam diu increscentis debiti partem alteram mihi D. Spiringius pollicetur adhuc: alteram verò jubet me sperare ab ope Excellentiæ Vestræ. Eam igitur rogo, ut in me sublevando & Legationis onerosæ, & literarum communiter nobis amatarum, & veteris amicitiæ sit memor. Ero vicissim. Lutetiæ 2 Iulii 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

1200 Commodam valetudinem resque prosperas Suediam regentium, Nobilitatisque Vestræ, ex ejus literis Iunecopiæ 11/21 Maii satis cum gaudio intellexi, neque minùs illud, mitti Nobilitatem Vestram in Germaniam, quod planè confido utile fore in publicum, speroque Nobilitate Vestra hac transeunte, percepturum me iterum qualem olim percepi ex ejus colloquiis & fructum & utilitatem. Morbos & discordias quibus tentata Suedia fuerat spero Deus in meliora jam verterit. Magno autem cum desiderio exspectamus hic nuntium de transvectis mari ad D. Bannerium supplementis. Nos duo hic molimur, sed promovemus parùm, ut Dux Vinariensis Rhenum transeat & ut placeat Regi proposita Waertii cum Mareschallo Hornio permutatio. Ingens à Gallis accepta clades ad Theodonisvillam solatii habuit aliquid, ab obsidio Mousoni rejecto Piccolominæo, fame tamen magis quàm vi ulla. Dux Longavillanus jam demum transgressus est Alpes, retentus hactenus donec Vidua Sabaudica oppida subalpina aliquammulta in Gallorum custodiam traderet. Princeps Condæus agrum Ruscinonensem Hispano possessum cum armis iniit. Baro Oxenstiernius in castra ad Hesdinum profectus est, ut dedi Hesdinum videat. Piccolominæus in finem Luxemburgicum se retulit. Conatus ejus è propinquo speculatur cum exercitu Castilionæus. Nuntios Pontificios tres jam habet Gallia non indiligentes in commendando pacis negotio inter eorundem sacrorum participes. Vepti vati etiam annectam aliquid, biennium jam expletum est ex quo de meo erogationes facio; à Regno Suedico accipio nihil. Dominus Spiringius semissem debiti mihi salarii pollicetur, de altero semisse per D. Salvium mihi persolvendo spem facit. Video paria queri & D. Camerarium & D. Marinum. Dura est sors pro splendido nomine tam graves usuras pendentium, neque sufficit magnis negotiis sollicitus semper animus. Quare si placet Excellentissimis Suediæ Rectoribus mea opera, percupiam & in præsens his levari incommodis, & ne in posterum eadem recurrant meliùs prospici. Qua in re Nobilitatem Vestram ut me juvet rogo, vicissim ad omnia officia paratissimus. Deus Nobilitatem Vestram cum Domina conjuge, liberis, amicisque sospitet. Lutetiæ 2 Iulii 1639.

De permutatione D. Hornii cum Waertio spei aliquanto plus quàm antehac nobis datur: nihil tamen affirmaverim.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Mitto exemplum epistolæ quam ad me scripsit Dux 1201 Vinariensis: unde intelliget Sublimitas Tua, quàm nullum ex ea parte impetum in Germaniam, quanquam valde his temporibus necessarium, sperare debeamus hoc anno, qui totus, ut videtur, se consumet circa Comitatum Burgundiæ, ubi Ducis exercitus Salinis minatur adhuc. Graiam autem Dolamque usque excursus, qui agrum vastat, prædas agit. Dux autem Carolus, qui in Luxemburgico fine habet cohortes tres id est Regimenta peditum, totidem equitum, ad Mosellam militem legit & è Germania militem opperitur. In eundem Comitatum iturusne sit, an repetiturus obsidio Mousonum, an irruptionem tentaturus in Campaniam Galliæ, videbimus. Mitto etiam exemplum literarum Noyerii Secretarii status res curantis bellicas, per quas quod à me petis, ut ad eos qui præsidia Dagstein & Dobernheim regunt scriberem, ut Lotharingiæ à Rege possessæ fines intactos sinerent, vicinitatisque jura servarent, id feci. Si quas in contrarium rationes habent, eas aut ipsi, puto, ad me perscribent, aut si quæ sint notæ Sublimitati Tuæ ab ipsa exspectabo. Adjunxi pacta sub quibus deditum est Hesdinum, inspectante Illustri D. Barone Oxenstiernio: & Regis

Digitized by Google

Regis ad Præfectum hujus urbis literas non modicum gaudium profitentes: cùm tamen qui in Batavis Res Gallicas agunt indignum id oppidum dixerint quod Regis armis peteretur. Est bene munitum oppidum propugnaculis sex, totidem operibus lunatis. Etiam interiora contra ruinas factas munimenta obsessi inchoarant, sed pulvis bellicus eis defuit, & jussa dedendi ab Hispano Cardinali accepere. Hæc duo qui tutando oppido præfuerat Regi victori dixit: Rex autem & ipsi & militibus ejus plenum fortitudinis ac fidei testimonium præbuit: Iesuitas exeuntes retinere Rex nequivit: ingressus oppidum per ruinam propugnaculi in ipso illo loco D. Millereium, Cardinalis propinquum, bene navatæ operæ ergo fecit Franciæ Marescallum, magno procerum applausu. Rex nunc Ambiani est quid incepturus ambiguum. Habet in propinquo duos bonos exercitus: & satis adhuc temporis restat & ipsi & Batavis, ut aliquid egregium conentur. Princeps Condæus ad Salzam rem agit, septem machinis, pulvere bellico haud multo. Id eò evenit quod bello necessaria per Ligerim ei missa erant, quo tempore placuerat ad mare rem agi, puta ad Fontarabiam, nunc mutato ex occasione consilio absunt necessaria, dicuntur tamen opera ad fossam perducta & vineæ strui. Regia quæ in Oceano est classis ad oram Britanniæ Armoricæ rediit, afflicta & pestilentia & tempestatibus. Corunnæ portum inire non potuit, occlusum & catena ferrea & navium malis. Quò minùs in oram aliquam Hispaniæ exscensus fieret, vis ventorum obstitit. At ejus classis quæ in interno mari à Comite Harcurtio regitur pars maxima apud Nicæam est, quò & terra ex Provincia ivit Comes Alaisius, magna ad eam urbem maritimam obtinendam Gallorum cupiditate. Sed Præfectus oppidi Don Felix, naturalis filius Philiberti quondam Ducis, non minùs Gallicum quàm Hispanicum præsidium recipere abnuit. Ejusdem animi esse dicuntur civitates aliæ Conisium, Aspanum, Mandurium. Interim Galli accessu Longavillani aucti Chivasum recepere. Videntur in spem venisse capiendi & Carignani, jactantque prælia quædam sibi prospera. Sed Cherascum cepit Hispanus. Spargitur & rumor de Hispanis octingentis cæsis à Schombergio prope Perpinianum. Sed multa talia hic aut reperiuntur aut augentur ad solandam plebem, ut de ingenti prælio D. Bannerii captoque fratre Imperatoris. Castilionæi exercitus in Tirassa regione est. Sed bonam ejus partem ad se vocavit Rex, Milereioque adjunxit. Qui ex clade ad Theodonisvillam sunt reliqui Feuquerii caussam, quæ favorabilis adeo apud Regem & D. Cardinalem fuerat, ut filiorum ejus alteri successio in paternam Præfecturam, alteri Abbatia opima data fuerit, suis narrationibus odiosiorem faciunt. Casali adhuc Italos timere video, nec ita longè inde est Leganesius ad Pontem Sturiæ. Audimus autem detecta & Hispanorum arcana consilia adversùs Vrbem Taurinorum, & Gallorum ad capiendos aut interficiendos Sabaudos Principes. Melo Constantiæ exspectatur Bavaricus exercitus ad Rhenum. Solodurienses exemplum dedere Helvetiorum Pontificiis aliis negandi transitum commeatibus & ad bellum necessariis petitum ab Duce Vinariensi. Video & ei genti & Rhætis periisse constantiam. Consilia eorum sunt diaria. Hassos nullas copias contribuere Batavis norit jam Tua Sublimitas. Ne Galli quidem id optarunt, malunt enim ipsos per se Hassos aliquid agere: quod an facturi sint, non sine causa dubito. Inter Anglos Scotosque instituto colloquio res composita est quibus conditionibus, nescimus. Supervenerat improvisus colloquio Rex ipse, & manum ejus osculari volentibus Scotis id non concesserat, concessit autem postea, conspecto eorum libello satis supplice. Parlamentum in Scotia habebitur, ut pacta hæc legis vim accipiant. Ei se interfuturum Rex dicit. Causæ ad expetendam concordiam utrinque multæ fuere. Regi res pecuniaria parum procedebat. Et quæ alendo exercitui erant necessaria, non satis ex fide administrabantur. Scotorum patientiam fatigabant, & diutina à domo absentia & ablatum mare ac commercia. Captis etiam nuper ab Anglica classe Scotis qui è Germania popularium partes adjuturi venerant. Pontificis Nuntii tum hic tum Viennæ pacem cudunt. Veneti in metu à Turca manent. Deus cuncta vertat in pacem Christiano Orbi bonam, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem Regno rebusque communibus servet. Lutetiæ 9 Iulii 1639.

Rediit jam à castris Illustris D. Baro Oxenstierna, viditque sine periculo quicquid videndum erat. Cardinalis Corbiam proficiscitur. Inde conjectura capitur bellum in vicinia Campaniæ fore. Aiunt Galli exercitum suum in Italia pervenire ad sex peditum, equitum XIV millia. Villaregium in Comitatum Burgundiæ venire cum octo millibus. Classem Gallicam in mari interno naves habere longas XX alias XXII. in Hispanica esse naves longas XXXV. Cardinalis Hispanus inter Peronam & Cameracum esse dicitur.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

HEsdinum pro operum magnitudine satis citò in Gallorum venit potestatem, adigente maximè ad deditionem pulveris bellici penuria. 1202
Millereius, qui obsidioni præfuit, in ipsa propugnaculi ruina factus est à Rege Franciæ Marescallus. Nunc Ambiani Rex est: Castilionæus cum exercitu in Tirassiana regione: sed ab eo pars bona militis abducta & attributa Millereio. Nunc quid acturus sit Rex exspectamus. Dux Vinariensis negat se copias habere quibuscum Rhenum transire possit. Et verum dicit. Vix enim mille & ducentos apud se habet Guebrianus sine commeatu, sine pecunia. Abductæ ab eo sunt Smitsbergii & Batilii cohortes. Novæ ad IV millia ei promissæ, nondum advenerunt. Salinis adhuc minatur Ducis exercitus cursitatque ad Dolam & Graiam usque populabundus & prædas quærens. Mittitur easdem in partes à Rege Villaregius cum equite pediteque. At Dux Carolus cum tribus equitum, totidem peditum cohortibus, id est Regimentis, in Luxemburgico est, incertum in Campaniam Galliæ irrupturus, an iturus ad obsidium Mousoni, an oppositurus se Vinariensi Duci. Princeps Condæus modò Narbonæ est, modò in exercitu ad Salzam, ubi ad fossam perducta dicuntur opera. Hispanus in locis vicinis non spernendum habet exercitum. Non longè à Perpiniano quosdam eorum cecidit Schombergius. Quæ ad oram Hispaniæ fuerat Regia classis, ea ad oram Armoricæ Britanniæ rediit, imminuta per morbos, tempestatibus prohibita ne in Hispaniam descensum faceret, & quominus Corunnæ portum intraret, catenis malisque navium interpositis. At altera maris interni classis sub Harcurtio Nicæam Sabaudiæ adsidet, eodemque è Provincia se tulit Comes Alaisius, præsidium, si possint, Gallicum inducturi, quod & illa & aliæ civitates pertinaciter abnuunt. Tamen Civasum recepit Cardinalis Valetta: Chirascum Hispani cepere: & horum irritus in urbem Taurinorum per proditionem speratus conatus, & Gallorum vicissim in Principes Sabaudos qui Astæ agunt. Casali timetur adhuc, non longè inde ad pontem Sturiæ se tenente Leganesio. Melos Constantiæ exspectatur. Ad iter negandum Ducis Vinariensis commeatibus ac rebus ad bellum necessariis, initium fecere Solodurienses. Mirè Helvetiorum Pontificios lactat Hispanus, nec minùs Rhætos, frustra prodi & sacra & profana clamantibus ac scripto etiam testantibus Protestantium Ecclesiastis. Veneti adhuc à Turca

sibi timent; neque minùs qui ad periculum propriores & bello cum Turca implicitι sunt, tum Melitæi, tum Siculi. Goltzius in Bohemiam ivit. Reliqua pars Bavarici militis Rheno propinquat. Inter hæc prospera adversaque nihil est quod me magis aut soletur, aut oblectet, quàm pax inter Anglos & Scotos. Promtum jam erit Regi Britanniarum, si velit, habenti validos exercitus duos, sororis suæ liberis novum Palatinatum quærere in Westfalia cum maximæ partis Christianorum favore. Nos hic & nuntium de adventu Suedi militis in Germaniam, & quid Batavi, quid Hassi facturi sint, sollicitè exspectamus. Deus Excellentiam Vestram ejusque caritates servet. Lutetiæ 9 Iulii ex novo Calendario anni 1639.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ studio devinctus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1203 MVltò majora quàm quæ per fidos auctores accipimus, de D. Bannerii rebus & nuntiata hic sunt & à plebe nobis favente libenter credita, de internecione hostium, capto fratre Imperatoris & Praga, aliaque hujusmodi. Attamen quæ epistola Excellentiæ vestræ data 7 Iunii significat, satis magnifica sunt. Optanda tam prosperorum diuturnitas & augmenta. Quæ autem è Suedia copiæ mare transierint, transiisse enim jam arbitror, scire jam primùm aveo, ut habeam quo Regem Proceresque & omnem hanc civitatem oblectem: Regem enim Ambiano huc venturum, ut & Reginam & Delphinum videat, existimant multi. Res meas privatas Excellentiæ Vestræ maximopere commendo, non tantùm ut in præsens his non ultra tolerandis prorogationibus, sed ut & in posterum noxia gerendis negotiis anxietate lever, si tamen mereri hoc munus videor, quod si non, æquum est egomet mihi sine damno reddar. Lutetiæ 9 Iulii 1639.

Excell. Vestræ perpetuò observantissimus H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,
Senatori in Parlamento Parisiensi.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1204 PErcurri cum voluptate D. Blondelli diatribam de suburbicariis. De ipsa re nunquam aliud quàm ipse sensi. Ille verò argumenta nobis affundit ὅλῳ τῷ θυλάκῳ [*toto sacco*]. Non possum satis laudare viri summam diligentiam defecatumque judicium. Τὰ δὲ καθ' ἕκαστα εἰς τὸ ἀκριβέστατον ἐξονυχίζειν οὐ σχολὴ ἡμῖν [*singula verò exactissime expendendi nobis non est otium*]. Sed quæcunque ab eo venient accipiam grata mente, & legam eadem qua hæc legi aviditate. Vale Vir Excellens. Lutetiæ 12 Iulii 1639.

Nobil. Amplitudinis Vestræ addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1205 IN Culemburgum exspatiatio spero bene successerit Excellentiæ Vestræ. Nos hic nihil habemus magni. Rex & Cardinalis Peronæ sunt. Exercitus præcipuus adhuc ad Hesdinum, alter Castilionæi apud Guisam, utrumque observante Piccolominæo, cujus copiis pergit uti Hispanus, & pro eo usu dat Imperatori centum millia Dalcrorum Imperialium. Vnde is novum militem scribat. Qui secundus à Præfecto fuerat in urbe Hesdini, mortis supplicio ab Hispanis affectus est, ideo quod & non satis defendisse quæ extra oppidum erant munimenta, & pulvere bellico prodigè usus diceretur. Ipsi Præfecto parcitum est, quod per morbum res administrare non potuerit. Est adhuc in Aula Betzius. Quid agat Dux Vinariensis nescimus, nisi quod bonis operibus ac præsidiis firmare Iouxium & S. Hippolyti oppidum dicitur; cæteris autem in Comitatu locis detrahere munimenta, ne oneri sint. In Salzæ obsidione jam superata fossa ad murum veteris firmique operis perventum est. Eo subruto, speratur urbs ad deditionem ventura. Hispani quidam, qui Bidissoam amnem Galliæ Hispaniæque terminum, transierant, repressi sunt. Princeps Condæus ad duodecim quæ habet millia, nobilitatem & ex Languedociæ præsidiis alios advocat, eò justius, quod in Catalània validum exercitum habeat Hispanus, & ex Arragonia & vicinis Fontarabiæ locis novas copias exspectet. Præfectus Nicææ Sabaudos quidem milites trecentos augendo præsidio à Domina Vidua accepit, & ad eam literas misit, quas ad ipsum Princeps Thomas scripserat: sed Gallos admittere pernegat. Gallica sub Arcurtio classis, navium longarum XIV, aliarum XVII, ad Villam Francam est. Hispanus XXXV naves longas easque bene instructas habet. Videntur in Italia id agere Galli, ut viam sibi ad Casale patefaciant, quod nisi captis oppidis quibusdam obtineri non potest. Melo Hispanus ad Alsatiæ fines habiturus dicitur XVIII millia ex Hispanis & Neapolitanis, III millia ex Helvetiis, quinque ex Tiroli finitimisque ei regionibus. Ad conventum Electoralem Francofurtensem Imperator mittit Marrnitzium Comitem, ut disturbet eorum consilia qui aut pacem ipsi extorquere, aut mediam quandam partem condere parant. Sunt enim qui Danum talia agitare arbitrantur, nec alienos Magontiacensem & Bavaros, quorum Elector Coloniensis in Ehbrestenum pro Cæsariano Bavaricum induxisse præsidium dicitur. Sed ego per illas nebulas nihil adhuc prospicio. Reinaccus Ratisbonæ jam in Præfectura est. Imperator filio orbatus est minore, cui Philippo fuit nomen. A Treviris ad tutandam Theodonisvillam multa submissa sunt. Ad Badensem Helvetiorum Conventum misit Dux Vinariensis. Est ibi magnus Legatorum confluxus ab Imperatore, Gallo, Hispano, Archiducissa, Comitatensibus Burgundis: agitur autem non multum. Protestantes Helvetii acta non ex fide scribi querentes proprium habere in Conventu scribam volunt. Rhæti adhuc fluctuant: relatumque ad populos est de modo federis, de castellis Sonaru & Clevennæ, quæ dejecta Hispani volunt, de imperio in Vallentelinam, quod Hispani illis tale concedere volunt, quale Helvetii in Præfecturis Italicis habent, aut jus Rhætorum pecunia redimere: neque Protestantibus moram in Valle Telina indulgent nisi per tres in anno menses: quod satis durum videtur: sed ad talia præiverant Galli. Marchio Villaregius, qui se Duci Vinariensi conjungere debebat, adhuc Schlestadi hæret. Is autem qui Lindaviæ præest Protestantium Helvetiorum merces quasdam detinuit, quod hostilitatis videtur initium. Vidimus hic capita pacis Scoticæ, gaudemusque & honori Regis consultum, & evitatam gravis inter Britannicas gentes belli tempestatem. Siquid favillæ ex incendio remanserit, id speramus per Conventum prævium Parlamento, & per secuturum Conventum Parlamentarium aut exstinctum iri, aut ita sopitum, nequid in publicum mali dare possit. Quoties prima coitio discussa est, solet plerumque dies esse pro Regibus. Sultanus Turcicus Constantinopolim redit, securus sublato Mustafa æmulo, & ditatus præda Anguriæ Præfecti, cui magnæ divitiæ causa mortis fuerunt. Veneti, inter spem metumque suspensi, plus tamen timent quàm sperant. Deo Excellentiæ Vestræ valetudinem resque ejus seriò commendo. Lutetiæ 16 Iulii 1639.

Excell. Vestræ perpetua devinctus observantia H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

FEliciores meis fuere literæ Nobil. Vestræ datæ 16 Iunii quæ 13 Iulii ad me pervenerunt. Ego & cir-

tati Vestræ optimè velle & de ejus rebus ut judicavi hactenus, judicare pergo, confirmorque in meis conjectationibus per ea quæ tum hic audio tum istinc intelligo. Nobilitati autem Vestræ tam bene & volo & velle debeo, ut commendatissimi mihi semper futuri sint, qui eam ulla parte necessitudinis contingent. Opto Legatis civitatis Vestræ aures Regis Procerumque propitias. Res Mareschalli Bannerii nec tantæ sunt quantas hic tulit fama, nec spernendæ tamen. Verùm maximo nobis usui foret trans Rhenum ire Ducem Vinariensem, in quam rem operam damus. Nam si validè duabus ex partibus bellum in Cæsarianos geratur, bona spes sit aut hic aut illic aut utrobique fortunam se virtuti daturam comitem. Venit ad me dum hæc scribo is quem antea videram Nobilitatis Vestræ cognatus. Videtur mihi ab aquis, quarum beneficio est usus, rediisse vegetior; sed hæc meliùs ipse dicet, nam domum properat, quod ut possit diuque secunda fruatur valetudine Deum precor. Lutetiæ 16 Iulii 1639.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1207 REx & Cardinalis Peronam se transmoverunt, eodem se transtulere Pontificis Nuntii & qui alii ad Aulam negotia habent. Quid Regis exercitus agere velit, diligenter observat Piccolominæus, idque impedimento futurum creditur ne quid agatur hic tale quale speravimus. Etiam Princeps Arausionensis multum efficere se putat quod Hispanorum obstat conatibus. Princeps autem Condæus Salzæ fossam jam demum transgressus, quærit subruere muros lapideos crassi vetustique operis. Militum secum habet duodecim millia: sed præterea vicinam nobilitatem ad se vocat. Machinas habet octodecim, pulveris bellici non multum, dolendumque est tamdiu trahi obsidionem arcis in plano sitæ. At verò Hispani, bonum habentes in Catalania exercitum, ab Arragonia & vicinis Fontarabiæ locis plures ubi copias acceperint, ultro aggredi Gallos cogitant aut jactant. De Ducis Vinariensis actibus nihil dum audimus. Betzius adhuc apud Regem est. Classis Gallica ad Nicæam modica nec bene instructa esse dicitur. Præfectus Nicææ trecentos Sabaudos augendo præsidio à Vidua missos admisit. Literas autem à Principe Thoma ad se scriptas misit ad Viduam. Galli verò, qui intrare eò speraverant, frustra futuri videntur. Severum militaris disciplinæ exemplum ediderunt Hispani, præcisis cervicibus, non quidem Præfecto Hesdini, qui propter morbum res administrare non potuit, sed alteri, qui sub eo urbem curaverat. Crimini datum, quod suburbana opera non quamdiu poterant defensa sint, quodque pulveris bellici magna fuit abusio extra necessitates. Vera hæc esse etiam Galli affirmant. Castilionæus cum suo exercitu ad Guisiam est. Et Lutetiæ & alibi novi dilectus fiunt, & tributa in secundæ classis divites parantur. In Italia in id nunc maximè laborant Galli, ut oppida aliqua capiant per quæ via ad Casale patescat. Rex Angliæ pacem cum Scotis habet, quanquam vicinorum nonnullis id ipsi bonum invidentibus, ut ipse Legato Gallico dixit. Multum sanè egit quod ab armis abduxit Scotos; dissolvitque novam regiminis compagem, in qua viri XII ex quatuor lecti ordinibus rei summæ præerant, & sub illis quatuor erant collegia Baronum, Nobilium, oppidanorum & Ecclesiæ ministrorum ad quos res referebantur. Plurimum ad pacem contulit classis Regia Scotos prohibens, quominus everherent apud se nata unde ipsorum multis victus, & supplicatio Scotorum, & pacta quæ vulgantur & Edictum Regis, quæ mitto omnia, talia sunt ut honori Regio satis consulatur. Quæ verò in Glascuensi Conventu acta fuerant, in novo Conventu hoc mense, cui Rex interesse vult, discutientur an legibus moribusque congruant. Ibi præcoctis negotiis, habebitur deinde Parlamentum. Liberi erunt Scoti à collegio quod Sublimis delegationis vocatur, quale in Anglia est, potestatemque habet specie æquitatis ea quæ judicata sunt retractandi. Episcopatum, si non eosdem Episcopos, restitutum iri puto, sed accisa eorum potestate subjectaque Synodorum judicio, addito etiam ne quid sine suo Presbyterio agant, veteris Ecclesiæ more. Planè gratulandum est Regi quod tam gravem procellam discusserit, cætera quæ nonnihil turbata sunt cum tempore ordinaturus. Quæ jam de rebus Germaniæ capturus sit consilia videbimus. Hispanos ultra mille in tribus Anglorum navibus captos Batavi Gallorum in manus tradidere, quorum insignibus usi fuerant. Rediere jam Batavæ naves intra fretum & XII Dunquercanorum fregattas cepere. Majores Dunquercanorum naves, quæ & ipsæ Hispanum ferebant militem, Batavorum exspectationem elusere, capto inter magnam Britanniam Hiberniamque itinere. Turcarum Sultanus imperata ac peracta cæde tum æmuli Mustafæ, tum opulenti cujusdam in Anotalia præfecti, in reditu est Constantinopolim, Venetis adhuc trepidantibus inter pacis bellique incerta. Minores pugnas quæ in Galliæ & Hispaniæ confinio aut in Comitatu Burgundiæ fiunt, scribere vix est operæ pretium. De Conventu Electorali quæ Francofurti habebitur, varia sunt hominum judicia, quibusdam sperantibus tertiam inde partem in Germania exorituram, & argumento hoc quoque utentibus, quod Coloniensis Elector pro Cæsariano præsidio in Ehrbresteinum, Bavaricum introduxerit. Regis Daniæ paratus eodem spectare sunt qui putant. Mihi verò tale quid animo videtur concipi posse facilius multò, quàm ad effectum perduci. Deum interim precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, omnia ad veram pacem ut dirigat. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Iulii 1639.

Iam jam ad me venit tribunus Betzius. Ait dicere Regem, paratum se reddere Duci Vinariensi & Waertium & Enckefortium: sed rogare ut differatur id nonnihil, donec de redemptione D. Feuquerii & qui cum eo sunt res peracta sit. Iterum it in Aulam Betzius, quem rogavi, ut si ullo modo fieri potest, hanc moram, rebus nostris noxiam, præcidat. Dux Carolus sex millia secum habens, tum verò præsidia quæ in arcibus ad Metim reliquit Piccolominæus, Lotharingiam pro Rege tenenti Hallerio negotii multum facessunt. De Bapalma aut Avennis à Rege obsidendis rumores sunt quidam, sed incertæ fidei. Exercitus Regis sub Millereio & Castilionæo singuli esse dicuntur sex mille equitum, peditum XIII. Piccolominæi verò exercitus apud Atrebatum urbem medio inter Gallicos exercitus loco XVIII millium. Videtur Rex demovere ab urbe Meti velle eos qui Valettarum domus studiosi putantur. Dux Longavillanus Bexmam modicum oppidum cepisse dicitur, & Segusio quæ nunc Susa dicitur, præsidium accipere Gallicum. Melitenses ad Tripolim Africæ sex Afrorum naves incenderunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,
Senatori in Parlamento Parisiensi.

Vir Nobilissime & Amplissime,

NVnquam Græca Ecclesia tantum Zonaræ, Balsamoni, Nilo Græcisque aliis debuit quantum nunc 1208
Blondello. Præter Lectionem & multiplicem & diligentem amo valde τὴν εὐταξίαν καὶ τὴν σαφήνειαν [*rectum ordinem & perspicuitatem*]. Duo illa in Batavis belli sed chartacei fulmina magno ut video fragore inter se concurrent. Nosti quid de duobus generibus ἐρίδων [*contentionum*] Hesiodus dixerit. Poterit hæc commissio, quando nobis nolentibus ita res evenit, & Heinsium è veterno excitare, & Salmasio ut sua rectè ordinet curam addere, absint modò convitia.

—— λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἄνδρας ποιητὰς ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.
—— *non oportet enim conviciari*
Viros Poetas, ut panis venditrices.

Vale Vir Amplissime. Lutetiæ 17 Iulii 1639.

Tuus semper H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1209 EX quo scripsi postremum nihil evenit novi. Hispanicus exercitus tormenti jactu longius non abest à castris Gallorum ad Salzam: metuiturque ne aliqua perstrumpat. Editus in Hispania est liber in honorem Olivaresii, continens gratias ipsi actas a Rege pro servata Fontarabia & non spernenda in perpetuum ejus meriti monumenta, nempe ut solida ex auro patera quotannis à Regibus Hispaniæ detur Olivaresii posteris, S. Lucari Ducibus; utque iisdem Ducibus susceptoribus baptizentur quotquot erunt primi Hispanorum Regum filii. Exspectamus jam ut Galli satis solertes ad talia, hoc excitati exemplo, novos honores reperiant ad eos ornandos quos beat Regis gratia. Mari nunc, à Gallis quidem nihil agitur, at non quiescunt Dunquercani, quanquam classis Batava cis fretum rediit: ceperunt enim naves Amstelodamo venientes aliquammultas, cum bellicis duabus. Dux Carolus in Comitatum penetrat. De Duce Vinariensi habemus nihil, & rediit ab Aula Betzius: nondum tamen me vidit. Inde conjecturam capio, de remittendo ad Ducem Waertio & Enckefortio moras necti, cujus culpa haud facilè dixerim. Rumores hic sunt in Francofurtensi Conventu fore qui conditiones ad pacem properant, ut Suedis Pomerania relinquatur, tria Lotharingiæ oppida Regi Galliæ, Duci Vinariensi detur pecunia, Brandenburgicus Magdenburgensem Archiepiscopatum accipiat, alii alios Episcopatus. De Scotica pace incertus sum judicii. Missus erat à Rege Marchio Hamiltonus, ut ex pactis arcem Edimburgensem Regis nomine reciperet. Ubi in urbem venit, appositi ei sunt custodes. Id contra insaniam plebis factum sit, an ut ipse pignus sit eorum quæ Rex promisit, dubiam recipit interpretationem. Cæterùm, ut scripsi nuper, ita nunc etiam arbitror, eum fore eventum belli hujus, ut Episcopi Ministris sint pares: Scoti autem liberi sint ab extraordinario illo judicio quod Altæ commissionis vocatur. Manebunt tamen, ni fallor, quamvis in pace veteris ac jam innovati inter finitimas gentes odii semina, non nolentibus Gallis. De Helveticis Rhæticisque rebus nihil dicam, quod eas diligenter exsequatur Marinus, cujus negotium, juxta meum Sublimitati Tuæ commendo, vel hominis causa, vel quod Regni Suedici dignitas id exigit. De Hassis cur nihil boni sperare audeamus, scribet D. Camerarius. Episcopi Wurtsburgensis & Bambergensis militis aliquid scribunt. E Thuringia ad Imperatore supplementa Duci Carolo venerunt. Bavarus item è præsidiis quantum potest corradit. Videntur in metu esse, ne quæ ad Visurgim fuere Suedorum copiæ iter sibi faciant ad Ducem Vinariensem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, omnia hæc gubernet ad æquam pacem, bonumque Regni Suedici, cum maximo honore Sublimitatis Tuæ. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Iulii 1639.

Oppidum Bermes cepit Dux Longavillanus. De Salza manet dubia exspectatio. Deest Gallis pecunia. Parum est commeatus: dissidia inter Duces. Hispani in propinquo ad XXX millia. Ducis Caroli milites Sanctavautium de insidiis cepere. Captas à Piccolominæo circa Metim arces paulatim recuperat Halerius. Ad Retelum est Castilionæus. Machinæ & alia bello necessaria maximè in eas partes compo[illegible] Theodonisvi[illegible] & [illegible]medi[illegible]m. Nob[illegible] ad [illegible] mala è loc[illegible] Piccolomin[illegible] XX I I I [illegible] inter Cameracum & urbe[illegible] A[illegible]atum [illegible], versurus se quo trahent [illegible]lorum [illegible]mina. Verò ecce ad me Betzius rediturus [illegible] ad D[illegible], Nihil obtinuit præter iteratam Regis [illegible] d[illegible]do Waertio & Enckefortio. Sed ubi [illegible] negotium erit expeditum, id est valde cæca [illegible]

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Re[illegible] Regniq[ue] S[illegible] Con[illegible] L[illegible] apud Præp[illegible] Ord. Fœder. [illegible].

Illustrissime Domine,

B[illegible]num est, cùm ternas pariter ab Excel[illegible] V[illegible] 1210 literas accipio, [illegible] quarto, [illegible] menti hujus. Ago pro tam diligenti [illegible] In omni[illegible], de quib[illegible] ex literæ, [illegible] Vestræ judicationib[illegible] congru[illegible] [illegible] teris m[illegible] sequar quod [illegible]scribitur. V[illegible] Regis Magnæ Britanniæ [illegible] pacta com[illegible]. V[illegible] speciem honori Regio non [illegible]. Res [illegible] Scoto[illegible] nent, Episcoporum scilicet [illegible], & libertas ab extraordinari[illegible] judiciis quæ Altæ C[illegible]nis vocatur. Vereor autem ne sub male composit[illegible] neribus [illegible] id resideat favillæ. E[illegible] rei [illegible] habet, tum Anglorum & Scotorum sermones, quos [illegible], tum quod Marchioni Hamiltono, misso à Rege al[illegible]go, capiendam possessionem Arcis Edimburgi, à civitate custodes dat[illegible]s huc relatum est. Si Rex Magnæ Britanniæ suspensum illud de fœdere negotium nunc repetat, multum sibi eo facto conciliabit Scotorum animos, dabitque materiam in qua feliciùs se quàm domi exerceant, qui sine bello vivere non possunt. In Electorali Conventu qui Francofurti habebitur futurum credunt, ut proponantur quædam ad pacem conditiones de quibus deinde agatur cum Imperatore. At Imperator mittit qui ista consilia disturbet Martinitzium. Victus pabulique copia aut nostris aut hostibus adjudicabit Bohemiæ & ei cohærentium regionum possessionem. De Transilvanis & Hungaris nihil audio. Turcarum Sultanus Constantinopolim redit & Venetis infensus manet. Attamen ne Imperatori prorogentur induciæ, sedulo Constantinopoli Gallos laboraturos confido. Suedos qui in Finseldia sunt cum Duce Vinariensi se conjuncturos, fama hic est. Nos de ipso Duce qui ad Montem Benedicti esse dicitur, intelligimus nihil: nec de libertate Marescalli Hornii quid sperem video, quando Waertius & Enckefortius Duci nondum redduntur. Hassi, ut apparet, pergunt [illegible] res agere, corrumpere publicas. Rex ad oppidum S. Quintini est. Millereius cum exercitu non longè ab Hesdino apud Mousonum Castilionæus. Prælium futurum non videtur, nisi in Italia fortè, ubi multa oppidula Hispanus cepit, aut ad Salzam, ubi non longiùs quàm globi machinarii jactu exercitus hostilis à Gallico abest. Galli mari nihil agunt. Dunquercanos non quiescere, norunt Amstelodamenses. Dicitur Piccolominæus a Cæsare ad vocari ad summam imperii bellici. Nuntii Pontificii multum hic laborant de pace ex suo usu constituenda. De Daniæ Regis animo in res nostras cùm satis constet, observandum diligenter quid agat, quid speret, quid velit. Non videntur mihi eæ esse res Batavorum, ut multum eos curaturi sint, aut Danus aut Polonus. Exercitus D. Bannerii, copiæ sub Coningsmarchio, præsidia quæ sunt in Pomerania, Meclenburgico, Erfurdia, in Westfalia, supplementa quæ venerunt è Suedia, quæque è Finnia veniunt, magnum simul numerum efficiunt, Suedosque reddunt ut hostibus formidabiles, ita respiciendos sociis. Non esse sperandum Magni D. Cancellarii cis mare adventum & ego sentio. Quid de Brisaco inter

inter Gallos & Ducem Vinariensem convenerit, etiamnum latet. Magnos honores Rex Hispaniæ Olivaresio habuit, ejus curis acceptum ferens quod servata sit Fontarabia. Voluit Rex posteris ejus S. Lucari Ducibus quotannis in perpetuum à Regibus Hispaniæ pateram dari auream, primosque filios qui Regibus nascentur ab ipsis in baptismo suscipi. Genuensis quidam in Hispania Mercator Legatum amplum reliquit, ad xxv millia Missarum pro se dicenda. Apud Rhætos aut bellum civile futurum videtur, aut obtenturus quæ vult Hispanus, id est ut castella Clavennæ & Sondrii solo æquentur, ut nemo per Vallem Telinam transeat nisi Hispani concessu, ut nisi eorundem voluntate federa nulla fiant, vetera cum Gallis facta, quamdiu aut quoties bellum Galli cum Hispanis habebunt, ne valeant. Protestantibus ne ultra tres menses in Valle Telina morari liceat. Displicent hæc ex plebe multis, præsertim Ecclesiarum pastoribus. At primores donis, metu, partim & Gallici nominis odio plura indies concedunt. Etiam Episcopus Curiensis controversias Rhætis movet aliquas, & Cappucinos in Engadinam vult introducere. Melo qui Siciliam rexit in Italia hæret, spe capiendi Casalis, & quia miles cum quo Alsatiam petiturus erat ab Hispania & Neapoli nondum advenit, millionem pecuniæ secum fert, & copias quasdam etiam ex Tiroli & Suevia opperitur. Casali autem sal deesse dicitur & alia quædam. Præsidium est bis mille peditum, equitum cccc, præter Montisferratenses aliquot. Ad obsidionem ejus loci cœptandam ex Hispania, Italia, Pedemontanis & Vallensibus locis Hispani supplementum ad xii millia exspectant. Habent nunc apud se, extra præsidia, sex peditum millia, equites plus quater mille. Wurtsburgensis & Bambergensis Episcopis militem & ipsi scribunt, ad equites sexcentos, & bis mille pedites. Dux Carolus in Comitatum it auctus Cæsariano è Thuringia milite. Etiam Bavarus quantum potest è præsidiis colligit. Oppidum Bermes cepit Longavillanus. De Salza dubia est judicatio. Ducis Caroli miles Sanctavautium insidiis cepit. Alias circa Metim arces recipit Halerius: videturque bellum non longè inde futurum. Nam eò conferuntur machinæ & quæ bello necessaria. Ad Retoum est Castilionæus: inter Atrebatum urbem & Cameracum Piccolominæus. Gratias habeo Excellentiæ Vestræ pro perpetua in me ac meos benevolentia. Ipsi vicissim & omnibus ei caris cuncta precor felicissima. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii 1639.

Rex Remos pervenit.

Excell. Vestræ singulari observantiæ studio devinctus H. G.

D. CAMERARIO IVNIORI.

Nobilissime Domine,

1 BEne accepi literas Nobilitatis Vestræ 11 Iulii datas, rerum divites. Tum verò & per uxoris literas cognovi perstare te in pristina benevolentia adversùm me meosque, pro quo gratias ago, spondeoque mutuum. Quæ hic aguntur aut intelliguntur aut conjecturis præsumuntur ea sunt in literis ad Illustrissimum D. Legatum parentem Nobilitatis Vestræ, quas apertas mitto, idem facturus posthac: ita enim fiet ut & Nobilitas Vestra quæ nosci oportet celeriùs norit, & eadem ad Patrem quamprimùm curentur. Deus nos vosque omnes respiciat favens. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii 1639.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

2 SIcut cum dolore ex literis datis Lunæcopiæ Maii 27 intellexi sequiorem Nobilitatis Vestræ valetudinem, ita ex D. Epstenio, qui recentiores acceperat, cum gaudio didici adventum ejusdem Hamburgum, certum argumentum ejusdem valetudinis in melius restitutæ. Sicut autem illa sollicitudo ad preces me adegit, ita subsequens lætitia gratiarum ad Deum actionem secum traxit. Multum me obligavit Nobilitas Vestra, quod caussam meam, ut tam longis de meo prorogationibus liberer, egit apud Magnum Regni Cancellarium, & quanquam jussa Reginæ Dominorumque Regentium ad me eo quo par est desiderio exspecto, tamen spero etiam literas ferre Nobilitatem Vestram ad Illustrissimum D. Salvium, ut semissem ejus quod mihi debetur, aut Hamburgi mihi aut Amstelodami numerari faciat. Satis enim intelligit Nobilitas Vestra, nisi post tam longam noxiamque rebus meis moram nunc saltem mihi consulatur, & in posterum constituatur aliquid cui possim inniti, neque reditus meos impendiis, neque animum curis publicis sufffecturum. Ad Ducem Bernhardum mitti Nobilitatem Vestram intelligo, planè persuasus neque alium mitti potuisse magis idoneum, neque tempus eligi magis opportunum. Dux nondum quicquam agit, causaturque auxilia hinc sibi promissa, quæ duceret Villaregius, necdum venisse. Sed de his rebus propinqua spes colloquii facit ut scribendi compendium faciam. Supplementa ex Suedia nostris exercitibus alia venisse, alia in itinere esse & ego gaudeo & mecum Galli. Rortæum huc venire audio. Daniæ Regem eo esse in nos animo quem describit Nobilitas Vestra credo, credidique semper. Insidiosis interrogationibus conveniunt responsa ambigua. Vale quàm optimè, Vir Amplissime Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iulii anni 1639.

Nobil. Ampl. Vestræ addictissimus H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,
Senatori in Parlamento Parisiensi.

Vir Nobilissime & Amplissime,

REmitto exempla literarum Pauli Veneti ad Mornæum, virum magnum, sed qui parti suæ neutra 1213
Pallade profuit. In Epistola tertia pro *facesset* repone *faceret*, & illud *professione* oppone ei quod præcessit *affectu*, ut utrumque regatur à voce *propensum*. *Non faceret*, id est, *non mutaret*. De Peiraredii notis dico quod nuper, conveniunt quædam cum iis quæ ego margini adscripseram. Sunt & alia valde bona; quædam Interprete non mutatore egentia; quod facile, si huc veniat, me ipsi demonstraturum confido. Vale Vir Amplissime. Lutetiæ 27 Iulii 1639.

Tuus tuo merito H. G.

IOANNI REIGERSBERGIO,

Optime Reigersbergi,

BEneficia gratè qui æstimat, majora meretur. Ego 1214
quæ tibi præstiti, & exigua sunt & beneficiorum nomine censenda non sunt, cùm & necessitudini nostræ, propinquæ adeò, & summæ Parentis quondam tui in me benevolentiæ, exploratæque in rebus adversis fidei deberentur. Hæc igitur & parva & tuo jure tibi debita tanti cùm facias, onus mihi injungis quærendi ecquid præstare possim amplius teque dignius. De vitæ genere suscipiendo quid suadeam, tantis intervallis dissitus, oblitus eorum in quibus vivis locorum atque hominum, non satis video. Iurisprudentia mihi semper placuit, sed ad eam te nunc accingi, vereor ne serum sit. In medicina non satis est pro vestra familia dignitatis. Theologia istis in locis perquam turbida est, & ipsa functio hominum vitio minùs honorata. Philosophia bonarumque artium studia multum in se habent inter secunda voluptatis, inter adversa solatii, quod experiundo didici. Cæterùm ad rem augendam, ad parandas amicitias & affinitates minùs hæc valent. Restat militia, plena laborum, periculorum non vacans, tarda adferens compendia. Si tamen hæc allubescit, videndum domi ne an peregre jam sumi sit satius. Vbi aut hac de re aut si quid succurrit melius,

tuam & amicorum sententiam intellexerim, promptissimo animo mea addam consilia. Valete omnes nostri. Lutetiæ 30 Iulii 1639.

Tuus toto animo H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ,
Archidapifero Regni Suedici.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1215 LIteras Sublimitatis Tuæ scriptas 28 Maii modò accepi. Quibuscunque in rebus Illustrissimo D. Baroni Oxenstiernæ qui hic est, gratum facere potui aut utile, non claudicavit mea opera. Sed id omne nihil est, præ eo quod aut summæ ejus, & quales maximas optet in filio pater, virtutes merentur, aut quod illustrissimæ domui, unde natus est, debeo. Bene constat ei temporis ratio, in addiscendis quæ animum ornant, aut corpus vegetant, & qui datus est ei comes, bene implet impositas sibi partes. De itinere Italico cogitavi & consului locorum ac temporum gnaros. Video terra eò iri non posse, quod omnia infessa sint exercitibus. Navigatio à Massilia Genuam vulgò frequentatur, nec quicquam habere periculi creditur. A Religione quoque in Italia. Romæ etiam, nihil metuendum, silentii legem retinentibus, ex multis amicis meis, qui inde redierunt, didici. Autumnus medius itineri optimus, quod ad eum restat temporis, suasi ut extra urbem hanc, externorum concursu celebrem, impendant non tam addiscendo, quàm excolendo poliendoque sermone Gallico, cujus usus per totum orbem Christianum est maximus. Id autem nunc quàm in reditu ex Italia fieri, malim, quod duæ linguæ vicinæ adeo, si sub idem tempus addiscantur, misceri ac proinde corrumpi solent. Illud ea fide quam Regno Suediæ debeo, asseverare audeo eam esse in Illustrissimo Domino Barone animi, quod primum est, probitatem, cum ingenii vigorem, eam ad hauriendas res scitu dignas diligentiam, ut planè non dubitem, quin inter primos futurus sit eorum, quorum curis incumbere patria & possit & debeat. Ego quicquid ad eum ornandum contribuere possim, quàm exiguum sit sentio, sed quantumcunque est, id ipsi semper erit expositissimum. Magnæ felicitati ducam, si id sibi planè persuasum habeat Tua Sublimitas. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam totamque domum sospitet. Lutetiæ 30 Iulii 1639.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1216 GRavem luctum hæc fert epistola è fortissimi Ducis Bernhardi morte, quem prope unum Principis dignum nomine habebat Germania. Nieuburgi clarissimam factis vitam finiit, 18 Iulii, cùm ultra quatriduum non ægrotasset. Febris ardens ambiguas reliquit judicationes aut pestilentiæ, quæ illis locis non abest, aut veneni, cujus suspicionem vix vitare possunt potentum exitus. Eam auget, quod penes Cæsarianos pridem rumor & spes fuit, eum non diu victurum. Est autem nobis hoc tristior hic casus, quod ereptus est nobis in ipso tentamine rerum quas pridem optabamus. Ponte enim è navibus ad Nieuburgum perfecto parabat obsidioni eximere Hohentwilam, deinde ea per Germaniam aggredi, quæ à Bannerio partem hostium distraherent, Bavaricum militem dissiparent, & ecquid in Germania restaret animatum ad spem libertatis experirentur. Nunc non omnia tantùm ista corruerunt, sed & horribilis nos metus subit. Cogitantes exercitum sine duce, urbes sine Domino, & ante oculos omnia illa in exiguo Principatu, quæ in magno Imperio quondam apparuere, cùm domitor Asiæ Alexander sine certo hærede est mortuus. Nam & hic sine hærede decessisse dici potest, cujus hæredes apud hostes sunt, suspecti Suedis, quorum multi sunt in isto exercitu, suspecti Gallis & vicinis & pecuniæ præbitoribus. Accedit dolor alius, quod Mareschalli Hornii videtur prorogari captivitas, eo rebus humanis exempto, qui solus Waertium reposcere poterat. Anxium me habet & quale posthac Sacramentum dicturi sint milites, Sed eam curam Mokelio, qui tanto est propior, relinquo. Venio ad alia, vel in hoc, ut nonnihil ab hoc mœrore requiescat animus. Salza quatuor muris lapideis totidemque turribus, extra verò perexiguis operibus, munitum oppidum, per dies plus quinquaginta resistere Gallicis armis, quæ à Regii sanguinis Principe gubernabantur, potuit. Capta est impetu, die 19 Iulii, cùm per cuniculos quatuor satis felices pateret aditus, & interpellatus Præfectus deditionem oppidi, ideo quod in conspectu essent auxilia, superbe recusasset. Inque cædes irrupto oppido facta est: Præfectus & octingenti qui supererant milites, in arcem quæ in media urbe est refugi, vitam precibus impetravere; captivi autem facti Tolosæ & aliis Languedociæ urbibus custodiuntur. Machinæ in oppido capto repertæ XXV, alimentorum, globorum, pulveris bellici bona copia. Hostilis prope Perpinianum exercitus novem millia peditum habet, equitum duo, satis magnum impedimentum ne progredi Princeps Condæus possit. Classis Regiæ quæ in Oceano est navis una Reginæ dicta nomine ad Portum Morbiani fracta est: alteri fractus malus. At Castilionæus Luciam jam alterum cepit. Videtur Rex, qui in illis est locis, id agere, ut Sedanum, quod in tutela est Galliæ, suæ faciat potestatis. Duci Bulionio urbis Principi parum fidens, quod ipsum uxor Hispanicis partibus apertiùs quàm ut ignorari queat favens regere credatur, præterea ferens graviter receptum ibi esse his quibus præsentes Galliæ res displicent, qualis Comes Suessionensis & Remensis Archiepiscopus. Sed metuens id Comes ex proximo agro duo ferme millia in urbem advocavit. Obiit in Italia Marchio Leganesius: Cardinalis autem Valetta post Longavillani adventum veniam orat, videturque Romam secessurus. Princeps Thomas cepit Cunæum, Cevam, Savillanum, Fossanum, Mondevium. Galli post captum Bermesium cum XII peditum, VI equitum millibus, Astam Novam assident. Imperatoris gaudium ob mortem Ducis Bernhardi reprimetur domestico luctu. Post Philippi enim filii mortem, amisit & alterum Maximilianum. Bavaricæ sub Glerio copiæ ad octo sunt millia, quatuor alia millia dicuntur ab illis exspectari: præterea Melo cum novo exercitu ex Neapolitanis, Siculis, Helvetiis, transire Alpes. Ea tempestas hoc periculosior quod in navem gubernatore viduam incumbet. Helvetiorum Legati Comitatum Burgundiæ eximere bello conantur. Pontificis verò extraordinarius Nuntius pacis conditiones Regi proponit, irrito, ut reor, labore & hic & illi. Helvetii & Rhæti suis factionibus involuti tenent, videnturque eorum prævalituræ partes quibus belli fortuna aspiraverit. Dolet Regi & Cardinali quod Princeps Arausionensis in extrema Flandriæ ora tam diu desidet otiosus, satisque habet incerto metu hostem distinguere. Tum verò & Hessi suas res agunt, corrumpunt publicas. Vereor ne brevi in unum Bannerium tota vis belli se conglobet. Sed Deus qui improviso nos vulnere percussit, idem & improvisa adferre poterit remedia, cujus paternæ tutelæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam commendo. Lutetiæ [illegible] Iulii 1639.

Exercitus Ducis Vinariensis & Guebriani habere creditur sex equitum, quinque peditum millia. Hohentwilam qui circumsident hostes, putantur esse V millia. Rex apud Virodunos est, ire Metim creditur, ut in ea urbe

Digitized by Google

urbe reliquias tollat factionis. Castilionæi exercitus xv millium esse dicitur: plures ad eum mittuntur cohortes. Hesdinum munitur magis. At Millereii, per morbum discessuri, vices interim implere Dux Incolismensis recusat. In Condæi Principis exercitu deest pecunia. Archiepiscopus Burdegalensis cum classe Baionam iturus est. Prandium Regina Nuntio dedit, quod stetit vi millibus florenorum. In Normannia leves quidam sunt ob tributa motus, nihil levamenti in publicum, cœptantibus autem pernitiem allaturi. Archiepiscopus Remensis gratias Regis quærit & videtur sua consilia à Comite Suessionensi segregaturus. Dux Carolus capto Avausio in Comitatum pergit. Publicani Lugduno hanc in urbem venientes in itinere plurima pericula adiere. Mitto indicem fasciarum quibus Delphinum donat Pontifex. Putatur Rex daturus imperium in milites Vinarienses Comiti Nassavio qui ibi est: de urbe autem Brisaco acturus cum Erlachio. Eorum locorum quæ in Comitatu Burgundiæ ceperat Dux Vinariensis Pontarlerium quidem & Hippolyti oppidum incensa sunt: Iousium, Nazaretum, Francimontium bonis præsidiis tenentur. Piccolominæus cum exercitu peditum octies mille, quater mille equitum inter Dracum est & Bouchamium. Rex in Lotharingiam aut Metim it. Fert fama Gallos potitos Villa Franca Sabaudiæ: & sexcentos ejus gentis in Nicæam introductos. De repetendo etiam Fontarabiæ obsidio sermones sunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

217 Epistola quidem Excellentiæ Vestræ 18 Iulii, solitæ prudentiæ temperamento spes metusque complectitur. At nos eo fulmine tacti sumus, ut metuere non vacet, dejecti autem mœrore animi vix ad spem se erigere audeant. Decus & ultima spes Germaniæ, Dux Bernhardus, in maximarum rerum molitione, cùm jam pontem injecisset Rheno ad Nieuburgum, cùm Hohentwilum ab hoste circumsessum pararet periculo eximere, deinde opponere se Bavaricis copiis, & ad novas libertatis spes erigere Germaniam, ereptus est nobis, ita subitò ut plus quatriduo non ægrotaverit. Licebit Suedi, Galli & siquid in Germania restat Germanico dignum nomine, inter infelicissimos numeret diem $\frac{8}{18}$ Iulii, tanti Principis morte infamem. Nieuburgum, sicut victoriarum ejus æterna ostendet monumenta, ita morte ipsius funestum erit ad posteros nomen, monebitque eos nihil fidere rebus humanis. Quanto in periculo sit destitutus à duce exercitus & urbes, vetera exempla nos docent. Discordias tamen, ita spero, dispellet imminens hostis jugulo. Nam & Glenius ad Tubingam habere dicitur viii millia Bavarici militis, exspectare iv alia, & venire cis Alpes alio cum exercitu Melo. Helvetii Regem Galliæ orant, ut Comitatum Burgundiæ, gravissimorum periculorum Gallis causam, patiatur extra bellum esse, rogatu haud dubiè Hispani, non quod impetraturos se confidant; sed vel ex hoc apparet, quàm ventis factionum agitentur illi non minus quàm Rhæti. Salzam cepit Princeps Condæus 19 Iulii & quidem impetu, cum quatuor cuniculis facta in muris ruina fecisset aditum. Præfectus qui oppidum dedere recusaverat, ideo quod in conspectu esset Hispanorum exercitus, pedites ad ix millia, equitum millia duo, ducentis intra oppidum, in ipsa irruptione, suorum interfectis, arcem in quam cum octingentis confugerat, dedidit, nihil præter vitam pactus. Captivi itaque abducti sunt & ipse & qui cum eo erant milites in urbes Languedociæ. Nunc an proferre victoriam possit Princeps Condæus, oppositum habens eum quem dixi hostium exercitum, videbimus. Castilionæus interim Luciam jám alterum cepit. Rex quid cum potissimo exercitu acturus sit, incertum est. Fert fama eum non optimè fidentem Duci Bulionio, iratum præterea quod Sedanúm receptus sit his quibus præsentia displicent, id moliri, ut suæ ibi opes quàm aliorum potentiores sint. Comes autem Suessionensis quod agebatur præmetuens ex vicinis agris duo hominum millia ad tutandam urbem vocasse dicitur. In Italia mors Leganesii videbimus ecquam cursui Hispanicarum rerum allatura sit moram, præsertim cùm Galli aggrediantur Astam Novam, ut viam ad Casale reperiant, & Cardinalis Valetta post adventum Longavillani, ne per duos duces distrahantur consilia, missionem orat. Romæ, ut creditur, versam domus suæ fortunam deploraturus. Classem Regis quæ in Oceano est persequuntur tempestates ad suam usque oram, ita ut fracta sit navis una, Reginæ nomine, ad Morbianum, alterius verò malus. Imperatoris felicitas domestico luctu temperatur, amisso nunc & altero filiorum, Maximiliano nomine. Qui Hohentwilam circumsident hostes ad quinque millia esse creduntur. Contra eos, Glenium, Melonem, creduntur in exercitu qui Ducis Vinariensis fuit & iis quos habet Guebrianus, esse sex equitum millia, peditum prope tantundem. Magna vis belli in Bannerium incumbet. Turcæ adhuc bellum in Persas, sanè validos, manet. Neque tamen desinit Venetis minari. Ex Transilvania nihil mihi lucet: nec qui Hassiæ res agunt quicquam mihi boni hic pollicentur. Novum verò commentum, exercitum habere qui nihil aliud quàm tributis emungat populos. In implenda Scotica pace tricæ necti dicuntur: tum verò Leslæum audimus ad Regis conspectum non fuisse admissum. Comitem Licestrium adhuc exspectamus. Vtilis esset ejus hic adventus ad auferendas si quæ inter Galliam & Britanniam natæ sunt simultates: præterea ad parandam libertatem Roberto Principi. Sed & domi ad pacem solidandam conferre multum potest plenus æquitatis animus, Regi fidus, Scotis non infensus. A Conventu Francofurtiensi, cujus repertor ac dux Magontiacensis, nihil boni sperare audeo: & credibile est tam forti hoste quàm fuit Dux Bernhardus liberatum Imperatorem minùs etiam quàm antehac de pace cogitaturum, quanquam extraordinarii Pontificis Nuntii tam hic quàm Viennæ in arcano conditiones proponunt, quas non ex usu esse Protestantium facilis de istis hominibus conjectura est. Præter Pontificem, & Mutinensis & Ethruscus ad bellum in Germania conferunt, Religionis nomine incitati. Sed aliter belli hujus fabula in Italia, aliter in Germania inscribitur, ut ille qui

——— ——— *jactat*
Equiti sedere, lectoque se stare.

Vidi ego pridem, Hamburgi cùm essem, relationem Italico sermone scriptam à Caraffa eo qui ab anno hujus sæculi 21 ad 28, ni fallor, Pontificis Nuntius in Germania fuit. An inde sumpta sint quæ Latinè in Italia sunt edita, facilè cognovero. Sed memini in ea relatione multa fuisse quæ Saxoni patefacere possint quò evasura sint quæ sequitur consilia. Laudo autem Excellentiæ Vestræ prudentiam quod librum, quò à pluribus legeretur, nudum sine contradictione prodire voluerit. Quædam ostendi magis opus habent, quàm refutari. Ægrè hic excusant Batavi quod nihil aliud quàm hostem spectant & ab hoste spectantur. Pacem veram atque mansuram det Deus Orbi Christiano, idemque Excellentiam Vestram & omnes ei caros tueatur, atque ornet. Lutetiæ 30 Iulii 1639.

Excell. Vestræ omni observantia devinctissimus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1218 IAm nunc accipio epistolam Sublimitatis Tuæ, datam 8 Iunii Ienecopiæ: tumque ipsi tum Excellentissimis ejus collegis, Regni Suedici Rectoribus, gratias ago, quod ex eorum memoria non exciderim. Quò longiùs de meo prærogationes facere cogor, hoc magis crescunt incommoda, Legationem hanc insuavem reddentia. D. Mullerum Hamburgi hærere intelligo. Iam si intellexerit mortuum esse Ducem Vinariensem aut interierit iter ejus, aut nova opus erit consultatione. Quare rogo ut qua via dilatas pensiones consequi possim, statim norim. Rex quidem hic, si id placeat Excellentissimis Regni Suedici Rectoribus, facilè passurus est me de pecunia Gallica, ubi ejus dies venerit, detrahere quod mihi debetur, ut cæteri antehac Legati Sociorum, quibus à Gallis pecunia dabatur, fecere. Vehemens fuit admodum pestilentia quæ Ducem Vinariensem abstulit. Mens ei ad exitum usque constitit, cum magnis pietatis veræ indiciis. Non multò ante eùm milites sui in Burgundiæ Regiæ habitatores licentia temporum multa iniqua admisissent, cum lacrymis testatus est, se id ferre non posse, & si ita pergerent, se ab exercitu abiturum. Adfuit ægrotanti Comes Guebrianus, cui arma quædam & equos legavit: is & ipse nunc ægrotat. Attamen in hanc Aulam misit is Charlevoisium qui statum rerum illic satis fluctuantem exponeret. Dicitur Dux Ottoni Comiti Nassavio summam imperii militaria despondisse. Sed an pariturі sint huic voluntati castrorum illorum proceres, iidemque testamenti quod clam ab ipsis resignatum nondum publicæ notitiæ datum est, executores Erlachius, Ohemius, Rosa, dubitatur. Erlachius ita loquitur quasi ad res suas redire velit. Cæsariani Hohentwilum circumsident decem ferme millibus militum. Dubium non est quin & totum exercitum, &, si id non succedat, partes ejus magnis præmiis ad transitionem sint invitaturi. Aiunt tamen Galli constitutum omnibus manere in fide Galliæ ejusque sociorum. Primores illi castrorum de Ducis pecunia semimestre stipendium dedere militi: & hinc pecuniam postulant, quam Galli non dabunt nisi sacramentum Regi dicatur. Mecum non agunt, quanquam ego hoc tempore ad Noyerium scripsi, de commodis utriusque Regni curandis. Sed Landgravii mortui frater, qui in hac Aula aliquamdiu vixit, it ad exercitum Regis, ut puto, voluntate. Creditur corpus Ducis exanime Brisaci depositum iri, donec Cæsaris permissu Vinariam transferatur in monumenta majorum. Exercitus in Sueviam ire dicitur. Ad hoc malum satis grande, accessit alterum in Italia, urbe Taurinorum ab hostibus infessa, quibus aditum fecere ii qui in urbe contraria Gallis & Viduæ studia fovebant, multi numero. Arx & quæ in arce est Vidua nunc in periculo sunt gravi. Nisi eæ servantur, nullus erit posthac trans Alpes respectus Gallici nominis. Cuncta ad Austriacos vergent. Et jam nunc Ethruscus & Mutinensis pecunias hominesque mittunt ad Imperatorem. Quantopere pax hic à populo desideretur ex eo quod dicam intelligi poterit. In Provincia enati sunt duo fœtus sexus feminini, distinctis cætera corporibus & actionibus, nisi quod pectoribus cohærent. Parentes, fortunæ tenuis nomen dedere Ludovicæ & Philippæ in omen speratæ coagmentationis paris nominis Regum. Cardinalis Riceliacus satis gnarus quantæ mercedis animam habeat, nuper cum hausto medicato poculo multum sanguinem per os emisisset, pharmacopæum veneficii suspectum habens in vincula dederat. Valet autem nunc rectiùs, estque cum Rege apud Lingonas. Meti demoto Rocaspina, qui Valettis favebat, præpositus est Granzæus, carus Cardinali, qui ipse ejus loci Principatum animo agitare dicitur. Sedano ita timuit Comes Suessionensis, ut & suburbana quædam beneficia incenderit. Rex ad eum misit, mirabundus quod suam vicinitatem quàm Piccolominæi habuisset suspectiorem. Creditur magnum periculum evasisse ea urbs. Nunc omnia verbis quàm honestissimis obteguntur, inter Regem, qui consilia sua latere vult, & inter Comitem, qui quod scit, scire se dissimulat. Rex in Burgundiam nunc ire creditur, quò propior sit Italiæ rebus valde laborantibus. Literæ collybii ad VIII millia Francorum missæ sunt ad eum, qui Vinariensis fuit, exercitum. Galli ibi esse dicuntur ad V millia. Iis connumeratis totus exercitus esse sexies mille peditum, equitum quinquies mille. Scoti, quod Regis sui indulgentiam in Lesslæi tentorio publicari passi sunt, qua opus sibi fuisse negant, id se fecisse aiunt, ut dissolverent Regis exercitum & classem, quæ, pecunia & studiis Anglorum deficientibus, non facile recolligi possint. Interim prospiciunt rebus suis, nec partiuntur quæ ad defensum sunt necessaria in Regias arces introduci. Vacillat adhuc pax, nec certi quicquam pronuntiari potest, quamdiu Ecclesiasticus Conventus & Parlamentaris peracti non sunt, quibus Rex suam præsentiam non est additurus, nisi è sua sententia res speret posse confici. Chavigniacus in Regio Comitatu est malè valens. Misi ad eum Reginæ literas, vel in hoc ut appareret in cannabaceo negotio nihil fuisse quod me privatim spectaret. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Reginam, Regnum, Tuamque Sublimitatem servet. Lutetiæ 6 Augusti 1639.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVas Excellentia Vestra ad me dederat literas 25 Iu- 1219
lii, ex suo tempore, id est quarto Augusti, ad me pervenere: ego in meis curandis præscriptum sequar. Turbatos hìc animos, adeo inopina, rebusque nostris incommoda Ducis Vinariensis morte, percellit alter nuntius captæ ab hostibus Augustæ Taurinorum. Vtrumque malum per se grave alia portendit. Duces enim qui sub Vinariensi fuere, pares inter se, ægrè imperium concessuri sunt Ottoni Nassavio, cui id Vinariensis destinasse dicitur: exercitus verò diversis è nationibus constans, haud dubiè sollicitabitur à Cæsarianis ad mutandam militiam, quasi solutus jam vetere sacramento, novoque nondum dicto. Interim decem hostium millia Hohentwilum circumsident. Erlachius, quicum Ohmius Rosaque testamenti, aperti quidem sed nondum publicati, executores facti sunt, sese ad sua privata rediturum dicit. Datum est militi ex pecunia Ducis stipendiolum semimensis. Comes Guebrianus, & ipse ægrotans, misit huc Charlevosium ad exponendas res ibi satis incertas. In octingenta Francorum millia eò mittit, vultque sibi sacramentum dici, aut sibi sociisque suis. Brisacum quam velit, dubitari non debet. Nisi tanta esset Gallorum cupiditas, posset ex Argentorato, Brisaco, vicinisque Alsatiæ urbibus nova constitui Respublica, volentibus id vel maximè Helvetiis. Ducis exanime corpus Brisaci deponitur, transferendum Vinariam ubi Imperator permiserit. In morbo vehementissimo mens ei semper constitit, & cum mente pietas. Egregia ad milites ductoresque militum monita dedit contra ambitum avaritiamque; etiam priusquam ægrotaret rapinas militis in Ducatu Burgundiæ exercitas, non sine lachrymis & commatione abitus sui, detestatus. Exercitus, simul cum Gallis, esse creditur VI mille peditum, equitum haud multò minus. Dicitur autem ire in Sueviam. Profectus est ut ibi

ibi militet & res Galliæ promoveat mortui Landgravii frater. Iam, ut Alpes transeam, ab urbe Taurinorum non bonos tantum partium pendet, sed ferme tota Pedemontani agri possessio. Arx defenditur, in qua Vidua periculum subit suæ libertatis. Popularium animi à Gallis, suos ubique fines prolatare flagrantibus, & ob id ipsum a Vidua, aversi. Et hæc, juxta non insolitam Gallis negligentiam, causa amittendæ urbis. Rex, præposito Meti Granzæo in locum Rocaspinæ, quem Cardinalis Valetta sibi substituerat, it in Burgundiam, ut tanto propior curet res Italicas, ubi Principes, despectis Gallorum rebus, Austriacorum captant gratias. Veneti quidem ob suum & Italiæ a Turca periculum, Ethruscus & Mutinensis velut Religionis intuitu. Hi & militem & pecuniam mittunt Imperatori. Infelix Principum calamitatibus, bellis, vastitate, pestilentia ac fame sæculum, nec monstris caret. Nam in Provincia mulier plebeia molitoris uxor peperit filias duas cæteris corporis partibus bene discretas, tantum pectore & umbilico tenus, compactis atque individuis. Parentes & propinqui, quærentes in re mala bonum omen, his partubus Regum Ludovici & Philippi nomina in femininum inflexa indiderunt, in spem firmæ inter Reges concordiæ, Pontifice congruentante. Alii, quod in Gallia natum sit hoc portentum, ex unanimi nunc Gallia duo exstitura capita, & cum capitibus membra motusque diversos mœsti præsagiunt, tum veterum ostentorum atque eventuum comparatione, tum ex multis ad dissidia feminibus, & vix unquam tamdiu internam quietem servante Gallorum ingenio. Precandus Deus ut hæc & alia iræ suæ signa in barbaros vertat. In Britannia utinam non chartis tantùm, sed & animis inscripta pax sit. Metuo ignes suppositos cineri doloso. Suspiciones, metus, iras, simultates, consilia aliò alioque spectantia. Siquid potest Excellentia Vestra ad hæc sedanda, scio eam operæ non parsuram. Ego, cùm aliud non possim & hoc negotium & Excellentiæ Vestræ res ac valetudinem summo omnium Arbitro toto corde commendo. Lutetiæ 6 Augusti 1639. ex novo Calendario.

His scriptis hæc addidict. Post mediam noctem 26 Iulii primùm seditionem apparuisse in urbe Taurinorum: ea intellecta fugisse in arcem Viduam, tanta festinatione, ut in urbe filias reliquerit, aut filiarum unam: nam de eo variatur. Paulo post crepitaculo disjectam portam intrasse Principem Thomam cum peditibus mille quingentis. Postridie eò venisse Leganesium, cujus mors falsò fuit credita, ei adfuisse peditum XX millia, tria equitum, machinas quatuor: sævitum cædibus & rapinis, non in cives sed in ministros Viduæ & si qui erant Galli. Nunc ex arce in urbem detonant machinæ, incerto exitu. Ex quo Vidua quæ Rex voluit oppida Regi tradidit, jussos Longavillanum & Valettam ei parere, ab ea nec sua satis curata nec aliena. Ita factum, ut non qua oportuit vi subventum sit Casali; qui autem eò missi erant minore quàm oportebat numero ad quingentos equites, peditum paulo plus disjecti sint ab hostibus, captique carri sexaginta, qui salem, quo maxime indiget Casale, apportabant. Esse in urbe & arce Casalis mille sexcentos milites. Scripsisse Olivarem ad Leganesium, ne cui rei parceretur, quæ ad capiendum Casale esset necessaria. Exercitum Gallicum Longavillani & Cardinalis Valettæ esse ad novem millia, si copiæ quibus Vidua imperat accedant, prope parem Hispanis. Centum millia Pistoriensium destinata ad labefactandam fidem eorum qui in Casali sunt. Postquam Ivoia capta est 3 Augusti Piccolominæum iisse Namurcum. Ab Halerio concisos Lotharingos CXX. Mommedio imminere Castilionæum. Millereium Caletum se tulisse, quasi in Flandria tentaturum aliquid, dum partem copiarum detinet Princeps Arausionensis. Comitatenses Burgundos à Vinariensi liberatos Divionem usque excurrere. In Normannia motus esse contra tributa, non duraturos ut creditur. Apparere ad Baionam Hispanos, ideoque auctum ibi præsidii numerum. Archiepiscopum Burdegalensem excusationes nectere ne rursus in oras Hispaniæ mittatur. Revelium non procul à Pignerollo captum à Principe Thoma. Conis pari periculo à Gallis exemta. Marchionem Villaregium opponere se Comitatensibus cum III millibus peditum, equitibus quingentis. Nazareti præsidium esse Gallicum: ab Hallerio autem oppidula & arces Lotharingiæ paulatim recipi, quæ cœperat Piccolominæus. Ivoiæ detrahi munimenta, ne tutela sit oneri. Exercitum qui est illis in locis censum ad XV peditum, VII equitum millia. De Millereio dubitari Caletum ne pergat, an insequatur Piccolominæum: habere autem eum secum machinas XL. à Principe Condæo captum Canettum. Qui Nicæam intromissi sunt, non Gallos fuisse, sed Sabaudos trecentos. Harcurtium contra Hispanicam classem ivisse apud Genuam. De Ragotsky motibus rumores hic sunt. Nuntius Pontificis Sfortia Avenionem redit.

Excell. Vestræ ad observantiæ fidelis officia promtissimus H. G.

D. M V L L E R O.

Nobilissime Domine,

MOrs Ducis Vinariensis iter Nobilitatis Vestræ ruptura planè sit, an moratura tantùm, dubito, valdeque metuo ne exercitus ille aut dissipetur, aut inter se dissors agat, aut totus Galliæ fiat, pecuniam præbentis & sua prolatare avidæ. Cætera ex literis meis ad Magnum D. Cancellarium, quas apertas ad Illustrissimum D. Salvium mitto, cognoscere ambo poteritis. Cùm verò idem D. Cancellarius in epistola quam ad me 8 Iunii Iunæcopiæ dedit, significet Nobilitatem Vestram mandata habere pertinentia ad me levandum his incommodis quæ me nimis diu premunt, rogo ut ea quæ sint quamprimum norim, neque ex itinere quod incertum est, diutius pendeam. Erit ejus rei notitia mihi non modò suavis, sed & ad meas res ordinandas planè necessaria. Si qua in re vicissim gratum quid Nobilitati Vestræ facere potero, non ero in mora. Vale Nobilissime & Amplissime Domine. Scribebam Lutetiæ 6 Augusti ex novo Calendario anni 1639. 1220

Nobil. Vestræ observantissimus H. G.

A X E L I O O X E N S T I E R N Æ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

TOrquet me sollicitudo pro exercitu ad Rhenum. Literæ inde scriptæ 26 Iulii novi Calendarii me docent 1221
quatuor testamenti executores tunc fuisse Brisaci. Sed paratum Rosam itineri Hohentwilum, quod bene successisse dicitur. De Sacramento militum nihil intelligo; sed ex castris ad Ivoiam, ubi prope Rex est & Aula, epistolæ nuntiant spargi ibi rumorem, Ducis ultima voluntate exercitum & urbes ad Regem pertinere. Non id sperat Elector Palatinus, qui capto consilio ab Arausionensi Principe, in Britanniam se transtulit ea spe, ut impetratis ibi pecuniis, caput se faciat ei quem dixi exercitui, tanquam foederis Protestantium in Germania Princeps loco primo. Cùm ad me è Batavis de hoc consilio scriptum esset, respondi, non dubitare me quin Suedi omnia bona velint Electori; sed arbitrari me, è re esse communi, ut prius intermissum ob motus Scoticos de fœdere inter Suediam & Angliam negotium repetatur, peragaturque. Ego quid temporibus his difficilibus faciendum, quid dicere debeam, jussa exspectabo. Ivoiæ munimenta adhuc dejiciuntur. Eum qui ibi est exercitum

Pic-

Piccolominæus creditur de improviso assilire velle. Est enim in propinquis Luxemburgici locis & ex oppidorum tractus ejus præsidiis tria eduxit millia ad augendas copias suas. Verùm altera ex parte quæ circa S. Audomari est oppidum, negotium hosti facessit Millereius, nuperque aliquot inter se millibus congressis cæsi hostium quadringenti, quos bis mille vulgant Galli: sed ad spoliandos mortuos præproperè versis Gallis, recollecti hostium vires animique, & æquo adeo Marte discessum est, ut & Galli & hostes se pro victoribus gerant. Hispanicos qui arcem validam urbis Taurinorum circumsederant Gallicarum copiarum adventu inde abiisse intelligimus, præsidio tantùm in urbe relicto satis magno, qui in arce sunt in urbem erumpunt interdum & aliquod proximum arci munimentum urbis cepisse dicuntur. Dux Sabaudus cum sororibus Montemeliani est in Sabaudia. De Casalis periculo nihil remissum audimus. In Normannia Abrincantis itemque in Provincia ac Britannia novorum onerum exactores, partim occisi, partim malè habiti, difficiliorem in posterum faciunt rem tributariam. Ab Harcurtio captæ naves Genuatium: illis contra se ulciscentibus, metum aliquem novæ hostilitatis intulerunt. Rumor hic spargitur, credo à fautoribus Mareschalli Bassompetræ, nolle Erlachium de Brisaco cum Rege agere, nisi et Bassompetræ, qui nunc in Bastilia tenetur, libertas data sit. Comes Licestrius ex Anglia hic exspectatur cis dies paucos. Habitabit ædes meis proximas. De crescentibus Imperatoris copiis multa audimus. Inter cætera de Cosaccorum quatuor millibus, aliis sex millibus ex hæreditariis Domus Austriacæ regionibus. Brevi hic futurus putatur Poloniæ Legatus & bona in spe esse Principis Casimiri libertas. Audimus Neuburgo, Laufenburgo, Hunningæ munitiones auferri, ne tot præsidia peditatum exhauriant. Conigsmarckium in Franconia esse & Neustadum ad Salam ab eo obsideri fama est. Abbatem autem Fuldensem cum Hassicis agere ut ab eorum incursibus liber sit. Turcam res suas cum Persa componere ut in Venetorum & alias maris interni insulas irruat, credi video. Poterit ea res flectere & Pontificem & Italos Principes, ut ad pacem æquam inter Christianos constituendam laborent. Det eam Deus, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam diu servet valentem florentemque. Lutetiæ 13 Augusti 1639.

Præter Canetum non longe à Perpiniano alterum oppidum Bachasum nomine cepit Princeps Condæus. Scripsit Rex Millereio exercitum qui ad Rhenum est fore in sua potestate. Idem se de Brisaco sperare. Vult Rex Britanniæ in Parlamento Scotico locum suum habere Episcopos: Scoti nolunt: satis magna ad novas discordias materia. Mitto historiam fidelem eorum quæ in Taurinis gesta hactenus. In Abrincantorum quod dixi oppido Prætor occisus est à plebe, publicanus irrupto quo confugerat ministerio in frusta discerptus. Etiam Rotomagi, Massiliæ, Tuloni motus fuere. Præterea Cardinalis ægrotat. Discimus præterea Castilionæum, munitiore reperto Mommedio, quàm ut hoc tempore obsidendum videretur, cis amnem Cherium locasse castra, ut ejus amnis interjectu à Piccolominæo qui in propinquo est esset tutior. Coleuriam oppidum maritimum Hispaniæ obsideri ab Arpajovio Principis Condæi jussu. Comitem Guebrianum tenere se prope Rinfeldium. Pontem qui Neuburgi fuerat, transpositum prope Argentoratum. Marchionem Villam à Duce Lotharingo in Angliam missum. Ægrotare Sultanum Turcam.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

MVltum probo Excellentiæ Vestræ consilia quæ [illegible] in literis datis initio Augusti. Exercitui, qui Ducis Vinariensis fuit, concordia nunc maxime op[illegible]dumque, ut norint Galli dimidium sæpe plu[illegible] Spargunt enim jam nunc rumorem, volu[illegible] Ducem, ut Regis esset exercitus & urbes. E[illegible], neque executoribus testamenti, neque [illegible] id p[illegible], pro certo habeo: nec quicquam temporibus [illegible]gruentius arbitror, quàm ut fides obligetur [illegible] Principibus Ordinibusque aliis in societate Su[illegible]liæque permanentibus. At sine pecunia stare [illegible]tus non potest. Ea hactenus nisi à Gallis suppeditata est, qui solent auxilia sua sociis caro vendere. [illegible], sicut Rhætos nuper à Gallia abalienavit, ita i[illegible]nis locis causam dedit, cur tot urbes, d[illegible]num quemvis metuentes, & ipsa Augusta T[illegible] amitterentur. Verùm ita sunt homines, ut [illegible] vibus malis admoniti in eadem peccata revolv[illegible] valde hæc sollicitum habent: ergo mandata ex[illegible] Interim ea loquar quæ maximè facient pro liber[illegible] Germaniæ, quam armis suis propositam semper professi sunt Suedi nostri. Res cæteræ habent se med[illegible]. Nam & qui arcem Taurinorum obsederant Hispani, inde se removerunt ad Gallicarum copiarum adventum, & ex arce in urbem satis feliciter proruptiones factæ sunt. Mil[illegible] eius non longè ab oppido S. Audomari in Hispanos bene pugnavit: occisi captique hostium aliquammulti. Alter sub Castilionæo exercitus ad Ivoiam manet, eoque oppido detrahit munimenta. Ambo isti ex[illegible] speculantur quid facturus sit Piccolominæus, in agro Luxemburgico ex vicinis præsidiis sibi [illegible]gens copias. Princeps verò Condæus præter Canetum, [illegible] Bachasium, Perpiniano non procul, trans A[illegible] flumen oppidulum, cepit, quod rerum multarum advectionibus utile erat Hispanico exercitui. Manet fama Turcam, pronum ad pacem cum Persa, imminere Cretæ aliisque insulis quæ ejus imperio absunt: magnam [illegible] de suo esse classem, nec minorem præberi ab Afris prædonibus. Cæsariani qui ad Hohentwilam fuerant, in Cellam Constantiamque se receperunt. At magnas Imperatori venire copias è Polonia, Austria, Hungaria audimus. Cum Genuatibus graves natæ sunt Gallis controversiæ, ob naves quas cepit Harcurtius. Spero rem ad c[illegible] ordium perductam iri. Neque enim Gallis in Italia quærendi sunt hostes, cùm ipsa belli fortuna Gallis ibi [illegible] secunda satis Principes civitatesque invitet ad partes adversas. Conigsmarckius in Franconia Ne[illegible]um ad Salam dicitur obsidere. Rhætica plebs infensa H[illegible] moveret se, si à Gallis juvaretur. Verùm & G[illegible] se tractatos, non jam dicam unde orta culpa, tamen [illegible]minerunt, & Helvetii Gallis per sua transitum concedere, alii formidine, venalibus alii in Hispanum [illegible]diis, cunctantur. De Bannerii rebus quæ sc[illegible] Excellentia Vestra, læta sunt, modò sint certa. E[illegible]ctanda auctoritas temporis. De Transilvano, de Hu[illegible]garis, de Conventu Francofurti, nihil hic quidem [illegible]dimus. De diplomate pro Batavis siquid comperiet Excellentia Vestra, lubebit nosse. Hassicis commenta bene procedit; opulentantur, nihil agendo. Et dicitur jam ab iis se redimere etiam Fuldensis Abbas. Elector Brandenburgicus novo vectigali ad naves struendas [illegible]tens, mirum ni, arcana coitione cum Polono, malum aliquod Livoniæ parat. Sed eam curam relinquamus iis qui propiores sunt. Spiringiis qui ibi sunt evenire [illegible]deo quod multis, ut contra plebis odium tuti sint rerum

Prin-

ncipumque gratia. Comitem Licestrium hic intra
cos exspectamus dies. Is utinam nobis adferat nun-
n non pacis tantùm firmæ, sed & concordiæ restitu-
qualis esse debet inter Regis ejusdem populos. Me
ta indicia vetant ea de re securum esse. Pons qui
uburgi fuerat, prope Argentoratum transpositus
Comes Guebrianus prope Rinfeldium se tenet. Ar-
ovius Condæi jussu Coleuriam obsidet. Momme-
n ut inspectavit Castilionæus obsidendi ejus cogitatio-
hoc tempore omisit, exercitumque suum ut à Pic-
ominæo tutior esset cis Cheram amnem retulit. Sulta-
Turcarum ægrotare dicitur. Deus varios metus au-
, servetque bono Christiani Orbis Excellentiam Ve-
n cum suis omnibus. Lutetiæ 13 Augusti 1639.
ll. Vestræ addictus sincero cultu ejusque observant. H. G.

ISAACO VOSSIO.

ir Eruditissime,

Ro geminata liberalitate geminas ago gratias, quan-
quam Scylacem tuum, bis mihi abs te destinatum, vi-
nondum licuit. Filius, ut credo, nondum reperit
quem mitteret. Librarius autem plurimos post se li-
in Batavis reliquit, etiam Scylacis exempla, dubi-
e an ea fuerint in iis quæ Dunquercani sibi prædam
unt. Ptolemæi editio bene tibi procedat opto. Ex-
tamus enim à te nihil non dignum Vossiano nomine.
n Bibliotheca Regia hic bonus Ptolemæi liber manu
qua. Eum si quibus in locis consulere velis, Bulial-
Mathematicarum artium doctissimus, amicus &
s & omnium literas amantium ea est humanitate, ut
nto animo sicut aliorum labores adjuvat, ita & tuos
djuturus. Nos opperimur Heinsiana ad Novum Te-
entum, iis visis parati & nostra dare edenda, aut
aut Amstelodami. Si Amstelodami id fiet, te rogo
tricari velis partui mihi carissimo. Salveat à me, Vir
imo semper meo primus & amicitiæ & eruditionis
to, parens tuus. Lutetiæ 13 Augusti 1639.

Tuus H. G.

ISRAELI IASKY.

obilissime Domine,

Vàm de facili mutantur res humanæ! Dux Vina-
riensis, prope dixerim ad exemplum ejus quod olim
leomede Astypalæo, deinde de Philopœmeno, po-
iò de Bruto & Cassio dictum fuit, ultimus Germa-
m, in ipso conatu rerum maximarum obiit, corru-
e spes nostras. Augusta Taurinorum nuper exem-
sidio, nunc in potestate est Principum duorum Sa-
ci sanguinis, an verò Hispanorum dicam, nescio.
defenditur. Galli ad Thionvillam malè à Piccolo-
o habiti à spe capiendi Mousoni eundem depulere.
re Hesdinum frustra eodem impedire conante:
& Ivoium: brevi ut speratur capturi & Momme-
, & ea Lotharingiæ oppida quæ in transitu cœpe-
iccolominæus. Τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ [*Publicani &*
ores] turbant orbem Christianum. Vobis quo-
Legatio successura sit, item Batavis, desideramus
Colloquia illa repetita Regis Vestri & Electoris
denburgici Suediam & Pomeraniam tenentibus non
t non esse suspecta. Legatio Polonica, quantum
onjectura, irrita non erit. Cum Curtio abiit spes
, quam tamen reducere Deus potest, & ut velit
lus est, ne Turca Venetis primùm, deinde Italiæ
nens, discordias nostras rideat, inque iis suum re-
negotium. Vale Vir Nobilissime meque veteris
tiæ semper memorem crede. Lutetiæ 13 Augusti
.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

SI non pridem perspecta mihi fuisset Nobilitatis Ve- 1225
stræ in me benevolentia, satis jam haberem unde eam
discerem, sive ex carissimæ uxoris relatu, sive ex suavis-
simis Nobilitatis Vestræ literis, quas scriptas Calendis
Augusti satis tempori, id est intra diem nonum accepi.
Ego si dicere coner, quanti faciam Illustrissimum D. Le-
gatum Camerarium, domumque ipsius tum ob insignes
ipsorum virtutes, tum ob majorum gloriam nunquam
interituram, verba rebus paria non reperiam. Illud af-
firmare possum fide Germanica, qualis unquam optima
fuit, nihil me optare meis, quod non & ipsi Domino Pa-
renti Nobilitatis Vestræ vobisque optem omnibus.
Quanto verò res verbis sunt potiores, tanto id malim
rebus, si qua se ferat occasio, quàm vocibus aut literis
testari. Res hujus temporis cùm ad Illustrissimum D. Le-
gatum perscribam, hic non repeto, gnarus Patri filio-
que, præsertim talibus, omnia esse communia. Vale Vir
Nobilissime & Amplissime. Lutetiæ 13 Augusti 1639.

Nobil. Vestræ observantissimus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

PRiusquam literas Nobilitatis Vestræ tum ad me tum 1226
ad conjugem meam datas 22 Iulii accepi, jam Nobi-
litati Vestræ scripseram ob mortem admirandi Principis
Ducis Vinariensis, videre me iter Nobilitatis Vestræ in-
certum fore. Credo enim rebus in tantum mutatis nova
deliberatione opus, an mitti quis debeat & quibuscum
mandatis. Regimen nunc in manu est quatuor virûm,
Erlachii, Ohmii, Rosæ, Ottonis Nassavii. Ex ea pecu-
nia, quæ Ducis fuerat, aliquantillum in milites eroga-
tum est. Rex & majores pecunias misit, & ipse ad loca
propinqua proficiscitur, omnia acturus ut è suo maxi-
mè arbitratu res ibi administrentur. At Elector Palati-
nus in Angliam profectus est, ut & auctoritate & pecu-
niis inde suffultus tanquam federis Germanici Principum
Princeps in exercitum vacantem accipiat imperium. In-
terim illud bene cecidit, quod ad Rosæ adventum ho-
stes ab Hohentwila abscessere, nisi *fortè* altius hosti con-
silium est, orbatos Duce milites relinquere discordiis, &
offerre eis inducias ad Hassicum exemplum. Gratiam
Nobilitati Vestræ ingentem habeo, quòd res meas satis
incommodè positas curæ sibi esse voluerit, atque etiam-
num velit. Si exspectandus mihi sit Nobilitatis Vestræ in
has partes adventus, prolatabuntur mihi difficultates in
diem valde incertum. Quare spero ventura è Suedia ad
Illustrissimum D. Salvium mandata, ut ex eo quod apud
ipsius Excellentiam restat, mea damna sarciantur. Alio-
qui laudanda mihi esset Gallorum benignitas, qui me
fasce magis magisque me premente levatum volunt. Non
potest non grave esse Excellentissimis & Illustrissimis
Regni Rectoribus toties eadem de re interpellari & qui-
dem ab homine tam potente quàm est Cardinalis. Si ob
eas aliasve causas iisdem Regni Rectoribus placeat me
aut transferre aliò aut pro insumtis laboribus indemnita-
tem mihi præstare, & libertatem reddere, nihil conque-
rar. Cæterùm cum Cardinale nulla mihi privata con-
tentio est. Si Excellentissimi Domini Regni Rectores
me circa Cardinalem Anglorum exemplum sequi, aut
non æquum aut minùs utile censent, est ipsorum præscri-
bere, meum parere. Mihi in hoc negotio nihil seritur,
nihil metitur. Vera causa cur hic faventibus oculis non
adspiciar, hæc est, quod vera nuntio aut quæ sunt aut
quæ perspici possunt. Quicunque post me idem facturus
est, in easdem incurret offensas. Pro certo haberi debet,
Gallos ita Austriacam potentiam velle imminutam, ut ta-
men

men Protestantium res in sua vicinia nolint increscere. Tum verò qui res belli regit Noyerius Romæ est supra omnes Gallos addictus. Domini Bannerii prosperis gaudeo. Sed concurrent in illum undique ex Germania, Hungaria, Austria hostiles copiæ. Nobilitas Vestra ita me suis beneficiis devinctum tenet, ut nihil sit quod non ipsius vicissim causa præstare & velim & debeam. Turca avidus Imperio suo adjicere quicquid ipsi abest in Ægæo mari, pacem cum Persa, quàm cum Venetis malle creditur. Ea res Italiæ formidabilis Hispanum flectere poterit ad desiderandam pacem inter Christianos. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ 13 Augusti 1639.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1227 Mira subitò facta est conversio in Italia, non induciis tantùm constitutis in menses duos, verum & pace informata in has leges, ut tutela in posterum communiter geratur à Domina Vidua & à Ducis pupilli patruis duobus, tam autem Galli quàm Hispani præsidia sua de urbibus locisque Sabaudiæ & Pedemontii deducant. Eæ leges signatæ à Longavillano & Valetta Cardinali, itemque à Marchione Leganesio, addita conditione si Regibus idem videretur. De Hispani approbatione non dubitatur. Gallia videtur hæsitare nonnihil, quia hoc modo tutelæ nomen penes feminam, vis tota penes Principes illos futura videtur, proniore haud paullò in illos populorum studio, ita ut & Nicæa civitas, arce excepta, illis se tradiderit: quin & Helvetii nuper, qui pro Vidua in urbe erant Taurinorum, in Principum Sacramentum transierint. Tum verò & vitam pupilli Principis non admodum in tuto fore, per tantam successioni imminentium potentiam, multi, reputantes vetera insidiarum tutelarum exempla, existimant. At Vidua fessa belli, plerisque urbibus per Hispanos, nonnullis & per Gallos evoluta, ad vitam quietiorem anhelat, conspirantibus in idipsum indigenarum animis. Pontifex autem in Italia, in Gallia, nihil non molitur, quò si non cuncta Christiani Orbis, at Italiam certè tranquillet, Venetis maximè incitantibus, qui, ut ex suo metu communem faciant, juramento gravi devinctum Sultanum aiunt, ut Christianos omnes armis impetat. Tenum insulam, Cycladum unam, intrasse is jam dicitur, præterque classem maximam, quam apud Constantinopolim habet, advocare eam quæ in Euxino est mari, usurum insuper non Afrorum tantùm prædonum, sed & Cosaccorum vi maritima. Rex, quò propior sit & Italiæ & Brisaci rebus, Divionem contendit, inde, ut creditur, iturus Lugdunum. Hohentwilam iterum obsident Cæsariani, & ex alia parte Glenius quid orbus duce exercitus acturus sit, si quid tamen acturus est, observat. Rex Gallique omnes de illo exercitu deque urbibus ut suis loquuntur & scribunt. Erlachio dicitur ostentari, præter ingentem pecuniam, Marescalli Franciæ dignitas: ipse autem expetere, ut Bassompetræ, apud Helvetios gratioso, qui nunc in Bastilia asservatur, libertas obtingat. Cæterùm Erlachius solus ejus urbis potens non est: neque enim cohortem ullam suam habet, sed nudum & inerme nomen Præfecturæ: quod necessitatem injunget Gallis, si quid volunt, etiam cum tribunis qui in urbe præsidium habent, agendi. Venit hic Comes Licestrius. Sed eum, quod ab itinere recens est, nondum vidi. Is quid hic super illis negotiis propositurus sit videbimus. De nostro cum Anglia fœdere nihil intelligo: & vereor ut satis firma sit pax illorum regnorum: nam Scoti præter quod à Rege necessariis in arces invehi non permittunt, Parlamentumque volunt sine Episcopis, alia etiam iniqua Regem postulant, ut ipse pecunias det, unde ipsi præsidia alant quibus imperent, & ut sarciantur impendia ab ipsis hoc bello facta, confiscatis Pontificiorum in Scotia bonis. Accepi ex Anglia librum Anglico sermone editum jussu Regis, in quo civibus externisque approbat suam æquitatem, factiosorum consilia traducit. Si pax ista Italica procedat creditur Dux Longavillanus iturus ad exercitum & urbes quæ Vinarienses fuere, Regis Galliæ nomine. Si verò sit aliquid quod [illegible] paci intercedat, pars altera exercitus qui sub Condæo [illegible] Principe, Arpajousio ducente ibit in Italiam. Sed jam nunc morbi graves eum exercitum fatigant: [illegible] spanicus exercitus IV Hispanorum, duobus [illegible] Neapolitanorum millibus increvit, aliique mil[illegible] tur in Castilia ad novam Carthaginem alibique [illegible] bibus Provinciæ, Languedociæque ita R[illegible] in publicanos sævit: occidit & quosdam: & in [illegible] feriore Normanniæ rusticus quidam, Iohannem [illegible] dem se vocans, agmen aliquod colligit: [illegible] states facilè defuturæ putantur ubi miles ad [illegible] berna recerit. Quæ exorta erat cum Genuatibus controversia ad concordiam ventura videtur, Harcur[illegible] factum [illegible] non approbante. Id gaudeo, non tantum quia pluribus hostibus Gallia non indiget hoc tempore, verum & Illustris D. Baronis Oxenstiernæ nomine, qui nunc a nobis abiens, Aurelianum primò & Biturigas, deinde Aquas Borbonias salubritate potus & lavacri laudatas, mox Massiliam adit, inde, quod Deus bene vertat, oram legendo Genuam petiturus. Archiepiscopus Burdegalensis quanquam multum reluctans, iterum cum classe in mare Hispanicum mittitur, mutatam audimus sententiam eorum qui exercitui ad Brisacum præsunt, & mansura munimenta tum Rhenofeldii tum Laufenburgi. Sultani Mater, magnæ apud filium auctoritatis, ita Venetis infensa est, ut oblata sibi à Veneto oratore magna munera recusaverit, dicens se brevi multo plus ab ipsis accepturam belli jure. Hæc sunt quæ nunc habebamus, quæ omnia ut prosperè rei primum Suedicæ, deinde & Christianæ eveniant, Deum precor, simulque ut, Excellentissime & Illustrissime Domine, valentem & florentem præstet Sublimitatem Tuam. Lutetiæ 20 Augusti 1639.

Cùm considero controversiam quam nullo probabili colore, quantum ego intelligo, D. Spiringius movet uxoris meæ fratri Senatori Reigersbergio, cogor magis magisque sollicitus esse pro re mea pecuniaria, præsertim cum mihi biennium totum tracto 11 millia Thalerorum polliceatur D. Spiringius, post menses duos, notumque mihi sit ejus ingenium nemini bene facientis, nisi qui sine exceptione ipsi pareat. Quare ut certiore aliqua in posterum ratione mihi consulatur, Sublimitatem Tuam obnixè rogo. Nam ut nunc habeor, durare in hac Legatione sine gravissimo incommodorum sensu nequeo. Si placet Sublimitati Tuæ, ut exemplo Legatorum qui antehac hic egerunt, pensiones mihi debitas suis temporibus ab auxiliari Galliæ pecunia deducam, spero Bulionium mihi ea in re non adversaturum. Audio in urbe Taurinorum præsidium esse sex millium. Multum ibi pecuniæ Gallicæ repertum: farinæ magnam vim. Antequam de induciis perlata huc esset fama, missus erat D. Chavigniacus iterum à Rege ad Viduam Sabaudicam, ut, nisi deseri vellet, omnia sua in Regis traderet potestatem, & credebatur ipsa cum filio Duce Lugdunum ventura ad Regem. Dux autem Longavillanus jam Italia exiit, venitque Basileam. Iam venit ad me Berlisius Admissionalium alter. Mihi nuntiat imperium in exercitum qui Vinariensis fuit datum Longavillano. Ego, ut qui mandata non haberem, nihil dixi aliud quàm optare me exercitus concordiam. Audimus aliunde cum eodem Duce Longavillano venire Smidsbergium & qui in Italia fuere Germanos Rosam trans Rhenum isse, Ohmium & Nassa-

vium

detur. Interea & illud Polonicum Prussicumque vectigal Suediæ malum minatur, & increscens in mari maximisque amnibus Danica potentia, viciniam ejus, semper Suedis suspectam, suspectiorem faciet. Geldræ oppidi obsidionem facilè interpellare possent ad solum suapte natura humidum accedentes imbres, qui multi cadere etiam autumni initiis in locis illis solent. Sed meliora, ut optare debemus, ita & sperare licet. Vtinam & de Hassis. Verissimum est sæpe Gallis evenire, quod in Phædri est apologo:

——— ——— decepta aviditas,
Et quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec quem petebat, eo potuit attingere.

Sic factum, ut Rhæti nunc Hispanorum se nutibus attemperent: ut Vidua Sabaudica, offensis populorum animis, & Dux puer, in maximo sint periculo, sive bellum resurgat, sive pax fiat qualis ibi nunc haberi potest. Hinc tot illa ad Rhenum damna ut numerari vix queant. Et tamen post tot datas pœnas in eosdem errores relabitur misera mortalitas, manetque peccandi non consuetudo tantùm, sed & amor. Quæ nos culpamus, culparunt majores, culpabunt posteri. Pontificis Nuntii strenuè laborant, ut pacem inter suos conficiant. De Transilvano nihil hic intelligimus. Sed Turcæ in Venetos bellum pro certo habetur. Ipsum Sultanum credi aut mortuum aut cum periculo ægrotum iidem Veneti volunt. Id alii ab ipsis vulgari putant, quò faciliùs socios reperiant ad bellum tam grave. Millereius ad Rentiacum est. Castilionæi & Piccolominæi (cui Ducatum Amalfitanum in Apulia dari fama est) exercitus amni separantur. Seditiones sunt multis in locis: Rhotomagi ædes publicanorum dirutæ, quæstoris spoliatæ, cædes utrinque facta. Rex ad se multum militis vocat, ut quoquo venerit plebem compescat. Prætoriani octo millia faciunt. Accedunt è Burgundia quatuor millia, è Delphinatu totidem, sex è Languedocia. Augetur & Principis Condæi exercitus, quia & hostes ibi increscunt, receptis Ripisaltis, Comitatus Ruscinonensis loco: tum verò ad Coliuram portum, qui non longè est à Perpiniano, novem naves longæ advenere, multo cum milite Hispano ac Neopolitano & à Barcinone machinis. Castella in Atrebatibus modica, Estrevium, Carquiniacum, Rajum cepere Galli, per quæ tutiora fiunt Landrecia, Guisa, Capella. Archiepiscopus Burdegalensis felicior fuit quàm antehac. Exscensu in Gallæcia ad Laredam facto disjecit cohortes, id est, Regimenta hostium duo, cepit castellum, Galeonemque unam, combussit alteram. Captis ibi centum machinis rediit Brestam. His prosperis obstat cladis aliquid ab Halerio acceptum ad Moienam. Bavarus ad Milhusium munimentum facit: Sarmentus ad Ioigniam, dolentibus, nec impedientibus tamen Bernatibus. Cæsariani cum Bavaricis ad XII millia esse prope Erigam dicuntur. Cæsi eorum ducenti in Nigro Nemore à Rosa. Vinariensium alii magna moliri in Wissenburgum, Landaviam, Spiram, Wormatiam, eventu incerto. Est & rumor, detrectatum ab eis Longavillani imperium, ideoque hunc in Italiam remitti, nutantibus induciis, quod Præfecti Nicææ arcis & Villæfrancæ ad Principum Sabaudorum partes se applicasse dicantur, quasi id per inducias liceat. Regem Angliæ, oneribus quibusdam demtis, gratiam sibi Anglorum paraisse, manentibus Scotorum offensis, audimus. Etiam Marpurgum à Coningsmarckio captum hic creditur: & Stadlevinga constat classem auriferam & argentiferam venisse in Hispaniam. Eam autem quæ in Corunna erat, inde vela fecisse Flandriam versùs. Laredæ nihil retinuere Galli. Iam nunc certò cognosco Fleishemium qui ab exercitu Vinariensi venerat, bene acceptum in Aula: Regem perstare in proposito ac spe potiundi cupitis, novaque mandata ab eo missa ea de re ad Longavillanum.

Deus Excellentiam Vestram domumque ejus servet. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Augusti 1639.

Excell. Vestræ ad cuncta observantiæ officia perpetuo devinctus H. G.

CASPARI BARLÆO.

LEgi cum voluptate maxima, poëtarum, oratorum, 1231
Philosophorum clarissime, Mediceam hospitem, opus & tua eloquentia, & ejus quæ celebratur Majestate dignum. Simul, neque minore cum gaudio, cognovi ejus urbis, cui & Respublica plurimum & ego non parum debeo, crescentem indies magnitudinem, quam servet augeatque Regum, Reginarum, civitatum summus Arbiter. Delphinus, cujus augustum nomen felicem facit libri tui clausulam, nutrices non lassat tantùm sed & lacerat. Caveant vicini sibi à tam matura rapacitate. Ejus interim Avia generorum terras perambulat, magno fortunæ, nihil à suo jure excipientis, documento. At tu

Das solatia grandibus sepulchris.

Sepulchra dico, Laberiano illo sensu:

Sepulchri similis, nil nisi nomen retineo.

Relinquat te intactum ventosa illa dea, &, ut superba est, præteriens plana, in montes potiùs fulminet. Hoc tibi precor: te verò, ut sæpe tua, id est longè optima, dono accipiamus, legamus, laudemus. Lutetiæ 27 Augusti 1639.

Virtutum Barlæanarum non ingratus æstimator H. G.

HIERONIMO BIGNONIO,
Advocato Regio.

Vir Nobilissime & Amplissime,

PEccem in Iustitiam ipsam, si tempora ei in Augustis- 1232
simo loco exercendæ debita aliò divertam. Sed audacem me facit Religionis Christianæ tutela, pars justitiæ tuique muneris magna. Neque Iustitia finit, ut accessio hæc ad quenquam priùs perveniat, quàm ad eum, ex cujus nomine magnam tituli superbiam liber præfert. Non dicam me partem poscere de otio tuo, quod tibi tam latè diffusa muneris functio non concedit. Sed cùm occupatis pro otio sit negotiorum mutatio, rogo, ut forenses curas harum chartarum lectione distinguas. Ne sic quidem longè abibis ab actibus solitis. Audies testes, vim testimoniorum expendes, judicium feres. Ego judicatum faciam. Vale Vir maxime. Lutetiæ 28 Augusti 1639.

Ampl. Tuæ pridem obligatissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

GRatissimis Excellentiæ Vestræ literis diei 23 Iulii, 1233
Hamburgensi more, ut respondeam, non repetam quæ de meis rebus scripsi antehac, quod earum rationem habendam satis doceat vel æquitas vel publicæ etiam dignitatis sustinendæ necessitas. Cæterùm ut ego sæpe mecum considero agnatas rebus humanis vices valde illustres in hoc bello exstitisse; nunc enim in medio prosperorum cursu intervenire tempestates subitas, quæ bene composita disturbent, nunc rursum jacentia resurgere, Divino credo Numine utrinque bellantium animis frænum volente injicere, ne rebus voto fluentibus efferant se immodestiùs & majora semper sibi spondentes eam spem pacis desideriis præferant. Etiam Ducis Vinariensis mortem veneno multi imputant, atrociore semper fama circa potentum exitus. Pestilentem fuisse morbum illis temporibus ac locis non infrequentem satis constat. De Ramsæo & hic similis vagatur fama: sed ei ut venenum abfuerit, carcer ipse satis veneni esse potuit. Quò magis pro D. Hornii libertate solliciti esse, nihilque

omittere, quod ad eam ipsi pariendam posset esse utile,
debemus. Rex Galliæ Longavillanum Ducem ad exer-
citum eum qui Vinariensis fuit misit, ut eum regat. Id
an placiturum sit tum Suedis qui ibi sunt, tum Germa-
nis, dubitare me facit & origo Longavillani Gallica, &
Pontificia Religio. Quod si id succedat, quis dubitat post-
hac arma illa, non aut totius Germaniæ, aut in Germa-
nia Protestantium bono, sed Galliæ magnitudini inser-
vitura? Fert fama etiam Domini Bannerii rebus præcla-
ris obtendi nubili aliquid. Præterea futurum video ex
Italicis induciis, productis ultra tempus Wismariensi-
bus pactis permissum, & ultra, ni fallor, etiamnum pro-
cessuris, ut hostium numerus illi increscat. Rectorum
Suediæ laudo prudentiam qui sua de pace judicia ad Con-
ventum integra, illibataque conservant, neque mentem
suam ei nudant, quem parùm æquum esse nostris rebus
nimium magnis constat argumentis. Rejectos cum clade
à Livonia hostes lætus intelligo. Ego ita existimo, à Po-
lono injectum nobis hoc telum, sed occultata manu, si
adfuisset successus, proruptuum fuisse in majora. Nunc
cùm malè res ceciderit substiturum intra latebras. No-
stri, ut puto, acceptam à Polono injuriam in præsens dis-
simulabunt, opperienturque ulciscendi tempus ab aliis
hostibus vacuum. Ducem Bavarum fama, eadem facili-
tate qua occiderat, resuscitavit. Audio scripsisse ad exer-
citum Vinariensem Excellentiam Vestram. Gaudeo &
velim literarum habere exemplum, ut ad eam formam &
ego sermones meos dirigam. Cætera ad Magnum
D. Cancellarium. Felicissima omnia opto Excellentiæ
Vestræ. Lutetiæ 27 Augusti 1639.

Excell. Vestræ omnis observantia addictissimus H. G.

Clarissimo Eruditionis summarumque virtutum Viro

MARTINO OPITIO.

1234 LEgi summa cum voluptate epistolam, ut omnia tua
pereruditam, datam 8 Augusti. Cum ea accepi & An-
nonis laudes, dignum servatæ Germanicæ antiquitatis
λείψανον [*digna reliquia*]. Est autem mihi id donum eò gra-
tius, quod quicquid negotiis subduci potest temporis id
non rebus tantùm, sed & vocibus nominibusque Go-
thicis & Vandalicis tribuam. Ad id opus magno mihi u-
sui esse possunt Glossaria Gothica, aut ob consanguini-
tatem sermonis Germanica, si qua haberi possunt, præ-
ter ea quæ Pithæus, Lindenbrogius, Goldastus, Vul-
canius, Spilmannus dedere. Iuvisti me ergo, & ut por-
rò juves rogo. Ancile ubi illud certum est quærere. Li-
ber noster de Veritate Christianæ Religionis qui tibi plu-
rimum debet, nunc & Anglicè loquitur. Constitui no-
vam ejus editionem procurare, adjectis ad finem αὐτολεξεὶ
[*verbotenus*] testimoniis ad quæ respicit liber. Molior
& novam editionem de Iure belli & pacis, cum ingenti
auctario testimoniorum & veterum & recentiorum. Ac-
cepi libros ex Anglia bonos: Theophylactum in Episto-
las Paulinas: Historiam & Acta motuum Scoticorum, qui
nondum bona fide consederunt, edita Regi auctore, qui
æquitatem in hac re suam humano generi testatam facere
voluit: Richardi Hoggeri Puritano-mastigis & quæ e-
dita antehac & ἀνέκδοτα [*inedita*] quædam digna sanè
lectu. Ac ne me putes Britannicis tantùm liberalitatibus
locupletari; etiam à Roma Cardinalis Bentivolius misit
ad me operis sui de Bello Belgico, partem tertiam. Non
multo ante indidem Roma acceperam minuta quædam
Philosophorum Græcorum opuscula Demophili, De-
mocratis, Secundi, Sallustii. Nunc Heinsii notata ad
Novi Fœderis libros exspectamus, quibus conspectis
ego mea ad quatuor Evangelia editurio. Salmasius
in secundo de Vsuris libro Heinsiana multa depectet.
Indictum enim jam bellum est: neque inter eos pax fa-
cilior repertu quàm inter Gallos & Hispanos, aut nos &
Imperatorem. Quæstiones Romanas non vidi, nec quis
eas nunc scripserit novi. Minimè spernenda esse Cato-
nis illa disticha, magnis auctoribus Scaligero & Opitio,
consentio. De Istro apud Puteanos meminero. Res Ban-
nerianæ sanè pulchræ sunt. Neque exiguum in defensi
Livonia decus. Gaudeo Regem Poloniæ, ut magnitu-
dinem ipsius decet, stare pactis induciarum. Princeps
Casimirus jam in itinere est ad Silvam Vicennensem, mi-
tiorem hic habiturus custodiam, & optimam spem liber-
tatis, ad quam operas suas jungent Legatus Polonicus,
qui hic exspectatur & Anglicus, qui hic est, ac permu-
tatione Roberti Principis Palatini sperat utriusque ne-
gotium posse transigi, quod sanè velim. Mandata quic-
quam agendi contra Principem Casimirum nunquam ha-
bui, & sine mandato gravare infelicium fortunam non
esse mei ingenii rectè sentis. Si Turca, quod hic scri-
bitur, pacem cum Persa confectam habet, in periculo
erit Creta, & si quid præterea in Mari Ægeo tenent Ve-
neti, quibus implacabiliter Sultanus irascitur. Id bel-
lum, ni fallor, ab Hungarico latere tutum præstabit
Imperatorem: dubitoque an ibi quiescente Turca, mo-
turus se sit Ragotskius: quod tamen valde optari scio à
Hungaris Protestantibus. Magna per Italiam accepta
Gallis vulnera non tam sanarunt quàm obduxerunt factæ
illis in locis induciæ, quæ si pupillum Ducem matrem-
que ejus tutam præstare poterunt adversùm insidias pa-
truorum, quibus præsto est & pecunia Hispanica & po-
pulorum studia, mirabor. Cætera belli mediocria. Cla-
des Gallorum non levis ad Theodonisvillam pensatur,
captis Hesdino ad Belgicum, Salsa ad Hispanicum fi-
nem, depulsoque Piccolominæo ab obsidione Mansoni.
Navigatio autem nuper infelix ad Corunnam, altera satis
felice qua, facto ad Laredam Gallæciæ exscensu, Ga-
leonum Hispanicarum una incensa captaque altera, ac
partim è navibus, partim ex castello irrupto, machinæ
centum factæ Gallorum potestatis. Batavis suum mare
adversum per vim tempestatum prædonumque: longin-
qua maria fructuosa commerciis jam in Iaponem Sinas-
que penetrantibus. Barlæus celebrato Regiæ Matris in
Amstelodami urbem introitu, simul ejus urbis vires at-
que opulentiam nobis explicavit. Nunc mors Ducum
summi Vinariensis tristem magnamque materiam præ-
bet poëtis, oratoribus, historicis, Germanis, Gallis,
Batavis. De Brisaco quid dicam?

Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Captant exercitum locaque illa hinc Imperator, inde
Gallus. Tum verò & Anglia pro Palatino. Habent quod
dicunt & nostri Suecones. Meministi historiæ apud Plu-
tarchum de Virgine amantium in diversa trahentium ma-
nibus discerpta. Vale Vir eximie. Lutetiæ Cal. Septem-
bris 1639.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Sena-
tori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REx jam, credo, Lugdunum erit, & audio in ma-
gna spe esse Burgundos Comitatenses adipiscendi, u
extra bellum sibi esse liceat, quod negotium antehac ex-
tra spem omnem esse videbatur. Inducias Italicas Rex
probavit. Elector Palatinus pecuniam ex Anglia habe-
bit. Commendat eum exercitui Marchio Badensis. Tr
men, quantum ex Comitis Licestrii sermonibus intelli-
go, ut societatem nobiscum induat Rex Britanniæ non
est hoc quidem tempore sperandum. Acturum tamen se
in Gallia de fœdere non negat idem Comes Licestrius. Sed
perseverat in voluntate tentandi prius, tentatum jam
frustra toties, Imperatoris animum. Exspectamus cer-
ea an auctoritatem habitura sint apud exercitum manda-
ta, quæ Rex Longavillano dedit, qui Generam transiens,
ostendit quos habebat à Rege codicillos mandati sibi a
illum exercitum imperii. Non omittunt & Cæsariani ter-

vium Spiram versus, his quatuor, illis tria adesse millia. Duo millia in Brisaci esse custodia, totidem cum Guebriano inter Brisacum & Rinfeldium. Cæsarianos apud Tubingam & Rotwilam. Venturos eò & plurimos ex Italia milites per induciarum occasionem. A Comitatu Burgundiæ Legatos mitti ad Regem pro sua pace. In obsidione Moyeni occupari Halerium. In Luxemburgico non longè à Castilionæo esse Piccolominæum. Millereium apud Guisam. Ransovium resumere militiam Gallicam. In Nicæa Cardinalis Sabaudus ipse est cum duobus millibus. Arx Taurinorum à solis Gallis tenetur.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DOlor ille, quem literæ 8 Augusti scriptæ ab Excellentia Vestra testantur ob mortem incomparabilis in mni laudis genere Principis Vinariensis, metuo ne cre- at malis aliis ex illo malo orientibus. Nam de Erlachii Rosæ inter se contentionibus jam fama est: illud verò unum quod ad vos perlatum fuerat de Sacramento dicto eginæ nostræ. Exercitus adhuc nihil aliud quàm pari- rum se promisit quatuor testamenti executoribus. De tero quæ futura sit regiminis ac Sacramenti forma ad- c incertum est. Sed plurimum in eo pecunia poterit, a valet Gallus, qui jam nunc & exercitum illum & ur- s sibi vindicat. Interim Hohentwilum rursus obsedit ercius; alia parte Glenius quid acturi sint incerti ducis ilites observat. In Italiam mittebatur pars altera Con- ani exercitus, quanquam morbis non vacans. Sed bitò enatæ sunt in eadem Italia induciæ in menses duos, cem ut videtur illorum quidem locorum secum tractu- , per quam tutela communis sit Viduæ & Ducis pu- li patruis, Galli autem Hispanique præsidia sua de ctis Sabaudiæ ac Pedemontii urbibus locisque dedu- nt. Hæc ita convenisse audimus, si modo & Regi Gal- placeant, qui nunc ea de re deliberat, & quò pro- or sit illis rebus transfert se Lugdunum. Nicæa civitas, m arx Viduæ præsidio tenetur, partes Principum am- exa est. Idem fecere Helvetii qui in urbis Taurinorum stodia à Vidua collocati fuerant, non levi etiam apud m gentem labascentis fidei exemplo. Pontifex pro e Italica plurimum laborat, Venetis quem de Turca nceperunt metum in alios spargentibus, jacto rumore tanum jurasse bellum se in Christianos omnes motu- n. Sultani Mater munera à Veneto Bajulo sibi oblata puit, plus se ab ipsis bello brevi habituram prædicans. gna est classis Turcarum apud Constantinopolim: ac- r & illa quæ in mari Euxino erat: auxilia præterea ritima ab Afris prædonibus & Cosaccis. Iam exscen- factus dicitur in Tenum, Cycladum unam, Venetici s. Planè ingens est per Italiam trepidatio. In Hispa- m mare rursus hinc mittitur Archiepiscopus Burde- nsis, tergiversans satis memoria expertarum tempe- um. Quod Harcurtius fecerat in capiendis Genua- n navibus improbatur in hac Aula. Ita ut desituri vi- ntur motus isti, qui cæteroqui à bello haud longè abe- . Adversùs vectigalia salis tributaque alia seditiones ppidis agrisque natæ facilè intermorituræ putantur, miles qui nunc diversis in castris attinetur ad hyber- dierit. Si pax illa per Italiam coëat, Longavillanus ge destinatur imperio in exercitum, qui Vinariensis , urbesque ad Rhenum. Venit jam huc Comes Li- ius quem ab itinere recentem nondum vidi. Sed tri- ntelligo tot in firmanda pace Scotica exoriri difficul- novas, quæ sollicitudinem mihi injiciunt, ut satis edat id quod Hamburgi inchoatum fuerat negotium. d Rhætos paucis sententiis vicit ea pars quæ Hispanis favet, eorumque novum fœdus, quanquam duris in Religionem legibus, amplectendum putat: novusque nunc vocatur Conventus quo ista planè sanciantur. Veneti ad sui tutelam non indiligentes sunt: magna instituunt tributa, unde 17 millia ducatorum menstrua colligant. Naves augent: scribunt militem: excitant vicinos. Et Hispanus & Ethruscus classem in parato habent satis validam. Sedani quieta sunt omnia. Bannerii & Coningsmarckii actiones bonas nobis spes ostentant: nec leve periculum vitatum est in Livonia. Erupere ibi arcana illa Brandenburgici cum Rege Polono colloquia, & quò tendant nova ista tanti strepitus vectigalia. Hassicos video manere in iis quæ pridem cepere: nihil agendo multum agunt mali. Serenissimo Domino Electori bene ut procedat in Angliam profectio, opto. Ad Francofurtensem Conventum audio mitti ab Imperatore Marchionem Christianum & Principem Eckenbergicum. Spe inani pacis lactabitur, credo, misera Germania. Vt à Rege Daniæ, tam feroce, Batavi, tanto domi bello impliciti, æqua impetrent, vix sperandum videtur. Conatus tamen laudandi sunt. Rex exercitum Vinariensem pro suo habens, Longavillano mandavit imperium in eum exercitum. Is jam venit Basileam adducens Germanos qui in Italia fuere. Deus Christianos omnes ad bonam pacem flectat, ne barbarorum potentia nostro malo invalescat. Idem Excellentiam Vestram, omnesque ei caros servet sospites ac florentes. Lutetiæ 20 Augusti 1639.

Excell. Vestræ constante observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VBi has inducias Italicas cum pactis Wismariensibus 1229
confero, non satis video quomodo concordent. Dicunt Galli loco circumscriptas esse. Verum est: sed pacta Wismariensia de qualibuscunque induciis loquuntur. Tum verò id si concedatur, poterunt ubique regionales induciæ fieri, quæ in summam collectæ, universales erunt. Illæ verò hostium copiæ exoneratæ bello Italico, in nos incumbent, nobisque reddent difficiliorem aut belli aut pacis rationem. Neque verò hæc tantùm me angunt, sed & quod spargi video. Vt chartæ quas mitto loquuntur, ab exercitu, qui Vinariensis fuit, fidem juratam Regi, nulla Suediæ, nulla Principum Ordinumve Germaniæ mentione. Quod apertè dicunt Galli missum Ducem Longavillanum, non ut iis quas ex Italia adduxit tantùm, & quæ sub Guebriano fuere copiis, sed & ut toti illi exercitui imperet, & Gallus & Pontificius. Id si placet exercitui, haud dubiè in posterum erit, cur ille credatur

Oblitusque suorum, obliviscendus & illis.

Nihil posthac Protestantibus, nihil Germaniæ, sed Galliæ soli profuturus. Videbimus in hoc exemplo quæ Religionis, quæ pecuniæ vis sit. Terret & alia me cogitatio, quid futurum sit, si quid Cardinali, sæpe vapidè se habenti, humanitus acciderit. Præterea opes, unde bellum sustinetur, macescunt & crebris & latè sparsis seditionibus. Longum sit referre quæ in Languedocia, Britannia Armorica, in Provincia acciderunt. Dicam quæ in urbe nobis propiore Rhotomagi per hos dies spectata sunt. 21 die mensis hujus ingens vix puberum multitudo domos publicanorum aggressa est, frustraque conatis se opponere melioribus civium ex Parlamenti & Senatus urbani præcepto, occisi sunt publicanorum quatuor, domus dirutæ octo, inter eas nonnullæ mancipum qui vetera satis vectigalia conduxerant. Supellex tracta & in publicorum suppliciorum locis combusta. Sub vesperam congregatis civium corporibus qui arma ferunt publico jussu, resedit nonnihil seditio, nisi quod pan-

pannificum operæ urbem egressæ & reditum gravem minatæ, plus metus quàm mali intulere. Iacobini monachi insignia Cardinalis Richeliaci, quæ foribus eorum affixa erant, inde abstulere, ne pro tutela noxiam afferrent. Postridie Turnevillæ quæstoris Regii domus oppugnata ferro, facibus & omni vi qua oppida impeti solent: sed Parlamenti auctoritate educti qui in periculo erant homines, domus servari nequiit quominus tota spoliaretur: domus altera quam ibi habet Heufdius noster adversùs minaces incursus multa vi hominum in id advocatorum, ac postremò, cùm desæviret impetus, civium quoque ab ista insania intactorum superventu malum evasit. Dum hæc fiunt homines nonnulli, tum oppugnantium tum defendentium, periere. Reditum ad Turnevillæ illius domum, quæ tota spoliata est, conniventibus ad sedandam multitudinem Magistratibus. Sed latiùs in vicinas ædes se effundente rapacitate, globorum bellicorum jactu & cæde hominum ferme XXX repressa. Auctæ vigiliæ, adjungentibus se ad eas Præsidibus, Senatoribus, Magistratibus. Hæc tamen diligentia seriùs adhibita non satis eos purgat Aulæ, hoc pro culpa habenti quod initia foverint, ut eo metu ministros Regios absterrerent à novorum onerum repertu, veteribus verò modum adhibere compellerent. Credi non potest quantum sit apud omnis ordinis extra Aulam homines pacis desiderium, ideo quod urbes à commerciis derelictæ langueant, agri deserantur. Vnum solatium, paria apud hostes mala. Princeps Casimirus cis paucos dies erit in arce Silvæ Vicennensis: quidam ex comitatu ejus jam huc advenere. Ripas Altas in Ruscinonensi Comitatu locum Galli ceperunt, Hispani receperunt. Octavo hujus mensis ex Hispania novem naves longæ advenere ad portum non longè à Perpiniano, dictum Coliuram, cum multo milite tum Neapolitano, tum Hispano, machinisque multis à Barcinone. Atrebatum levia munimenta quædam à Gallis capta tutiorem ipsis faciunt Landresiæ, Guisæ, Capellæ possessionem. At Halerius ad Moienam à Lotharingico milite malè est acceptus. Castilionæum & Piccolominæum à mutuis noxis prohibet amnis Cherius. Induciæ Italicæ aut producentur, aut hunc annum ad hyemem & inertia tempora deducent. Est tamen rumor aliquis de Niceæ arce & Villa Franca, dicuntur qui illis locis præsident se applicasse ad Principum partes: ideoque Longavillanus, ab exercitu Vinariensi in imperium non acceptus, remitti in Italiam. Plerique credunt à Vinariensi Duce, paullò ante mortem, summam rerum quatuor viris commendatam usque dum certius aliquid de consensu Galliæ Suediæque esset constitutum. Certi nihil ea de re cognovimus. Si tantum pecunia Gallica poterit, ut Vinariensi possessa sui juris faciat, timendum & Benfeldio erit. Regis iter Lugdunum tardatur nonnihil, crebris seditionum nuntiis. Habet secum Rex VIII millia prætorianorum, IV millia è Burgundia advocat, totidem è Delphinatu, sex è Languedocia. At de Archiepiscopo Burdegalensi multò quàm antehac feliciora audimus. 14 Augusti, quæ sub ipso erat, classem exscensum fecisse ad Laredam in Gallæcia, quatuor hostium cohortes fugatas, Galionem unam incensam, captam alteram, itemque loci castellum, & in eo navibusque hostilibus machinas centum. Cum ea præda gloriaque reversum Brestam. De fœdere inter Suediam Angliamque nihil ex Comite Licestrio intelligo. Is hic mansurus uxoris & familiæ partem advocabit. Cum Danis fedus renovatum ait Angliæ quale antehac fuit. De Scotorum pace dubiè loquitur. Principi Roberto Libertatem ex permutatione Casimiri planè sperat, suffultus, ut dicit, & Regis Galliæ & ejus Ministrorum pollicitis. Metuere se ostendebat, ne induciæ per Italiam & Suedis & Batavis sua quoque seorsim agendi exemplum darent. Alii addunt Italiæ inducias non fortè, aut ducum, qui ibi sunt, subito consilio, sed ex Regis præcepto factas, hoc argumento, quod eodem quo factæ sunt tempore, id est 12 A[illegible] Longavillanus mandata acceperit ab Italia abeu[ndi, qu]od vix credibile est imperaturum fuisse Regem, si be[llum] acre ac periculosum in Italia mansurum cred[eret]. [Ho]hentwila obsidetur. Dicitur Rosa Cæsarianos d[...] in Nigro nemore cecidisse. Ad Engam tenere se Cæ[sa]rianos, qui una cum Bavaricis faciant XII mil[lia], [Vi]narienses autem imminere Wissenburgo, Landa[viæ], Spiræ, Wormatiæ. Ducatum Amalphitanum in [Ita]lia donari Piccolominæo fama est. Helvetii sua m[...] incursante Schafhusianos fines Merciaco, & ad N[...] Castellum Burgundis Comitatensibus. Con[...]chium Gleuksteno potitum intelligimus. Bavarus [...] & Wilhusium immunit, ut Ioigniam Sarmentos [a]vitis Bernatibus. Principis Condæi exercitus, non modo nulla decessione imminuitur, sed & augetur, [qui]dem necessariò, crescente hostium numero. Vene[...]tani Turcici mortem aut gravem morbum vul[go] parum creditur, quod id ad acquirendas sibi socios [...] reperisse credantur. Servet Deus, Excellentissime & [Il]lustrissime Domine, Sublimitatem Tuam, Regnum Suedico faveat. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Augusti 1639.

Multum nocet publicis rebus quod à Molelio non[...]sco quæ apud eum geruntur. Etiam Marpurgum à Coningsmarekio captum hic creditur. In Lareda nihil tenuere Galli. Iam nunc certò cognosco Fleishemium, qui ab exercitu Vinariensi venerat, bene acceptum in Aula. Regem perstare in proposito ac spe potiundi cupitis, novaque mandata ab eo missa ea de re ad Longavillanum.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & *Legato* apud Præpot. Ord. Fœder. *Belgii*.

Illustrissime Domine,

LIteras meas & rectè isthuc pervenire, & esse non in- 12
gratas, lætus intelligo. De sacramento à Vinariensi exercitu dicto Reginæ Suedicæ talem fuisse famam, monui antehac. Sed dicitur Dux constituisse ut sub quatuor testamenti sui executoribus esset exercitus, donec à Rege Galliæ, Reginaque nostra aliquid propius esset constitutum. Id jam Rex Galliæ, Longavillano illuc ad imperium misso, videtur velle antevertere. Id quomodo accepturus sit exercitus, gentis alterius, religionis alterius, pariter cum Excellentia Vestra dubito. Hohentwilum rursus in periculo est. Causam itineris in Magnam Britanniam à D. Electore suscepti, multum probo: egique de re ipsa cum D. Comite Licestrio, ut & de Principis Roberti libertate; ad utrumque negocium libenter collaturus quicquid nostræ erit opis. De Scoticæ pacis firmitate, sicut bene sperare nos jubet Comes Lecestrius, ita non negat, latere adhuc ulcera quæ [...] facilè ruptura cicatricem. Quod malum avertat Deus. Pro certo habeo, si res D. Electoris suscipere Rex [...]culus velit, libenter ad eam rem plurimum col[...] Anglos. Verùm fedus illud inter Angliam Danumque instauratum, suspicari me cogit non esse ejus ani[...]lam Anglicam, ut in societatem armorum cum Suedia [ve]nire velit. Res nostras in Livonia prosperas minùs [...] alibi eventibus obscurari video. Et non abest pejorum metus, cùm per Italiam induciæ haud dubiè aucturæ [...] hostium per Germaniam vires. De Bavari morte & [...] rumores, sed incerti. L[u]næburgici exemplum nos do[c]eet Principes Germaniæ [de] publico statu securos sua privata curare; in quo præt[er]quam quod honesti nihil est multum etiam est periculi. Archiepiscopus Bremensis cum civitate controversias ultro quærere videtur. Vestigalium dulcedine captos & Danum & Polonum sponte à lucro non destituros, neque satis uspiam virium apparere, quo cogi possint cœpta omittere, mihi certum [vi]detur.

tare executorum testamenti & tribunorum fidem. Instituti quidem bonorum hæredes à Duce defuncto sunt fratres. Sed ut terras Gallorum pecunia, Suedorum etiam sanguine quæsitas, insidere sinatur Princeps aliquis pace Pragensi illigatus, neque cum Suedorum neque cum Gallorum rationibus, neque cum Germaniæ, ut nunc res sunt, bono convenit. Erlachius pleraque ad se trahens jam in invidia apud collegas esse dicitur. Deliberant jam cum his & Guebrianus & missus ab Aula Choisiacus. Rediit enim Rosa castello structo ad fines Helvetiorum. Ohmius & Nassavius apud Landavium militem suum reliquere. Hostilis exercitus habet peditum quatuor, quinque equitum millia, & cohortes exspectat alias. A Spirensibus in urbem admissæ eorum copiæ non sunt. Seditio Lotharingi armis repressa est. Manent in armis rustici in parte Normanniæ Britanniæque non magno hactenus successu. Creditur passim pax inter Turcas Persasque facta, per Visirios in finibus agentes, quibus plena potestas data erat à Principum utroque. Dicitur autem composita res ad eam formulam quam olim concessit Persis Solimannus, ex qua Provinciæ multæ à Persis occupatæ ad Imperium Turcicum redire debent. Ingens navium paratus tum apud Turcas, tum apud Afros qui se cum ipsis conjuncturi sunt, credi facit Cretam peti. Venetos propriè tangit hic metus, at si quis successus Turcas, gentem per se ferocem, inflaverit, non erunt extra metum Melitenses, Siculi, Italia ipsa. Quare non mirum est, laborare adeo Pontificem in constituenda pace inter eos qui ipsi reverentiam servant. Apud Rhætos qui Hispanis student, numero sententiarum potiores mittunt Mediolanum ad firmanda publico consensu quæ in Hispania convenere, frustra opponentibus se Curiensibus, Engadinis, Bergaliis, literis acceptis à Berna & Tiguro quæ eos ad fortia consilia excitant: frustra, ni fallor, Gallis se non moventibus, sine quorum ope non est, ut oriatur apud Rhætos civile bellum, nec sine civili bello sisti poterit audacia & numero & ope Hispanica prævalentium. Archiepiscopus Burdegalensis jussus in mare reverti ad vicina Fontarabiæ navigare dicitur. Coningsmarckius in agro Courtzburgensi res bene gerere nuntiatur. Deus optimus Maximus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res det felices Reginæ, Regno ac Tuæ Sublimitati. Lutetiæ 3 Septembris 1639.

Tam Melianus Legatus apud Helvetios Gallicus quàm Choisiacus ad Longavillanum scripsere ne properet. Res adhuc parum esse coctas. Helvetii ita videntur impetraturi quietem Comitatus Burgundiæ, si Hispaniæ Rex Salinas & Graiam ipsorum custodiæ permittat. Vectigalibus novis eorum quæ ab ipsis evehuntur, aut ad ipsos invehuntur, tum in Gallia, tum ad Rhenum institutis opponunt sese. Fama per hanc urbem vagatur, venisse à Bannerio ad Regem qui captam à nostris Pragam nuntiet. Cum Duce Carolo agitur Regis de nomine. Tributa nova multa abolentur. Hohentwilum etiam nunc obsidetur. Veneti ut Sultani Turcæ infensum in se animum mitigent, missuri eò sunt Legatum extra ordinem & medicos duos, quod paralyticus esse dicatur Sultanus. At fortè ostendet sibi nervos esse. Machinæ à Gallis ad Laredam captæ ultra quinquaginta non fuere, periere plures. Nicæa & Villafranca planè in potestate Sabaudiæ Principum esse creduntur. Neque tamen id inducias rupit. Halerius ad Ducis Lotharingi adventum deseruit Moyeni obsidionem. Et ipsius & Villaregiæ copiæ se Longavillano adjungunt. Castilionæus ad Mousonum est: Piccolominæus non longè ad pagum Virtutis. Millereius Blanciacum immunit. Fontanus ad Airam. In Comitatu Burgundiæ Comitatenses recepere Nazaretum: Galli Ionvellam & alia exigua loca cepere.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Bene ac suo tempore ad me pervenerunt literæ quas ad me dedit Excellentia Vestra 22 Augusti. Simul ex 1236
D. Mulleri literis chartisque eas comitantibus cognovi Bannerianarum rerum prosperos adhuc cursus. Prætetquam verò quod in Provinciis illis, quas Austriaca Domus integras habet magnas, dilectus magni fiunt, etiam exsolutæ bello Italico copiæ Germaniam prement. Optanda ergo erit D. Bannerio ad fortem animum etiam perpetua consiliorum felicitas. Ducis Vinariensis testamentum clam Mokelium habetur. Erlachius cuncta ad se trahens collegas tres nonnihil offendit. Galli honorem illi Franciæ Marescalli & opes magnas ostentant. Ad hæc comparata Suedorum bona verba parum videntur habitura ponderis. Flershemius bene acceptus fuit à Rege & ex eo nova ad Longavillanum data sunt mandata, qui Genevam transiens ostendit Regis codicillos, per quos imperium ipsi in eum qui Vinariensis fuit exercitum injungitur. An id placiturum sit exercitui videbimus. Elector Palatinus pecuniam haud dubiè ex Anglia accipiet: quantam, non dixerim. Absentis ejus causam apud exercitum commendat Badensis Marchio, qui suas in eo imperio partes secundas sperat fore. At de fœdere Angliæ cum Suedia Galliaque nihil video, nihil audio. Habet Comes Licestrius mandata eo de negotio hic agendi, sed hæret adhuc res ad priores salebras, de tentando ad pacem Imperatoris animo, priusquam ad belli societatem veniatur. Hæ moræ obstabunt quominus alacriter Electoris negotium Suedi promoveant. Interim Cæsariani non dormiunt. Nam & testamenti executoribus & tribunis aliis magna pollicentur, si eos ad se perducere possint. Credo & fratres Ducis defuncti, hæredes bonorum ab ipso institutos, more Romano sub bonis comprehendere conaturos & quæsitum armis principatum, & habebunt fortè qui ipsis faveant, cùm tamen & Suedis & Gallis metuendum sit, ne sub illorum persona lateat Imperatoris negotium. Iam Brisaci inter se consultant Erlachius in ea urbe semper manens, Rosa reversus ab Helvetiorum finibus structo prope Basileam castello, Ohmius & Nassavius relictis suis ad Landavium copiis, unaque Guebrianus & qui ab Aula cum pecunia missus eò fuit Choisiacus. Hostis cum quinque equitum, quatuor peditum millibus ad Rheni ripam est, alias exspectans copias. Spirenses eos intra urbem gregatim admittere noluerunt. Movere aliquid Ragotskium ex Dantisco ad me scribitur. Quin pax sit per duos Visirios mandatis in id instructos facta Turcam Inter Persamque, & quidem iis legibus quæ multas Provincias armis Persarum captas Turcis restituant, hic non dubitatur. Ingens classis paratus tum in Turcico imperio, tum apud Afros prædones, conjecturam suppeditat insularum aliquam, ac maximè Cretam impeti. Quare non Venetis tantùm sed &, siquid cis malè cesserit, omni trepidante Italia, dubium non est, quin omnem operam positurus sit Pontifex ut pacem faciat inter eos qui ipsum suspiciunt: diciturque sperare jam quod hactenus extra spem positum putabatur, Comitatensis Burgundia, ut extra bellum sibi esse liceat. De pace verò aut perpetua aut temporaria cum Protestantibus ne ego quidem quicquam audio, nisi quod aliquid tale conari dicuntur Bannerius & Galassius. De Hassis exspectabimus colloquii exitum. Ægrè inducor, ut credam ad communis boni respectum eos redituros qui tam diu assuevere privata præferre communibus. Danus & Infrasaxonici, ni fallor, id quod volunt ab Imperatore ægrè impetrabunt, nisi fortè ad tempus, ut infirmiora quædam vim Bannerii metuentia ejus armis

sub-

subtrahantur. Comes Licestrius pergit de libertate Principis Ruperti omnia sperare optima. Princeps Casimirus jam Aurelianum pervenit. Vidi librum Regis Britanniarum jussu editum de motibus Scoticis. Inde, & ex gravibus controversiis quæ se quotidie ostendunt, metuo sanè, ne rumpatur obducta vulneri cicatrix, quod clemens avertat Deus. De Pirna variant rumores. Archiepiscopus Burdegalensis iterum mari se dedit Fontarabiam, ut creditur, versùs. Deum rogo, Excellentiam Vestram & omnes ejus necessarios servet florentes. Lutetiæ 3 Septembris 1639.

Excell. Vestræ devinctus perpetuo observantiæ cultu H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1237 MUltum me oblectarunt literæ Nobilitatis Vestræ, datæ 12 Augusti, quia & res continent nostrorum sanè egregias, & in me insignem testantur benevolentiam, cui utinam respondere liceat officiis paribus. Quod si non datur, certè frui rursum ac beari conspectu colloquioque Nobilitatis Vestræ inter mea prima desideria est. Cùm verò multùm mutatæ res sint, & cum rebus etiam consilia morte illustrissimi ac gloriosissimi Ducis, incertæ sunt de adventu Nobilitatis Vestræ spes meæ: nam si totus ille exercitus & quæ ab exercitu tenentur Galliæ fiunt, quod Rex prædicat, dicitque congruere mortui Ducis voluntati, ac jam imperium illud mandavit Duci Longavillano, qui rebus Italicis per subitaneas inducias compositis jam ad illum orbum duce exercitum venit, non video quid ibi agere possit Nobilitas Vestra. Sin verò perseverat ille exercitus in proposito relevandi lapsas Germaniæ res, & in aliqua Suedici nominis reverentia Regisque Gustavi grata memoria, & opus erit ibi esse aliquem qui res promoveat consiliaque exercituum inter se connectat, & aptior ad eam rem Nobilitate Vestra reperiri nemo potest. Rex Galliæ omnia pecunia se perrupturum putat: tamen ego, & sacrorum & patriæ amorem in Ducum militumque multis obstiturum puto, quò minùs se subdant Gallo Duci & Catholico-Romano & ob actus præteritos parùm illis in locis gratioso. Angli asseverant Electori Palatino pecuniam non defore, qua suffultus in exercitum Germanicum Germanus Princeps imperium sibi vindicet: idemque negotium promovet quantum potest Marchio Badensis. Sed ego non video quomodo id fieri possit, non prius constituto illo, quod tam diu Hamburgi trahitur, federe. Interim non dormit hostis, sed animos modò universorum, modò singulorum in exercitu tentat. Quod ajunt Galli penes Ducem Vinariensem beatæ memoriæ stetisse, quò minùs pridem in Germaniam iret, ea de re contrarium mihi & ex Regis sermonibus & ex Ducis literis constat. Quod conquestus est de me Cardinalis, in eo gravis mihi facta est injuria ex rumore ab inimicis meis sparso apud Batavos, tanquam in literis ad D. Spiringium missis scripsissem talia, eaque ipso vulgante emanassent. Quod omne falsi convictum est D. Spiringii multo labore, & quidem tanta cum iracundia, ut affini meo Senatori Reigersbergio omnia quæ excogitari possunt minetur mala, nisi ipsi edat nomen ejus à quo illum rumorem satis latè per Hagam sparsum cognoverat, quod ille ob fidem amicitiæ debitam facere detrectat. Mira verò fuit festinatio Aulæ hujus non inquirentis in rumoris pondus, sed subitò pro telo in me arripientis minimè credibile mendacium. Non enim ignarus rerum, sed cæcus planè fuerim, si non scissem tot ac tantos à Rege colligi exercitus: neque malitiæ sed dementiæ fuerat contra id quod omnes scirent viderentque persuadere quicquam hominibus velle. Illud non nego scripsisse me ad D. Spiringium, me ita existimare, Italicas res eo esse loco, ut præcipuas Galliæ vires ad se tracturæ essent, quod & verum fuit & multò etiam apparuisset magis, nisi de subito enatæ nobis essent è Pontificis fabrica illæ, parum cum pactis Wismariensibus consentientes, induciæ; de quibus ipsis ut & de imperio quod sibi Gallia in Vinariensis exercitum eique possessa vindicat, quid sentiant Excellentissimi Rectores Regni Suedici scire quamprimùm aveo, ut ad eam normam aut loquar aut sileam. Certè si quis dixisset ad finem Belgicum hoc quidem anno nihil quale nos sperabamus acturum fuisse Regem, haud multùm cum fefellisset sua conjectura: Est enim Hesdinum aliquid ad protegendos Galliæ fines, ad accidendas Hispaniæ vires ferme nihil. Tum verò ad Theodonisvillam accepta clades magnum in se habet indicium negligentiæ Gallorum. Ut literæ meæ nihil habeant, quod non aut verum sit aut verisimile, in me est situm; ut literæ meæ bene custodiantur, non item. Neque nescio multos esse hic exploratores, quorum nonnulli sub amicitiæ specie ad me ventitent. Sermones apud eos mei de negotiis publicis temperati sunt: sed ne illi sincerum vas incrustent, ego præstare non possum, præsertim si qui in Aula potentes sunt, ostendant se eis delectari quæ me onerent. Quàm enim multos credendum est in hac Aula fore calumniatores, si pretium sit calumniæ, cùm tam multi quotidie animi causâ mentiantur. Schmalchium quæcunque potuit aut ad res Regni aut ad meas pertinentia, ad Gallos pertulisse non dubito. Pro ea culpa nihil mali ei precor, nisi ut modestiam discat, neque pro benefactis maledicta ac malefacta reddat. Illa epistola qua dixeram Regem edictis gravidum in Parlamentum venisse vetus est, & in Schmalchii fuit manu: Neque tamen video quid in his verbis sit reprehendendum; satis enim bene rem exprimunt. Ad rem meam pecuniariam ut veniam tempus poscit. Jam enim tertius est mensis quod post biennium trahor. D. Spiringius propediem pollicetur semissem, de altero semisse quid futurum sit nihil dum scio. Premunt autem me non tantùm in præsens incommoda, sed & futuri metus. Non possunt simul & in istis senticetis versari & ad res magnas se attollere

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Quare magnum D. Cancellarium rogavi ut liceat mihi, quod omnibus antehac Legatis socialibus licuit, de militari quæ hinc venit pecunia deducere pensiones debitas, quod si id res Suedicæ non ferunt, superest scilicet ut mihi reddat. Hæc liberiùs apud Nobilitatem Vestram, ut optimè mihi volentem expono, ut, si quid potest, adjutet. Erlachio cum cæteris testamenti executoribus non optimè convenire multi nuntiant: dicitur enim nec continere se intra æqualitatis modum. Nassavius autem rebus præpollet ac spe futurum ut ad eum summa rerum deveniat. Ivit illuc affinis ipsius Landgravii defuncti frater. Sed Galli ut jam dicere occupavi, longè alias spes alunt, quas auxisse dicitur Flershemius ab exercitu ad Regem missus. Cæterùm multum adhuc caliginis habent hæc omnia. Fratres Ducis defuncti illigatos pace Pragensi, eoque merito & Suediæ suspectos ac Galliæ, neutrius Regni voluntate admitti posse in possessionem eorum quæ Dux defunctus armis peperit certissimum est. Quid enim hoc sit aliud, quàm pignora illis tradere, quæ suam amicitiam Imperatori pretiosiorem faciant. Aliud esset si Suedia exemplo Italico invitata & ipsa ad inducias respiceret. Video enim hoc hic & de Suedis & de Batavis timeri. Rogo Nobilitatem Vestram ut si quid illis in partibus geritur quod me scire functionis meæ intersit, id ut norim paratus vicem reponere. Sum enim eroque semper. Lutetiæ 3 Septembris 1639.

Nobil. Ampl. Vestræ ad omnia obsequia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1238 Literas accepi à filio qui apud Ducem Vinariensem vixit, & in illis etiamnunc locis subsistit: eæ nuntiant, qui Brisaci sunt duces ac milites loqui fortiter: se non prolatandis Galliæ finibus, sed in spem reponendi Germaniam meliorem in statum tot adiisse pericula: nullam sibi mercedem tanti fore, ut pro ea amittant urbem maximi ad res Germanicas momenti, & cujus possessio ipsos à contemtu vindicat. Si eo contentus sit Rex, ut Galli sexcenti in urbem admittantur, dum ne ii portarum custodiam habeant, posse ipsi hactenus morem geri. Verùm an tanta sit hujus propositi constantia, ut resistere possit tribus, quos Rex jam illuc mittit millionibus, brevi, puto, apparebit. Hohentwila adhuc premitur. Contra à Vinariensibus capta quædam in Palatinatu loca ita terruere Electorem Mogontiacensem, ut Coloniam se recipere dicatur. Tenebant se Vinarienses bona ex parte ad Landavium, Neustadium, Germeshemum. De Conventu Francofurtensi nihil ultra audimus. Super judiciis reddendis & cogendis qui damnati sunt ut judicatum faciant, consultationes habentur quædam. Duræ satis sunt in Gallos induciarum per Italiam leges. Nam in Casale nihil inferre ipsis permittitur, tantùm milites educere ad sexcentos, & novos pari numero substituere. Fama est mitti eo Comitem Guichium cum decem militum millibus, si fortè bellum illic redardescat: cæterùm productum iri inducias, aut fore ut pro induciis pax in Italia constituatur, censent Itali. Res verò Turcicæ, quas multi respiciunt, mutatæ sunt plurimum. Nam Veneti CCC millibus sequinorum Sultano datis & donis in Purpuratos distributis metum ingentem redemere. Certa interim est cum Persa pax, & quidem magno cum Turcæ honore. Nam sericum è Perside ad ipsum quotannis ad onus centum camelorum, veluti tributum mittitur. Nunc Princeps inquies, Poloniam sit petiturus armis, causas belli habens non leves, an rupturus inducias cum Imperatore, & Transilvanum ad societatem belli pertracturus, variant judicia. Sed Transilvanum audio ita aurem præbere Turcæ & Protestantibus Hungaris, ut alteram aperiat Imperatori, qui de Comitatibus septem, quos Gabor habuit pari arte extortos, quatuor ei pollicetur, septem totos postulanti. Ita pacem bellumque nundinari didicere Principes. Cum Duce Carolo seorsim Rex agere dicitur, ut eum bello eximat, concessione oppidorum trium quæ Gallico milite Dux in quinquennium custodiat, Lotharingiæque fructus percipiat. Bruxellæ tamen id audio non credi, quanquam Piccolominæus ex literis interceptis aliquid se ejus cognovisse scripserit. Rhotomagi quiescitur à seditione, sed Cadomi arcis Præfectus totius multitudinis concursu coactus, de quatuor sontibus quos ceperat, tres reddidit: unum apud quem literas se reperisse dicit, indicantes ab externis ali hos motus, retinuit. Rex Lugduni jam est. Ibi Legatos à Polonia, Hetruriaque exspectat. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Regni Tuæque Sublimitatis prosperet. Lutetiæ 10 Septembri novi Calendarii 1639.

Semissem pensionum debitarum persolvit mihi rogatus diu D. Spiringius. De altero semisse rogo Sublimitatem Tuam, ut eam mihi de pecunia Gallica mensis Novembris deducere liceat, aut, si id non placet, aliter mihi consulatur. Id eò justiùs postulo quod offensas inter D. Spiringium & affinem meum Senatorem Reigersbergium video insanabiles. Princeps Casimirus nondum in Silvam Vicennensem venit, trahens liberum aërem speciе sequioris valetudinis, dum potest. Creditur Legato Hetruriæ etiam hoc negotium mandatum. De tribus illis millionibus destinatis ad exercitum Vinariensem missa eò intelligo non nisi CCC millia scutatorum. In Italia autem planè jam pacem factam inter Viduam fratresque, ita ut neutrarum posthac sint partium. Rex se simulat iratum. Dux Carolus Grangio ad se misso dixit se matrimonium cum ea quæ hic est habere irritum, fecisse novum cum Marchionissa de Cantecroi. Illam autem in Brabantia à Cardinali Hispano non habitam ut Feminam Principem, indignè ferre dicitur Dux Carolus, nisi forte talibus rumoribus Galli sibi blandiuntur. Comitatus Burgundici loca quædam Bressæ contermina Villicastellum, Villettam, Fitigniacum cepit & diruit Villaregius, qui illis in partibus Gallis imperat. Dux Longavillanus etiamnum in Bernatium hæret finibus in principatu suo Novicastelli, exspectans quomodo Gallicæ apud exercitum molitiones sint successuræ. Choisiacus ab exercitu Vinariensi ad Regem rediit. Refert testamenti executores excusasse se quominus commissas sibi copias cum Gallis conjungerent ad Germeshemi obsidium. Regem Divione cùm esset & Pontificis Nuntius & Legatus Venetus de pace interpellarunt. Helvetii pergunt orare Regem, ut Comitatus Burgundiæ extra belli mala ponatur, parati quatuor oppida in pignus pacis custodire, Regis impendiis. Halerius ad Moicnum hæret, vix ulla cum spe potiundi. Marescallus Castilionæus Hiberno milite auctus est. Millereii miles ad Insulas usque Flandriæ excurrit, miramque facit vastitatem. Nunc idem Milleretus immunit se ad Avinum & S. Martini. Castilionæus autem ad Virodunos, quatuor leucis remotus à Piccolominæo. Cæsariani tenentes se inter Danubium & Rhenum, hunc amnem transire conantur ad Keiserstulam. Archiepiscopus Burdegalensis ab ultimo itinere nulla re facta redit. Cantecroia filiam Duci Lotharingo peperit Treveris. Sermones nonnulli de sponsalibus inter Principem Angliæ & Hispani filiam.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

EA quæ de Vinariensi exercitu nuntiat Excellentia Vestra literis 29 Augusti, etiam hic audiuntur. Sed 1239
Rex eò mittit novam pecuniam ut quidam ajunt ad tres milliones: ea quid sit effectura, videbimus. Non multum ibi nunc geritur. Hohentwila circumsessa manet. Capta sunt à Vinariensibus aliqua in Palatinatu loca: eo metu concussum Mogontiacensem ajunt abiisse Coloniam. Ajunt ii qui Brisaci sunt milites, se non pro augendo Galliæ Imperio, aut in lucri spem, sed pro salute Germaniæ arma cepisse: eadem si eorum commilitibus mens est, non extra spem esset quod dicit Excellentia Vestra de conjunctione cum Coningsmarckio. At Galli censent exercitum non Suedica, non Germanica, sed Gallica pecunia sustentatum, suum potiùs quàm alterius cujusquam esse debere. Quod si jam adesset ibi Elector Palatinus, & aliquod fedus inter Suediam Angliamque factum esset, possemus minùs esse solliciti. Induciæ in Italia satis duræ Gallis sunt. Nihil enim per eas invehere ipsis in Casale licet, sed tantùm educere sexcentos milites, & totidem substituere alios. An eæ duraturæ sint, an transituræ in pacem, an verò resumendum bellum, ad quod è Gallia cum X millibus mitti Comes Guichius dicitur, brevi apparebit. Rex Lugduni Legatos Polonum Hetruscumque opperitur. De Burgundiæ Comitatu extra bellum ponendo, magnam spem habent Helvetii. Et de pactionibus cum Duce Carolo, per quas fructus Lotharingiæ & oppida aliquot in quinque annos ipsi concedantur, multus hic rumor est: & Literæ quæ-

dam ea de re scriptæ ad Piccolominæum pervenerant, qui Bruxellas ea de re scripsit. Sed audio ibi extra tales suspiciones esse Ducem Carolum. Pro certo habemus hic Turcæ pacem esse, & cum Persa qui quotannis sericum ei mittet quantum centum cameli ferent, & cum Venetis, qui eam CCC millibus sequinorum à Sultano, aliqua præterea pecunia in Purpuratos data, redemerunt. Iam in Hungariam, an in Poloniam se injectura sit ista potentia, videbimus. Ragotskium audio modò ad Turcam respicere, modò ad Imperatorem, & facilè cum hoc conventurum, si ad quatuor Comitatus in Hungaria, qui ipsi offeruntur, adjiciantur & tres alteri, quot habuit Bethlehemus Gabor. Illa de D. Bannerio & de Landsberga valde mihi placent. Radzivilii epistolam Excellentiæ Vestræ beneficio legi. Iam verò ad me aliunde quoque perscriptum fuerat, edixisse Poloniæ Regem ne quo facto induciæ læderentur. Ni fallor, parum in Dania, nec plus in Polonia promovebunt Batavi, captis lucri dulcedine, & in id persequendum obstinatis Regum animis. Comes Licestrius de Principe Ruperto spem habet bonam, de fœdere parciùs loquitur. Archiepiscopi Cantuariensis epistolam jam videram, scriptam *συνετῶς* [*sapienter*]. Doleo à Scotis capta arma in Regem optimum & optimi in Ecclesia regiminis tutorem. Pacem optavi semper, & nunc, ut quæ facta est maneat, opto. Sunt tamen quæ me ab ea parte securum non sinunt. Apud Rhætos restituendi auctoritatem suam bella Gallis occasio est, cùm Tribunus Gulerus, Gallicæ amicitiæ retinentissimus, castellum ad Rhenum suæ potestatis fecerit: qui si hinc juvabitur, revalescent afflictæ ibi res Protestantium. Comitatus Burgundici loca quædam Bressæ contermina Villicastellum, Villettam, Fitigniacum cepit & diruit Villaregius, qui illis in partibus Gallis imperat. Dux Longavillanus etiamnum in Bernatium hæret finibus, in principatu suo Novicastelli, exspectans quomodo Gallicæ apud exercitum molitiones sint successuræ. Choisiacus ab exercitu Vinariensi ad Regem rediit. Refert testamenti executores excusasse se quominus commissas sibi copias cum Gallis conjungerent ad Germeshemi obsidium. Regem Divione cùm esset & Pontificis Nuntius & Legatus Venetus de pace interpellarunt. Helvetii pergunt orare Regem ut Comitatus Burgundiæ extra belli mala ponatur, parati quatuor oppida in pignus pacis custodire, Regis impendiis. Halerius ad Moienum hæret, vix ulla cum spe potiundi. Marescallus Castilionæus Hiberno milite auctus est: Millereii miles ad Insulas usque Flandriæ excurrit, miramque facit vastitatem. Munit idem Millereius se ad Avinum & Sancti Martini: Castilionæus autem ad Viridunos, quatuor leucis remotus à Piccolominæo. Cæsariani tenentes se inter Danubium & Rhenum, hunc amnem transire conantur ad Keiserstulam. Archiepiscopus Burdegalensis ab ultimo itinere nulla re facta redit. Cantecroja filiam Duci Lotharingo peperit Treveris. Sermones nonnulli de sponsalibus inter Principem Angliæ & Hispani filiam. Princeps Casimirus nondum in Silvam Vicennensem venit, trahens liberum aërem specie sequioris valetudinis, dum potest. Creditur Legato Hetruriæ etiam hoc negotium mandatum. De tribus illis millionibus destinatis ad exercitum Vinariensem missa eò intelligo non nisi CCC millia scutatorum. In Italia autem planè jam pacem factam inter Viduam fratresque, ita ut neutrarum posthac sint partium. Rex iratum se simulat. Dux Carolus Grangio ad se misso dixit se matrimonium cum ea quæ hic est habere irritum, fecisse novum cum Marchionissa de Cantecroi. Illam autem in Brabantia à Cardinali Hispano non habitam ut Feminam Principem, indignè ferre dicitur Dux Carolus, nisi fortè talibus rumoribus Galli sibi blandiuntur. Suedia à Gallicis vinculis, si velit, satis expedita per Italicas inducias, an se novis Batavicis vinculis adstringi passura sit, est cur dubitem. Palatinæ domus hic quidem *ὥσπερ Μεγαρέων, οὐδεὶς λόγος* [*ut Megarensium nullus sermo*]. Respiciat eam clemens Deus, omnemque Orbem Christianum: præcipuè Regnum Suedicum, ejusque Ministros, nominatim autem Excellentiam Vestram omnesque ei caros. Lutetiæ 10 Septembris novi Calendarii anni 1639.

Excell. Vestra ad omnia cultus officia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

PErstant adhuc, ut literis doceor, in eo Vinarienses milites, ut neque Brisacum tradere Regi velint, neque Longavillani imperium agnoscere. Neque tamen quæ ipsis per Badensem Marchionem & Paulium ab Anglia dantur spes, magni faciunt, quippe à Regno sibi longinquo, non admodum pecunioso & in consiliis nutante. Dux Wilhelmus Vinariensis an venire ad exercitum per Cæsarianos possit, an audeat bellum in Imperatorem sumere, dubitatur merito: tum verò per illum nominis aliqua, virium nulla sit futura accessio. Quare plerisque optimum factu videtur conjungere se cum Coningsmarckio, quando & ipsi Suedico adhuc se Sacramento obligatos sentiant. Iidem milites capto Germeshemo & vicinis aliquot locis nunc circa Spiram hærent otiosi: dum Cæsariani Hohentwilum adsident magis quàm obsident: horumque cæteri apud Offenburgum & Friburgum se tenent. At hic magni nobis metus hostium nuntiantur: fuga Electoris Magontiacensis, translatæ Heidelberga Philippiburgum chartæ. Bavarus nunquam promissa sibi pecunia, militem se Imperatori negavit posse mittere, propriis periculis impeditum. Longavillanus nunc Colmariæ est. Ænipontana quatuor Præfecturas Tirolenses vicinas Rhætis & Constantiæ vendidit Hispano, qui munimenta struere vult illis in locis, exspectatur ad id Imperatoris consensus. Coningsmarckius ad Mulhusiam esse scribitur. Gulerus Rhæticus tribunus castello ad Rhenum excedere non vult, nisi de communi populorum sententia: quem vi cogendum ut pareat censent Rhætorum Legati qui Mediolani sunt. De Italia hæc intelligimus, quo tempore factæ sunt induciæ collocutos inter se Cardinalem Valettam, Longavillanum, Principem Thomam, Leganesium qui Principi Thomæ honoratiorem concedebat locum. At Vidua ut cum Principe Thoma colloqueretur adduci multis Nuntii suasionibus nequivit: planeque ventura ad Regem creditur. Principibus jam pleraque Pedemontani imperii possidentibus utiles fuere induciæ. Iam verò & Nicææ arcis potiuntur, obtruncato per insidias Præfecto, deinde capitali supplicio in mortuum exercito. Princeps Thomas in urbe agit Taurinorum, cum præsidio quatuor millium, Hispanis plerisque. Vidua in Salusia est. Veniunt in illas partes ab Hispania duo adhuc millia. Venetis pax redempta 10 millibus nummorum regalium. Confirmat ipsis veteres conventiones, addito ut Venetis per omne mare Ægæum persequi piratas liceat, etiam sub ipsas Turcarum arces: quod si piratas in terram exscendant, si qui Turcarum Præfecti id dissimulaverint, eosque juverint pœnam non evasuros. Mittitur à Sultano ad Venetos Chiausius qui hæc perferat à Venetis signanda. Veneti & Pontifici & Imperatori significarunt hoc suum gaudium. Miserunt & centurias quasdam in Cretam, quæ insula Venetis ad sublevanda pacis hujus impendia donat centum millia regalium. Sunt ad eandem insulam naves longæ XVIII plenæ remigis & militis. Bajulus Venetorum qui Constantinopoli est ab ipso Cahimachano magno cum honore in domum suam reductus fuit, successor ei mittitur. Rumor erat per Italiam, sed incertus, IX millia Tartarorum in Bosniam venisse, infesta Imperatori. Ad Vadum Italiæ portum naves

naves sunt longæ Hispanorum supra XL adversus fortuita a Turcis aut Gallis. Videtur Longavillanus, si imperium in exercitum Vinariensis consequi non potest, duo curaturus, primum ut opimiore stipendio partem ejus ad se attrahat, deinde ut majore ipse cum exercitu obstet eorum conatibus & quæ capere ipsi possent præripiat. Ad eam rem mitti ad eum dicuntur octo millia militum: in Italiam verò scribitur iturus Alaisius cum sex peditum millibus, equitibus quingentis. Leopoldum Archiducem fama est in Bohemiam ire, auctum Magisterio Teutonici Ordinis, summoque imperio in Cæsarianos exercitus. Intelligimus jam cœptum haberi in Scotia Parlamentum sine Episcopis, invito Rege. Præterea Scoti in finibus Angliæ præsidia habent ad tria millia, inque eodem fine se immuniunt, quia scilicet & Rex Barvici ac Carlislæ multis aliquid reliquerat. Legatus Galliæ vidit Palatinum; neque verò Electoris neque Celsitudinis ei nomen dedit. Veneto Legato id imitari volente, noluit id ferre Palatinus. Pontificis Agens ex Anglia Romam redit, multis cum donis à Rege, Regina, ejusque Matre. Rex Angliæ minaci edicto vetuit, ne quis penes se habeat interpretationes quasdam Regiæ potestati noxias quas ad pacis capita pro suo arbitratu Scoti fecerant. Ipsam chartam, quam ea de re Scoti dederant Arundelio Comiti, jussit manu uri carnificis. Moienum cepere tandem Galli. Ad Mommedium immunit se Piccolominæus. Seditiones quædam novæ eruperunt Pontoissini, Falasiæ & alibi. Scripsit Dux Carolus Bruxellam, cùm parum opis in armis sit Imperatoris & Regis Hispaniæ sperare se permissum sibi iri, ut se quanti potest minimi à malis redimat. In conditionibus quas Galli ei offerunt est & successio Lotharingiæ ex jure Salico nuper constituto, & matrimonium Fratris Regii cum Ducis sorore. Nihil tamen adhuc peractum est, ut nec de Burgundico Comitatu. Curam pro me de pecuniis in posterum Tuæ Sublimitati pergo commendare, ut functioni meæ tranquillior incumbam, & pro ipsius prosperitate Deum precari. Lutetiæ 17 Septembris 1639.

Piratæ ex Africa Sardiniam populati sunt. Condæus Princeps Torcavallum obsidet. Fontanus ad Sanctivenantii castra habet bono loco, opposita Millereio qui ad Avinum est. Pecunia nova missa est Brisacum, ad L millia scutatorum. Normannia ob seditiones exsoluta novis oneribus exemplum aliis Provinciis præbet damnosum Regis ærario.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

41 ACcepi rectè literas datas 5 Septembris. Me quoque de eo qui Vinariensis fuit exercitu par metus tenet. Vix enim est ut in pari quatuor virûm imperio diu concordia maneat. Neque verò aut Elector Palatinus aut Dux Wilhelmus Vinariensis, multis militum exspectati, eò veniunt. Dux verò Longavillanus qui Colmariæ est, & nova augmenta è Gallia exspectat, partim uberiore stipendio militum illorum partem ad se pelliciet, partim, ut videtur, eorum obstabit conatibus, qui quidem conatus nulli adhuc apparent. Longo ad Spiram otio, dum Cæsariani partim Hohentwilum adsident, partim apud Offenburgum Friburgumque castra habent. Multis Vinariensium probari audio consilium jungendi se Coningsmarckio: & sanè absque eo vix est ut magni aliquid gerant ad restituendas res Germaniæ. Bavarus quò minùs tam vicinos habens hostiles exercitus duos militem Imperatori mittat, satis habet causæ. Dicitur autem Leopoldus Archidux Cæsarianis omnibus copiis præfuturus ire in Bohemiam, ornatus Magisterio Teutonici Ordinis. Oenipontana Præfecturas Tirolenses, Constantiæ & Rhætis finitimas, vendidit Hispano, munire se paranti illis in locis. Ad eam rem Imperatoris exspectatur auctoritas, Helvetiis nihil aliud quàm hæc omnia circumspectantibus. At apud Rhætos popularem partem contra Primores tueri pergit in castello ad Rhenum Gulerus, quem armis cogendum ut plurium decreto pareat scribunt qui Mediolani sunt Legati Rhætorum. In hoc quoque negotio tam præcipius occasionis Galli, festinabundo cæteroqui ingenio, tardi sunt. Vidua Sabaudica in Salussia est, crediturque ad Regem Fratrem iter parare. At Principes maximæ partis in Pedemontano tractu possessionem armis partam, per inducias sibi firmavere, ita ut planè potior eorum sit conditio, quemadmodum ex ipsis pactis Excellentia Vestra cognoscet. Iam & Villamfrancam & Nicææ arcem suam fecere, illam studio populi, hanc obtruncato etiam, ut scribitur, Præfecto. Quæ an in novum bellum eruptura sint videbimus. Nam aiunt Galli mitti eò Alaisium cum sex peditum millibus, equitibus quingentis. Rex Hispaniæ ad Vadum Italiæ portum, naves habet longas plus quadraginta, adversùm metum tum à Turcis tum à Gallis. Pax cum Turca Venetis & honesta & commoda evenit. Nam ad veteres pactiones adjectum est, ut liceat Venetis Piratas per omne mare, etiam Ægæum, persequi, etiam sub ipsas Turcarum arces. Quod si Piratæ in terram exscenderint, & id permiserint, eosve foverint Turcarum Præfecti, pœnam in eos Præfectos paratam fore. Has pactiones ut à Venetis signentur it à Constantinopoli ad Venetos Chiausius quidam. Bajulus autem Venetorum à salutatione Sultani honorificè in domum suam à Cahimachano deductus fuit. Nunc quid acturus sit Sultanus videbimus. In Italia rumor erat, sed incertus, Tartaros sexagies mille in Bosniam irrupisse infestis in Imperatorem armis. Alii traductum ad multa vitia aiunt Syriaci cœli mollitie Sultani animum. Creta insula ad persolvendam pecuniam qua pax redempta est confert Reipublicæ Venetæ ad centum millia Regalium. Maximè ad hanc pacem permovit Turcas egregius Venetorum in classe paranda labor. Naves longæ XVIII ad Cretam jam erant: adornabantur aliæ ad LX, omnes multo cum remige ac milite. D. Bannerium aut pacis aut longarum induciarum potestatem è Suedia habere non arbitror. Quæ ad ipsum mandata in itinere intercepta dicuntur, talia sunt ut veri specie non careant. Res ipsius prosperas, hostium difficiles lætus intelligi. Rex Daniæ si quid video, res suas magis agit quàm Imperatoris: Imperatoris autem magis, quàm nostras. De pace dicam quod in vetere est versu,

Amare liceat, si potiri non licet.

Ragotskius bellum pacemque nundinari videtur, populorum suorum vicinorumque res è privato suo usu dispositurus. Cum Persa haud dubiè pacem fecit Turca sibi gloriosam. Idque ipsum eum inflabit. Hassici, quantum hic intelligo, arripient quæ dat Imperator, præsertim cùm per ea gloriam adipiscantur servatæ non sibi tantùm, sed & secum sentientibus Religionis. In Scotia non arbitror Parlamentum ullum fore legitimum, id est, cum Regis assensu, quando primum ordinem, cujus auctoritas Regis quoque imperia non parùm sustinet, Scoti non suffragiis modò exclusum, sed & planè interemptum volunt. Quod magni facit Regina Bohemiæ Comitem Licestrium, in eo non fallitur. Electoris Palatini negotium haud parum adjuvare Suedi possunt. Facient id autem libenter si prius cum Anglia fedus aliquod convenerit. Quod Poloniæ Rex quæ in Livonia acta sunt tam sollicitè improbat, id documentum est timeri magis Suedos, quàm sperni. Audio cum dolore Parlamentum jam inchoatum in Scotia, invito Rege. At de Landgravia spe meliora intelligo, concepta jam cum Gallis pacta, missumque D. Vuiteium ut cum D. Salvio agat. Moienum

Moienum cepere tandem Galli. Sardiniam populati sunt prædones Afri. Condæus Princeps Tautavellam obsidet. Millereius ad Avinum manet. Fontanus ad Sancti Venantii. Servet bonis bonam mentem Deus, idemque Excellentiam Vestram favens protegat. Lutetiæ 17 Septembris 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantiæ cultu addictus H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

Nobilissime Domine,

1242 QVo tempore ab Illustrissimo parente, eodem à Nobilitate Vestra gratissimas & amoris in nos plenissimas literas accepi. Ego quantum pro ista tam prolixa benevolentia debeam, satis intelligo: quando autem rebus id ipsum possim ostendere, non video. Sed id tempus exspectans, animum interim non immemorem polliceor. Habeo autem summam gratiam, quod præter illa quæ per Illustrissimum parentem disco, alia etiam à Nobilitate Vestra ut Aulæ propiore, propiora cognosco. Ego verò gnarus inter patrem filiumque, præsertim tales, cuncta esse communia, talia etiam esse cupio quæcunque hic aut certis rebus, aut conjectando, aut rumoribus percipere possum. Iuramentum, quale narrant Dani, à Rege Galliæ factum non puto. Cæterùm & hic & in Italia & in Hispania, & Viennæ, id agere Pontificis Nuntios, ut pacem communem è suo constituant usu, pro certo haberi debet: videmusque hic non pauca quæ eò ducant. Verum & hoc est, ita arbitrari Gallos eam esse suam apud Batavos auctoritatem, ut sive bellum, sive pacem tempora exigunt, facilè eos consiliis suis sint tracturi quò velint. Rex autem Daniæ, Suedis non optimè volens, in Gallos tamen est multò etiam iniquior. Diploma pro Legatis Batavorum ita ut emendatum est videre cupiam. Ad fedus cum Batavis non properaturos Regni Suedici Rectores arbitror ob eas quas antehac scripsi causas. Omnes isti à Batavis Legati vereor ut multum, præterquam sibi dona, impetrent. Est tam gravi bello implicata ista Respublica, ut vindicandis aliorum in se injuriis se non possit intendere. Tales autem qui sunt, eorum quamvis speciosa dicta sperni solent. Deus hæc cuncta in bonos exitus dirigat, idemque Nobilitatem Vestram tueatur. Lutetiæ 17 Septembris 1639.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

MERICO CASAVBONO.

Vir Reverende,

1243 ANimarum te curam gerere, nec Cantabrigiensium tantùm & Anglicarum, sed & externarum satis ostendunt tot missa ad me munera, talia omnia ex quibus & ego, possim fieri melior, & alii qui per me tui beneficii participes fiunt. Theophylactus Græcorum ante se compendium, velut vox est Græcæ Ecclesiæ, Pauli sensa bona fide custodita nobis exhibens. Acta Regem vestrum optimum Scotosque inter non quidem efficient, ut ego motus illos feroces, imò feros, quos damnavi semper, magis damnem, sed ut quod mihi semper visum fuit, id aliis etiam firmè persuadeam. Multum autem refert existimationis Regiæ hæc acta verti in Gallicum sermonem: nec quiescam, donec aliquem ei labori idoneum invenero & ad id animavero. Richardi Hokeri scripta ante multos annos vidi, & quanquam in sermone mihi non percognito facilè cognovi exactissimi operis utilitatem; quæ tanta est, ut hunc quoque librum verti, sed in Latinum sermonem, pervelim. Quæram siquis hic sit qui id efficere cupiat. Cæterùm & tibi id ipsum cordi esse velim. Anglicana versio libri nostri pro Veritate Religionis Christianæ valde mihi placet, & illud τηλαυγὲς πρόσωπον [*latè splendentem personam*]. Ego eundem librum Latinè rursus nunc editurio, additis pro mantissa testimoniis ad quæ liber respicit. Paro & de jure belli ac Pacis editionem novam cum novorum testimoniorum, quæ sine libri annotationum vice subnectam, ingenti accessione. Heinsiana ad novum testamentum ubi accepero, (expecto autem in horas) cogitabo an aliquid nobis quod dicamus reliquum fecerit. Quod Iohann[is] Rei-gersbergii, hospitis quondam tui, memor esse pergis, in eo rem mihi pergratam ac tua summa bonitate dignam facis. Est is nunc in patria sua, quoquo iturus est [...] cumlaturus semper secum mentem plenam sensu bene[fi]ciorum tuorum. Literæ viri supra omnem præ[...]nem positi patris tui multum hic leguntur. Si quas habes præter editas, aut aliorum ad ipsum argumento[...]res, eas si publico dones multos demerearis, me [...] potissimum, ejus, quæ in ipso eluxit, pietatis simul atque eruditionis maximum admiratorem. Mitto [...] habet ἀνέκδοτον [*ineditas*] ut patris, ita tui [...]mus Labbæus. Si qua reperiet in alia etiam eorum te [...]ciam participem, semperque aut ost[en]dam aut [...] certè ostendere, quanti & maximum patrem fecer[...] faciam ejus vestigiis tam feliciter insistentem [...] Lutetiæ 19 Septembris 1639.

Tuus toto animo H. G.

MANASSI BEN ISRAELI.

Vir Clarissime & Eruditissime,

QVæ mihi de locis quibusdam Sacræ Legis atque Historiæ consultanti respondisti, ea mihi gratissima fuere, nec quenquam esse puto qui meliora respondere mihi possit. Legi quidem interpretes multos; sed ii mala pauci sunt præ iis quos tibi cognitos, lectos, plenèque perceptos video. Quare non gratias tantum ago maximas, sed & hoc beneficio invitatus, audacius posthac, si qua ejus generis dubia occurrent, ad te referam, paratus pro tanta comitate vicem reddere, si quid sit in quo possim. Libri tui hucusque editi, me indicante, à multis hic leguntur, non sine voluptate & utilitate. Quo magis te rogo atque hortor, ut si quid habes otii id ad obscura legis enodanda convertas, magnam ab omnibus eruditis initurus gratiam.

Tua Cl. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REx Gratianopolim ivit exspectaturus ibi sororem Viduam Sabaudicam, cui obviam profectus est Chavigniacus. Fratrem Regium, cupidum sororem videndi eò ire non placuit, quò liberiores essent sermones. Inducias aut prorogari necesse erit, aut erit pro induciis hyems. Sed sive induciæ erunt, sive bellum, sive quod Vidua maximè velit, &, ut puto, sua ex parte continua pax, Viduæ res in malo erunt in loco, omnibus popularium animis infestis Gallico nomini, præterea ob infirmam pupilli Ducis ætatem ac tot obnoxiam periculis eos spectantibus ad quos lege pertinet hæreditas. Quos & ante sæpe, & nunc in arce Niceæ & Villafranca [...] paruit. Brisaci nunc inter se colloquuntur executores testamenti, & pro Gallis Guebrianus, Choisiacus, [...]senvellius, pro Electore Palatino Paulus & Pebl[...] Duce Longavillano hærente Colmariæ & operiente [...] exitum. Rex ad exercitum scripsit, fuisse Ducem Vinariensem in sua militia stipendioque, eo mortuo non minorem, sed majorem sibi exercitus curam fore. Pecunias pollicetur magnas & primoribus & militibus. Elector autem scribit, si ipse in imperium accipiatur, se eodem modo milites curaturum quo curavit Dux Vinariensis, quod ferme perinde est quasi diceret, se illis pro pecunia omnem

omnem licentiam daturum, quam nemine dante satis ipsi sumunt per se. Sed Electoris desideriis multum obstat fama hic crebrescens de nuptiis inter Principem Hispaniæ & Angliæ filiam. Erlachius & Rosa in Gallos proniores putantur, non item cæteri, apparetque non omnia Gallos cupita consequi, inde quod ex iis locis in quibus Galli agunt, ad superiora & Benfeldio vicina revocatus est Vinariensis exercitus: qua etiam de causa deserto Palatinatu à nostris, hostes Landavium recuperarunt, nunc etiam puto Germershemium. Nam eo se contulerant, relictis interim ad Hohentwilum cohortibus & machinis. Sunt autem hostes in Palatinatu ad decem millia. Est etiam Basileæ qui res agat Imperatoris exercitumque sollicitet. Tum vero rumor est etiam defuncti Ducis fratrem eò advenire ad constituendas res hæreditatis. Cæteri exercitus & Gallici & hostiles manent quibus ante scripsi locis. Princeps Condæus Tautavellam in Ruscinonensi Comitatu municipium cepit. Halerio autem Moienum deditum fuit 6 Septembris. Is nunc it auctu-rus Longavillani copias. Has ubi cum Guebriani & iis quas ex Italia ipse adduxit copiis conjunxerit Longavillanus, res arctas facere poterit Vinariensibus & rei suæ amplificandæ vias ipsis præcidere. Tum verò credibile est Germanorum multos ad Smidsbergium, qui apud Longavillanum est, se translaturos ob stipendia & certiora & opimiora. Dux Carolus Bruxellas profectus est, ut cum bona Hispani non minus quàm Imperatoris gratia liceat sibi fortunas suas, valde accisas, melius per pacem aliquam constituere quàm hactenus bello & amicorum tenuibus auxiliis potuit. Burgundi Comitatenses nondum quod optant consecuti Ivoium interim obsident. Princeps Casimirus in arcem Silvæ Vicennensis pervenit, habetque Polonos in ministerio suo quinque. Sollicitè servatur, sed qui collocati, cùm primum eò venit, in cubiculo ejus fuerant milites, ad preces ejus sublati sunt. Nocte quæ inter 17 & 18 hujus mensis fuit, non longè à Caleto acriter pugnatum est inter classem Hispanicam à Corunna venientem, & Batavam. Hispanica habebat Galeones XXIV, totidem alias naves bellicas, præterea minores XXII. Batavica naves bellicas XXXI. Ingens ad multum mane conflictus fuit machinarum. Hispanicarum navium bellicarum una capta est, depressa altera: cæteræ sub Anglicum littus se recepere. Batavicarum navium una suo igne periit. Pulvis bellicus Batavos in ipsa pugna defecit, suppeditatum à Caleto nonnihil. Ferre dicitur Hispanica classis hæc sex millia militum, nautarum & vectorum quatuor; metuuntque multi, ne eorum opera utatur Rex Angliæ adversus renascentes Scotorum motus. Quid novi nobis producturi sint Conventus, Germaniæ quidem Norimbergam translatus, Badensis verò Helvetiorum: tum verò an Galli & expediti Turcico bello Veneti, Gullero sint auxiliaturi, partes in Rhætia oppressas resuscitanti, exspectamus: maximè verò, quo se versurus sit Turca cum magnis pecuniis & bello & pace partis, multo milite, egregia classe. Deus cuncta ad bonum regat orbis Christiani, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Suedicas Tua Sublimitate eas curante prosperet. Lutetiæ 24 Septembris 1639.

Literæ à Venetis ferunt Sultanum Turcicum podagra graviter tentari ex multa venere ac vino. Omnis pecunia quæ ex Gallia it in Italiam nulli alii rei quàm muniendæ Augustæ Taurinorum impenditur: quod certum est signum mansuras inducias. Sabaudica Vidua cum Segusionem venisset, ibi & missum quendam à Principe Thoma & literas reperit à Leganesio. Hispani militem suum habent per omnem agrum Montisferrati, frustra controversiam moventibus Gallis, cùm id per inducias liceat. Constantinopoli post mortem Cyrilli alter successor ejus & discipulus ejusdem nominis in carcerem datus est. Pontificatum autem ejus accepit Parthenius Adrianopoleos Episcopus. Scribitur Chamus Tartarorum capite plexisse suorum eos qui Poloniæ fines attentaverant. Quo magis credam nihil actum iri in Italia, & hoc concurrit quod Alaisius militem quem in vicinis locis habebat, dimisit. Harcurtius verò classem reduxit Massiliam, ut Burdegalensis suam Rupellam. Princeps Condæus post Tautavellam cepit alterum municipium nihilo majus Colperduam. Millereius excurrere milites suos jussit in Atrebatum finitimorumque agros, inde reducturus in hiberna. Piccolominæus magnum castellum facit Artonum inter & Ivoium. Abbatia Remiremontii in Lotharingia exemta est bello. Noyerius apoplectico morbo sæpe vexatur, ita ut sæpe sit in periculo, mortem ejus, si ita eveniat, graviter laturis monachis omnibus.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Non sine causa literæ Excellentiæ Vestræ, datæ 1246
12 Septembris, sollicitudinem pro Vinariensi exercitu ostendunt. Creduntur jam Brisaci inter se colloqui Testamenti executores; Guebrianus, Choisiacus pro Gallo; pro Electore Paulius & Peblitzius. Rex in literis suis apertè dicit exercitum hunc vivente Duce Vinariensi in suis fuisse stipendiis, sibi militasse: quod & Dux negavit semper, federatum se Galliæ ferens, & negant milites. Pecunias pollicetur universis & singulis. Idem facit qui res Cæsaris Basileæ agit, offerens XL menses Romani, ut loquuntur, itineris. Elector se omnia præstiturum dicit exercitui, quæ præstitit Vinariensis si imperium ipsius accipiatur. Dux Longavillanus Colmariæ & horum colloquiorum exitum & Haleriii, Moieno jam capto die 6 Septembris hujus, ad se cum copiis adventum, exspectat, postea tentaturus aliquid. Vident Galli si Brisaco & hoc exercitu potiantur magnum se pignus habituros ad pacem constituendam suo ex usu. Multa eò tendere videntur. Rex Gratianopoli est, ibique sororem Viduam Sabaudicam exspectat, quæ tot locis pridem, nunc & arce Nicææ & Villafranca oppido excussa, nullam nisi ex pace salutem sperat, quanquam, ni fallor, hanc quoque incertam, aversis adeo popularium animis. Dux autem Carolus Bruxellas ivit, ut ibi ostendat, infelici tam diu bello imponi sibi pacis quærendæ necessitatem. Præter hæc rumor nuptiarum Principis Hispani cum Angli filia, multis ex Anglia literis auctoritatem nactus, illas quæ Brisaci nunc fervent consultationes difficiliores reddit. Erlachius & Rosa in Gallos proniores putantur, minus cæteri. Discordiæ ac suspiciones jam hoc effecere, ut è Palatinatu, ubi res satis benè procedebant, revocatus sit exercitus ille ad propiora Benfeldio: vacuum autem à nostris Palatinatum ac ei vicina ingressus hostis VIII millium aut ampliore cum exercitu Landavium jam receperit, credo & Germeshemium: nam eo iverat. Interim aliæ cohortes multæque machinæ Hohentwilum adhuc infestant. Comitatenses Burgundi, nondum impetrato quod volebant, Ivoium nunc obsident. De nostrorum rebus prosperis tum apud Bannerium, tum in Brandenburgicis terris, est quod Deo agamus gratias. Qui hic sunt Hassici volunt nos credere abruptam omnem cum Imperatore depaciscendi spem. Sed non mirum si credunt tardè, quos sæpe tales rumores fefellere. Ab Anglia nihil adhuc video quale vellemus, metuoque ne ejus Rex adversùs Scotos parùm adhuc morigeros, utatur illis militibus, sex millia esse dicuntur, qui cum Corunnensi classe nunc ad oram ejus se receperunt, duabus bellicis navibus exuti, mersa una, capta altera vi Batavorum, sed quorum victoriam imminuit navis ipsorum quoque suo igne corrupta & pul-

pulveris bellici penuria, quæ, quanquam ex Caleto aliquid submissum fuit, vetuit instare cedentibus. De Ragotskio nihil habeo. Sed multis ex locis scribitur Sultanus podagram contraxisse gravem ex venere ac vino, utroque immodico. Sed non & Imperium erit arthriticum. Sexaginta illa Tartarorum millia, de quibus rumor multus fuerat, creduntur opem latura Moldavo Dynastæ adversus Valachum, Sultano malè obsequentem. De cetero natu in Hulstam meritò timidam faciebat Excellentiam Vestram tempus anni, hostis in omnia intentus magnis cum copiis. Veneti præter promissas pecunias tentoria splendida donaque alia mittunt Constantinopolim. Sicilia, Melite, Polonia à Turca sibi metuunt. Helvetii Balæ Conventum habenr, excitati literis primorum exercitus Vinariensis. Mittent eodem & Rhæti: quorum Gullerus ad sui ac castelli ad Rhenum tutelam auxilia non à Gallis tantum, sed & à Venetis, jam Turcico bello liberatis, sperat, quàm certò nescio. Cæsariani ad Schafhusium usque excursarunt nuper, adjutique sunt victu à Badensibus, à Solodurianis lintribus. Ex magna pecunia, quæ ex America advenit Hispanis, pars in Italiam, pars in Germaniam, pars in Belgicam mittitur. Princeps Casimirus jam in arce est Silvæ Vicennensis, habet in ministerio suo Polonos quinque. Amoti sunt autem milites qui in ipso ejus cubiculo collocati prius fuerant. Tantavellam in Comitatu Ruscinonensi municipium cepit Princeps Condæus sexto mensis hujus die. Noremburgæ erit Cæsarianorum Principum Ordinumque Conventus medio Octobri. Frater Vinariensis Ducis dicitur Brisacum venturus, non ad bellum, sed rerum privatarum causa. Hæc addam satis comperta. Hispani milites in totum agrum Montisferrati se diffundunt. Alaistus militem quem in Provincia habebat dimittit, & classem ex mari illo Massiliam reduxit Harcurtius. Princeps Condæus cepit & alterum municipium Colperduam. Millereius excursiones, facit in Attrebates. Piccolominæus autem castellum justæ magnitudinis fabricat inter Arlonum & Iusium. Abbatia Remiremontii in Lotharingia bello utrinque exemta est. Ea autem ditio latè patet. Noyerius iterum sensit ἀποπληξίν [*Apoplexin*]. Rodius ingenio, comitate, & supra ætatem rerum peritia valet: talisque habitus in hac Aula fuit. Sed ad quas partes tandem se sit applicaturus, multum dubito. Deus Excellentiam Vestram omnesque ei caros incolumes florentesque præstet. Lutetiæ 24 Septembris 1639.

Excell. Vestra ad cuncta observantiæ officia semper paratissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1247 SI civitas vestra poterit Conventu Octobri res suas apud Regem bono loco ponere, Suedi vobis gratulabimur. Batavica Legatio, quantum video tardè procedit, & ut jam in tempore adveniat, vereor ut satis habeat ponderis: occupati enim gravi bello & nunc quidem non admodum ipsis felice Batavi haud multum metuuntur. Tum verò hoc ipso tempore alia habent negotia non minùs impedita cum Rege Daniæ filioque ejus. Intellexeram jam ante quæ in Livonia acta sunt duplici cum gaudio, tum quod eventus ibi pro nobis fuit, tum quod Rex Poloniæ privatam audaciam publico edicto improbans certos nos fecit suæ optimæ fidei. Princeps Casimirus ex molestissimo carcere Cisterronensi perductus est in vicinam huic urbi arcem Silvæ Vicennensis in spe magna obtinendæ libertatis, permutatione Ruperti Principis, allaboraturis in id Legatis, Anglico, qui hic est, & Polono, qui exspectatur. A nobis quidem Principi Casimiro nihil nocebitur. Speculamur omnes quò se injectura sit vis Turcica pace facta cum Persis Venetisque. De Tartarorum in Bosniam irruptione fama quædam est, sed parum certa. Det Deus Christianis Principibus mentem bonæ pacis patientem, irasque suas vertat in Christi hostes. Idem civitati vestræ ac privatim Vestræ Nobilitati propitius adsit. Lutetiæ 24 Septembris 1639.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ,
Archidapifero Regni Suedici.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SErius ad me pervenere Sublimitatis Tuæ literæ 24 Quintilis scriptæ die, quam ut integrum nobis esset consultare amplius de itinere Illustris D. Baronis, qui feliciter experta aquarum Borboniarum salubritate, conspectis egregiis Galliæ urbibus, Massiliam se transtulit, & fortè jam inde transierit mari Genuam, unde facto ... tio spectabit & alias nobiles Italiæ urbes, extra eas quæ Hispanici sunt juris. Hæc enim omnia sine ullo pe... lo, quantum quidem humanitus prospici potest, confici posse censuerunt Italicarum rerum periti, quorum in hac re usus sum consilio. Accedit magna ipsius & ejus qui ipsi adest prudentia, quæ omnia ad bonam spem ... spirantia in causa fuerunt, quò minùs renuerem honestissimo Illustris D. Baronis desiderio, videndi terram terrarum omnium, ut multi judicant, beatissimam, venerandam veteris historiæ monumentis, plenam splendidissimis urbibus atque ædificiis, hominibusque ad prudentiam civilem egregiè factis, quod & Roma testatur, quam armis ultra non poterat magnitudinem tutata ingenio, & Reipublicæ Venetæ status per tot secula incolumis. Restat ergo unum ut cœptum iter Deo commendemus. Quæ ego Illustri D. Baroni præstiti, exigua sunt præ iis quæ & ipsius virtutibus & excelsæ ac in me beneficentissimæ domui debebantur. Sed ea est ipsius bonitas, ut quæ ex amico animo proficiscuntur, ea multò quàm sunt majoris æstimet. Quo dignior est in quo colendo omnis ponatur opera, quod ego mr in reditu ejus facturum polliceor. Neque verò hoc tantum, sed &, quamdiu vivemus ambo, me inter prima bona positurum, ab ipso nosci ac diligi. Quod verò tua Sublimitas mihi suam opem, adeo potentem, offert, pro eo ingentes ago gratias, nec uti defugio. Iam sæpe scripsi ad Excellentissimum & Illustrissimum Regni Suedici Magnum Cancellarium biennii moram intercessisse quod pensiones mihi non solvebantur. Nunc accepi semissem: de altero semisse quid futurum sit, nihil planè intelligo. Rogavi verò non tantùm ut in præsens levarer his difficultatibus, sed ut & in posterum certior quædam ad solutiones reperiretur via, ut animo & tranquilliore & alacriore totum me publicis negotiis possim intendere. His meas preces si Sublimitas Tua & sibi allegari patitur, accedet hic ad summa ejus in me benefacta non levis cum... Deus, Excellentissime ac Illustrissime Domine, T... Sublimitatem diu bono Regni Suedici, totiusque ... rei Christianæ, ac domus etiam suæ fulgentissimæ ... lumem ac florentem præstet. Lutetiæ 1 Octobris 16...

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVò magis in mortem Ducis Vinariensis inquiro, certior fio, nullas in corpore ejus notas extitisse pestilentiæ, nullas in domo causas. Itaque veneni fama ... valescit, maximè ejus suspecto Medico Genevensi, qui ad morbi colici remedia accitus fuerat. Exercitus ejus Ducis adhuc otiosus ad Benfeldium hæret, creditur ... Longavillanus, quod illico efficere non potuit, ... pe...

per gradus moliri, ut suis imperiis assuefaciat eum militem, rogatum jam ut Gallico exercitui, qui per Halerium ita increscet, ut plus aliquanto habiturus sit quàm Vinarienses extra præsidia educere possint, se conjungat accessionis vice, nimirum summa imperii penes ipsum Longavillanum futura, ut & ducem Regium & copiis prævalentem. Interim Hohentwilum circumsessum manet: cæteræ autem Bavaricæ copiæ distributæ bifariam sub Glenio circa Philippiburgum, sub Mercio, circa Waldshutum Helvetiorumque fines hærent. In hos aut illos ire se velle vulgat Longavillanus. Imperator autem edicto Germanos omnes qui in Vinariensi sunt exercitu, promissa venia & salvo militiæ gradu, ad sua arma revocat. Consultatur Badæ lentè, inter alia de Rhæticis negotiis, in magno æstu constitutis. Nam Legati communis Rhætici nomine missi, probarunt Mediolani federa quæ in Hispania præformata fuerant. Contradicunt eis federibus tribuni, Gullerus castellum Rheni, Brugerus Megenfeldii obtinentes, Gallosque, Venetos & Helvetios ad opem sibi ferendam, ut libertatis contra Hispanum defensoribus, sollicitant. Rex Sororem Sabaudiæ Viduam adigit, ut sibi tradat Segusionem, vulgò Susam, & Avelianam. Id jam factum arbitror. Erat Segusione Vidua in tanta pecuniæ egestate, ut plus ducentis Pistoriensibus non haberet. Rex ei sex millia Pistoriensium misit, rerum asperarum leve solatium. In Nicææ arce, cujus Præfectus Sales non, ut dicebatur, trucidatus, sed à Principibus in ipsorum partes traductus fuit, pro Sabaudico, quod ante fuit, præsidio Pedemontanum posuere iidem Principes. Casale in periculo est, omnem circa agrum tenente Hispano, neque permittente ut pro ægrotis valentes alii à Gallis illuc submittantur, dum pacta sic interpretantur, ut pares paribus debeant succedere. Fuit Frater Regius in hac urbe, non licuit illi per Regem accedere Reginam quæ est ad Sancti Germani. Millereius nihil hoc anno sperans à se ampliùs posse fieri, rogat Regem ut reducere sibi in hiberna militem liceat. Noyerius periculosè ægrotat: cætera in eo quo nuper scripsi statu. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem servet. Lutetiæ Calendis Octobris 1639.

Regiæ naves Anglicæ impediunt classem Batavam, ne Hispanicam classem quæ ad Angliæ oram accessit oppugnent. Aliæ præterea naves Anglicæ ex Hispania cum Hispano milite eodem advenerunt. Prorogatæ sunt in octo hebdomadas induciæ Italicæ: ita fiet ut & Italiæ milites & simul Piccolominæi, bello Batavico dormiente, in nos incumbant. Manent in parte Normanniæ seditiones & multum illis favent, qui pacem volunt. Fit permutatio captivorum minorum qui ab Hispanis ad Theodonisvillam quique à Gallis alibi capti sunt. De Feuquerio nihil actum. Itaque ducetur Viennam. Cùm Piccolominæus ad eum literas scripsisset, quasi à Rege despectum, respondit prudenter Feuquerius, non meritum se ut major sui haberetur ratio, sub cujus ductu Regis arma tam infelicia fuissent. Pergit Piccolominæus castellum struere. Millereius S. Eligii arcem in Atrebatum solo cepit. Regi statua equestris erecta est in area quæ Regalis dicitur. Seditiones etiam in Provincia sunt, & fortè illuc Regem trahent. Nuntii Pontificii laborant, ut inducias constituant inter Hispaniam Galliamque. Transiit hac Legatus Anglicus Brisaco rediens.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Dolendum est non successisse Principi Arausionensi consilia in Hulstum, quæ via fuerat ad capiendam Antverpiam. Θεῶ ἢ χαμμαὶς ὐχ ὑπερπηδᾷ βροτοῖς [*Dei verò carceres non transiliunt mortales*]. Italici meliora nos quam antea jubent sperare. Audio autem in pactis Cæsarianis aliqua circa Religionem non ex ipsorum voto fuisse polita. Prudenter verò faciunt, quod cum Gallia Conventis ultimam manum nolunt imponere, nisi & Suedicæ societatis certi sint. Ejus autem quid sit futurum, ab Hamburgo, quo & Wolfium & Vulteium profectos audio, exspectabimus. Quid pactione Wismariensi de induciis ultra tres hebdomadas seorsim non faciendis conveneriт, memini: & quomodo se de induciis Sabaudicis Galli purgent ex quotidianis hic sermonibus satis percipio. Sed an satisfactura sint hæc Suediam Regentibus, dubito: quos tamen laudo, quod fidem liberaliter implere malunt, quàm occasiones tales ad discessionem accipere. Cum Lotharingiæ Duce actum quidem, sed nihil peractum est: noluit enim se illigare inconsultis aut invitis Imperatore & Hispano. De Comitatu Burgundico extra bellum ponendo, pendet adhuc negotium, multum id commendantibus Helvetiis, quorum nunc Badæ Conventus, etiam de hoc acturus est. Pontifex pater, sed suorum est, & eorum inter se ferruminationi diligenter studet. Bannerium à Galassio ad pacem invitatum, gloriosum est nobis. At quod Rectores nostri etiam cum Imperatore conciliatis prospicere cupiunt, id è re Germaniæ esse non nego. Cæterùm, si Cæsarianos novi, mansuri belli id præsagium est. Res Bannerii sanè tales sunt, ut nos belli tædere non debeat: maximè si tam ex Bohemia, quàm ex Pomerania nostrorum vires in Silesiam concurrant. Concordiam civitatis Bremensis cum Archiepiscopo opto. Verumtamen, quantum ego de eo intellexi, pertricosum mihi videtur negotium. Neque minùs illud Hamburgense, ad veteres controversias accedentibus tot novis odii causis. Batavica in Daniam Legatio parùm ibi, quantum video, gratiosa est. Itaque non miror si Polonicæ supersedetur, præsertim cùm videatur Dantiscana civitas prona ad transactionem, quam minori cum dispendio dissimulare quàm probare Batavi poterunt. Inter Anglos & Scotos utinam omnia bene se habeant. Si quicquid volent Scoti, perpeti Rex decrevit, mansura haud dubiè pax est. Nuptiarum autem Hispanicarum fama & pertinaciores faciet Scotos, & multorum in Anglia permovebit animos. Cæterùm dum in Anglia detinetur Elector, dum in Bataviam it, dum inde iter in Alsatiam molitur, tempora per ipsum vacua arripiunt alii. Imperator Edicto vulgato omnes Imperii subditos ad sua vocat arma, veniam pollicens & quem obtinent militiæ gradum. Bavaricæ copiæ non longè sunt, partim sub Mercio ad Waldshutum, partim ad Philippiburgum. Longavillanus per adventum Halerii majorem illo Vinariensi habiturus exercitum, promittit se adversùs aut hos aut illos Bavaricos iturum, si Vinariensium, quantum præsidiis superest se ipsi conjungat, ipse, si id eveniat, summam imperii haud dubiè habiturus, ut dux & Regius, & majoris exercitus. Hic nec agitur quicquam, nec agetur hoc tempore. Nam & Millereius de ducendo in hiberna milite scripsit ad Regem, & alii duces idem parant. Sabaudica Vidua jam puto viderit Regem. Nicææ arx, non trucidato, ut dicebatur, sed traducto in partes Præfecto à Principibus pro Sabaudico Pedemontanum accepit præsidium. Casale in periculo erit, substitui in præsidiis pro ægrotis valentes non ferente Leganesio & in eum sensum trahente pacta. Hohentwilum circumsessum manet. Federa cum Austriacis in Hispania facta per Legatos nomine communi Rhætorum missos Mediolanum confirmata sunt. At opponunt se iis Gullerus & Brugerus tribuni, ille castelli ad Rhenum, hic Megenfeldi potens, & tanquam libertatis contra Hispanum vindices concient ad opem ferendam Gallos, Venetos & Helvetiorum Protestantes. Video & Polonum & Brandenburgensem, Prussiæ timentem, à se

à se amoliri culpam conatuum in Livoniam, quibus si fortuna adfuisset, non defuturus erat auctor. Sed illa quæ præcessere inter illos Regem Electoremque colloquia, quò spectarent, etiam ante hunc exitum nemo dubitavit. Nunc in potestate erit Rectorum Suediæ transmittere hanc injuriam an in Prussiam vindicare velint. Milereium arcem S. Æligii cepit. Piccolominæus in castello struendo pergit. De captivorum minoris fortunæ redemptione actum, non item de ducibus. Itaque Viennam mittitur Feuquerius. Statua equestris Regi hic erecta in area quæ Regia dicitur. Intellexeritis naves Hispanicas quasdam Anglorum & noctis præsidio pervenisse Dunquercam. Deus Excellentiam Vestram totamque ejus domum servet. Lutetiæ Calendis Octobris anni 1639.

Excell. Vestræ omni observantia cultuque addictus H. G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

1251 BInas sub idem tempus, pauci jam dies sunt, accepi à Nobilitate Vestra literas datas 18 Augusti & 6 Septembris, ut hic numeramus. Et ipsæ & quæ accedunt chartæ multa me docuerunt scitu utilia, pro quibus gratias ago summas. Dignæ sunt magna gratulatione res D. Bannerii aliorumque exercituum Suediæ. De Transilvano quid judicem nescio. Videtur mihi sequi decessores suos, qui modò huic modò illi nutando nictandoque & egregia de publico bono locuti in privatas utilitates plerumque desierunt. Turca à quo multum ille pendet, quanquam & Persico & Venetico exsolutus bello, nihil dum in Imperatorem molitur. Dux Longavillanus quod uno impetu adipisci non potuit in Vinarienses imperium eò per gradus tendit. Habet secum Smidsbergium & alios quos adduxit ex Italia Galliæ militantes. Ad eos adjunget se Halerius aliique. Ibi hoc modo majorem illo Vinariensi habebit exercitum. In id laborabit ut è Vinariensi exercitu quicquid supra præsidia restabit spe expeditionis in Germaniam ad se trahat, accessionemque faciat sui exercitus ac sic paulatim eos doceat manum pati. Et puto nisi Vinarienses consilium capiant conjungendi se cum Coningsmarckio, obtinebunt quod volent tandem Galli, Anglis domi distentis incerta adhuc & fluctuante cum Scotis pace & novas cum Hispano nuptias agitantibus. Rex Daniæ sua tantùm agit nullamque habet gratiam iis, quorum ipse periculis extra periculа constituitur. Pontifex non quiescet quin sicut ab Italia amovit bellum, ita & rem Lotharingicam & Comitatensis Burgundiæ ad conditiones perducat ac sic subtrahat impedimenta pacis inter suos. Hassici nos meliora quàm antehac sperare jubent. Sed ejus quid sit ex Wolfio Vulteioque cognoscetis. Hohentwila obsessa manet. Bavarici partim in Helvetico fine sunt, partim circa Philipsburgum. Plurimum debeo Nobilitati Vestræ quod in tantis negotiis publicis curas suas etiam ad privata mea dimiserit. Semissem bimæ pensionis post tam longas moras à D. Spiringio accepi. De altero semisse & de impendiis à me factis nihil intelligo. Refert autem plurimum ejus quam hic sustineo dignitatis non tantùm, ut in præsens lever premente me onere, sed ut & in posterum securior possim vivere, neque perpetua sollicitudine distrahi à cogitationibus melioribus. Qua in re quod Nobilitas Vestra adjutum me it, summas habeo gratias, rogoque ut pergat mihi opitulari in rebus æquis. Ego vicissim, si quid unquam potero facere, quo ostendam quanti faciam Nobilitatem Vestram amicitiamque ejus, ea re lætabor maximè. Veniet ad vos brevi, ut spero, filius meus is qui domesticus fuit Ducis Vinariensis, quem tanto Magistro orbatum tradere ei statui, qui nunc extra controversiam in re militari primas obtinet. Facilè sine alia descriptione intelligit Nobilitas Vestra D. Bannerium à me judicari. Eum si Nobilitati Vestræ placeat ornare suo testimonio & apud D. Bannerium mediocri commendatione, hoc quoque multis ipsius in me beneficiis annumerabitur. Deus Nobilitatem Vestram & omnes ei caros servet. Lutetiæ Calendis Octobris novi Calendarii 1639.

Nobil. Vestræ observantissimus H. G.

GERARDO VOSSIO, GERARDI IOANNIS Filio.

VEllejum tuum, Iuvenis eruditissime, accepi, Notasque percurrere illico properavi, ea aviditate qua omnia Vossiana legere soleo. Feci verò id non cum voluptate tantùm, sed & cum fructu. Plurimum Doctrinæ Historiæ illustratio, limatum judicium, conjecturæ ostendunt. Puto gavisuros omnes qui aut te aut literas amant. Ad me tamen præcipua pars gaudii pertinet, quod domus vestræ amantissimus in ea spero æternas fore literarum laudes. Parenti vestro plurimum gratulor tot habenti non natura tantùm, sed & studiorum successione filios, quo maximo gaudio diu ut fruatur Deum precor. Scylacem fratris tui nondum accepi, alioqui & de eo responsurus. Interim omnia felicissima vobis precor omnibus, illud verò præcipuum, ut diu spectens Patrem pulcherrimum exemplar, & ille in vobis diu imaginem suam recognoscat. Lutetiæ Cal. Octobribus anni 1639.

IOACHIMO CAMERARIO, Reginæ Sueciæ Consiliario.

Vir Nobilissime,

LIteras Nobilitatis Vestræ datas 26 Septembris suo ... tempore rectè accepi. Quæ hic habemus aut certa aut passim credita ad Illustrissimum D. Parentem, simulque ad Nobilitatem Vestram perscribo. Laudanda est & Batavæ classis fortitudo, & in augenda ea Principis Procerumque diligentia. Hæc illis inter se certandi honestissima materia. Exspectamus prælium navale ingens. De Chemnitio urbe, de Pirna, de Silesia, totiusque illius tractus rebus gaudebo multa cognoscere, nam hic multa finguntur, partim à Monachis eorumque clientibus nostri odio, partim quæ nostra in majus attollant, ut plebs iis inflata minùs sentiat onera sub quibus anhelat. Petro Schmalchio opto bonam mentem & quantam concoquere possit fortunam. Maneo autem Nobilitati Vestræ vestrisque omnibus Lutetiæ 8 Octobris ex novo Calendario anni 1639.

Omni fide addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

FElicem Excellentiæ Vestræ reditum in Albiniana, fe... licem etiam in Suedia rerum suarum exitum precor. De Brisaco & exercitu Galli pro eventu sermones contrahunt. Nunc id expetunt ut exercitus se exercitui Ducis Longavillani conjungat, ad Iousium eximendum obsidioni, ad depellendum à Duslinga Mercium, prohibendas novas Cæsarianas copias à Rheni transitu ad Waldshutum: Brisaci autem postulant, ut pars altera præsidii è Gallis sit, quod quàm sit periculosum Philippiburgi damno didicimus. Hohentwilum non nimis arcta circumsessione premitur. Galli ad Slestadium se tenent. Vinarienses equites prope Colmariam, pedites propiùs Ensishemum. Sed cùm eorum parte ivisse dicebantur, Nassavius ad illum quem dixi transitum impediendum, Rosa Iousium versùs. Qui Palatini res egere, jam inde abierunt. Longavillanus Basileæ conduxit domum. Quid de Anglis judicem nescio. Quæ in mari aguntur satis

satis isthic intelligitis. Ait autem Comes Licestrius illam maris partem in qua nunc est Classis Hispanica, littoribus in quatam Angliæ complexu contineri, imperiique Anglici esse accessionem, propter eaque Hispanicæ classis Præfectum jussum suppara demittere, neque rursum attollere, in utroque paruisse. Si Batavos aliqua necessitas coegisset ibidem receptum quærere, curaturum non minus fuisse Angliæ Regem, ne quid ipsis ibi noceretur. Privatos verò Anglorum qui naves suas aut operam ad transvehendos milites sive Hispanis, sive Batavis locarent, suopte id facere periculo, nihil curaturo Rege siquid illis inde mali provenerit. Quid ultra futurum sit, tanto jam Batavorum navium concursu, quibus & Archiepiscopus Burdegalensis, qui Brestæ nunc est, parat se addere cum Gallica classe, vicini omnes intenti exspectabunt. De federe cum Anglis, quale Hamburgi a nostris propositum fuit, nullam adhuc ex Illustrissimi Comitis Licestrii sermonibus spem concipio. Scoti, ut video, agunt quæ volunt: & Rex, quod prudentiæ est, quæ corrigere non potest dissimulat. Cæterum ut animorum vulnera bona fide sanentur, difficile speratu est. Locutus mihi est Bulionius de induciis illis Italicis factis a Cardinali Valetta, qui nunc è rebus humanis excessit, animi ægritudine, & à Duce Longavillano. Excusabat id factum maxima necessitate, quòd & pulvis & alimenta defuissent, mala fide tractatis Viduæ rebus, profusisque inutiliter pecuniis, quas annuas ad sex milliones Rex dedisset. Vidua autem jam ad Gratianopolim, deinde in ipsa urbe Gratianopoli cum Rege, deinde cum Cardinali collocuta est, acceptisque verborum solatiis & Avelianam & Segusionem, vulgo Susam, dedit in Regis potestatem: laboratura insuper ut filium suum Ducem in Galliam perducat, sub Regis victurum præsidio: quod an effectum dare possit, tanto Procerum renisu, dubitatur. Si diploma pro Batavis in manus Excellentiæ Vestræ venerit, gaudebo conspicere. Curtius facilè se, ut puto, in Imperatoris gratiam reponet. De Rege Daniæ & Imperator rectè existimat eum in communi negotio suas utilitates quærere. In Norembergensi Conventu audio nihil actum iri, nisi de jure dicendo, quod inscio Imperatore fieri nequibit. Mittent autem eò qui poterunt. Irruptionem in Livoniam Brandenburgici maximè impulsu factam, an impunè latura sit Prussia, videbimus. De Bannerii, Hatzveldiique rebus certiora jam ad vos, credo, pervenerint. D. Bannerius maximam valetudinis suæ habere debet rationem, tum ne eam ipse corrumpat, tum ut quibuscunque modis potest hostium insidias evitet. Nam ex sermone funebri habito Brisaci apud corpus mortui Ducis Vinariensis, cognosco, Ducem non dubitasse, quin venenum sibi datum esset. Turcarum Sultanus Syriæ cœlo & deliciis delinitus multum remisisse dicitur de Martio illo spiritu. Gentem tamen impigram diu quieturam non arbitror. Quem eventum habituræ sint tum Wolfii, tum Gunterodii Legationes, non diu latebit. Intelligo autem Landgraviam ab Imperatore non tam opimas obtinuisse conditiones, quàm ipsa ex sua utilitate vulgavit. Gaudeo Excellentiæ Vestræ copiam fore sermonum Oratoris Hagæ, viri longa rerum maximarum tractatione ingentem peritiam consecuti. Cui velim à patria eum quem meritus est haberi honorem. Rhætorum Legati Mediolani in fedus cum Hispano jurarunt, jamque Rhætorum Magistratus ex eo federe introducti in Vallem Telinam, Protestantibus habitatione ejus vallis interdicta. Est autem novi federis hujus ea natura, ut non iter tantùm per eas terras Hispano pateat, sed & sex millia conscribat è Rhætis, & Rhæti, nisi cùm ipsi in bello bellive metu sunt, auxiliaria tria millia publicitus Hispano mittant, & ut Hispano cum Gallis bellante vi sua careant, quæ cum Gallis facta sunt federa: utque in omnibus posthac federibus excipi Hispanus debeat. In adjuvando Gullero qui se his decretis opponit tardos esse video & Helvetios & Gallos: verùm Helvetios more ingenii sui, Gallos metu ne offendatur Pontifex. Salzam Hispani oppugnant XL. machinis, aucti novo milite ad VI septem millia, dum Princeps Condæus, vereor ne sero, ex omni Languedociæ nobilitatem & plebem concit ad arma. Cæteri exercitus in hyberna redeunt. Repeto hic vota pro incolumitate bonisque successibus Excellentiæ Vestræ. Scribebam Lutetiæ 8 Octobris anni 1639.

Excell. Vestræ omni observantiæ cultu devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEnit ad me Comes Licestrius, eum quo longum habui sermonem, præcipue in id intentus, ut perciperem ecqua spes esset de eo federe, de quo Hamburgi pridem agi cœperat. Cupidos esse Anglos videndi Palatinum nostris armis restitutum, satis apparet. Paratos autem sua collatione sublevare armorum nostrorum impendia, non video. Cum verò sciret & à Gallis & a Batavis incusari Anglos, velut qui Hispanis adversum Batavos faveant, dixit eam partem maris in qua nunc sit classis Hispanica, inter montium ex Anglia promnentium brachia contineri, ac proinde Anglici imperii partem omnium gentium jure habendam. Quare & classis Hispanicæ Præfecto imperatum ab Admiralis Anglici Vicario, ut suppara deduceret, & deducta non reponeret, cùm alioqui in mari aperto reponere ea ipsi per Pacis conventiones liceat, & paruisse Hispanum. Quod si Batavis evenisset, ut receptum sibi sub eandem oram quærerent, illis quoque tutamen ab Anglia non fuisse defuturum. De privatis Anglis, qui naves suas Hispanis ad travectionem militum aut pecuniarum elocassent, dicebat Regem Angliæ, ut sæpe esset professus, talia non impedire magis quàm probare, fierique hæc eorum qui aut Hispanis aut Batavis eo modo utendos se præberent, periculo. Nec siquid ipsis ob id ab hostibus eorum quibus operam navarent accideret hostile, id Regem Angliæ quicquam curaturum. Nunc verò cùm classis Batava tanta quanta unquam contra Hispanos adventet, videbimus an longam sub sua ora moram eis permissuri sint Angli, an armis, pulvere bellico, rebusque ad naves pertinentibus eos sint adjuturi, unde cognoscere possimus an æquitatem quam verbis prædicant, rebus impleant. Fui ego apud Bulionium. Duo enixè ei commendavi, ut, quia prope esset mensis November, in tempore pararet eam pecuniam quæ ex federe nobis debetur: deinde cùm multos jam illustres captivos habeant, ut Principem Casimirum, & quos post Vinariensis mortem ipsi pro suis ducerent, Waertium & Enckefortium, memores esse velint Marescalli Hornii, tam diu captivam trahentis animam. Neque nos id petere quod pecuniæ nostræ parceremus, quam pro ipsius libertate obtulimus satis magnam, sed quia Bavarus post captum Waertium adduci non potest, ut nisi eo recepto Hornium dimittat. Ostendi quam gratum id beneficium Sueciæ Rectoribus sit futurum, si, quod Rex sponte sua Sublimitati Tuæ hac transeunti facturum se receperat, id nunc data tam benigna occasione, impleat. Promisit utrumque sibi cordi futurum. Nisi verò ego ad ipsum venissem, se ad me venturum fuisse, ut mecum loqueretur de induciis quas in Italia fecissent Cardinalis Valetta, qui nunc mortuus est, contracta ex suis domusque suæ malis animi ægritudine, & Dux Longavillanus. Concedendum id fuisse necessitati, quando nec pulvis bellicus nec copia alendis hominibus fuisset apud Viduam, parum fidis usam Ministris qui pecuniam Regiam ad sex ferme milliones annuam malè dispensassent. De cætero velle Regem stare

stare federibus nobiscum factis, nec quicquàm fore quod in ipso desideretur. Viduam vero jam collocutam cum Rege qui leucæ [illegible] obviam ipsi processerit, ipsumque Reduxerit in urbem Grattanopolim. Obtinuisse ab ea Regem, ut tam Segusione sive Susæ, quàm Avelianæ, quæ ferme sola viduæ restabant, præsidium esset Gallicum. Dixi me hæc omnia quò oportet nuntiaturum. Ex al[illegible] id insuper intelligo, multos amplexus ac lacrymas fuisse inter fratrem & sororem fortunæ [illegible] dispares, alterum felicissimum, alteram per hostes, per [illegible], per subditos male parentes, per amicos ac federatos, rebus propè omnibus evolutam. Ad quæ mala & hoc accedere, quod petenti id Regi promiserit se pupillum filium Ducem in Galliam perducturam velut ubi tutior à patruorum populariumque insidiis sit futurus. Hoc verò an permissuri sint Sabaudiæ Proceres, &, si nolint, an [illegible] viris [illegible] id effectum possit dare Vidua, multum dubito. Induciæ autem nullæ ut scripsi de [illegible] ni, productæ sunt & quantum video producentur longius, aut in plenam Italiæ pacem [illegible]. Ejus pacis has conditiones proponi mihi video, ut [illegible] educatio penes Viduam maneat, [illegible], extra [illegible] loca quæ Galli tenent, penes [illegible]. Salzam [illegible] derunt Hispani, nisi jam ceperint. Nam [illegible] erant accessione peditum ad V millia, equitum [illegible], [illegible] agebant, oppertuntur [illegible]. Princeps Condæus, ut se his [illegible] Languedociæ & nobilitatem & plebem armabat quanta poterat celeritate. Alii exercitus reducuntur [illegible]. Brisaci consultatur etiamnum. Dicuntur Quatuorviri, ut Gallorum postulatis moras interponerent, tempus postulasse cum Suedia ea quæ aguntur communicandi. Nihil [illegible]. Hohentwilum circumsessum manet, non tam arcte tamen ut non exitus interdum pateant. Mercius ad D[illegible]gam esse dicitur. Vinariensis [illegible] apud Colmariam, pedes apud Ensisheim, [illegible] Slestadium. Nassavius cum multo equite & pedite nonnullo ad Waldshutum ivit, ut Cæsarianos qui [illegible] transire Rhenum conantur impediat. Rosa Gallorum [illegible] dicitur cum aliquo milite profectus ut [illegible] arcem obsidioni Comitatensium eripiat. Ab Hassicis capta quædam oppidula dicuntur Hattinga, Amenaburgum, Warburgum. Inde ire dicuntur in Wetteraviam. Episcopus Wurtsburgicus aliquid colligit militis. Grana ad Visurgim se fert. Archiepiscopus Burdegalensis, classis in Oceano Regiæ Præfectus, ad Brestam est, paratque se cum Batavis conjungere, quod si fiat, & Angli Hispanos, quia numerus multum excedit eum quæ pace inter duas illas gentes facta permittitur, ab ora sua jubebunt discedere, vix est ut exitium evadat classis illa Hispanica qua nulla major fuit post annum 1588. Edita est funebris oratio in honorem Ducis Brisaci à pastore ipsius, diserto homine, pronuntiata. Ea apertè testatur Ducem planè credidisse datum sibi venenum. Noyerius valet meliusculè. Morte Cardinalis Valettæ multi Ecclesiastici & monastici reditus vacant, aucturi, ut omnes existimant, opes Cardinalis Richelieci, qui de obtinenda, si quid Regi humanitus eveniat, futuri Regis pueri Regnique tutela non desperat, putatque id Regis Edicto posse confici. At Parlamenta, quæ ex moribus aliquod ea in re jus sibi vindicant, Reginæ favent, nullius magis rei quàm pacis desiderio. De Rhæticis rebus nihil video boni. Iuratum Mediolani in fedus cum Hispano, quo federe Protestantes in valle Telina sedem figere vetantur. Iter omne in potestate Hispani est. Is militem è Rhætis conscribet, Rhætorum utetur auxiliis, federum quæ Rhætis cum Gallia fuere vi propè omni exstincta, manente inani nomine. Galli pro Gulero nondum se movent, credo, ne Protestantium, qui soli istis decretis se opponunt, partes sustentare in ipso Italiæ limine atque conspectu videantur. Helvetii, per se tardi, studiis insuper distrahuntur. Ego animum non sine mœrore multa talia circumspectantem, quantum licet, [illegible] rarum amœnitatibus recreo, [illegible] Gothicam [illegible] pervenit. Expecto [illegible] Glossarium vetus, quod magno mihi usui [illegible] fore spero, ut & Spilmanni, quod in Anglia paratur, [illegible] Teu[illegible] Lexicon. Expecto & nummos in [illegible] Regum Westrogothorum vultus ac nomina [illegible] pium verò à Lugduno Batavorum nobis [illegible] sum, nondum prodire video. Deus bonum nob[illegible] pacem, bonarum artium altricem, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam [illegible]

Lutetiæ 8 Octobris ex novo Calendario 1639.

Non placent Vinariensibus quas Rex Galliæ [illegible] leges, ut quæ Austriacæ Domus fuere bello [illegible] cedant: quæ vero fuere Principum Germaniæ [illegible] bello cessante debeant. Rex Hispaniæ [illegible] Exercitus Hispanicus ad Salzam & vici[illegible] lium esse dicitur. Nova tributa in [illegible] Aiunt Aulici ante mensem [illegible] huc Regem. In Conventu Poloniæ [illegible] viensis Provincia suadendum putat Regi [illegible] Imperatore & Hispano, ad [illegible] Principi Casimiro factam volunt [illegible] extor[illegible] libertatem.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H.G.

GERARDO IOANNI VOSSIO

Vir Eximie,

BEne ut tibi procedat annus iste sexagesimus, ut ante exactis sit felicior, seriò Deum precor, qui sine dubio etiam supra communes leges vitam sæpe producit hominibus ad juvandum sæculum datis. Cæterùm non miror si corporis vexationes sæpè expertus es, uti eique honestissimæ, sed vehementer valetudinem lædentis intemperantiæ obnoxius studiorum: ita ut si quæ senis incommoda, minùs id mirandum, quam quod in tantis laboribus & huc usque provivere potueris, & maximam ejus temporis partem vacare morbis. Quare tandem te respice, sustenta corpus, quod sustentat animum, circumcide labores istos, cogita quantum præstiteris, fruere parta fama, fruere liberûm respectu in eandem famam assurgentium. Non intercedo tamen quo minus quæ parata adhuc habes, edas. Id enim sine gravi tua molestia fieri posse confido. Valde autem mihi dolet, quod librarium habeas tantum moratorem, quæ me causa coegit postquam illum diu exspectavi, aliis diligentioribus ac promissorum tenacioribus qui hic sunt mea tradere. Quod nisi properat edere Iuris Belli Pacisque libros, etiam [illegible] aliunde in lucem meliores auctioresque prorumpent. Neque enim quod habet Privilegium, si ipse [illegible] tus non utitur, obstare lectorum utilitatibus debet. Idque sæpe hic in Parlamento judicatum est. Magnum Salmasium bene valere gaudeo. Est qui id nolit, sempe quod

—— *fragili cupiens illidere dentem,*
Offendet solido.

Si quid prospicio, nos egregiè vindicabimur. Vivat diu vivat, ut commissionem hanc diu spectare possit [illegible] ster Meursius. Nam & ille non dolebit inventum [illegible] omnes grassanti eat obviam. Tuas literas quoties [illegible] aliquid, quod ego te non modò ut sumas, sed ut & [illegible] ripias hortor, legere quàm sæpissimè juvabit [illegible]. Vale cum optima uxore. Suavissimisque liberis.

Hæc cùm scripsissem accipio & Scylacem Isaaci tui & tuam epistolam perliberalem datam 7 Octobris. Illi ut gratias agam ubi à Librario, ad quem misi redierit liber. Legam enim sine ulla mora. D. Georgio Ratcliffo Dubletio, quod nostri memor est gratias ago, mihi ipsius fratrumque & parentis optimè de me meriti memoria nunquam excident. Manassi rescribo rogoque ut tuo beneficio ad eum meæ literæ perveniant. Magni facio non tru-

eruditionem tantùm ipsius, sed & judicium, Abenesdræ, Maymonidæ, & Abarbanielis vestigia tam feliciter prementis. Libri ejus me notificante, hic plurimum leguntur, plurimique fiunt. Si quid super eis rebus de quibus ipsum fueram percunctatus tibi amplius in mentem venit, etiam ejus me participem facias rogo. Planè tecum sentio ex conflictu duorum quos nominas multum lucis exiturum. Vtinam ille qui magni faciendus esset, nisi se pluris quàm oportet faceret, vel hinc discat justo pretio etiam alios æstimare. Ego utriusque opus exspecto adhuc. Nondum enim ulla hic sunt exemplaria. Pro oblata tuorum in meis corrigendis opera, habeo gratiam. Cum vestro illo tricone ne quid negotii contraham, multa me monent. Tamen de nostris in Novum Testamentum quid potissimum constituere debeam hæreo incertus. Facile hic Typographum inveniam, sed metuo turbas à Theologis, qui nihil volunt tale edi nisi à se probatum. Ego autem neutri parti aptare me per omnia possum; ac ne silentii quidem, in rebus utilibus, legem pati. Cogitabo qua ratione huic malo medear. Vale vir optime. 10 Octobris 1639.

Tuus antiqua fide H. G.

D. BANNERIO.

Illustrissime Domine,

257 ADoptatus in eam gentem cujus gloriam ac fines arma Excellentiæ Vestræ propagant, vota feci, ut debui pro ejus victoriis, victorias ipsas apud Regem Ministrosque ejus non quidem pro rerum dignitate, attamen pro mea facultate prædicavi, lætatusque iis sum vehementer tum publico nomine, tum meo etiam privato, quod frater Excellentiæ Vestræ is fuerit qui primus mihi de adsciscenda mihi in patriam Suedia injecerit cogitationem. Quæ autem geruntur aut intelliguntur his in partibus, ea perscribere ad Excellentiam Vestram omisi ideo, quod illis qui apud Batavos res Suedicas administrant, id scirem injunctum muneris ut à nobis aliisque accepta ad Excellentiam Vestram mitterent, nollemque nihil profutura narrationum repetitione interstrepere gravissimis curis ac laboribus, quibus Regni Suedici sociorumque ejus salus innititur. Nunc verò cum omnibus obsequiis quæ à me proficisci possunt offero Excellentiæ Vestræ quod parentibus carissimum est, unum è filiis meis, qui per biennium in castris Principis Arausionensis adfuit semper Boschio architectorum militarium principi, deinde per annos plures honorem ab immortalis gloriæ Principe Bernhardo Vinariensi accepit ut inter domesticos ejus nobiles numeraretur. Eo Principe exempto rebus humanis nemo mihi apparuit alius, cui potiùs eum traderem, quàm Excellentiæ Vestræ, quæ laudem imperatoriæ laudis olim cum illo Principe communem, nunc sola in summo fastigio possidet. Hoc autem rogo unum, ut eis adhibeatur functionibus quibus par esse videbitur. Ego si quid facere potero quod gratum sit Excellentiæ Vestræ non tantùm existimabo me quam debeo reverentiam exhibere eximiis & in æternum fama victuris Excellentiæ Vestræ virtutibus, verùm etiam nullam me meliorem posse navare Regno Suedico operam. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, prudentiam & fortitudinem Excellentiæ Vestræ bonis semper successibus condecoret. Lutetiæ 11 Octobris 1639.

Excell. Vestræ observantissimus cultor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

8 ET vetus amicitia & muneris nostri collegium efficit ut non publica tantùm negotia, sed & privata mea desideria ad nullum aut priùs aut libentiùs quàm ad Excellentiam Vestram deferam. Filius meus qui has feret literas in castris Bataricis duas æstates egit indivulsus Boschio qui inter militares Architectos primùm ibi locum obtinet. Deinde per annos tres eum ab Illustrissimo Duce Bernhardo Vinariensi honorem est consecutus, ut inter domesticos ejus nobiles accenseretur. Eo ademto nobis, maximo cum malo publico meoque dolore filium hunc meum non in alterius disciplinam tradere volui, quàm ejus qui nunc citra controversiam imperatoriæ laudis summum occupat locum. Non ignarus autem ejus amicitiæ quæ Excellentiæ Vestræ cum Domino Bannerio intercedit, sustinui rogare, ut ejus commendatione apud ipsum reperire possit, primò quidem aditum, deinde verò eas partes quas implere posse videbitur. Deus, Illustrissime Domine, sospitet Excellentiam Vestram. Lutetiæ 11 Octobris 1639.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

ACcepi binas Majestatis Tuæ literas datas 19 & 22 Augusti, alteras pro Marescalli Hornii libertate, alteras de exercitu qui sub imperio Ducis Bernhardi Vinariensis fuit. Cùm verò Rex hinc absit longiùs, quem Lugduni hic esse arbitramur, & ego de utroque negotio cum Domino Bulionio, qui non ærarium tantùm sed & præcipua negotiorum per Regis absentiam hic curat, agere cœpissem, existimavi, etiam, ut impendiis non necessariis parcerem, literas quæ sunt ad Regem apud me manere posse, donec Rex rediret. Quod si ea mora nimis sit longa, videbo quid sit optimum factu, daboque & in his & aliis rebus operam ut intelligat Majestas Tua mihi ad exsequenda quæ mihi mandantur neque fidem neque diligentiam deesse. Deus & in his fautor adsit & perpetuò, Serenissima ac Potentissima Domina, Majestatem Tuam tueatur, foveat, ornet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Octobris 1639. 1259

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus devotissimusque subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVæ Brisaci inchoata erat deliberatio, translata Colmariam est, Erlachio maximè ea in re Gallis & Longavillano Duci (nam is Colmariæ est) morem gerente: 1260 ibi agetur de aliqua expeditione in hostem sub imperio Longavillani. Glenius & Mercius inter Rhenum sunt & Danubium. Lotharingici ad sex millia non longè S. Avausio apparent. Exercitus Vinariensis magna pars non longè à Colmaria. Pars aliqua ad Waldshutum. Galli itidem non longè à Colmaria, ad quos sex ferme millia adduxit Hallerius. Norimbergæ medio hoc mense Conventus erit Principum Cæsarianorum, pacis præstruendæ causa. Badæ deliberant Helvetii. Misit eò Commune Rhætorum, significavitque perfectum fedus cum Hispano. Pars minor ac contraria sentiens Legatos non ausa mittere, literas misit. Ex eo federe introducti Magistratus Rhætici in Vallem Telinam, interdicto ne ibi protestantes habitent. Hispani castella Clavennæ & Sondrii, Rhæti Dasii & Mussæ parant dejicere. Convenit ut de castello ad Rhenum idem fiat, sed obstat Guleïus. Cæsariani ad fines Solothuri excursitant. Rex præter Avelianam & Susam etiam Mommelianum, firmissimum situ Sabaudiæ munimentum, appetit: resque jam eò perducta est, ut ibi Præfecturam habeat Senantes Gallus, sintque in præsidio Galli tales quos Domina Vidua elegerit.

 Hispani

Hispani his visis sexcentis illis quos pro ægrotis recentes Galli in Casale ex pactis, ut ajunt, inducere voluere aditum negant. Itaque in periculo erit Casale. Civitas Leodiensis Principi suo & Episcopo, Electori scilicet Coloniensi, infesta, Hoium, ab ipso possessum, obsidet, faventibus civitati Gallis & Batavis. Neoburgicus spem quam dederat se cum iis conjungendi qui Germanicam libertatem propugnant, clusit. Et de Viduæ Hassicæ animo dubitari video, ex quo Elector Mogontiacensis ei significavit rata ab Imperatore facta quæ convenerant. Manet adhuc in sinu maris apud Angliam classis Hispanica navium LIII, inter quas Galeones XXIII. Hollandica classis, cùm postremæ ex iis locis literæ venerunt, erat navium LXX & crescebat indies. Ad Anglicam classem, arma illo in sinu prohibentem, quæ fuit navium XXV accedunt aliæ & ipse Admiralius Northumberlandus. Rex ipse, Proceres, plebs multa, spectatum veniunt tantam validarum navium multitudinem, quanta nunquam illis in locis visa est. An Hispani ibi sint substituri, an verò Angli eos deducturi sint in Tamesim, & quousque Batavi Anglis sint obtemperaturi, magna est vicinorum exspectatio. Gallicam classem non moveri intelligo, quam maximè desiderant Batavi, non tantùm ad virium suarum incrementum, sed & ut offensæ apud Anglos, duriora fortè parituræ, participes habeant alios se majores. Sunt qui aiunt navem illam quam Batavi nuper Hispanis eripuere Suedicam fuisse, captam ante à Dunquercanis, in ore Balthici maris. Id verumne sit, necne explorabo. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Octobris 1639.

Scoti Ordines Legationem huc meditantur, & successum sibi spondent ad Bataricum exemplum. Cohortes quædam è Gallia Sabaudiam versùs eunt. Rex Lugdunum it, Piccolominæus in Germaniam bono cum exercitu. Salza adhuc se tuetur captis quæ circum sunt locis ab Hispano. Millereius Ambianum se retulit: Castilionæus S. Mielium. Cardinali Riceliaco data Præfectura Metis urbis & agri Metensis vacans morte Valettæ Cardinalis. Jussi sunt è Gallia discedere domestici Principis Casimiri, qui non cum ipso sunt inclusi. Vidua Sabaudica Chamberium rediit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Vir Doctissime,

1261 PAuci sunt dies cùm accepi exspectatum diu Scylacem; legique simul ut à Librario redierat. Mirarer diligentiam tuam, nisi scirem cujus esses filius. Ab ita nato, ita educato speranda omnia quæ ab aliis sperare non audeamus. Ita omnia convertisti cum pulvisculo, ut operam lusuri sint, qui posthac aliquid in illos Geographos sunt conaturi. Nescio feliciorem ne te tali parente, an parentem talibus liberis dicam. Et ipsi & vobis gratulor, faveoque & optem id ipsum rebus potius quàm verbis ostendere. Lutetiæ 15 Octobris 1639.

Tuus optima fide H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1262 REctè ad me pervenit Excellentiæ Vestræ epistola, data 3 mensis hujus, cujus judicationibus per omnia assentio. Vidi quæ Regina Suediæ ad testamenti executores scripsit, prudenter & temperatè. Deliberatio quæ capta erat Brisaci translata est Colmariam, ubi est Dux Longavillanus, promittens expeditionem in hostem, si Vinariensis exercitus se ei conjunxerit, imperium scili-

Digitized by Google

tractabat, non Theologica: erat autem Hispano infensissimus, justis de causis. Et me & meos cordi esse Excellentiæ Vestræ multùm gaudeo. Polliceor mutuum &, si id rebus ostendere nondum datur, interim apud Deum precibus agam, ut Excellentiam Vestram sospitem præstet ac florentem cum suis omnibus. Lutetiæ 15 Octobris 1639.

Ad Dorlanum Hispani ferme CCC à Gallis cæsi scribuntur.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu addictissimus H. G.

D. MULLERO.

Nobilissime Domine,

EX literis Nobilitatis Vestræ datis 20 Septembris libenter cognovi & res nostras prosperas, & curam verè amicam Nobilitatis Vestræ pro rebus meis, quæ sanè remedium desiderant. De XIX millibus Thalerorum imperialium accepi post tantas moras à D. Spiringio VII tantùm, de reliquo negat se nunc cùm pecuniam habeat habere mandatum: ubi mandatum acceperit, non erit ut prospicio pecunia. Nam Batavicum illum fontem video exarescere. Rogavi sæpè Magnum D. Cancellarium, ut mihi permitteretur, quod Legatis omnibus antehac licuit, de pecunia sociali, cujus solutiones maximo hic labore promoveo, deducere id quod mihi quoque tempore debetur, aut ut alia aliqua in posterum ineatur ratio, qua & prægravibus mihi erogationibus & animi anxietate liberer. Nihil adhuc responsi accepi. Pro Domino interim Camerario venisse mandatum ut plenè ei solvatur gaudeo: rogoque Nobilitatem vestram ut quantum honestè & sine incommodo suo poterit, me in re æquissima & ad Regni etiam dignitatem pertinente adjutet; quod facturum spero etiam Illustrissimum D. Salvium. Si mihi libuisset uti Gallicis liberalitatibus, multæ mihi oblatæ sunt, multæ offeruntur quotidie: abstinui semper sperans Excellentissimos & Illustrissimos Regni Suedici Rectores mihi prospecturos de iis quæ ad vitam honoremque tutandum sunt necessaria. His contentus modò ne longa mora damnum mihi adferat, sollicitudinem verò ad privata negotia à publicis avertat. Multum metuo ne Petrus Schmalchius elapsus ex Illustrissimi D. Salvii manibus noceat rebus Suedicis primùm, deinde & iis qui res Suedicas majore innocentia administrant, quos ille, ut morum dissimilitudine sua ipsi facta exprobrantes odit. De negotio exercitus Vinariensis agere cum Domino Bulionio jam cœperam, itemque de D. Mareschalli Hornii libertate: & is promiserat utrumque sibi cordi fore. Ex re fortè esset me ad Regem quem Lugduni esse arbitror, proficisci, sed par novis impendiis non sum. Waertium & Enckefortium, quantum ex præteritis conjicio, Galli nobis non dabunt. Exercitui autem Vinariensi nihil dabunt, quod non magno vendant, in id intenti ut quò uno impetu perrumpere non potuerunt id gradatim efficiant, specieque conatus alicujus in hostem, exercitum istum ut suo minorem suis imperiis assuefaciant. Erlachius autem tam Gallis favens quàm Suedis infestus jam deliberationem à Brisaco transtulit Colmariam, ubi est, Dux Longavillanus; quæ quò tendant brevi videbimus. Satis autem incommodè accidit quod D. Mokelius me de iis quæ illic aguntur non edocet. Ego interim non desinam omni nisu promovere quæ in commune utilia Regnoque Suedico gloriosa judicabo; Nobilitati verò Vestræ pro multis benefactis fidelique animo debitorem me agnosco, Deumque precor ut pro me, qui id non possum, vicem ipsi reddat. Scribebam Lutetiæ 7/17 Octobris 1639.

Nobil. Vestra obligatissimus addictissimusque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

AD Salzam Hispani, quod antehac virium fiducia facere contemserant, castra munire incipiunt, magnum 1264
habentes exercitum, sed ex novis militibus Catalanis maximè: cùm Gallicus exercitus, quem collegit Princeps Condæus, ex Languedocia sit, Provincia admodum militari; tum verò qui Salzam defendunt & multi pro loci captu & notæ fortitudinis. Quapropter putant Galli, aut discessurum ab obsidione hostem, aut coactum iri prælio certare, quod sibi secundum fore non dubitant. Et fortè nunc cùm hæc scribo aliquid decreverit fortuna. Rex maturiùs quàm dictum erat hic erit, de quo gaudeo, ob mandata quæ mihi exsequenda sunt. De Abbatiis quæ Cardinalis Valettæ fuere, pars data est Felici notho Ducis Emmanuelis Præfecto Sabaudiæ, & Sabaudis aliis, pars Cardinali Lugdunensi Riceliaci Cardinalis fratri, pars Metensi Episcopo & aliis apud Regem gratiosis. Nondum patet nobis, quid Colmariæ Gallos inter & Vinarienses convenerit. Venit in eas partes nobilis missus à fratribus defuncti Ducis, hæreditatem bonorum aditurus, &, ut puto, pacem commendaturus. Cæsariani & Bavarici corruptis quæ circa Hohentwilam erant, in Wittenbergicis locis maximè se tenent. Nassavius purgat se quantum potest Helvetiis de suorum excursibus. Piccolominæus cum suis Mosellam transiit, Rhenumque putatur transiturus ad Magontiacum, eoque iturus in Bohemiam. Itaque Castilionæus in Lotharingia suis hyberna sumit, Millereii pedites circa Ambianum, equitatu in Normanniam misso ad reprimendas puniendasque seditiones: quanquam & delinimenta adhibentur, inhibito salis tributo novisque aliis. In urbe Pictavii plebs pro libitu agit. Badensi Conventui non adfuit Melianus Galliæ Legatus, sed literas misit. Gulerus spe à Gallia & Helvetiis destitutus cogetur tandem se aptare Rhætorum consensui & pati dejici castella. Principi Casimiro plusculum datum libertatis, & domesticis qui cum eo non sunt aliquantillum temporis ad hic manendum, donec ab Aula nova adsint jussa. Villaregius Iousio liberato Nazaretam Comitatus Burgundiæ recuperatum it. Brisacum frumenti copia illata ad mille & quingentos saccos Gallorum ope, qui ei urbi avidè adhuc inhiant, proponentibus nonnullis ut altera pars Præsidii è Gallis sit, Præfectus urbis Germanus. Vinarienses incommodè satis vivunt in Monasteriensi, Vrbica & Frikedalia, vallibus planè adesis. Itaque opus habent inde se movere, quod brevi futurum speratur. De Hassis mali hic sunt rumores, de Ragotskio boni, quasi cum LXXX millibus arma inferat terris Cæsarianis. Sed de eo dubitare nos jubent ex Constantinopoli literæ, quæ in illa Aula parùm favorabile esse Ragotskii nomen significant. In Dalmatia Turcas inter & Venetos ex populationum occasione pugnatum est ad Zaram. Sed id injussu utrinque factum publico, sedatum iri creditur, neque obstiturum paci constitutæ. Quid Angli velint, perincertum est. Electori Palatino pecunia data est: sed is ipse ubi opus est non apparet. Ad Batavæ classis validissimæ adventum naves suas è loco inter bellantes medio in aliam sinus partem retraxere, velut spectatores futuri: sed permissus emendi pulverem bellicum & nitrum utrique parti ab ipsis concessus, Batavis nihil prodest: prodest autem Hispanis, qui emtioni impendisse dicuntur XXX millia scutatorum. Batavi mandata habent ut audio aggrediendi Hispanos sub ipsum, si ita res ferat, Angliæ littus. Ni faciunt, periculum illis imminet ab hoste tam vicino ac valido: si faciunt, grave ab Anglis odium, quod in ipsos incumbet solos, Gallis se non immiscentibus. Scoti quod

quod volunt agunt, dolentibus & Rege & Episcopis Angliæ. Sed, quicquid multis peccatur, inultum est. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res det Suedicæ genti ac Tuæ imprimis Sublimitati prosperas. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Octobris 1639.

Mitto Cracoviensis Conventus deliberata, ita ut huc à talium non ignaris transmissa sunt. Induciæ Transalpinæ in sex menses prorogatæ dicuntur, Pontifice bienpines proponente, Rege duodecennes. Non impedient induciæ istæ, ut puto, Gallos quominus Casali consulant, quando ne militem quidem mutari permittit Leganesius. Atque ea maximè de causa mitti è Gallia copias in Italiam existimo. Hostis videtur sperasse à se obsideri posse Castellum Cameracesii urbem, sed in eas partes profecti ex Millerei & Castilionæi exercitu milites intercessuri sunt eo periculo. Iam nunc intelligo transiisse hac ignotum Palatinum Electorem. Transeundum illi erit ubi est Regis comitatus. Is an moram itineri sit allaturus, videbimus. Galli certè illius rebus non favent. Dereliquit hostis spem obsidendi oppidi Castelli in Cameracesio. Villaregio autem arces quædam se dedidere ut Artesia, Monsangonia, Vera. Iam nunc ab hominibus cuncta ruspantibus edoceor à Gallis injectas Electori manus in oppido Charitatis ad Ligerim, ubi copias olim trans eum amnem duxit Dux Casimirus. Captas ejus chartas quoque & pecunias.

CASPARI BARLÆO.

Vir eximie,

1265 RES Illustrissimi Saxonis tanto dictas spiritu quanto gestæ sunt ab ipso, legi cum dolore quidem, ob ereptum nobis tantum Principem, cum solatio tamen, cùm video gloriam ejus tam feliciter ad omnia sæcula propagari. Epithalamium autem legi cum solida voluptate, tum ob summam carminis venustatem, tum quod amo & honore prosequor plenas omnium virtutum domos, unde sunt novi mariti & eorum uxores. Et ipsis & tibi tuisque si omnia è voto succedant, nulli id hominum quàm mihi erit lætius. Scribebam Lutetiæ 22 Octobris 1639.

Vidi & de Bamestra carmen, dignum loci amænitate & justissimam de culicibus ultionem, spicula pro spiculis.

Tui nominis studiosissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1266 LIteræ ab Excellentia Vestra diei 8 Octobris rectè ad me pervenerunt. Tempus anni locorumque positura ea est in vestris partibus, ut diutius miles in aperto teneri vix potuerit: præterea tantæ sunt res quæ in mari nunc aguntur, ut & curas & vires publicas in se trahant: difficili sanè deliberatione exorta, aliud suadente periculo à tam propinquo hoste, aliud metu novæ inimicitiæ cum vicinis. Galli agunt adhuc aliquid. Nam exercitum egregium collegere ad XVI peditum, IV ferme equitum millia ad eximendam periculo Salzam, putantque aut abiturum ab obsidione hostem, aut rem venturam ad prælium, cujus bonum exitum sibi spondent, Hispanico exercitu ex novo maximè milite conflato, & serò admodum aggresso munire castra. Eunt & trans Alpes bonæ copiæ, ad ea tutanda quæ Regi sunt tradita, fortè & ad prævertendum periculum Casalis. Longavillani consulta cum Vinariensibus sperare & inde nos aliquid jubent: & res exigit, ægrè unde se alant reperturis posthac Vinariensibus in illis quibus se nimium diu tenent Alsatiæ vallibus. Hostes, corruptis quæ circa Hohentwilam sunt, maxima ex parte in agro Wirtembergico sedem habent. Marchio Villaregius Iousio liberato Nazaretam Comitatensis Burgundiæ se recepturum sperat. Castilionæani & Millereiani militis pars junctura se videtur ad finem Cameracesium ubi, Castellum nomine, oppidum hostis videtur obsidere aut certè aditus eò claudere velle. Cæteri milites hyberna quærunt, Piccolominæo jam Mosellam transgresso, ut Rheno etiam tramisso Bohemiam petat: sic enim fama est. Equitatus Gallici portio in Normanniam dimissa est ad coërcendas seditiones. Hispanicam classem arbitror, si venti sivissent, exscensum facturam fuisse in oram Pictonicam, ubi plebs itidem in motu est. Audio ingentem vim bellici pulveris ac nitri ab Hispanis emtam in Anglia. Quid de cætero illic agatur propiùs ad vos feretur ex mari, ex Caleto & Dubernia. Suedicorum exercituum res video bene procedere. Interest nostrâ, ut plenè cognoscamus quid de pace velit hostis, antequam nostra cum Gallis fœdera aut exeant aut renoventur. Germani omnes ita dissolutè res suas agunt, ut nemo futurus sit qui ipsorum tantùm causa bello manere velit.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

De Electore Palatino vereor ne dicamus,

Spes tua lenta venit: quod petis, alter habet.

Galli non exercitui tantùm sed & Brisaco seriò imminent, magnum momentum trahenti oppido, sive ad bellum gerendum, sive ad obtinendam pacem. Quæ Angli & Dani moliuntur inania arbitror, quia clam Suedis agunt, & sine Suedis sua negotia se sperant posse efficere, mirum sanè, cùm nunc tot exercitus Suedi habeant, tantasque Germaniæ insideant partes. Quæ jactata sunt in particularibus illis Polonorum Conventibus, ad universalem præviis, ex literis inde scriptis intellexeram. Sed sunt ista paucorum cogitata. Pars major ad Regis gratiam & Dantiscanorum odium inclinat. Ferociorum ingeniorum impetus facile est Regibus tardare, ac sic eludere. Vbi nihil proficiunt, ipsi per se residunt. Legatum Poloniæ hic exspectamus. Principi Casimiro paulò plusculum libertatis ad valetudinem servandam datur. Et iis qui de domo ejus fuere facultas hic subsistendi, donec Rex ipse aut nova ab eo jussa advenerint. Comes Licestrius de Principe Ruperto, spem pro certa habet. Aliter tamen loquuntur Ministri Gallici Regni. Ego opto omnia bene procedant: & velim posse conferre operam utilem. Video ex illis Polonicis deliberationibus, metuere eos sibi à Turca. Pugnatum est ad Zaram in Dalmatia inter Venetos & Turcas ex occasione abactorum pecorum. Sed pace tam solenniter facta facilè ea res sanari poterit. Deus Excellentiam Vestram cum suis omnibus bene servet. Lutetiæ 22 Octobris 1639.

Excell. Vestra omni observantia cultu addictissimus H. G.

D. WICKEFORT.

GRatias habeo summas, Vir Nobilissime, quod egregio munere Caraffani operis me dones. Vidi id pridem Italico sermone, & tunc multa excerpsi quæ nunc libet recognoscere, utilissima pleraque ad cognoscendas Aulæ Pontificiæ artes & stuporem Protestantium, qui se distrahi sibique illudi toties passi sunt. Efficient istæ discordiæ ut aliquando dicat posteritas etiam Protestantibus Papa aliquo esse opus. Apud D. Barlæum pro poëmatis, uno gravissimo, cæteris lepidissimis remitto gratias per epistolam, quæ ut Nobilitatis Tuæ comitate curetur rogo. Addam & alteras preces ut nostri ambo vivatis memores, ac de me vobis mutuum polliceamini. Lutetiæ 22 Octobris 1639. 1267

Nobilitati Tuæ obligatissimus H. G.

ISRAE-

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

IAm aliunde intellexeram decreta illa tam varia nata in Conventibus Polonorum ad generalem prævia, quorum meminit epistola Nobilitatis Vestræ data 15 Septembris. Ego quanquam consulta quædam pro vobis esse video, plus tamen metuo quam spero. Verùm dulce mihi erit in malis auguriis falli. Qui auctores consciique irruptionis in Livoniam fuerint, non ignorant Regni Suedici Rectores. Elector Brandenburgicus hostem jam professus non mirum si molitur hostilia: at Prussia conatibus immisceri, ni fallor, non debuit. Conventus autem Poloniæ generalis in quo & hæc & alia tractabuntur, aliquantum tardari potest, diu differri, ni fallor, non poterit. Spero enim non tam late diffundi pestilentem auram, ut omnia loca suspecta facere possit. Res D. Banneri sane non prosperæ sunt tantùm, sed & magnificæ. Regni Suedici Rectores tamen non ita insolescunt illis successibus, ut non possint pati bonam pacem; bona autem esse non possit nisi quæ communis sit vobis sociisque nostris, & Orbem Christianum non tantum præsentibus malis liberet, sed & in futurum in statu collocet tranquilliore. Salzam à Gallis captam obsidet Hispanus. Galli rem ad prælium volunt perducere: de ea quid futurum sit aut etiam nunc factum sit nuntios exspectamus. Cætera frigent, nisi quod de mari gravis orta est controversia inter Anglos & Batavos & Hispanicam classem prævalidam, quæ à Batavis impetita sub oram Angliæ se recepit in sinum quendam quem terræ esse accessionem ajunt Angli; ideoque pati nolunt bellum eousque procedere, Batavis contra negantibus se parcere posse tam vicino hosti sine summo rei suæ periculo. Vellent Batavi Gallos habere socios & Martis hujus & si qua erit offensæ. Galli in neutrum properant. Deus hæc omnia ad qualem dixi pacem dirigat, non nostro tantùm & vestro, sed & Orbis Christiani bono. Lutetiæ 22 Octobris 1639.

Tuæ Nobil. studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MVltum metuimus, ne Angliæ Rex magis magisque alienetur à sociis nostris & à causa communi: tum quod in statione Anglica oppugnata est classis Hispanica LXX navium ab Hollandica navium centum, egregio, quanquam non incruento, victoribus successu: verùm Anglis adeo nolentibus, ut & militem submiserint Hispano & tela in Hollandos jecerint: deinde, quod Elector Palatinus à Rege Angliæ veniens detentus sit Molini jussu eorum qui Lutetiæ res curant Regias Galliæ. Est tamen spei aliquid posse hæc mala in bonum aliquod converti, si consideret Rex Angliæ, quantum periculum Batavis attulerit classis hostilis tam potens ac vicina, sive de improviso incubitura ipsorum terris, aut in Amstelium amnem penetratura: certè magnis diuturnisque sumptibus exhaustura Batavam Rempublicam. Ita ut id non magis potuerint perpeti, quàm si in pacato solo, sed suis contiguo, hostium se tenuisset exercitus. Electoris verò res componi posse videtur, si Rex Angliæ ipsum tueri velit justis viribus, ejusque rei certos facere & Suedos & Gallos, sub æquis conditionibus, ut ea via Elector Longavillano in id quod is nunc habet in Vinarienses imperium possit succedere cum bona Regis Galliæ gratia. Sic enim intelligimus convenisse, ut Longavillanus præsit armis communibus: ad Vinarienses autem imperia per Ohmium deferantur. Vinarienses fidem suam obligasse Regi Galliæ ad recuperandam Germaniæ libertatem. Regem vicissim promisisse pecuniam quantam Duci dare solebat. Additum ut reditus terrarum Regi cedant: Brisaci & Friburgi pars altera præsidii è Gallis sit: restituat autem Rex oppida terrasque Germanicæ rei ubi pax futura est. At Longavillani missæ huc literæ prædicant, & exercitum & urbes omnes in potestate esse Regis. Ita enim ille Sacramentum illud interpretatur. Qui Electori adsunt imprudentiæ arguuntur, quod cum furari hoc iter vellent, ita ut etiam jam deprehensus Elector suam personam dissimulaverit, tamen passi sint cùm ab Anglia abirent à tribus classibus se cognosci ac salutari, & in appulsu ad Boloniam disploserint navis suæ tormenta, & in itinere non semper usi sint celeribus equis, modicoque comitatu, ut antehac fecerat qui nunc Rex est Angliæ cum in Hispaniam procatum iret. De Salza miramur nihil audire nos. Præterit enim dudum dies quo Galli dixerant oppugnaturos se castra Hispanorum, ad quæ castra majores copias advenisse rumor est. Rhætorum Protestantium res sunt miseræ; nam Gullerus ab omni spe auxilii destitutus cogitur facere imperata. In oppidis quæ Ducis Vinariensis fuerant, manebunt Præfecti qui antehac fuere: eos a se confirmatos scribit Longavillanus. Vinarienses Duces frumenti quicquid ex Alsatia haberi potuit coëmptum Brisaci servandum detulere. Induciæ sunt prorogatæ in Pedemontana regione, in quantum temporis nescimus. Casale sine vi vix est ut servetur. Eunt quidem illas in partes copiæ Gallorum: sed mirè diffluunt, ita ut ex millenaria cohorte sæpe ægre trecenti Alpes transeant. Metuunt enim Galli terras, in quibus militem prædandi licentiam, quæ stipendiis male procedentibus pro stipendio est, inhibent partim hostes, partim socii. Scripsit Rex Reginæ, brevi se hic futurum. Deus ipsi faveat, Reginæque nostræ ac Tuæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati. Lutetiæ 22 Octobris 1639.

Exercitus Gallorum & Vinariensium creditur futurus VI peditum, IV equitum millia. Rex quatuor mensium stipendia quotannis dabit militi: duplum in majore gradu constitutis, & belli instrumenta. Scoti indies arrogantiores volunt sibi dedi Scriptorem libri qui sub nomine Regis prodiit: filio autem Regis Duci Eboracensi dant omnia quæ Episcopi in Scotia habuere, liberales de alieno. Exspecto responsum Sublimitatis Tuæ de pecuniis; nam quod post tot moras mihi dedit D. Springius, paulò plus est parte tertia ejus quod mihi debetur, & abibit ad exsolvendam æris alieni partem. Si ita vivendum est, non potest defendi dignitas Regni. Ex Gallica pecunia facilè me servabo, si id placeat Sublimitati Tuæ. Mitto relationem rerum Alsaticarum, excerptam ex epistolis Longavillani, Guebriani & aliorum qui illuc agunt. Postremæ à Salza literæ ajunt hostem jam in transitu fossæ fuisse occupatum. Præfectorum Vicarii in omnibus oppidis Vinariensium, erunt Galli. Fama est Pedemontanas inducias in mensem prorogatas. Proponi autem à quibusdam ut partis utriusque oppida Venetis dentur custodienda ad tempus usque adulti Ducis.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

RES nostrorum prosperas, ac spes majorum succes- 1270
suum, ex literis Excellentiæ Vestræ datis 17 Octobris, cum gaudio cognovi. Annus qui sequitur, si quid rectè judico, aut pacem communem nobis dabit, aut federa longum bellum paritura. Res inter Gallos & Vinarienses ita confecta est, ut Brisaci ac Friburgi pars altera præsidii sit futura è Gallis, manentibus qui erant præ-

Præfidis: exercitus autem omnis jusjurandum dixerit Regi, pro libertate Germaniæ ac bono sociorum. In communibus armis imperium erit Longavillani: in Vinarienses speciatim Ohmio nomine Quatuorvirûm. Rex pecuniam, ut antehac Duci, ipsis dabit: pro ea terrarum illarum reditus percipiet. Vrbes reddet corpori Germanico, ubi pax fiet. Verum & sacramentum illud, & imperii summam sibi traditam, ita interpretatur Longavillanus, ut scriptis huc literis prædicet & exercitum & urbes illas omnes in Regis esse potestate. Interim Elector Palatinus non Caritate oppido, sed Molini detinetur, Lontrati tamen, donec Regis jussa adveniant. Detentus etiam fuit non Regis imperio, sed eorum qui Lutetiæ res Regni curant, qui itineris hujus indicium acceperant tum ab Legato Bellevrio, tum à Præfecto Bonaniæ. Mirum est latere volentes ita discessisse, ut a tribus classibus salutarentur, & in appulsu ad Bononiam tormenta exploderent: utque per Galliam transirent sex numero, sæpe nec equis celeribus. Illud quoque adversum accidit, quod etiam deprehensus jam Elector non eum se qui erat esse dixerit, & ad Regem Galliæ scire, patefacturum ipsi sua consilia: quod è præsentibus optimum fuerat. Bullionius à Comite Licestrio conventus, dixit Principem jura summis principatus sibi vindicantem non debuisse in Galliam venire, nisi Rege præmonito. Videtur autem mihi spes esse aliqua, si Rex Britanniæ Palatinum instruere velit necessariis viribus, posse hoc negotium ita componi, ut & Regis Galliæ & Palatini desideriis aliquatenus satisfiat: quam ad rem si quid consulendo aut monendo potero, non deero meis partibus. Batavis mari illustrem obtigisse victoriam, audimus. Dolet, quod Angli invitis se id factum ostendunt, submittendo Hispano militem & Batavis imperunt, subm... tendo telis. Scio stationes tales nostri sæculi jure accenseri terris. Sed omni jure validior tutandi sui necessitas, non permisit Batavis exspectare donec illa classis de improviso suas oras aut Amisium amnem invaderet. Quæ cùm D. Ioachimii prudentia abunde Regi Britanniæ sit ostensura, spero ipsius æquitati satisfactum iri. Alioqui metuendum est, ne in idem tempus congruentibus duabus Anglorum offensis, à Gallo & à Batavo, Angli consilia capiant nostris rebus apertiùs quàm antehac obstitura. Quæ de Erlachio scribit Excellentia Vestra vera esse intelligo. Adjicitur ipsi Ohmius, ut exemplum ejus imitatus. Et publica negotia de federe cum Batavis, & privata Excellentiæ Vestræ, ut bene fortunateque cedant, Deum precor. Pestilentia vereor ne disgreget Regni Suedici Rectores, ac proinde moram rebus multis afferat. De Magni autem D. Cancellarii valetudine bene spero, cùm soleant sæpe vivaces esse qui talibus doloribus tentantur. Cum Polono existimo faciliùs posse inducias in longiora produci tempora, quàm pacem plenam fieri, ob causas quas adfert Excellentia Vestra. Dantiscanis & ego nihil boni auguror, præsertim cùm eos nullis federibus suffultos videam, & in præviis ad generalem Conventum Poloniæ Conventibus actum sit de examinandis Dantiscanorum privilegiis, quæ haud dubiè iniquos repertura sunt interpretes. Nostrum erit, si qua arte possimus, Danum cum Polono committere. Batavis verò parta hæc mari Victoria, plusne datura sit auctoritatis an invidiæ, tum in Polonia, tum in Dania, dubitari potest. Elector Brandenburgicus quantum video pergit se illorum consiliis tradere, quibus auctoribus in multa se mala implicuit. De Salza miror nos nihil intelligere, nisi hoc unum increvisse Hispanorum illic exercitum. In fossam Salzæ Hispanus pervenerat, dum fluminum augmenta IV millibus quæ adhuc ex Languedocia Princeps Condæus exspectabat, iter tardant. Turca suorum copias auxit in Dalmatia X millibus, ulturus, ut videtur, suorum cædem factam à Venetis incerta adhuc pace. Induciæ Pedemontanæ in mensem productæ dicuntur. Apud Rhætos Gulerus & qui ab eo stant cogentur imperata facere, nullo apparente auxilio. Nisi Sueciam excipias, & ex parte Batavos, male ubique curantur res Protestantium. Det Deus æquam pacem, itemque, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram protegat ejusque consulta prosperet. Lutetiæ 29 Octobris 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia vinculo adstrictiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Literæ postremæ à Bellaco significabant nondum ingressum in eam urbem Gallicum præsidium, quod adhuc pecuniæ pars aliqua desideraretur. Palatinus Elector Regis ipsius jussu in arcem Molini ductus, ... cœpit suam sibi personam imponere, scripsitque ad Regem & Cardinalem tempori congruentia. Paratur ... ei mansio in arce Silvæ Vicennensis supra Ca... Principem: & , quod Angli sperant Vincennensem ... citus acres iras de hoc casu suscepturum, vereor ne ... stra sit, prævalente ibi supra omnes ... Itaque nisi Angliæ Rex apertius quam antehac ... lis agit, seque eis aliquo fœdere devinxerit, spes ... Principi Palatino erit libertatis. Rex jam cum Regina Fontebellaquei est, inde ad solitam stationem, S. Germani venturus. Intelligere non possumus unde tantæ ad Salzam moræ. Dicuntur Hispani lunatam quandam munitionem urbi propinquam eripuisse Gallis; sed eruptione ex urbe facta in fossam repulsi qui eousque in castra penetraverant: habere autem Princeps Condæus viginti peditum, quinque equitum millia, cum machinis sex decim. Et cùm per ignes significasset obsessis brevi se ipsis venturum auxilio, magno ex gaudio tantum in urbe ortum clamorem, ut in hostilibus castris eum auditum referant captivi: quidam votis suis faventes, addunt jam motas ab hoste machinas, abitus initium. Pro Legato Polonico missæ tuti itineris literæ. Itaque brevi aderit. Casale in periculo gravi est: arma vix ... inveniet: agitur interim de novis pactionibus Pontifice ... te, ut cuncta Pedemontani soli & quæ in Sabaudia ... Gallis Hispanisve tenentur Venetorum permittantur custodiæ, & sic, ad Mantuæ exemplum, de bello ... Coningsmarckium in Misnia esse intelligimus: ad ... num cursare Hassicos & hyberna sibi, ... illis in locis capere. Iousii præsidium auxere Galli. Cardinalis Ricc... liacus factum Palatini, quod insciо Rege cum consiliis Regi adversantibus Galliam transierit, non imprudentiæ tantùm, sed & impudentiæ accusat. In Batavorum navali victoria, sanè egregia, hoc unum video incommodi, quod Angli & ex navibus in Batavos jaculati sint, non gravi quidem cum noxa, sed animi ipsorum factum improbantis testatione, quæ disputatio, & illa de Palatino, quem sit habitura exitum, multum ad rem pertinet communem. Deus, qui corda Regum moderatur, ... nobis inde videre quæ gaudeamus, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem ... servet, valentemque ac felicibus consiliis florentem ... stet. Lutetiæ 5 Novembris novi Cal. 1639.

IOACHIMO CAMERARIO.

Nobilissime Domine,

Non repeto quæ ad Illustrissimum Dominum L... tum scribo. Mitto enim Nobilitatis Vestræ ... literas, ut utrique serviant. Gratias autem ago N... Vestræ pro liberali scriptione 17 Octobris. In Vina... sibus desiderabitis constantiam. Nam quæ egerunt, ... tum absunt à D. Mulleri chartula. Quæ de D. Ban...

aliisque ducibus nostris nuntiantur, satis placent. Videtur Rex Daniæ id agere, ut res omnes Infrasaxonicas, ut quondam in bello, ita nunc in præparanda pace sui faciat arbitrii, præpotens in illis partibus, trahensque secum filii clarum nomen & Holsaticam Domum. Regis Britanniæ quæ sit voluntas ad juvandam aut deserendam Domum Palatinam, jam tempus est ut appareat. *ἰδοὺ ῥόδος ἰδοὺ πήδημα.* Schmalchius Amstelodami est. Creditur huc venturus. Erfordiæ aditus claudi ab hoste iterum, audimus. Hohentwilum novam tormentis impetitur. Sed eruptionibus se tuetur. Deus Nobilitatem Vestram sospitet. Lutetiæ 5 Novembris 1639.

Nobil. Vestræ studiosissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

GRatias habeo pro longa dissertatione in literis 24 Octobris. Multæ illæ copiæ in D. Bannerium ingruentes, quiescentibus Hassis & Italia, timendum sanè ne nostrorum successus multum sufflaminent. Gallicum præsidium nondum in Brisacum introductum est, quod pecuniæ adhuc aliquid desideraretur. Aiunt Galli se cum Vinariensibus ire Spiram & ei vicina versùs, decliviore jam anno, quàm ut ad obsidiones magna spes sit. Quare quid acturi sint, non satis video. Ad Hohentwilum aliquæ sunt etiamnunc hostium copiæ. Pars eorum aliqua dicitur se conjunctura cum Piccolominæo, bona Gallis materia, prælia quærentibus. Cardinalis factum Principis Electoris Palatini, quod Rege inconsulto, tali cum proposito, in Galliam venit, ignotusque transire voluit, plurimùm improbat. Scripsit ad eum & ad Regem Elector Palatinus literas quæ laudantur ex arce Molini. Paratur tamen ei locus in arce Silvæ Vicennensis supra Principem Casimirum: à quo malo quamprimùm ut liberetur, in Regis Angliæ potissimùm erit manu. Nam quod Angli sperant Vinariensem exercitum ostensurum graves animi motus super hoc facto, vereor ne inane sit, tantis jam experimentis cognito, quantum apud illos pecunia valeat. Præterea domesticis Palatini, qui in hac urbe sunt, vetantur & equi dari & pecuniæ. Si pridem Anglia ad fedus æquum venisset cum Suedia Galliaque, non modò vitatum fuisset hoc in Domo Palatina tam diu infelice novum vulnus, sed, quantum conjectura datur assequi, jam Princeps ille in partem terrarum suarum esset repositus, aut habuisset de Bavaro ultionem. Sed nunc quoque serò quàm nunquam sapere præstat. Wilhelmum Vinariensem arbitror privatarum rerum hæreditate creta contentum fore. Galliæ cum exercitu pacta non eduntur: sed & exercitus & urbium se dominos prædicant Galli. Cum Landgravia utinam in Suedia bene consiat negotium. Multum enim in eo hoc tempore momenti vertitur. Dicuntur Scoti bona Episcoporum quæ fuerant in Scotia offerre Duci Eboracensi: quæ liberalitas neque Regi puto, neque Angliæ Episcopis placitura est. Aliquid est arma esse posita, sed timendum est, ne nimia libertatis cupido & Regis læsa auctoritas aliquando in gravius malum erumpant. Magnum est quod mari sibi decus pepererunt Batavi. Factum eorum ab Anglis improbatum & arces & classis Anglica jactis telis ostenderunt. Verùm commodè evenit, quod Hispani acceptam cladem Anglis imputant, non tradito in tempore quem Hispani emerant bellico pulvere. Solent tam præclari successus victoribus invidiam parere: quod ne Batavi, sentiant apud Anglos, Polonos, Danos, præmetuo. Fedus quod Batavi cum Suedis cupere videntur, refert ad commercia pertineat, an etiam ad prolatandum bellum. Est enim illud hoc facilius, quamdiu constitutum non est, an cum Gallis Suedi renovare fedus debeant. De Legato Polonico quod facere constituit Excellentia Vestra, multum probo. Protestantium in Rhætia consilia à contraria factione opprimuntur, & cuncta ibi cedunt pecuniæ Hispanicæ. Legatus Gallicus Constantinopolim jam advenit. Non omittet, puto, si poterit, Austriacis negotium facessere. Parantur copiæ ad eximendum periculo Casale; difficile est iter. Pontifex novas pactiones molitur. De Salza quid futurum sit, in magna sumus exspectatione. Nam Princeps Condæus cum viginti peditum, sex equitum millibus, machinis sexdecim, parat auxilium, ejusque rei significationes per ignes dedit obsessis, qui de fossa hostem felici eruptione dicuntur depulisse. In bona spe sunt Galli. Ego rem incertam judico, valido, qui ibi est Hispanorum exercitu & castris mediocriter munitis. Etiam lunatum opus quoddam urbi tuendæ præjacens ab Hispanis captum intelligimus. Deus cuncta in bonum vertat, Excellentiæque Vestræ adsit semper favens. Lutetiæ 5 Novembris 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia addictissimus H. G.

D. OXENSTIERNÆ,

Archidapiferi Regni Suedici Filio.

Illustrissime Domine,

ITer terra marique prosperum tibi Genuam primùm, 1274
deinde Romam fuisse plurimum gaudeo, Deumque precor ut perinde cætera itineris sospitet. Spero futurum ne Te unquam pœniteat conspectæ Italiæ, quæ præter quod amœnitates habet maximas & antiquitatis monumenta, mater civilis prudentiæ suo merito dici potest. Etiam hoc lætor Puteanum satisfecisse exspectationi nostræ, itaque pro eo fratribus ipsius meo tuoque nomine agam gratias. Rectè meo judicio feceris si transiens videas urbes aut veteris fortunæ memoria, aut manente in hunc diem magnitudine nobiles. Subsistas autem in ea civitate quæ supra omnia exempla caram libertatem in hunc diem pulcherrimis legibus atque institutis servat. Vinariensis exercitus duces & milites Regi Galliæ fidem jurarunt. Brisacique & Friburgi pars altera præsidiorum è Gallis est. Elector Palatinus per Galliam ad eundem exercitum proficiscens non impetrata à Rege venia deprehensus custoditur Regis jussu. Nunc cum Rege Angliæ agitur, ut si is velit ex hoc malo aliquid nascatur boni. Noster verò Princeps Palatinus huc rediit consultiusque duxit adhuc personam sustinere incogniti, quàm in tricas ob dignitatum certamina involvi. Vale Illustrissime Domine. Lutetiæ 11 Novembris 1639.

Illust. Dom. Vestræ obligatissimus addictissimusque H. G.

D. DE ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

PErgratum mihi est quod tot magnorum virorum, tot 1275
urbium, tot terrarum conspectus memoriam nostri Nobilitati Vestræ non excusserit. Me autem negotia nunquam ita oppriment, ut meorum qui me amant obliviscar. Spectaculum illud quo completa Iesuitici seculi periodus signata est, video fuisse magnificum dignumque Societatis propero cursu ad tanta incrementa perductæ opulentiâ, etiam Regum Legatis in illorum honore certantibus. Fatendum est nullam esse sodalitatem quæ intra illud ævi spatium tam multa ingenia eruditione & eloquentia & rebus actis illustria produxerit. Pontifex verò ipse dignus est cui vita longa optetur, minimè ut nonnulli ante eum, servus Hispanorum, præterea egregiis artibus etiam Poëtica laude florens. Si viderit Nobilitas Vestra Romæ Naudæum & Bouchartum, Bononiæ autem Ryxium, viros omnes eruditos mihique caros, velim eos à me quàm amicissimè salutari. Si qua verò in re Nobilitati Vestræ gratum aliquid facere potero, promptis-

promptissimè arripiam occasionem, interim omnia ei precans felicia. Lutetiæ 11 Novembris 1639.

Tuus toto animo H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1276 ACcessi D. Bulionium, ut ad Regem, qui jam ad S. Germani est, feliciorem mihi aditum pararem. Dixit Bulionius de pecunia se confecisse quod conficiendum fuit: pro libertate D. Marescalli Hornii collaboraturum se nobiscum. Incidit & sermo de Electore Palatino. Quantum ab ipso intelligo, Rex Magnæ Britanniæ dixerat Legato apud se Gallico Bellevrio iturum per Galliam Electorem: Lutetiæ sumturum hospitium apud Legatum Britannicum Comitem Licestrium: inde iter directurum ad Galliæ Regem. At Legatus Gallicus monuerat ne quid tale susciperetur nisi Rege suo prius consulto. Alioqui periculum fore ne ab aliquo urbis Præfecto mora ei injectaretur. Galli verò queruntur, non hæc tantùm monita spreta, sed furtim per Lutetiam, non viso Britanniæ Legato, transisse Palatinum, planeque existimant, eum præteritis locis in quibus erat Rex Galliæ, properaturum fuisse Genevam & inde ad exercitum & urbes quæ ab exercitu tenentur, nimirum ut ea quæ Regi Galliæ tanto steterunt pretio in se transferret, pacemque sibi propriam pararet, partim tradendo Imperatori illas urbes, partim per illa beneficia quæ classi Hispanicæ Rex Britanniæ promisisse in arcano creditur, quanquam is ipse obtulerat Gallis se ejus classis tutelam deserturum, daturumque suorum octo millia Palatino, sed Gallicis stipendiis, si Rex Galliæ Palatino imperium illud quod Vinariensis habuit permitteret. Quæ ipsa Gallis suspecta erant, neque verò esse æqua putabantur: cùm ipsi à Rege Britanniæ rem semper postulassent æquissimam, fœdus scilicet & societatem armorum adversus aliena detinentes: quæ si placerent Regi Britanniæ, paratos se nullam facere pacem nisi reddito & Palatinatu. Hæc ita disserunt Galli, multumque incusant Regi injuriam factam, cujus pro restitutione Germanorum laborantis conatus Princeps Palatinus per dolum subrepto itinere turbare tentaverit. Ipse Palatinus nunc cum bono præsidio militari huc ducitur, an in spem libertatis, an verò ut Silvæ Vicennensis sit colonus, brevi apparebit. Dixi Anglo, me si hac in re utrisque possim gratum facere & concordiæ invenire rationes, facturum id libenter: certum quippe id Reginæ Rectoribusque Suediæ probatum iri, qui nihil mallent conspicere quàm Electorem videre fultum Angliæ auxilio res suas ire recuperatum. Res hæc magni in omnem partem momenti est, de qua mandata quàm maximè specialia opperiar. Videtur enim fore ut trahatur aliquandiu negotium. Per induciarum tempus in arcem Taurini sex millia saccorum frumenti, duo millia saccorum oryzæ invecta sunt à Gallis: & ibi quidem an maneant induciæ, incerti sumus. At in Montisferratensi territorio pugnari cœptum est, necessariò quidem cùm alioqui Casale periturum Gallis fuerit, unde plus duabus leucis non abest Rossinianum, quod oppugnatum ab Hispanis, sed à Gallis feliciter defensum fuit. Habet Harcurtius, qui in illis partibus imperaturus est, apud se tria equitum, quinque peditum millia, cum iis cepit oppidum Quires dictum & repertos juxta hostium equites clade ferme quadringentorum affecit disjecitque. Id oppidum ab Asta Nova perparum distat. Quid de Casali futurum sit brevi decernet belli fortuna. Eodem dum ista geruntur tempore, aut potiùs paulò ante, XXVII nimirum Octobris, Princeps Condæus cum florentissimo exercitu è Languedocia, XX millium peditatus, equitatus quatuor, venit prope hostium Salzam obsidentium castra: locaque circum eminentia occupavit. Sed sub noctem horribilis tempestas ingentes cum tonitribus imbres effundens militum sine tecto agentium ad centum interemit, cæteros longe lateque ad quærenda perfugia sparsit, coëgitque Principem abductis machinis discedere. Is nunc paulatim disjectas copias recolligit. Pro solatio est, quod ab illis procellis immunes non fuere Hispani, sed genuum tenus inundati morbis tentantur, etiam operum parte corrupta. Res est inter spem & metum; sed metui, ni fallor, aliquanto propior. 20 Octobris Dux Longavillanus cum Vinariensibus Brisaco, post introductos illic Gallos partem præsidii facturos alteram, exiit, & utraque Rheni ripa jussit ire exercitum, sequentibus per amnem machinis. Putabantur quæsituri hostem qui sub Glenio Mercioque ad Nicrum sunt prope Rottembergum. Credunt multi serius quàm oportuit susceptum hoc iter, cujus successus & certiores & majores futuros fuisse dum adhuc longiùs aberat Piccolominæus. Sed adversùs hunc partem equitis sui misit Castilionæus. Ad faciendum Gallis locum exemtæ sunt de Brisaco Fleschemii & Forbusii cohortes. Venit ad me D. Paulus, res Palatini hic agens. Commendavit is mihi Principis sui negotium, quod mihi cordi pollicitus sum fore. Pontifex Gallis perpetuò id flagitantibus promisit Mazarinum, quem ipsi commendant, inter primos Cardinales fore. In Anglia audimus Vicarium Maris Præfecti Penthonum in vincula datum quod non fortiùs intercessere pugnæ navali sub oram Angliæ. At Scoti, ni Dux Eboracensis oblata ab ipsis bona Episcopalia per Scotiam accipiat, dicunt se iis usuros suopte arbitratu. Ita & domi & foris experitur Rex Britanniæ, neque tutiores neque venerabiliores esse desides actuosis. Deus cuncta hæc ad commune bonum gubernet. Idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, favens adsit Tuæ Sublimitati. Lutetiæ 12 Novembris novi Calendarii anni 1639.

Etiam de fine horum bellorum Christianum Orbem miserè vastantium aliquid locutus est Bulionius. Videbatur autem inducias potiùs longiusculas quàm pacem sperare. Elector Palatinus noctem post quintam diem Novembris egit Altissiodori vulgò Auxerres, obliquo ductus itinere, ne qua Regi aut Cardinali qui tunc in itinere erant occurreret. Rex hactenus aquæ potor vinum bibere incipit satis liberaliter & credo valetudini ejus id non adversum fore. Postremæ literæ Longavillanum & Vinarienses ad Philippiburgum ire arbitrantur. Piccolominæi copias esse aiunt ad decem millia. Nec incredibile fore, ut se cum eo conjungat Hasfeldius. Ceteræ Imperatoris & Bavari copiæ VII esse dicuntur millium, cum quibus se conjungunt qui Hohentwile obsidium deseruere & à lacu Constantiæ nonnulli. Exercitus Vinariensis Regem rogat ut per Waertium & Enckefortium libertatem Tubadelio restituat. Quatuorviri qui ei exercitui præsunt habuisse dicuntur à Rege singuli XX millia Pistoriensium. Eo præmio deliniti non multum ad se pertinere arbitrabuntur Electoris infortunium. Oppugnatio illa ad castra Hispanorum Salzam obsidentium malè Gallis cessit, mille hominum jactura. Urbs peste & inedia laborans, spe auxilii amissa, vim hostium ultro non sustinebit.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

REverti Hagam ad stationem veterem Excellentiam Vestram, & ipsi, & rei nostræ gratulor. Palatini Electoris res meritò nos sollicitos habet. Aiunt Regis Galliæ Ministri, facilè se ipsi permissuros fuisse imperium in

Digitized by Google

in Vinariensem exercitum, si fedus sociale Regis Angliæ cum Gallia præcessisset, qua in re penes se moram non fuisse. Quod verò militem suum Rex Angliæ obtulit Gallicis stipendiis, id se pro nihilò habere, quibus satis undique militum suppetat. Et Scotos, si pecunia ostentetur, ultro accursuros. Cæterùm multa in hoc facto incusant, quod non, ut Regem Britanniæ monuerat Bellevrius, à Rege Galliæ impetratæ sint commeatus literæ, quod non apud Angliæ Legatum diverterit ubi Lutetiam venerat Palatinus, uti facturum eum Rex Britanniæ dixerat: quod etiam deprehensus nomen sibi sumserit adscititium: neque dubitant, quin propositum ipsi fuerit, Rege præterito, festinare Genevam & inde porrò ad exercitum, ac si eo, atque urbibus potitus esset, eo pignore, simulque ea ope quam ab Anglia classi Hispanicæ promissam putant, paraturum sibi fuisse pacem propriam, spretis Gallis Suedisque. Horum quid sit, ego non dixerim. Sed doleo onerari fortunam infelicis Domus etiam suspicionibus. Ego si hac in re aliquas concordiæ invenire possim rationes, nulla in re libentiùs positurus sim operam. Dux interim Longavillanus jam imperium tenet, Gallosque in Brisacum & Friburgum, ut partem Præsidii iis in locis alteram faciant, introduxit. Exercitus è Gallis & Vinariensibus compositus utraque Rheni ripa incedit, eodem amne sequentibus eos machinis. Videntur ire adversùs Glenium Merciumque. Sunt ii ad Nicrum. Sed non longè abesse ab iis dicitur Piccolominæus, peccatumque à Gallis, quod non antè quàm is appropinquaret se commoverint. Verùm adversùs partem Piccolominæi copiarum audio mitti equitem Castilionæi, ita ut de bono aliquo eventu spes maneat: multo certè justior, quàm illa de Suedis è Germania ejiciendis qua sibi hostes blandiuntur. De navali victoria non immeritò gaudent Batavi. Ego eam multò pluris quàm aliquot urbes captas fecerim. Apud Anglos satis intelligo excusationem eorum non esse improbam, ex summo periculo quod adibat res ipsorum, imminente de tam propinquo ipsorum littoribus classe hostili, tam valida. Sed difficilis est apud infensos animos omnis de jure & æquo disputatio. Et audio Penthonum Vicarium Marinæ Præfecturæ carceri mancipatum quod non viribus obstiterit pugnæ. Quantopere autem Batavis cordi esse debeat cura maris, hoc quod adiere discrimen satis indicat. Dantiscani, ni fallor, rediment se quanti poterunt minimo, non sine damno commerciorum. De Turca & ego nihil audio. Quid pro Principe Ruperto sperandum est à Gallis hoc tempore, qui & ipsum ejus familiæ caput detinent? Scoti dicuntur bona Episcopalia, nisi ea accipiat Dux Eboracensis, pro suis habituri: quod non sine magno dolore conspecturi sunt Angliæ Episcopi. Inter multa classis Hispanicæ mandata, quin & illud de Amaso intrando fuerit, non dubito. In Montisferratensi agro bellum recalescit. Habet ibi Harcurtius quinque peditum, tria equitum millia; cum iis ad vicina Astæ Novæ progressus, ad reperiendum iter versùs Casale, cepit in eo itinere oppidum cui nomen Quieres, ceciditque hostilis equitatus quadringentos, disjecit cæteros. Ad eximendam Salzam obsidioni Hispanorum, egregium sanè exercitum è Languedocia collegerat Princeps Condæus, ad xx peditum millia, equitum quatuor. Sed simul, cum iis, ad castra hostilia pervenerat, die scilicet Octobris 24, sub vesperam, ita ingentes cum tonitribus de cælo cecidere imbres, ut militum non pauciores centum, quippe nullo tecto defensi, subitò interierint, cæteri autem longè lateque diffugerint, quos nunc recolligit Princeps. Hispani & ipsi genuum tenus inundati fuere, operibus quoque multùm corruptis. Quæ an illi prius resecturi sint, an verò celeriùs Princeps recompositurus dispersas copias, de ea re, deque hujus obsidii inde pendente exitu, nuntios exspectamus. Excellentiæ Vestræ pro tam propenso in meos animo gratias ago cunctaque precor prosperrima. Lutetiæ 12 Novembris 1639.

Princeps Elector noctem 5 Novembris egit Altissiodori. Inde hac venit lentis itineribus magno comitatu. Laboramus omnes ut alibi potiùs in ipsa hac Vrbe quàm in arce Silvæ Vicennensis habeatur D. Elector, donec mandata super ea re loquendi Legatus Anglicus acceperit. Literæ certè quas D. Elector Regi scripsit & Cardinali non ingratæ fuerunt. Oppugnatio castrorum Hispanicorum ad Salzam malè Gallis cessit. Mille ibi perierunt: sublataque auxilii spe, urbs vim hostium pestemque & famem haud ultra sustinebit. Putatur Hasfeldius se cum Piccolominæi exercitu qui x millium est, conjungere.

Excell. Vestræ ad perpetuam observantiam obligatissimus H.G.

D. MVLLERO.

Nobilissime Domine,

MEmor & beneficiorum quæ à Nobilitate Vestra ac- 1278
cepi & ipsius animi optimè mihi volentis, non potui sine magno dolore intelligere læsam ejus valetudinem, quam ut summus vitæ Arbiter in melius restituat seriò precor. Si commodiora intervalla nos distinguerent, accurrerem ad præstanda omnia quæ amicus amico potest officia: nunc cùm id non liceat; supersunt ad Deum preces quas spero fore non irritas. Magno etiam D. Cancellario opto ut pedes capiti respondeant, id est valeant vigeantque. Interpellavi sæpe Sublimitatem ejus de necessitatibus meis: miror tanto tempore nihil me accepisse responsi. Si dum Legatione adhuc fungor & Regni interest, ut eam cum dignitate sustineam, tam miserè trahor quid exspectandum erit uxori liberisque meis si quid mihi humanitus evenerit? Quare & Illustrissimi Domini Salvii & Nobilitatis Vestræ opem imploro ut his non incommodis tantùm, sed in præsens anxietate, in futurum metu liberer; si tamen huic Legationi videor idoneus, qua levari multò mihi sit satius, quàm pro cura ac labore malum pretium referre curas & labores alios. Cùm verò D. Spiringius inimicitias prope capitales cum uxoris meæ fratre D. Reigersbergio susceperit, non est quod multum benignitatis sperem ab homine inimicitias quàm amicitias latiùs extendente. Galli assilire volentes Hispanica ad Salzam castra, ita nocturnis immensis imbribus partim interemti sunt, partim disjecti, ut ad recolligendas copias tempore opus sit futurum. Interim promovet se hostis. Vale Vir Nobilissime, cum nobili uxore ac domo omni. Lutetiæ 12 Novembris 1639.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

REgi ab itinere reverso & literas Augustæ Majestatis 1279
Tuæ binas in Augusto mense scriptas tradidi & negotium utrumque comprehensum iis literis sedulo commendavi. Et de exercitu quidem Ducis Vinariensis non multum mihi laborandum fuit. Curat enim eum Rex, ut suum. De negotio D. Marescalli Hornii Rex, prolixam voluntatem testatus, cum Concilio suo se acturum dixit. Prævideo difficultates, tum quia D. Feuquerius adhuc in hostium est potestate, tum quia exercitus Vinariensis per Iohannem Waertium, & Enckefortium libertatem Tubadelii obtineri posse sperat & in id enititur. Ego Regi ostendi captivos istos duos à Duce Vinariensi, qui eos ceperat, in id fuisse destinatos ut Marescallo Hornio eorum commutatione redderetur libertas. Credidisse Ducem plurimum id ad suam pertinere gloriam.

Itaque hanc suam voluntatem significasse Majestati Tuæ. Scripsisse eundem ac misisse ad Regem sæpius ad eam rem promovendam. In hac ipsa voluntate finisse eum dignissimam æternis laudibus vitam. Non desistam apud Ministros Regis urgere hoc negotium. Mitto & literas eorum qui exercitui Vinariensi præsunt: unde intelligat Majestas Tua, quantum sibi jus in exercitum ipsum & in ejus tractus urbes Rex sibi acquisiverit. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, Majestatis Tuæ vitam, valetudinem ac res perpetuò prosperet. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Novembris 1639.

Augustæ Majestatis Tuæ subditus obedientissimus ac submississimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1280 APud Salzam major accepta est clades quàm tulit prima fama. Nec mirum cum castra defensa munimentis præjacentibus machinisque multis, peditum millibus sexdecim, equitibus bis mille claro die assultaverint Galli, quibus equitatûs ferme tantundem erat, peditum aliquanto minus. Quin urbs jam dedita sit Hispano non dubitatur. Damnum hoc grave solantur prospera alibi. Nam & Harcurtius, hoste qui octo secum habebat millia, non auso contra ire, in Casale intulit equites, ut dicitur mille, pedites totidem & quæ alia urbi necessaria: & Longavillanus una cum Vinariensibus capto oppido Germeshemo, arcem verberat. Ex cæteris Gallicis exercitibus milites partim in hiberna ivere, partim ad vindicandas Normanniæ & aliorum locorum seditiones. Quo die ego apud Regem mandata Reginæ Dominæ nostræ pro exercitu Vinariensi, proque D. Marescallo Hornio exposui, auditus à Rege fuit & Angliæ Legatus Comes Licestrius super negotio Principis Electoris Palatini. Galli id negotium trahunt: neque hoc tantùm sed & duobus Electoris fratribus qui hic equitare & arma tractare discunt, interdictum est ne quo discedant & qui eos docet jussus eos quocunque eunt comitari. Etiam Paulius Electoris consiliarius qui apud exercitum fuit, quæri dicitur. Tanta cautio est ne quis turbet novum Regis imperium in illis partibus, quod quale sit, cognoscet Sublimitas Tua ex iis quæ Erlachius collegæque scribunt & ex pactis quæ transmittunt. Creditur Piccolominæus jam junxisse se cum Hatsfeldio & ire ad Pilsam liberandam. Exercitus Bavaricus ad Pforshemum esse dicitur. Colligi præterea ab Imperatore, Hispano & Archiducissa copias ad XII millia equitum, XXX millia peditum, ad tuenda quæ lacui Constantiæ sunt adsita, Burgundiæque Comitatum & recuperandam Alsatiam & Brisgoiam. Hispani ad eam rem Mediolani militem conscribunt & necessaria parant. Sed bene evenit, quod illis nova ibi negotia objiciunt Galli, ad quos trans Alpes multum pulveris bellici missum est. Qui hic est ab Etruria Legatus speravit futurum ut & ego & Angliæ Legatus eum priores salutaremus, sed cùm id præter morem hic esset, abstinuimus. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ semper fautor adsit. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Novembris 1639.

Dixit Cardinalis Maserato qui hic Sabaudæ res agit se ab universalibus induciis non esse alienum. Hautefortiam Rex ab Aula jussit discedere, quod Reginæ addictior crederetur. Putatur & Glenius se juncturus cum Piccolominæo & Hatsfeldio. Princeps Condæus suum exercitum dimisit. Electori Palatino Cardinalis significari jussit, res ipsius in melius ituras. Dux Lotharingus Sirici est. Non desinunt commeare inter eum & Galliam Nuntii. Habere scribitur Hatsfeldius sex hominum millia. Glenius & Mercius sex peditum, quatuor equitum millia, machinas XXIV. Constantia civitas & Hispanicum & Bavaricum præsidium recusat.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H.G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

MAgno in mœrore hic sumus, manente adhuc Prin- 12
cipis Electoris captivitate, quanquam quæ ab Anglia ea de re habebat mandata Regi exposuit Illustrissimus D. Comes Licestrius. Sed Galli omnino volentes firmare quæsitum sibi in exercitum Vinariensem urbesque imperium, non modo hoc negotium trahunt, sed & fratribus Electoris dedere qui eos observent, vetitis hinc discedere. Nec video quomodo sanari possit hoc novum vulnus, inflictum infortunatæ Domui, nisi Rex Angliæ in fedus cum Gallia veniat, qua de re nihil dum quale velim intelligo. Gallorum major quàm primulit fama, fuit ad Salzam clades, validis quippe hostium castris machinisque & majore ea defendentium quam oppugnantium numero. Sed hoc damnum pensatur illato in Casale præsidio, ad mille equites, pedites totidem, ac rebus necessariis cæteris, hoste non auso contra ire, cùm octo quæ secum is habebat militum millibus: multum bellici pulveris ad Gallos qui trans Alpes sunt missum est. Præterea Comitatus Vinariensi milite Dux Longevillanus Germeshemium cepit oppidum, arcem oppugnat. Sed creditur junxisse se cum Hatsfeldio Piccolominæus & ad Pelsam ire. Bavarici ad Pfershemum errant. Mediolani autem & in Tiroli atque ad Constantiensem lacum multus dicitur miles scribi ad recuperandam Alsatiam, ut quidem Cæsariani & Hispanici evulgant ad XXX peditum, XII equitum millia. Sed hæc supra verum augeri credibile est, & partem eorum distinebunt novi isti per Italiam Gallorum conatus. Haud dubiè ingens est victoria quæ Batavis mari contigit, magnasque dat occasiones tentandæ etiam longinquis in locis fortunæ maritimæ. Et illorum quidem res egregiæ: aliis in locis omnibus miserandæ sunt res Protestantium, qui apud Rhætos succumbunt, apud Helvetios languent, in Britannia Germaniaque inter se dissident feraliter.
Vinariensium autem Præfecti ita pecunia Gallica ductari 12
se patiuntur, ut Palatinæ Domui ab illis nihil boni sperem. Suedis honorificum est, quod hostis prælium cum ipsis defugit, pacem autem ab ipsis petit. Pro Principe Ruperto, etiamsi quid bonæ voluntatis Gallis fuisset, id vereor ne dispellant novæ istæ nubes. A Dano Polonoque Batavis nihil nisi longas moras & sine rebus verba augurор: neque verò puto pro illis esse id quod nuper inter Daniam Angliamque coiit fedus. Cardinalis spem propinquæ libertatis significavit D. Electori. Creditur Hatzfeldius habere sex millia militum: Glenius autem & Mercius sex peditum, quatuor equitum millia, machinas XXIV. Horum Glenius dicitur se cum Piccolominæo & Hatzfeldio juncturus. Constantia Civitasque ab Hispano neque à Bavaro ut præsidium acciperet, induci quivit, velut sibi tutandæ sufficiens. Sociabo cum ipsis Excellentiæ Vestræ votis mea pro bona pace, ipsique omnia precabor felicissima. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Novemb. 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H.G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

SIcut ex D. Mulleri morte plurimum dolui, tum ob summas viri virtutes, tum ob sinceræ amicitiæ testimonia, quibus me sibi devinxerat; ita temperamentum huic mœrori admoverunt res nostrorum prosperæ, quas nuntiat epistola Excellentiæ Vestræ data 2 Novembris ex Calendario novô, cui accedit quod in eadem epistola Excel-

Excellentia Vestra in se suscipit laborem, tam mihi utilem, quàm ipsi in tantis negotiis gravem, edocendi me de his rebus quæ posthac gerentur. Magno haud dubiè in rem communem usui est illa illustris Batavorum parta mari victoria. Exspectamus autem nunc an Anglia excusationem ex necessitatis validissima lege desumptam sit acceptura: deinde an apud Danum ac Polonum Batavis plus auctoritatis an plus invidiæ datura sit hæc tanta felicitas. Hatzfeldium, ni fallor, cum Piccolominæo brevi in Bohemia habebitis ad firmandas res suorum ibi labescentes. De D. Landgraviæ deliberationibus video adhuc incertam hærere Galliam: quod si ad sua tantùm tutanda cum Lunæburgico conspirat, haud multum inde ad nos perveniet boni, sed de Hilleshemensi territorio credibile est leniùs acturum Imperatorem. Pacem bonam atque communem Deum seriis precibus exposco, miseratione tot innocentium populorum, quos belli mala tam graviter ac tamdiu premunt. Quod si eam negat hostium iniquitas, ferenda sunt humana humanitus. De Anglis eadem Galli queruntur quæ Excellentia Vestra, offerri iis naves inutiles, aut militem sine stipendio, revera societatem non in bello sed in victoria. Sed, nisi fallor, Electorem Palatinum haud facilè reddent cœlo libero, nisi loquantur apertiùs. De pecuniario meo negotio scripsi aliquoties ad Magnum D. Cancellarium. Crescunt quotidie erogationes, mihi intolerabiles, & pro futuro perpetua anxietas, quibus nisi remedia adhibentur, neque Regni dignitas, ita ut oportet, à me defendi poterit, neque animus satis se intendere negotiis, multò minùs ad alia molienda, quæ genti Suedicæ suum decus apud posteros adstruant. Hæc in Excellentiæ Vestræ, ut mei amantissimæ, sinum deponenda credidi, optans ei, non tantum à talibus tricis, sed & à malis omnibus immunitatem, resque felices. Lutetiæ 26 Novembris 1639.

Excell. Vestra perpetuò observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

83 TRes Palatini fratres Electorem viderunt, sed locuti ei non sunt sine arbitris. Horum trium Mauritius Princeps in Bataviam it, Bannerii, ut mihi dixit, castra petiturus. Ita Galliam metu liberat, suspectus & ipse ne se ad Vinariensem exercitum transferret, rebus ibi Gallorum nondum quantùm vellent stabilitis, multis enim militum displicet externa hæc potestas & Pontificii ducis imperium, ita ut jam mille eorum dicantur ad Cæsarianos transiisse: planeque timendum est ne exercitus ille paulatim diffluat, pars autem Gallorum cohortibus ac turmis misceatur. Electori cum custodibus ambulare nonnunquam conceditur, ego me quietum teneo, videns & Gallos, lætos tantis pignoribus, moram facilè pati, & ab Anglis nihil proponi quod spem faciat ad res mitigandas. Si Rex Angliæ alium exercitum velit dare Electori, aut tantum contribuere ad augendum alendumque exercitum Hassicum, ut id imperium adipisci possit Elector, eam credo ad recuperandam captivo libertatem viam fore facillimam. Harcurtius cùm multum militis Casali ac vicinis in locis reliquisset, inde rediens, in oppido Quieres circumsessus ab hostibus non sine suo suorumque periculo scribitur. De Marescalli Hornii negotio nihil mihi respondent Galli. Timeri posset ne Anglus Hispano se conjungeret arctiùs, nisi retineret eum metus à Scotis malè parentibus, quorum in Parlamento acta, invitus quanquam, probavit tamen: neque difficile foret Gallis ac Batavis ignem illum admotis flabellis accendere. Eodem tempore cum Aula Romana controversia incidit & Gallis & Hispanis. Gallici Legati domesticus nobilis, quod quosdam familiares suos vi defendisset, ne à Romanorum Magistratuum ministris caperentur, ab iisdem ministris in via quadam occisus est. In Portugallia autem interdictum fuit omnibus ne panem, obsonium, vinum deferrent ad Vicenuntium, ideo quod is contra Regis voluntatem excommunicationis telo ad res suas promovendas uti cœpisset. Gallica controversia ad transactionem spectat aliquam, promisitque Pontifex inter Cardinales novos futurum Mazarinum, qui in Gallia antehac Nuntius Cardinalis Riceliaci summum favorem emeruit. Fama est arces Germesheim & Didesheim à Longavillano captas: iique adversùs Neustadium & Landaviam. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Regni Sublimitatisque Tuæ rebus faveat. Lutetiæ 1/11 Novembris 1639.

Speraveram per D. Mullerum intellecturum me placita Sublimitatis Tuæ, super rebus meis, non dicam privatis, quando in illis & publica Regni dignitas vertitur. Nunc illo mortuo cogor iterum aures Sublimitatis Tuæ pulsare, ut & in præsens damno, & in futurum metu lever. Salza honestis pactis dedita est, commercia autem cum externis omnibus, etiam hostibus restituta, unde pacem plebs sperat. Postremis literis nuntiabantur Hatzfeldius & Piccolominæus esse ad Norimbergam, Coningsmarckius misisse de suis qui arcem Mansfeldiam hostium obsidioni eximerent. Glenius hybernaturus in Suevia. Galli classem reparant in annum venientem: multum frumenti colligunt Meti: ex permissu commercii sperant ad subditos Regis venturos XL milliones florenorum intra semestre spatium: minuto aureorum nummorum pretio de argenteorum nova æstimatione deliberant, & de vetando vestium ornatu ex auro argentove. Habere scribitur Piccolominæus 11 millia equitum peditum IV. De Feuquerio liberando contra Enckefortium hic agitur. Quædam Normanniæ oppida milites excludunt, pœnæ metu. Ianvillius Guisii Ducis filius & hæres futurus si vixisset, obiit Florentiæ. Rumor hic quidem est de Longavillano non bonus, sed necdum certus. Galli capto Neustadio Landaviam ab eo obsideri aiunt. Hostem venire obsessis auxilio.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

EPistola Excellentiæ Vestræ scripta 14 Novembris 1284
multis modis mihi grata fuit, eoque magis, quod tam bonas spes adferat de Praga & Pilsena. Rumor hic est Hatzfeldium & Piccolominæum junctos ad Schleuningam in Bohemiam pergere. Glenium in Suevia hyberna sumere: à Longavillano captas arces Germesheim & Didesheim: obsideri Landaviam & Neustadium. De rebus Serenissimi Electoris Palatini, accedo judicio Excellentiæ Vestræ, malum fuisse, quod ei datum est consilium, sine consensu Suediæ Galliæque parandi sibi imperium in Vinariensem exercitum. Itaque nunc Paulius qui ea de re missus ad exercitum fuerat in ædibus Legati Anglici latebras servat, metuens ne & ipse capiatur, ad cognoscenda quæ acta sunt. Elector autem custoditur acriter, sed ita, ut interdum aperto fruatur cœlo. Videre eum tres qui hic sunt fratres, tenui ob arbitros colloquio. Eorum Princeps Mauritius, suspectum & se Gallis videns ne ad exercitum Vinariensem penetraret, commeatum accepit ut eat in Batavos, inde in Bannerii castra, optimum nunc militiæ exemplar. Militum Vinariensium multis displicent quæ à ducibus suis acta sunt, & si Pontificiis parendum est, Cæsari parere, quàm externo malunt nonnulli. Itaque ad eas partes mille admodum se transtulere; ita narrat frater Ehmii, qui hic est. Salza dedita est pactis: ducenti ferme milites exiere,

cæteros pestis & arma absumpserant. Harcurtius autem, postquam Casali prospexerat, in Queres oppido à Principe Thoma pœne obsessus est, quia multum imminutæ per relicta præsidia ejus sunt copiæ. Non extra periculum esse dicitur. Rex ut subditorum suorum paupertati subveniat commercia cum hostibus ad Batavicum morem libera esse voluit. Illustrissimus Comes Licestrius minus rectè valet: laborat tamen quantum potest in Electoris negotio, de quo sperem bene, si Rex Angliæ sua pecunia ei alium vult comparare exercitum. Ne ad Hispanos is Rex se vertat, tum alia eum retinebunt, tum Scoti; quos sanè metui necesse est, quando à Rege expressisse dicuntur approbationem omnium quæ in Parlamento decrevere. Landgraviæ consulta nos hic sollicitos habent, cæ ex eo quod cum ipsa agetur, & ex illis consiliis quæ capientur super Gallico fœdere producendo aut abrumpendo, pendebit & illa de Batavico fœdere deliberatio. Et Hispano & Gallo cum Pontifice dissidia sunt. In Hispania natis super jurisdictione controversiis, vetuit Rex Hispaniæ ne quis suorum à Nuntio, qui ibi est, ulla Brevia acciperet: & cùm qui in Portugallia Nuntii vices gerebat excommunicatione se vindicaret, vetuit idem Rex ne quid esui aut potui ad eum deferretur, priusquam eam excommunicationem revocasset. Romæ autem à magistratuum apparitoribus in via publica interfectus est Legati domesticus nobilis, qui ante per vim impedierat ne amici quidam sui ab iisdem ministris caperentur. Ea de re gravissimè conqueritur Galliæ Legatus, & eum hac quidem in re adjuvat Legatus Hispaniæ. Sed hæ tempestates facilè desævient. Nam & Pontifex regibus habet opus & Reges Pontifice uti volunt. Capto Neustadio Landaviam obsedisse Longavillanus, sed supervenire ei hostis dicitur, incerto adhuc exitu. Piccolominæus habens duo equitum, quatuor peditum millia, & cum alio exercitu Hatzfeldius Norimbergam prætergressi sunt. Galli posito in aureos nummos pretio etiam de argenteorum æstimatione deliberant & de vitando auro & argento in vestium ornatu. Classem etiam in annum sequentem parant, multumque frumenti ad Metim convehunt. Deus cuncta ad bonum Christiani Orbis gubernet, Excellentiamque Vestram cum omni ejus domo faveus protegat. Lutetiæ 26 Novembris 1639.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

1285 MItto ad Te, Virorum quos novi atque amicorum optime, nostros de Iure belli & pacis libros emendatos, & annotata satis liberalia ad confirmanda per historias, non tantùm veteres, sed & recentiores, ea quæ diximus. Hæc videas, rogo, & siquid emendandum judicabis me pro amicitia moneas. Hoc autem mihi *κέκριται* [*judicatum est*]. Primum curavi, ut edantur tria scripta *ἀνώνυμα* [*anonyma*] de Antichristo, de Fide & operibus, de Decalogo. Deinde annotata ad quatuor Euangelia: postremò verò hæc quæ nunc mitto. Vale Vir summe, pro cujus valetudine & rebus prosperis ardentissima ad Deum vota facio. Lutetiæ 30 Novembris 1639.

Nescio an videris Christum patientem nostrum versum à Saudesio Anglicè, & Regi Magnæ Britanniæ dedicatam. Magno favore is liber receptus est; & deliberatur de vertendis nostris illis de jure belli ac pacis. Non dubito quin omnia nostra ibi multos sint lectores inventura.

Tuissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1286 NOn solo Gallorum consilio, sed ex consensu hostium quoque, restituta commercia inde apparent, quod eodem tempore per Hispaniam Belgicamque paria publicata sunt edicta. Iudicant plerique à Pontifice id confectum, ad struendam viam induciis universalibus. De Salza certè mirum quod nunc dicitur, teneri adhuc à Gallis eam urbem, nisi arcanæ pactionis aliquid intervenerit. De Comite Harcurtio nihil habemus, nisi ex oppido Quires, in quo hostes eum circumsederant, viam sibi quæsiisse prælio, cujus adhuc exitus ignoratur. At Dux Longavillanus ad Glenii adventum retro cessit, amissis commeatibus bellique instrumento quod navibus vehebatur. Ita Germeshemum & Neustadium, & siqua minora ibi capta erant, redient ad hostes. Ipse Longavillanus circa Metim hyberna quærere dicitur, nec abest metus, ne, qui cum eo sunt Vinarienses, aut diffluant, aut Gallorum se numeris addant, pedites maximè, quorum res tenues sunt; equitum lautior fortuna, qui nuper partim sub Rosa, partim sub Nassavio centum hostium aliquot ceciderunt. De Turcarum irruptione in Hungariam sermones hic sunt, sed parum fidis auctoribus. De Coningsmarckio nihil scribo, quando is nunc in Westphalia, non longè à Batavis, esse dicitur. Audio cum dolore, non tam firmam esse quàm vellemus, quamque publico expedit, Sublimitatis Tuæ valetudinem. Eam ut restituat, Excellentissime & Illustrissime Domine, Deum immortalem precor, simulque ut Regni res prosperet. Lutetiæ 3 Decembris ex novo Calendario 1639.

Exspecto duo glossaria Gothica perveteri manu. Ea si accepero, simulque privatis curis quibus premor hactenus per Sublimitatem Tuam liberer, spero nobilissimæ Gentis antiquitatibus non parum à me lucis accessurum. Harcurtium aiunt cæsis hostium ter mille, non multis suorum amissis, à fame imminente se liberasse, & pervenisse Carignanum, ubi necdum satis in tuto est: & de ipso prælii eventu sermones sunt ambigui. Seditiosorum numerus in inferiore Normannia crescit, ad xx, ut dicitur, millia, duce Presbytero. Scotorum delegati Barones duo ad Regem infensum actis eorum Parlamentariis Regiæ potestati directè adversantibus, admissi non sunt, jussique ab Aula abscedere. Id vereor ne in bellum redardescat. Quid Anglia velit, parùm adhuc liquet.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

EX literis, quas Excellentia Vestra 21 Novembris ad me dedit, video ejus mœrorem, sanè justissimum, ex infortunio hoc Principis Electoris. Non possum satis misereri Bohemiæ Reginam, quæ tantis rebus eversis, ad ingentes calamitates tantum accessionis accepit ex filiorum duorum imminuta libertate. Deus spero, & qui secundum Deum plurimum in hac re potest, Rex Angliæ tandem respicient diu afflictam Domum. Nullam magis profecturam Reginam Bohemiæ puto, quàm apud eum Regem precibus hortatibusque continuis. Si aut novum exercitum Principi Electori dare velit Rex Angliæ, aut Regalibus copiis augere eum quem habet Landgravia, quæ nobiscum arma resumtura speratur, posse, credo, Elector unà cum libertate dignum se imperio adipisci. Illustrissimus Comes Licestrius consilia Serenissimo Electori data improbat, sperans id valiturum ad emolliendos Gallorum animos. Nihil dum impetratum aliud quàm quod interdum sinitur Elector cœlo frui sub custodibus. Cætera ab Anglia, ut dixi, exspectanda sunt. Cui doleo novas nasci cum semipopularibus Scotis controversias, quas metuo ne in bellum rursus erumpant. Eos qui consilio Regis Britanniarum nuper sunt additi, viros patriæ amantes esse affirmat Comes Licestrius,

ſtrius, habens inter eos affinem propinquum Northumberlandium. Dux Longavillanus adventante Glenio cedendum judicavit, damnumque fecit commeatuum & belli paratuum qui amne vehebantur, nec minùs oppidorum quæ ceperat, Germeshemii & Neuſtadii & ſiquid ibi erat præterea. Creditur autem idem Dux in Metenſi agro capturus hyberna. Metuendum verò, ne peditatus Vinarienſis tam longè abductus à Briſaco locisque Briſaco vicinis, paulatim aut diffluat, aut Gallorum ſe numeris addat. Eques paulò meliùs ſe ſuſtentat, lateque ſe diffundit: cæſique jam bis, ter, ab iis hoſtes, partim Roſa ductante, partim Naſſavio. Harcurtius ex Queri oppido exitum ſibi quæſivit prælio, cujus exitum nondum plenè ſcimus. Galli, ut ſolent, ſe victores publicant, qui nec credere nos volunt, quæ de Salza dedita allata nuper fuerant. Vidi Regis Daniæ literas ad Legatos Batavos, non alio propoſito, quàm trahendi negotium. Batavis haud dubiè creverint animi, tam illuſtri victoria: utinam ſimul & curæ pro maris rebus in poſterum. Siqua Excellentiæ Veſtræ cum Polonico Legato intervenerint colloquia, gaudebo de iis doceri, ut quid mihi quoque agendum ſit norim. De Turcarum in Hungariam irruptione rumores hic ſunt, magis credo quod optetur res quàm ſciatur. Spero D. Hagæ virtutibus ac meritis honorem apud ſuos fore. D. Bannerius metuo, ne de ſui tutela potiùs quàm de impetendis hoſtibus cogitare cogatur, ad veteres hoſtium in Bohemia vires ſuperventantibus Hatsfeldio Piccolominæoque. Literas Electoris ad Regem nondum quivi indipiſci. Harcurtium aiunt, cæſis hoſtium ter mille, perveniſſe Carignanum, liberatumque ſic à gravi famis periculo. Dolens intelligo Scotorum Legatos ad Magnæ Britanniæ Regem non admiſſos, juſſosque diſcedere. Cum Excellentiæ Veſtræ votis mea conjungo pro pace communi ac bona, ſimulque ipſi omnia precor feliciſſima. Lutetiæ 3 Decembris 1639.

Excell. Veſtræ omni obſervantia addictiſſimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobiliſſime Domine,

1288 SI quàm benè ego volo liberis Civitatibus tam benè res eis procederent, etiam Veſtræ Civitatis res loco eſſent non paulò meliore. Quare & quod literæ Nobilitatis Veſtræ datæ 10 Novembris ſignificant ſpes vobis bonas oſtendi è futuris, de eo non mediocriter gaudeo. Claſſis Hiſpanicæ conſilia non arbitror in mare Balticum fuiſſe directa, ſed in Batavorum inſulas orasque maritimas & in Amiſiam amnem: ſed ſi prima ſucceſſiſſent, haud dubiè erant pro occaſione longiùs auſuri. Quare habent quod ſibi de navali victoria omnium quæ Batavis obtigerunt illuſtriſſima gratulentur quotquot ſunt, qui Auſtriacam magnitudinem acciſam quàm auctam conſpicere malunt. Cæterùm ingens hoc decus plusne in Anglia, Polonia & Dania auctoritatis allaturum ſit Batavis, an invidiæ, adhuc inter incerta habeo. Polonus certè Legatus quas literas ad Batavorum Rectores tulit, adeò non ad eorum guſtum fuere, ut audientia ei non ſit data: unde intelligere facilè poteſtis Batavorum gratiam apud Polonos haud tantam eſſe, ut multum veſtris rebus opitulari queat, niſi ab ipſorum armis nunc cummaximè felicibus motus accedat. Baltici maris poſſeſſio multos inveniet certatores. Suedis ſua littora curæ ſunt. Legatum autem Polonum non arbitror huc venturum fuiſſe, niſi conficiendi, propter quod mittitur, negotii, bona hinc ſpes eſſet data. Miror audaciam Ieſuiticæ juventutis, Vilnæ maximè. Ea res apud bonos odium grave conciliabit Societati, cujus ſæcularis periodus nuper admodum Romæ celebrata eſt, ingentibus Legatorum tam Galliæ quàm Hiſpaniæ pro ea ſtudiis, gaudiique ſignificationibus. Si qua ſuper hoc facto judicia aut decreta fient, non ingratum erit ea cognoſcere. Annus qui imminet multos nobis de pace ſermones pariet, quos utinam res æquis legibus ſequatur. Lutetiæ 10 Decembris 1639.

Tuæ Nob. ad omnia officia paratiſſimus H. C.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

COmmovit non parum hanc Aulam perlatus huc nuntius, diſplicuiſſe valde in Suedia pactiones Gallorum cum Vinarienſibus, per quas tota vis imperii militaris & in urbes ad Gallos tranſiit. Solet interdum tempeſtates tales excitare D. Davauſius, ut ipſe eas poſtea induſtria ſedaſſe videatur. Ego mihi ea de re loquentibus dixi, nondum accepiſſe me è Suedia aut mandata ſuper ea re diſſerendi, aut etiam Excellentiſſimorum Dominorum Regni Rectorum judicium ſuper illis pactionibus. 1289
Vrbs Taurinorum ex arce globis petitur, non ſine turrium atque ædium ruinis. Spargitur hic rumor de Longavillano, quaſi Magontiacum obſidente, ſed credunt plerique id quod & nuper ſcripſi eum ad Metim hyberna quærere. Res Electoris Palatini nihil mutatur, nec quicquam adhuc ab Anglia audimus, quod nobis ſpem det meliorem. In Vinarienſi exercitu ſunt quibus hoc Principis Palatini infortunium dolet, ſed communi eorum nomine nihil hic ea de re agitur. Scotici motus ad reſumenda arma ſpectare videntur; ea res metum multis injicit, ne Rex Angliæ, domandis Scotis ſolus impar, quibus ob Religionem Batavi, ob veteres amicitias & ſperatas utilitates Galli non parùm favent, ad Hiſpani amicitiam apertiùs ſe vertat. Ragotskium aliquid auſurum in Hungariam vix credibile facit frigidè acceptus Conſtantinopoli Legatus ejus, contra magno cum honore Cæſarianus internuntius. Turcæ adhuc apparatus mari magis quàm terra bellum ab eo exſpectari jubet, in Melitem fortè. Bavarici ad utramque Rheni ripam ſunt & Argentoratenſibus amnis uſum quantum poſſunt præcludunt. Epiſcopi Baſileenſis terræ à Vinarienſibus aliquoties vexatæ, contra autem belli inſtrumenta quæ ad Vinarienſes ibant, detenta Badæ, iras & minas inter hos & Helvetiorum Pontificios peperere. Galli Epiſcopo ſuum favorem promittunt, dum per ejus terras iter hominibus rebusque habeant. Hiſpani vulgant prælii apud oppidum Queres æquale fuiſſe damnum. Sit ut ita ſit, multum tamen effecit Harcurtius quod evaſit. Pars ſeditioſorum in Normannia cæſa eſt à Regiis, captus & dux eorum qui Presbyter erat Morellus nomine. Caſtilionæo in Mouſonum inſidiæ non ſucceſſerunt. Ducis Lotharingi copiæ in Luxemburgico & Treverico agro hyemem tranſigent. Mazarinus hic exſpectatur de pacis rebus acturus. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, res Regni, Reginæ Tuæque Sublimitatis ſecundet. Lutetiæ 10 Decembris 1639.

Sæpe moleſtus eſſe cogor Sublimitati Tuæ de re pecuniaria in præſens ac futurum, non meæ tantùm tranquillitatis, ſed & decoris publici cauſa. Rex Galliæ iterum mihi liberalitatem ſuam obtulit. Excuſavi, non ſpero futurum ut cogar mutuum ab eo accipere quod dono habere potui. Venit huc hodie ex Anglia Windenbachius filius Secretarii Status Regii in Anglia, cum ſui Regis ad Regem Galliæ & ad Electorem literis. Parùm favorabilem eum facit rumor, patrem ejus ferens Hiſpanis amiciorem quàm Gallis. Audimus colluctatum cum Hallerio Ducem Lotharingum. Glenium Guſtavoburgi eſſe. Captum à Longavillani copiis Oppenhemum, & Alzhemum & Bingam, à Vinarienſi milite Therbachium ad Moſellam, à Coningsmarkio Hervordum & Bilefeldum: fruges è Gallia illatas Metim partim ab hoſte inter-

interceptas. In prælio ad Abrincantos contra seditionis populares multi viri nobiles cecidere: inter alios Marchio Curtamerius. Piccolominæus apud Rotteburgum transiisse dicebatur. Susurratur aliquid de induciis apud Salzam. Rex Nuntio Pontificio aditum ad se negavit ob ea quæ Romæ acta sunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1290 Literas Excellentiæ Vestræ quæ 18 Novembris diem adscriptum habebant, die novi Calendarii 28 scriptas ex aliis quas indidem eodem tempore accepi conjecto. Res Serenissimi Electoris, magno cum dolore nostro manet eodem, id est, malo in loco, Gallis res suas quovis modo promoventibus; Anglis autem testantibus nolle se cogi. Præter hujus mali sensum, recrudescentes, ut videtur, Scotici motus, non leviter nos terrent, ne Rex Angliæ aliò se vertat, quàm quò nobis expedit. Vna spes nos solatur, non semper irritas fore apud bonum Fratrem Reginæ Bohemiæ tot modis afflictæ preces. Quod si Rex Angliæ ad res externas ea quæ vellemus capiat consilia, id scire & malis internis pro remedio erit. In Vinariensi exercitu sunt haud pauci quibus dolet casus Electoris: sed communi eorum nomine nihil hic ea de re agitur, omni studio in pecunias quærendas verso. Sueviæ Rectores quid decreturi sint, tum super illis pactionibus per quas Galli suas magis quàm sociorum res promoverunt, exspecto. Bavari ad utramque sunt Rheni ripam: pars eorum & Argentoratensibus arctos faciunt aditus. De Longavillano variant rumores; alii Crutzenachum, alii Magontiacum ab eo peti credunt. Plerique ivisse eum ad Saram & in hyberna. Sua Dux Lotharingicus in Treverico & Luxemburgico agro capturus est. Quod de Bavaricis dicitur, eos prælium defugere, vereor ne de Gallis sit verius. Iidem & Episcopo Basileensi ut tutus vivat suam opem pollicentur, dum per ejus terras ad se hominibus commeatibusque iter sit liberum. Tum verò Mazarinus hic exspectatur de pace acturus. Pontificii Helvetii magno & in populares suos & in Vinarienses & in Gallos ardent odio. Quominus id prodant obstant Gallorum res secundæ. Eluduntur interim Gallorum & Sabaudorum querelæ de perfidia Amrini, qui cum tota cohorte sua Helvetica, cùm urbs Taurinorum caperetur, à Vidua se ad hostes ejus transtulit. Lucernenses primùm compellati, deinde ipsa Helvetiorum universitas, neque jus reddunt, neque cohortem revocant. Etiam inter Vinarienses & Helvetios minaces literæ commutatæ sunt. Inter Imperatorem & Hispanum renovatam belli in triennium societatem undique scribitur. De Turcarum in Hungariam irruptione etiam hic rumor est, & controversia esse dicitur de possessione montanorum quorundam locorum. Sed tales in finibus rixæ sæpe magis quàm bella facilè sanantur. Certè Imperatoris Internuntium bene Constantinopoli exceptum literæ nuntiant: Ragotskii Legatum contra cum iræ signis, quanquam faventibus ipsi qui res Galliæ Batavorumque agunt. Cum Persa firmata Turcæ pax, cunctaque restituta in eam formulam qua sub Solimanno fuerant. Eo bello, simulque Venetico, liberatus Turca quò se versurus sit multum refert. Paratus maritimi magis quàm terrestres Melitæ minari videntur. In Hassico negotio dicunt Galli aliud esse habere exercitum, aliud hostilia in Imperatorem facere: neque se commissuros ut iterum spem pretio emant. An verò Suedi, non ita longè ab exitu spectante Gallico fœdere, ultra eum diem Hassicæ se societati sint illigaturi, dubitationem recipit: idemque morari poterit Batavorum de societate desideria. Liberi ab aliis Suedi suam in posterum societatem Gallis, eam vehementer expetentibus, carius indicare poterunt. A Daniæ Rege neque boni quicquam, neque hoc tempore multum mali Suedis exspectandum videtur. Ejusdem Regni cum Anglis fedus occultatur sub nomine commerciorum. Legatus Polonicus à Polonia omni eas adfert sponsiones quas Galli expetivere. Itaque videtur Principis Casimiri libertas in bona spe esse. Vtinam & aliorum quos aut vis hostica, aut amicorum offensæ detinent. Ex arce Taurinorum urbs globis petitur, multæque domus & turres dejiciuntur. De prælio ad Quires Hispani loquuntur, quasi par damnum fuisset. Rex in urbem hanc venit, ut ex novis honorum nundinationibus multos milliones conficiat. Manent interim in Normannia seditiones, quanquam de eo numero cæsis nonnullis & capto duce Presbytero. Venit hoc modo ex Anglia cum Regis Angliæ literis ad Galliæ Regem & ad Serenissimum Electorem Windenbachius filius Secretarii Status Regii. Det ei Deus bonos successus. Audimus hic Glenium esse Gustaviburgi. A Gallis & Vinariensibus teneri Ringaviam, capta Oppenhemum, Alzhemum, Bingam, & ad Mosellam Rotbachium: à Coningsmarckio Herverdum & Bilefeldiam. Piccolominæum transiisse ad Rotenburgum. Fruges è Gallia Metim missæ partim eò pervenere, partim interceptæ sunt ab hostibus. In prælio contra seditiosos in Abrincantis multi cecidere Galli nobiles: inter eos Marchio Curtimerius. Deus cuncta in bonum vertat, suaque paterna bonitate Excellentiam Vestram, & omnes ei caros protegat. Lutetiæ 10 Decembris novi Calendarii anni 1639.

Excell. Vestra perpetua observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Aditum ad Regem postulavit D. Comes Licestrius, ut 1291
secum adducat Windebachium cum literis Regis Angliæ. Ex aliis intelligo eas literas in hunc scriptas sensum, Principem Electorem à se missum ad Galliæ Regem. Si Regi Galliæ eum audire non placeat, sibi eum ut remittat. Deambulat interdum Princeps Elector. Quidam nobilis qui apud eum in custodia fuerat, ob deteriorem valetudinem emissus; fratres qui hic sunt permissi iterum Principem alloqui. Quid futurum sit brevi videbimus. Estque id magni momenti, cùm haud dubiè multum commoverit Germaniam hujus rei fama, accedente simul & altera, omnia Palatinatus loca, Franckendalio excepto à Duce Longavillano capi & in verba Galliarum adigi. Interim multum in Italia de induciis agitur: & ob pacis negotium exspectatur hic Mazarinus. Nuntium enim qui hic est, quia extra ordinem venerat & mandatum sibi negotium peregit, Rex ultra pro Nuntio agnoscere non vult idque per Berlisium ei significavit. Aderat eodem tempore publicus Parlamenti apparitor, qui significaturus venerat Nuntio Parlamenti decretum, quo repetitur mos vetus ut qui ad Episcopatus nominati sunt curent de vita ac moribus suis inquisitionem fieri per vicinos Episcopos, non per Nuntium quod ab aliquanto tempore inoleverat. Sed eum Nuntius audire noluit. Ea constituta longè optima an diu valitura sit, an ut pleraque hic bona instituta cum tempore amissura vires, videbimus. Cæterùm mos hic est Galliæ, ubi aliquid Romæ fit quod ipsis displicet, sicut sanè injuria illi facta est Legati Gallici domestico occiso, mutuò Romanis ægrè facere ac minari, quod à viris ejus Aulæ peritis semper sit proditum plus ibi terrore quàm blanditiis profici. Longavillanus è Ringavia cum clade expulsus est: contra hostium equites nonnulli à Vinariensibus cæsi in agro Treverico. Videntur

dentur & hi & Longavillani milites apud Metim inter Mosellam Mosamque hyberna capere. Exspectamus Conventum Norembergensem qui ut credibile est, pariet querelas & varia consilia hominum quæ cupiunt effecta dare non valentium. Cum Duce Lotharingico agitur quidem, offerturque ei bonorum restitutio, oppidis tribus in perpetuum, urbibus præcipuis duabus ad pacis tempus penes Regem mansuris. Sed non puto ita imprudentem futurum Ducem ut se ab Imperatore & Hispano abstrahi patiatur. Apud Helvetios magis magisque suspecta fit Gallorum tam valida vicinitas, multumque improbantur ibi quæ fecit Erlachius. Dicitur Rex ad Normanniam accessurus ad exstirpendas reliquias rusticorum quas Nudipedes vocant & puniendam Rothomagi Senatorum, Cadomi Magistratuum negligentiam, qui seditionum eis in oppidis initia dissimulando aluerunt. Pecuniæ hic parantur tum ex contributione Ecclesiasticorum, nimis sanè divitum, tum augendo numerum eorum qui munera publica funguntur. Qui Hassicas res hic agit pecuniam prænumerari vult,ut in bellum redeat Landgravia. Sed Galli semel ab illis emuncti nolunt bis idem peccare. Vidi picta insignia eorum à quibus Cardinalis Riceliacus trahit originem, quæ deducitur ad Imperatores Germanos, Constantinopolitanos, Reges Galliæ, Angliæ, Castellæ, Portugalliæ: ita facilè avos inveniunt quibus favet fortuna. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ valetudinem, quam labefactatam nonnihil cum summo dolore intelligo, vigori suo restituat, resque ejus tum publicas tum privatas secundet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Decembris 1639.

Susurri hic sunt de conjugio Casimiri Principis cum filia fratris Regii. Vinarienses ferme omnes dilabuntur, abducti longè à suis neque amantes Gallici dominatus. Longavillanus receptum sibi quærit contra se habens Glenium, Beckium & Ducem Carolum cum bonis è Belgica auxiliis. Habere Dux Carolus dicitur CIↃ IↃ equites, pedites ter mille. Coolhasius huc venit. Refert Gallos omnes cæsos aut diffugisse. Vix restare XXX equites, pedites CCC de cohortibus tribus. Cladem in Ringavia magnam fuisse. Captum dicit Crutzenacum à suis. Addit & Confluentem. Oppenhemum rursus desertum. Ipsis autem Vinariensibus per Gallos vi ereptam Kinzam, dicentes omnia illa Regis esse. Regina Bohemiæ ad Ohmium Germanosque scripsit filium suum in malo esse quod ipsis bene voluerit. Ea res movet animos. Lagrangius sperat fore ut à Rege mittatur Norimbergam. Nuntius Pontificis dicit Pontifici non defuturas rationes quibus injuriam vindicet, tam in Regno hoc quàm extra hoc Regnum.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

92 EGo quoque multum id metuo, quod indicant literæ Excellentiæ Vestræ scriptæ 5 Decembris, ne alieniores fiant Germani non à Gallorum tantùm, quos pridem non amant, sed & ab omnium cum Gallis cohærentium societate, cùm videant detineri, eo in loco ubi asservari solent aut bello capti, aut rei majestatis Electorem Principem, eodemque tempore capi Gallicis armis Palatinatus oppida, ut quidem hic fama est, præter Francothalium omnia, & in Regis Galliæ verba adigi. Aut multum fallor aut vix erit ut ea oppida tutentur Galli, cùm & ipsorum pars maxima & Vinarienses, fidi eorum comites, ad Metim & Mosellæ Mosæque adsita recedant, amissa Ringavia non levi cum sua clade, cujus solatium est, quod equites hostium nonnulli à Vinariensibus in agro Trevirorum cæsi dicuntur. Princeps autem Elector prodeambulat nonnunquam: fratres qui hic sunt ad eum admissi sunt iterum: & emissus è carcere quidam domesticorum ob deteriorem valetudinem. Verum hæc non ita magni sunt momenti. Quid de re præcipua, id est, de libertate Electoris, constiturus sit Rex Galliæ brevi apparebit, ubi aditum, quem postulavit, ad Regem aperit D. Comes Licestrius, simulque à Rege Angliæ literas tradiderit Windebanchius: quibus literis dicitur Rex Angliæ significare Regi Galliæ ad ipsum à se missum Electorem, cui si aures suas præbere Rex Galliæ nolit, æquum esse à se missum ad se remitti. De Lunenburgico eò minùs miror quæ Excellentia Vestra nuntiat, quod decesserit ab eo metus Piccolominæi, qui magis eum, quàm nostri amor aut in causam favor ad tempus blandiri nobis fecerat. Qui autem temporum sunt homines, læti sunt si aliquid rerum mutetur, quod suæ mutationi obtendant. De Norimbergensi Conventu eadem hic audimus. Sed quid ille parere poterit, præter invalidos questus & vota pro pace? Principis Mauritii consilium laudo plurimum. Paullius etiamnunc est apud D. Comitem Licestrium, qui nunc valet rectè. Quæ de Anglia Scotiaque nuntiantur, vehementer nos, utrique Regno bene volentes, sollicitos habent ne redardescat ibi bellum. Quod si qua arte sopiri illi ignes possent (sperare autem id nos jubet Comes Licestrius) putem externa arma collatura nonnihil ad domesticam quietem. Haud dubiè gravis est per se deliberatio, multaque alia à se suspensa habet, debeant ne Regni Suedici Rectores pati exire tempus federis cum Gallia, an id ipsum producecere. Batavorum ab antiquo id ingenium est, ut successibus elati altum spirent, siquid sequius ceciderit subitò residant. Habent controversias satis graves cum multis Regibus ad res ipsorum non leviter pertinentes, ut opus non fuerit alias minùs necessarias quæri. Est in munere Legatorum hoc vel difficillimum, quod in salutationibus & congressibus multa nascuntur ambigua, in quibus metuendum sit, ne aut Regni cujus res agunt lædatur dignitas, aut offensæ subeantur sæpè insanabiles. Ego quæ servari antehac vidi ad D. Spiringium perscripsi. Illud addam, in literis ad Regem Galliæ Reginæ nostræ nomen initio literarum poni; subscribi autem literas à Regni Rectoribus. Excellentiam Vestram fessam senectute, laboribus, interdum & morbis, cogitare interdum de otio non miror. Laudo autem quod suis desideriis publicas utilitates præfert, Deumque precor ut vires ad id ipsum det animo ac corpori. Erlachius quæ egit, apud populares ipsius non probantur, metuentibus adeo appropinquantem sibi potentiam etiam illis, qui Gallicis federibus illigati sunt. In Italia multi de induciis sermones. Rustica factio, quæ Nudipedum dicitur, Regiis armis multum infracta est, mittunturque in Normanniam quæsitores ad puniendos Senatores Rotomagi, Cadomi autem Magistratus, qui in opprimendis initiis seditionum suis in urbibus æquo tardiores fuisse creduntur. Tamen non levis illis in partibus secuta est tributorum imminutio, quam spes est sarciri posse ex collatione Ecclesiæ hominum & ex aucto publicorum munerum numero. Pontificis Nuntio qui hic est, quandoquidem extra ordinem missus peregit ob quæ missus fuerat, significavit Rex per Admissionalem *Berlisium*, se eum pro Nuntio non ultra habere. Aderat & apparitor Parlamenti significaturus eidem Nuntio decretum quo cavetur, ne posthac apud Nuntios, quod pridem inoleverat, sed apud finitimos *Episcopos*, & more veteri, vitæ morumque testimonia fieri curent qui à Rege ad Episcopatus nominantur. *Sic solent* Galli ubi Romæ non ut volunt habentur, minari vicissim. Posset hæc quidem via esse ad accidendam hic Pontificis potentiam: sed plerunque ubi privata rectè posita sunt negliguntur publica. Creditur autem Cardinalis perterrere Pontificem, ut perpetuus hic Sedis Romanæ Legatus ab ipso con-

constituatur. Hodierni enim Quirites malis ac metu domiti multa concedunt quæ sponte concessuri non essent. Princeps Arausionensis habet quod gaudeat:

Στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄῤῥενες.

[Domuum columina quippe sunt nati mares].

Et Reges crescentem ejus potentiam non inviti aspiciunt. D. Somersdyckius in Anglia pro more receptus est. Neque ibi quicquam in Batavos durius cogitari arbitror, nec sinunt tempora. Verum est, Regem Galliæ Illustrissimo Comiti Licestrio ea dixisse pro Ruperto Principe, quæ ipse Comes promissi vim habere sentit, Ministri autem Regii eadem ut comiter dicta, non ut fidem adstringentia, accipi volunt. Turcam, certa jam cum Persis Venetisque pace, non quieturum & ago arbitror. Sed paratus omnes ejus mare spectare videntur. Batavorum Respublica D. Hagæ ejusque similium consiliis utatur velim. Scripsit Reginæ Bohemiæ ad Ohmium & Germanos qui in exercitu sunt, filium suum libertate mulctari quod Germanicæ libertati operam cum ipsis navare voluerit. Non id tantùm commovit animos, sed & quod Kintzingam Galli Vinariensibus per vim eripuere, dicentes omnia Regis esse. Neque huic offensæ leniendæ aliud hic adferunt quàm bona verba & spem. Interim narrat Coolhasius qui ex clade Ringaviensi huc venit, Gallicum exercitum mirè exhaustum fugis. Cum Vinariensibus simul pervenire ad VII millia; Duci Carolo ad Tzerbachum properanti esse peditum tria millia, equites mille quingentos. Ægrè illic in locis subsistere posse Longavillanum: desertum Oppenhemium. Sed captum ait Creutznatzum, & idem putat de Confluente, non ego. Mittitur Norimbergam à Rege Grangius. Nuntius Pontificius magna minatur dicitque habere Pontificem unde se vindicet, etiam in ipso hoc Regno. Deus Christiano nomini propitius sit, Vestramque Excellentiam cum domo tota bonisque omnibus servet. Lutetiæ 17 Decembris 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1293 CUm missus à Rege D. Chavigniacus Nuntium accessit (factum id autem non domi ipsius Nuntii, ob disputationes quasdam de honoris mutui signis, sed in Monasterio Franciscanorum) eique significavit Regem abstenturum ipsius conspectu, neque enim passurum, ut Legatus Romæ suus aut Pontificem aut Barbarinum Cardinalem accederet, donec satisfactum Regi esset de proscriptione facta adversùs domesticum Legati, quam secuta esset cædes, cum maximo etiam animæ ejus qui occisus esset periculo. Multi tunc sermones inter eos habiti acres, dicente Nuntio, scire se id agi ut Pontificis potestas per Galliam minueretur, etiam quoad spiritualia, planè quasi etiam in temporalia jus aliquod haberet Pontifex, ut Romani somniant: susurrari de Synodo Galliæ Nationali: ea si habeatur, plures pro Pontifice futuros. Nihil in hoc negotio publicum verti: sed iratum Cardinalem quod bulla ad eum Roma non veniret de Generalatu Cisterciensis Ordinis qui institutorem habet Bernhardum Claraevallensem. Hæc diluit Chavigniacus, dicens hæc quæ nunc agerentur ad jus gentium, non ad Ecclesiæ res pertinere. Generalatum verò illum non captanti Cardinali delatum consensu magno totius sodalitatis. Habere quod queratur Gallia, de eo quod Pontifex tam diu differat creare Cardinales, cùm eos fieri intersit & Ecclesiæ universalis, & Gallicæ, ut sint qui Gallorum desideria promoveant, qui curent ut, si quid tale evenerit, bonus legatur Pontifex. Discessum est non obscuris animorum offensionibus. Ex eo non cessavere qui hic sunt Episcopi remedia his malis quærere; sed partiti inter se ut locis ita consiliis, qui Pontifici student apud Cardinalem Rupifocaldium, qui verò Regi apud Bituricensem Archiepiscopum, omnium antistitum vetustissimum. Sed horum etiam quosdam à Nuntio tentatos labascere intelligo. Puto hunc futurum exitum, ut Cardinalis quæ vult Romæ obtineat, fortè & Legationem perpetuam: nam & Archiepiscopatum sibi destinat Remensem, Primatis gaudentem titulo, quem qui nunc tenet Guisius de matrimonio cogitat. De Palatini Electoris negotio, postquam Regem cum Windebanckio convenit Comes Licestrius, Windebanckius autem Cardinalem, cum Regis Britanniæ ad utrumque literis, deliberatur adhuc, nequedum idem Windebanckius ad Electorem admissus est. Interim dilabuntur de exercitu Vinariensi multi admodum: & contra Longavillanum coëuntibus Belgis, Lotharingicis, Bavaricis, fortè & Cæsarianis, non satis video, quomodo defendi possint quæ in Palatinatu cis Rhenum facilè capta fuere. Pontem apud Magontiacum habet Glenius. Constantiam autem importata est vis magna machinarum. Insula Rheni quæ Turris murium dicitur, jam ab hostibus tenetur. An induciæ sint ad Salzam & in Italia, mihi non liquet. Multi ita credunt, quia neutrubi quicquam agitur, & in hyberna reductus est qui trans Alpes agit, tam Gallorum quàm Hispanorum miles. Illud mihi constat monachos duos dissimulato habitu à Cardinali Riceliaco in Hispaniam missos acturos clam cum Olivare. Harcurtius ex Italia huc venit. Turca Ragusiam misit vim ingentem commeatus & belli rerum. Inde metus in Italia ne in Calabriam satis apertam, moveatur bellum. Quod si fiat, vix ausit Romæ consistere Pontifex: Hispanus autem suis rebus timens properaturus sit ad pacem, qualemcunque habere possit. Gaudent Angli indictum à Rege suo Angliæ Parlamentum in mensem Aprilem, Archiepiscopo maximè annitente, qui censuram non timet, innocens vitæ, & suo contentus. Sperant inde multis malis remedia, etiam Scotorum motibus, qui consensu Angliæ conspecto redituri ad sanitatem putantur. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Regni Turque Sublimitatis prosperet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Decembris anni 1639.

Longavillanum in periculo esse intelligimus: Glenium ad Bingam recipiendam ivisse. Mosellæ ripam teneri à Beckio & Lamboio. Erlachius mutata possidendi causa Regis Galliæ Vicarium Generalem se vocat, nulla Germaniæ mentione. Disputant Helvetii an Brisacum transmitti commeatus debeant. Normannia duos milliones offert Regi, ut neglectæ seditionis crimina redimat. Manet Hispani cum Pontifice dissidium. Præfectus Melites omnes equites vocat ad arma, mittit ad Pontificem & Principes alios auxilio rogatum. Turca Chausium misit Viennam excusatum pacis turbamenta quæ in Hungaria evenerant.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DOleo maximè, nihil dum habere me quo dolorem 1294
nostrum justissimum super Electoris negotio levem. Ex quo enim Regem Galliæ vidit cum Windebanckio Comes Licestrius, Cardinalem autem Windebanckius traditis ad utrunque literis, perpetuæ in Aula hac de re deliberationes fuere, etiam super eo, an aditus Windebanckio dandus sit ad Electorem. Intelligo in Anglia à Rege in mensem Aprilem indictum Parlamentum. In eo si apparebit Angliæ consensus, poterit ea res & Scotorum morbo mederi, & bona de se parere consilia quæ causæ communi Domuique Palatinæ pro-

prosint. Reginæ Bohemiæ miror animum verè Regium, qui tot tantisque adversis non succumbat. Eum ipsi, simul cum bona valetudine, ad meliora tempora servet Deus. Non puto venturum huc quemquam ex Anglia Legatum Extraordinarium, cùm ipse Comes Licestrius Extraordinarii Legati, quanquam tam diu hic hærens, ferat titulum. De Landgravia quid dicam nescio, dicitur enim eodem tempore Magontiacum misisse, ut cum bona Imperatoris pace exercitum retinere possit, quo Gallos pecuniam ad bellum poscit. De Luneburgico minus etiam est quod sperem. Multum autem exspecto è Suedia literas, ut discam quid judicent de Gallorum pactione Brisacensi & quid in negotio Principis Electoris fieri velint, qui nunc conventuri dicuntur Regni Rectores. Pergo autem metuere, ne diffluat Vinariensis exercitus, item ne pereant Gallis ea quæ cis Rhenum in Palatinatu cepere, tantis contra Gallos consurgentibus copiis Hispanicis ex Belgica, Lotharingicis, Bavaricis, fortè & Cæsarianis. Iamque audimus & Turrim Murium quam vocant cessisse hostibus & Glenio pontem esse ad Magontiacum, ut militem nunc huc, nunc illuc pro usu rerum præsentium transferat. In Italia in hyberna itum est, exspectaturque hic Harcurtius. Ingens autem per omnem Italiam metus à Turca est, qui in Ragusiam immisit vim magnam commeatuum alendo exercitui, unde conjectura est imminere eum Calabriæ, multis locis satis nudæ. Siqua est res quæ Pontificem ad procurandam pacem, Hispanum verò ad eam amplexandam movere possit, hæc ea est. Daniæ Rex neutris bene volens plus tamen negotii Batavis, quàm Suedis potest exhibere. Poloniæ Legatum nondum hic habemus. In hisce Regis cum Pontifice controversiis scinduntur Episcopi: qui Pontifici supra modum student apud Cardinalem Rupifocaldium coëunt: qui fidi sunt Regi, apud Bituricensem Archiepiscopum, Episcoporum vetustissimum. Horum omnium arbitrum se facit Cardinalis, versurus, ut creditur, in suos usus hæc dissidia. Nam & Generalatus Ordinis Cisterciensium opulentissimus, sodalitatis electione, ad eum delatus est: & in spe est vacaturum conjugio Guisii Archiepiscopatum Remensem, cui Primatis adest titulus, & jus Regem sacrandi. Ad hæc obtinenda, ut mores habent Galliæ à Francisci Priori temporibus, approbatione Papæ opus est. Erit brevi Conventus aliquis Ecclesiasticorum Galliæ, non per Synodi Nationalis modum & ad Ecclesiæ res ordinandas, quod vehementer perhorrescit Nuntius, ut ex sermonibus ipsius cum D. Chavigniaco apparuit, sed per evocatos, ut ad Regni necessitates, quod æquum est, contribuant. Magister Melitensis omnes Equites ad se vocat & Pontificem Principesque alios auxilia rogat. Turca per Chiausium excusavit excursus Hungaricos, induciisque se staturum dicit. Manent inter Hispanum & Pontificem dissidia. Normannia ad redimendas accusationes super neglectis seditionibus, duos milliones Regi offert. Longavillanus putatur non extra periculum esse tenente Mosellam Lamboio & Bechio, Glenio autem profecto ad recuperandam Bingam & vicina ei loco. Erlachius jam Regis Galliæ se Vicarium scribit, omissa federis Germanici mentione. Mutavit scilicet possidendi causam. Hæc sunt quæ nunc habebamus, ea Deus ad bonum Chistianitatis dirigat, idemque Excellentiam Vestram cum omnibus ad ipsam pertinentibus incolumem florentemque servet. Lutetiæ 24 Decembris 1639.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

TVm ex literis quas ex Anglia accipio, tum ex sermone Comitis Licestrii Anglorumque aliorum cognosco, sperare eos ut etiam Reginæ, Dominæ nostræ Clementissimæ, bonitas ad sublevandam infelicissimi Principis Palatini calamitatem allaboret. Quod si id eo possit fieri modo, ut simul Anglia pro ejus Domus restitutione virium conferat aliquid, & simul Landgravia veternum excutiat, egregiam hæc nobis spem darent aut ad feliciter trahendum bellum, aut ad pacem honestè faciendam. Ego mandata opperiar. Manent hic adhuc cum Pontifice dissidia: accumulanturque ad hanc controversiam de proscripto & trucidato domestico Legati, violata antehac immunitas Ecclesiæ Trinitatis, quam Rex Galliæ suæ tutelæ esse dicit, abductis inde servis quibusdam per Legatum Hispanicum, & memoria Cardinalis Valettæ nullis Romæ honoribus celebrata, ideo quod mortuus sit in armis quæ ei Pontifex interdixerat. Neque Hispaniæ magis cum Roma convenit, ex cujus rei dolore interiit qui ibi agebat Nuntius. Hic concursus disputationum cum Sede Romana multos sermones parit de convocandis Conciliis Nationalibus, imò & de Generali, quod secundùm decreta antecedentium Conciliorum decimo quoque anno haberi deberet; sed nullum pridem habitum est Pontifice id detrectante, Regibus autem officium in hac re suum negligentibus. Cùm senectute durior fit hic Pontifex, dixitque Legato qui Romæ est Hispanico, videre se id agi ne quis sit in Hispania Nuntius: neque verò se multum id curare. Legatus Polonicus è Batavis in Flandriam iter cepit: inde nunc in Angliam ire dicitur. Landgravia perscriptam Gallis vult dare pollicitationem suam de armis in Imperatorem movendis, si Galli, quæ promisere LX florenorum millia præsentia numerent. Sed quia sex hebdomadibus quàm dictum erat serius hoc scriptum exhibet, novas moras Galli nectunt, quas Princeps Arausionensis conatur abscindere. Inter has moras poterit & in Suedia cum Landgravia res transigi. Eis qui res Hassicas hic agunt inculcare non desino, qui se in bello à Suedis sejunxerint, eorundem in pace facienda nullam rationem Suedos habituros. Cardinalis Riceliaci animus ad bellum prolatandum ferri creditur, tradita in Millereii, propinqui sui, manus, tota administratione pecuniæ ad bellum destinatæ, haud parùm lucrosa. Non parùm sollicitum eum habet quò vergant Suediæ consilia. Ego eos qui ad me percunctatum veniunt cum suspensis responsis dimitto. Multi novas sibi Bavari cum Gallis in arcano amicitias imaginantur, ad veteres conjecturas hac addita, quod cùm ex Mosellæ partibus multo hoste prementur Galli & alio ex latere eos invadere posset Glenius, subitò trans Rhenum in Sueviam duxit sublato etiam quem ad Gustaviburgum habebat ponte. Dicitur Longavillanus Creutznacum & Bingam munire: machinas habere ad Obervesaliam, militis partem maximam ad Alsdemum & loca vicina, dum ex parte alia Nassavius iis qui ad Mosellam sunt hostibus se opponit. Duces ibi hostium sunt Lamboius & Beckius. Pergunt Cæsariani inter Argentoratum & Brisacum struere castellum terrenum. Rex Galliæ Episcopo Basileensi restitutionem in bona, Nobilitati autem Alsaticæ salvas res promittit. De Salza nihil certi habemus. Procedit in Normannos inquisitio. Multiplicantur honores aut honorum nomina cum quæstu Regis. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ prosperet. Lutetiæ fine ipso, ut hic numeramus, anni 1639.

Spero Sublimitatem Tuam memorem fore precum toties & tam necessario repetitarum, de rebus meis, nec in præsens tantùm, sed & in futurum, ut tranquilliore animo me & legationis rebus & studiis ad ornandum nomen Suedicum pertinentibus impendere possim. Discimus jam nunc arcem Taurinorum infeliciter ab Hispanis oppugnatam: interceptos ab Harcurtio quosdam hostium commeatus: machinas XLII ab hostibus in Constantiam importatas, *Bavaricorum* partem esse ad Hohent-

Hohentwilum reprimendis excursibus. Mitti hinc vestes & aliquid pecuniæ tum Longavillani militibus, tum Brisacensi præsidio. Rusticæ factionis reliquias ex Normannia in Britanniæ Armoricæ proxima se recipere. Gassionem cum IV millibus admissum in Vrbem Rotomagum. Tributa hic imponi secundi Ordinis divitibus & opificibus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1296 NVllis satis verbis exprimere possim, quanto mihi dolori sit, videre post labores Illustrissimi Comitis Licestrii & literas Regis Britanniarum per Windenbanchium allatas, nihil adhuc profici ad relevandam Domum tantam post tot calamitates hac nova infortunii accessione, nisi quod Rex Britanniarum expergiscatur, oppressam. Toto animo opto, ut Regina nostra in hoc negotio, quod per affinitatem quoque, & cognationem, & fastigium Regnis suppar, ipsam contingit, non minùs quàm in aliis ostendat se clementissimam & nos misericordis sui animi ministros faciat: Deus autem mandatis ejus piis bonos det eventus. Ego certè nulli rei libentiùs impendam quicquid in me aut est industriæ, aut esse potest diligentiæ. Quæ ex hoc Gallorum, quod cepere, consilio mala nasci possint, Excellentia Vestra prudenter prospicit, & eorum jam pars apparet. Multum enim vereor ut post menses aliquot præter nomen & reliquias tenues aliquid restet fortissimi illius exercitus, qui à Ducis sui nomine & exemplo multum adhuc virtutis famæque retinet. Conventum Suediæ futurum & ego audio. Spero Illustrissimos Regni Rectores in posterum Legatis suis prospecturos ne anxii semper circumspectent, unde inveniant quod ad dignitatem sustinendam est necessarium. Quin justissimas causas Suedia habeat de pace cogitandi in id tempus quo exibit fedus cum Gallia, negari non potest. Si tamen Anglia in societatem posset attrahi, sine qua planè prostrata jacet Domus Palatina, & pecunia à Gallis, fide autem societatis à Suedis accepta, moveat se in Imperatorem Landgravia, de quo dubitare nos vetant qui hic sunt Hassici, posset nostris armis qui venit annus boni aliquid promittere. Galli res quidem agunt suas & apertè satis, nulla Germaniæ cura. Interim hostilium copiarum partem distinent. Scotos ad justa obsequia reductos utinam videamus. Si in Anglia habetur Parlamentum, quod futurum hic dicitur, poterunt inde consilia suppeditari Regi Britanniarum ad firmandam pacem internam, & bene ponendas res externas. Itali Turcica arma valde metuunt. De Ragotskio exspectemus quid allaturus sit Bysterveldius, si tamen certi allaturus est aliquid & non verba ambigua, qualibus uti solent qui in omnes partes, quacunque se ad res suas agendas ostentat occasio, vertunt sese. De Conventu Poloniæ dissoluto, maximè ex verbis acerbis Oselinskii in Nuntiorum Terrestrium unum, paria cum Excellentia Vestra intellexi, insuperque inter capita deliberationis fuisse, de prohibendis accumulationibus sacerdotiorum, & titulis quos Polonis largiuntur extranei Principes: item de Græcis ritibus tolerandis vetandisve: an rite facta sit Curlandiæ concessio: & de vectigalibus. Qui è Suedia missus erat ad expostulationem faciendam super irruptione in Livoniam, serius venit ob abruptum ita subitò Conventum. In Normannia rusticæ factionis reliquiæ sunt aliquæ, non magnæ tamen. Civitates magno pretio Regis indulgentiam emercantur. Gaudeo in Batavis quiescere ista de indigitamentis, de prægressionibus rebusque ejusmodi: τὸ κακὸν ἐυ κείμενον μὴ κινεῖν [*malum quod bene jacet non movere*]. Quin multa circa illas aliasque res ab Excellentia Vestra discere possint Batavi, non dubito. Sed an gratiam habituri sint pro documentis, nescio. Multi sunt qui in arcano inter Gallos & Bavaros aliquid convenisse suspicantur, eo etiam moti, quod cùm in periculo esset Longavillanus, prementibus eum à Mosella Lamboio, Beckio & Hispanis, si eodem tempore in eum venisset Glenius, is ipse subitò trans Rhenum in Sueviam se tulerit; ablato etiam qui inter Magontiacum & Gustaviburgum erat ponte. Nunc illis ad Mosellam hostibus opponere se dicitur Nassavius, Longavillanus verò munire Crutzenacum & Bingam, machinas habere ad Overvesaliam, militis partem maximam ad Alshemum & vicina. Legatus Polonicus ex Flandria Angliam petiisse dicitur. Cæsariani pergunt in ædificatione castelli inter Argentoratum & Brisacum. Inter Vinarienses & Gallos multæ quotidie nascuntur controversiæ. Rex Galliæ promittit Episcopo Basileensi & Nobilitati Alsaticæ salva omnia, modo fidem ipsi dicant. Helvetiorum qui Hispano favent, valde ei favent. Qui in Gallorum sunt partibus, Gallos ipsos suspectos habent. Neque Rhætorum in conspectu infelicia exempla sanare eorum discordias valent. Audimus jam Tarinorum arcem infeliciter ab hostibus oppugnatam & commeatus quosdam hostium ab Harcurtio interceptos. Importatas ab hoste in Constantiam machinas XLII: Bavaricorum quosdam ad Hohentwilam manere ad reprimendos excursus: vestes hinc & pecunias mitti tum pro Longavillani milite, tum pro præsidio Brisacensi. Gassionem intrasse in Rothomagum cum militibus quater mille ut tuta sit sedes missis ad inquisitionem. Factionis rusticæ reliquias in proxima loca Britanniæ Armoricæ se recipere. Tributa hic imponuntur secundæ classis divitibus & opificiis rebusque aliis. Deum oro ut Excellentiæ Vestræ commodam det senectutem, ut ea, corpore animoque vegetis, auxilium diu adferat bono communi, cujus causa multi labores tolerandi, quædam & fastidia superanda sunt. Faciamus quod nostri est officii. Ὀρθὸν τὸν νοῦν [*rectam mentem*]. Lutetiæ fine ipso anni 1639.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctissimus H.G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

QVod Conventus Polonorum turbatis animis, rebus ... autem infectis discesserit, non ita novum est istis in locis: optandum tamen fuerat manere eos donec Suedorum nostrorum querelæ super incursata Livonia exponerentur, & appareret, quæ super hac re judicia, motusque essent animorum. Qui contra dicunt ne uni plura Sacerdotia aut Præfecturas Sacras habere liceat, antiquis nituntur Canonibus, bonis quidem, sed vix usquam in usu retentis. Ita omnem Ecclesiam invasere ambitus, avaritia, luxus, pompa. Ne cives honorum vocabula à non suis Principibus sumant, egregia est constitutio & in potissimis Regnis viget. De Feudis conferendis æquum est servari mores antiquos ut & in mandandis honoribus magnis, qualis est Cancellarii. An Græca Sacra tolleranda sint miror disputari in eo Regno, in quo lege communi cautum putabam nequis prohiberetur ex sui animi sententia Deum colere. Quod si post Socinianos oppressos, Græcis movetur status sui controversia, metuendum est ne ab infirmioribus ad alios facto gradu, tandem libertas & Calvinum sequentibus, mox & iis qui à Luthero nominari solent, pereat, aut certè multum accidatur. Quare initiis talibus resistendum est, & tuenda rituum libertas, donec nos Deus per æquas & benignas vias ad Ecclesiæ suæ unitatem reduxerit. Cui bono, quàm maximè optando, nihil magis obstat quàm invicem malè faciendi dicendique consuetudo. Vestræ civitati dilatum periculum gaudeo; sæpe quæ in præsens con-

magis quàm Gallis confidere, neque libenter cum his acturam, nisi & illos sibi pactis devinctos habeat. Præterea Gallos in federe facto antehac mutasse quædam, non tam circa rem quàm circa verba: nam cùm ante scriptum esset, Regem ipsi auxilio futurum, ut maneret in Imperio Religio quam Cassellensis Domus profitetur, perscriptum nunc ne Protestantium Religionem ipsa in suis terris admittere cogeretur. Sunt Brisaci Legati Ducum Vinariensium ob res privatas. Ossenvillius ibidem cum pecunia adhuc exspectatur. Sunt in agro Tirolensi equites bis mille, mille pedites, ex Italia utrique, pars ejus exercitus qui in Alsatiam est destinatus. Misere eodem Rhæti ad instauranda federa. Ne restituantur qui in Valle Telina facti sunt exsules, intercedit animosè Curiensis antistes. Apud Helvetios video crescere animos parti Hispanicæ; eis verò qui Gallis federati sunt Gallos magis magisque suspectos fieri, adjiciturque detecta Gallorum consilia contra Genevæ libertatem. Deum iterum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, curas Sublimitatis Tuæ ut prosperet. Lutetiæ 7 Ianuarii anni 1640. ex Calendario novo qui ex veteri annum præteritum claudit.

D. Spiringius præceptum se nunc habere dicit ut mihi reliqua solvat, pecunias habere se negat: nuper cùm pecunias haberet, præceptum habere se negabat. Ex Batavis pecuniæ plus, quantum prospicio, in posterum habituræ sunt difficultatis, moras certè longas. Rogo igitur, placeat Sublimitati Tuæ ut quod nunc mihi debetur ex eo accipiam quod apud Heusdium restat. Cætera posthac è pecunia Gallica, aut alio, certo reditu, ut animo securiore agere possim non ea tantùm quæ legatio desiderat, sed & ea quæ ad gloriam pertinent Suedici nominis. Intelligimus Coningsmarckium esse ad Corbiam: Glenium militis cohortem in Ringavia: mille homines Magontiaci, hyberna in Franconia, partem aliquam in superiore Palatinatu & Wirtembergico. Longavillano arcem captam Eberburgum. Mosellæ ripam ab hostibus validè teneri. Ab Hispania missos duos milliones cum semisse in Flandriam, contra inde militem mitti in Hispaniam. Viennæ laborari ut Turca aliò quàm in illas partes incumbat. Salza quin dedita sit non dubitatur. Mittuntur cohortes quædam ad Longavillanum. Rixa gravis fuisse dicitur inter Gallos & Germanos. Rex Parlamento Rotomagensi Curiæ subsidiorum ibidem, & Mensæ Finantiarum functiones suas interdixit. Ius redditur per Cancellarium & delegatos aliquos. Idem Rex à Clericis Regni sui tres milliones exigit. Pontifex Cardinali offert legationem à latere in sex menses, sed Cardinalis eam vult longiorem.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H.G.

L V D O V I C O C A M E R A R I O,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Bene accepi literas Excellentiæ Vestræ datas 26 Decembris. De Principis Electoris negotio nihil dum certi judicare possum. Adiit eum Windebanckius, literasque Regis Reginæque Britanniarum ei tradidit obseratas, sermonesque cum eo habuit Gallico sermone, præsente Chavigniaco. Ajunt Angli de federe se non acturos nisi libertatem habeat Elector; & de armis quæ in Anglia parantur, magnus rumor Gallos nonnihil terret. Cæterùm vereor ut satis hæc moveant eos qui Regnum hoc gubernant, quorum animi longa ac prodigiosa felicitate adversùs metus omnes indurati videntur. Itaque apertè nunc Rex Brisacum, suam urbem vocat. De Hassiæ negotio eadem hic quæ scribit Excellentia Vestra, intellexi, nisi quod de Religione in pactis quæ nunc Galli offerunt non tam res quàm verba mutata sunt. Cæterùm 1300

terùm etiamsi alia omnia bene procederent, videtur mihi non malè rebus suis consulere Landgravia, cùm Gallis se illigare cunctatur, nisi simul ipsa illigatos sibi & Suedos habeat. Quæ in Conventu Ordinum Suediæ decernentur, multum nobis lucis adferent, & siqua est res quæ sollicitos reddere Gallos deberet, hæc est. Agi in Italia de induciis certum est: an coierint, nondum scio. De Salza quod conjeceram verum intelligo, arcanas fuisse pactiones ut deditio in hoc tempus differretur. Est jam in hac urbe Mazarinus Cardinali Riceliaco carissimus. Is & illas controversias inter Romam Galliamque ortas sedare conabitur, & paci inter Reges vias parare, homo & solers & felix. Lotharingiæ Dux tentatur quidem, sed, quantum judico, nihil acturus est non consultis Imperatore & Hispanicis. Consilia quædam in Gallia suscepta fuisse libertatis suæ inimica, Genevenses putant, eaque res accedit ad alias, quæ Helvetiis suspectam faciunt tam validam tamque propinquam Galli vicinitatem. Miseret me eorum qui nec Galliæ bene fidunt, neque causas habent cur magis fidant aliis popularibus suis qui in Hispani sunt factione. Credibilia sunt quæ de Rege Daniæ & D. Roo scribit Excellentia Vestra. Cæterùm ut Germaniæ Principes sive Pontificii sive Protestantes magni aliquid contra Imperatorem moliantur, ac sui formidine pacem ab ipso qualem velint exprimant, vix sperandum videtur, ita & accisæ eorum vires & prostrati sunt animi. Bavarus cum Longavillano certamen defugiens, gratiam videtur retulisse pro servatis sæpe terris suis, Gallorum apud Ducem Vinariensem auctoritate. Dicitur Bannerius hostibus ad se valde impeditum iter fecisse, locorum quæ interjacent incendiis ac vastatione. A Parlamentario Conventu Angliæ, quem mense Aprili futurum audio, apparebit, quæ sint Anglorum de rebus Scoticis judicia. Rex certè & Archiepiscopatum S. Andreæ & alios Episcopatus vacantes contulit in eos quos idoneos credidit: putantque multi fortes fore Anglos in tuenda Episcoporum dignitate. In Anglia audio contra Batavos multa moveri vetera, etiam illud de Ambona. Sed tales æstus sæpe cum tempore desæviunt. Non peccaturos Batavos arbitror, si nova de honorum signis titulisque decreta silentii supparo obducant. Cum quidam ad medicum venisset sanandæ rediviæ causa, quam Græci παρωνυχίαν vocant, medicus ex facie videns hydropicum esse, dixit longè aliud illi curandum quàm rediviam. Suedorum Regum morem quo nomen suum primo ponunt loco, non cum Romanis tantùm veteribus, sed & cum aliis sæculi nostri regibus congruere, disco libenter. Ego ad D. Spiringium nullum judicium perscripsi, sed tantùm historias quasdam mihi cognitas. Excellentiam Vestram quod attinet, sicut ætati multum jactatæ ac jam devexæ otium non invideo, ita nihil malim quàm manere eam in negotiis Suedicis, si modò id ferat valetudo & quæ debentur suis solvantur temporibus, ut alia omni sollicitudine liber animus rebus magnis se intendat. Dantiscanæ civitati productum est tempus malorum, abrupto ita derepente Conventu. Cæterùm cùm adversos habeat omnis ferme Poloniæ animos, neque ulla externa societate nitatur, non video ipsi exitum nisi transigendo. Quod si fieret, posset etiam inter Daniæ ac Poloniæ Reges sarciri concordia, Suediæ non optanda. De D. Haga cum Excellentia Vestra consentio, non ipsius, sed patriæ esse dedecus quod nullo in usu est. Comes Nassovius à Principe Arausionensi huc missus, à Rege ad ipsum remittitur, ut pro Rege baptismi testis sit. Brisaci Legati sunt à Ducibus Vinariensibus rerum privatarum causa. Exspectatur ibidem cum pecunia Ossenvillius. In Tiroli apparent mille pedites, bis mille equites Itali, pars exercitus contra Alsatiam destinati. Sunt ibidem Rhætorum Legati ad firmandam veterem amicitiam & federa. Curiensis Episcopus multum se opponere scribitur, ne qui exsules facti sunt per motus, in Vallem Telinam redeant. Discimus insuper Coningsmarckium esse ad Corbiam Germaniæ: Glenii militem partim in Ringavia, partim Magontiaci, in superiore Palatinatu, Wurtenbergico, maximæ parti hyberna in Franconia. Longavillano captam arcem Eberburgum, ibi multum ei frumenti vinique partum. Mosellæ ripam validis hostium copiis teneri. Viennæ omnes tentari artes ut Turca in alias partes bellum inferat. Salza quin hoc tempore sit dedita, non dubitatur. Longavillano mittuntur cohortes quædam in supplementum. Rex per Cancellarium Parlamento Rothomagensi, Curiæ subsidiorum & Mensæ Finantiarum ibidem munere suo interdixit. Ius ibi redditur per Cancellarium Franciæ & delegatos. Multi ex Normannia in proximas insulas Anglici juris Iarnzeiam & Garniseiam profugiunt. A clero suo Rex Galliæ exigit 111 milliones. Edicta fiunt nova multa. Cardinali Riceliaco offert Mazarinus à Pontifice Legationem in sex menses. Ipse longiorem vult, ut Regis & Pontificis vice pariter fungatur. Deus, Excellentiam Vestram, & omnes ei caros sospitet. Die septimo anni 1640 quem felicem eis opto.

Excell. Vestræ singulari observantia devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Nobilissime Domine,

RES exercituum nostrorum bene procedere lætus intelligo, optoque eis ac rei Suediæ Excellentiæque Vestræ felicem annum, quem inchoamus. Schmalchium Amstelodami fuisse didici, sed dicebatur ab Excellentissimis Regni Rectoribus in gratiam receptus, redire unde venerat. Ejus quid sit Excellentia Vestra novit optimè. Cæterùm sapienter facient iidem Domini Rectores, si, quod facturos confido, curam gerant, ut Legatis pecuniæ, unde sumtus tanti sustinendi sunt, suis solvantur temporibus, ut eò meliùs externas, quæ sæpe offeruntur, liberalitates aspernari possint. Ego semper ero. Lutetiæ 7 Ianuarii 1640.

Excell. Vestræ admancipatissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MAnet quo fuit in loco, id est malo, res Principis Electoris: neque ex sermone Illustrissimi Comitis Licestrii quicquam spei haurio. Non negat is terra marique vires in Anglia colligi, causam dicit ad edomandos hoc metu Scotorum animos. Alii timent ne inde auxilium veniat, nondum exstinctis apud Abrincantos seditionibus. Rothomagi res magna severitate agitur. Post Parlamentum & Curiam subsidiorum etiam urbici magistratus demoti. Civium suspensi aliqui, alii rota fracti, aut secti in partes. Crescentibus in urbe Brisaci diffidiis & rixis inter Gallos & Germanos, Erlachius, Germanos diffidens, plures Gallos sibi mitti desiderat. Credibile est ubi Galli superiores erunt numero, non diu mansuros ibi Germanos. Exercitum quoque ipsum qui Vinariensis fuit, diffluxurum paulatim non nolentibus Gallis. Is exercitus nunc iterum transiit Rhenum & in Ringaviam rediisse creditur, quàm certò nescio. Bavarici in Wirtenbergico manent: agitur de Hohentwilo ponendo extra bellum. Dux Lotharingiæ Bruxellis hyemem transigit. Anglos video societatis nostræ ne nunc quidem multum appetentes esse. Volunt præfinire nos quid bello petamus, bello adhuc pendente, contra morem. Mittitur hinc Stella Bipontinus Brisacum ad dirigendas chartas quæ ad urbem Regionemque pertinent. Norimbergam se iturum speraverat Grangius. Verùm disci-

Digitized by Google

discimus nihil ibi peractum iri: sed consultationes cunctas ad Principes redituras. Postea novum Conventum fore. Turca quin magni aliquid in Christianos moliatur, non dubium est amplius. In Italia quiescitur planè. Princeps Condæus huc venit, potitis jam Salza hostibus. Poloniæ Legatus adhuc latet. Non putatur compos desiderii futurus, ideo quod Ordinum Poloniæ sponsio, nihil contra Galliam facturum Principem Casimirum, exceptionem habeat satis latè patentem, salvis federibus factis cum Austriaca Domo. Pecuniæ colliguntur hic diligenter etiam Ecclesiasticis concionatoribus populum & Clerum in id adhortantibus. Vidi decreta Ordinum Federatorum Belgicogermaniæ de titulis aliisque honorum signis. Cùm Venetis æquari postulant, nolunt inter se & Reges discrimen esse, cùm tamen neque Veneti æqualitatem cum ipsis ferant, neque in hac Aula eos honores in introitu & admissione prima habeant Batavi quos Veneti. Tum verò Genuates, Ethrusci, Sabaudi palam omnia nobiscum commercia defugiunt, si nova Respublica ipsis antefertur. Tuæ Sublimitatis erit Legatis quid in ea re facere debeant, præscribere. Dolet interim mihi quod Batavi in publicis edictis decretisque perpetuò Suediam & Poloniæ & Daniæ postponunt. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ valetudinem, quam maximo cum dolore intelligimus concussam, restituat firmetque. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Ianuarii 1640.

Rotomagi etiam reditus urbis & omnia privilegia confiscata sunt. Discimus jam Longavillanum subsistere trans Rhenum nequisse, obstantibus hostibus. Vinarienses magis magisque dilabi, & magna esse ipsorum cum Gallis dissidia. Longavillanus pecuniam hinc poscit, ut reficiat exercitum. Harcurtius apud Rivolem hyemat, sperat Rex se hoc anno percepturum plus LXX millionibus.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

3 QVam secundo hujus anni die epistolam Excellentia Vestra scripsit, bene accepi, multumque doleo pro Principe Electore spem status melioris, neque videre me, neque ex Illustrissimi Comitis Licestrii, in ea re plurimum laborantis, sermonibus intelligere. Nonnihil tamen perterrita est hæc Aula rumoribus de classe & exercitu qui in Anglia parantur. Dicuntur enim ista ad frangendos Scotorum animos strui; verùm multæ in Gallia offensæ & seditionum reliquiæ & mare Anglis patens alios metus suggerunt, ideoque vocatur huc Bellevrius, ut quæ in Anglia comperit edoceat. Rotomagi interim nihil severitatis omittitur: dejecti post Parlamentum & Curiam subsidiorum etiam urbis Magistratus. Civium alii puniti suspendio, alii rota fracti aut secti, ut magna odia magni terrores comprimant. Quod mirum quàm Galliam nunc regentibus & bene & diu succedat. Germanos hic sperni video. Et plerique id merentur. Erlachius autem, Germanis diffidens, plures Gallos in præsidium advocat. Vbi hi prævaluerint non longa ibi Germanis sedes futura est, & Vinariensis exercitus magis magisque diffluet. Rumor tamen est, nunc eum Rheno iterum transmisso rediisse in Ringaviam. Stella mittitur Brisacum ad chartas digerendas quæ ad urbem regionemque vicinam pertinent. Quidam etiam mandata cum habere putant agendi cum Bavaro; quod neque adfirmaverim neque rejecerim. Norimbergam autem nemo à Rege mittitur, quod pro certo hic habeatur, nihil aliud ibi quàm consultatum iri, ut relatio fiat ad Principes ac Civitates, mandataque deinde super singulis reportentur ad Conventum alium. Longavillani tenues esse copias & hic audimus; neque ipsius magna apud Aulam est gratia, ob affinitatem cum Comite Suessionensi. De Hohentwila extra bellum ponenda sermones audio. Hassos cum Imperatore pactiones facere credibile eò magis est, quod ex Suedia super isto negotio nihil audimus. Lamboio autem facilem moram in Iuliacensi agro datura videtur Ducis ibi & Ordinum eorum locorum inter se gravis dissensio. De Budissino & Driesenio lætus res nostras intelligo, & quo res exitura sit inter exercitus tam validos & propinquos sollicitus, sperans tamen optima, opperior, quod id magnam nobis de futuris rebus dijudicationem sit præbiturum. Ex Angliæ Parlamento, quod instat, bonas spes ab aliis non minùs quàm à Regina Bohemiæ capi video. Credo tamen non fore ibi alcedonia. Erunt querelæ adversùs Episcopos, adversùs aulicos. De Turcis quin magni aliquid in Christianos moliantur, nemo dubitat, ut ex Italis intelligo. Mazarinus ea huc Roma ferre creditur, per quæ placari possit Cardinalis animus. Valet is ingenio, & apud hanc Aulam gratia. Vidi ea quæ Excellentia Vestra mihi misit, accepta à Batavis, super honorum signis & indigetamentis. Nihil à Gallis responsum super illis intelligo. Veneti perstant in rejicienda paritate: constatque mihi, sæpe laborasse Gallos ut Batavis persuaderent dandum aliquid Reipublicæ tam veteri & quæ Regna possederit, possideatque. In primo introitu primaque admissione semper discrimen hic fuit, manetque inter Legatos Regum & Venetos: majus autem inter Venetos & Batavos, quanquam multum in talibus hic variari solet ex usu cujusque temporis. Cæterùm Comes Licestrius non putat causas esse, cur quæ Venetis deferuntur, deferantur & Batavis. Illud certum est, quicquid Batavis concessum fuerit, tantundem postulaturam Rempublicam Genuatem, adeo veterem & potentem, item Sabaudum, cui hic maximè favetur, & Ethruscum. Neque ego video cur multò minoris habendi sint. Poterunt verò hæc disputationes commodè differri, donec Batavi morem exuerint, Suediam & Poloniæ posthabendi & Daniæ, quæ se è Suediæ Regno Reges accepisse non negat. Fedus quod attinet, res mihi videtur impedita, ideo quod aliud in eo propositum sibi habeant Batavi, aliud Suedi, laudoque Magni Cancellarii prudentiam qui eos si quid proferant audiri vult, non ambiri. Legatus Polonicus adhuc latitat: crediturque desideriis ejus obstiturum, quod sponsio Ordinum Poloniæ, Casimirum Principem Galliæ nihil nociturum, exceptionem habeat federum quæ Poloniæ cum Domo Austriaca intercedunt, quæ quousque pateant ignoratur. Iamjam intelligo Longavillanum transiisse quidem Rhenum, sed subsistere ibi nequisse ob vim hostium. In locum multorum Vinariensium qui ob non soluta stipendia & offensas alias dilabuntur, alium militem & in id hinc pecuniam postulat. Deus Excellentiam Vestram diu salvam, valentem & bono publico utilem præstet. Lutetiæ 14 Ianuarii anni 1640.

Excell. Vestra ad omnia obsequia paratissimus H. G.

D. BARONI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime Domine,

PRidem nihil mihi lætius accidit, quàm quod Magnitu- 1304
dinem Vestram in summum Ordinem Regni Suediæ Senatorum allectam intelligo. Scio quid Excellentissimo Parenti, quid toti domui debeam, nec oblitus sum benevolentiæ maximæ, quàm mihi Magnitudo Vestra non verbis, sed rebus ostendit. Quare omnia vestra bona meas esse felicitates interpretor, pro meis habens, quæ eis contingunt, quibus plurimum debeo. De Suedia autem ita merita est Domus Oxenstierna, tanta in omnibus ejus nominis est virtutum seges, ut ei Regno nihil optari possit prosperius, quàm ut plurimi ejus stirpis, non navi tantùm

tantùm Suedicæ, sed & gubernaculis admoveantur. Ego si qua re possim ostendere, quantum mè hic nuntius delectet, nulli parcam operæ, quippe qui sim, Illustris Domine, domui Vestræ toti, præcipuè verò. Lutetiæ 14 Ianuarii 1640.

Illust. Vestræ omni jure addictissimus H. G.

Viro raræ eruditionis & eloquentiæ

CASPARI BARLÆO,

Professori.

1305 VIdi, Poëtarum & Oratorum Clarissime, vincto solutoque sermone laudes quas pro rostrata corona Trompio dedisti. Multum tibi debent illustres animæ quorum nomina tradis immortalitati. Multum & patria, cujus vice fungeris, meritis eam quæ maxima est gratiam referendo. Quis non mortis pericula comtemnat qui modo pretium suæ virtutis tua carmina orationesque intelligat? Etiam Suedia, Patria nunc mea, non parum tibi debet, tum quod ipsius quoque tam benignè mentionem facis, tum quod egregium illud à Batavis partum decus imminuit Domum Imperatori connexam atque indivulsam, acciditque opes hostibus alioquin profuturas. Adjungam votum, ut quem tu fortibus factis habes honorem, is & eloquentibus tuis dictis habeatur. Lutetiæ 14 Ianuarii 1640.

Tuæ Clar. studiosissimus H. G.

CORNELIO GROTIO.

1306 QVod cepisti consilium, mi Fili, id Deum rogo ut fortunet. Certè rerum periti omnes mecum judicant optimas tibi inde spes portendi: contra in Batavis nihil nisi projectum ac vulgare. Bene fecisti quod amitæ exhibuisti quod supremum possumus. Placet & in Zelandiam iter in comitatu maximè matris. Bónum tibi consilium dedit Senator Reigersbergius ut commentarios scribas rerum Ducis Vinariensis quatenus tibi notæ sunt. Tuas ad me literas ad illud spectantes tempus collegi, & prima occasione mittam. Hac enim opera & gratiam persolves optimè de te non minùs quàm de publico merito Principi & temet exercebis tum in memoria militarium rerum, tum in scriptione. Id ubi perfeceris perlegere mihi suavissimum erit. Vale mi fili. Lutetiæ 14 Ianuarii 1640.

Tibi optimè volens Pater H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,

Senatori in Parlamento Parisiensi.

Vir Nobilissime & Amplissime,

1307 BLondelli diligentiam pridem admiratus, quò plura ejus lego, eò admiror magis. Remitto igitur cum gratiis has chartas, quarum de singulis partibus judicium ferre nobis neque Legationis negotia, neque operum quædam à nobis inchoata, permittunt. Rectè fecit Vincentius Fabricius, quod Vir Doctissimus veris laudibus ornavit Doctissimum Senatorem. Exiguus noster, Vir bonus eruditusque nodum in scirpo quærit, non metuenda metuens. Nam si novi federis auctoritati non obstant, tot quæ olim deprehensæ sunt, & quotidie deprehenduntur discrepantes scripturæ, quid mali facit qui in veteris federis libris, sive ex Orientalibus Iudæis sive ex Interpretibus antiquis aliquas fuisse præter eas in quas inciderunt Masoretæ, sedulò observat & verecundè docet? Hellenistarum Idioma quod attinet, egregia sunt & magnam Hebraismi peritiam testantia quæ observat Boschardus. Sanè Hieronymus, cùm in Apostolis Barbarismos notat, cùm ab Aquila non voces tantùm Hebræas, sed & vocum origines ait redditas; non idem significat quod Tremellius, quod Scaliger, quod Casaubonus, quod is qui multa ex eo illustravit Drusius. Ergo hic quoque μέτρον ἄριστον [*modus optimus*]. Viros illos magnos duos, qui tanto inter se fragore colliduntur, si potestis, sistite; si id obtineri nequit, refrigerate eos, ne nimius impetus judicationis veritati obstet

Τὸ γὰρ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.

[*Illud enim, nequid nimis, valde me delectat.*]

Lutetiæ 18 Ianuarii 1640.

Tuus tuis meritis H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Succiæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

AVgescentibus in hac urbe per immensa onera rerum 1308
omnium pretiis & magnos sumptus exigente hoc in loco legatione, valde me premit dilata pecuniarum, unde necessitates istæ sustinendæ sunt, solutio, quod mihi pecuniarum præsentium non est ea abundantia unde prærogationes facere possim, eæque sollicitudines non parum obstant melioribus curis quibus Augustæ Majestati Tuæ, honorique Suedici nominis inservire debeo cupoque. Absunt mihi hoc tempore XIV millia dalerorum Imperialium. Ea rogo mihi ex Gallica pecunia, aut aliunde percipere liceat, utque in posterum statuatur certi aliquid unde suo tempore habeam quod erogem. Batavica pecunia majores indies moras ac difficultates patietur. Ego nihil malim, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, quàm omnibus rebus ostendere quàm sim. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuarii 1640.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ,

Regni Suedici Archidapifero.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

PLurimum gaudeo Deoque gratias ago, quod salvus 1309
ex Italia, nec sine conspicuo fructu rediit ad nos illustris D. Baro Gabriel Oxensternius, cui nunquam quicquam continget tam magnum ut non minùs sit futurum & eis quæ ego ipsius Illustritati opto & ipsius meritis. In Italia regnat prudentia, & Illustris D. Baro ejus est ingenii ejusque ætatis quæ monstratum bonum aliquod facilè arripiat. Spero Sublimitati Tuæ placiturum quod filius cepit, consilium. Ego verò, præter quod Oxensternææ domui, siquis unquam, obligatum me sentio, etiam reverentia virtutum D. Baronis adducor, ut pro eo omnia velim quæ possim. Spero autem Sublimitatem Tuam quàm mihi optimè velle multis cognovi indiciis, adjuturam me ut posthac minùs sollicitus minusque impeditus & legatione fungar & de iis cogitem quæ ad Suedicæ gentis honorem pertinent. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, quem inchoavimus annum, & longam sequentium seriem tutam, prosperam, florentemque præstet. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuarii 1640.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

REs Electoris Palatini, ut spero brevi loco erunt me- 1310
liore. Rex mea opera ad componendum hoc negotium uti voluit. Egi cum Ministris Regiis & cum Legato Angliæ Illustrissimo D. Comite Licestrio, cui quæ proposui non displicent, sed Angliæ jussa exspectat. Suæ autem hæc, ut dicat, quod jam sæpe dixit Elector, non fuisse sibi propositum quicquam agere in exercitu Vinariensi sine bona gratia Reginæ Suediæ, Regisque Christianissimi: neque porrò se quicquam acturum ejus rei sine

sine eorum consensu. Hoc facto ut è carcere exeat, Lutetiæ victurus fide sua & Legati Anglici Regis sui nomine, non exiturum se inde nisi Rege volente. Hoc gradu facto speramus nos consecuturos deinde non plenam tantùm libertatem Electori, sed & restitutionem ejus Domusque totius, si Rex Angliæ nobis se velit adjungere, quod optare etiam Angliæ populum, qui nunc in Parlamentum coiturus est, non immeritò credimus. Sed de hac re nolim Excellentia Vestra cuiquam loquatur, nisi Reginæ Bohemiæ, cui gratum fore speramus, quod & valetudini Principis Palatini, ex carcere non mirum si periclitaturæ, consulimus, & consiliorum ei meliorum, quàm quibus usus est, hactenus, copiam facimus. Nam illa quibus usus est, improbat etiam Comes Licestrius. Non parùm valuit ad flectendos Gallorum animos, quod dixi exspectare me literas à Regina Suediæ valde commota hac tanta cognati Principis calamitate. Regum & Principum consurgentes undique querelas, ita spero, prævenient. Vinariensis equitatus trans Rhenum nunc esse scribitur: ibi cepisse Rodelshemum, Elfeldum, Vrselam, Wisbadum, Limburgum, Homburgum. Peditatus autem & iste & Gallicus cis Rhenum agere, dum Bavarici partim in præsidiis sunt Heidelbergæ, Spiræ, Wormatiæ & in Bergstrata, partim Pforshemii, Biberaci & in Wirtembergico: eos tamen interdum speciem præbere meditantium transgredi Rhenum. Augescunt copiæ in Tiroli, multus belli paratus Constantiæ est. Brisacum coïere Friburgi, Niburgi aliarumque urbium quas virtute sua quæsivit Vinariensis, Præfecti. Valde varii per urbem hanc rumores cursitant de nostrorum clade aut victoria in Bohemicis partibus, pro studio aut odio in nos contraria vulgantibus credentibusque aliis atque aliis. Cum Nuntio Pontificio controversiæ hic manent. Miror ego pariter cum Excellentia Vestra quemquam inveniri qui putet Bavarum dono Austriacæ Domus tenentem terras & dignitatem consanguineorum, nuptiis illigatum tam propinquis Imperatori, ab hoc posse abstrahi. Nimium suæ sollertiæ tribuunt qui talia se effecturos sperant. De cometa illo, si quid à talium eruditis scribitur videre cupiam, neque nimia credulitate talia arripiens, neque contemtor talium προγνώστων [*præsagiorum*] quas multæ historiæ probant. Fedus cum Gallia nostrum, nisi producatur interim, finietur Maio anni qui hunc sequetur. Ex pactis Wismariensibus inducias Gallis nisi Suedorum consensu facere non licebat ultra sex hebdomadas: fecere tamen in Italia longiores, causanturque ibi non suam præcipuè, sed Sabaudicæ Viduæ rem agi. Ego quanquam interdum ostendo, talia Suedis non placitura, non tamen ita instituo sermonem, quasi fedus pro rupto habeam: malle nos aliquid de jure nostro remittere quàm antevertere illud tempus quo citra controversiam nobis licebit rebus nostris consulere. Nihil tamen adhuc loquuntur Galli de prorogando federe. Et Landgravia metuens ne aut federis exitu aut ante Suedos pacem faciant, hanc quoque causam habet, cur circa Gallorum postulata cunctetur. Si Coningsmarckius propiùs Rheno accedat, non dubito quin Vinariensium multi Suedicam militiam Gallicæ sint prælaturi. Decreta ex Norimbergensi Conventu vix ulla exspecto. Sed tamen apparebit quo se vertant animi. In frasaxonicis non id puto virium fore, ut invitis bellantibus quietem suam tutari possint. Novo Conventu in Polonia haud dubiè est opus, & Dantiscani nulla societate fulti, quid aliud quàm redimant se quàm possint minimo? Ritualia ista apud vos recalescere doleo, ceu cætera nusquam bella forent. Multum hic pecuniæ fit, speranturque hoc anno proventuri LXX milliones. Clerus dat CLXXX millia scutatorum. Sexdecim novi Magistri libellorum supplicum II milliones. Non privilegia tantùm omnia, sed & omnes reditus ad civitatem Rothomagensem pertinentes confiscati sunt. Manent tamen seditionum reliquiæ apud Abrincantos: multi tamen ex Normannia migratum eunt in præjacentes isti oræ Anglici nunc juris insulas. Quæcunque vult Excellentia Vestra & ego volo, excepto, si id permittit illo de missione. Deum quæso valetudinem det Excellentiæ Vestræ ad perferendos labores, Suediæ autem Rectoribus eam mentem ut dignam istis laboribus habeant gratiam. Lutetiæ 21 Ianuarii 1640.

Iam alterum ad nos venit D. Chavigniacus: cui retuli quæ inter me & Illustrissimum D. Comitem Licestrium erant acta. Placuit Regi ut ad eundem modum Amontotius Reginæ Bohemiæ loqueretur. Rex mihi videtur esse in spe optima. Paratur hic exercitus iturus in Italiam mense Februarii finiente. Paullò post Rex se ad fines illos movebit. Parantur & naves longæ XXVI pro interno mari & ad supplendum id remigium damnantur Rotomagensium non pauci. His præerit Burdegalensis Archiepiscopus: classi in Oceano Brezæus: mutatio instituitur Tubadelii cum Spereutero, Feuquerii cum Enckefortio accedente pecunia Gallica. Longavillano mittentur supplementa. Hoëhstæ scribuntur esse Bavaricorum CC, Magontiaci CIↃ CC. Vinarienses ad Baccherachum castellum è terra excitare.

Excell. Vestræ perpetuo obsequio addictus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

CVm jam conveniant Excellentissimi Rectores Regni, 1311
spero bonitate Sublimitatis tuæ me & in præsens & in posterum levatum iri iis molestiis, quæ & splendori obstant Legationis, & animum gravibus incommodis metuque pressum abstrahunt à cogitationibus ac laboribus magis necessariis. Debentur mihi bis septem millia dalerorum Imperialium hoc tempore: & crescit indies summa. D. Spiringius autem nihil certi promittit, nunc mandata, nunc pecunias habere se negans. Batavicæ verò pecuniæ, ad quas interdum me rejicit, difficultates habebunt graves, moras certè longas, quas perpeti mihi multò est quàm dicere possim molestius. Pertinet autem ad Regni etiam dignitatem ut nihil hic contra decorum peccem, quod non fecerim, nisi perinvitus. Mitto id quod actum est inter D. Chavigniacum missum Regio nomine, & Nuntium Pontificis, dignum lectu ac consideratu. Miror Pontificem, habitum non imprudentem, eodem tempore duos validos Reges offendere. Idem ille D. Chavigniacus Regis jussu ad me venit. Dixit & Regem & Cardinalem magni me facere, mecumque acturos amicè & candidè. Si quid antehac contra me fuisset actum, ejus rei causas à Patre fuisse Iosepho (Is autem Pater Iosephus amicus Chavigniaco non fuit). Videre Cardinalem me iniquis criminationibus vexatum. Gratias habui pro benignitate, spopondique omnia quæ à Legato viro bono exspectare possint. Scire me omnia ista quæ adversùs me fierent à Batavis proficisci, qui cùm semel me tam injustè læserint, nunquam destituri essent à me vexando: me ad mei tutelam bene paratum: non mixturum me ipsorum negotiis, nisi quatenus Suediæ aliquid interesset: quibus utilem cùm putarem partam à Batavis mari victoriam laborasse me apud Illustrissimum Comitem Licestrium, ut quod fecissent illi sub oram Angliæ id necessitatis patrocinio excusaretur: maximum periculum adiisse ipsorum insulas à classe tam vicina ac potente. Sine quibus Respublica servari nequeat, ea contra omnes leges humanas solere defendi. Laudabat hoc propositum meum, addiditque velle Regem opera uti mea ad componendum negotium cum Palatino Principe. Posse id hoc modo fieri, ut Princeps Palatinus ne-

gere se quicquam in exercitu Vinariensi Rege invito agere voluisse, promittatque nec in posterum se quid tale facturum sine consensu Reginæ Suediæ ac Regis Christianissimi. Tum verò posse ei permitti Lutetiæ vivere fide data & suo & Legati Britannici Regis nomine non exiturum inde nisi Regis permissu. Dixi me & hanc & omnem aliam operam Regi libenter navaturum. Hanc verò eò magis quod commoverer tot tantisque calamitatibus Reginæ Bohemiæ Domusque Palatinæ. Post id accessi D. Comitem Licestrium & non quidem Regis Galliæ nomine (id enim vetuerat Chavigniacus) sed meo eadem illa proposui, dixique me pro certo habere, si ipsi hæc placeant, eventum felicem habitura, & per gradus non plenam tantùm libertatem nos impetraturos Palatino, sed & in bona restitutionem, modò anniti Rex Angliæ velit. Sperare me operam hanc meam non minùs Angliæ Regi quàm Galliæ gratam fore. Dixit jussum se à suo Rege plenam statim libertatem Palatino petere, ab eo abire se non posse nisi novo Regis jussu. Scribet ergo in Angliam & ubi responsum acceperit, certum me faciet. Interim oravit me, ut in hac re laborare pergerem, haud dubiè pergratum id Regi Angliæ futurum. Ostendi graves morbos paullatim curari: multum fore si Palatinus carceris incommodis sæpe & valetudinem lædentibus, eximatur & copiam habeat consiliorum meliorum quàm quæ data ei hactenus fuissent, quæ quidem consilia etiam ipse Comes Licestrius improbat. Rex Galliæ bellum an pacem malit dubitari potest. Populus omnis, sub tributis & militari licentia gemens pacem optat. Cardinalis verò haud dubiè bello in res suas ac propinquorum suorum magnitudinem opesque utitur. Hostis nihil Galliæ tenet, Gallia hostici multum. Si quid Regi eveniat humanitus, magnus ei prætextus erit ad regimen Galliæ contra Reginam adipiscendum, bellum manens cum Hispano & metus ne consilia ad hostem emanent. Dicitur & hoc agere Cardinalis, ut Delphinum in sua habeat potestate, id est ad Pontem Esiæ eum transferri curet, quod oppidum Præfectura est ipsius D. Cardinalis. Sperant Ministri Regii hujus anni reditus publicos perventuros ad LXX milliones & amplius. Clerus confert CLXXX millia scutatorum, sedecim novi Magistri Libellorum supplicum II milliones. Rhotomagi civitatis Magistratus destituti, privilegia omnia atque ejus civitatis reditus confiscati. Et ibi quidem terrori parent omnia. Cæterùm apud Abrincantos manent seditionis reliquiæ. Legatus Poloniæ parat se ut in urbem hanc intret. Audimus Vinariensium equites trans Rhenum cursitare, captis Rodelshemo, Elfeldio, Vrsela, Wisbada, Limburgo, Homburgo: pedites horum & Gallicos cis Rhenum esse, Bavaricos maximè in Wirtembergico agro, duas Glenii cohortes in Franconia, Mercium ad Porshemum, Reinachium ad Biberacum, magna præsidia Heidelbergæ, Spiræ, Wormatiæ & in Bergstrata. Constantiam inferri multa quæ usui bello, copias autem in Tiroli crescere. Brisaci consultare inter se earum urbium quas Dux Vinariensis armis suas fecerat, Præfectos. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, sospitem præstet Sublimitatem Tuam, ejusque pro re Suedica & Christiana consilia secundet. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Ianuarii 1640.

Audimus parari supplementa Longavillano sub Trecio: XXVI naves longas & alias aliquot ad mare Mediterraneum mitti sub Archiepiscopo Burdegalensi, classem aliam in Oceanum sub Brezæo, fine Februarii ire exercitum in terras Pedemontanas: commutari cum Sperrutero Tubadelium, cum Enckefortio Feuquerium, accedente à Gallis pecunia. Rotomagensium multi ad remos damnantur. Itur inde Cadomum ad puniendam eam quoque civitatem. Mitto etiam gesta inter Nuntium & Chavigniacum, ita ut à Nuntio vulgantur. Dicuntur & Vinarienses excitare ex humo castellum apud Bacchera-chum. Magontiaci sunt militum Bavaricorum CIↃ CC Hoëhstæ CC.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVæ mecum Dominus Chavigniacus, ego autem cum Domino Licestrio eram collocutus super libertate Palatini Principis, scripsi nuper. Ex eo rediit ad me D. Chavigniacus & ex me quæ cum Comite Licestrio egeram intellexit, multaque dixit de Cardinalis suoque in me bene volente animo, pro quo gratias egi. Aliquanto post missu ejusdem D. Chavigniaci venit ad me domesticus quidam ejus, attulitque has tres chartas ad conficiendum illud negotium. Vidi statim pro certo poni in chartis illis Regem planè dominum fuisse ejus exercitus, ut cui stipendia solus dederit, cùm contra exercitus semper in fide Suedici Regni & Germanici fœderis fuerit, pecunias autem Dux Vinariensis, ut quidem prædicavit sæpe, acceperit, ut Regni Galliæ fœderatus, quomodo Landgravius dum viveret. Dixi qui has chartas attulerat prævidere me Anglis hæc minus placitura. Vt occurratur offensis, rogare me ut mutentur verba. Satis fore si dicat Palatinus, sibi animum nec fuisse nec fore, quicquam cum illo exercitu agendi sine Regis Galliæ consensu. Ad eum tenorem mea fuisse verba cum Comite Licestrio. Cùm is diceret non mandatum sibi referre chartas, sed mihi relinquere ostendendas Comiti Licestrio, dixi me eas consideraturum amplius & de re cogitaturum. Non multò post alium ad me misit Chavigniacus, rogavitque ut intra paucos dies cum Comite Licestrio ea de re agerem. Dixi diligenter expendisse me chartas illas: ac videri mihi in iis quædam esse quæ detrimentum adferre possint iis quæ Suedia sibi deberi existimat. Me igitur consulturum Reginam, ne quid fortè faciam, quod ejus juri putetur adversari. Interim abstenturum hoc negotio, donec Reginæ voluntatem intellexerim. Dolere mihi, quod tam longè abesset Suedia, ut longum futurum sit spatium temporis, priusquam responsum accipiam. Si interim Legati alii, qui in hac re suam obtulere operam, obtinere libertatem possint Principi Palatino, mihi id volenti fore. Notavi apud me plura esse, præter quæ jam dixi, in quibus dicta Chavigniaci ab illis chartis discrepent. Liberam in urbe habitationem Palatino fore dixerat Chavigniacus, nunc Aulæ veluti includitur, ne liberi ad eum inobservatique sint aditus. Suediæ & fœderis Germanici honestam apud me mentionem fecerat. Hic nulla est. Regis omnia. Quare rogo Sublimitatem Tuam ut de hoc negotio magno atque difficili, voluntatem Reginæ quamprimùm fieri potest, intelligam. Comitem Licestrium post chartas acceptas non vidi. Vbi eum adibo, dicam me ob repertas difficultates ultra in hoc negotio non processurum sine mandatis. Affirmant mihi Itali crescere indies Turcæ paratus in bellum, quod Melitenses præcipuè quidem metuant & non minùs Italia omnis. Audimus à D. Harcurtio captum Buscum oppidum apud Nicæam: in arcem autem Taurinorum novos invectos commeatus. Mazarinus hinc Coloniam mittitur, ut præsit pacis negotio, secundum locum obtenturo Davausio, cui successurus creditur revocatus jam ab Anglia Bellevrius. Missi hinc sunt qui pro destituto Parlamento jus reddant Rhotomagi. Metuit Normanniæ nobilitas ne & à se pœnæ exigantur, quasi quæ non satis fortiter seditiosis agrestibus restiterit. Diplomata pro Batavis mittendis ad pacem data sunt ab Hispano Cardinali, non mala, ut audio. Nondum urbem hanc solenniter intravit Polonus Legatus: putatur autem & Princeps Casimirus impetraturus non plenam libertatem, sed libertatis aliquid, quia sponsio non talis adfertur qualem Rex Galliæ expetierat. Venetus eam

rem

rem commendat. Regina Galliæ iterum gravida est. Ex quo esse cœpit, secundus jam mensis impleri creditur. Peditum quadringenti, equitum ducenti è Gallia in Comitatum Burgundiæ missi. Nova bello alimenta ex America in Hispaniam venere XXIV florenorum milliones, quorum pars ferme tertia ad Regem pertinet. Inter Coningsmarckii milites & Wurtsburgicos pugnæ aliquid fuit. Et is Episcopus & non minùs Magontiacensis Bavaricos in sui auxilium advocant: at illi in hybernis manent. Pecunia Brisacum hinc jam advenit. Hispani verò Mosellam transeunt, recepturi si possint Creutznacum, Baccheracum, Bingam. Longavillani in agro Westerwaldico & ad Lonam loca quædam capere dicuntur. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, si rem Suedicam amat, quod eum ut faciat rogo, haud dubiè valetudinem & bonam & firmam dabit Sublimitati Tuæ. Scribebam Lutetiæ 28 Ianuarii 1640.

Intellexi ex D. Chavigniaco priusquam ex Anglia abiret Elector Palatinus actum cum eo & Rege Angliæ Galliæ nomine de mandando ipsi imperio in Vinariensem exercitum certis sub legibus. Id an conscia Suedia factum fuerit, ignoro. Tubadelius jam contra Sperreutherum commutatus est, accedente pecunia Gallica. Fama quædam vagatur de federe inter Hispanum, Anglum, Danum, Polonum pro liberandis Principibus captivis. Carruca Legati Polonici stetit VIII florenorum millibus. Vestes familiæ XII. In Normannia mutati passim Magistratus, reducta tributa. Rhotomagensis civitas duos milliones quærit, ut ab arce præsidioque sit libera. Nova controversia Hispano cum Pontifice est, quod Legatus Hispanicus ex Ecclesia quadam abstraxerit hominem Neapolitanum.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

313 VEra sunt quæ scribit Excellentia Vestra, & Gallos omnia suspicaciter agere in Palatini Electoris negotio, & Anglos eos non esse qui aliquid velut coacti facere velint. Et inde jam Hamburgi colloquiis de federe moram injectam dolens intelligo. Tum verò spes de libertate ejus Principis, de qua scripseram nuper, non periit quidem, sed nodis implicatur. Petunt enim nunc Galli, de quo nihil antè dixerant, confessionem ab Electore, exercitum fuisse Regis Galliæ solius, nec quenquam conari potuisse ejus ductum adipisci sine gravi in Regem Galliæ peccato. Præterea volunt Electori hospitium assignare in Domo Regia, nempe ut observetur. Et quis scit an non Galli putent se habere documenta, ab hominibus Electoris id actum, cujus negationem ab eo poscunt, ut ubi velint, velut contraria edocti, eum reddere carceri possint, juris obtentu. Sed sicuti hæc timeo, ita pro explorato habeo Suedos non concessuros alio exercitum Ducis Vinariensis, quia is Dux pecunias accepit à Rege ex federe, ut Batavi, ut Hassi, ipsique Suedi, ideo in Gallica militia fuisse, neque ducem sibi sumere potuisse sine flagitio atque perfidia, cùm ipse Dux semper se professus sit Reginæ nostræ & federis Germanici nomine eum regere exercitum. Itaque in Sueciam ea de re scripsi, interim supersessurus huic negotio, cui aliquid insidiosum Regno Suediæ misceri aut video aut videre me puto. Venetus & Batavus, quorum res hic non agitur, si poterunt donare Principem libertate, gaudebo. Armorum in Anglia paratus non unam rem sibi videntur habere propositam. Minantur enim & Scotis & Batavis, & Gallis, & internam Angliæ ipsius quietem, quæ Parlamenti temporibus turbari sæpe solet, custodiunt. Episcopi Angliæ jura sua, ut credibile est, acriter tutabuntur. Mazarinus Coloniam ad pacis negotium mittitur, secundas ibi partes acturo Davausio, in cujus locum successurus creditur, qui nunc ex Anglia revocatur, Bellevrius. Pontifex Secretarium quendam suum huc mittit ad placandum Regem & quidem cum Reliquiis, quas vocant, non spernendo apud Regem munere. Cardinalis autem Ricliacus non dissimulanter id agit, ut sicut Regnum fecit, ita & Ecclesiam Gallicanam sui faciat arbitrii. Et jam de omnibus Episcopatibus, Abbatiis, aliisque Sacerdotiis, Regis concessu, liberrimè constituit quod ipsi visum est. Si ad hæc accedat Legatio Pontificia, & ex Archiepiscopatu Remensi quem Guisius deponere vult de matrimonio cogitans hoc magis, quod morte Ioinvillii opulentæ domus hæreditas ad ipsum reciderit, Primatis titulus, non video quid ultra desiderare possit. Longavillanum audimus in Westerwaldia esse, & ibi loca quodam capere. Coningsmarckii autem miles cum Wirtsburgicis pugnasse dicitur. Is Episcopus, non minùs quàm Magontiacensis, auxilia à Bavaricis petunt: manere tamen illi in hybernis suis dicuntur: partim ad Mænum. Pecunia hinc Brisacum jam advenit. Quadringenti pedites, equites ducenti è Gallia in Comitatum Burgundiæ missi. Polonicus Legatus nondum urbem ingressus est. Putatur, cùm sponsionem non adferat qualem Rex Galliæ voluit, non impetraturus plenam Principi Casimiro libertatem, sed aliquam, puta qualis Electori sub duris quas dixi conditionibus, offertur. In Normannia, destituto omni Parlamento, judicia jam exercentur à Senatoribus ex Parlamento Parisiensi illuc missis: & post graviter vexatas civitates inquiritur in nobiles, quorum neglectu seditiones agrestium invaluisse dicuntur. Regina jam iterum uterum gerit duorum mensium. In Hispaniam ex America advenere florenorum milliones XXIV. Eorum pars tertia Regis est. Sed in necessitate etiam partibus cæteris Rex uti solet. Sunt qui scribant Mosellam transgressos qui in illis partibus erant Hispanos, non sine spe recuperandi Baccheracum, Crutzenacum, Bingam. De Hassis cum Excellentia Vestra sentio, nihil facturos cum Gallis, nisi & de Suedia certi sint. Vt in Austriacas terras juxta fedus bellum hinc inferatur, institi sæpe. Sed vidi semper illos verba dare, reipsa non cogitare nisi de eis quæ Galliæ propiora sunt, quod ipsum Helvetios valde territat, qui & Erlachio malè volunt ob illas cum Gallia pactiones. Quæ Mortagna attulit, nosse gaudeo, speroque nos brevi prosperi aliquid ex illis partibus audituros. Turcæ paratus crescunt, ut affirmant Itali, magno cum suo, Siculorum & Melitensium metu. Videamus quid Norimberga parturiat. Rituales controversias Batavicas lubens prudenti judicio Excellentiæ Vestræ permitto, confidoque repertum iri temperamentum, quo & Regno Suedico sua constet dignitas, & retineatur amicitia Batavorum his maximè temporibus Suediæ non aspernanda. Fama hic est fedus agitari inter Hispanum, Anglum, Danum, Polonum pro liberatione captivorum Principum. Tubadelius jam in libertate est. Deum rogo ut super publicis privatisque negotiis Excellentiæ Vestræ, optima Regno Suedico, optima ipsi consilia suggerat, suggestaque fortunet. Lutetiæ 28 Ianuarii 1640.

Exc. Vestræ perpetua observantia cultuque addictissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

HIbernia omnia contra Scotos erit. In Angliæ Parla- 1314
mento variæ animorum affectiones ut puto, apparebunt. Episcopi suam dignitatem tuebuntur non sequiter. Si major pars Scotis adversabitur, multum inde Rex & animabitur & armabitur in Scotos: quos & ipsos jam inter se, quod ambitionis ingenium est, diffidere audio, tum

tum verò nisi externis juventur auxiliis vix pares erunt duorum regnorum adversùs se consensui. De Electoris libertate spes aliqua nobis erat data, sed qui injiciuntur nodi, quæ mihi cogitationes oboriantur ex literis ad Magnum Cancellarium intelliget Excellentia Vestra, cujus ego consiliis in re magna instrui eò magis opto opusque habeo, quod tam longè abest à nobis Suedia. Exercitus Vinariensis Gallis militat, sed non sine multorum dolore, qui longè aliud armis suis agi quàm quorsum ipsi ea ceperant videat. Pecuniæ ad ipsos nunc eunt, sed ut id maximè fiat, per pactiones multò ducibus meliùs quàm militi prospectum est. Viderit jam Excellentia Vestra eas pactiones transmissas ab Erlachio, qui etiam suos Helvetios ea de causa sibi infestos habet. Quid Excellentia Vestra, quid Suedia de iis judicet, & an aliquid supersit remedii ad hoc malum, scire percupiam. Gaudeo ea æquitate esse Suedos, ut parcere velint Pontificiis nihil hostile agentibus. Pertinet id ad belli famam. Vt in hæreditarias Domus Austriacæ terras ex his partibus arma moveantur perpetuus impulsor fui, & vivente Duce Vinariensi & post excessum ejus. Sed interjacet Bavaria, cui, velut rei sacræ, hic parci, multi queruntur, & de causis variè dissertant. Ego officio non deero, speroque & quæ mihi sunt necessaria, de quibus scripsi jam aliquoties, Excellentiæ Vestræ curæ fore: crescit enim indies incommodum, & jam post supremam solutionem XIV millia Thalerorum mihi debentur. Deus Excellentiam Vestram servet. Lutetiæ 28 Ianuarii 1640.

Excell. Vestra obsequentissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir mihi πρῶτε τῶν πρώτων [*primus primorum*].

1315 LÆtor non displicere tibi consilium nostrum de edendis quæ parata habemus. Scis quid posteritati debeamus, & quanta sit sæpe post mortem, quam exspectare semper debemus, hæredum negligentia. Rogo igitur te quem semper amicorum optimum reperi, ut in hac re me adjutes, & si Blavius moras interjiciat, etiam eorum qui in Magistratibus sunt, nobisque favent, auctoritate utaris. Mirè enim gestio hoc velut voto liberari. Nostra de Iure Belli ac Pacis cum uberrimis Annotatis accessionis vice, non patiar edi, nisi præcesserit editio quorundam libellorum, quibus bono consilio nomen meum subduxi, deinde & Annotatorum in novum fedus. Ad quæ prælo subjicienda ubi ventum fuerit, velim ea abs te legi & mihi scribi si quid putes ὑπερκινδυνωδέστερον [*nimis periculosum*] aut alia quavis ex causa mutandum, ut tua sententia visa meam illico perscribam. Tuum de Idololatria opus video plura complecti quàm putaram. Eò avidiùs exspecto ut prodeat, non dubitans quin ut ex tuis soleo, etiam inde aliquid, imo si alia negotia non obstent, plurimum possim proficere. De secundo præcepto, egregia sunt quæ annotas. Tamen Iosephus & LXX me movent, ut putem fuisse, qui utrunque crederent interdici, & γλυπτὰ [*sculptilia*] facere ulla, & picturas qualescunque animantium, sub quo nomine etiam sidera comprehendo. Ea de re si quid habes, aut etiam Manasses, præter ea quæ in vulgus edidit, cupiam scire cum primo vestro commodo. Manassi ex animo opto omnia bene procedant, doleoque eum rebus suis urgentibus tam longè à nobis abigi: consului eum aliquoties, nunquam sine meo fructu. Pro his beneficiis si vicem possem rependere facerem id perlibenter. Ego verò homines Amstelodamensis Synagogæ putaram esse & divites & liberales. Nunc in hoc me video falli. In altero an verum dicant, an pauperiores quàm sint credi velint ad vitandas capitationes, nonnihil dubito. Annum & hunc & sequentes multos lectissimæ conjugi tuæ, eruditissimisque filiis felicem precor. Lutetiæ 2 Februarii 1640.

Illud fortè non abs re addam ad quæstionem nuper propositam in siclis Hebræorum nullas esse animantium effigies.

Vester ut esse debeo H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

GRatias ago pro iis quæ didici ex Epistola Excellentiæ 1316
Vestræ scripta fine anni qui exiit. Quid Bannerius aut jam fecerit, aut facturus sit, plurimum refert, neque nos tantùm, sed & Galli avidè expetimus ejus rei notitiam. Fortè occasiones quæret accidendi hostium copias citra prælii justi aleam. Videtur mihi non desipere Landgravia, quæ Gallis se illigare abnuit priusquam de Suedica etiam societate certa sit. Pacem bonam optem sanè. Gallis autem ea de re sollicitis affirmo nihil nostros facturos, dum manet fedus, nisi de consensu communi. Sicut quidam ad morbos suos externos potiùs quam indigenas advocant medicos, sic Galli quanquam de suis ingeniis non humiliter sentientes, Itali Mazarini ad pacis negotium usuri sunt opera. Norembergensis Conventus nihil forte decreturus est, sed tamen indicia nobis suppeditabit, unde judicemus quid de pace sperandum aut de bello metuendum sit. Princeps Palatinus Gustavus sæpe ad nos venit, hominesque ipsius. Eo est ingenio, eis virtutibus, ea cuncta honesta discendi aviditate, ut etiamsi tantis natalibus & Reginæ nostræ consanguinitate non ornaretur, dignus esset & amari & coli. Nunc cùm illa tanta atque talia in eo concurrant, jus illi in me domumque meam plenissimum animo admodum volente concedo. Quod si illustrissimus ejus parens grata habet quæ Principi Filio exhibeo obsequia, id mihi gloriosissimum putabo. Meas ego res & Regni Rectoribus & amicis non commendarem toties, nisi me gravis urgeret necessitas. Lutetiæ 4 Februarii 1640.

Excell. Vestra omni observantia cultu addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVæ spes de libertate Principis Electoris datæ nobis 1317
fuerint, quæ deinde novæ à Gallis injectæ sint difficultates, cognoverit jam Excellentia Vestra ex literis quas scripsi antehac. Landgravia pro eo scripsit ad Regem, & communem ostendit Germaniæ dolorem, quem & nonnulli in Vinariensi exercitu non dissimulant. Si quid Polonicus Legatus, qui nunc magnificè hanc urbem intravit, pro Casimiro Principe obtinet, durum erit pejori conditione esse Electorem. Ego super illis quas dixi difficultatibus mandata è Suedia exspecto. Magni in Anglia armorum paratus quorsum evasuri sint, id verò etiam Galliam sollicitam habet. Angli quorum liberi in Gallia erant, eos revocant. Rex autem Gallis tribunos centurionesque omnes ad signa adesse voluit solito temporiùs, id est ad 5 Martii. Quæ de Gallis scribit Excellentia Vestra planè vera judico. Sed est eorum tanta aviditas, ut modum sibi nequeant imponere: tum quæ subitò vorant, sæpe malè concoquunt. Ad Mœnum esse nunc Gallos & ultra eum amnem Bavaricos audimus: Darmstadiensem magnis pecuniis redimere direptiones: A Nassavio Marpurgum teneri: Hispanos verò qui Mosellam transierant eò reversos unde venerant. Attamen & clade aliqua percussum Longavillanum fuisse rumor tulerat: is verò rumor non perseverat. Galli & Bavarici adhuc alteri alteris parcunt, mutuo metu, an arcano fœdere, variè judicatur. Suedorum adhuc feliciora sunt arma, quàm ut tantillo, quantum est de quo Norimbergæ differitur, satisfieri sibi patiantur. Magna hic inexspecta-

ſpectatione ſumus rerum D. Bannerii. Haſſica conſilia videntur ſuſpendi ad reditum è Suedia D. Wolfii. Eſt Vidua illa Princeps non imprudens, quæ Gallicam Societatem ſine Suedica haud ſatis ſibi tutam putat: de Gallis autem credit, quod videt. Scotis favere Batavos credo: auxiliaturos non puto: ne Gallos quidem, veteres Scotorum amicos, niſi ab Anglis incipiant hoſtilia. Optemus omnibus placidos animos. Proſperas eſſe in novo orbe res Batavorum & ipſis glorioſum & in commune eſt utile. Ritualia quieſcere gaudeo. Illuſtriſſimus D. Comes Liceſtrius omnia quæ ſe digna ſunt agit ſedulò. Hohentwilæ Præfectus oblatam ſibi ab Erlachio Gallicam pecuniam recuſat, dicitque propoſitum ſibi res Germaniæ agere bona fide. Circa Mediolanum & in Tiroli creſcunt copiæ. Principes Sabaudi Legatum ſuum ad Helvetios miſere. Galli hoſtilia minantur, ſi is admittitur. Imperator rem eorum Principum commendat. Sultanum Turcam apoplexia gravi vexatum, ſed revaluiſſe intelligimus. Contra ejus imperium Valachiæ Vaivoda Præfecturam armis retinet. Creditur Aula Turcica contra Ragotskium favere Moſi Zeckelo. Hic verò qui ereationi ſexdecim Magiſtrorum libellorum ſupplicum contradixerant, alii in carcerem dantur, relegantur alii. Cancellarius autem Regni in Armoricam Britanniam mittitur, ibi quoque ſeveris ſuppliciis metum incuſſurus populis, ne ſeditiones aut cœptent aut diſſimulando alant. Quæ cum Roma diſputata ſunt, conciliationem accipere videntur, hoc initio, quòd Scotum hinc Pontifex, Eſtræum Roma Rex revocant. Bavarici ad Mænum ultra bis mille non ſunt. Cæteri in Sueviæ hybernis hærent. Ad Longavillanum IV millia in ſupplementum mittuntur. Qui iis præerit Tracius per Batavos tranſit. Deus Excellentiam Veſtram ſoſpitet. Lutetiæ 4 Februarii 1640.

Excell. Veſtræ perpetua obſervantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

CHartas illas duas quas ab Electore Palatino & ab Anglico Legato exigunt Galli, video ab iis ad quorum notitiam res devenit accuſari, partim ut iniquas, partim ut captioſas. Ego mandata exſpecto. Introivit urbem magna cum pompa Legatus Polonicus. Videbimus alter alterum ubi à Rege auditus fuerit; miſit enim ad me & ad ipſum ego. Si pro Caſimiro Principe aliquid agitur, durum erit retineri Electorem cujus hanc calamitatem diſplicere Germaniæ toti ſcripſit ad Regem Landgravia: & in Vinarienſi exercitu non paucos ea res commovet. Cùm Roma quæ hic ſunt controverſiæ videntur ſedari, revocaturo Rege Eſtræum, Pontifice Scotum. Vinarienſes Marpurgi eſſe audimus & res eis non malè procedere. Tamen de clade aliqua, quam Longavillanus acceperit, rumores fuere, ſed ei non perſeverant. Inter Galliam Angliamque vereor ne res in pejus procedant. Anglorum Primores qui liberos ſuos hic habebant, eos revocant. Qui hic creationi ſexdecim novorum Magiſtrorum libellorum ſupplicum contradixerant, alii in carcerem dati, alii relegati ſunt. Cancellarius in Britanniam Armoricam it, ibi quoque ſi quid ſeditionum reſtat exſtincturus, & in poſterum ſecuritati publicæ conſulturus ſuppliciorum terrore. Literæ ſcriptæ 18 Januarii dicebant Gallos citra Mœnum, ultra eum eſſe Bavaricos. Darmſtadienſem magnis pecuniis direptiones redimere: Hiſpanos qui Moſellam tranſierant unde venerant rediiſſe. Tubatelius poſtquam libertatem acceperat, mortuus Argentorati dicitur. Rex tribunos, centurionesque omnes adeſſe ſuis cohortibus juſſit in 5 Martii. Et Princeps Arauſionenſis properè aliquid tentaturus creditur. De D. Bannerio nuntii avidè hic exſpectantur. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, Sublimitati Tuæ faveat, rem Suedicam ſub ejus conſiliis bene fortunet. Lutetiæ 4 Februarii novi Cal. 1640.

Bavarici ad Mœnum bis mille ſunt, cæteri eorum in Suevia hybernant, & ad Helveticos fines. XXX naves ex Oceano Gallico per fretum Gaditanum miſſi dicuntur in mare internum, ubi Rex naves longas habet XXIV. Quatuor millia hominum parantur auctura vires Longavillani: ipſe Tracius his imperaturus per Batavos tranſit. Ducenti cives Rothomagenſes in exſilium miſſi. Facti ibi novi magiſtratus. De S. Audomari obſidio ſermones ſunt.

Tuæ Subl. cultor devotiſſimus H. G.

EIDEM.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

QVæ ſpes nobis fuerit de libertate Electoris Palatini, 1319
quæ deinde exſtiterint difficultates, ſcripſi antehac. In eo ſtatu dum res eſt, accipio epiſtolam Reginæ Dominæ noſtræ Clementiſſimæ ad Regem ſcriptam 19 Decembris, cum mandatis ad me, quæ exſequar, ſimul aditum ad Regem, quem petam, impetravero. Rex arthriticus eſt, Regina autem prægnantium more languet. Itaque decumbentes ambos ſalutavit Poloniæ Legatus, quem ubi videro, id autem cis paucos dies futurum eſt, cognoſcam quid ſit de negotio Caſimiri Principis. Vinarienſes ita longè in Germaniam penetrarunt, nullis captis locis per quæ certi ſint de receptu, ut res periculo non careat. Vellent ab Haſſicis adjuvari: verùm id difficile impetratu eſt, quamdiu Haſſicum cum Gallia negotium infectum pendet: quam ob cauſam Wolfii è Suedia reditus multùm exſpectatur. Coningsmarckius ſcribitur Glenii adventu è Wetteravia in Miſniam conceſſiſſe: captæ autem à Vinarienſibus arces Fridberga & Braunsfeldum, oppida verò Gellinghauſa, Budinga, Orba, tum verò mitti ab Imperatore Norimbergam Haubitzius, Grana Pragam: à Tiroli Viennam Wolckeſtenius. Dillenberga & Marpurgum an obtinuerint, ut mediorum loco ſint in hoc bello, nondum certò cognovimus. Ad Viſurgum ſcribi militem pro Suedia audimus. Princeps Condæus hic exſpectatur. Cancellarius autem Franciæ in inferiora Normanniæ, deinde in Britanniam Armoricam it, inquiſiturus in eos qui ſeditiones aluiſſe dicuntur. Iam nunc locutus ſum cum Comite Liceſtrio. Probat quod chartas illas à D. Chavigniaco ad me miſſas in Suediam miſerim. Regem ſuum pro Electore fidem ſuam interpoſiturum negat: putat Gallos fide ipſius Electoris contentos eſſe debere, præterea præfiniendum aliquod ſpatium temporis quo clapſo plenam conſequatur libertatem. Propoſui ei ut Rex Magnæ Britanniæ Electori det unde alium exercitum ſibi comparare poſſit & cum Haſſico conjungere, obligato priùs Electore nihil paciſci cum quoquam niſi de conſenſu Suediæ Galliæque. Id & ipſi placebat, ſi modò & Elector certus eſſe poſſet illa regna pacem ſine ipſo non factura. Bellevrius ex Anglicana Legatione revocatus huc venit. Dimiſſus eſt in Anglia cum omni honore teſtimoniiſque amicitiæ. Fama tamen hunc Legati reditum in animi alienati ſignum rapit. Inter arcem urbemque Taurinorum induciæ quædam ſunt, & de pace agitur. Miles nihilominus hinc in Italiam mittitur, eique rei deſtinata ſunt viginti millia coronatorum. Creduntur Hiſpani Galliam invadere velle ea parte ubi Baiona eſt, & in id militem exſpectare è Flandria. Chavigniacus his diebus apud Principem Palatinum quid egerit, ignoramus: miramurque Ducum Vinarienſium Legatos ab Erlachio & Relingero impetrare nequiſſe corpus defuncti ac ſupellectilem & gemmas. Legatus Polonicus dicitur nulla habere mandata à pleno Poloniæ Conventu.

 Magni

Magni sunt in Anglia armorum paratus, quo videntur minari Scotis, quorum Legati à Rege Magnæ Britanniæ nihil impetrarunt de postulatis ad repensationem factorum à se sumptuum. Scribitur Rosa esse ad Wisbadam: Aschaffenburgum obsideri ab Ohmio. Longavillanum non abfore à periculo si in eum undique hostiles copiæ coëant. Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut prosperam det Sublimitati Tuæ valetudinem, consiliaque publica in hoc maximè Regni Conventu dirigat ac bene fortunet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Februarii 1640.

Sublimitatis Tuæ cultor devotissimus H.G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1320 EPistolarum, quas Excellentia Vestra ad me dedit 30 Ianuarii, filum retexam & iis quæ ultima sunt primùm respondebo. Multum gaudeo Regni Sudiæ Rectores polliceri se & dignitatis & ætatis Excellentiæ Vestræ, spero & meritorum, habituros rationem: nihilque lætius mihi contingere poterit, quàm si ea in re justis Excellentiæ Vestræ desideriis satisfactum cognoscam. Regem Galliæ ab itinere ad Italicum finem retinebit, quantum adhuc apparet, podagra, ex qua cubantem ipsum vidit Polonicus Legatus. Hassicum negotium cum Gallia confectum velim, etiam ut Vinarienses, si opus sit, ex illis locis auxilium, & eò, si res urgeat, receptum habeant. Cepisse dicuntur arces Fridbergam & Braunfeldam, & oppida Gollenhusam, Budingam, Orbam. Sed nihil habent in ripa per quod certi sint de transitu Rheni in reditu. Dillenberga & Marpurgum laborant ut mediorum sint loco. De Ritualibus gaudeo mandata venisse ad Excellentiam Vestram: nihil tutius quàm præscriptis lineis insistere. Dilectus apud vos magnos fieri, ac maturè bellum parari, è re est communi. Nescio an verum quod hic dicitur, Leodienses cum Principe suo controversa componere; ali ea magis è re fuerit. Rex Angliæ quid velit nescitur, ne ipse quidem fortè scit, consilium capturus ex temporibus. De Principe Casimiro quid sperandum sit, cognoscam ubi Legatum Polonicum videro, quod jam licebit, postquam à Rege auditus est. Conventum in Polonia instaurari necesse erit. Ibi, ut puto, etiam de Livonico negotio agetur. Suedici Regni Conventus dabit nobis unde judicemus quid de Gallico fœdere prorogando, aut exire finendo, ac proinde etiam de pace bellove sperandum sit. Non desipiunt qui Norimbergam coïerunt, quod Suedos ante omnia sibi placandos censent. Puto jam eò venisse à Vienna Haubitzium: Granam autem Pragam: & à Tiroli Viennam Wolckestenium. Si in Austriam recedit Piccolominæus, Bannerii miles latè fruetur Bohemia, vicinisque agris. Toistensonii magnum ubique nomen est, & novum nobis præterea militem ad Visurgim scribi audio. Itaque merito ex illis partibus boni speramus aliquid, præsertim si Rege Galliæ volente Vinarienses se cum illo conjungant, & simul Hassa se moveat. Principem Rupertum molliùs haberi gaudeo. Vt autem duriùs Elector hic habeatur, quàm ille Lintzii, odiosum sit, Galliæque minùs honestum. Cætera quoque, quæ Excellentia Vestra super re Electoris scribit, planè probo. Egi de toto hoc negotio cum Illustrissimo D. Comite Licestrio. Grata illi admodum fuit mea hac in re opera, quam etiam Bohemiæ Reginæ non improbari gaudeo. Maximas autem mihi gratias agit, quod illas chartas quas ad me miserat Chavigniacus non approbavi, sed deliberationem remisi in Suediam. Negat Regem suum sponsorem fore pro Electore: suffecturam ipsius Electoris fidem. Præterea debere finem aliquem temporis præscribi huic mansioni Parisiensi, ne semper incertus sit sui status. Ostendit nihil se malle quàm ut pecunia Anglica adjutus Elector, copias accipiat quas cum Hassicis jungat; utque Elector promittat nulla se pacta facturum sine Suedia & Gallia, modò & ipse certus sit ea Regna sine se pacem non factura. Hac de re quid sperari debeat, primùm ex Anglia debet intelligi: deinde exspectari quid cum Hassica acturi sint Suedi. Bellevrius hic est: in Anglia sine ulla inimicitiæ significatione cum honore dimissus est: tamen hæc tam subita revocatio & armorum in Anglia paratus dant occasionem rumoribus non bonis. Chavigniacus apud Principem Electorem iterum fuit. Sed quid egerit ignoramus. Literæ ad convocandum in Anglia Parlamentum nondum emissæ sunt. Inter urbem arcemque Taurinorum induciæ quædam sunt, & de pace agitur. Multi tamen hinc milites mittuntur in Italiam destinatis ad eam rem viginti scutatorum millibus. Videntur Hispani bellum inferre velle partibus Galliæ circa Baionam, & ad eam rem usuri tum suo milite tum eo qui à Dunquerca ivit in Hispaniam. Legatus Polonicus dicitur mandata non habere à pleno Conventu Poloniæ. Miror Vinariensium Ducum Legatos ab Erlachio & Relingero neque corpus mortui Ducis, neque ejus supellectilem & gemmas obtinere potuisse, nisi fortè de pecuniis testamento relictis aliqua controversia est. Deus Excellentiæ Vestræ, omnibusque ei caris omnia det prosperrima. Lutetiæ 11 Februarii 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REgem nondum adire potui, graviori arthritide vexatum. Sed insto quotidie speroque me intra paucos dies ejus compellandi habiturum copiam: qua impetrata perscribam statim ecquid in negotio Principis Electoris promoverim. Fuit apud eum Electorem D. Chavigniacus, quid egerit, neque ego scio, neque Comes Licestrius, qui mihi gratias egit Regis sui mandato pro navata hac in re opera. Cæterùm præceptum sibi dicit, ne quicquam cum Gallis agat, priusquam Elector sit in libertate. Hoc ipsum Comes Licestrius & Bulionio significavit, qui Bulionius, arthritide & ipse domi detentus me oravit ad se ut venirem. Dixi ei imperatum mihi ut pro Electore ad Regem loquar, existimare me optimum fore, ut præteritorum obliterata memoria, caveatur ne quid Elector posthac paciscatur sine Suedia Galliaque, & ut pecunia Anglica adjutus copias sibi comparet quas cum Hassicis possit conjungere. Addidi sperare me, si animorum gravior exulceratio vitetur in Parlamento Angliæ maximæ partis vota congruentia fore cum iis quæ à Suedia Galliaque Anglis ad restitutionem Domus Palatinæ fuere oblata. Hæc omnia & ipse Bulionius probabat, suamque ad pacandam hanc rem operam pollicebatur. Dixit mihi Legatus Polonicus habere se spem sionem, qualem Gallia desideret: verùm ex Gallis ego intelligo Conventus ejus qui nuper cum tumultu discessit nulla acta perfecta fuisse. De eo quid sit, tempus aperiet. Multa mihi dixit is Legatus de firmo Regis sui proposito in servandis induciis, longè ab eo amoliens omnem culpam irruptionis in Livoniam: Reginam Poloniæ credi volebat prægnantem esse; non commissuros autem Polonos ut iterum Regnum à patre in filium transeat. De Principe Ruperto nihil sibi mandatum dicit. Dixit Elector D. Chavigniaco cùm iter per Galliam faceret, omnino propositum sibi fuisse videre Cardinalem. In Anglia durant armorum paratus, nullus tamen miles externus scribitur. Ministri Regis Hispaniæ iis qui ab Anglia negotia procurant dixere de classe leve esse damnum, facilè futurum Regi Hispaniæ aliam mittere majorem. Cæterùm dolere sibi contumeliam illatam Regi Britanniarum, & jam

& jam ab Hispania extraordinarius Legatus in Angliam venit. In Italia & Pontifex & Princeps Itali non videntur quieturi, donec Pedemontanam terram omniaque ipsis cis Alpes sita bello liberaverint. Et puto aut jam confectum esse negotium aut parum restare; jam tantum Principibus duobus Sabaudis concedente vidua, ut velit negotiorum majora in posterum non transigere nisi ipsis consultis & signantibus. Navis Hispanica à Santi Lucæ oppido veniens ac Galliam petens in itinere capta est ab Afris, valens cum mercibus millionibus duobus. Reviviscunt rumores de nuptiis inter Regum Hispaniæ Angliæque liberos. Stella cum Bavaricis colloquetur in aliqua Helvetiorum civitate. Magontiacensis videns Bavaro rem bene procedere eodem modo cum Gallis vult agere. Baro Rortæus iterum mihi adfuit. Volebat dicere inducias quæ in Italia fiunt nihil ad federa nostra pertinere, quasi ea federa tantùm contra Imperatorem facta essent. Dixi ego Austriacorum sub nomine Domum utramque contineri & Hispanicam & Germanicam: eoque magis Hispanicam, quia eo tempore Galliæ nullum erat bellum apertum adversùs Imperatorem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det nobis audire bonos nuntios de Sublimitatis Tuæ valetudine rebusque prosperis Regni Suediæ. Lutetiæ 18 Februarii 1640.

Intelligo & Angliæ & Daniæ Reges missuros Norimbergam. Hic exspectari Bichium Cardinalem. Ad Pignerolam & alia ibi Galliæ præsidia mitti tria hominum millia. Et Thanum & Hohentwilum Gallicis jam præsidiis teneri. Longavillani & Vinarienses milites partim ad Mœnum esse, partim in Darmstadiensi, Nassavio, vicinisque agris. Magnum exercitum dari Millereio ad XXII millia peditum, sex equitum, minores Castilionæo in Campania, Chaunio in Picardia, Halerio in Lotharingia, Villaregio in Burgundia: & ad Metim multa parari ad juvandos Leodienses.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

22 GRatissimis Excellentiæ Vestræ literis quas 6 Februarii ad me dedit ut respondeam, aditum ad Regem postulavi quidem ex Reginæ nostræ imperio, sed nondum impetravi ob arthriticos Regis dolores. Spes tamen mihi datur cis paucos dies fore ut audiar. Eum eventum Windebanckius exspectat: & Windebanckii abitum Illustris Baro Oxenstiernius, quo tutior in Angliam transeat. Interea Bulionium vidi, dixique mihi imperatum ut Regi loquar pro Electore: acerbiora mihi videri quæ ab eo postulentur quàm ut ad sanandas offensas pertineant. Iamque Illustrissimum D. Comitem Licestrium mandata accepisse, ne quid cum Gallis agat, nisi Electorem conspexerit in libertate. Nihil mihi tempori huic accommodatius videri quàm ut ea adhibeantur quæ sedare commotos animos possunt, cum bona spe in futuro Angliæ Parlamento fore multos, quibus placitura sint ea quæ nomine Suediæ Galliæque oblata sæpius Regi Angliæ fuere, pertinentia ad bonum commune Europæ, maximè verò Germaniæ, Domusque Palatinæ. Si id non succedat, posse pecunia Angliæ adjutum Electorem copias sibi comparare quas cum Hassicis conjungat. Cavere nos debere ne quid in posterum cum quoquam paciscatur Elector, nisi de Suediæ Galliæque consensu. Præteritarum rerum non aliud esse remedium quàm oblivionem. In mentem mihi veniebat illorum Euripidis:

Παραινέσαι δὲ σφῷν τι βούλομαι σοφόν.
Ὅταν φίλος τις ἀνδρὶ θυμωθεὶς φίλῳ
Εἰς ἓν συνεχθῶν ὄμματ' ὄμμασιν διδῷ,
Ἐφ' οἷσιν ἥκει, ταῦτα χρὴ μόνον σκοπεῖν,
Κακῶν δὲ τῶν πρὶν μηδαμῶς μνείαν ἔχειν.

Verum est quod dicit Excellentia Vestra, non fuisse Regis exercitum illum sub Duce Vinariensi: Rex pecunias contulit ut federatis aliis, qui tamen Regi non militant. Contulit & ipse de suo Dux Vinariensis: contulere diu civitates Germaniæ, ac non ita pridem ac sæpe Argentoratenses. Benfeldium verò viros, arma, machinas, commeatus contulit sine quibus captum Brisacum non fuisset. Quæ verò in arcano inter Regem Galliæ & Vinariensem convenerunt, ea ignorata fuere omnibus, & aliter illa Galli interpretantur, aliter Dux ipse intellexit cùm Brisacum Gallis noluit concedere. Quare omnem dabimus operam, ut has intempestivas captiunculas amputemus. Venetus Legatus frustra laboravit apud Comitem Licestrium ut illa Gallorum postulata ei probaret. Batavus diu quæsitum ad Cardinalem aditum nondum obtinuit, quod sciam. Rex Daniæ huc aliquem missurus dicitur. Batavorum rem bono in loco esse in Anglia pervelim. Verùm Comes Licestrius nihil magnopere promotum ait. Campanella semper dixit nos hoc anno pacem habituros. Ego, qui sideralibus præsignificationibus haud ita multum tribuo, video tamen nonnulla quæ desperare me vetent: Suedia per bellum, jam & per morbos, viris inanita: in Gallia seditiones perpetuæ & difficiles pecuniæ faciendæ rationes: Imperator à Turca non satis tutus: Hispania quoque ægrè reperiens manus quibus tot bella mandet. In Italia quidem tantus est labor Pontificis & omnium circa Principum ad eam pacandam, ut jam aut confectæ sint induciæ, aut parum inde absit, parata jam Vidua Sabaudica admittere patruos Ducis ad partem tutelæ, certè in rebus gravioribus. Turcarum autem validi sunt paratus & quò incubituri incertum. Nuper navem cepere à S. Lucæ portu venientem valere cum mercibus creditam duobus millionibus. Videamus primum quid Norimberga nobis paritura sit, deinde quid Colonia & Hamburgum. Propiora quædam mandata hinc ad Amontotium missa sunt super Hassico negotio. Ea quæ sint, ignoro. Sed qui res Hassicas hic agit Polhemius affirmat nihil facturam suam Principem nisi & Suedicæ societatis certa sit, causasque ejus consilii adfert non spernendas. Polonicum Legatum vidi, & ipse me. Omnia comiter inter nos acta. Dicit is se habere sponsionem qualem Galli exegerint: at Galli negant eam factam in pleno legitimoque Conventu. Deinde ex moribus Poloniæ nihil actum videri priusquam omnia negotia ipseque Conventus finem suum acceperit. De Transilvano eadem hic audio quæ scribit Excellentia Vestra. Valachi exitium prospicere mihi videor. Nam unde illi vires adversùs potentiam tantam? Germanus Imperator, ut puto, ab ista scabie ungues abstinebit. Ritualia ista Batavica, non ad Gallorum tantùm & Anglorum, sed & ad Polonorum notitiam pervenere. Omnes hi Batavos navali victoria inflatos putant. Certè

Φυσῶσιν οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι.

Venit ab Hispania in Angliam Legatus. Dicunt autem Hispani, ut mihi retulit Comes Licestrius, de classe facile esse damnum, & brevi aliam majorem futuram Regi Hispaniæ. Vnum sibi dolere quod tanto dedecore affectus sit Rex Angliæ. De matrimonio inter Hispani Anglique liberos, novi sunt rumores. Mittere Norembergam dicuntur & Anglus & Danus. Venturus autem huc Cardinalis Bichius. Audimus jam & Thanum: & Hohentwilam in potestate esse Regis Galliæ: qui ad Pinerolam & vicina præsidia mittit tria hominum millia: magnum exercitum vult tradere Millereio, quem futurum aiunt ad XXII millia peditum, VI equitum. Tum verò minores in Campania Castilionæo, in Picardia Chaunio, in Lotharingia Halerio, in Burgundio Villaregio, præterea ad Metim multa parari juvandis Leodiensibus. Ad hæc impendia in parato esse milliones plus LX. Deus cuncta ad bonam pacem gubernet sospi-

Digitized by Google

ſpiteque Excellentiam Veſtram. Lutetiæ 18 Februarii 1640.

Exc. Veſtræ devinctiſſimus omni cultu obſervantiaque H. G.

EIDEM.

Illuſtriſſime Domine,

1323 CVm quotidie interpellem admiſſionibus præpoſitos, ut à Rege audiar, nihil adhuc impetro; ſed ſpe ſuſtentor ſimul Arthrius Regis nonnihil remiſerit, fore ut Reginæ noſtræ mandata pro Electoris Palatini libertate explicem. Sunt qui putant ideo me differri, quod ſperent Galli, antequam audiar aliquid à Principe Palatino expreſſuros, ut ubi id obtinuerint dimittant eum velut ſponte, non autem ad externas preces monitusve. Illuſtriſſimus D. Comes Liceſtrius planè nihil agit. Vetitumque ſibi dicit agere quicquam antequam in libertate ſit Princeps Elector. Armorum interim paratus in Anglia ſtrepit, incertum in quos. Et vereor ne Legati Hiſpanici iſthuc adventus cuncta reddat ſuſpectiora. Nunc maximè me turbant confectæ certò in Italia induciæ, ad pacem usque manſuræ. Si quæ in Italia & Tiroli ſunt copiæ cum illis ad Conſtantiam & Bavaricorum parte in Briſgoiam Alſatiamque ſe injiciunt, vix quisquam eſt, qui extra Briſacum quicquam ſperet poſſe defendi diu. Sed ego cùm cogito quantum interſit Imperatoris, quantum etiam Hiſpani ad quem illa hæreditas devenire poſſet, aliquando purgare ab hoſtibus Bohemiam vicinasque terras, multum metuo, ne illa ab Italia depulſa tempeſtas in Bannerium irruat. Terret adhuc Italiam Turca, eaque res vel maximè Pontificem & Italos Principes movit, ut inducias quas dixi feſtinarent. Sed nec minùs Polonia ſibi à Turca metuit, miſitque Conſtantinopolim viſum quæ ibi ſit animorum conſtitutio. Si Suedia nihil adhuc reſpondit Landgraviæ, ipſa autem niſi de Suedica ſocietate certa ſit, Galliæ ſe illigare cunctatur, interimque hoſtilibus in Cæſarianos abſtinet, quid magni ab ea parte exſpectare Vinarienſes poſſint, non video. Quare credibile eſt & Landgraviam & Neoburgicum & Luneburgicum ſuorum tantùm finium ſecuritati conſulturos, ac ſpeculaturos fortunam bellantium: ea prout ceciderit ita conſilia capturos ſibi. Quæ omnia cum Melandri ingenio, cujus mentionem facit Excellentia Veſtra, non malè conveniunt. Et eo jacto fundamento alia ſuperſtruere poterit Arnimius. At verò ſapienter haud dubiè faciet Princeps Arauſionenſis, ſi Landgraviam poterit ad arma impellere: ſimulque alere motus Leodienſium. Coningsmarckio Everfurtum aliaque Miſniæ oppida ceſſiſſe læti hic omnes audimus. Dubitatur an eum inſecuturi ſint Bavarici qui ad Welteram ſe tenent. Nam Longavillanis quidem ab iisdem Bavaricis hactenus nocitum eſt nihil. Roſa ad Vnbergam, ad Lollerum Naſſavius eſſe ſcribitur: Tubadelius autem in libertate: mortuo fratre quæ fama quosdam deceperat ut ipſum mortuum crederent. Feuquerii res nondum plenè confecta eſt. Iamnunc literas ab Anglia accipio quæ mihi ſpem faciunt componendi negotii cum Scotis: quod ſanè pervelim, modo eodem tempore liberetur Palatinus. Alioqui: ſed nihil opus malè ominari. In Bohemia rem ad prælium venturam non arbitror, niſi multum creverint Cæſarianorum copiæ. Quæ D. Salvius non minùs ad me quàm ad Excellentiam Veſtram ſcripſit de Suedorum propoſito hic, quantum utile eſt, vulgare non omitto; ita tamen ut non taceam vereri me ne novæ iſtæ induciæ novas quoque in iſtis deliberationibus adferant difficultates. Moguntinus ad Bavari exemplum laborat, ut Gallico favore à belli incommodis liberetur. In rebus Batavicis non multum adhuc apud Anglos profectum intelligo. Verbis verba redduntur. Diſco in Tiroli copias hoſtium nunc eſſe duo peditum millia, equites octingentos. Aiunt autem qui in illis ſunt locis vere appetente futura XII millia peditum, equitum tria. Ad hos accedere poterit exercitus Hiſpanicus, qui ad Sabram fuit. Senatus Mediolanenſis inſtat apud Regem Hiſpaniæ ne reddat Bagnoſcum & alia Sabaudiæ, quæ olim Mediolanenſis territorii fuere, cujusmodi terræ multæ ſunt ſub Ethruſco, Venetis, Parmenſi. Helvetii vehementer inter ſe incenduntur libris Theologicis. In re Amrini nihil fiet: nimis multos ibi fautores habet, & ipſe & Principes Sabaudi. CCC millia Scutatorum ab Hiſpano Conſtantiam pervenere. Multum & Lucernam, portiunculæ de Americana claſſe. Aiunt hic Longavillani copias eſſe quinquies mille pedites: equites ferme totidem. Conceſſum eis receptum in terras Caſſelienſes. Propoſitum Vinarienſibus cis Rhenum ſe referre in terras Trevericas & Colonienſes. Mulcta nobilitatis Normannicæ eſt 1OCC millia Florenorum. Opus tamen erit aliquo milite ab tutandam quietem tum Normanniæ, tum Britanniæ Armoricæ. Abbas Monſonus mittitur ad animandos Leodienſes. Ranzavius hic exſpectatur. Princeps Elector non bene valuit, nunc habere ſe meliùs dicitur. Dunquercanæ naves, quæ cum milite in Hiſpaniam iere, numero ſunt XXV. Illuſtriſſimus Comes Liceſtrius adhuc hic ſubſiſtit, accepto quamvis à ſuo Rege Magiſterio equitum. De induciis Italicis video nunc iterum eſſe qui dubitent. Addunt ii locum quendam prope Caſale obſideri ab Hiſpano. Princeps Senzæ Neapolitanus nuper per Puſſolum quendam juſſu Legati Hiſpani abſtractus ab una Eccleſiarum Romæ Neapoli capite truncatus eſt, & ibidem eodem tempore Abbas quidam ſuſpenſus in Abbatico habitu. Romæ X millia florenorum promiſſa pro capite Puſſoli. Multo plus pecuniæ pro capite Cardinalis Barbarini promiſit Præfectus Neapolitani Regni. Deus cuncta ad bonam pacem, quæ omnibus Chriſtianorum armis propoſita eſſe debet, dirigat, & Excellentiam Veſtram omnesque ei caros paterna bonitate tueatur ac proſperet. Lutetiæ 24 Februarii 1640.

Excell. Veſtræ perpetuo obſervantiæ cultu devinctiſſimus H.G.

ISRAELI IASKY.

Nobiliſſime Domine,

IN illo Conventu Pruſſico, cujus mentionem faciunt literæ Nobilitatis Veſtræ datæ 20 Ianuarii jam credo apparuit, qualia ſint illa tributa quæ Rex poſtulat ad muniendum limitem, & an per ambages impetatur Dantiſcanæ civitatis immunitas. Si diſpendio non nimis gravi abſolvere ſe civitas ab hac controverſia poſſet, prudenter credo faceret, dum ne, quod Hamburgenſes in rebus ſuis aliquoties experti ſunt, alatur reditura mox auri ſitis. Legatus Polonicus habere ſe dicit ſponſionem qualem Galli voluerunt: at Galli dubitant an acta in Conventu vim habeant, cùm ipſe Conventus finem concordem non habuerit: & an tunc cùm ſcripta eſt illa ſponſio plenus legitimusque fuerit Conventus. Nos pro Electoris Palatini libertate laboramus, brevique ut ſpero, ad Regem aditum accipiam, ut quæ mihi in eo negotio mandavit Suediæ Regina eloquar. Conjungo autem vota mea cum votis Nobilitatis Veſtræ non modò pro Principibus captivis, verùm etiam pro bona communique Pace, quæ ſemper quidem optanda eſt, ſi Chriſtiani eſſe volumus, nunc verò maximè, cùm tanti ſint partus armorum Turcicorum, quæ ſive Hungariam, ſive Italiam inſulasque adjacentes, ſive Poloniam petant, facilè poſſint progredi longiùs, quam velint etiam qui pro lucro habent qualecunque damnum illatum potentiæ Hiſpanicæ & Auſtriacæ. Vale Vir Nobiliſſime. Lutetiæ 25 Februarii 1640. 1324

Nobil. Veſtræ addictiſſimus H. G.

D. SAL-

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1325 GRatias habeo & pro rerum quæ geruntur significatione, & pro summa in me benevolentia rerumque mearum cura. Spero & meas preces & commendationem Excellentiæ Vestræ valituras apud Magnum D. Cancellarium, cujus ego gravissimos labores non toties mentione rerum mearum interpellarem, nisi gravis & ipsa esset quæ me urget necessitas. Quod Regni Rectoribus sedet sententia, nihil cum hostibus sine Gallia agere, laudo. Qui Galliam gubernant, pacem, ut ego arbitror, non multum desiderant. At si Suediam belli tædet, poterit ea res etiam illos ad pacem attrahere magis quàm adducere. De prorogando fœdere cum Gallia deliberationes puto satis difficiles fore: ac fortè, si prorogari placeat, Suedia aliqua adjici suo commodo volet. Videtur autem hic annus nobis judicium facturus quid de pace, quid de bello sperari debeat. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiæ Vestræ valetudinem & consilia secundet. Lutetiæ 25 Februarii 1640.

Excell. Vestra omni observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1326 ADitum ad Regem quotidie expetitum, ad sublevandam Electoris Palatini calamitatem, nactus nondum sum: excusationi prætenditur articulorum dolor Regem vexans. An antequam audiat extorquere aliquid ab Electore cupiant, an aliud quid lateat, videbimus. Sicut verò miserationem mihi movet Principis ejus apud amicos captivitas, ita aliud est, quod metum mihi pro rebus nostris incutit, induciæ scilicet in Italia non dubiè jam factæ ad pacem usque. Copiæ hostium, quæ & in Italia & in Tiroli magnæ sunt, si in Brisgoiam & Alsatiam incumbunt, Regis erit potenter tueri, quæ ardenter expetiit. Verùm timeo, ne mala Bohemiæ vicinarumque terrarum magis moveant Imperatorem & Hispanum, eoque tota ista procella in Marescallum Bannerium incurrat. Quod si erit, & bellum ei erit impeditius ac fortè pacis conditiones difficiliores. Mitto Sublimitati Tuæ indicem onerum ex quibus Rhotomagenses mulctam sibi impositam sunt soluturi. Nunc & nobilitas illorum locorum mulctatur. Mitto & decretum Parlamenti de viduorum, viduarumque conjugiis, tum per se laudabile, tum eò quod Regis jurisdictionem in Ecclesiasticos, atque etiam in matrimonii causis, exemplo hoc tueatur. Sex Romæ Cardinales mortui sunt qui omnes exomologesin more solito facere recusarunt, conscii sibi odii & molitionum in Pontificem, quæ aperire cuiquam noluere. A Coningsmarckio bis cæsos Saxonicos, captumque in Misnia Everfurtum læti hic audimus. Bavarici qui nunc inter Thuringiam maximè Franconiamque se tenent, fortè Coningsmarckium insequentur. In Longavillani quidem militem nihil fecere hactenus. Is miles ad Wetteram nunc esse dicitur, Rosa ad Vnbergam, ad Lollerum Nassavius. Tubadelius vivit & liber est: mortuus autem est frater ejus. Feuquerii res nondum consummata est. Illustris D. Baro Gabriel Oxenstierna in Angliam abiit, cujus ego summis virtutibus & in me benevolentiæ deberem plurimum, etiamsi ex ea domo non esset, cui omnia debeo. Deus iter ei prosperet, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatis Tuæ consilia regat atque fortunet, Regni Suedici & Orbis Christiani bono. Lutetiæ 1/11 Februarii 1640.

Ajunt hic Longavillani copias esse quinquies mille pedites: equites ferme totidem. Concessum eis receptum in terras Casselienses. Propositum Vinariensibus eis Rhenum se referre in terras Trevericas & Colonienses. Mulcta Nobilitatis Normannicæ est 10 cc millia florenorum. Opus tamen erit aliquo milite ad tutandam quietem, tum Normanniæ, tum Britanniæ Armoricæ. Abbas Moussonus mittitur ad animandos Leodienses. Ranzavius hic exspectatur. Princeps Elector non bene valuit. Dicitur nunc se habere meliùs. Dunquercanæ naves quæ cum milite in Hispaniam ivere, numero sunt xxv. Illustrissimus Comes Licestrius adhuc hic subsistit, accepto quamvis à suo Rege Magisterio equitum. Inducias Italicas quas certò factas intellexeram in dubium nonnulli vocant, adduntque locum quendam non procul à Casali ab Hispanis obsideri. Neapolitanus ille ab Ecclesia abstractus Romæ, Princeps Sensæ, Neapoli capitale supplicium tulit, eodemque tempore suspensus ibi Abbas quidam in habitu Abbatico. Romæ decem millia florenorum promissa ei qui caput afferret Pussoli, sic vocabatur qui de Ecclesia Principem illum abripuerat. Præfectus Neapolitanus multò plus pecuniæ promisit pro capite Cardinalis Barbarini.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

PRosecutus mandata ab Augusta Majestate Tua ad me 1327
missa mense Decembris aditum ad Regem ob arthriticos ejus dolores adipisci non quivi ante 18/28 Februarii. Exposui igitur Regi quæ mihi imperata fuerant, neque omisi ostendere nulla re magis Reges ad Deum accedere, quàm clementia: nullam virtutem magis convenire Christianissimorum nomini ab eo profectum qui Clementiæ omnis perfectissimum exemplar fuerit: inter cæteras laudes hac semper eximiè excelluisse Galliæ Reges: præcipuè verò Henricum quartum Regis parentem, & ipsum hunc Regem, cujus multa facta clementissima referre possem, nisi apud ipsum loquerer. Explicavi veterem splendorem Domus Palatinæ Electoratu & felicissimis terris inclytæ, Principis inter omnes sæculares Imperii Principes, tantæ denique ut & vacante Imperio vices gesserit Imperatoris: quæ nunc Domus, sine terris, sine populis, vaga & extorris apud externos agat. Et tamen hanc eandem esse Domum quæ maxima semper erga Galliam studia ostenderit, quæ jus Henrici Magni ad Regnum quod ipsi per summam injuriam controversum fiebat, defenderit pro suis viribus: Austriacos autem huic Domui semper fuisse infestissimos, qui nunc etiam secundum hujus Domus Principem captum detinerent. Quod si rogarentur qui Viennæ & Madritii agunt quid optent maximè, si verum respondere velint, dicturos se nihil malle quàm ut hujus familiæ caput quàm diutissimè maneat in ea in qua nunc est calamitate, quæ tanta est ut multi mortem prælaturi sint carceri præsertim diuturno. Accedere ad hæc quod hic ipse Princeps, etiam cùm pupillus esset, fœderatus semper fuerit Augustæ Majestatis Tuæ, eoque tempore qui res ipsius administrabant cuncta quæ à Legatis Regis aut suadebantur aut petebantur, summa cum fide studioque promoverint & ad effectum perduxerint in Hailbrunensi, Francofurtensi, Wormatiensi, Conventibus. Quod si placeat Regi huic tali Principi reddere libertatem, non Germaniæ tantùm eam rem fore gratissimam, sed & Majestatem Tuam acceptum iri in parte beneficii, libenterque data occasione vicem reposituram. Regem ad misericordiam motum hoc sermone ex vultu apparuit. Dixit tamen non ignorare me quæ causæ se, quæ boni communis cura ad hoc consilium impulisset, quid quantumque ad restituendam

Digitized by Google

dam in meliorem fortunam hanc Domum ipse laborasset apud Angliæ Regem, cui id maximè cordi esse debuerit, quid etiam in hoc negotio obtulerit Comiti Licestrio. Ego verò dixi me nolle disputare de causis quæ Regem tantum moverint, ut quod constituit constitueret. Cæterùm si cum omni submissione liceat quod optimum censeam eloqui, ita me arbitrari, ad sanandas offensas nihil utilius quàm præterita oblivione sanare, prospicere in posterum ut ea fiant quæ ex communi sunt usu. Neque illud indignum cogitatu, hunc Principem neque ea esse ætate, ut per se magnam rerum peritiam assequi possit, neque ea opulentia, ut optimos hujus sæculi consiliarios sibi possit adsciscere. Postremò dicenti Regi se & intellexisse rationes meas, & visurum quid literæ Augustæ Majestatis Tuæ, quas ipsi in manus tradebam, continerent, finivi, hoc tantùm addito, precari me Regem ut suæ perpetuæ bonitatis etiam in hac re meminisset. Hæc pro ea fide quam Majestati Tuæ debeo, referenda duxi, Deum semper rogans, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, ut nobis Suediæque Regno & Orbi Christiano diu sospitem, valentem, florentem, triumphantem præstet Augustam Majestatem Tuam. Scribebam 3 Martii novi Cal. 1640.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1328 Die Saturni præterito sub vesperam convenit inter Legatum Polonicum & D. Chavigniacum de libertate Principis Casimiri, eum in modum, ut præter sponsionem quam ex Polonia Legatus attulerat, & ipse Princeps & Legatus suam adderent, futurum ut illa quæ allata est sponsio in primo Poloniæ Conventu pleno atque legitimo solemniter probetur. Hac conventione facta, illico Legatus cum multis carrucis & facibus ivit in artem Vicennensis Silvæ, indeque Principem in urbem suumque hospitium deduxit, ubi nunc salutatur ab iis quos misit Rex & feminæ Principes, & ab ipsis Principibus, Regis jussu. Iturus hinc ad Regem est & Regis sumptibus habendus magnificè, donec abeant Legatus quidem in Poloniam, Princeps fortè Romam, quanquam adhuc de eo dubitatur. Hoc negotio expedito eò nobis est tristius manere in malo Principem Electorem, de quo quæ Regi dixerim, quæ Rex mihi, cognoscet Sublimitas Tua ex literis quas ad Reginam scripsi. Ex quo fama emanaverat habere me à Regina mandata pro ipso loquendi, duriùs custoditus fuit, ita ut sui, qui in hac urbe sunt, nihil, ut ante solebant, de eo perceperint. Id nobis conjecturam dat, voluisse Regis Galliæ Ministros aliquid ab ipso extorquere tale quale nobis ostenderant. De eo quid factum sit, neque ego quicquam scio, neque Comes Licestrius, qui permanet in cœpto otio, jussus nihil cum Gallis agere priusquam Principem Electorem in libertate videat. Sed dum Angli armorum quæ parant metu libertatem ejus Principis extorquere cupiunt, Galli qui Anglos adhuc Scoticis tumultibus implicatos vident, incumbunt pignori. Neutris autem quicquam remittentibus, nos frustra sudamus. Cum Hassica Vidua egit Longavillanus, deditque de suo pecuniam, ut & auxilia ab ipsa, &, si opus esset, receptum haberet. Cæterùm præcipua res, id est, ipsum cum Gallia fœdus, pendet adhuc. Emendavere Galli multa quæ Viduæ duriora videbantur, promisitque Rex se ipsi vindicem fore etiam post pacem per annos decem, si qua ei vis inferatur, quocunque sub nomine, quamvis Religio obtenderetur aut bonorum Ecclesiasticorum repetitio. Placent hæc satis Viduæ ut audio, sed vult ad bellum non diutius obligari quàm dum & Suedia in bello erit. Hispani jam copias aliquas habent ad Dorlanum & castellum quoddam ibi ceperunt. Romæ ex duabus factionibus Hispanica & Gallica fratrum duorum Cardinalium Barbarinorum dissidia etiam in conspectum publicum eruperunt. Constantinopoli Cahamachanus qui fuerat strangulatus est, præcipuo divitiarum crimine. Qui ei successit Venetis novos metus incutit, ut & ipse eos pecunia emungat. Cardinalis hic quosdam de suo ministerio amovit, qui signo ipsius nudis impresso chartis ad suos quæstus abusi fuerant. In Norimbergæ Conventu cuncta satis arcana haberi dicuntur. Longavillanus XXX Hassicorum auctus centuriis, tenet se locis quibus antè: Glenius in Wurtzburgico. Augentur & in Tiroli & ad Constantiam copiæ: tum verò aliquas Galassius per Rhætos in Germaniam ducit. Contra qui ad Salzam fuere Hispani in Italiam transeunt, sed inde ut putatur venturi & ipsi ad Constantiam sub Melone. Dicitur Neapoli magna detecta conjuratio contra Hispanum à Gallis suscitata, in qua fuerit & Princeps ille Senzæ, cui cervices præcisæ sunt, multique alii, etiam Ecclesiastici. Pontifex ad sui tutelam colligit decem peditum, duo equitum millia. Imitantur eum Veneti, Mantuana, Parmensis. Rhæti deceptos se ab Hispanis vident, qui in fœdere Mediolanensi exceperant ut jura Austriacæ Domui salva manerent. Ex ea verborum generalitate jam postulant Oenipontani jusjurandum fidei, & appellationes à decem, quos vocant, Directuris. Apud Helvetios Lucernenses fecere quod speratum non fuerat. Amrinum enim & fratrem ejus senatu moverunt, revocata etiam illius cohorte, quam ille à Vidua Sabaudica in militiam fratrum Sabaudorum malo exemplo transduxerat. D. Baro Degenfeldius, qui de baptismo filioli sui ad Reginam nostram & ad Sublimitatem Tuam scripserat, exspectare responsum non audens, tum aliis de causis, tum quod brevi ad castra ipsi eundum erit, illustrem matronam D. de Mousse rogavit, ut pro Regina nostra baptismo, quem in ædibus suis celebravit, testis esset. Ego quia mandata non habebam interponere me non sum ausus. Cæterùm videtur, si bellum maneat, Suedicam militiam prælaturus Gallicæ: certè ita bene vult Suedicis rebus, ut magni nobis faciendus sit, vir & rerum peritia & virtutibus aliis inter paucos. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Sublimitatem Tuam bono Regni Suedici & totius Christiani Orbis servet. Lutetiæ 3 Martii novi Cal. 1640.

Principem Casimirum video hic à Rege haberi & ejus jussu salutari planè tanquam proximum hæredem Regni, non Polonici, ibi enim hæredes non sunt, Suedici ergo: quæ causa est cur multi suspicentur de conjugio aliquo actum in arcano. At mihi hæc cogitatio convenire non videtur, bellum nobis sociis trahere volentibus. Postquam hæc scripseram intellexi non ita ut audieram se rem habere, multa esse quæ illi non concedantur, neque Cardinalem, ut ille volebat, ad ipsum iturum, neque Fratrem Regium, nisi prior Princeps ad ipsos venerit. Conjurationem illam Neapolitanam, cui juvandæ classis Gallica parabatur, detexisse dicitur Parmensis Dux qui nuper Romæ fuit. Non vult recipere Pontifex relationem ullam de Episcopis confirmandis, nisi de quorum moribus testationes apud Nuntios sunt factæ. Præter eos qui ad Salzam fuere, etiam à Malga & Carthagine Hispanica milites in Italiam veniunt: paranturque in Portugalia classes in Brasiliam & Ceilonem ituræ. Casali & arci Taurinensi timetur, si bellum manet illis in partibus. Sex ferme Hispanorum millia ad Hesdinum sunt, quibus opponit se Chaunius. In Normannia ad Mantigniacum turbarum aliquid renatum. Anglicæ naves Regiæ præsidio esse dicuntur Dunquercanis navibus in Hispaniam euntibus. Apud Electorem Palatinum fuere Chavigniacus & Bellevrius. Videntur Galli eum liberare velle hac lege, ut in Gallia maneat, neque inde exeat nisi Rege

Galliæ volente. Anglia id non vult. Tribunus Coolhasius it in Hollandiam, ut cohortem suam exhaustam clade ad Theodonisvillam reparet. Aschaffenburgum à Rosa captum rumor ait. Mittit Cardinalis Hispanus Fontesium in partes Atrebatum & Hannoniæ, Tribunum Beryium in Lucenburgicum, Fontanium ad Batavos observandos.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1339 Die Martis proximè exacto compellandi Regis mihi facta est copia. Excussi omnes ληκύθους [*lecythos*], unde miserationem Regis erga afflictam Domum ac Principem concitarem. Neque planè me irritum spei fuisse ex ipso Regis vultu apparuit, qui & ad ipsum nomen Reginæ Bohemiæ caput detexit. Sed cùm pauca de causis quæ se ad hoc consilium impulissent, deque laboribus susceptis apud Angliæ Regem, ut hanc Domum communi cum Suedia Galliaque ope sublevaret, esset locutus, dixit se bene percepisse rationes meas, visurumque insuper quid ferrent Reginæ nostræ, quas ipsi tradebam, literas. Quare repetens summam sermonis mei, rogavi eum ut suæ bonitatis memor esse vellet; Principemque hunc redderet libertati, id non tantùm Germaniæ lætum fore, sed & beneficii locum id habiturum apud Reginam Suediæ, paratam reponere gratiam. Et hoc quidem ad primam partem epistolæ quam Excellentia Vestra ad me scripsit 20 Februarii, responsum esto. Pergo ad cætera. Stella putatur in aliqua Helveticorum civitate cùm Bavaricis collocuturus. Quò id tendat, vix possum suspicari, nisi fortè, Bavaro extra periculum posito, trahere bellum Galli volunt. Verissimum est quod scribit Excellentia Vestra, Domo Palatina non restituta, omnem vim Imperii penes alteram partem fore, & judiciorum specie posse opprimi quos arma servaverint. Quæ Illustrissimus Comes Licestrius mihi dixerat, ea dixerat ex sua spe ac voto, non quod mandata haberet, sicut nec ego habeo. Nunc autem quiescit is planè nec quicquam agit, quamdiu Elector Palatinus in custodia est. Non vult scilicet Rex Angliæ videri coactus per detentionem Electoris: sed nec Rex Galliæ Anglicorum armorum metu. Ita dum neuter alteri quicquam vult concedere, nobis unum relinquitur, optare meliora: id autem est, ut Rex Angliæ, Scotorum motibus æqua ratione compositis, sororis filium non liberet tantùm, sed & in res avitas reponat. Literas Parlamenti evocatorias nondum exiisse audio: exituras tamen putat Illistrissimus Comes Licestrius. Id si evenit, brevi videbimus quò tendant populi ac nobilium Anglorum animi. Cum Batavis, ut arbitror, nihil agetur nunc quidem. Hispanica autem in Angliam Legatio nihil intentatum relinquet, quo nobis obsit. Principis Casimiri libertatem die Saturni multa vespera obtinuit à Polonia Legatus, ea lege ut & ipse & Princeps promitterent, in primo Poloniæ Conventu legitimo rata habitum iri quæ Rex & alii Ordinum quidam promiserunt, nempe durante hoc bello nihil Principem Casimirum acturum contra Galliam. Postquam id convenerat, profectus est multo cum comitatu ac facibus Legatus in arcem Silvæ Vicennensis, atque inde Principem eduxit in eam domum quam Legato Rex Galliæ assignavit. Iam salutatur ab omnibus Principibus Princeps Casimirus. Ita enim Rex voluit. Inde iturus ad Regem est & Regis sumtu victurus hic donec abeat, in Poloniam, an Romam nondum satis constat. De Ruperto Principe locuti quidem sunt Galli Legato Polonico. Sed is mandata se habere negavit. Vt Cæsarianam militiam capiat, spero non futurum. Hassi jam cum Longavillano, accepta pecunia, aliquid temporarium pepigere, de auxiliis dandis Longavillano, puto XXX centuriis, & de receptu. Et de fœdere ipso inter Galliam Viduamque spes magna est. In multis enim Rex Galliæ se aptavit desideriis Viduæ, atque inter alia paratus est polliceri, etiam si pax fiat, se arma sumturum contra Imperatorem & eos qui sectæ Cæsarianæ sunt, si ab iis vis in ipsam inferatur, quamvis sub nomine Religionis, aut ad reddenda bona Ecclesiæ. Verùm, quantum intelligo, Vidua ad bellum obligare se diutius non vult, quàm dum & Suedia in bello erit. Hæc Suedis nostris displicere non possunt. An verò Suedia se illigatura sit Hassis, ex altera deliberatione pendet de prorogatione Gallici fœderis. Qua de re judicare poterimus aliquid, ubi finierit Conventus is qui nunc habetur in Suedia. Longavillani & Vinariensis miles latiùs se diffundunt, quàm ut parta tueri possint. Tum verò ubi detonare cœperit illa à Constantia tempestas, periculum erit omnibus, extra unum Brisacum, oppidis. Nam & apud ipsam Constantiam, locisque vicinis, dilectus fieri pergunt, & Gallassius copias per Rhætos eodem rapit. Quod si in Italia pax aut induciæ fiunt, in quod laborant & precibus & minis Pontifex, conscribens in usus suos X peditum, II equitum millia, item Veneti, Mantuana, Parmensis, armati & ipsi, non illæ tantùm quæ nunc sunt in Italia copiæ in Germaniam incumbent, sed & aliæ quæ apud Salzam fuere & nunc in Italiam transeunt. Cæterùm Italia non Turcam tantùm metuit, sed & motus internos. Nam & Principem Senzam Roma vi abstractum capite plexit Rector Regni Neapolitani & alios in carcere habet, dictos res in eo Regno novare voluisse suscitatu Gallorum & Cardinalis Antonii Barbarini, qui Gallis tam impensè favet, ut nuper in Francisci fratris carruca sermone inter eos de hujus temporis negotiis orto, iratus de ea carruca discesserit, inspectante populo. Rhæti deceptos se ab Hispanis, sed serò ab omni amicitia Gallorum divulsi, vident: in fœdere Mediolani facto addiderant Hispani, neque ob id deterius esset jus Austriacæ Domus. Ex his verbis qui Oeniponte sunt, à decem Directuris & appellationes exigunt & fidei juramentum. Protestantes Valle Telina exire jussi vix inveniunt quò se recipiant. Lucernenses meliùs sperato fecere. Nam & Amrinum & fratrem ejus moverunt Senatu, & cohortem illius ad se revocarunt, quam is à militia Viduæ Sabaudicæ ad fratrum Sabaudorum militiam traduxerat. An verò eorundem fratrum Legatus recipiendus sit, pendet adhuc apud Helvetios deliberatio. Hispani ad Galliæ finem movere se incipiunt, capto ad Dorlanum castello. Laudo Suedos quod seorsim à Gallis pacis conditionibus aures præbere nolunt. Spero idem facturos & Gallos. Classis illa à Dunquerca, ni fallor, oræ alicui maritimæ Gallorum minatur, fortè ad Baionam. Leodiensium causam fortiter, ut credo, Rex Galliæ tuebitur, ac facilè Batavos permovebit, non quidem ut in bellum illud apertè descendant, sed ut Regis sociis ea quæ opus sunt subministrent. Constantinopoli eum qui Cahimachamus fuit strangulatum & hìc audimus: & hoc amplius, successorem ejus novos terrores incutere Venetis, ut ipse quoque ab eis abstrahat quàm plurimum pecuniæ, divitiis citò corrogandis intentus, quas aliquando fortè pro crimine luet, ut is qui eum antecessit.

Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles,

ait Satyricus. De Ascaffenburgo à Rosa capto nescio an vera sit fama. Sex Hispanorum millia ad Hesdinum esse audimus, quibus opponet se Chaunius. Sed & Hispanicos alios ire sub Funtesio in fines Atrebatum, sub Beckio in Lucemburgicum, sub Fontanio ad observandos Batavorum actus. Angli naves Regias dicuntur dare præsidio earum quæ Dunquerca exeunt vel exituræ sunt in Hispaniam. Etiam à Malaga & Carthagine Hispanica miles

miles in Italiam mittitur. Pontifex nullis Episcopis vult confirmationem dare, nisi de quorum vita Nuntii inquisivere. Neapolitana illa conjuratio, cui fovendæ classis in Gallia parabatur, detecta per Ducem Parmensem est cùm is nuper Romæ esset. In Portugallia classes parantur alia in Brasiliam, alia quæ Ceilonem eat, contra Batavos. Casali & Taurinensi arci, nisi induciæ aut factæ sunt, aut fiunt in Italia timetur. In Normannia iterum turbarum aliquid fuit ad Mantigniacum. Creduntur Chavigniacus & Bellevrius cùm proximè fuerunt apud Electorem Palatinum ei obtulisse libertatem in Gallia manendi neque exeundi nisi Rex Galliæ velit. Anglia nulla ejus nisi plena libertate contenta est. Quid ipse facturus sit hac spe tentatus, nescimus, aditu omni exituque præcluso. Nobis det Deus nobis salutaria, & Excellentiam Vestram diu sospitet. Lutetiæ 3 Martii 1640.

Excell. Vestræ omni observantia addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

1330 NOn poteras ad res omnes optimas meliore uti magistro, quàm D. Vossio, quem ego semper & ob eruditionem singularem & ob summas virtutes feci maximi. Quod verò mea in te benevolentiæ signa tam liberaliter prædicas, in eo, si animum respicis, nihil falleris: si res ipsas, sunt eæ tam exiguæ, ut ego pro verbis tam benignis non minus debeam. Quod si frater tuus huc venerit, reperiet me, qualis esse debeo, Suedorum omnium amantissimum. Domus nostra nunc valde plena est hominum. In scribendo autem utor opera juvenis industrii, quem mihi commendavit D. Spiringius, cujus amicitia nobis perquam est necessaria. Cæterùm si qua in re fratris tui studia adjuvare potero, faciam id animo sanè promtissimo. Illustrissimo Principi Carolo Gustavo, qui sæpe nos honestat suis alloquiis, commendabo te ac tuos de nota meliore, & si qua in alia re vobis prodesse potero, non patiar me trahi, ultro accurram. Scribebam 3 Martii anni 1640.

Tua Clar. optima omnia volens H. G.

CLAVDIO SARRAVIO,

Senatori Parisiensi, & ad jus dicendum in Senatu Rothomagensi durante ejus interdicto à Rege delegato.

Vir Nobilissime & Amplissime,

1331 MItto Librum nostrum de Veritate Religionis Christianæ additis testimoniis, partum doloris quondam mei, nunc apud Deum monumentum gratiarum actionis. Te cùm semper fecerim plurimi, primum esse volui cui hoc munus offerrem cum precibus, ut si quid sit inter tot negotia properanti servire rei Christianæ minùs exactè dictum de eo ut monear, emendaturus in editione secutura. Lutetiæ 5 Martii 1640.

Tuæ Nobil. addictissimus H. G.

D. CASAVBONO.

Vir Reverende,

1332 MItto exemplum libri mei de veritate Religionis Christianæ cum accessionibus non spernendis; rogo errata quæ satis multa sunt aliquis corrigat. Vbi occasionem reperero mittam & amicis aliis. Epistolam tuam scriptam postridie Calendas Ianuarias rectè accepi. Opto τοῖς σκολιοδινιῶσι plus lucis. Regi optimo ὅπερ θέμις ἐστὶν ἀνάκτων ad quas res si quid conferre possim faciam promto animo. Hokeri interpretem quæram. Sed & vos quærite. Dignus est, qui in omnibus linguis legatur. De epistolis patris rogo cogita. Amat te tibique pro amore gratias agit, patri tuo quondam carissimus Labbæus. De Christi patientis versione N. D. de Sandis, de benignis in me elogiis Illustrissimo D. Falclandio, de exemplis tibi gratias ago, voloque persuasum iis omnibus nihil me malle, quàm prodesse rei Christianæ. Vale Vir optime. Lutetiæ 5 Martii 1640.

Tuus totus & patris & tuo jure H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DE Principis Electoris negotio, præter quæ scripsi 1333
antehac, nihil quod dicam habeo. Clam agitur aliquid, quod an successurum sit, equidem nescio. Nam & nobilis missus hinc ad Regem Angliæ est inscio Comite Licestrio, & Windebanckius à Cardinali perquàm magnificè dimissus est. Sed sæpe fallunt signa ejusmodi: quare à tempore lux exspectanda. Vrget Regem Pontifex ad constituendas per Italiam inducias in annos octo. Itali rem aut factam aut proximam effectui putant. Venetis à novo Cahimachano novæ moventur controversiæ: sed quæ novis etiam, ut arbitror, pecuniis redimentur. Maritimus autem Turcarum paratus videtur hoc anno non tam magnus fore quàm putabatur. Itaque remisit nonnihil Melitensium, Siculorum & Italorum metus, crediturque, si quid inde movetur, id ad Euxinum mare potiùs appariturum. Principis Casimiri captivitas multis honoribus pensatur. Heri apud Regem pransus est, capite tecto. Volenti per Italiam ire id permissum non est, ne iterum Hispanico afflatu corrumpatur: ibit ergo per Batavos. Nunc hospitium habet apud Cardinalem. Bavarici Norimbergæ ostendunt multum se boni à Gallia sperare si pax fiat. Præcipuè ut Electoralis dignitas & Palatinatus superior maneant penes possessorem. Infelix ea quoque in parte est Palatinus, quod clausus, nec agere quicquam, nec mandata dare potest, cùm Norimbergæ de ipsius re vel maximè agatur. Splendidior quàm ulla unquam futura est Veladæ Hispani in Angliam Legatio. Interea Angli veteres & velut sepultas controversias cum Batavis refodiunt. Parlamentum tandem evocatum est: & Scotorum Legati in Aula sunt: quæ quorsum sint eruptura avidè exspectant vicini omnes. Glenius scribitur sui militis equites quingentos, pedites mille & sexcentos reliquisse cum Cæsarianis ad recuperanda quæ Coningsmarckius in Thuringia ceperat: cæteros misisse in Wirtembergicum agrum. Longavillanus non optimè valet. Crutznacho abducere machinas per glaciem vetitus est. Exspectat in supplementum octo è Gallia cohortes. Vinarienses ita bonis in rebus sunt, ita latè arma propagant, ut magna ad eos facta sit accessio IV mille equitum, ut dicitur. Dux Carolus Lotharingus ad Mosam vadit, habiturus ter mille equites. Seriò id laborat ut rescindatur matrimonium quod habuit hactenus: cui se opponit ea quæ hic est ipsius, ut omnes censent, uxor, ut ipse loquitur, cognata carissima. Pontifex, æquo sanè decreto, priùs abstinere eum vult ab ea quam nondum rescisso priore conjugio pro uxore habet: deinde monet eum, ne quid in re tanta moliatur temerè. Si pertendat, daturum se judices in vicinis ipsi locis, citata & audita ea cujus potissimùm res agitur. Idem Dux circa Metim & Virodunos legit militem, recepitque dono Cardinalis Hispani Sanciam quam Piccolomineus eripuerat Gallis. Norimbergæ qui convenerunt & Lunæburgicum & Hassicam Viduam orant ad se ut mittant jungantque consilia. Rex Angliæ dicitur habiturus Aprili mense octo millia equitum, viginti & amplius peditum. Hic verò quæ cum Ducibus copiarum acta erant ad ducendum in Italiam militem revocata sunt omnia, certa spe induciarum de quibus dixi. Oquendo Dunquerca Hispaniam petens XIV naves à S. Malo venientes cepit:

cepit: & alias indidem Dunquercani. Legatus Polonicus Cardinalem donavit Crucifixo & candelabris è succino & pellium synthesi. Dicuntur Hispani se à finibus Picardiæ retro tulisse, captis tamen Avino, S. Martini oppidulo & castello ad Hesdinum. Regis copias sub finem Aprilis processuras aiunt: nec ante movebunt se, ut puto, Batavi, quibus incommodè accidit, quod tam magnos dilectus in Iuliacensi agro Lamboius facit: neque minùs eorum rebus nocebit, si, quod nonnulli putant, Galli autem maximè nolint, inter Antistitem Coloniensem & Leodios dissidium componitur. Illud autem non affirmaverim, quod tamen rumor hic fert, Brandenburgicos qui Norembergæ sunt pacem communem tam flagranter expetere, ut nisi ea fiat, ipsi se sibi privatim consulturos dicant. Deus hæc cuncta & quæ nunc in Suedia tractantur consilia gubernet, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Sublimitati Tuæ semper faveat. Lutetiæ 10 Martii anni 1640.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1334 Locutum me Regi pro libertate Electoris, jam scripsi. Sed quamdiu duo potentes Reges jus quisque suum, ut credi volunt, tam præfractè tuentur, non video quid sperare debeamus, quanquam multum hoc tempore, dum de pace consultatur Norimbergæ, hanc captivitatem incommodare rebus Electoris, rectè monet Excellentia Vestra. Est tamen spei mihi aliquid inde, quod nobilis quidam hinc in Angliam missus dicitur, & quod Windenbanckium à se maximo cum honore dimisit Cardinalis. Habet satis quod agat Anglia: Parlamentum indictum jam est: fervent dilectus, equestres ac pedestres: Scotis non satisfit: cum Batavis quæ ipsa sui vetustate sepultæ putabantur controversiæ, resuscitantur: veniet & eò cum maximo splendore Velada, de matrimonio, de fœdere loquetur. Det Anglis Deus bonam mentem. Dicuntur Norimbergæ qui sunt invitare Lunæburgicum Principem & Hassicam Viduam ut ad se mittant & consilia socient: Brandenburgici autem ita pacem expetere, ut nisi eam communem impetrent, propriam se sibi quæsituros dicant. Regis Daniæ epistola, quam mihi misit Excellentia Vestra, magis videtur esse pro ingenio gentis, quàm ex usu temporum. Bavarici autem jactant passim confidere se futurum, ut per pacem & Electoratus & superior Palatinatus Bavaro maneat, auctoritate Galliæ Regis. Solent talia sæpe spargi sine re. Multi tamen metuunt, ne lateat aliquid. Et jam in Italia inducias in octo annos cudit Pontifex, & aut perfecit aut perficiet. Nam & quæ hic cum ducibus acta erant ad mittendas illuc copias ea revocantur omnia & Italos video de induciis non dubitare. Turcam autem minùs jam metuunt iidem Itali, quod videatur non tantus esse quantus primò putatus est ille maritimus paratus, & quicquid est ad Euxinum magis mare quàm ad Tyrrhenum aut Adriaticum pertinere. Longavillanus, ut audimus, jam bene valet. Supplementum exspectat octo cohortium: machinas à Crutzenaco abducere cùm vellet, per glaciem impeditus est. Vinarienses autem latè tenent agros suntque in prosperis adeo rebus, ut exiguo tempore equitum quater mille confluxu aucti dicantur. Dux autem Carolus tria millia equitum collegit, scribitque militem non longè à Meti & Viridunis. Idem Dux malo exemplo matrimonium, in quo tamdiu vixit, rescindi cupit, velut metu contractum & retentum per juris ignorantiam. Contra hanc molitionem querelam edidit uxor ejus. Respondit ille non uxorem amplius, sed cognatam carissimam vocans. Pontifex, quem judicem Dux implorat, jussit eum, dum causa cognoscitur, abstinere ab ejus consuetudine quam uxorem sibi cepit usurariam. Id ubi fecerit, dicit se daturum judices vicinis in locis, citata & audita ea cujus præcipuè res agitur. Princeps Casimirus apud Regem pransus est capite tecto. Redibit per Batavos. Legatus Polonicus dono dedit Cardinali ex succino crucifixum & candelabra & ferarum pelles, grata munera. Glenius in Wirtenbergico esse scribitur. Pars autem militum ejus cum Cæsarianis laborare in iis Thuringæ recipiendis quæ nuper ceperat Coningsmarckius. Hispani jam recessisse à Picardiæ fine dicuntur, sed captis Avino, S. Martino, & castello ad Hesdinum. Regis autem copias processuras non puto ante finem Aprilis: neque ante prodituros ex hybernis Batavos puto. Duci Lotharingo Cardinalis Hispanus Sanciam reddidit, quem locum Gallis eripuerat nuper Piccolominæus. Quendo Dunquerca egressus naves XIV cepit à S. Malo venientes, alias indidem Dunquercani. Deus pacem nobis det bonam, beneque Excellentiam Vestram sospitet foveatque. Lutetiæ 10 Martii 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Advenerunt Finale portum Italiæ quatuor Hispanorum millia eorum qui ad Salzam fuerunt; exspectantur sex alia. 1335 Hi si induciæ per Italiam non constituuntur ibunt contra Casale aut arcem Taurinorum: eritque periculum aut huic aut illi loco, si id fiat priusquam creverint quæ illic sunt Gallorum vires. Quod si Italiæ quieti per inducias consulitur, effundet se in Germaniam ista tempestas. Sunt hic rumores de induciis universalibus quas offerat Hispanus. Mihi neque Hispani, neque Imperatoris res eò videntur esse redactæ, ut pati possint tantas armis quæsitas possessiones penes Gallos relinqui, nisi fortè à Turca metus eos percutit. Tum verò Cardinalis Riceliaci animus, si rectè conjecturam facio, si modò Suedicam & Hassicam societatem retinere poterit (Batavi enim planè appendix sunt Galliæ) ad bellum ducendum erit pronior, quod id & securitati ipsius & utilitatibus honorique amicorum ejus inserviat. Enckefortius in libertate est cum Feuquerio commutatus. Dicit autem se Waertio impetrasse ut venari ei liceat in Silva Vicennensi, ut aliquem ad amicos suos possit mittere, ut libertatem recipiat; si eam Hornio Marescallo parare possit, qua tamen de re mihi nihil publicitus significatum est. Libellus quidam maledicus in Cardinalem Riceliacum scriptus est, quasi Patriarchatum sibi, Gallicanæ autem Ecclesiæ secessionem à Sede Romana molientem. Cancellario etiam Franciæ & Bulionio non parcit is liber. Scriptor adhuc quæritur & in Brabantio Iesuitæ palam adversùs Libertates Ecclesiæ Gallicanæ scripserunt. In Electoris Palatini negotio nihil proficimus ob duritiem Regum, altero libertatem sine conditionibus dare nolente, altero ad conditiones surdo quamdiu libertas Electori data non est. Videbimus si quid ad leniendas has asperitates comminisci poterit Bohemiæ Regina, eique obsecundabimus. Propositum Gallis fuit, posse eò perduci Electorem, ut dicat nihil sibi fuisse propositum, quod in fraudem esset Regis ac federatorum. Federatorum omnem in hoc negotio mentionem Galli rejiciunt. Longavillanus Dux ægrotavit, dicitur revalescere. Hispani qui in illis sunt locis coëunt ad recipiendam Bingam & Crutzenacum. Princeps Casimirus Fratrem Regium non vidit: parat se itineri cum Legato. Vultum habet, partim & mores, gentis Austriacæ quæ ipsi materna. Vicecomes Turenæ ad Conum, quod inter Taurinos & Villam Francam est equites nonnullos hostium

hostium cecidit. Ad Norimbergensem Conventum misit Lunemburgicus. Dicitur is Conventus pecuniarum quæ de Germania exactæ sunt rationes petere à Bavaro, quod is non tam Germaniæ quàm suas res agere videatur. Erfurdiæ Præfectus exiisse dicitur ut Evertorto & Masfeldo à Saxone obsessis subveniat. Bavaricus miles in hyberna rediit. Galli & Rynfeldium muniunt, & commeatus colligunt alendis præsidiis vicinis. Pergunt dilectus tum in Tiroli, tum in Bavaria, missis utroque ab hoste pecuniis. Mitto quæ Rhæti dixerunt in Helvetiorum Conventu contra Gallos. Non dixerim eos mentiri omnia, sed profecto ingenti molimine nihil aliud quàm mutarunt malum. Si Bannerio res prosperas largiatur Deus id plurimum ad pacem adjumenti erit, quam bonam det nobis Deus, ac Tuam, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem servet. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Martii 1640.

Spargitur ab Aula rumor Electorem Palatinum liberum fore cis paucos dies. Deus faxit ut id fiat pœnitendis neutri legibus. Dicitur aliquid signasse quod quale sit nescitur. Bajulus Venetus quàm citissimè jussus ire Constantinopolim cum pecunia omni promissa & auctuario aliquo. Ipse Sultanus ivit Adrianopolim. Galli ob crimina captivos omnes ad remigia mittunt, pontes faciunt ex funibus & scirpis, sexaginta molas portabiles ad faciendam farinam, multum commeatus congerunt in Metim, Abbatisvillam & Ambianum. Videtur hostis mari aliquid contra Galliam tentaturus. Pro Normannia maximè timetur exasperato ut ante seditionibus, ita nunc pœnis populo, & incerto quid velit Anglia. Augetur Gallicus in Burgundia exercitus: pecunia Basileam è Gallia advenit ad ıↄ CCL millia francorum: exspectatur alterum tantum. Ex Crutzenaco eximi non potuere nisi sex exque leves machinæ. In Palatinatum inferiorem coëunt Beckius, Mercius, Verdugo. Castelli in Cameracio auctum præsidium est. Rosa Franconiam invadit. Comiti Suessionensi dies præstituitur intra quam in Galliam redeat. De rebus meis spero non displicitura Sublimitati Tuæ quæ scripsi antehac. Romæ inter se consilia jungunt Legati Galliæ & Hispaniæ ad accidendam Pontificis potentiam.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1336 IN negotio Electoris Palatini, postquam auditus à Rege sum, promovere nihil potui, quod neque Rex Galliæ dimittere vult captivum, nisi interposita sponsione aliqua, & Rex Britanniæ nihil suo nomine agi patitur quamdiu manet captivitas. Ita inter duas Symplegadas arctamur. Nunc exspectamus & quid profecturus sit nobilis ille vir à Bellevrio in Angliam missus, & Windebanckius ubi & is in Angliam venerit, præterea & quam viam ad aspera hæc lenienda invenire possit Bohemiæ Regina, ad quam ea de re scripturus est Paulius qui apud me fuit. Dicit Rex Angliæ acturum se de federe postquam Elector in libertate fuerit. Id antequam fiat & sibi & Legato suo indixit silentium. Galli autem non videntur dimissuri Principem nisi bene illigatum suis partibus, quod obtineretur, si Rex Angliæ liberaliter eum adjuvare vellet ad comparandum exercitum, qui ab Hassico exercitu opem & receptum habere posset. Ex Anglia opperimur, quid facturum sit Parlamentum, an Rex aliquid concedendo sibi conciliaturus sit Scotos, quo processura sint arma, præterea secundioribus ne posthac Anglis usuri sint Batavi, an verò iste, qui ex Flandria in illam scenam veniet Davus turbaturus sit omnia, conglutinaturusque per nuptias vicinos parùm faventes Batavis cum apertis eorum hostibus. Malè vult iisdem Batavis Daniæ Rex: neque tamen ultra illis nocebit, ut credo, quàm quod eos levabit parte pecuniarum. Quod si Batavi, ut sunt ad rem attenti, hoc malum, & alterum è Polonia evitare possint Suedica Societate, dubium non est quin eam sint appetituri. De Landgravia video hic bene sperari. Longavillanus mala fuit valetudine, neque adhuc planè convaluit. Crutzenaco & Bingæ timetur. Tendunt enim eò Hispani ad sex ferme millia hominum, peditum parte maxima. Lunenburgicum audimus misisse Norimbergam. In eo autem Conventu exigi à Bavaro pecuniarum è Germania perceptarum rationem, quod non tam Germaniæ quàm suas res agere videatur. Milites Bavarici in hyberna rediere. Enckefortius in libertate est: Waertio autem permissum est ad amicos mittere aliquem de suis, ut si Marescallo Hornio libertatem parare possit & ipse suam recipiat. Multi hic in Aula sermones de induciis universalibus, quas eas Hispanus offerat in annos aliquot. ἐγὼ δέ τις ὁ ἀπειθής. De Italicis induciis faciliùs credam, quas tamen nondum esse confectas apparet hostilium equitum nonnullis à Vicecomite Turenæ ad Conum cæsis. Tum verò ad Finale appulerunt millia quatuor Hispanorum, eorum qui ad Salzam fuerant. Sex millia alia exspectantur. Ea vis aut Casali aut Augustæ Taurinorum minatur, imparatis adhuc per ea loca Gallis, aut, si Italia inducias adipiscitur, in Germaniam defluet, resque Bannerii magis etiam implicabit. Fedus illud trium stirpium Domus Austriacæ vidi. Apparet eos pigros non esse. Nunc Thuringiam recipiunt Saxo & Cæsariani, quanquam ad liberandum ab eorum vi Everfurtum profectus dicitur is qui Erfurdiæ præest. At Galli pecunias mittunt Brisacum, & commeatus, & oppida circumsita & Rynfeldium muniunt. A castello Cameracesii retro cessit hostis. De Turcicis rebus bene, ut puto, judicat illius Aulæ peritissimus D. Haga. Si Veneti, & divites & meticulosi, novas, quæ ipsis moventur, controversias redimere poterunt, augescet & Italiæ & Poloniæ metus. Suediæ nihil nocebit, sive Polonum bello destineri, sive Hispani vires animosque accidi, dum non tanti sunt barbarorum progressus qui toti rei Christianæ periculum facere possint. Quod per pacem bonam inter Christianos præcavere illorum maximè est qui malo sunt proximi. Princeps Casimirus & Legatus Polonicus itineri se parant. Repertus est libellus maledicus, à Monachorum haud dubiè aliquo in hac urbe scriptus, quo incusatur Cardinalis Riceliacus schisma à Sede Romana moliri. Auctor adhuc ignoratur, quæritur diligenter. De rebus Palatini spero non displicitura Excellentiæ Vestræ quæ scripsi antehac: cujus consilia in omnibus libenter sequar. Ab Aula rumor auditur Electorem intra paucos dies liberum fore. Gaudebo etiamsi sine nobis id fiat. Aliquid signasse dicitur, quod quale sit neque nos scimus neque ejus domestici. Bajulus Venetus missus est Constantinopolim, ut quam celerrimè repræsentet pecuniam Sultano promissam. Ipse Sultanus Adrianopolim ivisse dicitur. Mittuntur hic de crimine captivi ad remos. Pontes fiunt ex restibus & scirpis. Commeatus multi congeruntur Ambianum, Abbatisvillam, Metim. Burgundiæ exercitus augetur & præsidium castelli Cameracesii. Ex Crucenaco servatæ tantùm sex machinæ. Locus ipse cum machinis aliis creditur cessurus Beckio, Mercio & Verdugoni qui omnes in Palatinatum coëunt. Rosa cum tribus equitum millibus in Franconia est. Basileam Gallicæ pecuniæ ıↄ CL millia francorum advenere. Exspectatur alterum tantum. Romæ Legati Galliæ & Hispaniæ consilia contra Pontificem inter se communicant. Deus & rei Christianæ & Excellentiæ Vestræ adsit favens. Lutetiæ 17 Martii 1640.

Excell: Vestra perpetua observantia devinctissimus H. G.

AXE-

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

NOcte ferme media quæ inter diem Mercurii & Iovis intercessit, D. Chavigniacus Principem Electorem è Vicennensi carcere deduxit in domum Anglici Legati, ubi nunc latet velut ignotus, donec digresso hinc Principe Casimiro transeat in eam domum in qua primùm excipi solent extraordinarii Legati. Promisit se è Gallia non abiturum sine Regis consensu. Si quid ultra convenit, id & nos, & Anglos hactenus celatur. Feuquerius libertatem morte adeptus est quam obiit Theodonisvillæ. Ea de causa, ut mutata re de qua convenerat, Enckefortius in carcerem Vicennensem reductus est: simulque spes de commutandis ejus opera Hornio, Waertioque evanuit. Multæ adhuc de induciis tum Italicis, tum & universalibus fabulæ sunt, sed nihil dum apparet. Pontificis potestas in Principes ita apertè sperni incipit in ipsa Italia, ut civitas Lucensis fratrem & propinquos Cardinalis cujusdam, contra Pontificis literas, in vincula dederit. Lamillereii pulcher erit exercitus: & Princeps Arausionensis magna promittit. Fedus Austriacorum inter se, quod mitto, ostendit eos neque extra malorum esse sensum, neque negligenter in quærendis malorum remediis. Dabunt nunc operam in futuro Conventu Badensi, ut Helvetios, sub obtentu federum antiquorum aut in belli Alsatici societatem pertrahant, aut certè jus scribendi militis, commeatus & bello necessaria ab ipsis habeant Romanensibus satis pronis ad talia, Protestantibus verò anxiis ob suspecta non minùs Gallorum quàm Hispanorum consilia. Vt Rhætorum sibi studia concilient videntur Austriaci nonnulla de pactis anni 1620 remissuri. Etiam in Suevia Hispanus militem legit: multum frumenti Cellam convehitur. Ad Brisacum ager conseritur & Basileæ Gallico militi vestes parantur: Curtius autem apud Bavarum est. Is Bavarus & Saxo in Thuringia exercitum faciunt quem Vinariensibus opponant: quorum & quidam malè habiti sunt à Wurtzburgensi milite. Longavillanus convaluit & dicitur Hochstam ad Mœnum oppugnare. Volkmarus Regis Daniæ filius Bruxellæ est, & tria millia militum colligit in usum Hispani. Rex Angliæ arbitrum se offert ejus controversiæ quam Batavi cum Danis habent. At Batavis non minùs quam Gallis suspecta est Angli Danique arcta conjunctio & splendida illa Hispani in Angliam Legatio. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ faveat semper. Lutetiæ 1/11 Martii 1640.

Fama hic est hostem abiisse à Crutzenaco. Brisaci nummi Gallici cuduntur cum inscriptione, *Deus transfert Regna.* Liber in Cardinalem scriptus publico Parlamenti decreto comburitur. Quam Melandro donationem bonorum in Episcopatu Basileensi Rex Suediæ fecerat, eam Rex Galliæ confirmat. Princeps Casimirus cum Legato Polonico die Martis discedet. Hærebit decem aut amplius dies Bruxellæ. Feuquerii Vidua ab hostibus detentatur, ut libertas quæratur Enckefortio. Ad finem Picardicum duo erunt exercitus Millereii, & Chaunii qui se jungent si sit opus. Burdegalensis Archiepiscopus cum classe it in mare internum. Dux Parmensis imperium accipiet in copias Principum Italiæ inter se pro pace federatorum. Rex Hispaniæ inducias Italiæ non vult, nisi & Comitatui Burgundiæ consulitur. Hispaniæ exercitus ad Turcam se tenet.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

ECce in libertate Principem Electorem, ad quam rem potissimùm valuisse Reginæ nostræ literas, nostram autem operam fuisse non ingratam, neque inutilem, gaudeo, gratiasque Deo ea de re ago. Spopondit non exiturum se Gallia nisi Regis concessu. Si quid ultra inter ipsum & D. Chavigniacum, qui multum cum eo egit, convenit, id nos latet hactenus, fortè cum tempore proditurum sese. Ipse Principem Chavigniacus sua carruca deduxit, nocte ferme media inter Mercurii & Iovis diem è Vicennensi carcere in domum Illustrissimi D. Comitis Licestrii, ubi nunc Princeps ille se tenet, sed clanculum, suam personam induturus & hospitium habiturus à Rege, ubi Legati extraordinarii excipi solent, simulac Princeps Casimirus & Poloniæ Legatus, qui eas ædes nunc detinent, discesserint. Dum in Gallia erit Elector, videndum erit quid Rex Angliæ, cui captivitas hæc prætextum præbuit ad nihil audiendum dicendumve, pro restituenda ejus fortuna facere velit, exemplum ejus exspectantibus Gallis & Landgravia. Sed ut faciliùs id procedat, opus esset componi Scoticos motus, Gallisque & Batavis auferri metum, quem habent de Hispanica Legatione & Angliæ conjunctione cum Dano Rege, cujus filius Volkemarus nunc Hispano militat. Parlamentarius Angliæ Conventus procedit, &, ut credo, lucis nobis aliquid adferet ad futuri dijudicationes. De prorogato federe inter Gallos Batavosque credo. Suedos ita pacis esse appetentes, ut interim fortibus decretis in bellum, si opus sit, trahendum se parent, gaudeo, multumque prudentiam hanc & constantiam laudo. Ad Bohemicas res quod attinet, semper existimavi neutri Ducum aut mandata esse aut voluntatem uno jactu de re tota decidendi. Vincet cui plurimum commeatus, pabuli ac pecuniæ erit. De Berlino & Verbena bonos nuntios exspectabimus. A Mauritiano castello incommoda pati Erfurdiam intelligo. Audimus etiam in Thuringia coire Bavaricos & Saxonicos; tum verò & à Wurtzburgensibus damni aliquid sensisse Vinarienses. Stella adhuc Brisaci est. Ager circa eam urbem conseritur. Basileæ vestes multæ fiunt pro Gallico milite. Sed nec quiescunt hostes, Cellam multum convehunt, Rhætis concedunt aliquid supra vetera pacta, Helvetios partim ex federibus antiquis, partim & ex Galliæ odio invitant aut ad belli Alsatici societatem, aut, si id obtinere nequeant, ad præbendum sibi iter, commeatus, bello necessaria, & militis conscribendi facultatem. De his agetur Badæ. Longavillanus autem & valere meliùs, & Hochstam oppugnare dicitur. In Italia Hispanus novorum militum accepit ad x millia, partim ex iis qui ad Salzam fuere, partim ex Neapolitano Regno. Adversùs Pontificis potentiam erigit se Italia, Galliæ Hispaniæque exemplo; adeo ut exigua civitas Luca Cardinalis cujusdam fratrem & propinquos in vincula dederit, contemtis quas Pontifex scripserat literis. Rex Poloniæ Turcam metuit, an sub ejus metus nomine pecunias sibi quærat, dubitari potest. Ego Italiæ potiùs, quàm aut Poloniæ aut Hungariæ, illam vim impendere arbitror. Nam Veneti festinatis muneribus se malo eximunt, misso in id novo Bajulo. Mortuus & in hostium adhuc potestate constitutus Feuquerius. Galli per eum casum in irritum recidisse quæ pacta erant judicantes, Enckefortium carceri reddidere. Sic etiam spes nostra quam conceperamus de permutandis per Enckefortii operam Hornio & Waertio nos fefellit. Fama hic est hostem abiisse à Crutzenaco. Brisaci nummi cuduntur Regis Galliæ jussu, sic inscripti: *Deus transfert Regna.* Parmensis Dux imperabit copiis Ita-

Italorum Principum pro pace federatorum. Inducias autem per Italiam res una moratur, quod Rex Hispaniæ etiam Burgundiæ Comitatum vult comprehendi. Ad finem Picardiæ duo erunt exercitus Milereii & Chaunii, qui jungentur, si opus. Liber contra Cardinalem scriptus decreto Parlamenti comburitur. Feuquerii uxorem hostes retinent ut libertatem pariant Enckefortio. Deus cuncta ad bonam æquam & communem Christianis pacem perducat. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Martii 1640.

Exc. Vestræ perpetuo observantiæ studio devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1339 CVm & Princeps Casimirus, ut cætera taceam, Reginæ nostræ sanguinem participans, & Legatus ac Palatinus Regni Polonici, pacatam hactenus vicinitatem nobiscum colentis, desideret tutum habere iter per eas terras, quas nobis Mars magnorum Regum arbiter adjudicavit, non potui deesse tam æquæ postulationi. Cùm scirem neminem ad eam rem plus posse quàm Excellentiam Vestram, positam in ipsis locis ubi res agitur, & magna cum auctoritate ea curantem omnia quæ isthic tractanda sunt, mei officii esse credidi Excellentiæ Vestræ ostendere hanc beneficii laudabilis materiam, simulque Deum precari, Illustrissime Domine, ipsius Excellentiæ ut semper adsit favens. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Martii 1640.

Excell. Vestræ omni observantia obstrictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1340 CVm Palatinus & Legatus Poloniæ me rogaverit ut adjutor ei esse vellem ad tutum iter per ea quæ Regina nostra feliciter possidet, non ipsi tantùm, sed & Principi Casimiro, putavi me hoc debere & Illustrissimo sanguini, quem Regina nostra cum Principe Casimiro communem habet, & paci isti nunc temporariæ, quam spero fore perpetuam, inter Regna duo potentissima, neque minus virtutibus quàm situ contermina, ne tam justo desiderio deessem. Scio quæ sit non in his modò, sed & in gravioribus rebus, benignitas & humanitas Sublimitatis Tuæ; ita ut eam magis hac de re commonefaciendam quàm orandam esse censeam. Ego quò magis omnibus bene facio, eò magis me Suedum puto: & cùm multa mihi exemplaria in antiquis historiis proposita habeam, nulla malim imitari quàm Sublimitatis Tuæ: quam Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, servet sospitem atque florentem. Die $\frac{21}{31}$ Martii anni 1640.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1341 PLurimum Excellentiæ Vestræ debeo pro iis quæ mihi nuntiat, aut nuntiari facit, quæ ut semper vestris rebus sint optima, precor. Viximus hic Legatus Polonicus & ego ea inter nos officiorum vicissitudine quæ conveniebat Regnis in pace satis longa positis, & ea vicinitate ut amicitia mutua utrique genti utilis esse possit. Digrediens Legatus me rogavit ut efficerem si possem, concedi Principi Casimiro & ipsi, literas tuti itineris per Pomeraniam & loca à nostris possessa. Dixi petendum hoc ab Excellentia Vestra quæ illis in locis propinqua vicem Regni Suedici fungeretur, me & desiderium hoc significandi & commendandi partes obiturum libenter. Rogavit autem ut Princeps Casimirus illis literis non aliter quàm Princeps Casimirus nominetur; in eo aucupenturne aliquid quod in rem suam possint interpretari, an verò solius transitus commodum quæratur judicio atque arbitratui Excellentiæ Vestræ relinquo cui & mea submitto omnia, paratus, Illustrissime Domine, Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Martii 1640.

Semper inservire Excellentiæ Vestræ H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEr appetit, parantur arma, & magnus Millereio ju[…] exercitus. Commeatuum ad Maseriam congestio facit credi bellum ad Mosam futurum. De induciis universalibus manent nihilominus sermones, & jubet Millereius sperari eas ante Iunii finem. Latent adhuc nobis quæ Princeps Elector cum Gallis egit: in Anglia eam improbari audio. Comes autem Licestrius dubitat an, si quod fedus Anglia cum Gallis faciat pro restitutione dejectorum Principum, id placiturum sit Sueciæ. Legatus Pontificis Ginettius dicit abiturum se Coloniâ, nisi alii Legati eò veniant ante exitum Aprilis. Ob id præcepit Cardinalis Riceliacus Mazarino, cui dicitur dari Episcopatus Massiliensis, ut se itineri paret. In Italia sermones sunt de filiabus duabus Viduæ Sabaudicæ collocandis in matrimonia propinqui sanguinis, nempe ut spondeatur altera Cardinali Sabaudio, altera minori filio Principis Thomæ; sed non videntur Hispanis hæc probari. Damnatus hic est à Parlamento libellus famosus contra Cardinalem scriptus, titulo de vitando schismate, & subjicitur novæ censuræ censura à quibusdam Episcopis ante annum facta adversus Libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Saxo, Brandenburgicus, magno impetu ferri ad pacem dicuntur, & nisi ea in commune fiat, privatis factionibus sibi consulturi. Hispani Helvetios sollicitant, ut iter & commeatus dent exercitibus, ei scilicet qui ad Constantiam est, & ei qui fit in Tiroli. Fedus autem illud inter Austriacas stirpes factum nuper, minùs placet Bavaro. Argentoratenses interpellantur à Cæsarianis, ut paci Pragensi accedant. At civitas illa mediam adhuc se gerit, ut & Francofurtum. Franconia autem & Thuringia, plenæ sunt milite Cæsariano, Saxonico, Bavarico. Baccherachi arcem Hispani obsident. Eidem Hispani, pro Dunquerca solliciti, eam strenuè muniunt. Dux Carolus Sirici agit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, bellum hoc gubernet ad bonam pacem Tuæque Sublimitatis vitam, valetudinem & consilia prosperet. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Martii anni 1640.

Est hic Crosigus missus à Vinariensibus Ducibus ad petendam defuncti hæreditatem, sub quo nomine & urbes volunt comprehendere, ut Romani olim in hæreditate Attali & Nicomedis. Sed illis ad defendendam tam laxam interpretationem non satis virium est. Itaque mobilibus puto contentos fore. Elector honorificentius excipietur à Rege quàm acceptus fuit Princeps Casimirus. Per Magistrum Domus & Officiales Regios ei ministrabitur. Solus accumbet. Domesticos habet LXXX. Stipendia Regi in diem constabunt mille & quingentis Francis. Ab Œniponte milites CIↃ CCCC accessere ad fines Rhætorum. Veneti sibi metuentes ad eosdem fines aliquid habent militis. In Comitatum Burgundiæ Galli quidam irrupere populabundi. Leganesius habet [..] militis CIↃ IX. Harcurtius ferme CIↃ VI. Sed & [..] supplementa exspectat & Vidua militem conscribit. Tam Alsatiæ superioris nobilitas quàm ii qui in Episcopatu sunt Argentoratensi juramentum dixere Regi Galliæ.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDO-

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1343 VT gratissimis mihi literis Excellentiæ Vestræ, scriptis 19 Martii respondeam, Electorem obligatum ne è Gallia exeat nisi volente Rege Galliæ, sine alia temporis præfinitione, constat. Quid ultra actum sit nobis non patet: & dicitur id in Anglia minùs probari. Dixi Comiti Licestrio, si norim quid Regi Britanniæ & Electori ipsi placeat à me fieri pro bono Electoris, Domusque Palatinæ, facturum me id sedulò, & hic, & literis in Suediam mittendis. Cæterùm videntur mihi & ipse Elector & Comes Licestrius clam nos res suas agere malle. Quòd si possunt fedus aliquod cum Gallia facere, quo fortuna Palatinæ Domus resurgat, gaudebo, puto gavisuram & Suediam. Multi adhuc hic sermones sunt de induciis longis, quibus durantibus annuæ pecuniæ dandæ sint dejectis Principibus. Ginettius Pontificis Legatus abiturum se Colonia minatur, nisi ante Aprilis exitum adsint Legati alii. Ea de causa Mazarinum, qui, ut puto Massiliæ futurus est Episcopus, monuit Cardinalis Ricceliacus ut se itineri paret. Ego per Italiam inducias faciliùs fieri posse arbitror: & sermones ibi sunt de sponsalibus binis, filiæ majoris Sabaudicæ cum Cardinali Sabaudo patruo, minoris verò cum patrueli, Principis Thomæ filio. Quæ in Palatinatu inferiore Galli tenent, & Electori possent reddere, ea neque multa, neque magna sunt, & fortè parum eorum jam amiserint. Baccherachi enim arcem obsidere audimus. Bavarus autem dicitur inducias quàm pacem malle, nimirum ut quæ tenet teneat. Dicitur etiam minùs probare fedus illud quod inter tres stirpes Austriacas factum fuit. Quod ex Anglia parum speret Excellentia Vestra pro Principe Electore, valde mihi dolet: nihilque malim quàm & in Parlamento bona sumi consilia & cum Scotis rem feliciter componi, ita tamen ut ne nimium spernatur Regis auctoritas, necessaria ad continendam trium Regnorum compagem. Sed Veladam metuo, & quæ cudi dicuntur inter Angliæ Principem & Hispani filiam nuptiæ. Tum verò Anglorum cum Danis conglutinatio, & tam horum quàm illorum dissidia cum Batavis, nihil boni portendunt. Narrationem Regis Daniæ de iis quæ cum Batavis acta sunt legi, aculeatam sanè, & animi non admodum in Batavos benigni indicem. Edictum verò Batavorum quo navigatio trans fretum Danicum prohibetur, animosum satis est. Sed nescio an hos animos ferant tempora. Si Suedis & Batavis cum uno Dano esset negotium, ægrè illius freti claustra retineret. Saxonem, Brandenburgicum, Luneburgicum, quorum præcipuè terræ belli mala aut sentiunt aut metuunt, cupidos esse pacis & dicitur & credibile est. Eadem credo esse vota Suedorum populi, exhausti tam diuturno bello crebrisque præliis. Sed pax haberi bona possit an non possit, pendebit ab armorum successibus. Mitto quod Dux Carolus ei respondit quam uxorem amplius agnoscere recusat, quare nec injuriam patitur quod aufertur ei Lotharingia. Nullum enim in dote jus habet qui se maritum negat. Et quod de Salica lege fingunt, novum commentum est, contra perpetuos in Austrasia mores. Et Princeps Casimirus & Legatus Polonicus, non video, quomodo tutò ire Hamburgum possint, nisi per Batavos. Sed subsistere eos ibi non erit opus. Legatus Polonicus etiam Angliæ videndæ desiderio se teneri dicebat. Poloniæ imminere Turcam etiam Italorum multi judicant. Magnus hic datur exercitus Millereio: & ad Mezeriam commeatuum ingens copia fertur, unde judicare licet quam ad partem futurum sit bellum. Damnatus est à Parlamento liber adversùs Cardinalem scriptus de vitando schismate: & novæ censuræ subjicitur censura ante annum lata adversùs libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Hispani & Cæsariani apud Helvetios laborant, ut iter & commeatus ab ipsis habeant pro exercitu qui in Tiroli fit, & illo ad Constantiam; apud Argentoratenses verò ut paci Pragensi se addant, quæ civitas ut & Francofurtensis adhuc satis mediam se servat. Franconia & Thuringia plenæ sunt milite Cæsariano, Saxonico, Bavarico. Neapoli multi nobiles rei fiunt: Pozzola autem, qui Principem Senæ Roma abduxit, cohortem habet cccc hominum & in eam etiam ob crimina proscriptos allegere permittitur, quæ omnia mire urunt Pontificem: coguntque eum ut Gallis se reconciliet. Vrget Hispanicus Mediolani Præfectus Principem Thomam, ut portarum urbis Taurinorum una Hispanis detur custodienda, & ut quamprimùm in apertum producantur copiæ. At Cardinalis Sabaudus non dari sibi pecunias, unde Nicææ præsidium alat, conqueritur. Operam dant Hispani ut ei satisfaciant: Calabriam muniunt contra Turcam: Casali inhiant. Rhæti Oeniponte nihil obtinent. Iubentur ante omnia restituere in integrum Capucinis in Engadina inferiori, ubi eorum domus, altaria, campanæ fractæ fuerunt. Id si fecerint, multa illis promittuntur. De Protestantibus autem in Vallem Telinam restituendis nemo est qui mutiat. Ita dispari fato ibi res aguntur. Honor à Rege major habebitur Principi Electori quàm habitus fuit Principi Casimiro. Ministrabunt ei Magister Domus & Officiales Regii: accumbet solus, nisi quos ad se vocet. Est hic Crasegius ad repetendam fratrum nomine hæreditatem Ducis Bernhardi. Habet Princeps Elector familiam hominum LXXX. Rex in eum impendet in dies CIↃ IↃ florenos. In Comitatum Burgundiæ irruptio quædam à Gallis facta est. In Italia Leganesius habet in aperto novem millia militum, Harcurtius sex ferme millia, sed supplementum exspectat. Nobilitas superioris Alsatiæ & qui in Episcopatu sunt Argentoratensi juramentum Regi dixere. Ad finem Rhæticum accesserunt à Tiroli homines mille & quadringenti. Veneti cœperunt ad eundem finem copias colligere ad sui tutelam. Deus Christianum Orbem restituat in meliorem statum, idemque Excellentiæ Vestræ semper faveat. Lutetiæ 31 Martii 1640.

Excell. Vestræ observantia perpetua devinctissimus H. G.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

PRinceps Elector, compos jam libertatis, nisi quod 1344
promisit non exire de Gallia, nisi Rege volente, bene exceptus à Rege & Regina & hujus Aulæ Primoribus, multum debere se Augustæ Majestati Tuæ agnoscit, gratiasque ei agit, non ignorans plurimum sibi profuisse Tuæ Majestatis literas, & quæ ego ejus nomine Regi jussus sum dicere, quæ Regi pergrata fuisse prædicant ii qui hic plurimum valent. Nunc rogat Princeps Elector velit Majestas Tua beneficia beneficiis cumulare, suamque auctoritatem & opem conferre ad sublevandas res afflictas Domus Illustrissimæ, quod me significaturum Augustæ Majestati Tuæ libenter recepi, nec aliud addam, nisi preces ad Deum, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima, ut vitam, bonam valetudinem, & res Augustæ Majestatis Domi bellique tueatur & prosperet. Lutetiæ 7 Aprilis novi Cal. 1640.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1345 VIdi Principem Electorem, eique honores habui quos potui maximos, quod eum in Suedia pro Electore, id est loco regibus proximo haberi didicissem. Nomen Electoris hic ei non datur. Cæteri honores qui ei exhibentur summi sunt. Regi post pauca verba capite tecto assedit. Pransus una sedit ex eodem latere uno vacuo intervallo divisus. Servitur ut quondam Sublimitati Tuæ, magnificè. Cardinalis ei uno conclavi obviam processit. Incessit verò Principi dexter ipse, eumque redeuntem ad carrucam deduxit. Vult Princeps ire salutatum præcipuos post Cardinalem Regis Ministros. Aut ista Galliæ adstricta libertas, aut arcanæ scripturæ quæ intercesserunt dicuntur in Anglia non probari: neque ego sane hoc rerum statu multum boni ipsi ex Anglia spero. Suasi tamen ipsi & per ipsum aliosque Reginæ Bohemiæ, ne quid hoc tempore intentatum in Anglia relinquant, haud defuturis in Parlamento, si tamen habebitur Parlamentum, qui causæ Domus Palatinæ, nostræque communi faveant: sed ante omnia dixi retinendam ei Cardinalis & per ipsum Galliæ amicitiam, quæ & jam nunc restituere ipsum in aliquam Palatinatus partem possit, & plura ipsi armis quærere & in pace conditionem ejus facere quàm optimam. De Reginæ nostræ, de Regentium, ac speciatim de Sublimitatis Tuæ in ipsum benevolentia velim eum omnia maxima sperare, quod & se facere, multisque se Tuæ Sublimitatis obligatum beneficiis prolixè ostendebat. Puto mei esse officii ut quod Legatus Anglicus non fecit faciam, Regique gratias agam quod Reginæ nostræ literas apud se pondus habere voluerit. Simul commendabo Regi postulata Ducis Wilhelmi Vinariensis de iis rebus quæ in hæreditate Ducis Bernhardi fuere, & quas ei dare abnuunt ii qui Brisacum tenent, nisi de Regis & Reginæ Suediæ, ut testamenti executorum, permissu. Præterea Regina alterum jam partum promittens poscit, ut & ipsi & Regi bene ominemur. Multum metuo ne magnus ille exercitus qui hinc in Belgicam parabatur, per tempus aliquod abstineatur ab aliis conatibus metu Anglorum, quorum paratus Belgici non minùs quàm Daniæ incertum est quò sint evasuri. Certè Velada centum & quinquaginta millibus Ducatorum quæ ad largitiones in Anglia faciendas secum tulit, mali aliquid minari videtur aut Galliæ aut Batavis. Batavi magni rumorum fabri spargunt hic famam suam societatem à Suedis ambiri. Non dubito quin idem facturi sint alibi, ut Regem Daniæ ad transactionem aliquam perducant. Iussit Cardinalis Riceliacus Mazarinum festinare Coloniam, numeratis ipsi ad iter L millibus scutatorum. In Italia, nisi induciæ fiunt, multo validiores sunt res Hispani & Casale in periculo. Copiæ ad Constantiam Alsatiæ imminent, qui in Tiroli sunt, utrovis se possunt vertere. At Longavillanus bonum habet exercitum ad V millia equitum, tria peditum. Binga tamen abduci jussit machinas, loco diffidens. Arx Baccherachi an adhuc defendatur contra oppidum ab hoste insessum ignoramus. Præcipua pars militis Duci Longavillano parentis Marburgi est. Bavaricus in Franconia exercitus nihil agit. Brisacum, Binfeldium strenuè muniuntur: & pecuniæ per cambium missæ Francofurtum pro exercitu Longavillani. Stella Friburgi est. Nothaftius pro Imperatore Argentorati. Falckestennus verò & Volcmarus apud Helvetios laborant ad obtinendum iter, alimenta dato pretio, & jus legendi militem: quibus timidè se opponunt Protestantes. Cardinalis Hispanus obviam misit Principi Casimiro carrucas duas & sex equos sub ephippio, donavitque hæc ipsi, ut Gallicorum beneficiorum memoriam obliteraret. Princeps Elector Regi, cùm Rex pransurus lavaret, mappam dedit. Reginam vidit, sed osculatus non est. Delphinum salutavit. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut rebus Suedicis Tuæque Sublimitati faveat. Lutetiæ 7 Aprilis 1640.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

QVod optavi semper ut inclyta civitas vestra quàm minimo cum damno suo se controversiis cum Rege Regnoque absolveret, id evenisse penitus gaudeo, nobisque omnibus gratulor ac faustis prosequor ominibus consilium prudentissimum, si quidem pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum. Maneat, precor, Dantisco diu ista tranquillitas, & alienorum motuum spectatores sint potiùs quàm spectaculum de suo præbeant. Danorum cum Batavis certamina Nobilitas Vestra jam intellexerit eousque progressa, ut navigationem (quam Danus onerare vult, præcluserint Batavi: qua de re quid judicet Suedia brevi sciam, etiam qui in Polonia de ea sermones sint aveo cognoscere. Abiit hinc Princeps Casimirus, bene exceptus. Sed vereor, ne aura Brabantica omnem eam memoriam difflet. Nunc hospes Regis est Princeps Elector Palatinus. Habetur magnificè. Vtinam & res ipsæ his per se inanibus respondeant. Nos certè laborabimus, ut & huic & aliis Germanis Principibus sua constent jura. Armorum magni paratus sunt in Italia, in Alsatia, trans Rhenum, in Picardia, in Batavis. Annus hic planè nobis aut æquam pacem, aut longum bellum parturiet. Deus ista ad bonum Christiani orbis gubernet, ac Nobilitati Vestræ ejusque amicis favens adsit. Lutetiæ 7 Aprilis 1640. 1346

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine;

VIdi Serenissimum Principem Electorem bene valentem. Exceptus est à Rege benignè, pransus cum eo. Salutavit Reginam, salutavit Delphinum. Cardinalis suis moribus usus est, sed multa ei benignè promisit. Neque ego melius habui quod ei darem consilium, quàm ut amicos sibi faceret aut servaret & Cardinalem hic, & in Anglia Archiepiscopum, & ut Regina Bohemiæ omni modò in Anglia laboret ut aliquid jam fiat pro D. Electore, quando illud impedimentum, ob quod se excusavit Anglia, nunc sic satis amotum est. Si procedit Parlamentum, de quo sunt adhuc qui dubitant, maximæ partis desideria pro nobis erunt. Si Anglia tam propinquum Principem deserit, superest ut videamus quid pro eo facere velit Gallia. Anglorum cum Scotis sanari discordias, ita demum nostra interest, si Anglia nobiscum sociale fedus facit. Alioqui Veladæ adventus cum multis pecuniis ad largitiones faciendas, de nuptiis sermones, Dani cum Anglia conjunctio, à Batavis alienior animus, simul Polonus Imperatori haud dubiè favens, multum mali dare possent, Batavis præsertim, qui vereor ut diu sustinere possint ea quæ fecerunt Edicta, quibus navigationem ad mare Balthicum & Norwegiæ portus prohibent. Vnde enim ipsis frumenti quanta egent copia? Vnde vivet tanta multitudo ex istic commerciis ali solita? Spargunt hic Batavi se à Suedis ad fedus ambiri. Idem haud dubiè spargent & alibi. De Legatione consilii per tempus aliquod tractum iri, non conjicio tantùm, sed & ex amicis disco. Hæc omnia me eò ducunt, ut credam terriculamenta hæc esse, quibus sperent moveri ad æquio-

æquiora posse Danum. Vt autem Batavi adversùs Imperatorem nobiscum in fedus coëant, sperare nequeo. Pecuniæ aliquid dare possunt, ut in bello maneamus: sed ea pecunia non tanta est, ut multum momenti ad tam gravem deliberationem adferre possit, quamdiu de ipso cum Gallia federe prorogando aut patiendo ut id emoriatur, incerta pendent consilia. Fortè Batavi ad exemplum Venetorum & Dantiscanorum impendentia mala rediment. Sæpe enim jactu servanda navis est. Venetis avaritia sua nocuit. Quia enim sperabant brevi moriturum Sultanum, ideo & Legationem & dona promissa mittere distulerunt. Ejus moræ nunc pœnas pendent. Ad illas verò Batavorum cum Danis componendas controversias quis satis aptus sit non video. Gallo non optimè vult Danus, idque illæ nuper ejus literæ satis ostendunt. Anglum hoc tempore sibi non amicum, libertati autem maris minimè faventem, non amant Batavi. Inter Suedos & Danos perpetuæ simultates & suspecta vicinitas. Supersunt Ansiaticæ civitates, si tamen eas, ut nonnihil commune cum Batavis habentes, non formidat Danus. Norimbergensis, ut video, Conventus ea sunt vota quibus uti possimus. De Landgravia quin resumtura sit arma hic quidem non dubitatur. Putem è re esse ut & ipsa ad Norimbergensem mittat Conventum. Baro Rortreius satis multa mecum locutus est. Strenuè laborabit ad producendum fedus. Nos mandata opperiemur & de Bannerio bonos nuntios. Augetur Longavillani exercitus & missæ sunt Francofurtum pro ipso cambii literæ. Muniuntur Brisacum & Rynfeldium diligenter. De induciis universalibus multi sunt sermones in Aula: sed ego eas sperare nondum audeo. In Italia autem induciæ è re futuræ essent Gallorum, multo validiore illis in locis hoste. Habere enim in aperto scribitur Leganesius XXII millia peditum, V millia equitum. Præterea in Tiroli ex iis qui ibi conscripti sunt, ex Germanis Gildehasii, ex Rhætis & Helvetiis brevi futura XV millia, qui in Italiam an in Alsatiam ituri sint adhuc latet. Stella Friburgi nunc est. Sultanum Adrianopolim ivisse omnes literæ affirmant. Aliquo igitur irruet: & utinam ne in Moscoviam. Comes Falcosteinius & Volcmerus Iurisconsultus, & à Claudia alius, multùm instant apud Helvetios, ut iter per Turgaviam Badensemque agrum ipsis pateat, ut commodo pretio habeant alimenta, & ut militem illis in locis scribere ipsis liceat: Pontificii favent his postulatis, Protestantes autem eam ineunt viam quam nullam dixit Livius, quæ nec amicos parat, nec inimicos tollit. Legatus Anglicus Comes Licestrius, ex quo in libertate est Princeps Elector, neque Regi gratias egit, neque Ministrorum Regis quenquam vidit. Apparet aliquid esse in hoc negotio quod Angliam offendat. Mazarinum Cardinalis jussit ire Coloniam, datis ei ad iter L millibus scutatorum. De Bacheracho, de Bingio, & illorum locorum rebus aliis nihil scribo. Soletis enim recentiores habere nuntios quàm qui hinc mittantur. Bavari verò in Franconia nihil agunt. Veneti vulgant mortem Sultani successore Ebraimo segni homine. At alii hydropicum esse Sultanum aiunt. Spinola repetit loca in Ruscinonensi Comitatu, timeturque Baionæ. It in eas partes Princeps Condæus. In Italia ab hoste Chivasium obsideri, Taurinorum autem arx cuniculis oppugnari dicitur. Villaregius it in Comitatum Burgundiæ cum octo, ut fama est, millibus. At Millereius habiturus dicitur millia equitum octo, peditum XXIV, equorum helciariorum duo: machinas viginti majores, minores triginta. Manent III millia ad custodiam Normanniæ contra vim internam & externam. Severè inquiritur in nummi adulteratores. Archiepiscopus Burdegalensis Provinciæ & classi in mari interno præest. Deum rogo Excellentiæ Vestræ det bonam valetudinem in rebus prosperis. Lutetiæ 7 Aprilis 1640.

Excell. Vestræ perpetuò observantia devinctissimus H. G.

CHRISTINÆ,
Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

EGi Regi gratias, quod in causa Principis Electoris grata habuerit Augustæ Majestatis Tuæ desideria. 1348
Præterea & ipsi & Reginæ significavi gratissimum fore Majestati Tuæ nuntium de spe nobis divinitus data prolis alterius, cum votis felicis partus Galliæ atque ejus federatorum bono. Commendavi etiam Regi curam pro implenda ultima voluntate Ducis Bernhardi, cujus rei causa nobilem quemdam huc misit Dux Wilhelmus familiæ istius caput. Tenui me intra verba generalia. Nam cùm defunctus Dux executionem testamenti sui non minùs Majestati Tuæ, quàm Regi Christianissimo mandaverit, & ipse Dux Wilhelmus, ut intelligo, ea de re Majestati Tuæ scripserit, mandata specialia Majestatis Tuæ opperiar, & ea exsequar ea fide quam Majestati Tuæ debeo. Et Rex autem & Regina rectè valent, seque Majestatis Tuæ esse quàm studiosissimos significari voluere. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima faveat, semper Augustæ Majestati Tuæ. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1640.

Venit me resalutatum Princeps Elector, qui se quantum potest favori ac benevolentiæ Majestatis Tuæ commendat.

Augustæ Majestatis Tuæ obedientissimus subditus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRinceps Elector non in libertate tantùm est, sed & in gratia apud Regem & Regios Ministros. Ita omnes 1349
sibi devincit sua comitate, minimè morosus in ritualibus, eoque plus obtinens. Itaque & D. Chavigniacus ei Electoris nomen dare incipit. Ego Regi gratias egi pro ejus Principis libertate, quod non fecit Angliæ Legatus. Tum verò suasi Principi, ut, secundum Reges, amicos sibi faciat in Suedia Cancellarium, in Gallia Cardinalem, in Anglia Archiepiscopum. Vias autem ad meliorem fortunam ei ostendi duas: nempe, ut Rex Angliæ societatem cum Suedia Galliaque faciat: & stipuletur, ne pax fiat nisi ipso restituto, aut, si id obtineri non potest (videbatur enim id vix sperare, & Comes Licestrius negat tanti fore Britanniæ Regi sanguinis vinculum, ut ob id bello se implicari patiatur) tum Rex Angliæ pecunias ei det, unde exercitum faciat, captisque oppidis sibi pacem aliquando æquam paret. Sperare me, si id fiat, collaturam ad vires ejus aliquid & Galliam: quam rem ubi tempus erit, seriò commendabo & Regi & ejus Ministris. Significavi quoque Electori, quod ex ipso Rege didiceram, consummatum planè cum Landgravia Regi fedus. Cùm verò etiam Longavillani in supplementum mittantur sex millia, spero in Germania rem bene gestum iri: & poterit forte Bannerius de magnis, quas secum habet copiis, partem eodem mittere. *Bingam & Baccherachum derelicta ab hoste jam rumor ad vos pertulerit. Bavarus sibi metuens Mercium ad se vocat. Dicuntur tamen ejus homines cum Gallicis collocuti.* Constantia præsidium abnuit. *Brisacum sex naves frumento onustæ intravere. Helvetii in Badensi Conventu nihil Cæsarianis aliud quàm alimenta pro pretio concessere.* Eum qui à fratribus Sabaudis missus erat non habuere pro Legato. *De cæteris tempus ad deliberandum sumpsere. Terrentur interim portentis, discordias internas & bellum grave significantibus.* Nam & in Tigurino agro natus est infans biceps, quadrimanus, qua-

quadrupes, & in Bernensi intra terræ viscera apparuit caro sanguinem stillans. Planè cum Excellentia Vestra sentio, non debere hinc discedere Principem Electorem, nisi aliquibus pactis cum Gallia factis, & ita futurum spero: quanquam de Anglia quid dicam nescio: multa cum dolore intelligo. Inter cætera deprehensam in Scotia conjurationem contra federis novi Principes. Quod si est, habebimus acerba supplicia & novas inde animorum exulcerationes. Ex ingenio quoque hominum quos ad Parlamentum mitti audio, metuo turbas. Rogandus est Deus, ut hos fluctus componat: nos quod nostri est officii faciamus. Optima consilia & labores Excellentiæ Vestræ pro re Palatina & commemoravi Principi Electori, & commemorare non desinam. Omnia quæ de ea re habet epistola Excellentiæ Vestræ novissima, planè probo, gratiasque pro utilissimis significationibus habeo. Rex in sermone ostendebat gaudere se quod inter Marescallum Bannerium & hostes ad aleam prælii res non venisset. Dixi ego Bannerium non fortitudine tantùm, sed & prudentia valere; neque ullam nobis fuisse necessitatem uno jactu summam periclitandi. Victorem eum fore qui diutius habuerit, quod edat. Scriptum illud Bavaricum contra Palatinum non vidi: sed particulæ quædam ejus mihi ostensæ sunt. Stella nondum huc rediit. Friburgi esse dicitur. Velim ego cum Patre Iosepho, qui ejus commenti repertor fuit, intermortuam spem inanem, aliquid boni in Germania efficiendi per Bavarum. De Sultani morte adhuc incerti sumus. Cæterùm Tartari irrupisse in Podoliam dicuntur, cum strage aliqua Polonorum. Egregius Millereii exercitus ad Suessionem & Noviodunum coit. Alterum minorem habebit Guichius, quem tamen cum isto, si opus est, conjungat. Alium ducet Castilionæus, cum quo erit equitatus Regis externus. Villaregius in Comitatum Burgundiæ intrabit. Princeps autem Condæus it in partes circa Baionam, cui propinqua loca insidet Hispanorum exercitus, mari advectus, non spernendus. In Italia validior haud dubiè est Hispanus. Habet in aperto XII millia & jam ad Casale eredo pervenisset, nisi exundantes aquæ iter ipsi abstulissent. Agitur inter Viduam Sabaudicam & fratres Sabaudos de compositione aliqua, non sine spe conficiendi negotii. Videntur ubique jacta semina magnarum rerum, quæ procedente anno sunt erupturæ. In arcem Mansfeldiæ ab Erfordiensibus præsidiariis invectos commeatus intelligimus. Anglos autem à barbaris dejectos ex insula Americæ objacente, cui nomen novæ Angliæ. Dux Carolus ad Mosellam militem scribit, Castellionæus ad Noviodunum suos contrahit. Hispani dicuntur in Belgicis partibus quatuor habituri exercitus, simul ad XL millia peditum, equitum decem. Omnia Deus in bonum vertat Vniversitatis Christianæ, idemque Excellentiam Vestram & ejus consilia secundet. Lutetiæ 14 Aprilis 1640.

Excell. Vestra observantia perpetua obstrictus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1350 SVblimitas Tua sicut semper maximam mei curam, non pro meis meritis, sed pro necessitate oneris quod sustineo habuit, jampridem imperaverat D. Spiringio, ut mihi non tantùm pecuniam debitam solveret, sed etiam prærogaret eam quæ post semestre tempus mihi deberi cœptura esset. Verùm D. Spiringius, ubi pecunia aderat, negans mandato se instructum, ubi de mandatis nobis constabat, pecuniam deesse dicens, perpauxillum mihi dedit, & quod ad dignitatem sustinendam munusque animo tranquillo obeundum minimè sufficeret: quæ res maximis me affecit incommodis, & uxori meæ longæ peregrinationis & perpetuæ interpellationis laborem imposuit, pro quo tamen nihil aliud quàm moras in tempus indefinitum rejectas retulit. Cùm verò Rex Christianissimus, postquam multa ejus beneficia mihi oblata comiter recusaveram, beneficium in me conferre voluit, neque ipsi, neque Suediæ grave, nempe ut quod de salariis & impendiis mihi debetur more Legatorum, qui antehac in hac Aula vixerunt, de auxiliari pecunia hinc eunte deducerem, superbum ac morosum putavi id rejicere. Quare in præsens sexdecim Thalerorum Imperialium millia quæ mihi debentur, & de quibus D. Spiringio rationem reddam, de pecunia, cujus dies Maio mense cedit, in usus meos necessarios retinui, eò justius, quod sine eo imparem me sentiebam sustinendis hic sumptibus quos hæc dignitas exigit. Quin Sublimitas Tua consilium hoc meum, de quo sæpissime ad Sublimitatem Tuam scripsi probatura sit, planè non dubito: eritque hæc causa, cur Regni rebus animo defæcatiore posthac inserviam. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, vitam, valetudinem ac felices consiliorum successus det Sublimitati Tuæ. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Aprilis 1640.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

PRincipi Electori dixi duas esse vias, per quas ipsi consuli possit: si nobiscum in belli societatem veniat Rex Angliæ, promittant verò & Suedia & Gallia se pacem nisi ipso restituto non facturos: aut si tantam pecuniam ipsi det Angliæ Rex, unde exercitum bonum sibi comparare & captis urbibus ipse sibi bonam pacem facere possit. Prius illud vix sperare audet. In posterius laborabit, habens hominem in Anglia qui id agat. Quod si vel hoc obtinet, Gallia, ut puto & ipsa non deerit adjuvando Principi, qui sua comitate omnibus hic se facit amabilem. Verùm de Anglicis rebus ego quid judicare debeam, nescio. Scoti acrius accensi dicuntur deprehensa conjuratione adversùs novi federis Principes. Ad Parlamentum venient ex tertio ordine homines popula-res magis quàm Regii aut Episcopales: multis eorum suspectæ erunt geminæ quæ cum Hispano cudi dicuntur nuptiæ. Batavi conjunctionem illam Regis Angliæ cum Dano timent: Gallia quoque non omnino ab ea parte secura est. Quid mihi faciendum sit in negotio Ducum Vinariensium, mandata exspectabo. In Batavis bini futuri videntur exercitus, quorum alterum augebit miles ille quem illis in regionibus novum Rex conscripsit. Ad Longavillanum mitti dicuntur hinc sex millia. Plurimum autem ejus res promovebit fedus illud cum Landgravia quod omni ex parte consummatum, Rex ipse mihi significavit, & post Regem is qui Landgraviæ res hic curat, præterea aliorum ex Hollandia literæ. Ad Baionam mari venisse exercitum Hispanicum, certum est. Proficiscitur eò Princeps Condæus ut limitem defendat. In Italia, ut intellexi ex viro nobili quem huc misit Vidua Sabaudica, Leganesius ferme XII millia in aperto habet. Galli istis pares non sunt, supplementa exspectant. Chivasio periclitanti subvenit omnium exundatio. Planè iter Casale versùs quærunt Hispani. In Comitatum Burgundiæ incurret Villaregius: Castilionæum exercitum habebit in quo erit externus equitatus, paucis demtis. Modicum etiam exercitum habebit Comes Guichius quem, si opus sit, cum magno exercitu qui Millereio datur, possit conjungere. Helvetii Cæsarianis nihil aliud quàm alimenta pro pretio concessere. Missum à Principibus Sabaudis pro Legato non habuere. De cæteris rebus deliberatio à Conventu ad civitates relata est. Pontifex contumax adversùm Reges manet hactenus. De morte Sultani nihil habemus certi. Incipiunt Galli Principem Palatinum interdum appellare Electorem, quan- 1351

quanquam à Rege missi quidam nuper cum Bavaricis collocuti dicuntur. Piccolominæus Princeps Melphitanus factus ab Hispano est, fratre ejus Archiepiscopatum Senensem obtinente beneficio Imperatoris. Comes Licestrius nullas Regi egit gratias pro Palatini libertate. Videtur id quod actum est Angliæ displicere. Ait autem idem Comes nullam cognationem Regi Britanniæ tanti fore, ut ob eam pacem exuat. Nobilis ille Sabaudus, de quo dixi modò, affirmavit mihi spem esse controversias, quæ sunt inter Viduam Sabaudicam & inter Principes Ducis patruos posse componi. Millereii copiæ sunt apud Suessionem & Noviodunum coëunt, Bingam periculo exemit Guebrianus. A Baccheracho discessisse Hispanos audimus. Bavarus Mercium ad se vocavit. Sex naves plenæ commeatibus Brisacum advenere. Constantia urbs præsidium abnuere dicitur. Rhotomagi vetus arx reparatur, & porta fit nova per quam miles Regius in urbem immitti semper possit. Longavillanus Francofurtum misit paratumque se ostendit reddere eas merces, quas Colonia Francofurtum venientes Vinarienses milites in itinere diripuerant. Ver procedens plura scribendi materiam nobis suggeret. Interim Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Sublimitatem Tuam diu incolumem florentemque præstet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Aprilis anni 1640.

Scribunt alii Hispanum in Italia habere XII millia peditum, sex equitum. Audimus à militibus qui Erfurdiæ sunt, invectos commeatus in arcem Mansfeldiam. Angli vi barbarorum expulsi sunt insula quadam Americæ objacente, cui nomen nova Anglia. Cardinalis Hispanus Principem Casimirum sibi dextrum locavit. Castilionæus ad Catalaunum suum militem contrahit. Bressæus classi in Oceano præerit. De Landgravia dubitari video sitne suo nomine reditura in bellum, an suum militem commodatura Longavillano. Dux Carolus ad Mosellam scribit militem. Windebanckius in Angliam abiit. Ossenvillum Rex Vicarium Præfectum fecit Brisaci vicinorumque oppidorum, inconsulto & ægrè id ferente Erlachio. Hispani in Belgicis partibus dicuntur habituri quatuor exercitus, qui omnes faciant quadraginta peditum, decem equitum millia, quarto mensis hujus ex novo Calendario magnus fuit terræ motus in omnibus ad Mosam locis.

Sublimitatis Tuæ cultor devotissimus H.G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ.

Illustris Domine,

1352 LÆtus cognovi ex D. Israëlis literis, salvos in Angliam vos advenisse. Quod duas literarum studiis dicatas urbes vidistis unicè probo. Aula quoque non indigna est, quæ diligenter inspiciatur, hoc præsertim tempore, quo ejus Aulæ consilia multum momenti ad res Europæ adferre possunt: merentur autem aliquanti temporis moram spectacula duo satis rara, Parlamentum, qualis Conventus pridem habitus non est, & Legatio Hispana, solito splendidior, quæ quorsum sit casura multum refert, tum aliorum, tum maximè Domus Palatinæ cujus Princeps hic libertatem consecutus est, Regina Suediæ feliciter adlaborante. Vt majora consequatur, potissimùm in Angliæ est manu: quæ si, ut poscit æquitas, in causa tam propinqui Principis exemplum vult præbere cæteris, non stabit penes Suediam aut Galliam, quò minùs melior fiat fortuna diu afflictæ Domus. Quæcunque autem de illis rebus ad notitiam Vestram pervenerint, de iis edoceri pro magno beneficio ducam, neque omittam vicem rependere, si quid sit dignum, quod hinc nuntietur. Non desumus hic faustis precibus ominibusque pro Excellentissimis & Illustrissimis Proceribus ex Domo Oxensternia eorumque sobole, adhibitis interdum & poculis, pro veteri Gotthorum more. Monumenta aliqua ad res Gothicas spectantia, tum ex Languedocia, tum ex Provincia (in utraque enim Gotthi regnavere exspecto: maneoque, Illustris Domine. Lutetiæ 17 Aprilis 1640.

Virum eximiæ eruditionis ac comitatis D. Patricium Iunium si videritis, velim pro multis in me officiis ei gratias agi, certumque eum reddi me vicissim in omnibus quæ ei grata sunt laboraturum.

Omni Gotthico nomini præsertim Illustr. Tuæ addictiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

EXercitus ubique parantur, ut novi nobis aliquid parturiant. Vidi librum illum nuper à Parlamento damnatum, nunc & Episcopali notatum censura, qui nomen præfert optati Galli. Accusatur ibi Cardinalis velut schisma moliens contra Sedem Romanam, cujus ipse caput sit futurus sub Patriarchæ titulo. Argumento afferuntur liber editus qui libertates Ecclesiæ Gallicanæ continet, leges Regis super rebus nuptialibus, exactio pecuniarum ab Episcopis, dissidia Politica cum Pontifice. Multa sunt in eo libro virulenta non contra Cardinalem tantùm, sed & contra Cancellarium Franciæ & Bulionium, haud dubiè ad tentandos vulgi animos. Itaque diligenter & meritò impeditur ejus lectio. Nuntio Pontificio nuper, cùm in Ecclesiam venisset hujus urbis Cathedralem, tria acciderunt ingrata: nam & de sede Episcopali quam occupaverat dejectus, & fratre Regio forte eodem ingresso ablatus ei pulvillus, neque facta apud eum suffitia, Episcoporum nemo eum accedit. Galli quæ cum Electore agunt cœlare nos videntur. In instrumento cui subscripsit in carcere, quo profitetur sibi in animo non fuisse ducem se facere exercitus Vinariensis invito Rege non passi sunt adjici, ac federatorum. Ostendi ego Comiti Licestrio, scripsi quoque ea de re in Angliam & ad Reginam Bohemiæ, si Rex Angliæ velit se nobis adjungere, jam brevi pacem nos habituros bonam: ipsi multum obventurum gloriæ nullo aut levi sumptu. Comes Licestrius interdum sic loquitur (variat enim sermonem) quasi spes aliqua ejus rei esset, si prius convenirct de belli proposito, quod putabat esse debere restitutionem vi dejectorum. Sed Pomeraniam ut domino destitutam relinquendam Regno Suediæ: posse enim id fieri neque iniquè, si modò maneret Pomerania feudum Imperii, neque inutiliter, cùm Protestantes in Conventibus publicis per id habituri sint auxilium validæ sententiæ, & si quæ pace convenient ab Imperatore non præstentur, paratos ultores: à quibus metus, ingens futurum sit pacis firmamentum. Leganesius Casale obsidet, capto ut dicitur Rusciniano. Galli ea re non multum moventur; nam & Mantuanum, cujus est id oppidum, sciunt à suis rebus aversum, & Italorum Principum magis interesse, ne in illis partibus nimium invalescat Hispanus quàm Galliæ, cui satis est claustra tenere Alpium, facile oppida alia interius sita sibi capturæ ubi res digna fuerit magno exercitu, & paratæ societates. Arx Taurinorum adhuc servatur præsidio militum *bis mille*. Harcurtius ad Chivasium esse dicitur & *opperiri supplementa*. Exspectat novum militem & Longavillanus, cujus res multum invalescent ex societate Hassica. A Lunenburgico & Infraxonicis si obtineri poterit, ne tributis aut itinere Cæsarianos juvent, Germania prope omnis in possessione nostra sociorumque erit. Franconia & Bavarus Bannerium timent. Nassavius & arcem Masfeldiam exemisse periculo & Gildehasii quasdam copias disjecisse dicitur; Bingenhemium à Longavillano captum. Favebunt nobis & motus nondum deferventes Leodiensium contra Coloniensem Episcopum. Ossenvillius Brisacum 1353

sacum it habitatum, quem sibi velut observatorem addi dolebit Erlachius. De Sultano & rebus Turcicis incerti adhuc hæremus. Magni est momenti Batavorum cum Danis controversia; sed video trahi de industria consultationes super Legatione in Suediam: & Princeps Arausionensis quærit vias transactionis, per quas & Danum sibi obliget, & Batavos, quos non nimis divites esse ipse sua putat referre, aliquid injungat sumptuum. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ det prospera omnia, in quo voto etiam Suediæ salus comprehenditur. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Aprilis 1640.

Dux Anguiani Principis Condæi maximus natu filius permissu Cardinalis procatur filiam Bressæi. Desiderat verò Princeps Condæus, ut & filia sua filio Bressæi nubat, in quo cunctatur Cardinalis. Chaunius & Castilionæus exercitui eidem qui nunc ad Ambianum coit præerunt alternis diebus. Millereius qui maximum exercitum ad Feram & Noviodunum contrahit septem sub se habebit Principes, inter eos & Ducem quem dixi Anguianum. Alius Guichii exercitus ad Retelam in Campania convenit. Mazarinus Coloniam abit. Hostes ad Casale sunt vicies mille. Harcurtius ejus numeri ferme dimidium habet. Et Rex & Cardinalis mense Maio ibunt ad limitem. Villaregius in Comitatu copias habebit. Halerius ad Bingam it cum quinque millibus. Dicitur Duci Anguiano dari Præfecturam Languedociæ, Schombergio, qui eam nunc obit, in Aula refrigerato. Nothaftus qui nomine Imperatoris Argentorati est, laborat ut Durlachium & Badensem ad partes Cæsaris pertrahat. Tanta fuit vis ejus terræ motus qui evenit ante Pascha, ut & Vallum terrenum Theodonisvillæ & muri Lutzenburgi disjecti sint. Hatzfeldius ad Visurgim ducere dicitur xx hominum millia.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1354 NOnnihil est, ut rectè notat Vestra Excellentia, quod Elector & periculo deterioris valetudinis, quæ plerumque carcerem comitari solet exemtus est, & ipsi negotiis suis vacare & multorum consilia intelligere, libereque in omnes terrarum oras scribere potest. Restat ut pro eo in meliorem fortunam restituendo laboremus omnes. Si Rex Angliæ precibus sororis & civium suorum, qui jam in Parlamentum coiere, permotus velit se nobis adjungere, non est quod longa belli impendia metuat. Brevi pacem habebimus, qualem optare liceat, cum magno Palatinæ Domus bono. It in Angliam Dux Chevreusius tum ut uxorem, si potest, inde abducat, tum ut tentet si quid in Anglia boni fieri potest. Sed Galli & quæ cum Electore in carcere egerunt, & quæ in Anglia agere volunt, mirè nos celant. Vidi librum à Scotis editum sub titulo, Brevis & fidelis narratio motuum in Regno & Ecclesia Scotica. Ea est verborum rerumque asperitas, ut vix videantur posse hæ turbæ ad quietem reduci. Orandus Deus ut quamprimùm ista serenet. Videbimus quid Baro Rorteius impetraturus sit in Suedia de productione federis. Landgraviæ reditus ad arma favebit ipsius laboribus. Id negotium si confectum esset, jam faciliùs prospicere possit Elector Palatinus quid sibi facto sit opus. Incipiunt Regii Ministri interdum hunc Principem honestare Electoris vocabulo. De arcanis tamen Gallorum cum Bavaro pactionibus video manere suspiciunculas, quanquam quid inde boni Galliæ possit accidere neque intellexi antehac, neque nunc etiam intelligo. De Bannerio spero nos meliora audituros, quàm quæ rumores quidam non satis læti attulerant. Si Misniam & inde Franconiam petunt ejus arma, non erit sine metu Bavarus: fortè nec Longavillanus planè securus, quod Vinariensem militem multis rebus offensum norit ad Suedos & Germanos propensiorem. Sed hoc quoque prudentiæ erit Bannerii cavere, ne quæ inter socios offensiones nascantur. Nihil autem nociturum puto rebus communibus, quod Galliæ per beneficia nonnihil devinctus est Melander. In retinenda Helvetiorum amicitia non pigrescunt Galli: & apparet valere ibi ipsorum auctoritatem, cùm effecerint ne pro Legato agnosceretur is quem Sabaudi duo Principes miserant. At Rhætos partim oderunt Galli ob ea quæ inter ipsos evenerunt parùm socialia, partim eos non curant, quod iter ad Italiam, qua de causa Rhæti maximè ambiebantur, aliud sibi repererint. Protestantium ex Valle Telina satis misera est conditio. Tirolenses delectus non tantos esse, quanti dicebantur, & nos intelligimus. Non posse mercatores & nautas Batavos, quorum ingens multitudo vivit ex maris Balthici commerciis inde abstineri per multum tempus, pro certo habeo: & cum de Legatione in Suediam trahatur consultatio, eò mecipit conjectura, ut credam Principem Arausionensem transactionem cudere non sine aliquo sumtu Batavorum. Terræ motus iste etiam in Galliæ ad Mosam partibus perceptus est. Ingentem fuisse oportet viscerum terræ concussionem quæ & palustria loca tremefecerit, & per tanta terrarum se diffuderit spatia. Omnia quæ audimus ostenta bellum grave videntur significare. Signa etiam πολιτικὰ prudenter notata Excellentiæ Vestræ eodem vergunt. Nam & minùs movebitur Germanorum Principum malis Imperator quàm si ipse ea in Bohemia vicinisque locis sensisset, & Hungariæ Austriæque minùs timebit, si, ut fert fama, Sultanus vehemens & actuosus cum inerti commutatus est. Bysterfeldii postulationibus ante eventum vix credam. Casale obsidetur magno Hispanorum exercitu: nec Gallis grave id damnum erit, pridem Mantuanæ diffidentibus, & alia tenentibus ad Alpes loca quæ servari magis ipsorum interest, cùm in Casali plus periculi aditura sit libertas Italiæ, quàm res Gallicæ. Contra Belgas exercitus strenuè parantur. Falsi Optati liber qui censura Episcoporum, quam mitto, inustus est, Cardinalem traducit, ut per Patriarchatum Galliæ viam struentem schismati. Ejus rei argumenta quæ adfert, legi enim, sunt opido futilia: quod 13
contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ edita sint acta, quod pecunias ab Episcopis nimiùm sanè opulentis Rex exigat, quod de matrimoniis leges ferat, quod graviter exaggerentur ea quæ Pontifex, non ut Pontifex, sed ut summus in suo territorio Princeps fecit. Nothaftus qui pro Imperatore Argentinæ est, laborat ut Marchiones Badensem & Durlacensem ad partes Cæsarianas pertrahat. Terræmotus ille mœnia Lutzenburgi & Theodonisvillæ rùpit. Hatsfeldius ad Visurgim ducere dicitur xx hominum millia. Deus misereatur Orbis Christiani, idemque Excellentiæ Vestræ semper sit favens atque propitius. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Aprilis 1640.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

QVod optasse maximè Nob. Vestram cognosco ex literis datis 29 Martii implevit jam Divina bonitas, ita ut liceat Nobilitati Vestræ preces suas in gratiarum actiones ad Deum vertere. Nam & Princeps Casimirus, post restitutam libertatem magnos hic honores accepit, & nunc, ut audio, in Brabantia agit, Regem hic expertus facilem, qui cùm multa disputare posset de sponsione huc allata, fidem habuit & Principi & Legato futurum, ut proximo Poloniæ Conventu res ista poneretur extra omnem controversiam. Et Princeps Elector exemptus est carceri sola hac obligatione, ne Regno excedat nisi de Regis consensu, gratiamque

que in hac Aula habet, & de rebus suis spem concipit optimam, si velit & Anglia, si ea nolit aut cunctetur tamen bonam: quam ad rem valuisse Reginæ nostræ desideria multùm gaudeo: quicquid autem meæ est facultatis quod sanè præter auctoritatem, quam mihi dedit Regina, perexiguum est, ei non defuisse, mihi sum conscius. Tartaros, malos hospites, à vobis recessisse gaudeo: Sultanum Achmetem esse mortuum, successisse autem illi fratrem Ebrahimum, ultimum Ottomanniæ stirpis, infirmo corpore affirmant Veneti. Sed meminisse debent Poloni, sæpe eos qui principatum adipiscuntur animos majores ex Imperio sumere: sæpe etiam tales esse Principes quales ii sunt quòrum utuntur consiliis. Olim cùm Selimo successisset Solimannus, creditus quieti ingenii, valde decepit Christianos sua spes, qui sibi otium ex ea mutatione pollicebantur. Nam is longè præter ea quæ de eo exspectabantur, acrem se gessit, Rhodumque & magnam Hungariæ partem eripuit Christianis, ipsamque Viennam in periculum adduxit. Quare excitandi sunt vestrates, ne quid securitate peccent. Spero aliquando Deum nobis omnibus Christianis pacem daturum, ut ab his liberati de constituenda meliore in posterum Christianorum concordia & reprimendis imperiis Christianismo contrariis, seriò cogitemus. Quæ Daniæ Rex molitur, quibus modis contra eunt Batavi, partim legi, partim audivi. Res sunt difficiles extricatu. Sed & vestra Civitas & Veneti exemplum dederunt, quomodo sæpe magna damna minore redimantur. Deus vestræ inclytæ Civitati Vestræque Nobilitati semper faveat. Lutetiæ 26 Aprilis 1640.

Veneti ad sui tutelam militem habent ad VIII peditum, II equitum millia. Casale non longè ab ipsorum finibus ab Hispano obsidetur. Dubitant Galli an digna res sit prælio. Interim ad Belgicum finem tres parantur exercitus.

Nobil. Vestræ studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

356 Recreata est hæc Aula melioribus de D. Bannerio nuntiis, quos statim ubique cognitos feci. De Casali varia judicia. Potest diu adhuc defendi locus. Sed & magno erit exercitu opus, & adeundum prælii periculum, si prohiberi placet ne is locus tandem in Hispani veniat potestatem. Mantuana Princeps Austriacis dedita, non ea est cujus causa labor iste atque impendia suscipi debeant. Pontificis, Venetorum, Italiæ interest, ne loco munitissimo potiatur Hispanus jam nunc validior in Italia quàm illorum securitas ferat. Sed ipsi stertunt, nec Gallus multa cantans ex somno eos excitare potuit. Vna est res quæ Regem perducere posset ad liberandum quovis modo Casale, si Vidua Sabaudica Ducem puerum velit transmittere in Galliam, ac præterea Regi tradere Mommeliani arcem totius Sabaudiæ firmissimam. Abbas Mandesius qui huc à Vidua missus fuerat, redit cum istis mandatis, quæ si benignis animis accepturа sit Princeps Vidua ac Proceres Sabaudi, mirabor. Helvetiorum pagi quidam Pontificii jam pro Legato agnoscere cœperunt eum quem fratres Sabaudi miserant. Pontifex, pro Cardinalibus qui jam dudum exspectantur, duces militiæ facit terrestris ac navalis. Causa est metus à Turca, metus à Gallo, metus ab Hispano. Turcici Imperii planè potiri dicitur Ebrahimus, nullo Satraparum quicquam contra movente. Is autem qualis futurus sit Princeps incerta adhuc conjectatio, quando adepti Imperium alii in peius, alii in melius mutantur. Cum Gallo fervent adhuc & libellis inter se contrariis agitantur controversiæ Pontificis jurisdictionem sibi etiam in Legatos eorumque familias vindicantis, qua in disputatione omnium Regum jus vertitur. Hatsfeldius sub Melone imperaturus creditur exercitui hostium ad Rhenum. Vna equitum præfectura, duæ peditum millenariæ cohortes venere in ea loca quæ Hispanus ab Oenipontana apud Constantiam accepit. Ipsa verò Constantia tributa & præsidium recusat per pacta: munitiones autem novas ob federa cum Helvetiis, quæ id vetare dicuntur. Apud eosdem Helvetios sunt qui suadeant nova inter ipsos iniri vincula ad tutelam mutuam, sed utile consilium turbant factionum studia. In Rhætorum proximo Conventu ea quæ Oeniponte acta sunt haud dubiè probabuntur. Bavarus sibi timens ob adventantem Bannerium, omnem suum militem ad se revocat. Masfeldii arcem Nassavii virtute ereptam periculo audimus, depulsumque inde Gillium Hasium. Imperator Ratisbonæ exspectatur. In Regno Neapolitano galeones octoginta, galeræ non multò pauciores armis victuque & remige instruuntur. Hibernicum Parlamentum Anglico, quod nunc celebratur, exemplo liberalitatis præiit, duos milliones contra Scotos pollicendo. Quæ hic ab Electore Palatino cum Gallis acta sunt, ea in Anglia non probari, multis indiciis comperio. Ego quid in ejus Principis, quid in Ducum Vinariensium negotio facere debeam, mandata exspectabo: Deumque precabor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut in cunctis rebus belli pacisque Sublimitati Tuæ optima consilia, consiliis autem optimos eventus det. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Aprilis 1640.

Veneti ad sui tutelam habent octo ferme peditum, duo equitum millia. E Casalis arce eruptio quædam feliciter facta est. Sperantur hic duo milliones ex pœnis adulteratorum monetæ. Molæ ad parandam farinam & pontes portatiles mittuntur ad exercitum. Intelligimus Polonos revocasse Legatum, quem Constantinopolim miserant audita Sultani morte. Captæ à Pœnis in freto Britannico naves duæ, Gallica altera, altera Britannica, æstimato damno ad tres milliones. In Italiam missa ex arca Regis CCCCL millia Francorum, ex Cardinalis arca CC millia. Millereius ante decimum Maii obsidionem aliquam promittit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Qvæcunque hactenus scripsit Excellentia Vestra super Principis Electoris negotio, maximè verò quæ continentur epistola data 16 Aprilis, mirificè mihi probantur, tum ob constantem affectum erga diu afflictam Domum, tum ob prudentissimas cogitationes, quibus utar in tempore. Sed Galli, quantum videre possum, omnia sua clam nos agere volunt, idque eos facturos arbitror, donec certi sint de productione Suedici federis. Interim magis magisque comperio, non probari in Anglia quæ Elector cum Gallis egit, quæque acturum suspicantur. Ego in Suediam scripsi ut habeam in hoc negotio mandata, quæ sequar. Elector his diebus testis fuit ac sponsor in baptismo infantis, qui natus est Illustrissimo D. Comiti Licestrio. Particeps ejusdem sponsionis fuit virgo Rohania, quam Gallorum rumores conjugem Electori destinant, consortem sacrorum, egregiam forma & ingenio, divitiis verò maximis. Ab Hibernis duos milliones promissos in bellum Scoticum audio. Videamus an tanto plus datura sit Anglia, quanto est opulentior. Si illud negotium ex æquo & bono componeret Rex Angliæ, seque cum Suedis, Gallis & Landgravia conjungeret, tanta ad partes accessio brevi nobis pacem datura esset, qualem speramus. Sed Roi in Angliam revoca-

1357

vocatio, haud multùm mihi placet. Mazarinus jam jam iturus est Coloniam. Puto venturum eodem Davausium. Hamburgum mittetur hinc, ut arbitror, minor aliquis. Multùm perculerant hanc Aulam tristes de Bannerio nuntii. Eam ego recreavi veriora vulgans è literis Excellentiæ Vestræ atque aliorum. Bavarus illum timet. Itaque omnem ad se militem revocasse dicitur. Exspectabimus quotidie ab illis partibus læti aliquid: neque enim otiabuntur diu tantæ copiæ. Tirolenses dilectus lentè satis procedunt. Exercitui isti ad Rhenum, ut fama est, venturo, præerunt Melo & Hatsfeldius. Apparent ad Constantiam cohortes aliquæ & equitis nonnihil. At ipsa civitas neque contribuere ad bellum, neque præsidium accipere, neque munitiones novas pati promta est, defendens se pactis cum Domo Austriaca & cum Helvetiis. Interim Masfeldium arcem virtute Nassavii servatam gaudemus, depulso Gillio Hasio: speramusque majora ex fida consiliorum sociatione quæ est inter Landgraviam & Longavillanum. Si res bene curantur non erit tutus in Westfalia Walius. Danus contra territantes se Batavos pari arte grassatur, jactatque ad fretum orasque suas defendendas ingentia sibi adfore auxilia ab Anglis ac Dunquercanis. Video ita sentire rerum peritos, diu abstineri Batavicam plebem ab isto navigatu non posse. Suspicor Principem Arausionensem per clandestina colloquia viam quæsiturum transactioni. Quod & Galli optabunt, ne distractæ aliò Batavorum vires minùs adversùs Hispanum valeant. Millereius in Aulam rediit ut quæ deerant pararentur. Non longè ab eo erunt Castilionæus & Chaunius exercitum minorem alternis recturi imperiis. Alium, circa eundem finem, Guichius Comes habebit. Villaregius in Comitatum Burgundiæ irrumpit. Princeps Condæus it in partes Baionæ vicinas ut inde hostem arceat. In Italia magnæ hostium vires: Casale obsidetur. Mittuntur quædam supplementa Harcurtio. Sed ea ad depellendum hostem non sufficiunt. Dicitur parari ingens exercitus & classis, utrumque sub Imperio Archiepiscopi Burdegalensis. Sed Rex neque impendii, neque periculi tantum subire vult, nisi & Ducem puerum Sabaudum in Gallia habeat, & Monmillanum in sua potestate. Ea mandata, non sanè læta, hinc refert Abbas Mandius qui à Vidua missus huc fuerat, Sabaudica scilicet, quam hæc res ob vicinitatem tangit, ut & Italos plerosque mirum quàm in tanto periculo securos. Ipsa Mantuana, cujus est Casale, quin in arcano de permutatione aliqua cum Hispano egerit, non dubitatur. Pontifex duces creat terra marique: & in Regno Neapolitano parari dicuntur LXXX Galeones, Galeræ LXX, metu duplici, à Turca & Gallo. Controversiæ Romanæ cum Gallia libellos utraque ex parte pariunt. Videntur autem libellorum pro Pontifice scriptores Pontifici attribuere jurisdictionem in Legatos, quod nulli Regum placebit. Constantinopoli Ebrahimus sine æmulo Imperium tenere scribitur. Et dubitasse diu an è Domo prodiret, insidias metuens, donec conspecto Achmetis mortui corpore se Sultanum credidit, dixitque obiisse magnum Principem, sed magnum Tyrannum. Visirius omnium qui circa eum sunt captat gratias ut periculum fugiat. Quod inducias quàm pacem malunt Galli, haud miror. Multa enim tenent aliena. Dubito an non Suedis idem sit futurum utile, si Galli etiam per inducias dare velint auxiliares pecunias. Sed quomodo Hispanum, quomodo Imperatorem eò perducemus, nisi insigni armorum nostrorum felicitate? De Bavaro quæ cum multis aliis suspicatur Excellentia Vestra non dixerim inania esse. Solent sæpe Galli alii nutare, alii nictare. Νᾶφε ϗ μέμνασ' ἀπιστεῖν· νεῦρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Ex Casalis arce eruptum feliciter. Veneti suæ tutelæ consulunt, collectis octo millibus peditum, equitum duobus. Ad exercitum Millereii mittuntur molæ ad farinam faciendam & pontes portatiles. Inquiritur in monetæ adulteratores. Publicani pro mulctarum compendio offerunt milliones duos. Millereius obsidionem nobis aliquam promittit, ante Maii decimum. Preces meas ad Deum cum Excellentiæ Vestræ precibus jungo, ut pacem det bonam Christiano nomini, Excellentiæque Vestræ secunda omnia. Lutetiæ 28 Aprilis 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H.G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

Plurimum debeo Excellentiæ Vestræ quod me re- 1358
rum quæ in istis partibus geruntur ignarum non patitur. Multo cum gaudio discit hæc Aula res nostrorum prosperas, quales nunc sunt quæ sub imperio Marescalli Bannerii, Slangio & Coningsmarkio evenerunt. Non dubium est, quin Gallia quàm vehementissimè expetat productionem federis cum Suedia: eamque ob rem vel maximè in Suediam it Baro Rorteius, qui multos mecum de eo sermones habuit. Si Suediæ Rectores non vident se sub exitum ejus federis pacem posse nancisci bonam ipsis, bonam & rei communi Europæ, fortè prorogabunt fedus, additis novis quibusdam conditionibus. Inducias longas credo Galliæ non displicituras: multa enim tenent de hoste capta. Suedia etiam per inducias, si non quæ tenet omnia, at ea quæ maximè ipsi sunt necessaria, tenere posset, atque aliquid pecuniæ à Gallis pacisci ad alenda per inducias præsidia. Verùm cùm Lotharingiam, Alsatiamque respicio, & res Imperatoris Hispanique satis validas, vix est ut sperem quod Galli optant posse obtineri, nisi major nostrorum felicitas & à Turca metus infringant satis adhuc feroces hostium animos. Illustrissimus Dominus Camerarius quæ ab Excellentia Vestra accipit, mihi sedulò significat, quo nomine utrique plurimùm me obligatum profiteor. Deus Excellentiam Vestram diu servet incolumem. Lutetiæ 1640. Maii quinto.

Excell. Vestræ perpetuo obstrictus observantiæ nexu H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Principi Casimiro honores multos, nec parum libe- 1359
ralitatis ab Hispano Cardinali exhibita intelligimus. Nam & extra urbem Cardinalem Principi provectum obviam satis longè, &, cùm prope ventum esset ad spatium XL passuum, in pedes se demisisse & locum honoratiorem ubique dedisse illi, donasse præterea, supra carrucas & equos de quibus scripsi antehac, ad LX francorum millia, ita ut Gallica benignitas haud dubiè jam præ Hispanica Principi illi sordeat. Parantur quæ eant in Italiam hic octo ferme millia. Sed ubi ad Alpes ventum est, solet pars magna Gallorum diffluere metu cœli æstuantis & bellorum in illis locis gestorum infeliciter terrente memoria. Consilium autem Gallorum sitne ob Casale prælio certare, an alia aggredi ipsis propiora atque utiliora, dubitari potest. In fine Belgico obsidionem nobis aliquam egregiam intra paucos dies promittit Millereius. Omnes jam duces ab urbe abierunt. Rex ipse Cantilliaci est: inde iturus, ut creditur, Ambianum. Hiberni præter duos milliones quos in pecunia dederit Regi Magnæ Britanniæ, offerunt decem millia peditum, mille equites eidem suo Regi. Quid pariturum sit nobis id quod jam inchoatum est Angliæ Parlamentum, quid duplex Hispanica in Angliam Legatio, Veladæ & Malivesiæ, avidè exspectant vicini omnes. Princeps Elector aliquid boni sibi inde promitti dicit. Velit autem, & ubi fœdus inter Suediam Galliamque prorogabitur, sui haberi rationem, & Reginæ nostræ auctoritate perduci

duci Regem Galliæ, ut sibi remittat fidei obligatæ vinculum. Ego mandata opperior, interim res ejus Principis quantum potero, commendabo. Audio spem illi à Gallia fieri, si se Galliæ illiget, restituendi Palatinatus inferioris, non item superioris & dignitatis Electoralis. Vivit autem jam Elector suis impensis, cùm Regis Galliæ mater Angliæ Regi stet in dies francis mille quingentis. Facilè autem permissuri sint Galli ut in Angliam ad res suas commendandas eat Elector, sed volunt eum tenere reditus debitorem. Dunquerca & augetur & munitur validè. De Helveticis Rhæticisque rebus ideo taceo, quod eas fusè descripturus est Marinus, cujus necessitates Sublimitati Tuæ quantum possum commendo. Imperator creditur jam esse Ratisbonæ. Egressi ex Philippiburgo milites quosdam è Tabernis Alsaticis malè tractarunt. Longavillani miles cursitat ad Lonam: machinas è Binga abstulit. Tam de Bannerio quàm de Lunenburgico varii sunt rumores, variæ conjecturæ. Dicuntur neutri multum fidere Cæsariani. Sed hæc involuta dies explicabit. Ego Deum precabor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut res Suedicas per Sublimitatis Tuæ consilia secundet. Lutetiæ 5 Maii novi Cal. 1640.

Advenere recens Dunquercam tria millia Hispanorum. 21 Aprilis Harcurtius movit Poirinum versùs, id xxx milliaribus Italicis abest à Casali. Pecunia iterum mittitur ad Vinarienses, qui post Ducis sui mortem recepisse à Rege dicuntur ıↄccc millia Francorum. Comitatenses Burgundi ad sui tutelam habituros se sperant ıx cıↄ pedites, equites ıↄccc. Profecti sunt ad Reteliam Millereius, Ambianum Castilionæus, Bressæus Rupellam: ubi classis à tempestate non parum damni accepit. In Normanniam missæ tres cohortes quæ populum in obsequio retineant. Nobilitas ex Pictonibus ad arma evocata. Edicta tributaria facta nova xxviii. Ducis Caroli milites non longè à Meti tres arces ceperunt: item in amne naves tres æstimatas xx millibus scutatorum. Literæ Scotorum, quarum mitto exemplum, interceptæ sunt à Rege Britanniæ, & qui cum iis in Galliam iturus erat datus in carcerem. Rex in ipso initio Parlamenti has literas ostendit. Frinshemius adhuc diligens in editione Taciti (nam socer ejus Berneggerus est mortuus) Sublimitatis Tuæ opem implorat.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

60 VT gratissimis mihi literis Excellentiæ Vestræ datis 23 Aprilis, respondeam, à rebus Principis Electoris, quæ maximè mihi cordi sunt, incipiam. Vellet is commendatione Reginæ nostræ sublevari onere datæ fidei: deinde, ubi Suedicum cum Gallia fedus renovabitur, sui haberi rationem. Vivere jam cœpit suis impendiis, cùm Reginæ Regis Galliæ mater manet Anglis hospes sumptuosa. Dicit spes sibi aliquas ab Anglia fieri, sed ex quales sint, non satis intelligo. In Angliam ut eat, permissuri ei facilè sunt Galli, sed ut ad redeundum obligatus maneat. Quid autem Gallia ipsi præstitura sit hic manenti, ne id quidem percipio satis, nisi quod spes datur efficiendi ut ad eum redeat Palatinatus inferior, quod quantillum est? De federe faciendo cum Suedia Galliaque loquuntur Angli interdum nonnihil, sed eo, quantum ex sermonibus judicare datur, animo, ut potiùs arbitros se pacis faciant, quàm belli socios. Sed hoc saxum jam dudum est quod volvitur, itaque de eo nihil addam. Hyberni satis calidè feruntur in Scotos, nam & peditum decem millia, mille equites promittunt præter pecunias. Angliam puto in hoc negotio processuram lentiùs. Landgraviæ quid suadeat Longavillanus, haud certò novi. Sed quæ scribit Excellentia Vestra eadem aliunde mihi indicantur. Mihi verò ita videtur, referre nostra, ut quamprimùm aliquid agat, partemque hostilis militis à Bannerio abstrahat, ut is eo expeditior res possit gerere quales solet. Lunæburgicus magnum momentum sit, si ad nos accedat, sed pergo dubitare. Res nostras prosperas non ego tantùm, sed & hæc Aula lætis accepit animis. Vt ad prælium adducatur res, hostis, credo, non committet: fortè nec nobis expedit, causas tantas uno aleæ jactu dijudicandas committere. Gaudeo apud vos properari. Hic omnes duces ab urbe abierunt, & intra paucos dies magnam aliquam obsidionem nobis promittit Millereius. Dunquerca autem & augetur & sedulò munitur, aucta tribus Hispanorum millibus quæ recens eò advenere. Mittuntur & in Italiam octo ferme millia, aut, ut Aula credi vult, amplius. Hi an rectà ituri sint ad oppugnanda Hispanorum castra quæ jam Casale vallo circumvenerunt, (sunt autem in Casali milites ferme bis mille) an aliud quid aggressuri rebus suis congruentius, in ambiguo adhuc relinquendum est. Sunt autem validi in illis partibus Hispani: nam in obsidione ista habent xx ferme millia, neque multò minus in altero exercitu cui præest Princeps Thomas, cui & pecunias ıↄc millia scutatorum dedit Leganesius, & auxilia nova bis mille peditum, equitum mille, & amicitiam cum ipso ac Cardinali Sabaudo nonnihil labascentem restituit novis pactionibus, per quas duo illi Principes promittunt secuturos se arma Hispanica contra omnes, excepto Sabaudiæ Duce. Dicuntur autem Principes illi in urbium præsidiis habere sexdecim alia millia. Viennæ suspiciones quædam contra Bavarum nasci dicuntur. Sic sæpe in scenam redit eadem fabula. Apud Rhætos haud dubiè probabuntur pacta Oenipontana, Salissio & Gallorum amicis qui ibi sunt ne mutire quidem audentibus. In Helvetiis verò & dilectus & iter Hispano permittuntur, non communi decreto, sed studio Badensium aliorumque. Itaque crescit ibi petiturus Rhenum exercitus. Magna hic fama fuit de ingenti Batavorum victoria navali ad promontorium Augustini in Brasilia. Ejus quid sit è Batavis docebimur. Quin Ratisbonam venturus sit Imperator, video non dubitari, ut nec de partu Reginæ Polonicæ. Longavillanus longè lateque militem mittit, etiam ad Lonam. A Binga abduxit machinas: conferet, ut aiunt, consilia, & cum Bannerio, & cum Hassicis. Rex Galliæ Cantilliaci est. Ibi eum convenit Comes Licestrius, oravitque ne Rex admitteret si qui huc venirent à Scotis missi. 21 Aprilis Harcurtius movit Poirinum versùs: id xxx milliaribus Italicis abest à Casali. Pecunia iterum mittitur ad Vinarienses: qui post Ducis sui mortem recepisse à Rege dicuntur ıↄccc millia scutatorum. Comitatenses Burgundi ad sui tutelam habituros se sperant ıx cıↄ pedites, equites ıↄccc. Profecti sunt ad Reteliam Millereius, Ambianum Castilionæus, Bressæus Rupellam: ubi classis à tempestate non parum damni accepit. In Normanniam missæ tres cohortes quæ populum in obsequio retineant. Nobilitas ex Pictonibus ad arma evocata. Edicta tributaria facta nova xxviii. Ducis Caroli milites non longè à Meti tres arces ceperunt, item in amne naves tres æstimatas xx millibus scutatorum. Deus cuncta ad bonos perducat exitus, Excellentiæque Vestræ semper faveat. Lutetiæ 5 Maii 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

REx jam in itinere est Ambianum versùs. Ibi eum 1361
conveniet Princeps noster Gustavus, sed sine Prin-

 cipis

cipis persona, tum quia ad eam dignitatem sustinendam non aderat pecunia, tum quia multa difficultatem habitura, ea ratione, Italis sæpe usurpata, evitabuntur. Velim & adsint homines gnari illarum artium quæ Principem decent. Millereius jam circumvenit Carlimontium, id ubi ceperit, Namurcum, ut videtur, aggressurus, magni momenti oppidum, & quod, si Gallorum fiat, viam illis tutam præstet ad Leodicensem agrum atque inde in Batavos, transportando & vicissim inde accipiendo militi. Alii tamen ex eo apparatu, qui nunc apud Batavos conspicitur, putant & inde & è Gallia Flandriam peti: & certè id timere Flandros apparet, ita diligenter Dunquercam præsidiis & munimentis augent. Ingens hic D. Bannerii clades in fama fuit, ex Piccolominæi literis, sed assuevimus pridem istis ventis utrem inflantibus. Magnum hic in Aula gaudium fuit, quod quidam ex Italia adventans dixisset Harcurtium cum VII peditum, IV equitum millibus irrupisse castra ad Casale, cæsisque hostium II millibus, captis machinis quatuor, depulisse obsessorem. Id quomodo sit credibile, tum ex edita charta, quam mitto, cognoscitur. Verùm cum ab eo tempore, quo res ista gesta esse dicitur, nullus ab ipso Harcurtio nuntius venerit, labascere incepit famæ auctoritas, multis etiam suspicantibus pulchris initiis sequentia non respondisse. Ridwinus in Edemburgi arce à Scotica factione obsidetur, nisi expugnata jam arx est, quod sunt qui timent. Princeps Elector otiosos hic terit dies: nihil enim pro eo facere vult Gallia, nisi adjutante Anglia: Anglia verò, & per se in isto negotio satis frigida fuit hactenus, & nunc domesticis dissidiis distinetur. Inter Viduam Sabaudicam & Principes Sabaudos de pactionibus adhuc agitur: & dicitur res non extra spem esse. Hostium verò apud Constantiam copiæ excurrunt tantùm, & agros Alsatiæ & Brisgoiæ vastare conantur. Qui verò Norimbergæ sunt in id laborant, ut Hassicam Viduam à Gallico federe abducant, serò, ni fallor. Credunt Itali Turcam Poloniæ magis quàm Italiæ imminere, ita tamen ut nec ipsi securè dormiant. Rosa Fuldæ esse dicitur. Hispanus præter malum quod in Brasilia sensit alia etiam ad oram Barcinonensem naufragia passus est. Quia dubito an viderit antehac Sublimitas Tua literas quæ inter Archiepiscopum Giesnensem & D. Davausium commearunt, super Principis Casimiri negotio, plenas historiarum & veterum & novarum, mitto eas. Meminit Sublimitas Tua quàm sæpe scripserim parem me non esse ferendo huic oneri, sine pecuniis, quas cùm habet D. Spiringius negat se præceptum solvendi habere, cùm id præceptum eum habere constat, negat adesse pecunias. Hac necessitate pressus & uxore apud D. Spiringium per preces ferme mendicante, nihil promovente, scripsi me usurum beneficio Regis parati dare mihi, ut aliis antehac Legatis, de auxiliari pecunia ea quæ mihi debebantur. Cum nihil hactenus responsi ea de re acceperim, credidi placere Sublimitati Tuæ quod exemplis suadentibus, necessitate autem cogente facturum me significaveram. Itaque D. Spiringio jam per aliquod tempus molestus non ero, &, si velit, rationes accepti & expensi cum eo exputabo. Quod si ista ratio Sublimitati Tuæ in posterum non allubescet, neque alia initur per quam prementibus me impendiis liberer, restat una adhuc via qua liberari possim, per honestam scilicet missionem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det mihi sæpe prospera de Regni ac Tuæ Sublimitatis rebus intelligere. Lutetiæ 12 Maii 1640.

Mitto & Actum Parlamenti Hibernici. Dubium est quò iturus sit Rex qui nunc Suessione est, Rhemos an Mazeriam. Ad Carlemontium est Guichius. Millereius cum magno exercitu in Retelico tardatur pluviis & viarum voragine. Mazarinus adhuc in Aula retinetur. Scoti proventuum decimam, hominum partem quintam in bellum cum Anglis pollicentur. Quid non Germaniæ parari posset istis quæ ibi inter se hostiliter concurrunt viribus.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SErenissimo Electori à me nihil deerit. Sed adversa, ut video, fortuna adhuc eum Principem persequitur. Gallia cunctante quicquam pro eo facere nisi sociam videat Angliam, quæ si hucusque in Palatino negotio quàm scimus frigidè se gessit, quid nunc est quod nos de se sperare jubeat, cùm incalescant interna dissidia, captis literis Scotorum ad Galliæ Regem, capti & qui signaverant. Edimburgi autem arce obsessa, si non jam expugnata, dicitur Clerus Angliæ liberaliter opem pecuniariam ad bellum Scoticum polliceri, nec mirum, cùm ipsorum agatur res ardente jam pariete proximo. Dura hæc, & his temporibus aliena. Nos autem quid possumus, nisi Deum precari ut pacem ubi non est restituat, ubi est servet? Chevreusia neminem minùs amans quàm maritum suum, ut eum in itinere Angliam versùs esse audivit, ipsa se in Flandriam transtulit. Nihil ergo habebit ibi quod agat Chevreusius, nisi ut quæ agunt alii videat & huc nuntiet. Non carebit motibus Angliæ Parlamentum, qui quò evasuri sint exspectamus anxiè. Hassi adhuc sollicitantur ab iis qui Norimbergæ sunt. Inducias eorum cum Imperatore puto exiisse 5 hujus Maii. Quod tamdiu cunctantur, cum Excellentia Vestra miror: eoque magis quod hanc cunctationem dicuntur probare Galli, homines minimè cunctabundi. Intellexi & ego vocari à D. Bannerio Vinarienses, addunt quosdam jam ad eum transiisse. Hæc ne nova sint dissidiorum inter socios semina, metuo. Erlachius serò videt quid fecerit, invisus Helvetiis, odiosus Germanis, & tamen adhuc Gallis suspectus. Mirum in modum sollicitos habet Gallos annus hic, unus restans ad vitam federis cum Suedia, nisi nova ei federi inspiretur anima, de qua re haud dubiè gravis, fortè & tarda, erit in Suedia consultatio. Bannerii damnum huc quoque perlatum est cum ingenti incremento ex Piccolominæi literis. Sed sæpe jam falsi deprehensi sunt rumores qui à Bruxellis & Colonia veniunt. Longavillanus jam Castellas venisse dicitur. De D. Bannerio an eò venturus sit, dubito. Dux Lunenburgicus causas quidem habet cur se nobis adjungat. Ego verò ita mutabilibus ingeniis non credam nisi sub bono pignore. Controversiæ istæ cum Dano componentur: quod ut fiat cum minore Batavorum dispendio, eò tendunt paratus Legationum & novarum societatum rumores. Poloni non immerito Turcam metuunt; eò enim incubiturum credunt & Itali. Cum Dantiscanis quæ convenerant videntur neque Rex neque Conventus Ordinum habituri rata. Itaque Spiringus rursum ad vectigalia colligenda naves parant. Princeps Casimirus haud dubium est, quin præter captivitatem, alia etiam quæ in Gallia ei evenerunt, duriùs interpretetur. Quo cùm accedant Hispanica blandimenta, non obscurum est, quibus maximè faveat, cæterùm ne iis nocere possit, quibus minùs bene vult, & sua & Regis & Regni sponsione retinebitur. Batavorum conatus magni aliquid nobis promittunt. Sed imbres etiam hic obstare. Itaque seriùs Carolimontium Millereius circumvenire cœpit. De Casali rumor hic fuit, etiam publicè editus, depulsos obsessores cum duûm millium cæde ab Harcurtio. Sed cùm ex eo nemo ab ipso nuntius huc venerit, cœpit primùm dubitari, deinde & timeri. Nam à Venetis nihil sperandum est. Sed mihi res Italicæ ad pactiones quasdam spectare videntur, quod & literæ nonnullæ

nullæ indicant. Cum Pontifice res nondum composita est. Sed futurum creditur ut Rex Legatum, Nuntium Pontifex revocet. In Rhætis Engadini de pactis Oenipontanis queruntur. Sed paucos reperiunt qui dictis ipsorum moveantur. Ita occlusæ omnium aures cæra Hispanica. Et in Helvetiis Pontificii ad omnes Hispanorum ac Cæsarianorum conatus connivent, ad itinera, ad dilectus, ad munitiones Constantiæ, quæ cum federibus ipsorum pugnare dicuntur, ad structuram novi castelli ad Rintalium in Helvetico solo. Ita sentient se tandem Protestantes ab inimicorum copiis inclusos. Quæ in Tiroli sunt copiæ exspectare dicuntur Hatsfeldii & Gildhasii militem cui se jungant. Illæ autem quæ ad Constantiam sunt nihil aliud quàm agrum Brisgoiæ & Alsatiæ quantum possunt vastant spemque ei messis eripiunt. Princeps Thomas habere scribitur equitatum egregium ad decem millia, pedites bis mille. Contra Leganesius decem millia peditum, equites mille, nempe quod ad obsidiones faciendas major sit vis in pedite. Audimus hic, Erfordiæ esse Bannerium. Premi Lipsiam à nostris. Pugnatum inter Saxones & Coningsmarckium. Velle Imperatorem meliùs sibi pareri à Bavaro. Rosam Fuldæ esse. Hispani, præter ad Brasiliam, etiam alia naufragia passi sunt in freto Gaditano & ad oram Barcinonensem. Deus optimus Maximus Christianum Orbem in statum meliorem reponat, idemque Excellentiæ Vestræ semper faveat. Lutetiæ 12 Maii 1640.

Excell. Vestræ singulari observantia devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

63 QVam ego hic pecuniam, Rege sic volente, in usus necessarios retinui, ea facilè suppleri poterit ex ea quam D. Spiringius jam dudum mihi promittit, nec solvit: spero planè æquum arbitraturos Excellentissimos & Illustrissimos Regni Suedici Rectores id quod necessitas mihi injunxit, priorum Legatorum exempla mihi monstrarunt, Rex autem æquum judicavit. Ni id fit omnino cogor missionem petere sub onere splendido, sed non ob id minùs premente, fatiscens. Scripsi autem hac de re & antehac sæpe & nunc etiam Magno Domino Cancellario. Deus Regno Suedico, ejusque Rectoribus & Excellentiæ Vestræ faveat, bonamque nobis det pacem. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Maii 1640.

Exc. Vest. beneficiis obligatus & ad observantiam paratiss. H. G.

IANO GROTIO.

Pater optime,

64 QVod maximè mei fuerat officii, ut summa tua per omnem ætatem meam in me beneficia non animo tantùm, sed & factis agnoscerem, tibique in hac ingravescente senectute ea præstarem solatia, quæ quàm sint suavia, ipse ego jam tam diu pater experiendo didici, hoc ipsum nobis eripuit temporum, in quæ incidi infelicitas. Cœterùm precibus piisque votis, mi Pater, nunquam abs te absum. Spero quoque te malorum tuorum aliquod sentire levamentum, cùm me cogitas mira Dei benignitate, collocatum in loco illustriore, quàm quem unquam salvus à salva patria exspectare potuissem: gratum Reginæ Rectoribusque Suediæ, gratum Regi Christianissimo ac ejus summatibus Ministris. Sunt hæc omnia, Pater, secundum Deum tui in me operis fructus: neque hæc tantùm, sed & quæ quotidie molior pro veritate salutari ac pace Christianorum, non sine spe futurum, ut bonum aliquando ejus laboris proventum videam aut prævideam. Aliquando inquam; nam & hic verum illud Taciti, scelera impetu, bona consilia mora valescere. Elucescet aliquando illa dies, cujus jam nunc aurora conspiciendam se præbet. Multi enim utriusque partis Viri magni, docti, pii, agnoscere incipiunt quantum sit peccatum, hinc vitia conspicua non corrigendo, inde dogmata procudendo nova, acerbè accusando vetera, & nullius rei nisi boni interpretis egentia. Hoc pulcherrimum consilium, cujus semina abs te hausi precibus tuis ut Deo commendes rogo. Lutetiæ 12 Maii 1640.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Cordi meo proxime,

SI scirem ubi esset nunc V. N. Franciscus Iunius mihi & paterno & suo & tuo nomine carissimus, gratias 1365
ei agerem maximas, nec minores ei cognomini Patricio, quod hic ex vetustissimo codice qui ex Græcia in Angliam venit, & rumore augente vetustatem Theclæ esse dicitur, variantes scriptiones in usum meum ac publicum describi permiserit; ille autem & descripserit, mihique miserit. Cùm autem ex literis ipsius Francisci Iunii cognoverim iter ab eo cogitatum in Bataviam, si & jam venit, rogo ut gratias agendi officio pro me defungaris, ac pro me spondeas quicquid ipsi gratum à me proficisci potest. Feci ex illis variantibus scripturis aliquam ἀκροθίνιον ad nostra Annotata ad Evangelia, ea ad fratrem misi. Cupio autem inchoëtur editio Annotatorum illorum postquam tria ἀνώνυμα scripta ubique prostare & in oras exteras missa certo cognovero, de forma qua edenda sint illa Annotata, tu & frater meus constituetis. Vt autem quàm emendatissimè prodeant, spero etiam filios tuos, mei amantissimos, nobis adjutores fore. Te vero peculiariter rogo, ut mea illa scripta priusquam edantur, quod per particulas majore tuo commodo fieri poterit, legas, & si qua mutanda censeas, me admoneas. D. Zulichemius epistola ad Mercennum ostendit se vidisse partem tuorum de Gentium cultu, & illa mirificè, ut debet prædicat. Valeas quàm optimè, uxore quoque ac liberis optimè valentibus. Lutetiæ 12 Maii 1640.

Rogo certus fiam an prostent & ad exteros missa sint τὰ ἀνώνυμα. Alioqui ego hic novam editionem curabo.

Tibi Obligatissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVi perquam exspectatus ab Harcurtio venit nuntius, 1366
Gallos non modò à mali metu liberavit, sed & plurimum auxit gaudium, quo hactenus trepidè fruebantur. Cognitum enim est multò illustriorem fuisse victoriam quàm primus rumor vulgaverat, cladem hostium tantam ut quinque millia perierint, disjecti sint cæteri, captæ machinæ, præda ingens: maximum verò hoc puto, quod Galli soliti ab impetu solo laudari in hac pugna admirabilem constantiam ostenderunt, quater repulsi, semperque invictis animis adorti & castra & hostem, donec rem pulcherrimam confecerunt, qua narranda propterea abstineo, quod edita ejus quam mitto historia consonat omnibus quæ venere literis, quarum unas ipsius Harcurtii ad Scribam suum addidi ob singularem ipsius in tanto decore parto modestiam. A Carlemontio Rex militem revocavit, neque videtur consilium fuisse ab ea parte hujus anni bellum inchoare, sed à Principe Arausionensi, qui expeditionem in Flandriam parabat, ad quam adjutores futuri erant Galli, hostis partem abstrahere. Cùm autem Principem Arausionensem retinuerint venti aliquamdiu, nunc quid facturus sit exspectat Gallia, ex eo suas quoque res ordinatura. Princeps Elector jam sæ-

pius mihi ostendit, tædio se capi hujus in Gallia moræ, malletque mea opera, Reginæ autem nostræ auctoritate uti ad adipiscendam plenam libertatem. Dixi operiri me mandata, idem facere Illustrissimum D. Comitem Licestrium, quo inconsulto nihil mihi aggrediendum in hoc negotio putarem, in quo Regina nostra id unicè propositum habeat, & Galliæ & Angliæ Regi satisfacere atque eos inter se, si fieri potest, conglutinare. Dixit habere se hominem quendam suum in Anglia, atque inde se responsa quædam exspectare: quæ qualia futura sint mutum refert. Interea significarunt mihi Waertius & Enckefortius certos esse se, paratum esse Bavarum, Marescallum Hornium cum ipsis permutare, ejus rei plenam se mihi facturos fidem, si ad ipsos accedam. Rogant ut nulli operæ parcam qua confieri id possit. Ego, quanquam sæpe inutiliter id ipsum tentavi, tamen consultandam Sublimitatem Tuam duxi, quid de hoc fieri oporteat. Princeps Gustavus nunc domi meæ est, ex omnibus ejus sermonibus factisque egregiam agnosco indolem &, si bene colatur, magnam frugem edituram. Vidit & Reginam & Delphinum. Harcurtius, si digna suis factis supplementa accipiat, videtur urbem Taurinorum obsessurus. Credibile autem est, qui in Tiroli coibant milites, & per Germaniam timebantur ut conjuncturi se cum Hatzfeldio Gildenhasioque, eos nunc in Italiam potiùs ituros, ut tam prosperis Gallorum cursibus semet opponant. Ex Bapalma Belgicæ oppido egressi ferme quadringenti à Gallis intercepti, Peronamque ducti sunt, & in Comitatu Burgundico depulsi à Pauliniaci oppugnatione hostes, machinæ captæ duæ. Rex Magnæ Britanniæ à Scotico tumultu non absolutus etiam in Anglia turbas non sine causa metuit. Repertus est liber quidam qui conatur ostendere Parlamentum etiam sine Episcopis haberi posse. Is liber Regis jussu damnatus combustusque est. Dicitur Imperator cum Bavaro colloquium exposcere: copiæ hujus in Franconia sunt: quibus occurrere putatur Coningsmarckius. Rosa à Fulda rediit, pars maxima Vinariensium ad Fridbergam esse nuntiatur. Lamboius cum bis mille equitibus, ter mille peditibus, ad Lutsenburgicum finem accedit, & cohortes Piccolominæi sex Hispanicam sumunt militiam. Cætera quæ in Germania geruntur, partim Hamburgi, partim in Batavis celeriùs rectiusque noscuntur: Helveticas autem & Rhæticas res, satis miseras, accuratè perscribet Marinus. Chiausius quidam à Constantinopoli Viennam, à Vienna vicissim Legatus Constantinopolim mittitur, manetque adhuc in Italia & alibi opinio, vim Turcicam Poloniæ magis quàm aut Hungariæ aut Austriæ metuendam. Ad postulata Crœsiccii, qui hic est pro Duce Vinariensi Wilhelmo, Rex nihil respondit, sed ad Ducem epistolam scripsit nihil certi continentem, eam quoque mitto. Ipse Crœsiccius ut aliquid obtineat apertiùs in Aulam se confert. Ego ea quoque de re jussus Suedicos exspectabo, Deumque rogabo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut consilia omnia Sublimitatis Tuæ secundet. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Maii 1640.

Carlemontium militem & necessaria intulit Hispanus. Dicitur tamen à Gallis ea obsidio repeti aut certè species præberi ejus rei. Est & rumor fidis auctoribus de captis vi Gallorum suburbanis quibusdam munitionibus ante urbem Taurinorum. Cohors Regis Picardica Mosam transgressa malè ab hostibus tractata est. Hispanicæ copiæ inter Atrebatum urbem & Cameracum sunt sub Cantolino. In Namurcensi agro ussere oppidula Givaium, Cimacum & alia. Castilionæus non longè est ab Abbatisvilla. Hesdinum & Dorlanum importata vis magna frumenti & belli instrumentorum. Ad Sabaudicam Viduam Medici à Rege missi sunt. Dicitur ex oculis laborare. Certè minùs suum videt quàm ante.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

EST sanè quod lætetur Polonia, nato Principe Regis 1367
Filio, altero autem Principe Regis Fratre in libertatem restituto, felice admodum Legati opera: qui tamen non ideo creditur Principis Casimiri recuperasse gratiam, objecto ei lento huc itinere, per quod Principis calamitas prolatata sit. Gallia verò de illo Principe, sicut nihil mali metuendum habet ob publicam fidem, ita nec boni quicquam sperandum cum honores si qui ei in Gallia sint habiti, eos multum superaverit Cardinalis Hispani in ipsum comitas. Ex cætera epistola Nob. Vestræ cognosco non quiescere in Polonia ventos tribunitios, satisque domi esse malorum etiamsi non accessisset illud à Tartaris, qui prædæ incruentæ dulcedine illecti, metuendum est ne per sua vestigia redeant, adjutantibus Cosaccorum si qui amant res novas, fortè & si illorum conatus processerint, additurо se Turca. Batavorum illud edictum vim, si eorum res novi, diu habere non poterit. Aut ad arma venietur, aut, quod mágis reor, venietur ad conditiones si non optimas certè tolerandas illis qui tantum habent cum potentissimo Rege Hispaniæ negotii, ut aliis negotiis vacare non possint. It nunc Legatio i Batavis in Suediam, etiam ea de re. Gallicana Aula exsultat gaudio ob felix admodum Harcurtii in Hispanos prælium ad Casale, quo quinque ferme hostium millia trucidata, dispersus hostilis exercitus, captæ machinæ XII prædæque multum, Casale exemptum periculo. Idem Harcurtius si ex Gallia copiis augeatur, urbem Taurinorum parat obsidere. Ad Belgicum finem tardiùs procedunt molimina tam Batavorum quàm Gallorum. Illos venti retinuere adversi & nautæ novis se periculis objicere cunctantes, nisi priorum mercedes accepissent. His verò obstitere imbres & corrupta cœno itinera. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ $\frac{2}{12}$ Maii 1640.

Nobil. Vestræ ad omnia officia paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

RESTITUTIO Palatinæ Domus haud dubiè omnibus cu- 1368
ræ esse debet, qui bene volunt Germaniæ rebus. Ejus rei initium ab Anglia exspectandum est: unde responsi aliquid se exspectare dixit mihi Princeps Elector. Exspectat & mandata Illustrissimus Comes Licestrius. Interim mihi quiescendum censeo, quanquam Princeps Elector, moræ hic inutilis pertæsus vellet per nos obtinere libertatem sine ullis vinculis. Ego verò Excellentiæ Vestræ sententiam sequor, non esse è publica re Principem captivitate sua offensum abire è Gallia, non illigatum nostris partibus. Itaque mandata è Suedia opperiri erit optimum. Ex Britannia nihil adhuc pacatum audio. Contra verò, ad Scoticos motus accedere ex... torum in Anglia æmulationem contra Episcopos, ... & liber prodierit defendens Parlamenta sine Episcopis haberi posse, quem librum Rex comburi jussit. Habitæ villæ, & quæ accedunt ab Hispano flabella, multum ... sollicitum habent. Præterea non video quid magni à nobis pro Principe Electore fieri possit, quamdiu in Suedia nondum prorogatum est tempus federi cum Gallia. Inde enim multa pendent alia. Fuerat hic rumor Banneriu... teris ad Suedicam militiam revocatos Vinarienses, sed ubi ipsas literas legi, vidi clementer scriptas, magno tamen animo, ita ut sperem inde nihil oriturum dissidii inter gentes quas nunc cummaximè inter se consentire, concordesque agere publicè interest. In literis illis Scoticis nihil magis Regem Britanniæ commovit, quàm quod

quod inscriptæ essent Regi simpliciter, non addito Galliæ nomine. In Parlamentario Angliæ Conventu non puto actum iri de rebus externis, quas Rex Britanniæ, juris sui valde anxius custos, suo arbitrio reservat. Wolfium puto redire ad stationem suam. In actionibus Landgraviæ omnibus video aliquid esse quod cum fœderibus antehac cum Suedia factis non satis consentiat: sed si Suedia Galliæ semet illigat novo fœdere, ad id fœdus addere se Landgravia poterit. Sin autem Suediæ vota magis in pacem propendent, ad eam utile erit, Austriacæ Domus quàm plurimos hostes fieri. Multum gaudeo vanitatis deprehensum illum rumorem ex confictis Piccolominæi literis. Mirè enim ea fama Aulam urbemque hanc commoverat. Quantum humanæ conjecturæ valent, melior Germaniæ pars in nostrorum sociorumque erit potestate, per tres fortissimos exercitus non ita distantes inter se, ut non, si qua in parte hostis appareat, conjungi inter se illi possint ad hostis exitium. Tum verò ingens in Italia clades Hispanorum in ejus remedium copias ut puto, & illas Tirolenses, & alias ex Hispania attrahet. Major fuit Harcurtii victoria quàm qualem primi nuncii, iique incertæ auctoritatis attulerant: magnaque & vix audita antehac apparuit Gallorum constantia, qui sæpè repulsi, pertinaci proposito castra perruperunt, hostem quinque ferme millibus interfectis, disjecerunt. Ea res quomodo gesta sit docebit charta quam mitto, multorum qui adfuere literis consentiens. Nunc novas ad se copias mitti orat Harcurtius, obsidionem urbis Taurinorum animo agitans. Rex à Carolimontio militem suum revocat: nec videtur eas in partes bellum inferre seriò voluisse, sed repertum hoc fallendo hosti, ut Principis Arausionensis conatus, unde & Gallica consilia pendebant, meliùs succederent. Eos ventis nonnihil tardatos audimus. Flandri ex tanto navium paratu se peti putant. Ex Bapalma egressi hostium prope quadringenti incidere in insidias Peronensium & Sanctiquintinianorum militum, captivique ducti sunt Peronam. Tum in Burgundico Comitatu hostis Pauliniacum oppugnare volens dejectus est à Gallis, qui duas ibidem machinas ceperunt. Et Dani & Batavi nova fœdera, novas societates, rebus suis firmandis, minantur mutuò. Controversia est pecuniaria, & simili de causa sæpe antehac orti magni animorum motus brevi consederunt. Si tamen fœdus coire poterit inter Suedos & Batavos, gaudebo. Res Germanicæ meliùs ad vos quàm ad nos perferuntur. Cæterùm audimus ab Imperatore expeti colloquium cum Bavaro, qui nunc copias suas in Franconia habeat, imminente eis Coningsmarckio. Rediisse autem Rosam à Fulda. Partem verò majorem Vinariensium ad Fridbergam esse. Lamboium autem cum millibus equitum duobus, peditum tribus, appropinquare ad Lutsenburgicum finem. Piccolominæi cohortes sive Regimenta sex transire in Hispanicam militiam. A Constantinopoli Chiausius quidam Vienna, à Vienna Legatus Constantinopolim mittitur. Engadini adhuc conqueruntur apud Rhætos, se iniqua interpretatione novorum pactorum ab Œnipontana ut subditos tractari. Capucinos sibi obtrudi molestos hospites. Sex autem Helvetiorum pagi dicunt munitiones novas quæ Constantiæ fiunt juri suo adversari. Sed hæ querelæ à potentioribus haud multum curantur. Pontifex Romæ neque Hispano, neque Gallo quicquam vult concedere. Hispanus etiam Franciscum Perrettum ad purpuram commendans, nihil proficit. Galliæ Legatus hinc responsa exspectat, domum reverti an subsistere debeat. Hispani videntur occasiones quærere, ut in suis Regnis Bullas Pontificis pro bullis habeant. Quod si fiat, sequetur Gallia exemplum & apparebit nihil esse incertius potentia quæ non vi sua, sed ex hominum opinione stat. Quanquam in Carolimontium Hispanus militem & bello necessaria introduxit, tamen obsidionem eam Galli repetere se aiunt. Castilionæus autem ad Abbatisvillam est. Hostes apparent inter Cameracum & Atrebatum urbem, duce, ni fallor, Cantelmo. Picardica Regis Galliæ cohors damnum accepit, cùm Mosam transgressa esset. In Hesdinum & Dorlanum multum invectum est frumenti & rerum belli. Medici à Rege missi sunt ad Viduam Sabaudicam de oculis periclitantem. Harcurtius tria castella & Suburbana ad Padum circa urbem Taurinorum cepit. Deus hæc aliaque omnia gubernet ad nominis sui gloriam. Lutetiæ 19 Maii 1640.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

INcipiam ab ea re quæ, quanquam nullo cum successu 1369
hactenus, maximè mihi semper cordi fuit, Mareschalli Hornii libertate. Scripsit ipse ad me Mareschallus Hornius de prompta ad permutationem Bavari voluntate, eas literas ad me misit Iohannes Waertius. Si placeat Clementissimæ Reginæ nostræ iterum literas hac de re mittere ad Regem, & ad me mandata, id abs re non futurum arbitror. Galli abrupta iterum Carolimontii obsidione cum maximo exercitu irrumpere in interiora Belgicæ volunt, & sic, à Principe Arausionensi, qui in Flandriam penetravit, partem hostium abstrahere. Sic à duabus partibus pressus Cardinalis Hispanus, vix sciturus est quò se vertere debeat. At in Italia Harcurtius captis omnibus extra urbem munitionibus, fossaque superata, mœnia urbis Taurinorum oppugnat, speratque se voti compotem fore, quanquam urbem defendente Thoma Principe cum IV militum millibus. De Germania nihil scribam, quando eæ res in Batavis quàm hic sunt notiores. Sed hoc unum dicam, ex conjunctione consiliorum, inter Mareschallum Bannerium, Longavillanum & Melandrum ac, si opus sit, etiam copiarum, omnia hic maxima sperari. Octo millia nova conscribit Longavillanus. Tirolenses copiæ in Italiam eunt. Hæ, & simul quæ ex Neapoli & ab Ethruria venere, sunt ad VI millia. Præter Casalis obsidionem alias quoque minores duas Quirasci & Rossiniani deserere coacti sunt Hispani. Iterum ad Baionam apparent Hispanorum copiæ quædam. Sed ne quid noceant, cura Principi Condæo & Præfectis data. Lucæ urbi interdictum minatur Pontifex. Hispanus ad ejus civitatis tutelam vires suas pollicetur. Ita undique frænum injicitur Pontifici. In Anglia ad bellum Scoticum accedunt & aliæ offensæ, nam civitatum Legatis nihil quicquam pecuniæ publicis usibus conferre volentibus, nisi auditæ prius eorum querelæ, & ad eas responsum fuerit, abruptum est Parlamentum. Pergitur in Scotos XXX Regiorum militum millibus. Hispanus pecunias offert. De Principis Palatini negotio nihil etiamnunc perspicio. Miserat ad eum Rex Angliæ hominem cum literis, sed eæ literæ Dunquercanis navem aggredientibus in mare abjectæ sunt, ipse homo Dunquercam ductus statimque cum rebus suis dimissus, nunc huc advenit. Quid ferat propediem cognoscemus. Regina mater in Anglia lento morbo adeditur: Chevreusia ex Anglia in Flandriam profecta magnos honores à Cardinali Hispano accepit. Pontificii fœderis in Germania ductus dicitur auferri Bavaro & tradi Leopoldo una cum Imperatoris copiis. In Helvetiis aliquid militis Hispano scribitur. Quanquam fervente nunc cum maximè bello, tamen commeant quotidiè inter Viduam Sabaudicam & Sabaudicos Principes Conciliaturarum opifices. Princeps Arausionensis edi historiam rerum Arausionensium jussit, in qua latè suum jus nemini obnoxium tuetur. Sed eum librum videre mihi nondum contigit. Rex adhuc apud Suessiones agit. Dicitur à Sultano

tâno Turcico missus Chiausiorum aliquis certam facere Imperatori pacem in futurum, dummodo Polonum tueri abstineat. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, omnia Sublimitatis Tuæ consulta in bonum Suediæ Orbisque Christiani prosperet. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Maii 1640.

Princeps Palatinus scripto petiit à Rege ut laboretur ad conficiendum fedus, de quali actum Hamburgi & ut initium fiat à restituendis dejectis. Sed hac de re nihil Galli facient, nisi de voluntate Angliæ Regis certi sint. Mitto historiam rerum ad Casale gestarum, ita ut ab Italis extra partium studia positis perscripta est. Post hæc scripta didici Millereii exercitum multa mala ex imbribus accepisse. Præterea equitatum ejus sine peditatu progressum longiùs ab hostibus damnum accepisse. Leganesius multò quàm ante instructior it in Harcurtium. Romæ quatuor Cardinales fiunt, sed Itali omnes. Panormi in Sicilia ingens fuit seditio, & Franciscus Melo pro Rege Hispaniæ Siciliam regens ægrè evasit, multis Hispanorum interfectis. Millereius pontem imposuit Samaræ. Alii pontes è ratibus & molæ ad farinam Ambianum versùs eunt. Halerius aliquas copias Lamboio opponit circa finem Lutzenburgicum. Classis Oceanica Regis nihil adhuc agit, tenet se partim ad Rupellam, partim ad Brestam. Audimus etiam in Hibernia nasci factiones, nec miror tot ibi veteribus familiis per vim oppressis. In castris Millereii parum est & cibi & pabuli. Ea res Aulam inde distinet.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1370 QVanquam moræ hujus in Gallia tædet Principem Electorem, & sæpe me interpellat, ut fidei datæ vinculo liberari possit, ego tamen planè cum Excellentia Vestra sentio, non è re esse, aut sua aut publica ut hinc discedat, non illigatus nostris partibus. Rogaverat satis prudenter Princeps Cardinalem, ut se consilio instruere vellet, quid faciendum sibi esset. Cardinalis auctor fuit ut scripto proponeret aliquid. Fecit id Princeps Elector verbis generalibus, desiderans res ut promoveatur ad fedus quale Hamburgi diu fuit sub incude, & ut secundùm ejus federis capita ad rem confestim perducantur, maximè in causa sua. Galli exspectandum dicunt quid velit Anglia. Ibi verò non destitit Elector per hominem quem ibi habebat sua negotia commendare, urgere ut responsi aliquid acciperet. Misit quendam cum responso Rex Angliæ. Sed ut in omnibus rebus pertinaciter sæva est in Domum Palatinam fortuna, Dunquercanis, navem illam in qua erant literæ aggredientibus, literæ in mare abjectæ sunt. Ipse homo Dunquercam quidem ductus, sed dimissus statim est atque huc venit. Quantum intelligere adhuc potui responsum fuit dilatorium, atque ex eo res in Anglia in pejus ivere, abrupto Parlamento, ea ex causa quod civitates pecunias polliceri nollent, nisi querelis suis auditis, Rege autem parato habente exercitum XXX millium in Scotos. Iam verò ardente bello cum Scotis, in ipsa quoque Anglia jactis dissidiorum seminibus, quomodo credibile est Regem Angliæ ad res Germanicas animum velle vertere, quas tam diu otiosus aspexit? Quod si præterea pecunias ab Hispano haud parcè eas offerente accipit Rex Angliæ, quid est quod inde nobis spei restet? Deus tandem respiciat afflictam Domum, & siquid restat boni consilii, id nobis inspiret. Danus, ut video, ad Cæsarianam Hispanicamque amicitiam magis ac magis se applicat, eaque inflatus spernit Suedos, Batavos & Ansiaticas civitates. Quod Bannerius, Longavillanus, Melander inter se consilia sociant, sociaturi etiam, si opus sit, copias aut copiarum partem, valde mihi placet, præsertim cùm & à Lunæburgico Duce quædam copiæ sinantur in nostram militiam se dare, quod paulatim Imperatorem ipsi reddere implacabilem, ipsum verò ad nostras partes apertiùs amplexandas compellere poterit. Longavillanus octo nova scribit millia. In Italia ingens planè fuit Gallorum felicitas de qua scripsi. Neque verò Casalis tantùm soluta est obsidio, sed & minores duæ aliæ Quirasci & Russiniani. Tum verò ad urbem Taurinorum captæ à Gallis munitiones extra urbem omnes, fossa superata, mœnia oppugnantur, defendente ea Thoma Principe cum IV hominum millibus. Hæc necessitas Tirolensem illum dilectum, in Germaniam iturum, coëgit mutato itinere transgredi in Italiam, ita inde Leganesius tria accepit millia, tria autem altera è Neapolitano Regno & ab Hetrusco. Quanquam verò bellum graviter ardet in Italia, tamen perpetuò internuntii de pactionibus commeant inter Viduam Sabaudicam & Principes. Pontifex Lucensibus interdictum minatur. Rex Hispaniæ se ipsis adjutorem ac vindicem spondet. Ita labascit apud omnes, & quidem in ipsa Italia, Pontificis auctoritas. Reginam Matrem lento morbo in Anglia adedi audimus: Chevreusiam autem magnis honoribus affectam à Principe Cardinali Hispano. In Helvetiis aliquid militis scribit Imperator, diciturque id moliri, ut non suarum tantùm, sed & federis Pontificii per Germaniam copiarum ductum habeat Leopoldus, quod Bavarus suas magis quàm communes res agere videatur. Si nihil aliud suis artibus effecissent Galli, quàm quod in posterum minùs fida futura est Imperatorem inter & Bavarum amicitia, non periisset tamen illis opera. Hispani iterum ad Baionam aliquas copias habent. Rex mittit cohortes ad eum limitem tuendum: alias ad infestandum Burgundiæ Comitatum. Præcipua autem vis belli & egregii exercitus, *omissa jam iterum* obsidione Carolimontii, penetrant in *interiora Belgicæ* Hispaniensis: neque creditur satis *virium* Cardinali Hispano fore, ut & his se opponat & *Principi* Arausionensi Flandriam bello petenti obsistat. Castilionæus ad omnes occasiones intentus circa Ambianum etiamnunc se tenet. Rex apud Suessiones est. Omnino hic annus videtur magna nobis promittere, quod *ἀνεμεσήτως* dictum sit. Chiausius quidam à Constantinopoli Venetos certos facit pacis. Alius indidem missus Viennam, Imperatori nihil à Turca metuendum dicit: mansuras inducias, si Poloniæ rebus non immisceat se Imperator. Ad Leodienses obfirmandos vereor ne seriùs ventum sit. Nam pacis acta edita vidi. Pontificis ac Venetorum federa suis tantùm finibus cavent. Ab Electoribus Principibusque Germanis pacem expeti non miror. Sed Imperator cur bellum trahat causas habet. Neque ab eo proposito, ut ego quidem arbitror, abstiturus est, nisi in suis propriè terris belli mala & gravia & diuturna sentiat. Poloniæ motus ne externo quidem metu sanantur, ut video. Nihil est quod inde sibi timeat Suedia. Non quàm vellemus procedunt Millerei res. Nam & imbribus æstuario ab hostibus aperto non parum damni tulit: & equitatui qui malè cessit processisse longiùs in hosticum, & commeatus ac pabula deficiunt; quæ res Regem & Aulam inde abstinet. Interim pontes è ratibus & molæ Ambianum versùs feruntur. Harcurtius à Vidua Sabauda accepit millia, bis mille pedites, equites sexcentos. Tamen it contra eum Leganesius. In Sicilia Panormi initium quoddam fuit Vesperarum Sicularum contra Hispanos. Vix evasit Melo. Deus cujus in manu sunt corda Regum, flectat ea ad æquam pacem, idemque Excellentiæ Vestræ paternè faveat. Lutetiæ 26 Maii anni 1640.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctus H. G.

D. CAS-

D. CASSIO.

Praestantissime Cassi,

1371 Gratulor super tot alia prospera etiam prolem tibi ex carissima conjuge obtigisse & quidem sexus dignioris. Deus det utrique vestrum diu ea frui, id est vivere filium imitantem vestras virtutes. Mea uxor totum annum in Hollandia & Zelandia fuit cum filia, nunc reditum moliuntur, non sine luctu, amisso patre meo, & uxoris sorore. Filii mei duo militant, maximus natu signum gerit praetoriae turmae equitatus Germanici, qui in Sacramento est Regis Galliae: minimus orbatus suo quondam Principe Duce Vinariensi, nunc ad castra ivit Banneriana. Medius horum in foro Hagiensi versatur & causas cepit agere. Ego Dei beneficio bene valeo, & si quod tempus à negotiis Suedicis liberum est id impendo studiis, non mihi tantùm sed & posteritati, ut spero, profuturis, id praecipuè agens, ut & pietatem imprimam animis, non vanam illam sed operantem, & ut historias illustrem. Tibi verò gratias ago maximas quod pro veteri tuo in me affectu tam sollicitè tamque benignè de me meisque inquiris. Si quando filius tuus adoleverit, & Deus mihi tantum aetatis largiatur, velim eum ad me mittas: dabo operam ut aliqua cum bona fruge ad te redeat. Quod si interim aut illi quem mihi commendas amico tuo, aut alii cuivis eorum quos amas, aliquid facere potero quod ipsis gratum sit, scito nulli me parsurum operae, ut qui te semper fecerim facturusque sim plurimi. Vale Clarissime Cassi. Lutetiae Calendis Iuniis 1640.

Tuus ex animo H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginae Regnique Sueciae Consiliario & Legato apud Praepot. Ord. Foeder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1372 Nimis verum est, fortunam adhuc pertinaciter infestam esse Principi Electori. Nam ex taedio inutilis otii etiam tertianam contraxit. Et is quidem qui ex Anglia huc, amissis literis, venerat, bonas spes attulerat, fore ut bene absolutis cum Parlamento rebus de ipsius negotio cogitatio institueretur. Verùm ex eo, praeter bellum Scoticum, ita ingentes in Anglia motus exstiterunt, ut nisi ex his malis in Aula ista ingens aliqua mutatio exoriatur, multum temporis exspectandum sit Principi Electori priusquam responsa inde accipiat, praesertim qualia & ipse & nos vellemus. Galli verò, nisi bene cognitis Angliae sensibus, nihil agere volunt cum hoc Principe: praeterea absunt Rex & Cardinalis. Ego, inter has moras mandata è Suedia quid agere debeam opperior. Scotorum literae illae ad Galliae Regem missae quidem non sunt: sed à se subscriptas jussu federatorum agnoscit Legatorum Scoticorum unus, qui nunc in turri Londinensi detinetur. Scriptas autem eas literas ait Comes Licestrius post pacem factam, in qua comprehendebatur ante actorum oblivio. Deum cum Excellentia Vestra seriis precibus adeo, ut, ipso adspirante, populi quidem meminerint quid sui sit officii, Rex autem Britanniae illud Homericum in animo habeat, πατὴρ δ' ὥς, ἤπιος ἦεν. Hispanicos Legatos trepidare & in Regia Domo perfugium sibi quaerere, non miror, cùm sciam ab antiquo infensam ei genti fuisse plebem Londinensem. Hispanus mari satis infelix est hoc tempore. Nam praeter damna accepta apud Angliae Brasiliaeque oras, naufragia passus est in freto Gaditano, & damnum à piratis accepit apud Barcinonem. Praeter seditionem illam Siculam, alia in Catalania exorta est. Ita non caret suis malis Imperium illud tam latè diffusum quàm sol ambulat. Millereius pro Carolimontio, viis caenosis ac pluviò caelo defenso, adde & incenso per proditorem Gallico pulvere bellico, Mariaeburgum interius in hostico situm nunc obsidet. Misit autem Regio jussu de suis quater ferme mille milites ad Castilionaeum, qui jam ante habebat XI prope peditum, equitum tria millia, petiturusque Flandriam videtur, ut suis conatibus Principis Arausionensis conatus adjuvet, ac vicissim illo hostem detinente ipse expeditiùs res suas promoveat. Cùm autem Batavi praeter illum in Flandria exercitum promiserint se producturos & alterum, quatuor simul ex partibus negotium habiturus est Cardinalis Hispanus, ita ut non satis dispicere possit quid potissimùm vitare debeat. Planè pulcrae ubique sunt spes nostrae nostrorumque, modò Deus faveat. Bannerii, si vera sunt quae de socio & auxiliis ad nos perscribuntur, ingens futurus est exercitus ex lecto milite. Bavarus suas copias ad Caesarianas adjunxit: & quanquam sunt qui sibi blandiuntur, quasi Regis Romani dignitatem sibi affectet Bavarus, id tamen alii confictum putant, ut Galli ea spe deliniti abstineant ipsi nocere, &, si possint, etiam socios suos ab ejus terris abducant. Caeterùm spero Gallos, quo sunt ingenio, facilè perspecturos quàm non probabile sit hoc figmentum de homine sene dando adjutore & successore juveni. Leganesius, praeter eum quem à Constantia, Tiroli, Neapoli & Hetruria accepit militem, alium ex Hispania ad se advocavit, videturque pro possessione urbis Taurinorum omni vi certaturus. Quare & ad Harcurtium, optimè de re Gallica meritum, supplementa quaedam mittuntur. Rex Daniae & Batavorum & Anseaticorum videtur tentare patientiam, nisi vis occurrat, incendii modo semper ultra pervasurus. Quod si Batavi nihil agendo, sed Legationes adornando territari ipsum posse confidunt, ille vicissim eos territat Legationes in Angliam Hispaniamque mittendo. Res Gallorum per Italiam prosperae videntur quietem hoc anno Alsatiae promittere. Leodiensium cum suo Principe dissidia non magis à Batavis & Gallis alita fuisse miror. Viduae Sabaudicae sub oculum incisio ad os usque facta est, ut noxius humor oculo visuique exitium minitans abstraheretur. Cùm nuper iturus in Angliam Princeps Carolus Gustavus per Possiacum transiret, rixa inter comites & oppidanos orta est, nulla, quod sciam, nostratium culpa, unde nonnulli de familia ipsius & Polheimius, res Hassiacas agens, qui eum prosecutus fuerat, non sine periculo vulnera accepere. Deus nobis pacem det bonam, & Excellentiae Vestrae semper faveat. Lutetiae 2 Iunii 1640.

Excell. Vestrae ad omnia obsequia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNAE,

Sacrae Reg. Maj. Regnorumque Sueciae Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Svmus in exspectationibus multis & magnis: primùm, 1373
quò evasuri sint validi exercitus in Germania, hinc Bannerii ac sociorum, inde Caesarianorum cum quibus se conjunxere Bavarici: deinde quid futurum sit de urbe Taurinorum: ad quam eximendam periculo Leganesius non ex Tiroli tantùm & à Neapoli, Ethruria, Constantia, accepit militem, sed & ex Hispania exspectat: postremò quid in Belgicis futurum sit partibus, quò jam magna pars belli confluit. Nam Millereius ad Carolimontium impeditus pluviis & viis caenosis quas hostes auxerant immissis per aperta dissepta aquis, pulvere etiam bellico per proditorem quendam incenso, inde ad Mariaeburgum, quod in regione hostili interius jacet, se transtulit: partemque aliquam de suo exercitu misit ad Castilionaeum, qui jam habiturus octodecim ferme millia, creditur Flandriam petere, in cujus ea parte, quae circa Brugas est, magno cum exercitu res gerit Princeps Arausionensis, magnum aliquod obsidium animo agitans.

tans. Alter Batavorum exercitus alibi negotium facessit Hispano, qui quatuor è partibus hostem videns ægrè constituere poterit, quò vertere se debeat. Itaque videtur annus hic pulchros successus nobis polliceri. Manet interim otiosus hic Princeps Elector: ex otio tædium, ex tædio morbus ei natus est. Videt Gallos nihil secum agere, quod exspectare se dicant quid pro ipso factura sit Anglia. At ea plenè in turbido est. Scoti & arcem Edimburgi & Angliæ oppidum quoddam in limite cepisse dicuntur. Post solutum Angliæ Parlamentum, captosque Londinensium Magistratuum quosdam, vulgus ejus urbis insanire cœpit minimè solennia. Nobilitas etiam per agros Regio militi stativa non permittere. Hispanici Legati iratam plebem timentes Regis domum pro perfugio habuere: quæ omnia talia sunt, ut nisi ingens sequatur Aulæ conversio, nihil boni portendant Principi Palatino. Ego & de hoc, & de Vinariensium fratrum negotio, propiora mandata, pro libertate autem Marescalli Hornii novas Reginæ literas exspectabo. Video enim in rebus illis omnibus nihil agi posse priusquam Rex huc redeat, qui nunc cum Cardinali ad Noviodunum est. Postquam Bavarus suas cum Cæsarianis copias junxit, cessare debuerant rumores illi de dissidiis inter ipsos. Attamen sunt qui à Bavaro prensari putant Electores, ut ipse Rex fiat Romanus. Alii verò dolum esse credunt, ut Gallorum talia sperantium, arma à se arceat Bavarus, distineatque eos ne se cum D. Bannerio conjungant. A seditionibus Hispanicum quoque Imperium immune non est: nam, præter eam quæ Panormi exarsit, de qua scripsi antehac, etiam in Catalonia alia erupit, non minore cum Regentium periculo. Germani, gens in bello hoc quidem tempore valde levis, non pauci ex Hispanicis in Italia castris ad Sabaudica se transtulere. Viduæ autem Sabaudicæ incisio sub oculum ad os usque facta est, ut humor vitiosus, cæcitatis periculum adferens, ab oculo abduceretur. Deus Orbi Christiano det veram pacem ac Sublimitatis Tuæ, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia, valetudinem ac res secundet. Lutetiæ 2 Iunii 1640.

Et pulvis ille qui dissiliit aliquos de Millereii exercitu peremit, & Gassionis sarcinæ ab hoste captæ sunt, & Vivarius Baro cum ducentis equitibus in hostium insidias illapsus quartem partem ægrè servavit. Peditatus autem morbis è cœlo pluvio collectis non parùm imminutus est. Carolimontium hostis & alimenta & militem intulit. Castilionæum quidam putant in Atrebates ire: de Mariæburgi obsidio res adhuc incerta est. Quidam Vivarii cladem multò aiunt fuisse quàm scripsi majorem: Ozanum in Africa obsidere dicitur rex Maroci centum millibus Maurorum, & mari navibus longis quinquaginta. In urbe Taurinorum audimus deesse bellicum pulverem: & qui eò mittebatur à Leganesio cum aliis rebus necessariis interceptum à Gallis. Alium verò bellicum pulverem & alimenta ex Helvetiis ad Leganesium ire. Duo aut tria Cæsarianorum millia per Brisgoiam & Alsatiam cursitant, ut messem præripiant. Hallerius in Metensi agro est. Parantur naves longæ Massiliæ, aliæ Touloni. Hispani rursum apparent apud Baionam & Leucatam. Dicitur Davausius ire Coloniam: succedere ipsi Melianus qui apud Helvetios agit.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1374 MAgno me & dolore & metu concutiunt ea quæ ex Britannia quotidie audimus: quæ qualia sunt non scribo. Nam ad vos ista nec minùs de propinquo, nec minùs certò perferuntur. Sed sunt certè talia, ut nisi subita ibi exstiterit mutatio, nihil boni prospiciam in rebus Palatinis. Dum Gallia cunctatur sine Anglia quicquam agere, Anglia autem suis motibus distinetur, ego interim è Suedia mandata opperiar: quæ ipsa vix est ut accipiam, nisi fortè valde ἀόριστα, priusquam de fœdere inter Suediam & Galliam aliquid sit constitutum. Sed enim quæcunque in Regnis aut Imperiis aliis sine nostra culpa eveniunt mala, ea ferre oportet, ut prudenter monet Excellentia Vestra, ὡς ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως: bona agere, bona precari. Imperator vix est ut bonam pacem pati possit, nisi insignis aliqua D. Bannerio obtingat victoria, aut belli mala in terris sibi propriis sentiat, ut qui Germaniæ mala adeo non sua putet, ut etiam eis fruatur. Dux Bavarus siquid offerat Palatinis, id vereor ne sit exiguum. De colloquiis ad pacem instituendis & Coloniæ & Hamburgi, perstat quantum video Suedis Gallisque sententia, nec puto eos missuros aliò. Siquid verò intelligent Norimbergæ aut alibi proponi quod à rebus suis non alienum sit, eo utentur, ut aut ad pacem perveniant, aut certè ostendant sua desideria cum communibus desideriis congruere, ut sic belli tam diuturni atque exitialis invidiam à se amoliantur. Bavaricos suas copias cum Cæsarianis aut conjunxisse aut conjuncturos puto. Ita hic video hic existimari. Nostros quoque credo auctos accessione non modica à Longavillano & Hassis. De Lunæburgicis enim varia sunt judicia, varii rumores. Principi Arausionensi non quantum vellemus initia conatuum successisse, dolendum est. Nam si spei conceptæ respondisset eventus, is Gallis quoque ad majora audenda fuisset incitamento. Mari verò nihil eximii nunc aggredi Batavos multi mirantur, præsertim cùm Brasiliæ res bono ipsis sint in loco, & complura naufragia passus sit Hispanus. Cum Dano iidem Batavi, si quomodo poterunt, controversias component, & eò tendunt, ni fallor, lenti illi paratus Legationis ad Ansiaticas Civitates & in Suediam, quò fortè perventura nunquam est, aut certè nihil ibi actura, quod longè alia ipsi spectent, alia Suedi. Helvetii stertunt planè. Neque verò aut Pontifex aut Veneti negotium sibi esse volunt cum Hispano, contenti tenuibus copiis suos fines tutari, ad pacem & hi & illi laborant. Harcurtius castra ad urbem Taurinorem posita permunivit vallo. Hostes conatos in urbem inferre per ripam exigui amnis alimenta & quæ bello necessaria, repulit, cæsis eorum LXXX aut amplius, insigni virtute Vicecomitis Turenæ, qui & vulnus accepit, sed periculo vacans. Creditur Harcurtius auctus & missis à Rege copiis & voluntariorum concursu, habens jam apud se ferme XIV millia: & si Leganesius, qui majores habet copias, vi aperta ad oppugnanda castra veniat, obviam ei iturus prælioque certaturus. Putant Galli etiam in Germania res ad prælium spectare, literasque non longè Fulda scriptas habere se aiunt, quæ indicent ipsum Longavillanum spe prælii cum suis omnibus ivisse ad Bannerium. Indidem nuntiantur obscura esse Lunæburgica consilia. Bavarum ægrotare: copias ejus haud dubiè esse cum Piccolominæo. Cæsos à præsidiariis Friburgi hostium D: à Cæsarianis captum Sigeburgum. De Saxone & Brandenburgico mitti equitatum contra nostros qui in Silesia Lusatiaque sunt. In Catalonia & fuisse magnam & manere dicitur seditio. Aiunt Galli in ea occisa octo millia Castellanorum & se ad juvandam seditionem invocari. Præsidium quod est in Nicæa Sabaudiæ auxit Hispanus equite & pedite. Rex Galliæ ad Ambianum est. Benignè admodum ab ipso & Cardinali acceptus fuit Ranzavius. Millereius in agro Retelico est etiamnum, habens secum X ferme millia. Partem enim magni quem habuit exercitus dedit Castilionæo: partem amisit morbis & improsperis excursibus. At ipse Castilionæus hic obsidium alibi non longè ab Hesdino agit. Creditur hic obsidium aliquod cœpturus: Millereius autem ingressurus in hosticum, ut vires Hispani distrahat. Deus cuncta hæc ad

ad quietem dirigat Orbis Christiani. Lutetiæ 9 Iunii 1640.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Seciæ
Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1375 PRinceps Elector à febre sua expeditus valet rectiùs, utinam & res ejus quæ adhuc in morbo cubant, incerto adhuc quem post tot motus finem accepturæ sint res Angliæ, ex quibus deliberationes Gallicæ, ipsius negotium quod attinet, pendent. Interea non cessant arma diversis in locis. Harcurtius jam castra sua vallo munivit. Additur hostem aggressum inferre alimenta & bello necessaria in urbem per ripam amnis exigui, sed repulsum cum clade octingentorum aut amplius hominum, insigni virtute Viceomitis Turenæ, qui & vulnus acceperit, sed citra mortis periculum. Iam è Gallia non pauci, partim qui in numeris sunt, partim voluntarii ad Harcurtium pervenere, ita ut habere credatur XIV hominum millia. Quod si Leganesius magnis ad Astam contractis copiis vi omni oppugnatum castra veniat, creditur Harcurtius ei iturus obviam. In Catalonia ingens fuit seditio, credo tamen à fama eam augeri, prodente octo millia Castellanorum occisa, & Gallorum auxilia à conjuratis invocari. Rex Ambianum it. Bene excepit Ransovium. Millereius adhuc in Retelensi est agro cum decem ferme millibus; nam partem suorum jussus est tradere Castilionæo (qui non longè ab Hesdino est), partem amisit morbis & pugnis infelicibus. Hispanus Nicæam in Sabaudia magno firmavit præsidio equitum peditumque. Sunt hic literæ scriptæ non longè à Fulda, quæ nuntiant ipsum Longavillanum cum suo exercitu in itinere esse ad Bannerium, omniaque ad prælium spectare. Sociatos jam cum Cæsarianis Bavari milites. Ipsum Bavarum ægrotare. A militibus præsidii Friburgici cæsos quingentos Cæsarianorum. A Cæsarianis captum Sigeburgum. Lunæburgici obscura adhuc esse consilia. A Saxone & Brandeburgico missos equites adversùs nostros qui in Lusatia Silesiaque sunt. His nihil quod addam habeo, Excellentissime & Illustrissime Domine, præter vota pro re communi & pro bona valetudine Sublimitatis Tuæ, consiliorumque ejus successu prospero. Lutetiæ 9 Iunii novi Cal. 1640.

Castilionæus Bethunam aut Airam obsessurus videtur. Observant eum Silva & Lamboius, qui inter Cameracum & Atrebatum habent octo peditum, duo equitum millia. Dux Carolus undecim millia secum habere dicitur, contra quem nondum satis paratus est à copiis Halerius, nec Villaregius ad invadendum Comitatum Burgundiæ. Pestilentia gravis est in Languedocia. In urbe Turonum novum vectigal placandæ plebi abolitum est. Dicitur de pace agi inter Hispanos & Gallos Pampelone. Hagenavia insidias hostium evasit. Leganesius habere putatur XVIII CIↃ militis, in urbe Taurini. Cum Principe Thoma sunt septem millia præter oppidanos. Mitto narrationem rerum ad urbem Taurinorum gestarum.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

6 INcipiam à rebus Bannerii sanè lætis. Postquam enim ei se conjunxere copiæ Ducis Longavillani cum Hassicis & Lunemburgicis, montem quendam aditu perdifficilem ad Salfeldum occupavit, machinisque ibi positis compluribus, ita desuper in hostem detonuit, subter verò ita eum crebris assultibus fatigavit, ut coactus is fuerit, derelictis munimentis quæ sibi fecerat, se referre in oppidum Salfeldum & oppido circumjecta. Ibi quoque nocent ei nostrorum telorum jactus, arceturque à pabulatu, & commeatus quos à Franconia habebat, intersepto itinere, eum deficiunt. Hæc literæ ferunt. Addit rumor tot incommodis pressum Piecolominæum se recepisse Lipsiam versùs, Bannerium autem tergo ejus insistere, sperarique magnam hostis cladem. Pulchra sunt auxilia quæ ad Bannerium advenere, pulchrè armata, ad XVIII millia pugnatorum. Ex Italia rumor huc perlatus & latè publicatus fuerat, de duabus oppugnationibus Leganesii, eruptionibusque Principis Thomæ ab Harcurtio repressis 2 hujus mensis. Verùm literæ posteriores nempe 6 hujus mensis scriptæ è castris, ostendunt ejus nihil esse: castra ipsa Harcurtii ad urbem Taurinorum nondum permunita: restare minimum laborem dierum XVI. Interim Leganesium, augescentibus in dies copiis, de locis superioribus multum telis infestare castra: sæviri utrinque in captos omnes sublatis belli commerciis. De urbe quid futurum sit esse in incerto. Exercitus Millereii apud Peronam visus est transire, Castilionæi videtur versùs S. Audomari urbem tendere: putant multi futurum ut pariter juncti obsessum eant urbem Atrebatum. Alii Castilionæum putant Airæ imminere aut Bethunæ. Video esse qui existiment Carolimontii obsidionem nunquam seriò cogitatam fuisse à Millereio, sed ad obtegendas insidias in Sedanum, cum cujus urbis Præfecto sociasse consilia creditur, sed quæ superventus Ducis Bulionii discusserit. Marchio Guebrius quinque ferme millia secum habet, tantundem ferme Hallerius, qui se jungent adversùs Ducem Carolum & Beckium. Alia ferme sex millia Villaregius habet apud Dolam, ad messem præripiendam Comitatensibus Burgundis. Lamboius autem & Silva inter Atrebates & Hainovios se tenent. Est hic senex, Fliscus nomine, ortu Genuensis, sed Gallus factus Regio beneficio, qui eum & in Concilium Status allegit, & Abbatia opima donavit. Ad eum Pontifex, quod Nuntium suum minùs hic gratiosum videret, mandata misit procurandæ paci aut, quas Galli malunt, induciis. Cataloniæ seditio fuit quidem non tanta cæde cruenta quanta dicebatur, sed acris tamen, apertis vi plebis carceribus Barcinonæ, unde qui evasere quidam hic sunt. Milites qui trucidati sunt ex cohorte erant Olivaris, qui magno in vulgi odio est, simulque bellum ipsum: & hinc felicior ad pacem via speratur. Electori Palatino ad eam quam ipse Regiis Ministris dederat chartam responsum ab ipsis datum est, Regem perstare in eis quæ Hamburgi proposita fuerunt: si quid præter ista proponere vellet Elector, audituros se. Ille autem nihil potest proponere, nisi quod velit Anglia, ubi seditionem audimus exstinctam cum paucorum pœna. Scotiæ autem Parlamento velle interesse Regem ipsum, & ob id cupere ad tempus aliquod id differri. Quò se versura sint Aulæ ejus consilia & Princeps Elector avidè exspectat & nos omnes. Audimus Imperatorem ire Ratisbonam, Bavaricorum autem septem millia hactenus hæsisse in Franconia, nec adfuisse Piccolominæo. Accusantur à Gallis Batavi, quod, cùm tam florentem habuerint exercitum, quantum unquam, transgressi canalem, eum locum contra paucos Hispanos & rusticam manum tutari nequiverint. Nunc meliora inde exspectantur. Classis autem Regis XXV navium à Rupella fretum Gaditanum petit, mare Italiæ aut Hispaniæ objacens petitura. Rogat Sublimitatem Tuam Ebstenius sui ut memor sit. Est certè ejus diligentia nobis non inutilis. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Suedicas Orbisque Christiani per Sublimitatis Tuæ consilia secundet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Iunii 1640.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1377 PRincipis Electoris & spes & consilia ab Anglia pendent. Regii Ministri ad chartam ejus responsum dederunt, perstare se in iis quæ Hamburgi Galliæ nomine proposita fuere, nisi quid novi proponendum habeat ipse Elector. Is autem de suo nihil habet quod offerat. Superest ergo, ut eum adjuvet Anglia, aut ut desertus otiosusque maneat. Quæ jam post extinctam ut audimus seditionem, consilia, tum in hac tum in aliis rebus, captura sit Anglia, exspectamus attenti. Plurimum enim in eo vertitur. Bavarus videtur id agere, ut paululum concedendo, cætera posteris suis certa atque indubitata relinquat: Ex Suedia super hoc negotio nihil bene definitum sperare audeo, priusquam de Gallico fœdere aut prorogando aut finiendo constitutum aliquid fuerit. De Bannerio magnifica sunt quæ hic intelligimus: occupatum ab eo montem ad Salfeldium, inde detonantibus machinis, subter verò crebris assultibus vexatum Piccolominæum, cùm adhuc VII Bavaricorum millia, quæ in Franconia erant opperiretur, concessisse in urbem Salfeldii ac loca ei proxima. Verùm cùm & ibi à machinis tutus non esset, arceretur pabulatu, commeatus intercluderentur, iter eum cepisse Lipsiam versùs. Insistere autem tergo ejus Bannerium, magnamque sperari hostium cladem. Auxilia quæ ei adduxit Longavillanus, Gallica, Vinariensia, Hassica, Lunenburgica ad XVIII fuisse millia hominum pulchrè armatorum. Videbimus quid nobis paritura sit Ratisbona. Virtus Bannerii ac Banneriani exercitus, prospera jam tertiùm Harcurtii fortuna, repressis duabus Leganesii oppugnationibus ad ipsius castra, duabusque sub idem tempus eruptionibus Principis Thomæ, Casalis liberati magna per Italiam, cui id jugum imponebatur, fama, spes capiendæ urbis Taurinorum, deinde Vercellarum & irruptionis in agrum Mediolanensem, seditio Catalaniæ non quidem cum cæde quanta dicebatur, acris tamen ita ut & multi occisi fuerint de cohorte Olivaris, qui in magno odio est apud multitudinem, ut belli incentor, carcer præterea à plebe reclusus, ex quo servati quidam hic sunt testes ejus rei, hæc omnia spem mihi faciunt aliquam non malæ pacis, ad quam promovendam aut longas vice pacis inducias mandata habet Abbas Fliscus Genuensis à Pontifice, quanquam is Fliscus Gallus sit adoptione factus & in Consilio sit Regis. Multum ad eam rem conferre potuissent magna Principis Arausionensis molimina, si successus adfuisset. Apud Gallos, tot suorum per Italiam fortibus factis elatiores, Batavi ignaviæ crimen non effugiunt. Quid acturi jam sint Castilionæus & Millereius brevi apparebit. Sunt qui futurum putant ut pariter urbem Atrebatum obsideant: alii, ut Castilionæus Bethunam obsideat aut Airam. Habet præterea Rex minores exercitus alios. Nam & Harpajouxius sex millia ad Harcurtium ducit: & par ferme agmen secum habet Gevrius ad inspectandos actus Ducis Caroli & Beckii: alios autem ferme totidem Villaregius circa Dolam ad messem hosti præripiendam. An Lunæburgicum hostem Imperator pronuntiaverit, scire percupiam. Turca adhuc deliberat, ut videtur. Quod autem mihi indicat Excellentia Vestra Melanchthonis fuisse judicium, per Poloniam penetraturum aliquando in Christiani Orbis interiora Turcam, in eo viri & optimi & perspicacissimi prudentiam laudo. Est valde aperta ad incursus Polonia & sæpe domi discors. Nihil virile adversùs Danos in animo habent Batavi; tantum circumspectant vias transactionis, eò dirigunt cuncta. Quod si consequi ullo modo possunt, iter in Suediam abrumpent Legati. Si Leodiensem pacem conturbare possunt Galli & Batavi, haud dubiè futurum id sit ipsorum rebus perutile. Quæ scripserant hic de duabus oppugnationibus Leganesii & eruptionibus totidem Principis Thomæ per Gallos repressis, publicata hic fuere. Sed literæ scriptæ e castris 6 mensis hujus docent nos nihil ejus esse, castra ipsa nondum permunita, Leganesium de locis eminentioribus multum nocere castris, sævirì in captivos abruptis belli commerciis, futura in incerto esse. XXV naves Regis à Rupella per Gaditanum fretum intrant in Mare Mediterraneum. Hallerius jungit se cum Gevrio. Lamboius & Silva inter fines sunt Atrebatum & Hainoviorum. Millereii exercitus dicitur visus ad Peronam, Castilionæi versùs S. Audomari oppidum ire. Deus hæc cuncta ad bonam pacem gubernet. Idem Excellentiæ Vestræ semper paterna benevolentia adsit. Lutetiæ 16 Iunii 1640.

Excell. Vestræ summa devinctus observantia H.G.

VICECOMITI SCVDAMERIO.

Illustrissime Domine,

ESt jam in libertate Princeps Elector Palatinus, non- 1378
dum tamen plena, cum verborum obligatione obstrictus adhuc teneatur. Ego quantum ex Regis Galliæ Ministris potui cognoscere, non video futurum ut hoc vinculo solvatur, nisi ei parti in qua est Gallia semet adjunxerit: rursumque non video, quomodo cum aliqua dignitate ac spe successus id facere possit optimus Princeps suis opibus, quæ satis sunt tenues, nisi ex Anglia adjuventur. Quare seriò velim cogitare Reverendissimum & Illustrissimum D. Archiepiscopum Angliæ Primatem, ut alios sapientissimos viros quorum consilio Rex Britanniarum utitur, an ferat Regni status, ut Rex in fœdus venire possit cum Suedia Galliaque pro Germaniæ & Europæ totius bono, qua de re Hamburgi conditiones à nostris non iniquæ propositæ fuerunt. Id enim si Regi Britanniarum placeat, sperem non modò subditos plurimos Majestatis ipsius id pro summo habituros beneficio, gratisque animis agnituros, verùm etiam brevi admodum perventuros nos ad pacem æquam ac diuturnam. Vt autem hoc non consilium meum (absit à me ea temeritas) sed votum his literis proderem, fecit tum studium juvandæ causæ in qua versor, tum miseratio tamdiu afflictæ Domus Palatinæ; præcipuè verò hujus Principis, cujus ego virtutes summas, mores suavissimos, & invictam inter tot adversa constantiam in dies, magis magisque admiror ac veneror. Deus, in cujus manu sunt corda Regum, Regi Britanniarum ea adspiret fortunetque consilia, per quæ primùm Regnis suis quietem det, populosque sibi à Deo creditos in officio debitæ reverentiæ contineat, deinde verò & Christianum Orbem reponat in statum meliorem. Idem Deus, Illustrissime Domine, Illustrissimam Dominationem Vestram favens atque propitius servet. Lutetiæ 19 Iunii 1640.

Illustriss. Dom. Vestræ obsequiosissimus cultor H.G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRincipis Electoris valetudo meliùs se habet, utinam 1379
& res ipsius, quod Deum seriò precor. Misit Paulium in Aulam quæ est apud Ambianum, ut sibi, quando nihil cum ipso agitur, abire liceat. Sed nihil tale hoc tempore impetrabit, metuentibus Gallis ne cum Imperatore aut Bavaro aliquid paciscatur quod non è re sit ipsorum. Dubitat Elector an Ratisbonam mittat, ubi de suo negotio sermones fore non vanè suspicatur. Ego consultius duxi Rex Angliæ eò ut mittat, aut, si ipse omnino putet aliquem à se mittendum hic cum Regis Mini-

Ministris ante omnia ea de re colloquatur. Gaudeo in Anglia resedisse seditiones, & de componendo bello Scotico cogitationes institui, quas Deus prosperet, eaque consilia Regi adspiret, per quæ & subditorum suorum animos sibi devincire possit, & simul Germaniam ipsumque Orbem Christianum restituere in statum tranquilliorem. Eò si se vertat Rex, non dubito quin repetito Parlamento magnam persensurus sit populi sui liberalitatem. Principis Arausionensis tot illa per Flandriam tentamenta fuisse irrita plurimum dolemus. Nunc per ea experrecto hoste quid magni illis in locis efficere possit, non video. Mari conandum esset aliquid,& quidem in locis longinquis, nam multis & cladibus & naufragiis afflicta est res maritima Hispaniæ. Millereius & Castilionæus Regi affirmarunt xxx se habere millia. Cum iis, ita ut jussi erant, obsidionem sumpserunt faciendam urbis Atrebatum. Ejus urbis Præfectus Comes Isemburgus ab urbe abest. Præest ejus loco Hybernus gente, Eugenius nomine, habens secum pedites mille & ducentos, equites trecentos. Non longè à Gallico exercitu se tenent Silva & Lamboius qui habere dicuntur xII millia. Silva autem ad Eugenium scripsit, ut pulveri igniario parceret, (est enim ejus tenuis in oppido copia, quod bona pars inde missa sit ad alia oppida quibus præsentius periculum imminere putabatur) ut inutilem plebem & annonæ gravem expelleret, oppidanos qui arma ferre possent, adderet militi. Audimus præterea Gallorum opera aversam aquam, qua ad versandam molam farinariam hostes utebantur. Dux Carolus & Beckius apud Mousonum apparuere, iis se opponunt Halerius & Gevrius. Comitatenses autem Burgundi, quibus messem eripuerat Villaregius, ulti se sunt incendiis per Burgundiæ Ducatum. Res magna est quæ ad urbem Taurinorum agitur, & ambigua judicia, pleraque Gallis adversa. Habet Leganesius x millia peditum, vII millia equitum, & exspectat Gildehasium. Cepit autem Montecallerium medio ferme situ inter castra Gallica, quæ nondum ab omni parte permunita sunt, ibique pontem fecit in Pado flumine, munimentaque addidit, eo consilio, ut commeatus Gallis auferat, qui isto solo itinere adventare solebant. Vrbem ipsam Taurinorum tuentur sex ferme millia sub Thoma Principe. Adversus tantas hostium copias habere Harcurtius creditur xIV hominum millia. Qui ad exercitum ejus ire debebant Galli, partim à Provinciarum Præfectis velut ob proprias necessitates retinentur, partim carpuntur æstu valde noxio Alpes hoc tempore transeuntibus, aut etiam ab hoste quia exiguis globis incedunt. De Bannerio omnia audimus bona, sed de eo nihil scribo, quod ad vos certiora ac citiùs perferantur. De Bavaro planè cum Excellentia Vestra judico. Imperii Germanici qui cuditur Conventus, aliquas nobis judicationes adferet. De seditionibus Constantinopoli & hic intelleximus. Sed & sedatas cum pœna quorundam è Ianizzaris, primum autem Vesirium manere in gratia & auctoritate. Agent igitur aliquid Turcæ, vel in hoc ne militaris turba otio lasciviat: de quorum consiliis non displicet mihi D. Hagæ conjectura. Angli non planè otiosi sunt. Audio captas ab illis naves septem piraticas Afrorum. Ad adstringendam Pontificalem potentiam tota Italia conspirat. Interdicto ferierat Pontifex Lucam Civitatem, quam ob tenues opes facilè opprimi posse crediderat: & mandarat Duci Hetrusco partes id exsequendi. Ille verò tantùm abest ut id susceperit, etiam Lucensium Legatis ostendit gazas suas, dixitque expositas fore ipsorum usibus, si quod periculum à Pontifice ingrueret. Idem Dux Iesuitam quendam, qui pro Lucensi Civitate scripserat in hac causa, mittere Romam id rogatus noluit, scripsitque Generali Iesuitarum qui Romæ est, eodem jure deposci posse omnes subditos suos, quando omnes idem sentirent. Deus Regibus Principibusque omnibus animos det & intellectum ad sananda Ecclesiæ vulnera, Excellentiæque Vestræ propitius adsit. Lutetiæ 23 Iunii 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H. G.

STEPHANO CVRCELLÆO.

Vir doctissime mihique carissime,

ACcepi exempla singula de Antichristo & de Fide & 1380
Operibus. De Decalogo autem quod miror, non accepi. Neque magis librarii Cramoisiacus & Pellæus. Vellem autem horum trium libellorum aliquo saltem numero exempla habere, quia amicis ex promisso sum eorum debitor. Gratias tibi pro suscepta emaculandi cura habeo, & nescio qua arte inimicorum factum sit, ut posterior editio, quam non vidi, sit contaminatior. Velim id in posterum caveri & oculos quamplurimos adhiberi corrigendis iis, quæ aut ego aut meus exscriptor aut typothetæ præterviderunt. Scis enim quanti sit in illis rebus nitor. Liber ille de Reprobatione Absoluta verè ex Anglico versus est: neque ego ejus auctor sum, fautor tamen, ob multa utilia quæ continet. Cœterùm id ipsum facilè verum esse judicabunt, qui scribendi filum ac tenorem, suum cuique proprium accuratè norunt distinguere. Bene admodum fecisti quod & Literatorum Principi Salmasio & aliis piis atque eruditis libellos illos legendi fecisti copiam. Ego quin veræ sint istæ Vaticiniorum Apostolicorum interpretationes planè nihil dubito. Tempore longo opus est antequam planè evellantur quæ sevit factio aut aluit. Paulùm post Caii mortem Paulum venisse Thessalonicam, non negaverim, quanquam Chronologi, quos editos & non editos legi in temporibus illis assignandis plurimum discrepent. Silvanus est Latinum nomen, efformatum ex Hebræo Silas. Qui autem id habebat nomen inter primos fuit Pauli comites Act. xv. 22. Sic & Timotheus xvI. I. Ii autem vix unquam à Paulo discesserunt, nisi temporariæ rei causa. Vide Act. xv. 27. 32. 34. 40. xvI. 19. 25. 29. xvII. 4. 10. 14. 15. xvIII. 5. II Cor. I. 19. Adde Act. xIx. 22. xx. 4. Rom. xvI. 21. I Corint. IV. 17. xvI. 10. II Cor. I. I. Eph. I. I. Philip. II. 19. Coloss. I. I. Philem. I. ita ut ex his quidem nominibus nulla sumi possit nota temporis. Loca abs te annotata ex secunda quæ dicitur ad Thessalonicenses, ostendunt quidem cùm ea epistola scriberetur fuisse Thessalonicæ Iudæos qui secundùm Euangelium vivere instituerant; sed id facere poterant permixti Synagogæ Iudæorum, aut domi Deum colentes sine Presbyterio, qualiter initio ante plenam messem multos Christianorum vixisse ex pluribus historiis constat, agnoscuntque veteres. Hi autem tales eos qui erant ex Iudæis aut Christianis non ex regula viventes, eos vitare quidem poterant, ut jubentur III. 6. non autem excommunicare, ut in Ecclesiis in quibus erat Presbyterium: quod discrimen Iudæi nunc quoque observant. Neque enim ubicunque sunt ἰουδαΐζοντες ibi & Synagogæ. Illud τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, non verba præcedentia respicit, sed eum sermonem, quem Paulus in Syria cum illis post Stephani mortem dispersis Iudæis (quorum pars se ut tutiùs viveret, in Macedoniam recepit postea) habuerat. *Ille tunc alter se patefaciet de quo itidem vobis dixi.* Diversos autem homines hic denotari vel inde patet satis, quod prior ille describitur iis verbis, quibus Antiochus apud Danielem, ac proinde Princeps ibi designatur; posterior autem iis notis depingitur, quæ non Principi, sed Iamni & Mambri conveniunt. Ad illam enim historiam apertè respiciunt illa: Κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει: καὶ σημείοις καὶ τέρας ψεύδους. Hæ non sunt viri Principis, sed Magi excellentis notæ. Illius autem qui Antiochum imitaturus esset factum in propinquo fuisse ostendunt illa τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται. Neque de serie multorum inter se sequentium agi, sed de uno qualis fuerat Antiochus, do-

cent illa ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας & ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, si Hebraica locutio rectè observetur. Qui non putant adversùs tam gravia tentamenta, qualia fuerant tempore Barchochebæ sive spem sive metum spectamus, seriò commonefaciendos fuisse Christianos, Christum ipsum reprehendunt, qui de Barchocheba & ejus prolusoribus dixit πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες, ἐγώ εἰμι ὁ Χριστὸς καὶ πολλοὺς πλανήσουσι. ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε. Et postea ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Illud autem quod Iohan. v. 43. dicit Christus Iudæis ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ ἐκεῖνον λήψεσθε, propriè ad Barchochebam pertinet. Considera autem eos quibus scribit in Epistola Iohannes fuisse χριστιανίζοντας sed Iudæos, saltem plerosque. Nam ejus gentis hominum plena erat Ephesus, aliæque Asiæ urbes, ut ex multis Edictis historiisque apud Iosephum discimus. Multum verò errant qui sub Trajano, quamvis cæteroquin non malo Principe, minus sanguinis effusum putant quàm sub Nerone & Domitiano. Horum enim sævitia ferme circa Romam stetit, illius per omnes Provincias pervagata est. Nec quisquam est, qui hujus persecutionis obligatus sit veterum Christianorum, qui persecutionum notus numerum recensent, ut Eusebius, Augustinus, Orosius, alii. In epistola ad Plinium inquiri quidem in eos vetat: sed puniri vult si accusentur. Accusatores autem nusquam deerant. In Episcopos & Presbyteros mors pœna, in cæteros aqua & igni interdictio. Optimo igitur jure Idololatria post Domitiani tempora sævitiam resumens ab ipsius Principatu notanda fuit. De Domitiano autem jam ante egisse Iohannem feci, ni fallor, ex omni rerum contextu apertissimum. Vulnus quod incenso Capitolio acceptum est quasi lethale, non ad Imperium Romanum, quod tamen nunquam magis discerptum fuit, sed ad Idololatriam pertinet. Nam propagante se Euangelii prædicatione diis Romanis contraria, non dubium est, quin multi de eorum deorum potentia dubitare cœperint, qui viderant eorum ope primariam Idololatriæ Romanæ sedem nequiisse defendi. Restituto autem Capitolio multi iterum confidere diis Romanis cœperunt. Ego ex animo hæc vera esse arbitror & spero posteritatem non aliter judicaturam. Rogo me edoceas quo in loco nunc sit res Annotatorum ad Euangelia. Literæ ad me tuæ optimè aut per D. Wickefortium aut recta ad Iohannem Heufdium missæ ad me pervenient. Vale, Vir optime. Lutetiæ 23 Iunii 1640.

Tuus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1381 ADeo flaccessit in Italia Pontificis auctoritas, ut Dux Ethruriæ rogatus à Pontifice, ut vim suam commodaret interdicto, quo ipse Lucensem Civitatem perculit, non modo id facere abnuerit, verùm etiam Lucensium Legatis ad se missis ostendens gazas suas, dixerit, eas ipsorum usibus expositas fore, si quod ipsis à Pontifice periculum immineret. De urbe Taurinorum quid dicam nescio. Constat Leganesium habentem secum x millia peditum, vii millia equitum posuisse se ad Moncallerium medio ferme positu inter castra Gallica & Pignerolum: ibi fecisse pontem in Pado, & circum pontem munimenta, nempe ut commeatus auferat Gallis, qui cùm sint ad xiv millia, contra se habent & eum quem dixi Leganesii exercitum, & intra urbem sex millia sub Thoma Principe. Castrorum quoque munimenta nondum ex omni parte perfecta sunt. Quæ omnia efficiunt ut credamus Harcurtio necessitatem imponi aut deferendæ obsidionis aut rem committendi prælio, cujus eventus tam contra eum quàm pro eo esse potest; & jam de damno accepto susurratur aliquid. Millereius & Castilionæus cum xxx millibus, quæ apud se esse Regi asseverarunt, Atrebatum urbem obsidio claudere incipiunt. Abest Præfectus urbis Isemburgus Comes. Præsidium est cIↃ cc peditum, equitum ccc, parum in urbe rerum ad bellum necessariarum, quod bona pars in alia oppida quibus periculum imminere credebatur transportata sit. Non longè à Gallicis castris exercitum habent Silva & Lamboius ad xii millia. Is Silva ad Vicarium præfecti urbis Atrebatum, gente Hibernum, Eugenium nomine scripsit, ut parcè uteretur igniario pulvere, inutilem plebem expelleret, oppidanos qui arma ferre possent in numeros referret. Iam audimus & per Gallos aquam aversam à mola qua ad faciendam farinam oppidani utebantur. Dux Carolus & Beckius ad Mousonum apparuere: iis se opponunt Halerius & Gevrius. Villeregius in Comitatu Burgundiæ messem præripuit hostibus. Illi vicissim magnis incendiis in Ducatum Burgundiæ grassati sunt. Transeunt in Italiam Galli quidam, sed manibus exiguis, unde periculum ipsis ab hoste, præter alterum à valetudine, ob æstus corporibus noxios in Alpibus locisque vicinis. Turcam seditiones detinuere hactenus inter Ianizzaros & eorum semper æmulos Spahios. Eis per paucorum supplicia repressis, quò arma versurus sit videbimus. In Moscovitas putant multi, alii in Poloniam. Angli non longè ab ora sua septem naves cepere prædonum, qui ex Africa eousque pervenerant. Seditiones cessant. De bello Scotico componendo agitur, sed incerto exitu. Imperator Ratisbonæ esse dicitur. Velit Elector Palatinus eò mittere, nisi Galli in quorum potestate est, id noline. Ego suasi Rex Angliæ potiùs eò mitteret. Cùm nihil hic cum ipso agatur (nec agetur quicquam nisi Anglia se admisceat) velit Princeps Elector fide data liberari. At Galli, metuentes ne sine ipsis cum Imperatore ac Bavaro transigat, id omni modo cavere cupiunt. Exemplum mitto earum literarum quas scripsi, non quidem ad Archiepiscopum Cantuariensem, sed ad Vicecomitem Scutamorii qui nuper Archiepiscopi jussu ad me scripserat. In his negotium Electoris, ita ut ipse voluit, commendo. De rebus Bannerii nihil scribo. Absumus enim longiùs & certiora ad Batavos perferuntur. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ 13/23 Iunii 1640.

Mittuntur ad castra quæ obsident Atrebatum urbem molæ portatiles, pecunia, multum igniarii pulveris, & ad Longavillanum sex millia militum sub Smidsbergio. De Orano obsesso à Mauris, de seditionibus Catalanis & Siculis foventur hic rumores. Bingam illata sunt alimenta.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DIe Iunii 24 pugnatum est in campis apertis inter Gallos qui ad Atrebatum urbem sunt & Hispanos: cecidere utrinque complures & quidem prænobiles: capti nonnulli. Galli se pro victoribus gerunt; quod hostis consilium fuisse credant mille & ducentos milites in urbem introducere sub præsidio turmarum sedecim. Aiunt transfugæ parum esse in urbe igniarii pulveris. Id si est, accelerabit deditionem quam ante Augusti exitum Galli sperant. Non quiescit tamen Cardinalis Hispanus, sed venit Insulas. Quatuor millia ad se attraxit præter xv millia quæ ante habebant illis in locis Silva & Lamboius. His se addere dicitur Dux Carolus. Verum id si facit, à tergo habebit Halecium & Gervii (qui ipse apud hostes captus est) militem. Valde dolet Gallis quod Batavi tamdiu cessant. De rebus Italicis hoc habemus. Crevisse & crescere multum indies Leganesii exercitum, contra Harcurtio & tarda & exigua ad re[illegible]

supple-

Digitized by Google

supplementa. Quæ faciunt, ut prælium ausurus non putetur. Sine eo autem durare in obsidione non potest, interceptis per hostem, qui inter Pignerolum & castra medius est, commeatibus. Accedit & hoc mali, quod pars ferme tertia Harcurtiani exercitus per continuos imbres aut interiit aut morbos contraxit. De rebus D. Bannerii nihil scribo, cùm videam certiora apud Batavos cognosci. Videtur ejus futura victoria qui diutius habebit quod edat. Omnes in magna exspectatione sunt, quid pariturі sint Conventus Germanici. Gildchasius apud Leganesium est cum Tirolensi illo dilectu. Miror neque Gallos neque Batavos quicquam tentare in Hispaniam, cujus vires maritimæ non parùm fractæ sunt, & intus multa parùm sana. Nam illa Catalaunica seditio ad Perpinianum usque manasse dicitur. Scoti jam inchoarant Parlamentarium Conventum, antequam Regis eum differri volentis literæ ad ipsos advenissent. Per id difficiliores factæ erunt reconciliationis viæ. In Anglia quietiores sunt animi, præsertim ex quo Conventus Ecclesiasticus multa statuit contra Pontificios plebi satis grata. Turca videtur adhuc quid acturus sit, deliberare. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut rem Suedicam & omnia Sublimitatis Tuæ consilia prosperet. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Iunii 1640.

Etiam tertiam partem munimentorum castrensium Harcurtii imber diruit. Ex pugna autem non longè ab Atrebatum urbe commissa Galli decem signa equestria tulerunt, si vera jactant, nam dubitari video. Postquam hæc scripseram, narrationem nactus sum satis fidam, unde disco quinque signa capta esse pugnæ initio; postea pugnam Gallis fuisse adversam nimia temeritate progressis ad hostium castra. Dux Carolus habere scribitur VIII millia militum. Bapalmæ magnum præsidium habent hostes. Rex ad exercitum qui urbem Atrebatum obsidet, addit III millia è Normannia & è Prætorianis suis octo centurias. Archiepiscopus Burdegalensis nondum in mari est. Habet paratas naves longas xx, alias totidem. Quindecim naves ad oræ Gallicæ tutelam manebunt.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

83 DE illis Episcoporum in Anglia decretis, audivi aliquid, verùm ipsa non vidi. Aiunt multa in iis esse contra Pontificios constituta prudenter & ad populum grata, quibus unus Episcopus Glocestrensis subscribere recusaverit. Parlamentarium autem suum Conventum jam inchoaverant Scoti, cùm literæ Regis Britanniæ differri eum volentis ad ipsos pervenirent. Ego nihil opto magis quàm ut internæ pacis ibi inveniantur rationes, & aliquid fiat pro Principe Palatino; qui alioqui manet in malis suis rebus. Conventus ejus quem agitat Imperator, sermones non ita in arcano haberi poterunt, ut non aliquid emanet, quod nobis conjecturas suppeditet ad belli durationem aut ad spem pacis. Audimus hic percaram esse annonam in Piccolominæi exercitu; sed nec vilem in Banneriano. Quàm diu patet ad hostem è Franconia, ubi pars est Bavaricorum, aditus, non videtur ab illis locis recessurus. Turca videtur adhuc deliberare. Quod de Hassicis scribit Excellentia Vestra, verè illud est Horatianum: *pacem duello miscuit.* Miror & ego cùm multa damna mari acceperit Hispanus, & seditiones dicantur manere, ita ut ex Catalaunia Perpinianum usque fluxerint, neque Gallos, neque Batavos, cùm classem paratam habeant, non de eo cogitare quomodo augere hostium mala, iisdemque frui possint. Tum verò in Flandria nihil agi, &, si nihil ibi agi potest, non aliò transferri bellum, dolet Gallis. Videtur Rex Daniæ rediturus ad illum modum vectigalium qui fuit ante annos aliquot, excepto nitro, cui vult quantum lubet imponere. Batavi qui nitrum aliunde habere possunt, & ab India usque advehunt, fortè ad eam formulam redigi se patientur. Est enim id ingenium Mercurialibus, ut præsentia aliquo modo bene ponere contenti, futuri curam posteris relinquant. Suediæ in hac re, quantum ego judico, nihil neque seritur, neque metitur. Princeps Elector nunc Liancurti rusticatur ad recolligendas in liberiore cœlo vires, quas febris non parùm attriverat. Planè arbitror Suediæ Rectores consultationem, & de Palatini rebus, & de multis aliis in integro servaturos, donec illa maxima deliberatio super Gallico fœdere finem aliquem acceperit. Interim si à Bavaro aliquid haberi potest, quod ego vereor ne sit exiguum, id per homines Principi quidem Palatino fidos, verùm non ex ipso, qui in aliena adhuc est potestate, sed à Rege Angliæ mandata habentes, curandum mihi videtur. De Gallorum rebus ad urbem Atrebatum bene speramus, multum verò metuimus de illis ad urbem Taurinorum. Non longè ab urbe Atrebatum pugna commissa est, in qua Galli egregios suorum amisere, sed pulso hoste captisque signis equestribus quinque, pro victoribus se gerunt: aiuntque consilium hosti fuisse sub præsidio turmarum sedecim milites mille ac ducentos in urbem obsessam introducere. Id sua virtute prohibitum: benè procedere castrorum munimenta. Ex transfugis cognosci parum esse in urbe igniarii pulveris. Nuntii qui in urbem penetrare speraverant capti suspensique. Speratur fore ut urbs Gallorum sit ante finem Augusti, si non antè. Interim Cardinalis Hispanus spem aliquid agendi non abjicit. Venit Insulas aut Duacum. Eò advocavit quinque millia ex interioribus Belgicæ partibus, præter xv millia quæ habebant Lamboius & Silva. Eodem se ferre dicitur Dux Carolus: quod si fecerit, habebit à tergo Hallerium & cohortes Gevrii. Nam ipse Gevrius ad Regem profectus prælio illi non longè ab Atrebatum urbe interfuit, vulneratusque in hostium venit potestatem. Ad urbem verò Taurinorum vi imbrium disjecta est ferme pars tertia munimentorum castrensium. Exercitus Harcurtii à morbis etiam carpitur. Supplementa nondum adsunt. Sex aut septem millia eò itura dicuntur, sed non perventura ante Iulii finem. Interim advenit ad Leganesium Gildchasius cum Tirolensi milite, adventant & aliæ ei copiæ ex Italia, Rhætis, Helvetiis. Commeatuum viam Harcurtio intercepit, positis inter Pignerolam ipsumque castris: urbs multo bonoque milite defenditur, & urget præsentia Turni, id est, Principis Thomæ. Quare non video qua spe adversùs hostes numero validiores prælium periclitari possit, nec quomodo diutius illis in locis subsistere. Exspectabimus ergo quid futurum sit. Si quid supra spem, gaudebimus, si minùs, leniùs prævisa mala nos ferient. Dux Carolus octo secum millia habet. Bapalmæ hostes magnum imposuerunt præsidium. Rex ad castra Millereil addit III millia è Normannia, Prætorianorum suorum octo centurias. Archiepiscopus Burdegalensis nondum mare intravit. Habebit sub se naves longas xx, totidem alias. Quindecim naves ad oræ Gallicæ tutelam manebunt. Deus, Illustrissime Domine, dura hæc bella ad bonam pacem dirigat, omnibusque pacem desiderantibus, inter eos Excellentiæ Vestræ, faveat. Lutetiæ, exitu mensis Iunii 1646.

Excell. Vestræ omni cultu observantiaque devinctus H. G.

E I D E M.

Illustrissime Domine,

SVnt sanè ut judicat Excellentia Vestra satis malo loco 1384
res Principis Palatini, nec video qui resurgere possint nisi ab Anglia sublevatæ. Rex Britanniarum si velit possit eodem

eodem negotio subditorum suorum animos sibi obstringere, nec obedientiam tantùm eorum, sed & liberalitatem elicere, restituere in meliorem statum afflictam Domum sibi consanguineam, bene mereri de Germania, & inter præcipuas esse causas pacis Christianorum. Scripsi ea de re ad D. Scutamorium. Excellentiam verò Vestram scio non excitandam, ut in id contribuat quicquid suæ est opis, inter quæ numerandæ vel maximè seriæ ad Deum preces. Si Imperator & Saxo suarum utilitatum causa prolatant Germaniæ mala, seriùs aut ociùs pœnas ad se attrahent. Cæteri quibus ex pace Pragensi minus est lucri, non dubium est quin pacem velint, idque in eo qui nunc cuditur Conventu appariturum arbitror. Hispani ut video Belgas suos pascunt rumorum inaniis. Dum illi non aliter nobis noceant, satis pulchræ res nostræ erunt. Venit in mentem Sophocleum illud:

Τί γάρ με λυπεῖ τοῦθ', ὅταν λόγῳ θανὼν
Ἔργοισι σωθῶ κἀξενέγκωμαι κλέος.

Quid verò jam acturus sit Bannerius, multum refert. Prudentior est quàm ut se in ea loca induat, ubi vel militi vel equis esuriendum sit. Si Vinariensium quidam eum sequuntur, vereor ne id inter nostros & Gallos simultates, si non & inimicitias, serat. De Batavis duo dolenda sunt, quod bellum terrestre tantis stare impendiis malè procedat: & quod eadem ista impendia in causa sint, cur maris cura deseratur aut certè minùs vigeat quàm res ipsorum exigunt. * Sed quandoquidem plures jam naves illuc missæ sunt, ubi damnum acceptum est, nihil vetat meliora sperari. Verissimum est Gallos ardente quodam limitem suum proferendi studio sæpe abripi ad ea quæ in commune minùs expediant. Sed quid agamus? constituendæ cuique suæ res ita, ut quàm minimùm à Gallis pendeant: quod à Gallis haberi potest, deputandum lucro. Certè ad Atrebatum urbem nunc bene rem gerunt. Ita prospectum est castris, ut defendi possint contra exercitum hostilem, qui satis magnus est ad Arlosium. Commeatus qui ad castra Dorlano perferebantur solebant interdum carpi ab hostibus. Nunc cum magno præsidio, Regis & Cardinalis cura, ab Ambiano tanta vis commeatus in castra pervenit, ut ad sesquimestre tempus suffectura credatur obsidentibus. Frater Regius eò it imperii nomen habiturus, vim puto penes Castilionæum, ut istarum rerum peritiorem, fore: honori interim Millerei hoc commento consuli. Sed de rebus ad urbem Taurinorum non immeritò solliciti sumus, vera rerum notitia vix ad nos pervenit. Existimant nonnulli Harcurtium adeo increscente hoste, suis supplementis non adventantibus, sive per negligentiam talia curantium in Gallia, sive ex invidia adversùs ipsum, castris nondum permunitis, recessisse in loca ea quæ ab arcis præsidio tutiora sunt. De Catalania nihil habeo aliud nisi quod seditiones manere dicuntur. Non tamen audio foveri à Gallis milite, commeatu, pecunia, sine quibus brevi deflagraturum videtur illud incendium. Inter Regem Galliæ & Pontificem composita sunt, quæ erant controversa, idque opera Cardinalium Antonii & Biquii, ita ut Estræo rursus ad Pontificem, Scottio autem ad Regem futurus sit aditus. Mazarinus quin purpuram jam sit adepturus, Rege jam pridem id urgente, nunc autem concessuro id Pontifice, non dubitat. Restat ut jam Galli flabella admoveant ad incendenda illa dissidia quæ inter Pontificem sunt & Hispanum. Carri qui commeatum in castra ad Atrebatum urbem pertulere, fuerunt quater mille sub præsidio militum ter mille. Cùm Ducis Caroli copiæ se Hispanis conjunxerint, etiam Halerius it cum octo ferme millibus ad augendos obsessores, tum verò castella ex humo fiunt inter Dorlanum & castra, ut viæ tutæ sint Gallis & nunc & ubi urbs erit capta: Pecuniæ in castra missæ ad mille ducenta millia francorum in stipendium & opem. Supplementa ad Harcurtium mittuntur ex Burgundia, Provincia & Languedocia. Sed & ex Neapoli quatuor millia militum ad Finale venere. Sunt & in Gallia seditiones quædam, maximè Molini. Eruptio ex oppido Atrebatum eodem tempore quo advenit commeatus feliciter repressus est. Deus & hæc & alia omnia vertat in bonum publicum, Excellentiamque Vestram omnibus modis beet. Lutetiæ 7 Iulii 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia obligatissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

HAbeo gratias Excellentiæ Vestræ pro literis datis 1385
29 Maii & 4 Iunii, quas eodem tempore accepi. Scripsi ego semper ad Magnum D. Cancellarium die quoque septimo. Relegi literas quæ illas præcedebant, quas de Marescallo Hornio & Waertio scripsi, nihil est in illis quod rebus nostris nocere possit, etiamsi in manus infestas pervenissent. Pecunias Gallicas jam advenisse spero. De negotio isto Hornii & Waertii planè consilium sequor Excellentiæ Vestræ, eumque in modum scribo ad D. Comitem Chavigniacum. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram diu servet bono Regni Suedici. Lutetiæ 7 Iulii 1640.

Excell. Vestræ semper observantissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

VIdeo adhuc parum certas esse civitatis vestræ cum 1386
Poloniæ Rege res, ego autem pergo ea vobis optare quæ erunt utilissima. Miror illud de Vilna. Cosaccus & quidem Pontificius peccavit. Rei fiunt qui Calvinum probant. Hoc est quod Græci dicebant, coquum peccasse, vapulare tibicinem. Multum eminuit hactenus Polonia super gentes cæteras, intacta sacrorum libertate: multum supra Regna omnia, felici mixtura principatus cum libertate. Austriacæ Domus, quæ in vestram innupsit, alii sunt mores, aliæ regnandi viæ. Tum verò continuatum in una familia Regnum causas sanè justas habuit, sed non stant exempla ubi incipiunt: exspectabimus quid pariturus sit Conventus vester Polonicus, quid Prussicus, quid Toruni amburbialia. Nos bonam spem habemus de obsidione urbis Atrebatum, præsertim cùm multum commeatus in castra invectum sit. De obsidione Taurinorum urbis sumus solliciti. Bannerius videtur in Bohemiam reverti: Longavillanus ad Rhenum. Batavi terra nihil agunt. Mari valdè eorum res acciduntur à Dunquercanis, qui naves eorum bellicas ceperetres apud Orcadas, quarta, ne caperetur, ab ipsis exusta est Batavis. Vale, Vir Nobilissime, & bene vale in florente patria. Lutetiæ 7 Iulii 1640.

Eruptio ex urbe Atrebatum facta, feliciter repressa est, pecuniæque vis magna missa in castra, & exercitus obsidentium augetur.

Nobil. Vestræ ad omnia officia paratissimus H. G.

D. DORISLAO.

Vir Doctissime & Clarissime,

LEgi cum summa voluptate historiam prælii illius, 1387
quod unicum ex quo Princeps Mauritius imperium accepit ad hunc diem in Belgica pugnatum est. Res ipsa dignissima quæ noscatur, tum his qui consiliis publicis præsunt, tum his qui manu rem gerunt; magnum enim ibi periculum adolescens adhuc Respublica evasit, maximè ejus virtute, animo præsente atque ingenio, cujus commentaria secutus multa nos multis incognita, sed perquam utilia huic sæculo, gratissima autem futura posteritati, docuisti. Dictio ipsa plena nervorum & par materiæ. Videamus, quæso, sæpè talia à tam docta manu. Ego semper ero.

Clarissimi Nominis Tui studiosissimus H. G.

AXE-

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1388 QUatuor jam res sunt in rumoribus. Bannerius, urbs Taurinorum, urbs Atrebatum, Batavi. Bannerium pabulo ad tantum equitatum deficiente Lipsiam ire, inde Bohemiam repetere audimus. De urbe Taurinorum mussitatur. Itali quidam aiunt Harcurtium cum omni exercitu se recepisse sub arcis tutelam, nempe quod opera nondum perfecta essent, hostis autem validior. Videntur qui supplementa ei mittenda tam diu tardarunt, invidisse ejus gloriæ, quod sæpe publicis negotiis nocet. Castra ad urbem Atrebatum jam talia sunt, ut sperentur posse defendi contra magnas quamvis hostium copias, qui sunt ad Arlosium. Sed commeatuum qui à Dorlano in castra advehebantur, partem sæpè aliquam intercipiebat hostis. Nunc panes & alimenta unde in XL aut amplius dies vivi possit, sub magno præsidio ab Ambianorum urbe, ad quam Rex est & Cardinalis, in castra feliciter pervenisse audimus. Proficiscitur autem ad castra Frater Regius, in remedium parti hactenus inter Millereium & Castilionæum imperii, nomen tamen magis summi ducis quàm vim habiturus. Batavi quid nunc facturi sint, ex quo obsessa urbs Atrebatum magnam hostium vim ad se trahit, videbimus. Multi existimant nihil magni hoc anno sperandum. In Flandria sanè nihil actum est: atque interim ingentia per terram impendia effecerunt, ut cura maris, quæ potissima esse debebat, negligeretur, Dunquercanique tanto numero invaderent mare, ut naves quatuor bellicæ Batavis perierint ad Orcadas, tres ab hoste captæ, quarta ne caperetur à suis incensa, & in magno periculo sint eæ quæ ab India adventant, in quarum præsidium quatuor illæ missæ fuerant. Romæ congressi inter se Cardinales Antonius & Biquius & Legatus Galliæ Estræus, rationes invenere reconciliandi cum Rege Pontificis, quæ hic probatæ sunt; ita ut iterum aditum ad Regem habiturus sit Pontificis Nuntius Scottus. Latent adhuc quæ convenerunt, nisi quod Mazarinus pro certo habet futurum se Cardinalem. Seditiones in Catalaunia manere dicuntur. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ bono Suediæ & Orbis Christiani gubernet ac prosperet. Lutetiæ 7 Iulii 1640.

Carri qui commeatus ad castra portarunt fuere ad III millia. Præsidium XV millium. Adfuere & machinæ aliquæ. Exercitus ille augetur octo millibus sub Hallerio, quia Dux Carolus se Hispanis adjunxit. Castella ex humo fiunt inter Dorlanum & Atrebatum urbem, ut via in posterum tutior sit Gallis. Opera quoque versùs urbem promoventur. Seditiones in Catalaunia nullæ restant nisi fortè in agris. Videtur ea occasio quæ se præbebat non satis arrepta à Gallis & Batavis. Burdegalensis Archiepiscopus nondum in mari est. Quo die in castra ad urbem Atrebatum perducti sunt isti commeatus, eruptio ex urbe facta & feliciter repressa est. Pecunia quoque eò missa, ad M CC millia Francorum. Sunt per Galliam seditiones, in Arvernis, Divione, Molinis maximè. Navis Batavica gladios & musquettas in Scotiam ferens ab Anglis capta nova feret odia. IV millia militum ex Neapoli ad Finale advenere.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1389 PRinceps Elector ad postulatum suum, ut promissi de manendo in Gallia vinculo solveretur, nihil obtinuit, perseverante Rege in eo quod ei antehac datum fuit responso. Tentaverat & per eum quem miserat Regis Galliæ animum, an gratum habiturus esset si ipse in comitatum Regis veniret. Super ea re differtur responsum. Ad illud verò quod rogaverat, an placeret Regi, ut ipse aliquem pro se ad Conventum Germaniæ mitteret, dixit Rex se, quominus id fieret, non intercedere. Verùm dixit mihi Princeps Elector, doceri se ab aliis, si quem illuc mittat, ei in Conventu verba facere permissum non iri. Quare cogitaveramus an rectius foret, Regem Angliæ aliquem eò mittere qui res Palatinæ Domus commendaret. Sed contra occurrit, Regem Angliæ hactenus Regi Hungariæ Imperatoris nomen non dedisse quasi non legitimè peracta electione. Ego, quanquam scio quid Suedia in ea re moris habeat, nolui urgere ut Rex Angliæ ad id nomen dandum perduceretur, cogitans fortè aliquid Regem Angliæ in ea re cunctando obtinere posse, ut olim factum est antequam Ferdinandi I. electio approbaretur, aut certè simultates inter ipsum Angliæ Regem, & Ferdinandum oriri inde posse & cum tempore augeri & in majora procedere. Quare cùm diceret Elector ab aliis suaderi sibi, ut in eo Conventu Regis Daniæ pro se gratia & auctoritate uteretur, placuit id mihi, ita tamen, si Rex Daniæ pateretur aliquem Electori fidum aut inter suos Legatos esse, aut certè Legatis suis adesse, ad suggerenda ea, quæ ad jura ac commoda Domus Palatinæ pertinerent. Addidi verò non abs re fore, si & Viduæ Hassicæ quæ missura ad Conventum dicitur, & multas significationes dedit optimæ voluntatis pro Domo Palatina, auxilium in hoc negotio imploraretur. Videtur mihi Elector hæc consilia secuturus. Cæterùm doleo res Angliæ, quantum intelligi hactenus potest, in bellum cum Scotis procedere, & in Batavos odia illa magis magisque inflammari. De rebus Italicis nihil certi habemus, nisi quod è Languedocia sex millia illuc eunt, & ex Montiferratensi agro tria ferme millia Pinerolum venisse dicuntur: Villaregius quoque eò ire cum aliquanta manu. Sed hi ad Harcurtium à Pinerolo pervenire non poterunt, nisi hostem, qui in medio est, pepulerint, quod magnæ est difficultatis & periculi. Nam ex omni Italia, item ab Helvetiis milites ad Leganesium perveniunt quotidie. Dicitur Præfectus Casalis oppidulum Montiscalvi cepisse, arcem hoste retinente. Cardinalis Hispanus Duaci est: exercitus ejus non longè à Gallico validus sanè, ad XXXII, ut dicitur, millia. Pars eorum prope Guisam spectatur, eo terrore Gallos abstrahere volens ab obsidione urbis Atrebatum. Spes magna Gallis posita erat in conatibus Principis Arausionensis: sed illi sicut in Flandria infelices fuere, ita ad Hulstum, præter quod unum castellorum, dictum Nassavium, in potestatem ejus venit, tam malè procedunt, ut multi hic homines supra æquum suspicaces colludere eum cum Hispanis susurrent: etiam multos ex ejus exercitu transire ad Hispanos. Propter hæc de obsidione urbis Atrebatum multò hæsitantiùs quàm antehac loquuntur Galli. De Bannerio audimus optimum ei fuisse consilium redeundi in Bohemiam aut ei propinqua. Sed Longavillanum multum rogasse ut propiùs se maneret, duas ob causas, primùm ut spe prælii faciliùs è Gallia supplementa acciperet, deinde ut sic recipere posset machinas quas in Hassia superiore reliquerat. Multi rerum periti judicabant damnosum id Bannerio, quod nec iisdem in locis subsisti posset deficiente commeatu & pabulo, & difficile sit hoste tam vicino tamque valido perrumpere oppida, quibus non captis penetrari ad Mœno adsita vel in superiorem Palatinatum non possit. Discessisse nunc à Bannerio Longavillanus dicitur, & cum non magno agmine, haud citra periculum, ad eos reverti quos Fridbergæ reliquerat. Seditiones interim in Gallia sunt non leves. Divione, Molini, Claremontii, & apud Arvernos, interfectis nonnullis, alibi Magistratuum, alibi publicanorum. Naves longæ Gallicæ in alto sunt. Tantum verò abest

abest ut supplementa illa quæ sperabat accipiat Longavillanus, Smidsbergius & alii qui eò ituri dicebantur, omnes vocati sunt ad augendum exercituum eum qui Atrebatum urbem obsidet. Ransovius acceptis vulneribus periculosè ægrotat. Hæc sunt quæ nunc intelliguntur. Deum precor, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut cuncta ad bonam pacem gubernet. Lutetiæ 14 Iulii 1640.

Mitto exemplum epistolæ quam ad Comitem Chavigniacum in negotio Marescalli Hornii scripsi. Audimus Harcurtii exercitum nulla habere alimenta, nisi quæ ex arce accepit. Villaregium tardari amnium exundationibus. Leganesium adhuc esse ad Moncalerium. Missa ab eo millia hominum quatuor ad claudenda itinera ex Gallia: Comitatenses Burgundos multum mali intulisse agro Bressiæ. Vrbem Atrebatum sexaginta machinis verberari, mittique alias & commeatus novos. Vivi in castris modico pretio. Hostium equitatum qui est ad XXI millia aliquid moliri.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1390 SAtis pertinaciter adhuc mala fortuna persequitur Domum Palatinam, ejusque caput Principem Electorem. Vt promisso in Gallia manendi liberaretur, obtinere non potuit, perstante Rege in responso quod nuper ei datum est. Ad alterum, an gratum habiturus sit Rex si ad comitatum ejus Elector veniat, nihil respondetur. Quin ad Conventum Germaniæ mittat pro suis rebus Elector, Rex non impedit. Sed non immeritò metuit Elector, ne si quem mittat is ad Conventum loqui non sinatur. A Rege Angliæ quominus magni aliquid speretur, obstant ea quæ Excellentia Vestra prudenter suggerit. Intellexi quod nesciveram, nunquam hactenus Regi Hungariæ nomen Imperatoris datum ab Angliæ Rege. Putat Comes Licestrius posse aliquem ab Anglia mitti & dari nomen Imperatoris Ferdinando sub testatione ne quid ob id causa Palatini deterior fiat. Ego malim Regem Angliæ perstare in proposito non dandi nominis, donec id concedendo aliquid vicissim obtinuerit pro Palatino. Poterit interim Rex Angliæ ad Germaniæ Principes scribere pro Palatino. Poterit etiam Rex Daniæ per suos Legatos idem negotium commendare: sed expediret aliquem Electori fidum istis Legatis aut interesse aut adesse. Vidua quoque Hassica libenter, siquid potest sua auctoritas, contribuet. Valde doleo si, ut videtur, Scoticæ istæ controversiæ Martem habituræ sunt arbitrum:. doleo etiam quod Episcopi nimium intendendo potentiæ suæ nervos odium sibi potiùs quàm amorem populorum pariunt: Regemque ipsum faciunt minùs quàm esse deberet & esse meretur amabilem. Canonas novos XVII nondum vidi, sed videre desidero. Audio multa in illis esse contra Pontificios. Exspectabimus felices nuntios de adventu classis ab India & Dunquercanis mari ejectis. Ad Hulstum quæ geruntur hic non placent: nec absunt iniquæ interpretationes. Cardinalis Hispanus non longè ab exercitu Gallico suum habet, XXXII ut fama est millium. Multum pugnatur quotidie, & Ranzovius acceptis vulneribus non sine periculo ægrotat. Pars Hispanorum ad Guisiam se ostentat, si fortè eo metu abstrahere partem à Gallico exercitu possent. Obsidio non malè procedit: sed crescens indies hostium exercitus rem peritorum judicio aliquanto quàm priùs putabatur, incertiorem facit. Tum verò pro Harcurtio non sine causa solliciti sumus. Venere Pinerolum tria millia è Montisferrato: sex alia è Languedocia eodem eunt, & alia manus sub Villaregio. Sed à Pinerolo ad castra non video qui venire possint, nisi depulso hoste, qui media loca insidet, quod nec difficultate, nec periculo vacat. At Præfectus Casalis, Montiscalvi oppidulum cepit, arx penes Hispanos manet. Gallicæ naves longæ in mari jam sunt, non & aliæ. Bannèrium audimus consilium redeundi in Bohemiam mutasse, rogatu Longavillani, qui Bannerio propiùs manente sperabat faciliùs se à Gallia supplementa accepturum, velut instante prælio: simulque vias sibi tutiores fore, ut quas in superiore Hassia habebat machinas inde abduceret. Verùm censent armorum periti neque subsisti sine malo posse in locis ubi commeatus & pabula consumpta essent, neque faciles captu, tam propinquo tamque valido hoste, urbes per quas iter ferret aut ad superiorem Palatinatum, aut ad Mœno adsita. Tum verò Longavillanus de supplementis illis multum falsus est suæ spei. Nam & Smidsbergius & alii qui ducturi ea supplementa dicebantur, omnes à Rege vocati sunt ad exercitum qui Atrebatum urbem obsidet. Nunc audimus Longavillanum se recepisse ad suos quos Fridbergæ reliquerat: atque ita discessisse Gallos à nostris. Vbi coiturus & quid nobis pariturus sit iste novus Germaniæ Conventus, cognoscemus perlibenter. Heppinus quædam à Gallis sibi data, sed sub nomine Croiacæ, cui inservit, Norimbergensi Conventui obtulit. De Bavaro apparet quidem Gallis, quod pridem apparere debuerat, divelli eum ab Imperatore non posse. Sed Palatina navis semper ad Angliæ scopulos adhærescit. Præter Hetruriæ Ducem, etiam Hispanus tutelam suam contra Pontificem promisit Lucensibus. Causa controversiæ est, quod Episcopus Lucensis familiam suam diu noctuque armatam vult incedere contra leges civitatis, quibus teneri non vult. Liber Iesuitæ nondum huc venit. Sed multi legum ac canonum in Italia periti pro Lucensibus respondent. Verum est quod notat Excellentia Vestra sæculum nostrum prioribus esse perspicacius. Sed simul etiam locorum quoddam discrimen observo. Galli & Veneti satis bene semper jura sua tutati sunt: etiam Hispani, ut ex Marianæ historia & ex novis libris Salgadi Somoræ cognosco. Germania illis à Roma ventis magis fuit agitata, partim ob jus illud quod in approbanda electione Imperatorum Pontifex pro Italia sibi vindicat, partim quod Episcopi magnis possessionibus ac principatibus validi, sæpe Romam magis quàm patriam suam respexerint. Sed habebit etiam Romana ista potentia suam παρακμὴν quæ magis magisque videtur accedere. Die Lunæ proximo alii commeatus iterum mittentur in castra ad urbem Atrebatum. Hactenus omnia ibi modicè væneunt. Machinæ urbem verberant LX, mittuntur & aliæ. Hostis tamen aliquid molitur, maximè per equitatum, quem egregium habet ad XII millia. Deus cuncta bono dirigat Christiani Orbis, Excellentiamque Vestram diu eidem bono servet. Lutetiæ 14 Iulii 1640.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

EGregia iterum hic Harcurtii victoria narratur hunc in modum. Leganesius aiunt, cùm intellexisset venisse Pinerolum supplementa ad Harcurtium missa & in eo esse ut transitum quærerent, priusquam id fieret urbi obsessæ consulere voluit immisso milite rebusque necessariis, puta pulvere bellico, sale, farina; paratos ad vecturam habens mulos trecentos, plaustra quæ bubus traherentur multa & lintres aliquot. Vt autem meliùs provenirent destinata, exercitum suum divisit in partes quatuor. Vnam cui ipse aderat collocavit in monte trans Padum. Inde machinis verberabat Gallicorum castrorum munimenta. Erat autem ea manus equitum mille, peditum

tum ter mille. Tres aliæ manus tribus locis castra oppugnanda susceperant, erupturis eodem tempore ex urbe sex peditum millibus & equitibus septingentis: quæ facta omnia, tanto Hispanorum impetu, ut & castella quædam Gallorum caperentur & nongenti fermè Hispanorum penetrarent in urbem. Pugnatum diu à quarta hora post meridiem (dies erat undecima Iulii) in mediam noctem, posteriora ejus pugnæ pro Gallis fuerunt, captis hostium mulis, plaustris & in amne depressis lintribus, jactibus machinarum quas in castellis ad ripas habebant Galli, ita ut rerum illarum necessariarum nihil in urbem penetraverit, sine eis autem qui intrarunt milites oneri magis futuri credantur quàm auxilio. Quod si tanta facta est hostium clades, quantam fert fama, id est quatuor millium, non inanis videtur opinio Gallorum, putantium Vicecomitem Turenæ, qui ad Rivolam conspectus fuit iis, qui huc nuntium attulere, cum supplemento, quod est octo millium, & multis carris commeatum ferentibus, jam pervenisse ad Harcurtium, cujus in exercitu tanta fuit victus inopia, ut fame exstincti dicantur mille & quingenti, ipse autem Harcurtius per dies undecim non alio victu usus sit quàm farina è fabis, quam ex arce acceperat, ut id omnibus appareat in publico & prandens & cœnans, vinoque abstinens, quod interim in ægrotorum militum usus elargiebatur, simul quotidianis hortamentis militem animans ut duraret in certam spem jamjamque adventantis auxilii. Quod si post tot mala urbem capit Harcurtius, erit id insigne documentum ad posteritatem, virtutes omnes disci posse, quando patientiam sub illo magistro didicerint Galli. Ad servandam Atrebatum urbem Hispani spem omnem, non in oppugnandis Gallorum castris, quæ satis bene munita sunt, sed in commeatuum, quibus & magnis & frequentibus eget tantus exercitus, interceptione posuerunt. Ad eam rem ceperant nuper Eligli montem non longè ab urbe Atrebatum. Postea satius illis visum non longè à Dorlano considere ad Aubiniacum cum sex millibus peditum, tribus equitum, sumtis de exercitu qui totus est XX millium peditatus, XII CIↃ equitatus, cui se conjuncturus putatur Hatzfeldius, transito ob id Rheno. Turrim præterea quandam disjecere Hispani, quæ Gallis pro specula erat: iterque illud per quod nuper commeatus ad castra venere, corrupit fossis & concædibus. Itaque aliud jam iter tenturi sunt Galli à Dorlano, ubi horreum est, per Corbiam & Anchoram, ubi inter ipsos & hostes medius erit rivus quidam, aliquid impedimenti in transitu allaturus hostibus: ibunt autem ad deducendos commeatus XII millia à Dorlano, eritque in quoque carro auriga armatus furca ferrata, & igniario baculo, miles unus & fossor unus. His obviam procedent ex castris itidem XII millia. Ejus consilii eventum opperimur. Princeps Elector ivit Ambianum, accepto quem diu exspectaverat Regis permissu. Bellum inter Anglos & Scotos cœptum est, captis mari Scotorum navibus. Creditur in Scotia latere aliquid mali consilii quod foveatur extrinsecus, alioqui faciles fore pacis rationes. Rex autem Britanniæ Bosuello Hagæ suas res agenti negotium dedit componendi ea quæ pridem controversa sunt inter Anglos & Batavorum societatem Indiæ Asiaticæ. Id ubi comperit Galliæ Rex, statim literas misit ad Fœderatos Ordines ut suis quoque subditis de damnis in eadem India acceptis satisfiat: ni id curetur, alia se via consulturum suis. Princeps Arausionensis, quem multi hic collusionis cum hostibus insimulabant, satis mihi videtur se purgasse missis in gravissima pericula propinquorum potissimis. Neque tamen desunt qui dicant & in Flandria ad Ledam & in Hulstano agro retusos primos impetus repeti debuisse auctis copiis, & tali perseverantia qualem ad Casale ostendit Harcurtius. Catalonicas seditiones Rex Hispaniæ sanavit, data criminum indulgentia, etiam interfecti Proregis, & fide posthac milites Provinciæ isti oneri non fore. De ea vi quæ Possiaci in familiam Principis Gustavi facta est, rem video impunè abituram, quia Polhemius, qui vulneratus fuerat, jus suum remittit: testes autem quibus res maximè cognita est ne audiuntur quidem: susurratur præterea ipsum Principem ejusque familiam alieniore fuisse animo à Galliæ rebus. Nondum planè exstinctæ sunt seditiones in Arvernis, Petricoriis & Molini. Deum rogo, Excellentissime & Illustrissime Domine, ut res omnes ad bonum Suediæ Orbisque Christiani prosperatis Vestræ Sublimitatis consiliis dirigat. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Iulii anni 1640.

Bulionius jam nunc dedit assignationes Heusdio ut se paret solvendæ pecuniæ auxiliari, quæ mense Novembri debebitur, ante exitum verò anni in manus Suedicas perveniet. Cardinalis Hispanus ipse in suo exercitu est inter castra Gallica & Anchoram, omnes vias invias Gallis facit. A Sanctiquintino & Perona qui ad castra pervenire cum pulvere bellico speraverant, prohibiti sunt ab hostibus. Opera obsidentium jam pervenere ad vallum urbis exterius bene repulsis eruptionibus. Hallerius Sanciacum tribus machinis verberat. Audimus Erlachium de summa & Hastenium de secunda Præfectura Brisaci decessisse, acceptis à Rege magnis mercedibus, ut Galli posthac ibi soli regnent. Archiepiscopus Burdegalensis cum longis navibus est ad Stœchadas. Villaregii & è Provincia milites in Italiam ituri tardè procedunt. Edimburgi arcem audimus brevi in potestate Scotorum fore. Mortuum Persarum Regem successore septenni. A Constantinopoli XLIV naves longas, galeassas duas, cheiquas XXX, à Rhodo naves longas XIV ivisse Propontidem versus: Algeriam à Mauris circumveniri: multos Turcas Imperii Satrapas factos novos, aliis aut translatis aut demotis.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRinceps Elector nunc apud Regem est Ambiani, Rex 1392
enim, post deliberationem aliquam, significaverat, non ingratum fore ipsius adventum. Non video tamen quid ibi in rebus suis proficere possit, non magis sanè quàm in Anglia, si, ut videtur, bellum in Scotos procedit: quod tamen vitari posse non iniquis conditionibus sperat Illustrissimus Comes Licestrius, nisi mali consilii aliquid in Scotia lateat, libertatis & Religionis nominibus velatum. Valde mihi placet monitum Excellentiæ Vestræ, ne Princeps Elector Regi Britanniæ plenam faciat de rebus Palatinæ Domus constituendi facultatem. Itaque non desinam id ipsum suggerere ubi huc Princeps redierit. Multum plane & hujus Principis & Galliæ ipsius, non parum etiam Luneburgici & Hassicæ refert, quid de federe cum Gallia constituturi sint Sueciæ Rectores. Galli quò speciosiùs rem trahant, quicquid Palatinus proponit id rejiciunt, primùm in Angliam, deinde in consultationem cum Federatis. Quid autem in ejus negotio acturi sint ab Anglia & Dania Legati, spero non ita arcanum fore quin aliquid odorentur nares sagaces. Pro certo haberi debet non diu substituros in Franconia nostros & hostium exercitus. Vnde enim victus tot hominum millibus, aut tot equis pabula? Tamen adhuc illos hærere in illis locis fama hic est, Suedos apud Eisenachum & Vachium, Socios eorum ad Fuldam & Hirschfeldum, Longavillanum ipsum in Hassia ad Grimbergam, qui cæsis Cæsarianorum trecentis ad Gelnhusium multas res necessarias à Francofurto sibi advehi jusserit, addito trium millium præsidio. Cæsariani autem ad Neustadium & Coningshovium se tenere dicuntur, multis suorum amissis ad Salfeldium. Cæterùm

 Hatz-

Hatzfeldius, sex millium ductor, transgressus Rhenum primùm, inde Mosellam, Cardinali Hispano auxilia adducturus sit, an substiturus in Montanis & Iuliaci locis atque inde inferiorem Saxoniam tributis oppressurus, incertum habetur. Rebus autem Galliæ non sanè prosperè evenit, quod audimus pacem inter Leodienses & ipsorum Principem Electorem Coloniensem confectam esse & publicatam. Iudicant Galli non satis perseverantiæ fuisse Batavis neque ad Ledam neque in Hulstano agro. Et si quidam Hulstæ processisset obsidio, poterat id Gallis magno esse usui. Nunc quicquid aggressurus est Princeps Arausionensis, meliore anni parte elapsa, haud magnum id aut valde hosti metuendum videtur. Videbimus an mari melior sit futura Batavorum fortuna. Cataloniæ motus, à Gallis Batavisque nimium neglectos, sanavit Rex Hispaniæ criminum indulgentia, & promisso immunes eos à milite fore. Videtur controversia Batavorum cum Danis ad aliquas pactiones ire, valde nolentibus id, ut video, Dantiscanis, qui metuunt ne eo modo Reges firmiorem indies possessionem adipiscantur intendendi suo arbitrio vectigalia cum malo mercaturæ. Incendium illud Stockholmiæ, spero, lucem magnam & res meliores Suediæ portendet. Solent enim plerumque incensa in melius restitui. 11 mensis hujus Leganesius antequam à Pinerolo supplementa & alia necessaria ad castra pervenirent, oppugnanda castra censuit, fecitque id triplici agmine, ipse ex monte trans Padum jactu machinarum castra vexans: eodemque tempore erupit Princeps Thomas cum sex millibus peditum, equitibus septingentis. Leganesii exercitus erat ingens & initio satis felix, nam & munimenta castrorum Gallicorum perrupit, & castella duo cepit. Sed tracta à vespere in noctem multam pugna Gallis tempus se colligendi & animos dedit, ita ut mulos trecentos, plaustraque bubus tracta ceperint, lintres autem in amne depresserint, in quibus omnibus erat farina, pulvis bellicus & sal. Ajunt Galli hostium periisse quatuor millia. Suorum paucos, sed egregios. Dum pugnatur nongenti hostium in urbem penetrarunt, oneri magis futuri quàm auxilio, non secutis commeatibus. Vicecomes Turenæ sub id tempus ad Rivolam visus est cum supplemento octo millium, carris quingentis. Ii si jam ad castra Gallorum pervenerunt, quod nescimus, bene se res habet. Nam fame ibi interierunt mille quingenti. Harcurtius per undecim dies sola quam ex arce habebat farina fabacea pastus est, ob id in publico prandens cœnansque, ne communibus malis exemptus crederetur, interim & vino abstinens, quod militibus dispartiebat. Sicut illi successus à victus copia pendent, ita & obsidio urbis Atrebatum. Nam & ibi hostis, desperans castrorum oppugnationem, spem omnem posuit in commeatibus intercipiendis, ob id primùm montem Eligii cepit, ab urbe non longè: & turrem quandam diruit quæ pro specula Gallis erat: deinde de exercitu suo, qui est XX millium peditatus, XII millium equitatus, sex millia peditum, equitum tria ad Aubiniacum posuit, quæ est à Dorlano, ubi horreum est Gallorum, non nimis longè, iter præterea per quod nuper advecti sunt commeatus Gallici, rupit fossis impedivitque concædibus. Rex eo itinere corrupto, alio, per Corbiam nempe & Anchoram, ab eodem Dorlano ad castra sperat mitti posse commeatus cum præsidio XII millibus, quibus alia millia XII è castris itura sint obviam, commeatus ferentur carris IↃCCC. In singulis erit auriga armatus baculo igniario & furca ferrata, miles cum armis & fossor. Si & Taurinorum & Atrebatum urbe potientur Galli, magnas flabunt glorias: de pace ne per somnum quidem cogitabunt. Cardinalis Hispanus ipse cum exercitu est inter Atrebatum urbem & Anchoram facitque vias omnes Gallis invias. Obsessores interni ad vallum exterius urbis pervenere: & cum exigua manu tribusque machinis Sanciacum verberat Halerius, Persam audimus mortuum septenni successore. Classem autem magnam à Constantinopoli ad Pontum Euxinum navigare. Archiepiscopus Burdegalensis cum Galliæ navibus longis est apud Stœchadas. Deus det, quæ in universum sunt optima, sospitetque Excellentiam Vestram. Lutetiæ 21 Iulii 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

OPto ut illi in Polonia & Prussia motus, metusque 1;3;
aliunde, bono cedant Vestræ civitatis, utque ea
cum bona Regis populariumque suorum gratia jura à
majoribus demissa conservet. Exspectabimus autem &
quid ille qui nunc in Prussia Ducali habetur Conventus,
& quid ille qui primus posthac in Polonia habebitur, pa-
rituri sunt, maximè in negotiis ad Religionem pertinen-
tibus, quæ plurimum animos commovere solent, ut inde
conjecturam faciamus de rebus futuris. Batavi non tan-
tùm suopte ingenio cunctatores sunt & timidi, sed etiam
ex perpetuo cum Hispania bello tantis obruuntur sumpti-
bus, ut non satis aut virium aut animi habeant ad arcen-
das quæ aliunde aut ipsis aut ipsorum amicis inferuntur
injurias. Quare & in hac cum Dano controversia pro-
spicere mihi videor venturos eos ad pactiones aliquas,
quanquam per eas Danus magis magisque confirmabitur
in possessione augendorum pro suo arbitrio vectigalium.
Trahit hæc lentitudo ea quæ Nobilitatis Vestræ epistola
prudenter annotat incommoda: sed his temporibus vix
est ut ab illis quicquam speretur melius. Si quando à bel-
lo illo quod illis tam graviter incumbit expedire se pote-
runt, tunc desperandum non est, quin ipsi & sibi pos-
sint esse majori decori, & majori utilitati aliis. Ad ur-
bem Taurinorum pugnatum est 21 Iulii inter Legane-
sium & Gallos, simul ex urbe eruptum. Pugnæ initio Hi-
spani munimenta Gallica perruperunt, nongenti pe-
netrarunt in urbem. Durante diutius pugna, Galli mul-
tos hostium trucidarunt, ceperunt commeatibus onu-
stos mulos, & plaustra, lintres in amne merserunt. Ajunt
cæsos hostium quater mille, sperantque jam ad castra
pervenisse supplementa cum commeatibus à Pignerolo.
Aliud inter Hispanos & Gallos prælium exspectatur ad
Dorlanum, unde commeatus solent advehi ad Gallica
castra, quæ Atrebatum urbem obsederunt, nam in eo
itinere se collocavit magna pars Hispanici exercitus, sed
Rex circumducto per Corbiam & Anchoram itinere spe-
rat se castris prospecturum; duodecim millia à Dorlano
aderunt deducendis commeatibus, totidem è castris oc-
current. Ejus rei exspectamus eventum. Vale, Nobilis-
sime Domine. Lutetiæ 21 Iulii 1640.

Audimus Persam esse mortuum successore septenni. A
Turca autem multos satrapas mutatos, magnamque clas-
sem mitti in Pontum Euxinum. Regis Galliæ naves lon-
gæ sunt ad Stœchadas.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

CErti tandem sumus Vicecomitem Turenæ cum octo :39
millibus, quos Comiti Tonerræ tradiderat Prin-
ceps Condæus, lectos è Delphinatu, Provincia, Lan-
guedocia, locisque aliis, pervenisse sub noctem 12 dici
Iulii à Rivolo ad castra, neque multo post eundem lo-
cum Rivolum insessum ac bene munitum à Gallis, re-
cepta quoque ex hoste Collegnum & Sevascum, poster-
que omnibus his in locis præsidia, ut posthac tuto com-
meatus & res bello necessariæ à Segusione ac Pinerolo ad
castra

Digitized by Google

castra perduci possint. Scribunt autem qui in castris sunt, ex transfugis disci multarum rerum penuria laborari in oppido, ita ut spes sit etiam sine operibus, qualia obsidentes facere solent, urbem in potestatem Gallorum esse venturam: oppugnationem castrorum ab hoste non ultra metuentium quod illa tentamenta ei non bene cessérint, & quia Galli alterum quoque supplementum sub Villaregio brevi sibi adfuturum sperant. De pugna etiam illa quæ 11 Iulii in ipsis castris & circum castra pugnata est, quædam propiora cognovimus, equites hostium ferme sexcentos in urbem penetrasse: peditis non multum: occisa hostium duo ferme millia. Gallorum occisos, captos, vulneratos simul ad CCL. In castra quoque ad urbem Atrebatum, quanquam diligenter ne id fieri posset curante Cardinale Hispano, nocte quæ 22 hujus secuta est, carri & pecora, ducente cum IV militum millibus Sampreulio, ad castra pervenere. Numerus variè narratur, qui moderatiora loquuntur, dicunt carros fuisse centum onustos & alimento & pulvere bellico, boves quinquaginta, oves ferè mille. Cætera quæ Dorlanum convecta fuerant, transire non potuerunt, hoste intercedente. Itaque Ambianum reducta sunt. Quo & Halerium Rex revocavit, diruto Sanciaco: obsessores urbis Atrebatum fossas jam implent. Et, si commeatus sæpe ad eos transire possunt, brevi destinata conficient. Alioqui ea quæ jam pervenere intra paucos dies à tanta multitudine absumentur. Qui verò commeatus & res aliæ 19 hujus mensis à Perona sperabantur, via Bapalmam pertingente posse perduci, ea omnia in hostium potestatem pervenerunt, quanquam initio felix Gallis erat pugna, sed cujus fortunam subitò suo superventu cum VI millibus Dux Carolus & Lamboius mutavere. Hispanici exercitus pars maxima ad Passum est. Ex Sedano egressi Galli ad LXXX ferè omnes capti sunt ab hostibus. In castris ad urbem Taurinorum magna certè antehac fames fuit, neque ausi sunt qui equos habebant eos aquatum ducere, quod à militibus famelicis in alimenta abriperentur. Angli, quorum opera Rex Britanniæ contra Scotos uti vult, disciplinæ impatientes sunt. Ab aliis spoliatæ Ecclesiæ, ab aliis occisus centurio. Lucenses jura sua publica bene tuentur. De Missis arbitrium Pontifici permittunt. Excommunicati qui sunt, quanquam sibi injuriam fieri ostendunt scriptis publicis, abstinent à communione: missas ferunt non dici nisi clausa fore. Marini nostri necessitates, valde ipsum prementes, cordi fore Sublimitati Tuæ spero. Ita meretur & diligentia ipsius & affectus pro bono communi, & multa quæ immeritò tolerat mala. Si meæ potestatis esset ipsum solari, facerem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam servet incolumem, ejusque consulta fortunet. Lutetiæ 28 Iulii 1640.

Hallerius cum Sanciaco etiam Flevillam cepit. Est nunc apud Corbiam ubi Rex exercitum habet ad XVI millia. Hostilis exercitus ad XXX millia apud Bapalmam & Miremontium inter Corbiam & Atrebatum urbem. Dicuntur & ab Hesdino circumductis itineribus commeatus quidam in castra quæ sunt ad Atrebatum urbem pervenisse. Sed majore copia opus est. Et dicitur Rex parare sex curruum millia quæ sine prælio transduci non poterunt. Inde jam pendet res & gloria Gallorum hinc, inde Hispanorum. Villaregii agmen in Italiam iturum prope Lugdunum venit, diffluunt ferme omnes. A Turca Chausius ad Regem missus jam Massiliam advenit.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRincipem Electorem brevi huc rediturum putamus, viso Rege, re nulla, ut credo, confecta alia. Rex Britanniæ quominus in Scotos ducat, multas habere potest causas, inter alias, quod miles ipsius disciplinæ impatiens multa committat facinora quæ populum, per se hujus belli non multum amantem, aversiorem etiam reddant. Quod si Scoti aliquo modo reconciliare sibi gratiam Regis poterunt, simulque Rex animum & collectas vires vertit ad salutem consanguineorum totiusque Germaniæ, id ipsum ut nobis lætum, ita ipsi futurum sit gloriosum. Videbimus quam spem nobis de eo daturus sit, ubi huc redierit Elector, & quem agendi tenorem secuturus sit Rous, quid ad ejus proposita dicturi tum Imperator de alieno liberalis, tum Bavarus aliena tam cupidè retinens. Pro D. Bannerio meritò ambo solliciti sumus. Vbi est, brevi eum commeatus & pabula deficient: quo deinde iturus? Danubium versus? in medio validæ sunt urbes: retro in Bohemiam? habebit hostem insistentem vestigiis. Sed multa quæ evenire nobis nec prævidentibus possunt, hos nodos, spero, solvent. Cardinalis Hispanus operam dabit ut Hatzfeldium ad se attrahat. Vocati sunt ad Conventum Imperii civitates Helveticæ quæ magis quàm cæteræ ad corpus Germanicum pertinere putantur, Basilea, Scafhusium, Sanctigalli. An missuræ sint dubitatur. Abbas certè Sanctigalli & Episcopus Curiensis mittent. Lunemburgicus autem & Hassica magis magisque nobis illigabuntur, si quid durius in eos pronuntiet Imperator. Batavi hoc anno non infelices tantùm, sed, si Gallis credimus, minùs strenui fuere. Doleo de Comite Henrico Nassavio. Pro adolescente agnato opto Excellentia Vestra solvat soteria. Legati Batavici arctis mandatorum finibus inclusi sunt. Ipsi Proceres pro mercimoniis solliciti, Imperatorem palam offendere cunctantur: quanquam fortè cunctationis hujus aliquando acturi pœnitentiam. Gallorum populis bellum hoc grave est. Sed quorum res in manu est parum curant quid populi velint. Ipsorum & securitati & utilitatibus servit bellum. Sed, nisi cum Suedia producitur fedus, cogentur de pace cogitare, quod alioqui ingentes illi hostium exercitus in Galliam multis locis patentem incubituri, &, ut credo, aliqua ex parte intraturi sint. In negotio isto Leodiensi videntur mihi tepidiores quàm res eorum exigebat fuisse Galli. Pontifex ad fines suos, qui Regnum Neapolitanum spectant, militis aliquid habuit, ne magno agmine isthac Hispani in Mediolanenses terras transirent. Divisim paucis & inermibus iter videtur non negaturus. Postquam 11 hujus in castris Harcurtii & ad castra pugnatum est, in qua pugna per certiores literas intelligimus duo hostium millia cecidisse, Gallos desiderari ferme CCL, penetrasse autem in urbem hostium equites ad IↃC, sub finem diei sequentis advenit in castra Vicecomes Turenæ, & Comes Tonnerius cum VIII millibus, quæ Princeps Condæus ex suis vicinisque Præfecturis collecta transmiserat. Auctus hac accessione Harcurtius, ususque hostium recenti adhuc consternatione, Rivolum, Collegnum, Benascum, loca traducendis à Pinerolo & Segusione commeatibus oportuna, insedit præsidiisque munivit, quo facto speratur facilis ibi futura annona post famem sanè gravem. Nam nec equos quisquam aquatum ducere ausus fuit. Ita statim à militibus esurientibus in alimenti usum abripiebantur. In ipsa urbe, quod maximè necessarium est, panis non deest. Sed desunt alia ut ex transfugis cognoscitur, videnturque Galli ex fiducia nihil agendo deditionem opperiri. Oppugnationem castrorum ab hoste haud valde metuunt, eoque minus, quod antequam fessus hostis se recolligat alterum supplementum, quod sex millium futurum dicitur, sub Villaregio exspectant. Obsidio Atrebatum urbis jam in fossas pervenit: sed magnus exercitus magna eget victus copia, multoque pulvere bellico. Quæ nuper accepta fuerant absumta sunt. Die mensis hujus 19 Fremicurtius à Perona Bapalmensi itinere perducere, quæ opus, voluerat.

rat. Sed ea omnia pervenere in manus hoſtium, quanquam initia pugnæ pro Gallis erant: ſed ſuperventus Ducis Caroli & Lamboii cum ſex millibus mutavit fortunam. Exinde Dorlano & quidem palam voluit Rex magnam copiam mitti. Sed hoſtis ad locum qui Paſſus dicitur validus & excurrens in partes omnes, obſtitit. Alio itinere capto à Dorlano & quidem nocte ea quæ 22 diem ſequebatur Sampreulius, quatuor ſecum habens militum millia, perduxit ad caſtra quantum in paucos dies ſufficiat, carris centum, quibus aderant quinquaginta boves, oves ferme mille, in carris & farina erat & pulvis bellicus. Sed niſi & ſæpe & multa talia pervenient, quæ obſeſſos perdere ſolent mala obſeſſores urgebunt. Rex autem commeatuum vim magnam quam Dorlano mittere voluerat Ambianum reduci juſſit, ipſius Dorlani ab hoſte obſidium metuens. E Corbia egreſſi ad ſpem prædæ Gallorum LXXX capti ferè ſunt omnes. Habere ſcribitur Leganeſius XVIII millia ſecum: exſpectare II millia à Neapoli. Germani milites nonnulli ex Italia iviſſe in Hiſpaniam, ad motus reprimendos: contra IↃCCC à Lindavia in Italiam venire. Controverſiæ Ducis Ethruſci cum Pontifice componuntur. Polonus Viſcontium vult fieri Cardinalem. Inter Helvetios multæ naſcuntur diſcordiæ, ſuper Abbatia apud Scutium, ſuper ponte Ruſæ, ſuper negotio Amrini. Interim in Rhætis Auſtriaci de jure quod ſibi vindicant in octo juriſdictiones & inferiorem Engadinam remittunt nihil. Veneti quod ad limitem Mediolanenſem habuerant militis inde avocarunt. Lucenſes parent Pontifici, Miſſas dici niſi certis in locis clauſis foribus prohibenti. De cætero jura ſua conſtanter tuentur, faventibus Hiſpano & Ethruſco. Rex præter eos qui Atrebatum urbem obſident alium habet exercitum ad Corbiam XVI millium. In iis eſt Hallerius qui & Sanciatum cepit & Flevillam. Hoſtiles exercitus ad XVI millia ſe tenet apud Bapalmam & Miremontium inter Corbiam ad Atrebatum urbem, intentus ad omnes occaſiones, ita ut octoginta Gallos nuper è Corbia, ut dixi, egreſſos cecidere. Inter eos mortuus eſt Cornes Nantoliæ Præfectus Corbiæ. Venit ad Regem à Turca Chiauſius quidam, qui jam Maſſilia iter ad Regem facit. Ex Villaregii agmine (jam Lugdunum pervenerat in Italiam deſtinatum) diffluunt plurimi. Vtrius futura ſit Atrebatum urbs à prælio pendet. Deus ad bonam pacem flectat Potentum animos, idemque Excellentiæ Veſtræ omnia optima largiatur. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Iulii 1640.

Excell. Veſtræ perpetua obſervantia devinctiſſimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eximie,

1396 NOvo vulnere afflictam domum tuam ex amicis cum mœrore maximo intellexi. Sicut enim gratulabar tibi, cincto tot eruditorum filiorum grege, ita damnum aliquod abs te fieri multum doleo, nec tui tantùm, amici tam boni ac veteris, ſed & publici cauſa: pauci enim ſunt hoc ſæculo eruditi, iidemque boni. Sed quando hodie nobis non datur ea perpeti Chriſtianæ Religionis cauſa, quæ perpeſſi ſunt iſti qui eam primi propagarunt, reſtat ut patienter ferendo adverſa alia vel ſic manducemus carnem & ſanguinem Domini, de intimis affectibus noſtris facientes Deo holocauſtum, ut hoc, quaſi vicario quodam martyrio, animos noſtros quàm maximè fieri poteſt purgatos paremus tradere Deo, aliquando recepturos beatam corporis ab adverſis omnibus liberam ſanitatem. Interim quando dies exitus noſtri de hoc ſæculo incertus quidem eſt, ſed magis magiſque appropinquat, properemus quantum poſſumus dare poſteritati ea quæ Dei dono accepimus. Quare te rogo, ut & tua edas quamprimum omnia: & me quoque adjuves ut prodeant noſtra, ad Euangelia primum, deinde de jure belli & pacis, poſt Hiſtorica. Nunc ad Vetus Teſtamentum annoto non pauca, quæ lucis aliquid ad intelligendam Legem ac Prophetas adferent, ut ſpero. Deo, Vir Clariſſime, te tuoſque commendo. Lutetiæ 28 Iulii 1640.

Multas cauſas habeo cur annotata ad Euangelia edi quamprimum velim. Exemplaria trium *ἀνωνύμων* (*ſine nomine*) nimis diu eſt quòd exſpecto, maneoque amicis eorum debitor. Velim & aliqua habere ſcripti contra Twiſchurts quod valde mihi placet.

Clar. Veſtræ addictiſſimus H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ.

Illuſtris Domine,

FElicem in patriam reditum tuum dulce mihi fuit intelligere, præſertim ex tuis ipſius literis, quod in eo 1397
quoque me beat, quod docent me bene vivere, valere ac florere Excellentiſſimos & Illuſtriſſimos deque me eximiè meritos Patrem tuum Patruumque. Deus eos, te, totamque domum diu tuetur in rebus proſperis, quod votum cùm facio tum vel imprimis me rei Suedicæ inſervire intelligo. Pro amore verò mei quem eædem tuæ literæ inſigniter teſtantur, gratias ſatis magnas agere nunquam potero. Quod autem cùm hic eſſes animum quem tibi debeo non pluribus teſtimoniis oſtendere potui, in eo non tam meam accuſo infelicitatem, quàm tuam felicitatem agnoſco, cui Deus omnia quæ optari ſolent tam abundè contulit, ut nihil ſit in quo quiſquam ſe tibi utilem præſtare poſſit, niſi in hoc fortè uno, ſi tibi bonitatis Tuæ teſtandæ materiam præbeat, quod & ego faciam libens, teque orabo, primùm ut nos iis qui in nos imperium habent commendes, deinde etiam, ſi quid monendus ſum, me moneas. Literas ſiquando abs te accipere potero, non modò eis reſpondebo promptiſſimè, ſed & hoc annumerabo plurimis per quæ tibi obſtrictus ſum beneficiis. Maneboque ſemper, Illuſtris Domine, Lutetiæ 31 Iulii 1640.

Illuſt. Dom. Veſtræ obligatiſſimus addictiſſimusque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

PRinceps Elector tandem, coram orato ut ſibi hæc 1398
in re faveret Cardinali, per eum à Rege impetravit plenam eundi quo vellet libertatem, manente interim ſcripto illo penes Regem, quod in carcere ſignavit Princeps Elector, in quo illud inter alia continetur polliceri ipſum nihil ſe facturum contra Regis commoda. Narravit hæc mihi Princeps Elector, magno cum gaudio huc reverſus, addiditque in Hollandiam ſe cogitare, ibi exſpectaturum, donec Scotici motus ſedentur. Cùm intellexiſſem & Angliæ & Daniæ Regem ad ipſius reſtitutionem aliquam laborare velle in Germania, monendum cenſui, ne eis Regibus, eorumve alteri faciat de ſuo negotio tranſigendi poteſtatem liberam, alioqui fieri poſſe, ut non magna re accepta, contentus eſſe cogatur, quare ſalvum ipſi eſſe debere quæ offerentur acceptandi vel non acceptandi arbitrium. Reſpondit verò planè ita ſibi eſſe conſtitutum: velle autem & Cæſarianos & Bavaricos non in Ordinum Conventu, neque cùm de generali ante actorum oblivione agetur, ſed ſeorſim Palatinum negotium tractari. Sibi autem videri ſatius ſuam cauſam non ſeparari ab aliorum cauſis & tractari cum omnibus Principibus conſciis: quam ſententiam & ego probavi, ſic tamen ut dicerem quocunque modo ſuum conſequi poſſet, gratam id Reginæ noſtræ fore. Velle autem & Elector & ego futurum exiſtimabamus, ſi Regina noſtra, ſcriptis ad Galliæ Regem literis, oſtenderet gra-

gratum sibi esse quod Regis beneficio libertatem Elector receperit, rogerque Regem ut porro Palatinæ Domui fautorem se præbeat. Sperat Elector ab Angliæ Rege, qui ad Galliæ Regem pridem nihil scripsit, impetrare se posse paris argumenti literas, misso quodam suorum in Angliam cum literis suis id rogantibus. Dixit Electori Rex hujus anni proventum sibi felicem fore, quantum augurari liceret, trium urbium acquisitione. Earum trium una se jam potitum, Brisaco. Hoc ideo dicit quia egresso Erlachio ad demetendos agros ad Hohentwilam usque, ubi & Engam cepit & Cæsarianos quosdam qui à locis circa Constantiam venerant cecidit, partemque eorum cepit, Hatsteinio autem itidem egresso velut ad curandam valetudinem, Ossenvillius solus jam urbem regit. Dicuntur autem & Erlachius & Hatsteinius Baronatus à Rege accepisse in præmium operæ, Erlachius præterea lucri multum facturus ex messe quam Gallis magno venditurus est. Cardinalis Hispanus castra sua rursum transtulit ad Aubiniacum & Montem S. Eligii ubi considet cum xx millibus, cæteris decem ferme millibus huc illuc discursantibus. In castris Gallicis ad urbem Atrebatum valde carus est panis: pulveris præterea bellici non ea copia quæ ad ruinas murorum faciendas aut ad implendos cuniculos sufficiat. Rex famam sparserat se palam magno cum agmine traducere velle quæ opus sunt. Sed & id fallendo hosti repertum creditum: consilium autem Regis esse ut diversis ex locis noctu furtivisque itineribus travectionem per particulas curet. Id si bene succedat, brevi Gallorum ista urbs erit. Leganesius trans Padum se recepit, rescisso ad Monticallerium ponte, ex iis locis multo machinarum jactu castra Gallica infestat, ut ex hac parte districtis nonnihil Gallis ex urbe eruptiones prosperius fiant, credunt autem Galli Thomam Principem, metuentem ne urbis aliquando captæ fiat accessio, cum equitibus illis qui postremo prælio subter urbem consederunt, in urbem autem famis augendæ metu recepti non sunt, exitum sibi quærere. Controversiæ Pontificis cum Gallis & cum Ethrusco compositæ sunt, cum Lucensibus manent. De morte Sultani Ebrahimi rumores spargunt Veneti: qui si veri sunt, nihil erit Chiausio quod hic agat: successio autem ex veteribus pactis dicitur devolvi ad Chamum Tartarorum Precopensium. Si is concorditer recipitur, firmius erit quàm ante validiusque illud imperium. At si purpurati Regni Turcici se opponunt, & sibi quisque magnitudinem parant, posset lacerari id imperium, ac sic ingens in id aditus Christianis fieri. Itali Principes, ut mihi à compluribus dictum est, ita judicant, ubi exire cum Gallia fœdus cœperit, benignam occasionem honestæ pacis Suedis se aperturam. Sicut Lunemburgici & Viduæ Hassicæ contra Imperatorem arma bonas nobis spes præbent, ita Bannerii exercitus multum attritus inopia commeatuum ac pabuli, & non bene succedentia, quæ ipsi à Longavillano data sunt consilia, sollicitos nos habent. Multi Hispani ex castris Cardinalis Hispani ob famem elapsi per Galliam in patriam redeunt, & in Leganesii exercitu miles binis pugillis fabarum in diem victitat. Ita nunc ubique non minùs cum esurie quàm cum hoste certamen est. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, res Suedicas sub Tuæ Sublimitatis tutela promoveat, detque bonam Christianis pacem. Lutetiæ 4 Augusti 1640.

Iam nunc multa discimus de obsidionibus urbium duarum. Nam in castra ad urbem Atrebatum pervenerunt ɪↄ ccc carrorum die mensis hujus tertio, qui media nocte Dorlano abierant, deducente Halerio cum xii millibus peditum, tribus equitum, obviam ei profecto Millereio cum vi millibus equitum, peditum quatuor, hoste prælium non auso, cujus rei causam quidam putant quod exercitum suum imminuerit Cardinalis Hispanus missis sex ferme millibus ad disturbandos conatus Principis Arausionensis, cùm in castra jam pulveris satis venerit & machinis & cuniculis urbs impetita non diu resistet, quanquam lunatorum operum duorum extra portam alterum recuperasse oppidani dicuntur. De urbe Taurinorum nihil certi promittit Harcurtius, habet ipse xviii ferme millia & Villaregius jam prope ad eum accessit, exspectanturque & è Delphinatu milites. Annona in castris ejus bona est. Leganesius xii ferme habens millia, ea partim ad Novam Astam disposuit, partim in colle quem Padus ab urbe dividit. In eo exercitu minùs commodè vivitur, itaque plurimi transfugiunt. In urbem nuper cùm pugnaretur venere mille quingenti pedites, equites nongenti, sunt ibi milites nunc ferme septies mille & totidem ex oppidanis armati, farina & panis ad sesquimensem sufficit, pulveris an satis habeant dubitatur. Voluit die 24 Iulii non Princeps Thomas ut fuit existimatum, sed Carolus Gata cum equitibus ferme quingentis ob pabuli ut creditur inopiam ex fossa urbis, ubi se tenebat, per loca Gallis infessa perrumpere: verùm à Gallis illi repressi, trucidati, mersi in Boria amne, ducenti capti sunt: triginta ferme perrupere, pars retro in urbem rediit. Nuntio Pontificio ut urbe exiret permittere Harcurtius noluit, dicens eum in urbe utiliorem fore. Cæterùm in Harcurtii castris multi sunt morbi, qua de causa Tribunorum octo jus discedendi impetrarunt, milites septinginti vulnerati sunt à suis ipsis musquettis, quod eæ non bene fabrefactæ essent. Pecunia ad Harcurtium è Gallia missa est. Theatinus quidam monachus arcanas ad Regem Galliæ literas perferens à Genua, non longè ab urbe jussu Generalis sui & Senatus Genuensis permissu captus, fecit ut multa Galliæ arcana Hispanis patescerent. Archiepiscopus Burdegalensis cum sua classe apud Finale est, ut commercia inter Hispaniam & Italiam turbet, simulque impediat ne miles à Neapoli Mediolanum missus illuc appellat. Trivultius à Mediolano millia aliquot Leganesio adducit. Controversia quam Legatus Gallicus Romæ habuit ita composita est, ut qui ejus stabulo Præfectum occiderat veniam ab eo sit petiturus: judex autem qui eum damnaverat amissurus dignitatem. Fedus inter Pontificem & Venetos ad tuendos fines ictum est. Chiausius Turcicus ex Gallia cogitat ire ad Anglos & Batavos, Ebrahimi, si modò is adhuc vivit, nomine. Audimus jam nunc cum Millereius excesset suis castris, castra ab Hispanis oppugnata, multumque fusum sanguinis. Exspectamus certiora.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SPe melius successit Principi Electori iter ad Regem 1399
& Cardinalem. Nam hoc suadente, illo imperante, recepit eundi quo velit libertatem, nullo vinculo ultra obstrictus, nisi illo quo cùm in carcere adhuc esset promisit, se rebus Galliæ non nociturum. Id enim scriptum Rex retinet. Propositum autem est Principi Electori, non in Angliam ire, quod neque bello se isti *immiscere* aveat, neque ad pacem gratam putet suam fore operam, sed in Hollandiam, atque ibi opperiri quid *pro se facturi* sint Angliæ Daniæque Reges, retenta tamen sibi, ut Excellentia Vestra prudenter monuit, *libertate*, ea quæ agentur rata vel irrita faciendi. *Cæsariani & Bavarici* volunt seorsim extra Conventum extraque communem causam eorum quorum securitati per anteactorum oblivionem consulendum erit, Palatinum tractati negotium. Ipse verò Elector optat, quod haud dubiè rectius est, suam causam communiter cum cæterorum causis & quidem in ipso Conventu ad spem æquæ concordiæ provehi.

Digitized by Google

Oravit præterea Elector per literas Angliæ Regem, ne grave ducat ad Regem Galliæ, quod pridem non fecit, scribere, gaudiumque de Principis Electoris libertate testari, ac eum rogare ut posthac Palatinam Domum sua benevolentia complecti velit. Pares literas à Regina nostra me consecuturum spero, nihil ardentioribus votis exoptans quàm videre istam domum relocatam in statum meliorem. De Scoticis motibus quò sint erupturi admodum incertum esse video. Dicitur Kingius in Dania militem scribere, cum quo vecto navibus in Scotiam exscendat. Militem interim Regium, nondum factum ad disciplinam, ipsis Anglis gravem esse non miror. Si hæc aliaque incommoda animos ad concordiam reducere poterunt, erit quod illis gratulemur. Valde autem mihi placet quod de pertricoso isto negotio Ambonensi Rex Angliæ Boswello potestatem fecit pacificandi: ut, si id successerit, de Legato illuc mittendo cogitare dicitur. Societas Indica in Batavis, tam bene onustarum navium felice ac prope desperato reditu ditata, summam rerum suarum jactu aliquo servare poterit. Brisaci jam Ossenvillius planè dominatur, Erlachio egresso ad demetendos agros, & Hatsteinio ad curandam valetudinem. Itaque Rex inter hujus anni capturas etiam istam urbem numerat. Vrbis Atrebatum obsidio bene procedit, si satis, & panis, qui carus valde hactenus fuit, nunc autem & deficere incipit, & pulveris ad verberanda aut per cuniculos disjicienda mœnia in castra pervenire possit. Videntur autem Galli id ut fiat curaturi, non aperta vi, ut rumorem sparserant fallendo hosti, sed ex variis urbibus etiam longius dissitis furtivo itinere. Id ipsum ut impediat Cardinalis Hispanus propius se castra Gallica locavit ad Aubiniacum & S. Eligii montem cum viginti millibus, decem quæ restant millibus ad faciendos excursus hic illic dispositis. Id quomodo exiturum sit, exspectamus. Cæterum apud Hispanos etiam esuriri testantur multi ejus gentis, qui quotidie illis castris desertis per Galliam in Hispaniam sibi iter quærunt & famem non verbis nudis, sed & vultu & edendi siquid detur aviditate testantur. Sic & in Leganesii castris audimus durè victitari. Plerosque militum binis in diem fabarum pugillis pasci. Leganesius autem nunc trans Padum se recepit: inde machinis castra Gallica lacessit. Id autem facere creditur, ut Principi Thomæ cum equitibus illis sexcentis qui, cùm postremo pugnatum est, subter urbem se recepere, aliqua perrumpendi & sic obsidionis ultima evitandi det occasionem, Gallis non minus Principis illius quàm urbis capiendæ avidis. De Ebrahimi morte famam jaciunt Veneti: quæ si vera est, multum referet, unusne aliquis ipsi successurus sit, quem plerique futurum putant ex pacto Tartarorum ad Euxinum Principem, an verò futurum ut Præfectorum certamine laceretur Imperium. Pontificis controversiæ & cum Gallis & cum Ethrusco planè recederunt. Lucensium controversia manet. Scripta eorum legi cum voluptate, usu impetrato ab eo qui solus ea habebat Ethruscas res hic agente. De Salgasio Somosa inquiram. Pro Bannerio non frustra sollicita est Excellentia Vestra. Tum verò & Melandri missionem postulantis consilium quas causas habeat miror. Batavis, ut video, res mari quàm terra procedunt melius, eaque, si sapiunt, præcipua illis cura esse debet: quanquam etiam terra hoc ipso anno magni aliquid, post tot irrita tentamenta, à Principe Arausionensi exspectare Gallia jubetur. Operæ pretium erit intelligere quid facturus sit Hepius. Dabo & operam ut videam Canones Anglicanos. Discimus jam nunc ıↄcccc Carros nocte inter secundum & tertium hujus mensis Dorlano profecta, venisse in castra ad Atrebatum urbem, deducente Hallerio cum XII millibus peditum, III equitum, obviam ei progresso Millereio cum VI millibus equitum, peditum quatuor. Hostis ad prælium venire non est ausus: fortè quod pars ejus militis abierit ad prohibendos Principis Arausionensis conatus. Nunc cùm panis pulverisque satis sit in castris brevi speratur urbs Gallorum fore. De Taurinorum urbe nihil certi affirmat Harcurtius. Defenditur urbs VII millibus militum, totidem armatis oppidanis: farina & panis in sesquimestre tempus sufficiunt. Erumpere voluit die 24 Iulii non Princeps Thomas, ut putabatur, sed Carolus Gata cum equitibus quingentis. Sed eorum ducenti à Gallis capti sunt, mersi in Boria multi, alii in urbem refugerunt. Nuntio Pontificio exitum ex urbe permittere Harcurtius noluit. Sed in ejus castris multum ægrotatur, multique tribuni propterea jus abeundi impetravere. Habet jam XVIII millia Harcurtius & supplementa sub Villaregio non longè aberant. Veniunt illi & ex Delphinatu milites. Leganesius putatur ultra XII millia non habere. Sed Trivultius ei à Mediolano tria millia adducit. Et ex Regno Neapolitano collectæ copiæ sperant ad Finale posse transvehi. Sed in conatu quod ad Finale est classem jam habet Archiepiscopus Burdegalensis, ut & transvectiones istas & commercium inter Hispaniam Italiamque impediat. Rumor est in urbe, eo ipso tempore quo exierat Millereius castra ab hoste fuisse oppugnata, multo utrinque sanguine. Certiora exspectamus. Deus Excellentiæ Vestræ in publicis privatisque negotiis faveat. Lutetiæ 4 Augusti 1640.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctissimus H.G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVo tempore Millereius cum parte copiarum è castris 1640 egressus, obviam illis qui à Dorlano cum carris venerant, in reditu erat, Lamboius circa horam post meridiem tertiam, simulato consilio alia parte castra oppugnandi, ad quam & ex oppido fiebat eruptio, vertit se ad eam partem quæ Ranzovio attributa fuerat, castellumque pro castris situm, bis cepit, bis etiam perdidit, cùm interim alii Hispanorum cum multis fascibus sperarent se posse implere fossas castrorum & ita in castra penetrare. Multum Gallis profuerunt machinæ & Hallerii cum copiis adventus sub ipsum illud tempus, & voluntariorum virtus. Itaque depulsus hostis Duacum versus se recepit. Galli suorum sexcentos ferme amisere, Hispani plures. Cùm hæc secundo Augusti evenissent, sequentibus diebus, abundante jam pulveris copia, impleti fuere cuniculi, quorum uno erumpente dissiliit quoddam adhærens mœnibus urbis propugnaculum, ita ut per eam ruinam aditus jam Gallis in urbem foret; at oppidani, qui validiores sunt quàm miles præsidiarius, ultimum periculum prævenire volentes rem ad pactiones deduxere: estque in hac urbe fama jam potiri oppido Gallos. Reprehenditur Lamboius quod non aut Hallerium potius adortus sit antequam is se cum Millereio conjungeret, aut quod non castra oppugnavit maturius, dum adhuc è castris bona pars aberat & longè erat Halerius. De urbe Taurinorum differitur variè. Leganesius castra Harcurtii quinquaginta machinis infestat, in urbe non desunt ea quæ maximè sunt necessaria. Vt cuncta Gallis è voto fluant, duorum aut trium mensium restat negotium. Chiausius Turcicus in hac urbe est, negat quicquam esse de morte Ebrahimi. Video ita judicari à plerisque, istam junctionem Bannerii cum Sociorum copiis quæ nuper facta fuerat, plus dissidiorum quàm fructus attulisse. Cataloniæ motus Rex Hispaniæ novo quodam prudentiæ genere sanavit. Nam improbitatis iis quæ milites fecerant, populo vetera jura salva promisit, atque etiam præfectum eum dedit quem optabant maximè. Hæc sunt quæ nunc habemus, quibus vota addam, Excellentissime & Illustrissime Domine, pro Tuæ Sublimitatis, Reginæ Regni-

Regnique Suedici & Christiani Orbis bono. Lutetiæ 11 Augusti 1640.

Rediere Brisacum & Erlachius & Hatzfeldius. Verùm iis absentibus octoginta Galli equites in urbem educti, quibus præest Ossenvillius Gallos haud dubiè validiores in ea urbe fecerunt. Iussit Rex diligentiùs inquiri in eam vim quam Possiaci factam scripsi antehac. Sed nihil boni exspecto ita omnia hic corrupta sunt. Constat in urbe Atrebatum fuisse dissidia, aliis urbem dedere volentibus, nolentibus aliis, interim castra iterum oppugnata. Heri intratam à Gallis urbem multi hic credunt.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

401 PRinceps Elector quomodo libertatem receperit, scripsi antehac Excellentiæ Vestræ. Is nunc navem ab Anglia exspectat qua in Batavos transeat. Videbimus jam quid pro ipso facturi sint Anglus ac Danus. Velit Elector Regem Angliæ, si cum Gallia non potest, cum Suedia in fedus aliquod venire. Et ego id velim, si modo Suediæ decretum est in bello permanere, & siquid ad id bellum conferre velit Rex Angliæ quod tanti sit, quanti id quod à nobis cupiat stipulari. De rebus Scoticis judicare rectiùs poterimus, ubi redierit Lodonius, & apparuerit quid moliatur Kingius. Pecunias quæ in moneta erant in Anglia, liberatas audio, sed pro eo beneficio multas Regi pecunias datas mutuas sub hypothecis. Canones Anglicos nondum vidi. Versus qui capita continent breves sunt ideoque obscuri. Eam quæ facta nuper fuit inter Bannerium & socios conjunctionem video plus dissidiorum & simultatum quàm boni fructus attulisse. Et hic rumor sparsus fuit clam cum Imperatore de conditionibus agere Bannerium. Ego autem strenuè id refello. Quo die Millereius exierat obviam carris cum Hallerio venientibus, Lamboius castra Gallica oppugnavit eam ad partem quam curabat Ranzovius: castellum castris præjacens bis cepit, bis eo ejectus est, quia jam pars quædam copiarum Gallicarum ab itinere redierat. Frustra quoque laboratum ab Hispanis ut fossas implerent fascibus, ut sic in castra penetrarent. Pugnatum per horas ferme quatuor. Gallorum occisi quingenti: Hispanorum plures. Horum exercitus Duacum versùs se retulit. Galli autem jam suppetente pulveris bellici copia impleto cuniculo disjecerunt propugnaculum quoddam urbis mœnibus cohærens, ea vi ut machinæ duæ quæ in propugnaculo steterant in fossam disjectæ sint. Sic patente in urbem aditu territi oppidani, quorum vires quàm præsidii majores sunt, rem deduxere ad pactiones, atque adeò jam Gallos potiri urbis fama hic est. De Taurinorum urbe utinam idem sperare liceat. Sed magnum in urbe præsidium, & alimentorum satis faciunt ut lentum id sit negotium. Interea Leganesius cum machinis quinquaginta non parum damni dat castris. A Principe Arausionensi adhuc aliquid exspectamus: & res maris adeò prosperæ addere animos Batavis debent, tum ut mare tueantur, tum ut terra etiam ostendant non deesse sibi constantiam. De Leodio nihil aliud hic audio, quàm manere pacem. Arcta mandata quæ habent Legati Batavici, & à bello in Imperatorem profitendo aversus Batavorum animus, tum verò pendens adhuc in Suedia de fœdere Gallico deliberatio, faciunt ut ex Legatione ista nihil magni sperem. Polonia suis adhuc motibus involuta est, ut video: tum verò habet quod metuat à Turca. Nam de Ebrahimi morte falsam esse famam affirmat qui hic nunc est Chiausius. In Catalonia audio consedisse omnia, Rege populi magis quàm militum facta probante, & Præfectum dante quem optavit populus. Sic interdum aliquid largiendo summa retinetur. Video ubique in hac urbe credi (nam exploravi quantum fieri potest propter experientiam falsorum rumorum) heri sub vesperam Gallos in possessionem ivisse urbis Atrebatum, quod sanè magnum est. Nam cætera ejus Regionis aut hyeme aut si qua sunt firmiora vere venturo accedent: Preces ad Deum meas cum Excellentiæ Vestræ precibus ad pacem bonam conjungo, addoque eas, quas semper, pro Excellentiæ Vestræ bona valetudine ac rebus prosperis, fundo. Lutetiæ 11 Augusti 1640.

Exc. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

IN hoc æstu cœli interdum defluxus exoriri, senibus 1402
præsertim, nihil miror. Sed spero jam Deus Excellentiæ Vestræ valetudinem in melius verterit. Princeps Elector ita fide sua liberatus, ut tamen ex chirographo antehac dato & nunc etiam apud Regem manente, obstrictus teneatur, ut Galli judicant, ne quid contra Galliæ commodum faciat, iter instituit ad Matrem ac Batavos, conspecturus ibi quid pro se facturi sint Anglus & Danus in Germania. Ego valde dolens vicem tam diu luctantis cum adversa fortuna Principis, in Angliam scripseram ad Vicecomitem Scutamoriæ qui antehac Legatus hic fuit, & in magna est gratia apud Archiepiscopum, cogitandumque ei subjeceram, an non inito aliquo cum Suedia fœdere, Domus illa in statum meliorem restitui posset, eodemque facto leniri præferoces Scotorum animos internis motibus alimenta subtrahi, via sterni ad libertatem Germaniæ, bonamque pacem in Orbe Christiano. Sed respondit is & se & Anglos alios nihil malle quàm sublevatam videre Domum Palatinam: verùm nondum spem magnam concordiæ exspectari à Scotis: & antequam Rex ad curas externas animum adjiciat, facienda omnia per quæ subditi ad officium redeant. Cætera epistolæ humanè scripta. Negotium illud de pecunia quæ in moneta erat, compositum intelligo ex usu & Regis & mercatorum. Canones Episcoporum sunt hic, sed Anglicè tantùm; ego spero alicunde me accepturum Latinos ut plenius de re tota cognoscam. De Ratisbonensi Conventu valde mihi placent Excellentiæ Vestræ judicia. Si Palatina causa prima erit de qua agetur, satis erit de quo diu laboretur: quod si accedat & Iuliacensis controversia, quantum nodorum? quis exitus? quis fructus nisi ut Principes alios ab aliis distrahat Imperator: maneatque bene armatus rerum arbiter. Congressus iste Bannerii ac Sociorum plus inter ipsos dissidiorum ac simultatis quàm boni in rem communem attulit: neque verò ego satis video ubi exercitum bene alere Bannerius possit, nisi fortè in Coloniensi agro & Batavorum, ut Vestra Excellentia prudenter monet, vicinia. Pactiones Atrebatum urbis cum Rege tardatæ nonnihil fuerunt discordia populi, & quia nono hujus mensis die Cardinalis Hispanus cum exercitu se ad castra Gallica ostentavit, sed superveniente Hallerio cedere coactus, spem omnem oppidanorum interemit. Itaque resumtis pactionibus 10 mensis die egressum quod fuit præsidium, id est MDC pedites, equites D, oppidani omnes mansere præter duos: erunt eodem quo Galli jure salvis suis privilegiis. Præsidium Gallicum est ex sex cohortibus totidem centuriis prætorianis, equitibus octingentis. Præfectus erit Sampreulius, vir fortis. Arx urbi imponitur, fabris etiam hinc missis, operis ejus curatore Noierio. De urbe Taurinorum video bonam hic esse spem, mixtam tamen metui. Putatur panis defecturus fine Septembris: interim pasci multos ajunt fabis, alios carne equina. Proponuntur conditiones ad pacem aut inducias illis in locis: eamque ad rem non tam à Principe Thoma, quàm à civitate missi sunt ad Viduam qui de

de ea re agant, comitante eos Argentono Iuridico Regio in exercitu Gallico. Interea Leganesius ex Neapoli locisque aliis septem auctus millibus novam molitur castrorum Gallicorum oppugnationem, consiliorumque suorum omnium participem facit Principem Thomam per globos è machinis missos trans Padum in urbem, in quibus globis sunt literæ. Harcurtius interim magis magisque munit castra & de rebus ad victum necessariis sibi prospicit. Audimus Glenium conscriptis cohortibus novis septem ad obsidium ire Bingæ aut Creutzenachi. Cæsarianorum in Hagenoviam tentata caruisse successu. Vinariensium autem trecentos à Cæsarianis oppressos ad Vrsedam. Dunquercanos tam subitò mari miror revalescere. De Præfectura danda video aliud spectasse Frisios, aliud Proceres Federatos. In Catalonia puto quiescere omnia, Rege aptante se ad plebis desideria satis prudenter. De obsidione Geldræ, quando tantum apud se exercitum habet Princeps Arausionensis ac tot munitores, faventem præterea in locis uliginosis æstatem, omnia bona speramus. Deus hæc aliaque omnia ad bonam pacem gubernet, Excellentiæ Vestræ det lenem senectam domumque prosperam. Lutetiæ 18 Augusti 1640.

Excell. Vestræ omni observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ, Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1403 CVm cuniculus sub ipsa ductus mœnia periculum adferret urbi Atrebatum, die hujus mensis octavo magistratus urbis, conditionum audiendarum causa, ad exercitum misere. Sed cùm plebs magistratibus discors obsides Gallos recusasset accipere, & per ignes sui periculi significationem fecisset Cardinali Hispano, postridie is Cardinalis cum exercitu venit velut ad oppugnanda castra Gallica: verùm cùm contra eum adveniret Hallerius, metuens ne inter duos exercitus clauderetur, recepit se: ac sic omni spe adempta civitati, perfectæ pactiones, decimoque die, egresso quod fuerat præsidio, Galli urbem introgressi sunt: cantatus hic & in aliis urbibus hymnus *Te Deum*, cunctaque solita publicis gaudiis usurpata. Præfectura data Sampreulio. Exiere ex urbe pedites mille sexcenti, quingenti equites: oppidanorum duo tantùm, quorum alter præses fuit tribunalis. Cæteri mansere, Galli posthac futuri, salvis suis privilegiis. Præsidium nunc in urbe est sex centuriarum de prætorianis, sex cohortium, equitum 1ↄ ccc. Sed decretum est arcem imponere urbi ad eam rem fabri hinc eunt, curator operis erit Noierius. Nihil admodum firmi est in Comitatu Atrebatum, ita ut is, si fortuna perget favere Gallis, brevi rediturus videatur ad antiqua imperia. Nam datus in Feudum à Rege Francorum fuerat anno 1198, possessusque à Ducibus Burgundis ad Mariæ tempora, tunc enim Rex Ludovicus XI. Feudum id, masculæ stirpis defectu & ob ministeria non præstita ad se reversum jure existimans, urbem Atrebatum cepit anno 1477. Sed recepit eam maritus Mariæ Cæsar Maximilianus: ex eoque in Austriacæ Domus possessione mansit urbs & Comitatus, sub clientela tamen Francici, Regnique clientela desiit per pacem Madritiensem, quæ quidem pax, hanc rem quod attinet, confirmata est pacibus Cameraci, Cameracesio castello, & Verbini factis. Quod si Rex, mutatam armis conditionem, nova pace contra illas veteres retinere poterit, erit id illi valde gloriosum. In urbe Taurinorum putatur panis defecturus fine Septembris. Placuit Principi Thomæ & civitati Legatos quosdam tentandarum conditionum mittere ad Viduam Sabaudicam, quibus se adjunxit Argentonus, juridicus Regius in Gallico exercitu. Ea res an aliquem habitura sit successum in ambiguo est. Interim Leganesius à Neapoli & aliunde VII auctus millibus novam parat Gallicorum castrorum oppugnationem: literasque suorum consiliorum indices in globis, quas machinæ ejaculantur trans Padum in urbem mittit, de victu interim diligenter sibi prospiciente Harcurtio: ad quem profecti ex Delphinatu pedites quater mille octingenti, equites sexcenti, omnes banno ad id citati ex Feudi jure, jam Alpes transierunt. Ex Germania audimus Glenium septem colligere cohortes, cum quibus obsidere velit Bingam primùm, deinde Creutznacum: Hagenaviam à Cæsarianis tentatam infeliciter: Vinariensium CCC à Wolfio ad Vrselam oppressos. Scripsi antehac ad Sublimitatem Tuam de vi facta Possiaci in comitatum Illustrissimi Principis Caroli Gustavi, & de querelis à me delatis ad Regni Franciæ Cancellarium. Postea Polhemius, qui ibi vulneratus fuerat, cum suo commodo transegit, cùm jam ante is mihi dixisset nullam spem esse juris obtinendi, quod testes audirentur soli, quorum res agebatur, aut qui rei actæ ignari essent, non ii qui ab initio totam pervidissent, rixæ impermixti, cùm autem audirem eique culpam in Suedos rejici, conquestus hac de re sum apud multos. Fortè cùm ea de re loquerer adfuit mihi Maurerius qui quondam in Suedia fuit. Dixit se velle ea de re ad amicos in Aulam scribere, ego verò ostendi me id pati posse, dum non scriberet quasi meo rogatu qui officio meo satisfecissem re exposita Cancellario, dataque ei parte ex literis Principis Caroli Gustavi quæ sufficere debuerant, ut Regia auctoritas factum vindicaret: ille scripsit, reversusque ad me ostendit clausas literas quas dicebat ad Cancellarium de ea re scriptas. Volebat autem eas literas à me accipi, darique aut mitti ad Cancellarium. Dixi id me facere non posse cùm literæ ad me missæ non essent: neque etiam scirem quid eæ continerent, nullo earum mihi tradito, ut Legatis fieri solet, exemplo, ipse si quas sua sponte impetraverat literas, tradere vellet Cancellario, me non impediturum: gratiasque me agere ipsi pro bona voluntate. Ex eo ad me non rediit Maurerius. Suspicorque sicut in Suedos immerentes rejecta est culpa, ita quæri obtentum ne jus reddatur, quasi ego in aliqua fuissem mora, quod ita se non habet. Si quid ultro judicet Sublimitas Vestra eo in negotio faciendum, quanquam quæ feci sufficiunt ad adimendam ipsis ignorantiæ excusationem, faciam promptissimè. Cæterùm multa indicia animi in Suedos non bene affecti eorum dico qui rebus præsunt, quotidie deprehendo eoque magis opto ut Suediæ, fide prius bene liberata, pax honesta contingat. Det Deus, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem diu salvam ac sospitem præstet, ejusque consilia prosperet. Lutetiæ 18 Augusti 1640.

Literæ quas ex Anglia à D. Vicecomite Scudamoriæ accepi componendæ cum Scotis controversiæ multam mihi spem faciunt. Postquam hæc scripseram ter ad me ventum est de negotio Possiacensi. Scriba Cancellarii primùm ut ad me venit, dicens se literas ab Aula accepisse ut de illo facto diligens inquisitio fieret. Voluit à me scire quæ nossem, dixi historiam. Rediit, & quia dixeram non auditos qui rei notitiam haberent, voluit à me indiculum fieri eorum qui testari possent. Dixi me facturum & Cancellario, quia vellet, missurum. Venere ad me postea Locum tenens Criminalis hujus urbis, sub cujus jurisdictione est & Possiacum, ac Procurator Regius. Dixerunt se ab aliquo tempore nihil in hac re egisse quod audirent rem transactam data pecunia ad xxx millia florenorum. Respondi de suo potuisse transigere Polhemium, non de re Principis: me quidem non prohibuisse quò minus de suo faceret, quod vellet. Sed valde contemptam gentem Suedicam, quod cùm in alterum diem ibi mansisset Princeps, ita ut & à Lutetia chirurgi venerint ad curanda familiæ ejus vulnera, nemo loci magistratuum Principem adierit. Saltem ut ostenderent factum

ctum

ctum hoc sibi displicere. Post id viros summates laborasse ut Polhemio satisfieret: ad me aut ad Suedorum quenquam venisse neminem. Scire me magno constitisse hanc insaniam Possiacenis, & inter quos pecunia esset distributa. Me nihil velle aliud quàm ne pro levi habeatur facta Principi injuria. De induciis per Germaniam faciendis rumores audio. Et Gallicus exercitus & ille Cardinalis Hispani adhuc in collimitio manent. Genuensibus, Anglis, Batavis controversia incidit cum Archiepiscopo Burdegalensi, qui in prædam trahit illorum naves quod merces in Hispaniam vehant. Dicitur Bressæus apud Gades navibus Hispanicis damnum intulisse. Non potuit impedire Archiepiscopus Burdegalensis quin ad Finale multi appellerent Hispanorum. Dilectus facti in Austria locisque vicinis ad exercitum Imperatoris pervenerunt. Baccheraci urbem cepere Cæsariani qui Hermensteni sunt.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Virorum Eximie,

1404 Literas 15 Iunii abs te scriptas ante hos dies quatuor accepi: ex quibus gaudeo cognoscere meliorem nunc esse tibi valetudinem, & non esse verum rumorem, qui ad me perlatus erat de novo vulnere domus vestræ post funus filiæ, & doctissimi filii Gerhardi. Theologia gentilis & Physica Christiana, ut & lucem quàm primùm videant, & ad nos quàm celerrimè veniant opto, non dubitans quin multò plura inde possim discere, quàm aut tu, aut tui similis quisquam ex nostris ad Evangelia annotatis, quæ tu pro summa tua humanitate, & in nos amore tam benignè prædicas. Cæterùm ea ipsa, cùm tibi videam non displicere, eò magis propero ut publico donentur: sequanturque illa de Iure Belli ac Pacis, notæ ad Lucanum (quas Mairius edere recusat) reliquiæ poëmatum; & Anthologia, cui utinam indices accedant, totam ferme complexuri Geographiam, & Historiæ, tum Græcæ, tum Romanæ potissima. Quæ Pontifex contra Iura Regum, addo etiam Episcoporum, Metropolitanum, & Primatum sive ἐξάρχων fecit facitve, semper improbabo. Cæterùm illa ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα [*qui adversatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*] istuc referre non audeo, planè persuasus Danielis verba usurpari in describendo aliquo qui paria facturus sit Antiocho, quem descripserat Daniel. Tum verò illa οὗ ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους [*cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*] aliquem designant Iamni & Mambri parem. Hæc mea est sententia; si qui aliter sentiant, videant ne parum comperta pro compertis venditent, explicationibusque minus commodis magnam providentiæ divinæ, quæ in illis vaticiniis rectè sumptis mira apparet, offundant nubem. Sed sicut ira quicquid arripuit, telum facit; ita multi abrepti studio partium omnia volunt videri vera esse quæ adversæ parti nocent, ut ipsi quidem existimant. Ego verò contra illos adversariis prodesse contendo, qui pertinaciter urgent illa quorum aut pellucet falsitas, aut veritas in obscuro est. Qui verò graves illas criminationes veritate quidem nixas non existimant, sed retinendas tamen publicæ, ut loquuntur, utilitatis causa, videant ne magnam fenestram aperiant impietati, si verbi divini sensus famulari suis commodis ac partibus velint. Legi libenter quæ dicit Voetius, multum sanè largitur, etiamsi in me arietet. Ego si novum hic cœtum & ab aliis segregem instituere vellem, possem fortè: Sed video, qui novas nobis erexerunt Ecclesias, eos animo quidem suo gessisse morem, sed in pietatis negotio non ita multum promovisse, & particulas ex particulis fieri. Quare satius fortè est consilium Augustini sequi, quod est de vera Religione cap. VIII. Cæterùm in Belgicis terris, puto & alibi, inter eos qui in Romana sunt communione mos ab omni ævo fuit, & nunc etiam servatur, ut die quo instituta est Domini Cœna, post cœnam paterfamilias, lecta ejus diei historia, panem vino intinctum familiæ suæ præbeat. Qua de re quid eruditi qui apud vos sunt sentiant, scire percupiam. Multi hic non improbant, dum id non fiat animo separandi se à Christianis aliis, sed potiùs cum voto omnes, si liceat, habendi pro fratribus. Salmasii omnia eruditissima sunt, solido offendit dentem is quem designas. Vale quàm suavissimè cum optima conjuge & simillimis patri liberis. Lutetiæ 21 Augusti 1640.

Tui semper victuri Nominis studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Omittere non possum quin Marini negotium Sublimitati Tuæ iterum commendem. Nam gravibus 1405
eum incommodis premi & literæ ipsius omnes queruntur & res ipsa facit ut credam; mihi verò si aliunde quàm Gallica de pecunia prospici poterit, erit quod gaudeam. Sin inde me petere quod necesse est placet, hoc ipsum significari mihi percupiam. Manent adhuc in Galliæ Belgicæque finibus exercitus Regis Cardinalisque Hispani, faciuntque castellum hi inter Duacum & Atrebatum urbem, illi inter eandem urbem & Dorlanum. Ex urbe Taurinorum equitatus Hispanicus per castra Gallica exitum quæsivit 24 Iulii & Augusti 2. Sed à Gallis repressus est. Videtur Hispanos eum conatum adegisse penuria pabuli, quidam adjiciunt & farinæ; quam necessitatem ut intendat Harcurtius, molas in quibus farina fieri solebat machinarum jactibus parat disjicere. Nocte ac die 2 Augusti ponte è navibus facto transire Padum aggressi sunt Hispani, ac sub idem tempus Princeps Thomas ex urbe castrorum Gallicorum partem adortus est. Sed Gallorum virtus etiam hæc prohibuit. Incipit jam nonus mensis ex quo Regina uterum gerit. Rex huc venturus dicitur. Princeps autem Elector Palatinus cras hinc abit, ut Regem Ambiani adhuc agentem salutet, inde Diepam se collaturus ut in nave Regis Britannici mare in Hollandiam transeat. Scoticum bellum manere adhuc video, eo quamdiu distinetur Rex Britanniæ, neque arma aliò vertere poterit, neque, si verbis agendum est, multum habebit in Germania auctoritatis. Video omnes rerum prudentes ita judicare Suedos, cùm ab exitu non longè sit fedus Gallicum, facilè aut Pomeraniam obtenturos ab Imperatore, aut à Gallia multò plus pecuniæ aliasque conditiones quales velint, quia & Imperator egregios armorum suorum processus sperabit, si ab ea parte quietus sit, & Galli, si Suedica societate destituantur, haud dubiè grave bellum habituri sint intra suos fines. Quod si è re erit fedus cum Gallia instaurari, rogo Sublimitas Tua memor sit ejus quod de conservanda Regni Suedici dignitate nuper necessariò admodum scripsi. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ cuncta det felicia, & per ipsam Regno Suedico, Orbique Christiano. Lutetiæ 25 Augusti 1640.

Dicitur Princeps Thomas has pacis conditiones proponere, ut sibi ac fratri suo Cardinali Sabaudo relinquatur Nicæa & Conissum, pro fide utriusque sponsuris Pontifice & Venetis: utque Hispani & Galli præsidia sua de locis Sabaudicis ac Pedemontanis abducant. Rex Daniæ non videtur quemquam qui ad Principem Electorem pertineat recepturus in comitatum Legatorum suorum Waldemari & Pentzii: nec quicquam acturus pro ipso nisi impetrato commeatu ab Imperatore: quæ res mille difficultates habet. Bingam & arcem Baccherachi obsi-

obsident Cæsariani. Piccolominæus & pecuniam accepit
magnam, & milites quater mille.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1406 Miror quid literis meis quas Excellentia Vestra ac-
cepisse se negat, moræ intervenerit. Ego cessator
non fui. Spero jam alicunde emerserint, quando ad ami-
cos aliæ bene curatæ sunt. Elector Palatinus jam hinc
abit ad Regem salutandum. Inde Diepam se transferet,
& mari Batavos reviset. Manente bello Scotico vix est
ut Rex Britanniæ vires ei det quibus res indiget. Verba
autem apud Imperatorem & Principes Germanos vereor
ut satis habeant ponderis. Deum oro ut afflictæ Domui
per vias ipsi cognitas, nobis adhuc obscuras consulat.
Sunt hic literæ quæ significant Bavarum iturum esse ad
Conventum. Bannerio plusculum esse commeatus & so-
cios fidos manere, gaudeo. Haud dubiè poterunt Suedi
aut pacem cum Imperatore, aut fedus cum Gallo facere,
magnificis sibi conditionibus. De intrata à Gallis Atre-
batum urbe, cum optima civium voluntate, jam cuncta
cognoverit Excellentia Vestra. Manent adhuc non lon-
gè inde adversi inter se exercitus, castellumque faciunt,
Galli inter eam urbem & Dorlacum, Hispani inter ean-
dem urbem & Duacum. De Taurinorum autem urbe
varia sunt judicia. Sperant ibi Galli penuriam pabuli,
farinæ, pulveris bellici. Sed ea non tanta apparet quan-
tam vellent: & opera tardè procedunt. 24 Iulii, & se-
cunda Augusti eques qui in urbe est per castra Gallica
transitum sibi quæsivit, sed frustra. Nocte ante secun-
dam Augusti ac ipsa ea die Leganesius pontem Pado im-
ponere, Princeps Thomas autem castrorum Gallico-
rum partem oppugnare conati, sed repressi sunt. Galli
machinarum jactibus dejiciunt molas quibus ad farinam
faciendam utuntur oppidani. Supplementa venere ma-
gna Leganesio à Neapoli & Mediolano: minora Har-
curtio ex Delphinatu. Annus in autumnum vergens ni-
hil magni de Principis Arausionensis conatibus, si quid
tamen novi suscipiet, sperare me sinunt. Nemini datur
semper esse felici. Et adversam terris fortunam egregiè
solantur advectæ mari divitiæ. De Polonico Legato Con-
stantinopolim retracto & hic famam accepimus, & de
Tartarorum irruptione in Poloniam. Persas puto omnia
facturos ne bellandum habeant hoc tempore. Frisii in
Præfectura sua conferenda satis festini fuere. Transla-
vicani diutiùs cunctaturi videntur. Dicuntur Cæsaria-
ni oppugnare Bingam, arcem Baccharachi, Hohent-
wilam: Piccolominæus auctus pecunia multa & quatuor
millibus sub Grana. Quantum ex sermonibus Principis
Electoris, non minùs quàm ex literis Excellentiæ Ve-
stræ intelligo, non est quod multum is Princeps à Dano
speret. Singuli suum agunt. Deus det Christianis bo-
nam pacem Excellentiæque Vestræ prospera omnia. Lu-
tetiæ 25 Augusti 1640.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctiss. H. G.

D. CORVINO.

Vir Clarissime,

1407 Cum cogito quàm multa scripta utilia interierint,
tum verò quanta sæpe sit hæredum negligentia, cogor
dare operam ut nostra omnia, unde fructum aliquem ad
lectores perventurum putem, exeant in lucem, cum
spe diuturnitatis. Incipiam ab Annotatis ad Euangelia,
quæ prælo jam subjiciunt Blavii. Specimina corrigendi
curam sumpsit Cortellius, neque de diligentia ejus du-
bito. Sed cùm multa ejus oculos possent prætersugere,
neminem autem noverim, qui & rem ipsam & ea quæ ad
Typographiam pertinent meliùs te intelligat, dicurro ad
te amicum veterem, tuamque opem in mendorum race-
matione imploro. Præterea verò cùm operum exigua &
ab aliis segregata facillimè intereant, omnino cupio, ut
quæ sine nomine nostro prodierunt, de Anti-Christo,
de Fide & Operibus & ad Decalogum his Annotatis
mantissæ loco accedant cum propria præfatiuncula, quam
mitto. Si quid vicissim voles imponere, læti exeque-
mur. Scripsi Lutetiæ 25 Augusti 1640.

In tribus illis accessionibus velim menda corrigi omnia
quàm diligentissimè, & addi pauca quorum frater meus
indiculum habet.

Tua Clar. studiosissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Literas ab Excellentia Vestra nullas accepi hoc tem- 1408
pore. Fieri potest ut interceptæ sint, quod nuper de
meis ipsa suspicabatur, id sanè malim quàm incommo-
dum aliquod incidisse valetudini. Princeps Elector hic
etiamnum detinetur, Rege dona quædam parante, sine
quibus ei valedicere non cupit. Rex ipse ubi est hæsurus
an huc venturus sit, incertum est. Manent exercitus illis
in locis, Gallicus non longè ab Atrebatum urbe ad ar-
cem fabricandam: Hispanici pars ad Insulas sub Cardi-
nali Hispano, pars citeriùs sub Lamboio. Iacobus Sir-
mondus qui Regis est à Confessionibus convivium exhi-
bens Iesuitis, qui mansere in urbe Atrebatum, dixit, spe-
rare brevi se idem facturum Iesuitis qui sunt Cameraci,
Duaci & S. Audomari. Apud Taurinos Argentonus Iu-
ridicus Gallici exercitus, & arcis Taurinorum Præfectus
Couvognius, cùm in carruca proficiscerentur ad Vi-
duam Sabaudicam, intercepti & in arcem Mediolanen-
sem deducti sunt. Sperant Galli illa urbe se potituros an-
te exitum Septembris, ideo quod in urbe egeri existimentur
salis, farinæ, pulverisque bellici. Sed magnis cavis glo-
bis, xx librarum singulis inclusum salem & pulverem
bellicum mittit illis Leganesius, & farinæ an ea sit quæ
dicitur penuria, multi dubitant. Interim multò majores
Leganesio quàm Harcurtio adveniunt copiæ. Longavil-
lanus difficiles habebit ad Rhenum receptus. Supple-
menta non accipit. At Cæsarianorum xv ferme millia ad
Spiram & Wormatiam coëunt. Sex cohortes sive Regi-
menta ex Austria venientia per Franconiam Tirolim sint
petituræ an Rhenum dubitatur. Constantiæ Hispani-
cum esse præsidium audimus. Deum rogo ut omnia pro-
spera Excellentiæ Vestræ, imprimis autem valetudinem
largiatur. Lutetiæ Calendis Septembribus anni 1640.

Has cùm scripsissem, accipio gratissimas literas Ex-
cellentiæ Vestræ datas 20 Augusti. Itaque, gratiis actis,
pauca addam. Ab Anglia hoc quidem tempore quid spe-
rare audeam? Nam qui antehac tam frigidi fuere in Pa-
latino negotio, quid facient cum Scotis commissi, quos
audio acerbissimos libellos per Angliam spargere? Da-
nus planè Imperatoris gratiam captat. Benè cavebit sibi
Elector, ne eum suarum rerum faciat dominum. Solet
enim Danus suas res agere sub alieno nomine. D. Sal-
vius mandata habet tentandi Gallorum animos super fe-
dere. Suedos autem Ratisbonam missuros vix putem:
neque Bannerium ulla habere mandata de pace aut lon-
gis ac generalibus induciis. Landgravia huic Aulæ non
satisfacit, quo magis credibilia sunt quæ de Melandro
habent literæ Excellentiæ Vestræ. Societatis Batavicæ
per Indiam Asiaticam res tam felices hoc anno fuisse est
sanè quod gaudeamus, & res eorum bene constabilitas
intelligo. Incitandi sunt Batavi, ut illas Nothi Danici
copias diligenter observent, tum securitatis, tum glo-
riæ

tiæ etiam suæ causa. De Chiausio Turcico multa hic in plebem sparguntur. Nam eorum qui hic rebus præsunt id vel maximum oblectamentum est rumores confingere. Revera nihil attulit præter amicitiæ testimonia, ut mos est novis Regibus. Salgasii in omni hac urbe unicum est exemplar in bibliotheca Thuanea. Lucensium scripta, lectu digna, per Venetum optimè accipiet Excellentia Vestra, cui me, ipsam Deo fautori commendo. Die eodem.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

9 EGo illa sedecim millia Imperialium Thalerorum rectè accepi. Scripseram autem sæpe ad Excellentissimum D. Cancellarium, si non aliter mihi prospiceretur, secuturum me morem aliorum Legatorum, & usurum hoc Regis beneficio Suediæ nihil detracturo. Silentium ad eas literas sæpe repetitas mihi pro responso fuit, cùm Spiringius per annum totum & amplius ab uxore mea, in id vel potissimùm missa, oratus & interpellatus, nec daret quicquam, nec certi aliquid promitteret, mihi autem sine eo aut deserenda esset Legatio, aut gerenda turpiter. Significavi autem sæpius me hujus pecuniæ rationem D. Spiringio aut cui volet Magnus Cancellarius exactè redditurum, debebatur enim tantum mihi partim ob salaria, partim ob itinerum impensas. Quare Excellentiam Vestram rogo, ut hanc pecuniam Galliæ ita acceptam ferat, sicut ego eam acceptam laturus sum Suediæ. Negotium cum Lunæburgico confectum gaudeo: & de Landgravia spero bene. Et cùm mandata acceperit Excellentia Vestra de dedolando etiam cum Gallia fœdere, rogo Excellentiam Vestram ne id perficiat, nisi hac conditione addita, ne minori loco habeantur Suediæ quàm Hispaniæ antehac vel nunc Angliæ Legati. Quotidie enim hic aliquid de honoribus detrahunt & Ministri Regii & Principes, quod vereor ne, si in morem abeat, dignitati Regni Suedici multum noceat: ego autem nisi Regni auctoritate fulciar, animum præstare possum, non & rei effectum. Tam est necessaria Galliæ Regno hoc tempore Suedica societas, ut non hoc tantùm, sed & alias conditiones plurimas impetraturi facilè simus, ita omnes quos novi judicant. Exspectabo quid Batavi in Suedia facturi sint, nihil magni arbitror. Exercitibus nostris omnia opto felicissima. Quod Turca Poloniæ malum minatur, id rebus quidem nostris nihil obstat; non enim facilè tantos progressus faciet Turca, ut etiam nobis metuendus sit. De libertate D. Hornii scripsi ad D. Chavigniacum, sed is nihil mihi respondet. Quare & hoc conditionibus federis, si id fieri è re Suedica est, adjiciendum putem, ut Waertius & Enckefortius permutentur cum Hornio, mittanturque Benfeldium. Est enim hoc congruens voluntati defuncti Ducis Bernhardi, qui duos illos bello cepit, ac sæpe mihi suam ea de re voluntatem significavit. Ego ut ea impleretur in Aula institi sæpe, sed responsa semper accepi moras nectentia. Deus Excellentiæ Vestræ & negotiis ab ea tractatis prosperos det successus. Lutetiæ 1 Septembris 1640. ex novo Calendario.

Iam nunc venit ad me filius Gemdon Baronis de In & Kniphausen, faciam pro eo quicquid potero & libenter & meritò, tum ob commendationes Excellentiæ Vestræ, tum ob ipsum patrem pridem mihi notum, & suis in me officiis Hamburgi cùm essem, mihi carum ac suspiciendum. Non dubito quin bene futurus sit apud Eminentissimum Eminentissimorum: ego consilio & ope non deero. Vetuit Cardinalis ne ei de religione ullum negotium exhiberetur.

Exc. Vest. observantissimus & ad omnia obsequia paratiss. H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

PRinceps Palatinus itineri paratus exspectat commodum Regis ut ei valedicat. Rex dona quædam ipsi parat. Ipse autem Rex hæsurusne sit in locis illis ubi fuit hactenus, an venturus Chantiliacum, an ad S. Germani, dubitatur. Malè ei rursum cum Regina convenit, ideo quod Diepæ deprehensus sit Hispanus quidam literas ab ipsa ad Chevreusiam ferens. Pergitur in fabricanda arce ad urbem Atrebatum. Augentur in Italia Leganesii copiæ. Et Galli quidem urbem Taurinorum suam fore sperant ante Septembris exitum ex penuria farinæ, salis, pulveris bellici. Sed & salis & pulveris bellici multum in urbem immittit Leganesius in globis cavis quos pondere viginti librarum magno numero fieri jussit. De farina dubitatur, verane sit tanta ejus penuria, an rumor spargatur ut famem opperientes Galli ab urbis oppugnatione abstineant. Argentonus Iuridicus Regii illius exercitus & Couvognius Præfectus arcis Taurinorum, cùm velut in tutis locis carruca ad Viduam Sabaudicam proficiscerentur, intercepti ab hostibus & in arcem Mediolanensem perducti sunt. Binga & Baccheraci arce amissis, difficiles ad Rhenum receptus creditur habiturus Longavillanus, ad quem nulla adhuc supplementa, quæ diu exspectavit, mitti video. Constantiæ audimus præsidium esse Hispanicum. xv millia Cæsarianorum ad Spiram & Wormatiam coire. Sex cohortes id est Regimenta ex Austria per Franconiam petere aut Rhenum aut Tirolim. Cardinalis Hispanus cum parte militum apud Insulas Flandriæ oppidum est, citeriùs paulò Lamboius. Iacobus Sirmondus cùm in urbe Atrebatum repertos Iesuitas Regis jussu, cui est ab exomologesi, splendido convivio exciperet, addidit sperare se brevi idem officium exhibiturum sociis suæ sodalitatis qui essent Duaci, Cameraci & S. Audomari. His diebus à Parlamento declaratum est nullum esse matrimonium, contractum à Presbytero quodam, postquam is à Romanensibus ad Reformatos transierat. Scoti equites nonnulli in Angliam ingressi passim libellos jecere acerbos in eos quorum consiliis Rex utitur. Neque inde spes adhuc internæ concordiæ affulget. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ semper favens adsit. Lutetiæ Calendis Septembribus ex novo Calendario 1640. 1410

Harcurtio Rex mandata dedit pactiones faciendi per quas Italia bellicis malis liberetur, valde id urgente Pontifice ac Venetis. Interim & supplementa quædam Harcurtio ex Provincia adventant. Multum frumenti contrahitur in urbes proximas Galliæ, ut inde Atrebatum urbi alimenta advehantur. Cardinalis Riceliacus circa Ambianum manet. Cardinalis Hispanus munit Vitriacum, Arlosium, Pontem Aventini. Archiepiscopus Burdegalensis Siciliam petere dicitur, cum alia parte navium Brezzæus esse ad Gades. Glenius Meissenhemi præsidium posuit. Principem Thomam ex urbe Taurinorum evasisse rumor est, sed incertus.

Tuæ Sublimitatis devotissimus cultor H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DE urbe Taurinorum nihil certi quod dicam habeo. 1411
Nam rumor hic sparsus, discessisse ex locis in quibus erat Leganesium, fidem apud plerosque non invenit. Rex ad S. Germani fanum exspectatur. Petam aditum, ut & ei gratuler de capta Atrebatum urbe, & libertatem D. Hornii, quod sæpe feci, rursus ei commendem. Cardinalis circa Ambianos manet. Arcis structura

Digitized by Google

videtur in annum sequentem differri. Interim oppidanorum quisque ternos domi alit milites, quorum semper bini hærent in ædibus & omnia observant. Ea causa est cur discedant multi oppidanorum. Idem fecere & Iesuitæ & Monachi. Princeps Palatinus etiam nunc à Rege retinetur, nondum paratis quæ ei danda sunt muneribus. Inter Anglos & Scotos recalescit bellum. Valde sollicita est Gallia de fœdere cum Suedia: pro certo habeo, si ex usu est Suediæ id renovari, conditiones meliores quàm antehac posse obtineri, inter quas spero etiam dignitatis Regni, quæ non obscurè neque per ambages hic læditur, rationem iri habitum. Creutznacum obsidetur à Glenio. Metus est & pro Hagenavia & Hohentwila. Novi ab Austria milites ad Rhenum veniunt. Hispani & Constantiæ præsidium habent, & loca circumsita invadunt. De victoria quadam D. Bannerii fama est, sed parum adhuc liquida. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consulta Sublimitatis Tuæ fortunet, Sueciamque præstet domi quietam, foris felicem, idque bono Orbis Christiani. Lutetiæ 8 Septembris 1640.

Audio in castris Harcurtii ægrotantium esse novem millia. De pace ibi strenuè agi. Malè nuper convenit inter Gallos & Primores Vinariensium, eaque præcipua fuit causa cur hic Elector retineretur. Nunc transacta inter eos omnia & Tubedalius amicè admodum exceptus à Cardinali. Archiepiscopus Burdegalensis rediit ad oram Neapolitanam & Ferrandino Hispanicam classem regenti prælium obtulit. Habet Ferrandinus XXXVIII naves longas, milites trecentos: Burdegalensis octodecim naves longas, sex alias. In Genuæ portum recipiunt se cùm volunt utrique. Dicitur & classis altera Gallica sub Bressæo ad Gades & fanum Luciferi magna damna Hispanis intulisse, qua de re certiora exspectamus. Enriquius Hispanus duo millia secum habet circa Hohentwilam: Cardinalis verò Hispani exercitus adhuc inter Insulas & Duacum manet.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1412 IN literis curandis nulla hic culpa est. Nam eodem tempore meæ quæ ad Excellentiam Vestram sunt curantur quo ad amicos aliæ, quæ optimè perferuntur. Quare siqua intervenit mora, ea Hagæ nascatur oportet. Non abs re fortè sit, si Excellentia Vestra fidum aliquem hominem mihi indicet, sub cujus nomine literæ, quæ ad Excellentiam Vestram mittuntur, lateant, ac sic insidias, si quæ sunt, fugiant. Pacem, quantum ego judico, non volunt qui res hic gubernant multis de causis, quarum una hæc est, quod cùm multa ac præclara loca de hoste ceperint, ea gloriæ suæ causa velint penes Galliam servare, quod per pacem fieri posse desperant. Vt Rex Angliæ, bello Scotico cummaximè recalescente, quòd dolens audio, bello se alteri illiget, sperandum non est. Hoc manente rerum statu, quid Princeps Elector sperare possit, sanè non video. Interim & muneribus & comibus verbis multis delinitus hinc abibit. Ad tentandos Imperatoris Germanorumque Principum animos meum consilium apud Principem Electorem fuerat, ut aliquis ipsi fidus, sed personam nullam publicam præferens iret in comitatu Danicæ Legationis, consciusque esset eorum quæ in Palatino negotio tractarentur. Ita evitati fuissent difficillimi illi scopuli de titulis, qui nihil aliud quàm moras & offensas sunt allaturi. Quod Imperator Mediomatricum civitatem ad Conventum vocavit, usurpandi juris causa factum apparet. At Rex Galliæ etiam umbras omnes juris Imperii Germanici inde abstulit, & Parlamento instituto planè illam urbem jam ut veteris Galliæ, ac deinde Francici Regni partem possidet, totius sæculi possessionem repetitis ex antiquo historiis colorans. Crucenacensi oppido video & hic metui. Lunæburgicum fedus aliquod cum Suedia fecisse audio: agi & cum Landgravia, & cum Gallis de novandis federibus. Cum Gallia lentum puto negotium fore. Res nostrorum in Silesia Pomeraniaque bene procedere, gaudeo. Est & de Bannerii victoria quadam rumor hic, sed adhuc incertus. De urbe Taurinorum fluctuant adhuc judicia; nam Leganesium à locis in quibus erat discessisse dicitur quidem, sed à paucis creditur. Rex exspectatur apud Reginam cui partus appropinquat. At Cardinalis Ricceliacus manet apud Ambianos. Arcis Atrebatensis structura videtur adhuc differri: interim pro arce sunt milites, in singulis ædibus terni. Id onus efficit ut oppidanorum abeant non pauci. Abiere & Iesuitæ & Monachi. Constantiam Hispani custodiunt, invaduntque vicina. Neque extra metum sunt Hohentwila & Hagenavia. Illæ ab Austria cohortes dicuntur Rhenum, non Iuliam petere. De Polonorum Turcarumque rebus nihil hic habemus comperti, tamen pacem restitutam rumor est. Batavi, mari satis felices, terra fortunam hoc anno satis adversam experti sunt. Attamen à Crucis castelli oppugnatione dejectos Hispanos, est aliquid. Legatos Suedicos à Batavis redituros, nullo facto operæ pretio, credibile est. De Regina Matre Suedica multæ hic fabulæ: multæ conjecturæ. Spero nihil mali Regno eventurum à femina cui ingenium non est supra sexum: neque opes neque auctoritas quæ metui possint. Cardinalis Hispani exercitus manet inter Insulas & Duacum. Archiepiscopus Burdegalensis nulla re ad Siciliam gesta sub oram Neapolis rediit. Valde ægrotatur in castris Harcurtii. Enriquius apud Hohentwilam duo habet millia. Deus cuncta ibi servet in bono statu, consiliaque Procerum ad bonam pacem regat, idemque Excellentiam Vestram cum omni domo sospitet. Lutetiæ 8 Septembris 1640.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

QVid de literis meis quas Excellentia Vestra desiderat 1413
factum sit, conjectura nulla possum assequi, sed in posterum ne quid fiat tale curari spero posse, siquem nominatim indicet mihi Excellentia Vestra sub cujus nomine literæ occultentur. Princeps Elector Regi valedixit: nunc abiit Diepam, ubi eum navis Regia Anglica exspectat. Optimi Regis Magnæ Britanniæ vicem doleo, qui Scotos habet hostes, Anglos autem parum obsequentes. Anglia Principi Palatino opitulari cùm potuit noluit: nunc ut maximè velit, domesticis malis impedita, non potest. A Daniæ quoque Rege vereor ut idem Princeps sinceri aliquid exspectandum habeat. Orandus est Deus, ut quod humanis consiliis explicari non potest negotium, ipse sua vi explicet. Quicquid Ratisbonæ molitur Imperator id superstruere volet paci Pragensi: quæ formula neque Suedis convenit, neque Gallis, neque Palatinæ. Dicuntur Poloni repositi in pacem cum Turca: Turcæ autem negotium cum Persis paratum. Non video autem quomodo Poloni illæsa fide auxilia mittere possint contra Galliæ Regem. An tanta rerum necessariarum penuria incuti Piccolominæo possit, ut ad prælium cogatur dubito. Dux Longavillanus ægrè mille Gallos secum habet: supplementa pridem exspectat: interim cum ducibus Vinariensibus quæ erant controversa composita sunt ex Galliæ commodo. Batavi siquem dimittunt militem, ut facturos credibile est, eum traduci ad Longavillanum è re foret. Reginæ Matris è Suedia abitus haud dubiè fabulis dabit materiam. De conjugio ejus, an verum sit quod susurratur, brevi cognoscemus. Sed in hoc, quicquid evenerit, haud multum est mali, dum Regni Suedici

dici Rectoribus concordia maneat, quod unicè optandum est. Nihil tale hactenus palàm apparuisse, admirandæ fuit felicitatis. Cùm Bapalmæ præsidiarii excursibus suis multum Gallis noceant, invectionesque in Atrebatum urbem impediant, placuit Regi, præter castella alia, unum struere inter eandem Bapalmam & Atrebatum urbem. Rex bene valet, & Reginæ partum exspectat. Commendavi ei quàm maximè potui Marescalli Hornii libertatem. A castris Harcurtianis literæ nos docent novam castrorum oppugnationem parari à Leganesio, simulque, ut fieri solet, eruptionem ex urbe. Sed parum hæc Gallis metui, qui jam duplici vallo castra sua muniverint, & eorum qui ægrotaverant, plerique valetudinem receperint. Delphinus à lacte depulsus est & bene fari incipit. A Bressæo inter Gades & Luciferi fanum captas, mersas, ustas, Galeones aliquas in Americam destinatas multæ literæ credi volunt. A Crucenaci autem obsidione abstractum aiunt Glenium. Longavillanus apud Regem instat pro supplementis per hominem in id missum. Bressæus ad Bellam Insulam rediit, Burdegalensis in oram Provinciæ. Dicuntur recrudescere motus Catalanorum, frumentumque eis & arma vendi à Gallis. Pontifex revocare dicitur Ginettium quod in pacis communis negotio videat nihil agi. Electori Palatino Rex adamantem dedit, æstimatur is xxx millia Francorum. Et Leganesio & Harcurtio supplementa venere. Legatus hinc ad Batavos mittitur Tuillerius. Sterilis satis est hic autumnus rerum novarum. Itaque nihil addam nisi vota pro Excellentiæ Vestræ valetudine ac rebus prosperis. Lutetiæ 15 Septembris 1640.

Exc. Vestra ad cuncta observantia officia promtissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

14 QVæ nuper de Franciæ Cancellario scripsi, vera erant: imò minus vero scripseram. Nam neque obviam mihi venit ut mos est, neque de more debitum dedit locum, neque deduxit quousque mos est. Cæterùm cùm nudiustertius ad me venit Comes Brulonus, dixeritque, præsentibus etiam Cancellarii domesticis, siquid fuisset quod mihi minùs placeret, id incuriæ magis quàm consilio adscribendum. Velle Regem à Ministris suis eum mihi haberi honorem qui Regum Legatis dari soleret, hoc quoque non cælandam Sublimitatem Tuam judicavi. Cùm dicerem sperare me non minori me habitum iri loco quàm Angliæ Legatum, dixit in Gallia cuique honorem esse pro suo gradu. Nuntii Pontificii dignitatem cùm multis efferret, de eo silendum mihi duxi. Cùm verò mutabilia sint horum hominum ingenia, si ad pactiones aliquas reditur, huic quoque rei cautione aliqua provideri necessarium arbitrer. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1640.

Tuæ Sublimitatis cultor studiosissimus devotissimusque H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

5 DIe Mercurii exacto Regem ad S. Germani agentem vidi, gratulatusque ei sum reditum, bonam valetudinem, multas victorias, præcipue verò captam Atrebatum urbem, caput gentis ab antiquo belli laude celebris, longè à fine Gallico, inspectante hostium validissimo exercitu sub egregio Principe: vota addidi pro majoribus processibus & felice partu Reginæ. Quæ omnia grato animo accepit Rex & de labore suo ad capiendam urbem quædam appositè disseruit. Post id repetii preces pro libertate D. Marescalli Hornii, abs quo accepisse me literas dixi, testantes placere Duci Bavaro ut cum Ioanne Waertio permutetur. Idem semper desideratum Duci Bernhardo Vinariensi. Si Regi placeret hoc beneficio Suediam sibi obstringere, posse Waertium Benfeldium deduci, Hornium Lindaviam, deinde utroque tempore ambos Basileæ in libertate poni. Ad hoc Rex nihil aliud quàm seriò se cogitaturum dixit. Addidi verò, quò magis efficaces preces istas meas facerem, accepisse D. Salvium mandata de renovando fœdere. Eum cum D. Davausio ea de re locuturum. Bapalmæ præsidiarii multum excurrunt nuperque damni non parum Gallis intulere. Ad eos frænandos & tutiora Gallis reddenda ad Atrebatum urbem itinera inter duas illas urbes castellum strui Rex jussit. Literæ à castris ad urbem Taurinorum nuntiant parari quidem à Leganesio novam castrorum oppugnationem: sed eam non multum à Gallis metui, quando duplici jam vallo circumdata sint castra, & eorum qui ægrotarunt in castris, mortui sint pauci, plerique ad bonam valetudinem redierint. Longavillanus mille ferme Gallos secum habet. Vinariensium ductores pecunia data placavit. Laborat ut supplementa accipiat. A Crucenaci obsidione abstractum Glenium fama est. Delphinus ablactatus est & expeditè loqui incepit. Multæ literæ significant à Bressæo mersas aut ustas Galeones tres, captam unam, inter Gades & Luciferi fanum, euntes in Americam omnes. De Germaniæ rebus nihil addam; video enim eas certiùs in Batavis cognosci. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatis Tuæ consilia secundet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Septembris 1640.

Audimus recrudescere motus Catalanorum quos Rex Hispaniæ accusat violatarum conditionum. Ipsis autem Catalanis arma & alimenta à Gallis vendi. Ire adversùs eos partem Italicæ classis. Bressæus ad Bellam Insulam rediit, Burdegalensis in oram Provinciæ, hic re nulla facta. Leganesius nova supplementa accepit: Harcurtius autem è Provincia, peditum quatuor millia, equites quadringentos. Hispani qui in globis pulverem bellicum Taurinis submisere antehac, nunc & farinam mittere incipiunt. In hac urbe & vicis proximis octo millia novorum militum scribuntur. Pontifex Ginettium Cardinalem à Colonia revocat, fessus morarum. Remittet eum ubi Reges belli tædebit. Principi Electori Rex adamantem dedit qui xxx millibus Francorum æstimatur. Audio Legatum in Hollandiam hinc mitti.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

CLAUDIO SARRAVIO,
Senatori in Parlamento Parisiensi.

Vir Nobilissime & Amplissime,

GAudeo me in postremis quos una habuimus sermonibus judicio tuo, quod maximi feci semper, fecisse satis. Cur singula dogmata explicare & confirmare in illis libris non debuerint, causæ apparent pagina 77. 91. 106. 107. 193. 194. postremæ editionis. Attamen obiter & quantum permisit instituti ratio dixi satis de Trinitate & Incarnatione 141. 190. 191. 192. 193. 210. 496. 497. 498. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 581. de Satisfactione verò 183. 184. 211. Novam illam quæstionem quod attinet, quando est ἰυδία βλάπτ@ nihil melius suadere possim quàm videre quæ Viri Doctissimi scripsere ad 1 Sam. XVI. 6. & II Sam. VII. 3. Pro benignissimo affectu, quem in me ut in Threselium demonstras, gratias habeo summas: eroque semper. Lutetiæ 20 Septembris 1640. 1416

Nobil. & Ampl. dignitatis Tuæ studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MIssus est Mazarinus Taurinos ad constituendam, ut creditur, in Italia pacem aut perpetuam aut temporariam. 1417

rariam. Recrudescere Pontificis cum Gallis controversiæ, lictore quodam à Legati domesticis occiso: & cum Hispanis, quod eorum opera quidam è carcere sint liberati, itemque ob onera imposita Ecclesiasticis per Regnum Neapolitanum. Habet & controversias cum Ethrusco, Lucensibus, Parmensi, in summa cum omnibus Italiæ Principibus. Captas à Bressæo aut demersas naves quasdam Hispanorum etiam à Madritio literæ nuntiant. Tubadelius apud Cardinalem fuit: mittitur per Batavos ad Longavillanum, ut omnibus quæ Bernhardi Ducis Vinariensis fuere, copiis præsit. Ita directores qui dicebantur, pecuniis acceptis, quod habuere imperium, amittent. Erlachius tamen ire dicitur cum 1ↃCC peditibus, equitibus sexcentis ut Hohentwilæ subveniat, circumsessæ à Ladronio, cùm interim Crucenacenses præsidiarii Magontiacensium fines incursent. Cæteris Germaniæ narrandis abstineo, quod jam propiores sint Batavis quàm nobis exercitus. Regina incipit sentire partum appropinquantem. Dicitur exercitus Cardinalis Hispani fugis deminutus ad XV millia: sexaginta hostium à Gassione cæsi. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, diu Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ 22 Septembris 1640.

Audimus Catalanos desperatis è Gallia auxiliis iterum Regi Hispaniæ conciliatos, cumque Hispanis aliis venire in Languedociam. Esse eos XX peditum millia, tria equitum, cum machinis XL; adesse naves longas itidem XL. Regina filium alterum hac peperit nocte. Princeps Thomas dum de pace aut induciis agitur ingenti numero erupit ex urbe Taurinorum: & munimenta quædam Gallorum tenuit, sed repulsus est. Pugna illa Gassionis non longè à Bethuna evenit.

Sublim. Tuæ cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1418 QVod reponam literis Excellentiæ Vestræ datis 10 Septembris nihil magnopere reperio. Ita sterilis rerum est hic autumnus. Principem Electorem spero jam brevi apud vos fore sanum ac vegetum, utinam & ejus rebus meliori loco se habentibus. Nunc eùm omnes aliorum pollicitationes ab Anglia pendeant, Anglia autem præter bellum Scoticum domesticis quoque dissidiis distrahetur, quod speremus non multum apparet: bonis tamen votis non abstinendum est. Canonas nuper in Anglia cusos Latinos videre percupio. Nondum id contigit. Quid futurum sit de federe inter Suedos & Gallos spero me aliquando percepturum ex Illustrissimi Domini Salvii literis. De rebus Germanicis eadem prope audimus quæ apud vos nuntiantur: additur Erlachium ivisse cum peditibus octingentis, equitibus trecentis contra Ladronium qui Hohentwilam circumsidet. Eos autem milites qui Crucenacum servant multum & damni & terroris inferre Magontiacensibus. Vt Princeps Elector Palatinus pro suorum aliquo commeatus literas Imperatorem poscat, pertricosum negotium est, & vix video quomodo sine offensa abire possit. Hassica autem & Lunæburgicus, consulta Suedia Galliaque, facere id possent, & fortè facient. De Taurinorum urbe variæ adhuc sunt conjecturæ, sed missus eò à Rege est Mazarinus haud dubiè ad tentandas pactiones aliquas, cujus rei exspectandus eventus. Reginam Matrem Suediæ, etsi fortè non planè ex votis suis habitam, terrere debuerat exemplum Gallicæ Matris, quæ laris incerta huc illuc jactatur, gravis ubique hospita, & nunc dicitur parata redire in Batavos dum à filia alimenta habeat. Regina interim hic Regis uxor partum exspectat & tormina sentire incipit. Galli Atrebatum urbis possessionem & advectiones necessarias castellis firmant. Hostium plus sexaginta his diebus in itinere deprehensos occiderunt. De Hispanicis navibus à Bressæo captis aut oppressis, etiam à Madritio literæ veniunt. Pontifici crescunt controversiæ. Nam & Gallica recruduit, lictore quodam è domesticis Estræi interfecto: & Hispanica liberatis è carcere quibusdam ope, ut dicitur, Legati Hispanici. Tum verò nec cum Venetis, nec cum Duce Ethruriæ, nec cum Parmensi, nec cum Luca bene ei convenit. Hispanus verò Italiæ Principes satis aut amicos aut per metum obnoxios habet. Nam & Ethruscus & Luca ei appulsum transitumque concedunt, idemque à Mutinensi & Parmensi se obtenturum sperat. Catalani dicuntur denuo reconciliati Regi Hispaniæ. Venire cum aliis Hispanis in Languedociam XX millibus peditum, tribus equitum, XL machinis, navibus longis totidem. 15 mensis hujus Princeps Thomas ex urbe Taurinorum ingentem fecit irruptionem: munimenta quædam Gallorum tenuit, sed expulsus rejectusque est. Regina hac nocte alterum peperit filium. Valetudinem Excellentiæ Vestræ secundam, jucundamque Culemburgi moram, ac felicem inde reditum toto animo precor, utpote, Lutetiæ 22 Septembris 1640.

Excell. Vestræ omni observantia cultuque devinctus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

DOlent mihi sanè quæ de Vilna Nob. Vestra scribit. 1419 Nam & exemplum sæviendi ex odio Religionis valde mihi displicet, & nihil est quod statui Regni Vestri magis adversetur. Feliciores fortè fuissetis si Turca perrexisset vobis metum inferre, ut vel sic restitueretur interna concordia & legum eam continentium vigor. Hic Mileterius laborat ut Catholicos & Reformatos in unitatem Ecclesiæ revocet, auditurque à Catholicis benigniùs quàm à Reformatis. Rex captam urbem Atrebatum munit: uxoris partum exspectat: de pace per Italiam constituenda cogitat. Naves Hispanicæ aliquot apud Gades à Bressæo exustæ: milites Hispani aliquot cæsi in Belgico fine. Pontifex autem controversias habet cum Gallis, Hispanis, Duce Ethruriæ, Venetis, Lucensibus, Parmensi, & tamen est minimè malus. Deus Nob. Vestræ amicisque ejus favens adsit. Lutetiæ 22 Septembris 1640.

Regina Galliæ secundum peperit filium. Hispani Languedociæ minantur.

Nobil. Vestræ studiosissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VEnit ad me, die Lunæ exacto, Comes Chavignia- 1420 cus, dixitque Regem, auditis quæ ego pro Marescalli Hornii libertate proposueram, constituisse Waertium mittere Nanciacum ubi miles redisset in hiberna, ut sic majore cum præsidio deduci posset. Placere item Regi, ut Waertius cum Hornio permutetur, ita tamen, si federis cum Suedia prolatatio fieret. Nullas Regem videre causas, cur id in deliberationem veniat, cum Rex omnia federis antehac facti sua ex parte impleverit, & bellum feliciter procedat, capta nunc (nam hoc addebat) & Taurinorum urbe. De ea urbe capta rumor quidem est aliquis, sed parum liquidus. Plerique putant bellum illud pace compositum, eoque magis quod dicitur Princeps Thomas esse in libertate. Dicebat præterea Chavigniacus audisse Regem, questum me apud Sublimitatem Tuam quod non is, qui deberet mihi habitus esset honos à Franciæ Cancellario: Cancellarium semet excusare: Regis autem esse voluntatem, ne minùs mihi, quàm

quàm aliis Regum Legatis, honoris haberetur: ac cupere id in Suediam scriberem. Dixi me vera scripsisse, non tamen eum esse, qui siquid per incuriam factum esset, ubi de animo constaret, oblivione id sanare non possem. Scripturum me in Suediam, ac confidere futurum hic, ut in veteri possessione defendar. Locuti etiam sumus de Angliæ rebus. Ita autem sentiebat D. Chavigniacus, si Rex Britanniæ fedus nostrum amplexus esset, non modò bene consulturum eum fuisse Palatinæ Domui ac Germaniæ rebus, verùm etiam obsequentioribus usurum populis, quibus suspecta est Hispanorum apud Aulam auctoritas. De Principe Palatino benignè loquebatur. Dicitur Rex Hispaniæ venisse Barcinonem & quidem sine Olivaresio, quò gratior suus sit adventus apud gentes nondum persanatas. Res Germanicas iis nuntiandas relinquo qui in Batavis sunt: Helveticas autem Marino, cujus memorem fore Sublimitatem Tuam spero: res enim ejus id exigunt. Hohentwila circumsidetur ab Hispanis. Præfectus autem novo juramento illigavit milites. Bavarus, ut alios decipiat, simulat non bene sibi cum Austriacis convenire. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ pro bono Suediæ Europæque totius prosperet. Lutetiæ 29 Septembris 1640.

Si federis prorogationem nihil præter disputationem de pecunia moratur, haud dubiè Cardinalis pecuniam promissam augebit. Ex urbe Taurinorum exiere octo millia militum. Princeps Thomas apud Viduam est. Ceteræ pactiones latent. Spargitur hic Catalanos iterum in motu esse & obsidere maritimum oppidum Rosas, & implorare opem Galliæ terra ac mari. Hispani Lotharingiam & Burgundiæ Ducatum ab equite vacua incursant.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1421 Spero suaviter Excellentiæ Vestræ esse Culemburgi: Deumque precor, ut valetudinem ipsi firmam felicemque reditum largiatur. De Taurinorum urbe per famem capta, rumor hic est, sed parum certus. Alii pacem ibi constitutam putant. Hohentwila circumsidetur. Præfectus novo juramento adegit militem. Sollicitantur Helvetii Romanenses, ut hac in re Hispanos adjuvent: illi cunctantur, ut solent. Basilea in metu est. Cæsariani in partibus illis superioribus Rhenum tenent, ponte etiam facto inter Francofurtum & Hochstam. Audimus à Bavaro simulari dissidia cum Domo Austriaca, fallendis aliis: Literas invitatorias ad Lunemburgicum & Hassicam, non de more scriptas: contra vocatos ad Conventum Traumensdorfium aliosque belli occasione Principes & Comites factos: clerum Trevirensem audiri velle in Conventu. Suickaviam obsideri à Saxonicis & Cæsarianis. Sed hæc aliaque Germaniæ meliùs noscentur apud Batavos. Rex hic, Regina & par liberorum bene valent. Significavit mihi Rex placere sibi ut ubi miles è castris recesserit, Iohannes Waertius deducatur Nanciacum, ac deinde ejus cum Hornio permutatio fiat, dum modo fedus Suediæ secum prorogetur. Id autem negotium trahi à Suedis arbitror, quos & cum Batavis nihil dum confecisse intelligo. Dicuntur Catalani rursus in motu esse: obsidere oppidum Rosæ: Gallorum invocare auxilia. Lotharingiam & Burgundiæ Ducatum vacua ab equite incursant Hispani. Octo millia ex urbe Taurinorum exiere: Princeps Thomas apud Viduam Sabaudicam est. Pacta latent. Reginæ Suedicæ matris consilia quo sint eventura, attentus exspecto, rogoque Deum ut & hoc & res alias bono Suediæ vertat, Excellentiam Vestram diu usibus Regni servet. Lutetiæ 29 Septembris 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVod de Taurinorum urbe vulgatur, hoc est, Principem Thomam, cùm videret eruptionem quam cum 1422
septem millibus die Septembris 14. fecerat, ideo fuisse irritam quod à Leganesio minùs constanter oppugnata essent castra, propiùs voluisse consulere rebus suis, tentatisque pactionibus, datos utrinque obsides, & postquam conventum esset, exiisse Hispanos die 24 ingressumque in urbem Harcurtium die eodem. Rerum periti non dubitant quin celentur ea quæ convenerunt. Dicitur hic Imperator id omni modo agere, ut Regina mater Suediæ nubat Regi Daniæ, Pomeraniamque habeat dotalem, ut sic Rex Daniæ bello in Suedos implicetur. Catalani Rosas oppidum cepisse dicuntur, ac planè erecti in spem libertatis. Captus est à Gallis Præfectus S. Audomari. Ipsi quoque urbi factæ insidiæ, sed sine eventu. Manent adhuc apud Peronam in armis Regii duces milites que: & Cardinalis Hispanus inde non longè cum exercitu xxv millium. Rex magnæ Britanniæ & nobilitate & civitate Londinensi id rogantibus, vix effugere poterit quin iterum convocet Angliæ Parlamentum: quod si est, reperientur ibi fortè rationes pacandi Scotos, non tamen planè ex voto Regis & Episcoporum. Nam Scoti postquam in Angliæ Regnum sunt ingressi valde benignè se adversùm Anglos gerunt, captantes eorum gratiam in causa satis populari. Interea Hiberni descensum in Scotiam parant, Scoti verò sperant id periculum se posse propulsare. Novi præter hæc nihil habemus: neque ejus multum sperandum est, antequam ver redeat. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, det Reginæ, Regno Suedico, Tuæ Sublimitati cuncta prospera. Lutetiæ 6 Octobris anni 1640.

Dicitur ad motus Catalanicos fovendos ivisse Archiepiscopus Burdegalensis. Insideri ab iis Pirenæi aditus. In Lotharingia & Burgundia geritur nihil. Exercitus Gallicus est apud Peronam, Hispanicus variis in locis, maximè apud Duacum.

Subl. Tuæ cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

SPero bene eventuram valetudini Excellentiæ Vestræ 1423
peregrinatiunculam istam & secessum Culemburgensem: quod ut ita sit Deum ex animo precor. Non poterat ad id Excellentia Vestra tempus elegisse, magis à negotiis vacuum. Apud vos puto jam milites reduci in hyberna. Alibi verò manent adhuc in aperto exercitus, Cardinalis Hispani ad xxv millia, Castilionæi non minor. Cepere Galli Præfectum S. Audomari: in urbem ipsam insidias struxere, sed irritas. Est Rex ad S. Germani cum Regina ac filiolis duobus: Cardinalis in proximo, omnes bene valentes. De urbe Taurinorum nihil habemus aliud nisi exiisse inde Hispanos 24 Septembris: pactiones quæ de illis rebus factæ sunt, clam habentur magno studio. Interim Catalani dicuntur cepisse Rosas ad mare oppidum, magnoque flagrare desiderio libertatis. Videtur idem ventus & Anglos afflare, quorum gratiam Scoti, quanquam cum armis ingressi Angliam, captant modis omnibus: multique Angliæ nobiles, jam & civitates, nihil immotum relinquunt, ut

ut iterum coëat Angliæ Parlamentum: quod si fit, multos ibi fautores repertura erit Scotorum causa. Rumor hic est laborare Imperatorem, ut Regina Mater Suediæ Regi Daniæ nubat, & pro dote afferat jus in Pomeraniam. Ego verò Daniæ Regem non puto hac ætate bellum in Suedos appetere: neque verò, si id velit, lituros Daniæ Primores. Dicitur præterea Imperator velle exonerare Archiducissam Claudiam liberûm suorum tutela, eamque in se suscipere. Præfectus castelli Fontani apud lacum Comensem pecunias à Mediolano Rhætis missas retinet, donec, sic ait, Protestantes qui in Valle Telina latitant, ejiciantur. Queruntur autem de Rhætis & hoc Hispani, quod ad tuendum Burgundiæ Comitatum nihil militis miserint Rhæti, cùm XV millia promisissent. Habent illi exceptiones quasdam; sed in societatibus adeo inæqualibus qui plus valet federa interpretatur suo ex usu. Gallicus exercitus in fine Belgico maximè apud Peronam est. Hispanicus propius Duaco, sed sparsior. Quid egerit apud Brandenburgicum Arnhemius, quid in Dania sit acturus, scire cum tempore aveo. Deus Excellentiæ Vestræ publicoque cuncta det prospera. Lutetiæ 6 Octobris 1640.

Excell. Vestræ perpetua devinctus observantia H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1424 FLectens in hyemem annus nihil ferme permittit, nisi opera fieri. Rex enim castella ex humo fieri jussit, per quæ via ad Atrebatum urbem tam à Dorlano, quàm à Bapalmis sit tutior. Cardinalis verò Hispanus, ut sua contra Gallorum excursus tueatur, facto magno castello ad Pontem Aventinum, impositoque præsidio militum bis mille, alia castella minora quatuor struit inter urbem Atrebatum & Duacum, adhibita ad id & rusticorum sexies mille opera. Auxit & aliorum oppidorum præsidia, Bethunæ additis mille ducentis militibus, Bapalmis autem mille. Cantatus est hic hymnus Te Deum velut dedita urbe Taurinorum: cæterùm pactiones latent, & per Italiam pacem fore video ab omnibus credi. Ducis Longavillani ægrotantis adventus per Batavos hic exspectatur. Rex, Regina, Regisque liberi bene valent, ut & Cardinalis qui novam Academiam in oppido suo Riceliaci molitur. Catalani insessis montium faucibus aditum omnem Hispano ad Ruscinonensem Comitatum præclusisse dicuntur. Sollicitè exspectamus qui eventus futurus sit consiliorum in illo nobilium Conventu, quem Eboracum convocavit Magnæ Britanniæ Rex. Scoti in Anglia multos inveniunt fautores, ideo quod adversùs Anglos amicè se gerant: accedit commune desiderium libertatis & in Episcopos præpotentes invidia. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Suediam servet concordem atque armis felicem donec haberi bona pax possit, & ad hæc omnia, consilia Sublimitatis Tuæ prosperet. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Octobris 1640.

In Cardinalis Ginettæ locum venit Coloniam Macchiavellus Ferrariensis Archiepiscopus Nuntii titulo. Anglicus equitatus Scotico prævalet, & turma Scotorum quædam ab Anglis cæsa est. Mazarinus in urbe Taurinorum est, & exspectatur hîc quidam à Principe Thoma. Interim ad Leganesium venire dicuntur equites terra, mari pedites à Neapoli & Hispania. Vhes oppidum in Ruscinonensi Comitatu ab Hispanis obsessum, à Gallis exemptum est obsidio. Eundem Comitatum Catalani illi qui libertatem armis arripiunt, fame premere conantur, orantque Gallos ut ipsis adsint, mari maximè, armaque & alimenta pro pecuniis subministrent, offerentes, ut dicitur, obsides nonnullos & locum aliquem pignori. In eodem Comitatu Ruscinonensi armis Bodincurtiam, Mommengiacam apud Cimacum, cepere Galli. Rex Galliæ à clericis tertiam partem redituum exigit: Episcopo autem Basileensi frui suis terris permittit sub tributo, addita lege ut ab hostilitate omni abstineat: interdixit autem omnibus suis cum Genera commercium, quod inde ali hostes crederet in Comitatu Burgundiæ. Imperator autem dicitur bonorum restitutionem offerre Palatinis tam Bipontanis quàm Lautricensibus, dum & ipsi reddant quæ ad Ecclesiam pertinent. Rex it Fontem Bellaqueum.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

LIteras meas ad Excellentiam Vestram rectè perferri 1425
gaudeo: & quando infrequens est aberratio, pergam ea ratione posthac eas mittere, qua usus sum hucusque. Princeps Palatinus, ut ex literis Excellentiæ Vestræ cognosco, à Daniæ Rege nihil magni exspectandum habet, ne à Gallia quidem, quamdiu Anglia se non movet. De Anglia verò quid sperari debeat, ut judicemus, exspectandus erit exitus Conventus illius Eboracensis, Deusque rogandus ut mentem optimam Regi populisque inspiret: planeque credo, si Rex ille nobis se velit adjungere, multa simul bona secutura: redituram ipsi suorum populorum, quibus omnis cum Hispano societas suspecta est, fidem atque amorem: pacis æquæ gloriam ad ipsum potissimùm redituram, neque Palatinam tantùm domum pro sua restitutione, sed & Germaniam pro servata libertate plurimum ipsi debituram. Imperator etiamsi pacem vellet habere eam non posset, Gallis id omni modò agentibus, ut parta retineant. Rex Daniæ, malus semper Suedis vicinus, si turbas in Suedia movere posset, credo non abstenturum, præsertim ubi inter Suedos Batavosque actum aliquid intelliget: & quià conditiones tenentur in arcano, eò magis eas habiturus est suspectas, nec dubitandum, quin ut vectigalia sua tueatur, usurus sit & Hispanorum & Anglorum viribus. Vt verò idem Rex vecturas Batavorum ex Polonia per Suediam impediat, nullam habet juris aut æqui speciem. In Germania validæ sanè sunt hostium copiæ, & nescio an è re sit Suedica in prælii aleam rem tantam conjicere. Pro victore erit, qui diutius habebit quod edat, & unde equos pascat. Exspecto & ego ab Hamburgo literas de federe cum Gallis, unde pendet & Hornii libertas. De Calcaria meritò hic gaudemus. Princeps autem Arausionensis hoc anno Gallis non satisfecit. Præpropera quoque illa novorum militum missio, quam fecere Batavi, nec Gallis placebit, nec Hassicis. De urbe Taurinorum res confecta erat, cùm adhuc in itinere esset Mazarinus. Cantatus est ob id hic hymnus Te Deum. Conditiones valde cælantur: & creditur pax esse in Italia. Catalanorum novi motus hic in magno sunt rumore, dicunturque insessis montium faucibus, aditum Hispano præclusisse ad Ruscinonensem Comitatum. D. Nicodemi vicem doleo. Nam & ego eum in Germania novi. Non flebit ob id D. Spiringius. Ex Polonia quin militem habere possit Imperator, non dubito; pecunias ibi abundare non arbitror. Rex hic, Regina cum liberis bene valent. Et Cardinalis ab armis ad literarum curam versus novam Academiam in oppido suo Riceliaci molitur. Interim non cessant munitorum operæ. Struuntur castella à Rege inter Atrebatum urbem & Dorlanum itemque ad Peronam: ab Hispanis verò magnum unum ad Pontem Aventinum in quo milites bis mille: minora verò qua ab Insulis & Duaco ad Atrebates itur, castella quatuor numero, labore tum militum, tum rusticorum sex mille. Augentur & præsidia Bethunæ additis militibus CIϽ CC, Bapalmæ mille. De Ferrariensi

Digitized by Google

rariensi Archiepiscopo idem hic intelligo quod scribit Excellentia Vestra. Præterea esse Mazarinum in urbe Taurinorum & hic exspectari aliquem à Principe Thoma. Interim Leganesio adventasse terra equites, mari pedites exspectari à Neapoli & Hispania. Eas copias in Germaniam transituras arbitror. In Comitatu Ruscinonensi Ilhez oppidum ab Hispanis circumsessum, vi Gallica obsidioni exemptum est, videnturque Catalani Hispanis qui in illo sunt Comitatu famem facere velle: atque in id implorare Gallorum auxilia, maximè ad claudendos portus, & alimenta atque arma pretio dato. Addit fama offerri ab ipsis obsides & loca pignori Gallis. In eodem Comitatu arcem Bodincurtam cepere Galli & apud Cimacum arcem Mommengiceam. Rex ad Fontem Bellaqueum it, tertiam redituum parem à clericis exigit: Genevam exclusit à commercio quod inde ali hostes qui in Comitatu sunt Burgundiæ crederet. Episcopum Basileensem sub aliquo tributo in bona restituit: diciturque Imperator restitutionem polliceri Palatinis Bipontinis & Lautrecensibus, si & ipsi reddant Ecclesiæ bona. Scotorum turmam audimus cæsam ab Anglis equitatu præpollentibus. Deus Optimus Maximus & valetudinem & familiam & labores Excellentiæ Vestræ prosperet. Lutetiæ 13 Octobris 1640.

Excell. Vestræ ad cuncta observantiæ cultusque officia promptissimus H. G.

D. MARESCHALLO BANNERIO.

Illustrissime Domine,

1426 CVm discessisset ex hac vita maximus Princeps Dux Saxoniæ Bernhardus, filium qui inter Nobiles domesticos ei fuerat statim destinavi militiæ sub ductu Excellentiæ Vestræ, quem inter hujus sæculi duces primum, & Principis Bernhardi virtutibus nihilo minorem existimo. Fuit eo animo filius ad Batavos, sed ubi funeribus avi, amitæ, materteræ diu detentus tandem iter ad ea loca arripuit in quibus bellum fortiter ac feliciter gerit Excellentia Vestra. Quanquam ergo nihil tale meritus, audeo rogare Excellentiam Vestram talem assignet militiam, quali ipsum parem judicaverit: quæ hic & alibi geruntur ea ex Batavis ad Excellentiam Vestram perscribi scio, alioqui neque huic neque ulli alteri parsurus operæ quam Excellentiæ Vestræ placere intelligam. Sed multis verbis agendum non est apud imperatorem, cujus omne tempus Regni Suedici utilitatibus & gloriæ debetur. Deus consilia actusque Excellentiæ Vestræ, Illustrissime Domine, semper prosperet. Lutetiæ 20 Octobris 1640.

Excell. Vestræ ad omnia obsequia promtissimus cultor H. G.

D. GABRIELI OXENSTIERNÆ.

Illustris Domine,

1427 ET gaudeo & doleo. Gaudeo, quod rectè in Suediam veneris, quodque mei memoriam & quidem mihi tam faventem retines. Doleo, quod hic cùm esses animum tibi addictissimum non pluribus rebus testatum potuerim facere. Sed etiam absens absenti impera, siquid est in quo usui esse possum. Rogo autem me Excellentissimis & Illustrissimis Regni Rectoribus commendes, ac siquid est quod adjicere possim ad ea quæ feci hactenus, id ut norim. Quotidie aliquid reperio quod addam Gothicis ac Vandalicis antiquitatibus: spero opus fore nec inutile nec ingratum. Deus, Illustrissime Domine, salvum te sospitemque cum propinquis & amicis omnibus servet. Lutetiæ ²⁷/₁₇ Octobris 1640.

Illustritati Tuæ devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

PRinceps Thomas in plena libertate est. Huc misit quendam suorum ad constituendam illorum locorum pacem. Interim ibi induciæ sunt, &, ut puto, duraturæ. Inter Gallos & Hispanos qui in Belgica sunt, nunc operibus solis certatur, ut per ea tutior cuique reddatur sua professio. Catalanorum motus manent, eousque increscente eorum in Hispanos alios ira, ut capitis viscera extrahant. Gallorum & Batavorum erit cogitare, quantum ipsorum referat, foveri talia. Ratisbonæ quæ proposita sunt video esse solemnia. Multi erunt sermones, rei parum. Inter D. Bannerium & Cæsarianos nihil aliud puto nunc quæri, quàm utri meliora hyberna sint habituri. In ea re autem melior est conditio occupantis. Quæ circa Hohentwilam fiunt, non magna sunt. Galli planè jam domini sunt Brisaci, omniaque ibi pro dominis agunt. Dolet id Germanis, sed quid facient? Ex Anglia quid Elector Palatinus sperare debeat, videbimus, ex illo colloquio inter Anglos & Scotos de pace instituto & ex successu Conventus Parlamentarii. Rusdorfii mortem doleo. Erat enim vir bonus & eruditus. De Daniæ Rege impellendo, ut aliquid tentet pro Domo Palatina probo Excellentiæ Vestræ consilium, nihil nocebit experiri. Cæterùm videtur ille Rex, ut vectigalia sua tueatur, ad amicitias Hispanicas ac Austriacas multum respicere. Quod in Suedia confecere Batavi, non ita multum esse arbitror. Sed tamen è re erit, quàm latissimè de eo famam spargi. Poterit id pro fræno esse iis qui nobis malè volunt. Regina Mater Suedica an nupturiat, brevi videbimus. Nihil ex Gallia pro Hornio sperandum erit, quamdiu pendebit de federe deliberatio. Marinus mirum in modum in singulis ad me literis conqueritur, multo à tempore nihil sibi mitti unde onera sustineat. In talibus ac tam necessariis cunctatio sæpe magnum adfert detrimentum dignitati publicæ. Qui hic pro Principe Thoma est, Abbas est Busquettæ. Videtur autem qui in Italia fuit exercitus Gallicus hac hyeme hæsurus circa Genevam. Catalani XL sibi fecere Rectores & auxilium navale à Massilia exspectant. Deum seriò rogo ut Excellentiæ Vestræ omnia det quàm prosperrima. Lutetiæ 20 Octobris 1640. 1428

Excell. Vestræ singularis observantiæ cultu addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

IN Italia factas inducias & prorogari constat: diciturque clam hic esse aliquis missus à duobus Principibus Sabaudis. De Catalanis mira narrantur, ita incensos eorum animos in milites Regios ut iis viscera extrahant. Id si verum est antiqui motus, quos plerumque veniæ desperatio consequi solet, prudenter aluntur à Gallis & Batavis. Poterit inde malum nasci Regi Hispaniæ diuturnum, & ipso contagio fluere longiùs, Arragonibus etiam accisam libertatem gravatè ferentibus. Rex magnæ Britanniæ Parlamentum Angliæ indixit in mensem Novembrem. Interim petit inducias à Scotis, quorum exercitus pecuniæ deliquio multum diffluit, & ex ea nobilitate quam Eboracum ipse convocaverat delegavit aliquos qui in collimitio cum Scotis conferant. Interim in Gallia tributa gravia, gemitus plebis, motus nulli. Rex verò Britanniæ, ut ad eum redeam, etiam pecunias quærit mutuas à nobilitate & civitatibus ad ducenta millia librarum sterlingicarum, ut eas solvat post finem Parla- 1429

Digitized by Google

menti. Ea ratione sperat se multos habiturum in Parlamento qui liberaliter ad petendas à Rege collationes sint assensuri, accedente ad gratiam etiam singulorum indemnitate. Erlachius Laufenburgi etiamnum est. Gotzius in libertate & non ingratus Imperatori. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, præsens Regno Tuæque Sublimitati adsit. Lutetiæ $\frac{1}{2}\frac{3}{4}$ Octobris 1640.

Qui hic est pro Principe Thoma Abbas est Busquettæ. Regis Galliæ qui in Italia fuit exercitus circa Genevam hyematurus creditur, quæ sicut à commerciis Galliæ exclusa est, ita fore ut excludantur & Helvetii, ne Comitatus Burgundiæ ab ipsis alatur multi existimant. Consultatur hic de imponendo solido in quamque libram pretii mercium. Tubadelus duorum mensium stipendia adfert Vinariensibus. Extra urbem Atrebatum munimenta fiunt tuendæ urbi. Catalani XL Rectores sibimet effecere, & XII à Massilia naves longas auxilium sibi exspectant.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

PRINCIPI DE LAUTREC.

Excellentissime & Illustrissime Princeps,

1430 GRatias ago Celsitudini Tuæ quod & meam optimam sanè sed non quàm vellem utilem Celsitudini Tuæ voluntatem pro sua summa bonitate æqui consulit, meque de statu rerum suarum ac studiorum certum facit. Sedem à Celsitudine Tua bene electam judico, loco salubri nec inamæno, deinde ubi & equitandi ars & Mathematica, res duæ Principibus imprimis necessariæ, addisci possunt, neque in cæteris rebus eruditorum deest copia, in quibus Capellum, virum in Hebraicis literis sacraque historia egregium, maximi facio. Plurimum autem laudo generosum Celsitudinis Tuæ propositum, omnes suos labores ac studia referendi ad Dei honorem, ad usum Regni Suedici & Germaniæ. Deus fautor semper adsit, & Germaniam aliquando clemens respiciat. A Suedico Regno causam habet Celsitudo Tua cur semper sibi optima polliceatur. Manebo ergo, Excellentissime & Illustrissime Princeps. Lutetiæ 24 Octobris 1640.

Celsitudini Tuæ in perpetuum adddictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1431 IN Italia ut scripsi induciæ sunt, & de pace illis in locis constituenda hic agitur. Catalani motus hinc alentur, cum spe manaturum ad Arragonas id contagium. Parlamentum Angliæ, ut audio, in Novembri coibit. Omnino optandum est, ut ibi conditiones inveniantur, per quos motus in Scotia desinant, in Anglia autem caveantur. Nihil verò aut æquius aut tutius, quàm ut regnet Rex secundùm leges moresque veteres. Liber est lectu dignus scriptus ante duo, ni fallor, sæcula de laudibus legum Angliæ. Si esset Pomeraniæ Imperator ad se trahere Danum posset, fortè repensatione aliqua placaret Brandenburgicum. Sed credibilius est, quod judicat Excellentia Vestra, quamvis malè nobis is Rex velit, Ordinum tamen Regni auctoritate retinetur, ne nobis noceat, quæ & de Polono existimo. Cùm in hostium potestate sit Hortera, ager Brunsvicensis & Lunemburgicus mala sentient eadem quæ pertulit Hassia. A Batavis vix erit ut Vidua Hassica quicquam impetret; sed poterit ex tributis bellicis partem damnorum resarcire. Nam Calcaria multa illi loca ad excursum patefaciet. Chiausius hic non habuit honores legatorum. Neque Legati eum adiere. Nihil tamen peccaturos arbitror Batavos, si benigniùs cum ipso agant. Quicunque mihi ab Excellentia Vestra commendabuntur, iis omni modo ut prosim annitar. In Italia decessit Dux Guisius. Arma ibi quiescunt. De pace plena per Italiam constituenda clam hic agitur. In Turcico Imperio magnum gaudium est quod feminæ aliquæ gravidæ sint ex Sultano Ebrahimo, qui si absque prole mascula decederet, ingentes motus prævidebantur successionis jure ambiguo inter Tartarorum Precopensium Regem & quendam qui se Mahumetis, quem frater Amurates occidit, filium dicat, nec tamen persuadeat omnibus. Paratur ibi classis contra Ethruscum & Melitenses, alia contra Cosaccos. Accepi præceptum à Regina nostra, ut hic instem ad adipiscenda majora per Germaniam auxilia. Catalani auxilia à Gallis poscunt, quibus ipsi stipendia sint daturi. Sed Castellani fauces Tortosæ intercepere & Gallica auxilia maritima tardè se movent. Leganesius in Præfectura Mediolanensi manet. Melus it Legatus in Germaniam. Lamboius ad Mosam, Dux Carolus ad Mosellam. In Academia nova Riceliaci artes omnes docebuntur sermone Gallico. Deus Excellentiæ Vestræ omnia det opta. Lutetiæ 27 Octobris 1640.

Excell. Vestræ constanti cultu & obsequio devinctus H. G.

D. HOGERBETIO.

Nobilissime Hogerbeti,

LIbenter tum ex literis Nobilitatis Vestræ, tum ex relatu uxoris cognovi vestræ domus mihi semper dilectissimæ valetudinem bonam & res non malas. Semper mihi sancta erit parentis vestri memoria, qui cùm esset vir omnium qui in illis locis vivebant optimus, pessime tractatus est ab hominibus impuris, quos sua manet pœna, nisi eam jam sentiunt. Versus Nobilitatis Vestræ nondum vidi, latent credo adhuc in sarcinulis uxoris quæ jam modò primùm advenit. Ego sicut affectum vestrum omnium in me facio plurimi, ita de me mutuum polliceamini rogo: siqua sit facultas mihi, rebus id quàm verbis malim ostendere. Lutetiæ 27 Octobris 1640.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

ACcepi Clementissimæ Reginæ nostræ literas datas 10 Septembris quibus quæ mandantur exsequar, simul ad Regem aditum impetravero, quod propediem futurum est. Literas accepi à Constantinopoli, scriptas 10 Augusti. Ex iis disco magnum esse gaudium in ea urbe totoque Imperio, ideo quod Sultanus Ebrahimus feminas quasdam, quarum semper magnum gregem secum trahit, complexu suo gravidas fecerit. Nam si is sine virili stirpe è vita excessisset, magna dissidia motusque civiles prævidebantur: successionem ambiguam hinc adfectaturo Rege Tartarorum Precopensium, qui substitutum se Ottomannicæ Domui dicit, inde adolescente quodam qui se dicit ex Mahumede fratre Amuratis Sultani conceptum ex serva quam clam ipsi mater in spem sobolis submiserit, prospiciens scilicet quod evenit, fieri posse ut Amurathes fratrem eum Mahumedem occideret (quod fecit cùm iret in obsidionem Revani, nequid se absente moveretur) ipse autem sine stirpe virili decederet. Eadem epistola magnas virtutes Principis Vizirii prædicat, animum excelsum & humanum tamen, diligentiam in rebus agendis eximiam, multum ingenii. Isque is res omnes Imperii gubernat: Sultanus autem Ebrahimus deses & ingenio hebete, sola sagina ac Venere agit Principem. Dicitur & classis ibi parari contra Ethruscum & Melitenses. Obiit in Italia Dux Guisius. Noyerius ad procuranda urbis Riceliaci ædificia mittitur.

tur. De pace per Italiam constituenda negotium clam agitur. Interim arma illis in locis quiescunt. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilii Sublimitatis Tuæ felices det exitus. Lutetiæ 28 Octobris 1640.

Legatus à Mogore exspectatur Constantinopoli. Catalani auxilia à Gallis poscunt ipsi daturi stipendia. Sed Castellani qui se apud Perpinianum tenent fauces Tortosæ occupaverunt: & inter ipsos Catalanos qui maximè se tenent in finibus Comitatus Ruscinonensis apparere incipiunt dissidia. Leganesius contra quàm dictum fuerat Mediolani Præfecturam retinet. Melo autem it Legatus ab Hispano in Germaniam. Lamboius ad Mosam dicitur ire, ad Mosellam Dux Carolus. Sperat se Rex anno quem exspectamus percepturum milliones LXXV in quibus erunt XV de bonis Ecclesiasticorum. In Academia nova Riceliaei omnes artes docebuntur Gallico sermone.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

CASPARI BARLÆO.

EOdem ad me tempore advenere, quod faustum fortunatumque sit, & amatorii versus tui, & amores mei uxor. Ferreus sim, nisi me delectent tot lepores, tot suavitates tuæ: alienus à Musis, nisi mirer vim ingenii modò Martio sono inflantis tubam, modò leni cithara adstrepentis lectulo. Cùm interim non minùs feliciter & severa Lycæi studia tractes, & Ciceronis vibres fulmina, dignus sanè quem urbs florentissima inter prima sua decora numeret. Dulce etiam fuit mihi intelligere, esse nobis amicos in ea urbe ac te inter eos unum multis parem. Fida sanè pectora, quæ mutari nihil valuere tot sævientis fortunæ telis, & toties in me ruentibus. Meruit id vestra constantia, ut in meis malis satis testata, propriis adversis monstrari non egeat. Saluta quæso pro me omnes, ut cum Platone loquar & ἑταίρους & δαιτύμονας, animumque meum, quem ego absens rebus nullis possum ostendere, tu eloquentiæ tuæ vi omnibus repræsenta. Lutetiæ Cal. Novembris 1640.

Eruditionis Tuæ admirator non minimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

5 SIcut quietem fesso laboribus non invideo, ita graviter sim doliturus si mihi in perferendo hoc onere Excellentiæ Vestræ collegium & quæ sæpe utilissima expertus sum consilia subtrahantur. Quare velim ita rem temperari, ut neque gravis ætas supra modum oneretur, neque rerum peritia quantam ista ætas attulit Suediæ rebus substrahatur. De Britannicis rebus inter spem metumque incerti hærebimus, donec appareat quem exitum habiturus sit Angliæ Conventus Parlamentarius. Quin is pacem cum Scotis optaturus sit, dubitari non potest; sed an ea talis reperiri possit quæ Regiam auctoritatem non nimis lædat quæque per exemplum Angliæ Episcopis periculosa non sit, dubitari potest. Interim Scotorum arma propius propiusque ad Londinium, ut hic audimus, accedentia efficient, ut in eodem illo Parlamento liberiores sint Anglorum voces. Palatinus Elector ut aliquid efficere possit apud Regem Daniæ metuo. Est enim ille Rex impensè privatis suis rebus studens & ob id Austriacas gratias captans; nunc verò etiam filii morte efferatior. Imperator pacem, ut puto, non vult, nisi fortè talem qua Gallos à Suedis dividat: qua in spe alitur, quamdiu pendet incerta federis inter duo ista Regna duratio. Principes quorum terræ ab amicis non minùs quàm ab hostibus vastantur, quin pacem desiderent, dubitationem non recipit. Ad Visurgim nihil magni actum iri arbitror. Totum studium in quærendis locis & commodè agendam hyemem positum erit. Id verò sine damno Coloniensis Electoris videtur non abiturum. Diligenter nobis inquirendum erit Ratisbonæ acturi sint illi à Lunæburgico & ab Hassica. Videtur Imperator in id laboraturus, ut Principes Imperii sibi reconciliet, Pontifice autem utatur ad Gallum inflectendum, Daniæ verò Rege apud Suedos. Hoshemum à Rosa captum hic dicitur, alia loca expilata, cæsi hostium aliquot. Fama etiam est chartas non exigui momenti cum D. Nicodemio captas. Longavillanus huc venit, ut hyemem hic agat. Ego ut copiæ Gallicæ in Germania crescant laborabo. Catalanorum sexagies mille in armis esse dicuntur. Hispani contra eos ire tribus exercitibus. Captæ verò à Catalanis naves longæ Hispanorum aliquot. Vulgi hic facilè credentis quæ cupit rumores jam paria de Arragonibus, deinde & de Neapolitanis & Mediolanensibus augurantur. Ego puto odia in Hispanos non deesse, sed vires. Catalanos adjuvat situs ad mare, & à Gallia non longè. Iamque eò provecti sunt unde tutus recessus non datur. Fortè & illi aliquando fient Præpotentes Ordines. Multæ per Italiam Universitates Scholasticæ pro Lucensibus contra Interdictum responderunt. Taurini per Legatos suos in Genua positi veniam à Vidua Principe exorarunt. In ea urbe est nunc Mazarinus ad pacem bene constituendam. Quæ cum Batavis in Suedia acta sunt ad res maris pertinent omnia. In Polonia multa video esse dissidiorum semina quæ eos à nobis metui vetent. Suspectæ enim sunt Austriacorum molitiones ad firmandam Domum nunc regnatricem cum damno libertatis, suspecta vectigalia, suspecti sacerdotos. Audimus Hohentwilæ Præfectum & præsidium sacramentum dixisse Galliæ, Erlachio id agente, ut multos habeat suarum actionum imitatores. Cardinalis Riceliacus in urbe sui nominis ab se structa vult scientias artesque omnes doceri sermone Gallico. Deus Excellentiæ Vestræ det omnia felicissima. Lutetiæ 3 Novembris 1640.

Excell. Vestræ ad obsequia paratissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVominus ad Regem datus mihi sit aditus obstitit Regis secessus Verseliam, ubi cùm est omnia ab se negotia relegat: post id verò festi dies continui quatuor, quibus finitis spero me perfecturum quæ mihi sunt mandata. Millereii & Castilionæi copiæ manent circa fines in quibus bellatum est: Hallerius in Lotharingiam eique proxima se confert. Durant motus Catalanici, & sexaginta ferme hominum millia qui pedibus militent, equitatus quoque nonnihil in armis est. Contra eos Rex Hispaniæ dicitur tres mittere exercitus: dictus est & ipse eo ire, sed nunc etiam Madritii hæret. Si motus isti foveri possunt haud dubiè magnas inde occasiones Galli habebunt res suas promovendi. Cepere etiam naves longas aliquot Hispanicas Catalani. Dum hæc scribo misit ad me, statimque ad me venit Chavigniacus. Quod attulit, scribique à me voluit hoc fuit. Mirari Regem jam per menses ferme octo trahi negotium de prorogatione federis Hamburgi. Sperare quantum videtur Regni Suedici Rectores, posse aliquid conditionibus adjici in commodum Suediæ, ac literis hinc missis ipsos ac D. Salvium in ea spe ali. Regem autem nihil posse adjicere ad ea quæ antehac præstitit: non pati tot onera Regni sociorumque ipsi incumbentia. Quare velle se id pro certo haberi in Suedia, ac ipse sine mora longiore certus fieri de voluntate Rectorum Suediæ super federe. Si placeat id produci, multum in eo momenti fore ad obtinendam bonam 1436

nam pacem. Si aliter ipsis videatur, tempus esse ut hoc quoque Rex norit & ex eo suas res ordinet. Nullam majorem esse pacis moram, quàm quod hostis inter Galliam Suediamque dissidium speret. Totus autem sermo ita dirigebatur, ut satis intelligerem me notari quasi Suecia diæ significem majora quàm antehac posse obtineri. Addebat, si seorsim pax facienda sit, Regi Galliæ ad id faciliores quàm aliis vias patere. Dixi ego habere me literas ad Regem quas ipsi brevi sim daturus, grave jam pridem Suediæ esse hoc bellum, tantis in ipsos coactis hostium viribus, hoc maximè anno & præcedente. Verùm quando id negotium D. Salvio mandatum sit, me nihil amplius habere quod dicam: sed perscripturum fide optima quæ ab ipso didicissem. Ita discessum est. De rebus Britannicis nihil certi judicare possumus, priusquam finis appareat futuri in Anglia Parlamenti. De Italia nihil audimus nisi veniam precatos Legatos Taurinorum apud Viduam Principem, & Mazarinum in ea urbe morari ad plenè constituendam pacem. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ bono Suediæ Orbisque Christiani secundet. Lutetiæ 3 Novembris 1640.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1437 Observantiam nullam Nob. Vestra mihi debet. Pro amore quem non merui nisi amando, gratias ago. Literas autem ipsius sicut ubi otium ejus sinit accipio libenter, ita ubi negotia impediunt non exigo. Civitatem vestram tranquillo satis esse statu gaudeo: optoque diu ei contingat Lucretianum illud:

Suave etiam belli certamina seva tueri
Excelsa de turre, tua sine parte tueri.

Nos in mediis adhuc bellorum undis versamur, sed ita ut portum videamur prospicere eminus; nam Principes Germaniæ qui nunc Ratisbonam coiere vehementer pacem expetunt, aut cum Suedia Galliaque, aut certè cum Suedia. Hispania autem quæ suis opibus bellum Germanicum alit, non leve vulnus accepit motu Catalanorum, qui LXX suorum millia in armis habere dicuntur, tantumque negotii Regi Hispaniæ facessere, ut tribus adversus eos exercitibus opus habeat. Id malum fortè alios etiam populos sui contagio tracturum, fortè Regem illum eò rediget ut pacem non iniquam ferre possit; pacem non iniquam voco eam, quæ Europam in libramento teneat, simulque Germaniam reponat in statum, si non optimum, certè immunem ultimæ servitutis. In Italia pleraque eruditorum Collegia pro civitate Lucensi contra interdictum Papale responderunt. Poësis hic floret, & vult Cardinalis Ricceliacus in sua urbe scientias artesque omnes Gallico doceri sermone, ut fines eloquentiæ non minùs quàm Imperii proferat. Vale Nobilissime Domine. Lutetiæ 3 Novembris 1640.

Nob. Vestræ studiosissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1438 Cum injecta mihi sit suspicio literas cera signatas sæpe hic recludi, iterumque obsignari, ita ut aperturæ vestigium nullum appareat, in hac epistola ad Magnum Cancellarium impressi signum in eam materiam quæ minùs revelli posse creditur, aut si revellatur faciliùs semet prodat. Rogo igitur observet Excellentia Vestra an fractura ulla conspiciatur: epistolam referet, legat, ac Magno D. Cancellario mittat. Retinui hic de pecunia semestri Gallica tantum quantum mihi pro semestri salario debebatur, cùm à D. Spiringio nec rem nec certa promissa acciperem, secutus exempla ante me Legatorum ac consensum tacitum Magni D. Cancellarii. Ea de re epistolam meam Gallicam accipiet Excellentia Vestra nisi jam acceperit. Spero me favore Excellentiæ Vestræ facilè impetraturum ut id quod feci, etiam necessitate cogente, boni æquique consulatur. Ero semper, Illustrissime Domine. Lutetiæ 3 Novembris 1640.

Excell. Vestræ cultor observantissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

Vidi quidem pacta de urbe Taurinorum quæ per Italiam vulgata sunt. 1439 Sed cætera quæ acta sunt inter Viduam & Principem Thomam valde celantur: neque verò credibile est Principem Thomam, qui carissima pignora apud Hispanos habet, quicquam facturum citra eorum voluntatem. Mazarinus adhuc hæret in illis partibus & laborat strenuè. Et hoc quidem ad Italiam spectat. Nam pacis communis spem nullam adhuc video. Sapiunt Suedi, si in fœdere cum Gallis hoc vel præcipuè comprehendi volunt, ut in Bavari terras arma inferantur. Ea enim res arcanis consiliis impedita plurimum obstitit & olim Ducis Bernhardi & nunc Bannerii conatibus. Cautiones tuti itineris ab Imperatore datas videre cupiam. Elector Palatinus autem non malè fecerit, si priusquam se itineri det Regis Daniæ animum nonnihil præsentiat. Rex Daniæ in nothi morte plus habet, quod doleat, quàm quod queratur, quando illum Hispano militasse satis constat. Restat ut quàm diligens terra fuit Isellteinius tam mari sit Trumpius ad consectandas reliquias. Piccolominæi copiarum pars maxima hic creditur hybernatura per Franconiam. Interim Lunæburgicus gravem habet hospitem, Bannerii exercitum. Verùm sacra ista aliter non constant. Vt Calcaria penes Hassos maneat Batavi nihil non facere debent, quædam etiam incommoda pati. Exigit id ipsorum quoque utilitas. Quare spero aures ad Coloniensia cantica occlusas fore. De rebus Britannicis vidi & ego scriptum quoddam hic factum, id verò idem esse arbitror cum eo cujus meminit Excellentia Vestra. Saluberrimum est illud Concilii Nicæni etiam in politicis rebus, τὰ ἤδη ἀρχαῖα κρατείτω, cui affine Græcorum illud μὴ πηδᾷν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα. Magnæ auctoritatis Principem in Radzivilio amisere Poloniæ Protestantes. Vereor ne & ob hoc minoris fiant ab iis qui numero præpollent. De iis quæ Batavi in Suedia egere plus esse in rumore quàm in re & ego credo. Sed est suus etiam rumori usus. Controversia autem Dani cum Batavis de piscatu non facilè sedabitur. Princeps Thomas Eporediæ est. Ibidem sunt aguntque cum eo Mazarinus & Legatus Regis Hispaniæ Genuæ vivere solitus. Quiescunt arma. Geneva sibi timet, interdicto cum Gallis commercio. Leganesius præsidia ubique auget. Neapoli convocati sunt Ordines ad pecunias quærendas. Dicitur Imperator efficere velle, ut quiescatur ab augendis Constantiæ munitionibus, si inde Hohentwila à bello abstineat. Minor Rosa sexcentos fermè hostium in concursibus duobus delevisse fertur. Major autem Rosa Friburgum eripuit obsidioni hostium. Episcopus Basileensis plenè in sua jura ac bona à Galliæ Rege restitutus est. Catalani suorum aliquem ad Regem Hispaniæ misere, qua de re Galli, metuentes ne res ea paciscendo finiatur, trepidiùs agunt, minusque se implicant eorum negotiis, quanquam missus à Gallis nobilis Plessiacus nomine auditus fuit à Magistratibus Barcinonensibus & scripta à Catalanis edita sunt peracerba in milites qui ibi fuere, in gentem Castellanam & præcipuè in Olivarem. Rex Galliæ sperat anno venturo habiturum se in armis CXXX peditum, XXX equitum millia. Vetitum est edi scriptum quod exactionibus novis opponit Galliæ Clerus.

Digitized by Google

rus. Rex Hiſpaniæ Cardinalem Ovendum Hiſpanum miſit ad Catalanos. Edimburgum haud dubiè eſt in poteſtate Scotorum. Deus cuncta vertat in bonum Orbis Chriſtiani, & Excellentiæ Veſtræ adſit propitius. Lutetiæ 10 Novembris 1640.

Excell. Veſtræ perpetuo obſervantiæ cultu deditiſſimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentiſſime atque Illuſtriſſime Domine,

1440 DIffertur adhuc meus ad Regem aditus: ſive quod Rex quotidie venatu ſe exerceat, ſive quod is ægrè ferat tam diu differri negotium federis. Properant enim Galli vehementer, ut id peragatur priuſquam innoteſcat id quod actum eſt, aut agitur in Italia. Dicunt quidem nobis non cùm Hiſpano agi, ſed cum duobus Principibus Sabaudis. Verùm quis credat Thomam Principem, qui cariſſima pignora uxorem & liberos apud Hiſpanum habet, magna annua ab Hiſpano accipit, alios honores ab eo ſperat, quicquam acturum ſine Hiſpani conſenſu. Et eſt nunc is Princeps Eporediæ. In eodem oppido eſt Mazarinus pro Galliæ Rege, & Citroſellus Legatus Hiſpanus, qui Genuæ cæteroqui vivere ſolet. Præterea quieſcunt arma. De Catalanis variè diſſeritur. Fuit Barcinone auditus Pleſſiacus Gallus, ſatis honorificè. Sed verum eſt Catalanos miſiſſe ad Regem Hiſpaniæ ſuas preces, quæ res in cauſa eſt cur Galli nunc minùs ſe ingerant eorum negotiis. Multi Regem Hiſpaniæ omnia potiùs conceſſurum putant, quàm bellum ibi habere cogatur, multum obſtiturum rebus externis: quanquam ſanè quæ pro armorum ſuorum neceſſitate vulgarunt Catalani, peracerba eſſe dicuntur, in militem qui apud ipſos vixit, in Caſtellanos & in Olivarem & de violatis avitis legibus querelæ graves. Apud Batavos non minùs quàm apud Suedos calidè inſtant Galli ut fedus innovetur. Eadem feſtinatio eandem quam dixi cauſam habet. Princeps Arauſionenſis quendam ſuorum in Angliam miſit, tentatum an filium ipſius Rex Angliæ ſibi generum velit adſciſcere: quanquam per hunc annum totum ſermones in Gallia fuere de danda ejuſdem Principis filio in conjugium fratris hic Regii filia. Genevenſes in magno metu ſunt ob interdicta ſibi Galliæ commercia. Accedit timor ne Gallicus ab Italia miles ibi quærat hyberna, & rumor ſparſus illis in locis Cardinalem Riceliacum à Papa accepiſſe Epiſcopatum Genevenſem, cui Epiſcopatui antiquitus annexum fuit jus imperii in urbem. Epiſcopus Baſileenſis planè à Rege Galliæ in jura ſua reſtitutus eſt. Civitates Germanicæ ad ſuperna Rheni Mulhauſiæ de commodis ſuis conſultant. Minor Roſa bis hoſtem cecidit ad Hohentwilam & Stauſam. Clades ferme ſexcentorum fuiſſe dicitur. Major autem Roſa Fridburgum exemiſſe obſidioni ſcribitur. Fama etiam eſt Imperatorem Proteſtantibus qui Coloniam velint mittere dediſſe diplomata tuti itineris, qualia vellent. Bavarum autem paratum ſe dicere ad tranſigendum cum Palatinis. De Britannicis rebus nihil judicari poteſt, antequam Parlamentum in Anglia finem habeat. Deus, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine, conſilia Sublimitatis Tuæ proſperet. Lutetiæ 10 Novembris anni 1640.

Audimus magnam eſſe famem in Navarra Hiſpanica & Guipuſcoa: Cardinalem quendam Hiſpanum à Rege Hiſpaniæ miſſum ad pacandos Catalanos. In Scotia Edimburgum Scotis deditum. Rex Galliæ anno ſequente habiturum ſe prædicat cxxx millia peditum, triginta millia equitum. Clerus Galliæ ſcriptum fecit contra ea quæ Rex exigit. Id ſcriptum edi eſt vetitum.

Sublimitatis Tuæ devotiſſimus cultor H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir maximi mihi ſemper habite & habende,

LIteras Claritatis Tuæ longè gratiſſimas quæ ad me ſcriptæ erant 5 Kal. Octobris, accepi circa nonas 1441
Novembris. Per quem venerint neſcio. Recepi eas non bene obſeratas. Vxorem hic habeo. Habuimus etiam apud nos Nob. Salmaſium, qui in Burgundiam ad res familiæ ſuæ ordinandas transferre ſe cogitat, ſub ver huc rediturus. Si certus fiat honeſti ſalarii & bonæ ſolutionis perſtabit in Gallia; ſin minus redibit ad Batavos. Vult hic edere Arnobiana ſua, dum illa de Primatu Papæ excuduntur in Batavis. Multis me donavit libris ſuis, quos nuper dedit publico, quos omnes legam ſumma cum cura. Tua de Idololatria ſpero brevi futura publici juris. Magni illa & tua omnia facit Salmaſius, tuaque amicitia gloriatur. Laboris in colligendis diſponendiſque teſtimoniis ad libros de Veritate Religionis Chriſtianæ me non pœnitet. Vtile eſt juventutem, cui iſta ſcripſimus, habere in uno conſpectu quæcunque apud profanos autores reperiuntur Sacræ Hiſtoriæ aut dogmatibus conſonantia. Quod tu addis de fructu etiam ad Viros doctos inde perventuro, in ea tuam veterem agnoſco benignitatem. In noſtris Annotatis ad Euangelia bene procedi gaudeo. Velim tamen ita, ne feſtinando nimium increſcat mendarum numerus; quem in paginis ad M. uſque ſatis magnum reperio. Rogandi igitur erunt & Corſellius & Bremius, ut quàm diligentiſſimè exemplar ſequantur, quod expreſſum eſt ad alterum exemplar, quod ſumma cum cura perlegit & emendavit olim Tilenus. Itaque ſi quid aberratum eſt ab eo exemplari, quod fieri potuiſſe non nego; (ſoleo enim dum mea mihi ſatis nota relego eſſe feſtinantior, eoque multa prætervidere, quod & aliis evenire arbitror) errores dubii reſervandi erunt meo arbitrio, ut in corrigendorum indicem referantur, manifeſtos ibi corrigi velim. In loco ad Matth. 1. 25. optimè habet id quod apud me eſt exemplum: *Negationem hanc de tempore ante partum nihil affirmare, de tempore poſteriore, multis exemplis ab aliis eſt demonſtratum.* Vocula *ſed* malè interjecta ſenſum corrupit. Ioſephum Arimathenſem Samuelis dixi imitatorem, nempe bene fungendo judicis officium. Maraiſio quæ reſpondi jam deſcribi incipiunt. Itaque parata erunt ante finem editionis Annotatorum. Hoc reſponſum non exſpectatis contradictoribus aliis, addi volo ad tria opuſcula, quæ ἀνώνυμα hactenus, nunc ſub meo nomine Annotatis ſubjungentur. Erit autem hoc reſponſum eò utilius, ut ſpero, quod in eo conſignabo poſteris, quomodo cenſeam rediri ad unitatem Eccleſiæ poſſe: cui rei & iſta ſententia, Papam & eſſe, & ad finem mundi fore τὸν ἀντικείμενον, τὸν ἀντίχριστον obſtat plurimum. Spero autem in eo me reſponſo patefacturum clariùs, quàm antehac, etiam ex veterum quorundam ſententia ſcriptam Epiſtolam, in qua illud eſt περὶ τοῦ ἀντικειμένου non ad Eccleſiam ex gentibus factam, ſed ad paucos Iudæos ex Iudæa Syriaque in Macedoniam profugos, qui, etſi Presbyterium eo tempore non habebant, Eccleſiæ tamen nomine rectè appellantur. De illo etiam ΟΥΛΠΙΟϹ cauſas reddam probabiles, cur Apoſtolus non nimium adſtringendus ad Grammaticorum regulas, c in fine poſitum atque ita ſcriptum pro Senario ſumſerit. Et ſpero me reperturum æquos lectores, ſi non hoc, ſaltem venturo ſæculo, qui Deo gratias ſint acturi pro iis, quæ mihi ſuper multis obſcuris locis in mentem indidit. Ego ſalutatorum numerum minuo indies aut ad certas horas redigo. Idem tibi ut facias auctor ſim. D. Corſellio multum me debere agnoſco. Velim etiam Blavii ipſius operam juſtè æſtiment. Toparcha de quo ſcribis Pontificius cùm ſit, faciliùs hic equeſtrem dignitatem obtinebit, quàm ſi Proteſtantium gregis eſſet. Putat enim Rex Archan-

changelo Michaëli fieri injuriam, si in ejus sodalitatem adscribantur quos Catholicos Rex non putat. Sed non facilè patiuntur Ministri Regii, Legatos aliis se negotiis quàm commissæ sibi gentis miscere. Batavica per Batavos agi malunt. Si nomen scripseris, faciam quod potero, aut certè fidum dabo consilium. Deus, Vir eximie, te, conjugem, liberos bono publico diu servet. Lutetiæ 10 Novembris 1640.

Ni qua sit in dictis meis obscuritas tria illa sine nomine edita & responsum contra Maraisium ita annecti volo Annotatis ad Euangelia, ut separari non possint. Corrigi autem menda, de quibus fratrem monui.

Immortalis nominis tui studiosissimus observantissimusq; H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

1442 HEri condicta ad salutandum Regem Reginamque die, priùs ad Reginam deductus sum. Causa obtendebatur languor aliquis Regis, at vera erat, quod Cardinalem apud se Rex exspectabat eique colloqui vellet, priusquam me audiret. Reginæ gratulatus sum de altero partu, cui nunc nomen Ducis Andegavensis. Grata fuit ei mea oratio & mentio speratæ pacis, multumque erga Augustam Majestatem Tuam affectus benevoli & ostendit & significari voluit. Regem seriùs vidi: ei literas Augustæ Majestatis Tuæ 10 Septembris datas tradidi, & quæ eodem tempore mandata acceperam explicavi, addidique gratulationibus ob victorias etiam illam de nata prole. Præcipuè autem institi ut ostenderem causam belli Regi Gustavo immortalis memoriæ, Majestatique Tuæ fuisse animum restituendi Germaniam in meliorem statum, quod sine pace fieri nequiret, neque pax obtineri nisi armis felicibus. Nunc autem premi nostros, ut & anno priore, ingenti copiarum hostilium concursu, unde facilè accipi possit damnum irreparabile. Quare rogabam ut Rex majoribus quàm huc usque copiis bellum in Germania gerere velit. Id verò facturum se Rex promisit. Simul dixit mihi quæ nuper Comes Chavigniacus: tempus federis exiturum brevi, velle se id produci iisdem legibus, si id Majestati Tuæ videretur. Si non, ejus quoque rei se quamprimùm certum esse cupere, ut pro eo res suas ordinet. Sæpius autem repetebat se pecuniæ plusquam dedisset, dare non posse, quanquam ego ostenderem nusquam meliùs poni posse pecuniam: grave nobis bellum duobus his annis: Regi prosperum, promoto in Belgas limite & bene collocatis Italiæ rebus. Cæterùm quæ ego antehac scripseram de spe obtinendæ pecuniæ majoris, ea habebam à viris fidis, rerum istarum peritis & D. Bulionio perfamiliaribus. Ex cujus D. Bulionii ærarium regentis affine etiam heri intellexi, Regem anno adventante in reditu habiturum CXL milliones, quorum pars altera debitis solvendis inservit, pars altera in usu erit. Etiam quæ de causis scripsi, cur ita nunc urgeantur & nostri & Batavi ad innovandum fedus, verissima censeo. Nam quæ in Italia aguntur diu occultari non poterunt. Ego nunc apud Regis Ministros instabo ut copiæ sint quàm fieri potest maximæ quæ in Germaniam mittentur, & ut id quamprimùm fiat. Dux ipse Longavillanus hic exspectatur. Interim Gallicis in Germania armis præerit Comes Guebrianus. Deus Majestati Augustæ Tuæ, Serenissima ac Potentissima Regina, det prosperos seu bello seu pace successus. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Novembris 1640.

Augustæ Majestatis Tuæ subditus obedientissimus devotissimusque H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

QVæ apud Regem egerim, quæ mihi Rex dixerit, 1443
quid iis de rebus judicem, Sublimitas Tua ex literis meis ad Reginam Dominam nostram Clementissimam cognoscet. Ego nihil hic diligentiæ omittam, ut quamplurimum hinc militis in Germaniam eat. De Catalonicis rebus etiam heri locutus sum cum gnaris rerum. Video metui hic ne Hispanus ille Cardinalis à Rege Hispaniæ ad Catalanos missus omnia concedat, ut motus isti, Galliæ sanè perutiles, sedentur. Romæ dissidia cum Gallis recrudescunt mutuis cædibus. Spero si novatur nostrum cum Gallia fedus curatum quoque iri, ut dignitatis Regni Suedici habeatur ea quæ aliorum Regnorum ratio. Miris enim artibus aliquid semper delibant. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitati Tuæ optima consilia adspiret, iisdemque det optimos successus. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Novembris 1640.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

EGo planè ita censeo ad pacem plurimum nos profe- 1444
cturos fuisse, si pridem in Bavariam, quæ via ad Austriam est, bellum illatum esset, quod semper Gallos impedivisse sæpe conquestus apud me est Dux Bernhardus. Cùm in fœdere nostro cum Gallis convênit, ne induciæ longiores fierent, nisi ex consensu communi, puto spectata loca omnia, non solam Germaniam, ubi nullum nomine auspiciisque Galliæ bellum gerebatur, cùm primùm Wismariæ de federe actum est. Præterea causa belli per tot loca sparsi una est, obsistere Austriaca magnitudini: & siqua in parte quiescatur, hostium inde abductæ vires alibi occupatos premunt: quod antehac Italicis induciis patuit. De pecunia etiam post Chavigniacum Rex mihi negavit augeri eam posse, cùm tamen & Batavi in postremo federe plusquam ante, & præter fedus hoc anno pecunias acceperint, quantum eventu patuit, ut nihil agerent. Dicunt autem mihi affines ipsi D. Bulionii, Regem anno qui venit percepturum CXL milliones, & quæ ego antehac scripseram de spe obtinendæ pecuniæ majoris, habebam ex hominibus fidis qui mihi id ex Bulionii ipsius ore significaverant. Cur autem Galli nunc adeo festinent tam apud Suedos, quàm apud Batavos ut de federe certi sint, de eo quid judicem scripsi antehac. De Legatis mos hic est semper servatus, ut qui posterior venit, alteri per aliquem præcipuum suæ familiæ suum indicet adventum, tum qui hic prior fuit, ad eum de suis aliquem remittit & tempus accipit, quo eum qui advenit eat visum: ita inquam inter Legatos usurpatur Regios quibus Veneti equari volunt. De Batavis variè usurpatum est, nam Batavi qui posteriores venerant ad Danos Legatos misere: & priores ivere ad Danos. Comes Licestrius, quia in Batavis centuriam habet, cùm ad ipsum misisset Batavus, misit & ipse, & prior ad eum ivit. Quod ego tunc secutus sum, ne quid crederer dare meorum malorum memoriæ, quanquam videbam rem hanc spectare ad exemplum, quod & evenit. Nam exinde Legati Ethruscus, Sabaudus, Genuensis, eundem sibi honorem exhiberi voluere, qui exhibitus Batavis fuerat, quibus sese minores esse pernegant. Atque ita omne nobis cum ipsis colloquium fuit intercisum, non sine & nostro & ipsorum incommodo. Sed de significatione facienda ab eo qui posterior venit nunquam dubitatum est. Meminerit autem Excellentia Vestra Gallos semper auctores esse aliis, ut quàm plurimum

mum cedant Batavis, ipsos idem non facere, nam neque ad Batavos ire voluit Gallicus apud Venetos Legatus, neque ei dare Excellentiæ nomen. Maneo Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Novembris 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1445 ACcepi literas Excellentiæ Vestræ datas 6 Novembris, & simul illas quæ cognatum commendant. Is ipse, & quotquot mihi unquam ab Excellentia Vestra commendabuntur, invenient me paratissimum ad omnia officia quæ à me proficisci possunt. De Italicis rebus nihil dum certi perspicimus; sed videntur res ibi ad pacem se vertere. Papæ tamen & Legato Gallico qui Romæ est, adeo nondum bene convenit, ut mutuæ exerceantur cædes. Is qui Neapolitanum Regnum rexit & nunc præerit exercitui Hispanico ad Rheni superiora, pro sex millibus quæ sperabat ægrè tria reperiet. Pars enim cæsa est: pars diffluxit egestate stipendiorum. Etiam Rhætis pensiones suæ, promissæ ab Hispano, non persolvuntur. Id plebs ægrè fert; Primores dum privata sectantur commoda, publica incommoda dissimulant. De Catalanis varia est judicatio. Multum quidem provecta sunt inter Catalanos, Hispanosque alios odia. Sed metuitur ne Hispanus ille Cardinalis à Rege Hispaniæ ad eos missus, dissimulando, concedendo, pollicendo ad obsequium eos reducat, aut eos discordes atque inter se suspectos faciat. De Britannicis rebus quid augurandum sit ex Parlamento Anglico discemus. Ego Regem heri conveni & peractis multis gratulationibus oravi, ut vi majore arma in Germaniam vertat, ne à nostris, in quos tantæ hostium concursant copiæ, damnum aliquod accipiatur insanabile. Rex id se agere dicit. Vrget autem, ut certus fiat quid futurum sit de federe. Tempus esse ut id norit, atque ex eo consilia capiat. Non caret ratione sollicitudo Excellentiæ Vestræ, ne Lunæburgicus & Hassiea à nobis abstrahantur. Consilium Electoris Palatini improbare non possum eundi ad Daniæ Regem, prætentato tamen ejus Regis animo, ne iter sine fructu susceptum dedecoris aliquid adferat. Dixi idem D. Paullio qui de ea re egit mecum. Is heri etiam cum Rege ac Ministris Regiis ea de re locutus est. Arbitror ipsis non displiciturum quod sibi proposuit Elector. Dicitur Arnimius in Prussia considere. Suedi nostri satis habent negotiorum. Bellum illis apertum est cum Domo Austriaca potentissima, cum Saxone, cum Brandeburgico aliisque illarum partium: cum Rege Poloniæ perpetua belli causa: cum Dano simultas facilè in bellum eruptura. Reginæ Viduæ abitus, & quæ vix unquam absunt ab interregnis, potentium familiarum inter se æmulatus, tum verò alii pacis, alii belli cupidiores, ut malum grande Regno non minentur, multum tamen addunt ad curas. D. Thuillerius auctoritatem in hac Aula habet. Is apud Venetos cùm esset, nihil Batavis, in iis quos poscunt honoribus, gratificari voluit. Deus Excellentiæ Vestræ semper faveat. Lutetiæ 17 Novembris 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

6 QVæ Regi dixeram de augendis Ducis Longavillani copiis, eadem dicenda censui & D. Chavigniaco & D. Bulionio. Dicunt parari sex millia ad eas copias augendas. Rogavi igitur ut in ea re properaretur, quando nostri more tradito à Rege Gustavo, etiam per hyemem tentare solerent belli fortunam. Verùm audio non veteres mitti cohortes, sed scribi novas quod lentum futurum est, & ad quem numerum reipsa perventurum sit multum dubito. Quandoquidem autem Rex priùs per D. Chavigniacum, deinde per sese mihi injunxerat, ut scriberem nihil se aut ad pecunias aut ad conditiones federis adjecturum, dicendum censui Ministris illis Regiis Tuæ Sublimitatis cura atque auctoritate potissimùm esse factum, quod bellum hactenus duceretur in spem pacis communis: cæterùm non factum id sine Suediæ incommodo, præsertim per annos postremos duos, tum quod terræ colonis exhaurirentur, tum quod ad exercitus alendos pecuniæ non sine difficultatibus reperirentur: eaque de causa multos esse qui Tuæ Sublimitatis fortibus consiliis reniterentur, & quamvis pacem mallent quàm bellum & publico & privatorum rebus grave, præsertim ex quo illi nos destituere, quorum vel præcipuè causa bellum hoc susceptum fuerat. Addidi hæc me dicere non quod mandata ulla haberem, sed ut ipsi cogitarent quid ex eo posset sequi. In sermone dixit mihi D. Bulionius Regem quotannis erogare CL milliones florenorum. Sunt haud dubiè inter eas erogationes multæ necessariæ: sed sunt etiam quæ circumcidi possunt: & si quid nobis adjiciatur, id in tanto cumulo ab ipsis sentiri non poterit. Sed de ea re, deque toto belli ac pacis negotio, eveniat, opto, quod Regno Suedico maximè expediet. De Catalanis incerta sunt judicia. Tortosa Regis Hispaniæ partes sequitur, labascunt & alii. Galli interim illarum rerum fama fruuntur: aiuntque Catalanos ad LX millia in armis esse: è Gallia in auxilium illis mitti sex peditum millia, equites mille & ducentos. Illud quoque non indignum est observatu quod dixit mihi Bulionius, Regem & Romano-catholicis & Protestantibus amicis opus habere in Germania. Quod cùm viderem eò pertinere, ut Bavarus extra belli mala haberetur, dixi vix esse ut is & matrimonio & Palatinatus atque Electoralis dignitatis dono obstrictus ab Austriacæ domus commodis avelli possit. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam ejusque consilia protegat. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Novembris 1640.

Audimus Regem Hispaniæ de exercitu suo qui est L millium, decem millia misisse in Catalanos per Tortósam. Incipit hic exigi solidus in libram omnium mercium, unde omnia hic fient multò quàm ante cariora. Clerus aut sextam partem redituum dabit Regi, aut pro ea milliones sex florenorum. Turca ad ostia Borysthenis bonam classem habere dicitur. Abducti in Bastiliam sunt quidam ex agro Pictonico, qui incitatu eorum qui in Anglia exsulant seditiones ibi moliebantur. Permutabuntur captivi inter Gallos & Belgas, ea pactione libertatem accipiet & Enckefortius, non & Iohannes Waertius. Apud Rhætorum Plantarum quidam trucidatus est.

Tuæ Sublimitati cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato
apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVanquam ego & rei Suedicæ & mea de causa vehementer optavi semper, ut onus istud Legationis quàm diutissimè perferre & vellet & posset Excellentia 1447
Vestra, tamen cùm & ætatem per se gravem, & laboribus fessam respicio, tum illa etiam ex quibus facilè intelligo etiam juniori ac vegeto tædium potuisse oboriri, non is sum, qui viri optimi mihique amicissimi tranquillitatem meis desideriis postponi cupiam. Quare ut hæc quietior vita Excellentiæ Vestræ bene succedat Deum precor: gaudeoque etiam sic consilia ejus Regno Suediæ, ubi major aliqua necessitas exiget, non defutura.

Domi-

Domicilium si Trajecti ad Rhenum constituat Excellentia Vestra, non malè sibi consulturam arbitror. Nam & cœlum ibi salubre est, & Culemburgum, ubi propinqui habitant, non procul, & commercia cum eruditis, quod vel maximum senectutis solatium judico, sive per sermonem, sive per literas, facilia, non admodum longè positis & Lugduno & Amstelodamo. Sed quicquid hac de re constituerit Excellentia Vestra, ita mihi ejus prudentia nota est, ut id rectè constitutum semper sim judicaturus. De Parlamento Angliæ nonnihil spero: & sperat Illustrissimus Comes Licestrius. Illud non nihil sollicitum me habet, quod in oratione initiali Rex Scotos semper rebelles nominat. Vereor enim ne exulceratos per se animos accendat verborum asperitas. Elisabetæ tempora non minus pulchrum præbent regnandi exemplar quàm ullæ historiæ: planè ut felices futuri sint Angli si ad eam formam res redeant. Magna semper fiet ejus Reginæ auctoritas, eaque nusquam magis quàm in ipsis Parlamentariis Conventibus emicuit. Totius enim populi animos, quæ verè Regia possessio est, habebat in sua potestate. Liberalitas autem populi tanta, ut eam sæpe coërcuerit Regina, idque cùm domaret Hibernam feritatem, Regiam in Gallia sublevaret domum, Batavos perire non fineret, Hispaniam & Americam classibus territaret, ad quas res tantas facilè ei sumptus suppetebant, quia alii non æquè necessarii & in populi odium incurrentes recidebantur. In Palatino negotio opto scire quid reportaturus sit ille in Daniam missus: metuo ne ambigua sint verba. Rex Galliæ multum urget ut super federe cum Suedia certi quid norit: timet enim ne se hac de re fluctuantem, suspensis inde consiliis, opprimat tempus emorituri federis. Germaniæ quàm miser sit status, videmus. Pars ejus deserta planè: pars illa quæ colitur damna ab amicis non minora quàm ab hostibus sentit. Planè si quid in nobis est Christianæ miserationis, pacem tolerabilem optare ei debemus. Et videtur spem aliquam facere, quod Imperator dat commeatus literas, quodque novi possessores cum veteribus Dominis dicunt se velle transigere. Sed Galli multa tenent de alieno, & felices sunt admodum, & felicitati suæ modum imponere, tum aliis, tum præsertim Gallis, perdifficile est. Fridbergæ obsidium à Leopoldo agitari, Calcariæ ab Hatsfeldio & Lamboio etiam hic dicitur. Et metuunt Galli ne suorum qui in Weteravia sunt, priusquam supplementa illis adveniant, concursu hostilium copiarum opprimantur. Exspectatur hic Erlachius. Ad Hohentwilam nihil promovent Cæsariani, & ipsi multum diffluunt. Ossenvillius interim nobiles Allatos in sua bona restituit. Non abundare apud Hispanos pecuniam argumento est, quod neque Rhætis solvuntur pensiones, & Helvetiorum quædam cohortes à Leganesio dimissæ sunt. De Catalanis magna loquuntur Galli: aiunt eorum LX millia in armis esse: è Gallia auxilio illis itura sex millia peditum, equites mille & ducentos. Alii tamen tentari eos aiunt conditionibus à Rege Hispaniæ & ad obsequium redeundi exemplum jam à Tortosa datum. Sperant Galli etiam Leodiensium novos motus. Valde probo quod dicit Excellentia Vestra nusquam majore cum nostro commodo, adde & majore ad pacem obtinendam efficacia, geri bellum posse quàm in Bavaria primùm, deinde in Austria. Sed ex Gallorum sermonibus cognosco ipsos, sive quod Romam respiciunt, sive quod à Bavaro ea sperant, quæ ego inania esse & credidi antehac & nunc credo, ab illis consiliis, quæ multum urget D. Salvius, abhorrere. Dux Longavillanus hic hyemem acturus est. Principi Palatino Mauritio felicem sub D. Bannerio militiam, fratribus autem ejus prosperum huc opto iter. Pro Lucensibus scripta ut non habeo, ita legi cum voluptate. Sunt enim bene defæcati judicii opera. In D. Rusdorfio damnum haud dubiè fecit res Palatina. Sed erat interdum sufflaminandus. Prudenter Batavi famam spargunt de magnis rebus actis in Suedia. Est enim in rumore plusquam in re. Sed interdum

Τό τοι νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρεῖσσον.

Legatus qui apud vos est Gallicus in gratia hic est, omniaque de eo optima exspectantur, spondentibus id iis rebus, quas antehac feliciter administravit. Deus Excellentiæ Vestræ det suaviter exigere quod superest vitæ, ejusque temporis partem largiri literis, partem amicis, partem publico. Lutetiæ 24 Novembris 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

INtelligo commotam esse hanc Aulam ex sermone 1448
quem Tua Sublimitas cum Barone Rorteio habuerit, id significante, si pariter id agatur, ut Germania restituatur in meliorem statum, posse induci Suediam ut in armis maneat, non item si Galli suis tantum gloriis imperioque prolatando studeant. Res duæ quæ in hac deliberatione momentum habent, valde adhuc obscuræ incertæque sunt, Italicæ & Catalanicæ. In Italia pactiones conceptas credi video & ivisse Romam Mazarinum tum ut de iis ad Pontificem referat, tum ut tollat reliquias dissidiorum inter Officiales Pontificis & Legatum Gallicum: quod ei successurum puto ut ingenium novi hominis ad res tractandas peridoneum. De Catalanis hæc sunt quæ in vulgus hic sparguntur. Venisse ad Bezenas Villaplanam, missum à summis Rectoribus Catalanorum qui sunt Barcinone ut fedus proponat, quod deinde mittatur ad Regem Galliæ, probandum ab ipso. Principem interim Condæum qui Languedociæ præest mittere quatuor cohortes peditum, duas alas equitum versùs eos fines, ut loca quædam ipsis credenda custodiant, & Catalanis ad rem militarem addiscendam sint magistri, ad eorum stipendia misisse Catalanos ad collimitium sexaginta millia scutatorum. Ipsorum Catalanorum in armis esse sexaginta millia quadripartito agmine, eos mutari mensibus singulis, posse bellum ab ipsis trahi vel in centum annos, cùm in arca publica sint XVIII milliones auri, præter privatorum divitias, ubi opus est, publicis usibus servituras: A clero Catalaniæ probata hæc arma, & monachos in concionibus esse concitores. Induratos animos, repertis, ut ajunt, Barcinone tunc cùm Præfectus occisus est, Regiis mandatis ad trucidandos Primores ejus urbis: Perpiniani verò etiam plebem omnem, Catalanamque gentem deducendam in alia Hispaniæ loca deserta. Per mercatores Catalanos duos portata Massiliam centum millia scutatorum ad emendum pulverem bellicum & arma. Hæc ut credibile est in majus aucta hic jactantur pascendæ spei. At constat Regem Hispaniæ cum egregio equitatu, nec exiguo pedite iter capessere contra Catalanos, cujus tamen difficultates multi prævidere se putant, tum ob exundantem hyeme amnem Iberum, tum quod inter Tortosam, quæ Regis Hispaniæ obsequio se reddidit, & plana Cataloniæ, montes intercedant arcto transitu & siticulosi. Scriptum quo causam suam tutantur Catalani vertitur in sermonem Gallicum, & edetur, ut audio, sed omissa parte postrema, qua Catalani postulant Olivarem sibi dedi ut malorum causam, quasi a postulata hic judicatur esse mali exempli. Illud verò vel maximè notandum quod dicunt qui literas ex illis locis habent, nobilitatis partem magnam discordare adversùs summos illos qui Barcinone sunt Rectores, & ad privatas gratias respicere. Quidam putant cùm Religionis nullum sit dissidium, solam cupidinem libertatis inter ordines dispares flammam fore haud diu duraturam. Rumor alius, qui hic spargitur, fore ut Cardinalis Sabaudus sine Principe Thoma

Thoma cum Rege Galliæ transigat, fidem ægrè reperit. Franciscus Melo qui res Hispanicas agit Ratisbonæ dicitur suasor esse pacis. Bavarus autem prædicare, penes se non staturum quominus pax fiat: neque recusare quominus Rex Daniæ & Electores conciliaturæ dent operam. Fridbergæ à Rosa bene prospectum. Nequedum, quantum hic audimus, eam oppugnat Glenius. Cæsarianæ autem in Suevia copiæ tenues sunt. Leganes cum Helvetiis, quod controversiæ habebat, composuit: utetur militum Helvetiorum opera ad tutandam Regionem Mediolanensem. Bavarici milites in Palatinatu sunt & Wittenbergico agro. Rosa Croatas quosdam cecidit. Nondum huc venit Erlachius. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatem Tuam sospitet. Lutetiæ 1 Decembris novi Calendarii anni 1640.

Hispani milites ex Perpiniano & Salsa ingentem vim equorum & pecoris abegere à circa Narbonam locis. Erlachio Rex pecuniam offeret, ut à Præfectura Brisaci plenè discedat. Sermones sunt de obsidendo Offenburgo & Dola in annum qui advenit.

Tua Subl. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

19 QVid in Italia actum sit, nondum apparet, sed Romam ivisse dicitur Mazarinus, partim ut Papam conscium faciat eorum quæ acta sunt, partim ut quæ restant inter Officiales Papæ & Legati Gallici domesticos controversa, componat. Quod Dux Bavarus paratum se simulat depacisci cum Principibus Palatinis, videtur id mihi facere, ut eorum Principum qui Ratisbonæ sunt concordes de hac re preces eludat, & simul ut Regem Britanniæ lactet spe, inani quidem, sed tamen servitura illis qui fortioribus consiliis obsistunt. Cautionem itineris pro Gallis eorumque sociis vidi, & de ea gratias ago Excellentiæ Vestræ. Sed in illa quæ pro Suedis sociisque Suedorum data est, velim scire quis expressus sit locus. Licentia illa Banneriani militis valde mihi displicet. Non omittet hostis inde nobis apud Germanos concitare odium, & qui sociorum nobis restant, oppidò pauci, eos tentare novis conditionibus. Rex Daniæ haud dubiè scribet ut ab armis liberæ habeantur Regiones Oldenburgicæ & Bremensis: sed hoc tempore qui magnas copias non habent eorum spernuntur literæ. Pacis spem exiguam etiamnunc video, nam præter moras quas nectit Imperator, Galli multa de Germania tenent, neque ii sunt à quibus, prospera fortuna utentibus, facilè impetres ut reddant quicquam. Audio difficiles nunc esse ex Anglia exitus. Itaque magna quidem hic nuntiantur, sed incerta. De Havana quod dicitur, si verum est, magnum in eo sit momentum non Batavorum modò rebus, sed & Galliæ ac nostræ Suediæ. Quod autem à Batavis in Suedia actum est, si perfertur ad Conventum tam magnum quàm esse solet Conventus Ordinum Hollandiæ, latere vix poterit. Dicuntur Catalanorum arma à Clero & monachis probari, validis apud populum concitoribus: scriptum quoddam, quo causam suam tuentur Catalani, brevi proditurum puto Gallico sermone: inde judicium fieri poterit & de æquitate causæ & de proposito. Dicuntur misisse formulam federis ad Principem Condæum, accipere ab eo militem, & stipendium paratum habere ad sexaginta millia scutatorum: centum millia scutatorum, ab illis missa Massiliam ad emenda arma & bellicum pulverem: in arca publica Barcinone esse XVIII milliones auri. Sed it contra eos valido cum exercitu Rex Hispaniæ, & ex nobilitate quidam, quibus major spes in Regno quàm in libertate, ostendunt sibi non probari quæ Barcinone à summis Rectoribus fiunt. Ita, ut de Galliis ait Tacitus, nondum victoria, jam discordia erat. Spargitur hic rumor, sed mihi parum credibilis, conventurum cum Rege Galliæ Cardinalem Sabaudum sine Thoma Principe. Dicuntur ad pacem tendere Francisci Melonis consilia. Fridberga, quantum audimus, nondum oppugnata à Glenio, satisque bene ei loco prospectum à Rosa, qui & quingentos Croatas ceciderit. Bavarici in Palatinatu & agro Wirtembergico se tenent. Cæsariani in Suevico, sed tenui manu. Leganesius cum Helvetiis transegit, uteturque militum ejus gentis opera ad tutandum agrum Mediolanensem. A magno Mogore Legatus Constantinopolim venit; à Constantinopoli autem qui ad Moscovitas missus erat, dicitur à Polonis interceptus & reperta mandata Polonis noxia. Id an verum sit in Batavis jam forte noscetur certiùs. Hispani milites à Perpiniano & Salsa magnam vim pecoris & equorum abegere à locis circa Narbonem. De Offenburgo & Dolo obsidendis vere venturo sermones jactantur. Deus Excellentiæ Vestræ faveat semper. Lutetiæ 1 Decembris 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

D. PETAVIO.

Vir plurimum Reverende,

SIgnificatur mihi prope à fine esse ἔκδοσιν Annotatorum nostrorum ad Euangelia, quibus subjungere 1450
constitui subitanea nostra contra Borboritam & Frontonem. Scio venia mihi opus esse quod in tempora tua, omnibus veri amantibus & mihi cara, irruperim & tantam de eis mihi poposcerim partem. Sed excusandus sum, qui aliunde præsentius auxilium habere non potui. Rogo igitur, ut quamprimùm cum commodo tuo, id est, publico, id fieri poterit, habeam quæ observasti, ac liceat mihi tua ope, addere, demere, corrigere, quæ opus erit ad Verum Pacemque promovendam, quas ad res si tantum mihi esset ingenii atque eruditionis, quantum est aliis, facerem quod nunc vel concupisse magnificum duco. Summas gratias ago pro Psalterio: est ipsa Græcitas & Poësis nativa. Semper juxta me repositum librum eum habeo, ut & sensibus & verbis animum pascam. Vale vir egregie, & omnibus literas præsertim sacras amantibus, quos inter nomen meum profiteor, prodesse perge. Lutetiæ 3 Decembris 1640.

Tui semper victuri nominis studiosissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

MVltum debeo Excellentiæ Vestræ quod me edocuerit antehac quibus nodis implicetur negotium de 1451
federe. Ego enim ad eam normam apud multos qui ad me quotidie veniunt, ut aliquid ea de re audiant mea verba compono, spem neque abscindens neque nimium affirmans, monstransque interim onerosum esse Suediæ hoc bellum, multisque in Suedia id esse nolentibus, quod exhauriatur Colonis terra, partim & pecuniis quæ ibi non tam facilè quàm alibi proveniunt. Federis antehac facti hunc esse sensum, ne usquam pax aut induciæ longiores sesquimestribus fiant nisi de communi consensu: esseque id planè necessarium quod belli ubique connexa sit causa, & si qua ex Regione tollantur arma, eadem alias premant. Pacem communem ab hoste valido obtineri meliùs non posse, quàm si in Austriam, belli altricem & jampridem à belli malis immunem, transferantur arma, ac sic Imperator damna ea sentiat quæ alios Germaniæ Principes jubet pati. Siquid ultra est in quo juvare possim Suediæ commoda, de eo Excellentiæ Vestræ monitus exspecto, Deumque rogo Excellentiam Vestram diu sospitet. Lutetiæ 8 Decembris 1640.

Ebstenius se Excellentiæ Vestræ commendat, & ego rogo ejus laborum habeatur æqua ratio.

Excell. Vestræ addictissimus obligatissimusque H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Succiæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1452 QVò propiùs accedit tempus, cùm Vestra Excellentia oneri tam diu in multis molestiis fortiter sustentato semet exemptura est, hoc graviùs commoveor, quod videam me cariturum tanto adjutore. Sed cùm nostra commoda in amicorum incommodis quærere etiam Philosophorum regulæ vetent, nolo invidere debitam tot laboribus quietem. Cognatum de quo agunt literæ Excellentiæ Vestræ nondum vidi: ubi venerit, nihil ei deerit quod quidem meæ sit facultatis, neque item aliis quos Excellentia Vestra unquam mihi commendatura est. In Italia quiescunt arma. Pax aut est, aut fit. Papæ quoque & Regis Galliæ concordia restituta est. Tullensis Episcopatus, qui in controversia erat, collatus ex utriusque consensu. Legatus Romæ, Nuntius hinc, ut minùs grati, auferentur. In Catalanis sanè incerta adhuc omnia, metuuntque multi hic, ne idem ibi sit eventus, qui Leodii, ubi prostrata jacet pars illa quæ Gallicis consiliis se accommodaverat: qua de causa Rex Galliæ commercio Leodienses interdixit. Anglicanæ res eò magis me sollicitum habent, quod vix quicquam certi hic de iis cognoscimus. Sed videtur ibi gliscere & odium in Pontificios, & invidentia adversùs Ecclesiasticos, & ex Scotico exemplo studium muniendæ aut augendæ libertatis. Ea re fiet, ut aut Anglis se interponentibus opimiores conditiones adipiscantur Scoti, aut si bellum manet, geratur ab Anglis languidiùs. Quod si Rex Parlamenti sui consiliis eò adduci possit, ut à Scotis arma in externos vertat, posset inde pax exoriri, melior Germaniæ rebus, quàm si seorsim Gallia, seorsim Suedia ad pactiones cum Cæsare veniant. Nam de federe inter Suediam, Galliamque res adhuc incerta est: neque convenit aut de novis conditionibus, aut de explicatione veterum. Iterum de utenda Daniæ Regis opera locutus est mecum Paulius. Dixi nihil in eo esse quod Suediæ displiciturum sit. Siquid æqui obtineatur, gavisuram Suediam ob res amici Principis meliore in loco positas: sin, quod jam sæpe evenit, in vanum cadant ista tentamina, apud Principes Germaniæ aliquid inde invidiæ in Imperatorem Bavarumque redundaturum. Video latè distendi Cæsarianas copias per Sueviam, Franconiam, Wetteraviam ad loca vicina Batavis. In ita sparsos fortè aliqua Bannerio se dabit occasio. Fridbergam interim Glenii machinis audimus verberari. Calcariæ bene prospectum gaudeo. Sed extra eam tenues sunt Hassorum copiæ. Poterunt Batavi imitari artem Hispanorum &, si res urgeat, dare utendum militem, qui ad tempus sacramento Hassico se devinciat. Deo sit gratia quod falsus deprehenditur rumor iste de Regina nostra sparsus. Spero non minùs vanum fore & alterum de dissidiis per Suediam. Miratus sum sæpe in pupillari Reginæ ætate quinque Rectores & inter se & cum aliis familiis præpotentibus eo vivere temperamento, ut etiam siqua sit simultas eadem tamen non appareat, neque subditos in partes trahat. Faxit id diuturnum Deus, donec Regina dignum se conjugium reperiat. Princeps Casimirus copias habet sub Electoris Brandenburgici nomine, non probante id nobilitate Polonica, quæ suæ tantùm quieti consulens metuit implicari externis negotiis. Cùm verò & Rex Poloniæ ob religionis dissidia, præterea & idem Rex & Elector Brandenburgicus ex causa vectigalium populis suis utantur minùs obsequentibus, neque hujus aperta, neque illius personam sibi induentia arma multum terrere Suedos debent: ita tamen ut adversùs subita intensior cura tum pro Pomeraniæ, tum pro Livoniæ tutela perutilis sit futura. A Constantinopoli discimus, exspectari ibi reditum classis ab Euxino mari: structum iri naves novas: Persicam pacem incertam: de Legato Mogoris, & de altero Legato à Polonis intercepto eadem quæ scripsi antehac. Propinqui ejus Plantæ qui à Planta altero occisus nuper fuit, instant ut de ea re jus reddatur. Apparet autem apud Rhætos sopitas factiones facilè reviviscere. Apud Helvetios quoque multa sunt dissidia, ut inter Suitzam & Ensidilam, aliaque. Intelligimus Regem Hispaniæ hærere adhuc Madritii, sed exercitum habere apud Cæsaraugustam: intrasse Gallorum cohortes in Catalaniam, acceptis obsidibus novem. Dux Carolus in Treverico est, etiam Lucemburgico agro gravis. Peronæ de permutatione captivorum agitur. Deus Excellentiæ Vestræ faveat. Lutetiæ 8 Decembris 1640.

Excell. Vestræ semper observantissimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

DVplex stirps virilis Regi edita haud dubiè ingens est 1453 firmamentum Galliæ, sed & Reginæ magnam spem dat adipiscendæ auctoritatis quam hactenus vix ullam habuit. D. Mileterii conatus non possum non laudare, ideo quod ejus pietas mihi sit cognita: eventus in Dei est manu. Magni interim est animi magna sperare, & labores præsentes atque odia sibi sumere, ut vel seræ posteritati aliqua inde nascatur utilitas. Miror Episcopos Poloniæ moliri adeo adversa legibus & moribus receptis. Possit hæc res omni Nobilitati Polonicæ curam indicere circumcidendi Episcoporum potentiam. Principem Casimirum copias secum habere Electori Brandenburgico militaturas etiam huc perlatum est. Non puto vel hoc placiturum Nobilitati Polonicæ. Conjugium autem illud de quo apud vos rumor est non video quid Principi Casimiro boni adferre possit: nec causam video cur ex Protestante familia fœminam sibi velit sumere, cùm tot aliæ & magnæ Domus plenæ sint virginum. Hic non multum agitur, ut plerumque hyeme. Rex venatur. Cardinalis inter tot negotia otium invenit ad spectandas fabulas. Principes Regii sanguinis taciti dolent retro ferri spes suas. Miles legitur novus. Veteri quæruntur hyberna. Nummi pretium mutatur: onera populi crescunt, maximè in res promercales. In Italia quiescitur & videtur res ad pacem spectare illis tantùm in locis. Catalani non omnes eadem volunt: aliis ad Galliæ auxilia, aliis ad reconciliandam sibi Regis Hispaniæ gratiam spectantibus. Vale Vir Nobilissime. Lutetiæ 8 Decembris 1640.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Succiæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

EX multorum sermonibus cognosco sollicitam esse 1454 hanc Aulam super negotio federis cum Regno Suedico, & in metu ne hæc res aliquando in pacem Suediæ cum Imperatore transeat. Ego in re suspensa suspensis etiam verbis utor. Erlachius hic est, crediturque pro Brisacensi Præfectura accepturus dignitatem Marescalli Franciæ. Et Dux Longavillanus & Harcurtius brevi hic erunt. Cardinalis autem Hispanus ægrotare dicitur. Leopoldus hyemem acturus Ratisbonæ. Interim sparguntur per Franconiam, Sueviam & Wetteraviam Imperatoris copiæ, ac porro usque ad vicina Batavis: Fridbergam verberari machinis Glenii. Marinus noster ægrotat, rogatque me ut hanc chartam pro suis literis ad Sublimitatem Tuam mittam, cui ipsum ipsiusque necessitates ut feci antehac, nunc quoque commendo. Civitas Leodiensis ita se in obsequium Episcopi & Principis sui restituit ut pars

Digitized by Google

pars illa quæ Gallorum consiliis se dederat, afflicta jaceat, Residensque Galliæ ob summa pericula coactus fuerit discedere. Idem ne apud Catalanos eveniat, video à multis metui. In Italia aut fit pax aut facta est: revocabiturque à Roma Legatus Estræus, hinc Nuntius Scottus, ut omnia inter Papam & Regem Galliæ simultates tollantur. Mazarinus inde rediens multas theatrales machinas ad Cardinalem Riceliacum, qui domi suæ ingens theatrum suscitat, adferet. Deus pro malis nuntiis, qui de Regina rebusque Suedicis per inimicos sparsi sunt, det nobis res bonas, & ad id, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuam Sublimitatem servet. Lutetiæ 8 Decembris novi Calendarii anni 1640.

Discimus jam Gallicas cohortes ire ad Catalanos acceptis novem obsidibus. Regem Hispaniæ Madritii esse. Exercitum ejus Cæsaraugustæ. In Italia prolatas inducias. Ducem Carolum in agro Treverico esse. Peronæ agi de mutandis captivis. Occisum à Rosæ milite Bredam castrorum Præfectum, & qui sub eo erant milites ferme mille cæsos aut captos. Anglos minari usuros se vi, ob naves suorum ab Archiepiscopo Burdegalensi captas. A novo onere solidi in libram eximi panem, vinum & esculenta quædam. Rogare Comitem Suessionensem, ut licentia antehac sibi concessa manendi in urbem Sedani prorogetur in triennium. Aiunt quidam Hispaniæ Regem consultare de transscribenda in Ferdinandum III. Belgica & jure quod habere se in Batavos putat, accepta permutatione aliqua. Haud absurda cogitatio, quia & Imperator terras multas Imperii tenet vicinas Belgis, & faciliùs ipse quàm Rex Hispaniæ cum Batavis pactiones aliquas facere poterit bello finiendo aut suspendendo.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. OXENSTIERNÆ, Archidapifero Suediæ.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

455 Dignum certè splendore sui generis animum habet Illustris filius Sublimitatis Tuæ, qui tantilla officia, & quidem summo jure ipsi debita, tam æstimat benignè. Non omittam etiam Generoso Domino Crusio inservire in omnibus quæ meæ erunt facultatis. Sed hæc omnia sunt exigua præ summa ista benevolentia, quam & hactenus in me ostendit Sublimitas Tua, & nunc recens suis literis supra merita mea pollicetur. Non desinam tamen omni modo laborare, non ut me hoc debito liberem, sed ne ingratus sim debitor: ac omnibus qui Sublimitatem Tuam ullo contingent propinquitatis aut affinitatis gradu, dabo libentissimè consilia quæ potero optima, colloquiis eorum fruar cum voluptate, & de profectibus ipsorum gaudebo plurimùm. Plus pollicerer si earum animi dotium, quas Illustrissimi D. Gabrielis benignitas mihi tribuit, mihi essem conscius. Sicut verò nulli parco labori, ut ea exsequar omnia, non modò quæ Legatio requirit, sed & quæ ad propagandam nobilissimæ Suedorum gentis memoriam pertinent, ita plurimum lætor nactum me horum studiorum meorum tam æquos interpretes quàm sunt ii, quorum res Suedica est in manu: quos omnes ac præcipuè Sublimitatem Tuam, Excellentissime & Illustrissime Domine, Dei Optimi tutelæ ac favori toto animo penitus commendo. Lutetiæ 15 Decembris 1640.

Sublimitatis Tuæ cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

456 Eum iterum precor ut quicquid de domicilio constitutura est Excellentia Vestra, id omne ipsi domuique ipsius bene vertat. Suediæ Palatinæque familiæ gratulor, quod parata etiam in posterum habitura sibi sint consilia prudentiæ per longam ætatem multosque casus quæsitæ: mihi verò gaudeo, quod ubicumque victura est Excellentia Vestra, ibi me certum amicum esse habiturum confidam. Si majoris Anglorum partis valent desideria, arma à Scotis in Austriacos vertentur. Cæterùm Aulæ consilia non semper populorum votis respondent. Fortè quæ in hominum quorundam eminentium fortunis ibi evenit mutatio, etiam consiliorum aliquam mutationem adferet. Exspectemus, &, si evenerit, fruamur. Audimus hic, bene convenire inter Imperatorem & Bavarum. Quid autem Bavarus, ubi aliquando ad colloquia ea de re ventum fuerit, Palatinis Principibus sit oblaturus, valde aveo scire. Conjecturam inde capiemus quanti aut Regem Angliæ Daniæque faciat Bavarus, aut duo isti Reges Palatinum. Principem Rubertum seorsim tentari pridem audivi, sed absit ut credam eum conditiones suas separaturum à capite familiæ suæ, & illaturum discordiam inter eos qui ut maximè concordent ægrè recuperabunt veterem dignitatem. Si de coronanda uxore hoc tempore Imperator cogitat, aptè dici potest:

——— ——— *magna otia cæli:*
Non est, quod video, non est quod agatur apud vos.

Mirus hic rumor fuit, quem falsum esse velim quamprimùm cognoscere, de morbo & Lunemburgici & Bannerii ex veneno, unde & alii perierint. Copias autem Bannerii refectas, merito gaudemus. Fridbergæ captam urbem à Glenio, arcem contra eum defendi & hic audimus. Additur derelicta à Saxonicis Zuichaviæ obsidio. Tam Polona quàm Dana Nobilitas, quibus non minùs juris est in Reges suos, quàm Regibus in ipsos, non facilè ferent suam quietem, securitatem, ac reditus turbari ob controversias Regnis inutiles. De Prussiæ civitatibus idem arbitror. Si Electoris Brandenburgici filius ad Electoratum pervenit, optabit fortè citius pacem cum Suedis quàm consequetur. In negotio federis Suedici cum Gallis strenuè laborat D. Salvius, & ego hic non desino secundas agere. Sed multis nodis res implicatur: & jactant Galli, supra alia prospera elati Catalanicis motibus, se pacem habere posse cùm volent, an & qualem volent, multum dubito. Interim tempus ab exitu non longè est: neque hoc ignorat hostis. De novem obsidibus quos Gallis dedere Catalani pro auxiliis, tres in Aulam veniunt acturi simul negotia suæ gentis. Maritimis advectionibus multum sine suo damno consulere Catalanis poterunt Batavi. Rusdorfii Vindicias legam libens. Amavi semper ejus ingenium, ac de eo sic judicavi, vias eum non semper iniisse quæ essent optimæ, sed eas tamen ab eo quæsitas quas bono suorum Principum aptissimas judicavit. Ginettius Cardinalis Augustam transiit, iturus ut creditur Ratisbonam. Marescallus Hornius à Monacho Ingelstadium translatus libertatem exspectat aut à pace aut à federe, inter Suediam Galliamque. Hi qui Hohentwilam custodiunt excursus fecere Altkircham usque. In Rhætis Bormienses & adjuncti illis aliorum pagorum Legati quidam jussi de cæde Plantæ cognoscere. Missi ad Oenipontem alii ad expediendas res novi federis, qui in fraudem libertatis Engadinorum, ne quid agatur ablegati sunt; tanta est inter ipsos diffidentia. Galli Rhætos planè non curant. Sed qui & Gallicas antehac secati sunt partes, ut Gullerus & Hildenstenii militiam sub Hispano sumpsere. Pensionum quas Hispani Rhætis debent, pars soluta est, pars nondum. In Italia induciæ adhuc sunt: sed fore ut brevi abrumpantur ajunt Galli, qui interim Casali de rebus necessariis & recenti milite prospexerunt. Leganesius autem ægrè exercitum conservare dicitur, quod imperare Pedemontanis non possit ut antehac, arma, commeatus, pabula. Deus Excellentiam Vestram, Illustrissime Domine, diu sospitet. Lutetiæ 15 Octobris 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1457 QVæ de Belgicis rebus jactata sermonibus scripsi, non
desinunt pingi suis coloribus. Dicitur enim Rex Hispaniæ quæ ibi possidet omnia transscribere velle in Ferdinandum, ut ibi pax sit sine ullo contractu, quia cum Ferdinando Batavis nihil hactenus intercedit hostile. Vicissim autem accepturus à Ferdinando Hispanus Constantiam urbesque ac terras vicinas, & quicquid juris Domus Austriaca in Helvetios Rhætosque sibi vindicare potest, cum parte Tirolis, quæ cuncta ad Mediolanensis Ducatus tutelam sunt perquam idonea. Cæterùm alii existimant, non hoc agi, sed Leopoldum à Rege Hispaniæ præfici Belgicis rebus, ut Cardinalis Hispanus ob studia populi militumque suspectus specie Præfecturæ Portugallicæ amoveatur. Causa cur Rex Hispaniæ adversùs Catalanos ipse non eat, hæc adfertur, quod is Rex exercitum quem in Arragonia collegit imparem credat Catalanorum viribus, præsertim cùm eas de propinquo foveant Galli, adjuturi fortè sint & Batavi per maritimas advectiones. Certè nulla est res quæ faciliùs pacem Germaniæ adferre possit, quàm si Catalani per longi temporis incuriam amissam libertatem vi repetant, ituro & ad alias nationes Hispanicas, Castellanorum supra se potentiam ægrè tolerantes, exemplo. Sed hæc valde incerta sunt, & sæpe libertas nova discordiam parit, pulchrisque initiis non semper sequentia respondent. Brabantiam & Flandriam sub jugum reddidit æmulatio Procerum in Nassovios, deinde odium in Gallos, solitos specie societatis ad dominatum properare. Batavorum animis penitus insedere ingentes injuriæ, quas quò diutius perpessi fuerant, eò potentia in atrociorem pertinaciam mutata est. Catalanorum multò leviores querelæ, & cùm absit Religionis diffidium, quod nostro sæculo efficacissimum est ad alenda bella civilia, credibile est facilè repertum iri in clero maximè & nobilitate, qui sub specioso obtentu pacis & fidei Regibus debitæ privatas sibi gratias sint capturi. Hæc sunt & plura alia quæ credere me vetant habere Gallos rationes perveniendi ad pacem, nempe qualem vellent. Nam & hostium res adhuc validiores sunt, quàm ut cogi possint relinquere Gallis quæ jam hi tenent, & ipsi Galli felicitate elatiores quàm ut remittant armorum præmia. Iam si senserint Galli Suedos aut pacem bonam habere non posse, aut etiam certas ob causas nolle, ad conditiones federis nihil magnum adjicient. Quod si planè federis prolatatio est è re Suedica, sentiam abrumpendas disputationes, &, tantùm, tempore quo duraturum est fedus bene definito, ac constituto ne usquam pax aut longæ induciæ fiant nisi de communi consensu, cætera permittenda Cardinalis arbitratui, cujus id est ingenium, ut nihil velit videri coactus facere, cuncta autem quæ facit sibi deberi velit. Hæc sunt mea in præsens cogitata, quæ quantum valere debeant Tuæ Sublimitatis erit judicare. Iam Augustam transiit Cardinalis Ginettius, Ratisbonam, ut creditur, iturus. Marescallus Hornius Ingolstadii est, ii qui in præsidio sunt Hohentwilæ ad Altkircham usque excursum fecere. Zwithaviæ obsidionem à Saxonicis desertam audimus, Fridbergæ urbem à Glenio captam, arcem defendi. Cætera belli, iis qui & locis & notitiæ rerum propiores sunt, nuntianda relinquo. Neque de Helveticis Rhæticisque rebus addam quicquam, quod illas diligenter persequatur Marinus, dignus Tuæ Sublimitatis cura. In Italia induciæ nunc etiam sunt: sed volunt Galli nos credere eas abruptum iri. Cum Pontifice Regi bene convenit. Deus res Suedicas & totius Orbis Christiani bono ponat in loco, simulque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Tuæ Sublimitati in eo primas gloriæ partes assignet. Lutetiæ 15 Decembris 1640.

Antonius Sarmientus à Rege Hispaniæ it Bruxellas, visurus an aliquid cum Batavis agi possit. Legati Catalanorum Madritium missi suspecti sunt Vniversitati Catalanorum, vetitique intra fines reverti. Leganesius multum militem legit in Germania & apud Helvetios. Archiepiscopus Burdegalensis duas naves hostiles cepit.

Tua Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

EX literis Excellentiæ Vestræ datis 20 Novembris vi- 1458
deo plures esse moras federis quàm putaveram. Ego ad eas quas antehac perceperam difficultates, ita sermones meos tum apud rerum potentes, tum apud eos quos ipsi submiserant, temperavi, ut ostenderem & æqua & temporibus congruentia esse quæ postulamus. Præ se ferunt Galli se pacem habere posse quam volent. Ego verò pacem eos nolle, & si vellent haberi eam non posse qualem volunt (idem de induciis longis dictum volo) pro certo habeo. Multò faciliùs Imperator cum Suedis transigere posset, idque ipsum ut hic credatur nihil operæ omitto. Est enim id unicum per quod fedus bonis legibus ac sine nostro incommodo obtinere possimus. Vt fedus ultra quàm in tres annos fiat, maximè verò ut fiat, donec Galli pacem capturi sunt, & habituri qualem cupiant, & iniquum & perniciosum rebus Suedicis multis de causis existimo. Vt Gallis liceat sine Suediæ consensu cum Hispano depacisci, contra mentem esse eorum qui fedus antehac fecere omnino arbitror, eoque magis quod Hispanus ob controversias nostras cum Imperatore Suedos in Hispania habet hostiliter. Pecuniam auxiliarem annuam augeri à se posse negat. At quantillum hoc in tantis proventibus tantisque erogationibus, quas hic etiam supervacuas fieri videmus quotidie? Pollicitationem Gallorum, connisuros eos, ut si universim induciæ fiant, Suedi quæ tenent teneant, haud magni facio; facilè enim eos opera aut simulata aut perfunctoria hoc promisso liberabit, & si Suedi, non nisi tales volunt inducias, certè nullas volunt. Valdè autem caveri debet ne ullo modo credant Galli nobis societatem ipsorum esse planè necessariam aut valdè expetitam. Nam nihil aliud quàm ista opinio eos fecit duriores. In tuti itineris diplomatis quæ dedit Imperator nihil desiderari intelligo: & in se recepit Imperator se procuraturum ut & Batavis ea de re satisfaciat. Id ubi perfectum fuerit Galli Coloniam mittent, ne se apud Pontificem odio onerent impeditæ pacis. Debebit ergo, ni fallor, tum & Suedia suos mittere Hamburgum aut Lubecam, prout cum Cæsarianis convènerat. Vtinam falsus deprehendatur rumor de veneno quod dicitur hausisse Bannerius conviva & Comes Scouwenburgicus. Si mendax est hæc fama, certè neque à Cæsarianis neque à Suedis originem habere potuit. Pecunia quæ hoc autumno Gallia debere Suediæ cepit, est à manibus Sprechelshemii, quem id Excellentiæ Vestræ non significasse mirarer, nisi crederem id factum jussu D. Davausii, qui eam retinendo ad tempus faciliùs speravit se de federe quæ vellet impetraturum. Ego de ea pecunia ex voluntate Regis atque etiam Suediæ Rectorum, qui cùm sæpe eis ea de re scripserim nihil contradicendo consilium meum à necessitate dictatum approbarunt, sumpsi decem millia florenorum, id est salarium semestre, sumptibus aliis quos feci in aliud tempus dilatis. Ea de re scripsi & ante hac Excellentiæ Vestræ cui Deum semper faventem opto. Lutetiæ 15 Decembris 1640.

Excell. Vestræ omni observantia addictissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,
Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1459 EX Italia literæ discordias attollunt Catalanorum, nihilque ab Rege Hispaniæ omitti quò eos sibi reconciliet. Itaque & Gallos in auxiliis mittendis cunctari, & cuncta turbari suspicionibus. Italicæ autem induciæ durabunt adhuc. Causa cur Imperator & Bavarus conditiones aliquas Domui Palatinæ, sed obscura spe ostentent, hæc est ni fallor: quod Rex Britanniæ pecunia ac proinde & Parlamenti in se studiis magnopere egeat: Parlamentum autem id vehementer adversum sit rebus Hispanicis, ita ut & Windebanckius Regi ab arcanis qui Hispaniis favere credebatur, in Turris carcerem sit datus instante Parlamento. Metuunt inde Hispani ne ad preces Parlamenti Rex consiliis se fortioribus applicet: præsertim cùm Galli per homines idoneos iis qui in Parlamento sunt significent, si Rex Britanniæ ipsorum armis sua velit jungere, paratos se polliceri pacem se non facturos nisi restituta Palatina Domo: quare id agunt, ut tempus ducant donec discesserit Parlamentum, eoque non rem tantùm, sed & colloquii diem differunt in finem Martii mensis adventuri. Ego verò Gallorum consilia, nota faciendi Anglorum quàm plurimis, ea quæ pro Palatina Domo parati sunt præstare, si Rex Angliæ apertè in causam velit descendere, non improbo, putoque & Suedos rectè facturos, si & ipsi id imitentur. Erlachius etiamnum hic est, putaturque futurus Galliæ Marescallus & conscripturus cohortes sex, turmas quatuor. Ad reperiendam pecuniam quarta pars salariorum retinetur in usus publicos, & revocantur nobilitates & exemptiones intra XXX annos datæ. Comœdiæ & choreæ hic parantur constituræ CCCC millenis florenis. Catalani dicuntur obsidere Tortosam: Rex Hispaniæ contra mittere exercitum. Deus, Excellentissime Domine, Sublimitatem Tuam diu servet. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Decemb. 1640.

Rex ipse Hispaniæ dicitur ire contra Catalanos: item naves longæ à Neapoli & Sicilia vehentes multum peditem Italicum & Hispanicum.

Tuæ Sublim. cultor devotissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

60 IN Italia sunt adhuc induciæ. Cæterùm quid in pace constituenda ibi promoverit Mazarinus, nondum liquidò scimus. Et de Catalanicis rebus diversi sunt rumores: discordias ibi esse certum est. Si in Italia pax fit, necesse est & cum Hispano ibi fiat, à quo Princeps Thomas avelli nequit. In Palatino negotio, nihil mirum si Austriaci & Bavarus ad artes toties prosperas relabuntur. Sciunt Regem Britanniæ Parlamenti in se benevolentia hoc tempore multum egere: Parlamentum quàm infestum sit Hispanicæ factioni in Windebanckio apparuit. Galli autem planè id agunt ut quàm plurimis qui in Parlamento sunt innotescat quid pro Palatina Domo parati sint facere, si in societatem armorum venire velit Rex Angliæ. Metuentes igitur Austriaci, ne auctoritate Parlamenti permotus Rex ea consilia capiat, quæ & Galli & Suedi velint, colloquia de re Palatina ostentat, sed multum diffissa die, ut periculum illud à motu Parlamentario evitet. Prudenter tamen, quantum ego existimo, faciet Elector, si colloquia non recuset. Decet enim eum animus pacis cupiens. Et in itinere ad Regem Daniæ non video quid mali sit, cùm Rex Daniæ id gratum habeat. Verùm Rex Britanniæ seriò edocendus est, siquid fortiter agere velit, nunc esse tempus, cùm eo facto & populi sui studia in se provocare poterit & moras omnes federis quæ inter Suedos Gallosque interveniunt, abrumpere. Bannerii consilium de Bohemia repetenda non absurdum est. Cum Luneburgico bene ei convenire & gaudeo & miror. Non imprudenter facient Batavi si res Hassicas sublevent; & notæ sunt viæ, per quas & amici juvari possunt, & non sumi hostes novi. In re federis inter Suedos & Gallos multas adhuc esse difficultates docet me D. Salvius: non minimam, quod Galli fedus volunt durare, donec pax aut longi temporis induciæ fiant: nostri in annos tres, ita tamen ut si interim pax aut induciæ tales non fiant, parati sint ad fedus prolatandum: atque etiam in casum pacis fedus facere ad eam communiter tuendam. Etiam de pecuniæ auxiliaris quantitate disconvenit: & quod Galli fedus antehac factum sic interpretantur, ut licere sibi velint pacem aut longas inducias facere sine Suedorum assensu. Inter Suedos & Batavos nihil actum magni: nec contra Danum obligare se nostri voluerunt, parati tamen pro Batavis laborare, quantum sine bello licebit. Reginam Viduam bona cum gratia reverti in Suediam velim, vel in hoc ut rumoribus subtrahatur materia. Bisterfeldio cuncta bene succedant opto, faveo enim viro pereruditо. D. Salmasium sanè perquam benignè excepit Cardinalis: &, ut Cardinalis, omittere non potuit, quin illum ad Ecclesiam, in qua ipse est & Rex, invitaret: non quod putaret effecturum se quicquam, nec quod sine eo ipsi benefacere nollet. Video eum valde optare ut hic maneat, & Regis, majori quàm Batavorum, fruatur liberalitate. Et ea ipsi offertur, sed solutiones hic multò quàm apud Batavos sunt incertiores. Deinde si bene hic haberi velit, scriptum de Papa aut supprimendum erit, aut valde temperandum. Pater ipsius Salmasii, qui nuper obiit, semper in Romana vixit communione, vir summarum virtutum: Mater Salmasii in Reformata fuit parte, cui & ipse Salmasius se addidit, cùm in Palatinatu viveret. Ipse multa vera agnoscit quæ vulgo à Reformatis negantur. Sed & videt quæ peccentur in Romana communione. Si in hac esset, putare se ait, se non exiturum: nunc cùm aliis semper adhæserit, non videre se satis graves mutandi causas. Vix hæc scripseram, cùm venit ad me Carolus Labbæus vir Romanæ communionis, eruditus & bonus, qui mihi suggessit & suo & aliorum nomine, ut Excellentiam Vestram rogarem, ut edere velit Ioachimi Camerarii, viri haud dubiè maximi & aliorum ejus nominis scripta, in unum volumen congesta. Fore id magni usus. Deus Excellentiæ Vestræ omnia largiatur quæ optari jus fasque est. Lutetetiæ 22 Decembris 1640.

Excell. Vestræ omni observantia devinctus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

QVod precatus sum antehac, idem & nunc Deum precor, ut omnia Excellentiæ Vestræ consilia ad bonum ipsius, Regnique Suedici vertat. De Thoma Principe volunt Galli nos credere, eum compertis quibusdam Hispanorum in se insidiis non modo amicitia *Hispanica* derelicta ad Gallicam venturum, sed & futurum brevi in Gallia. Interim manent in Italia induciæ & videntur produci ad Martium mensem, Pontifice & Venetis multum in id laborantibus. Pecuniæ in Italia ab Hispano ægrè explicantur. Reperta tamen, nec sine difficultate, CCXIV millia scutatorum, ut Helvetico milite terra Mediolanensis liberaretur. Adversùs Catalanos Rex Hispaniæ & armis utitur, etiam sodalitatibus Iacobi & Alcantaræ præter cæteros ex Hispania Italiaque milites, illuc missis, & oblatione pacis, à qua non aliena est bona pars nobilitatis. Ex Britannia spes nobis fit rerum meliorum 1461

& pacis inter duas gentes. Windebanckius cùm Dunquercam cogitaret, ventis Caletum rejectus, ibi custodes accepit ab urbis Præfecto, qui mandata à Rege Galliæ exspectat: habitus autem semper est adversus Galliæ rebus. Amisimus hic in Gallia Præfectum ærarii Bulionium, virum prudentem & omnibus Galliæ sociis in amicitia retinendis aliisque eodem pertrahendis, valde intentum. Magnum ea morte damnum fecisse rem communem etiam Illustrissimus D. Comes Licestrius judicat. Alii hic propter ingentes spes de Catalanis conceptas minùs cordi habent amicitias veteres. Quod si illæ spes eos fefellerint, haud paullò erunt faciliores in admittendis æquis federum conditionibus. Lunæburgico, quantum hic audimus, optimè cum Bannerio convenit. Idem de Hassica spero, cujus res velim Batavi non planè à se alienas existimant. Danum & Polonum nobilitas istorum Regnorum, ni fallor, retinebit, ne in hostilia adversùs Suedos prorumpant. Et Moscovita habet quem metuat, Turcam. Palatinum negotium trahetur, ut puto. Daniæ Legatus in Hispania ita gratiosus est in ea Aula, ut honores ei contigerint planè insoliti. Cæsariani cum Batavis pacem non rupturi sunt nisi ex magna occasione. Siquam urbem ipsorum capere possent, non deessent retinendi prætextus. Illud de matrimonio inter Principis Arausionensis filium & Regis Angliæ filiam, non dubiè magnos ubique sermones feret, tum ob maris potentiam quæ valida erit si bona fide jungantur Angli, Batavique, tum quia major Angliæ filia adhuc servatur, & eam sibi sperat Hispanus. Cardinalis haud dubiè de re, quæ consilium ultra non recipit, tacebit. Cæterùm video Gallos faciliùs hoc concocturos, si simul Rex Britanniæ arma sua cum Gallicis jungat, pro bono Germaniæ ac præsertim Palatinæ Domus. Rès ista per Stemflitium in Anglia tractata est, diuque clam habita, quod metueret Princeps Arausionensis ne si emanaret, & Gallia sibi & Reginæ Bohemiæ adversaretur. Geneva adhuc à commercio Galliæ arcetur. Idem fit & Helvetiis qui & milites suæ gentis è militia Gallica revocaturos se minantur, quod stipendia eis nulla solvantur à 12 jam mensibus. Sunt illi populi planè inter se discordes, & externis vænales, à quibus cùm despiciantur, ipsi tamen superbire non desinent. Audimus in Catalanis pugnatum incerto marte. Mittuntur eò mari à Massilia IV peditum millia. Sum eroque semper. Lutetiæ 28 Decembris anni 1640.

Excell. Vestræ omni cum observantia devinctissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Sacræ Reg. Maj. Regnorumque Sueciæ Senatori & Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1462 Sponsalia facta de filio Arausionensis Principis deque filia minore Regis Angliæ, multis sermonibus materiam præbent. Sunt qui ex historia repetunt exempla nuptiarum talium, quæ jactatæ diu, perfectæ verò nunquam sunt: & arbitrantur Regem Angliæ opus habuisse hac fama ad conciliandos sibi Parlamenti sui animos firmamque iis opinionem ingenerandam de sua in religione constantia. Traditionem verò virginis, sicut à vere in autumnum rejecta est, ita quæsitis coloribus longiùs posse differri. Alii mallent filiam majorem pro minore dari, ne qua spes maneret Hispano Anglicæ affinitatis, & per affinitatem successionis in Regnum. Gallis suspecta hæc res erit, eoque magis si non simul Rex Angliæ societatem Suedicam Gallicamque amplectitur. Sanè si fida amicitia inter Angliam & Batavos coit, formidabilis erit vicinis conjuncta illorum mari potentia. De Catalanis adhuc bene sperant Galli. Laborat tamen valde Marchionissa Cordonæ, femina apud Catalanam nobilitatem potens, cujus filius minor, qui in Aula Hispanica vivit, ad ipsam ob id missus est, ut quibusvis conditionibus in obsequium retrahantur Catalani: ac jam nonnullis è nobilitate adeo displicet consilium acciendi Gallos, ut & Gallis & ejus consilii auctoribus minentur pessima. In Hispanica Aula mirè magnitudinem Danicam ostentat Legatus. Prandet & cœnat sub uranisco & quidem in loco editiore quàm convivæ, ad quem per gradus scanditur. Ab Olivare honores ei habiti qui nunquam Legatis aliis. Nam & venienti obviam processit Olivares & ad hospitium ejus venit, & Excellentiæ ei dedit titulum. De Principe Thoma ita loquuntur Galli, quasi certum sit eum relicta Hispanica amicitia ad Gallicam transiturum atque etiam venturum in Galliam. Causam credi volunt, quod interceptis Leganesii in Hispaniam literis cognoverit Princeps ille suæ libertati aut etiam vitæ parari insidias. Hæc quid veri habeant, tempus docebit. Mortuus hic est Præfectus ærarii Bulionius, vir diligens in rebus Regiis, nec suarum negligens, consilio validus, & cujus magna semper pro sociis fuit cura. Nomen ejus dignitatis retinebit Butelerius pater, vim Tibævius Bulionii antehac adjutor. Bulionii mors fuit subita, superfusis ab hydrope vitalibus. Paucis ante mortem diebus dixerat, æquum sibi non videri Suedos urgeri ad fedus nullo tempore definitum: seque auctorem fore Regi ne in eo pertendat. In isto negotio federis duriores Gallos efficit spes de Catalanis concepta, quæ facilè posset evanescere. Nam præter quod de dissidiis inter Catalanos, deque tentamentis ad eos Regi Hispaniæ conciliandos dixi, etiam vis magna adversùs eos paratur, præterque dilectus novos & petitum ex Italia militem, eunt contra eos sodalitates nobiles Iacobi & Alcantaræ. Si ea spes Gallos fefellerit, & ex matrimonio isto Anglicano inducias metuant Batavicas, quod ratione non caret, tum demum intelligent, quanti ipsis æstimanda sit societas Suedica. Windebanckius carcerem in Anglia elapsus cùm Dunquercam peteret, ventis cogentibus Caletum venit, ibi ei, Hispanicæ semper factionis homini, custodes audio à Gallis datos, & Regis Galliæ de eo jussa exspectari. Impendia in choream & comœdiam quæ exhibendæ sunt in Ducis Anguiani nuptiis, multo quàm ante scripseram pluris id est, toto millione tantum, nunc audio. Machinæ ad comœdias in novo Cardinalis theatro agendas ab Italia petuntur pretio immenso, centies mille scutatorum. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, consilia Sublimitatis Tuæ sospitet. Lutetiæ 29 Decembris anni 1640.

Fama est hostes irrupisse in agrum Pictonicum: contra mitti à Massilia IV millia militum in oram Catalonicam: parari decem peditum cohortes mari ituras in Westfaliam. Gallis insidiæ in Lensum oppidum irritæ fuere. Cardinalis Sabaudus quæ capturus sit consilia etiam nunc dubitatur.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

Acceptis modò literis Serenissimæ ac Potentissimæ 1463
Reginæ nostræ, aditum ad Regem exspecto, quem param nactus, explebo mandata. Hic omnia strepunt nuptiarum Ducis Anguiani. Machinæ ad theatrum, quod domi suæ fecit Cardinalis constitisse audio 10 millibus scutatorum. Beverwaerdius à Batavis huc venit Regisque commodum opperitur, ut eum conscium faciat sponsalium inter Principis Arausionensis filium & filiam Angliæ, habens & secretiora quædam à Principe mandatis, ad Domus Nassoviæ magnitudinem spectantia. Comes Suessionensis adhuc Sedani est, neque diutius permissum Regis habet ibi manendi, quàm ad Iulium mensem. Interea captivi qui hic sunt quidam dicuntur eundem Comitem arguere, ut participem consiliorum

Digitized by Google

rum Ducis Valettæ contra Regni hujus quietem. Domesticus Comitis, cum id ipsi à Cardinali diceretur, animolè respondit, qui captivos tenent eos facilè à captivis expromere quæ volunt verba. Ossenvillius Brisaco exiit ut castellum Bellifortium liberet, obsessum à Comite Sanctomartinio. Est id oppidum in Comitatu Burgundiæ. Erlachius etiamnum hic retinetur. Venere huc Princeps Condæus, Dux Anguianus, Windebanckius & Catalani tres qui ut Legati Regum haberi voluere. Concessum illis non Regem, sed Principes Regii sanguinis tecto capite alloqui. Espernonus Barcinone est cum equitibus XL, cohortes & turmæ ejus ad IV millia in locis vicinis. In eadem Catalania Tarragone deprehensa consilia faciendæ deditionis interfectis à plebe auctoribus expiata sunt: & quia multum per agros incendiis grassatur Hispanus, sub gravibus pœnis jussi nobiles in urbem Barcinonem se referre. Tortosa à Catalanis nondum quidem obsessa est, sed ab eorum copiis circumvenitur eminus. At ex Italia literæ credi volunt spem propinquam pacis inter Catalanos & Hispaniæ Regem, restituto legum usu per quas proximè libertatem olim egerunt: in id missos à Catalanis Episcopos agere Madritii. De duobus Principibus Sabaudis sermones ambigui, vulgantibus Gallis, Cardinalem Sabaudum iturum Romam ut protectorem Gallici nominis cum reditu annuo CM scutatorum à Rege Galliæ: Principem vero Thomam ob detectos adversùm se dolos Leganesii, Gallicam amicitiam planè amplecti: aliis verò non credentibus aut hunc Principem qui tanta pignora apud Hispanum habeat ab eo posse avelli, aut illum, qui Nicæam tenet, urbem maritimam, quicquam de eo concessurum Gallis. Comiti Guichio promittitur, ubi ver appetet, proprius exercitus. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, Sublimitatis Tuæ vitam, valetudinem & consilia prosperet. Lutetiæ 5 Ianuarii anni 1641. ut hic numeramus, quem annum Suediæ Suedisque omnibus felicem precor.

Multis ex locis audimus etiam Vlyssipone in Portugallia motum aliquem esse plebis. In Flandriam ex Hispania venere literæ Cambii de quinque millionibus & dimidio Ducatorum. Etiam ad Leganesium pecunia aliqua pervenit in tribus navibus longis. Regi autem Galliæ Britannia Armorica dat duos milliones Francorum & CCCC millia ejusdem nummi. De Astæ arce Gallis capta falsus fuit rumor. Permutatio captivorum dilata in Martium. Dux Carolus est Marchæ in Famina habens secum decem alas equitum, quatuor peditum cohortes. Insulam in lacu ad Constantiam capere volentes Cæsariani ab indigenis sunt prohibiti. Sperant Galli partem eam quæ Leodii oppressa est revicturam.

Tuæ Subl. cultor devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

4 AD literas 24 Decembris datas ut respondeam, primùm annum hunc ineuntem rei Suedicæ, ejusque ministris, ac nominatim Excellentiæ Vestræ felicem precor. Windebanckius in hac urbe est, nihil ei nocebitur. Princeps Elector ex Rege Daniæ intelliget quid ab Imperatore & Bavaro, ex Anglia autem quid à Rege Angliæ exspectare debeat. Parlamentum haud dubiè ipsi, totique Germaniæ favet. Inter Imperatorem & Bavarum siquid frigusculi est, non tamen eò erumpet, ut inde magni aliquid aut nobis, aut etiam Gallis sperandum sit. De morte Christiani Landgravii & Comitis Schaumburgici video pestilentiam accusari. Satis pestilens est morbus qui hominem abripit, etiamsi ex cœno nascatur. Germani verò tantis à Deo malis castigati, quantis gens ulla, nondum tamen vitia sua bona fide dediscunt. Miror in Bohemia tam multos esse, qui Austriaca imperia gravatè ferant, cùm Protestantes, ni fallor, omnes exsulent, nisi fortè antiquas leges eversas ita ibi Pontificii, ut in Catalania dolent. Magna sit gloria Suediæ, si per eam Bohemia restitui possit in meliorem statum. De Rosæ nova victoria eadem hic cognovimus. In Silesia Pomeraniaque res nostras esse felices gaudeo. De fœdere nostro cum Gallis nondum video confectum esse negotium. Ego D. Salvio primas relinquens, secundas agere non desino. Pecunia pridem Hamburgi est. Bene valent qui hic sunt Palatini Principes. Rusdorfii vindicias legam libens. Vtinam is liber Gallis adimat, siquid ipsis restat inanis in Bavarum fiduciæ. Est jam hic Beverwaertius cum mandatis partim notis, partim ignotis. Sunt & à Catalania hic Legati, quibus permissum apud Principes Regii sanguinis caput tegere. Intelligimus autem Espernonum cum equitibus paucis esse Barcinone. Turmas ejus & cohortes ad IV millia non longè ab ea urbe. Tarragone, quod ejusdem Catalaniæ oppidum est, à plebe interfectos qui deditionem Regi Hispaniæ facere moliebantur: & ad cingendam Tortosam ivisse Catalanorum copias. Est tamen rumor etiam de pace, quæ per Episcopos procuretur. Galli sperare nos volunt Principem Thomam hic venturum, Cardinalem autem fratrem ejus iturum Romam, ut sit ibi Gallici nominis protector cum reditu C M scutatorum. Erlachius etiamnum hic est. Ossenvillius profectus è Brisaco in Comitatum Burgundiæ, ut ibi arcem Bellifortiam Sanctimartinii eam obsidentis manibus eripiat. Habemus hic & Principem Condæum, & filium ejus Ducem Anguianum, cujus nuptiis ornandis ingentes hic paratus, immensique sumptus fiunt. Vindicias jam nunc accipio, legam ut primùm potero. Iam olim Hamburgi vidi initia operis. Dicitur & Vlyssipone plebs commota. Cæsariani verò cùm capere vellent insulam quandam in lacu Constantiensi prohibiti ab indigenis. Regi Galliæ Britannia Armorica dat extra ordinem IV milliones Francorum & quater centena millia. Sperant Galli suam partem revicturam Leodii. Deus cuncta ad bonum vertat exitum. Lutetiæ 5 Ianuarii 1641.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

E I D E M.

Illustrissime Domine,

FAcit meus in literas amor, ut à literarum rebus incipiam scriptionem. Gaudeo ereptum periculo D. 1465
Heinsium, ut diu exstet studiosis exemplum, ad poësim, declamationes, studiaque alia. D. Salmasius hic ne mansurus, an rediturus in Batavos, ita est dubium, ut nihil certi ne ipse quidem norit. Offeruntur ei salaria opimiora, sed apud Batavos solutiones sunt certiores, & minora impendia. Planè verò de eo ita existimari debet, non eum esse qui honorum commodorumque spe adduci possit, ut quicquam faciat dicatve contra animi sui potentiam. Labbæus is de quo scripseram idem est ad quem multæ leguntur Scaligeri & Casauboni epistolæ, amicissimus & D. Salmasio, & mihi. Viri optimi eruditissimique Ioachimi Camerarii & quidem expresso ipsius, non autem dissimulato nomine, Annotationes ad librum primum & secundum Quintiliani Institutionum editæ sunt Lutetiæ 1542 pulchris literis, *in folio*, una cum ipso Quintiliano & Annotationibus tum Mosellani tum Antonii Pini. Ejus editionis exemplum inspexi beneficio Iohannis Cordesii. De Italicis rebus nihil perspicimus, nisi quod credibile non est, aut Cardinalem Sabaudum, aut Principem Thomam quicquam constituturos nolente Hispano. Catalani qui huc venerant obsides, ut Legati convenere hic Regem, deducti sunt à Marescallo Franciæ, jussi sunt à Rege caput tegere, novo exemplo. Auditi sunt & à Regina. Sed dum nova liber-

libertas tam officiosè hic colitur, domi eadem vulnus accepit, circumventis non longè à Tortosa Gallorum copiis cum Espernono, coactisque omnibus deditionem salva vita facere. Erant equitum Regimenta, ut loquimur, duo, peditum tria. Unum exemptum ei cladi fuit pedestre Regimentum quod manserat Barcinone, in qua urbe supplicio capitali interfecti sunt Procerum nonnulli, incusati seorsim de pace egisse cum Rege Hispaniæ. Rex Galliæ promittit magna se incrementa missurum ad Longavillani exercitum: fiuntque passim & dilectus & supplementa. Tum & nuptiarum Ducis Anguiani paratu strepunt omnia, nec minùs sermonibus de nuptiis Anglicanis. Valde hic displicent accessiones istæ libri Rusdorfiani de Bavaricis rebus. Ex iis quæ Cæsariani Lunæburgicis & Hassicis offerunt Ratisbonæ, cognoscemus bellum ipsis an pax sit cordi. Dicunt Galli, si Rex Angliæ in societatem armorum venire velit, paratos se polliceri, pacem se non facturos nisi Palatinatu restituto, de Electoratu tacent. Pacem cum Scotis factam nondum hic intelligo. Windebanckius hic est ab omni malo tutus & vidit Legatum Angliæ. Præter Ecclesiæ regimen, multæ sunt etiam ad statum publicum pertinentes rationes, cur Anglia sine Episcopis esse vix possit. Tum verò preces illæ à tot millibus signatæ à Regibus pro minis accipi solent, & interdum acerbam sui memoriam relinquere: eaque olim res præcipuè Admiralio Franciæ Coliniaco exitium attulit. Creditur hic Bannerius Franconiam potiùs, quàm in Bohemiam iturus. Novus Elector Brandenburgicus, à Swartzenburgo ejusque consiliis pridem alienus ad amicitiam Suedicam pedem fortè referret, si videret satis tutò se id facere posse. De negotio federis nostros inter & Gallos exspecto à D. Salvio literas. Galli qui Creutznachi sunt, arcem quandam in proximo cepere. Ossenvillius Brisacum rediit. Erlachius adhuc in hac urbe est. Pecuniæ ex Hispania Genuam aliquantum venit. Classis ex Hispania in Americam profecta est, & Nuntio Pontificio qui in Hispania est libertas functionis suæ restituta. In Regno Neapolitano tres colliguntur milliones, ægrè admodum: & naves parantur quæ Gallorum maritimis cursibus se opponant. Ex eodem Regno Neapolitano transitum per suas terras Hispanorum militi Papa permittit. Etiam Rhæti Hispanis dilectum in suis terris concessere ad CIↃ IↃ pedites: Helvetios ideo Hispani à se dimisere, quod nolint inferre arma in Gallos aut Sabaudos, parati tantùm loca, si qua ipsis committantur, tueri, tales exceptiones Hispanis non placent. Constantinopoli paratur classis contra Asachum. Pax Persica nutat, & in Asia motus quidam Imperium Turcicum turbant. Det Deus & hunc annum & multos sequentes felices Excellentiæ Vestræ ejusque domui. Lutetiæ 12 Ianuarii 1641.

Excell. Vestra perpetua observantia devinctissimus H. G.

D. MILONIO.

Amplissime Domine,

1466 LIteras illas ab Upsalia non accepi, quod si accepissem, responsurus quamprimùm fueram pro eo amore quem semper exhibui viris literatis, quos inter Amplitudo Vestra locum non obscurum obtinet: quæ quod negotiis Reginæ nostræ arcanioribus tractandis admota est, de eo & mihi gaudeo, qui adjutorem me fidum firmumque habiturum confido, & Suediæ gratulor, cujus plurimum refert rebus admoveri eos qui & fide sunt egregia & rebus pares. Sicut verò hoc me delectat, ita commotus sum vehementer morte viri Excellentissimi omnibus modis Domini Archidapiferi, qui quàm utilis fuerit Regno, loquuntur omnes, & paucis verbis efficacissimè exprimunt literæ Amplitudinis Vestræ; mihi autem quàm bene voluerit, testes habeo ipsius literas. Sed humana ferenda humanitus: neque conquerendum de lege ad quam nati sumus cum spe adipiscendæ vitæ melioris, si in hac officium facimus. Solatur me cæterorum Regnum Regentium vita ac commoda, ut spero, valetudo, præsertim Magni D. Cancellarii, cujus humeris pondus publicæ rei tam feliciter innititur. Terra marique parari ea quæ aut tuendis domi finibus, aut sustentandis per Germaniam exercitibus sunt necessaria, perlibens cognosco: speroque abituram sine noxa illam à Borussia procellam. Hic quoque paratus non parvi fiunt, præcipuè ad juvandos in Germania socios: & ad fovendos Catalanorum motus. Italia adhuc quiescit. Deus Optimus Maximus Conventus in Suedia instituti consilia prosperet, neque hunc tantùm annum, sed & sequentes omnes Regno, Rectoribus, atque Amplitudini Vestræ bene fortunet. Lutetiæ 12 Ianuarii 1641.

Scribere soleo ad Magnum Dominum Cancellarium septimo quoque die. Spero rectè pervenire literas. Galli qui Catalanis auxilio iverant ingentem cladem ad Tortosam accepere. Periclitatur nascens ibi libertas.

Ampl. Vestræ addictissimus H. G.

PRINCIPI DE LAUTREC.

Excellentissime Princeps,

PRopensum animum Celsitudinis Tuæ erga rem Suedicam laudo atque exosculor, eique tribuo quicquid honoris à Celsitudine Tua ad me pervenit. Deum precor, tantis ingenii morumque dotibus ditata indoles magis magisque surgat, & aliquando speratos à se fructus Suediæ Regno possit edere. Felicia nobis omnia inde nuntiantur, præter mortem D. Archidapiferi omnibus luctuosam. Deus cæteros ejus domus diu bono Suediæ incolumes florentesque servet. Princeps Carolus Gustavus Palatinus cum bonis, ut audimus, copiis it facturus militiæ suæ rudimenta in Pomeraniæ partibus. Marescallus Bannerius Erfordiæ est & videtur Franconiam petere, si quis fortè is qui Ratisbonæ est Conventus sua opera indigeat. Deus & hunc & sequentes annos prosperet Reginæ nostræ, Regnoque Suedico, toti Domui Palatinæ, ac nominatim Celsitudini Tuæ. Lutetiæ 15 Ianuarii 1641. 1467

Celsitudini Tuæ obsequentissimus addictissimusque H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

CIvitati Vestræ opto ex animo ut pace fruatur fida ac ipsa diuturna, pacisque fructibus, id verò est, literis atque commerciis. Planè autem illorum laudo institutum qui pluris ducunt in iis se exercere, quæ Christiani omnes cum Iudæis ac Mahumetistis decertanda habemus, quàm ea per quæ Christianorum inter se dissidia nutriuntur. Esse me ejus sententiæ, pridem ostendi edito pro Veritate Religionis Christianæ libello: in ea me perstare etiam nuper, editis ad eum libellum Testimoniis, quæ an ad vos venerint nescio. Ad Papam cur non putem pertinere illa omnia, quæ ad eum à multis referuntur, causas habeo graves, quas complexus fueram libello brevi, meum tamen nomen non præferente. Exstitere qui refellerent ut meum; quare &, ut meum, cogor defendere. Puto fieri posse ut aliquando contingat Ecclesiæ Papa, qui ad munus suum pertinere existimet, diruptas partes in suum restituere corpus. Sed quamdiu pro certo habetur omnes Papas ad finem usque mundi fore Antichristos, homines peccati, filios perditionis, omnes qui in eo sunt grege esse idololatras, hostes divinæ gratiæ, qui meritum Christi funditus evertant, nihil pacatum sperari potest. Viri qui hic sunt magni, existimant non desperandam esse concordiam, sed tollenda primùm ea per quæ vulnera ista inflammantur. Exibunt brevi nostræ Annotationes ad Euangelia, in quibus ad piam juvan-

juvandæ veritatis ac pacis propositum conferemus quæ nostræ erunt facultatis. Doleo Germanos Principes, qui Reformatos se dicunt, cùm iram Dei tam graviter ac tam diu sibi incumbere sentiant, non cogitare quæ sint tanti mali causæ, atque eis cavendis seriò dare operam. Illis qui mortis tempus sine ullo actionum humanarum respectu adamantinis clavis fixum putant, objicere soleo Scripturæ loca: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longevus super terram*, & *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Si ista obscura sunt, quid erit perspicuum in Sacris Scripturis? Hic illa, contemnere parentes, sanguinem sitire, fidem proculcare, non sunt instrumenta decreti, sed ipsius decreti objectum constituunt, quod objectum, ni tale esset, isti decreto non subjaceret. Vale Vir Nobilissime & perge Deum precari, ut Imperiis primùm, deinde & Ecclesiis pacem restituat. Lutetiæ 19 Ianuarii 1641.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

1469 PRimùm Excellentiæ Vestræ opto commodiorem valetudinem, ut senectus, per se grave onus, eò toleretur leviùs, & post tot labores liceat inter literarum oblectamenta respirare. De Principe Thoma quid sit, necdum certò conspicimus. Sed dicitur eum sorore se contulisse in oppidum Nicæam, quod strennuè munitur à Cardinali Sabaudo. Interim magnum solatium accepere hi Principes, quod inimicus eorum summus, Comes Philippus, amicus autem Viduæ, Regiæ sororis, ipsa ignorante primùm, deinde dolente, adeo ut & in morbum inciderit, jussu Regis Galliæ in urbe Taurinorum captus, jam per Galliam ducitur in carcerem Silvæ Vicennensis, ex quo heri abiit Iohannes Waertius, sub bona custodia iturus Nanciacum, ibique servandus donec de federe cum Suedia aliquid constiterit: si id eveniat, liberandus pariter cum Hornio. Rex Hispaniæ dum minora appetit, ut Cincium arcem apud Finale, Imperatore cujus id feudum est allaborante ut loci Dominus repensationem accipiat, periclitatur de Regnis & Provinciis. Malum apud Taragonem (id enim est oppidum quo se Galli ex adverso prælio receperant) acceptum imminuunt Galli; novasque copias terra ac mari mittunt ad confirmandos Catalanos, quos Pontifex misso Nuntio ad pacem hortatur. At de Portugalliæ motu, Rege creato Iohanne Bragantiæ Duce, Archiducissa Præfecta in monasterium detrusa, ejus scriba trucidato, literæ hic sunt à Nuntio scriptæ Pontificio, qui Madritii est. Ea res quò processura sit, valde adhuc incertum est. Nam & arx maritima quæ Vlyssipone est dicitur populo resistere, & urbes quædam ad mare sitæ, nonnullæ & interiores: præterea eos qui circum sunt populos audimus Badacos convenisse ad ulciscendam hanc defectionem. Quatuor millia ex Ruscinonensi Comitatu eodem à Rege Hispaniæ ire jussa, & ex Italia accitur Leganesius. Hi impetus Hispanorum si retundi poterunt, novitas ista durando auctoritatem juris accipiet, & brevi, ut puto, habebimus hic Legatos à Iohanne IV. Rege Portugalliæ. Britanniæ Regnis pacem opto internam, quò meliùs ea vacare externis negotiis possit. Canonas illas, qui objectantur Archiepiscopo, non vidi:, multùm autem probo Regis Britanniæ consilium, quod de re Palatina ipse ultro ad Parlamentum retulerit. Omnino nihil boni à Bavaro exspectandum est, nisi is aliquid mali ex Britannia exspectet. Si verum est quod hic dicitur, nullam antea actorum oblivionem à Ratisbonensi Conventu probari, nisi pro iis qui externas societates exuerint, neminem puto tam cæcum fore, qui non videat hanc esse pacem quam lupi ovibus offerebant ea lege, ut canes abigerentur, qui latratu suo pacem turbarent. Quæ jam consilia capturus sit novus Elector Brandenburgicus, multum refert. Receptus illi fortè tutus ad amicitiam Suedicam pateret, si de Pomerania nolit contendere. Defuncti D. Archidapiferi Gabrielis Oxenstiernæ tantæ prædicantur virtutes, ut pro magno Dei beneficio accipere debeamus, si quis ei succedat, non multò impar. Regina mater Suedica bene fecerit, si redeat, unde abitum non oportuit. Videt exemplum Gallicæ matris, quæ hospitibus ubique suis oneri est. Fedus Suedos inter & Batavos nondum quantum audio ultimam accepit manum. Sed fama tamen frui utrique possunt, Batavi apud Danum, Suedi apud Imperatorem. Miror per Suedos non repeti naves quas cepere Dunquercani, cùm inter Suedos & Hispanos bellum non sit. Intelligimus hic desiderium esse Parlamenti Anglicani, ut major Regis filia nubat Palatino Electori. Tartari vicinus Poloniæ metus, facilè id efficient, ne Poloni quicquam in alios cogitent. Nutare pacem Persicam apud Turcas multæ literæ nuntiant. Barcinonem obsideri ab Hispanis audimus. Rex Daniæ eò minùs creditur facturus pro Principe Palatino, quod totus inhiet investituræ Comitatus Scauwenburgici impetrandæ ab Imperatore. Privata autem apud illum commoda plus publicis valent. Deus clemens respiciat bellis ac discordiis laceratum Orbem Christianum, idemque Excellentiam Vestram ejusque domum bene fortunet. Lutetiæ 19 Ianuarii 1641.

Excell. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

REgi Angliæ, quantum video, neque auctoritas constat apud Parlamentum, neque gratia. Nam eos quo- 1470
rum opera consiliisque usus est, neque palam tutari audet: neque dolet eos sibimetipsis consulere ac se servare in tempora ipsis secundiora. Viæ autem istæ mediæ sæpe Regibus periculum adferunt, ubi populi neque metu neque amore retinentur. Mittitur hinc in Angliam Legatus Fertimbaiotius, ut etiamnunc Regi Angliæ ea offerat, quæ oblata fuere Hamburgi. Hæc aura haud dubium quin perflatura sit ad Parlamentum usque, ac multum animi additura iis qui Palatinæ Domui, rebusque Protestantium favent. Si Rex Angliæ hoc tempore ad se vocet Electorem, valde id mihi placeat. Nam eum Principem rem non facturum suam apud Danum arbitror, tum ob alia, tum quia Danus calidè admodum expetit ab Imperatore investituram Comitatus Scauwenburgici. Nescio an verum sit ab Altenburgico, Culembachio, Onspachio Principibus Domum revocatos à Ratisbona Legatos, impendiorum tædio. Dicitur autem venturus Ratisbonam Bavarus & esse valde concors Imperatori. Scire autem operæ pretium erit, quid & Lunemburgiis & Hassicis oblaturus sit Imperator. Quantum adhuc judicare possumus, videtur Bohemiam repetere Bannerius: & facilè res venire posse ad prælium, cujus exitus secundus aut adversus ingens momentum adferre posset. De Catalaniæ Portugalliæque rebus difficilis est judicatio, magna initia, processus incerti. Rex educere vult è Catalania Espernonum & alios qui fidem suam hosti obstinxere, ne militent: mittere autem alios qui Catalanis auxilio sint, ad decem, ita fama est, peditum, equitum autem tria millia. Quæ de Portugalliæ motibus antehac intelleximus, ea multis multorum à Madritio literis confirmantur. Sed ibi quoque civitates sunt quæ novo Regi non accedunt. Dicitur autem Rex novus mittere in Africam, Brasiliam & Indiam Asiaticam, ut qui ibi sunt Præfecti eos in suas trahat partes. Parari etiam Legationes Romam, ad Galliæ Angliæque Reges & ad Batavos, tum ad probandam causam, tum ad opem impetran-

petrandam. Hispanus nihil omittet eorum quæ poterit ad hos conatus in semine opprimendos. Sed tot longinquis præsidiis exhausta Hispania sibi tuendæ non sufficit: deinde, præter Castellanos qui sanè pauciores sunt, quàm ut & Hispaniæ cætera & tot Provincias coërceant, nulli sunt populi qui id sub quo sunt imperium ament. Quod si ii qui jam ab isto imperio defecerunt diu sustentare se poterunt, credibile est manaturum latiùs exemplum, atque ita multis accedentibus alimentis flagraturum vehementiùs hoc incendium. Boni ominis est quod Legati Batavi in Angliam venere cum rostrata corona. Beverwaertius Cardinalem vidit, exceptus satis frigidè: Regem nondum. Dicit autem in Anglia de novo agi federe: de nupiis tantum. Princeps Thomas cum fratre Cardinali Sabaudo Nicææ est. Pro his autem venit in Galliam Comes Philippus, amicus Viduæ Sabaudicæ, eritque in carcere Silvæ Vicennensis cis paucos dies. Pontifex quæ habebat controversa cum Gallis & Hispanis composuit. Cum Lucensibus res putatur prope transactionem esse. Hispanus illorum causam ad omnes Principes pertinentem non deseret. Gaudeo probari Excellentiæ Vestræ quæ pro Lucensibus scripta sunt. Iesuitæ liber nondum hic comparet. Hoc quoque inter belli mala est, quod libri & difficulter & non sine periculo commeant. Rusdorfianus liber plenus est historiæ & omnigenæ eruditionis, dignusque lectu. Sed quæ addidit de sociatis cum Bavaro consiliis ea neque Bagnio ad Pontificatum adipiscendum proderunt, neque Riceliaco ad devinciendos sibi Germanorum Protestantium animos. Non dubito tamen quin τῷ μακαρίτῃ causæ suæ fuemint, cur negotio isti supparum detraheret. Sicut auspicantibus munus bene precamur, ita æquum est nos bene precari etiam gravem sarcinam commodè deponentibus. Quare Excellentiæ Vestræ lætum opto otium, & in alto adhuc navigans portum apprehendenti gratulor. Lutetiæ 26 Ianuarii 1641.

Excell. Vestræ perennis observantiæ debitor H. G.

D. DVRÆO.

Vir plurimum Reverende,

1471 QVantopere semper non optaverim tantùm, sed & laboraverim, ut quæ sunt inter Christianos divortia minuantur, ad sic restituendam paulatim ex Christi ipsius præcepto, compagem nimium nunc dissolutam, testes multos habeo, qui me vetere in patria noverunt: possem & Rev. Clar. Tuam testem appellare super iis quæ post id aut in Germania aut in Suedia acta sunt. Cùm omnia sedulò contemplor, video nullam esse auctoritatem inter diversorum Regnorum Protestantes, cujus reverentia ii, qui opinionibus aut ritibus dissident, permoveantur ad accipiendas non iniquas concordiæ leges. Præterea accusant qui Lutherum pluris faciunt eos qui Calvini sententias magis sequuntur; quod ubicunque hi aditum reperere aliquem mox res suas promoveant per eas rationes quæ Carnem magis quàm Dei Spiritum redolent. Hæc tamen me non impedient, quò minùs & preces ad Pastorem Summum fundam pro gregis concordia, & iis faveam qui non ex integro partes, sed ex partibus integrum aliquod facere student. Deus pia consilia prosperet, dogmata ad pietatem faventia promoveat, & noxia evellat, quæ proxima, ni fallor, ad pacem via est, ac Tuæ Clar. omnia largiatur optatissima. Lutetiæ Kal. Febr. anni 1641.

Tuæ Reverendæ Clar. observantissimus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1472 GAudeo beneficio Excellentiæ Vestræ cognosse me quo nunc in cardine versetur res federis. Ego qui Gallos novi pridem, homines qui nulla re faciliùs flectantur quàm mora, laudavi semper prudentem nostrorum tarditatem. Etiamsi magis nobis esset necessaria quàm fortè est, hæc societas, referret nostra ne id crederent Galli. Locutus sum hodie Heufdio. Is pecuniam id est chartas solutionem ipsius fidejubentes, Hamburgi pridem esse asseverat. Dixi ei, si in eis quæ debentur solvendis tricæ nectantur, id in causa fore, cur minùs credatur promissis in posterum. Suscepit se acturum cum Ministris Regiis: & puto per eum id optimè posse fieri, qui & utrique Regno inservit, & intelligit quantum sit pecunias habere in tempore. Edocui etiam eum de conditionibus sub quibus federis prorogationem velit Suedia, ut tentet animos, & si quid didicerit, mihi dicat, deinde acturo cætera quæ ex usu esse arbitrabor. Velim scire, cui velint Regni Rectores me rationem reddere eorum quæ pro impendiis antehac supra salaria accepi. Nam sive Excellentiæ Vestræ sive D. Spiringio, ut olim, reddere jubeat, mihi ex æquo est, qui nihil magis desidero, quàm ut & operam & fidem meam in rebus magnis parvisque Regno Suedico approbem. Maneo autem Lutetiæ 2 Februarii 1641.

Cepit à me instructus Heufdius agere cum Chavigniaco, qui aget cum Cardinali. Videtur societas ad pacem usque iniri posse cum tali pecuniæ augmento quale poscit Suedia. Nihil tamen certi affirmo. Sed illam quæ jam debetur pecuniam credo illuc in manus Excellentiæ Vestræ perventuram.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

DOleo ex animo, ademptum Excellentiæ Vestræ generum, virum ob eruditionem summam virtutemque dignum tam splendida affinitate. Solatia hic de meo adferre velle, id verò est aquam portare in mare. Novi ego animum Excellentiæ Vestræ, magnis adversis exercitum in id, ut Deo sacrificet, quod ipsi gratissimum est, voluntatem ipsius imperia approbantem. Quod si etiam tempora respicimus, quibus nunc vivitur, invidendi potius (si id liceat) quàm plangendi sunt, qui à malis malorumque causis immunes metam attigere ad quam currimus. Det nobis Deus ut in statione nostra parati semper exspectemus illum æterna omnia secum tracturum diem. De D. Salmasio nihil certi possum dicere, nisi quod credo in Batavos rediturum potiùs, quàm hic subsistiturum, post annum quam absentiæ impetravit. Multi hic sunt amantes Camerarii nominis, qui vehementer exoptant omnia à magnis ejus familiæ viris scripta in corpus colligi: quæ res sanè digna est, in quam impendatur pars ejus otii quod Excellentiæ Vestræ Deus concessit. Catalanorum res putantur non optimo esse in loco, neque meliùs Portugallensium. Non placuit Cardinali quenquam à Batavis eò mitti. Sed Batavi id scire, non an facerent interrogari debuerant. Vidii D. Beverwaertius Regem tandem, itque in Batavos, unde sperat se relaturum ea quæ Regi satisfaciant de rebus bono gerendis. Interim non sunt hic omnia quieta. Nam & Comes Suessionensis, & Dux Vindocinensis, suspecti rerum novarum jussique huc venire, venturi ne sint conscientiæ fiducia, an emansuri metu carceris, incertum est, interdicto interim, ob hospitium Comitis Suessionensis, Sedanensibus omni cum Galliæ commercio. In Italia quiescitur. A Bannerio magni aliquid nos exspectare jubent ipsius literæ. Legatorum ab Hassica & Lunæburgico laudo constantiam, nihil agere volentium, quod non omnibus patescat. Ita dignum est iis qui publicum Germaniæ bonum ob oculos habent. Non male sibi

sibi consuluerint Altenburgici Principes si se malis belli eximant. De Saxone & Brandenburgico idem sperare difficile est. A Rege Daniæ cur nihil magni pro Electore Palatino exspectem hoc tempore, scripsi nuper. In Parlamento Angliæ video multos esse pro Palatina Domo bene animatos, studio tum in Protestantes, tum in Regium sanguinem. Sed discordia inter Regem populumque ex eo apparet, quod Legati & agentes res Britannicas ut Regi caros amplexantur eos qui in odio sunt Parlamenti. Ex ea disjunctione animorum nihil est boni quod augurer. Dum cum Scotis pax tentatur, dum altercando trahitur Angliæ Parlamentum, ver abibit, deinde & æstas. Batavorum quoque Legati, quanto gratiores populo, hoc ipso Regi suspecti esse poterunt. Quod si & de fœdere ibi agitur Gallis inconsciis (negat id futurum Beverwaertius) ea quoque res hic in offensam veniet. Ita quippe de re Batavorum meritos se putant Galli, ut æquum non putent celari se quæ ab ipsis agitantur consilia. De fœdere Suedos inter & Gallos, spero brevi rem confectam fore. De morte Marescalli Hornii rumor hic fuerat: sed inanis reperitur. Deus ei det vitam & libertatem & res patriæ utiles gerere. Idem Excellentiam Vestram bono publico domusque suæ sospitet, detque ei inoffenso pede transigere quod restat spatii. Lutetiæ 2 Februarii anni 1641.

Excell. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctus H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

474 POstquam Heusdius D. Chavigniaco exposuerat, quàm sit & publicæ & suæ fidei noxium fœderique impediendo magis quàm promovendo, quod pecuniæ, quam ipse accepit & Hamburgum misit, & hoc ipsum per me significari & ipse voluit & Bulionius, notitiam neget se habere D. Davausius, &, ut maximè ibi sit pecunia se non traditurum sine novo mandato, dicat, ego ipsi Chavigniaco dixi paria; promisit se acturum cum D. Cardinali. Simul exposui eidem quibus conditionibus cum Suedia fœdus habere possint. Videntur amplexuri fœdus ad pacem usque cum incremento pecuniæ quam dant Suedis. Multis ostendi quàm onerosa sit nobis ea obligatio & quanto nobis quàm ipsis pax esset sperabilior. Vtram acciperent conditionem, libertatem D. Hornio reipsa præstandam: colloquio ad pacem locum alium Hamburgo aut Lubeca sumi non posse, ni nimium à Suedia absint Legati. Hæc omnia in Suedia magnis cum curis expensa, ac de eo quod jam constitutum esset, pro certo habendum nihil posse mutari. Excellentiæ Vestræ jam incumbit de pecunia debita non quiescere, nec quicquam procedere in re fœderis donec ea persoluta sit. Est enim planè iniqua & inhonesta ista tergiversatio. Quandoquidem jussa è Suedia tardè ad nos perveniunt, velim edoceri ab Excellentia Vestra an existimet Legatis, qui hic venturi sunt è Portugallia, à me debere honorem exhiberi qui exhiberi Legatis solet, si id faciant Galli; Anglus, Venetus, Sabaudus, Genuensis non faciant. Deus Excellentiæ Vestræ semper faveat. Lutetiæ 9 Februarii 1641.

Excell. Vestræ observantia cultuque devinctus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

5 DE valetudine satis commoda, nec nimis gravi senectute gaudens intellexi, Deumque precor, ista bona diu ut maneant. De Amberga spero nos brevi læta intellecturos: præsertim tam vegeto ac bene vestito nostro exercitu. Pacis spem quotidie retro labi doleo. Miseret enim me Germaniæ. Sed ferenda quæ corrigere non possumus: &

Optare liceat, si potiri non licet.

Elector Palatinus velim ex Dania in Angliam transeat cum bona Regis Angliæ voluntate, nam qui nunc in Parlamento flant venti, pro ipso sunt. Magna sanè sunt quæ inceperunt & Catalani & Portugalli, sed, quod rebus novis periculosum, inter se ipsi discordes. Catalani si intra duos menses auxilia adveniant, putant servari posse Barcinonem, alioqui non abesse periculum. Ego vereor ne spes adipiscendi in Catalanos imperii auxilia tardet. Difficile enim est Gallis cupiditati, semper ultra eunti modum imponere. Sunt hic rumores, insulas non spernendas, Maderam & Terceram in partes venisse novi Regis. Poterit idem sperari de iis qui in Asiatica sunt India. Interim Batavi, implicita domesticis dissidiis Portugallia, res suas in Brasilia provehent. Dicuntur & in Andalusia motus nasci, foverique à Duce Medinasidonio. Regis Magnæ Britanniæ, optimi Principis, vicem doleo, qui bellum habet à Scotis, turbas in Hibernia non leves, & seditiones in Anglia. Tot mala in unum tempus concurrentia, ni inopinam opem Deus adferat, sanari vix possunt. Regi Daniæ, siquid humanitus eveniat, dubium non est quin id & Suedi & Batavi in suam occasionem sint versuri. Danicis vectigalibus infesti utrique, Batavi quod ea ipsos premant, Suedi, quod crescentem vicini potentiam habeant suspectam. Hamburgi libertas in summo discrimine est, si Pinneburgicum Comitatum ad urbis mœnia accedentem sui juris facit Rex ille pridem eam civitatem iniquis oculis aspectans. Brandeburgicus Elector quibus se daturus sit consiliis, videbimus. Suspicor ita adstrictos à Swartzenburgico nodos, ut extricari vix possint. De Pomerania miror. Putabam enim Lutheranos concionatores satis apud populum laborasse pro Suedis. Fœdus inter Suedos & Gallos in optima spe est, ut ex Ministris hic Regiis, quibuscum ea de re collocutus sum, cognovi. De altero inter Suedos & Batavos, gaudeo convenire nostras conjecturas. Davausio male evenit, quod frater ejus Præses Memmius à Rege jussus est rusticari. Illum ab Hamburgo iturum Coloniam, alium Hamburgum mitti, etiam hic susurratur. Tueilleriacus Anglicano itineri se parat. Videtur mihi ista Legatio mitti in tempore. Certum est Procerum in Anglia plurimos id optare, ut major natu filia Regis Electori nubat. Sed in re matrimonii, parentum maximè valere debet auctoritas. Ex Turcico Imperio eadem hic audiuntur quæ scribit Excellentia Vestra: præterea Polonum Legatum ibi exspectari: & de Hungarorum excursibus graviter expostulasse Bassam vicinum illis locis: Persæ autem pacem esse cum Mogore & finitimis aliis. Comes Suessionensis, ne diutius Sedano molestus sit, ad Batavos se recipit. Vindocinensis autem eodem eat, an in Angliam nondum liquet. Hic saltatur, aguntur comœdiæ, ingenti Cardinalis magnificentia. Comitatensibus Burgundis bellum hoc anno imminere videtur grave, quod ut à se avertant Helvetios ambiunt: sed quorum nunc apud Gallum pariter & Hispanum, non magna est auctoritas aut gratia. Zambra qui Plantam interfecit captus multos accusat, qui Gallis sunt amiciores. In Italia nihil fit: agitur de producendis induciis. Præter Comitem Philippum huc perductum, detinentur à Gallis captivi in ipsa arce Taurina avunculus ejus Comitis & scriba. Si bellum ibi recrudescat, duo Principes Sabaudi videntur abstenturi à partibus, ut facit Mantuana. Helvetiorum de Hispanis graves sunt querelæ ob non soluta stipendia, neque impletas alias fœderum conditiones. In Neapolitano Regno tam gravia sunt onera, ut multi agri deserantur: facileque & ibi motus nasci possent, si qui nati sunt alibi prosperè succedant. Gallorum verò labor de attrahendis in suam societatem Principibus Italis, irritus fore

videtur. Dicitur Averbergius ab Imperatore Legatus venturus ad Batavos. Fortè inducias adferet: sed aures cæra Gallica occlusæ sunt. Iterum Deûm Excellentiæ Vestræ & ad eam pertinentibus, propitium precor. Lutetiæ 9 Februarii 1641.

Excell. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

1476 VErissimum est quod ait Excellentia Vestra, iniquè nobiscum agere Gallos, cùm pecuniam pridem debitam, quam Bulionius missam Hamburgum mihi asseveravit, attestante id ipsum Heufdio, non tradunt. Quid enim de futuris par est iis credi, qui ea detrectant præstare quæ de præterito debent? Ait Chavigniacus se de re tota scripsisse ad Davausium. Planum autem est hac mora eos extortum nobis ire quod alioqui non putant se obtenturos. Ego, cùm hæc considero, sæpe apud me cogitare compellor, an non libertas faciendæ, si quando se obtulerit, pacis pluris sit quàm millio florenorum aut aliquanto amplius annuum, quod per se esse videtur aliquid, cæterùm, si cum belli sumtibus comparetur, perexiguum est. Quod si trans Danubium duci bellum possit, arbitror non minùs facilè tantum pecuniæ ex hostico reperiri posse, quàm ex sociali liberalitate. Sed hæc æstimare eorum esto quorum res ista in manu est. Quæ propositurus sit Daniæ Rex, intelligere avebo, Deum precans, ut cuncta hæc ad bonum Suediæ Orbisque Christiani dirigat, Vestramque Excellentiam servet in rebus bonis. Lutetiæ 16 Februarii 1641.

Illust. Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1477 NOn illis tantùm gratulandum censeo, quibus nova aliqua dignitas accedit, sed & iis qui toleratam diu sarcinam commodè deponunt, & post multas jactationes reddunt se suavi otio, & amicis & literis, & velut ex portu conspiciunt alios navigantes. Quid enim optabilius homini erudito, quàm in ætate laboribus impari, veteres historias novasque repetere animo, & ex utrisque deprehendere omnium rerum humanarum instabilitatem, Respublicas in Regna versas, Regna in Respublicas, bella crudelia, paces subdolas, & omnia talia quæ commendare nobis possint finem vitæ appropinquantem? Hæc ego bona Ill. Dominationi Vestræ concessa mihi pono ob oculos, ipse quoque, ubi Deus & ii quibus in nos jus est, voluerint, ambabus ulnis excepturus parem tranquillitatem. Galli nunc demum fortiter incipient promovere res Catalanas, postquam Galliæ res agitur. Nam fessi malis Catalani metuque (quia Rex Hispaniæ omnia præter Barcinonem tenebat, nec in urbe discordiæ aberant) Galliæ Regem Principem Cataloniæ, Comitemque Barcinonensem dixere, Regemque jam, non ut liberi, sed ut subditi salutaverunt. Pugnæ interim quædam ad Barcinonem pugnatæ sunt. 22 die eventus contra Catalanos & Gallos fuit. At 26 aiunt Galli ita se pugnasse feliciter, ut bis mille hostes ceciderint, cæteri multum ab urbe retro acti sunt. Novus Portugalliæ Rex Legatum, nomine Mascarengam miserat ad Catalanos, auxilia offerens quorum ipse indiget. Divisa verò in partes Portugallia incertum valde est & ex eventibus suspensum, utris se additurі sint Portugallorum illi qui in longinquis Provinciis versantur. Nam Algarbam addidisse se novo Regi & à Portugallis in Castellanos fines excursus factos Burdegala ad nos scribitur. De Andalosia & de Medinisidonia video rumores etiamnunc esse incertos. Si veri essent, & res Portugallicæ ex voto Iohannis IV. succederent: (nam Barcinonem quin bene jam defensuri sint Galli, terra marique non dubito) possent similia evenire in Regno Neapolitano & Siculo & apud Mediolanum. Tum verò quæ Belgæ Cardinali Hispano dixere, etsi fortè more sæculi in majus aucta, ostendunt tamen res ibi perplexas, nec miror. Premuntur enim utrinque ab hoste valido: cessant commercia: crescunt onera. Accedit inter Hispanos Belgasque magna ingeniorum diversitas. Quæ Bannerii copiæ Danubium transierant, eæ retro se tulisse dicuntur. Quare quid nunc aggressurus sit Bannerius, exspectandum est. Si in Bavariam, deinde in Austriam penetrari posset, facilis ibi rapta esset militi. Sed oppidis opus esset ad commeatum & receptum. Neque ea capi posse diffidam, si exercitum habet, ut hic dicitur, XXV millium, machinas autem xx. Comes Averspergius ut puto, præter rem Coloniensis Electoris, tentabit an aures induciarum sermonibus tentare. Sed prævalebit Galli cantus. Perterritum etiam Aula rumore perlato, scriptas à Ratisbonensi Conventu ad Reginam Suediæ de pace literas. Placet intermediæ non otiosi sunt Hassici & Lunæburgici. Elector Palatinus à Daniæ Rege obtinebit bona verba & larga pocula. Spes ipsius in Anglia potiùs sitæ sunt: faventque ei multa, si modò Rex adventum ejus expetat. Illud mihi dolet, quod quotidie majora erumpunt inter Regem & Ordines Angliæ dissidia, quando audimus & Pontificium Sacerdotem à Parlamento damnatum capitis per Regis indulgentiam vitasse periculum. Archiepiscopi negotium trahitur: nec quicquam ei mali evenire poterit sine magno Regis dolore. De fœdere siquid in Anglia agere Batavi volent opus erit id Rege Galliæ conscio faciant: alioqui exardescent jactæ jam suspicionum scintillæ. Batavica ista classis Daniæ minari videtur, diciturque & in Suedia par institui paratus. Vendocinensis in Angliæ insulas se recepit. De Suessionensi quid futurum sit incertum est. Princeps Condæus, jam Cardinalis affinitate subnixus, speciem præfert deprecantis periculum à cognato Suessionensi. Repeto bona vota, maneoque Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Februarii 1641.

Audio mitti Barcinonem à Massilia XII naves longas totidem alias cum milite. Octo alia millia militum sub Motta Hodincurtio eòdem ire terra. Sedanum & Geneva exclusa manent à Galliæ commercio.

Ill. Dom. Vestræ perpetua devinctus observantia H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

REcolligere Christianos in tot membra sparsos non 1478
primus conatur D. Milleterius. Cucurrerunt idem stadium Erasmus, Cassander, Melanchton, Wicelius, Casaubonus, multique alii quorum & syllabi sunt editi. Neque isti viri à magno & odioso labore passi sunt se absterreri difficultatibus sanè manifestioribus quàm ut eas non viderent. Sed successus regimen Deo omnipotenti permittentes, cujus est nosse tempora & articulos temporum, fecerunt quod pios ac veritatis simul & pacis Christianæ amantes decebat. Vapulant utrinque, ut solent, qui rixas dirimunt. Sed Deus qui Deus est pacis de illis integrè judicabit: neque verò desunt illis etiam hominum secunda judicia, piorum atque eruditorum, qui contra aliorum numerum pondere valent. Quod dicitur Synodo Constantiensi, quæ Synodorum universalium auctoritatem etiam in Papas firmavit, definitum Hæreticis non habendam fidem, ea in re vereor, ne aliqua & ipsi Synodo & iis populis qui eam Synodum receperunt, quos inter sunt Galli, fiat injuria. Dicuntur quidem ejus Synodi confessores datam Husso fidem violasse. Defendit eos Rosweidus dicens fidem ei tantùm datam tuti itineris. Alii rem aliter se habuisse volunt, facti est quæstio. In

In juris quæstione omnes Doctores qui de Casibus Conscientiæ scripserunt, conveniunt, fidem servandam etiam hæreticis. Molanus etiam librum scripsit hoc titulo, fidem hæreticis servandam: nec quisquam quod sciam Episcoporum aut Doctorum Galliæ, qui Constantiensem Synodum probant hac de re dubitant. Scythæ autem, vicini vestri, si contra fidem agunt multum degenerarunt ab antiquis temporibus, cùm dicerent se jurare non aliter quàm colendo fidem, & religionem se in ipsa fide nosse. Obtentum audio illos habere quod non persoluta sint quæ ex fœdere debebantur. Mos autem est illarum gentium manu sibi jus dicere. An verò, etiamsi ipsi peccassent, rectum sit Legatos retineri, cogitandum est Polonis. Cæsar apud Sallustium ait omnia mala exempla ex bonis initiis orta esse. Non satis intelligo quæ tricæ nectantur in feudo Prussico. Nam si hæreditario jure ei debetur investitura, quis dubitat quin veteribus pactis stare debeant & Senior & Vasallus: neque verò nolenti possit novum onus injungi? Batavi jam didicerunt mordere frænum, & si qui sunt quibus id dolet, solam retinent tacendi libertatem. Catalani Dominum mutarunt. Iam eos Gallia ut suos tuebitur. Exspectamus hic Legatum à novo Portugalliæ Rege. Ita satis nunc domi turbarum habet, qui alia Regna turbare solebat. Felicem annum vicissim precor Nobilitati Vestræ patriæque ipsius & amicis. Lutetiæ 23 Februarii 1641.

Nobil. Vestra addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1479 Gaudeo Illustrem Dom. Vestram in luctu domestico non deseri à solita sua constantia. Si faciamus officium, cariores Deo sumus, quàm nos nobis ipsis, ac sæpe ea nobis sunt utilissima, quæ maximè reformidamus. Omnes ego vestri nominis semper feci plurimi. Legi pleraque avi Illustris Dom. Vestræ: legi & horas subsecivas Philippi, omniaque illa dignissima judico quæ ad posteritatem transeant: quod fieri optimè poterit, si in corpus colligantur. Illa de herbis alterius sanè sunt generis, sed nihil vetet & hæc mantissæ loco cæteris accedere, ne alioqui segregata pereant. Barcinoni jam minùs metuo, postquam Rex in suam non fidem, sed ditionem eam urbem recepit. Satis intelliget Cardinalis quantum intersit Regiæ existimationis & exempli, non deseri receptos. In Portugalliam iturus est Euskerckius: per eum & Batavi & Galli quæ opus sunt intelligent. Legatum novi Regis Romam missum audimus interceptum ab hostibus, quare Romam ire qui in Galliam erat destinatus: alium huc venire: esse novo Regi pecunias & in armis ferme LIV millia. Contra pro Rege Castellæ, ex eo Regno, Gallæcia, Andalosia, armata XLVIII millia & speciosam classem ad Gades. Opus erit Portugallis exercito milite, machinis, armis, pulvere bellico. Creditur Papa favere novis rebus, metu Hispanicæ magnitudinis. Sed an pro Rege agniturus sit eum qui Vlissiponem tenet, in dubio est. Pro Regis istius fratre pecunias & quidem magnas per trajectionem nominum esse Hamburgi constat. Ipse adhuc exspectabatur, cùm postremæ ad nos Hamburgo literæ venerunt. Beverwaertii reditus hic exspectatur, & quidem cum promissis rerum magnarum, ad quas certè pulcherrimum tempus præbent tanti in Hispania motus. Quid verò si & alii per Italiam accedant? Nam Mediolani libelli propositi sunt, invitantes populum ad imitandos Catalanos. Et ex Belgico revocari creditur Hispanus Cardinalis, per hæc tempora, ad novandum tam opportuna, suspectus Hispanis. Si D. Bannerius utramque Danubii ripam tenet & immunit, magna spes est processuum, quibus Galli, velut jam certis lætantur; nec dubium est quin si eousque arma nostra perveniant, populi Austriæ jactaturi sint jugum quod eos premit, præsertum cùm cœlum ipsum videatur nihil aliud quàm res novas instillare populorum animis. Sed hic literæ sunt quæ nos de Straubinga capta jubent dubitare. Omissum Prussiæ Ducis titulum in Poloniæ Regis ad Brandeburgicum Electorem literis de industria, credibile est, eoque magis, quod investitura differtur, non video quo obtentu, cùm jus sit hæreditarium, & veteribus pactis nihil possit adjici, nisi de mutuo consensu. Literas habeo è Polonia, quæ Tartaros jam eò irrupisse dicunt multumque dedisse damni. Exasperabit gentem iracundam Legatus ipsorum sine more factus captivus. Fieri non potest quin graviter iritatura sint Imperatorem mandata ipsius Hamburgi detracta à Rege Dano: cui etiam cum Hispaniæ & Angliæ Regibus controversias haud leves intercedere non dolens intelligo. Miror quò evasurum sit inquietum ejus Regis ingenium. Classis quæ apud Suedos & Batavos paratur, ea minari videtur freto Danico. Securitatis literæ pro Legatis Palatini ab Imperatore datæ ad quam factæ sint formulam scire cupiam. Regina Angliæ huc ventura est, ut valetudinem suam labascentem cœlo aquisque Gallicis restituat. Fertæus Imbautius, qui in Angliam Legatus hinc destinatur, adhuc retinetur hic. Velim ab Essexio aut Northumbrio Regi Angliæ consilium dari advocandi hoc tempore ad se Electoris. Nam duo illi & in Parlamento multum habent auctoritatis, & apud Regem non exciderunt gratia. Video Regem Angliæ de nuptiis nihil certi constituere velle, nisi simul & fœdus Batavi secum faciant: quod quale futurum sit, & an conscia Gallia, an clam eam, plurimum refert. Vtrumvis fiat, difficultates mihi prospicere video & moras graves. Exigitur etiam, ut Princeps Arausionensis magnam pecuniæ vim in Anglia deponat ad securitatem dotis & ξ ὑποβολῆς. Federis autem inter Suediam & Galliam nondum renovati culpa penes Gallos est, pecuniam solvere negantes, quam à Novembri debent, cùm tamen ea pecunia sit Hamburgi. Miror quo consilio id fiat, cùm ad exitum facti antehac federis non multo plus duobus restat mensibus, & multum concessurus sit Suedis Imperator ut eos à bello abducat. Ego hic monere non desino. Dux Lotharingiæ Carolus Lutetiæ erit citra paucos dies; & se & sua omnia permittit Regis arbitrio. Videbimus an idem sit facturus Princeps Thomas qui nunc est Eporediæ. In Portugallia Inquisitio temperatur. Rex Galliæ Parlamento hic suo sub gravibus pœnis interdixit ne se rebus status publici aut ærarii immisceant. Deum precor hæc ut omnia ad bonum dirigat Orbis Christiani, ac Illustri Dom. Vestræ det valetudinem cæteraque omnia prospera. Lutetiæ 23 Februarii 1641.

Illust. Vestra Dom. perpetua observantia devinctus H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

De capta Cambii urbe, est quod gaudeamus. Accedit nuntius, de Ballinga capta ab Hohentwilanis. 1480
Dicuntur autem & Imperatoris & Bavari copiæ venisse cis Danubium; ita ut facilè res ad prælium, multas res secum tracturum, venire possit. De Maininga capta & Gillone Hasio fama hic est, sed parum liquidæ auctoritatis, ut & de ponte illo quem reficere D. Bannerius dicitur. Imperator quid facturus sit, nescio. Ego verò sapienter facturum putem, si de pace seriò cogitet. Opus enim ad bellum habet & auxiliis & pecuniis Hispaniæ. Ea autem jam non procedent, flagrante internis bellis Hispania, & Americana classe diu iter in Hispaniam tardante, quæ res facit ut Rex Hispaniæ gravi sub fœnore pecunias mutuas sumere cogatur, & populos minimè divites magnis tributis onerare: unde novarum ubique defectionum metus, majore etiam futuro inde periculo, si Cata-

talaniam liberam relinquere visum esset Gallis. In Portugallia, præter præsidia satis valida (nam nunc loca omnia munita tenere novus Rex dicitur) XII millia in armis esse dicuntur. Audio & Batavos mittere hominem idoneum Baextum nomine. Galli non mittent. Sed Legatum hic exspectabunt. Quod si Papæ persuadere possent, ut Iohannem IV. agnoscat Portugalliæ Regem, multum ea auctoritas, apud Italos præsertim Principes, valitura esset. Andalusia & Medinisidonius non modò nihil movent contra Regem Hispaniæ, verùm & Portugallos oppugnant. Pro Barcinone magni hic sunt paratus. Daniæ Legatus vellet aliquod fedus in Hispania facere. Sed pecunias vellet pro jactura Norvagici commercii, siquid in Batavos facere constituat. Earum autem in Hispania ingens penuria est. Tributa nova in focos resque alias reperta, ut cœpi dicere. Tam turbido & Hispaniæ & Angliæ statu, non est unde Danus, siquid Batavi audeant, auxilia speret, discors præsertim Imperatori ob Pinnebergam, Albim & Bremam. Vt Princeps Elector in Angliam bona voluntate Angliæ Regis venire possit & opto & laborare paratus sum: certusque, idem facturam Ill. Dom. Vestram quibus est in locis: de cujus ego habitatione non audeo consilium dare, per locorum tanta intervalla non satis gnarus quas commoditates aut Groninga aut Haga ad rem familiæ afferre possit: sed quodcunque consilium captura est Illustris Dominatio Vestra, id ei ut optimè cedat Deum precor. Vidi literas Imperatoris pro tuto itinere eorum qui à Carolo Comite Palatino ejusque fratribus & agnatis venient: Is enim est tenor. Quid facturus sit Elector Brandenburgicus scire avebo. Optimè eum facturum puto, si pro communi pace seriò laboret. Sed & quam accepturus sit conjugem, multum refert, & inde quoque de animo ejus capi poterunt conjecturæ. Comiti Suessionensi audio produci à Rege tempus quo Sedani, Rege volente, maneat. Interim agetur, ut multi aiunt, de matrimonio ejus cum Principis Condæi filia, pulcherrima virgine: quo facto Princeps Condæus pro agnato & genero fidem suam obstringet Regi, nihil eum facturum quod Regi, Regno aut Cardinali sit noxium. Vendocinensis in Anglia est. Causa ejus adhuc quiescit. At Regina Angliæ huc ventura Aprili dicitur. Paratur ei hospitium ad Fontem bellæ Aquæ, satis longè à Rege. Metuitur ne pro matre aliquid moliatur, quæ mater flebilibus literis ad Egiloniam missis paupertatem suam deplorat. Anglos tædet sumtuum, & ipsa non didicit parcere. At Cardinalis, & ne presens in Gallia turbas det, & ne absens quoque, si pecunias habeat, ad factiones alendas iis utatur, metuit. Principes Sabaudi adhuc alternas præbent aures Gallis & Hispanis. Interim nihil agunt. Cætera quoque Italiæ quieta sunt. Parmensem, nequid iterum contra Hispanum moveat, retinet Ethruscus. Apud Rhætos, in Engadino maximè, mira visa & voces dicuntur novas portendere calamitates. Si Galli vellent, non plane difficile illis esset res ibi iterum movere, Protestantibus præsentem statum ægrè tolerantibus. Helvetios Protestantes bonis verbis mulcet Gallicus Legatus. Leganesius it in Hispaniam, valens ibi gratia, quam frustra turbare voluit Princeps Thomas. Cardinalis Hispani pœnitentiarius in Hispaniam venit, ad diluendas quæ contra eum Principem nascebantur suspiciones. Sultanus Turca bene valet: & creditur Polonica pax in periculo esse, nisi Poloni tutelam Transilvaniæ, Moldaviæ, Walachiæ planè à se abdicent. Comes Guichius, propinquus Cardinalis, obviam it Duci Carolo, & quidam ab uxore ejus, quam ipse pro uxore non vult agnoscere, irretitus Cantecroiæ amoribus, quæ hanc cum Gallia pacem confecisse dicitur. Mira in exspectatione sunt omnes quibus conditionibus facta sit hæc pax per Hallerium. Credibile est sororem Ducis venturam in Galliam, ut à fratre Regis tanquam justa conjunx tractetur. De ipsius Ducis matrimonio quid futurum sit, quid de Lotharingio, quid de Barrensi ditione, inter Aulæ arcana est. Deus, Ill. Dom. Vestram cum suis omnibus paternè curet. Lutetiæ 2 Martii 1641.

Ill. Dom. Vestræ perpetuo observantiæ cultu devinctus H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

Optandum multis de causis fuera[t], mansisse in libertate Catalanos. Nunc quando aliter Gallis visum est, id nobis gaudii restat, quod negotium illis locis non leve distracturum est Hispaniæ vires. Novi Portugalliæ Regis initia cæterùm non spernenda hoc habent adversi, quod & frater ejus in Germania, & mari Legatique Romam, quique ad Venetos ibant capti sunt: quibus tamen periculum nullum prospicio ob tot Castellanos ipsamque Præfectam antehac Portugalliæ, qui in Portugallorum sunt manu. Romæ quomodo futurum sit ut excipiatur is qui alterius capti in locum eò ivit Legatus, operæ erit pretium scire. Pericula in rerum talium principiis sunt maxima, ideoque bis dat talibus, qui citò dat, quod velim cogitare non Batavos tantùm, sed & Gallos. De Dania quid dicam nescio. Videntur multa esse quæ Suedis spem facere possint bonorum ibi successuum: Batavi damni sensu, quæ res apud illos unicè valet, incensi: Imperator Dano non unam ob causam infensus: Polonia intus discors, extra bellum metuens, Legato Tartariæ in Polonia, Polonico apud Turcas retento. Movet me etiam nonnihil pendens de fœdere inter Suediam Galliamque negotium. Magni in Gallia viri optant Electoris Brandenburgici cum Regina nostra matrimonium, ejusque voti sui causas adferunt non improbabiles. Exspectemus siquid in ultimo Conventu Holmiæ sit actum, quo ad futuri præsagia instruamur. Multum mirabor, si Imperator implicatis adeo Hispaniæ rebus perstat in sua duritie, neque pacem Pragensem ex temporum usu extendit, aut mitigat. Si potuisset Bannerius in Bavariam penetrare (quod an Galli voluerint nescio) ac deinde longiùs in Austriam, credibile est aliquos ibi motus exsistere potuisse, rebus nostris secundos. Nunc ad Bohemiam arma ejus magis spectare videntur. Meiningam adhuc obsideri audimus: pararique etiam ab Ossenvillio Offenburgi obsidionem, sed metui ne ex vicinis hostium præsidiis ad id prohibendam concursus fiat. Erlachius miris modis hic retinetur. Valde optant Regni hujus Primores cordi ut sint Batavis res Hassicæ, augurantur que futurum ut nimia illa formido Imperatorem ulla in re offendendi malè aliquando illis cedat. Regina Angliæ multa facit populariter, sed quantum video longè aliæ sunt illic Regis, aliæ Ordinum voluntates. Res autem nuptialis promovetur quidem: sed vereor ne de mittenda ad Batavos sponsa & super fœdere cum Batavis incidant controversiæ. Vtinam illud de Principis Electoris Palatini itinere procedat. Est enim res ἐν αὐτῷ τῷ χαιρῷ. De Straffordio bene hic loquuntur Angli, etiam Legatus. Sic & de Windebanckio & Custode sigillorum. Plures inimicos habet Archiepiscopus. Mora longa pro ipso est. Solent enim plebis animi facilè satiari qualicunque eorum quos vexandos susceperunt pœna, atque ita defervescere. Cæterùm, quantum ex eorum, qui res istas intelligunt, sermonibus percipere possum, Episcopi per Angliam & in Ecclesia & in Parlamento manebuntque: eruntque pro regula posthac, Elisabetæ tempora. Princeps Thomas, quanquam acceptis à Gallis pecuniis dicitur ire Ticinum, ac exercitum quem ipse regat accipere ab Hispano. Helvetii à Gallis Constantiæ obsidionem metuunt: Pontificii velint fœdus initi sue gentis de ea urbe propugnanda si id eveniat: Protestantes suspectas & ipsi habent crescentes in illis locis opes Gal-

Galliæ: sed tamen arma Gallis opponere, non adducuntur. Conventus multos seorsim habent Helvetiorum & Pontificii & Protestantes. In iis verò, more suo, movent multum promovent nihil. Venetis Galli spem ostendunt de parte ditionis Mediolanensis: sed cauti homines escam hanc mordere nolunt, sueti aliorum bellis suam firmare pacem. Papæ & cum Hispano & cum Gallo bene jam convenit. Deus Ill. Dom. Vestram omnesque ei caros perpetuùm servet. Lutetiæ 9 Martii 1641.

Dux Lotharingus jam in urbe est, bene exceptus à Cardinali. Adfert Regi bis mille equites: pedites ter mille, sed tribuni quidam eum deseruere. Magna munera mittuntur ad Cantecroiam. Venit jam Rupellam è Portugallia Legatus.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

GRatias habeo pro literis 4 Martii datis, chartisque additis. Videram jam quæ Germaniæ Ordines tum ad Reginam, tum ad Suediæ Ordines scripserant. Video eos malle cum Suedis seorsim agere quàm simul cum Suedis Gallisque. In eo ad rem suam sapiunt. Sed cum non simul appareat, quibus legibus pacem Imperator ejusque socii cum Suedia velint, haud facilè Suedia, quæ sapientibus consiliis regitur, per spem incertam à Galliæ societate se patietur avelli. Literæ tuti itineris pro iis quos volet mittere Princeps Elector Palatinus, ejusmodi sunt quales hoc tempore ac rerum statu ab Imperatore sperari poterant. Audio autem, sanè cum dolore, non satis gratum fore hoc tempore Regi Angliæ ejus Principis ad se adventum. Atque interim multa agitari in Parlamento quæ Regi non possunt placere. Pro certo hic habetur venturam huc Angliæ Reginam. Mater & ad Cardinalem & ad Millereium scripsit. Faciliùs pecuniolæ aliquid impetraverit, quàm ut ei huc venire liceat. In Vendocinensem procedit inquisitio, dabuntur deinde judices. Duci Bulionio & Sedano Rex infestus manet. Creditur tamen Comes Suessionensis, matris suæ & Ducis Longavillani precibus obtenturus, ut sibi ad tempus adhuc aliquod morari Sedani liceat cum Regis venia. Ad Parlamentum Rothomagense additi sunt Senatores quinquaginta, non quod opus essent, sed reperiendæ pecuniæ. Dux Lotharingus, Regem vidit, ter posito genu ut Vasallus pro Barrensi terra. Inde omnis illi honor exhibitus est qui summis Principibus exhiberi solet. Operam promittit in Hispanum, non in Imperatorem. Valde infensus est iis qui sub Hispano res Belgicas regunt. Offenvillius maturè cœpto bello, Oberkircham & vicina quædam loca cepit. Offenburgum eminus clausum tenet. Hostium cecidit aliquos, ut & in Bambergensi agro Tubadelius, contra quem it cum Bavaricis Piccolominæus. Novem alia Cæsarianorum millia adversùs Bannerium. Qui huc è Portugallia venit Carolus Melo vocatur, ejusdem cognominis & generis cujus is qui è Scotia decessit. Est ex eadem Portugallia Castellorodericus quem Rex Hispaniæ Ratisbonam misit. Eum novus Portugalliæ Rex in patriam revocat, ut ei laboranti opem ferat, alioqui bonorum, quæ magna habet, dispendio mulctandus. Ita sæpe cadunt res, ut damnum etjam prudentissimus quis vitare non possit. Dux Anguianus revalescit. Princeps Thomas quid facturus sit, adhuc incertum est. Dicuntur Hispani ei dare quinque millia peditum, quingentos equites, & quinquies centena millia Ducatorum (multum in hac Hispani inopia) ad eas copias augendas. Pecunias à Gallis non ipse acceperat, ut dictum fuerat, sed homines ejus. Montem Calvum in illis locis Galli obsident. Luca autem videtur, adjuvante eam fortiter Ethrusco, controversias, quas cum Papa habet, compositura. Helvetii omnes Badam conveniunt. Agetur de Comitatu Burgundiæ tuendo, item urbe Constantia, si eam Galli impetant. De restituendo in sua bona Episcopo Basileensi. Galliæ qui ibi est Legatus, Pontificiis Helvetiorum invisus, Protestantes etiam parum faventes habet, quod pecuniæ militibus & publico non rectè persolvantur. Itaque conscribendi novum militem ægrè ei facultas dabitur. Venetiis Vir nobilis strangulatus, ut eorum mos est, in carcere, deinde mortuus ad columnam appensus est, quod pecuniis annuis ab Hispano Legato emptus consilia ei Reipublicæ prodidisset. Legatus ipse Hispanicus tanto ibi in odio est, ut à nemine salutetur. Videbo an exemplum editum nancisci possim Annotationum Ioachimi Camerarii ad Quintilianum. Et Elector Palatinus & Princeps Arausionensis causas mihi videntur habere justas consilii quod dant Illustri Dom. Vestræ de sede figenda Lugduni. Est ibi habitantibus literatis immunitas aliqua, & multa librorum copia, ac cum eruditis consuetudo: & rerum qui ubique aguntur propinqua notitia. Tabula hic paratur imaginem equestrem Regis habitura, in qua præter Regnorum titulos, Rex vocabitur Comes tertius Barcinonensis. Quia Galli eos qui Comites fuere ex quo se Arragoniæ addidere, pro justis Comitibus non habent. Non dubium est, quin pro ea urbe servanda Rex omnia sit facturus. Non etiam dubito, quin si res à Gallis Batavisque fortiter & prudenter, addo & concorditer, geratur, magni motus apud Belgas Hispanienses oriri possent. Neque verò aliter existimat Dux Lotharingus. Anglicana illa sponsalia in justas nuptias transire non possunt, nisi nubili virginis ætate. Et audio ante id tempus eam ex Anglia dimitti, non placere Parlamento: qua excusatione Rex virginis pater libenter utetur, lucrando tempori, quod multas sæpe in talibus rebus adfert mutationes. Quantum intelligere hic possum, Danicus Legatus in Suedia nihil ex voto fecit. Non ostendit literas tuti itineris quas Regem suum ab Imperatore accepisse dicebat. Abiit Rectoribus insalutatis, fortè quod paratus navales ei displicerent. Sed ab iis nihil exspecto aliud quàm ut fama illa fruantur Batavi, ad faciliorem cum Dano transactionem. Rectè judicat Illustris Dom. Vestra manere hic spes illas Iosephicas de Bavaro: eamque causam fuisse cur Gallicæ & Vinarienses copiæ à Bannerianis discederent, suasque res agerent seorsim. Deum rogo ut hos belli æstus commoda pace tranquillet, ac Illustri Dom. Vestræ omnia concedat prospera ac salutaria. Lutetiæ 1⅞ Martii anni 1641.

A Portugallia etiam alter Legatus huc venit, ordinarius futurus, Covellus Carvallus. Moncaduum in Montisferratensi ditione in suam potestatem pervenisse aiunt Galli.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

DE Bannerio hic intelligimus, intrasse eum in Bohemiam, sed Moldæ transitum ei prohiberi à Co- 1483
mite Broio. Goltzium quoque cum equitibus bis mille esse illis in locis. Gillonem Hasium suo cum equite evasisse è Meinunga, sed relicto ibi pedite. Obsideri verò à Gallis etiam Hasfurtum in Franconia, apud eos esse & Rosam. Imperatoris verò & Bavari copias trans Danubium, atque eo in amne pontem fieri à Piccolominæo. Ad hunc firmandum venisse Wahlium itinere capto per Francofurtum. Verum est quod Ill. Dom. Vestra judicat, Bavarum à periculo in quo fuit denuo nunc fuisse exemptum per Gallos, quod quomodo interpretaturi sint Suedi nostri, pendente adhuc consultatione super federe, equidem nescio. Hic suspecta non nihil est Bannerii humanitas, quod uxori Imperatoris iter

Digitized by Google

iter tutum concesserit Viennam, & ipse ex Ratisbona accipiat quæ mensæ suæ sunt necessaria. Multò verò magis displicet quod Batavi ab Imperatore missum ad se multo cum honore accipere constituerunt. Electorem Brandeburgicum, si possit se bellò eximere, facturum puto. Sed qui possit, non satis video. Imperatorem verò credo pacem velle cum Suedis, & fortè melioribus nostris, quàm antehac, conditionibus, ob turbidas in Hispania res. Quod ex usu sit Regni Suedici & eorum quorum tutelam Suedia suscepit, dispiciendum iis relinquo, quorum ea res in manu est, Deum interim rogans, ut eorum consilia regat atque fortunet. Electorem Palatinum in Angliam ivisse, bona cum Regis Angliæ gratia, plurimum gaudeo. Optavi enim id semper, etiam allaboravi quantum potui, & dolui, cùm contraria huc ex Anglia scriberentur. Res ipsæ Anglicanæ mihi non placent. Et heri semper lenitas mirabar quorsum evaderet. Aulæ artifices omni modo laborabunt ut consensum Ordinum, qui Regiæ auctoritatis nervos non obscurè cœpit incidere, distrahant. Et solent alia esse nobilitatis, alia plebis desideria. Fedus Angliæ cum Batavis, si simul & cum Gallis Suedisque se jungant Batavi, non displicebit Gallis: sin minùs, multum refert quales sint futuræ conditiones: atque id se non cœlandos, pro suis in illam rempublicam meritis, Galli existimabunt. Eum qui ab Imperatore ad Batavos venit, inducias propositurum arbitror. Si id non succedit, laboraturum ut Germaniæ regiones finitimæ Batavis à milite liberentur, quod Hassis non fiet volentibus. Daniæ Rex alienum rebus suis tempus in Hispania nactus est. In Portugallicis rebus videre mihi videor, quid spectet societas Batavorum Indicana. Sed prævalere debet, quod publicè est utile. Magnus quidem est & admirabilis omnium Portugalliæ Ordinum consensus: sed Regnum est non admodum validum & initia talium rerum tenera & sollicitè fovenda ab iis quibus suspecta est Hispanica magnitudo. Cardinalem Hispanum sibi aliquem dominatum parare velle non arbitror. Sed si Hispania, semper suspicax, id credat, satis est unde nobis boni aliquid oriri possit. America tam latè patet, ut facilè ibi possint res suas promovere & Galli & Angli & Batavi, si inter ipsos concordia finibus quibusdam regatur. Reginam Viduam Suediæ audio non difficulter impetraturam ut redire ipsi in Suediam liceat, Regni rerumque regimen iis relinquens quibus id per leges obtigit. Gallica vidua ut in Galliam redeat, non æquè expeditum est, non defuturis in Regno inquieto ingeniis quæ iritatæ feminæ vias ultionis monstrent. Vendocinensis absens citabitur. In id hodie apud Regem conveniunt Franciæ Marescalli. Illud quoque intelligo, Magno Suediæ Cancellario & Petro fratri Bannerii datum negotium de pace, si qua se bona spes offerat, agendi, idque Lubecæ. Fidam eam det Deus, idemque Illustrissimæ Domin. Vestræ semper favens adsit. Lutetiæ 23 Martii 1641.

Legati Portugalliæ in hac urbe sunt, sed latent. Turcæ pax esse creditur, & cum Persa & cum Polono. It Princeps Condæus bellum gessurus in Hispania: Harcurtius in Italia.

Illust. Dom. Vestræ omnis observantiæ debitor H. G.

E I D E M.

Illustris Domine,

1484 QVod Catalanis relicta libertas non est, ut prudenter judicat Illustris Dom. Vestra, magis cum Gallorum ingenio, summum bonum in propagandis finibus suis ponentium, quàm cum communi totius Europæ bono convenit. Portugallici Legati hic sunt. Introducti sunt à Marescallo Galliæ, cum Regum Legati à Principum aliquo recipi soleant. Sed fortè corrigetur id ubi Regem adituri sunt. Legatus Anglicus nondum, quomodo se erga eos gerere debeat, mandata accepit. Itali Papæ exemplum respicient. Batavorum præcipuè est uti datis tam pulchrè occasionibus. Nam alii Reges extricare se à bello possunt aliquando. Ipsorum perpetua cum Hispano lucta est, id est aut bellum, aut pax infida. Quæ cum Duce convenerunt Lotharingo publicæ quidem notitiæ non fiunt, sed audimus reddi illi Ducatum utrunque, & si velit, jus habitandi in urbe Nanciaci: ita tamen ut ejus custodiam ad pacem usque Rex retineat, quemadmodum & Lamottæ & Moienvici, nisi de duobus his locis interea aliud actum fuerit. Videtur enim Rex ea emere velle. De Ducatus utriusque reditibus uxor, quam is tamen pro uxore recusat agnoscere, percipiet sexaginta Scutatorum millia annua. Vrget Dux, ut bellum inferatur Theodonisvillæ, aut Comitatui Burgundiæ, pro quo belli malis eximendo iterum Helvetii scripsere, sed eorum ut olim μεγαρεῖσιν οὐδεὶς λόγος. Scripsere iidem ad Archiducissam Tirolensem, se de urbe Constantia nihil facturos contra vetera pacta. Galliæ qui ibi est Legatus, gnarus infensos sibi Romanenses, cæteros quoque ob non solutas pensiones parum æquos, in Conventu qui Badæ habetur, nihil locutus nisi solennia, constituit de milite legendo cum pagis singulis agere, & prout annuerint, abnuerintve pensiones solitas solvere aut retinere. Fuere & sermones de arctius adstringendo inter Helvetios ipsos federe. Sed ea res intra sermones stat. Anglicas quod attinet res, minimè dubium habeo, multa Regem facere temporis causa, dolente animo, præsertim illa de triennali Conventu. Quò magis vereor, ut multum proficiat ibi Elector, præsertim cùm videam ad vetera temporis dispendia rediri, id est, ad colloquia cum Bavaro, homine tenace. De Præfecto Hiberniæ video meliùs quàm antehac sperari. Archiepiscopo majus periculum est, non tantùm ex Religionis crimine, valido semper apud plebem, verùm etiam inde quod augendæ potestati Regiæ allaborasse creditur, terrente Anglos Galliæ exemplo, ubi dominatio jam ultra quò crescat non habet. Nam & in Vindocinensem Ducem prehensio, &, si ea fieri non possit, citatio decreta est, non aut à Parlemento aut à collegis ejus Ducibus ac Paribus, sed à lectis quibusdam ex ordine Marescallorum & Parlamenti præsidum. Oblivio illa de qua Ratisbonæ tractari cœpit, tot habet [illegible] ut dici posset: nusquam tuta fides. Refert autem multum quas conditiones in Suediam attulerint, qui eò missi sunt ex Germaniæ Conventu. Et quid futurum sit de Suediæ Galliæque federe, cujus negotii finem anxiè opperiuntur Marescallus Hornius & Iohannes Waertius. Audio etiam à Cæsarianis & Bavaricis cum Bannerio agi de prohibendis incendiis & populationibus, quod velim succedat, nec ob Regum delicta Achivi plectantur. Tabadelio & Rosæ Hasfurdam in prædam cessisse intelligimus, & agrum Wurceburgicum tributa eis pendere. Sunt & alibi prospera, quædam non magna quidem, sed tamen junctim valentia. Montisferratenses qui Gallis favent arcem Sabianam cepere: Catalani verò Castellum quod Leonis dicitur, in Arana valle quæ Arragoniam respicit. Oisonvillius verò Oberkircham cepit, & Ossemburgum arcem, & ei arci propinquum oppidum Gegenbachum. Nunc Offenburgo imminet, sed ei loco servando profectas audimus Bavaricas cohortes aliquot. Cætera Badensis agri Galli tenent. De matrimonio Reginæ nostræ curam libens relinquo iis quibus eam leges dedere. Satis interim video, si id eveniat de quo scribit Illustrissima Dominatio Vestra, magnam fore Suediæ potentiam, Protestantium per Germaniam res validas: etiam Polonis Protestantibus, siqua fiat injuria, paratum præsidium. Si Suedia pacem factura non est, nisi Gallis consentientibus, pacem nunquam factura est, dum quidem res Galliæ erit in quorum est manu. D. Higæ non haberi quæ deberet rationem doleo, nec eum

ipsus

ipsius quàm reipublicæ causæ. Sed cogitandum: Scipio Africanus Linterni. Vitia sunt magnis parvisque civitatibus communia, ignorantia recti & invidia.

Μῖσον ἢ τὸν φαῦλ' ἁμιλλᾶσθαι βίον,
Γνώμην δικαίαν κἀγαθὴν, ὅτῳ πάρῃ.

Reginæ Matri suæ Rex mittit centum millia Francorum. Tantum pro ea Cardinalis obtinuit. Deum rogo Ill. Dominationi Vestræ ejusque domui semper sit propitius. Lutetiæ 5 Martii 1641.

Legati Portugallici ad Regem deducti sunt à Chevreusio, omnesque adepti honores quos Legati Regum solent. Petunt à Rege VI millia peditum, equites mille ducentos. Classis quæ auxilio ivit Cataloniæ est navium longarum XII, Galeonum X, Flutarum octo: duarum ad incendia. Inter conditiones cum Lotharingo pactas est, ut Marsale diruatur. Rumores sunt sed incerti de defectionibus aut motibus in varia Regni Neapolitani parte. Cremona & in Africa Tingi & Septa. Eunt hinc navi Legati, Romam Fontamanlius, in Angliam Ferumbautius, Hamburgum Metianus.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

55 QVid hoc tempore factura sit Suedia multum ipsius, multum & rei communis interest. Varii sunt sermones, varia judicia. Ego cùm rationum pondera in utramque partem non satis cognita habeam, ad preces me verto, Deum venerans, ut consilia det optima & consiliis optimos successus. Quantum intelligere possum, Parlamento Anglicano quàm Regi Electoris adventus fuit desideratior. Quare quid de isto negotio futurum sit, valde aveo noscere, tum quia nihil videre malim, quàm resurgere illam domum, tum quia id ipsum judicationes nobis suggeret, de Angliæ Germaniæque rebus. Rumor hic est Ratisbona Viennam ire Imperatorem pertæsum longas moras, vices autem ejus obiturum Leopoldum. Vetus est dictum:

Injuriarum remedium est oblivio.

Sed illa qualis Ratisbonæ agitata est oblivio nihil aliud est quàm *ναρκωτικὸν* & causas morbi potissimas relinquens. Suspecti hic sunt nuntii qui à Bannerio ad Imperatorem, ab Imperatore ad Bannerium commearunt, quanquam non constat actum de alia re quàm de prohibendis incendiis ac populationibus. Fore ut Constantiam aggrediantur Galli, suspicio est apud Helvetios. Id si eveniat, quid facere debeant nesciunt. Dicunt enim Austriaci obligatos eos ad ejus urbis tutelam. Credunt id Pontificii; Protestantes non æquè, qui jam super hac re & an Gallis concedenda militis conscriptio Araæ seorsim deliberant, communi gentis Conventu qui Badæ fuit ita dissoluto, ut egerit nihil. Iohannes Waertius Nanciaci est; Lindaviæ Marescallus Hornius. Hunc Suedia, illum Bavarus desiderat, sed Galli suo incumbunt pignori, donec cum Suedia novatum sit fedus. Inter Angliam verò & Batavos quale fedus esse possit, non video, cùm nec hi adversus Imperatorem, nec illa adversus Hispanum arma capere cupiat, nam ab iis ut audio, & Rex & Parlamentum longè absunt. Fortè id Angli volent, ne quam pacem aut fedus novum faciant Batavi nisi cum Angliæ voluntate, quod Gallis minimè sit placiturum. De Hyberniæ Præfecto meliùs quàm de Archiepiscopo sperari etiam hic video. Imperator quomodo ad Batavos scripsit, scribit & ad Helvetios, quod nimirum hi, quanquam liberi, aliquo tamen modo ad corpus Imperii Germanici pertineant: quod an negari possit, etiam de nonnullis partibus, qui sunt in federe Batavorum ipsis disputandum relinquo. Scriptum quod tres Portugalliæ Ordines ad probandam humano generi causam suam attulere, minimè vanum est. Episcopus ex Portugallia Romam missus agit non ut Legatus, sed ut salutator Apostolicorum liminum. Interim omnibus modis in id laborat, ut Rex novus agnoscatur, quod in Aula cunctabunda & eventus speculari solita obtinere difficile est. Recrudescunt Romæ dissidia inter Papæ propinquos & Legatum Gallicum: neque finis erit, donec alius eò hinc Legatus veniat. Ex Regno Neapolitano sex hominum millia & arma mittuntur in Hispaniam. Etiam Ethruscus, Parmensis, Mutinensis militem parant Hispano: Princeps autem Thomas Vercellas se contulit, ut cum Cardinali Trivultio de belli ratione conferat. De motu qui dicebatur fuisse in parte Regni Neapolitani, nihil certi audimus. Cremonæ seditio fuit aliqua, sed brevis, & sine ullo effectu. Turca videtur bellum minari Alaco: atque ita Polonum ad se missum dimisit, ut pacem mansuram negaverit, si aut ei negotio, aut Transilvaniæ, Moldaviæ, Walachiæ, Poloni se immisceant. Exspectatur autem Constantinopoli & à Persa Legatus & ab Imperatore Germano. Die mensis hujus secundo in templo Sancti Germani post vespertinas preces Rex & Dux Lotharingus solemniter jurarunt observaturos se fedus quod inter eos factum est 29 Martii. In eo federe de iis quæ ante scripseram mansere quædam: quædam immutata sunt. Nam Lamotta Duci redditur: Rex verò ab eo emit Stenaium, Clermontium, Iamailium, datque pro eis reditus annuos. Larem Dux Barri quàm Nanciaci habere mavult. Regina Galliæ videtur volente Rege filio itura in Italiam & ibi habitura unde vivat, non in Ethruria (neque enim id expetit Ethruscus) sed in aliqua urbe ditionis Papæ. Contra Vendocinensem citationes procedunt. Sedanum manet extra commercia Galliæ, & Rex iratus Duci Bulionio, ad quem à Bruxella missus est qui auxilia ei offerat. Sed & Præfecturam habens in Batavis, & bona in Gallia, lupum tenet auribus. In Catalania Hispanorum sexcenti ad Capræ Montem cæsi sunt. Deus Ill. Dom. Vestræ omnibusque ei caris semper favens adsit. Lutetiæ 6 Aprilis 1641.

Abiit jam Princeps Condæus ad gerendam bellum in Hispaniæ finibus. Ibit Brellæi filius cum navibus & copiis in Portugalliam. Coit miles Millereii ad Abbatisvillam: Castilionæi ad Catalaunum. Dux Lotharingus sub se habebit octo millia, impensis Regiis.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

GABRIELI OXENSTIERNÆ.

Illustris Domine,

DOlorem percepi maximum ex morte Viri incomparabilis Domini parentis Illustr. Vestræ, primùm 1486 quod eum amisi qui mihi præsidio se esse velle & verbis significaverat & rebus ostenderat, deinde quod tantum est in hac morte Regni Suedici damnum, ut sensus ejus non esse gravissimus non possit etiam singulis ad rem Suedicam pertinentibus. Conatus essem solari Illustr. Vestram si ipse satis conquievero ab hoc luctu, cujus testis esse potest is qui hic est D. Crusius. Præterea ei qui à prima ætate Christianæ pietatis præceptis imbutus est, qualis est Illustritas Vestra, in hoc uno satis adversus tales ictus remedii est; statim enim in mentem venit Deum esse qui vitæ mortisque momenta arbitratu suo dispensat, cujus legibus universum hoc regentibus obluctari tam iniqui sit quàm irriti laboris. Tum verò id quod summum homini propositum est bonum evenisse nolle iis quos amare nos dicimus, idque duntaxat quod nobis per id decessit commodi aliquid perbrevis, veræ amicitiæ repugnat regulis. Adde quod quoties absunt amici facimus ea quæ ipsis grata esse credimus; quid autem malint qui in æternam patriam prævivere, quàm nos quod hic transigendum est ævi transigere quàm minimo cruciatu, ipsorumque memoriam celebrare serenis animis. Hæc cùm cogito, non dubito quin Illustritas Vestra jam à mœrore

Digitized by Google

rore se ad imitationem Excellentissimi Illustrissimique Parentis converterit, simul cogitans non posse brevem videri ejus vitam, cui ad summos honores summamque gloriam adipiscendam satis fuit spatii. Opto autem Illustritati Vestræ, ut virtutum & felicitatis Paternæ hæreditatem cernat. In felicitatis autem maxima parte pono, ita amatum fuisse ab universis popularibus suis, ut à singulis aliquot nemo magis. Inter mea verò vota vel maximum est, ut quam in me benevolentiam testatus est Vir summus Pater, eandem servet similis tanto Patri filius: quam ad rem mea ex parte nihil unquam patiar desiderari. Quod experientur non tantùm is quem suis literis mihi jam commendavit Illustritas Vestra, sed & omnes quos ipsi placere intellexero. Deus, Illustris Domine, suo favore omnem mœstitiam ab Illustritate Vestra abstergat eamque per paterna vestigia feliciter ducat. Lutetiæ 6 Aprilis novi Cal. 1641.

Illustritati Vestræ devotissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1487 SOllicitos nos habent de Slangio Bannerioque rumores, qui ab hosticis terris veniunt, perquam adversi, qui aliunde incerti. Ac jam antè cum dolore cognoveram non bene convenire D. Bannerio, neque cum Gallis, neque cum Vinariensibus. Neque dubitari debebat, quin hostis, manu validus, inter disjunctos se interponeret: & vel in hos, vel in illos arriperet occasionem. Quæ verò Illustris Dom. Vestra hac de re differit, ut prudentiæ plena, approbo. Turbidæ res in Hispania poterant quidem Imperatori seriam injicere cogitationem de pace. Attamen nondum eousque edomitos Austriacorum animos argumento sunt tot exceptiunculæ oblivionis, & tot peccata in literis tuti itineris pro Legatis à Suedia & Suediæ federatis. Pecunia quæ à Gallia Suediæ deberi cœperat ex mense Novembri retenta à D. Davausio Hamburgi moram injecerat federi. Eam nunc persolutam audio, atque ita sublatam hanc difficultatem. Quare cuncta in melius itura spero, eoque magis quod Ducem Lunæburgicum suos habere Hamburgi audio, qui cum Suedia Galliaque societatem armorum contrahant. De colloquio inter Palatinos & Bavaros, ita semper existimavi. Vereor ut aliud nobis pariat quàm jacturam temporis & speciosam excusationem iis in Anglia, qui non æquè ac Parlamentarii res Palatinas amant, ut dicere possint nihil armis tentandum quamdiu spes est per pacta rem transigendi. Audio tamen post adventum in Angliam Principis Electoris tardatum nonnihil nuptiale negotium. Poscente Electore ut in federe cum Batavis suis etiam rebus consulatur. Sed venit mihi in mentem illud Taciti, *acribus initiis, incurioso fine*. Inter Parlamenti Anglicani Proceres ac plebem multa video quotidie incidere controversa, quibus non omittent addere alimenta Aulicæ vulpes. Portugalliæ Legatis hic omnia tributa sunt, quæ Regiis Legatis solent. Legatus Anglicus dicit in Anglia deliberari quomodo accipiendus sit qui inde in Angliam venit Legatus. Existimare tamen se futurum, ut Angli sequantur possessionem & trium Portugalliæ Ordinum judicium. Italorum qui hic sunt Legatos Portugallicos adhuc vidit nemo. Cæsarianus Legatus diu, ut arbitror, hærebit in Batavis. Si nihil aliud efficere poterit, speculabitur ea quæ aguntur. Archiepiscopus Burdegalensis, qui auxilio ivit Catalanis, in mari ad Colubri portum cepit Hispanorum naves longas duas, quinque alias. Dux Lotharingus Regi homagium dixit pro Barrensi ditione, positus in genua. Turcam parare bellum in Asacum undique discimus: Tartaros acceptis à Constantinopoli literis à finibus Poloniæ recessisse. Contra Offenvillium it Gillo Hasius. Princeps Thomas habebit exercitum XII millium, quorum pars altera ei datur ab Hispano, partem alteram colligit è Pedemontanis: quanquam novo edicto Vidua Sabaudica omnes ejus partium reos majestatis pronuntiavit, pœnis additis. Helvetii Protestantes videntur permissuri Gallis, ut aliquem ibi militem scribant. In Rhætia pars oppressa querelas habet sine viribus. Sedani multi conspiciuntur quotidie Hispani, ipse etiam eò commeat Beckius Lucemburgi Præfectus. Non placet Regi quod præsidium ejus urbis auget Dux Bulionius: ejusque rei causa & ad prohibenda commercia aliquid circum militis Rex relinquit. Sunt qui ab illa parte bellum in Gallia civile metuant. Ego non arbitror Comitem Suessionensem aut etiam Ducem Bulionium aleam jacere velle de suis in Gallia fortunis, quanquam haud dubiè incitatores habent Ducem Valettam & Vindocinensem. Qualem ego scribam expetam, significavi meis in Hollandia propinquis. An omnia quæ desidero, sint in isto Germano, ex sola ejus manu dijudicare non possum. Multum tamen apud me semper valebunt Ill. Dom. Vestræ sive testimonia, sive commendationes. Et per me nihil malo quàm prodesse literas amantibus. Deus Ill. Dom. Vestram servet incolumem ac florentem. Lutetiæ 13 Aprilis 1641.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

QVo nunc in statu sint res Bannerii, tum ego, tum hæc 148
Aula scire desideramus. Quæ huc usque intelligimus, mixta sunt bona malis & spes metu. Aleam prælii etiamsi subire velit Bannerius, non subibit Piccolominæus, astu magis quàm periculis gaudens. Fedus potiùs cum Gallia quàm pax cum Imperatore in spe esse videtur. Nam & pecunia Novembri debita numerata est Suedis: & paratur pecunia solvenda mense Maio. Colloquia Palatinorum cum Bavaris efficient ut hic annus post tot alios inutilis pereat. Vna me spes solatur, fore ut certi auxilii aliquid constituatur ab Anglicano Parlamento, si ea colloquia sine fructu abeant, quæ res aut faciliores ad transigendum faciet Bavaros, aut novos hostes Imperatori ac Bavaro suscitabit. In Anglia quis posthac futurus sit status, perobscurum est. Interim huc se recepit proscriptorum unus, nobilis Vir Montacutius. In Catalania qui nunc arma regit Motta Hodincurtius Tarraconem versùs ivit, hostem quæsiturus, cui interim Burdegalensis Archiepiscopus omnes maritimas advectiones aufert. Cum Portugallia factum hic fedus. Eunt illuc i Rege Legati duo, extraordinarius Marchio Bressius Marescalli filius, ordinarius Boulæus; & cum eis equitum ductores, quibus equos & equitem ipsa præbebit Portugallia. Dux Lotharingiæ Barrum profectus est. Opus erit hoc anno Batavi fidem suam Galliæ probent. Hic omnia ad bellum parantur strennuè, quatuor exercitibus, quibus præerunt Dux Lotharingus, Milleraius, Castilionæus, Guichius. Sed partem harum virium metuendum sanè ne Sedanum in se vertat. Nam fedus fecisse Comitem Suessionensem, Duces, Guisium & Bulionium cum Hispano satis constat. Ad sui tutelam tantùm, si Sedanum à Rege impetatur, qua de re rumor fuit, an ad turbandam ultro Galliam, disputatur. Quinquaginta millia Francorum à Cardinali Hispano ipsis numerata dicuntur. Multum eo itavit is qui Lucemburgico præest Beckius. Nunc verò etiam Comes Suessionensis ipse Sedano egressus hostilia cœptavit in Regios milites, qui commeatus à Lucemburgo Sedanum venientes prohibebant. Hæc quò evasura sint, me sollicitant, eoque magis quod quicquid agit Dux Bulionius id consulto per uxorem Principe Arausionensi agere dicitur. Principi Thomæ, præter peditum quinque millia, equites mille quin-

quingentos quos Hispanicis stipendiis ei dat Hispanus, promittuntur præterea alendis copiis cæteris quinquagena scutatorum millia in sex menses æstivos, vicena in hybernos. Mirari licet unde tantam pecuniam tam impeditis temporibus reperiat Hispanus. Sed creditur accepturus ab Ethrusco & Mutinensi, partim mutuam, partim terris quibusdam divenditis. Marescallus Hornius Lindavii libertatem exspectat. Badensis Helvetiorum Conventus nihil nisi discordiarum reliquit semina. Bernates & Valesii jam cæteris exemplum dedere, permisso Gallis delectu. Apud Pontificios laborat Hispanicus Legatus, ut fedus fiat pro tutanda urbe Constantiæ. Centum naves longas Constantinopoli paratas audimus bello in Asacum. Sed magni Visirii auctoritatem in periculo esse, contra nitente Sultani matre. Deum rogo ut Ill. Dom. Vestræ & instituta migratio & omnia cætera eveniant quàm felicissimè: utque omnia quæ nunc in motu sunt ad bonam pacem nos ducant. Lutetiæ 20 Aprilis 1641.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1489 Est cur gaudeamus Bannerium, & cum eo Suedici militis ipsa robora, evasisse ingens in quo fuere periculum. Sed ejus periculi reputatio movere Suediæ Rectores poterit, ne diu talem ludant aleam, si, præter spem cadat, multa secum mala tracturam. Cæterum an & Imperator æquam pacem velit, & tales conditiones adferat, quæ Suediæ federi cum Gallia, quod sub incude est, præferri debeant, equidem nescio, ideoque totam hanc rem Deo nostrisque Rectoribus gubernandam relinquo. Galli in Italia obsident Eporediam. Leganesius & militum duces eunt in Portugalliam. In Catalania pugnatur. In Belgicam parantur arma. Sed incommodè his paratibus intervenit Sedanensis tempestas. Certum enim est multum militis scribi à Comite Suessionensi, Ducibusque Guisio & Bulionio. Nec minùs constat, lateque à Cardinali Riceliaco spargitur in ipsorum invidiam, aliquid eos cum Hispano pepigisse ac signasse. Quale verò id sit nescitur. Aula id duriùs interpretatur. Nobilitas hic & plebs Comitis Suessionensis vices magis dolent, quàm eum accusant. Ipsi Principes se federatos dicunt pro Orbis Christiani pace, favorabili titulo. Si cupiditas Regis ad occupandum Sedanum apertiùs erumpat, quid facturus sit Princeps Arausionensis dubitatur. Est enim Bulionio satis propinquus, & virtutum Suessionensis, ut dicitur, non iniquus æstimator. Hæc me sollicitum habent, nec minùs consiliorum in Anglia magna caligo. Omnino autem Legationes istæ Anglicæ, & Danicæ & Palatinæ, mihi persuadent, hunc annum Electori Palatino inter verba periturum. Aliquid tamen sit si in Parlamento Angliæ jam nunc constituatur quid faciendum sit colloquiis sine fructu vanescentibus. Suedi autem, si bellum gerere perseverant, optandum est multas ob causas, id ut faciant in Austriæ aut Bohemiæ aut Bavariæ regionibus, præsertim cùm Brandenburgicus Elector pœnitentiam ostendat belli in Suedos, & ab eo exemplum id manare latiùs possit. Quale fedus Anglia cum Batavis velit, haud satis intelligo. Nam neque Batavos contra Imperatorem, neque Anglos contra Hispanum arma sumturos credo. Portugalliæ res, ut rectè judicat Ill. Dom. Vestra, festini auxilii indiget. Nam XXX millia contra eos in armis habere dicitur Rex Hispaniæ. Naves maximè expetunt Portugalli & à Gallis & à Batavis, inhiantes argentariæ ab America classi. Et hic quidem quæ volunt, impetrabunt facilè. Sed Batavos offendet postulatum de reddenda Brasilia. Per Indiam quoque Asiaticam malent per horum temporum occasionem res suas promovere, quàm exspectare dum invalescant res Portugallorum. Brisaci sunt jam & Ossenvillius & Erlachius, suspecti mutuò ac discordes. Quæ res vereor ne augeat accepta ibi jam incommoda. Multiplices illæ Dani cum Imperatore controversiæ ad actus parum amicos provectæ, Danum si adjungere causæ nostræ non possunt, at certè ne nobis noceat impedient. Et audio firmari fedus quod inter Suedos Batavosque conceptum fuerat, Danum maximè tangens. Lunæburgica & Hassica in loquendo libertas non est ex gustu Imperatoris. Sed sæpe saluberrima sunt quæ palato minùs sapiunt. Deus & hæc & alia ad bonum regat Orbis Christiani, idemque Ill. Dom. Vestræ omnia largiatur prosperrima, & lætum inter. literatos otium. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Aprilis 1641.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

Cum dolore intelligo minùs commodam valetudinem 1490
Excellentiæ Vestræ, Deumque precor eam ut restituat: doleo etiam intercidisse literas quasdam meas, scripsi enim die quoque septimo, ubi autem eæ sint interceptæ difficilis conjectura est. Amstelodami neminem novi qui rei Suedicæ inserviat. Itaque literas posthac meas ad D. Spiringium mittam, qui omnem adhibiturus est curam, ne quid temporis pereat. Spero si noviter cum Gallis fedus ineatur, futurum, ut etiam dignitatis Regni, cui multæ hic struuntur insidiæ, habeatur ratio. Vt eximar certationibus quæ mihi tam longe à Suedia posito & non semper ad ea quæ moneo responsum accipienti sunt perdifficiles, pecuniam auxiliarem in mensem Majum parant Galli, de ea hic retinebo quantum mihi debebitur de salariis mense Iunio venturo additis quibusdam impendiis. De ea pecunia epistola mea Gallica ad manus Excellentiæ Vestræ perveniet. Rogo ut benevolentia Excellentiæ Vestræ in hoc quoque negotio mihi adsit. Rationes accepti reddam cui voluerint Excellentissimi Rectores Regni. Anni sunt quatuor cùm rationes ad mensem Iunium cum D. Spiringio adæquavi. Deus, Illustrissime Domine, servet Excellentiam Vestram. Lutetiæ 4 Maii novi Cal. 1641.

Excell. Vestræ omni observantiæ obsequio devotus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

Magnæ illæ quæ ab Arnimio colligi dicuntur copiæ 1491
faciunt ut metuam, ne plus nihil præstare possit hoc tempore atque illis locis Bannerius, quàm se suaque tutari. Fortè autem si Brandeburgicus Elector bello se subducat, ea res etiam Saxoni alias cogitationes injicere possit. Quod autem scribit Ill. Dom. Vestra, laborare in id Imperatorem, ut Piccolominæum Ducesque alios inter se reconciliet, idem & hic intelligo & successurum puto. Si fedus, quod futurum puto, inter Suedos & Gallos redintegretur, & in Hispania Catalanis ac Portugallis fortuna belli faveat, Batavi verò gnavos se ostendant, hæc omnia Imperatorem, parum opis ab Hispania exspectaturum, poterunt pertrahere ad consilia pacatiora. Cæsariani & Bavarici hoc agunt, ut hunc annum, sicut ante actos, inutilem reddant Anglis & Palatino. Attamen, si fortiter in Parlamento Angliæ decernatur quid faciendum sit, si spes pacis fefellerit, aliquid boni inde sperem, aut causæ communi, aut certè Palatino. Valde autem scire cupiam, quale fedus Anglia cum Batavis velit. De Arragonia rumores veros non puto. Legati Portugallenses quod spem vultu ac verbis præferunt, prudenter faciunt, sed magnæ ex omni Hispania contra eos coëunt copiæ: nec videmus adhuc quas partes secuturæ



turæ sint insulæ, & Africanæ Asiaticæque Provinciæ. Sollicitus etiam sum ne in hoc quoque negotio apud Batavos, homines Mercuriales, privata obstent publicis. Ex Britannia quid de Hyberniæ Præfecto & quid de Archiepiscopo futurum sit, exspectabimus. Videntur Parlamentarii eorum necem pecuniis suis emere velle. At exercitui Anglico dolet, quod stipendia sibi minùs bene quàm Scotis procedant. De Duce Bulionio varia hic sunt judicia, & jam vis quædam à Sedanensibus cœpta est in milites Regios, tum qui Rimeliaci erant, tum qui Doncheriaco processerant. Et Beckius cum suis copiis non longè inde abest. Sunt tamen qui sperant profectione Comitis Suessionensis Romam, sedari posse hanc procellam. Et certè optandum est, ut ea cura, non parum distractura vires Gallicas, Regi dematur. Vix erit ut Batavi omnia illa quæ in illo Rituali libelli vidi, obtineant. Et certum est, bonam partem Batavici federis aliquam Imperio debere reverentiam. Dum de illis rebus disputatur, Averspergius quicquid istius Reipublicæ nosci potest, ediscet. De induciis Belgicis Pontificis Nuntius sermones aliquando hic serit: sed quantum judicare possum, canit surdis. Interim his rumoribus & Cardinalis Hispanus plebem lactat Belgicam, & Galli habent quod Batavis minentur, si minùs hi Gallorum desideriis respondeant. Gillo Hasius capto Wilstadio obsidet arcem Molburgum, & Hohentwilanus Præfectus prædatum egressus cladem aliquam passus est. Galli à Bernatibus, Tigurinis & Vraniis parum militis impetrarunt. Cæteri pagi de conditionibus disputant. Hatzfeldius cum duodecim millibus ad Rhenum tendit, invalidis ibi Gallorum rebus, & distractis per Erlachium, Offenvilliumque consiliis. Constantinopoli est Legatus Persa: paratur bellum in Asacum missis ad Tartarorum Precopensium Regem donis, & mandatis ut eidem bello se accingat. Quod Rex Daniæ circa vectigalis negotium agere incipit remissiùs, id partim turbidis Hispaniæ rebus, partim timori à Suedorum cum Batavis federe deberi arbitror. Deus det Christianis fidam pacem ac Ill. Dom. Vestræ prosperrima omnia. Lutetiæ 4 Maii 1641.

Eporediam cepere Galli: Archiepiscopus Burdegalensis naves aliquot farinæ plenas. Exercitus Gallicus in Catalania ad Leridam est. Cecidit hostium quosdam. Exercitus qui hic sunt procedent medio hoc mensi. Dux Carolus apud suum est.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

1492 DE restituenda Christianorum unitate eveniet, quod Deo visum fuerit, certè & precibus & laboribus ad rem tam pulchram tendere, ut successus non adsit, habet in se oblectamenti aliquid. Cùm de pyxide Pandoræ bona evolarent, spes mansit in fundo, magnum miseræ mortalitati solatium. Ego, ut nunc sunt tempora, felicem putarem Europam, si saltem à bellis quiesceret; nunc ab Ecclesiæ pace tam longè absumus, ut ipsa etiam imperiorum pax nos fugiat. Tot venena occultare creditur illud quod Ratisbonæ miscetur oblivionis poculum, interim nova Regna nascuntur. Gallia se tum Imperii Germanici tum Hispaniæ se laciniis ornat. Electori Brandeburgico non video qua juris specie præscribi possint leges novæ. Catalani sperare quidem illud possunt:

——— *mitissima sors est*,
Regnorum sub Rege novo.

Sed plerumque evenit illud quod in Phedri est Apologo:

In principatu commutando, sæpius
Nil præter Domini nomen mutant pauperes.

Portugalli in Suediam usque mittent ad quærenda federa. Ego novi Regis juri, quod tanto consensu gentis illius tres Ordines agnovere, nihil opponam, sed si ejus causa cum cæteris miscetur, video bellum fore immortale. Ego pro pace quidem Deum precari non desinam, sed si minus quod volo ceciderit, Dei judicia submissè venerabor. Idem Deus Nobilitatem Vestram cum omnibus suis incolumem florentemque conservet. Lutetiæ 11 Maii 1641.

Nobilitati Vestræ ad omnia obsequia paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

FEliciter opto eveniat Ill. Dom. Vestræ instituta mi- 1493
gratio. Post actam inter negotia literasque vitam, non poterat sedes aptior contingere quàm ea ubi à negotiis sit vacatio & in literis oblectamentum. De epistolis curandis faciam, quod moneor. Scripsit ad me Marescallus Hornius de sua libertate. Sed de ea nihil fiet, nisi confecto federe, de quo propediem certi me aliquid spero intellecturum. Nam inter D. Salvium & D. Davausium convenit: sed à Davausio in Suediam missus est qui instet, ut quæ placuere ibi rata fiant. Tum verò & Portugalli ex consilio Gallorum laborabunt ut Suediam Batavosque sibi socient. Quæ omnia credere nos jubent, bellum non facilè desiturum. Legatus Angliæ D. Comes Licestrius subitò ivit in Angliam, brevi rediturus ut dicit. Causam ipse vulgat, lites sibi prosequendas. Alii à Rege, ejus opera apud Parlamentarios Proceres uti volente, evocatum suspicantur. De Palatino negotio facilior erit judicatio, ubi noverimus quid auxilii ad eam rem decreturum sit Angliæ Parlamentum: ubi intelligo in negotiis maximis parum profici, quod prius velit civitas Londinensis de reorum causa cognosci, quorum Præfectus Hiberniæ multos habet sui amantes, Archiepiscopus infestos plerosque. Rex autem utrumque ereptum velit ei pœnæ quam plebs ardenter expetit. Cardinalis Hispanus prospiciens futurum, ut à Gallis & Batavis graviter prematur hoc anno, auxilium ab Imperatore petit, millium decem. Ad Rhenum videntur res hostium invalescere, capto Molburgo, obsessa Bolinga, & ad Friburgum obsidendum copias contrahente Gilloni Hasio: non comparentibus autem Gallis, qui interim Episcopum Basileensem sibi obligarunt, bonis ei redditis, & apud Helvetios militis aliquid scribunt. Dicitur & Tubatelius damni aliquid accepisse apud Altenburgum. Mors Ducis Georgii incommodare rebus nostrum potest, quia tutores, quos liberis dedit, Imperatori faventes sunt. Ipse maximus natu filius adhuc quatuor annos à sui tutela abest: & si, Bannerii exercitus in illis partibus hospitium quærat, non abest metus, ne Ordines Lunæburgici & Brunswicenses potiùs arripiant, quod ab Imperatore haberi poterit, quàm ab amicis prope hostilia patiantur. Timeri etiam potest, ne Batavorum cunctatio, ex quorum consilio Galli sua suspendunt, res Portugallicas in periculum conjiciat. Galli in præsens naves & belli duces in Portugalliam mittent. Fedus factum puto, sed in arcano haberi, ne ea res alios faciat lentiores quos eidem causæ illigare Galli cupiunt. Sedanense negotium ut æquis modis componatur, non Galliæ tantùm, sed & communis causæ interest. Eam ad rem multum poterunt Principis Arausionensis monita apud Ducem Bulionium & apud Regem ipsum amica consilia. Comes Suessionensis ita amatur, ut plurimis dolori futurum sit, siquid ipsi eveniat adversi, aut propter ipsum aliis. Deus & hæc & alia regat ad bonum Christiani nominis, idemque Ill. Dom. Vestræ det lætam senectutem. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Maii 1641.

Mittuntur hinc in Portugalliam naves xx, hominum v millia. In Catalania Galli Tarragonam constituerunt premere terra ac mari: Princeps autem Condæus in Rulcinonen-

nonensem Comitatum parat bellum cum XIV millibus. Glenius Hohentwilæ minatur, cui se opponet Dux Carolus, sed ejus militis multum diffluit. Rex it ad finem Belgicum. Exercitus procedent, simul herba sufficiet pascendis equis. Rupellam advenit Legatus è Portugallia Romam iturus.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

494 BAnnerii morbum spero ipsi ad meliorem valetudinem fore, præsertim cùm & intermittens esse dicatur febris & in ver inciderit. Multas video in eum consurgere hostium copias, sed quibus ipse parem se judicet, quandoquidem Stalhansium ad se non vocat. Præliorum quidem incerta parti quidem utrique metuenda sunt, sed magis, ni fallor, nostræ, ut in alieno solo bellanti & urbes habenti infestas plerasque. Multi hic existimant Imperatorem oblivionis decretum nonnihil attemperaturum desideriis Lunæburgici, Hassicæque, ut eos à nobis abducat: quod fortè non esset extra omnem metum, si Bannerii exercitus illorum terris iterum gravis esse incipiat. Certè ita nunc bellum geritur, ut magno in odio sint arma Suedica. De Dano sic existimo, eum in proposito suo pertinaciter institurum fuisse, nisi turbata esset Hispania, unde pecuniariam opem sperabat. Nunc cùm ibi fons liberalitatis magis magisque exarescat, pro tempore vota sua contrahet, aut in aliud differet tempus. Puto Arnimium id moliturum, ut Imperator Regi illi aliquid concedendo Danum si fieri potest sibi adjungat, si id fieri non potest, quemadmodum nec posse arbitror, ut specie tuendæ quietis ad Albim & Visurgim, Suedicis copiis quantum potest terrarum subtrahat. In Anglia quid constituturum sit Parlamentum super Palatino negotio avidè exspecto, non video autem quomodo magni aliquid aggredi possint, dissidentes Angli à Scotis, utrique à Rege, præterea nobilitas Anglica à plebe. Vidi Windebanckium, vir est prudens & modestus. Præfecti Hyberniæ magnum ingenium & ipse & alii prædicant. Eporediæ obsidio maneat, an deserta sit à Gallis dubitant rumores, sed in Belgico fine Bapalma ab iisdem Gallis cœpit obsideri. Omnia hoc anno egregia sperari possent nisi interveniret nubes illa Sedanensis. Rex novo edicto vetuit ne pecudes ullæ extra Galliam exportentur. Solebant multum portari Sedanum, & inde hostibus vendi. Nunc Sedanenses milites quas per commercium habere non possunt pecudes, vi de Gallico solo abripiunt: negantes & se & oppidanos à fame aliter defendi posse. Quæ consilia agitent juvenes isti Principes, non satis intelligo. Nam si civile bellum à se putant in Gallia posse suscitari, vereor ne sibi publicoque noceant. Ac præterea satis est virium Regi ad motuum talium semina opprimenda. De induciis Galli non cogitant: in Batavis fortè quidam, sed eas cogitationes intercidit novum, ut puto, cum Gallia fedus. Portugalli ab antiquo ventosi satis sunt. Parum solidi in consiliis ipsorum. Iam si externa auxilia tardè adventant, metuendum est ne damni aliquid res illorum per novitatem infirmæ accipiant: cunctis Hispaniæ Regnis properè in eos incursuris, ut belli alioqui in æternum ituri materiam evellant. An perfectum sit in Suedia fedus, quod cuderant D. Salvius & D. Davausius, nescio, sed futurum arbitror. Habitatio Lugdunensis ut Ill. Dom. Vestræ feliciter eveniat, opto. Lugduno autem de tali hospite gratulor & qui ibi sunt literatis de tam literata consuetudine. Lutetiæ 18 Maii 1641.

In Catalania Motta Odincurtius octingentis Castellanorum interfectis reliquos Tortosam redegit. Cardinalis Sabaudus Fossanum obsidere frustra speravit. Ruscinonensi Comitatui arctos commeatus facit Burdegalensis Archiepiscopus. Mittitur miles ad Ducem Carolum, qui cum Hallerio XV jam habet millia: & in Pedemontanam regionem & ad Erlachium. Rex præter eos qui Samaram transiere, exercitum apud Laodunum habet ad sui suorumque tutelam. Seditiones hic graviter puniuntur. Regius exercitus qui trans Samaram est machinas habet centum. Qui ad Siciliam regendam à Rege Hispano missus est, secum habet XV C millia scutatorum.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

ARnimius hic mortuus nuntiatur. Parantur autem ad 1495
S. Desiderii urbem duodecim cohortes, id est, Regimenta, quæ in Germaniam eant, incertum an una ituro Duce Longavillano. Mittuntur & Brisacum septem turmæ, nescio an non magis ad firmandum Offenvillii imperium, quàm contra hostem. Glenium audimus à Bavaro accepisse cohortes novem. Audimus & magnas largitiones fieri ab Hispanico Legato qui Ratisbonæ est: suaderi autem ab eo inducias, quod non miror. Ab Imperatore ipso omnem dari operam, ut Brandenburgicus retineatur, etiam res ejus in Polonia commendando; reconcilietur verò Luneburgicus, etiamsi opus esset Wolfenbuttelum ei concedere. Apud Eporediam cladis aliquid à Principe Thoma Galli accepere. Itaque obsidione derelicta retinentur à Gallis castella quædam urbi incommodatura. In Catalania Galli terra marique Taragonam circumveniunt. Mari Burdegalensis Archiepiscopus cepit Salam, Alsaquiam obsidet; terra autem Motta Hodincurtius Constantinam aut obsidet aut cepit. Ad finem Belgicum pro Bapalma, ubi aquæ penuria pressura exercitum fuerat, Aira obsideri cœpit, quod viam struit ad repetendam S. Audomari obsidionem. Interim & Ransovius cum parte aliqua copiarum ipsi attributa conatur Lillerium capere, quod ab Aira abest non longè. Cardinalis Hispanus his molitionibus auditis Insulas se transtulit cum Cantelmo & decem millibus. Totidem alia oppositurus dicitur Batavis Fontanus Comes. Sex millia futura sub Beckio in Lutsenburgico & ad Mosam quatuor, si fortè in eas partes incumbat Dux Lotharingus. Præterea ab Imperatore Cardinalis Hispanus precatur auxilia, supra illa sub Lamboio. Ducis Vindocinensis causa cùm à judicibus coram Rege tractaretur, jamque in eo esset ut damnaretur absens pœnis Majestatis, misit Cardinalis qui diceret, satis sibi esse quod paterent consilia contra vitam suam suscepta: se Vindocinensi condonare hanc culpam, rogare Regem idem ut faciat. Rex multum laudata Cardinalis clementia, suum sibi jus dixit incolume. Se eo usurum abstenturumve prout in posterum se gereret Vindocinensis. Itaque inhibita est traductio imaginis ejus & bonorum confiscatio, quamdiu Regi ita videtur. Hoc spei ac metus temperamento creditur futurum, ut Vindocinensis retineatur ne se adjungat Duci Bulionio, qui haud dubium est quin cum Hispano pepigerit aliquid, pecuniasque denuo acceperit: Suessionensis verò & Dux Guisius dicuntur non quidem ei federi subscripsisse, quia jus summi imperii non habent quale habet Dux Bulionius, sed fidem suam perscriptam dedisse Bulionio, se communem cum ipso fortunam habituros. Ea res Castilionæum cum copiis ad Retelium retinet: neque ullam amplius spem video componendi, ut optaveram, hujus negotii. Apud Airam tria hostium castella partim capta, partim derelicta in potestatem Gallorum venere. De federe inter Suedos Gallosque bona omnia ominor. Nihil tamen certi habeo. Portugalliæ res multum mihi videntur nutare, præsertim quod Præfectos trans mare non videam novo Regi accedere: & supplicia illa de Proceribus sumta soleant irarum semina relinquere. In re Palatina nihil video quod speremus, priusquam & Scotici & An-

Anglici motus certam quietem acceperint. Valde exspecto scire an pactam suam secum sit adducturus minor Princeps Arausionensis, & quale fedus Angli cum Batavis desiderent. Cum Dano Batavos conventuros putavis, quàm minimo poterunt damno. Nolent enim ultra Hispanicum bellum aliud sibi insuper accersere. Exspectatur hic, ut magni aliquid efficiant, aut certè tentent Batavi, alioqui non evitaturi offensas hujus Aulæ, jam nonnihil commotæ ob datum aditum Legato Cæsariano. Deo publica negotia simulque omnia ad Ill. Dom. Vestram pertinentia seria prece commendo. Lutetiæ 26 Maii 1641.

Sanctogermanus & alii quidam ex Anglia huc se receperunt, Parlamenti metu. Marescallo Castilionæo imperatum ut se adjungat Duci Lotharingo & Halerio inter Mosam & Sambram. Detectæ sunt insidiæ Comitis Suessionensis in montem Olympi. Rex autem præsidium posuit in Ioinvilla. Speratur Aira Gallorum fore cis dies quadraginta. Nec minor spes de Tarragona, per famem, si vis non succedat.

Illust. Vestra Dom. perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1496 DVplex bonum accepit Suedia, in valetudine meliore Bannerii, & in Arnhimii morte. Rebus autem nostris satis bene adhuc euntibus, non puto multos fore qui ab his ad Imperatorem transfugiant. Ratisbonæ esse intelligimus Enckefortium, Hatsfeldium, alios: Glenium ad Rhenum ire, Gillonem Hasium Crucenacum versùs. Dux Longavillanus dixit mihi se in Germaniam ire, sed priùs ruri percuraturum se valetudinem, id est, ut puto, exspectaturum mandata pro temporum usu. Erlachius videtur moliri aliquid. Exiit enim Brisaco cum copiarum parte. Dux Carolus habere creditur ter mille equites, pedites quinquies mille. In ejus gratiam restituitur in bona Elbovius & in matrimonium cum fratre Regio Princeps Margarita. Posset autem Castilionæus se jungere cum Duce Carolo, nisi maneret à Sedano metus, agente Guisio Bruxellis, Namurci, ut hic fama est, Bulionio cum uxore. Videntur bellum civile sperare ex Cardinalis odio. Habent tria millia & quingentos equites, pedites totidem. Sed quid hæc ad Regios exercitus? Sollicitarunt etiam fratrem Regium. Sed is cuncta sibi comperta Regi detexit: missique sunt in carcerem qui se ei negotio immiscuerant. Ad Airam bene res procedunt. Muniuntur castra: facilis est annona: incipiunt opera: cæsi aut fusi sexcenti hostium qui in urbem ingredi frustra speraverant. Non videtur Gallos diu tractura ea obsidio, qua peracta interiora Belgicæ petituros se dicunt, paratos prælio: famem quoque facturos urbibus, modo Batavi paria ex sua parte præstent. In Italia pugnatum est: qua fortuna nondum scimus, nisi quod dicunt non minùs Chivasii obsidium dereliquisse Principem Thomam & Hispanos quàm Gallos Eporediæ. Additur pridem sine stipendiis esse Hispanos: equitatum verò eorum planè exhaustum. In Ruscinonensem Comitatum irruet Princeps Condæus. De Catalania verò in Arragoniam deduxisse exercitum dicuntur Hispani, relictis præsidiis Taragonæ & Constantinæ. Missæ ad Archiepiscopum Burdegalensem tres naves longæ: ad Harcurtium tria militum millia. Omnia essent in spe optima, extra illum quem dixi metum à Sedano. Interdictum Papæ adversùs Lucenses suspensum manet ad tempus aliquod. Nihil ibi poterit Papa tuentibus civitatem Hispano & Ethrusco. Rex Reginæ matri offert aut reditum mutata familia, aut sedem ubi minùs suspecta vivat. De federe Suedos inter & Gallos puto & ego confectum negotium: sed famam spargi, quasi ad pacem usque communem id duraturum esset territandis hostibus: cæterùm in arcano pepigisse Suedos, si res Germaniæ meliorem in statum restituantur, sibi ut pacem facere liceat. Nam Galliam regentium quin intersit, bellum manere quàm diutissime, dubitari non debet. Fortè & Rex Angliæ nihil peccasset, si pridem bello externo antevertisset domesticos motus. Nunc infesti exercitus, audaces seditiones, tristia supplicia, quem exitum sint habitura perobscurum est. Electori certè Palatino hæc omnia incommodè eveniunt. Proposita ad pacis colloquia loci mutatio mihi non aliud videtur adferre commodum, quàm quod minùs longa erunt intervalla inter Suedorum & Gallorum Legatos. De Iohannis Waertii morte nihil hic audimus. Sed cum magno dolore libertatem suam differri queritur Hornius. Transmarinæ Portugallorum Provinciæ videntur adhuc aut Castellanis adhærere, aut dubitare. Ex bonis malisve domi successibus pendebunt & externæ res. Transit hic in Suediam iturus qui nunc in Dania est à Portugallia Legatus. Miror autem & Episcopum qui hac transiit Romam cum Legati titulo, priusquam constet an ita ut talem recipere audeat Papa. Periculosum autem est pati status controversiam in ea Aula, unde omnia ferè Italorum judicia pendent. Deus & publicis rebus & privatim Ill. Dom. Vestræ largiatur salutaria. Lutetiæ Calendis Iuniis 1641.

Rumores hic sunt de capta Constantina: de Theodonisvilla obsidenda à Duce Lotharingo & Castilionæo. De fame Hispanorum in Ruscinonensi tractu.

Ill. Dom. Vestra perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

DE Bannerio video hic esse veneni suspicionem, ex- 1497
hausti tempore quo Scaunenburgicus & Hassicus Princeps mortem biberunt. Si tam diu hæsit visceribus lues infesta, difficulter avelli poterit. Multum vereor, ne illa in Suedia cunctatio supersedere, & aliqua Imperatoris concessio Lunæburgicam Domum à nobis abstrahat. De Bavari morbo periculoso, rumores hic sunt. Dicitur autem hoc tempore valde concors esse Imperatori. Præter Lamboium alias è Germania copias ire in Belgicam rumor hic etiam est. Marescallus Castilionæus sex secum habens millia iverat quidem in loca illa, in quibus se cum Duce Lotharingo & Hallerio conjungeret, sperabaturque nova obsidio Theodonisvillæ: sed multum vereor ne motus Sedanensis eum retrahat, magis magisque procedens. Audimus Sedanum vocatos à Comite Suessionensi eos quos pridem Rege ita volente à se dimiserat, Ibarram & Varicarvillam. Ducem Bulionium esse Namurci, cum titulo Marescalli Imperii, data ei bona quæ Henrici Bergensis fuerant, data ei septingenta quinquaginta florenorum millia, scriptumque à Rege Hispaniæ ad Cardinalem fratrem, ut undicunque corrasa pecunia ipsi sociisque ejus traderetur. Itaque dilectus pro iis fiunt in agro Coloniensi: Belgicæ autem urbes ad paratum armorum ac commeatuum ipsis patent, & Germani quidam ductores deserta Regis militia ob mercedes non solutas ad eos conferunt sese: quos inter dicitur esse Baro Degenfeldius, quod sanè nolim. Ita concitatos apud se motus Rex Hispaniæ paribus, si potest per Galliam motibus ulciscetur. Sunt apud Ambianum Rex & Cardinalis. De obsidione Airæ bene speratur, quanquam aliquid militis ab hoste intravit, & defenditur oppidum propugnaculis novem, lunatis autem operibus septem. Sed videntur de ea tuenda desperare hostes, ideoque Vinsam munire in proximo, quæ ipsis in posterum Airæ sit loco, viamque Gallis in Belgicam ea ex parte præcludat. De rebus Portugallicis non optimè hic judicatur, quandoquidem quotidie apparet pecuniam ipsis deesse, ac proinde & externum militem, in quo solo spes esse

Digitized by Google

esse potest, propter indigenæ militis imperitiam imbellemque. De Catalanicis rebus post captam à Gallis Constantinam nihil audimus. Sed in Ruscinonensem Comitatum, ubi esuriri scripseram, aucti sunt commeatus mari: quod quia non prohibuit Archiepiscopus Burdegalensis, succensit ei Condæus Princeps. Constantinopoli jam erit, ut puto, Persa Legatus omnia quæ pacem turbare possent amputaturus, maximisque muneribus Aulam sibi devincturus. Contra Asacum mittitur exercitus sub Gusteimo Silestriæ Præfecto, mittitur & classis. Scripserat Tartarus Precopensis Moscovitam tuendæ urbi contraxisse peditum XXV millia. Transilvanus autem filio principatus successionem parans nullam spem certam acceperat: sed prout se geret filius, ita gratiam relaturum. Nobilissimo filio Ill. Dom. Vestræ iter in Suediam felix, ac bonum in mandatis negotiis successum ex animo precor. Vidi suprema verba Comitis Staffordii. Vidi Regis pro ejus vita submissas admodum preces. Vidi responsum Parlamenti satis minax, & intelligo etiam hoc Regi extortum, ne Parlamentum nisi ubi velit discedere jubeatur, quod additum concessui facto antehac, ut ipsis etiam Rege non convocante coire liceat, magnos gradus facit ad Rempublicam libertati quàm Regno propiorem. Quam ad rem an semper duratura sit Regi patientia, ambigi potest. Et de matrimonio, quamdiu sponsa mare non transit, nihil certi quod augurer, video. Quam tenuis autem futura sit per Germaniam Britanniæ in tribus sui partibus turbatæ auctoritas, quæ pacatis Regnorum rebus non magna ibidem fuit, quis non videat? Itaque Electori Palatino Domuique ejus hoc quidem tempore spem nullam video, præter istam τῶν ἀπορήτων πόρον εὗρε Θεός. Is tranquillitatem istam, qua nunc fruitur Ill. Dom. Vestra, diuturnam faxit. Lutetiæ 8 Iunii 1641.

Qui Airam introiere sunt ferme ducenti: omne præsidium ad mille ducentos. Dux Bulionius ivit aperto est cum sex millibus. Ei se opponit Surdiacus cum parte copiarum Castilionæi & castella quædam contra Sedanum facit. Castilionæus autem ipse in finem ivit Lucemburgicum. Lamboius octo millia habet. Sunt cum eo Gonzaga cum tribus, Gillo Hasius cum duobus millibus. Quem mihi commendaverat Ill. Dom. Vestra juvenem bene collocavi, idem facturus de aliis quos ab ea diligi cognovero, ut sanè debeo.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

98 MOrs Bannerii magis tristis nobis quàm inexspectata evenit. Hæc causa, præter cæteras satis magnas, efficit, ut vehementer optem videre in libertate Hornium, parem tanto duci successorem. Atque is scribam suum huc misit, qui cum ipsius meisque literis ivit ad Regis Comitatum, ad promovendum istud negotium, in quo vereor ut multum proficiat, quamdiu nihil certi habemus de federe inter nostros & Galliam, qua de re famam esse bonam apud Batavos ex literis Ill. Dom. Vestræ cognosco. Exspecto ut quid sit certò edocear, & ad id res hic dirigam. Bannerii mors extra suspicionem veneni non erit, quandoquidem malè se habuisse dicitur à tempore ejus convivii quod lethale fuit Hassico & Schauwburgico. Noster illis in locis exercitus & duce opus habebit, & supplemento; audimus enim Piccolominæi, multò plus, quàm creditum fuerat, crescere copias. Intelligo autem ex eo qui res hic Hassicas agit, non Landgraviam tantùm, sed & Lunæburgicum fidos manere partibus, & is ipse qui res hic egit Hassicas it ad Regem, ut promoveat quantum potest destinata in Germaniam auxilia. Nam Dux Longavillanus sive ob morbi reliquias, sive ob causam aliam, etiamnunc hic hæret. Interim Crucenaco urbe amissa arx quoque in periculo est, nihil pro ea quod miramur, moliente qui in locis propinquis agit Duce Carolo. Quod si aut nostri, priusquam hinc auxilia, ex Suedia verò supplementa venerint, cladem acceperint magnam, aut sine sociorum gravi incommodo vivere noster exercitus nequeat, aut Imperator desideriis eorum nonnihil se aptet, faciunt priora exempla ut timeam, ne qui amici nunc sunt nobis, in præsens otium malint, quàm spes longas & incertas. In Anglia an non ulcus aliquod relictum sit in Regis nobiliumque multorum animis tristis exitus Præfecti Hybernici dubitari potest. Et juveni Principi Arausionensi non integrum erit gaudium sine conjuge redeunti: tum verò doleo intercessisse de honoribus controversias inter eundem juvenem Principem itemque Batavos Legatos, & Palatinum Electorem, cum quo, adeo ac tam diu infelici, talia moveri certamina sanè nolim. Priusquam verò bene ab internis armis Rex Britanniarum Regna sua liberaverit, ex Roi, quanquam optima volentis, laboribus non multum spero. In Catalania sola Taragona Gallos moratur, abductis de cætero armis Hispanicis contra Portugalliam, quæ præter grave ex omni Hispania bellum internis etiam nunc motibus laborat. Etiam Galliæ bellum civile minantur isti à Sedano Principes, frustraque reversus ad priora castra Castilionæus cum Comite Suessionensi in aperto collocutus est. Neque Guisii mitigatus est animus, quanquam Anna Mantuana, clandestina ejus uxor, mentito habitu ad eum profecta & à Gallis militibus intercepta, jussu Regis ad ipsum cum honore deducta est. Quanquam ea est Cardinalis Riceliaci, in quem præcipuè hoc malum cuditur, diligentia, ut non videatur latè serpere posse hoc incendium; tamen quin Regis processibus obstiturum sit, dubitare non licet. Castilionæus nunc ad Guionam est, proximè Sedanum, clauditque aditus omnes castellis & stationibus. De seditione quæ Cæsaraugustæ fuisse dicitur & ad eadem progressa Missi Regii, nihil certò dixerim, ut nec de classe Americana, quam valde velint intercipere posse Portugalli. Castellani autem nihil omittunt quo eam sibi servent. In tractu Ruscinonensi non multum proficit Princeps Condæus, quia fames ibi discussa est, & aucta præsidia. Erlachio aliquid damni evenit, & irritus à spe Fullingæ rediit, & Hispani agrum qui circa Caletum est populati, ædificia ad portas urbis usque corrupere incendiis. Rustici in Bernati agro contra urbis magistratus seditionem excitarunt satis gravem. Rhæti consultant an pati debeant ad Gallos ire dilectus, quos ibi pro Gallia fecit Gullerus. Ea consultatio in hanc aut illam partem cadet: prout erunt responsa, quæ à Tiroli super rebus suis exspectant. Deum rogo ut Ill. Dom. Vestræ omnia det prosperrima. Lutetiæ 15 Iunii 1641.

Princeps Condæus in Ruscinonensi tractu habet VIII millia peditum, equites mille & quingentos. Ad eximendam autem obsidio Tarragonam venit Fernandinus cum navibus longis XXXV, Galeonibus XXX. Burdigalensis Archiepiscopus ei se opponit cum navibus longis XV, diversis navigiis aliis, scaphis viginti.

Illust. Dom. Vestræ observantiæ perpetuæ debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

CVm Lindavio scribam suum huc misit Marescallus 1499
Hornius vehementer post tam longam captivitatem avidus libertatis; & Galli ut hactenus tecere moras videntur quæsituri. Vt ipsi valde me roganti in re tam justa obsequar, constitui ut scriba cui literas ad Chavigniacum dedi nihil effecerit, ipsa omnia moliri quæ putabo ad hoc negotium expediendum facere. Optima mihi ratio videtur, si Regni Rectores negent fedus se confecturos, nisi prius confecta Hornii libertate, quæ ipsi etiam sine

novo

novo fœdere debetur ex voluntate Ducis Vinariensis, cujus captivus fuit Iohannes Waertius. Quod si id jam serum est, restat alterum, ut fœderi disertè inseratur hæc pactio: prospicio enim alioqui futurum, ut Galli magni vitilitigatores aliquid novi tricentur, sicut jam cœpere postulationem instituere, ut ipsis tradatur in manus Bassompetra, qui captivus fuit Vinariensis, & machinæ factæ ab eodem Duce, qui captivus, quæque machinæ sunt Benfeldii. Etiam quid Rectores Regni constituerint de Legatione Portugallica cupiam scire, ut quod ibi ex re visum fuerit, idem ego hic sequar. De ejus Regni successibus multum hic dubitatur; interim habet negotium Rex Hispaniæ. Sum, eroque semper. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Iunii 1641.

Excell. Vestræ ad obsequia omnia paratissimus H. G.

D. MILONIO.

Amplissime Domine,

1500 SCripseram Ampl. Vestræ 12 Ianuarii: ex eo nihil ab ipsa accepi. Sicut autem satis nota mihi sunt Excell. D. Cancellarii negotia perpetua, quæ non permittunt, ut Legatos de singulis de quibus eum consulunt, instruat, ita nolim esse cui ea cura pernecessaria injungatur, nullique eam injungi malim, quàm Ampl. Vestræ, cujus mihi & judicium & diligentia & bonitas perspecta est, multa autem incidant in legationibus, quæ expediri rectè tutoque non possunt, nisi cognita imperantium voluntate. Est nunc in manibus negotium de libertate Marescalli Hornii, in quo quid agere quid dicere debeam, quàm sæpissime edoceri & velim & opus habeo, diligentissimè præscripta secuturus. Ad Airam obsidio bene procedit & Crucenaci arx bene defenditur. Longavillanus Dux itineri in Germaniam cum copiis se parat. Nec quicquam est quod non de hujus anni processibus bene sperare nos jubeat præter metum belli Civilis à Bulionio Duce Sedani Principe & hospitibus ejus Comite Suessionensi Regii sanguinis Principe & Duce Guisio, cujus magnæ per Galliam sunt opes. Multi laborant ut his Principibus metus qui eos maximè videtur ad bellum impellere, dematur. Catalania prope omni extra Tarragonam excidit Hispanus; Princeps autem Condæus Ruscinonensem in Pirenæis jugis tractum invasit. Apud Bernam rustici contra urbis Magistratum seditionem movent. Sum eroque semper. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Iunii 1641.

Ampl. Vestræ addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1501 DAmnum factum in Bannerii morte celeri haud dubiè remedio indiget. Nos pro Marescalli Hornii libertate nulli parcimus operæ. Sed multum vereor ne Galli priusquam dimittant opperiantur consummationem Suedici fœderis, & Cæsariani apud Bavarum laborent ne nobis novus Dux concedatur. In Crucenaci arce infame flagitium milites commisere, sed & Gallos nihil pro ea servanda tentasse, miror. Dicitur Gillo Hasius partem copiarum retinere quibus est in locis, partem ad Belgas mittere. Hic de Aira res in bona spe est. Intra mensem putatur ventura in Galliæ potestatem. Sed majora nobis hic annus polliceri videbatur quàm Airam aut Gennepam. De Sedanensi controversia pacanda sermones quidem multos hic audio: sed vereor ne qui rerum hic potiuntur ardeant desiderio perdomandæ urbis, commodum habentis ad res Galliæ juvandas situm, perducti ad eam spem facilitate abscindendorum commeatuum, unde jam eo perducta dicitur civitas, ut frumentum in publico repositum attingere cœperit. Dux Longavillanus jam suos in Germaniam præmisit, intra paucos dies ipse secuturus. Parat item se Portugallico itineri Marchio Bressæus: accenduntque Gallorum pro se studia Legati dicendo Azores aliasque insulas jam in suis esse partibus. Regina Regis mater ex Anglia it in Belgicam, Leodii an in Batavis quietura, adhuc incertum. Imperatori & Bavaro bene convenire, video credi. Puto eos de Electoratu nihil remissuros, de terris Palatinis plus aut minus, prout videbunt rem ab Anglis Danisque calidè aut frigidè agi. Si Rex Britanniæ Scotis primùm, deinde & Anglis largiatur quæ volunt, poterit de armis movendis pro Domo Palatina certi aliquid constitui, eorumque metu perduci hostes ad æquiora quàm quæ nunc sperare ausim. Saxo is qui est manebit. At Brandenburgicus quin ex bello extricari cupiat, non dubito. Sed quomodo id efficere possit, manente bello inter Imperatorem & Suedos non satis video. Epistola Staffordii ad Regem Britanniæ, & constantia ejus verbaque morituri, multis persuadent nihil eum maligno egisse proposito, sed iratæ multitudini quæsitam victimam. A multis nobilibus Angliæ consilia fuisse suscepta ad reprimendam plebem Londinensem & eripiendum periculo Staffordium, credunt hic omnes. Sunt qui addunt Galliam eis consiliis fuisse permixtam. Pro Portugallicis rebus sanè & ego me in metu esse fateor, quanquam aiunt illi magni pretii naves à se captas. Sed de Americana classe nihil intelligo, ex qua maximè pendet Hispaniæ Regis & res & fides. Batavicum bellum circa Mosam hoc anno hæsurum videtur. Quod minor Princeps Arausionensis conjugem suam secum non ducit, multos dubitare facit de totius negotii istius eventu. Certè Angli triennium habent ad deliberandum an valere, an non valere hoc matrimonium velint. Elector Palatinus minoris se haberi à Legatis Batavicis quàm hic à Regiis Legatis est habitus, non mirum est, si dolet. Et juvenis Princeps Arausionensis, si dignitatem suam ex uxore metiri vult, rem facit novam. Dux Lotharingus habet secum duo equitum, duo peditum millia. Iis mensis stipendium datum est: eunt ut se cum Castilionæo conjungant contra Sedanum. Lamboius & Beckius cum XII hominum millibus se collocarunt inter Monstrolium & Airam, ad prohibendos à Monstrolio ad castra commeatus, quod tamen facere hactenus nequiere, ob valida præsidia sub quibus deducuntur commeatus. Portugalli præter cætera per quæ de rebus suis bonam opinionem excitant; aiunt à Portorico & Dominici Insula naves novem mercium divites, ignaras mutationis quæ evenit, in Portugalliæ oram pervenisse, utiles futuras alendo bello. Princeps Condæus Colubrani oppidum maritimum in Ruscinonensi tractu obsidere dicitur: Tarragonensem autem ingens præsidium promisisse deditionem, nisi intra quinque dies adesset auxilium, quod parare dicitur Ferdinandinus, validior classe Archiepiscopo Burdegalensi. Bernates rustici etiamnum tumultuantur. Etiam in Gallia quidam variis in partibus, sed maximo suo cum periculo. Deus Ill. Dom. Vestræ det felicia omnia, pacem autem Orbi Christiano. Lutetiæ $\frac{12}{22}$ Iunii 1641.

Epistolam illam quæ quasi ad Reginam Angliæ scripta & intercepta in Parlamento lecta fuit, falsam ac fictam puto. Princeps Condæus in Ruscinonensi tractu cepit Canetum & Argilleriam oppida exigua. Dux Longavillanus Colmariam it. Sequentur eum cohortes sive Regimenta novem. Sedanenses capta Turreclara initium ad hostilia fecere. Airam defendunt milites mille & quadringenti, agrestes totidem.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

MAgnum sanè damnum accepit res Suedica in morte D. Bannerii, sed in hoc dolore solatur me ducum & mi- 1502

& militum ea concordia, ut nihil inde mali ſperandum ſit, & quantum intelligere poſſum fidi adhuc nobis manent Haſſici & Lunæburgici. Verùm ad eos retinendum opus erit celerari quantum res ferent conſummationem federis inter noſtros Galloſque. Cùm norim quàm perplexari ſoleant Galli, cenſeam omnino inſerendam federi cautionem de permutandis Hornio & Waertio. Ni id fiat, aut de machinis illis quæ ſunt Benfeldii, aut de Baſſompetra captivo, aut quidvis cauſabuntur ne emittant Waertium. Quod ad res cum hoſte componendas attinet, exiſtimo Gallos inducias malle, nobis plenam pacem fore utiliorem glorioſioremque. Cauſa belli nobis fuit bono ut loco poneretur res amicorum per Germaniam, quod ſine pace, ut ſe habeant omnia, obtineri non poteſt. Galli propoſitum habuere fines proferre, multa tenent quæ per pacem non ſperant penes ſe manſura, itaque velint per inducias poſſeſſioni ſuæ induere ſpeciem vetuſtatis. Hæ ſunt cauſæ cur de conditionibus induciarum colloquia in aliud tempus poſt confectum fedus, quod nunc tractatur, differri magis è re noſtra cenſeam. Doleo me de Portugallicis Legatis ſeriùs ſciſſe Reginæ noſtræ ſententiam, de qua edoceri pridem volueram. Nunc literæ Excellentiæ Veſtræ quæ me ea de re inſtruunt ad me venere poſt digreſſos duos qui hic fuere Legatos. Sed poterit circa ordinarium qui huc venit impleri, quod non alia de cauſa dilatum eſt, quàm quia in tam gravi negotio putabam mihi non meum ſequendum judicium, ſed eorum qui in me imperium habent, quem modum etiam Angliæ Legatus ſecutus eſt, & puto in ejus generis rebus Legati alii ſequi ſolent. Quià multa poſſunt evenire talia, nihil magis optem quàm ſæpe mandatis aut certè conſiliis inſtrui. Sum autem eroque ſemper. Lutetiæ $\frac{1}{2}\frac{4}{4}$ Iunii 1641.

Excell. Veſtra obedire & inſervire paratiſſimus obligatiſſimusque H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario.

Illuſtris Domine,

03 VAlde mihi placent quæ de concordia Banneriani exercitus ſcribit Ill. Dom. Veſtra: & de Wolfenbuttelio felices nuntios opperior. Cognoſco & ego ex literis D. Salvii in federis negotio moras à Gallis interjici. Interim Chavigniacus in literis ad me cauſam dilatæ permutationis Hornii & Waertii in Rectores Regni Suedici, tanquam in federe illo cunctantes, rejicit. Vellent, ut video noſtri, illam deliberationem, quomodo ſi offerantur fieri induciæ poſſint, rejici in tempus aliud poſt factum fedus hoc quod nunc eſt in manibus. Et ego id rectius arbitrer. De corona Pragenſi hoc tempore miror magna otia cœli. Diſputatio de mutatione locorum ad pacis colloquia non video quid in ſe boni habeat. Palatinum negotium diu tractum iri & ego ſuſpicor, vel in hoc, ut ſpe lactata Anglia nihil certi ſuper hac re conſtituat. Bene fecit Portugalliæ Legatus quod ſe à Danis minùs pro dignitate haberi paſſus non eſt. In Suedia nihil tale metuendum habet, quæ non dolebit etiamſi plures nobis brevi Reges ex fragmentis Hiſpanicæ magnitudinis naſcantur. Quomodo D. Salvius & Batavici Legati circa honores ſemet inter ſe geſſerint, perſcire cupiam. Præter pecuniæ penuriam audio etiam diſcordias in Portugallia eſſe. Habent Angli triennium ad deliberandum, an valere velint illas cum juvene Principe Arauſionenſi nuptias. Nam diſſenſu novæ nuptæ, ubi ad ætatem nuptiarum venerit, quin cuncta quæ acta ſunt in irritum poſſint deduci nemo dubitat. Tum verò quàm multa conjugia etiam inter ætatis juſtioris Principes vidimus ex cauſis ſubortis facta evanida? Vidit Elector Principem Arauſionenſem juvenem, ſed obiter egredientem è conclavi pactæ. Cæterùm quid ſibi velit in hac controverſia aut Princeps ille filius adhuc familias, aut etiam Legati Batavici, non ſatis intelligo. Ego exemplum Comitis Liceſtrii ſecutus Electori ubique conceſſi: neque me facti pœnitet. Sunt enim Electores Regibus proximi, poſitique ſupra Principes alios, etiam qui ſummum imperium obtinent. Vbi agat Schmaltzius ſcire cupiam. In Catalania pugnatum a Gallis audimus infeliciter. Nam & eruptiones proſperas factas ex Tarragona & mari ſuperiorem fuiſſe Fernandini fortunam, ad quem xx partim Galeones, partim naves longæ recens acceſſerunt. Itaque metus eſt ne Catalani, qui præſidiis non tenentur, ad Hiſpani gratiam ſe referant. In Ruſcinonenſi quoque tractu Gallici conatus non procedunt. At in Italia ceſſatur, ut ibi æſtivis menſibus ſolet. Helvetii fruſtra pergunt laborare, ut eximatur bello Comitatus Burgundiæ. Badæ Conventus eorum corporis habetur, ubi Imperator de pace Germanica cum ipſis aget. At Aroviæ peculiaris eſt Proteſtantium Conventus, ruſticam adverſùs Bernates ſeditionem pacare conantium, ne latius manet formidabile civitatibus exemplum. Rhæti verò cùm ſe à Gallis negligi videant, vetuere ne Gullerus quem pro Gallis ſcripſerat militem è finibus educat, & cum Auſtriacis colloquentur Feldkirchæ, ut quæ cum ipſis controverſa habent, componant. Dux Longavillanus diſceſſit quidem, ſed ægrè reperit quem ſecum ducere debebat militem. Contra Ducem Lotharingum miræ ſunt ſuſpiciones. Nam juſſus pridem ſe jungere Caſtilionæo moras ex moris nexuit. Interim venit Lamboius cum ſex millibus aut amplius, & in id periculum adduxit Caſtilionæum, metuentem ne & ex Sedano & ex caſtris Lamboii circumveniretur, ut tranſierit Moſam, ſitque jam Tarſiaci, relictis tamen operis quæ caſtellum Donchiaci fieri cœptum aliaque operum perficiant. Lamboius ad Arlonum eſt. Pecuniam exercitui Ducis Lotharingi alendo deſtinatam Rex retinuit. Metus eſt, ne exercitu ſuo bene refecto, & munita quam à Rege recepit Lamotta, nova conſilia agitet. Cùm Duce Bulionio agi quidem aliquid de pace cœperat. Verùm Rex videns ſe quæ vellet non poſſe aſſequi, hoſtilia omnia adverſùs Sedanum juſſit fieri. Cardinalis Hiſpanus octodecim ſecum millia dicitur habere apud Moncaſſelum & Baſſæam. Oppugnavit caſtra Gallica ad Airam, ſed fruſtra. Itaque procedit obſidio. Ad foſſam lunati cujuſdam operis perventum eſt. Oppidum octodecim machinis verberatur. Oppidani à præſidiariis exarmati ſunt. Ante Iulii exitum puto fore oppidum hoc in Gallorum poteſtate. Dux Guiſius Sedanum rediit cum centuriis quatuor. Baionæ ſeditio quædam orta: neſcio an jam deflagraverit. Hiſpani circa Bononiam, quæ non longè à Caleto eſt armis graſſantur. Multæ ſunt cauſæ cur hoc anno nihil magni à Gallis exſpectem. Deus Ill. Dom. Veſtræ ſemper faveat. Lutetiæ 29 Iunii 1641.

Cardinalis Hiſpanus nunc ad Terouanam eſt. Rex it Remos. Creſcunt ſuſpiciones contra Ducem Lotharingum. Cepere Galli in agro Lucemburgico arces Florenvillam & Cheniacum: caſtellum ex humo Vulleriam nomine: non longè ab Atrebatum urbe caſtellum alterum Cluſam nomine.

Illuſt. Dom. Veſtræ perpetua obſervantia debitor H. G.

EIDEM.

Illuſtris Domine,

NOn mediocriter me commovet exercitus ejus qui 1504
ſub Bannerio fuit poſtulatio, ut ducem habeant Germanicum. Id enim minùs convenit rebus Suedicis, & argumento eſt plures ibi Germanos eſſe Suedis, quod periculoſum notant rerum prudentes. Hornii libertatem ardenter opto. Sed ea de re nihil fiet priuſquam fedus in Suedia ultimam acceperit manum, quod aut factum, aut jam jam futurum arbitror. De Wolfenbut-

telio audimus & nos res ibi bene procedere, sed exspectari majora fluminis incrementa. Videbatur hic annus magna nobis parturire, sed certè multa incidunt è transverso. Fluxa Catalanorum & Lotharingi fides, in Portugallia discordiæ, Sedanensis motus & magni Gallorum Batavorumque exercitus occupari circa oppidorum ignobilia: vires autem hostium majores quàm credebantur. Lotharingus habere VII millia dicitur & creditur hostibus quàm Gallis magis favere. Qui Sedani sunt Principes plus decem millia militum apud se habent, & Lamboium, Gillonem Hasium, Gonzagam propinquum auxilium. Itaque Rex quò cuncta curentur rectiùs, in istas partes se transfert. Portugallia celeri ope indiget. Quæ autem mari adventant auxilia multis incertis subjecta sunt. An verum sit Azores dedisse se novo Regi, id verò Batavos maximè scire oportet. Tum verò multum refert quid facturi sint in Asiatica India Præfecti. Audio intercessisse Angliæ Parlamentum, ne Rex in Scotiam iret, imò ne Londinio discederet. Episcopos aut dejici aut excludi à Parlamento, non facilè feret nobilitas. Quin accidantur eis reditus, per magnas in publicum contributiones, & quin à quotidianis apud Regem consiliis amoveantur nemo, quantum video, obstabit. Regina Mater Bruxellas ire creditur & flammas adjectura Sedanensi incendio. Qui pro Pontifice apud Angliæ Reginam egit, Agentis non Nuntii habuit titulum. Franciæ Cancellarius his diebus Curiam Parlamenti, quæ hic est, adiit, ut dentur qui ex captivis inquirant de consiliis Sedanensium, ac deinde atrox decretum fiat, in eam sectam sequentes. Duorum jam nobilium bona confiscata, domus autem solo æquatæ sunt, quod se cum turmis suis ad Principes illos qui Sedani sunt transtulissent. Optandum est ut dum D. Rous in itinere est, decretum aliquod generosum in Anglia pro rebus Palatinis fiat. Id aut ad pactionem impellet nutantes animos, aut efficiet, ut faciliùs deinde Rex Angliæ se nobis adjungat. Valde autem miror Legatos Batavos ea Electori concedere noluisse, quæ olim Administratori Palatinatus concessere. Literæ quidem istæ Regis Angliæ & Reginæ ad juvenem Principem Arausionensem valida sunt argumenta rem seriò agi. Attamen donec nova nupta mare transierit, fluctuabunt hominum judicia. Metus est ne longiùs manet seditionis rusticæ quæ circa Bernam exarsit exemplum. Bernates severitate suppliciorum opprimendam censent pestem nascentem: vicini leniùs agendum putant, præsertim cùm eorum questus de Balivorum avaritia non omnino injusti videantur. Credere volunt Galli non satis amico animo discessisse à Monachio Imperatorem, quod nec fedus arctius contra Galliam, nec pecunias, nec militi quas voluit sedes impetraverit. Ego id incertum relinquo. It pro Imperatore in Hispaniam Grana. Baro Felsius ejus res apud Helvetios strenuè promovet & Hispanicas Scavodia. Principi Thomæ dedit Hispanus XXX millia ducatorum, bis mille milites, ut proprium habeat exercitum. Exspectat autem & ab Imperatore & à Neapoli militem, unde & in Hispaniam ivere III millia: Mediolanum verò pedites mille, equites IↃC. Harcurtius verò ubi tria acceperit militum millia, quæ è Gallia exspectat, habebit extra præsidia decem millia. Gullerum Rhætum, qui pro Gallia militem scripserat, Archiducissa Tirolensis suum subditum vocat, ob jus quod sibi arrogat in Engadinam & decem Rectores. Galli Rhætos pergunt contemnere & dissidiis internis puniendos relinquere. Iam nunc audimus Gallos, qui in Ruscinonensi erant tractu, deserta Elnæ obsidione se transtulisse ad juvandos populares suos in Catalania non parum periclitantes. Genuam advenere ex Hispania cistæ Regalium nummorum ducentæ. Dux Longavillanus adhuc subsistit Columariæ. Ducis Bulionii miles à Torciaco depulsus est. Multum ibi pugnatur. Castilionæo Rex adjiciet decem millia. Dux Carolus satis impudenter negat se stare posse federi cum Gallia facto. Est Sirici cum Cantecroia. Multa risu, multa ploratu digna eveniunt nostro sæculo. Deus cuncta in bonum locum reponat, Illustrique Dom. Vestræ semper faveat. Lutetiæ 6 Iulii 1641.

Castilionæus brevi habebit XX millia. Lamboius ad tres leucas retro cessit. Sed dicunt Principes qui Sedani sunt, brevi se habituros XXX millia & irrupturos in Campaniam. Scripto edito lactant populum spe procurandæ pacis universalis. Cardinalis Hispanus Montemcasseli est. Leganesius decem millia Tortosam adduxit in auxilium Tarragonæ.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

D. HORNIO.

Illustrissime Domine,

OMnes literas Excellentiæ Vestræ rectè accepi, vidique & audivi libenter D. Snodskii ab epistolis ejus. 1505
Inter negotia mihi à Regina Regnoque Suedico imposita nullum est quod mihi perpetuo magis cordi fuerit quàm libertas Excellentiæ Vestræ tùm Regni causa tum ob eximias ipsius virtutes quas consentiens fama prædicat, tum etiam Magni Cancellarii causa, cui fortunæ meæ in patria afflictæ restitutionem debeo, nullam omisi occasionem, nullum tempus pro ea libertate laborandi & nunc etiam nihil magis ago aut magis agam donec perfecero. Deus, sine cujus providente permissu nulla piis adversa accidunt, & qui piè ea ferentibus ingentia præstat solatia, majores nobis in hoc negotio quàm ante spes alliciet easque non uniusmodi; ita ut de bono celerique exitu nihil dubitem. Summæ felicitatis ducam loco, si tantum hospitem Lutetiæ mihi excipere liceat. Gothica frugalitate brevior ero, quia dicet quæ dici opus est qui has fert vir optimus Regnoque Suedico & Excellentiæ Vestræ fidissimus. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram omnium rerum temporalium commodis diu privatam magis magisque locupletet donis spiritualibus in æternum profuturis. Lutetiæ 6 Iulii novi Cal. quo hic utimur, anni 1641.

Excell. Vestra semper inservire paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

AVdio ego prudentia esse monita quæ Imperatori sese gessere Lunæburgicus & Hassica. Quæ velim mihi 1506
legere contingat. Multum valere apud Imperatorem Hispani consilia, planè credo. Sed & Hispanus causas habet, cur hoc optare tempore debeat pacem Germaniæ. Ea autem obtineri non potest, nisi Lunæburgici & Hassicæ desideriis satisfaciat, quos Suedi deserturi non sunt. Quid verò sit, quod Averspergius ita subito è Bavaria discesserit, multum miror, nisi fortè vult Imperator mittere Principum aliquem. Turcarum cogitationes omnes in Moscoviam versas puto: in Hungaria autem siquid turbatum est, facilè compositum iri. Sed potest metus belli ab ea parte Imperatori prodesse ad corrogandas pecunias. Velim Torstensonium jam adesse exercitui Banneriano. Metuo enim nequid ibi novetur, Germanorum majore quàm Suedorum numero. Sedanensis tempestas jam intonare incepit. Rex per literas 11 Iunii scriptas ad Præfectos suos, Comitem Suessionensem, Duces Guisium & Bulionium incusaverat, tentatæ subditorum suorum atque etiam fratris fidei, & federum cum Hispano, volueratque eos haberi pro hostibus, ni intra mensem veniam à se peterent. Post id tempus sæpe in Parlamento Parisiensi fuit Franciæ Cancellarius, jussus curare, ut Majestatis rei fierent Duces Bulionius & Guisius, dissimulato adhuc Comitis Suessionensis nomine.

mine. Sed non aliud obtinuit, quàm ut vetarentur subditi Regis se Ducibus illis adjungere, pronuntiandi alioqui perturbatores quietis publicæ, sontes Majestatis, proditores Regis, patriæ desertores. Quod ipsum cùm publicatum est, apparuit offensos plebis animos: quæ à Principibus illis publicam pacem & leviora onera sperabat. Antequam Castilionæo, qui plus sex millibus non habebat, copiæ majores, quas Rex promiserat, advenerant, Principes die 6 Iulii sub vesperam eum adorti sunt. Pugnatum minus hora. Initia Regiis satis prospera & machinas Principum prætergressis, & remotis earum custodibus defensoribusque. Sed equitatus nescio qua re turbatus positos post se peditum ordines turbavit, fugamque intulit, unde clades ea secuta est, per quam Regiorum mille mortui, capti sunt plures mille ducentis. Equitatus & Castilionæus Reteliam se recepere. Ibi serum ad eos venit à Rege auxilium. Principes in hoc prælio XIV millia habuere, tum à se, tum à Lamboio. Gaudere cœperat in publico malo (nam Principum illorum successus Hispanorum secum utilitates trahunt) populus rerum novarum sine judicio appetens: sed eorum exsultationem infregit rumor latè vulgatus, neç tamen creditus omnibus, de morte Suessionensis Comitis, qui partibus illis fulgorem maximum adferebat, plurimosque ad se tracturus putabatur. Qui si interiit, non parum metus decessit Cardinali & Condæo Principibus, quibus eripere volebat, illi quidem regimen, huic verò natalium jus. Lotharingus adhuc nutat, inanique, ni fallor, conatu, id agit ut à bello liber vivat. Ad Airam tardi sunt progressus. Cardinalis Hispanus habere creditur XIII millia. Elnæ arcem jam ceperat Princeps Condæus priusquam in Catalaniam auxilium mitteret, retinuit in Ruscinonensi tractu quatuor millia. Atrebatum urbis Præfectus post Pontem Aventinum etiam Ervillam cepit, è terra castellum. Comes Harcurtius ad Tanarum exercitum habet, ad negotium dandum Principi Thomæ, ne is subveniat Mondevisio & Conisæ, quæ loca obsidet Marchio Villa, cum VII, ut dicitur, millibus. Terceræ arcem quandam adhuc Castellani tenent. Reliqua insula in potestate est novi Regis Portugalliæ, ut & Madera. Video Principem Electorem Palatinum bene sperare de Parlamenti Anglici propenso in se animo. Sed quamdiu manent dissidia inter Anglos & Scotos, & in ipso Angliæ Parlamento, nihil magni fieri potest. Forte Regis in Scotiam iter ibi pacabit omnia: ac deinde Anglis quoque multa concedendo efficiet, ut ab armis discedant sumptuosi exercitus. Est nunc in Anglia Fertimbautius, haud dubium quin laboraturus, ut fœdus aliquod inter Galliam Angliamque fiat. Sed & hæc consultatio, & de re Palatina, videtur exitura in annum qui sequetur. Si Episcopi amoveantur in Anglia, pro certo haberi debet, multos ex nobilitate offensos mutatione Ecclesiastici Regiminis adituros se Ecclesiæ Romanæ. Plebeius ordo vult credi, post mortem Staffordii, novam quandam fuisse coitionem cui permixta fuerit Gallia. Ego sicut Regem Galliæ puto bene velle sorori suæ Reginæ Anglicanæ, ac displicere ipsi imminutæ Regiæ Majestatis tam vicinum exemplum, ita dubitare cogor, an quicquam pro Rege Angliæ facere velit, priusquam eum ab Imperatore & Hispano planè abstraxerit. De Principe Electore Palatino scripsi nuper, Comitem Licestrium ei ubique concessisse, ac palàm dixisse non eum se honorem habere sanguini Regio, quia qui ex transverso Regem Angliæ attingant, nullam habent in Anglia eximiam dignitatem, sed dignitati Electorali quæ regali proxima multum alios Principes, etiam summo utentes imperio, antecellit. Miror Batavos adeo inflare utrem. Vereor ne crepet. Vt per omnia pares Regibus habeantur ægrè à Regibus obtinebunt. Res Portugallicæ, ni celeri auxilio juventur, facilè mutationem in deterius recipere possent. Marchio Bressæus adhuc Rupellæ hæret. Tarragona etiamnunc à Gallis obsidetur, ambiguo quis futurus sit eventus. Deus nos favens respiciat. Lutetiæ 13 Iulii 1641.

Pacatus est motus rusticus ad Bernam, rusticis culpam deprecatis: urbanis verò Magistratibus pollicitis curæ sibi fore nequid in posterum queri possent. Certi jam sumus de Suessionensis morte: quæ heri matri ipsius nuntiata est. Etiam Dux Bulionius vulneratus est. Campania quæ in metu erat quietura jam putatur. Dux Longavillanus omissa cogitatione itineris Germanici, Comitis Suessionensis successionem se à Rege impetraturum sperat: munera autem ejus Marescallus Bressæus. Cardinalis Hispanus ad Boisingam est. Ad Airam partim ad fossam, partim ad exteriora quædam munimenta perventum est.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

PRælium nostris felix fuisse ad Wolfenbuttelam video 1507
omnes literas consentire. Restat discamus quæ præmii ejus consequentia fuerint. Galli Stellam Ratisbonam misere. Putant Imperatorem non alienum esse à pace aut induciis, quia pecunias nec Hispanus habet, nec dare vult Bavarus: nec abest à Turca metus, cui avertendo quidam ab Imperatore missus est Constantinopolim. Dux Longavillanus omissa cogitatione de itinere in Germaniam (nam & cohortes eo destinatæ missæ sunt aliò) privatim rem fecit, accepta à Rege successione in bona Comitis Suessionensis: quæ liberalitas ipsi solatio erit adversùs negatam ei corporis huc travectionem. Lugetur mortuus à propinquis: non à Rege, Regina, eorumve comitatu. Non tamen cum ipso partes interiere, quorum se caput facere dicitur Dux Lotharingus: adjunxisse autem se Vindocinensis cum filiis & Valetta. Capto Doncheriaco nunc Mousono imminere dicuntur. Illud verò maximè miror, vulgare eos certos se esse ab Imperatore & Hispano bonam pacem obtineri posse, quasi ea res ipsorum sit arbitrii. Marescalli Castilionæi filio Rex cohortem dedit Pedemontanam. Ipse imperium in exercitum, qui brevi futurus speratur ad XVIII millia, habebit, sed pariter cum Bressæo. Principes illi ad XX habent millia. Et vili nunc vivitur Sedani. Expilarunt enim ejus loci milites Cassinam & Montemdei. Muniunt Chemeriacum. Cursitant latè. Ad Airam longiùs quàm putabatur obsidio trahitur, bona tamen cum spe, captis quæ extra fossam sunt. Ex Catalania verò læta audimus, terra cæsos multos Hispanorum: mari mersas naves quinque longas, ustas totidem. Sed & auxilia pedestria venisse dicuntur Taragonam, ita ut jam defendatur à VII millibus peditum, equitibus bonis mille & quingentis. Et classis Fernandini aucta est ad XL naves longas, minores alias. Exspectat verò alias naves à Gadibus XVIII, à Carthagine XXII quæ eò à Neapoli venere. In Gingibachium conatus non successit Erlachio, opponit se ei Gillo Hasius. Circa Bernam rustici ad opus redeunt. Badæ Helvetiorum Conventum in studia distrahunt præsentes Legati, hinc Galliæ, inde Hispani & Imperatoris. Significavit & mihi Princeps Elector propensa in se Parlamenti Anglicani studia. *Sed quamdiu Angli, Scoti, Hyberni dissidiis colliduntur, ac præterea ipsi inter se Angli, nihil de copiis ipsi dandis definiri poterit: nec, quamdiu id non fit, ad æqua impelli Bavarus. Fertimbautius autem, ut audio, strenuè in id laborat, ut Parlamento tollat conceptum de Gallia metum.* Elector autem nuptiis nullam, *quantum intelligere potui*, attulit moram, *nisi quod oravit, ut si fœdus cum* Batavis fieret, sui in eo haberetur ratio. Molina apud Rhætos militem pro Hispano scribit: pro Gallia miles exire non sinitur. Non tantùm in Danica ista contro-

 versia,

versia, verùm etiam cum iis quas cum Anglis de commerciis multas habuere Batavi, utuntur pactis cum Domo Burgundica olim factis: habetque id æqui speciem, non tantùm quia bonam partem possident eorum quæ Principes Burgundi tenuere, verùm & ob id quod in pactis non Principum tantùm, sed & populorum fit mentio. Schmalchium in Poloniam ivisse etiam mihi dicunt, qui hic sunt Suedi. Marescallum Hornium doleo retro ductum in Bavariam. Sed medebitur ei rei fedus Suedorum cum Gallis, quod prope consummatum est. Dum mari pugnatur commeatus quidam Taragonam advenere. Rumor est, sed incertus, de adventu classis Americanæ Hispalim. Deteguntur quotidie consilia cum Comite Suessionensi communicata per Normanniam, Aquitaniam, Languedociam. Ill. Dom. Vestram ejusque familiam Deus sospitet, & Nobilissimo filio felicem det itum ac reditum. Lutetiæ 20 Iulii 1641.

Ill. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1508 EO certè gloriosior est parta ad Wolfenbuttelum victoria, quod ad Suedos totus ejus honor redit. Et incipiunt rumores spargi de secutis victoriis aliis, de quibus certiora exspectamus. Et hæc, & Turcarum ingentes motus, deberent Imperatorem movere ad æquam pacem. De infelice Castilionæi prælio, compensato morte Comitis Suessionensis, jam scripsi. Ex eo Principes Elnam transgressi quinque vicos exussere, at nunc quiescunt, digresso ab illis partibus Lamboio, ut aliquid pro Aira moliatur. Videtur is velle castra Gallica à commeatibus excludere & carros dicitur cepisse sexcentos. Hæc res coget Castilionæi exercitum, relicta parte ad Campaniæ tutelam, propius Airam ire, sicut & Rex ea de causa venit Abbatisvillam. Cœpta autem sunt colloquia quædam Regiorum cum Bulionio Duce, quorum perficiendorum causa creditur Mazarinus iturus Sedanum. Si id fit, non multum poterit Guisius, nec qui in Flandriam venisse dicuntur Vindocinensis & Valetta. Dux autem Lotharingus neque illis se adjunxit adhuc, neque aperit quid velit. Cum exercitu suo ad Mosam accedit, misit scribam suum ad Regem, tentat nova pacta eò maximè tendentia, ut in hoc bello liceat sibi esse medio. Rex id non concedit, neque fidem ei unquam habebit, deceptus ab ipso tanto cum malo. Nam clades illa Castilionæi per ipsius tergiversationes evenit. Regina Mater videtur Coloniam ire, alenda ibi à Regina Angliæ, quæ in arcano tantundem recipiat à fratre suo Galliæ Rege. Vix erit ut ungues suos abstinere possit ab isto ulcere Sedanensi, si tamen id manet. Lamboius habere dicitur tria peditum, tria equitum millia. Sed non est dubium, quin aliæ ad eum copiæ sint accessuræ. Brunswicensi & Hasso spero mansuram concordiam, donec res ad bonam pacem perducatur. Audio in Parlamento Angliæ satis esse propensas omnium pro Electore Palatino voluntates, ipso Rege Angliæ negotium commendante: sed nihil adhuc definiti decretum. Reginam Angliæ non mediocriter incendet reatus Pœnitentiarii ipsius apud Parlamentum. In Italia Harcurtius arcem cepit Cuevam nomine, sed Mondevisium, quod Galli obsidebant, auxilia introiere. Ex Massilia quidem perscribitur mari nova quædam victoria Gallis ad oram Catalanicam obvenisse, sed parum fidei adhuc habetur ei famæ: contraque non dubitatur quin in Tarragonam, cujus fames sperabatur, invecti sint commeatus. Pro rebus Portugalliæ multa me reddunt sollicitum. Classis Gallica eò itura, Rupellæ hæret. Aira & Gennepa exiguum quid sunt, pro ea spe quam hic annus nobis ostentabat, sed apponendum est lucro quod haberi potest. Deus Ill. Dom. Vestram ejusque caros sospitet. Lutetiæ 27 Iulii 1641.

Papa controversias graves habet cum Hispanis ob vim utrinque factam ad fines Neapolitanos: & cum Genuensi Republica ob excommunicationem Episcopi contra Magistratum quendam. Episcopus retentus: Legatus Genuensium à Roma revocatus est. Venit Constantinopolim Legatus Persa. Abiit inde ad Euxinum mare fine Aprilis classis XLII navium longarum, LXI Caïcarum.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

CEssit Gallis Aira 27 Iulii. Egressi sunt milites mille 1509
& quingenti. Castilionæus & Bressæus in Doncheriaco, quod Principes ceperant, recuperando occupantur. Rex ipse & Cardinalis apud Mazeriam sunt, dantque operam, ut prohibeant illos Principes ne Mosam transeant, id si obtineant, sperantes Sedanum inopia commerciorum & fame ad pacta venturum. Poterit id succedere, nisi se Dux Lotharingus illis Principibus adjungat. Is quid facturus sit, latet etiamnum. Aliis nuptat, aliis nictat, tributa interim sumit magna ex agris omnium. Nunc Parlamentum ex jussu Regis lege agere incipit contra memoriam Comitis Suessionensis. Gallis conatus in Alexandriam in Italia non successit. Dicuntur etiam Sontiæ & Vercellis struxisse insidias quæ eventu caruere. Agunt nunc in Montisferratensi agro, locisque vicinis, dicunturque Nicæam illam quæ Paleæ dicitur obsidere equitum duobus, septem peditum millibus: quibus se opponere vult Princeps Thomas. Naves ab America in Hispaniam venere. In Tarragonam commeatus quidam invecti sunt, dum nuper mari pugnatur, quo tempore XII naves longas Hispanorum periisse constans hic fama est. Res agrestium ad Bernam ita composita est, ut pœna omnibus sit condonata culpam solenniter deprecantibus, & Balivis, quorum rapacitas causam motui dederat præscripta arctiora mandata. Agrestes Lemburgici sine vi tantundem obtinuere. Helvetii Pontificii multum laborant ut Burgundiæ Comitatus extra bellum sit, vellentque Regem Galliæ eo cogitrè vocando alioqui Helvetio milite. Non placent hæc Protestantibus, neque ii multum curant res Comitatus, memores auxilia Pontificiis contra se promissa fuisse meminere. In Valle Telina Protestantium multi sacra mutant, alii contra edicta magno cum periculo in patria manere malunt, quàm incerta exsilia experiri. Legatus Galliæ Gullero pecunias repetit ei datas ad scribendum militem quem exire Rhæti non sinunt. VIII Directuræ in Rhætia libellis editis libertatem suam contra Domum Austriacam tutantur, fatentes interim mulctas quasdam & jus Præfectos quosdam constituendi ei Domui deberi. Taurisium Persidos urbem ferme totam eversam terra movente audimus, à Sultano spem adhuc nullam esse sobolis: & in navali quod est Galatæ arsisse naves aliquot, & paratus belli crescere sive in Moscovitas solos, sive & in Hungariam. Regina Angliæ multum expetit ire ad Aquas Spadanas. Sed impedit id quantum potest Galliæ Legatus, metuens ne Principum Sedanensium factiones alere quærat, vel Matris suæ, vel pacis promovendæ causa. Iam intelligimus Doncherium captum: Lamboium ad Namurco vicina se recepisse commeatuum causa: Cardinalis Hispani exercitum esse ad Sancti Venantii: Lotharingi Ducis apud Lonwiacum. Cum Simmerensi acta qualia sint aveo doceri. Si Angli societatem Americanam apud se faciant, vereor ne brevi lites eorum videamus cum Gallis, & cum Batavis. Puto coiisse fedus inter Suedos Gallosque. Sed Electoris spes non inde, sed ab Anglia pendent. Decretis fortibus & bene definitis opus est. Ea quæ Brandeburgicus molitur, utinam ad bo-

bonam pacem nos ducant. Videntur Batavi in spem adducti transigendi cum Dano. Deum oro ut Ill. D. Vestræ omnia faustissima largiatur. Lutetiæ 3 Augusti 1641.

Conisii obsidio soluta est introducto illuc per Hispanum milite. Dux Guisius à Bruxellis adducere dicitur quatuor hominum millia. Multi qui Comiti Suessionensi se addixerant Regis venia utuntur. Sunt qui putant Rinfeldio imminere Gillonem Hasium. Hispani commeatus quosdam qui à Dorlano ad urbem Atrebatum ibant intercepere, cum aliquo Gallorum damno.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobilissime Domine,

o VErum est bella ferme omnia seculi nostri per Religionis dissidia nasci aut ali; at illa de Catalania & Portugallia alterius sunt generis videnturque fore diuturna, quia neque Rex Hispaniæ veteri patrimonio volet decedere, neque ii quibus suspecta est magnitudo Hispanica desinent aggerere ligna isti incendio, quod ad Arragoniam quoque perventurum & spes & rumor fuit, sed falsa hactenus. Novum Portugalliæ Regem secuti sunt Præfecti ejus gentis in Brasilia in Angola & in Insulis Madera & Tercera: Thomæ, Principis, putanturque iidem se partibus addituri qui in India sunt Asiatica. Batavi cum ea gente inducias quidem fecere, sed quæ non incipient vim habere nisi in India anno, in Brasilia mensibus post probationem à novo Portugalliæ Rege. Turcæ paratus videtur Asacum & Moscoviam præcipuè petere: sed neque Hungaria extra metum est, & novæ ex Ægypto copiæ ingentes adventant. Sicut is qui à Suedia venit bene exceptus est à Brandeburgico, ita acceptus Zentmanteius qui eò venit Brandeburgici missu, ita ut nobis liceat ex his initiis non localem tantùm, sed & universalem Germaniæ sperare pacem, præsertim Palatini causam multò quàm antehac fortiùs agentibus Anglis. Hic Aira Gallis cessit, ut Batavis Gennepa. Principum Sedani exorta factio morte Comitis Suessionensis speciem viresque amisit, sed ei caput jam se facit Dux Lotharingus cui adhærent Guisius, Vendocinensis, Valetta; nam Bulionius Dux videtur ad Regis gratiam respicere. Deus pacem det Christianis inter se, idemque Nobilitatem Vestram paternè protegat. Lutetiæ 9 Augusti 1641.

Nob. Vestra ad omnia officia paratissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustrissime Domine,

11 RES ad Wolfenbuttelium novum prælium parturire videntur. Pro Dorsteria autem servanda spero Batavos facturos quicquid illæsa cum Germania pace fieri potest. Est verò illud jam receptum, ut auxilia mittantur amicis mutato militiæ nomine. Celerandum planè erit Torstensonio, si volunt Suedi sui reverentiam manere isti qui in media Germania est exercitui, qui mixtus ex diversis populis, procul à Suedia, clarus successibus, quotidie aliquid omittit de verecundia. Multum expeto cognoscere quod responsum ab Imperatore relaturus sit Rous. Si tanta pro Palatino animorum in Anglico Parlamento conspiratio, rumor de armis in Americam transmittendis, amissa Portugallia omnis, ad quam juvandam jam à Rupella abiit cum XXIV navibus Regiis Bressæus Marchio, Catalaniæ perparum reliquum, Imperatorem & Hispanum, qui connexas inter se res habent, movere non possunt, ut ad ea quæ æqua sunt in negotio Palatino veniant, videtur eos Deus in majores clades reservare. Et certè quod de Wolfenbuttelio tam pertinaciter certant, facit ut eos pacem bonam seriò velle vix credam. Alioqui aliquid largiendo Lunæburgico & Hassicæ, simulque Palatinum negotium componendo, multam materiam bellico incendio subtrahere poterant: ad quæ si accessisset amica quædam transactio inter Sueciam & Electorem Brandenburgicum, vix quicquam restitisset quod pacem illis in partibus moraretur. Perplacent mihi Acta Parlamenti Anglicani in negotio Palatino, quanquam mallem continerent aliquid definitius. Illud autem egregium quod Hispano Legato conquerenti dilectus sibi permissos ad VIII millia per Hyberniam inhiberi, respondere Parlamentarii opus habituram Britanniam suo milite ad restituendum Principem Palatinum, si id verbis obtineri nequeat. Episcopis Angliæ videtur mansurum nomen prope sine re, accisa & opulentia & auctoritate. Mihi non displicet Ecclesiæ pastores & ab inani pompa & à curis sæcularium rerum sublevari. Reginam Matrem quò minùs abeat ex Anglia, nemo retinet: nec Galli ubi consenescat, multum curant. Reginæ autem Angliæ consensu Parlamenti perducta videtur, ut cogitationem transeundi maris abjiciat, si Majarmo credendum est, animo magis ægra quàm corpore. Quod si ad phthisin vergit ejus valetudo, dicuntur aquæ Spadanæ talibus non esse utiles. Cum Duce Bulionio transactam rem, sanè gaudeo. Venit is ad Galliæ Regem: videturque Sedanum futurum partim in ipsius, partim in Regis potestate, ut aliquo tempore sub Henrico IV. Cæterùm Dux Carolus (ita enim hic nunc rursus appellatur, qui vocatus fuerat Dux Lotharingiæ ex quo Regi conciliatus fuerat) Mosam transiit ad Carolomontium, adjuncturus se Cardinali Hispano & Lamboio qui nunc magnis copiis obsident exiguum oppidum Lillerium & castellum ad Teruanam, a Gallis nuper capta, muniuntque Basæam. Rex verò partim his se opponet, partim mittet qui recuperent loca Duci Carolo per nimiam credulitatem data, ab ipso autem munita ex pecuniis quas ex Gallia acceperat, Mottam, Bichiam, Lunævillam. Ego ad Regem ibo, ut effectam dem libertatem Marescallo Hornio. Mondevisium Harcurtio cessit. De Conisio incerti sumus. Non videtur quantum antehac abhorrere Rex ab eximendo à belli incommodis Comitatu Burgundico. Sed Helvetios quibus Graia in custodiam danda esset, Rex Protestantes vult esse, non Pontificios. Ideò quod Pontificii illi planè ab Hispanis pendeant. Gillo Hasius Wirtembergicum agrum petere dicitur, insequente eum Erlachio. Deus Ill. Dom. Vestram incolumem, florentèmque servet. Lutetiæ 9 Augusti 1641.

Lillerio per vim capto hostes minitantur Airæ obsidium.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

VIdi Regem Remis bene valentem. Impetravi ab eo 1512
pro libertate Marescalli Hornii quæcunque ab ipso exspectari poterant. Deum rogo, ne nova alia rei adeo optandæ interveniat mora. Hostium exercitus grandis factus accessione Ducis Caroli, ad XXIV ut fama est, millia. Ad Airam se posuit in iisdem munimentis quæ Galli sibi fecerant, neque dejecerant, quod fieri solet ab urbium captoribus, ideo quod famem metuentes, hoste agros circum tenente, Ranzovio suasore properè se inde abstulerant, relicto præsidio ad IV millia & commeatibus in menses quatuor. Nunc Rex eo se ire dicebat experturum utro se datura esset belli fortuna. Percommodè evenit Regi quod cum Bulionio Duce res composita est, datis ei pecuniis & conditionibus quas postulaverat, de corpore Comitis Suessionensis inferendo in monumenta majorum, deque ejus memoria & iis qui partes ejus secuti sunt, non lacessendis. Sedani custodia partim

Digitized by Google

partim penes Regem ut puto, partim penes Ducem erit, ut quondam Henrici IV temporibus. Protestantes qui Sedani sunt magnam à Rege iniere gratiam quod Gallis, qui captivi Sedanum abducti fuerant, multa exhibuere humanitatis officia. Guisius intellecta transactione Bulionii cum suis abiit Sedano, at Virgilius Malvezzius Hispanicus Legatus, & alter ab Imperatore, propinquus Traumensdorfii, exspectare voluerunt, donec eis Dux Bulionius denuntiaret nihil illis amplius apud se esse negotii. Ita subitò mutantur rerum vices. In Catalania Motta Odincurtius auxilium accepit quatuor millium, & Burdegalensis Archiepiscopus naves longas quatuor, sex alias. Quos in Lotharingiam Rex miserat sub Grancæo, eos jam revocat ob Airæ periculum. Etiam nobilitas locorum proximorum ad arma vocatur. Nec minus xxx millibus ibi habiturus est Rex. Coëunt ejus exercitus circa Teruanam. Nothus infans Comitis Suessionensis baptismo oblatus est per defuncti Comitis matrem & Longavillanum, factusque Eques qui nondum peditis officium didicit. Gillo Hasius depascit Badensem Marchionatum, Erlachio nunc intra Brisacum conquiescente. Quidam existimant Gislonem Hasium ire auctum Piccolominæi copias. Fama hic est propositum Imperatori Legationem mittere in Angliam, nempe ducendo tempori, ut antehac. Literas è Gallia quæ in Brabantia retardatæ fuerant, spero jam manumissas. Vidi quæ in Anglia acta sunt in negotio Palatino, perplacent, tantùm desideratur definitius aliquid de auxiliis. Alioqui vix erit, ut revomant bolum, qui eum devorarunt. Magnum verò damnum est, tempus perdere. Miror Torstensonium nondum esse in exercitu capitis egente. Ex colloquiis inter Suedos & Brandenburgicos boni spero aliquid, non ipsis tantùm, sed & omni Germaniæ. Fedus inter Suediam & Galliam ita factum est, ut pecunia quam dat Gallia Suedis augeatur adjectis centum mille Francis: duret autem fedus ad pacem usque communem: de qua constituenda in arcano quædam convenere. De locis colloquii ad pacem tam diu disputari, miror sanè. Bellum civile Rex Galliæ jam exstinxit. Nam quæ Dux Carolus & Duces Guisius, Vendocinensis, Valetta facere poterunt, ea pars erunt belli quod gerunt Hispani. Gallorum autem nemo facilè reperietur qui se aut Hispanici dominatus, aut perfidiæ Lotharingicæ ministrum faciat. De Wolfenbuttelio bonos nuntios exspectabimus. Dorstenæ autem arbitror jam consultum, transcripto in aliud militiæ nomen milite. Nisi id faciunt Batavi in sua peccabunt commoda. Regina Regis Galliæ mater Coloniæ erit impensis Regis Britanniæ: qui dabit operam ut à Rege Galliæ indemnitatem consequatur: sed ejus rei sponsor esse nolim. Regina Angliæ videtur manere, ne abitu accendat odia jam residentia. Sed juvenis Principis Arausionensis nuptam ante ætatem, qua res nuptiarum impleri possit, ituram non puto. Regina Suedica mater animi causa abiit, & animi causa, quantum video, erit in paupertate aut oneri hospitibus. Magna sanè nostra ætas documenta dedit, nihil esse extra fortunæ tela positum. Rex Regum ista suis arbitriis dispensat, quem Ill. Dom. Vestræ semper opto propitium. Lutetiæ $\frac{7}{17}$ Augusti 1641.

Millereius priusquam ab Aira abiret congressus cum hostium parte, cepit signa novem, carros CCC. In alia pugna Galli quatuor centurias gentis Hispanicæ disjecere. Roma Legatus Hispanicus omisit celebrare solitis ceremoniis diem Sanctæ Elisabetæ, Reginæ quondam Portugalliæ. In Regno Neapolitano & oppidana munera publicè væneunt quærendæ pecuniæ ergo. Harcurtius terram quæ Languesa dicitur insidet. Inter Burgundos Ducatus & Comitatus de induciis agitur. Anglos audimus Regi suo dare XXVI milliones ex capituli tributo.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

REgis exercitus oppositus Hispanico, & Hispanicus 1513
qui Airam obsidet, pares ferme sunt ad xx uterque millia. Regius exercitus multos habet voluntarios & è Picardia nobilitatem, crediturque oppugnaturus castra quæ Hispani augent assiduo labore. Heri certè in hac urbe per monasteria omnia preces factæ sunt pro bono eventu. Qui in urbe obsidentur, imbellem turbam excere, ne fames, quæ, si obsidio trahitur, eis imminet, per id acceleraretur. Marescallus Bressæus modicum agmen apud Peronam habet, tentaturus si metu invadendæ Belgicæ ab Aira hostem possit abstrahere. Quod si Rex ab Aira hostem neque sic abstrahere, neque vi depellere poterit, id superest ut & ipse aliquam obsidionem aggrediatur: & sermones sunt de Insulis aut Duaco. Dum Princeps Arausionensis, qui ob id XII millia Francorum extraordinariæ liberalitatis à Rege accepit, partem magnam hostilium virium tenebit occupatam. In exercitu Hispanico auxiliis Cæsarianis supra Lamboium impetrat Guisius Marescalli titulo. Est in eodem exercitu Elbævius. Rex aliquem militem adhuc in Lotharingia habet sub Gransaio: qui moliri videtur Barri obsidionem. Dux Carolus ibi cohortem & turmas duas reliquit. Reliquus ejus exercitus inter Montes & Valentinianas est. De Conisio & Taragona exspectamus nuntios. Principem Thomam magnis à Rege promissis Dux Longavillanus sollicitat, ut Gallicas partes Hispanicis præferat. Sed non puto id effici posse. Gillo Hasius ad Philippiburgum copias habet. Certatur illis in locis inter Cæsarianos & Gallos pecorum raptu. Messis Alsatiæ feliciter peracta est. Comes Susæ commeatus quosdam à Vesontione venientes intercepit cæsis custodibus, & ad Philedorfium turma quædam hostium cæsa est. Venit hic Brunus futurus in Gallia Residens Anglicanus. Vidit in carcere Archiepiscopum valentem corpore & animo. Is Brunus narravit mihi multa de Parlamenti dissidiis, etiam in ipso inferiore Conventu super forma non gubernationis Ecclesiasticæ constituenda. Marescallus Castilionæus ægrotat. Imperator dicitur trahere negotium Palatinum. Disjungere Legatos Anglum & Danum & promittere Legationem in Angliam. Deus Ill. Dom. Vestram cum suis omnibus servet incolumem. Lutetiæ 24 Augusti 1641.

Iam nunc audimus eos qui Airæ sunt opere cornuto noviter facto suæ tutelæ consuluisse, sed timere famem. Hispanos ad tutanda castra fecisse castella tria, imposuisse singulis senas machinas: acceptum à Gallis Pontem Aventinum apud Insulas: in Lotharingiæ partibus Barrum, Pontemmoussonum, Nomeniacum.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

GAudeo literarum mearum nullas intercidisse. Tor- 1514
stensonium cum supplementis advenisse, partim in Pomeraniam, partim in Meclenburgicum, lubens ex D. Salvii literis disco, & consummatum inter Suedos & Batavos fedus ad liberiorem maris usum. Rectè judicat Ill. Dom. Vestra cunctationem illam, quæ videatur nunc velut agnata Suediam regentibus, non omnibus negotiis convenire. Multa differendo fieri pejora. Induciæ illæ cum Brandenburgico pactæ ad majora bona, ita spero, viam nobis struent. Portugalli impedire non debent quominus Reges nationesque in Asia ab ipsorum imperio liberæ cum Suedis, aliisque, si volunt, contrahant. Intelligimus hic illam de titulis controversiam inter Danos & Imperatorem compositam. In Palatino negotio videmus veteres trahendi artes. Itaque decreta, &

quidem

quidem fortia ac definita, ab Angliæ & Scotiæ Parlamentis exspectanda erunt. Tentamenta ista quæ Lunæburgicis admovet Imperator, jam cessabunt, quandoquidem fedus inter istam domum Suediæque Regnum ultimam jam accepit manum. Id Hassicam quoque confirmabit: cujus non majorem haberi à Batavis rationem valde miror. Debebant enim morem illum Hispani militem suum commodantis Imperatori aut imitari aut ulcisci. Schmalcius, ni fallor, plus dedecoris quàm noxæ adferet rebus Suedicis. At certè aut non tanto impetu provehendus, aut retinendus fuit. Morte Suessionensis & re composita cum Bulionio, quibus in rebus ingens fuit Regis felicitas, libera jam Gallia est à bello civili. Nam siquid Guisius & Valetta movebunt, id erit externum. Dux Carolus adhuc velit sua habere extra bellum, sed surdis canit. Iam enim armis Grantzæi & Halerii exutus Barro, Pontemoussoni, Sanctomichaele, Ligniaco, Grondecurtio, Novocastello, Trenelio, Mirecurtio, nihil retinet præter Lamottam, Spinale, Remiremontium, Bicham. Ad Airam hostis, præter quod famem opperitur, agit etiam operibus. Interim Millereius & Bressæus cepere oppida Lentium & Bassæam, quorum hoc satis munitum erat qua operibus, qua præsidio, sed pulvere bellico destituebatur. Inde jam ituri putantur ad Lisam flumen, ut commeatus, qui ab Insularum oppido adventare solent à castris Hispanicis avertant. Pari pulveris penuria laborare Conissium dicitur, & ob id brevi se eo potiturum sperat Harcurtius. Et quia in arce Taurinorum pulvis casu aut dolo arsit, Princeps Thomas in proximo ad Vulpianum se posuit, videturque urbis Taurinorum novum obsidium agitare animo. Tarragonam terra Leganesius, mari Ferrandinus subvenire voluere: sed aiunt Galli nihil ab illis effectum, & strenuè esuriri in oppido & Hispanorum castris circum oppidum, equis in alimenta hominum absumptis præter quingentos. Sperant tamen Hispani aditum sibi ad urbem fore mari, ubi menses procellosi, qui nunc instant, Gallos vetuerint in eo mari consistere. Barcinonensis civitas graviter fert Gallos hospites. Sed iis qui frænum semel momorderunt præter querelas nihil relictum est. Iter meum ad Regem felix fuisse, meque omnia quæ ab ista parte optari possunt, impetrasse, antehac scripsi. Deus Suediæ, federatorumque ejus res, & nostras privatas, respiciat semper propitius. Lutetiæ 31 Augusti 1641.

Cardinalis Hispanus Stegæ ægrotare dicitur.

Ill. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

D. SPRECHERO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

15 QVanti Nobilitatem Vestram semper fecerim ob constans studium tuendæ patriæ libertatis & pacis inter Christianos, ipsa conjecturam fortè facere aliquam poterit magis ex verbis meis quàm ex factis, quia bene de Nobilitate Vestra loquendi semper mihi fuit; bene autem faciendi magno meo cum mœrore nunquam mihi facta est copia. Cæterùm ego mihi ejus judicii planè sum conscius, vidique amicam manum Nobilitatis Vestræ magno cum gaudio, ipsoque ex animo tum communi Rhætorum, tum Nobilitati Vestræ omnia prosperrima, deque & hujus & illius morbis plurimum doleo. De controversia Engadinæ Inferioris & octo Iurisdictionibus multa didici partim ex rumore partim ex scriptis editis & non editis: audio autem nuper prodiisse ea de re libellos qui hucusque non pervenerunt, eos si quando videro aut Nobilitatis Vestræ comitate aut alia quavis occasione, potero rectiùs de toto negotio & judicare, & si ita res tulerit loqui. Vlyssem de quo loquitur epistola Nobilitatis Vestræ non minoris facio quàm illum quem Homerus proposuit politicæ prudentiæ exemplar, & si rebus id ostendere possum faciam. Suedi nostri fedus de integro fecere cum Gallis duraturum ad pacis usque tempus, in cujus spem id fedus factum est. Federi adjunxit se Domus Lunæburgica, idem facturam puto Hassiæ Viduam cum Electore Brandenburgico. Inducias fecit Suedia in annos duos, & alia inter eos agitantur majora. Deus nos magis magisque illustret ad cognoscendam veritatem suam & viam pacis, ac sic nos ad bona æterna præparet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Augusti 1641.

Nobil. Vestra ad omnia officia paratissimus H. G.

D. SALVIO.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

MVltis modis me delectant literæ Excellentiæ Vestræ 1516
quæ & fedus inter Suediam Galliamque honestis legibus compositum docent, & accessurum ei federi Brunsvicensem. Quæ omnia ut bene vertant rei Suedicæ, utque nos ducant ad bonam pacem Deum pacis auctorem precor, gaudeoque loca de pace agendi placuisse satis vicina Osnabruggum & Monasterium. De Marescallo Hornio promisere mihi Rex & Chavigniacus quicquid volui. Itaque restat detur opera ut reducatur Lindavium Marescallus, quam in rem laboraturum confido D. Mokelium. Valde desideratus ad me advenit nuntius iste de adventu Torstensonii in castra. Batavis quoque de federe cum Suedia gratulor, puto autem ad eos maximè pertinuisse, ut ea famâ conspectiores faciliùs cum Danis res suas componant. Excellentiam Vestram Deus sospitet. Sum eroque semper. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Augusti 1641.

Excell. Vestra addictissimus cultor H. G.

D. MILONIO.

Amplissime Vir,

SIcut literas aliquas ad me intercidisse & doleo & miror, ita pro illis quæ 17 Iulii scriptæ nunc ad me pervenerunt, summas Ampl. Vestræ ago gratias, precorque, ut omnia illa consilia bene Reginæ Regnoque Suedico eveniant; præcipuè verò ut eorum qui ad negotium pacis mittuntur laboribus Deus adspiret, cujus ego negotii successum nunc magis quàm ante sperare audeo, ex quo per inducias cum Electore Brandenburgico factas non minima difficultas è medio tolli videtur. Quod si jam & Wolffenbuttelum Imperator concedat Brunsvicensibus, & Landgraviæ relinquat quæ tenet, non ita multum restare videbitur quod morari possit Germaniæ pacem, præter ea quæ tenet Gallia, in quibus maximum impedimentum pacis mihi videor prospicere. Nam Palatino Principi puto auctores fore Anglum & Danum, ne conditiones quamvis non planè optimas repudiet. Est enim adhuc totius Britanniæ is status, ut ad bellum externum non ventura videatur. De Marescallo Hornio paratus quidem est Rex facere quidquid volumus, ut ad magnum D. Cancellarium scripsi; sed quid jam facturus sit Bavarus adhuc nescimus, exspectoque de eo quid mihi scripturus sit D. Mokelius. Audio in Aula hac non probari duritiem D. Davausii, quod fedus tam diu moratus sit non ferendo promissum de permutatione Hornii ei inseri, cùm id sive insertum sive non insertum æquè Regem obliget. Et pulchra occasio expediendi istius negotii periérit dubium an reditura. Torstensonius cum supplementis in ipso temporis articulo adveniet. Quandoquidem novum Portugalliæ Regem agnovit Suedia, ego quoque ejus Legatum ordinarium qui hic venturus est omnibus quæ inter Legatos Regum frequentari solent officiis prosequar, quod antehac facere distuli, quia mandata, quanquam sæpe id postulans nulla acceperam, neque audebam rem tanti momenti mei arbitrii facere, quod nec Angliæ Legatus fecerat. Inter Batavos & Danos transactum iri puto ut sæpe antehac. Tenaces quidem pecuniarum

Digitized by Google

rum sunt Batavi, sed belli satis habent. Quid in Moscovia pro Dania acturus sit Comes Valdemarus, & an non majus aliquid piscatu aut mercatu lateat facilè cognoscent Regni Suedici Rectores. De Procopii editione nihil intellexi. Prolegomena quidem mea quæ ad Magnum D. Cancellarium scripsi esse in multorum manibus, itaque posse edi vel me inscio scio: item Lugduni esse versionem factam olim à Vulcanio; verùm eam & inutilem esse & multis locis vitiosam certus sum, quandoquidem ego & manuscripto ex Bibliotheca hic Regia, partim etiam conjectura sexcenta non minus loca emendavi, defectus autem ingentes qui in Græco sunt supplevi ex Vaticanis codicibus: meam autem versionem diligenter custodio, editurus ubi alia quædam eodem pertinentia nactus fuero. Spes enim mihi multis ex locis facta est adipiscendi, Glossaria Gotthica latentia in Bibliothecis illorum locorum in quibus Gothi olim regnavere. Sed ea adhuc quæro. Quod si cum Hispania pax esset, possem inde etiam accipere quæ meam editionem essent ornatura. Velim enim omnia quæ ad antiquitatem pertinent gentium ex Scandia ortarum uno complecti volumine. Deus, Vir Amplissime, Amplitudini Vestræ faveat. Lutetiæ 7 Septembris novi Cal. 1641.

Ampl. Vestræ addictissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1518 IN Marescalli Hornii negotio nihil est quod à Rege desiderari ultra possit. Sed voluntas Bavari exspectanda est. Airæ famem opperitur qui obsidioni isti per morbum Cardinalis Infantis præest Beckius. Obsessi alimentorum copiam sibi auxere salitis equis quingentis. Est alter sub Lamboio & Guisio Hispanorum & Cæsarianorum exercitus qui ex præsidiis & Flandro milite crescit indies. Is se Gallorum opponit conatibus. Visi sunt Marescalli Bressæus & Millereius non longè ab insulis, verene molientes obsidium ejus urbis, an eo metu hostem sperantes ab Aira abstrahi posse, an ut improvisi castra assultent, variè dissertatur. Et hæc quidem mediocria: ad Consium res ambiguæ: verùm ad Tarragonam magna clades accepta est. Hispani adjuti à Genuatibus collecta classe Galeonum XL, navium longarum XXX, Fustarum insuper & Brigantinorum bono numero, diebus secundo & tertio Augusti adorti classem Gallicam quæ sub Archiepiscopo erat Burdegalensi, pepulere eam. Recessit ea primùm ad Caput quercus promontorium ejus regionis: deinde Massiliam. Victores Hispani eadem classe Barcinonem nunc premunt, pressuri & terra, ut creditur. Parantur & in Portugalliam valida arma, non una ex parte. Comitatenses Burgundi agros circa Metim, Virodunum & Tullos incursant. Dux Carolus ex Lunemburgico in Lotharingiam redit, ubi multis jam oppidis captis Spinale obsidet Gransæus, nihil est quod Gallis ibi obsistere diu possit præter Lamottam. Sirici est consilium Ducis, ibidem Cantecroia tam exosa omnibus, quàm amata Duci. Principi Arausionensi satis adhuc hic annus temporis largietur ad præclari aliquid agendum. Spero nos brevi intellecturos adventum Torstensonii cum egregiis supplementis ad castra apud Wolfenbutelam. Ea res genti Suedicæ quassatam auctoritatem restituet. De Dorstena spero fortiora consilia capturos Batavos. Imperatorem omni modo id acturum ut negotium Palatinum trahat, nimis manifestum est. Sed an à Parlamento Angliæ exspectari possit virile decretum de certis pecuniis ad id negotium destinandis, sermones quorundam, qui res Angliæ penitus introspexere, dubitare me cogunt. Hiberniæ portus clausos studio ne milites inde ad Hispanum eant. Reginam Matrem Duberniæ esse ut mare transeat. Motus in Anglia per absentiam Regis metui, in Parlamento circa Episcopos multum discordari. Solet Rex Angliæ ubi Parlamentum solvitur criminum indulgentiam dare, id ut faceret rogatus, dixit se id ita facturum, si & captis & exsulantibus venia daretur. Cùm id Parlamento minùs placeret, relicto isto negotio in Scotiam abiit. Ibi quoque dicuntur esse dissidia, & credibile est non fore, ut eadem semper velint Proceres, plebs, Ministri. Dicitur Moscovius felix fecisse in Turcas prælium. Si Turcarum Sultanus sine virili stirpe moriatur, bellum in eo Imperio civile vitari non poterit, cujus successionis incertum. De literis virorum in Gallia eruditorum loquar cum amicis. Interim Deum precabor, ut Ill. Dom. Vestræ res semper det prosperas, & senectutem neque gravem neque publico inutilem. Lutetiæ 7 Septembris 1641.

Gaudeo libertatem datam Principi Ruberto: timeo tamen ne & hoc moram injiciat decretis Anglicanis. Granzæo additæ sunt alæ sex. Exercitus duo Bressæi & Millerei facere dicuntur XXX mille, & jussi alimenta secum ferre in octo dies, velut in hosticum irrupturi. Lamboius cum Guisio decem habere millia dicuntur. Beckius sex millia militum, agrestium quatuor. De Guisio per absentiam damnando bonisque ejus confiscandis agitur in Parlamento. Cæteris qui Comiti Suessionensi aut Bulionio adfuere publicata abolitio. In Italia Marchio Villa Principis Thomæ milites Cheraico insidiantes ita cecidit, ut mortui dicantur octingenti, vulnerati quingenti.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

GAlli Bapalmam obsidere ceperunt, relictis ad Airam 1519
Hispanis. Si capietur Bapalma, teget Attrebatum urbem & viam patefaciet ad Cameracum. A Principe Arausionensi magni aliquid exspectatur hoc adhuc anno. Puto posse eum in Brabantiæ interiora penetrare. Lotharingus novas tentat conditiones cum Rege. Verùm ego non video quomodo fides tam insigniter læsa restitui possit. Interim Duci Guisio ex decreto Parlamenti Parisiensis absenti imaginaria decollationis pœna irrogata est: bona autem ejus quæ à Corona venerunt Coronæ, cætera sine ullo onere Regi adjudicata, seriò planè: & quæ tenebat Ecclesiastica beneficia vacare pronuntiata. Dux Bulionius huc venturus putatur cum uxore, cui Cardinalis valde comiter commendari se voluit. Non dubito 1520
quin Rex acturus sit cum Batavis, ut illi restituantur Præfecturæ & munera militaria. Avidè exspecto certum fieri de Torstensonii & supplementi adventu in castra: & quid de Wolfenbuttelio futurum sit: nam rumor est discessisse inde nostros, ut Piccolominæi ulteriores processus impediant. Imperator videtur Hispani molitionibus impediri ne de pace cogitet, quæ sanè, si in sola Germania fiat, mirè profutura sit Catalanis & Portugallis, quibus adjuvandis vacuas habitura esset vires Gallia. Cæterùm sicut Cataloniæ res post ultimam mari pugnam non optimo sunt in loco, quanquam dicitur cum nova classe eò ire Marescallus Bressæus, velut repetiturus Tarragonæ obsidium, de quo multum dubito, ita Portugallia malis internis non levibus laborat. Conjurarunt omnium Ordinum viri plurimi in Regem novum, Reginam, liberosque eorum. Quidam qui ei conjurationi nomen dederat, pressus conscientia atrocis facinoris, rem aperuit pœnitentiario suo, & hic pœnitentiario Regis, is verò Regi. Capti sunt homines prope triginta, Archiepiscopus, Episcopi, Duces, Comites, Inquisitores, nobiles, plebeii. Apud quendam civem Vlyssiponensem ingens vis reperta pecuniæ, & pulvis bellicus ad incendendam novi Regis classem. Multi fugere. Opprimetur quidem suppliciorum terrore motus hic in præsens: sed

sed tam latè sparsæ contagii reliquiæ etiam in posterum metuendæ sunt. Rex Hispaniæ nihil adversùs Portugallos movit, nimirum conjurationis exitum opperiens. Putatur ad oram Portugalliæ ire classis Castellana quæ ad Catalaniam fuit. Sed & novus Rex à classe non est imparatus. Quippe naves bellicas habiturus ex suis, & Gallicis & quæ indies exspectantur Batavicis ad LXX. Rex Galliæ Peronæ est & Cardinalis Riceliacus. Hispanus Cardinalis adhuc ægrotus Cortraci. Halerius Castellum, id nomen est ad Mosellam loco, obsidet. Comes Harcurtius Conisam. Princeps Condæus Perpiniano incommodat quantum potest, quasi ad obsidium se parans. Res Britannicæ mihi non placent: neque sperare audeo æqui aliquid ab Imperatore in causa Palatina, quamdiu Parlamentum Angliæ nihil certi decernit, neque ut id decernat tale aliquid rebus Angliæ vicinorumque Regnorum turbidis adeò per discordias & suspiciones. Duci Lenoxio Scoti aditum intra fines suos non permisere, nisi postquam fedus Scoticum signasset. Suppliciis Procerum in Scotia puto supersessum iri ob Regis præsentiam. Sed hæc quoque prolatatio est mali, non remedium. Reginam Matrem Galliæ Regis puto Coloniam ire. Attamen metum illum Batavorum video non carere suis causis. Quod sub idem tempus Rex Daniæ cum tot Principibus & vicinis & longinquis federa facit, videndum est ne sub nomine mercatuum majora lateant. Pactiones istæ inter Suedos & Brandenburgicos, quanquam temporariæ, spem mihi dant rerum majorum, Deumque precor ut ad pacem perpetuam muniat viam. Classis ex America pars altera quin in Hispaniam venerit, video hic quidem non dubitari. Miror teporem Batavorum in Dorstenæ negotio. Si defendi adhuc aliquamdiu id oppidum potest, fortè post adventum Torstensonii nova capientur consilia è re Hassorum. Deus ad bonum commune cuncta dirigat, & Ill. Dom. Vestram respiciat favens. Lutetiæ 14 Septembris 1641.

Galli & Spinale & Castellum ad Mosellam cepere. Literæ interceptæ ostendunt Hispanis qui in Catalania & mari proximo sunt propositum oppugnare Caput Quercus & Palmos & in Ruscinonensem Regionem invehere militem & alimenta.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime & Clarissime,

20 DVplici me modo beasti & ostendendo mihi filium tanti patris imaginem vivam, & per literas plenas ejus in me amoris cujus pridem plurima certissimaque indicia habeo. Filium magni facio ac doleo quod nec meæ nec uxoris meæ preces id valuere, ut dum in hac urbe est apud nos in domo satis laxa hospitium sumeret. Salmasius vir major quàm dici potest nunc in Burgundia patria sua in familia hercifcunda occupatur, cum zephyris & hirundine prima, ut puto, in Batavos rediturus. Vestra de Paganica Theologia exspecto avidè: putemque id opus rectè dedicari posse Clero Anglicano, quomodo scilicet Cyprianus scribebat Clero Romano, cùm non adesset Episcopus. Annalium etiam Batavicorum filii vestri videre aveo partem alteram, nam prima valde mihi placuit. Probo quod edita recognoscis & ἀνέκδοτα ad editionem paras. Det Deus vitam & valetudinem, debeo vicissim Præst. Clar. Vestræ rationem ejus temporis quod mihi de mandatis negotiis superest. Edita jam sunt Annotata mea ad Euangelia cum quatuor opusculis; additus & index plurimis vitiis scatens & multa contra meum sensum exprimens, quem quia video non posse emendari, tolli ab omnibus exemplaribus volo, idque Blaviis, qui ante lenti, in hoc indice edendo paucos dies ad noscendam sententiam meam opperiri noluerunt, significavi, & ut fiat hoc amicos anniti velim. De Iure Belli ac Pacis quid fiat nemo te novit meliùs. Habeo præter annotata majora & meliora ad Lucanum, & quædam poëmatum παραλειπόμενα, annotata ad Vetus Testamentum, etiam ad illos libros de quorum auctoritate disputatur. Habeo & ἀνθοβολίας Philosophicam, Historicam, Philologicam, ad Ius Iustinianæum: & nunc excuduntur, sed mihi tantùm & iis quos ea de re volo consulere, Annotata brevia ad Consultationem Cassandri, quam scripsit Vir optimus ac doctissimus & ob id Calvini odio dignissimus, rogatu duorum Imperatorum. Videris puto librum editum in Anglia, deinde Genevæ, Irenæi Philadelphi nomine de motibus obortis in Anglia. Is liber D. Archiepiscopi, quem Deus in hac eruce soletur, jugulum apertè petit; sunt autem ejus scriptores Molinæus Pater & Filius: nam hic historias Anglicanas intexuit. Renatus Verdarus cui dedicatus est liber, est Andreas Rivetus. Vide quam hoc sit θρηνῶδες. Deus, Vir Eximie, Pr. Clar. Tuam cum optima uxore & liberis prosperet. Lutetiæ 14 Septembris 1641.

Pr. Clar. Tua ad omnia obsequia paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustrissime Domine,

DE Torstensonii meliore valetudine & adventu in 1521
castra nuntium avidè exspectabo. De illis quæ ad Wolfenbuttelium & in vicinis locis geruntur, paria literis Ill. Dom. Vestræ à filio meo accepi, qui sub Comite Guebriano militat. Disco etiam Wolfenbuttelium multum ab aquis incommodari: verùm de deditione nihil dum intelligo. Puto ubi Torstensonius advenerit, satis copiarum fore in illis partibus, ita ut Landgravia re communi illæsa uti possit suo milite ad eximendam periculo Dorstenam; quod si fiat, Batavi poterunt de suis aliquibus permittere, ut in eam militiam transeant, quod nunc, dum nullus ibi est Hassicus exercitus, facere non audent. Speratur hic fore, ut Princeps Arausionensis in Brabantiam irruat. Edidit Rex pacta & publica & non manifesta quæ cum Duce Carolo fecerat, ut ostendat eum jusjurandum bis factum sperniere. Videtur autem Dux Carolus nunc laborare apud Regem, ut privatam vitam sibi agere liceat. 18 hujus mensis Bapalma Regi dedita est. Ad Conisium in Pedemontana regione Galli vineis & cuniculis rem agunt, putantque diutius resistere oppidum id non posse. Taragona dicitur quidem terra adhuc premi: sed cùm & magnum exercitum ad tutelam suam, & sufficientia exercitui alimenta habeat, non video quid metuere debeat. Pro Electore Palatino sicut omnia opto optima, ita nihil magni mihi pollicere audeo, eo qui nunc est Britanniæ statu. Omnia ibi sunt ὕγρα. Ea res Bavarum durum & intractabilem facit. Turcam puto, intentum Moscoviæ, nihil nunc acturum aliud. Portugalliæ rebus metuo. Iohannes Waertius jam Regis jussu ductus est Brisacum. Restat ut & Hornius Lindaviam, deinde ambo Basileam deducantur, quod ut confiat, nulli parcam labori. Deus Ill. Dom. Vestræ faveat. Lutetiæ 21 Septembris 1641.

Est Dux Carolus cum exercitu in agro Metensi. *Vetuit suis hostile quicquam in Gallos agere. Cantecroia dicitur in Lutzenburgico detineri. Dicitur huc venturus à Roma Legatus pacis causa. Interim appellatum est à bulla Papæ vetante pecunias à Clericis ad bellum contribui. Brisaci milites aliquid moliti sunt in Gillonem Hassium, sine successu. Hispani sub Lamboio esse dicuntur ad sex equitum, duodecim peditum millia. Exspectare sex alia millia. Pars eorum laborare in recuperanda Bassæa & Lenza. In palatiis quæ Guisii fuere, pro ejus insignibus substituuntur Regia. Helvetii de internis disputatione suspensa, de rebus externis deliberant. Petitis Ratisbonensibus annuere non possunt. Adversùs ea quæ Hispa-*

nicus Legatus de Comitatu Burgundiæ proponit, duæ sunt exceptiones, quod literæ Regis Hispaniæ ad sex pagos sunt, non ad tredecim: ipsa autem Legati in hoc negotio potestas data non à Rege, sed à Cardinali Hispano. At Rhæti planè frænum mordere probatis pactis quæ Feldkintiæ facta sunt, per quæ octo jurisdictiones homagium debent Austriacæ Domui. Engadini restituunt Missam & Cappucinos. Omnes Rhæti obligantur expellere ex Valle Telina Protestantes.

Ill. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

D. MILONIO.

Vir Amplissime,

1522 ROgavit me D. Destradius qui Regis nomine sæpe in Batavos mittitur, ut rescirerem an inter prætorianos clementissimæ Reginæ nostræ vivat nobilis Gallus dictus de S. Cæcilia, quem Davangourius in Aula Suedica vidit anno 1637, cum ibidem is Davangourius res ageret Gallicas. Velim quod ejus Ampl. Vestra cognoscere poterit, id mihi quamprimùm significet: ero autem Vir Amplissime. Lutetiæ $\frac{18}{28}$ Septembris 1641.

Ampl. Vestræ perpetuò obsequens H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1523 SVper libertate Marescalli Hornii exspecto responsum quod D. Motulius ab Aula Bavarica accipiet, ad quam is meas literas Regis voluntatem significantes miserat. De libello adversus Palatinam Domum edito hoc tempore mirarer, nisi scirem internas Britanniæ discordias officere, ne magna sit Regis istius auctoritas, & Danum habere alia negotia quæ præ Palatino negotio prævertat. Obliterationis Ratisbonensis exemplum hic legitur, sed an archetypo congruat, nescio. Pacis certè inde spes exigua. Tum verò despectus iste & Lunæburgicæ & Hassicæ domus ostendit multum adhuc Austriacis esse in viribus suis sociorumque fiduciæ, quanquam commotis Hispaniæ rebus. Post malam Gallorum pugnam ad Tarragonam visa est nutare fides Barcinonensium. Itaque Mota Hodincurtius, qui Gallicis ibi copiis imperat & à Principe Condæo ex Comitatu Ruscinonensi aliquid accepit supplementi, misit eo de suis, qui civitatem bona spe impleat, donec eo veniat cum Proregis Gallici auctoritate Marescallus Bressæus, qui se ei itineri parat. Sed & classis quæ Massiliam redierat, rursum itineri paratur, crediturque Marchio Bressæus per fretum Gaditanum venturus, ut ei se adjungat suis cum navibus. Quod si fit, nudatur Portugallia, præterea timendæ erunt procellæ quæ hac anni tempestate exoriri solent. De Taragona Gallis dedita vanus est rumor. Portugalliæ rebus nemo est qui non timeat, ideo quod conjurationis detectæ labes tam multas domos infecit, & indicio est aut plurimis tædium obortum rerum novatarum, aut mercedes & spes è Castella animos perrumpere. Dux Carolus adhuc laborat, ut privato sibi vivere liceat cum duabus ad sui custodiam centuriis: & fortè id obtinebit, si Lamottam Regi restituat. 12 mensis hujus Conisa in Pedemontana Regione Harcurtio dedita est, metu oppugnationis, suffosso & multum verberato oppidi vallo. 15 Ionvillæ urbs & arx in Comitatu Burgundiæ dedita est Granseio, qui ibi nunc arma Regia gubernat, Halerio Nanciacum custodiente. 18 Bapalma spe citius in Gallorum venit potestatem. Qui Præfectus Bapalmæ fuerat & præsidiarii, quousque pacti fuerant, deducti à Gallis, deinde ubi paulum processissent ab Atrebatum urbis Præfecto Sampreulio oppressi captique sunt, volente, ut creditur, ipso Bapalmæ Præfecto, Lauretta nomine, quia ad Hispanum redire metuit, ægrè excusaturus tam festinam deditionem, præsertim cùm fama sit emptam eam quinquagies mille pistoriensibus. Eodem die 18. Hispani à Ballea, quam obsederant, discessere ob superventum Millereii, validum ducentis exercitum. Ex eo Lamboianus miles partim se addidit Airam obsidentibus, partim Insularum urbem & ei circumjecta tuentibus. Principi Arausionensi, quando conatus in Saxum Gandavense non provenerunt, satis restat adhuc temporis ut aliud aliquid tentet. Torstensonii tardior adventus periculum adfert Dorstenæ. Wolfenbutelum multis machinis verberari audio. Nescio tamen an hoc incommodum & simul increscentes aquæ tantæ sint, ut brevi exspectare deditionem possimus. Hostis in propinquo ibi est. Hohentwila rursus obsidionem timet. Bredæ inter Helvetios multum discordatur. Rex Britanniæ prudenter facit quod Scotis concedit omnia: sed illa nimia lenitas non potest non multis esse suspecta dolorem alto corde pressi. IV peditum, II equitum millia quæ in armis retinere volunt Scoti, obtentui habere possunt causam Palatinam, reverà, ut arbitror, ipsorum tutelæ inservient. De Ruperto Principe doleo evanidum esse quod conceperam gaudium. Et Suedi & Galli, quantum ego judicare possum, inducias si habere possint, non recusent. Et quæ cum Brandenburgico acta sunt, videntur eò viam struere. Rex Daniæ, ut puto, timeri vult ab utraque parte, ut quæ ad suum sunt commodum obtineat, præsertim de Comitatu Pinnebergensi, quem si retinere potest, malo in loco erunt res Hamburgensium. Reginam Galliæ matrem puto ire Coloniam. Constantinopoli in magno honore & gratia est Legatus Persa. Cæsaris Nuntio nihil responsi datum. Mittetur aliquis inde Viennam, qui efficiat ut justa Legatio ac plena dignitatis à Vienna Constantinopolim veniat. Interim Moscovitæ à Tartaris Turcarum sociis malè habiti dicuntur. Capti multi. Deum rogo Ill. Dom. *Vestræ* perpetuò sit propitius favensque. Lutetiæ 28 Septembris anni 1641.

Mitto decretum Parlamenti contra Bullam Papæ, qua is Ecclesiasticis Galliæ interdixerat nequid ad bellum conferrent. Bellum exarsit inter Papam & Parmensem, ideo quod Parmensis in Ducatu de Castro quod feudum est Ecclesiæ munimenta fecit & introduxit eò militem sine Papæ consensu. Opem Parmensi fert Ethruscus. Suam Papæ offert Hispanus. Harcurtius ivit ut liberet Monticalvum ab obsidione Thomæ Principis. Classis Hispanica quæ ad oram Catalaniæ fuit est ad Majoricam. Exercitus Hispanicus ad Tarragonam, Gallicus ad Valles, relicto Constantinæ præsidio. Per morbum Millerei Comes Guichius factus Franciæ Marescallus imperat exercitui Regis qui est ad XXXV millia. Duo millia in præsidio sunt Balleæ.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

IOANNI VYTENBOGARDO.

Reverendissime Domine,

EGo semper pro carissimis habebo, quicunque mihi à te commendantur. Per omnem vitam flagranti desiderio Christiani Orbis reconciliationem expeto. Quoniam autem video non paucos, & in hoc, & in aliis Regnis isti studio incumbere; officii mei esse credidi, etiam meas curas eodem conferre: tum ut conscientiæ satisfaciam, tum ut alios excitem ad consimilia, imo meliora meditamenta. Cùm verò Consultatio, quam exhibuit Cassander rogatu duorum Imperatorum, magno in pretio sit apud omnes eruditos; illius vestigiis insistere, & rationibus, quas ille profert, nonnullas addere placuit de meo. Via ad eam pacem expeditissima mihi videtur, si doctrina, communi consensu recepta, commodè explicetur: mores, sanæ doctrinæ adversantes, quantum fieri potest, tollantur: & in rebus mediis accommodet se pars 1524

ingenio

ingenio totius. Deo gratias ago, qui te ad hæc usque tempora superstitem præstitit, ut novos hosce pacandæ Ecclesiæ conatus conspicias, eosque symbola quoque tua promovere queas. Lutetiæ 28 Septembris 1641.

Quovis obsequio tibi addictus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1525 QUæ de Wolfenbuttelio deque Dorstena & mora Torstensonii, partim ex literis Ill. Dom. Vestræ, partim aliunde intelligo, graviùs me concuterent, nisi nossem vices rerum humanarum, & à veteri bona fide degenerantis Germaniæ non pauca haberemus exempla. In Gallia ab omnium ordinum hominibus pax aut perpetua aut certè temporaria multum multisque de causis expetitur. Et credo apud Batavos ea de re verba facta à Gallis, ut Regentium & plebis & ejus qui plurimùm potest Principis Arausionensis animus tentaretur. Diplomata pro Legatis, quantum audio, nihil habebunt difficultatis. Aira vix est ut evadat. Ita firmata sunt castra accessione magnæ partis de Lamboiano exercitu, operibusque & machinis strenuè res agitur. Regius verò exercitus, multum exhaustus est ad augenda præsidia oppidorum hostem metuentium, ita ut reipsa ultra viginti millia militum non habeat, quanquam fama in majus eunte. Tarragona ab omni obsidio libera est: exercitus autem circum eam Hispanicus à Gallis, tam hostium vires imminuere verbis quàm suas attollere solitis, dicitur esse ad XV millia peditum, equites primores, id est præter asseclas, bis mille quingenti. Sanpreulium qui Atrebatum urbis Præfectus hactenus fuit, Rex in vincula duci jussit, causasque edidit, tum quod multa ab ipso sævè avareque facta essent, tum quod milites hostiles è Bapalma egressos cecidisset, cùm adhuc tubicen Regius eos comitaretur. Negotium est obscurum. Nam & Bapalmæ Præfectus adhuc hic retinetur. In vestris locis pluvius solet esse autumnus, præcipuè vergens. Ideo vix est ut inde magni aliquid exspectemus, hoc quidem anno. Lotharingus nova pacta nondum confecit. Bulionius Regi in omnibus satisfacit. Iohannes Waertius ubi nunc sit nescimus. Sed Galli omnia comminiscentur ut eum retineant, donec hyems militibus otium indixerit. Exspecto à Motulio quid responsi dederit Bavarus. Illud verò perfacilè hic obtinebimus, ut siqua sponsione obstrictus est Hornius, pari adstringatur Waertius. De Gorlitzio liberato novus est rumor, sed adhuc incertus. Quod Legati Anglicus & Danicus Viennam se trahi patiuntur, credere me facit, fore ut illorum patientiæ ac tepori, ut antehac sæpe, illudant Cæsariani, Britanniam nihil timentes, quamdiu nec in Angliæ, nec in Scotiæ Parlamento certi aliquid promissum est ad rem Palatinam; Danum verò lactantes bona spe de Pinnebergo & vectigali, additis etiam minis, nisi se ipsorum desideriis aptaverit. At verò & Suedi & Galli de Palatino curam Regi Britanniæ relinquent; ipsi suas res agent. Pacis intricatum sanè est negotium, induciarum non æquè: sed ad eas obtinendas tempora hæc nobis iniqua sunt. Multæ sunt causæ ob quas Portugalliæ Regi, Regnoque par sit metus: in rebus adhuc teneris tanta exorta hydra conjurationis: societates nullæ: amici segnes, quidam & ex ipsius periculis sibi commoda sperantes: tum si onera indicuntur, plebis iræ: nisi id fit, magna pecuniæ egestas, ingens malum in gravi bello: miles belli rudis: ipse Rex cui fidat, cui diffidat, incertus. Credo fuisse ab initio qui in has res à multitudine trahi se potius siverint; quàm sponte iverint: sed & multos puto in eam causam descendisse, quod felicia Catalanorum arma, & exemplum rebellandi manaturum ad vicinos populos, tum magna & cita auxilia à Gallis, Batavis, Suedis etiam, sperassent. Quæ cùm non ex votis evenerint, serò nunc prævident æternum bellum & intra patriæ fines. Ad has pœnitentiæ causas accedere ab Hispano præsentem mercedem, aut magnas honorum præmiorumque pollicitationes. Inquisitoribus haud dubium quin displicuerit infracta ipsorum potestas per novas leges & Iudaicum virus, nunquam ibi planè exstinctum, occasione arrepta resurgens: metus quoque eos moverit de Batavis sua illuc sacra laturis. Coloniam ire puto Reginam Galliæ matrem: volet se immiscere negotiis de pace: sed qui ejus rationem sit habiturus, video neminem. Nostræ autem Reginæ matri puto faciliorem esse in Suediam reditum, quàm in Galliam alteri. Helvetii ut solent scinduntur. Militem è Gallia revocare volunt Pontificii, nisi de Comitatu Burgundiæ impetrant quod postulant: nolunt Protestantes. Imperatori verò & Ratisbonensi Conventui singuli seorsim responderunt. Deus Ill. Dom. Vestræ det omnia quæ precari jus piumque est. Lutetiæ 5 Octobris 1641.

Rex Ambiani est. Exercitus ejus partim apud Bononiam, partim apud Basseam & urbem Atrebatum, cujus urbis præsidiarii dicuntur Hispanos sexcentos cecidisse. Gassio autem Croatas prope totidem. Hunc equitatui sui exercitus Rex proposuit. Et Airæ & in castris morbi sæviunt. Charigiæ oppido quod detrectasset novum vectigal solidi in libram disjecta sunt mænia, jure ademto. Dux Parmensis auxilium Galliæ contra Papam implorat. In Anglia & Scotia vetitum est nequis externis militet. Classis Hispanica quæ sub Majoricam se receperat, comparat se ut commeatus adferat Ruscinonensi tractui. Papa adversùs Parmensem habet XVII peditum, II equitum millia. Machinarum plus triginta. Moncalvum à Principe Thoma obsidetur.

Illust. Dom. Vestræ observantiæ perpetuæ debitor H. G.

DIONYSIO PETAVIO.

Reverende Domine,

NE importunus sim studiorum, per quæ de seculis & 1526
exactis & futuris bene mereris, interpellator, mitto quàm alioqui allaturus fueram, Annotatorum nostrorum ad Testamentum vetus partem priorem. Rogo autem, ut quisquis hæc legendi curam sumpserit, primùm emendet ea quæ exscriptor peccavit. Solemus enim in nostris legendis properare, ideoque multa παρορᾶν deinde annotata siquæ in rebus ipsis mutanda videbuntur. Magni hoc beneficii loco accipiam. Lutetiæ 8 Octobris 1641.

Tuarum virtutum summus admirator H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

DE Bapalmæ propera deditione ægrè se Hispanis pur- 1527
gare poterit Lauretta. De Aira quid futurum sit, incertum est. Sed quando Lamboius ad vitandos morbos retro nonnihil cessit, cùm majore parte exercitus, relictis ad Airam octo millibus, videntur Galli id agere ut inter hos & illum se interponant, & rem perducant ad prælium, avidi talium. Princeps Arausionensis, ut video, jamdiu saxum illud frustra volvit, quod semper elabitur. Ego cum Ill. Dom. Vestra sanè miror Suedos in rebus sæpè urgentibus esse tam tardigrados, nec meminisse Alexandri illud, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Si Brunovicees nos deserunt, evenit illud quod ego ab Augusto Duce & à Darmstadiensi Landgravio semper exspectavi. Et hæc mutatio, & Dorstenæ jactura, perplexam haud dubium quin sint reddituræ Viduam Landgraviam; quam si retinere volumus, debebit Suedia de fœdere cum ea ineundo cogitare. Vidi juramentum novum Scotorum

qui in Parlamentum veniunt. Vidi & ea quæ ab inferiori classe Anglicani Parlamenti proposita sunt: omnia valde adversa Regiæ potestati. Rex interim sibi intus canit, τλῆθι φίλη κραδίη. Idem Parlamentum ubi post Octobrem coibit iterum, utinam plus faciat pro causa Palatina, quàm ego his temporibus augurari audeam. De America illud, nimis ventosum est. Quod si res eo manent in loco in quo nunc sunt, erit in colloquiis de pace μεγάλων, id est, Britannorum cum suis, ἰδέαις λόγος. Et multum vereor ne illi magis ament commercia cum Hispanis & Flandris quàm bonum Germaniæ statum. Parantur hic XXI naves longæ Massiliæ, Tolonæ totidem ad firmandas res Catalaniæ, augentur & copiæ in Ruscinonensi tractu, ut res arctæ fiant Perpiniano. In Portugallia conjuratio omnium sontium, etiam Episcoporum & Ducum suppliciis expiata est, quod bene vertat: mihi metus pro ejus Regni rebus non decedit. In Italia bellum inter Gallos & Hispanos aliquantulum quiescit. Sed incalescit alterum inter Papam & Parmensem. Cepit Papa Ducatum Castri, imminet urbi. Habet in armis viginti millia. Parmensis adhuc ei impar militem & amicos quærit. Dux Ethruscus & Veneti primum suæ tutelæ advigilant, si occasio se dederit res suas promoturi. De Comitatu Burgundiæ arces plures duodecim cepit Granseius, non auso contra ire Marchione Sancti Martini, quem Hispanus illis locis præfecit, ideo quod copiis minor esset. Earum arcium pleræque, & oppidum Ionvillæ, diruta sunt, ne oneri essent: paucis præsidia imposita. Erlachius & Gillo Hasius in Marchionatu Badensi diu infesti egere. Nunc Erlachius in Palatinatum inferiorem ivisse & ibi multum prædæ & Soltzam oppidum cepisse dicitur. Dux Carolus ad Viverium est, putaturque cum exercitu iturus in Germaniam contra Suedos, nisi novas conditiones à Rege impetret: quod quanquam difficile speratu est, tamen non cessat ad Regem sæpius ea de causa mittere. Res Galliæ ubique in tranquillo sunt statu. Idem opto toti Christiano Orbi & speciatim Ill. Dom. Vestræ ejusque amicis. Sum verò eroque semper. Lutetiæ 12 Octobris 1641.

Illust. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime ac Doctissime Vir,

1528 Ex quo Suedici Regni ministerio me dedi nihil flagrantiùs optavi quàm ut gens illa, ab omni sæculo Martiis laudibus inclyta, etiam literarum gloriam sibi adsisceret, quod cùm in aliis, tum in tua præsertim Nob. bene succedere video, sentio me voti mei hac in parte damnatum, nihil autem malim quàm non Suediæ tantùm in commune, sed & Suedis prodesse singulis, præsertim verò iis quos honestorum amor propiore quadam necessitudine mecum jungit, quod cùm in tantis locorum intervallis aliter fieri nequeat, exosculabor semper literas à talibus ad me adventantes; præsertim verò illas Tuæ nobilitatis, quæ præterquam quod eruditionem non vulgarem præferunt, etiam ea me de rebus Suedicis edocent quæ scire aut utile aut certè dulce est omnibus iis, qui ad dignitates pervenerunt: gratulor oroque is profectus & ipsi & patriæ sit prosper ac salutaris. Video res Portugallicas & Catalanicas nutare; Regem Galliæ habere quod gaudeat de hujus anni eventu vitato bello civili captisque oppidis aliquot ad finem Belgicum, in Italia & in Burgundiæ Comitatu, & ut jam Airam amittat, de qua fortuna belli nondum dijudicavit, nihil amiserit nisi partem ejus quod hic annus ei dedit. Nostris in Germania non eam esse quam vellem concordiam doleo, dubitoque an non & hæc & alia multa cogitatu quàm dictu faciliora Rectoribus Regni Suedici, velle autem debeant & eis καλὸν ἀσυχία. Sed de his Deus & illorum prudentia decernat: nobis obsequii gloria relicta est. Rogo autem si quid possum gratum facere Tuæ Nob. de eo ut admonear, sum enim. Lutetiæ 16 Octobris 1641.

Nob. Tua ad omnia officia paratissimus H. G.

IOANNI REIGERSBERGIO.

Vir Nobilissime,

Legi cum gaudio epistolam Tuæ Nob. & quanquam 1529
pars eorum quæ in ea continentur mihi erat non ignota, tamen cum voluptate eadem recognovi tam pulchre & dilucidè abs te expressa, unde cognosco multum te & in Latini sermonis elegantia & in rerum civilium notitia profecisse: ita ut tempus ex quo à nobis abiisti tibi non periisse plane videam. Palatinum negotium, ut toper annos, nunc quoque trahi video, neque fieri posse, ut qui domus avitæ bona donavit, & qui detinet ad æquas leges perduci se patiantur, nisi Parlamenta Angliæ & Scotiæ domesticis dissidiis interfectis aut sopitis certa pecuniarum militumque auxilia ad relevandam diu afflictam Domum decernant. Quod si fiat, munita ipsis erit via ad fœdus cum Suedia Galliaque ineundum, quæ Regna neglectis iis quos propius juncti negligunt, suis commodis consulent, præsertim cùm amicitias Germaniæ valde fluxas experiantur. Regi Galliæ res hoc anno tum in Belgico fine, tum in Italia non malè processerunt, magna autem ejus felicitas fuit vitata tempestate belli civilis. De Hispanicæ rebus incerta est adhuc dijudicatio. In Italia respirantibus à bello Gallis & Hispanis, Papa Parmensi, à quo feudales leges Ducatus Castrensis violatas ait, arma infert, & jam ejus Ducatus terras cepit, urbi imminet. Parmensis auxilia quærit etiam in Gallia, sed nihil impetrat præter liberalem operam in procuranda illis in locis pace. De D. Smalchio si quid aut posterius aut certius cognoveris id libens discam. Quod si res tuæ ita tulerint huc ut venias, reperies nos omnes non solùm sanguinis, sed & eximii tui affectus memores, præcipuè verò ego, Vir Nobilissime, ero semper. Lutetiæ 17 Octobris 1641.

Nob. Tua addictissimus optimeque volens H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

Nobilissimo filio Ill. Dom. Vestræ opto felicem è 1530
Suedia reditum bene confectis negotiis. Exspecto avidè nuntium de Torstensonii adventu ad exercitum circa Albim. Dux Augustus id fecit quod eum facturum semper credidi. Qui restant ejus Domus & Landgravis fulciendi erunt bona spe & federibus. Ratisbonensis ista anteactorum obliteratio ita facta est, ut, pro ut res se dederint, interpretationes accipere possit. De rebus Palatinis certiùs judicare poterimus ubi Parlamentum Angliæ iterum coierit. Vidi quæ Legatus Anglicus Imperatori perscripta dedit super eo negotio. Non multum illis vocibus movebitur Imperator: & res in longum ducitur. Gallorum res bono satis sunt in loco: non eo tamen, ut eorum magnitudo suspectior Hispanica Anglis esse debeat. Audio Regem Britanniæ fedus velle cum Batavis: id quale sit scire erit operæpretium. Electorem Palatinum factum esse Scotiæ Baronem audio. Galli verò ægrè ferunt quod sui in Scotia impediuntur delectus. In Ruscinonensi tractu Elnæ obsidium minantur Hispani. Marescallus Bressæus ne in Catalaniam eat podagræ excusatione utitur. Tamaricum in limine Arragoniæ cepisse dicitur Motta Hodincurtius, multaque in illis locis prælia fieri, modò his, modò illis prospera. A Perpiniano Hiberni quidam ad Gallos transiere. Exspectatur hic ex Portugallia Marchio Bressæus cum classe quæ dicitur multum lacerata tempestatibus. Dux Carolus exercitu imminuto ad duo, ut dicitur, millia

Meten-

Digitized by Google

Metensem agrum populatur, videturque se addere velle Gilloni Hasio, qui & ab Hatzfeldio mille equites accepit, & peditis aliquid, Erlachiumque cis Rhenum redegit, cui Erlachio pecuniæ hinc mittuntur, ut copias augeat. Circa Bernam rustici priorum impunitate audaciores facti nondum bene quiescunt. Cardinalis Hispanus revalescere dicitur. Verberatur à Beckio Aira & spes eam liberandi decrescit. Sed videtur Comes Guichius oppugnare velle Arlosiam & Clusam. Ei se opponet, ut credibile est, Lamboius, qui cum exercitu suo nunc non procul est ab Insularum urbe. Et Galli & Hispani in Italia in hiberna reduxere potissimam militis partem. Dicitur tamen Davelium obsidere velle Harcurtius. Parmensis magna imposuit præsidia oppido Castri, quæ Papa obsidet, & Raziliano. Dux Longavillanus ne in Germaniam eat medicorum malis ominationibus terreri se dicit. Laborat Papa ut pacem aut inducias faciat inter Hispanum & Gallum. Episcopum Lamegæ ut Legatum Portugalliæ nondum agnovit: cum Luca transegit, major ejus civitatis honore quàm suo. Rhætis qui in Mediolanensi sunt Ducatu, malè solvuntur stipendia: itaque multi dilabuntur. Cappucini in Engadinam ire nolunt, cùm ipsis jam id concessum sit, nisi datis sibi reditibus, unde vivant. Quod Pontificii Helvetii revocare à Gallia militem suum volunt, nisi Comitatus Burgundiæ extra bellum seponatur, id parum curant Galli, vix enim quingentos habent milites ex illis locis: & horum multi, quamvis revocati, non ibunt inescati bonis hic stipendiis. Friburgum & Solodurum simulant favere se Protestantibus, ut eorum consilia explorent. Papæ auctoritas in Gallia multum vilescit. Deus Ill. Dom. Vestræ semper favens adsit. Lutetiæ 19 Octobris 1641.

Venere huc Dux Bulionius & uxor ejus. Dat operam Rex ut permutationem cum eo faciat, Sedanumque obtineat.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantiæ debitor H. G.

DIONYSIO PETAVIO.

Reverende Domine,

31 Mitto tibi quæ ad Euangelia à nobis annotata sunt. Amstelodami prodiere. Si legere tibi vacaverit, rogo ubi id feceris me admoneas quæ omittenda, addenda aut mutanda censeas, ut editio altera non tantùm vocum mendis purgatior; sed & rebus melior prodeat. Offerunt se Amstelodamenses etiam edendis iis quæ ad Vetus Testamentum scripsi; malim ego eam editionem hic fieri, ut earum paginarum postremum specimen ipse recognoscam: quæ in priorem earum partem aut tibi aut alteri cui eā legenda dederis in mentem venerint exspectabo; venissem ipse nisi me domi teneret ὑπέχυσις. 22 Octobris 1641.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

32 Intelligere malim transiisse mare, quàm transiturum Torstensonium. Sed speremus jam transiisse: etiam sic satis serò, tum pro Lunæburgicis tum pro Hassicis rebus. Audimus autem omnes Lunæburgicos Principes excepto Duce Augusto pacis vias cum Imperatore tentare. Hassica quoque solis verbis in societate nostra retineri non poterit. Rex Galliæ equitem peditemque colligit quem in Germaniam mittat: diciturque Dux iis futurus Marescallus Vitriacus, qui nunc in carcere Bastiliæ est ob malè tractatum Archiepiscopum Burdegalensem, cujus nunc friget gratia: Longavillanus verò ire in Catalaniam, ubi Motta Odincurtius Hispanos quosdam Taragona egressos cecidit. Sunt hic à Catalania Legati qui Regem illuc ire vellent: sed id res Gallicæ non permittunt. Interim & miles & pecunia eò mittuntur & classis paratur quæ verno tempore illuc eat. Aiunt verò Galli Perpinianum ita fame premi, ut sibi cessurum confidant: magnasque spes novorum motuum inde concipiunt, quod Dux Medinisidonius in Aulam Hispanicam vocatus eò non ierit: præterea futurum sperant ut Portugalliæ & amicorum classis Americanam intercipiat: quæ omnia valde incerta sunt. Dux Carolus ipse quidem Viviani est & Sarbrugæ Cantecroia, sed exercitus illius junxit se Gilloni Hasio, nihil tamen adhuc hostile in Galliam aggressus. De Cardinalis Hispani bona valetudine ac morte variant rumores ac suspiciones. Melo, Beckius, Lamboius contra Airam se junxere. Rex Compendii est, exercitus ejus non longè ab Ambiano, videturque adhuc pro Aira tentaturus aliquid. Tractando pacis negotio delecti hic Mazarinus, Servianus à secretis status Regii, sed ob inimicitias cum Bulionio ab Aula remotus antehac, & Davausius. Duci Carolo permisit Imperator uti ejus milite qui in præsidiis est Cisrhenanis. Hallerius Regi se purgavit, reditque Nanciacum. Sampreulio judices dati sunt: Archiepiscopus Burdegalensis in reatu manet. Imperator libertatem promittit Principi Roberto, ut eò faciliùs retineri se sinant Legati Anglicus & Danicus, quasi aliquid promovissent. Video ab iis qui res Palatinus agunt magna institui postulata, credo, quod eò faciliùs æqua obtenturos se putant: & probarem hoc consilium, si vires adessent quas metuerent Imperator & Bavarus. Sine iis magnifica verba rideri solent. Quare consilium Ill. Dom. Vestræ longè optimum est, ut curet Elector à Parlamento Angliæ decerni sibi auxilia militum & pecuniæ, hac re constituta fedus fieri Angliæ cum Suedia Galliaque. Nam id vel maximè nutantes Suedorum animos obligare poterit, ut sive bello, sive pace Palatinæ Domus rationem habeant. Pro Principe Electore literas non negabit Imperator quales jam nuper datæ sunt, nempe pro Carolo Comite Palatino &c. Plane autem puto & ipsum & Batavos rectè facturos, si suorum alium Monasterii, alium Osnabrugæ habeant. Controversiæ de freto Danico cum Batavis in annos quinque suspensæ sunt: item Norwagicæ, magno Regis commodo. Sed de Albi & Visurgi & novo fœdere vult Rex agere apud Batavos. In fœdere quod Rex Angliæ cum Batavis expetit, volet Rex eos devincire, ne cum Hispano pacem aut inducias faciant, nisi re Palatina in integrum restituta. Sed hoc an Batavis persuaderi possit, est cur dubitem. Tum verò nisi qui de eo fœdere agentur eorum conscii fiant Galli, metuendæ erunt hinc offensæ non leves. Hamburgenses securi esse non poterunt, quamdiu ad eorum portas exercitum habet Rex Daniæ. Videtur autem is non eam urbem obsessurus, sed circumjectis castellis aditus & exitus facturus suæ potestatis. In Portugallia ingens est pecuniæ egestas: omnia suspicionibus turbida. Iohannes Waertius Slestadii est. Scripsit ad Bavarum pro Hornio, ea de re responsum exspectatur. Videntur autem malle Cæsariani, ut permutatio Argentorati fiat, quàm quod nos proposueramus, Basileæ. Inter Papam & Parmensem de pace agitur, armis interim non quiescentibus. Constantinopoli retinetur adhuc Persa Legatus. Alius à Moscovia de pace agit, desperata, ut dicitur, Asaci conservatione & clade aliqua accisis Cosaccis qui in Moscovitæ sunt partibus. Deus Ill. Dom. Vestram paterno amore semper foveat. Lutetiæ 26 Octobris 1641.

Rumor hic est Iohannem Waertium jam perductum esse Brisacum. Ego de eo nihildum certi habeo. Harcurtius Raveliam cuniculis suffodit: Elna apud Perpinianum à Gallis bene defenditur: & qui Gallorum in præsidio sunt oppidi Guisiæ castellum cepere cui Tuno nomen, quod non procul est ab Avenis.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantiæ debitor H. G.

Digitized by Google

EIDEM.

Illustris Domine,

1533 TOrstensonii adventus, simulque pecunia pro exercitu parata, non medebitur quidem acceptis jam vulneribus, sed impediet ne nova accipiantur. Quod si una cum Torstensonio etiam Baro Oxensternius mare transiit, sperare possumus brevi inchoatum iri de pace negotium, cui faveat auctor pacis Deus. Secessum in rus spero Magni D. Cancellarii valetudini conducibilem fore. De Gorditzio eò tolerabilius est damnum, quod prævisum pridem est. Austriacam in Germania potentiam gliscere per Principum discordias video, neque modum imponi posse arbitror, nisi illarum discordiarum causæ tollantur. Contra magis magisque hebescet Regis Britanniæ auctoritas, si Angliæ Ordines & inter se & cum Scotis concordes manent. Electoris Palatini magnifica postulata spernentur, nisi appareat in parato esse vires quæ verbis pondus addant. Principi Ruberto libertatem ex animo gratulor, sed vereor ne isto beneficio obtentus quæratur trahendi diu negotii principalis. Anglorum de America infestanda non est contemnenda cogitatio, dum ne idipsum, ut rectè monet Ill. Dom. Vestra, effugium sit ad declinandam expeditionem terrestrem, quæ nisi suscipiatur, nullum fedus cum Suedia, Galliave sperandum est. Multum enim incerti habet illa rudentibus apta fortuna. Cum quibus mandatis ituri sint Batavorum in Angliam Legati, scire erit operæ pretium. D. Ioachimii ætati bene conveniet quies. Stenstitii quotidianus ad dignitates processus inter maximè miranda est nostræ ætatis exempla. In Catalaniam quæ mittat supplementa Rex parat, equites octingentos, pedites octies mille. Sed antequam contrahantur, antequam mittantur istæ copiæ, tempore opus est. Interim Hispaniæ Rex in mari classem habet quæ militem & alia necessaria subvehat Salsæ, Perpiniano, Tarragonæ. Portugalli & Andalusii pugnant inter se. Sed Gallica quæ ad istam oram fuit classis revocatur, ut se adjungat iis navibus quæ sub Ferbino ad sustentandas in Catalania res Gallicas parantur, non tamen ante ver ituræ. De Ravelio in Italia capiendo bona spes est. Ad Ioinvillam exercitum habet Granseius. Sed Hohentwilam circumsident cum sex millibus Gillo Hasius Spaniusque, & Silvestres urbes captant insidiis. Contrahit ad Laufenburgum aliquid militis Erlachius, ut si potest, subveniat Hohentwilæ, sin minùs caveat ne malum serpat latiùs. Constantiam urbem Austriaci diligenter muniunt. Vellent id impedire Tigurini, & putant id juris sibi esse ex federibus. Sed magnanimi propositi socios non reperiunt inter Helvetios, etiam Protestantes. Rex Cantiliaci est: Ruellæ Cardinalis: exercitus sub Guichio circa Bononiam, arcana quædam consilii coquens contra S. Audomari oppidum quæ successu caruere. Aira adhuc defenditur: & si famem hostes opperiri volunt, ex ea ante anni hujus exitum deditio non fiet. Interim non est dubium quin multa incommoda eventura sint & obsessoribus. De Bæticæ defectione, nihil est. Castri urbs à Papa adhuc obsidetur. Italiæ Principes laborant ut pax ibi fiat. Dux Carolus non ambiguè jam Cæsarianus est. Literas ad D. Gothofredum bene curavi, pari in cura habiturus quæcunque Ill. Dom. Vestra mihi mandaverit, cui Deum precor semper faventem. Lutetiæ Calendis Novembribus 1641.

In Pedemontano agro Galli præter Ravelium etiam Demontium in Valle Sturi sperant se capturos. In Comitatu Burgundiæ cepere oppidulum Quingeium: obsident Dieusam. In id augentur ibi copiæ. Sed & contra multum crescit Cæsarianus ad Hohentwilam exercitus ex Bavaria, Austria, Tiroli, multamque habet vim machinarum, ita ut impar futurus sit Erlachius. Catalania universa Legatos misit in Aulam Hispaniæ. Marescallus Estræus qui pro Gallia Legatus Romæ fuit, in militiam Parmensis se dedit ex odio in Papam. Portugallica & sociorum classis nihil efficere potuit adversus classem Hispanicam ad Gades. Multum argenti ex Hispania in Angliam venit. Pars in mari mersa est. Leslæum dicitur Rex Britanniæ in Angliam ex Scotia adducere quasi egeat consilii ejus. Scoticum Parlamentum exemplo Anglicani reliquit inspectores qui Parlamenti decreta exsequantur. Rhætis qui in Mediolanensi Ducatu militant pars stipendiorum persoluta est: Cardinalis autem Hispani postquam Bruxellas venit, iterum tentata dicitur valetudo.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

DIONYSIO PETAVIO.

Reverende admodum Domine,

PLurimas comitati tuæ gratias debeo, quod eorum quæ 1534
ad Vetus Testamentum notavimus inspectionem tibi gravem esse noluerit, quod exactiorem lectionem mandaverit iis quibus plus erat otii, & quod commendatione sua provehere hoc opus voluerit. Nam cùm videam viam aliquam evulgandi ejus operis, rogo te, ut cùm primùm poterit cum monitis ad me redeat. Vbi descripta erit pars altera, in qua nunc laboratur, audebo iterum laboribus tuis quanquam & gratissimis & utilissimis intervenire, & uti humanitate tam obvia. Lutetiæ Cal. Novembris anni 1641.

Tuarum virtutum admirator H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

VAlde cupio intelligere felicem Torstensonii adven- 1535
tum in castra. Deinde quid sit quod agitur Goslariæ; est enim ea res hic in suspicione. Et video verum esse quod conjectat Ill. Dom. Vestra, Hassos ad Milandri consilia redire, id est sine periculo hospitia sibi quærere lucrosa. Multum desideramus omnes intelligere quid Parlamentum Angliæ, quod nunc iterum coiit, decreturum sit super negotio Palatino. Cruciat me non conjuratio Scotorum contra Marchionem Hamiltonium & alios: suspiciones ibi in ipsum Regem non obscuræ: quæ omnia ne rursus in vim erumpant, & ex Scotia contagium in Angliam transeat, anxiè metuo. Stella Baileæ manet. Agere eum multa cum Bavaricis constat. Quæ ea sint, non aliter quàm per conjecturas ex prioribus temporum rebus ductas assequi possumus. Illud ego pro certo habeo, quamdiu Anglia nullo cum Gallia federe illigatur, nihil Galliam facturam quod è re sit Domus Palatinæ. Dux Carolus suum militem cum Cæsariano misit ad detrahendum à Dieusæ obsidio Granseium. Et quadraginta Lotharingici Gallos nobiles xx è Brisaco egressos captivos fecere. Cùm adhuc incerta essent Ducis Caroli consilia fine Septembris, frater ejus Nicolaus Franciscus, qui apud Imperatorem est, protestationem ediderat pro se Domoque sua, contra ea quæ Carolus cum Rege Galliæ egerat. In literis ad iter pro Batavis nulla erit mora, si eo contenti sunt Batavi, quo olim contenti fuere. Quid verò Batavorum in Angliam Legatio portatura sit, id ad res communes plurimum refert, & ejus quicquid disci poterit discere avebo. Danorum cum iisdem Batavis controversias video magis suspensas esse quàm finitas, & è re magis Danorum quàm Batavorum, qui, quamdiu cum Hispanis bellandum habent, multa ab aliis dura coguntur perpeti. Aira adhuc defenditur, nec carent incommodis suis obsessores. Rex ad Sancti Germani est: Ruellæ Cardinalis: sub Guichio exercitus, partim circa Bononiam, partim in Picardia. Galli Demontium in Italia, in Lucemburgico verò castellum noviter Hispanis structum, Riennam nomine, cepe-

Digitized by Google

ceperunt. Neque tamen id obstat, quò minùs è Lucemburgico miles Metensem agrum incurset gravi populatu. Et Gillo Hasius sub specie obsidendæ Hohentwilæ alia occultare consilia creditur. Marchio Breslæus cum sua classe, quæ in nullo usu apud Portugallos fuit, Rupellam rediit. Neque Batavos hyems multum ibi agere permittet. Eadem hyems impedit quò minùs turbetur Hispano possessio Catalanici maris, per quod tum ex Catalania, tum ex Ruscinonensi tractu ægrotos & saucios in Valentiæ Provinciam deportant Hispani, & recentes alios sufficiunt suo arbitratu. In his malis non mittit Barcinonensis civitas magnas facere impensas ad excipiendum Marescallum Breslæum Regio nomine illuc venturum. Papa non modò Castri urbem obsidet, sed & Edictum edidit quo Excommunicatione majore ferit omnes qui ope aut consilio aderunt Parmensi: addito rebellionis crimine, in eos qui subditi aut Vasalli sunt Romanæ Sedis. Milites Parmensis à militia revocat, & sacramento solvit. Rex hic ad pacem ibi constituendam laborat, ut & Italiæ Principes, proniores in Parmensem, odio Barbarinorum, qui principatum Castri Domui suæ appetunt, ideoque Parmensem cogere volunt ad impossibilia, id est ad solvendum præsenti pecunia ingens quod habet æs alienum. Dux Ethruscus ita in hoc bello se medium gerit, ut tamen per terras suas iter permiserit Parmensis, non & Papæ, militi. De Portugalliæ rebus in neutram partem quicquam constituturus est Papa, cujus auctoritas non apud Hispanos minùs quàm apud Gallos arctis limitibus constringitur. Dux Bulionius, si pecuniam magis quàm gloriam & posterûm securitatem respicit, poterit se liberare ære alieno, & annuos suos reditus facere majores. Cæterùm hucusque nihil ejus rei actum est. Milites quidam ex Anglia huc venere, ad faciendam cohortem novam, & supplendam veterem. Hatzfeldius cum Saxonicis ire contra Erfurtum creditur. Nescio an verum sit, quod dicit Choisiacus, Regis exercitum apud Sastadium esse quater mille equitum, peditum bis mille. Imperator in suo Viennam itinere, præter Bavarum, etiam Archiducissam Claudiam vidit, credo ad conficiendum siquid in Rhætia restat libertatis. Deum rogo uti res has turbidas æqua pace componat, ac Ill. Dom. Vestræ semper sit propitius. Lutetiæ 9 Novembris 1641.

Sunt Duci Carolo bis mille equites, pedites mille. Erlachius mille habens pedites, equites sexcentos castellum fecit in ripa Rheni loco cui nomen Suaderlaco.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

36 ACcepi ab Heufdio quater mille Thaleros Imperiales, deque iis apocham D. Heufdio dedi, eam quantitatem rogo Excellentia Vestra velit in solutum imputari in id quod Rex Galliæ mense Decembri Regno Suediæ ex fœdere debebit, ego vicissim eam accepto feram in salarium semestre, quod mihi eodem mense debebitur à Regno Suediæ. Omnium rerum pretia tot novis oneribus hic plus tertia parte creverunt. Ad id si accederet solutionis dilatio par oneri non essem. Ego Excellentiæ Vestræ in me bonitatem sæpissimè expertus ad eam non necessariò tantùm, sed & libenter confugio, Deumque precor ut diu ei & per eam Suediæ ipsi res prosperas largiatur. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Novembris 1641.

Exc. Vestræ omni observantia & obsequio addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

37 AD D. Gothofredum literæ bene curatæ sunt, semperque mihi summæ erit curæ, quicquid Ill. Dom. Vestræ gratum esse intellexero. Non dubito quin & ipse & amici alii laboraturi sint in colligendis virorum doctorum epistolis. Torstensonium podagra retinere videtur. Tum verò & Gottingæ metuo & Erfurto: quorum si fit damnum, magna nostris Germaniæ pars intercluditur. Nec placet mihi exercitus Suedicus tam diu sine duce, & pecuniæ tenues. Præterea Goslariensia colloquia, quanquam nihil ibi actum hactenus intelligo, non sinunt me esse securum. Si Lunæburgici nutant, difficile erit retinere Hassicam. Cui nonnihil diffidere se ostendunt Galli, eò quod debitam à Septembri pecuniam adhuc retinent. Hohentwilum obsideri intelligimus ab octo millibus, ire eodem Mercium: exspectari & Croatas & fossores à Tiroli. Ego tamen si fides sit in defensoribus, quid metuendum magnopere sit non video. Si tamen res aliter cadit, etiam alia ad utramque Rheni ripam in periculo erunt, Lotharingo copias suas habente in agris Palatinis & Nassaviis, Helvetiis verò Pontificiis plus solito vela vertentibus ad Hispaniæ auras, quæ dando privatim, promittendo in publicum, quærit eos & à Galliæ, & à Protestantium Helvetiorum amicitia abducere. Dux Lotharingus semper nova pacta cum Gallis tentat, aitque se ideo & militem & machinas remisisse Theodonisvillam, quod oppugnare nollet loca qui Galliæ armis tenentur, quasi Imperatori militare possit, sine Galliæ noxa. Cardinalis Hispani mors multum perturbat res Belgicas. Successores ei rumoribus destinantur Princeps Thomas, Princeps Casimirus, maximè vero Archidux Leopoldus. Interim septemviri res gubernant, in quibus sunt Archiepiscopus Machliniæ, Melos, Rosa, Cantelmus, Fontanus. Sæpe tales interpræfecturæ Hispani rebus nocuere & nunc nocent. Miles agro gravis est, oppida implentur præsidiis. Tum eæ res, tum diffugia ob defectum stipendii & commeatus arctos, morbi præterea, atterunt exercitum qui ad Airam est: opera verò labefecit amnium exundatio, quæ cuncta spem fecere Regi ad urbem pervadendi. Parantur itineri pedes, vicina nobilitas & equites imposituri equis bonam vim commeatuum, unde se & alios alant. Speratur bonus successus. At Perpiniano & Salsæ commeatus intulere Hispani per Rosarum portum, imminentque & Leridæ & Bellaqueriæ. Granseius ad Metim aliquid habet militis: nec multum ad Laufenburgum Erlachius. Quæ hic de Anglia, Scotia, Hibernia nuntiantur ejusmodi sunt, ut nihil magni nos sperare sinant, pro Domo Palatina, quanquam non ignaros sæpe bella externa remedio fuisse adversûs discordias civiles. Parmensis amisso Ducatu Castri cætera tuetur ut potest. Non concessere ei Helvetiorum Pontificii militem illis in locis scribere. Baro Iohannes Oxenstierna ante ver puto non transibit mare. Rex quoque, sicut inducias fortè non sit recusaturus, ita paci injiciet quas poterit moras, sive de Treviris, sive de diplomate pro Batavis, disputando, atque interim qui apud Batavos res Gallicas agunt, tentabunt Principis, Procerum, plebis animos. Ego, qui eo semper fui animo, ut pacem potius quàm bellum optarem, Deum oro ut rerum potentibus inspiret placida cogitata, per quæ plebs innocens tandem tot malis liberetur. Lutetiæ $\frac{16}{17}$ Novembris 1641.

Inter Venetos & Turcas iterum hostilia cœpere in Dalmatia, Turcis cæsis ducentis qui agrum Veneti juris populabantur. Dux Parmensis cùm nec apud Venetos militem reperire potuerit, dicitur facturus quæ jubet Papa. In Casale rursum illati commeatus. At Cardinalis Sabaudus recepit S. Stephanum, Pagiettum, Lernam. Nunc Hibernaturi eunt Galli apud Chivasium, Hispanici apud Alexandriam. Comitatenses Burgundi cepere oppidulum Savagiam & arcem Rupisfortis. Ducis Guisii bona & Ecclesiastici reditus, quos maximos habuit, distribuuntur in homines in Aula gratiosos. Rex vestem sumit lugubrem ob Cardinalis Hispani mortem.

Illust. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

Digitized by Google

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eximie,

1538 Bene procedat valetudo generosi Domini Stryetii, qui mihi literas à præstantia tua & quidem tam uberes attulit, nihil quod non ei debeam & Suedo & Nobili & amico veteri; & tamen si quid ad hæc adduci potest efficiam, ut videat magnum apud me pondus habere, quæ abs te veniunt: filiumne vero etiam tuum mihi commendandum censes? Primùm Vossium Vossii filium: deinde ejus ingenii, ejus eruditionis, ejus modestiæ, ob quæ cuivis, etiam ante ignoto, carus esse debeat. Summa mea cum voluptate vidi, qua amicitia se mutuò complectantur ille & Gronovius par lectissimum, qui nunc itinera inter se commutant, hic ex Italia in Batavos, tuus è Batavis in Italiam. Nostra quod attinet, non tantùm annotata nostra, sed & tres libelli & appendix in duos homines αὐθαδιστάτας, multis hic placent. Rogo ut te adjuvante editio si qua sequatur, melior esse possit; nemo enim est à quo me puto firmiora auxilia posse consequi. Mitto tibi exemplum eorum quæ Cassandri vestigia secuti pacis Ecclesiasticæ studio annotavimus. Sorbonici complures gratias mihi egerunt, & ex reformatis doctissimi Codurrus & Iustellus & Mileterius: non dicam eis omnibus ista probari, ne te cogere videar, ut eorum judicio subscribas. Certè dedi opusculum hoc publico eadem mente qua sua scripsit Cassander; furiosis illis declamatoribus noli quæso me purgare, ne laterem laves, quin malè mihi velint homines fastuosi, non dubito ego. Deo favente operam dabo, sive hic sim, sive alibi ne nocere mihi possint. Adversa tua partim novi, partim conjectura assequor, ad quæ toleranda magnum tibi esse animum ex animo gaudeo, utque id perpetuum sit ac crescat etiam Deum precor, atque ita fore confido:

Fortem facit vicina libertas senem.

Exspectabimus tua de Idololatria περὶ τῆς φωνήσεω, nihil potuit melius. In Cleri Anglicani nomine inest τῇ δυναστείᾳ is cujus vices dolemus & cui merito id opus noveras, quem faxit Deus ut aliquando audiamus in loco esse meliore:

Οὐ γὰρ μήνας ἄγων ἐκάμμ' ἔρχεν οὐδ' ἐνιαυτούς.

Multum eum bonis omnibus hoc commendat, quod qui inimici ei sunt, inimici sunt Episcopatui, & quod sequi Rex Iacobus sæpè prædixerat Regi. Sumus hic aliquammulti qui nulla honoris aut commodi spe, sola misericordia ducti, lacerati Orbis Christiani remedia circumspicimus, quibus quod ades tuis ad Deum precibus magna est gratia, sed & consilio potes si quis hominum. Vertuntur Biblia Regis jussu in sermonem Gallicum ad usum populi; in Ecclesiis nonnullis hujus urbis Psalmi, Oratio Dominica, Symbolum, Decalogus canuntur Gallicè, quæ fiunt, ad mores emendandos, non ad ventilandas controversias pertinent. Episcopi eliguntur pii & eruditi. Non est quidem in his tota quam optamus emendatio, est tamen cur ex istis seminibus bonam segetem speremus. Erasmi natalem non miror abs te homine Erasmo simillimo celebratum, tecumque opto ut multi sint, qui illud placidissimum ingenium imitari malint, quàm Borboritas & duræ frontis Frontones. Vale Vir Præstantissime. Lutetiæ 23 Novembris 1641.

Tui celeberrimi nominis studiosissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1539 Exspectabimus quid boni allaturus sit Torstensonii ad castra adventus. Goslariæ etiam Hassicos esse Legatos intelligo. Aiunt quidem spem nullam esse depaciscendi. Sed his temporibus, post tot exempla, omnia metuenda sunt, omnisque opera danda, ut retineantur amici ad tempus usque pacis communis. Quam ad rem ego hic nulli parcam operæ. Pro Domo Palatina sicut omnia opto quàm optima, ita quæ opto sperare vix audeo, ob atroces motus & suspiciones, quos renasci per Scotiam Angliamque video. Rous, ut audio, obtenta Principis Ruperti libertate, satis magnum in eo Legationis suæ pretium esse arbitratur. Bellum inter nostros & Cæsarianos crudelius fore suspicor, rupta ad Gorlitzium per Saxonas fide. Nobilissimo filio Ill. Dom. Vestræ & reditum & felicem negotiorum exitum precor. Baronis Iohannis Oxensternii iter puto dilatum iri in vernum tempus. Nam neque dum Galli abeunt qui ad pacis negotium sunt destinati. Batavi, si quid in Anglia paciscentur quod Domui Austriacæ nocere possit, id gratum hic erit, modò conscio id Galliæ Rege, tam bene de Gallis merito, fiat. Magnam autem occasionem ad res magnas dat & Batavis & Gallis mors Cardinalis Hispani quæ octavo ante hunc diem evenit. Fieri enim non potest quin is casus & consilia Bruxellis animum perturbet, & multorum animos erigat in spem libertatis. Iam nunc ad Airam partim diffugere miles, partim in seditiones ferri dicitur ob stipendii defectum. Et ut his occasionibus adsit Rex in eas partes redire constituit. Tam Hamburgum quàm Brema periculum à Dano vitare non poterunt, nisi federibus fulciantur. Eundem Danum timere sibi ob Pinnebergensem Comitatum ab Imperatore, credo, & de eo negotio transacturum quomodo poterit: nihil autem facturum pro re communi Germaniæ: neque ab ejus auctoritate exspectandam bonam pacem. Ad Hohentwili obsidium crescunt hostium copiæ: videturque eò ire & Dux Carolus, ita ut putetur hostis brevi in illis ad Rhenum partibus habiturus XV millia, cùm Erlachius plus quatuor non habeat. Sed is est situs arcis ut præter famem nihil esse videatur quod ei nocere possit. Dux autem Carolus accepto milite etiam ex Theodonisvilla, ita ut quatuor ferme millia partim equitis, partim peditis secum haberet, aperto stagni cujusdam vasti emissario inundavit & fossas Dieulæ, in quas jam pervaserat Granseius, & campos circum, atque ita coëgit Granseium, abductis machinis, deinde & milite, obsidionem solvere, quod fecit nocte media inter 26 & 27 diem Octobris. Ex eo Dux Carolus ex Longuiaco Metensi agro infestus fuit. Cui ut se opponat Granseius exspectat hinc cohortes quatuor. Waertius Brisaci est. De Hornio nihil dum certi habeo. Catalani vehementer hic instant ut auxilia accipiant, sine necessaria, sed ante ver nihil fieri poterit. Interim id Valles & Elnam tenent se Galli: mare autem tenent Hispani &, ut puto, siquid Perpiniani desideratur eò invehent. Pro Portugallis nihil præstitit Classis Gallica. Batavica quoque seriùs advenit, quàm ut utilis esse hoc anno posset. Suppliciorum severitas illic necessaria fortè fuerit. Cæterùm fieri non potest quin tam latè sparsa labe multum restet morbidi. De Iesuitarum ibi molitionibus nihil certi intelligo, & fortè quiescent, ideo quod Papa non iniquus sit novo Regi. Dicitur is significasse Episcopo Lamegæ qui Romæ est non intercedere, se quominus per urbem incedat more Legatorum Regiorum, dummodo norit, siquid ei mali ab Hispanis eveniat, se id non præstiturum. De Asaco Turcis dedito rumor & hic fuit, sed parum liquidæ auctoritatis. Inducias autem inter Turcam & Imperatorem prolatas aut in eo esse ut proferantur, credo. Nam & Imperator satis sine eo habet negotii: & Turcæ internos motus prospiciunt, si fortè Sultanus hic sine virili prole decedat. Sampreulio qui Bapalma egressos ceciderat amputatum est caput in arce Ambiani. Ea res non tantùm Regem à perfidiæ crimine purgabit, sed & potentes quosdam liberabit metu ab homine, ut liberæ linguæ, ita promtæ manus. Castri urbs Papæ dedita est, ambigua fama, an empto in id pre-

Præfecto novem Pistoriensium millibus, an Excommunicationis fulmine territo. Rex, ubi id audierat, dixit si Gallus ibi fuisset Præfectus eum satis firmum futurum fuisse adversùs talium Excommunicationum metus: quod verissimum est. Hibernus quidam cum quadringentis Anglis huc advenit: exspectantur alii octingenti ad novam cohortem implendam. Procedit inquisitio contra Archiepiscopum Burdegalensem. D. Gothofredus apud me fuit. Dicit & se & fratres Puteanos occupari in conquirendis virorum per Galliam eruditorum epistolis lucem adhuc fugientibus. Deus & publica negotia & privata Ill. Dom. Vestræ lætis donet successibus. Lutetiæ 17 Novembris 1641.

Hohentwilæ præsidium est quingentorum hominum. Castella quædam in circuitu capta ab hoste. Papa Ducatus Castri loca tenet omnia. Montaltum, Canirum, Caprarolam, Roncilionem, Pontemplani. In Regno Neapolitano augentur finium præsidia, fiunt novæ naves longæ & machinæ multæ.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1540 REx Erlachio &, si is absit, Ossenvillio, ita ut ego rogaveram, mandata dedit, ut Waertium deducant Basileam aut Argentoratum, prout inter Marescallum Hornium, ubi is Lindaviam perductus iterum fuerit, & Iohannem Waertium convenerit, ut permutatione facta utrique contingat libertas. Cognovi autem ex Regis sermone valde eum desiderare certos nuntios, de Torstensonii & exercitus novi ad exercitum veterem adventu, & de eventu colloquii Goslariensis. Hac occasione rogavi eum, ut verbis rebusque animos adderet Landgraviæ, cujus exemplo etiam Lunæburgici retineri possint. Id Rex curæ sibi fore promisit. Fuit Rex valetudine minùs secunda, sed nunc convaluit, maximè exhilaratus læto nuntio de arce Monæci in Liguria, quæ adjuvante vetere Domino è Grimalda domo Hispanicum præsidium ejecit, accepitque Gallicum, unde magna erit opportunitas mari infestandi Hispanos, portu justæ classis capace. Ad hostium castra Airam obsidentia fuit cum equitatu & pedite nonnullo Comes Guichius: sed nihil vidit quod ea oppugnandi aut perrumpendi spem daret. Itaque rediit Airamque reliquit brevi dedendam hosti. Dux Carolus in Bavaria ipse est, legit militem: eum quem habuit distribuit per Palatinas & Lotharingas terras, infestum Metensi agro, cujus habitatores ut se tueantur armis instruit Gransæus. Misit autem Dux Carolus in Lucemburgicum & filiam suam & quæ habet pretiosa. Ipse videtur ire ad promovendam obsidionem Hohentwilii quod adhuc bene defenditur, & ut ei subveniat Erlachius militis plus exspectat. Helvetiorum autem Pontificii quantum clam possunt Austriacas res provehunt, metuiturque ne in apertum cum ejusdem gentis Protestantibus divortium erumpant. E Perpiniani præsidio egressi nonnulli cladem accepere à Gallis XX cæsis, captis XL: & Almerasi oppidum arcemque infessa ab Hispanis recepere Galli. Cæterùm in illis locis & mare & pleraque camporum tenent Hispani. Ducatus Castri addictus est creditoribus Ducis Parmensis, ipse de Parmensi & Placentino territorio periclitatur. Sed Rex Galliæ & Itali Principes laborabunt pro eo, ut veniam petat, accipiatque. Rumor est Asaci urbem à Turcis captam, arce adhuc penes Cosaccos manente: Persam autem Legatum cum Legato à Constantinopoli redire in Persidem, paci stabiliendæ. Bavaro non est cur multum fidant Galli. Sed nec Palatinum curabunt negotium, nisi Anglia præeunte, quæ præter motus & suos & Scoticos novum negotium invenit, bello à Pontificiis Hibernis suscitato, quod profecto aleret Hispanus, si tempora haberet minus impedita. Miseret me boni Regis, in quem tot insurgunt adversa. Anstruterus secundam in Suedia famam habet. Itaque gratum puto fore ejus adventum. Sed sine effectu, si verba tantum adferat. Vix futurum puto ut nova nupta ad Batavos eat ante annum ætatis duodecimum. Tantisper res omnis in incerto erit. Pacem seriò à se desiderari Rex mihi affirmat. Parat se itineri Mazarinus: & Baronem Oxenstiernam mare transisse lætor. Si induciæ fiant, tam Palatinus quàm Dux Carolus nihil obtinebunt, nisi alimenta è suis bonis. Danum cum Imperatore suas controversias compositurum arbitror. Renovatio federum cum Batavis, res pertricosa est. Cardinalis Hispani mors non videtur tantum incommodi allatura Belgicis rebus, quantum vellent Galli & Batavi; quia ex morbo diu prospectatum est id malum & curata omnia quibus prohiberi possent res novæ. De successore varii & hic sermones. Regina hic fratrem luget. Regis frater in maternas ædes venit. Guisiorum ædes diruentur. De literis amicos urgebo, Deum rogans ut Ill. Dom. Vestræ sit semper propitius. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Novembris anni 1641.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

PLanè futurum puto ubi Torstensonius cum suo agmine advenerit, ut Suedi aliquid moliantur, quo famam partium, nonnihil labefactatam, restituant, & qui restant de Lunæburgica Domo ipsamque Landgraviam retineant, in spem bonæ pacis, quod negotium brevi tractari incipiet, quandoquidem & Baro Oxenstiernius in itinere est, & itineri se parat Mazarinus. Deus tam optati multis boni conspectum nobis det. Danum velle suas res primùm bono in loco ponere, priusquam publicis se immisceat, credo. Imperator verò videtur mihi vias habere non adeo difficiles cum Suedis transigendi, cum Gallis non item. Palatinum verò negotium omnes alii Regi Angliæ curandum permittent, qui nunc in tribus Regnis plus habet negotii, quàm ut de externis cogitare valeat. Præcipuè Hibernici isti motus quò evasuri sint, metuo. Aleret haud trepidè id malum Hispanus, nisi in Hispania distineretur. Res tamen ejus in Catalania & Ruscinonensi tractu non improsperæ sunt: nam 18 Novembris ad Colubri portum naves longæ XXXVII, onerariæ XXIII cum Tartanis quibusdam, exposuere octo peditum millia, equites octingentos cum machinis & mulis; Medinisidonius autem ob suspiciones custodiri dicitur. Aira dicitur descendere ad pactiones. Non video Regem quicquam amplius pro ea moliri. Belgica Hispaniensis, dum à pluribus & mutuo suspectis regitur, occasiones agendi multas aperit Gallis & Batavis, si inter eos vera fidaque esset societas: multo autem major spes ibi esset res novandi, si Catalania relicta fuisset partæ libertati. Lamegæ Episcopus ut Episcopus agit Romæ: sed cùm non obscurè negotia novi Regis commendet, vehementer ea res iritat Hispanum, atque ea offensio inter causas est cur Pontifex novos Cardinales non faciat, intentus interim scribendo militi, prædicansque vere novo habiturum se XX peditum, IV equitum millia, ad invadendas terras Parmenses ac Placentinas, ni Dux culpam deprecetur. Interim Venetiæ, Etruria, Neapolis plena sunt armis, ad tuendam pacem suam, alienam verò procurandam. Sed & Lucensis controversia cum Pontifice redardescit. In Pedemontanis verò locis miles utrinque deductus in Hibernia. Hohentwila nunc cuniculis & machinis impetitur, sed loco satis firmo contra talia. Cùm eo Hasius & Mercius adduxerint quinque millia peditum, Croatas CCC: & tuguria ibi faciant & hypocausta, videntur famem velle opperiri, nisi fortè aliud occultant consilium, invadendi locum aliquem ubi Rhe-

Rhenum non modò ipsi transire possint, sed & Helvetios Pontificios ad tuendum Burgundiæ Comitatum deducere. Magis enim magisque se aperit illorum Helvetiorum in alios odium, novas quotidie faces injicientibus Austriacis qui illos pro nutu versant; cùm tamen Rhæti querantur & sibi in commune, & iis qui in Mediolanensi militant pecunias haud rectè persolvi, & cum Archiducissa controversiæ iisdem Rhætis maneant, præsertim de alendis Cappucinis. Sed coguntur omnia concoquere Rhæti, quod à Gallis Venetisque despecti non habeant ad quorum opem confugiant. Erlachius à Granseio auctus est duobus militum millibus. Neque tamen video quid contra exercitum hostium ad Hohentwilam tanto majorem agere possit, nisi ut cætera custodiat. De Marescallo Hornio nihil adhuc scimus quid facturus sit Bavarus. Rex nobis satisfecit. Stella Basileæ manet, agit cum Bavaricis. Quid id sit, conjicere magis licet quàm asseverare. Rex Angliæ neque in Galliam, neque in Suediam mittendo quicquam peragit, nisi paratus sit faciendo federi: super qua re puto fore ut consultetur in hoc Angliæ Parlamento. Circa Bernam omnia quieta, & Argentoratum pace fruitur. Princeps Monaei hic exspectatur, habiturus pro arce Monæci terras à Rege quæ reditum ferant ad XXV millia scutatorum, habeantque titulum Ducatus. De Asaco nihil hic habemus certi, negaturque ulla femina uterum ferre ex Turcarum Sultano. D. Gothofredus apud me fuit. Ambo nihil malimus quàm Ill. Dom. Vestræ nos præstare utiles cui à Deo omnia faustissima precamur, præcipuè verò Nobilissimi filii celerem felicemque reditum. Lutetiæ 7 Decembris 1641.

Papa complures munitiones novas facit in Bononiensi & Ferrariensi territorio. Asaci tutelam audimus planè deseri à Moscovito.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime Domine,

1542 BEne transiisse mare Excell. Vestram gaudeo, multoque magis ejus fidei atque industriæ mandatum esse negotium longè maximum procurandæ pacis per Orbem Christianum, pro qua ego apud Deum precibus quantis possum non desinam, miseratione tactus tot innocentium & infelicium populorum. Quæ hic disci possunt ea libenter cum Excellentia Vestra communicabo, ut debeo, non tantùm ob eam quam nunc sustinet personam, verùm etiam ob perspectam pridem mihi ipsius in me benevolentiam, ut jam de Excellentissimi patris cui omnia debeo in me meritis taceam. In præsens rerum hic est status: Rex à pace alienus non est, de iis qui apud Regem plurimum possunt video posse dubitari. Bellum obtentui est ad ingentes pecunias à populo exigendas ad CL milliones usque, iis qui in gratia sunt magna dat imperia, Principes ac nobilitatem longè lateque distrahit, & si quæ seditio oritur dat vires eam coërcendi. Cæterùm non plebi tantùm, sed & nobilium iis qui in præcipuis imperiis non sunt, grave esse bellum satis constat: & si quid humanitus accidat aut Regi aut Cardinali ad pacem magno impetu cursaretur, præcipuè si Regina Regis minoris tutelam obtineret, quod non caret exemplis. Habet Rex exercitum plerumque duplicem in fine Belgico, summa militum ad XL ferme millia perveniente, habet minores exercitus in Lotharingia, in Alsatia, in Italia, in Catalania, singulos ad sena ferme millia: pecunias dat non Suediæ tantùm & Batavis, sed & sorori Sabaudæ & Landgraviæ, hæc in tantis operibus adeo ei molesta non sunt, ut etiam velut in alta pace ædificet Rex & Luparam & Sorbonam, Ricelıacam autem urbem & Academiam Cardinalis. Arma nunc per hyemem ferme ubique quiescunt: dedita Hispanis Aira ante hos septem dies commeatu deficiente. Obsidio ea Hispanis magno stetit damno & pecuniæ & hominum per morbos. Rex satis felix hoc anno fuit, eo quod nihil suorum amisit, periclitatus de gravissimo bello civili, quod exstinctum morte capitis Comitis Suessionensis, deinde pactione Ducis Bulionii. Guisius qui solus apud hostes mansit in Gallia favorabilis non est, & bonis omnibus exutus est. Dux Lotharingus qui diu alii nictavit, nunc plane hostiliter in Gallos aggressus est, videturque aucturus obsidium Hohentwilæ. In Catalania & vicinis locis post invectos in Tarragonam commeatus Hispani & mare & campos tenent, & Ruscinonensi terræ exercitum invexere mari per portus Rosæ & Colubri. Multos præterea Catalanorum, qui libertatem speraverant, postquam eversi est in dominatum Gallicum, tædet novarum rerum multo mutandi pretio, unde conjurationes ortæ & quanquam suppliciis coërcitæ multum simultatis & suspicionis reliquere. Idem malum novum Portugalliæ Regem exercet, ideo quod detecta in eum conjuratio & multas & magnas domos infecerat, ita ut non stat unde deat cui possit fidere: pecuniæ quoque cùm defecere sublatis oneribus quæ Rex Castellæ imposuerat ad carendam populi gratiam, nec facile reperiatur unde ad damnum sartiatur, tum verò classis Gallica nullo operæ pretio facto domum rediit & Batava seriùs eò advenit, quam ut usui esse posset. Terra non multum proficiunt neque Castellani contra Portugallos, neque Portugalli contra Castellanos. Id eò evenire putatur, quod Rex Castellæ arma segniùs paraverit, dum exspectat prosperum ibi conjurationis exitum: quanquam præterea credibile est in tot hostes distracto neque pecunias neque milites sufficere. Pro novo Rege Portugalliæ est id exiguum, quod in Brasilia à vi Batavorum restat, de insulis Madera; & excepto Castello quod Castellani tenent Tercera, & in Africa Angola: nam qui in India sunt Orientis utras partes secuturi sint incertum est; ver nobis istas res aperiet, & simul quid effectura sit classis & novus miles quos Gallia Catalanis multum id orantibus submisit. In Pedemontanis locis bellum ferme æquale fuit hoc anno, nisi quod magna Regis felicitate ei accessit arx Monæci. Vt ad externa veniam, Papa qui pacis suasor concordiæque aliis esse deberet ipse bellum habet cum Parmensi, sed quod ad finem videtur spectare, quia is Princeps urbe & Ducatu Castri exutus, ut cætera servet parat ac Papa exercitum XXV millium in ver proximum cogetur culpam deprecari conciliatoribus Ethrusco & Mutinensi, quorum hic cum ipso Duce, Ethruscus cum Galliæ Legato ea de re seriò egere; sed & controversiæ Papæ cum civitate Luca non satis compositæ adhuc sunt: & decreto Parlamenti Parisiensis contra Bullam Papæ pro immunitate Ecclesiasticorum offensa est Aula Romana, quæ nec Hispano satisfecit quod Episcopum Lamegam sinat agere res novi Regis Portugalliæ, quanquam Legatum ex eo Regno missum nondum recepit. Imperator re tributaria uti voluit per Ratisbonensem Conventum constituta. Ad ea quæ Hassici Goslariæ non iniqua proposuere, ita difficilem se ostendit ut pacis non multum appetens videatur: quod tamen mutari poterit, si novus è Suedia Dux & exercitus secundos eventus aliquos habuerint: ut enim in alto ventus est, ita velum vertitur. Sed & Hispanus, ex cujus auctoritate multum pendent res Imperatoris, posset brevi ea sentire damna quæ eum ad inducias expetendas, à quibus Galli negant se alienos, pertrahere possent. Batavorum consilia tota pendent à voluntate Principis Arausionensis, qui potentiam suam magis & magis conjungit stabilitum, moliens etiam alterum cum Anglia conjugium, filiæ suæ scilicet maximæ cum Principe Walliæ, sequentem filiam daturus insuper filio Comitis Transamasanæ. Nihil magni egit hoc anno aut annis præcedentibus Princeps Arausionensis, quanquam magnis pecuniis ex Gallia acceptis, neque id multum curat, satis habens tueri potuisse, belli autem finem neque plena victo-

Digitized by Google

victoria neque pactione desiderans. Quod otium ipsi dominiisque ejus nociturum sit, nunc enim idem numeroso milite tenet omnia, & civitates gravibus tributis domitæ faciliùs jussa capessunt. Cardinalis Hispani in Belgica mors eò minùs res turbabit, quod prævisa pridem fuerit & successurus ei creditur Leopoldus. Præterea de bello in Belgicam de communibus consiliis inferendo & obstruendis commeatibus non conveniet inter Gallos & Principem Arausionensem, qui magnos progressus alter alteri invident. Batavis iidem Belgæ non fidunt ob Religionis dissidium accensum novo Batavorum edicto contra Romanenses satis acerbo qua rebus qua verbis, tum verò Procerum Belgarum, si qui erectiores habebant spiritus, in exilio sunt eorumque calamitas cæteris documento est. Rex Britanniæ volet quidem impetrare à Suedis & Gallis, ut promittant pacem aut inducias se non facturos nisi restituta Domo Palatina, sed id impetraturus non est, nisi fedus faciat cum illis Regnis, & sæpe jam ei & quidem cum optima ratione dictum fuit: an verò Parlamentum Angliæ ad tale fedus quod armorum societatem inducat pertrahi possit multum dubito: primùm quia bellum habent cum Hibernis grave, ad quos domandos non sufficiunt tria millia peditum, sexcenti equites, L Sterlingicæ pecuniæ quæ dantur Comiti Licestrio, quia magnus est in eo Regno Romanensium numerus, deinde & alii hanc occasionem arripient, ut fiat Regnum sui juris, & non ut hactenus Angliæ Provincia, neque Rex id volet, ut aliquando si opus sit Hibernorum ope uti possit contra Anglos aut Scotos malè obsequentes: præterea metus Anglorum à Rege satis contumeliosè habito non facilè patietur eos à finibus suis amovere militarem juventutem: accedit & quod inescati commerciis tum Hispanicis & Flandriæ, sua commoda commodis Palatinæ Domus prælaturi. Daniæ Rex pridem res suas agit, Germanicæ libertatis, quæ ne ipsis quidem Electoribus cordi est, incuriosus, quare ejus operam si quæ esse potest facilè redimet Imperator concessione earum rerum quæ Hamburgo magis quàm Imperatori sint nocitura. Rex Poloniæ Austriacæ quidem Domui favet, sed nihil magni pro ea efficere potest, suspectus ipse suis tanquam addictioris dominatus appetens. At sicut inde nihil opis ita nec damni quicquam Austriacæ Domui metuendum videtur à Turca, ideo quod ea nunc gens pacem cum omnibus optet, nulla adhuc virili stirpe apparente ex Sultano, qui si orbus decedat, ambigua successio inter quemdam qui filium mortui Sultani se dicit & Chamum Precopensis Tartariæ fretum pactis veteribus, & alios forte Satrapas pro occasione ausuros non abitura videtur sine magnis motibus, ingens periculum isti Imperio laturis, si Christiani commune potiùs bonum quàm suum quisque curarent, quamobrem non committent Turcæ, ut bellum inferendo, Christianis pacis inter se necessitatem imponant. Privatarum rerum nihil addam nisi fecisse Regem quæcunque expetivi: sæpe autem & ipsum & Ministros de ea re adii in negotio Marescalli Hornii, imperavit enim per literas Erlachio, &, si is absit, Offenvillio ut deducatur Waertius eo loci de quo inter ipsum & Marescallum, ubi is ad proximos fines à Bavaricis deductus fuerit conveniet. Nunc quid facturus sit Bavarus opperimur. Ego ut ipsi libertatem, ita Excellentiæ Vestræ, Illustrissime Domine, opto valetudinem ac res prosperrimas & patrem longævum ad ultimos usque vitæ humanæ terminos. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Decembris 1641.

Excell. Vestræ obsequentissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

43 Filio Ill. Dom. Vestræ opto celerem reditum, bene confectis negotiis. Postquam Torstensonius suo cum milite ad veterem exercitum venerit, videbimus an res ad prælium sit ventura, an verò nostri oppugnaturi Saxonica oppida. Hohenwilum machinis verberant hostes, ipsi validis munimentis sese tutantes contra hostium tela. Erlachio, ut contra eos eat, non satis est copiarum. Dux Carolus Hamburgi est. Copiæ ejus, partim in præsidiis, partim in Palatinatu inferiore. Palam hostilia in Gallos patrant: & Galli è Tabernis Alsaticis egressi equos cepere, quos Argentoratensis Civitas mittebat donum Duci Carolo. Pontemoussani iterum jurarunt fidem Regi Galliæ: & Granseius arcem oppugnat sitam inter Mottam & Novumcastellum. Helvetii adhuc disputant, an dilectus, quos petit Legatus Galliæ, debeantur in hoc bello ex fœdere cum Gallia, an verò pugnent cum federibus Austriacis, Burgundicis, Mediolanensibus & Imperii reverentia. Sed Pontificii Helvetii metu Gallorum abstulere diplomota tutelæ quæ locis quibusdam Episcopatus Basileensis apposuerant. In Ruscinonensem tractum advenit Marescallus Bressæus, Catalaniam pro Galliæ Rege recturus summo cum imperio. Audimus in eo tractu Ruscinonensi nunc pares ferme esse copias bellantium utrinque, ad septem millia peditum, equites minùs mille. Rex Catalanis in ver proximum promittit novem peditum, duo equitum millia. Aira ante hos dies octo Hispanis dedita est, paullò celeriùs quàm hic creditum fuerat, idque ob alimenta, quæ restabant, madore corrupta. Præfectus oppidi qui fuit, ad Regem venit, & bene ab eo acceptus est. Periere de præsidio, quod ter mille hominum fuerat, morbis mille septingenti. Rupellam Rex novum Episcopatum facit. Dux Parmensis exutus Ducato Castri, novo Edicto ut ipse Romam veniat fide publica accepta citatur. Manet adhuc in armis, & metuitur, ideoque Papa multo milite tutatur fines & Bononienses & Ferrarienses. Sed & Mutinensis Dux cum ipso Parmensi & Ethruscus cum Legato Galliæ collocuti sunt ut conditionibus æquis hoc negotium componatur. Manet adhuc Lucensis controversia: & an Legatus qui novus è Portugallia venit, ut talis, admittendus sit, lenta est Romæ consultatio. Facit Rex novas cohortes Germanorum & alas. Princeps autem Monæci etiam Dux & Par Galliæ futurus est. Fama hic est contra Portugallos mitti Principem Thomam, Catalaniæ tuendæ Leganesium. Principi Ruberto libertatem gratulor. An pro ea Domo majus aliquid sperare debeamus, pendet ex iis quæ in Parlamento Angliæ decernentur. Ad alia impedimenta non levia accessit gravis ille ex Hybernia motus, ubi ingens est Pontificiorum numerus, & fortè addent se alii, quibus gravis est Anglorum ibi dominatus. Vnum hoc tempore bonum est, quod Hispano talia fovere nunc non vacat. Accepi à Barone Oxenstierna literas. Puto verum esse quod conjectat Ill. Dom. Vestra, ab induciis non abhorrere Suedos. Neque id nolent Lucemburgici ac Hassica, additis quibusdam conditionibus. Palatinum negotium, ni fallor, omnes Anglis tractandum relinquent. Quod ad cæteros Germaniæ Principes attinet, non possunt externi liberos facere eos qui liberi esse nolunt. Nam & si cogantur esse liberi, eo ipso liberi non erunt. Ansiaticæ Civitates in bellum pertrahi se non patientur. Et magna excusatio est commerciorum necessitas. Hamburgensis Civitas & Bremensis à Rege Daniæ ejusque filio magnum adeunt libertatis periculum: nec video quomodo malum imminens evitare possint, nisi societate cum Batavis. Deus pacem det Christianis & Ill. Dom. Vestræ prospera omnia. Lutetiæ 14 Decembris 1641.

Arx illa apud Motam dicta Basilia in potestatem venit Gallorum. Marescallus Bressæus in Ruscinonensi tractu Argilleriam munit. In Italia agitur de nuptiis filiæ Ducis Parmensis cum filio Barbarini Romæ Præfecti.

Ill. Dom. Vestræ obsequi perpetuo debitor H. G.

Digitized by Google

EIDEM.

Illustris Domine,

1544 IN re Marescalli Hornii nihil est quod à Gallia desideremus. Sed à Bavaro quid responsum sit, nondum cognovimus. Exercitus tam validus quàm nunc est Suedicus post adventum Torstensonii, hyemem inertem non patietur. Itaque videtur res ad prælium spectare. Cùm ad obsidiones minùs aptum est hoc anni tempus. Cùm Magnus Cancellarius ad pacis negotium filium suum miserit, puto eum in spe aliqua esse pacis adipiscendæ. Galli quantum poterunt nectent moras. Goslariæ colloquia puto nondum esse abrupta. Verùm Rex Galliæ non desinet & Landgraviæ præstare quæ debet & Lunæburgicos accendere. Rex, Deo sit gratia, firma nunc est valetudine: Cardinalis mediocri, & tuetur eam quibus potest modis, de quo dici fortè posset,

——— debet multas hic legibus avi

Ante suam mortes.

Periisset pridem, siquid in cœlo valerent quæ Madritii & Viennæ fiunt preces. Dux Carolus apertus jam hostis est Galliæ: & Guisio, cujus bona hic Rex partim possidet, partim elargitur, dat annua Hispanus ducenta scutatorum millia; Reginæ autem Galliæ matri tertio quoque mense xx ejusdem pecuniæ millia. Videtur Guisius etiam hoc cum domus suæ Principe commune habere, quod matrimonii est desultor. Itaque Anna Mantuana Bruxellas it, ut eum sibi vindicet, contra novam nuptam. Stella quæ agit clam habentur. Palatini res ab Angliæ decretis pendent. Sed dolens intelligo, durare motus Hybernicos, & eas esse vires quæ non facilè opprimi possint, tum verò dissidia seri in Parlamento, ipsumque plebeium ordinem studiis scindi. Regina verò Angliæ dolet abstrahi à se liberos suos, neque ad conspectum suum nisi sub custodibus admitti. Princeps Robertus eorum quæ gerentur ita erit spectator, ut pejorem fortunam metuendam non habeat, meliorem sperare possit. Aira defensa fuit quamdiu potuit, & magno hosti constitit. Hohentwilæ obsessi feliciter erumpunt, obsessores in locis eminentibus machinas locant. Erlachius re infecta domum rediit. Granseius damni aliquid accepit. It in Comitatum Burgundiæ: Lamboius Mosam versùs. Sperant autem Galli se & Perpiniano & Salza potituros per famem, cui causam datura sit Arzilleriana ista quam Marescallus Bressæus facit munitio. Dubito tamen. Pro Catalania autem magni fiunt paratus. Tota Italia laborabit, ut Parmensis negotium ad pacem deveniat. Transamasanum Comitem sponsalia ista bono ponent loco. Sed de cooptando eo Comitatu in fedus Batavicum, difficile est negotium. Elector Brandenburgicus ejus est ætatis, ut de nuptiis cogitare & possit & debeat. Si rectores nostri Reginam nostram ei vellent in matrimonium collocare, Suedici Regni potentia à mari Balthico per Germaniam ad Batavorum viciniam se extenderet: magnamque haberet auctoritatem & in Imperio & in Polonia & in toto orbe terrarum. Sed hæc Deo & iis quorum res in manu est permittenda sunt. Deus igitur & hæc in bonum Christiani Orbis gubernet, & pacem det, & Ill. Dom. Vestræ omnia prosperrima. Lutetiæ 21 Decembris 1641.

Lamegi Episcopus Legatus Portugalliæ Regis nocte post 11 Decembris Romam intravit. Divertit apud Legatum Galliæ. A Pontifice nulli ei honores habiti; sed vidit clam Cardinalem Antonium. Veneta cum Turcis controversia durat. Muniunt Hispani & Princeps Thomas in Italia Astam, Eporediam, arcem Juliani. Lamboiani milites LX à Gallis qui in Bassea partim cæsi, partim capti sunt.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

D. SALVIO.

Illustrissime Domine,

EVenit quod putaveram, ut Galli moras injicerent colloquio de pace, non quod non populus pacem desideret, sed quod aliter expediat his qui plurimum possunt. Tutela in Principatibus qui summum Imperium habent testamento an lege deferatur gravis est quæstio, & in Palatinatu ab iisdem hominibus nunc in illam partem tractata. Cæterùm de pace colloquia recusare, ideo quod ante eam ab hoste obtinere non possis confessionem, qualem desideres in re adeo controversa, parum plausibile est. Pecuniam à mense Novembri debitam puto jam esse Hamburgi, ego semestre tantùm stipendium retinui dilatis impensis à me factis in tempus aliud. Deus Excellentiam Vestram hoc honore muneret, ut pacem bonam procuret Orbi Christiano. Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Decembris 1641. 1545

Videtur mihi jus Dominæ Sabaudiæ posse illæsum servari per &c. ut in rebus non dissimilibus factum est antehac, simul cum perscripto testimonio Legatorum Suediæ & Galliæ, sub eo compendio id comprehendi. Id olim factum in Batavicis induciis super negotio Indurum.

Excell. Vestræ servire paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

REx & Regina & eorum liberi & Cardinalis bene 1546
valent: fiuntque paratus pro Catalania. Quis futurus sit eventus obsidionis Hohentwilæ, varia sunt judicia. Nam obsessi erupere feliciter aliquoties, corrupere machinas quasdam, bellicumque pulverem; interfecere nonnullos, alios cepere. Sed dicuntur hostes & augescere copiis & propiùs propiusque ad arcem accedere: Erlachio autem non id esse virium, ut contra certet, satis eum habere si vicina oppida tutetur præsidiis. Cum Marchione Badensi aliquid egere Oslenvillius & Stella. Bavarus dicitur multum scribere novi militis ad IV equitum, sex peditum millia. Dux Carolus unà cum Cantecroia Argentorati est. Miles ejus partim in Alsatica præsidiis, partim ad Mosellam, agros longè lateque sub tributa sua redigit. Rex interim cognitionem causarum omnium ex Lotharingia & Barrensi Ducatu attribuit Metensi Parlamento. Legatus Gallicus in Conventu qui habetur Soloduri offert Comitatui Burgundiæ in tres menses immunitatem à belli malis, donec pax in commune coierit. Cæsariani eam produci volunt. Fiunt, ut dixi, hic paratus pro Catalania. Sed dum ii fiunt, rursus naves longæ novem Hispanis commeatum & militem intulere in Colubri portum. Terra pugnatum est apud Canætum, sed levi utrinque damno. Etiam mari ad præmontorium Vincentii intelligimus pugnatum inter Batavos Portugallis junctos & Hispanos, æquo satis Marte: sed queri Batavos se à Portugallis desertos. Advenisse in Portugalliam tres naves Suedicas, & publicatas ibi cum Batavis inducias. Romæ qui à Portugallia venit, ut Legatus Regius non agnoscitur. Legatus Gallicus pro Parmensi non multum profecit, duras leges Pontifice præscribente, ut Dux veniat Romam, veniam poscat, dejiciat munimenta, impensas belli solvat, creditoribus præsente pecunia satisfaciat. Anna Mantuana Machliniæ est Guisium sibi vindicans. Bossia à sententia Archiepiscopi Machliniensis contra se pronuntiata Romam appellavit. Viennæ incipiunt conditiones imponi in re Palatina, sed lentum erit negotium, & magis minusve procedet, prout se in Anglia habebunt res & animi. Deus Ill. Dom. Vestræ det valetudinem

nem bonam in rebus prosperis. Lutetiæ 27 Decembris 1641.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

7 GAudeo in itinere esse ex Suedia Nobilissimum filium Ill. Dom. Vestræ. Deus eum sospitem cum bonis nuntiis patri sistat. Torstensonii adventus & copiæ Galliam in spem rerum magnarum erexere. De revocatis ab Imperatore tuti itineris tabulis fuit & hic rumor, sed vanus. Mazarinus Cardinalis factus est, dubito an ei liberum sit futurum inservire Galliæ. Etiam Machiavellus Cardinalis factus est: & Abbas Peretta rogatu Hispani, Princeps Atistinus commendante Imperatore. Itali præterea octo. Quin federis cum Gallia facti omnia impleturi sint Suedi dubitari non debet. Principi Roberto libertatem & reditum ad suos ex animo gratulor: optoque toti Domui clementiorem fortunam. Anglia propter dissidia intestina & Hibernicos illos motus quos ego sedatu difficiles arbitror, parum habebit auctoritatis: & iniquior ei erit quàm antehac Hispanus ob Nassavicam affinitatem. Scotis facile erit conscribere decem millia militum: alere non item: præterea Scoti nihil seorsim ab Anglis facere volent. Beckius suos in Lucemburgicum duxit: Lamboius ad Iuliacenses terras tendere dicitur & avidè exspectari ab Electore Coloniensi. Hyems non plane otiosa transit, nam in Ruscinonensi tractu castra Gallorum adorti hostes rejecti sunt cum clade, & quinque naves longæ venientes à Catalania vi tempestatum impactæ in littus, quo se Rhodanus evolvit partim periere, partim cum hominibus in Gallorum venere potestatem. Magni autem hic paratus fiunt classis & militis pro Catalania: & in Catalania vestis & commeatus pro XXX millibus. Addunt quidam, quod non credo, Regem illuc iturum. Monæci portus turbat navigationem inter Hispaniam & Italiam. A castris hostium ad Hohentwilam abductus eques variis sermonibus materiam præbet aliis existimantibus deseri obsidionem & contentum fore hostem clausos tenere aditus exitusque: aliis contra manere obsidionem in spem defuturæ obsessis aquæ & ligni. Equitem autem alio dimissum quod ejus in castris exiguus sit usus. Legatus Gallicus dando pecunias annuas Helvetiis, & Comitatui Burgundiæ inducias in sex menses, obtinuit permissum scribendi militem apud Helvetios Protestantes, nisi quod Tigurini adhuc dubitant. Creduntur hic Batavi in navali illo prælio ad S. Vincentii promontorium fuisse deserti à Portugallis. Americana autem classis in vasto illo Oceano primùm repertu, deinde si reperiatur oppugnatu est satis difficilis: tum verò accepta clades suspectam faciet Batavis Portugallorum societatem. Pontifex contra Hispanum nihil molietur: Parmensis autem ad conditiones veniet. Marescalli Hornii liberandi negotium, tum responsum Bavari exspectat, tum Snolskii reditum ab Erfordia ubi sunt captivi qui præter Waertium reddi hostibus debent. De Asaco & de feminis ex Sultano gravidis paria hic intelligimus. D. Gothofredus hic & in gratia est, & in bonis rebus: estque ejus opera Regno utilis. Deus Ill. Dom. Vestræ det hunc annum & sequentes multos felices. Lutetiæ 4 Ianuarii 1642.

Veneti cum Turca transigunt de Barensi controversia: & Melandrum præficiunt copiis suis. Hispani offerre dicuntur Principi Thomæ Præfecturam Belgicam, Cardinali Sabaudo Archiepiscopatum Toletanum, si Nicæam maritimam velint ipsis cedere. Obiit Dux Salliacus magnæ quondam auctoritatis sub Henrico IV.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

DOleo Nobilissimi filii Ill. Dom. Vestræ iter non 1548
fuisse cum eo qui sperabatur fructu, opto ut quod ad eam rem deest, cum tempore corrigatur. Parum hic agitur, nisi quod cantatur, saltatur, convivia & comœdiæ aguntur, ut per hyemem fieri solet. Promittuntur magna Catalanis, verùm interim in Perpinianum invecti sunt ab Hispanis commeatus. Hohentwilæ verò obsidio in ver dilata est, abducto inde equitatu, machinis & parte peditatus, parte hujus manente ad claudendos aditus. Nam quod Cæsariani sperant obtineri posse, ut Helvetiis ea arx custodienda detur ad tempus usque pacis, in eo eos frustra futuros arbitror. Hyemem hanc in Italia exigunt Hispani, muniendo loca agri Pedemontani quæ obtenduntur territorio Mediolanensi. Militem augent, gravi cum incommodo agrestium, maximè circa Cremonam, unde rixæ frequentes. Præterea vias quærunt pecuniæ colligendæ, cujus inopia laborari ostendunt pensiones ab aliquo tempore non solutæ Communi Rhætorum, & Rhæto militi qui est in agro Mediolanensi pro stipendiis quæ ad CXX millia scutatorum debebantur, ægrè soluta millia XII. Ea res Rhætos commovit, & simul incertus status federis quod Feldkirchæ cum Archiducissa Tirolensi convenit, quia Cappucini non contenti libertate redeundi in Engadinam, obventiones sibi dari volunt, unde otiosi vivant. Sed Rhæti neque per se expedire se ab Hispanis pedicis possunt, neque alios reperiunt qui antehac despecti ipsos curent. Ad Parmensem Ducem majoribus malis eximendum laborant omnes Itali & Gallia: crediturque accepta fide venturus Romam deprecaturus culpam & se extricaturus damno quantum poterit. Etiam Episcopi Lamegæ negotium Legatus Galliæ commendat: sed in Aula cunctatrice moram objiciunt res Portugalliæ valde incertæ neque multum promoventes. Torstensonii copiæ quo se versuræ sint, videbimus. Interim bene se res habet quod ejus adventus retinuit in fide nutantes Lunæburgicos. Rex Galliæ tum ibi, tum apud Landgraviam nihil omittet eorum quibus firmari possunt illorum animi. Valet Rex nunc rectè, discusso celeriter qui eum tentaverat morbo. Dixi ei de Legatione Suedica decreta ad negotium pacis, quam se, si bona & æqua sit, non recusaturum Rex dixit. Domui Palatinæ valde adversa sunt subnascentia quotidie dissidia in Parlamento Angliæ: & Hybernici isti motus difficiliores sanatu quàm initio sperabatur. Metu verò illo ab Anglia remoto, promtum erit Bavaro quamdiu volet trahere negotium. In Vanios illud fulmen unde venerit miror. Pater enim Regis gratia niti putabatur, filius Parlamenti. Gallos desiderare ad bellum Anglorum societatem res certissima est. An verò Rex Angliæ & Parlamentum passuri sint & hoc tempore bello externo illigari ex Anglia cognosci debet. Quod si participes esse nolunt belli, pacis autem esse volunt, frustra laborant. Sponsalia Transamasana non patientur Hassos illis in locis consistere, neque verò civitatem & alios illic ordines grassari in jura Comitis, ita ut hactenus fecere. Somelsdikius vixit sibi & Domui Nassaviæ utilis, multosque post se relinquit per vestigia quæ ipsi tam bene successere, ituros. Siquis ibi esset Cato, posset dicere.

—— —— tuumque
Nomen libertas & inanem prosequar umbram.

Deus Ill. Dom. Vestræ det cuncta felicia. Lutetiæ 11 Ianuarii 1641.

Intelligimus Viennæ in causa Palatina eos qui sunt medii proponere conditiones aliquas. De Portugalliæ rebus non optimè hic existimatur. Rex Hispaniæ classem adversùs eam parans XX naves bellicas à Neapoli ad se vocat.

Digitized by Google

vocat. In Catalania & Ruſcinonenſi tractu Hiſpani peditis duplo plus habent Gallis. Sed Rex Galliæ famam ſpargit ituri in Catalaniam, & optare Regina ſe comitetur, quæ ſe excuſat. Dux Carolus ad Saram eſt & putatur bonum habiturus exercitum vere appetente. Interim Beckius quinto menſis hujus cùm per proditionem ſperaret ſe Stenaium capturum, deceptus fuit & ſuorum amiſit ducentos. Exſpectantur hic ab Argentorato Legati; Mazarinus autem nunc Cardinalis creditur Romam iturus ad promovenda Galliæ negotia.

Ill. Dom. Veſtræ perpetuæ obſervantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illuſtris Domine,

1549 QVò magis Regis & Cardinalis vita non utilis modò ſed propemodum neceſſaria eſt opponentibus ſe Auſtriacæ magnitudini, eò magis formido iter quod in Hiſpaniæ fines parant, de quo Regina ægrè ſe Regi excuſavit. Nam certè ſiquid non dico utrique, ſed alteri eorum eveniret eorum quæ Deus avertat, credibile eſt ingentem ſecuturam conſiliorum mutationem. In hoſtilibus ad Hohentwilum non jam caſtris, ſed caſtellis, vix ſexcenti milites manſere: & apparet in proximo Gallicus equitatus qui in arcem invecturus creditur quæ ſunt neceſſaria. Apud Helvetios interim Hiſpanicæ penſiones deficiunt: Gallicæ meliùs procedunt, ideoque & paſſim dilectus pro Gallis fiunt, niſi quod Scaffenhuſii ob Auſtriacorum vicinitatem cunctantur & Pontificiis itidem comitandi prætextum præbent. Via illa qua Bavarus utitur in proponendis conditionibus ſuper re Palatina, ſenilem oſtendit vafritiem. Neque Anglorum eo loco ſunt res, ut ſe de ejusmodi verſutiis ulciſci poſſint. Intelligo cum dolore portus aliquos occupatos ab Hibernis qui arma cepere, ut ipſi jactant, non ſolum pro ſacrorum libertate, verùm etiam ad conſervanda Regis jura. In Parlamento Angliæ atque in ipſo etiam oppidano ordine multum eſſe diſſidiorum. Illud non improbo quod Staffordii liberis bona Rex reddidit. Sed & de reprimendis Hybernis deliberationes tardiùs videntur procedere quàm pro rei periculo; & Electori Palatino video non deeſſe rationes cur ductum belli, quem Scoti & Anglorum quidam ad eum deferre volunt, ſubterfugiat. Torſtenſonius quanquam nihil magni bello adhuc geſſit, non parum tamen præſtitit, quod ſui adventu ac fama duas obſidiones disjecit, Lunæburgicos autem in fide retinuit. Video undique ad inferiores Rheni ripas concurrere copias, ut illorum populorum damno ſemet ſaginent. Puto tamen rem ſine pugna ibi abituram. Rex Portugalliæ ut video ſua tueri contentus nihil magni aggreditur, credo ob pecuniæ anguſtias. In prælio navali audio fuiſſe ambiguum eventum, & culpam nunc à Portugallis in ventos derivari. Romani Pontificis circa eum Regem conſilia ita erunt, ut erit belli fortuna. Sunt enim Itali in rebus periculoſis valde cunctabundi. Nobiliſſimi filii Ill. Dom. Veſtræ felicem reditum tum ad alia, tum ad ſolatium utriusque parentis opto, totique domui proſperam valetudinem, & bonam pacem Orbi Chriſtiano. Lutetiæ 18 Ianuarii anni 1642.

Princeps Condæus huc jam advenit, ut per Regis abſentiam præſit ejus conſilio. Millereius autem Regem cum copiis præcedit. Mortuus eſt Eſpernonius: & Ducis Caroli milites malè tractati à ruſticis apud Treviros. Caſtellum magnum ſtruunt hoſtes ad Hohentwilam. Caſtellum autem Argilleriæ in Ruſcinonenſi tractu in poteſtatem venit Hiſpanorum. Galli illis in locis ex Languedocia equitatum exſpectant aiuntque ſe Perpinianum vi oppugnaturos. Turca dicitur ejectus urbe Azaci: deſtruxiſſe in Hungaria Tanaum caſtellum: Budam autem & alia in eo limite implere pulvere bellico, rebusque ad bellum neceſſariis.

Ill. Dom. Veſtræ perpetuæ obſervantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illuſtris Domine,

MVltus hic ſermo de capitibus accuſationis à Rege Britanniæ inſtitutæ contra quosdam quorum a Parlamenta magna erat auctoritas, mirantur plerique unde Regi hic animus, qua ſpe virium ſuffultus receperit Scotis univerſim, in Anglia non paucis invisis. Sed hæc puto in Batavis, quàm in Gallia exactiùs noſcentur. Rex hic quanquam minùs commoda valetudine abneri ſe parat, facto, ut rumor eſt, teſtamento. Quo autem iturus ſit Rex tunc cognoſcetur, cùm Lugdunum venerit. Catalani in ſuas partes eum venturum ſperant, ubi nunc hoſtis præpollet, ut & in tractu Ruſcinonenſi, quo ex Languedocia eunt XL centuriæ. Alii putant paratus fieri in Burgundiæ Comitatum, non acceptis ab Hiſpano induciis ſemeſtribus quas Galli obtulerant, ideo quod ipſis longiores velit. Sunt qui in Italiæ proximum quò præmittitur Bulionius iturum Regem putant & aliquid acturum ſocio Pontifice qui nunc magnum habet exercitum & in Helvetiis, non minùs quàm Rex milites ſcribit. Exercitui qui apud Regem erit præerit Millereius & ſub eo Vicecomes Turenæ. Harcurtius ad fines Belgicum bellaturus creditur. Caſtella adversùs Hohentwilam pergit facere Spanius, & Erlachius contra eum ſe movet cum peditibus mille quingentis, equitibus totidem. Intelligimus Belgicæ Præfecturam Meloni datam: Archiepiſcopatum verò Toletanum Leopoldo. Deus, Ill. Domine, cuncta Ill. Dom. Veſtræ det proſperrima. Lutetiæ 26 Ianuarii 1642.

Illuſt. Dom. Veſtræ perpetuæ obſervantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illuſtris Domine,

TRiſtia ſanè ſunt quæ ex Anglia & Hibernia adferun- 1551
tur: ſed de iis parco loqui, quod certiùs ea putem in Batavis cognoſci. Electorem Palatinum, qui Londinii manſit, audio apud omnes ordines ſatis eſſe gratum. Sed quid rebus Angliæ tam turbidis, & manente per Hiberniam bello, ad res ſuas ſperare poſſit, equidem non video. Rex Galliæ jam Fontem Bellaqueum ivit. Lugduni futurus dicitur 20 Martii: ſecutura Regina menſe Aprili. Quò deinde iturus ſit, in obſcuro eſt: & quò magis dubitatur, fecit Rex ipſe qui aliis præcepit Carcaſſone ſibi adeſſent, aliis Avenione. Hinc conjecturæ fluctuant, alii volentibus obſideri Dolam, alii Perpinianum, aliis Nicæam mari adſitam, alii Mediolanum mallent. Comitatenſes certè Burgundi Regem irritarunt, incendio vicorum ſibi proximorum. Spem de Perpiniano injicit, quod Mareſcallus Breſſæus auctus ex Languedocia copiis Argillerii obſidionem repetiit. Qui de Italia conjectant, hoc adjuvantur argumento, quod in Pinerolum ingens importata eſt rerum, quibus bellum indiget, copia. Hohentwilam introiere Erlachius & Ofſenvillius, ubi reperere milites quadringentos, Wittenholtium plenum gloria, captis etiam cum Spanius inde abſcederet, mortariis duobus, quatuor machinis, carris cum bellico pulvere, duobus. Nunc in eo laborant, ut cœpta ab hoſtibus opera diruant. Ad Comitem Guebrianum mittuntur centum millia ſcutatorum: putaturque ex hac de hoſtibus victoria etiam ad majores honores perventurus. Dux Carolus Wormatiæ eſt. Mareſcalli Hornii libertatem ſperamus nos intellecturos cis paucos dies. Nam & Rex nihil in ſe deſiderari paſſus eſt, & paratus eſt Bavarus, & miſſus ab Hornio Snolskius quæ in Germania conficienda erant, confecit. Torſtenſonius cum Stalhanſio creditur in Bohemiam incubiturus. De Galliæ & Bavari commerciis nihil liquido poſſem dicere, ſed non ſpernendum puto quod à Norimberga ſcribitur

bitur. Non parum momenti, etiam ad res Americanas
ſſe cenſeo, in urbe illa Æthopiæ ad Oceanum quam
Batavi cepere, ſi & Inſulas tum Principis, tum Tho-
næ capiant, puto ibi omnia vaſtaturos, propter cæli inſalu-
ritatem & ne unquam ibi ſaccharum fiat. De inſidiis
n Regis vitam nihil hic audivimus. At certè valetudo
Regi non nimis firma eſt, & poſſet lædi à ſuſcepto itine-
e, niſi Rex id tanta cum alacritate ac ſpe rerum magna-
um ſuſciperet. Filio Ill. Dom. Veſtræ felicem reditum
pto: ipſi conjugique ejus valetudinem meliorem. Fa-
it Deus & pacem nobis det.

Præfectus Regni Neapolitani rogatu Cardinalis Sa-
audi ad Nicæam tuendam miſit ſex millia ducatorum,
uas naves plenas rerum bellicarum, ſex alias cum fru-
nento. Miſit & milites ↄↄ c c c ad defendendum Fina-
; cui imminere creduntur Galli ex Monæco. Cremo-
æ ſeditio fuit contra militem, ſed eo abducto ſanata.
ichius Cardinalis hic exſpectatur. Hiſpanus Papæ con-
lia ſuſpecta habet. Supplementum quod advenit Mare-
allo Breſſæo eſſe dicitur mille quingentorum peditum,
quitum ſeptingentorum. Qui Baſſeæ in præſidio ſunt,
opulantur agrum Inſulas verſùs & arcem ibi cepere,
ictam Marigniani. Lutetiæ Cal. Februariis anni 1642.

Ill. Dom. Veſtræ perpetuæ obſervantiæ debitor H. G.

Viro raræ Eruditionis

CASPARI BARLÆO,
Profeſſori.

Vir Eximie,

Egi qua ſoleo tua omnia cum voluptate, atque
etiam admiratione Panegyricum dictum Eminen-
ſſimo Cardinalium & Ducum Illuſtriſſimo. Multi
m ſe in tam benigna materia exercuere. Nemo
ajore ſpiritu, planè ut ille vir magnus nec cuilibet di-
ndus hanc demum agniturus ſit ſui imaginem verio-
m, quàm illa eſt ſatis feliciter facta partis in ocu-
s venientis, quæ poëmatis tui acceſſio eſt. Satis tua
opera monſtrabunt: ſed tamen mea etiam tibi præco-
a non deerunt. Gaudeo lecta abs te quæ de ſacris ſcri-
imus, recteque introſpectam mentem meam quæ eò
ndit, ut ſedatis ſeditionum flabris vera pietas ſimul cum
ace Chriſtiana redeat. Quæ noſtrum ſeculum ſevit ul-
ra, tractari, ni fallor, leniore manu non debuere.
ibi nihil talium dici opus qui quæ ex uſu ſunt publico
r te intelligis & alios eorum intelligentes facis. Diu te
uatur Amſteldamum, diu omnis generis literæ, & ſe-
riores quas nunquam defugi, & ſuaviores iſtæ quas
nc quoque amare non deſino. Lutetiæ 8 Februarii
ni 1642.

Negotium Lotiorum ſeriò commendavi, tum ipſe,
m per amicos.

T. Cl. Studioſiſſimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Conſiliario.

Illuſtris Domine,

T rex & Cardinalis ſatis rectè valent: & in itinere
ſunt à Fontebellaqueo Lugdunum. Inde quò ituri ſint
et: & præmiſſi in diverſas partes metatores omnes
njecturas turbant. Miſere ad Regem Colmarienſes
nqueſtum quod reditus urbis præſidii Præfectus contra
cta civitati eripit: ab Argentoratenſibus verò quod
oliati ſint à Tabernenſibus militibus ii qui ab ea civita-
cum equis aliiſque muneribus miſſi fuerant ad placan-
m Ducem Carolum civitati infenſum. Quæ hic edun-
de Hibernicis motibus ea video favere Hibernis, &
lum ibi longum portendere. Pecunia externa foveri Hi-
nos conſtat, unde ea veniat non æquè. Et in Anglia
atio ab Epiſcopis interpoſita, ut pro irrito habea-
quod in Parlamento fiet ipſorum non auditis ſenten-
tiis ſpeciem habere juris videtur. Sed dum Hiberni bel-
lant, Scoti ſibi metuunt, Angli inter ſe diſſident, non
mirum eſt ſi parum efficax eſt ea quæ fit à Britanniæ Rege,
tot malis diſtracto, Palatini negotii commendatio. Stellæ
illius curſus, multis nebulis obſeptos, difficile eſt aſſequi,
& multas habet παρεγκλίσεις. De victoria Guebriani ingens
in hac Aula fuit gaudium. Sed Goſlarienſia iſta colloquia
non deſinunt eſſe ſuſpecta. Nec abeſt metus ne Suedi pa-
cem mediocriter bonam bello præferant. De Lamboio
& aliis bello captis agendum cum Haſſis erit, qui in iſto
bello partem imperii habent. Rebus ſic euntibus, Epiſco-
po Colonienſi facilè oboriturum belli tædium credibile
eſt. Idem de Imperatore exſpectari poterit, ſi Torſten-
ſonius cum Stalhanſio in Bohemiam penetret. Et Dux
Carolus & Bavarici dicuntur ire ut ſe jungant Hatzvel-
dio. In Portugallia non miror parum gratioſos eſſe Bata-
vos, qui tam bene norunt in turbido piſcari. Etiam in
Braſilia, poſtquam ibi cognita fuit Batavorum ſtipulatio,
induciarum effectum in longam diem ſuſpendens, re-
ſumta ſunt contra eos à Portugallis arma. Sed fortè con-
junctio virium contra Americanam claſſem hæc diſſi-
dia ſedabit. Id certè hic optatur. Galliam ad pacem itu-
ram, Rege & Cardinali viventibus, vix arbitror. Si al-
teri eorum humanitus quid eveniret, ingens fieret rerum
converſio. Nobiliſſimo filio Ill. Dom. veſtræ opto redi-
tum felicem cum bonis nuntiis: maneoque. Lutetiæ 8
Februarii 1642.

Marchio Badenſis, quantum audio, jus ſuum in Briſ-
goiam ceſſit Regi. Argilleria manet obſeſſa à Gallis.
Hiſpanis non ſucceſſit conatus in Bulium, quod eſt in
tractu Montiferrati. Etiam Tropeæ in regno Neapolitano
ſeditio fuit. Principes Sabaudi LXXX Florenorum millia
ab Hiſpano accepere. Vidua Sabaudica putatur ad Re-
gem ventura Lugdunum, ubi Rex mille paria mularum re-
tineri juſſit. Habet Rex ſecum ſceptrum & coronam ad
aliquid ſolenne, fortè in Catalania, peragendum. E-
quitatus qui Hohentwilæ ſubvenit cum pedite aliquo bel-
lum rurſus infert Comitatui Burgundiæ. Cardinali Ma-
zarinus it Monaſterium verſùs. Guebriano ſupplementum
promittitur duorum millium. Scriba Archiepiſcopi Bur-
degalenſis in carcerem datus eſt. Guiſii bona matri con-
ceſſa. Dicitur Melos mandata habere mittendi IX millia
militum ex Belgica in Hiſpaniam.

Illuſt. Dom. Veſtræ perpetuæ obſervantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illuſtris Domine,

DE Anglia eadem prope hic intelligimus, quæ habet 1554
Ill. Dom. Veſtræ epiſtola. Puto legatum Gallicum
mandata aliqua accepturum, ut tam ſævas tempeſtates ſe-
renet, neque permiſſurum ut ſolis Batavis arbitris iſta
tranſigantur. Sed offendet credo Anglos, quod à Nanne-
tum portu naves quatuor arma & res bello neceſſarias
dicuntur pertuliſſe in Hiberniam. Eorum qui in Hiber-
nia arma ſumſere poſtulata hic edita ſunt, leguntur que
cum multorum applauſu. Deus iſtos morbos ad ſanitatem
reducat, tum optimi Regis, tum & Palatinæ Domus cauſa.
Rex hic valetudine infirma magis quàm mala lentis itine-
ribus Lugdunum pergit. Sed intervenit malus nuntius cla-
dis acceptæ ad Perpinianum, ubi Galli mille ducenti, alii
bis mille dicunt, periere, dum Hiſpanos volunt prohibe-
re ne denuo & militem & commeatum in eam urbem in-
ferrent. Itaque Hiſpani quod voluerunt effecere, & ſpes
obſidendæ urbis amiſſa eſt. Hæc res lætitiam ex crebris il-
lis ad inferiora Rheni victoriis natam mœrore quodam
temperat, oſtenditque communem eſſe Martis aleam. Po-
pulus pacem valde expetit. Sed qui in populum poteſtatem
habent bellum quamdiu poterunt trahent. In teſtamento
Regis dicitur Regina Rectrix regni relinqui, ſed ita ut ad
Regis exemplum Cardinalis utatur conſiliis, id ni fiat, ſub-
ſtituto

stituto ad regimen Regis fratre. Regina adhuc moræ aliquid obtinuit, ne Regem sequatur. De Turca nihil pridem audimus. Quæ apud Asacum aguntur ea meliùs noscentur apud Batavos. Palatinam Domum Viennæ haberi despicatui hoc tempore non miror. Non ea est nunc hominum religio, ut ex aliorum miseratione quisquam rapto decedat. Ill. Dom. Hagæ, viro optimè de Patria sua merito, felix opto iter in ista tam gravi ætate non leve. Hohentwilæ Præfectus urit vicos unde nuper hostis commoda accepit. Ducis autem Caroli miles capto in Alsatia Holshemo ad portas usque Argentoratensium excursus facit. Rhætis pecuniæ nonnihil dedere Hispani, & dilectus urgent. Si Nob. filius Ill. Dom. Vestræ brevi advenerit sospes & grata attulerit, plurimum gaudebo. Deus Ill. Dom. Vestram in bonis rebus servet. Lutetiæ 15 Februarii 1642.

Ad Valles locum in Catalania pugnatum est ambiguo marte. Galli locum tenuere. Ita ipsi hic publicant. Alii dicunt literis se doceri Motam Odincurtium cum Gallis ibi omnibus teneri clausum à tribus equitum millibus, xx peditibus Hispanis. Hohentwilæ Præfectus turrem & muros reficit. Habet præsidium CCCC bene valentium. Lucerna, Abbecella, Friburgum Gallis dilectus non permittunt, & Commune Helvetiorum vult Comitatum Burgundiæ aut planè eximi bello aut frui induciis longioribus. Astrologi illorum locorum bellum præsagiunt Helvetiis & sanè Tigurini à Cesarianis sibi metuunt. Legatus ab Imperatore ibi exspectatur. Mediolani ad militem reperiendum exsules & transfugæ revocantur. Genuæ labascit Hispani fides. Rhæti de Feldirhensis federis interpretatione adhuc deliberant. Qui Viennæ est ab Hispano legatus dicitur nulla habere mandata super re Palatina. Imperator Comoræ suos habet qui cum Turcis agunt de prolatandis induciis. Electores dubitant an Dominæ Sabaudæ dandus sit Regentis titulus, & volunt de jure utriusque partis edoceri. Iterim Principes Sabaudi pactiones cum ea Domina experiuntur. In Casale ducenti milites novi introiere cum alimentis rebusque aliis. Dux Carolus non minùs quàm alii lactatur spe Præfecturæ Belgicæ. Severè vetuit Lotharingorum ne quis alia judicia quàm sua agnoscat. Rex contra. Videtur Regis iter Narbonam ferri, quia eò missæ sunt literæ pecuniariæ. In Archiepiscopum Burdegalensem judices sunt dati. Princeps Monæci Valentinesium in Delphinatu habebit titulo Ducatus. Mazarinus celeribus equis ivit Lugdunum, ob morbum Papæ, ut putatur. Arx Manfeldii etiamnum contra Cæsarianos defenditur. Cardinalis Bichius Papæ Legatus, pacis causa jam venit Aquas Sextias.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1555 QUò magis res Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ intueor, eò magis metuo ne cruentos habeant exitus, quos Deus clementer avertat. Valde autem doleo quod ad tot alia infortunia Principis Electoris, accesserit offensa Parlamentariorum. Hic Diepæ duæ cohortes sive regimenta imponuntur navibus, dubia suspicione, ituræne sint ad Comitem Guebrianum, an ad Britanniæ Regem, qui Porthmutum & alia quædam loca maritima per fidos homines tenere etiamnum creditur. Hoc quidem certum est, Regi Britanniæ opem Galliæ non defuturam, si de Regis Britanniæ arctiore cum Hispano amicitia opinio regi Galliæ demi posset. Nam Reginæ multum hic favetur, tum quod soror est regis Galliæ, tum quod exosa creditur ob solam Religionem, cujus libertas ipsi ex pactis nuptialibus debetur. Quare videamus ecquid ad hæc mala levamenti adferre possit Batavorum labor. Hohentwilam Præfectus diligenter reficit & cisternas aqua implet; siquod fortè novum obsidium immineat. Imperator autem subditos suos, qui in vicinis sunt locis, migrare jussit, ne Hohentvvila ipsorum tributis adjuvetur. Rhætorum Conventus nullo operæ pretio facto discessit, deliberationibus in aliud tempus dilatis. Ad Helvetios autem à Mediolano venit Savedra, dicitque habere se mandata super pacando Burgundiæ Comitatu: sed cùm Burgundi illi præsidium ab Helvetiis Galliæ fœderatis recipere nolint, Rex Galliæ fortunam belli etiam illic tentare præoptabit, & dicitur cum Præfectis illorum locorum arcana quædam habuisse consilia, sed sine eventu. Rex ipse postquam Lugdunum venit, militem aliaque præmisit ad Narbonam, diciturque habere pecuniæ belli usui decem milliones. Res certè in Ruscinonensi tractu & Catalania præsenti auxilio opus habent; nam & Elnam & alia quædam loca ibi Gallis periisse intelligimus, camposque ab hoste teneri. Mare ut hosti eripiat Marchio Bressæus classem Rupellæ colligit. In Italia Pontifex ægrotavit, etiam mente nonnihil emota, ut aiunt: nunc quo in loco sit ejus valetudo, nuntii exspectantur. Augetur interim Pontificis exercitus, & excommunicatio contra Parmensem publicata est, more Romanæ Aulæ profanis sacra miscentis: sed ad Parmensem à Præfecto Neapolitano venit monachus cum occultissimis mandatis. In Pedemontanis locis exercitus non putantur prodituri, ante Maium mensem. Interim qui in Casali sunt Mortaram capturos frustra se speravere. In Nicæam maritimam venere quingenti milites à Neapoli cum rebus necessariis. Montonam autem locum, qui ad Principem Monæci pertinuit, non longè à Nicæa, Galli muniunt: contra verò Hispani & Finale & Villam Francam. Rhætorum Conventus nulla re acta super Alskirchanis pactis, discessit. A Duce Carolo bis mille equites, præterea Gillo Hasius cum iis copiis, quæ ad Hohentvvilam fuere, eunt, exempturi periculo Hatzfeldium. Qui autem in Lucemburgico hyberna habent Hispani, commeatus quosdam à Meti venientes intercepere. Qui Galliæ res gubernant, de pace Conventui quascunque poterunt interponent moras. Americanæ, quæ in Batavis est, Societatis res tum in Africa, tum in Brasilea bene procedere video: sed fieri non potest quin hoc ipso gravissimè commoveantur Portugallorum animi, qui exuto in Castellanos obsequio à Batavis tutos se fore putarunt. Turcæ Aulonem in Dalmatia muniunt diligenter. Deum rogo, ut Ill. Dom. vestram cum conjuge omnique domo sospitet, & Nob. filium feliciter reducem parentibus sistat. Lutetiæ :: Februarii 1642.

Naves duæ longæ tempestatibus concussæ venere in potestatem Gallorum, qui in Ruscinonensi tractu sunt. Cæteræ pervenere in portum Rosæ. Audimus Asaci obsidionem à Turcis derelictam, classem quæ in illis locis fuit redire Constantinopolim, cum Persa fuisse controversias, sed sedatas.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

CErti jam sumus Narbonam ire Regem. Papa vero, [illegible] post morbum sanè gravem, in Consistorio fuit, [illegible] firmo corpore. Adversùs Hispanos moliri aliquid Papam hoc tempore, vix arbitror: quanquam Sedes Romana satis multas habet cum Hispanis controversias. Præter eos qui Caleti sunt, alii etiam Nannetum oppido milites transire in Angliam parant. Quod si poterunt in res ita componi, ut non nimium periclitetur regia auctoritas, gratum id erit Galliæ Regi, & utile Domui Palatinæ. Nam quæ nunc Viennæ aguntur non ad Domum tantùm Palatinæ, sed ad Angliæ ludibrium pertinent. Cùm autem Gallis res in Coloniensi tractu bene procedant, qui hic summam rerum obtinent qualscunque moras

moras injicient, ne ad colloquium veniatur, aut certè quàm maximè serò ad id veniatur. In Conventu Ordinum Suediæ audio de bello ac de pace deliberari. Ut Anglia se nobis addat optandum quidem est, sed an sperari possit nescio. Nodus ille qui in Goslariensia pacta incidit de Stelleshemio, extricari fortè poterit: sed mihi videntur Lunæburgenses Principes non facturi prudenter, si absque Suedia transigant. Hassis non modò non grave, verùm & fructuosum videtur bellum fore, si res procedant quo cœperunt pede. Novas oppidorum & arcium accessiones illis locis exspectamus. De Portugallia quæcumque audimus satis causæ dant cur metuamus novo Regi, præsertim cùm & Batavorum in turbido piscatus multos gentis illius adacturus sit ad tœdium rerum novatarum. Cum navibus longis duabus quas tempestas nuper in oram Ruscinonensem adactas in Gallorum potestatem detulit, captus est & Jannetinus Doria. Dicitur autem classis in qua naves illæ fuerant jactum fecisse pecuniæ ad tres usque milliones communes. Arcem Mansfeldium etiam nunc defensari intelligimus. Quod Nobilissimus filius Illustris Dominationis Vestræ non qualia sperari æquum fuerat ex Suedia attulit, valde doleo: ac siquid ibi percipi potuit quod ad judicationem futurarum rerum possit, id libens cognoscam. Deus Ill. Dom. Vestram cum omni domo sospitet Calendis Martiis 1642.

Poliniacum à Comitatensibus Burgundis obsidetur.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

57 EX literis Nobilitatis Vestræ datis Decembre anni exacti gaudens cognovi bonam ejus valetudinem & incolumem apud eam memoriam nostri, dolens verò fortunam non votis & meritis respondentem. Morosa est domina, cujus asperitates patientiâ vincendæ sunt. Nobilissimis Dominis Bonde honores adeptos gratulor. Vestræ verò Nobil. nihil unquam tam magnificum eveniet, ut non ego majora ei sim optaturus. Et ne votis tantum amicum agere existimes, siquid opera mea conferre ipsi possit, non sim futurus cessator. Apud vos Conventum Regni Ordinum esse audio, is utinam nos ad pacem ducat, quæ, me quidem judice, triumphis innumeris potior. Deus in cujus manu sunt corda Regum respiciat clemens Orbem Christianum, idemque Nobil. Vestram servet propitius. Lutetiæ 24 Februarii / 7 Martii 1642.

Nobilitati Vestræ ad omnia obsequia addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

58 SI verum est, quod hic dicitur, Regem Britanniæ eousque Parlamentariis morem gessisse, ut & Episcopos extra Parlamentum esse velit, & portus omnes in Parlamenti esse potestate, pax quidem in Anglia futura est: neque tamen suspiciones aberunt, quas ita optimè suorum animis exempturus est Rex, si Palatinum negotium sibi cordi esse seriò ostendat. Audimus enim Hispanos Viennæ in ea re nihil explicatè loqui: gaudere autem Bavarum, Moguntinum, Darmstadiensem quod omnem tracti hujus negotii invidiam in Hispanos rejicere possint. Ad componenda ea quæ religionem & ritus tangunt dissidia, videtur fore ut convocetur Synodus Nationalis Angliæ. Sed de ejus habendæ forma ac modo, vereor ne novæ nascantur controversiæ. Quod si plebs etiam ex Ecclesia ejici vult Episcopos ad Scoticum exemplum, posset fieri ut qui Episcopale regimen amant vias quæsituri sint per quas se in communionem Romanæ Ecclesiæ restituant, aut certè cum Romanensibus vires suas conjungant, ut in Hibernia fieri cœpit. Princeps Arausionensis ni fallor, nurum apud se habere mallet, sine matre & avia. Quod si tres simul Reginas visura est Haga, erit id novi sanè exempli. Seditiones Coloniæ resedisse audio, & puto obtenturam eam civitatem, quæ libera est & belli fugiens, ut sibi in pace vivere liceat. Quare Reginam Galliæ matrem puto non tam illis de causis, quàm ut sibi necessaria faciliùs reperiat, migrationem moliri. Gonzaga in Lucemburgico militem habet, & confluit ad eum de Lamboiano exercitu siquid est reliquum. Lunæburgicos credo non multum abesse à pace cum Imperatore: sed optare tamen, ut in pace, si quam factura est Suedia, comprehendantur, de qua pace multum jam deliberari in Regni Suedici Conventu audio. Monendi omnino erunt Comites Guebrianus & Ebersstenius, ut lapsam disciplinam restituant, præsertim ad servandos commeatus. Rex Galliæ Narbonam it. Magnam autem rem fecit quod sororem suam Viduam Sabaudicam cum Principibus Sabaudis conciliavit, ita ut Cardinalis Sabaudus ducturus sit eam, cujus est avunculus, filiam Viduæ, & pro hæreditate sua & uxoris habiturus Nicæam & Villamfrancam: Princeps autem Thomas in Viduæ consilio principem habiturus locum. Puto autem tam Gallos quàm Hispanos retenturos loca, quæ tenent, donec communis pax facta sit. Ita liberum erit Galliæ Regi quascunque trans Alpes habuit copias eas ad Pyrenæum ducere: quo in fine res bene agendi Gallis spem præbet Hispanorum Aula turbida suspicionibus, ob quas Dux Medinisidonius multique alii capti sunt. Ad pacis colloquia ibit Davausius: fortè & Cardinalis Mazarinus. D. Gothofredus suo consilio multum eos juvare posset, antehac tamen se excusavit. Imperator Comoræ adhuc legatos habet qui cum Turcis agant de producendis induciis. Veneti autem videntur in Dalmatia sibi à Turca metuere. Itaque non tantùm militem ubique scribunt, sed & classem augent novis navibus longis xx, Galeassis duabus. Frustra autem hactenus & ipsi & Galli laborant in componendo Parmensi negotio, Pontifice in languido quamvis corpore destinatorum tenace. Itaque Dux excommunicatus: bona ejus in usum creditorum veneunt: in Ducatu Castri & Ronsilione populi obsequium jurant Ecclesiæ Romanæ, cujus insignia in illis locis ubique ponuntur detractis Ducalibus. In Neapolitano Regno pecuniæ omnibus modis colliguntur, ut si bellum duret in Italia centum millia Ducatorum menstrua colligantur ei usui. Missa inde Mediolanum cc millia: ccc millia Ducatorum eorundem ad scribendum in Polonia militem. Pars quoque debitarum pecuniarum tum Helvetiis tum Rhætis soluta est, quæ res faciet ut & dilectus Hispanici meliùs ibi procedant & Gallici non parum retardentur. Legati à Geneva à Rege benignè auditi, cùm is Lugduni esset, omnia sibi tranquilla à Gallia sperant. Protestantes malè habentur in eis regionibus: nam & è Valle Telina diligentiùs quàm antehac ejiciuntur, & Abbas Sancti Galli in suis locis usum sacrorum illis abstulit, & Turgovji ferre nolunt ut in Prauwenfeldensi agro Ecclesiam sibi ædificent. Tum verò Burgundi Comitatenses hominem quendam de suis ad Helvetios misere, qui omnia complet questibus adversùs Gallos ob arma rursus illata Comitatui, quem belli exsortem esse volunt Helvetii, & quò minùs id fiat, negat Hispanus per se stare. Deus cuncta hæc ad bonum dirigat Christiani Orbis, idemque Ill. Dom. Vestram cum tota ejus domo paterna bonitate servet. Lutetiæ 8 Martii 1642.

Rex Hispaniæ ipse in Catalaniam venit, exspectatque militem à Neapoli & Belgica. Nobilitas Catalanica mavult dominum veterem quàm novum. Et nonnihil offenderunt Regem Galliæ etiam illi Catalani qui Gallicas partes sequuntur, eo quod demoto Præfecto Gallo Præfecturam Monjuvii suæ gentis homini dedere.

Digitized by Google

Galli in Ruscinonensi tractu Colubri portum à suis obsideri ajunt. Inter Proceres in Hispania in vincula datus est Marchio Agemontanus. Cardinalis Mazarinus & Lugdunensis Romam eunt, ideo quod Pontifex diu victurus non putetur. Principi Thomæ Carignanum traditur, & annuum ei dari solitum auctum centum millibus librarum Francicarum. Cantatur hic hymnus Te Deum ob res prosperas Guebriani. Rogatus est Leopoldus accipere Præfecturam Belgicæ quam tantùm pro tempore obit Melo. In locum mortui Chami Tartarorum Crimeorum alterum substituit Turca. Persa movet in Caudhurum.

Illust. Dom. Vestra observantia perpetua debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

1559 VErissimum est quod judicat Ill. Dom. Vestra, rebus Angliæ tam perturbatis nihil boni sperandum in re Palatina. Sed posset Rex Angliæ in matrimonio filiæ, multoque magis si & de filii matrimonio agitur, addere conditionem, ut Batavi in bello perseverent donec Palatina Domus sit restituta, quod quidem Gallis futurum sit non nolentibus, quò plura sint pacis impedimenta. Creditur hic Rex Angliæ multa concessurus ea spe, ut discedat aliquando Parlamentum, & sic ipse subitò amissa paulatim recuperet. Sed credibile est Parlamentarios ad Scotorum exemplum relicturos aliquos cum potestate exsequendi quæ communiter decreta fuerint, quæ res magis magisque proculcatura sit vim regiam, satis jacentem. Hic quæcunque iis de rebus publicantur, ea sublevant Hibernorum causam: Parlamentarios autem in odium adducunt. Neque verò ita occupatus bello credi debet Rex Galliæ, ut non supersit ei unde aut Hibernis aut Regi Angliæ laboranti opem ferat. Nam Principem Arausionensem abstenturum manus ab isto ulcere arbitror, ne eos offendat qui apud Batavorum plebem multum possunt. Erit jam apud vos Angliæ Regina, ex cujus sermone actibusque aliquas capere licebit conjecturas. Regina Medicæa quamvis in gravi ætate, quietis est impatiens, &

Γερῶς ἀνασκιρτήσουσα πολλῶν νεωτέρων ἐγώγε.

Rex Galliæ videtur Carcassone potiùs quàm Narbonæ substiturus, quod illa loca venatui sint aptiora. Creditur iter Regis præcipuas spes habuisse in ista Procerum Hispanorum contra Regem suum conjuratione, quæ ante eventum crepuit. Sunt qui dicunt consilium eorum fuisse Hispaniæ Regem tradere in manus Regis Galliæ, qui coronam regiam & sceptrum secum tulerat, paratus majores, quàm convenirent Comiti tantùm Barcinonensi. Pactio autem Italica adhuc difficultatibus quibusdam implicatur, quia optat Princeps Thomas, qui proximos suos affectus in Hispania habet, ut negotium hoc peragatur volente Hispano, quod obtentu videtur difficile. Ad bellum Belgicum missi sunt ex Hispania Ducatorum tres milliones, & millia octingenta: Pontifex ægrè animam trahit: & jam studiis aut votis destinantur successores. Goslariensia pacta videntur successum habitura: Turca autem mavult spectator esse bellorum inter Christianos, quàm Germaniam lacessendò necessitatem ei imponere pacis internæ. Suspiciunculas intercedere inter Imperatorem & Bavarum credo: sed multa sunt vincula quæ eos non patiuntur divelli. Torstensonius & Piccolominæus inter mutuas minas & alterna damna tempus extrahent, ut puto, summam autem rerum Martis aleæ non committent. Insulæ Thomæ pestilens cœlum nosse debuerant Batavi ex eis quæ ipsis anno XCIX exacti ante hoc sæculi evenere. Non est prudentium bis impingere in eundem lapidem. Inter Portugallenses & Batavos vereor ut bene coëat gratia. Venit enim in mentem Apologi Æsopei de sene & serpente. Nob. filium Ill. Dom. Vestræ gaudeo rectè valere, eique omnia quæ meis precor, Deus rata vota faciat Ill. Dom. Vestræ totique ejus domui perpetuò florens. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Martii 1642.

Ex Turcarum Sultano femina una marem peperit: duæ uterum gerunt. Dilectus Gallici apud Helvetios procedunt. Soli id detrectant Lucernenses, Friburgenses, Abbatiscellani. Lamegus Roma sperata non obtinet. In regno Neapolitano muniuntur vicina Papalibus terris. Rex Hispaniæ in Catalania habet XV millia, ea auget ipse eo venturus. Hispani qui in Belgica sunt videntur Bassex obsidium in animo habere. Ideo Harcurtius & Guichius Franciæ Marescalli cum suo milite properant, hic ad Campaniæ, ille ad Picardiæ finem, habentes simul ambo quinque equitum, quindecim peditum millia: Marchio autem Bresllæus classem contrahit Hispaniam versùs ituram fine mensis hujus. Quatuor millia Armoricorum Britonum imponuntur navibus: quò sint itura, parum adhuc liquet. Advenere huc capta per Guebrianum signa CLV, quæ supersunt Hassis relicta. Imperator maxima celeritate colligit copias in Palatinatu & Franconia ituras ad inferiora Rheni. Comitatenses Burgundi Iousio repellere ex Ducatu militem: Hohentwilani verò egressos & Constantia & Cella.

Ill. Dom. Vestra perpetua observantia debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

IN Catalania Hispani cuncta extra urbes tenent, no- 1560
vem peditum, tribus equitum millibus. Marescallus Bresllæus Catalaniam pro Rege Galliæ regens Barcinone est, ubi ingens detecta pro Hispano conjuratio, ob quam capti sunt homines XXX. Millereius Bellum gerit in Ruscinonensi tractu: habet autem Hispanus Colubri tria millia peditum, duo millia Perpiniani, Rosæ mille & octingentos. In Lucemburgico Hispanus miles movere se incipit, ipso Bechio ægrotante. Harcurtius & Guichius tuendis finibus invigilant, venitque ad eos quotidie novus apud Helvetios conscriptus miles, pluresque exspectantur ex omnibus locis, præterquam à Lucerna, Friburgo, Abbatiscella, quæ Gallorum de dilectu postulatis obnituntur. Manent autem ibi quæ diu jam viguere dissidia. Ac sicut Quinquepagici Protestantes impediunt in ædificanda Ecclesia, ita contra Tigurini & Glaronenses impediunt monachos ne monasterium novum ædificent. In Rhætis quoque multum discordiæ est, quæritque occasiones Pontifex ut Vallis Tellinæ custodia ipsi credatur: Archiducissa autem Tirolensis laborat ut fedus cum Rhætis æternum fiat, quale est cum Hispano. A Casalensibus præsidiariis Trinenses malè tractati sunt. Leonitus Brulardus è Regis Galliæ consilio extra ordinem in Italiam missus agit cum Principibus de componendis inter Papam & Parmensem controversiis. Neque tamen multum proficit, ideò quod Papa retinere velit Castrum & Montaltum, ut necessaria ad securam aliarum quas habet terrarum possessionem. Parmensis, ne subditorum suorum animi per excommunicationem labascant, novum à singulis exigit fidei jusjurandum, crediturque clam pecuniis juvari & à Venetis & ab Ethrusco. Veneti multum scribunt militis: aliquid & Dux Mutinensis. Genuates autem Savonam diligenter muniunt, classemque augent. Creditur in prodncendis induciis facilem habiturus Turcam Imperator, ideo quod Asaci obsidium rursus animo agitet Turca. Goslariensia pacta valitura sunt: sed in diplomatis tuti itineris, quæ concepta fuere Hamburgi, tricantur aliquid Cæsariani. Audio mediorum Principum legatos iterum de Palatino negotio cœpisse agere: & Bavaricos molliter loqui, ut culpam infecti negotii rejiciant in Hispanum, Magontiacensem, Darmstadiensem.

Digitized by Google

Angli Parlamentarii Roum ibi manere volunt, ne renuntiata Legatio irrita, non parata ultione, majus ludibrium pariat. Ego verò dissidiis Britannicis exitum nondum video. Rex enim multa concedendo nihil aliud promovit, quàm ut duriora postularentur: nempe ut Parlamentariis liceat scribere militem & Principem Walliæ habere in sua potestate. Sunt eorum & qui minantur facturos se ut Parlamenti decreta valeant, etiam Rege non probante. Et in Hibernia metuo, ne atrox fiat bellum. Ex Portugallia nihil magni audimus. Videbimus quid parituri sint Conventus Osnabruggi & Monasterii. Nam Baronem Oxensternium eò tendere audio. Ad aleam prælii venturos Torstensonium & Piccolominæum vix puto. Deus Ill. Dom. Vestram cum tota domo servet ac sospitet. Lutetiæ 22 Martii 1642.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

1561 QVò provectior ætate, ac proinde morti propior fio, eò magis debere Deo hoc ministerium sentio, ut quæ per omnem vitam didici ad pacem Christianorum facientia, ea communicem posteris, non sine spe futurum ut olim existant qui meis aliorumque monitis utantur ad sananda dissidia illa, quæ tot bellis materiam aut alimentum præbuêre. Quæ Episcopo Romano tribui eadem ei tribuit Melancton, nec quicquam dixi quod non apertissimum fuit ex historiis, etiam trium priorum & optimorum sæculorum, ut videre licet ex libro quem nuper de primatu in Ecclesia edidit David Blondellus, Minister in his locis inter eos qui hic se Reformatos vocant. Seriò autem Deum precor, ut talem det Papam qui officium suum rectè faciat, & quæ emendanda sunt emendet. Quod si ego ea scribens, quæ & vera & utilia sentio, non omnibus placeo, minùs id mirabitur, qui norit Philippum Plessæum Mornæum, cùm maximos à Rege Galliæ honores haberet, plurima scripsisse quæ Regis religionem valdè læderent, neque tamen ea de re negotium ei factum. Prodiit interim hic mea cura Confessio Augustana, de qua video Episcopos & Doctores qui hic sunt benignè sentire. Si quis velit ad me mittere liturgiam, quæ in usu est Sueciæ, Latino sermone, gratum erit munus. Deus pacis & Regibus & Episcopis ea aspiret, quæ pacis sunt, mihique det ut in ejus meum quadrantem possim conferre. Maneo verò, Nobilissime Domine, Lutetiæ $\frac{19}{29}$ Martii 1642.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

LUDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

1562 VIdeo nova nasci, & acria satis, dissidia inter Regem Angliæ & Parlamentarios; ad quæ cùm accedat Reginæ non dissimulatus super ante actis dolor, & concursus ad eam eorum quibus cum Parlamento malè convenit, haud satis video quid hinc augurari debeam. Britonum Armoricorum quinque millia Caleti exspectantur. Itaque puto eos ad Comitem Guebrianum ituros. Regi Galliæ non probatur consilium quod Regina cœpit mare transeundi; quare omnia Anglis quieta à Gallis fore suspicor, quanquam non desunt qui hos conciteut, partim Religionis, partim Regii nominis tuendi studio. Reginæ Matris adventum Batavis non valde gratum futurum facilè prævideo: sed qui impediri possit, non video. Rex Hispaniæ in Catalaniam nondum pervenit. Præterea motus magnus in Arragonia exortus hic dicitur. Sæpe quidem nos talis rumor decepit, aut non tam nos, quàm credulam plebem. Sed nunc probabilem famam facit procerum quæ detecta dicitur conjuratio, cujus qui participes fuere, quærent sua pericula turbæ involvere. Cæterùm in Ruscinonensi tractu Millereius exercitum habet ad XXV millia, tum eo obsidet Colubrum, pervenitque ad fossam & eos qui eruperant repulit, ducentis, ut hic dicitur, interfectis, captis trecentis. At Hispani Constantinam recepere. In Catalania agunt pro lubitu, nisi eos jam ille Arragoniæ motus ad se traxit. Videtur autem in illas partes incubitura maxima belli moles, quanquam & Harcurtji & Guichii exercitus crescunt, & aliquid copiarum est in fine Burgundico, & in Italiam it Dux Bulionius. Nam & ibi bellum Gallis cum Hispano mansurum videtur, etiam si quæ cum Principibus Sabaudis agi cœpere rata sint: quorum Cardinalis Romam misit ut sibi fratris filiam in matrimonio habere liceat. Princeps autem Thomas adhuc Hispanos nonnihil respicit. Pontifex vix est ut diu vivat, & multum laborabunt Reges ut aliquem habeant sibi addictum in ea sede. Miror Imperatorem paci moras injicere. Videtur intumescere eo, quod Lunæburgos à nostris abduxerit, & quod ingentes brevi se habiturum copias speret. Si tamen Lauwenburgicus Wahlii locum implet, dabitur Stalhansio aliquid audendi occasio. Suspicor omnem à Turca metum demptum Imperatori, tum pactis prorogatis, tum quia Asacum Turcæ in animo manet. Classis Gallica quæ Portugalliam versùs itura est, partim adhuc Brestæ, partim Rupellæ se tenet. Interim naves longæ sexdecim, viginti aliæ portum Colubri occlusum tenent. Marescallum Hornium Lindaviæ esse audimus: speramusque tandem bene successurum tractum tam diu negotium. Deus pacem det bonam Christianis & Ill. Dom. Vestram cum omni ejus domo præstet incolumem. Lutetiæ 29 Martii 1642.

Dicitur Rex Britanniæ tutelam corporis sui mandare Scotorum sibi fidis. Mediolani seditio fuit: item Nicææ. Gillo Hasius cum militibus ter mille dilectis ex Cello vicinisque præsidiis it in tractum Coloniensem. Ex Anglia sunt literæ quæ dicunt à Batavis captam Ceilonem Insulam in India.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

EIDEM.

Illustris Domine,

PArlamentum Angliæ decreta talia adversus Regem fecit, & eam mutationem Magistratuum Londinii, 1563
ut omnia posthac ibi ad vim apertam spectare videantur: habuissetque jam Rex auxilia externa non uno ex loco, nisi Parlamentarii id prævidentes mare sui juris fecissent. Hoc Britanniæ statu nihil æqui à Vienna exspectari posse Domui Palatinæ & res ostendit, & loquuntur Peblitzii literæ. Quare optanda quidem tum alibi tum apud Britannos concordia: sed per quos ea conciliari possit, non multum video, cùm intelligam non Gallos tantùm, sed & Batavos, ob Principis Arausionensis affinitatem, Parlamentariis esse suspectos. Regina Angliæ malum sibi imminens in tempore effugit. Vna res est in tot malis quæ me solatur, quod audio Principem Electorem magno prudentiæ temperamento gratiam sibi servare & Regis & Parlamenti. Arragoniæ motus faciet ne in Catalaniam eat Rex Hispaniæ, cujus literas interceptas scribit Comes Chavigniacus, per quas jubetur Marchio Henoiosa omnes ex Catalania copias ducere in Arragoniam ad reprimenda motuum semina. Rex Galliæ apud Narbonem podagra tentatur, & febri Cardinalis Riceliacus, metuens crescentem Sanctimartii gratiam. Supplemento tamen mittuntur ad Mottam Hodincurtium, sex millia ut dicitur. Interim Colubri oppidum & arcem premit Millereius. Defendit ea Marchio Mortara vir fortis, cum tribus millibus Hispanorum peditum, equitibus quadringentis, qui jam virtutis specimen dedere prospera eruptione, ita ut non incruenta futura sit Gallis ea decertatio.

tatio. Ex delectu quem Galli apud Helvetios faciunt mille jam in Galliam venerunt: sex millia in Italiam eunt: præterea colligis militem Rex apud Avenionem & in Ethruria. Bassea bene munitur & in Picardico ac Campanico fine crescunt exercitus. Plenum audaciæ facinus fecit nuper Dux Valetta. Nam ex Anglia cum navibus, in quibus & equi erant, invectus Charentam amnem, inde equis illis ivit Plassacum, domum suam, abductaque inde filia, vi magna pecuniæ & supellectilis, in Angliam rediit. Dux Parmensis edito scripto causam suam tuetur. Papa nihil remittit. Veneti pergunt militem scribere. Et Dux Ethruscus ferme duo millia habet equitum, peditum septem, rusticorum in armis decem millia. Lucenses mille militibus urbem suam custodiunt. At Regni Neapolitani Præfectus, sive Turcam, sive & Gallos metuens auget præsidia Tarenti, Brundisii, Insularumque ei litori objacentium: munit portum Daiæ & Iusatæ. Papa in aperto quindecim habet hominum millia: Parmensis septem. Principibus autem Sabaudis bis centum millia Ducatorum offert Hispanus, ut spretis quas Gallia cudit pactionibus secum in bello perseverent. Omnia autem durissima Papæ minatur si is Lamegam ut Legatum recipit. Wahlius ipse, dum miles ejus ad Rhenum tendit, apud Bavarum esse dicitur: Bavarus verò diligenter munire loca Palatinatus inferioris: Ioannes verò Darmstadiensis Landgravius futurus Marescallus Franciæ, si militem qui Lunæburgicorum fuit in Gallicam militiam possit traducere. Dux Carolus Wormatiæ ægrotat. Tam circa Albim quàm ad Rhenum utræ hac æstate validiores futuræ sint copiæ dubitari potest. Contrahunt enim quantum possunt Imperator & Bavarus. In Brasilia bellum adhuc manet inter Batavos & Portugallos. Turca autem non nisi de Asaco cogitare videtur. Deus Ill. Dom. Vestram cum suis servet ac sospitet. Lutetiæ 5 Aprilis 1642.

Galli munimentum quoddam cepere objacens oppido Calabri, cui nomen S. Therasiæ.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO

Vir Eximie,

1564 VEnit ad vos Sorberius, quem multa commendant: primùm avunculus Samuel Petitus vir scriptis suis cognitus, & nunc in Iosepho edendo laborans: deinde bona indoles & non spernendi profectus in studiis. Mercerus ei legenda quædam Socini & Socinianorum dederat. In iis cùm quædam ipsi allubescerent: cœpit sua de illis cogitata aperire aliis paris ætatis. Pervenit id ad aures Carentoniorum, quorum est vis odora. Purgavit se quantum potuit: sed effugere non potuit quin & fama ejus laceraretur, & auferretur ei locus quem habebat satis commodum in nobilibus quibusdam adolescentibus instituendis: nec facilè alium reperiet locum: ita omnia illi per ministrorum susurros abrepta sunt. Vsus sum fideli ejus opera in describendis meis quibusdam, nec omisi monere eum, ut à novitatibus nihil profuturis sibimet temperaret. Tandem consilium cœpit adeundi Batavos, ut ibi aut pueros instituendo, aut ex Latino in Gallicum aut contra aliquid vertendo aut corrigendo specimina Typographica, aut alio quolibet labore tenuem sibi victum paret. Te igitur rogo ut pro summa tua bonitate consilio adjuves homo hominem, eruditissimus amantem eruditionis, senex juvenem. Nostri omnes vos & vestros salutant. Lutetiæ 8 Aprilis 1642.

Cl. Vestræ addictissimus H. G.

MARESCALLO HORNIO.

Illustrissime Domine,

1565 CVm Excellentiæ Vestræ reddita est libertas, Deo primùm gratias ago, quod labores nostros tam diuturnos ad exitum produxerit, deinde eum precor ut [illegible] longæ calamitatis tolerantiam prospero cæteræ vitæ tenore compenset. Spero Excellentiam Vestram iter in patriam capturum per has regiones: eumque rogo ut mihi & obviam adventanti procedere, & tanto hospite gloriari liceat. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram incolumem, valentem, florentemque præstet. Lutetiæ 11 Aprilis 1642.

Excell. Vestræ servire paratissimus H. G.

LVDOVICO CAMERARIO, Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

DEus Ill. Dom. Vestram iis doloribus, quibus eam 1566
tentari ex Nobilissimi filii literis cognovi, quam primùm levet, mihique eum quem inde, uti par est, concepi mœrorem adimat, ut animum corpusque [illegible] intendere possimus publicis commodis. Principi quoque Arausionensi ut citò redeat valetudo, & in [illegible] magnas hoc anno gerendas se properè accingat, optat Gallia, gaudens quod & Rex & Cardinalis ab incommoda valetudine liberati sunt, & rem feliciter gerunt. Nam oppidum Colubrum, captis quæ extra mœnia erant turribus & ædificiis, multis machinis verberatur: & qui in auxilium oppidi à Tarragona venerant, partim cum mari irent disjecti dicuntur tempestatibus, partim in terrestri itinere cæsi à Motta Odincurtio. Apparet tamen ex alia parte sub Sanctonæo exercitus opem, si potest, laturus obsessis. Dicitur autem Medinisidonius ita purgatus à suspicionibus rerum novarum, ut exercitus ipsi sit creditus contra Portugallos. Schombergius à Galliæ Rege in Præfecturam Languedociæ restitutus est. Ad Cardinalem Sabaudum venit permissus nuptiarum Roma: ita ut jam effectum habitura credantur quæ ipsi fratrique ejus cum Vidua convenerant. Regi Hispaniæ fides redibit, si verum est, quod hic ajunt mercatores, classem ex America ad eum venisse cum quindecim millionibus, quorum pars tertia sit Regis. Imperator Constantinopolim missurus est qui de producendis & firmandis induciis agant. Papa duras fert leges Parmensi, ut belli impensas solvat, & in tres annos præsidium Papale sit in oppido Castri, idque sumptu Ducis. Captivus in Hispaniam it Princeps Bragantiæ, frater novi Regis Portugalliæ. Constantiæ tres centuriæ ad præsidium sunt additæ, augentur & commeatus. Rhæti ad sui tutelam militem scribunt, mille & quingentos in quoque fœdere, ut ibi loquuntur. Marescallus Hornius in libertate est. Laus sit Deo, cui Ill. Dom. Vestram iterum iterumque commendo. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Aprilis 1642.

Rumor quidam est hic de alia etiam clade ab Hispanis accepta in Catalania: sed parum certus. Suedi qui in Erfordia sunt Nemolitam oppidum irrupere.

Ill. Dom. Vestræ perpetua observantia debitor H. G.

D. MEVRSIO FILIO.

Vir Clarissime,

A Colonia nihil abs te accepi. Sed gaudeo curam te gerere memoriæ patris. Amavi eum magnique feci meritò, ut virum bonum, eruditum optimè de literis meritum & mihi à prima ætate cognitum. Catalogum percurri plurimumque gaudebo si librarios reperire poteris qui edant ea quæ in scriniis tuis restant: deinde si te cognoscam incedere per patris vestigia, si quid à me proficisci potest tibi utile, ostendam me amicum esse etiam defunctis. Lutetiæ 19 Aprilis 1642. 1567

Tuæ Cl. optime volens H. G.

LVDO-

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

GAllis res non malè procedunt, nam & in Catalania circa 27 Martii ter pugnarunt feliciter, & milites cepere bis mille quingentos, eorum qui majoribus muneribus fungebantur, ferme trecentos: quam ob causam Motta Odincurtius qui ibi exercitum regit, donatus est Marescalli Franciæ titulo. In Ruscinonensi verò tractu Colubrum oppidum, vallo tribus in locis lacerato, & parata oppugnatione derelictum est ab Hispanis qui se in arcem recepere. Ejus jam fossam Galli transeunt, sperantque se brevi eam arcem capturos, deinde Rosam, postea Perpinianum. Hispani ex Belgicis finibus in Galliæ partes movere se incipiunt. Turcam validos facere armorum paratus intelligimus: à Bavaro autem & Ecclesiasticis Electoribus conscripta nova militum millia duo, magnosque ab eis corradi commeatus. Quæ hic quotidie eduntur de Parlamentariorum Angliæ actibus contra Regem & Episcopos, Reformatos Galliæ in magnum non minùs populi quàm potentum adducunt odium. Exspectantur hic molitiones bellicæ Principis Arausionensis. Deus Ill. Dom. Vestram cum suis omnibus sospitet. Lutetiæ 19 Aprilis 1642.

Arx Colubri Gallis dedita est. Eunt obsessum hinc Rosas, inde Tarragonam. Dux Carolus à Papa ad Concilium appellavit in lite sua matrimoniali.

Ill. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

DIONYSIO PETAVIO.

Reverende Domine,

SPerabam hodie ad te venturum, sed cùm sanguinem misissem, ut verno tempore soleo, bis exinde se aperuit vena, quare cogor literas mittere vicarias atque orare te, ut videas quæ Rivetus contra me & pacis votum scripsit. Reposui libellum quem postposuit Rivetus, nihil opus erit legas. Didici eum esse Calvini contra interim Germanicum editum etiam antehac. Desunt autem hoc fasciculo pagellæ quædam post pagellam 256. Eas commodavi Mileterio, quia continent quædam in Sorbona contra eum non decreta, sed proposita, quibus uti vult. Rogo verò ut in Responso meo si quid erit aut veritati dissentaneum, aut ad pacem minùs idoneum ejus admoneas: constitui ubi sententiam tuam quàm meritò facio maximi, intellexero, edere responsum meum. Lutetiæ 2 Aprilis 1642.

Rev. Dom. Vestræ observantissimus H. G.

IACOBO LAVRENTII.

CVm intelligam minùs te esse seditiosum quàm sunt non pauci tui ordinis, & ab aliis impulsum ruere te magis quàm ire, volo tibi dare fidele consilium; ut Sacras Literas diligenter legas, non quales fluunt per rivos lutulentos, sed quales è limpido fonte: pro Confessione Belgica legas confessiones veterum Christianorum, quæ extant in libris ipsorum Apologeticis: pro Institutionibus Calvini, Commentarium Vincentii Lirinensis: pro Catechismo Vrsini, Catecheses Cyrilli: pro Actis Synodi Dordrechtanæ, Acta Synodorum universalium. Id si facere velis, sine studio partium in quibus natus, educatusque es, facilè videbis non Grotium Papisare, sed Laurentiadem nimis diu Calvinizare. Res judicatas quod attinet, sunt apud vos jurisperiti quos consulere potes. Hi tibi dicent, præsumi pro eis quæ judicata sunt à legitimo judice, observata ea judiciorum forma, quam leges publicæ præscribunt. Quæ à judice non legitimo, aut non legitimo modo facta sunt, ea præsumptionem habere contra se. Aliter si sentias, non bene mereberis de posteris Wilhelmi Principis Arausionensis & Casparis Coliniaci: ut jam de Domo Palatina nihil dicam. De me hoc tantum addam, vitæ meæ privatæ testes esse plurimos, qui me novere: publicarum verò actionum eos, quorum sub imperio fui, qui sciunt me ita ut debui custodiisse mandatorum fines. Id, quanquam magna mihi mala attulit, fecisse me non pœnitet. Solatia à Deo & accepi, & majora exspecto. Lutetiæ, mense Maio, anni 1642.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustris Domine,

QVod longiùs se ab Aula ac turbis retrahere vult Ill. 1571
Dom. Vestra, & tranquilliorem vitam quærere in extimis federatorum imperii locis, in eo, ut in omnibus aliis, non dubito quin prudentia ipsius gravissimas secuta sit rationes: & quasdam earum videor mihi satis ex rebus mihi cognitis posse colligere, quare Deum precor, ut & hoc & cætera ejus consilia bene cedant: & inoffensa senectus ereptam vitæ hujus jactationibus tradat vitæ meliori. Ita sanè de me merita est Ill. Dom. Vestra, tum multis amici testimoniis, tum maximè literis illis, testibus, tum maximæ rerum peritiæ, tum judicii perspicacissimi. Non alio certiore documento comperi viros prudentes aliquo modo vates esse. Ita divinationes ejus probavit eventus. In Palatinæ Domus, quam maximè vereor, negotio, doleo & ipse non plus spei hoc tempore apparere. Facit tamen amicitia, quam magnam esse intelligo inter duas Reginas Angliæ & Bohemiæ, ut sperem eas mutuis consiliis ac commendationibus aliquando res suas posse reponere in locum meliorem. Nobilissimo filio Ill. Dom. Vestræ non tantùm ob splendorem generis eruditione semper florentissimi, & ob paternas virtutes, verùm etiam ob suas egregias, tam bene volo quàm meorum cuiquam, neque ulla se offeret id ostendendi occasio, quam non avidè sim arrepturus. Hispani ab obsidio Bassææ depelli non possunt, itaque videtur id oppidum Gallis periisse. Sed Rex ipse ivit Perpinianum obsessurus. Princeps autem Thomas Gallos, quanquam sagaces, decepit iterum. Repeto preces semper à me factas pro bona valetudine ac rebus prosperis Ill. Dom. Vestræ & pro pace inter Christianos. Lutetiæ 3 Maii 1642.

Illust. Dom. Vestræ perpetuæ observantiæ debitor H. G.

GERARDO BODEN.

Vir Doctissime,

ET summam parentis vestri in me meosque benevo- 1572
lentiam in recente semper memoria servo, & gaudeo ei obtingere ex filiorum profectibus, eam quæ patribus maxima est voluptatem. Tum verò tibi gratias ago ac debere me profiteor summas, quod exactæ diligentiæ, limatissimique judicii opus de Germanicis Vrbibus meo inscripseris nomine. Pro quo honore mihi habito, si quid vicissim possim facere, quod tibi sit suave, id facturus sim & libenter & tuo merito. Legi libellum: planeque censeo quæ ibi scribuntur, esse vera, & historiis tum illis quæ ibi nominantur, tum minùs cognitis aliis, quas vidi, congruentia. Rogo pergas ita ut cœpisti utilem te facere communi patriæ Germaniæ: quod ut tibi sit felix & gloriosum Deum precor. Lutetiæ 7 Maii 1642.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Præstantissime,

PRoximis his diebus aliquid nactus otii legi ea, qua 1573
omnia tua soleo, aviditate & animi affectu, tua de idolo-

idololatria: in qua contra fecisti quàm nunc fieri solet: plerique enim titulos suos opere non implent: tu aliter nos decipis plus dando quàm eras pollicitus. Nam præter omnium gentium historiam, naturæ totius nobis mysteria aperis: & in tanta rerum congerie, servas quod difficillimum est ordinem. Præterea quoties veterum aut scriptura aut sensus in controversiam venit, ostendis quàm exacta sit judicii tui trutina. Tum verò pietatis ac probitatis semina ita ubique inspergis, ut non alium norim librum efficaciorem corrigendis seculi moribus. Pro his omnibus quantum tibi omnes rerum bonarum studiosi debeant, satis intelligo: inque eo debito publico meam agnosco partem. Sed propiore insuper merito tibi obstringor cùm me toties & quidem tam honorificè nominare voluisti, ubi id tibi sine ulla culpa omittere licuit. Nimirum occasionem me ornandi non arripuisti, sed quæsivisti, ne unquam posteritas ignorare possit, quantum me amaveris. Cœpere jam excudi nostra annotata ad Testamentum Vetus. A Pentateuchi fine non longè absumus. In iis tam multa sunt planè convenientia cum iis quæ abs te dicta sunt, ut qui rem non norit, credere possit, me nimis familiariter tuis rebus usum. Ego verò his velut concordantium inter nos animorum testimoniis gaudeo. Vbi filius tuus ex Italia redierit, dabimus operam norit quanto apud nos sit in pretio. Deus eum tibi ac matri, vos ambos ipsi, liberisque cæteris præstet incolumes in lætis rebus. Lutetiæ 10 Maii 1642.

Præstant. Clariss. Tuæ addictissimus H. G.

Iam literas has signaveram, cùm donum abs te magnum accipio, & tuos & filii de Idololatria libros. Gratias habeo maximas. Reddere possum libros, & ego possum mittere: sed non tales. Tu & me & alios docere plurima nosti. Ego tibi tantùm ostendere quæ nosti.

D. GRASWINCKELIO.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

1574 PErlegi tua de Majestate & trapezitis. Illa ad Sallustium saltualim percurri magni ingenii nec minoris eruditionis opera. Gaudeo Nob. Vestræ laboribus ostendi, quàm non frustra dictum sit jurisprudentiam esse rerum divinarum & humanarum notitiam. Latè patet hæc ars æqui & boni. Dux ei ratio, & quæ Deus revelavit: comites scientiæ prope omnes. Hanc ego in foro Batavo viam monstravi ut puto, primus, & pro eo deberi mihi aliquid puto; tu verò mihi in magna mei muneris parte successor & me felicior magnum eris exemplum & tecum viventibus & post victuris. Quod si gloriola tentarer, possem sperare credituros homines multò te plus veteri nostræ consuetudini debere quàm debeas. De summo Imperio quæ dixisti talia sunt, ut inde proficere possint & Reverendiss. Rivetus & Reverendus Maresius & alii. Bonorum Iurisconsultorum & bene Christianorum est studere tranquillitati publicæ quam sæpe turbant, qui dicuntur Theologi. Ad fœnebrem quæstionem ut veniam pro certo habeo, in eo compendio quod pro datæ usu pecuniæ sumitur, posse esse πλεονεξίαν etiam deposita omni lege civili, non minùs quàm in contractibus aliis. Tum verò Edictum Caroli V. de ea re non posse aboleri per ea quæ Civitates seorsim faciunt, sed si abolendum esset, faciendum id per Nobilitatem & Civitates in hoc congregatas post legitimam deliberationem, quod si etiam sententiæ exquirantur utriusque Consessus juridici, ut in rebus talibus mos est fieri, rationes fortè adferrent cur abolendum id edictum non esset. Quæ ad Sallustium annotasti sunt & egregia & bene digesta. Sum autem ego, Lutetiæ 18 Iunii 1642.

Nob. Vestræ obsequentissimus H. G.

Magno Suediæ Marescallo,

COMITI DE LA GVARDE.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

VIdi & vidi summa cum voluptate Illustrem D. Fi- 1575
lium Sublimitatis Tuæ, ea indole, iis virtutibus, eo etiam in nostris studiis profectu, ut non minorem in splendidissimam familiam honorem importaturus sperari debeat, quàm ipse à tanto parente, tantisque majoribus accepit. Quare etiamsi non tanta deberem, quanta debeo Sublimitati Tuæ, Regni Reginæque Tutori, tamen ipsæ me D. Comitis Magni Gabrielis dotes eximiæ in animo ingenioque, nihil non excelsum pollicentes, etiam absque natalium auxilio, compellerent, nec unquam alii potiùs, quæcunque à me proficisci possunt, obsequia devoverem. Quis enim est cum quo de studiis libentiùs conferam, quàm cum eo qui in ista ætate multos multò provectioris ætatis superat? cum quo libentius de Aulæ aut de belli rebus disseram, quàm cum eo qui ad utrumque non tantùm feliciter natus, sed & accuratè est institutus? Cùm verò Aula Gallica à motibus quibusdam, ut est eis valdè obnoxia, nunc resederit, & huc reditum promittat, non abs re fore arbitror, si Illustris D. Filius Sublimitatis Tuæ eam videat: ut deinde per autumnum auspicari possit in Italiam iter, cujus visendæ magno flagrat desiderio, cui non video cur obnitar, cùm & pulcherrimæ ibi sint urbes, & venerandæ antiquitatis monumenta, & homines ad civile regimen apprimè idonei. Quod si etiam propiùs vel in hac re vel in aliis nosse queam Sublimitatis Tuæ desideria, erunt ea mihi pro sanctissimis legibus: sum enim eroque semper, Excellentissime & Illustrissime Domine, Lutetiæ 5 Iulii novi Cal. 1652.

Sublimitatis Tuæ devotissimus cultor H. G.

DIONYSIO PETAVIO.

Reverende Domine,

SÆpè tibi molestus esse cogor & ad opem ante hac fe- 1576
liciter mihi cognitam refugere. Postremo libello meo, pro pace scripto, opposuit Rivetus examen quod mitto, sed postremis paginis mutilum quas tradidi D. Mileterio, quia ad ipsum pertinent. Sumpsi hanc ultimam operam mea antehac dicta & famam quoque iniustris allatratam tuendi. In eo scripto si quid est aut Catholicis sententiis discongruens, aut cœteroquin veritate alienum, aut minùs idoneum ad pacem, de eo abs te viro eruditissimo & cujus judicium plurimi facio, moneri percupio. Rogo permittas mihi lumen de lumine accendere. Lutetiæ 16 Augusti 1642.

Rev. pietatis atque Eruditionis tuæ observantissimus H. G.

AXELIO OXENSTIERNÆ,

Regni Suedici Cancellario.

Excellentissime atque Illustrissime Domine,

SAmuel Petitus Professor est Vemasii, famamque ha- 15
bet suo merito inter Galliæ eruditissimos, cui cum D. Durietz Medicus magnificum perhibuerit testimonium, non dubito ego qui Petitum bene novi ejus testimonium meo quoque testimonio subsequi, planeque sperare utilissimam Suediæ fore Medici tam insignis operam. Deus, cujus vita & valetudo in manu est, labores ejus prosperet, faciatque, Excellentissime & Illustrissime Domine, tam vegetam Sublimitatem Tuam, ut nullius medici ope indigeat. Lutetiæ 31 Augusti 1642.

Tuæ Sublimitatis cultor devotissimus H. G.

GE-

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eximie,

578 MVltis nominibus Præſt. Tuæ ſum debitor, neque me otioſum fuiſſe lectorem eorum quæ monuiſti videbis ex Voto noſtro pacis Eccleſiaſticæ, quod jam prodiit, & brevi ut ſpero ad Præſtantiam Tuam deveniet. Iam verò recens ſum à lectione ἀκριβεστάτης Commentationis veſtræ de tribus Symbolis, operis utiliſſimi. Planè tecum ſentio in controverſiis quæ Græcam Eccleſiam à Latina abſciderunt, peccatum utrimque, & ſpeciatim quod ad quæſtiones de jure ſedis Romanæ pertinet, non dubito quin nonnulli Romanorum Epiſcoporum plus poſtulaverint quàm eis ſecundum Canonas & mores veterum debebatur. Sed negari non debuiſſe arbitror, ubi de electione aut deſtitutione Patriarchæ lis oriebatur talis, quæ ſchiſma de ſe pareret, Epiſcopi Romani fuiſſe hanc cognitionem, ſed ita ut is nihil ſtatuere deberit niſi conſultis ἐξάρχοις quorum res non agebatur. Laurentiadem ſilentio ulciſcar. Borboritam nihil puto dicere poſſe ad quod non parata habeam reſponſa. Maledictis non moveor. Mihi nihil quæro. Veri, quatenus mihi cognitum eſt, & pacis ago cauſam. Deus Præſtantiam Tuam diu publico bono ſervet incolumem, uxoremque tuam & liberos ſoſpitet. Lutetiæ 3 Octobris 1642.

Præſtantiæ Tuæ obligatiſſimus H. G.

D. CASSIO.

Vir Reverende,

579 QVanquam in ſtudia tua invadere non furtum tantùm, ſed & peculatum rei ſacræ eſſe exiſtimem, cogor tamen ad opem feliciter mihi expertam recurrere, quando jam ad finem perducta eſt impreſſio eorum, quæ ad libros hiſtoricos & poëticos Veteris Teſtamenti annotavimus. Rogo igitur ut norim ſiquid mutandum in cæteris annotatorum partibus obſervaſti. Erit ea ad priora tua in me beneficia non levis acceſſio. Simul rogo ut benigno animo accipias munuſculum φιλολογικὰ ad jus Iuſtinianæum. Lutetiæ 8 Novembris 1642.

Tuæ Reverendæ pietati addictiſſimus H. G.

ISRAELI IASKY.

Nobiliſſime Domine,

580 LIteræ Nobil. Veſtræ ſemper mihi gratæ fuerunt eruntque, etiamſi nihil aliud adferrent quàm ipſius bonam valetudinem & res urbis veſtræ proſperas. De Reginæ noſtræ conjugio res in arcano tractatur, video multos bene ſperare, nec dubito, quin ſi id ſuccedat, oculi doliturі ſint iis qui Suedicam magnitudinem nunc etiam ingenti victoria Belgica ornatam non amant. Turca prole fundatam habet domum, cum Perſa fidam pacem, cogitata ejus ad oram Euxini maris ferri videntur. Sed hæc vobis quàm nobis propiora ſunt. Rex Galliæ hoc anno felix fuit, captis Perpiniano & Salſa & præliis quibusdam feliciter pugnatis. Arcana cum Hiſpano conſilia aliis capite ſteterunt, Duci autem Bulionio abſtulere non Principatum Sedani, ſed cuſtodiam quæ in Regis eſt manu. Cardinalis meliùs quàm antehac valet. Ego maneo, Lutetiæ 29 Novembris 1642.

Nob. Veſtræ addictiſſimus H. G.

ADRIANO HOOGERBEETS.

Nobiliſſime Vir,

581 GAudeo manere apud Nobilitatem tuam Veſtrosque omnes memoriam noſtri. Nos viciſſim veſtri ſæpe, non animo tantùm, ſed & ſermone meminimus. Optamusque vobis omnia quæ ab amicis optimis optari poſſent; ac ſperamus etiam fœlicem ſucceſſum in cauſa illa, quæ cum noſtra conjuncta eſt. Amici, ſi qui ibi ſunt, noſtri, tuæ cauſæ, ut noſtræ, aderunt. Ego autem ita eventum exſpectabo tanquam qui damnum pati poſſim, exiſtimationem autem & meam, & viri optimi patris tui, ſum defenſurus quibus potero modis. Laudo etiam pium affectum tuum pro heu quondam noſtro Thuano, quem amavi ſemper, amatus ſummè à viro ſummo ejus patre, reveritus ſemper & patris & avi nomen, ut virorum quibus vix ullos Gallia pares tulit. Vides quæ ſint in rebus humanis εἴδωλα. Experti nos ſumus, experientur alii. Solatium unicum in bona conſcientia, quam Deus adſpicit. Ejus clementia tibi tuisque adſit. Sum & ero ſemper, Vir Nobiliſſime, Lutetiæ 29 Novembris 1642.

Tuæ Nob. addictiſſimus & memor eximiarum patris tui virtutum H. G.

D. CASSIO.

Vir Reverende,

COgnovi ex binis Amplitudinis Tuæ literis & relatu 1582
D. Lutzovii, cujus conſuetudinem magni facio, non tantùm quia commendatur mihi ab adeo mei amante: verùm etiam quia ipſe id meretur, adverſa Tuæ Ampl. & proſpera. Non leve eſt vulnus viduum ſe ſimul & orbum conſpicere, & viduitas quidem eò gravior quò felicius matrimonium fuit. Sed agnoſcenda eſt in his caſibus Dei cura, qui ſic nos à terrenis & caducis ad cæleſtia & æterna præparat. Adferre etiam ſolatii aliquid poſſunt occupationes ſplendidæ, Principis favor & ſtudiorum omne genus, maximè verò illud quod circum ſacras literas verſatur. Quibus & ego impendo tempus omne quod mihi relinquit Legatio, eo propoſito ut ſimul & paci & veritati ſerviam, quorum neutrum ſæculo adeo immerſo factionibus fieri poteſt ſine offenſis, quod & ſatis provideram, ſed non ea tanti ſunt, ut propterea cœpto deſiſtam. Poſt duas de Antichriſto Diatribas, ſcripſi & tres libellos alios, ad monſtrandas vias per quas Eccleſia Chriſti & à vitiis maximis purgari & ſimul in eam veritatem quæ Deo placet reſtitui poſſit. Hi quoque libri non unum in me excitarunt crabronem. Me tamen facti non pœnitet. Eduntur nunc Annotata noſtra ad Teſtamentum Vetus, etiam ad ea quæ adjungi Veteri Teſtamento ſolent. Dum in iis laborat prælum abſolvi ſcriptionem Annotatorum ad Actus & Epiſtolas Apoſtolicas. Dabo etiam operam ut alia noſtra ad poſteros eant: reliquiæ poëmatum, ampliores ad Lucanum notæ: Anthologia tota Latinis verſibus: Antiquitates Gothicæ: Hiſtoria Batavica. Rogo Ampl. Tuam ut me precibus ſuis juvet & contra ſiniſtros interpretes amici veteris ac fidi famam tueatur. Lutetiæ 12 Decembris 1642.

Ampl. Tuæ ſtudioſiſſimus H. G.

D. SALVIO.

EX literis Excell. Veſtræ datis $\frac{4}{14}$ Novembris libenter 1583
didici & hiſtoriam inſignis victoriæ noſtrorum ad Lipſiam, cujus & Regem & alios faciam participes, & diem in propinquo eſſe quo permutentur tuti itineris literæ. Spero Deum præciſurum omnes tergiverſationes, ut tandem ſeriò cogitetur quomodo finis imponi poſſit bello tot populis gravi, & Suediæ rebus, quantum ego eas intelligo, non admodum neceſſario. Hic libri fiunt qui non tantùm Alſatiam & Lotharingiam, ſed & omne Imperium Gallis vindicent. Ita ſolent multi ubi res ſe dant proſperæ ſpes in immenſum projicere. Deus, Illuſtriſſime Domine, Excell. Veſtram diu ſervet ac ſoſpitet. Lutetiæ $\frac{3}{13}$ Decembris 1642.

Cardinalis vivere & regnare deſiit.

LEO-

LEONI AISEMÆ.

1584 NEgotium de captis Vliſſiponæ navibus ſuapte æquitate mihi ſe commendat, ut autem melius de ea re judicem, ſcire cupiam quæ onera in navibus fuerint: ſcripta mea pro pace Chriſtianorum propoſitum habent honeſtum, ſpem verò non niſi longinquam: non poteſt in hoc negotio fieri, quod ruſticos arbitros ait facere Accurtius, qui rem controverſam bipertiunt, & partem alteram actori alteram reo adjudicant. Sequendæ ſunt regulæ quas ad pacem neceſſarias vetus Eccleſia nobis monſtrat ex Apoſtolico inſtituto. Qui aliter ſapiunt ſuo periculo malè ſapiunt. Ego verò ero ſemper, Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Decembris 1642.

Nob. Veſtræ addictiſſimus H. G.

IOANNI VYTENBOGARDO.

Vir Reverende,

1585 BOnum quod Rev. Tua mihi ſemper dedit conſilium increſcente, ſtata, & decreſcente ætate, in rebus adverſis ac proſperis, ſæpe etiam auxilium conſilio junctum, obligant me, ut Rev. Tuæ rationem reddam temporis, quod mihi à negociis publicis ſupereſt. Annotationes meæ in Vetus Teſtamentum impreſſæ ſunt usque ad finem Eſaiæ: reſtat, quod in reliquos Prophetas ſcripſi, & in libros Græcos, qui Veteri Teſtamento adjungi ſolent. Interea dum opus hoc ſub prælo eſt ad finem perduxi, ſingulari Dei auxilio, annotationes meas in Acta & Epiſtolas Apoſtolorum, & in Apocalypſin ſcriptoris tibi cognominis. Quæro amanuenſes, ut, ſi fieri poſſit, horum editio mox præcedentis operis editionem ſequatur, quod trium circiter menſium ſpatio ad finem perduci poſſe credo. Precor ut Rev. Tua precibus ſuis mihi adſit, ut omnia faciam ad gloriam Dei, promotionem pietatis ac pacis. Deus omnipotens Rev. Tuam in decrepita ſua ætate continuo Sancto ſuo Spiritu conſoletur. Lutetiæ 24 Ianuarii 1643.

Tuus omni affectu H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Summe,

1586 DIſtuli Præſtantiæ Tuæ ſcribere ideo quod eam intelligerem abeſſe in Friſia per nuptiarum cauſam, nunc cùm rediiſſe te diſcam nolui diutiùs cunctator eſſe. Gratias igitur ago pro bonis conſiliis & antehac ſæpe & nuper mihi datis. Cognoveris jam ea apud me non fuiſſe infructuoſa, nunc te rogo per communes literas amicitiamque veterem, ut fratrem meum in omnibus editionibus meis quæ apud vos curantur, conſilio regas. Ego hic interim otioſus non ſum. Eduntur Annotata noſtra ad Teſtamentum Vetus, & ea quæ ei addi ſolent. Excuſa jam quæ dicenda habui ad libros Moſis, libros hiſtoricos, Poëticos, Ethicos, præterea ad Eſaiam puto reſtare trium menſium laborem. Dum iſta in lucem properant, ſcripſi Annotata ad Actus Apoſtolicos, ad Epiſtolas Apoſtolorum vel Apoſtolicorum virorum; imo & ad Apocalypſin, ad quam me puto adferre aliquid novæ lucis poſt Alcazarem, qui non parum vidit: quæro nunc qui deſcribant. Danum quem mihi commendaveras, domui meæ adſcripſiſſem, niſi eò veritus eſſem Sueonum offenſas. Noſti gentium æmulatus, ut nihil dicam acerbius. De tuo qui in Italia pridem nihil audio, niſi excutere eum omnes Bibliothecarum forulos & magni à doctis omnibus fieri, ut ſanè meretur. Deus te, Vir optime, cum optima conjuge & liberis ſervet ac ſoſpitet. Lutetiæ 24 Ianuarii 1643.

Venerator ſummæ tuæ eruditionis ac pietatis H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clariſſime,

DVplici gaudeo nomine, primùm quod Regina Clar. 1587
Veſtram eis impoſuit negotiis unde & ad majora gradus fieri poſſit, cum ipſius honore & patriæ bono: deinde quod veteris amicitiæ meminit, quæ non ſanè ei quàm vellem fuit utilis; non quod mihi voluntas defuerit, ſed voluntati occaſio. Nunc ſi quid poſſim majus, præſtabo libenter, præſertim conſpiciens tantæ in me benevolentiæ conſtantiam. Agenda in Batavis non habeo niſi privata, & ea propinqui curant. De rebus Theologicis quæ ſcripſi, ea ſcripſi nulla ſpe commodi, ſed ex ſenſu ejus quod debere me credidi, ſi non ut Legatum (& tamen puto aliquid in illis eſſe, quod & Regno Suedico his præſertim in locis, uſui eſſe poſſit) certè ut Chriſtianum. Didici enim à ſapientibus duas plerumque impoſitas perſonas, alteram communem à Deo, alteram peculiarem à Principibus, parentibus, aut delectu proprio. Quod D. Voſſius illarum peritiſſimus judicavit ſpero & alios quoſdam in omnibus mundi partibus judicaturos, quoſdam dico, non plurimos; non enim tam bene cum rebus humanis agitur, ut optima ſemper plurimis placeant, idque ipſum ſtatim prævidi: neque enim ignorabam in quod incidiſſem ſeculum. Deus, ut ſpero, cum tempore alios excitabit qui majoribus cum adminiculis eidem propoſito inſiſtant. Interim Clar. Veſtræ plurimum debeo, quod omnes bene de me merendi occaſiones tam cupidè arripit. Deus eam ſervet ac ſoſpitet. Lutetiæ 18 Februarii 1643.

Tuæ Clar. optima optans H. G.

D. SALVIO.

Illuſtriſſime Domine,

QVid Galli velint hoc rerum ſtatu difficile dictu eſt. 1588
Rege ægrotante nutat publica auctoritas: magiſque nutatura eſt, ſi quid Regi humanitus adveniat. Mazarinus & Chavigniacus rerum potiuntur, ſed norunt ſtare ſe lubrico in loco unde cecidit Noyerius. Ego qui ſemper pacis amans fui, nunc eam vel maximè exopto, ut vitentur non tantùm, ea quæ ſentiuntur modò, ſed & ea quæ mihi videntur poſſe proſpici. Sed quia deliberationum harum momenta mihi non ſatis ſunt cognita, ad Deum vertam: eumque precabor ut hoc negotium ad bonum commune dirigat, ſimulque, Illuſtriſſime Domine, omnes res Excell. Veſtræ proſperet. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ Aprilis 1643.

Excell. Veſtræ ad ſervitia paratiſſimus H. G.

EIDEM.

Illuſtriſſime Domine,

GAudeo captum aliquando diem quo de pace adeo de- 1589
ſiderata & deſideranda ſeriò agatur. Magnum ei rei impedimentum ablatum eſt Cardinalis Ricelliaci morte. Opto felices ſucceſſus iis qui rem tantam ad bonum Chriſtiani Orbis tractaturi ſunt. Nos hic anxii ſumus ob vitam Regis in ſuo exitu laborantem. Conſtitutum eſt Regis Teſtamento & Parlamentaria auctoritate regimen quod locum habeat, ſi id quod & Galli & federati metuunt eveniat. Interim nihil ferme geritur, ita ut in hoc quaſi interregno aliquod inſolitum obtinere ſit perdifficile. Non omittam tamen & in hac re & in aliis experiri quicquid meæ erit facultatis, & eſſe ſemper, Illuſtriſſime Domine, Lutetiæ $\frac{11}{21}$ Aprilis 1643.

Excell. Veſtræ cultor obſervantiſſimus H. G.

D. AP-

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime & Consultissime,

590 RErum prosperis Suediæ non minùs quàm meis delectòr, quare summas Cl. Vestræ gratias habeo, quod me docuerit viri supra mortalium laudem positi, & cui omnia debeo Magni Cancellarii valetudinem in melius flexisse. Gaudeo etiam ἄλα Θεῖον, ut Homerus loquitur, in Finnengia repertum ea copia quæ non tantùm, indigenis sufficere possit, sed & externis remittere laborem transeundi fretum Cimbricum, & onera ibi semper crescentia persolvendi. Nunquam poterit Suedia illorum merita laudibus æquare, qui patriam, quam à majoribus felicem accepere, feliciorem reddunt in annos & dies, prudentia, exemplis, juris dicundi regulis, proventuum incrementis, commerciorum adfluxu, literarum floribus. Ita fiet ut qui ex aliis exemplum sumpsere, posthac exemplo sint cœteris. Ero semper, Vir Clarissime & Consultissime, Lutetiæ 1/11 Aprilis 1643.

Cl. Vestræ ad omnia officia paratissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

91 ITa ut promiseram perpuli pecuniarium nostrum negotium. Accepit jam D. Heufdius præceptum Regium de solutione quam Ordinantiam vocant. Nunc id laborat, ut norit unde pecuniam accipere debeat, quod assignationem vocant. Non desinam promovere hanc rem quantum meæ vires & hæc tempora ferent. Precor autem Excellentiæ Vestræ felix iter & faustos successus. Totius Europæ oculi conjecti sunt in eos qui hoc tractabunt negotium. Sum autem ego, Illustrissime Domine, Lutetiæ 2 Maii novi Cal. 1643.

Excell. Vestræ ad servitia paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime & Doctissime,

2 LEgi dissertationem Chemnitii, multa rerum & præteritarum & præsentium varietate se commendantem. Siderum præsagia aliis relinquo quibus proprium id studium est. Politicæ rationes eò me movent, ut belli finem instare arbitrer: nisi tamen Deus ob manentia vitia apud eos populos, qui per bellum corrigi debuerant, contra spes humanas aliud statuerit. Cæterùm Cl. Vestræ pro misso ad me scripto & pro perpetua in me benevolentia gratias ago: velimque scire si quid sit in quo & vicissim gratum aliquid facere possum. Sum enim, Vir Clarissime.

Regina sola Regni tutelam hic habet, adjutore Regis avunculo & Principe Condæo. In prælio ad Rhenum cæsa hostium quatuor millia, capti non pauciores, & machinæ quindecim, signa ad ducenta, egregium novi Regni auspicium.

Clar. Vestræ omni studio affectuque devinctissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

VT respondeam ad quæsita Excell. Vestræ, Vinariensibus intelligo postremum persoluta stipendia duorum mensium & dimidii, quæ excurrunt ultra sedecies centena francorum nummorum millia de reliquis anteacti temporis. Iuramentum novum sine mentione Germaniæ ab illis postulatum: non tamen à militibus præstitum. Sunt qui putant Duces Regi jurasse. Sed hæc Molius quanto est propior tanto noverit meliùs. De pecuniæ Regno Suediæ solutione suo tempore non dubito, ut in antecessum detur sperandum non est, nam & ante mortem Regis in assignationibus erat difficultas, & novum regimen novas adfert moras: Qui Legati ad pacis negotium ituri sint in obscuro adhuc est. Ante Regis mortem placuerat eò mitti Ducem Longavillanum, Davausium, Emeriacum. Habuisset Dux Longavillanus ingentem commeatum fortè ad quingentos, Davausius majorem quàm Hamburgi: nec ei cessisset Emeriacus. Nunc novæ Aulæ facies novas deliberationes desiderat. Regina Regens & per D. Chavigniacum & suo ore mihi asseveravit perstituram se in omnibus consiliis à Rege marito quondam suo institutis, & in fide erga socios; pacem bonam à se optari, bellum non metui. Videntur tamen qui res temperant aliquid in federibus immutatum velle, qua de re agent ut puto, in Suedia per Residentem suum. Ego si quid de pecunia Gallica plus sumpsero quàm fert salarium semestre, id fiet ob impensas extraordinarias, ob hos luctus maximè. Omnium acceptorum rationem exactam reddam Regno Suediæ, eroque semper, Illustrissime Domine, Lutetiæ 30 Maii 1643.

Excell. Vestræ servire paratissimus H. G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

MOrte Regis pridem prævisa non concidisse hic animos satis apparet ex prælio ad Rocroium. Cæterùm in federibus video aliquid injici. Vrgeo & urgebo ut simpliciter approbentur. De suo in Reginam, Regnumque Suediæ affectu liberaliter loquuntur, Regina Regens, Dux Aurelianensis, Princeps Condæus. Videbo & alios qui nunc regimen obtinent. De pecunia omnia optima sperare debemus, quandoquidem Davausius & Baliolus ærarii præfecturam acceperunt & juramentum jam dixerunt, recepta excusatione Butillerii. Qui sint ituri ad pacis negotium Legati, adhuc latet in pectore Reginæ Regentis. Fama loquitur de Estræo, Castellinovio, Serviano. De Dano sic existimo, eum pertracturum civitatem Hamburgensem ad conditiones satis duras, dum Germania & Batavi non tantùm bello, sed & internis apud se dissidiis distrahuntur. Id ubi confecerit, omnia tentaturum pro Rege Britanniæ. Suediæ puto eum Regem magis invidere quàm quicquam nociturum: quod etsi ipse vellet, non feret ut puto, Nobilitas. Deo, Illustrissime Domine, res Suedicas & valetudinem Excell. Vestræ commendo. Lutetiæ 3 Iunii 1643. 1594

Excell. Vestræ ad servitia paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

LEgi libenter & literas Clar. Tuæ datas 25 Maii, & alterum Chemnitii scriptum. Rex Christianissimus & in morte & circa mortem ostendit omnia quæ ostendi possent Christianæ pœnitentiæ, patientiæ & pietatis exempla; nam & omnes sub sui nomine iniquè tractatos restituit & ultro ab ipsis veniam petivit: & cruciatus morbi longos & graves ita pertulit ut ostenderet, se nihil aliud velle quàm quod Deus vellet: & omnes preces suas direxit ad Deum per Christum, ac paulo ante mortem per fenestram cœlum aspiciens, dixit ibi brevi futuram animam suam, simulque respiciens basilicam Dionisii Martiris, ibi futurum corpus suum. Nemo est qui non ab ejus conspectu & sermone melior redierit. Maximè vero dixit, dolere sibi quod non potuerit pacem reddere Orbi Christiano, & populum levare gravissimis oneribus. De utroque mandata dedit Reginæ, quæ non dubitamus quin ipsa pro summa sua in Deum pietate, & in maritum fide sit secutura. Planè autem Chemnitio consentio, justa nulla esse arma inter Christianos, maximè nisi quæ planè ad salutem populi Regibus commissi sunt necessaria. Eos autem qui arma sumunt adversùs vicinos, qui per matrimo- 1595

trimonia, aut successiones, aut alios justos titulos increscunt, ab ipsis non læsi, nihil aliud facere quàm testari coram mundo omni se Dei providentiæ diffidere. Vale Vir Clarissime. 6 Iunii 1643.

Vestra Clarit. ad omnia officia paratissimus H.G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

1596 REgem Daniæ puto ubi cum Hamburgo transegerit aliquid tentaturum pro Rege Angliæ. Interim prudenter facient, si ita sibi ubique prospexerint nostri, ut si etiamsi ille velit nocere ipsis non possit. Hic omnia fortia & fiunt & promittuntur. Dixit mihi Princeps Condæus & alii qui sub Regina Regente rebus adsunt, de fœderibus servandis scriptum in Suediam. Video tamen eos mutatum aliquid velle, sed cùm super eo mihi se non explicent, libenter quiesco. De pecunia nihil puto fore difficultatis. Guebrianus nunc mandata exspectat, & fieri posset, ut se jungeret cum Duce Anguiano ad obsidendam urbem aliquam in Belgico limite. Deus, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram servet in bonis rebus. Lutetiæ $\frac{13}{23}$ Iunii 1643.

Puto Comitem Davausium, qui nunc secundùm Præsidem Baliolum præfectus est ærario, memorem fore honorum sibi à Suedia exhibitorum. Si ut sperat, Legatus ibit ad pacem (de quo dubito) valde erit observandus, ne quid supra alios Regum Legatos arroget, est enim talium raptator: & talia hic venditat.

D. TEMPORAGRIO.

Reverende Domine,

1597 LEgi cum gaudio literas Clar. Vestræ scriptas 14. Iunii Lugduni Batavorum signa habentes satis expressa contractæ inter nos amicitiæ, quæ semper mihi erit carior quàm ullis antehac conspicuis indiciis attentare potui. Sicut autem gaudeo nihil sinistri evenisse Rev. Vestræ in Britannico itinere, rebus ibi plus quàm nunquam turbidis, visamque urbem Londinum; ita dolet non conspectam ei Cantabrigiam & Oxoniam, & hanc maximè ob illustrem, quæ ibi est, Bibliothecam & viros eruditos, Deumque precor, ut & jus Regis & felicitatem populi restituat in eum statum, in quo ego id regnum vidisse me memini. Mea verò commendatio apud Regios & Episcoporum amatores aliquid fortè valuisset: apud illos verò qui & Regem & Episcopos expulerunt nihil planè. Principem Arausionensem rugine contactum fuisse & nos didicimus. Sed dicitur revalescere, idque hîc optant omnes, ut egregiis Gallorum sub regno novo conatibus sua ex parte respondeat. Ero semper, $\frac{11}{21}$ Iunii 1643.

Rev. Cl. Vestræ animo addictus & ad obsequia paratus H.G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime & Doctissime,

1598 GRatissimæ mihi fuere literæ Clar. Vestræ cùm priores, tum istæ quæ datæ sunt 15 Iunii, neque minùs id quod eas literas comitabatur scriptum Domini Chemnitii, prudentiæ plenum. Hic in Gallia omnia bene procedunt. Nam & bellum strenuè geritur obsessa Theodonis villa: & multis modis certos nos facit Regina Regens se sine sociis in pacis negotio nihil promoturam. Laus sit Deo quod Regina nostra Clementissima incipit Regni rebus assuescere, & iis se parare negotiis quæ brevi in ipsam sunt incubitura. Deus tam bonis initiis pulchros det processus. Ero semper, $\frac{11}{21}$ Iunii 1643.

Clar. Vestræ addictissimus H.G.

LEONARDO TORSTENSONIO.

Illustrissime Domine,

OMisi hactenus scribere Excell. Vestræ quod & literas è tam longinquo curandi vias certas non haberem, & scirem ab aliis diligenter significari ea quæ variis in mundi partibus geruntur. Cæterùm virtutes heroicæ & summa Excell. Vestræ merita apud Regem Galliæ nunc defunctum & apud Reginam nunc regentem, & apud eos omnes quorum hic valet authoritas, qua debui fide prædicare non omisi, ac pariter cum Illustribus Suedis qui hic sunt Deum præcari, ut pergat fortibus prudentibusque consiliis ejus felices dare successus, Excell. Vestræ firmam valetudinem, quam interdum tentari articulorum doloribus, tristis sanè intelligo. Non ignoro ad id malum multa à multis tradi remedia quibus rarò adest is qui speratur eventus. Attamen cum unguento quodam constet mihi ex eo malo persanatum Regis patruum Ducem Aurelianensem, & alios nonnullos, de eo unguento aliquantum mittendum mihi censui, simulque orandum Deum, ut salutare faciat hoc medicamen, precesque omnium & Suedorum & Suedos amantium pro sanitate Excell. Vestræ propitius exaudiat. Sum verò, eroque semper, Illustrissime Domine, Lutetiæ 6 Iulii 1643. 1599

Excell. Vestræ ad servitia paratissimus H.G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

ESt dictum Ovidii in ore etiam indoctorum: 1600

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Attamen cùm in spe quamvis tenui nihil non tentandum sit quò fortibus animis contingat, & corpus validum magnisque par laboribus; præterea verò Suedi omnes optare & si fieri posset, procurare debemus valetudinem inconcussam viro fortissimo D. Leonardo Torstensonio, cujus summis virtutibus stat & res & gloria Suedicæ gentis, unguentum per quale valetudinem à malo articulorum restitutam scio & Duci Aurelianensi, patruo Regis, & tribus mihi notis, mittendum & censui, rogandamque Excell. Vestram adjutrix mihi esse velit quò id rectè ad manus viri meritis maximi perveniat. Deus & hanc rem & omnes Regno Suedico inservientium labores ac consilia, nominatim verò Excell. Vestram semper & ubique prosperet. Sum eroque, Illustrissime Domine, Lutetiæ 6 Iulii novi Cal. 1643. 1601

Excell. Vestræ ad servire paratissimus H.G.

EIDEM.

Illustrissime Domine,

VElim nos perscriptum habere aliquid quo appareat 1602 Reginam Regentem velle stare fœderibus. Quanquam ipsa magnanima est, scio non deesse qui ei suadeant ut suis rebus consulat sine sociorum respectu. Et sunt in Gallia magni cavillatores. Hamburgi civitas destituta defensoribus redemit se quanti minimè potuit. Sed Regi Daniæ sæpe redit libido eos emulgendi. Observandæ autem diligenter erunt ejus Regis & actiones & consilia, ne diu coacervata invidia in vim aliquam aut dolum erumpat. Literas feret Molanus posthac Residens futurus Hamburgi. Legati Davausius & Chavigniacus parant se itineri ad mensis hujus exitum. Deus, Illustrissime Domine, Excell. Vestram servet ac prosperet. $\frac{1}{11}$ Iulii 1643.

Excell. Vestræ semper servire paratissimus H.G.

D. APPELBOOM.

Clarissime & Eruditissime Domine,

OMnia hic bene procedunt. Ad obsidionem Theodo- 1603 nisvillæ mittuntur necessaria. Odincurtius cum magnis

gnis copiis in Hispaniam intrat: Princeps Thomas in agrum Mediolanensem: Guebrianus in Bavariam. Cum Hassiaca vidua fœdus renovatur, interim non abjicitur spes pacis: itaque Legati duo Davausius & Chavigniacus sub finem hujus mensis abeunt. Sequetur Dux Longavillanus, ita si & Imperator Principem mittit. D. Emporagrio felix opto iter & Cl. V. prospera omnia. Sum enim, Clarissime & Eruditissime Domine, Lutetiæ 18 Iulii 1643.

Clarit. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime & Doctissime,

1603 PRobo etiam hoc D. Chemnitii scriptum & vota pro pace, ut aliquando respirent Christiani populi qui sub tot gemunt bellorum malis. D. Emporagrio opto felicem ad suos reditum. Si Suedi & Galli velint omnino etiam Portugalliæ Regis Legatos ad Conventum de pace admitti, dubitari non debet quin id recusaturus sit Rex Hispaniæ, ac sic mora vix extricabilis interventura negotio. Princeps Arausionensis in hoc prodest rei communi, quod bonam partem Hispanici militis ibi retinet, venturam alioquin contra Ducem Anguianum qui Theodonisvillam obsidet. Optandum est ut controversiæ cum Dano ortæ ex vetere formula æquoque & bono componantur, & transire Lodanum Sinum possint supplementa Suedici militis non parum ad bellum aut pacem collatura. Hic omnia bene procedunt. Sum Vir Clarissime & Doctissime. Lutetiæ 25 Iulii 1643.

Quæ Reginæ Viduæ in luctus solatium dixi, ea dixi ex tempore, neque mihi perscripta ea servavi, gaudeo bene esse accepta.

Claritatis Vestræ semper addictus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime & Doctissime,

1604 SPero iter Legatis Reginæ nostræ bene processurum, & ipsum quoque cujus causa eunt negotium. Illud quod Hispanus Legatus dixisse fertur de rebus cum Gallia in arcano compositis, falsum esse testatur Theodonis villa, quæ paucos intra dies Gallorum futura est non sine gravi dolore Hispanorum. Danus multum movet, parum promovet. Si tamen in causa est quò minùs supplementa nostra mare transeant, habebit quod Imperatori imputet. E Theodonisvilla feliciter erupere hostes non sine Gallorum damno. Sed res eo jam perducta est, ut diutiùs defendi oppidum non possit. Res Anglicæ meliùs Regi quàm Parlamentariis procedunt, nisi quod hi Scotorum auxilia sperant. Villam Novam Astam Galli cœpere & tendunt in agrum Mediolanensem. Pontifici res in agro Ferrariensi prosperæ sunt satis, adversæ in Urbinato. Ibit eò ex Gallia Servianus ad pacem faciendam. Deus, Vir Clarissime & Doctissime, sospitet Clarit. Vestram. Lutetiæ 8 Augusti 1643.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Eximie,

1605 ESt domi nostræ Isaacus noster, & erit quandiu ipse volet, & vos parentes ejus. Multum delector ejus consuetudine, tum ob summam ejus eruditionem morumque suavitatem, tum quod in ipso & mortui avi & patris absentis memoriam recolo. Spero non inutile ei fore cognoscere & Aulam hanc & plurimos eruditos, qui in hac sunt urbe. Tum verò ad Bibliothecas Regis, Thuani, Pithœi & aliorum patet ei aditus. Nam Cordesianam, qua velut nostra uti solebamus, habet nunc Cardinalis Mazarinus. Bene autem valet Isaacus, & quò rectiùs valeat, sæpe cum extra urbem spatiatum deduco. Amplissimi Viri Conradi Burgii Filium, & propter patris & propter suas virtutes magni facio. Beuningius etiam planè se mihi approbat. Cuditur jam tertius Annotatorum nostrorum Tomus ad ea pertinens, quæ extra Hebræum canonem posita, pridem in Christianorum Ecclesiis utiliter legi solent. Hoc opere absoluto dabimus nostra ad reliquas novi Testamenti partes. Sumsi etiam laborem vertendi Latinè Græca & Hebræa quæ sunt in annotatis ad Euangelia, ut si quando recudentur, fiat id etiam cum commodo minùs eruditorum. Multi hic Episcopi præclaras habent cogitationes de corrigendis illis malis quæ maximè divortio Ecclesiastico causam præbuere. Et prodiit nuper liber non inutilis pertinens ad preces corrigendas. Multum etiam legitur Synodicum Græcæ Ecclesiæ Decretum contra Cyrilli dogmata. Blondellus, magnæ vir diligentiæ, sed suæ parti supra æquum addictus, quid de Episcopis & Presbyteris sentiat ex scriptis ejus antehac editis non obscurum est. Imprimitur nunc apud Blavium liber ejus specialis de eo argumento. Cognovi autem ex sermone ipsius, omnimodo agere eum hoc velle, ut aliquid reperiat, unde famam spargat te in ea re planè secum sentire. Ignatii Epistolas quas filius tuus ex Italia attulit, puras ab omnibus iis quæ eruditi hactenus suspecta habuere, ideo admittere non vult, quia Episcopatuum vetustati clarum præbent testimonium. Argumento autem non alio utitur, quàm quod in iis verba quædam appareant elegantiora quàm solent in Apostolorum scriptis reperiri, qualia sunt ἀξιόπιστα, ἀξιομνημόνευτα & similia. Dixi ego paris monetæ vocabula non pauca esse in Clementis ad Corinthios Epistola, quam suspectam non habet. Adhæsisse hæc illis ex lectione Græcorum qui nitidiùs scripserant. Flamingii viri consularis mortem doleo, magnum in eo damnum & civitas vestra fecit & Hollandia. Ego si quem unquam videro qui ad ipsum pertineat, ostendam quanti faciam eam benevolentiam quam ille in rebus meis adversis mihi præstitit. Tuorum quàm plurima edi velim, sed ut fiat sine valetudinis tuæ detrimento. Ego nihil unquam magis pro te metui, quàm dum nihil temporis tibi vis perire, vitam tibi accidas, & sic eis noceas quibus prodesse supra vires corpusculi niteris. Deus, Vir Eximie, tuis summis virtutibus uxorique & liberis omnia det prospera. Uxor mea & filia idem precantur. Lutetiæ 22 Augusti 1643.

Tuæ eximiæ Claritati addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime & Doctissime,

LÆtos hic dies agimus ob captam Theodonis villam. 1606
Batavos multa dissimulaturos arbitror ne hostilia captent contra Imperium aut Imperatorem. Hoc autem anno etiamsi nihil aliud agerent, quàm quod hostilium copiarum magnam partem detinendo Gallis tempus dedere capiendi Theodonisvillam, satis constaret ipsis impensarum ratio. Non miror quod Suedi morantur novas copias in Germaniam transmittere, quam diu cum Dano suspecta pax est. Novis in Suedia conjugibus omnia opto felicissima. Dux Anguianus nunc Longuicum obsidet. Mareschallo Guebriano supplementa mittuntur. Trinum obsidet Princeps Thomas. In Catalania quiescitur. Opto, Vir Clarissime & Doctissime, Cl. Vestræ omnia prosperrima. Lutetiæ 22. Augusti 1643.

Dignum est lectu D. Chemnitii scriptum agoque pro eo & ante missis gratias.

Clarit. Vestræ addictissimus H. G.

 FOR-

Digitized by Google

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

1607 EN tibi filium meum natu maximum, qui pro libertate Italiæ militare vult, sicut Suedi nostri diu fecere pro libertate Germaniæ, id est quàm diu Germani ipsi in aliquo pretio libertatem habuere. Velim eorum malis edocti Rhæti & Helvetii neque Religionum dissidio, neque factionibus extrinsecus immissis à bono communi se abstrahi patiantur. Libertas concordia & constantia tuenda est. Rogo filio meo consilio adsis; ego idem polliceor omnibus iis qui ad me notam Nobil. tuæ nominis attulerint. Vale quàm optimè. Nobilissime Domine. Scribebam 22 Augusti 1643. Lutetiæ.

Nobil. Vestræ ad omnia obsequia paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime atque Doctissime,

1608 GRatias ago Claritudini Vestræ pro literis 17 Augusti datis & pronissimo in me affectu, pro quo mutuum spondeo. Gaudeo etiam fœcundam frugibus esse Suediam, & dispareſcere illas è Dania nebulas. Legatis qui ad pacis negotium eunt labores opto felices, quam ad rem non parum conferre poterunt res prosperæ Torstensonii, Coningsmarcii, Axelii, Liliæ. Hic complanantur quæ ad obsidendam Theodonisvillam facta fuerunt opera. Dux Carolus laborat ut se belli malis exuat. Fœminarum Principum dissidia recrudescunt & eam ob causam Mombasonia rus amandata est. Ero semper, Vir Clarissime ac Doctissime, Lutetiæ 30 Augusti 1643.

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime atque Doctissime,

1609 REctè accepi literas Cl. Vestræ datas exeunte Augusto. Pro renovatione fœderum Reginæ jam gratias egi, speroque eam rem faustam ac salutarem fore Regno utrique. De Dano nihil certi judicari poterit, priusquam Legati inde in Suediam venerint. Deum rogo ut aut bellum illud à nobis avertat, aut certè priusquam id erumpat pacem nobis det cum Germanis: ad quam faciendam Legati hinc nondum abiere, sed præmissæ sunt eorum sarcinæ. Quieta hic sunt omnia, nisi quod in carcerem Vicennensem missus est Dux Bellifortius Ducis Vindocinensis filius. Causa vulgatur, quod Cardinali Mazarino insidias struxerit, metuens ne gravis aliquando sit aliis ejus potentia. Felix matrimonium opto Landgravio Friderico & virgini Palatinæ, & Præfecturam Livoniæ Wrangelio. Domitrii arcem non minùs quàm oppidum puto brevi fore in nostrorum potestate. Sed miror Illustrissimum Dominum Legatum Baronem Oxenstiernam tam longè abiisse à locis unde pax exspectanda est. Videat ipse. Pax veniat Deo dante, cujus bonitati, Vir Clarissime atque Doctissime, Cl. Vestram commendo unicè. Lutetiæ 9 Sept. 1643.

Clarit. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime atque Doctissime,

1610 PLacent & literæ quas Clar. Vestra ad me scripsit 7 Septembris & multa in dissertatione D. Chemnitii. Rex Daniæ ut video, multis negotium exhibet, ideo quod omnia impunè sibi videt cedere. Ex Legatione quam Suediam mittere dicitur, brevi apparebit casu enatæ, an sponte quæsitæ fuerint controversiæ. Batavorum Respublica concordiæ indiget, quam eis precor. Laborabitur hinc ut Britanniæ sua pax redeat, restituta in integrum Regis potestate. Ex Benfeldio ingentes questus in Suediam deferentur. Incubuit ei Guebriani exercitus & omnia circum vasta fecit. Deus, Vir Clarissime atque Doctissime, Cl. Vestram sospitet. Lutetiæ, 19 Septembris 1643.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

MVltum gaudeo de literis Excell. Vestræ datis fine [illegible] Augusti. Illas ad Cardinalem Mazarinum tradi jussi. Ipsum non video nec videbo, nisi aliter jubeat Regina nostra, quia Legatis Regum apud se inferiorem adsignat locum, & Eminentiæ titulo salutatus, Excellentiæ titulum non reddit, nimirum ut Romæ [illegible], æqualis Regum, & difficulter concoquens quod hic Regii sanguinis Principibus coactus sit cedere. Interim agnosco operam ipsius esse Suediæ utilem, quàm diu Suedia a bello manet. Nam & ipsi & aliis nonnullis bellum utile est. Ego quia res novas Suediæ unde scribam, non habeo, neque enim ea mihi adsunt instrumenta quibus ad rem tantam opus est, in rebus Suediæ veteribus me exerceo, & manuscriptos confero Jornandis, Pauli Warnafredi, Legum Gothicarum & Longobardicarum, in quibus non pauca reperio editis meliora. Habeo & Chronographica & Chronologica quædam antehac non edita. His impendo eam partem vitæ quæ à publicis negotiis vacat, interim & morti me parans, edo ea quæ ad Veteris Testamenti intellectum pertinere arbitror. Post, si Deus permiserit, aut hic aut alibi editurus illa quæ Actibus & Epistolis Apostolorum intelligendis servire poterunt. Quò autem in hoc vitæ cursu metæ sum propior, eò magis moveor ut vobis, quorum in manu nunc est res Christiana, pacem commendem, non dicam quibus conditionibus, Deus prospiciet, modo animus adsit pacem amans. Ita & suam pacem Deus pacis largiatur, cujus tutelæ & nunc & in æternum, Illustrissime Domine, Excellentiam Vestram commendo. Lutetiæ 26 Sept. 1643.

Excell. Vestræ inservire paratissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Vir Amplissime & Nobilissime,

VEniet ad vos Theodorus Gothofredi juris operibus [illegible] clarissimi filius, ex Protestante factus Romanensis, sed æquus ea in parte & moderatus. Magnam habet historiæ veteris & novæ notitiam: & ob has causas & quia Germanica lingua utitur, datus est adjutor Legatis Gallicis. Non negabo ei post quindecim aut sexdecim dies abituro quas à me poposcit literas ad Ampl. Vestram commendatrices. Cæterùm sciendum est in mandatis eum habere, ut quæcunque audit perscribat, & perscripta huc perferat. Itaque audiendus est & colloquiis mulcendus, sed circumspectè. Pendet à Cardinali Mazarino, qui nobis non erit inimicus, quàm diu bellum volemus. Deus, Vir Nobilissime & Amplissime, det Ampl. Vestræ omnia prospera. Lutetiæ 10 Octobris 1643.

Habebit Gothofredus titulum Consiliarii Regis.

Nob. Ampl. Vestræ studiosissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

LIteras Cl. Vestræ semper habui, habeoque gratissimas [illegible] De Danis quid exspectari debeat docebit si non Danica ad Suedos, at Suedica ad Danos Legatio. Legatorum Regis postulata eo tendunt, ut bellum habeamus æternum. Familia Hessica Cassellensis ita merita est, ut in pace facienda ejus præcipuè haberi debeat ratio. Excellentissimus

tissimus & Illustrissimus D. Cancellarius ut rectè valeat Deum ut debeo, summè precor. Nec ullus mihi poterit accidere honor major, quàm ut Illustriss. Dominum filium ejus, magni ut audio in literis profectus, complecti possim, & ostendere quantum patri debeam. Rectè faciunt Legati Reginæ nostræ, quod Mindæ morantur, ut videant quorsum se res sint daturæ. Pompa Legatorum Daniæ Gallicæ non erit par. Et Dani & Poloni ni fallor molitiones monere nos debent, ut si fieri potest honestè nos à bello Germanico explicemus. Edicta in fœderatis illis populis, apud quos Cl. Vestræ nunc vivit & multa fiunt & severa. Et in speciem interdum fit aliquid secundùm illa edicta, sed quod numerum Romanocatholicorum non minuet: tœdere enim cœpit homines multitudinis sectarum, sæpe & dogmata periculosa secum trahentium. Deus Cl. Vestram sospitet. Lutetiæ 10 Octobr. 1643.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. MILONIO.

Vir Clarissime,

14 SCriptas 20 Septembris literas Cl. Vestræ legi libenter: pro quo gratias ago, spondeoque mutuum. D. Comes Davantius jam hinc discessit. Sequitur eum intra paucos dies Servianus. Sed habent negotia quæ eos à Batavis non citò nimis patientur discedere. Ego in significandis quæ hic agentur ero, ut debeo, diligens. Benfeldium puto jam incommodis suis exemptum. Ill. D. Comes de la Guarde jam veterem patriam, id est, Languedociam perambulat. De Italico itinere videtur adhuc hæsitare. Literas ad ipsum nos optimè & libenter curabimus. Deus & ipsum & Cl. Vestram servet & sospitet. Lutetiæ 10 Octobr. 1643.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

VLYSSI SALIS.

Illustrissime Domine,

5 INtellexi ex filii mei literis quantum Illustritudini Vestræ debeat, summis & hoc tempore ei maximè necessariis ab ea affectus beneficiis, pro quibus si quid possim Illustritudini Vestræ & ei charis gratum facere foret id mihi gratissimum. Certè virtutes ejus summas ubique prædicare non desinam: neque me ipsi tantùm, sed & propter ipsam nomini Rhætico constituam debitorem: cujus causam egi aliquoties & agere non desinam, occasione data apud Ministros Regios, nihil magis optans quàm ut constet ei moribus antiquis fundata libertas. Eroque, Illustrissime Domine, Lutetiæ 20 Octobr. 1643.

Illustrit. Vestræ obsequentissimus & inservire semper paratissimus H. G.

FORTVNATO SPRECHERO.

Nobilissime Domine,

6 MVltum comitati Nob. Vestræ debemus & ego & filius meus, qui liberaliter ad me scripsit de humanitate qua exceptus, & de optimis consiliis quibus per Nob. Vestram instructus est. Vtinam vicem referre his beneficiis possem. Certè quod potero & contractæ inter nos pridem amicitiæ, & nunc pariter filio renovatæ semper grato animo meminero. Non dubito quin patriæ Nob. Vestræ suæ in controversiis quas habent rationes constent, sed quæ optavi nunc etiam opto, ut æquis viis sedentur omnia quæ officere possint concordiæ, quæ ad libertatem tutandam perquam necessaria est. Memini me in Græco scriptore legere ad liberorum populorum salutem requiri ὁμονοίαν & εὐνοίαν. Ego hic communem Rhæticæ libertatis causam Regiis Ministris & commendavi sæpe & commendare non desinam, maneboque, Nobilissime Domine, Lutetiæ 20 Octobr. 1643.

Nobilitati Vestræ obsequentissimus & inservire paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

HAbeo gratias pro Cl. Vestræ & pro transmissis Reginæ literis, quas uti oportet curabo. Prudens est Illustr. 1617
Domini Salvii responsum. Sed ut Cæsarianos excusare nolim, ita evidens est nobis Gallos in isto negotio moras ex moris quærere. Hildeshemensium videtur non iniqua postulatio. Dux Anguianus ad Tabernas est Alsatiæ. Addunt peditum quatuor, equitum duo millia. Ægrotant morbis ad senectutem additis & Papa & Bavarus. Deus, Vir Clarissime, diu Cl. Vestram servet. Lutetiæ 27. Octobr. 1643.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

NOn sunt mihi satis cognitæ res Suedicæ, sed quan- 1618
tum ex illis illustribus ac nobilibus adolescentibus qui hic fuere, cognoscere potui, comitiorum pars major non tam ad nova tributa novosque dilectus feretur, quàm ut pacem, sed more Gothico, id est, si ea obtineri possit nullo famæ, quæ omnibus quidem, sed maximè Regibus curanda est, detrimento. Ego & ut Christianus pacem amo, & ut Suediæ Consiliarius puto eam Suediæ non inutilem. Cum Danis existimo simultates nobis perpetuas fore, non bellum, si non ob Regis senis prudentiam, at ob Senatorum, nihil boni aut privatim sibi aut publicè ex bello sperantium, auctoritatem. Sed id propiùs cognoscetur, siquando Legati Danici in Suediam venerint. Quamquam & Russicum istud matrimonium suspectum esse Suedis nostris potest, qui multas partes istius Imperii tenent victoriæ jure. Non puto iniquum quod contra Anglorum qui se Parlamentarios dicunt, naves constituit Rex Daniæ, dum manet controversia. Certè regium jus apud Reges omnes prævalere debet. Et magna his temporibus semper fuit Regum Angliæ Daniæque conjunctio. Reginæ Viduæ nostræ quod optio data est aut redeundi in Suediam, aut alibi vivendi, salvis sibi fructibus qui ex pactis nuptialibus aut testamento ad eam pertinent, laudo. Rex defunctus Galliæ maximam apud Deum & homines professus est pœnitentiam, quod matrem, non per omnia fortè prudentem, at matrem tamen, at fortunam, matri dolendam, Regi pudendam reliquisset. D. Flemingio & Suedis omnibus omnia quæ à me proficisci possunt, semper erunt exposita. Hic exspectamus an Marescallus Guebrianus bonis jam auctis copiis transiturus sit Rhenum & ibi substiturus. Cætera hic quieta sunt, extra quasdam partes inter Languedociam, & Aquitaniam, ubi motus sunt contra tributa, non sine metu ne longiùs gliscant. Id ipsum fortè duriores animos ad pacem vertet, quam bonam det Deus, & Cl. Vestram, Vir Clarissime, servet ac sospitet. Lutetiæ Cal. Novembris 1643.

Clarit. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime & Doctissime Domine,

DE ubere annona gratulor Suediæ optoque ut etiam 1619
in bellicis rebus felix hic annus decurrat. Ad Illustrissimos Legatos qui Mindæ sunt scripsi jam aliquoties, etiam ad Rosenhanum. Si non majus est illis pacis desiderium quàm Gallis peribit opera. Ill. Domino Erico Oxenstiernæ omnia opto felicissima & velim quàm primùm

mum ejus conspectu & colloquio frui, tum ob summa patris merita, tum ob famam eruditionis quæ eum præcedit. De Gallorum trans Rhenum transitu nihil dum nobis compertum est. At in Italia Galli Trino capto, Pontem Sturæ obsident. In Catalania fervet bellum magnis ibi Hispanorum copiis. At in Gallæcia res Portugallis bene procedit. In urbe hac quieta omnia. Metus ob tributa in partibus hinc remotis. Deus, Clarissime & Doctissime Domine, Clar. Vestram incolumem florentemque servet. Lutetiæ 7. Novembr. 1643.

Vestra Cl. studiosissimus H. G.

LANDGRAVIO FREDERICO VAN HESSEN.

Excellentissime & Illustrissime Princeps,

1620 CVm semper inclytæ Domus Hassicæ observantissimus fuerim, Celsitudinis autem vestræ virtutes & noverim & fecerim maximi, nihil mihi gratius accidere potuit, quàm à Celsitudine Vestra accipere tam benignas Literas. Ornavit hoc beneficium sua comitate vir nobilis Siraumontius, cujus consuetudo mihi longè gratissima est. Nihil autem mihi unquam erit suavius, quàm si in mandatis ipsi negotiis, aut re aliqua alia, inservire & utilem præstare operam possim Celsitudini Vestræ, nihilque tam grave imponi mihi poterit quod non inferius existimem ipsius meritis, & ea constantia quàm fulgentissima Domus Hassica in fovenda Regni Suedici amicitia ostendit. Cùm verò etiam in Regiam Suediæ familiam Celsitudo Vestra per sponsalia inserta sit, ea ut plenum felicemque eventum sortiantur & Suediæ & Hassiæ bono, Deum precor, cui, Excellentissime & Illustrissime Domine, Celsitudinis Vestræ curam resque omnes unicè commendo. Lutetiæ $\frac{4}{14}$. Novembr. 1643.

Celsitudinis Vestræ mancipatissimus devotissimusque H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1621 LIteras quidem à Nob. Vestra accepisse me memini, proque iis gratias ago, sed nullas accepi, quibus non illico ut mos meus est responderim. Misi autem literas ad Hamburgensem mercatorem Verportium, qui omnes meas hactenus quantum discere potui, optimè curavit, quare miror si istæ ad Nob. Vestram interciderint. Intellexi ex Nobilissimo Domino Siraumontio & Suediæ statum & Nobilitatis Vestræ in me impensam benevolentiam: de utroque gaudeo. Per hanc verò etiam obligatum me profiteor, & occasiones optem dari per quas tester mutuum affectum animi mei, & quamdiu aliter non potero, ostendam eum in percolenda omnibus modis amicitia ejus, quem Nob. Vestra mihi tantopere & quantum judico non supra meritum commendat. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nobilitatem Vestram servet in rebus prosperis patriæ bono. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Novembr. 1643.

Nobil. Vestra servire paratissimus H. G.

D. STALHANS.

Nobilissime Domine,

1622 GRatissimus mihi fuit Nobilis D. Siraumontii adventus, & per se & per literas, quas à Nob. Vestra attulit, in quibus quod videam memoriam nostri non obliteratam de ea plurimum gaudeo, quod verò meam in se benevolentiam Nobil. Vestra memorat, in eo certè ipsa, si animo benevolentiam metiamur, non fallitur; factis quò minùs illa pateret non animus occasioni, sed occasio animo defuit; quod præsenti non exhibui optimi affectus testimonium id perlubens exhibebo absenti, si norim qua in re nostra Nobil. Vestræ opera esse possit utilis. Id velim ea planè sibi persuadeat, & nos quando ita cœpit amare, pergat. Deus, Nobilissime Domine, Nobilitatem Vestram servet. Lutetiæ $\frac{4}{14}$ Novembr. 1643.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

GAlli pacem quamdiu poterunt morabuntur. Puto 1623
autem nostros rectè facturos, si ostendant omni modo penes se non stare, quò minùs maturetur optatum tot populis negotium. De Torstensonio & Koningsmarkio habemus hic læta omnia. Hasfeldius exemptis periculo iis qui ad Hoxteram erant it, ut se jungat Bavaricis contra Guebrianum. Itaque bellum in illis partibus resurgit, nisi novæ ac clandestinæ pactiones interveniant, quales hic tentasse dicitur qui à Darmstadiensi Landgravio huc venerat. Hic nihil novi habemus. Neque enim nova est quanquam gliscens indies Cardinalis Mazarini potentia, cùm sit facta ad præcedens exemplar. Facilè autem est insistere ductis lineis. Deus, Clarissime Domine, sospitet Claritud. Vestram. Lutetiæ 14 Novembr. 1643.

Clar. Vestra ad omnia obsequia paratissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

IN literis meis nihil æstimandum est præter animi optimè affecti fidele testimonium. Hic nihil novi nisi quod 1624
Guebrianus Marescallus transiit ad Rothwilam aut ultra. Fiunt autem duo ex Reformatam Religionem profitentibus Marescalli Franciæ, Vicecomes Turenæ & Gassio. De Torstensonii, Coningsmarcii, Vlfsparri rebus est quod Deo agamus gratias. Eundem precor ut Conventui Ordinum Suediæ, Reginæ, Regno, totique Orbi Christiano bene cedat. Lætum mihi erit audire si cum Danis controversiæ æquis legibus componantur. Qui plurimum in Gallia valent, ii bellum malunt quàm pacem, & apud Batavos quidam, non omnes. Malorum Britanniæ magnæ finem nondum videmus. Non mirum est Christianis adeo depravatis irasci Deum, cujus tutelæ, Clarissime Domine, Clar. Vestram commendo. Lutetiæ 21 Novembr. 1643.

Cl. Vestra studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

VElim quàm officiosissimè omnia quæ à me proficisci 1625
possunt obsequia Illustri D. Baroni Erico Oxenstiernæ offerri. Nam & Excellentissimo Parenti ejus summarum rerum sum debitor, & ipsius supra ætatem eruditio omnium favorem meretur. Deo gratias ago pro meliore Reginæ Dominæ nostræ valetudine, eumque precor ut Reginam diu nobis sospitem regentemque in bonis rebus servet. Oratio Magni D. Cancellarii ad Ordines Suediæ plena est sapientiæ. Pacem optare Christianorum est: ut ea bona habeatur, arma ostentare prudentium. Bene vir prudentissimus cum de pacis conciliatoribus ageret, subticuit Daniæ Regis nomen. Satis enim erat sub generalibus verbis eum intelligi. Illud verò summæ perspicaciæ, non sine causa eum Regem armis se circumdare, qui facilè fieri posset ut bellum se in ipsum vertat. Habet enim controversias ille plures quæ in bellum possent erumpere, ut cum Hamburgo & Bremâ. Præterea de vectigalibus in Freto & Albi, & de Comitatu Pinneburgensi. Ita uno sermone res duas magnas significavit D. Cancellarius, & Suedos sibi à Dano non metuere & esse cur Danus sibi ab Imperatore metuat. Hic omnia solito more decurrunt. Bellum in Sueviam transportatum est: quæruntur pecuniæ: sedantur motus. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 28 Novemb. 1643.

Clar. Vestra studiosissimus H. G.

EI-

EIDEM.

Clarissime Domine,

EX literis Cl. Vestræ datis 23 Novembris cognovi summas virtutes Reginæ nostræ Clementissimæ, pietatem, prudentiam, magnum animum patriæque amorem, quare meritas Deo gratias ago pro restituta Majestati ejus valetudine, eumque precor ut hoc ingens bonum diu nobis servet. Ordines regni magno teneri pacis desiderio pridem credidi, sed cum eo nobis hoste res est, à quo nisi armorum nostrorum metu nihil æqui obtinebimus. Quare sapiens est consilium ita pacem expetere, ut de belli paratu nihil remittatur, optandumque ut res nostræ prosperæ cladem quam trans Danubium Galli acceperunt, repensent. Namque ibi hostis machinas viginti extra Ditlingam positas cepit, cohortem quæ machinis præsidio erat interfecit. Ranzovium & Emiom qui intra Ditlingam erant coëgit se oppidumque dedere. Rosam, Tubadelium atque alios celeribus itineribus Brisacum se recepere. Mittitur ut dispersos recolligat Vicecomes Turenæ Ducis Bulionii frater, cum pecuniis & supplemento quater millium. In Hispania Monsionem obsident Hispani viginti millibus: nec Gallos impedire poterunt, quominus eam urbem capiant, forte & alias. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestram bonis omnibus cumulet. 5. Decembr. 1643.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

SIMONI GROENEWEGIO A MADEN, Iurisconsulto.

Vir Clarissime atque eruditissime,

VIdi novam Institutionum nostrarum editionem cum Annotatis Claritatis Vestræ, bene elaboratis & perutilibus: qua de re gaudeo lectorum causa. Mirari non debet Cl. Vestra si mihi non ea quæ ipsi fuere adminicula. Multum est potuisse me præstare quod præstiti illo loco & tempore. Quædam quæ controversi juris esse judico, velim definiri ab iis quorum ista est potestas, ut minor sit litium materia. Præstitere id magno populorum suorum bono in multis rebus Archiduces Albertus & Isabella. Posset eam rem promovere, si velit, Nob. Dominus Graswinkelius, cui ut & Clar. Vestræ omnia opto prosperrima. Lutetiæ 10 Decemb. 1643.

Clar. Vestræ Addictissimus H. G.

FREDERICO GRONOVIO.

Vir Præstantissime,

IN tetrico negotiorum senticeto recrearunt me literarum tuarum flores: tum quia constantem in te nostri amorem testantur: quid autem suavius quàm amari à tui similibus, id est, ab optimis atque eruditissimis: tum quia plenæ sunt literæ elegantiarum, quales ubique in scriptis tuis renident. Pro hoc munere gratias debeo: alias nunc quidem reddere non possum quàm bona vota atque omina, tum pro matrimonio tuo, tum pro vitæ genere quod elegisti. Bene tibi utrumque procedat, ut brevi conspicere possimus opera quæ polliceris, & quò magis obligeris, me abs te stipulatum puta. In Taciti loca conjecturas tuas planè adprobo. Ita in omni re felix sis, ut & in emendandis veterum scriptis. Lutetiæ 12 Decembris 1643.

Præst. Cl. tuæ studiosissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

Ergo Deo gratias agere, quò Reginæ nostræ valetudinem in melius perducat. Magnum profectò gaudium fuit publico Regni concilio conspicere in avito solio tantæ spei Reginam euntem per paterna vestigia. Rectorum autem tum in rebus omnibus tum maximè in Portugallico negotio prudentiam laudo. Magnum certè ad quietem publicam momentum erit si Rex ejus Regni in pace poterit comprehendi. Sed non minùs difficile prospectu est, quanta vi obstiturus sit Rex Hispaniæ ne id fiat. Quare egregio temperamento Proceres nostri usi sunt verbis, omnibus quidem, at non adstringentibus nimis. Feliciter evenit quod ista Danica tempestas sedata est. Si ad hoc accedant res aliquæ prosperæ ducibus nostris, erit cur speremus pacem non indecoram. Crescit quotidie fama ejus cladis quàm ad Ditlingam Galli accepere. Nam & ad Memmingam castra altera ab hoste capta & equitum in fuga plurimi interfecti dicuntur. Fortè hoc damnum non Galliæ populum, qui nihil magis quàm pacem optat, sed eos qui Galliam digito temperant faciet ad pacem propensiores. Velit Deus, Cl. Domine, cujus tutelæ Cl. Vestram unicè commendo. Lutetiæ 12 Decembr. 1643.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

NOn decepit Illustrem D. Baronem Ericum Oxenstiernam spes de meo obsequio, quod meritis & viri incomparabilis parentis ejus & ipsius debeo, concepta. 1630
Videbimus an tantum valitura sit Electoris Brandenburgici auctoritas, ut quidam Germaniæ Principes ac civitates per se velint ad loca colloquii mittere, non autem totum id negotium tractandum dare Illustribus, qui deinde Ordinibus ea significarem, quæ ex usu publico esse credent, sicut Francofurti placuerat. Melius fortè erit Lunæburgicos, Hassicos & Hildesheimenses bello magis cogi ad quærendam pacem in commune bonum, quàm specialibus pactis in tranquillo locari. Res prosperas adversùm Cracoviam læti hic & Suedi & Galli cognovimus. Optimis legibus fundari ac stabiliri regnum Suediæ gaudeo, & spero fore aliquando, ut eas Latinè videam. Poloni multos habent vicinos quos metuunt. Metuunt fortè & Suedos ob datam Cracoviæ opem. Sed eam culpam & Senatus & Ordines Poloniæ ut video, à se amovebunt. Tempestatem freti Cimbrici consedisse & humum Suedicam Reginæ suæ se commendare novo metallorum partu suave est intelligere. Pergat Deus Reginæ Regnoque res dare prosperas. In hac urbe ante dies octo pugnarunt singulari certamine Dux Guisius provocatus, & Coliniacus Castilionæi filius provocator cum adjutoribus singulis. Exarmatus est Coliniacus. Hostes ad Dutlingam & Memingam captivos è Gallis & Vinariensibus fecere ad quater mille. Rotwila verò in potestatem hostium rediit, ductoribusque omissis milites coacti sunt mutare sacramentum. Opto, Vir Clarissime, Clarit. Vestræ res prosperrimas. Lutetiæ 19 Decembris 1643.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

CLades ad Danubium continuis rumoribus augetur 1631
ab hostibus, minuitur à Gallis: in potestatem venere præter ingentem militum numerum Centuriones & alii provectioris militiæ CXX, machinæ XII, signa equestria & pedestria quinquaginta, equi & impedimenta ferme omnia. Dum verò & Rothwila est reddita, ferme duo millia mutarunt militiam. Præda quæ magna illuc congesta erat, hosti obtigit. Galli omnibus in locis novum militem & pecunias colligunt. Bene valere & Reginam & Proceres Suediæ & exercitus trans Albim in loca venisse opima, & D. Salvium Osnabruggæ pro Regni suaque

que dignitate exceptum, est quod gaudeamus, nec minùs quod Danica illa controversia cum nostrorum honore ac commodo composita est. Det Deus sæpe audiamus talia, idemque, Clarissime Domine, Clarit. Vestram diu sospitet. Lutetiæ 26 Decembr. 1643.

Claritatis tuæ studiosissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

1632 OSnabrugum fœliciter advenisse Excell. Vestram exceptamque pro Regni & sua dignitate plurimum gaudeo. Galli moras nectent: prima causa fuit quod antehac successibus elati eis instandum crederent, præsertim quod ii qui possunt plurimum salutem suam bello defendi simulque eo sua commoda augeri sentiant. Iam alterà subiit causa ei quam attuli contraria, sed paris effectus. Nolunt in tam celebri conventu conspici tam recenti memoria acceptæ cladis ad Danubium, ingens secum ferentis indicium incuriæ tum eorum qui Regno tum eorum qui bello præsunt. Accedit tertia quod cum Batavis negotia tractanda habent quæ in tam multicipite Republica brevi transigi non possunt. Sicut autem humanum ac sociale est exspectare eorum adventum etiam diu post præfinitam diem, ita arbitror non planè periturum tempus Excell. Vestræ, quæ interim discere poterit ex colloquiis aut aliorum relatu quid optant, quò tendant & Danici & Cæsariani. Plura scriberem nisi pro certo haberem quæ ad Illustrissimum Baronem Oxenstiernum scribo, eorum participem fieri Excell. Vestram. Ego ab utroque gaudebo ea edoceri per quæ his temporibus magnæ habentibus in se momenta utilem me præstare possim regno rebusque Suedicis. Deus, Illustrissime Domine, Excell. Vestram bono Suedico incolumem diu servet. Calendis ut hic putamus, Ianuarii Anni 1644, quem Excell. Vestræ fœlicem opto. Lutetiæ.

Ransovius dimissus huc venit promissis pistoriensibus octingentis. Mandata habet pacis faciendæ. An à solo Duce Lotharingo cujus captivus fuit, an & ab aliis dubitatur.

Excell. Vestræ servire paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1633 MAgna sanè clades Gallos afflixit. Capti enim ad Danubium sunt quater mille. Rotwila dedita, ferme bis mille militiam mutarunt. Est quidem egregium nomen & virtus Marescalli Vicecomitis Turenæ, sed tantum damnum ut reparetur, magnis opus est pecuniis, quæ non facilè hic reperiuntur exhausto per Cardinalem Riceliacum ad suos ditandos ærario, & postea multa per loca ortis motibus contra tributa quæ etiamnum durant. Imperator nuntium de sua victoria misit Constantinopolim, ut prohibeat si possit quod Ragostkius ibi moliri possit. Scoti in Angliam promovent. Hameltonium & alios qui regi faverant hostes patriæ judicarunt. Legatio autem Batavica in Angliam exspectat ni fallor, quid in Anglia Harcurtius, in Gallia D. Gorinus promoturi sint. Scribebam hæc Lutetiæ die secundo anni 1644 quem, Clarissime Domine, Claritati vestræ opto fœlicissimum.

Non carent ratione ea quæ scribit D. Chemnitius. Habeo pro iis gratias quippe,

Claritati Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHANIO.

Nobilis Domine,

1634 ACcepi literas Nobilitatis Vestræ datas Osnabrugæ 23 Novembris: quam cum fratribus Nobil. Vestræ

Digitized by Google

bras seditiones. Deus, Illustrissime Domine, labores Excellentiæ Vestræ bono Suediæ & pacis prosperet. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Ianuarii 1644.

Excellentia Vestra inservire paratissimus obligatissimusque H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

7 RES nostrorum adeo prosperas in Holsatia & vicinis regionibus lætus intelligo, arbitrorque bonum factum fore si causæ horum consiliorum edantur in publicum. Rex Daniæ ita cum Gallis, ita cum Batavis egit, ut vix reperturus sit qui adversa ejus miserentur, sed nostræ res secundæ facilè invidiam reperient. Credo Rectores nostros cùm se trium vicinorum Regnorum insidiis peti vident, explicaturos se à bello Germanico. Laudo quod humanè à nobis habenter civitates Lubeca, Brema, Hamburgum. Fugient illæ civitates ad tutelam Suedorum, si Suedis contingat stabiles ibi sedes ponere. Dux Holsatiæ prudenter fecerit, si comibus obsequiis à se amoliatur hanc procellam. Moscovitam aliquid magni contra nos machinari, satis certò cognoveram. Ad hoc cùm accedat legatio à Polonia, planè facit credibile id quod de clandestina in nos conjuratione dicitur. Hic duo milliones parantur ad restituendum exercitum, qui tam grave damnum accepit. Filiorum meorum minimus captus est apud Bavaricos. Pro bonis votis gratias habeo libensque reddo tantundem. Lutetiæ 16. Ianuari 1644.

Claritudinis Vestræ studiosissimus H. G.

D. KETNERO.

Illustris Domine,

DVo sunt quæ in filii mei infortunio me impulerunt ut ad Illustritatem vestram confugerem, notitia olim Lutetiæ contracta, & quod ipsam mei cum benevolentia quadam fuisse memorem ex D. Marescallo Hornio intellexi, quod autem precor & in quod notam mihi humanitatem imploro hoc est, ut Filio meo Diderico Grotio Crayenburgico, nunc belli sorte apud vos captivo quàm primùm ad nos venire liceat, ut quæ ei vita in posterum capescenda sit una deliberemus. Eam ad rem si Illustritati Vestræ placeat nobis esse auxilio, & Patrem illa sibi & filium summi beneficii sensu perpetuum devinxerit: quod si qua in re ipsi vicissim possim gratum facere, id verò mihi sit gratissimum. Deus, Illustris Domine, Illustritati Vestræ semper favens adsit. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Ianuarii 1644.

Illustritati Vestræ servire paratissimus H. G.

DVCI BAVARIÆ.

Serenissime Princeps,

NVllis meis fisus meritis sed summæ bonitati Electoralis Vestræ Celsitudinis preces ei adfero pro filio meo Diderico Grotio Crayenburgico, ut is ex captivitate, in quam per belli fortunam incidit, restitui nobis quàm primùm possit. Notæ mihi virtutes eximiæ Bavaricæ Domus non ex historiis tantùm communibus, sed & ex Hollandiæ archivis, qua veneratione eam prosequerer etiam operibus quibusdam meis ostendi. Legationem quam hic gero non alio suscepi animo, quàm pacem promovendi, quò & sermones & consilia mea semper direxi magnisque me ob id objeci odiis, non desinam ab eo proposito donec res sit confecta. Quod si aliqua in re servire possim Celsitudini vestræ Electorali, faciam id animo promptissimo, Deumque precabor, Serenissime Princeps, ut Electoralem vestram Celsitudinem bono Domus suæ Orbisque Christiani servet ac prosperet. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Ianuarii anni 1644.

Electorali Vestræ Celsitudini mancipatissimus H. G.

DIDERICO GROTIO.

FVimus ego, mater tua, ac soror, mi fili, in summa animi perplexitate quamdiu ignoravimus quæ in 1640
communi calamitate tua sors fuisset. Nunc levati ista anxietate nobis sunt animi, postquam literas tuas $\frac{10}{20}$ Decembris Tubingâ datas accepimus. Nihil omittemus eorum, quæ fieri possunt, ut quàm primùm reddaris libertati. Arma Suedica à Germania in Daniam, Iutiam, Holsatiam versa sunt, ideo quod Rex Daniæ cum Moscovita conjurasset bellum vere primo inferre Suediæ. Suedi autem prævenire quàm præveniri maluerunt. Si libertatem adipiscaris sentio ad nos venias, ut de rebus tuis quod optimum erit capiamus consilium. Historiam de clade quam miseras edi hic jussi, ut exemplaria haberem quæ ad Rectores & Legatos Regni Suedici & ad amicos mitterem. Deus te servet, & incommodis istis te eximat. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Ianuarii 1644.

Tibi optima volens Pater H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

DOleo literas è Suedia interceptas & iter hinc Hamburgum subjacere novis periculis. Sed hæc incom- 1641
moda magnis commodis superantur, ita latè se spargente milite nostro per Holsatiam Iutiamque, qua de re & de causis ejus certiora noscere percupio, ut habeam quod percunctantibus respondeam: Multus enim ea de re hic sermo gratulantium aut invidentium. De Ragoskio nihil magni exspecto. In Anglia pars utraque suis fidit viribus: ea quò tendunt plurimum inter se distant. Nolent Parlamentarii de pace agere, nisi Rex Angliæ priùs illum Conventum agnoscat pro vero & legitimo Parlamento: quod Rex facere non potest sine magno juris sui & Episcoporum detrimento. Hiberni non pauci ad Regem venere. Scoti tardè procedunt. Osnabrugæ Rex Daniæ posthac aptus non erit ad conciliationem procurandam. Ipse potiùs conciliatore egebit. Poterunt pacis pararii esse Veneti. Puto fore ut duret is qui ibi est ad pacem reperiendam Conventus. Quod si necesse sit eum dissolvi, velim id per quosvis potiùs quàm per Suedos fiat. Regum negotia non viribus tantùm, sed & fama constant. Hic & pecuniæ quæruntur & novi milites: quorum hoc facile esset, nisi in illo altero maxima esset difficultas. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestræ det prosperrima omnia. Lutetiæ 23 Ianuarii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

DEus Imperiorum arbiter inter Regnum Daniæ & 1642
Suediæ judicabit, optoque quàm maximè ut nostrorum causæ æquitas omnibus approbetur. Magni sunt quos intelligimus successus, sed & contra nos non modica parantur. Principia per Holsatiam Iutiamque satis bene se habent. De Scania nihil hic certi habemus: at Zittovium audimus obsessoribus creditum: nec dubium est, quin Imperator, armis nostris ad Oceanum & Sinum Codanum versis, aliqua nobis oppida & castella sit adempturus. Sed hæc lenta erunt, & ut arbitror celerioribus & ad securitatem Suedicam magis pertinentibus victoriis non repensabuntur tantùm sed & superabuntur. Galli ut olim Gustavo regnante modicos nostrorum processus facilè ferent non item si increscant. Batavi soliti suas res agere, spectatores erunt, donec videant per utram partem suas res possint reddere meliores. Deus Suedico Regno det res prosperas ad bonum Christiani Orbis, idemque, Clarissime Domine, Cl. Vestræ det res prosperas. Lutetiæ $\frac{6}{16}$ Ianuarii 1644.

Clarit. Vestræ studiosissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

1643 SI Deus armis nostris in fine Danico bonos dat progressus, brevi hic nobis invidebitur, sed id facilè tolerandum est. Davausius jussus est ad Meulium qui Hamburgi est scribere, ut is regem Daniæ tentet an Gallorum opera ad pacem uti velit, ut si id ei placeat, mittatur isthuc legatio nobis non magis credo utilis futura quàm illa, per quam Prussia nobis decessit. Gaudebo sæpe edoceri ea quæ bello & quæ in pacis negotio geruntur, ut habeam quo sermones meos dirigam ex usu gloriaque Suedici Regni. Nuper cùm rationes mitterem, & eas quas cum D. Spiringio ante hac pares feci, & novas ab eo tempore ad hoc tempus, has per nimiam festinationem signare omisi, si placeat eas ad me remittere ego deinde mittam signatas, Deumque precabor, Illustrissime Domine, ut Excellentiæ Vestræ res det prosperrimas. Lutetiæ 3/13 Ianuarii 1644.

Excellentia Vestra servire semper paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1644 QVi à Lotharingo capti fuere, eorum rediere multi. Dux Bavarus tenax est. Cùm postremùm ad me scriberet filius meus adhuc Tubingæ detinebatur. Clar. autem Vestræ gratias ago maximas quod malorum nostrorum sensu tangatur. Bellum hoc in Holsatia, Iutia, quod nunc etiam ulterius progressum arbitror, ac præterea multæ inter Albim & Rhenum hostiles copiæ incerta facient literis itinera, quas tamen haberi crebras hoc magis quàm ullo antehac tempore est necessarium. Quare spero fore, ut per Oceanum aliquæ è Suedia, & aliæ ab Hamburgo veniant. Multum enim refert, ut norimus quæ gerantur, & quomodo & quare. Navium à Danis captarum damnum facilè aliunde resarcietur. Quæ scribit Clar. Vestra de multorum adversùs Suedos Principum conspiratione, non incredibile est, quando totum illud de Westfalica defensione consilium artificiis Viennensibus intertectum fuit. Batavi non facilè implicabunt se huic negotio, nisi magnas viderint utilitates. At Anglos Parlamentarios & Scotos credo seriò gaudere, quod infringantur vires Daniæ Regis, qui magna auxilia Regi Angliæ promiserat. Hic & pecuniaria & quæ inde pendent bellica negotia tardè procedunt: & multum erit si hoc anno abire res sine gravi jactura poterunt. Marescallus Vicecomes Turenæ aliquid argenti suis distribuit. Motta Odincurtius supplementa exspectat adversùs ingentem Hispani exercitum. Dux Aurelianensis famam spargit se cum triginta hominum millibus iturum in Belgicum finem. Ego qui semper pacis studiosissimus fui, nunc etiam Deum precor, ut eam quamquam fugientem retrahat, & ut Cl. Vestræ, Clarissime Domine, pro pari voto det res bonas ac placidas. Lutetiæ 6 Febr. 1644.

Claritatis Vestra studiosissimus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

1645 PErcepi & pridem & ex iis quæ nuper ad me è Batavis scripta sunt inter Reges Galliæ Hispaniæ & Angliæ convenisse, ut aliter inter se aliter cum cæteris Regibus agerent. Itaque aliorum Regum Legatis Legati ipsorum Excellentiæ titulum modò darent, modò non darent suo arbitratu. Quare cùm per Illustrissimum D. Baronem Oxenstiernam acceperim inter chartas alias exemplum literarum D. Davausii ad Excellentiam Vestram, miratus sum dare quidem in mediis litteris Excellentiæ nomen, at non in initio atque fine, ubi id fieri maximè oportebat. Id utrum casu factum sit an verò consultò ob eam quam dixi causam, pro sua prudentia Excellentia Vestra judicabit, & de cætero Legatorum Gallicorum in hoc rerum genere dicta factaque considerabit. Quæ hic geruntur non magna sunt in pecuniæ summa inopia. Eorum quæ ad Illustrissimum Baronem Oxenstiernam scribo, non dubito quin particeps fiat Excellentia Vestra. Scribo autem diebus septimis. Deus, Excellentissime Domine, Excellentiam Vestram servet. Lutetiæ 13 Februarii 1644.

Excellentia Vestra servire paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

NVnquam antehac flagrantiùs desideravi certos habere nuntios de iis, quæ nostri gerunt, nam & res 1645
per se magnæ sunt, & magna omnium gentium exspectatio. Multi nobis in vicinia inimici, invidi multi & prope & procul, quò magis orandus est Deus, ut consilia quæ necessitas extorsit prosperis donet successibus. Glacies credo aditus in Insulas fecerit. Rectè faciunt minutiores Principum, quod se suo metiuntur pede. Galli metuunt, nec sine causa, ne si Dania diu Suedicos exercitus detineat, Cæsariani interim in Galliam incumbant, & cum his tum aliis de causis pacem in isto limite restitui volunt. Parantur hic exercitus furtim in Italia, in Catalania, in Alsatia & in Campania. Inter Romam & Italos fœderatos pax fore putatur. Dux Parmæ ea de causa Venetiis est. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestræ, det prospera omnia. Lutetiæ 13 Februarii 1644.

Cl. Vestra studiosissimus H. G.

LANDGRAVIO FREDERICO.

Excellentissime & Illustrissime Princeps,

IS est splendor eaque merita erga rem communem Re- 1645
gnumque Suediæ Domus Hassicæ Cassellensis ac speciatim Celsitudinis vestræ, ut quilibet eidem Regno Suediæ ejusque sociis bene volens pro magnifico habere debeat Celsitudinis Domusque vestræ honori ac commodis inservire. Ego qui non quantum volo tantum possum, quantum meæ erat facultatis ad postulata D. Siraumondi ostendi paratissimum me omnia ea facere atque juvare quæ ad gloriam atque utilitatem Celsitudinis Vestræ pertinent, idque facere porrò pergam summa cum fide ac diligentia, ut qui rebus ipsis apparere cupiam, Excellentissime & Illustrissime Princeps,

Celsitudini Vestra servire paratissimus obligatissimusque H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

MAgna sanè sunt quæ tum aliunde, tum ex literis 1645
Clar. Vestræ datis octavo mensis hujus cognovimus: & videtur expeditio Illustrissimi D. Hornii majora polliceri. Gaudeo etiam Illustrissimum D. Iohannem Krausium dignum suis virtutibus locum obtinere. Multum ei debeo pro summa semper ejus in me benevolentia. Nunquam ardentiùs expetivi è Suedia literas, ut normam habeam ad quam sermones meos de his rebus quadrem: quare lætor esse literarum itinera restituta. Ludovici Gerii negotia puto bene processura, siquidem pecuniæ satis afferat. Quid novi paritura sit glacies, Imperator, Ragoskius exspectabimus. Galli velint controversiam nostram cum Dano componi operamque in id offerunt, mirum ut arma Suedica in interiora Germaniæ revertantur. Hic de quatuor magnis exercitibus parandis rumores audiuntur: rei parum apparet. Operimur nuntios de pace per Italiam, & de Papæ morte. Hispanus jam nunc ad

ad futuram electionem largitionibus uti incipit. Deus, Clarissime Domine, Regno Suedico ac Cl. Vestræ fautor sit. Lutetiæ 20 Februarii 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

E I D E M.

Clarissime Domine,

649 VT edatur aliquid per quod ii qui, nobis aut amici sunt aut non planè inimici, edoceantur quæ sint causæ quæ Suedos ad hæc consilia adversùm Danos compulerint, planè arbitror necessarium, eaque de re & in Suediam & ad Illustrissimos Dom. Legatos scripsi. Processus nostri sunt non pœnitendi, multa tamen à cœlo & ab externa vi evenire possunt, quæ spes nimium præcipites sufflaminent. Nam sicut firmum gelu multum nostros in Insulas promovere potuit, ita media tempestas & nostrorum conatibus intercedere & Regi Daniæ moram poterit concedere ipsi ad auxilia concienda perutilem; sed hæc Deus ex æquo dijudicabit. Ludovico Gerio viro magnæ dexteritatis puto quæ in Hollandia agenda habet bene processura, & ego ei per literas ad amicos viam stravi: Galliæ Rectores hic ad plebem spargunt se pacem velle & habituros intra menses sex: quæ agunt alibi id credi vetant. Valde fallor nisi aliquid illis triste imminet. Venetorum operam conciliatoriam puto nobis non debere esse suspectam. Versus de Rege Daniæ magis veri sunt quàm elegantes. Vidi & scriptum Germanicum pro Danis cui facilè sit respondere. Nam quod præcipuum est de fœdere cum Moscovita negare non audet. Rex Hispaniæ in Catalania magnum habet exercitum. Sperant Galli se cum Duce Lotharingo aliquid ex usu suo agere posse. Sunt hic dissidia quædam in Aula & extra Aulam, sed brevi, ut puto, desitura. Deus, Clarissime Domine, metus hos omnes sedet bono & Suediæ & Orbis Christiani. Lutetiæ 27 Febr. 1644.

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

E I D E M.

Clarissime Domine,

50 SPero fore ut ratio reperiatur tutò literas mittendi: nam ego publicè sine mandatis de tanto negotio, quantum est quod nunc inter Suediam Daniamque geritur, loqui non audeam. Processus nostri hactenus bene se habent. Deus favebit armis coactis. Boni ominis est tanta Rectorum populique in hanc rem contentio & alacritas. Video causas esse cur hoc tempore irritandi publicis scriptis non sint aut Moscovita aut Polonus. Bellum vitare cupientibus interdum opus est decipi. Rex Daniæ rem orsus est parum humanam, cùm & Residentibus includendis prior exemplum dedit. Etiamsi componitur hæc controversia, quod Galli & Batavi velint, quantum ex verbis & destinata Legatorum missione apparet, manebunt nobis aliqua pacis pignora & exercitus multo habilior in hostem redibit. Sunt qui dicant Imperatorem nolle opem ferre Daniæ Regi, nisi is ante Imperatori se in perpetuam belli societatem illiget. Ragotskii motus etiam hic in magna sunt fama. Normanniæ motus residunt. Aula hic quieta est, nisi quod Cardinalis Mazarinus ostendit se sibi metuere, ideoque omnia, quæ potest præsidia, sibi comparat. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram sospitet. Lutetiæ 5 Marti 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

E I D E M.

Clarissime Domine,

1 RES ut video nostræ neque tam celeres processus habent quàm nonnulli existimaverant, neque tantos oppositos quanti sine causa ab aliis timebantur, itaque planè exitum spero fore æquitati consentaneum, Suediæ gloriosum, utilem Orbi Christiano. Causas consilii à nostris Rectoribus capti, spero nos brevi habituros bene explicatas; nam brevis illa conjectio quàm Latinè & Germanicè vidi obscurior est quàm ut ab historiæ ignaris intelligi possit. Non efficiet quidem aperta & dilucida causarum vulgatio, ne qui, etiam eorum qui amicos se vocant, successibus nostris invideant. Sed in hoc proderit ut quibus fortitudinis laudem nemo potest detrahere, iis etiam justitiæ tribuant testimonium hi qui sine affectu res dijudicabunt. Humanè habitam Dom. Christinam lubens intelligo. Scoti & Anglorum qui cùm eis sentiunt favent nobis, ideo quòd non dubitant quin Rex Angliæ à Daniæ Rege accepturus fuerit auxilia, nisi huic nos negotium dedissemus. Magni refert ut literas ex Suedia in Hollandiam & contra mittendi viæ reperiantur quàm tutissimæ. Moscovita mihi videtur ignorare non potuisse conditionem ejus, quicum per legatos quos in Dania habuit, contraxit. Et de novæ nuptæ etiam natalibus sunt qui disputent. Hic pecuniæ colliguntur & milites: sed lentè satis pro rerum necessitate. In Aula dissidia sunt, & ut fieri solet, inter Theologos. Dux Vindocinensis capi metuens in Italiam elapsus est. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 12 Martii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

I O A N N I S A L V I O.

Illustrissime Domine,

MVltas simul debeo gratias Excel. Vestræ, pro amicissima epistola, scripta 22 Februarii, pro rationibus meis transmissis & pro iis quæ ipsius jussu mihi septimo quoque die nuntiantur. Spero Illustrissimum Baronem Oxenstiernam brevi Osnabrugæ fore. Tunc ad Eccell. Vestras communiter scribam. De controversia Danica nihil in publico locutus sum, quia res majoris momenti est, quàm quæ sine mandatis specialibus tractari debeat. Hic magna flant de quatuor magnis exercitibus, in Italia, in Catalania, in Alsatia, in Picardia, sed initia adhuc tenuia sunt & lenta. Videntur hi sperare tutos se ab hostibus fore, quod eorum partem in se tracturus sit Ragotskius, partem Danus ad se advocaturus. Gaudeo legatos Gallicos Excellentiæ Vestræ scripsisse ut oportet. Magnos processus nobis nec Galli optant, nec Batavi. Osnabrugam venturos arbitror è Germania Electorum Legatos, non & aliorum Principum aut etiam Civitatum. Deus, Illustrissime Domine, Excell. Vestram bono publico servet. Lutetiæ 19 Martii 1644. 1652

D. Marinus flebiliter queritur se ab annis quatuor pecunias non accepisse: est autem exul, ac proindè impar longis impendiis.

Excell. Vestræ serviturus semper H. G.

D. A P P E L B O O M.

Clarissime Domine,

RES adhuc nostræ adversùs Cimbros & Danos procedunt, non quidem ea celeritate, quam multorum spes præsumserat, sed satis bene. Rationes horum motuum, non umbratiles, sed solidas, innotescere Orbi Christiano è re erit Suediæ. Potentiæ enim non modica pars in existimatione est. Si verum est quod hic dicitur Poloniam à Turca invadi, Moscoviam à Tartaris, dolenda quidem sunt ista Christianis, sed ita ut sæpe simul in talibus eventibus pateat justa Dei ultio. Et Ragotskius magnam hostilium virium partem in se trahet, præsertim adjungentibus ei se Protestantibus Austriæ & Hungariæ: quod futurum putatur, nisi aliqua consiliorum mutatio eveniat in Aula Constantinopolitana, ubi dicitur magnus Vizirius, qui conatibus Ragotskii & omnium 1653

Domui Austriacæ adversantium favebat, Sultanæ vi oppressus. Desidero perfectè ediscere quæ & quot naves fuerint quas in Cimbrica ora nostri cepere; quousque copiæ nostræ in Scania vicinisque locis processerint. Spero nostros & cum fœderatis Belgis & cum Anziaticis ita acturos, ut utrique intelligant & securitatem suam & commoda non alibi meliùs quàm in Suedica amicitia posse constitui. Bremensis Archiepiscopus suopte jumento magnum sibi accersit malum. Hic & simultates in Aula sunt & rixæ cædesque passim, Regina pæne nullas, Cardinali suas res agente. Delectus difficulter fiunt, quia Helvetii vetant suos militatum ire contra Domum Austriacam: tum verò Veneti & alii Principes Italiæ quantum possunt ad se trahunt. Dux Aurelianensis ad Aquas it Borbonias: inde venturus ut præsit in Picardia exercitui, quatuor in consilio suo habiturus Franciæ Marescallos. Campaniæ præfecturam sperat Dux Anguianus, parato eam pretio accepto à se abdicare Marescallo Hospitalio, ob causam sonticam. Sorbonicus Doctor Amaldius ter à Regina jussus ire Romam morbi excusatione usus est. Episcopi Galliæ, quia ardentibus desideriis optant Synodum nationalem, jussi sunt omnes ad suas plebes discedere. Deus omnia hæc turbida serenet, Clarissime Domine, ac Clarit. Vestram diu sospitet. Lutetiæ 19 Martii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1654 QVantum ex literis Cl. Vestræ datis 14 Martii & aliorum intelligo res nostræ adversùs Daniæ Regem, non quanta fortè speratum fuit celeritate, bene tamen procedunt. Nam de Marescalli Torstensonii morte credo ab hostibus factos rumores. Nos & de ipsius & de D. Marescalli actibus felices nuntios avidè exspectabimus. Tum verò hac de causa, tum etiam de aliis multis vehementer opto, ut certa aliqua ratio literas è Suedia & in Suediam curandi reperiatur. Gallia optat res ibi videre compositas, ut Dominus Torstensonius procedente vere ad partes Bohemiæ aut Austriæ veniat. Hollandi verò consilia sua suspendent, donec viderint an per nos conditionem commerciorum suorum possint habere meliorem. De votis consiliisque Principum Christianorum in hoc pacis negotio, vidi scriptum Latinum factum nescio à quo, sed ut apparet rerum perito. Id habet Dominus Epsteinius, à quo petere poterunt qui id desiderant. Ego libenter amicorum desideriis me in hac re non minùs quàm in aliis aptarem. Sed nolim actum agere. Videbimus an Germani Principes extra Electores missuri sint Monasterium aut Osnabrugam. Audio edi Holmiæ Ioh. Loccenii antiquitates Sueogothicas. Eum librum si nanciscendi sit copia pervelim videre, ut videam ecquid in eo sit meo instituto utile. Audio etiam in eodem argumento se exercere D. Freinshemium, virum historiæ veteris peritum. Militem à Bauditzio scribi arbitror privatim, non publica Regni Polonici auctoritate. Nisi multum fallor, Senatus & Ordines Poloni quietem bello præferent. De Moscoviæ statu & vita aut morte cùm Comitis Voldemari, tum pactæ ipsius, certi aliquid cognoscere aveo. Existimo & ego Daniæ Proceres non illigaturos se bellicæ societati Imperatoris. Sed neque Rex facilè id facere poterit, cùm multa teneat invito Imperatore. Anziaticarum Civitatum in hoc negotio cogitationes cum Batavicis bene congruent. Copiæ quædam Imperatoris in Misniam eunt. Quod si auxilia Dano mittet Imperator, quod forte facturus est, etiam sine ea quam expetiit societate, tantùm ut Suedorum vim imminuat, & sine magno exercitu Ragotskio obsistere non poterit, non erit hoc anno cur ab Imperatore aut multum speret Saxo, aut multum metuat Gallus. Literæ Cl. Vestræ omnes & Latinè scriptæ sunt & prudenter, quare eas lego cum gaudio & gratulor Suediæ. Quare non debet Cl. Vestræ excusatione uti, sed ita existimare nulla in re rem facere posse mihi gratiorem, quàm si sæpe ad me scribat. Dux Vindocinensis Genevæ est: habet hic amicos, sed qui hoc tempore nihil possunt. Cardinalis Mazarinus adhuc solus potest omnia. Delectus lentè procedunt. Helvetii non patiuntur apud se militem contra Domum Austriacam scribi. De Vberlinga spes pertenues. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestræ det omnia felicia. Lutetiæ 26 Martii 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

D.' GVLDENSTERNIO.

Vir Illustris,

LIteras Ill. Vestræ & eloquenter & prudenter scriptas 16
accepi, pariterque doleo, cùm jam prope esse pax speraretur novos motus exsurgere, nam & Ragotskius cum magno exercitu in Hungariam irrupit. De Danica controversia, quæ nunc per omnem terrarum Orbem magnam dat sermonibus materiam, ideo ex Suedia nihil accepi, quia & bis à Danis intercepti sunt literarum ex Suedia fasciculi, neque ex eo aut terra aut mari certa via mittendi literas constitui potuit. Aliunde tamen accepi undecim causas, quas Illustr. Vestræ mitto. Inter has præcipuè mihi videntur læsa fœdera in facto Orisundæ, & arcanæ conspirationes cum Polono & Moscovita. Certè quin Regina Suediæ satis occupata bello Germanico hæc insuper arma non nisi summa necessitate compulsa susceperit, dubitari non debet. Legati Galli incipiunt se movere ad paci cudendæ destinatum locum, quò si venerint, etiam Illustrissimus D. Baro Ioannes Oxenstierna se transferet Osnabrugum. Illustritati Vestræ pro benignissimo in me affectu gratias ago, ac spondeo vicissim quæcumque à me proficisci poterunt. Lutetiæ 29 Martii 1644.

Illustritati Vestræ addictissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNIO, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

LIteras Excellentiæ Vestræ datas 24 Martii rectè acce- 165
pi: pro eis gratias ago Deumque rogo, ut Excellentiæ Vestræ adventus Osnabrugum ipsi reique Suedicæ & universæ rei Christianæ felix sit faustusque. Quàm necessariæ causæ Rectoribus nostris ea expresserint consilia quæ nunc adversùs Danum tam fœliciter procedunt, satis intelligo: puto tamen è re fore ut quæ de rei causis vulgari possunt ea vulgentur quamprimùm ad tuendam æquitatis æstimationem. Ego interim in publico nondum sum hac de re locutus, tum quia neque literas Reginæ nostræ ad Reginam Regentem neque mandata accepi, tum quia nescio an quod fortè plurimum sit valiturum, de Dani & Moscovitæ adversùm nos conjuratione id ex usu sit publicari, quamdiu adhuc nobis cum Moscovita species manet pacis. Nam bellum vitare cupientibus interdum opus est decipi. Exspectabimus porrò quos successus Deus daturus sit D. Marescallo Hornio in Scania, D. Marescallo Torstensonio in Fionia, & vicinis locis, Duglassio Coningsmarckio & Axelio Liliæ in Misnia, in Silesia, Ragotskio in Hungaria. Batavi videntur occasione certaminis inter nostros & Danos reponere se velle in eum statum, quod ad Freti Oresundani usum attinet, in quo fuere ante annos centum, & arbitros Regum se facere in rem suam. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ semper faveat. Lutetiæ 9 Aprilis, novi Cal. 1644.

Excellentiæ Vestræ servire paratissimus obligatissimusque H. G.

D. AP-

D. APPELBOOM.

Vir Clarissime,

657 QVo loco sint res nostræ in diversis mundi partibus, tum ex literis Clar. Vestræ datis 28 Martii, tum aliis paria significantibus cognovi. Magnæ utique res in partu sunt. Sed præcipuè intentos omnium animos habet exspectatio de Fionia Zelandiaque. Batavi sperant frui se posse Suedorum Danorumque discordiis. Gallia incrementa Suedica prospicit non æquis oculis. Vicecomes Turenæ in Comitatu est Burgundico. Dux Aurelianensis in Picardia habiturum se intra hunc mensem aut ineunte Majo sperat viginti quatuor peditum, septem equitum millia. Dux Anguianus in Campania erit cum justo & ipse exercitu: minores exercitus huc illuc trahent ut res feret, alterum Villaregius, alterum Gassio. Classis etiam mittitur in mare ad Catalaniam. Princeps Thomas aliquid sperat efficere se posse in agro Mediolanensi, ubi multa loca ob pecuniæ defectum minùs sunt munita ac custodita. Inter Romam & contra fœderatos recrudescit bellum. Vberlinga spe se sustentat. Regis Angliæ res retro labi videntur. Deus, Clarissime Domine, Claritudini Vestræ res det prosperas. Lutetiæ 10 Aprilis 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

658 RVmores admodum varii super Elsinburgo munito à nostris aut derelicto incertos nos tenent. Rigotskii magni ut videturprogressus non patientur, ut magna Regi Daniæ auxilia mittat Imperator. Cæterùm quod Claritas Vestra de Batavis judicat, id verum puto. Et cum eis Galli facilè id consentient, ut omni modo intercedant nostris incrementis. Iidem Galli parant ubique se ad bellum externum. Nec desunt interim qui & internum metuunt, post Vindocinensem egresso è Gallia ad Helvetios fines Duce Bulionio, quia Sedani Principatu absistere non vult, suspectis etiam Duce Espernonio ob iter in Biscaiam susceptum antehac & Duce Lafortio multisque eorum qui Reformatos se appellant. Fruantur sanè Dani falsis quos fabricant rumusculis dum nos rebus pascamur. Multum autem opto ut posthac tutiora sint itinera literis, quia aut eorum quæ aguntur ignorantia aut defectus mandatorum super iis quæ agenda sunt nos aut hæsitatores aut cessatores efficit. Veidenhemii scriptum editum non vidi, quod autem vidi perscriptum, haud scio an idem sit. Loccenii, Liliæ, Suenonis, Basii, Massenii libros, & quicquid ullo modo ad decus Suedicæ Gothicæque gentis pertinet, videre multum desidero. Quid Moscovia parturiat videbimus. Si quid mali in nos molientur, Tartari nos vindicabunt. Poloniam quieturam puto tum reverentia fœderum, tum rerum privatarum cura. Quamquam verò res & nostræ & amicorum bene procedunt & ubique Europa flagrat bellorum incendio, pergo tamen sperare contra spem, & ad Deum pro Christianorum inter se pace vota fundere. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram servet incolumem. Lutetiæ 14 Aprilis 1644.

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

DVCI BAVARIÆ.

Serenissime Dux,

659 VEnit ad nos filius noster, quo vivo non deerit qui ubique testetur bonitatem magnumque animum Celsitudinis Vestræ Electoralis. In me verò quantum hoc sit beneficium is demum intelligere poterit, cui parentum in liberos adfectus non sunt incogniti. Cùm verò fortuna Celsitudinis Electoralis Vestræ in eo posita sit culmine, ut nec à me, nec ab iis qui multò me majores sunt quicquam conferri possit quod ei sit suave, video impositam mihi necessitatem, non quidem, ut ingratus sim (id enim in animo positum non pendet extrinsecus) sed ne gratus appaream, nisi & hic mihi eadem illa succurrat bonitas, patiatur ea quæ publico rei Christianæ prosunt, sibi imputari. Inter quæ cùm nihil præclarius sit pace, studium ejus promovendæ eò complectar ardentiùs, quod cognoscam placere id Electorali Vestræ Celsitudini, quæ in dando tanto populis bono plurimum laborat. Deus, cujus in manu sunt corda Regum summorumque Principum, flectat ea ad curas mitiores. Idemque, Serenissime Princeps, Celsitudinem Vestram Electoralem, Cæsaream conjugem, Principes liberos, totamque Domum perpetuò sospitet. Lutetiæ 19 Aprilis 1644.

Celsitudinis Electorali Vestræ mancipatissimus H. G.

D. KETNERO.

Illustris Domine,

BEnevolentiam Ill. Dominationis Vestræ nullo meo merito provocatam, olim quidem verbis amicissimis, nunc verò & amicissimis literis & amicissimis rebus cognovi. Quid enim parenti dulcius quàm ex bellica calamitate filium quamprimùm recipere. Itaque præstitit Illustris Dom. Vestræ fortuna materiam beneficii, qua vix ulla major esse poterat. Ipsius verò ea fuit generositas, ut oblatam avidè arriperet. Quapropter ago gratias quantas magis mens humana concipere, quàm lingua eloqui valet. Eritque hic animus semper ejus muneris debitor. Quod si quando aliqua alicunde enascatur occasio, per quam quod nunc animo includitur, rebus emittere possit, tunc me tam felicem putem, quàm infelix fui cùm filius caperetur. Hoc dum exspecto id agamus ambo quantum vires nostræ assequi possunt, ut & captivitates ejusmodi & mille alia bellorum mala è Christiano Orbe quovis alio migrent. Quod ut obtineatur, neque laboribus apud homines, neque precibus apud Deum parcam. Aderunt nobis ad hanc rem suis quoque gratissimis Deo precibus viri religiosissimi & doctissimi, omnique reverentia digni, D. Vervaux & D. Balde, quibus satis intelligo quantum debeam utrique, quod ad libertatem filii mei opitulatores fuere. D. Balde præterea pro odis suavissimis & Silvarum amœnis, quibus unicè delector. Hæc in antecessum dicta sint. Nam ipsis oportuno tempore gratias agam, aut si potero referam. Deus, Illustris Domine, & Illustrem Dominationem Vestram & omnes ei caros incolumes florentesque præstet. Lutetiæ 19 Aprilis 1644. 1660

Ill. Dom. Vestræ devotissimus servus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

QVanquam mandata super negotio Danico nulla accepi, quod intervenisse arbitror per incerta literarum commercia, cùm tamen mos sit Regum bonorum non tantùm conscientiam apud Deum, sed & existimationem apud homines præstare integram, nactus edictum quod Augusta Majestas ad subditos suos misit, in quo non æquitas tantùm, sed & necessitas ostenditur armorum contra Daniæ Regem, honorificum Augustæ tuæ Majestati fore existimavi, si apud Reginam Regentem de ea re secundùm illius edicti sensum dissererem. Feci id die Martis proximè acto, in magna audientium quorumdam & dicta annotantium corona. Respondit Regina Regens nihil aliud nisi se de benevolentia Majestatis in se tuæ non dubitare, spondens eam mutuam: & facilè se credere quod dixerim literas è Suedia missas aliquas esse interceptas. Edictum ipsum Latinè verti, ut non Gallis tantùm, sed & aliis gentibus sit usui. Id nunc 1661

editur.

editur. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina Domina Clementissima, & bellorum quæ pro salute populi Christianique Orbis suscepta sunt & consiliorum omnium Majestatis Tuæ felices det exitus. Lutetiæ $\frac{1}{11}$ April. 1644.

Augustæ Majestatis Tuæ Mancipatissimus subditus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1662 GRatias agens pro literis datis 24 Aprilis mitto expressas Latinè causas belli in Danum, ita ut Regina nostra eas imperii sui populis significavit. Videtur autem bellum istud & longius exspectato fore & cruentum, ubi bellantibus advocatæ undique terra marique copiæ advenerint. Et de Ragotskio incerta est judicatio. Quem is ad Imperatorem miserat auditus est non ab ipso Imperatore, sed à Consiliariis ejus. Neque de Turcicæ Aulæ consiliis certi quid perspicimus, & de Moscovia ambiguæ sunt conjecturæ. Poloniam quieturam persuadent nobis & rationes aliæ, & prudenter scripta Palatini Posnaniensis epistola, in qua illud nobis honorificum quod optimæ fidei nobis reddit testimonium. Gallus magnum aliquod obsidium in Belgico fine agitat. Augetur & Vicecomitis Turenæ, qui superioribus Rheni præsidet, exercitus. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram sospitet patria sospite. Lutetiæ 7 Maii 1644.

Claritudinis Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1663 EXspectabo fusiorem explicationem nostræ contra Danos causæ simul atque Belgico sermone prodierit, ut eam quoque omnibus Latinè intelligentibus, id est non Gallis tantùm, sed & Italis communem faciam. Sentio non parum favoris nobis partum per edicti illius quod sub Reginæ nomine missum ad populos fuerat, evulgationem. Polonos & Moscovitas & ego arbitror quieturos. Batavos spectatores fore in hoc intentos, ut aliena dissidia in suum vertant commodum. Opperienda est fortuna navium tum quæ è Suedicis prodibunt portubus, tum quæ apud Batavos conductæ jam Albim attigere. Pulchri sunt interim in Scania successus. Rex Daniæ quantum audio non à nostris tantùm, sed & à popularibus suis sibi metuit. Hic nihil optatur magis, quàm ut isti bello quovis modo composito exercitus nostri in terras Austriacæ Domus proprias se iujiciant. Dux Aurelianensis magnum habebit exercitum. Obsidionem animo agitat, sed itineri paratum invasit podagra. Ragotskii Legati auditi sunt à Consiliariis Imperatoris & dimissi comiter. Dicitur & Imperator ad Aulam Turcicam Legationem mittere. Hic etiam forense bellum exoritur de opima præda hæreditatis Riceliaci inter Ducem Anguianum qui Bressæam duxit & Dominam Esguilloniam, quæ fœminæ duo pari gradu mortuum Cardinalem attingunt; sed in hanc ultimam fuit illius affectus, de cujus rei causis varia disseruntur. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 14 Maii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1664 QVandoquidem conducta apud Batavos classis jam in ea loca advenit ubi de summa rerum inter Suedos & Danos certatur, brevi videbimus quid de Insulis exspectandum sit, postquam de utraque continente jam ferme transactum est. Cætera quæ & Clar. Vestra & aliorum nuntiant literæ satis nobis sunt prospera. Elector Brandeburgicus paci inter Suedos & Danos constituendæ operam dare voluit, sed scripsere ad eum Imperator & Bavarus, ne id faceret. Ragotskii res quantum intelligo, bene procedunt, sed pendent ejus res ab Aula præcipuè Constantinopolitana, ad quam Imperator Legationem insignem mittit, & munera quæ multum ibi valent. Potestas quam Imperator Legatis suis dedit non mala est. In Hispania habent Galli quod culpent. Danus quidem conciliatoris personam agere posthac non potest, at Veneti pridem ad hoc officium placuere belligerantibus. Non optimum Portugalliæ rebus omen est quod Mindæ subsistit ejus Regni Legatus. Princeps Arausionensis per Anglicam affinitatem aliquantum illigatus est. Ex dimissis in Italia copiis quædam ibunt ad Principem Thomam. Miles missus ad Mottam Odincurtium qui pro Gallis Catalaniam tenet, itemque classis. Dilectus apud Leodium factus ibit, ut dicitur, ad Marescallum Turenium qui in Lotharingia se habet. Dux Aurelianensis ab hac urbe abiit obsidium alicujus urbis moliens; abiit & Anguianus Dux fines Picardiæ custoditurus. Alii præterea minoribus copiis publicam quietem defendent. Sed pecunia ægerrimè reperitur, & ad mala alia accessit vinearum calamitas. Ne reperiatur pecunia ubi abundat, obstant ii qui exemplum metuunt extorquere eam velle plebi inopi incertum & periculo non carens; præsertim cùm & inter Proceres non sint defuturi qui alant talium malorum semina. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 21 Maii 1644.

Claritudinis Vestræ studiosissimus H. G.

LANDGRAVIO FREDERICO.

Excellentissime Domine,

BOna fides à me exigit ut amplum testimonium præ- 1665
beam Dom. Siraumontio summæ diligentiæ qua res Celsitudinis Vestræ hic tractavit, omnia moliens ut res ejus satis per se magnas faceret majores augustioresque. Non semper favet fortuna justis conatibus, minimùm verò in Gallia, ubi omnia miris modis agitantur, quæ D. Siraumontius, ut est sagax rerum omnium observator, exactiùs referet. Ego quidem consilia & commendationes quas potui attuli ad promovenda negotia Principis spectabilis & suis natalibus & actis, ac præterea etiam pacta affinitate cum Regina nostra. Sed ut videtur tempora nacti sumus minùs opportuna quibus meliora sperare licet. Nondum enim omnium dierum vesperæ occiderunt. De me sic velim existimet Celsitudo Vestra nihil me habere desideratius, quàm ejus inservire & gloriæ & commodis. Deus, Excellentissime Domine, Celsitudini Vestræ in æternum faveat. Lutetiæ fine Maii 1644.

Celsitudini Vestræ serviturus semper H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

DE fusiore explicatione causæ armorum contra Da- 1666
niæ Regem scripsi nuper me quidem libenter positurum operam, ut Latinè appareat, sed metuere me ne Belgica nonnihil à Suedicis abeant, ideoque cum gaudio me intelligere sumtum hunc in Suedia laborem, ut ex sermone Suedico versio extet Latina. De Polonia puto nos in præsens posse esse securos. Pugna mari ingens momentum adferet prospera aut adversa. Batavi in hoc negotio otiabuntur. Flamingii factum nobile eò me magis exhilaravit, quod ipsum hic viderim & ob suas præternasque virtutes amplexus fuerim. Hatzfeldius in Franconiam retro cessit. Videntur Proceres Dani nolle se rursum illigari bello Cæsaris, sine quo vix est ut auxilia Rex Daniæ speret. In Stalhansio non leve damnum fecit Suedia.

natus meos. Et ut videat Nob. Vestra quanta sit rebus præsidentium vanitas, cùm ego in mea ad Ius Iustinianeum sparsione pagina editionis Gallicæ 368 posuissem Gothi, Franci, Burgundiones, servato nimirum temporum ordine quo gentes illæ in Galliam venere, illi dolo malo fecere ut aliter ederetur, & Francos atque Burgundiones sequerentur Gothi. Gravelinga seriò obsidetur & vallum castris egregium circumdatur. Res magna agitur & Gallorum & Batavorum, distractis aliò & Angliæ & Daniæ Regibus, qui illam oram nolint aut Gallis aut Batavis accrescere. Dux Anguianus apud Virodunum auget copias, quibus se Beckio opponat. Marescallus Turenæ Vicecomes ad Brisacum Rhenum transiit, ut Bavarorum conatibus aut Friburgum aut Neoburgum obsidere volentibus se opponat. Motta Odincurtius exspectat supplementa ad acceptam cladem. Periclitatur interim Ilerda. Princeps Thomas & Præfectus Mediolanensis in pari pecuniæ penuria mutuò se spectant. Inter Romam est & vicinos firma pax magno Biquii honore. Tuscicæ Aulæ consilia incerta sunt, & forte se in Persidem ubi stirps vetus Regia exstincta dicitur. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, det Nobilitati Vestræ rebusque tum publicis tum privatis prosperrima omnia.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

CVm jam naves apud Batavos conductæ & ex Suedia eductæ convenire inter se possint, spes est non tantùm Gothoburgum brevi fore extra metum, sed & appariturum cui mare & cum mari Insulæ cedere debeant. Nihil iniqui in eo erit, si res ad originem suam redeat. Nam ex Suedia ortos Danos, etiam Daniæ Reges olim fassi sunt. D. Flemingum gaudeo me hic vidisse. Dignus est qui aliquando patri succedat in Provinciam Neptuniam. De Iemptia, D. Coningsmarckio, D. Wittembergio nuntios exspectabimus, qui nos ad futuri inclinationem instruant. Cæsarianos Legatos puto in mora colloquiorum non fore, nam quod afferunt de Dano ad pacificatoris officium adsumto, facilè sanabitur, totum in se recipientibus Venetis quod ex dimidio jam ipsis concessum erat. De Ragotskio dubia est fama, nam Turcas qui non imperio publico, sed sponte ad eum venerant, ajunt quidam ab eo discessisse. Magnificum Suediæ est quod ejus milites tuta præstent aliorum Regum Legatis itinera. De Principe Arausionensi quod dicit Claritas Vestra, id multis indiciis verum credo. Gravelinga post damna Gallorum non magna vallo ambitur, quod perfectum erit ut spes est, intra dies quindecim aut circiter. Dux Anguianus apud Virodunum est, ut exercitum augeat quem opponat Beckio. Marescallus Vicecomes Turenæ apud Brisacum Rhenum transit, ut subveniat Friburgo. Marescallus Odincurtius cladem resarcit. Inter Gallos & Hispanos in Italia nihildum agitur. Pax inter Romam & vicinos manet. Regina Regens Ruellæ est in Esguilloniæ domo. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 11 Iunii 1644. 1668

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

CHRISTINÆ,

Reginæ Sueciæ, Gothorum, Vandalorum &c.

Serenissima ac Potentissima Regina, Domina Clementissima,

POstquam die Lunæ proximè exacto literas acceperam illas Augustæ Majestatis tuæ scriptas XXVII Ianuarii per D. Cerisantem allatas, illico aditum ad Reginam Regentem quæ Ruellæ erat petii & accepi die Iovis. Dixi de re Danica omnia quæ illis literis Majestatis tuæ continebantur, planè congruentia eis quæ dixeram sponte mea 1669

mea, cùm primùm edictum Majestatis Tuæ ad Imperii sui populos accepissem. Regina de re nihil respondit, sed comiter ostendit non dubitare se de optimo in rebus omnibus animo Majestatis Tuæ, benevolentiam mutuam & omnia officia pollicens. Quod cùm animadverterem, dixi acturum me cum iis qui à consilio sunt Reginæ Regentis, quod & faciam ipsa id volente. Nam & imposterum priusquam se adeant Legati, voluit ab iis adiri priùs Comitem Briennium, nimirum ut per eum edocta norit quid respondendum sit. Deus, Serenissima ac Potentissima Regina, Augustæ Majestati tuæ det prodesse quàm plurimis. Lutetiæ $\frac{9}{19}$ Iunii 1644.

Tuæ Augustæ Majestatis obedientissimus subditus H. G.

D. GVLDENSTERNIO.

Nobilissime Domine,

1670 QVàm facilè ad lucis exortum disperguntur nebulæ, tam facilè Danicas famas dissipavit Edictum quo Regina nostra populos suos de isto negotio allocuta est, cujus Latinam mitto versionem. Illud autem quod nunc objiciunt de bello non indicto in ipsos retorquere licet. Nam nostri bellum in Imperatorem & qui ejus sectam sequuntur indicto insistentes, hyberna sumsere in Holsatia & aliis Imperii Germanici locis quorum tributa vires hostium in nos auxerant. Rex Daniæ id non ferens, quod ipse aliis fecerat cùm bellum gereret, ea de causa vires & terrestres & maritimas Danici Regni in nos vertit aperta hostilitate, idque bello non ante edicto, quomodo & Carolo Rege apud nos regnante, Suediam mera vi invaserat. Hoc cùm ille fecisset, tum demum in Iutiam Scaniamque nostra progressa sunt arma. Amo Nob. Vestram tum aliis nominibus, tum quod honorem patriæ justitiamque & prudentiam Reginæ & Regentium tueri apud exteras gentes nititur; quam ad rem aliasque omnes expetitas ego ei semper inserviam, eroque, Nobilissime Domine, Parisiis 19 Iunii 1644.

Generosæ Nobilitati Vestræ semper obsequentissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1671 SPerant Galli Gravelingam in ipsorum fore potestate intra menses duos. Crescunt Ducis Anguiani & Marescalli Turenæ exercitus, & fortè coibunt. Pugnas mari video neutri triumphum dedisse. Plurimum refert quid Dano dicturi, quid deinde facturi sint Batavi quorum magnæ sunt mari vires. Ego hic ita causam nostram defendo, ut in causæ nostræ societatem pertraham gentes omnes. Marescallis Hornio & Torstensonio itemque Coningsmarckio res gaudeo bene procedere. Nutans Ragotskius facilè eò compelletur, quò spirabit aura à Constantinopoli: inde enim potissima pendent consiliorum ejus. Non dubito quin ibi laboraturi sint Galli, ut Aulam illam ad suas utilitates trahant, & jam pecuniam ad Ragotskium misere. Colloquium inter Suedos & Gallos puto brevi inchoatum iri, nodi enim qui id morantur non sunt inexplicabiles. Woldomarus videtur sine matrimonio domum rediturus. Deus, Clarissime Domine, Claritudinem Vestram sospitet. Lutetiæ 25 Iunii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

1672 LIteras Nob. Vestræ per se gratas gratiores fecit accessio muneris, id est, decreta Ordinum Regni Suediæ quæ legens miratus sum, totoque animo approbavi tantum consensum tantæ ac tam multiplicis hominum turbæ ad pacem æquam, si haberi potest, si non, ad sustentanda onera belli necessarii, directa ad eam normam, quæ & publicam & privatam rem quàm minimùm lædat. Plurimum autem me oblectavit Ordinum universorum judicium de Reginæ nostræ ingenio animoque aptis jam nunc ad tractandas tantarum rerum habenas. Deus ejus Majestati hæc tam ingentia beneficia sua conservet inque dies augeat bono & Regnorum ejus & Orbis Christiani. Audio in Suedia verti aut versum jam esse in Latinum sermonem fusiorem explicationem belli adversus Danum. Vbi exemplar habuero, faciam ut hic recudatur: nolim enim ex Belgico vertere, ne fortè, quia in Belgico mihi videntur quædam minùs dilucida, aliqua reperiatur in versionum sensu discrepantia. Opto ut itinera terra marique per bonam pacem, aut si ea haberi nequit, prospero Suedorum marte restituantur. Ego verò, Nobilissime Domine, ero semper, Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iunii 1644.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

D. OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

PLurimum debeo Excellentiæ Vestræ & pro epistola 1673 ejus data 30 Maii, & pro ea quæ accedit Palatini Poloniæ ad D. Marescallum Torstensonium: quæ prudenter scripta nobisque est perhonorifica. Ego eorum quæ ad causæ istius defensionem gloriamque Regni pertinent nihil omittam. Colloquium inter Regni Suedici & Danici Senatores video congruere fœderibus; vix tamen est ut aliquid inde boni sperem, non quod non Senatum Danicum putem pacis amantem, sed quod Rex aspero adhuc animo & pro magno lucro habente æquam hactenus mari fortunam facilè in Senatu inventurus sit aliquos qui affectus suos ex ipsius affectibus trahant. Quod si res transferatur ad ea colloquia quæ Osnabrugæ & Monasterii habentur, non poterit Imperator causam communem liberæ per mare navigationis deserere, nisi civitates maritimas vehementer velit offendere. Marescallorum Hornii & Torstensonii cognitas antehac virtutes gaudeo in rebus maximi ad patriam momenti rursus enitescere. Fusiorem causæ nostræ explicationem jam Belgico sermone acceperam, & jam in Latinum sermonem eam transtulissem, nisi audissem in Suedia versionem ex Suedico fieri, quod multo erit rectius utiliusque. Ego interim hic in omni sermone quà publico quà privato, non desino & æquitatem armorum Suedicorum & objectionum Danicarum iniquitatem ostendere. Literæ Papæ & Regis Poloniæ omissæ fuerunt addi Excellentiæ Vestræ literis. Sum maneoque semper, Illustrissime & Excellentissime Domine, Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Iunii 1644.

Excellentiæ Vestræ perpetuò serviturus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

QVæ de Classe è Suediæ portu profecta nuntiant literæ 1674 Clar. Vestræ datæ 26 Iunii spem mihi bonam de maritimis nostris rebus faciunt, præsertim si & pecuniæ adsint quæ suis temporibus persolvantur conductis navibus Batavicis. De Illustris Comitis de la Gardie in nos affectu benevolo non dubitamus: & si quid mihi nuntiatum velit de rebus meis, id ut ex optimo animo profectum, accipietur cum gratia. Videbimus an Batavi non sua cum Classe Fretum Orisundæ sint transituri. Puto Amstelodamenses eò ferri, sed video & remoras quasdam adhærescere navibus. Orta hic fuerat seditio quædam adversùs tributum in domorum novarum mensuras, sed ea Reginæ à Ruellis in urbem reditu & militum vi repressa est. De Gravelinga optima speramus, eoque magis quod de quadringentis quos per loca opportuna Pic-

Piccolominæus in urbem mittere voluerat ægrè viginti pervenere, cæteris aut cæsis aut captis. Deus, Clarissime Domine, bene Claritati Vestræ faciat. Lutetiæ 9 Iulii 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

1675 EX literis Nob. Vestræ scriptis 21 Iunii intelligo moras quæ interveniunt colloquiis tum cum hostibus, tum cum amicis. Dominus Davausius sæpe morbos fingit, & quomodo ille omnes prælationes avidè captat, in acta refert & hic venditat. Laudo Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Legatum Baronem Oxenstiernam, quod quantum potest contra nititur. De maris possessione quid futurum sit videbimus, ubi profectæ ex portubus Suedicis naves se cum eis, quæ apud Batavos conductæ sunt, conjunxerint. Quod si etiam terra in adventantes hostium copias bellum Marescallo Torstensonio procedat bene, erit cur de cætero omnia speremus optima. Hic plebs movere aliquid cœperat adversùs tributum domorum, sed Reginæ adventus repressit primum furorem, Parlamenti prudentia reliquias mali tollit. Gravelingæ capiendæ spes egregia. De quadringentis quos injicere in urbem concupiverat Piccolominæus, viginti eò pervenerunt, cæteri aut interfecti aut in manus Gallorum venerunt, & opera jam processere ad fossam quæ urbis ambit aggerem. Cuncta in castris constant satis vili, & diligentiam suam ostendunt Millereius, Gassio, Ranzovius & qui Batavorum ibi adsunt. Deus, Nobilissime Domine, Nob. Vestræ faveat. Lutetiæ 9 Iulii novi Cal. 1644.

Nobil. Vestræ ad obsequia paratissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Vir Reverende multis modis,

1676 AMo Costerum, ut amicum veterem, poëtam egregium, suis Magistratibus fidum. Vxor quoque ejus ad eos pertinet, quos nobiscum malorum societas junxit. Itaque nihil à me filius eorum expetet, modo meæ sit facultatis, in quo non promptissimè ei opituler. Heusdiorum nemo apud me vivit: sed Dominus Heusdius qui pecunias tractat Suedicas, Batavicas, Hassicas, amicus mihi est. Sed hæc res, ut puto, eum non tangit. Isaacus tuus bene valet, & in omni studiorum genere proficit, & amatur ab omnibus. D. Residens Poloniæ ostendit quidem velle se mea uti consuetudine, verùm id ob graves causas ego excusavi hactenus. Deus, Rev. Tuam Dom. ejusque conjugem & liberos servet. Lutetiæ 16 Iulii 1644.

Reverendæ Præstantiæ Tuæ semper addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1677 PRæstustri D. Comiti de la Gardie multis nominibus sum debitor, idque pridem & perlibenter agnosco. Cæterùm ad sua benefacta magnum adjecit augmentum, cùm apud Principem Arausionensem, sive is ex animo locutus est, sive tentandi ipsius causam, ita me defendit, sicut ego Suedorum & dignitatem & jura defendere soleo. Quare nunquam potero satis magnas tantæ bonitati aut referre, aut etiam agere gratias. Magnas nobis adversùs Danos spes dat tanta classis ex Suedicis Batavicisque collecta navibus. Videtur enim ista de mari quæstio in ipso mari definitionem à Deo talium arbitro acceptura. Is ipse Deus hæc omnia regat ad bonam veramque pacem, ad quam pronus feror, partim ingenii quadam proclivitate, partim ex sapientiæ & pietatis libris. De Ragotskio & Turcicæ Aulæ consiliis ita nuntiantur diversa, ut nostri non sit judicii quid verum falsumque sit dijudicare. Literæ Legatorum Suediæ videntur mihi temperatiùs scriptæ, quam Gallicæ ad Principes Ordinesque Imperii. Multum vereor ne Batavi ducti ut alienis nervis ligum mobile, tempus perdant oportunum ad res suas una cum Suedicis bene locandas. Et dubito an satis impleturi sint pactorum fidem. De Grevelinga spes bona est, & ut puto, propinqua. Interim Friburgum obsidere cœpit Bavarus. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestræ faveat. Lutetiæ 16 Iulii 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

DVo hic nos suspensa tenent, spes de Gravelinga, 1678
metus de Friburgo. Vtrobique strenuè ab obsidentibus res geritur. In negotio nostro cum Danis multum refert, quid dicturi facturique sint Batavi. Gallia quantocunque nostro cum damno velit istam pacem redimi. Interim manere in Germania bellum, & quidem ita ut culpa tardatæ pacis sit penes Imperatorem nobis perutile est. Videbimus quò ituræ sint Gallassii & Hasfeldii copiæ, & quid Zerinus effecturus sit Constantinopoli, unde multum pendent res Ragotskii. Literæ Reginæ quas mihi misit Clar. Vestra mihi præcipiunt, ut si quid offensæ hic susceptum est de bello nostro Danico id deleam, in quo laboro non infeliciter. Deus, Clarissime Domine, Claritud. Vestram servet. Lutetiæ 23 Iulii 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

BEne nobis evenit quod in bello manent Galli quam- 1679
diu nobis in Danos bellum est. Tum verò & illud nobis commodum, quod durantis belli culpam variis effugiis in se attrahit Imperator; nimirum occasione Belli Danici uti se posse sperans ad res suas alibi promovendas. Difficilis erit sedatu nostra cum Danis controversia, quia & de vectigali multum distant voluntates, & intutum erit Suedis reddere bello quæsita, sed ea maximè quæ suis terris cohærent, & olim à Regno Suedico fuere avulsa. Et si hæc res componi possit, tamen ut Dani se nobis contra Imperatorem socient sperari posse non puto. Principes Germaniæ Civitatesque exceptis Electoribus arbitror missuros fortè Monasterium aut Osnabrugam, sed tantùm ut sua postulata commendent Imperatoris & Electorum legatis, quibus major pars Francofurtensis Conventus negotium hoc permisit. Ragotskii curam haberi rectum est, sed consilia ejus maximè suspensa sunt ex voluntate Aulæ Turcicæ, ubi quid facturus sit Zerinus, videndum erit. Gravelingam Galli brevi habituros se sperant: Friburgum autem Bavarus. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestram servet. Lutetiæ 23 Julii 1644.

Nobil. Vestræ addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

REstat videamus quid in conspectu Hafniæ gestura sit 1680
classis nostra, quid actura illa tam bene comitata Legatio Batavica; deinde quò ituri Hasfeldius & Gallassius, quem quidam volunt in Austriam revocari ob attritum morbis exercitum Gotsii. Gravelingæ in ipsis valli urbici propugnaculis pugnatur. Subsistit etiamnum Friburgum. Dux Carolus . . . . . adhuc sibi advocat. At Sedani detecta conjuratio contra Gallos: item Ilerdæ, quam quidam jam concessisse aiunt in Hispani potestatem. Conspecta ad Italiæ oram classis Turcica & Afri-

Africana navium LXXX ingentem terrorem intulit. Pax Romana planè certa est, & fiunt ex pacto omnia. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram præstet sospitem. Lutetiæ 30 Iulii 1644.

Prælustri Domino Comiti de la Gardie quotquot sumus hic & gratias agimus submissas & omnia optamus prosperrima. Adhuc librarium reperire non potui qui ederet majus illud manifestum Reginæ nostræ Latinè: quare iterum rogo curetur ejus editio Amstelodami & aliqua quamprimùm exemplaria huc transmittantur. Gravelingam jam discimus deditam.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Excellentissime & Illustrissime Domine,

1681 CRedo ego quidem Imperatorem bellum hoc quod inter Suedos Danosque enatum est suam putare occasionem, ideoque eam ob spem quàm habet res suas promovendi minùs quàm optandum sit properare ad pacem; sed nec minùs verum est eos qui rerum in Gallia potiuntur pacem nolle, cujus sui consilii causas habent nec leves nec obscuras. Bene ergo eis cadit, quod propositi sui fiant compotes, invidiamque rei in hostem rejicere possunt: quanquam apud æquos homines non laudatur acerbitas ista literarum quas ad Imperii Ordines Legati Galliæ scripsere. Contra probatur Suedorum scriptio quæ res per se satis asperas non ultra modum accendit verborum asperitate. Gaudeo venire istuc D. Lampadium. Vir est prudens, bonus, eruditus, poterit & ille & si qui ab Electore Brandeburgico venturi sunt dare consilia, ad præcidendas pacis moras. Cæterùm ut qui istuc venturi sunt speciem personamque Imperii totius sustinere possint vix sperabile est, cùm major pars conventus Francofurtensis rem pacis Electoribus tractandam una cum Imperatore permiserit. Si tamen aliquorum animi per has disputationes ab Imperatore abstrahi poterunt, & velut vexillum erigi ad quod concurrant quibus aliqua manet cura Germaniæ libertatis, erit id è re nostra. Si Danicæ controversiæ per Gallos Batavosque Legatos componi non poterunt, putem nihil incommodi fore, si de eo agatur Osnabrugæ & Monasterii, ob causas à me dictas antehac. De Femera capta est quod gaudeamus, speremusque majores progressus. Videntur exspectanda alia prælia navalia, cùm quæ pugnata sunt hactenus nihil magni aut his aut illis contulerint. De postremo, quo fugisse Danos satis constat, magis certa magisque specialia exspectamus, ut & quid facturus sit Galassius, quid nostri contra Galassium. Deus hæc omnia ad bonum & Suediæ & communiter Orbis Christiani dirigat, idemque, Excellentissime & Illustrissime Domine, Ill. Vestram protegat. Lutetiæ 6 Aug. novi Cal. 1644.

Ill. Vestræ perpetuò servire obligatissimus paratissimusque H. G.

EIDEM.

Excellentissime & Illustrissime Domine,

1682 CVm ex domo nostra in Suediam discederet D. Marinus commercio literarum pridem nunc etiam frequentibus colloquiis mihi cognitus, prudens, bonus, eruditus, non potui ei non dare hoc ipsum quod ipsi debeo testimonium. Inserviit diu Regno Suedico non modicis suis cum incommodis. Spero ipsi nobilissimæque uxori & liberis vitam posthac tranquilliorem forè, idque beneficio Sublimitatis tuæ, cui hoc natura insitum longaque exercitatione inolitum est, omnibus iis benefacere in quibus sunt non modò virtutes istæ quæ in D. Marino excellunt, sed vel earum semina ac simulacra. Ipsum ea comperi in Sublimitatem tuam reverentia, ea in Regnum Suedicum fide, ut nihil supra aut dici aut optari possit. Quanquam verò scio Sublimitatem tuam sponte sua curam habiturum viri optimè meriti ae merituri, mihi tamen erit suavissimum, si crediderit in hoc meas commendationes sibi fuisse non inutiles. Id si erit, huc revertentem non quidem majore quàm cum dimisi cum amore, sed majore cum gaudio amplectar. Deus, Excellentissime & Illustrissime Domine, quicquid ipsi, quicquid mihi, quicquid aliis benefecisti, facis, facietque pro immensa sua liberalitate Sublimitati tuæ rependet. Lutetiæ 20 Augusti 1644.

Tuæ sublimitatis cultor devotissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

PRoficiscenti ad vos D. Marino, qui pro Regina Re- 168
gnoque Suedico Residens fuit apud Helvetios, non potui non dare testimonium quod ei debeo summæ prudentiæ, probitatis ac fidei in rem Suedicam, quæ pridem ex literis ejus, nunc autem multò propiùs ex colloquio cognovi. Magni eum facit Excellentissimus Dominus Cancellarius & Illustrissimus Legatus Baro Oxenstierna & is qui nunc hac transiit prælustris Dominus Bro frater hujus, illius verò filius. Quare si qua in re iter ipsius aut consilio aut ope instruere poteris, faciet haud dubiè Claritudo vestra id quod Suediæ erit utile ac gloriosum. Deus, Clarissime Domine, Clarit. Vestram servet. Lutetiæ 20 August. 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHANIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

GRatias habeo pro literis datis 27 Iulii veteris Calen- 1684
darii, & pro indicio earum rerum quæ apud Femeram gestæ sunt. Exspectamus tantarum virtutum majores actus terra marique. Galli optimam causam habent in eo quod Monasterii nolunt quicquam procedi circa colloquia, nisi pariter Osnabrugæ idem negotium promoveatur, id enim fœderibus convenit. Sed si Osnabrugæ de procuratoriis instrumentis nulla sit dubitatio, nihil nocebit eas quæ Monasterii ortæ sunt disputationes communi consensu tolli. Hispanorum res eo sunt loco ut credi debeant pacem seriò velle. In Hispania Ilerdam recepere; sed manet grave à Portugallia & Catalanis bellum. In Italia multum illis negotii facessit Princeps Thomas. Ipsi ægrè pecuniam militemque reperiunt. In Belgica amisere Gravelingam, & amissum videntur Isaxum Gandavense, duas Flandriæ fores. Accedentibus aliis sola Americana pecunia tot impendiis non sufficit. Accedit seditionum popularium motus quarum semina in Brabantia Flandriaque apparent. Si quod posthac de Venetis innotescet Nob. Vestræ, gaudebo particeps fieri. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nobilitatem Vestram sospitet. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Augusti 1644.

Nob. Vestræ ad obsequia paratissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

VErum est quod Excellentia Vestra in literis 22 Iulii ex Calendario vetere datis conjicit, Danos huc usque misisse triumphos rerum inanes, nec defuisse iis aures credulas. Leve sanè lucrum ex fraude non diu valitura. Sed liceat illis falsis rumoribus & se & alios pascere, dum res penes Suedos sit. Magnum sanè decus Suedis hoc prælio partum est, & majora videmur meritò exspectare tum mari tum & terra, partim contra Galassium partim contra . . . . . De Ragotskio hic etiam quæ audimus pro-

prospera, sed tamen hoc negotium ab Aula Constantinopolitana pendet, quæ natare videtur inter diversa consilia. Deus hæc omnia ad bonam pacem dirigat, misertus tandem tot durissima patientium populorum. Idem, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ det omnia quæ votis expetuntur. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Augusti 1644.

Excellentiæ Vestræ semper serviturus H.G.

EIDEM.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

6 Significationem ad Cæsarianos quam accepi cum literis Excellentiæ Vestræ datis xi Augusti, ut hic dies numeramus, dedi Typographo per quem jam mox in lucem prodibit. Laudo & scriptum & vulgandi consilium. Ego quidem quia vehementer opto pacem contingere populis tamdiu miseris, speravi hactenus omnes eos quorum res in manu est collaturos ad tantum bonum quicquid suæ est facultatis. Putabam etiam ex multis causis Hispanum eò ferri: de Imperatore dubitavi. Nunc verò tot ac tanta video argumenta afferri, cur is credi debeat malle bello frui quàm pacem dare & accipere, ut non segniter id omnibus sim apertum facturus & æquis hominibus facilè, ut confido, persuasurus, Deum interim orans in cujus manu sunt corda Regum, ut ea in partem mitiorem flectat, utque cum iis qui inevitabilem Suedis necessitatem belli indixere, res quàm minimo cum sanguine transigatur. Batavi in ea re videntur fore cordatiores quàm fuere hactenus. Ego eos qui illis in locis mea consilia non spernunt incitare non desinam, ut occasionem hanc fronte capillata arripiant. Excellentiæ autem Vestræ, Illustrissime & Excellentissime Domine, omnia opto prosperrima. Lutetiæ $\frac{17}{27}$ Augusti 1644.

Excellentiæ Vestræ perpetuum serviturus ut debeo H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

7 Gratissimæ mihi fuere literæ Cl. Vestræ non tantùm quia res nuntiant lætas, verùm insuper quia variis circumstantiis repletas. D. Flemingii dolenda mors est patriæ: ipsi gloria mortuo post magnos actus & in majorum actuum meditamentis. Videbimus nunc quid classes nostræ Suedica & Batavica inter se junctæ effecturæ sint. Quod si Deus favebit armis ex necessitate sumptis, id credo, & Batavis animos addet ad consilia fortiora, quàm nescio quibus artibus impediti, sumpsere hactenus. Præterea altera est exspectatio an D. Torstensonio an Galassio alimenta diutius sint suffectura: inde enim videtur pendere terrestris victoria. Galli sub Duce Anguiano & Marescallo de Turena Bavaricum quidem peditatum locis quæ insederat pepulere, sed multò etiam suorum cum sanguine. Nunc omisso Friburgo videntur ituri ad loca Palatinatus inferioris aut ei vicina. Parte alia post Gravelingam captam Galli, ad Watam & loca vicina multum Flandris incommodatura se muniunt, captis Hennuino & Rebusio. His conatibus magnam partem in se trahunt Hispanorum & Lotharingorum, qui Principi Arausionensi semet opponendo parum profecerant. Regina Angliæ magnis honoribus excepta ex cœlo natali incipit recipere valetudinem, cujus firmamenta sperat ex aquis Borboniis. Ad novum Papam eligendum magnæ sunt Romæ factiones & vis metuitur. Deus, Clarissime Domine, cuncta ad bonam fidamque pacem dirigat & Cl. Vestræ det omnia prosperrima. Lutetiæ 29 Augusti 1644.

Clarit. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

Pergratum mihi est quod Clar. Vestra Marinum, ita ut 1688
de re Suedica meretur, amat atque adjuvat. Spero non inutile ei fore molestum hoc iter, ut rebus Suediæ satis felicibus suas quoque rectiùs ponat. Habeo quoque gratiam pro rebus nuntiatis. Hic rumor fuit avidè arreptus in Silesiam ire D. Torstensonium, sed ejus ego auctor esse nolui. Quod enim ad Lauwenburgum retro cessit D. Torstensonius id factum arbitror, ut D. Coningsmarckium ad se recipiat. Quandiu enim bellum cum Danis fervet terra marique, custodia oræ maritimæ à nostris negligi nulla de causa debet. Quando verò jam omnis vis navalis Suedica in unum coiit, exspectabimus cui Mars arbiter adjudicaturus sit maris insularumque possessionem. Gaudeo interim Legatos Gallicum & Batavos ita auditos, ut appareat hoc bello à nostris nihil nisi æquam pacem quæri. Et ipsos spero Batavos, si pax æqua & communiter humano generi bona obtineri nequeat, ad nostram societatem venturos. Quam ad rem per amicos laborabo quantum fieri poterit. Multum est quod in tuto positum est Gelkeburgum & quod Malmogio imminet D. Marescallus Hornius. Hic ex Philippiburgo dedito magnum ubique gaudium est, præsertim cum & Spira, Wormatia & Germesheimium, Palatinatusque & Badensis & Wirtembergicæ ditionis multa Gallorum armis cesserint. Et spes bonæ sunt de capienda Tarragona in Hispania, recipienda verò arce Astæ in Italia. In Conclavi Romano magnis factionibus agitur de eligendo Pontifice. Deus, Clarissime Domine, omnia ad bonam pacem dirigat, & Clar. Vestræ det res prosperas. Lutetiæ 17 Septembris 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Vir Doctissime,

Literas Caleto ad me missas rectè accepi. Voluissem 1689
sanè diutiùs frui tua consuetudine, tum ob vetustissimam meam cum omni familia vestra amicitiam, tum ob eas animi ingeniique dotes quas aliis de te prædicare, quàm tibi malo. Sed justissimum fuit desiderium optimorum parentum, qui suavissimi filii conspectu solari voluere senectutem suam, quod ut ipsis diu facere liceat in bona valetudine ac rebus prosperis Deum veneror. De D. Cerisante quid futurum sit tranquilliùs exspecto. Iniquissimas esse conditiones quas Parlamentarii Regi Angliæ præscribunt, & nos hic intelligimus. Mos ille est populorum insolentiam sumere ex rebus secundis. Sed adhuc ea est Martis alea illis in locis, ut facilè pro Rege cadere possit, & si quando alibi pax fiat, credibile est Reges alios ostensuros dolere sibi talia exempla. Deus, Vir Doctissime, Cl. vestram cum suis omnibus sospitet. Lutetiæ 22 Septembris 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

Gratissimæ mihi fuere Clar. Vestræ literæ datæ 12 Se- 1690
ptembris, tum ab amicitiæ perseverantis testimonium, tum quia res bonas nunciant & spes dant meliorum. Nam si Coningsmarckius aut Galassii tenues copias imminuere potest, aut se jungit Torstensonio, spes est nostros rursum brevi ora maritima potituros, qua in re multum adjuvare poterunt classium nostrarum conatus. Quibus si quis adfuerit bonus successus, non incredibile est Batavos huc consilia & curas juncturos cum nostris pro libero maris usu, nisi celeriter inter Suedos Danos-

Danosque pax fiat, quod optandum quidem, sed difficile est negotium. Videntur mihi querelæ & Danorum de Cæsarianis & Cæsarianorum de Danis non plane esse inanes. Et ea re Suedi nostri uti possunt. Gallorum in Germania pulcher est exercitus. Multum pecuniæ, commeatuum, annonæ faciles. Wormatia post Spiram præsidium accepit Gallicum. Videntur Galli imminere Francodaliæ aut Maguntiaco. De Tarragonæ obsidio bene sperant. Motuum hic semina interdum apparent, sed illico opprimuntur. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 22 Septembris 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1691 FEci Suedos nostros qui hic sunt participes rerum bonarum, quas continent Clar. Tuæ literæ, datæ 26 Septembris, ac sicut istas ipsas quo debui cum gaudio accepi ita & similia in futurum spe præcipio. In Germania, in Iutia, in Holsatia, in mari Oceano ac Balthico. Batavi per intestina dissidia, & quorundam iniquum in Suedos animum neglexere occasionem pulcherrimam bene ponendi res suas, sed quasi nulla futuri cura, magnum putant quod navibus mercatorum licet nunc adire portus Suediæ & Livoniæ, nec considerant brevi omnia vetera cogitata reditura, accessuram etiam vindictæ cupiditatem Regi Daniæ, qui injurias cùm facere non finitur, accipere se existimat, nisi vires ejus accidantur. Videbimus autem quas pacis conditiones Legati Batavi inter Suedos Danosque propositun sint. Galli, qui res suas agunt, velint nos quovis modo videre ab isto bello Danico expeditos. Comes Harcurtius hinc it, ut restituat rem Catalonicam valde periclitantem. Gallis post cladem quam ad Tarragonam accepere in Germania ad superiora Rheni res bene procedunt. Gassio de proxima Flandriæ parte prædas agit. Cardinalis Mazarinus adhuc ægrotat ad Fontem Bellaqueum, ubi est Aula. Regina Angliæ Nivernæ est, & corpus suum reficit lacte Asinino. Creditur autem brevi hic futura cum Regina Regente. In Belgicis partibus Castello Rodericus civile, Piccolominæus militare regimen dicitur habiturus. Ducis Lotharingiæ copiæ ad Valentiniana sunt, rusticis graves. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 8 Octobris 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1692 CVm discedens Comes Aversperchius potestatis suæ ad pacificationem instrumentum exhibuerit, puto non minùs facturum eum qui nunc advenit Comitem Lambergium. Quod si pacis studio sicut Suedi minutiora quædam prætervident, idem facere volent Galli & qui in adversa sunt parte, erit cur adeo desiderata pax sperari incipiat. Imperii Principes & Civitates si quid respondebunt ad Regis Galliæ & Legatorum literas, de quo ipso dubito, erit id perquam indefinitum. Curam autem tractandi istius negotii videntur Imperatori & Electoribus permisisse, ita tamen ut & aliis eò suos mittere liceat ad demonstranda ea quæ ad ipsos pertinent. Hoc enim id omne est quod ex literis à Francofurto discere hactenus potuimus. Credibile autem est & Imperatorem & Bavarum Ducem, si modo is vivit, (nam de morte ipsius rumores hic quidam sunt) magnis istis Gallorum ad Rhenum processibus flecti posse ad non recusandas pacis æquas leges, præsertim si eis decedat spes diuturnum fore inter nostros & Danos Bellum. Ego verò timeo, ne id sit diuturnius quàm initio prudentes crediderant, quia Batavorum in hac causa ipsos maximè tangente supina negligentia, ut ne dicam aliquid gravius, quod meritò possem, Regem Daniæ ita inflat, ut nisi magno Suedorum ictu dissecetur is tumor, vix videatur recepturus sanitatem. Adversæ Gallis in Catalania res largè repensantur prosperis per Germaniam rebus: Nam post Maguntiacum Binga, Bacharachum, Neustadium, Fridelshemium, Landavia in eorum potestatem venere; hostium non pauci in itineribus ab eis concisi, capti, spoliati. Gassio in Flandria equitatum Hispanicum disjecit, cepit Combronem & Agguenum arces. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestræ faveat. Lutetiæ $\frac{5}{15}$ Octobris. 1644.

Nobilitati Vestræ studiosissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

EPistolæ meæ non sunt elaboratæ ut eorum qui eas 1693
edere volunt, sed sunt speculum minimè mendax fidei meæ in rem Suedicam & amoris candidi erga eos qui nos amant. Kilonii recuperatio efficit, ut firmè teneamus oram maritimam. Non miror Batavos à Rege Daniæ ad pacem conciliandam admitti, cùm Wenwittius post magna impendia domum redierit, ne hoc quidem impetrato, ut Batavorum mercatorum navibus in Suediam & Suedici imperii loca ire liceat, multaque alia fecit Rex Daniæ juri Batavorum adversa, quæ cùm ipsi dissimulent, ostendunt ad jus suum tuendum, aut vires sibi deesse aut animos, quorum utrumque æquè periculosum est. Sunt autem multa nunc in exspectatione: quæ Torstensonius contra Gallassium, cui Saxonicas copias conjunctas existimo, sit effecturus: quid futurum de Malmuio: quem successum habitura sit nostra classis tot præsertim ei impositis militibus: tum verò quid decreturi sint, qui nunc coiere, Regni Suedici Ordines. Res Galliæ sicut in Catalania fuere perquam improsperæ, ita bene procedunt in Germania, captis post Maguntiacum Binga, Baccharaco, Landavia, locisque aliis. Regis Angliæ fortuna fit melior: nam & in Scotia viget pars nova pro ipso. Astæ arcem cepit Princeps Thomas. Gassio multos equites Hispanorum disjecit; ita miscentur lætis tristia, speroque hac rerum vicissitudine usurum Deum, ut bellantium utrique animi ad veram pacem accipiendam flexiles fiant. Deus, Clarissime Domine, Claritati Vestræ faveat. Lutetiæ 15 Octobris. 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

QVò magis læta sunt ea quæ literis Clar. Vestræ datis 1694
x Octobris nuntiantur, eò magis desideramus eorum & certitudinem & circumstantias edoceri: quod nobis præstituras putamus eas quæ jam sequentur literæ. Maximè miramur quid agat classis nostra tot navium, tot instructa militibus. Scire avemus etiam quid petitura in Suediam, quid effectura sit Poloniæ Legatio: si à pace, ut sanè videtur, alienus est Rex Daniæ, habebit fortè malum quod sibi imputet. Multi enim Tychonis Brahæ vaticinia ad exitum currere existimant, fidem eò nunc majorem reperientia, quod etiam Goltzio mortem talem qualem habuit præsignificaverat. In Germania crescunt Bavari copiæ. Galli nihil aliud quàm capta custodiunt. At in Catalania Belageram urbem ceperunt Hispani & imminent Servieræ. It ad res Galliæ restituendas Harcurtius. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram sospitet. Lutetiæ 22 Octobris 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EI-

EIDEM.

Clarissime Domine,

Epistolas meas excusationis alicujus egentes ideo quod festinanter satis scribi soleant si ex parte affectus Cl. Vestra æstimat habet cur eas faciat non parvi. Ex historiis & veteribus & novis cognoscimus sæpe evenisse, ut fama quædam nondum vera sed in veri omen præmissa, divinitus victoriam nondum partam nuntiaverit. Idem & nunc sperare licet de rebus ad Salam. Ad Malbogium & Gothiburgum video adhuc alternare belli vices, Deo fortè ita Martis aleam regente, ut eò faciliùs bellantium animi ad pacem æquam flectantur. Regina Regens, Rex, Cardinalis nondum pancraticè valens hic sunt, & erit hic cis paucos dies Angliæ Regina. Copiæ Gallicæ quæ ad Germanicum sunt finem augentur, meritò sanè. Nam & Bavari vires crescunt auxiliis, & delectu domestico & externo. Multum erit si Galli per hyemem servare poterunt quæ æstate pepererunt. Balaguera potitus est Rex Hispaniæ, & Flixam obsidet. Ægrè permovetur Comes Harcurtius, ut rebus ibi ægris medicinam adferat: paratus prælio certare si copiarum accipiat satis. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 29 Octobris 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. RIGALTIO.

96 Utinam non ita judices, Vir Amplissime, ubi nostra legeris quæ ad Mosem & Prophetas & qui eis conjungi solent Hebraicæ Poëseos aut Historiæ libros annotavimus, quemadmodum spe te præsumere ostendit epistola. Sed utcunque ea res casura est, fruar interim usura hujus sive gloriolæ meæ, sive potiùs benignitatis tuæ. Illud verè testor optima fide me hæc tractasse, nec quicquam dedisse studio aut odio earum partium quæ Christianitatem nunc dividunt: quin & Iudæis concessisse me quæ ratione niti videbantur, in quibus tamen nihil est, quod Christianæ Religionis lædat dogmata. Det Deus, ut & hic meus labor, & qui præcessere alii, quique sequentur, & mihi & aliis prosint ad beatam immortalitatem. Pridie Calend. Novembris anni 1644.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

97 Non æquum est ut famarum quæ ad nos perferuntur & quas nos bona fide aliis tradimus ut eas accipimus, auctoritatem præstemus. Sed non probo quod fecit D. Cerisantes, qui certos se ex ipsis locis habere nuncios dixit, de re quæ tunc incerta planè erat, nunc autem & falsa deprehenditur. Prælustrem D. Comitem de la Garde feliciter in Suediam advenisse gaudeo: precorque Deum ut bene feliciterque Reginæ & Regno vertat hoc tempus, quo Regina suæ tutelæ esse incipit. Placent mihi honores Martino Tyssio habiti, incitamenta & ipsi & aliis ad virtutem. Desidero scire quo in loco se habituri sint conciliatores pacis Gallici, Brandeburgici, Batavici, dum Calmariæ erunt Suedici, Danici verò Christianopoli. Tum verò exspectandum nobis quid de Malmogio futurum sit auctis non parum Marescalli Hornii viribus: & aqua nobis futura sit propitia in mari Baltico priusquam gelascat. De Batavis pęrsto in mea sententia, signum esse claudicantis regiminis, quod pulcherrimas occasiones ad recuperandam in perpetuum commerciorum libertatem passi sibi sunt effluere. Bavarici post digressum Ducis Anguiani à locis ad Rhenum Bacharacho recepto sperant & alia se recepturos. Sed hinc & pecunia mittitur ad Marescallum Turenium, & exspectatur Hassici militis ad eum adventus. Lotharingicis autem imminent copiæ Gallicæ positæ à Duce Anguiano inter Saram & Mosellam. Harcurtius proficiscitur ad restituendas res in Catalania. Regina Angliæ hic erit intra paucos dies. Ex Anglia de pace spes adhuc sunt tenues. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 5 Novembris 1644.

Tuæ Clar. addictissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Multum me delectat memoria Vestri vestræque Conjunctionis, quam omnes actiones tuæ literæque testarunt: non minùs verò voluptatis ex eo percipio, quod video Cl. Tuam perstare in ea adversùm nos benevolentia quæ Cl. Tuæ hereditaria est ab optimo patre & optimo avo materno. Sæpè mihi evenit, ut mandata mea in rebus meis non bene serventur. Inter ea hoc est quod non viro summè reverendo parenti vestro, soli ferme in vestris locis talium bono judici, traditum est illico id quod ei debebam & destinaveram exemplum. Grates autem multas debeo Cl. Vestræ, quod etiam ad meas editiones adjuvandas offerat operam suam, qua nulla posset esse utilior. Quis enim hodie est aut mihi amicior, aut istarum rerum intelligentior? Velim edi quamprimùm Anthologiam. Scripsi ad fratrem ut Tuæ Cl. prolegomena nostra ostendat, & quæ nostra sit de Indicibus faciendis sententia. Repetam si quid fortè in illis ad fratrem mandatis non satis expresserim. Velim primùm fieri indicem Poëtarum, assignatis locis in quibus sunt Epigrammata. Malim autem id fieri per libros, titulos & numerum in titulis: quem ut in Mantissis tum Stephanicis, tum à me additis apponi velim si appositus non est, non enim satis memini, quàm ad paginas, ut etiam aliis quæ fieri posthac poterunt editionibus sine novo labore inserviant. Refero omnia mea, non ad hujus tantùm sæculi, sed & posteritatis usum. Alium indicem velim fieri personarum, tum ad quas tum de quibus scribuntur Epigrammata. Alium præterea Chorographicum de Montibus, Fluviis, urbibus, balneisque, pontibus operibusque aliis, quorum in Epigrammatis mentio. Aliud Historicum de rebus bello aut pace gestis magnis & illustribus. Velim autem duobus his de quibus potissimum dixi indicibus, addi indicationem scriptorum, qui de illis rebus, de minùs notis loquor, ajunt, puta Strabonis, Pausaniæ, Procopii de ædificiis, quorum quosdam indicavit Brodæus, quosdam poterit suppeditare memoria. Nolo enim nimium temporis rebus majoribus inserviturí, in ista absumi. Post hos indices volo addi quandam quasi Saturam de iis quæ ad Physica & Ethica aut res alias ante omissas pertinent. Labor hic futurus quidem est utilis, sed eum nolim injungere idoneo ad præstanda majora; si tamen sine magno dispendio temporis id fieri potest à Clar. Tua, non mihi tantùm, sed & lectoribus, quibus per hunc laborem editio ista fiet multo fructuosior, plurimum gratulabor: quanquam maximam hujus beneficii partem ferent ii qui ista editione utentur: (complectitur enim ea historiam ferme omnem maximè insignem à Platonis ævo ad Iustinianum & infra) tamen & ego pro eo me debitorem profitebor. Nam & is multum debet qui per amicum consequitur, ut multis prosit. Deus bonis viris optimus diu vos bonos Patrem, matrem & liberos eorum servet ac prosperet. Lutetiæ 12 Novembris 1644.

In auctoribus Epigrammatum non secutus sum semper editiones vulgatas, sed eas quas ex pluribus manuscriptis mihi indicavit Cl. Salmasius.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

IOANNI CORVINO.

Vir Eruditissime,

1699 ENchiridion tuum multum legi gaudeo, amo enim Iurisprudentiam conjunctam cum Philosophia, maximè verò cum Philosophia Christiana: in cujus dogmatis explicandis scio te semper secutum piæ antiquitatis consensum, quo nihil potest fieri aut modestius aut tutius, aut ad restituendam inter Christianos ecclesiasticam pacem convenientius: quare ut in eo persistas te rogo & hortor quanquam hortatus nihil egentem. Novi enim Clar. Vestræ prudentiam, quæ & in libris ejus omnibus apparet. Negotium illud viri affinis Cl. Vestræ nec nisi infortunio prolapsi cordi mihi erit, & commendantis causa, & ipsius humanitatis. Vbi novero quid in ea causa & ubi fieri possit, omnem amicorum cohortem commovebo. Deus, Clar. Vestram cum D. Vossio & D. Barlæo diu patriæ, diu Ecclesiæ universæ, diu & literis servet incolumem. Lutetiæ 12 Nov. 1644.

Clar. Tuæ addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1700 EXcusationes prætermitto. Sunt eæ comes quidem, sed apud me qui de affectu Clar. Vestræ in me nec dubito nec dubitandi causas habeo, minimè necessariæ. De classe Suedica, de Marescalli Hornii rebus, tempore aliquo opus est, ut ea quæ per nebulam conspicimus, conspiciamus in apertiore luce. Et Blomii & Tyssonis laudibus faveo. Cùm literis reperta sit per Lubecam via, speramus & ego & D. Hambræus, nos aliquid ex Suedia quod ad nos pertineat, accepturos. Batavi hoc anno res Dani, quanquam ipsis infestissimi, magis quàm suas egere. Vtinam ne sæpiùs peccent talia. De D. Wrangelii processibus gaudeo: nec minùs de adventu in Suediam Ill. Comitis de la Gardie, & cum eo Gerii, & Marini. Omnia eis opto prosperrima. Habemus hic Reginam Angliæ, quæ res Regis mariti sui commendat, sed exigua cum spe, quamdiu Gallia tam gravibus extra bellis occupatur. Mittuntur ad exercitum qui est ad superna Rheni pecuniæ & supplementa. Et quando controversiæ istæ Transamasianæ jam temporariam transactionem recepere, speratur fore ut Hassicæ copiæ equestres & pedestres minimè spernendæ, se Gallicis earum partium adjungant. Reginæ Hispaniæ mors luctum hic nobis indixit. Mittuntur in Catalaniam cohortes satis multæ. Magalottus qui Gallicis copiis inter Saram & Mozellam præest Longuiacum obsedit. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestram servet ac prosperet. Lutetiæ 12 Nov. 1644.

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

D. VICQVEFORTIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1701 VIdeo Nobilissimam Amplitudinem Vestram & Latino & Gallico sermone pari nitore & elegantia uti, mihi in literis quæ non publico sed amicis scribuntur nimiùm fortè festinanti sufficit si intelligar. Quod apud viros rerum peritos facilè consequor, inter eos autem eximium Nobil. Vestræ assigno locum. Magnam fuisse nostrorum in mari victoriam video consentiri, an tanta fuerit quanta nuntiatur posteri dies docebunt: at si ita res se habet quid aliud expectandum est, quàm ut præcipuas Danici Imperii insulas nostri intrent, Dani vires cummaximè distinente Scania? Qui Danicas apud vos res agit facit quod rei solent, ut verum non fateatur nisi coactus. Credo & commeatus & pabulatum esse difficiles tum Torstensonio, tum Galassio, sed huic magis, unde credibile sit hunc priorem abiturum, quod sine periculo vix fieri potest, instituro tergis abeuntium hoste. Transamasianam controversiam ex usu communi si non extinctam, at certè sopitam gaudeo, optoque de Bercana idem fiat: exigunt id tempora, ne turpe putent amici amicis aliquid concedere potiùs quam in mutua in utrosque aditum dare. Coloniensis Electoris vetus ista est cantio, ad quam repetitam occalescere aures solent. D. Spiringius pergit suo more agere, jura negat ubi nata. Avebo autem scire quis istius controversiæ futurus sit exitus; & quæ loca Americæ sint unde ortum fuerint. Zeilonem si aut ceperunt aut capere potuerunt Batavi, ea expeditissima erit ratio qua se absolvant a disputatione territorii Galæ. Est quidem & societas Africana & Americana digna cujus curam gerant Proceres, sed illius societatis res ut vetustiores sunt, ita firmiores, neque tamen tam opimæ, ut ob id vectigales aliis fieri debeant. Dissidia Civitatum Principis Arausionensis præsentia, si modò is velit, facilè sedabit. Quid præterea futurus sit Hollandiæ Conventus, & quas Suedis contra pacis cum Dano commendaturi sint qui istuc ituri Legati videbimus, quod ipsis sit prudentiæ unde judicium fiet. Doleo res Angliæ Regis non esse quàm vellem prosperas. Ivit Rex ab Oxonia Bristoliam cum sex equitum & octo peditum millibus. Magnæ sunt & in illis partibus & alibi Parlamentariorum copiæ. Mancestrium Regi restat: Essexius apud Readingam est: Massius tribunus cæsis ferme ducentis de Principis Roberti militibus majores copias à Parlamento poscit. Novum Castellum à Scotis vi irruptum est: Leverpolio de deditione agere cœpit: in Hibernia Castellum Duncanormum ad Wexfortium amnem Parlamentariis deditum audimus. In Italia Hispani ad Alexandrinam se tenent, ut à Finali periculum arceant. Hispanicus exercitus ad Iberum amnem Flixam obsidet: in Extremadura Castella quædam eripuere Portugallis, & eorum quosdam occiderunt ad civitatem Roderic. Magallotti inter Saram & Mozellam exercitus ferme duodecim millium est, ad Watenam & vicinis locis novem ferè mille & commeatus difficiles. Marefchallus Castilionæus rectiùs valet. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Amplitudini Vestræ det fausta omnia. Lutetiæ 19 Novembris 1644.

Novæ ab Hispania literæ dicunt exustam à Portugallis urbem S. Vincentii: Gramontum autem Catalaniæ urbem à Gallis obsideri, venisse Vlissiponem aliquantum Sacchari ab insula Sancti Thomæ derelicta à Batavis. Inter eosdem Batavos & Portugallos bellum manere in Asiatica India, & pulsos Zeilana Insula Batavos. A Roma renovatam ibi à Papa & juratam bullam Pii Quinti contra alienationem bonorum Ecclesiæ. A Rheno Hochstam obsideri à Bavaricis, sed ivisse eò à Crucenaco Gallos ut eam obsidionem disturbent, ab Anglia Parlamentarios ab obsidione Bamburi disjectos. Sed pugnatum ad Neuburium & IX machinas ereptas Regi. Hibernos in Walles fœdè grassari, ideo qui eorum bello capiuntur nemini vitam concedi, idque ex constitutione Parlamenti quod est Londini. Carbilum in Comberlandia obsideri à Scotis, & parari obsidionem arcium Tinmuthi apud Novum Castellum & Scarbourii in Eboracensi tractu. Principem Mauritium esse apud Wallingfortum, ire contra eum Parlamentarios milites qui Abingheni fuere. Copiæ quædam Gallorum apud Bononiam congregantur, ut eis qui Wattenæ sunt subveniant. Italus Fercius in Bastiliam conjectus est ob literas in Hispaniam scriptas. Cardinalis Antonius culpam malæ curatæ rei Gallicæ circa electionem Papæ conjicit in S. Chaumontium, qui pecunia usus non fuerat, ut erat jussus.

Nob. Amplitudini Vestræ addictissimus H. G.

D. AP-

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

MAgna certè est quæ mari nostris obtigit victoria, ut prædicat literarum undique consensus. Quod si tanta fuit Danorum clades, quantam fert fama, audiemus brevi aliquid de nostrorum conatu in Fioniam aut Zelandiam, dum Scania potissimas Regis Daniæ vires detinet. Si quid ostentorum interpretibus credimus cervus celeritatem, equus fortitudinem significat. Erit ergo, si quid ista valent penes nostros celeris victoria. Digna est quæ ab omnibus celebretur Flemmingii memoria. Spero nos laudationem aliquam ejus funebrem ex Suedia accepturos: & gaudeo paternas virtutes etiam ad filii commendationem pertinuisse. Tyssonium qui nunc bono omine Anckerhelmius magni etiam semper Zelandi sui fecere. Gratulor etiam D. Wrangelii processibus. Inter Danos & Batavos nunquam firma erit concordia. Sed, ut scripsi, claudicat Batavorum Regimen, quod tam pulchram occasionem ad restituendam commerciorum libertatem tam supinè neglexerint, ac ne nunc quidem eam curent quantum res ipsorum exigunt & fœdera præscribunt. Idem & in rebus Indiæ Orientalis & in Transamasianis apparuit. Credo tenuem esse victum tam in Marescalli Torstensonii, quàm in Galassii exercitu. Qui magis præmetur istis incommodis is prior cogetur discedere. Tales autem discessus tam propinquo hoste periculo non vacant. Magalottius inter Saram & Mosellam XII habet millia. Apud Waltenam sunt non plures novem millibus & iis ipsis commeatus difficiles. In Italia Hispani apud Alexandriam se tenent, ut Finale à periculo liberent: in Catalania Flixam obsident ad Iberum amnem. Audimus etiam Portugallos clade quadam affectos & ademta eis castella in ea parte, quæ Extremadura dicitur. Barbarini Roma exiere. Intravit eò Dux Parmensis, & comiter acceptus est. Rex Angliæ Bristolium recessit ab Oxonia. Parlamentariorum magnæ sunt copiæ. Etiam in Hibernia Castellum quoddam iis deditum. Vrbs autem Novi Castelli in Anglia vi à Scotis irrupta. Marescallus Castilionæus rectiùs valet. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet ac sospitet. Lutetiæ 19 Novembris 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. VICQVEFORTIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

03 DE felice nostrorum in mari prælio ut Nob. Vestræ, ita & plurimorum aliorum literæ dubitare ampliùs nos non sinunt. Neque multum discrepant à primis posteriores nuntii, nisi quod minor traditur Danicarum navium numerus & una nostrarum navium mari hausta, hominibus servatis, capta navi hostium. Restat ut cognoscamus an præter insignem gloriam & imminutas mari hostium vires animosque majores nobis aliquos fructus hæc res sit datura. Advenit ea anni tempestas quæ difficiles sit redditura in ipso mari navigationes. Dierum aliquot induciæ in Scania fabricatæ per Gallos & Batavos Legatos efficiunt, ut aliquid de pace in illis locis sperem, nam illa Germanica procedit tardiùs. Quanquam enim de instrumentis datæ potestatis videatur convenisse, nova Suedis offensa objecta est, non lectis Legatorum nostrorum literis in Francofurtensi Conventu, at cùm paris tenoris eorundem Legatorum literæ ad Principes singulos pervenerint, spero fore ut quibus pacis negotium commissum est, ii illico adsint in iis ubi id negotium tractatur locis. Multum ad celerandam pacem momenti adferet, si quid & D. Torstensonio bene evenerit. Hochstam audimus deditam Gallis hujus mensis die nono; à Franckendaliâ autem abiisse Gallos, ut Bavaros à Binga oppugnanda averterent. Etiam Rex in Hundsruchiam iverat, ut si posset impediret, ne Glenius conjungeret se cum Lotharingicis, qui adhuc ad Mosellam hærere graves circumjectis agris dicebantur. Crucenaci arx adhuc contra Gallos defendi dicitur, ut & Motta, quam sex mille obsident, tutantur contra mille quingenti. Sed Gallorum res prosperiores in illis locis fient adventu in illa loca copiarum Hassicarum, quæ erant in itinere. Ea virium consociatio quo feliciùs succedat, gaudeo transactam controversiam Transamasianam in eas conditiones, quarum summam intellexeram: nunc autem ipsas Nob. Vestræ beneficio accepi, pro quo gratias habeo. Papa satis bene valet, Camillum cognatum facturus Cardinalem dicitur. Finale aucto præsidio extra metum est à Gallis, at in Catalania res Gallicæ nutant. Nondum hinc abivit Harcurtius; & Salsonam, quod oppidum à Barcinone non longè abest, obsidere dicuntur Hispani sexdecim peditum, equitum quinque millibus. Fides autem Catalanorum nutat etiam Barcinonæ, ubi indigenæ multò Gallis validiores sunt. Regina Angliæ infirma est corpore. Pars maxima familiæ ejus ex protestantibus constat, pro quibus liberum religionis usum intra Luparam multum in id connisa obtinere non potuit, quod obstent Galliæ leges: sed hoc tantùm, ut ad preces in unum locum intra Luparam convenire ipsis liceat. Nobilissimo D. Crosiccio opto valetudinem leniorem, dignus est qui versetur in rebus maximis. Si quid in Transamasiano negotio adhuc promovendum restat dubitari non debet quin & Suedia, & Gallia omni ope annisuræ sint ne desint Hassico militi, unde se & nunc, & in posterum sustentet. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nobilitati Vestræ faveat. Lutetiæ 25 Novembris 1644.

Multus est Viennæ & Francofurti sermo de connubio inter Reginam nostram & Electorem Brandenburgicum, item de pace cum Ragotskio. Bavaricus vult mittere ad Colloquium Monasteriense, & ejus exemplo Principes alii. Bavarici bene muniere Stolhoviam, Hemishemium, Manhemium: spoliarunt Ringaviam. Imperator novum militem scribit in terris hæreditariis. Merciaci miles apud Lodenburgum, Heidelburgum & Winhemum esse dicitur. Lotharingici militis pars in Flandria, apud Gandavum, in Lutsenburgo, inter alios sexcenti Croatæ, Poloni ducenti. Rex Angliæ Oxoniam adierat. Parlamentarii ceperunt Tinmuthum & Levenpolam. Sperabant se habituros brevi oppidum Carlilan & arces Bassinam & Balveriam, in cujus valle dicuntur ab ipsis cæsi equites sexcenti, pedites trecenti. Apud Wodstobium erat pars præcipua Regii exercitus. Revocatur huc Motta Odincurtius, & rumor est parari classem navium longarum XX & aliarum XXXII. Sed tales rumores sæpe in fumos abeunt. Papa Cardinalem dicitur facturus fratrem Etrusci Ducis Ioannem Carolum Medicæum.

Nob. Amplitudinis Vestræ addictissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime,

ACcepi literas Excell. Vestræ datas XVII *Octobris* 1704
cum exemplo literarum missarum ad Francofurtensem Conventum & ad singulos Germaniæ Principes, ex iisdem literis & aliorum cognovi res nostras mari prosperas, in Scania non malas, ad Salam in spe bona. Gratias ago Excell. Vestræ quod me rerum quæ geruntur ignarum esse non patitur. Intellexi etiam quod Francofurti de illis literis actum sit, & miror imprudentiam ultro in se infamiam impeditæ pacis accersentium. Puto tamen in id profuturas literas ad singulos Principes missas, ut Electores, quibus id negotii datum est, ocius adsint in iis locis ubi de pace agitur, aut per se aut per Legatos,

gatos, ac sic quamprimùm veniri possit ad caput rei, quandoquidem disputationes super formulam datæ potestatis primùm à Suedis, deinde à Gallis præcisas audio, gaudeoque. Interim super ea quæ feliciter nobis evenere multa bona sunt in exspectatione; ex iis nimirum rebus quas molientur, & classis victrix, & Marescallus Hornius,& Torstensonius,quæ omnia ut Deus ad bonum Suediæ totiusque Orbis Christiani dirigat eum precor, simulque, Illustrissime & Excellentissime Domine, ut Excell. Vestram utilitatibus publicis diu servet. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Novembris 1644.

Tuæ Excellentiæ semper servire paratissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1705 LIteræ Nob. Vestræ ad me datæ 26 Octobris gratissimæ mihi fuere tum ob benevolentiæ in me testimonium, tum quod dubitare nos ampliùs vetant de felice in Balthico mari prælio, in quo magnæ sanè D. Wrangelii populariumque ejus virtutes emicuere. Videbimus an ista nostrorum felicitas alias nobis sit datura priusquam maris usum hyems præcludat, trucia Danorum ingenia vix aliter ad pacem flecti potuere. Quod si & in Gallassium Torstensonio belli fortuna faveat, multum id quoque valebit ad præcidendas pacis moras quas nectunt Austriaci & Bavarici. Multum gaudeo rebus ipsis apparere nullam Suedis culpam assignari posse negotii istius tarditati. De verbis sociorum mentionem facientibus disputari, an ea instrumento datæ potestatis inseri debeant, audieram; sed audio jam & Gallos cum Cæsarianis & Hispanicis de formula convenisse, inductos, credo, Suedorum exemplo, qui primi ad præcidendas controversias non necessarias fuere; at doleo Francofurti non ut oportet exceptas fuisse Excellentissimorum & Illustrissimorum Legatorum Suedicorum literas: spero tamen eas quæ ad Principes singulos missæ sunt effecturas, ut quibus id negotii datum est non ultra morentur se in vestris locis sistere. Avebo autem omnem negotii istius processum cognoscere, ut si aliter nequeo, votis id adjutem. Deus Nob. Vestram servet. Lutetiæ $\frac{16}{26}$ Novembris 1644.

Nob. Amplitudinis Vestræ studiosissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNIO, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1706 REsponsurus humanissimæ epistolæ Excellentiæ Vestræ ad me datæ $\frac{7}{17}$ Novembris, incipiam more veteri à rebus divinis. Etiamsi tam cruenta bella ortum prætextum aut alimenta non sumsissent ex Religionis dissidio, tamen arbitrarer Christianorum officium esse in id laborare, ut in idem corpus rediretur, quandoquidem & vocati simus in idem corpus, ut nos docet Gentium Doctor. Verùm etiam qui id optare se dicunt, dubitant an res sit sperabilis. Scio omnia Schismata quò latius patent, quoque diutius durarunt, eò esse insanabiliora tam multis oleum in flammam addentibus, & magis magisque inolescente in animis malo. Tamen non desunt exempla, ut in humano corpore, ita in Ecclesia sanatorum morborum veterum. Post Synodum Chalcedonensem latè per Orientem invaluerat schisma, duravitque per centum annos ad Iustinianum usque, cujus auctoritate renitentibus diu Episcopis Romanis, tandem verò Vigilio ad pacem se flectente, malum illud finem accepit. Etiam hoc quod nunc est schisma inter eos qui in Sedis Romanæ societate se continent, & inter eos Protestantes qui sincerè confessionem amplectuntur Augustanam posse sanari credidere Magni Imperatores Carolus Quintus, Ferdinandus, Maximilianus: credidit & Melanchton, virique eruditi alii quorum scripta ea de re extant. Didici à viris magnis, Henricum IV. Galliarum Regem dixisse eas conditiones se impetraturum Regi Angliæ & Protestantibus Federatis suis redeundi ad Ecclesiæ unitatem, quas honestè recusare non possent, propositumque ei Regi fuisse Episcopos sui Regni mittere in Angliam, ut cum ejus Regni Episcopis ea de re colloquerentur. Sed hæc ejus destinata non sine egregiorum virorum consiliis suscepta mors interrupit. Ego ut summa quædam disputationis capita attingam, ita censeo, dogmata, quæ sunt in Confessione Augustana, quæque in Concilio Tridentino, videri quidem distare multum ob voces ambiguas, quas alii aliter atque aliter sumunt: cæterùm ita commodè posse explicari à viris talium intelligentibus ac pacis amantibus, ut nullum superfuturum sit discrimen, nisi in iis quæ salva pace liberis eruditorum disquisitionibus relinqui possunt. Atque id satis apparere ex Actis Concilii Ratisbonensis. Ad communionem Sedis Apostolicæ posse recipi, qui plebi Sacramentum corporis & sanguinis Dominici dant sub utraque specie, & qui liturgiam habent aliam a Romana sed Catholici sensus, etiam in sermone populari, & quorum presbyteri sua retineant matrimonia, exemplo, & Maronitarum & Græcorum qui in Polonia sunt apparet. Quæ in Suedia & alibi correcta sunt in disciplina Cleri & populi, in prohibendis superstitionibus & sacrorum nundinationibus, ea non tantùm sic manere æquum est, verùm etiam sperandum restituta unitate, id exemplum secuturos populos alios, in quibus multi sunt qui nihil magis optant quàm ut quæ irrepsere vitia secundùm veteres canones tollantur. Vt rursum Ecclesiæ fiat utilis aut certè non noxius Episcopi Romani primatus, in eo non parum est difficultatis. Attamen qui consideraverit hanc causam non minùs ad Reges & Episcopos qui nunc Romanæ sunt communionis, quàm ad Reges & Episcopos Protestantes pertinere, quique perviderit cautiones quibus in ea re utuntur Gallia & tot Hispaniæ Regna, non desperabit posse rationes reperiri, per quas & Regum Imperia, & jura circa Episcoporum electiones in tuto locentur, & Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis maneant salva, quæ iis Canones & mores veteres concedunt. Quod si ab armis quies aliquando daretur Orbi Christiano, possent Reges qui in Romana sunt communione, & Protestantibus non malè volunt, adjuvantibus Episcopis ista Romæ præparare, ita ut bonus exitus sperari posset. Difficilia hæc, sed talia esse solent omnia magna, utilia, gloriosa. Et æquum est in rerum salutari, Deum confidere adjutorem fore. Et hæc quidem de re ista universa, quantum fert epistolæ ratio, dicta sunto. Venio ad ea quæ in Polonia cœpta non aliis quàm Pelsii literis cognovi antehac, nunc ex literis Excel. Vestræ chartisque transmissis cognosco ampliùs. In ea epistola quam signavit Princeps Radzivilius multa laudo. Velim etiam illas offensas, quas considerationum scriptor annotat, per Regis Poloniæ & Procerum prudentiam ac lenitatem amoveri. Venit mihi in mentem quod scripsit Thuanus, Protestantes esse suspicax hominum genus, nempe in Gallia, quia ibi sunt cæteris infirmiores: quod & in Polonia sic se habet. Solent autem qui minùs valent sæpe timere etiam tuta. Ego illis considerationibus expensis turpe futurum arbitror, Confessionem Augustanam in Polonia sequentibus, si Colloquium à Rege Poloniæ expetitum defugiant. Sed velim eos de modo agendi consilium sumere à Suediæ, quod Regnum est in illa Confessione primarium, Episcopis. An aliquid boni ex Colloquio expectari possit is demum judicare poterit, qui norit Episcopos Poloniæ ad hoc negotium delectos, an sint viri pii, veritatis & recti ordinis amantes, an & placidi. Quod si tales sunt, puto leni collatione quàm scriptis faciliùs intelligi posse quæ super singulis quæstionibus & ipsi & alii sentiant, & quæ via ad concordiam iniri possit. Quod si aliquando Regnum

gnum Suediæ, salva ea reformatione, quæ non in subtilibus controversiis & disputationibus scholasticis, sed in rebus solidis consistit, in Sedis Romanæ communionem restitui possit, videor inde mihi prospicere magnum bonum Ecclesiæ Vniversali, magna autem rei Suedicæ incrementa. Ad alia ut veniam, est sanè ut nobis gratulemur de tam felice prælio in mari pugnato, & de melioribus Torstensonii quàm Gallassii rebus, & de Hassorum adventu ad impediendos Hatzfeldii aut promovendos Gallorum conatus. Det Deus ventura ad eundem modum, denique Excellentiæ Vestræ labores ad pacem in Germania constituendam prosperet. Post publica liceat adjungere de privatis meis rebus aliquid. Scripseram de iis ad Excel. Vestram 29 Septembris, & cùm dubitarem an eæ literæ rectè pervenissent, repetii eadem 19 Novembris. Summa postulati huc redibat, ut liceret mihi uti beneficio, quod mihi Excellentissimus Dominus magnus Regni Suedici Cancellarius in magnorum damnorum solatium concessit, uti id est præ manu semper habere pecuniam unius temporis semestris, de qua rationes Suediæ debeam: idque ad sustinendos sumptus, qui non parum supra annua quæ mihi dantur ascendunt, ob aucta plus tertia parte rerum omnium necessariarum pretia, quod verum esse norunt omnes qui hic vivunt, aut vixere, inter alios Illustres Domini Comes Lagardius & Baro Oxenstierna. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, det Excellentiæ Vestræ res quà publicè quà privatim felicissimas. Lutetiæ 3 Decembris 1644. novi Cal.

Responsum super hac re spero me habiturum ante anni hujus exitum, res enim urget.

Excellentiæ Vestræ semper inservire paratissimus obligatissimusque H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1707 BEne est quod in dies certiores accepimus nuntios de felici in mari prælio. Femeræ non ita magnum est lucrum, sed Domini Wrangelii iter in Fioniam facit ut nostros credam Fioniæ imminere. De iis quæ in Scania aguntur & de Principis Danici valetudine certiora dies afferet. Multum quod Danus compedibus illis liberavit Fretum Orisundæ, & sic possessionem ejus nobis aliquatenus adjudicavit. Gaudeo post tot ambitus tandem ad ipsum pacis negotium ventum esse Monasterii, Deumque rogo eam rem ut prosperet. Legi cum voluptate Anckerhelmi literas Zelandicum quiddam olentes. Generosissimis Dominis Banneriis commendatum me velim. Exspectamus hic quò ituri sint Hassici, ad Torstensonium an ad Gallos. Harcurtius in Catalaniam nondum ivit. In ver proximum & Flandriæ & Germaniæ magna minantur Galli. Regis Angliæ res audimus loco esse non optimo, neque Regina Angliæ pro Rege marito suo quicquam hic promovet. Sunt hic alia quæ aguntur, & pecuniæ magna penuria. Deus, Clarissime Domine, servet Clar. Vestram. Lutetiæ 3 Decemb. 1644.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1708 POst res mari gestas etiam terra Mareschallo Hornio partam victoriam est quod nobis gratulemur, utraque utilis esse poterit ad edomandos spiritus Danicos nimiùm antehac feroces, ego qui semper pacis amator fui, gaudeo cepisse de ea agi seriò à nostris tum cum Danis tum cum Imperatore. Spero Deum aliquando miseraturum populos tam diu gementes sub tam gravi onere. Magna sum in exspectatione quid futurum sit de Iutia & Fionia; deinde verò uter prior à Sala sit recessurus Mareschallus Torstensonius an Gallassius: & quò daturæ se sint copiæ Hassicæ, tum verò, & quando de rebus præviis satis jam convenit Monasterii, & Osnabrugæ, quis ubi ad rem ventum fuerit, maximè se ostensurus sit pacis æquæ cupidum, qua de re ex conditionibus quæ proponentur judicabit totus Orbis Christianus. Hassici visi sunt in Halberstadiensi tractu. Hatzfeldii copiæ in Colburgico. Videbimus quò se daturi sint & hi & illi. Gallos à Wermeshemii obsidione repulit Ioannes Waertius. Comes Harcurtius nondum hinc abiit in Catalaniam. In Italia hibernatur. In Anglia vix est ut pax speretur, tam iniqua à Rege poscunt Parlamentarii. Baro quidam ex Languedocia hic in Bastiliam conjectus est, motus in illis locis creditus suscitasse, & parem ob causam de Parlamento Burdegalensi sexdecim interdicti munerum suorum functione. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 10 Decemb. 1644.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

AVt bona sunt aut in bona spe omnia quæ nuntiant literæ Clar. Vestræ datæ 5 Novembris, quando mari pacem jam hiems indixit, videbimus an per hæc tempora adhuc aliquid in Scania proficere possit Mareschallus Hornius: deinde an Wrangelius intercipere hostium in Iutia coëuntium copias: deinde verò an Galassius ad se tracturus sit Saxonicas & Hatzfeldicas copias, an verò interpositurus se sit Mareschallus Torstensonius, & an eum adjuturi sint Hassici. Hic nihil agitur, torpent omnia. Congregantur Ordines in Normannia, Britannia, Burgundia pecuniarum causa. Marescallus Turenæ peditatu parum valet, in apertum ultra duo millia producere non potest, & dicuntur illuc ire Dux Lotharingus, & Glenius. Hassici rogati à Gallis, ut se ipsis jungant excusant se ob pabuli penuriam. Fama hic est, de qua nihil affirmaverim, venisse ad Ragotskium XXV Turcarum millia, illud credi video, Visirium Offensem à munere suo demotum, ideo quod Ragotskio adversatus crederetur. Legati à Parlamento Londinensi apud Regem Angliæ fuere, sed nihil effectum arbitror: non enim colloquium petebant, sed nudum responsum ad conditiones iniquissimas. Sed Walleri copias ajunt à Regiis cæsas. Papa cudit IX novos Cardinales. Placent mihi quæ Monasterii & Osnabrugæ acta sunt circa ea quæ in vestibulo pacis negotium morabantur. Deus principale negotium ad eum perducat exitum, quem optant tot populi bello tam longo ac gravi ad majores quàm dici potest miserias redacti. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestræ faveat. Lutetiæ 17 Decembris 1644. 1709

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. VICQVEFORTIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

EXcusatione nihil opus, damus hanc veniam & petimus vicissim, quàm sæpè negotia exigunt; & libera debent esse ista non minùs, quàm maris commercia. In Epistola Nob. Vestræ data 5 Decembris multa mihi pergrata sunt, sed imprimis de meliore valetudine Domini Crosuicii, quem pluris facio quàm verbis exprimere possum. Est planè natus ad res magnas. De literis Nob. Vestræ nihil dixi supra rem, plura dicere non audeo, ne, non dicam adulari, quod nunquam potui, sed nec blandiri, quod nec ipsum bene novi, videar. In Scania puto hyberna Suedis quàm Danis fore meliora. Magni sunt viri qui à Suedia quique à Dania ad pacificandas istorum Regnorum res mittuntur. Ferocior erat Danus quàm ut sine magno suo malo ad conditiones æquas perduci posset. Ordines Fœderati circa honoris signa magnas reperient controversias paratas sibi. Nimis infla- 1710

 runt

runt utrem. Via illa media quàm ingressi sunt enato hoc inter Suedos & Danos bello, sæpe nulla via est, nec amicos parat, nec inimicos tollit. Sed multa video in ista Republica ex rationibus privatis magis quàm ex communibus utilitatibus agi. De Principe aut Rege designato Daniæ mirum nihil adhuc ad nos certi pervenisse. Magna est exspectatio an Saxonici & Hatzfeldici se juncturi sint cum Galassio apud Magdeburgum aut alibi: & si id eveniat, Hassici se addituri sint Torstensonio: & quod iter capturus sit Torstensonius. Dux Lotaringus & Glenius versùs Maguntiacum ire hic putantur. Nescio an verum sit XXV millia Turcarum venisse ad Ragotskium: sed credi video Visirium Offensem ab ea Præfectura demotum, quod minùs quàm debebat res Ragotskii promoverit. Deo gratias ago quod meliùs valet D. Crosuicius, & spero Ordines Fœderatos prudentia sua effecturos, ut quiescant res Transamasianæ. Monasterii & Osnabrugæ cùm de præviis ad pacem rebus transactum sit, spes est brevi appariturum qui sint qui pacem velint. Germani Principes & Civitates, si ipsi suam libertatem non curant, nemo externus eos liberos præstare poterit. Berushemum intelligimus à Bavaro vi ereptum Gallis, & tantundem eos de Winshemo sperare: esse autem dicuntur Bavari partim ad Heilbrunam, partim in Montanevio. Magalottius autem & Vaubecurtius Lotharingia non exeunt. Motta premitur. Elbeuvius huc venit: exspectatur & Gassio valdè inter se discordes. Nobilitas hic lege data iis qui jam moribus eam obtinebant, literis Consiliariorum Parlamenti, Grandis Consilii, & Rationum. Ad pecunias quærendas Ordines in locis ubi is mos est convocantur, euntque ea de causa Princeps Condæus in Burgundiam, in Normanniam Longevilius, in Britanniam Armoricam Milleræius, qui mox Romam iturus dicitur obedientiæ testandæ causa Legatus extra ordinem, ordinariam ibi legationem obituro Plessæo Pralino; nam Santichaumontius huc revocatus redit, rebus non ex Regentium voluntate gestis. Mediolani parcendæ pecuniæ augentur cohortes, minuitur præpositorum numerus: exspectantur ibi pecuniæ à Neapoli, tempestas verò impedit quò minùs equites ex Italia in Hispaniam transiere. Rex Hispaniæ Madriti esse dicitur: contra Tangres ab Hispanis captas Galli se consolantur quingentis Hispanorum cæsis. Sed & Marchio Tarracosæ in Portugalliam nuntiatur intrasse. Papa IX Cardinales facere meditatur, & Legatis Regum contra Præfectum urbis locos priores adjudicavit. Barbarini dicuntur tres milliones offerre Duci Longavillano pro Dynastia Novi Castelli apud Helvetios. Piccolominæum audimus & aliis auctum honoribus & Velleris aurei. Regina Angliæ non probat quæ facit Elector Palatinus: Walleri copias à Regiis credit cæsas: de pace nihil sperat ob iniquissimas conditiones quas à Parlamento Legati ad Regem attulere. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestram sospitet. Lutetiæ 17 Decembris 1644.

Audimus 24 Novembris apud Wechaviam Hatzfeldium fuisse aut ejus copias, Grotzium in montibus Walachiæ capto Ledomacho multum incommodare Olmitiæ. Glenium minari Hassiæ Cassellensi. Princeps Ludovisius ambit virginem natam ex fratre Pontificis. Galli in Italia, in Languis & Montisferratensi ditione capiunt hyberna, Hispani in tractu Genuensi. Bavarus vult credi se verè habiturum militem ad XXV millia.

Nob. Ampl. Vestræ addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1711 QVò major est epistola Clar. Vestræ scripta 12 Novembris eò gratior: & hoc magis quod plena est lætis nostrorum rebus. Cum iis quæ Clar. Vestra ex literis Illustrissimi Marescalli Torstensonii depromsit congruunt ea quæ ex aliis locis scribuntur. Addunt quidam etiam ad Magdeburgum novam cladem illatam Gallassio & Saxonibus. Bellum maritimum differetur, ut credibile est, in ver proximum. Interim non quiescunt: neque in Scania Marescallus Hornius, neque in Holsatia Iutiaque Wrangelius. Proprium enim est Suedorum etiam hyemem habere actuosam. Pecuniam Danis non esse quanta opus sit, facilè credo: magnaque eum premeret paupertas, si Freti Orisundæ usus ei posset eripi, aut certè Suedia in ejus venire partem. Ordines Fœderati Batavi spectatores esse nostri cum Dano belli quàm participes maluere. Fieri possit, ut nos vicissim spectemus illorum cum Dano discordias, quæ vix videntur evitabiles. Et multi in Batavis ad arma proni sunt: sed vincunt consilia, quæ timidi cauta vocant, & quædam occulta in Suedos invidia. Si Legatos Monasterium mittant Batavi, magna illis imminent de honorum signis certamina: quare sunt qui putant eos in præsens missuros aliquem minore cum titulo. Quæstio illa duarum Societatum cum damno societatis Asiaticæ terminabitur. Filium Principis Arausionensis huc venturum non puto. Anno qui advenit videntur & Galli & Batavi Flandriam magna vi impetituri. Alibi si quæ habent defendere poterunt Galli, multum id erit. Res pecuniaria difficillimè expeditur. Nondum abiit hinc in Catalaniam Harcurtius. Dux Anguianus in Germaniam se iturum dicit, in Flandriam Dux Aurelianensis. Lotharingici & Glenius frustra tentato Castalauno & Bacharaco ad Mozellam rediere, à Bavaricis deditum est Winshemium. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 24 Decembris.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNIO.
Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

MVltas ago gratias pro literis ad me missis 28 Novembris & additis chartis. Valde probo quod sæpius invitentur Imperii Germanici membra ad ea loca in quibus agitur de constituenda per Imperium pace, ut si adsint consilia sua tribuant, sin minùs, norint in posterum non Suedos, sed semet suæ causæ defuisse. Neque culpari possint Suedi, si, securi de illis qui rerum suarum curam non habent, sua ipsi curent. Video etiam tot tamque bonas vias ad pacificas collationes offerri Cæsarianis Legatis, ut omni humano generi satis sit constiturum belli moras ipsis non posse imputari. Hæc spero & Deum nobis dabunt faventem & æquos omnes. Veneti quoque non habebunt quod nobis succenseant: post res enim mari feliciter gestas, multa etiam in Norvegia, Scania, Holsatia, Iutia, bene nobis procedere, est quod gaudeamus. Sunt hic etiam rumores multis ex locis, de nova clade quam apud Magdeburgum Saxones & Galassius acceperint, qua de re certiora exspectamus. Mihi nihil sit gratius, quàm si in his magnis negotiis utilem aliquam operam Reginæ Regnoque pro summis in me beneficiis præstare possim. Non dubito quin Excellentiæ Vestræ cordi sint res Landgraviæ, præsertim illæ in Transamasianis locis. Qui in Batavia plurimum valent, non optimè ei volunt, & solent sæpe privata præferri publicis. Nostrum esse arbitror omnibus modis devincire & in societate amicitiaque nostra retinere feminam Principem, optimè de re communi meritam, magni animi atque ingenii. Quod de libertate Trevirensis Antistitis Galli movent, id mihi videtur intempestivum: nam talia ad principale negotium pertinent, neque solent in antecessum obtineri, sed & hoc & alia mihi persuadent eos qui plurimum in Gallia possunt, pacem seriò non velle. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiam Vestram sospitet. Lutetiæ $\frac{14}{24}$ Decembris 1644. 1712

Excell. Vestræ semper servitorus H. G.

MA-

MARESCALLO TORSTENSONIO.

Illustrissime Domine,

713 TRibunus in exercitu Suedico cui feliciter ac gloriosè imperat Excellentia Vestra, D. Saracenus, natus ex familia nobili Genevæ, rebus suis privatis ita cogentibus, per aliquod tempus apud suos fuit, neque inde potuit nisi rebus ordinatis discedere. Moræ suæ caussas mihi explicavit sanè justas. Et nunc video eum quantum potest properare, ut partem aliquam habeat in illis victoriis quas post tot alias Excel. Vestræ fortitudo & prudentia & Deo favente felicitas nobis spondent. Rogo Excel. Vestram ut Vir egregius & quem suæ virtutes commendant, etiam hanc meam sive excusationem sive commendationem sentiat profuisse. Ego plurimum gaudeo me sæpissime materiam habere loquendi in publico de rebus actis per Excellentiam Vestram, quæ cùm sint magnæ, Deum precor, ut indies fiant majores, utque Excell. Vestra, Illustrissime Domine, diu bono patriæ suæ vivat, valeat, triumphet. Lutetiæ $\frac{2}{1}\frac{1}{7}$ Decemb. 1644.

Excell. Vestræ semper serviturus H. G.

D. APPELBOOM.

14 TAnta specimina & virtutis & prudentiæ dedere D. Torstensonius & D. Wrangelius, ut omnia prosperrima ex illis locis sperare debeamus, quæ res me reddit, alioquin ad ea quæ læta nobis nuntiantur non nimis credulum, ut facilior nunc sim ad credenda talia quàm fui antehac. Duplex nostrorum victoria hic vulgatur, altera de Galassio in itinere ad Magdeburgum, altera in abitu Galassii à Magdeburgo: quod si ita se res habent, ut dicitur, brevi spero Magdeburgum, fore in nostrorum potestate. Accepi ea quæ Monasterii de pace aguntur. Videntur mihi Suedi magis se tenere intra æqua quàm alii. Nam quod Imperator ad statum anni 1630, Hispanus verò ad formulam Vervinensis pacis res vult redigi, in eo nimium sibi blandiuntur. Alia tempora alias voces postulant. Videtur & in Gallorum postulatis aliquid esse nimium. Nam ut Elector Trevirensis suos possit mittere non minùs quàm Principes alii, probo. Restitutio autem in integrum illius non magis per antecessum peti potest quàm Principum aliorum. Pertinet hoc ad caussam principalem. Sic rationis est ut Principes & Civitates mittere possint ad loca Colloquii; sed ut cum toto Ordinum Conventu res pacis tractetur, non magis in Germania moris est quàm alibi; ita ut mihi non iniqua videantur quæ in hac re dicunt Cæsariani. De Lotharingo quod hi proponunt est, cuneum cuneo opponere. Deus sedet animos turgentes, misertus tot innocentium qui graves pœnas pendunt alienæ moræ. Regina Angliæ pecuniæ aliquid accepit à Regina Regente Galliæ, eam mittit ad maritum in Angliam. Rex Angliæ Legatos suos Richemontium & Suthamptonium misit ad Parlamentum Angliæ quod est Londini. Sunt qui pacem sperant, ego ægrè id persuadeor. Robolledus præsidium auxit quod erat in arce Crucenaci. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 30 Decembris 1644.

La Motta à Gallis seriò obsideri incipit.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

5 EGo partim natura partim studiis ita factus sum, ut omnibus triumphis pacem potiorem existimem: non quod mea id magis quàm aliorum intersit, sed quod misereat me Achivorum, qui plectuntur quicquid Reges delirant. Quicquid Suedi circa pacis negotium egere, mihi probatur. Gallos quod attinet, quò magis inspecto consilia illorum, qui hic digito res temperant, eò magis credo amari ab illis bella externa, non tantùm ut domestica evitent, verùm etiam quia multis modis fruuntur aliorum malis. Sed qui propiùs adsunt illis negotiis meliùs & de iis judicare possunt. Vt pax tractetur cum toto Ordinum Conventu moris non est, nec in Germania, nec in aliis Regnis ubi Ordines multum possunt. Satis est quod à Rege aliqui ad eam rem consultis Ordinibus delegantur, & quod quæ acta sunt Ordines approbent, ut vim certam atque perennem habeant quæ sunt acta. Postulatum autem illud, ut Trevirensis Elector restituatur in libertatem, ac possessionem suarum ditionum, bonorum, dignitatum, videtur esse præcox nimis & ad caput negotii, cujus magna pars erit dejectorum restitutio, pertinere. Cogitandum etiam est nullum nunc esse Principem, excepta fortè Landgravia, qui Gallorum opem imploret; imò qui non aliquid incommodi ab Imperatore pati malit, quàm Gallis prætextum præbere retinendi alia Imperii Germanici loca, quomodo retinent urbem Mediomatricum, Tullorum, & Viridunorum, id est animo nunquam reddendi, sed annectendi ea Galliæ, jure, ut loquuntur, unionis. Sed Cæsariani quoque mihi videntur nimis suis studere rebus, cùm pacis conditiones volunt redigi ad eam formam, ad quam se res habuere anno 1630; & cur non potiùs ad illam anni 1618? Durum verò, quod Austriacis Galli malam fortunam exprobrant, cùm vices bellorum sint valde mutabiles. Nescio quid serus vesper vehat. Elector Trevirensis, ut suos non minùs quàm alii Principes ad locum Colloquii mittere possit æquum est. Quo autem in statu is Antistes nunc sit Viennæ disci debet. Misit hinc Regina Angliæ pecuniæ nonnihil ad Regem maritum, quod ipsa à Regina Regente Galliæ exceperat. Rex autem ad eos qui Parlamentum Londini componunt Legatos de pace misit Richemontium Ducem & Comitem Suthamptonum; serione an ut diem ducat, & semina discordiarum quæ sunt in Parlamento augeat, dubitatur. Hic omnia quieta. Bellum in ver differtur. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestræ favens adsit. Lutetiæ $\frac{2}{3}\frac{0}{1}$ Decembris 1644.

Mottam in Lotharingia undique circumvenere Galli: Erupere qui intus sunt, sed improsperè.

Nob. Ampl. Vestræ ad obsequia paratissimus H. G.

IOANNI CORVINO.

Vir Clarissime & Eruditissime,

IN negotio quod mihi commendaverat Clar. Vestra 1716 nihil promisi quod non animo promtissimo eram præstiturus. Merentur id & virtutes summæ Clar. Vestræ & vetus inter nos amicitia; legi cum voluptate Enchiridion & legam quæcunque à Cl. Vestra prodibunt: quare ita leges humanas tractare, ut & divinarum tam feliciter tractatum studium non omittat, gaudeo publico nomine: eoque magis, quod via illa, quàm Clar. Vestra insistit meo judicio est optima. Nec ullæ quamvis blandientes novitates abducent me ab ista via, quam tot viri sapientes, pii, eruditi tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ instituerunt. Episcopum Bellaium novi non ex scriptis tantùm, sed & ex colloquiis, vir bonus est, & in controversiis tritus: ostendit id non in illo tantùm libro cujus Clar. Vestra meminit, & quem plurimi facio, sed & in aliis, quales sunt: *Les Demolitions des fondemens de la Doctrine Protestante. La Confrontation des Confessions de Foy de l'Eglise Romaine & Protestante avecque l'Ecriture Sainte. Les Reparties succinctes à l'Abregé des controverses de Drelincourt. Les Antitheses Protestantes ou l'opposition de l'Ecriture Sainte, & de la doctrine des Protestans selon la version de leurs propres Bibles.* Est is in maximo Monachorum odio, ideo institutionem populi illis vult eripere, & dare Ordinariis,

riis, id est, Episcopis & Presbyteris quos, *Curatos* vocant. Magni fit ab Episcopis. Est autem vitæ non tantùm inculpatæ, sed & admirandi exempli. Velim ab iis qui Confessionem Anglicanam sequuntur aliqua edi placidiora quàm multa quæ vidi; à Iohannis Arndi Discipulis talia exspecto. Gaudebo etiam si à Clar. Vestra colligantur ea quæ sedandis animis inservire possunt. Nec dubito quin eidem labori faveant viri apud vos egregii, quales D. Vossius & D. Barlæus, quibus me unicè commendo. Fine anni 1644. Lutetiæ.

Velim edi quæ olim Abrahamus Mylius pro pace Ecclesiæ elaboravit.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNIO, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1717 REctè accepi literas Excellentiæ Vestræ datas $\frac{7}{17}$ Decembris, summasque gratias ago tum propter benignam admodum rerum mearum curam, tum quod de rebus Germanicis ea edoceat quæ mihi ad dirigendum sermonem erunt utilia. Placet inprimis quod Bambergensis & Herbipolensis Episcopi, Circulus Franconicus & alii gratos habent labores, quos gens Suedica suscipit pro Germaniæ libertate. Velim autem eorum Legati, quacunque cum potestate venturi sunt, veniant quamprimùm, ne eorum mora obstet Colloquiis de pace à tot populis desiderata. Magnas sanè res brevi tempore peregit D. Marescallus Torstensonius, cùm illum tam magnum tamque formidabilem Gallassii exercitum, ita partim præliis partim ademto victu & pabulo exhausit, ut tenues ejus reliquiæ ægrè Magdeburgi mœnibus periculum ultimum à se pepulerint. Ea res & Cæsarianos & Danos debet impellere ad pacem quamprimùm expetendam. Ego ut augeatur Gallorum ad superiora Rheni exercitus apud Reginam & alios instabo, & adjutorem in ea re habebo Ducem Anguianensem qui illuc redire constituit. Cardinalis an mihi adeundus sit de eo mandata Reginæ Dominæ nostræ aut Magni Cancellarii exspecto. Interim Comes Bryennius Secretarius Status ad res externas quæ nos ad eum perferimus, perfert ad Cardinalem jussu Reginæ. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ det res publicè privatimque prosperrimas. Lutetiæ 7 Ianuarii 1645.

Excell. Vestræ semper promptissimè serviturus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1718 LIbenter admodum cognovi certiora & distinctiora omnia per literas Cl. Vestræ scriptas 26 Decembris de iis, quæ rumor antegressus satis confusa nuntiaverat: restat discamus quæ sit fortuna futura Hatzfeldii & Gallassii qui Magdeburgi esuriunt: non dubium quin omnes hi nuntii valde perculsuri sint animos Danorum, rebus apud ipsos satis malis, & nulla spe auxilii externi. Vidi quæ in pacem proposita sunt à nostris, à Gallis, à Cæsarianis, ab Hispanis. Nostri responsum ut video Cæsarianorum ad suum scriptum exspectant, atque interim adventum membrorum Imperii Monasterium & Osnabrugam, & ratihabitionem Instrumenti Cæsarianorum Procuratoris, ita ut reformatum est. Quiescitur in Gallorum hybernis, nisi quod Motta obsidetur, & arx Crucenaci, incerto adhuc eventu. Lotharingus hoc anno videtur militaturus Hispano, adversùs quem Batavi brevi procedent cum exercitu. Exspectamus quis futurus sit exitus consiliorum Regis Angliæ in ea pace quam proponit Parlamentariis, inter quos non levia sunt initia discordiarum. Constantinopoli non magna habetur ratio Legati Cæsariani. Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestram & hoc anno & sequentibus felicem præstet. Lutetiæ 7 Ianuarii 1645.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

SIcut annus hic ex omnibus partibus bonos nobis af- 1719
fert de rebus Suedicis nuntios, ita felix etiam Suedis singulis & inter eos Clar. Vestræ procedat. Pulchræ sunt D. Wrangelii copiæ pro hoc tempore, quo in tot partes distractæ sunt Regni Suedici vires. Plena Iutiæ possessio magno esse usui poterit ad res transmarinas, ubi veris aura mare fecerit pervium. Si & Proceres & plebs Danica partim sensu præsentis, partim metu majoris mali pacem desiderant, Rex Daniæ contra nitendo periclitabitur, ne aliquando cætera de illo vaticinia rata fiant. Magnum sanè est damnum receptum à Danis clade ultima, si vel illorum æstimationi creditur. Pacis Colloquia tum in Scania, tum in Westfalia ut exitum habeant bonum generi humano, speciatim verò rei Suediæ, Deum veneror. Galli Crucenaco capto, loca Transrhenana gravibus tributis exsugent, ut jam facere cœperunt, impedientque itinera Hispanis & Cæsarianis per ea loca. Harcurtius nondum quidem hinc abiit, sed familiam & sarcinas præmisit Catalaniam versùs. Volunt Galli in Germania militis nonnihil scribere. Lutetiæ 14 Ianuarii anni 1645. quem Deus, Clarissime Domine, Cl. Vestræ det felicem.

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

Nobilissime Domine,

ACcepi Literas Nob. Vestræ in quibus est mentio præ- 1720
dii Burwestereani: nihil malim ego quàm rata esse omnia maximi Regis Gustavi beneficia, quia hoc non tantùm ad rem & famam eorum qui bene sunt meriti, sed ad ipsius quoque memoriam ornandum pertinet. Quare ubi sciero qua via optimè vobis inservire possim, experiemini me esse, qui semper fui summum cultorem Camerarii nominis. Deus, Ill. D. parentem Vestrum & Nob. Vestram & hoc & aliis multis annis servet incolumes, & florentes. Lutetiæ 14 Ianuarii 1645.

Nob. Vestræ Addictissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Vir Clarissime,

PRo labore quem in rebus meis suscipis summas habeo 1721
gratias. Desidero omnia nostra extrudere. Scis quid de hæredum negligentia scripserit Plinius Minor. Vidi specimina Anthologiæ, non displicent Typi. Planè autem velim editionem fieri in quarto, ut respondeat Stobæano & Excerptorum, quod si unius voluminis nimia est moles, dividatur in duo. Omnino enim puto Latina opponenda Græcis non columnatim, sed paginatim. De Virgulis Stephanicis, si eas mutare Blavius non potest, debebit propriorum nominum primam literam facere majusculam. Cætera Index tuus explicabit. Magnam habeo Clar. Vestræ gratiam, quod annum hunc mihi felicem precatur: maximam verò quod sua vota cum meis conjungit pro pace Principum primùm Christianorum, deinde etiam Ecclesiæ, cujus dilaceratio tot nobis bella peperit aut aluit. Deus tam pium tuum animum suis eximiis beneficiis in dies magis magisque ornet. Lutetiæ 21 Ianuarii 1645.

De Ignatio non possum non aurem tibi vellere; dignus is labor vestro genere.

Clar. Vestræ addictissimus H. G.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Virorum præstantissime,

1722 NOn possum eloqui quantum me delectarit epistola reverendæ D. Vestræ & quidem tam longa ab homine occupato. Constat nunc mihi ratio laboris mei ad Vetus Testamentum cum lectorem habui D. Vossium, satis in eo uno est mercedis. Non ita sum Socraticus, ut dicere velim in eo opere nihil esse utile, non tamen tantum quantum velim. Et ne ejus rei culpam omnem in me suscipiam, sciendum est, nec tempora mihi fuisse libera, nec ad manum libros quos vellem. Tamen puto me fecisse rectiùs, quod eam sumserim operam, quàm si ea abstinuissem. Non dubito quin futuri sint obtrectatores, tum ex illis qui omnia improbant, quæ non didicere, tum ex illis etiam qui honorificum sibi putant fore & in questu habent Grotium lædere. Vestra de Passione & Resurrectione Servatoris nostri velim videre quamprimùm: Quod si per ista quædam nostræ sententiæ firmabuntur, in eo non gaudium mihi erit, sed planè triumphus. Poëtica jam multis hic promisi: & pridem pro illis ex sponsu teneor. Rogo igitur Rev. Cl. Vestram ut fidem meam liberet. Incipiunt jam edi nostra ad Acta & epistolas Apostolicas & Apocalypsin. Vrgebo operas quantum potero. Vbi Anthologia nostra prodierit, si volet Blavius nostra ad Vetus Testamentum & ad Euangelia recudere, habebit accessionem non tantùm ex versione Latina Græcorum & Hebraicorum, sed & ex aliis rebus quibusdam. Viro sanè eximio Francisco Iunio multum debeo ob opera ejus, multò plus ob vitæ exemplum, quod mihi perpetuò ob oculos versatur. De glossematis & barbaris vocibus commentationem omnino & adolescentioribus & provectioribus utilem futuram judico, nec indignum sanè quicquid posteros juvare potest. Deus qui eò magis nobis obtestandus est quò propiùs ad vitæ hujus calcem accedimus, det Rev. Præstantiæ Vestræ uxorique Iuniæ mitem ac valentem senectam & liberos conspicere florentes utriusque stirpis virtutibus. Lutetiæ 21 Ianuarii 1645.

Rev. Præstantiæ Vestræ observantissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

23 PRinceps Condæus absoluto sermone quem apud eum habueram de publicis negotiis, cœpit loqui de Colloquio in Polonia super Religione, dixitque se in Germania vidisse ritus qui Augustanæ sunt Confessionis, cum multis etiam eruditis collocutum. Pro certo autem se habere levi labore illos posse restitui in communionem Sedis Romanæ & tot populorum, Sedi Romanæ adhærentium. Putabat autem non admittendam Monachorum turbam, ut quæ, ut nunc res se habent, plurimum noceret tum Ecclesiæ tum Reipublicæ. Mihi autem & hoc in mentem venit, audivisse me à Suedis etiam ante hoc divortium quod Orbem Christianum exagitat, tenuem fuisse Romani Episcopi potestatem. Id fecit, ut Taciti verba reminiscerer: Laudatorum Principum usus ex æquo; sævi proximis ingruunt. Sed hæc supra spem prope humanam posita moderabitur Deus. Interim puto hominis esse Christiani optare non tantùm Principum Christianorum inter se, sed & Ecclesiæ pacem. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, det Excell. Vestræ omnia prosperrima. Lutetiæ $\frac{21}{31}$ Ianuarii 1645.

Excellentiæ Vestræ semper serviturus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

ESt sanè quod Deo gratias agamus etiam de anni inchoati rebus prosperis. Accedunt & spes magnæ, quas 1724
nobis spondent Reginæ pietas, ducum prudentia, exercituum fortitudo, hostium res ubique perturbatæ. Imperator Hatzfeldium instruere copiis non potest, nisi ut Hungariam nudam præbeat Principi Ragotskio, fortè & Turcis. Saxo mala sentit iniquæ pacis. Rex Daniæ pecunia caret. Nobilitas & plebs Regni istius fracti cladibus languent. Ad belli mala morbi accedunt. Vide quàm multa quæ ab hominibus nec effici nec prospici poterant, Deus nobis confecerit. Mors Reginæ Polonicæ Austriacam ibi factionem prostravit, & consilia transtulit in melius. Moscovitas Danus infestos Suediæ facere voluit, ipse nunc sibi experitur infestissimos. Pergamus prodesse quàm plurimis, & bello nihil nisi pacem quærere. Deum beneficiorum suorum non pœnitebit. Dignus erat Anckerhelmius qui tantæ Principi, quanta est Regina Suediæ militaret. Valde autem placet admirabilis illa consensio Reginæ nostræ, Senatorum, Ordinumque Regni. Spero autem Batavos tandem discussa nube visuros quid ipsorum intersit. In nostro cum Danis bello nihil puto peccasse Illustrissimum D. Baronem Oxenstiernam quod Idus pervigilii ante natalem Dominicum spectare voluit. An eadem futura sint consilia Legatorum Suediæ & Galliæ circa rem pacis, dubito, cùm video frui bello eos quorum in manu est res Galliæ. Testes æquitatis Suedicæ erunt Germani Principes & Civitatum Rectores, quos ad loca istius negotii festinare gaudeo, ut aliquando abscissis tricis ad rem ipsam veniatur. Galli & Argentorati & alibi studium suum pro libertate Germaniæ multum ebuccinant. Cæsi & Hispanorum quidam Gallorum Bapalma egressi. Sed Wattam Hispani frustra oppugnaturos se sperarent gelu beneficio. Portugalli quidam apud Talaveram cæsi. Harcurtius nondum hinc abiit. Marchio S. Chaumontius ne huc veniat pedum ægritudinem adfert, juvante ejus excusationem Papa. Deus, Clarissime Domine, servet Clar. Vestram 21 Ianuarii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

MVltum me delectarunt quæ continentur in literis 1725
Clar. Vestræ datis 15 Ianuarii, nec me tantùm sed & Ill. D. Baronem Guldenstiernium & D. Hambræum, qui nobis post paulo quàm illæ allatæ sunt, adfuere. Deus novum Reginæ Regimen augeat ornetque rebus prosperis terra ac mari: nec in belli tantùm negotiis, sed & pacis. D. Marinus in suis literis de Suediæ commodis & gubernatione præclara scribit. Dignus planè est cujus habeatur ratio. D. Bickeri & Stavenissæ injussum reditum credo causas habuisse privatas, sed quæ publico obtentu velantur, qualia multa fiunt apud Batavos. Cæterùm non despero quin Hollandiæ Zelandiæque exemplo cæteræ quoque nationes visuræ sint aliquando, non tantùm quanti momenti sit fœdera exactè servare, verùm etiam quàm nulla sit hoc tempore amicitia societasque ipsis tutior & utilior quàm est Suedica, quod multis rationibus comprobare possem, scripsique ea de re ad complures. Pro ut armorum nostrorum erunt successus tum ad mare Balthicum tum ad Albim, ita opimæ magis aut minùs erunt nobis pacis conditiones, cujus quidem utrisque in locis magna ego impedimenta & sentio & prospicio. Scriptum illud pro justitia Suedicorum armorum contra Danos si aliud est ab eo quod habuimus, videre avebo. Nihil enim est ad eam causam pertinens de quo

quo non amem instituti. Miror istam militum copiam quæ in Suedia reperitur. Plurimum laudo consilium Reginæ nostræ, ne Iutia & quæ ei vicina sunt magisque ad nos pertinent negligantur ob libertatem Germaniæ, quæ ipsis, quorum res agitur, cordi non est. Galli non apud Hamburgum tantùm, sed & in Leodico & apud Argentoratum corradunt militem. Multi veteres in Catalaniam eunt, nondum hinc digresso Harcurtio. Princeps Thomas Gallis non levibus de caulis suspectus est: neque tamen puto eum iterum mutaturum partes. Barbarinis & Romæ & per omnem Italiam insultatur. Rex Angliæ in ver proximum ex omni fere Italia auxilia sperat, & diem ducit. LV millia ducatorum à Neapoli mittuntur Mediolanum. Papa Principem Casimirum Cardinalem vult facere. Regi id Poloniæ probatum, dummodo Casimirus Sacerdotem se faciat. Hic Mileterius cum delegatis à Synodo Carentoniensi disputavit de Iustificatione, nihil effectum est aliud quàm quod rationes partis utriusque perscriptæ sint. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestræ semper faveat. Lutetiæ 28 Ianuarii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime Domine,

1726 GRatias ago pro literis ad me datis postride Calendas Novembris. Placent omnia præter incommodam Nob. Vestræ valetudinem: eam ut in optimum statum reponat Deum precor. Accepi antehac Edictum latinum Reginæ nostræ ad Reges & populos exteros de bello in Danum. Accipio nunc etiam responsum factum à nostris sermone Germanico contra Edictum Danicum: per quæ satis armatus sum ad tuendam causæ nostræ æquitatem. Nec habent quod opponant qui hic res gubernant: Sed velint nos quòvis modo ab illis armis discedere, ut totis viribus in Germania utamur. Ego, ut meum est ingenium, pacem opto ubique. Cæterùm puto bellum in Danos & utilius esse Suediæ & causas habere magis necessarias. Libri mei non tanti sunt, ut etiam in Septentrione legantur, præsertim ab hominibus occupatis, qualis est Nob. Vestra. Quia tamen ipsa id expetit, mitto indiculum. Cum Nob. D. Scheringio Rosenhanio literarum commercium diligenter colo. Deus, Nobilissime Domine, Nob. Vestræ semper sit propitius. Lutetiæ 4 Februarii 1645.

Nob. Vestra servire semper paratissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ, Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1727 PRo literis Excel. Vestræ datis $\frac{9}{19}$ Ianuarii plurimum debeo, non tantùm ob benevolentiæ testimonia, verùm etiam quia ea me docent, quæ scire meâ in hoc interest, ut meliùs fungi mandato mihi munere & ea quæ nomine Reginæ nostræ agantur possim defendere. Video duo esse quæ Colloquiis de pace moram injiciant: quorum alterum ad mortuum alterum, ad viventes pertinet. Spero Cæsarianos sapientiores fore, quàm ut cum larvis luctari velint. Requiem defunctis: nihil ob id deteriores erunt res Castellanæ, si Bottero honesta sepultura Suedorum pio officio contingat. Postulatum verò pro Stralsunda, ut ea civitas mittere suos ad Colloquia possit, evidentem habet æquitatem. Habent enim etiam illæ Civitates quæ sub Principibus sunt, ut Stralsunda, Rostockium, Wismaria, jus tamen paciscendi de iis quæ ipsas ipsarumque commercia possunt reddere tutiora: nam & partes fuere Ansiatici fœderis. Adde quod nec Ordines Imperii id impediunt, nec Elector Brandeburgicus. Imo etiamsi ea civitas census esset longè depressioris, tamen licere ei debet, quod nec privatis adimendum est, ut querelas & desideria sua ad talem Conventum perferre possint. Nam adhærentium nomine comprehendi quosvis qui in partibus fuere docent nos Iurisconsulti, ut Bossius titulo de unionibus & colligationibus num. 3. multique alii. Nec potest id in dubium vocari ab iis qui voces istas intelligunt. Gaudeo plures pluresque advenire missos ab iis qui jus sententiæ dicendæ in Imperio habent. Pridem verò audimus moliri id Imperatorem, ut plenum Imperii Conventum contrahat Ratisbonam. Sitne id usu Germaniæ & promovendæ paci, illorum est expendere quorum res agitur, quos invitos ne salus quidem servet. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ & hunc & annos plurimos largiatur plenos bonæ valetudinis ac rerum prosperrimarum. Lutetiæ 4 Februarii 1645.

De adhærentibus quod dixi est & apud Iasonem in l. à Divo Pio. §. 1. D. de Re judicata, & clarissimè apud Martinum Laudensem tractatu de Confœderationibus quæstione 27.

Excellentiæ Vestræ ipsius merito perpetuo servitурus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

MVltum debeo bonitati Illustrissimi & Excellentissimi D. Legati Baronis Oxenstiernæ, qui me rerum ad pacem pertinentium ignarum esse non sinit. Doleo illud ingens bonum tam longè fugere à populis pridem nihil magis optantibus. Video à Cæsarianis moras interjici parum probabiles, gaudentibus, ut credo, Gallis. Suedos nostros in re maxima honestissimum habere propositum & honestissimis uti viis satis video, speroque Deum eis in hac re non minùs quàm in bello fore adjutorem. Qui Galliam digito temperant pacem nostram cum Dania desiderant, etiam cum damno nostro & omnium populorum, ut nostris armis per Germaniam Bohemiamque & ulteriora bene procedentibus, ipsi suas res agant & Galliæ veterem restituant limitem. Regina Galliam Regens, quia duos Legatos suos, quanquam ejusdem boni amantes, videt non esse concordes, urget Ducem Longavillanum ut illuc eat, & dissidentes tertii vice dirimat. Idem fortè cogentur facere Imperator & Hispanus. Binarius numerus ab antiquis Philosophis dicitur esse divisionis principium. Quomodo autem pacem dabunt aliis qui inter se eam servare non possunt. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestræ det prospera omnia. Lutetiæ 4 Februarii 1645. 1728

Nob. Vestra inservire paratissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

DAnis deesse pecunias ad tam gravis belli impensas sustinendas facile credo, crescetque id malum, quantum crescent eorum clades & damna, quæ non poterunt non crescere, si ad communem maris commerciorumque tutelam se nobis adjungant aliæ gentes, sicut multa nos jubent sperare. Magdeburgum obsidere post elapsas copias equestres & pedestres non erat tanti, quanti Archiepiscopo Bremensi se opponere, & provehere Wrangelii in ora maritima conatus, quod facturum credimus Coningsmarckium, dum Hassi sua tueantur, & Mareschallus Torstensonius Hatzfeldianorum lustra disjicit. Dominos Bickerum & Stavenissium puto in patriam rediisse cum bonis consiliis. Botterum nihil cuiquam posthac nociturum Cæsariani jam considerare debent, non ut à Rege Portugalliæ aut à non Rege missum, sed ut hominem: 1729

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Quare spero non futurum, ut viventium quietem turbent mortui:

Digitized by Google

mortui. Nimis diu saxum illud in vestibulo volvitur. Accepi librum Germanico sermone contra scriptum Danorum nos incusantium. Rationes pro nobis allatæ sunt vividæ & vegetæ, quales etiam Legati qui à Suedia in hoc negotium mittuntur, ita ut omnia debeamus ominari optima. Harcurtius hinc nondum discessit. Catalanorum fides magis magisque suspecta est. Deus, Clarissime Domine, det nobis omnibus & nominatim Clar. Vestræ quæ sunt optima. Lutetiæ 4 Februarii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1730 MVltum gaudeo ob ea quæ continent literæ Clar. Vestræ datæ 30 Ianuarii, quæ quò magis distinctam atque particularem continent rerum historiam, eò sunt mihi gratiora. Solemnia translati in Reginam Regiminis bene peracta lætus intelligo: Deumque precor ut felix fortunatumque sit inchoatum tam auspicatò imperium. Laudo etiam Ordinum Suediæ promptum animum ad favendas belli jam duplicis necessitates. Vtrumque bellum magna cum Suediæ gloria terminabitur, si ita pergat Regina paternis insistere vestigiis, duces providè bellum regere terra marique, milites & nautæ pugnare fortiter, Ordines conferre quæ sunt necessaria. Plane autem Clar. Vestræ consentio, videndum quid jam post adventum D. Bickeri & D. Staveneslii facturi sint Batavi in hoc Suedico negotio, priusquam certi aliquid statuatur cum Danis. In Senatorum numerum cooptatum Illustrem Comitem de la Garde, non ipsius tantùm, sed & Suediæ causa gaudeo. Cognovi enim eximium ejus ingenium, magnificasque virtutes. Andream Blat amavi, vellemque diu suis utilis esse potuisset. Nunc cùm aliter Deo sit visum, ferendum hoc ut alia humana. Multum rebus nostris prodesse poterit si Norvagas tædere incepit Danici imperii. Vbi Coningsmarckius se ad Wrangelium adjunxerit, puto tantum in illis partibus negotii Danis oriturum, ut de intranda Suedia cogitaturi non sint. Si verum quod de Electore Brandeburgico & Clar. Vestræ, & aliorum literæ indicant, puto sperari posse id matrimonium, quod Suediæ Regno infesti aut æmuli adeo perhorrescunt, nec sine causa. Et quod in Suedia futurus est aliquis pro Electore Residens, ad coagulandam amicitiam initium erit. Comes Harcurtius brevi hinc abiturus est. Dux Anguianus pabuli tempora exspectabit. Interim ab Vrselæ oppugnatione repulsi sunt Galli cùm suo damno. In Italia Rex Galliæ urbem Taurinorum & Carmaniolam reddidit Duci Subaudio, ab eo vicissim accipiens loca quædam Pado adsita. Magni videntur futuri hoc anno impetus & Gallorum & Batavorum in Flandriam. Deus cuncta ad æquam pacem regat, & Clarissime Domine, Cl. Vestræ det prospera omnia. Lutetiæ 11 Februarii 1645.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

1731 PEr literas è Germania eadem cognosco quæ ferunt literæ Clar. Vestræ de moris negotii ad pacem pertinentibus. Adventus membrorum Imperii exspectandus videtur, quandoquidem id poscunt ea membra, quæ jam istuc advenere. Sed tamen non debet ista exspectatio in immensum tempus protrahi. Non enim deerunt Imperatori artes aliquos retinendi. Stralsundensibus non debet negari liber ad ista loca aditus. Quanquam non sunt fœderati cum pleno jure, sunt tamen inter adhærentes, quibus nominatim cautum fuit in pactionibus colloquium antegressis. Sed nec Argentoratensibus eundem aditum præcludi par est; quanquam enim Pragensem pacem, necessitate id exprimente, approbarunt, multas tamen habent querelas ad statum Imperii pertinentes tum veteres tum etiam post Pragensem pacem ortas, quibus medelam adhiberi refert, & Imperii totius & eorum qui pro libertate Germaniæ arma sumserunt. A mortuis vivos inquietari doleo. Sed cùm cœperint Cæsariani aliquam ostendere rei istius pœnitentiam, spero eos ne in eis quidem quæ restant, pertinaces fore: nostros quoque minore aliqua satisfactione contentos fore quàm crurifragio equitum præfecti. Venetus inter istas disputationes habebit, in quo patientiam suam exerceat. Adversùs Marescallum Torstensonium magnas video copias coire undique. Deus ei adsit. D. Coningsmarckii adventus in partes Holsatiæ erat necessarius ad reprimendos spiritus Danicos. Viperæ etiam in morte sibilant. Non dubium est quin Principi Transilvaniæ benignas conditiones sit laturus Imperator. Puto tamen eum constantem fore, quanquam consilia Aulæ Turcicæ in re ejus nutare dicuntur. Sed multos Hungaricorum & si longiùs serpat bellum, Austriacorum sibi faventes habet. Veniet brevi Monasterium Dux Longavillanus, ut malè cohærentes Legatos conglutinet. Scriptum illud ex Suedico sermone Germanicum dedi Illustri D. Baroni Guldesternio. Nam jam ante duo hic acceperam, unum mihi, alterum Ministris hic Regiis. De D. Cerisantis Ode nihil ego hic pronuntio. Sed eruditi notant tria esse manifesta peccata contra Prosodiæ regulas. Ego illud non probo quod Cardinali Mazarino caudam amputavit. Non amant hoc Cardinales. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestræ semper sit favens. Lutetiæ 18 Februarii 1645.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Vir Clarissime,

ET pro literis & pro historia de Cyrillo gratias ago. 1732
Anthologiam nostram & Clar. Vestræ & Blavio commendo. Properant ad calcem. Acta mea propero & ego videre publici juris, facta quæ per omnem vitam didici, nec in periculo relinquere mali ejus quod Picherelli & aliorum scriptis evenisse doleo. Velim à Clar. Vestra edi Ignatium, deinde Inscriptiones, postremo Martialem, pro cujus editione priores illæ editiones erunt deprecatrices. At certè Batavi vestri aut Martialem legere debent, aut sibi temperare à scribendis epigrammatibus. Salmasio & de militia, & quæ scribet posthac edita videre gaudebimus, ὃ μέμψεται τῷ Κροίῳ. At quid Hensius? fortine silentio se vindicabit? Vale, Vir Eruditissime. Lutetiæ 18 Februarii 1645.

Parthenius nuper Patriarcha Constantinopolitanus ab altero Parthenio Adrianopolitano precario, deinde vi ereptus Ecclesiæ dolenti.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Vir Clarissime & Eruditissime,

VElim in Anthologia edenda servari formam chartæ, 1733
quæ est in Stobæanis & in Excerptis alteris. *De typis* sumat Blavius quos poterit optimos. *Et velim festinari* negotium, ut, si fieri potest, videam meam messem. Claritudini autem Vestræ gratias habeo maximas, quod res meas tanta curet fide ac diligentia. Ego qui ipsi semper optimè volui ob genus paternum & maternum & ob suavissimam hic nostram consuetudinem, nunc multò ei ero devinctior, ut non animo tantùm, sed & factis obligatus. Deus Cl. Vestram cum viro maximo parente & optima matrona matre diu sospitet. Lutetiæ 24 Februarii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

BA-

BARONI OXENSTIERNIO,
Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1734 NOn quidem ita mihi cognitæ sunt res hujus temporis, ut iis, qui eas tractant & penitus introspiciunt. Sed quantum mihi conjecturæ suppeditat exterior rerum facies, aliter existimare non possum, quàm ex usu esse Regni Suedici, ut à Germanico bello quamprimùm, sed honestè absolvatur. Quare gaudeo venisse instrumenta ratihabitionis eorum de quibus convenerat: gaudeo etiam de Argentoratensi civitate id factum, quod fieri debebat. Spero idem fore de Stralsundensi: æquum enim est ut omnes qui in nostra parte fuere, sua desideria perferre possint ad Conventus locum. De corpore exanimi spero itidem non longam fore controversiam; indignum id sit Imperatore. Quod verò exspectatur adventus membrorum Imperii, præsertim cùm pars eorum qui jam advenere id desiderent, ratione non caret, dum ne paucorum in id procurata absentia tanti momenti negotium tardet. Vbi ad capita rerum ventum erit, illico apparebit, qui bello frui velint, qui verò pacis studio bellum susceperint. Quæ res si bene succedat, saluti erit Germaniæ, sin minùs honori tamen Reginæ Regnoque Suedico. Ego hic non desino instare de augendo quamprimùm & in apertum producendo exercitu qui ad Rhenum est, ut ea re pars hostilium copiarum abstrahatur à D. Marescallo Torstensonio. Sed quamquam Princeps Condæus & Dux Anguianus id maximè volunt, video tardum id esse negotium. Et Bavarus hic semper suos habet Monachos. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiam Vestram servet incolumem & florentem. Lutetiæ 14/24 Februarii 1645.

Excellentiæ Vestræ semper serviturus H. G.

IOANNI SALVIO.

Illustrissime Domine,

1735 CVm benevolentiam Excellentiæ Vestræ semper fecerim maximi, nunc certè eam non possum satis pro meritis laudare, cùm super plurima vetera benefacta novum adjunxerit, habendo mearum necessitatum eam rationem, quam & meæ res exigebant, & ipsius facultas ferebat. Spero eas fore meas operas, ut nemini sit doliturum, si quid mei causa fecerit. Ad nunciandum mihi quæ istis in locis aguntur satis laboris sumit D. Helterus, planeque nolim gravissimas Excellentiæ Vestræ solicitudines alia insuper sarcina gravari. Deum autem precor ut valetudinem ei det & robur ad ferenda tot onera sanè gravissima, præsertim illa de pecuniis ad bellum. Non ita sum rerum ignarus ut non intelligam quantum ea cura in se habeat molestiarum, quamque sit supra spem positum omnibus in tali negotio satisfacere quorum res agitur. Pacis vestibulum tot muricibus sterni doleo. Sed Deus spero tot innocentium populorum misertus, impedita expediet. Cùm Stralsundia in partibus fuerit, ac proinde quamquam non par Imperii Civitatibus, tamen inter adhærentes Suediæ comprehensa, non potest salvis iis quæ pridem convenerunt, jus commeandi liberè eis denegari. Petitioni de Argentorato, quæ æquissima est, spero jam se accommodaverint Cæsariani. Nam & hoc ipsum videri debet, an quam fecere pacem ea ipsis servata sit. Mira verò illa de mortuo corpore controversia. Debet aliquid condonari militibus, qui assueti cuncta vi agere, jura non putant sibi nata. Et Cæsarianos puto non commissuros ut dicamus, bello cogendus & armis in mores hominemque Creon. Quod verò nonnihil conceditur temporis, ut qui se parant ex Germaniæ Ordinibus itineri ad loca vestra ii adveniant, sanè justissimum est: tum ut intelligantur eorum pro bono Germaniæ postulata, tum ne ad Ordines maxima quæque rejiciendo, hostes paci injiciant moras. Sed spero neque nimium temporis in ea re periturum, neque diu exspectandos qui tempore sat commodo venire nolent. Absentium jura præsentibus accrescent. Hæc mihi eminus ista spectanti sic videbantur. Sed quæ ut & alia mea omnia accuratissimo Excellentiarum Vestrarum judicio suppono, Deumque precor, Illustrissime Domine, Excel. Vestram ut omnibus quæ dare solet bonis cumulet. Lutetiæ 14/24 Februarii 1645.

Exc. Vestræ serviturus semper H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

SVnt certè bona quæ de D. Coningsmarckio, Wrangelio, Petro Andersonio discimus. Vtinam & illa quæ de D. Marescallo Torstensonio rumores susurrant. 1736
Mira est Danorum confidentia, qui jam Holmiam à suis obsideri ajunt: loca Suediæ capta complura. Sed pascant se inanis, dum res sit penes nostros. Quæ è Batavis accipio spem mihi faciunt, aut omnes nationes fœderatas aut certè Hollandos & aliquos cum illis in tuenda etiam armis si opus est, commerciorum libertate, nobiscum conspiraturos. Quod si est, aut brevi pacem ibi commodam habebimus, aut magnos mari successus. Gaudeo virum supra nostras laudes positum Magnum D. Cancellarium adfuturum Colloquio cum Danis. Nihil aberit prudentiæ ubi ipse aderit. Placet & hoc mihi quod Ludovicus Gerius commerciorum & navigationis perquam intelligens præsto erit ad consilia nostris suggerenda. Ærarii Suedici Præfecto opto valetudinem & res omnes prosperas. Avebo moneri ubi Senatorium munus auspicabitur Illustris D. Comes Lagardius. Harcurtius jam abiit. Dux Longavillanus in Normanniam it, inde Monasterium. Tenues sunt ad Rhenum copiæ Gallorum, paratus in Flandriam magni. Repressaliæ quæ datæ erant Regni hujus subditis contra Anglorum Parlamentariorum rapinas, inhibitæ sunt. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet ac sospitet. Lutetiæ 14/24 Februarii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

EIDEM.

Clarissime Domine,

IN Italia quiescitur. In Catalania & ad Rhenum nihil magni videntur acturi Galli, ideo quod majores illis in locis sint hostium copiæ. Rosa trans Rhenum profectus prædas inde agere cœperat, sed adventante Mercicò multo validiore, retro cis Rhenum se recepit. Nunc Galli filium meum ad Landgraviam misere, ut ejus copiæ ad Gallicas appropinquent. Sunt aliqui motus in Languedocia, Sanctonibus, Aquitania, sed non duraturi, quantum datur judicare. Pecuniæ ægrè reperiuntur. Attamen ex divitiis Parisiensibus corraduntur duodecim milliones. Pacis in Anglia dicitur vix ulla spes esse, quod nimis dura sint quæ Parlamentarii à Rege postulant, contra ipsum, contra Episcopos, contra Hybernos. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram salvam præstet. Lutetiæ 4 Martii 1645. 1737

Claritatis Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

QVod ex communi Suedicorum & Gallicorum Legatorum conventione datum, id est, iis qui advenerant Principum & Civitatum Germanicarum Legatis, ne animi sensa super ipso rei capite proponerentur, nisi ubi 1738

ubi & alii è Germania Legati, qui propediem exspectabantur, advenissent, comiter & humanè factum judico. Neque omnino grave videri debuit tantillum temporis illis concedi propter quos tanto jam tempore, tantis impendiis, tantoque sanguine bellum geritur. Inter Dominos Davausium & Servientum fuisse simultates satis intellexi: sed per Reginæ præceptum audieram redintegratam inter eos gratiam. Et in hoc certè negotio aliquid suspicor inde quod sciam D. Servienti propinquum Lionnæum esse apud Cardinalem Mazarinum, & esse ei apud Cardinalem multum fidei: pro certoque habeo nihil facturum D. Servientum, sive solum sive cum D. Davausio, quod non putet gratum esse Cardinali. Ego in hoc negotio & in aliis faciam quicquid Illustrissimi & Excellentissimi nostri Legati ex usu publico esse judicabunt. Audio Gallos laborare ut amore pacis & Daniæ Rex, & filius ejus Bremensis Antistes liberos esse sinant literarum commeatus. In D. Ioanne Crusio, non tantùm Suedia virum dignum tanta affinitate, sed ego summè benevolentem amisi. Sed humanæ res ferendæ humanitus. Marescallus Turennius exspectat Hassicorum in illas partes adventum, suarum copiarum incrementa & pabuli tempus. Marchionis Sanctichaumontii Apologeticus hic curritat, in quo causam electi in Papam Pamphylii conjicit in Cardinalem Antonium, qui promissis non steterit. Pedites bis mille quingenti, equites quatuor mille ducuntur à Neapoli in Hispaniam. Magni sunt mari paratus Turcæ. Omnes qui hic sunt Melitenses equites, Melitæ tutandæ accurrunt. Veneti verò Cretæ metuentes augent & ipsi vim navalem. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestram protegat. Lutetiæ 11 Martii 1645.

Nob. Vestræ ad omnia obsequia paratus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

39 EX D. Marini literis omnia bona intelligo præter valetudinem non quàm vellem bonam Magni Domini Cancellarii, quem Deus Regni rebus diu servet incolumem & florentem. Eæ sunt res & D. Torstensonii & D. Coningsmarkii, ut liceat nobis utrinque prospera sperare, atque interim gaudio frui ob res à D. Wrangelio sanè feliciter gestas. Doleo Principem Arausionensem ita perpetuò se opponere causæ nostræ & justæ & non infortunatæ: spero Hollandorum monstratu consilia in melius referet. Verùm non hæc tantùm disputatio, sed & illa de Asiatica societate, ostendit privatas sæpe cogitationes obstare publicis commodis, quod in omni quidem imperio periculosum est; in libero autem Statu composito ex membris multis & validis periculosissimum. Ego ex animo iis opto bonam mentem. Turca Melitensibus minatur, advocatique sunt omnes qui in aliis sunt locis Equites Melitenses. Veneti interim Cretæ timent, & mari vires suas augent. Marchio S. Chaumontii huc venire non audet, quanquam edito scripto culpam non impeditæ electionis Pamphylii conjicit in Cardinalem Antonium. Motta Odincurtius in arce ad Lugdunum servatur honestè: neque dantur ei judices. Trevilla unus Centurionum Prætorianorum, vir majoris animi quàm ut potentibus placeat, in Bastiliam conjectus est. Ex Neapoli bis mille quingenti pedites, quatuor millia equitum, in Hispaniam eunt. Motta propiùs obsidetur. Pax Angliæ cessim it. Deus Claritatem Vestram sospitet. Lutetiæ 11 Martii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

AVdio mortem Christianam Archiepiscopi multis 1740
conscientiam commovisse: ὡς ἢ ἄλλοι ἐπιμεμψήσαν. De privilegio Indiæ Asiaticæ malim rem plane confectam, quàm dilatam. Nam res tales in incerto habere magnum est reipublicæ & mercaturæ malum. Qui leges carminum non curant & in nominibus Græcis non observant ea, quæ Græci omnes observarunt, hic certè ridentur: apud vos autem si qui sunt tales ei probant non omnia mentiturum qui etiam in Batavica Poëti Vondelium multis aliis præfert. Quod ad matrimonia attinet monachorum votis solutorum, qui facti sint conjuges, exempla habemus duo in Polonia & in Aragonia. De presbyteris videtur quidem faciliùs id procedere, quia voto expresso obligati non sunt, sed Canone idque solius Ecclesiæ Occidentalis. Attamen non vidi exempla: & ideo qui Cardinales fiunt & de matrimonio cogitationem non planè abjiciunt, solent manere in Subdiaconatu aut Diaconatu. Bavarus valde est vafer. Alii nutat alii nictat. Videtur ex hoc bello sine damno abiturus. Croii insignis est in Heinsium asperitas, in quo creditur Croius magis Salmasio placere voluisse quàm Bezæ inferias mittere. D. Petavius qui & ipse à Croio tractatur indignè, negat se responsurum, ideò quod ex actis Synodorum partis Calvini didicerit, eis contra quos scribitur augeri annua. Petrum corpore meliùs valere gaudeo, utinam & mente, ne ei dicatur:

σὺ δ' ὦ τὸ λαμπρὸν φέγγος ἐκσβεννὺς γένους,
Φλυαρεῖς ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς.

Trevilla vir magnanimus ex prætorianis centurionibus in Bastiliæ carcerem datus est, ideo quod Pittacium quoddam Reginæ, quod Cancellarius sigillo munire ob clausulas quasdam insolitas abnuebat, coram ipso in ignem jecerit. A Neapoli magnus equitum, aliquis etiam peditum numerus it in Hispaniam. Turca Melitæ terrorem injicit: eunt illuc omnes qui nomen habent Equitum Melitensium. Sed & Veneti pro Creta solliciti naves augent & instruunt. Galli Monasterii qui sunt in eloquendis pacis conditionibus nostros prævenere, cùm convenisset differendum donec alia quædam insignia Imperii membra istuc advenissent. Deus te cum uxore & liberis servet. Lutetiæ 11 Martii 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

MOrtem Virorum Illustrium Domini Krusii & 1741
D. Sparræ doleo: gaudeo autem de honoribus qui præillustri, D. Comiti de la Gardie, D. Gabrieli Oxenstiernæ, D. Axelio Sparræ, D. Gustavo Exundæ, & aliis evenerunt. Ex Vpsalia peti qui publico inserviant, non improbo, dum in eo nihil res literarum & fama Scholæ damni patiatur: amo enim rempublicam, amo & literas. Tam Poloniam quàm Moscoviam nihil contra nos moturas, & ego existimo. De Stada felix certè negotium, nec dubito quin secutura sit Buxtehuda. Stradæ oratio satis apertum facit quanto Galli res suas quàm sociorum pluris faciant. Sed ita fieri solet. Illud quod Monasterii de pace Galli ita de subito proposuere, magis miror: bellum hic in Flandriam lentè paratur, in Catalania vix quicquam speratur boni, in Italia omnia strepunt metu Turcarum. Deus, Clarissime Domine, te incolumem florentemque servet. 17 Martii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

ISAACO VOSSIO.

Clarissime & Eruditissime Domine,

1742 GRatias habeo pro parte ista libri de Americanis gentibus. Velim aliquis cui plus sit otii quàm nunc est mihi, meas conjecturas firmet, aut adferat meliores: certè quæ Peruanis cum Sinensibus congruunt, plura sunt quàm ut fortuito concursui tribuantur. Croii liber multum hic legitur. Creditur in eo opere non Besæ famam tantùm vindicasse, sed & gratificari voluisse Salmasio. Idem ille Crojus Petavium tractat indignis modis. Is responsurum se negat, ideo quod norit annua augeri Ministris contra quos scribitur. Gomarus mirè semper Heinsio favit. Quod Cloppenburgius mihi objicit, idem objectum Erasmo fuit. Parabolæ Euangelicæ pleræque sunt Apologi modestiores, in quibus non feræ aut pecudes loquuntur, sed homines. Apologos autem Latini vocant, fabulas, ut Phædrus, Gellius, alii. De scriptis nostris gaudeo meum consilium Clar. Vestræ probari. Livius Gronovii non dubito quin publico futurus sit utilis & gratus. Ad literas Cl. Vestræ in quibus erat folium Anthologiæ, responsum misi per D. Appelboomium. Velim servari formam chartæ, quæ est in Stobæanis & in Excerptis de Tragœdiis & Comœdiis. Cætera omnia vestro arbitratui permitto. Deus Clar. Vestram cum optimis meritoque venerandis parentibus vestris diu sospitet. Lutetiæ 18 Martii 1645.

BARONI OXENSTIERNÆ,
Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1743 MAximas habeo gratias Excellentiæ Vestræ pro literis ad me missis 9 Februarii 1645, gaudeoque res Suedorum in terra continente multo esse meliores, quàm Dani hic vulgaverant. Legi diligenter Chartas annexas. Legatos Gallicos in iis quæ de pace proposuerunt nihil fecisse nisi ex acceptis mandatis pro certo habeo. Quò majores erunt Suedorum processus, eò magis illis invidebitur. Ego multa suspicor ex iis quæ antehac geri vidi aut scivi. Sed sustinebo judicium, donec Galli apud Excell. Vestram propius causas reddiderint suæ tantæ festinationis. Non dubium est quin valde velint Galli retinere, quæ in Germania ceperunt. In Catalonia videntur eorum res non admodum bene ituræ. Ideo arbitror eos in Germania bellum, in Hispania inducias, in Italia pacem velle. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, omnes actiones Excellentiæ Vestræ prosperet. Lutetiæ 18 Martii 1645.

Cùm Regina Domina nostra Clementissima ad me literas avocatorias scripserit, quarum exemplum mitto, nec locum exprimat, quo me sim collaturus, rogo Excellentia Vestra, si sententiam Reginæ novit, eam mihi explicet, aut alioqui consilio juvet, an Osnabrugam me an alio rectiùs sim collaturus: mittatque mihi quamprimùm poterit tuti itineris literas suas & Legatorum Imperatoriis & Regis Hispaniæ, &, si fieri poterit, etiam Archiepiscopi Coloniensis.

Excellentiæ Vestræ perpetuò serviturus H. G.

D. ROSENHANIO.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1744 CVm Regina Clementissima Domina nostra legationi huic finem fecerit, mihique hinc sit discedendum in Germaniam, oravi Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Baronem Legatum Oxensternium ut mihi mittere velit ad tutum iter literas suas & Legatorum Imperatoris ac Regis Hispaniæ, &, si fieri potest, etiam Electoris Coloniensis. Ea in re rogo Nobilitatem Vestram ut ipsius Excellentiæ mihique adjutor sit. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestram servet. Lutetiæ 18 Martii 1645.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

IN editione nostra venimus jam ad illud tanti strepitus 1745
caput IX ad Rom. Non spero me multis locis lucem allaturum. Miror quo consilio minores istæ nationes rem Societatis Asiaticæ velint perturbare: & quod Hollandiæ civitates non videant nunc vel maximè sibi concordia opus esse. Multi rem Hispani promovent, cum minimè tamen id sibi propositum habeant. Voëtius suo agit more. Cujus ille nos accusat, ejus rei Calvinum accusavit Sturmius. Non attrahemus ad Christum Iudæos conando ea evertere quæ satis sunt perspicua ratione utentibus. Cloppenburgium itidem audio multum contra me declamare. Cætera quæ apud vos aguntur cognoscere speciatim avebo. Cornelius noster Venetiis manet, contra voluntatem nostram. Didericus an à Landgravia redierit nescio. Nos satis commodè valemus. Deus te cum uxore & liberis servet. Regina alibi opera mea vult uti. Itaque discessum hinc paro. Te, tuam & tuos Deo commendo. Lutetiæ 18 Martii 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE chartis fortè aliquid rescisci posset per eos qui 1746
in domo Arseniana vixere. De Cornelio nostro nihil nunc intelligo, nec scio quid facere velit. Didericus, ut video, bene rem gerit. Blavium velim urgere pergas. Salmasii liber de Papa multum expetitur. Ego nunc exspecto Reginæ commodum, ut ei tradam literas meas dimissorias. Miror res magnas apud vos tam diu trahi, & dissidia ita apparere omnibus. Nobilis Beaupuy dictus & Thuani cognatus Roma huc captus mittitur navibus longis, suspectus fuisse inter præcipuos consiliorum, quæ contra Cardinalem Mazarinum suscepta fuere; quod crimen Romæ nullam habet veniam. Deus te cum uxore & liberis servet. Lutetiæ 25 Martii 1645.

De Torstensonii prælio exspectamus certiora.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

MAgna sunt quæ literæ Clar. Vestræ scriptæ 13 Mar. 1747
tii nuntiant de D. Coningsmarckii & D. Wrangelii rebus: sed majora multo quæ fama plurimis ex locis etiam hostilibus adfert, de magno & felici admodum D. Torstensonii prælio. Credimus quidem tanto undique consensui, sed specialem rei gestæ historiam à vobis exspectamus. Si ita se res habet & Ragotskius in Moraviam, ut dicitur, adventat, multum accidentur spes Imperatoris. Quod si insuper Episcopi & Principes Catholicorum qui sunt in Germania volunt sibi avitam libertatem cum pace restitui, hæc omnia poterunt animos quamvis duros ad leniora consilia flectere. In Suedia eam, quæ oportet, rationem haberi virorum, quos aut sua aut parentum merita commendant, multum gaudeo. D. Electorem Brandeburgicum in Suediam transiturum etiam hic suspicio est. Quæ Osnabrugæ tractantur faciliùs per Legatos expediri poterunt, quàm illud negotium quod illum Principem in Suediam trahere creditur. D. Servientus in ea est apud Cardinalem Mazarinum

num gratia, apud quem & propinquum suum habet arcanis admotum, ut nihil credendus sit agere quod non ipsi placere aut sciat aut existimet. Cæterum quomodo pacem Germaniæ constituent Legati Gallici, qui inter se pacem colere non possunt? Non desino hic impellere Gallos ut ad Rhenum magni aliquid mittendo partem hostilium virium à nobis amoveant: ipsi penuriam pabuli moris obtendunt. Tota Italia trepidat Turcæ metu, eoque magis laborat Papa bellum Alpibus excludere. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram præstet sospitem. Lutetiæ 25 Martii 1645.

Clar. Vestræ studiosissimus H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime atque Amplissime Domine,

1747 QVod Gallici Legati scriptum illud Germanis exhibuere non ostensum Legatis Suedicis, id non arbitror casu evenisse; quo verò animo id factum sit tempus docebit. Interim doleo tam malè convenire inter duos summi ingenii viros. Sed eorum certamina medius dirimet Dux Longavillanus, qui se itineri parat. Gaudeo tot Principum advenisse Legatos, ut ad caput rei veniri aliquando possit. De magna pugna ac felice Illustrissimi Domini Marescalli Torstensonii habemus quidem multas literas privatas: sed ut de iis publicè audeamus loqui, publicas ex vestris locis expectamus. De pace cum Danis & intricatum & lentum erit negotium. Batavi incipiunt in hac re se parare, magnum momentum futuri ad bellum aut ad pacem. Suedis nobilibus, qui ad majores gradus provecti sunt, gratulor; utque id faustum ipsis patriæque sit, Deum precor, qui &, Nobilissime atque Amplissime Domine, Nob. Vestram servet propitius. Lutetiæ primo Aprilis ex novo Calendario anni 1645.

Nob. Vestræ addictissimus H. G.

BARONI OXENSTIERNÆ,
Plenipotentiario.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

1748 LIteras Excellentiæ Vestræ & illas priores & has posteriores datas 27 Februarii Vetere Calendario rectè accepi. Miror Gallos Legatos excusatione uti maluisse, quàm non admittere quod excusandum esset. Quod ejus factum est, casu fieri non potuit: neque credibilis est promissi recenter facti oblivio. Puto eos voluisse præcerpere gloriam curæ pro Germanica libertate, ut Suedi aut eorum vestigiis cogantur insistere, aut odium subeant desertæ causæ propter quam arma suscepta dicuntur. Quæ Germani Gallis responderunt videntur mihi non iniqua. Ego jussus Reginæ nostræ literis, quarum exemplum Excellentiæ Vestræ misi octavo ante hunc die, valedixi Reginæ Regenti: sed cùm Regina propiùs me venire jubeat nec locum designet, rogavi, rogoque iterum Excellentiam Vestram, ut aut ejus beneficio discam quid gratissimum sit futurum Reginæ, aut consilio instruar quod mihi iter capiendum sit, & si Osnabrugam, ut literas habeam tuti itineris à Legatis eorum per quorum terras mihi erit transeundum. Gaudeo Germanorum Principum & Civitatum Legatos adesse frequentes, & Anseaticam controversiam conquievisse. Deus, Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiam Vestram sospitet. Calendis Aprilibus novi Calendarii anni 1645.

Excellentiæ Vestræ perpetuò serviturus ipsius merito H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1749 ET scripsi pro Cl. Vestra libenter, & si Suediam petivero, ut futurum videtur, ibi quoque res ejus commendabo. Video de felice prælio D. Marescalli Torstensonii undique congruere nuntios, itaque magnum inde in hac Aula gaudium est, attamen periculum quod nostri adierunt, dum Mars Cæsarianis favere videbatur, bellorum incertos casus reputare nos jubet, ac propterea quæ ad pacem facere possunt non aspernari. Cæsariani qui Francofurti & alibi multum trepidant. Imperator quosdam ad se Principes aut Legatos vocat Ratisbonam. Non magni momenti censeri potest scriptum à Gallis exhibitum hostibus, sed etiam in eo servari debuere quæ convenerant, ne suspicio in posterum hæreat minus curatæ fidei. Spero Batavos tandem consensuros ut se Suedis adjungant contra Danos: sed etiam ubi id decretum fuerat, videor moras novas prospicere priusquam id in rem conferatur. Motta in Lotharingia obsidetur, & defenditur bene, speratque auxilium à Duce Carolo. Galli in Catalania Rosas obsidere volunt, dum naves Neapolitanæ & Siculæ retinentur Turcarum metu, qui ex Dalmatia Hydrantum transgredi velle videntur. Dux Longavillanus se parat itineri, ut malè concordantes Legatos dirimat. Præses Barillonus & Senatores quidam Parlamenti Parisiensis à Regina relegati sunt ob liberas voces contra tributa, sine quibus tamen bellum geri nequit, & qui reditus in pecunia constitutos habent, conferent ad XII ferme milliones, agitur & de opere in mensuras domuum. Vale Clarissime Domine. Deus Cl. Vestram sospitet. Lutetiæ 1 Aprilis 1645.

Cl. Vestræ studiosissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

QVin prosperè pugnaverit D. Torstensonius dubitandum non est. Specialior historia est quidem in privatis literis, at in publicis nihil dum certi accepimus. De India si cæteri nolunt, restat ut Hollandi & Zelandi id faciant, quod è re est ipsorum. De lapsu poëseos apud Batavos rectè judicas & de Vondelii virtutibus. Trevilla adhuc in carcere est. Ex Parlamento quatuor Senatores rus ablegati, quod liberiores sententias dixissent & nova onera quædam in domorum mensuras dissuasissent, ostenso magnam pecuniæ partem inutiliter absumi. Monasterii & Osnabrugi incipit fervere negotium. Itaque tempus est eò mittant, quorum res agitur. Germanorum Principum Legati propè omnes advenere. Gallorum Legatorum certamina dirimet Dux Longavillanus. Iidem Legati Gallici satis frigidè se Suedicis excusavere de Scripto ipsis nesciis dato in Germanorum manus. Nihil tale post hac, omnia bona fide agentur. Deus pacem det ubique, quod semper quidem optandum fuit, nunc verò maximè, Turca nostras discordias in suam occasionem rapiente. Deus te, uxorem liberosque sospitet. Lutetiæ 1 Aprilis 1645. 1750

Valedixi jam Reginæ Regenti, pergam & cæteris valedicere. Scripsi Osnabrugam ut discam è Legatis quò & quà iter mihi capiendum sit: & si Osnabrugam, ut habeam tuti itineris litteras à Legatis eorum, quorum terræ mihi erunt transeundæ. Interim ne tempus periret, scripsi & ad D. Spiringium, ut si Osnabruga nihil certum discam, curet huc venire navem bellicam quæ me ex Gallico portu aliquo Gothenburgum deferat. Addidi si id fieri non posset, impetret mihi literas tuti itineris, ut ex Hollandia eam Gothenburgum. Sed suspicio mihi incidit fieri posse ut qui eas daturi sunt literas, in literis ipsis aut in suo decreto aliquid sint admixturi de rebus olim actis, quod planè nolim, & potiùs aliud quodvis iter capiam. In his me ut adjuves rogo. Fortè à Danis impetrato commeatu possem per terras & breves trajectus venire in Suediam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

Digitized by Google

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

1751 MIror sanè viros duos in publicis negotiis tamdiu versatos, ea ætate & rerum experientia pacem quàm toti Orbi Christiano pollicentur inter se reperire non posse. Quod Nob. Vestra in hac re gessit ejus facilis mihi erit defensio. Gaudeo augescere apud vos numerum Legatorum ab iis quorum res agitur: & nihil ultra ambigi de prosperrimo Marescalli Torstensonii prælio. Mollibit ea res spiritus hostium nimis feroces. In Catalania bellum retardescet; & in Germania Hassici ad Gallos appropinquant: & hinc magnus in Flandriam paratur exercitus, cui præerit Dux Aurelianensis. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestram servet. Lutetiæ 8 Aprilis 1645.

Fabertius & Galli aliquot in Catalania capti sunt. Galli tamen Rosas ibi obsident, ad Mottam flexuosis fossionibus acceditur. Wattæ obsidium minatur Picolominæus.

Nob. Vestra studiosissimus eique addictissimus H. G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

1752 CArdinales nuper Romæ facti Hispani sunt gente aut mente. Pro fratre suo Cardinalis Mazarinus nihil efficere potuit. In Catalania Fabertius & Galli quidam ab hostibus capti Rosas deducti sunt: postea id oppidum à Gallis obsessum. Sed Rex Hispaniæ Cæsaraugustam advenit cum exercitu XII millia peditum, sex equitum habente. Gallis non puto pares esse copias. Marescallus Turennæ exercitum suum instaurat: pontem navalem habet ad Spiram. Dux Anguianus parat se, ut illuc eat. Dux Aurelianensis, ubi ab aquis Borboniis redierit, in Flandriam, ubi Piccolominæus acceptis ab Hispania pecuniis, quæ Dunquerquam advectæ sunt, & novo delectu facto Wattæ minatur obsidium, Marescallo Gassione interim suburbana Insularum populante. Senatores hujus Parlamenti qui in loca longinqua missi erant ad rura proxima redibunt, Barillono præside mansuro Lugduni, quo ad eum it uxor. Cætera hic sunt quieta, nisi quod Princeps Condæus calculo graviter torquetur. Deus, Clarissime Domine, Claritatem Vestram servet. Lutetiæ 8 Aprilis 1645.

Clar. Vestra studiosissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

1753 DE Anthologia scripsi D. Vossio meam sententiam: desiderare me ut forma editionis sit quales Stobæanorum & Excerptorum. Bicolumnia paginarum nemo hic probat: deinde chartæ parcit Blavius, cujus aliquid manere purum utile est lectoribus. Miror quod Fœderati Ordines, ideò quòd Privilegia sua non dederunt, Societatem Indicanam interfectam putant. Vidi Edictum Trajectinum de bonis Ecclesiæ. Disputant inter se Ordines & Ministri de rebus, in quas hi nihil habent juris, illi non multum. Evenit in Anglia quod futurum prædixi, ut numerus sectarum in immensum excresceret. Mileterius se Ecclesiæ Episcopali addixit: idem facturus Codurcus, & rationes edent. Liturgia Anglicana ab eruditis omnibus habita semper est optima. Ad me Regina Suediæ scripsit cum magna mei laudatione & promissis magnis. Magna etiam mihi fidei & prudentiæ testimonia dedit in literis ad Reginam Regentem. Exspecto ecquid ab Osnabruga sim accepturus. Id si non venit, velim navi bona & instructa nautis Oceani Septentrionalis peritis aut rectâ proficisci Gothenburgum, aut certè Hamburgum, & inde ut potero. Scio terra marive multa posse timeri infesta: sed Deus, ut solet, mihi aderit. Per Batavos transire multis causis nolim. Loscecatios resalutari velim, sed & uxorem, liberos & amicos. Lutetiæ 8 Aprilis 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

ISAACO VOSSIO.

Vir Clarissime,

GRatias habeo pro Actis primis contra Cyrillum Lu- 1754
carem. Scire velim an illorum actorum fides nulla in parte sugilletur à D. Haga aut Ministris. Croii in convitiis magna est fœcunditas. Sed D. Heinsius jam pridem talia silentio dissimulare didicit. D. Salmasii contra se librum nondum accepit Heraldus: sed jam se ad respondendum parat: & habet quædam non spernenda. De Anglicanæ Ecclesiæ Regimine quid nobis datura sit schola nostra Lugdunensis videbimus. Cypriano & professionem & cum dote conjugium gratulor. Non tanti fuit fatidicum credi Salmasium, ut ne hoc fieret. Blondelli omnia videre desidero. Est enim peritissimus Historiæ, sed nonnunquam transversum eum agit pars illa cui se addidit. Miror D. Avauxii egregiam liberalitatem. Miror Blavium adeo chartæ esse parcum. Magni margines ornant libros & lectoribus sunt ad notandum utiles. Omnia mea præstantissimo parenti vestro & Clar. Vestræ permitto. Paro me itineri ad Reginam nostram: quod iter capturus sim, adhuc incertus. Deus, Vir Clarissime, Clar. Vestram cum suis charitatibus sospitet. Lutetiæ 15 Aprilis 1645.

Clar. Vestra studiosissimus H.G.

D. APPELBOOM.

Clarissime Domine,

EX literis Clar. Vestræ & aliorum intelligo victricia 1755
Marescalli Torstensonii arma latè per Moraviam procedere, quod si & Principi Ragotskio res bene cesserint, multum hæc omnia conferre poterunt ad pacem æquam eis extorquendam, qui sponte sua ad eam venire noluerunt. Consilium Clar. Vestræ de Matrimonio Deus prosperet. Ego, ubi ubi ero, si quid efficere potero quod ei utile gratumque sit, id faciam animo promtissimo, & qualem Clar. Vestræ optimè semper in me affectus animus meretur. Deus, Clarissime Domine, Clar. Vestram servet. Lutetiæ 15 Aprilis 1645.

Clar. Vestra studiosissimus H.G.

LVDOVICO CAMERARIO,
Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario.

Illustrissime Domine,

PRiusquam literas Illustrissimæ Dom. Vestræ scri- 1756
ptas 18 Martii accepissem, jam admonitus literis Nobilissimi filii vestri, negotium illud Buhruxelenrium quo debui affectu D. Comiti Bryennio, Secretario Status ad res externas voce commendaveram, scriptumque ei reliqueram ne memoriâ excideret: promisit omnem operam, de Illustrissima Dom. Vestra ita locutus, ut virum bonum decet loqui de viro optimo. Ego jam omnibus valedico: dixit se quoque ad me venturum ut mihi valedicat: non omittam iterum eum commonefacere; neque hac tantum in re, sed & in aliis omnibus ostendere inter omnes, quas mihi comparavi amicitias, nullam esse quam pluris faciam amicitia Illustrissimæ Dom. Vestræ, quam, Illustrissime Domine, Deus perpetuò servet, ac sospitet. Lutetiæ 15 Aprilis 1645.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ omni cultu & observantia addictissimus H.G.

GVI-

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

7 DIdericus ad Marescallum Turennam rediit. Magnam se ejus curam habiturum promisit mihi Dux Anguianus. Cornelius nihil eorum facit quæ facere deberet. Quod sopita est Lusitanica controversia, rectè factum. Malè, quod in incerto teneatur Societas Batavorum Indicana, miror socordiam. Beaupuyus qui huc navibus longis mitti dicebatur, huc non venit, sed retinetur captus in arce Sancti Angeli, in quo minùs ipsi aliisque periculi est. Marescalli Torstensonii arma video latè se spargere per Moraviam: quæ res & ipsius exercitui quæstuosa & Principi Rohanio non inutilis futura est. Turca per Siciliam Italiamque omnem multum metuitur. Literæ Reginæ nostræ ad Reginam Regentem de me sunt omnium quæ unquam scriptæ sunt honorificentissimæ. Mihi Regina nostra magna pro opera navata hactenus præmia promittit: neque in majore ætate immemorem se futuram eorum quæ, dum pupilla esset, bene gessi. Ego per vestra loca transire nolim, si id evitari poterit. Incipiet jam Monasterii ac Osnabrugi paulò citatiùs progredi pacis negotium. Ventum enim est ad capita rerum. Saluta quæso uxorem & liberos & Petrum admone ne tempus inutile labi patiatur, neque in aliis potiùs quàm in se spes suas habeat repositas. Deus vos servet. Lutetiæ 15 Aprilis 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

D. ROSENHAN.

Nobilissime & Amplissime Domine,

758 EGo quidem Suedico itineri me paro, ut Reginæ nostræ hujus Legationis acta renuntiem. Sed Vxor & filia ex medicorum consilio valetudini suæ subsidium capere coguntur ab aquis Spadanis; quo ut tutò pervenire possint, literis ad id opus habent ab Imperatore, Rege Hispaniæ, Electore Coloniensi eorumve Legatis. Rogo itaque Nob. Ampl. Vestram ut eæ literæ quamprimùm fieri poterit mittantur, vicissim facere paratus quæcumque Nob. Amplitudini Vestræ placitura intellexero. Rosæ seriò obsidentur à Gallis: ad Rhenum leves pugnæ dum majores copiæ sub Duce Anguiano exspectantur. In Italia nihil agitur, nisi quod Gallos offendit Pontifex maximus electione Cardinalium: itaque Legatus Gallicus inde abire jussus. Dux Aurelianensis magnum in Flandria habebit exercitum fine, ut puto, Maii, & Batavorum conatus exspectabit. Deus, Nobilissime & Amplissime Domine, Nob. Vestræ faveat. Lutetiæ 11/21 Aprilis 1645.

Nob. Vestra studiosissimus eique ad obsequia paratissimus H.G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

759 PArlamentum Parisiense ad labores suos rediit, sed non sine sensu accepti doloris. In aliis quoque Parlamentis magni questus. Barillonus Lugduni manet. Cæteri Senatores in agris suburbanis. Pecuniæ difficillimè expediuntur, & Languedocia ægrè paret. Rosæ strenuè obsidentur à Gallis. Miror circa res Indicanas tam diu hesitari. Tempus appropinquat rerum Monasterii & Osnabrugi; quare non est quod qui mittere eò volunt, diutiùs id differant. Esse in Græcia quosdam Calvinisantes non mirum est. Græculus esuriens. Sed major pars ut audio, veteres sententias ac ritus defendit. Dominus Haga instat veteri suo instituto. Quod principem in Senatu venire sperat, miror. Comœdias & Tragœdias quæ sunt optimæ hujus temporis etiam me absente uxor & filia bene indicare poterunt & per idoneos homines transmittere. Dominus Heusdius nunc ruri est. Vbi redierit, consilium ejus de meo itinere explorabo, Deo interim supplicans nos omnes ut sospitet. Lutetiæ 22 Aprilis 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VEnti adversi diu nos detenuere, ita ut octavo die per- 1760
venerimus Hamburgum, ubi me invisit D. Schrassius Residens pro Batavis, & amicè mecum de horum temporum rebus collocutus est. Helmstadienses naves nos tutò passæ sunt prætervehi, fortè in navi nostra putantes Batavos esse Legatos. Cras cogitamus Lubecam, aut ibi aut Vismariæ, ut spero, naves reperturi, quæ nos vehant Calmariam, ubi nunc audimus esse D. Magnum Cancellarium & Legatum Galliæ & Legatos Batavos. Deus iter nostrum secundet, non nostro tantùm, sed & publico bono, teque & uxorem servet cum liberis & amicis. Si in Suediam ad me mittes literas, non aliò uteris titulo, quàm Consiliarii Reginæ. Lutetiæ 16 Maji 1645.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

Mi Frater,

LVbecæ hæc scribo, ubi à Magistratibus maximi mihi 1761
honoris & animi summè benevoli exhibita sunt officia, paratus eras ire Wismariam, ut prima commoditate cum bono præsidio eam Colmariam, ubi nunc est D. Regni Cancellarius, inde Stockholmiam. Christianus Cassius, cùm in via essem ad hanc urbem, obviam mihi processit & mecum hic fuit. Multa mihi signa dedit animi pergrati, & est in re bona, magna in gratia apud Principem Holsatiæ Iohannem, urbis Lubecæ Episcopum, ut nunc mos est loqui. Non credas quot in his locis nostri amantes repererim. Deus uxorem tuam & liberos & Losecatios sospitet, amicosque alios. Lutetiæ 20 Maji novi Calendarii anni 1645.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

Mi Frater,

MAgnificè hic convivio excepti sumus à D. Wran- 1762
gelo hujus oræ & classis duce. Nunc paramus nos ut eras, Deo volente, transeamus Codanum sinum, & conveniamus Magnum D. Cancellarium aut Colmariæ aut Bronslovæ. Fuimus hic diu otiosi, quò magis optamus eò ire, ubi nos exspectant negotia. Commendo me Dominæ uxori tuæ & liberis, quibus gratias ago pro carminibus, Davelariis amicisque aliis inserviam, ubi potero. Wismariæ. Lutetiæ 1/11 Maji 1645.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

Mi Frater,

FElice admodum vento & quod boni ominis est in na- 1763
ve Reginæ habente nomen Colmariam Suediæ pervenimus. Misi illico literas ad Magnum Cancellarium, & quendam ex meis qui hospitium quæreret. Respondit per eundem Cancellarius humanissimè. Hodie nobilem ad me misit cum curru suo, qui me deducat Inderacheram, ubi nunc sunt nostri Legati. Cras eò properamus. Wismariæ per undecim dies fuimus valde otiosi, ideo, quia Præfectus ejus oræ Wrangelius classem dividere non audebat, acceptis nuntiis de Danis, velle eos classem incendere. Putabat arma ad id parari, apparet hoc non esse verum: sed consilium per insidias id efficiendi. Deprehensus enim est homo qui à Lubecensibus quibusdam, ut dicitur, emtus paraverat cistas plenas

Digitized by Google

nas rebus, quæ ignem alunt, cum horologiis certo tempore ignem edituris. Gaudeo vidisse me uxorem tuam ac liberos, quos velim omnes meo nomine salutes. Colmariæ, Lutetiæ 8 Iunii 1645. Novi Calend.

Tuus totus ut debeo H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

1764 PEr quatuordecim dies fui Suderacheræ apud Magnum Cancellarium, & Legatos alios Suedicos, qui omnes honorificentissimè me tractarunt. Nunc me paro ut eam terra Stockholmiam: quò puto brevi venturos eosdem Legatos: quandoquidem à Legato Gallico nihil adfertur quod Suediæ placeat, de terris dandis in pacis pignus. Et Batavi transiere quidem cum classe armata & onerata fretum Orisundæ: sed non habent secum milites, quod sperabatur, nec mandata jungendi se cum Suedis, qui interim suas res agunt. Boruholmiam cepere. Quidam addunt & Gothlandiam, de quo nihil affirmem. Vtraque classis Suedica in mari est tum à Wismariæ, tum è Suediæ portubus. Videtur res ire ad novum mari prælium.. Saluta quæso amicos, præsertim dulcissimam uxorem, ac liberos tuos. Colmariæ. Lutetiæ $\frac{12}{27}$ Iunii 1645.

Tui amantissimus, tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

1765 SVmus Stokholmiæ. Reginam vidi. Magna mihi pollicetur pro opere præstito. Quid factura sit de me nundum video. De cognato nihil est quod dicam, nisi verba ejus apud te habita nec cum factis ejus, nec cum alibi dictis congruere. Omnes intenti sunt in id quod Batavi vestri facturi sunt. Solet Dominus Stradius satis felix esse in suis ministeriis. Hæc repono ad tuas literas, quas scriptas undecimo Iunii, octavo Iulii accepi: novo utrumque Calendario. Regina & Proceres omnes magnum mihi reddidere testimonium navatæ operæ. Quid de me constituri sint, adhuc nescio. Deus uxorem liberosque tuos servet. Lutetiæ 15 Iulii novi Calendarii 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

QVas abs te accepi posteriores, eæ fuerunt datæ undecimo Iunii. Iis respondi antehac; & ostendi de cognato me mirari.. Sum jam Stokholmii. Vidi Reginam aliquoties, & ad prandium ab ea sum vocatus. Negotia hic omnia lenta sunt. Itaque adhuc quid futurum sit nescio; sed magnus mihi habetur honor. Spes aliqua est pacis cum Dano, magno ipsius damno si ita fit: nam & provincias dat alias in perpetuum, alias in multos annos: & fretum sine ulla inquisitione transibunt, non Suedicæ tantùm naves, sed & omnes eorum locorum quæ sub Suedico sunt imperio. Deus te, uxorem, liberos servet incolumes. Stokholmii $\frac{13}{23}$ Iulii 1645. 1766

Naves quædam Suedicæ tempestate periere.

Tui amantissimus Frater H. G.



Sequens

Sequentes Epistolas extra ordinem ipsis debitum hic collocamus, quia serius Opere jam pæne absoluto nobis fuêre suggestæ.

DIDERICO DOVSÆ,
Iani Dousæ F.

Nobilissime & Eruditissime Invenis,

1 TIbi, tuæque familiæ novum haudquaquam est me obligare, sed inter cætera nomina illud vel præcipuum erit, quod nova adhibes fomenta ei affectui, quem jampridem mea erga patrem tuum reverentia, tuæque virtutes inter nos conciliarunt: idque per literas facis, in quibus non minùs animi tui verè generosa simplicitas quàm paterni ingenii suavitas elucet. Te nunc habet ista secundum. Quid ergo mihi gratius, quid honorificentius potuit contingere quàm Dousam complecti, Dousæ Filium, Dousarum Fratrem? Adjicis huic beneficio amplissimum munus, usum offerens eorum librorum, quorum dignitatem ille optimè noverat, qui non alium quàm te Bibliothecæ dominum dedit. Solus eras quem ista decebat hæreditas. Nec est quod eam te putes jure filii accepisse. Doctorum ingeniorum docta supellex non est in censu patrimonii, non magis certè quàm Regna Regum, Imperia Principum. Neque tu in hanc possessionem genitus, sed electus es. Sapientissimus senex jam omnia relicturus præter illud quo Dousa fuerat, circumtulit totum per Orbem mentis oculos cuinam tantæ eruditionis instrumentum relinqueret: nec diu dubitandum fuit: idem successor judicio & natura destinabatur. Docet experientia quàm nihil in illo quamvis moriente error sibi vindicaverit. Eum sibi substituit, qui libros sciret, non tam privati esse quàm publici juris: qui procurationem vocaret, quod alii dominium. Ecce enim tua ultro omnibus offers quibus nulla spes est proficiendi per tui parentis vestigia: quos utinam inter ego sim, quem tu eo honore dignum existimas, ut chartas evolvam, quas illæ manus, illi oculi contrectarunt. Quid dicam? Majus est quod promittis, quàm ut gratias vel agere possim: & si possem, mallem præsenti, quod brevi futurum spero. Interim Deus O. M. te, matrem, fratremque beet ac sospitet. Hagæ Comitatensi. 5 Febr. 1606.

Nob. Vestræ servire semper paratissimus H. G.

IOANNI MEVRSIO,
I. C. Historiarum & Linguæ Græcæ in Lugdunensi Academia Professori.

2 REcepi, Vir Clarissime, libellos tuos Hesychii & Balsamonis, quos diligenter perlegam, simulque Notas tuas, quas non dubito responsuras ei famæ quam jamdudum admirabilis diligentiæ merito consecutus es. Interim gratiam, quæ verbis facillimè solvitur, debere diu nolui, quanquam is qui ita solvit, non tam solvit, quàm debitum profitetur. Sed quid agam? paria reddere non possum, imo ne similia quidem. Ita me jam olim forum, nunc respublica frustra animo reluctantem ab illis & amœnioribus & latioris utilitatis studiis abripuere. Vestrum est Orbi prodesse. Nobis satis est minimas ejus particulas curare. Opto autem ut ii qui tam bene tempus suum collocant quàm facis tu, ea nanciscantur præmia quę præstare ipsis possint id, quod studiis maximè est necessarium, securitatem. Venio ex Anglia; literarum ibi tenuis est merces. Theologi regnant: Leguleì rem faciunt: unus ferme Casaubonus habet fortunam satis faventem, sed, ut ipse judicat, minùs certam. Ne huic quidem locus in Anglia fuisset ut literatori; induere Theologum debuit. Et satis feliciter Antibaronius ipsius procedit, Rege applaudente. Clero non item: nam multi vellent eum rigidiùs agere, quod ab ipsius candore & modestia impetrari non potest. Barclaius inter divitias & paupertatem medius hæret. Hic quoque ne tantum Poëta videretur Pontificius adversùs Pontificem stylum strinxit, ereptumque ivit illi rem invidiosissimam, Regnum in Reges. Sapienter autem fecisse te judico, quod laudes viri omni laude dignissimi justiori operi sepolueris. Non poteris tam multa dicere, quin creditura sit ætas quæ ipsius vitam proximè secutura est. Nam nostram vexat malum vetustissimum præsentis boni ignorantia, imò invidia. Taubmanni mortem, morbum Rittershusii doleo. Sed hoc magis annitendum est vobis, ne cultorum infrequentia damnum det literariæ rei: quod te quidem facere satis mihi atque omnibus constat. 16 Iunii 1613. Rotterodami.

GVILIELMO GROTIO.

Salve Frater,

CAtalogos videre nondum licuit. Majori celeritate 3 egebant studia tua: idcò ad hanc literarum tuarum partem statim volui rescribere. Auctor sum ut rectè informeris ad juris disciplinam, antequam attingas Scholasticos diligenter perlegas Secundum Ethicorum Nicomacheorum & quintum apud Aristotelem, aut ejus optimum Paraphrasten à D. Heinsio editum. Deinde ejusdem Aristotelis Rhetorica quæ seorsim extant cum erudito satis commentario. Mox Ciceronis Officia, Paradoxa, de Finibus & de Legibus: item Topica & de Inventione. Inter legendum verò cupiam aut excerpas aut diligenter ad marginem libri annotes ea, quæ ad Ius Naturæ ac Gentium, ad Legum ac Magistratuum originem, denique ad Rempublicam & jus tum publicum, tum privatum pertinebunt. Hoc labore confecto cogitabimus de cæteris. Et fortè non inutile tibi sit futurum, si ad me transcurras aut hac septimana, aut altera, cujus die tertio Hagam sum rediturus ad Conventum. Velim accedas meo nomine D. Polyandrum, eumque comiter moneas ut super libello, quem tu transcripseras, quemque ego ipsi misi, velit me judicii sui participem facere: quando aliis quoque velim idem opusculum quamprimùm posse ostendere, præcipuè verò quibusdam in Republica versantibus, quibus nunc maximè vacaret id legere intermisso Conventu. Attamen orandum illum cupio ut maturet, si potest; præcipitari ipsum non cupio. Sed illud vel maximè obsecrandus est, ne patiatur scriptum istud in ullius præter suas aut Colonii manus venire. Nolim enim quisquam exemplum habeat libelli, in quo ipse adhuc quædam desidero. Sunt & aliæ causæ non minùs graves, cur hoc anxiè curari debeat. Rescribas quæso sine mora, & si D. Iohannem Arnoldi videris, significes ei me hanc omnem septimanam Rotterodami mansurum. Vale, mi Frater. Rotterodami 28 Septembris 1614.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VT paucis (sum enim occupatior) ad interrogata tua 4 respondeam, quanquam Iustinianus de Iure privato primùm acturus ejus originem ex jure Naturæ, Gentium ac Civili deduxit; negari tamen non debet, quin Ius quoque publicum iisdem ex fontibus oriatur. Ius privatum ordinat partem ad partem. Ius publicum ordinat totum ad partem & partem ad totum, & duo tota inter

inter se. Huc ergo referenda sunt omnia, quæ Magistratus subditis, subditi Magistratibus, populi populis debent, quorum multa oriri ex Iure Naturæ & Gentium imperiti sit negare: Ius enim Feciale, magna pars publici Iuris, omne ferme ex Iure Naturæ ac Gentium petebatur. Legatos personas esse sacrosanctas ad jus publicum pertinet, & tamen ex Gentium jure descendit. Excusandus igitur Wesembecius ex eo quod addidit *magna sui parte*. Multa enim juris publici Romani, ut quæ ad sacra & singulorum Magistratuum jura pertinent, neque ex Naturæ neque ex Gentium jure derivantur: neque Athenis aut Lacedæmone petita sunt, sed pro arbitrio aut usu constituta à Regibus, Senatu, Populo. Matrimonium directè est juris privati: indirectè ac mediatè ad jus publicum refertur, quia ex familiis nascitur civitas. Publica judicia non rectè mihi videtur Trebonianus inde deducere, quod cuivis è populo executio detur. Ita enim populares quoque actiones eo nomine includerentur, quas certum est distingui. Verius igitur inde dicta, quod olim coram populo peragerentur: mox non coram quovis, sed coram majore aliquo Magistratu, magnis solennibus. Neque tamen eò minus ad jus publicum hæc referenda sunt, quanquam ratio nominis diversa est. Nam pœnæ omnes quæ lucrum privato non afferunt ordinant partem ad suum totum: & efficiunt, quemadmodum dixit Seneca, ut qui vivi prodesse Reipublicæ noluerunt, eorum morte (addi potest exsilio, infamia) respublica utatur. Iura Naturalia quæ verè & propriè sunt talia, hoc est, quæ Deus per Naturam jubet aut vetat, (aliud enim censendum est de iis quæ congruentiam quandam habent cum natura & rectiùs dicuntur πρέπειν, quàm δεῖν) omnino sunt immutabilia hominibus, quia inferior non potest mutare legem superioris. An Deo ipsi sint mutabilia alia est quæstio. Exemplum eorum quæ congruentiam duntaxat cum natura aliqua habent, non autem inde fluunt necessario, est filium patri succedere. Sunt alia quædam, quæ dicuntur esse juris naturalis, concessivè non præceptivè, hoc est, quia manendo in terminis naturalibus res ita se habeat, & hæc mutari omnino possunt, quia lex nulla obstat, ut rerum communio, libertas singulorum hominum. Sed hæc juris nomine impropriè appellantur. Alia quædam juris naturalis videntur mutari, cùm non mutentur, quia præcepta non enunciata sunt, ita ut à natura præcipiuntur. Quod si ita enunties apparebit non intervenire ullam mutationem. Ita Leges superiores semper restringunt eas quæ sunt ordinis inferioris. Redde depositum, nempe nisi certò nociturum sit ei cui reddatur, ut gladius furioso: nam lex quæ personæ consulit dignior est ea, quæ de rebus disponit. Iterum, Redde depositum, nempe nisi obsistat is qui jus habuit ad rem ante depositum, *L. bona fides ff. Depositi.* Rursum quia dominium universale quod respublica sive potestas summa in republica habet in bona subditorum fortius est quàm dominium particulare, quod habent singuli, ideo leges consulentes privatorum dominio intelligendæ sunt cum limitatione, quatenus non obstat dominium universale. Ideò rei capitalis judicii bona fisco potius quàm ipsi reddenda ait *d. L. Bona fides.* Ideò & præscriptiones justæ sunt, quia lex potestatem habet transferendi dominii particularis ex illo jure dominii universalis. Postremò etiam in præceptis naturalibus mutatio quædam non directa ipsius præcepti, sed indirecta materiæ præcepti locum habet, quoties materia subjecta est arbitrio humano. Nam si privatus remittendo debitum efficit ne locum habeat lex, debitum esse reddendum, multo magis hoc potest respublica aut summa potestas, ut quæ in res privatorum maximum & summum jus habeat. Quæ dixi per octo regulas disponi sic poterunt.

Ius naturale aut sumitur
- ita ut ab hominibus enuntiari plerumque solet.
- ita ut à natura dictatur: estque
  - convenientiæ
  - dispositionis
    - concessivæ
    - præceptivæ quod mutari
      - directè nequit
      - indirectè sive per mutationem materiæ potest.

Quæstionem περὶ ἐπιεικείας memini me quibusdam Thesibus complecti, quarum exemplum apud Patrem puto exstare. Si is non habet, schedas meas percurram. Est enim argumentum latè patens & quod ignorare non debeas. Prætores non judicasse verum est de civilibus controversiis: de his enim dabat judicem Prætor Vrbanus. Cæterum de Vi, de Repetundis, de Sicariis, de Ambitu, soliti sunt Prætores cognoscere: cujus rei apertissima testimonia per omnem Romanam historiam comparent. Vide si vis Manulium de Legibus: & Pædianum passim, cujus exemplar nullum mihi ad manum est. Omnes Magistratus Romanos habuisse mixtum imperium non usquequaque verum est. Nam Tribuni plebis certè antiquitus imperium aliquod habuerunt, jurisdictionem non habuerunt: ideò prehendere poterant, vocare non poterant. Vide locum insignem apud Gotleum lib. XIII. cap. XII. ubi Labeonis summi Iurisconsulti & Varronis, antiqua & præstantissima auctoritate Petus ait, tribunos plebis non esse creatos juri dicundo, hoc est, jurisdictionem non habuisse, ac proinde nec mixtum imperium. De tutela, præter illa vulgata, nihil nunc succurrit: & hæc ipsa summa cum festinatione inter magnam negotiornm molem vix exarari, ut studiis tuis pro virili succurrerem. Vale mi Frater. Rotterodami 18 Maji 1615.

Tuus amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

DIsputatio ut tibi feliciter procedat, majorisque profectus initium sit etiam atque etiam precor. Statuto die operam dabo ut adsim, nisi qua vis major impediat. Servitutem nullam esse naturalem propriè loquendo vox ipsa tum servitutis, tum naturalis indicat. Neque enim magis naturalis esse potest rei quàm personæ servitus. Est enim rei servitus, Ius facto hominis introductum contra nativam libertatem. Quare quod in *L. in fine ff. de aqua.* aquæ pluviæ dicitur hanc esse servitutem inferiorum prædiorum, ut natura excipiant profluentem aquam, manifesta est κατάχρησις, ipso loquendi genere indicata, ut si tabidum hominem vivum cadaver appellem. Naturale est ut ager inferior patiatur aquam ex superiore fluentem natu-

naturaliter. Aliud est si opera humana aqua illa aut excitetur aut educatur in agrum inferiorem, puta per molas nostras, aut ut olim corrivando; id enim non licet nisi jure servitutis L. 1. §. *sed & fossas* d. tit. & §. *sed & si* vers. *planè.* quia tunc scilicet non naturale est incommodum, sed accedit opera humana: sicut & fumus causam naturalem non habet, quia ignis humana opera excitatur. Hæc ergo omnia quæ opera humana initium aut adjumentum sumunt, dicuntur immitti, ut fumus tabernæ casseariæ, ut aqua non profluens. L. *sicut* §. *Aristis* & *si servit. vend.* At profluens aqua non immittitur, sed sponte sua defluit. Quare ejus incommodi nomine agi posse negat Iurisconsultus, at opere facto in agro tuo averti posse aquam & excludi non negat: in alieno autem opus fieri avertendæ aquæ non potest nisi jure servitutis. Vicissim si non damnosa, sed utilis sit aqua, puta fontana, potest dominus prædii eam in suo prædio opere facto retinere, neque permittere cogitur ut ad fundum inferiorem perveniat, nisi ejus fundi dominus jus aquæ ducendæ quæsiverit, ut L. 34. & 35 De servit. præd. rusticorum. Servitutes pignori dari non posse (citra prædium serviens) juris est regula ex altera deducta regula: Quod vendi non potest, id nec potest pignorari. Vsus postea obtinuit, ut rusticæ servitutes exciperentur ab hac regula. Quod ergo eas pignori licet dare est contra jus commune, quod ipsa vox utilitatis à Iurisconsulto usurpata satis significat. Omnia enim illa quæ utilitatis causa recepta dicuntur, ex jure singulari veniunt & à jure communi exorbitant. Si quæras id jus cur in rusticis magis quàm in urbanis valeat, facillimam responsionem dabit. L. *Non omnium* ff. de legibus, & si ratio quoque aliqua appareat, dum meminerimus ejus quod dicit Aristoteles. Lib. 1. C. 1. Eth. in moralibus non quærendas ἀποδείξεις, neque τὸ ἀκριβές, sed sufficere τὸ ἐπὶ πολύ. nam ut ait Theophrastus τὸ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Frequentur autem accidit ut rustica servitus æquè possit esse utilis huic atque illi, dummodo illi ambo vicinum prædium habeant. In urbauis ut hoc accidat rarum est. Planè autem jus pignoris requirit ut res utilis esse possit pluribus: quia & dum pignus durat, debet esse aliqua credentis utilitas: & postea debet exstare aliquis cui possit vendi; non emuntur autem res inutiles. In L. XIV. de Alim. Latinus sermo mutationem nullam exigit. Hæc raptim; premor enim negotiis indeclinabilibus, quæ causa efficit ut doctissimas Cluverii chartas (ita conjicio ex ante visis) evolvere mihi nunc non liceat: quo nomine velim me D. Heinsio excuses. Vbi paulum otii fuerit legam, scribamque ad D. Heinsium aut etiam ad Cluverium. Vale mi Frater. Rotterodami 29 Augusti 1615.

Reddes D. Corvino partem libri quam remitto: si Lugdunum venero cum ipso loquar.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

6 DE pupillo quod quæris, brevi mihi quid videatur expediam. Considerandæ sunt leges duæ, utraque à natuta. Prior est implendam promissi fidem, altera neminem locupletandum ex jactura aliena. Hæ duæ leges concurrunt interdum, sæpe per se singulæ substant. Quomodo per se prior substet prioribus literis explicavi. Posterioris notabile est exemplum in L. *Si me & Titium* ff. de rebus cred. ubi citra contractum oritur debitum ex illa sola lege. Prior lex in pupillo locum an habeat cùm quæritur, distinguendum est an de jure naturæ quæratur absolutè an ex hypothesi legis humanæ. Rem simili illustrabo. Absolutè si consideretur jus naturæ, res omnes sunt communes: si autem præsupposita divisione jus naturæ consideretur, respondebit suum cuique relinquendum. Cùm de jure naturæ absolutè agitur distinguendum inter pupillos qui intellectum rei quæ agitur non habent & qui habent. Illi enim jure naturæ etiam absolutè ac simpliciter considerato nullis promissis aut conventionibus obstringuntur. Quia ne promisisse quidem aut convenisse dicendi sunt, cùm hi actus sint voluntatis: nihil autem fit in voluntate quod non priùs in intellectu fuetit. Sicut ergo psittacus aut pica verba promissoria pronuntians non promittit, aut canis asinusve locare operas aut depositum accipere non possunt; ita nec ille primæ ætatis pupillus. Quod si de pubertati propiore aut alio maturioris judicii puero agamus, hunc absolutè obligari jure naturæ constat, at non item ex hypothesi. Quia jus civile etsi legem naturæ mutare non valuit, potuit tamen, ut nuper scribebamus, in pupillo ob infirmitatem judicii id facere quod & in prodigo fecit, ex potestate scilicet superiore ipsius potestatem limitare aut tollere: atque ita indirectè legem naturæ inefficacem reddere, substracta scilicet idonea legis materia. Quia lex naturæ ea demum promissa servari vult, quæ promittendi jus quisque habuerit. Hoc autem jus promittendi ut à Patre & Domino; ita & à Legislatore justè potest aliquibus auferri. Iustam autem hic fuisse causam non est dubium: ne scilicet captaretur ætas jam quidem quid agatur intelligens, nondum tamen satis firmi judicii, ideoque fraudibus mirè obnoxia. Ius ergo civile non tantùm negativè sed & positivè versatur circa pupillos promittentes. Negativè versari dico quoties actui vim civilem non addit, hoc est jus in foro suo petendi. Positivè cùm materiam reddit inhabilem atque ita efficit ut ne naturalis quidem obligatio ex actu proficiscatur. Hinc rectè dicitur pupillus aut ex promissione sola aut ex contractu quovis ne jure quidem naturali obligari L. *Pupillus* ff. de obl. & act. L. *Quid pupillus* ff. de cond. ind. ideoque si solverit repetere posse ut omni jure indebitum: Altera autem lex illa quæ locupletari quenquam cum aliena jactura, quod Aristoteli τοῦ τὸ πλέον ἔχειν, non patitur, pariter locum habet in pupillo atque in alio quolibet: non enim voluntas, sed res ipsa, hoc est lucrum unius ex damno alterius hic respicitur. Circa hanc legem naturalem jus civile vetus Romanorum habuit se non positivè aliquid contra statuens, sed negativè, hoc est non assistendo. Itaque actio inde nulla antiquitus oriebatur. Sed retinendi jus erat, unde & repetitio cessabit. Quanquam autem Divus Pius huic obligationi jus agendi primus dedit ut apparet L. *pupillus* ff. de auct. tut. L. 3. commodati L. 3. §. *pupillus* ff. de neg. gestis, tamen Iurisconsulti etiam qui post Pium exstiterunt sæpius respiciunt jus illud vetus atque perpetuum, quàm novum illud atque arbitrarium, quod sæpè mutatis Imperatoribus mutabatur. Eò autem id justiùs faciebant Iurisconsulti, quod ipsi plerumque ad vetustiores juris auctores commentabantur. Ita Paulus quod pupillus sine tutoris auctoritate mutuum accepit & locupletior factus est ad naturalem obligationem refert. L. *naturaliter* ff. de cond. ind. Cui legi addenda est L. 1. §. *si cum impubere* ff. de peculio. Hoc ergo casu intelligenda est lex. *Si cum pupilli* ff. ad S. C. Treb. ubi naturalis obligatio translata dicitur, nempe ex credito accedente locupletatione. Ideoque solutum negatur repeti, idemque est casus legis *si pupillus* ad L. Falcid. Quod autem ex hac causa debet pupillus hoc etiam promittere potest, eaque promissio si jus vetus Romanum *spectemus* naturaliter tenebit. L. 1. ff. de novationibus, poteritque ei rectè fidejussor accedere etsi nulla eo quidem jure petitio est. L. *si pupillus* ff. de verb. oblig. Non exprimunt quidem semper hunc casum Iurisconsulti, sed cùm de naturali obligatione loquuntur, & tutoris tollunt auctoritatem, intelligendi sunt de materia habili, quodque his in locis succinctè dicitur supplendum ex iis locis ubi propriè atque ex professo de pupillorum obligationibus

agitur. Quæ enim ibi dicta sunt, hæc in aliis titulis præsupponuntur. Quod diximus promissionem istam tenere naturaliter, id intelligendum est non ex lege de promissis, sed ex lege de nemine locupletando ex aliena jactura. Debebatur enim etiam citra promissionem. In lege *cum illud* ff. *Quando dici leg.* omnino probanda est lectio codicis Florentini cujus summa semper esse debet auctoritas. Quare *nec* delendum est, & postremæ literæ vocis *accepisset*, qui mos est Florentini codicis semel scriptæ bis sunt legendæ, ut inter vocem *accepisset*, vocemque *locupletior* copula intercedat. Pupillus locupletior factus nihil debere dicitur, civiliter scilicet ex jure antiquo: obligatio tamen naturalis exstitisse ostenditur. Sic & in L. Stichum §. *aditio* à Florentini codicis lectione non est abeundum, quæ habet *consequeretur*. Nam creditor pupillo etiam locuplitiore facto nihil consequeretur nisi heres ei exstitisset, quia jus petendi non haberet ex jure antiquo scilicet quod respici diximus: nunc cùm hæres exstiterit poterit retinere: est enim naturalis obligatio, quæ jus petendi non parit, retinendi parit. Hæc tibi paulo clariùs explicavi, quæ alioqui breviùs, sed obscuriùs expressa apud Cujacium invenires ad d. L. *Si pupillus* quæ est CXXVII. de V. O. Deportatus obligari sane potest ut ad alteram quæstionem tuam veniam: sed non potest manere obligatus ex causa quæ deportationem antecessit, omnia enim jura activa & passiva aufert deportatio: non vetat autem ne postea existant, ideoque nec fidejussor accedere potest L. *si debitori* ff. de Fidejuss. Nempe quia deportatio illum mortuum fingit & fiscum ei quasi hæredem posuit. Ita ut post deportationem quasi recens natus habeatur. Mortem merebatur, itaque habetur pro occiso: vitam habet ex novo beneficio quasi novam. Mirabitur fortè aliquis vim tantam esse legis, ut obligationem possit tollere quam natura fecerat. Sed cogitare debes sicut homo unusquisque de suo statuendi jus habet, ac proinde efficere potest remittendo aut novando ut cesset naturalis obligatio, neque tamen hoc faciendo quicquam facit contra jus naturæ, ita eandem quoque imo & majorem in nos nostraque potestatem Legi competere & quasi ex nostro consensu. Est enim lex πόλεως κοινὴ συνθήκη L. 2. ff. de legibus. Adimit ergo mihi jus quod à deportatione habebam: Sed sine ulla mea injuria: fiscum enim mihi debitorem substituit. Recurrendum hic est ad id quod ante dixi, aliud esse agere de jure naturæ absolutè, quod merum jus Gentium vocat Tryphoninus. L. *Bona fides* ff. Depositi, aliud de jure naturæ ex hypothesi juris humani, quod Tryphoninus eodem loco vocat jus gentium cum præceptis civilibus ac Prætoriis. Quanquam lex civilis efficere non potest ne existat obligatio ex valida promissione, potest tamen indirectè, ut diximus, efficere ut lex ista naturæ locum non habeat: aut præveniendo obligationem ita ut existere nequeat, sicut in pupillo fieri diximus: aut natam tollendo atque ita debitorem liberando. Nam sic quæque materia legi substrahitur. Potest Populus Romanus alienum servum liberum efficere L. 1. ff. de off. præt. Quod si fecerit, is servus ne jure quidem Gentium Domino erit obnoxius, quia omne dominium à majore Dominio sublatum est. Sic obligatum personaliter liberare potest in alium obligatione transfusa. Lex naturæ quæ promissa vult impleri intelligitur manente obligatione, non autem tollit aut ipsi creditori aut ei qui creditore superior est jus debitorem liberandi. Liberatus autem ubi est, jam lex naturæ cessat substracta materia. Characteres Statiani satis mihi placent. Vxor te resalutat. Fac me certiorem si quid circa Poëmata promoveris. Ad diem usque Saturni Hagæ ero. Scribebam die Lunæ Rotterodami, Hagam iturus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Salve Frater,

RESalutabis D. Vossium & Ioh. Arnoldi, dicesque Vossio scripturum me ubi paulo ero à negotiis expeditior: Iohanni verò Arnoldi accepisse me literas ab Anglo nobili, quæ controversiam Baronianam & articulos Lambethonios attingant: quare optare me ut iterum habere ac legere mihi liceat transmissam nuper ejusdem historiæ narrationem, siquid fortè sit addendum aut corrigendum. Quid in meos usus expenderis mone me quamprimùm; non enim libenter diu debeo. Theses duæ primæ de Testamentis mihi perplacent. Cogita tamen an voci Legibus addendum censeas positivis: & deinde an non ita malis ponere: *libera ut in testamento militis*, ut exemplum intelligatur afferri non subjectum adæquatum exprimi. Nam præter Principem & in hostico morientem quos addit tua annotatio, omnes qui principali indulgentia aut omnibus aut testamentariis legibus solvuntur, & ex multorum sententia peregrinantes in locis ubi jus civile Quiritium non viget, quoquomodo rectè testantur. Hæc erant quæ nunc habebam. Siquid ultra petis nunquam me pigebit aliis occupationibus tantillum detrahere temporis quantum studiis tuis promovendis sufficiat. Vale mi Frater. 2 Novembris 1615.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DAnda, ut scribis, tibi opera erit ut Præsidi τῷ λογικῷ καὶ ἀκριβεῖ excuses quod aliquid accuratiùs tractaveris quàm veteres illi Iurisconsulti in definiendo ac dividendo mirum quàm incuriosi. Sed cogitandum est illos pro re nata magis quàm certo ordine juris præcepta tradidisse, & παχυμερεστέρως καὶ ὡς ἐν τύπῳ ἀλλ' οὐ κατ' ἀκρίβειαν. Objectio de qua scribis facilis est solutu. Per querelam ex Novellarum jure hæredis institutio rescinditur: non tamen tollitur forma. Nam forma hæc est ut in testamento contineatur hæredis institutio. Id verò per querelam tolli non magis potest quàm factum infectum fieri. Sed impeditur effectus ejus institutionis. Non igitur testamentum caret institutione, sed institutio effectu. Qui effectus non est ipsa forma, neque pars formæ. Nam pone institutum hæredem adire nolle; non ideo testamentum non erit testamentum: sed effectu carebit. Neque tantùm illa quæ ex post facto rescinduntur aut in totum aut ex parte testamenta, ideo tamen negari non possunt esse testamenta: sed & illa quæ ab initio & ipso jure non valent, ut in quibus suus præteritur, testamenta tamen sunt, & nulla dicuntur non respectu essentiæ, sed respectu effectus, ut monere me memini. Instabis fortè & dices mirum esse quomodo testamentum per querelam rescissum ullum effectum habeat, cùm tamen effectum non habeat in eo in quo formam testamenti constituimus. Respondeo effectum habere non ex vi specifica qua testamentum est, sed ex vi generica qua est ultima voluntas. Et quod in hoc casu accidit ex dispositione legislatoris, idem aliàs accidit facto testatoris, ubi testamento per se haud valido adjecta est clausula, quam codicillarem vocant. Apud nos strenuè pro sarcienda pace à Magistratibus laboratum est: sed Festus ejusque socii nullas voluerunt conditiones offerre quæ inter Pastores veram fraternitatem atque σύνταξιν relinquerent, in quibus ferme ipsa Ecclesiæ unitas consistit. Deus dissipet schismatica consilia. De bibliopola fac resciscas & me moneas. Age quæso D. Heinsio gratias pro libro, simulque indica à Lydio haud rectè perlatum quod mandaveram. D. Sandius Lubecæ est & Hamburgum ibit brevi: monuit me ipse, paratum se experiri num D. Heinsio possit effectum dare id quod Wovicerii testamento continetur, si ab Heinsio nomina hæredum aut eorum quibus cura

rerum

Digitized by Google

rerum mortui incumbit accipiat. Vale frater charissime. 8 Novembris 1615.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

S. P. Frater,

9 Thesium tuarum ordo mihi perplacet. In IV malim ita ponere: *Damnati criminis capitalis, vel alterius cujus damnatus lex jubet esse intestabilis.* Nam alioqui intestabiles non rectè constituunt speciem à cæteris distinctam; omnes enim vetiti testari sunt intestabiles. Ad illud *furiosi, mente capti*, videtur mihi quod de intervallo dicitur non tam exceptionem regulæ quàm dicti explicationem continere. Malim ergo *dum tales sunt. Ideoque ab eo qui interdum furiosus est factum intervalli tempore testamentum valet.* Sic & de mente capto L. 17. ff. de test. adjicitur *eo tempore.* Thesi VII. pro *quidam tamen* &c. malim, *Prohibentur autem quidam natura.* In annotationibus ad Thesin IX litera e, rectiùs ambiguitatem vitaveris si scribas, *Si verò quidam mortui fuerint non ideò scriptum testamentum vitiari existimo &c.* In Thesi X. malim in Thesi omitti privilegia piæ causæ: est enim Iuri Civili incognitum, ex quo tuæ Theses conceptæ sunt. Nam jus Canonicum si admittas multa alia opponi tibi poterunt. Nihil tamen nocebit in annotationibus hujus privilegii Canonici mentionem facere. Miror etiam quòd partem ultimam de testamento scripto, cum testamento nuncipativo in unam Thesin compegeris. Ordo enim iste separari magis postulat. Ad Thesin XII. seriò cogita an non suis etiam competat bonorum susceptio contra tabulas, si prætoris beneficio uti malint quàm nullum dicere testamentum ex Iure Civili. Scio à multis disputari. Tu elige id quod probabilius judicabis. In Thesi XV. non puto excipiendum militem. Agitur enim in omnibus post primam Thesibus de testamento propriè dicto. Alioqui sæpius excipiendus fuerit miles. Itaque rectiùs ad Thesin I. in annotatione ad literam e, adjeceris: *neque sui præteritione*, aut *alterius cujuscunque personæ exheredatione voluntas vitiatur.* Iurisconsulti definitionem cum tua optimè consilaveris, si vocem justa interpreteris plena: sicut justum exercitum justam aciem dicimus: Auctores mihi præter eos, quos lectos tibi video, vix succurrunt, extra pragmaticos quosdam qui rem involvunt magis quàm explicant. Corollaria facilè ex Claro colliges: qualia hæc nobis nuper in mentem veniebant.

1. An valeat pro testamento charta patris manu conscripta, qua bona inter liberos dividantur si pater jusserit publicum ex ea instrumentum confici & morte præventus fuerit. Neg.

2. Duobus testamentis uno die factis ita ut utrum prius fuerit non liqueat, utrumque an neutrum an alterum valeat. Neutrum.

3. An in testamento nuncupativo sufficiat nomen hæredis ab altero exprimi interrogando & à testatore affirmativè responderi. Aff. Men. c. 4. p. 8.

4. Legitima an minui atque etiam tolli possint. Affirm. Men. l. 3. pr. 34.

5. Testamentum non habens solemnitates requisitas an aliquem obliget in conscientia. Neg.

6. Clausula derogativa an efficiat ne valeat testamentum posterius. Aff. Men. lib. 4. pr. 166.

Tractantur hæ quæstiones aliæque similes à Fachinæo, Claro, Grasso, Mantica. Ex his elige eas quæ tibi præ ceteris placent. Quarta & quinta habent aliquid Philosophici & Theologici. Quintam tractat Sotus etiam, & ut puto Vasquius. Quartam & alias quæstiones ad querelam & Legitimam pertinentes attigit Faber. Decade XV. errorum pragmaticorum. Vale mi Frater 20 Novembris 1615.

De librorum pretio nundum me monuisti.

Tuus ex animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

De bonorum possessione suo danda tecum in re sentio, sed tamen si rectè memini haud satis commodè ejus rei mentio fiet in tua thesi. Agit enim de bonorum possessione quatenus est modus rescindendi testamentum. At id quod ipso jure nullum est, ut testamentum in quo jus præteritur, non potest rescindi. Lex enim jam rescidit cùm fieret, itaque & Prætor mihi videtur dando bonorum possessionem non rescindere, sed nullum sine lege rescissum ipso eventu patefacere. Militem à querela esse liberum ordo à te in aliis satis accuratè observatus omnino exigit ad primam potiùs quàm in postremis Thesibus memorari: nisi fortè per indirectum hoc modo, *Ius unde querela oritur positivum esse affirmamus, ideoque nec militem eo teneri.* Verissimum est hoc, nam sicubi hoc jus dicitur naturale intelligendum est satis congruens æquitati naturali, non ex naturali necessitate descendens. Si hoc tibi arrideat, poterit simul addi: *legitimam quoque lege posse aut minui aut tolli.* Ita Corollarium unum lucritacies. De ultimo Corollario ego illam tibi sententiam scripseram quæ in foro est ἀναμφισβήτητος, etsi in schola facilè in utramque partem disputatur. Quod dicit Lex VI. §. 2. quæ postea geruntur prioribus derogare, id ex L. XXII. De leg. III. ubi eadem invenitur regula. Commodè accipiet hanc restrictionem, si specialiter testator dixerit, prioris se voluntatis pœnituisse, ejus scilicet qua scripserat talem clausulam. Litera observatur in legibus quæ semet sepiunt (ut Cicero loquitur) difficultate abrogationis. Censentur enim tum demum illæ abrogatæ si illa quoque clausula abrogationem impediens specialiter abrogetur. Alioqui id si non fiat, tam testamentum quàm lex posterior irritæ sunt non defectu potestatis sed defectu voluntatis. Præsumuntur enim non sponte factæ, sed alterius suggestione extortæ, & quia id prævideri testator aut legislator, ideo in tempore ivisse obviam fraudibus. Grimmarus mihi non placet. De Quintano illo altero qui rectè pingere dicitur, velim quamprimùm rescisca secquid nonnihil Latinè intelligat: & num Belgicè quoque pingat. Video mihi festinandum, quia septimana sequente Comitia instant, in quibus sine famulo esse non potero. D. Vossium saluta & gratias age pro insumto labore. Itidem D. Ioh. Arnoldi, quem rogatum velim ut pagellas post 55 mihi transmittat. Velim etiam scire quando finem exspectat impressionis. De nominibus quæ bibliotheca mea contraxit nondum scripsisti. Vale Frater charissime. 23 Nov. 1615. 10

Tui amantissimus Frater H. G.

IOHANNI ISAACIO PONTANO.

Quod judicium meum, Vir Clarissime, de Cluverii Germanicis Antiquitatibus exquiris, facis tu quidem benignè & pro veteri in me affectu. Sed parum nosti miseriam meam, quem negotia multa magis quàm magna ita divexant, ut non modò ingentia illa volumina, sed minores quoque libellos legere interdum vix liceat. Neque tamen tantum in me juris habent molestissimæ occupationes, ut non sæpe animo repetam ævi mei partem dulcissimam, quam in amœnioribus studiis magna cum voluptate exegi. Tantoque plus illis annis debere me sentio, quod amicos mihi dederunt plures ac fideliores, quàm unquam daturæ sint istæ quotidianæ vexationes. Eos autem inter amicos non ignoras te locum è præcipuis obtinere, si te meque nosti: me quidem alienorum studiorum integerrimum fautorem, te verò inter literatos nomen insigne tuo merito consecutum. Sed tamen quantum Germaniam Cluverianam inspexi, 11

neque possum non probare diligentiam, quæ egregii aliquid solet parturire, ubi vires suas colligens uni operi affigitur. Cæterùm etsi aliquid remisisse videtur de ferocia, quæ in libello antehac edito apparebat, vultum tamen audaciæ retinet. Cujus insigne documentum est, quod sæpe voces delet, aut immutat, nullis librorum vestigiis, sola ingenii sui fiducia. Reprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo, quem morbum eò patientiùs in ipso qui vivunt ferre debent, quod Cæsar, quod Strabo, aliique præstantissimi auctores sæpe ab illo supinæ ignorantiæ aguntur rei: cum quibus unà culpari, id verò mihi videtur esse laudari. Ad ea quæ sigillatim attingis, ut veniam: *rebelles* in libro tuo scriptum pro *imbelles* casu; non autem malitia (ut ipse interpretatur) æquo judici facilè apparet, cùm in ea mutatione nullum sit positum momentum, ad eam quidem, quæ inter vos agitatur, controversiam. Venerem apud Germanos in propatulo exercitam, mihi non persuadet Cæsaris locus, nec quæ de magna corporis parte nuda ait Cæsar, ulterius quàm ad lacertos & pectus trahenda sunt. Quanquam ergo occultabantur eæ partes quas sibi pudor secrevit, ea tamen erat vestitus ratio, ut gravidæ latere non possent. In Taciti de pellibus loco, nullam video mutandi necessitatem, cùm satis sit commoda, quam adfers, interpretatio. In altero de Frisiis Verrito & Malorige, quod substituit Cluverius, *in quos tum Germani rebellabant*, nullum habet tolerabilem sensum. Nam cùm] Germanorum voce ipsos Frisios intelligat, non potuit nisi admodum insulsè dici in Frisiorum natione Germanos, hoc est, Frisios rebellasse. Non fert hunc loquendi modum sensus communis, nedum Taciti σεμνότης. Contra verò Florentini codicis lectio omni oraculo certior. Regebant Frisios Verritus & Malorix. Hoc est principatum obtinebant: non profectò qualis tum Romæ erat principatus ἀνυπεύθυνος, ἀνυπόδικος, sed qualis notus Germanorum populis. *In quantum Germani regnantur.* ἐφ' ὅσον ἔθος τοῖς Γερμανοῖς βασιλεύεσθαι. Vt Principum & Regnorum voces sæpè usurpant promiscuè auctores, ita & Regi & Regnari, sed plerumque additis vocibus quæ tollunt τὸ ἀμφίβολον. *Trans Lygios Gothones Regnantur paulò adductiùs quàm cætera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Ipse ergo Tacitus Germanos in universum atque in iis Frisios regnari tradit, sed laxè & multum infra libertatem. Neque aliud est, quod voce illa *inquantum*, indicatum voluit. In Conventus Germanorum, qui pace habebantur (de armatis conventibus, qui ipsi sunt exercitus, nunc non disputo) non admissos è plebe singulos, multa mihi persuadent. Primùm vicorum pagorumque regimen erat non penes plebem totam, sed penes Principes & dilectos è plebe, quos Comites Principum Tacitus, Cæsar Magistratus distincto à Principibus nomine appellat. Iam verò ut è pagis natio aut civitas constabat, ita ratio ostendit eos qui singulatim pagis præerant collectos toti civitati præfuisse. Nam ut ad totum corpus reipublicæ regendum vocentur qui à partibus sint exclusi, inauditum arbitror. Apud Gallos Germanorum consanguineos plebem consilio non adhibitam, cùm dicat Cæsar, sequitur multitudinem apud eundem auctorem intelligi debere ingentem numerum eorum qui vicis pagisque præerant. Strabo sanè cùm ἀριστοκρατικὰς dixerit πολιτείας & subjungat electionem factam ὑπὸ τοῦ πλήθους, non potest justo quidem judicio aliud πλῆθος quàm multorum Principum Comitumque in unum congregatorum intelligere. Mores autem apud Gallos omnes, apud Belgas certè (Cluverio quoque fatente) receptos, à Græcis Massiliensibus velle deducere, perquam frigidum est. Adde jam quod historiæ quæ Romanam magnitudinem proximè sequuntur, & perpetua consuetudo earum nationum, quæ in veteribus institutis semper mansere, ostendit non omnes in concilium venisse, sed solos Principes, hoc est, nobiles, & è plebe quosdam aut judicio delectos, aut certè eos qui latissimè agros possiderent. Hæc quidem mihi videntur, quæ si necesse sit, firmare possum pluribus argumentis, paratus tamen certiora monstrantibus cedere. De Mosæ autem cursu, de fossa Corbulonis, deque aliis multis ejusmodi habeo quo Cluverium refellam, non conjecturis profectò, sed publicæ fidei documentis. Mirum sanè, si à Corbulone facta est fossa quæ Roterodamum ducit, quam nos scimus ante annos quadringentos planè non exstitisse. Verùm hæc atque alia ejusmodi faciliùs possem, si quis opus habeat, indicare quàm ipse, qua decet cura, persequi. Nam de Antiquitate Batavica recudenda quod mones, cogito jamdudum, sed melius otium semper exspectanti tempus effluit, ita ut jam prope ad omnem talis curæ desperationem adducar, nisi me supra spem Deus respexerit. Tu, cui nulla obstant mentis bonæ impedimenta, historiam veterem novamque, & res patriæ nostræ, potes qua oportet diligentia & inquirere & expromere. Ego tibi adjutorem si qua possum, sin hoc nequeo, lectorem certè præstabo: & quidem eruditionis tuæ tam reverentem, quàm esse quisquam potest. Vale Vir Clarissime. Roterodami 20 Ian. 1616.

Tuus H. G.

GVILIELMO GROTIO.

THeses tuas legi, mi Frater, quarum & ordo & pro- 11
positiones quas tuendas suscipis mihi perplacent. Stipulationem quin aptissimè definieris secundùm sua principia, non à posteriori, dubitare noli. Proximum enim genus ejus non quod ab accidente sumitur, sed quod ab ipsa rei essentia, est verbalis conventio. Quod vidit olim Pedius & post eum Vlpianus L. 1. ff. de pactis ubi dicunt conventiones alias re (vocabulo rei latissimè sumto ut non corpora tantùm, sed & facta comprehendat) alias verbis (ore prolatis scilicet aut scriptis) fieri: deinde ei generi conventionum quod verbis fit, subjungunt tanquam speciem, stipulationem. Differentia quæ stipulationem ab aliis verborum & quidem ore prolatorum conventionibus discernit in interrogatione & responsione consistit. Cùm verò responsio illa sit de dando aut faciendo, ideo tu rectè eam promissionem nuncupasti. Vides ergo planè convenire definitionem tuam cum Pomponiana, nisi quod ille genus remotius posuit, conceptionem sive formulam verborum; sed parum id refert cùm quæ sequitur differentia latitudinem hanc generis contrahat. Estque id non Iurisconsultis tantùm, sed & Philosophis solenne in definitionibus uti remotiore genere: unde Seneca dixit unius rei plures posse dari definitiones. In exprimenda differentia quod tu dixisti breviùs promissionem, id Pomponius responsionem vocavit non quamvis, sed eam qua quis se daturum aliquid facturumve respondit. Quare optimè hæc congruunt, cùm & Pomponius responsioni vim promittendi incluserit facta dandi & faciendi mentione, & tu promissioni incluseris responsionem, quia præcessit interrogatio ad quam quod promittitur, respondendo promittitur. Quod autem prima Thesi præsupponis, nempe quasvis verborum conventiones ex natura, hoc est, ex ipsa rationalis creaturæ conditione ac proinde etiam ex Gentium Iure primario, non positivo, vim obligandi habuisse, id quanquam à Connano magna vi oppugnatur est tamen verissimum. Ipse enim Vlpianus agnovit naturalem æquitatem hoc dictare, ut quæ inter aliquos placuerunt serventur. Fundamentum, inquit, Cicero justitiæ est fides, id est, dictorum conventorumque constantia & veritas: cujus fidei originem inde deducit quod fiat quod dictum est. Platonici quoque sæpissime justitiam vocant

ἀλήθειαν, & Simonides justitiam definivit, verum dicere & acceptum reddere: ostendens nimirum justum sive æquale illud quod justitia respicit esse duplex, alterum ex rebus, alterum ex condicto. Et sanè cùm unusquisque suarum rerum atque actionum sit dominus, aut ut jura loquuntur, moderator & arbiter, quid est æquius quàm ut de suo aliquid statuentis rata sit voluntas? Instit. de Rerum Div. §. *traditur*: aut quod potest esse signum voluntatis magis naturale quàm vox, quæ est ὄργανον κοινωνητικὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως? Neque enim difficilius esse debet semet obstringere quàm rem suam facere alienam, quod cuivis sine respectu causæ antecedentis licet: unde donationum origo est. Quod pagani ex naturæ lumine viderunt, id nos non videre magnus sit pudor, præsertim cùm majus lumen, vox divina scilicet, viri boni officia describens Psalmo XV. hoc quoque addat, quod in damnum quoque suum pollicitus aliquid aut juratus (ut alii transferunt) fidem promissi impleat nihil demutans. Quin si subtiliùs aliquanto rem lubet intueri non ex sola proprietate creaturæ rationalis, sed ex eo quod omni naturæ rationali commune est, nascitur vinculum promissionis. Nam & homo quod Deo promittit tenetur præstare, unde votorum origo: & Deus ipse manifestè satis ostendit suæ quoque naturæ esse conveniens stare promissis. Itaque non veretur ad Hebræos Apostolus dicere injustum fore Deum nisi promissa præstaret: Hebr. VI. 10. Et non multo post C. X. v. 23. Fidelis est inquit qui promisit. Vnde apparet jus hoc quo ad implenda promissa obstringimur ex æterna lege hoc est ipsius Dei natura proficisci, ad cujus imaginem homo est conditus. Vidimus quod sit jus naturæ aut Gentium, à quo non omnes populi recesserunt: quanquam Plato olim & Theophrastus auctores fuerunt ne ex fide ullum cogendi jus nasceretur: ut quemadmodum apud gentes plerasque (exceptis paucis) beneficia extra forum sunt, ita quoque esset fides, hominesque veraces esse gratis potiùs quàm metu discerent: quæ philosophia nostri certè sæculi moribus minimè congruit, in quo vix quisquam sponte bonus est: ita ut ingrati quoque ferme crederem actiones constituendas, nisi arbitrarer omnibus judicibus haud satis fore otii ad id genus lites expediendas. Romani, ut ad rem revertar, noluerunt omnibus verborum conventionibus vim adesse obligandi talem, nempe quæ jus exigendi daret, quod ex ipsa naturali obligatione naturaliter sequitur. Quæritur an legislatoribus id juris fuerit cùm ipse Imperator fateatur naturalia semper firma atque immutabilia permanere. Quæ difficultas eò major videtur, quod jus illud naturale pactorum non nudè permittit, sed constituit aliquid atque obligat. Dupliciter autem potest contingere ut humanus legislator aliquid permittat quod videatur pugnare cum jure naturali: aut suspendendo suum actum aut jus dando ad actum. Suspendit suum actum legislator, cùm mendacia, stupra aliaque id genus delicta cum jure naturæ Deique lege pugnantia non punit. Ius dat ad actum ut ad retentionem rei bona fide usucaptæ. Disputatur utrum in conventionibus non stipulatis faciat jus Civile, suspendat actum jus dicentis, an jus etiam det non implendi. Quanquam verò controversa est hæc quæstio, tamen posterior pars rectè defendi potest. Ratio est quia etiamsi id faceret lex Civilis; nihil tamen contra jus naturæ disponeret. Non enim simpliciter vult jus naturæ obligari aliquem ad præstandum quod promisit, sed ita si promiserit quod promittendi jus habebat. Quemadmodum nec omnis valet alienatio jure naturæ, sed ea demum qua id alieno quod eousque meum est ut alienare id possim. Omne enim debere prærequirit licere, obligatio libertatem, alienatio plenum dominium. Potest autem lex potestatem naturalem hominis restringere non repugnante imò & suadente jure naturali, sive ut ipsi, sive ut bono publico consulatur. Sic Deus ipse filiæ votum vult non esse obligatorium patre dissentiente. Num. XXX. 5. Quia ipsa quoque naturalis æquitas suadet aliquomodo limitandam esse vim ejus consensus quod à fragili infirmoque consilio proficiscitur. L. 1. ff. de minoribus. Hoc ergo cùm statuit lex civilis nihil statuit contra jus naturale. Non enim efficit ut qui promiserat id quod promittendi jus habebat, id ipsum præstare non teneatur: sed jus promittendi aufert, & consequenter ex ipso jure naturæ jus obligandi. Non obligatur enim qui promisit quod promittere non potuit. Non mutatur ergo lex naturæ, sed ipsa materia sive subjectum legis mutatur; ita ut non ampliùs legi subjaceat quia lex isti subjecto in tali casu nihil præcipit. Intelligenda enim lex est de eo cui liberum sit promittere. Non vetat autem lex naturæ ipsam promittendi libertatem (quæ obligandi radix est) ex justis causis limitari. Iustæ autem causæ legislatoribus Romanis non defuerunt. Quanquam enim plerunque firmius sit judicium majoribus quàm minoribus, tamen magna est quorundam hominum ad pollicitandum facilitas. Huic autem vitio lex meliùs occurrere non potuit, quam si valituris & obstricturis pactionibus solennem quandam formulam præscriberet, quæ hominum facilitatem obsepiret & quasi moneret ipsos ne quid temerè aut non satis deliberatè promitterent. Quod ipsum in testamentis quoque factum videmus, nimirum ne facilitas hominum quorundam astutiorum insidiis exponeretur. Hinc jam quatenus stipulatio sit Iuris Gentium, quatenus Iuris Civilis apparet. Inventio ipsa ut propriè loquamur, neque Gentium neque Civili Iuri debetur: sed ipsi rationi & sociali hominum ingenio, & facultati sensa sua per voces exprimendi: quibus positis tam facilè est hominibus stipulari ac promittere quàm aliter pacisci. Neque in sacra aut profana Historia quæ jus Romanum antecedit, desunt exempla stipulationum tum privatarum tum publicarum. Ipse baptismus ut me dicere memini, ἐπερώτημα hoc est stipulatio vocatur. Neque solebat antiquitus alia forma administrari. Quod & de circumcisione verum puto. Sed in juris arte finis maximè sive effectus consideratur. Hujus autem respectu est quidem stipulatio quoque Iuris Gentium, cùm eo jure vim obligandi habeat: sed in hoc nihil distat ab aliis pactionibus: Iure autem Civili effectum habet distinctum ac peculiarem obligandi. Est ergo quoad effectum hunc stipulatio Iuris Gentium productione, & Iuris Civilis comparatione: in genere Iuris Gentium: in specie verò districtè, & comparatè ad species pactionum alias Iuris Civilis. Quantum ergo productio conservationi præstat & absoluta comparatio, tanto plus habet stipulatio à Iure Naturæ & Gentium, quàm à Iure Civili. Vnde Connanus meritò eos revincit qui stipulationem potissimùm aiunt esse Iuris Civilis, & tamen pacta aiunt vim obligandi habere ex Iure Gentium. Vidit enim vir acutissimus hæc adversis frontibus inter se pugnare. Iam ergo tibi de genere atque introductione stipulationis satisfactum arbitror. Nam plura me addere vetant temporis angustiæ, quæ ne hæc quidem satis accuratè à me aut cogitari aut perscribi permisere. Adjiciam pauca quæ me inter legendum sunt remorata. In annot. ad thesin II. num. d. Subjecto singulari prædicatum videris *adjecisse* plurale. In annot. ad thesin III. litera d, *Opponis* emtionem stipulationi & tamen dicis *in utroque errorem in* materiæ qualitate vitium non *auferre contractui*: quæ convenientia est non discrepantia. *Stipulationem non* ritè *factam, ne quidem pacti vim habere* quod ad IV thesin annotas satis *rectè defendi potest.* Sicut enim lex Civilis auferre pactis *omnibus potuit* ut agendi, ita excipiendi jus, ita *potuit hoc ipsum* jus auferre specialiter stipulationibus non *juxta legem confectis*, neque justa causa defuit: *nempe ut eò diligentiores & attentiores* fierent homines *in observanda* ea forma quam ut longè optimam *ex omnibus* leges elegerunt. Quod in thesi IX

dicis stipulationes alias à reorum conventione, alias à jurisdictionis necessitate oriri rectè tueri poteris, si intelligas judices non quidem jus dicere, sed tamen ab eo qui jus dicat hoc est à prætore vim suam ac firmitatem accipere. Stipulationum materiam quod ais dividuam esse aut natura aut contractus conditione, potest excusari per τὸ κατά τι. Cæterùm cùm jura ut diximus finem effectumque respiciant, rectiùs fortè dixeris dividuas res esse quas & natura & contractus conditio dividi patietur, individuas quibus alterum desit. Nam ut ponatur possibilitas non satis est unum obstaculum amoveri: sed omnia simul amolienda sunt: ad impossibilitatem verò astruendam sufficit unum impedimentum. In thesi XIV velim evitari obscuritatem. Neque enim video quomodo genus à specie speciei distinguas. Non id quæro quomodo discernas stipulationes judiciales à judicio dictas à judicialibus quæ à judice dicuntur: sed cùm genus Prætoriarum statuas quod judicii firmandi causa adhibeantur, quæro quomodo judiciales, hoc est judicii firmandi causa appositas, iterum Prætoriarum speciem facias cautionali distinctam & quidem nulla adhibita ulteriori explicatione. Hæc erant in mentem mihi quæ veniebant, emendatu facilia. Ad singulas quæstiones venire mihi non permittunt occupationes. Si quid tamen quærendum putabis, à Vespere Martis ad meridiem Saturni Hagæ ero, si Deus volet. Ad Corvini librum venio. Quot exemplaria partis prioris ad exteros miserim haud satis memini. Attamen placet ut sex mihi mittas exemplaria solam posteriorem partem continentia. Illud prope omiseram non prætereundum tibi esse quod L. jure civili ff. de cond. & dem. in testamentis primitus observatum ad stipulationes quoque porrigit, nempe pro impleta haberi conditionem quoad eum per quem stetit quo minùs impleretur. Ac proinde promissum sub tali conditione cujus impletio à promittente omnino ac simpliciter pendeat pro purè promisso habendum. Vale mi Frater, & studiis invigila. 28 Februarii 1616.

A D. Corvino exemplar nitidissimum jam accipio, pro quo magnas illi gratias meo nomine nuntiari pervelim.

Tui amantissimus Frater H G.

E I D E M.

13 DOmum ut veni, cœpi cogitare de eo quod proposueras ex Instit. quib. mod. toll. obl. §. *præterea*, quem locum ubi cum L. 1. ff. de novat, contuli, inducor ut credam ideo novationem contingere pupillo promittente sine tutoris auctoritate, quia si merum jus naturæ spectatur, obligatio inde aliqua possit existere: quod in servo locum non habet. Servus enim is est qui neque actus sui neque rerum habet potestatem. Pupillus autem & liber est & dominus. Sed jus civile infirmitati ejus consuluit, quam non respicit merum jus naturæ. Vnde servus nullo auctore rectè promittit, quia quod promittat non habet, excepto eo quod in causis peculiaribus ob utilitatem inductum est. At pupillus rectè promittit, auctore tutore. Quare & eò propendeo ut in L. 1. ff. de novat. *naturaliter teneat*, interpreter, *teneret*, nisi nempe lex obsisteret. In servo nihil opus est ponere legem obsistentem. Satis est si servum ponas. Hoc enim posito, nec tenet nec teneret obligatio, etiamsi lex nulla humana hoc ipsum dictaret. Quod alii dicunt existere obligationem naturalem, sed effectum ejus esse nullum, mihi nondum probatur, quia vox ipsa obligationis effectum notat. Neque per naturam mihi videtur possibile, ut quod tu mihi debeas id mihi retinere non liceat. Et regula est universalis, quod natura debetur non repeti solutum L. naturaliter ff. de cond. indeb. Et apertè nimis non obligari pupillum jure naturali docet lex *pupillum* ff. de oblig. & action. Non dixerim ergo existere obligationem aliquam sine effectu, sed extituram fuisse ni lex obsisteret aut si legis præscriptum esset observatum. Quare & meritò rem amittit creditor qui à pupillo inutiliter stipulatur quod ab eodem utiliter stipulari poterat, accedente scilicet tutoris auctoritate, quæ judicii infirmitatem suppleat. Hæc ad te perscribenda putavi. An res urbanæ permissuræ sint ut ad vos excurram, multum dubito: neque tamen cessabo allaborare. D. Corvino dicas velim me cum viris prudentissimis egisse de libelli Thomsoniani editione: eos ita æstimare omnem frugem libri perituram, si D. Bertii scriptum eodem tempore emanet quasi ex constituto. Gratior enim multo erit liber, si nihil existimetur habere commune cum causa Bertiana & plures lectores, fortè & adstipulatores, inveniet. Vale mi Frater & strenuè studiis incumbe. 19 Martii 1616.

Tui amantissimus Frater H.G.

E I D E M.

NOn poteras disputationi eligere diem minùs mihi commodum. Hodie enim Senatus Civitatis hujus super plurimis gravissimisque rebus, quæ in Conventu Hollandiæ tractandæ sunt, deliberabit. Habendus deinde cœtus Classicalis. Deinde proficiscendum Hagam quamprimùm Legati Dordracensium transierint: quos in dies & horas exspectamus. Nam hic ipse dies auspicando Conventui præstitutus erat. Legatum amitæ minimè tibi invideo. Sed ut agam simpliciter atque apertè, minimè simpliciter neque apertè mecum actum arbitror. Tibi ut & hoc quod relictum est & disputatio honosque promotionis faustus sit ac salutaris opto. 28 Nov. 1616. 14

Tuus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

REbus tam implicitis tutò te Parisios venisse est sanè quod gaudeam: neque minùs illud placet quod jam ab initio peregrinationis tuæ cœperis nosse genus hominum tibi non visum, bonis omnibus invisum, qui se superbissima appellatione Jesuitas vocant, quasi satis non sit Christianos dici, quo nomine tot sæculorum pietas fuit contenta. De Ecclesia Catholica quod tibi objecerunt, nullius est pretii. Tam enim absurdum est Romanorum Ecclesiam Catholicam dici, quàm Hollandicam. Et hæc & illa partes sunt universi corporis, cujus caput est Christus. Ejusdem corporis partes sunt Ecclesia Græca, Syriaca, Ægyptia, Æthiopica, Moscovitica, Armenia, & tot aliæ quæ Romano Pontifici nihil debent. Has illi schismaticas vocant, quia non agnoscunt novum illum dominatum Episcopatus universalis, quem Gregorius Pontifex Romanus jampridem notam dixit venturi Antichristi. Planè certum est latiùs patere Christianum nomen inter eas gentes, quæ regnum illud Papale ignorant, quàm quæ tam iniquum jugum subierunt. Quod si Romanus Pontifex veteribus se teneret finibus & satis haberet primum Patriarcham simulque filium non Dominum Ecclesiæ agere, spes aliqua esset restituendæ unitatis, quæ tam manifestè oppressa libertate sperari non potest. Gentium conversio promissa sanè est veræ Ecclesiæ, eaque vaticinatio primis post Christum sæculis abundè impleta est. Neque tamen negaverim tam à Pontificiis quàm à Protestantibus quosdam è Paganismo Christo inscrifieri. Sed neque nobis neque ipsis id prodest ad indicium controversæ veritatis: non magis sanè quàm illis qui maria ac terras circuibant ut unum facerent προσήλυτον: at sæpe non cœlo sed gehennæ gignebant filios duplo ipsis magistris deteriores. De Indicanis pecuniis quod dicebant meræ sunt nugæ. Attinetur quidem fors belli tam gravis onere, sed non sine luculentis fructibus. A nostris insontes spoliari neque auditum est hactenus, neque verò credibile Batavicum ingenium noscentibus. An-

Digitized by Google

Anglos scio extra eam culpam non esse, & sæpe à nobis lui quod ab ipsis peccatur. De tutelari cum Hispano fœdere haud novum est commentum. Iampridem id egisse Richardotum apparet ex mandatis quæ Hagæ reliquerat. Sed neque Geneva Sabaudo, neque Helvetii Austriacis id unquam indulsere, neque Romani veteres Tarquiniis, neque populus ullus abdicato à se Principi. Quo ipso apparet Lucensium & Genuensium aliam esse rationem. Adversus Mare Liberum scio jampridem fuisse Salamanticæ qui scriberet, sed à Rege Hispaniæ supprimitur liber. Vtinam Trigautii ille prodeat. Videtur enim homo esse non ineleganti ingenio, ut ex argumentis ipsius facio conjecturam. Ego mihi cum hominibus quàm cum bestiis negotium esse malo. Interea ut videas quàm facilis fit ad ipsius objectiones responsio, hæc habe. Si Philippus Austriacus arbitrio Pontificis paruit, fecit id ut Rex Hispaniæ, non ut Princeps Batavorum. Quod si maximè voluisset obligare Batavos minimè potuisset, cùm potestas ipsius, Principatus jura non excederet, ac proinde translata in se populi jura non haberet; qua hypothesi nititur Trigautii assertio. Quare etiamsi adhuc Principem haberemus, nihilo deterius esset jus nostrum quoad navigandi ac mercandi libertatem. Principes enim nostri electi sunt custodes juris populi, non alienatores: quod patriis legibus probari facilè potest. Hinc illud annexum est quod populus liber, id est, regno nulli obnoxius non tum esse cœpimus, cùm factæ sunt induciæ, sed pridem tales fuimus, etiam antequam Philippi imperium ob violatas leges ejuraretur. Nam si liber populus esse non desinit, qui inæquali adstrictus fœdere Majestatem alterius comiter observat, multò minùs is qui Principem habet & Ordinum potestate & legibus compeditum. Non est ergo quod sibi ut nobis deceptis gratuletur Hispanus, cùm toties professus est se nobiscum ut cum libero populo agere. Nihil enim juris ab illo accipere nos usquam existimavimus satis fisi avitæ libertati. Sed magnificum fuit jus nostrum ab ipso hoste agnosci. Quanquam enim ille cavillis quibusdam verba clarissima eludat (quod ludibrium ne divina quidem Scriptura effugit) tamen omnes qui partium studio vacant vident ipsam vocum vim pro nobis facere. Neque mos est fœdera ex perfida postulantium mente, sed ex genuino verborum sensu bonaque fide interpretari. Professio ista Hispani secuta fuit Ordinum literas quibus jus suum clarè testabantur, illis nihil contra opponentibus. Quare meritò Reges istius fœderis arbitri judicarunt ista verba claram habere libertatis confessionem. Omitto nunc quæ de voce *ut* & *tanquam* à Jurisconsultis disputantur. Illud certum est longè aliam esse rationem, si quis tertius agat tum populo ut libero, aliud si is ipse qui jus sibi asseruit contra libertatem. Nam illud non nisi contra unum valet, hoc contra omnes. Si Dominus servum filium nominaverit, eo ipso liber factus censetur. Omnino si Rex Hispaniæ agens cum Ordinibus ut cum liberis tale aliquid cogitasset, quale nunc obtendunt ipsius assentatores, debuisset id ipsum nominatim excipere ac palam profiteri. Alioqui nullus est æquus judex qui non contra ipsum sit pronuntiaturus. Vt ad alia veniam, meus libellus Pontifici indirectum dominium minimè concedit: sed ex his quæ inter ipsos Cardinales confessa sunt sumit argumentum. Mihi illorum inter Romanenses sententia probatur, qui tradunt Episcopos, atque inter eos Romanum quoque Pontificem, si suo munere fungi velit, in oves suas jus habere de rebus ipsarum disponendi suasivè non imperativè. Si quis non pareat posse ei communionem ex justis causis renuntiari, cogi eum non posse. Quod si hæretici qui dicuntur ob contactus metum arceri possunt ab iis quæ jure Gentium sunt communia, quid ni Anglis nobisque aditus in Hispaniam præcluditur? Nos (Deo sit gratia) hæretici non sumus, attamen cum Paulo ὁμολογοῦμεν λατρεύειν ἡμᾶς τῷ θεῷ κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν. Hæc sufficiant pro tempore; alias paulo uberiùs evagabimur. Nunc enim premimur negotiis multis magnisque, de quibus ad Legatum scripsi. Ei me commendes rogo, itemque D. Thuano, Rigaltio & si qui sunt alii qui nos non fastidiunt. Vale mi Frater. Calendis Aprilibus 1617.

Tuus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Binis jam literis tuis responsum debeo: quæ me tui 16
causa affecerunt variè: nam & cum tertiana capitis & studiorum hoste te conflictari doleo: & rursum gaudeo imminui morbum, quem non fore diuturnum natura ipsius persuadet; cui accedit causa aëris mutatio. Facile autem est cœlo Gallico adsuescere. Literas quibus me de Fœderum quæstionibus consulueras ad manus non habeo. Cæterùm siquid interrogaveris satis memini, promptum est respondere, impossibilium nullam esse obligationem: ideoque eum qui bello domestico gravi & juxta vires suas attinetur ad præstanda auxilia ex fœdere conveniri non posse. Est enim hoc quasi moraliter ἀδύνατον. Sed hoc eò trahi non debet ut excusetur aut qui facilè duplices copias possit sustentare, aut qui ut socium fraudet auxilio, bello se sua sponte involverit. Inter plures socios laborantes, is ordo procul dubio observandus est, ut si omnes non possint, is adjuvetur, quocum antiquissimum est fœdus. Posterior enim promissio per priorem restringitur, quatenus simul nequeunt consistere: per regulam: quod nemo plus juris in alterum transferre potuit, quàm tum cùm transferret habuit. Horum autem qui ne pactis stent, criminantur eorum impletionem sibi noxæ fore, calliditas mihi non probatur. Nam si id datur effugium, quæ erit firmitas fœderum? Itaque hoc perfidiæ velamentum magis videtur quàm justa & æqua interpretatio. Psal. xv. divinam gratiam ei pollicetur, qui quæ juravit utcunque sibi nocitura sint servat. Neque tamen nego sicut privata pacta tacitè hanc secum exceptionem ferunt, ne ea serventur cum certo vitæ exitio, ita publicis pactis id inesse, ne quem obstringant ad ea quæ non dubiè interitum reipublicæ sint allatura: id enim dictat ἐπιείκεια: sed id proferre longiùs ad minora minusque certa pericula, fidem diffuentium est. Exemplis hæc possem firmare, si libri essent ad manum: Gallico sermoni moneo, quantum potes, operam des; eam enim ob causam unicè isthuc missus es. Cæteroqui iter & impendia perierint. Hottomannum salutes rogo, & si potes prorogationem temporis aliquam mihi exores ad usum chartarum, quæ nunc cumprimis publica negotia tractanti esse utiles possunt. Sin aliter ipsi placet, sum bonæ fidei. Vale, mi Frater, & quidem quàm suavissimè 20 Iunii 1617. Hagæ.

Tuus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Meam contra Socinum diatribam jam credo accepe- 17
ris. Res Ecclesiæ apud nos adhuc in turbido sunt: det nobis exitum Deus. Vtinam boni nobis aliquid Maurerius adferat, quem avidè exspectamus. Res Venetas & Allobrogicas in pacem spectare credibile est: in Germaniam incubituras vires Hispaniæ ut Imperium Ferdinando destinetur. Principi Condæo, ut spero, ista custodia dabit quod solum ipsi deerat, prudentiam. Nam & Arvernum aiunt ex carcere factum sapientiorem. De D. Langeracensis ad nos reditu nihil futurum puto. Quare cogitandum tibi est quomodo cum optima ipsius gratia aliò posses discedere, ne tempus tibi diutiùs pereat. Argentum undecunque extricandum est. Picturas quas promittis exspectabo. Molinæi argumenta quæ perscribis mihi non videntur satis firma. Nam quomodo incerta

Digitized by Google

ta erit prædestinatio fundata in prævisione, cùm prævisio divina sit certissima. An incerta sunt omnia vaticinia de rebus contingentibus? An incertum decretum de Christo per Iudæos & Romanos morti tradendo, quanquam & Iudæi & Romani potuerunt à tanto scelere abstinere, nulla in id necessitate compulsi? Neque vita æterna desinet donum esse gratuitum, si prædestinatio fit ex fide: non magis enim id sequetur ex prædestinatione, quàm ex justificatione, quàm ex fide esse nemo negat: & tamen gratuita est justificatio. Longè aliter Paulus argumentabatur qui ex Fide nos justificari ideo dicit, ut per Gratiam justificaremur: & Fidem ubique debito opponit. Meritò sanè: nam Fides ista in remissionem peccatorum omnem operum excludit gloriationem: neque ipsa spectatur ut opus, sed ut actus Christum sibi applicans: quemadmodum qui Serpentem æneum intuebantur iis contingebat sanitas, non quod visio suapte natura ad sanitatem prodesset, sed quia illo, non alio modo Deus istam gratiam largiri constituerat. Reprobationem non posse statui anteriorem lapsui rectè sentit ac probat Molinæus. Indurationem quoque non malè explicat, dum illud addatur nemini eam infligi ob pravitatem agnatam atque inevitabilem, sed ob veritatem in injustitia detentam, violatumque conscientiæ testimonium; quod Scripturas attentè legenti liquidò apparet. Vale mi Frater, & me de rebus tuis sæpius fac certiorem. Rotterodami 22 Septembris 1617.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

18 IMagines, mi Frater, duorum virorum sine exemplo lætus accepi, tuæque diligentiæ gratias ago. Quæ contra Socinum scripsimus ecquid placeant, & si displicent, in quo displiceant, velim scire. Liber de Imperio summarum potestatum nondum ad me rediit missus ad amicos in Anglia Germaniaque, ut eorum judicia exquiram. Quod D. Legatum Rhotomagum comitaris probo. Neque velim te ab ipso nisi pace ipsius discedere. Cæterùm planè res tuæ desiderant, ut in urbe aliqua sis à noti sermonis consortio seposita. De Consulatus munere non malè judicas. Atque idem mihi videtur, neque ingenio tuo satis convenire neque valde ex re tua esse negotiis Mercurialibus immorari. Pax Veneta nondum satis habet roboris. Apud nos animi magis magisque concitantur, agitatione controversiarum quas Galli prudenter cavent: pieque faciunt quod tolerantiam commendant. Cæterùm quod illam sententiam rigidiorem rigidè apud populum urgent, nescio an eos semper successus sit habiturum quales ipsi sperant. Nos Conventum Hollandiæ bebimus cis dies paucos, qui utinam aliquid morbis nostris adferat remedii. Hottomannus ad me scribit, de filio suo per Ordines commendando Castilioneo, ut fiat signifer. Ego obstacula duo invenio cum Primoribus patriæ locutus: primum quod Ordines non minùs facilè ipsi possunt conferre munus, quàm tribunum super eo rogare. Alterum majus quod hoc rerum statu, cùm incertum sit an diuturnæ sint futuræ istæ cohortes, haud libenter Ordines signum aliquod sint daturi decretæ mansionis. Si quid Rex de mittendis stipendiis brevi decreverit, erit expeditior ratio id negotium tractandi. Interea Hottomanno persuasum velim, nulla à me negligentia peccari: & rationem ejus habere, habiturumque me quàm possum maximam. Cal. Dec. 1617. Rotterodami.

Has ad Genastium literas cures velim diligenter.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

TVm quod scriberem nihil magnopere erat, tum verò 19
gravissimis implicitus negotiis in aliud atque aliud tempus, ut occupati solent, distuli scriptionem. In secessu Silvanectensi quantum in addiscendo Gallico sermone profeceris lætor ex aliis intelligere. Si quid simul usus pragmatici didiceris, id lucro appone. Res patriæ nostræ nec bene se habent nec extra spem sunt medicinæ. Dicere possumus cum cornice Capitolina ἔσται πάντα καλῶς. Scripsit ad me nuper Gevartius, versusque misit in incendium Curiæ. Si eum videris, gratias age & dic Manilium ejus avidè expeti. Iter tuum ad Turonas non improbo. Est enim & cœlum eo tractu salubre, & sermo tersus. Liber ille qui Semipelagianismi præfert titulum in me jampridem est editus, quem responso dedignatus sum, quando ipse nomen veritus est asscribere. Ego in Pietate disertè Semipelagianismi memini, ut erroris sanè gravis. Remonstrantium sententia à Semipelagianismo plurimum distat. Nam Massilienses, quos Semipelagianos sive reliquias Pelagianorum vocavere, Gratiæ necessitatem ita inculcabant, ut tamen initia bonæ voluntatis, saltem in hominibus quibusdam, negarent à gratia præveniri. Contra Remonstrantes quicquid in nobis est spiritualis boni etiam ipsa primordia dicunt ex antecedente Gratia proficisci. Videatur Synodus Arausicana qua refelluntur Massilienses. Apparebit in hoc uno situm errorem, qui tamen ita est improbatus à Synodo, ut errantibus negata non sit communio. At qui prædestinationem ex præscientia, aut communitatem Gratiæ sufficientis, aut Gratiam resistibilem atque amissibilem partem Semipelagianismi putant, ritu Sabino quod volunt somniant. Vossius noster nunc edit Historiam omnem Pelagii & Semipelagianorum ex qua cuivis liquebit quàm spissè hallucinentur qui sententiam Remonstrantium hoc est Bulingeri, Melancthonis, Hemmingii, aut in Pelagio aut in Massiliensibus damnatam putent. At quos feriat ejusdem Synodi Arausicanæ canon qui Anathema dicit credentibus à Deo aliquos ad malum prædestinatos isti viderint. Ad Benearnensem controversiam quod attinet, si nobis ea rectè exponitur, non video in quo accusandus sit Rex, qui antiquis dominis ita restituit bona, ut novis possessoribus tantundem ex suo patrimonio reponat: exemplo Arati Sicyonii, qui ab Ægyptio Rege adjutus eadem æquitatem olim exulum incommodis consuluit. Sed est hominum genus querulum quod semper invenit obtrectandi causas. Vale mi Frater. Salutat te uxor mea: nos rectè valemus. 20 Maii 1618.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VErum est quod scribis esse quædam in fidei Isagoge 20
non omnibus aperta. Sed meminisse debemus & Lucretium & Virgilium solere sine Commentariis legi. Deinde quid explicandum sit, quid non, vix distingui potuit ob ingeniorum diversitatem. Videtur mihi posse prima editio, nisi aliud impediat, sine commentariis procedere: ut & Bertasii hebdomas, in quam postea commentarii satis luculenti non ab ipso, sed à Simone Goulartio pastore ni fallor Genevensi, accesserunt. Sed amicos in consilium adhibeo super omni hoc negotio: à quibus velim & diligenter & liberè annotari quæ displicent. Scribebam die Dominicæ passionis Lupisteni.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

CArmina mea, mi Frater, satis habent, si suo tem- 21
pore excusentur. Vnde enim mihi iste spiritus

quem

quem Poësis supra omne scripti genus desiderat, cui ne liberâ quidem aurâ frui datur. Cæterùm in rerum dispositione usus sum judicio quanto protui maximo. Multa argumenta minùs firma, multa testimonia fidei suspectæ omisi: nec quicquam scripsi, nisi quod & verum crederem, & cujus fidem me sperarem facere posse ingeniis non contumacibus. Omnibus placere nemini hactenus concessum est: nedum ego id sperem in tanto calumniæ regno. Cæterùm quæ putas objici posse & objectum iri non nego, apud æquos judices non egent magno patrocinio. Res ipsa loquitur me non explicare dogmata Christianæ fidei Christianis, sed hoc agere ut impii, Ethnici, Iudæi, Mahometistæ agnoscant veram esse religionem Christianam, atque ejus dogmata deinde petitum eant ex sacris nostris Literis. Hoc agunt tres primi libri κατασκευαστικῶς postremi ἀνασκευαστικῶς, Dogmata περὶ τῆς Τριάδος, καὶ περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος inter argumenta locum habere non potuerunt. Neminem enim ista ad Christianam doctrinam allicient adhuc alienum: imò operam ludunt qui ista aliter quàm ex Sacris paginis demonstrare conantur. Sacrarum autem paginarum bene fundata auctoritate, debent & ista probata censeri. At in solvendis objectionibus quantum instituti exigebat ratio, forte est, quod jam puto videris, istorum dogmatum mentio, nempe ut ostenderetur, neminem debere propterea à nostra Religione absterreri. Vltra progredi non sinebat instituti ratio, ut nec sectarios ullos refellere, præter eos qui sacrarum Literarum auctoritatem aut prorsus aut ex parte tollunt. Nec qui ante me de veritate Christianæ religionis scripserunt, aut Romanenses aut Protestantes aliud sibi habuere propositum, quàm ego habui, quanquam mihi interdum videntur obliti propositi paulo longiùs evagari; non tamen ut ad eas descendant controversias, quæ nunc in Europa maximè agitantur. Auctoritas Ecclesiæ rectè intellecta non parum facit ad asserendam Sacris libris suam fidem, si rectè intelligatur, neque verò à me prætermissa est. Consentiens enim testimonium Christianismi deductum à primis usque temporibus dubitare me non patitur, quin libri illi sint eorum quorum nomina præferunt, aut talium à qualibus scripta habentur, quo posito sequitur ut ostendamus eos scriptores neque ignorantia neque malitia in iis quæ tradiderunt à vero deflexisse, quæ simul conjuncta libris plenissimam asserunt auctoritatem. At illa auctoritas judicii ἀναμαρτήτου quod Ecclesiæ & quidem suæ Romanenses asscribunt, cùm naturali ratione non sit evidens (nam ipsi fatentur Iudaicam Ecclesiam id privilegium non habuisse) sequitur ut adversùs negantes probari debeat ex sacris Literis. Non potest igitur sacrarum Literarum veritas ex tali judicio probari; ne idem sit se ipso prius atque posterius: sic & Spiritus testimonium quo Protestantes uti solent, à mea tractatione erat alienum, ubi cum extraneis disputatur. Argumentum autem ab universalitate planè idem non est cum isto Romanensium. Neque enim dico verum esse quod placeat pluribus: quanquam sic quoque Ecclesiæ Græcæ, Asiaticæ, Ægyptiacæ, Moscoviticæ quæ omnes unius sunt communionis non sint cessuræ Romanensi; sed hæc dico pertinuisse ad divinam providentiam, ut Lex religionis optima & universo humano generi data quàm latissimè exaudiretur. Id autem uni contigisse religioni Christianæ. Nam quantacumque sit sectarum diversitas, ubicunque agnoscitur veritas Librorum novi Fœderis, ibi Lex illa sonare dicenda est. Si quid aliud est quod animadvertendum tu putes, aut amici alii, fac me certiorem, ut aut rationem consilii mei reddam aut quod erratum est corrigam. Ad forum ituro tibi vellem viva voce possem ea instillare quæ usui credo futura: idque ut detur opto. Interea commendo tibi Merulæ Librum: sed præcipuè ipsa utriusque Curiæ mandata, ut & legas sæpissime & quæ ab aliis annotata sunt describas. Præterea Paponem, Gallium & Malantam: & Everhardi tum locos communes tum consilia, neque præterea quicquam: ne multis te libris oneres. Si quid aliud in mentem venerit scribam posthac. Facito me sæpe rerum vestrarum certiorem. Die palmarum. 1620.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

22 TVa in Decalogum, mi Frater, legi cum voluptate. Nam & sententiæ sunt optimæ & versus dulces. Neque verò putanda est hæc opera aliena ab homine non Theologo, cùm Scriptura omnibus pateat, præsertim ea pars quæ vitæ præcepta continet. Remittam opus tuum per matrem, quo tempore (si Deus permittat) & D. Erpennio & Vossio rescribam. Novam Senecæ editionem & notas ad veterum fragmenta nondum accepi. Vbi accepero legam cum cura, quanquam defectus omni Critica supellectile. Orationes ad concordiam monitrices olim cùm à nobis quotidiè inculcarentur contemtæ vereor ne nunc serò adhibeantur tam latè discisso vulneri. Deus Optimus Maximus rogandus est aliquam inveniat rationem qua salva salutari veritate pax publica conservetur. Remitto Patris Paraphrasin in Epistolam Iohannis Apostoli, interpolatam à me nonnihil, ita tamen ut ipsi liceat suo uti arbitrio in suo opere. Ideo antigraphum ejus servavi. Danielis precatio quam misit valde mihi placet. Rependam hoc munus remissa precatione non dissimili Nehemiæ, quam ut spero, mater adferet. Lucæ Brugensis commentarios accepi, apud quem plurima invenio ita exposita quomodo ego nullo auctore exposueram. Valde me confirmavit judicium ejus accuratum & diligentia singularis, quam & in Pecherello admiror, qui mihi videtur si quis unquam veram ingressus viam Sacras literas interpretandi. Ego quoad potero legam eorum vestigia, quanquam sæpe libris ad institutum necessariis destituor. De natalitio carmine mater nunc gratiam facit: sed rogat in posterum memoriæ imperes, ne eum diem sibi excidere patiatur. Pro valetudine omnes Deo habemus gratias. Ejusdem clementiæ patrem omnesque sanguine, affinitate aut amicitia junctos unicè commendamus. 1620. Calendis Novembribus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

23 VOs omnes rectè valere magno cum gaudio intelleximus ex literis patris, cui responsum adhuc debemus. Hæ interim literæ, & illi & matri, & tibi & nostris omnibus salutem precabuntur & de nostra vos facient certiores. Miseram ad te per matrem mea annotata ad Passionem κατὰ Ματθαῖον, & alios quosdam locos. Addo nunc explicationem γενεαλογίας apud Matthæum & Lucam: & duorum præterea locorum quorum alter non intellectus est hactenus, alter magno consensu perperam acceptus, ni valde fallor. Permittes de his quoque judicium æquis & eruditis tuo arbitratu. Erpennii opus qui procedat scire cupiam, & quid mihi faciendum amici censeant. Fortè uxor quæ nunc it Gorichemum literas à vobis adferet, quibus me de his aliisque rebus edoceat. Mihi non displiceat tradi schedas de passione D. Erpennio & Vossio, sub fide præstandæ custodiæ & hac lege ut me admoneant quid sine offensa publicari possit: atque ego deinde intellecto ipsorum judicio, ipse mea minuam, quanquam jamnunc omisi multa. Sed de his vos cogitabitis. Mittam ad te post aliquot dies, fortè per Deventrium, observationes ad Tragœdias Senecæ, & ad fragmenta tragicorum. Si id fit, memineris curare, ut quæ sunt ad Tragœdias Scriverio tradantur, quæ ad fragmenta Vossio: ita enim convenit, aut si vis, Vossio utraque. Is enim ea quæ

Scri-

Digitized by Google

Scriverium habere oportet rectè curabit. Nunc Isagogen fidei relego. Vtinam à te haberem indicem locorum in quibus vices catalectorum & acatalectorum non sunt observatæ: nam meos oculos dum sensibus attendo, ista effugiunt. Præter hæc nihil nunc quidem habeo: nisi quod me D. Hogerbetii solitudo excruciat, quam sublevare utinam possem. Valemus bellè omnes, & vobis fausta omnia precamur. 18 Decembris 1620.

Vellem videre specimen annotationum quas alii Domino Erpennio suppeditabunt: ut inde colligam quis modus atque mensura instituto conveniat. Nunc fieri potest ut mihi pro argumento breve videatur, quod pro instituto ipsius prolixum est. Pecherellus etiam cùm plurima dicit mihi prolixus non videtur.

Hæc scripseram die Saturni, sed tempestas iter uxoris impediit. Nunc hæc addo: velim rescifcas quid agat Deventrius, qui nunc Hagæ est, quibuscum versetur: velim & Belgicos versus de Minio translatos ita ut exscripti erant, mihi remitti ut & eos emendem atque augeam. Hymnos nostros Belgicos quod attinet, re expensa, nolim vulgari, nisi permissu Magistratuum, sive addito, sive suppresso auctoris nomine; parum enim id refert. Cogitate etiam an quædam sensus aut rythmi causa mutanda sint, ut quàm emendatissima sit editio. A typographo ut puto, facilè exemplaria aliqua impetrabuntur. Valete omnes.

Tui amantissimus Germanus H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

24 AD patrem jam scripseram cùm tuas accepi, multis nominibus mihi gratissimas. D. Vossii judicium meritò facio maximi. Quare aveo intelligere quid ille de genealogia sentiat, ut rationibus ejus expensis, si præponderant, discedam ab ea interpretatione quæ mihi hactenus valde allubescit. Sed & de iis quæ ad passionem, aliisque velim minutatim judicium ejus intelligere, ut quæ opus immutem; quam ad rem tempus nobis concedi gaudeo. Velim, ut monui nuper, scire ad quam ferme mensuram futuræ sint aliorum notationes, ne aut plus dicam quàm locus patitur, aut parum sensa mea muniam si sim concisior. Quæ ad Senecam & fragmenta jam tradideris spero: addes pauca hæc quæ postquam illa miseram in mentem inciderunt. Vtinam aliquid à nobis in hac multarum rerum inopia provenire queat amicorum nostrorum auribus non indignum. De bonorum nostrorum controversia quæ egistis valde probo. Verum est quod dixisti, non addictam à me in perpetuum operam Rotterodamensi civitati: imo recepisse me ut libera esset discessio, modò ne extra patriam. Sciunt id multi qui nunc etiam in Senatu sunt Rotterodamensi: & si opus erit accedet publici instrumenti fides. Nunc satis erit id affirmato poni. Si judices in eo putant esse τὸ χελνόμενον interloquantur. Omnino monendi sunt Rectores urbis Delphensis ut se nobis adjungant, imò non possunt id omittere sine summo suorum municipum damno, quando ex actis apparet à fisci patrono non jus meum civitatis duntaxat, sed ipsius privilegii vim atque latitudinem in controversiam trahi: nihil autem ea de re contra nos judicari poterit, quod non communem municipum causam gravissimo præjudicio jugulet. Facite ergo ut Delphenses videant ea quæ à Fisci parte dictata sunt, ut intelligant integrum sibi non esse silentium. Iurisconsultis qui pro re nostra suam ostenderunt sollicitudinem gratias ago maximas, utinam referre possim. Isagoge nostra jam describitur. Scribat ad nos frater Reigersbergius ubi venerit. Ego in vertendis Græcorum Poëtarum sententiis naviter pergo, Ciceronis & Senecæ exemplo. Hymnos exspectabimus: sed scire velim an pastores viderint ante datam vulgandi veniam. Vbi Bezam Præsidi reddes de Phœnissis cogita, ne Thebani nostri in spongiam incumbant ut Augusti Ajax olim. Deus O. M. tuis studiis faveat, atque omnia tibi amicisque aliis salutaria largè suppeditet. 10 Ianuari 1621.

Patri pro literis quas scripsit 7 Ianuarii quasque cum tuis accepi, gratias ago. Pergite nos rerum quæ ad nos pertinent facere certiores. Idem faciat Frater Reigersbergius.

Tuus totus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Carissime,

QVæ ad Tragicos & Senecam, addenda videbantur, 25
quanquam exigui sunt momenti, spero receperis. Quod si jam reddita tibi sunt nostra ad Novum Testamentum, cogita an non operæ pretium sit ea aut omnia, aut quæ optima judicabis videnda dari D. Maurerio qui jampridem aliquid mei videre gestit. Erit id ei incitamentum, quanquam ultro satis pro nobis laboranti. Potes consilium hac de re conferre cum Nicolao Reigersbergio. Si quid evenit scitu dignum, fac nos certiores & patrem, matrem amicosque omnes saluta. 21 Ianuarii 1621.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

IAmdudum, mi Frater, nihil à te literarum vidi. Cau- 26
sam arbitror intermissæ diligentiæ, quod domo abfueris: credo & quod gelu ne curare posses impediit: quo futurum arbitror ut & quæ scripsi ad patrem ante aliquot hos dies & quæ nunc scribo tardiùs quàm velim in manus veniant. Quæ ad Senecam & Fragmenta annotaveram, & quæ iis postea misi addenda perpauca, non dubito quin iis ad quos pertinebant sint tradita aut tramissa. Scire velim quomodo liber sit proditurus, & in quod tempus parata esse debeant quæ poscor conferre ad novam Martialis editionem. Memini de mercatu Francofurtensi aliquid intelligere. Sed nescio an id initium, an finis sit futurus typographicæ operæ. Hac de re quid sit explores & me doceas velim. Tum verò per literas D. Vossium quamprimùm moneas ad illud Ennii, *Aut pariet locusta Lucam bovem*, lapsum me memoria cùm dixi locustæ primam syllabam corripi à Iuvenale. Contra enim se res habet. Itaque tota illa annotatio pro non scripta habenda est. Librorum quos mitti mihi postulaveram Æschylum & Aristophanem maximè desidero, ne imperfecta maneat nostra Gnomologia. Æschylum ego non habeo; commodando pridem amisi. Aristophanem si cum scholiis non ita facilè aut citò potes reperire, mitte eum qui inter meos est libros, in decimo sexto ut loquuntur librarii. Corneliolam an ad vos allegaturi simus, dubium adhuc est. Videbimus ut succedet ejus valetudo & quò animus ipsius vergat. Pro Corneliolo gratias habeo patri matri vobisque omnibus qui ei hactenus parentum vicem præstitistis. Desidero eum rursum videre sanum & aliqua studiorum accessione locupletatum. Simul atque soluta erit glacies, videbimus an famulam nostram huc permus transmissuri, quò rectiùs commodiusque omnibus veniat. Interea patri, matri, tibi amicisque omnia precor fortunata. 7 Februarii 1621.

Exspecto videre ea quæ D. Vossius observavit in nostris ad Novum Testamentum annotatis, ut quæ emendanda sunt emendem.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

NVllas à te Frater, ex Hollandia accepi. Puto jam de- 7
quæ veniant. Interea amisimus virum innocentis supra sæculum Possizium magno bonorum omnium desiderio. Is dolor publicum ferme omnis ordinis gaudium super

super morte Comitis stabuli pensavit: nam Regem à domestica servitute liberatum, si non vidit, audiit certè; atque id egregium mortis solatium habuit. Pacem regni sperare certè potuit, de qua rumores diversi. Putatur Rex brevi hic futurus auditurusque Rupellenses legatos: quod utinam rectè succedat. Id enim & res intestinæ Regni & externæ desiderant. Princeps Condæus statim post obitum Luinii ad Regem advolavit, studio occupandi Principem vacuum & quod additur ex bello gloriam. Instrumenta Drentianæ litis spero rectè ad vos & per vos ad Tungrum curata. Pretium tabellarii hic omne persolutum est, quod cùm ad vos scriberem, nondum mihi constabat. Solvimus florenos quatuor & semissem. Si quid à vobis erogatum est id poterit repeti, aut in venturas posthac literas imputari. Quem finem habuerit viri optimi Hogerbetii desiderium scire aveo tum ipsius causa, tum quia ad res alias conjecturam præstabit. Vale mi Frater, & parentes atque amicos obsequiosè saluta à me & uxore: etiam Reigersbergium si apud vos est, quem rogo, eorum quæ scribo notitia impartias. 6 Ianuarii 1622.

Tui amantissimus Frater H. G.

PARENTI OPTIMO ET FRATRI CHARISSIMO.

28 QVas ad me dedistis epistolas postridie Calendas Ianuarias cum gaudio accepi, eoque magis, quod de tuo, Frater, adventu in patriam nihil hactenus inaudiveram. Commonitoriam juris in Drentianâ lite omnino non alii tradendam censeo, quàm Echteno nobili ejus terræ, & hujus litis directori. De Hexabiblo commendo vobis ne diutius protrahatur, exeat quo poterit modo. Tiardam amavi optima fide: de morbo doleo, sed quando ita res erat, exemtum humanis miseriis est quod gaudeam. A Rotterodamensibus & delegatis Ordinum nihil mihi polliceri audeo. Tamen res videtur tentanda vel in hoc, quò justior sit defensionis meæ causa, quæ non procul à fine est. Melissæi consilium non displicet: ita tamen ut nihil tacendum sit eorum, sine quibus mutila foret defensio. Principis ad ostensas literas dictum videtur mihi perplexarier: quid de ejus animo Melissæus judicet, scire haud abs re sit. Quod mones, Frater, & ego deprehendi, in disquisitione effugisse mihi semel Synodi vocabulum. Nicolaus Reigersbergius jam ad vos spero venerit. Hic res eodem in loco sunt, durante & bello, & spe pacis aliqua, de qua certiùs judicari poterit, ubi huc venerit Rex, quod ante mensis hujus exitum futurum speratur. Comitis stabuli fratres apud Regem valde frigent, exemplo insigni quàm fragilis sit potentia non sua vi nixa. De Hogerbetii postulato an aditus sit Princeps, & quid dixerit scire aveo. Vtenbogardus hic est. Refutationem . . . . animosam (nosti hominis ingenium) mittam ubi prima se dabit occasio. Cum Rutgersio Heinsioque prudenter agendum: interim nihil peccaturum te reor, si eis significes, me cum solo non exuisse veteris amicitiæ memoriam. Vxor nunc valde occupata matri non scribit, factura propediem. Interim ipsi vobisque se commendat: idem ego facio & quantum hic est familiæ. Pueri bellè discunt: itaque ad scholam eos nondum mitto. Valete. 14 Ianuarii 1622.

Tibi obsequentissimus filius, tuique amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

29 QVas tu vigesimo Februarii, Pater autem vigesimo septimo scripserat utrasque accepi & gratias habeo pro iis quæ nuntiatis ac rerum mearum cura. Hic adhuc res inter pacem & bellum fluctuant. Cleracum receptum & in ditionem redacta Arena Dolonia animos addunt Protestantibus: at contra Regiam dignitatem ita bello illigant, ut expediri nisi cum Protestantium clade aliqua vix posse videatur. Attamen Dediguerius pro pace strenuè laborat. Rotterodamense negotium omnino conficiendum est quamprimùm. Si diem Conventus præscire non potes: ita faciendum erit ut in Belgica epistola hanc comitante scribo, quæ simul cum commendatoria inservire poterit, si cujus amicorum indigeas opera. Rogo ne ulterior interponatur mora. Etiam alter libellus delegatis Ordinum exhibendus mihi videtur. Subsignari libellos supplices ejus generis moris non est. Quod si mandati documento opus habeas, poterit quam mitto epistola sufficere. Apologeticus lingua Belgica jam puto ad vos pervenerit, rogo eum Pater & tu legatis quamprimùm otium erit, imo sepositis etiam negotiis. In Latina versione occupor. De Gallica videbimus. Disquisitionis exemplaria ad amicos proxima occasione mittam. Gaudeo esse quibus non displiceat, Alopecio præsertim cujus judicium maximi facio. Da operam ut exemplum aliquod habeamus libri Cameroniani. De Hexabiblo nolite quæso diutius ampliare. Prodeat permissu publicò si is paratus jam est: sin minùs, sine illo. Pittacium, ut scripsi nuper, de annuo congiario accepi. Sed id genus largitiones sæpe hic in vanum cadunt, ni adspiret potentium amicorum gratia, à quibus pendendum est semper quod mihi grave est. Cùm spes anni prioris me eluserit, video idem sæpius accidere posse. Regem his diebus salutavi frequenti Principum & Senatorum conventu, productus à Cancellario & custode sigilli cum honorifico testimonio. Rex ipse benignissimè me excepit. In Apologetico delenda censeo quæ capite v i de Spalatensi retuleram ob ea quæ nunc de eo nuntiantur. Tum verò capite i x. in privilegio Rotterodamensi de electione Consulum & Scabinorum ubi de electoribus sermo bis positum video pro *seven* ut habet antiquum privilegium. Ibidem Schoonhoviano privilegio scriptum est, *De eerste vyf personen* cùm scribi debuerit, *De voorsz. vier en veertien personen*. Hæc ignota manu corrigantur. Librorum catalogum exspectabo. Lis præjudicialis de bonis publicatis etiam nostro nomine urgenda mihi videtur. Saluta parentes, & necessitudines nostras nominatim Melissæum & vale. Lutetiæ 11 Martii 1622.

Cura ne clam ulla exempla Apologetici describantur, ut de aliis libris factum antehac est: mea enim refert ut tota res meæ maneat potestatis.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

SPes mihi fit, Frater charissime, pittacii sive breviculi Regii quod mihi datum est referendi in notitiam 30
eorum quæ persolvenda sunt. Sed ubi hoc quoque factum erit, tot sunt artes triconum nummariorum ut nisi magna amicorum gratia, temporis sæpe & pecuniæ damno nihil possit extundi. Experiemur ergo. Si grave tibi non sit ex eo quod nobis restat centum florenos Nicolao Reigersbergio numerari quibus persolvat nomen quod ex vectura fecimus, valde id nobis commodum fit. Nam ex quo hic sumus mille ducentos Florenos è Zelandia duximus: & tamen magnam partem supellectile utimur aliena. De Hexabiblo miror nihil à me intelligi. Librum quem misi postea quamprimùm & quidem cum judicio legi velim, & quid vobis videatur mihi renuntiari. Si quid doloris sensus mihi expressit, facilè poterit mitigari. Sed causæ vires timidis consiliis imminui non debent. Existimationis tuendæ causa nimis multa passi sumus, quàm ut eam nunc aut offensæ metu aut aliis imbellibus de causis deseramus. Idem vobis visum iri non dubito. Rex hinc abiit Aureliam: inde Bituricas ut creditur, & porrò Lugdunum. Fervet bellum, nec tamen sine spe pacis: quæ si coierit restat ut de Valle Telina Rex cogitet.

tet. Ego magnum in gratia Principis Condæi præsidium reperi: sed & Custodis sigillorum amicitia perutilis mihi est. Domum conducturi sumus aliam, pretio si possumus ferme ad quingentos florenos. Si quid apud vos novi est, fac me certiorem & cum parentibus, agnatis & affinibus vale. Lutetiæ 25 Martii 1622.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

31 MI Frater sæpiuscule ad te scribo negotiis ita postulantibus. Affinem Nic. Reigersbergium in Zelandiam puto abiisse, sed non diu ibi mansurum. Vbi redierit urgebitis commune negotium de libro. Ter ad eum misi quædam quæ inserenda aut mutanda sunt. Nunc ego manum de tabula. Nam Latinam versionem absolvi, pro quo Deo gratias habeo. De eo quod monuerat Pater in tempore cogitandum quomodo nostras narrationes credibiles facturi simus, in mentem venit posse super rebus quibusdam jam nunc in antecessum testimonia colligi: ut Verzidii, de excusata à me diu compositione edicti Sciani & postea inhibita executione: Consulis Langii: non audita sibi quæ ad Legatos Trajectinos Hagæ dixisse dicor, præcipuè ea quæ injuriosa esse judicantur in Proceres Fœderatos aut Principem: Oglei nocte ante exarmatum militem non consultasse me de impedienda præsidii in urbem introductione, quod & Consul Sconhovius testari poterit, qui tum in eodem cubiculo cubabat. Si quid præterea sciunt eorum quæ ego narro, asscribi posset. Velim cogitetis. Hexabiblus ubi prodierit, fac quæso ut Vossius exemplum sibi habeat & alterum quod statim ad Franciscum Iunium transmittat, qui paraphrasin Latinam pollicitus est. Velim ex eodem Vossio percuncteris nomen Germani cujusdam qui de conciliandis Protestantibus ac Romanensibus quædam scripsit Cassandrionis non dissimilia. Memini librum videre in folio editum, sed nomen non memini. Sciscitare etiam ubi sit, quid agat Abrahamus Milius. Eundem Vossium obnixè roga ut uti mihi liceat Eclogis Stobæi physicis, ad quas in carcere aliqua annotavi quæ nunc fortè non succurrerent. Rex à Principe in Britanniam Armoricam perductus est, in cujus finibus aliquid movere Subizius dicebatur. Scribit Lesdiguerius à Rohanio peti nihil iniquum; sed Conventum Rupellanum duriorem esse. Silerius noster rescripsit Mileterio de causa armorum. Brevi edetur liber, gratus hic Proceribus. Vidua Luinii, & filia Vernoliæ jussæ sunt Lupara discedere, quia Regina per ipsas malè audiebat. De librariæ supellectilis meæ indice conficiendo patere quæso aurem tibi vellam. Vale cum patre, matre, consanguineis affinibus, amicis. 8 Aprilis 1622.

Hottomannus de libellis suis me interpellat.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

32 TV ne, mi Frater, ut gratias habeas mihi, cui infesta nimium fortuna nunquam hoc indulsit, ut quis tibi Frater essem ostenderem. Tu interim nunquam defatigaris ærumnas nostras sublevare & absentis vices subire, quæ si repensare unquam potero, cæteras injurias facilè fortunæ sum condonaturus. De centum Florenis numerandis scripseram, ut quod debeam Rotterodami inde, quia hic pecunia non suppetebat, exsolverem. Cæterum LXX alios cupieram penes te manere, unde sustineres quotidiana in res meas impendia. Quod si res integra est ita fiat rogo. Mihi subquæstor de pecunia moras nectit, nescio an quia ita mos est serpentibus Hesperidum mala servantibus. Sed quidquid ejus sit, existimationi consulendum est, ac proinde urgenda libri nostri de quo scribis editio. Scripsi ea de re & ad affinem Nicolaum, quem cessurum meis rationibus non dubito. Vestras notas avidè expectabo: & Hexabibli exemplum si quis amicus advenerit. Ego quod sibere ad me scribis in magna parte beneficii pono, atque in ea re ut pergas precor: neque dubites utcunque multis incommodis premar secuturum me consilia fortiora. Immunitas Iuris Albinagii simul cum publica tutela à Rege omnibus illis concessa est, qui ob nuperas dissensiones apud nos damnati aut in exsilium acti sunt: sed de ea re instrumentum nondum subscriptum signatumque est, sed exspectatur. Additamentum de quo scribis mitto, sed & alterum. Alia tria aut quatuor antehac ad affinem misi suis locis adscribenda. Pro transmisso librorum indice grates ago; ipsos nondum mitti opus est. Excerpam qui erunt maxime necessarii. Carmen tuum rogo ubi quis amicus venerit mittas cum hexabiblo. Vxor te salutat: quod & alios facturos crede, ubi ipsis à te salutem nuntiavero. Vale mi Frater. Lutetiæ 14 Aprilis 1622.

Patri pro Carmine summas habeo gratias: ipsique & per ipsum amicis, præsertim quos in epistolas nominat me commendo. Librum qui in Zelandia est ad vos remitti jussi. Memineris quæso de Eclogis Stobæi Physicis & de libellis Hottomanni.

Tui amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

QVæsivi, mi Frater, sollicitè admodum autographa libellorum, tum ejus quem Delegatis, tum ejus quem Roterodamensibus exhibendum censueram. Sed nullo labore reperire potui. Si apud vos sunt eorum exempla, rogo ut transmittatis. Placet enim consilium vestrum sequi & eis subscribere, ut quid facere illis libeat experiamur. De pace per has dies crebri rumores. Nam ad condictum convenerant Desdiguerius & Rohanius & conditiones quasdam perscripserant Regi offerendas. Interea alius advenit nuntius Subizii copias (ad sex mille erant) in Insula Rie cùm intellecto regii militis adventu naves conscendere pararent, coactas ad deditionem, atque ita in manus Regis venisse naves XII, machinas VII, captivorum immensam multitudinem, elapso Subizio. Id ad pacem valiturum ne sit, an Regi adhibiturum animos ad bellum ignoratur. Aliud hic habemus nihil, Rege procul in Pictonibus agente. Pecuniæ spes mihi fit. Cæterum nihil dum recepi. Saluta quæso parentes & qui nos sanguine aut amicitia contingunt. 22 Aprilis 1622. 33

Rogo si quis amicus huc veniat librorum quorum nomina hic ascripta sunt exemplaria quina aut sena nobis transmittatis in usum puerorum, pretium quantum erit reddetur.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

AD tuas quas 15 Maji ad me misisti literas respondeo Frater. De his quæ apud Vossium curasti gratias ago. De Eclogis Physicis placet consilium tuum, ut describas meas conjecturas annotata pagina & versu, easque mihi transmittas. Ita libro carere facilè potero. Abrahamum Milium à me salvere cupio: quod ni scriberes quæstum ipsum ex mercatura facere, cupivissem explorari ejus animum an huc transferre familiam vellet, non cariturus magnis amicitiis. Hexabiblon meum videre aveo. In titulo nihil mutandum. In libello ad Rotterodamenses annos de industria non expressi, neque id fieri oportet: nam si ad hunc diem postulem jam causa data recusandi videbitur: si ad sententiam usque videbor temporum distinctione quæ in me acta sunt agnoscere. Itaque ἀδιορίστως concipienda fuit postulatio: illi solvant ad quod videbitur tempus: id enim nobis non oberit. 34

rit. Smoutio ne nimium credite. De lite bonorum vix quicquam spero. Est ars patricia nos eo modo lactare. Milii nostri causa gaudeo cùm illi mollius exsilium obtigit: quod ut norit, meque nihil non paratum ipsius causa facere, vos rogo. Mitto tibi exemplum diplomatis quod nostri exsules me commendante à Rege obtinuerunt. Poteris describendum Nicolao Reigersbergio dare. Dicitur Rex ad se traduxisse Sullium & Fortium. Colloquia de universali pace lentè procedunt, intento Rege in occasiones belli & privatarum pactionum, quò vim factionis dissolvat. Miror nihil intelligere me de Drentiana lite. Puto non esse monendos de honorario pro opera in litem ipsorum insumpta. Si quid dederint, ut æquum, usui mihi erit ad domum instruendam. Conduxi è regione Principis. Audio Calsium Veenhusii generum obtinuisse pro se sententiam contra Waremundanum. Ego memini me in ea causa multum laborasse. Si quid honorarii offeret, ne id quidem recusandum erit. De pecunia regia nihildum accepi. Ad fratrem Reigersbergium scripsi cupere me ut editio, quantum fieri potest celeretur. Quod hactenus eam distulit ejus rei causæ à me fuerunt. Cura ut Gallica versio simul cum editione Belgica procedat, utque exemplaria vos Belgica accipiatis satis multa; ego autem Gallica. Mora ulterior absit. Saluta patrem, matrem & amicos. Lutetiæ 27 Maii 1622.

Tuus H. G.

EIDEM.

35 Literis quas 22 Maji ad me dedisti, mi Frater, respondeo. De Apologetico antehac ad affinem sententiam perscripsi. Reliqua notatorum exspecto. Hexabibli duo aut tria exemplaria mitti mihi velim, ubi aliqua erit occasio. In Apologetico velim corrigi quicquid à vulgari orthographia abhorret, ne novitas operis gravitati deroget. Age gratias Camerlino pro navata opera; & dic me, si quando potero, gratias relaturum. De pace Rex agit quidem cum Reformatis: sed lentum negotium multi privatis pactionibus præcipitant, quos inter Lafortius. Princeps motus in agro Benearnensi, sua recipit, & insuper accepit dignitatem Marescalli cum ducentis millibus scutatorum. Etiam Sulliacus in eo est ut sibi suisque consulat. Sanctæ Fidei oppidum deditum est Regi: Cleracum redditum. Montem Albanum ivit obsessum Vindocinensis cum decem millibus peditum, equitibus mille. Sex fermè peditum millia & equites sexcentos sub se habet Mommorantius reprimendis conatibus Rohanii. At Comes Suessionensis Rupellam premit, cui ad decem millia quæ secum habuit militum, sex alia submitti dicuntur, divulsa civitate in Primates qui paci student & plebem bellum & maris prædas habentem quæstui. Rocalaurius qui Venetis militat huc à vobis rediit, multaque non abs re proponit adversùs Hispanicam in Rhætos grassationem: quæ Rex ejusque ministri pronis auribus accipiunt, versuri ad illa animum ubi regni pax erit constituta. De pellendo mœrore quod mones, laudo & curam dabo. Adsit Deus. Parentes, sororem cum marito & liberis, tum omnes agnatos, cognatos, affines, amicos impensè saluto omnes. Lutetiæ 4 Iunii 1622.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

36 Quanquam circa apologetici editionem multa eaque difficillima expendenda veniant, tamen videris quæ sit optimi parentis, tua & aliorum amicorum sententia, arripiam eam pro oraculo, Deoque & bonæ causæ fisus iterum privato periculo causam publicam tuendam suscipiam. Tu da operam ut quæ corrigenda sunt corrigantur, quorum nunc partem ultimam ad affinem mitto: deinde ut acceleretur editio Belgica, simul & Gallica. Nam Latina hic valde procedit & confecta erit, ut arbitror, ante mensem Augustum. Duces Reformatorum ostendunt se illam Taciti sententiam tenere: tarda si vis quæ in commune expostulantur, privatam gratiam citò mercare, citò accipias. Fortius jam pepigit. Sulliacus pacisci dicitur. Rupellæ discordatur. Hinc multi pacem brevi exspectant, quod utinam fit. Amicus quidam meus me rogavit ut diligenter explorarem historiam de repertis apud nos dioptris. Repertores dicuntur duo fuisse sub idem tempus Alcmariani: ambo, ni fallor, Anabaptistæ. Poterit hac in re adjumento tibi esse Forestius aut si quem alium habes indidem domo. Is qui me hoc rogavit est Peirerius, qui valde scire velit & nomina illorum & fortunam & qua occasione in id cogitationis devenerint. Vale, mi Frater, Breviores has facio literas, quia multis scribendum habeo & tamen quò minùs nunc ad te scriberem differre non potui. Saluta parentes & amicos. Lutetiæ 10 Iunii 1622.

Tuus Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Ad Patris tuasque literas, mi Frater, quas accepi nudiustertius una opera respondeo: gratiam me habere pro eo quod nuntiastis. Mandatum Chombergii de solvenda pensione ex pittacio nondum accepi: puto inhiberi ab iis qui me istis rationibus sperant ad Missam posse pertrahi. Legi quædam M. Antonii de Dominis, qui nunc Antverpiæ missas celebrat. In quæstionibus de Gratia & Libero Arbitrio planè stat à nobis. In cæteris καθολικίζει, nisi quod Transsubstantiationem & alia quædam apertiùs impugnat. Miror quid dicturus sit de hac mutatione Religionis, nisi hoc ipsum Religionem se non mutasse. Nam unam esse existimat Romanensium & Protestantium. Triduum est cùm suspendio affectus est hic homo Gallus qui sub Cortemerio diu militavit & Rupellensibus clam multos milites transmisit. Maurerio conquerente Hagæ detentus & lautè habitus dicitur: tandem instante Maurerio navi missus in Galliam liber, ubi malo suo in eos incidit, quibus præsentibus Rotterodami exactis nuper bacchanalibus in caupona dixerat paratum se habere sclopum in Regem. Testimoniis convictus à prætore Parisiensi damnatus erat rotæ impingi: appellavit Curiam & pollicitus quæ è re essent publica se indicaturum, impetravit ut patibulo finiret vitam. Hæc res rumoribus in nostros causam data, Rex Antoninum obsidet: & puto jam repentè Nigripellicii nuper jus victoriæ cum multo sanguine exercuit, quia oppidani paulò ante præsidium à Rege positum obtruncaverant. Hæc & similia animos magis magisque asperant, ut ad pacem faciendam temporis interpositu opus sit, quam tamen res internæ externæque valde exigunt. Præfationem ad hexabiblon vidi à meo instituto alienissimam & quæ à lectione multos rei ignaros absterrebit. Moneri posset librarii boni ut eam exscindant; fortè expediet & aliam præfationem fieri à Remonstrantium aliquo. Posset moneri Puppius. Apologeticum fac statim veniat eò quò dicis sive per cursorem, sive aliter. Disquisitionem nostram velim aut in Batavia aut in Germania recudi adscriptis ad marginem locis Synodi, & additis ad finem locis quibus appareat quorum illa sint dogmata quæ veteris Ecclesiæ placitis directè obstant. Ea loca peti possunt ex syllabo qui in Actis Synodalibus Remonstrantium. Neque verò dissuadeam ex magno opere Spalatini illam partem quæ de nostris quæstionibus agit excerpi & seorsim excudi. Intra dies paucos migro in domum quæ ex adverso est portæ Principis Condæi. Eò posthac literæ quæ apertè ad me veniunt poterunt dirigi. Quæ cautiùs curandæ sunt, ut antehac ad Oliverium destinentur. Valete omnes. Lutetiæ 24 Iunii 1622. Aut jam venit, aut jamjam aderit vobis Hoofdius, qui nudiustertius à nobis abiit cum literis ad vos. 37

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

38 GRatias tibi ago, mi Frater, quod me literis 25 Septembris datis rerum quæ apud vos geruntur certum facis. Ea sunt tempora, eaque magnitudo rerum quæ exspectantur, ut sæpiuscule id fieri nostra referat. Hinc quod nuntiem, nihil magnopere est. Rex adhuc Montempellerium obsidet, haud satis magnis hactenus copiis, ad decem ferme millia aut minùs etiam; ita ut non abs re metuerint multi, ne Roha nius obsidium perrumperet. Sed nunc à Comite stabuli, Vendocinensi & Mommorantio undique ad Regem miles adducitur, qui novus quoque conscribitur per Campaniam & loca vicina, ita ut brevi Regis exercitus futurus speretur ad triginta millia, neque ultra mensem protrahendam deditionem. Interim dicitur Rohanius adhuc conditiones ferre de pace pro se, pro Nemauso & Castro, ea lege ut Rupellenses quoque & Montalbanenses, qui ferociores cæteris videntur, potestatem habeant eadem pacta amplectendi. Sed de hoc negotio nihil dum confectum est Et sigilla Vici morte vacua accepit Commartinus magnus hostis Protestantium, commendatione Bassompetræ qui nunc in florenti est gratia apud Regem. Comes stabuli haud dubiè perstat in pacis desiderio, frustra annixo Principe Condæo eum depellere ab hoc proposito, quem Principem votum fecisse salutandæ Divæ Lauretanæ rumor est, cùm Rex interim suas victorias in literis ad Pontificem Ignatii Loiolæ precibus ferat acceptas. Langeracensis intra dies quatuor ad Regem proficiscitur, ut pecuniam in Reipublicæ nostræ subsidium impetret, aut opem Regis ad procurandas inducias. 7 Septembris 1622.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

39 PAcis spes magna nuper refulserat: sed nunc evanuit. Convenerat ut novæ munitiones injussu regio factæ diruerentur pro duabus tertiis: Rex Præfectum imponeret Monpelerio. Nemausum & Castrum non multos milites præsidio acciperent. Rupella & Montalbanum possent si vellent conciliari legibus iisdem: in re rel gionis & magistratibus nihil mutaretur. Sed Montipelicienses ad exequenda pacta Regem cum comitatu in urbem venire parantem recipere noluerunt. Itaque urbs statim obsessa est: & in munimenta extra mœnia factus impetus, majore animo Regiorum quàm prudentia. Occubuerunt Marchio Bæuvronius, Comes Torigniacus, item frater tribuni militum Dornani, Barones aliquot. Ex vulnere periclitatur Mommorantius frater ejus quæ Principi Condæo nupta est. Sed & morbi grassantur: queis absumpti Custos sigilli Vicus mei amantissimus, & Comes Plessæus. Princeps Condæus ait hostium loco habendos qui de pace posthac agent. Comes stabuli profectus est in Vivaresium, ut ea loca Regi subjiciat. De Mansfeldio vacillarunt nuntii. Fama quæ optimos auctores profert hæc est: die 29 Augusti ambigue certatum, tria millia cæsa hinc inde. At postridie pugnatum magna cum Mansfeldianorum clade; occisos ex ipsius militibus quater mille, incertum an ipse eum reliquiis evasurus sit, imminere ei Comitem Bergensem. Sed Principem Henricum venire subsidio. Velim quamprimùm mihi mitti exemplar Thomsoni de Iustificatione quo valde egeo. De Thesibus Oxoniensibus quod nuper scripsi velim memineris. Vale cum patre, matre & amicis. Lutetiæ 9 Sept. 1621.

Puto etiam inter libros meos esse librum Regii de absoluta Monarchia. Eo quoque opus habeo.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

COnspecta quæ in Hogerbetii liberos data est senten- 40
tia, mi frater, ita judico à nobis litem minimè urgendam hoc tempore. De procuratorio tamen instrumento videbit alter affinium ubi eò venerit. Potest enim ipse mandatum dare ut conjuncta persona. Ea quæ per Maurerii scribam miseras rectè accepi & gratiam habeo. Apologetici latina exemplaria spero jam ad vos pervenisse. Neque Aureliæ neque Blesæ mali quicquam Protestantes accepere: Sed Lugduni convenarum seditio in illos orta expilatione domuum aliquot desæviit. Rex ad Montempellerium malè exceptus est, eruptione oppidanorum. De pace spes iterum nos fovet, cui quanquam sæpe decepti, credere non abstinemus. In Vici mortui locum surrogatus est Commartinus acer hostis Protestantium. Princeps Condæus iter ex voto suscipere dicitur ad divam Lauretanam. Hæc sunt quæ hic habebamus, nec quicquam præterea. Apud vos quæ gerantur eorum sæpe gnari fieri avemus. Prosecutio juris mei adversùs Rotterodamenses in ver differenda est: nunc enim Rotomagi pestilentia grassatur quæ Vtenbogardum & Episcopum huc misit. Vale cum parentibus & amicis. 14 Octobris 1622.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

LÆtitiam bonis omnibus attulit illa tam diu sperata 41
pax, quæ tandem coiit in leges Protestantibus haud graves: nam Rupella, Monsalbanus, Nemausum, Monspellerius, Castrum & alia quædam minora oppida securitatem illis quanta satis est quiescere volentibus præstabunt. Vetera de Religione edicta observabuntur ut oportet. Rex Massiliam abit, inde Lugdunum ubi Dux Sabaudiæ & Legatus Venetus exspectantur acturi cùm Rege de negotio Rhetico. Comes stabuli in bellum ardet, sed creditur, prius mittenda ad Hispanum Legatio, fortè & Pontifice sequestro utendum. Princeps Condæus paci infensus abiit ut se voto liberet apud Divam Lauretanam. Rex non ante anni finem hic exspectatur. De Drubbeltio quæso inquiras quantum potes. Nam Peiresius noster accuratam ejus rei historiam nosse expetit. De his quæ in Batavicis Institutionibus desiderantur ubi otium erit, cogites rogo. Sed & de Drentina lite ecqua sit spes salarii. Est inter nobiles ejus territorii Echtenus amicus mihi qui haud dubiè monitus id curabit. Velim res tuas ita componas ut sub ver huc venire possis, & mihi per aliquod tempus adesse, nam adfines discedunt & solitudo mea valde indiget subsidiis. Patrem senem huc ut veniat rogare non audeo: quanquam utinam ferret ejus ætas. Actum procuratorium de quo scripseram Rotterodami esse suspicor. Librarius apologeticum non misit Francofurtum, quia bellum metuebat, peccatum tamen quod nomen saltem catalogo non est additum. Et Belgicum tam lentè procedere miror. Patri ac matri pro cura valetudinis Ianini gratias ago. Si per amicum mittendi radices occasio dabitur erit id pergratum. Deus familiæ nostræ bonisque omnibus adsit propitius. 4 Nov. 1622.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

ET tuis, mi Frater, binis literis & iis quas Pater scripse- 42
rat, his unis & quidem valde festinanter respondeo, quia apud Ianinum prandendum mihi est, qui vobis gratias agit pro transmissis radiculis. De meo stipendio si quis roget, refert ut persolvi dicatis. Certius fortè aliquid scribam ubi Rex advenerit. Liberi nostri bellè valent & aliquantulum

tulum proficiunt tum in Gallico, tum in Latino sermone. Pro libris transmissis ago quantas possum gratias etiam pro catalogo. Utinam haberi possent nomina etiam Prætorum, Scribarum & aliorum qui loco moti sunt. Brasserio & uxori valetudinem secundiorem ex animo opto. Valde enim nobis volunt. Harencarspelio quoque & Mermanno precor fausta omnia. De Drubbeltii historia gratias tibi agit Peirezius. Vide numquid propiùs possit rescıscere. Ipse ait dioptram ab eo inventam alterius esse generis à Metiana. Pacis executio rectè procedit. Regem hic sub anni finem exspectamus. Etiam Provincialem Synodum Protestantium. Quando reversuri sunt ex Anglia Legati & quæ spes ab illis ostentatur, scire peraveo. Nicolaum Mermannum quanta volet amicitia ac familiaritate complectar ob suas virtutes & eos qui ipsum tangunt. De procuratorio actu videbimus. Rectè censetis litem non urgendam. Apologeticum Gallicè nemo vertit, nec valdè opus videtur. Actus procuratorius oppidi Rotterodamensis fortè inter chartas erit quæ Rotterodami mihi restant. De classe Hispanica quid futurum sit miramur. Tompsonem missum gaudeo. Mitto indiculum librorum quibus opus habeo ad aliquid de jure commentandum. Eos rogo quàm fieri ocissimè potest mihi mittas. Quod parentes sæpiuscule invisis rectè facis & pro tua pietate. De matrimonio quod me consulis officiosè magis facis quàm necessariò. Nam tam longè absens quid est quod consilio juvare te possum? Dos non displicet. Utinam tempus & occasio tibi sit ante nuptias pecuniæ præsentis aliquid corradendi ad tolerandos sumtus qui magni sunt, ne aut nomen facere cogaris, aut de annuis obventionibus plusculum decerpere. De cæteris videbunt parentes. Tecum censeo nullos honores tibi sperandos, sed contentum te debere vivere quæstu forensi, quem diligentia tua poterit ut non spernendus sit efficere. Resalutant te amici. Vale cum parentibus, cognatis, amicis. Lutetiæ 12 Novembris 1622.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

43 Mitto tibi, mi Frater, pacis leges ita ut à Rege datæ & hic in Senatu publicatæ sunt. Interfui orationi quam recluso foro habuerunt Servinus & Princeps Senatus, magno cum apparatu. Nihil loquebantur nisi ex Græcis & Latinis auctoribus discerptas sententias; ea nunc eloquentiæ forma viget haud probantibus quibus subactius est judicium. Pax ubique rectè observatur restituto religionis usu. Regem sub anni finem exspectamus visuri quo casuræ sint de rebus Rhæticis & Belgicis deliberationes, quibus nunc occupantur hi quorum est de rebus publicis consultatio. Ianinus ita malo suo afflictatur, ut vix domo exiturus posthac putetur, nec videtur ei ita vexato post annos LXXX multum ætatis restare. Libros quorum ad te indiculum misi, rogo prima occasione mittas. Valde enim aveo aliquid de jure commentari, quod sine libraria supellectile facere nequeo. Scripsi nuper si huc transcurrere possis aut nunc, aut ubi ver advenerit, gratissimum te nobis futurum. Vereor ne nuptiales cogitationes te impediant: quod si ita est, bene vertat. Saluto quàm officiosissimè parentes, sororem, maritum, cognatos, affines, amicos & benevolentes. 25 Novembris 1622.

Audio secundam editionem Hexabibli prodiisse. Velim ejus exemplar videre.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

44 Tuas XI hujus mensis scriptas jam nunc, mi Frater, accipio. Adversùs edictum quid sit faciendum, amicorum consilia intelligere cupiam. Sunt qui putant scribendum ad Ordines Federatos in sensum quem conceperam, id improbant alii, ne eorum potestatem videar agnoscere. Ad Provinciarum Ordines non minùs periculosum putatur scribere, ne nova edicta eliciam. Ad amicùm quendam scribi satius putabat Ianinus. Alii sufficere arbitrantur novam & auctiorem libri Latini editionem: & ut in præloquio ad Stobæum, aliquid dicam quod ad rem pertineat. An in fidem ac tutelam Regis propiorem recipi me è re sit, cogitabo. Sed de his rebus omnibus valde velim Maurerii consilium intelligere, quem accede si qua est occasio. Cancellarius liberaliter pollicetur quæ ad securitatem aut commoda mea pertinent. Audito edicto locum Taciti memorabat qui in conceptis à me literis exstat. Vossio bene rem procedere est quod gaudeam. Regis privilegium de libri editione datum qui negant splendidè mentiuntur. Minæ quas nuntias terriculamenta sunt in hoc adhibita, ne quid amplius aut acrius scribam. Libros valde exspecto. Latina apologetici exemplaria rectè Amstelodamum pervenisse intelleximus. Rex est ad Fontembellaqueum, ubi Reginam exspectat: inde huc venturus putatur. Scire exactè cupiam quibus in locis edictum publicatum non sit, & quæ sint de eo virorum præstantium judicia. Saluta quæso patrem, matrem, cognatos, affines. Valete quàm optime. 29 Decembris 1622.

Rogo exquiras quot exemplaria Belgici Apologetici priore editione impressa sint, quod nunc denuo excudantur, quod lucrum ex priori editione fecerit societas. Scire te & omnes per te velim me ne teruncio quidem factum auctiorem. Amici quidam suadent jus Gallicæ civitatis impetrem, meque ea ratione idoneum faciam obeundis muneribus publicis. Si res patriæ mutentur, facilè tunc id quoque mutatum iri.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Nuper à te & aliis qui ibi sunt amicis consilium postulaveram super negotio, cujus nunc quoque compos fieri velim. Interim adornabimus hic ut puto, editionem novam Latini Apologetici, cui addam, Antiquitatem Reip. Batavicæ & Mare liberum. Velim Antiquitati addere eas quas scripsisse me memini, notas. Eas in chartis huc missis non reperio. Vide an alibi delitescant. Nam non tam infelices credo fuerint, ut in inimicorum devenerint manus. Si quid propiùs de Drubbeltio cognoscere potes rogo perscribas. Stobæi editio bene procedit. Aliquid & ibi de carcere præfandum erit. Regem hic brevi exspectamus. Langeracensis in Septimania fuit. Ibi collocutus est, cum Sabaudo, cum Legatis Venetorum & Helvetiorum de re Vallis Telinæ. Cancellarius cunctandum suadet & explorandam voluntatem Hispani qui conditiones non iniquas ferre dicitur. Langeracensis idem pecuniam à Rege orat ad sustinenda onera copiarum Gallicarum. Et quia scit bello exhaustum ærarium, tres vias conficiendæ ejus pecuniæ proponit. Prima de imponendo tributo aliquo pecuniæ quæ ex Hispania per Galliam trajicitur, statim rejecta est. Altera de portorio constituendo in sal, vinum & alias merces quæ ex Gallia ad nos veniunt, quod in Gallia quidem solvatur, sed haud dubiè nostros, id est, emtores sit oneraturum, videtur non displicere. Nam etiamsi in præsens aliquid inde nostri deducere permittantur, postea in solidum à Rege detinebitur qui gaudebit etiam nostros aliquid adjicere ad commenta vectigaliorum. Tertia ratio erat de vendendis agris & jurisdictionibus quas Rex habet in Flandria. Hæc sunt quæ hic feruntur. Quid apud vos fiat, scire avemus. Vale cum parentibus & amicis. 6 Ianuarii 1623. 45

Tuus totus H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

46 QVod sub anni exacti finem tam liberaliter ad me scripseris, magna est gratia. Quod hinc reponam non multum habeo. De Valle Telina calet deliberatio ut nuper, scripsi. Sed videtur Hispanus bellum imminens æquis conditionibus præventurus. Langeracensis nihildum obtinuit, quanquam haud dubiè reipublicæ nostræ insessores, rumores spargent de auxiliis impetratis, ut fruantur plebis credulitate. Quod si etiam obtineat illud quod antehac scripsi de onere in vinum, sal ac merces alias quæ in nostras terras eunt imponendo, exiguum erit in præsens levamentum, idque nostro impendio. At in posterum vereor ne nobis accidat quod equo, qui

Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

Fac certò sciam quibus in urbibus non sit publicatum edictum in me. Nam quasdam urbium quas tu nominas alii demunt: contra substituunt Dordrechtum. In Zelandia publicatum est. Frisios puto cunctaturos fuisse si priùs librum legissent. Ab his qui editioni ac distributioni præfuerunt, res avarè magis quàm fideliter curata est. A Curia Parlamenti aliquid impetraturum me spero, deinde ad Fœderatos heroas scribam. Ad Principem an scripturus sim dubito. Valde velim scire an legerit librum & in quas usque voces dolor ejus eruperit. Si scribam, ita scribam ut nec aduler nec offendam. Cogitate & aliquid concipite, si ita faciendum arbitramini. Stulta est interlocutio in causa Hogerbetiana: nam exemplum eorum, qui vita incolumi damnati sint Majestatis reperiri non potest: eorum autem qui fuga pœnam eludunt longè alia est ratio quàm ejus qui pœnam pertolerat. Iustitiam frustra laborare, pro comperto habeo. Siqui ob librum meum lectum plectuntur, id à te mihi nuntiari percupiam. Erpennii postulatio curæ mihi erit; multum enim debeo viro optimo atque eruditissimo. Albericum de Iure Belli, item advocationes Hispanicas in carcere habuisse memini, hic neutrum habeo. Libros avidè exspecto. De Drentiano negotio nihil ὑγιὲς τὸ πρῶτον. Sed tamen mori illud non debet. Minas & pericula contemno. Cruseno siqua possum gratificabor & omnibus qui à vobis commendabuntur. Hic nemo me convenit ejus nomine. Persto rogare ut ad nos transcurras. Vide an comitari velis Pleonandri filium qui huc cogitat. De Anglia siquid certi habeatis scribite: de matrimonio Hispanico alternant hic nuntii. Nec minùs de Palatinatu. Vale. Lutetiæ 12 Ianuarii 1623.

Dic quæso Stoutenburgio venisse huc Bruxella Pericardum. Neque me defuisse commendando negotio. Ait ille neminem fuisse Bruxellæ qui se de causæ meritis edoceret & qui Proceres circuiret. Itaque nihil efficere se potuisse, paratum alioqui conferre quicquid suarum esset virium. Velim rescisças quid sit quod in libro meo Catholicos qui ibi sunt offendat: nam & hic sunt Catholici qui offendi se negant. Valde aveo scire an in Conventu Fœderatorum sententiæ, discreparint: item an in Conventu Hollandiæ mea de re aliquid actum sit.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

47 NVllæ, Frater Charissime, hoc tempore ex Hollandia literæ venerunt neque ad nos, neque ad alios, ut solent interdum tempestates impedimento esse quò minùs ista suo ordine procedant. Ego interim quæ didici committere nolui ut vos ignoraretis: sunt enim minimè vulgaria. In valle Telina quod restabat castellum Merbegnum nomine in Cœuvrii venerat potestatem: & paratus videbatur Comes stabuli in Mediolanensem agrum irrumpere. Quod, ut videtur, metuens Hispanus tribus militum millibus insedit Stæchadas Insulas: id vetus nomen, nunc Ières vocantur, quæ in Mari Mediterraneo Massiliensi oræ objacent. Guisius ei oræ præfectus pridem id metuens præsidium majus poposcerat: sed mos hujus Aulæ differendi minùs urgentia locum dedit magno vulneri. Nam illis faucibus tota quodammodo Narbonensis Provincia premitur. Et ecce aliud malum. Subizius qui Insulam Ream occupaturus metuebatur, id quidem efficere non potuit, cœpit tamen hostilia, captis navibus quas Nivernensis in Regis ministerium habebat, & vicis incensis subter Castellum quod Rupellæ portui impositum est. Tempus quidem ille captavit suum, sed interim Hispani negotium gerit, qui id unicè optat, ut Galli domi negotium habeant. Mansfeldii equitatus paratus est ad iter, & creditur cum cæteris copiis rectà ad vos iturus: quia per Atrebatum fines magnum illis periculum esset, omnibus ab hoste provisis quæ iter infestum reddant præsidiis, equitatu & inedia. Doubletus, de cujus errore nuper scripseram, multa ad expeditionem Mansfeldii pertinentia Legato hostili, quem nostrum putabat, patefecisse creditur, & nunc occultare se donec tantæ supinitatis veniam impetraverit. Iuvenis ille è Spinolæ castris elapsus non est, ut scripseram & hic dicebatur ejus filius, sed eum habet patruum. Magna hic emolumenta Regi sperantur ex venatu harpyiarum. Beaumarchæus homo ex loco infimo ad invidendas Principibus opes evectus citra octo dies absens judicabitur. Quæstoria ejus dignitas licitantibus addicetur, non minùs duodecies centenis florenorum millibus. Neque eò minùs Rex consequetur ex reditibus quos ipsi Beaumarchæo fiscus debet: cætera bona quantum allatura sint compendii fisco vix æstimari potest. Hæc hic aguntur. Nos de Breda felicia exspectamus. Valeto cum patre, matre, uxore, amicis. 23 Ianuarii 1623.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

QVas tu & Pater misistis literas 19 & 20 Martii scriptas, eas rectè accepi. Atque ut eum in modum pergatis me edocere quæ geruntur hoc maximè æstu rerum, valde à vobis requiro. Mortuus est Bulionius Princeps Sedani, in quo magnum damnum familia ipsius accepit & pars Reformata in hoc regno. Nam quanquam manu juvare desierat, consiliis tamen plurimum res illorum sustentabat. Chombergius & Candalius ob controversiam de Angolismensi Præfectura dimicarunt singulari certamine: uterque adjuncto sibi socio. Is qui Chombergio aderat prostratus casu, cùm ab altero permissus esset arma resumere, alterum confodit: eoque facto Chombergium & Candalium intercedens diremit. Rex cum Consilio abit ad Fontabellaquensem. Metuunt Protestantes ne inde Rupellam eat, non quidem obsessurus urbem, sed tentaturus an introitum ipsi sint negaturi qui in oppido sunt, quos inter se discordare fama est, aliis perstantibus in suo rigore, aliis per classem navalem & castellum quod portui imminens claustra navigationi injicit, non parum fractis. Ad Vallem Telinam Pontifex misit fratrem suum qui sequestri munus ab Hispano delatum obeat. Hinc multi negotium hoc aliquantisper quieturum existimant. Cancellarius & Puyssiæus in magna auctoritate & gratia florent, nec aliud inimicis relinquunt quàm libellos & famosa carmina, tela invalida adversùs homines tam potentes. Omnis honorariorum solutio inhibetur ob ærarii difficultates. De me quid futurum sit, videbo. Velim videre quod super consilio trucidandi Principis editum est à Remonstrantibus, & siquid in posterum editur. Vbi editæ erunt sententiæ vide-

videbimus quid mihi facto sit opus. Id tempus prævenire parum ex decoro mihi videtur. Responsum ad literas antehac à te scriptas quod tam avidè desiderabas, jam habere te spero. Persto in ea sententia, ac tibi fausta omnia precor. Affini Losecatio opto firmam valetudinem. Ægrè mihi est quod ex militia nihil præter incommoda reportat. Ea quæ in prima parte erant Aquinatis monitus tandem reperi & gratias ago. Deum precor parentes, te, sororem, amicos, affines, & cognatos incolumes servet. 31 Martii 1623. *Tui amantissimus Frater* H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

49 SCripsi hodiè ad fratrem per tabellarium: nunc tibi per Borelii filium qui has literas aut perferet, aut ex Zelandia mittet. Novarum rerum nihil addo: sed mitto quæ in carcere eram commentatus in postremam Matthæi partem, auctiora quàm descripta hactenus fuerant. Legite vos & judicate. Legat & optimus Vossius. Deinde excerpat in suos usus quæ volet Erpennius, cui pro libris quos nuper transmisit præter tot vetera beneficia plurimum debeo. An notæ ita ut à me factæ sunt aut totæ aut particulis aliquibus resectis edi cum fructu possint vestrum & Vossii judicium esto. Illud vobis commendasse supervacuum sit, curam ut geratis ne chartæ istæ pereant. Nam exemplar unum quod Bossizio dederam antehac ad me non rediit. Stobæi propediem proditurus est cum Plutarchi & Basilii libellis de usu recto Græcorum poëtarum, Iam ubi animo ero defæcatiore ad juris opus aliquod accingar, ac primùm ut puto de jure belli. Vale cum matre, fratre, sorore, & amicis: & hoc rerum statu sæpe ad nos scribite. Prid. Cal. Aprilis 1623.
Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

50 PRo iis quas tu, Frater charissime, ac Parens ad me scripsistis literas die 26 & 27 Martii gratias ago. Rogo pergatis ea nuntiare quæ fiunt, & quid mihi agendum censeatis, consilia perscribere. Dux Croiacus est is quem Pater conjicit. Venisse huc arbitror ob negotium pacis Tellinæ Vallis quod in aliquod tempus quieturum videtur, sequestro Pontifice. Galli, quia exhausto nunc ærario minùs sufficere bello videntur, conditione illa quam Hispanus offert ad tempus utentur. Pars Regni videtur mansura, Cancellario in eam partem semper prono ob publiquas privatasque rationes. Et jam Rex Melitensem Galeonem magnam remisit, itemque Nivernensis naves & sub Guisio classem, quibus Rupella obsidebatur. Manet tamen castellum portui impositum ad terrorem magis quàm ad noxam. Sunt qui putant in oppido detectam factionem pro Rege suscitatam. Atque ideo omissum consilium Rupellani itineris. Hospitalii de quibus scripseram quantum intelligo non vindicatione agunt, sed manus injectione in rem debitoris. Vbi propiùs quid rescivero, perscribam. Vtraci aliud est negotium, quod nunc non audio moveri. Bulbos exspectabimus. Privati tui negotii successum quàm optimum opto. Rex est Fontibellaquei, quò & Condæus venturus creditur. De pecunia ad vos mittenda non dubitatur. Ego pro patria laborare non desino. Et si nostri fedus arctius cum Gallo inire cupiunt, non deero adjutor. Neque enim ob paucorum injurias publica utilitas deserenda est. Stobæus meus circa finem laborat. Vale cum patre, matre, sorore, marito ejus, agnatis, affinibus & amicis. Lutetiæ 7 Aprilis 1623.
Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

51 QVod ad me scripsisti & quidem tam ubertim 3 Aprilis, mi Frater, magna est gratia. Quanquam tristia sunt quæ nuntiantur, ea ipsa tamen scire me & mea & aliorum interest: quare dum hæc fervent rogo sæpe ad me omnia scribas quæ alicujus ad rem, aut publicam, aut privatam momenti judicabis. Quo in loco res sint Gallicæ non repetam: mitto enim apertas ad te, & patrem eas quas Melissæo scribo literas, eas si ita ex usu videbitur lectas obsignabitis ac tradetis, & siquid respondeatur renuntiabitis. Patri plurimas ago gratias pro cura in honorem gentis nostræ insumpta: accepi enim stemma per Graswinckelium cujus consuetudine recreor. Daetselarium cum uxore exspectabimus. De linteis nihil propiùs intellexit uxor, quàm ad ipsos scripsit. Sed post festos hos dies iterum explorabit, & siquid resciverit faciet eos certiores. Sententiarum in supplicio affectos exemplaria exspectabimus. Velim scire & quæ ad populum locutus sit Corenwenderus. Ni ea tulerit Pleonandri alter qui exspectatur, per quem & Apologeticum Belgicum spero aliquando visurus. Sed & quid ultra eventurum sit in Kesseliano negotio, intelligere aveo. Quod postulat Beresteinius, utinam intellexim paulò distinctiùs, vix enim assequor quale sit quod desiderat. Iuvate me consilio. Video enim tempus esse satis superque, ut de eo cogitemus. Non abs re fortè erit si Debyæo ostendatur exemplum instrumenti tutelaris quo me Rex honoravit, ut intelligat non deesse hic mihi amicos. Patri, matri, agnatis, cognatis, affinibus ego & uxor cum officiis nostris salutem mittimus, & rogamus ne natalis mei sitis immemores. Valete. Lutetiæ 13 Aprilis 1623.

Tui negotii successum felicem opto ex animo, & cupio intelligere quousque processerit.
Tibi addictissimus Frater H. G.

EIDEM.

REctè ad me pervenerunt, mi Frater, quas 10 Aprilis ad me scripseras: sed & antiquiores Patris quas ferebat tinctor Delphensis cui quantum potero consulam. Pax Gallica planè radices agere incipit, ita ut de ejus stabilitate ne ipsi quidem jam dubitent Protestantes. Librum via maritima exspectabo si qua se occasio dederit. Tuo negotio privato felicem eventum precor. Pro his quæ nuntias gratias ago, & rogo ut pergas dum res hæ calent. Dicitur hic Slatius accusare Vtenbogardum & Episcopium. Ipsi confisi innocentia sua, de illo quanquam ipsis infesto ob privata dissidia nihil tale sustinent credere. Quid Puppio & Niellio fiet scire aveo. Cruserii desideriis, quò minùs satisfecerim per me non stetisse, ei constare gaudeo. Omnia hic parantur quæ ad accidendas Hispani vires pertinent. Mitto tibi libellum meum supplicem, qui interpretamenti vice erit ad literas Regis: ita ut si cui amicorum exemplum detur Regiarum literarum etiam libelli dandum sit. Princeps Wallis in Hispania conviviis & hastiludiis dat operam. Matrimonium protelatur. Vale cum patre & amicis. 21 Aprilis 1623. 52
Tuus totus Frater H. G.

EIDEM.

MI Frater, mi Frater, mi Frater, ten' de meo in te affectu dubitare, aut metuere quasi me offenderis? Adeone ego morosus & exactor ut à te tam mei amante, tam in me officioso proficisci quicquam possit quod ego sinistrorsum interpreter. Cave credere, cave suspicari. Omne hoc quod te angit & ideo nunc quoque me cruciat inde profectum est, quod literæ quibus ad tuas Belgicas respondi interceptæ sunt. Iis literis quàm poteram auspicatissima tibi ac speratæ tuæ ominabar. Addebam & familiam & dotem probari. Et quia semel animi mei sensum satis explicaram, ideo in posterioribus literis nihil 53

nihil repetii, præsertim cùm deliberatione curatoris rem tractam pendere intellexissem, Nihil malo, quàm quod tu ac parentes vultis. Velle autem vos optima ratione nixos satis intelligo. Nihil opus erat post optimorum parentum auctoritatem me absentem consuli: tantum abest, ut eo nomine iter tibi suscipiendum & à foro quod minimè è re est tua peregrinandum fuerit. Nunc cùm qui non debebatur habitus est mihi honos, habeo non quod querar, sed quod gratias habeam. Habeo sanè, & votis fraternis tuum consilium prosequor. Bene vertat conjugiorum auctor atque institutor. Si quid arbitrarer ponderis fore in mea commendatione, libenter admodum scriberem ad amicum veterem. Sed quæ esse potest exsulis & proscripti gratia aut auctoritas? Cæterùm quod fecisti hactenus idem in posterum facias rogo, agas mecum Batava simplicitate. Idem me facturum spondeo. Vbi certior conjugii spes affulserit, non omittet uxor mea ad speratam tuam scribere & omnia officia offerre. Ayalam & Albericum nactus sum aliunde. Itaque noli de hoc mandato esse sollicitus. Rohanius qui in urbe Montispessuli captus ob suspicionem rerum novatum fuerat, Regis jussa dimissus est. Dux Bulionius ægrotare dictus est, sed falso rumore & in hoc reperto ut filium ab Aula revocaret. Subizius quoque vi sua recepit. Protestantes rebus suis & ducibus diffidunt & metuunt Rupellæ si non obsidium, at certè magna incommoda pœne interclusis commeatibus & navigatu. Britanni filius jam in Hispaniam pervenit. Carmen in libro Aquinatis reperi. Literis patris quas Graswinckelius Rhotomago (nam ibi hæret) ad me misit, illis nondum respondi in quibus significabatur à viris fide dignis dici in libro meo falsa esse quædam. Rogo pater paulò explicatiùs rem mihi exponat. Nam ego mihi nullius mendacii sum conscius. Sicubi memoria fefellit, monitus corrigam. Gratias habemus pro indicio eorum quæ geruntur apud vos. Rogo hoc tempore nulli ad nos tabellarii sine literis veniant. Nam quanquam tristia sunt, quæ nuntiantur, tamen qualiaqualia sunt, nosci oportet. Hæc scripseram cùm tristis me nuntius percellit de morte Ianini: in quo cum bonis multis & rebus regiis non parum damni facio. Res quam relinquit, modica, innocentiæ ejus testimonium præbet. Patrem & matrem cum amicis omnibus saluta. Lutetiæ 23 Aprilis 1623.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

54 Literas tuas, mi Frater, quas 17 Aprilis ad me dedisti rectè accepi. Acceperam rectè & illas quas Aprilis 3 dederas. Gratias pro utrisque habeo. Et ut à faustis ominibus incipiam, bene ut vertat quod pepigisti matrimonium oro voveoque. Quæ de ea rescribis perplacent, ut & spes illa quam facis mittendæ huc legationis non ingratæ, quod si eveniat, non improbem Losecatii nostri consilium. Pecuniam Regiam jam ad vos trajectam arbitror, magnum caritatis in patriam nostram pignus. Quod natalem meum concelebrastis, gratiam vobis omnibus habeo. Ad minùs læta venio. Narravit Meermanni filius ad Lilloum detentum se per dies aliquot, & literas ad me tuas sibi ereptas: & crimini datum quod in eo fasciculo nescio quæ essent, quæ ad me mitti non oportuerit, atqui nihil fuisse arbitror præter quædam quæ ad materiam pertexendæ historiæ pertinebant. Ego qui sciam nihil à te nuntiari solere quod non omnes norint à furno & lacu redeuntes, nihil tibi metuo. Eoque minùs quia ex iis quæ transmisisti antehac video omnia per legitimos judices & secundùm leges transigi. Quod si nostro tempore fuisset observatum, non ego nunc cum Milone Gallicos pisces ederem. De Arausionensi negotio nihil jam moveri audio. Rex adhuc est ad Fontembellaquеum cum Aula omni. Negotium Tellinæ Vallis urgent, hinc Veneti, inde Sabaudus. Pax interim magis magisque radices agit. Quæ apud vos geruntur ut nuntiare pergatis rogo, nec enim spero quenquam tam iniquum futurum, ut id mihi invideat. Parentes, sororem cum marito, avunculum Oversciacum, amicosque alios quàm officiosissimè possum saluto. Intelligo à Slatio prædicari librum illum seditiosum cui faci nomen fecit è Gallia profectum. Sanctè profiteri possum nihil ejus mihi compertum, nihil visum, nihil auditum. Vidi pactiones factas cum Remonstrantibus Pastoribus Noviomagi. Si vero animo pax esset quæsita, potuisset iniri in leges magis æquas minusque perplexas. Nunc vereor ne laquei tantùm tendantur conscientiis. Valete. Lutetiæ 28 Aprilis 1623.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Qvod precatus sum aliquoties idem nunc quoque 55
precor, ut tuum de matrimonio consilium Deus porrò secundet. Valde mihi dolet quod sponsalium tuorum lætitiam interturbarit morosa inquisitio, & rursum carceris metus. Certè si quid his qui judicia exercent est bonæ fidei, videbunt qualia sint quæ inter nos commutantur, quàm nihil contineant reipublicæ adversum. Adversùs rumores incipio obdurescere. Dies aliquando tot calumnias revincet. Velim oportunitatem mihi dari mittendi ad vos Stobæi. Pacis hic mansuræ magna apud omnes fiducia est. Tum verò pecunia nostræ reipublicæ submissa, & quod pro certo habetur Mansfeldio, signa sunt nihil Hispano concedentis animi. Nuptiæ in Hispania factæ dicuntur. De Slatio quod restat intelligere percupio. Quem literas accepisse dicis velim ecquid speciale de libro nostro dixerit intelligere: deinde an existimet ullo modo mihi in patria securitatem posse contingere. Nam multi sapientes id fieri posse negant, nisi libertas Remonstrantibus concedatur & promulgetur τὸ μὴ μνησικακεῖν. Vtrumque longè à spe abesse arbitror. Illud de minis Maesbergium respicit. Meum locum dabis in nuptiis tuis cui volescunque. Quod si aliunde implere numerum non potes (quod mihi credibile non est) poteris sumere aut Daetselarium aut Erpennium, quibus plurimum debeo. Vale mi Frater. Lutetiæ 11 Maii 1623. Parentes & amicos saluta quæso, tum verò & nupturam.

Tuus amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

Balagniaci nunc sum, mi Frater. Id prætorium est à 56
vestro Silvanecto non procul. Vsum ejus concessit mihi Memmius, qui est inter Principes Senatus. Adsunt hic mihi Meermanni duo, Debyæus, Graswinckelius. Fuit hic & Lambertus Oversciacus à quo patris literas rectè accepi, postea & tuæ ad me venerunt, tum quas 15 Maii, tum quas 22 dederas. Pro omnibus quæ nuntias grates habeo. Quod reddam vix quicquam est, nisi quod Byzantio scribitur Bethlehemo Gaberio parata fore auxilia à Turca. Electores Saxo & Brandeburgicus dicuntur non alieno esse animo ab instaurando fœdere Protestantium, ad restituendum Palatino patrimonium. Sed Britanniæ Rex hæc consilia non probat, & fidei atque candori Regis Hispaniæ generum inniti jubet. Papa in indulto matrimonii inter Hispanam & Angli filium legem addidit, ut Rex Angliæ copias suas è Belgio revocet, quod Anglus probare non vult. Quid Erpennius notis meis facturus sit velim scire. Scio multa esse quæ instituto ipsius non conveniant. De ipso & Vossio, quàm optima quàm sæpissimè intelligere mihi pergratum erit. Mandatum dedi ut Stobæi quædam exemplaria via maris ad vos mitterentur, sed non semper occasio est. Sententias damnatorum legi, & miror rem

multum

multum consistere citra id quod rumor tulerat. Amicis quos pater in literis nominarat me quantum possum commendo. Filii mei in studiis satis procedunt. Linguæ tamen Latinæ meliùs assuescerent, si multorum puerorum eadem lingua loquentium consuetudine uterentur. Porcellaneorum nihil miseram, sed vobis significaram si quando opus esset uteremini. Vale cum patre, matre, sponsa & amicis omnibus. Balagniaci. 2 Iunii 1623.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

57 IAm peractis nuptiis tuis, mi Frater, iterum iterumque meo & conjugis meæ nomine tibi & conjugi tuæ omnia optamus felicia ac fortunata. Nos hic adhuc rusticamur, securi quid rerum alibi agatur, nisi quod de vestra valetudine quàm sæpissime certiores fieri optamus. Heri perlatum ad me est epistolium à te quo de Cysio percunctaris. Doleo Graswinckelium nostrum in perscribendo tam ingrato rumore adeo festinum fuisse. Scitote bene nobis compertum nihil esse ejus rei. Alioqui si quid fuisset non defuturi fueramus officio in popularem. Nos hic quid de Legatione in Galliam eventurum sit, scire avemus. Ego absoluto Stobæo, quem ad vos jam pervenisse spero, do operam commentationi de Iure belli, sed lentè satis procedo, id primùm curans ut valeam & quàm suavissimè vivam. Amicos Lugdunenses rectè valere spero. Velim intelligere quid de annotationibus nostris facturus sit Erpennius. Daetselarius hic nondum est, nec quicquam de eo jamdudum nisi per vos intelleximus. Parentes cæterique ut valeant scire percupio: iisque ac tibi & tuæ me & meam quantum possum commendo. 16 Iunii 1623. Balagniaci.

Literas Sylvanectum tibi destinandas scito ad Nicolaum de Bonvillers Pharmacopolam, cujus memoriam jugiter servato. Apothecarii omissio cur literis nonnullis careamus in causa est. Vale.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

58 BInis simul, mi Frater, literis tuis respondeo, & gratias ago maximas pro ista diligentia quam tantò majoris faciendam intelligo, quod non nescio quot te hoc tempore negotia distrahant. Respondissem celeriùs iis quas Iunii 26 dederas, sed recepi eas serius, quia Balagniaco Lutetiam abieram, unde huc jam redii, simulque tuas 3 Iulii scriptas accepi. Primum igitur rogo pergas nos conjugi tuæ insinuare, ut quæ inter nos semper fuit caritas ad illam quoque, & si Deus dederit liberos propagetur. Qua de causa quod nostri inter gaudia vestra memores estis maximè gaudeo. De Cysio rectiùs vos edoctos dulce mihi est, qui popularibus omnibus bene volo. Si quid de Legatione Gallica, ne prætermitte ad nos scribere, & siquid aliud quod ad publicam privatamve causam pertineat. Stobæum utinam acceperitis: de quo judicium non malè nobis volentium (contemnendi enim sunt alii) intelligere aveo. Sententias reorum Lugdunensium legi; miror in Republica quæ ad popularitatem facta est, non placere nisi rigidissimas sententias. De Bontebullio si quid expressius intelligas, fac sciam: & quomodo dimissus sit Kanemburgius absolutè, an ita ut repeti judicium possit, & siquid his simile. Multi hic arbitrantur Principi Arausionensi propositum esse tenere se intra curam tuendorum finium. Mursa exiguum nimis mihi videtur, quàm ut in ea hostis copias & tempus absumat. Vtinam aliquid obtineat Modæus. Abest nunc nobis Hogerbetius noster antiquum obtinens, à quo nihil est præter vota, quod parentem juvare possit. Quod à Pynachero dici scribis planè est commentitium. Suspenditur hic omnium honorariorum solutio: quæ res & consilium parcendæ pecuniæ Regiæ, sollicitum me habet. Si quis Principum, qui mihi tutando & honestè alendo par sit, puta, Danus, Saxo, aut similis operam meam desideret, rem dignam putem de qua cogitetur. Nunc omnes mei obliviscuntur, quia me à maximo Rege occupatum putant. Amisi amicos magnos. Qui nunc rerum potiuntur benè mihi volunt, sed nimium multa habent, quæ agant; ego autem interpellator non sum. Saluta officiosissimè parentes, conjugem tuam, sororem cum marito, avunculum, materteram, omnesque agnatos, cognatos, affines, amicos. Salutant vos uxor mea & qui hic sunt amici. Rectè valemus omnes. 12 Iulii 1623. Balagniaci.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Conciliario Comitis Hohenlo.

BInis pariter literis respondebo, mi Pater, quas 5 & quas 20 Octobris dedisti. Pro utrisque gratias ago, 59
maximè pro iis quæ de Grammono nuntias. Memini induciarum tempore literas à Rudolpho Imp. ad Ordines Fœderatos venisse. Quomodo inscriptæ fuerint haud satis memini, rogo inquiras. Adversùs jus Imperii in Geldriam, Trajectinam & Transisalanam vix est quod dicatur: ac vel ob id unum semper cavendum putavi, ne Majestatis Hollandicæ Iura cum vicinis confunderentur. Fortè hoc restabit effugium, ut dicantur populi isti à Germania habiti pro derelicto cùm ab Hispanis malè tractarentur. In Vossii libro quem transmisit frater summam diligentiam admiror: sed & illud quod nullum ab Heinsio encomium, & quod Cunæi mentio honorifica in libro non supra meritum, sed apud alios invidiosa. Meursium si videris, rogo salutes & dicas omisisse me ad ipsum scribere, ne malum ei crearem satis suspecto apud rerum potentes: tum verò ut explores ecquid habeat quod ad Stobæum pertineat. Siqua apud vos nova tributa indicuntur, velim id quoque intelligere. Non nescio grave nostris bellum esse. Sed apud hostes quoque perpetua est inopia ob pravam ærarii administrationem. Aliquid est quod sine noxa abiit nostris annus hic, tanto Hispanorum & Imperatoris apparatu. Hic in Gallia curatiùs quàm antehac habetur ærarium, & spes est vere proximo aliquid pecuniæ ad vos venturum. Protestantes hic à Rege benignè tractantur, data illis à Regio fisco pecunia alendis pastoribus. In Synodo Nationali quæ Carentoni habita nunc est sine ullo examine probati sunt Canones iidem qui Dordrechti & Alesiæ antehac. Sed vetuerat Rex aut Dordrechtanæ aut Alesianæ Synodi ullam fieri mentionem. Ita vocabulo mutato res manet. Interim neque Corvino Molinæus, neque Tileno quisquam respondet. Matrem, fratrem, sororem cum cognatis & amicis omnibus ex animo saluto. Lutetiæ 21 Octobris 1623.

Rogo literæ istæ mitantur ad Nic. Reigersbergium. Si ubi divertat nescitis, mittite ad Iustum Brasserum, is curabit.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

LIteras tuas, mi Frater, quas scripseras 24 Septembris, serius accepi, id est non multò ante quàm 60
eas quas Pater dederat 15 Octobris. Tam tardum plerumque est iter mari: ita ut cætera quoque à parentibus mari missa nondum ad nos pervenerint. Interim tibi optimæque uxori tuæ pro muneribus, ad Corneliam nostram missis gratias ago summas, quando ipsa nondum potest, impedita morbo. Cubat enim ex papulis, non tam graviter tamen afflicta quàm Petrus noster, quo nihil fingi potest ulcerosius. Sunt hi quasi abortus quidam de-

sævientis pestilentiæ. Cæteri rectè valemus. De jure Romano quod quæris dixi tibi inter celebres Iurisconsultos disputatum, an generaliter receptum (cum exceptione scilicet morum ac legum patriarum) an particulariter in quibusdam, negotiorum generibus. Lex hæc olim incognita simulatque in judiciis allegari cœpit, auctoritatem habuit, ita tamen ut communionis bonorum consuetudini cedendum habeat. Ius hypothecæ tacitum legibus introductum Romanis sequi judices solent, quanquam si usu seposito de re disputare liceat, legalis hypotheca soleat ad generalem referri, generalis autem apud nos cedat speciali. Vsurpatum tamen scio ut legalis vim specialis habeat. De nostris institutionibus cogitabimus. De Groenevoltii negotio jam respondi, & postquam accepi exempla instrumentorum nihil demuto: siquid tamen propiùs sciscitandum putatis, dabo operam ne quid operæ meæ desideretur. Patri, si placet, in eadem hac charta respondebo. Ac primùm gratias ei summas habeo, pro iis quæ de Grammaio me docuit. Scire enim ista & quæ istiusmodi sunt, operæ pretium est. De Mansfeldio ubi sedem in posterum fixurus sit aveo discere. Quæ scribit pater de restituendis rebus in eum statum, qui ante Concilium Tridentinum fuerat, esset quidem hoc permultum, sed transubstantiatio, & ei respondens adoratio pridem Lateranensi Concilio definita est, & invocatio peculiaris sanctorum pridem in omnes Liturgias recepta. Quæ non magnæ difficultates teneris conscientiis videntur. Puto venturum Principem Mauritium Hagam, ut rei nummariæ inveniat rationes. De Erpennianis chartis meminisse vos velim. Vossii nostri diligentiam in agendo historiarum Græcorum censu satis mirari nequeo. Meæ res adhuc loco eodem sunt: sed commune hoc est cum multis aliis malum, & cælandum eos qui malè nobis volunt. Vxorem fortè vere proximo ad vos mittam, ut reculas nostras expediat. Pax firma manet, nec ulla querendi occasio datur Protestantibus. Rex & Sabaudus militem dimittunt, qui ob Rhæticum negotium erat conscriptus. Tanta in novo Pontifice fiducia est, qui semper audiit Gallicarum partium. Princeps Walliæ in Angliam jam pervenit, & in Hispania procuratorium reliquit ad ducendam suo nomine uxorem, quæ vere primo in Angliam ventura creditur. Sunt tamen qui ex longa Hispani & Pontificis tergiversatione fastidium aliquod Brittanni sperant, & consilio Hispanicæ affinitatis in Gallicam mutandæ, quod mihi non videtur. Aliud habebamus nihil. Parentes, te cum uxore, sororem cum marito & liberis, agnatos, cognatos, affines, amicos Deo commendo. Lutetiæ 27 Octobris 1623.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

61 CVm dolore intellexi Cupum in manus venisse. Significavit id mihi Episcopius, nam à vobis nihil nunc ac ne exacta quidem hebdomade accepi. Doleo autem eò magis, quod mihi semper vir bonus ac simplex visus est. Si quid tamen ex malo alieno tam gravi boni sperare fas est, habeo hic aliquid quod me soletur. Nam si qui de ipso sunt judicaturi sua aut publici, interesse putaverint ex eo de me sciscitari, comperient haud dubiè me semper ab omni vi factiosisque consiliis fuisse alienissimum, amantem pacis & Christianæ patientiæ. Sed de his Deus providebit. Hic interim data sunt sigilla Aligrio, quem virum egregium & bonarum partium omnes prædicant. Iuveniam qui me ipsi commendent. De bello ac pace interna rumores hic ambigui. Certè imminuta Cancellarii auctoritas multum de pacis securitate demit. Scripsit ad me Lingelshemius Argentorato. Ex Stobæi editione cognovit de sex libris Belgico carmine à me scriptis: & Catechesin filio scriptam Belgicè vidisse se memorat. Vtriusque poscit exemplum, qua in re illi gratum facere velim. Sed opus habeo à vobis adjuvari. Velim ergo exempla ad me bina utriusque libelli mittantur. De decreto etiam quodam Trajectino temporum Licestrii velim memineritis. Vale mi Frater, & parentes atque amicos saluta. 12 Ianuarii 1624.

Tui amantissimus Frater H.G.

PARENTI OPTIMO ET FRATRI CHARISSIMO.

OCuli, mi Pater, ac Frater, valent rectiùs. Pro literis 62
quas dedistis ipsis novi anni Calendis, proque voto quantas possum ago gratias. Rogo autem ut quoties aliquid occurrit lectu dignum, ejus me aut ipsi edoceatis aut operam detis ut per alterum fiat. Ea enim ex re mea hic existimatio non minima ex parte pendet. Custodem sigillorum nunc factum Aligrium conveniam ubi à primis salutantium undis liberas ædes habere cœperit. Videbimus an usui mihi sit futura ejus amicitia. Interim siquid se spei bonæ ἀπὸ κίμβρων ἢ ἐπιβαλλουσῶν πόλεων τινὸς obtulerit, deliberabimus. De Irenepoli enim multi non bene ominantur, verentes ne fiat πονηρόπολις qualem Philippus Macedo olim condidit. Sed tamen ne huic quidem negotio præjudicandum est. Eobaldo Dusserio felicem precor reditum ad honores quasi postliminio. Mansfeldium jam excessisse agro Oostfrisiæ intellexeram & partem copiarum cæsam. Hac quoque de re certiùs velim edoceri. Petrus noster totus adhuc in malis suis jacet, corpore partim suffuso, partim extabescente, ita ut nihil ejus valeat præter cor & caput, quod ipsum graviores ei dolores facit. Deus illum & nos respiciat misericors. Cupum sæpe monui ne in patriam iret. At ille ad Penelopen suam trahebatur. Discemus ab hoc experimento ecquid æquitatis ab Amstelodamensibus contra edictorum rigorem sperari debeat. Bredana illa motio mali est exempli in Republica pridem nullo tali morbo laborante. Siquid ultra acciderit, perscribi ad me velim. Et urgeri Hillebrandum; est enim tardiusculus. Pecuniam à Nicolao Reigersbergio accipere poterit. Spes hic est matrimonium Angli cum Hispana evaniturum. Nam & qui in utriusque Aula gratia pollent inter se dissident, & restitutionem Palatinatus urget Britannus aliquanto quàm ante calidiùs. Hic pacem firmam habemus, conspirante in ejus tutelam Cancellario & sigilli custode. Rex militem extraordinarium dimittit, veteres centurias quæ id fuerant quod dicebantur, ad tricenarium numerum militum accidit. Aliud habemus nihil. Ego in opere meo strenuè pergo. Vale, parens optime & frater carissime, cum vestris nostrisque omnibus. Lutetiæ 21 Ianuarii 1624.

Rogo frater Maurerio hanc det epistolam: quæ nuper quia tempus me deceperat curata non est. Scire velim an mansurus sit Falcoburgius, an huc rediturus, & quando & siquid tale. De Drentiano negotio velim frater meminerit.

Tibi obedientissimus filius H. G.

IOANNI GROTIO
Consiliario Comitis Hohenlo.

LIteras, Parens optime, à te fratre ac matre, xv scriptas 63
hujus mensis rectè accepi, & pro his quæ nuntiantur quamquam tristia sunt pleraque gratias ago. Ex quo postremò ad te scripsi, vidi novum sigilli Custodem futurum Cancellarium si ei qui nunc est supervivat. Is mihi pollicitus est plura quàm speraveram. Sed incipio ad ista verborum officia occallescere. In re quid secuturum sit brevi videbimus. De Cimbrico negotio nihil moveendum nisi per valde fidos, neutiquam verò quasi id à me proficiscatur. Sunt qui mihi suadent ut Spiram concedam atque ibi opella forensi rem faciam; nam lites per-
scribun-

Digitized by Google

scribuntur Latino sermone, & Romani juris magnus ibi est usûs. Religio ibi Augustana non minùs quàm Romanensis permittitur. Siquid de conditione vivendi quæ ibi est intelligere potes, per eos qui aut ibi fuerunt aut notos habes rogo me edoceas. Nam omnino aliquid mihi erit constituendum. Hæc enim incertitudo rem familiarem exedit. Petrus adhuc in eisdem malis cubat, nosque dolore suo & nostro metu non parum cruciat. Deus ejus & nostri misereatur. De inundatione, pestilitate & caritate annonæ doleo, & opto speroque mitiora. Vxor mea valet rectiùs, & mei oculi minùs malè habent; ita ut commode & legere possim & scribere, ut vides. Manet tamen aliquid suffusionis. Ni tempus pro remedio sit, tua experiar. De eibariis rogo siquid restat urgeatur, ne serius quàm par est adveniant. Avebo scire quid mense Februario decreturi sint Hollandiæ Proceres de re Remonstrantium: tum verò an Arsenius aut apud Principem aut in Conventu gratia aut auctoritate valeat, & quid agat Falcoburgius. Dicitur Stoutenburgius Centurionatu donatus ab Isabella; sed nihil ejus compertum est. Multi & de vidua Groeneveldii ominantur eam in partes hostiles transitum meditari, si prædia possit vendere. Nos tibi, matri, fratri & uxori, cognatis, affinibus, amicis omnia prospera precamur. His qui in convivio mei fuerunt memores salutem quantam possum nuntio. Lutetiæ 26 Ianuarii 1624.

Tuus tibi obedientissimus filius H. G.

EIDEM.

64 GRatias habeo, mi Pater, pro literis quas 22 Ianuarii, ad me dedisti: & rogo ut pergas siquid scitu dignum accidit, per te vel amicos nuntiare. Quod de Cimbrico negotio cogitatis valde me solatur. Sed differendum est in aliquod tempus. Magna mihi spes datur solvendæ maximæ partis honorarii, cùm alii nihil aut perpauxillum accipiant. Ipsi Senatores qui in regni rebus quotidie occupantur non plus 11 c1ɔ Florenorum pro annuo salario perceperunt. Sed de omnibus potest vos edocere uxor si ad vos venit, quod multum à Petri pendet valetudine quæ in melius spem aliquam præbet; ita ut jam de membrorum morbo adesorum incolumitate magis quàm pro vita simus solliciti. Cùm cogito sine plurium consortio linguam Latinam Græcam & alia non rectè addisci, tum verò Wilhelmum nostrum minimè aptum esse tractandis puerorum ingeniis, & in Gallia vix esse ut rectè Latinè discant, cùm necdum intelligant eum sermonem in quem aut ex quo omnia vertenda sunt, sæpe adducor ut putem in patria ipsis scholam esse circumspiciendam, si inveniri possit ubi institutio sit recta & nostri pueri Religionis aut partium nomine invisi non sint futuri. In hac re rogo me consilio adjuvetis & omnia exploretis quæ eò pertinent ut de re tanta maturè deliberem. Tilenus noster nescio quantum, sed aliquid è Regio fisco accipiet. Vtinam in patria nostra Remonstrantium preces clementiùs audiantur. Quid Cupo nostro eventurum sit scire aveo. Custos sigillorum Aligrius amans literarum magno me honore afficit, & spondet curam mei peculiarem. De Principis in Aulam adventu nihil jam sermonum. In opere meo diligenter pergo. Sed excrescit in tres justæ magnitudinis libros. Non satis intelligo quò spectet scheda Brasseriana, & an ejus usus aliquis fuerit & quid sit illud quod per Cloppenburgium ab eo postulatum est. Ex literis Maurerii ad Tilenum intelligo literas quasdam ad ipsum meas amissas aut interceptas. Ego eas per tabellarium more solito curaveram & miseram exemplum præfationis ad Cancellarium quæ in Stobæano libro ipsius desiderabatur. Siquid hujus intellexeritis facite me certiorem. Losecatii laudibus faveo. Vtinam inservire possem ipsi ac carissimæ sorori cui non scribo quia nihil est quod scribam. Valete omnes, amici, vos imprimis optimi parentes, frater cum uxore, soror cum marito & liberis, tum cæteri suo quique ordine. Scribebam Lutetiæ 2 Februarii 1624.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO
Iurisconsulto.

Mi Frater,

IN Regnis non minùs quàm in civitatibus liberis subitas 65
sæpe mutationes existere brevi quo hic sum tempore, magnis exemplis compertum est. Annus est & ampliùs cùm Schombergium & qui cum eo erant ab ærarii cura remotos vidimus. Nunc non verbosa & grandis, sed brevis & severa epistola venit à Lupara die solis anteacto quæ & Cancellarium & Puyssiæum à Regis rebus amotos in rus satis longinquum jussit secedere. Illi in hac fortunæ mutatione parum inter homines miserationis inveniunt, crediti res privatas suas nimiùm & alienis & publicis prætulisse. Negotia externa quæ exemplo Villaregii solus Puyssiæus habuerat distributa sunt in tres ejus collegas, & in ipsius Puyssiæi locum quartus substitutus est Beauclercquius bene mihi volens. Paulò ante hujus fulminis jactum amicitiam contraxeram cum Aligrio sigilli Custode qui me ultro ad se vocaverat, operamque largè obtulerat, nec vanè ut res ostendit. Nam inter primas ejus curas fuit decretum mihi à Rege impetrare de solvenda maxima parte honorarii: cujus quis fructus sit futurus brevi experiar. Valde mihi favet Lamoniacus Pater Villanclercii unius ex tribus rerum arcanarum Ministris. Legatis significatum est à Rege ne qua consilia cum Cancellario aut Puyssiæo communicent. Valde de horum utroque conquesti sunt Nuntius Papalis & Legati Venetus ac Sabaudus. Putantur revocandi multi qui alibi sunt Regis Legati qui ab his qui nunc demoti sunt, pependerunt. Sed hæc ostendet dies. Ego quàm sæpissime de publicis negotiis edoceri velim, ut materiam sermonum habeam cum his qui nunc plurimum possunt. Pax hic mansura putatur: puto & sub vere pecuniam ad vos mittendam & his qui res tractant salutem patriæ nostræ curæ fore. Vale cum uxore, patre, matre, amicis omnibus. 9 Februarii 1624.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

PAriter accipio, mi Frater, literas quas tu Paterque 27 Ianuarii & 4 Februarii dedistis. Pro annotatis ad fragmenta Græca & aliis quæ misistis gratias habeo. Libri mei editio duobus jam prælis urgetur, ita ut nonnihil sit spei prodire posse ante Pascha Germanicum, quod toto ferme mense serius est nostro. Alterum librum in patris epistolis memoratum velim ego ex exemplari bene à mendis purgato alicubi in Germania recudi: nam ibi desiderari à multis moneor. Curandum hoc esset per aliquem eorum qui in Holsatia aut alibi sunt. Ego Francofurti novi neminem. Nostra ad Senecam exspectabo. Esculenta in itinere sunt inter Rotomagum & urbem hanc. Petri nostri corpus affectum est graviùs quàm pater putet: os enim quoddam loco suo excidit: nec video qui restitui possit. Consulemus tamen peritos & siquid spei superfit scribemus. Magni hic viri affirmant certò scire se Bredam captam non iri. Mansfeldius jam mare transiisse dicitur, quod vos jam rectiùs scitis. Tributa quæ nova indicuntur, gravia sunt & utinam tolerari queant sine commerciorum damno. Rogo quantum potes explores ecqua his Consulibus Amstelodami spes sit de negotio Wilhelmi nostri, cui velim optimè consultum. Vt ad Gallica veniam Comes stabuli Taurini est apud Sabaudam: pars copiarum non longè abest Savona, quod oppidum est ditionis Genuensium, belli ut creditur initium futurum. Nam planè illi urbi imminet Allobrox, nec difficilis putatur expugnatio si nostræ

nostræ copiæ maritimæ adsint Marchio Cœuvrius capto castello Bormio, nunc ad alterum quod Flavenna dicidicitur, cum exercitu profectus est. Subizius vix evasit navibus suarum aliquot in portu Blavettano relictis, in quibus quod fuerat militum patibulo addictum est. Corpus Protestantium, & speciatim Ecclesia Carentonensis & Montalbana conatus ipsius ut Regno & rebus ipsis Protestantium noxios improbavit voce & scripto. Cis paucos dies exibit edictum quo Rex planè affirmabit Protestantibus Religionis exercitium & cætera antehac concessa: Subizio & qui ejus sectam sequuntur damnato Majestatis sub pœnis congruentibus, ni intra mensem resipiscat. Rotomagi Ambrosius Iesuita captus est ob consilia inita adversùs Regem aut Regnum. Quæ hic habebamus hæc erant. Si quid scitu dignum posthac acciderit, vos monebo. Patri pro cura meorum gratias summas habeo ut & matri. Saluta eos & Losecatium νυμφευομένην cum uxore amicosque alios. 14 Februarii 1624.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

67 PRo summa vestra diligentia, parens ac frater optimi, gratias summas habeo. Ego in ea persto sententia nihil rectius fore, quàm ut in aliquo angulo apud Euangelicos Confessionis Augustanæ ubi sine meo sumtu familiam mediocriter alendi spes sit meliora exspectare tempora siqua unquam futura sunt. Fatigor enim sollicitationibus ad Missam & hujus Regni incerta me turbant: nec rerum mearum certum hic quicquam video. Sed tamen cautè hæc res agenda est, ne & hic & alibi vilescam. Satis erit si qui mihi bene volunt, sciant me non ita hic fixum esse ut avelli nequeam. Siqua conditio se obtulerit, cogitabimus. Interim de Spira velim exploretis, qui illic admitti possint ad munus advocati: quæ spes ponendæ in litibus operæ. Poteritis aut per Cauchos, aut per Hohenloos hæc ediscere, sed ut dico cautè. De matertera causa & miror & doleo. Scire velim quid judicent alii Iurisprudentes. Si quid propiùs agetur cum Mansfeldio facite quæso ut sciam. Poteritis tutò rumorem spargere valere me gratia apud Aligrium, siquid id fortè causæ prosit. Instrumentum Trajectinum quod petebam erat in schedis Hottomannicis. Puto vos aut ipsum illud retinuisse aut exemplum. Continet autem consilium deferendi Elisabethæ imperii sub legibus quas ipsa vellet, modo Reformatæ Religioni bene caveretur. Quod Echenianum negotium fratri cordi est, pergratum est. De Anglia quæ creditis non tam certa sunt. Nam Rex Britanniæ novis literis Hispani Regis manu conscriptis & restitutionem Palatinatus continentibus mulceri iterum incipit. Sed exspectandus est Comitiorum eventus. Multi hoc futurum putant ut Cancellarii & Puyssii ruina, & alios trahat, inter quos Preausium Alterivii fratrem. Sunt qui in Cancellarium publica accusatione grassandum putant. Sed quæ ei imputantur aut sunt consilia de rebus exteris quæ in utramque partem accipi facilè possunt, aut sordes à quibus hic vix quisquam vacat. Putatur omnino revocandus Maurerius & mittendus ad vos Espeparus. Stoutenburgio in Brabantia rectè persolvuntur quot mensibus scutati centum. Cupi & Vezecii abductio Lupistenum ostendit parum adhuc mitigationis exspectandum, præsertim cùm illa civitas id passa sit cujus Rectores minimè mali putantur. De Fridericopoli siquid habetis scire aveo. Intelligo tardos ibi progressus esse. Ego si qua spes esset non infructuosæ operæ, Hamburgum, Rostochium aut alias in eo tractu urbes non contemnerem. Sed offerre me ultro multis de causis reformido. Accepi ab optimo sene Hogerbetio literas. Rescribam post aliquot dies. Valde tangor ejus malis, quibus utinam aliquid à me esse posset levamenti. Petrus noster minùs malè habet. Sine febri esse videtur & hydrops abit. Meluinus timet ne hæc morborum genera nervos alicubi læserint. Tamen chirurgi meliora sperant. Pontificis Legatus valde adversatus est Cancellario & Puyssiæo, ob pacem cum Reformatis procuratam. Sunt qui putant Seguiranum Iesuitam qui Regi est à confessionibus ex Aula remotum iri. Lutetiæ 16 Februarii 1624. Salutate quæso matrem, & nostros vestrosque omnes.

Vester H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Mi Frater,

VT tu me pergis edocere de his quæ apud vos geruntur, ita ego non desino gratias tibi agere & ut perseveres rogare. 68
Nam quamvis tristia, scienda tamen sunt, si quam pro virili opem laboranti patriæ ferre possim. Vtinam vel adversa hæc tandem animos emolliant & parent consiliis moderatioribus; nam & intus concordia & foris sociis indiget respublica. Nunc neutrum in promptu est, & imminet hostis validus & infensus. Venit huc ex Anglia Baro Richius, valens gratia apud suum Regem. Legati nomen non præfert: non frustra tamen nec animi causa, nempe se satis præfert, salutatione diligenti eorum quibus nunc rei summa in manu. Veneritne tentaturus animos de matrimonio, an Hispanum quasi objecto æmulatu excitaturus, ut quod cœpit impleat, dubitant qui se callidos putant talia penetrare. De Blaubenio apud vos quid evenerit scire velim; nam hic narratur supplicio affectus contemta quam acceperat, fide publica. Hic res Regni manent eodem in loco; nec quisquam dignitate motus post Cancellarium & Puyssiæum. Sunt tamen qui Patri Seguirano Iesuitæ Regis confessiones velint ereptas & creditas Episcopo Nannetensi, aut certè non uni homini, ac ne uni quidem Ordini mancipatis. De literis meis quod resignatæ videantur nihil angor: sunt enim nostra talia quæ sciri nobis nec puderi nec periculo esse possit. Custos Sigillorum & qui Regia arcana tractant magna mihi exhibent benevolentiæ signa. Apud Regem de me locuti sunt splendidè. De ludo literario in quo pueros nostros collocemus cogitate quæso, quanquam de Petro quid sperare debeam nescio. Nam coxa illi malo situ luxata est: & eò id graviùs, quod medico & chirurgo diu id mali servatum inoluit. Non cessamus tamen Deum precari & quæ possumus optima consilia sequi. Si quid certum de Legatione huc & in Angliam mittenda compereris, fac me certiorem. Memmius mihi optimè volens post Pascha mittitur ad Venetos. Sub idem tempus & aliæ legationes mutabuntur. Spessius qui ad vos venturus est operam suam mihi liberaliter obtulit: sed ea ego non uter. Mansfeldius non video ut hinc sperare aliquid debeat. Mulwicium tam subitò alium factum valde miror. Non item illud Hugonidæ filio esse qui invideant. Inter honorum aut pecuniæ avidos nec firma nec diuturna consensio est. Felicior tu & qui tecum foro omnia debere malunt quàm infimos homines prensare. Patri, matri, tibi & tuæ, sorori cum marito, tum verò affinibus, cognatis, amicis omnibus per saturam me commendo Valete. Prid. Cal. Martii 1624.

Echteno velim, & suis planè suadere me ut Sturiana controversia aut ad definitionem aut ad transactionem perducatur antequam Tarantiani quicquam moveant περὶ τῆς ἐνδείας. Nam hoc ipsum multos & ipsis inimicos & fortè Runio fautores conciliabit. Credant hoc sibi è tripode dictum. Promittit Rex se missurum ducenta millia coronatorum mense Martio: tantumdem serius hoc anno. Scire velim qua de causa & quo prætextu Arsenius Anglicanam Legationem excuset.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

69 QVas, mi Pater, ad me dedisti litteras 26 Februarii & pridie scriptas rectè accepi, & pro his quæ nuntias gratias habeo: & rogo ubi quid dignum inciderit, aut per te aut per fratrem edocear, præsertim de destinata huc Legatione, quò tendat. Cimbricum illud negotium ita temperandum est nequid à nobis proficisci videatur: nam rumor contrarius valde hic mihi nocere posset. Custos sigillorum & qui arcana Regis administrant optimè mihi volunt, & palàm satis amorem testantur. Rex Hispaniæ tentat hic Aulam de fœdere novo ex formula possidetis. Non placent hic fabulæ, tamen non satis adhuc Galliæ suæ vires placent, ut in crescentem potentiam palàm ausint insurgere. Nuper inter Peronam Galliæ oppidum & Bapalmum Hispanis parens, in vico quodam olim quoque litigioso & per pacem Vervinianam relicto dubii Iuris, Hispanicus præfectus Regis Galliæ insignia de templo abstulit & combussit. Comes stabuli & alii non nulli operam dant ne hoc sine justi doloris sensu transmittatur. Etiam Leodienses hic valdè queruntur de injuriis Hispanorum. Paulatim excitandus est Gallus, animal aliis excitandis natum. De matrimonio inter Anglum & Hispanam adhuc dubitatur. Nuper quidam vir magnæ dignitatis me convenit, ut colloqueremur de componendis inter Gallos & nostros controversiis Indicanis & peculiari quodam fœdere ea super re ineundo. Seguiranium amotum iri ab animi Regii introspectione multi augurantur. Iam advolaverat ad eam spem Arnaldus, olim ei muneri adhibitus: sed Regi displicebat & ille. Multi Nannetum Antistitem virum bonum, huic loco destinant. Iterum precor caveamus nobis ne Cimbriani negotium nobis noceat. Si sponte mihi oblatæ fuerint conditiones honestæ, deliberabimus satiusne sit hic manere, an eò transgredi. Interim testatum volo quod verum est, multum me debere iis qui nunc res Regis tractant. Spessius ad vos venit post Pascha, Maurerius licet vasa colligat: est autem Spessius & familia ortus insigni & laudatissimo Patre, literatus ipse & Romano-Catholicus, sed bonarum partium. Valete omnes, mater imprimis, frater & soror cum conjugibus suis, item amici cæteri. Lutetiæ 7 Martii 1624.

Scripsit nuper ad me Casslagius Suesenæ domus possessor. Ei ad literas sex ad me perlatas respondeo, rogo curetis. Ad secretum Regis Consilium, quo Regni arcana tractantur præter Comitem stabuli, Custodem sigillorum & quatuor Secretarios & Marchionem Vieuvillanum ærarii Præfectum, adhibiti jam sunt Angolismensis Dux & Præses Lesaius.

Tuus tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

70 TIbi quidem, mi Frater, respondeo, sed ita ut simul Patri. Nam utrique vestrum pro literis 5 Martii scriptis gratias ago ac debitor sum. De hostili discessu gaudeo. Vtinam imminentes impetus non majore damno eluctemur. Sed nec illud minùs placet, quod moderatiora ingenia consiliis adhiberi incipiunt. Paulatim inde aliquid boni exoriri poterit. Si quid de illis Goiis, aut etiam de navalibus ducibus constituetur, rogo fiam certior. Rex quotidie in venatu occupatur: interim nemo unus multum potest: sed satis distributæ sunt res & auctoritas, prævalente tamen Vieuvillio ærarii inspectore. De Chersoneso nihil se mihi obtulit. Consilia amicorum si quid tale evenerit intelligam libenter & expendam. Sed cavendum ut scripsi antehac ne displicescat nos tale quid moliri. Custos sigilli optimè mihi vult & alii non pauci. Rex etiam Ecclesiæ res ad suam curam vocat, jussis Episcopis intra suas diœceses residere, sub pœna amittendorum bonorum temporalium. Matertera Hastiæ poterit sine mulctæ periculo rei divinæ interesse. Nam Spessius ad vos venit stipatus duobus sacerdotibus. Et satis apud illum loci erit, ita ut nihil causæ futurum sit cur qui ita sentiunt alibi cum discrimine quærant Iesuitarum conciunculas. Richius ex Anglia adhuc hic est & à Proceribus opiparè excipitur. Sunt qui ad conatus ipsius evertendos sermones serunt de Carolo Regis Hispaniæ fratre, quasi is Regis hic sororem ambiat. Memmius se itineri Veneto accingit. Scire velim quid nunc agat Dyckius, quid Rutgersius. Miserat huc Mansfeldius tribunum è suis quendam Silesium Peuplitzium nomine sciscitaturum an adventus ejus hic Regi gratus esset futurus. Sed comperto non fore, abiit is tribunus exploraturus animum Sabaudi & Venetorum. Puto apud vos nunc esse Nicolaum Reigersbergium cui literas has dari velim, si non est, rogo mittantur Amstelodamum ad Iustum Piranerum, ut is meo rogatu curet. Magna hic spes est de rebus Brittannicis, nam & in Scotia renovata sunt edicta adversùs Romanenses, & Rex ipse videtur Comitiorum consilia sequi velle. Quod nuper scripsisse me puto, id agi ut Consilio sanctiori intersint Angolismensis & Iaius, nondum peractum est. Ego & uxor salutem quàm perfectissimam precamur parentibus, tibi, tuæ & amicis. Lutetiæ 15 Martii 1624.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

SEmper mihi quidem gratæ sunt tuæ literæ, Frater dulcissime, sed his præcipuè tam periculosis publico temporibus quàm sæpissime de iis quæ geruntur à te edoceri gestio, rogoque ne operæ parcas. Gallicæ res bene procedunt: nam Comes stabuli cum Sabaudo imminet Genuæ obsidio. Clavennæ arx capta est: nec quicquam in Rhetia restat præter Rivam, quam magno præsidio munivit Hispanus. Exspectatur hic Cardinalis Barbarinus Pontificis proximus, Regi pacem commendaturus: quod sanè sacerdotem decet. Vtinam pax fiat ubique per Orbem Christianum, & nos tuta libertate fruamur. Subizius mari terraque prædatur. Graswinckelius noster non longè Burdegala iter faciens ab ejus militibus captus est: equo & pecunia quam habebat mulctatus, sed sine lytro dimissus. Vocat se Subizius ducem copiarum in Xantonico, Pictonico, Andegavensi agro, Brittannia Armorica, Normannia, insulis adjacentibus, & Præfectum maris ad dictas oras, bono Regis & Ecclesiarum Reformatarum Franciæ & Principatus Benearni. Senecam recuperare, si non potes, fac si potes, ut enotes quæ margini sunt allita. Quod nostri à Mansfeldiano milite sibi cavent, non frustra est. Breda omnium judicia suspendit: ego sperem aliam urbem plus valentem capi posse, dum illa obsidetur. Dunquercanorum miror audaciam. Liber noster quem edimus sic inscriptus est. *Hugonis Grotii de Iure belli & pacis Libri tres, in quibus jus naturæ & Gentium & juris publici præcipua explicantur*, dedicatus est Regi. Restant adhuc indices aliquot, sine quibus tamen liber jam ad mercatum Francofurtensem missus est, sed & pagellas quasdam mendosiores jubebo recudi, tum compactos offeram Magnatibus: quosdam & ad vos mittam. Aliud nihil habeo. Parentes & tuam & amicos salutes rogo. 28 Martii 1624. 71

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

DE ludo literario quæ scripsisti, Frater charissime, 18 Martii die, satis mihi placent; utinam Petri no- 72

stri

ſtri tale eſſet corpuſculum, ut de animo tantùm ipſius excolendo ſollicitos nos eſſe oporteret. Nunc valde nos cruciat debilitatis metus, & cùm humana remedia vix quicquam promittant, ad divinam opem precibus confugimus. Legati è patria noſtra dicuntur hodie venturi Compendium, ubi nunc Rex eſt cum Aulæ Primoribus & Regina uxore. Princeps Condæus adhuc emanſor eſt, quia nec invocatus venire vult, nec Rex adduci poteſt ut eum vocet. Regina mater ad tempus aliquod Lutetiæ ſubſtat. Ego de tribus millibus florenis (nam quod excurrebat reciſum fuit, ne cogerer à collegio rationalium approbationem petere) partem alteram accepi in præſente pecunia: alteram aſſignatis nominibus. Multos & magnos habeo mihi benevolentes. Sed tricæ nummariæ commune nunc malum eſt. Arſenius non video ut quid hinc ſperandum habeat. De Cimbrico negotio ſcripſi antehac aliquid mihi apparuiſſe: propiore ſcribam & conſilia veſtra expoſcam ubi conditiones pernovero. Interim cavendum eſt, ne quid hujus à nobis jactetur. Poſſet enim id Principem ſatis iritabilem offendere. Quod ad Peronam acciderat, alii ut tentamentum patientiæ accipiunt, alii incredibile putant de induſtria ab Hiſpaniæ Rege Galliæ Regem provocatum: itaque propenſo Ducum in ſuas partes ſtudio id malunt adſcribere. Rumor aliquis hic fuit Sedanum ire Regem: quod ſi eſt, gravem imponet conſultationem viduæ Bulionii, pari metu excludat Regem ſive includat. Mansfeldius non multum hic promoturus videtur. Quæ Fiſci patronus contra Hogerbetii liberos profert, ad eos pertinent qui fuga pœnam eluſerunt, non ad eos quos hic pœna tenet. Et ſanè diverſa cauſa eſt: Notum illud

Exſul ad octavam Marius bibit & fruitur Dis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

In Poppio magnum detrimentum fecit iſta ſocietas. Nam & pietatis, & eruditionis nomine multis anteſtabat. Doleo & materteræ vicem cui ad infelicem litis exitum mors ejus acceſſit qui familiam ducebat. Deus & illam & nos ſuis ſolatiis reficiat. Si quos videritis qui Spiræ fuerint, velim percunctemini an quilibet ibi ad advocationem aut Iuriſconſulti officium admittantur: an verò definitus ſit numerus. Saluta quæſo parentes & amicos, tuam imprimis conjugem à me & mea. Lutetiæ 29 Martii 1624.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Conſiliario Comitis Hohenlo.

73 Literas à te, Parens optime, accepi, ſimul & à fratre datas 21 Aprilis: ſed & illæ perlatæ ſunt quas ad uxorem 13 Aprilis per curſorem extraordinarium dederas. Habeo gratiam pro omnibus quæ nuntiatis, & ſiquid ſcitu dignum occurrat rogo ne parcatis operæ. Ego hic tentabo an alteram partem inſtaurati congiarii poſſim extorquere. Noſtri Legati opiparè excipiuntur cum magna ſpe adipiſcendæ pecuniæ ad quingenta millia ſcutatorum. Maurerius in Aula eſt & dicitur ſatis accuratè, quæ apud nos acta ſunt exponere. Putatur Eſpeſſæus ad vos iturus poſtquam dimiſſa erit noſtrorum Legatio: cui ſatis ſeriò Rex commendabit cauſam Catholicorum Romanenſium. Quod frater ſcribit de allegando Syndico Amſtelodamenſi, id ipſum hic etiam per aliorum literas nuntiatur; & quidem eum deſtinari, qui nihil minùs quàm hoc cogitat. Mansfeldius creditur ante abitum clam Regem aut viſurus, aut jam vidiſſe. Quod frater ſcribit de Amſtelodamenſi privilegio ſatis ſpeciale eſt: nam alioqui nulla eſt pœna, integro, ut Suetonius loquitur, patrimoniö exſulare; & apud Tacitum rideretur non inops exſilium. Pleraque verò privilegia noſtrarum urbium hunc in modum concepta ſunt: ne plus confiſcari poſſit quàm corpus & tot libras, unde videtur non improbabile dici à fiſci patronis, ut intra illam ſummam conſiſtat publicatio requiri ut corpus reipſa publicetur. Sed hoc ſicut adverſùs exſules ſpecioſè dicitur: ita non video quomodo Hogerbetio objici poſſit, cujus corpus pœna attinetur. Vtinam optimo ſeni aliquid lenimenti impetrari poſſit. Ego libenter adero occaſionibus. Spes eſt venturum huc Haium, cui cognomen Carlilio ex Britannia petitum Regis ſororem in matrimonium Regis filio. Venit ad vos Bulionius: ſed & filius Eſpernonii Candala novæ cohortis ductor. Riceliacus Cardinalis intimus Reginæ matri incipit plurimum poſſe in Regni rebus. Quidam & de Condæi Principis in Aulam adventu rumores ferunt. Videntur planè res Aulæ nondum eſſe ſtabili in loco. Valete. Rogo à nobis ſalutetur mater, frater cum uxore, ſoror cum marito & liberis, amici, cognati, affines. 12 Maii 1624. Literas has nuper mitti oblitas rogo aliquis curet.

Tibi obedientiſſimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iuriſconſulto.

Quod noſtri memores eſſe pergitis, gratum nobis facitis. Etiamſi nihil aliud, vos rectè omnes valere dulce 74
eſt cognoſcere. De mulierum commeatu ſatis jam intelligo, nihil actum quod nobis prodeſſe poſſit. Itaque ſingulare beneficium impetrandum erit: quam ob cauſam jam ſcripſimus & Antverpiam & Middelburgum. De Mansfeldii actis vidi hic librum ſcriptum Italicè: puto eum eſſe qui apud vos interdicitur. Ego poſt Apologeticum nihil edidi præter Stobæum, itaque conjicere non poſſum quid ſit meorum in quod inquiratur. Venit tamen in mentem fieri poſſe ut ſit pars hiſtoriæ Gallicæ hic ſcriptæ, cui nomen Mercurio. Nam in ea parte quæ eſt de anno 1623. inſertum eſt Gallicè compendium eorum quæ ego in Apologetico ſcripſeram: item libelli quibus Remonſtrantes ſe de conſpiratione purgant. Siquid propiùs cognoveris, rogo me edoceas. Commentarii noſtri de belli jure jam deſcribuntur. De Batavico jure differenda adhuc cogitatio. Vxori ſcio ſummam fieri injuriam. Bricmantis cognata illic eſt Pradini vidua, quicum uxor mea bis collocuta eſt in ædibus Chriſtiani noſtri, cujus filiæ quæ adfuerunt teſtes eſſe poſſunt quàm falſum ſit ullo probroſo nomine Principem ab ea nominatum. Id liquidò affirmare poteſtis. Debyæo Centurionatum non potuiſſe obtingere niſi extraordinarium & quidem talem miror. Satis apparet non ſatis gratioſum in Aula eſſe. Graswinkelius noſter hic adhuc eſt & me in deſcribendis libris de jure ſtrenuè adjuvat. Parciùs ſcribo, quia uxorem ſpero ad vos brevi futuram, vivam epiſtolam. Legati noſtri adhuc in Aula detinentur modica ſpe brevis exitus. Dicuntur Galli valde urgere libertatem exercendæ Religionis pro Catholicis Gallis qui noſtris ſunt militaturi. Valete omnes. Rogo pro me & uxore tuam & parentes noſtros, ſororem quoque & alios ſalutes. Lutetiæ Cal. Iunii 1624.

Pameria oppidum non longè à Pirenæis montibus Regi jubenti Conſulem alterum Catholicum legi, parere recuſat: & alia quædam oppida ſe jungere dicuntur.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Conſiliario Comitis Hohenlo.

Et pro literis, mi Pater, & pro cura qua Petri valetu- 75
dinem proſequeris ago quantas poſſum gratias. Petrum jam collocavimus apud nobilitatum multis ſanationibus medicum: cujus ſanè pro eo ſollicitudo noſtris deſideriis ſatisfacit, ita ut jam non valetudinem tantùm, ſed & membrorum uſum integrum ſperare incipiamus. Deus rem ſecundet. De corio bubulo quod ſcribis, jam illi admotum eſt ab eo medico. Vxor mea antequam ea

has

Digitized by Google

has accipias spero in Zelandiam pervenerit, substitura ibi aliquamdiu, deinde ad vos ventura. Gaudeo tam valentem te esse ut tot itineribus sufficias; tamen rogo ætatis habeas rationem. De Chers. rectè facis quod rumorem inanem discutis. Iam pridem nihil inde audio. Ransovius Daniæ Regis Legatus in Aulam quæ Compendii est ivit. Ibi à Rege nostro auditus, in Hispaniam porrò ire dicitur. Cum Mansfeldio collocuti sunt Legati Britannici, nostrates, Venetus, Subaudus & pro Rege Angolismensis. Regis soror solenniter à Britannis in matrimonium Principis postulata est: neque dubitatur quin successurum sit negotium, tam potente Regina matre, quæ filias si posset in Regnis locatas videre vellet omnes, si id non posset, quàm plurimas. Cardinalis Richeliacus semper Reginæ matri intimus, nunc in Regis Consistorio validissimus, profitetur sufficere debere si novæ nuptæ ejusque familiæ libertas detur exercendæ Religionis, cætera paulatim commendando. Nostrates Legati promiserunt se non impedituros Missam apud tribunos Gallicarum cohortium. Sed nihil ejus perscribi voluerunt. Iam nunc intelligo de pecunia quæ præsens eis promissa erat, tertiam detrahi. Mansfeldius creditur aliquam pecuniam ab Anglis accepturus. Ransovius valde se Regi obsequiosum præbuit & ejus arbitrii fecit, velletne se in Hispaniam ire an nollet. Bavarus amicitiam Regis ambit; sed consilia cætera differuntur dum de matrimonio transactum sit. Deus te, matrem, fratrem, sororem cum conjugibus ac liberis aliosque amicos sospitet. 15 Iunii 1624.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

76 TVm pro tuis tuorumque in uxorem meam officiis, tum pro eo quod literis tuis me rerum vestrarum expertem non sinis, habeo gratias quas debeo frater optime, ac doleo quod fortuna nostra non patitur ut vicem referam. Mutatio quæ in Aula accidit nobis nocitura non videtur. Erat enim Marchio pecuniæ justo tenacior. De Cancellario & Puyssiæo non video esse quod quicquam speretur. Spessius quibus sit usurus amicis scire aveo. De Hogerbetio nuper suaseram ut tentaretur via per Spessium, Carletonum & Rutgersium. De prænotione ex siderum positu multa quotidie insignia audio, sed illud quod tu scribis est sanè mirandum. Bene monet pater qualiscumque sit siderum efficacia (quam ego nunquam tantam credam quàm quidam volunt) præsidere ei siderum auctorem. De Cornelio tecum sentio & ad uxorem scribo in eam sententiam. Cæterùm de loco constituere ego absens & rerum ignarus non possum. Necesse est id vestræ permittam prudentiæ. Hic in pecuniæ Regiæ tractatores severa instituitur inquisitio. Literæ his inclusæ sunt Puteani, in quibus insunt aliæ ad Heinsium, qui rogatur operam mihi per amicos oblatam quando ego ea non uti constitui impendere in liberationem Hogerbetii, si nimirum tantum potest quantum vult videri. Rogo operam des ut literæ ad Elsevirios rectè & sine sumtu perveniant. Vale cum parentibus nostris & optima tua conjuge aliisque nostris. 6 Septembris 1624.

Tui amantissimus Frater H G.

EIDEM.

77 PArentes nostros, Frater dulcissime, Liesveldii agere arbitror; id enim eorum prudentiæ convenit: dum Delphis tanta cum strage morbi se effundunt. Te Hagæ, ubi minus esse periculi intelligo, manere credo: atque ideo quæ ad me pertinent tibi nuntio, inde porrò parentibus nuntianda. Tertia jam septimana clauditur, qui ferme ambitus hujus generis morborum esse solet, ex quo dysenteria me lecto affligit quaterna sanguinis missione, clysteribus pœne quotidianis, sumtis aliquoties potionibus. Abscessit & febris & sanguinis profluvium, atque interim adversùs quod superest alvi lubricum reficitur corpus ovis & jusculis quibus nunc & villi aliquid accessit. Hæc omnia jubent nos durare in spem meliorem. Vxorem jam in itu huc esse arbitror, cujus ipse conspectus pars mihi erit melioris valetudinis. Matrimonio Anglicano mora aliqua injicitur, inde quod Angli conditionem ei volunt innectere reddendi Domino Palatinatus. Galli tam æquale matrimonium tam onerosa lege redimendum non putant, præsertim cùm Pontifex conjugio huic indulgentiam suam præstare disertè abnuat, si ei fœdus aliquod cum hæreticis, quos vocat, adversùs Catholicos illigetur. Regem & Aulam sub finem hujus mensis hic exspectamus, simulque rigidam inquisitionem in eos qui pecuniam Regiam tractaverunt. Dicuntur ii vim satis magnam pecuniæ, qua se castorum more redimant offerre. Rex minori duobus auri millionibus placabilem se negat. Helvetii protestantes qui in Rhetico negotio satis animosè Gallicas partes secuti erant, graviter affligantur à Leopoldi & Tilliaci copiis, quæ circa Basileam, Constantiam & Schaffivisium stabulantur, nullis interim ad manum auxiliis, dum Comes stabuli longè in Bressia mandata agendi exspectat, & Angolismensis copiæ, quæ in Alsatiam incubituræ credebantur, nusquam adhuc comparent; adeo lentè & pecunia, & qui sine pecunia non fit dilectus expeditur. Vltra nihil habeo nisi quod tibi tuæque dilectissimæ uxori me quantum possum commendo ac per te optimis parentibus, carissimæ sorori, cognatisque & amicis aliis commendari unicè cupio. Vale mi Frater. Lutetiæ 18 Octobris 1624.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

MIror, mi Frater, 21 Octobris nullas te adhuc à me literas de morbo meo accepisse. Nam octavo postquam ægrotare cœperam die, scripseram ad te satis accuratè: neque exinde desii te de valetudinis meæ statu facere certiorem. Gratias pro summa mei cura tibi habeo, etiam Maeslandio nostro. Paviana ista compositione usurus non videor, pleraque cordi juvando sunt, qua parte minimè laboro. Sed vinum coralliatum ut præscribis experiar. Sentio redire vires & appetitum. Non sumo cibos nisi prandio & cœna. Vtor & carnibus & vino. Sed quia manet fluxus alvi, incruentus quidem & minùs frequens, aliquis tamen, bis die jusculum sumo cui inest terra sigillata, & similibus utor remediis quæ intestinis vim pristinam reddant. Magnam diei partem extra lectum sum & studiis, sed levioribus, tempus fallo. Novi hic nihil: indies exspectamus ut Legati Anglicani signent tabulas nuptiales. Creditur Rex Galliæ non quidem bellum indicturus Hispano, sed adjuturus Britannum pecunia & dilectu militis, quomodo nostris subvenit. In nostrorum usum puto hic conscribi mille quingentos equites. Magnus hic rumor de duodecim militum millibus quos ex Britannia ad Bredam liberandam adducturus est Mansfeldius. Inchoata hic inquisitio in harpyas ærarii. Captus è nobilissimis unus. Beaumarchæus, homo ex infima fortuna ad Regiam opulentiam pervectus Marchionis Vieuvillani & Vitriaci socer aufugit in Hispanicam, ut fertur, Burgundiæ partem. Præsidet quæstioni Memmius. Hæc habebam. Vale quàm suavissimè cum optima conjuge, & saluta quæso parentes, sororem cum suis, & alios qui nos sanguine, affinitate, aut amicitia contingunt. Lutetiæ Cal. Novembris 1624. 78

Rogant te Puteani ut hunc ab ipsis fasciculum Lugdunum rectè perferendum cures.

Tui amantissimus Frater H. G.

Digitized by Google

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

79 PAtieris, parens optime, me simul & tuis & fraternis literis respondere. Quod de culpa Guilielmi scribis non nego, dummodo meam quoque in eo culpam agnoscas, qui id quod factum velles fieri non jusserim, vobis præcipuè parcens, ne de morbo tam ancipiti ante acciperetis nuntium quàm vis ejus ac periculum nonnihil remisisset. Pro tinctura corallii gratias amicis habeo. Vtor in vino & quidem libenter, nam & gustus placet, & virium aliquid inde mihi accedere aut sentio, aut sentire me credo. Alvi fluxus paulatim majora mihi relinquit intervalla & ad morem consuetum redit. Sed nocturnæ quieti turbamenti nonnihil accessit inde, quod ex multo jam tempore uxorem exspecto, neque interim ipsam, aut literas saltem ipsius aut ex Zelandia cujusquam accipio: quæ res ut mos est hominum præsertim quorum corpus ad sanitatem nondum reductum etiam animo grave est, in nescio quas non cogitationes me iniecit, è quibus utinam brevi extricer. Nunc enim omnia, fortè etiam tutissima, timeo. De pulvere transmisso iisdem gratias habeo. Videbo an eo sit opus. Debizo & ejus uxori votis ardentissimis secundam valetudinem opto. Novi hic nihil nisi inquisitio in hirudines ærarii, cujus tamen exitum fore redemtionem scelerum & reditum ad mala vetera multi augurantur. Aula hic est cum Reginis. Rex exspectatur. Meursio nostro gratulor. Mihi Daniam multi ita depingunt, ut valdè absterreant. Stipendium illud non contemnendum est, sed ut ego onus professorium suscipiam gesti honores vix ferunt. Neque verò unquam id à me postulatum est. Liber noster de Iure belli & Pacis inter quatriduum incipiet excudi. Interim paro etiam fragmenta ex tragœdiis & comædiis; quo opere confecto spero me pertexturum quod ad Iohannem, ad implendam Euangelii quadrigam in notis meis desideratur. In hoc morbo refeci partem eam Phænissarum quæ mihi in carcere Hagiensi perierat: ita ut is quoque labor ultimam acceperit manum. Recognovi & notas meas & Senecam: sed quia memini me, inter relegendum, in eo descripto quod habet Scriverius quædam allevisse quæ in meo autographo non sunt, omnino velim fratrem rogatum, ut ubi se dederit occasio, à Scriverio extorqueat ut eæ chartæ ad me redeant vel sub spe remittendi auctiores, ubi ille edere sua cœperit, quod si rectè conjicio fiet nunquam, adeo ille lentus esse solet. Ad Notas in Iohannem valdè opus haberem novo Testamento & Lexio Arabico, quæ utraque habeo dono Erpennii. Sed ad fragmenta maximè opus mihi sit lexico Constantini cui assuevi. Si quis amicorum huc veniret cui locus in arca esset vacuus, aut si quis alius mittendus esset magnus fascis, optarem libros illos cum Calepino additos, & si id fieri non potest, Lexicon saltem. Valete Pater, Mater, Frater cum omnibus vestris nostrisque. Scribebam revalescens Dei beneficio. Lutetiæ 8 Novembris 1624.

Velim rogatum Fratrem ut enotet quæ à me ad oram fragmentorum è Comœdiis Græcis, quæ à Vossio commodata habui in carcere, annotata sunt. Vtinam Pater novo qui futurus dicitur Domino Burano operam suam posset facere commendabilem. Iamnunc nuntius advenit Marchionem Cœuvrium qui pro Galliæ Rege apud Helvetios est, misisse cum mille quingentis hominibus qui itinera ad vallem Telinam occuparent, frustra obstante Nuntio Papali & Romanensibus Helvetiorum civitatibus: ipsum subsidio sequi. Contra Tiliacus minari dicitur ditioni Metensi & locis circumsitis nomine Imperii, cui erepta à Gallis tenentur.

Tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

AMoris tui in me, Frater dulcissime, & per omnem 80
vitam plurima habui signa certissima & quotidie majora recipio. Rogo te ut semper perstes hoc mihi præsentissimum contra tota adversa præbere solatium. Vel illæ quas jam hoc mense dedisti literæ quantopere me jam magno gradu revalescentem confirmaverint, non credas. Parentes & te quàm longissimè à locis morbos transfundentibus abesse quàm maximè velim. De Heinsio quod scribis jam intellexeram & gavisus fueram. Palma est publica. Mihi id incommodissimum accidit quod cuncta interpretans ex primæ antiquitatis sententia, sine ullo partium studio, locum non invenio ubi nostra excudi possint: & si possint, vereor ne hic me viliorem faciat insumta opera in explicandis locis quibus dogmata quædam superstruuntur, quæ nunc hic publicè probata vetustati placuisse mihi persuadere non possum. Quæ nuper scripsi ad Patrem de Senecæ Tragœdiis & alia quædam eorum oro memineris. Illud de peculiari Westfrisiæ sigillo minùs mihi placet. Vtinam tantum in Mansfeldio præsidii sit, quantum sibi multi persuadent. Non semper Saturnalia. D. Basio rogo me commendes quàm officiosissimè. Venit huc Lugduno Graswinckelius ad nuntium morbi mei, cui gratias debeo quod me solari ac sublevare voluit. Wilhelmus ei jam scripsit. Hic nihil nisi in ærarii tractatores inquiritur. Rex huc jam venit. Quid in Rhætiæ partibus eventurum sit, ex quo Galli iter ad vallem Telinam suæ potestatis fecerunt, avidè exspectatur; nec minùs quid acturus sit cum Comite stabuli Galliæ Sabaudus. Sed à publicis ad mea revertar. Ecce morbi tam gravis reliquias lasso corpore atque animo trahens nuntium accipio de febre & gravi & diuturna uxoris quæ eam in Zelandia detinet. Deus diu jactatæ familiæ, ut spero atque confido, curam geret. Gratum mihi erit sæpe de vestra valetudine reddi certiorem, eoque magis quia rumores increbescunt de magnis stragibus quas ibi morbi faciunt. Salutem de more ascribo parentibus & qui post parentes nobis proximi sunt. Valete. Lutetiæ 15 Novembris 1624.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

BInas hodie à fratre literas accipio, parens optime, 81
quarum alteris & tu subscripsisti. Nunc discedunt à nobis amici optimi, qui laborem sumserunt non exiguum hiberno tempore deducendæ huc uxoris, nulla alia tanti itineris causa, pro quo beneficio gratias satis magnas agere non possum. Ego & antehac cœperam valere meliusculè & post adventum uxoris non parum firmatus sum, manent tamen & tormina & alvi lubricum. Pro eo quod suadet Mosalandius habeo gratias & videbo an usu opus sit. De interceptis literis quod frater suspicatur, etiamsi ita res haberet, minimè curandum est: nihil enim scripseram quod publicos oculos metueret, sed siquid posthac significandum erit de privatis negotiis, sequar viam quam monstrat. Valetudo vestrum omnium & amicorum tam morbido tempore valdè me recreat. Locum ad Corinthios cujus frater in epistola meminit eo quo explicandum indicat modo explicavi in notis ad Matthæum: sed illud non succurrerat quod isti locationi egregium est testimonium. Erpennii mors majus est damnum literarum quàm aut dici, aut cogitari queat. Spero non defuturos qui memoriam ejus ut par est celebrent. Ego viri amicissimi morte illud tantum consecutus sum, quod describendæ non erunt Notæ ad postrema Matthæi capita, quas nunc relegi & auxi. Cornelii nostri curam

Digitized by Google

curam vobis omnibus commendo. Res Galliæ in melius quotidie procedunt; nam & confecta res est de matrimonio, & aditus ad vallem Tellinam castellis quibusdam novis tenetur, quiescentibus Helvetiis Romanensibus, postquam & Hispanum vident nihil movere, dum quæ in Mediolanensi agro sunt copiæ modicæ contentæ sunt suos fines tueri, & Tiliacus Bavari rebus attinetur. In pecuniæ Regiæ tractatores severa inquisitio est. Inter alios jussus duci in vincula, sicubi reperiatur, Defontis operum publicorum curator, & socer duorum Legatorum, alterius in Brittannia, alterius in Batavis, Espesläi, inquam. Valete omnes quàm optimè, tu, mater, Frater cum conjuge, soror cum marito. Lutetiæ 28 Novembris 1624.

Tibi obedientissimus Frater H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

82 IAmdudum, mi Frater, à vobis nihil accepimus. Vxor pedem læsa domi desidet. Petro frigus morbum & dolores incutit. Filiæ febricitant: ego, Deo sit gratia, valeo, nisi quod oculi interdum suffunduntur. Res Rhæticæ optimè procedunt: nam Marchio Cæuvrius non tantùm castellum Tiranum quod potissimum est, in Galliæ fidem redegit, sed & alia nonnulla; ita ut partem minorem teneat Vallis Tellinæ, Hispanico Mediolani præfecto copias apud se retinente metu Sabaudi & Comitis stabuli qui illuc irruptionem minantur. Villauclerquius Lomeniaci filius, unus ex quatuor arcanorum scribis in Angliam profectus à Rege Britanniæ donatus est monili quod valet viginti millia scutatorum. Iussus est à suo Rege cum Britanno agere, ut quod ille Mansfeldio imperavit & ad Infantem Isabellam scripsit, nolle se quicquam hostiliter agi in ea quæ Regis sunt Hispaniæ, ita interpretatur, ut id non obstet quominus liberandæ Bredæ ille operam navet. Vide pacta nuptialia sororis Regis & Principis Walliæ. Præcipuæ leges sunt matrimonii solennia hic celebratum iri more Romanensi, ut olim cùm Margareta Regi Navarræ nuberet. In Anglia pacta solenniter prælegentur. Rex sororem Caletum deduci curabit, inde excipiendam ab Anglis. Novæ nuptæ ejusque familiæ pacta libertas exercendæ Religionis Romanæ in sacello, quod ubicunque erit ipsa habere sibi poterit; & XXVIII presbyteros sub cura Episcopi qui in eos jurisdictionem habebit, extra quam si in statum publicum peccaverint. Tunc enim Episcopus reos sacris solutos profano judici exhibere tenebitur. Liberi penes matrem educabuntur ad annum ætatis XIII. Domestici novæ nuptæ nunc dantur à Galliæ Rege, posthac legentur ab ipsa Romanensis Religionis Galli aut Angli assentiente Britanniæ Rege. Nihil tentabitur quo nova nupta adducatur ad mutandam Religionem; idque Rex & maritus sanctè jurabunt. Nova nupta successiones omnes repudiat: dotem habet octies centena millia scutatorum, antipherna octodecim millia librarum Sterlingarum, & domum Regiam, si quando vidua in Anglia manere elegerit. Pro mundo accipiet à socero quod valeat quinquaginta millia scutatorum. Cætera minoris sunt momenti. Creditur non ante Pascha hinc abitura. Rumor hic spargitur aliquid moveri à Transligerinis Protestantibus: quod si verum, accersent illi in se indignationem bonorum omnium, ut obstantes egregiis Regis conatibus. Si quid apud vos scitu dignum geratur, moneri ejus aveo, & patri, matri, tibi tuæque, sorori & ejus marito, amicisque omnibus felicem annum hunc opto, cujus tertio die hæc scribebam. Lutetiæ 3 Ianuarii 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

GRatias tibi habeo, mi Pater, quod mei meæque valetudinis tantam geris curam. Etiam quod de esculentis sperare nos jubes ventura in tempore pergratum est. Vossius fecit pro summo suo in me amore, quod negotium illud in se suscepit: nostra interest ut id absolvatur. Editio libri nostri de jure belli ac pacis tardè procedit. Rex Britanniæ, quanquam disertè Mansfeldio imperaverat, nequid hostile in Hispanum moliretur, adductus tamen eò est à Galliæ Legatis, ut passurus sit à Mansfeldio iter per Belgium Hispaniense in Germaniam posci, & si negetur sumi, nimirum quia id juris est etiam in solo non hostili. Bredam Spinola Isabellæ affirmat intra hunc mensem captam iri. Idem Manlianæ severitatis exemplum edidit: nam cùm edixisset, ne qui suorum singulari inter se certamine dimicarent, filium ex jurgiis ad pugnam cum altero juvene prolapsum, damnavit capitis; & cùm eos evasisset quibus in custodiam erat datus, eos ipsos sex numero suspendi fecit: filium in Gallias profugum dedi sibi postulat: sed eum Rex, misertus juvenis magnamini, tuendum suscepit. Rumor de Insula Rea à Subizio occupata vanus apparet, atque inde ortus quod ille cum navibus aliquot in mari vagans ibi prandium sumsisset nullo ulterius conatu; tamen non frustra creditur se fluctibus committere: sed moliri aliquid: & jam à Vandomio in Armorico littore duæ naves dicuntur deprehensæ & centum in illis homines, quibus consilium fuerit Castellum Blavetum & arcem Nannetensem sui juris facere. Intra dies paucos quid horum fit rescibitur. Interim tibi, matri, fratri, sorori eorumque conjugibus & cæteris nostris ego & uxor cuncta salutaria ex animo optamus. 17 Ian. 1625. 83

Dubletus curruum curator qui cum literis publicis ad Legatum nostrum missus erat, cùm domicilium Legati & ipsum ignoraret, ambiguitate vocabuli delatus est ad Legatum Belgicum sed Bruxellensem eique cœpit de rebus non exiguis loqui. Sed errore deprehenso abiit, & ad verum Legatum venit, atque ab eo ad hospitium invitatus jussit eò deferri sarcinas: & coram iis qui deferebant aperuit, ita & ut appareret pecuniam ipsi esse. Cùm velut negotium quoddam curaturus exiisset, nunquam comparuit & adhuc desideratur. Qui sarcinas detulerant capti ita se purgant, ut innocentes videantur. Itaque alii avectum in Hispaniam, alii dolore erroris à se commissi necem sibi intulisse jacto in amnem corpore suspicantur.

Tuus tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

ET quas 13 & quas 20 hujus mensis ad nos dedisti, Frater, rectè pervenerunt, ex quibus disco spem Bredæ in meris armis sitam. Hispani copiæ de Stæchadibus recesserunt, sive tantùm præsidium fuit pecuniæ datum, quæ Genuam ferebatur, sive contenti sunt ostentasse periculum, quando & Comes stabuli agrum Mediolanensem ingredi hactenus minatur tantùm. Ita metus mutuus pacis erit munimentum. Post captum Morbegnium nihil ex Rhetia habemus. Sed exspectatur captura etiam castelli ad Clavennam. Interim Subizius Nivernensis ut scripseram, navibus (quinque erant) occupatis, non quidem Ream insulam tenet, sed Blavettum magni nominis & egregii situs in Britannia Armorica castellum machinis petit: at ipse à Regiis & navibus & copiis terrestribus eminus ita cingitur, ut obsesso quàm obsessori dicatur propior. Quod si in manus venerit, damnabitur capitis, quod duobus ipsius centurionibus jam evenisse intelligo. Nostris à Rege poscentibus jus conscribendi hic equitis & peditis, respondit Rex permissurum se ubi ipse quan- 84

quantum satis est conscripsisset: addiderat nuper habiturum se brevi cohortes 17. Beaumarchæus socer Vieuvillani & Vitriaci suspendio adjudicatus in imagine supplicium pertulit: bona fisco addicta, etiam quæ in aliorum toparchiis sita, detracta pecunia aliqua in usus pauperum, & eo quod privatis debetur. Ipsi Vievillano intenditur capitis judicium. Instrumenta constitutarum pensionum rogo penes te serves donec aliter sit usus facto. De Westfrisiis quod scribis displicet, neque enim illa via insistendum, ut Hollandiæ sua reddatur auctoritas quæ nimium ab annis aliquot eviluit. Vxor sanata est & filiarum major. De Dubletio rumores perscripsi nuper, quid de illo factum sit nescimus. Hoc tantùm nunc constat vivere eum, unde creditur latere donec veniæ certus sit. Qui hic res tractant Regni ajunt patefacta ab eo quædam nostrorum commenta, sed quæ hic placitura non fuerant. Hæc nunc habebam: ego siquid posthac scriptis dignum occurrerit edoceri per vos gaudebo. De Indiculo magnas habeo gratias: velim & de eo quod per inducias & ante eas fuit, si non singulatim, certè in summam certior reddi. Valetudinem tibi, tuæ, parentibus & propinquis optimam opto. 30 Ianuarii 1625.

De Guilielmo rogo Meermannus, amicique alii negotium commendatum habeant: & significent simul electio processerit, quid de novis Consulibus & publicæ rei & illi privatim sperandum sit.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

85 PRo opera, Frater Carissime, Lugduni impensa gratias habeo. Rogo si eò redieris V. C.P. Scriverium meo salutes nomine & roges ut Notis ad Senecam quas à me habet ad tempus uti mihi liceat: nam dum Græcas Tragœdias relego, multa reperi quæ ad eas augendas aut ornandas faciant. Ipsi ubi edere visum erit, Notas remittam. Dic etiam ei, esse hic sæpe mecum Holsteinium, juvenem rei geographicæ peritissimum, qui de ipso ut de amicissimo libenter mecum fabulatur. Vossium & æstimari magni in Anglia & à nostris retineri, utrumque gaudeo. Stæchadas ab Hispano relictas monui antehac. Clavenna & Riva quæ sola castella in Rhætis restant jam fortè dedita sunt, nam præsidia sua Hispanus eduxerat. De Comitis stabuli transitu in fines Genuensium, aut Mediolanensium nihil dum habemus. Subizius amissa spe terræ, à suæ sectæ hominibus damnatus, mari prædas agit; in quem à Rege quod decretum est transmitto. De Guilielmi negotio quantum potes explorare pergas rogo. Literæ Patris de affini Cornelii Iacobidæ rectè curatæ sunt. Sed nulla se occasio mihi obtulit id negotium curandi. Cogitabo tamen. Overschiacæ cognatæ maritus mihi non visus: fuit tamen in ædibus nostris & uxorem salutavit. Ego ei prodesse pervelim, ubi divertatur nescio, puto eum stabile præsepe non habere. Mitto patri carmen in Deiparam. Sed nolim vulgari, tum quia honor etiam à superstitione liber Sanctis habitus multis nostrorum sordet, tum quia laudatur ibi Vrbanus, qui nunc est Romanus Pontifex, optimus Romanæ fidicen Lyræ, quod testantur numeri ejus lege soluti, Pindari in morem sanè quàm elegantes. Optandum est ut & Christianismi fidem nimiùm dissonantem ad concentum aliquem posset adducere. Sed hoc voti magis quàm spei est; præsertim cùm Romæ Marci Antonii de Dominis damnata sit memoria, corpore exusto. Et tamen sunt qui me Romam invitant:

Sed quæ tanta precor, Romam mihi causa videndi?

De Vianensi quod scribit Pater, gratum est: & subsidio esse poterit si spes Amstelodamensis deficiat. Valete, omnes. 21 Februarii 1625.

Si liber ille de quo nuper scripseram in Germania recudatur, cogita an non addi possit & Mare Liberum & Batavicæ Reipublicæ Antiquitas. Spem mihi satis firmam facit librarius libri imprimendi ante mercatum Francofurtensem. Lamairius Lugduni cum uxore egerat de aliquot exemplaribus adipiscendis. Si scirem quot numero vellet, transmitterem. Liber erit in quarto. Alphabeta quatuor & ultra. Rogo item exploretis famulum aliquem cujus in scribendo opera uti possim, si fortè Wilhelmus hinc discedat, quod circa Majum futurum videtur.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

DIxeram postremis literis mittere me Edictum Regis 86
pro subditis Protestantibus & contra Subizium: id tunc absente me malè curatum nunc resarcio, simulque indico Subizium in Insula esse Olerone apud Santonicum littus. Eò ipsum visurus abiit Mommartinus Protestantium delegatus apud Regem, Regis, ut creditur, jussu pacis conditiones ipsi offerens: parique de causa ad Rohanium ivisse creditur Bulionius à Comite stabuli missus. Ipse Comes stabuli an in fines aut Mediolanensium aut Genuensium transierit, nondum exaudivimus. Neque de Clavenna capta nuntius dum advenit, quanquam de successu non dubitatur. Novi judices ærarii nonnullos jam suspendio, sed pictos affecerunt: & videtur res ad transactionem spectare. De Hogerbetio liberando nihil hic intelligo. De Pontifice Romano nihil tale quale scribis comperi: sed quod comperi scripsi nuper. De Mansfeldii exercitu magna hic sperantur: præsertim quia nostri commeatus creduntur superfuturi, defuturi hostibus clauso Gallico limite. Videtur liber meus sub Francofurtensem mercatum exiturus. Festinatur enim tribus prælis, ita ut totos dies in legendis speciminibus teram. Misit ad me hodie Archiepiscopus Normandiæ opus suum quo ad Romanensem Ecclesiam Regem M. Britanniæ invitat. In eo quoque nunc occupor. Da veniam festinanti. Matri, fratri, sorori eorumque conjugibus omnia opto quæ optant. Lutetiæ 25 Februarii 1625.

Tuus tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

QVàm gratum mihi est, mi Frater, quod continuis 87
tuis literis & de tuo in me amore & de rebus patriæ nostræ edoceor, tam tristis mihi fuit nuntius de cognatæ morte, nisi quod hunc luctum mitigavit longa exspectatio. Ego ad maritum ejus scribo non tam ejus solandi quàm doloris cum ipso sociandi causa. Rogo verbis tuis literas meas adjuves. De Seneca scio satis te memorem. Osterhoutanum omen illud horrorem mihi incutit, eò magis quod omnia ad prælium vergunt. Et hic novos habemus tumultus fratrum Rohanii & Subizii, quorum minor Garunnæ ostia classe insidens vectigales habet naves nostratium & aliorum quæ vinum, sal & alia hinc petunt. Major Castrum oppidum fecit suæ potestatis: cui nunc & Rupella se sociasse dicitur abrumpente plebe Magnatium imperia: deinde & Monsalbanus. Prætexitur bello causa quod Rupellæ Castellum objectum servetur & Monspellerius præsidio teneatur, contra pactorum fidem. Data opera ut auctoribus belli privatim satisfieret: sed res altiores habet radices, nec quisquam ferme dubitat, quin Hispani pecunia alatur hæc factio. Rex Britanniæ amicissimas literas ad Galliæ Regem scripsit opem pollicitus adversùs omnes qui arma in ipsum ferrent, qualiscunque illi essent Religionis. Incidit tamen

controversiæ

troversiæ aliquid inter Legatos Britannos & Regis Galliæ ministros, eò quod in secreta pollicitatione facta pro Romanensibus Anglis, pro voce favoris in instrumento substituta à Gallis fuerat vox libertatis: atque ita per incuriam signatum instrumentum à Legatis Anglis nullam mutationem suspicantibus: nam ante descriptionem legerant, deinde à Rege Britanniæ fiducia sapientiæ Legatorum. Pontifex indulgentiam ineundi matrimonii concedere non vult nisi eam in se accipiat Britannus. Quod ille facturus non est qui nullam legem credit obstare huic conjugio. Et Gallorum multi existimant satis honoris habitum Pontifici, quod postulata ab eo venia est, nec ultra rem differendam. De Clavennæ oppido capto scripseram. Nunc arx obsidetur, simulque Castellum Rivæ: & incipit Hispanus in illis partibus ad Lingaviam colligere copias. Comes stabuli an in hosticum jam intraverit, adhuc incertum est. Rohaniensis ille motus arduam facit deliberationem, subditisne cedendum potius, an ab Hispano accipienda pax, quam Pontifex commendat. Providè ad ejus monita responderunt Galli cupere se pacem, sed per totum orbem Christianum. Pro Indiculo gratias habeo: velim tantundem scire de tempore ante inducias. Iudicia adversùs harpyas hic adhuc calent. Vale cum optima uxore. Parentes & proximos salutes rogo. Lutetiæ 14 Martii 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

88 QVas 17 & 24 die hujus mensis ad me dedisti literas, mi Frater, ad eas una opera respondeo. Literas has inclusas obsignes & rectè cures velim & ex consilio Melissæi. Iam rumor hic vagatur de delato imperio militari. Fac me sæpe de his quæ geruntur certiorem: inter cætera qualis sit Sellingerus Ogleii affinis qui successor destinatur Carletonio & quando is abiturus. Mylius quid agat, quem officiosè meo nomine salutari pervelim: ecquæ conditiones adjectæ sunt juramento Principis Henrici. De successore Wilhelmi nostri quod sollicitus est Pater gratias ipsi ago, cogitabimus, nam noster nondum abiit. De rebus vestris ita mihi videtur plus spei esse in obsidenda Silva Ducis quàm ad Bredam obsidio eximendam. Sed viderint quorum hæc res in manu est. De libris ad usum forensem inquiram: etiam de Musquettis. Nondum reperi qui ista negotia tractant. Subizius adhuc in Insula Olerone est & eam munit. Dicitur classis nostra hanc primùm operam Regi navatura. Disceptatum audio inter Ministros Regis & Legatum nostrum, eam ob rem quod Gallos Centuriones navibus imponi Rex vellet: quod nostri excusabant ob rituum disparitatem & alia. Sed puto parendum fore. Interim creditur nunc obsideri Genua, oppidum ad sui tutelam invalidum, quippe monti obnoxium. Sed dicitur à Roma venire Legatus pacem commendaturus. In Rhetis Riva restat præsidio satis gravi Hispanorum insessa. De Dano & Suecone dubito verumne sit quod nuntias. Rogo, ut inquiras. Kesselio gratulor dignitatem. Wassenarii tomum sextum habeo. Septimum, si vis exspectabo. De nuptiis P. Henrici siquid accidat rogo me moneas: & siquid præterea dignum scitu. De Blauhulchio restituto intellexi. Omen inest. Valete & sæpe scribite. Lutetiæ 4 Aprilis 1625.

Christianus noster Missam adiit & Hottomanni filius qui Regis sororem linguam Anglicam docebat. Pater ipse mihi videtur nutare. Rogo de literis nemo quicquam sciat præter Melissæum.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

89 BEne patriæ vertat matrimonium quod nuntias, mi Frater: bene & nobis nimiùm diu adversa tempestate jactatis. Graswinckelius fuit Lutetiæ: hinc ivit visurus Biturigas, inde ad nos rediturus, & quo tempore nova Britanniæ Regina transibit, iturus in Angliam & ipse. Rectè valet, quæ omnia meo nomine D. Basio nuntiabis. Hogerbetii liberi utinam animum Principis, & per ipsum aliorum commovere possent. Mea negotia tibi curæ esse gaudeo. Episcopius Cameroni doctè respondit: id scriptum nunc ego recognosco & miror scriptoris acumen & diligentiam. Puto Cameroni faveri tantùm quia Arminio infestus est. Nam alioqui sententia ipsius non est ad normam Synodicam facta. Socinianum scriptum non vidi, & videre aveo. Ex Polonia Tileno nuntiatum erat ad librum meum responderi modestè & nonnulla concedi. Rivam adhuc obsidet Cœuvrius: Gaviam in agro Ligurum Comes stabuli. Interim turbat adhuc Subizius & mari increscit, crediturque se ei addidisse Lavalius Trimolii frater. Hæc sunt quæ hic geruntur. Nos id optamus vos valeatis omnes. Credo ad vos venisse jam affinem Reigersbergium, cui tradas aut ubicunque est eò statim mittas velim inclusas his literas. Patrem, matrem, & propinquos ego & uxor salutamus. 18 Aprilis 1625.

Epistola ab amico ad uxorem missa quæ fuerat, rectè pervenit.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

FAcis mihi rem gratissimam, Frater optime, quod me rerum quæ apud vos geruntur ignarum esse non pateris. 90 Literas quas miseram curatas quovis modo optassem. Nam talium gratulationum nisi recentes sint perit gratia. Nobis hic felicia omnia nuntiantur ex Italia, ubi sex millia à Mediolano, Genuæ subsidio venientia cæsa sunt à Sabaudis & capti Primores Spinulæ cognati & cognomines. Gavici arx brevi capienda à Comite stabuli speratur, & Riva à Cœuvrio. Interim pergit honesta consilia turbare Subizius, pacis oblatas rationes præfractè hactenus repudians, quod multi verentur ne in magnum ejus partis malum erumpat, si per Legatum Pontificis pax externa sarciatur. Nolet enim Rex copias tam validas detinere inutiles: nec videbitur alibi usus major esse, quàm in liberando Regno à parte tam tumultuosa & toties intercedente bono publico. Sed hæc Deus avertat. Mairius si à mercatu exemplaria attulit doleo, nam & correxi quædam & Indicem adjeci post tempus mercatus. De Scilingero pergas rogo inquirere; & siquid in Hogerbetii causa promovetur. Sunt qui putant non exiturum sine aliqua professione in gratiam potentum. Novi viri animum nec quicquam ab illo non generosum exspecto. De Daetselaria scripsit aliquoties Pater. Sed mihi nunquam probata sunt absentium, circa baptismum testimonia: deinde hæc etiam tempora non videntur mihi apta tali consilio. Vxor ad ipsam scripsit & suaviter excusavit. Velim id pater in bonam accipiat partem. Vossii orationem in funus Erpennii videre desidero: justè enim amo quicquid ab ipso proficiscitur. Poteris & ex ipso quid de Socinianorum adversùs me scripto sentiat, exquirere. Quod scribis Remonstrantibus quibusdam omne bellum improbari, eam mentem Hispanis quàm Batavis dari malim. At ego moderata secutus sum, & tamen vereor ne multis quibus usui bellum est valde displiceam. Vale cum Patre, Matre, propinquisque omnibus. Lutetiæ 25 Aprilis 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

MOrtuum Principem militiæ clarissimum ducem, 91 utinam & in Republica bonis usum consiliis, Aula hæc

Digitized by Google

hæc cum mœrore summo accepit. Gaudemus omnes in isto rerum transitu nihil usquam turbatum. Et sanè non aliàs magis concordia opus. Vtinam Bredæ soluta obsidio novo duci gloriam conciliet. Hogerbetii negotium quò exiturum sit scire aveo: item quæ leges præfecturæ Hollandicæ de Sacris, de Magistratibus. Testamentum simulatque apertum erit, exemplum ejus huc mittatur pervelim. Est nunc hic Almondius ex castris Arausionem missus. Ex eo de patris ipsius consiliis circa res nostras nihil intellexi. Regi librum meum obtuli & accepit satis benignè, ut & Procerum alii. Soror Regia nubet die Dominici venturo. Legatus Pontificis hic aderit sub Pentecosten: in cujus codicillis reprehenditur quod Navarræ titulus Regi adscriptus non est. Gavium urbem communibus armis captam donavit Rex Sabaudo. Subizius adhuc in armis perstat: quanquam de pace semper calent sermones. Dolet mihi quod hoc rerum nostrarum statu aliquid æmulationis esse video inter vos & affinem Reigersbergium, qui sanè eodem quo vos animo res meas curat, mihique saluberrima consilia suggerere nunquam desinit, nullique parcit operæ quæ mihi possit esse utilis: de quo vos cupio esse quàm certissimos. Etiamsi summa consiliorum conspiratione res nostras promoveamus, satis habituræ sunt difficultatis. Offendit Gallorum animos quod qui suorum apud nos militant in exigendo sacramento Anglis postpositi dicuntur. Vale, mi Frater, cum parentibus; & libri mei exemplaria prima commoditate exspecto. Lutetiæ 9 Maji 1625.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

92 QVanquam quod vobis nuntiarem nihil magnopere erat; tamen vel ideo scriptionem intermittere nunc nolui ut sciretis quæ περὶ τῦ ὑφηγεμένα ex vobis intelligo, mihi longè gratissima esse. Tuningii amicitia sedulò vobis colenda erit. Hogerbetii negotium quò sit evasurum scire valde aveo. Erit id nobis aliquod futuri indicium. Legatus Pontificius hodie hic exspectatur pacis conciliator: sed malè se habent principia, quod in mandatis ipsius Rex nominatus est Rex Francorum, non & Navarræ: quo offensa Curia vetuit eum potestate sua uti, donec Roma codicillos accepisset Regi sua nomina tribuentes. Offendit & Episcopos obviam sibi missos, quos cum Episcopali habitu admittere noluit, tanquam eorum officium cessaret se præsente. Rivæ fames exspectatur infesso lacu per quem commeatus adventabant. Et ad Genuam jam trans montes in planitiem urbi præjacentem ductus est exercitus, magna spe perficiendi obsidii ubi naves nostræ adventaverint. Velim frater sciscitetur an quis Lugduni Librarius libri mei exemplaribus egeat. Amico qui per fratrem literas ad nos miserat gratias agi velim. Rescribemus ubi quid scitu dignum inciderit. Interim quæ vobis scribimus, eorum per vos fieri poterit particeps. Soror Regia cis paucos dies abitum molitur in novum Regnum. Velim per Melissæum tentari Spessii animum; ecquid mihi bene velit. Metuo ne Maurerii amicitia mihi apud ipsum obstet. Vale cum matre, fratre & proximis. 16 Maji 1625.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

93 GRatias habeo, Frater optime, pro his quæ me edoces. Literas quas inclusas vides, rogo cures quamprimùm & quàm certissima ratione perferri ad eum qui nuperas tradiderat. Vtinam rectà in castra mittere possem, quò recentiora nuntiem. Nam nunc ne puteant vereor. Buonus ne mihi imposuerit, vereor. Amat ille libros in Gallia potiùs quàm alibi vendere: at mea refert ut ubique comparentur. Inscriptionum prima quæ tibi placuit, aliis etiam probata & in nummo posita est. De Vltrajectina Præfectura gaudeo: de Hogerbetio quid futurum sit, aveo scire. Almondius hic fuit, sed nihil ex eo intellexi. De Mairio cogita. Vxor Pisonis qui res Mansfeldii Hagæ curat hic nobis numeravit trecentos florenos, ut ille Hagæ eos reciperet. Itaque ad te misimus Schedium cambii quod vocant: & in Zelandiam scripsimus, ut tantundem ad te statim mittatur. Rogo ubi Schedium conspexeris, à te aut amico aliquo numeres summam intra paucissimos dies recepturus. Ad Genuam & Rivam manet bellum, tardo progressu. Subizii pax speratur. Vidimus hic intrantem in urbem magna cum pompa Legatum Barbarinum, patruo Pontifice nobilem, qui venit pacem commendaturus. Consilia publica multum à Breda pendent. Vtinam brevi inde nobis boni aliquid nuntietur. Ego occasionem mittendorum ad vos librorum adhuc quæro. Interim opto valeas cum parentibus, uxore & propinquis. 23 Maji 1625.

Tui amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

QVod te oravi, Frater optime, idem & Reigersbergium oravi, ut junctis consiliis conaremini sublevare rem nostram. Qua tu in me sis fide atque animo, satis mihi constat: neque possum gratias satis magnas agere pro tanta mei rerumque mearum cura: Deus reddat. Spero illum quoque meis precibus hoc daturum ut concordia inter vos constet, quod maximè cupio atque exopto. Optandum esset ut novo Duci faventiorem se præberet fortuna: quò magis sufficiat constituendæ Reipublicæ. De Losecatio quod scribis solatur me. En iterum literas quas ille curet: atque utinam tutò rectè ad castra posthac possem mittere quò recentiores adveniant. Pro Hogerbetii libertate sollicitus sum, & ipsius senis optimi causa & nostra: est enim res ad exemplum pertinens. Basium salutes rogo. Curatum est quod jusserat. Est iterum apud nos Graswinckelius, & scribit ipse. Ad Genuæ obsidium parantur omnia. De pace Subizii spes est. Riva siti premitur. Vale cum parentibus & boni consule quod toties tibi molestus esse cogor. Vides literas solita via curandas. 30 Maji 1625. 94

Tuus tui amantissimus H.G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

SEquor, ut par est, tuum, Pater optime, consilium: 95
neque mitto occasiones scribendi ad Principem et vides. Vtinam celeriùs curari literæ possent quæ gratæ esse nequeunt, nisi & recentes sint. Illud cum Spessio cautè agendum est, ne ego pro reditu cuiquam supplicare videar quod facere me aut facturum nego. Tum verò ille amicus est iis qui nobis nihil boni volunt. Equitatus nostri culpa de qua scribis & hic arguitur. Bredæ jactura multum hic de Reipublicæ nostæ dignitate detereret. Vtinam præclaro aliquo facinore resarciri damnum posset. Valde desidero intelligere eventum Hogerbetiani negotii. Exspectantur hic Legati à Subizio & Rupella in spem pacis civilis quæ multum promovebit arma externa. Rex Ambianum usque sororem Angliæ Reginam deducit: mater & Galliæ Regina eandem ad Bononiam Morinorum usque prosequentur. Dicitur inauguratio Brittannica dilata in mensem Septembrem. Nihil hic est aliud. Itaque id unum restat, ut te matrem & qui nos amant Deo sospitanti commendem. Valete. Lutetiæ 6 Iuni 1625.

Tibi obedientissimus filius H.G.

GVI-

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Iter tuum, mi Frater, rectè tibi processisse ex animo gaudeo. Stridenii viri optimi filium desidero amplecti. Meretur patris virtus, ut eum faciamus plurimi. Ad Scriverium scripsisse me illo tempore memini ut & ad amicos alios. An Apologetici edendi spem ei fecerim, non satis succurrit. Mairio si velit, mittam libri mei exemplaria. Pretium ei dicam tres Florenos. Excurrit liber in quintum usque Alphabetum. Quando Buonus nos fallit, per eum curati poterit ut librorum à me editorum nomina in Catalogo compareant. Poëmata si edere cupiat, non intercedo, dum Typographica errata corrigantur. In Silva nihil muto, aut sic edenda est, aut edenda non est. Quod si illa eo modo tolerabilis non est, sanè & alia quæ hic scripsi pleraque tolerabilia vix erunt. Tamen consilium hac de re tuum audire aveo. De Schedio cambii, quod curam suscipis gratum est. Vxor negotium sibi ab amicis injunctum curabit. Legatus Pontificis librum meum de jure pacis & belli diligenter legit: & dicitur non improbare, quanquam offensus primò quod Episcopi Romani legisset, nomen, assuetus superbioribus titulis. Dubletus & Nicolaus Normannus ex Romano itinere incolumes hic adsunt. Reginæ tres eunt Bononiam. Rex non ultra Ambianum progressus, it Fontem bellaqueum, & inde porrò ut putatur, Compendium. Nutant hic consilia inter bellum externum & civile. Vtinam qui hic exspectantur à Rupella & Subizio Legati, aliquid adferant quo Regem non alienum à conciliatione demulceant. Italicum bellum, lentum negotium est. Bredæ damnum multum hic nocet famæ partium & Legati molitionibus patrocinatur. Rogo inclusæ hæ literæ quàm celerrimè curentur: Addam id nunc semel, sed ut perpetuò valeat, ne quis quamvis amicus de hac literarum missione aut de eo quod ore respondebitur quicquam rescissat. Minima enim effutitio magnum rebus nostris adferre incommodum posset. Lucanum libenter legam, & cum manuscriptis etiam conferam primo otio. Sed scire velim exemplaria quæ dicis sintne ex editione mea veteri, an ex nova mihi non visa. Nam si posterius hoc est, opus erit exemplar mihi mitti. Gondomarum ab Hispania Legatum, magnum impostorem cras hic exspectamus. Vale mi Frater, & nostros saluta. Lutetiæ 13 Iunii 1625.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

97 Novi, mi Frater, nihil hic habemus. Nam & Riva adhuc obsidetur, nec multum promotum est ad Savonam. Etiam de pace interna, externaque incerta adhuc omnia. Omnium oppidorum quæ Protestantes adhuc tenent Legati sunt in Aula, inter quos Mileterius. Poëmata quæ hic feci, cœpi colligere. Si facienda est editio, velim fieri sine mea auctoritate: quia in hoc rerum mearum incerto, non amo quenquam offendere. Sunt autem in ante editis multa quæ calorem partium præferunt. Libri mei de jure belli ac pacis exemplaria prima occasione ad te mittam, ut des Mairio, & si is quoque velit, Iansonio qui Amstelodami est. Pretium dixeram scutati. Sed puto augeri posse decem amplius solidis quos stufros dicimus: nam hoc in Hollandia eos æstimavimus: Buonus quoque intendit pretium. Ad affinem nunc nihil, deest enim materia. Nec ille inutilibus verbis onerandus est. Mylii causa faciam quicquid meæ erit opis. Nautam illum nondum vidi. De Seneca & Lucano cogitabo. Nescio ex quo didicit Salmasius Heinsium in negotiis publicis perpetuò occupari. Galliæ Architalassus cum nostrorum navibus Rupellam versus it. Angli octo suas in bellum Ligusticum promittunt, in civile bellum negant. Espernonius circa Montem Albanum vasta facit omnia: quæ eò pertinent ut ad æquiores conditiones redigantur hi qui Rohanii & Subizii partes sequuntur. Gondomarius ab Hispania Legatus jam hinc discessum moliri dicitur. Vale, mi Frater, & meo uxorisque nomine saluta parentes & alios qui nostri cura tanguntur. Lutetiæ 4 Iulii 1625.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Gratæ fuerunt, mi Frater, ut solent semper tum tuæ, 98
tum patris literæ. Mallem in curandis literis usus esses consilio Melissæi. Nam & prudentia & auctoritate valet, nec quicquam facilè sine ipso confieri poterit: quare & valetudinem ipsi & gratiam apud Principem opto ex animo. Ego multum vereor ne Principi hoc tempore minùs grata sit toties repetita scriptio,

Et nomen subeam quod dicitur officiperda.

De Pisoniano negotio transacto gaudeo, gratiasque tibi habeo. Miropianum commendo. Chartæ de quibus scribis penes me non sunt. Hautainius cum sua classe ivit Rupellam pugnaturus in Subizium, ni pax ante coeat, ad quam impetrandam viginti ferme Legati fratrum Rohaniorum & civitatum ad Aulam sunt. Interim ad Montem Albanum & Nemausum Espernonius & Theminius omnia vasta faciunt, etiam stirpitus excisis vitibus atque arboribus, exaratisque pascuis. Pontificius Legatus adhuc in spe est conficiendæ pacis Italicæ. Gondomarius Hispani Legatus totum hoc negotium silentio præteriit, quasi salutandi Regis causa tantùm venisset. Collocutus tamen est cum Legato Pontificio, & Reginæ matri dixit ipsius esse ut Iure matribus Regibus tot & Saubaudiæ Duci, tanquam suæ familiæ filius imperet quod opus factu judicet: Regem suum ita amantem esse Regis Francorum affinis sui, ut ipsius causa quidvis facturus sit, sive pacem, sive bellum velit. In Italia urbs Aqui recepta est à Gonsalvo Cordua qui nunc armis præest non tanquam Hispanicis, sed tanquam Imperatoriis. Id enim nomen præfertur. Exemplaria de Iure belli ac pacis pro te ac patre pertulit Geldorpius, qui Amstelodamum detulit: unde jam ad vos spero pervenerint. In Zelandiam jampridem misi aliqua, quæ librarii postulabant. Quod si vestrates postulassent habuissent & ipsi, attamen constitui satis multa brevi in Hollandiam transmittere, simul nactus ero qui perferat. Notas meas ad Senecam Farnabius legit & ubi visum sublegit. Nunc ego videbor me ipsius plumis ornare. Rogo intelligas an verum sit quod dicit Scriverius, propediem à se novam parari editionem; an more suo promittat tantùm: quod si sit, rectiùs faciam si hic notas meas edam cum versione Phœnissarum. Vale mi Frater. Parentes & proximos saluta quæso. Losecatium commendaveram nuper fratri Magni ejus qui obiit, quique liberorum fratris tutor aut curator est, ut quæ munera Bergambacti obeunda ab ipsis pendent, illi committantur. Quod sibi curæ fore spopondit. Sed quia diutius hic moratur quàm putaveram, puto de illis muneribus actum jam aliquid. Valete. Lutetiæ 18 Iulii 1625.

Firantio gratulor dignitatem. Quo loco sint res Wilhelmi nostri & speratæ ipsius scire avemus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Dubitavi, mi Frater, an ad Principem scriberem. 99
Scripsi tamen sed ita ut nisi per Losecatium literas curari omnino nolim; deinde ut simul quantum possum exigam in hoc negotio taciturnitatem, ne diu cultam amicitiam improvida aliqua garritio offendat. Est ipse amans

amans silentii & hæc tempora hoc exigunt. Pacem civilem ut puto brevi habebimus, in Italia res Gallicæ pessimè procedunt & arma Corduæ Pedemontano agro imminent. De Sancti Salvatoris oppido, quin nostris perierit, frequentes ex Hispania nuntii nos dubitare non sinunt. Vidimus hîc quæ Bogermannus edidit de supremis Principis Mauritii. Multa ibi sunt ridicula: & satis apparet periculum ex Dordrechtano dogmate. Est apud nos Mylii filius, bono ingenio & ad res facto. Graswinckelius noster accingit se, per quem aliqua ad te mittam. Wassenarii labor non indignus lectu est, quanquam non multo judicio confectus. Ego nunc Lucani manuscriptos confero. Rogo Patrem, matrem, & propinquos salutes. Loscecatium Magno iterum commendavi. Valete. 25 Iulii 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

100 TVas, Parens optime, & Fratris literas quas circa 20 mensis hujus dedisti percepi ac legi cum voluptate quidem, quatenus vos valere significant, non sine dolore quod mortem Kesselii, Debyææ morbum, & Reipublicæ mala attinet. Meum Rotterodamense negotium curæ vobis quod est, gratias ago. Sed non videtur mihi hoc tempore nova postulatione adeundum periculum repulsæ. Itaque videtur quiescendum potiùs, nisi animi prætentati spem aliquam felicis successus faciant: ita tamen ut de meo reditu nihil admisceatur. Est enim id majoris momenti & fortè non hujus temporis. Speculemur fortunam liberûm Hogerbetii. Ea res prout cadet, documentum aliquod nobis dabit. Est hic D. Mylii filius cujus ingenium summopere se mihi probat. Res Gallicæ non optimè procedunt. Nam in Italia multa validiores sunt res Austriacæ: & jam Gavium oppidum à Corduba receptum creditur. Comes stabuli ægrotat, & ut non ægrotaret, senectus tanta gravis est morbus. Copiæ ipsius prope nullæ: Subaudi prope tenues. Dicitur Imperator in Italia & Germania ultra quadraginta millia in armis habere. Rumor est etiam ab Hispano attentari ea quæ ad possessionem Navarræ sibi desunt. Hautainius cladem aliquam accepit à Subizio. Circumstantiæ nondum innotuerunt. Interim Legati Subizianorum ierunt ad suas civitates exploraturi, an conditiones pacis placeant quas Rex velit. Varia de ea re judicia sunt. Major tamen spes pacis. Tabellarium nullum dum reperire potui cui libri mei exemplaria darem perferenda. Sed immineo occasionibus. Famulum velim qui mensa famulari contentus sit, & Latina scribere possit. De jure belli ac pacis judicia vestra exspectabo. Vale mi Pater cum optima matre, fratre, sorore & propinquis, amicisque omnibus. Cætera nostra per Graswinckelium intelligetis qui Lunæ die iter suscipere ad vos cogitat. Lutetiæ 31 Iulii 1625.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

101 VEnit ad vos, mi Frater, Graswinckelius noster ex quo disces quicquid ad res nostras pertinet. Veniunt & amici alii complures & è Gallia duo fratres Claudii Salmasii, viri ut tu optimè nosti, supra omnem commendationem eruditi. Iis si qua in re potes bene facere & ipsos & fratrem & me obligaveris. Quis hic & in Italia belli status, quæ pacis sit spes partim scripsi antehac partim ex amicis istis plenius intelliges. Remitto tibi quæ ad Senecam notaveram aucta à me: sed hac lege ne Scriverio tradas, nisi certus sis parata omnia ad editionem quam ille diu promittit, tardè præstat: quod si perseverat cunctari notæ istæ aut hic cum Phænissis aut alibi typis dandæ erunt. Auctuarium ad Lucani Notas brevi tibi transmittam. Vsus sum manuscriptis compluribus quæ sæpe id confirmant quod ego solis conjecturis ductus annotaveram. Postea redeo ad collectionem è Comœdiis & Tragœdiis Græcis. Eo confecto spero me ad Iohannis Euangelium aliquid notaturum, ut quadrigæ isti suus numerus constet. Vale mi frater, cui nihil aliud commendandum habeo, nisi ut bene valeas cum optima conjuge. Cal. Augusti 1625.

Illud nuper per literas quærere ex te omiseram; quid hoc potissimùm tempore Smoutium adegerit ut successor mihi fieri posse crederet: aut quo magis nunc quàm antehac visus sim pro mortuo habendus: deinde an propinquus fuerit ei spei: & an nostri ulla apud Rectores memoria. Hottomannus noster sæpe me urget ut redhibeantur sibi libri typis impressi, quos olim ad historiam Licestrianam pertinentes mihi commendaverat. Ego eas cum aliis meis chartis mihi ereptas arbitror. Mitto tibi poëmata mea ut facias quod ex usu videbitur. Silvam quidam putant seorsim typis dari posse, ita ut & conjungi operi & ab eo abjungi possit. Scis carmen in Casauboni Animadversiones & alia multa effugisse primam editionem. Puto de quibusdam & à Rutgersio monitum. Postquam hæc scripseram absolvi Notas posteriores ad Lucanum, pro quibus XII exemplaria chartæ melioris librarium posco amicis hîc distribuenda.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

SI opus nostrum de jure belli ac pacis, Patri optimo, 102
tibi, & bonis aliquot non improbatur est quod me operæ non pœniteat. Exemplarium copiam brevi habebitis. De Apologetico audivi antehac auctoritate publica Antverpiæ suppressum tanquam periculosæ lectionis. Hogerbetio exiguum epistolium mitto quo libertatem ei gratulor. Ad Rivam Galli nihil promovent: nec magis in Italia quanquam Feria nuper imprudenter tentata Astæ obsidione ante copiarum Cordubentium adventum erroris sui pœnas dedit, coactus abscedere: sed id exiguum. Cætera Gallorum & ibi malè habent amissis quæ bello ceperant. Iam Sabaudus de suis servandis certat. Nostri à Subizianis bis cladem acceperunt, quod Rupellensium animos ita accendit, ut vix accepturi videantur pacis conditiones. Verdoesium meo nomine salutari velim. Scriptura adolescentis quam mittit pater tolerabilis est. Sed Latina scriptione magis & sæpiùs utimur. Rectè igitur faciet si eam addiscat. Cornelii literis & alteris quæ aderant occasione data respondebo. De porcellaneis si opus sit cogitabimus, nunc non est. Vale cum uxore, parentibus, amicis. 15 Augusti 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

HIsce temporibus, Parens optime, quàm sæpissime à 103
vobis intelligere tum quæ ad valetudinem vestram tum quæ ad statum publicum pertinent magni duco. Nos nihil habemus quod reddamus, inter internum & externum bellum pacemque incerti. Legatus Pontificius abitum cùm pararet retentus est. Comes stabuli valet melius, & iter in Delphinatum omittit ibique subsistit, nulla magna cum spe amissa Gavii & arce, & quæ alia bello parta. Magna hic exspectatio est de reditu eorum qui Rupellam & in alia oppida missi ut sententias de pacis conditionibus intelligerent. Liber meus si tibi aliisque nostri amantibus non displicet, gaudeo. Exemplarium duorum alterum tibi Pater, alterum fratri missum jam antehac puto significasse. Ex institutionibus nostris haud multum est quod excerpere Damius potuit; editionis

tionis consilium non planè abjicio. Sed priùs exploranda mihi essent judicia quorundam in foro veterum. Cogitabimus. Si adolescens de quo scribis bonis est moribus, & si literam Italicam ita discit, ut mihi in Latinis scribendis esse posset usui, placet eum huc mitti. Guilielmi nostri res ut eant, scire aveo. Porcellanicum nihil habeo. Sunt in urbe hac amici plurimi etiam D. Mylii filius summæ spei juvenis. Modæo significari velim me in eo quod commendat negotio nihil prætermissurum quod meæ sit opis. Nihil enim magis velim quàm omni modo testatum facere quanti apud me sint omnes qui D. Hogerbetium contingunt; cui quidem seni optimo quod nactus est gratulor, quod deest opto. Vale Lutetiæ 22 Augusti 1625.

Hautainius naves incendiarias parat ut se vindicet de nave dolo, ut ipse quidem ait, malo incensa. Britannicæ quoque octo naves in Regis auxilium huc veniunt.

Tuus tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

104 DE Corellio quod scribis, Frater optime, perplacet, nec poterat aptari rectiùs. Ego amicitiam trium quos nominas colendam omnibus modis censeo. Nihil tamen pro me postulandum, tam ego patria carere possum quàm me patria. Satis latè patet orbis terrarum. Et decretum illud de Hogerbetio satis ostendit nihil æqui adhuc exspectandum. Exemplaria libri mei jam ad vos pervenissent, sed tabellarium morbus detinet. Tertium illud exemplar de quo scribis Davidi Reigersbergio debebatur. Exspectabo quid de nostris in Senecam & Lucanum faciendum censeas. Buonus deficere ait exemplaria Apologetici, nec ejus de Iure belli ac pacis multa superesse. Itaque utrunque parat recudere. Exspectabo amicorum consilia numquid mutandum aut adjiciendum censeant. In Bergambactano negotio haud dubiè adjutor vobis erit Romipeta Magnus. Epistolæ terra si commeare non poterunt, quærenda erit ratio qua Rhotomago mittantur ad nos. Adolescens de quo Pater scripserat, si Latinas literas bene didicerit pingere erit mihi gratus, nec multis operis onerabitur. De Stobæana parte meminero. Cornelii quoque habebitur ratio. Hic adhuc res incertæ sunt de bello atque pace, sed bellum magis procedit, & Hautainio permissum est prælii fortunam experiri. Dicuntur Subizius & Rohanius rursum accepisse ab Hispano centum millia scutatorum, oppida earundem partium bis tantum. Scribebam die 29 Augusti 1625, quo captivitatis nostræ inchoatæ memoriam celebramus. Deus posthac meliora. Salutes oro parentes & bene volentes.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

105 SCripsi ad te hodie, mi Frater, per tabellarium ordinarium. Neque nunc scriberem nisi hos libros quos mitto legitimo illo apud Hebræos numero LXXII Epistola comitari deberet. In locum quaternionis G quæ maculis corrupta est, mitto pro quibusdam exemplaribus easdem paginas recusas. Distribues tu pro tuo arbitrio Lugduni, Amstelodami, alibi. Elzevirios à Buono petiisse intelligo. Πολυσήμου exemplum notabile, quod à me omissum est exstat Ioh. XI. II. ut satis mirari non possim quomodo quidam tam universaliter defendere velint eam thesin, πολύσημα nunquam usurpari posse, nisi eo sensu quo auditor est accepturus. Vale, mi Frater. Lutetiæ 5 Septembris 1625.

Tuus H. G.

EIDEM.

VIdeo, mi Frater, quàm diligenter & mea & novi Fœderis libros legas, cùm de illo ad Corinthios loco disputas tam eruditè. Mihi quanquam de illis quæ adfers nihil jam videtur probabiliter posse defendi, tamen maximè illud arridet, ut προφητεύειν in aliquo gradu intelligatur, quales multi in negotiis talibus fingi possunt: aut ut aliæ Achæorum Ecclesiæ Corinthiacam in isto apparatu nonnihil prævenerint. De poëmatis nostris & iis quæ ad Senecam & Lucanum notavimus, Vossii sententiam avebo intelligere. Velim scire quibus legibus Smoutius meum munus acceperit, & siquid posthac geratur in Musii & Terestenii negotio. Lomeniacus unus quatuor Secretariorum status, sed cujus munus à filio Villauclerquio nunc obitur, magnopere me rogat ut tabulas ultimas Principis Mauritii ipsi dem videndi copiam, item fœdera quæ nostris cum præcipuis Indorum Regibus & populis intercedunt. Vide ecquid hac in re juvare me possis, ut soles. Est enim vir ille minimè malus & rerum istiusmodi apprimè studiosus. Spessius mira hic nuntiat, de triginta hostium turmis quæ ad nos transierint: de profligatis Hispanis ad S. Salvatoris oppidum & alia hujusmodi. Legatorum qui ad Protestantium oppida ierant pars jam rediit, pars exspectatur, & ut nunc res sunt major est spes pacis internæ quàm externæ, quod nostris rebus mirum quàm conducet. Sed nihil hic non incertum. Libri mei exemplaria cras aut perendie mittemus. Itineris impensa de pretio quod inde redigi poterit erit detrahenda. Miramur hic rumores spargi de Bulionio Trajecti excluso, admisso postea, quorum nihil nobis à vobis est nuntiatum. Langeracensis noster uxorem ducit quæ in dote triumphos numerat, existimatque per ejus propinquos effecturum se ne à Legatione revocetur. Salutat te & uxorem uxor mecum, rogamusque ut & parentes & propinqui nostro nomine salutentur. Lutetiæ 5 Septembris 1625. 106

Accepit uxor à Graswinckelio literas: respondebit ubi primùm amicorum aliquis hinc abierit.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

MItto tibi, mi Frater, epistolam ad me Lingelshemii. Fuit is Consiliarius Electoris Palatini, semper auctor pacis magis quàm belli, & tamen nunc Argentorati exsul alienæ imprudentiæ pœnas luit. Miserunt ad me, Elzevirii libellos à se editos de Republica Anglicana & Veneta, quibus alios addere statuerunt, etiam meum de Batavica olim editum. Rogant recenseam. Dixeram quondam uni eorum qui hic fuerat, Notas me quasdam in eum librum scripsisse quæ probationes ibi dictorum continerent: sed has mihi cum aliis chartis ablatas. Aiunt se egisse per Rutgersium & Musium ut id scriptum ipsis traderetur, sed non repertum. Puto esse inter chartas quas Duvenvordius à nobis abstulit, aut inter eas quæ apud Basium fuerant. Sunt chartæ paucæ in folio cum inscriptione, Annotationes ad librum de Antiquitate Reipublicæ Batavicæ. Puto cum aliis chartis delatas ad Arsenium. Si per Duvenvordium aut alios amicos recuperare potes, velim ad me mittas. Si non, nulla spes est ut hic librum meum recenseam, ubi ad manum non sunt archiva, & quæ alia subsidia id argumentum desiderat. Itaque si volunt recudant qualis fuit, non addito à me emendatum aut auctum. Tantum errores typographici corrigantur, qualis ille est pagina L: linea 20 ubi post *suam sibi* malè positum semicolon, quod abesse debet & comma poni post mutationem. Puto monitum me olim à Scriverio alicubi nomen Florentii IV à me positum cùm III deberet aut simile quid. Talia 107

Digitized by Google

corrigi poterunt. Major emendatio & adauctio si opus sit in aliud tempus servetur. Valde hic dejecti sunt animi Protestantium adverso apud Rupellam navali prælio, quo de XIII magnis quas habebant navibus XI amiserunt, quarum exustæ duæ, demersæ aut captæ cæteræ magna hominum strage. Hæc res pacemne ipsis ex Regis arbitrio sit datura, an occasionem obsidendæ urbis, aut ex altera quoque parte claudendi portus, adhuc in incerto est. In Italia calet bellum, Legato Pontificio dimisso re infecta. Novæ copiæ conscribuntur ad defendendum oppidum Verruam ad Padum, quod Hispani oppugnant magis quàm obsident. Ad Rivam nihil agitur. Vale, mi Frater, cum Patre & nostris omnibus. 26 Sept. 1625.

Tuus totus H. G.

IOANNI GROTIO, Consiliario Comitis Hohenlo.

S. P. Pater Optime,

108 SCribere postremo die tabellariis solenni distuli, eò quod abitus Dominæ Falcoburgicæ immineret. Fractæ ita creduntur postremo prælio navali res Rupellanorum, ut facillimè portui claustra injici posse credantur: quo fræno & terra præcluso commeatu, facilè redigi in obsequium possint. De bello externo, Cardinalis Riceliacus continuandi suasor, ne sub Regno Regis alieno consilio pleraque administrantis, solus auctoritatis periculum subiret, si fortè eventus spei minùs responderet, Cardinales Gallos omnes quotquot in Aula sunt, Duces ac Pares & supremi Ordinis Equites conciri curavit, & coram illis exponi cur Legati Pontificis ad pacem hortamenta accepta non fuissent, his præcipuè causis allatis, quod ille iter per Vallem Telinam par esse vellet Hispano & Gallo quod hactenus Gallo tantùm & Galli sociis patuerat, quodque Vallem eandem in ditionem Rhætorum, sub quorum imperio hactenus fuerat, restitui nollet: quorum hoc iniquum, illud Francico nomini indecorum videbatur. Itaque Cardinalium uno & altero obmurmurante, cætera cavea iit in sententiam repudiandæ pacis, atque etiam induciarum, hoc rerum statu. Omisi dicere interfuisse huic cætui quosdam etiam Senatus Parisiensis principes viros. Laudata est ab omnibus Riceliaci & sapientia & eloquentia. De ministro mihi submittendo, valde illud vereor ne Gallici sermonis imperitia eum omnibus negotiis mandandis imparem faciat. Tamen mea refert ut certi aliquid habeam, ne pendeam diutius. Plura nunc scribenda non habeo, sed Deum precor ut tibi, matri ac propinquis omnibus ea largiatur quæ ad salutem sunt. 6 Octobris 1625.

Tuus tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

109 DE libris nostris, Frater optime, gratias tibi pro diligentia debeo. Quod ais nostri laboris aliquem esse in foro usum, aut valde fallit, aut fuerit hoc in aliqua de alluvionibus controversia. Ea enim pars satis accuratè à nobis tractata est. Mylio gratulor melioris fortunæ auspicia: cujus filium quibuscumque possum officii generibus amplecti non desino. De duritia adversùs Hogerbetii liberos & pastores miror. De Dano quoque & Dunquercanis quæ nuntias spei aliquid bonæ præbent. Vrget me sæpe Lomeniacus unus eorum qui rem summam tractant, ut sibi exempla aliqua tradam federum cum Indis Regibus aut populis initorum. Rogo ut Pleonandrum ea de re convenias, ut si quid nostris nullo modo noxium esse potest, transmittatur. Idem de testamento & codicillis Principis sæpe me compellat. Lucani exemplaria aliquot exspectabimus. Rogo literæ inclusæ D. Falcoburgicæ illico ut venerit reddantur. Trans Alpes obsidetur adhuc Verrua & novæ eò mittuntur è Gallia copiæ. Quid Rex pro Marino adversùs Genuenses decreverit hic vides. Erit hoc inter exempla. Rupellanis videtur imminere obsidium. Imperator ad Episcopum Metensem Regis fratrem naturalem scripsit, ut veniat aut mittat ad se homagii faciendi causa, & ut appellationes Spiram ire patiatur: alioqui minatur bannum. Hæc initia videntur belli inter Cæsarem & Regem. Laudatur hîc Espessius quod tam fortiter se adversùs Rupellanorum Legatos gesserit. Vrienses in Helvetia Catholicæ Religionis, auxilia Regi submiserant. Pontificius Nuntius excommunicatione adhibita eos à proposito coëgit desistere. Ac planè videtur Pontifex in posterum φιλιππίζειν. Quo omnia hæc evasura sint, scit Deus, cui Christianismi pacem commendo. Eidem te ac puerperam cum partu, etiam uxoris meæ nomine. Salutamus & parentes & amicos. 10 Octobris 1625.

Liber de Iure belli & pacis compactus qui apud te est Iohanni Reigersbergio debetur; is enim nullam accepit. Scire velim qui nunc sint in Ordinibus Federatis & an qui Iudicum inter ipsos.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

DOlet mihi, Frater optime, jactura quam Mermannus 110
& amicorum alii aliquot fecerunt. Cæterùm quæ ego tum scripserim non satis reminiscor, nisi illud fortè fuerit, discupere me certum fieri quid de ministro exspectare debeam. Iamdudum enim ea exspectatione incommodor. Vereor autem ne si nihil Gallicè didicit, diu mihi sit inutile, quod & negotia quotidie curanda sint, & describenda non pauca ejus sermonis. Nescio an in illis an in posterioribus literis significaverim, posse Elzevirium si velit edere librum nostrum de Antiquitate Reipublicæ Batavicæ, non tamen ut à me recognitum, quia instrumenta ad eam rem ad manum non sunt. Quis sit ille Sueonum Legatus scire cupiam. De Reigersbergiis rectè tu quidem, sed ego Nicolao prima occasione compactum alterum mittam. Curia Parlamenti hic nobile edidit veteris auctoritatis exemplum admissa appellatione Marchionis Vieuvillii, quem nuper è carcere erupisse scripseram, à datione Iudicum delegatorum nomine Regio. Malè vult ea Curia Cancellario & aliis publica negotia tractantibus, quod priscos jurisdictionum terminos evocationibus & delegationibus immutent. Videbimus quò res ista eventura sit: item negotium Rupellanorum, qui putantur claudendi undique. Verrua in Pedemontano fine adhuc defenditur. Quid Marchio Cœuvrius post acceptam nuper cladem agat, ignoro. Legatus Pontificius Lugduni se minùs honorificè acceptum queritur. Inter ea quæ cum Mermanni sarcinis perierunt erant literæ meæ ad vos, ad Mylium, Hogerbetii filium, Kanenburgii filium & alios, uxoris ad Vosbergii uxorem, ad te, ad Graswinckelium, ad Basii uxorem, ad Kanenburgii: ad Hogerbetii filias. Salus nunc si placet per te nuntiata literarum vicem supplebit. Kanenburgio exemplar ex tuis dari nolim. Non sunt enim de charta optima. Nos videbimus quid de uno aut altero quæ nobis restant exemplaribus faciendum sit. De butyro iterum uxor aurem vellit. Vale cum parentibus, puerpera & filio. 16 Octobris 1625.

Aveo scire quid futurum sit ex novo fœdere, de piscatu sub littus Britannicum, de captura balænarum, de mercatu in Anglia & vectigalibus, de Indicano commercio.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

111 LIteras & patris & tuas, mi Frater, quas dedistis 20 Octobris rectè accepi. Has quæ inclusæ sunt rogo Wytsio tradas, ut per ejus manus ad Principem veniant. Id enim tutius judico, quàm ut aliter fiat. Novi hic nihil. Verrua adhuc rectè defenditur. Dicitur simultas non levis intercessisse inter Comitem stabuli & Sabaudum. In Rhætia nihil magni. Rupella vindemiam collegit sine ullo impedimento. Nuper & multum prædæ terra eò invectum est mira supinitate eorum qui res Regias tractant. Super Mariniana controversia videtur mihi jus illud propriè dictum Legationis ad Marinum non pertinere, qui inter hostes Genuensium vivebat. Sed neque Iurisdictio ipsis ulla in eum qui, anni sunt XIV, civitatem illam animo abjecerat: origine autem sola obligari neminem mea est sententia, jus gentium quod attinet. Nam de migrantibus intra ejusdem Reipublicæ fines alia est quæstio, & ex loci cujusque legibus definienda. Cæterùm, non Legato tantùm, sed & cuivis ex hostibus excitare percussores, procul à belli loco, & ubi nisi fidei, saltem tacitæ, violatione perfici id nequeat, contra aliam est partem juris gentium. Vt quod ipsi in Marinum statuerunt, in ipsos statuatur, puto à jure Gentium non abhorrere: ita tamen ut eximendi sint periculo, si qui se dissensisse profiteantur. In vinculis quoque conjici subditos Genuensium & custodiri, donec ea injuria dematur, convenit rigori juris Gentium de quo diximus capite de Repressaliis. Causa quæ Genuenses exasperat est, quod potissimus suasor Sabaudo belli in patriam credatur, & ibi factionem alere. Imperatoris literas puto dissimulatum iri. Respondeat illis Danus. Pontifex planè incipit Regi adversari. Nam & in bellum Genuense proficiscentibus dicuntur Indulgentiæ concessæ. De libro meo si quid propiùs intellexeris, rogo me moneas: de testamento quoque & Indicanis fœderibus ut cogites. Ego de quiete patriæ procuranda, διὰ τὸ μνησικακῆσαι generalia quædam scripseram. Cæterùm de componendis Ecclesiæ controversiis immaneo in illis quæ publicè scripsi: non ignarus tamen quantum difficultatis accesserit ex tam longa sævitia. Delphis motum compositum gaudeo. Nobis molestum est, tam diu sine famulo esse. Opto ut manus ipsi sit, non tam ornatè scribens, quàm ἱκανασνώσως. Vale cum patre optimo, matre, proximisque aliis. 31 Octobris 1625.

Tuus H. G.

EIDEM.

112 PRæcisum nobis videtur, mi Frater, filum commercii literarii per Brabantiam. Restat via maris sive per Caletum, sive Rhotomagum. Rhotomagi Tregelius curam suscepit. Caleti puto tradi posse cursoribus huc ventantibus, sine pario. Rex Legationem à nostris exspectat, & jussit eam in finibus magnificè excipi. Quid facturi sint, videbimus. Multi si Arsenius venerit, me ad ejus colloquium invitant. Dicuntur decem millia militum ire adversùs Rupellam. Præter hos Rex in Gallia, Rhætis, Italia in armis habet ferme CX millia. Verrua defenditur, sed alia pars agri Pedemontani valde vexatur à Genuatibus. Regina mater perstat in maxima potestate, & in hoc dicitur esse ut Luiniæ domus reliquias evertat, injuriarum olim acceptarum memor, ut mulier, Itala, Ethrusca, Medicæa. Interim & chartaceum hîc bellum fervet, nam admonitioni ad Regem scriptæ, quam multi à Iesuitis putant procedere in qua fœdera & amicitiæ cum hæreticis gravissimè exagitantur, respondit Gallicè mandato Regio Ferrerius, Nemausensis quondam Minister. Respondebit Latinè Cancellarii rogatu Rigaltius. Molestum nobis est tamdiu famulo carere. Iamdudum prospexissemus nobis nisi illum à vobis indies venturum putassemus. Etiam uxor de butyro, ut antehac, aurem vellit. Vale cum parentibus & amicis. Lutetiæ 13 Novembris 1625.

Rogo librum hunc tradendum Kanenburgio tradas.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

TErnis tuis, mi Frater, iis quas ante hos octo dies accepi, iisque quas nunc ego & uxor accepimus, Patris quoque literis una opera respondeo. Famulus nondum advenit magno nostro incommodo: neque de esculentis intelleximus quicquam. Te, mi Frater, in foro florere lætus intelligo: & experto crede, multò eam vitam esse beatiorem, quàm quæ in muneribus publicis transigitur. Heinsiana, Pieriana & Palamedem videre aveo. Rutgersio Dyckium successurum, sed cum plena Legati dignitate suspicabatur Bannerius. Videbimus quid de Musiana causa futurum sit. De Anglicano federe siquid propiùs intellexeris, certiores nos fac: item de inquisitione Rotterodamensi. Cornelium nostrum aliquid in literis proficere gaudeo. Poterunt illi ex pecunia quæ de exemplaribus Iuris belli & pacis redigentur libri coëmi ad VIII Florenos aut circiter. Rogo cum prioribus literis, has quoque affini Nicolao Reigersbergio tradas, ubi eò venerit. Succum non puto se immixturum federi. De mulctatione indiscriminata Salvatorianorum tecum sentio. Vossii vicem doleo. Sed si quam ei Wallæus injuriam fecerit, nos edocti de ejus sententia atque argumentis facilè curabimus ne sine responso sit. Siquid ille observavit ad libros nostros de Iure belli ac pacis, de iis edoceri cupiam. Anno enim novo nova procedet editio. Interim & excerpta è Tragœdiis & Comœdiis Græcis tum quæ exstant, tum quæ non exstant typographo dedimus. Spero exitura ad mercatum Francofurtensem. Testimonia de vita liberorum mittemus. Existimat uxor in recipienda pecunia nihil mutandum, donec definita sit lis Hogerbetiana. Est hic Arsenius: qui putabat hic se reperturum Legatos Anglicanos, sed ii non comparent. Exspectantur tamen. Rex cæteris civitatibus Protestantium pacem concedit quam nuper dederat. Rupellanorum, qui tum pacem recusaverant, causam separat: eosque videtur undique circumsessurus, paratis ad hoc quindecim millibus militum. Rumor hic est Brittannicam classem intrasse in Insulam Gadium, sed ab urbis oppugnatione rejectam. Verrua oppidum ad Padum ab Hispanorum prementium vi liberatum est. Rex magis magisque in Hispanum ardescit. Hæc erant quæ hîc habebamus. 28 Novembris 1625. 113

Saluta meo & uxoris nomine optimos parentes, conjugem quoque tuam & amicos cæteros. Vix hæc scripseram cùm pro certo nuntiatur ab Anglis derelictam Gadium Insulam.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

INtelligo iterum periculum imminere interrumpendi literarum commercii. Itaque scribo nunc, si fortè posthac veter. Mirum quàm incommodet nos famuli tam longa absentia, nos neque de ipso neque de esculentis quicquam audivimus. Est hic Arsenius, comitatu haud valdè nobili in quo Rossæiades. Commendat ipsum, temporis ratio, animis in Hispanum ardentibus. Pro Rupellanis nihil dum locutus est. Sed spem facit fore ut loquatur aliquid ante abitum, quem puto, non nisi magna hiemis parte exacta futurum. Rex cæteris civitatibus pacem indulget, quibus ante legibus. Rupellam pœnæ reservat, & jam eò ducuntur copiæ. Gades frustra Anglis oppugnatæ: rejecti sunt non fine clade, 114

clade, nec videntur aliquid incendiis & rapinis majus agitare. Quotidie hic libri scribuntur in Hispanum: & admonitio illa seditiosa ad Regem, jam multorum libellis refutata etiam judicio Sorbonæ Clerique Gallicani damnatur. Res diu in Italia malè gestas compensat Verrua ab hoste liberata, atque ita retentus Padi transitus. Audio Principem Arausionensem destinari Equitem Periscelidis. Legatos Brittannos qui apud vos sunt hîc exspectamus. Audio in Athenis Batavis nuper recusis vapulare Remonstrantes: sed librum non vidi. Lotharingiam qui nunc tenet uxorio nomine Vaudemontii Comes id agit apud suæ gentis Ordines, ut Salicam successionem inducat, in fraudem sororum conjugis, & ut Galli interpretantur etiam suam, metu ne quando Rex Galliæ hæredem filiam ducat. Itaque non principum tantùm Lotharingorum, sed & Austriacæ Domus negotium agi, sunt qui suspicantur. Lucani editionem videre aveo. De poëmatis multæ causæ sunt, cur non putem festinandum. Quid enim mihi opus refricare offensas? Quod si volunt, recudant suopte arbitrio: nisi traditione novorum carminum aut promisso obligatus es. Quod si est tamen & illud ad Casaubonum & alterum in Deiparæ honorem omitti melius. Novo anno novam editionem puto parandam librorum de Iure belli ac pacis. Siquid tu, siquid amici habetis quo ornatior prodeat, symbolam rogo. Cœpta sunt excudi excerpta mea ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis quæ exstant & quæ perierunt à me emendata & versa. Vale, mi Frater, & parentes optimos, tuam conjugem, sororem cum marito, propinquos & amicos alios meo ac uxoris meæ nomine saluta. Lutetiæ 4 Decembris 1625.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

115 Faciam quod jubes, mi Frater, & utar dum licet literarum commercio. Gratulor Hogerbetii liberis, & quid de provocatione futurum sit, scire avebo. Nostrum negotium adhuc quiescat oportet. Arsenium puto nihil impetraturum de Rege illiciendo in fœdus Britannicum: pax autem cum Rupellanis etiam sine illo coitura videtur, Rege aliqua condonante, & illis ita pressis ut facilè accepturi sint quod datur. De repulsis Britannis ab oppidi Gaditani oppugnatione puto me jam scripsisse. Nunc illi dicuntur Fortunatas Insulas petere, Azores malim, ad intercipiendam ex America classem. Quod pœnas cessare scribis adversùs eos qui quod animo cudunt conspicuè profitentur, gratum est, neque dubito quin profectus factura sit liberior jam veritas. Te laudo quod tranquillam vitam splendenti & periculosæ præfers. De me rem Deo permitto. Nihil spero magnopere, nihil despero. Famulo & esculentis tandem aliquando speramus ventos transitum ad nos permissuros: valdè enim illius operæ indigeo. Agitur hic de componenda pace inter Sabaudum & Genuam, sed lentum est negotium, non tamen extra spem. Excuduntur nostra ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis excerpta. Monui nuper recusum iri & opus de belli pacisque jure, teque & amicos symbolam rogavi. Literas has ad Senatorem Reigersbergium serves rogo, donec ad vos redierit. Puto enim nunc in Zelandia esse. Vale, mi Frater, cum optima uxore, parentibus proximisque nostris. 12 Decembris 1625.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

116 Sicut colloquia tua, Camerari doctissime, magnæ mihi voluptati fuerunt, ita & literis non modicè delectatus sum. Narrantur illustres quædam apud Græcos familiæ hoc habuisse proprium, ut quasdam haberent velut hæreditarias impressas corpori notas. At Camerariorum gens nativa & probitatis & eruditionis suæ figna in sermone ac literis præfert. Quare meritò mihi gratior & cum V. C. parente tuo, meis in patria necessariis amicitiam intercedere, & mihi ipsi tecum aliquid contractum familiaritatis. Illud tantùm doleo, quod non ita sunt res meæ, ut opere quoque potuerim ostendere, quanti majores propinquosque tuos teque, & ob ipsorum & ob tuas nihil degenerantis virtutes, faciam. Aliud cùm præstare non possim, votis tam egregiam indolem prosequar, ut omni genere bonarum artium instructa in avitas laudes succrescat. Magno tibi eam ad rem usui esse potest hospes non in jure tantùm civili, sed & in literis omnibus, quod abundè monstravit eruditissimus, cui me non alienum esse arbitror, cùm fratre ejus amicissimè utar: gaudebo tamen per te quoque cinnotescere. Redit ad nos à rure suo Dolotius, cultor familiæ vestræ, qui & ipse cum amicis cæteris officiosissimè te salutat. Vxor quoque mea pro missa salute gratias agit, tibique ac omnibus caritatibus tuis omnia optima optat. Lutetiæ 18 Decembris 1625.

Tuus tibi addictissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Legi, mi Frater, & sanè cum voluptate legi tuam de 117
Romanis Iurisconsultis lucubrationem. Iuvit videre & ingenii tui fœtum testem & multæ lectionis & judicii: ac simul recolere memoriam eorum qui eam excoluerunt artem cujus nos sacerdotes profitemur. Aliquamdiu à scriptione cessavimus ob abruptum hoc literarum commercium, quod nunc restitutum, sed ad breve tempus, intelligo. Et quia redit ad vos tabellarius qui tua attulerat (neque enim huc quod sciam venit Bilandius) per eundem hæc tua remitto: quibus nihil est quod addam aut demam. Satis diligentiæ tuæ confido: &, ut velim singula perquirere non adest libraria supellex. Dusserio honorem gratulor: vellem locum suum tenuisset. Teresteinius, ut videtur, Dordrechtanæ urbis regnum inimicis relinquet. Testimonia de liberûm nostrorum vita misi in Zelandiam, inde ad vos mittenda. Puto ea jam recepera. Literas à te habeo datas 22 & 29 Decembris: tum hucum libro tuo, alias nullas. Sed fortè sunt itinere. Certè enim nos cumulo accepturos quicquid ab aliquo tempore Antverpiæ aggregatum est. Sunt qui putant nos levi negotio jam consequi posse restitutionem bonorum, quandoquidem Hogerbetii liberi sua receperunt. Sed hac de re sententiam tuam intelligere exopto. Scripsit ad Kanenburgii matronam uxor mea, sed fortè non pervenerint literæ: quare idem negotium tibi mandabimus, si grave non est, ut cognoscas quid pro nobis in butyri emtione impenderit. Nam quod uxor pro ea hic impendit exiguum præ illo est, nec plus XIII Florenis eum semisse. Rogo ergo nos hoc debito liberes ex pecuniola quæ illic est. Lucani editionem exspecto. Addere ad notas potes pro Synedris libro ni fallor VII, legendum Syedris, ut is locus nominatur Ptolomæo, unde & in Floro hoc vocabulum correxit Salmasius. De Iure belli iterum aurem tibi vello. De Notis ad Senecam quid fit? Hic multi eduntur libelli, quidam pro pace cum Rupellanis, alii pro pace cum Hispano. Fœdus cum Anglis aliique Protestantibus sunt qui suadeant, sunt qui dissuadeant; nutat inter hæc Aula. Parentibus, tibi, tuæ & propinquis hunc & qui sequentur annos felices atque fortunatos precor. 25 Ianuarii 1626.

Seire velim ecquid sit in Heinsii Oratione aut in nova editione Athenarum Batavarum quod nostram causam tangat; nam me ista celantur cùm tamen sciam exemplaria huc pervenisse. Rogo Fratri Nicolao Reigersbergio dicas

Digitized by Google

dicas nequid chartarum quas ad ipsum miseram in lucem detur, nisi ex novo jussu meo. Postquam hæc scripseram tuas, mi Frater, satis illas recentes scriptas quippe 20 Ianuarii accipio. Rupellani nescio qua fiducia elati duriores sunt, & planè urgent castelli dejectionem, quæ non convenit Regiæ dignitati. Apocalypsin non vidi, sed puto id genus scripta nobis nocitura: nullo tamen nostro merito. De Duyckio quid futurum sit scire aveo. Et Angli & Arsenius hic sint sine magna spe conficiendi negotii, & reditum urgent. Quantum ego intelligo non habet Spinola multos secum rei maritimæ peritos. De literis curandis, si necessitas urgeat cogitabo. Dogmata pro auctoritate Regia adversùs Pontificias machinationes à Sorbona, à Clero, & à Curia Parlamenti auctoritatem acceperunt, quam defendit erudito scripto Rigaltius. Vale mi Frater.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

118 Literas accepi, mi Frater, à te & Patre scriptas 3 Februarii: Respondebo quasi per saturam. Pacem hic habemus cum Rupellanis & Sociis: spem quoque pacis Italicæ: de cætero nihil magni Legatus nostrorum hic acturus videtur. Teresteinii haud magnus est triumphus. Causæ Thalassicæ exitum exspectabimus: & certius aliquid de Portorico. De collectis miror. Cornelius quæ debet solvenda sunt sine mora ex pecunia Miropiana, si ea nondum data sit ex altera. De cæteris uxor respondebit. Ab Heinsio literarum nihil accepi. Gratum mihi erit intelligere quos de nobis sermones habeat. Rutgersii honorata apud me memoria: & si possem his temporibus me carminibus dare, facerem ipsius potissimùm causa. Rotterodamenses auctor sum sinere agatis quod lubet. Ego enim illorum ministerio me non ingeram. Privatæ vitæ amans factus sum. Esculenta tardè, tamen accepimus. Puer missus ingenio est satis tolerabili. Sed planè Latinè quasi nihil scit. Iubeo eum quæ Petrus discit simul discere. Interim & Gallicæ linguæ assuescit: & consilium est eum in Gallicum ludum literarium mittere, ut cum fructu aliquo domum redeat, ne pater frustra impensas fecerit. Interim quæ describenda habeo satis multa conglomerantur. Miror concionantium adversùs Gallicum fœdus audaciam. Venio ad ea quæ Bogardus in libro meo notavit. De Essenis utrumque ex Iosepho: non jurarunt in contractibus & negotiis ejusmodi jurarunt ea servare quæ sectæ suæ erant propria. ¡Violatarum Religionum crimen, non ad errores circa divina, sed ad perjuria, sacrilegia & apertas in Deum blasphemias pertinent. Nam adversùs hæreticidia satis ut arbitror planè locutus sum: certè ita, ut hic multos ob id offenderim. Augustini locus, quamquam & Bulingerus abutitur, optimus est si rectè intelligatur, & ipse se explicat addito exemplo edicti Nabuchodonosoris adversùs eos qui Deo creatori maledicebant. Etiam illa cura incumbit Principi, curare ne vera Religio per vim ac seditionem opprimatur. Sic Constantinus Christianos adversùs vim tutatus est, Paganica interim sacra non movens. Tibi, mi Frater, auctor sum ut & in illa de Iurisconsultis lucubratione pergas, & similia multa tibi compares honesti otii levamenta. Satis intelligo discrimen inter causam Hogerbetianam & meam: sed dubitabam an ita mitigati essent animi, ut tale aliquid cum spe tentari posset. Irritos conatus non laudo. De Epistola adversùs admonitionem satis est testimonium à me bene mihi volentibus datum mei in patriam affectus. Editionem improbo & quàm possum veto. Non ita res meæ sunt ut aliquem mihi locum receptus debeam adimere. Ne hoc quidem arbitror ibi placiturum: sunt enim multa quæ Catholico-Romanis nimium abblandiri videbuntur, quippe pro Rege ejus Religionis scripta. Interim ut exemplum quod penes vos est vobis perfectum exstet, moneo pro Dominici Carthagenæ scribendum *Iohannis*. Id enim auctori nomen est. Sed liber cùm scriberem non erat ad manum. Illud addam quo loco nostram causam tueor, temperandum illud quo & Vasquio dico de revocatione Regiæ Potestatis, ac ad statum planè Monarchicum trahatur. Itaque post illa verba *Regios terminos* addenda hæc parenthesis *(id est leges formam dantes imperio quod sub modo ac conditione delatum est.)* Monitus etiam sum non præteriri à me debuisse quod admonitor adversùs Principem Arausionensem dixit. Est aliter ac existimaveram, quia nihil erat præter convitium, quod sperni rectiùs videbatur. Alioqui facile erat post exactam causæ nostræ Batavicæ tractationem maximè ante verba de Electore Palatino tale aliquid inserere. *Miror, quid in mentem homini quamvis impudenti venerit, ut & Illustrissimo Arausionensium Principi malediceret. Si posset Princeps, cujus nemo hactenus aliud quàm humanitatem & quidem tantam ut divinitas potius dicenda sit, expertus est, crudelis unquam fieri, solus hic auctor dignus esset à quo inciperetur: quanquam ne hoc quidem rectè dixi, cùm severum aliquid in eum statui possit, crudele nihil, quando scelerum merito omnem supplicii modum consumsit. Sed metuit credo, ne ille patris sui necem nunquam probro auctorum carituram, multo hostium sanguine aliquando expiet, vegetus animo simul ac corpore, etiam ad stirpem ex legitimo matrimonio in multa sæcula propagandam, cujus vim sentiant illi omnium mulierum viri, idemque omnium virorum mulieres.* Mairium exspectabimus. Hic in Aula aliquid mutationis est, translata ærarii cura in homines satis addictos Ecclesiasticis. Etiam de adimendis Cancellario sigillis rumor est aliquis. Mitto apocham in rem Miropianam. Rogo ubi ea quæ Cornelius debet erunt persoluta, item butyrum, ubique recepta erit pecunia Miropiana & de libris, scribas ad me quid ibi sit reliqui, ut deinde quid agendum sit videamus. Videtur puer noster durior factus, ex quo pater ejus, ut puto precibus motus, reditum ei indulsit. Mea non interest eum retinere. Sed velim omnia cum bona gratia fiant, & ipse aliquem ferat itineris sui fructum. Vale, mi Frater, cum parentibus & amicis. 20 Februarii 1626.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Literas à te, mi Frater, tum 4 tum 10 Martii scriptas 119
rectè accepi & quæ prima data est occasio, ea utor ad rescribendum. Displicet mihi illa concionandi de publicis negotiis licentia, quæ nisi reprimitur, malum dabit. Sed fortè & hic morbus & similes alii viam parant ad κρίσιν quandam generalem, quæ utinam ex bono sit patriæ. Avebo intelligere quid de captivis Lupesteinensibus, quid de Thalassicis futurum sit. Rotterodamenses de Syndicatu faciant, quod libet. Tamen à Matelisio nihil tale exspectaveram. Nos quiescamus, & tempora patiamur fluere. Ego de scripto meo non edendo persto, eoque magis quia pax facta in Valle Telina, & induciæ inter Sabaudum & Genuenses partem materiæ subduxerunt. Tum verò ita scriptus est liber noster, ut nec Catholicis hic, nec apud vos Reformatis sim satisfacturus. Talia scribere eorum est qui sua ope stant, nec quemquam habent quem respiciant. Ab Heinsio nihil accepi literarum. Nolo fallatur aut ipse aut Mylius, cui non scribo, quia siquid est per filium ejus significo. Is si discesserit, quod brevi futurum videtur, & dignum quid occurrat, scribam ad ipsum liberiùs, quando ipse invitat. A Buono æquè facilè totum exemplar impetrabo quàm unum quaternionem. Non metuo futurum utrumpatur fœdus Compendiense. Nimiùm avidè hic expetunt ut modica pecunia bellum nostrum alant. Sorbona censuram edit in Santorielli librum, qui Reges etiam ob insufficientiam & inhabilitatem ait deponi posse. Iesuitæ à Parlamento jussi generalibus verbis hoc dogma condemna-

Digitized by Google

demnarunt. Videbimus an & solidè sint refutaturi: nam & hoc imperatum est. Pax cum Rupellensibus & sociis probata est in Parlamento. Etiam in Valle Telina facta pax: manet vallis sub Rhætis, sed habitura suos ex se judices non Præfectos aliunde missos. Publicè ibi exercebitur Romana tantùm Religio. Munitiones tradentur Pontifici & ordine destruentur. Inter Sabaudum & Genuam induciæ in sex menses. Abiit Princeps Pedemontanus multum conquestus se inscio transactum. Idem queruntur & Veneti. Hæ sunt artes sæculi, parum ex tanti Regni dignitate. Perlatus huc est liber titulo Veritatis odiosæ multa continens in Riceliacum, Arsenium, Principem Mauritium, cum laude Oldenbarneveldii. Putatur auctor Carolus Scribonius. Talia elogia parum commendant causam Remonstrantium, sed non est in ipsorum manu impedire. Vale cum parentibus tuaque uxore à me mea & nostris. 3 Aprilis 1626.

Rex perendie creditur iturus ad Fontem Bellaqueum: sub finem septimanæ discessurus Arsenius.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

120 VEnit ad nos Mairius, attulit Lucanum, ejusque exemplaria mihi dedit. Placet editio: pro cura suscepta tibi ac D. Vossio gratias ago. Hic pacem Rhæticam habebimus: inducias in Subalpinis & Liguribus. Pacem etiam cum Rupellanis, sed lubricam. Tolosæ ipso secundo Paschatis die Metiano supplicio affectus est quidam illarum partium, ob commercia cum Hispano, Rohanii nomine. Uxor Rohanii in Aula queritur, bello durante actum negotium & pace obliteratum. Rex Insulas Rupellæ præjacentes munire pergit. Ex Anglia intelligimus graves Parlamenti iras in Buckingamum, ob venditas dignitates, pacem cum Hispanis ruptam, amicitiam cum Gallis malè cultam, dissipatum ærarium, & quæ alia Regum invidia Regnantibus objici solent: sed Rex offensas in se vertens irritas reddidit. De Dani armis hic bene speratur. Nostri Legati adhuc in Aula sunt. Fabulæ hic sunt de induciis apud nos: sed putantur impedimentum rei ei allatura tot fœdera cum Gallo, Anglo, Dano. Spinula maris potentiam affectat. Res maritima sine Hispanorum introspectione indigenis mandata: privatorum maximè impendiis naves struuntur, in spem prædæ. Volitat hic liber Caroli Scribanii opus, nomen habens Veritas odiosa, in quo honoratur memoria Oldenbarneveldii, probris impetitur atrocibus memoria Mauritii, Arsenius, Richeliacus. Remonstrantibus invidiosum est, quod eorum causa ab Hispanis agitur. Abrahamum Milium & si qui alii bene nobis volunt salutes rogo. Libelli Henriciani miror impudentiam. Quaternionem Eee de jure belli ac pacis à Buono accepi. Mittam ad te ubi aliqua erit occasio. De pecunia aliàs scribemus. Interim pro negotiorum meorum gestione gratias habeo maximas. Vale cum tua uxore, infante, parentibus, amicis. 25 Aprilis 1626.

Ad affinem Senatorem Reigersbergium nunc non scribo. Quia dudum literas ab eo nullas habemus, existimamus eum esse in Zelandia aut Amstelodami. Velim scire quando huc ventura sit Falcoburgica.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

121 PUto, mi Frater, jam literas à me & quidem binas ni fallor acciperis quas te scripseras desiderare. Scribo alioqui rariùs cùm nihil novi occurrit, ne inutili damno vos onerem. Tuæ omnes datæ 2 & 7 Aprilis rectè pervenerunt, etiam una ejusdem mensis sine die. De tumultu Amstelodamensi & patris scripta Calendis gratias vobis omnibus habeo pro sollicitudine, & pro iis quæ de filii profectu nunciatis. Illud de Musio quem exitum sit habiturum, scire aveo: multoque magis de tumultu Amstelodamensi qui si impunè abit, vereor ne non modò actum sit de spe Remonstrantium, sed & boni multi aliquando in summo sint periculo. Novi ego Calvinistarum ingenium: omnia movent potiùs quàm de dominatu decidant. Venio ad ea quæ me privatim tangunt. Ἀρχ inservire si possim, velim. Sed quomodo me alienis rebus sine mandato ingeram? Sciendum primùm esset qua in re ipsi utilis esse posset nostra opera. De salvo conductu velim scire quid suadeas & quibus rationibus, ut deinde cogitem quid agendum sit. Mitto tibi quaternionem E e e. Hodie hinc & quidem celeribus equis abiit Arsenius, haud dubiè omnia moturus. Miror ejus absentiam non majori usui fuisse. Pax cum Hispano durare videtur, cum Protestantibus minùs fida, gravibus jam nunc querelis utrinque. In Aula regnat Riceliacus, & putatur mutaturus ærarii curatores. Vale, mi Frater, & patrem, matrem, uxorem tuam & amicos saluta. 28 Aprilis 1626.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras, mi Frater, tuas quas 11 & 26 Aprilis scripsisti 122
hodie demum accepi. Ego pro certo habeo quod scripsi antehac, mearum aliquas ab Arsenio interceptas. De Arsenio quod scribis non miror: ipse cùm huc primùm veniret prædicaverat nunquam se initurum fuisse pacta qualia Pavo cum collegis inierat. Accepit ipse conditiones duriores & egregiè à se rem curatam jactavit. Aveo scire quid de alligendis in nobilitatem & reis Thalassicis sit futurum. Pierianam orationem non vidi. De Mylio, displicet exemplum: neque minùs quod Regentium auctoritas hebescit ad insaniam eorum qui regi debent. Hæc desidia malum dabit. Debyzo gratulor. Significavi nuper datos hic in carcerem Marescallum Dornanum & alios aliquot interioris apud fratrem Regium admissionis. Quid de illis futurum sit ignoratur. Fit nunc in ipsorum Archiva inquisitio. Pax cum Hispano magis magisque firmatur. Stat & altera cum Rupellanis. Cardinalis Riceliacus rerum potens laborat ut Galliam viribus maritimis instruat. Itaque navigationes, commercia, advenarum invitamenta molitur: & me quoque per hos dies ad se venire jussit in domum Lemursiam ubi nunc agit. Advectus eò sum Carruca Defiati, qui Espessii uxoris sororem in matrimonio habet. Dixi quæ mihi ad rem pertinere videbantur. Spes hic est aliquos Romanensis Religionis ex nostris & Brabantiæ partibus huc posse traduci. Sanè beneficia magna advenis indulgentur. Dordrechtanis quos nostri meminisse pater scribit, gratias ago maximas. Vale cum parentibus & amicis. Lutetiæ 21 Maji 1626.

Pierianam orationem postquam hæc scipseram accepi. οὐδὲν μέγα. Scripserat mater consultum fore ut uxor & ad vos veniat. Ego ejus præsentia non libenter careo. Neque amamus sumtus inutiles. Quare siqua causa est satis gravis, ejus certiores fieri nos oporteret, ut quid ea re est statuamus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VErum puto, quod nuper ad te scripsi, mi Frater, 123
aliquot à nobis epistolas interceptas fuisse, dum hic fuit egregius talium artifex. Mermanni mors nobis omnibus gravis accessit ad alias mœstitiæ causas. De re Amstelodamensi quid futurum, scire avebo. Induciæ Belgicæ hic, ut video, metuuntur, quia omnium interest occupari Hispanum: neque placent crepundia ad puerperam missa. De Thalassicis puto futurum eventum qua-

qualem augurari. Illud in Catalogo Francofurtensi de libro meo, errore admissum est ejus, quo ibi distributore Buonus utebatur: neque alia est editio quàm Buoniana; sed distractis exemplaribus brevi parabitur nova. Quid de captivis nobilibus hic agendum sit adhuc in incerto est. Interim Ponsinum oppidum pessimo exemplo obsequium detrectat, & sunt quidam Hugonottorum qui causam probant. Quidam Regem illuc iturum putant, alii in Picardiam, ut Luinii fratres quibus malè vult Regina mater præsidiis excutiat. Sunt qui existimant Principem Condæum in Aulam revocatum iri, quod sanè velim. si recta consilia instituerit sequi. Venio ad τὸ συνῶ-λμοῖ quo duo proponentur. Prius periculosum judico: aditus enim daretur ad vos: sed quis honestum regressum, aut mansionem spondeat? Ad alterum quod attinet, ego ei quem indicas omni occasione operam fidelissimam navavi, quamdiu hic sum: & quominus amplius fecerim faciamve nihil obstat, nisi quod non planè perspecta habeo ejus desideria & sine mandato quicquam agere intutum est. Quod si nec potestas nec voluntas benefaciendi ipsi deest, non est quod colores quærat. Sin minùs, cogitandum nobis est ubi larem collocare possimus, & familiam in aliquo pietatis cultu educare. Nimis dudum hæreo, & video vos qui ex animo mihi vultis, nihil posse: qui possunt, nimium frigere. Nemo illorum tangitur alienis incommodis. Vtenbogardum penitius instruxi de rebus de quibus ante scripseram. Tibi ac parentibus optimis satis magnam pro nostri cura gratiam habere non possum. Valete omnes à me & uxore. 29 Maji 1626.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

24 PEperit hæc Aula, mi Frater, mutationem cujus diu plena fuit. Cancellarius non tantùm sigillis orbatus est, sed & in villam ablegatus. Locum ejus, sine nominis dignitate, habet Marillacus ærarii ante hac præfectus, homo Ecclesiasticis deditissimus. In ejus locum quis surrogandus sit dubitatur: alii Defiatum Espessii affinem destinant, alii fratrem Marillaci, alii Sulliacum qui olim eo munere majori cum honore quàm cum gratia fruitus est. Sed Sulliaco Religio obstat, & nimius rigor invisus potentibus. Summa quoque duo munera in una domo locari, non ex re videtur. Defiatus in flagrante est gratia apud Riceliacum qui nunc omnia potest. Alii futurum augurantur ut triumvirati collegio regatur ærarium quod & antehac factum. Princeps Condæus Cardinalem vidit: quorsum & quo exitu incertum. sed apparet nondum eum aut Parisios venire, aut Aulam sequi. Rex it Blesam & quò ultra nescitur. Alii Ponsinum iturum putant, quod oppidum mira audacia in Regem rebellat: alii Rupellam. Blesam venit aut certè advocatur Vendocinensis ut aliqua permutatione facta abducatur à præfectura Armorica. Provinciam enim hanc maritimam planè suæ potestatis esse volunt qui nunc imperant, magna mari molientes. Hæc hic agebantur. A vobis nuntium de bello accenso accipere multi hic avent. Pax cum Hispano constat. Dimittuntur copiæ in Rhætis. It Venetias Castellinovius, Preaux dictus antehac, Alterivii frater. Rogo me optimis parentibus, & amicis commendes. Lutetiæ 5 Iunii 1626.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

5 VIdeo, mi Frater, turbari iterum literarum commercia: quo magis captanda nobis omnis colloquendi occasio. Redit ad vos viri nobis amicissimi Quirini Stridenii filius, cui quod non aliqua in re utilis esse potui, valde mihi dolet. Maximi enim facio, tum patrem ipsius, tum optimam juvenis indolem. Hic iterum omnia in fermento sunt, captis post Ornanum & socios, fratribus duobus Vendocinensibus, quorum minor tanta arte deceptus est ut fratrem ipse deceperit, & pertraxerit in casses quibus pariter irretiretur. Creduntur participes fuisse illius consilii cujus nomine capti sunt alii; sed maximè ei nocuit Præfectura Armorica ad res gerendas oportuna, ubi & validas sibi affinitates conciliabat. Espernonius itidem suspectus creditur non commissurus ut capi possit, neque magis Comes stabuli. Vides hic edictum quo exceptis frugibus, commercia Galliæ cum Hispano restituuntur. Rogo id lectum transmittas ad affinem nostrum Iustum Brasserum Amstelodamum, siquid fortè ipsius intersit de eo moneri. Valemus hic rectè, uxor tantùm mediocriter. Rogo optimis parentibus sorori & marito, uxori tuæ & amicis salutem à nobis impartias. Lutetiæ 23 Iunii 1626.

Literas has ad Mylium cures rogo.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

GAudeo, mi Frater, non ita turbata esse literarum commercia, quin aliquid à vobis accipiamus. Deo 126
gratias ago pro restituta patri valetudine. Matri ac sorori tantundem opto. Ad scytalica vestra respondi. Puto jam ad manus vestras pervenisse literas. Melissæi judicium de rebus nostris velim intelligere. Meus animus in Germaniam propendet. Hic Regnant Regina mater & Cardinalis Riceliacus: captis nuper fratribus Vendocinensibus, quorum minor ita callidè deceptus fuit, ut fratrem in laqueos perduxerit quibus jam pariter tenentur. Sapientior Espernonius quem vestigia terrent. Suspectus est & Comes stabuli se iis consiliis miscuisse & nunc miscere negotio Ponsiniano. Puto scripsisse me antehac id oppidum in alta pace, bellica ausum in Regem. Evenit ut hoc ipso tempore cùm abiturus esset ad vos hic tabellarius ad me deferrentur aliquot exemplaria libri nunc à me editi. Ea hac occasione, ne pereat, ad vos mitto, alia compacta exspecto quæ ad te & proximos mittam, ubi primùm potero. Misit Buonus per hunc tabellarium pro se aliquammulta ad Elzevirium & Mairium. Si qui alii in aliis urbibus desiderant, poteris iis dare. Puto pretium esse IV Florenos, de eo quod rediges, deduces tabellarii mercedem, duos stufros in quamque libram. Quid de Thalassicis & supplemento nobilitaris futurum sit, scire aveo. Item, de cætibus Roterodami, Brilæ, atque alibi. Rogo optimis parentibus, uxori tuæ, sorori & marito atque amicis aliis salutem nunties & officia omnia deferas à me & conjuge. Valete. 26 Iunii 1626.

Rogo D. Vossio me excuses: nolui illi incompactum exemplar mittere, erit inter eos quibus compacta mittentur. Cornelium nostrum bene proficere gaudeo. Memineris in hac fasce libros omnes esse chartæ optimæ, sex solis exceptis. Rogo etiam ex Lamairio explores an ipsi lubeat edere Phænissas Euripidis à me emendatas ex Mss. & versus Latinè cum præfatione continente descriptionem virtutum Tragicarum.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

MItto ad te, mi Frater, quatuor libri nuper editi 127
exemplaria. Neque enim plura ferre potuit Oldenbarneveldius. Et hæc ipse doleo quod tarde ad te perventura sunt, quia ille in Brabantia subsistet. Horum quatuor unum rogo Pater & tu commune habeatis, donec aliud mittendi detur occasio. Secundum destino Senatori Reigersbergio, cujus fratribus in Zelandiam mittam cùm potero, tertium Vossio cum literis: quartum

tum Hoofdio. Ex incompactis quæ jam ad te pervenisse arbitror, rogo unum detur Wilhelmo nostro, de cujus rebus pridem nihil intelligo. Rex à Nannetibus quo excurrerat, huc redire dicitur. Mitto simul ad te versionem Latinam sex librorum de Veritate Christiana, quam à me hic amici impetrarunt, & urgent ut edam. Sed pauca quædam hic Theologis non satis probantur. Consule Vossium an sine offensa & sine ulla mutatione Lugduni edi possit, & addi Latina Catechesis mea quam ibidem ex Belgica versam habere vos arbitror. Si procedat editio, oportebit ad nos aliquot exemplaria mitti, sed de charta meliore: nam quæ alius sunt generis hic spernuntur. Avebo etiam scire ecquid Senecæ Notæ edantur: & quid de Phœnissis sentias. Nos jam ad novam de jure belli ac pacis editionem accingimur. Vale, mi Frater, à me & uxore, simul cum parentibus optimis, & aliis qui nos sanguine, affinitate, amicitia contingunt. Lutetiæ 10 Iulii 1626.

Tuus totus H.G.

EIDEM.

128 AD literas tuas, mi Frater, quas satis amplas 20 Iulii ad me dedisti, recepi autem eas demum nudiustertius, quod reponam sanè non habeo, nisi vota pro Patria ac parentibus. Nam hic quidem post nuptias fratris Regii cum Mompenseria frigent omnia: non tamen & studia nostra: ex quibus, si quid tibi nuntiari pateris, scies, quandoquidem posteriores nostræ ad Lucanum Notæ, totæ tuæ sunt, conjecturam quam ibi posuimus, ubi pro *Tarcon motus* rescribendum diximus Tarcondimotus, præter testimonia ibi allata firmari loco Ciceronis Epistola 1. libri xv. Si jam advenit ad vos Eliæ Oldenbarneveldii filius (certè tempus præstitutum Brabanticæ mansioni jam effluxit) receperis sex libros nostros pro Religione Christiana factos Latinos, de quibus quid factum velim ex literis antehac scriptis intellexeris. Libro primo in argumentis pro providentia bis posui *Canem*. Sed quia is jactus infelix est, velim poni *Venerium* & pro *in alea* rectiùs erit *in talis*. Id enim εἰκονότερον. Fert idem Oldenbarneveldius quatuor exemplaria compacta excerptorum. Zevendrius qui & Zeilius dicitur Trajectinus mercator hic habitans tria alia itidem compacta misit ad Institorem suum Rotterodamum, qui ad te ferenda curet. Horum hæc est distributio. Tibi & patri singula, tria fratribus Reigersbergiis, unum Hoofdio, unum Vossio. Melissæo agendæ sunt grates, sed vereor ne supra ingenium etiam senio frigeat. Ignorat quid possit. De nostra hic mansione video consilii tui causas. Sed nemo inexpertus credat quid sit suo sumtu Lutetiæ vivere, quod nos jam per 18 menses facimus. Ego velim explorari ubi commodè fieri potest, ecquid in Ansiaticis partibus spes nobis esse possit. Vale, mi Frater, cum optimis parentibus, sorore, tua conjuge & amicis. 17 Iulii 1626.

Tuus totus tuo merito H.G.

EIDEM.

129 NOn possum, mi Frater, unquam tibi te dignas gratias agere, cùm video tanto à te studio omnia mea curari. Exemplaria incompacta excerptorum haud dubiè jam exceperis. Misi & compacta quatuor sed ea nondum habebis. Nam Eliæ Ordenbarneveldii filius, qui ea perferenda suscepit hærebit per aliquot septimanas Bruxellæ. Per eundem misi sex libros pro Veritate Christiana, Latina oratione soluta versos. Rogo simul atque acceperis explores sententiam Vossii an sine offensa ibi edi possit, & si potest an Mairius curam velit suscipere elegantis editionis; alioqui quamprimùm remitti scriptum ad me velim. Est enim aliqua spes hic edi posse superatis aliquomodo de quibus scripseram difficultatibus. Phœnissas nisi ibi valde expetantur edere poterit Buonus cum nova editione Stobæi. Deo gratias ago pro restituta valetudine optimis parentibus, eundemque veneror ut sorori quoque sit propitius. Tuas 29 scriptas rectè accepi, unde disco bonorum tardos aut pœne nullos esse conatus: Zelotas nihil non agere ut res suas promoveant. Capiuntur quotidie aliqui sive ex crimine conspirationis, sive ex suspicione & æmulatione. Causæ enim subticentur & aguntur omnia post siparium. Ego quid de rebus meis constituere debeam valde sum incertus. Vale, mi Frater, cum nostris omnibus. 21 Iulii 1626.

Tuus germanissimus Frater H.G.

EIDEM.

EXstat, Frater optime, apud Dionem Prusæënsem cui 130
Chrysostomi cognomen datum est comparatio trium Tragœdiarum Æschylii, Sophoclis, Euripidis quibus nomen Philoctetæ. Exstat apud eundum comprehensus soluta oratione sensus initii Philoctetæ Euripidis. Malè enim an ex Æschylo esset dubitavit Casaubonus, cùm ibi reperiantur sententiæ quarum nos versus in Euripidis fragmenta retulimus. His consideratis cepit me impetus illud ipsum initium restituendi in versus ad imitationem Euripidis, intextis illis paucis quæ nobis restant fragmentis. Id mitto, ut tu & Vossius judicetis. Agnoscet Vossius unde sit illud Latinum apud Ciceronem pro Sextio. *Summum amicum summo in bello*, est enim dictum Philoctetæ de Palamede. Quod nuper scripseram ut de edenda Latina ecphrasi sex librorum pro Veritate Christiana cogitares, adhuc te rogo. Et si videatur editio sine offensione posse procedere & addere placeat Catechesin, ita sentio ubi de Cœna agitur pro illo versu:

Vini atque panis scilicet sub imagine,

Qui sensu Pontificio fortè posset accipi, hunc reponendum:

Vbi grata vinō ac pane colitur memoria.

Ita enim Belgicum meliùs exprimetur. Hic novi habemus nihil. Parlamentum cùm videret Monachos magno numero augere cætus Sorbonicos & plerosque propendere in partes tuendæ magnitudinis Pontificiæ, voluerat eos in ordinem cogere. Sed res à Rege ad suum consistorium evocata est, pessimo, ut plerisque videtur, exemplo. Ego rerum mearum valde incertus Deo me meaque commendo. Eundem tibi, sorori, parentibus, amicis, uxori nominatim tuæ propitium opto. Vale, mi Frater. Lutetiæ 28 Iulii 1626.

Tuus tui amantissimus H.G.

EIDEM.

LIber, mi Frater, quem tibi compactum miseram ad- 131
huc in Brabantia hæret cum Oldenbarneveldio Eliæ filio, cui curandum dederam. Rogo tarditatem excuses. Per eundem accepies meam Latinam soluta oratione versionem sex librorum pro Religione Christiana, de quibus tuum & optimi Vossii judicium expoposci. Rogo ex eodem Vossio & aliis si opus est, exquiras an reperiri possit liber Hugonis Brochtoni in Danielem, Latinè versus à nostro Iohanne Borelio. Vsus sum eo libro in carcere, beneficio Erpennii. Et puto in eo me reperisse nomen & locum Rabbini qui L circiter annis vixerit ante Domini Nostri adventum, quique ex Daniele intra illos L annos Messiam venturum prædixerat. Rogo si librum nancisceris, locum quæras & mihi transcribsa. Meretur enim poni in nostro illo opere. Patri firmam, matri ac sorori secundiorem valetudinem à Deo exopto. Amicis omnibus salutem nuntio. Lutetiæ 4 Augusti 1626.

Tuus tui amantissimus Frater H.G.

Digitized by Google

IOANNI GROTIO,

Consiliario Comitis Hohenlo.

132 LIteras ad me, Parens optime, binas attulit nauta Scidamensis, cujus mihi negotium ex tot amicorum rogatu, & tuo potissimùm jussu, sed & suapte æquitate est commendatissimum. Nam Pœni jure belli quærere non potuerunt navem gentis pacem secum habentis: quod autem Pœnorum non fuit, nec Melitensium fieri potuit. Mommorantius ad quem habebat literas nihil potest. Omnis enim maritima potestas ad Cardinalem transiit. Putatur Rex cum fratre (convenit enim jam inter ipsos ὡς φασιν) ad Fanum Germani futurus cis paucos dies. Excutiemus quicquid erit nostræ opis. Hic quidem nihil magnopere turbidum, nisi quod Comes Suessionensis qui à Principe Condæo proximum Regii sanguinis locum obtinet, abscessit Rege ignaro in Burgundiam Ducatum: incertum an ultra iturus. Putatur nimium exterritus conscientia consiliorum quorundam, quæ multi arbitrantur non tam in Regem quàm in eos qui sub Rege regnant inita. Chalaisius (Ianini iis neptem in matrimonio habebat) à judicibus delegatis quidem, sed maximam partem ex Senatu Redonensi sumtis damnatus est, ut hic fieri solet, expresso Majestatis nomine, cæterùm cœcis criminibus. In alium neminem sævitum est; nam Marescallus Ornanius, fratris Regii intima regere solitus, in carcere morbo extinctus incerta imminentis fortunæ evasit. Iudicum delegatorum consessus, qui ingens reorum agmen prostraturus videbatur, cum Chalaisii supplicio evanuit. Princeps Condæus moturus aliquid dicebatur, sed quiescit. Longuavillius quò iverit nescio. Nam hinc se subduxit: fortè in præfecturam Normannicam. Videtur frater Regis satis acquiescere in hoc matrimonio virginis inter Regii sanguinis omnes ditissimæ. Sed rerum prudentes æmulationem metuunt inter fratres; eoque magis si minori fœcundior conjunx solem orientem Aulicæ levitati ostentabit. Cardinalis Riceliacus, cui omnia prosperrimè procedunt, quod initio nutantis adhuc potentiæ non potuit, nunc agit ut Legatos omnes mutet, mittatque sibi id debituros. Espessio non nimiùm eum confidere argumento est, quod Marchionem Roteliacum ei destinat successorem, & quidem ante expletum triennium. Is autem perstat re excusare. Si Rex institerit, curandum erit amicis nostris ut intelligat non omnia in patria nostra penes eos esse quorum affectus Espessius induerat, ut saltem paulo æquiora huc nuntientur. Id publicè & nostra privatim interest. Scire pervelim an pacta hic per Arsenium facta probata sint, si non sunt, quæ sit mora. Poteris has affini meo ostendere, si ad vos venerit. Nam nunc quidem per res prolatas abesse arbitror. De tua valetudine intelligere me secundiora gaudeo, Deoque gratias ago, quem eundem obnixè precor ut optimam matrem ac germanum, sed & uxorem quæ non bene se habet, incolumes servet. Nicolaus noster ferox est, eò quod Pater, ut quidem jactat, ei permiserit ubi primùm voluerit reverti. Non obsto, nulla enim ipsius apud me opera est, quam non quivis præstaret. Et Latinum sermonem & scribendi artem pariter ignorat, nec discere attendit. Ego ob parentes ejus & vestra suffragia, constitueram incommodi aliquid perferre, ut ad suos non reverteretur sine aliquo itineris præmio, linguæ scilicet Gallicæ notitia. Et in id nunc quoque incumbo. Sed novas se à patre habere literas ait de discessu: neque eas à me interpellatus vult ostendere. Nuper verbis tantùm ab uxore increpatus (manu eum nemo tetigit hactenus) insalutatis omnibus aufugerat. Vtenbogardus operam sumsit eum reducendi. Facilè passus sum persuaderi me ut eum reciperem, quem non in aliud retineo, quàm ut paulò melior ad suos redeat. Fratrem rogo ut siquis huc notus venerit mittat per eum bina exemplaria Grammaticæ & Syntaxeos quibus Petrus utitur. Nam is quos habuit libros partim trivit, partim perdidit. De Cornelio quæ scribis gratissima sunt. Deus ipsius studia secundet. Iuvit ex literis tuis intelligere, unde illa flabra edictorum spirent. Decrescet paulatim numerus. Vale, Pater optime, cum matre, germanis eorumque conjugibus & amicis omnibus, à me, uxore, liberisque, nostris qui hic sunt. Deus nos omnes aspiciat propitius.

Sperat uxor primo tempore missum ad nos iri butyrum. Rotterodamensibus nostris non abs re sit indicare, Enchusanorum halеces Rotomagi non ingratos tantùm esse, sed & judicio gravi oneratos. Creditur primus præses Senatus illius aliquam habuisse rationem cujusdam inquisitoris mercium, qui coquus antehac ipsius fuit. Roterodamensium interest ne eum offendant: imò ut potiùs alieno malo tempore in sua commoda utantur. Valete. 8 Septembris 1626.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

TArdiusculè ut video, Parens optime, curantur literæ: quod & in tuis circa finem Septembris datis expertus sum: quibus nunc respondeo, redeunte ad vos ab Africana Legatione Pinackero. Gaudeo quod de halecibus nunciaram, fuisse non infructuosum. In maritimo negotio Nicolaidæ & aliorum quorundam vicem doleo. Kanenburgio faustam valetudinem omnibus modis exopto, quod autem ad illum non scribo, id evenit argumenti penuria, quæ causa est ut ad vos quoque rarius scribam. Vtinam nuntiare aliquid possim quod illi dulce sit. Et butyrum & cistellam valde desideramus, & speramus tempus nullum neglectum iri. De congiario res adhuc in eo quo hactenus loco est. Fortè brevi aliquid certioris lucis affulgebit. Ego si omissa patriæ cura totum me Galliæ darem, possem nihil non sperare. Nunc amor ingratæ patriæ ubique commodis meis obstat. Principi felicem reditum precor, quando gloriosum fortuna anni invidit. Fratrem velim memorem esse eorum quæ de Senecæ Tragœdiis, & præsertim de Hexabiblo scripsi. Hoc quoque addam nuper me, dum Plutarchum lego, invenisse versum quem non dubito esse ex initio Philoctetæ Euripidei: quem versum ut suo loco restituam, postrema ejus fragmenti (misi enim nuper ad fratrem) sic refinxi: Post ἀνήλωσεν χερός. 133

ἂν λῆς ἢ τῆ ἐνθάδε κοινωνεῖν, ἕως
σωτηρία τις ἐκφανῇ, μηδὲν φθονῶ·
δύσμορφα μέν τοι τἄνδον εἰσορᾷν ξένε,
πλεῖα πελαμώνων καὶ νόσε πιμμελιῶν·

Deinde πρὸς ταῦτα & quæ sequuntur ad finem. De restituta tibi ac matri valetudine Deo optimo maximo gratias ago, tantundem de sorore utinam intelligam. Res uxoris adhuc incertæ, maximis doloribus uritur & medici hærent. Deus nos omnes clemens respiciat, cui te, matrem, fratrem, sororem, conjuges ac liberos & propinquos omnes commendo. 27 Octobris 1626.

Vendocinenses fratres in carcere extra Vrbem hanc attinentur ad nemus Vincennense. Post diem Martini ubi ad judicia redibitur, videbimus an rei futuri sint. Hispanus non longè Massilia naves Gallicas cepit pignorationis jure adversùs ea quæ Guisius eripuerat Genuensibus. Angli Regias quasdam cymbas ad Rupellam incenderunt, & minantur se Gallis Protestantibus auxilio fore.

Tibi obedientissimus filius H. G.

EIDEM.

PEr Pynackerum missurum me quæ his inclusæ sunt literas, putaveram. Sed ille nimiùm diù abiturit. Itaque per tabellarios has curare statui, hoc addito tuas quas 134

quas sexto hujus mensis dedisti rectè ad me perlatas. Espessius adhuc in menses ferme octo mansionem obtinuit auctoritate Desiati qui apud Cardinalem in magna est gratia. De sorore utinam meliuscula intelligam. Vxoris res in eodem sunt loco. Capsam missam gaudemus, & rogamus ut de butyro quoque festinetur quantum potest. Vbi Pynacherus venerit, vide cautè cum eo agas. Multum enim debet his qui nunc regnant. Novæ hic querelæ sunt de Anglis ob captas mercatorum Gallorum naves, hoc prætextu quod in Hispaniam irent, aut ex Hispania redirent. Aliud nihil habemus. Nicolaus noster Pynachero se in ministerium dedit. Gaudeo patri ejus meam benignitatem probatam. Deus te, matrem, sororem, & alios nostros sospitet. Lutetiæ 27 Octob. 1626.

Tuus totus tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

135 PArentibus optimis tibique, Frater dulcissime, nuntio uxorem contra medicorum & nostram spem matrem factam filiolæ satis valentis. Sed ipsa doloribus qui partum antecesserunt, & qui partus sunt proprii eo nunc mamillarum cruciatu, adde & cura domestica quam in neminem transferre potest, à quiete abstinetur. Speramus Deum qui hactenus ei adfuit, etiam ad cætera nobis auxilio fore. Dies jam à partu est quartus. Partus ipse vix est supra octimestrem. Pro iis quæ nuntiasti quanquam tristia sunt terra marique, gratias habeo. De Excerptis quæ in literis mense Septembri ad me datis annotasti grata sunt. Ætas hominis pro hominis ætas typographi est vitium, ut & in versione illius Sophoclis κοινὸς εἰ δοῦλος & alia quædam quæ & ego post erratorum collectionem notaveram. Cæterùm *responde* brevi ultimè potui exemplo Martialis, qui id ausus est, quia ea vox ut aliæ multæ olim non secundæ tantùm, sed & tertiæ fuit flexionis. Syllabæ productæ ob positionem in voce sequenti multa apud Poëtas exempla sunt in manuscriptis codicibus, sed pleraque ab exscriptoribus postea corrupta. Nescio an ad vos venerint tria exemplaria Excerptorum quæ Scilius aliàs Seventrius dictus, Trajectinus mercator ad Rotterodamensem amicum miserat vobis tradenda. Video enim ad affinem Reigersbergium nullum dum exemplar pervenisse, quod doleo. Speraveram Vossio non grave futurum Hexabiblon perlegere. Veretur auctor nominari editionis apud eos qui nobis malè volunt. Sed fide silentii data poterit ipsius securitati prospici. Magni facio ejus judicium & omnino velim siquid est minùs rectum ab eo moneri. Si nihil impedimento est editioni, valde aveo ut & festinetur & ut Characteres sint minuti, sed elegantes & ut quædam exemplaria habeam chartæ melioris, alia enim amicis hic tradere non ausim. Rogo & hoc me edoceas qui sint qui partem illam libri de Iure belli verterunt aut vertendam censuerunt in sermonem patrium, & quo consilio, an ut nos & Anabaptistis & quibusdam Remonstrantium committerent, an verò ut Remonstrantibus odium dematur, ne videantur improbare causam publicam, an verò ut milites doceantur abstinere ab injuriis in cives: nam est & aliquid tale in fine capitis. Librum Crellii legere constitui, agit modestè nec ineruditè. Ego tamen videre nequeo quo pietatis fructu à proprietate locutionum in sacris literis & antiquorum consensu discedant. Quid enim non vetat quàm plurimos effectus morti Christi tribuere & inter alios hunc quoque, ut per ipsius cruciatus & mortem ostenderit Deus quid meruerint peccata quæ in Christum confidentibus & resipiscentibus condonat. Sed quid alii judicent ex te discere cupio. Refricat mihi veteris injuriæ memoriam quod Lupesteinum custodia fit peculatorum, scilicet ne nos meliores illis credamur. In Euangelium Iohannis notas perfeci, eas nunc descriptas relecturus sum. Sorori opto valetudinem secundiorem & fausta omnia vobis parentibusque. 2 Novembris 1626.

Ita fert ratio nostra, ut Cornelius noster, cujus studiis faveo, jam nunc in vestibus assuescere frugalitati debeat. Frater ejus qui hic est una veste utitur. Tamen siquid honestus ornatus requirit, curam vobis permittimus. Coblarisum mensuram opus erit mitti ac hic parentur. Butyro valde opus habemus. Rogat uxor matrem quod rogavit antehac, quid factum sit illa sarcinula in qua collaria erant quæ Cromplebitius hinc tulerat. Apocham & testimonium ut petieras mitto, & res nostras tibi quantum possum commendo.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

LIteris tuis, mi Frater, datis nono Novembris & paternis postridiè datis una opera respondeo. De induciis siquid audis propiùs, velim edoceri. De congiario nescio quid sperandum mihi sit. Bella multa promittuntur. De Oratore quod Pater scribit, verissimum credo. Butyrum adhuc exspectamus. Habetur hic conventus ex tribus Ordinibus. Duo præcipuè agentur, de reprimendis ærarii harpyis & de rebellionibus impediendis. Frumenti exportatio in agrum Brabantum & ei vicinum inhibita, non tam vestri amore, quàm metu famis in hac urbe, Campania, & Picardia. Rationes tuas accepit uxor. Quod in rem nostram impendisti deduces si placet de pecunia apud Minpium accipienda, simulque ea quæ eroganda erant ad vestiendum Cornelium. Vbi quadringentos Florenos reditus vitalis acceperis, facies nos certiores, ut eosdem huc per literas transmitti cures. Kenoburgico opto felicia omnia, præsertim valetudinem. Vxor & soror Blanquia valent. Mitto epistolam quam constitueram mittere per Hornium qui hucusque proficisci constituerat. Vale. 5 Novembris 1626. 136

Tuus totus Frater H. G.

EIDEM.

CVm iret ad vos Hornius ex Nobilissima, ut scire te puto, Sueonum domo, & qui meam amicitiam non sprevit, omittere nolui quin literas ad te darem, præsertim cùm ipse ostenderet id sibi gratum fore. Tuas ergo quas 20 Octobris dedisti rectè perlatas scito. Miror me de Hexabiblo nihil certi accipere. Nam hic interpellor. De Dusseni uxore, ferendum tibi est fortiter, quomodo & nos feremus si Blanquia nuberet, quæ nunc apud nos suaviter vivit, magnum mihi & uxori solatium. Vxor ut captus est puerperarum valet belle. Filiolam misimus nutriendam foris, baptizatam priùs domi nostræ nomine Franciscæ, in memoriam avi materni & fratris nostri, simulque exsilii nostri monumentum. Soror ut rectè valeat Deum precamur. Butyrum adhuc exspectamus. Controversiæ cum Anglis compositæ nuntiantur. Habebit Regina Britanniæ XIV presbyteros Gallos totidem Scotos aut Anglos, Episcopum unum, duas Gallicas virgines in famulatu, & Gallum unum ad quodque Aulæ suæ munus. Sexaginta ob Religionem Pontificiam captivi eximuntur vinculis, & inhibentur mulctæ in cæteros. Naves quas Gallis Angli eripuerant eo nomine quod in Hispaniam irent, redditæ. In hac urbe Conventus nunc habetur non quidem Ordinum Regni more veteri, sed exigui numeri ex omni ordine, ferme ad L. Putantur consilium daturi de novis tributis & sua auctoritate firmaturi ea quæ acta sunt antehac, præsertim adversùs fratres Vindocinenses. Salutem nuntiamus omnes parentibus & amicis. 23 Novembris 1626. 137

Creditur classis Hispanica quæ nunc Americanis navibus Cubam profecta est Hiberniæ incubitura, quod præ-

præmetuentes Angli Galliæ amicitiam affectant. Et naves quædam Gallicæ redditæ sunt, sed manet generalis illa quæstio quid liceat in populos pactos commercia colentes cum Anglis hostibus, tractata à nobis non procul ab initio libri tertii. p. 557. Si fortè consultaris à Scidamensibus & aliis exercitoribus super negotio nautæ quod Nieuportius & alii mihi commendaverant, scito hoc quæri an restituenda sit à Melitensibus navis quam ipsi quidem suis hostibus Algeriensibus eripuerunt, sed Algerienses per tempus pacis acquirere in nos nullo jure potuerunt. Diximus de hac controversia nonnihil p. 634. & 655.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

138 PRoficiscentibus ad vos Arausionensium Legatis, Falcoburgii amicis, quos tibi, si qua in re tuæ opis indigeant, ut amici amicos commendo, rapui oblatam ad te scribendi occasionem; quanquam eo tempore quo magis à vobis nuntios exspectare, quàm ad vos hinc mittere debeamus. De Hexabiblo miror nihil me intelligere. Protrahitur hic conventus non Ordinum quidem, sed delectorum à Rege quinquaginta ex Episcopis, nobilitate & curia Iudicum ad minuenda Regni impendiis, obventiones augendas, provehenda commercia; præcipuè verò ut Consilii Regii actionibus auctoritas inde accedat. De Bocardo quod scribis dolet mihi non meliùs successisse consilium resarciendæ pacis Ecclesiasticæ. Nunc avemus scire quid futurum sit circa Hiberniam, ubi Hispani Insulam adjacentem occupasse dicuntur & jam firmari auxilio Dunquercanæ classis. Alii non prope Hiberniam, sed ad Cornubiam adjacentes Insulas, Sillinas nomine, occupatas referunt: magna populi in Buchingamum indignatione, quod bello non necessario implicuerit Britanniam, non satis provisis rebus ad tutelam terra marique. Nostri hoc infortunio fruentur, abscedente longiùs spe pacis inter Hispanum & Angliam. Præter hæc habebam nihil. Parentibus, conjugique tuæ, sorori quoque & ejus marito liberisque vestris annum sequentem opto quàm felicissimum. 23 Novembris 1626.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

139 PVto, mi Frater, jam satisfactum tuo parentumque desiderio. Scripsi enim antehac & quidem via quam frater indicat Sedanensi: nihil quidem magni, nec enim hic agitur quicquam, nisi quod magna minantur Galli in negotio navigationis & commerciorum. Losecatio ex animo gratulor & velim hic illi gradus sit ad meliora. An hoc pro omine nostrarum rerum habendum sit equidem nescio, paratus me aptare iis quæ Deus voluerit. Hortulani propositum mihi non displicet, sed non sentio satis congruere, ut ordinarium judicem Hollandiæ adeat & ut tamen eremodicium illatum ab extraordinariis & quidem Fœderatorum delegatu agnoscat. Quare si restitutio postulanda est, erit postulanda cum cautione, quatenus opus esse possit. Annum hunc parentibus, tibi tuisque & nostris omnibus felicem indico. 2 Ianuarii 1627.

Libri Excerptorum rogo distribuantur, ut antehac scripseram. Destinaveram tres tribus fratribus Reigersbergiis, si Pater, tu, Hoofdius, Vossius tuos habetis.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

140 MVlta pariter tibi gratulanda habeo, juvenum clarissime, & quod crudelis diu in nos fortuna benigniorem à Suetia auram afflare cœperit, optimo tuo parente ad eam perveсto dignitatem, quæ majoris gradus esse poterit: & quod tui ingenii eos video fructus quos jam olim & majorum tuorum exempla, & patris cura, & tua diligentia promittebant: & quod ad legum studia eo uteris monstratore, cui ista scientia velut hereditaria est. Aspexi cum voluptate de gravissimo argumento tuas definitiones, quæ ita mediam viam tenent, ut nec imperii reverentiam excutiant subditorum animis, nec Principes sui in Deum ac populos officii immemores sinant, corrigentes quæ in utramque partem à non paucis scriptoribus peccata sunt. Quæ cuncta si merito grata sunt omnibus virtutem & literas amantibus, mihi certè debent esse gratissima, qui Camerariorum nominis cultor & fui semper & haberi volui. Insiste hoc iter, doctissime juvenis, nec patere sub majorum claritate tuum nomen delitescere. Ego siqua in re studiis tuis commodare possim, faciam nihil libentiùs: dum id non datur, votis favere non desinam. Resalutant te amici & tui conspectu satiare se expetunt. V. C. Iacobo Gotofredo velim dicas me inter multos hic vivere virtutum atque eruditionis ipsius cum reverentia æstimatorem. Scribebam 3 Ianuarii 1627, quem tibi & tui amantibus omnibus opto quàm prosperrimum.

Tuus tuo merito H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

TVas mi Frater, circa finem anni datas jamjam recipio, ipsa hora qua respondendum est. Quandoquidem 141
spes illa de qua scribis moram accepit, apud me nullius est momenti. Scio quæ impedimenta exspectanda sint. Et consideratis quæ Reigersbergius de initiis scribit, velim nostros quiescere. Saltem patrem aut propinquos supplicare planè nolim. Hexabiblos si non statim ibi publicari potest rogo ad me remittatur, nam urgent amici. Nostram Franciscam baptizavit Aaratus, clam familiam, me coram, uxore ac filia natu maxima. Graswinckelii mors quando ita evenit fortiter ferenda & opponenda inexspectato partui uxoris Dusseni. Vale cum parentibus & amicis. Vt valeat soror Losecatia scire cupiam: & si it Lugdunum, pertentare animum Heinsii in nos quis sit. 9 Ianuarii anni 1627. quem vobis omnibus felicem precor.

Vester H. G.

EIDEM.

TVas mi Frater, 3 Ianuarii datas hodie demum id 142
est 23 recipio. Gratias habeo pro iis, quæ mandas, præcipuè de conditionibus hostilibus. Siquid promovetur, rogo, me facias certiorem: ut & de scopulis ad quos adhærescit fedus Gallicanum. Res navigationis à Ricelіaco valde urgetur & à toto cœtu Evocatorum. Missi sunt trecenti milites ad recuperandam insulam objectam Americæ. Ego video siquis prudens rector adsit negotio multum posse profici non sine nostrorum detrimento. Omnia quæ antehac tibi commendavi iterum commendo: & rogo, si quos nostri amantes videris, certos eos facias perseverare me in vetere sententia de Republica, ac de moderandis dissidiis Ecclesiæ. Vale cum parentibus, sorore nostra, marito, uxore tua & amicis omnibus. 23 Ianuarii 1627.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

DAta occasione cursoris à Legato, impleo officium 143
quod ante paucos dies ad affinem scribens omiseram, respondendi & tibi conjugique tuæ gratulandi de novo partu:

partu, quem vobis incolumem ac florentem Deus præstet. Valet nostra infans: nos cæteri satis vapidè à catarrhis. De hortulano ubi quid noveris propius, scribas rogo. Magnum damnum patria, ut rectè judicas, fecit in Kenoburgio. De Hexabiblo Vossii judicium avidè exspecto. Pro cura impensa in studia Cornelii nostri multum tibi debeo. Hæc summa habeo fortunæ nostræ solatia. Vtinam sit quod possim reponere. Hic adhuc fervent consilia navigandi & commerciorum. Quid futurum sit, docebit tempus. Conatus magni sunt, sed & gens parum constans & alienæ in his rebus opis indigens. Parentes velim salutes & puerperam, & qui nobis bene volunt. Cal. Febr. 1627.

Versio illa quam nuper accepi Puppiana eget quidem nonnullis in locis emendatione, ubi sensus minùs expressus est; sed est tota horridior, & limam desiderans. Espessium revocandum ante triennii exitum intelligo: & jam successori supellex à Rege assignatur.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

144 ANtequam, mi Frater, tuæ quas cum patre 24 Ianuarii ad me dedisti huc pervenirent, de Kenoburgii morte nuntium acceperam, tristem sanè mihi ut debet, hoc præsertim tempore, quo respublica talium consiliis eget quibus & prudentia & animus suppetit. Nam plerisque deest ex his alterum. Baptismum tui filii libens intelligo, Deumque rogo eum ut salutarem faxit. Nos valemus, nisi quod incommodi aliquid ex frigore contraximus. De Miropiana pecunia non dubitamus quin vestimenta jam habeat Cornelius. De quadringentis videbimus; nam ego hic adhuc pendeo, non tam peculiari quàm communi omnium infortunio. Prodiit in Hispania Valexoleti liber editus anno 1625. de justo Imperio Lusitanorum Asiatico auctore Francisco Seraphino de Freiras, qui liber ordine respondet meo de Mari libero, cujus auctorem ubique incognitum vocat. Credo quod primæ editiones mei libri quæ illuc solæ pervenerunt nomen meum non præferunt. Scriptum est satis diligens, & vir dignus cui rescribatur. Sunt qui me incitant: ego dico quærendum ex judicibus nostris aliquem, cui id muneris delegatur. Res Papæ hîc multum procedunt, sub quibus aliqui & Hispanicas putant latêre. Interim & nostris datur pecuniolæ aliquid & Dani Legatus spe sustentatur. Ego video Anglum, Danum, Venetos, Gallum, seorsim res suas agere & quemque ad pacem, aut servandam aut restituendam spectare. Ita tandem in nos cudetur faba. Vtinam eæ offerantur leges perpetuæ aut temporariæ pacis, quæ nos tolerabili loco relinquant. Nam planè magnas clades prævideo. Rogo has literas ad Hortulanum tradendas cures, meas & Tileni pro ipso & pro Grevinchovio meas: & parentes nostrosque omnes salutes meo nomine. 6 Februarii 1627.

Tuus tibi devinctissimus H. G.

EIDEM.

145 SCripseram ad te jamdudum, mi Frater, orare me, oratum à Lomeniaco mihi bene volente & magnæ dignitatis viro ut aliquot ad me transmitteres exempla fœderum nostrorum cum Indis. Addideram non dubitare me, quin essent satis multa quæ nullam rebus nostratium fraudem allatura essent. Repetiit ille preces suas & ego meas. Et hac occasione rogo ut quicquid inter libros aut chartas meas est pertinens ad longinquas navigationes id omne corradas & data occasione mihi transmittas. De Hexabiblo ab amicis urgeor. Novi nihil hic magnum. Angli quotidie plurimas Gallorum naves capiunt. Dani Legatus hic quotidianus est pecuniæ flagitator, cùm interim, ut audio, Rex ejus nec cesset aures præbere pacis conditionibus: neque improbo, dum non adeo sint damnosæ quàm fuerunt hactenus. 20 Februarii 1627. Vale, mi Frater, cum parentibus & res nostras cura ut soles.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

LIteras tuas, Parens optime, tum illas 15, tum alteras 21 Martii datas rectè percepi. Vtraque perlatæ 146
seriùs quàm oportuit diebus quatuor aut quinque: cera oblisa. Nimirum non desinunt curiosi homines nostro literarum commercio insidiari, cùm tamen nihil sit in illis præter studium literarum, res Domesticas, & siquid publici bona vota. Quid ex illo de quo scribitis colloquio futurum sit, tempore magistro docebimur. Editionem Hexabibli properari opus est aut huc remitti autographum: valde enim urgeor. Si ibi editur, commendanda amicis aliquot correctio typographica. De institutionibus Iuris Batavici quod mones Frater gratias habeo. Partes descriptas credo. De integro planè credibile mihi non fit: sed puto spargi eam suspicionem ab iis qui ea ratione faciliùs me sperant adduci posse, ut meum exemplar ipsis edendum largiar de quo ampliandum adhuc videtur. Sunt enim multa in moribus posita de quibus alios fori peritos consultos velim. Longa enim mea à foro absentia me erroribus patentem fecit, itaque optem alienis quoque auxiliis niti. Nos rectè valemus. Vxor, soror, filia iter meditantur. Cardinalis Ricelicus urget negotium de navigatione & commerciis. Exspectatur & puerperium ejus quæ Fratri Regio nupta Reginam quam gradu sequitur uteri fœcunditate parat anteire. Vale, Parens optime, cum matre & propinquis. 10 Aprilis anni 1627.

Tuus tibi obedientissimus filius H. G.

GVILELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

VXor, Frater dulcissime, itineri imminet, quæ ubi ad 147
vos venerit de ratione curandi literas vos edocebit. De Camerario jam ante intellexeram aliquid. Vereor ne audiat illud Homericum μάψ κακῶν. Berckhoutium à periculo pœnæ imaginariæ quidem, sed tamen ignominiosæ per amicos potentes liberavi, meque constitui prædem fore ut judicio se sistat si opus est, iudicatumque faciat. Ex eo liber illi per urbem incessus fuit: & cum Polono nobili res aliquoties proximè certamen, sed quod aliorum interventu dirémptum, ac postremo Marescallorum Galliæ auctoritate compositum negotium in formulam quam mitto. Nunc si Thomas jus suum privatum judicio persequi velit, defendemus Berckhoutium qui cum comitatu Ducis Guisii in Provinciam abiit, Italiam proin visurus. A criminali persecutione facilè eum liberabimus. Prædicat omnibus Thomas absque me fuisset haud dubiè obtenturum se fuisse, ut Berckhoutius aut in vincula duceretur, aut ea ferret quæ criminum rei absentes solent. Nos ostendimus ipsi nihil à nobis actum ipsius odio. Itaque amicos nostros qui vestibus opus habent ad ipsum allegamus: & ipse nos heri ut testaretur omnem offensam ab animo suo abesse prandio excepit. Si Mairius excudere differt librum, erit is ad me remittendus, ut amicis fidem meam appellantibus satisfaciam. Scripseram antehac putare me addendam Cathechesin Latinam: sed rem reputans, vereor, quædam in eo libello sint quæ obstent quominus ubique cætera vendantur, cujus rei nobis imprimis habenda cura est. Libro quinto qui est adversùm Iudæos in paragrapho qui ostendit Messiam venisse ex præsignificatione temporis, designavi sine nomine magistrum Hebræum, qui annis quin-
qua-

quaginta Dominum nostrum præcessit, negavitque ultra quinquaginta annos protrahi posse tempus adventus. Nomen tunc non succurrebat. Post reperi esse Nehumiam. Itaque scribe in eo loco. *In Iesum tam bene convenit, ut magister Hebræus Nehumias qui annis quinquaginta eum præcessit, apertè jam tum dixerit, non posse &c.* Vale, mi Frater, cum parentibus & amicis. Filium meum perge ad studia literarum animare. Lutetiæ Calendis Maji 1627.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

148 VEnit ad vos, Frater optime, uxor cum filia, quæ meum quoque locum apud vos implebunt. Mitto simul Phœnissas Græcè emendatas, versas Latinè. Si ibi erit qui edere volet, & erit fortè Iansonius, rectè: sin minùs, inveniam hic cui allubescat. Character ille de quo scribis ad Hexabiblum nimium exiguus videtur. Probem illum qui est in Iuvenalis Rigaltii, aut non minorem. Edenda sunt quæ ab omnibus legi & cum voluptate aliqua possint. Gratias ago pro iis quæ 25 Aprilis nuntiastis, & lubet intelligere quorsum res evasura sit. De rebus nostris perstamus in *facti* proposito, ut ex uxore intelliges. Mutandum erit sigillum. Nam literæ tuæ resignatæ fuerunt in qua domo minimè arbitraris. Camerarii literæ Francofurti publicatæ sunt, nemini amicorum Regum aut potestatum parcentes. Videtur mihi nullus illi angulus præter Suetiam restare. Tu cum uxore & familia ut semper rectè valeatis, Deum precor. 12 Maji 1627.

Tuus tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

149 SEmper est, mi Frater, unde tibi gratias agam: & nunc sanè maximas pro transmissis tot libris & iis quæ exinde 27 Iunii scripsisti. Legi Scaligeri literas præferentes ubique heroicum ἦθος ut fervidum, ita apertum. Legi & Heinsiana in Nonium, vix tanti auctorem: in Iohannem multa sunt ab aliis dicta. Conjectura in qua maximè sibi placet ubi ὀχύπτῳ pro ὑπώπτῳ, vult reponi, valde Salmasio displicet & magnis argumentis improbatur. Περὶ τῆς τριάδος multa passim invenio ἀσύστατα quod accidere iis solet qui in istis volunt nimium ὑψηλοφρονεῖν. Mihi valde semper placuit illud Basilii in hoc argumento: προσήκει ἀγαπᾷν τοῖς ἐν τῇ γραφῇ κειμένοις ὀνόμασιν ἐπιμένοντας διὰ τούτων θεοπρεπῶς τὴν δοξολογίαν ἀποπληροῦν· qui & vocem quandam in Scripturis non exstantem ὡς οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς κειμένην σιωπῆσαι ἂν δικαίως ἀξίαν φήσαιμι· inquit: & cùm de voce illa γέννημα ageret: πόθεν, inquit: λαβών, ἐκ ποίας διδασκαλίας, τίνος προφήτου, τίνος τῶν ἀποστόλων τὴν προσωνυμίαν ἐπιφημίσαντος, Ejusdem est & illud sapientissime dictum: χρὴ εἰδότα ὅσος ὁ κίνδυνος ἀφελεῖν τι ἢ προσθεῖναι τοῖς παραδεδομένοις μὴ παρ' ἑαυτοῦ φιλοτιμεῖσθαι καινοτομεῖν, ἀλλὰ τοῖς προκαταγγελμένοις ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐφησυχάζειν. Monet me hæc editio quàm malè mecum agatur quod versio sex librorum non prodit, multa enim videbor Heinsio eripuisse, quod precaveri potuerat, si statum pollicitis fuisset. Ergo aut quamprimùm exeat aut ad me redeat liber, ut amicis saltem privatim usum ejus postulantibus satisfaciam. Etiam hoc habent tardigradæ editiones quod semper aliqua mutandi cupido scriptorem subit. Expertus jam hoc es aliquoties. Addam & nunc aliquid. Libro IV. §. ult. in autographo reperio. *Iulianus tantus Iudæorum hostis* cùm scribi debuerit *Christianorum.* Habeo autem sexto §. antepenultimo inter causas cur Christus filius Dei dicatur præcipua omissa est, cui vitio medebimur si post verba *Dei opera vim paternam supplente natus est*, addamus quod *in vitam revocatus.* Ego Heinsium nobis non optimè velle arbitror, primùm ex æmulatu veteri, deinde factionis studio, postremo & aliorum malignis artibus per quas & alios à me abalienari sentio meo nullo merito. De Edictis & eorum eventu vide sæpe nos instruas. Ego quamdiu illa servent & pastores Lupisteni retinentur, non video in nostro negotio quicquam moveri posse cum spe bona. Itaque ἐφεκτέον. Losecatio gratulor, tantùm opto proprium hoc ei evadat. Rhedani historiam nondum relegi, nam legi olim scriptam & probavi tum fidem, tum diligentiam. Litem Middelhamistiacam brevi absolvam. Sed libri Iuris mihi desunt. Hic nemo præter Cujacium legitur, ego illos barbaros non repudio. Præscriptionis disputatio rem non parum intricat. Dabimus operam ne consilium ipsis nostrum desit. Vale, mi Frater, cum optimis parentibus, conjuge tua, tuisque & nostris omnibus. 10 Iulii 1627.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

ET patris & tuas, mi Frater, literas accepi per D. Intimam, cujus negotium juxta ac meum curabo. Iam ante & illas per Dimmerum & quæ per Langeracensis scribam miseras rectè acceperam, idque jam monuisse me puto. De Heinsii Aristarcho jam aliquid scripsi. Sunt sanè multa non spernenda. Sed miror de Hexabiblo nihil me audire. Hic enim urgeor. Quod nuper scripseram, de addendis voculis aliquot ad disputationem adversùs Mahumetistas ubi de appellatione filii Dei agitur re meliùs expensa revoco. Disputandum enim est ex confessis, & Mahumetistæ ascensum Iesu in cælum confitentur: reditum in vitam non agnoscunt, quin nec ipsum volunt in cruce mortuum nisi φαντασικῶς. Itaque maneat ut fuit. Losecatio opto fausta omnia. De Rotterodamensibus aveo doceri quid in posterum facturi sint. Vale, mi Frater, cum tua tuisque. 17 Iulii 1627. 150

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

FAcis pro solita tua bonitate, mi Frater, quod me rerum quæ apud vos aguntur ignarum esse non sinis. Recepi tunc & quas 18 Iulii & quas Calendis Augusti dederas. Perplacet decretum de navibus quæ non proxima tantùm, sed & longiùs absita maris observent. Grolæ obsidio ut ex voto succedat opto, saltem ut hac in parte sublevetur res nostrorum ab amicis prope omnibus deserta. Anglos Redani insulam jam tenere si non fama didicisti ex hoc Regis Edicto intelliges. Defenditur à Gallis in insula eadem castellum Sancti Martini, famem magis obsessæ multitudinis quàm armorum eventus sperantibus, Anglis qui ad sex mille esse dicuntur, cùm in castello sint bis mille admodum. Non ita clausum est Anglicis navibus mare, ut non scaphæ duæ victum ferentes per depressa penetraverint, cum spe eadem sæpiùs pari successu audendi. A Sabaudo multum erat metus, quia copias satis magnas habet, & secum Comitem Suessionensem infensum huic Aulæ: sed minuit hunc terrorem Dux Regi auxilia sua offerens. Dani negotium tum in numeranda ipsi pecunia, tum in milite conscribendo tardè procedit, quò magis & ipse & alii Principes pacis cum Anglo suasores sunt, & operam pollicentur, contra faces ingerente Hispano, cujus negotium agunt etiam qui minimè id cupiunt. Argentorati Leopoldus firmat res Cæsaris, occupandæ Galliæ occasionem in usus suos rapiens. Deliberatur hic de Legatione splendidiore ad nostros mittenda, ne & ipsi augeant Galliæ mala. Spero si quis eò iturus est, nostris rebus minùs iniquum fore, quàm is fuit qui nunc reditum ultro dicitur postulare. Transeunte hac nuper Berchio vidit me is qui Pastor familiæ ipsius fuerat. Narrabat se habere ἀνέκδοτα quædam magni illius Pauli Servitæ. Inter cætera scriptum breve

Digitized by Google

breve de arcanis Papatus, quod si ipse non est editurus mihi describi pervelim. Si qua cum Anglis invenitur pacis ratio, recalescent hic consilia de longinquis navigatibus. Ego, ut si qua in re consular, parata habeam quæ opus est, oro te per uxorem, aut siquis alius huc venit, mihi mittas hæc quæ puto esse in pauperrima nostra supellectile libraria: Decisiones Rotæ Genuensis cum accessionibus. Consulato del Mare: Statuta Angliæ: Dictionaria Hispanicum, Italicum, Anglicum. *De Zeerechten. De Handvesten in Keulen na Amsterdam. Placcaten en Ordonnantien van Gelderland, Utrecht, Overyssel, Vriesland, Groningen.* Peckius de re nautica. Leges Græcæ de rebus nauticis, rusticis, militaribus in 8. Ad hæc velim adjungas. Logica Molinæi, Metaphysica & Physica Iacchæi. Puto esse etiam in meis schedis congeriem eorum quæ ad res naufragorum pertinent; eam addi velim. Incidit enim nuper nobilis quæstio in qua fermè omnes periti morum se occupant. Placet quod de libris scribis de Veritate Religionis Christianæ. Exemplaria exspectant hîc amici, præsertim is cujus in gratiam operam hanc suscepit Bignonus. Sed de Phœnissis quidem rogo memineris. Si ibi nemo avidus est, erunt hic qui pro beneficio accipient. Sed ego nostrates prælatos cupio. Vale, Frater optime, cum parentibus, uxore, sorore, marito ejus aliisque cognatis & amicis. 13 Augusti 1627.

Tuus ut Fratrem decet H. G.

EIDEM.

152 SCripseram nuper ad te, Frater optime, de Heinsii libro. Repeto nunc multa esse non spernenda, sed horum non pauca sumta ex Scaligeri literis, ex Deucero, Fuldero & Seldnero, non nominatis his qui erant ut Philo loquitur πατέρες τοῦ λόγου. Quò magis introspicio, eò magis verum comperio omnes eos qui περὶ τριάδος volunt supra τὰ ἐν τῶν γραφαῖς κείμενα sapere pœnas dare τῆς ὑψηλοφροσύνης. Studio aliis contradicendi eò dilabuntur ut sibi ipsi contradicant. Vel paginam ejus quem dico libri 272 considera. πραγματικὸν dicit esse id quod est ὑποστατικῶς id est id quod re, non mente ac ratione distinguitur. Mox progediens essentiam in divina Trinitate ait re, proprietates autem personarum mente distingui. Atqui γνῶσις illa ἠγαλθεικὴ est inter proprietates personales, quam cùm ait fateri πραγματικὴν, & πραγματικὴν interpretatur re diversum, planè huic stat, inde dicit. Deinde quis vel modicè versatus in istis tricis concedat bonitatem & voluntatem Dei re distingui? Aliter planè sentit schola Græca & Latina, an rectè nunc non disputo. Sed qui consensu & receptis sententiis auram captat de hoc cogitare debuit. Mihi constat Patres in explicatione harum rerum plurimum dissensisse, etiamsi vocum quarundam sono inter se conveniant: quæ sex repertæ sunt, bono affectu, successu non semper optimo. In illis quæ citat excerptis valde dubito an non exscriptor πραγματικὴν posuerit, cùm ponere deberet παραγματικὴν: qua voce video Græcos sæpe uti. De libris ex nostra supellectile & chartis quas ad me mitti velim, nunc non repeto. Velim explores penes quem sint chartæ quæ in ædibus Basianis mihi ereptæ sunt: deinde ubi sint libelli quidam typis excusi quos cum chartis utendis mihi Hottomannus dederat. Varia hic sunt judicia de Anglicana Expeditione. Constat in castellum quod nunc obsidetur importata esculenta quibus se sustinere possint ad finem Octobris. Qui præsidium regit Toirasius scribit Regi, qui nunc morbo liberatus est, à vi nihil se metuere. Et sanè videtur non frustra id sibi polliceri, nisi fortè quod quidam jactitant majores ex Britannia copiæ advenient. De aqua potabili, hæsitatur. Constat ante obsidionem unum fuisse in castello puteum: & qui extra sunt ab Anglis corruptos. Vnum autem non sufficere copiæ eorum qui obsessi sunt. Efficiunt enim tria ferme millia. Sed asseverant nonnulli novas venas ab obsessis repertas: quod compertumne sit, an ut in bellis multa ad famam sparguntur, ostendet dies. Medicamentorum penuria vexat obsessos. Toirasius centum quinquaginta ægrotis exitum petiit, nec impetravit. Mitto ad te Epistolas Casauboni ad Tilenum rogatu Puteanorum, quas rogaverat Elzevirius. Sed ipse non immeritò timet ne & non evulgentur hæ literæ, Riveto intercedente in Molinæi gratiam: sunt enim multa contra illum: & ipse autographa hæc perdat, quæ ut meretur viri magni memoria, magni facit. Postea perlectis literis nihil magni reperio, quod Molinæ fautores possit offendere. Itaque & ille & ego tuæ committimus fidei, ut si fieri potest edantur cum cæteris, certè utcunque res cadet, ut sua ad ipsum redeant. Summum in Italia amicum habeo Guiscardium, Ducis Mantuani Consiliarium. Is quid me roget videis ex scheda hac sermone Italico. Rogo igitur per amicos fidos compares exemplum testamenti Guilielmi de Ponte. Quicquid impenderis, de mea pecunia deduc. Res ita curetur, nequid rescíscat Octavius defuncti frater. Inquire etiam an quid jus peculiare sit Trajecti de testamenti factione aut successione peregrinorum, & an jus civitatis defunctus obtinuerit. Sed quantum ego memini in nostris regionibus exteri in rebus illis pari jure cum civibus habentur. Hoc negotium tibi commendo, quantum possum maximè: cum Legato Langeracensi de instaurando fœdere colloquuntur Bulionius Senator ac Castellinovanus. Espessium huc redire rumor est, sed qualis diu non fefellit. Saluta quæso parentes & amicos. 22 Augusti 1627.

Quæ his inclusæ sunt alteram ad Medium, id est, ad hortulanum, altera ad Nieuportium cures velim. Nascuntur sub manum negotia quibus te onerem. Rogat amicus meus vir potens rescíscas, possitne Iacchæus eò adduci ut Lutetiæ velit vivere per biennium, accepturus honorarium quingentos coronatos annuos, ut separatim habitans domum illius veniat & de studiis philosophicis quantum otium ipsius fert quod exiguum est, conferat. Si hæsitat, an huc velit transcurrere per ferias, itineris sumtus sive conditio placuerit sive non ab ipso recepturus. Vale mi Frater.

Tuus totus καὶ ψυχῇ καὶ χειρί H. G.

EIDEM.

QVas 8 Augusti ad me dederas literas, mi Frater, trigesimo accepi. Responsum distuli quia nihil certiorem quod hinc nuntiarem, cùm de castelli Sancti Martiniani obsidione planè contrarii spargantur rumores, ita tamen ut credibiliores sint qui defendi diu posse desperant. Etiam febricula quædam mea intervenit, qua nunc Dei ope liberatus sum. Tibi pro perpetua rerum mearum cura summas habeo gratias, quibus hoc addas velim, ut perveniant ad me chartæ librique, de quibus scripsi antehac, & cum iis exemplaria bina Etymologiæ & Syntaxeos. Nam quæ habuit Petrus partim perdidit, partim abusus est. Siqua invenire aut retrahere potes farraginem librorum typis datorum duobus aut tribus non magnis voluminibus, quam mihi olim cum chartis Licestrianis utendam dederat Hottomannus, erit id mihi gratissimum. Certè operam des rogo, ut per te fidem meam liberem. Miserant ad me nuper Oldenbarneveldii Eliz liberi litem Middelhomissianam. Eam remisi cum commonitorio, quod qui describeret neminem hic habui. Itaque eos ad te allegavi, ut qui meam quamvis festinantis manum nosses. Hac quoque in re operam tuam imploro, ne unquam desinam oneri tibi esse: quasi verò parum sit quod de Mantuano negotio nuper te rogavi atque etiamnum rogo. Nam is qui à me id desiderat valde est amicus mihi. Romæ lectio librorum meorum de Iure belli cum permissa 153

missa aliquamdiu fuisset, subito interdicta est, & simul Apologetici & poëmatum, excusantibus severitatem inquisitoriam Quiritibus qui cum Cardinali Barbarino literarum amante Lutetiæ fuerant ac me viderant. At mea sanè nihil interest, an Romæ legar. In Gallia ejusmodi Edictis non asscribitur bonum factum, nec eorum ulla habetur ratio. Iam nunc intelligo in armis esse Rohanium, & in hoc laborare ut civitatum studia sibi adjungat. Etiam Sabaudus cum Suessionensi Comite temporibus imminere creditur. Multi & Principis Condæi cum Espernonio colloquia formidant. Literas has ad patrem rogo quamprimum cures. Vale, Frater optime, cum conjuge & familia. 11 Septembris 1627.

Tuus animo non minùs quàm ortu Frater H. G.

EIDEM.

REdit ad vos, mi Frater, Intima relicto hic filio, sed excarcerato. Ego quam potui navavi operam consilioque adfui: nam aliarum rerum arcta satis nobis copia est. Gaudeo planè id ei contigisse, cujus causa hic venerat. Obiter etiam Aurelianensem lauream est consecutus: quæ fori non ignaro fructuosa erit apud suos Frisios. Litis suæ spem in tua industria collocatam habet. Hora est una aut altera, cùm tuas illas cum Grollanis pactionibus accepi. Hexabibli exemplaria amici avidè exspectant. Rotterodamensibus constantiam opto, & ut in alios exemplum transeat. Puto pervenisse jam ad te literas quibus Mantuanum negotium commendabant. Id nunc repeto & de Iacchæo. Poterit huc sine damno suo transcurrere & videre quid è re sua sit. Itineris impendia refundentur. Casauboni literas ad Tilenum misi nuper, quarum editio, aut certè αὐτογράφων restitutio tibi juxta mea cordi sit rogo. Addo nunc duas ad Fabriottum quas à Puteanis accepi. Hic bellum cum Anglis fervet. Castellum Sanctimartinianum obsidetur etiamnum, auctum nuper commeatu, quem in finem Octobris suffecturum sunt qui sperant. Regis frater est ad exercitum, Rupellam clausurus magis novis munitionibus, quàm oppugnaturus. Eodem Rex iturus creditur cis hos octo dies. A Dano Legati hic exspectantur qui nunc in Britannia sunt, auxilium rebus fessis postulaturi, & pacis, si parati ad accipiendam erunt animi, suasores. Pro ea & ego vota facio cum meo libro de Iure belli ac pacis quem Buonus, sed jamdudum vanus se recusurum promittit. Vale, mi Frater, optimè. 16 Septembris 1627.

De Phœnissis quid fiet? Vxorem tuam officiosissimè meo nomine salutes rogo. Omiseram pene addere id quod vel præcipuum erat, magna opera rogare me ut litem nostram de bonis publicatis sine ulla intermissione persequaris. Scaphæ quæ victum castello Sanctimartiniano intulerant saucios revexerunt.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

55 DIes sunt quinque aut sex, mi Frater, cùm ad te per patrem Intimam literas dedi. Invenit is viduam inquilinam meæ domus quæ ei undecies centum Florenos credidit in libertatem filii quem sibi generum destinat. Ea fœmina nunc ex ædibus emigravit meis Intimam secum quasi suum jam captivum ducens. Adolescens ipse ut lætus reperta libertate, ita onus adjunctum videtur perhorrescere. Pater intra tres menses soluturum se ipsi promisit, quod ni fit, novus carcer juveni imminet nisi eum aut fuga aut matrimonio evadat. Et hoc quidem privatum. De publicis nihil sanè magni. Duæ rursum scaphæ alimentorum aliquid in Castellum Sanctimartinianum intulere, rem non longæ moræ. Itaque deditio exspectatur eoque magis quod & Hispanica auxilia cunctantur, & Gallicæ naves tardè armantur. Abiit Rex & Cardinalis in Rupellæ obsidium; Regina matre cum maxima potestate ad res Regni relicta. De pace sermones non desunt, res nondum apparet. Fuit in castello obsesso Sansurinus nobilis Gallus Religionis Reformatæ: qui ad permutandos captivos, & id genus belli commercia in castris Anglicis fuit aliquoties: & cùm frustra Toirasii qui castello præest jussu petiisset exitum fœminis & infantibus obsessis, negante id Buchingamo, sed ita ut à pace generali non alienum se ostenderet; Toirasius autem respondisset Regem à se consulendum, placuit Buchingamo propinquum quendam suum ire cum Sansurino ad tentandum de pace Regis animum; sed eum Rex ut non à Rege missum, nec ab ipso Buchingamo ullas ferentem literas ad se admittere noluit, seu quod successus ille navicularum quæ in castellum penetrarant, addiderat animos, seu quod spes adversùs Rupellam cætera infra se premebat. Quid ultra sit futurum caliginosa nocte premit Deus. Rex interim suorum damnis obviam it clauso mari, ut hoc Edicto doceberis. Quod si pax coit, magna hic tentamenta promovendi mercatus ac navigationum, qua super re capta in Parlamento deliberatio cum rebus aliis ad Sancti Martini diem prolata est. Exemplaria Hexabibli tibi ac patri retine, da quoque tribus affinibus meis Hoofdio quoque, optimo Vossio & Iacchæo. His addendus Heinsius quia Nonnium ad me misit non religatum. Quæ restant exemplaria hic suos invenient dominos. De Arcanis Papatus iterum te rogo, ut & de Mantuano negotio & Iacchæi. Puto enim jam quæ cum Santhorstio miseram ad te pervenisse: & quæ deinde scripsi una cum literis ad Eliæ Oldenbarneveldii filium. Libros qui nondum tibi occurrerunt habuisse me memini, nisi quod Hispanicum Dictionarium alicui fortè utendum dedi. De legibus maritimis liber est in quarto cæruleo tegmine. Amstelodamensia statuta in folio. Velim mittendis libris accedant si id ante non monui Keckermanni Systema Politicum & Theses. Patri jam respondi, eas quoque literas per Oldenbarneveldium recipiet. Vale, mi Frater, cum optimis parentibus & uxore atque amicis: mea quoque si apud vos est, cui nunc non scribo. 26 Septembris 1627.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

OCcasio invitat me ut scribam cùm alioqui ex quo ad te scripsi, mi Frater, nihil admodum novi evenerit. Manent enim omnia eodem in statu. Castellum Martinianum putatur à deditione esse non longè, ni iterum bona aliqua fortuna faveat victum inferentibus. Rupellam Rex hac hyeme vult claudere, sperans vere venturo peragi posse obsidium. Mitto ad te duas Casauboni ad Fabriottum Epistolas quas rogo edi cures ubi paratos videris Elzevirianos. Litis meæ prosecutionem summo tibi opere commendo. Literas accepi ex Polonia à Carolo Grandi qui matrem nostram, te cum uxore & Graswinckelium cum gratiis salutat. Scribit ita bene sibi à Deo prospectum, ut ipse felicitatem suam indicare verecundia impediatur, sed didici eum ex Gallo nobili qui inde recens adveni. Est ergo Carolus ille qui nuper in summa versabatur egestate & nullum laborem ad parandum victum recusabat apud Regem Poloniæ hortorum & ædificiorum præfectus, cum annuo honorario supra ter mille florenos, muneribus præterea extraordinariis auctissimus, in tanta apud Regem & Reginam gratia, ut ad intima penetralia admittatur cum ense, quod nulli Polono concessum. Rex nuper ægrotans plus ipsi quàm medicis omnibus credidit. Habitat splendidè: Gallos omnes satrapicè excipit. Cancellarius & Palatini quotidie ejus amicitiam ambiunt. Hæc sunt Dei opera quoties subitò res alicujus mutare statuit. Siquis amicorum in Polonia negotium habeat, habebimus suffragatorem. 156

Vale

Digitized by Google

Vale, mi Frater, & vel hoc exemplo erecti audeamus bene sperare. Parentibus salutem. De Iacchæano & Mantuano negotio quin memor sis non dubito. Lutetiæ. Cal. Octobris 1627.

Ad Medium rogo has literas cures.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

157 NOn scriberem nunc ad te, mi Frater, nisi urgeret res super qua consilium poscis, quod ego mihi magis honorificum quàm tibi utile sentio tam longè remotus à rerum vestrarum notitia. Tranquillitatem advocationis & nulli magis quàm velis obnoxium vivendi genus non immerito te mulcet: nec injuria ingenia ad quæstum facta & bonarum artium ignara reformidas. Fortè & assiduus labor oneraturus sit valetudinem tuam. Rursum video non esse abjiciendas occasiones quæ rem familiarem loco meliore collocare possunt. Nec spernenda quæ de propagandis amicitiis & hoc rerum salo nobismetipsis muniendis prudenter proponis. Ego sicut calidam ambitionem non probo, vel ob hoc ne siquid durius incidat habeamus in quo nosmet accusemus, ita bonorum consensum prope est, ut pro divina vocatione habeam. Quod ergo à vobis negotiisque vestris tanto intervallo dissitus possum, Deum oro feliciter ut tibi hoc omne publicoque eveniat. Tum verò suadeo ut & Mermanni nobis optimè volentis & ipsius Borelii qui hoc munere functus est consilio utaris: & illud non negligenter explores quæ Borelium causa ad relinquendam eam stationem impulerit. Nam & hoc ni fallor tuam deliberationem instruere poterit. Vale, Frater optime, rerum novarum nihil scribo: quia quicquid est, id hodie ad te jam perscripsi literis quas mercatori Rotterodamensi dederam, paulò antequam tuas acciperem. Phœnissas, rem Mantuanam & Iacchæi non opus est tibi commendem, quando satis memorem video. Pridie diei qui liberato Lugduno sacer. Lutetiæ.

Tuus germanus H. G.

EIDEM.

158 POstquam interiores has scripseram, mi Frater, retento hic Mylio, tuas recepi quas ad me dedisti 15 Septembris. De Heinsio hoc addam multa ab eo in Nonno reprehendi & quidem *μάλα ἀποτόμως* quæ eximiis exemplis se tuentur. Ridet quod 11 capite *μέτρα* dixerat pro definita quadam mensura. At eo sensu ea vox exstat Iliados H. in fine & alibi apud Homerum. Deum dici *αὐτοφυὴς, αὐτογένεθλος αὐτόγονον* vult esse diabolicum. Atqui frequentissimum id, apud Patres receptum quoque. Theologi sæpissime dicunt Deum esse à se, *ἀκύρως* sanè. Sed quid ferme est quod possit de Deo *κυριολεκτικῶς*. Statuta illa Geldriæ & aliarum Regionum putabam mihi data à Miropio jussu Cameræ rationalis. Quæ Hottomannus repetit sunt farragines quædam libellorum exiguorum qui typis dati sunt in nostris maximè partibus, lingua Gallica plerique. Puto esse duos aut tres tomos non magnos nec uniusmodi formæ. De cura pro Cornelio gratias tibi ago & rogo pergas. Gallia hic gaudet importatis in Castellum alimentis, unde spes Anglos aut abituros aut venturos ad conditiones. Sed obstat quod Rohanius & aliquot civitates ejus auctoritatem secutæ (neque enim omnes) ita se illigarunt Anglis, ut alteri sine alteris pacem facere nequeant. Regi autem omnis pactio quæ Anglum rebus Galliæ immisceat magnis de causis & recenti experimento suspecta est. Vale, mi Frater. 14 Octobris 1627.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

HAs scribendi occasionem mihi dat Mylius ad vos 159
quidem proficiscens, sed non sine circuitu. Ideo novi nihil scribo, antequam enim ad vos pervenerit, vetus fit futurum, & siquid est rectiùs ipse nuntiabit. Vossio respondeo: scribo quoque ad Stangerum & filium meum. Eas omnes literas tuæ, ut omnia mea, curæ diligentiæque commendo. Optabo scire quem eventum habiturus sit Hollandiæ conventus, præsertim de illis rebus de quibus ad me Pater 26 Septembris scripsit. Siquid hic posthac magni evenerit aut te certiorem faciam, aut affinem Reigersbergium. Valemus omnes. Tantundem tibi, tuæque familiæ, parentibus, propinquis, amicis optamus. 16 Octobris 1627.

Tuus tibi natura officiisque tuis devinctissimus H. G.

EIDEM.

QVas ad me dedisti, Frater optime, 10 Octobris, 160
serius ad me, id est, nudiustertius pervenerunt. Ante eas receperam jam partem ex testamento Mantuano, sed solidum exspectaveram, quò rectiùs dijudicare possim & amico optimè de me merito consilium dare. Itaque cùm discessurum se diceret Suecus nobilis Sternschildius, scripseram ad te literas quæ & ipsum commendarent, & te rogarent ut in hoc officio perseverares, totiusque testamenti exemplum ac simul indulti Curiæ Vltrajectinæ cujus in testamento est mentio, mihi transmitteres. Addideram literas ad Actuarium Vrbis Neoportium, nunc Consulis filium ut adjutor esset, sed ille Suedus adhuc ut video hic detinetur. Quare hæc repetenda duxi, & si opus ad Neoportium iterum scribam. De Iacchæo rogo videas quid ipsi sit animi. Si planè bono loco sunt res ejus Lugduni, nihil mutet: sin minùs, poterit vere huc transcurrere sine damno, nisi interea aliud nuntiavero. De Intima exspecto quis hic futurus sit exitus, nam multum distant consilia creditricis & ipsius. De Phænissis, ubi procedet editio, cogitabo cui eam inscribere debeam & fortè Memmio. Litem omnino & quantum fieri potest urgeri pervelim. Exemplaria libri mei quæ Mylio & Vossii liberis dedisti im gratiaque habeo. Mylio quando suo tam bene usus est, reddendum est aliud. Ego quatuor tantum accepi ea Leiradia: nam uxoris discessus eorum adventum antevenerat. Pro iis solvendi mihi fuere sex floreni, quare occasio bona opperienda est. Dum eum librum relego, inveni præter annotata, magnum mendorum numerum. In iis quæ distribui exemplaribus correxi mea manu. Velim in cæteris tantundem typographus fieri curet. Sunt enim quæ sensum vitiant. Cognosces ex hoc indice. Non apposui verba quæ in contextu apparent, quia facilè inter relegendum succurrent collata cum iis quæ sunt surroganda. Vxor & nostra familia rectè valent. Hic de pace sermones satis multi, sed non satis procedit negotium. Rex Chombergium & Bassompetram jussit cum sex millibus militum, proficisci in insulam Redani, ut depellantur Angli, antequam aut deficiant illata in Sanctimartinianum cibaria, aut novis ipsi castellis exædificatis Insulæ possessionem partiantur. Quò id evasurum sit, videbimus. Auxilium navale ab Hispania & Dunquerca serio exspectatur. Huc necessitas Gallos impellit, eò magis quod nostros inveniunt ut duriores loquuntur, perfidos, ingratos, ut ego sentio, ancipites. Lotharingus minuit copias, ita ut suspectus ampliùs esse non possit. De Sabaudo restat nescio quid suspicunculæ. Huc in scribendo perveneram cùm & alteræ mihi à te redduntur literæ quas 23 Octobris dedisti, in quibus & de Carolo Grandi & de tuo negotio. Carolo Grandi rescripsi & ei tuo quoque nomine gratulatus sum. Non credas quàm benignè

omnium

omnium nostrum meminerit. Tuum de re tua consilium cum meis cogitationibus optimè convenit. Secundet Deus & tribuat quod tibi erit melius. Miror tam citò librum meum ad Venetos venisse, ut & responsum redierit. De successore qui Langeracensi destinatur siquid intellexeris, fac me gnarum: & siqua extra ordinem Legatio decernitur, ut qui venturi sint ante sciam. Velim scire te posteriores tuas & quæ una venerunt reseratas fuisse: deinde verò literas alteras quæ ab affini pridie ad me missæ in illis dicebantur, ad meas manus non pervenisse. Illis quæ cum tuis venerant respondebo, ubi de eo negotio certi aliquid videro. Interim tibi, tuæ tuisque & parentibus atque amicis omnia precor faustissima. Lutetiæ 6 Novembris 1627.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Frater optime,

161 Binas à te & quas fine Octobris & quas sexto hujus mensis dedisti uno tempore, id est, hodie accepi, quarum argumentum præcipuum est de lite nostra. Planè consilium tuum laudo, ut ex meo scripto & Hogerbetianis optima colligas. De crimine Majestatis quod mones rectè tu quidem: sed ego qui nullum crimen agnosco, quo modo in hac parte morabor? Tamen satis ejus quoque in Apologetico tractatum est, ubi & hoc est abs re non alienum, judices delegatos semel definiendi munere functos nihil ultra adjicere posse. Interpretationem quoque non faciendam nisi partibus super hoc auditis. De privilegio Delphensi consideratis quæ Pater monet sanè hæsito. Sed utile erit factum hoc in lite asseri, usum privilegii semper talem fuisse qualem dicit Camerlingius, ut aut credant hoc nobis judices aut interloquantur. Placeat mihi ubi causæ conjectio perscripta erit consilium Dousæ & Strideni exposci, ut si de exitu diffidunt, deliberemus. Si Louwenburgius aut non poterit, aut non volet inter judices esse, putarem & ipsius exquirendam sententiam. Ego hic libros non habeo qui auxilium causæ subministrare possint. Pecuniam apud te retinebis donec nobis ea opus sit. Fœderi hic concepto arcana exceptio addita fuit, ne nostri bello huic inter Galliam & Britannos se interponerent. Miror quod scribis extraordinario Conventu opus ut exoretur Arsens ne Legationem defugiat. Nostro Losecatio opto aliquid magis proprium in locum fugitivi muneris. De jure civitatis Delphensis adhuc persisto in veteri sententia, me civem semper fuisse, nam nec abdicavi, nec decennio abfui, extra eos annos quos in studiis Lugduni, aut in advocatione privata publicaque Hagæ egi; qualis emansio etiam diuturnior de jure patriæ nihil immutaret. Nam & schola & judiciorum locus omnibus communia sunt. Quod siquis dicat Rotterodamum me ivisse animo ibi perpetuò manendi, conjectura hæc est cui alia opponi potest, ivisse me eo animo Hagam redeundi, quod multi ante me civitatum adsessores fecere. Britanni non Redensem tantùm, sed & adjacentem Riæ insulam modico diremtam ponte reliquerant: nec aliud jam quicquam præter mare possident. Buckingamus Regi captivos paucos quos habebat dono misit, ut multò plures potioresque reciperet. Successit his ars per Regis bonitatem, aut ut alii interpretantur δυσωπίαν. Simul per Gallum captivum quem suo Balthæo & ense donarat nuntiari jubebat Buckingamus Regi, se sibi gratulari quod Æneæ magni dextra caderet. Ita joco absolvit rem nimis seriò inchoatam. Rohanius suscepti à se hujus belli invidia, periculum adit & latebras quærit. Rupellæ Rex adhuc adsidet, portui claustra struens & civitati dissidia, ut ita malè parentes ad obsequium redigat. Vale cum optimis parentibus & uxore tua, mi Frater. 27 Novembris 1627.

Has literas ad Medium & Oldenbarneveldium cures rogo. *Tuus totus* H. G.

EIDEM.

Scripsi, Frater charissime, octo jam sunt dies ad Patrem, sed & quæ ad te magis etiam, quàm ad ipsum pertinerent. Hoc ipso die tuas accipio datas 28 Novembris: miror tam sero perlatas, & in prioribus literis ea super re meas conjecturas ac consilia exposui. De Britannorum clade & abitu omnia ordine affini Reigersbergio exposueram, & quia temporis angustiis prohibebar ad te scribere, nec satis justa erat causa multiplicandi literas, ipsum rogaram ut tibi partem faceret. De Legatione nostra non immeritò vereris ne sit βραδύπους χάρις. Quid in freto Cimbrico futurum sit, discere avebimus. Res magna est, & multum momenti in celeritate positum, antequam Imperator vires Ansiaticas secum trahat. Ex Mairio rogo resciscas an editionem suscipere velit & quo tempore, ut deliberem an tanti sit exspectare. Etiam ut penetres velim illud quicquid quantumque est de Institutionibus, si ita se res habet, magnum est flagitium, quicunque id in me admisit. Quid opus factu sit, postea viderimus. De Iacchæo intermittendum est. Nam is cujus agebam negotium, hac spe abjecta, alias aggressus est. Libros meos & recens recusa exemplaria exspectabo. Montacutius qui res Britanni in Lotharingia & Sabaudia egit, nunc est in carcere Bastiliano. XLIV Anglica vexilla in Ecclesiæ hujus urbis Cathedrali pendent, additis machinis quatuor. De Rupella varia sunt judicia. Nam alii arctatum aggesta utrinque humo portum, porrò demersis navibus lapide oppletis & catenis claudi posse sperant: alii ventorum & fluctuum incerta, eruptiones, etiam novam ab Anglis classem metuunt. Vrbs intus alimenta in annum habet, & hactenus mari prædas agit. Riceliacus vere venturo promittit sibi naves CCL, in quas menstrua L Florenorum millia impenduntur. Mitto ad te testimonium de vita Mariæ, cui tu addes de Zelandia mittendum de Diderico: & simul duas cartulas mea manu signatas quibus superscribes Apocham ad eam quæ nunc in usu est formulam. Parentes & proximos officiosè salutamus ego, uxor & liberi. 23 Decembris 1627. 162

IOACHIMO CAMERARIO.

Qvanti hic fias, eruditissime Camerari, & tuo & majorum tuorum merito, nolo mihi credas: satis, ut arbitror, ostendent hæ literæ viri Amplissimi Nicolai Peiresii viri in tantum digni à literatis amari, quantum ipse literas ac literatos veneratur atque æstimat: quæ quidem literæ ferme eodem tempore ad manus meas pervenerunt quo tuas accepi, meo certè bono, ut haberem aliquid remittendum ad te tua epistola dignum, quod à me sperare vix poteram. Illud vel pro testimonio, si opus sit affirmare insuper possim, Hieronymum Bignonum virum maximarum virtutum tuas quanti debet facere, id est maximi: Rigaltium verò & Puteanos fratres & Gothofredum tuæ consuetudinis desiderium sæpe profiteri: quos inter si me ponam injuriam, faciam aut mihi aut tibi, quasi parum notus sit tibi meus in te atque omne Camerarium nomen propensus animus. Invidentis verò sit ingenii, id quod nos maximè optaremus alioqui, consequi nunc velle cum incommodo & tuo & Viri Amplissimi parentis tui, cui ut tu rebus adversioribus fuisti solatio, ita nunc magis in prosperum fluentibus subsidio auxilioque esse debes, & reipsa ostendere quæsivisse te, dum ab ipsius conspectu abes, earum rerum copiam quarum ii maximè egent quibus alia omnia abundè sunt, Reges inquam summique Principes: quos inter qui animi magnitudine, rerum civilium ac militarium peritia cæteros antecellit divino quodam beneficio patri tuo non minùs in suo ordine eximio instruendus 163

Digitized by Google

atque ornandus obtigit. Afflavit nos his diebus aura boni rumoris, Moschos Principe destitutos ipsum sibi tanti imperii caput destinare: quod si verum est, erit cur votis, ipsique, sed magis Moschorum genti gratulemur: si non est, feret tamen magnus Rex fructum famæ de ipso dignè judicantis. Non possum hæc atque alia animo revolvens non magnopere probare institutum tuum, quo ad omnium literarum legumque studia artes mathematicas adjungis, quod non dubito te ita facturum ut non in abaco hæreas, sed in materia labore digna occupes sollers ingenium, & ad munitionum machinarumque cognitionem perducas peritiæ utilitatem. Vander Mylius noster puto jam ad vos venerit, cujus amicitiam si tam gratam habeas, quàm tua cura est ipsi, ego me utrique eo nomine obstrictum putabo. Salmasii Solinus circa finem, sed diu, laborat. Tanta est illi opulentia eruditionis, ut lassari nequeat bene merendo de lectoribus. Ad Eliberinos canonas commentarium paulò minùs quam paratum habet. Non cessabimus amici ipsum impellere, ubi de Solino nobis satisfecerit. Hæc sunt quæ nuntiare ego possim & quæ nuntiare equidem malim, quàm quæ geruntur publicè, libellos scilicet in Anglos quibus gratia potiùs habenda erat, quod tam facilè cesserint. Montacutium in carcere adversùs imminentem inquisitionem jura Legationis implorantem, Neptuno ad Rupellam injectos compedes, ipse magna claudendi exitus aditusque per transversos aggeres, quorum medio mergendæ naves cum lapidum pondere, fistucis adigendæ trabes, catenæ etiam parantur, satis ad hunc diem indulgentibus operi fluctibus & ventis. Quæ omnia ego æqua pace non mutem: cujus animi & te scio esse, Camerari optime. Vxor mea te quàm potest benignissimè salutat. Ambo tibi quicquid nostræ est potestatis offerimus, non vernilitate Gallica, sed Batava simplicitate. Scribebam ipso die primo anni 1628. quem tibi tuisque omnibus fortunatum exopto. Lutetiæ.

Tibi addictissimus H. G.

IOANNI GROTIO,

Consiliario Comitis Hohenlo.

164 CVm de cætero perinde sit, Pater optime, ad te an ad fratrem scribam, malo nunc quidem ad te dirigere literas, quod Delphis intelligam esse, minùs patere ad insidias quas artifices Hagæ magis indulantur. Fratri, imo & tibi, scio enim communem esse hanc vobis curam, grates habeo pro opera impensa in prosequendam adversùs fiscum litem in hoc duntaxat laborantem, quod ut sunt tempora, causa optima non nisi ἐχημαλογμένως defendi potest. Video Synodistas & eorum propugnatores satis vigilare: quibus si satis esset libertate & honoribus publicis frui nec aliis, qui nati sunt æquè liberi, jugum imponere vellent, poterant quietiùs vivere. Ego quæ hic gerantur ad affinem heri via alia scripsi qui participem quod non dubito, fratrem faciet. Ex eo hoc didici quæ & vos & per vos ipsum, velim cognoscere. Aureliani Hugonottus quidam, cùm spem nullam causæ istius expediendæ esse diceret præter cædem Regis, à Pastore qui aderat custoditus & in Magistratuum potestatem datus est. Ita hujus diligentia effecit, ne alterius delictum corpori imputari possit. Et illi jam patrocinium ab insania petitur. Montacutius in Lotharingia comprehensus alieno in solo, sine more, nisi idem Moersbergio evenisset, & in Bastiliam datus, misso ad se à Rege qui interrogaret, dixit penes Regem esse literas sibi ereptas. Cùm ultra quid ipse sciret interrogaretur, dixit scire loqui se Anglicè, Gallicè, Italicè, Hispanicè, præterea ludere omni genere aleæ chartariæ. Id Regi bona fide posse renuntiari. Ita ut minis insultat fretus jure Legationis. Rohanius Nemausi agit cum parte copiarum: Princeps Condæus illi oppositus adhuc suos contrahit: Idem in oppido Montilimario omnibus Hugonotis arma ademit, ac consulto quidem Præfecto ejus Regionis Crequiaco: pro omnibus mandatis habens jus sanguinis. Opus in portu Rupellensi bene procedit & retinet Rex adhuc Hispanicas naves metu Britannorum, apud quos sunt Legati à Rupella auxilium præsens & præcipuè alimenta in biennium orantes. Duci Mantuano mortuo ivit qui succederet, Dux Nivernensis ejusdem sanguinis & haud dubiè proximus. Hispanus tamen remotiorem quendam consanguineum, cui Principi Gastillio nomen, favere dicitur: & jam in oppidis partes ejus nomine surrexerant quas paucorum pœna oppressit. Obtenditur Imperatoris arbitrium exspectari debuisse cùm apud omnes sanos res controversia careat. Nova hic Edicta cuduntur corrogandæ pecuniæ in belli usus: Et Regio Fratri uxor destinatur virgo Florentina, si quod nuper deploratum sperari rursus incipit, Parmensis Princeps pacta sua in sororem minorem transferri patiatur. Qui perspectas habent res aggeris ad Rupellam, putant ante æquinoctium vernum vix finem posse imponi operi, nempe eousque ut ducenti aut trecenti passus Geometrici in medio pateant ad transmittendam maris violentiam, ne undique exclusa viam sibi vi faciat. Fratris literas quas ad me 14 Decembris dederat bene accepi. De cætero tibi, Parens optime, matrique & omnibus qui nos sanguine affinitate, amicitia contingunt, annum hunc salutarem precor, cujus die octavo hoc scribitur, 1628. Salutant vos uxor & liberi.

Rogatur Frater, ut capsam quam Eidius feret pro Polyandri uxore & quicquid ad eam pertinet tradat affini Reigersbergio. Is curabit. Deinde ut me gnarum faciat ubi pecuniam de reditibus in vitam liberorum constitutis receperit: ut ea potiùs utar quàm sumam aliunde, cùm opus habeam.

Tuus magis quàm suus H. G.

GVILIELMO GROTIO,

Iurisconsulto.

Mi Frater,

QVas 16 hujus ad me dederas suo tempore, id est hodie ad manus meas pervenerunt. Itaque experimento edocti, illa via uti interdum poterimus. Ego herì ad affinem Reigersbergium scripsi. Ex eo didici novem naves lapidibus parietum in morem transædificatas in portum Rupellensem demersas jam esse ad obstruendos exitus aditusque: & quod aggeris hyems sæva disjecerat in eo esse ut brevi resurgat in statum veterem. Legatos è Dania hic habemus Brahen & Thomassonium qui Reginam matrem adierunt auctores pacis cum Britanno. Agetur hic cum illis, non à Castris. Idem fiet nostris ubi venerint. Datum id negotium arbitror Senatori Bulionio, & Secretario Villauclerquio amico meo. Ego occasionibus imminebo atque interim amicitiam Cæsarei Legati non negligam. Ex usu nostro mihi videatur fore si in Anglia nostri libelli de Veritate Religionis Christianæ (quarum exemplaria reliqua & ego & alii impatienter exspectamus) recudantur: quod fortè per Iunium peragi poterit. Apochas pro Diderico & Maria, si potes, in unam contrahe. Diem ex Zelandia petas oportet, ubi sunt instrumenta. Si tamen alia apocha opus est mittam. Scribe siquid acceperis, nobis enim pecunia opus est. Rogo & ex Villabonia sciscìteris an mandatum habeat numerandi LIV florenos, quos uxor nunc iterum in ejus usus erogavit: & significes quid impensum sit in vitrea Daetselarii, ut quod reliquum est huc transeat. De Cauchorum rebus, Realio & Heinsio, siquid porrò resciscas gratum erit discere. De ligno effigiato jam aliquid intellexeram. Mirum ni mutatio in Imperio & Religione luxum secutura portenditur. De Vermibus res digna quæ physicis observationibus addatur. Meam causam 165

Digitized by Google

ſam tibi, ut ante, commendo. Centum naves è Gallia, Hiſpanicæ XXVII jam, ut arbitror, advenere ad portum Rupellenſem adverſus vim externam. Video eſſe ea tempora quibus ſæpe de his quæ momentum in futurum habent moneri debeam: id ne negligatur omnes vos rogo. Parentibus, tuæ, tuis, & qui aut noſtri, aut ſatis noſtri ſunt, felicia omnia. 29 Ianuarii 1628.

Affinis Reigersbergius & tu rogamini permutare quæ nuntio. Velim ſcire quid ibi rumor dicat de amoribus Lutetianis Lud. Naſſavii.

Tuus totus H. G.

IOANNI GROTIO,
Conſiliario Comitis Hohenlo.

166 Nihil magni in Gallia geritur, mi Pater: quare argumentum à Venetis mutuabor, ubi res accidit non epiſtolis, ſed Annalibus digna. Erat inter decem ejus Reipublicæ Principes Zenius, vir magni animi, qui haud ita dudum coëgit, quod Senatoribus licet, Ducem in leges jurare. Cùm juraſſet oſtendit quæ contra Leges peccabantur ab ipſo maximè & ſuis. Itaque impetravit ut Ducis filius Cardinalis juberetur Româ in patriam venire, ubi Epiſcopatum habebat: duos alteros filios, qui in ſexaginta virûm conſeſſu erant, inde legum auctoritate expulit. His peractis non multò poſt aggrediuntur eum ſicarii & à cæde quidem inhibiti ſunt, ſed digitos quoſdam ei abſciderunt, multiſque truculentiſſimis vulneribus petiverunt ipſi viſcera. Domum reportatus mittit filios ſuos cum multis miniſtris qui ſinguli ſingula veſtimenta perfoſſa gladiis & ſanguine ſtillantia populo omni inſpectante in Curiam deferrent ultionem flagitantes. Senatus indicibus impunitatem, præmium ſatis luculentum & jus unius captivorum è vinculis eximendi Edicto proponunt. Paucis poſt diebus Dux in Senatum venit, ait nihil eſſe quod ultra inquiratur, cognitum ſibi auctorem facinoris ſuo ipſius indicio. Eum eſſe filium ſuum è duobus illis Senatoribus majorem natu, domo tum abſentem, qui ad ſe ſcripſiſſet impatientem ſe contumeliæ in familiam ſuam illatæ ab inimico eas pœnas petiiſſe. Quo comperto auctorem ſe eſſe ut promiſſa præmia augerentur ei, qui legirupàm vivum aut mortuum in manus publicas attuliſſet: quid dicam?

Infelix utcunque, ferent ea facta nepotes.

Tam generoſæ virtutis exempla patria noſtra fortè nunc quoque deſiderat. Ego non poſſum non optimè ſperare de ea civitate in qua caritas liberorum patriæ reſpectu vincitur. Hic Rupellæ obſidium implet aures urbis, & agger ſatis è voto procedens, & contractæ eodem Gallicæ Hiſpanicæque naves & horum operum non tam ſpectator quàm cenſor Spinola. Puto me antehac ſcripſiſſe fratri, ſi non ſcripſi nunc tamen & ipſum ac vos omnes oro; ita ut ſi quas nanciſci poteſtis annotationes de his quæ ad Grollam, quæque ad novum è Rheno in Moſam tranſeuntem alveum geſta ſunt, eorum me faciatis participem. Oravi idem affinem Reigersbergium: quare quod alteri deerit, alteri ſupplebitis. Comites Suſanus & Rouſſyacus Bulionii ſororis ſponſus in carcere Baſtiliano cuſtoditi metum cunctis Proteſtantibus injiciunt rerum novarum, multoque magis Mileterius ex eodem carcere Toloſam miſſus, ſupplicii ut multi augurantur ſumendi cauſa, ob molitiones detectas indicio chartarum Montacutii, quem fiducia Legationis confidentem facit. Oro Deum ut patriæ, tibi, matri, fratri, ſorori, conjugibus eorum ac liberis ea det quæ ad ſalutem ſunt. Lutetiæ 5 Februarii 1628.

Hanc ſchedulam velim affini D. Senatori Reigersbergio tradi.

Tibi obedientiſſimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iuriſconſulto.

Initium Torrentiani negotii, mi Frater, & progreſſum aliquem jam ab aliis intellexeram: finem tuis debeo quas 30 Ianuarii ad me dediſti, ego hodie rectè accepi. Itaque non diſplicet illa via, tantùm rogo ut cùm tu & affinis Reigersbergius ſcribere volueritis jungatis literas in unum faſciculum: id enim minùs eſt damnoſum. Monueram te aliquando de loco Heinſianorum ad Nonnum pag. 272. ubi ait in Deo id quod commune eſt eſſentiam, nimirum, bonitatem & voluntatem re non ratione, modos exiſtentiæ animo ac cogitatione diſtingui. Inſpexi poſtea Damaſcenum quem auctorem citat. Is longè aliud dicit: *τὸ κοινὸν καὶ τὸ ἐν πράγματι θεωρεῖται*, quia actiones nihil niſi unum monſtrant, unam æternitatem, unam ſapientiam, unam bonitatem: At *τῶν ὑποστάσεων τὴν διαφορὰν λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται*, quia nulli ſint, diverſitatis effectus nobis conſpicui. Scripſit ad me Trajecto Iacobus Petitius quod & tu monuiſti, volare per manus multorum noſtras Inſtitutiones Iuris Batavici, in exquirendo ejus plagii fonte, ſi ipſius nomen reticeatur, ſe tibi adjutorem fore, quo nomine gratias illi maximas debeo. Si quod exemplum inſpicere potes, vide an in eo ſunt ſex Tabulæ Synopticæ, Index in fine Alphabetanus titulorum, locus de decimis ex Edicto Caroli anni 1520, de conditionibus uſitatis *τῆς ἀμηραλείας* quam Admiralitatem vocamus. Hæc enim omnia poſtremo labore à me addita indicium mihi facient unde in hoc damnum inciderim. Si omnino premi opus non poteſt, cogitandum de editione, ſed ita ut priùs audienda ſint amicorum, in foro exercitatorum judicia. Ego enim in publicis controverſiis magis tritus hæreo in privatis quibuſdam, ut de ordine tacitorum pignorum apud nos & creditorum privilegiis, quæ è Curiæ Scribis optimè diſcantur. Fortè ex uſu ſit edi admonitiunculam, ne quis fragmenta illa pro meis accipiat, parari editionem integram. De mea lite quid amici ſuadeant ſcire avebimus. A Rege Suecorum aut Cancellario nullæ unquam ad me literæ venerunt. Quare nolim mirari quenquam ſi non reſponderim. Non ita ſuperbus ſum, ut etiam Reges contemnam. Torrentius ſi talis eſt qualem rumor affirmat, in meritas quanquam non legitimas nec jure expetitas pœnas incidit. Alia eſt errantium ratio & alia eorum qui perditiſſimæ conſcientiæ velum ex impietate obtendunt. Ego miror talia hæreſim dici. Rupellæ portus jam clauſus eſt, intus fames nondum, caritas magna, victus vix in tres menſes ſuffecturus. Spes tota in Claſſe ex Anglia. Rex nihil habet præter terreſtrem exercitum: nam contractæ undique naves, quiſquiliæ ſunt. Hæc nunc habebam. Deus te cum uxore ac tuis, ſimulque parentes optimos nobis diu incolumes ſervet. 11 Februarii 1628.

Senatus Toloſanus cujus notioni ea res extra ordinem à Rege mandata eſt, Rohanium damnavit abſentem in pœnam Metii Suffeni: occiſuro eum aut traditurο promiſit nobilitatem & L millia ſcutatorum. Oppido aut vico cujus opera id fiet immunitatem tributorum perpetuam: quæ calida & bellis antehac civilibus inexperta. Literas accepi à Comite Philippo Hohenloio & Conſiliario ejus qui apud vos Delphis fuit ſanè benignas, quibus mihi quidam inſtitutioni Comitis liberorum antehac admotus, de nota meliore commendatur. Præſtabo quicquid in me erit. Si qua ſpes ſit edendi Phœniſſas, rogo me moneas, ut in tempore dedicatoriam tranſmittam. Niſi quid inopinati inciderit, Memmio hoc munuſculum paro inſcribere. Mantuanum negotium iterum iterumque tibi commendo. Eſt enim is qui me rogavit, mihi amiciſſimus.

Tuus tui ſtudioſiſſimus Frater H. G.

Digitized by Google

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

168 VAlere vos omnes, Parens optime, quantum par est gaudeo, Deumque oro id bonum ut diuturnum sit. De Amstelodamensi successu est quod non nobis, sed Patriæ & Vrbi isti gratulemur. Vtinam Noviomagi saltem aliqui veterum dignitatem recuperassent. Nam illud quod de Vitellio narras, sanè exiguum est. Realio opto meliora. Captum audiveram. Sed nihil gravius metuebam, quia nondum inter Imperatorem & nostros bellum exarsit. Itaque Pragam abductum vix credo. Siquid certius compereris nunties velim. De Cornelio nostro fac ex Vossii consilio, quod optimum videbitur. Summa ratio habenda erit eorum apud quos habitabit, ne quibus malis exemplis aut colloquiis imbuatur tener animus. Rex Blesæ est: inde veniet si non in Vrbem, tamen in adsita. Vosbergius Bononiæ Morinorum hæret. Rupellæ portus navibus demersis, ita non tam clausus quàm sparsus est, ut facilem exitum & aditum neget. Spes est obsessis in auxiliis è Britannia; nam cætera intus arcta. Per Regis absentiam terra marique imperat Riceliacus. Finibus Galliæ Lotharingicis hærent Imperatoris copiæ, minantes bellum, moventes nondum. Dicitur conscribere militem & Sabaudus, metum Genevæ, distenta præsertim civili bello Gallia. Rohanii uxor Venetiis nunc commorans Edicto Senatus Tolosani citata est, ut se judicio sistat. Mirum hoc in fæmina, nisi jam alia præcessissent non minùs nova, de quibus scripsi antehac. Dani Legati & Venetus urgent negotium pacis cum Britanno: sed magnus est obex Rupellanum negotium. Vxor & liberi mecum te & matrem, fratrem, sororem, conjuges & liberos salutant. 19 Februarii 1628.

Miramur non venire neque esculenta neque libellos quorum nomine debitor sum omnibus. Pecuniolæ nostræ curam fratri commendo, & simul litem meam.

Tuus tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

169 REctè accepi, mi Frater, quas 13 hujus ad me dedisti: & ut suades rectà has nunc Hagam mitto, experturus quæ eorum sit futura fortuna. Tu rectè feceris, si ut nunc tuas cum affinis literis copules. In portu Rupellæ jam prope sexaginta naves aut mersæ, aut propediem mergendæ: quibus obicibus ita obstructos Rex aditus & exitus putat, ut sub Pascha deditionem speret, quo ipso tempore altissimorum æstuum suppetias obsessi exspectant, siquid ab Anglis accesserit, id lucro habituri. Vosbergius adhuc Gessoriaci hæret: quidam ex ejus comitatu antesignani hic ambulant. Commodè ei evenit quod Rex in Vrbe, aut ad Vrbem est, incertum quamdiu mansurus. Gaudet enim locorum mutatione, etiam sanitatis tuendæ causa. Imperator hic movet controversiam de arce Viriduni & aliis quibusdam negotiis. Id Gallos ne excitaturum sit, ut aliorum indidem periclitantium rationem habeant, an perterriturum hoc rerum statu, dum domi est quod agant, in ambiguo habeo. Si Rupellam citò ceperit, prius illud sperari possit. Sin minùs, timendum est alterum. Rogavit me amicus quidam magnus, ut curem sibi adferri Lugduno omnia opera Vossii, maximè Pelagianum & de Historicis Græcis & Latinis. In eo me adjutes velim, ut primo tempore mari perferantur. Pretium aut de meo numera, aut si id malint qui perferant, hic recepturos sponde dum quantum sit mihi indicetur. Multi rogant Vossium ut partem quandam Historiæ ad Pelagianam causam pertinentis, de Prædestinatianis veteribus, quia edere tempora non siverunt, scriptam amicis exhibeat. Diem redituum ad vitam à sorore Blanckia petere oportet. Nos longiùs absumus & instrumenta non habemus. De Villebonia iterum rogo. De cæteris fac quod æquum censes & nos expedit. Ratiunculas uxor primo otio parabit. Narsio affirma nihil me unquam ex Suetia vidisse literarum. Ipsius est inquirere per quos miserit, tradive jusserit. De meo negotio siquid quod ad conjecturam magnopere valeat resciscis, rogo scribas. Ego nec nihil credo nec omnia.

Αἱ πίστεις γὰρ ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Quàm placet ἀρχαιρεσία Amstelodamensis, tam grave mihi & illud de Bornio. Nunquamne desinet Lupistenum infame esse bonorum vinculis? Velim penitiùs me doceas quid sit in Actis Delphicis quod displiceat Polyandro ac Festo. Parentibus optimis & aliis qui ad nos pertinent prospera omnia det Deus. 27 Februarii 1628.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

HAc, mi Frater, epistola uteris ut voles. Supprimes, 170
aut vulgabis ut tibi amicisque videbitur. Venetus Princeps (ut ad tuas quas 27 Februarii dedisti) respondeam à multis creditur se principatu abdicaturus, cùm tantam videat omnium conspirationem contra auctoritatem suam. Poterit ei honestus receptus esse Monachismus & satis conveniens finis homini cui cum Pontifice Romano meliùs quàm cum civibus suis convenit. De Grolla & Rheni novo divertigio etiamnum tibi commendo. De Galliæ rebus æquissima sunt tua vota, ut Rex ubique Rex sit, Religio autem Religio, id est libera. Non dubito futuros ex Flaminico grege qui Regi auctores sint futuri, ut instet successibus & oppressa secta rebellatrice imperium firmet. Sed nec deerunt prudentiores qui sævitiam dissuadebunt in populares, qui jam longa diuturnitate cum cætera parte corporis coaluerunt, præsertim cùm eam potentiam non agnoscant quæ etiam Regibus formidolosa est, & vel hanc ob causam nonnullis temporibus usui esse possunt, neque tutum sit ad desperationem cogere eos, quibus Britannus manum præbet, etiam Hispanus porrigit. Miletetius jam ad quæstionem triduanam, id est, ad longam mortem à Tolosatibus erat damnatus: sed in tempore venerunt à Rege literæ inhibitoriæ, quas consanguinei, affines, amici impetraverant. Itaque jam uxori aditus ad eum datus est. De lite etiamnum urgendam censeo, & ad affinem scribam. De Phœnissis fac sciam quid sit animi Mairio, & de Mantuano negotio siquid potes. Ego annum exspectationi non indulsi, sed præstiturum me diu moram illius anni quem uxor promiserat. Is autem vere proximo finit, quod tempus me promissi omnis liberabit. Interim si affini ea quæ discit aperire veretur, rogo saltem quid alii bene nobis volentes sentiant, & quas offerant sentiendi causas mihi liberaliter explices. Nova non multa neque ad ipsum, neque ad te quæ scribam habeo, cùm diu res Gallica in uno quasi loco hæreat. Videbimus quid datura sit tempestas æquinoctialis & quæ imminere dicitur Britannica Classis. Interim Cardinalem Riceliacum bene sperare de negotio vel hoc docet, quod in obsidio perstat. Controversia cum Imperio de Viriduno neque composita est, neque adhuc in vim prorumpit: ita ut hac quoque de re nihil possim affirmare certi. De die redituum rogo in Zelandiam scribas. Legati nostratium hic sunt, & à Rege auditi, mœstiores interim, quod sub ipsorum adventum omnes naves nostrorum à Garumna, Rhodano & Ligeri venientes captæ sunt in usum Regis qui se pretium redditurum pollicetur. Sed id quando erit? Interim præda sumus hostium & amicorum. Puto scripsisse me antehac neque à Narsio neque à quoquam Suedorum aut in Suedia habitantium quicquam me unquam accepisse literarum.

rarum. Interim non desii, quoties occasio tulit, Regni illius virtutibus omnis generis excellentissimi utilitatibus quoad vires meæ tulerunt inservire, quod & porrò faciam. Ipsius Narsii erit rescíscere per quos curatæ sint literæ, ubi hæserint. Arsenius aut ægrotat aut ægrotum simulat, ne minoribus negotiis semet defatiget. 12 Martii 1628.

Rogor ab amicissimo Peiresio ut insectum illud multiceps de quo scripseras aut conditum ad nos mittas, aut ejus expressam imaginem quæ & magnitudinem & colores repræsentet. Quod impenderis in rationes meas imputa.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

171 Legati nostri, Frater carissime, ter jam cum iis quos Rex isti negotio præfecit collocuti sunt. Volunt illi pacem cum Britannis primordium actionum suarum facere. At Regii prius esse volunt, ut sententiam suam dicant de fœdere quod Langeracensis conceperat, quem illi exiisse ajunt mandati limites; neque tamen quicquam pollicitum nisi si Ordinibus videretur. Facilè patientur Regii nostros in hoc de Rupella certamine quiescere, quia fida ab illis auxilia non sperant. Tamen æquum arbitrantur ut de cætero nostri Galliæ si oppugnatur, adversùs omnes opem promittant, quando & Britannis à quibus tanto minora beneficia, si non & pro beneficiis injurias habent, in hoc obligati sunt. Vosbergius primùm cognatos quosdam & affines ad nos misit salutationis, quam ab uxore mea acceperat officium reddituros. Postremò venit ejus filius, excusans patrem quod ad me non veniret ob causas mihi cognitas. Ego nihil aliud quàm si qua in re me opus haberet, operam sum pollicitus. Cardinalis ad Rupellam manet spei plenus, quanquam nocturnus nuper impetus in castellum Tadonis quod oppidani tenent & portam oppidi malè cessit. Navibus nullis parcitur, ut claudatur maris aditus. Rex eò redit, sed in dies aliquot iter distulit, eò quod Dux Lotharingiæ hic exspectatur, per quem spes est componendi dissidii Viridunensis. Sabaudus Mantuano bellum parat de Montisferratensi ditione: προφάσεις habet frivolas: sed magnum adjutorem Hispanum, qui ipsi pro Montisferrato Cremonam daturus dicitur. Etiam Bernatibus & Genevensibus Imperator controversias movet, fretus copiis quas ubique magnas habet nullo hoste, nisi quem sponte sumturus est. Opus est nobis ducentis Florenis, eos hic recipiam & te delegabo ut ibi persolvas. Puto enim Alcmariensem pecuniam te jam habere, aut ubi velis habere posse. Siquid his impedimenti est, affinem Reigersbergium convenire poteris. Is lubens pro nobis numerabit. Vale mi Frater, cum parentibus & nostris omnibus. Lutetiæ 25 Martii 1628.

Accepi non ità dudum literas à Pynachero ante menses aliquot scriptas. Excusat se adversùs nescio quas suspiciones. Si eum videris, velim dicas me qui eum nunquam offenderim, nihil infesti ab eo exspectare; gratum quinetiam fore, ut quæ tibi amicitia cum ipsius privigno intercedit etiam cum ipso firma sit. Si qua in re opera mea opus habeat, ne parcat. Rem mercatoriam hic interquiescere donec pax cum Britanno coëat.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

172 Tuis quas 12 hujus mensis ad me dedisti, mi Frater, quod reponam præter gratias haud multum habeo: Rupellæ manet qui fuit status, neque is qui fuit altissimus æstus multum operi nocuit. Accesserunt scaphæ quatuor; una supernatans in oppidum evasit supra vigenti saccos frumenti ferens, sed corrupti ut ajunt ex oppido, capti; altera cùm telis petita cursum rectum tenere non posset ad littus impacta & oppidanorum accursu ex parte exonerata est. Tertia in Regiorum manus venit. Nostri Legati urgentibus Gallis ut prius de suo fœdere quàm de pace aliena agerent, negarunt se in id mandata habere. Sed tamen privatam suam sententiam promisere de difficultatibus quæ id negotium morarentur. Ita trahitur ipsorum ampliatione tota res Regiis non nolentibus. Ducentos Florenos jam tibi solvendos delegavimus. Cornelium curare cum Vossio ut pergas rogo. De Phænissis Mantuano negotio, & insecto multicipite non moneo memorem. Quod de Festo scribis, credibilem ad fers consecturam. Velim scire quomodo in hisce rebus Rivetus se gerat. Inter Regem & Imperatorem videtur adhuc mansura pax, vetera dissimulante Imperatore, Gallis quæ nuper innovata sunt restituentibus. Amstelodami quicquid eventurum est ad exemplum pertinet. Certè si his magistratibus cives tutò vivere non possunt, tempus est de discessu ut cogitent. Illud in Bruningium coitionis magis habebit speciem quàm accusationis legitimæ. Esculenta recepimus, sed & præter illud de quo scribis vasculum, aliud quoque cum butyro desideratur inscriptum numero 26. Id ubi hæserit sciscitandum. Melissæo si amplius fata non concedunt, exitum precor non molestum. Puto si ipsi paulò plus fuisset animi, meliùs ituras fuisse res & publicas & privatas. Vxori tuæ felicem uterum & partum precamur, Parentibus, cognatis ac fratribus salutem. 30 Martii 1628.

Tuus totus. H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

Literis tuis quas menses prope duo sunt cùm ad me dedisti, Camerari Clarissime, non ego nunc demum responderem, nisi exspectandum censuissem num quid 173
veniret à Peirezio quod dignius esset ad te mitti quàm literæ meæ, quibus suffecturum erat si tam bonæ manus fierent accessio. Nunc quando post ejus temporis moram nihil inde ad te pertinens ad Puteanos venit, nolui committere ut parum memor officii viderer. De libris Arabicis non puto esse cur Lugdunum recurrat Peirezius, cum hîc Lutetiæ habeamus Syrum Maronitam & sui & Arabici sermonis doctissimum, qui nunc hanc Vrbem ejus studii ardore incendit. Bignonus, vir & à virtutibus & à literis instructissimus tui libentissimè meminit. Est enim; ut boni omnes, cultor ejus familiæ cujus tu nomen fers, rerum non inane. At Salmasii Solinopliniana Indicem tantùm & prolegomena exspectant. Nos omnes, quamquam te videre expetimus, laudamus tamen parentis consilium qui te vult sibi in conspectu esse, ut præstet ipse tibi magisterium, tu illi solatium. Proderunt in hoc & adversa quibus firmior paratur rerum peritia, quàm in te posse transfundere felicitas est par anteactis malis. Accidit & hoc vobis gratulandum, quod in tanta orbis jactatione nullum Regnum est tutius, neque Rex ullus omni genere laudum cumulatior vestro. Incidistis in Principem qui vel per tot adversa quærendus fuerat. Facient te ipsi ad omnes occasiones utiliorem Matheseos & muniendi artes. Gaudens intelligo duorum mihi carissimorum Vossii & Mylii amicitiam tibi cordi esse. Vossii consilium, quo testatur quàm rectè judicet, cùm proavum tuum quanti oportet facit, laudo ac probo & tempora tibi ad eam rem secunda exopto. Moscoviæ Principem vivere etiam huc certior fama pertulit, addito auxilia ab ipso Regi vestro ingentia promitti, simul induciæ quas cum Polono habet exierint, quod futurum brevi. Hic novarum rerum nihil geritur, nam Rupella vetus jam malum est, nec tale per se tantùm, sed & quia quicquid boni sperari poterat impedit, frustra querentibus Mantuano, Danis, nostris. Versus quos miseras legi, sanè ut scribis

 experti

experti ingenii opus. Quod ni evigilent quibus integræ res ſunt, timendum ne major indies ad lugubres modos materia accedat. Ego, uxor, familia, tibi, parentibus optimis veſtriſque omnibus omnia precamur tam proſpera, ut pejorum temporum memoriam deleant. 28 Aprilis 1628.

Tuus totus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iuriſconſulto.

174 QVo tempore tuæ, mi Frater, ſcriptæ 17 Aprilis mihi redditæ ſunt, nihil erat quod reſcriberem. Ac ne nunc quidem eſt niſi quod Legatorum noſtrorum negotia & conſilia de pace cum Britannis tardè procedunt. Atque interim dicuntur Ordines Britanniæ Rupellam quaſi liberam civitatem in ſuam recepiſſe tutelam: & creditur jam claſſis in mari eſſe, adverſùs quam Rex & Galli magnis animis ſe parant; terra quidem exercitum habentes octodecim ferme millium: in portu autem præter ſubmerſas aliam vim navium partim connexarum, partim huc illuc diſcurrentium: nec deſunt cuncta quæ incendendis aut retinendis hoſtium navibus vetus aut noſtra ætas reperit. Exitus in dubio eſt: ſed qualiſcunque futurus eſt video evitari non poſſe, quin incaleſcant odia & difficilior reddatur pacis ratio. His propriis rebus involuta Gallia Duci Mantuano quem Imperator, Hiſpanus & Sabaudus latrocinio magis quàm bello impetunt (nullus eſt enim probabilis adverſùs eum prætextus) nihil præſtare majus poteſt, quàm ut ei liceat hic ſuo ſumtu militem ſcribere, quod gnaviter facit, oppigneratis aut venundatis quæ hic tenet. Lamairius hic ut ſperare nos juſſerat, non comparet. Rogo igitur videas, ecqua alia ſit ratio huc mittendi Voſſiana; nam ego fidem meam viro magno obſtrinxi. De Phœniſſis, de Inſtitutionibus non repetam. Quid Remonſtrantes impetraturi ſint ſuis ſupplicationibus aveo reſciſcere. Debyæi familiam rogo meo & uxoris nomine ſalutes & omnia ipſis officia deferas. Parentibus, conſanguineis, affinibus ſalutem. 6 Maji 1628.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

175 QVod rariùs ſcribo, Frater cariſſime, non oblivione veſtri accidit, ſed quod nihil incidit ſcribi dignum: quod & ipſum ſcribi ſanè poteſt, ſed ſemel. Repetitum enim faſtidio ſit, adde & ſupervacuo oneri. Nunc verò peccaturum me fuiſſe fateor ni ſcriberem. Erant enim amici qui ad vos proficiſcebantur. Et habebam libellos aliquos quibus te donarem. Alter Syriacum poëma eſt, ſanè σφιγγῶδες, ſed cujus nodos ego jam apud me ſolviſſe mihi videor: quò magis deſidero veſtra & amicorum in Batavos intelligere judicia, ut meum inde aut confirmem aut corrigam. Alter indiculus eſt eorum quæ ad componenda Eccleſiæ diſſidia ſcripta aut laborata ſunt, honeſta voto, eventu inutilia hactenus & ſuaſoribus damnoſa. Sed bona conſilia per ſe talia ſunt etiam ubi exitus contra eſt. Editus eſt liber non Aureliæ, ut præfert titulus, ſed Argentorati, & præfatio ſcripta à viro erudito ac moderati judicii Berneggero eloquentiæ ibidem Profeſſore. His addam nuntios recentes lætos triſtibus mixtos, niſi quod mihi triſtia ſunt omnia quæ pacem impediunt. Regalimontium à Principe Condæo captum eſt: & victoria immodeſtiùs habita militis magis quàm ducis culpa. Milites qui inde exierant in Caſtrum oppidum, quod in obſequio Regis manſerat hactenus, recipi cùm poſcerent, à Magiſtratu rejecti, plebis miſerationem movere, eaque animorum inclinatione res mutatæ & in Rohanii cauſam ſtatim deſcenſum eſt. Sunt qui de Montalbano paria exſpectant. Interim portui ad Rupellam imminet Anglorum claſſis navibus quinquaginta admodum, quarum Regiæ paucæ, cætera pars onerariæ. Rex ſi terreſtri prælio certandum ſit haud dubiè ſuperior octodecim millia circum ſe habens non inanibus numeris, ſed reipſa. Cæterùm quæ maris fortuna futura ſit incertæ ſpes ac metus. Perpetua merſarum & lapidibus oppletarum navium ſeries pro muro: deinde alter ordo fluitantium navium quas anchoræ & rudentes devinctas habent. Aliæ deinde lintres ac ſcaphæ ad omnem vim arcendam, militem vecturæ & tela, & ignium alimenta, & quæ corrumpendis navibus ſæculum noſtrum aut vetus invenit. In utraque ripa machinarum magnæ moles, ingens numerus, retinacula inſuper ſi quid navium illuc venti ac fluctus ferant. Sed & Anglis non deerunt ſpargendi incendii & ad divellendam compagem inſtrumenta. Neque Rupellani tam benigna occaſione ſibi deerunt, conjurati nuper in necem eorum qui de pace ſermones ſeverint, & excluſo Regis feciali magis magiſque indurati ad exuendum non jam obſequium, cujus olim ipſos pertæſum eſt, ſed & reverentiam Regis. Hæc Deus omnia in meliorem vicem reponat. Bruningium abſolutum cùm ſcribas, puto ſimul perventurum in locum ſibi deſtinatum, ut Muſſio ſcribenda imperet. Videmus hinc qui venti flare perſtent. Comitem Philippum Hohenloium mortuum hic quidam ex propinquis ipſius nuntiavit. Scire aveo an id patri nihil ſit allaturum incommodi. Spinola rediturus nunc putatur, ſed incertis rumoribus. Velim de Voſſianis memineris ut fidem liberem: ſimulque pro amicis velim bina exemplaria Phyſicorum & Metaphyſicorum Iacchæi. Parentibus optimis & amicis omnia precor ex voto. Lutetiæ 17 Maji 1628.

Qui has fert literas Camerarii eſt propinquus.

Tuus tui amantiſſimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

PRoficiſcente ad te, Camerari clariſſime, noto ac 176
propinquo tuo, non ſatis putavi ſi voce ipſi mandata darem ſignificandi memoris animi, niſi & ſcriptum teſtimonium adjungerem. Promiſeram ipſi ſimul facturum me, ut ſcires ſiquid hic novi gereretur. Speraveram autem habiturum me lætum aliquid & quod publicas calamitates ex parte ſolaretur. Sed aliter evenit, ut hoc ipſo tempore incaleſceret bellum civile mixtum externo. Nam Regalimontium à Principe Condæo captum diſcimus: Caſtrum oppidum quod in obſequio Regis hactenus manſerat in Rohanii cauſam deſcendiſſe: tum verò magnam è Britannia claſſem imminere portui Rupellano, hoc conſilio ut ad obſeſſos viam vi paret: quam contra Regi copiæ terreſtres ſatis validæ, at maritimæ vires multò impares, niſi quod loco ſuo & pridem præparatis objicibus & denſis in utraque ripa machinis juvantur. Ego etiamſi non patriæ & rei communis cauſa, quarum curam nunquam ex animo ejeci, at certè amore ſtudiorum quibus infeſta ſunt arma & ingenito mihi ſanguinis odio, Deum ex animo veneror, ut pacem ubique ſi fieri poſſit, ſi id non datur, heic ſaltem reſtituat. Non dubitabis idem optare amicos quos heic reliquiſti, ſæpe tui totiuſque nominis Camerarii memores, quibus nihil evenit dulcius quàm ubi ſucceſſus Regis veſtri virtutibus pares nuntiantur. Vale Camerari doctiſſime cum optimis parentibus propinquis atque amicis. Lutetiæ 17 Maji 1628.

Tui nominis ſtudioſiſſimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iuriſconſulto.

EN tibi, mi Frater, præloquium ad Phœniſſas quas 177
ſub prælo currere & quidem Serviniano lætus intelligo.

Digitized by Google

telligo. Vbi peracta erit editio, rogo ut maturè exemplaria Memmio & amicis dispartienda huc veniant: simul etiam ut aliqua sit apud librarios copia. Ab omnibus enim accusor quod libellus de Veritate Religionis Christianæ hic nusquam prostet. Ea quoque me querela ut liberes rogo; nam alteram de Vossianis libris hic non repeto. Scripsi enim ad te, jam triduum est, per Camerarii propinquum. Eas te literas cum libellis comitantibus aut jam percepisse aut intra paucos dies percepturum confido. Quare nec quæ de publicis negotiis disserui itero: sed hoc addam videre me contra Britannicæ classis conatus valde animatos esse Gallos, & tum illis munimentis suis, tum armis ac virtuti ipsiusque Regis præsentiæ multum confidere. At Protestantes qui hic sunt etiam nova ab Anglis navium subsidia sibi pollicentur, nescio an non suo ipsorum malo. Adeo hic proletariæ plebis turba in illos commota est, tanquam omnium horum malorum auctores. Crastino die quo tempore Carentonum ibitur, præsidia à Regina matre & Magistratibus erunt apud urbis exitus, & siquid durius ingruat per urbem quoque. Certè queri non possunt Rectorum curam pro se claudicare. Sed, ut scis, plebs superstitione capta meliùs vatibus quàm ducibus paret: quem morbum nec Amstelodami satis desæviisse tristis intelligo. Langeracensis quod palàm coram Regiis ministris affirmaverat se mandata secutum, idem palàm coram iisdem negavit: & ἁμάρτημα μνημονικὸν confessus est, paulò gravius quàm illud Ciceronis qui Vlyssem alicubi dixit pro Ajace. Vides quàm pauci sint quibus curæ sit id cujus rei causa ego tam diu tam dura perpetior. Etiam Carletonus vides quantum absuerit à generoso Bossizii animo. Miseret me Transamasianorum quibus mala Mansfeldianis non leviora intulerunt illi scilicet qui ad illa vindicanda venerant; adeo nunc milites ubique nihil sunt aliud quàm belluæ. Realio viro magnarum virtutum utinam auxilio esse possem. Si hic esset Imperatoris Orator qui nunc ad Dominum profectus est, aliquid non dico conficerem, sed experirer. Ego & uxor tibi tuæque gratulamur aucta domo. Puerperæ felicem λοχίαν, infanti prospera incrementa ex animo precamur. Cornelium nostrum vestræ curæ commendamus. 20 Maji 1628.

Oro te has quoque cum prioribus literas affini tradas, quas nunc rectè & sine circuitu mitto, posthac ea usurus via quam ipsi præscripseritis.

Tuus tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

178 Levabit me Lonchtreinius amicus noster parte eorum quæ nuntianda erunt, testis recens & valetudinis nostræ & eorum quæ hic geruntur. De publicis summa hæc est, abiisse Anglos postquam per octo dies ad Rupellam hæserant. Incendiaria navis in Regis opera destinata sine usu conflagravit, consternatis rectoribus cò quod scapham suffugium ipsis, ex castris Regiis globi in undas depresserant. Postridie qui dies ultimus ex octo fuit, quasi prælio incessere: sed post moram alicujus temporis & jacturam quorundam Procerum quos globi abstulerant, mare ac porrò Angliam petiere. Miserant ante hoc experimentum scapham cum suorum quatuor significaturis operiri se ut Rupellani suâ à parte obstantia perrumperent. Nam Regias naves quominus in periculum darent, mandatis se impediri. Hoc cùm oppidani præstare non possent, illi quasi fide liberata discesserunt: statimque diripuere Rupellani labarum quod mœnibus impositum in spem victoriæ ostentaverant. Rex & aggeri incumbit & naves dimissas revocat aliasque corrogat, & quantum literæ ipsius præferunt putat non ultra Iunium mensem obsessis alimenta suppetere. Credibile est eos spe extima consumta & arctis intra rebus ad pacta venturos, quæ optabilia, ut innoxiæ aut incautæ multitudini simulque Religioni parcatur. Puto venturum ad nos Brasseri affinis filium. Ei rogo si jam edita erunt tradas Phœnissarum exemplaria, additis quinque aut sex pro Veritate Religionis Christianæ; vix enim par sum flagitantibus. Velim affinis Reigersbergius simul mittat ea quæ ad historiam anni 1627 pertinent. Vossiana non per illum quidem, sed tamen quàm celerrimè mitti velim, ne vanus pollicitationis habear. Parentibus optimis, uxori tuæ liberisque, sorori & suis, amicisque omnibus officiosam salutem. Lutetiæ 24 Maji 1628.

Fuit apud me Mathematicus ex Provincia, amicus Willebrordi Snellii dum vixit. Is magnopere orat edocerier ecquæ penes heredes ipsius opera sint ἀνέκδοτα: ecqua edendi spes.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Per Wyntgastium accepi, mi Frater, & tuas & 179
paternas literas: ex eo tuas datas circa exitum Maji. Illum commendatum habeo & vestra causa & ob ipsius excellentem in qua versatus est materia peritiam. Ego negotiis tam periculosis me non immiscebo; sed operam dabo ut innotescat, ut amicos habeat & ne fallatur quod illi quanquam cauto satis jam sæpiuscule evenit. Meum exsilium hoc mihi dedit, ut mores Galliæ accuratiùs paulò quàm nostrorum multi didicerim. Ea ex te utilis & aliis esse possum. Pro his nuntiis nihil est magnopere quod reponam nisi Regis, Cardinalis, Ingolismensis concors esse judicium ultra mensis hujus clausulam Rupellam fore in Regis potestatem. Permisit Rex obsessis ad Rohanium nuntios mittere, ut intelligant nihil ab eo sibi esse spei, & si velit ipsi quoque significent patere aditum ad Regis clementiam. Mantua nunc iterum nimium vicina Cremonæ (est enim Cremona ditionis Mediolanensis) & Regi cordi est & à Pontifice commendatur, qui, ut est prudens, mavult tolerabili esse conditione hæreticis, quàm cum tota Italia servire Hispano. Dunquercanis occurri gaudeo, est enim in eo sita summa res. Anglorum factum novi. Terrent si alios pavere viderint, alioqui eorum injusta cogitata impunè contemnas. Nihil in illis est solidi: fluxa omnia, ut insulis in mari. Valde expeto intelligere eventum negotii ad eum pertinentis, cujus auctoritatem sibi qui scribis poëmata præscripserunt. Et non ista tantùm, sed quicquid auram ullam afferre potest conjecturæ in partem unam aut alteram, si quo unquam tempore, hoc maximè & exopto & debeo scire. Satis diu jactatus tandem videre debeo ubi fortunarum mearum portum sim collocaturus, nec deerunt qui meam operam non aspernentur. Ad Tragœdiam venio. Profecto id in quo hæret amicus, nullos æquos potest offendere. Certissimum est inter eos qui capturam mei decreverunt fuisse qui me fortè nec de facie, certè non ulterius noverunt ex Geldris, Frisiis, Transisalanis. Neque puto Syndicum Lugdunensem si ei ista περιοχὴ monstretur quicquam in eo culpaturum eum consuli, sed non quasi nos ipsi indicemus esse ibi aliquid παρενδάλα. Dum de eo certus fio, interim incipiatur editio ipsius operis, præfationibus in finem temporis reservatis. Planè autem censeo ut in Stobæanis factum est, ex adverso ponenda Græcis Latina: & si quando horum aut illorum versus longiùs excurrunt, quid est quod impediat post Chori cantica relinqui spatium aliquod, quasi διάψαλμα. Frustra hic hæretur. Nam separare versionem ab Euripideis non æquè gratum & minùs utile erit juventuti. Si tuæ res ferunt ut huc transcurras implebis nos desiderato diu aspectu. Transitus veniam facilè per Palamedis filium impetrabimus, sed cum hoc onere, ne eum obiter salutare pro scelere ducas. Habendus est mos aliquis ut temporibus, ita & locis.

Pape

Prope omiſeram vertere duos verſus Euripidis qui omiſſi ſunt in Latino autographo. Quare ſic expleatur hiatus:

En urbis aditus ille ſeptenos notans,
Metitur alta turrium faſtigia.

Is qui nunc comitatus Tranſamaſiani Princeps eſt viris quibuſdam primariæ apud Regem auctoritatis ſignificavit, quantum intelligo, expetere ſe nuptias virginis cujuſdam & bene nobilis & dotatæ & Reginæ matri individuæ. Ea res an ipſi nunc etiam placeat, & an ex uſu ipſius futurum ſit amicitiis Gallicis res ſuas & apud Imperatorem & apud noſtros æquiore loco collocare non diſputo, nec mea intereſt. Sed hoc ſcio dotis hic non minus fore quàm apud ullam Germanorum Principum filiam. Rogo inquiras apud actores ipſius, an de Brunſvicenſi matrimonio cui frater maximus imminebat in hunc transferendo agatur. Vix putem, quod illa domus plane jam ruinam ducat. Scire etiam velim, qui nunc ſint ipſius Comitis ad conſilia præcipui & an vivant Vierda, Paulius, Arrananus quos videre memini. His ſuper rebus inſtrui primo commodo tuo velim. Cornelium noſtrum apud Laſtenium collocari placet, ſed ea mente ut ante hyemem mihi adſit, quam ad rem captari poterit aut uxoris Treſelii aut alterius ex nobis notis tranſitus. De veſtitu pridem reſcripſit uxor. Didericum quamprimùm velim apud Stangerum collocari. Petrum hic retineo dum veniat Cornelius. Legati noſtri parum promovent & eſt eorum hic quantum video ἐδεὶς λόγος. Non defenſoribus illis tempus eget. Rogo me parentibus commendes. Loſecatio velim proſpectum de loco honeſto, ſi aliqua pingendi & numerandi rudimenta habet, facilè poſſet munitoriam artem perdiſcere & per eam reperire viam dignitatum. Ego & illi & vobis omnibus quàm optimè precor. Lutetiæ 10 Iunii 1628.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

180 Est hodie viceſimus tertius Iunii. At ego heri demum tuas quas nono Aprilis dederas accepi, culpa ut arbitror tabellarii, ſed quæ à dolo malo non longe diſcedit. Patri pro tranſmiſſis exemplis tum ſupplicationis tum edicti gratias ago. Quæ exinde ſecuta ſunt & ex tuis & aliorum literis percepi. Voſſiana rogo omnia habeam cum indiculo quanti conſtent, ut pretium perſolvatur & ego fidem liberem. Velim ſimul mittas Etymologiam Hagienſem & Syntaxin tertiæ editionis, utramque pro Petro qui Syntaxin perdidit, Etymologiam utendo abuſus eſt, quod illi ad nihil agendum prodeſſe non debet. Volo eum ſtrennuè in illis libellis exercere dum mecum eſt. De Cornelio jam ſcripſi ſententiam. Diſceptatio inter Regios & Legatos noſtros præcipua hæc eſt, an noſtri ſe obligaturi ſint in Regni tutelam adverſùs quoſvis. Videntur hinc non abhorrere, dum priùs pax cum Anglis coëat. At ii jam tertiùm ex Rupellanis exſpectantur obduratis in ultima, regimen ibi obtinente Rohanii matre & Conſiſtorio, quorum meri ſatellites ſunt Magiſtratus & inania nomina. Creditur corruptis cuſtodibus & intrare Rupellam nonnihil alimentorum, & exire nonnihil inutilis turbæ. Nuper octo ſcaphæ ex oppido miſſæ quæ Regiis ignem inferrent, fruſtra fuerunt. Hiſpanus dicitur ſexcentas naves offerre auxilio: ſed ut puto conditionibus Regi Galliæ haud placituris, qui E. T. Crequiacum cum ſex millium exercitu mittit ſuppetias Mantuano, perrupturum per Sabaudi fines ni iter præbetur. Intellexi edi Lugduni Pecherelli librum de Miſſa. Vidi ſcriptum ejuſdem in Pſalmum c x ubi contra Maldonatum oſtendit nec ibi nec in hiſtoria Geneſeos de Melchiſedeco, agi de Miſſæ ſacrificio. Ex uſu eſſet id addi libro qui editur. Vale quàm ſuaviſſimè cum conjuge, parentibus, liberis, amicis, uxor & noſtri vos ſalutant. 23 Iunii 1628.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Qvas tertio quaſque 11 Iunii dediſti, mi Frater, ita 181
nunc pariter accipio. Scripſi ad te hodie per Opdamium aut Marquethium. Nam utri literas amicus qui ſuſcepit daturus ſit dubito. Non multum habeo quod addam niſi quæ interim didici. Mantuanum cum Sabaudo tranſegiſſe, modò Rex Galliæ probet pacta: Hiſpanum nihilominus inſtare Caſalio munimento pluſquam antehac & arctiore obſidio: Rupellæ divites habere victus aliquid, inopes eſurire & pellendæ fami piſciculos & herbas extra mœnia ſummo periculo quærere, ita ut plerique intra menſem finem ſibi obſidii ſpondeant. Angli qui tertium verturi dicuntur non multum Regiis injiciunt metus, paratis ad portus anguſtias tormentis centum: neque largum ipſis ad vim continuandam ſpatium æſtu indulgente, id eſt, non ultra horas quatuor. Regi magnus cymbarum numerus & exercitus ſupra viginti millia non nomine, ſed reipſa, diſciplinæ ſatis laudabilis. Principis Condæi milites ferme quingenti cæſi à Rohanii ducibus. Oppida duo à Mommorancio capta multa cum cæde. His quæ hodie per literas tibi commendavi illud accedat rogo, ut memineris effigiem aut ſceleton vermium ex una radice in multa capita ſurgenium. De Phœniſſis intellexeris jam ſententiam, rogo quamprimùm ſciam quid ſperari debeat. De Syriaci poëmatis interpretatione in pleriſque tibi aſſentio. De quibuſdam obſcurioribus libebit & aliorum intelligere conjecturas. Inter cætera de Solomone quin verum dicas non dubito. Quod Hagæ adverſùs Remonſtrantes factum ſcribis per mihi dolet. Libri de veritate Religionis Chriſtianæ Cardinali Barbarino aliiſque Romæ probantur. Hic pœne omnibus Romanenſibus & Proteſtantibus. Salutant noſtri te tuamque & tuos: ſimul optimos parentes & quicquid eſt bene nobis volentium. 24 Iunii 1628.

Tuus tuo jure H. G.

EIDEM.

Simul, mi Frater, tuis quas 22 Iunii & quas 26 ſcri- 182
pſiſti reſpondeo. Nam proximè elapſum diem prætermiſeram quod nihil eſſet dignum nuntiari. Ac ne nunc quidem eſt rebus Rupellenſium manentibus eodem in ſtatu, & incerto quid acturi ſint Angli qui jam altum tenere dicuntur. Doluit mihi quod ex Patris additamento ad poſtremas tuas literas cognovi ſpem libertatis Remonſtrantium ire ceſſim, cùm ex prioribus literis ſpem aliquando meliorem concepiſſem. Sed quicquid agetur, juvabit veſtrarum rerum, quibus & noſtræ implicitæ ſunt, non ignarum vivere: preſertim ſiquid tibi, ſiquid Milio & aliis è voto evenerit. Libros per Braſſerum, quando is nondum venit, exſpectabo. Libros de Veritate Chriſtianæ Religionis emendatos & auctos mittam per Lirium qui cis paucos dies ad vos iturus eſt. Conqueruntur omnes nulla huc mitti exemplaria. De Inſtitutionibus juris gaudebo intelligere quid amici ſuadeant. Sanè nolim edi niſi à pragmaticis recognitum, quando mihi multarum rerum oblivio per carcerem & tempora ſubrepſit. De Phœniſſis ſcripſi antehac & ſcribo nunc quoque non videri mihi juſtum metum amici, & facilè ei conſuli poſſe aditis qui aliquid valent. Satis magnum eſt quod apud Swardecronium penditur. Sed ego filii commodis obſtare nolo: neque æquum eſt plus aut minus ſolvat quàm æquales. Quare in ſex menſes eum ibi collocari probo, ita ut ſub Martium ad me veniat, ut alter alterius præſentia fruamur, ille ad diſciplinam, ego ad ſolatium. Vxor & liberi mecum te, tuam, tuos, officioſè ſalutant. 15 Iulii 1628.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

EI-

Digitized by Google

EIDEM.

183 Mitto ad te, mi Frater, ita ut nuper promiseram meum opus de Veritate Religionis Christianæ, emendatum & auctum nonnullis in locis. Tuum & amicorum, erit videre ne, dum vetera corriguntur, nova admittantur menda. Sanè nuper res satis negligenter acta fuit. Peracta editione, rogo ut aliquot melioris chartæ exemplaria ad me veniant: obstrinxi enim fidem meam aliquibus, quam velim exsolvere. Sed & hoc monendus est Mairius, ut aliquam copiam librorum ad librarios hujus urbis mittat. Turpe enim est volentibus non inveniri librum editum ab homine in Gallia habitante & Gallis multa debente. De Phœnissis eadem dicta velim. Poterit fortè captari occasio tabellarii alicujus ad Legatos nostros, qui hic sunt, mittendi. Nam etiamsi à curiosis talia referentur, parum est periculi. De Vossianis non possum non urgere, quia sponsi teneor. Cornelium nostrum curæ tibi esse gaudeo: speroque talem venturum ut mea ope uti possit. De Institutionibus Iuris Batavici expende quid amici sentiant & quas sentiendi causas habeant. Libri mei de Iure belli & pacis multis partibus à me aucti sunt. Buonus obiit. Hæredes usque & usque differunt. Interdum cogito an non hos libros Lugdunum mittere debeam. Retinet me nonnihil quod addita notas suas habent, quàm potui positas perspicuè, sed quæ ob vicinitatem fallere typographos possent, ita ut sperare debere videar emendatiorem editionem forè me præsente, præsertim post istud librorum de Veritate experimentum. Sed nec nescio in Corvini diligentia multum esse posse præsidii. Poterit & affinis Reigersbergius siquid ad me majusculum erit mittendum commoditate uti eorum quos dixi tabellariorum aut etiam militum qui à Castilioneo interdum huc legabuntur. Id ei significes velim; & parentibus optimis, tuæ, tuis, nostrisque omnibus fausta precor omnia, apprecante mihi uxore & liberis. Felgius, ad quem quas vides literas mitto, vir est apprime pius atque eruditus qui me Lutetiæ vidit. Degit in agro Eindano. Ei velim has mitti curatore Corvino qui eum novit. Simul jam nunc rogo ut is vir eo munere dignissimus exemplar accipiat novæ editionis de Veritate R. Adventu Brasseri accepi Vossiana. Superest pretium norim, ut & librorum Iacchæi. Posteriùs mutato iterum consilio misi hæc per Liranum. 27 Iulii 1628.

Hæc quæ per Liranum mittere decreveram mutato consilio & prima occasione rapta per hunc ex Langeracii familia venientem mitto. Tuas quas 9 Iulii scripsisti rectè accepi. Pro his quæ nuntias gratias ago. Rogo pergas siquid ad summam rem aut privatam nostram magnopere pertinens compereris. Quæ sunt ad Camerarium rogo ipsi tradas. Illas ad Aysemum Mylio. Trimolius Missam adiit: uxor sequetur, Wilhelmi Arausionensium Principis nepos at neptis: tum verò maximorum inter Hugonottos Ducum liberi. Serpit exemplum metu accedente ac spe.

Tuus quantum sum H. G.

Clarissimo summique ingenii & eruditionis viro
IOACHIMO CAMERARIO, I. C.
Legati Regis Sueorum Filio.

184 Quoties literas tuas video, optime Camerari, toties me ipsum illud nomen ad eas res quas pro virili sectatus sum semper magis magisque inflammat. Ita enim merita est gens vestra tum de pietate, tum de literis ut hoc tantum incertum reliquerint, utra laude plus eminuerint, nisi quod in pari cætera laude, laus illa haud dubiè major quæ æternas habet promissiones. Quare cùm te eadem vestigia insistentem video, tum verò fructum magnum sentio ejus affectus quem in familiam vestram animo gessi semper, rebus autem testari nunquam potui. Eoque justiùs gaudeo tibi, ac viro Amplissimo parenti tuo eum obtigisse Principem, cujus virtutibus neminem parem habet sæculum, etiamsi totum quantus sub utroque axe est orbem scrutari libeat. Dignus planè Rex qui Camerarios Ministros habeat, digni vos qui Regi eximio eximias præstetis operas. Pro his quæ nuntias utinam non minùs læta hinc renunciare possem: sed quid lætum hinc possit existere collisis inter se quorum partes erant cætera prostrata erigere, nutantia sustentare? Hottomanni nostri syllabus votum magis continet quàm consilium: non quod illud quo spectat sit τῶν ἀδυνάτων, si Christiani Principes meminisse velint quid sui sit officii, in repurgandis quæ defendi non debent & in constituenda circa res medias bene temperata libertate. Sed quod rarò Principes id sint quod esse debent, nunc verò plerique se factionibus mancipent. Casauboni gaudeo à te mentionem fieri, cujus ingenium verè apertum ac probum non minùs ego semper veneratus sum quàm raram eruditionem. Quàm mihi amicus fuerit satis testari poterunt literæ quas nuper in Batavos misi cùm editio ejus epistolarum adornari diceretur. Dixit mihi ipse cùm Londini quotidie simul essemus anno hujus sæculi XIII se post migrationem è Gallia omnes illas militares literas ex animo abjecisse, quarum incitamentum illi fuerat Regum idem ac militum maximus: translatum verò in Britanniam studia quoque se eò transtulisse, quò vergeret animus Regis cui non tam arma quàm pax & Religio cordi. Deinde is erat Casaubonus qui nihil parati penes se haberet, nisi in memoria & si fortè in oris librorum aut brevibus schedis, Sibyllæ foliis. Itaque in Polybium notas nullas habemus nisi in librum primum, & has quoque non perfectas quæ post editum ab ipso in angusta forma Polybium, cum minoris figuræ edito prodierunt. Nec in Ælianum quicquam ipsius est. Porphyrogeneti liber prorupit, sed non ipsius munere. Det Deus tibi tuisque omnibus dignam ista virtute fortunam. Lutetiæ 27 Iulii 1628.

Resalutant te Bignonus, Rigaltius, Salmasius, Puteani.

Tui nominis studiosissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

Hodie, mi Frater, rectè accepi literas quas tu 23 Iulii Pater 15 dederatis, & pro nuntiatis gratias habeo 185
maximas. Sed in tuis non intelligo quid sit quod dicas misisse parentem, exemplar literarum, quod Narsius vobis tradiderat. Ego tale nihil vidi, nihil accepi. Mirum verò ni fatum sit omnium eorum quæ Suediam tangunt, ne rectè curentur. Quid ergo est ad quod respondere possim? Quid ad Narsium scribere? Apocham proximè mittam. Syntaxim invenimus Cauchii qua utimur. Sed Etymologia destituimur illa Hagiensi; nostrum enim exemplar usu mutilatum est. De vermibus repeto preces & de librorum Vossii ac Iacchæi pretio. Rupella nondum esurit ex voto & spe pridem concepta Regis. Anglorum classis ad huc exspectatur. Carcer Bastilianus stipatur Protestantibus ob commercia cum Anglis aut Rohanio. Pastorum rigorem miror ex deliberationibus Synodicis. De Cornelio nostro jam scripsi quid agendum censeam. Interim Vossio gratias ago maximas, amico constanti nec ad Heinsii instar. De Rotterodamensi negotio quod scripsit pater siquid propiùs intelligitis facite, quæso, sciam. Deum rogo parentes optimos & te cum familia nostrique amantes servet. 5 Augusti 1628.

De Iure belli & pacis non urgent me Buoniani hæredes. Itaque possum siquis nostri amans desiderat ei gratificari.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

186 ET quas nono Iulii & quas decimo tertio mensis hujus ad me dedisti literas, Frater carissime, rectè accepi & pro nuntiatis gratias ago: utinam lætiora essent saltem pro libertate domestica eorum quos Diotrephes in Ecclesiam recipere nolunt. Nam illud iniquissimum, cùm Religio sine cœtibus ali non magis possit quàm homo sine pane, prohibere quò minùs suos habeat, quos interim ad tuos nolis admittere. Rogo te quamprimùm per amicum si potes, sin minùs se offert occasio, per primum tabellarium mittas mihi tabulam aliquam, quæ optimè facta putatur territorii Sutfaniensis, qua valde opus habeo. Hic res haud multum mutarunt. Rupellæ divites se sustentant, plebs strenuè esurit: utrique se erigunt in spem auxiliorum è Britannia quæ in tempus maximi æstus Septembris exspectantur. Copiæ in Gallia Duci Mantuano conscriptæ, cùm perrumpere per Alpinas valles sperarent, inhibitæ sunt objectu castelli & quia machinas ipsæ non adduxerant, & antequam advenirent Sabaudus suis auxilio advenit. Hinc rejecti milites ducum inter se discordia & victus inopia ita diffluxere, ut vix multo tempore recolligi possint. Hæc omnia incommoda sunt ex bello Galliæ intestino, quod haud permittit aperto Marte, rem in Italia geri: nec sine Gallis aut Pontifex aut Veneti quicquam audeant. De Mylio quid erit exspectabimus. Ad ea quæ scripsi antehac responsum exspecto, præsertim de Iure belli ac pacis. Librum de Veritate Religionis Christianæ puto jam per Liranum receperis. De Eva Meursia si res habet ut nuper scripsisti, mutanda erit historia. Valde scire aveo quod futurum sit consilium curiæ in causa Remonstrantium. Parentibus optimis, tuæ, tuis, nostris omnibus salutem. Cornelia nostra revaluit. Cæteri valemus. 26 Augusti 1628.

Ex approbatione decreti Synodalis per Ordines facti apparet Politicos nulla magis de re sollicitos esse, quàm ne Remonstrantes in rempublicam irrepant. Huc enim illa tendunt consilia. Has inclusas rogo des Mairio & rem apochæ cures.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

187 DVabus tuis responsum debeo, mi Frater. Cùm priores circa finem Augusti scriptas reciperem & aliquo post tempore nihil hic erat quod nuntiatrem rebus ad Rupellam pendentibus: & sanè etiam nunc pendent nisi quod colloquium inter oppidanos & Cardinalem obsessorem abruptum, ab illis spe auxilii nunc eo nimium cunctante repetitur, sparso etiam rumore Anglorum classem partim fuga navium per vim retentarum nudatam, partim perire Scotorum & Anglorum rixis aut etiam præliis. Vita & bona salva Rupellanis promittuntur: etiam de Religione aliquid. Petunt etiam privilegia vetera & quas habent munitiones. Id minùs convenire judicatur præsenti rerum statui. Cujus Religionis sit ille Bucquinchami homicida scire expetimus, ut de ejus animo & quæ tanti facinoris causa minùs vagetur judicium. Si quid scis, rogo impertias. Tuas 10 hujus mensis scriptas jamjam accipio. Santenus quis sit nescio, nec advenit. Tilenus noster ardet discere quid literis Casauboni evenerit, & si spes edendi non est, suas repetit. Mantuani res sanè miseræ sunt, nec est quod speret nisi properè Rupella sit in Regis manu. Nam ante certum est de Italia nihil cogitare. Oratio Rupellensium quam misisti grata est, magna testis urgentis ipsos necessitatis. Vt Provinciæ aliæ eam tributorum ineant rationem quæ in Hollandia usurpatur, nunquam futurum arbitror. Nimium invaluit mos contrarius, & nostri pactis, ille æquitate quadam & longo usu nituntur. Vale, mi Frater, cum optimis parentibus, tua, tuis & nostris. 23 Septembris 1628.

Quid de Phænissis & Veritate? De Iure belli hìc librarium inveni. H. Spiringio rogo significes exspectare me de quibus scripsit Regis huc reditum. Ante enim nihil video posse confieri.

Tuus tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

PEr Santenium tuas, mi Frater, accepi & gratias ha- 188
beo pro hydra lignigena: etiam pro Pedonis libro cui non est ut Tilenus respondeat, nisi fortè aliquid ad dedicatoriam. Mairium exspectabimus & cum eo quæ sciri opus. De Mylio nescio quid exspectare debeam tam diu dilatus. De tua quoque re incertus sum conjecturæ, sed ut tempora nobis iniqua sunt, propendeo in partem deteriorem, præsertim tanto adhuc Ministrorum regno. Vtinam fallar. Si quid ad Bergam ad Zomam fit aliud, etiam de eo doceri expeto. De Rupella quid dicam, cùm non ego tantùm & populus, sed ipsa Regina mater in menses, imò prope in dies deditionem exspectaverit. Dicitur tamen nunc fames urgere adeò, ut non pauci pœna capitis imposita siquis exeat, eam sustinere malint quàm ad famem reverti. Mater Rohaniorum quæ in urbe est liberis sollicita clementiam Regis respicere respuit. Cras in urbe obsessa Cœna & preces extraordinariæ. Perendie colloquia renovantur, bonane fide, an ut tempus trahatur in spem auxilii quod exspectant res docebit. Lugduni plebs concitata fuit in Protestantes falso rumore quasi ab ipsis sparsa esset pestilentia: nec res abiit sine innocentium cæde, quæ partim seditione, partim festinatis & prope extortis judiciis peracta est. Si Rupella paciscitur, promisit Cardinalis primam forè curam patriæ Virgilii, quod sanè ego velim vel ob tam egregii civis memoriam. Mileterius adhuc Tolosæ captivus pro magno beneficio expetit ut in Bastiliam reducatur: nam ibi Regio sumtu vivitur, Tolosæ suo. Vale mi Frater, cum optimis Parentibus, tua, tuis, nostris. Nos omnes valemus. Prid. Cal. Octobris 1628.

Ad tuas quas 10 Septembris dederas responsum te accepisse arbitror.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

QVas 24 dedisti literas, mi Frater, accepi & gratias 189
ago ac Mylio successum fortunatum precor. Tot negotio moras interponi, & tantum posse qui ipsi malè volunt tristis intelligo. Voetii librum percurri & Tileno pauca quædam exposui cui noster sermo est barbarus. Miratur inverecundiam hominis plerunque ad rem nihil respondentis. Quid apud vos de libro judicetur, scire cupiam, & an quisquam sit qui respondeat. Dies jam decem sunt ex quo in conspectu Rupellæ est classis Britannica. Martis die exacto mane hora sexta Regis naves adorta est: sed globis ex utraque petiti primùm navem satis magnam fulminatricem, deinde duas minores amisere. Rupellenses eodem tempore tres scaphas emiserant, quarum una eversa vectores mersit. Ita tunc discessum. Die sequenti redeunte æstu matutino iterum adfuere cum multis igniariis & aliis aliquot navibus. Igniariæ sine ullo usu conflagravere, una globis vulnerata ut sideret. Videntur Angli ad majorem assultum se præparare in tempus plenilunii. Interim Rupellæ esuritur, & ita quidem ut de plebe multi Anglis inspectantibus dedendam urbem sentiant, postquam prima experimenta animi Regii ipsis metum addidere. Mirum quanto impetu nobilitas ex omnibus Regni partibus concurrat. In hac urbe plebs satis iritata in Protestantes & speciali-
ter

ter in nostrates ut hostium adjutores. Reginæ Parentis & Magistratuum studio ac diligentia ab omni noxa inhibetur. Halsiæ felix conjugium precor & tuis nostrisque fausta omnia. Mairium exspectamus nisi ipse fortè Anglorum abitum. 7 Octobris 1628.

Mittimus testimonium & apocham de reditibus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

190 EX tuis quas 8 mensis hujus dedisti, Frater optime, lætus intellexi secundiorem tuam valetudinem, quam Deus prosperet, tristis sævitiam permanentem adversùs Remonstrantes, publica cætera medio affectu. Quod de Buchingamii homicida scribis convenit cum eo quod ego suspicatus fueram. Est enim facinus dignum καθαρῶν ingenio. Rarum est exemplum Regis amico mortuo fidem servantis animi prioris. Nam plerunque in Aulis τῦ θανόντος ὄλλυται χάρις. Screvelio pro benignitate gratias ago: & est non aspernanda conditio: sed neminem nunc habeo quem Lugdunum velim mittere præter Cornelium, idque ad ver tantùm, & puto ei de hospitio prospectum. Mutinensis causa rigidis militum moribus laborat: sed puto temperamento locum fore ob preces Galliæ. Curiam miror adhuc immitem esse adeo in negotio Religionis. Nuper apud Memmium prandens, intellexi domum ipsius Scoticæ esse originis. Ego eam in præfatione ex conjectura ad Romanos deducere volueram. Itaque omittenda erit illa periodus: quod fieri poterit sine sensus reliqui detrimento. Angli de auxilio Rupellanis ferendo desperant. Itaque Montacutium nuper Bastiliani carceris colonum misere qui cum Cardinali ageret. Impositæ pacis rationes, & jam satis inter eos convenit. Sed Regis Britanniæ approbatio exspectatur. Ad quem ibit Montacutius rei magnæ & sibi lucrosæ pararius. Interim induciæ sunt in dies quindecim. De Rupella Rex ait se nihil audire quidem velle antequam classis Britannica discesserit. Et discedet ut puto. Sed clam creditur & isti oppido prospectum pactionibus & fratrum Rohaniorum saluti & dignitati, etiam cæteris oppidis quæ in iisdem sunt partibus. Sed illa Regi parebunt cum suis exceptionibus: Rupella præter vitam fortunasque & Religionem civium nihil servabit. Hæc spes omnia hic in urbe tranquillat & Protestantes incipiunt jam se in ejus sortis exspectationem componere. Promittit Cardinalis hac re confecta se rationem habiturum Mantuani. Vale cum optimis parentibus & tua tuisque. Lutetiæ 21 Octobris 1628.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

191 MAirius tandem advenit & per eum tuas accepi, datas illas fine Augusti. Ex eo alias soliti cursus. Vtrisque respondeo. Testimonia auctorum ut libris de Veritate R. C. addantur non fert ratio occupationum mearum; quia nunc lego Hispanos, Italos, Belgas qui de bello nostro scripserunt, ut cum iis quæ ego olim scripsi conferam. Deinde sunt quædam testimonia quæ explicatione, quædam etiam quæ correctione quadam & argumentis ad id idoneis indigent, ne quid apud infirmos scrupuli hæreat. Cum tempore tamen cogitabimus. Heinsii & Thisii rumusculos non curo. Hic nemo est Romanensium, nemo Protestantium qui non probet. Sed fortè illi cum Voetio sentiunt Socinianum esse, præcipuam Religionis partem in observatione mandatorum Christi ponere. Ego verò ita sensisse video primorum sæculorum Christianos, cætus, doctores, martyres, pauca esse quæ sciri opus sit, cæterum ex animi obsequentis proposito nos apud Deum æstimari. Hujus ego quoque sum sententiæ, neque ejus unquam me pœnitebit. Socinianum ego me vidisse aliquem non nego. Sunt qui de quæstione an supplicia capitalia evitari non possint & quæ belli causæ justæ sint mecum disseruere, sed disseruere tantùm. Corvino ut omnia bene procedant ex animo opto. De editione nova de Iure belli & pacis delibero hic ne an Lugduni rectiùs peragi possit. Ad Institutiones venio, quod me negotium sollicitum habet. Mairius puto vili meum exemplar sperat se posse abducere. Ego quando fructus melior meis periit, aliquam partem lucri quod inde procedet meam esse debere arbitror, præsertim in tanti laboris opere. Explorare poteris quid alii offerant & deinde & Mairium audire. Nam apographa haud dubiè sunt mutila: & scire ego velim ubi finiant. Tabulæ Synopticæ & interpretatio Latina vocabulorum artis, quæ ni fallor ab apographo abesse dixeras, momentum habent non exiguum. Omnino persevero in sententia, si edendus est liber recensendum ab amicis in foro tritis. In historia obsidionis Grollæ servavi tardam illam & annalium propriam structuram, quæ affectata ornamenta repudiat. Neque exquisitior clausula requirenda est cùm edatur tanquam magni operis ὑποσχαρμάτιον. Tamen de Berga & ejus præmuniendæ consiliis addidi nonnihil. Tabulæ usui erant: Velim Bergensis illa esset ad dimensionem facta. Ad recentes tuas venio. Miseret me Remonstrantium qui in hoc à plebis vi defenduntur, ut sint in quos judices sæviant. Ecquis autem erit finis? quamdiu tepebunt quorum in manu est mederi? Sed de affinis famulo non satis intelligo utro se crimine obstrinxerit, violentiæ in Remonstrantes, an Cætuum cum ipsis habitorum. Posterius magis puto quanquam oratio per dubiam relationem ambigua est. De Dunquercanis sanè miror audaciam. Inducias quæ nuper pactæ dicebantur nescio an ipsi victo veniit, an factas sint negaturi, quia scriptura confecta non est. Certè pars classis ad amnem Charentam exscensione facta fœnum in agris ussit, donec celeri itinere cum machinis adventans Angolismensis eos depulit, vulneratis eorum qui in naves jam se retulerant aliquammultis. Id Angli vindicare voluerunt, immissis in opus Regium in portu Rupellensi igniferis navibus. Sed & hæ sine noxa rejectæ. Tamen pacis spes manet missis qui Britanniæ Regem consulant. Sed Rupellenses obstinati obdurant, nec ad ulla colloquia veniunt quanquam & pestis eos & fames minuit: sed pestis ipsa famis levamentum est. Saluta quæso nostro nomine optimos parentes. 28 Octobris 1628.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

REdit ad vos Mairius, Frater optime, cui exemplar 192
dedi Apologiæ, ut eam in Germania edendam curet, ubi multum desideratur ejus lectio. Dedi & Tileni scripta Gallica, tum adversùs Rupellanos, tum adversùs Synodistas. Cupiit etiam habere mea qua ex Sacris literis in Belgicos versus transtuli, & de Baptismo disticha eodem sermone, ut simul cum sex libris recudat. Hoc jussi à te peti. Neque enim dubito quin habeas. Aberravit ab illo grege Carmen in passionem Dominicam quod adjici poterit. De Instituionibus juris neque obligavi me neque spem resecui. Rogo de omnibus quæ ad hanc deliberationem pertinent certum me facias, nam ubi de editione constitutum erit, facilè inveniemus per quem mittatur codex. De Grolla & Iure belli adhuc incertus sum quid facere debeam; de Grolla maximè ob tabulas quas bene incidi potissima operis gloria est. Leges in quas dedita est Rupella bene servatæ sunt: & suspendi puniti qui Reformatorum Ecclesiam vi temeraverant: nec quisquam Reformatorum jussus aulæa tendere cùm corporis Dominici symbolum more Romanensi Rege ipso prosequente per urbem ferretur. Mater & soror Rohaniorum

Digitized by Google

niorum à Rege adversùs longam famem refoventur, sed ita ut custodes adsint, quod salva fide fieri dicitur, quia speciatim nihil de illis convenerat & generale nomen habitantium Rupellam non satis in illas congruat. Copiæ Regis disjectis jam Rupellæ munitionibus partim Italiam, partim Languedociam spectant, huc aut illuc majore sui parte incubituræ prout in utramque partem spes se pacis aut belli necessitas ostenderit. Golium nondum vidi, id patri ejus Palatii custode qui ad me scripsit dicas velim. Dicitur Amstelodami vivere Suffridus Sixtinus. Is à Bergensi mercatore Francofurtensi emisse dicitur manu conscriptos Gruteri libros, in quibus ingens supplementum inscriptionum. Id si edere constituit, puto nos Roma habere posse supplementum alterum cum illo conjungendum, quod ex omnibus Italiæ & Hispaniæ locis allectum est. Mousterius pictor egregius & Reginis Regique carus ad ornandam suam rerum exoticarum supellectilem valde me orat, ut sibi nanciscar ligni frustulum quantum maximum reperitur unde isti vermes pullulant, quales Puteanis nuper à te acceptos dedi. Ait ille frequens esse id ζωόφυτον in mari Baltico & siquid maris ulterius: Et ex conchis illis enasci anates aut anseres quos *Rotgansen* vocant, Scotiæ arboribus nasci falsò creditos. Ego ei etiam cum impendiolo aliquo gratum cupiam facere. Rogo officiosissimè salutes parentes, sororem tuam & ipsius conjugem, liberos, propinquos & amantes nostri omnes. 15 Novembris 1628.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

193 DVm moratur Mairius, mi Frater, iterum ad te per eum scribo, mitto autem narrationem Rupellensem editam cum qua fide dignorum literæ congruunt. Præterea cùm videam hic nullam spem esse ut inter librarium & tabularum sculptorem conveniat, in quam rem laboro jam mensem prope, integrum suadentibus amicis mitto ad te & ὑπομνηματισμὸν historiæ de Grollæ obsidio & annexis anni 1627. & eo pertinentes tabulas. Frater Reigersbergiorum maximus spem mihi fecit tabulæ Bergarum exactioris manu delineatæ: cujus ἀπόγραφον ad me mittere voluit: sed monebo ut mittat in Hollandiam. Ea substitui loco editæ poterit. Senator Reigersbergius itidem spem facit exactioris tabulæ ipsius obsidii: ea quoque si obtinetur, erit vice alterius substituenda. Tabula fossæ inter Rhenum & Mosam erit in formam minorem contrahenda, ut respondeat cæteris tabulis. Omitti poterunt non ornamenta tantùm, sed & longiùs absita loca. Tria castella obsidionis ad Grollam facilè conjungi poterunt & typus ille umbraticus Castellorum adjungi aut ipsi tabulæ obsidionis, ad latus ubi sunt typi. Cætera diagrammata orthographica in unam tabulam compingi poterunt simul cum figura Receptuum, ne nimium excrescat numerus tabularum. Nihil tamen rigidè præscribo, in distributione ista consuli possunt talium artifices. Sed facta distributione margini historiæ ascribendum erit Tabula I. Tabula II. Tabula III. Tabula IV. Tabula V. Tabula VI. Tabula VII. Ipse postea hæc margini ascripsi & tabulas numeris notavi. Puto ex usu futurum ut etiam Belgicis vocabulis non propriis, sed appellativis in tabula Sandflitæ & Bergarum addantur aut eodem loco, aut alicubi locò vacante ejusdem significationis Latinè, ut omni lectorum generi consulamus. Exemplaribus mihi aliquammultis opus erit apud vos, hic in Gallia & in Brabantia, nam & inde adjutus sum. Buonus pro libro de Iure belli mihi dedit ducenta exemplaria, in his sexaginta cartæ optimæ & ex his sexaginta compacta triginta, & ex his triginta duodecim ornatiora quæ Proceribus tradi honestè possunt. Hoc scriptum non labore mihi tantùm, sed & impendio stetit aliquo. Tamen nihil præscribo, scio non omnia ab omnibus posse obtineri. Explora plurium animos & adjuvante Senatore Reigersbergio da operam ut tabulæ quàm accuratissimè incidantur. Vale, mi Frater. 16 Novembris 1628.

Librarii hic omnes parati sunt dare quæ petis exemplaria: sed non reperiuntur hic tabularum sculptores æquo pretio. Ideo cogor hæc ad vos mittere.

Tuus H. G.

EIDEM.

QVas quinto Novembris ad me dedisti literæ, Frater 194
optime, traditæ quidem sunt, sed quantum ex aliis literis aliorum facilè percipio septem diebus quàm oportet serius, & an non resignatæ fuerint nescio. Nosti mores Legatorum, & noster hic quanquam haud eximiæ dotis, instructus & arte Pelasga: tamen tanto tempore aliquid addidicit. Quæ nuntias variè me affecerunt: dolet quod mea studia & pro patria labores qui adjumento tibi esse debuerunt tela facta sunt inimicorum: quod Ecclesiastici genus hominum vehemens tam hostiliter te impetit: quod ipsam etiam fortunam meo exemplo videris habere adversariam, cùm spes satis propinqua non tam contra nitentium vi quàm casu sit eversa. Solatur me contra quod tam fidelem amicum in Meermanno repereris & in iis quos ille tibi conciliavit: quod parum abfuerit quin & aliorum puncta tuleris, etiam Amstelodamensium: quod multi boni bene de te existimant. Omnino auctor sum, ut quos bene tibi volentes certo hoc indicio comperisti eos magis magisque observes & demerearis. Multa sunt rerum curricula, multæ occasiones in quibus tales amicitiæ utiles tibi esse possunt. Errant qui nomen nostrum in Anglia odiosum esse existimant. Regem Iacobum quanti fecerim scripta mea ostendunt. Amicos nos ibi habere novit & sentit Franciscus Iunius. Neque dogmata quæ tuemur ibi damnata sunt, imo Episcopos habent optimos & doctissimos, & florem Academiæ Cantabrigensis pro se. In negotiis illic agendis expertus sum Latino & Gallico sermone opus, Britannico non item. Neque fert ratio ut colloquia instituantur, nisi lingua latè patentis usus. Tamen siquem mittere volebant alium, gaudeo missum qui nos non longinquo sanguine contingat, & à nobis non nisi amantis animi habuerit testimonia. An juris cognitio ipsi sit qualem id munus desiderat nescio. Alia abundè habet. Siquid illi humanitus acciderit, si ipse se minùs parem sentiat, si non omnibus satisfecerit, erit fortè ad te recursus. Et in ipso Anglicano itinere tibi subrepto aliqua esse utilitas potest: quia si qui ibunt, rem Societatum ut ego feci acriter tuebuntur, erunt & ipsi eo nomine Anglis sua attentè imò & iniquè curantibus invisi. Si illis blandientur, malam à Societate & ejus res intelligentibus inibunt gratiam. Magistratibus Amstelostamensium in hac procella quam homines nihili incutiunt, magno animo juxta prudentiam opus est. Fæx illa Romuli ubi pertimuerit, impunè contemnitur. Præsidia illa ad tutelam urbis more vetustissimo, ad nullius injuriam pertinent. Vrit hæc res Fœderatos qui Hollandiam ut provinciam regere sperarunt. Sed horum quanto iniquior postulatio, tanto magis frænanda est audacia. Scriverium bonum civem novi, & de fratre ipsius tantundem exspecto. Rex hic exspectatur, cum pompa inducendus intra hos quindecim dies. Interim subsistet in proximo rure. Ad opem Mantuano ferendam dicitur iturus Crequiacus: sed tremendum ne ingruens hyems Alpinum iter impediat, & oppidum Casale prematur ab hoste. Rohanius conditiones quas stante Rupella recusaverat, nunc frustra optet: Rex enim durior factus, nec agere vult nisi cum singulis oppidis: & toties redeuntibus turbis, sunt qui remedium ab ipsius Ducis pernitie poscant. Rupellæ munitiones nisi quæ mari objacent dirutæ, ut & castellum in Insula Redana: oppidi jura omnia & bona filio addicta: Regimen

per

per præfectos: Religio utraque intra oppidi fines: omnium quæ bellum tulit fida oblivio. Obsidionis historia columnis & tabulis inscribitur: nec quisquam exterus habitare ibi permittitur nisi Regis singularis permissu, etiam è Protestantibus nemo, nisi qui ante Anglorum adventum ibi habitaverit: arma oppidanis interdicta & conventus sub Majestatis pœna. Misi nuper per Mairium ad te schedas meas de obsidio Grollano & annexis, itemque tabulas; quia hic qui sculperet non erat. Rogo agas cum Senatore Reigersbergio, & unà constituatis quod ex usu tum publico, tum privato nostro putabitis. Ego ex tantillo opere gloriam non spero. Parentibus me commendo & tuæ ac tuis nostrisque omnibus. 25 Novembris 1628.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

195 AD tuas datas 19 Novembris distuli respondere nuper, quod amicus qui iturum se dicebat me itidem differret & necdum proficisceretur. Vtinam verum sit in patria nostra id quod jampridem multi augurantur

——— *via prima salutis,*

Quod minimè reris, Graia pandetur ab urbe.

Legi libellos quos peperit Amstelodami ἡ φιλάνθρωπος Ἐκκλησία, cui profectò nihil habeo melius quod respondeam, quàm Euripideum illud

Ὅτι μὴ πιραντής, τέκνον, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς;

De testimoniis addendis ad libros de Veritate nunc cogitare non satis vacat. Tamen consilium tuum non sperno. Si Corvinus tragœdiam edit votis nostris respondentem, poterimus cogitare de Iure belli ac pacis. Nam ad hunc diem nemini obligatus sum & exemplar paratum est multis locis auctius. Vt antehac scripsi, velim edoceri quid habeat, qua parte deficiat exemplar Institutionum Batavicarum quod per manus volitat ut eo cognito certius quid constituam. Quæ Pinsenus promittit, pridem habita (& rogaveram amicos, ut monerent) optassem. Nunc mutare συναπεμὸν dictionis difficile. Tamen siquid magni est & ad rem pertineat videre poterimus. Rupellæ denudatio à Rege imperata tardè procedit ut & castelli in Retensi Insula. Cæterùm omnia à Rege promissa, præcipuè Religionis libertas abundè præstantur. Multò autem meliore loco erunt res Rupellanorum dejectis mœnibus quàm imposita arce, quæ ipsi etiam Regi aliquando negotium creare possit, tam venali hoc sæculo custodum fide. Et Riceliacus qui suæ potentiæ sedem ibi fixurus dicebatur, hoc capto consilio omnibus se purgavit, & ostendit se publicum negotium tantis impendiis, non privatum gessisse. Rex die Iovis cum pompa urbem intrabit: ex eo hic Aulam habebimus & ut quidam sperant Legatos à Monte Albano. Valde spes meas erigit quod Cornelium video serio studiis operam dare. Scribam ad eum primo commodo. Patri nostro quod nepoti patrem se præstat, gratias ago maximas. 9 Decembris 1628.

Tuis omnibus à me, uxore, liberis salus sit.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

196 DVabus tuis responsum debeo, mi Frater, quod distuli donec notus aliquis proficisceretur, quod nunc obtigit: qua occasione captata mitto libros de Iure belli ac pacis cum non exigua accessione. Horum curam tibi & amicis commendo, ut inter mea opera siquid rectè judico, eminentium. Regis in urbem εἰσέλασις postridie dominicum natalem & in diem incidit pluvium, & vitio gentis, ordinis haud ea fuit quæ debuit cura. Sumtuum alioqui satis factum in vestes oppidanorum, in arma, in naves, in currus qui Regem præibant, in arcus, picturas, elogia. Nunc de bello Italico fervent consilia. Casalis munimentum ad finem Februarii creditur posse semet tueri. Duodecim millia sub Mareschallo Estræo, cui antehac Cœuvrio nomen, mari eunt, descensura non procul Genua, in qua urbe partes Gallicæ reviviscunt. Cum Monte Albano & vicinis oppidis pax nondum, rumores tamen de pace eò magis quod huc Sulliacus venit Rohanii socer. Amstelodamensibus gratulor animi magnitudinem & felicem successum precor adversùs homines, quod sceleratissimum est, sub nomine Ecclesiæ turbidos. De Grolla facies tu & affinis quod ex usu publico videbitur: nam mihi talis scriptio ad gloriam nihil potest adjicere. Redeo ὁμηρικῶς ad priores tuas, in quibus quod mittis epigramma pluris mihi est quàm tota Indicana advocatio. Inscriptio illa in qua est prostrata hæresis & cætera, est quidem inter plurimas alias oblata Cardinali, sed non electa. Mireris quanta nunc sit seges orationum, poëmatum sermone Græco, Latino, Gallico ubere materia de Religione, de Regis & Cardinalis laudibus, de compedibus mari injectis, de fame ab invitis rebellibus depulsa. Vale Frater optime cum tua, tuis nostrisque, parentibus maximè. Pridie Cal. Ian. 1629.

Mitto literas Principis ad Rohanium parum clementes. Ad Camerarium literas cures rogo. Quid de Casaubonianis literis? nam ni edantur Tilenus suas reposcit. Vbi prodierit nova editio de Veritate R. C. rogo aliquot exemplaria, & quamprimùm per te habeam, nam à multis magnisque obtundor. Non est quod qui editurus est libros de Iure belli & pacis metuat privilegium Buoni: nam eum viventem & post mortem viduam interpellavi sæpiùs, ut quando deessent exemplaria novam editionem molirentur. Quod cùm distulerint per biennium ceciderunt suo jure. Ita censent advocati Regis. Pacis causa poterunt exemplaria ad ipsam mitti quæ in Gallia vendenda erunt.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

OMnes tuæ ad me literæ, Camerari doctissime, & 197
omnibus suis partibus mihi gratissimæ sunt: illa autem præcipuè, quæ de rebus Regis per multa sæcula maximè nuntias, cui cuncta ex voto succedere ipsius virtutis interest, quæ haud alii se largius indulsit. Ita sentio, ita, quæcunque occasio est, testor. Sorori tuæ ut matrimonium feliciter & ex bono ac dignitate familiæ vestræ, quam semper veneratus sum, proveniat ita opto ut qui maximè. Gaudeo te adolescentibus Thuanis ostendisse quanti maximum virum parentem ipsorum facias. Et certè siqua est virtutis, siqua literarum cognatio, ea inter Thuanos & Camerarios esse debet. Neque illud me parum delectat quod Vossii te juvat amicitia, quæ mihi semper esse solebat & in rebus dubiis consilium & in adversis aut molestis levamentum. Casauboni viri quem ego magis amaverim an admiratus sim constituere non possum, literas ad me non paucas transmisi. Fecit idem me auctore vir notissimæ eruditionis Daniel Tilenus. Quod non edantur in publicum, causam comminisci neuter possumus. Et Tilenus ni edantur suas jussit reposci. Est sanè usus maximi pars illa eruditionis quam ille postremam excoluit de veteris Ecclesiæ sententiis, ritibus, gubernatione, quarum rerum cognitio egregiam nobis facem prælucet, siquando in Sacrarum literarum intellectu hæsitamus, aut etiam ubi quæritur quid in iis rebus de quibus nihil destrictè præscriptum est sit optimum factu. Ideo Vossio, licebit mihi jam ut arbitror dicere nostro, auctor semper fui ut exerceret hoc studium in quo quid valeat, ostendit historia Pelagiana tam laudata ab eruditis omnibus quàm ab iis quibus audacia pro eruditione est, improbè allatrata. Quid de Christianis scripserint οἱ ἔξω, non negabo à me pridem haud negli-

genter inquisitum. Præcipui scriptores ejus argumenti periere, sed quid Christianis objecerint, quid concesserint discere possumus ex Origenis responso ad Celsum, ex iis quæ Hieronymus maximè & Augustinus è Porphyrii libris enotarunt, ex iis denique quæ Iuliano opposita habemus à Cyrillo maximè & Nazianzeno. Sunt apud Ammianum Marcellinum quædam haud spernenda. Zozimus planè iniquior est. Iudæos & Arabas prætereo. Neque ego desperem aliquid me præstare posse, quod libros meos de Veritate locupletet non pœnitenda accessione. Sed dum id caveo ne ulla pars studiorum quibus me dedidi situm contrahat, cogor nunc huc, nunc illuc deflectere. Tamen ut illam quoque curam dilatam nonnihil resumam, aliquando vel tu solus idoneus auctor es. Περὶ πλεμικῶν nihil magnopere succurrit, præter illa quorum meminerunt illi quos nominas. Sunt in bibliotheca Regia Ἥρωνος μηχανικὰ & alia quædam quorum indiculum poposci Nicolaum Rigaltium, & ille spopondit, à quo siquid multum interpellando impetravero, (est enim occupatior) id ut ad te perveniat curabo. Et pæne constitueram differre has ad te literas, donec illud præstare possem. Sed res ipsa admonuit, ut caverem ne aliena mora contraherem culpam. Vale vir majoribus tuis dignissime, ac ne dubita ejus quo me prosequeris affectus vim esse in me mutuam. Propridie Cal. Ian. anni 1629.

Tuus tibi devinctissimus H. G.

GVILELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

198 IAm dudum est cùm ad te scripseram: sed is qui eas perferendas susceperat quotidie promittens abitum in hunc diem distulit & nunc quoque differt. Accipies igitur ab illo ubi venerit literas sanè veteres & simul exemplar de Iure belli & pacis. Addam nunc tuo monitu Institutiones Iuris patrii. De Grolla editio, si tamen facienda est non ultra debet ampliari ne gratiam ex recente memoria perdat. Vbi Pinsium nomino, nihil est quod obstet quominus scribas Pinsium Aam. An addendum sit, ductandis agminibus non semel antehac expertum, poteris cum affini Reigersbergio ex vero & usu statuere. Novi sæpe hic nihil est. Nunc certè frigent omnia, tantùm calent apparatus ad bellum pro Mantuano. Trans mare it Estræus cum XII millibus: Crequiacus, ut puto, trans Alpes: Campaniæ quoque & Picardiæ limes suis legionibus defenditur. Rohanium Mommorantius cum modicis copiis satis habet impedire nequid promoveat. Quod si obtinetur facilè poterit id negotium differri usque dum confectum sit bellum Italicum, in quam rem componendam Pontifex pro Italia sollicitus incumbit. Idem ad Regem literas scribit victoriam extollens & auctor ut eo quod restat sectarii veneni Gallia purgetur. At Rex obsequii sibi Deoque debiti fines distinguens Edictum concepit nondum publicatum, quo arma retinentibus minatur durissima quæque, cæteris Protestantium sanctè pollicetur mansuram Religionis libertatem secundùm Edicta. In Amstelodamensi programmate non satis mihi placet illud de vera Religione quæ publicè docetur: nisi dicamus ita sentire majorem Senatus partem. Satis fuerat dicere se tuituros Religionem Reformatam ita ut publicè docetur. Omnino inquirendum est in semine adeo periculosæ seditionis & res à capite arcessenda. Alioqui semper fluctuabit ejus urbis status. Quales sint homines lecti in Magistratus Alcmarianos scire percupiam, & qui jam Delphis regnent. Ad Institutiones Iuris redeo. Ego eum librum absolvi in modis tollendarum obligationum quia revera is finis esse debet partis tertiæ, quæ est de obligationibus, contra quam in Institutionibus Iustinianeis factum est. Pars quarta esset debuit de actionibus & judiciis, sed eam omisi, quia Merulas tractaverat, & satis habui ad eum lectorem remittere. Pars altera, quæ est de publico jure quam etiam Iustinianus in Institutionibus, non nisi unica parte de publicis judiciis attigit, huic operi non accessit; meretur enim curam singularem, sed expediri nequit nisi aditum habeam ad chartas & meas & aliorum. Interim bona ejus pars peti potest ex libro de Apologetico & Antiquitate. Præfationem quam præmissam libro vides, nolo pro re decreta accipiamus. Tempus erit si editur ea de re cogitandi. Sed omnino amicis quibusdam in foro tritis exhibendus est liber, ut eorum opera melior prodeat: nam ego qui diu foro absui non nimium mihi fido, quanquam puto me habere omnium quæ dixi documenta. Vtinam velint nobis id officii præstare Vergoesius & Stridenus. Adderem Iacobam Dousam ni abesset. Castella tria à Pinsio exstructa puto minora esse quam illa tria quæ ego una tabula exhibere statueram. Quod si ita est, ut puto, addenda esset tabula una, ut etiam minorum castellorum aliquod exstaret specimen. Confer etiam hac de re cum Reigersbergio, à quo mihi ferme omnis materia suggesta est. Liber ille Peronii ad Regem Britanniæ est eruditus, sed plenus offuciis & strophis. Multo pluris sunt quæ Pecherelli opuscula nunc Lugduni prodierunt. Si tamen vis illud tibi mitti captabo occasionem reditus Legatorum nostrorum, qui quando futurus sit & ipsi ignorant. Rogo optimis parentibus, uxori tuæ, sorori ac marito nostrisque omnibus significes nos omnes ex animo ipsis ut & tibi salutarem hunc annum & quicquid vitæ superest precari. 9 Ianuarii 1629.

Rectè feceris si posthac tuas cum Reigersbergianis conjunxeris, ne spargar in quærendo.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

CIrca idem puto tempus quo has recipies etiam aliæ 199
tibi reddentur satis veteres, dum is qui curandas susceperat amicus abitum pridem promittit, tardè præstat. Vocatur Christianus, oppido Harlemo, cujus negotia hic adjuvi. Is fert secum codicem de Iure belli ac pacis ut à me auctus est. Postquam eum fasciculum clauseram hæc reperi monenda: in indice refingendos numeros ut novæ editioni congruant. In eodem verbo *Servus cognosci debet* malè est positum *ne* pro *ut*. Pagina 365 ubi Galliæ mentio adjici in margine expedit: *Constitutionum Galliæ Tomo* III. *Tit.* III. *constitutione anni* 1583. *cap.* 44. *Pagina* 612. §. 3. ubi de mari rectè margini asscribas. *Consulati maris cap.* 283. & §. 6. *ibidem consulatu maris cap.* 273. Literas tuas quibus de Institutionibus interpellas accepi post istum fasciculum obsignatum. Ideo in altero fasciculo ad patrem nostrum misi, ut illi quoque hac occasione scriberem, unde petes. Post hæc & ab ipso & abs te & à filio literas accepi circa anni exitum una charta scriptas. Filii profectus placet, pro quo & tibi & parenti gratias habeo. Rex die Lunæ in Curia Parlamenti edictum de Rupella & alterum de Protestantium non rebellantium mansura in perpetuum libertate sanxit. Tertium in quo sumtuaria quædam adhuc expenditur. Ipse postridie recessit Fontem Bellaqueum, inde iturus Valentiam in Delphinatu, ut medius rebus Italicis simul & Languedocicis præsideat, paci belloque in utramque partem intentus. Frater sequitur. Princeps Condæus huc venit. Nostri Legati post anni moram nullo confecto negotio redeunt. Ad pacem cum Anglia, cujus spes non exigua, illorum opera utnimis Βελλαντιζόντων non placet. De fœdere quod cum Lamgeracensi perscriptum fuerat, nihil Rex remittit, temporis à nostris exspectati eventum pro se esse indicans. Nostra omnia tibi commendo: etiam περὶ Ζωοφύτε siquid haberi potest. Vale cum amicis. 19 Ianuarii 1629.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

PAriter tuas, mi Frater, & 9 & 14 Ianuarii scriptas accepi, & pro utrisque gratias ago. Det Deus bonis magistratibus cum prudentia animum & Achitophelorum (quos video non dormire) consilia perdat. In Frisia verum credo præpollere quæ dicis consilia: tamen sunt nec pauci nec invalidi qui moderatiora magis probant. Miror ante peractam quæstionem ad captivos aditum dari, neque enim id moribus congruit. Grotenhusium velim meo salutes nomine, & siqui præter eum nostri meminerunt. In Grollana narratione præcipuum locum habent tabulæ quas exactas esse plurimi refert. Nomen quod attinet meum, dubito an Principi hac rerum facie utilem gratamque facturi simus operam, si id præscribamus: alioqui mea nihil id refert. Consule Reigersbergium, qui & aliorum poterit sententias exquirere. Dedicatoria epistola tantillo operi non congruit. Et datur velut ὑποσκιασμάτιον justæ historiæ. Consilium de rogandis è Senatu juridico qui cognitioni adfuit exemplo non caret, & non displicet, quò minor extet suspicio rei per odium actæ. Mira Religio est quæ à se quovis modo dissentientes nec in Templo nec in Curia vult tolerare. Et hæc probare Lugdunenses Theologos? Quid si Pontificii, quid si Puritani, quorum ingens numerus, idem in Anglia dicant? Hæc sanè Christianorum veterum praxi planè adversantur. Legibus nostris nullum est plebi in erigendis Magistratibus arbitrium: & si ad plebis suffragia ubique veniendum esset, vanam, credo, experirentur spem victoriæ. Nimiùm animis hæret prudentum præfatio Ministrorum Frisiæ, qua librum Bezæ de hæreticis gladio puniendis commendant magistratibus, cum denuntiatione divini judicii ni sequantur. Memini me cum Mimpio nunc auditore amicitiam contrahere cum sene Canonico Vltrajectino, Brogh aut Brock ni fallor dicebatur, qui multa tenebat de Hollandiæ nostræ antiquitatibus. Rogo ex Mimpio discas quod ei nomen fuerit & ubi chartæ scriptaque ipsius lateant. περὶ ζωοφύτων ego quidem interpellor: sed tibi nisi commodo tuo, nihil volo injungere. Vale cum tuis nostrisque à nobis omnibus. 27 Ianuarii 1629.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

1 QVando rerum aliarum nihil satis certi est, & Anglica, Italica, Languedocica negotia pendent inter bellum ac spem pacis, de studiis tecum agam, mi Frater, quæ & mihi sunt solatio & tibi oblectamento. Puto non ita dudum scripsisse me, esse Amstelodami in potestate mercatoris quem tum nominabam, auctuarium inscriptionum quas post magnum opus editum collegerat optimus Gruterus. Nunc Roma disco Donium virum istius literaturæ pereruditum ex lapidibus, statuis, tegulis, ex Vaticana quoque bibliotheca collegisse inscriptiones ad sex mille Latinas ferme omnes, Barbaricas etiam nonnullas, simulque instrumentorum qua publicorum, qua privatorum magnam congeriem, quæ omnia multorum annorum studio collecta paratus est dare publico, nihil aliud poscens, quàm ut nomine suo adscripto gratia permaneat ad posteritatem. Omnino mihi ex usu videtur publico conferri hæc digesta inter se, ac sic ex duobus unum fieri, curato ne bis eadem ponantur. Si mercator qui Gruteriana habet Amstelodami editionem curare vult, dabo operam ut nanciscatur Romanam collectionem. Erunt nonnullis in locis addendæ Icones rerum rariorum quæ in sepulchris aut alibi occurrebant. Accepi & à Wilhelmo Schickardo literas Hebrææ linguæ professore Tubingæ, novo jamnunc edito libro de Iure Regis Hebræo & altero qui Reges Persicos recenset optimè de sæculo, imò de sæculis merito. Is me rogat imò per studiorum sanctitatem obsecrat, ut aliquis apud nos mathematum peritus ipsius & geographiæ quam ex Arabicis etiam libris promotum it in gratiam, Solis certo die vel stellæ unius aut alterius meridianas altitudines per quadrantem justæ magnitudinis: atque etiam Eclipsis alicujus tempora apud nos accuratè notata: quæ si nancisci poteris (posse autem si annitaris confido) tu illa mihi, ego ipsi optimè id merenti transmittam, ut ei de Poli elevatione quæ est Lugduni, Hagæ, Amstelodami atque etiam de Longitudine planè constet, quando exterorum fortè & quorundam nostratium οἱ ἀπιστοξίαν varii varia prodiderunt. Iacchæi viduæ, ubi occasio erit, significes velim me orationis in maritum funebris exemplaria apud Memmium, Bignonum, in Thuani bibliotheca & amicos similes collocasse, apud quos simul eam deposui de marito ipsius existimationem quæ aliquando liberis etiam, si res ita tulerit, prodesse possit. Puto non intercidisse literas, quibus rogaram ut ex Mimpio rationum fiscalium auditore exquireres nomen Canonici Trajectini qui in nostris & Trajectinis antiquitatibus supra modum erat versatus. Puto Waltherum Brock dictum, & quid ejus chartis evenerit. Περὶ ζωοφύτων fortè non æquè expeditum est: tamen sicubi se offert rogo aliquantæ pecuniolæ etiam nostræ, ne parcas ut gratum faciam homini gratioso. De Casaubonianis literis D. Tilenus si non eduntur suas non petit tantùm sed flagitat. Gratum feceris si narrationem prædæ Peterhemianæ quam ἀμφισβητάτην cum πειθείᾳ alicunde extrices, ut aliquando usui sit nobis. Vale cum parentibus & amicis. 10 Febr. 1629.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

VTrasque tuas, mi Frater, & quas quarto & quas undecimo hujus mensis dedisti rectè accepi, & perplacet via. 202
Vbi nihil scribendum est quod privata tangat & ab aliis nesciri nostra intersit. Pax & in Italia & cum Anglos pæne confecta creditur. Vtinam de Rohanio & Languedocia idem sperare liceat. De fœdere cum Gallia, quid impedimentum sit, haud malè conjectas. Aliquid de pactis Langeracensibus remitteret Rex: ut autem nobis opem ferat, à nobis nihil exspectandum habeat, durum & iniquum videtur. Realio gratulor cujus libertatem eunti ad Cæsarem Oratori qui hic vixerat enixè commendaveram. Cornelium nostrum cum Bilandio venire non displiceat, modò certi aliquid pro via & sumtibus promittatur, ne in immensum rationes excrescant. Si id æquo modo fieri nequit, cum primo bono comitatu mari ad nos mittendus est. Interim velim exploretis locum commodum ubi Petrus noster instituatur. Omnino eget externa disciplina & congerronibus Latinè loquentibus opus habet. De judiciis Amstelodamensibus rectè judicas. Ego etiamsi provocatio permitteretur, non video quid futurum sit periculi. Danda autem est opera ut in omnibus urbibus sint Magistratus Legum & patriæ amantes, & Ecclesiasticis non plus quàm necesse est obnoxii, ne Conventus stud iis distrahatur eoque hebescat acies publicæ auctoritatis. Corvino pro eo quod monet gratias habeo. Sed vox *gelover* exstat in priscis Legibus Hollandiæ & Zelandiæ & ἀναλογικώτερος est ipsa Germanica. Itaque nihil muto. Sed & in aliis rebus malo nostra vetera quàm nunc peregrina. Ego maximo studio legi magnam copiam privilegiorum & statutorum nostræ patriæ & vicinorum, eo fine ut inde voces nostrates excerperem. Siquæ usu obsolevere, facilè revocari possunt. Omnia mea tibi commendo & me parentibus, tuæ, nostris. De Salmasio in Scaligeri locum vocando, nihilne audis? Multus hic de eo rumor. Vale mi Frater. 23 Februarii 1629.

Tui amantissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

203 DE consilio Professorum Lugdunensium, qua de re nuper scripseras, quid mihi videatur, Frater dulcissime, ne frustra literis onerem intelligere poteris ex scripto D. Tileni quod ad Medium jam puto pervenerit, in quo rectè excutiuntur ista λοξία θεσπίσματα. Quæ tibi commendaveram negotia curæ tibi esse gaudeo. Atque ea etiam nunc hic repetita censeas velim. De Poli elevatione erit aliquis qui precibus doctissimi Sichardi satisfacere possit. Et id præcipuè cures rogo: quanquam & pictor περὶ ζωοφύτων & Tilenus de literis urgeat. Et ecce jam nunc ut fieri solet sub manum aliud negotium nascitur. Rogant amici huc duo exemplaria mitti libri cui titulus Fabiani à Nipho de cœlesti animarum progenie divinatio. Lugduni Batavorum apud Godofr. Basson. anno 1617. in quarto. Vbi notus aliquis huc venerit, rogo memineris, ut ego Perronii meminero quem solutum an compactum velis quando adhuc tempus est, velim nunties. Ego de Arausione nihil perscripsi, quia non credebam rumoribus quanquam validis quos & ipse successus revicit. Nullus enim à Rege miles aut in oppidum aut in arcem intravit: actum tamen aliquid inter Orsantium & Regem fertur. Quid quantumque id sit, variæ sunt conjecturæ. Rectè se habebunt res, si nihil aliud promiserit quàm rebellibus Regis receptum apud se non fore. Quæ controversia fuerit quam Heiniani moverunt, & quæ illa decima non satis intelligo, sed gaudeo interim usu patuisse haud supervacuum in urbe tam spatiosa militem. Laudo etiam quod Amstelodamenses constantia sua injustos impetus retundunt. Bona consilia, ut scis, mora valescunt. De Ministro cui Spanio nomen ex aliis intellexi. Venit in mentem quod Cicero dixit Epicureos posse esse viros bonos, sed non ex fine dogmatis. Sic etiam inter omnis generis Christianos sunt qui peccent & graviter, sed aliis alia, illis verò ipsum dogma in causa est qui frænum, à Deo ipso injectum cupiditatibus, metum amittendi favoris divini & salutis imaginaria pollicitatione subvertunt. De Iohanne Arnoldi minor atrocitatem Lugdunensium & quod speras spero. Amo enim illum præter multa cum aliis communia ob proprias virtutes. Exercitus Regis jam est ut puto trans Alpes & ut literæ postremæ nos credere jubent Rex ipse: neque de solutione obsidii Casalensis dubitatur. Eam rem pax Italiæ & bellum ni fallor in Languedociam obsequetur: quæ res utinam eum eventum habeat ut non inferatur vis conscientiis. Magno cum dolore quotidie video ex Austria, Bohemia, Silesia, Religionis ergo exsulantes. De Angliæ pace nihil paret, sed bene sperant rerum conscii. Vale, mi Frater, & boni consule quod toties tibi molestus sum. Deus tuam, tuos nostrosque servet, parentes imprimis. 11 Martii 1629.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

204 MEministi puto, mi Frater, illud in Lucano à nobis emendatum:

Finis & Hesperiæ promoto limite Varus:

Nimirum ex quo Gallia Romanis Cisalpina in Italiæ nomen transiit. Is fluvius etiamnunc vorticosus est & δυσδιάβατος. Guisius qui ex Narbonensi littore brevi maris trajectu mox oram illam cum copiis legendam habebat hunc maximè metuebat, cùm ecce sub ipsum tempus transeundi ingens sabuli copia ex mari egesta ita huc se intulit, ut non vadosum illum, sed siccum faceret, fœcundam Gallicis ingeniis materiam, aggerem non factum ut ad Rupellam, sed sponte natum qui Iuris vindices copias transmitteret. Nihil ei invium qui maria sternat arcendis hostibus, cujus itineri amnes se sternant, & nivolæ alias rapidisque torrentibus infestæ æqualem viam præbeant Alpes. Nam alter idemque major sub ipso Rege exercitus facilè conscenso jugo in descensu tria quæ angustias obsepserant è ligno humoque valla impetu rupit, Susam in declivi situm oppidum eodem impetu tenuit: mox & arx ei oppido imminens deditur & propter castella quædam volente Allobroge, qui hæc Regi pignora tradidit, fore ut Hispanus Casale obsidio liberet & ipse commeatum justum eò inferat, ni Hispanus id præstet se vires cum Regiis juncturum. Princeps Subalpinorum jam apud Regem erat: uxor ejus Regia soror ibidem exspectabatur. Allobrox quia aliquid habet quod speciosè persequi possit in Montefertato pro eo accipiet L millia ducatorum annua, in quibus erit & Trinum oppidum quod jam armis captum tenebat. Alia quædam oppida quæ itidem hoc bello occupaverat tradentur Imperatori, ut ea Mantuanus ex ipsius Imperatoris manu simul cum investitura accipiat, ita undique bellantium omnium existimationi consulitur. Cum Britannis quoque transactum creditur, sed inhiberi publicatio donec huc inde legatio veniat. Grollæ exemplaria ut quamprimum, nempe per amicum habeam, cures velim. Alenda enim fama est & amicitiæ. De sævitia Lugdunensium in Corvinum non possum satis mirari. Quando isti homines ad Hollandicum ingenium redibunt? De Iure Fœderatorum in dandis privilegiis & disputatum scio & ego quod faciunt usurpatum video, quo jure non video. Persto in sententia. Miror de Veritate Religionis Christianæ nihil me intelligere. Cornelium prima occasione expecto. Petrum ad vos mittam. De Diderico videbimus. Filiæ duæ rectè valent, tertia minima mortua est, prope est annus. Cornelius quominus mari veniat, sed bono comitatu non intercedo. Alioqui & terra si occasio sit mitti poterit, præsertim cùm prope sit eam ætatem, quæ impetrato commeatu non eget. Quæ in Amstelodamenses Magistratus scribuntur siquis amicus huc venerit, velim videre: nam de consilio Lugdunensi quid D. Tileno ac proinde & mihi videtur jam te didicisse existimo. Etiam quæ aut Wassenarius aut ejus in scribundo successor post Aprilem 1625 collegerunt rimari desidero. De Arausione quid scribam? suspiciones & rumusculos? scripsit eos ad consanguineam uxor. Certi aliquid? At non habeo, nisi hoc unum melius Falcoburgio cum Rege quàm suo Principe convenire, & metuere me valde ne res in fœdum exitum erumpat. Principi ut molitiones pro statu publico intus & extra tuenda bene succedant etiam atque etiam precor: & ut vos omnes rectè valeatis. Imprimis Parentes. Lutetiæ 24 Martii 1629.

Ex usu lectorum censeam edi Grollæ historiam ea mole ac specie qua edita est Bredana, ut conjungant qui volent opuscula argumenti non dissimilis nec tempore multum abjuncta.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

HEri datas 18 hodie illas 25 cum paternis & filii accipio, mi Frater. Si toties tibi gratias agendas habeo, quoties bene de me mereris, nihil aliud scribendum restabit. Miror tantam vim publicæ bilis in Corvinum effusam, hominem ut ipsi hostes prædicare solebant inter Remonstrantes innocentissimum. Gaudeo bene animatum esse ut partem ferat de Calice. Ego planè Institutionibus nostris addendum censeo etiam Hollandiæ privilegium vel in majorem cautelam vel quia res eorum agitur. Et satius fortè fuisset hoc solum obtineri. Sed quia actum est, maneat. Iurisconsultos quos nominas ego rogo ut hunc captivitatis meæ fœtum cum venia legant. Multa enim deerant & desunt etiamnum quæ usui esse possent. Præfationem quam in carcere scripseram nunc 205

nunc omittendam & ipse monueram. Id quod tu suades non damno: sed tempus erit videndi currente prælo. Interim magis magisque animos Iudicum in nos prospiciemus: præsertim ubi lis nostra promovebitur. Librorum de Iure belli ac pacis exemplaria scio non debere exspectari quanta in nova editione. Sexaginta hic mihi bibliopola promiserat chartæ melioris, compacta decem. D. Tileni acetum tibi non displicuisse gaudeo. Nunquam se Lugdunenses purgabunt apud homines quibus sanum est sinciput. In Italia pax planè est. De Anglia & Languedocanis spes tantùm adhuc. Res Germaniæ Regi cordi esse incipiunt. De Poli elevatione ut cures meretur vir ipse optimè de publico meritus & haud dubiè satis multi sunt qui tibi opitulari possint. Principis conatus ad Reipublicæ salutem Deus secundet. 29 Martii 1629.

Saluta quæso parentes, tuam & nostros, etiam ab uxore & liberis nostris. Cornelium exspectabimus & Petrum remittemus.

EIDEM.


206 REctè mihi redditæ sunt tuæ, mi Frater, literæ quas Calendis Aprilibus scripsisti. Realis consilium non improbo. Est enim ex eorum hominum genere in quos & nux pinea pomum est. Amstelodamenses puto inopina conspiratione urbium oppugnatos. Alioqui facilè illis fuerat & nunc est Waterlandiæ oppida primùm demonstratis rationibus suis per Legatos publicè aut privatim missos edocere de justis suis, deinde & per proprias utilitates ita illigare, ut in magnis rebus ab ipsis non dissentiant. Factum hoc adversùs nos memini: nec malè constabit ratio etiamsi aliquid impendendum sit. Largitiones quæ pro republica fiunt ne Romanus quidem Senatus improbavit. Rex ad Ambrunum est, incertus an Imperator investituram missurus, & Hispanus Niceam traditurus sit, quæ Sabaudus effecturum se receperat. Sed ni ea præstantur, Sabaudus Regi se adjunget & hic quidem XIV millia peditum & CIↃ CIↃ equites, ille X peditum millia & mille ducentos equites suppeditabit ad vim à Mantuano arcendam. Interim Guisius cum decem millibus it ad domandos Cebennenses primùm, inde quod restat in Regem suo ut vereor malo rebellantium. Hi fructus sunt imprudentiæ Theologorum. In Anglia qui tam crudè in Episcopos Arminianos declamaverant partim in carcerem acti sunt, partim fuga idem malum evasere, comperto clam inter se consilia contulisse de curatore dando Regi ac Regno. Ita idem ubique spiritus ἱξυνομαχίας illos transversos agit, quo fructu in Bohemia, Gallia, Anglia, Amstelodami partim docuit, partim docebit dies. Hoc de Anglia Medio indicare poteris: & simul valde mihi placiturum si res Corvini ferant ut in Angliam eat, libros secum ferat, præsertim suos, fiunt enim ibi maximi: notitiam contrahat cum Episcopis & Cantabrigiensibus Theologis, quos ejusdam veritatis professio ignorantiæ aut malitiæ telis objicit, & semina jaciat commercii epistolaris in posterum. De Veritate Religionis Christianæ quid fit? Correxi in exemplari transmisso quod de sepulchro Mahometis dixeram & pro Mecha posui Medinam. Et tamen video esse qui de Mecha perseverent. Si quem nosti rerum Turcicarum gnarum consule: de Poli verò elevatione Schickardi viri optimè de literis merentis causa, ne obliviscaris rogo. In libris de Iure belli ac pacis haud satis memini an hæc correxerim p. 144. l. 29. *humanæ imbecillitatis patrocinium* pro quo malè est *legis patrocinium.* p. 214. l. 13. *sobole* pro quo scriptum mendosè & contra versus legem *soboles.* Si prætervidi, rogo tu suppleas. Grolla exspectatur avidè & utinam Princeps melius argumentum suppeditet felicius tractaturis. Phænissæ vereor ne cum Corvino exsulent. Institutiones Batavici juris audio jam auctoritatem habere quanquam *ἀνεκδότως*. Vide ne quid ibi sit in quo nos pragmatici reprehendere possint. Meministi monuisse me cùm scriberem, rerum aliarum tractatione pœne oblitum fuisse me fori, & in carcere tenuem fuisse supellectilem librariam. Tamen scio plurima esse ab aliis nunquam observata, aut non plenè tractata, ut de bonorum conjugalium communione, pactis nuptialibus, origine successionum ab intestato, feudis. Ego tot simul opusculis nostris fervere præla aut certè exspectationem lectorum incitari vel in hoc gaudeo, ut uberius scribendi argumentum habeas. Vale cum tuis nostrisque. 14 Aprilis 1629.

Accessit me nuper Georpius Bonde, qui literas habebat à Stephano Iohannis Stephanii Dano-Saxonis Grammatici emendatore. Per eas quærebat Stephanius an Andreas Sunerus Sialandicus, ad quem scribit Saxo, Rector fuerit Vniversitatis studii Parisiensis circa annum 1193. dicere poteris ipsi, si eum videris, sin minùs optimo Vossio, cui Stephanius librum suum inscripsit, eos qui Parisiensi Vniversitati præsident meo rogatu hac de re interrogatos, respondisse, nullam nec in Academiæ tabulis, nec in ipsius, adeo quæ rerum suarum diligentissima est, Nationis Germanicæ commentariis, tam longi temporis monimenta reperiri, quæ quidem Acta vocari possint: omnem antiquitatem esse in Regum ac Pontificum libris. De Andrea illo nullam memoriam. Cogitandum an non in Scotia aut Hibernia docuerit. In causa Spanii interest publici ut aliquid judiciali auctoritate definiatur, vel in hoc ut appareat non observari apud nos exemtionem clericalem.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VEnit ad vos, mi Frater, Maurerii quondam Legati filius natu maximus, qui à patre multis precibus obtinuit, ut ingenii sui ductum sequens ad armorum disciplinam mitteretur. Nostrum est omnibus officiis testari amicitiæ nos esse memores. Quare si qua in re ope, consilio utilis esse potes, fac quæso experiantur quid apud te possim. Cornelium meum quamprimùm huc venire cupiam, si alius comitatus se non offert, commendetur alicui navis ductori ex eorum numero qui præsidio mercatoribus Rotomagum eunt, denturque ei literæ ad Tresilium quo curante facilè ad nos perveniet. Non debet illi tempus perire: & Petrum quoque à me dimittere aveo; quod faciam simul huc venerit. Res omnes hic adhuc incertæ. Vestitura à Cæsare Mantuano nondum venit: neque Hispani omni agro excessere. Rex interim Susam & minora quædam pignori tenet. De Languedocia ambigui inter pacem & bellum rumores. Cum Britanno pendet negotium. Mitto tibi scriptum quod feci in causa quadam nobili. Defendi in eo thesin valdè utilem nostris, aliorum bella obstare commerciorum libertati non debere, qua sæpe nobis adversùs Anglos, Suecos, alios utendum est, & magis utendum erit, si quando ad pacem aut inducias ipsi pervenerimus. Existiment hinc nostri qualis ego sim hostis patriæ. Simul atque definitum aliquid erit, nam sententiam in horas exspectamus, faciam te certiorem. Parentibus optimis, tuæ, tuis & nostris prospera omnia exopto. 25 Aprilis 1629. 207



Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

NIhil à multo tempore lætius mihi evenit, mi Frater, quàm quod te ad nos iter parare intelligo: utinam cum conjuge. Est sanè Gallia quæ videri mereatur & urbium Princeps Lutetia, & cœlum clemens, & anni tempestas blandiens, & commeatus, ut puto, æquè facilè binis, ut uni impetrabitur. Filius noster accessio erit. 208

erit. Sed cùm literæ tuæ ad me venerunt jam tempus Bruxellam scribendi prætererat: neque redibit ante Veneris diem. Non dubito quin mittatur commeatus. Itaque te para. Negotiola quæ commendavi nunc non repete. Negotiola quæ commendavi nunc non repetam, quanquam interpellor nonnunquam. Tu per te memineris. Scripta quæ causam Reipublicæ aut Ecclesiæ tangunt nondum visa, libebit videre. Etiam cupiam Petro adferri *Grammaticam Lithocomi aut Hagensem* potiùs cum syntaxi. Discit nunc memoriter & aptat regulis Medeam Senecæ. Non malè res procedit. Causa illa cujus Latinam ad te conjectionem misimus contra nos judicata est, non dicam quomodo, nisi quod ipse Princeps Confessus Bellevrius & siqui famam habent ἀδωροδοκήτων à nobis stetere. De Legatis ad hostes colloquemur ubi veneris, interim quod in margine loca corrigis, gratias ago & siquid occurrerit simile, rogo ne parcas operæ. De Institutionibus nostris benè ut soles, meum negotium curasti. Ego si libris opus habeam potiùs hic sumam, modò vobis incommodum non sit, ibi accipere qui vobis sint usui. Principi fausta omnia & ipsius & Reipublicæ causa opto. Pax Italiæ nondum certa est. Vestitura haud dum venit; neque Hispanus agro decedit. Interim Trinum habet Sabaudus, & queritur Mantuanus talibus legibus pacis exhauriri Montisferrati ditionem, & pridem se eum in modum potuisse pacisci neque opus fuisse ad hoc tanto Regis labore atque impendio. Videntur qui Regi adsunt cùm viderent inter juga montium deficiente commeatu diffluere exercitum festinasse ad quasvis pactiones: quod Hispanus, ut solet, haud ignorans, res differendo oportuna tempora captabit. De Languedocia plures sunt qui bellum metuunt, quàm qui arma sperent. Vale & advola. Lutetiæ 28 Aprilis 1629.

Tuus tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

209 Scripsi heri Bruxellam, mi Frater, ut is qui ibi vivit aut commeatus literas tibi mittat, aut quamprimùm spem abscindat, quia difficulter hoc tempore impetrari dicuntur. Spero tamen successurum quod volumus, & vos propediem hic futuros. Ex eo tuas & patris literas per consanguineum Delphium accepi, cui sua Religio facilem hunc transitum præstitit. Legi scripta quæ transmittis. Quod de Democratia obtendunt lusui est ambiguo. Vox ea apud politicos variè accipitur: præcipuæ notiones ex materia, & ex forma. Ex forma Democraticæ sunt civitates in quibus imperium aut pars imperii à multitudine exercetur: quod fieri non potest sine concionibus & comitiis, qualia Athenis, Romæ & ferme in plerisque Græciæ & Asiæ non paucis urbibus fuere. At ex materia Democratica est respublica ubi non ex sola nobilitate aut definito censu fit electio, sed quilibet honesti cives maximorum munerum sunt capaces. Hac notione noster status Democratiam admixtam habet, non illa altera. Neque pro plebecolis quod respublica bono publico gerenda est. Nam ad hoc & Reges tenentur; quos tamen delegatos à populo nemo dixerit. Planè sicut in Reges electos jus aliquod transfertur ἀνυπεύθυνον; ita & in Senatus perpetuos. Quod ibi est lex successoria aut electionis Regis, id hic est lex eligendorum Rectorum. Alia acceptione Democraticum dicitur regimen non absolutè, sed comparatè ad ea quæ paucioribus committuntur. Sic quæ in Conventu imperii Germanici ex principibus & civitatum Legatis constante tractantur, à quibusdam referuntur ad Democratiam, quia scilicet penes multos tractantur respectu habito ad electionem Imperatoris & alia quæ per paucos transiguntur. Et huc respexisse Guicchardinum puto; nam sic multi Ordinum Conventus populari vocabulo Comitia appellant quanquam καταχρηστικῶς. Summam verò potestatem (quod alterum munimentum est Libellaticorum) non esse apud Fœderatos Ordines, ne in negotio quidem Religionis ex omni historia, sacramento civium & Magistratuum & ipso fœdere manifestissimum est. Si quid rebus turbidis aliter factum est id in normam trahi exitiale est Reipublicæ. Eoque minùs jus suum αὐτοκεφαλίας omittere debent Hollandi, quia jam & exemplo & libris cœpit oppugnari. Hollandi qui Zelandiam Flandris eripuere, Frisiam tenuere aliquamdiu, in tutelam suam suscepere jam olim Trajectinos, Transisalanos, Groninganos, per hanc sine ullo jure usurpatam jurisdictionem obnoxii sociis fiunt; ita ut quatuor nationum conspirationi semper cedere debeant, & qui se eis opponit illorum ipsorum subjiciatur arbitrio, nec ab Hollandis defendi possit, quo quid intolerabilius? Nam quid si Geldri, Transisalani, Frisii, Groningani nomine Fœderatorum decernant expellendos Anabaptistas, quid erit quomodo detrectari id possit, si novum illud jus recipimus. In tributis indicendis nihil mutatum est. Indicunt qui solent nobiles & urbium Legati, petente Senatu fœderis ut olim principe. Mutatur qui petit, non qui onera ista imponit. Plura nunc non addo, ne nimium excrescat Epistola & colloquii quod spe jam præsumsi materiam absumam. Interim hæc quæ scripsi communicare Medio poteris, si non longè abest, cui & hoc epistolium aut trades, aut mittes. Rex à Susa abscessit relictis ibi quater mille peditibus & mille quingentis equitibus, quibus magno sumtu ac labore ex Gallia alimenta vectantur, tanta sub Alpes & quod circum est Italiæ sterilitas agros incessit: idque vel præcipuè spem mihi facit bellum intermoriturum, quanquàm nondum investitura ab Imperatore venit, neque probatio pacis ab Hispano. Sed Sabaudus, Venetus, Pontifex cum Rege fœdere illigati sunt vires jungere, si Hispanus quicquam in Mantuanum tentaverit. Deinde Casali iterum suppeditatus est commeatus. Rex Languedociam petit, obsessurus Privasium oppidum, quando urbes decreverunt Rohanio auctore de pace non agere nisi cunctæ & quidem cum Anglo. Nam non cessat spem inde ostentare Rohanius, cùm tamen apertè is dixerit nihil se pro ipsis posse, & jam cum Gallo transegerit, ut tantum restet publicatio libertatis commerciorum, non pacis, quia nec bellum fuisse Reges videri volunt. Vale cum optimis parentibus, uxore, liberis, amicis. 5 Maji 1629.

Est apud Iacobum Meierum folio 315, 360. insignis & politicæ sapientiæ plenus locus, in quo ostendit rem Gandavensem optimè gestam Senatu perpetuo qui & cooptandi jus haberet cuncta regente. Ex quo ad plebem referri negotia cœpere, cuncta iisse retro, nec alium fuisse exitum quàm ut abolitione libertatum omnium saluti urbis prospiceretur. Non pœnitebit vidisse ut noscantur Belgarum ingenia neque dominatus neque popularis imperii patientia, sed medio inter utrumque itinere gubernanda. Idem doceri possit Dordrechti exemplis & siqua præterea oppida paulo δημοκρατικώτερα à quibus seditiones nunquam afuere. Notandum est scriptorem libelli contra Arminianorum quam vocat fractionem, fateri ante Arminii tempora ejus sententiæ Pastores cum aliis in Ecclesia vixisse. Non facit ergo ista sententiarum diversitas aliam Religionem. Quod si sententia minùs frequens ingenio defendentium frequentior facta est, quid in eo novi accidit? Idem in Medicina, in Iuris prudentia evenit: neque id statum Reipublicæ turbat. Rogo ubi huc veneris, (nam venturum planè spero) memineris de Poli nostri elevatione: de Niphi libro de animarum origine. de Waltero (ni fallor) Borchio Trajectino. Nam περὶ ζωοφύτων haud urgeo amplius. Grolla si edita sit erit Vosbergio dandum exemplar, quia is quasdam notas contribuit. De cæteris ibi quibus danda omnino exemplaria tu cum affine judicabis, memores & hic esse quibus debeam multis nominibus.

Tui amantissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

210 Spero commeatum, mi Frater, ad te perventurum, quando aliis multis non negatum video, sed quicquid erit prius tu id per literas à Palamedis filio ad suos intelliges, quàm Lutetiam ea de re nuntius perveniat. Si Grollæ historiola publicata est, rogo exemplaria tecum feras Antverpiæ danda Miræo & Hernolano, Bruxellæ Palamedis filio, Verreickii filio & muneris paterni hæredi, & fratri ejusdem qui Grollam sub Dalquio defendit. Nam his omnibus teneor. Cætera exemplaria ubi primùm venire poterunt, veniant velim, ut amicis satisfiat retento ibi eo numero quem amicis illis addiximus. Quò magis relego scripta eorum qui Amstelodamenses Magistratus oppugnant, eò magis video apparere & illorum iniquitatem & æquitatem horum. Non est sperandum ut loquacibus hominibus silentium imponatur. Satis est, si cogantur ad se tuendos ea dicere, quæ omnes judicio præditi pro absurdis habeant: quod abundè illis evenit. Adversùs imperium quod populo arrogatur, eandem cautionem occinebant Gandavis Imbisius, & cum eo Datherius: neque aliò magis ea civitas periit. Planè qui talia dicunt Ministris summam potestatem deferunt: quia apud nos illi soli loquuntur ad populum; cùm in omnibus civitatibus in quibus jus populi valuit Magistratus ad multitudinem loquerentur. Si terra venire non potes, tamen filium primo bono comitatu mari mittendum censeo. Rex Protestantes inhibuit ne Synodum Nationalem haberent, credens sub eo velo latere consilia suæ auctoritati noxia. Dicitur nunc Privatium oppidum obsidere. Certè omnia in id parata erant cùm Rex Susa digrediens Valentiam iret, ubi ipse subsistit, misso adversùs rebelles Chombergio. Velim si commodum est adferas mihi Latii librum de America cum tabulis, & siquid de obsidione Silvæducis excusum erit. Vale & advola. Parentes & amicos saluta. 12 Maji 1629.

Has literas ad Elzevirios ut cures rogant te Puteani.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

211 Literas commeatus, mi Frater, promisit se missurum Naupliades tibi & filio meo. Quod si ab uxore tua impetrare potes ut te comitetur, quod velim maximè, monendus ille per amicos ea de re erit, ut & illi ac famulæ parem facultatem mittat. Simul cum tuis 6 Maji priores datas 29 Aprilis accepi: & de privilegio video te rem incertam pro certa habuisse. De eo qui intercessit, haud miror: & vel inde colligas quid mihi sub horum potentia sperandum sit. Sed de his aliisque nolo nobis colloquii materiam præcerpere. Graswinckelio fausta omnia precor ex animo. Cliens ejus cujus lis exitum infelicem habuit, iterum scripsit ad me ex Portu Gratiæ. Monebo eum, ut quod periit perditum ducat. Pax cum Anglo jam planè coiit, & mittuntur hinc & huc Legati qui jurent, in Angliam Castellinovius Altirivii frater. Privasium Rex obsidet & sperat se nacturum ante diem Pentecostes. Res Italicæ nondum planè conquiescunt: sed manent apud Susam & circum locis sex millia militum sub imperio Crequiaci. In Casale illata octo millia saccorum tritici, curante Sabaudo, cui quantum fidi debeat nemo tam prudens est qui satis videat. Capti sunt qui Cardinali Riceliaco necem machinati dicuntur, privato dolore an aliorum instigatu haud satis aperto. De Silvaducis quicquid agitur sæpe intelligere dulce erit. Est enim quotidianum & apud populum & apud Magnates disserendi argumentum. Medio hanc velim tradas & cum parentibus amicisque valeas. Lutetiæ 19 Maji 1629.

Tibi devinctissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

Et Regis tui virtutibus ex animo faveo, Camerari Clarissime, & tuis literis eruditissimis unicè delector: 212
quo dulciores mihi fuerunt quas misisti nuper quæ cum benevolentiæ tuæ testatione res Regis prosperas nuntiabant. Participes earum feci Godofredum, Rigaltium, Puteanos qui te omnes salutant: ac simul viso quem misisti panegyrico tecum judicant tantas esse Regis vestri & res & virtutes, ut obtrectatores ipsi ejus meminisse nisi cum summa ipsius gloria nequeant. Felices vos qui in Regis tanti tutelam venistis, per quem fit ut etiam quæ de veteribus prædicata credere antehac formidavimus, nunc planè credantur. Ita ille antiquis pro teste est, secuturis pro magistro. Neque posthac rei militaris documenta tutiùs quàm ex ipsius historia petentur. Quia tamen scire expetis quid talium librorum sit in locupletissima bibliotheca Regia, mitto indiculum quem hoc ipso die mihi attulit Rigaltius. Hic pacem tandem cum Anglo habemus, bellum in Languedocia obsesso nunc Privatio, in Italia res adhuc inter bellum pacemque ambiguas. Vale, vir Clarissime, ac in majorum tuorum laudes succresce. 20 Maji 1629.

Αἰλιανοῦ τακτικά.
Ὀνοσάνδρου λόγος στρατηγικός.
Μαυρικίου στρατηγικά.
Ἀθηναίου περὶ μηχανημάτων.
Βίτωνος κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων.
Ἥρωνος χειροβαλλίστρας κατασκευὴ καὶ συμμετρία.
Κτησιβίου βελοποιϊκά.
Ἐκ τῶν Φίλωνος πολιορκητικῶν
Οὐρβικίου ἐπιτήδευμα.
Ἰουλίου Ἀφρικανοῦ κεστοί.
Λέοντος αὐτοκράτορος τῶν ἐν πολέμοις τακτικῶν,
Κωνσταντίνου βασιλέως τακτικά. περὶ ναυμαχίας καὶ πειρατικῆς.
Αἰνείου πολιορκητικά.

Tuo nomini addictissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

Etiamnum gratias tibi ago, Frater suavissime, quod laborem sumseris hucusque veniendi ut nos tuo 213
vultu tuisque colloquiis recreares: Deo quoque ago quas debeo quod te sospitem patriæ, incolumen parentibus, conjugi, liberis restituerit. Neque minùs eo me demereris & tu & pater optimus, quod me ignarum esse non sinitis earum rerum quæ apud vos geruntur, quodque negotia mea vobis cordi esse ostenditis. Amerstordianæ causæ exitum exspecto, & maximè qui sint delecti judices; spectat enim ad exemplum. Amico quem nominas injunxeram cùm hic esset, literas ad Medium ut curaret per mare scilicet, ipse autem terra misit. Quod ego hinc brevius facere potueram. Sed nihil est incommodi. Scripseram Wynbergium, quem & ipse & Goyerus commendaverant, mihi utroque nomine carum fore, abiisse nunc visurum Galliam: ubi rediisset ostensurum me quanti apud me ponderis sit ista commendatio. In familiam meam ut eum recipiam, quod ipse petiverat, non ferre res meas. Corvino me bene precari facereque eum suo merito maximi. Vidisse me scripta Amstelodamensis partis utriusque, non tamen examen Amstelodamensis supplicationis exhibita cùm Princeps ibi esset: desiderare me & hujus scripti lectionem. Aritmandes Magistratus rectè sentientes, ut quod sentiant opere ostendant: Salernianos præsertim id agere debere ut amicos parent: nam & ipsorum interesse: & fortè serò dolituros omissa tempora sibi & publico consulendi. Oppida Languedociæ parere Regi. Cum Italia bellum ingruere, ob Mantuam & Montemferratum. Existimare me pastores Ca-

Carentonienses non se immixturos negotiis Ecclesiarum nostrarum, nisi consultis qui apud Regem valent auctoritate, qui & ipsi vellent reperire remedia dissidiis nostris. De fratre Regis spem esse concordiæ. Narravi deinde imperium pseudoprophetæ Genevensis adorati ibi à nimium credulis. Hæc non probari pastoribus Carentoniensibus. Verum esse quod ipse intellexerat magnum hic esse gregem ἀθῷον, ideoque me effugere λύκας. Inde ad Cyrillum veni. Transcripsi verba Arcadii presbyteri Corcyrensis in præfatione ad Poloniæ Regem, in qua conqueritur à Cyrillo Russiam Polonicam turbari, injecto Calvinici dogmatis (sic ille more suo loquitur) semine. Scriptum D. Tileni ejus argumenti missum ad ipsum per Polonum qui nuper eò iverit: si traditum non sit, posse exemplum peti à patre meo. Subsequi historiam disputationis inter Rigovium & Maistrelatium ac speciatim τὰ περὶ τῦ ταμιείυ. Dolere mihi mulctas durare, ac præsertim eos qui possunt non plus laborare pro libertate captivorum. Exspectare me quid futurum sit Sylvaducis capta, quem nuntium avidè hic ab omnibus bonis Francis exspectari: Trimolii uxorem in Religione non labascere: eam sororem esse Bulionii. Postremo salutabam fratres, præsertim captivos. En summam quantum memoria prosequi valet: neque enim exempla literarum ac ne indiculos quidem servare consuevi. Nihil te rogo præter illud Schickardianum & siqua alia negotia præsens tibi commendavi. Rogo mittas postremam tabulam obsidionis Sylvæducis. Comparet enim hic tua illa auctior. Velim etiam habere Edicta & πίνακα vectigalium maritimorum quæ *Convoyen ende Licenten* dicimus. Habui olim multa, sed ea forte οἴχεται; quod si sit, aliunde quærenda erunt & quidem τὰ μεταγενέστερα. Cornelius noster & ingenio & diligentia satis se mihi probat. Mittit ad avum epistolam & aliud laboris sui specimen, rogatque ut primo commodo libros quibus usus est accipiat. Cornelia nostra (pro qua aviæ sollicitudini gratias ago) valet meliusculè. Iterum rogo etiam Gabrielis & Salmasii & aliorum causa sciamus quibus opibus instructus ex Oriente venerit Golius. Novi hinc nihil me scribere, ne mireris: non enim ut apud vos fervent res, sed diu ὑφίστασθαι. Perendie Cardinalis veniet in Aulam, quæ est Fontibellaquei & cum eo negotia omnia, ut de bello Italico, cujus rumor gliscit ingruentibus ex Germania majoribus copiis, de fratre Regis qui in Lotharingiam abiit φυγῇ γὰρ ὁ σμικροῖσιν ἁλίσκεις ἔπι. Legatus Langeracensis jam eò ivit. Itaque priusquam huc revertent rectà Lutetiam ad me aut amicum aliquem literæ curandæ erunt, ne vagentur. Rogo sciam illa quæ intercepta sunt in quorum manus pervenerint. Litem nostram de bonis & repetitionem Institutionum juris patrii tibi amicisque omnibus commendo quàm possum maximè. Vale quàm jucundissimè cum parentibus & amicis. 14 Septembris 1629.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

214 NImium tu benignus es, mi Frater, qui acceptum beneficium in materiam gratias agendi vertas. Petrum jam spero collocaveritis. Pro cura Diderici avo aviæque plurimum debeo: & scio quantum valeat talis parentis domestica institutio: sæpe enim mihi liberorum meorum ætas illos annos in memoriam revocat. Videte modo ne ibi indulgentiùs habeatur, idque nobis postea negotium facessat revocandi eum ad severiorem regulam: ac ne intermissio quotidiana studiorum ac præcipuè confabulationum Latinarum tardos faciat progressus. Pro commentario Silvæducensi gratias tibi patrique habeo. Tabulam exactam spero me tua cura habiturum: ut simile exemplum habeat interpellat me quotidie Mousterius pictor quem nosti. S. Hugonides suscipit historiam istam, quid præstiturus sit nescio. Certè argumenti cognitione exacta alios omnes superare poterit. Neque nunc omnes Principes tales sunt qui Lysippi & Apellis opera ab aliis internoscant. Losecatio gratulor & accipio omen redeuntis ad nos fortunæ. Hollandis nostris prudentiam in eligendo chorago, Principi in eo quod restat belli successus æquè ut hactenus prosperos opto. Barlæo dicas velim meminisse me promissum mihi ab ipso hymnum in Christum cùm poëmata mitteret: cæterùm neque eum ad me pervenisse, neque alterum de quo mones fasciculum, neque verò quicquam ab ipso post illa quæ dixi poëmata. Schickardi mandatum quamvis tardè procedit, rogo ne pro deplorato habeatis. Quæ vestra industria est aliquid extricabitis. Etiam hodie de eo interpellatus sum & devinxit me vir ille beneficiis suis, ut quicquid vult, vult autem non nisi honestissima, velle debeam. Indicem librorum Golii avidè omnes hic exspectamus φιλαγάθως. De Alcorano quod scribis versiones fuisse omnes minùs fidas, facilè credo, sed omnia quæ hic, quæ apud Batavos in publicis, in privatis bibliothecis sunt exemplo esse νενοθευμένα quis facilè credat? Itaque rogo mentem ipsius & argumenta pressiùs explices. Gabriel noster versionem molitur, neque deterretur eo quem adfers metu, adhibiturus tamen σοφὰ φάρμακα. Cum Regis fratre nondum transactum est negotium; sed spes est concordiæ amoto uno objice Cardinali Berullo, qui diem suum obiit, aspersus post mortem lustrali aqua à Virgine Mantuana, siquid ipsius pœnam levet, hominis qui sævire veritus non fuerit in illum sexum & illam ætatem. Sabaudus sequitur res Gallicas, & spem facit pacis Italicæ. Neque eò minùs eunt Forcius in Bressiam, Estræus in Rhætos si iri opus sit. Comes Susius & Noissius libertatem sine ulla deprecatione acceperunt, quò integrius sit beneficium, ipsisque & ipsorum proximo Forcio addatur animus ad res rectè gerendas. Vale cum tua, parentibus, liberis à nobis omnibus. 5 Octobris 1629.

Quanquam in Aula agente Langeracensi literæ tamen omnes rectè curantur & suo tempore. Hogerbetium salutes velim & bona ei Dammioque omnia preceris. Ego eorum famam fortiter tueor. Comites Hohenloii cùm nuper ad Aulam irent à me commendari voluerant, dedi literas ad Beauclerquium unum e triumviris qui regni arcana tractant. Is quid rescripserit vides. Hac ad Camerarium cures rogo.

Tuus amantissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO.

IAmdudum debitor tibi sum, Clarissime Camerari, pro 215 suavissimis literis, in quibus multa sunt quæ me summopere delectant: tuus in me amor indefessus: scriptionis tuæ nitor atque elegantia: res deinde quæ narrantur mihi gratissimæ, veneratione Regis maximi in quo certant laus bellica & consiliorum prudentia. Respondere cunctantem dum aliquid dignum exspecto quod hinc vobis renuntietur, occupat novum tuum beneficium, graphica omnium eorum qui in Regnorum fabula primas, secundas, tertias agunt descriptio. Vinam sicut Princeps Arausionensis fecit ut crescat de se loquendi materia, tantundem illi faciant qui partem habent aliquam in eo quod Europæ restat libertatis. Rex certè Galliæ non segniter suo fungitur officio, cujus jussu Forcius dux vetus Protestantium Religionis ad Alpes proficiscitur habiturus sub se quindecim peditum, duo equitum millia, tutandis Segusiis & his quæ Mantuanus tenet, si Imperator & Hispanus in belli consiliis perstent, Sabaudus planè stat à Rege Galliæ. In Rhætiam & Estræus parata reperturus apud Helvetios sex millia militum conscripta Regis pecunia, totidem Veneta, & alia totidem Helvetica. Optant boni omnes ut frigusculum quod

quod inter Reginam matrem & Regium Fratrem exortum est commodè sanetur, ut liberatus internis curis Regis animus ad externa se securiùs vertat. Hæc sola erant quæ hic habebamus. Si quid posthac Regi vestro feliciter evenerit, scito neminem esse qui libentiùs id prædicet. Resalutant te amici omnes. Vale vir doctissime & tuo nomini respondens. 5 Octobris 1629.

ὁ φιλοπαμμεγεθής H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

216 Literas quas scripseras, mi Frater, Calendis Octobris non ante illas Patris datas 8 Octobri accepi, incuria ut puto eorum qui hic res D. Langeracensis (is enim ad Aulam abierat) curabant. Nam eo reverso ipso quo primùm potui momento sequentes accepi. De Petro rectè. A Barlæo missa adhuc quærimus spe aliqua reperiundi per indicium quod nobis à Rhotomago factum est. Intellexi quæ in Amersfordianos Magistratus pronuntiata sunt. An nimiæ aut præproperæ formidinis argui possint, ego tam longè remotus haud dixerim. Illud displicet quod non à Patriæ suæ legitimis judicibus sententiam acceperunt exemplo in nos inchoato, sed Hollandiæ multas ob causas pernitioso. Id populo ob oculos poni è re sit publica, ne ex facto tali jus fiat. Hi sunt fructus egregiæ illius mutationis qua externos nullo in Hollandiam affectu Hollandiæ præposuimus. Continentia causæ non poterat eos facere judices quibus nulla in paganos cives Trajectinæ nationis notio est. Te jam à rheumate & febri liberum spero, quò magis curare possis illud meum de Institutionibus Iuris Batavici, quod animo meo ita insidet, ut nihil magis. Nam certè tantam vim atque injuriam in tam præclaro opere concoquere non possum. Excitate Bellimontium ut fidem publicam liberet. De Schickardiano negotio satis jam monui: Et Cordesius aurem vellit de libellis quibusdam. Memini videre me Smoutii libellum patrio sermone in orationem ni fallor Dominicam, in qua gravissima scelera commemorans nullo eorum vult amitti divinum favorem. Eum si reperias cum cibariis nostris velim mittas. In Mantuanum agrum magno impetu involarunt Germanicæ copiæ: neque tamen nulla spes est pacis inter magnos armorum paratus. Transiit jam Crequiacus; abiit Fortius; Estræus est apud Helvetios. Etiam in Campaniam Francicam Rex exercitum mittit, sive ut reprimantur Fratris conatus siquid ille audeat (nam sunt qui copias ipsi offerunt) sive ut opem præsentem videant Germani; si modò aliquibus adhuc libertas & Principum dignitas cordi est. Miraberis quæ mitto pacta nuper manente bello civili inter Hispanum & Rohanium, mirabitur & Medius. Cyrilli confessio Argentorati cœpta publicari jussu Magistratuum repressa est. Nostri hic καλβινιστὰς scripsere Bysantium, ut tibicinibus novis fulciatur labans fabula. Vale, mi Frater, cum optimus parentibus. Losecatio & sorori sanè gratulor. 19 Octobris 1629.

Mousterius ut tabulam exactiorem Silvaducensem simul cum ea quæ nobis mittetur exspectat.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

217 TErtianam tuam, mi Frater, quandoquidem jam fabascere inceperat confectam spero, atque interim tum tibi, tum parenti optimo pro iis quæ proximè significastis ago gratias. Puerperæ etiam opto omnia ad salutem, & tibi hanc cum cætera prole felicem atque jucundam. In Catalogo Francofurtensi video poni obsidionem Grollæ & quidem meo nomine tanquam editam Francofurti. Exemplum non vidi. Vereor ne tabulas omiserint & ne dum mea exspecto illa væneant. Præter negotia quæ antehac vobis commendavi præcipuè Schickardianum accessit novum. Vir & mei amans & dignitatis primariæ rogat me qui sceptro apud Mauros potiti sint, aut Reges se Maroci aut Fesæ dixerint post eos, quorum nomina apud Meteranum apparent in anno CIↃIↃIII. Facilè aliquem reperies gnarum rerum Africanarum, ex quo possimus non jam dico habere quod restat historiæ, sed Regum aut de Regnis certantium nomina. Patere quæso super tot onera quæ liberè nimium tibi impono & hoc adjici. Ad fratrem Regis ivit Marillacus Custodis Sigilli frater ad farciendas offensas, quarum ipse fuit pars non exigua: & spes est concordiæ: neque eò minùs illi parti finium cavetur, missis eò magnis copiis, quæ si ita res ferat facilè inde per Burgundiam ad Alpes ducentur. Est enim ibi nunc etiam bellum capto à Cæsarianis oppido Nicea Paliana, obsesso Ponte Aërii. Sed & ibi non impedit armorum strepitus quominùs pacis consilia agitentur, quæ si succedant facilè fortè evanescent nostrorum super induciis certamina. Commendo me parentibus conjugi tuæ, propinquis. Lutetiæ 2 Novembris 1629.

Iamjam nuntium accipimus armorum ἐκεχειρίας in mensem initam in Italia Pontifice auctore, & rem magis magisque ad pacem vergere; ita tamen ut etiam arma parentur. Veneti palam sua signa & duces Mantuano misere. Idem Rex in Monteferrato facere promittit. Sabaudus adhuc ἀλωπεκίζει.

Tuus tibi addictissimus Frater H. G.

EIDEM.

TVas, mi Frater, paternis comitatas datas 29 Octobris rectè qua missæ erant via accepi; ac nunc tibi potissimùm respondeo ut gratuler restitutam valetudinem. Libros Cornelii cum esculentis scribit missurum Pater. Spero & Grollæ exemplaria & Phænissarum si prodierunt. Pridem enim de iis ut & de Iure belli ac pacis nihil audio. De Schickardiano negotio non possum, non adhuc urgere & de Africano, sed quatenus res tuæ ferent. Quomodo in meo negotio per hos æstus deliberationum promoveri aliquid possit non video. Si aliter existimant qui res introspiciunt, fac sciam quid & quomodo agi posse arbitrentur: ut & de ea re & de aliis quæ mihi aliunde offeruntur sicut oportet cogitem. Interim cavete ne cui spem faciatis quasi ego quicquam velim postulare. Nam hoc est quod inimici volunt, ut mihi deprecatæ culpæ labem imponant. Scripta Smoutiana & Triglandiana de quibus Pater, videre avebimus. Marillacus frater Custodis sigillorum adhuc apud fratrem est Regium qui nihil adhuc movet. Spes quidem est concordiæ, sed & impedimenta ab eorum metu qui Regis fratrem comitantur; & timent ne in se omnium pœna recidat. An accepta sit ἐκεχειρία per Italiam video non satis adhuc constare, ita tamen ut mihi videatur major esse spes ad pacem. Fortè tamen Hispanus trahet utrumque negotium, ut vel hic vel illic arripiat quæ maximè in rem suam existimabit. Vale cum parentibus, puerpera, liberis, & amicis. 8 Novembris 1629. 218

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

EVnte ad vos, mi Frater, Maximiliano Campio, commendare eum tibi amicisque volui, primùm quia tam propinqua me necessitudine contingit, deinde quia me non minùs quàm parentem suum semper est veneratus, postremo quia infans in mea domo eductus est, atque ita meæ quasi peculiari curæ creditus. Deinde est ea ipsius probitas, ea modestia, & ad res omnes bonas addiscendas diligentia, ut amari etiam ab extraneis debeat. Nunc se & Arabicæ linguæ & rei sideralis cognitioni dare 219

dare vult, quæ ad studia fortè Golii & ei similium consudare vult, quæ ad studia fortè Golii & ei similium consulio atque ope egebit: qui cùm tibi quàm mihi tam dudum à patria remoto sunt notiores, id te rogo ut ipsius causâ facias, quæcunque præsentem me facturum arbitrareris. Comitatur eum pixedula quædam tibi quidem inscripta, sed Episcopio danda τῷ φαλακροτάτῳ ἰατρεῖον. Vale frater & res novas, ne veterascant, via illa solenni exspecta. 14 Novembris 1629.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

220 NIhil hac quidem dierum hebdomade aut abs te aut à Parente, mi Frater, accepi: neque adeo miror quando non semper materia occurrit. Bene est modo ne morbus recruduerit. Esculenta quæ in tempore mitti petieramus, jam hoc cataplo Rhotomagensi à nobis exspectabantur. Rogamus res celeretur quantum fieri potest. In Italia Imperatorii & Hispani omnia præter Mantuam & Casale invadunt, quippe agro imperantes dum nullus contra occurrit exercitus. Tamen de pace spes haud evanuit. Marillacus adhuc fratri Regio adest, & putatur negotium compositurus, eò magis quod tanti sint Regis per Campaniam arma, ut nec ille nec Lotharingus quicquam movere audeant. Vetera omnia tibi commendo maximè Schickardianum & Africanum. Vale cum conjuge & liberis. Parentibus atque amicis fausta omnia omnes precamur. 17 Novembris 1629.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

221 NIhil hæc septima mihi à vobis attulit. Credo literas latere penes aliquem qui sit in comitatu Castellionæi qui jam huc advenit, nihil ut videtur, certi de induciis nostris adferens. Tilenus noster valdè ex articulis ægrotat & propemodum sine intervallis. Tamen in illo dolore non oblitus rerum suarum reposcit literas Casauboni quando ut edantur ab Elzeviriis stultum sit sperare. Ego vix sustinere possum flagitationes amicorum de Grolla quibus me obstrinxi, & nunc eò magis vanus videor, quod librarii satis multa exempla habeant. Interim etiam tempus omne aliquid inde redigendi perit. De esculentis sanè si D. Langeracensis cataplum exspectabimus, vereor ne sit συκίνη ἐπικουρία. Itaque censeam prima navi mittenda. In Italia bellum fervet & Mantuæ suburbia agerque omnis tenetur hostili exercitu. Domesticæ suspiciones his obstant rebus externis. Nam Frater Regius nondum in Aulam venire inducitur & sui metu magnas Regis copias in illo fine detinet. Præter hæc nihil habebam nunc quidem. Quare desinam Deo rogato, ut te, parentes, conjugem tuam, liberos, propinquos & amicos sospitet. Valete. 23 Novembris 1629.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

222 MVltum gaudeo, Frater carissime, de eo quod literæ tuæ 19 hujus mensis scriptæ nuntiant de recuperatis Institutionibus nostris, quæ tamen edi non debent, nisi diligenter expensæ ab iis quibus recentior est fori memoria. Quid de privilegio futurum sit scire aveo, & quid fidi amici (nam aliis de hac re ne loquendum quidem est) judicent de me fieri posse. Ego sanè hoc rerum æstu non video quid sperari possit. Et tamen urit me 13 annorum patientia, malorum pertinacia, mediocrium cæcitas, bonorum lentitudo. Etiam literas tuas cum Patris additamento datas 13 hujus recepi, sed non ante hoc triduum, quo casu nescio. Tabella effigiem nostram referens parata est & primo commodo mittetur. Sed Wyngius sibi exemplum sumit. Litem vos animosè persequi sanè gaudeo. Erit inde nobis lucis aliquid ad capienda consilia. Miror de Rossæo tam tepidè actum. Bella erat occasio restituendi publicam auctoritatem & in ordinem redigendi eos qui terrent ni paveant. Rex parat se itineri Italico, itidem Cardinalis, bellum seriò ostentaturi, ut pacem impetrent. Cum Fratre Regis iterum acturus mittitur Marillacus non sine spe conficiendi negotii. Quæ literis illis 12 datis de Societate Americana scribis, verissima sunt, ac mens alia privilegii ne fingi quidem probabiliter potest. Sed vides ut omnia arripiantur in occasionem rumpendi colloquia à bello abducentia. Et hoc fit etiam sub Euangelii sanctissimo nomine. Vale mi Frater, cum optimis parentibus, conjuge, liberis, amicis. Viro eruditissimo & poëtæ optimo Caspari Barlæo significes rogo Carmen ipsius pervenisse ad me post longas moras & diu quæsitum, traditum Cardinali Riceliaco qui traditurum se Regi exemplum Majestati ipsius destinatum spopondit: non etiam lecturum Regem, ut qui Latinè vix intelligat. Sed se lecturum sine mora. An aliquid amplius sperare debeat docere non ausim, tanta hic est circa res bonas negligentia. Ego tamen non deero. 30 Novembris 1629.

Rogo apud Delyæos pro nostra etiam parte officio fungaris.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Optime,

ESculenta cum Grollanis & quæ accedent alia avidè 223
exspectabimus. Est hic Iansonius qui si id nobis visum fuisset Amstelodamo se libros missurum fuisse & missurum si velimus in posterum significat. Editionem de Iure belli & pacis pulchram spondet & emendatam. Rex Fratrem exspectat & simul securitatem ab illo fine, totus imminens bello Italico nisi pax, quod plerique existimant, occupet. In Atrebatum terras cogitari aliquid à Gallis commentum est non à vero tantùm, sed & à veri similitudine abhorrens. Mirum quæ pabula homines quærant furori suo. Videbis ex his mercatoris literis citra meam culpam accidisse quod Barlæi carmina tam tardè ad me pervenerint. Si cùm fasciculum mitteret, epistolam eodem tempore per tabellarium ad me direxisset, facili res fuisset repertu. Cùm tum serò venisset ad me, exspectavi hunc Decembrem, ut quasi suo tempore tradi carmen videretur. Venit in manus Cardinalis qui & Regi ut scripsi nuper se traditurum recepit. Sed de donativo nihil intelligo, sive displicet quod rem sacram homo non Romanensis tractaverit, sive Cardinalem offendit quod honos ipsi privata non publica allocutione habitus est. Vrgebo tamen quantum fas est. Interim præcipuum bonis præmium laudes ad eruditis abundè Barlæus refert, quod ei hoc epistolio significo; rogo id cures, ut & illud ad Aysemam sequestro D. Mylio, & ad Medium aliud. Iansonius de Schickardiano postulato mihi satisfecit, itaque hac cura te libero. Parentibus, tuæ, tuis, nostrisque omnibus salutem à nobis omnibus nuntiari scito. 6 Decembris 1629.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ADipis audaciam haud miror, qui jam olim hæc præ- 224
viderim, præmonuerimque, sed miror τῶν κρειττόνων τὸ ῥᾳθυμόν. De Amersfordianis hoc non placet quod Fœderatis, in singularum nationum cives cognitio datur. Cæterùm rectè Iurisconsulti judicant, si non super solis confessis ferenda erat sententia, dandam reis fuisse copiam se defendendi & refellendi testes. Alioqui enim lis imperfecta est. Grollana serò quidem, sed tamen exspectabimus. Sed quid fiet de Institutionibus? An privilegium procedit, an subjicietur liber quæstioni? Quid de

Phænis-

Phœnissis. In lite nostra confido te & amicos alios satis sollicitos fore, ne quid dicatur quo agnosci videatur validitas sententiæ. Expediret ab his qui non iniqui sunt etiam Apologeticum nostrum privatim legi. Mantuanum bellum quanquam inter multas pacis actiones manet & urbi aditus à Venetis præcluditur. Rex quominùs eò proficiscatur impedimentum à fratre habet, sed cujus reditus exspectatur. Vale cum amicis. 21 Decembris 1629.

Mitto testimonium de vita Mariæ nostræ per Reigersbergium. Si apocha à me aut uxore subsignata opus est, mitte formulam.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

25 EX literis quas scriptas à te, mi Frater, 17 Decembris suo tempore accepi, video publica apud vos negotia incerto esse in statu. Neque hic sunt certiora. Frater Regius adhuc extra fines, & de reditu spes tantùm. Mantua premitur, difficili posthac sociorum ad urbem aditu. Sed hyems & amnium incrementa sperantur. Nec deest Imperatrix, Mantuana & ipsa è domo, preces suas & consilia ad pacem interponere. Eodem laborant Pontifex & Sabaudus: & dum plena pax tardè procedit, cuditur temporaria. Sed de cujus conditionibus aut non convenit in hanc diem, aut siquid convenit premitur, ut majore cum gloria signis Francicis per Alpes latè volitantibus transfigatur. Cardinalis se itineri parat. Vt pax cum Hispano rumpatur frustra esse arbitror qui sperant. Omne hoc bellum est loco circumscriptum, ut nostrum quondam Iuliacense. Nec qui à Palatino huc missus est, ut res Germanicas commendet, quicquam proficit. A Barlæo literas accepi, quibus me rogat, ut id faciam quod jam feceram & de quo jam literas à me habet. Cæterùm ut præmium ei decernatur & opto & annitor, sed frustra. Quid mirum, cùm & meus de Iure belli & pacis liber inhonoratus ut ἄμισθος fuerit? Nolunt à segregibus quicquam tractari quod ad sacra ullatenus accedat. Ergo quiescendum erit, aut honos sperandus à Deo & paucis bonis. Richerius quem mecum vidisti, accitus nuper est ad Cardinalem. Ibi formula illi proposita qua pœnitentiam testetur eorum quæ prout sonant multos offenderint, seque & sua subjiciat judicio non tantùm Ecclesiæ Catholicæ, sed & Romanæ Sedis, ut magistræ Ecclesiarum infallibilis. Metuit malum, signavit. Quid ni cùm Archiepiscopus Rhotomagensis tantundem nuper fecisset? Ita mos fit ex usu vertere dogmata. At non tales illi à quibus nos Christianum nomen accepimus. De Africanis Regibus siquid tuo commodo expiscari potes, fac nos participes, & cætera nostra ut semper soles commendata habe. Lutetiæ 28 Decembris 1629.

Parentibus, tuæ, tuis, nostris felicia omnia, etiam in annum, imò in annos sequentes.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Optime Frater,

26 ANnum hunc & qui posthac exspectandi erunt tibi, tuæ, tuis, simul parentibus & amicis salutarem ac prosperum optamus nos omnes, id est, ego, uxor, familia. Addimus pro patria votum, ut ea capiantur consilia quæ ad Dei honorem, ad salutem innocentium, ad Christianam concordiam pertinent. Nostra quidem quantum intelligere possumus quid fiat nihil refert. Sed antiquum obtinemus & cum bonis preces nostras conjungimus. Si qui novum illud de quo mones decretum urgent id obtinent quod volunt, facient ut Themistius dicebat, multos purpuræ cultores, nullos Dei. Non potest directior ad impietatem via reperiri. Quanto illud Prudentis adversùs Symmachum rectius:

——— *siquidem cælestia nunquam*
Terrenus solitum per iter gradientibus obstant.

Vossio & reditum & rem familiarem bene curatam gratulor. Iunio opto tantundem, & quo res ejus loco sint scire aveo: nam nobiles qui hic sunt Britanni ita beatum prædicant, ut Hollandiam dudum ex animo projecerit. A Golio ubi commodum erit & catalogum & Reges Afros exspectabimus. Scio ita factum esse ut libenter publico prosit: idque nobis animum dat ipsius tempora interpellandi. Ego totus in eo sum, ut cogitem de ponendo alicubi lare cum meliore fructu familiæ. Quare si Phœnissarum dedicatio typis data non est omitti poterit, eoque magis quod Custodi sigillorum acerrimum est cum Parlamentis certamen, quam litem cur ego meam faciam, præsertim cùm hi consessus nihil jam possint, ille omnia. Nunquam desino negotia tibi facessere. Est hic amicus meus sanè eruditus qui edere parat itinerarium Benjamini Iudæi multò & emendatius & versum meliùs quàm ab Aria Montano fuerat. Iuvi eum qua potui. Hæremus in nonnullis quorum breviculum transmitto, rogoque te non ut Lugdunenses nostros consulas, sed Rabbinum aliquem eorum qui Amstelodami fama eruditionis florent. Si alium non habes poteris Iustus Brasserus affinis hac in re operam nobis præstare. Consului sæpe per amicos id hominum genus in patria cùm viverem; & sanè magno meo fructu. Frater Regius venire adhuc cunctatur metu suo an suorum. At Cardinalis & vis magna copiarum it ad Alpes obviam ut multi credunt, habituri pacem aut certam aut temporariam in quam Pontifex & Sabaudus assiduè laborant. Valete omnes. 4 Ianuarii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

NIhil quidem hoc tempore abs te habui: scribo tamen, mi Frater, ut scias nos etiam hoc anno rectè valere, 227
quàm possumus fortissimè concoquentes tantam temporis jacturam & spes subdolas. Sed hæc fortè Deus in bonum nostrum vertet. Tilenus Casauboni ad se epistolas non reposcit modo, sed reflagitat. Et scis quàm sit δεινὸς ἀνήρ. Dies sunt tres ex quo Barlæi carmen accepi, nempe Argonauticum. Literæ datæ sunt mense Maio, in quibus scribit mihi Silvam Ducis obsideri & bonam spem esse capiendi. Nescio quo ille fato sit in chartis curandis, nisi quod non dissimilis ero in recipienda Grolla. Scribo illi ne quid à me tardatum putet. Et Camerario juveni respondeo. Vtrumque epistolium curæ tuæ, ut omnia mea commendo. Frater Regius jamjam Aureliam non in Aula exspectatur, auctis reditibus, de matrimonio dilata deliberatione. Ex re est Galliæ hanc spem turbandi exteris eripi. Cardinalis Lugdunum properat bellum parans, sed ita ut prudentes pacem magis augurentur. Qui inducias Batavicas improbant (ut Gallorum multi & Veneti haud obscuris de causis) dicunt per eas oppressæ parti spiritum rediturum. Intelligo à Rege offerri nostris sesquimillionem Florenorum in præsens, & in posterum καλὰς ἐλπίδας, ut aut evertatur istud negotium, aut trahatur, sanè magno jam in tempore pretio. Nostri fortè nihil interest quid statuatur. Ego Deo adjuvante mihi videro. Vale, mi Frater, & parentes optimos, tuam quoque matronam & propinquos saluta. 11 Ian. 1630.

De Dedicatoria Phœnissarum nihil muto. Intelligo vocatum iri Lugdunum Salmasium proximo Conventu Curatorum.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

DEdit mihi, Frater Carissime, Rigaltius hunc li- 228
brum quem tibi darem suo nomine. Arripui primam occa-

occasionem mittendi quæ se obtulit. Aliud nihil nunc nuntio. Sunt enim & in eodem statu quo erant cùm proximè ad te per Langeracensem scriberem. Ego rerum vestrarum nihil spero intelligere ad me quod pertineat, nisi vos omnes valere, præcipuè optimos parentes. 12 Ianuarii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO, I.C. Legati Regis Suecorum Filio.

229 BInis tuis literis responsum debeo, Camerari doctissime, quas & ob affectum in me plurimi facio & ob egregia gentilitiæ eruditionis indicia. Non tantùm eum quem mihi commendasti in amicorum censu habeo, sed illud etiam tibi persuadeas velim, nihil esse in meis positum viribus, in quod non perpetuò tibi summum jus sit futurum. Gratum habeo munus, effigiem viri Amplissimi parentis tui, nihil sanè degenerantem à majorum claritudine. Simul eam vidi expressit mihi & gratulatio de honore eo quo fungitur quemque suis ornat virtutibus & reverentia qua semper Camerarios colui, hoc epigramma:

Ille ego tot libris celebrati nominis hæres,
Non semel expertus fortis utranque vicem,
Ista mea est, Batavi, vobis ego Regis imago,
Qui dignum quicquid Regibus unus habet.

Ita enim de Rege vestro ex animo sentio, Deumque veneror, ut ea ipsi consilia aspiret quæ maximè futura sunt ex usu Christiani Orbis. Hic rerum paulò melior apparet facies, persuaso Fratre Regis ut in patriam redeat, id est in congruentem naturæ suæ locum, quomodo piscis incommodè in littore jactatus mari se reddit. Aurelianum illi sedes futura creditur, usque dum securitas ipsius plenum robur acceperit. Hac sente educta quæ firmos gradus moliri Galliam non patiebatur; omnia fortia pro Mantuano exspectanda sunt. Sed in bellumne diuturnum res sit proruptura, an desitura in celerem pacem, meliùs Rusdorfius dixerit qui ut est animi perspicacis omnia explorat:

τὰ τ' ἐόντα, τὰ ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Lætatus sum ejus colloquiis, & vellem omnia ipsi ex voto succederent. Amo eum hoc magis, quod vestri amantem comperi. Vale, vir Clarissime. Lutetiæ 12 Ianuarii 1630.

Tui nominis observantissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO, Iurisconsulto.

Mi Frater,

230 TIbi quoque hic si nihil aliud, salutem oppono tuisque omnibus, & quas vides his inclusas Reigersbergio continuò tradas oro. Catalogum Golii accepi & miror librorum copiam. Edetur hic, nam jam ante index sed Arabicis characteribus ad Gazendium philosophum antiperipateticum Vossio notum pervenerat, qui Syro Gabrieli tradidit. Collatio duorum catalogorum editionem & emendatiorem & utiliorem faciet, qua in re meam quoque operam non patiar desiderari, ut Golio viro optimè de literis merenti suus constet honos. Conditionum quas addi dicis abs iis qui induciis non præfractè reluctantur, prior æqua est, dum ne jus prædandi cum pace temporaria misceri posse credatur, altera fortè habebit suas disputationes. Vale cum optima conjuge, liberis, amicis. 18 Ianuarii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

231 LIteras quæ aberraverant, mi Frater, rectè ad te pervenisse sanè gaudeo. Indiculus quæstionum Rabbinis proponendarum per oblivionem exciderat cùm eas signarem. Sed eundem in literis ad fratrem Reigersbergium eodem tempore misi, rogans ut tibi traderet & errorem meum excusaret. Meas quod res attinet, primam habebo rationem ejus libertatis quæ potissima est circa sacra: nec ullus Princeps de me advocando voluntatem significavit qui non eam largè promitteret, tum cætera opimiora aliquanto quàm hic aut habui aut sperare possum. Deus nobis salutaria aspiret. Ego nemini supplicabo. In Germania, ne ignores, Imperator multis utitur Proceribus qui ex Augustana formula sapiunt, in Consilio suo, in Senatu Spirensi, alibi. Buchovius καλβινιανὸς palàm docet Heidelbergæ jus civile sub Bavaro. Cur ergo nobis locus non sit quorum sententiam omnes Academiæ Augustanæ professionis probarunt damnata Dordrechtana Synodo? Nam πανσχισματικὸν δόγμα doctissimorum animus dudum elabitur. De catalogo Golii puto scripsisse me acceptum mihi pergratum munus & editionem moliri Gabrielem Sionitam. Phænissæ an non alibi edi possunt? Nam Iansonius affirmavit habere se Græcos typos quibus usurus est ad editionem de Iure belli ac pacis. De Institutionibus & lite eventum exspectabimus. Salmasio optimè volo ut debeo. Miror quid Arsenium ab Heinsio diduxerit. Sunt qui sperant moderatis Salmasii consiliis inflexum iri Rivetum, alii contra metuunt. Tilenus quotidie Casauboni ad se literas reflagitat, & est, ut scis δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο. De Smoutio nihil miror, nisi quod tam serò. De Normannico jure inquiram ex libris & gnaris, & velim sciat generosus juvenis me omnia facturum quæ ipsius ex usu sint. Frater Regius quò minùs veniat, impedimento est quod Edicta de aucta ipsi re & Præfectura nondum in Parlamento probata sunt. Tendit ad Casale Cardinalis egregio cum exercitu. Spinola laborat ut transitus claudat. De pace fervet actio & quantum video nostras inducias præcursura est, quod si habeant Galli satis actum sibi existimabunt. Vale cum amicis omnibus. Lutetiæ 24 Ianuarii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

EOdem, mi Frater, tempore literas tuas quas 21 & 232
quas 28 Ianuarii ad me dedisti accepi cum iis etiam quas Pater & Petrus filius miserant, ita ut unus fasciculus omnes proximæ necessitudinis gradus conjungeret. Patri & pro his quæ nuntiat & pro cura liberûm meorum gratias immortales habeo. Smoutii imprudentiam mirarer ni hominem nossem. Magistratui cordi esse ne hebescat publicæ auctoritatis acies gaudeo. Adsessio ipsorum in presbyteriis ne: vetera afferam & Helvetiorum & quod rei caput est, Genevæ exemplo nititur. Catalogum Golianum prima occasione mittam. Editio ipsi est valde honorifica. Eos qui inducias putant Reipublicæ utiles non ita vecordes fore arbitror, ut earum causa Leges iniquissimas à suis popularibus recipere cupiant. Periculum commune est. Satis erit dixisse sententiam & testari præsentes ac futuros, siqua secum mala allaturus sit ὁ ἀλλοπρόσαλλος Ἄρης ea sibi imputari non debere. Narratur mihi Cyrillum illum Byzantinum Græcam cudisse confessionis formulam paulò laxiorem. Nam illi quam ad solos Calvinisantium pedes aptaverat, non tantùm nostri tractus homines, sed & è Græcia & Oriente plurimi Episcopi & Archiepiscopi contradicunt. Daliacus unus pastorum Carentonensium nuper per literas à Romanensi quodam super multis interrogatus & inter cætera, cur Arminianos condemnassent, respondit non tam Arminianos damnatos esse (quippe Lutheranis eadem sentientibus pacem sæpe oblatam) quàm Arminianismum. Vereor ne aliquando ii qui hic plus ipsis pollent dicturi sint se ejicere non Calvinistas, sed Calvinismum, quod ne eis eveniat

niat αὐτῷ τῷ μέτρῳ ſanè Deum precor. Idem de prædeſtinatione negabat tanti eſſe quæſtionem, ſed illa maximi ponderis quod efficacia & conſtantia Gratiæ in dubium vocentur. Quaſi nos ii ſimus qui Gratiæ defectum accuſemus, ſi homines aut eam ἀθετῶσι, ut ipſa Scriptura loquitur, aut ei non conſtanter adhærent. Quid æqui à talibus exſpectare eſt, nam is qui hæc ſcripſit habetur ὑπεύθυνος ὡς ὄντα ὅλα τοῦτο τοῦ κόμματος. Parlamentum ſanxit augmentum bonorum & Præfecturas Fratri Regio. Itaque venturus jam creditur & fortè Pariſios, ſi Rex, ut præ ſe fert, in Campaniam abſcedat. Cardinalis in Alpibus præeſt egregiis copiis cum ea poteſtate, ut ad Regnum præter nomen nihil ipſi deſit. Pacis actio non intermittitur. Pontifex jam Gallis dicitur æquo φιλιππίζειν. Vale mi Frater, & ſaluta parentes optimos, conjugem tuam & omnes qui nobis bene volunt, etiam qui non malè, ſi tanti eos æſtimas. 8 Februarii 1630.

De Diderico videtur mihi præmaturum, ut diſcat pingere. Neque opus eſt talibus avocamentis ingenio quantum intelligo tardiori. Provectiore ætate ſi opus eſt id genus πάρεργα ſatis tempore adhibebuntur. Literas ad Aiſemam rogo ſine mora Milio tradas.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

233 MItto ad te, Frater optime, Catalogum librorum quos ex Oriente nobis Golius attulit, tanquam claſſicum quo eruditi omnes ad bene de publico merendum incitentur. Non alienus eſt Grabriel Sionita à ſuſcipiendo vertendi quoſdam labore, qua de re propoſitum ſuum explicabit, ubi iis quæ ſub manu nunc habet ſemel expediverit. Præſtiti nuper quod diu debueram viro eruditiſſimo Schickardo, obſervationes Eclipſeon duas Amſtelodami annotatas à Ianſenio. Nunc idem alia me rogat, dignus ſanè qui juvetur, cùm tanto ſtudio & linguas Orientis & Chorographica ſtudia promoveat. Tria ſunt autem quæ mea ope optat poſſe conſequi I. Vnius aut alterius loci in Orientali India veriſſimum ſitum Poli reſpectu, aut etiam ſi fieri poſſit, Eclipſin rectè obſervatam. II. Explicationem Mappæ Sinenſis quæ non adſcriptis nominibus vulgata eſt. III. Exemplum Mappæ Arabicæ quæ penes Scaligerum fuit, quod ille quovis ære redimere vellet. De his quid obtineri poſſit rogo commodo tuo me moneas, ut æquiſſimis viri optimi deſideriis ſatisfaciam. Vides ut nulla tibi negotia libentiùs quàm quæ ad eruditionem ſpectent commendem. Ad hæc enim præcipuè teque meque natos arbitror. Quare de lite nihil nunc addam. Frater Regius eſt Aureliani haud viſo Rege, quod multos malè habet, majorum malorum ſemina jacientes. In Alpibus res adhuc fluctuant inter belli paratus & ſpem ſpacis. Vale cum tuis noſtriſque. Lutetiæ 21 Februarii 1630.

Hæc ubi ſcripſeram redduntur mihi tuæ 11 Februarii ex quibus video quam nihil nobis ſit ſpei. Supereſt ut, quod Pater ſuadet, nobis conſulamus quam ad rem Deum precamur optima nobis aſpiret. De Inſtitutionibus facito quod videbitur. Mantuana abit in Monaſterium in Campania inde, ut rumor eſt, ducenda in Italiam, nova ſimultatum, imò aperti potiùs odii materia. Negotium à patre & Schidamenſi Conſule Braſſero mihi commendatum cordi erit. Et ubi interpellabor, conferam quicquid meæ erit opis. Catalogum mittere nunc diſtuli, quia occaſio per eum quo uti ſolebamus mittendi effluxit.

Tui amantiſſimus H. G.

E I D E M.

234 BArlæana quorum tuæ datæ 19 Februarii meminerunt, per Francimontium exſpectabimus. Illæ ad Wyntgeſium curatæ ſunt, rectè valent pater & filius τὸ σῶμα, ἀλλὰ καὶ τὰ πράγματα. Cùm hi qui inter Carentonianos æquiores videri volebant ita de nobis judicent, vides quæ συνταλίβωσις ab hoc hominum genere exſpectanda ſit. Valde velim ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ libellum ſcribi πρὸς τὸ ἐμφανίζειν τοὺς ἄρχοντας hoc argumento, per Synodum Dordrechtanam & Religionem & ſtatum publicum infirmari: illud quia Canones inter ſe pugnant & nemo credere poteſt contradicentes, hoc quia Magiſtratuum jus ubique aut impetu aut per cuniculos ſuffoditur, quod Friſii ad cætera talpæ, tamen viderunt. Dicas hæc antehac tractata: fateor, ſed inculcanda ſunt pro uſu temporum & nil docet vel τρὶς τὰ καλά. Amſtelodamenſibus opto conſtantiam. Meritò Fabius ille Maximi nomen habuit.

Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Noſtri de pace adhuc conſultant: quam interim arripuit Gallia non ſine aliquo damno Mantuani. Sed Seguſii penes Regem ad tempus manent. Frater Regius in urbe fuit, vidit matrem Reginam, Principes fœminas, etiam virginem Mantuanam, cui rem promiſit in Gallo raram τὸ πρὶν καὶ τὸ βίβαιον. Fuit hic Elzevirius. De Caſaubonianis literis interpellatus nihil expedit. Ait penes Rivetum eſſe. Et eodem intelligo recudi à Lemairio noſtrum commentarium de Antiquitate Reipublicæ Batavicæ. Non diſpliceat pro mantiſſa Carmen quod de induciis olim feci, & ſiquid eſt ſimile patriæ honeſtum & nobis haud indecorum. Inſtitutiones Batavici juris quando à Fœderatis nihil æqui impetrarunt, vide an ornamenti aut præſidii aliquid ab Hollandiæ delegatis aut à Curia poſſint accipere, quò magis doleant qui nobis malè volunt. Et hujus rei malo haberi rationem quàm Lucelli. Liber de Iure belli ac pacis, ſimul prodierit velim moneri Ianſonium, ut mea exemplaria confeſtim mari mittat. Nam Grollana διὰ τὸ βραδύνειν vix ullo ſunt uſui. Multi in reditu Cardinalis ab Alpibus nimbum metuunt in Genevam aut Helvetios Proteſtantes. Ego de ejus prudentia non tam malè exiſtimo. Qualis ille Conventus Amſtelodami fuerit Theologorum & Politicorum ſcire aveo: qua auctoritate indictus. Carcer ille Lupeſteniacus nimium diu clauſus manet. Deus meliora, qui te cum parentibus, uxore, liberis, amicis ſoſpitet. Cal. Martii 1630.

Mitto pœnitendam pœnitentiam parum fortis Richerii & novum Sorbonæ juramentum ſuppoſitum cineri doloſo.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

TIbi, Frater cariſſime, ſemper eſt quod injungam. Noſti ſenem noſtrum Hottomannum. Ejus filius Henricus ante obitum (ne fortè ſecus id interpreteris) nuptias patre inſcio fecit Goricomii cum Sara Rochatis filia Iohannis Rochatis, quæ ex marito filium peperit, & nunc quoque ex poſtumo prægnans eſt. Scire deſiderat Hottomannus cujus gentis, nominis atque fortunæ ſit Saræ illius pater. Hoc ergo & ſiquid amplius ad hoc negotium pertinere exiſtimes, rogo per amicos qui Goricomii ſunt aut alibi explores & tranſcribas. Dixi aliquantulo tempore ad inquiſitionem hanc eſſe opus, quod & ipſe ſatis intelligit. De pace Italiæ ſermones ſunt, ſed magis fluctuantes. Cardinalis intereſt ne diu ab Aula abſit. Mantuana ex quo amator hinc Aurelianum abiit traducta eſt in Luparam, & hodie cum Regina matre ingentique præſidio Fontem Bellaqueum quo & Rex exſpectatur. Vale cum amicis. 7 Martii 1630. 235

Tui amantiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

236 Reddidit mihi, mi Frater, Francimontius literas quas ipsi dederas. Ego quæ mones scio expendenda, atque ita agam ut quod feci hactenus, amicis consilia mea sim probaturus. De receptu intra duo oppida res est cogitatu digna. Corputius per eas quas misisti literas ex me quærit quinam exteri à Magistratibus excludantur, qua lege, ubi quærenda & alia ejus generis. A talibus consultationibus æquum puto me excusari, cujus omnia sinistrorsum rapiuntur, eoque magis quod peregre agenti non modò ipsæ tabulæ ad manum non sunt, sed nec indices quos mihi confeceram. Adde quod Corputium non aliò novi, nisi quod scio affinem fuisse optimi Vossii, ignarus quarum sit in Republica partium. Rogo igitur quando ut scribit, tuis consiliis utitur, benignè me ipsi excuses. Carminibus & satyra nuptiali Barlæi mirificè delector: faciam etiam ut quod unum ipsi possum promittere ut omnibus eruditis eruditio ipsius notescat. Quæ commendas curæ erunt. Te quoque eorum quæ significavi scio memorem fore, etiam illius recentis Hotomannici negotii. Et ne me unquam speres dum absum operæ tuæ parciturum, subnatum est aliud à Mousterio pictore cretario, homine ut scis Megistanibus noto & in gynæcea usque penetrante, de quo Brandoviæ festivum nobis dederat epigramma. Is igitur oculos suos non immeritò magni æstimans, quorum beneficio floret, intellexit ad Italiam usque & Hispanias celebrari unguentum aliquod, an potius stillamen oculis illucidandis quod ex pisce fiat quem nostrates *Aleprys* vocant, putat Plinio esse Vranoscopum, Massiliensibus Tapacon ex Gesnero edoctus. Hujus medicaminis opificem esse ait Delfensem medicum, quem nisi Vallensem? Ita enim mea fert conjectura cùm eum norim πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Rogo igitur inquiras quod hujus sit negotii, & aut de ipso si potes medicamine per amicos aliquid mittas, aut certè ejus σύνθεξιν, quæ in tam longinquas oras percelebrata est. Disco ex Wassenarii diariis nostros multa Septentrionis tentasse, repertum Gronlandiam non esse insulam, sed partem continentis, puto Americanæ: penetratum in freta Hudsoni & Davisii: navigatum Polum versùs: ventum ab aliis in Scythicum mare. De his si qui exstant commentarii aut scripti haberi possunt, ad me mitti velim, ut me parem ad discenda scribendaque ea quæ ad patriæ honorem pertinent, cujus memor ero quocunque me vocabunt fata. De literis Casauboni quid sit, quid exspectandum? Medio dicas velim certò mihi compertum diu sudasse P. Molinæum, ut scriberet librum satis grandem adversùs Racovianos. Eum missum ad Principem Radzivilium, sed re ibi in consilium doctorum missa, judicatum ejus editionem magis è re Racoviensium fore. Halsium Cadomo (inde enim ad nos scripsit) hic spectamus exhibere quæcunque à nobis proficisci possunt officia. Salutari rogo parentes, tuam, & amicos omnes. Lutetiæ 21 Martii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

237 Dllatam abs te scriptionem, mi Frater, libens excuso; nam ut cætera desint sæpe ipsa argumenti penuria suspendit officium. Ne ego quidem quod scribam nunc quicquam reperio. Ita manent rès hic eodem in statu. Rex Trecis cum Reginis & Mantuana, quæ dicitur in Italiam transvectanda, sed ut asseverant qui eam norunt constans in proposito nullius matrimonii amplectendi si hoc eripiatur. Casali putatur esse Cardinalis, pacis nondum certus, & in bello reperturus morandi artificem, quo præcipuè opposito Galliæ impetus retunduntur. Schickardum cordi tibi esse gaudeo. Quando Tilenianas Casauboni epistolas remittis, sanè velim & eas quæ ad me sunt repeti, siquidem disertim hic professus est Elzevirius nullam esse spem editionis. Habet autem meas & aliorum, ut ille dixit, Rivetus, ex quo facile erit intellectu quid sperandum sit. Tilenus noster est chiragrius, Auratus circa discipulos occupatissimus: itaque non est ut ab horum altero quicquam speremus. De nuru Hottomannica & ipso matrimonio siquid penitius intellexeris, fac nos conscios. De Institutionibus quando spes lucelli nos destituit, curemus τὸ καλόν: ut bella sit editio: ut nihil relinquatur quod condemnent Pragmaticorum pulpita. Scis enim quo tempore & loco ista scripserim. Litis nostræ bonum exitum valde desidero. Quod scribis de eo qui Hollandus sit origine, in Pavonem an in Honardum cadet? Quæ Amstelodami Magistratuum, quæ pastorum sententiæ ac rationes fuerint scire haud abs re sit. Solinga à nostris recepta hic nuntiatur. Patri gratum me fecisse gaudeo, nihil enim cupio magis. Vtinam possim & aliis, nominatim Baronibus Langeracensibus: quorum quod attinet negotium, legendo & quærendo reperio primogenito deberi feudum quod in Normannia parens relinquit, sive unicum id sit, sive ex multis id quod elegerit, ita ut tum fratribus minoribus relinquantur cætera. Contra ut testentur parentes receptum non est, ne Regia quidem indulgentia. Cætera antehac tibi commendata non repeto, nisi ut valeas cum uxore & familia. Rogo parentes pro me salutes. Halsium adhuc exspectamus. Valete. 28 Martii 1630.

Berkelius nos ab aliquot mensibus non videt, quamvis rogatus ut ad nos veniret. Ipsumne accusem monita nostra metuentem ob vitam dissolutiorem, an hospitis ejus interdictum nescio. Langeracensis dicitur statim à Paschate Trecas ire. Itaque videndum & tibi & fratri Reigersbergio, ne à nobis avagentur literæ. Poteris agere cum Bilandio & ex eo scire quid faciendum sit.

EIDEM.

Grata sunt quæ nuntias, mi Frater, de Goyero & Dammio, quanquam exiguum id solatium est acceptæ injuriæ, certè judicii contra Leges: magis verò decretibus Remonstrantium Amstelodami. Hic & pastores & primores Carentonianorum incipiunt magis magisque probare consilia unitatis: eoque magis quod ex Germania nuntiatur magnam esse spem convertendi multos Iudæos fessos spei de temporali Messiæ Regno & ad Spirituales Prophetiarum interpretationes animum vertentes, nisi scissuræ Protestantium (nam à Romanis superstitionibus abhorrent) incertos eos consilii facerent. Et Venetiis Frater Fulgentius Græcos ad Protestantium sententias laborans inflectere, ut sub illorum nomine quibus liberum est Religionis exercitium, introducatur in eas partes Reformatio, peccatum videt in Confessione Cyrilli, cùm de Gratia & libero arbitrio non tantùm in partes concessit, quod vel ob pacem Protestantium evitandum fuerat, sed etiam contra consensum nititur veteris & recentioris Græciæ. Salmasius dicitur se parare itineri Hollandico. Anticensuram si qua dabitur occasio avidè exspectabo. Est apud nos Franciscus Halsius cujus commodis consulemus quantum ejus fieri poterit. Cardinalis, cùm Spinolæ operibus è fine Mediolanensium arceretur, in Rivolum prætorium, oppidum Pignerollum & Castellum aliud subalpinum Sabaudici juris omnem vim suam effudit, cunctationem Ducis Sabaudi pro fide rupta accipiens. Itaque transitum jam habet facilem ac promtum ad Casale. Non etiam ad Mantuam quæ nulla re magis quàm victus penuria à Cæsareis tentatur. Veneti satis fortiter se gerunt illis in partibus, firmati auxilio ferme IV mille Gallorum qui mari advenere. Sunt 238

tamen qui isti urbi metuant, & ideo putent hæc Sabaudo erepta, ut aut gloria Gallorum farciatur, aut si Sabaudum indemnem præstare vult, Hispanus cogatur Mantuam domino relinquere. Speramus & non sine causa hæc omnia in pacem desitura. Certè Cardinalis apertè profitetur se bellum cum Hispano nolle, neque alieni quicquam appetere. De nuptiis Fratris Regii cum virgine Mantuana videtur aliquid spei subnatum. Alioqui à patre repetitur. Vale, mi Frater, cum vestris nostrisque. Parentibus me commendo, tibi Institutiones, Phænissas, Litem. Lutetiæ 5 Aprilis 1630.

Tuus amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

239 DE Corputio quod consilum das tuis Aprilibus Calendis ad me quas dedisti, mi Frater, sequar. In Hottomannico & Mousteriano negotio, quando tam prompto es animo, nihil aliud quàm ut pergas rogo. Itidem de Arctois. Halsius apud nos est, neque locum ullum reperire poterit ob sermonis ignorantiam: ne apud Pharmacopæum quidem nisi cum multa pecunia, eoque magis quia rudis est ejus artificii. Probitas ejus mihi placet. Scribemus Rhotomagum ut sciamus an ibi collocari possit. Quod si non succedat, adjutum remittemus. Amstelodamensium magni interest, ne quid violentiæ pastorum concedant; nam & res ipsa quanti momenti sit accepta jam ante pericula ostendunt: & Reipublicæ Præsidentibus unicè id tenendum est, nequid metu remittant; nullus enim est finis. Quod Genevenses, quod Helvetii omnes probant aut ferunt, cur nostratibus recusetur? Scire aveo tres illi à Dordrechto viri quomodo se in hac tractatione gesturi sint. Nam quia ad locum togæ principem aspirant, timebunt ut puto Vrbis potentis Rectores offendere, neque magis incurrere volent in odium eorum qui alias civitates pro suo nutu agitant. Nam illud sanè satis mirari non possum tot fuisse sententias, quæ de re ad omnes Magistratus adeo pertinente arbitrium pastoribus, id est Magistratuum adversatoribus, deferre voluerunt. Mira est hominum μεταμέλεια καὶ ἀβλεψία. Qua de re judicum Princeps ad vos verba fecit sentio rectius consilium illi dari non posse, quàm ut ad viam unitati struendam impedimenta primùm amoveantur. Ea sunt ex parte Remonstrantium carcer, exsilia, mala ejusmodi quæ animos etiam optimos efferant. Ex altera parte non minus malum est, quod multi ex Magistratibus ob res anteactas sibi timent. Illud restitutione, hoc verò decreto τοῦ μὴ μνησικακεῖν, ad Theopompi & Ciceronis exemplum si sanetur, non defuturi qui pacata suadeant audiantque. Chalcedonense Consilium maximi fuit apparatus. Imperator magna ex parte ipse, cæterùm Senatores & judicum summi præsederunt, actionem moderati sunt, interlocuti sunt, consiliis suis ac prudentia rem omnem rexere, ut ex Actis apparet. Tamen cùm tria capitula ejus Synodi contra quàm speratum fuerat Ecclesiarum divortium fecissent, placuit Imperatoribus primùm eorum vim suspendere, donec noster Iustinianus ea abolevit. Episcopi Romanus, Constantinopolitanus & alii qui rigidè primùm Synodi tam augustæ quævis decreta tuebantur, tandem meliori atque utiliori ut eventu apparuit, sententiæ cessere, & sanata scissura unitas rediit. Sunt in canonibus Synodi Dordrechtanæ quæ bonus Melanchton si veniat non approbet, neque magis Bulingerus. Sunt quæ Lutheranos omnes, quorum concordia his temporibus nobiscum optanda est, à Reformatis alienant. Sunt quæ Græcas Ecclesias alioqui multum nobis faventes nobiscum vetant coalescere. Sed sunt & alia quæ extra controversiam sunt, nempe siqua cum Synodo Arausicana II in quo totum illud de Gratia & libertate voluntatis humanæ negotium prudentissimè tractatum fuit conveniunt. Hæc qui norint eos præparatis ad pacem animis facilè æquam συγκαταβάσεως viam reperturos. Potes illi in memoriam reducere meos pro unitate labores. Etiam quæ post meam calamitatem scripta edidi ab hoc scopo non divertere. Scio & hoc quàm morosos habeatis fortè & malignos partis alterius antesignanos. Sed aliquid est sine fraude veri æquitatem suam testari, aut certè offensam effugere Magistratuum. Cæterùm ut cætus contrahatis non suadeam. Potiùs erit dicere vos quidem in gratiam Rectorum velle omnia, sed hæc esse δυνάμεως τοῦ ὄχλου. Ita enim illi qui neque necessaria neque probabili de causa secessionem fecere, nostra monita eludere solebant. De Italiæ aut pace, aut bello eò minùs scribo, quod res sit fluctuans. Tamen persto in sententia pacem futuram, & nunc eò magis quod compendiariam ad eam viam reperit Cardinalis, exuto ut scripsi aliquot castellis & oppido nunc & arce Pignerolli Sabaudo: quem neque deserere honestè Hispani possunt ob se non oppugnatos periclitantem, neque damno eximere nisi Mantuano parcant. Quod si pax non fit verendum est, ne Mantua fiat præda Cæsareorum & Hispani, subalpina verò Francis cedant, & duæ magnæ alites Aquila & Gallus se minorum volucrium pennis egregiè vestiant. Ad matrimonium Mantuanæ cum Fratre Rex videtur perduci posse, si modò matris animus posset mitigari. Fratri Reigersbergio nunc non scribo, quia nihil ab ipso habui, nec ego quicquam scitu dignum habeo. Spero tamen hæc ubi ad vos pervenerint & ipsum ibidem fore. Vale & parentes pro nobis omnibus saluta tuamque familiam. 12 Aprilis 1630.

Censuram censuræ per amicum aliquem exspectabo.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

EX tuis quas 8 dedisti Aprilis, mi Frater, literis disco 240
illa de Hornanis & Medæo. Esse Hollandos tam stultos ut jura Magistratuum perpetuis eorum adversatoribus subjiciant dijudicanda mirarer, nisi hæc essent mala manentia ἐκ τῆς μεταμορφώσεως. Quid nostri meruere, cur deteriori causa sint quàm Genevenses, quàm Helvetii. Inquire quæso an Moersbergius de reditu nihil moliatur. De nostra lite quid? De Phænissis placet quod scribis. Multum flagitantur. Velim & Iansonium moneri ut simul editus fuerit liber de Iure belli & pacis exemplaria mihi promissa in Galliam mittat, demtis sex quæ apud vos maneant pro te, patre, tribus Reigersbergiis, Vossio. Mousterium ex quo tuas accepi non vidi. Credo eum non tam laborare ex oculis quàm plus aliquantum perspicaciæ ex isto medicamento sperare, quam vim an habeat tu meliùs intelliges. Ego etiam ubi ad me venerit an aliqua gravior eum causa impellat sciam. De Casaubonianis literis rogo memineris. De Berckelio video vera te conjectare. Vivit ut dicis nec aliud illum à nobis retinet, & promisit se venturum modò tam longam absentiam excusatam habeamus, in quo satis erimus faciles: sed quominus illum ad vitam honestiorem moneamus impetrabile non est. Ad ea quæ vobis proposuerat Alpha togatorum dixi nuper quid responderi speciosè possit. Nunc & aliud addo. Sæpe ut Augustinus dixit, priores Synodos à posterioribus correctas, ut Ephesina λῃστρικὴ quæ dicebatur à Chalcedonensi. Posse & nunc auctore Britanno, Dano, Suedo, Conventum cogi ad pacem omnium Protestantium qua facta nostræ controversiæ silebunt. Nam si cum plenis Lutheranis transigatur, nihil manebit certaminis cum Remonstrantibus, id est, Semilutheranis. Scis enim ab omnibus Protestantium Academiis in Germania damnatos Dordrechtanos canones, eamque nunc præcipuam esse dissidii causam, intermoriente prope apud omnes Vbiquetario dogmate. Sanè qui hic sunt pastores id fieri valdè exoptent. Rex abit Divionem, ubi motus nondum consiedere: & alia

aliæ civitates Andegavum, Salmurium, Laodunum, incipiunt moveri ob nova onera: quæ omnia & libelli in Cardinalem ut talium auctorem faciunt, ut pax Italica brevi exspectetur: & dicitur Nuntius Pontificis Pancirola jam pene confecisse negotium. Frater Regius nunc apud Regem est, sequestrata interim in monasterio Arenetensi virgine Mantuana. Inde huc venit, vix ulla spe de matrimonio. Amici omnes & nostri te salutant, etiam Rigaltius. 18 Aprilis 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

241 PArum mihi placet, mi Frater, illud de Corvino: & quod tanti motus sunt contra æqua postulantes. His omnibus remedium ut video ex bello quæritur, re multis casibus obnoxia. Nam Italicum bellum sperato citius componi potest: Anglia paci imminet. Suecus deliberat. Ita soli relinquimur. De Lonquii triumphis mira hic sparguntur & arripiuntur in pacis odium. Halsius apud nos fuit Cadomi Doctor artis Æsculapiæ renuntiatus. Nunc suo petitu collocatus est apud Pharmacopolam Silvanectensem hominem haud dubiè notum. Nos eum honestiori vestitu mantello paratuque cætero donavimus. De cætero, quando ipse aliquid reditus habet, curandum est, ut inde solvatur promissa in biennium pensio, quæ est 150 florenorum. Ipse haud dubiè de his ad vos & matrem scripserit. Est & hic juvenis mihi notus qui de Typographia edit aliquid, & Harlemensibus parum credit. In itinerario quidem Belgico nuper edito mentio fit libelli Scriveriani ejus argumenti, & ex eo duo testimonia citantur pro Harlemensibus, alterum ex Germanico libro, alterum ex Donato Mariangeli. Eos libros si habet Scriverius, neuter enim hic reperitur, res confecta est, & ego apud omnes gloriam Harlemensium propugnabo. Rogo quid sit inquiras. De liberorum nostrorum profectu Deo imprimis, deinde & vobis habeo gratiam: qui nostrum absentium fidem tanta diligentia suppletis. Cardinalis post Pignerollum cepit oppidum haud magnum Bricheras. Spinola inde haud longè est Caburri noto etiam veteribus loco. Padi transitum impedit. Rex Divionem it & porro Lugdunum; nam absentiam ejus metuit Cardinalis & publicè & privatim. Frater Regius hic est. Res conjugii planè dormit & οἱ περὶ αὐτὸν sperant detrahi posse ab ea cogitatione juvenilem animum satis effusum in venandas undique voluptates. Mousterius à me interrogatus cui malo opem quæreret hæc scripsit: *C'est pour la veuë courte qui est contrainte de regarder de fort prés: joint aussi que bien souvent la glandule lacrimale pleure, ce qui est grandement incommode. Nous avons veu de cette liqueur que l'on a envoiée à la Reine, pour donner à sa tante en Espagne & à la grande Duchesse.* Videamus ecquid illi gratificari possimus. Medius noster ubi nunc agit? Accepit per Nessium egregia ejus manus opera. Illud adversùs trapezitam nostrum elaboratum est, & historiæ bene ad rem qua de agitur aptatæ. Nec minùs illud adversùs P. V. H. Gratias & illi & vobis habeo: etiam pro Cyrilli epistola. Quantum distat hic Thrax ab illo Ægyptio? & quæ de Bosphoriis Pontificibus dixit, suo probavit exemplo. 26 Aprilis 1630.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO,
Legati Regis Suecorum Filio.

Vir Clarissime,

242 EGo amicitiam tuam quanti faciam, & pro mea semper in Camerarium nomen reverentia, & pro tuis virtutibus, facundia aliqua majore quàm mea est opus habeam, ut exptimam. Certum habe, non modò in mea memoria hærere te, sed & efficere me ne amicis elabaris. Adolescenti quem mihi commendaveras utinam tam benefacere potuissem, quàm cum minimè simulato affectu amplexus sum. D. Rusdorfii peritiam in rebus hujus sæculi plurimum admiror. Solet id genus hominum sæpe vaticinari,& vereor ne & ille nimiùm vera de Mantuano conjecerit in eis quos mecum pro sua bonitate comiter habuit sermonibus. Nam certè quantum judicio humano consequi possumus, Spinola tanto cum exercitu tenente ea quæ nobis sunt Cispadana, tanto faciliores habente commeatus, adeo intersepto ad Casale itinere, multo major spes est Gallis posse Sabaudum magna parte Alpium ejici, quàm indemnem servari Mantuanum. Nam ut in Mediolanensem agrum irrumpant Galli nunc quidem nulla spes est: ita Ligur ille flumina terrasque obstruxit, à nobis Batavis edoctus artes quibus ferocium populorum impetus impunè eluduntur. Neque his qui Galliæ rebus imperant, quantum intelligi potest, animus est vires Austriacas justo bello retundere, sed per artes & maximè si possint, alieno periculo carpere. Videt hoc Italia, ideoque illam adeo prægravantem potentiam aut ope aut silentio veneratur. Videt & Pontifex, nec Mantuano quicquam supra vota confert, suasor interim Regibus eorum quæ ad pacem pertinent, cujus unica hactenus mora est, quod Richeliacus Cardinalis aliqua vellet retinere monumenta suæ victoriæ. Rex vester, haud dubiè omnium qui nunc regnant sapientissimus, haud dubium est quin ut solet optimè usurus sit tempore, sive iniquitas adversariorum ad bellum cogit, sive honesta pace uti datur. De morte Poloniæ Regis rumores hic, sed incerti, vos propiores propiùs quoque ista nosse æquum est. De Transilvaniæ Domina mirum quàm varia nuntientur, spargentibus aliis veneno interemtam, aliis nuptam nobili Gallo. Chalaisii ejus cui caput non ita dudum est cùm abcisum fuit fratri. Si verum est quod mari huc adfertur, captum à Lonquio Fernambucum, id sanè Arausionensi Principi ad novos triumphos viam pandet. Nos, ut semper, patriæ bonisque bene optabimus, in id maximè cum tuis vota nostra jungentes ut, si modò tutò id fieri potest, Orbis Christianus aliquando ab intestinis armis conquiescat. Vale, optime Camerari cum tuis omnibus. Lutetiæ Postrid. Kalend. Maias 1630.

Tuus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

DE literis seriùs curatis, mi Frater, excusationem libens accipio. Fateor tamen eam rem tam inexspectatam diu me sollicitum habuisse, omnia suspicantem quæ in rebus humanis accidere solent. Non dubito futurum, ut posthac tali metu liberer. It quidem Langeracensis in Aulam, sed dicitur hic relicturus potestatem aperiendi fasciculum & suum cuique dandi. Vergerius Testamentum aliud à tuo illi præscripsit, quo ad me misso ostendi quæ aut ambigua essent, aut priori matrimonii liberis onerosiora. Postea ipse & ego & Vergerius in unum convenimus apud Boisgrollerium præsente etiam Euskerchio, quorum uterque filiæ nuper natæ ita favebant quasi res ipsorum ageretur. Ego solus pro Fratribus & quidem intrepidè. Ambigua sustulimus nisi novos iterum nodos Vergerius injiciat: nam is scriptionem suscepit. Liberis prioribus consulturum se codicillis arcanis Pater mihi in aurem promisit. Liberaturusne sit fidem an non haud dixerim, ego nihil eorum omisi quæ fieri poterant. Lupiniacum ait vendere se velle pater. Schickardus ut semper publico laborat, ita non iniquè postulat ut omnes alii ipsius studia pro viribus sublevemus. Quærit an Golius supra libros Mappas aliquas nactus sit Arabicas, Persicas, Sinenses. Habet ille codices Turcicos 243

cicos aliquammultos: sed valdè desiderat lexicon habere, quod Turcica quavis alia lingua notiore exponat, ne cogatur ut Tantalus in mediis aquis sitire. Literæ Vossii ad me sunt quidem in urbe, sed nondum traditæ, quia nobilis qui attulit juvenis, de vestibus adhuc sibi prospicit ut paulò quàm venit ornatior incedat. Pastorum apud vos miror impudentiam, quæ profectò, non verbis aut scriptis, sed malo domanda est, ne in pernitiem publicam erumpat. Non tanti etiam verus vates nosci ut hoc fiat, quod profectò fiet, nisi acuatur publica auctoritas. Huc ne venisse Hollandos, ut quod Frisii, quod Groningani improbum censent, id ipsi tale esse aut non videant aut studiis distracti cùm videant non curent. Opus esset nostris viro tali qualem Fr. Paulum experta est sua patria in illo cum Pontifice dissidio. Censuram censuræ non ego tantùm videre expeto, sed & multi alii, erectioribus jam omnium animis ad cognoscendam Remonstrantium causam, ex quo potentes apud nos civitates eorum libertati favere dicuntur. Ius belli, & pacis quando veniet? nam & hoc flagitatur. Quod si super exemplaria quæ vobis destinaveram, duo addi debere arbitremini, tu & affinis Reigersbergius Principi unum, Rangiaco alterum, non refragor. Velim scire verumne sit quod mihi dicit Baro Poterius à vobis veniens, tantum abesse ut jam sub prælo sit Heinsii opus, ne dimidium quidem ejus confectum. Si ita est videri poterit in id se ingessisse ne alius susciperet. Rex nunc Gratianopoli est & cum eo Cardinalis, de pace quam adhuc Pontifex molitur & de bello deliberaturi. Quod si bellum placet, geretur haud dubiè hinc Sabaudi, inde Mantuani damno, cùm alteri alterius, socios spoliare sit facilius quàm suos defendere. Sed Cæsareis & Hispanis ad alimenta hominum equorumque patet Italia & trans mare Sicilia Africa propinquo Genuæ portu. Gallis omnia mulis non illis Marianis, sed verè quadrupedibus trans juga & valles ferenda sunt. Vale cum amicis. 9 Maji 1630.

Tuus tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

244 HAbeo gratiam; mi Frater, pro iis quæ cum literis transmisisti. Poterunt fortè aliquando historiæ partem facere. Barlæi carmen sanè materiæ magnitudinem implens & legi cum voluptate & legendum dedi, amicisque non rogantibus, sed flagitantibus negare non potui, quin ipsis darem Romam mittendum urbem aliarum magis rerum omnium feracem quàm Poëtarum, & id sub Pontifice Poëta. De Moersbergio, Screvelio, Mousterio, Institutionibus, Iure belli, Phænissis memorem non monebo. De Institutionibus hoc tantùm addam exsculpite quod potestis, quando magni quæstus hinc nulla spes est. Vossium si videris, dicere poteris me literas ab eo per Bar. Slupeekium rectè accepisse; responsurum ubi hinc discesserit Bellimontius. Rex & Cardinalis sunt Gratianopoli multa Sabaudo minantes. Pars altera exercitus circa Pignerollum, sed non reperit in Italiam transitum occlusis omnibus per Spinolam, qui & ponte Sturii occupato post dejectum Gallorum præsidium animi plenus it ad obsidendum Casale. Id si fiet dicat Nivernensis

——— *superet modo Mantua nobis.*

Nam de hac quoque nisi pax fit multi dubitant. Interim Sabaudus exeutietur exiguum Mantuano solatium, cujus filia adhuc apud Nonnas vivit, amatore hic agente cum imperio in urbem & urbi circumsita. De Salmasio quid? Vale cum optima conjuge & liberos & amicis. Langeracensis it in Aulam & ante abitum duobus me lagenis Rhenani donavit. Literæ etiam illo absente rectè curabuntur. 17 Maji 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

TAbulam meæ imaginis, Frater dulcissime, mittemus 245
per primum qui se obtulerit amicorum. Eum futurum arbitramur Bellimontium. Ego in eam feci hoc tetrastichum, sed lingua quam judices non intelligunt.

Τὸν καὶ ἐν ἀλλοδαπῇ γε τὰ σὰ φρονέοντα πάτρην,
ὄντι σε μεμνάμενον δίξαο πατρὶ φίλῃ·
Εἰκὲ δὲ τέρπομ' ἰδοῦσα καὶ εἰκόνα· φέρτερα δ' αὐτὸν
Ἐν βίβλοις ἔχομεν κρύβδα δ' ἐπεστενάχοιεν.

Apologiam pro Confessione avidè exspecto & mecum Tilenus, eoque avidiùs quia huc quoque calumniæ illæ transmittuntur. Scripsi ad affinem Reigersbergium nuper longam satis epistolam, ostendens quàm periculosa sint in istis rebus πάντα τὰ ἄγραφα: Et de adoratione, unam esse Dei cum λόγῳ ὁμοουσίῳ καὶ πνεύματι: Christi autem qua est μεσίτης diversimodam. ὁ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν Gal. III. 20. Dolet mihi tam multa Hollandiæ oppida contra suam dignitatem & jus imperii ita aliorum impetu agi ac rapi. Magna mali hujus origo inde, quod Magistratus sacra & historiam Ecclesiæ non discunt, neque bonos monitores habent. Absque Fratre Paulo & paucis similibus perierat res Veneta. Illud de Schaffero spero & nostris aperiet mentem, ut videant quid sub umbra Prædestinationis contra Hollandiam agitatum sit, cujus oppressa vicinorum conspiratione auctoritas resuscitari nisi interna partium concordia non potest. Siquid habes distinctius de controversiis Rotterodamensibus deque omni ejus urbis statu, fac quæso nos gnaros. Comites Hohenloii adhuc Lutetiæ sunt, puto hac æstate visuri Galliæ cætera. Si abierint, faciam Patrem certiorem. Hispani Casale obsident spe famis quæ tamen in menses aliquot vitari poterit: Galli capto non sine suorum sanguine Chamberio imminent Mommegliano, validissimo Sabaudiæ castello. Multi putant pacem coituram damno & Mantuani & Allobrogis. Non miror qui antehac induciis obstiterunt nunc magis obsistere, postquam vulgi, ut fieri assolet, animi intumuere nova victoria. Sed videant ne Sicilia Athenas perdat. Nam Reipublicæ angustos fines habenti difficile est longinqua tueri. Et quid tam fortuitorum capax quàm mare. Vale cum parentibus, uxore, amicis. 24 Maji 1630.

EIDEM.

PLurimum tibi, Frater optime, debeo pro eo studio 246
quo liti nostræ institisti. Quid tibi dem pro palmario. Meipsum jamdudum tuo jure possides: sed quò minùs præsente fruaris impediunt οἱ κρατοῦντες. Dabo igitur me, sed quomodo possum, id est, in imagine quam propediem exspecta. Placet quod multi hoc qualicunque injuriarum nostrarum levamento se ostendunt delectari. Consuetudinem Normannicam qua de scribis puto esse generalem & in rem scriptam, ut ratio non habeatur undecunque pecunia processerit. De venditione credo non esse cur id optet filius. Sed ipse docebat κέρδος. Sed solet esse οὐκ ἀμετάβλητος. Nisi de codicillis fidem impleat videtur melior longè conditio fore τῆς ἐξ ὑπερογαμίας. Schickardus literas Hebræas Tubingæ profitetur magna cum utilitate studentium. Dedit nobis משפט המלך id est, jus Hebræi Regis opus exactissimum & plenum Lectionis Thalmudicæ & Rabbinicæ. Post mortem Buxtorfii haud dubiè primas fert in illis literis. Dedit etiam Genealogiam Regum Persarum ex Turcico historicæ & geographicæ observationis copia refertum, in Mathematicis multus est: diligens astrorum notator, tabularum geometricarum emendator, & dignus cujus diligentia adjuvetur. Indicium ipsi feci de Golio, de quo omnia maxima exspectat. Fac si quid potes ut videat nos quo-

Digitized by Google

quoque favere literarum cultoribus. Marmolii tomos hic habemus. Rex post Chamberium potitus est Rimiliaco, Nissiaco, Clarimontio. Nunc itur ad oppidum cui è Confluenta nomen. Spinolæ filius incepit Casale cingere magis quàm obsidere. Interim nec pacis colloquia dormiunt: sed Hispanus isti prædæ inhians videtur ducere negotium. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. 31 Maji 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

247 Est jam in itinere, mi Frater, Bellimontius qui & testis erit prosperæ valetudinis nostræ & animi amicorum memoris, & tabulam afferet per quam pictum saltem me conspicias. Nam cæteræ spes quàm incertæ, quàm tardæ sint vides. Ecclesiasticorum magnæ molitiones: Magistratuum partim magna cæcitas: plerisque nimium frigus: quibus cor sit pauci. Has ad Medium literas ut cures rogo itemque ad Aysemam per D. van der Mylen. Novi quod nunciemus quicquam est, nisi etiam Confluentem Sabaudicum oppidum Regis armis cessisse, haud auso se cum copiis contra ferre Principe Thoma. Commeatus jam ad Regium exercitum procedunt faciliùs. De pace sermones, sed incerti. Exspectamus quid de obsidio Casalis futurum sit, & de pace inter Anglum & Hispanum, interque Imperatorem & Suecum. Nam de induciis vestris nihil hic metuitur. Nihil malumus quàm parentes, amicosque omnes intelligere sospites. Lutetiæ 8 Iunii 1630.

Miramur de Salmasii negotio nihil nos comperire. Comites Hohenloii apud me fuerunt accincti ad suburbanam quandam peregrinationem. Quominus se in Galliam immergant morbis hic illic grassantibus impediuntur.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

248 Nihil nunc quidem abs te, mi Frater, habui, nec miror, nec enim semper est quod scribatur. Ego interim legi Examen Censuræ, librum ut ante rectissimè judicasti pereruditum. Ego & his qui scripsere & qui edidere debeo plurimum & pro munere & quod mei facta est mentio, nisi quod nimium honorifica & invidenda:

καὶ γὰρ ὖν ἐπίφθονον,
λίαν γ' ἐπαινεῖν ἐστί· πολλάκις γε δὴ
κ' αὐτὸς βαρυνθεὶς οἶδ' ἄγαν γ' αἰνούμενος.

Vt tamen vicem aliquam bene volentibus reddam, mitto dissertatiunculam, ex quo apparet veteres Christianos id sensisse quod ipsi sentiunt; etiam ubi Pastores nulli sunt posse per ordinata ad hoc *σύμβολα* celebrari Dominicæ mortis memoriam. Multa habeo alia in quibus ipsos testimoniis veterum & usu Christianorum, apud quos Papa nihil mutare potuit, defendere possim. Sed in hac re miror Lugdunenses calumniæ invenisse materiam, cùm pastores Carentonienses, quorum uni locutus sum, planè & verum quod illi dicunt esse sentiant & inde sibi trahant non leve argumentum adversùs *μετουσιαστὰς καὶ συνουσιαστάς*. Salmasius idem habet pro compertissimo. Et quando viri eruditissimi incidit mentio, nescio an antehac ad te scripserim invenisse eum apud Dalecampium & alios descriptionem illius ligni quod mihi miseras. Miratur si non & alibi ex putrido ligno talia nascantur. Nam scriptores de Hibernia & Anglia tantùm meminere. Dignum quoque inquisitione arbitratur an non ex Britannia ad nos illa ligna mari delata sint. Et unde fabula quod anseres quos *Bernaculas* vocant ex illo conchylio nascantur. In his siquid juvare poteris hominis tanto studio omnes juvantis industriam, rem feceris te nostroque nomine dignissimam. Rex omnia in Sabaudia corripit, & Spinola interim premit Casale fodiendo, sperans etiam se famem habiturum armorum adjutricem, nisi Rex quod difficile erit eum loco pellat. De pace calent sermones. Et fortè eò consilia propellent nostrorum per Americam triumphi. Sed vereor ne id non fiat nisi amisso Casali. Salutem parentibus tuæ tuisque. 14 Iunii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Hæsit nuper apud vos fasciculus literarum quem 249
nunc cum eo qui in hunc diem de more exspectabatur pariter accepi. Cum tuis illis prioribus, mi Frater, accepimus mensuram vestium Petri & quod gaudeo bonam de studiis ejus spem. Vossii codex una cum sarcinis Baronis Slupeckii per quem curaverat serò sed tamen rectè ad me pervenit. Literas quibus id significo gratiasque ago per Bellimontium misi, eundem qui & meæ imaginis tabellam vobis perferet. Gaudeo & D. Episcopium & alios *νεωτερίας* repertos innocentes editi scripti de pace Ecclesiæ. Examen Censuræ legi jam, nec ego tantùm, sed & D. Tilenus. Sunt ibi plurima & subtiliter & eruditè tractata. Mirè placuit totum illud de hæreticidio. Sunt partes in quibus si præsens ibi aut ego fuissem aut Tilenus, haud dubiè consilium daturi fuissemus præcidendi ansam calumniæ. Prudentia magna opus est & *ἐν παντὶ οἰκοδομῇ*. De monstro quod scribis gratum est & mihi & omnibus qui historiam amant naturalem. Omnium nomine rogaris hunc beneficio cumulum addere, ut inquiras ubi captum sit, quibus alimentis usum antehac & nunc utatur, quem edat sonum, cui animanti maximè similis sit pars infera, cujus sexus & cujusmodi pars genitalis: deinde sintne plura in illa regione ejusmodi animantia, ita ut genus quoddam constituere videatur, an aliquid etiam ibi *ἀνάλογον*. Effigiem ejus edi accuratam cum omnium rerum talium annotatione exacta non sine fructu sit studiosorum. Ad Nessium literas rectè curavi. Ex æquali illo numero deligendorum ad disceptandas controversias quas Amstelodamensibus atque aliis Pastores movent, vix est ut quid boni sperari posset. Ecclesiasticorum mira semper est ad promovendum Regnum suum concordia. Inter Magistratus alii sunt pastoribus obnoxii per spem ac metum, meliores frigidè agunt rem talem, in qua ipsi illi quorum res agitur defensores suos produnt. Et vel meum exemplum satis est ad terrendos quamlibet fortes animos. Vtenbogardi literas & libellum supplicem exspectabo, ubi mittere commodum erit. Scire cupiam ecquid historicum aut Geographicum hæ naves de Sinis, de Iapone, locisque aliis afferant, & an exspectanda sit quæ jamdudum promittitur refutatio historiæ Iaponensis à Iesuitis editæ. Mitto additamentum ad eam quam nuper temporis angustia interclusus absolvere non potueram dissertationem de communione, ubi nulli adsunt presbyteri: & philosophi hic agentis percunctationes de Monstro Africano addendas iis quæ supra scripsi. Res est sanè digna inquisitu & in quam investigandam eruditi omnes operam suam conferant. Rex Lugdunum rediit. Regina ejus uxor Reginam Hungariæ transeuntem non videbit, mutatis consiliis prioribus in frugalius. Neque enim illi sine magno sumtu abeunt. Casale oppugnatur. Rex totam jam Sabaudiam tenet excepto Mommiliano quod non obsidetur, sed clauduntur exitus. Deliberatur de bello transferendo etiam in Pedemontanam Regionem. Lutetiæ 21 Iunii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

Digitized by Google

EIDEM.

CVm iret ad vos Francimontius, mi Frater, occasionem arripui hunc librum ad te mittendi, ut lectum cum hisce literis ad Scriverium transmittas. Nam cum res ista spectat, ut quæcunque habet instrumenta aut argumenta quibus inventæ typographiæ gloriam Harlemo vindicet, ea nunc ut in summo periculo producat, neque Gallorum cum Germanis conspiratione vinci Hollandiam patiatur. 11 Iulii 1630.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

1 AVgusta Taurinorum hactenus obsessa non est: sed videtur in eo res esse ut id consilium tanquam planè necessarium suscipiatur. Iam Cardinalis prævivit Pignerollum versùs. Rex sequitur, atque ita sibi persuasum habet ea quæ de pace Masarinus proposuit nihil esse nisi fraudes Hispani hoc omni modo agentis, ut Casale in suam habeat potestatem: quod qui vitari possit, non video. Itaque Rex aliunde capiet quod minùs valeat. Ita & Sabaudo & Mantuano nihil boni est præ foribus. Quod Pastores moliri dicis verum est: & fuit qui me accederet tanquam jam planè Socinianismi tenerentur Remonstrantes. Respondi moderatè & ut puto refrigeravi impetum. Vellent qui hic sunt se publico nomine consuli, moderata omnia pollicentes, *ἐγὼ δέ τις ὁ τυχωνθῶς* & domestica auctoritate rem componi satius existimem. Lugdunensium acerbitatem mirarer ni scirem quis spiritus intus agat. Scriptum illud à Genevensibus & vicinis unde fluxerit bene conjectas. Per Hottomannum res acta est. Vidi ipse casu in mensa illius Anjorani literas pollicentis se confecturum id negotium. Ipse autem Hottomannus à Vosbergo literas accepit & nunc quoque accipit. Miror de Iure belli & Phænissis nihil me intelligere. Institutionum mearum archetypum ipse in Lupesteiniaco carcere combussi ne in potestatem malè volentium veniret. Itaque non habeo quod inspiciam. Edicta ipsa ad quæ respicio erant in Volumine legum in quarto, quod aliquoties per literas poposci, cùm datum mihi à Minpio crederem. Tu Vossii esse monuisti. In eo sunt Velaviana, Zutfaniensia, Trajectina & alia multa. Inde igitur corrigendi numeri quos puto sic à me scriptos, de Wilhelmo 1440: de Carolo 1524: sed ipse inspice neque in errata rejice, sed illas chartas fac recudi vel cum meo damno. Mitto tibi partem epistolæ Salmasii ad me, ex qua videbis eum de synaxi laicorum nobiscum sentire. De Monstro fac nos doceas. Medici non imperiti putant haud necessario esse ἀφυὲς, cùm & in mari sint animantia à vultu humano haud recedentia. Sume tibi adjutores talium eruditos ad inquirendam veritatem pro qua multum tibi debebimus. Parentibus rogamus nos commendes & tuæ tuis nostrisque: & hanc ad Medium mittas. Lutetiæ 12 Iulii 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

52 PRo multis beneficiis, mi Frater, debitor tibi sum semper: nunc etiam pro literis plurimis quas sub idem tempus recipio. Scito enim rectè ad me pervenisse eas quas tulit Strideni filius mihi & suo nomine & patris & vestra commendatione carissimus. Tum verò illas quas 24 Iunii dederas. Nunc pariter & illas quas 8 Iulii, & quas 15 Iulii conscripseras veteri nostro fato, ut septem quàm oportet diebus tardius illæ ad nos pervenerint: postremò & per Screvelii filium cui ostendam quantum potero gratam mihi esse patris pro filio meo curam ac diligentiam. Simul Tileni ad Casaubonum literas qui gratias tibi agit pro præstita opera, tum Screvelio, Camphusiana, Mediana omnia rectè accepimus non sine nova voluptate cùm ita quasi præsentes in patria sistimur. Rivetus de meis ad Casaubonum per alios interpellabitur. Librum de pace Ecclesiæ, quando is tantos excitavit tumultus sicubi nanciscaris & per amicum mittere possis, facies rem non ingratam, quò ipse de toto negotio explicatiùs judicem. In examine Censuræ non hoc est quod sentio, nequire ea defendi quæ posita ibi sunt; (nam & quæ maxima putantur ipse defendi magnis exemplis in epistola ad Reigersbergium) sed quod ea quæ necessaria non sunt &, aut inimicis præbent sugillandi materiam aut medios offendunt, magna cautione vitanda censeam, nec patriæ tantùm nostræ, sed & Angliæ causa. Notaverat autem Tilenus inter legendum omnia illa quæ huc Rivetus postea, sed accusatoria acerbitate transmisit. Haud dubium est quin Rex Galliæ obstiturus sit induciis & illam consilii vocem ita extensurus, ut majores solent quibus cum minoribus negotium est. De Orsinalio ita res habet eum cui tam malè cum Principe conveniret parum sibi cavisse. Itaque cum in oppidum in domum venisse privatam à sexaginta, ferme hominibus Huguenotis ex circumjecta Gallia custodes ejus primum occisos vel oppressos, ipsum cùm se dedere nollet duobus globis trans januam confossum haud ita multo post exspirasse. Corpus Reformato more sepultum quanquam & confessorem habebat, qui testis est eum pridie more Romano communicasse. Sed ejus puto rei non minùs quàm cæterarum quas perperam egit eum ante mortem pœnituit. Quid de quinque speciebus futurum censeas, & prudentes alii censeant scire velim. Res illa ad urbes florentes mercimoniis maximè spectat. Miror Lugdunensium semper acerbitatem. Quis finis? quando exibunt qui Lupesteinii tenentur. Epistolæ & libellus Vtenbogardi ac Remonstrantium nobis hic omnibus perplacent. Heinsium & de Trinitate, & de Christi duabus naturis perperam sentire Lutheranus quidam Germaniæ non sine verborum atrocitate notavit. Vides quàm intutum sit *ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν* & quàm rectè monuerint veteres res divinas etiam divinitus traditis vocibus signandas. Lingam si capere nostri possint, credo nec propter fœdus Catholicum nec propter Cæsarem abstinebunt. Est enim facta pars Belgico-Germaniæ. Et rem suam dominus à quovis possessore rectè vindicat. De tabula imaginem meam continente erras quod aliquid vis in accepti tabulas referre. Exiguum est munus à nobis libenter tibi missum, neutiquam par tot tantisque tuis in rem nostram laboribus. Videbunt inde pater & amici quantum mutare possint anni 12. Camphusiana poësis mihi se probat. Et erit nobis is liber in usu domestico. Si faciat Golius quod pollicetur, erit cur & ego illi gratias agam & optimus atque eruditissimus Schickardus. Gaudeo Peruana tua ad tantas manus pervenisse. Quod si liber perierit, erit puto unde reparetur. De meis Institutionibus, de Iure belli ac pacis, de Phœnissis quid? Nam de duobus his obtundunt amici: tertium qui Iurisconsultis placeat scire aveo. Mousterius quoque manet in spe. Si non nimium est pretium volo ei bene facere qui me omnibus spectandum exhibet. *Περὶ τῶ ἀφυῶς* aut certè *ἀμόρφου* philosophi tuam opem implorant. Assume adjutores medicos ut res inquiratur. Losecatio omnia prospera opto, tantundem tibi & conjugi liberisque, Parentibus itidem nostris. Hic nihil habemus nisi quod Galli trans Alpes partem quandam copiarum Hispanicarum fuderunt, sed ita ut maneat obsessum Casale. Valete. 23 Iulii 1630.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

253 RESpondebit hæc epistola, mi Frater, duabus quas à te pariter accepi scriptis 29 Iulii & 5 Augusti, simulque illi patris quæ 21 Iulii scripta fuerat. Te ex Transflaccæanis partibus sospitem revenisse gaudeo. Cognata nostra Maria Debyæa incipit esse ὑπερήμερος. Itaque censeo non esse cur matrimonium differat si honesta & ejus majoribus digna conditio obtigerit. Valckenburgicæ suasimus huc & veniat & moretur nobiscum aliquamdiu transitura ad vos ubi illa nuper tristia vetustate sui in oblivionem verterint. Pro Halsio cavimus & ostendimus hospiti iniquum esse quod postulat. Vestimenta filiis qui apud vos sunt, missa jamdudum fuissent, si mensuræ symbolum priùs ad nos pervenisset. Commodè video cadere nostris quod Brandeburgicus pacta cum Nieuburgico turbat: neque verò in animum inducere possum unquam nostros cuiquam concessuros Resam, Emmericum, Vesaliam tam firma finium propugnacula. De Torrentio rectè argumentaris. Neque ego rebus meis quicquam boni auguror, quamdiu illi captivi Lupeistenii detinentur. Imaginem nostram gratam tibi esse sanè gaudeo, in qua nihil censendum, nisi dantis amor. περὶ ἀφυῶν ἐκ Λιβύας, rogo & ipse & cum eruditis inquiras. Vsui id esse Salmasio poterit in naturali historia. Mousterius conqueritur de oculis, quod longinquè non satis videant & quod stillent interdum. Puto me misisse antehac descriptionem mali verbis ipsius Gallicis. Et quid auxilii Vallensis poterit, obligabit hominem gratiosum & me quoque. Si quid dependendum est, meis rationibus imputetur. Didericum supra spem proficere sanè lætamur, & similes ipsi processus optamus contributuri quicquid nostrarum erit virium. Facilè intelligo quantum avo debeat. Cornelius Hebraicam jam Grammaticam novit, voces addiscit: in Græcis est quotidie & absoluta dialecticæ repetitione, nunc artem oratoriam penitius ediscet. Interspargimus exercitia poëtica, oratoria. Vbi quis amicus hinc abiturus est faciam tui memor sit ut meritus es. Mantua capta diu nos cælata est, & nunc quoque sunt homines inverecundi qui rem certissimam negant. Alii Ducem accusant ut desperatione Gallici auxilii arcana pactum cum Cæsare. At Galli Carignanum ubi pons Padi est vi cepere, fugientes hostium insecuti unaque intra portas infusi. Pax nondum est, sed speratur, nisi quod Spinola eam, quantum potest differt spe capiendi Casalis. Aperta Gallis eò via est à Carignano, sed qualia sint Spinolæ munimenta nescimus. Colaltius poterit cum eo copias jungere absoluto quod sibi mandatum habebat negotio. Futurum video ut Veneti habeant quod agant. Rogo parentes obsequenter pro me salutes. Mea meique omnes tibi, tuæ, tuis, cuncta prospera exoptant. Lutetiæ 16 Aug. 1630.

De editione librorum nostrorum valde aveo edoceri.

Tibi addictissimus Frater H. G.

EIDEM.

254 DIligentiæ, mi Frater, tuæ debeo plurimum, quod me ignarum esse non pateris eorum quæ apud vos geruntur, & maximè negotii illius Rotterodamensis cujus τὰ ἐχόμενα scire mihi jucundum erit. Erit de quo declament in Synodis mense Septembri & nova hæc res tam calida efficiet, ut magis frigeat illa quam contra Amstelodamenses susceperant concertatio. Mirum ni hæc res omnibus Magistratibus mentem aperiat, ne se patiantur illudi sub persona pietatis ab hominibus rerum quidem civilium planè ignaris, sæpe ne illam quidem quam profitentur artem intelligentibus. Editio Apologetici mei quam vidisti ea erit, quam fieri curavit Mairius, quanquam tempus antiquius præscripserat. Dederam eidem omnia Tileniana, ut ex iis corpusculum faceret. Promiserat mihi exemplar quod non mittit. Vidimus hic tabulas sanè exactas obsidionis Silvæducensis cum commentario quodam Gallico. Hæc præcurrens editio homines minùs avidos reddet ad Heinsiana, quæ exspectantur & iisdem tabulis promittuntur. Mantuæ calamitas diu nos cælata est. Idem de Casali futurum puto. Interim triumphant Galli de pugna ad Carignanum, cujus historiolam qualis hic ab hominibus cuncta in majus augentibus publicatur hic vides. De meorum librorum editione quomodo res procedit? Cogor enim percunctari ob amicos qui me urgere non desinunt. Præter hæc nunc quidem nihil habeo, nisi officiosam salutem parentibus, tuæ, nostris. Lutetiæ 23 Augusti 1630.

Poterit fortè nos Vossius adjuvare ad recuperandas Casauboni literas.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

DOceri per te, Frater optime, quæ apud vos geruntur gaudeo. Et sunt sanè quæ scribis talia quæ scire intererat. Manmakerus leviori malo quàm quod ipsi multorum conjectura pridem destinaverat, defunctus est: nisi fortè, ut fit, πόνος πόνῳ πόνον φέρει. Gravamina Synodi accepi per Screvelium: & misi Amstelodamum ad Brasserum paginas aliquot à Tileno conscriptas, ex tempore quidem, quia res urgebat, sed in quibus sunt digna quæ noscantur. Videbis igitur sive editum, sive ipso usum commodante. Nam res tota ipsius & qui ibi sunt amicorum permissa est arbitrio. Velim videre illud Fœderatorum monitum cujus meministi, & discere quo id suasore factum sit. Sera nunquam est ad bonam mentem via. Velim mitti mihi & Liturgiam Remonstrantium. Rogavit pastor quidam μόλοξος planè. Faventium crescit & hic numerus. Notas Belgicas ad Gravamina rogo per primum qui ex notis huc venturus est transmittas, ut eas cum nostris cogitatis conferam, & inde quoque judicem quid sperari debeat. Scriptor an Medius? Si ita est eò justiùs condono, quod pridem nihil ab eo accepi. Sed non ignoro quantæ illum destringant occupationes. Legi Anonymi dissertationem, audax scriptum & his temporibus, siquid rectè judico, periculosum. Sed cum eo velut pari jure componi Examen sensuræ indignor. Borrii morte doleo: sed solatur me honos funeris in ea urbe, magnum tuti receptus testimonium. De induciis Italicis & spe pacis non repetam hic quæ ad Camerarium scripsi. Ipsas enim literas apertas tibi mitto, quas lectas & signatas ut ipsi tradantur cures rogo. Pax hæc neque multum ex re Mantuani erit, neque ex gloria Galliæ. Sed quid agas? Vti ventus in alto est, ita velum vertitur. Capta erat Mantua: Casale oppidum jam subruebatur. Regis exercitus afflictus morbis, discordes duces: & supra publicas privatæ quoque Cardinali causæ, cur pacem qualemcunque quàm belli incerta malit. Patri nunc non scribo: sed rogo eum salutes cum matre, uxore tuâ & liberis. Etiam Losecatium cum sorore nostra ac liberis, & amicos. Halsius à Bonvillerio discessit & apud nos est domuitionem parans. Valete. 20 Septembris 1630.

Valckenburgii uxorem adhuc hic exspectamus. Filiæ duæ & filius jam apud nos sunt. Groeneveldii filius jam ad vos venerit. Pastor ejus familiæ testimonium illi reddidit apud me vitæ bene actæ & fidei in Langeracensem. Aiunt omnes exactum odiis Iunonis iniquæ. Id matri significari, ne sine causa gravetur, ex re erit. Quid agit Iansonius de Iure belli & pacis? Neque enim scio quid flagitantibus respondeam.

Tuus tuo maximo merito H. G.

IOACHI-

IOACHIMO CAMERARIO, I.C.
Legati Regis Suecorum Filio.

256 LIteris tuis, Vir clarissime, & dignissime Camerario nomine, gratis duplici causa, & ob memoriam mei, & ob ea quæ nuntiabant, respondere non ex proposito distuli, sed quia dum materiam dignam quæ scriberetur exspecto diem de die traxi, neque sanè eam nisi nunc demum nactus sum. Adeo varii inconstantesque rumores de rebus Italicis suspensos nos tenuere, quæ nunc velut scissa nube in pacem erumpunt, præeuntibus induciis in sesquimensem qui medio Octobri est exiturus. Per earum leges & oppidum & castellum Casalis in Spinolæ sunt potestate, jam sanè eo redacta ut defendi cum bona spe vix possent. Hærent velut in ultimo margine possessionis Galli arcem (ea à castello alia est) retinentes, sed ita ut hanc quoque ni pax coëat dedere debeant exeunti Octobri. Adjectum quidem velando malo, ut intra postremos dies Octobris quatuordecim Regi Galliæ tentare liceret suppetias arci: sed ejus rei spes nulla est aut tenuis. Ita omnis exercitus, morbis, fugis, etiam promiscuis missionibus exhauritur. Spinolæ morbus animum multis sustentat: sed quæcunque ad arcis obsidium aut oppugnationem sunt necessaria, ita ipsius diligentia provisa sunt, ut ne morte quidem ipsius, si fortè eveniat, turbari posse videantur. Mantuam ipsam jam non ultra Cæsarei teneant, sed arcis Mediolanensis præfectus Hispanus, haud dubiè id agente Hispano Rege, ut pignus habeat pacis non coituræ, nisi suarum rerum post tot impendia habita ratione. Nam Colaltus mirum quàm ad pacem aut inducias festinabat, impulso jam Cæsare & uxoris precibus & Principum Germanorum auctoritate, ne victoria in Nivernensem inclementiùs uteretur. Non parum & ad has res & siquid præterea æqui in Germania speratur (nam de Palatinatus inferi restitutione spem hic magnam video, addunt alii & de Megalopolitano Ducatu) contulerunt Regis vestri arma pro summa ipsius prudentia ac fortitudine semper prospera. Tantùm nuntiatum heic nuper ipsius periculum, nescio an rem in majus augente fama, memorem me fecit illorum Lucani versuum:

Cum tot ab hac anima populorum vita salusque
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis
Sævitia est voluisse mori.

Hoc ex hac pace Italica mali prævideo quod Gallici nominis respectus trans Alpes perit. Nam Mantuanus non dubium habetur quin pacem redempturus sit Gallici fœderis derelictione: Rhæti serviunt: Helvetii nutant: ipsa jam Geneva deliberat, an non Cæsaris amicitiam Gallica potiorem habere debeat. Siquid ibi perit libertati Europæ, id in Septentrione Regis vestri virtute ac fortuna sarciri potest. Nam pacem, quam Christiani omnes optare debemus, inter tot infestos, nisi armis sperare non datur. Vale, vir doctissime, & nostri memor vive. 20 Septembris 1630.

Tuus omni studio H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

257 REdiit huc, mi Frater, cum Aula Langeracensis. A te nunc habui nihil. Scribendi tamen materiam oblatam nolui omittere, restitutam Regi valetudinem qui nunc non valet tantùm, sed & ad Versaliam venatur: pacem Italicam Ratisbonæ firmatam XIII Octobris. Convenit ut Dux Mantuanus ab Imperatore investituram acciperet & possessionem Mantuæ ac Montisferrati. Sabaudus sua per Sabaudiam & Pedemontanam Regionem: etiam Veneti siquid ipsis ereptum est: Rhætorum res eum in statum reponatur in quo erat antequam eos Imperator invaderet, ea lege nulli ut in eo tractu atque in Valle Telina, quæ ex prioribus pactis sub tributo libertatem habet, munitiones ullas teneat. Sed plena hujus pacis impletio in sex menses differtur, datis ab Imperatore & Gallo, (nam Hispani nulla mentio, ut qui aliena duntaxat arma adjuverit) obsidibus quos recipiet is qui prior impleverit. Interim dum commodè dimittantur exercitus retinet ad tempus Imperator Mantuam & Canetam: Rex Pignerolum, Segusios, Avelianam & Briqueratium. Sabaudo Mantuanus pro iis quæ sibi deberi dicit dabit quod anno quoque valeat XVIII M coronatos, idque in rebus soli, inter quæ erit & Trinum oppidum, Guastallæ qui nomen suum ad movendam Mantuano controversiam commodavit pro opera datur annuum sexies mille coronatorum item in rebus soli. Illud obscurius & variè interpretantibus obnoxium, quod dicitur Casale à Duce Mantuano tenendum ut tenuit, nisi quid inter Duces de dejiciendis munitionibus jam ante convenerit. Imperator Mantuanum in possessione harum ditionum contra omnes tuebitur, quod ideo additum ut à fœdere Gallico honestè discedat. Spinolæ morbus & amentia, (haud enim dubium quin hæc eum invaserit) inde quod Colaltus Mantuam cepisset antequam ipse Casale, cujus se pridem potiturum promiserat. Sed obstitit viro alioqui raro in spe sua decepto pestis maximè, nec minùs copiis detrimentum. Colaltus qui quantos poterat milites ad se vocabat, nec interpellatus reddebat ullos, exspectandos Spinolæ dicens qui ex Germania adventarent: suæ studens gloriæ, alienæ securus si non & invidus. Nos omnes valemus & tantundem optamus vobis. Valete. 1 Octobris 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VEhementer miror, miror inquam vehementer, me post tot percunctationes non posse scire quid fiat de Iure belli ac pacis. Impediturne evulgatio, an ipse librarius alia agit aut quid rerum est? Interpellor quotidie & quod dicam non habeo. Hoc igitur primum sit. Nunc ad literas tuas, mi Frater, datas 23 Septembris venio. Multum refert quò casuræ sint hæ molitiones Ecclesiasticorum: nam Proceribus aut vincendum, aut serviendum in perpetuum. De toto imperio agitur. Volunt ipsi in Magistratus censuram exercere, ipsorum judiciis eximi cupiunt. Hoc jam plus est quàm ex æquo incedere. Non omittes spero cum admonitione per amicos qui primi venturi sunt mittere annotata ad Gravamina quæ vocant. Tileni cogitationes satis extemporarias quia in festinatione momentum erat non leve, puto jam videris. Groningani sapiunt. Quid verò Frisii? an quam domi defendunt auctoritatem foris opprimunt? De Petro nostro beas me, pergat modò, nos illi non deerimus. Scire cupiam an Cunæus perfectam, aut affectam habeat emendationem, interpretationem, & illustrationem Iosephi quam diu ab illo promitti intelligo, aucupandæ famæ, an serio, discere exopto. Petavius Iesuita in editione Iuliani, in illius veterem præfationem invectus est. Nuper in sermonibus cum Bignono dixi vidisse me aliquando *Dialecticam Stoïcorum*, *editam in octavo*, in Germania ut puto: sed editoris nomen exciderat. Eum librum sicubi reperire poteris mihi cum velim mittas in gratiam viri cui debeo plurimum. Marchio Spinola haud dubiè Genuæ exspiravit. Imperat ejus loco Marchio Sanctæ Crucis Hispanus, & ut puto oppidum Casale tenet: arcem Toirasius usque ad exitum induciarum, quæ tandem acceptæ sunt ab Hispanis. Nulla spes videtur eam servandi, si pax coëat, quod omnino futurum videtur. Multi exspectant ut sequantur munimenta, aut eam ad tempus Imperator teneat. Rex ægrotavit 258

tavit duplici tertiana & convaluit sudore. Vale, mi Frater, cum amicis omnibus. 4 Octobris 1630.

Curandæ posthac literæ ut nunc factum per Bunckium, donec redierit Langeracensis. Tunc videbimus. Doce me quid agatur in negotio Ecclesiastico Rotterodamensi, & siqua acta exstant ea quoque data occasione quæso transmitte. Borrii historiam Silvaducensem simul exspectabo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

259 QVæ nuntias literis 30 Septembris datis, mi Frater, satis magna sunt. Et ni Hollandi nunc saltem fiunt perspicaciores quàm fuerunt antehac, actum est de eorum imperio. Res Religionis eam vim in animos habent, ut ad se trahant cætera. Deinde quod nunc in Remonstrantes postulant, quis impediet quin idem in Anabaptistas aliquando postulent, & pluribus Fœderatorum sententiis nos cogant ad similia in ipsos patranda: quæ res quanto damno sit Hollandiæ futura quis non videt. Et tamen non hoc curant Ministri. Mirum est de Spinola rursus hic esse qui dubitent post tot de morte ejus nuntios. Galli præ se ferunt velle se liberare obsidio arcem Casalis intra postremos 14, ut convenerat Octobris dies, sed nihil illa res tenet Hispanos, qui pacem ne volunt quidem nisi capto hoc virium experimento. Rex die Martis venturo Lugduno huc veniet lectica ob infirmitatem corporis attriti morbo gravi ac periculoso. Regina periculo Regis conspecto incipiebat se prægnantem dicere, quod multi socrus repertum putant, ut sub ea specie aliquamdiu habenas retineret nec statim filius alter, pro certo Rege ageret. Butyrum exspectabimus & quæ per amicos missurus es. De Petri profectu mihi gratulor, perplacet conatus. Nos in Cornelio perpoliendo toti sumus. De Halsio rectè judicas. Est αὐθέκαστος nec patiens consiliorum. Nos fecimus quicquid res nostræ ferebant. Sed tentanda illi via qua se humo tollat, ne aliis sit oneri. Vale cum parentibus. 11 Octobris 1630.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

260 REctè mihi redditæ sunt, mi Frater, per homines Legati Langeracensis tuæ literæ, quas 7 Octobris per tabellarium dedisti. Nec multo post alias quas 3 Octobris dederas conjunctas cum paternis per Hosthusium, qui & historiam brevem cum tabulis attulit obsidii Silvæducensis, & ea quæ ad Smoutium, pastores Rotterodamenses, & Gravaminum refutationem pertinent: pro quibus omnibus gratias habeo. Perplacent annotata ad gravamina & monitio ad Magistratus. In libro Institutionum puto scribendum *ingevoert by Hertogh Willem in den Iaere* 1440, omissis illis de Imperatore tanquam ad rem non pertinentibus, aut id si fieri non potest, omisso Caroli nomine & reposito numero 1464. De præfatione dubito. Vix enim quid à me dici potest quod non malè excipiatur. Exspectabo amicorum consilium an scribendum & quid. Tilenianorum exemplaria aliquot per amicos exspectabimus: item Borrianæ historiæ de Silvaducis & si quid simille. De Iure belli ac pacis rogo inquiras; neque enim in Catalogo exstat, ne inter promissos quidem. Spinolam mortuum jam constat 23 Septembris non longè ab oppido Novio. Galli ostendunt velle se fortunam belli tentare de arce Casalis intra dies quindecim posteriores hujus menses. Imperant per hebdomadas Schombergius, Forcius, Marillacus cum potestate etiam pacem, faciendi ad quam omnia inclinare video, minùs tamen ex gloria Gallorum. Puto monuisse me nuper existimare me ex usu meo fore, ut Antiquitas Reipublicæ Batavicæ etiam Belgicè recudatur. Maistresatius pastor Carentonensis nuper, cùm mentio incidisset literarum quas Genevenses & Helvetii ad nostros scripserunt, dixit se inconsultis factum & decipi longè positos. Consilia pacatiora requiri. Valckenburgia non ante tres hebdomadas ab Arausione discedet huc ventura. Distinetur adhuc negotiis privatis. Vale cum optimis parentibus, tua, tuisque & nostris. 18 Octobris 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

INjuriam nobis fecit, mi Frater, Cæsius quod opus 261
à tam multis exspectatum tam diu trahit: majorem quod rei ad nos pertinentis tam diu nos ignaros esse patitur. Rogo urgeas ut sciamus quo in statu res sit & an non aliunde clancularium aliquod accesserit impedimentum. Miror quò res illa Rotterodamensis evasura sit. Illud displicet quod Magistratus videntur Senatui diffidere, in cujus auctoritate summa rei vertitur. Nam eò tandem veniendum erit. De Iosepho rogo memineris & de Phænissis nostris & siquid habes περὶ τῶν ἀρχῶν. Groninganis unde tantum sapientiæ? An Amstelodamenses operam adhibuerunt, ut rectè se illi haberent? Vtinam idem nunc in Zelandia fiat, Trajecti & Transissalam. Nam de Geldris & Frisiis videntur res complorata. Aula huc redit. Rex ipse putatur circa Aurelianensem agrum substiturus. Fertur Stella ab Helvetiis. Pax facta videtur, sed conditiones premuntur adhuc, parum ut creditur Gallis honorificæ. Præterea prudentia opus est, ut sine seditione solvatur exercitus. Falcoburgica nondum advenit. Et nunc quidem nihil habens amplius commendabo tibi officium salutationis ad tuam & parentes, simulque has ad Medium literas. 25 Octobris 1630.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

TErnas, mi Frater, literas prope eodem tempore à 262
te accepi. Illa 17 Octobris per Vinquium, cui quantum potero probabo me amicorum non esse immemorem. Cum ea accepi Borrianam historiam sanè exactam, & alia pro quibus gratias ago. 28 Octobris quas dedisti debuerant ante hos octo dies ad me venisse, sed scias artem hanc esse Langeracensis, ne quis ante eum hic res patriæ norit, aut hinc aliquid ante ipsum nuntiet: quod si per se nesciret tamen consultore Hottomanno disceret. Quare nihil per eum mitti aut huc aut hinc debet, nisi in quo nullum sit momentum citiùs an tardiùs perferatur. Benè judicas magnam esse κρίσιν in negotio Rotterodamensi. Quare rogo discamus quæ sequentur: deinde cæteri Magistratus an cor habeant: in utram partem propendeat τὸ πλεῖον. Medii responsum ad libellum supplicem Fœderatis oblatum prima occasione, id est, per amicum exspectabo. Velim & literas civitatum Alpinarum ad nostros, & illa Ecclesiarum Gallica aut Latina, id est, ita ut scripta sunt. Vide quàm paulo populus aut moveri aut sedari soleat, qui in maximo negotio re tantilla passus est sibi satisfieri. Halsius impatiens est bonorum consiliorum ni resipiscat. De Iure belli & pacis, de Institutionibus & præloquio vide ut memineris. Antiquitas Reipublicæ Batavæ jam tum cùm ederetur Batavico, id est, suo sermone versa est partim mea, partim optimi parentis me, ut semper solebat, sublevantis opera. Pannum rogo per aliquem mittas qui primus ad nos veniet. Fortè potuisset per Bronchorstum aut per hunc Vinquium mitti si id succurisset memoriæ. Conventus Hollandici exitum, rebus quo sunt loco positis, multum exspecto. Erit id nobis ad eas quibus urgemur con-

Digitized by Google

consultationes magnum adjumentum. Hogerbetii viri, quem semper & amavi & admiratus sum plurimum, liberos velim etiam atque etiam cogitare quid incipiant. Nam nisi de eventu certi sunt, planè utilius & ipsis & nobis ad quos redundabit exemplum erit rem à nobis incipi: quæ causa vel præcipua est itineris quod uxor vere proximo in patriam destinat. Nostræ urbis Magistratus minùs sunt inclementes & pacta, ni fallor, disertiora. Rogo hac de re & tu & ipsi cogitent. Si tamen res ita gubernatùr, ut boni successus justa spes sit, nobis quoque id lucro cedet. De Schaffero non adeo miror. Nam illi homines qui sibi conscii sunt quantum in jus Deorum hominumque peccaverint quovis modo si possunt se rediment. Et potest eorum metus esse usui. Godefrido Brassero ex animo gratulor, non modo ob amicitiam veterem, sed & ob nominis ejus reverentiam. Rogo ei meo gratuleris nomine quàm amicissimè. Rogo sciam sensu & professione quomodo se gerat. Hodie apud me fuit Dux Holsatiæ honorificè de ipso locutus. Capita pacis Anglicanæ si habere potes, fac videamus. Etiam notata illa ad literas Alpinas videre cupiam, præcipuè cùm & me implicent. Hactenus tuis respondi. De rebus quæ heic aguntur accipe pacem esse certo certius, multum gaudente Rege. Casali est quidem filius minor Mantuani, sed imperat Cæsaris Legatus usque dum investitura veniat. Magnæ in Aula turbæ. Nam Regina mater quod diu compressit tandem evomuit, iram implacabilem in Cardinalem quem ab aspectu suo removit, & omnes quos ipsi putavit obnoxios. At Rex perstat in ea quam Cardinali hactenus habuit fide: & fontes unde hoc malum ortum existimat clausurus, custodem sigillorum jussit Cadomum deportari quasi captivum: sigilla tribuit Castellinovano fratri Altirivii: Primum Præsidem fecit Iayum unum Præsidum Parlamenti. Regina tamen mater perstat in ira, & frater Regius juveniliter minatur. Rex interim Cardinali non minùs quàm sibi cavet. Quo res sit eruptura etiam sapientissimi dubitant. Sunt qui fœminam cessuram putent, nec ausurum quæ audet Cardinalem, nisi percognito tali ingenio. Alii bellum civile augurantur, multis jam siquis fovere velit seminibus. Nam in Delphinatu, in Provincia Narbonensi (ubi imperant Guisius & Crequiacus Cardinali infensissimi) visuntur seditiones plebis rusticanæ, oppidorum etiam non tam contra onera nova quàm contra onerum exactores, invidia horum maximè Defiatum urgente & propter ipsum etiam Cardinalem, sine quo ille se non sustineret. Omnes vestros nostri salutant. Vale 15 Novembris 1630.

Scriverii amicam manum agnovi in notis ad Antiquitatem, gratias ei ago & scire desidero ecquid pro Harlemo cogitet. Hondius si huc mittat exempla magnæ tabulæ in qua Hollandia visenda ponitur, lucrum faciat. Multum quæruntur. Mittere possit ad eum qui hic tabulas vendit Tavernier. Princeps Condæus in Aulam vocatur ut sit qui opponatur fratri Regio.

EIDEM.

263 PAx Italica, mi Frater, facta sanè signataque fuit, sed dicuntur novæ intervenisse turbæ, & ex Montisferratensi præsidio nonnullos cum Hispanis sociasse consilia, quod cùm intellexissent cæteri (& quidam nomine Itali, reipsa Galli erant) admissas eorum opera in urbem arcemque cohortes quatuor, inter quas est & ille cujus Tribunus est Bulionii Frater. Hispanos iterum ad urbem movisse, sed conatu irrito, cùm tam diu defensa rebus arctis, multo nunc facilius sit substitura, affluente victu & milite. In Aula regnat adhuc Cardinalis ægrotante non citra periculum Cadomi custode sigillorum Marillaco, cui crimini datur quod Sabaudum literis animaverit ad sua tuenda. Regina mater nudiustertius fuit ad Sancti Germani pauxillo tempore, ita ut ibi cibum non sumeret. Regem allocuta est, sed primùm præsente præfecto custodiæ Regiæ, qui sororem Cardinalis in matrimonio habet: deinde cùm ejus præsentia offendi matrem Rex videret & in interius conclave cum ea secederet, subsecutus est Suffranus Regi à confessionibus Cardinali addictissimus: ita ut nulla Reginæ occasio data sit animum Regis avertendi ab his quæ sequitur consiliis. In Provincia flagrat magis magisque seditio exercitus induta specie. Etiam hac in urbe ex annonæ caritate motus tumultus Magistratuum non tam auctoritate quàm precibus sedatus est. Exspecto Conventus Hollandiæ exitum super civilibus & Ecclesiæ negotiis: & Deum rogo te, tuam, tuosque incolumes servet una cum optimis parentibus. Halsius an venerit scire cupiam. Lutetiæ 22 Novembris 1630.

Tibi addictissimus H. G.

EIDEM.

LIteras 18 Novembris, mi Frater, ad me datas legitimo tempore accepi, quare quanquam deceptus aliquoties eandem viam experior, præsertim cùm in celeritate non tantum sit momenti. Vides aliud Tileni scriptum vehemens, sed vehementi oppositum. Dabis statim Medio qui faciet, quod ex usu videbitur ut ad ipsum quoque scribo. Annonæ incensum pretium hic quoque non uno in loco turbas dat, sed quas spes est prudentia Magistratuum quieturas. De Halsio gaudeo, cujus rebus haud melius reperio consilium, quàm ut alicubi apud Antipodas prima & lucrosa faciat artis Hippocraticæ experimenta, ne fiat ἰατρὸς ἄχθος ἀρούρης. Comites Hohenloii hic sunt & me accesserunt. Viderunt hac æstate Campaniam & Picardiam Regiones magis vacantes à morbo. Vere cogitant videre transligetina ad Oceanum usque Xantonicum & mediterraneum mare. Hic durat & gliscit Cardinalis Riceliaci regnum frendente Regis matre. Princeps Condæus post septenne exsilium in Aulam revocatus, etiam Vitriacus Anchoritani confossor, eoque Reginæ matri semper invisus. Marillacus qui Custos sigillorum fuit Lisiaci nunc in Normannia (nam eò translatus est Cadomo) arctis satis custodiis & obsesso aditu tenetur: Frater ejus creditur, nisi quid gravius, exuendus Præfectura Viridunensi, donanda Toirasio optimè sanè merito de Gallia, ut qui fuerit & Redensis Insulæ servator & Casalis fidus hactenus custos. De Italicis rebus certiora exspectamus incertis ad hunc diem rumoribus. Vale frater optime, & sæpe me de rebus publicis, tuis, meis fac certiorem. 29 Novembris 1630. 264

Rogo parentes, conjugem tuam & amicos meo salutes nomine.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

MOtus hi Gallici, mi Frater, quò minùs jam se produnt, tacente & fremente Regina seniore, eò quibusdam sunt suspectiores, ut vulnerum latentia. Interim Custodis sigillorum frater Marillacus, Galliæ Mareschallus, quem ad primos rumores de audito Reginæ animo omnes colere cœperunt, captus, vinctus & omnium destinatione reus huc trahitur. Nihil, ut Tacitus verè dixit, mortalium tam stabile ac fluxum quàm fama potentiæ non sua vi nixæ. Quod non in ipsius tantùm casu apparet, sed in Regina ipsa apud quam vastitas mira est. Cardinalis regnat in dies animosiùs, & quia belli ducum auctoritas togam prægravat, ad pacem fertur, rejectis iis de quibus Rex conquerebatur, tantumnon ad ipsius Cæsaris arbitrium. De Amelandia consultum me menimi, non etiam cum aliis contulisse. Chartæ aut à me tunc redditæ sunt, aut inter 265

inter eas sunt quarum nobis restitutio debetur: haud magni tamen ponderis, investituræ aliquot ex libro feudorum Hollandiæ, & Comitis Egmondani cessio in eum quem nominas facta. Certum est olim Comites Hollandiæ ut Frisiam omnem ad Lavicam usque, ita & insulam eam sibi vindicasse & fuisse ea titulo tenus (nam de possessione nihil paruit) investitos Comites Egmondanos, qui fortè & à Rabbodo jus sibi antiquum arrogabant. Sed vereor ne hoc par sit facto Vologesis apud illum quem jam nominavi annalium florentissimum conditorem, cùm is veteres Persarum ac Macedonum repeteret terminos. Satis erit si nobis Frisii non imperent, tribus provinciolis in conspirationem assumtis, ut quæ à nobis vi aperta passi olim sunt, ea nunc religiosa arte ulciscantur. Pannum & siquid aliud exspectabimus. Experior iterum ut vides viam per Legatum, quia haud magnum in mora periculum est. Saluta quæso omnium nostrum nomine Parentes optimos, tuam, tuos. 6 Decembris 1630.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

266 VIdes, Frater optime, exemplum literarum quas à Schickardo accepi, cui viro & mei amanti & publico utilissimo ut satisfaciamus rogo, primùm ut siquos reperis mensores peritos nodum per eos solvas quem fine literarum proponit, deinde ut literas has quas apertas ad me misit cum Turcicis quæstionibus Golio commendes & ipsius & meo siquid id ad rem facit nomine. Quid est de Phænissis: quid de Iure belli: quid de Iure Batavico: Quid molitur Vossius: Quid Scriverius? Nam Episcopius quid moliatur per te scire aveo, eique per literas precor fausta omnia. Res Italiæ ad pacem magis magisque procedunt, maximo jam parte eorum quæ convenerant ad exitum perducta. Nec in reliquis difficultas prævideri potest, quanquam longè alia jactantur apud vos ab iis, qui se quietos fore non existimant nisi nos inquieti simus. Sed sua quibusque res agenda est, nec circumspectanda consilia eorum, à quibus auxilia tam tardè procedunt. Manet hic gravis annona, cui apud vos obviam iri cœptum gaudeo. Neque improbo in bellum necessaria parari dum id eo fiat animo quò tutior honestiorque pactio impetretur. Exspectabimus post tuum & aliorum judicia de Tileni libello. Non posse heic edi video, quia Romanenses nihil magis metuunt quàm ne nostrum dogma perrumpat, ut quod sibi magis incommodaturum putant, quàm illud quod satis nudum se præbet fatali isto lateri. Meermanno rogo dicas optima me ei toto animo precari, & siquid me consiliis juvare potest id quoque gratum fore. An Regina mater flexura sit animum hactenus intractabilem, dies pauci nos docebunt. Sanè tentantur omnes viæ. Vale cum parentibus optimis, conjuge, liberis, amicis. 20 Decembris 1630.

Audio edi sine publico imperio responsum adversùs Apologeticum meum. Rogo inquiras.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

267 EXspectandum erit, mi Frater, quid de loco illo eminente in Conventu Hollandiæ futurum sit. Et erit ad judicandum de futuris rebus non leve momentum. Nos semper pendere non æquum est. Itaque expediemus nos serò, sed tandem tamen. De Moscovia laudo consilium. De Wilhelmi Cæsii postulato exquiram amicorum judicia. De pecunia curata, & transmissis esculentis facitis pro more vestro: & nos pro nostro, quando aliud non possumus, gratias agimus tantùm. Institutiones videre gaudebo. Eritne qui in Latinum sermonem transferat, an nobis aliquando (nunc enim nondum libet) is imminet labor. Rochatus rectè faciet si Hottomannum de rei veritate doceat. Nam ego illi malè non volo, neque Hottomanno quicquam debeo. Adversatur vehementer causæ nostræ & unus est eorum qui Allobrogicas literas emendicarunt. Hic novos habemus Franciæ Marescallos Toirasium & Mommorantium, illum ingentibus meritis in Redensi insula & Casali, hunc etiam generis antiquo jure insignem: unde magna gratia & populi favor in Cardinalem cujus nunc omnia laudes aut invidiam augent, quæ rectè secusve fieri creduntur. Idem Cardinalis Reginam matrem vidit die Lunæ proximo, cùm jam ante ad eam venissent Rex cum fratre, hujus concordiæ, non dicam an veræ, certè etiamsi simularetur non inutilis arbitri. Eodem die Cardinalis baptismo ut testis adfuit filii minoris Condæi Principis, qui etiamnum hic agit, brevi iturus ad pacandam Provinciam Narbonensem specie Legati relegatus. Parentibus optimis, tibique ac tuæ, ac tuis venientem annum, imò annos faustos precor. 27 Decembris 1630.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

EX literis tuis, mi Frater, quas fine anni dedisti gau- 268
deo valere vos. Etiam epistolium accepi quo de panno significas, qui nunc cum opusculis illis ad nos amne navigat. Schickardum quanti meretur à Golio fieri gaudeo, & spero postulata ipsius cordi fore illi, qui solus multorum desideria multis magnisque in rebus potest explere. Quibus rationibus libellorum scriptores reditum nostrum oppugnent scire nostra interest. Nostros miror donare ut divites, fœnori sumere ut egentes. Siquem hic haberet Blavius qui persequeretur negotium privilegii librarium puta, ego & amici commendatione juvaremus. Nam cursare per tot homines quorum opera ad eam rem requiritur, vix in meis negotiis possum. Multum debeo comitati Cordesii. Is petivit à me sibi emi hos libros Drusii quos adhuc desiderat: Apophtegmata in quarto. Parallela in quarto. Quæstiones, non illas epistolicas, sed αὐτοῖς ita dictas in octavo. Rogo compares & ut apud nos sit compaginari cures sumtu meo. Hæc Aula adhuc studiis post personatam illam compositionem discors manet: sed ita ut Cardinalis agat & Reginarum major indignetur se nihil posse, minor lachrymet abduci à se omnes quibus assueverat. Rex horum tædiorum impatiens solitudinem quærit & ei speciem obducit venatus. Marillacus Marescallus dicitur Verdunum duci ut Belgradum sua vice præsidentem arci ad deditionem impellat, additis qui ipsius supplicio alterius contumaciam si perstet, expient. Regina mater & huic libertatem & fratri suarum rerum domesticarum curationem poposcerat, sed non exauditur. Cardinalis & consiliis & amicis & excubiis salutem suam obsepit. Quin in Italia omnia finem pacatum sint habitura, prudentium dubitat nemo. Felicia cuncta parentibus, tibi, tuæ, tuis & nostris omnes precamur. 10 Ianuarii 1631.

Quid Phænissæ? ubi sunt? Institutiones an prodierunt, ecquid placeat?

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

FAlcoburgica cum liberis hic est in mensem Martium 269
iter parans si cœlum permiserit. Ita confecta erat macie tot adversis contracta, ut sanè opus habuerit tempore ad recolligendum spiritum. Nos omnia facimus ut ipsi ac virginibus tempus quàm suavissimè transeat. Premet haud dubiè urbes nonnullas illud augmentum tributi in domos: nobiles etiam & alios quorum res in fundis sunt illud in agros. Tamen laudo quod omnia in bellum parantur, modò id ne fiat ferino pacis odio. Indicia de Institu-

Digitized by Google

ſtitutionibus per te diſcam rogo: & Cordeſiana quæ identidem auxi commendo. Tum & de Phæniſſis. Hic turbæ novæ ad veteres octo ſunt dies, cùm frater Regis ad Cardinalem ivit, atque domi ipſius inimicitias denuntiavit, quod matrem ſuam adeo ab ipſo contumaciter ſperni, pati non poſſet. Hac teſtatione interpoſita abiit cum ſuis Aurelianum, quid facturus ne illi quidem ſciunt, qui omnia ſe ſcire exiſtimant. Accedit quod heri in hac urbe adverſùs nova onera ſeditio fuit non incruenta & interventu demum prætoriani militis coërcita. Rex ipſe Compendium iturus videtur. Supplicatio Marillaci Mareſcalli ad demonſtrandum delegationem judicii in ſe factam nullam eſſe, in Parlamento admiſſa eſt. Quæſumus ſæpe nos facias de rebus & publicis & privatis certiores, ſaluteſque omnes, ſed parentes maximè. 6 Februarii 1631.

Tuus tui amantiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

270 ADhuc rogo, mi Frater, Schickardi (meretur enim) rem apud Golium commendes. Differo ipſi reſcribere, donec certi aliquid habeam quod nuntiem. Excluſio Caſſii etiamſi privilegio Caroli non niteretur (quod tamen quomodo ſe habeat velim ſcire) nititur communi æquitate, & quidem naturali ut ait Iuriſconſultus ad titulum, Quod quiſque juris. Sed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes? Rex Suecus meretur ut quàm magnificentiſſima de eo credantur. Sed Camerarii ad me literæ nihil affirmant, niſi vetera illa de Gripswaldo & aliis locis. In Italia nemo dubitat quin pacis legibus ſtaturæ ſint partes. Nunc Parmenſis Dux arbitrium proferet de eo quod Guaſtallis dandum eſt; Galeazzus à Cæſare, Servianus à Rege Galliæ Legati ea quæ Sabaudus à Mantuano petit component. His tranſactis reddetur Mantua, deinde cætera. Rex & Aula Compendium abierunt non ſine tumultuum hic periculo. Frater Regis Aureliani nihil agit dignum tanto ſtrepitu quo hinc diſceſſerat. Res Provinciæ Narbonenſis ad pacem videntur ſpectare. Amſtelodamo de Rectoribus gratulor, nec minùs ob advocata lumina literarum Voſſium & Barlæum. Patri quod ſcripſerit gratias ago, etiam ex Diderici noſtri profectu quem ſcimus maxima ex parte ipſius inſtitutioni domeſticæ & hortamentis deberi. Eos omnes tuamque & tuos ſalutes rogem. Matri omnia fauſta precor & ea maximè quæ grandeſcentem ætatem ſublevent. Quid & ubi agit Medius? Valete. 16 Februarii 1631.

EIDEM.

271 QVanti caſus, mi Frater, nos admonent nequid rerum humanarum in certo putemus? Illa Regina trium maximorum Regum quà parens, quà ſocrus, juſſu Regis Filii nunc non pueri in cuſtodiam militarem data eſt iterum, nuntio & exactore mandàti Mareſcallo D'Eſtrees. Neque illi aut Regem, aut Reginam nurum multum roganti conſpicere datum, abierant uterque Compendio, ubi illa etiam nunc aſſervatur & non jure matris imperat, ſed per lachrymas & literas ſupplicat filio, incertum an in locum duriorem transferenda. Feliciores matronæ duæ minores, Princeps Contiaca, & Dux Elbæuana quibus hoc tantum ut in Prætoria ſua concederent imperatum eſt. Abbas Foxius in Baſtiliæ carcerem datus dat locum rumoribus adverſùs Guiſium cujus hic res agebat. Sed magis omnes vicem dolent Baſſompetræ Helvetiorum tribuni in eundem carcerem dati. Frater Regius qui & ipſe in Edicto Regis duriùs tractatur quid agat, & Aurelianine ſit, an ad ulteriora conceſſerit, dubii ſunt rumores. Reginæ ſeniori aſtrologi, quibus pluſquàm opus eſt credit, ſæpè prædixerunt captivitatem alteram & in Italiam iter: quod illa, ut moris omnibus eſt talia conjectando interpretari, in Regnum Condæi trahebat, cùm hoc ei acciderit, verum dicam neſcio, in Filiine Regno, an ejus quem ipſa quantus eſt fecit. Qui Cardinali favent dicunt conſilium in medio poſitum ab ipſo ex prudentiæ regula occupatum; neque permittendum ut femina pro arbitrio Regi eripiat Miniſtrum fidelem ac felicem. Marillacorum ei qui cuſtos ſigillorum fuit iterum additi cuſtodes: Mareſcallus plane in carcere & quidem, ut fertur, compeditus: nec intermittitur per delegatos quæſtio, quanquam leges & interdicta Parlamentum interponit. Efficiet id tamen ut ſi pergitur, boni omnes non jure actum exiſtiment. Epiſtola ad te à nobis reſignata & craſſius iterum clauſa fuerat. Quare ea parte non eſt quod metuas. Cordeſii petita ut cures rogo & quod addidi pro Luſſeno Præſide. De Inſtitutionum exemplaribus optimè factum à vobis. Sed Pomeranus non comparet. Vereor ne majus damnum fecerim. Dicuntur enim Dunquercanæ naves captæ quibus eſculenta noſtra adnavigabant. De Phæniſſis quid me jubes exſpectare? Falcoburgica mater & virgines bene valent ac vos ſalutant. Nos quoque te, conjugem, liberos. 27 Februarii 1631.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

IOACHIMO CAMERARIO, I.C.
Legati Regis Suecorum Filio.

VTinam, Camerari doctiſſime, tam læta hinc nuntiare poſſim, quàm ea ſunt quæ de Regis veſtri rebus 271
ſcripſiſti, quæ non ego ſolus legi cum voluptate, ſed amicorum agmen. Erant enim & res dignæ Regis magnitudine & rerum magnitudinem verba æquabant. Nunc is eſt rerum Chriſtianarum ſtatus, ut ex ſolo illo mundi angulo veniant quæ cum applauſu ac gaudio excipiantur: alibi victoriæ in controverſo, tempora inter pacem bellumque infida, & in ipſius Regni vitalibus novi morbi & remedia prope ipſis morbis acerbiora. Nam cùm Reginam paulò ante florentiſſimam acri cuſtodia ſeptam intelligimus, quis non & ſtupeat tam ſubito verſum fortunæ orbem, & miſereatur Regis in eas conjecti anguſtias, ut aut fideli ac felici Miniſtro ſpoliare ſemet cogeretur, aut in eam duriùs conſulere, quæ ipſius natura mater, meritis etiam Regni parens & ab ipſo & ab aliis fuit nuncupata? Quæ omnia ut per ſe ſunt gravia, ita fieri non poteſt quin ejus animo ſint graviſſima, qui pietatis & juſtitiæ laudem tam anxiè hactenus quæſitam ſervare apud conſcientiam fortè poterit, apud famam non æquè, quippe quæ de Regum actionibus adeo inſperatis, prout affectus ſunt, variè judicat, ſæpe & malignitati propior. Etiam Baſſompetram Helvetiorum ducem in Baſtiliam datum video non excidiſſe ſuorum ac ne Gallorum quidem animis & favore, quem ſæpe ipſa adverſa accendunt. Vxor quæ fuit Leſdiguerii in Delphinatum miſſa vile omnibus damnum eſt, levi pœna defuncta actæ per tot probra vitæ. Contiaca & Elbævia Principes feminæ nihil durius paſſæ, quàm quod in agros ſuos juſſæ ſunt diſcedere, brevi ſermone tranſmittuntur. Abbas Foxius qui res hìc agebat Guiſii & ipſe carceri mancipatus, in urbe lingua tenus liberrima materiam dedit ſuſpicionibus adverſùs ipſum Guiſium quid facturus ſit, quid paſſurus. Sed nunc recentes inde nuntii omnia ibi in Regem fida, in Richeliacum Cardinalem amica nuntiant, conciliatòre Condæo Principe, cui tam pronus in Riceliacum quàm averſus à Regina ſeniore animus, & cum Guiſio pridem multa communia, nunc & ſperata affinitas. Sed hæc minora omnia præ illo de Regis matre, propoſiti tenaciſſima, cui alterum malum Frater Regis accedit, diſcordiæ manifeſtus & Aureliani omnia ad tutelam ſui comparans, cui rei duplex adfertur medicina: Legati, matrimonium expetitum & alia ei grata offeren-

tes, si ea ratione Regi quàm matri conjunctior fieri posset, quod per Cardinalem Valettam tentatum nondum successit: præterea equitatus & cohortes missæ quæ urbis aditus & exitus claudant, locaque proxima insideant. Hæc omnia rumores haud dubiè in terras exteras in asperius efferent: metuendumque ne inde & bellum acrius excitetur in eos quorum rebus Gallia favere creditur, & rationes pacis in Italia difficiliores fiant. Vale cum viro Illustri parente tuo. Salutant te nostri omnes. 6 Martii 1631.

Tui nominis cultor studiosissimus H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

273 ACcepi jam frater per Pomeranum Institutiones meas quibus duæ, ut monuisti, tabulæ desunt. Placet editio: errata paulatim corrigo, ut secunda sit defæcatior. De privilegio Carolino memineram & rem ipsam nostris Institutionibus comprehenderam. Placet usus. Mileterius quem ex fama nosti Rupellensis quondam causæ actor calidissimus, in carcere Tolosano oblatam sibi abolitionem recusavit, dicens nullius se sibi criminis esse conscium. Id si ille in Regno, quid nos æquum est facere in libera civitate natos? Videtur mihi apud vos nimia esse in Ministros Magistratuum contemtores indulgentia. Tempora exemplo severiore opus habent, ne res in perniciem eat publicam. Vtinam ad fratrum Lupesteinensium libertatem aliqua reperiatur via. De civitatum Hollandicarum postulato tecum sentio, visum id iri ὀλιγαρχικὸν minoribus oppidis. Hic res quiescunt. Senior Regina putatur itura Nivernium, reddito ipsi sua qui nunc in Bastilia detinetur medico. Rex it Aurelianum, fratrem obviam iturum sunt qui putant. Alii sequiora ominantur. Vale cum parentibus. 14 Martii 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

274 QVæ miraris, mi Frater, sanè talia sunt quæ omnes mirari debeant, eoque magis quod tanta conversio in Regni orbe facta est vix ullo hactenus strepitu. Manet Regina senior Compendii custodita. Frater Regius non Rege occurrit ut rumorem sparserat, sed Aureliano in Burgundiam elapsus est, si urgeatur, recessurus in illam Burgundiæ partem quæ Hispano paret, multum testatus cogi se ad hæc Cardinalis injuriis. De Lupesteinensibus quid futurum exspectabimus. De Heinsio scire velim quæ sint quæ maximè offendant. De Phœnissis quid? Omnes nostri te tuosque ac communes parentes, proximos, amicos salutant. 21 Martii 1631.

EIDEM.

275 SAnè, Frater optime, multum abest, ut quæ hîc se aperuit nubes ita dissipetur: Mater Regis manet custodita omnia moliens ne abducatur Compendio. Frater qui in Burgundiam discesserat, auctus comitatu Ducum Elbævii & Belligardii, Comitis quoque Moretensis & nobilium haud paucorum, creditur nunc esse in Burgundiæ parte Hispanica quam Liberum Comitatum vocant, multis ac prolixis, ut credibile est promissis pellectus ab Hispaniæ Rege, qui maximo habet quæstui alere morbos Gallis quasi naturales. Pecuniæ egestas máximè labefactabit partem recentem & ab omni ferme Regno desertam, nisi & huic malo medeatur Hispanus. Sola Ambaxia fidem in Toparcham suum Fratrem Regium profitetur, firma, ut scis arce, sed structa veterem ad morem, ac præsidio septingentorum militum, cui magni animi vir nobilis imperat. Hos obsessurus mittitur Castilionæus ex eo hominum genere, quorum nunc vilis habetur jactura. Nec deliberavit an excusaret præsentis offensæ metu à futuri respectu aversus. Caritas annonæ mira per omnem Galliam, unde & fames & mortes. Siquid nunc pecunia hinc submittitur, id meritò lucro apponendum est, nec facilè sperandum ut in posterum promissis res ipsæ respondeant. Multum egisse se hic credunt si tempora colloquendi de pace eludant, gnari belli successus, ut hinc aut illinc steterint multum animi victoribus addituros, neque passuros ut æquis legibus aures pateant. Miror tot fautores esse Pavio. Lupesteinensibus captivis aliquid mitigationis opto, quando tam sæva sint tempora ut libertatem hominum innocentium non ferant. De collatione nihil boni auguror. Quærent qui plus possunt materiam aliquid cavillandi. Si nostri unquam eò venerint, ut pactis Dunquercanorum raptus redimant, perierit virium nostrarum pars major. De Phœnissis meminisse te gaudeo. Adversus inobsequentes pastores nimia est Rectorum lenitas, quæ citius aut serius in magnam perniciem publicam erumpet. A Maselandio literas, quarum mentio in postrema tuarum parte, aut ipse tibi dare oblitus est, aut tu tuis includere. Ipsius causa nihil est quod non velim. Valere te opto cum parentibus omnibusque vestris ac nostris. 27 Martii 1631.

Tibi fidissimus Frater H. G.

EIDEM.

PRo iis quæ mones tempore maximè necessario, mi Frater, ut & pro omni rerum nostrarum cura gratias ago maximas. Mihi etiam atque etiam videndum erit quid constituam. Hic carior fit indies annona & incertior solutio honorariorum. Et si qui nostri rationem habuerunt ob aliquam opinionem de nostra restitutione, ea quò longius recedit ipsi quoque nos minoris facient. In Patriam post mea merita, post tot probra ac dolores precario ac furtim irrepere, spe tam lubrica, eritne consultum? παρ' ἐμοὶ ἢ καὶ ἄλλοθι οἵκε με τιμήσουσι, μάλιστα ἢ μητίετα Ζεύς. Non is animus nostratibus pro me est qui mihi pro patria fuit. Interim nemo sua promovere negligit, ne Princeps quidem. Fieri ne posse ut Dammio & Goyero nec amici fortes nec successus desint, mihi illud primùm, deinde & hoc? Quid ergo nobis cum jure Hollandico, cujus vindex vindices non invenio. Regina mater adhuc Compendii est, fortè in Italiam transferenda: Frater Regius adhuc quantum famæ notum est Vesontione: sed in Lotharingiam transiturus, cujus Dux magnas copias colligit, incertum in quem usum, Regi certè non extra suspiciones, qui ideo in fines proximos Virodunum contendit. Quid de colloquio futurum sit Lupesteinensium inquam, & adversariorum ex te discedere avebo. Interim parentibus, tibi, tuæ ac tuis omnia fausta precamur. 4 Aprilis 1631. 276

Tuus tuo jure H. G.

EIDEM.

ACcepi Frater, non modò literas tuas quas per tabellarium 7 Aprilis dedisti, sed & illas quæ mari cum Institutionibus venere. Carmen mea honori datum Barlæi esse arbitror. In tuis miror Ministrorum gliscentem quotidie audaciam & tam paucos esse qui occurrant; idque tam trepidè. Vbi nunc Hollandica fortitudo. An nominis controversia fuit propter quam tantum sanguinis, tantum pecuniæ profusum est? nec an Ecclesiasticis serviendum, sed quibus quæsitum est? Videamus quid de præcipuo Hollandiæ munere futurum sit. Erit id quoque ominis loco, Maeslandii literæ ad Perinum delatæ sunt. Hohenloii Comites iter in aliquam Galliæ partem, inde in Angliam porro, ut puto, in Batavos cogitant. In Italia certa pax. Res cum Guastallo & Sabaudo com- 277

Digitized by Google

compositæ. Promittit Imperator dare Investituram & Mantuam reddere: id ubi confectum erit, reddet Rex quæ tenet Sabaudo. Præter Segusionem & Avelianam quæ Helvetiis dabit custodienda, donec Rhætis eorum sociis factum sit satis. Hæc pax nos onerabit: nam sex millia sub Marchione S. Crucis in Belgiam veniunt. Tempestas quæ hic orta est nondum deſævit, imò ipsa quietis specie minatur graviora. Regina mater Compendio discedere præfractè abnuit, ni trahatur, eò obstinatiùs, quia ad tam invidiosa venturum Regem non putat. Frater Regis in Lotharingia est, & Rex ipse post hos sacros dies putatur in proxima ei fini iturus, ut in tempore periculo occurrat. Cardinalis se non deserit, sed ut multi judicant vix erit ut diuturnet. Edictum Regis quo damnantur Fratris comites Divione quidem probatum est: non & hic ubi Curia est. Voluit Parlamentum relegere quæ olim in causis similibus acta sunt. Et ipse Frater Regius per suum procuratorem libellum promi jussit, quo Edicti promulgationi se opponit, & Ricelia-cum apertè accusat malè gestæ Reipublicæ, gnarus multa ab eo facta quibus Senatus offenditur. Parentibus rogo omnia à me preceris prospera, tuæque ac tuis. Vale 18 Aprilis 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

278 QVæ nuntias Frater, 14 mensis hujus sunt ea quidem talia, ut homini de patria bene merito, tam malè habito omnem possint adimere patriæ memoriam: sed de his uberiùs disserere nolo, quod cogitationes & consilia nostra ex uxore sis intellecturus, quæ jam hodiè ad vos abit. Hìc quoque res nondum tranquillæ sunt. Regina mater non negat tantùm, sed pernegat abire Compendio, metuens ne semel abducta abducatur longiùs. Is qui libellum supplicem Fratris Regii Senatori obtulerat, ut ad Parlamentum de eo verba fierent, in custodiam datus est, anxia Cardinalis cura, nequid ipsi noxium dispalescat. Idem Parlamentum hodiè repetivit deliberationem quid de Edicto Regis adversùs fratris Senatores faciendum esset. Quæ dictæ sunt sententiæ huc tendunt, inquirendum verane sint quæ in eo Edicto narrantur, neque sine causæ cognitione statuendum quicquam, quod hæredem Regni vel per consequentiam lædat. Id ægrè Cardinali est & creditur tracturus Regem in Parlamentum, ut sui numinis conspectu has nubes dissipet, illa intonans, ex motu proprio & plena scientia. Fratrem Regis in Belgicam Hispaniensem ire rumor est. Pecunia ipsi hinc negatur. Restat, ut Hispanus suppleat. Vale cum optimis Parentibus, tuo tuisque. 24 Aprilis 1631.

EIDEM.

Frater Carissime,

279 RES Galliæ adhuc in pace sunt, si vultum Reipublicæ respicimus; si interiora rimamur, malè se habent. Regina senior Compendii custodita. Frater Regius in Lotharingia. Edictum Regis adversùs fratris comites in Parlamento expensum duas sententias peperit, alteram orationem habendam ad Regem, qua dissuadeatur Edictum, alteram injungendum Procuratori Regio ut inquirat in ea facta quæ Edicto continentur. Cùm paria fuerint suffragia, res aut ad Regem referenda aut ad majus consilium mittenda erit. Vtraque sententia Cardinalis potestatem infringit, qui sub nomine Regio omnia vult agere sine arbitro. Miror apud vos supinitatem Magistratuum non intelligentium in suæ auctoritatis labe Reipublicæ periculum verti. Nec minùs miror Lugdunensium iniquissimas querelas quasi, ut Itali Iurisconsulti loquuntur in rebus similibus, Scholam bannalem habeant. Eò verò veniri ut ob tales controversias ad privata commoda spectantes impediantur negotia publica, pernitiosi exempli est. Illud de Amstelodamensibus quod dicis aliquid est, sed quantillum præ iis quæ fieri debebant? Phænissas exspectabo & Heinsianam historiam ubi erit commodum. Vale cum Parentibus, uxore, amicis, bonis omnibus. Cal. Maji 1631.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

MOrbum tuum jam te reliquisse spero, mi Frater. 280
Ego Rhotomagi fui per hos dies ob negotium quod Treselius habebat. Principis conatus multi putant in inducias desituros. Hic res minantur. In Italia pax iterum labascit spe Gallicorum motuum. Bellegardius & Elbævius contra quàm dictum erat apud eum mansere, & Rex arma metuens auget Campaniæ Picardiæque præsidia. Præsides duo & Senator Laisnæus qui jussi erant in longinqua discedere, adhuc Regis permissu in suburbanis agunt: sed orationem quam Senatus hanc ob causam ad Regem habere vult, Rex audire differt. Interim omnia Regis Edicta non ut per tot secula in Parlamento, sed apud sigillum χυρουῦται magno in Cardinalem odio, in quem supra aliam vim constitutum libellis sævit Procerum plebisque indignatio. Iamjam certò cognoscimus, quod heri rumor tantum fuerat, post mediam noctem ante diem Martis Reginam matrem è custodia Compendium per fenestellam subterraneam evasisse, & Helveticæ mulieris habitu leve iter emensam pedibus, tardam alioqui, pervenisse ad carrucas quæ ipsam opperiebantur, earumque ope in finem Belgicum pervectam, ubi filium minorem exspectat, magno majoris dolore & odio maximo in Cardinalem. Salutem nostris. 25 Maji 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

OMittere non possum, mi Frater Schickardi causa, 281
cui jamdudum est quod ad alia responsum debeo, rogare te videas num valetudo & res Golii patiantur ut viro sui simillimo prosit. Siquid scis quando exiturum sit jus belli & pacis, quando Phænissæ, etiam hæc intelligere erit voluptati. Aliud nunc literarum argumentum non habeo. Nam famam de fuga Reginæ matris ab omnibus creditam etiam maximis falsam fuisse ex uxore mea jam puto intellexeris. Ipsa in literis ad Regem de hoc inimicorum suorum commento conqueritur. Regis frater in Lotharingia adhuc hæret, & quasi nihil sit quod agat, Ducis ibi sororem amare dicitur. Habet tamen & Bruxellæ suos: sed ibi non puto eam esse pecuniæ abundantiam, ut inde sustentari possint motus externi. Quid de fratribus Lupesteiniacis exspectabimus? Miror aliorum duritatem, aliorum negligentiam aut ignaviam. Vale cum uxore ac tuis. 12 Iunii 1631.

Regina matri ita ablati sunt custodes, ut tamen aditus eminus equitatu obsepti sint. Ita elusa est Hispani legatio quæ veneratoratum ipsi libertatem.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

INcipiam responsum ab ultima literarum tuarum parte, 282
in qua quod mones de vultu nostro hoc tempore non omnium oculis proponendo, prudenter abs te cogitatum judico. Adde quod ita mihi semper ingenium fuit, ut non amem ista pompatica. Phænissarum ad nos exemplaria mittas rogo quanta commodè per mare mitti poterunt. Siquis amicus huc ire anteverterit, aliqua saltem. De Flandrica expeditione rumor hic est consilia Principis per homines ipsius gloriæ inimicos ad hostes emanasse. Regina mater de illo rumore, cui & ego & tota hæc civitas fidem adhibueramus in literis ad Regem conqueritur à Cardinali confictum, ut talium rerum metu ipsa

ipsa in longinquiora avehatur: neque puto eam conjectura falli, agitare hoc Cardinalem, qui nunc in urbe est: Rex autem ad Sancti Germani, vapidiusculè se habens, quam ob causam calidulis utitur. Mirum quàm suspicio illa de minùs firma Regis valetudine adversùs Cardinalem cunctos excitet, & Regii Fratris spes omnibus ostentet. Captus est typographus qui libellos in Cardinalem perquam virulentos ediderat: & dubitatur quis exitus futurus sit, si ad Parlamentum appellaverit, causis publicis privatisque in Cardinalem incensum. Vident qui res suo nutu agunt, illam auctoritatem Edictorum quæ à domestico Regis comitatu petebatur, suspectam esse populo, ita ut nemo in eo Edicto pecuniam credere voluerit. Nunc reditur ad Parlamentum. Sed ejus Senatores dicunt antequam sententiam dicant, videndum an tutum sit sententiam dicere, & an maneat illud nuper Regis decretum, quo ab omnibus negotiis publicis sine more arcentur. Argentoratum clausis jam aditibus obsidium exspectat, nec id animi Gallis esse video ut subveniant laborantibus. Quid Helvetii sint facturi dubito. Italicæ pacis ordinem invertere Hispani volunt & Mantuæ restitutionem extremo servare loco, fiducia haud dubiè novorum in Gallia motuum, ad quod, extincto Religionis incendio non desunt novæ faces. Vale cum optimis Parentibus & amicis, nostrique memoriam servate. 19 Iunii 1631.

Adhuc precor Golium interpelles, ut si nihil aliud Schickardo, ne frustra exspectet, significem.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

283 BArones Warthoni, mi Frater, ex illustrissima apud Anglos familia hic dum sunt, ita amicitiam meam percoluerunt, ut eos non possim non & amare singulariter, & mihi optimè volentibus bene velle vicissim: quod ut re ostendam, volui eos in tuam notitiam introducere, ut siquid se offerat in quo gratum ipsis facere possis, arripias occasionem & mei causa & ipsorum qui & literas & virtutem bona fide amant, & aliquando (ita pollicetur familiæ claritas, & necessariorum summa gratia atque auctoritas) inter Primores futuri sint suæ patriæ, cum qua scis quàm multa nostræ sint communia. Vale cum tuis quàm dulcissimè. 5 Iulii 1631.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

284 DE effigie optimum factum. Phænissas exspectabimus ut amicis pridem exspectantibus satisfiat. Heinsii Silvamducis non quidem accepi, mihi sed commodatam legi. Multa sunt ἀνερμήνευτα: tenebræ passim & affectata infra gravitatem historiæ dicendi genera, & acumina sæpè evanescentia. Ita hîc plerique judicant. Carmen quod præfixum est omnes contemnunt, ut inelegans nec Latinum. Hic manent adhuc inter Regem & Parlamentum dissidia magna cum invidia Cardinalis: Et jam Marescalli Marillaci uxor à Parlamento petit rescissionem delegati in maritum suum judicii. Rex iterum ad se portari jussit Acta Curiæ. Sed illud Senatusconsultum quo pronuntiatum erat quæ nuper acta essent contra leges acta esse, nondum perscriptum erat. Alioqui & hoc Rex ut videtur laceraturus fuerat, nimirum alienis nutibus obsequens. Vtinam pax aliquando firma sit huic Regno, ut ejus vires aliò vertantur. Nunc omnia aut inimicitiis apertis, aut simultatibus perfusa sunt &, ni Deus avertat, itur in bellum plusquam civile, ne quid calamitatum populo peste & fame attrito desit. Isti quos ex Parlamento Rex relegaverat restituti magnam apud suos famam obtinent. Ab Argentoratensibus, ut & ab Vlmensibus & Norimbergensibus aliisque civitatibus poscit Imperator bona quæ Ecclesiæ olim fuere & Missæ intra ipsorum mœnia locum. Rogo de Schickardo expedias. Id viri virtus & eruditio & perpetua de literis merita à nobis exigunt. Comites Hohenloios à perlustratione Galliæ redeuntes brevi hic habebimus, sed, ut credo hæsuros non diu. Parentibus quod nostri meminerint gratias ago, Deumque precor, ipsos, te cum familia & amicis servet. 17 Iulii 1631.

In Italia omnia ad implendam pacem spectant. Est nihilominus hic Regis Sueci Legatus, cui pecuniæ aliquid datur, & connivente magis quàm auctore Rege miles ab ipso hic colligitur: frustra per nobilem virum huc missum urgente Imperatore urgente primum caput Ratisbonensis pacis, ne alter alterius rebellibus opem ferant, satis multas adversùs verba talia exceptiones suggerente & Sueci Majestate & ipsius Germanici regiminis forma. Dicitur itare ad nostros quidam scriba Neoburgici induciis cudendis, quæ valdè hîc metuuntur, rebus qua foris qua domi suspectis.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

QVod, mi Frater, Schickardi viri optimè merentis curam geris, rem facis dignam tuo in literas studio. 285
Vellit & Cordesius mihi aurem tum de Drusianis libris qui ipsi desunt, si fortè Lugduni aut Franekeræ reperiri possint, tum de illis Bibliis ex Hebræo in Hispanicum versis quæ Amstelodami prostant quasi Ferrariæ edita. Matrimonium Golio ut felix sit, ex animo voveo. Pacem in Italia certam puto, quandoquidem solenniter investitura utriusque Ducatus Episcopo Mantuano sui Principis Legato data est Viennæ, præsente Hispani Legato & Guastalli filio. Copiæ quæ inde venturæ sunt, dicuntur in Germania augere Imperatoris copias. Hic odiis in Cardinalem novum alimentum accepit Regina Mater vili habitu elapsa in Hainoviam Avennas cùm Capellam in Galliæ limite paulò antequam eò adventaret ei eripuisset senex Præfectus ab Aula eò missus, cujus ipsa filium suorum consiliorum adjutorem secum habebat, & ubi hæc spes fefellerat in Belgicam comitem sibi traxit. Videntur pro ea molituri aliquid generi omnes, quibus se addent Bavarus & Lotharingus, supra sexus miserationem & affectum necessitudinis privatis accensi causis, Anglus triumphatum se dolens, Sabaudus memor quàm prope exitium fuerit, Hispanus cum Imperatore pecunias & nostris & Sueco subministratas ulturi. Nobilis vir à Matre Regis cum literis & libello accusatorio in Cardinalem ad Parlamentum missus decreto ejus consessus liber abiit, literis & libelló duntaxat ad Regem missis. Quæritur jam an qui à Matre Regis & hærede Regni accusetur & huic & illi pernitiem struere, nomine Regio defendi possit quominus de eo cognoscatur. Verum ego priùs sica quàm judicio rem terminatum iri auguror: nec abstinet Cardinalis omnia tutelæ suæ præsidia quæ potest circumdare, auctus quasi invidiæ satis non esset Britanniæ Armoricæ Præfectura. Vtinam plebs in Delphinatu & Provincia ita quieta sit & rebus præsentibus contenta ut non inde paratum sit bello fomentum. Rex ipse abiit in Picardiam tutandis finibus, viso hic Cardinali Sabaudo, quem Riceliacus domi & blanditiis demulcere studuit, seris ut multi credunt malagmatis post tam gravia vulnera ei domui partim inflicta, partim intentata. Vix credas quàm hic omnia in fermento sint. Nostræ induciæ metuuntur hîc magis puto quàm sperare eas audeant quos belli pertæsum est. Tamen Regina mater si poterit eos promovebit, vel ut majora auxilia impetret à non occupatis. Vale, mi Frater, nostri semper memor, cum tua, tuisque & nostris omnibus. Comites Hohenloios adhuc à circuitu Galliæ exspectamus. Lutetiæ 14 Iulii 1631.

Heri

Heri Rex ad se acciverat Proceres Parlamenti. Ibi ex his quæ nunc necessitas imperavit retro argumentum trahens dixit, apparere nunc quod pridem prævidisset, Matri suæ & Fratri connexa fuisse cum Hispano consilia. Cardinali non alios inde velle quàm quibus ipse & res Galliæ prosperæ displicerent. Ideo Præsidem le Iay à matre sua rejici (nam & ad hanc rem libellus missus est.) quod Cardinalis beneficiarius, id est, Regi fidelis esset. Planè suam à Cardinalis causa nulla in parte volebat separari. Sed ea res & animi Regum sunt σπεπλά.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

286 ET quas 21 & quas 28 dedisti literas pariter recepi. Lupisteinium non ultra esse bonorum carcerem gaudeo & patriæ gratulor. A Golio nihil venire miror ac doleo. Magna supinitas hominum ac publici juris negligentia, cùm disputatur, an capita deliberationum Synodalium à patriæ Rectoribus expendenda sint, quod & Rex Galliæ facere solet apud suos Episcopos, & Zelandi semper factitavere & quotquot sapiunt. Sic & qui à publicis potestatibus missi Conventibus Ecclesiasticis adsunt jus intercedendi habere apud omnes mediocriter sapientes semper constitit. Oxensternium ideo non vidi, quia nemo ex comitatu ipsius ad me venit, neque scire potui an gratum facturus ipsi essem. Vltro enim me ingerere Legatis non soleo. Res de qua scribis an seriò agatur nescio: nec quicquam ejus ad me pervenit. Sed arbitror fore ut multum refrigeretur Rex Suecus in Galliæ amicitia, videns conscriptionem militis & fœdere & Regis voce sibi promissam, ita subito metu ut videtur, ne Cæsar Fratri Regio idem concedat negari: quæ causa fortè erit cur non existimaturus sit sumtus sibi faciendos in Regno parum certæ fidei. Fortè & in hac Aula erunt qui siquid resciverint, impedituri sint. Malunt tales qualis est Langeracensis, quem Angliæ Legatus nimis bonum esse dicit, quàm ut Legatus esse debeat. Quæ vos respondistis planè probo. Hic quid futurum sit, valdè incertum est: habiturus ne hoc anno exercitum sit frater Regius, an in ver proximum trahendæ minæ. Rex interim conscribit novum militem, quod nova onera trahit in populum omni malorum genere oppressum. Principes quidam, Guisius aliique in Aulam vocati, varia prætexunt ne veniant. De nostris induciis multus adhuc hîc sermo & metus. Parentibus optimis salutem hic addo tuæque & tuis & nostris. 7 Augusti 1631.

Rogo has ad affinem & uxorem ubi ubi est sine mora cures. Comites Hohenloii qui nunc hic sunt deliberant de itinere in Angliam, nec ego dissuadeam ut absentibus illis res in Germania statum quendam accipiant, nec ipsi temerè se offensis implicent. De exemplaribus Iuris belli & pacis poteris cum uxore constituere. Phænissas adhuc exspecto.

Tui amantissimus Frater H. G.


E I D E M.

287 PArenti nostro, mi Frater, satis magnas gratias agere non possum pro Diderici supra spem profectibus. Debet illi quantum nos omnes. Reginam matrem splendidè deductam ab ipsa Infante Bruxellam intellexeris. Frater Regis est adhuc Vesontione. Non videtur adhuc collegisse exercitum. Certè nihil adhuc aggreditur & Rex illi it obviam. Sed in partibus illis quæ ad Alpes spectant sunt motus aliqui populorum, præsertim in montanis minusque aditum præbentibus locis. Pax Italica rursum vacillat, perplexante nunc Cæsare, ut de Ratisbonensi pactione Galli fecerant. Nimirum diem ducere vult & videre quid parturitura sit Gallia, ut deinde constituat quod ex usu erit futurum. Guisius dicitur in mare se dedisse metu ne caperetur. Successor illi Vitriacus mittitur. Edictum in eos qui matrem fratremque Regis sequuntur non ipsis tantùm sanctionibus minax est, sed & verbis conceptum est famam impetentibus: quæ omnia quorsum sint evasura scit scilicet rerum moderator. Nos in hac urbe per Magistratuum prudentiam non tuti modò, sed & securi vivimus, & pacem quam sperare vix licet Deum precamur. Rogo de Schickardo memineris. Exspectamus exemplaria & Iuris belli & Phænissarum, puto per uxorem. Cordesius quoque siquid invenisti Drusianorum quæ indicaverat sibi desiderari. Aveo scire quò evasura sit nova procella illa Hagiensis & de induciis rumusculi. Deus O. M. parentes nostros, te, Frater optime, cum conjuge & liberis, omnesque nobis bene volentes bene fortunet. 22 Augusti 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

LIteras à te, mi Frater, nunc nullas habui, sive tabellario aliquid objectum est impedimenti, ut ajunt, 288
sive tibi argumentum defuit, rebus apud vos immotis. Ne hinc quidem est quod nuntietur, nisi quod velut in alta pace novis dignitatibus florescit Aula. Duces enim & Pares fiunt quatuor simul, Ricelìacus Cardinalis, Dux Valetta Espernonii filius, Marescalli Schombergius & Desiatus. A Fratre Regio & Matre minas magis quàm armorum strepitum exaudimus. Mali semina ut exstinguat dicitur huc à Pontifice mitti Cardinalis Bentivoglius. Ab Hispano qui venit Terranovanus si poterit puto, alet incendium cujus velut opprimendi causa mittitur. Rogo has ad Baronem Polonum literas ad Vossium una cum iis ad ipsum quas scribo mittas. Est hic fœmina nobilis filia centurionis quondam apud nos Saroquii, cui per rem judicatam injunctum est de ætate sua docere per descriptum ex matricula baptizatorum, nomen est Maria. Natam se dicit anno 1606. Rogo inquiras an eo tempore Hagæ, ibi enim nata est, matricula talis in usu fuerit. Si non fuit, hoc ipsum aliquo testimonio probare, si fuit, inde αὐτόγραφον à presbytero, Magistratibus aut Notariis signatum exhibere victoria ei erit in maximi momenti causa. Amicos habet quibus velim meam probare operam. Vides quàm de tuo labore sim liberalis. Hic, si quid vicissim tui causa possum impera: ac vale. 5 Septembris 1631.



Auratus noster rogat libros in hac chartula scriptos emas. Numera de meo pretium, ipse hîc reddet.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

SCribo, mi Frater, has literas iturus ad Fontem Bellaqueum ubi nunc est Rex & Aula. Adrichemius apud 289
nos pransus est: suasimus & si qua verbis ipsius fides persuasimus, ut eat Basileam intra hoc triduum. Rogo te quantum possum omnem impendas operam, ut confiat negotium quod uxor affectum reliquit de chartis quas abstulit nobis Duvenvordius, & quæ nobis postquam confiscationem contudimus haud dubiè debentur. Errata in Phænissis præter transmissa antehac etiam hæc reperi:

In Prolegomenis

Pag. quæ in reprehensionem	lin 19.	ostendit, passim	ostendit passim
p. 104.	lin. 24.	arma	arva
p. 111.	lin. antip.	incendens	incedens
p. 112.	lin. 25.	Antigone	Antigonen.

Quod de Bylivernio interpellando scripsi nuper ita scito id me facere, ideo quod ipse hoc officii ultro uxori obtulerit. Alioqui nemini velim esse molestus. 9 Septembris 1631.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

290 EXspectamus hic à vobis, Frater, historiam victoriæ nostrorum de Comite Iohanne Nassavio, quæ mirum quanta hic prædicatur. Expedit rebus eorum qui nunc hîc imperant res Hispaniæ aceisas credi, quo pauciores sint qui se ad Fratrem Regium inde auxilia exspectantem conferant, ad quem dicuntur jam aliquot cohortes defecisse. Cardinalis & vitæ suæ consulit acri custodia & vim quotidie intendit, nunc & Caleti Præfecturam ad se trahens. Hæc omnia fieri non possunt nisi maximis sumtibus, nam Præfectis veteribus pecunia ut exeant danda est. Mitto ad te indiculum erratorum in Phœnissis. Duo adjeci, unum perspicuitatis gratia, alterum quò leniùs verba fluant. Cætera omnia à typothetis peccata sunt & eorum quædam talia quæ sensum, aut versum corrumpant. Quare censeo leviora quædam in exemplaribus nondum divenditis calamo corrigenda; de cæteris monitricem pagellam adjiciendam. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. Schickardi rogò & Cordesii ne velis esse immemor. 18 Sept. 1631.

Has epistolas ab Arausione quamprimùm tradendas, ut cures rogo.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

291 FEmina pro qua nuper ad te scripseram has mihi literas dedit ad Francimontium curandas, ut ejus opera accipiat aut descriptum ex matricula baptizatorum, aut documentum quo constet talem matriculam, cùm ipsa nata est, non fuisse. Ipse qui presbyterio publico quàm tu est notior melius illud curabit: tu tamen rogo consilio juves. Gratias maximas habeo pro historia rerum ad Scaldim nostris sanè prosperarum. Vtinam vel hoc experimento doctæ partes quantum in bellis fortunæ liceat animos ad tutiora & meliora flectant. At verò hîc etiam spirare incipit Mavors: apparent enim copiæ Regii Fratris, & ut rumor est (non tamen apertus, metu potentum) jam Regiarum turmarum sanguine bellum imbuerunt. Sunt qui pacem sperant ex adventu Lotharingi Ducis: mihi fit credibilius ipsum suis rebus consulturum, securum quo de cætero casura sit alea. Aula nunc est Trecis & ibi est è Sabaudia Cardinalis, cujus & Frater Princeps Carignanus ibidem exspectatur, amicitiæ cum Galliæ Regno magna pignora: majus aliud sunt quæ augurentur, ex matrimonio Combalettæ cui avunculus est Riceliacus cum Sabaudo Cardinali. Dos dicitur duo auri milliones. Ego si id fit de quo dubito, rem eò spectare puto, ut quæ in Subalpino tractu Rex nunc tenet reddantur, etiamsi in mora reddendæ Mantuæ maneat Imperator. Esset quidem Galliæ id non minùs probrosum quàm damnosum. Sed ut res privatæ publicis officiant, non est novum. 25 Septembris 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

292 QVantum memoriæ Viri Incomparabilis Iacobi Augusti Thuani debeamus omnes, mi Frater, nemo te scit rectiùs: neque verò ignoras quantum me semper amaverit, filius hic ejus natu maximus, Franciscus Thuanus ad quem Silvam à me scriptam meministi, cujusque beneficio libris mihi emtis hactenus nullis opus fuit. Quare etsi scio te per te præstiturum omnia quæ tam illustribus viris debentur officia, tamen hoc quoque epistolio rogare te volui hoc ut meo debito te exsolvendo delegari patiaris. Erit id & mihi pergratum & tibi apud Gallos non minùs quàm populares magnificum. Exiit jam è Parlamento, factus libellorum supplicum Magister, magna cum spe futurum ut olim Legationibus, ad quas paratissimum ingenium habet, admoveatur. Et præsagire videor mihi posse, futurum ut in ipsa nostra patria, quam verè amat, Regia vice fungatur. Vale Frater dulcissime. 26 Septembris 1631.

Tui amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

AVditis quæ uxor hoc in itinere comperit, statui vos ac 293
præcipuè parentes videre atque inde constituere id quod ex usu erit rerum præsentium. Non desunt mihi regiones in quas cum honore ac commodo me recipere possim, si patriam post tam longam patientiam ingratam experior. Rogo Byliventium convenias ut ex ipso scias an incommodum ei futurum non sit me ad tempus aliquod suo aut generi hospitio excipere. Si illi quid impedimenti evenerit rogandus erit Verziidius. Novi nihil præter & quæ postremis per ordinarium misi. Et parentibus & vobis omnibus gratias ago maximas pro prolixa in nos voluntate. Adrichemius adhuc cunctatur, tentabo iterum quid ei sit animi. Nimis verum est quod dicis fidei nimium ei haberi, eoque me quamvis nolente, haud deesse ipsi pecunias. Vtinam paulo sit sapientior. Nos nulla in re prætermittemus facere ejus ac patris optimè de nobis meriti causa quicquid opis erit nostræ. 5 Octobris 1631.

Hanc inclusam Senatori Reigersbergio tradas velim quamquam est ἀνεπίγραφος.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

PLacet, mi Frater, facti quæstio proposita. Dubito an 294
& privilegiorum Rotterodamensium, quorum effectus mihi ut contractus ferebat, oblitus non est specialem mentionem facere ex usu sit. Nam eò facilè solvetur quod dici posset me à Rectoribus deditum Ordinibus Federatis eorumve delegatis judicibus. Rogo responsum duobus exemplis signetur, quorum alterum tradatur Hertogsveldio per me, nam in Conventu eo usurus est: alterum nobis servemus. Rogo negotium urgeatur, nam Conventus die Martis imminet. Die Lunæ habebitur urbis Senatus. Vale & tum optimos viros Iurisconsultos illos, tum amicos alios saluta. 28 Octobris 1631.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

HErtogsveldius, Frater optime, διαπρεσβείας Verzydii nullius momenti facit. Nam ipse rogatus Con- 295
sulibus & adventum meum nuntiavit & in animo mihi esse non latere. Ibit ad Conventum imminente hebdomade, & siquid de nostra causa agatur animosum se defensorem promittit. Berckelius quantum potest moras nectit & ideo quærit quod prætendat. Multum refert Princeps intelligat amicos nobis nec hic nec in aliis civitatibus deesse: id quò citiùs fiet, eò erit efficacius. Affinis Reigersbergius timidior æquo est. Is quem dixi Hertogsveldius tales motus ridet. Confirmandi sunt Mylius, Medius, alii. Quotidie aliqui ex Magistratibus per amicos operam suam mihi offerunt etiam ex classe Puritanissima. Siquid antehac promotum est in chartarum mearum repetitione (nam oblitus fui id ex te quærere) rogo significes. Vxori tuæ & liberis omnia opto quàm faustissima. 5 Novembris 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VXor per literas te rogat, mi Frater, ut tot labori- 296
bus in rem nostram insumtis & hunc addas, ut quàm fieri

fieri celerrimè poterit numerari tibi facias pecuniam annui reditus ad vitam, ut vocant, tum ejus quem Alcmariæ, tum ejus quem Hagæ habemus, pecuniamque in Zelandiam mittas ad sororem Blancquiam. David Reigersbergius has ad fratrem Senatorem literas misit quas mihi clausas dedit. Vereor ut satis rectè mentem meam perceperit. Mihi constitutum est discedere ex his regionibus potius (quæ libertas eripi mihi nequit, ut hic res sunt) quàm latitare. Ista enim mutatio & de innocentiæ opinione multum detraheret & fautoribus demeret animum. Cæterùm an hîc manere an in aliam urbem transire debeam delibero, eaque de re paratus sum audire benevolentum consilia. Mitto tibi quæstiones ad quas trium celebrium Iurisconsultorum velim habere responsum. Inter eos si quis sit ex consilio Principis, nihil erit nociturum. Sed eos qui advocati sunt civitatis Rotterodamensis præteriri rectiùs arbitror, ut à civitate consulti (quod futurum spero) id quod jus est respondeant. Addidi particulas è Privilegiis: & quæ urbis Senatus decrevit post me captum. Sententias & Edictum proscriptionis de tuo his addas velim. Nam ego non habeo. Possunt hæc fieri ignaris iis qui nimium sunt formidolosi, qui multum metuo ne suo timore recta consilia corrumpant. Vxori & liberis tuis fausta omnia. 19 Novembris 1631.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

297 QVomodo Delfensibus res successura sit apud Principem scire, mi Frater, aveo. Outshoornius hic fuit & à nobilibus omnia generosa promittit. Schidamenses per amicos appellantur, ut sequantur sententiam Delfensium. Vtinam apud Dordrechtanos quoque aliquid æqui per amicos obtineatur & in aliquibus saltem oppidis ad Septentrionem. Posset aliquid Basius & alii. Hertogsveldius omnino & argumentis & auctoritatibus adversùs imminentem procellam erit muniendus. Quare consilium Iurisconsultorum non est omittendum, sic tamen ne fama ad inimicos permânet. Mitto tibi excerpta ex Vantio, & ex Hippolyto de Marsiliis in quibus ea quæ ajunt de nullitate sententiæ & defectu jurisdictionis, semper scilicet eam opponi posse ad rem pertinent. Mitto etiam annotata quædam mea ad ea quæ objici ab inimicis intelligo. Petoque ut & tu & amici cogitetis de iis quæ utiliter addi possint præsertim in usum Hertogsveldii, ne obruatur clamoribus. Huic opus est rationibus popularibus minusque subtilibus. Vide an præter quæstiones nuper à me transmissas ad petendum responsum hanc aut una aut seorsim proponi expediat.

Of tegens de nulliteit geallegeert uit de Privilegien yet kan doen, dat de Regeerders van Rotterdam, nae de verandering, hebben geconsenteert, dat de judicature van de saecke soude gestelt worden aen de Staten Generael.

Illud ex jure communi Delegatorum accusatores suos domum revocandi, & ad rem facit & haud dubiè tale est, ut omnes Delegati Provinciarum & civitatum aliter constitui nolint. Quare quæ à me ut delegato acta sunt tanquam Rotterodami acta haberi debent. Præterea magna vis est in illo privilegio omnia crimina Rotterodami judicanda, si is cui ea objiciuntur domum redierit antequam in judicium vocaretur. Nam ego post omnia quæ aut Hagæ, aut Vltrajecti gesta dicuntur domum redii. Et privilegium illud hujus rei solius causa impetratum est. Nihil enim aliud continet: Et ne res Rotterodami gestæ ab aliis quàm à Scabinis judicari possent, jam ante vetustiore Privilegio cautum erat. Rogo hæc annotata quæ transmitto remittas: mihi enim nunc transcribendi otium non est: & poterant posthac quoque usui esse. Rogantur omnes amici colligant & quæ ad rem facere arbitrabuntur & quæ Iurisconsultos aut consules nostros aut ipsum Conventum instruere possint, ne negligatur quicquam in tanto rerum cardine. Vale cum uxore ac liberis. 21 Novembris 1631.

Honoraria advocatis honestè persolvi cupio; quicquid dependeris illud redditurus. Siquid describendum erit, utere Veldii opera.

Hæc ubi scripseram, Frater, tuas per Nordingium recepi. Ego neque omnia, ut οἱ μάλιστα κακοί neque nihil metuo. Vellem amicos nostros tantùm laborare pro nobis & in Boreali Hollandia & alibi quantum inimici laborant, qui nihil omittunt quo causam malam sustentent. Pro bona video non idem esse animi. Quare si iterum in me peccet patria de ea securus mihi consulam. Ego in eo persto rogandos Iurisconsultos, ut respondeant, sed ita, ut ne ad alios quàm velimus responsum perveniat. Valde aveo scire quid Delphensibus responsurus sit Princeps. Ego ut illud dicatur de dissensionibus civilibus (famæ enim nostræ nihil hoc nocet) ferre possum. Temporis moram velut levandæ pœnæ legitimæ afferri non patiar & potiùs eò ubi nec Nassaviorum nomen nec facta audiam. Megalopolitani haud improvidè suadent. Sed unde nobis homines qui hæc fortiter faciant. Ego hactenus securitatem Rotterodami nullam nisi ex ipsorum Magistratuum conscientia desideravi. Dubito an adeundi mihi sint Magistratus, qui me non adeunt hominem tam bene de hac civitate meritum. Nuper mihi per filium significavit Berkelius periculosum mihi ob proscriptionem fore exire in publicum. Respondi me existimare nullibi me tutius esse posse quàm apud cives Rotterodami, qui me norint ideoque ament. Tamen ajebat ille posse inveniri, qui spe præmii mihi insidientur. Non hoc metuunt, sed ne civium in me amor appareat. Ideo rumores spargunt minimè me Remonstrantium esse sententiæ: multa me dedisse consilia quæ veteribus Magistratibus fuerint improbata: & siquid mihi potest auferre faventes animos. Quid agam? Vellem scire Bellimontii & Vtenbogardi consilia, si illi prius rem totam perdidicissent. Doleo tam paucos esse fortes in Hollandia. Sed profectò magis illorum id quàm mea refert. Me nec carcer nec mare terruit quò minùs ostenderem quàm multa possem ignoscere. Sed etiam bonitas suos habet fines: præsertim ubi pro ignavia habetur. Nos tam exiguis finibus non includimur. Vale, Frater. 21 Novembris 1631.

Tuus H. G.

EIDEM.

ADvocatis, mi Frater, optimis atque eruditissimis viris gratias satis dignas agere non possum, quod in negotio gravi tam fidele dederunt consilium, pro honorario, quod recusant, honorem ipsis habeo dum vivam, & siquid unquam ultra potero id meritis ipsorum reddam. Sorgii cogitatio mihi non displicet. Hertogsveldius & Berchelius hinc absunt neque existimo Goederidium quicquam rei gravioris in se recepturum. Ita tempus ad Conventum extrahetur. Ad Federatos scribere si id fieri possit ut fecit Vtenbogardus, qui de jure suo nihil decessit non subterfugerem. Multum refert quid & qualiter scribatur, qua super re lubebit intelligere amicorum consilia. Responsi ut & alterum exemplum fiat & quamplurimis celeberrimisque signetur utile fore existimo. Vale mi Frater. 24 Novembris 1631. 298

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

300 TAm bene à te curari, Frater, res meas gaudeo: & ut Iurisconsultorum responsum quamprimùm habeamus etiam atque etiam precor. Multum illis hoc beneficio obligabor. Video imminere nobis procellas: sed ego qui vivere & alibi possum ista Deo committo

Securus cadat an recto stet fabula talo.

Τὸ τεχνίον πᾶσα γῆ τρέφει. 28 Novembris 1631.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

301 BEne huc adveni, mi Pater, & comiter imprimis accipior. Et domum & urbem in qua sum ad temporis aliquantulum fideli proximorum conscientia premi ex usu nostro erit. Dicere poteritis intellexisse vos propositum mihi fugere crudeles terras. Christianum rogo ne grave sit apud vos aliquantisper retinere, cui ab amico aliquo velim utendam sumi historiam Thuani, ac postea Meteranum Latinè, Gallicè aut Germanicè (nam tribus linguis exstat) ut habeat in quo utiliter se exerceat. Commodaveram Principi pictorum præfationem non editam in opera Cornhartii. Eam velim per amicum aliquem ad Vossium mitti. Is conscius ubi hæream fideliter talia curabit. Si mittantur ad vos à Blavio librario exempla Iuris belli ac pacis, velim retentis pro te, Fratre & tribus Reigersbergiis & Bellimontio, cætera continuò Rhotomagum mittantur ad Treselium, ut is ad uxorem curet: id enim ita fieri nostra interest. Matri & amicis omnia opto prosperrima: & ne mea causa quicquam doleant cui pro magno erit semel eximi vanæ spei, neque posthac respicere tam pertinaciter ingratos. 10 Decembris 1631.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

302 REctè me valere & tutò satis hic morari dignum, mi Frater, nostra caritate duxi tibi ut significarem. Quid faciendum mihi sit deliberabo, ubi solutus erit Conventus. Siquid ad me curandum erit poterit aut per Vossium aut Vtenbogardum fieri: sed malim per amicos si tamen sine nimia mora id fieri potest curari quam per tabellarios, ne illis oneri sim nolentibus à me quod impendent repetere. Scripseram ad Patrem optare me, ut huc mittatur scripta manu Vanheuvelii præfatio ad Cornhartii opera, quam Michaeli Mireveldio legendam dederam. Ad affinem verò Reigersbergium ut mittantur mihi literæ commeatus à Rege Galliæ, cum indusiis, collaribus & linteis περιχειρίδιους quibus omnibus opus habeo. Horum omnium cùm nihil acceperim facio quod soleo ut rerum mearum curam tibi mandem. 17 Decembris 1631.

Parentibus me commendo rogoque ne grave eis sit supra liberorum meorum curam etiam Christianum nostrum ad tempus aliquod secum habere. Dabit spero Deus ut gratus sit.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

303 SCripsit ad me, Frater optime, Legatus noster Langeracius, non scripturus fortè si scisset quo loco nunc sunt res meæ. Scripsit tamen non mea, sed sua causa. Rogat enim ut faciam quod nunc ego facere non possum, nisi quomodo pleraque mea soleo tua opera: ut horter filium ipsius, simulque Bilandium in Galliam ut veniant transigendis negotiis ipsius domesticis. Conqueritur Bilandium à se esse alienatiore animo, nec causam se scire, nisi fortè quod rebus suis urgentibus acrius [illegible] ipsius diligentiam excitarit. Valde ut video desiderat cum ipso colloqui, & quanquam causas non exprimit, tamen facilè eas divino. Scit enim ille secreta domus, & multa sunt quæ in astra spargi non debent. Tu qui [illegible] familiæ semper fuisti addictissimus, rogo ut hac in re quod ego facturus fueram facias & filium patri, [illegible] nostrum hero suo concilies. Beati pacifici. Vale Frater optime. 23 Decembris 1631.

Si quid de vestibus quas uxor misit intellexisti fac me gnarum: Heuvelii præfatiunculam nondum accepi. Medius puto perendie aut statim post eum diem ad vos advolat. Patrem, matrem, uxorem tuam sororemque rogo pro me salutes.

Tui amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

304 ET quæ scripsisti antehac, Frater suavissime, & quæ pridie Nativitatem Dominicam misisti per Vossium nostrum, rectè accepi. De vestibus dabo operam, ut rescisscam missæ ne sint, an hic hæreant, an nondum advenerint. Iam enim nomen ejus ad quem missæ sunt per uxoris literas accipio; quæ mecum planè decrevit ingratis hominibus non supplicare. Erit alibi suus honos nostris artibus. Id satius quàm nos ultra ridendos propinare. De Bilandio satis est nos esse defunctos. Nimium urgere nolim. Causam Medius dicere poterit. Libellus quem conceperam hanc tantùm in spem à me scriptus est, ut appareat quàm æquæ conditiones sint repudiatæ. Senatores Rotterodami bonos opto: nam mali satis multi sunt. De Advocato fisci quod decreverunt, magis ipsorum quàm mea interest. Delphensibus multum debemus, & perpetuò testabor. Ἀρχ. qualia sint consilia odorari promtum magis est quàm tutum dicere.

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Vale cum Parentibus, uxore, amicis omnibus. 26 Decembris 1631.

Tui amantissimus Frater H.G.

EIDEM.

QVæ & quàm graves causæ me moveant, Frater optime, quò minùs libello illi qui transmissus erat mihi 305
per Medium subscriberem, ex meis ad ipsum literis jam puto cognoveris. Cæterùm ita habere quicquid honestè fieri poterit etiam cum aliquo detrimento meo factorum, ut aut adsim parentibus vobisque necessariis meis, aut absim quàm proximè. Instat nunc Conventus qui mihi viam monstrabit quam inire debeam. Ex usu maximo erit simul eò venerint Amstelodamenses dari operam, ut cum Delphensibus & Rotterodamensibus, si fieri potest etiam cum nobilibus aliisque consilia conferant, antequam de re nostra publicè deliberetur. Id per quos curari possit tu cum Reigersbergio Medioque cogitabis. Siquid illis pro me erit animi, idque Principi significent, id spem aliquam facere poterit eventus tolerabilis. Omnino autem inculcari omnibus debet, si nulla urbs mihi tutum apertumque receptum velit præstare, alterum illud de præmio in meum caput constituendo nihil ad me amplius pertinere, cùm illo intellecto statim me hic periculis ac ludibriis sim erepturus. Absentem vel verberent. Cogitate etiam an si res eò deveniat, ut tradi debeat is quem ego conceperam libellus, aliquid etiam Consessui judicum Hollandiæ exhibendum sit, quo excitentur, ut ipsi quoque legitimum judiciorum ordinem tueantur, Ordinibusque suasores sint ut rem patiantur jure cognosci. Tempus nunc est amici omnes laborent, vigilent, in omnem occasionem intenti sint. Si receptum alicubi obtinemus, facilè deinde cum tempore quæ inflicta nobis

bis sunt vulnera sanabuntur. Sed quia etiam in abitum paratus esse debeo, siquid habes pecuniæ poteris ad Vossium transmittere. Solent enim talia tabellariis tutò committi. Ex Gallia insuper aliquid pecuniolæ exspecto. De vestibus misi ad Hornii viduam uxoris meæ affinem, nam ad eam misisse significabat. Sed venerant nondum. Vale cum amicis omnibus, præsertim uxore tua, parentibusque nostris. Heri Legit Vossius coram Magistratibus ac Senatu, togatus, in maxima audientium multitudine. Nunc subsequetur Barlæus. De sessione in Presbyterios res in diem Iovis qui venturus est dilata est. 9 Ianuarii 1632.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

306 ET pecuniam per Vossium & literas rectè accepi. Pro illa curata habeo gratias. Hujus commendabo negotium. Ad Corvinum hinc scribam. Rogavi patrem civibus nostris gratias pro me agat. Idem te rogo præsertim apud uxoris tuæ avunculum. De Toparcha Scagano gaudeo. Memini amari à patre ipsius quantum quisquam. Videbimus quò res evasura sit. Mihi nihil tristius quàm pendere hunc in modum. Ἀρχ. nihil adhuc facit cur ipsi aliquid debeam. Neque aliud esse puto quod amicis in illis quas miseram literis displicet, nisi quod ille pati non potest ex generoso pectore profectas voces. Ego tamen nec illius, nec cujusquam causa memet dejiciam.

παρ' ἐμοὶ γε καὶ ἄλλοι
Οἵ κε με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Vale, Frater dulcissime, cum suavissima uxore, liberis, amicis. 17 Ianuarii 1632.

Epistolium illud quod ad ἀρχ, exaraveram hujus urbis πρεσβυτέροις mirificè probatur.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

307 VAlere vos, mi Frater, cùm intelligo id mihi in hoc rerum mearum salo ingens solatium est. Et consilia tua tam boni fratris libens accipio, in quibus hoc quoque me juvat quod illa quæ incertissima sunt in eam potiùs partem interpretamini, quæ me retineat hic potiùs quàm à vobis animo, non minùs quàm sanguine conjunctissimis amoveat. Tamen ita semper pendere & triste est per se, & rebus familiæ meæ perquam noxium. Berckio respondi. Si ibi est rogo tradas epistolam: sin minùs ubi erit mittas. Abrahamus Antonii, quid dicturus sit audiemus. Ego à foro nostrate tamdiu afui, ut in ejus generis negotiis tractandis non ita multum mihi confidam, nisi te qui in iis recens es habeam adjutorem. De Sueciæ Rege, rumusculos tales non magni facio. Nisi aut literas videam, aut Legatum audiam, non est quod de eo cogitem. Et scis à vita castrensi satis abhorrere mihi ingenium. Si Oxensternius apud vos est, puto esse eundem qui in Gallia fuit, Cancellarii cognatus, vir apprimè probus, linguæ impeditioris. Vale cum uxorcula & sobole. Amicos saluta quos utinam haberemus aut plures, aut fortiores: minùs nunc æstuaremus. 6 Februarii 1632.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

308 ROgo, mi Frater, ad tot tuos pro me labores & hunc adjungas, ut qui apud vos sunt libri mei ad jus aut Romanum, aut nostrum pertinentes & siquid est chartarum ejusmodi seponas, ut extra magna volumina puta Corporis Iuris, Bartoli, Baldi, Iasonis, Castrensis & Criminalia mihi prima occasione mittantur. Cùm enim non tam rei faciendæ quàm temporis fallendi causa constituerim copiam mei consulentibus facere, scis nihil præstari posse sine tali supellectile. Patrem & matrem meo nomine salutes velim. Vxori tuæ & liberis precor fausta omnia, sed & amicis nostris, præsertim eis qui Advocatorum sunt ordinis. Vale, Frater suavissime. 16 Februarii 1632.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

ITerum de Rege Sueco, mi Frater, sermones ad aures meas, sed ut nunc res meæ ferunt per plures internuntios venerunt. Dicitur autem origo esse ab Oxensternio Legato nunc Hagæ. Quanti Regem faciam scis tu, sciunt & alii. Vt incerta spe mutem sedes inconsultum est. Nec satis est rem facere, aliqua & dignitatis habenda est ratio. Ii qui hac de re ad me hoc de negotio nuntiari jusserant, existimabant Regem mea opera in Aula Gallica uti velle. Si Legati titulo & iis commodis unde sustentari dignitas possit, esset de quo cogitari deberet. Sed & ab Anglia aliqua me aura afflavit. Deliberandum est diu quod faciendum est semel. Tu siquid intellexeris ad consilia nostra pertinens ejus nos rogo facias participes. Monendus non es ita agenda omnia nequid ambire videamur. Tempus, ut spero, pro nobis erit. 18 Februarii 1632. 309

Vxori tuæ, liberis, Parentibus, amicisque omnibus fausta precor omnia.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

DE negotio Suecico, mi Frater, nihil intelligo. Metuo ne Patriciis aut Aulicis artibus rumor ibi spargatur me huic civitati devinctum esse: quod cùm verum non sit, mihique plena sit libertas de lare constituendi, tuæ amicorumque prudentiæ relinquo hanc rem ita gubernare, ut nec ego me ingerere videar, nec falsæ famæ quæ obvenire possent commoda avertam. Vale, mi Frater. Instrumenta Magallanicæ litis de quibus scripsi exspectabo. 19 Februarii 1632. 310

Tui amantissimus Frater H. G.

IOANNI GROTIO,
Consiliario Comitis Hohenlo.

EX literis tuis, Parens optime, rectè valere te nostrosque omnes dulce mihi fuit cognoscere. Quid in hoc Conventu de me futurum sit scire tecum avidè exspecto. Nam pendere semper miserum est. Ad Christianum hæ sunt ab Opitio literæ, aliæque ab eodem missæ, ut eas Christianus Lutetiæ cui inscriptæ sunt daret. Eæ per errorem huc missæ, illuc remittendæ erunt. Nos strennuè de jure respondemus. Atque ita fallimus temporis tædium. Monendus est per fratrem, aut per amicum aliquem Lugduni qui vivat, librarius Lamairius, ut libelli pro Veritate Religionis Christianæ exempla si non omnia, saltem aliquammulta excudat charta meliore. Nam illa prioris editionis sordida est. Id ex Gallia viri præstantes me rogant. Vale, Parens optime, cum matre & liberorum grege. 15 Martii 1632. 311

Fratri pro his quæ ad me scripsit 16 Martii gratias ago.

Tibi obedientissimus Filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Iurisconsulto.

VXorem, mi Frater, tuam partu rectè solutam valere, nec minùs infantem gaudeo: & quod conjugi meæ Christianam infantis educationem commendatam esse voluisti pro grato habeo, tibique & matrifamilias tuæ & infanti omnia precor prospera ac salutaria: Ego & Cornelius studiis tempora satis vacua impendimus, & quan- 312

quandoquidem is jam pœne absolvit Wesembecii paratitla (legerat jam ter Institutiones & Latinas & Batavas) cupiam mitti mihi Iacchæi physica & metaphysica in quibus eum exerceam: tum verò & Praxin Merulæ & mandata secundùm quæ in urbibus, inque Hollandiæ judicum consessu vetere & superiore judicatur. Quod restat tibi, tuisque & Parentibus & amicis precor omnia ex voto. 25 Maji 1632.

Tuus tibi obligatissimus H. G.

EIDEM.

312 TRadidit mihi, mi Frater, literas tuas Assuerus Matisius vir ista quam nanciscitur dote dignissimus, cum uxoris ingenio morum suavitate optimè conventurus. Hildeshemum cepit Papenhemius idque oppidum sævè habitum terrorem spargit latiùs. Lipsiæ metui video à peste & hoste. Quò Rex Sueciæ sit iturus nondum gnari sumus. In Belgicogermania pacem utinam sperare liceat. Si illi Principem suum deserere nolunt, an nos invitis imperabimus, ut liberi sint, cùm ne sic quidem liberi futuri sunt, si id faciunt quod facere nollent? Materteram Halsiam ego Sybillis non annumero: neque existimo exspectandum mihi in annum ætatis quinquagesimum, ut aliquid constituam de rebus meis. Ipsi defunctæ salutiferam resurrectionem & familiæ ejus bona omnia apprecor. Miror intercidisse literas quibus de Petri negotio voluntatem meam significaveram. Video ne nunc quidem evasisse me exploratorum insidias. Tamen remedium allatum est literis quas eadem de re ad conjugem scripsi. Vale quàm prosperrimè cum matrona tua & liberis. Hamburgi. 22 Octobris 1632.

Tuus semper H. G.

EIDEM.

313 GAudeo, mi Frater, pervenisse ad te literas quibus de Petro meum consilium perscripseram. Ne nunc quidem sententiam muto. Parentibus opto omnia quo sunt in statu præter quod oculos matris attinet, qui utinam ista nube liberentur, ut si non me, saltem alia sibi cara solatia aspiciat. Multum aveo intelligere processum negotii istius de induciis, in quo haud dubiè mirum in modum se prodent æstus animorum. Quod dicis sperari posse de Flandriæ maritimis oppidis, momenti sanè haud exigui est. Breda quoque nostris erit non spernendum munimentum, & parti alteri levamen sumtuum. Spectemus has tempestates ut illi

Excelsa de turre sui sine parte pericli.

Nam ad privatos parum redundat inde aut boni aut mali; sed qui in Republica versantur ii habent quod sibi metuant. Vale, Frater optime, cum uxore, liberis, omnibusque nostris. 27 Octobris novi Cal. 1632.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

314 VXoris iter, mi Frater, video ratione non destitui. Et ut Cornelia Zelandia satis visa etiam Hollandiæ conspectu, non diu fortè fruendo, se satiet ego non improbo. Quod dicis si pax perpetua aut temporaria coëat, tutum in parte altera mihi receptum fore, non nego: sed manente bello utilior illis esse potui. Scis tamen mea vota in tranquillitatem ferri. Nostrorum turbidæ deliberationes nihil aliud quàm morbum Reipublicæ produnt:

Et superos quid prodest poscere finem?
Cum domino medicina venit.

Lipsia facta Cæsaris terrorem hic multis incutit: quem solantur alii concepta spe ex novo metu Austriacæ plebis, quibus ire suppetias Suecus creditur. Malorum Germaniæ, ni fallor, longè adhuc est finis. Ego diligenter libris incumbo, vel in hoc ut Cornelio meo exemplo veternum excutiam. Miror non mitti libros quos uxorem jusseram ei comparare, Corpus Iuris Godofredi, Theophilum, Institutiones quibus additæ correctiones per Novellas factæ. Amstelodami per Blavium, ut hæc curarentur futurum speraveram. Vale, mi Frater, cum uxore ac liberis. Parentibus rogo salutem meo nomine nunties, & omnibus quibus nostra injuria cordi est. 6 Novemb. novi Cal. 1632.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

QVanquam in tam infesta mihi Patria, quid mihi boni obtingere possit ex iis quæ nunc ibi in consultationem veniunt, mi Frater, haud multum video: tamen pro officio duco Christiani hominis, addam & pro amore meo in bonos cives sine odio in malos, & optare statum intus extraque tranquillum & nonnihil delectari cùm video non omnino ad tales cogitationes occaluisse vestrorum hominum animos. Nec minùs idem boni opto Germaniæ in qua nunc vivo, quanquam video accensos in spes magnas partium animos, nullam fermè ponere aut cupiditatibus, aut ultioni modum. Saxonia respirare dicitur reditu ad se invicti Regis: pro quo Boditius Rheno adsita occupat, Papenhemio vastanda relinquens quæ sibi sunt propiora. Non miror si Belgarum Legati suæ potestatis instrumentum non aperiunt, dum nostri nondum se ad audiendas conditiones bene paratos ostendunt. Solent enim talia instrumenta à partium utraque eodem tempore exhiberi. Regem Britanniæ puto quidvis potiùs facturum, quàm ut portus Flandriæ patiatur venire in manus Galliæ, quò tendere videntur Egmundi molitiones, Ducem se Geldriæ, Comitem Zutfaniæ, Machliniæ Dominum scribentis fretique Galliæ viribus. Dudum est quod illis locis oculos Galli injiciunt probabili colore, ut nostris auxilia mittere possint certa nec à ventis fluctibusque pendentia. Brasserum in Britannia cum dignitate hærere gaudeo. Vides quorsum alienum à me se gesserit. Temporum sunt homines: ego interim tempus perdo, magno meo meorumque dispendio. Orsoia exemplis accedet elapsæ è manibus possessionis, dum ea fruendis nimia est festinatio. Timeo verò ne quale hoc in militia similia similibusque de causis in Republica peccata admittantur. Quanquam hæc quid ad me? Multò magis illud ut parentes, te, tuam, tuos nostrosque omnes Deus propitius sospitet. $\frac{1}{11}$ Novembris 1632. Hamburgi. 315

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

AD literas tuas 12 Novembris ad me quas dedisti, mi Frater, non multum habeo quod respondeam, nisi quod opto rectam meam valetudinem tibi ac per te parentibus nostris uxorique tuæ & amicis cæteris esse cognitam. Petrum quamprimùm ad alia studia transferri velim, ne inutilis abeat ætas rebus discendis præcipuè idonea. Rhenoberca obsideri hic dicitur. Id si ita est intumebunt nostris animi. Locus quo Cunæi consilium refellitur est in editione Blaviana in octavo p. 322. Id nunc respondeo, quia literæ tuæ ejus argumenti scriptæ tertio Septembris valdè veteres, id est nunc primùm ad me venerunt. Ego in re mea quid fieri possit non video præter illud unum, ut manifestum faciamus omnibus paratum me fuisse ea omnia postulare quæ sine innocentiæ meæ proditione salvaque existimatione postulari poterant: quod pridem factum utinam esset, nec quò minùs fieret per me stetit. Vale cum parentibus dulcissimis & iis omnibus qui nobis bene volunt. 24 Nov. 1632. Hamburgi. 316

Tui amantissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

317 Avrelianensis cujus fœda pacta ad me, Frater optime, misisti, eò unde abierat reversus, Machliniæ matrem habuit obviam, secum trahens Elbouanum & Podiolaurentium, onera magis quàm auxilia. Ipsa parens inde Antverpiam, Gandavumque abiit, ubi exspectatura dicebatur è Gallia Legatum Ramburium: quanquam alii rumores iter ab ipsa in Angliam parari asserunt, credo ut querelas suas inter generos suos dividat. In Germania mirum quantum & Sueonibus & Germanis Protestantibus, iis maximè qui apertiùs in illam causam descenderant, dejecti sint animi morte magni Gustavi, cui jam Imperium destinabant, ut solet in spe modum non servare blandiens sibi mortalitas. Rerum gnari pacem eminus prospectant, quam & his partibus & vestris Deus pacis auctor largiatur. Cornelius noster strenuè Institutionibus Iuris Latinis Græcisque dat operam post lectas ter Batavicas nostras. Ego quantum possum connitor ut veternum ipsi excutiam. Parentes valere spero: neque possum non adjicere quod nuper in historia Hispanica notavi in reddenda oculis luce non leve momentum esse penes positus siderum, quibus non observatis sæpe ophthalmicis ludi operam: felicissimos autem fuisse qui hanc cautionis partem cum cætera diligentia conjunxerint. Et ipsos & te & uxorem, & liberos, & sororem, & affines cognatos amicosque salute quanta possum Deum venerans impertior. Valete. 8 Decembris Calendarii novi 1632.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

318 ET patris optimi literas 28 Novembris datas per Wolterii filium, & tuas mensis ejusdem exitu datas rectè accepi, mi Frater, & pro utrisque utrique gratias ago. Pro iis qui nuntias nihil habeo: ita omnia mors magni Suecorum Regis mœrore metuque implevit. Inter eos quorum hæc res damno evênit, me non numero. Sunt alia nec minora quæ se offerunt. Quid ni? cùm Cassius noster à secretis sit factus Iohanni Holsatiæ Duci, non sine mea commendatione. Sic soleo amicos. Ego ex illo malo pacem spero Germaniæ, fracta bello parte utraque, illa maximè quæ tanto duce immensum sperabat. Neque verò hoc tantùm corpus suo orbatum capite, sed & alterum membris inter se parum cohæret. De Palatini etiam morte rumores hîc sunt. Vestris, nisi festinant, Germania quietem præripiet. Galliæ status in tantis animorum motibus nisi turbatur, est hoc præter gentis ingenium. Cæteroqui Frater Regius satis commisit, nequis ipsi salutem suam credat. Nobilis est juvenis ille non nisi suorum mortibus ac calamitatibus. Interim purpuratus ille cum giganteis consiliis quò evasurus sit nescio.

Φυσᾷ γὰρ ὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἄτι.
Ἀλλ' ἀγρείοις φύσαισι, φορβείας ἄτερ.

De Botruio quod scribis potius est, ut temporis causa fictum credam. Alioqui sunt quæ Rex Galliæ tuendi jus habeat, quod jus tempore non intermori nos quoque cum cæteris sentimus. Vxorem in Zelandia hærere malo quàm ibi aliquid petituræ speciem præbere. Si qua descriptio prodierit de hoc Principis initu triumphali, fac amicos hic qui sunt participes. Ego qui illis non tangor aliis gaudeo morem posse gerere. Cornelius jam ter lectis Batavicis Institutionibus Latinas legit, adjunctis Græcis. Syndicum Antverpiensem Edelherum qui nunc illic esse nuntiatur, non novi. Alius id munus fungebatur, cùm pulcherrimæ urbis hospes essem. De comitibus Hohenloüs quod scribit Pater valde doleo. Erant enim spei bonæ & nostri amantes. Spero futurum ut qui superest in avitas laudes succrescat. Rogo inquiras an domum quam Delfis habent, velint vendere. Cogita & cum uxore bene vale, cumque liberis & amicis omnibus. 24 Decembris novi Cal. 1632.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VTenbogardo tantum esse & valetudinis & animi, ut palàm audiri se patiatur ex literis quas 21 Decembris dedisti, Frater optime, gaudeo cognoscere. 319
Me ex patria tam ingrata abiisse non pœnitet. Planeque confido parentes mei amantissimos facturos nihil in meo negotio me inconsulto, quod & Pater non semel mihi affirmavit. Accessit me his diebus aliquoties Henricus Hofnerus, Theologiæ & Doctor & Professor Lipsiæ, unus sex illorum qui in ea urbe concordiæ inter Protestantes viam tentaverant. Multa locuti sumus ad egregium publicum Christianum pertinentia. Salutavit & me per amicos Calixtus Helmstadiæ sacrarum literarum Professor. Plures sunt inter hos quos Lutheranos vocant pacis & æqui amantes, quàm inter eos quos acer ille Lemanni spiritus afflavit. Vestrorum res vereor ne nimia licentia corrumpat. Si recusæ sunt disputationes Vossii quas olim de Theologicis Lugduni habuit, velim earum unum ipsi mihi, alterum Hofnero (cui hanc operam pollicitus sum) prima occasione transmittas. De Petro oportet in rem præsentem consulatis. Ego ex littore navem non guberno. Cornelius jam Institutiones Justinianeas Græcas & Latinas legit. Deus Parentibus nostris, tibi, matronæ tuæ ac liberis, sorori cum familia, agnatis denique, cognatis & amicis omnibus hunc annum salutarem concedat. 4 Ianuarii 1633. Cal. novi Hamburgi.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

ACcepi tuas, mi Frater, literas 28 Decembris anni exacti & gratias ago. Ex quibus disco pro Vtenbogardo paulò plus quàm pro nobis esse animi. Quid merui, ut minoris haberer? Sedem mihi optas in patria cum honore & quiete: gratias habeo. Sed quæ spes ab illis hominibus hoc posse impetrari? Et tamen ita viximus, ut non sine jure sperare debeamus facientem nostri memoriam in sæcula aliquot. Si id obtinere non possumus, certè ne ipsi eam conspurcemus. De induciis video varia esse hominum judicia & futurum in incerto est. Christiano puto commodè futurum: & vobis id gratum esse gaudeo. De ædibus Hohenloïcis si quid propiùs intellexeris, fac me gnarum. Quid de rebus Germaniæ sit futurum, varia est conjectura. Dicuntur satis esse concordes Saxones & Suecici. Si ita est, poterit pax non iniqua sperari. Vale, mi Frater, cum Parentibus optimis & amicis, si quos habemus. 12 Ianuarii 1633. novi Cal. 320

Tuus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

IN literis quas per Medii manum ad uxorem miseram ut certiore ituris via minusque interceptoribus obnoxia, ea scripseram quæ aliis literis committere minùs tutum judicabam. Quare refert mea scire quomodo illæ patri perierint: & an non eas quoque curiosi, ut meas hic & ad me missas aliquando subripuerint. Libera 321

bera me hac sollicitudine & amicos omnes pro me saluta. 16 Martii ex Cal. novo 1633.

Tuus tui merito amantissimus H. G.

EIDEM.

322 ABsente à vobis uxore neminem habeo quem potiùs literis adeam, quàm te mi Frater, in quo uno simul & parentes ambos comprehensos volo: quorum de rebus edoceri magnum mihi semper est in hoc exsilio solatium. Per amicum è Pomerania, aut Prussia potiùs accepi & Curiarum Mandata cum accessionibus & Merulam & Iacchæi Metaphysica: non & Physica quæ velim quamprimùm addi, ut qua re nunc maximè abundo, otium uni meorum quem hic habeo filio impendam. Est hic Ducis Radzevilii filius Legatione apud vos quoque obita illustris. Narrant qui cum illo sunt, homines sanè eruditi, cùm dicerent impellendum Salmasium quidem ut Petavio, Vossium verò ut Baronio se opponeret, cum supercilio dixisse, neutrum sufficere. Ego hic in mira solitudine vivo, homines enim etiam literati sunt ἀκοινώνητοι. Etiam hoc tædium facilè devorarem, si libros & schedas omnes haberem. Possem enim moliri aliquid publico utile, mihi non inglorium. Ea cùm desint, nunc demum mihi captivus videor. πεινῶ γὰρ μηδὲν τὸν βίον ὠφελῶν. Hospes meus non leviter ægrotat dies hic est septimus: sed signa hactenus ad salutem sunt omnia. Ita medici judicant & cum illis ego, multis jam morbis aliquam Asclepiadarum artis particulam assecutus. Vale cum optima uxore, liberis & amicis. Parentes Deus sospitet & suavem illis, aut non nimis duram præstet senectutem. 3 Augusti 1633.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

323 GRatæ mihi ut omnes tuæ sunt literæ, mi Frater, ita & illæ fuere quas altero Augusti die dedisti: eoque magis quod nostrorum propitiam valetudinem nuntiant. Quod ais moras necti à Rotterodamensibus vidi pridem, metuique ne inani exspectatione occasiones nobis eripiantur. De insinuatione putabam nihil opus, cùm manifestum sit me in ea urbe fuisse ut mei copiam facerem: & vereor ne aliis Principibus meam operam non indignantibus minùs gratum sit, si illis me nunc offeram. Tamen si amicis qui ibi res propiùs introspiciunt ita videtur, potestis aut hac uti quam transmitto formula, aut aliam conscribere uxoris nomine liberrimam potestatem habentis. Vt à Principe quoquam stipuler salvum jus ad Rotterodamenses eundi, si poposcerint, non videtur impetrabile: dico apud Regem aliquem, nolunt enim temporaria obsequia: solidos ministros postulant. De induciis & bello quid sit futurum utinam brevi sciamus, ne ea quoque remora diutius trahat meas deliberationes. Satis periit temporis. Physica Iacchæi velim undecunque quæras & mittas ubi primùm poteris. Nunc Merulam cum filio lego. Has literas antequam absolvissem eripitur mihi hospes, uxori suus maritus, liberis pater Leonardus Sorgius intra dies XIV valens & exanimis, magnum nobis omnibus documentum ne spes in longum jaciamus. Vetat me dolor & meus & eorum quos aspicio diutiùs tecum fabulari. Deus te tuosque & nostros propitius aspiciat. 12 Augusti 1633.

Scire velim verumne sit accepisse Principem Arausionensem alas quinque equitum à Suecis. Dissecto hodie corpore Sorgii (id enim jusserat, ut suis cum eodem mali semine genitis aliquid inde esset auxilii) apparuit cor vividum, lien & pulmo bonus, ventriculus corruptus, affuso per duas venas multum dilatatas felle, & ex eadem causa adeso jecinore.

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Frater Optime,

MItto tibi responsum meum de re Trajectina: & gaudeo inspexisse me acta ipsa, quæ multum in quæstionibus juris controversi lucis afferunt. Fabrum tamen non vidi, neque nancisci hîc potui. Quantum ex ipsa interrogatione conjicere possum, non erit ex voto consulentium quod respondi. Sed Religionis nostræ est, etiam in iis quæ disputationem recipiunt, id dicere quod maximè æquo & bono convenit. De re mea abundè antehac dixi scripsique: & probo quod suades, abrumpi inutiles moras. Deus mihi ita bene faciat, ut bene patriæ volui. Vale, mi Frater, cum Parentibus & amicis. 10 Decembris 1633. 324

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

VIdi, mi Frater, loca quæ ex Fabro producis. Nam ipsum videre nondum contigit. Ego adhuc nihil video, quominus voluntas testatoris coram septem testibus ad id convocatis declarata, nolle se testamentum ante factum valere, habenda sit pro testamento tali, quale esset si hæredes ab intestato instituisset disertè. Et sic intelligo verba illa, *voluitque intestato decedere* quæ sunt in l. 1. §. si hæres D. Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt. Locus Institutionum §. ex eo Instit. quibus modis testam. infirm. agit de testatore qui probatur quidem voluisse valere testamentum ante factum, sed eo modo quo facta probari solent, per duos testes, aut confessionem partis: non etiam de eo qui talem voluntatem solenniter coram requisito à jure numero testium rogatorum professus est. Idem casus ponendus in l. militis §. & veteranus D. de testam. mil. Merito enim idem jus est, cùm post missionem miles testari non possit, nisi ut pagani solent. Ergo non valet declaratio ejus qui testamentum factum à se valere non voluit, facta coram testibus paucioribus septem. Excipit jus Codicis, nisi aut coram testibus sit facta quinque pro hæredibus ab intestato, aut coram testibus tribus accedente decennii lapsu post testamentum prius conditum. Cæterùm ut dixi solenniter factam declarationem, ne valeat testamentum, aliud esse quàm institutionem hæredum ab intestato nusquam in jure reperio. Vbi autem non est evidens juris definitio, favendum est voluntati & ad eam ducentibus conjecturis, quod in nostro foro sæpe observatur etiam contra juris Romani apices. Illud puto probatu non opus quicquid apud Quirites valiturum fuerat, factum coram testibus convocatis septem, idem apud nos valere factum coram Tabellione & testibus duobus. Hæc mihi ita videntur, nisi aliquid aliud mihi commonstratur. Neque illud me dimovet, quod in nuncupativo testamento nomen hæredis voce exprimi debeat. Sicut enim exprimi satis censetur relatione facta ad qualitatem aliquam designatricem, aut ad scripturam aliquam; sic & satis expressum puto tacita quidem relatione ad successionis legitimæ ordinem, qui in testamento approbatus censeri, ni fallor, debet, ubi solenniter revocato ante facto testamento, nihil aliud novi à testatore præcipitur. Quid enim hoc est aliud quàm testari, velle sibi ita succedi sicut succedendum ei fuerat priusquam testamentum illud quod nunc displicet conderetur. Vale, mi Frater, cum patre, matre, uxore tua, liberis, amicis nostris. Hamburgi. 10 Februarii novi Cal. 1634. 325

Tuus toto corde H. G.

EI-

EIDEM.

326 PEtrum nostrum, Frater, rogo sine mora Amstelodamum mittas. Reperietur illi alicubi hospitium, qua de re ad Hartochveldium scripsi. Si Blavii valetudo aut negotia non ferunt, ut ei docendo incumbat, sunt alii qui mercede Sphærica & nautica juventuti explicent. Eorum alicui se quamprimùm applicet. Arabica facilè, si volet, etiam se magistro, discet ubivis locorum. Absoluta hac Sphærica & navali disciplina, non displiceat mihi ipsum maritimum aliquod iter experiri, commissum alicujus fidei qui classi, aut navi bellicæ imperet, ita & mari assuescet, & rebus navalibus. Didericus si ea quæ discenda sunt satis didicit, tentari posset, an in Boschii operum militarium Præfecti ministerio, aut certè comitatu esse posset. Multum nostra refert ne trahamur diutius in nostro negotio, de patria, aut honestè revisenda, aut semel projicienda ex animo. Nam & tempus perit, & metuendum est, ne cum tempore elabantur occasiones. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis & propinquis. 8 Martii novi Cal. anni 1634.

Tuus totus animo H. G.

EIDEM.

327 LIteras, mi Frater, tuas cum filiarum literis lætus accepi, & vobiscum avidè exspecto videre quid mihi de popularibus meis sperandum sit, nimis enim diu pendeo, & multum vereor ne calvescat occasio. Ibi nihil meo nomine, ne per interpositas quidem personas postulari volo. Siquid ultro dicant, de eo doceri non sperno. Stichio interim habendæ gratiæ. Deo te, parentes, liberos, uxorem commendo quàm maximè possum. Valete. 24 Martii 1634.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

328 SPero, mi Frater, Petrum nostrum jam rediisse Amstelodamum, ut edixeram. Ibi si doctore uti poterit Blavio, nihil malim. Sin ipsi valetudo aut negotia id non permittunt, sunt alii qui eadem, sphærica nempe & nautica, non quidem tanta arte ut Blavius, attamen doceant. Lugduni subsistere illum nolueram, satis habens si Golium in transitu salutaret, & pauca ab illo pronuntiandi Arabicas literas præcepta hauriret. Neque enim illud studium ei inter præcipua esse volo, sed inter subcisiva, quæ ipse per se, etiam in ipsis itineribus, possit ad aliquem, non quidem gloriæ sed necessitatis fructum perducere. Scio in Indiæ insulis alium esse populi sermonem: cujus etiam principia quædam in Hollandia hauriri possint. Sed cùm & Arabum & Persarum commercia nostri colant, & apud Indos eruditi reperiantur qui illo sermone adiri possint, existimavi non abs re fore si ejus quoque tantum hauriret, quantum alia quæ priora esse debent ferent. Si juris Romani aliquam cognitionem desiderat, etiam ad eam rem viam monstrare poterimus, quam secum ipse in peregrinationis otio ineat, dum semper meminerit quid sit quò tendat & in quod arcum dirigat. Ideo ubi primùm cæli marisque leges didicerit, navigationem illi aliquam ineundam censeo, ut scripsisse memini, eamque ad rem Dorpii nobis ambiendam benevolentiam. Hæc erant quæ nunc habebam, nisi quod addendum ut cum uxore liberisque rectè valeas. 4 April. 1634. Hamburgi.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

DE rebus nostris, mi Frater, quæ sit futura voluntas ejus qui plurimum potest videbimus. De Petri morbo tum ob rem ipsam, tum ob tuum incommodum doleo. Vbi redierit valetudo planè, eundum illi est Amstelodamum, ut discat Sphærica quibus maximè opus habet. Arabica lingua differri facilè potest &, ut mones, fortè usui non erit. Scribit Pater de ipso in Angliam mittendo, & quidem quasi ego id decrevissem. Sed malè intellexit mea verba, hoc tantùm volentis ut comes iret Dorpio, aut alii cuipiam duci navali ad periculum faciendum, quomodo ipsius corpori cum mari conveniret. In eo consilio persto. Filias in Zelandiam ire jubebimus. De Diderico tecum censeo, agendum cum Bossio ut sub ipsius disciplina proficiat. Vale cum optima uxore & liberis, & Petro nostro. Hamburgi 18 Aprilis 1634. 329

Literas ad Reigersbergium rogo per Hugenium, aut Bellimontium cures.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

LIteræ tuæ, Frater optime, quas 24 Aprilis & quas 5 Maji ad me dedisti, ad me transmissæ sunt Francofurtum, quò diu invitatus ab illustrissimo Cancellario tandem veni. Excepit is me perbenignè. De Belgicis poëmatis nihil habeo quod à te dissentiam. Memini me & in patriæ linguæ versus traducere hymnos qui in Ecclesia Romana cantantur plerosque. Sed ubi inveniri possint nescio, nisi fortè apud Mathæi Bloemii hæredes. De Corvini morte tristis est mihi nuntius. Erat is inter Remonstrantes minimè novator. Petrus noster ubi tulerit valetudo Sphærica discere debet, si à Blavio non potest, ab alio quovis: scio enim Amstelodami & sphæricorum & nauticorum magistros non deesse. De Diderico etiam pridem quid velim scripsi. Robertum Audartium amicum meum summum cogi contra Ecclesias Gallicanas judicio experiri doleo. Multo maluissem illum transactione potuisse æquum consequi. Nunc quando evitari lis non potest, ejus curam tibi, ut antehac feci, iterum commendo. Parentibus nostris, uxori tuæ ac liberis & amicis omnia ut prosperrima eveniant opto. $\frac{16}{26}$ Maji 1634. Francofurti. 330

Si Belgica Poëmata edantur, vide an non rectius sit omitti querelam de Ecclesia quàm tot sectas offendi.

Tui studiosissimus Frater H. G.

EIDEM.

VIdes, mi Frater, literas quas ad Principem & ad Hollandos scripsi. An tradendæ sint, tam procul positus dispicere satis non possum. Vteris consilio Senatoris Reigersbergii si apud vos est: si abest, viri ejus quem suo merito maximi facio, *Bellimontii*. Si videtur ex usu tradi literas, tu eas tuo signo obsignabis. Parentibus me commendes velim, & dicas operam me dare, ut certa alicubi sede fortunarum reperta & ipsis & meæ domui utilior esse possim. Nuper patrem salutavit Fridericus Hohenloïus Comes. Vxori tuæ liberisque & omnibus iis qui nos sanguine, affinitate, amicitia contingunt, omnia precor ex animi sententia. 331

Ratisbona premitur & vereor ut evadat. Literas illas priores quas ante menses aliquot ad Hollandos scripseram, multo meliore loco sunt res nostræ quàm ut tradi velim, idque Senatori Reigersbergio significavi. Hæc

 ubi

ubi scripseram, accepi tuas 3 Iulii datas, addita & patris manu, cui gratias habeo pro nostri memoria, ipse ipsius matrisque nondum immemor. In mea re Cancellarius progreditur βοείῳ ποδί. Omnes eum dicunt bonæ esse fidei: quod si est nostra optimè se habebunt. De Petro & Diderico quæ scribis perplacent. Francofurti $\frac{1}{11}$ Iulii 1634.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Optime,

332 SI quis sit apud vos dicaculus, qui libros scribere possit non edentulos, quales jam aliquammultos in Societatis Indicanæ curatores prodiisse vidimus, scito talis hominis operam hîc desiderari: Et labori ejus pretium fore annuum, unde honestè se sustentet, sive jam nunc pacisci id voluerit, sive rem arbitrio alieno permittere. Vondelius fortè & Costerus tales monstrare aliquos possent. Ratisbonæ metuimus: non tamen in præsens. Legatus Pavo his diebus misit aliquoties ut me conveniret: tempore indicato advenit: nec ego mutuo deero officio. Parentibus clementem opto senectutem: uxori tuæ & liberis amicisque res prosperas. Scribebam $\frac{14}{24}$ Iulii 1634. Francofurti.

Tuus tui merito amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

333 MVltum me consolatæ sunt literæ, mi Frater, tuæ quibus prosperiorem optimi parentis valetudinem intelligo. Ego quas ad te rescribo literas quasi & ipsi scriptas accipi velim. Amstelodamo Francofurtum commeant semper nuntii. Hospitium nunc ubi uxor aderit, quàm cras ut spero unà cum filio filiabusque reperiam in proximo Hanoviæ oppido, sumam apud mercatorem Belgam cui nomen Willequeari. Petrus & Didericus spero eos profectus in sua quisque arte facient, ut brevi in usu aliquo esse possint. Hic non ille tantùm Iunii filius adverso rumore est, sed & illi qui dum omnem undique gratiam aucupantur tyronibus tanta onera imponant. Gallia videtur ad motus novos spectare. Danus pacis negotium commendat, annitente Anglo. De Euangelicorum restituenda communione multi & Reformati, & Lutherani præclara habent mandata. Egi heri cum Legatis Brunsvicensibus. Sed non potest res toto seculo corrupta subitò sanari. Erumpunt nunc mala quæ Euangelicæ rei attulit Synodus Dordrechtana, quæ parum abest, quin Ephesinæ nomen eripuerit τῆς λῃστρικῆς. Vale cum Parentibus optimis, uxore tua & liberis. Francofurti 31 Iulii 1624. novi Cal.

Cras itidem hic exspectatur Legatus Oxenstiernius multa habens de Anglis querenda.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

334 FRancofurti jam sumus uxor, filius, filiæ, rectè Dei beneficio valentes. Expectabimus sub exitum Conventus hujus, qui sub finem mensis futurus creditur, quid de nobis facturus sit Cancellarius. Accessit me consiliarius quidam Hohenloïus qui olim apud vos fuit ibique febri laboravit. Ostendebat mihi conceptam formulam transactionis Hohenloïorum cum Ernesti liberis eorumque matre. Quærebat an renuntiatio litis arresti coram curia Hollandiæ intentatæ secum ferret abdicationem omnis crediti in Brunsvicenses. Dixi verba strictè sumenda, nec eousque porrigi. Patris & matris valetudinem tolerabilem intelligere avebo. Novi post Ratisbonam amissam nihil habemus. Est hic eques Stickius Briskensium Toparcha cum literis Principis Arausionensis, in hoc missus, ut Duci Neoburgico liceat inter Germaniæ arma pacis jura servare. Præter hæc nihil nunc quidem habebam, nisi vota pro familiæ tuæ & amicorum salute. Francofurti 14 Augusti 1634.

EIDEM.

LIteras ternas, mi Frater, rectè perlatas gaudeo. Dicaculus quæritur qui linguas norit Belgicam & Germanicam: si is reperiri nequit, sufficiet Belgici sermonis notitia & quæretur interpres. De rationibus pacis Ecclesiasticæ inter Euangelicos constituendæ prodierunt typis editæ trium in Angliæ Episcoporum sententiæ: in quibus multa quæ nostrates homines, si sapient, in suas utilitates vertant. Vidi & scriptum Pastorum Ecclesiæ Parisiensis sive Carentonianæ, cujus editio ideo inhibetur ne ipsis ea res noxæ sit. Nihil potest ad hanc rem appositè dici, quod non contra eat Synodi Dordrechtanæ molitionibus. Hoc Germaniæ Conventu nihil est quod operetur. Iam enim lassi omnes tractis diu deliberationibus, ad finem properant. Quare & quæ de pace Danus atque alii monent differenda sunt in tempus aliud & locum, de quo necdum convênit. Moram quoque incipiunt res Austriacorum prosperiores, quasi rerum suarum cursu non solet illa domus multum aut de jure, aut de spe sua remittere. Ad prorogandas inter Polonos Suedosque inducias misit Rex Galliæ Præsidis Memmii fratrem: missuros puto & Anglum & Danum. Suecorum causa, ut puto, per Suecos agetur, ut rerum illius orbis commodorumque & incommodorum quæ ad gentem utranque pertinent peritiores. Assumius jam hinc ad Comitem Viduam abiit, mea opera levatus ista suspiciuncula. De Stickio rectè conjicis. Iam ad Ducem & ad vos iit, brevi reversurus, ut negotio isti culmen imponat. Inclinatior mihi annus videtur, quàm ut contra Antverpiam quicquam sperem. De Espinoïo aliisque Belgis exsulibus, hoc quidem satis constat sine Galli ope nihil illos agere posse. An verò eousque venturus sit Rex, ut ipsis è suo solo hostica moliri sinat, non frustra dubito. Solent enim Gallus & Hispanus Reges sub alienis nominibus alteri alter negotium exhibere, illæsa interim domi pace. Vossium, Barlæum amicosque alios valere & nostri esse memores gaudeo. Nec parum mihi placeo cum Sophompaneam nostrum lectum probas: quod si agatur aut Delphis, aut Amstelodami, velim librarios afferre exempla & aliorum librorum meorum & disquisitionis. Petro jus πάρεργον esse debet: ἔργον τὰ τῆς σφαίρας καὶ τὰ πλοϊκά. Diderico malè evenit quod nulla hoc anno nostris obsidio est. Nam artis illius pars magna in flexuosis ad mœnia accessibus, vineis, cuniculis sita est. Interim meminisse debet juxta τὰ ἀρχιτεκτονικὰ ταῦτα discenda sibi campidoctorum verba καὶ τὰ τακτικὰ καὶ τὰ μηχανικά, illa præsertim ævi nostri Pyriphlegethontea. Nos brevi puto certius aliquid de rebus nostris nuntiaturos. Interim bene procedunt omnia. Francofurti 7 Septembris novi Cal. 1634.

Parentes & cognatos affines, amicosque salutari velim. Rogo omnia amicorum opera utaris, ut quamprimum sciam quis ab Hollandia (nam Fœderatos quominus mittant excusasse intelligo) Legatus eat ad Suedos & Polonos. De dicaculo cura te libero. Videntur sibi jam aliquem dispexisse. Rogo etiam nos certos facias an uxor tua persolverit pro nobis minuscula debita, de quibus Cornelia aviam subitò abiens monuerat: deinde si repertus est, ut intelligimus, parvus adamas Corneliæ, per epistolam aut amicum, aut per ipsum Toparcham Bresiensem mittatur. De adventu quoque Senatoris Reigersbergii doceri cupimus.

Tuus toto animo H. G.

EI-

EIDEM.

Frater optime,

336 AD literas tuas 16 Augusti scriptas quas planè accepi veteres, nihil est quod nunc respondeam, nisi de Ostfrisia non defuturum me occasionibus. Ad alteras verò 11 Septembris datas scire te cupio discessisse jam Conventum, satis honestè, rebus adeo turbidis. De me adhuc videbimus. Ego non dubitabam quin hoc mereatu habituri essemus Tragœdiam meam cum sacris. De iis quæ addenda mones, vix quicquam video dignum sacris adjungi, nisi fortè natalitia mendis liberata. Minimè verò illud de Deipara. De Baptismi expositione fiat quod vultis. Quid si silva ad Thuanum addatur? nam & ejus pars ad sacra pertinet. Cogita cum D. Vossio. Ad Vossium epistolam inscripsi Romano more, ut & ad Regem: existimavique quæ ei debentur præconia ita liberaliter in epistola posita, ut in ejus fronte non desiderarentur. Cæsarianarum copiarum pars maxima in Bohemiam gressa maximo metu has terras liberavit. Si unquam agitur Sophompaneas noster, vestitus Ægyptiaci, Æthiophici, Palæstini petendi essent à Salmasio. Parentibus nostris & amicis omnia optamus fausta. $\frac{1}{11}$ Septembris 1634. Francofurti.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

337 SCribo has, mi Frater, Maguntiaco, ubi nos Rhenus à Cæsarianis copiis defendit. Speramus Gallica ope res in melius ituras. Nos rectè valemus accincti itineri quò nos ire Magnus Cancellarius jusserit. His diebus pransus sum apud ipsum una cum Crafto Comite Hohenloio, qui & ipse Patris & actionis suæ in Brabantos meminerat. Qua de re rogatus, non habebam quod responderem, adeo parum ejus rei noveram. Vxor, filiæ, filius mecum, parentes, te, tuam, tuos, nostrosque omnes salutant. Magontiaci. 7 Octobris 1634.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

338 EPistolam, mi Frater, tuam quam medio Octobris mense Lutetiam miseras, adhuc in Germania, nempe Borbetomagi Vangionum accepi, ubi nunc Conventus est Principum ac Civitatum partis Protestantium, tum super rebus aliis, tum super iis pactis quæ Legati fœderis Lutetiam nuper missi huc retulerunt, ad Conventus arbitrium servata. Id in mora fuit, quominus de me certi quid constitueretur. De valetudine nostrorum grata sunt quæ nuntias: & ex iis quæ addis, spero bene mihi velle Contarenum, virum illustri gente dignissimum. Diderico de vestibus prospexit jam mater. Hyemem alicubi agere debet, ubi domestica institutione, aut exemplo proficiat ad eam artem cui destinatur: in qua simul ac processus fecerit aliquos, non deerit ei honestus locus. Matrem Comitis Hohenloii qui apud vos est, fratrumque ac sororum, vitæ huic ereptam cum dolore hic intelligo. Fridericus Comes, ad quem tutela recidit, metuitne Ernesti liberi captantes infirmam & injuriis obnoxiam ætatem nova transactionis adferant turbamenta. Ad patrem scribere ideo dumtaxat distuli hactenus, quod in horas certiora me scribere posse sperarem. Id ei matrique excuses velim. Deus & illos & propinquos amicosque nostros sospitet. Infortunatæ dudum huic parti nova spes decusque affulsit, depulso hoste ab obsidio arcis Heidelbergensis. Facto apparuit, Cæsarianis ex victoria plus negligentiæ quàm animi accessisse. In sacris nostris Poëmatis si nondum eò ventum est, cupiam omitti Oden in qua est *Mauritiis nitens Rhenus trophæis*. Hæc postquam scripseram ita tulit se res, exortis cum Legatis Galliæ gravibus disputationibus, ut Conventu Borbetomagi nondum soluto Cancellarius se Magontiacum transtulerit, quò illum secutus huic epistolæ finem imposui. Arx Heidelbergensis iterum obsessa est, anxiis Gallis an contra ire debeant, an quietos se tenere donec de pactis illis conventum fuerit. Vale cum nostris omnibus. $\frac{1}{11}$ Decembris 1634.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

POstremùm, Frater dulcissime, scripsisse tibi me arbitror ad Regem cùm proficiscerer, ad quem meà vico 339
Lupara Parisiensi curru Regio deduxit missus in hoc Dux Mercurius, Principum eruditissimus. Transii, qui rarus honos, per armatas turmas & cohortes Regias: à Rege antequam loquerer amplexu amico exceptus & jussus caput tegere. Multa Rex mecum locutus est: multa dedit signa amici animi, etiam cùm filium meum ad salutationis officium admitteret. Huc reversus Principes salutavi Regii sanguinis, à Principe Condæo singulari benevolentia & veteris amicitiæ recordatione exceptus. Venit ad me his diebus Meunerius qui apud Stoutenburgium vixit: multum rogans, ut ab hæredibus mea commendatione aliquam mercedulam, fidei suæ magno constantis & viginti annorum operæ extricaret. Ego qui non libenter res pecuniarias attingo, in quibus scio quàm acer sit nostratium sensus, tamen nolui planè preces ejus rejicere. Ostendit mihi testamentum vetus, in quo illi pro sedecim annis honorarium aliquod relinquitur. Verùm id testamentum seriore abolitum est, in quo nulla Meunerii mentio, nisi quod ipse in generali legato eorum quæ aliis debebat, se quoque comprehensum vult, si non ex contractu exserto, certè ex æquo & bono creditorem. Ostendit mihi & rationes à Stoutenburgio subsignatas. Vide an depactio aliqua cum bona hæredum gratia fieri queat; alioqui satis mihi negotiorum est, ut ista privata suscipere non cogar. Sophompaneas noster nolo differatur diutius. Ni jam edit Blavius, nihil ultra meum exspectet. Tenta cum etiam an edere velit *ἀνέκδοτον* Fratris Pauli de inquisitione: possent adjungi edita ejusdem, sed non satis omnibus nota opuscula, de asylis, Historia controversiæ Venetæ cum Pontifice, Considerationes ad eandem controversiam pertinentes, quibus addi possit nondum vulgata P. Fulgentii illarum Considerationem contra oppugnatores defensio. Habeo & ejusdem Fulgentii, quo nemo fuit P. Paulo conjunctior, Vitam P. Pauli: sed dubitant amici an sine periculo Fulgentii, qui nunc etiam vivit, edi possit. Privata nostra ut curare, sicut soles, pergas rogamus te quantum possumus, & ut nobis vicissim, si quid opis nostræ est injungas. Hæc ubi scripseram, venit me domi meæ salutatum Condæus Princeps, maxima benevolentiæ testatione. Hæc tibi quæ scripsi, velim & sibi scripta putet pater optimus cum matre. Hucusque scripsi inter literas, cùm subitò nobis Maria nostra eripitur, non diu cum morbo nec gravi colluctata, & incerta mortis causa. Nobis restat ad Dei voluntatem nos componere, & his quoque rebus rectè uti. Dedit omnibus piè moriendi exemplum. 16 Martii 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras, Frater carissime, tuas datas 19 Martii, rectè 340
accepi. Acceperitis meas & tu, & Pater ad quem scribere distuli donec heic in certa possessione essem locatus mei muneris. Etiam de domestico malo quod inter has pompas nobis accidit, patrem non edocui tantùm, sed & pro viribus solatus sum. De potestate Cancellarii disputatio facilè deferbuit. Heri Cardinalem vidi & Reginam. Cancellarius in Saxoniam abit per Galliam, incertum,

certum, an in transitu visurus Regem. Quale sit fœdus hoc novum Charnassæo fabro, scire multi avent. Inter hos ego. Vtenbogardo in ea senectute evenire quod scribis incommodum, doleo. Quod nostri grata est illi memoria, juvat intelligere. Quid in Religionis negotio fieri debeat, non immeritò quæris & ipse nonnihil hæreo. Introducere in hanc urbem mea auctoritate novam Ecclesiam Reformatam, odiosum sit & nescio an Cancellario placiturum. Deinde illi, unde mihi petendus Pastor esset, ea sequuntur consilia quæ à meo proposito absunt longissimè. Etiam ea sub specie libertatis spargunt dogmata, ut mecum ipse dubitem, an non magis etiam ab illis quàm ab aliis dissentiam. Alterum quod proponis de frequentandis cœtibus Carentonensibus habet recti speciem ex communione, quam Lutheranis obtulerunt, ut rectè meministi. Venerunt ad salutationis gratulationisque peragendum apud me officium primùm Funcherus Nemausensis eloquentissimus, cum Aubertino hujus Ecclesiæ eruditissimo pastore, cui interdicta est à Rege functio ideo, quod in libro de Eucharistia Pontificios Ecclesiæ adversarios nuncupasset. Rediit iterum Aubertinus ad me solus: deinde cum collega Maistresato: mox cum Drelincortio Daillius omnes hujus Ecclesiæ pastores: seorsim etiam Riveti Frater. Scripsit & ad Marbautium Amirautius, Pastor & Professor Salmuriensis, in me honorificè, addito sperare se me istis controversiis aliquid allaturum temperamenti. Scripsit is de motis apud Batavos quæstionibus. Dei consilium in homine creando ait fuisse per sui cognitionem beare hominem: Christum omnibus simpliciter mortuum, & Deum velle, ut omnes serventur, verùm sub fidei conditione. Verùm hoc non parum labefactat, cùm ipsam fidem ait dari ex decreto nihil in se habente conditionis, nihil respiciente quod sit in homine vel ab homine. Semel datam fidem non everti. Cameronis sententiam sequitur, ut jam multi, voluntatis actiones statuentis necessitate inevitabili pendere ab intellectus modo; unde sequitur quod agnoscit, primo homini non adfuisse vires suasiones dæmonis repellendi: cui & hoc cohæret, quod non dicit, ipsum quoque Dæmonis lapsum fuisse ἄφυκτον. Qui ita sentiunt, quomodo peccata adversùs conscientiam, & maximè quod ipsi in Spiritum sanctum vocant, explicent, dictu est difficile. Puerperium uxoris felix tibi gratulor, ipsique & novo partui liberisque aliis omnia precor felicia. Parentibus me commendes precor. Patris & eruditorum ac modestorum consilia ut explores velim, quid in religionis negotio mihi sit faciendum, etiam Vtenbogardi si qua se dederit occasio: illum quoque & amicos omes saluto. Lutetiæ 30 Martii 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

341 VNa hæc epistola, Frater dulcissime, & patri & tibi gratias aget, quod dolorem nostrum noluistis vestri expertem esse solatii. Deus de cætero propitius nos respiciat, cui nos victimam istam ducti, non tracti obtulimus. Iosephus spero hoc Paschate prodibit: miror pridem nihil me de eo intelligere. Scribo ad Vandenboschium literas quæ gratias agendo simul pro filio rogant. Ingrati non erimus. Ad Comitem Hohenloïum misi literas. De Meusnerio aliter rem urgeri nolo, nisi ipsis gratum sit & æquum existiment de impendiis probatis ei satisfieri, & addi aliquid pro operis, quanquam scio illum defuncto circa extrema tempora displicuisse, quod ipso invito iisset in Galliam. Contarenum & patriæ, & gentis nomine & ipsius facio maximi, & multum ejus in me benevolentiæ debeo. Cum Gallia negotium meo labore eò perductum est, ut si venerit huc, quod propediem futurum speramus, D. Cancellarius facilè dedolari possit. Pauci quid agatur intelligunt. Corvino pro mei amore & consilio gratias ago. Lutherani vix ulli sunt qui cum Reformatis Galliæ jus communionis colere cupiant, nisi fortè ex Academia Helmestadiensi omnium modestissima. Sed unde mihi talem? Itaque adhuc hæhæreo. Facilis fuit illa inter Gallos & Batavos nondum captarum rerum divisio: sed illud de sola Romanensi Religione multum periculi post se trahit. Numerorum notas, aut ἀντωνομασίας velim ipse fabrices quales tibi putas fore aptissimas. Ego missas, ubi opus erit, subsequar. Vale cum Parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 5 Aprilis 1635.

Velim mittantur mihi duo exempla libri quem scripsit Episcopius adversùs Romanenses. Rogo te, mi Frater, ut exspectatum diu à me testimonium de confessione Rotterodamensium super mandati finibus à me custoditis quamprimùm habeam.

EIDEM.

Frater Dulcissime,

PRo solatiis & votis quæ 11 Aprilis ad me misisti & tibi, & Parentibus nostris gratias ago quantum possum maximas. De Meusnerio satis est me nosse quid illi velint. Ego ultra me non immisceo: neque scripturus fueram, nisi quod putarem aliquid fortè ex ipsorum voluntate à me fieri posse. Didericum revaluisse gaudeo. Heic Rex adhibitis sanguinis sui Principibus Proceribusque aliis deliberat quid sit agendum, apertene arma in Cæsarem & Hispanum sumenda, an cunctandum etiam nunc. Interim Princeps Condæus mittitur qui exercitui imperet in Lotharingia, sub quo erunt Laforcius & Castilionæus Matescalli. Italia plena est militum quos conscribit Hispanus. Inde quatuor millia Barcinonem missa. Omnia parata aut arcendo aut inferendo bello. Trevirorum urbs & ipse Elector in potestatem hostium quod venerunt, mirè Regi dolet, nec dubiè grave est vulnus existimationis Gallorum, præsertim post amissum simili negligentia & præsidii inanitate Philipsburgum. De eo quod nuper scripseram super Religionis negotio, etiam nunc delibero, quia & metuo interpretationem, quasi de veteri sententia deflexissem aliquid, & novæ heic scissuræ auctor esse nolim. Gaudebo prudentum cogitata intelligere. Vale cum Parentibus & tua, tuisque & amicis. Lutetiæ 13 Aprilis novi Cal. 1635. 342

Rogo ut habeam omnia quæ mihi adversùs Rotterodamenses opus sunt & ipse cures & Senatorem Reigersbergium impellas. Nocuit differre paratis.

Tuus ut semper tuo jure H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

HÆ literæ & patri gratias agent pro pietatis plena consolatione & tibi pro iis quæ 9 Aprilis scripsisti. 343
Tot tamque pertinacibus malis fatigatus mitiora posthac Deum precor, mei, uxoris, liberûmque causa, paratus interim animo alacri quocunque duxerit sequi. De Religionis exercitio jam ante significavi quàm tuas acceperam, qualem describis Lutheranum ne non inveniam metuere. Est heic pastor Lutheranus qui dissimulantibus magistratibus exhibet suæ sententiæ hominibus, etiam Principibus qui heic sunt Germanis, sacramenta, & docet interdum, solitus uti ad hoc hactenus domo Hebbii, qui Residentis titulo hactenus heic res egit Suedicas, quanquam is ipse cum Reformatis sentiret, eorumque adiret cœtus. Sed is pastor à Carentonianis satis averso est animo, ac ne civilem quidem cum iis amicitiam colit. Aurati res non ferunt, ut quam scribis operam navet: amitteret enim multo majora commoda, si dogmatisten ageret. Deinde sunt & alia quæ me ab ea cogitatione avertunt. Quid Frisii cis & ultra Lavicam in Charnassæano fœdere culpent, scire cupiam: Epistola illa

illa de studiorum ratione non est generalis, sed Maurerii ætati ac negotiis accommodata. Quare ex editione quis fructus sit futurus non intelligo. Et tamen exempla, quoquoversum cursitant. D. Graswinckelio gratias habeo pro misso mihi libro de Veneta libertate. Contarenus laudat opus, nec immeritò quantum ex brevis temporis inspectione apud Cordesium cognoscere potui. Ostendit multam lectionem & diligens studium is labor. Puerperæ tuæ prospera valetudo me juvat: perpetuaque ut sit ipsi, tibi, liberisque, nec minùs parentibus nostris & amicis opto. Valete omnes Lutetiæ 20 Aprilis novi Cal. 1635.

Didericus ut bene pergat in cœpto cursu fructus inde non spernendos laturus, vobis commendo. Rogo ut & ipse me adjuves & Senatorem Reigersbergium quantum potes impellas, ut habeam documenta omnia causæ meæ contra Rotterodamenses & archetypa, & ita versa ut usui esse possint. Etiam testimonia de eo quod dictum est in Conventu, ut scripsi antehac occasio nunc mihi bella est, & talis quæ fortè frustra posthac exspectabitur. μηδὲν ἀναβάλλεσθε. Familiæ nostræ insignia bene depicta mitti mihi cupiam, cum casside. Scripsi antehac quibus apud vos danda sint.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

344 Responsum ad tuas vigesimi tertii Aprilis literas, Frater carissime, quod distuli tam diu in causa fuerunt perpetua cum D. Cancellario itinera, primùm ex Campania quò, me evocaverat Compendium, ubi Rex erat cum Aula, quæ nos per dies aliquot magnificè habuit, Dominumque Cancellarium confecto bono fœdere honoratum omnibus amicitiæ Regiæ testimoniis, & inter ea dato de manu Regis adamante dimisit. Inde Compendio Lutetiam ubi summus ille vir & æquandus Regibus meæ domus hospitio in aliquot dies usus est. Lutetia rursum aliquo usque in viam quæ Rhotomagum ducit, unde negotiis me revocantibus huc redii. Ipse aut Rhotomagi, aut Diepæ exspectabit bellicas ex Batavis naves, quæ ut puto ipsum quanquam properantem ad vos deducent, ibi quoque, ut arbitror, consiliis hortatibusque futurum non inutilem. Spero amicos nostros non defuturos quin data occasione intelligat se in me ornando rem fecisse multis bonis gratam: & non eam esse quæ fuit hominum nobis infestorum potentiam. De bello aperto in Hispanum verba nunquam liberaliora, & paratus magni videntur. Quid facturi sint, non dixerim. Verùm si id facere constitutum fuisset, poterat Castellum Fontani quod triginta tantùm militibus tenebatur non minùs occupari quàm illa quæ in Valle sunt Telina. Nec quicquam obstitit quàm quod hæc soli essent Rhætici, illud soli Mediolanensis. Rex adhuc in finibus est Belgarum: quid acturus, brevi videbimus. Multi huc rediturum putant. Ego ἐπέχω. Vtenbogardo omnia optima preceris rogo, & dicas numeratam jam à Tileni uxori Tresilii qui ob id huc venit, pecuniam. Losecatio & uxori cum liberis non minùs quàm tibi tuisque & parentibus communibus omnia opto faustissima. Pro transmisso Episcopii libello gratias ago. Vale, mi Frater. 9 Maji 1635.

Overbekianum negotium, quanquam tuam diligentiam satis novi, tamen ipsius rogatu tibi commendo, ut vir bonus tandem tutelæ gravis nexibus exsolvatur. Spero videris quæ ego Hamburgi cùm essem ea in re egi respondique. His exaratis accipio tuas fine Aprilis scriptas. Rotterodamense negotium etiam atque etiam cordi habeatis rogo. Sunt enim justæ festinandi causæ. De Religionis exercitio pergam cogitare: & siquid utile docti & sapientes suggerant me mone. Diderici curam vobis commendo, & familiæ insignia & Sophomphoneam. Magni facio Blavium, sed trico est, ut video, nec tempora observat. 11 Maji 1635.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Ex literis tuis quas 14 ad me dedisti, discere gaudeo manere literis itinera, unde colligo non tam rigidè quàm dicitur interdicta esse commercia. Rex jam Electorem Trevirensem bis repetiit & simul dicitur à Gallis capto oppido Marchæ ad Faminam bellum esse commissum. Vtinam qui alios implicant se non extricent. Libenter & ista de Philippina & quæ addis cognovi. Matrem senectutis urgeri incommodis valdè doleo. Deus illi patri vobisque omnibus adsit. Insignium cum casside bene expressorum valdè egeo. Documenta justorum meorum in Rotterodamenses & tibi, & D. Reigersbergio commendo quantum possum. Petrum quibus studiis destinare debeamus, urget enim ætas, rogo omnes cogitetis. Ego longiùs absum quàm ut omnia quæ ad ingenium, corpusque spectantia in consilium adhibenda sint nosse queam. Poëmatum exemplaria exspectabo. Tu quæ ibi erunt divides ut monui. Cras ad Aulam eo, promovendis & nostris, & amicorum quos in Germania habemus negotiis. Rogo ut si qua re repensare potestis honorem quem mihi habuit Cancellarius, cùm præter collatam dignitatem] hospitio quoque meo uti voluit, ne quid omittatis. Vale cum Parentibus, uxore, liberis, Losecatio ejusque domo & omnibus qui nos ullo vinculo contingunt. Lutetiæ 24 Maji 1635. 345

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Ab Aula reversus sum, ubi Regem vidi lætum victoriis duabus, altera in Arduennæ saltibus pacta cum sex millium hostilium strage Castilionæo & Bressæo ducibus, altera in Lotharingia, cæsis Croatis ferme mille à Laforțio. Magna initia novi belli, quod fecialis à Rege missus cùm ad Cardinalis Hispani colloquium non admitteretur, charta apposita defixo à se in via publica stipiti comminatus est. Indicendum autem dicitur amplius editione publica edicti Regii Belgas ad libertatem vocantes. Magnas hinc spes concipient Suedia, Germania & Batavi. De Saxone pacem ne seorsim & haud dubiè melioribus nunc quàm ante conditionibus facturus sit, an cum sociis belli spes persecuturus, hæremus incerti. De induciis Suedos & Polonos inter repetitum ex intervallo negotium quem sit habiturum exitum varii variè sentiunt. Rogo te primùm ut negotium cum Rotterodamensibus quantum potes urgeas. Multas enim causas id expetendi habeo: deinde cures libros omnes meos & chartas sive apud vos sunt, sive apud Brasserum, sive apud amicos alios, quamprimùm mitti Rotomagum ad Treselium, ut horas à negotiis vacantes aliquo cum usu & meo & publico transigam. Sacra mea nondum accepi. De Petri studiis, animo, viribus à vobis edoceri consilioque instrui exspecto. Matri valetudinem mitiorem, patri constantem, tibi uxorique tuæ liberis & amicis omnia opto secundissima. Lutetiæ 5 Iunii 1635. 346

Familiæ nostræ δείγματα valdè exspecto. Nam & in carruca & in vasis mensariis utenda sunt. Hæc ubi scripseram & illa ipsa δείγματα & literas accepi tuas. Gratias vobis omnibus habeo pro honore habito excellenti viro optimeque de me merito, & pro officiis in me præstitis; etiam pro libris meis tam providè distributis. Ego qui mihi destinata sunt exemplaria etiamnum exspecto. Cornelia recuperat valetudinem & jam prodire incipit. Diderico spero rectè esse. De Petro quod jam scripsi repeto. Mireveldio quod amicè semper mei meminit, beni-

Digitized by Google

benignisque me coloribus pingit habeo gratias, eumque nec minùs D. Basium & alios resaluto.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

347 SOphompaneas ubi moretur nescio. Dudùm est quod de eo mihi scripserat Vossius, missosque libros significaverat, quos tamen nec vidi, nec ubi sint accepi. Iam verò scripseram & de libris chartisque meis, quæ sunt sub tua, Senatoris Reigersbergii, aliorumque custodia, etiam Brasseri Amstelodami, ut mittantur Rhotomagum ad Treselium, unde ad me quamprimùm perveniant, quando non paucis opus habeo. De eo etiam nihil intellexi hactenus. Tertium est de negotio meo cum Rotterodamensibus quod tamdiu trahi doleo. Rogo igitur ut cum chartis omnibus eò pertinentibus mittatur ad me illud quo opus habeo testimonium de dictis in Conventu. Quartum quod postulaveram erat, ut de Petro quibus studiis & cui vitæ generi destinandus esset, inspecto quid animus corpusque ferrent consilium mihi daretis. Hæc scripseram cùm tuas datas 18 mensis hujus accipio, & gaudeo liberos nostros resque nostras, ut solent vobis esse cordi. Didericum rogo sæpe hortemini ad recolenda mathematica, discenda ea quæ ad munitiones, obsidiones, remque machinariam pertinent, nec perfunctoriè, sed ut in earum rerum peritia omnem vitæ hujus honestè transigendæ spem ponat. Rogo ut quot se dabunt occasiones ad nos nova scribendi, elabi ne patiamini. Nam terra valdè infesta sunt itinera. Quod de Salmasio narras cum voluptate legi. Audio & alia incidisse in eo convivio simultatis indicia: de quibus tamen nihil definitè cognovi. Vale cum jucundissima uxore & liberis, Losecatio cum sua & domo, cognatisque, affinibus & amicis omnibus. Lutetiæ 28 Iunii novi Cal. 1635.

De Tragœdia nostra quæ sint judicia amicorum, inimicorum, eruditorum, vulgi scire aveo. Libros & chartas meas rogo mittatis ubi magnus navium numerus sub bellicarum præsidio proficiscetur.

Tuus quem nosti.

EIDEM.

348 TVas, mi Frater, literas scriptas 25 Iunii heri accepi, & gratias ago pro iis quæ nuntias. Vrge quæso Delfenses, ut præbeant veritati testimonium. Ego semper intellexi fuisse Berckelium, qui in mea re locutus sit apertissimè. Sciamus quæso ecquid cum bona gratia à Rotterodamensibus obtineri possit. Si non potest, aperiunt se viæ aliæ. Rogo & omnis detur opera, ut chartas mihi Rotterodami Hagæque ablatas recipiam ex tenore sententiæ pro me latæ.. Deinde ut quamprimùm illæ chartæ, & aliæ simul cum libris ad me veniant. Nam horum inopia nihil boni aggredi possum. Illud verò satis mirari nequeo omnes de Sophompanea loqui (nam scripsit Salmasius) me autem nec mihi, nec amicis habere exemplar. Rogo si alicubi intercepti sint libri vel hoc sciam. In valle Telina res meliori in loco est, recepto per Rohanium castello Tiranio & sex mille hostibus non longè inde partim cæsis, partim fugatis. Ad ripam Rheni res non optimè succedunt. Metuo ne vera sit de amisso Magontiaco fama. De Wormatia constat & ivisse hostem Magontiacum. Planè illis in partibus pro lubitu agit. Sed Rex tum magnum exercitum juvandis sociis promittit, tum pecuniæ aliquid Bernhardi Ducis militi. Valdè nos torquet ignorantia earum rerum quæ apud vos geruntur. Posthac viam Caleti & maris tentabimus. Parentibus optimis me commendo, quorum non ero immemor. Saluto & omnes sanguine, affinitate, amicitia junctos, Delfenses maximè, quibus velim ostendere posse quàm ipsis velim optimè. Vxori tuæ & liberis Deum faventem opto. Lutetiæ 17 Iulii novi Cal. 1635.

Publicatos illos fœderis Gallici articulos missos ad me velim.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

ALtero Iulii scriptas literas & abs te & à Patre, mi Frater, accepi. Gratias patri habeo pro cura quam gerit pro filiorum meorum profectu. Ego quantum res nostræ ferent, ipsius non ero immemor. Spero futurum ut Comitis Ernesti liberis ipse sit utilis, & illi ipsi. Ego omnium qui ex Domo Nassavia huc veniunt amicitiam colere non omitto. De consiliis Gallicis circa res Belgicas video non deesse causas, ita ut scribis opinantibus. Nam & Germaniæ res mora deteriores factæ sunt. Nunc serò satis sociis pæne prostratis ita succurritur, ut nulla jam sint aut esse possint cis Rhenum nisi Galliæ arma. Et mirum quæ in Principis Arausionensis injuriam à multis dicantur. Duci Bernhardo Rex pecuniæ aliquid submisit, & auxilia addet, sed sub majore Cardinalis Valettæ imperio. Galli per Legatos Britannis conditionem hanc intulere, ut naves alterius Regni sub ora alterius, aut apud classem suppara demittant: classes inter se amicitiæ signa edant. Non videntur hæc accepturi Angli. Videbimus quid Legatus sit facturus qui huc mittitur. Libros velim mitti, sed quàm maximè tutò fieri potest. Chartæ ex domo D. Basii ablatæ cùm essem in carcere ubi sint, id uxor Fratri Reigersbergio notum ait. Spero facturum ipsum, ut mea illa habeam: etiam quæ apud Delegatos sunt Ordinum Hollandiæ; mihi enim ex sententia debentur. Sophompaneæ exempla aliquot huc attulit librarius quidam. Igitur amici mei emunt, quæ ego donare debueram. Miror quid id sit aut infortunii, aut negligentiæ. Nec Vossii Grammatica, quæ & ipsa missa mihi dicebatur, accepi. Rogo si potes de his me expedias & quæ de Tragœdia nostra fiant judicia. Valete cum amicis. Lutetiæ 27 Iulii 1635. 349

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

LIbros quos nuper desiderare me scripseram Tragœdiæ nostræ accepi non ita multò post: & simul Vossii eruditissimas Grammaticas commentationes, pro quibus gratias ipsi ago. Quandoquidem verò Blavius in minori forma aliam parat editionem, ne ei præripiat lucrum πῆμα κακὸς γείτων, ideoque si qua typotheta peccavit, aut ipse curis posterioribus emendandum censerem, eorum indiculum poposcit, cum nunc ad te mitto, rogoque ut ad eum diligenter corrigantur omnia: quod ideo dico quia in poëmatis nunc alterùm editis video quædam quæ emendanda monueram non emendata. Illud maximè miror, cur Silvæ non illum quo Lutetiæ editus est annum, sed alium rebus ea contentis minùs congruentem apposuerint. Quæ de negotio Rotterodamensi, de libris chartisque rogavi antehac, ea donec impleantur aut literis omnibus repetam, aut pro repetitis haberi volo. Amstelodami qui erant libros, eos jam in itinere esse lætus intelligo. Habui hodie apud me tres Pastores Reformatos eruditissimos: à Montepellerio Faucherium, ab hac Ecclesia Metresatum & Dalieum. Orarunt me ut ipsorum jungerem communioni: quæ olim constituta sunt Alesiensi & Carentoniana Synodis, mutata novis decretis, cùm Lutheranis oblata est communio. Sperare se à nobis suam Confessionem pro Christiana haberi: se idem sentire de Remonstrantium Confessione. Meminisse se ejus quod adversùs Sibrandum scripseram: mirari me si Chrysostomo, si Melanchtoni ad se venienti negaturi essent jus communionis. Legisse se & probare valde tum totum librum meum de Veritate Religionis Christianæ, tum ultima ad concordiam monita. Audita hæc 350

lau-

laudavi, ut cum meo semper proposito congruentia: mihi Melanchtonis sententiam mirè semper placuisse: neque id dissimulasse me. Quod ad pacem Ecclesiarum attineret, scire me non debere eam turbidis agendi rationibus perturbari: colloqnia inter doctos libera esse debere. Dicebant etiam Remonstrantibus in Batavia ad communionem recipiendis se laborare, ac scripsisse ad Rivetum. Cum tempore se prudentiores factos & sperare se Batavos aliquid in sui gratiam bene expensis rationibus facturos. His ultro citroque dictis, addidi me communionem animorum quam semper cum ipsis habuissem paratum etiam externis ad hoc institutis symbolis testari: neque unquam, quò minùs id fieret per me stetisse. Siquas in terras advenirem ubi Lutherani cognita meâ de Cœna sententia, me ad suam communionem vellent admittere, ibi quoque idem facturum. Id quoque probabant. Deo gratias ago quod eò usque profecerint moderationis consilia, ut unde antehac flabra venerunt fervidissima, inde nunc veniant auræ tanto leniores. Nec dubito quin & de re ipsa non pauci nobiscum sentiant. Poteris de hac re cum Remonstrantibus intra modestiæ limites & æquæ pacis vota se tenentibus, ipsoque cum Vtenbogardo loqui, ut intelligant me quod facio, justissimis facere de causis, & talibus quidem, ut ni facerem, crimen ab iis qui temerè nos damnaverant, in me recideret. Rogarunt me Pastores iidem notas meas ut ederem in Novum Testamentum. Vale cum Parentibus & amicis. 2 Augusti novi Cal. 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

51 QVod mihi tuis 21 Iulii datis negotium Remonstrantium commendas, ab Vtenbogardo itidem propriè & communiter à societatis inspectoribus commendatum, cordi mihi erit, & ut negotii æquitas & ipsorum hominum caritas imperat. Vbi & Tileni uxorem & Treselium tentavero, viamque explicandi negotii reperero aliquam, ipsis id significabo. Mittendæ posthac mari erunt literæ, quando per Brabantiam sæpe retentantur. Novis vestris rebus indolemus, maximè si de Gravewarta verum est. At Gallicæ res in Alpibus bene procedunt cæso iterum hoste, qui castris bis incensis in Tirolensem agrum se retulit, nec ibi tutus à Rohanio. Ita Valles Telina & Monasteriensis ad Regis socios rediere. In locis propioribus, hostis ad novi exercitus sub Cardinali Valetta adventum, Bipontini oppidi obsidionem & captam nuper Cæsarislauteram deseruit: Wormatiam petens & inde Magontiaco imminens. Scribo ad Corvinum, eique gratias ago quod juris elementa filium docuit. Rogo munusculum aliquod de meo addas, paulò amplius quàm quod dari ab aliis solet, tuo arbitratu. Accepi jam libros Sophompaneæ, hîc satis gratos: ibi quomodo accepti sint à variè affectis hominibus scire cupiam. Testimonium Delfense urge quæso: Chartarum ad res Roterodamenses pertinentium velim mihi mitti justa exempla & versiones Germanicam & Belgicam publica auctoritate probatas, ut ad Senatorem Reigersbergium scripsi antehac: quem rogo, ubi redierit, ne desinat donec certi aliquid à civitatis Magistratibus intellexerit. Mora nobis noxia est. Tum verò utrumque vestrum rogo ut de libris & chartis sitis memores, ubi prima se dabit occasio. De dominio maris librum Seldeni, qui edi ad me scriptus est, exspecto. Vale cum Parentibus optimis, uxore, familia, amicis. 10 Aug. novi Cal. 1635.

Eorum quæ in Sophompanea sacrisque poëmatis aliis aut à typographis peccata erant aut à me reformata in melius, indiculum nuper ad te misi. His accedant

147. lin. ult. pro patienda potienda
164. artus sine interrogandi nota.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE filii Petri negotio cogitanti mihi pensiculatius, 352
venit in mentem, cùm ad id, unde res ipsi speratur, cognitio ei necessaria sit navalis rei mercatoriæque, neque possint maritima in terra disci, si ob longinquitatem India Asiatica ipsi displicet, tamen aliquod iter ipsi experiendum vel in Brasiliam vel in aliam Americæ partem, ut quæ alibi disci non possunt, ibi discat, magnas suo tempore utilitates inde percepturus, quod non dubito. Vt igitur hoc ipsius cum voluntate quàm honestissimè fiat, vos amici ut spero laborabitis. Didericum constituimus ad nos vocare simul in hyberna discessum fuerit, ut de eo consilium sumamus quod ei optimum erit. Velim emi mihi & mitti occasione prima Mappam Iudææ à Iudæo editam & alterius Iudæi librum qui continet conciliationem *ἐναντιοφανῶν* veteris Instrumenti. Nos de Maguntia, Francofurto, Franckendalia, Hanovia, Manhemo, arce Heidelbergensi, quæ omnia loca hostis premit, partim & fames, per incerta itinerum ignari, eoque trepidi vivimus. Latortio equitis aliquid & commeatus nonnihil ademit Dux Lotharingus, cujus indies crescunt copiæ ex Burgundia, & ex ipsa Lotharingia pronis indigenarum in veterem Principem animis. In Rhætis res sunt satis prosperæ, expulso undique Hispano & Cæsariano milite, qui nunc in Tirolensi agro se recolligunt. Classis Hispanica nuper disjecta tempestatibus, iterum apparuit. Vale cum optimis parentibus, uxore, liberis, amicis & res meas curare perge. Lutetiæ 17 Augusti 1635.

Rogo si quid scriptum dignum intellexeris de Iudiciis super Poëmatis sacris meis nuper editis, aut recusis, ne me cæles.

Erratis aut emendandis quorum indiculum misi hæc etiam addi velim.

pag. 131.	lin. 18.	scandat	scandet
141.	6.	mentis	Mentis
164.	12.	certè, hæc	certè hæc,

Tuus tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

MVltæ me causæ impellunt in hoc consilium, ut quic- 353
quid pecuniæ per Hollandiam aut reipublicæ, aut civitatibus credidi, id omne sine mora relegi cupiam, relictis tantùm illic iis reditibus qui hominibus ita coævi sunt, ut Hamadryades arboribus. Quæso igitur ut nullo interposito tempore id cures: tum quæ de Rotterodamo, libris, chartis scripsi antehac ea repetita censeas quoties scribam. A Meti literæ ajunt Galasium à Valetta Cardinali & Bernhardo Vinariensi Duce repulsum à Magontiaco Wormatiæ pæne clausum teneri. Cùm majore exercitus parte ivisse Valettam ad recuparandam Augustam Trevirorum: Ducem autem Bernhardum trans Rhenum liberandæ si fieri potest Hanoviæ. Nam Francofurtum metuimus, ne jam cum Cæsare transegerit & pericula vicinis auxerit. Rex videtur in fines Lotharingiæ iturus. A Magno Cancellario literas indies exspectamus. Rogo salutes optimos parentes & amicos. Vale cum uxore & liberis. Lutetiæ 21 Augusti 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

TVas 6 Augusti datas jam nunc accipio, Deoque gra- 354
tias ago pro Parentum valetudine, pro qua vobisque omnibus precari eum non desino. De chartis memineris rogo. Puto eas apud Arsenium latere, remque Wolfio satis esse cognitam. Noverit & Duvenvordius ubi chartas Rotterodamo sine Inventario ablatas reliquerit. Mea pluri-

plurimum refert & eas & libros habere, nec differri Rotterodamense lentum nimis negotium. Scripsi nuper via Rotomagensi. Nunc hac repeto via cupere me, ut quamprimùm relegatur omnis pecunia quam apud Hollandiam ejusve civitates habeo, & quidem gravissimis de causis. Magontiacum reliquit Galassius seque Wormatiæ tenet, magna ejus exercitus parte in obsidiones varias. Francofurtum & Vlma jam desierunt inter nostra numerari. Et grave damnum à Duce Lotharingo accepit Lafortius. Daetselario volo optimè & causam amici mihi ab eo jam alterùm commendatam cordi mihi ostenderem esse, siquem Spiræ nossem. Nunc cùm noverim neminem, quid agam nisi exspectem dum quem aut illorum, aut ibi notorum noverim. Miror in Batavis editas Poloni literas. Filius Didericus, ubi hybernari cœperit, huc veniat. Petro consilium dedi quod optimum puto. Video epistolarum mearum aliquas non pervenisse. Erant quædam commissæ iis qui à Legato mittebantur Pavio. Fortè & eas nactus erit Arsenius. Per Brabantiam nullæ literæ sunt. Itaque Pontificiis Nuntiis nihil debemus. D. Peiresius Senator Aquensis missam ad se à Puteanis Tragœdiam meam cum iis quæ accedunt, statim nec inspecta (alioqui enim, ut puto non fecisset) misit Romam ad Barbarinum Cardinalem. Quæ Theologorum & aliorum apud vos de iis scriptis sint judicia scire aveam. Ego adhuc Carentonianæ Ecclesiæ me non addidi. Expendo omnia, ut id faciam quod Deo gratissimum, Ecclesiæ utilissimum, familiæ meæ saluberrimum sit. Velim scire an is Amirandi Professoris Salmuriensis de Prædestinatione liber, de quo scribere memineram, in illas partes venerit. In Treselii ædibus audio contagio ægrotari. Itaque nihil illac mittite. Sunt alii Rhotomagi per quos curari nostra ad tempus possint. Vale cum optimis parentibus omnibusque tuis & nostris. Lutetiæ 23 Augusti 1635.

Quæ pro nobis Rhotomagum mittenda sunt mittentur ad Heusdium cognatum, & cognominum ejus qui hic res Sueduas & Batavicas curat.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

355 DVos hos libros Vtenbogardo & Millio missos ab homine, qui Reformatarum quondam partium, ob bonorum operum prædicationem dejectus pastorali munere, postquam diu per Remonstrantes in Hollandia Holsatiaque, postremò & per Socini congreges ambularat, obtentus sibi satis datum putavit ad Romanam Ecclesiam transeundi: cujus ope pro Medico animarum factus est corporum medicus: & ne sic quidem vetus opificium oblivìscens hanc bonorum operum laudationem edidit, in qua agnoscas ἀφελές τι, interpretationes quidem Apostolicorum locorum ab illis sumtas per quos transiit, distinctiunculas autem illis interpretationibus minùs congruentes, haustas ex Scholasticorum inerudité subtilium minutiloquentiis. Ego tibi pro labore hos libros curandi fructum lectionis deberi intelligo; non tamen ut à te exigam quod ego præstiti, ut totum hoc qualecunque est, perlegas, sed & oculo delibes cætera, hæreas autem nonnihil in ea parte quæ optima est, quæque ad Scripturæ intellectum pertinet. Ego de meo consilio adjungendi me ad Ecclesiam Reformatam, multò quàm nunc est æquiorem, neque sentiendi tantùm, sed & loquendi libertatem ferre edoctam scripsi ad te antehac: neque tamen quicquam responsi habui. Ventine tardent an sint quidam & literarum latrones nescio. Te cum Parentibus, uxore, liberis, propinquis, amicis optimè valere quàm maximè opto. Lutetiæ 13 Septembris nova Cal. anni 1635.

Filium Didericum simul hybernari cœperit huc mitti rogo. *Tui amantissimus Frater* H. G.

IOANNI GROTIO,

Consiliario Comitis Hohenlo.

Pater optime,

ETuis 20 Augusti datis literis & valetudinem tuam, 356
pro qua Deo debeo plurimum, cognosco, & Diderici nostri, sed tui majori ex parte: nam sanguis communis est, institutio animi tua tota: non spernendos profectus: quos ut consilio & rebus necessariis adjuvem ex usu judico ad me mitti, simul Princeps à castris domum redierit. Cognatæ nostræ uxori Nob. Catzii de filii incrementis gratulamur. Circa annum 1640 Syndicus fuit Dordrechti, de Groot nomine: is an ex nostris sit & an posteros reliquerit nescio. Alioqui per eos fortè rescisci aliquid posset de Swyndrechtanis possessionibus. Video & Daventriæ fuisse ejus nominis è libris editis. Vxor & liberi te ac matrem animo devotissimo salutant. 13 September novi Cal. 1635.

Tuus toto animo & obedientia H. G.

GVILIELMO GROTIO,

Iurisconsulto.

DAtas decimo Septembris literas tuas, mi Frater, heri 357
accepimus ego & uxor. Ambo gratias agimus quod & res nostras tanta diligentia curas, & nos eorum quæ sciri digna accidunt ignaros non pateris. Vicissim quod nunc nuntiem, nihil magni est. Tantum priorem Galassium, posteriores sub Valetta Gallos ad Cisrhenana rediisse interque Rhenum & Mosellam pugna non levi victores fuisse Gallos, ejusque rei documentum tredecim machinas ad Regem missas intelligimus. Galli non soliti res suas imminuere ajunt equites plus quater mille cæsos, postremum agmen Galassi. Id an ita sit tempore magistro ut sciamus opus est. Rex Sancti Michaëlis monasterium ab hostibus immunitum puto nunc ceperit. Inde magnis copiis (habet prope XX peditum, VII equitum millia) iturus in Ducem Carolum; qui Rembirvilleriæ se castris tenet. Videbimus præliumne ausurus sit, an exspectaturus ipsine ex Comitatu Burgundiæ, an Regi ex Galliæ diutius adventura sint alimenta. Ex Italia Valentiæ obsidium in fama est: de re non constat. Valli Telinæ timetur. Pro Diderico nostro quantum censeas dandum, & quo muneris genere rogo nos quamprimùm consilio juves, non defuturos officio gratorum hominum, ipsum adolescentem hîc exspectabimus. Petrus si in Suedia honores sperat, (in patria enim vix est ut reperiat) nullum gradum potiorem video, quàm per exactam rerum maris & commerciorum notitiam. Iuris illa tua ad lucrum tarda est, nec omnibus succedit. Rogo de chartis quæ mihi & jure naturali & civili per rem judicatam debentur memineritis & tu & Reigersbergius. Ad multa enim opus & mihi & liberis esse possunt. Gaudeo & de libris rem abs te paratam. De Sophompanea qualiacunque sunt judicia scire intelligo. Ὄγκος iste Sophocleus non valet ad πάθη: multò minùs laboriosè nimis quæsitæ Latinorum sententiolæ vibrantes. Treselii domus jam extra periculum & suspicionem est. Petro spero alicubi hospitium, inque hospitio mensa reperietur. Libelli famosi in Principem & alios jacti si fieri potest exemplum, si non potest sensus præcipuè scire cupiam, ut de auctoribus faciam conjecturam. Instrumentum pecuniæ quam nobis Hollandia debet est apud Blancquiam. Puto sine periculo Majum expectari posse, nisi vos qui propiores estis aliter existimatis. Si potius videtur tibi ac Senatori jus nostrum vendi, etiam ejus damus potestatem. Parentes, te cum conjuge & liberis, sororem cum suis, cognatosque & amicos valere gaudemus, omnibusque optamus prosperrima. Lutetiæ 5 October 1635.

Tuus planè Frater H. G.

E I-

Digitized by Google

EIDEM.

Mi Frater,

358 GRatus mihi fuit Curii adventus, quem nos consilio quantum nostræ facultatis fuit adjuvimus. Ivit jam Aurelianum, rem ibi facilem Doctoris aut Licentiati titulum adepturus: inde iturus puto in Pictones, ubi victus est vilis, aliquo in loco commoraturus ubi nulli sint nostrates. Ryckewartium, qui mihi itidem à vobis amicis erat commendatus, utinam juvare possim. Apud me locus non erat. Aliæ opportunitates raro se offerunt. Non deero tamen. Cur in Carentoniano templo non videar, causas tibi exposui antehac. Miror inconstantiam hominum, qui cùm Lutheranos ad se invitaverint, negant se Legatum Suedicum, ut Legatum admittere posse, ob Regni illius à suis sententiis discrepantiam. Losecatio sororique & eorum liberis prodesse si possim, beatum me putem. Ego hic ei quid præstare possim non video. Puto impleta loca illa Lustratorum. Tamen non dissuadeam conveniri Brasserum Secretarium Legati ibi apud vos agentem, an locus vacet aliquis, aut commentum aliquod ad aperiendam viam Losecatio qua industriam suam approbet, reperiri possit. In Suetiæ exercitu non facile item video quicquam pro eo posse confici, nisi ipse se conspiciendum ibi det adjutus meis & aliorum literis. Sed id an expediat ipsi propter incertum eventum, & quia fortè periclitaturus sit de gratia apud Principem Arausionensem & Proceres multum ambigo. Filio Losecatii, si quando discessurus sit à nobis Germanus nobilis qui mecum est, hospitium libenter impartiar. An hic aut sub Duce Bernhardo militiam fructuosiorem quàm domi reperire posset nescio. Tamen promtus ero arripiendis aut etiam venandis occasionibus. Vos siqua putatis me ei commodare posse, indicio juvate. Rem Rotterodamensem, & de libris & chartis commendo tibi, te & tuos Deo. Vale cum parentibus, uxore, liberis. Curium & amicos saluta. Lutetiæ 31 Octobris 1635.

Filium Didericum exspectabo. Vellem consilium misisses de eo quo nos defungi posse putas honestè apud Bosschium de quo scripseram.

Tuus toto animo H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

359 SCripsi ad Didericum, huc ut veniat si potest cum Tresellii uxore: sin ea nondum venit, Rhotomagum naviget, ibi Tresellium conveniat, qui reliqui itineris bene conficiendi rationes monstrabit. Libelli & chartæ de quibus adferendis ipsi scripsi, si oneri erunt, poterunt mitti cum libris chartisque aliis. Nolim credas exigui usus fuisse ea quæ à Rotterodamo ablata sunt: multa ad historiam; multa ad jus Hollandicum pertinebant. Quare sciscitandum ubi manserint. Egregias præterea summique ad Politica usus chartas habueram in hospitio meo apud Drilium. Eas ad D. Basium perlatas intellexi: inde quò devenerint negat se satis meminisse uxor. Sed noverint id ipse D. Basius & Senator Reigersbergius. Testimonium Delfense & causam Rotterodamensem tibi & Senatori quàm maximè possum commendo, & vos omnes Deo cum parentibus, conjugibus, liberis. Valete. Lutetiæ 9 Novembris novi Cal. 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

360 CVm hodie amici proficiscentis occasione ad te dedissem literas, venere tuæ ad me 29 Septembris, & 9 Octobris datæ, cum duplicibus tum ad Simonem Graswinckelium, tum ad Olivarium, quas illico curavi. Rogo de chartis ne patiaris rem elabi. Multa erant egregia de legibus patriæ & alia. Wolfius & filius haud dubiè norunt ubi eæ sint. Siquis sit in Collegio Deputatorum nobis non iniquus facilè rem stirpitus inquirat. Id & negotium Rotterodamense & libri cordi sint rogo. Maris res nisi custodiuntur apud vestros, pereunt cætera. Scenquianum castellum cum hirundinibus puto ad Batavos redibit. Hollandiæ ut rectè observas viri bene cordati desunt. Gaudeo in tanta lue vestram salutem Deo esse cordi. Cùm literas rectè accepisse me scripsi inscriptiones Smetii quin ibi maneant, non impedio. De tabulis gentilitiis differri potest. Libros illos duos Dousa mihi si vellem dederat, sed si hæredes repetunt, volo eis dari & bene curari, ne in alienas manus perveniant. Didericus huc venire quamprimùm debet sive Princeps hyberna teneat, sive non, quod magis puto. Petro navigatio esset utilior. Vide an putes spem esse eum parem fore labori quem pragmatica vita exigit. Noster maximus natu à navigatione non æquè abhorret. Vinariensis Dux magnam exercitus Gallici partem sua virtute ac prudentia servavit. Res Austriacæ hoc biennio felices fuere admodum. Suedi & Galli non desistent laborare, ut restituantur res. Rotterodamenses non sinendi sunt indormire negotio quod mora ipsa reddet deterius. Libros & chartas & filium exspectabo. Bene facis quod de testimonio Delfensi non pateris elabi memoriam. Quod ut Legatus nec aliter conspici apud Carentonianos noluerim, non inde tantùm est, quod in publico dignitas illa seponi non potest, sed quod ut Legatus Suediæ veniens, mecum adfero Confessionis Augustanæ auctoritatem, in qua quæ comprehendantur non nescis. Vale. 10 Nov. 1635.

Tui amantissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

SEldeni commentatio de Mari clauso, seu de Dominio 361
Maris, libris duobus jam ad CLXXX pervenit paginam, eritque absoluta editio intra menses duos. Transmissa sunt capita librorum, ex quibus apparet diffusum fore opus &, ut sunt illius alia, eruditum. Iisdem à Londino literis cognovi rem miram & addendam veterum observationibus περὶ μακροβίων. Comitem Arundeliensem nuper rura sua in Comitatu Salapiensi peragrantem perductum ab eorum locorum hominibus ad senem annorum (scribam non numeris, sed plenis literis nequid de sensu dubites) centum quinquaginta & quatuor. Cumque tam prodigiosæ rei fides non haberetur, à Comite & adstantibus probatam rem actis certissimis. Eum senem à Comite ostensum Regi Reginæque & nunc in Aula ejus educari, integro corpore, nisi quod à viginti annis lucis amisit usum. Hoc tibi & talium curiosis significare non abs re duxi. Præterea meum negotium Rotterodamense & de filio transmittendo librisque & chartis tuæ fidei ac diligentiæ, ut omnia mea commendo. Lutetiæ 23 Novembris 1635.

Tuus germanissimus H. G.

EIDEM.

NVnquam puto evenisse, Frater carissime, ut tanta 362
nos fames haberet rerum à vobis novarum, quanta tanto jam tempore, id nobis invidentibus ventis. Nunc una hora tot reliqua accepimus: literas tuas ad me & ad uxorem datas 16 & 29 Octobris, à Senatore Reigersbergio etiam recentiores, toto tamen mensis intervallo, quod dolemus. Filium Didericum & libros exspectamus, spero & chartas. Si illæ quæ Rotterodami, puto & Hagæ, nobis ablatæ fuerunt redditæ nondum sunt, libellus exhibendus erit Ordinum Hollandiæ Delegatis. Etiam de Rotterodamensi negotio si pergunt tricari, aliquid nobis

bis constituendum erit. Vidi Bruxellensem chartam rumorigerulam. Quin literæ intercipi potuerint, aut terra, dum id iter usurpatum est, aut mari postea, non dubito. An factum id sit ignoro. Dubitabam primùm an aliquid tale scripsissem. Sunt enim in iis quædam à vero non abhorrentia. Inspexi omnium literarum à multo tempore ad Octobrem usque ea quæ penes me servo exempla. Video ibi illorum nec volam, nec vestigium. Quid si etiam notis scripsissem (totas autem literas notis scribere difficile est) tamen non poterat tam sinistra interpretatio earum excogitari, quàm excogitata olim fuit in D. Camerarii literis, quas Dantiscani interceperant. De malis quæ senectus matri adfert, indoleo & pro levamento Deum precor. Petro spero jam de hospitio prospexeris, animumque exploraveris, quid aggredi cupiat, ut ipse sibi sit utilis. Satis nobis facultatum dedit Deus, ut liberos nostros ad eam ætatem possemus perducere, ut boni aliquid discant, non autem ut otiosi victitent. Cornelium ad M. Cancellarium misi, experturus an aliquis ibi ejus usus esse possit. Didericum ubi videro, etiam de eo consilii capiam aliquid. De pace tantùm hic sermones. Hispanus nullos dum Legatos nominavit. Locus Constantia à multis designatur, haud satis commodus Batavis futurus. De Duce Bernhardo scripsi antehac. Abitus à Rheno non abfuit à gravissimo periculo. Ipsius virtute servatus est Valettæ exercitus, machinis amissis. Nunc Galassiani exercitus pars major manet in castris ad Maseriam, ipso etiam loci editioris positu defensa: pars excurrit, & ab ea nuper captæ sunt Tabernæ Elsaticæ. Rex nova edicta pecuniam factura molitur, maximè fructuosa ipsi suorum ambitione. Literæ ad Salmasium Puteani erant cui eas reddidi, ipso Salmasio hinc in Burgundiam profecto, illas ad Graswinckelium misi. Quid in potestate Cardinali Hispano data desideretur scire cupiam. Rogo inquiras cujus sit ingenii animique is qui meas de Iure pacis ac belli commentationes in Belgicum sermonem transtulit: ecquid præfatus sit: quid sibi proposuerit. Parentibus, tuæ, tuis, nostris annum venturum faustum precor. Lutetiæ 7 Decembris 1635.

Galassius cum majore exercitus parte à Maseria ad Tabernis vicina concessit; Lotharingus ad Mosellam. Aliquammulti sunt anni cùm Elseviriorum rogatu dedi Puteanis epistolas ad me Casauboni, quod ejus scripta talia edituros se dicerent, non ediderunt. Et αὐτόγραφα retinent: intelligo esse in manibus Riveti. Æquum est ad me redeant quæ mea sunt. Plurimi enim ego illius viri omnia facio. Lamairio librario cùm olim esset Lutetiæ dedi omnia quæ habebam Tileni, quæ nunc aliunde habere nequeo. Sunt autem mihi illa permagni. Nec edit, nec reddit. Reddat.

Tuus toto animo H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

363 NEgotium mihi à D. Vtenbogardo commendatum, commendavi Treselio, dixique mihi æquissima videri quæ tu aliique de ea re respondistis. Rescripsit mihi. Vult sortem penes se retinere. Cavere non vult. Non desinam quicquid potero amicis commodare. Nos domi nostræ Natalem Dominicum precibus celebravimus. Adfuit Dux Wittembergicus, Comes Swarsenburgius, Bannes Nobiles Suedi, Germanique multi. Fati dogma apud nos non minùs quàm apud Angliæ Legatum vapulat. Scripsi nuper D. Vossio, parata esse mihi omnia Anthologiæ emendatæ & in Latinum versæ cum additamentis nonnullis, ita meritum Blavium, ut si velit præferendus sit aliis, sed ea lege, ut certus sim de tempore intra quod perficienda sit editio. Illud oblitus sum addere è re fore, ut editio fiat cum illis notis indicantibus nomina hominum ac locorum in contextu, qualibus usus est Henricus Stephanus, fabricatis ad id typis, in Poëtis omnibus & in hujus speciatim Anthologiæ editione in quarto. Velim memineris, ut Casaubonianas literas reddat nobis Rivetus, Teleniana Lamairius. De Hero & Leandro Blavius. Præterea de ablatis mihi chartis Rotterodami atque Hagæ, de quibus sæpe antehac. In honorem Senatoris Molini nuper mortui hoc scripsi:

Vrbs Venetum dixit, cùm conderet ossa Molini,
Clara tuis libris nomina, clara toga,
Virtutes artesque simul quis claudat in una
Mente, mihi talem sæcula nulla dabunt.
Legavit patriæ sapientum scripta Molinus,
Solamen Veneti, sed leve mortis habent,
Invenient in tot librorum millibus ægre,
Quæ nuper poterant ejus ab ore peti.

Ἀδριακᾶς διέπουσι σοφᾷ χερὶ θεσμὰ θαλάσσας,
Θῶκοι ἐλευθερίων, κυδιόεσσα πόλι,
Τῶ πένθεις μέτρον ἴσθι. σοὶ οὐ θάνε πάντῃ Μολῖνος.
Ζῶσι γὰρ αὖ τιμαὶ σεῖο περὶ πρυτανίδες.
Ζαμνάμα ζᾶ δῶρον ὅ σοι πόρε, μύρια βίβλοι,
Τῶν σοφῶν τῶν πρὶν μάρτυρες ἱστορίαι.
Ἱστορίαι σκοτίαζε, βίου φάρον. οὐδένα δ' ἄνδρα
Σὺ εὗρες ποσαῖς πόσιν ἐν ἱστορίαις.

Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 28 Decembris 1635.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ACcipio hodie tuas 22 Decembris cum multo vetustioribus Senatoris Reigersbergii. Didericum videre & quæ adfert valde cupimus. Seldenum legi in me planè humanum & sanè eruditum. Silentio & possessionis inhæsione an scripto se vindicaturi sint Batavi, docebitis nos. Gallos puto, ut taceant nullo pretio adduci posse. Sed hæc res & Hispanos & Germanos & Danos tangit. De matre, faxit Deus lucis dator. Chartæ quas peto non eæ tantùm sunt quas abstulit Duvenvordius, cui earum ratio reddenda est, sed & aliæ multò exquisitiores quæ apud D. Basium fuere: nunc ubi sint, illum scire æquum est. Planè cupio offeratur libellus cognatorum aut liberorum nomine & flagitetur responsum. D D. Adrichemo ac Dusseno, & amicis & propinquis meis, rogo dicas meo nomine, ne me tam diu tam malè ingrateque tractari patiantur. Pavius quæ ad ἀποβολιμαίους literas annotet, otio suo abutens, scire cupiam. Petro egregium testimonium reddit Vossius, utinam id operibus impleat. Cornelium Hamburgo literæ, non ipsius, sed amicorum, puto quod properaret, nuntiant Lubecam ivisse, inde Stralsuntum, ubi hyemem acturus est Magnus Cancellarius. Rogo de Casaubonianis, Tilenianisque sis memor. Incido ubique in tricones. Magontiacum amissum puto. De Colmaria Hagenoviaque benesperamus eunte illuc cum exercitu Valetta. Deus te cum parentibus, uxore, liberis, amicis sospitet. Lutetiæ 10 Ianuarii 1636. 364

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras tuas 14 scriptas Ianuarii, satis recentes, hodie scilicet accipio. Didericum post sæpe infeliciter tentatam viam speramus aliquando ventis usurum suis. Maximus natu magna comitate Magni Cancellarii acceptus fuit. Petro rogo omnes sitis hortatores, ut quod elegit studium ei diligenter incumbat. Casauboniana & Tileniana & Anthologiam quod curas, facis pro tuo more. Libros quoque meos exspecto. Chartas maximè. 365

Epi-

Epigramma in honorem Molini tibi ſerva, ne noſtra cogitata ſurripiat alius. De Induciarum negotio non rem tantùm, ſed & rumuſculos noſſe aveo. Seldeni librum, ut ſcripſi antehac, plenum inveni variæ eruditionis. Et jam cùm eum ſcriptitari intelligerem, adverſarium ei deſtinebam Cunæum. Digna eſt palæſtra in qua ſe exerceat vir egregius. Ego, cùm Suedia multum teneat oræ maritimæ, quid aliud præſtare poſſum, quàm ſilentium? Pinſii filius nos hactenus non vidit. Sed non omittam ad eum mittere. Parentibus, tibi, tuæ, tuis proſpera omnia. 24 Ianuarii novi Cal. 1636.

Abierat jam domum Simon Graswinckelius. Itaque literas ad ipſum, nec minùs ad Oliverium retinui. In Suida locus eſt egregius & dignus tranſcribi ex incerto auctore. Titulus eſt, Ἀποστολικὴ πολιτεία id eſt vita Chriſtiana. Sequuntur hæc:

Ὀφθαλμῶν ἀκελβεία,
Γλώσσης ἐγκράτεια·
Σώματος δουλαγωγία.
Φρόνημα ταπεινόν.
Ἐννοίας καθαρότης.
Ὀργῆς ἀφανισμός.
Ἀγγαρευόμενος προστίθει.
Τυπτόμενος ἐπίβαλλε.
Ἀποστερούμενος μὴ δικάζου.
Μισούμενος ἀνέχου.
Βλασφημούμενος παρακάλει.
Νεκρώθητι τῇ ἁμαρτίᾳ.
Συσταυρώθητι τῷ χριστῷ.
Ὅλην τὴν ἀγάπην μετάθες ἐπὶ τὸν κύριον.

Tuus, tuo merito, Frater H. G.

EIDEM.

366 NOſti, mi Frater, Friderici primi hiſtoriam, quem vulgo Barbaroſſam vocant, calcataſque à Pontifice cervices, adjuto Venetorum maximè armis. Ejus rei imago in palatii Pontificalis Aula magna diu apparuit, addita ſcriptura rem complectente, quæ & libris vulgata legitur. Alexander Papa III. Friderici Imperatoris iram & impetum fugiens abdidit ſeſe Venetias, & à Senatu perhonorificè ſuſceptus, Ottone Imperatoris filio navali prælio à Venetis victo captoque. Fridericus pace facta ſupplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici ſua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio reſtituta eſt. Hæc fuere verba quæ poſtquam vetuſtate exſoleverunt, Pontifex gravatus tanti beneficii memoriam, nuper hunc in modum mutavit. *Fridericus permus Imperator Alexandrum* III. *Pontificem, quem diu inſecutus fuerat, poſt conſtitutas cum eo pacis conditiones & damnatum ſchiſma Venetiis ſupplex veneratur.* Offenſi Veneti Vrbani facto, ut ipſi judicant, inurbano & res ſuas agentem Roma revocarunt, & Nuntio Pontificis ſignificarunt niſi ipſis ſatisfieret, audientiam ei poſthac conceſſum non iri. Quidam nec vetus Alexandri, nec recens Vrbani factum probans, Fridericique memoriæ æquus hoc epigramma ſcripſit.

Imperii ſcutum, Germanæ gloria gentis,
Exſurge & noſtras res Friderice vide.
Tot poſt ſæcla tuos committis mortuus hoſtes,
Vſuum in te quorum vis ſociata fuit.
Quippe pudet Papam Venetis debere triumphum!
Ingentis meriti nec monumenta manent.
Pœnitet ingrato Venetos ſerviſſe Quiriti:
Exemplumque, in te quod ſtatuere, timent.
Nolite in faſtum titulo pietatis abuti,
Eſſe jubet Regum libera colla Deus.

Hæc tibi & amicis. Filium, libros, chartas, edulia, reſponſum Rotterodamenſium etiam nunc exſpectamus. Lutetiæ 7 Februarii 1636.

Videtur Iuſtellus calamum parare, ut Seldeno reſpondeat.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

VEnit tandem ad nos Didericus, cum multis tuis, Patriſque optimi literis, pro quibus gratias ago. Poſtremæ tuæ 2 diem Ianuarii præferunt, quibus aderat tuus nomenclator. Meminero uti, ubi digna ſe præbebit materia. Sophomphaneæ verſio utraque ſe mihi probat: filii excitatior nervoſiorque eſt quàm ſperaveram. Accepi & ea qua per filium mitti volueram. Cæteros libros chartaſque exſpecto. Placent & illa quæ ad meum cum Rotterodamenſibus negotium pertinentia miſiſti. De teſtimonio Delfenſium, deque juſtioribus exemplis chartarum quas miſiſti rogo res Senatori Reigersbergio tibique curæ eſſe pergat. Duſſenus, Adrichemius aliique, ſpero, honeſto teſtimonii officio non deerunt. De Iure belli pacisque interpretatio, non ita longe à ſenſu abit quàm putaveram. Multa tamen mutilata invenio. Vide exemplum Lib. III. cap. 1. §. 17. Filium meum maximum natu à D. Cancellario bene exceptum jam audieris. Non diſplicet in Petro juris ſtudium, dummodo omnium ad mercaturam pertinentium cognitionem adjungat. De chartis olim Rotterodamo ablatis compellandi erunt omnes qui eo tempore Collegio interfuere. Et nugæ ſunt quod ignarum ſe dicit Duvenvordius. Puto & Wolfii filium ad illarum aliarumque chartarum cuſtodiam delegatum. Ad Treſelium pro Remonſtrantibus ſcripſi in eam in quam vos reſponderatis ſententiam. Quid facere conſtituerit mihi nondum ſignificavit. Conſules & Scabinos Delfenſi civitati non incommodos eveniſſe ſanè gaudeo. Omnia noſtra cordi tibi eſſe video. Itaque abſtineo monere memorem. Valete tu, uxor, liberi, parentes, amici. Lutetiæ 21 Februarii 1636. 367

Poëmatum meorum mihi duo exempla comparari & tranſmitti velim. Nam ego nullum habeo & alienum commodavi Legato Britannico qui non reddit. Velim & Sophompaneæ Latinum exemplum unum & alterum, niſi fortè brevi exibit minore forma: item Vondeliani Sophompaneæ unum. Nam quod Didericus attulit in itinere corruptum planè eſt. Multum ejus in me amori debeo, præſertim ob præfationem. Si poſſim & Barlæi de animo humano & de mercatura cum ſtudiis jungenda & Hortenſii de oculo exemplum unum aut alterum amicis Italis adipiſci (nam mihi habeo) pergratum foret. Da veniam tam multa injungenti. Eſt hoc à deſiderio omnes adjuvandi.

Tui amantiſſimus H. G.

EIDEM.

VEniſſe huc Didericum jam è literis quas die miſi Veneris intellexeris. Eodem tempore tuis reſpondi. 368
Ex Cornelii literis cognoſco, eum à Magno Cancellario retineri ad Latinarum literarum ſcriptionem. Vbi venerit Senator Reigersbergius, de libello exhibendo ut ſcripta ablata recuperem mementote. Caſaubonianas literas ſpero te nacturum. Blavii ad actiones lentitudo mihi ad multa edenda properanti non convenit. Typi quoque Græci mihi non placent, qui tales vellem quales ſunt in editione Anthologiæ Stephaniana cum notis indicantibus nomina hominum, terrarum, montium fluminum. Rogo igitur tu & Voſſius conſilio me juvetis. Ad Elzevirios nobis minùs æquos nolim confugere, non tam hujus libri cauſa, quàm aliorum quos vulgare paro, ipſorum palato non reſponſuros. Qui ſint alii à typis & correctoribus bene inſtructi, neſcio. Literæ hic frigent; accedit propius bellum valido hoſte ad finem Campaniæ. Vale cum Parentibus, tua, tuis, noſtris. 28 Febr. novi Cal. 1636.

Tuus tuo merito H. G.

EI-

EIDEM.

369 PRope eodem tempore accepi literas tuas, mi Frater, 3. 10. 20. Martii. Postremas priùs ὁμηρικῶς. Vt meliùs intelligatur vis epigrammatis, optimum dabo interpretem Venetum Fratrem Paulum, virum veteris novæque historiæ callentissimum. Vidi ipsius autographas ad Senatorem Parisiensis Senatus Gillotum literas, scriptas 12 Maji 1609 in quibus hæc sunt prudenter, ut omnia illius, dicta. *Si quam libertatem in Italia retinemus, aut usurpamus, totum Franciæ debemus. Vos & dominationi resistere docuistis & illius arcana patefecistis. Majores nostri pro filiis habebantur olim, cum Germania, Anglia & nobilissima alia Regna servirent: ipsique servitutis instrumenta fuere. Postquam excusso jugo illa ad libertatem aspirarunt, tota vis dominationis in nos conversa est. Nos quid hiscere ausi fuissemus contra ea quæ majores nostri probaverant, nisi vos subvenissetis.* Hæc digna lectu & Pontificiis, & iis qui apud te eadem agi non vident Protestantibus, tibi potissimùm mittenda censui. Nunc ad tuas ordine, sed cursim venio. Literas curandi video rationes multis modis incertas esse. Optimum est non easdem semper experiri. Si quid est fidas aures requirens, mercatorum uti opera. De Molino epigrammata & Latina, & Græcum non displicere gaudeo. Putavi debere me hoc memoriæ viri semper, & in omni fortuna mei amantis. Petro cum modo, ut prospectum sit, curabimus. Scripsi ei ut meas Institutiones Batavi Iuris in sermonem Latinum, non qualemcunque, sed Digestorum transferat. Rogo te amicosque omnes ad id opus, ipsi publicoque utile, & hortatores & adjutores sitis. Cornelius spero jam de segnitie se purgaverit. Didericus, nisi aliud res suadeat, hic manet ad discendos mores, gestus, linguam, equitandi & armorum artem. Si tamen aliter amicis videbitur, non erimus pertinaces. Simonem Graswinckelium apud vos esse gaudeo. Quoties tibi scribo toties & parentibus optimis me scribere intelligo: novi enim diligentiam tuam. Gaudeo matrem incommodo novo liberatam: patri pro ætate bellè esse. Deus illorum diu adversa non gravi senectute compenset, mihique det illis semper probari. Vxori tuæ, Losecatioque & ejus uxori omnibusque nostris pro suavi nostri memoria gratias agimus. Multum refert quid responsi à Bruxellis venturum sit, super negotio pacis Batavicæ Gallicæque. Interim non transmitti agendi tempora gaudeo. Cæsarianos è Frisia Orientali in Westfaliam rediisse etiam hic audimus. Iuvabit quid ibi porro acturi sint, intelligere. Leodienses vexari jam diu audimus. Quid consilii sint capturi, colludente cum agri invasoribus Episcopo eodemque Principe, videndum erit. Rogo Rotterodamense negotium ne semper trahatur. Et me enim & vobis indignum est nos tot per annos prolatando illudi. Si cum bona gratia jam nihil fit, cogitandum erit illic judicio, an alibi expeditiori via meum mihi consequendum sit. De Casaubonianis ut pergas rogo, quando de Tilenianis, quæ magni facio, recuperandis spem adimit Lamairius. De Friderico Imperatore epigramma, quod mihi Legatus Britannicus Pavoni se dedisse dixerat, si secunda sunt judicia, gaudeo. Velim & Gallicè id versum videre. Eindhovia neque situ neque munimentis momentum habet. De Gallorum ad Mazeriam exercitu nihil est: neque multum ad eum limitem hinc actum iri arbitror, versis in Italiam conatibus; illis quoque usque hac non prosperis. De Anthologia etiam D. Vossio scripseram. Reposuit tricas Blavii. Characteres quos mihi Petrus miserat planè indigni sunt opere. Velim edi talibus, qualibus usus est Stephanus, & cum illis σημείοις διακριτικοῖς nominum quibus homines, montes, urbes, aquæ discernuntur. Si talia non reperiuntur, aliis typis optimis edi librum cupiam, & indices confieri scriptorum & eorum de quibus scribitur, hominum, rerum, locorum. Prolegomena non inutilia jam parata habeo. Gaudeo mihi conjecturam de Scenquiano castello tam bene processisse, ut prædicti eventus spes sit propinqua:

μάντις δ' ἄριστος ὅς τις εἰκάζει καλῶς,

Libellum ad chartas meas recuperandas exhibere, ne differatis quæso. Multum enim naufragii tabulas colligere desidero. Claudam epistolam solito rogatu, omnia mea, ut tamdiu facis, fraternè cures. Vale quàm dulcissimè cum nostris tuisque omnibus. 9 Aprilis 1636.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

PRo librorum custodia, transmittendique cura & 370
Patri optimo & tibi, mi Frater, gratias ago. Simul accepi venit in mentem Virgilianum illud:

Post aliquot mea regna videns mirabar aristas.

Sunt enim quidam ea cum voluptate mihi olim lecti, ut ipse intuitus & locorum nondum obliterata memoria me delectet. Spero operam daturum te cum Reigersbergio Senatore, ut chartæ quæ mihi ereptæ sunt ad me redeant. Rotterodamensi quoque negotio spero finem impositum iri, aut cogitandum nobis erit qua via optimè nostrum consequamur. Legi iter Cardinalis Hispani ex Hispanico sermone in Gallicum sermonem versum, magna ubique indicia præferens gentis etiam inanium ostentu magnificæ. Illud satis ineptum quod inter ea quæ Mediolanum ineunti facta sunt, fuit imago Ganymedis in cælum rapti, significatione ad ipsum relata Principem his verbis, *Augeat divos.* Est in eodem opere descriptio fontis ejus quem Plinius in epistolis nobilitavit, servantis nunc quoque communes cum mari vices incrementorum, cùm à mari distet trecentis Leucis. Didici indidem Majestatem Hungariæ Regis Apostolicam dici. Prælii ad Nordlingam τὰ καθ' ἕκαστα curatè ibidem depicta video. Balsacius ille inter Gallos epistolari scriptione nobilis, epistola ad Hugenium reprehendit Heinsium, quod in Tragœdia Scenæ Hebrææ Tisiphonem induxerit, paganum numen, sed hanc libertatem multis in Heinsium blandimentis redemit. Ego puto defendi posse Heinsium sive cum Philosophis Furiarum nomine intelligimus νοητόν τι sive Dæmonas qui sexu carent, putamus æquè feminini atque masculini sexus nomine posse exprimi. Vale cum nostris omnibus. Lutetiæ ¹⁄₁₁ Aprilis 1636.

Librum illum de itinere Cardinalis Hispani commodatum hic legi. Velim exemplum (nam hìc nulla sunt) ex vestris locis (editio enim in Brabantia facta est) ad me mitti per amicum cum Poëmatum meorum tua cura editorum exemplo, quo omnino opus habeo. Velim addi editionis optimæ Virgilium, Ovidium, Claudianum: Lyricos Græcos: Paraphrasin Ethicorum ab Heinsio vulgatam. Dum librorum censum perago, reperio nonnullos quos meos fuisse non memini: eos cum occasione remittam. Alios requiro, fortè ante nostra mala amicis commodatos, fortè etiam cum chartis quæ Hagæ fuerant apud me, nescio ubi delitescentes. In his sunt Germania Cluverii in folio. Turnebi Tomus III. Duo libri canonum Ecclesiæ universalis & Africanæ editi à Iustello. Dousæ Annales prosa. Aratea à me edita in quibus non pauca annotaram. Vossii Rhetorica majora. Sed hunc postremum dubito an non in Gallia habuerim. Philonem cum voles repetes. Miror non missos etiam libros Actorum Conventus Hollandiæ ad mea tempora, qui sunt quidem civitatis Rotterodamensis, sed à me pignoris jure retinentur, nec libros Actorum Conventus circa annum 1581. sed horum duos ni fallor à mea bibliotheca abstulere Rotterodamenses, tertius repetendus erit à Borelii hæredibus, nam ei utendum dederam, quod velim curare D. Reigersbergium.

Tuus tibi obligatissimus H. G.

EI-

EIDEM.

371 PEr mihi grata sunt, mi Frater, quæ scriptis 23 Aprilis literis nuntias. De Iurisconsultis, quin responsuri sint quod æquum est, non dubito. Si ultra nos trahere volunt Rotterodamenses, nostrum erit cogitare quæ futura sit optima ad jus consequendum via. De Portus Delphensis controversia jam ex Senatoris Reigersbergii literis cognoveram, eique responderam quod nostri populares obtinuerant & rationi congruum esse & canonibus antiquis, inter alios XVII Consilii Vniversalis Chalcedonensis. Quod mitto scriptum Molæ præferens nomen, Nicolai est Borbonii, poëtæ quondam inter Gallos Latinissimi, nunc inter Patres qui vocantur Oratorii. Is non minùs malè habitus à Balsaco Epistolico Epigrammatario, quàm Heinsius, se ut vindicet, Heinsium sub blandimentorum larva à Balsaco, qui ex Herode Tragœdia materiam sumserat, parum humanè tractatum, in partes advocat. His diebus Cardinalis Ricceliacus, ei cùm adessem, post res serias occasiones lecti hujus quem mitto libelli, me de Heinsio interrogavit. Ego sine ullo nigræ loliginis succo reddidi ei quod debui, ingenii eruditionisque testimonium. Ita soleo. Filii librum mea poëmata, cogor ei eripere, ut Cordesio reddam, à quo commodatum, mihi librum Legatus Britannicus à me sibi commodatum non reddit. Credo in Angliam miserit, atque inde (jamdiu enim id est) Seldenus sumserit egregium libri sui epiphonema, in quo locutiones meas figuratas opponit seriis. Ego viro illi & humano & erudito, quod me & humanè & eruditè tractaverit, multum debeo. Epigrammate tamen hoc puto me non læsisse jus amicitiæ, quæ inter nos est,

Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum,
Est Græca Xerxes multus in historia.
Lucullum Latii Xerxem dixere togatum:
Seldenus Xerxes ecce Britannus erit.

Mormontio, Heinskerckio paria de me nuntia: & cum Parentibus, uxore, liberis, amicis vale. Lutetiæ 7 Maji novi Cal. 1636.

Rogo scribas an Heinsii Notæ ad Novum Testamentum jam sub prælo sint. Si Blavius non habet editioni Anthologiæ necessaria cogitabo an Morello hic mea tradam. Illud miror Anglos, quorum conscientia editus est Seldeni liber, ita apertè profiteri quæ nobis mala evenerunt, ideo evenisse quod jus illud de Mari, quod ipse Iurisconsultis Romanis, Britannis, Hispanis probatum negare non potest, defenderimus. Digna est quæ iterum prælo subjiciatur Barlæi Oratio de Anima. Meum exemplum abalienavi à me. De Cœlo legi, mireque & illa mihi placuit. Sed cavebo ne mea liberalitas mihi & hanc eripiat.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

372 AMicorum arrepto abitu remitto ad te, Frater, libros quos pro meis non agnosco. Manuscriptus est hæredum Stephani Dousæ: Silvestrina summa Graswinckelii, qui si quid mearum chartarum apud se habet, velim conquirat & pari fide mecum agat. Lipsii Politica habui. Sed hic liber cujus sit nescio, neque magis Callimachus & Horatius. Lucæ Fruberii liber Vossii sit an Erpennii haud dixerim. Colloquia Erasmi, Claudianum, Horatium puto Petri esse nostri. Librum Francisci, fratris quondam nostri, scriptum manu rectiùs tu custodies. Hæc remitto. De Formulis Brissenii hæreo, sitne mihi donatus an commodatus liber. Siquis repetet, reddam. Memoria excitata signis quibusdam magis magisque mihi testatur in domo Driliana me libros habuisse non tam multos quàm gratæ lectionis ad diluenda rerum tædia. In his fuisse quosdam libros de quibus scripsi ad te antehac, præterea Pancirolæ de rebus perditis & repertis novis, & Gallicas Marionis actiones, & Quintilianum. Hi libri omnes deportati sunt ad D. Basium cum chartis non minimi usus. Inde quo devenerint & te & Senatorem Reigersbergium rogo quàm diligentissimè inquiratis. Fortè unius indicio reprehendantur omnia. Da veniam quod toties tibi de rebus meis molestus esse cogor, & mutuò quicquid vis injunge. Si vacat, quæ ibi sint judicia de Balsaco in Heinsium, Mola, id est, Nicolao Borbenio in Balsacum censuram exercente, fac nos gnaros, & vale cum tua, tuis, Parentibus, amicis. Lutetiæ 14 Maji novi Cal. 1636.

Mericus Casauboni filius qui in Britannia vivit parat editionem epistolarum patris. Rogor ut addam quas accepi ab eo. Quare precor interpelles aut Elzevirios quibus tradiderunt Puteani fratres, aut D. Rivetum cui tradidisse se dicunt Elzevirii. Multum vereor ne aliqua minus scripta ad Genevalem stomachum subducantur. Edictum in Anglia est, ne quis Seldeni librum cui Mare clausum extra Angliam editum in Angliam importet, ibive vendat, propter accessiones ibi improbatas. Non satis memini cujus manu in margine editi à me Capellæ quædam adscripta sint. Si scis, rogo indica.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

QVotidiè plura ac plura mihi memoria suggerit de illis fugitivis libris qui primo apud Drilium, deinde apud D. Basium fuere. In illis fuerunt & Quintiliani Institutiones præter eos libros quos indicavi antehac. Quod eo magis inculco, ut & ipsi libri inquisitione diligenti si fieri potest retrahantur, & per eorum vestigia chartæ quas scio fuisse ibi optimas. De Iure belli & pacis versionem per otium interdum inspicio: non credas, quàm multa reperiam, non per ignorantiam, sed consilio à vero detorta sensu. De Anthologia rogo cum D. Vossio aliquid constituas. Intelligo notas illas διορθωτικὰς quæ sunt in Stephanicis editionibus, esse à typis literarum secretas, itaque levi negotio posse confici. Sed & typorum habenda ratio, ne minùs elegantes sint quàm Stephanici, aut mei Stobæani. Si ibi id impetrari non potest, videbo an Morelli & typis utar & opera. Correctore bono imprimis, deinde & diligenti Indicum opifice opus hoc indiget. Vale cum Parentibus, uxore, liberis, amicis, propinquis. 23 Maji 1636. 373

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras abs te, mi Frater, 12 Maji datas heri accepi, 374
cum paternis, D. Basii, & Graswinckelii quibus rescribam, ut primùm potero. Puto ipsum te satis videre mihi in patria vetere tot inimicos habenti foris non perdendos amicos. Habeo alioqui non spernenda. Post illas 12 Maji scriptas alias 6 Maji datas accipio ὕστερον πρότερον & gaudeo de Anthologia non excidisse curam. Aliquid constituendum erit. Velim & apud vos librarium reperiri qui excudere velit minore forma & seorsim Gersonis librum de Auferibilitate Papæ, est enim argumentum his temporibus utile, multosque empturituros prævideo, & ego paucis exemplaribus inter amicos distributis facilè pretium accendero. De labore quem Petro injunxeram gaudeo probari tibi consilium meum, rogoque non hortator tantùm, sed & monstrator esse velis. Ad pacis colloquia non alium locum hoc tempore Colonia meliorem video. Etiam hic plebs & nobilitas ardent pacis desiderio. Rogo de libris & chartis meis quæ apud Drilium fuere nullum laborem omittas. Scis quàm durum sit talibus notis subsidiis carere. Parentum ubi

potero meminero. Filiam ubi mittere voles erit gratissima. Vide an quid sit aliud in quo tuæ pro nobis diligentiæ possimus respondere. Vale cum tua, tuis, nostris. Lutetiæ 30 Maji novi Cal. 1636.

De Casaubonianis ad me literis iterum aurem vello.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

375 DE Anthologia, mi Frater, responsum adhuc exspecto. Velim ea cura expeditus ad alias verti. Laborat hæc Aula ut hic sub majoribus præmiis, sed simul haud dubiè minori scribendi libertate retineatur Salmasius. Velim scire an prodierit Abrahami Mylii Lexicon veteris Teutonismi. Si ita est velim mihi mitti cum Kiliani ultimæ editionis Dictionario. Etsi illud non potest, hoc saltem. Lemniscum quo uti schola Lassoniana solebat velim habere, ut studia filii ejus qui hic Legatum Angliæ agit ordinarium juvem. Scripsisse me memini de Gersonis libro de Auferibilitate Papæ seorsim excudendo apud vos. Heic enim nimium multæ se offensæ objiciunt. Existimo & publico id utile, & librario minimè damnosum fore. Vale. 12 Iunii novi Cal. 1636.

Vale cum uxore, liberis, parentibus, amicis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

376 MVltum exspectato, mi Frater, literas abs te simul accipio ternas, datas 9 Iunii binas, tertias 23 mensis ejusdem. Meas quas ad te scripsi, rectè curatas gaudeo. De Anthologia videbo quid hìc fieri possit. Salmasius adhuc hæret. Ego, si quid valeam, dem operam ei ut in Britannia locus sit pro merito. Mylii Lexicon jam paratum erat cum poëmata mea ederes: miror non prodiisse. De Kiliano memineris rogo. Vsui mihi erit ad indagandas origines nominum Gothicorum. De Anglis rectè judicas. Maris possessio & contra hostes, & contra æmulos armis & animis indiget. Velim scire quid de Molæ scripto dicat Heinsius. Habet hoc mali Balsacus, ferox est & aliorum multò se diligentiorum studia contemnit. Bellimontio, Honarto, Kinschotio, Borelo gratulor quod tam benigna judicia contigerint, ut & Brassero de oblata Legatione. Miror Pastorum apud vos pertinaciam: cujus pœna nimis lenis est, quod coire vetantur. De Pontano si quid certius didiceris, scribe quæso. De libris & chartis perge commonefacere Reigersbergium Senatorem. Patri pro literis gratias ago, ipsi matrique senectutem precor commodam. Lutetiæ 24 Iulii 1636.

Tuam tuosque & nostros omnes salutamus.

Tuus & animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

377 QVotidie aliquid à memoria admoneor de libris quos apud Drilium habui. In iis fuere & duo opera Keckermanni à me multis in locis notulis quibusdam & scriptorum locis illustrata: quæ non parvi mihi usus forent. Rogo quantum fieri potes inquiratis & tu & amici alii. Præterea scripsi Senatori Reigersbergio tergiversantibus tam diu Rotterodamensibus offerendum eis compromissum. Si id recusant, vulgandam æquitatem nostram & cogitandum quid agendum sit, ne ipsa patientia tam longa fraudi nobis sit. Ad eam rem opus erit ad me transmitti versa Gallicè documenta causæ, contractum Syndicalem, cautionem de indemnitate, testimonium impletæ à me secundùm mandata fidei. Si expiscari potes ubi manserint chartæ meæ præter eas de quibus monui antehac, illa quæ in sacco custode chartarum erant cum caperer, valde me obligaveris. Parentes optimos, tuam, tuos nostrosque salutes rogo. 31 Iulii 1636.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

QVoties, mi Frater, apud me cogito, quibus maximè rebus promoveri possit remota à controversiis aut 378
damnosis, aut minùs utilibus Christiana pietas, duo mihi libri in mentem venerunt dignissimi qui in usum eorum quibus sermo noster incognitus est vertentur, aut in Gallicum, qui satis latè patet, aut in Latinum: Homiliæ Puppii: & liber Germanicè editus anno 1632 hoc titulo: *Von der Reformation, oder Erneuerung der Gemeinte Christi:* nisi quod in hoc fortè quædam Vtenbogardi, aut alterius prudentis arbitrio resecanda, aut mitiganda sint. Poteris de hoc meo consilio cum prudentibus agere. Video scriptis plus profici quàm sermonibus, quod ab iis edoceri eos qui docti sibi videntur minùs pudeat. Portat has literas Meunerius, de quo scripsi antehac. Si quid potes facere, ut cum bona gratia hæredum Stoutenburgii negotium suum transigat, erit id mihi gratissimum. Lutetiæ 18 Augusti 1636.

De Kiliano velim, sis memor. Spero receperis eas quas die Veneris misi, in quibus parentum memini.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras abs te binas, mi Frater, 5 & 12 datas Augu- 379
sti prope eodem accepi tempore. Tardius jam curari mirum non est, hoste omnia intercursante. Redditæ mihi sunt priores tuæ hodie cùm posterius datas heri accepissem. Scripsi ad Magnum Cancellarium, ut constituat ipse quid mihi super Anglicana controversia faciendum censeat. Est in ea re aliquid ad Suediam pertinens. Quod filium in vertendis Institutionibus juvas, facis pro tuo more, ut de omnibus nobis optimè merearis & mei absentis liberis patrem exhibeas. Vtinam respondere tuis benefactis queam. Labor ille non malè ei procedet, si ad quamque materiam legerit digestorum ejusdem argumenti titulum. De Anthologia etiamnum cogito. Typi illi optimi non sunt. Blavius bonos correctores Græci sermonis non habet: & tardus est. Sed & hic librarii minùs avidi ob prostratum per bella mercatum librorum. Gronovium novi, neque dubito quin is nos amet. Spero Rivetum bonæ fidei futurum. Parentibus opto commodam senectutem. Scripsi de iis ad te nuper. Pecunia illa Hispanica jam ex Anglia in Hispaniam transiisse dicitur. Reigersbergius ubi redierit, rogo Rotterodamense negotium impellite. Acceperam Veldii interpretationem. Sed puto instrumento aliquo publico mihi opus fore, quale est quod Vidimatum vocant. Testimonio opus mihi esset illo Delfensi aut & aliorum. Borelio omnia opto felicia. Puto intellecturum jam Petrum nostrum, exemplo Nassovii Comitis, quàm non inhonoræ sint tales profectiones. Si locus illi aliquis posset obtingere, in quo & industriam exerceat & res maris addiscat, putem non spernendam occasionem. Vt diu eum nostris sumtibus & quod optare eum video pro dignitate nostra sustentemus, res nostræ præsentes non ferunt. Scripsi ad Senatorem Reigersbergium, pati me posse ut Rotterodamensis civitas arbitros sumat è judicibus, Senatores puta Cromhoutium & Couwenburgium: à nobis sumantur Senatores alteri duo: & ab his omnibus, si opus sit, quintus. De Salmasio puto me tibi scripsisse datum ei titulum consiliarii status, ut invidis oculi etiam de inanibus doleant. Lutetiæ securi vivimus hoste propiora omittente, intento locis ad Samaram. In Burgundia res mutatæ sunt. Periculum à Comitatu abiit, in Ducatum incubuit, infuso illuc cum ɪv cɪɔ equi-

equitum Duce Carolo. Ad defensandum nunc propiorem nobis limitem egregii sunt paratus, mira civitatum quanquam duriter habitarum studia. Qui Capellam & Castelletum dediderunt, culpæ alicujus: qui Corbiam tradidit collusionis si non cum Hispano, certè cum Regina matre accusatur crediturque se in Angliam recepturus. Quomodo procedant res inter Anglos Batavosque scire desidero. Ego non desino quotidiè proponere ea quæ ad concordiam spectant, ut Palatinæ domui tam diu afflictæ spes aliqua exoriatur. Vale, mi Frater, & me crede tua benefacta grato æstimare animo, ut debeo. 28 Augusti novi Cal. 1636.

Si Petro iter Brasilianum, quod velim, allubescit, nihil ad nos rescribite, sed conficite negotium eumque rebus necessariis instruite. Sumat secum libros aliquot & bonorum consortio bona omnia addiscat.

Tuus & animo Frater H. G.

EIDEM.

380 Literas, mi Frater, tuas 18 Septembris accepi, datas 26 Augusti. Et tardæ sæpe ad nos perveniunt epistolæ, & intercidunt nonnunquam, obreptis terra itineribus, mari, ut fert ejus natura, incertis. De Petro curæ nobis erit. Quod autem de Brasiliano itinere scripseram, sub tanti nominis duce, non posse id ei non honestum esse, etiam nunc videtur. Rerum maritimarum exacta cognitio cum literarum quamvis mediocri profectu multum illi commendationis apud Batavos, Suedos, aut alios adferre poterit. Si non allubescit hoc, volo Hagæ sit hac hyeme, apud te si res tuæ ferunt, si non apud alium æqua mercede, & exscribat formulas libellorum, actionum, defensionum & omnem illam pragmaticæ scriptionis farraginem: quem ego laborem olim concoxisse memini. Deinde sub ver ad nos veniat Aureliæ titulum Iurisconsulti accepturus, ut deinde Hagæ perceptis rebus forensibus Amstelodamum redeat, isti se tribunali, ut lucrosiori, dediturus. Auctor ei ad omnem diligentiam, ut semper fuisti, ita & nunc sis precor. Salmasius paratus est mare transmittere. Graswinckelius multum ne perrexerit in responso ad Seldenum scire aveo. Video ista non joco ab Anglis agi. Sed volunt credi in arcano se cum Proceribus Hollandiæ convenisse: & Ioachimium perferre pactorum approbationem. De Heinsio mira narras. Non malè ei volo. Si qua in parte filio ejus prodesse potero, faciam. Exercitationes ejus ubi prodierint, rogo ad me veniant. Paratum habet adversarium Salmasium. Id gaudebunt interpretes non LXX, sed Lugdunenses. Quid Princeps Arausionensis agat scire velimus. Ab aliquo tempore nihil ad nos venit literarum. Et hic & in Burgundia & in Italia parum agitur, nisi quod Roiam recepere Galli, ad Dorlanum ire dicuntur Hispani. Valete amici omnes. Lutetiæ 25 Septembris 1636.

Scripsit hodie ad te uxor literas quas cum vestibus Petro hic factis misit ad Treselium. Si quid ultra opus habet sume è reditibus nostris sive mortalibus, sive immortalibus ut res feret. Audio ex multis ei non parum temporis perire. Ego & ipsum & alios filios ita pro meis habeo, si diligentiam meam imitentur. Has ad D. Blanckiam literas curandi negotium in te suscipias, si prope est, sin minùs certo amico mandes rogo.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

381 De pecunia cura, Frater, recta est, & gratias agimus pro hoc aliisque laboribus quos nostris rebus impendis. Perge cum Senatore Reigersbergio nostra omnia promovere. Deus te, tuam, tuos nostrosque omnes ab iis quæ grassantur illic malis servet. De Principe Arausionensi quid facturus sit, magna hic exspectatio est. Galli nihil aliud quàm sua defendant in Burgundia Picardiaque. At Itali Principes, præsertim Parmensis sua perdunt. Rohanius ad Iulii Cæsaris res scripsit observata lectu digna boni ducis formam continentia. Quod pollicebetur. Miletierius acer quondam adversator Tileni librum edidit quo planè, verbis tantùm mutatis, in illius concedit sententiam. Gaudeo nostri memoriam restare tum apud propinquos nostros Reigersbergios Endegestiosque, tum apud viros eruditos Heinsium, Tisium, Vorstium. Heinsii notata ad Novi Fœderis libros videre avebo, simulque intelligere de iis Theologorum judicia, imò & Politicorum, qui sæpe de Theologicis rebus meliùs quàm Theologi judicant, quod animo sint à factionibus liberiore, ii maximè quibus linguarum veterum aliquis gustus est. Vale cum amicis. 16 Octobris novi Cal. 1636.

Tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

Accepi, mi Frater, à Patre Kilianum, cui pro opera impensa gratias habeo. Venit ad me & Brandanus Dætri juvenis optimus, & qui gaudet patrem nostrum teque sibi conspectum. Quod ei numerasti, itemque Kiliani pretium in rationes nostras imputa. Dolet mihi quod tibi aliisque nostris semper negotium exhibeo. Brandanus ex Calixti disciplina est, viri veritatis & antiquitatis pacisque Christianæ amantissimi, & qui studium sincerum pietatis multum controversiarum cognitioni anteponat, quod genus Theologorum mihi semper placuisse nosti. Venit ab Anglia minor Reigersbergius, bene exceptus à viris magnis, quod me attingeret. Vidit Archiepiscopum, à Casaubono etiam hospitio receptus. Libros meos ibi in pretio esse renuntiat. De veritate Religionis Christianæ nostra edi Anglicè. Novam quoque poëmatum meorum editionem factam Oxoniæ. De Satisfactione valde probari. Etiam Brunsvici Germanicè versa sunt nostra de Baptismo à Confessionis Augustanæ viro egregio. Ita solatium aliquod habeo impensæ publico operæ. Multum probat Brandanus Pappiana, atque eam docendi formam secuturus est. Miseram ante menses hos duos, aut amplius librum viri eruditi de motu terræ cui inscriptio Philolaus. Eum per Batavum, puto Croquium aut alium, ad D. Vossium perferri volueram. Interrogavit me scriptor qui nomen suum justa de causa occultat, an certus essem pervenisse librum quò volueram, ego qui nihil ejus intellexi hactenus te rogo, ut scisciteris meque de eo quod compereris edoceas. D. Salmasium si fortè videris rogo, ut ubi ea usus fuerit tradat tibi Barnabæ epistolam à me descriptam. Quod si & veterem ejus Latinam versionem habeat precor ipsum quidem, ut mihi exemplum sumere liceat, te vero ut aliquem mihi quæras qui describat. Mirè enim afficior illis primi sæculi Christianorum scriptis, qualis est & Clementis ad Corinthios epistola, quam nobis ex Anglia Patricius edidit. Vbi prodierint Heinsianæ notæ in Novum Testamentum sciscitare, quando & suas daturus sit Salmasius. Id enim si in propinquo est, differam jubere transcribi meas, donec ista viderim, ut si quid opus sit mutem. Vale cum parentibus, uxore, liberis, propinquis, amicis. Lutetiæ 25 Octobris 1636. 382

Iam nunc duo Pastores Legati ordinarii Anglicani, veniunt salutatum fraternè Brandanum nostrum. Erit hoc, ut spero concordiæ generalioris indicium.

Tuus tuo merito H. G.

EIDEM.

Frater optime,

Die mensis hujus octavo literas accepi tuas quas 18 Novembris dedisti. Brandanus & moribus & moderatis 383

tis sententiis, mirum in modum se mihi probat. Non desinam ea moliri quæ ad pacem Christianorum pertinent, & ut nihil perficiam, juvabit vel immori tam pio voto. A controversiis populi captum superantibus abstinemus, tradimus & quæ Christianorum semper fuere communia. Pietatem urgemus, ut necessariam. De Cordesii labore in vertendis iis quæ pro Veritate Religionis Christianæ laboravimus, jam audieram: gaudebo & videre. Oxoniæ edita sunt nostra sacra tantùm. De reddendis typographico prælo cæteris cogitemus, ne risum præbeamus eos ornando à quibus omni modo malè tractati sumus. De libro illo quo terra quiescere non finitur, Vestæque ei nomen invidetur, scripsit ad me D. Vossius. Salmasius Diepæ diu retentus est, ventis adversantibus, partim & quia idoneæ ad tutelam naves deerant. Vbi venerit poterit comiter interpellari. Nam illud Barnabæ, ipsius habui beneficio. Ab ipso acceptum, ab ipso recipiam ubi erit commodum. Mea ad Novum Testamentum describit Brandanus. Historiam Didericus. Anthologia edi potest ubi ea invenerimus quæ pulchram editionem facere possunt, qua de re scribo ad Vossium. Quod mihi temporis à negotiis vacuum est Gothicis, id autem est Suediæ, antiquitatibus impertio. Verti Latinè, quod tibi dictum sit, Gothica & Vandalica Procopii: emendatoria & auctiora ex manuscriptis duobus Regiæ Bibliothecæ; uno Vaticano cujus ad me missa sunt excerpta. Quæ Graswinckelius pro libertate maris scribet, avebo ubi prodierint videre, ut unus è vulgo, non ut maris liberi defensor, non ut illi controversiæ immixtus, quæ ad me ultra jam nihil pertinet. Non memini quis fuerim, quando nec illi de quibus optimè sum meritus, mei, nisi ut noceant, meminerunt. Petro nostro rogo ut non hortator tantùm sis, sed & viæ monstrator. Formulas omnes diligenter sua manu describat. Legat nostra quæ vertit, & Mandata Consessuum Iuridicorum & Merulam qui ea digessit, & Classes Oldendorpii. Romanam propriè jurisprudentiam nolo credat aliunde se quàm ea Cujacio haurire posse. Quæ verò usus habet, res judicatæ docent. De fœdere quale scribis, Gallos Britannosque inter nihil comperi. Sunt tamen quæ suspicari liceat. Vxori tuæ felix puerperium: tibi ipsique auctam domum gratulor. Causam Oudartii, quam olim tibi commendavi, rogo & ipsi D. Reigersbergio eaplices ad quem ea de re scripsi. Vale cum tua, tuis, nostrisque. 12 Decembris 1636.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

384 GRatus est nobis Losecatii adventus. Dabimus operam ut videat se propinquos habere optimè ipsi volentes. Graswinckelii quod misisti quanquam in multis negotiis vidi. Quod indicas mea cùm scriberet non legisse, etiam te non monente cognovissem & ex verbis & ex rebus. Dignus est Seldenua quicum benignè agatur. Quæ pauca Graswinckelio scripsi, ad te aperta mitto, ut obsignes tradasque, judicium non fero. Cavendum enim mihi ne in controversia detestabili nunc quicquam aut dicam, aut scribam quod τοῖς κρείττοσιν in mari Finnico Botnicoque nocere possit. Deinde stultus sim si & alias amicas mihi gentes offendam illis blandiens à quibus nihil hactenus nisi inimicum eapertus sum. Vale cum Parentibus & amicis. 14 Decembris 1636.

Tuus toto corde Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

385 ANnus est & ultra, quod Mileterius magnus olim partis Rupellanæ Antistes & D. Tileni adversarius, librum edidit Gallicè, pertinentem ad conciliandos Romanenses cum Reformatis, quo proposito nescio. Alii dicunt hominem sibi non displicentem (idque satis apparet) appetere magnæ rei gloriam. Alii, inops cùm sit ali eum Cardinalis, cui operam navat aperteque dedicat, beneficio. Qui interius hominem norunt, benigniùs ejus propositum interpretantur; adversis edomitum animum à factionum bellique consiliis ad pacis desiderium flexisse. Salmasius ei amicus est, neque de eo malè sentit. Iam menses aliquot sunt cùm librum edidit Latinum, in quo ea quæ involutius dixerat explicat, non tamen sine latebris aliquibus, præsertim ubi de Primatu in Ecclesia agit deque Eucharistia. Varia fuere judicia, eorum qui plane Pontifici parent, eorum qui Calvinum acriter sectantur, & quorundam in utroque grege temperatorum. Molinæus, diu exspectato, missum ad se librum excepit duro responso, ut & priorem fecerant, tum ipse, tum Rivetus. Rescripsit Mileterius Molinæo salsè satis, quippe Gallico sermone quo plus valet, & quædam dixit ad Molinæum pertinentia non vanè. Cameronis sententiam de Prædestinatione & Gratia (nam de his quoque egit libro illo Latino & fusè aperteque satis) ita probat, ut emendet, aitque voluntati illi Dei de servandis omnibus, quam Camero agnoscit, consentaneum esse, ut in iis qui non convertuntur aliquid sit quod ipsis fuerit evitabile. Arminio tamen consentientes adeo non vult videri probare, ut dicat solum fuisse Cameronem qui ipsis os occluserit. Post unum eximium ejus gregis debellatum (Tilenum) neminem ausum exsurgere, nisi unum, dissimulato nomine. Episcopium intelligit. Huic extremo Mileterii scripto Dallæus suum opposuit Latinius sanè quàm erat Mileterii, sed satis aculeatum. In eo, quod miror, Synodi Dordrechtanæ decreta magnificat: cum iis tamen conciliare vult illas sententias de Dei voluntate ad servandos homines, miris effugiis & ἀσυστασίαις. Dignam arbitror hanc occasionem de qua cogitent qui ibi sunt viri eruditi, si fortè ex hoc collegio durorum satis hominum lucis aliquid excitetur. Iampridem curaveram ad D. Episcopium mitti quæ Amiraldus & Testardus discipuli & hi Cameronis, eo de argumento scripserant, putaveramque illum ea quæ olim Camerone vivente scripsit pro sui libelli, qui ἀνώνυμος exierat, defensione, eodemque mortuo, ne cum larvis luctaretur, suppresserat, nunc, refictа nonnihil, editurum, vel in hoc maximè, ut istud σοφὸν φάρμακον de voluntatis immobilitate, nisi quatenus ab intellectu determinatur, quo haud dubiè Deus causa statuitur inevitabilis culparum omnium, etiam primæ denudatum ob oculos ponatur, si qui fortè inde rem, non tam per se quàm tractantium vitio obscuram, pervidere incipiant. Si D. Episcopio non vacat, erunt fortè alii. Sanè aut nullum, aut tempus est aliquid agendi, si modo veritatis non hic aut illic, sed ubique spargendæ habetur quæ debet ratio. Meæ occupationes mihi quod permittunt id facio. D. Bandanus optimè sentit, sed nondum exercitatus est in istis controversiis, sed dat operam ut fit. D. Aurato non expedit, fortunis incertis, ista in hoc solo moliri. Britannorum Legatorum pastores delatores sunt magis quàm disputatores. Mileterius Legatum Britannicum extraordinarium adiit: me non vidit, credo veteris offensæ metuens, quam ego ex animo delevi, quotidie in hoc intentus, ut privatis cogitationibus emotis publico vigilem, eique me totum dedam. Publicum autem cùm dico Christiani Orbis bonum intelligo. Quò rectiùs totum hoc negotium introspicias mitto omnes qui de eo scripti sunt libri, teque oro, ut primùm D. Senatori Reigersbergio ostendas, deinde iis quos veri pacisque amantes nosti. 29 Decembris 1636. Parentes, tuam, tuos saluta à nobis omnibus.

Coventrii viri illustris apud Anglos filius vertit Anglica nostra pro Religione Christiana. Ostendendum præcipuè videtur voluntatem Dei seriam omnes salvandi & mortem à Christo pro omnibus toleratam esse, [illegible] cum

cum voluntate absoluta non dandi plurimis media ad salutem omnino necessaria. Vanam esse distinctionem Voluntatis præcepti & complacentiæ in hoc negotio. Respondendum iis argumentis quibus Camero postremò stabilire voluit omnimodam dependentiam voluntatis ab intellectu & vindicanda argumenta in contrariam partem allata. Video quod dicit Mileterius de libertate hominis circa conversionem non longè abire ab iis quæ dixerunt multi in Germania Protestantes. Stultum effugium: impossibilitatem moralem, (quamvis aliunde attractam) nihil dare excusationis. An non hæc impossibilitas non sit physica, maximè in infantibus. Ostendendum ipsum Daillæum ejusque socios eos esse qui lectores decipiant verbis aliud sonantibus, aliud significantibus, Deoque idem tribuant.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

386 MIsi, mi Frater, ad te per Graswinckelium hinc abeuntem libros omnes à Mileterio novo Ecclesiarum conciliatore & contra eum scriptos, in quibus Arminiani undique vapulant. Subjeci cogitationem an non aliquid responsi è Batavis properari debeat. Nunc quædam addo specialia mea annotata, quibus prout optimum arbitraberis, uti poteris. Hæc scribebam Calendis Ianuariis anni 1637. Eum & secuturos Deus tibi, uxori, liberisque, Parentibus, consanguineis, affinibus, & amicis nostris felicem salutaremque donet. Lutetiæ.

Librum meum de Veritate Religionis Christianæ transtulit in Anglia viri prænobilis D. Coventrii filius.

Tui amantissimus ut debeo Frater H. G.

EIDEM.

387 LIteras à te, Frater, trinas jamjam accepi, & datas 3. 9. 20 Decembris. Puto alias recentiores Caleti obhærescere ob certamen quod obortum est inter naves & cursores de vehenti mercede. Loseccatius apud nos bene est. Nos eum ut nostrum curabimus. Et spero ei hanc peregrinatiunculam non infructuosam fore. Vtenbogardum ea quam scribis frui libertate gaudeo, rogoque eum meo salutes nomine & senectutem ei optes prosperam, qualem hactenus ei rara Dei bonitate concessam intelligo. Spero jam receperis Mileterii & contra Mileterium scripta, quæ, si quid rectè judico, necessitatem imponunt Remonstrantibus Latinè aliquid scribendi & committendi inter se homines tanta confidentia, sua placita venditantes. Illud de Coddæo quod scribis æquum est, & gaudeo intelligi quid intersit inter legitimos & conquisitos judices. Suedi nostri an ad Coloniensem Conventum mittere debeant etiamnum deliberant. Illud de minuendo manipularium numero vetus est certamen inter Præfectos belli & Ordines, sed in quo certamine plerunque hi vincuntur. Bannerii res, quantum intelligimus, bene procedunt, procedentque, ut arbitror, donec eò se tulerit Galassius, cujus jam copiæ apud Argentoratum comparent. Parentes rogo salutes. Ego eorum, ut primùm potero, meminero. Saluta & puerperam tuam cum ejus grege & amicos. Vale 15 Ianuarii 1637. Qui annus tibi nostrisque omnibus sit felix.

Puto receperis & D. Graswinckelii opus, cum brevi meo responso & ad te literis.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

388 LIteras tuas Calendis scriptas Ianuarii die mensis ejusdem accepi quinto & vicesimo. Pro bonis votis gratias habeo, tibique & tuæ. Parentibus & liberis eadem precor. Gaudeo innotuisse te D. Spiringio eumque de nobis benignè loqui. Dabo operam ut amicitia ipsius dignus sim. Daetzelarium & uxorem ejus velim resalutari. In eo quod mihi commendaverant negotio, quod facere potui id ad te nuper misi. Loseccatius bene valet: dabimus operam ne sine profectu hic fuerit. Petrum rogo cures & deinde ad nos mittas. Scriptum de Pragensi pace meum non esse facilè vos quibus natus est, judicabitis. Placet interim & mihi multis partibus. Si quid intelligere potes de Durzi negotio in Suedia, rogo me doceas. Vbi scripturus eris, literas tuas cum Reigersbergianis conjunge. 30 Ianuarii 1637.

Est liber Anglicè pridem editus Equitis Edwini Sandis versus in Italicum cum additamentis à Fratre Paulo, non addito nomine: inde translatus Gallicè ab Adeodato Genevæ hoc titulo, *Relation de l'Estat de la Religion &c.* Hunc ego librum quia ad purgandos à pravis judiciis homines plurimum valet, velim ab homine linguarum gnaro verti in Batavicum sermonem, utile id publico nec inutile typographo fore spondens. Amplius cogitabo. E re esse judico ut circa Majum huc Petrus veniat. Interim de Diderico aliquid sum constituturus. Has literas ante dies octo cùm mittere voluissem, post retinui, si quid fortè dignum nuntiari accideret. Sed nihil est nisi quod inter Regem qui Aureliani est fratremque ejus qui Blesis nuntii commeant, incerto eventu.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras, Frater carissime, tuas 22 Ianuarii datas jamjam accipio. Filiæ migrationem ad vitam meliorem 389
quod Christianè fers laudo, gaudeoque, non ignarus ipse talium casuum. Quod Pater tanta ætate vegetus sit, magnam Deo debemus gratiam. Celsitudinis titulum Galliæ exemplo Principi Arausionensi Anglia quoque detulit. Hollandi verò nostri serò in re tantilla de Federatorum Conventu queruntur, cùm ipsi in rebus majoribus pridem potestatem suam exarmaverint. Iidem homines de minuendo militum numero eandem cantilenam sæpe frustra repetent: nam in eo contra ipsorum desideria Gallis & Principi bene convenit. De colloquio Agrippinensi adeo nihil boni sperant Suedi nostri, ut planè decreverint eò neminem mittere. Interim audiunt quæ ab Imperatore quæque à Dano proponentur, sed ita ut semper ad pacem communem, honestam ac stabilem sua dirigant consilia. De Graswinckelio, cui ego omnia opto felicissima, non planè vanum est quod dicit Ioachimius. Miror qua causa, quoque obtentu ejus argumenti scriptionem Cunæus detrectavit. De Amelandia festivum commentum est, sed de possessione quid fiet? Et quî placet socero generi factum? Hic nihil est nisi quod ante quinque hos dies Aureliani Frater Regius Regem vidit & Cardinalem, à sedente hoc exceptus. Multæ inter Fratres lachrimæ fidem faciunt mansuræ concordiæ. Comes interim Suessonensis desertus Sedani manet: & mater ejus ab hac urbe jussa discedere Creiliam se transtulit. Vxor nostrique omnes tuam ac tuos cum parentibus & amicis salutamus. 12 Februarii 1637.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

HAc hora tuas accipio 27 Ianuarii datas. Rectè faciet 390
Vtenbogardus amicique alii, si de eo quod scripsi cogitent. Mileterii scriptum postremum, cui respondit Daillæus miseram. Priora ejus habebit puto V. A. Salmasius quem rectè ad vos venisse gaudeo, velimque eum mei memorem vivere. Sicut ego ipsum maximi facio. Memineris de Barnaba quod scripsi, Latinum qui mihi descri-

describat, rogo aliquem pro me conducas. Bene satis procedunt res Suedicæ. Post Erfurtum captum Hamburgo & Lipsia pactionibus adscita. Ad pacem invitamur, sed optamus communem. Titulos Aysemæ, novos enim nactus est, norit D. van der Mylen. Si quis amicorum huc venerit, non ingratum erit Honestii & Foresti circulationes cernere. Nam Barlæanum epigramma vidi. Hujus nihil est non lectu dignum. Itaque & Præsepe, si potes, mitte. Carmen Iudæi operibus præfixum non vidi. Losecatio tuas literas dedi. Parentes optimos, uxorem tuam dulcissimam ac liberos, sororem cum marito & sobole, tum verò omnes qui nos sanguine, aut affinitate attingunt, aut amicitia saluto. Lutetiæ 19 Februarii 1637.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

391 Barnabæ epistolam Græcè quam à me descriptam dederam V. A. Salmasio utendam ab ipso ad V. Cl. Labbæum missam rectè accepi. Restat ut si eum videas, significes eam ad me pervenisse, oresque Latinæ versionis veteris, in qua sunt quædam quæ in Græca desiderantur, describendæ tibi sit copia. Magno cum studio colligo quæ nobis restant ex prima illa Christiana ætate, qualis est Clementis Romani epistola in Anglia à Patricio edita. Petrum nostrum alia ex causa quàm sua ex culpa à vobis hactenus abesse, gaudens intelligo. Nihil enim in liberis pejus imparentia. Vale cum parentibus omnibusque tuis & nostris. Lutetiæ 27 Febr. 1637.

Tibi devinctissimus Frater. H. G.

EIDEM.

392 Comes Egmundus, qui se & Geldriæ scribit Ducem, cùm lites habeat in Hollandia partim cœptas, partim quæ brevi enascentur, misit ad me quæsitum ecquem ei Iurisconsultum possem commendare. Dixi Fratrem mihi esse in isto foro jam diu versantem, & Comitibus Hohenloiis, aliisque utilem. Rogavit ad te scriberem, ipsius negotia ut tuæ curæ esse velles. Puto nec dedecori id tibi nec incommodo fore, dum ne te procul à domo & clientelis patiaris abduci. Nam illud monendus non es, ita ibi fidem constare adversùs ipsum debere, ut & boni civis subditique officia accuratè serves. Veniet, ut puto, ad vos Setonus, Scotus nobilis Pontificius, diu in Aula Romana exercitus, qui nunc Egmundo se dedidit. Ejus amicitia cautè tibi utenda est. 6 Martii 1637.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

393 Domus Egmundana, mi Frater, satis tibi omnibusque historiæ studiosis & claritate sua & magnis in rem Belgicam meritis & præterea suis etiam adversis nota est. Ejus hæres amicus qui nunc in Gallia agit, cùm intellexisset me in foro Hagiensi fratrem habere, tua voluit opera uti, measque ad te literas petiit, quas negare non potui. Est enim res per se illustris tantis familiis præbere consilium, resque tractare si non publicas certè publicis proximas. Neque verò dubito quin ita fidem sis præstiturus Egmondano Comiti, ut simul locorum in quibus vivas, statusque & ejus Præsidum respectum non omittas. Vale mi Frater. 9 Martii 1637.

Tuus tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

394 Literæ à vobis, mi Frater, non optimè huc perveniunt, nam cùm alii habeant 3 scriptas Martii, ego tuas à 16 Februarii nunc demum accipio. Si per Brabantos iter non succedit, ad Oliverium mittendæ erunt literæ per Caletum. Illud à Scevelinga iter, quo venerunt nescio an tuæ, certè Senatoris Reigersbergii literæ, non compendium nobis in præsens, potius dispendium attulit. Sed tentanda omnia. Graswinckelium qui Mileteriana & Daillæana habet, spero jam apud vos esse. Gaudebo scire quid faciendum ibi censeatur. Quo consilio D. Aysema titulum illum sumserit, velim per te edoceri, quæque de ipso ibi sit existimatio. Miror de coercenda eorum potestate qui Conventum Federatorum ineunt, tam segniter cogitari. Agros nobilitas curat, non tamen sola, nam & civitates & eorum municipes latè possident: ideoque commune negotium est, sed primæ partes primi ordinis, qui ferme agros, non urbes habitat. De Banerio felices nuntios opperimur. Interim à Sardinia turrim Floristanam, in fine Cantabrico Talantiquinum castellum cepere & utrunque diruere Galli. Nunc magnæ res in exspectatione sunt, Ducis Vinariensis expeditio verna, & Anglorum mari molimina. Ermesteinio timetur. Petrus poterit huc venire mense Maio. Losecatio nihil hic perit, discit quæ disci oportet. In Zelandia si Magistratus parum valent ad compescendam plebem, haud miror, cùm sumantur plerumque homines, quales evehit quoties voluit Fortuna jocari. Vale Frater dulcissime cum tuis nostrisque. 12 Martii 1637.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Literas, mi Frater, tuas 4 Martii datas, jamnunc est quod accipio. Comes Suessionensis, contra 395
quem Frater Regius si quid Regi displicens faciat suam promisit operam, & cui Rex minas confiscationis intentat, quid facturus sit incertum est. Multi putant eum in Batavos, aut Novum castellum, quod Longavillani Ducis est, cum Regis permissu abiturum. Scripsit ad Cardinalem se ex Hilarione monacho intellexisse benevolum ipsius Cardinalis in se esse animum. Crediturum se rebus. Carmina cum voluptate legi. Vides quo se ferant omnia. Sententia Cunæi de Seldeni libro quæ fuerit, scire cupiam. Graswinckelii editionem exspectabimus. Faveo ejus laudibus, quem pro Venetis scripsit librum prædicare non desino. Quid de investitura ista Amelandica porrò futurum sit, jucundum erit cognitu. Frater Regius omnium rerum securus dat se saginæ ventrique. Rixa illa Carrucarum nostros inter Anglosque amicitiam nostram non rupit. Vidi eos. Nam meæ erant vices. Vidère me. Licestrio & causas exposui & easdem dixi à nostris prolatas in Consilio Basiliensi. Sandis quæ habuit, scripsit ipse, sed ea ex colloquiis viri maximi Fratris Pauli didicerat. Idem ad quædam capita Notas addidit jam egregias & defœcando lectorum judicio. Rogo legas. Volo Petrum mense Maio hìc esse. Vbi titulum Iurisconsulti sumserit, remittam eum ut Hagæ sit aliquamdiu. Cloppenburgii de fœnore particulam vidi & inde ingenium id genus hominum & in me animum agnosco. Optimè congruunt quæ in Batavicis Institutionibus quæque in Iure belli ac pacis scripsi. Non malè Cujacius *usuras* ait *licitas*, *fœnus illicitum*. *Vsuras esse repensationem ejus quod abest. Fœnus lucrum ex pecunia præstita.* Quæ adjeci in libro de Iure belli satis me à calumnia liberare debuerant. Sed plerique illorum hominum feneratores sunt maximi. In illo compendio ex pecunia duo sunt spectanda, primùm ne justitia violetur, deinde ne caritas justitia violetur, si plus sumitur quàm propter officium opus est & occasio alienæ infelicitatis in quæstum vertitur. Caritas, si non ultro egentibus de copia nostra donamus sub specie mutui, non tantùm usum

usum temporarium, sed sortem ipsam, sub honesta mutui specie quò minùs doleat accepisse. Sed hæc omnia quia neque optimas artes perdidicerunt, neque spiritum dilectionis ut acciperent operam dederunt, nunquam intelligent. Emtio redituum longè aliud est quàm usura. Tum verò quod naturalia & moralia non distinguunt, error est perniciosus. Morum præcepta honesta sint per se, non omnia ex naturæ etiam rectæ dictatu debita. Itaque multa Deus præcepit in lege Mosis, plura in Euangelio optima, quæ tamen si naturam spectes, citra vitium omitti possunt; sic tamen ut etiam citra præceptum laudabiliter præstentur. Adduxi Iustini locum τὸ κατὰ φύσιν βιοῦν οὔπω πεπιστευκότος ἐστι. Hæc illi si ignorarent, à magistris parum perspicacibus sæpe factiosis decepti, paterer. Sed quod insultant ultro eruditioribus, quod bene dicta calumniantur, id ostendit homines esse desperatæ sanitatis: à quibus abesse quàm longissimè conducit animi ἰνεσῷ quærentibus. Salmasium, ubi commodum erit, de Barnabæ Latina versione compella. Rumoribus qui hic quotidiani de nostrorum aut victoria, aut clade nihil temerè credo. Exspecto certos auctores. Nam & Aula de nostris prosperrima credi vult: & monachorum Iesuitarumque factio contraria omnia spargit. Itaque δεῖ ἐπέχειν. De matre minùs rectè esse doleo optoque meliora & patri ut quæ hactenus habet à Deo bona perpetua ei sint. Res maris adeò apud vos curari negligenter, non ego solus, sed omnes qui hic sunt rerum periti mirantur. Vale, Frater carissime. 18 Martii 1637.

Tuus toto animo φιλαδελφότατος H. G.

E I D E M.

396 Vidi his diebus librum non editum Molinæi in quo Testardi & Amiraldi sententias acri censura notat. Dignus est legi hoc argumentum tractaturo. Non improbo quod dicit Arminium plus judicio valuisse quàm Cameronem & Cameronis sectatores. Itaque illum loqui inter se cohærentia & his quæ semel posuit consentanea: hos verò & loqui quæ inter se pugnant. Quippe cum qui à Deo seriò desiderari credat hominum singulorum salutem, pariter debere agnoscere, dari à Deo dona per quæ impossibilitas se convertendi (sive illa naturalis vocatur, sive moralis, negat quicquam referre, dum vis sit eadem) superari queat. Loquitur sæpe in illos fratres suos satis inclementer: quædam enim eorum negat se sine horrore legere potuisse: subrui ab illis fundamenta, ipsamque pietatem, & in fumum verti Christianam Religionem: ne micam quidem rationis nonnullis eorum dictis inesse: tribui ab eis Deo injustitiam, crudelitatem, μισανθρωπίαν. Tantæ iræ causa præcipua est quod eorum dictis convelli videat magnam partem canonum Synodi Dordrechtanæ, cujus ipse, quanquam absens, inter præcipuos fabros fuit, solusque causa, cur in Gallia, ne expensa quidem, probaretur. Negat ulla esse Dei decreta conditionalia. Itaque & promissa & præcepta vult esse sine decretis præstandi aut vires dandi. Illud non immeritò accusat in illis quos dixi, quod negent Adamo datas vires quarum ope tentationem posset repellere. Neque malè ostendit quam ipsi impossibilitatem moralem vocant, reipsa esse naturalem ex ipsorum positis. Gratiam universalem secundùm Arminium esse utilem, secundùm ipsos inutilem. Hæc sunt quæ inter legendum excerpta tibi in antecessum significanda duxi. Nunc eum librum transcribit Mercerius, ut Episcopio mittat. Scripsit hunc librum Molinæus, postquam ei à Rectoribus Sedani, ne in eo argumento quicquam scriberet, interdictum fuerat. Dixit se posthac taciturum, neque hoc vulgandi scripsisse animo, sed ut Nationali Synodo, quæ exspectatur, facilior sit dijudicatio. Queritur Testardus ex quo Molinæus in se cœpit scribere, etiam Rivetum ab ea sententia, qua tolerandam hanc opinationum diversitatem crediderat, abiisse. Senatores tamen Reformatæ Religionis mihi affirmant, se in id laboraturos nequid definiatur, maneatque sentiendi libertas, repressa apud populum ista disputandi licentia. Vale cum tuis nostrisque. Die Parasceues anni 1637.


Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

Datas 3 Aprilis literas tuas 22 ejusdem mensis recipio. Audio recentiores in hostium venisse manus, an & ad me nescio. Terrestre iter an posthac apertum futurum sit nescimus. Exspectant Galli ut Belgæ qui ejusmodi commercia rescidere priores, eadem priores restituant. De Comitis Egmundensi negotiis brevi adfuturos puto, qui tuam opem implorent. De Salmasio ubi commodum erit, memento. Et Graswinckelium de mutua benevolentia dubitare ne sine. Petrum exspectabimus ut & titulo ornetur Iurisconsulti, & auditorium Parisiense quod nunc insignes advocatos habet, videat. Illam controversiam quod attinet de qua duo Senatus consuluntur, sicut qui investiri se passi sunt, parum prudentes ac locorum in quibus versantur ignari fuisse videntur. Ita ab Imperatore & Imperio Feudum tenere, nunquam puto Nassavia domus dicet, contra boni viri cujusque esse officium. Ne ab externis potestatibus quisquam beneficio se astringi patiatur, utile fortè esset legem figi: sed ex nondum fixa quis judicabit & quàm multi rei fient, si id liceat? Delegatos judices perhorrescent credo omnes legum & æqui juris amantes, rem in ipsis etiam Regnis odiosam. Dorpius quid effecturus sit scire avebo, & quid promoveat D. Camerarius Batavos protrudendo. Patri valetudinem commodam gratulor, opto & Matri. Eodem tempore quo illas Aprilis, simul tuas 17 Martii recipio, ad quas opera eadem respondeo. Gaudeo D. Spiringio me meosque esse curæ & Petrum iis se quibus destinatur studiis seriò dare. Aysema quid facturus sit, scire aveo. Si quæ fecit, Principe fecit inconscio, multa non dicam contra patriæ, sed contra prudentiæ leges peccavit. Frisii Amelandiam, ut video suæ ditionis partem non dicunt. Hollandia pridem nihil ibi possidet. A bello pridem quiescit Insula. Vale, mi Frater, cum nostris omnibus. 22 Aprilis 1637. 397

Rogo per idoneos homines inquiri facias numquid Oosterwyckius de me mandatum Hagæ acceperit & quale. Refert enim id mea magni. Rogo & ut Oudartii jus tibi cordi esse velis & bonis commendes. Spero libros Mileterii & Daillæi jam acceperis. Si quid lectu dignum est in ullis literis posterioribus quàm quas nunc receptas indicavi, repetendum erit, quando eas quæ postremùm missæ sunt literas habent Dunquercani. Sed non magis id curandum quàm quod in veteri est epigrammate,



Τὺς δ' οἰςὺς
Ἔχκεν ἰατρεῖτω

Tui amantissimus Frater H. G.

E I D E M.

Iam nunc tuas mihi tradit Meunerius. *Iudicia tua de* 398
Mileterii aliorumque scriptis laudo. *Libebit & Vtenbogardi aliorumque sententias nosse. Heri ad me venit* Rector Collegii Sedanensis, *qui in subsidium interdum* & pastorale munus exercet. *Dicit ita se existimare omnes* qui inter Reformatos perspicacia valent, concessuros in Arminii sententiam; *maximè verò eos qui Cameronem* sectantur visuros eò se cogi, *si positis consentanea loqui* & non quæ struxere ipsi destruere cupiant. *Multum lucis* adferet scriptum Molinæi contra Testardum & Amiraldum ἀνέκδοτον quod à Mercerio describi antehac feci indicium. Scriptum Pastorum Zelandiæ vidi & miratus sum.

sum. Sentient quid fecerint qui illos huc licentiæ provexere. Et tamen puto eos aliquid veri dicere. Sed hæc in plebem spargi non optimi moris est. Quis Rottæro sit successurus, fac quæso sciam. Brassero ad munus quod petit faveo. Quales sint Magistratus illi qui in Brilla demoventur, quomodo affecti erga rempublicam & sacra, discere cupiam. Te quod attinet, primùm velim per Dusserum Adrichemiumque sic rem prætentes, ne, ut Amstelodami aliquando operam perdas. Si spes sit boni successus, nolim nimiùm te malis moveri quæ bene sentientibus evenere antehac. Poteris sine invidia Venulcio Conventus illos multis jurgiis nihil boni agentes relinquere, ipse curare urbem, quando is nunc est status ut faciliùs partibus, quàm toti consuli possit. Et Hollandiæ & Federis morbi, insanabiles prope sunt. Tamen interdum τῶν ἀπορήτων πόρον εὗρε Θεός. Illud è re tua crediderim stipulari, ut si quando te privatæ vitæ velis reddere id tibi liceat. Sunt enim interdum tempora, cùm id & sapienter fit & cum gloria, etiam Stoicis auctoribus, quorum sententiam exprimit Seneca libro de Otio sapientis. Et quia id evenire potest, censeam diligenter tibi scripturario labore retinendas & augendas clientelas, ut ego & is cui ego successi Rotterodami fecimus. Petrum ubi primùm tutò venire poterit, hic exspectabimus. Patri pro diligentia quam meis impendit negotiis summas habeo gratias. De Oetgesio, Bellimontio, Aysema siquid ultra actum fuerit edoceri optem. Hæc postquam scripseram venit me salutatum Comes Egmondensis multumque mirabatur quod is quem in Hollandiam ad res suas agendas miserat te nondum accessisset, sollicitus numquid ipsi mali evenisset. Is autem quem eo dicebat ivisse, non erat Senator de quo scripseram, sed alius Præfectus domus Comitis, Gallobelga. Petrus ubi ad nos veniet, ferat secum exempla duo, aut tria Belgicorum meorum de Veritate Religionis Christianæ & carminum aliorum. Postremamque editionem juris Batavi Institutionum. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis communibus. Lutetiæ 20/30 Aprilis 1637.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

399 Legi his diebus, mi Frater, Comœdias Aristophanis, & memoria revolvens quod legeram à Platone Dionysio dictum, si vellet rempublicam Atheniensem ejusque mores planè noscere, ne alio quàm Aristophane ad id magistro uteretur, observavi plurima ibi esse monita quæ Batavos possent meliores sapientioresque efficere, præsertim cùm & temporum magna sit similitudo, ob pertinaciam Peloponnesiaci, Belgicique belli. Quare cùm Batavæ gentis ingenia eò jam ascenderint, ut in omni ferme scribendi genere palmam controversam antiquis facere audeant, miror ad illam veterem ac libertatis alumnam Comœdiam, præsertim ad Aristophanis exactissimum exemplar, nemini curam hactenus se vertisse. Cogitare poteris, si in quem incidas cui sit judicium ac lepor, an non is aut imitari velit festivissimum poëtam, aut etiam aliquam ejus fabularum vertere, eâ libertate qua Euclio versus est. Si qua sunt nimis Ithyphallica, possunt prudente ambitu declinari. Est quidem Comicus ille reconditæ eruditionis, eoque non omnibus obvii intellectus. Sed Græcè aliquid intelligentibus Scholiastæ, ubi exstant, alibi etiam Latinæ Versiones Florentis Christiani, & aliorum, facem præferre poterunt. Laudantur hic mihi ab amicis liber Puteani, cui titulus, linea Vrbaniana, & libri partim Mathematici, partim Meteorologici Galli cujusdam De Cartis editi in Batavis. Si eos invenis, poteris cum cæteris quæ petii, per Petrum mittere. Venit & aliud in mentem. Inter Parrhatii opera eximium fuit quod Plinii verbis describam. Pinxit & Δῆμον Atheniensium argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem; eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque & omnia pariter ostendere. Qualis hæc fuit virilis imago, talem muliebrem Reipublicæ Hollandicæ, aut etiam Vnitæ velim fieri ab optimo pictorum Mireveldio, adeoque spondere immortalem ei operi gloriam. Velim pingi virginem, sed talem cui virginitas sua oneri sit. Vides me non planè meorum oblitum. Vale cum Parentibus, uxore, amicis. Lutetiæ 7 Maji novi Cal. 1637.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Mitto ad te, Frater, apertas meas ad Cl. Salmasium 400
literas: quas obsignes mittasque rogo. Simul cum alteris quæ ad eundem sunt à Puteanis. Scripsit ipse mihi se dum Brilæ hæret glacie retentus, rogatum à Cloppenburgio, qui argumentum danisticum jam & Latinè tractare vult, ut operi ipsius epistolam adderet. At sibi epistolam molienti è rerum copia librum exiisse quem daturus sit publico ante Arnobiana. Synodus jam habetur Reformatorum Nationalis Menconii. In ea Provinciali quæ nuper habita est placuit adversùs Amirautium Testardumque nihil tale statui, quale volebant Molinæus & Rivetus: sed abstineri à publica disputatione. Rex videtur velle ut Aulæa tendant in pompa Sacramentali. Constituerunt censuris coërcere si quis id faciat: mulctæ si exiguntur, eas dependent. Mileterius adversùs Daillæum magnum scribit librum & quidem Latinum, qui sermo minùs illi succedit quàm Gallicus. Vale cum nostris tuisque. De Brasseri ambitu video dubitari. Vide ne tu te ante tempus fabulis præbeas. 20 Maji 1637.

Petrum exspecto. Pontani de Mari dissertationem videre percupiam. Miror Hollandos hoc tempore de suo in Amelandiam jure seriò non cogitare. Audio Heinsium metuentem ne in Salmasii libros vapulet, multum ei blanderi, allegato ad ipsum filio suo.

Tibi verè Frater H. G.

EIDEM.

Ex literis, tuis, mi Frater, 19 Maji datis libens co- 401
gnosco te tuosque & nostros valere. Brasserio gratulor dignitatem quanquam durioribus legibus datam. De tuo negotio sunt sanè cogitatu digna quæ mones: exiguum annuum: mutatio laris cum jactura clientelarum & præter hæc incertus ambitus. Adde jam ut res succedat è voto multa contra animi sententiam facienda, aut pericula subeunda. De Barnaba Latino vide ut interdum aurem vellas D. Salmasio. Ego hic si eum nancisci possim experiar. Aysema, ut video, evasit, minusque rebus nostris nocere palàm Cæsarianus. Si quid fit inter Cammingam & Somfium fac norim & an tua opera uti velint qui res Egmondanas curant. Exspectatur hic Ackerlakius advocatus qui multas chartas ad Domum Egmondanam pertinentes in potestate habet. Decretum contra munerum captiones videre cupiam. Audio multa patere effugia. Vale, parentes amicosque saluta. Petrum exspecto. 12 Iunii 1637.

Optimus & beneficentissimus Cordesius habet Novum Atlantem editum à Guilielmo & Iohanne Blaviis anno 1635. Abest ei libro O. Z. ubi Peruana describitur. Rogat me, ego vero te, ut id volumen, magni sanè impendii, integrum ei habere liceat. Rogo rem Blavio commendes pro hominis merito & rei æquitate.

Galli nobilis Epigramma:

Gallia Scaligerum dederas malè sana Batavis
Grotiaden reddit terra Batava tibi,
Ingratam expertus patriam venerandus uterque est,
Felix mutato erit uterque solo.

Tui amantissimus Frater H. G.

E I-

Digitized by Google

EIDEM.

402 Mitto tibi, mi Frater, epigrammata quædam mea, satis recentia: quibus addere potero aliquando Iphigeneam in Tauris Euripideam Latinam meâ opera, & quæ Latina sunt apud Suetonium carmina versa Græcè. Habeo paratas & ad Lucanum Notas illas veteres ex utraque editione contractas, multis additis aut mutatis. Habeo in Tacitum nonaginta ferme conjectationes, ut modestè loquar, quanquam de bonæ partis veritate non dubito. Siquando nova instituetur aut Lucani aut Taciti editio, gaudebo moneri, & contribuere quod potero. Quæ ad Novum Testamentum scripsi, id est ad tv Euangelistas, describuntur. Descripti sunt Annales Historiæque belli Belgici ad inducias: premendum adhuc, ut credo, opus. Verti Procopii Gotthica & Wandalica in sermonem Latinum, cùm antehac illa pessimè versa essent: adfuitque fortuna quæ mihi potestatem fecit codicum Græcorum manuscriptorum, non paulò emendatiorum, locis nonnullis & auctiorum, quàm est editio Græca Hæscheliana. Hæc cum aliis ejusdem argumenti minoribus libellis edam, si id Magno Cancellario videbitur, ad quem Præfationem mitto, magnam, & plurimum lucis illarum gentium historiæ adferentem. Horum omnium te, non tantùm fratrem, sed & fautorem studiorum meorum esse nescium nolui, ut videas etiam quæ negotiis publicis superfluunt tempora, mihi non perire. Siquid edam posthac magnum (de Notis aliisque id genus minutiis jam non loquor) nolo pretium pacisci, quod scio in Gallia fecisse viros illustres: ego verò ne tum quidem feci cùm ab omni dignitate nudus essem: sed æquum puto, ut publico prosim sine damno, id est, ut centum mihi (non paucioribus opus habeo apud bene meritos & amicos & eos qui me isto beneficii genere aut alio ad vicem rependendam obligarunt) exempla dentur chartæ optimæ, bene compaginata & qualia honestè donari à me possint: deinde ne nova instituatur editio, me inconsulto, ut, si quid mutare velim, id mihi integrum sit: utque de repetitis editionibus idem mihi sit, ad habenda exempla juris. De Anthologia & accessionibus à me factis Latinis, scripseram aliquoties ad D. Vossium. Sed videtur mihi Blavius Græcos typos, quales Stobæani mei sunt non habere, neque homines ad corrigenda typographorum errata satis idoneos. Itaque deliberabo an Cramoisii nobilis hic librarii utar opera, quanquam de eo quoque an satis peritos correctores habeat dubitare impeller. Velim mea omnia quàm accuratissima & Lectoribus utilissima prodeant. Mileterius novum fecit librum Gallico sermone, quo plus valet, scriptum. Titulus est, *le Moien de la Paix Chrestienne*. Præfationes tres dedit, ad Cardinalem Riceliacum, ad Sorbonam, ad Synodum Reformatorum quæ nunc est Alensonii. Lego nunc eum librum & siqua occasio se dederit, exemplum transmittam, ut aliis detur cogitandi de re maxima occasio. Vult me venire visum, non recuso. De Tileno loquitur satis Tilenianè, id est, biliosè. Pronuntiata vetera sua, Regno contraria, incrustat. Sunt tamen non pauca & legi & considerari digna. Nescio an ad te pervenerit ea pecunia, quam parentibus nostris, jam aliquod tempus est, destinaveram. Brandanus noster bonus est, sed certè in Cœnæ negotio crassior quàm putaram. Ego illum comiter tractabo. Sed familiæ non est quantum speraveram utilis. Cum tempore (nihil enim est quod urgeat) cogitari posset an aut à Brema, aut è Batavis haberi posset aliquis, publica jam vocatione fultus, qui de Prædestinatione quidem καὶ τοῖς ἐχομένοις rectè sentiat; cæterùm qui non sit τῶν πηδώντων ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα quos scis mihi nunquam placuisse. Talis aliquis magno & mihi privatim & communi Ecclesiarum utilis esse posset: putoque ejus apud me vitam suaviorem quàm in vico aliquo, fortè & in oppidulo, fore. Sed hæc qua prudentia tractanda sint per te nosti. Ego cùm omnia verso salubriorem animis pacatioremque docendi sacra rationem, quàm eam quam ingressus est Poppius non reperio, nempe ut controversa fugiantur, stetur que de iis, intra id quod scriptum est, cætera omnia referantur ad animorum emendationem bonorum operum fructiferam. Eaque de causa multum probo prælegi selectas ob simplicitatem utilitatemque partes scripturæ quas Euangelia & Epistolas Dominicales vocant: sacramenta autem administrari solis verbis institutionis, aut additis quibusdam è scriptura usum verum mysteriorum significantibus locis. Et huc video sua direxisse Taulerum, Kempensem & alios, quorum libri à quamvis diversa sentientibus non possunt non probari. Vale, parentes nostros nobisque faventes saluta. $\frac{16}{26}$ Iunii 1637.

Tuus fraternissimè H. G.

EIDEM.

Literas, mi Frater, tuas, magno intervallo, ante 403
mensem scriptas nunc accipio. Non dubito quin & quibus ibi traduntur, & ad quos hîc perveniunt, moram injiciant, ne aut alios ego ea quæ hic alibique aguntur nuntiando anteveniam, aut quæ illic fiunt cognoscam quo ipsi tempore. Optimum erit mitti ad Epsteinium inscriptas obtectasque. Ejus enim literis video insidias non fieri. Sed & manus vestra & sigillum commutandum erit, & literæ per alienos homines mittendæ ad Cancellarium. Planè enim video nunquam quieturos eos qui mihi meisque tantum malorum intulere. Odia ejus generis implacabilia sunt, quoque rectiùs feceris, eò incenduntur magis. Edictum illud de Aulæis publicatum, sed sine damno Protestantium transiit. Multa talia hic fiunt, non ut ipsis ægrè fiat, quod interim vitari nequit, sed ut Romæ jactata ad tempus valeant. Mitterem ad vos novum Milleterii librum, in quo Daillæo fortiter respondet, & de justificatione liberè tuetur eam quam Remonstrantes, imò ipsa vetustas sententiam. Tantum nemo se offert qui ferat. Est nunc nova generalis Synodus Alensonii. Quid egerit sciemus, ubi Legati eorum redierint. Puto rem Amirautii & Testardi quo est loco mansuram. Venit ad me Mileterius: de multis controversiis commodè loquitur. Multum mutatus ab illo Hectore. Liber Episcopii ubi prodierit, rogo aliquot exempla habeam, mihi & amicis ipsique Mileterio, qui postremum eum de quo dixi librum suum inscripsit & Sorbonæ & Alensonianæ Synodo. Multò clementius ab illa quàm ab hac exceptus est. Heinsius nisi meas res putaret meliore esse quàm ante fuerunt in loco, nunquam epigrammata illa sive olim sive nuper facta ad publicam notitiam perduceret. Recruduisse inter eum Salmasiumque simultates audio. Vt Barnabam Latinum nanciscar, hic labori non parcam. Petrus quamprimùm ad nos veniat ipsiųs nostraque interest. Gaudeo eum diligenter scriptitare, unde ei honos utilitasque speranda sunt. Quæ sint quæ pretiosa dona vocant novi legum latores, scire cupiam. Interim Brassero, ut & antehac feci, gratulor. Tuum consilium quod non ingeris te, primùm excidendi, deinde & ubi obtinueris, graves offensas subeundi periculo, laudo. De Porto Calvo jam didiceram. Principis Arausionensis conatuum magna hic sitis est. Ad Didericum literæ si quæ sunt ad nos mittantur. Est individuus Duci. Sed magnum fautorem amisit D. Ponnicam. Dux iter instituit Basileam versùs. Landresium obsidet Cardinalis Valetta cum Fratre Candalio. De Pastore ad meas cogitationes quàm Brandanus est aptiore scripsi nuper. Sed res est difficilis. Lubebit tamen tua intelligere consilia. Deinde & mecum omnia pervolvam. Vale cum optimis Parentibus. 8 Iulii 1637.

Offerunt mihi & Pelsius & Blonius filios ad scribendi ope-

operas. Scire velim, si id commodè potest fieri, quos in Latina, Gallicaque lingua profectus fecerint & utrius manus ad καλλιγραφίαν melior. Velim mihi indicari fidùm minimeque suspectum hominem ad quem literas vobis destinatas mittam. Pretium quod solvet paratus sum reddere. Si de Mileterio scribant Episcopius aut alii, rectè facturos arbitror, si ei dent titulum Nobilis. Est enim talis ortu extra controversiam: & si de cætero benignè cum eo agant in spem lucis majoris.

Tuus tibi per omnia Frater H. G.

EIDEM.

404 Literas, mi Frater, tuas, datas 25 Iunii, Patrii autem datas 16 & 22 Iunii accipio hodie, id est, 19 Iulii. Magistratibus Delfensibus quod veritati testimonium reddiderunt gratias habeo, tum verò & Patri optimo, & tibi pro diligentia. Ipsum testimonii instrumentum per filium exspecto. Si id tale est quale spero possent rogari D. Brederodius, Scagius Warmondius Mætenesius, à Dordrechto Beaumontius & Beverius, Amstelodamenses qui adfuere omnes, Syndicus Monachodami & si qui sunt alii minùs abrepti factionibus, ut bene præeuntium verba sequantur. Mileterius aliquando ad me venit. Putant omnes qui eum norunt quæ agit agere eum bona fide honesteque, inutili quanquam, proposito. In Alensoniana Synodo, quæ jam demum dissoluta est scriptæ ad eum literæ, quas nondum accepit, nisi intra sex menses Ecclesiæ Charentonensi satisfaciat, ἀποσυνάγωγον omnino fore. Nam hactenus abstentus tantùm est. Libri quem postremùm fecit mitto tibi exemplum, ut hoc quoque cum prioribus compositum materiam cogitandi suppeditent illa tractaturis. In eadem illa Alensoniana Synodo Testardus & Amirautius auditi sunt. Sed apud Synodi Delegatos, ne major Conventus studiis scinderetur. Explicavere sententiam suam: purgarunt se ab Arminianismo: moniti leniter quod quæstiones quasdam non necessarias in vulgus protulissent. Ita res sine ullo rigidiore in eos censura aut conscientiæ eorum læsione abiit. Petrus ut quamprimùm hic sit opto. Ejus rei cujus meministi, quæ intra Fœderatos Ordines & Hollandos Frisios disputatur, processum, si quis erit, scire mihi suave erit. Vides ut cum tempore malè consulta in auctores recidant. Addidi Mileterii libro Bochardi sermones in quibus pia multa, illud nimis Cameronianum, quod ea quæ in voluntate sunt naturalia & ἄφυκτα, tamen justè vult puniri. Iam vidi illas Synodi ad Mileterium literas & ipsum ex Actis Synodi decretum, magna verborum acerbitate. Video omnes eos qui hominem norunt ita existimare, abesse ab eo omnem malam malitatem, non tamen adesse in omnibus τὸ φρόνιμον, nec aliud ex ejus molitione posse sperari quàm aliquod dissidium Protestantium. Interim nec illud tacendum arbitror Nuntium Pontificium omni modo obstare, ne prostet hic liber, ita desuper sordibus proluitur, infernè fumo uritur. Saluta quæso Parentes, tuam, tuos, nostros. Lutetiæ 18 Iulii 1637.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

405 IN Synodo, mi Frater, Alensoniensi tantus fuit fervor quorundam Molinæi partium, ut omnes Cameronismi suspectos, etiam totum ordinem Parisiensem, vellent loco moveri, ut dubiæ puritatis. Apparuit magnam partem pastorum jam in Cameronis propendere sententias. Molinæus multum irrisus fuit, qui diceret ab iis qui Deo desiderium tribuerent salutis omnium, attribui Deo humanos affectus. Protulit Amirautius quinque Sermones Molinæi, quibus idem diceret: & se quidem dixit, etiamsi erraret veniam mereri, qui tam tetram consequentiam non videret. Ac Molinæum, qui certum haberet tam fœda eam positionem sequi, & tamen hoc videns eodem loquutus esset modo, esse ἀντεκκλησιαστὴν & doctorem rerum noxiarum. Riveti quoque mulus displicuit calor, qui cùm Amirautium atque Testardum absolvisset per literas omnium eorum quorum à Molinæo accusarentur, exceptis duobus capitibus haud sanè capitalibus, tamen omnium Academiarum, Scholarum, Ecclesiarum quoque nobiliorum apud Belgas conquisisset in illos sententias: quarum tamen nonnullæ temperatiores fuere quàm vellet. Dicunt enim Gallicum sermonem sibi non percognitum, ideo se satis liquido judicare non posse. Non credas quàm triumphent οἱ τοῦ χαρμόνος. Nescio an ad vos venerit Oratio Archiepiscopi Cantuariensis in Camera Stellata habita, cùm quibusdam ejus aliorumque Episcoporum calumniatoribus carcer, mulctæ, aliis & aurium abscissio irrogaretur, quæ sanctè se ab omni Papismi affectu purgat, objectaque prudenter & validè diluit. Vellem versam in vestrum sermonem. Addam mantissam de somnio. Est enim & Philosophiæ hastata materia. Quidam ad Landresium in operibus proximè oppidum cubans somnio monitus, ut cuniculum hostis caveret, surrexit. Vix egressus erat, prorumpit vis tecta, locumque disjicit. At Salmasium si videris, historiam tibi referet patre suo auctore. Ad eum venit quidam Græcæ linguæ planè ignarus. Is in somnio voces Græcas has audierat. ἄπιθι· οὐκ ὀσφραίνῃ τὴν σὴν ἀψυχίαν; experrectusque Gallicis literis sonum earum vocum perscripserat. Cùm ejus nihil intelligeret, rogatus Senator Salmasius ei verba interpretatur, est enim filii doctissimi doctus pater. Migrat homo ex ædibus. Ea nocte sequente corruunt. Hoc iis adjice quæ Cicero, Tertullianus, aliique ex omnium gentium historiis de somniis collegere. καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν interdum, contra quàm censent Peripatetici. Vides ut tecum quasi colloquar. Vale cum tua, tuis, nostris. Lutetiæ 8 Aug. 1637.

Si viro optimo D. Vtenbogardo insignis aliqua fiat injuria, & malit extra teli jactum his in locis vitam finire, reperiet amicum veterem fidumque. Nam Brandanum ob Lutheranam intemperiem, quam de eo ob Calixti magisterium non sperabam, cogor dimittere. Vidi Duræi qui nunc in Suedia est scripta ad pacem Euangelicorum pertinentia. Sanè video eum optimè conspicere ea quæ sunt necessaria ad sanctitatem ingenerandam pertinere: atque inde æstimandam cæterorum necessitatem. Gaudeo nostris in locis eam fulgere lucem quæ cum tempore, ita spero, fructus Christianismo profuturos edat.

Tui amans mutuò H. G.

EIDEM.

VEnit, mi Frater, ad me Petrus noster, multum tibi, 406
multum avo, & aliis qui ibi sunt propinquis & amicis debens, quod ita erectum habeat ad honesta studia animum. Non deero quoapud nos erit tempore & incitare currentem & quà optimè cursurus sit monstrare. Patri gratias habeo pro labore ad obtinendum illud meorum Delphensium testimonium, quod sanè est μάλα σαφές. Vtinam similia obtinere possimus ab aliis qui Conventui minùs iniqui interfuere, quorum aliqua ad te nomina ex indiculo quem pater miserat perscripsi. Patri nunc non scribo ne forsan onerem. Ad te literæ etiam ipsi scriptæ putentur. Imò & affini Losecatio cujus filium ita ut nostrum instituimus atque curamus. Vidi & cum veneratione D. Vtenbogardi senilem manum. Gratias ei habeo, quod in precibus suis, quas Deo gratas esse non dubito, mei meminerit. Ego ei vicissim precor, ut placidè exigat post tot procellas quod Deus ei reservat ævi. Ex te didiceram edi jam Episcopii librum super iis quæ nunc in Gallia disputantur. Sed ipse Vtenbogardus incertum se dicit. Bene facis quod quæcunque ad te de rebus Ecclesiasticis scribo

eorum

eorum participem facis bonum & prudentem senem. Quæ Præses vester ei dixit, ea nullius duco pretii. Quærit is homo undique ea quibus ulcus quod intus habet sanet: nec facilè reperit sedamen. Ex quo postremùm ad te scripsi, vidi Acta Synodi Alensoniensis & in iis ea quæ ad Teltardum & Amirautium pertinent. Omnia ita transacta sunt, ut iteratò probarint ii, parati & suo sanguine signare Synodos Alitianam & Carentonensem, subsequas Dordrechtanæ. Tam parum vident homines τί ποτ' ἐστιν ἐπικείμενον omniaque consilia sua magis ad quietem qualemcunque temporariam, quàm ad æternæ veritatis regulas dirigunt. Mercero dabo ut transcribat Acta quantum eorum ad hanc causam pertinet, mittatque D. Episcopio. Cæterùm Rex per Legatum suum Reformatum hominem qui Synodo præsedit, edixit Reformatis, ut populos edocerent illicita in Reges arma, præirent obsequio, dogmata sua modestè proponerent, abstinerent illis Antichristi & idololatriæ in adversarios probris: ne quis pastorale munus extra sedem suam obiret: ne Conventus haberent è pluribus provinciis: ne externas literas nisi consultis Magistratibus aperirent. Et his quidem sic satis se aptarunt. Vnum deprecati sunt, ne vetarentur Baptizare à feminis Baptizatos. Id Episcopi ostenderant Regi esse iniquum, à se non baptizari quorum Vocationem non agnoscant baptizatos propter opus operatum: ipsos autem velut judices Vocationum baptismum obstetricalem pro nullo habere. Orarunt Regem ne libertatem sentiendi & secundùm ea quæ sentirent agendi eis eriperet. Sibi illa de opere operato non persuaderi & repugnare suis formulis. Archiepiscopi Cantuariensis Orationem, quò magis lego, tota enim jam versa est, eò magis miror subactum hominis ingenium. Velim & apud vos legatur. Parentibus, Losecatio uxorique & liberis vestris, tuæque matronæ & propinquis & affinibus & amicis omnibus, quos inter principem semper locum Vtenbogardus obtinebit, felicia precor omnia. Venit ad vos Comes qui hic vixit Wallavius juvenis verè pius. Exhibuimus ei quæ potuimus officia. Lutetiæ 15 Augusti 1637.

De Lucano & Tacito cum notis si edantur, rogo me moneas. Puto acceperis ea quæ de Procopio, de Annalibus & Comentariis Belgici belli, de Notis ad Novum Testamentum & de Anthologia ad te scripsi. De Rotterodamensi negotio nisi compromissum successerit, cogitabimus. De Brandano spero acceperis. Bis de eo scripsi. Gronovius mittit ad me librum suum. Ait se mihi scripsisse, & verum est. Sed respondi & quidem valde liberaliter, multaque ei indicavi ad Statium pertinentia. Fortè fuere qui ei suaderent id ut dissimularet, ne cogeretur sæpe mei facere mentionem. Meas ad ipsum literas dubito an ad te miserim. D. Vossius spero receperit quæ ad postremas ejus accuratè respondi. Nondum acceperat cùm has per Petrum ad me daret. Velim videre Deum Synagogæ editum à Vedelio, si quis huc notus venerit. Quid dixit Barlæus quod non Paulus dixerit Rom. x. v. 2. & alibi?

Tuus totus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

407 Literas tuas 4 scriptas Augusti mari curatas rectè accepi. De munere isto Delfensi scripsi antehac cogitata mea, quantacunque in mentem venire poterant tam è longinquo cuncta inspectanti. Rogo enixè ut Cordesio viro beneficentissimo in re æquissima fidam diligentemque naves operam. De Breda, ut res est, non possumus non sperare optima, sed ubi ea de hostis desperaverit, huc vires vertet. Petrus satis se mihi probat. Didericus bonum habet magistrum ad ea discenda quæ apud Batavos spectari non solent. Rem maritimam apud vos tam negligenter administrari & ego miror, & quicunque hic sapiunt. Atqui respublica ista mari orta, mari debens omnia, ejus possessione amissa, ne terras quidem diu tenebit. Acta Synodi Alensonianæ quæ tota nominatimque Testardus & Amirautius Mortis Christi pro omnibus intra verba tantùm defensores rursum Alisianos Carentonianosque canones è Dordrechtanis fluentes confirmavit, duo illi repetito etiam jure jurando, transcripsit jam Mercerius, &, puto, misit D. Episcopio. Velim ex archetypo Michaëlis duas mihi imagines fieri, mihique transmitti. Rogant enim quibus id negare nequeo. Vale cum parentibus, amicis, domoque tua. 22 Augusti 1637.

Opus credo fore, ut sicut versa habeo in Gallicum contractum meum cum civitate Rotterodamensi & indemnitatis promissum, sic & habeam illud Delphensium & siqua alia (de quo scripsi) haberi possunt testimonia. Sed revera melius esset etiam cùm sumtu aliquo obtineri versiones publica Magistratuum auctoritate firmatas, quales in judiciis scis requiri.

Tui amantissimus ut debeo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo placuisse tibi confabulationem meam per literas. Hoc mihi est negotiorum dulcissimum levamentum. Borussus ad me ubi venerit excipietur non tantùm illa tralatitia humanitate qua omnes excipio extraneos, sed ea quam merentur & tua & patris commendatio. De Gallicarum Ecclesiarum rebus rectè judicas. 408
Omnia ista non ad normam veri, sed ad partis suæ cuique obfirmationem comparantur. Mileterius post fulmen Synodi Alensonianæ alium scribit librum, magis ei favente Sorbona, quàm Carentono. Velim scire & aliorum de ejus laboribus conatibusque judicia. In Suedia Pastor qui est in urbe Regia Stockholmæ Germanus, volentibus Rectoribus ita se tenet inter communiter credita, & hortamenta ad sanctitatem, ipsum etiam dogma de Cœna ita tractat, ut omnibus qui eò veniunt Batavis satisfaciat, eosque ad communionem suam pertrahat. Idem de Brandano speraveram. Sed is à Germanis hic nonnullis excitatus contra monita, contra præcepta mea, inclementer declamavit in Calvinistas, & Pontificios: & Theses de Cœna quas à me vocatus defenderat, contumeliossisimas in eos qui πολυτοπίαν non agnoscunt, hic omnibus tradidit, planè corrumpendo instituto meo. Itaque coactus fui me ab homiliis ejus abstinere, deinde & inhibere istam, quam conscientiæ nomine tuetur, me nolente, in ædibus meis declamatoriam vehementiam, silentio ei planè imposito. Manebit hic ad ver; ne sibi injuriam factam queratur is qui neque conditionibus ei per Mathisium prædictis, neque meis edictis æquissimis, paruit, nemper æruscandi avidus, ut multis mos est illius gregis, cùm tamen ea sorte quam ego ei dederam contentus esse & posset & deberet. Quid posthac ubi ille importunè loquax abierit faciendum mihi sit, ut & publico bono Christianismi prosim, & me ab omni factionis, quantum fieri potest, suspicione liberem & tuum & amicorum consilium quæro. Archiepiscopi oratio cùm Anglicè sit typis vulgata, facilè apud vos interpretem inveniet, & digna est quæ legatur. In literis quas intercidisse dicis (fortè in Suediam Spiringium sint secutæ) scripseram siqua nova pararetur editio Taciti, aut Lucani habere me ad illum correctiones plus LXXX, ad hunc Notas veteribus recognitis & in unum collectis additas. Procopiana cum multis accessionibus faciam ut describantur & editioni parentur, hortante me Magno Cancellario ad quem Præfationem misi valde ei probatam. Annales belli Belgici ad inducias usque descripti sunt. De his duobus libris scripseram me pretii petere nihil: tantùm exemplaria centum chartæ melioris bene compacta, ut amicis tradi possent. Præterea velle me agere cum typographo qui

Digitized by Google

qui susciperet ex syngrapha intra quod tempus absoluturus esset editionem, ut mihi caveam adversus tricas. Notas ad Novum Testamentum Heinsianas exspectamus & si quid Salmasius contra molietur. Anthologia nostra dormit. Cordesius ita de me, ita de bonis meretur omnibus, ut hoc quod tibi commendavi negotium peragere rogeris quantum rogari potes. Vtenbogardo felicem senectutem precor & ut si quid gestat fœcis in hac vita fortiter concoquat. De patre gaudeo. Matri opto mitiora. De Venloa & Ruremunda tristes intelleximus. Quo tempore vos de Breda, nos de Capella speramus & Dampvilerio. Vale, mi Frater, cum tua, tuisque, Parentibus propinquis, amicis. Lutetiæ 18 Septembris 1637.

Tuus totus H. G.

EIDEM.

409 Literas, mi Frater, tuas accepi, in quibus de Breda & de aliis nuntias rebus. Scribit nobis Didericus ni citò adventent promissa à Rege auxilia, non posse defendi Trajectum Rheni, equis in dies ducenis morientibus. Leucatum hostis machinis ferit, Narbone non procul oppidum. Et in Rhedam insulam exscensum fecere Dunquercani. Edidit Mileterius librum in quo circumventam à duobus Referendariis Synodum ait. A presbyterio Carentoniensi, cui executionem decreti sui Synodus mandarat, exigit ut se coram librum antehac editum legant & ad normam veri expendant, rationesque ipsius audiant. Et hoc se petiisse, ut constet, instrumentum ei rei testimonium præbens postulat. Quod Cordesii viri officiosissimi negotium tibi cordi fuit, gaudeo. Vbi quis notus adveniet & rogo τὰ λειπόμενα mittas: omniaque mea tibi, quanquam apud tam amantem nostri non est opus, tamen commendo. Lutetiæ 3 Octobris novi Cal. 1637.

Brandanum ex misericordia, citra functionem ullam, quia non modò usui mihi non erat, sed & nocebat plurimum improvidis declamationibus, ad exitum Februarii, non ultra, penes me retinebo. Tum quid opus sit factu, velim cogitetis amici. Si quem possem ad tempus utendum habere, ac mutare interdum, placeret. Sed vereor ne nomen Arminianorum à rebus bonis auditores priusquam bene cognoscant avocet. Velim autem prodesse quàm plurimis, & omnem factionis in patria alendæ suspicionem si possim, fugere. Brandanus multum me decepit, ingratumque se miris modis ostendit.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

410 Literæ, mi Frater tuæ, 14 Septembris scriptæ, ad me 12 Octobris pervenere. Mitto ad te apertam epistolam meam ad Qudartium ut legas & cludas. Videbis quo me Brandanus nolentem redegerit. Ego ejus allocutionibus, etiam communioni, quanquam in orbiculata forma & sine fractione interfui semper cum omnibus signis animi in ipsum & cum ipso sentientis æquissimi. Ab eo nihil petii nisi, ut verbis generalibus de Cœna uteretur & cùm mos sit Lutheranis etiam paucis & privatim communionem elargiri eam daret mihi uxorique & familiæ meæ nostro more, qui & apud Lutheranos quosdam Principes observatur & his in locis viget. Hæc autem omnia ei per Mathisium prædixeram & his venerat legibus. At ille ut aliquam vidit multitudinem meo permissu ad se coire, mea dicta cœpit contemnere & pro arbitratu nunc in nos, nunc in Pontificios declamare, cujus loquentiæ pœnas ego luebam & in Reformatorum & in Aulæ Regiæ odia incurrens. Quis enim crederet à domestico meo, cui ego victum & annua præberem ea fieri quæ mihi improbarentur. Liberavi me hac culpa quo uno potui modo, à multis monitus. Nunc quid nobis sit factu optimum ego & uxor deliberabimus. Mihi non displiceat Aurati opera interdum uti. Vxor ampliat. Interdum in mentem redeunt ea quæ ad te perscripseram, sententiæ tuæ & aliorum explorandæ causa. Interdum nonnulli se ostendunt scrupuli. Petrus mecum Institutiones Batavicas legit. Si maximus natu huc venerit, eum remittam una cum Anthologia & historia Hollandica. Vtrumque opus velim ante editionem legi à Vossio & si ei placet etiam à Salmasio, sub fide nihil evulgandi, ut siquid in re aut locutione emendandum censent, moneat. De Anthologia cura esse debet, ut Grææ literæ bonæ sint, bonus corrector, bonus Index. Præfatio mea ubi à fine editio non longè aberit mittetur. Historiæ exemplaria centum bene compaginata & chartæ melioris dare typographus sine suo damno facilè poterit, & ego paucioribus per amicos omnes ire non possum. Mairii nec charta bona est, nec correctores. Et ipse tenax. Magis placet Blavius si literas Græcas & correctorem habeat: & scripto promittat circa definitum tempus se absoluturum. De Lucano & Tacito non urgeo. Si qua nunc eorum adornatur editio, tunc admonebor satis tempori. Videbis quædam non pœnitenda. Procopianis proponendam Præfationem misi ad M. Cancellarium, cujus nomini & ipsa & opus inscribitur. Mitè eam prædicat Cancellarius gratiasque & suo & gentis nomine agit, meque ut edam incitat. Parata sunt omnia ut describantur, ei operæ filium destinavi natu maximum, ut & res antiquas discat Gothorum, atque inde materiam disserendi uberem habeat, & se suaque studia ei quam nunc habemus patriam commendet. Novi nihil hic magnum quod sit præter mortes Mantuani & Sabaudi Ducum. Hujus pupillorum tutela matri, illius verò Venetis mandata. Vale cum parentibus, liberis, uxore, amicis. 16 Octobris 1637.

Mitto tibi exemplum epistolæ D. Cancellarii ad me super Procopianis. Mileterii librum postremum mittam ubi aliquis notus ad vos ierit. Scribunt ad me Elsevirii de Procopio, ut meam ipsis mittam editionem. Rogo si eos videris, respondeas mea minimè adhuc parata esse. Et meum aliud esse institutum, ad quod mandata & adminicula è Suedia exspecto.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Venit ad me Bommelius Geldra origine Borussus, diu 411
in Anglia moratus. Literas itaque attulit multas quidem, sed veteres plerasque. Erit mihi ob tot eorum quos maximi facio epistolas commendatrices gratus ejus adventus atque colloquium. Quid Voetius in me effuderit cum Socienno suo Schotico, nunquam nisi ex responso cognovi. Miror inquies hominis ingenium καὶ τὸ κακόηθες. Votum recolligendæ in unitatem Christianitatis, salvis iis quæ sunt necessaria, & sub æquis legibus, omnes qui hic sunt Reformati, præcipuè Daillæus, profitentur. At spes nulla est. Sanè nulla est dum in omnibus cœtibus tales regnabunt Papæ qualis est Voetius. Verum sæpe τῶν ἀδοκήτων πόρον ηὗρε θεός: & rerum pulchrarum etiam desiderium aliquid pulchri habet:

Amare liceat, si potiri non licet.

Quod librum meum de Veritate Religionis Christianæ in multas linguas versum ait, in eo non mentitur. Nec Latinè tantùm, Gallicè, & Germanico carmine & oratione soluta, cum voluptate & fructu legitur, sed & in Anglicum sermonem traductus à viro illustri multum ei genti probatur. Etiam Græcè versus est, sed nondum editus. Socinianus quàm non sim, ostendit Liber de Satisfactione, quem recudi sæpe fecit Reformatorum in Polonia facilè Princeps Radzivilius, unusque propè est quem respondendi cura dignati sint illi adversus quos scriptus est. Cæterùm si quædam mihi dicta etiam Socino in

in mentem venere, non dicam cum illo apud Senecam, *Pereant qui ante nos nostra dixerunt*, sed mihi licuisse quod Augustino qui ex Tychimo, Hieronymo qui ex Apollinari, hominibus alterius communionis sententiarumque, multa transscripsere. Hæretici, nisi aliquid haberent veri ac nobiscum commune, jam hæretici non essent. Videant illi qui in Ecclesia scissuras aut faciunt, aut alunt, ne occasionem multis dent longiùs abeundi à Christianismo quàm abiit Socinus. Mileterius poscit collationem super scriptis suis. Defugiunt id Carentoniani. Si qui convictos putant eos qui silentio finem faciunt litigandi, Vedelium hominem satis loquacem moneant Montacutio eruditissimo Episcopo ut respondeat. Respondeant iidem Archiepiscopo Cantuariensi, qui in illa oratione quam nuper in Camera Stellata habuit, dixit totum regimen quod introductum est in Ecclesias Galliæ & Belgicæ, Reformatæ quæ dicuntur, esse recens Genevæ repertum. Vt redeam ad librum de Veritate Religionis Christianæ, mirum verò quod Voetius videre se putat, id non vidisse Doctores Sorbonicos qui librum antequam ederetur viderunt, nec quicquam annotarunt præter quod dixi esse quædam planè incredibilia, quippe quæ repugnantiam includerent, ejusque exemplum dedi, siquis eundem hominem eodem tempore diceret & vivere & esse mortuum. In eo enim ipsi volebant non esse repugnantiam ad tuendum scilicet Transubstantiationis dogma, quod supponit unum corpus & quidem contrariè affectum posse esse duobus in locis. An & hi cætera probando Socianianismo favent? an & Cardinalis Barbarinus qui hunc librum ut Catholicum plurimis commendat & secum solet gestare. An Angli Episcopi qui verti in suum sermonem voluere? An & Charentoniani qui eum maximè probant? An & Lutheranus qui eum transtulit? Vidi nuper chartas admodum multas quæ inter Duræum pacis inter Euangelicos promotorem & Lutheranos quosdam Germaniæ permutatæ sunt, ex quibus ea excerpsi quæ Lutherani objiciunt de definitionibus modoque agendi Synodi Dordrechtanæ, quæque ad ea respondit Duræus. Possunt enim esse usus minimè spernendi. De imaginibus meis duabus ad me mittendis, quod monui antehac, rogo memineritis: & siquem nostis καλλίγραφον linguæ Latinæ gnarum & Gallicæ saltem aliquatenus, rogo indicetis. Duo sunt libri quibus uti ad tempus aliquod valde velim: Novum Testamentum quod Scaliger reliquit D. van der Mylen & Novum Testamentum D. Borelii amici quondam mei optimi, in cujus margine plurima annotavit ab Hugone Brochtono, viro rerum Hebraicarum doctissimo observata. D. Aurati opera si utar, qua de re delibero, non potero dici schisma hic facere, cùm ille nunquam ab ulla Ecclesia suo munere dejectus sit, sed solo imperio Ducis Bulionensis jussus exire, quod quidem imperium neque ipsum obligat extra Sedanense territorium, neque me quominus ei locum alium fungendo muneri concedam. Deinde cùm primùm venit Lutetiam accessit Molinæum. Communionem expoposcit, negata ei est, sine jure, sine more. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. 22 Octobris 1637.

Tuus ut debeo H. G.

EIDEM.

412 HOc, mi Frater, ideò iis quæ nuper ad te scripsi addere volui, ut videant eadem quæ mea sunt esse & Carentoniensium vota, sed sub æquis legibus, quæ si impetrari non possunt, agnoscenda est ϑεομηνία: servandus autem id cupiens animus. Serò admodum id est 28 Octobris, literas accipio tuas 28 Septembris per maris incerta. Terra literæ rectiùs curantur, rectà ad me inscriptæ aut ad Heufdium. De nostro declamatore quantopere spes & jussa mea eluserit, jam videris ex mea ad Oudartium epistola quam ad te apertam misi. De libris à me edendis cogitabimus ambo. Procopiana aut potiùs Gothica, nam hæc sola proposita habeo, nondum descripta sunt, nedum mitti possunt. Sed instabo operi. Cordesium quod obligas, facis rem ipsius & tua dignam bonitate. Et quandoquidem illud de Peruana bene expedisti, adjice quæso & alterum beneficium ut per te librum habeat Manassis de resurrectione, ubi deest folium à 63 ad 81. Legi ejus Iudæi librum magno meo cum fructu, tum ob vera bene defensa, tum ob Judæorum opinationes satis fatuas magni magistri confessione meliùs quàm antehac detectas. Filius meus natu maximus qui ad vos jam venit, perstat in oblivione officii. Neque ad nos scripsit de suo adventu. Consilia de rebus suis vult, ut videtur, capere sine nobis, meliùs, ni fallor, facturus si ad nos venisset, suisque expositis rationibus & nostris auditis, constituisset id quod usu esset ipsius: ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν. Facite tu & D. Reigersbergius quod eorum est quos tutela spectat. Absentes enim quasi mortui sunt absentibus. Parentibus optimis, uxori tuæ ac liberis omnia & fausta optamus, & quæ nostræ sunt potestatis offerimus. Gronovius ad me scribit; dolet non pervenisse ad se quæ ad Silvas annotaveram. Puto ei per te missa. Quod si est, arbitror Lugdunenses magistros, quorum amicitia utitur, obstitisse quominùs mei meminisset. Et consilium dedisse dissimulandi accepta. Quare de Thebaide & Achilleide sustinebo consilium, mittere mea cogitata debeam, nec ne, donec tuam intellexero sententiam. Vale cum nostris omnibus. 31 Octobris 1637.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

TVm pro literis altera Novembris datis, tum pro comitante eas epigrammate gratias tibi ago. Sicut delectat me servata Rhenoberca, captæque hostium naves, ita Pinsii Realisque mortes dolenter fero tum mei causa, cui amicorum ibi haud ita magnus est numerus, tum boni publici. Cistam rogo per fidum nautam ad Tresefium mittas. Multa in ea esse puto valde mihi desiderata. De filio tempus est aliquid constituamus, quod nisi ipso præsente fieri nequit. Quare ne differat ad nos se transferre. Excerpta ex Dorschei Duræique literis peritis ostendi è re sit, vertique illam de qua dixi, Archiepiscopi orationem. Is Archiepiscopus suis recentibus ad ordinarium hic Legatum literis & amicissimam & honorificentissimam mei fecit mentionem. Liber de Veritate Religionis Christianæ meus & de Baptismo, etiam in Suedicam transfertur linguam, quò magis doleat Voetius, eique similes Sanniones. De Notis ad Novum Testamentum, quas indicaveram, rogo cogites. De Aurato nos cogitabimus. De imaginibus meis quod scripseram memineris rogo. Ismaëlis Bullialdi de Natura Lucis liber, si ad vos jam pervenit velim quæ sint de eo literatorum ac præcipuè Optices peritorum judicia. Vale cum Parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 14 Novembris 1637. 413

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteras, mi Frater, tuas 19 Octobris & 16 Novembris datas, rectè ac pariter accepi. Quod illæ ad me tam veteres venerint, miror. Patri gratias ago, quod tui ad Bredam ad castra visenda profecti, partes interim impleverit. Sed & D. Mathisio, quod de meo negotio cogitationem susceperit. Ego de ea re adhuc videro. Filium hic exspectabo. Opus enim habet nostris oculis. De Procopio si rursum inciderit mentio, memineris quod nuper scripsi, me paratum nondum esse. Deinde me 414

omnia contrahere quæ ad res Gothorum pertineant. Illorum institutum aliud à meo. Ei me non intercedere sed favere. Borussus ille qui D. Heinsii ad me ferebat literas vidit me semel tantum. Properabat enim Genevam: inde rediens nos revisct: daboque ei vicissim ad D. Heinsium literas. De Gronovio pergo hæsitare. Tamen primo otio colligam quæ ad marginem Statii juvenis annotavi & ad te mittam, ut tuo arbitratu aut exhibeantur aut premantur. Cordesio rogo ut quod cœpisti efficias: nec de Geographica tantùm tabula, sed & particula Manassis. Gaudeo probari tibi illa Duræana. Non dubito quin idem sensuri sint qui judicio valent. Saluta tuos nostrosque. 28 Novembris 1637.

Post scriptam hanc epistolam temporis aliquantulum nactus, mitto illa Papiniana.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

415 Accepi, mi Frater, literas & tuas & Gronovii per Stratenum. Ad Gronovium scribo quas vides. Illud nuper in meis ad Statium annotatis malè omiseram, *Perseidos* nomen etiam in Hesiodi Theogonia exstare. Eadem est πέρσηις, πέρσεια, περσέφασσα, περσεφόνη. Cordesius tibi pro Perua gratias habet. Rogat ut si potes etiam illum Manasseum librum, ita ut antehac scripsi impleas. Magno etiam velit habere orationem Vossii de historiæ usu. Valde hic desideratur ejus liber de Idololatria. Item de Poëtica Arte. Parentes quæso & tuos salutes. Lutetiæ 5 Decembris 1637.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

416 Binas abs te literas his diebus accepi scriptas alteras 14 Decembris, alteras posteriùs, ut ex iis quæ continentur apparet, sed quorum in die adscripto error est. Fortè non est: sed celeriter pervenere scriptæ 21 Decembris. Militerius utrinque vapulat. Sed intentatam in eum à Sorbona censuram gravem, inhibuit Cardinalis. Stratenus mihi misit carmen honori meo scriptum elegans. Doleo inter Delfenses & Rotterodamenses, meos utrosque, diverso nomine gliscere controversias, quibus ego præscindendis semper laboravi. Pro Cordesio te laborare gaudeo. Dignus est pro quo nihil non fiat, vir de omnibus bene mereri pro more habens. Classis quæ Dunquercam intraverit, malum est non exiguum, sed nec insolitum. Non possunt qui mare custodiunt adesse ubique & semper. Cognatorum mortes quas nuntias χρὴ ἀνθρωπίνως φέρειν. Ad D. Heinsium scribam, ubi aliqua se dederit occasio. Interea æquum est nos vicissim benignos esse in eos qui in nos sunt benigni. Gaudeo non improbari tibi ac Gronovio pauca nostra quæ non relecto Statio è libri nostri margine subitò contraximus. De eo quod ad te pertinet, primùm illud mihi occurrit laudabile, quod dubitas, ne feceris. Deinde eam semper monitionem amicis suggessi, ut quoties commodi, aut honoris spes, damnive intervenit metus, tum de rebus ad religionem spectantibus ne deliberemus quidem, nedum mutemus aliquid: quia si quid tali tempore constituerimus novi, id non modò aliis erit suspectum, sed & nobis ipsis suspectum esse debet, cùm bene judicaturus animus omni affectu liber esse debeat. Deberent Delfenses nostri Amstelodamensium ea in re exemplum sequi. Ego, si quid ibi scribitur legi dignum, præcipuè super iis quæ movit Mileterius, scire cupiam. Saluta omnes nostros & cum tuis rectè vale. Postridie Cal. Ianuarii 1638. quem annum nostris omnibus opto felicem.

Diebus Dominicis scribo quædam ad loca Novi Testamenti de Antichristo loquentia, aut quæ de eo solent intelligi, multum diversa ab iis quæ multis nunc probantur. Rogo quod de imaginibus meis duabus faciendis antehac scripsi, ejus memineris. Sum enim ex promissio obligatus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Vicesimo postquam scripseras die, mi Frater, tuas 28 Decembris datas accipio. Nimirum per Polhemium curatæ sunt, qui mari venit. Id autem iter minùs κατὰ τὸ σύνηθες procedit, quàm id quod per Brabantiam dirigitur. De Mileterio Daillæoque tecum cum judico: egressum hunc modestiæ æquitatisque limites. Ita omnia plena sunt factionum pietatis se obtentu velantium, ut magni judicii laborisque res sit defæcato uti judicio. De honore qui Papyrio contigit gaudeo. Neque minùs me delectat quod apud Crassum æstimantur suo pretio literæ & virtutes. De Servio non me fefellit conjectura. Evenit id quod pro certo animo meo se offerebat. Iis qui sunt amantis τῆς περὶ πολλῶν vult detrahere existimationem pietatis ac probitatis, ut deinde eos pro nutu suo verset, aut suo arbitratu traducat. Id in re sua jam plus semel Paulus expertus est. Nam eum quoque eodem quo nunc Hermogenianum modo agitare voluit. Sed frustra tenditur rete inspectante volucre. Ego quod consului nunc quoque bonis omnibus consulo, ut quoties aut dignitas aliqua se ostentat aut commodum sub aliqua lege quæ Religionem ullo modo attingat, tum non modo nequicquam mutent, sed eo tempore ne deliberent quidem: quia omnis in ea περιστάσει deliberatio non potest non esse suspecta aliis, nobis etiam ipsis suspecta esse debet. Verùm, ut scripsi antehac, miror Crassum non Nasicæ imitari exemplum. Quid u d e ξ a d obstat sua de rebus divinis sententia quominùs sit & bonus civis & bonus Consul? Meermanni factum laudo, idque ipsum scire cupio, omniaque ei opto prosperrima. Ea sunt tempora ut qui in re sunt publica potiùs si honestè queant, inde se debeant extricare, quàm qui extra eam sunt tam iniquis legibus ad eam accedere. Filius noster maximus natu ubi hæreat, nescimus. Nec ipsum videmus, nec literas ab ipso. Miror τὴν μέλλησιν.

De imaginibus meis duabus quod scripsi antehac rogo memineris. Itidem de chartis in cista. Dum libros meos recenseo invenio periisse mihi commentariorum Wassenarii, libros IV. & XII. Desunt etiam mihi si qui sunt post XVI. Eos omnes mihi emi mittique velim. Advocatus illustris eloquentiæ dictus le Maistre novum solitudinis genus amplexus est, non in monasterio, sed domi suæ, projecta spe omni dignitatum & civilium & Ecclesiasticarum, quæ semet ipsi ultro offerebant. Ejus argumenti epistolam ipsius ad Franciæ Cancellarium dignam censui, quæ & abs te & ab amicis legeretur.

EIDEM.

Ob id maximè scribo, Frater, ut noris rectè nos 418
valere omnes: qui vobis omnibus paria precamur. Est jam apud nos filius natu maximus. Illi & instituendo ad res civiles & exercendo quantum potero maximam dabo operam. Vbi prodierint Heinsiana ad Novum Testamentum, rogo gnarum me facias; & si quid intellexeris de Procopianis. Salmasii usuras exspectamus. Hic Cyrilli & Theodoreti opera prælum exercent. Has literas Godefredi ad propinquum suum bene cures rogo. Describi hic jussi scriptum eligans contra Prædestinationem absolutam ex Anglico versum in Latinum sermonem. Mittet ad Episcopium Mercerius. Dignum erit quod videas. Cum Petro nostro mittam quædam nostra quorum obstetricationem tibi ac D. Vossio commendabo. Valete omnes. Lutetiæ 6 Februarii 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

E I D E M.

Optime Frater,

419 PRidem abs te nullas habueram, cùm ſimul binas datas 26 Ianuarii & 1 Februarii recepi. Poſtremæ quas habui tuæ ſcriptæ fuerant 28 Decembris. Omnibus tuis, ut ſoleo, reſpondi. Senatorem Reigersbergium jam rediiſſe ſpero. Multum te laudo quod τὸ εἰλικρινὲς καὶ τὸ εὐγενὲς ſecutus ſis in ea deliberatione, ubi hinc honos & commodum, inde ratio καὶ τὸ καλὸν ſtabant. Noli illis invidere qui tales mercedulas magna ſervitute emunt. Neque verò ego dubitavi unquam quin Servius, ut hi qui ante eum fuere, exteros & quibus ipſe pro patria eſt peregrinis præferret. Tum verò urunt quos nos ſecuti ſumus ἐν τῇ πολιτείᾳ κανόνες parùm convenientes Sallaturienſibus. Hæc vera cauſa, alterum πρόφασις in hoc comparata, ut aut à republica excluderêris, aut ad eam ſine tacita confeſſione factioſi erroris non poſſes accedere. Rogo quæ porrò in eo negotio ſequentur ut ſciam. Patri gratias ago ſummas, quod noſtra exigua pro tam magnis tam benignè æſtimat: & matri opto ſenectutem quàm facillimam. Vxor & filia iter in Majum menſem, nec ultra, faveat modò Deus, rejiciunt, ut parentes, conſanguineos, affines de noſtra abſentia ſolentur. Mileterius cùm his diebus mecum eſſet novum mihi libellum ſuum promiſit. Vbi accepero mittam, ut de tota re ſepoſitis ſtudiis liberè cognoſcas. Siquid ibi ab Epiſcopio aut aliis lectu dignum prodierit, fac ut per amicum aliquem mittas. Illius ciſtæ χαρτοφόρου & mearum imaginum ſpero memineris. De Antichriſto mira ſunt & ut ego optima fide arbitror vera quæ reperi. Aut valde fallor, aut dudum impleta ſunt, quorum eventus exſpectatus & exſpectationis diverſa interpretatio accendit animos, ceu cætera nuſquam bella forent. Iunii de pictura librum legam cum gaudio. Sed multò magis Voſſii de Idololatria. Filius meus natu maximus multo negotio mihi ab otio erit abſtrahendus, non ceſſabo. Tragœdiam Vondelii Giſbertum Amſtelium non accepi. Quin & ex Batavis intellexi inhibitam ejus editionem, argumentine an mei nominis ob offenſam neſcio. Certè videre gaudeo: tum quia ille inter noſtrates poëtas eſt optimus, tum quia nos & libertatem amat. Reginæ Suediæ docetur meos libros de Iure Belli & Pacis. Fiet & illa Sociniana, ſiquid Riveto, Voetio, Cloppenburgio credimus. D. Voſbergium in magno periculo ab hoſtibus maritimis fuiſſe cum dolore intelleximus, tum ob propinquitatem quæ nobis cum eo intercedit, renovatam inter nos nuper, tum quod Hiſpanorum res in ea Oceani parte invaleſcentes magnum in rem communem detrimentum, ac futuri metum adferant. Eluvioni amnium ſpero jam allatum remedium. Satis eſt quod eos hoſti pervios non fecit glacies: quod malum in Pomerania noſtris plurimum nocuit. Graswinckelio & aliis qui per Bommelium mihi ſcripſerant, reſpondere in reditum ipſius Bommelii diſtuli. Si ad Catilinæ hiſtoriam ſcripſerit quæ appoſitè ſcribi poſſunt plus ille gloriæ apud peritos, quàm apud potentes gratiæ conſequetur. De iis quæ mihi inter Waſſenarii hiſtorica ſcripta deſunt ſcripſeram nuper. Velim & illa habere & quæ aut ipſe, aut poſt ipſum alius addidit poſt Martium 1629. nam eouſque habeo. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 13 Februari anni 1638.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

Frater optime,

420 LIteræ tuæ 8 Februarii ſcriptæ delectant me eò maximè, quod te generoſi conſilii non pœnitet. Melius erit ferri quò ventuſque gubernatorque trahent vos, quàm magno labore malum aut ſibi aut publico quærere. Illud ſi vobis ἰᾶσθαι τὰ ἀνίατα quod vetant Aſclepiadæ, hoc ſi conſtituas συμμαθὼν δὲ μεταμελήσῃς. Lege Ciceronis epiſtolas ſcriptas toto triennio ante Idus Martias. Petrum quàm celerrimè mittemus. Vxor deliberat non tam de itinere, quàm de itineris tempore. Gaudemus Vahalim ad modeſtiam rediiſſe. Idemque Rhenus faciat optamus. Satis etiam ſic ibi malorum erit. De rebus privatis tuis noſtrorumque omnium quàm ſæpiſſimè doceri gaudebimus. Vxor, liberi, amicique veſtri bene valeant. 20 Februarii 1638.

Gronovio cum ſalute meas des rogo literas.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

GAudeo è literis quas 15 Februarii dediſti Parentum mediocrem valetudinem & vegetam apud eos noſtri memoriam intelligere. Vxor eos videre valde geſtit. Deliberat etiamnum, impatiens maris & militum curſationes extimeſcens. Exquiremus amicorum ea de re conſilia. Advocatus Magiſter laudatores multos habet: qui imitetur adhuc neminem. Craſſa fuit, ut rectè judicas, Craſſi culpa, rem ſuam ad aliena deferentis arbitria. 421

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico.

Gaudeo Naſicæ convenire vetus nomen viri civiſque optimi. De Servio ſemper ita judicavi, ut nunc res docet. Eſt aliquid, certum apparuiſſe ejus rei argumentum, ne poſthac ſpes vana credulos lactet, quod Paulo, non tam ſua quàm aliorum ſequenti conſilia, diu evênit. Calliſtratus qui hac de re diu hæſitavit, nunc decipi deſiit. Hermodori liberis aliæ quæ rendæ ſunt fideliores amicitiæ. De imaginibus memor ſis rogo & de chartis. Itemque de iis quæ mihi ad Waſſenarium deſunt & quæ poſt ejus mortem ſcripta ſunt ejus generis. Non putaram quantam ſcribis, fuiſſe eluviem. Satis intempeſtivæ ſunt in publicis malis tantæ privati gaudii oſtentationes. Si fiſci advocatio vacat, & ut æquum puto ad Zelandum defertur, patrocinium Hollandici patrimonii nulli rectiùs quàm Papyrio daretur. Et puto fieri poſſe, ſi res ſit in poteſtate Collegii τῶν ἀρχισῶν. Paulus nonnunquam fortè adjutor, quanquam è longinquo, eſſe poſſet. Nam & multa cognoſcit, & memoria tenet quædam. Quis ille & cujas ſit Somſius quarumque opum ſcire cupiam & ſiquid in ea re porrò auditur: tum maximè an ejus conatibus ſe opponant Hollandi aut Friſii, aut Fœderati Ordines. Henrici Coningii non ſatis ſcio quod ſit negotium: neque nominis reminiſcor. Si quem adoleſcentem noris, qui bellè pingat literas Latinè, Græcas ſaltem literas norit, cujus opera domi meæ uti poſſim, velim indicium facias. Scripſit iterum Mileterius de Gratia ad Profeſſorem Sedanenſem Amirautium: benigniùs de Arminianis loquitur, eoſque Lutheranis ait conſentire. Mittam exemplum ubi primum potero. Promiſit brevi ſe mihi daturum & alterum libellum de primatu Petri, id eſt, ut ipſe explicat Papæ. Mallem iſto labori ſuperſederet. Quid opus eſt nos liberales eſſe in eos qui omnia rapiunt? Rectiùs patiemur illos ſua tutari, ut poterunt, id eſt, valde malè, quia nulla re mediocri contenti ſunt. Habet multa Mileterius non ſpernenda. Sed neſcio qui factum ſit, quod communionem Proteſtantium retinere ſe, quantum finitur, dicens, omnia tamen loquatur quæ pro Romanenſibus faciunt: de illis quæ per multa ſæcula in Eccleſia aut potiùs Aula Romana culpantur, ne verbum quidem eloquatur. Hæc res multum nocet ipſius inſtituto, alioqui non illaudabili. Quæ Epiſcopius & alii ſuper argumento tam diu apud Batavos diſputato, nunc verò multis hic quoque certaminibus, nondum bene compoſitis, præbente materiam, ſcripſerit, ſitve ſcripturus diſcere avebo: tum verò & hæc, quando exitura ſint notata Heinſii in Novum Teſtamentum, & Procopii editio. Quid mihi conſtituendum ſit de inſtitutione familiæ meæ ad pietatem, poſtquam Brandanus

neque prædicta ipsi neque imperia curavit mea, dubitavi sæpe. Lutheranus Suedus qui hic est homo est valde Vbiquetarius & rudis. Permisi illi si vellet Suedicè apud me homilias habere. Non vult quia Suedi pauci sunt, ex Germanis autem lucratur plurimum. Est autem valdè eo spiritu afflatus. Lectione Novi Testamenti, Thomæ de Kempis, Erasmi, Puppii video meos satis rectè ea quæ aut necessaria sunt, aut maximè utilia edoceri. Auratus noster metuit ne ipsius privatis rebus noceat, si utar ad docendum Cœnamque exhibendam ipsius opera. Posterius autem hoc puto pro temporis & locis intermitti sine periculo posse. Siquis esset eorum qui publicam alicubi vocationem habuissent, perductus postea ad veriores sententias, quæ mihi tum in docendo, tum in scribendo operam navare vellet, gauderem. Subiit & alia cogitatio an ad tres quatuorve menses venire huc posset Niellius, non ut apud nos maneret, sed ut Belgis simul & Gallis perspectum fieret quale sit illud dogma quod adeo traducitur. Velim de omnibus his cogites & amicorum consilia explores. Chartas meas per alium quemvis Rotterodamensem nautam mitti malim quàm cum eo quem dicis, idque multas ob causas. Si fortè in ejus comitatu ibunt naves complures, aliqua earum uti non abs re erit. Petrus meus diligentia sua satis se probat mihi. Tantùm avertendus est de ambitu: quod juvenile est vitium. Et tranquillius vivet & magis rem faciet, si contentus sit causas orare. Rogo ubi ad vos venerit, fiet id autem propediem, omnes fori locutiones, omnes libellorum & Scripturarum pragmaticarum formulas discat. Quod autem maximè ei inculcandum est, sedulitas est & labor. Hunc quia fugit meus maximus natu in militiam ibit, puto, quasi verò ibi plus sit otii. Sed difficile est isti ætati persuadere quæ sunt optima. Annitamur tamen. Valete omnes. Lutetiæ 27 Februarii 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Optime,

422 INter eos quos in Gallia caros ob virtutem suam meique cultum habeo, locum eximium obtinet Theodorus Godofredus, magni inter jurisperitos Dionysii Godofredi filius, vir & magna rerum veterum novarumque peritia, & candore supra sæculum. Est is propinquus sanguine ei qui ante tempus aliquod è vivis abiit Petro, rectè an secus non disputo, sed dicto tamen in libris Brederodio, Legato diu in Germania Batavorum. Ex ejus testamento delibatio ei quædam hæreditatis amico huic nostro debetur. Metuit, ne qui hæreditati se hactenus immiscuere os sibi sublinant, egetque consilio, cujus ipsum, quantum potes, participem facias & æquitatis & hominis causa rogo. Deus parentes, te, tuos, nostrosque servet. 6 Martii 1638.

De imaginibus chartisque memineris, rogo. Expositionem causæ à D. Godofredo exspectaveram, non venit. Mittam proximo die.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

423 REcentes ad te, mi Frater, literas meas pervenisse gaudeo. Sæpe idem ut fiat opto. De adsessione in urbe patria, quò magis cogito, eò te judico feliciorem, quod causa honestissima, id est, de veteribus melioribusque sententiis nihil decedendo ob utilitates, te inde expediveris. Non potest quisquam hoc tempore eum tutari locum, ut fidei suæ consulat & securitati. Hanc vendere non est prudentes, illam vendere improborum. Linschotius homo externus, an Hollandiæ magis sit profuturus quàm Arsenius aliique in Hollandos adoptati videbimus. Quæ peccarunt amnes, corrigi posse spero. Quæ Ministri & inquilini, haud æquè. Libellum super scriptis Amirautii, Testardi, Molinæi videre percupio. Mittam ubi potero postremum Mileterii, ubi in Prædestinationis negotio se quantum potest aptat Charentonianis, nullo cum fructu. Parentes apud te bene exceptos, Patrem se bellè habere, matrem supra quàm ætatis incommoda pati posse putantur, gaudeo, Deoque gratias ago. In Poloniam mitti & opus est & quidem celerato opus. Fervebit Conventus Ordinum & 10 vectigatium causa & ex suspicionibus quas Rex Austriacis usus consiliis & Protestantium & Græcæ Religionis hominum in se concitavit. Vxor mea, puto, iter in aliud differet tempus. Nam & maris ob propriam corporis constitutionem est impatiens, & in limite vagatur miles cum magno iter facientium ac virginum maximè & feminarum periculo. Deinde verò intelligimus Legati Estampii uxorem nequiisse impetrare tuti itineris sponsores literas, quod grave est præjudicium in nostro desiderio. Sumus enim ii qui non amemus petere quæ metuamus, ut obtineri possint. Tales Cornettios Grotiosque semper fuisse arbitror. Alioqui non retinuissemns, puto, inter tot adversa tam erectos spiritus. Sed neque uxor mea indigna est quæ in domum nostram sit deducta. μάλα γὰρ ἴσον ἐγγύης. Vale cum tuis, id est, nostris. 13 Martii 1638.

De bono scriba qui bene pingat literas Italicas, Latinè intelligat, Græca saltem elementa norit, & te & D. Reigersbergium rogo, ut cogitetis, eo magis quod minorem filium remitto, de majore brevi visurus quid ipsius tum ferat animus, tum utilitas exigat.

Tibi devinctissimus Frater H. G.

EIDEM.

REdit ad vos, mi Frater, Ackerlakius acturus tecum 424
de rebus domus Egmundanæ. Perferet ad te idem D. Comitis literas. Rogo non tantùm consilio instruas egregium Principem, sed & quicquid potes amicorum ad eum juvandum contribuas. Erit id & honestum tibi & utile. Ego non deero omnes meas vires excutere, ut vobis opituler. Vale 25 Martii 1638.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

QVæ literis datis 22 Martii, mi Frater, scribis de Kin- 425
schotio valde sunt credibilia. Tam potente adjutus aura facilè scopulos omnes eluctabitur. Veniet ad vos Ackerlaeckius qui de rebus Egmundanis & de illo Somsiano negotio tecum ita jussus colloquetur. D. Godofredus vir antiquæ probitatis gratias mihi egit ac per me tibi quod res ipsius cordi tibi esse velis. Certè dignus est cui nulla fiat injuria. Vinariensis res in maxima spe sunt: multumque incrementi haud dubiè sunt accepturæ si & Palatinus se moveat, quod sine Anglica pecunia nequit fieri. Ejus liberalitatis exemplum Gallia sequi vult, non præcedere. Graswinckelium, si quis se ad honores aditus aperiret, facturum quod facit nunquam dubitavi. Θαυμάζειν ἄνθρωπος ἑαυτόν. Petrus jam itineri se accinxerat cùm subitò apparuit vir multarum palmarum, qui ei quæ luxata sunt reponere aggreditur, & ex initiis spem ei aliquam facit. Videtur si non persanaturus certè imminuturus hoc vitium. Id obstat quominus jam te in forum sectetur. Diligentia studiorum & aviditate discendi probavit se mihi. Spero & talem apud vos fore, & præsertim hortatore ac te magistro. Plurimum nos devinxeris si eum, ut nostra hactenus omnia, tuæ curæ facias. Dolet nobis quod semper tibi molesti nullum reperimus officii genus quo tuæ respondeamus in nos benignitati. Loscatio literas dedi. Erit nobis dum manere volet gratus hospes. Quò minùs consilia vestra se revocantium sequatur non obstabimus. De uxore ita est ut dicis. Maris est impatiens. Et terrestre iter multa in se habet pericula.

Tem-

Tempus nos fortè hac sollicitudine expediet. Gratias ago quod meæ libertatis diem festum habeatis Deumque oro ut parentes, te, tuos & omnes quibus ea res voluptatem attulit servet ac prosperet. Lutetiæ 3 Aprilis 1638.

Venit ad nos Pellüi filius & quidem ut cupio quamprimùm. Si eum videris mone ut Græcas etiam literas discat pingere. Id vel in itinere poterit facere. Exspecto Curcellii librum & Idololatriam Vossii & Salmasii usuras & si quid est aliud lectu dignum. Ego mihi videor ad res sacras Aurati nostri usurus opera, consciis Regis ministris, ne id ei noceat.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

426 QVod hîc temporis fuit Petrus, neque ipsi neque mihi periit. Nam & ipse didicit utilia non pauca: & mihi voluptati fuit quæ didici ex me nato tradere, aut certè unde disceret monstrare. Nunc eum tuæ tutelæ curæque & disciplinæ commendo, rogoque ut quotidianis sermonibus eum forensium vocabulorum morumque notitia excolas, ut aliquando non inter rabulas & Leguleios, sed inter oratores jurisque consultos locum suum tutari possit, efficiatque ut imago quædam mei apud Batavos maneat, ipsisque tacens exprobret quod in me admiserunt. De victoria Ducis Vinariensis quæ ex nobis didicit referet ipse. Optamus omnes tibi, uxori, liberis & amicis prosperrima. Lutetiæ 22 Aprilis 1638.

Id vel maximè rogo, ut quæ in filio jeci semina cognitionis ad pietatem ea tu alas, eosque amicos ei commendes quibus par sit studium.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

427 VT alia antehac, etiam hanc particulam scripti editi ad te mittere volui, ut nostri homines si non suis id didicerunt experimentis, aliorum ex judicatione discant, quantum ipsis infamiæ malique in res Euangelicas attulerit Synodus illa λῃστρική. D. Vossium, Hoofdium amicosque alios nostri memores vivere, gaudeo. De Aurato puto me facturum quod dixi: sed volo eum prius in Ecclesiam Anglicanam inseri, ne videar ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος. In Suedia video spem coagmentationis evanescere, maximè ob illa dogmata & agendi modum, de quo jam cœpi dicere. Feci quod potui ad promovendum pacis negotium, consilio, hortatu, exemplo. Res non succedit: feram ut antehac. Laudo te quod pietatem in parentes ostendis & ἀντιπελαργεῖς. Ego precibus id semper facio. Siquid ultra nostræ est opis, non deero. Vxoris iter quàm justis de causis differatur, ipse satis intelligis. Desiderat tamen videre parentes & nostros & suam. Et faciet, ut primùm itinera erunt à milite liberiora. Quod fortè citius erit, quàm speratur, Deus modò annuat. Petrum satis discendi cupidum in tuam do tutelam. Cura quæso & rem pragmaticam discat sedulò, & paris studii amicitiis utatur. Vides quàm indulgens sim Pater. Filius & maximus & ab eo alter, vitæ genus elegerunt à meis destinationibus diversum. Ego me ipsis apto: faveo conatibus: adsum consilio & commendatione. Ille maximus natu brevi ordines ducet, eritque, ut spero, nobis non dedecori. Cubicularius ille qui à Padburgio commendatur bono in loco est apud nos & amatur à nobis. De Kinschotio quanquam neque ad te neque ad me res pertinet, tamen quicquid evenerit, scire avebo. Habent sanè Hollandi quod cogitent, an ex usu sit ipsorum locum facere alieno beneficio in eo munere in cujus functione Zelandi partem perexiguam habent. Satis est id ferre, ubi tempus tulerit. Cistam multum exspecto, & libros & imagines. Principis maturata expeditio multum juvabit rem communem. Sapiens est illud de Brasilianis commerciis captum consilium. Cal. Maji 1638.

Mitto tibi scriptum vile decretum Sorbonæ in Mileterium, ut videas ubique idem esse fatum eorum qui bacchabus bacchantibus adversantur, pacis studio. Librorum Mileterii aliquot exempla quæ mihi dedit ipse, mitto ad Treseljum qui ad te perferenda curabit. Tu partim tibi retine, partim da legere dignis. De Procopii editione si quid intelligis fac quæso me gnarum. Cùm tua ad nos epistola veniret jam abierat Losecatius. Vxor de scripto collybistico accipiet quantum pro ipso impenderat, nec ultra.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

COgnosco libenter ex literis tuis 3 Maji datis cordi tibi esse causam Gothofredi. Ego ubi ad me venerit, suasor ei ero ne æqua repudiet. D. Salmasii liber de usuris jam huc pervenit. Sed eum legere nondum mihi contigit, ubi legero sententiam meam & ipsi & vobis significabo. Miror Hollandos ita veterem maritimorum præliorum gloriam dimittere, Zelandisque id decus concedere. Galli quid facturi sint, brevi apparebit. Nam Castilionæus jam Samaram transiit. Vickevordius huc venit. Sed apud me nondum fuit. Filiorum meorum maximus Genevæ perhonorificè habitus, inde jam abiit ad castra Vinariensia, ubi Smidsbergium jam esse arbitror. Et illi & Diderico, rectum, ut spero, iter instituris fautores non deerunt. Vidimus hic Prinsium Berenstenium-que, optimæ juvenes spei. Prinsium, ut nostra domo uti vellet seriò invitavimus. Sed ab hac urbe auferre se properat. Nulla à nobis in ipsos officiosæ amicitiæ signa deerunt. Spero jam salvos ad vos pervenisse Petrum nostrum, quem patri nostro tibique unicè commendo & Losecatium. Neutri inutilem puto fuisse in Gallia moram. Vale quàm suavissimè cum parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 15 Maji 1638. 428

Datus est in carcerem Salmuri Presbyter Oratorii quod ad Augustini librum de Virginitate scripsisset, S. Virginem sine voto implesse virginitatis perpetuæ propositum, idque laudabilius esse quàm facere eadem ex voti necessitate. Addiderat confessionem non valere ad obtinendam veram absolutionem nisi contritio præcederet.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

BInis tuis literis, Frater optime, responsum debeo datis 25 Aprilis & 10 Maji. Accepi per Vickefordium & imagines & libros. Scribam Vondelio, Vossio, Salmasio, Corvino, ubi primùm erit otium: nunc enim plurimis negotiis destringor. Vondelii Tragœdia egregiam habet οἰκονομίαν & bene delecta historia est ad urbis florentissimæ laudem; multumque ei debeo quod perennaturum opus meo inscripserit nomini. Gaudeo & actam placuisse populo. Iunio quoque gratias agam pro eruditionis plenissimo libro. Heinsii juvenis poëma multum habet ignis paterni, & gaudeo viri magni obtingere tanti spiritus filium. Ad patrem scribere decreveram ubi rediret Bommelius, cui ad me literas dederat. Salmasii librum percurri. Est ut dicis multæ lectionis plenus. Miror quod non sua disponat ordinatiùs. Sæpe difficile est ipsum sibi conciliare, sæpè περὶ τὸ ὄνομα διαλέγεται, ut cùm tam operosè refellit vocem voluntarii, quod ego de jure divino non naturali utilitatis causa usurpaveram, quasi non & Cicero dicat voluntarium facinus & alibi voluntarium opponat necessario. Deo liberum erat hominem non condere. Condito homine, id est natura ratione utente & ad societatem eximiam conformata necessario probat actiones tali naturæ consentaneas, contrarias improbat. At multa alia non necessario, aut jubet aut pu- 429

nit,

nit, sed quia ita ipsi visum. Quo alio nomine meliùs designari potuerit jus illud quod non positam hominis naturam immutabiliter sequitur, sed ita ut voluntas divina libera interveniat, equidem non video. Multa sunt in eo libro paris κόμματος. Heinsii παράφρασιν Politicon Aristotelis sæpe exagitat, interdum & versionem Andronici quæ est melior. Puto habere eum causas & in re & in homine. Mercatura, ut à multis exercetur solo compendii privati studio, nulla boni publici cura, habet fortè quod à fœnebri avaritia non multum distet. Sed quid hac de re tota sentiam ubi ad ipsum scripsero, ad te transmittam. Corsellii liber super disputationes Molinæi cum Capitone & Thaumasino multum lucis ex collisu adferre potest non pertinacibus, neque carebit, ut spero, suo fructu. Auratus noster hac Pentecoste communionem sacram sumet cum Angli Legati pastoribus valdè id volentibus. Ea res mihi, ut spero, aliquam dabit actionum publicè utilium materiam. De Wassenario & supplementis rogo sis memor. De Vickefordio rectè mones. Saluta quæso parentes, uxores, liberos. Filium meum Petrum spero non solo sanguine, sed & ingenii bonitate tibi placiturum. Spem non exiguam concepi de ejus profectu. Vt in diligentia bonisque amicitiis perseveret, excitandus est. Pudet hic omnes Reformatos seditiosarum molitionum quæ à pravis Genevæ imitatoribus adversùs sapientia non minorem quàm auctoritate Archiepiscopum susceptæ sunt levibus adeo de causis, tanto cum periculo. Mileterius nihil censuris territus pergit quæ vera putat dicere. Et nunc certamen ei magnum cum Mestrezato incidit de bonorum operum meritis. Vides quantum obstet paci Ecclesiarum quæ à Pontifice discesserunt tempestas ista Dordrechtana. Ego ubique locorum resarciendæ dedi operam: ubique frustra, ita occalluere animi. Vossii de Idololatria librum avidè exspecto. Iuvabit etiam scire Basii istæ cuniculares fossiones quò sint erupturæ. 21 Maji 1638.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

430 NOn multum ad te nunc scribam, mi Frater: satis tibi negotii impositurus, si has quas vides literas ad Salmasium, Corvinum, Curcellium tibi & legendas & obsignandas commiserim. In illis ad Salmasium meam de usuris sententiam breviter explico. Quæ de ejus libro vestris in locis Romanensium, Lutheranorum & Calvinianorum sint judicia, scire expeto. Ipse ad amicos scribit infensos sibi esse Pastorum multos & unum inter eos eximium, non parum lucri facere è fœnore, quod laudet Canones veteres qui τοῖς ἐν κλήρῳ tales quæstus interdicunt. Parentibus, tibi, tuis nostrisque omnia felicissima opto. 28 Maji 1638.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

431 GAudeo, mi Frater, salvos apud vos esse adolescentes quos hinc, nonnulla, ut spero, cum fruge dimisimus. Vickevordius abitum molitur ad Ducem Vinariensem. Pransus heri apud nos, nobis optimè volens. Sicut vos Gallorum actus vegetos ac fortes exspectatis, ita vestros Galli. Castilionæus S. Audomari oppidum obsidet, captis circum oppidis minoribus arcibusque. Si itidem Princeps Arausionensis oppidum aliquod obsederit, constabit huic anno sua ratio. Non videtur maritima parari expeditio tam exiguo navium ad id idonearum provisu. Antverpienses non immeritò timent rebus suis. Dunquercanæ istæ naves, quando oram Anglicam tenent, evasere. Presbyter oratorii ille captus Salmurii Seguinottus vocatur. Post id captus est Lutetiæ abductusque in Silvam Vicennensem Abbas Sinciranus easdem illas sententias aliaque Monachis non probata tutari suspectus. Ita paulatim irrepit inquisitio ea semina jacientibus iis qui sibi nomen fecere Congregationis propagandæ Fidei, sodalitii Parlamenti auctoritate non sine causa improbati. Vale cum tuis nostrisque omnibus. 4 Iunii 1638.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

ACcepi cistam in qua reperi Acta Ordinum Hollandiæ. Eorum duo Codices anni 1581. à patre mihi 432
sunt dati. Tertius quidem aut, ut puto, proximi anni, est apud hæredes amici quondam mei D. Borelii cui eum utendum dederam. Cæteri codices sex sunt me Syndico ex chartis segregibus in corpora coacti & res continent ab anno 1577. ad 1600. Hi sunt civitatis Rotterodamensis, quos restituam ubi ejus Rectores mihi quod æquum est præstiterint. Posteriorum temporum libri apud ipsos sint Rotterodamenses, an alibi, inquirendum est. Speraveram me itidem recuperaturum libros perutiles, & chartas etiam utiliores, quas habui in conclavi meo apud Drilium. Chartæ in loculis ligneis custodiebantur. Eæ quæ pervenerint, rogo omni diligentia investiges. Non enim credas quanto earum tenear desiderio. Quicunque eas habent, si viri boni sunt, mihi eas reddere debent, primùm ut iniquissimè ac per vim damnato, deinde ut ex vi privilegiorum ac rei judicatæ in omne quod habui dominium reposito. Precor te, ut qui me in omnibus rebus adjuveris, in hac quoque sis opitulator. Cistam bona occasione remittam, nisi contenti sint, quorum ea est, pretium pro ea accipere gratiamque pro custodia. Filio Petro libros quosdam ad me mittendi dedi mandatum. Eorum meminerit velim, ubi amicus quis ad nos venerit. Velim itidem mitti ad me τὰς λειτουργίας Remonstrantium in precibus, baptismo, Cœna. Rogo inquiras quid de itinere Hortensii in Ethruriam sit futurum. Si aliunde non potes ex D. Vossio poteris rescisce-re. Petrum meum tibi commendo, & tuos omnes saluto. 26 Iunii 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

EX literis, mi Frater, tuis datis 21 Iunii didici histo- 433
riam eorum quæ ad Calloum geri cœpere, quorum tristem exitum aliunde accepimus. Doleo & ob cladem publicam & ob mortem juvenis Nassavii qui nos amabat. Parentes miseror. Rem maritimam diligentiùs curari gaudeo, miratus tantam hactenus μετεωρίαν. Certum est interim ab Anglis pulverem igniarium aliaque Dunquercam illata, mercatoribus cujuslibet lucri avidis, & Rege Angliæ facilè id ferente quod talium metu speret adigi posse Batavos ad accipienda quæ dictabit fœdera. Comes Egmundanus edicto Machliniensis auditorii citatus, exivit è Gallia & in Angliam, ut bello vacantem se transtulit, ne objici sibi possit quod apud hostes vivat. Miror id consilii non prius ei in mentem venisse. Ita enim præcaveri fortè potuerat hoc edictale fulmen. Nunc Pontificis precibus, aut etiam imperio, quia ipse Abbatis Vasallus, Abbas autem Egmundanus Pontifici uni subditus fuit, uti se posse sperat ad vitandos judices, non suos, ut ipse interpretatur, deinde & sibi suspectos. Sed de his tecum aget tuaque & aliorum consilia exquiret Ackerlakius qui nunc ad vos venerit. Petri nostri studia amicis omnibus, sed supra omnes tibi commendo. Beresteinio juveni quod præstiti, perexiguum est. Vbi huc redierit magis etiam ipsi ostendam quanti ipsum, quanti omnes ejus nominis, veteres amicos parentum nostrorum faciam. Ad Petrum redeo. Velim ubi apud vos fuerit moneas eum de libris quos mihi mitti volueram. Mittantur

tantur autem aut per amicum, aut per cognitum nautam ad Treſelium, qui deinde curabit ad nos perferri. Iis addi velim Remonſtrantium τὰ ἀντελεγχικά. Vale cum tuis noſtriſque omnibus. 3 Iulii 1638.

Auratus noſter incipit metuere, ne ſi mihi præſtet operam de qua ſcripſeram & Pontificii & Reformati ipſius ad linguas diſcendas magiſterio, unde ſe ſuſtentat, uti deſinant. Itaque rurſus hæreo.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

4 DOleo, Frater optime, ad publicas calamitates acceſſiſſe privatum Loſecatii noſtri incommodum. Laborandum erit, ut & quamprimùm & quàm æquiſſimo pretio dimittatur. Alia ejus ratio eſt, alia eorum qui intra amnis exſpatiantis ripas ultimas capti ſunt; & quidem illis in locis ubi ita recens exſtabat malè curatæ bellicæ fidei exemplum. Sorori velim aliqua in parte auxilio poſſe eſſe aut ſolatio. Ackerlakius dixerat quidem ſe in Batavos ire, ſed non leves cauſæ ſunt, cur ſuſpicor eum in Angliam iviſſe, unde ad me Comes Egmundanus ſcripſit. Miſeror ejus vicèm. Mea ipſi bona conſilia nec defuere, nec deerunt. Sed ille ſpes Gallicas prætulit: quod utinam bene vertat domi in extremo ſtanti margine. Partibus noſtris multi conatus malè evenere, ad Calloam, ad S. Audomari urbem, ad Briſacum, ad Remiremontium. Tantum in Hiſpanico fine & initia bene ſe habuere & rerum majorum ſpes eſt non ſpernenda. Vale cum noſtris veſtriſque omnibus. 24 Iulii 1638.

Tui amantiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

ACcepi, Frater optime, literas tuas 26 datas Iulii. Accepi etiam quas multò priùs per virum bonum Henricum Omium dederas. Et huic quidem nihil deerit eorum quæ meæ erunt opis. Tibi verò gratias ago, & pro iis quæ nuntias, & pro gratulatione evitati periculi non levis ἐκ ἀνδ. θείας προνοίας, cujus beneficia grato ut animo ſemper agnoſcam, id verò primum officiorum omnium duco, ducamque ſemper. Mortuus eſt auriga meus ex duobus globis in renes adactis, qui digiti intervallo meum caput tranſierant. Indicanas Societates & divitiis augeri & victoriis ſanè & ipſarum & communis utilitatis cauſa gaudeo. Loſecatii damnum & incommodum cum dolore intelligo, ſperoque eventurum ei aliquid boni quo id penſetur; præſertim cùm id non difficile ſit efficere iis qui me pro bonis factis tam malè tractarunt. Qui, ſi mihi quam debent aut malorum compenſationem, aut pro meritis gratiam nolunt reddere, ſi meis propinquis reddant, non quidem totum officium bonorum virorum, ſed partem ejus expleverint. Deus, ut hactenus fecit, nos ſui eſſe præſidii velit. Parentes, uxorem, amicos, liberos ſaluta. Lutetiæ 7 Auguſti 1638.

Velim videre quæ Voetius de Vſuris edidit, & quæ dabit Latinè Cloppenburgius.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

LOſecatio, mi Frater, poſtlimino reditum gratulor, vobiſque omnibus plurimum debeo quod gratiarum actionem apud Deum pro me cum mea conjungitis. Ego viciſſim non deſinam Deum pro parentibus ac vobis precari. D. Comes Egmundanus in Anglia non ex voto ſuſceptus, videtur Hamburgum ſe conferre. An migratio ejus ex hoſtili ſolo in pacatum eum poſſit compotem facere eorum, quæ ſub Hiſpanico imperio habet bonorum, multum dubito. Qui ſint futuri apud vos Senatores, quæ D. Kinſchotii cum Delphenſibus conventio, quis ei in fiſci advocationem ſucceſſor, quid de rebus fiſcalibus ſuis facturi Hollandi, ſi comperiatur ejus muneris conferendi jus ad Zelandos perveniſſe, omnia hæc, & quæ alia ſcitu digna, cognoſcere, tuis præſertim ſuaviſſimis literis, plurimum aveo. Velim ſcire quæ ſint judicia Diatribæ de Cœna, ubi non ſunt paſtores. Scriptor hic putatur D. Salmaſius. Siqua eſt occaſio, habeamus exempla aliquot. Vale cum tuis. Lutetiæ 4/14 Auguſti 1638.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

VIdendum, mi Frater, quid facturi ſint Hollandi, aut Zelandi ſuper iſta controverſia de conferendo fiſci patrocinio. Si Zelandi prævalent, & Hollandi ſua ſeorſim negotia Iuriſconſulto alicui mandanda cenſent, idque permittunt arbitrio Collegii Rationalium, puto aliquid ſpei tibi affulgere: quæ tamen quanta ſit facile ex amicis qui in eo ſunt Collegio intelliges. At ſi ad Conventum Hollandiæ res venit, aut ad Conventum primum, inde ad Principem, exiſtimo alium quemvis plus gratiæ quàm te habiturum, tum ob ea quæ de Religione ac Republica ſentis, tum ob mei odium nondum in multorum animis ſanatum. Ex uſu foret & Hollandiæ & Zelandiæ, per occaſionem communium quæ inter ipſos ſunt judiciorum, nonnunquam communes, ut olim factum, habere Conventus, ibique expendere quid ex uſu ſit duarum nationum optimè de omnibus aliis meritarum; ad quarum tamen infringendam auctoritatem alias videmus conſpirare inter ſe. Dunquercanos mari arceri valde è re eſt Batavorum. Quid Angli de piſcatu facturi ſint, incertum eſt, nunc enim donis negotium invenere, quod eos diſtinere poteſt ab aliis molitionibus. Vt Princeps Arauſionenſis otium exuat & Galli & Suedi optamus. Vale mi Frater quàm jucundiſſimè cum parentibus, conjuge, liberis, amicis. Lutetiæ 21 Auguſti 1638. 437

Damnati ſunt per contumaciam qui nuper vim mihi intulerunt, ut rota frangantur, ſed in imagine ſcilicet ad terrorem & ipſis & aliis incutiendam. Nam reipſa id fieri adeò non paterer, ut cùm ſcirem quoſdam inhiare bonis eorum, à Rege petierim ne ea cuiquam largiantur, ut ſi quando gratiam facturus eſt criminis, de quo eum ſum rogaturus in tempore, faciat integram. Dux Vinarienſis iterum ingenti potitus eſt victoria ad Rynfeldium, cæſo exercitu Savellii & Gotzii, captis multis hominibus, ſignis cum equeſtribus, tum pedeſtribus prope nonaginta, machinis undecim, magna vi commeatus & paratus bellici. Victor victi exercitus reliquias quæ ad Offenburgum ſunt perſequitur, & Henningam obſidet.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOn deſino quotidie & Deo agere gratias pro eximia mei cura & opera dilectionis exſerere adverſùs eos 438
quorum furore in tantum fui conjectus periculum. De Bereſteinio ſanè doleo, memor omnes ejus nominis nobis fuiſſe amiciſſimos. Damnati ſunt omnes illi qui mihi vim intulerant, rota frangi. Sed nequedum pronuntiata eſt ſententia, neque imaginario modo (abſunt enim qui maximè ſibi ſunt conſcii) exſecutioni data: quia ſperant qui huic rei præpoſiti ſunt, ſi res ſilentio in oblivionem veniat, capi poſſe maximè ſontes. Ego quominus terror incutiatur ruſticis nihil tale aut in Legatos aut in primarios viros audendi, non impedio. Sed nequis moriatur ex occaſione delicti in me commiſſi, & quidem non deſtinato conſilio, omni auctoritate & gratia & labore impediam, idque officii mei eſſe exiſtimo. Principis

cis Arausionensis in partes Geldriæ conatus bene ituros omnes & Galli & Suedi speramus. De Dunquerca utinam ita, ut scribis, res eat. Multæ sunt causæ unde Batavis tædium belli oriri possit. Sed hæc non inter minimas est. Et optanda quidem pax in commune, at paces segreges non possunt non maximum malum afferre Orbi Christiano. Vidit his diebus uxor mea Reginam, meliùs jam animatam adversùs instantem partum. De Fontarabia, incerta sunt judicia. Classis Gallica eò advenit. Sed terra Hispanus viam invenit immittendi militis nonnihil. De tuo ambitu spes mihi omnis in Collegio Rationalium posita fuerat. Nunc cùm Basius suum propinquiorem (meas non paucas plumas habentem) subornet, quantum conjectura ex longinquo & rebus postquam ego eas vidi mutatis valet, nihil tibi sperandum video. Et dolori mihi sit si repulsis assuescas. Nescire non potes eos homines qui in honoribus ac splendore hujus Mundi omnes spes collocant, cæteraque non nisi in speciem aut certè perfunctoriè considerant, viam habere faciliorem ad id quod unicè volunt. Sed meminerimus quæ hujus sunt vitæ nobis neque planè spernenda si ultro se offerant, neque ita appetenda, quasi in iis situm sit aut summum aut magnum bonum. Vale Frater optime. Lutetiæ. 28 Augusti 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

439 BEne te tuosque valere, mi Frater, gaudeo. Ego vires morbo & medicando fractas recipio paulatim. Gallorum prospera exigua præ adversis, jam & Fontarabiæ derelicta obsidione magna clade accepta, per militis contumaciam. Sed apud Genuam pugna navali Galli tribus navibus longis amissis sex hostiles cepere. Cateleti, quod impetu captum est, Præfectus Gabriel de las Torres in potestate est Gallorum, qui nunc parant se reddere hybernis. Duci Vinariensi ad Brisacum capiendum majoribus opus est copiis. Ipse Colmariæ adversùs tertianam luctatur. De captivis non miror si Cardinalis Hispanus datum sequitur exemplum. Res maris quod apud vos diligentiùs quàm antehac curantur, spem mihi facit melioris in posterum fortunæ. Hic omnia ob natum Delphinum in lætitia sunt: eaque felicitas mala quæ accidere occultat. Schokium hominesque similes non multum curo. Liber ille de Veritate Religionis illis ringentibus vivet & florebit. De Trinitate & alias controversias directè ibi tractare non debui, & qui eas ex naturali ratione aut Platonicis scitis tractarunt antehac plus læserunt quàm adjuverunt causam Christianismi. Adversùs Socinismi calumniam à Riveto mihi motam epistolam antehac satis uberem scripsi ad D. Senatorem Reigersbergium, qui, ut spero, ejus tibi legendæ copiam non invidebit. Si quid dignum lectu apud vos prodierit, facite me participem. Lutetiæ 25 Septembris anni 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

440 ET valetudo & vires, mi Frater, rediere: pro quo seriò vos Deo immortali agere gratia certus sum. Ad Fontarabiam fuit quidem militum aversus à pugna animus. Sed artes intervenernnt Ducis Valettæ Principi Condæo & Archiepiscopo Burdegalensi invidentis. In eum postquam ad Regem vocatus non venit, dantur judices qui absentem reum peragant. Ego neque hic neque apud vos quicquam hoc anni tempore boni exspecto. Reginam matrem velit Rex ire Florentiam, quod illa semper abominata est multis de causis. Maris res tractari apud vos sedulò, lætum nobis. Filium quod ad actiones forenses & hortaris & instruis, in eo maximum mihi beneficium præstas. Neuportio gratulor successum. Pertulit ad me vir insignis Theologus Anglus partes literarum quas olim ad Crellium, qui ad me humanissimè scripserat, pari humanitate respondi. Hanc lenitatem meam Socini sectatores in argumentum trahere volentes consensus mei cum ipsis particulas illas literarum in Anglia sparsere. Mallem integras vulgassent. Apparuisset enim me nihil demutasse de sententia. Quod ego illi Theologo tum ex libro meo de Iure Belli & Pacis titulo de Pœnarum communicatione, & illo pro Veritate Religionis Christianæ, non uno loco, tum verò ἐκ τῶν ἀνεκδότων ad Matthæum ita manifestum feci, ut facilè & Socinianis & iis qui me Socinianum esse vellent sit ora occlusurus. De rebus fiscalibus quicquid futurum est, doce nos quæso, ut ejus quæ apud vos agitur fabulæ velut spectaculo me oblectem. Nova facta est Oxoniæ editio libri mei de satisfactione Christi contra Socinum, & ejus quem pro defensione hujus scripsit Vossius, procurante Samsone Iohnsono viro eruditissimo, Archiepiscopi domestico, qui nunc iturus est ad vos, ut Reginæ Bohemiæ sacra administret. Si quid intelligas de Procopii editione & de iis quæ inter Salmasium Heinsiumque peraguntur, rogo me gnarum facias. Vale cum uxore, liberis, Parentibus, amicis. Lutetiæ 16 Octobris 1638.

Tuus bene meritus obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

SOroris nostræ, mi Frater, morbum intellexi, dolens 441
quàm maximè malum tam crudele in ætatem tam florentem incidisse. Sed refovet me epistola tua spem dans restituendæ valetudinis. Medicorum opem Deus secundet, ipsamque nobis, marito, liberis servet. Dux Vinariensis in magno periculo. Validæ hostium vires: ipsi tenues. Auxilia tarda in tam præcipiti temporum articulo. Oppugnata per triduum castra. Sed rejectus cum clade hostis qui jam quædam castrorum munimenta irruperat. Hostes erant Gotzius & Lambois. Adventat & Savellius. Regina hic, quanquam Delphini mater, nihilo est quàm antehac potentior, jussa à latere ejus discedere matrona, quam maximè diligebat. Regina autem mater ubi in Anglia aliquamdiu fuerit, restat ut Sabaudiam videat. Ita omnes suorum terras perambulaverit. Quando Procopii editionem inchoaturi sint Elzevirii scire cupiam & siquid præterea est literarum. Vale cum Parentibus, liberis, conjuge, amicis. Lutetiæ 13 Novembris 1638.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

Frater optime,

DOlent mihi de sorore quæ scribis, pro qua Deum 442
precibus adire non desino. Filii in castris valent: sed minor rectiùs. Alterum otii amantem nimis properè militiæ tœdet. Brisacum brevi in potestate ejus speramus fore, depulsis ab oppugnatione castrorum hostibus, castellis extra urbem partim ab hoste receptis, partim captis aliis, cæso iterum Duce Lotharingo ad Ensisheimum magna ubique hostium clade. Savellio qui Rhenum transiit adversum ivit Longavillanus. Princeps Arausionensis non Gravesandam tantùm sed & alias res magnas vili mercatur. Etiam istæ quæ videntur nugæ, titulorum fumi, ducunt seria. De Schoockio scripserat jam ad amicos Salmasius, mihi ab eo affingi Socinismum. ὁ [illegible] [illegible]. Occallui ad talia. Nihil veri eo factum est deterius quod in id Socinus incidit. Siquis tamen vestratium responso eum dignum putat, & à me edoceri velit super iis quæ ad me pertinent, non me gravabit iste labor. Interim quod adversarium reperit Schokius non minùs quàm ipse est cerebrosum, satis placet. Epistola Rupellam rectè missa est. Vale cum tuis nostrisque, mi Frater. 20 Nov. 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

443 DEo gratias, Frater optime, ingentes habeo quod sororis valetudo in melius proficit cum bona spe recuperandæ totius integritatis, cujus boni ut nos compotes faciat eundem Deum precor. Quod de iis qui cum Hautebenio erant scribis, par est flagitiis ad Fontarabiam commissis. Aliter vivitur in castris Vinariensibus. Grave ut video damnum est, quod tempestates Batavis intulere. Talis vicinus est Neptunus, ut cum commodis & incommoda adferat. Controversiam quam Calloana clades fecerat, non iniqua lege compositam gaudeo. Neque enim Romana in captivos severitas Batavæ lenitati convenit. Brisaci capti nuntium opperimur. Et jam rumores quidam ex omnium spe nati eum præveniunt. Sabaudica Vidua arces & oppida implevit Gallico milite, metuens ne à populo in Cardinalis Sabaudi, qui cum exercitu in proxima penetravit, manus traderetur, aut etiam interficeretur cum infante qui jam unus spem Cardinalis illius moratur. Quàm bene caverunt leges Quiritium, ne apud substitutum educatur pupillus. Fisci advocatio non homine tantùm erudito ac diserto, sed & firmo inconcussoque indiget. Videbimus ex electione an qui Batavis præsunt rempublicam curent ut ad se pertinentem, an negligant ut alienam. De librorum censoribus quod scripseram scire cupiam, an ad Trajectinam tantùm terram, an verò ad omne solum Fœderatorum juris pertineat, & quàm latè pateat & num observetur. Vale cum Parentibus optimis, uxore, liberis. 27 Novembris anni 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

444 LIber meus de Veritate Religionis Christianæ, mi Frater, qui Socinianus est Voetianis adeo hic pro tali non habetur, ut studio Religiosorum Pontificiorum vertatur in sermonem Persicum ad convertendos, si Deus cœpto annuat, ejus imperii Mahumetistas. Libri de Cœna sine Pastore exempla aliquot Rhotomagum advenisse audio. Placuisse multis ex Parlamento maximè. Ea re commotum Dionysium Petavium contra scribere. Disputando inclarescet veritas. Si quid habes de Procopii editione, aut si typographum nosti à nostris in Ecclesia & Republica sententiis non alienum, indices rogo. Vale cum uxore, Parentibus, liberis, amicis. Lutetiæ 4 Decembris 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

445 PRo sororis, mi Frater, valetudine ut & pro vestrum omnium Deum precor. De Filio nostro maximo natu idem nobis parentibus quod tibi placet, non debet ut fugitivus ἢ ῥίψασπις è castris ad nos redire. De Petro gaudeo bene cœptum, rogoque pergas curare ut se exerceat quàm sæpissime. Deinde quam exemplo monstras diligentiam, eam ut verbis ei inculces. Sæpe cùm fisci jura propugnarem obtinui res judicatas quibus definitum est clausulam illam, ita ut Comitatus possedit, subreptam mentioni Iurisdictionum & eorum quæ moribus nostris Iurisdictionem sequuntur, ad regalia in quibus sunt τὰ ἀδέσποτα non porrigi, inter alia de Hochtwouda. Exspectabo cui obtingat patrocinium fisci, ut & ex eo judicem, velint ne publica cuncta perire, an reliquias servare. Arnoldo Lonio quem mihi commendas ostendam te plurimum apud me valere. Deus parentes, uxorem, liberos, amicosque omnes nostros servet. Lutetiæ 11 Decembris 1638.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE Brisaco dedito puto jam habere vos à me literas, nisi id est, accuso incuriam meam, dum quod aliis scripsi, vobis etiam scripsisse me arbitror, multis sæpe simul ingruentibus negotiis distentus, distractusque. Filiorum minor bene agit in comitatu Illustrissimi Ducis. Majoris rationem se habiturum Dux promisit, ubi is meis jussis obtemperaverit. Quæ enim spes, ut ducibus bene pareat, siquis parentibus obedire non didicerit? De his qui à Calloa venere reduces, credibile est quod dicis, evenisse illis quod dicitur, Væ victis. De Comite Wilhelmo, doleo vel ob filii, cujus virtutes feci semper maximi, memoriam. Ita factus sum peregrinus in vestra Republica, ut vix eorum quos ad honores provectos scribis, nomina noverim. Nihil hic agitur. Est enim hyems, sed magno paratu bellum struitur in Hispaniam & per Italiam. Delphinus jam nutrices habuit quot numerari vix possunt. Deus det tibi, tuæ, tuis amicisque & præcipuè parentibus nostris multos annos bonos. 15 Ianuarii 1639. 446

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

BEne accepi, mi Frater, literas tuas 20 Decembris. Lonio omnia præstabo quæ potero, omnibusque iis quos es commendaturus. De Petro nostro grata sunt quæ nuntias: tibique gratias ago maximas quod ei ad laudem viam forensem monstras. Placet etiam quod honores in urbe genitrice nostra mandantur iis qui majores suos virtutis suæ sponsores habent, & quorum imprimis interest civitatem salvam esse. Velim pro me eos salutes. De Brisaco capto qui ad vos venit rumor, omen tantùm fuit, & rei quæ diu differri non poterat quædam præjudicatio. Interim qui in urbe captivi tenebantur horrendum dictu, alii aliorum carnibus pasti sunt. In urbe exercebuntur & Romana & Protestantium sacra. Præsidium maxima parte ex Germanis. Revocantur in agros agricolæ. De Scotis verissima judicas. Sive concedas aliquid, sive contra luctare par à superbia, aut contumacia periculum. Consistoriale illud quod Episcopali præferunt Regimen seditionum seminarium est: si quid rectè judico, majus quàm quod apparet malum latet & quidem his maximè temporibus, ubi de Palatino aut sublevando aut deserendo consultatio est, incommodè interventurum. Otium & commercia amantibus satis magnum talia suadendi argumentum erit, civilis belli metus ante fores. Cordato homine opus habet Fisci Advocatio. Ego memini me cùm Zelandiæ causam fortiter agerem, ab ipsis Zelandis desertum. Deus annum quem hodie inchoamus Parentibus optimis, tibique ac tuis & nostris det prosperum ac salutarem. 447

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

BEne pervenerunt ad nos literæ, quas 24 Ianuarii ad nos dedisti. De filiis nostris tua vota rata faxit Deus. Magni hic paratus fiunt ad bellum terra marique in Belgas & Hispanos. Dolet mihi de Cunæi & Sergii obitu. Vtrique obstrictus amicitia vetere velim quod ipsis debui liberis eorum posse persolvere. Advocatio illa maritima apud te quàm apud alium collocaretur meliùs: & habeo non pauca, quæ, si id eveniat, tibi usui esse possint. Heinsius de Borusso quod dixit verum est. Tulerat is ad me ipsius literas. Meus autem mos est ut ad literas merè σχολικῶς non respondeam, nisi per eum qui illas attulit. Illius ad Novum Testamentum Notæ & Salmasiana quæ prælum fatigant & Vossiana, quando publici 448

juris futura sint, fac sciam, siquid aut nosti aut conjectas. D. Camerarium à Suedica Legatione abiturum non puto. Meretur & eruditio ejus & quam habet rerum peritia & probitas & dignitas literatissimæ familiæ & judicium Regis Gustavi, ut ita habeatur,

Sicut fortis equus spatio qui sæpe supremo,
Vicit Olympia.

Si quid apud vos dignum lectu scribitur, fac quæso norim. Vale mi Frater cum parentibus optimis. 5 Februarii 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

449 VIdentur adapertæ fuisse nescio ubi, quas ad me 7 Februarii dedisti literæ. Causam Geræ, quanquam ab ipso neque nunc, neque antehac quicquam accepi literarum commendo jam nunc D. Senatori Reigersbergio. De libro de quo scribis dic omnibus nihil te ejus scire. Cæterùm Vtenbogardus senectute, Vossius ingenio est timidus: hic etiam fortè res Britannicas respiciens. Ego verò aut Papam esse Antichristum, aut oriturum Anti-Christum è tribu Dan non puto esse articulos fidei, neque quenquam impediendum quò minùs sua cogitata, pietati non noxia, expendenda proponat piis & eruditis. Tum verò laudo eos qui æstuosum hoc sæculum refrigerare malunt quàm incendere. τὸ γὰρ μηδὲν ἄγαν ἄγαν με τέρπει. Vale, Lutetiæ 19 Februarii 1639.

Velim mitti ad me exempla duo Dissertationum de Cœna si adhuc reperiuntur.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

450 TVm quos nobis per literas interdum commendas gratissimi sunt nobis, tum quæ aliis occasionibus scribis. Gratulor tibi honorem quem ab Indicana Societate accepisti. Amavi semper istam Societatem ut magnum Reipublicæ adminiculum. Et nunc quoque siqua in re ei utilis esse possim, non deero. Teilingium exspectabimus. Multum metuo ne copiæ Cæsarianæ quæ in Cluvicis terris se posuere, ibidemque, ut audio, se muniunt prohibeant Batavos ea aggredi quæ Galli exspectant. Multum publico refert ut Hollandi inter se concordent, præsertim verò ut criminum qualiumcunque judicia in cives suos ordinariis Hollandiæ judicibus, ut debent, religiosè conservent; quam in rem & ipsa Curia anniti debet, neque pati violari potestatem sibi legibus mandatam. Cæterùm quod ajunt Amstelodamenses non debere Fœderatos ad civitates mittere, sed ad Nationes, à quibus deinde consultantur civitates, in eo quod æquum est & moris antiqui tuentur: gaudeoque resurgere oppressas leges. Lugdunenses verò & Medemelacenses moneri debent ne amicos cum Zelandia transactiones pertinacibus sententiis perturbent. Dixit mihi Baro Oxenstiernius compositam se conciliante eam simultatem quæ inter D. Spiringium minoremque Camerarium exarserat. Quid mari terraque facturi sint homines vestri, attenti exspectabimus. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 26 Martii 1639.

Epistolam ad Gronovium curabit filius.

Tibi obligatissimus H. G.

EIDEM.

451 ACcepi, mi Frater, literas tuas 28 Martii datas, per amicos missas nondum. Plusio nimium diu publico vixit. Magna accepit præmia proditæ quantum potuit libertatis; paucos autem invenias bonos ubi non impunè tantùm, sed & honorum ac commodorum mercede peccatur. Verum hoc demum est verè bonum esse, quod rectum est, ideo quia rectum est facere, non modò si absit lucrum, sed & si officium cum damno conjunctum sit. Gaudeo non fore te inter ambitores ad implendum Persinii Senatoris locum. At clientelas tibi opto multas tales qualis est Indicanæ Societatis. Brederodius magno olim animo de Senatu exiit. Videtur meliùs de his sperare temporibus, quando reditum postulat, quem ego certè ei velim contingere cum pleno postliminii jure. Amstelodamenses magnam de se exspectationem concivere & velut signum extulere ad vindicanda Hollandiæ jura. Opus erit constante prudentia, ut quod volunt obtineant. Si Hollandi inter se consentient, non despero. Vale cum parentibus. Vxor nondum accepit à Bruxellis diploma. Vbi acceperit, accinget se itineri. Lutetiæ 9 Aprilis 1639.

Hæc ubi scripseram venit ad nos Guissenus, sed post rem contra se judicatam. Si qua in re potero, adero ei. De Tacito quæ scribis probo tuumque consilium sequar. Dices autem Elzeviriis, me quæcunque habebam misisse Argentoratum ad Berneggerum & Frinshemium novam in folio Taciti editionem adornantes. Si repertururus es exemplum unum atque alterum dissertationum duarum de Cœna, rogo ad me mittas. Literas ad Hortensium cures rogo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

VEreor, mi Frater, ne Cæsariana illa spina, cujus 452
mentio est in literis tuis quarti Aprilis, diu hæreat in Batavorum pedibus. Vidi edictum Regis contra imperii sui contemtores Scotos. Multa Rex vera dicit: sed commotis semel animis etiam vera morbum augent. Deum rogo ut ea pax regnis illis detur per quem salva maneat Regis auctoritas, Reipublicæ vinculum, & in Ecclesia ea obtineat gubernatio quam instituerunt Apostoli, probavit Ecclesiarum toto orbe diffusarum consensus & multorum, antequam Papa cristas erigeret, sæculorum felix experientia. Danus etiam Suediæ suspectus est, itaque limes contra Scaniam Norvegiamque multo custoditur milite. Classem etiam auget Regina nostra. Quicquid ille Rex parturit, non diu latebit. Hamburgenses non immeritò timent Principem & libertati ipsorum, & immunitati contrarium. Habet & cum Polono illam de vectigali ad Dantiscum controversiam, sed ne quid hostile rursum incipiat, Imperatoris eum ni fallor reverentia retinebit. Caveant sibi & Batavi in illis suppolaribus insulis. Vxor diploma ad iter tutum adhuc à Bruxellis exspectat. Miror ubi tamdiu hæserint Mileteriana. Retine tibi de singulis opusculis exemplum. Cætera da iis quos idoneos lectores existimaveris. Vale, Frater optime. Lutetiæ 16 Aprilis 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdi cum gaudio Senatoris Forestii, mihi olim noti 453
& ob magnum in tenera ætate profectum literarum à me per magno æstimati filium, cui quicquid à me proficisci poterit expositum erit, tum quia ita fert ingenium meum, ut nulla re magis delecter quàm ubi licet mihi bene facere quàm plurimis, tum quia ad veterem amicitiam cum ipso parente meam, tua nova accessit, quæ ut vestrum utrique & firma & jucunda sit, ex animo precor. Veniet brevi in vestras terras Samuel Petitus Nemausensis antehac professor, nunc Franekeranus futurus, vir multarum rerum sciens, in rebus Theologicis temperatè judicans, nostrique amans. Id scire te volui, ut si fortè Hagam venit, noris dignum esse qui noscatur. Resalutes nostros rogo. Lutetiæ 16 Aprilis 1639.

Optimo patri scribam, ubi uxor ad vos itura est. Eam morantur tum negotia quædam, tum conditiones appositæ diplomati Bruxellensi.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

554 FErme uno tempore accepi literas prope anno distantes, quas primo Maji hujus anni, & quas Calendis Iunii anni hunc prægressi dederas. Brunæum autem cujus hæ faciunt mentionem non vidi. Sed libros quibus ista vetus epistola aderat, pertulit alius. Wassenarii libros jam compactos apud me habeo. Inter multa supervacua, sunt utilia non pauca. Borrius, ut mihi dictum est Amstelodami cùm essem, donaverat mihi libros post Tomos duos quos habeo. Sed id munus ad me nunquam pervenit. Velim tamen habere. Berkelius hic mortuus est. Ea res & tot aliorum amicorum mortes commonefaciunt me meæ mortalitatis. Velim autem incertum diem antevertere editione eorum quæ habeo, ut quantum possim juvem post victuros. Quare omnino velim Annales meos quamprimùm emendatè edi, sed non ab iis hominibus qui ea quæ continentur ante editionem studio partium sint vulgaturi & hic editionem quod credibile est impedituri. Rogo igitur quæras virum bonum cui credi hoc depositum possit. Cupiam & Anthologiam edi in qua vulganda minus periculi est, nulli gravis est percussus Achilles. Blavium video nostrorum operum non esse appetentem. Itaque Theologica quæ complura habeo, item de Iure belli ac pacis, aut hic aut in Anglia edenda mihi erunt. D. Vossio opto valetudinem meliorem, & *ὠκυτοκίαν* librorum quos parturit, nimis jam diu, non suo, seb obstetricantium vitio. Optima precor & D. Hoofdio & D. Barlæo, plurimumque me ipsorum meritis obstrictum agnosco libens. Res Batavas auguror mari bene ituras. Terra nihil magni exspecto, hoc quidem anno. Prudenter fecit classis præfectus quod eos, sub quorum imperio est consuluit, de quæstione satis implicita. Minas in Anglos Galliæ neque puto tam destrictè enuntiatas fuisse, quàm ad vos perscriptum est; neque ab Anglis metui ne Galli mare transeant. Scoticam autem defectionem jam nunc faveri à Gallis putant. Rem pecuniariam video apud vos non minùs quàm ubique terrarum esse impeditam. Ab usuris illis sortem mergentibus serum quidem, sed magnum malum præmetuo. Digna est quæ historiarum memoria conservetur, non tamen sine exemplis, Batavorum illorum audacia, qui nec capti potuere capi, & ostenderunt Martem esse *ἀλλοπρόσαλλον*. Si Graswinckelio pro isto opere dati sunt annui Floreni quingenti, quid mihi Hollandi prosolvent pro Antiquitate reipublicæ, pro imperio in Ecclesias & Ecclesiasticos, pro Mari libero, pro jure civili Batavico, pro summa ipsorum potestate contra socios defensa? Nimirum malam gratiam persolverunt, nec aliud exspecto à corruptis factione aut metu animis. Posteritas tamen ut puto & mea merita & illorum ingratos in me animos agnoscet. Librum autem Graswinckelii non proditurum & ego arbitror. Bannerii certè magnificæ res sunt. Pro Duce Vinariensi laboramus. Ab Augusta Taurinorum ad Casale versæ sunt hostium vires ac consilia. Milleterius non longè à Teruanna est. Feuquerius in Luxemburgico fine. Castilionæus jam hinc abiit, suum & ipse ad Belgicæ finem habiturus exercitum. Vale, mi Frater, & nos ut facis ama. Lutetiæ 21 Maji 1639.

Velim de exemplis duobus dissertationum duarum de Cæna hunc mittendis sis memor. Heinsianarum in Novum Testamentum partem jam accepisse se scribit Opitius. Velim & ego habere quicquid haberi potest, quò celeriùs parem mea. Literas quas 26 Martii pro Losecatio scripsisti nunc demum per ipsum accipio. Non est immemor affinitatis & quicquid possum ejus causa in promtu est.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VEnit ad vos uxor mea & quidem mari, quia à Bruxellis Diploma sine contumelioso in Hollandos nomine non potuit impetrare. Etiam atque etiam rogo, ut quod fecisti hactenus non minore tuo labore quàm meo bono res nostras & ipsius consilio tuo juvas. Petrum nostrum puto quamprimùm transferendum, ut civis fiat urbis florentissimæ, & illi quoque foro ac negotiis adsuescat. Ego eam & ejus amantes siqua in re juvare potero faciam id perlibenter. Si historiæ nostræ & Anthologia edi ibi non possunt quærendus hic erit librarius. Omnino puto me hoc debere posteritati, ut dum vita, dum valetudo suppetit, omnia mea curem edi: & si fieri potest sæpius & semper accuratiùs. Feci Notas cum multis novis ac veteribus Testimoniis ad nostra de Iure belli ac pacis. Nunc omnia Testimonia colligo ad firmanda quæ nobis dicta de veritate Religionis Christianæ. Gothica nostra & Vandalica postrema edam. Mitto tibi effigiem Calvini, non ex Barlæo aliorum calumniis, sed ex ipsius scriptis aliisque non suspectis testibus depromtam. Non edetur facilè his in locis: non à Calvinianis qui, 555

αἱ εἰ γιγνώσκουσιν ἑὸν φίλον ἡνιοχῆα.

Ac ne à Pontificus quidem, ut pote consciis & se eorum teneri quorum ille meritò accusatur. Lutherani qui multum deferunt Magistratibus & hæreticorum parcunt sanguini, probabunt hunc librum idque experimento apud quosdam pransus didici. Possit ergo edi Lubecæ, aut Hamburgi. Vale & fac sæpe res vestras norimus. Ego eò minùs nunc scribo quod omnia mea uxori non minùs sunt nota quàm mihi, & neque memoria neque facundia ei desit. 28 Maji 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

LIteræ, mi Frater, tuæ datæ 23 Maii rectè ad me pervenerunt. De Holteconii negotio videbo quid fieri possit. Sed occasiones talia agendi non semper se offerunt. Calumnias quæ in me à pessimis hominibus de Socinismo sparguntur, non multum curo. Facilè refutabuntur apud æquos judices scriptis meis, quæ edidi quæque sum editurus. In dogmatibus ad actus magis quàm ad contemplationes pertinentibus evenit Socino ut in veras veteresque sententias incideret. Eas non deseram & puto de iis me contulisse cum D. Iohnsono Hamburgi. Cum Ruaro sæpius collocutus sum. Defendi veteres sententias. *περὶ τριάδος*, de Satisfactione, de pœnis post hanc vitam, ex Sacris literis, ex consensu antiquitatis, ex usu ipso, refutavi contrarias. De Satisfactione ita mihi respondit, ut nihil admodum controversiæ relinqueretur. Alios quosdam qui in illo cœtu fuerant planè ad meam perduxi sententiam. Cum Ruaro ad me scribenti sæpius respondeo interdum, ut homo homini multo justius quàm Libanio pagano Basilius. Sæpe benignitate instruas, quos duritie reddas contra duriores. De his rebus D. Archiepiscopum edocui per D. Goffium Theologum qui apud me fuit: scripsi ad D. Senatorem Reigersbergium: scripsi & ad Vossium, qui amicis siqui sunt quos tam stultorum mendaciorum aura afflat, quæ scripsi suo arbitratu possunt ostendere. Modo tota ostendant: non excerpta quod nolim. Nosti l. Incivile est D. de Legibus. Riveto & aliis destinato malignis, sæpe & eas ipsas quæstiones de quibus agunt non intelligentibus, satisfacere me non posse scio, nec eos tanti habeo ut aut in id laborem, aut ab aliis laborari velim. Locutus sum de iisdem his rebus 556

Digitized by Google

bus cum Bisterfeldio: qui dicebat intellexisse te, quod & ego didici, paulò antequam moreretur dixisse Crellium se nunquam contra me scripturum fuisse, si ante scriptionem legisset mea de Pœnarum communicatione in Iure belli ac pacis. Cancellarius Suediæ Socinianum habet chirurgum. Vt ad negotium illud Holtzenianum redeam, nemo id meliùs promovere posset Abbate Mousonio. Venerunt huc exemplaria duo dissertationum de Cœna. Magno væneunt, propter nobilem contradictorem. Velim mitti mihi prima occasione Grammaticam & Syntaxin Latinam Lithocomi ut ab optimo præceptore nostro Lussonio, cujus mors grave animo meo vulnus afflixit edita est, aut si quam edidit brevem Vossius, ut Græcam edidit, in usum filii D. Baronis Degenfeldii, qui Degenfeldius maximo me beneficio affecit, cùm filio meo natu maximo obtulit turmæ prætoriæ vexillum. Sed noster nescio ubi hærens, huc non venit. Ego interim beneficii sum debitor. Vxor nostra jam in itinere est Caletum versùs. Ea ut spero, negotia nostra bene ponet. Vale, Frater optime. Saluta quæso Parentes, uxorem, liberos, omnesque nostros & nobis bene volentes. Lutetiæ 4 Iunii anni 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

501 LEgi & tuas, mi Frater, 30 Maji scriptas literas & illas D. Spiringii, Reigersbergii, Graswinckelii. Gaudeo reprehensum esse quod in D. Spiringium & me cudebatur mendacium. Verùm Senatorem Reigersbergium ideo contumeliosè haberi quod rumoris accepti indicem ob fidem datam nominare noluit, miror, & dubito an non quæsita sit inimicitiæ materia. Ego ad omnes scribo quàm possum lenissimè. De Socinismo video quomodo se purgaverit optimus senex Vtenbogardus, cujus & homilias Cycneas legi, agnovique nihil mutatum ab illo qui olim tanto concursu audiebatur. Ego puto & edita & edenda scripta mihi ad tuendam ὀρθοδοξίας famam sufficere. Interim impacta sine probatione crimina, negasse sufficit. De Heinsianis, ubi dabit se occasio rogo memineris. Galli & Hesdinum & Theodonis villam obsident. Dux Vinariensis videtur Salinas aggressurus. Venetorum res cum Turca turbantur iterum. Vale, mi Frater, & nos ut soles fortiter tuere. Velim D. Senatorem Reigersbergium ad M. Cancellarium rem ut gesta est perscribere, quia scribet ad eum D. Spiringius. Vxorem autem quamprimùm venerit, dare operam, ut sedetur hæc procella. 11 Iunii 1639.

Literas ad Graswinckelium rogo legas & si placent, obsignes.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

502 EGo, mi Frater, inimicos quidem meos non cessare insidiari mihi, rebusque meis certus sum. Cæterùm conscientia fretus optimarum sententiarum illis de Socinismo calumniis nihil planè moveor, scioque multò probabiliùs Calvinum Arianismi accusatum, quàm me Socinismi; Rivetum autem tam exigui puto judicii, ut in quo cardine versentur illæ quæstiones non intelligat. An Graswinckelius is adversùs me sit qui esse debet, meliùs vos qui illic estis, quàm hic ego judicare potestis. Velim uxor laboret sedandæ, si fieri potest, isti discordiæ. Cæterùm si ut ego suspicor in gratiam inimicorum meorum quæsita est odii materia, nullam sanandi spem video, nec aliud restabit, quàm ferre τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως. In Flandria aliquid acturum Principem Arausionensem & nos hic speramus. Melander cum Gallis agit. Lutetiæ 25 Iunii 1639.

Cùm absit Senator Reigersbergius, conveniendus ab aliquo amicorum erit Amentotius ut norit, non minùs quàm Brasserus, mendacium fuisse quod de luctu meis D. Spiringio monstratis dicebatur. Est enim ea de re aliquid huc perscriptum & in Aula sermones fuere. Sed cùm rem omnem perspicio, res ipsa unde hæc orta sunt nihili est. Verùm id quæritur, ut nobis non amici tantum, sed & omnis in posterum cum amicis colloquendi fiducia auferatur. Tale aliquid ὕπουλον hic latet.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater carissime,

GAudeo bene ad vos advenisse uxorem & filiam salvas apud salvos. Quod filius meus qui ibi est ad nuptias clarorum virorum invitatur, non displicet. Accepi D. Graswinckelii δευτέρας φροντίδας. Velim norit nulla in re eum magis ostensurum quanti me meaque in ipsum officia faciat, quàm si in hoc negotio, quantum potest, æquum se gerat. Est D. Spiringius homo sæpe impetuosus, interdum & pertinax. Quod de sigillo confessionis scribitur, id ego non ad alium fontem quàm ad id arcanum, quod inter amicos esse debet semper retuli. Sed si officiorum regulas ignorat Spiringius, minùs id mirum est. Hominem eruditum & jurisperitum ista nosse oportet. Hesdini res bene ex voto Gallorum peracta est. Restat ut & Batavi aliquid faciant magni, quo res communes adjuventur. Banerii conatus veremur, ne multum hebescant tanto dato hostibus tempore ad coalescendum, neque ulla spe adhuc apparente ut trans Rhenum se ostendat Dux Vinariensis. Minimus filiorum bene valet, facitque & quæ mihi grata sunt. Scripsit ad me & matrem. Vtinam de maximo idem liceat dicere, qui consilia sua aut aliorum non bona sequens, quò evasurus sit nescio. Est ea res mihi maximo dolori. Sorori opto valetudinem molliorem. Deus ipsam nostrosque omnes respiciat propitius. Valete omnes. 9 Iulii 1639. 503

Has literas ante dies septem jam scripseram, sed errore quodam mittere omiseram. Mitto tamen vel nunc ut testes sint diligentiæ meæ. Planè sentio non esse differendam editionem Notarum nostrarum ad Euangelia postquam exierint Heinsianæ. Vt mea hic à Theologis Sorbonæ approbentur, sperandum non est, postquam in Mileterium censura tam acerba exercita est. Videtur restare ut sine approbatione excudantur domi meæ, quod exemplo non caret. Sed ego distrahendis libris curam meam impendere non possum. Opus esset librario aliquo hic, qui operas Typographicas mihi commodaret, quod obtinere me posse arbitror. Sed vellent qui hic sunt societatem inire cum aliquo Batavo cujus sub nomine exiret liber. Nescio an duo Mairii id suscipere & agere cum aliquo Parisiensium librariorum velint. Ego tanto hujus editionis desiderio teneor, ut historica velim præmium dare hanc mihi danti effectam. Humanis casibus obnoxii omnes sumus. Et video quæ sit hæredum sæpe in talibus negligentia. Nolim meis laboribus accidere quod Picherelli operibus evenit, quæ prope omnia intercidêre, magno posteritatis damno.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

QVod de parente nostro scribis 11 Iulii, valde mihi placet. Deo pro tam singulari beneficio gratias ago, eumque precor, ut diu nobis indulgeat hanc voluptatem, tibi ista videndi, mihi audiendi. Ad D. Graswinckelium nunc non scribo, sum enim occupatior: nec præbet se materia. Tantum velim ei, ut ante, significari, exspectare me, ut quanti me facit ostendat in proximis ac carissimis mihi. Literas Feramussæ ad Molinum super Libris de Iure belli meis pridem habeo, itaque exemplum suum remitto per te Graswinckelio. Vogelium illum non novi pote- 504

poteris ei pro me dicere te super hac editione aut impediendâ, aut promovendâ, aut augendâ nihil à me mandati habere. Interim rogo indiculum eorum carminum meorum, quæ habes ἀνέκδοτα ad me mittas. Ego deinde quæ tibi desunt supplevero. Poterit ex his collectis aliquando nova fieri editio eadem forma qua fit ista Vogeliana, ut aut addi aut seorsim vendi possit. Audio & in Anglia factam editionem poëmatum meorum veterum novorumque. Nostrum de Deipara noli ostendere. Restitutum Philoctetæ Euripidis suum initium laudavit olim Salmasius. Potest id sine periculo cum amicis communicari. Dolet hic omnibus quod nihil ex Batavis magni audimus. Verum nondum abiit æstas, neque Batavis, neque Gallis. ἔξω μῆνας ἄγειν ἱκανὸν θέρος. Ego omnia mea negotia, ut soleo, tuæ fidei prudentiæque committo. Rogo optimos Parentes salutes. Lutetiæ 23 Iulii anni 1639.

Cùm videam trahi apud vos editionem Anthologiæ, velim eam ubi primùm commodum erit ad me remitti: nam hic typographum invenisse videor. Mitto versus Gallicos non malos in honorem Peiresii, cujus memoria Romæ celebrata est XL linguis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

505 SI Anthologia nostra edi aut non potest, aut non emendatè satis, censeo quamprimùm ad nos redeat. Cramoisius librariorum hic opulentissimus, suscipiet. De Lucano etiam responsum exspecto. Liber noster de Veritate Religionis Christianæ pulchrè & versus & editus est in Anglia. Poëmatis veteribus nostris quæ eduntur apud vos nolim quicquam aut meo aut tuo addatur nomine, multas ob causas. Ego interim colligo τὰ ἀνέκδοτα. Accepi ex Anglia librum Regis jussu editum. Is pertinet ad Regis æquitatem, Scotorum verò pertinaciam omnibus patefaciendam. Filium qui apud vos est velim meo exemplo ad diligentiam excites. Vale Frater optime. 20 Augusti 1639.

Epistolam ad D. Vtenbogardum & alteram ad Corvinum lectam obsignes rogo.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

506 SCripseram nuper ad te, Frater carissime. Datæ erant literæ 23 Augusti. Sed errore quodam cùm eas in fasciculum D. Spiringii inclusissem, omissa est superscriptio. D. Spiringius non sine justa causa eas aperuit, & cùm ad Senatorem Reigersbergium datas esse crederet, ad me remisit, rogans ne quas posthac tales ad ipsum mitterem. Ego autem id quod metuebat sponte mea caveram jampridem, ex quo videbam incalescere inter ipsos natam meo cum dolore controversiam, de qua quid boni viri judicent, scire aveo. Repetam quæ in literis illis ad me remissis scripseram. Accepi indiculum ἀνεκδότων meorum. Mittam quæ desunt. Vetera mea multæ sunt causæ cur nullis verbis aut tuis aut meis commendantibus denuo publicari debeant. Nunc hic sum, cras forte alibi, neque ita mecum egerunt quos tantopere ornavi, ut in illorum gratiam hostes ipsorum mihi plus quàm opus est inimicos facere debeam. Faciat quod volet librarius; neque enim quæ semel publici juris facta sunt, publico eripi privato arbitratu possunt. In novis quæ mittam erunt Phænissæ correctiores & nova versio Iphigeniæ in Tauris. Filius noster maximus natu jam in castris est ad Mommedium. Minimus adfuit hactenus Principis, à quo dilectus fuit, corpori. Nunc apud nos brevi eum futurum puto, nova ut consilia capiat. Pro Præposito, de quo scribis, velim facere aliquid posse: non abest animus juvandi & calamitosos & amatos à meis. Graswinckelius videtur honestum putare quicquid utile est, in quo multum ab illo non Christiani tantùm, sed & Platonici & Stoici dissentiunt, imò & Peripatetici. De Lucano cogites velim. Habeo Notas in unum collectas & multò auctiores. Heinsiana ad Novum Testamentum, ubi primùm poteris, mittas rogo. Quando sarcinulæ uxoris jam advenere, imaginem Zenonis credo acceperis. Meretur dari publico. Tuum erit cavere, ne id cum tuo odio fiat. Tale patet orbis terrarum. Vale mi Frater. Scribebam 3 Septembris 1639.

Literas ad Isaacum Vossium rogo obsignes mittasque.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

EXspectabo quamprimùm librum illum tam pretiosæ dedicationis. Salmasius præter ea quæ ab aliis priùs 507
bene dicta sunt nullam hic interpretationem ait reperiri laudabilem: idque paratus est ostendere. Gaudeo bene tibi processisse iter ad Hollandiæ septentrionalia, & bene valere Vossium & Corvinum. De Hortensio ferenda τὰ τῆς ἱμαρμένης. De Blavio credo quod dicis. Si velit jus suum privilegii quod in biennium adhuc durat, cedere Cramoisio, is paratus est edere libros de Iure belli ac pacis cum ingenti Notarum accessione: ob quam accessionem D. Bignonius putat non obstare privilegium quo minùs hic nova adornetur editio, atque ita hic sæpe judicatum. Anthologiæ exemplar exspectabo, Græcum & Latinum. De Lucano hoc erat quod scripseram, scire me velle an aliqua adhuc exemplaria suæ aut Raphelengianæ editionis habeat Lamaitius. Si non habet an novam editionem cum novis Notis velit suscipere. Alioqui cum alio agam. Horum omnium memineris velim. Optimum senem Vtenbogardum gaudeo bene valere & nostri memorem vivere. Optarem & ego ultimam adjectam manum operi isti Fratris Pauli, cujus pulchritudo quæ futura fuerit satis ex titulorum delineatione apparet. Interim uti nobis licet iis quæ de hoc argumento egregia congessit M. Antonius de Dominis, magni vir judicii, si unum excipias, quod Romam ivit liber Regis Britanniæ jussu publicatus. Non dubito quin ad vos venerit. Velim & librum & quæ olim scripsit Richardus Hokerus quoque jam denuò Anglicè prodiere verti in linguas alias, ac maximè Latinam aut Gallicam. Spero patri commodè eventurum iter illud Culemburgicum: & sorori opto omnia prosperiora. Non peccat fortè si adeat aquas Hassicas prædicatissimæ nunc salubritatis. Hic annus nihil nobis in re bellica magni producet. De Colonia vix credo. Video Westfalos cum Infrarhenanis id cogitare quomodo se belli malis eximant. An Graswinckelio planè credi possit in eo quod de D. Spiringio affirmat dubito. Quare cogitandum. Quod de Heemulitio narras in mentem mihi revocat illud Cottæ Messalini: illos quidem Senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus. Vale cum parentibus, uxore, liberis & amicis. Lutetiæ 10 Septembris 1639.

Quod holographa testamenta in Gallica valent, non novum est, id à temporibus Valentiniani Imperatoris, cujus ea de re Novellam habes post Codicem Theodosianum. Ius Iustiniani in Gallia receptum non fuit quia jam Galliæ desierant esse sub imperio Romano, occupatæ à Gothis, Francis & Burgundionibus. Serò demum post Lotharii tempora cœpit recipi jus illud Iustinianeum, sed tantùm ubi nec leges receptæ, nec mores pugnabant, ut lex Rhodia Romæ.

EIDEM.

MItto ad te, mi Frater, excerpta ex his quos hic habeo libris ad causam filiæ meæ pertinentia, & ad- 508
jungenda his quæ missa sunt antehac. Testamenta holographa

grapha valere Lutetiæ apud omnes constat, multisque libris publica auctoritate editis apparet, ita ut probari id tanquam factum opus non sit. Venit autem id, ut nuper te monui non ex statuto aut consuetudine loci, sed ab antiquissimo jure Romano, quod tunc in usu fuit, cùm sub Romanis fuit Gallia. Vbi autem de forma testamenti agitur spectandum loci morem in quo testamentum fit, recepta ab eruditis & usu omnium gentium confirmata sententia est. Item tale testamentum vim suam exserere ubique terrarum non minùs constat: idemque servari etiamsi advena in loco peregrinationis suæ testatus fuerit. Hæc collecta faciunt de jure ne dubitem. Sed neque causa favorabilis est, neque nos illis in locis. Quod si contra nos lis data fuerit, vereor ut id nobis sit indecorum. Ea causa est cur definitè meam sententiam super hac re dicere ausus non sim, sed maluerim omne hoc amicis qui istic sunt, & aliorum judicia quotidie audiunt committere. Rogo quæ scribo mittoque D. Reigersbergio tecum velis esse communia. De jure nemo hic est qui dubitet. Quid æquissimum, honestissimumque sit alia est quæstio. Vale cum nostris omnibus. 17 Septembris 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

465 CVm typographo ita egisti ut oportuit. Cave ne quid à nobis accedat. Vbi prodierit, fac sciam. Heinsiana avidè exspecto præcipuè cum ea à proceribus reipublicæ tam magni, à literarum proceribus tam parvi fieri videam. Scriptum de Zenone est inter sarcinas quæ ad uxorem venere. Tibi autem inscriptus erat is fasciculus. Interceptum à curiosis non spero. Meretur edi ille libellus, ut tunc monui. Conatus in Hulstam non miror irritos hoc anni tempore & hoste in omnia intento, nec latere possunt tanti strepitus molimina. Patri manum adhuc bonam bonæque senectutis indicem vidi cum gaudio, gratulorque & tibi & ipsi quod unà vivitis. Deus vobis matrique & uxori tuæ ac liberis omnia det quæ à piis optari solent. Videris jam quæ ad filiæ causam instruendam misi. Puto & de juris illa regula, in forma testamenti locum unum spectari ubi factum est, satis constare & de ipsa consuetudine per ea quæ misi. Siquid tamen putatis amplius requiri ad probandam consuetudinem, fac norim. Ego tamen cùm considero ubi ista causa agatur, quàm & causa ipsa & nos parum simus favorabiles nihil aliud exspecto quàm, ut aut contra nos judicetur cum aliquo nostro dedecore quasi captandi testamenta artem exerceamus, aut certè ut lex trahatur in infinitum. Filius meus maximus natu in castris est Castilionæi apud Viridunos. Minimus in itinere ad nos, brevi puto vobis adfuturus. Medium qui apud vos, velim quàm primùm poterit parare se ut Amstelodamum migret, ibique discat jus nauticum & mercatorium, jura urbi illi propria alia, & notitias sibi acquirat quæ ad fortunam aliquam ei gradum struant. Vale cum optimis parentibus, uxore, liberis, cognatis & amicis. Lutetiæ 24 Sept. 1639.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

466 HEinsiana ad Novum Testamentum simul huc venerint, percurram. Rogo tamen si qua est apud vos mittendi occasio, ea ne negligatur, neque verò exspectetur ipsius Heinsii magnifica pollicitatio. Quicquid inter ipsum & Salmasium geritur, sive magnum id, sive parvum sit, rogo per te cognoscam. De sculptura tituli Crucis vereor ut doctis Heinsius persuadeat. Sed miror cùm Heinsio liceat quos non amat ὀνοκεφάλων appellatione traducere, aliis non licere se paribus armis ulcisci. Aveo scire an de iis quæ scribis postulatis tam novi aliquid impetraturus sit Heinsius. Blavius si velit intra certam brevemque diem edere nostra de Iure belli ac pacis, præferendus est aliis. At si, ut alios solet, me vult trahere & obtentu privilegii lectores fraudare tantæ accessionis fructu, ne miretur si eo jure utar aut ego aut Cramoisius, quod multis rebus judicatis probatum est. In his rebus publicum prævalere privatis utilitatibus debet. Scriptum Scoticum non vidi. Puto acerbum esse ut sunt illorum hominum ingenia semper, nunc autem maximè. In causa holographi testamenti neque de consuetudine quisquam dubitare potest, & juris quæstio minimè est difficilis. Quid metuam, scripsi antehac. De Spiringiana controversia ego qui absum longè rem amicis qui ibi sunt tractandam relinquo. Si Deum propitium volunt Princeps proceresque vestri non debent bellum æternum cupere. Nostri Suedi de pace & induciis consultationem ad tempus differunt exituri cum Gallia fœderis. Id erit Maio anni 1641. Effigies Zenonis veris vivisque coloribus factam in bona luce collocari meretur: cautione tamen adhibita, de qua scripsi antehac. De Lucano fac quæso sciam apud vos aliquid sperare debeam, an hic idem negotium promovere. Parentes commodè valere gaudeo. Opto tantundem tibi, uxori, liberisque tuis & etiam qui nos sanguine, affinitate aut amicitia contingunt. Lutetiæ Calendis Octobris 1639.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

DE jure filiæ sentio, ut antehac. Quid sperandum sit vos rectiùs videritis. Quando eò veniri, ut omnes judicastis, oportuit, contribuam quicquid meæ erit opis. Id quod contendit D. Silvius ratione non caret, sed nec periculo. Vt verbum restitutorium in l. 1. D. quorum bonorum. Vt verbum reddere. L. Verbum reddendi D. de Verb. Sign. Video in testamento dati filiæ nomen hæredis, & verbum dari ex natura ejus nominis rectè explicari potest, concedi, non impediri. Quod ad alterum pertinet ex capite CCXCIII Consuetudinum Parisiensium, videtur responderi posse, ubi de forma sive solennitate testamenti agitur respici locum conditi testamenti, ubi de persona, an testari possit, jus domicilii, ubi de rebus quæ testamento relinqui possunt vel non, locum domicilii in mobilibus, in rebus soli, situm loci. Quid & jurisperiti, qui extra partes sunt vel viri boni amicique sentiant, scire est operæ pretium. Scio causam ultimæ voluntatis esse favorabilem. Accedit hic cognatio aliqua, & officia quædam à nobis. Verùm Naeldwyckius cognatos & affines habet in nobilitate. Nobis amici sunt multi minùs potentes. Sed, ut dixi, hoc vestrum est arbitrari, qui propiores estis. Valde desidero intelligere ea quæ inter classes Hispanicam & Batavicam porrò evenient: eoque magis quod alia res magni momenti inde pendet, cum Anglis aut conservatio qualiscunque amicitiæ, aut testata odia. Placet mihi quod in consultationibus silentium est & hominum ad operam navandam patriæ tantus concursus. Lamairius fallitur si me putat auctuarium velle edere, qui tantum mutaverim, addiderimque ut novum sit futurum opus Notarum. Itaque videris. Nostros salutes rogo. 8 Octobris 1639. 467

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

ACcepi, mi Frater, circa idem tempus literas tuas valde veteres per Gronovium, & bene recentes, quippe scriptas 3 Octobris per tabellarium. Ex his legi cum voluptate quæ scribis de Lugdunensi Bibliorum edi- 468

Digitized by Google

editione. Quæ verò ibidem de Libris illis Ecclesiasticis, qui malè Apocryphi vocantur, conveniunt cum iis quæ eo de argumento scripsit Albericus Gentilis. Quartus Esdræ qui dicitur omnium consensu à Canone removetur. In alteris narrantur quæ nunc aguntur circa Britanniam. Angli omnes existimant stationem amplexu terræ suæ prope circumdatam, terræ accessionem esse, ibique sibi plenam esse jurisdictionem. Privatis verò Anglis sine publica auctoritate permissum suo ipsorum periculo operam ac naves locari utris volent bellantium. Hæc quò exitura sint, totus orbis vicinus intentus expectat. Ad filiæ causam ut veniam, persto sentire quod scripsi nuper, ubi de forma actus agitur, spectandum actus locum, ubi quæritur an persona idonea fuerit, locum domicilii, ita video sentire Iurisconsultos plerosque. Vbi de manu testatoris movetur controversia, non dubito quin agatur in Gallia, sicut apud nos ageretur in testamento Patris inter liberos, aut militari scripto. Puto autem non tantùm aliquammulta esse illic apud vos qui manum norint, sed & aliquos qui illum de facto hoc testamento loquentem audierint. In Gallia mortuus possessionem ipso jure ad hæredem transmittit Sed de utroque inquiram ubi primùm potero eruditorum sententias. Zenonis effigies melius fortè Hamburgi quàm alibi posset edi. Sed totum illud tui esto arbitrii. Saluta quæso parentes & amicos. Lutetiæ 15 Octobris 1639.

In Gallia qui instrumentum prolatum falsi accusat, necesse est ut inscribat, ut in crimine, & ipse falsarii pœnam subeat, nisi evicerit. Filium nostrum Petrum rogo moneas meminerit cui studio se addixerit, parcatque & pecuniæ & tempori.

Tibi obligatißimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Cariſſime,

469 EST sanè res magna ea de qua nunc sub oram Angliæ agitur. Neque controversia tantùm juris est, sed & hoc tempore πολιτική in summo gradu. Itaque non vestri tantùm, sed & vicini omnes exspectant quò ea res sit evasura. Galli cessatores etiamnum sunt, mari nempe, ut vestri olim terra. Vogelii epigraphe quin dolo malo facta sit hoc tempore, quo uxor mea per Brabantiam transitum molitur, non dubito. Et miror te inconsulto factam talem. Quare ita censeo, quamprimùm filius Didericus ad vos venerit, danda non Vogelio, sed typographo alteri Poëmata nova mea. Hæc enim inscriptio placet. Velim autem epistola aliqua testeris editionem illam veterum poëmatum me inconsulto, te invito factam. Inter illa poëmata quæ adferet filius ille meus, est postremo loco quod pro cerevisia feceram, sed miseram ad te mutilum, quin neque exemplum inveniebam, neque memoria suggerebat, nisi partem posteriorem. Quæ verò desiderantur ab amicis accepi postea. Sunt autem ista:

Humor dulcis aquæ, sed igne coctus,
Cui secum tribuit Ceres salubrem,
Qui corpus vegetat, nec impotente
Commotam furiat vapore mentem,
Quo potu fruitur Batava tellus,
Neptuni domus horreumque mundi,
Et quotquot populos mare ab alto
Cæli culmine conspicatur Arctos;
Ipsa te sitiunt novem sorores:
Nec Permesside perluuntur unda,
Ex quo Græcia barbara sub hoste est,
Nec Bacchi cyathos amant puellæ:
Sed Rheni Vahalisque temperatos
Almis passibus hauriunt liquores.
Duræ mentis, iners, merumque rus est,
Si quem basia non juvant Secundi, &c.

Cæterùm τούτου τοῦ ἀδελφοποιημένου de tibi jus demendi quæ velis. Scio brevem fore libellum. Sed λώϊτερος κύκνον μικρὸς θρόνος. Quamprimùm ista edi percupio cum præfatiuncula. De induciis Italicis ita semper & locutus sum & scripsi, ut judicium meum suspenderem, exspectans quid ii judicarent apud quos summum est rei Suedicæ arbitrium. Nunc cùm illi τοῦτο τὸ ἀμφισβητούμενον de quo scio quæ in utranque partem dici possunt dissimulent, & ego dissimulo: ἀκίνδυνος γὰρ ἐστὶ τῆς σιγῆς γέρας qua de re tu olim pulcherrima scripsi quæ bonus Scottus mea putabat. De Lucano scripsisti antehac, non auctuarium me velle edere, sed Notas plane novas abolitis prioribus ob multa mutata. De lite filiæ quod scribis est pergratum. Amo enim liberos meos: illam præcipuè, mihi quantum fert sexus simillimam. Consuetudinem quæ in urbe Lutetiæ valet valere etiam in suburbio S. Germani, in quo obiit D. Oldenberneveldius familiæ ejus ultimus, discere potes ex Verbali quod subjunctum est consuetudinibus editis in octavo quas misi antehac. Attamen ne quid desit mandatum dedi, ut publicum testimonium habeam talia testamenta facta in Suburbio valere. Sunt qui dicunt mihi è re futurum fuisse, ut testamentum illud ὁλόγραφον exhiberetur suburbii magistratibus, qui deinde citassent proximos defuncti ad agnoscendam aut refellendam manum. Quod si agnosceretur daturos eos fuisse Actum publicum, ex quo ubique immissio in possessionem fieret, scriptis etiam literis ad magistratus locorum ubi bona sunt sita. Quod si contradiceretur, audissent testes qui manum, aut etiam signum si quod adesset noscerent: & ex eorum testimonio inspectis etiam aliis si quæ essent mortui scripturis, ejusdem generis quale dixi instrumentum darent. Id video serum nunc esse lite isthic inchoata. Neque verò ego ante abitum hinc uxoris testamentum illud vidi unquam. Præterea testes manus haberi pauci hic poterant. Plures poterunt apud vos, eritque nostræ fiduciæ signum, quod ibi testamentum publicamus ubi manum, si vera non sit, refellendi uberior est copia. Et inde fortè incipiendum vobis erit, ut aditus sit ad utendum Edicto Adriani aut inderdicto quorum bonorum. Videtur enim Naeldwyckius id egisse, ut nos petitores, se totius hæreditatis possessorem, etiam nostra confessione faceret. Hæc quæ mihi in mentem veniunt scribo, sed tuum erit qui, quod opus est ex propiore loco vides, eam inire viam quæ tibi certissima ac brevissima videbitur. Ego è longinquo, quandoquidem, ἐρρίφθω κύβος, conferam quod potero. De effigie Zenonis non repeto quæ scripsi. Si non potest quamprimùm in Batavis edi, edatur alibi. Scito non inutile id fore. Gallica classis nondum se movet. Vereor ne filius noster qui cum Raephorstio ivit spe reperiendi naves Batavas in præsidium itineris, partim negotio hoc omnibus navibus dato, incertum duraturo quamdiu, partim ventis diu detineatur. Gaudeo uxorem adire amicos quos mihi fidissimos puto, id est Amstelodamenses. Filius natu medius omni modo ad laborem pragmaticum adigendus est, sine quo nihil illi in hac vita bonæ fortunæ sperandum est. Nam si nostra pecunia eam inventurum speret, valde fallitur. Me imitetur sitque sibi fortunæ faber. Sine eo nostræ liberalitatis fons arescet. Pro precibus vestris vobis gratias ago: Deumque vobis ea largiatur quæ mihi optarem, rogo. Lutetiæ 22 Octobris 1639.

Velim diligenter explores an quis sit qui Notas nostras ad Euangelia sub nomine, & quædam scripta sine nomine, Dordrechtensibus placitis non congruentia tutò possit velitque edere.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

Digitized by Google

EIDEM.

470 MItto, Frater cariſſime, ad Lucanum notata noſtra: quorum curam tibi, ut tutori legitimo, commendo. De cæteris quod ſcripſi antehac reſponſum exſpectabo. Vxoris iter Amſtelodamum laudo. Eſt urbs ea ſiqua in Batavis plena bonorum civium, nobisque optimè volentium. In mari jam cœptum pugnari eſt. Quare ſiqua metuenda eſt Anglorum offenſa ejus ἐῤῥίφθαι κύβος. Securitatis publicæ cura præcidit juris controverſi nodos. Galli hac quidem in parte ſpectatores eſſe cupiunt; ſed aliud non minoris odii negotium cum Anglis habent, detento hic in itinere Palatino, ut contraria ipſorum deſideriis moliente. Ad pacem communem nihil adhuc lucis video. Qui hunc ſequetur annus ei cogitationi, aut novis ad bellum prorogandum Fœderibus impendetur. De Hiſpanorum propoſito ad Emdam invadendam, credibile eſt quod dicitur. In Italia durant induciæ Pedemontanæ. Sed Caſale ſine vi armata ſervari non poterit. Ad cauſam filiæ ut veniam, gaudeo probari vobis quæ diſtinxi de forma actus, de capacitate perſonæ, de capacitate rerum. Siquid ultra in mentem venerit, aut amici monuerint, perſcribam. Charondam vidi. Is pro nobis eſt in eo quod dicimus actum factum ſecundùm formam loci vim ſuam per omnia loca extendere. Quod autem vult ſcriptum formam habere teſtamenti nobis objici non poteſt, cùm in ſcripto ſint *alſoo myne uyterſte wille is* & rurſum *deſe myne uiterſte wille heb onderteeckent*. Addito die & loco. Nihil potuit dici expreſſius. Facti hiſtoria uxori filiæque eſt quàm mihi notior. Itaque ad eos te mitto. Vale cum noſtris omnibus. Lutetiæ 29 Octobris 1639.

Auſculta an quis Taciti editionem moliatur nobis non inimicus; Elzeviriis enim omnibus diffido. Habeo emendationes & explicationes non paucas, racemationem poſt tot vindemias.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

471 NArrationem, mi Frater, tuam de rebus mari geſtis ſcriptam Octobris 24 rectè accepi, gratiaſque ago. Miſi ad te per filium natu minimum nova noſtra poëmata. Ea cui voles trades, dum ne Vogelio qui nos decepit, tuoque abuſus eſt nomine. Exemplar non curo. Si certus eſſe poſſem de Blavio, primùm cum mea editurum ordine eo quem ego præſcriberem, ac primo ἀνώνυμα quædam, deinde nullam interpoſiturum moram, quod in aliis fecit, præterea uſurum correctoribus qui Latina Græcaque intelligant, poſſem in multum tempus ejus prœla exercere. Sed terret me Voſſius qui & Meurſii & ſuo nomine multa de eo queritur. Rogo diligenter inquiras. Habeo penes me libros correctos de Iure belli & pacis, & Notas quæ tantæ ſunt quantum libri ipſius dimidium aut ultra. Sed quandoquidem de nova horum editione ſcripſit Cramoiſiacus, exſpectatur Blavii reſponſum. Id ubi cognovero, videbo quid fieri poſſit. Poſt edita pauca ἀνώνυμα exigui impendii & haud dubiè multos tractura lectores in Gallia, Anglia atque alibi, valde deſidero edi noſtra ad Novum Teſtamentum quæ bene deſcripta ſunt. Poſt id Anthologiam: deinde hiſtorias Batavicas & Gotthicas. Nunc etiam ad quædam Veteris Teſtamenti loca annoto perutilia. Habes temporis quod à negotiis mihi ſupereſt, rationem. Vale, Frater optime. Lutetiæ 5 Novembris 1639.

Cùm videam Argentoratenſem Taciti in folio editionem nimis diu trahi, conſtitui ei qui primus Tacitum eſt editurus meas Notas non magnas, ſed nec inutiles dare. Si quid tale reſcieris, mone me. Quæ de Antichriſto commentati ſumus & ſine nomine conſtituimus edere, audio D. Vtenbogardo & Epiſcopio minùs probari. Ego certus ſum illos non dicturos probabiliora: & noſtra valde probari à Gallis & Anglis qui vidêre.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

ET ad Lucanum noſtra, mi Frater, & poëmatum ἀνέκδοτα rectè ad te perveniſſe ac tibi, ut mea omnia curæ eſſe gaudeo. Poëmata dabis cui voles, dum ne ei qui noſtro abuſus eſt nomine. Nam quod Graswinckelius ſuggerit remedium & ſerum eſt & inane. Editionem illam noſtro factam injuſſu ut cognoſcatur noſtra ob multas cauſas intereſt. Prolegomena ad Phœniſſas cenſeo addenda in fine editionis novæ, pro mantiſſa, ne carminum ſeriem turbent; & tamen utilitatem quam ſperavi præſtent legentibus. Filium natu minimum quod attinet, & dixi ei & ſcripſi jam ſæpe quàm indignum ſit nobis eum periculis ſe objicere eorum hominum cauſa, qui omni bello crudelius in rempublicam & nos graſſantur. Apud D. Brederodium nihil poteſt ſperare niſi exiguum aut tardum incertumque. Nam & ille alios habet quos reſpiciat nobis iniquos. Mementote illud in Sophompanea. Ægyptus tibi ſit patria. Sic eſt merita. Suedia nobis patria eſt. Ei vitam noſtram dicare debemus. Ab ea honores mereri & exſpectare. Magna eſt Bannerii virtus: neque minùs facile ibi miles ex Provinciarum tributis quàm apud vos victitat: niſi quod exiguntur illa ibi per militem, apud vos per apparitores. Qui autem in miſeros homines miſericors eſſe vult, reperit ubique bene faciendi materiam. Neque aliena culpa inſontibus nocet. Egregium illud de Nerva 472

Temporibusque malis auſus eſt eſſe bonus.

Quod ſi militia actuoſa filio diſplicet, ſperem aut in domo D. Bannerii aut in curatione aliqua operum, machinarum, aliarumve rerum operam ejus poſſe eſſe utilem & cum honore. Ego certè non ceſſabo eum juvare & ut ſpero tot alibi amicos quot in Batavis inimicos reperiam: quibus inimicis ſi ſupplicem ſe facere in animum induxit, haud dignus eſt qui me patrem vocet. Exercitus Suedici multi ſunt: multa loca: multa ſpes. Si apud vos vexillifer, quàm ductor ordinum alibi eſſe mavult, animi eſt nec erecti ſatis, nec memoris quàm honorato in loco fuerit. Valde exſpectamus quid conſtitutura ſit Anglia, tum in Palatini, tum in Batavorum negotio. Heri D. Comes Liceſtrius apud Regem pro Palatino locutus eſt ex mandato ſui Regis. Galli verò trahent id negotium atque interea res ſuas ad Rhenum conſtabilient. Hiſpanos in Britannam quicquam moliri neutiquam credibile eſt. Non facilè Rex Hiſpaniæ aliam parabit claſſem. Vale, mi Frater. Lutetiæ 19 Novembris 1639.

Elzevirius qui Amſtelodami eſt offert ſe meis omnibus edendis. Velim ſcire an ſit bonæ fidei & an habeat quæ oportet. Legi magnam partem Heinſianorum ad N. T. Erunt in quibus ipſi dicta, & ante ipſum mihi, ſed non ante edita, magnis argumentis probabo. Vidi & Salmaſii præfationem ad librum de uſuris ſecundum. Etiam ab ipſo non pœnitebit diſcere. Rogo gratiæ habeantur D. Salmaſio pro miſſo ad me libro. Reſpondebo ipſius beneficio utprimùm potero. Inſpexi librum. Video omnia plena reconditæ eruditionis. Graswinckelii conſilia omnia mihi ſuſpecta ſunt. Suas res agit.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

STudia noſtra & molimenta ad bene de poſteritate merendum, probari tibi, mi Frater, gaudeo: rogoque ut his quæ parturio obſtetricare pergas. Filio credo ad hanc rem non deeſſe propenſam voluntatem. Sed & prudentia & diligentia requiritur. Curcellus putat, ſi 473

Bla-

Blavius cunctetur, per Elzevirium qui Amstelodami vivit, rem posse peragi. Ei homini quid sit fidei, quid paratus typographici, nescio. Quare abs te consilium exspectabo, & propediem mittam τὰ πεϱὶ ἀντιχϱίστου, quæ intelligo D. Episcopio minùs probari, mihi vero non displicent: cogorque à multis Remonstrantibus ea re dissidere, quod illi omnem cum Romanæ communionis Ecclesiis tam latè patentibus, tanto sæculorum consensu se tuentibus, reconciliationis mentionem abhorrent: & id quò speciosiùs faciant dogmata eorum incommodè explicant, errata autem in actionibus, quæ non sunt omnium, imputant omnibus. Ego æquitatem amo, & loquendi formas veteres, in cæteris non desperandam aliquam emendationem puto. Quod ego dixi scripsique de filia minore annis xx, si patre invito nupserit, exhæredari eam posse, habeo ex antiquis Legibus, quas Choras vocamus, illis nimirum quas utendas mihi aliquando Stephanus Dousa dederat. Sed puto etiam inter Consuetudines apud Acta Curiæ professa Albanicis temporibus, aliquid reperiri, de quibus docere te D. Miropius Rationalis poterit; nam ego multa, quæ legisse me memini, non ad manum habeo. De Præpositi Stockhemiensis causa nihil adhuc habeo boni quod nuntiare possim; paratus tamen conferre operam siqua poterit esse usui. Sententiam tuam de omittenda laudatione Toirasii & historia Barbarossæ & causas quas adfers, probo. Ad Bignonium versus ita supplendus est:

Superis auram dulcis haurit ex mille.

Si qua res te Lugdunum tulerit, poteris de Græcis, numquid in eis sit emendandum, egregium Salmasium consulere, cujus de Vsurarum modis librum hoc ipso tempore lego, cum admiratione tot rerum abstrusarum. Vale cum parentibus & uxore, mi Frater. Lutetiæ 26 Novembris 1639.

Mitto jam nunc Annotata mea ad IV Euangelia per Massanum qui est in comitatu Mauritii Principis Palatini, qui cum navi Anglica it in Bataviam. Cætera illa ἀνώνυμα ordine suo mittam per tabellarios. Tuæ præcipuè curæ hæc omnia commendo. Poteris per Curcellium aut alios fidos ita ista curare, ne odium in te recidat. De illis autem ad Jus Belli ac Pacis, tum constituam, ubi sciero quid Blavius Cramoisiaco responderit. D. Vossii consilio utere & filiorum ejus, si ipsis vacat, opera...... Nolim tradi annotata in librarii cujusquam manum, nisi priùs certi simus illico editum iri, nec alium ea legere, nisi avum, te, filios domi tuæ. Heinsiana adhuc lego: longa enim sunt & sæpe interpellor. Sunt ejus multa quæ confirmabo. Prodiit in Anglia Tragœdia nostra Christus Patiens, optimis in ea lingua versibus expressa. Vir Illustrissimus elogium proposuit cujus initium sic me alloquitur:

Our Ages Wonder, by thy birth te Fame,
Oft Belgia, by thy banissement the shame.

Id quid sit, Anglus tibi aliquis interpretabitur. Liber Regi dedicatus est. Addidit interpres Notas eruditas.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

474 Mitto, mi Frater, explicationes meas, sed sine meo nomine ad quinque Prophetica loca Pauli, Iohannis in epistola duo & ejusdem in Apocalypsi duo totidem. Hæc quia utilia existimo, & talia videntur Romanensibus multis qui videre, Anglis protestantibus, etiam Racovianis aliquibus, cupio edi quamprimùm. Poteris hæc per amicum dare deferenda Blavio, si is sine mora typis ea vult committere: alioqui Curcellio, qui si in Blavio mora est, daturus est Elzevirio Amstelodami habitanti, aut alii cuivis. Ego hæc quæ scripsi non tantum vera esse puto, sed etiam pertinent ad auferenda impedimenta quædam pacis Christianæ, de qua minùs minusque despero. Quod si nobis non datur conspectu ejus boni frui: tamen officii nostri est, aquam igni, non oleum affundere & serere arbores alteri fortè sæculo profuturas. Post has chartas mittam eas de Fide & Operibus. Vale, Frater optime. Lutetiæ 3 Decembris 1639.

Annotata nostra ad quatuor Euangelia jam te habere credo. Illa de Iure Belli ac Pacis cum annotatis ad Vossium misi. Volo autem primùm edi ἀνώνυμα: deinde illa ad Euangelium: postremò de Iure Belli ac Pacis. Sub finem anni prodibit hic meus liber de Veritate Religionis Christianæ cum notis. Redduntur prelo Apologeticus & Diatriba de Pelagianis dogmatibus. Anthologia post hæc omnia sequi poterit, & typographum, si non ibi, hic reperiet. Pergo in annotationibus ad Vetus Testamentum non ita magnis. De effigie Zenonis quid feceris, facturusve sis scire percupio. Ad correctionem eorum quæ edentur poterunt adjumento nobis esse Corvinus, Curcellius, Vossii.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Non dubito, mi Frater, quin verissimum sit quod literæ tuæ 5 Decembris scriptæ indicant de filio minimo, ea vos dedisse consilia quæ optima arbitrabamini. Ego tamen in longum prospiciens puto meas rationes esse meliores. Valde mihi placet ejus filii in Principem mortuum pietas, in factis ejus ad memoriam tradendis. Nescio autem an locorum tabulas & alia habeat ad talem scriptionem necessaria. Si eundem laborem apud D. Bannerium velit sumere, facilè sibi ejus gratiam, commoda & honores daturam parabit. De D. Heinsio an mea quædam per Graswinckelium qui partem descripsit habuerit, an per alios quibus particulas quasdam legendas dedi, dubitare cogor: neque tamen nescio multa etiam talia fieri κατὰ συγκυϱίαν. De Comitibus Hohenloicis putabam aliter se rem habere. Sed tu rei illius ut tuæ esto moderator. Quid Angli in causa Palatini, itemque in Batavica facturi sint, brevi apparebit....... Ego te meis libris tutorem facio. Poteris eorum uti opera quibus maximè fidem haberi posse judicabis. Nostra pro veritate Religionis Christianæ novo anno prodibunt. Acceperis jam illa πεϱὶ ἀντιχϱίστου quæ prima edi cupio. Mittam brevi illa de fide & operibus, deinde ad Decalogum. Post hæc ἀνώνυμα sequi volo Annotata ad Euangelia: deinde illa de Iure Belli ac Pacis. Vbi annotata in eo erunt ut edantur, velim à D. Vossio perlegi & me moneri si quid est ἐπικίνδυνον valde: quod vel currente prælo fieri ab eo poterit. Anthologia si ibi non reperit, hic ni fallor librarium reperiet. Deinde de historicis nostris scriptis cogitabimus. In re Præpositi Holshemiensis nulla mihi adhuc lux affulsit melior. Vale mi Frater, cum optimis Parentibus & uxore. Lutetiæ 17 Decembris.

Scripsi nuper ad D. Vossium de quibusdam quæ ad Decalogi sensum pertinent. Puto me breviter responsum habiturum. Magni ejus judicium facio. Sperato citiùs descriptum fuit opusculum ἀνώνυμον de Fide & Operibus, aliquid, ut spero, lucis ex Sacra Scriptura & interprete veterum consensu allaturum maximi momenti quæstionibus. Quare deproperari velim τὰ πεϱὶ ἀντιχϱίστου ut hæc statim sequantur, quovis librario & quovis modo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

476 LOsecatio liberûmque ejus vicem doleo, quibus multum periit: nam ipsi sorori nostræ fortè gratulandum magis est, quod tot malis exemta metam attigerit ad quam noster cursus aspirat. Gaudeo probari patri ac tibi nostra de Antichristo, rogo statim edatur: nam jam in Anglia amicis promisi me facturum, ut hoc & alia ἀνώνυμα illico prodeant. Quare nolim ullam interponi moram. Facilè amicus aliquis cum Curcellio aget ea de re, aut cum ipso Blavio. Sed si cunctatur Blavius, erunt alii qui edere volent quos monstrabit Curcellius. Acceperis jam & de Fide & Operibus quæ hanc editionem subsequi statim debent. Si qui conjectent me esse auctorem, non multum id euro: si tamen mutare vis quæ mea manu sunt addita, ita ut mea manus non ita appareat, non intercedo. Secundam ad Timotheum pro prima ut reponas, rogo, & siquid est ejus generis erratum etiam me non monito corrigas. Pro *ad Iohannem* pone *ad epistolam Iohannis.* Intelligitur enim ea commentatio quæ hanc comitatur, quam ab eodem esse auctore nihil nocet sciri. Pro *in bibliotheca Regia* pone *in bibliotheca Christianissimi Regis*: De Barchocheba satis dictum puto. Filius noster nescio an his negotiis tractandis satis sit idoneus. Vos qui eum meliùs nostis, cogitabitis. Testimonia ad Veritatem Religionis Christianæ εἰς χοινὰ prodibunt. Erit utilis liber. Quid de Zenonis effigie facturi sitis, scire avebo. Debet edi ubiubi. Annotata ad Euangelii libros ubi edendi instabit tempus, velim ab uno D. Vossio legi & si quid putet monendum me, moneri. Ejus enim judicio & in nos amori fido plurimum. Vale cum parentibus uxore, liberis, mi Frater. Lutetiæ 24 Decembris. 1639.

Losecatium velim meo consoleris nomine. Ego primo tempore ad eum scribam. Jamnunc nuntium accipio, posse me in Gallia edere quæ velim sine Censore. Cardinalem id velle. Id tamen dicas nemini. Quare siqua ibi mora est, fac illico sciam. Nolim enim differri ea quorum mihi persuasa est veritas: neque ullum respectum sive publicarum, sive privatarum rerum obstare huic rei de qua rationem Deo debeo. Vide, si vacat, etiam nostra ad XXIV Matthæi. Quæ in hoc libello dixi de decem Regibus, Romaque direpta, deinde incensa, eodem modo explicavi in præfatione illa ad Procopium quam transmisi ad Magnum Cancellarium. Is aliique Politici multum ea probavere præ somniis Theologorum. Velim orari D. Vossium, ut quàm volet breviter mihi sententiam suam perscribat super quæsito pertinente ad secundum præceptum Decalogi. Spero jam receperit etiam nostra de Jure Belli ac Pacis cum uberibus annotatis, missa per Vanloium. Ea nolim edi ante nostra ad Euangelia.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

477 QVas primas abs te accipiam literas, ex iis spero me cogniturum edi cœpisse illa de Antichristo, ut sequantur ea quæ jam habes de Fide & Operibus, ac deinde quæ mittam ad Decalogum. Sum ad hæc omnia publicanda & voti & promissi reus. Quod si tibi odium metuis, facilè invenies aliquos à factionibus remotos qui ista curent. Nulla res magis excitavit Principum iras in eos qui ab E. R. secessionem fecerunt, quàm contumeliosissima nomina quibus ab his illi producebantur, nihil etiam nunc magis obstat reducendæ Vnitati ad quam procurandam æquis modis omnes ex Christi præcepto & professione quam in Symbolo facimus, obligamur, & ad quam fortè Turca nos impellet, qui nunc cummaximè Italiæ imminet. Primum est amoliri ea quæ alteros prohibent ab audiendis placidè alteris. Spero me adjutores reperturum. Certè laborare non desinam, & immori etiam tam pulchræ cogitationi lætum erit conscientiæ. Vale Frater optime, cum uxore & liberis, & Parentes nostros semper pacis Christianæ amantissimos saluta. Lutetiæ 31 Decembris fine anni 1639.

More evenit ut hoc ipso tempore tam Francorum, quàm Hispaniæ rex Pontificem in ipsorum jura involantem ferre nequeant. In Hispania qui fuit Nuntius, tædio rerum mortuus est. Hic qui est, aditur à nemine: adit neminem. Si pax nunc esset, sperarem Concilium Vniversale Occidentis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

CArissimæ sorori persoluta quæ mortuis debentur officia & quidem quàm honestissimè, ut in tanto luctu, gaudeo. Scribo ad Losecatium ut eum consoler. De filia ejus non displicet mihi quod proponis, ac quandoquidem ad matrisfamilias curam ea res vel maximè spectat, velim cum uxore mea agas. Non minùs tibi quàm eruditis aliquot Anglis qui id videre probari quæ de Fide & Operibus, quæstione imprimis ad pietatem necessaria scripsi, multum gaudeo, editionemque tum hujus scripti, tum quod primum esse velim, περὶ ἀντιχρίστου tibi fidisque amicorum cordi spero fore. Ad Decalogum mitterem si super uno ejus loco responsum accepissem D. Vossii. Annum hunc & qui sequentur tibi, conjugique ac liberis tuis, communibusque parentibus, propinquis, amicis felicem ac fortunatum precor. Lutetiæ 1640. 478

Simul atque τῶν ἀνωνύμων aliquid erit editum, è re erit & Christiana & libraria quàm plurima exempla in Galliam, Angliamque mitti. Apologeticus jam editus est: satis bene. Scribit mihi Corvinus si Blavius moras nectat, Elzevirium qui Amstelodami est mea omnia & libenter editurum, & offert se correctorem. Meam ad Corvinum epistolam legas, obseres & mittas velim.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

CVræ tibi, ut semper fuere ita & nunc esse nostra omnia, mi Frater, plurimum gaudeo, gratiasque tibi habeo. Rogo quid librarii promittant περὶ ἀντιχρίστου, quamprimùm sciam. Volo enim moras omnes abscindi, ob causas multas. Sequi statim poterunt illa de Fide & Operibus, sine mora & hæc, & sine ulla mutatione nisi me consulto. Alia de quibus scripsi hic curabimus. A D. Vossio literas expectabo. Vxori bene succedat iter Zelandicum. In exemplo defuncti pueri Principis, in cujus honorem tanta parabantur, discimus quàm fluxa sint humana, & quàm sæpe magnæ molitiones in irritum cadant. Potest dicere mater: 479

Φέρομαι βάκχα νεκύων,
Κράδεμνα δικοῦσα κομᾶς ἀπ' ἐμᾶς,
Στολίδα κροκόεσσαν ἀνεῖσα τρυφᾶς,
Ἁγεμόνευμα νεκροῖσι πολύστονον.

Vt apud Euripidem Antigone. Eobaldo Dusserio amico nostro dignitatem gratularer, siquid boni pro Republica fieri posset. Adrichemio facilius est in cura urbani ærarii præstare se non inutilem. ὀλιγαρχία quò ducere soleat norunt historiarum periti: mihi autem ipsa etiam ista ὀλιγαρχία nihil nisi persona esse videtur. Habeo optimis parentibus, tibi, uxorique gratias prò bonis votis, reddoque paria, aut, si fieri posset majora. 13 Ianuarii 1640.

Cavendum erit ne si Blavius cunctetur & eatur ad Elsevirium

ſevirium qui Amſtelodami eſt, is Lugdunum mittat noſtra: quod ſcriptis eſſet exitiale. Statim enim Theologi Magiſtratus incitabunt, ut in herba meſſem opprimant. Memento illa de Antichriſto priùs edenda quàm de Fide & Operibus.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater cariſſime,

480 GAudeo futurum ut publico proſint noſtra περὶ ἀντιχρίστου. Rogo omnis mora abrumpatur. Reigersbergius Senator multum laborat ne edantur, puto & alii, ne quod in ipſis eſt τὸ λίαν detegatur. Multum gaudeo patri optimo placere noſtra de Fide & Operibus, deinde optimo ſeni Vtenbogardo, à quo quæ hauſi, publicè privatimque, ea firmo quàm poſſum validiſſimis argumentis: quæ profutura, ſi non apud hanc, certè apud ſeriorem ætatem planè ſpero. De Corvino omnia mihi quæ optem polliceor. Vxorem rectè in Zelandiam veniſſe, vitata tempeſtate tot navibus noxia, & gaudeo & Deo de eo gratias ago. Velim cum ea loquaris de Loſecatiabus. Salza eſt Hiſpanorum & id pridem convenerat. Controverſiæ inter Romam & Galliam manent, ſed creditur eas cum Cardinalis incremento compoſiturus Mazarinus, qui Galliæ nomine Coloniam ad pacem mittitur. Id eſt Romæ ingenium ut apud eam multò plus terrore incuſſo quàm blandiendo efficias, quod olim Thuanum docuit Legatus Foxius. Britannici paratus aliquid fortè profuerint apud omnes cum quibus negotium eſt Gallos, Scotos, Batavos, fortè & quietum præſtabunt regnum Parlamenti tempore. Quid apud vos judicetur de nova militum conſcriptione, nempe quò tendat, audire cupiam. Hollandis omnibus nobis bene volentibus volens gratiam reddo quàm potero. Dubito an ventis Caleti hucuſque retentus fuerit Lonius, cui noſtra de Iure Belli ac Pacis dederam. D. Voſſii ſententiam ſuper priore parte ſecundæ Legis in Decalogo etiam nunc exſpecto avidè. Ex illis quas dixi literis Senatoris Reigersbergii facilè cognoſco ſi quæ magno labore, nec ſine magno Dei auxilio ad intelligendas Sacras Literas contuli, me vivo non edantur, non fore ut edantur me mortuo. Ac ſic poſteritas eorum fructu careat, quod mihi cavendum ſentio, ſi in Deum gratus & poſt futuris benevolens eſſe cupio. De effigie Zenonis conſilium amici noſtri Deus ſpero fortunabit, ſucceſſum lætus intelligam. Vale quàm optimè cum uxore, liberis, Parentibus, amicis. Lutetiæ 18 Ianuarii 1640.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

481 GAudeo jam edi τὰ περὶ ἀντιχρίστου. Si qua mora eſt, rogo ea quovis modo abrumpatur. Velim ſequatur illico noſtra commentatio de Fide & Operibus. Interim mittam non inutilia ad Decalogum, exſpectans interim ſi quid ad ea quæ jam ad me perſcripſit addat aut D. Voſſius, aut ejus incitatu Manaſſes. Poſt hæc prima cupio eſſe quæ ad Novum Teſtamentum annotavimus, neque priuſquam ea ſint edita, edi illa de Iure belli ac Pacis. Poſt hæc omnia ſequentur hiſtorica ſi ſpei meæ & ſuæ pollicitationi ſatisfacit Blavius. Noli committere ut ordo à me præſtitutus ulla in parte mutetur. D. Heinſio velim ſignifices me nihil unquam dixiſſe aliud quàm multa mihi placere in ejus Notis: & quædam eadem ſcripta à me fuiſſe, cùm quid ille ſcripturus eſſet, ne conjectare quidem poſſem. Id κατὰ συγχυσίαν καὶ συνέμπτωσιν factum putavi, gnarus multa talia & apud antiquos occurrere. Cæterùm mea annotata univerſa nemini viſa arbitror: partes quaſdam non oſtendi tantùm, ſed & legenda exhibui Reformatis aliquot, & aliis Heinſio tunc peramicis. Viderit iſta necne, non definio. Cæterùm de lingua Helleniſtica, ſi quid rectè judico, & D. Salmaſius nimis abjectè loquitur, quaſi inutile ſit id ſtudium, ex quo viri magni multa egregia erueruntur, & D. Heinſius eo obtentu & ingenii fiducia nonnunquam abutitur. Hæc inter nos dicta ſunto. Rex non tantùm totum Parlamentum Rotomagenſe dimiſit & Lutetiam ire juſſit, ſed & judices ſexdecim hinc miſit, qui pro Parlamento jus dicant: præterea & privilegia omnia civitati ademit, & reditus civitatis in fiſcum redegit, magno haud dubiè in omnes Conſeſſus terrore. Magiſtratus urbici itidem demoti omnes. Civitas duos milliones offert, ut præſidio quod nunc ſex millium eſt & à metu arcis liberetur. Inquiritur in nobilitatem in agris quaſi & ipſa diſſimulando ruſticas ſeditiones aluerit. De pace vix puto hic cogitationes ſuſcipi, non quod non Principes, Parlamenta, nobilitas, civitates & ruſtici id velint: ſed quia aliter fert ratio τῶν κρατούντων. Quam in partem conſilii ſe inclinatura ſit Suedia, videbimus ubi Conventus Ordinum qui ibi agitur, exierit. Vt iſte Conventus, ita etiam qui jam in Hibernia, Scotis ſatis infeſta, agitur, deinde Anglicus Scoticuſque, ambo imminentes multum nobis ad dijudicandum de futuro, lucis afferent. Gaudeo bene valere pro ætate tam gravi Parentes optimos, bene & uxorem liberoſque tuos. Deus omnibus eis faveat. Lutetiæ 4 Februarii 1640.

Fac norim quæſo ubi illa de Fide & Operibus typis ſubjici cœperint.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

FUturos multos qui moram ſcriptis meis Theologicis afferrent, ſenſi ac prævidi, eoque magis tuam fidem imploro ut is ordo teneatur quem volui. Primùm edantur τρία ἀνώνυμα: deinde Notæ ad Novum Fœdus, antequam ſua edat Salmaſius: poſtrema illa de Iure Belli ac Pacis, quæ ſi non venerunt, venient per Lonium. Quod ſi aut Blavius aut Voſſius moras addunt, remittendæ ad me erunt chartæ. Ego hic viam reperiam, neque committam ut per negligentiam hæredum aut tutorum privata ſtudia poſteri meis fraudentur laboribus. Rogo te quantum unquam rogavi quicquam, ut his in rebus velis remiſque properes. De ſecundo præcepto accepi quædam à D. Voſſio. Illa ad Decalogum mittam ſimul illis de Antichriſto editis edi cœperint, quæ de Fide & Operibus ſumus commentati. Faſciculus ille chartarum ad uxorem continet literas, quas Petrus ad me ſcripſit de Ducis Vinarienſis rebus geſtis. Reſtrictionem illam ad Conſuetudinem Pariſienſem numquam intellexi: neque credo veram eſſe. Inquiram tamen. Vale, mi Frater, cum parentibus ac tua tuiſque. Lutetiæ 18 Februarii 1640. 482

Ex litteris Voſſii cogor ſuſpicari eum neſcio quo ſuaſore morari noſtrorum editionem, quod ab eo non ſperaveram. Apud Mathiam Heuſdium qui Amſtelodami vivit ſunt apochæ aliquot D. Berkelii manu. Miror de Zenone me nihil intelligere, nec minùs miror Petrum meum ſaltem ſcripto non indicaſſe quo in loco noſtra negotia, de libellis loquor, reliquiſſet. Rogo, iterum rogo, Frater Fratrem, feſtinè uti edantur aut remittantur. Ego videro. Deinde ſcire etiam velim, an omnes noſtræ chartæ ſint in fida manu. Hæc poſtquam ſcripſerunt accipio

cipio per Corcellium initium editionis de Antichristo, unde & de cæteris optimam concipio spem, te juvante. Ad Decalogum mea brevi mittam, ut subsequantur editionem illorum de Fide & Operibus. Post Decalogum Annotata ad Euangelia. Postea venient illa de Iure Belli ac Pacis, deinde historica.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

483 GAudeo post anni totius dispendium, nescio unde ortum, certè non à veri amantibus, edi cœpisse commentationem non inutilem ad loca quæ de Antichristo agunt, aut agere putantur. Forma est sanè exigua, sed non inelegans, ut ex prima paginarum Ogdoade ad me transmissa cognovi. Ejus Ogdoadis errata mitto, ut aut calamo corrigantur, aut ad calcem annotentur. Velim autem septimo quoque die per Corcellium aut Blavium mitti ad aliquem amicorum qui Hagæ sunt impressas pagellas, ut tu sub fasce aut D. Spiringii, aut, ubi aderit, uxoris meæ eas ad me mittas. Ego verò errata remittam. Interest enim operis ne ejus auctor imperitus credatur. Velim autem typographum festinare quantum fieri poterit, ne qua impedimenta interveniant. Ea una re amicitiam meam emereri potest. Tum verò quot exemplaria prælo subjiciat, scire cupiam. Est & aliud in quo me adjutes velim. Versor nunc in historia rerum Salomonis. Disputant eruditi ubi sit Ophir, in Asiane, ut censere videtur Iosephus, an in Africa, id est, inter Sinum Arabicum & Caput Bonæ-Spei, ut alii: nam de America non est credibile. Veritas per notas indaganda est. Advehebatur ex Ophir non aurum tantùm & argentum 1 Reg. IX. 28. X. 11. & 22. sed & lapides pretiosi, ebur & similia ibidem 22. Quæras igitur rogo ex iis qui eas terras novere, in qua parte hæc reperiantur, & ubi, puta in Sofala, Mosambica, aut alibi. Id ubi noverimus, conjectura deinde assequemur quæ sint ligna Algumim X. 11. quæ variè exponunt, quidam corallia, alii θύϊνα alii πελεκητά: præterea תכיים sintne pavi, an psittaci, an, ut Josephus vult Struthiones, an simiorum genus quoddam ut volunt alii. Sunt qui putant non longè ivisse naves Salomonis, sed adiisse Insulam aliquam ipsius Sinus Arabici sive maris Rubri, quam alii ὀρφῆν insulam nominant, alii Sapphirinam, quod non longè abest ab σωφίρ, qua voce hic LXX ac Iosephus pro Ophir utuntur. Hæc scripseram cùm literas accipio tuas, quibus inter alia Lonium venisse significas. De quo gaudeo: & gratias ago quod tam benignè operam polliceris tuam, ut edantur nostra tam ἀνώνυμα quam nomen habentia, idque præscripto ordine. Itaque simul illa de Fide & Operibus prælo subjici cœperint, mittam quæ sunt ad Decalogum. Cancellarius Franciæ nunc Cadomi est, cujus urbis non erit quàm Rhotomagi conditio melior. Inde in Armoricam Britanniam iturus est. Illa decem millia puto scribi ad fovenda arma Leodiensium. Batavi vestri, nec enim mei ultra, magnos animos capiunt de navali successu. Vt eorum Legati à Regiis Legatis titulo Excellentiæ salutentur, non obtinebunt, non magis quàm Genuates. Venetorum alia est ratio ob regna quæ possederunt aut possident, quanquam vera causa quæ eos Regibus pœne (non enim ex toto) æquavit, est opera navata Pontifici contra Fridericum Barbarossam. Suedi nostri Coloniam non mittent, sed Hamburgi de pace loquentur & audient, consciis tamen Gallis. Anglia arma multis de causis in parato habere debet, nam & cum Scotis nondum est completum negotium, & metuitur ne id malum contagє in Angliam serpat. Cum Gallis spero invenietur concordiæ ratio: in qua re Legati omnes laboramus: & citra paucos dies ex mandato Reginæ nostræ Regem compellabo. De Hellenistico sermone mecum sentiunt & eruditi Senatores & utriusque partis Theologi qui hic sunt. Id mihi placet. Nam τὸ γὰρ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Deo gratias ago de restituta Patri valetudine: ipsi verò, matri nostræ, uxorique tuæ pro faventibus votis, quibus paria facio. Naeldwyckius ut video id agit, ut possessionem trahat ad finitum usque judicium. Apochas Ventidii scriptas manu invenietis Amstelodami apud Matthiam Heusdium. De illa exceptione, nisi charta penes institutum reperiatur, nihil hic scitur. Hic nemo permittitur manum in controversiam trahere, nisi inscribatur falsum, sub pœna talionis. Vale Frater optime. Lutetiæ 25 Februarii 1640.

De Lucano & Poëmatis siquid est rogo norim: & si editur cum Notis Tacitus. Fasciculus ille quem Lonius ad uxorem attulit, à vobis aperiri poterit sine ullo malo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ECce tibi quod scripsimus non in XII tabulas, sed 484 εἰς δικανικοὺς θεσμὸν, ut loquitur vetus scriptor. Spero fore nec ingrata, nec inutilia. Si quam debent & promisere diligentiam præstant Blavii, prodierint jam τὰ περὶ ἀντιχρίστου: & sub prælo erunt illa de Fide & Operibus, post quæ hæc sequi cupio. Cæterorum ordinem nosti. Iurisconsultis nobilibus locutus sum de holographo apud institutum reperto. Dicunt omnes nihil interesse penes quem reperta sit charta, & ferme in Galliæ institutis eam credi, propter aliorum sæpè venalium fraudes. Vale, Parentes, uxorem, liberos, amicos rogo salutes. Vxor à Rotterodamensibus egregiè illusa, spero, ultra trahi se non feret. Lutetiæ 3 Martii 1640.

Tuus tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOn intercedo quominus aut Corcellio aut Corvino 485 dentur in manus illa de Fide & Operibus, modò ne det librario nisi editis illis de Antichristo. Multum enim vereor ne conspiratione hominum sua somnia detegi nolentium opprimatur opus utile, cujus edendi spe jam totum annum lactor. Inter eos autem qui abortum fieri hujus fœtus velint esse & D. Vossium miror doleoque. Quid Gentium Theologia cum Antichristo? Sed esto. Sentiamus diversa. Dicamus quisque nostras rationes. Pii, eruditi, remoti à factionibus judicent. Vnde hæc cogitatio D. Vossio venerit, non satis video. Sed puto ab Aula ei insusurrari, nociturum liberûm suorum fortunis, si talibus scriptis faveat. Contra gratiam illi paratam si de alieno corio ludat. Quare utamur posthac Corcellii, &, si opus sit, etiam Corvini opera. Nostra ad Decalogum jam septem sunt dies cùm ad te misi in fasciculo ad D. Spiringium, cujus hac in re benignitate utor, donec uxor advenerit. Gratias autem tibi habeo quod & chartas nostras servas tam diligenter & quod præscriptum edendi ordinem secuturum te promittis. Prodiere jam hic iterum Apologeticus noster: Disquisitio an Pelagiana sint dogmata quæ eo nomine traducuntur: ac postremò liber de Veritate Religionis Christianæ cum luculenta accessione. Ejus exempla aliquot misi jam ad Treselium, qui ad te mittat. Tu distribues compacta vel soluta ut optimum videbitur. Sed monendus es in ipsis erratis errata commissa, quæ abs te vel filio meo velim calamo corrigi. Nam secundo errato pro *genere* ponendum est *humano generi*, & quæ &c. Numerus quoque ibi corrigendus ut sit 220 pro 210. Non longè à fine erratorum ponendum *Sabbathoth* pro *Sabbatnoth*. De consuetudine Parisiensi jam bis scripsi neminem esse qui quicquam

quam audierit de illo discrimine, penes institutum, an penes alium reperta sit charta. Imò plerunque institutis eas servandas committi. Id omnes uno ore testantur. Princeps Elector captivus manet. Vale cum parentibus, uxore, liberis, amicis. 10 Martii 1640.

Si ita aut delicatus aut anxius est D. Vossius, vereor ne in illas ad Decalogum plura inveniat non planè ad palatum, eoque magis quod ea tractatio ad argumentum, quo de scribit propiùs accedat. De Lucano autem & poëmatis quid erit, & an Tacitus cum Notis alicubi recuditur? Hæc ubi scripseram accipio à Corcellio totam editionem περὶ Ἀντιχρίστου satis nitidam, quanquam parvis literis. Restat ut distrahatur liber & eruditorum advocata à nobis judicia intelligamus. Errata præter ea quæ misi antehac in sequentibus hæc notavi p. 19. l. 23. Σίμων@. p. 26. linea ultima [illegible], id est, ponendum Mem pro he. p. 41. lin. 15. xx. C. p. 45. lin. 30. S. nempe ut majuscula satis litera Latinis scribitur. Adde p. 13. lin. 6. Iosephum. p. 25. lin. 18. Christo. p. 32. l. 13. [illegible] p. 48. lin. 29. Act. XVIII. 2. pag. 50. lin. 15. concessa. p. 53. lin. 11. dividetur. Sunt & minora quæ nihil opus erit annotari: sed si altera instituatur aliquando editio debebunt corrigi. p. 17. lin. 20. Delendum punctum post *turpundinis*. ib. lin. 31. post *Augustinus* coli nota pro puncto. p. 21. lin. 57. comma post *servari*, non post *Euangelium*. lin. 34. Nota interrogationis post *ediderunt*. p. 32. lin. 24. *sed* nempe minuscula. p. 40. lin. 32. *de* nempe D minusculo. p. 44. lin. 32. Græca. p. 53. lin. 28. Post *Vandalis* puncti nota. Etiam in p. 45. ΟΥΑΠΙΟΣ majusculis scribi debuit. Putem & rectiùs facturos fuisse Blavios si nomen suum omitterent, ut quàm minimo cum præjudicio legeretur liber. Velim autem quamprimùm exempla in Angliam mitti & huc quædam. In primis pagellis nescio an hoc annotaverim. p. 8. l. 8. ἰδὼν ϗ ἀγνοῶν. lin. 20. καί τινας lin. 21. εὐδαιμονίαν. Miror me in Catalogo librorum editorum in Belgica anno 1639. invenire Lucanum quasi nunc editum cum Notarum mearum parte nunc primùm prodeunte. At ea pars jam diu est quod tibi dicata exiit cur decipiunt lectores? Et cur non potiùs quod levi impendio fieri poterat, Notas, ut volui, recudunt? quæ hæc est impostura? Velim scire quot exempla edita sint τ περὶ Ἀντιχρίστου. Deinde qua forma Blavii parent edere annotata ad Novum Testamentum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

486 Accepi literas tuas datas 5 Martii, ego jam pagellas de Antichristo acceperam. Quo magis miror ad te nondum eas pervenisse. Ac sicut veritas factioso hoc tempore multos inimicos habet, metuo, ne cum abortiva non processerint, partus strangaletur: quod ne fiat & te & si qui verum amant obnixè rogo. Statim in tabernis prostet, mittatur & huc & in Angliam, judicia audiamus. De erratis scripsi antehac. Nunc exactissimum tibi Indiculum mitto quem vel meis impendiis excudi, addique velim exemplis, saltem iis quæ amicis dabuntur. Feci ego jam idem in erratis de Veritate Religionis Christianæ. Nam quia nova in erratis errata erant, pagellæ quædam malè indicatæ, quædam à me prætermissa, congeriem emendandorum alteram feci excudi, quam rogo addas iis exemplis quæ primo tempore ad te pervenient à Treselio. Poterit hæc pagella supponi ei quæ errata continens libro cohæret, & cum præcedentibus paginis conglutinari. Liber is hic bene excipitur. Quidam vir nobilis & novam adornat versionem. De Anthologia nostra adhuc hæreo, dandane & illa Blaviis, ut excudant ubi & an notata ad N.T. & de Iure belli ac pacis, post ista minora, absolverint, an utendum mihi eorum opera qui hic se offerunt. Vtrubicunque autem edetur, cupio edi ea forma qua Stobæana & non dissimilibus typis. Addi autem Indices Titulorum in Alphabetum digestorum, Poëtarum assignatis locis ubi cujusque epigrammata reperiantur, eorum ad quos vel de quibus scripta sunt epigrammata, alium geographicum in quo sint terrarum, urbium, montium, pontium, fontium, fluminum, Palatiorum, balneorum nomina: præterea alium in quo sint historiæ omnes & philosophica, additis interdum & aliorum auctorum locis ubi eadem inveniuntur, ad quam rem valde utilia esse possunt quæ ad hæc epigrammata attulit Brodæus vir sanè doctus. Hæc Indicum accessio opus faciet & spectabile & lecturis perutile. Continet enim & Græciæ & Imperii Romani res omnes nobiles plusquam per annos mille, ut in præfatione ostendi, quæ & ipsa lucem & commendationem adferet operi. De Ophir Barrerium vidi. Tamen rogo & alios consulas illorum locorum gnaros, exploresque an Barrerio consentiant, aut aliquid adferant probabilius, præsertim de Africa. Pro pace communi vota facio cum omni Galliæ populo. Et Suedia exhausta hominibus & vincendo quoque attrita respirare desiderat. Inter Galliæ Angliæque Reges amicitiam nonnihil læsam restituere laborant hic multi. Neque falluntur qui ea in re meas partes non postremas putant. Sed utrinque mirè obstinatus est animus, Anglis blandiri nolentibus, Gallis autem ferocioribus quàm ut minis adacti quicquam faciant. Cùm Legatus Angliæ nihil nobis in hac re consilii dare possit, tacere jussus quamdiu Elector erit in captivitate, exspecto ecquid faciendum putet Regina Bohemiæ, id ipsum diligenter secuturus. Literæ Reginæ nostræ minaces sanè non sunt; sed promtum animum ad sublevandum Electorem satis demonstrant: neque ego quicquam prætermisi quod Regis misericordiam erga afflictam Domum excitare possit. De trapezitico fœnore librum videbimus. Cæterùm in mutuo id agi ut dominium transeat quomodo negari possit non video. Neque enim ex mutuo datur vindicatio. Potest quidem idem reddi, sed hoc præter propositum est contrahentium. Alioqui commodatum esset. In aliis autem contractibus si res perierit succedit æstimatio, sed in subsidium, non quod id principaliter actum sit. At non putatur inter modos acquirendi dominii mutuum: sed nec solutio quæ tamen pecuniæ dominium transfert. Causa est, quod hæc commodiùs in contractibus dicuntur. Alienari non possunt res Ecclesiæ, nempe res soli & donaria. Sed nimis diu te à foro detineo. Deus te cum Parentibus, uxore, liberis servet. Lutetiæ 17 Martii 1640.

Spargitur hic libellus maledicentissimus contra Cardinalem, tanquam schisma à Sede Romana molientem. Objicitur illi inter cætera quod Veritatem Christianam sinat doceri ab iis qui in Ecclesia non sunt. Virorum doctissimorum hic & Senatorum & aliorum favens de libro nostro pro Veritate Religionis Christianæ judicium, & adsecuta Regia auctoritas efficient puto ut Voetium pudeat eum librum habere pro Mahumetistico aut Sociniano. Velim scire cujas & cujus eruditionis sit ille Cyprianus Reineri, de quo scribis. Annotata nostra ad Novum Testamentum ubi edentur velim primam probaturam paginarum deferri Corcellio, ultimam Vossiis qui operam suam ultro offerunt. Si quis horum aberit, aut impeditus erit, putem succedere posse Corvinum qui & ipse se obtulit. Cogita quæso, quid expediat nobis & publico. Multis de causis expeto ut mearum omnium editio properetur quantum fieri poterit.

1638. *Tibi obligatissimus Frater* H. G.

EIDEM.

Frater Carissime,

Illa de Antichristo prodiisse gaudeo. Spero & prostare. Piorum & eruditorum judicia exspectabimus cum 487
tempore. Tempore enim opus ut eluantur tanta conspiratio-

ratione inustæ animis opiniones. Ego verò ficut de posteritate omnia spero optima, ita hoc ipso sæculo non futurum inanem meum laborem jam ex colloquiis etiam inter Ministros Reformatos eruditissimorum reipsa experior. Audendum aliquid est pro veritate contra factiones. Illa de Fide & operibus non utilia tantùm & optimæ ætati Christianorum planè consentientia, sed ad evellendos errores vitiis faventes necessaria esse judico. Gaudebo igitur ubi & illa prodiisse intelligam, sequantur deinde illa ad Decalogum. Non recusabo etiam post editionem admoneri de Sacris Literis & veterum consensu, siquid admonendus videor. Cæterùm ἐμοὶ εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν ἵνα ἀνακριθῶ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας. Nihil magis Principes Christianos in sævitiam impulit quàm maledicta ista de Antichristo, de abnegatione Meriti Christi, de idololatria. Quare etiam atque etiam videndum est an ea quæ dicta sunt rectè se habeant. Nisi id fiat, quæ spes restituendæ unitatis Ecclesiasticæ, quam Christus imperat, quam in Symbolo profitemur? Absit à me ut in tam pio proposito odia curem. Quis unquam id metuens adulta vitia sanavit? Sunt in Ecclesia illa quæ Romana dicitur qui labuntur, at non omnes, nec ex iis generaliter receptorum dogmatum, ne eorum quidem quæ sunt in Synodo Tridentina. Siquid est de quo dubites, conferam libentissimè meas rationes cum tuis aut aliorum. Sed à Protestantibus hac quoque in parte modum excedi certus sum, nam dum accusare Pontificios volunt, accusant omnem Ecclesiam Græcam, Latinam, Syriacam, Arabicam, Ægyptiacam tot sæculorum, atque ita per imprudentiam instruunt armantque ultro adversarios suos. Ne igitur confundamus quæ distinxit Antiquitas: ne revellamus veteres terminos. De Zenonis effigie putaram eventurum quod evenit. Editum aliquid tale olim à Slatio, sed partim cum erroribus in historia, partim cum nimia verborum asperitate. Et quædam hic accessere, minimè spernenda. Si edi posset Hamburgi aut Lubecæ vellem, si non, ad nos redeat. De Notis ad Lucanum & Poëmatis novis, facies quod poteris. De Tacito fac moneat paratæ sunt & istæ Notæ. Da veniam quod toties tibi molestus sum. Sed in hoc me solor quod dum me juvas & publico prodes. Vale Frater optime. 24 Martii 1640.

Saluta quæso parentes, uxorem tuam, liberos & amicos. Spero futurum ut exempla quædam habeam trium scriptorum ἀνωνύμων suo ordine. Imagines Lutherani habent & multa loca Angliæ. Non esse idololatricum velle juvari Apostolorum & martyrum precibus & Episcopus Montacutius & alii dixere. Paranda sunt omnia ad placidum colloquium quod, non sine fructu, futurum spero, ubi hæc bella deflagraverint. Nam in Pontificis potestate limitibus includenda Hispani & Galli consentirent. Caveamus nos ne Pontifici plures demus socios quàm oportet. Vide si placet quæ in Anglia scripsit ex consensu sæculorum & gentium M. Antonius de Dominis tum super honore moderato sanctorum, tum super usu imaginum. Ego quidem illas Ecclesias tutius facere puto quæ imaginibus carent: & hominum cor laudo qui sine ambitu preces sanctas ad Deum aut Christum mittunt, neque tamen alios qui Angelorum aut Sanctorum ope sperant se posse adjuvari condemnant aut irrident: Sed cogita, an fœdissimo crimine damnari à me debuerit Græca Ecclesia, cujus communionem Lutherani & Reformati non semel expectiverunt. Ajunt Genevenses omnia morte punienda quæ lex Mosis morte punit. Ea autem morte punit omnes idololatras. Genevenses iidem Pontificiis omnes pro talibus habent. Hinc vide quid sequatur, si vires adsint. Pagella quam misi erratorum in libris de Veritate Religionis Christianæ excisa pagella quæ minùs exacta est in libris, aut glutine jungi, aut etiam cum modica plicatura affigi in locum illum poterit. Spero enim libri jam ad te venerint, quos distribuas rogo. Liber is multum hic emitur, pretium est sesquiflorenus incompacti. Fuit apud me Bignonus Advocatus Regius. Adfirmat, ut certissimum Testamenta ὁλόγραφα pleraque apud institutum relinqui. Habere autem ὁλόγραφα etiam sic reperta hoc præcipuum præ cæteris Testamentis, quod de suggestione, ea exceptio Galliæ propria est, accusari non possunt.

EIDEM.

Frater optime,

Nihil nunc literarum abs te habui, cùm eas exspectarem vel maximè. Sed tu quoque meas postremas fortè non acceperis, incluseram enim eas fasciculo misso ad uxorem, quæ nescio an jam ad vos venerit nec ne. In iis respondebam de odio Protestantium: me scilicet in honestissimo proposito minuendi maledicta & nimios animorum fervores, ut concordiæ præparentur Christiani, odia non morari, quæ tamen nec tam erunt multorum, nec tam diuturna quàm nonnulli putent. Reipsa enim experior ex doctissimis Reformatorum ubi cum eis colloquor, measque super illis rebus sententias explico, mecum eos sentire. Quod quotidie fiet magis & magis, modò spargi possint quàm latissimè isti libelli ἀνώνυμοι. In quibus liquidò affirmare possem nihil me dedisse partibus, veritati autem omnia quæ potui. Spero igitur jam in manibus esse primum libellum, mittique in Gallias & Angliam, & ad me exemplaria quædam: unum enim duntaxat habui. Eodemque deinde modo processuros alteros & perventuros ad me. Moras omnes abrumpi eò magis velim, ne tempus detur contra moliendi inimicis veri, aut meis, aut etiam Blaviorum, inter quos est Cramoisiacus, infensus eis quod prælati sint ipsi in edendis nostris de Iure belli ac pacis. Rogo & te & eos qui liberi à studiis partium vero ac paci favent, ut in honestissimo desiderio mihi sitis adjutores, animumque addatis ad perficienda cætera in quibus laboro. Si satis esset exemplarium de veritate Religionis Christianæ velim dari & Corcellio. Sed vereor ne sufficiant quæ misi. Vossii filiis non parum debeo. Compacta dari rectius erit, nec gravis impensa si exemplar unum aut alterum desideretur, poteris ex eis quæ librarius mittet, pro me emere & dare amicis, inter eos Barlæo. Dedi hodie filio meo hinc discedenti ad castra mea poëmata sacra in quarto. Velim aliud exemplar in quarto per amicum siquis se offert: alioqui in illa minore forma ad me mitti vel per tabellarium. Quæ enim habui omnia dedi petentibus, ut bonum commune. Deus te, Parentes, conjugem tuam liberosque & amicos servet & sospitet. Lutetiæ 31 Martii 1640. 488

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Mitto per viam & Rhotomagi & maris exempla Libri nostri de Veritate Religionis Christianæ, cum non inutili accessione. Rogo ut tibi sumas unum, patri quoque des à quo non vitam tantùm, Deo sic volente, habeo, sed & multa quæ hic apparent: deinde proximis: præterea Heinsio & Salmasio & Beaumontio, & Vienbogardo: Vossio quoque & siquid supererit exemplum liberis ejus ac Wycfortio. Vale Frater optime. Lutetiæ 5 Aprilis 1640. 489

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Carissime,

Poterit fortè Dominus Salmasius ostendere interdum sigma, sic scriptum Σ, valuisse pro ducentis: sed & scriptum aliter nempe C aut S valuisse pro senario, negare non potest, cùm ipsius habeam ea de re literas. Locus apud Gruterum primus mihi indicium fecit. Ipse postea me monuit de Canone Hippolyti. Accessit testimonium 490

manu-

manuscripti Ptolemæi. Et cùm in nominibus per numeros notandis aliqua esse debuerit senarii nota, quæro quæ fuerit, si non illa. Tum verò ait Irenæus hunc numerum in codicibus scriptum per notas fuisse. Ergo sic χξς. Si ibi ς est sex, cur non ς in nomine valeat sex? Præterea non est quod Apostolos nobis figuremus tam anxios Grammaticos quàm sunt Lugdunenses. Videbant ς scribi pro sex. Nihil mirum si & in nominibus ejusdem figuram repertam eodem modo sumsere. Contradictores autem adeo ego non metuo ut si possum ultro eos sim excitaturus. Si qua in re libera esse debet sententia, certè in vaticiniis, præsertim cùm jam Protestantium libri prodierint ferme centum (in his octoginta in Anglia sola, ut mihi Legati Anglici dixere) super illis rebus, inter se plurima discordes. αἰσχρὸν σιωπᾶν, αἰωνίτης δ' ἐᾶν λέγειν. Quod me auctorem fama destinat, eo non moveor. Erit tanto liber vendibilior. Sed planè scire cupio an ubique prostent libri, an in Galliam Angliamque mittantur, quod ni fit, nihil ego meorum tradi Blaviis volo. Quæro librarium qui mihi pareat, non qui me nolente de meo gratificetur aliis. Nam quin inimici & in speciem amici operam daturi sint ut opprimatur hic fœtus, non est dubitandum; eoque magis pro eo servando, fovendo, vegetando & me & eos qui me bona fide amant laborare par est. Ego illorum sententias qui seditione & armis Religionem volunt tutari ac propagare nunquam Orthodoxas putabo. Molinæi & Schotti libros aveo videre. Et presbyterorum quibus non subsum, censuras adeò non metuo, ut etiam sperem ex iis ridendi materiam. Dixit mihi hodie D. Bignonus nihil meliùs facere potuisse D. Salmasium, quàm si id filum secutus esset quod ego ei de usuris ad eum scribens prædixeram. Cum isto librario qui vetera mea poëmata me nolente edidit, nihil mihi est negotii. Fecit quod mali erat exempli. Alium quære quem voles. Fac sciam an Elzevirii in editione ad Tacitum Notas sint addituri Lipsii & aliorum: meæ enim solæ edi non debent cùm sint racemationes tantùm post aliorum vindemias. Curate ut omnia ista ἀνώνυμα simul excusa erunt, prodeant. Ni id fit, moneat, ut sciam quid facto sit opus. Patri opto valetudinem minùs incommodam, ut & matri, pro quibus seriò Deum precor, nunquam satis dignas acturus gratias pro optima institutione præsertim circa pietatem. Nostra de Veritate Religionis Christianæ spero jam acceperis. Apologetica & de Pelagianis dogmatibus non mittam, quia nec mihi data sunt exemplaria factaque est meo permissu magis quàm jussu editio. Vossius ingenio est timidiore. Fortè & ab Aula spes ei dantur pro liberis ejus. Cæterùm Archiepiscopum, cui plurima debet, non offendet, si Pontifici, nec omnia largiatur, nec eum supra jus ac verum irritet, ac sic, quod nimis multi faciunt, spem omnem concordiæ abrumpat. Quingenta tantùm excusa esse περὶ Ἀντιχρίστου & miror & doleo. Eaque res suspicionem mihi movit id agi, ne legatur is liber. Facilè enim tam leve damnum librario à potentibus resarciri potest. Quod si id videtis, ne me patiamini ignarum. Vt quæ ad Euangelia annotavimus edantur in folio mihi perplacet, nisi vos mavultis in quarto id fieri, duplici volumine. Sed hoc totum tui esto arbitrii. Smoutium video sui esse similem. Quæso aliquoties aliquid de ipsius eloquentia ad nos transvolet, ut sit quo diluamus nimis seria. Vale, Frater optime, cum Parentibus, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ pridie natalis mei. Pascha enim pro Natali ut scis observo. 8 Aprilis 1640.

Treselius jam ad me venit Rhotomago, qui dicit nondum potuisse mitti exemplaria de Veritate Religionis Christianæ. Missurum se simul naves advenerint. Rogo disertè norim an publicè prostent & quò oportet mittantur illa περὶ Ἀντιχρίστου primùm; deinde & de fide & operibus. Nolim enim falsis imaginibus ludi. Nec de libris nomen prælaturis quicquam constituite antequam id norim. Hac de re fac verum sciam. Fratri scribo: & an exemplum habeat Iohnsonus & quid judicet. Nassius quem nunc multi sequentur numerum 666 esse ait hoc χξς & ξ sumit pro ϛ cum breviaturæ nota tali ϛ quali Pontificios uti ait. Quid stultius. Plurimi tamen hoc sequuntur. Alii dicunt esse Λαῦνος corrupta scriptione librariorum pro Λατεῖνος. Quid jam dicam de contumelia in Apostolorum principem, cùm *illud Mysterium iniquitatis jam nunc operatur*, in Petrum detorquent. Vides quanto probabiliora sint quæ nos diximus? Quàm pulchrè omnia cohæreant? Ego certè pro his cogitatis Deo, sine cujus numine nunquam ista in mentem mihi venissent, summas ago gratias: obligatumque me sentio ne quid omittam, ut hæc publico prosint: tum veri causa pro se, tum quia pertinent ad sedandos animos & amabili concordiæ præparandos. Audio insidias factas vitæ Salmasii; qua de re si quid noris fac sciam. Velim calamo corrigi errata, saltem graviora, in illis περὶ Ἀντιχρίστου; sunt enim quæ sensum turbant aut minuunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater carissime,

Plurimum tibi debeo pro perpetua cura rerum mearum, quam & epistola secundo Aprilis scripta abundè ostendit. Nondum satis intelligo an prostent in tabernis illa περὶ Ἀντιχρίστου: an mittantur in Galliam & in Angliam, & an ad me saltem exempla XII. Hæc nisi fiant & de ipso libello & de sequentibus, nolim posthac meorum quicquam Blaviis committere. In illis περὶ Ἀντιχρίστου paucula adhuc errata reperi quæ mitto. Mitto & partem epistolæ Salmasii de nota senarii & præter quæ nuper hac super re in literis ad te disserui, addo, cùm videret Apostolus signa in fine numerorum significare ἐξάδα, rectè idem eum secutum & in nominum fine. Et noster mos ponendi tale sigma in fine nominum quale pro nota senarii usurpamus, unde nisi ab antiquitate? Quis enim reperit? Quis instituit mutare? At alii etiam in fine sigma pro ducentis accepere minùs rectè. Nostra de Veritate Religionis Christianæ, ut quamprimùm ad nos perveniant, commendavi curam Treselio. Formam & characteres Annotatorum ad Novum Fœdus (modò in prioribus promissa Blavii impleant) vestro permittam arbitratui. De Anthologia, si ibi neminem reperis ejus avidum, remitte ad me per uxorem cum Zenone. Ab Anglia ego metuo ne quid infestum Batavis erumpat, si cum Scotus pax coalescat. Nam Legatus Angliæ in Hispania dixit Regem suum ultionem sumturum de contemto littore suo vel post annos 40. Elector Palatinus mihi gratias egit, ego Regi pro ejus libertate. Gaudeo de mutuo nos eadem sentire. Ego ne dubitandum quidem existimo. Vbi nunc iste Cyprianus? Ad meum propositum pacis quærendæ aut certè viæ ad eam struendæ quod attinet, firmus in eo maneo. Opus sæpe est luctari contra alveum, nec ego solus hoc stadium curro. Cucurrit Erasmus, Cassander, Vecelius, Casaubonus: currit nunc Mileterius. Ipse Cardinalis profitetur se ejus negotii tutorem, homo ita felix, ut nihil unquam susceperit, quod non effecerit. Veronius ipse Reformatis infestus antehac ita explicat dogma περὶ μετουσιώσεως, & alia ut non modò incommodi nihil habeant, sed & utilitatis multum. Liber meus de Veritate Religionis Christianæ in quo multa sunt eò spectantia, valde benignè exceptus & à Cardinali virisque principibus, & Regia auctoritate munitus prodiit. Adde jam quod Hispani & Galli exemplo Veneti, Ethruscus, etiam Luca, terminos figunt Pontificiæ potestati: quod Græci, quod Armenii, quod Maronitæ à Romana Ecclesia ad communionem recipiuntur, ita ut suos ritus retineant, nonne hæc aliquam spem dare nobis debent? Et quid si spes nunc nulla sit, non-

nonne etiam futuris ætatibus arbores ſerere debemus? Præterea cùm præceptum à Chriſto habeamus omni modo, qui Deum non offendat, procurandæ unitatis Eccleſiaſticæ, etiam in ſacramentis communibus, nonne noſtrum eſt etiam contra ſpem operari, & dicere, τῶν ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός; quod ſi nihil obtineamus, aliud quàm ut minuamus odia ex maledictis nata, & paullò leniores magisque inter ſe ſociabiles faciamus Chriſtianos, nonne hoc & labore aliquo & offenſis quorundam emendum eſt? Verùm ego ubi libelli noſtri prodierint, lubens admodum intelligam quæ ſint de iis judicia hominum qui in diverſis partibus ſtudiisque verſantur, atque etiam eorum qui vero & æquo magis quàm partibus ſtudent. De Tacito, ut ſcripſi nuper, ſcire cupiam an & Lipſii aliorumque notas addituri ſint librarii. Tunc honeſtè mea ut παραλειπόμενα poſſint accedere. Quærendæ vobis undecunque ſcripturæ Berkelii, maximè noviſſimæ, in eo enim jam, ni fallor, cardo vertitur; juris enim quæſtio ſatis expedita eſt; & quod Bignonius dixit, dicunt idem omnes. De Rotterodamenſibus ſeriò cogitabo ubi uxor hic venerit. Camerlingio viro bono velim ſuccedat æquè bonus & actioſior paulò. Sed Delphenſes noſtri videant ne ovem lupo committant. Dolent de patre quæ ſcribis. Etiam leve incommodum, grave in iſta ætate eſt:

σμικρὰ γεραιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.

Deum precemur ut Parentibus noſtris ipſe propitius ſit Parens. 14 Aprilis 1640.

Scripſit ad me de Diderico uxor. Ego proceſſus illi nusquam meliores ſpero quàm apud Suedos, quibus & ego, quanquam in alio vitæ genere, milito. Oſtendi ipſi tuti itineris rationem. Et commendatio à me apud M. Cancellarium ei non deerit. Salutes rogo D. Mimpium meo nomine, eique ut rerum patriæ perito & amanti patriæ dicas me reperiſſe in ſcriptore Arabe qui fuit ante annos quingentos mentionem Graveſandæ unde tunc in Britanniam navigabatur, item Texelæ, Goederedæ, Scaldiæ inſulæ & Walachriæ. Ego, mi Frater, jam annum implevi quinquageſimum & octavum, Patrem adhuc tanto ſeniorem viventem habeo. Tamen ætas iſta, etiamſi ante fuiſſem minùs ſollicitus, ſpectare me fecit ad metam. Rogo ne in rebus Dei quicquam ſpectare me putes aliud quàm Deum & quæ proximè Deum nobis commendata eſt curam τῶν πέλας: cujus magna pars eſt unitas Eccleſiæ, non caritatis modò conſervatrix, ſed & veri, quod multò meliùs in iſta compage per totum univerſum habitabile diffuſa cuſtoditur, quàm in particulis &, ut nunc fit, particularum particulis. Ego & aliis ſuas voluptates in favendis & fovendis partibus, in quibus regnent ſinguli, relinquo. Sed non me præterit quàm parum iſtæ partitiones & tot novæ Eccleſiæ veram pietatem promoverint. Faciamus ſeriò quod noſtri eſt officii. Et Deo relinquamus τοὺς χρόνους ἢ καιροὺς τεθέντας ἐν τῇ αὐτοῦ ἐξουσίᾳ. Ego autem me exiſtimo in hoc aſylo Legationis à Deo collocatum, ut ipſius Veritati & concordiæ, dum vivo, inſerviam. Eſt hic nobilis quidam qui vertit librum de Veritate Chriſtianæ Religionis in Gallicum ſermonem, quanquam à me monitus ab alio jam verſum eſſe in ſermonem eundem. Impedire eum non potui. Sed Corcellius rectè facturus eſt, ſi ſtatim ut acceperit exemplar, vertat & Annotationes; ita ipſius verſio altera fiet vendibilior. Hac de re certiorem eum fieri non abs re erit. Si quid de Schmalcio intelligis, fac ſciam quæſo.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Chariſſime,

492 NVlla de libro περὶ Ἀντιχρίστου judicia audire Vtenbogardum, non mirum eſt, ſi liber non proſtat, quod ſuſpicor. Si ita eſt velim ſcire per quem id fiat. Mea fuerat voluntas ne ſecundus libellus daretur niſi proſtante primo: nec tertius niſi ſecundo. Si id minùs curatum fiat, nunc ſaltem nihil Blaviis detur rerum mearum, niſi tria illa proſtent ubique, mittanturque in Gallum & Angliam, & ad me. Pro patre matreque ſerias & aſſiduas ad Deum preces fundo: gratiasque ago quod mei Natalis more ſolito memores fuerint. Golius quid dicere velit de Latino numero, non intelligo. Is motus terræ de quo ſcribis in omnibus Belgicæ & Galliæ locis ad Moſam pertinentibus ſentiri ſe fecit. In Tigurino agro infans natus eſt biceps quaternis manibus ac pedibus. In Bernati arator intra terram carnem reperit ſanguine ſtillantem. Princeps Arauſionenſis ſi pergit eum vexare podagra, poterit lectica deferri ad exercitum. Caput eſt quod imperat, non pedes. Vale cum Parentibus, uxore, liberis, mi Frater. 21 Aprilis 1640.

Petrum noſtrum multum curſitare intelligo. Diſcere Italicum ſermonem, ea non diſcere quæ opus eſt. Hac via neque mihi placebit, neque ſibi ipſi erit utilis. Ego videro quid faciendum ſit. Mittit ad me vir doctiſſimus Bulialdus hæc pertinentia ad illud Οὔλαμος. In tabulis Aſtronomicis Cl. Ptolemæi, in ejus ſyntaxi mathematica quæ manuſcripta exſtat majuſculis characteribus in Biblioteca Regis Chriſtianiſſimi, hi numeri 26. 36. 46. 6. iſtis ἐπισήμοις expreſſi leguntur Κϛ 26. Λϛ. 36. Μϛ. & ϛ 6. Haud dubiè Iohannes Græcè ſcribens Græcas literas reſpexit non Latinas. Si Latinas reſpexiſſet triumpharet Fenardentium qui Latinis literis Græcorum more ad numeros redactis ait *Martin Lauter* facere 666. Cogor idem ſæpe repetere meo cum tædio. Niſi Blavii planè in tribus illis ſcriptis meam ſequantur voluntatem, nihil aliud dicam quàm dolere me, non invenire me homines fidos: præterea velle me ut ſi id eſt, redeant ad me Annotata ad N. T. Annotata ad Ius belli ac pacis & Hiſtorica per uxorem. Ego domi meæ quod opus eſt fecero, & tandem conſequar quod volo & æquum eſt.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Chariſſime,

TVæ fidei has literas meas ad duos filios meos committo, & ut hactenus, omnia negotia mea, præſertim literaria, ſi modo tibi oneri non erunt. Velim ad me ſcribas, an ita, ut conventum fuit, proſtent τὰ ἀνώνυμα: quæ de iis ſint piè eruditorum & pacem amantium judicia. Vbi iſta novero, de forma qua edenda ſint noſtra ad Novum Fœdus, velim conſtituas aliquid de D. Voſſii conſilio. Quamdiu victurus ſim incertus (nemo mihi ætatem promiſit ad quam pervênit Pater) volo quæ mihi Deus tribuit, retribuere poſteritati. Is mihi teſtis me ſine partium ſtudio optima velle Chriſtianitati. 28 Aprilis 1640. 493

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

ETiam atque etiam te rogo, mi Frater, ut norim an 494
proſtent ubique & in Galliam Angliamque miſſa ſint illa περὶ Ἀντιχρίστου, item περὶ πίστεως καὶ ἔργων. tum verò quo loco ſint τὰ περὶ τοῦ δεκαλόγου. Ego in propoſito perſto, perſtiturus etiamſi certus eſſem nullum me laboris hujus fructum eſſe conſpecturum:

nunquam ſucceſſu creſcit honeſtum.

Præterea, non ſi malè nunc & olim ſic erit. Veniet haud dubiè tempus quo feſſi contentionum animi pacis Eccleſiaſticæ vias quærant. Seramus arbores illis hominibus profuturas. A s'Graveſanda Hollandiæ noli dubitare quin nomen habeat illa Anglicana, nemque quod ibi nautæ clamare ſolerent s'Graveſandam, s'Graveſandam. De Voogdio doleo. Sed quid mirum tales edi partus ex dogmate de adipiſcenda ſine operibus ſalute

salute? Notæ meæ ad Tacitum tenuiores mihi videntur, quàm ut solæ compareant. Mitto tamen, ut tuo utaris arbitratu. Pro patre Deum seriis & assiduis precibus oro: item pro matre, te, uxoribus liberisque nostris. Lutetiæ 5 Maji 1640.

De Diderico nunquam ego castra Milandriana Banerianis prætuli, sed si induci nullo modo possit, ut ad Baneriana iret, prætuli Milandriana Batavicis. Nunc autem non ei Hamburgum, sed Cassellam ubi aut Banerius ipse erit, aut missi à Banerio & ad Banerium ituri. Ajunt qui norunt amici pertutum esse iter. Vt ante sæpius scripsi, nolo quicquam meorum dari Blaviis, nisi prius tria ἀνώνυμα ubique prostent & in omnes oras atque etiam ad nos mittantur. Ad Annotata in Euangelium addo quædam ex vetustissimo Angliæ manuscripto, quæ brevi mittam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

495 MItto ad te literas ad patrem, ad D. Vtenbogardum, ad D. Vossium. Quas legas deinde tradas aut mittas rogo. Habes hic etiam quæ adjicienda judico ad Annotata nostra in Euangelia, pleraque ex manuscripto vetere Anglicano. Ea ad librum nostrum Vossiorum aliquis asscribere poterit. Rogo te ut quàm plurima poteris de judiciis hominum super tribus scriptis ἀνωνύμοις ad me perscribas. Me adeo ipsius consilii non pænitet, ut Deo gratias agam summas quod ad hæc & alia his similia edenda vitam mihi produxerit. Spero autem te amicosque meos alios curaturos, tum ut edita spargantur quàm latissimè, tum ut quæ restant, edantur quàm speciocissimè ac quàm emendatissimè. Ista bicolumnia & ipsi typi, quos misit mihi Petrus, mihi non probantur. Heribertus Bellimontius cujus Bellimontii sit filius, scire cupiam. De felici ad Brasiliam prælio, grata sunt quæ nuntias. Principi Arausionensi valetudinem bonam opto. In Italia Harcurtius audaci consilio profectus ad hostium castra, cæsis fermè duobus millibus ab obsidione Casalis eos depulit: Ita sanè creditum est, at nunc de eo dubitari incipit. Lamilleraius Charlemontium cœpit obsidere. Controversiæ inter Pontificem & Gallos nondum sedatæ sunt; sed videntur finem acceptturæ revocatis Legato & Nuntio. Filii minimi nostri profectionem in Hassiam probo. Reperiet ibi Banerianos. Rogo eum bonis consiliis juves. Quod me ut faciam hortaris, ut Christianæ Reipublicæ omni modo prosim, in eo totus sum, eò tendunt vota, eò labores mei. Vale mi Frater, nos ama ut facis, teque ac tuos vicissim à nobis amari certus esto. Lutetiæ 12 Maji 1640.

Spero filius Petrus exemplar Annotationum ad Euangelia reliquerit in D. Vossii potestate. Fac sciam an & illa ad Decalogum sicut oportet distrahantur. Alioqui nihil dari Blaviis volo. Dissertationis de Cœna exempla duo ad me mitti velim.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

JOANNI GROTIO,
Consiliario Comitum Hohenlo.

Pater optime,

496 QVod maximè mei fuerat officii, ut summa tua per omnem ætatem meam in me beneficia non animo tantùm, sed & factis agnoscerem, tibique in hac ingravescente senectute ea præstarem solatia, quæ quàm sint suavia, ipse ego jam tamdiu pater, experiendo didici, hoc ipsum nobis eripuit temporum, in quæ incidi, infelicitas. Cæterùm precibus piisque votis, mi Pater, nunquam abs te absum. Spero quoque te malorum tuorum aliquod sentire levamentum, cùm me cogitas, mira Dei benignitate, collocatum in loco illustriore, quàm quem unquam salvus à salva patria exspectare potuissem: gratum Reginæ Rectoribusque Suediæ, gratum Regi Christianissimo ac ejus Summatibus Ministris. Sunt hæc omnia Pater, secundùm Deum, tui in me operis fructus: neque hæc tantùm, sed & quæ quoditie molior pro Veritate salutari ac pace Christianorum, non sine spe futurum ut bonum aliquando ejus laboris proventum videam aut prævideam. Aliquando, inquam: nam & hic verum illud Taciti, scelera impetu, bona consilia mora valescere. Elucescet aliquando illa dies, cujus jam nunc aurora conspiciendam se præbet. Multi enim utriusque partis viri magni, docti, pii, agnoscere incipiunt quantum sit peccatum, hinc vitia conspicua non corrigendo, inde dogmata procudendo nova, acerbè accusando vetera & nullius rei nisi boni interpretis egentia. Hoc pulcherrimum consilium cujus semina abs te hausi, precibus tuis ut Deo commendes rogo. Lutetiæ 12 Maji 1640.

Tibi obedientissimus filius H. G.

GVILIELMO GROTIO,
Jurisconsulto.

Mi Frater,

MIror nullas me hoc tempore abs te accepisse literas, 497
ac ne à Petro quidem, cùm plurimùm desiderem scire an & Decalogi explicatio prostet: tum an trium libellorum exempla mittantur in regiones exteras, maximè in Galliam & Angliam & ad me. Si librarii ista mea in rebus meis sequuntur arbitria, stantque conventis, ego fidem præstabo. Si qua in parte inde abeunt, nihil illic meorum tradi, nihil mihi cum illis volo esse negotii. Incertus ego quantum mihi vitæ supersit, omnino exstare volo testimonia sententiarum mearum super iis quæ Christianum Orbem tam graviter concutiunt. Quod verum quodque utile censeo, promere volo, non favores sectans, non odia metuens. Quare rogo, me de his edoceas. Æquum est pareri mihi in rebus meis. De forma qua edenda sint quæ ad Euangelia annotavimus scripsi nuper...... Multum hic gaudetur ob felix prælium Harcurtii in Hispanos, quorum quinque millia periisse dicuntur: dissipatus exercitus: Casale liberatum. At in Belgico sine ob imbres continuos & corrupta itinera tardiùs proceditur. Vale, mi Frater. 19 Maji 1640.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

QVando Deo visum est, Frater optime, patrem nostrum 498
ex multis malis ad vitam quæ verè vitalis est vocare, nostrum est divinæ voluntati nostram submittere & obsequente animo ferre quod injungitur. Matrem autem nostram in hoc luctu sibi moderari, sanè gaudeo: daboque omnibus modis operam, ut quàm minimùm fieri potest molestum ipsi sit quod restat ætatis. Laudo quod dicis restare, ut nos duo tot circum nos funeribus prope desolati alter alteri simus solatio. Quapropter commercium literarum, semper mihi suave, nunc hoc colam diligentiùs: speroque non ingratam tibi fore pro libris liberisque meis curam. Libros tres ἀνωνύμους prostare multum gaudeo ac gratias eam ob rem ago optimo Deo, quod opera nostra, veritati ac paci dicata, publici juris fieri siverit. Odia providi: sed eo in asylo nos Deus collocavit, ut qui volunt nobis malè, nocere jam ampliùs nequeant. Si qui sunt qui respondere ex adverso volunt, considerabo ecquid sint allaturi melius. Si non adferunt, poterunt hæc tria iterum edi in fine Annotatorum ad

ad Euangelia, quæ ipsa ut nitidè edantur tibi commendo. Item ut exempla τ̃ ἀνωνύμων τριῶν mittantur in Galliam & Angliam: & ad me non pauciora duodenis. Multum enim flagitor: mirorque non pervenisse ad me interim unum saltem exemplum novæ editionis de Antichristo. Spero jam pervenerint ad vos exempla quæ miseram nostri libri pro Veritate Religionis Christianæ cum testimoniis, in quibus unum erat pro D. Vtenbogardo, cui pro præstita Patri nostro ægrotanti opera gratias ago maximas. Funus patris honestè curatum gaudeo. De cæteris quæ mones ad uxorem scribo. Scribam & ad D. Comitem Georgium Fridericum. Didericum gaudeo ire ad Baneriana castra, eique bonam fortunam precor. Rogo & ipsum & Petrum consiliis juves, patrisque & avi impleas vicem. De scriptis ἀνωνύμοις si qua peritorum judicia intelligis, eorum me gnarum facias rogo. Deus nobis omnibus sit favens. Lutetiæ 26 Maji 1640.

Tibi obligatißimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

499 Patris optimi abitus ut nobis non potest non esse tristis, ita tamen memores esse debemus quid rerum arbitro Deo debeamus: quantas Deo gratias agere par sit quod tam bono parente tibi quidem propiùs, mihi autem longiùs, attamen frui licuerit: quod ab illo piæ institutionis acceperimus semina, quæ alere in nobis liberisque nostris debemus. Matri opto placidam quanta restat senectutem. Scriberem ad eam nisi oculis defectam scirem. Quare tu, quæso pro me consolationis opera fungere. A me nihil ei deerit quod mearum sit facultatum. Rogo sæpe de ejus valetudine ad me scribas. Gaudeo prostare omnia nostra ἀνώνυμα, etiam illa ad Decalogum quæ spero non exigui fore usus. Geisterano non improbari nostra gaudeo: gaudeboque intelligere quàm sæpissime judicia de illis scriptis amicorum, inimicorum, mediorum. Possumus enim ex omnibus illis proficere. Sed miror nulla trium scriptorum venisse huc exemplaria; ne quidem unum novæ editionis π͂ὶ Ἀντιχρίστου quod Petrus se missurum dixerat. At nec mittit, nec scribit. Nihil magis opto quàm ut quàm plurimi & quàm eruditissimi ad tria ista scripta dicant quod ipsis videbitur. Conflictus iste dabit lucem, & apparebit quid distent æra lupinis. In illis π͂ὶ Ἀντιχρίστου nihil meæ diligentiæ vendico. Precibus & bonitati in me nihil tale merentem Dei omnia ista debeo. Bicolumnia ista nemini hic placent; dissuadent omnes. Aiunt esse ista typographorum non operis honore consulentium, sed parcentium chartæ. Itaque planè velim una columna editio fiat, & boni relinquantur margines. De typis tibi & D. Vossio committo arbitrium & præparationem operis. Receperis jam addenda. Ego D. Vossii de illis totoque opere judicium exspectabo. Multis amicis promisi exempla trium ἀνωνύμων & nolim mendax haberi. Si typographus aliquid in ea re doli occultat, quærendus aut hic aut alibi alius. Exemplaria si donare vult, emantur pro me. Puto jam ad te venerint nostra de Veritate Religionis Christianæ, additis magno cum lectorum usu testimoniis. Ea per Andelium misisse se scribit Treselius: cum autem Andelium mare transiisse cum Principibus Palatinis, qui non ita dudum est quod hinc discesserunt; & qui jam ut doceor apud vos sunt. Oro te quàm sæpissimè & quàm liberrimè ad me scribas. Puto enim literas benè curari. In mea diligentia nihil desiderabitur. Vale, Frater, cum uxore optima liberisque utriusque nostrum. Deus nos in malis omnibus soletur, ac det vivere εὐσεβῶς, σωφρόνως, δικαίως. Lutetiæ 2 Iunii 1640.

Oro ut omnis adhibeatur opera, quæ exibunt nostra, emendatiora posthac exeant. Philippus Codurius vir Latinè, Græcè & Hebraicè doctissimus Minister Ecclesiæ Nemausensis depositus est per collegas suos, quod justificationem docuisset ex Fide & Operibus. Velim dicas optimo D. Vtenbogardo si apud me velit exigere quod ei restat vitæ, nullum mihi futurum gratiorem hospitem: neque me dubitare quin multum conferre possit ad jacienda pacis Christianæ fundamenta. Jam amici recepere exemplaria de Antichristo aliunde, quæ ego ipsis promiseram. Id doleo, non præstare me posse quod polliceor. Remittas quæso per uxorem Anthologiam si nondum de ea cum quoquam convenisti.

Tibi obligatißimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Miror scribi ex Hollandia per literas satis recentes non prostare explicationem Decalogi. Venerunt huc ad Cramoisiacum & Pellæum exempla duorum libellorum, de Antichristo scilicet, & de Fide & Operibus, non item Decalogi explicatio. Id tamen minus miror, quia dudum est quod missa sunt ista. 500
Filius verò Petrus promiserat se mihi missurum exemplar novæ editionis de Antichristo. At nec misit, nec scripsit, neque etiam me docuit, quod petieram, ubi sint nunc Annotata ad Euangelia. Tum verò ex literis tuis non disco an exempla Veritatis Religionis Christianæ cum Testimoniis ad te pervenerint. Pervenisse oportet, quando dudum est quod isthuc advenere Principes Palatini, cum quibus mare transiit Andelius cui Treselius ista commendaverat. Si pervenerint, fac quæso dentur quibus scripseram. Si non pervenerint, fac sciam in quo sit mora. Si Blavii, alicujus auctoritate moti, supprimunt Explicationem Decalogi, nihil illis meorum tradi velim. Quod si & tu odium aliquod ex hac re metuis, liberè significa ut aliter rebus meis provideam. Erunt & in Annotatis ad Euangelia & in historiis meis multa quæ non omnibus placebunt. Ego conscius veritatis à me cultæ ac procuratæ, odia non metuo. Sed semel certus esse debeo an Blaviis satis sit animi, ut omnibus meis jussis parere cupiant. Fac me quæso certum de his omnibus; omnia enim experiar ne maneant ἀνέκδοτα quæ in utilitatem posterorum elaboravi. Periculum video si ista hæredibus committam. Dabit mihi spero Deus vitam ut perficiam inchoata, perfecta dem publico. Placet mihi quod Didericus it ad Baneriana castra. Scribo ad ipsum cum bonis ominibus. De te scripsi quàm potui efficacissimè ad Comitem Hohenloium. Ad uxorem verò de rebus pertinentibus ad Patrem, cujus veneranda mihi semper erit memoria. Vale cum matre, uxore & liberis, & pro laboribus quibus te sæpe onero, alios quos voles mihi injunge. Lutetiæ 4 Junii 1640.

Tui amantißimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo non molestam tibi esse rerum nostrarum atque inter eas etiam ἐκδόσεων nostrarum procurationem. Alioqui si quid inde tibi mali metueres, aliam inirem viam, ut & nuper scripsi. Ego vicissim nulli operæ quæ modò tibi grata esse possit parcam, speroque non inutiles fores meas ad Comitem Hohenloium literas. Exempla huc aliquot pervenerunt ad Pellæum libellorum de Antichristo & de Fide atque Operibus: nec non etiam explicationis ad Decalogum, cujus unum exemplum 501

plum accepisse se dixit mihi Ill. Comes Licestrius, qui & hoc scriptum & illud de Fide & Operibus probat; nam de Antichristo non vidit. Ad me autem præter prima illa de singulis singula, nulla exempla pervenerunt. Quod doleo; nam quibusdam amicis promiseram. Quare velim ad me venire singularum duodena, si non Blaviorum liberalitate, at meo impendio, etiam secundæ editionis de Antichristo. De Annotatis ad Euangelia scripsi nuper. Monuit me Treselius, Andelii negligentia an culpa graviore non dicam, relictum in diversorio fasciculum illum in quo erant libri pro Veritate Religionis Christianæ cum testimoniis; se verò ea de re edoctum dedisse eundem fasciculum nautæ Amstelodamensi dicto *Ian Crynen* qui perlaturum se receperit. Quare si nondum accepisti, rogo inquiras & exempla compacta des amicis, præsertim verò tibi ipsi. Quod patris nostri obitum & tu & mater nostra Christianè fertis, gaudeo. Ego quoque in eo me exerceo. De Antichristo multos habeo inter Protestantes hic qui mihi assentiantur, nec minùs de Fide & Operibus. Vestri homines prosperitate lasciviunt. Qui hic sunt, adversa partim sentientes, partim metuentes, lassi litium ac turbarum ad æquas concordiæ vias adspirant. Tum verò decretum Synodi Gassensis quo Papa pronuntiatus erat Antichristus nunquam in Ecclesiis receptum est Rege id vetante. & si esset; ego tamen decretis eorum quorum cœtibus me non aggrego non tenerer. Publicum verò Batavorum, si tamen publicum dicendum ultra est, meæ curæ non incumbit. Neque æquum, sententias de rebus divinis & vaticiniorum interpretationes accommodari ad tantillæ gentis utilitates, aut potius ad commoda particulæ in ea gente. Quam multi enim sunt quorum nihil refert, ne malè credita refellantur? Ego de illorum statu arbitraria Deo permitto. Sed eorum causa quæ verò & paci pietatique Christianæ utilia arbitror, proferre in lucem non desinam. Magnum honorem Socino facit Rivetus cùm illi eas ascribit sententias quas ego manifestissimè ostendi esse totius Ecclesiæ veteris & Latinæ & Græcæ, nemine dissentiente. Didericus ut spero optimum sibi consilium cepit, eundi ad castra Baneriana. Ego illi nulla in parte deero. Iterum addo cupere me scire cujus in manu sint Annotata nostra ad Euangelia: illa de Iure Belli & Pacis, & historica. Rivetus à suis hic collegis habetur tenuis judicii & eruditionis modicæ. Vidi Alexium, nihil mihi persuasit. Alienatio est ubicunque dominus sua voluntate rei suæ alium facit dominum. Quod & in pecunia locum habet, sive ea solvatur sive detur mutuò. Instit: quid alienare licet vel non §. Nunc admonendi L. obligari D. de stud. & conf. tutorum. Idem manifestè ostendit locus Senecæ de Beneficiis VII. 4. malè à Salmasio in contrarium adductus. Cæterùm interdum Alienatio strictiùs sumitur ut in rebus hereditariis aut Ecclesiæ alienari vetitis, non ex vi vocis, sed ex natura materiæ de qua agitur. Cùm de amicis nostris loqueris, nescio an & Graswinckelium eique similes annumeres. Mihi Epicharmus insusurrat. νᾶφε καὶ μέμνας ἀπιστεῖν. Multa ejus rei documenta habeo. Iam septimùm puto scribo, velle me exemplaria habere trium ἀνωνύμων. Vt me tractabunt Blavii, ita ipsos tractabo. Rogo Fratrem Frater, omnibus his de rebus me edoceas simpliciter. ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Pellæus librarius quæ accepit exemplaria non plus quinquaginta de Antichristo & de Fide atque Operibus (tertium librum non habet) diu retinuit. Nunc primùm incepit vendere, postquam ego aliquoties misi exploratum quid de iis faceret. 15 Iunii 1640.

Qui me Socinianum vocant quod totius antiquitatis sententiam defenderim, in cujus partem aliquam Socinus incidit, eos ego justiùs Socinianos vocabo, quod Papam esse credant Antichristum. Nam id siquis alius, Socinus & Sociniani pro certissimo haberi volunt.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

AD uxorem scripsi iterum super iis quæ sunt in literis tuis 11. Iunii datis. Matri opto valetudinem tolerabilem, ut & D. Vtenbogardo. Exempla de Veritate Religionis Christianæ quærenda erunt Amstelodami apud nautam, qui inde Rothomagum navigare solet cui nomen *Ian Crynen* ut scripsi antehac monente Treselio. Venerunt huc exempla de Antichristo ac de Fide & Operibus. Sed nulla ad me, quod tamen factum oportuit. Probantur à lectoribus. Illud ad Decalogum non comparere hic miror. Deinde scire cupiam ubi sint & in qua spe nostra Annotata ad Euangelia. De Anthologia & Zenone si ibi edi non possunt, benefacies si huc remittas. Ex Vickefortii literis videor colligere Didericum nostrum de Hassica militia cogitare. Ego Suedicam ei meliùs successuram sperem, concurrentibus & meis & ipsius meritis. Atrebatum urbem suis copiis inclusere Millereius & Chastilionæus. Vale, mi Frater, ac nos ama ut facis, certusque sis me nihil omissurum in quo tibi gratum possim facere. Lutetiæ 23 Iunii 1640. 502

Rogo ut de omnibus de quibus scripsi antehac exactè mihi respondeatur. Rivetus ad Mercennium scripsit multa esse bona in explicatione Decalogi.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

HAbeo tibi gratiam quod grave tibi non est nostris edendis operam dare. Illud ex Anglico versum valde mihi utile videtur. Qui characteres scribendi norunt distinguere, facilè judicabunt id meum non esse. Exempla à Blaviis omnium quatuor exspectabo quamprimùm. De Annotatis ad Euangelia miror nihil dum ad me scripsisse D. Vossium. Illa de Veritate Religionis Christianæ ubi receperis, ita ut antehac scripsi distribuas rogo. De Iure Belli ac Pacis putabam esse apud Vossium. De Alexio pariter mecum sentiunt Bignonus, Sarravius, Heraldus, Labbæus omnes amicissimi Salmasio. De navibus Indicanis doleo. Scribit ad me Oudartus amicus vetus, Cliens tuus. Commendat mihi negotium suum contra Synodum Gallicanam, & ego tibi ut commendavi, ita commendo; quanquam video rem ei esse cum duris adversariis. Scribit ad me amicè ut ad amicum, sed quia literæ sæpe intercipiuntur, etiam in hac urbe, velim & ille & Wolfius, quem in epistola nominat scribant ad me ut ad Legatum Regium. Quæ scripsisse ad me Petrum putas, de iis nihil scripsit & hoc quoque est inter ea quæ mihi in illo displicent. Videtur Atrebatum urbis obsidio habitura bonum eventum, multumque commeatus Ambiano in castra provenit: & in operibus bene proceditur. De altera urbe Taurinorum meritò solliciti sumus. Nihil autem de ea comperti nunc habeo. Pontificis cum Rege Galliæ dissidia composita sunt. Estræus iterum ad Pontificem: Sconius ad Regem habuit aditum. Vale mi Frater 7 Iulii 1640. 503

Carri qui alimenta in castra Gallica ad Atrebatum urbem tulerunt, fuere quater mille sub præsidio militum quindecim mille. Suffecturus is victus creditur ultra mensem. Pecunia quoque in castra pervenit ad CIↃ CC millia Francorum & eruptio quædam feliciter repressa est. Quid de Lucano? Quid autem filio meo Diderico nego-

negotii sit apud Legatos Batavicos qui Bremæ sunt, non satis intelligo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

504 PVto interesse Comitum Hohenloïcorum ut tua utantur opera tibique nomen consiliarii largiantur. Si quem noscerem Argentorati amicum Georgii Friderici Comitis, darem operam ut intelligeret id e re esse Domus Hohenloïcæ. Quare tuæ cogitationes ea in re mihi non displicent. Pro matre non iniquum putem id comiter postulari quod mos habet Germaniæ. Quod quædam menda ante meam monitionem in Tacito correcta sunt gaudeo, aliqua spero forè non inutilia, ut & ad Lucanum. Diderico opto felix iter ad Bannerium & bonos processus. Velim priùs iisset, ut intelligeret Bannerius se ab eo omnibus ducibus prælatum. Exemplaria spero jam acceperis & distribueris de Veritate Religionis Christianæ. Bene est quod & Annotata ad Euangelia & librum de Iure Belli ac Pacis habet Vossius. Puto igitur habere eum etiam quæ mutanda in illis ad Euangelia annotatis censueram: quibus unum etiam addam, nempe ut Lucæ XIX. 43. pro *Babylonico obsidio*, ponatur; *Assyriaco obsidio*, id verò ideo quod diligentius Esaiam considerans, quem nunc in manibus habeo, didici illo loco quem adduxi non agi de obsidione quæ per Nabuchodonosorem, sed de illa quæ per Sennacheribum facta est. Si Anthologiæ editorem aliquem invenis, poteris ibi chartas retinere. Si nemini allubescit quibus dixi legibus, ad me remittere. Si Brasserus vellet suscipere curam edendi operis de Zenone, credo eum id in Germania conficere posse. Sin minùs, & huc redeat. Exemplaria trium ἀνωνύμων & quarti de Absoluta Prædestinatione aliqua omnino habere debeo. Quædam habuit Curcellius & distribuit amicis. Non improbo. Habuit & filius quædam. Sed ego præter singula, non accepi. Promisi autem amicis. Monet me Curcellius remittere Blavios cogitationem de bicolumnio Annotatorum. Superest ut de characteribus quibus facienda sit editio ex consilio D. Vossii aliquid constituas, & ut in exemplari quod ibi est corrigantur quæ corrigenda censui. Si qua alia erunt quæ D. Vossius mutanda censeat, judicium exspectabo. Rogo hæc tibi cordi sint. De Petro jam respondi. Nihil opus est is ob editiones nostras se Amstelodamum transferat. Facilè ista per literas & quidem tuas curari poterunt. Certè hoste augescente & quotidie lacessente obsessores, minùs firmæ quàm antehac fuere spes sunt de capienda urbe Atrebatum, adestque metus ne Guisiam aut urbem aliam adoriatur Hispanus. Harcurtio mittuntur supplementa: utinam ne serò; & tamen & ipsa sine prælio vix est ut ad Harcurtium viam inveniant. Seditiones sunt Melini, Clermontii, Divione. Sed eas castigabunt milites, ubi ab æstivo labore ad hyberna redierint. Vale, mi Frater. 14 Iulii 1640.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

505 NVnquam dubitavi quin utilis foret ista ad libros pro Veritate Religionis Christianæ tot testimoniorum accessio. Spero autem quicunque sine affectu in me vel pro me eam lecturi sunt, haud aliter judicaturos. Si missa sunt à Blaviis quæ sperabam exemplaria, restat ut inchoetur editio Annotatorum ad Euangelia. Cùm cogitationem illam de bicolumniis quæ hic omnibus improbabatur, omiserint Blavii, te rogo ut de Vossii consilio super typis quibus utendum erit & numero exemplarium mihi dando constituas quamprimùm. Deum oro matris mala ut mitiget. Meministi puto Diepensibus quibusdam litem esse cum Societate Batavicæ Indiæ Orientis ob damna ipsis illata. Rex Galliæ ultro ad ejus negotii curatores literas misit, per quas ipse ab Ordinibus Fœderatis restitutionem postulat: ni ea fiat de aliis remediis cogitaturus. Nimirum vident Anglos minando semper aliquid obtinere. Volunt & ipsi hanc viam experiri. Cogita an è re sit Indicanæ Societatis transigendo malum imminens prævenire. Memineris errata quæ posteriùs à me sunt edita addere libris de Veritate Religionis Christianæ; nam priora multis modis malè fuerunt edita, & omissa non pauca. Aurem velli tibi nuper de Lucano & poëmatis. Addo interdum quæ mutari velim, ut ecce in Phœnissis pag. 13. *parte ut extrema domus* rectiùs erit, *parte ut in summa domus*. Nam ἀῦπες id significare ex Polluce didici. Quæ in Annotatis ad Euangelia mutanda aut addenda censueram, de iis rem jam confectam spero. Edidit Mileterius librum de precibus pro mortuis, habet prope eadem omnia quæ ego ad filium olim super ea re scripseram in epistola, cujus velim habere exemplum. Neque enim retinui. Marinus qui res Suedicas agit apud Helvetios scripsit ad me aliquoties, malè existimans de iis qui reconciliationi Christianorum student (est enim educatus inter homines Calvinianos) bene autem de Scotorum causa. Et quæ ipse ad me iis de rebus scripsit, & quæ ego respondi ad te mitto, ut & ipse noris quæ dici in his rebus possunt & alios si occasio retulerit, edoceas. Rogo ex Blaviis noris quorum librorum & quot exemplaria miserint, per quem & ad quem. In Taurinis pugnatum est 11 Iulii. Leganesius tribus locis castra adortus, eruptione Principis Thomæ adjutus, quæ erat sexies mille peditum, equitum ɔcc, munimenta castrorum perrupit, castella cepit quædam: nongentos suorum in urbem immisit. Sed ajunt Galli cùm diu pugnaretur à tertia pomeridiana ad medinoctium, prosperam sibi fuisse partem temporis posterioris, captos mulos onerarios qui erant ad tricentos, & plaustra bubus tracta; lintres autem in amne depressas quæ omnia ferebant ei urbi necessaria, sal, pulverem bellicum, farinam. Addunt quater mille hostium cæsis paucis suorum desideratis. Vicecomes Turenæ qui à Pinerola ad castra ducebat supplementa ad VIII millia & currus victu rebusque aliis onustos ɪɔ visus est ad Rivolam, planeque credunt Galli eum jam in castra pervenisse. Quod si est, habebunt quod gaudeant milites ad tantam redacti famem, ut mille quingenti ex ea perierint: ipse autem Harcurtius, per dies undecim farina ex fabis vixerit, quam ex arce acceperat. Cardinalis Hispani ingens sanè exercitus ad XX millia peditum, XII millia equitum, quibus se juncturus putatur Hatzfeldius parte sui insidet Aubiniacum non longè à Dorlano ad prohibendos commeatus ad castra Gallica: iter etiam, quod commeatus nuper aperuerat, impediit fossis & concædibus. Rex aliam elegit viam item à Dorlano, sed per Corbiam & Anchoram. Erunt currus ɪɔCCC quos deducent à Dorlano militum millia XII: totidem è castris obviam procedent. Exspectamus exitum. Lutetiæ 21 Iulii 1640.

Cardinalis Hispanus ipse se posuit inter castra Gallica & Anchoram, viasque omnes invias facit Gallis. Obsidentes urbem Atrebatum ad vallum exterius pervenere. Halerius autem cum machinis tribus Sanciacum verberat. Vidi librum trapeziticum Salmasii. Multa reperio non in illa tantùm quæstione, sed & in multis rebus aliis periculosa.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

E I-

EIDEM.

Frater optime,

506 EXspecto quid sit futurum de Annotatis ad Euangelia aliisque parturitionibus nostris: tum verò ecquid placeant testimonia ad Veritatem Religionis Christianæ. Tum de iis quæ ad patris mihi semper venerandi memoriam pertinent. ...... Ego rerum novarum scriptione te exonero. Accipio enim ea aliunde ad tædium usque. Malim aliqua de meis & aliorum libris. In castra ad Augustam Taurinorum, post prælium 11 mensis hujus intra & apud castra feliciter à Gallis pugnatum, venerunt Vicecomes Turenæ & Comes Tonneriæ sive Tonitrus cum VIII millibus quos ex suis vicinisque Præfecturis Princeps Condæus collegerat; venit autem nocte post diem sequentem. Statim Harcurtius Rivetum & loca alia quæ usui erant ad commeatuum itinera à Pignerolo & Segusione castra versùs, cepit, insedit, & præsidiis tenuit. Intra urbem panis est. Desunt sal & bellicus pulvis. Itaque bene ibi animati sunt Galli etiam sine labore se velut reti sperantes capturos urbem, eoque faciliùs, si & Villaregius cum novo supplemento, quod sex millium futurum dicitur advenerit. Id si fiat nihil timebunt malè tractatum à se Leganesium, qui habere apud se dicitur XVIII millia hominum: exspectare duo millia ex Regno Neapolitano, quæ Pontifex per suas terras transire non vult nisi divisim; & alios è Lindavia milites, missis cohortibus aliquot Germanicis ex Italia in Hispaniam ad reprimendos motus. Ad Atrebatum urbem obsessores usque in fossas venere. Impedit Cardinalis Hispanus, ne commeatus à Dorlano in castra veniant. Venere tamen nocte XXII circumducto itinere, currus centum, boves quinquaginta, oves plus sexcentis, satis ad paucorum dierum alimenta. Quod si sæpe fieri potest, sive vi, quod Rex monetur Halerio cum copiis ad se advocato, sive astu, medio Augusto urbs erit Gallorum. 28 Iulii 1640.

Rex exercitum præter eum qui in castris est ad Atrebatum urbem habet XVI millium. Hostis XXX millia ad Bapalmam & Miremontium inter Corbiam & castra ad Atrebatum urbem posita. Rogo diligentissimè caveas ne scripta mea non edita cujusquam in manus veniant, nisi cujus mandaverim. Historiam velim bene custodias. Multas & graves causas habeo cur Annotata ad Euangelia edi quamprimùm velim. Interdum errata aut addenda quædam inter relegendum aut cogitandum occurrunt, ut ecce in Annotatis ad librum de Veritate Religionis Christianæ. Pro præsignificatæ hæc addenda sunt (ab Esaia XLV. Exitus obsidionis qua Chaldæi Hierosolyma cinxerunt, ab Ieremia) &c. In Annotatis ad Euangelium Marci XIV. 72. Post προσ-λθίνας. Sic Basilius in libro de Baptismo vitam Christianam depingens duo hæc verba ponit significatu eodem: ἀγχρώμενος προστεθείς. τυπτόμενος ἐπιβάλλει. Mitto ut consequentiam epistolarum videas quæ Marinus nuper de reconciliatione Ecclesiarum ad me scripsit, & quæ respondi.

Tuus ex animo Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

507 GRatias habeo quod editiones nostras curæ tibi fore promittis. Scio D. Vossii meticulosum esse ingenium. In Annotatis ad Euangelium multa erunt quæ scio aliis non placitura. Id qui vero studeat, nequit vitare. Rogo igitur ut cum ejus consilio de tota editione constituas cum Blavio, omnemque moram abrumpas. Velim scire an & quæ ex Anglicano vetustissimo codice Manuscripto transmiseram, suis locis addita sint Annotatis. Miror verò nondum ad me venisse τῶ ἀνωνύμου exemplaria: quod quamdiu non fit, fidem meam apud amicos liberare non possum. Vides quamdiu in eo Blavii cessaverint. Scripti Anglicani quædam exemplaria addi velim, vel seorsim ad me quamprimùm mitti, pretio si opus est persoluto. Didericus damno edoctus erit posthac ut spero in suis servandis diligentior. Opto illi iter, nimis diu dilatum, tandem prosperè cedat. Maximus filiorum cum D. Degenfeldio est in castris ad urbem Atrebatum. Vbi primùm discesserat ad me scripsit, respondi benignè valde, ex eo nullas ab ipso literas accepi. Societati Indicanæ semper optimè volui, tum quod in ejus negotiis multum fui versatus, tum quod inter ejus Magistros multi sunt nobis benevolentes. Quare venisse sospites ejus naves gaudeo: optoque ut cum Anglis controversia moderata transactione finiatur. Apud urbem Atrebatum obsidio in bona est spe, si panes sint in castris, qui jam diu valde sunt cari, nunc & deficere incipiunt, deinde si ibi sit bellicus pulvis, sine quo mœnia nec verberari ad ruinam, nec cuniculis disjici possunt. Quid ea de re futurum sit dubitamus; nam & Rex multas vias tentat obliquas ex longinquis urbibus ut hostem fallat, & Cardinalis Hispanus se, ut id prohibeat, propiùs Gallica castra premit. Apud Taurinos itidem res incertæ sunt. Leganesius ex montibus Transpadanis castra Gallica machinis verberat. Esuriunt strenuè ubique, nam in Leganesii castris miles victitare dicitur binis in diem pugillis fabarum. In castris ibi Gallicis magna itidem est rerum penuria, insessis itineribus. Ab Hispanis castris non longè ab urbe Atrebatum, multi ob famem transfugiunt. Ita jam milites qui de parandis opibus certare solebant de pane quærendo certant. Etiam apud Banerium, quibus nunc quidem est in locis non diu suppetet militis & equorum alendorum copia. Vale mi Frater & nostras ὠδῖνας diligenter cura, nosque de singulis fac certos. 4. Augusti 1640.

Mitto iterum aliquid à Marino & responsum à me, ut ordinem eorum quæ nunc disputantur intelligas. Iam nunc nuntium accipimus IↃ CCC carros panibus & pulvere bellico onustos venisse in castra die 3 hujus mensis, cùm nocte præcedente discessissent Dorlano. Hostis prælium ausus non est contra XVI millia quæ habebat secum Halerius & decem millia quæ obviam è castris duxerat Milereius. Ita brevi urbs illa speratur Gallorum fore. Post id audivimus cùm exiisset castra Millereius, castra ab hoste fuisse oppugnata, multumque fusum sanguinis. De urbe Taurinorum difficilior est conjectura. Defenditur enim septem millibus militum, totidem oppidanis bene armatis. Habet farinam & frumentum ad sesquimestre tempus. Harcurtius bonum habet exercitum ad XVIII millia & supplementa exspectat, sed multum ægrotatur in ejus castris. Leganesius XII millia habet: sed militem exspectat & à Mediolano & à Neapoli.

Tuus semper toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Frater Charissime,

EO quod nihil nunc abs te habuerim literarum, suspicor Amstelodamum te ivisse. Quod si est non dubito 508
quin & negotium de Annotatis ex consilio D. Vossii perfeceris & exquisiveris ubi sint aut cui data quæ exspecto & amicis promisi exemplaria τῶ τελῶν ἀνωνύμων, quibus velim accedant Anglici illius scripti in Latinum versi aliqua. Nam & hoc non à me natum, sed obstetricatum amo. Ad Annotata quæ addi velim misi interdum. Nunc & illud in mentem venit non inutile me arbitrari, ut in ipso fine annotatorum ad XXV Matthæi hoc addatur: *Quod si quis veterum hac de re non definitiones, sed dubitationes velit noscere, adeat Hieronymum sine Commentariorum ad Esaiam.* Atrebatum urbem audi-

audimus Regis esse. Ad pactiones ventum certi sumus, idque postquam multa jam in castris pulveris bellici copia, ut ex ea Regius cuniculus propugnaculum urbis mœnibus cohærens ruperat ea vi, ut machinæ duæ quæ in propugnaculo steterant in fossam præcipitarentur. 11. autem die Augusti, quo die scripsi carros illos multos in castra venisse, eodem tempore oppugnata à Lamboïo fuerant castra; castellum quod prope castra Galli habebant captum, receptum à Gallis, captum iterum, receptum iterum: laboratum etiam ab Hispanis, fasces in id multas ferentibus, ut fossas implerent. Verùm dum hæc fervent ab hora tertia pomeridiana in multam vesperam, redierunt Gallorum multi qui in itinere fuerant: machinæ quoque Gallorum in hostes, qui nonnisi duas secum attulerant, ingentem stragem fecere. Gallorum quingenti aut paulò ampliùs desiderantur; non dubium quin aliquanto plures de Hispanis. Sed Galli, ut historici multi, mortuorum ex hostibus numerum in immensum augent. Exercitus Hispanicus Duacum versùs recessit. De Taurinorum urbe videtur res lenta futura. Ebrahim mortuum esse negat qui hic est Chiausius. Vale, cum tuis nostrisque omnibus. Lutetiæ 11 Augusti 1640.

Iamjam discimus discordatum inter Atrebates qui sunt in civitate, ea est vetustissima pars urbis, & eos qui in urbe. Tandem tamen nullo apparente auxilio heri sub vesperam intrasse Gallos. Ita omnes hic credunt.

Tui amantissimus tibique obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

509 QVæ nova scribis, eadem ex aliis intelligo. Frisiorum consilium mihi non displicet. Quid moliantur Fœderati Ordines, non est obscurum. Quod Mairius novam molitur editionem Annotatorum de Veritate Religionis Christianæ non improbo: neque puto damnum inde sensurum Cramoisiacum, qui sua aut vendidit aut brevi venditurus est, vel in Gallia sola. Sed eundem Mairium miror tam tenuis esse animi, ut sumtum tam exiguum quem requirunt nostra ad Lucanum formidet facere, cùm si qua ei restant exemplaria ea hoc modo multò futura sint vendibiliora. Quare rogo eum etiamnum interpelles: & si cunctatur ad me remittas. Ego facilè hic typographum invenerim, aut meis impensis edam. Idem rogo de Poëmatis facias, si nemo eorum est avidus. Annotatorum nostrorum ad Euangelia παραθήκην quandam ex Anglicano maximè manuscripto misi antehac, aut ad te aut ad filium Petrum: qui si ea suppressit fecit rem malam. Miror etiam quis Blaviis dederit ἀρχέτυπον ad Euangelia, & quis de typis constituerit. Velim enim mea præscripta legem rebus meis ponere. παραθήκην illam eò iterum mitto. Curcellii operam sicut non sperno (quanquam in parvis istis libellis multa video esse errata: plura autem audio esse in editione secunda de Antichristo) ita velim accedat, ut scripsi antehac, posterior recognitio per D. Vossii liberos, nisi odium inde aliquod sibi metuunt, aut per D. Corvinum qui pridem se obtulit, & talium apprime est gnarus. Hæc rogo diligentissimè & quæcumque eò pertinebunt sæpe ad me perscribas. De numero exemplarium, nisi tu Amstelodamum iveris, D. Vossius constituat suo arbitratu. Verum τῶν ἀνωνύμων à tanto jam tempore nulla ad me venisse valdè miror. Velim & quædam habere illius ex Anglico versi. Quid valeat ille Maresius qui de Antichristo scripturit, scire cupiam: simulque ipsius & Molinæi de hac re opera quando exspectentur. D. Heinsio gratum fuisse exemplar quod misi de Veritate Religionis Christianæ gaudeo. Velim & aliis, quibus distribui volueram. Vxor ante abitum omnia ibi relinquet loco, ita spero, quàm optimo..... Indicana Societas cogitabit an ex usu suo existimet de illa cum Gallis controversia decidere. Ego monere volui, non commendare. In urbem Atrebatum Galli intravere mensis hujus decimo. Præsidium est sex cohortium, sex centuriarum è prætorianis, equites octingenti, Præfecto Sampreulio. Arx fabricatur. Vetera privilegia manent & de cætero jus commune cum Francis. Oppidanorum duo tantum exire voluerunt, quorum alter Præses fuit. In urbe Taurinorum fames futura creditur sub finem Septembris. Interim à civitate, à Principe Thoma & ab Harcurtio Legati ivere ad Viduam tentaturi pacis perpetuæ aut temporariæ vias. Neque tamen quiescit Leganesius auctus septem millibus è Neapoli & aliunde. Quid facturus sit videbimus. Scripsi 18 Augusti 1640.

De Zenone memineris quæso cum aliis remittere, nisi fortè reperisti edendi viam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

GRatias habeo pro literis 13 Augusti. De Geldriæ obsidione derelicta pridem Rex nuntios habuit. 510
Novi conatus an futuri sint feliciores dubitatur. Vt ad Danicam controversiam veniam, intra pacatorum portus non debere exerceri hostilia, mea sententia est. Siquid tale olim fecere Batavi, non mirum est si Rex Daniæ eos pati velit legem quam tulerint. Interim bene se habet quod Dunquercani prædones præda facti sunt. Illud quod ante Helvoetam factum narras cum Seldeni libro meliùs quàm cum moribus receptis congruit. Amstelodami jam spero fueris & constitueris cum D. Vossio de typis & exemplaribus. Scribit mihi D. Vossius paratos Blavios post Annotata ad Euangelia edere illa de Iure Belli ac Pacis: deinde & Anthologiam de quo gaudeo. Haud minùs libenter credo suscipient editionem & reliquiarum poëticarum ac Notarum ad Lucanum. Quod si est non debent ista ad me remitti. Didericus spero jam pervenerit, quo pridem pervenisse eum oportuerat, id est ad Bannerium, à quo omnia optima sperare debet si se talem præstet qualem speramus. Manent exercitus Gallicus & Hispanicus non longè ab Atrebatum urbe: faciuntque castella, hi inter eam urbem & Duacum ne longiùs penetrent Galli, illi verò inter Dorlanum & eandem urbem, ut certa sit semper commeatibus via. De Taurinorum urbe nihil certi est. Galli sperant edulia defutura sub mensem Decembris. Eruptiones quædam & conatus Leganesii ad faciendum pontem navalem in Pado fortiter ab illis repressi sunt. Cæsariani dicuntur obsidere Blugam, arcem Hohentwilæ & Baccherachi. Vale mi Frater, cum tuis omnibus. 30 Augusti 1640.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

FAcis mihi rem pergratam quod editiones nostras tam diligenter curas. Gaudeo Annotata procedere, & 511
censeo illis addenda tria quæ hactenus ἀνώνυμα fuere. Vbi Maresii libellum videro, sciam ecquid addendum sit: tum verò ubi duodecim illa exemplaria, de quibus scribis accepero, annotabo diligenter quæ corrigenda erunt & ad vos mittam. Quod de Annotatorum exemplaribus egisti perplacet. Velim autem post Curcellium relegendis speciminibus incumbere, aut D. Vossii filios, aut D. Corvinum, ad quem ea de re scripsi. D. Vossius, ut ex tuis literis conjecto, id metuit ne si omnia Annotata legisse dicatur, auctoritatem præstare cogatur omnium quæ scripsi, cogitans non omnia omnibus placitura.

Digitized by Google

tura. Cæterùm ad me de eo opere scripsit benignè ac magnificè. Quod me ad similes labores plurimum excitat. Laudo te quod inter D. Salmasium & Heinsium medium te tenes & cum utroque amicitiam colis: deinde etiam quod judicium tibi liberum servas. Trapezitica paucis probantur. De dominii transitione in mutuo, omnes qui hic præcipui sunt D. Salmasii fautores aliter sentiunt. Audio Cyprianum valdè acerbè scripsisse contra Salmasium. De duodenis exemplaribus quod non ad Treselium missa sunt doleo. Vereor ne intercidant, quod planè nolim: & Vlackius ille ut puto nobis minùs æquus est. Nonnulla Heinsii contra Salmasium defendit nuper Heraldus, & multis probavit. Pergitur in arce fabricanda ad urbem Atrebatum. In urbe Taurinorum an esuriatur incertum est. Sed sal & pulverem bellicum per globos cavos in urbem immittit Leganesius. Magna supplementa adveniunt Leganesio. Vrbem tamen Galli suam futuram sperant intra Septembrem. Princeps Palatinus adhuc hic retinetur Rege dona quædam præparante. Vale cum uxore, liberis, amicis. Calendis Septembribus 1640.

Mitto tibi exemplum novæ Epistolæ meæ ad Maximum, ut cognoscas qualem Ecclesiarum reconciliationem desideremus. Velim scire an accessiones illæ & Manuscripta Anglicana addita sint Annotatis ad Euangelia: & quid de Lucano futurum sit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

512 De Annotatis nostris ad Euangelia jam scripsi quæ scribenda fuere. Addenda illa antehac me misisse certus sum. Sed bene res cecidit, quod tandem quò destinata erant pervenere. Rogo me adjuves ut editio & Annotatorum illorum & eorum quæ sequentur sit quàm emendatissima. Typographi sæpe ea in re negligentes sunt & egent curatoris. De Anthologia jam monui discere me ex Vossio paratum esse Blavium etiam ista edere post opus de Iure Belli ac Pacis. Si ita est & Indices velle facere quales desidero, possemus id tempus exspectare. Interim poëmata edi possent, non diu illum moratura: imò & ille ad Lucanum si cunctetur Mairius. Gaudeo uxorem meam tanto propius ad nos venisse. Cætera secundet Deus. Vlackius iste nondum huc venit: exspectatur tamen. Vtinam ista ἀνώνυμα tandem ad me veniant, miror tamdiu tardatum. Et spes de Vlackio utinam ne nos fallat. Debuerat Blavius & diligentior esse & circumspectior. Annotata nostra ad Veritatem Religionis Christianæ probari piis & eruditis & amicis gaudeo, non gloriolæ causa, sed quia in eo aliquod solatium est labori, & ad alios labores incitamentum. Cùm librorum illorum versio ex Belgico sit sumta; ex isto Latino iterum in Belgicum transfundi mihi non placeat. Sed possent mei versus Belgici recudi, & siquid obscurum est ex prosa Latina breviter illustrari, deinde addi Testimonia. Matri nostræ longè optimæ gratam esse meam uxorisque meæ pietatem gaudeo. Precor pro ea Deum quotidie. Idem ut pro me faciat rogo. Scriberem ad ipsam & sæpe, nisi viderem parum id suave fore oculis captæ. Itaque tibi pro me officium id delego. De Petro agam cum uxore ubi huc venerit. Rex est ad S. Germani. Reginæ partus appropinquat. Arx ad Atrebatum urbem nondum struitur, sed pro arce sunt terni milites in domo quaque. Ideo multi oppidanorum abeunt. Abiere & Iesuitæ & Monachi. De urbe Taurinorum nihil habemus certi, nisi plurimum ægrotari in utrisque castris & de pace agi. Hostes captis Binga, & Baccheracho, obsident Crucenacum, minantur & Hagenoviæ & Hohentwilæ. Captas audio multas naves prope Gades. Si id verum est, priùs vos quàm nos scietis. Classis altera ad oram est Neapolitanam. Vale, mi Frater, cum nostris omnibus. 8 Septembris 1640.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo operam dari, ut nostra ad Euangelia exeant quàm emendatissima. Anthologiam censeam permittendam Blavio, modò correctorem adhibeat ista callentem & indices cures fieri de quibus scripsisse me antehac puto: nempe indicem auctorum adscriptis locis ubi cujusque Epigrammata reperientur. Indicem eorum ad quos & de quibus sunt Epigrammata. Indicem Geographicum regionum, urbium, montium, fontium, pontium, ædificiorum: Indicem rerum aliarum ad historiam aut philosophiam pertinentium. In eis indicibus velim brevem explicationem addi locorum ac temporum adscriptis etiam auctoribus unde fusior cognitio Geographiæ aut historiæ peti possit: cui rei serviet lectio scholiorum Brodæi ad Anthologiam & Prolegomena quæ mittam suo tempore. Bene est quod & reliquiarum Poëticarum & Notarum ad Lucanum curam non deseris. Non satis intelligo quis ille sit ad quem pars altera ex syngrapha patris redire debebat. In quæstione de mutuo dissentiunt à Salmasio Bignonius, Labbæus, Heraldus amicique ejus omnes. Vincat veritas. Enchiridion Corvini & Lucium Verum data occasione videbimus. Rex bene valet. Delphinus fari incipit, depulsus à lacte. Inter Bapalmam & Atrebatum urbem Rex castellum strui jubet ad reprimendos Bapalmensium excursus qui Gallis non parum nocuere. Literæ à 7 Septembris nos docuere Leganesium tunc parasse se ad novam oppugnationem Gallicorum castrorum, quæ jam duplici munita sunt vallo & ægrotorum plerique ad sanitatem rediere. A Bressæo Hispanorum Galeones captas, ustas, mersas, multi undique scribunt, sed eam rem puto in Batavis sciri certiùs. Vale Frater optime. 15 Sept. 1640. 513

Curcellius quæ agit mihi non probantur. Videtur aliorum potiùs consilia (& credo Salmasii) quàm mea sequi. Vereor ne eveniat Annotatis ad Euangelia quod evenit secundæ editioni de Antichristo. Bressæus ad Bellam Insulam rediit, Burdegalensis in oram Provinciæ. Scribuntur in hac urbe & vicis proximis VIII millia militum. Harcurtio advenere ex Provincia IV millia peditum, equites CCCC. Audio Legatum hinc in Hollandiam iturum: Ginettium autem per Pontificem revocari à Colonia.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Maresii liber ad me non venit: sed ex eo excerpta tantùm ad me misit Curcellius cujus actiones magis magisque mihi suspectæ sunt. Multa habeo indicia eum aliorum consiliis regi & ea, quod nolim, permiscere meis rebus. Quare vereor ne sicut secunda editio de Antichristo ita corrupta est ut pudor sit eam mihi monstrare, idem de Annotatis ad Euangelia fiat, eoque magis quod jam nunc ingentes præmittit excusationes, homo inconstans, vitæ non planè laudatæ, & sperans, inconsideratè tamen, restitutionem in Ministerium in Gallia. Omninò ergo non per te tantùm, sed & per amicos omnes id agas rogo, ut adhibeantur correctores unus & alter quàm optimi. Et quia Bremii facis mentionem, scire cupiam is quis sit, quid possit, quid sentiat: omnia enim ista metentur expendi. Et utile sit nos amicum habere Amstelodami à factionibus, à spe, à metu alienum: quem 514

Digitized by Google

quem si inveneris, indica. De Vossio res se habet ut dicis, sed bonus est & clam nostris conatibus favet. Quod & alios facturos spero. Quod inter Salmasium Heinsiumque ita medium te geris, ut neutri præter quod æquum est accedat, laudo. De Salmasio miror tot eum inimicos sibi ultro accersere. De mutuo certè non est quod magis advocatis irascatur quàm Parisiensibus, quos omnes invenio inter se & vobiscum concordes. Lucii Veri nihil vidi. Velim scire ipsius nomen & quid valeat. De iis quæ inter Marinum & me tractata sunt, velim nosse æquorum hominum judicia. Vota quæ pro me meisque facis grata habeo, & vicem reddo tibi, uxori, liberis omnia optans optima. Quanquam autem hæc quæ de Curcellio scripsi ratione sua non careant (solent enim homines non mali aliorum consiliis ac spe decipi) tamen quia queritur (& sanè non planè immeritò, cùm & librum eum verterit & ipse elegans exemplar ad me miserit) non sibi datum esse exemplum novæ editionis de Veritate Religionis Christianæ, velim id excusari & de Mairii futura editione ei meo sumtu dari exemplum bene compactum. Scriptum Scoticum quod Belgico sermone apud vos nuper editum intelligo, videre desidero. Regina Filium alterum peperit. Catalani iterum reconciliati sunt Regi Hispaniæ, & cum aliis Hispanis incumbunt in Languedociam. Sunt autem XI millia peditum, tria equitum, cum machinis XL, totidem navibus longis. Princeps Thomas 15 mensis hujus ingenti cum numero erupit & munimenta quædam Gallicorum castrorum tenuit, sed expulsus rejectusque est. Lutetiæ 22 Septemb. 1640.

Velim omni modo cures, ne Curcellio soli emendatio probarum committatur. Vereor enim ne si id fiat ea res & Typographo sit damno, & mihi imperitiæ inurat notam. Quæso hoc cura & ei de Bremio quis qualisque sit significa: & an Corvinus aut Vossiorum aliquis curam velit suscipere subsidiariam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

515 Miror unde originem culpa habeat: sed video res meas Amstelodami non qua deberent fide tractari. Heri quidam meorum fuit apud librarium Pellæum: ad quem multa à Blaviis advenerant. Explicationis Decalogi nullum exemplar. Dicebat Pellæus intellexisse se me ea nolle huc mitti. Quo nihil falsius. Flaccus ille nondum advenit, ubi advenerit, quid futurum sit nescio. Interim amicis satisfacere nequeo. Rogo in hæc omnia inquiras & cur mea in rebus meis præcepta nihil valeant. Taurinorum urbe exiere Hispani. Princeps Thomas in libertate est. Quibus conditionibus hæc res confecta sit, nondum scimus. Valet Rex, Regina & filii duo. Lutetiæ 29 Septembris 1640.

Maraisii liber rogo quamprimùm mittatur ad Treselium. Catalani rursus in motu esse dicuntur. Ex urbe Taurinorum qui exiere, ad octo fuere millia. Princeps Thomas Eporediæ est apud Viduam.

Tuus verè Fraterno animo H. G.

EIDEM.

Frater optime,

516 Rectè tu quidem uxori meæ ominaris. At illam adhuc modò naves imparatæ, modò venti in Zelandia detinent. Adventat & hyems & tempestates; & quis scit quando illa hic futura sit. Quare rogo exemplar Maraisii ad Treselium sine ulla mittatur mora, isque rogetur, ut quamprimùm ad me mittat, ut ita eum tractem pro ut erit meritus. Vt magis videas quanta negligentia res meæ literariæ tractantur, misit Curcellius exemplaria τῶν ἀνωνύμων per Treselium, sed non mihi, verùm Mercerio. Mea autem exemplaria quando ventura sint planè ignoro. Valde crucior neminem me habere Amstelodami qui mihi navare velit operam, qualem ego liberaliter, amicis sim præstiturus. Nam ita trahi ac velut deludi, magna est miseria. In Gallia audio parari scriptionem super eodem argumento à Bouchardo Pastore Cadomensi. Vir est eruditus & ut puto Maraisio modestior. Senator Saravius me convenit super quibusdam locis de Veritate Religionis Christianæ, super quibus testatur sibi satisfactum. Hunc aliquid scripturum non puto: sed habet affinem Launæum qui & in Danielem & in Apocalypsim multa scripsit, omnia obvia pro telo arripiens contra Pontificem. Is opinatur Reges omnes Presbyteriis Reformatis futuros supplices. Ita enim vaticinia explicat. Fortè is aliquid scribet, quod velim. Tucillerius antehac Regis apud Venetos Legatus ad vos venit. Causa inter cæteras est quam conjectas: & ut in posterum annum fortiùs ibi res gerantur. Multum Galliæ refert producere fedus, primùm cum Suedis, deinde & cum Batavis. Hoc certè anno aliis prope quiescentibus, attamen trahentibus in se hostium partem, res egerunt magnas: Casale liberarunt ex summo periculo: cepere hostium naves apud Gades: suam fecere urbem Atrebatum inspectante egregio hostium exercitu: nunc & trans Alpes res ita constituere, ut major pars gloriæ penes ipsos sit: Brisaci possessionem antea controversam in tuto posuere. Heraldi liber rerum judicatarum atque observationum, in quo nonnulla sunt contra Salmasium scripta, in bona hic est fama. Catalani Rosas oppidum ad mare cepisse dicuntur & magno accendi studio libertatis. Exercitus & Gallicus & Hispanicus adhuc manent circum Atrebates. Scoti & scriptis & factis captant Anglorum gratiam, quorum multi Parlamenti libertatem expetunt, quidam & Episcopis infesti sunt non minùs quàm Scoti. Præfectum S. Audomari cepere Galli. Lutetiæ 6 Octobris 1640.

Si pluribus viis exemplaria Maraisii haberi possint, id velim. In fine Belgico Gallicus exercitus est non longè à Perona: Hispanicus sparsus, sed propior Duaco.

EIDEM.

Mi Frater,

Maraisii librum jam Amstelodamo accepi. Itaque 517
non est quod de eo labores amplius. Responsum parabo quantum permittet tempus. Fac sciam quando ferme putes finem accepturam editionem Annotatorum. De Creta quod dicis facilè credo.

Qui si non aliquo nocuisset, mortuus esset.

Rogo cures ut quàm emendatissima sit Annotatorum editio: siquid hæsitatur consulatur quæso D. Vossius & ex ejus statuatur arbitrio. Tu quoque siquid habes quod mendosum arbitraris (facilè enim talia oculos nostros transfugiunt, qui nobis nota raptim percurrimus) fac quæso me gnarum. Scripsi ad Corvinum nuper. Bremium gaudeo talem esse qualem describis, rogoque ei nostra commendes de Veritate Religionis Christianæ. In carmine Belgico nihil mutandum censeam: sed siquid amplius in Latinis est, id oratione pedestri interspargi annotatis. Losecatio bene conjugium eveniat, precor. Gomari sententiæ haud multò majoribus incommodis meo judicio premitur quàm Dordrechtana. Vtenbogardo nostra Annotata probari gaudeo. Spero in Suedia non nocituram mihi talem scribendi libertatem. Tum verò Dei causam agentes præsidium à Deo sperare debent. Cupiam scire an D. Vten-

D. Vtenbogardo otium fuerit legendi nostra testimonia ad Veritatem Religionis Christianæ. Fecit Cardinalis Hispanus magnum castellum ad Pontem Arentinum: minora quatuor inter Insulas Duacumque & urbem Atrebatum: Rex duo ad tutanda itinera à Dorlano & Penna ad eandem urbem Atrebatum. Hispani etiam præsidia tum Bethunæ tum Bapalmæ multum auxere. Lutetiæ 13 Octobris 1640.

Incepi quædam legere Maraisii. Occasione data velim plura ad me exemplaria transmitti ut communicentur cum piis & eruditis. Rogo urgeas editionem Annotatorum, neque ullas patiaris moras inutiles. Dicuntur Catalani Hispanos qui in Ruscinonensi sunt Comitatu ad famem adigere velle, arma & alimenta à Gallis pretio poscere, liberaque cum Gallis commercia & auxilia mari. Polliceri obsides & locum pignori. Galli in eo Comitatu Vset urbem ab Hispanis obsessam periculo exemere: ceperuntque Bodincusam arcem iisdem in locis, Montigniacum apud Cimacum. Rex Galliæ à Clericis tertiam partem redituum exigit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

518 VXor jam in Gallia est iterque huc faciet tardiusculè credo, quod equi maritimi jactatione languentes quiete egent. Annotatorum folia exspectabo: si alia se via non aperit, poteris Treselio uti. An Frisii id concessuri sint ut Princeps Arausionensis ibi quoque imperium habeat dubito. Literas meas ad te non pervenisse miror. Scripsi enim septimo quoque die de rebus Scoticis. Nihil judicare possumus donec finitum sit colloquium nobilium Anglorum cum Scotis, & Parlamentum Angliæ quod instat. Catalani libertatem appetunt. A Gallis auxilia mari petunt, & libera commercia. Obsides offerunt. De missione sua nihil ad me D. Camerarius. Postulatam ab ipso pridem scio. Seldeni librum nondum vidi, quicquid ab ipso proficiscitur, dignissimum est lectu. Salmatium puto hic mansurum, si certus esse posset de solutione annui salarii. Offeret ei conditiones aliquas Cardinalis. Sed libertatem quicquid vult scribendi, hic non obtinebit. De negotio Rotterodamensi cum uxore cogitabo. Constantinopoli gaudium est quod fœminæ quædam ex complexu Sultani gravidæ spem faciant prolis virilis, quæ certamina ob ambiguam successionem alioqui oritura abrumpet. Classis ibi paratur tum contra Ethruscum & Melitensem, tum contra Cosaccos. Obiit in Italia Guisius. Arma ibi quiescunt. Vale cum matre, uxore, liberis, amicis, & nostras ἐκδόσεις quantum potes cura. Lutetiæ 27 Octobris 1640.

Iam advenit uxor: Epigramma tuum de Ostenda optimum est. Cætera non spernenda. Hogerbetii literis respondebo. Elogia nolo ulla ante meos libros. Legi quod scribis de Syndicatu Silvaducensi. Ac tibi quidem gratias habeo pro summa rerum nostrarum cura: neque pecunia rem moraretur cui satis scio adhibitum iri curam, ne plus detur quàm sit opus. Sed primùm miror cur ille qui munus & honorificum & satis utile tenet, id velit dimittere. Deinde puto Principem nunquam assensurum ut filius meus id munus obeat, nisi fortè addita lege, ut sacris publicis se accommodet, quod non esse viri probi conscientiæque ac famæ consulentis, ipse tu in simili occasione judicasti. Tum verò quomodo recens Iurisconsultus nullo rerum usu par esse possit dandis consiliis sive ad res judicandas, sive ad civitatem resque ejus regendas, ego sanè non video, expertus quàm sit difficile munus tale, cùm ipse in tam illustri advocatione priùs essem exercitus. Solent in civitatibus esse factiones, in quibus prudenter se gerere vix prudentissimus quisque satis valeat. Velim

Metiri se quemque suo modulo ac pede.

Meum semper consilium fuerat Amstelodamum eum transferre, ut ibi foro se daret, bonas quæreret affinitates, liberis gradum strueret ad partem aliquam in regenda illa florentissima civitate, quæ nunc prope sola moribundam libertatem sustentat. Cogita, rescribe ac vale.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

SVmmo, mi Frater, summo cum dolore vidi paginas 519
Annotatorum ad Euangelia usque ad finem M. Librumne tanto à me studio elaboratum ita constupratum esse mendis, præsertim Hebraicis & Græcis ferme omnibus ut ego judicari possim istarum linguarum imperitissimus, idque nulla mea culpa, sed eorum qui suscepere in se quod non intelligebant. Quare per honorem meum quem tibi scio cordi esse, rogo instes, urgeas Blavios, amicorum quoscunque habemus tum auctoritate, tum gratia, tum diligentia utaris, ut adhibeantur operi ut spero non inutili correctores peritiores. Si dolo malo res acta esset, pejus agi non potuit, nisi posthac aliorum adhibetur cura. Erat Ternio plenus mendarum, id est Augiæ stabulum. Satius est paulò lentiùs procedere & editionem dare si non nitidam, at minùs spurcam. Ad Corvinum scripsi, sed nihil responsi habui. Rogo omnia moveas ut hunc mihi dolorem leves & mitiges. Ad scriptum Maraisii respondere necessarium duco, & quidem sub meo nomine: ipsius tamen nomen dissimulabo, ne ex me diuturnitatem accipiat quam per se non meretur. Spero ita validas fore meas rationes, ut si quid replicet, etiam mediocriter eruditus, si quis mearum sit sententiarum, duplicare possit. Et quia incerta sunt vitæ spatia, totaque mea ætate sæpissime cogitavi quibus modis ex Christi præcepto redire in unam Ecclesiam possimus, meas ea de re cogitationes in hoc ipso libello dare posteris volo, profuturas fortè suo tempore. Fiet autem hoc eo opportuniùs quod omnes controversias quæ Schisma alere possunt, attigerit ad Antichristum depingendum Maraisius. Nondum venit huc Flaccus. Itaque adhuc τῶν ἀνωνύμων exemplaribus tam diu exspectatis careo. Pagellas post illa Annotatorum ad Euangelia jam editas, si amicum certum & properantem non invenis, rogo cures per Amstelodamensem nautam, qui septimo quoque die Rotomagum it ad Treselium, monitum ut is quàm celerrimè ad me mittat. Post id terniones singuli possent mitti in literis Wyckefordii ad me: Literæ meæ quas latuisse scribis, alibi quàm apud D. Spiringium latere non potuerunt. Ejus enim fasciculo tuas incluseram. Vtinam quod putas de Antichristo & Rivetus scribant & Molinæus. Puto illos nulla facilè in re concordes fore nisi in decolorando Papa. Cæterùm nullo aguntur studio præterquam libertatis, quod vi oppressum apud Hispaniæ populos facilè resurgat. Et Batavorum potentia multos allicit. Dicuntur illi LX millia suorum in armis habere: cepisse naves longas Hispanorum aliquot: auxilia implorare Galliæ contra tres qui adversùs ipsos venire dicuntur Hispanorum exercitus. Galli pares motus per Arragoniam, Neapolitanum Regnum, Siciliam, Insubres sperant. Sed facilè credunt quod optant, ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής. Vniversitates studiorum in Italia pro Lucensibus contra interdictum respondere. Cardinalis Riceliacus in urbe ac Academia sui nominis artes & scientias omnes vult doceri sermone Gallico, ac sic ejus sermonis non minùs

quàm Imperii prolatare limites. Milites in hiberna eunt; Longavillanus autem ægrotus huc venit. D. Vtenbogardo precor mitem senectam, gratiasque ei habeo quod mea legat & de iis benignè judicet. Lutetiæ 3 Novembris 1640.

Venit jam ad me Flaccus, ab Anglia exemplaria à Blaviis sibi credita attulit. Est socius Blaviorum, de quo gaudeo.

EIDEM.

Frater optime,

520 DIxit mihi Flaccus qui hic est se societatem habere cum Blaviis. Cùm dixissem cogitasse me aliquando de excudendis domi meæ Annotatis ad Vetus Testamentum, ut me ipso recognoscente emendatior nasci possit editio, dixit se eam ad rem sumtus libenter facturum. Si idem videtur Blaviis (nolo enim quicquam agere nisi per ipsos) facilè hic reperientur operæ & typi quibus intra meos lares uti liceat. Velim cogites de rebus his omnibus. Catalani acerba scripta ediderunt in Castellanos omnes: nominatim verò in Olivaresium missum à Gallis, Plessiacum audivere in Senatu Barcinonensi: pessimè tractarunt Castellanos: post hæc tamen omnia preces ad Regem Hispaniæ misere, ita ut difficilis sit de rebus eorum judicatio. Eporediæ (quæ nunc Iurea dicitur) est Princeps Thomas, Mazarinus à Gallia & Legatus Hispaniæ Genuæ agere solitus. Leganesius præsidia sua auget. Imperator dat diplomata tuti itineris Principibus Protestantibus sive Ratisbonam mittere velint, sive Coloniam. Danus satis malè vult & Suedis & Batavis. Nihil tamen magni facturum arbitror. Lutetiæ 10 Novembris 1640.

Ego, uxor, filiæ, te, uxorem, liberos & amicos amicissimè salutamus. Rogo colligas quæ antehac misi emendanda in tribus Anonymis, mittasque ad Blavios aut Cursellium, si missa non sunt, addasque ut ad Caput IV. Epistolæ Iohannis ubi Polycarpus citatur, deleant *ad Smyrnenses.* Præter tria Anonyma accedat responsum ad Maraisium. Ea omnia debent Annotatis subjungi, ita ut separari nequeant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

521 NOs nostrique hic rectè valent. Didericus maluissem in Suedica militia, honestum locum reperire potuisset, ut meis quoque meritis commendaretur. Nunc opto ipsi bene cedat quod elegit. Ego materque ei in rebus justis defuturi non sumus. Ego quàm difficilè sit hoc tempore & conscientiæ suæ satisfacere, & partem aliquam qualiscunque publicæ rei administrare facilè intelligo. Vos tantò meliùs, quantò estis propiores. Si Amstelodami operam adsessoriam navare posset Indicanæ Societati, ac simul in foro ingenium ac diligentiam ostendere, non dubitem, quin id ei utile non minùs futurum sit quàm gloriosum. Eadem via eum duceret ad honestas affinitates, per quas posteri aliquando ipsius partem habere possent in regimine florentissimæ civitatis. Sed si ista doceri non potest, faciat quod ex usu suo existimat. De Principe puto me non vanum esse ariolum. Et factiones quàm grave sint malum inexpertis, expertus novi. In responso ad Maraisium asperi quædam contra Frontonem, de quo siquid cognoveris certius, quæso significa. Annotatorum folia post M. nulla accepi. Sed ad Treselium scripsi, simul atque acceperit, ad me mittat quàm celerrimè. Gaudeo Annotatorum opus consummationem sperare fine anni hujus. Nam illa de Iure Belli ac Pacis pridem mordent carceres. Sequentur deinde nostra ad Vetus Testamentum, aut ibi, aut, si ita mavult, hic ipsius impendio ac lucro edenda. Vale, Frater optime, cum matre, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 17 Novembris 1640.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

FAcis pro solito semper tuo more, quod meas curas tuas quoque esse vis. Quantum autem opto ut nostra quàm minimùm maculis dedecorata prodeant, tantas tibi ago gratias, quod omnes ad hanc rem amicos excitas. Ego illa per Treselium, nondum accepi quod miror. De ternionibus per D. Wyckefortium mittendis consilium placet. Velim & de poëmatum reliquiis, & de annotatis ad Lucanum memineris. Ego enim omni modo id ago, ne quam editionum mearum curam hæredibus relinquam. Quid enim multum liberis meis post mortem credam, cùm videam etiam viventis mei aut mandata aut desideria non magni ab eis fieri? Nostra ad Vetus Testamentum parata erunt antequam nova Iuris Belli ac Pacis editio prodeat. Absolvi enim quæ dicenda erant ad Legem, ad historica, ac Poëtica ac γνωμολογικὰ, ad Prophetas magnos quatuor. Restant percurrendi mihi Prophetæ minores XII, deinde ea quæ extra canonem sunt Hebræum, ad quæ non multa dicam. D. Vtenbogardo facilem senectam, D. Episcopio meliorem valetudinem ex animo precor. Respondi jam ad Maraisium & obiter Frontoni. Id scriptum meum in manibus est eorum qui historias & χρονολογίαν apprimè norunt. Princeps ut video etiam in Frisia aget quæ volet. Ab Arsenio nihil nobis aut publico bono auguror. Matenesius cur se excusaverit, haud satis intelligo. Dousæ optimè volo. D. Spiringius decedente à negotiis Camerario omnia quæ sunt Legatorum aget, an nomen etiam sumpturus sit, equidem nescio. Galli dicunt se VI millia peditum, equites mille & ducentos auxilio mittere Catalanis. Sed Tortosa jam ad Regis Hispaniæ obsequium rediit, idemque de aliis metuitur. De Italicis rebus obscura omnia. Ad exercitum augendum qui pro Gallis in Germania est, supplementa quædam scribuntur. Vale Frater suavissime, cum matre, conjuge, liberis & amicis. Lutetiæ 29 Novembris 1640. 522

Rogo intelligas illa ad Vetus Testamentum velintne Blavii suis impendiis meæ domi & me recognoscente imprimi, an Amstelodami adhibere bonos correctores. Velim etiam scire an Mairius & quando suscepturus sit novam editionem de Veritate Religionis Christianæ.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

LVDOVICO CAMERARIO,

Reginæ Regnique Sueciæ Consiliario & Legato apud Præpot. Ord. Fœder. Belgii.

Illustrissime Domine,

QVid in Italia actum sit, nondum apparet, sed Romam ivisse dicitur Mazarinus, partim ut Papam conscium faciat eorum quæ acta sunt, partim ut quæ restant inter Officiales Papæ & Legati Gallici domesticos controversa componat. Quod Dux Bavarus paratum se simulat depacisci cum Principibus Palatinis, videtur id mihi facere, ut eorum Principum qui Ratisbonæ sunt concordes de hac re preces eludat, & simul ut Regem Britanniæ lactet spe, inani quidem, sed tamen servitura illis qui fortioribus consiliis obsistunt. Cautionem itineris pro Gallis eorumque sociis vidi, & de ea gratias ago Excellentiæ Vestræ. Sed in illa quæ pro Suedis 523

Digitized by Google

dis sociisque Suedorum data est, velim scire quis expressus sit locus. Licentia illa Banneriani militis valde mihi displicet. Non omittet hostis inde nobis apud Germanos concitare odium, & qui sociorum nobis restant, oppidò pauci, eos tentare novis conditionibus. Rex Daniæ haud dubiè scribet ut ab armis liberæ habeantur Regiones Oldenburgicæ & Bremensis: sed hoc tempore qui magnas copias non habent eorum spernuntur literæ. Pacis spem exiguam etiamnunc video, nam præter moras quas nectit Imperator, Galli multa de Germania tenent, neque ii sunt à quibus, prospera fortuna utentibus, facilè impetres ut reddant quicquam. Audio difficiles nunc esse ex Anglia exitus. Itaque magna quidem hic nuntiantur, sed incerta. De Havana quod dicitur, si verum est, magnum in eo sit momentum non Batavorum modò rebus, sed & Galliæ ac nostræ Suediæ. Quod autem à Batavis in Suedia actum est, si perfertur ad Conventum tam magnum quàm esse solet Conventus Ordinum Hollandiæ, latere vix poterit. Dicuntur Catalanorum arma à Clero & monachis probari, validis apud populum concitoribus: scriptum quoddam, quo causam suam tuentur Catalani, brevi proditurum puto Gallico sermone: inde judicium fieri poterit & de æquitate causæ & de proposito. Dicuntur misisse formulam federis ad Principem Condæum, accipere ab eo militem, & stipendium paratum habere ad sexaginta millia scutatorum: centum millia scutatorum, ab illis missa Massiliam ad emenda arma & bellicum pulverem: in arca publica Barcinone esse XVIII milliones auri. Sed it contra eos valido cum exercitu Rex Hispaniæ, & ex nobilitate quidam, quibus major spes in Regno quàm in libertate, ostendunt sibi non probari quæ Barcinone à summis Rectoribus fiunt. Ita, ut de Galliis ait Tacitus, nondum victoria, jam discordia erat. Spargitur hic rumor, sed mihi parum credibilis, conventurum cum Rege Galliæ Cardinalem Sabaudum sine Thoma Principe. Dicuntur ad pacem tendere Francisci Melonis consilia. Fridberga, quantum audimus, nondum oppugnata à Glenio, satisque bene ei loco prospectum à Rosa, qui & quingentos Croatas ceciderit. Bavarici in Palatinatu & agro Wirtembergico se tenent. Cæsariani in Suevico, sed tenui manu. Leganesius cum Helvetiis transegit, uteturque militum ejus gentis opera ad tutandum agrum Mediolanensem. A magno Mogore Legatus Constantinopolim venit; à Constantinopoli autem qui ad Moscovitas missus erat, dicitur à Polonis interceptus & reperta mandata Polonis noxia. Id an verum sit in Batavis jam forte noscetur certiùs. Hispani milites à Perpiniano & Salsa magnam vim pecoris & equorum abegere à locis circa Narbonem. De Offenburgo & Dolo obsidendis vere venturo sermones jactantur. Deus Excellentiæ vestræ faveat semper. Lutetiæ 1 Decembris 1640.

Excell. Vestræ perpetua observantia devinctus H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

524 EA quæ respondi Maraisio & Frontoni, quæque cum tribus scriptis antehac ἀνωνύμοις, at nunc ὀνοματοφόροις addi inseparabiliter nostris ad Euangelia Annotatis volo, mitto ad Vergoesium quem apud vos futurum spero, ea de causa, ut siqua fiat inquisitio in scriptum multis displiciturum, liquidò dicere possis non visum tibi. Vergoesius per amicos Amstelodami quæ jussi curabit. Nolo autem hunc similesque si quos mittam fasciculos tibi sumtui esse, qui multum facis quod mihi operam curamque commodas, sed rationibus imputari meis. Miror me non accipere edita folia Annotatorum post M. Vereor ne aliquid lateat occultum, præsertim cùm Cursellium ex literis cognoscam à me aversiorem. Monet me Vossius omitti quædam à me in margine scripta. Ei rei vereor ne aliquis non dico ejus, sed tamen dolus subsit. Velim autem diligentissimè inquiras in Matth. x. 2. editum sit quod margini asscripseram. Est autem tale, πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος) *Princeps haud dubiè collegii a Christo designatus ad retinendam corporis compagem, &c. offendat quenquam quod Gal.* II. 9. *Cephas medius inter Iacobum & Iohannem legitur: In manuscripto enim antiquissimo qui ex Græcia in Angliam devenit, abest ibi id nomen. Græci posteriores apposuere.* In XXIV capite Matthæi v. 30. scripseram *post tot doctrinæ & regiminis corruptelas* addidi post, *tot* hæc verba, *non paucis in locis*, paulò post in explicatione illorum καὶ τότε κόψονται post ista verba: *ob judicia illa severissima quæ simul ubi repurgata erat Doctrina exercebantur à Christo* delevi ista: *in Babylonem pietatis corruptricem.* Quia cognovi postea seria studiorum intentione, quæ de Babylone in Apocalypsi dicuntur ad alia tempora pertinere, quomodo & ostendi in illis de Antichristo. Rogo igitur ut præter curam illam communem quam meis rebus omnibus impendis, inquiras an hæc omnia ita posita sint ut volui. Mitto simul indiculum corrigendorum in Annotatis ad Euangelia usque ad finem M. Sunt quædam leviora, sed quæ tamen adscribenda fuere vel in hoc, ut sequens editio fiat perfectior. Ad eandem commendandam pertineret plurimum, si quis satis istorum intelligens Græca & siqua sunt Hebræa interpretanda interpretaretur Latinè, eaque versio poneretur in margine, nomine etiam interpretis commemorato. Vbi hæc quæ nunc prælum versat editio processerit, Curcellius inter primos esse debet cui debetur exemplar & quidem compactum. Deinde cæteri quos nosti. Hæc scripseram cùm tuas accepi literas scriptas 26 Novembris. D. Vtenbogardo amicisque aliis ac tibi gratias ago, quod tantam in rebus meis curam sumitis. Spero quæ nunc eduntur emendatiora fore, maximè si Blavii velint σπεύδειν βραδέως & doctorum utantur opera. Vatem Molinæi nondum vidi, velim tamen. Erlachius hic est, sperans dignitatem Marescalli Franciæ pro Præfectura Brisacensi. Exspectantur Dux Longavillanus & Harcurtius. Fridbergam machinis verberat Glenius. Deus matrem nostram, te cum uxore ac liberis servet. Lutetiæ 8 Decembris 1640.

Cùm Vergoesium intelligam adhuc hærere Diepæ, fasciculum quem ad te ipsi tradendum mittere volueram ad ipsum mitto. Cæterùm corrigenda in Annotatis ad Euangelia quousque ea accepi tibi mitto, tibique curanda committo, idem facturus in sequentibus foliis ubi ea accepero. Siquis in id tempus cùm altera procurabitur editio Annotatorum indicem velit facere verborum & rerum, is utilem lectoribus operam navarit. Hæc postquam scripseram, vidi ventum Vergoesio adversari ac metuens, ne is ventus diu duret, redii ad priorem sententiam tibique fasciculum mitto Vergoesio scriptum, cujus vices in hoc negotio frater ejus supplere poterit, si ille serius quàm res hæc fert, venerit. Dedi eidem Vergoesio exemplar bene correctum trium antehac ἀνωνύμων. Si is non adsit in tempore, rogo te aliud exemplar bene correctum ex iis quæ antehac monui Blavio mittas: & inter alia ubi Polycarpi epistola nominatur, dele hoc, *ad Smyrnenses.* Est enim ἁμάρτημα μνημονικόν.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Frater dilectissime,

QVod literas meas quamprimùm fieri potest habere 525
desideras, in eo ostendis, ut in omnibus aliis rebus, quanti me facias. Mittam ergo posthac, ad præscindendam

dam moram omnem meas non per D. Spiringium, sed directè. Verùm nolo id tuo fiat sumptu, cùm quæ scribo sint de rebus meis, satisque tu cura earum oneraris, etiamsi non accedat injustum impendium. In Annotatorum editione multa mihi acciderunt adversa, primum quod D. Vossius à me rogatus non relegit quod misi ἀπόγραφον. Est quidem id factum ex bene correcto exemplari. Sed non mirum est descriptores labi interdum. Meam ego culpam ad hoc libenter fateor: ita me properum esse in relegendis meis operibus, quia sensus & tota cohærentia mihi animo hæret, ut non accentuum tantùm, sed & literarum errores inter legendum facilè prætervehar. Deinde nimia ista Typographi festinatio in causa est quominus à pluribus relegantur ista specimina. Tum Cursellius linguæ Græcæ & Hebraicæ minùs est peritus quàm vellet credi: & dubito an non aliorum opera à me factus sit alienior, certè sine mea culpa. Valde autem mihi dolet opus quod inter mea optimum puto proditurum cum tot fœditatibus, ut mirum non sit futurum si vel hinc arripiant materiam inimici me ut imperitum calumniandi. D. Salmasius apud nos fuit. Vidit Cardinalem qui eum ad Romanam Religionem, sed humanè satis invitavit. Puto rediturum Lugdunum & majus ex Gallia quàm à Batavis honorarium ei datum iri, ut nihil edat contra Papam, & ut huc nuntiet sedulò quæcunque in Batavis compererit. Nostra scripta, quantum audio ei non placent. Et vereor ne & Vossium & Cursellium à me nonnihil abduxerit. Pagellas Annotatorum post M, nondum accepi: scripsi autem ad Tresellium sæpius ut inquirat ubi hæreant, indicato ei nautæ nomine. Corvinum nihil aut mihi, aut tibi respondere miror. Nescio unde illi hic metus. Sed multi sunt qui ex meis scriptis, quæ veri plena arbitror, odium soli & in suos recasurum timeant. De Blaviis etiam quid dicam nescio. An me meaque ament, an non ament, an in rebus meis aliena potiùs quàm mea sequantur arbitria, dubium me ipsi faciunt. Rogo verò iterum ut si fieri potest, aliquem qui in Religione moderatè sentiat, habeamus nobis fidum, qui significet aut mihi, aut tibi quid fiat: interpellet interdum: per quem sciamus an ista de quibus proximè monui, ita sint edita, ut volui ego, an contra meam sententiam omissa aut mutata aliqua: multum enim & veri & pacis & mea refert, ne id fiat. Vergoesius spero faventes habebit ventos, ut peragat quæ suscepit. Alioqui ea via erit ineunda quam dixi. Tam valdè cupio quàm quicquam, ut & tria hucusque ἀνώνυμα ita accedant annotatis, ne separari possint: tùm verò ut responsum meum ad Maraisium & Frontonem quàm emendatissimè edatur & illis quæ dixi accedat, ut legi possit à quàm plurimis. Puto enim me omnibus objectis quantum non pertinacibus satis est, respondisse: & viros hic eruditissimos habeo qui planè mihi in omnibus accedunt, etiam qui ante multos aliter sensêre. Rogo ad nos omnia quæ scire nos attinet perscribas diligenter. Induciæ per Italiam durant adhuc. Quid in posterum de iis futurum sit difficilis est conjectura. Catalanorum motus adhuc manent, sed non sine seminibus discordiarum inter ipsos. Fedus Suediam Galliamque inter renovatum nondum est, pendet deliberatio & multis nodis implicatur. Multis in locis sermo est, velle Hispanum jus & possessionem in Belgica suam tradere Ferdinando III. Accepta permutatione cis ultraque Alpes, in iis locis quæ multum utilia esse possunt Ducatui Mediolanensi. Eo modo pacem fore sine labore ac disputatione, quia inter Batavos & Ferdinandum nihil hostile intervenit. De novo onere solidi in Florenum rerum promercalium exemta hæc sunt, vinum, panis, carnes ad esum. In Helvetiis & Rhætis nihil aliud sunt quàm dissidia & factiones, & nutans inter ista libertas. Vale Frater optime, cum matre, uxore, liberis, & amicis; daque veniam quod toties tibi de meis negotiis molestus esse cogor. Lutetiæ 15 Decembris 1640.

Vtilissimus haud dubiè Christiano orbi erit libellus quem adversùs Maraisium scripsi; sed factiosis odiosus. Ei odio volui te quantum licet subtrahere. Velim scire ecquis sit ex fautoribus Cornhartii Amstelodami nostri amans & cujus opera uti liceat. Cogita quæso. Remonstrantes sibi timent in rebus suis incertis. Itaque minùs audent. Fortè è Pontificiis moderatioribus aliqui nobis utiles esse possent. Libros non editos meos quos Petrus penes se habet rogo, ut quavis ratione tuæ facias potestatis: multum enim id mea refert. Quæso sciam quid futurum sit de Paralipomenis poëmatum, de illis ad Lucanum, & de Veritate Religionis Christianæ. Nam de Anthologia quid sperare audeam, ubi tam stupidi, aut tam negligentes sunt Correctores. Rogo, quantum possum ut cures antehac ἀνώνυμα & responsum ad Maraisium Annotatis sic accedere ut separari nequeant. Catalanis ita suspecti sunt Legati quos Madritum miserant, ut eos vetuerint intra fines reverti, ne ipsi à Rege corrupti corrumpant alios. Archiepiscopus Burdegalensis rursum duas cepit naves hosticas. Leganesius multum militem scribit in Germania & Helvetia. Antonius Sarmiento cum magnis mandatis ab Hispano Bruxellas mittitur.

Tibi obligatissimus Frater H.G.

EIDEM.

FAcio rursum, quod facere pœne semper soleo, mi 526
Frater, ut de meis negotiis tibi molestus sim, quanquam, quod me solatur, non tam mea sunt ista quàm publica & posteritatis cui inservire fide optima mihi propositum est. Accepi tandem paginas ad Treselium missas, sed deest *ternio N*. Eum ad me mittas rogo. Mitto ego errata quæ sunt ab O ad Qq. nam eousque paginas accepi. Ea errata addenda erunt cæteris. Velim autem ante frontem omnium Erratorum hæc poni. *Rogatur lector ut antequam legat Annotata corrigi faciat errata hæc: maximè verò in Hebraicis quæ & multa sunt & magna.* Velim & in fine operis hoc poni. *Sicubi expositiones meæ variant, velim pro meis haberi quæ posterius sunt posita.* Iam verò totus ternio N n recudendus erit. Quod quò minùs meis fiat impensis non recuso, dum paginæ omnes aut terniones cusæ antehac comburantur. Causa est quod cùm ista scripsi locum ad Thessalonicenses & quædam Apocalypseos aliter intellexi, quàm ea nunc intelligo, & ut alii viri eruditi intelligerent effeci. Peccatum autem mea festinatione est quod non ista mutaverim, sicut nunc facio, mittoque schedulam separatam ad cujus præscriptum iste ternio recudatur. Hoc ita cures velim ut rem quæ maximè mihi cordi est, ne vestigia maneant erroris communis quem secutus sum. D. Vossius ut video præ metu, fortè & ex Anglia sic jussus, auxilium suum mihi subtrahit. Corvinus ad quem misi præfatiunculam præmittendam tribus antehac ἀνωνύμοις & appendici nihil mihi respondet. Curcellius autem ægrè fert quod de mendarum queror multitudine. Præterea est ei etiam de his rebus commercium cum iis qui me non amant. Quare ad Bremium scribendum tibi puto, nisi alium certiorem amicum repereris. Velim autem me certum facias de illo ternione N n factum quod desidero, & si potes cures ut & paginas post Qq accipiam. D. Salmasio vult Cardinalis honorarium majus dari quàm in Batavis habuit. Sed ipse valdè hæsitat. Metuit ne solutio minùs rectè procedat, sive ut pertrahatur ad Romana castra ad quæ ipse transire non vult, sive artibus Iesuitarum, quos à se malè tractatos novit.

Digitized by Google

novit. Carentonense collegium velit eum reverti Lugdunum. Metuunt enim ne Mileterii conatus adjuvet, quod jam Cardinali spondet Mileterius. Abstinui in erratis annotare cùm ubi adverbium vel conjunctio est, non præpositio, accentu gravi notandum. Velim tamen in posterioribus editionibus, si quæ futuræ sunt, & hoc corrigi. Literæ tuæ posthac tardiùs ad nos adventuræ sunt. Nec ecce quas dederas decimo die, accepi vicesimo. Editionis Iansonianæ de Veritate Religionis Christianæ velim conspicere exempla. De poëmatis & nostris ad Lucanum scio te cogitaturum; expiscaturum item voluntatem Blavii de illis quæ ad Vetus Testamentum scripsimus: & quando absolutum iri putet illa ad Euangelia. Mendæ quæ commissæ sunt concoquendæ sunt. In posterum cura adhibenda melior. Potuerat nos hoc malo liberare D. Vossius aut aliquis liberûm ejus, nisi metus eos aut aliorum consilia impedissent. Quæ scribis de homine illo bilis satis fervidæ, & nunc postquam auctoritas ei crevit, nihil remissuro de fervore planè probo. Heinsii quanquam de nobis non optimè meriti, doleo vicem. Salmasius prædicat ejus famam planè esse prostratam. Ego verò dico eum felicissimum in omni genere, poësi & disertis declamationibus, etiamsi abessent alia in quibus eum deprimit Salmasius, semper in gloria futurum. Vatem Molinæi legere desidero. Cæterùm in responso meo puto me magnas in ejus operibus ruinas editurum. In Chronologicis planè Petavium sequor, qui & Baronii labore usus est, & multò post eum vidit exactiùs. Ita omnes in Anglia judicant, ipse autem meas expositiones multum probat: & Chronologiam planè ei ait favere. De Domitiano quin mea sint verissima, neminem dubitaturum. Cætera quia nova sunt, tempore opus habere ut approbentur iis quos præjudicia occuparunt. Ego autem pro certo habeo si vera sunt illa de Domitiano, ut sunt, & anteriora & posteriora ex serie temporum aliam à mea interpretationem non pati. Eò magis curandum est ut ternio iste mutetur, ut dixi, & urantur exemplaria, ne ad inimicos perveniant. Petrum rogo consiliis instruas ex nostro voto. Si vult facere quæ libet, à nobis paria exspectet. Lutetiæ 26 Decembris 1640.

Matrem, uxorem tuam, liberos, ego, uxor, filius, filia, cognata salutamus. Dicit Petavius sententiam de Antichristo sub finem seculorum venturo maximè ex Herpenblisto manasse: cujus librum certò esse ἀποβολιμαῖον. Non credas, mi Frater, quanto in æstu negotiorum, quantisque interpellationibus relegam aut ἀπόγραφα mearum commentationum aut editorum specimina. Itaque non dubito quin errata cùm annotaverim tam multa, multa & omiserim. Facio quod possum. Prosum publico. Adjutores fidos quæro. Præter te unum vix quenquam invenio. De Catalanis & pace Italiæ res valdè incertæ sunt. Sed dicuntur Catalani obsessum ire Tortosam: Hispani contra ad eam liberandam tendere. Imperator & Bavarus ut Angliam spe lactant, quæ via eis hactenus bene processit, colloquia cudunt de re Palatina, sed ea differunt in seram diem, ut fruantur tempore. Ad reperiendas pecunias quarta pars de salariis quæ dantur iis qui publica funguntur munia, à fisco retinetur; & revocantur nobilitates & immunitates intra xxx annos datæ. Salmasius hic manere mavult quàm Lugdunum redire, modò honorarium à Rege habeat. Et id majus ei promittit Cardinalis: sed solutio hic minùs certa est quàm in Batavis. Tum verò metuit Iesuitas quos acerbè læsit, homines nunc potentes. De Religione non fiet illi negotium. Sed si & qua Lugduni usus est licentia omnia vult scribere, malè ei res cedet. Hæc jam facta mihi repeto, quò magis noris comperta me scribere. Nam in horas aliquid de ejus rebus addisco. Planè pendet animi. Et amici eum in diversa trahunt. Ego à dando consilio multis de causis me abstineo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

FAsciculum, pro quo non immeritò sollicitus fui, gaudeo rectè ad te perlatum. Sed Vergoesium nostrum 527
nondum, cùm postremas scriberes, ad vos venisse, miror, doleoque ei tamdiu restitisse ventos. Fortè alicubi in Anglia hærebit. Nam à Diepa nihil literarum ab ipso habuimus. Indiculum secundum eorum quæ correctores aut typothetæ peccarunt in Annotatis ad Euangelia, jam acceperis. Videbis ex eo an jure querar. Hebraica fermè omnia corrupta sunt. Græca multa. Ex tot mendis inimici materiam sument me traducendi. Si festinatio librarii sola in causa est, pridem ea inhiberi debuit, vel ipsius, vel mea causa. Video quasdam pagellas satis rectè excusas. Fortè eæ in Bremii manus inciderint. Curcellius, ut video, molliter nobis tractandus est, eoque magis quod operam satis difficilem sine mercede nobis navat. Conquestus erat se, pro multis epistolis quas à me acceperat aut à Merceno, & quarum pretium exsolverat, accepisse ab uxore mea, cùm illic esset, non plus xxx stuferis. Vxor dedisse se dicit quantum ipse se impendisse indicaverat. Ego autem ei misi Pistorienses duos. Pro navata in corrigendo opera Blavii, quos satis lucraturos confido, aliquid ei debent. Ego de meis operibus, sicut quæstum non facio, ita nec damnum sentire debeo. Egissem tamen gratias Curcellio, nisi ipse me prohibuisset, qui cùm ante literas subscripserit ut moris est ad Legatos Regum ad Reges, Excellentiæ Tuæ &c. mutavit formulam & scripsit Amplitudini Tuæ, sicut Salmasius initio epistolæ, vir Amplissime, Vossius autem initio quidem Illustrissime, sed in fine Illustri tuo nomini, quod eum insuper dixisse Curcellio miror. Indignus sim honore quem mihi Suedia imposuit, si me sinam minùs honorificè tractari quàm cæteros mei gradus. Si verò Curcellius etiam Blavii ad me literas antehac miserat inscriptas mihi ut viro Clarissimo: qui titulus nunc pædagogis datur: Amplissimi verò Scabinis ab ipso Salmasio. Suspicionibus non libenter indulgeo. Non tamen stipes sum, ut non intelligam quod trium ἀνωνύμων editio tamdiu retardata fuerit, in eo aliquid plus casu intervenisse. Corvinus ad epistolam meam nihil respondit. Et rectiùs facit, si quid ex meis editionibus sibi mali metuit, quod se non immiscet, quàm si se in id immisceret, ut aliis potiùs morem gereret quàm mihi. Nam mandatum aut suscipiendum non est, aut implendum ex voluntate ejus qui mandavit. Relegi Notas nostras tenues ad Tacitum. Dum vetera menda corrigo, admissa sunt nova ut p. 238 *prudentis* pro *prodentis* & p. 740 *omnium* pro *ominum*. Velim hæc calamo corrigi in iis quæ restant exemplis. Rogo ut de omnibus operibus nostris, quid fiat, quid futurum sit, sæpe me moneas: & quando ad metam ventura sint Annotata. Minorem esse filiam Britannici Regis intelligimus eam, quæ nuptura est filio Arausionensis Principis. Multa erunt quæ ea de re in mentem veniant & Gallis & Batavis. Sed & sponsalia ejusmodi sæpe ante exitum intercidunt: sive fato, sive consiliis pro tempore mutatis. Salmasius apud amicos ita loquitur quasi Lugdunum rediturus. Metuere se dicit, ne fracta cum Batavis tessera, rebusque suis hic collocatis, fraudetur aliquando promissis salariis, ut eo incommodo pertrahatur ad Missam. Memineris etiam rogo esse penes Corvinum præfatiunculam præmittendam τοῖς hactenus ἀνωνύμοις, deinde versionem Latinam Græcorum & Hebræorum, quæ sunt in iisdem libellis ponendam non in textu, sed in margine. Fuit apud me qui-

Digitized by Google

quidam in Anglia librarium agens, qui se dicit velle novam curare editionem in Anglia Annotatorum in Euangelia, ne id ab alio fiat. Dixi me non obstare, si id probet Blavius, cujus commodis consulere volo, &, si editio fiat ad exemplar planè emendatum ut volo. In Annotatis quædam contra meum sensum Curcellius mutavit, quod nolim fieri. Gallicæ cohortes in Catalaniam ivere; multis tamen Catalanis id nolentibus. Marchionissa Cordouæ femina inter Catalanos præpotens per filium suum qui in Aula Hispanica vixit hactenus, conditiones accepit per quas redeatur ad obsequium. In Italia apparet Hispanum pecunia egere. Helvetii qui Vigevani seditiosè agebant, tandem acceptis LX millibus scutatorum domum rediere. Cogitantque rectores Helvetiorum revocare & eum militem qui Gallis militat ob non soluta per XII menses stipendia. Et Helvetiis & Genevensibus commercium cum Gallia interdictum est, ideo quod inde commeatus in Comitatum Burgundiæ ferrentur. In Italia durant induciæ & videntur prolatari ad Martium mensem: Galli verò volunt credi Principem Thomam ob malas Hispanorum in se molitiones ita ab Hispania alienatum ut in Galliam sit venturus. Vale cum matre, uxore, liberis, amicis omnibus. Lutetiæ 28 Decembris 1640.

Rogo eorum quæ de Annotatis scripsi omnium bene memineris.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

528 Sicut tu pergis res meas curare, ita & ego tibi gratias agere. Rogo autem ut cum primis literis mittas mihi ternionem N, quem mihi deesse jam indicavi: deinde verò per amicum aliquem, aut per Treselium omnia quæ sunt edita post Qq. Præterea velim scire quando putet Blavius finem futurum imprimendi. Vereor ne sicut antehac nimia festinatione peccatum est, ita nunc ex tarditate mora nimia molesta sit iis qui jure optimo meum responsum ad Maraisium & Frontonem exspectant. Ejus responsi cùm essem debitor, ipsa argumenti necessitas me eò traxit, ut ostenderem multa poni inter Antichristi notas quæ sunt antiqua. Id ipsum autem viam sternit ad concordiam, si quando de ea serio cogitare Reges & Episcopi velint. Obiter necesse fuit ostendi ne illam quidem partem quæ tam severè castigat alios suis carere vitiis; quod tamen feci eo cum temperamento, ut nomina eorum quos dicere me sentio non adderem. Quanquam autem spiritus ille turbidus magnos motus ciet non in Scotia tantùm, sed & in Anglia, non debui tamen, ni fallor, differre responsum, ne nihil credar habere quod opponam. Deinde non despero futuros aliquos τῶν καθαρῶν qui visis nostris laboribus si non sanentur, certè ad sanitatem propiùs accedant. Idemque de Pontificiis moderatioribus est cur exspectem, præsertim cùm eruditissimi istius partis, mea quæ satis sunt libera ac moderata, jam probaverint. Ego autem non Anglis aut Scotis, sed omnibus prodesse cupio, non nostro tantùm sæculo, sed vel præcipuè posteritati me impendens, & si talia, quæ semper occurrunt, respuere velim, nunquam erit tempus vera dicendi. Deinde cùm vitæ modus incertus sit & in hoc & in aliis operibus, id ago, ne quid relinquam diligentiæ hæredum quorum negligentiam quotidie video. Nemo eorum est qui non meas chartas primo empturienti sit venditurus. Hoc autem me cavere oportet. Itaque velim non præcipitari, ut factum antehac est, sed maturari editionem, ut suo ordine lucem videant & alia. Vatem Molinæi si habere possim legam. Videtur mihi audax esse in definiendo tempore ruituri mundi: nulla enim ejus rei firma argumenta video. Et cui persuadeam Papam se efferre super omne quod dicitur Deus aut σέβασμα, tum verò σέβασμα esse hostiam: & de falsimoniis non de magicis ostentem agi in illis ad Thessalonicenses: & Papæ Imperium cœpisse anno 755? Hæc sunt difficilia concoctu. Quod Galli qui apud vos sunt prædicant bene mihi velle τὸν ἐν πάθῃ κεχρημένως, id ego neque nimium credo, neque operosè refello, opus interdum est decipi. Et tempus appropinquat quo ipsis possim esse utilis. De Catalanis Galli alia sperant: alia judicant Itali: Galli quod obsides accepere, auxilia autem miserunt, longum ibi bellum spe anticipant. Itali Episcopos à Catalanis missos jam esse in Aulam Hispanicam qui putentur pacem confecturi, salvis moribus legibusque antiquis. De Principe etiam Thoma nihil habemus certi. Omnia suspensa. Multis illum pignoribus tenet Hispania. Cardinalis autem Sabaudus de Nicæa discessurus non videtur. Salmasius hic manebit, si & salarium accipere potest majus aliquanto quàm in Batavis, quando & sumptus tum alii majores sunt, tum à carruca magna impensæ accessio, & si certi aliquid ipsi assignatur unde accipiet annua: metuit enim ne pulchris initiis processus non respondeant. Annum ineuntem matri nostræ, uxori, liberisque tuis & amicis fortunatum precor. Lutetiæ 5 Ianuarii 1641.

Rumor hic est & Vlyssipone motum esse aliquem. Lucanum, poëmata, Anthologiam sat scio tibi non excidisse. Valde mihi opus est amico aliquo Amstelodami qui minimè sit meticulosus. Forte Vergoesius ubi venerit (nam nunc etiam Diepæ hæret) inveniet aliquem. Mihi cæteris Veteris Testamenti partibus percursis commentandi restant minorum Prophetarum quinque: nam ad ea quæ extra Hebræum sunt canonem pauca dicemus. Putem è re esse & mea & typographi in frontispicio Annotatorum fieri mentionem accessionum. Sperant Galli eam factionem quæ Leodii oppressa est revictutam. Britannia Armorica dat Regi Galliæ extra ordinem IV milliones Florenorum & CCCC millia insuper. Dux Carolus ad Marcam in Famina est, cum alis decem, peditum cohortibus quatuor. Cæsariani insulam quandam capere volentes in lacu Constantiæ ab inhabitantibus repulsi sunt. De permutatione captivorum colloquia inter Gallos & Belgas dilata sunt in mensem Martium. Etiam atque etiam precor, ut mea omnia ex meo voto quàm optimè curentur. Nihil facio sine magna ratione, sed omnes rationes, etiam honestissimas perscribere non licet. Iustus Brasserus fortè nobis aliquem ἐργοδιώκτην Amstelodami monstrare poterit ad quem scribere possim. Cogita.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Nihil abs te, nunc quidem literarum habui, mi Frater: quod per absentiam tuam aut negotia magis urgentia evenisse non dubito. Ego tibi pergo commendare omnia quæ scripsi hactenus de editionibus nostris, præsertim ut pagellæ ipsæ quas indicavi Annotatorum recudantur meo sumtu, ut errata bene exprimantur, ut tria hactenus ἀνώνυμα ad finem accedant ἀχωρίστως, deinde & Appendix de Antichristo. Gaudebo autem doceri quando hujus editionis finem præsumant librarii. In aliis quæ mihi edenda restant, possum exitum aliquem vel hic reperire. Sed Blavios, si id velint, cæteris præferam, modo de Correctore sibi prospiciant Græca & Hebræa intelligente: neque tamen tam audace ut sensus meos immutet, quod fecere nunc Correctores aliquoties. Exspecto per te ternionem N: deinde & cæteros à Qq ad finem, ut & ibi commissa annotem. 529

Cata-

Catalani hic à Rege auditi sunt tecto capite, deducti à Marescallo Franciæ, planè ac Batavi. Sed interim cladem accepere in montibus ad Tortosam, ubi ipsorum miles & totum auxilium è Gallia excepta una cohorte quæ Barcinone manserat, coacti sunt se dedere; Galli cum Espernonio vita salva, Catalani ad arbitrium victoris. Planè furculæ Caudinæ. At Barcinone mortis supplicio affecti, qui cum Rege Hispaniæ de pace seorsim egerant. Fiunt hic dilectus ac supplementa pro Longavillani copiis. Tum verò Comœdiis & choreis strepunt omnia. Papa suas res & cum Hispano & cum Gallo composuit. Cardinalis Riceliacus reconciliationem Ecclesiarum planè putat fieri posse, & strenuè in eo laborat Mileterius. Salmasius verò dubitat an hic manere debeat. Vale, mi Frater, & mea ut soles cura. 12 Ianuarii anni 1641. quem felicem matri, uxori tuæ, liberisque & amicis precor. Lutetiæ.

Dux Carolus est in Lutsenburgico cum peditum duobus millibus, equitibus mille. Nam hiberna Treverensis agri eripuit ei Lamboius. Multa pecunia ex Hispania Genuam venit. Neapoli verò paratur classis XL navium longarum, aliarum centum. De Portugalliæ seditionibus magna hic narrantur, sed parum liquida fide.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

530 Mitto errata in Ternione N, in quibus unum meum, qui aliorum secutus sententiam de tempore quo instituta fuere jejunia quædam Iudaica, nunc eam mutavi. Rogo des operam ut suo loco annotentur. Ego reliqua Matthæi post Qq; deinde Marci, Lucæ & quæ sunt Iohannis exspectabo, & quamprimùm potero errata transmittam. Vergoësium Diepa pridem digressum accepi. Mirum ni tempestas aut periculum aliquod cum in Angliam tulerit. Spero jam erit apud suos: quod si est, ipsi sin minus, quod nolim, fratri ejus meam epistolam, quæ huic inclusa est, tradas rogo. Vbi editio consummata erit, facies de exemplaribus ita ut antehac inter nos constitutum est. De recudendis paginis fac certus sis fieri quod volo. Nam impendium non recuso, dum omnino aboleantur priùs editæ. Non ero satis quieto animo, donec id factum norim. Metuo enim non tam Blavios quàm alios qui se miscere possent, ut mihi noceant. Si quid in Vate (nondum enim vidi) repererim aliquando dignum refutatu, poterit in secunda editione ad appendicem appendix fieri. Vbi liber hic meus erit editus, videbunt Protestantium multi faciliorem esse viam reconciliationis Ecclesiarum quàm putant. Nam in quibus præcipuè Reformatio posita creditur, ea manere poterunt bona Pontificis pace, modò ne injuriis exasperetur. Nihil ea de re dixi temerè: & Cardinalis Riceliacus rem successuram putat. Ita certè loquitur multis. Archiepiscopus Cantuariensis pœnas dat honestissimi cogitati quod & aliis bonis sæpe evenit. Sed non debent seditionum prosperi successus nos à vero ac pacis studio dimovere. Neque tales furores absterruerunt Erasmum, Cassandrum, Melanchthonem, quò minùs & preces suas & consilia ad veritatem pacemque conferrent. Temporum articulos nosse Dei est, nostrum est officium facere: & in bonis desideriis vivere aut mori. Componi controversiam inter Britannicam & Batavicam Societatem ad Indiam pertinentem gaudeo, suasique semper Batavis ne nimis τὸ ἀκριβὲς sectarentur. De cæteris nostris editionibus exspectabo quid fieri possit, aut faciendum censeas. Beverwartius, ut arbitror, nihil hic aliud quàm bene ominata verba accipiet. Mitto in tergo Erratorum N ἀπόγραφον præfatiunculæ ad tres libellos, quam ad Corvinum miseram. Volo te & publicarum quæstionum participem facere. Didici hodie ex editis testimoniis plurimorum, qui videre in ipso confinio Provinciæ Gallicæ & Sabaudiæ inter vicos Dalvisem & Peannam anno 1637. die 29 Novembris in terram de cælo cecidisse saxum LIV pondo, cum fragore qualem vix ederent trecentæ machinæ bellicæ, cœlo sereno. Ingentem in terra factam scrobem in qua repertum est saxum. Odorem sparsum latè sulfureum & qui in propinquo erant lapides in calcem versos. Figuram saxi fuisse planè enormem. Consulo ego physicos unde ista moles & quomodo in cœlo suspensa agitataque permanserit, aut divinos qualis est Molinæus, ut norim quid istud portendat. Catalanici damni famam quantum possunt imminuunt Galli. Damnum quoque ipsum resarcire properant, missis illuc copiis terra marique. Et multum illis favet alter ille in Portugallia motus, de quo Nuntii Pontificii Madritii agentis huc venere literæ: Regem Eboræ coronatum Ducem Bragantiæ ortum è Catharina Portugallica filia Eduardi, cui Eduardo & Henrico post Sebastianum Regi & Isabellæ quæ mater Philippi secundi idem parens fuerat Emanuel Portugalliæ Rex, fueritque tunc Castellanorum sententia pro privilegio masculini sexus in pari gradu, Conimbricensium pro repræsentatione, ita ut monachus quidam Portugallensis de ambone pro Catharina controversiam definiverit ex illo textu: *qui me videt, videt patrem meum.* Qui me Catharinam videt, inquit, videt Eduardum è Philippo. Ioh. XIV. 9. Nunc Episcopus Vlyssiponensis Crucifixum manibus gerens sanctè affirmavit populo jus armis oppressum. Itaque populus omnis eum ipso in arcem currens id denuntiavit Archiducissæ Præfectæ pro Rege Castellæ eamque detrusit in monasterium. Arx ad ostium Tagi & urbes aliquæ Portugalliæ ad mare maximè manent in fide Philippi: & vicini populi ad Bilbaos se congregant ut novum Regnum armis rescindant. Eodem currunt ex Ruscinonensi Comitatu quatuor millia: vocaturque ex Italia cum copiis Leganesius. Quia hæc controversia multos per Europam sermones, & fortè si initia bene procedent, Legatos videlicet Iohannis parturier, censeo legendam historiam Connectagii de unione Regnorum Castellæ & Portugalliæ, ac Acostam de successione Regia. Nicæam Provinciæ olim, nunc Pedemontani imperii urbem, munit diligenter Cardinalis Sabaudus & eò se recipit Princeps Thomas, Legatumque ab Hispania exspectat. Rex autem Galliæ Comitem Philippum Viduæ Sabaudiæ ad fabulas usque percarum jussit capi in urbe Taurinorum, captum perduci in Galliam, ubi jam Lugdunum transiit habebitque domicilium in Silva Vicennensi, in locum Waertii qui Nanciacum ducitur. Vidua autem Sabaudiæ primùm ignara illius facti, ubi comperuit, muliebriter dolens, conquerens, lamentans, frustra omnia, in morbum incidit. Vale mi Frater. 19 Ianuarii 1641.

XXII millia Hispanorum Barcinonem obsident.

Tuus ex animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo non longè à fine esse Annotata nostra. Rogo nulla mora adferatur, & mittantur ad me ubi primùm poterunt paginæ post Qq. In meis operibus ego Reformatorum dolos magis metuo quàm invidiam, si bonorum qui inter Romanenses non desunt, opera utar. Et si id fecissem antehac, fortè res cessisset meliùs. Qui omnibus servire desiderat, meritò omnium auxiliis utitur. D. Vtenbogardum timidum esse non miror. Fert hoc ætas & status fluctuans tum ipsius, 531

tum

tum Remonstrantium. Ego, Deo sit laus, in tuto sum loco & honorum prope satur, ita, ut si pax fiat, quam opto, quietem in loco quieto facilè possim pati. Si exspectassent Erasmus & Cassander donec nullæ fuissent populorum seditiones, indixissent sibi ipsis æternum silentium. Illæ viperæ semper sibilant, præsertim afflantibus ventis à Lemauno. Ego ista ferens humanitus nolim differre quæ officii mei, qui Christianus sum, esse existimo. Vita in nostra non est manu. Profuturi sumus aut huic ætati, aut aliis. Cardinalis quin ἑνώσεως negotium in Gallia successurum sit, dubitare se negat. Poterit & Archiepiscopi Cantuariensis causam sublevare, si appareat etiam alibi esse qui de restituenda Ecclesiarum conglutinatione cogitent, præsertim tali per quam mansurum sit quicquid est veræ Reformationis. Id ex libello etiam meo, quem eruditissimi probant, apparebit. Doleo nondum venisse ad vos Vergoesium: & sollicitum me ea res habet. Interim absolutis Annotatis edantur tres libelli ex emendationibus antehac factis. Gaudeo autem donec ei absoluti sint, premi appendicem de Antichristo, ne quid turbamenti interveniat. Non potest natis ad factiones non displicere omnis concordiæ mentio. Ante omnia rogo ut de recusis quas indicavi paginis, certus fiam. Omnes qui in Anglia capti sunt aut vi Anglia excessere ob æstus Parlamentariorum, Regi Britanniæ percari sunt. Et Legatus hic Anglicus & Windebanckius amicè inter se vivunt. Sunt ferme talia ibi tempora qualia in Gallia, cùm Henrici III. patientiam Blesensis Conventus ad abrupta impulit. Deus sedet hos motus & semina talium ex animis tollat. Quam ad rem connitor quantum possum, eventum summo rerum arbitro committens. Salmasius adhuc in consiliis fluctuat. Est in Religionis rebus suæ parti addictior quàm putabatur. Spero etiam editiones nostras alias tibi cordi fore. Reliquiæ poëmatum & Notæ ad Lucanum pauci sunt laboris. De Anthologia & nostris ad Vetus Testamentum quid fieri posse aut faciendum sentias, scribas rogo. Appendix nostra de Antichristo oblocutores habebit. Ego tamen quin cum tempore multis injectura sit cogitationem de reconciliatione Ecclesiarum, ut de re planè non desperanda, planè non dubito. Puto autem id me officium Deo & Ecclesiæ universæ debere, alioqui mihi ipsi non facturus satis. Rex hic ad Catalanos mittit x peditum III equitum millia. Sed festinato opus: res enim in periculo est. Nec minùs in Portugallia, cujus Rex novus Legationes parare dicitur Romam, ad Gallos, Britannos, Batavos, concitum auxilia aut favorem. Præses Memmius & Præses alter Baliolus relegati sunt in villas longinquas. Dux Vendocinensis infamatur veneficii in Cardinalem cogitati. Vale, mi Frater, cum matre, uxore, liberis, amicis. Lutetiæ 26 Ianuarii 1641.

Velim habere exemplum editionis Iansonianæ de Veritate Christianæ Religionis, atque interim scire an nihil mutatum sit. Vbi prodierit Appendix nostra, si quid ad conscientiam pertinens animadverterint hi aut alii, deleam libenter. Cætera quæ ad humanas res valde mutabiles attinent, non minùs ego hac specula video quàm alii. Sed nihili ista facio, senescens & mortem semper cogitans. Vrbs Barcino non est extra periculum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

532 HOc tempore, quo adveniunt literæ, nihil abs te habui. Ego autem anteacta hebdomade directè ad te misi literas: ante eam, per Spiringium, quas perlatas arbitror. Pro tuis accepi literas doctissimi D. Vossii, qui paullo plus mihi honoris habuit quàm antehac: nam ante subscripserat Illustris dominationis: nunc autem Illustrissimæ. Est hoc aliquid, nempe tale quod Regum Legati dant Ducum Legatis. Ego autem Regni, & quidem magni, vices hic tueor. Ne Venetus quidem tales reciperet literas. Tum verò ego, qui D. Vossium mihi amicum esse credo, cogor dubitare an ab Anglia, an ab aliquibus apud Batavos potentibus, hoc jussum acceperit: nam video omnes Batavos quasi in Velabro olearius, in hoc conspirare ne mihi dent vocabula quæ Regiis Legatis debentur. At ego mandati mihi muneris memor literis eorum qui in ea re errant, non respondebo: qui verò ad me veniunt, & pariter errant non recipiam. τοῦτο κέκρικα. Cætera Vossianæ epistolæ digna sunt ipso. Ostendit se quædam correxisse in iis quæ non vidi. Gratiam habeo. Quod si per occupationes, aut luctus domesticos, aut etiam per motus quosdam, sive ἔσωθεν, sive ἔξωθεν ipsi admotos, liberum ipsi fuisset idem quod miseram ἀπόγραφον relegere, & in accentibus ac literis emendare, ac siquid in sensu ipso dubitaret, de eo me edocere, rem fecisset mihi pergratam & publico ut credo non inutilem. Nunc, dum ego longè absum, tu & amici mei minùs longè, sed tamen longiùs quàm opus desiderabat, factum est ut correctores sensus meos de industria mutaverint; cætera autem quæ scribæ sunt errata, quasi de industria reliquerint. Doleo mihi id mali evenisse, ut nulla pridem fuerit editio inquinatior. Erratorum indicem ad Qq misi. Misissem & aliorum: sed nondum sequentes paginas accepi. Confido autem adfuturas propediem ut saltem constet me fecisse quicquid à tam longè absente exspectari poterat. Spero autem fore non ut præcipitentur, sed ut maturentur, quæ de Annotatis edenda restant: deinde tres diatribæ, & egregia Appendix, quam utilissimam fore orbi Christiano (etsi fortè fructus non ita subito sunt appariturì) pro certo habeo. Rogo quantum potes adjuves, nec ullorum hominum Christianorum, quocumque nomine appellentur, auxilium defugias. Æquum est ab omnibus adjuvari eum qui omnes adjuvat. Velim etiam scire an Blaviis post illa de Iure Belli ac Pacis placeat edere nostra ad Vetus Testamentum, quæ aliis operibus prævertenda duco. Et an Correctores habere possent idoneos qui Græca & Hebraïca intelligant: & emendent quæ à scribis peccantur, si quid in scripto ipso peccatum putant, me admoneant. Tum verò si quid de Notis ad Lucanum, de poëmatum reliquiis, de Anthologia in vestris locis sperare debeam, ut si talium avidi apud vos non sunt, cogitem, quid hic fieri possit. Planè enim constitui, sicut & antehac scripsi, nihil hæredibus edendum relinquere, idque justissimis de causis. Doleo valetudinem D. Vossii non esse eam quam velim, Deumque precor ut viro optimo, optimè de literis sacris profanisque merito, sit propitius. Erant in litera D. Vossii literæ Durzi. Eis respondeo & simul pariculum (ita legendum non in Codice, de Sententiis ex pariculo recitandis, non ex periculis, nam pariculum est τὸ ἴσον Græcis) tibi mitto. Certè quæ Lutheranos Calvinistis objicere scribit D. Vossius, non sunt verba & voces: multum rei subest. Illud quoque verum arbitror, si Ecclesiæ Suedicæ ac Danicæ cum illa Ecclesia, Lutherum Magistrum non profitente, coalescere potuissent, potuisse cum Anglicana, tum ob ritus quosdam communes, tum quod non æquè usi sint Angli in alios nigro illo thesa. Archiepiscopi vicem doleo, viri optimi, eruditissimi, pacis Ecclesiasticæ amantissimi. Sed non debemus Crucis vexilla secuti, Crucem recusare. Deus suos explorat ubi vult, quando vult, quantum vult. Nostrum est facere officium & malis temporariis non territari. Id omni modo agentibus, Deus afflabit vires, quod ut etiam optimo Archiepiscopo præ-

præstet, summam ipsius Dei bonitatem veneror. Si tenues natales objicere bonis Episcopis licet, quid de Apostolis fiet, quid de Onesimo & aliis, qui ex servis facti sunt Episcopi? Tantum abest, ut eum Archiepiscopum Papistam credam: vix est in Gallia Archiepiscopus, aut Episcopus cui jure id nomen competat. Canonas in Anglia factos anno superiore non vidi. Habebat Elector Palatinus, cùm hic esset, sed sermone Anglico. Latino sermone eos videre desidero, quia multi multa dicunt, de quibus rectè judicare non possumus, non ipsis verbis inspectis. Non est quod D. Vossius propter adversantem tanto viro fortunam, aut clam habeat, aut exiguum putet, quod ei placuerit. Timidior est D. Vossius quàm virum ejus ætatis esse oportet. Ego quæ de Antichristo scripsi vera arbitror, nec vera tantum, sed & perutilia. Cùm ita mihi persuasum sit, putasne me, quem Deus in hoc asylo collocavit, ut ipsius veritati, pacique servirem, virulentos calamos Maraisii, Molinæi, adde & aliorum ejus gregis, debere pertimescere? Si vivam, tuebor quæ dixi. Vbi moriar, reperiam defensores. Si non istos meticulosos, at alios paullò fortiores. Multum gaudeo nostris ad Euangelia Annotatis indicem addi: utinam à perita manu: multum enim id prodesse Lectori poterit. Quod si ad alteram editionem adornandam reperiatur qui & Hebraica & Græca transferat, mihi quidem ea nihil in re feratur, sed multum posteris, quorum utilitatibus me dedidi. Dolet mihi quod opus D. Vossii tam diu trahitur: & siquidem ob sequiorem ipsius valetudinem, hoc magis dolet: sin exspectat donec Archiepiscopus dignitatem recuperet, velim id quamprimùm fiat. Sed hæc Θεῶ ἐν γόνασι κεῖται. Multum refert ut quæ posthac edentur mea, edantur emendatiùs quàm ista Annotata ad Euangelia, vel in hoc, ne Maraisius & Molinæus me Græcæ Hebraicæque linguæ imperitum & merum ostentatorem clamitent. Id quomodo fieri possit, rogo tu & amici cogitetis. In meis relegendis, ut quæ probè mihi nota sunt, soleo multum festinare, ideoque & prætervidere multa. In literis, in accentibus facilè do jus mutandi homini talium perito; in sensu, nihil, nisi me consulto. D. Salmasius videtur mihi propior ad Batavos redituro, magna hic offeruntur: sed omnia sunt incerta, nec scribendi & edendi ea quæ in Batavis libertas. Memmius, Baliolus Præsides, tantùm quod eorum in Parlamento libertas metuatur, relegati sunt. Hæc pro tua prudentia dispartieris. Hoc iterum iterumque monebo, ne separentur diatribæ & Appendix ab opere Annotatorum: & ut hæc saltem postrema corrigantur quàm diligentissimè. Ego me Papistam sive Socinianum, sive aliter appellent homines factiosi nihil moror, nec cuiquam suadeam ut id flocci faciat. Ante omnia te rogo ut paginæ istæ de quibus scripseram totæ recudantur ac priùs cusæ aboleantur. Damnum ferre non recuso, id quamprimùm fiat quæso. Valde enim id opus est antequam errores in textu Notarum commissi in Indicem irrepant. Quieto non ero animo, donec id factum sit. Si illa ad Vetus Testamentum ibi edi possunt, è re sit priùs illa religi ab aliquo Hebraicè & Græcè docto, priusquam tradantur Typographo. Vale cum matre, uxore, liberis, amicis. 2 Februarii 1641.

Literas meas alteras Vergoesio nostro, si is nondum venit, fratri ejus tradas rogo. De tribus eremitis qui de veneno in Cardinalem Ducem accusaverant Vendocinensem, quæstio habita est gravis: unus paullo post exspiravit. An venturus sit huc Vendocinensis ita ut à Rege jussus est, dubitatur. Nam relegati qui sunt Præsides amici ipsi erant. Etiam Comes Suessionensis an venturus sit, non minùs ambigitur. Si datur crimini societas conciliorum cum Duce Valetta paratus est se purgare Parlamento, dum securus sit contra carcerem. Rex vult eum venire sine conditionibus. Sedanenses à Galliæ commercio exclusi sunt ob ejus Comitis hospitium. Comes Philippus Sabaudus in carcere est Vicennensi. Video esse qui id moliuntur, ut aut tres diatribæ aut certè Appendix divellantur à corpore Annotatorum. Te autem impensissimè rogo facias, ut ea in re aliisque meis rebus mea voluntas valeat. Scripsi antehac non pauca abreptus amore patriæ, quibus remedium, aut lenimentum aliquod adhibendum etiam conscientiæ meæ exonerandæ caussa necessarium judico. Id fiet per istam Appendicem. Indicem satius erit & operi & opusculis subnecti.

E I D E M.

Frater optime,

Memini literas istas quæ tam serò ad te pervenerunt per Spiringium missas. Itaque posthac eo circuitu abstinebo. Exspectabo paginas à Qq ad Aaaa, & menda annotabo atque transmittam. Si Amstelodamum excurris, spero & tibi & Vergoesio curæ fore, ut certè hæc postrema nitidè edantur. Simul intellecturum te ex Blavio, an post absolutam editionem novam de Iure Belli ac Pacis, velit edere nostra Annotata ad Vetus Testamentum, quæ jam confecta sunt à me omnia, exceptis paucis libris dubiæ auctoritatis, ad quos nunc scribo pauca. Descripta autem sunt omnia ad Ezechielem usque, ita ut restent describenda tantùm pars ad Ezechielem, ad Danielem & ad XII Prophetas minores, quod fieri poterit vel currente prælo. Erit opus, ut spero, perutile. Portugallensem controversiam gaudeo jam tibi percognitam, ut de ea ex arte nostra loqui possis. Vniversitas Conimbrica tota olim pro Catharina, unde orti sunt Duces Bragantiæ, respondit. Exspectantur hic Legati inde, qui tanquam Regis excipientur. Regnum Suediæ nunc in ære meo non est. Recepi enim è Gallica pecunia quæ mihi debebantur. De Brasleri uxore doleo. Quæ de me revocando sparguntur, falsa esse non dubito. Quod si tamen id eveniret aliquando, possem in loco quieto quietus vivere. Pelsius nondum mihi, sed domesticis dixit abiturum se brevi ad patrem. Id si ita sit, mihi incommodè eveniat carere scribentis auxilio. Quare quæso dispicias an quis reperiri possit καλλιγράφος, diligens, Latinæ & Græcæ linguæ non ignarus. Si reperias de eo me edoce. Postquam hæc scripseram, dixit uxori Pelsius se patris jussu abire. Exspectabit donec aliquis veniat qui locum ejus impleat. Sed diu exspectare non potest; quare properandum nobis erit. Opus est bene norit epistolas claudere. Salmasius aliquoties apud me fuit. Extima omnia parat defendere, etiam Petrum in Italia nunquam pedem posuisse. Miror tantum posse sectaria studia. De recudendis quas indicaveram paginis, noli quiescere donec res confecta sit. Non ero securus priusquam factum esse norim. Reginæ matris mors hic celatur donec transierint choreæ nuptiales. Barcino ultra duos menses defendi non potest; auxilia hic tardè procedunt forte ob cupiditatem Gallorum volentium à Catalanis exprimere ea quæ sponte non sunt concessuri. Portugallici Legati ut dixi, hic exspectantur, ac sine dubio hic excipientur ut Regis Legati. Alii Reges ea in re non sunt properaturi, sed speculaturi eventus. Nescio an verum sit Maderam & Terceram Insulas novi Regis accessisse partibus. Si id verum est, poterit idem sperari de India Asiatica, & limites ibi poni Batavos inter & Portugallos. Nam in Brasilia dubium non est, quin Batavi arrepturi sint has Portugallorum discordias, ut quod ipsis deest recuperet. In Italia quiescitur. Videntur res ire ad inducias longas. Principes Sabaudi volunt se bello eximere. Qui extra bellum sunt, ut Veneti & Mantuana, implicari bello nolunt. Persa pacem habet cum Mogore & finitimis, eoque faciliùs pacem firmam conficiet Constantinopoli, ubi

bi & Legatus Polonicus exſpectatur. Helvetii & cum Hiſpanis multa habent controverſa, & planè diffidunt Gallis. Vale, mi Frater, cum optima matre, uxore & liberis. 10 Februarii 1641.

Iohannes Waertius jam in arcem Nanciaci perductus eſt, ut permutetur cum Mareſcallo Hornio. Videntur hoſtes iterum circumſeſſuri Hohentwilam.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

534 MUltum gaudeo res tuas ferre, ut Amſtelodamum eas; ſpero enim te effecturum, ut rectè prodeant, quæ adjicienda ſunt Annotatis ad Euangelia. Ea ſi non me vivente pariunt effectum qualem opto, & ad qualem me, ut ita loquar, à matris viſceribus deſtinatum arbitror, multum tamen erit ſerere arbores vel alii ſæculo profuturas. Fuit apud me his diebus Anglus vir doctiſſimus, qui diu in Turcico vixit imperio, & meum librum de Veritate Religionis Chriſtianæ in Arabicum vertit ſermonem; curabitque ſi poteſt, typis in Anglia edi. Is nullum librum putat eſſe utiliorem aut inſtruendis illarum partium Chriſtianis, aut etiam convertendis Mahumetiſtis, qui ſunt in Turcico Imperio, aut Perſico, aut Tartarico, aut Punico, aut Indiano. Summopere autem me is vir valde pius rogavit ut ei propoſito, quod in fine libri illius patefeci, inſiſterem, neque ullis me factionibus & calumniis paterer deterreri quò minùs Chriſtianis omnibus propinem concordiæ poculum. Nulla enim re magis à Chriſtianiſmo averti τοὺς ἔξω, quàm tot inter ſe diviſis cœtibus. Dixi ei quæ mihi ex uſu videbantur. Neque dubito quin multi tales ſint in omnibus partibus terræ qui aliorum vi opprimuntur. Ego planè conſtitui, quantum in me eſt, oſtendere & cauſas diſſidii & remedia. Rogo autem ne putes ad exiſtimationem meam pertinere, ut Reformatis potiùs, (hominibus ſeditioſis ferme omnibus) quàm ut aliis non minùs, fortè & magis Chriſtianis ſatisfaciam. Deus hanc Legationem mihi dedit, ut liberè loquar; quod etiam ſi Legatio abſit alicubi facturus ſum. Quare noli quæſo aut tu commoveri aut credere me ullo modo commoveri, ſi me dicant non Eccleſiæ hominem, Papiſtam, Socinianum, aut ut volent. Hic Epiſcopi, Theologique complures ſuperſtitionibus obſtant, palamque profitentur deſiderium reſtituendi unitatem Eccleſiæ quam Chriſto debemus. Egone in tam bono opere ceſſator ero, acceptis à Deo donis, pro quibus gratias ſatis magnas agere nunquam potero? Abſit à me iſta ſocordia & metus. Spero autem me cogniturum ex te, ubi Amſtelodami fueris, an velint Blavii poſt opus de Iure Belli ac Pacis ſuſcipere editionem Annotatorum ad Vetus Teſtamentum, ut jam perfecta ſunt, deſcripta autem tribus quartis, ni fallor, partibus. Poſtea an velint, aut etiam eodem tempore, edere Anthologiam, illa ad Lucanum, & poëmatum reliquias. Noli pati te eludi ambiguis reſponſis; nam ſi de eorum voluntate certus non ſim, alibi mihi conſulam. Decrevi enim graves ob cauſas quod vitæ mihi dabit Deus impendere edendis quæ utilia judicabo, nec quicquam relinquere fidei hæredum. In Annotatis ad Euangelia, certum eſt ſenſus quoſdam immutatos, inſigni aut dolo aut culpa. Interim exſcriptoris culpæ in accentibus & minutiis relictæ ſunt & additæ aliæ immenſo numero. Ego potius vel Iudæorum uti opera velim, quàm pati tam inquinatè me prodire, & inimicis tam liberaliter præbere obtentum me irridendi. Exemplar compactum retinebis tibi, par dabis Vtenbogardo, Epiſcopio & quanquam non bene perfuncto ſuſceptis partibus Curcellio: Voſſio quoque & Heinſio. Reigersbergiis tria aut quatuor compacta aut incompacta ut res feret: item Vergoeſio. Cætera ad me mittantur. Rogo etiam ſi Princius miſit Amſtelodamo paginas poſt Qq, nautæ nomen norim, ut Treſelius ſive Rothomagi ſive Diepæ ſine mora inquirat. Cùm quæritur an Epiſcopatus juris divini ſit, ſæpe ὁμωνυμία admitti. Satis eſt Chriſtum in Apoſtolorum collegio id dediſſe exemplum: Apoſtolos id ſecutos & Eccleſiæ Vniverſæ conſenſum maniſeſtiſſimum, ſi paucos, & quidem noſtri tantùm ſæculi novatores excipiantur. De Archiepiſcopo Deum precor, ut judices ei obtingant æquiores, quàm olim nobis. Omnia futura proſpicere ſupra humanam prudentiam eſt. Deus nos reſpicit: & hic malè habitos, ſpe meliore ſolatur. Si quid ad Batavos ex Anglia veniat de Antichriſto, id legam avidè, ut & Vatem Molinæi, ſi huc venerit. De Suedis ita credas velim eos non minùs ſibi à Calvini ſeditioſo quàm à tyrannico Pontificum ſpiritu metuere. Ea in re Suedia

Et ſapit, & mecum facit & Iove judicat æquo.

Catelani cum Gallis egere, ut cum Romanis olim Campani. *Quandoquidem noſtra tueri adverſus vim atque injuriam juſta vi non vultis, veſtra certè defendetis.* Regem cunctantem certa auxilia fecere Principem ſuum id eſt Comitem Barcinonis: & ut ſubditi ei locuti ſunt, triſte exemplum mutationis intra breve tempus peractæ, pars Hiſpaniæ, inde liberi ad momentum, nunc Galliæ portio. Mittentur jam claſſes Mari, cohortes terra. Suſpendio necati Barcinonæ cives tres pacis avidiores quàm expediebat Regentibus. Rex in Parlamentum ibit, ut novus Principatus agglutinetur Galliæ. Vidi acta ſub nomine novi Portugalliæ Regis cum omnibus titulis, in quibus ereptum aviæ ſuæ à *Philippo II.* Regnum & per Philippos duos detentum queritur. Legatum Cæſarianum puto præter res minores etiam de induciis acturum aliquid. De ſaxo non eſt improbabile quód ſcribis; ſunt tamen hic qui aliter ſentiant. Rogo ſcribam talem qualem antehac depinxi; præcipuè verò pium ac probum mihi quæritas, amicoſque ſi opus eſt ad eam rem tibi ſumas adjutores. Pelſium enim pater quantum poteſt ad ſe vocat, nec meum eſt obſtare commodis veris, aut creditis. Vale cum optima matre, uxore, liberis, & propinquis omnibus. Lutetiæ 16 Februarii 1641.

Sedanum & Geneva excluſa manent à Galliæ commercio. Ex Atrebatum urbe ejecti cives quaſdam ob ſuſpiciones. Salmaſius hic manebit cum ſalario quater mille & quingentorum Florenorum. Norim quæſo an nihil mutatum ſit, aut omiſſum in Batavica editione Veritatis Chriſtianæ. Velim calamo corrigi duo errata quæ ſenſum vehementer transmutant. p. 238. locum Miſnaeth, ita ut tranſmiſſis Schedis emendandum dixi & 321. *aliis* pro *illis*. De paginis revidendis ante omnia fac ne obliviſcaris, & ubi res facta erit, me edoceas. Vbi edentur libri de Iure Belli ac Pacis, in fine Præfationis ad Regem (ne nunc ea ſcripta putetur) adſcribendum. Anno Domini 1625.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo fuiſſe te, cùm ſcriberes, Amſtelodami. Spero enim fore ut jam omnia certa de editionibus meis 535
cognoſcam. Et ut poſthac in memoria habeas quæ te rogavi, ne ſæpe eadem repetam, velim in charta aliqua breviter annotes omnia illa quæ in epiſtolis ſunt meis ad editionem pertinentia. Epiſtolam meam poſtremam

nam tibi non ingratam fuisse gaudeo. Quæ significanda mihi putabis super iis quæ in ea epistola continentur, cognoscam cum tempore. Pro Archiepiscopo Cantuariensi Deum precor, ut judices reperiat æquiores quàm nos olim habuimus. Propositum ejus puto tale fuisse, ut Deum de eo judicem reformidare non debeat. Sed si quo unquam sæculo hoc certe, geruntur omnia factionibus. Qui in Archiepiscopi nomine numerum se invenisse putant in Apocalypsi expressum, nimis de rebus divinis ludunt. Sic Fevardentius eo numero dixit exprimi *Martin Lauter*. De Angliæ filia res adhuc intricata est. Nam Rex Angliæ simul vult fedus fieri cum Batavis; quod Galli, ni fallor, impedituri sunt, nisi Anglia apertè in causam nostram descendat, & eorum quæ federe comprehenduntur, ipsi sint conscii. De Synodo Dordrechtana puto esse in tertio ordine, qui quod scribis moliantur; sed quantum intelligere possum ex collatis multorum judiciis, neque Episcoporum pars major, neque nobilitatis eò venient: sed reducentur omnia ad eam formam quæ fuit Elisabetæ temporibus. Illa autem Regina articulos Lambethanos, prælusionem quandam Synodi Dordrechtanæ in cunabulis suffocavit. Rogo amicos ubi ubi sunt salutes, præsertim liberos tuos, conjugem, matremque nostram: & nostra cures ut soles & scribas πάντα περὶ πάντων. Catalanos jam Gallos esse, scripsi ante dies aliquot. Omnes dignitates Parlamentares Rex vult facere mutabiles pro suo arbitratu, reddita pecunia, itaque & Memmius & Balliolus abdicare se cogentur. Vale, Frater optime. 23 Februarii 1641.

De recudendis paginis non dubito quin memor fueris. Scriba qualem designavi opus habeo quamprimùm. Pelsius enim eo non exspectato, vult discedere. Circumspicite. Præter alia norit etiam literas obsignare. Luneburgicus jam in Galliam venit. Ego tamen paginas post Qq nondum accepi. Fac sciam per quem missæ sint. Rex heri in Parlamento fuit: conquestus abuti eos jure à Regibus concesso. Vsurpatam ab ipsis post mortem Henrici IV. potestatem Regiminis deferendi ad Reginam matrem, nulla jura esse res latiùs gliscat. Nolle se Parlamenta semet immiscere rebus aut status aut ærarii. Velle se Edicta omnia sua statim ut jussit in Acta Parlamentaria referri sine ulla consultatione. Frater Regis podagra laborabat. Jussit eum Rex in sella ferri in curiam, ut ipse præsens esset rescissioni Parlamentarii decreti, quo temperatum fuerat Regis Edictum reos Majestatis pronuntians, qui fratrem à se dissidentem erant secuti. Rogati Regis permissu tantùm Cardinalis & Principum qui aderant, paucorumque Præsidum & Archiepiscopi sententiæ. Pronuntiatum à scriba Parlamenti omnia hæc inserenda Actis sine ulla exceptione iisque parendum. Præsidum & Senatorum qui relegati sunt exstinctæ dignitates. Idem fiet in posterum si quis se rebus quarum cogitatio jure ipsis interdicta est se ingerat. Magna ubique trepidatio. Acceleravit hoc consilium Parlamentariorum in Anglia audacia in Regiam auctoritatem palam insurgente: deinde metus, ne si quid Regi humanitus accidat, Regina uxor Regis Parlamentariis suffragiis regimen adipiscatur. Cis paucos dies erit Lutetiæ Dux Lotharingiæ qui deserto Hispano se suaque summittit Regis arbitrio.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

536 GRatissimæ mihi fuere literæ alteræ tuæ scriptæ Amstelodamo, ea maximè parte qua Blavios optimè erga me meaque opera affectos nuntiant. Rogo eos in isto animo tam benevolo retineas, spondeasque omnia quæ ipsis grata à me proficisci poterunt. Spero tua ac Vergoesii opera prodituros emendatè tres libellos cum appendice. Dignus est Vergoesius cui exemplum libri detur. De Annotatis ad Vetus Testamentum bene admodum mones, quæram hic qui relegant. Gaudeo etiam prodituras ad Lucanum Notas & quod de poëmatum reliquiis spem facis: quibus addi poterit hoc, quod ubi Deus me vocaverit scribi mihi volo Epitaphium:

Grotius hic Hugo est, Batavûm captivus & exul,
Legatus Regni Suedia magna tui.

Vbi revisæ erunt paginæ quas volui Annotatorum ad Euangelia, fac quæso me gnarum, & ubi perfecta erit tota ista editio & quo tempore speres illam de Iure Belli ac Pacis posse confieri, & an post eam inchoare velint mea ad Vetus Testamentum. De Anthologia nihil scribis, fortè quòd id opus illis non allubescat. Si ita est, restat ut hic librarium quæram. Vtinam amicus ille Vergoesii, si eruditus est, ut dicit, velit in emendandis typographorum speciminibus operam suam mihi præstare. Sed id exigere ab ignoto inverecundum est. Iudæus ille ad Christum conversus utilis nobis esse posset, si bene nosset Græca. Venio ad illud de titulo, non libens sanè, sed commissæ mihi dignitatis custos. Frivola est Vossii excusatio. In ipsis literis tibi & tu facilè feram, amans Latinitatis. In subscriptione cur quæso magis Barbarum Tuæ Excellentiæ, quàm Tuæ Illustr. Dominationis, quomodo Vossius scripsit antehac? Imò Dominationis nomen verè Barbarum, Excellentiæ titulus Præfectis Prætoriis jam olim datus. Latet alia causa, quando & Curcellius de ea re monitus nihil ad me scribit, & Vossius, quod miror, & dixit se solum illustris titulum mihi dare. Ego scribentibus ut oportet, respondebo. Ipsi D. Vossio, liberisque ejus opto omnia felicissima. In Ptolomæo qui hic est, semper est pro senario. Si D. Vossius in meis explicationibus à me dissentit, facilè id fero: non ægrè laturus etiam in aliis, si à conviciis abstinuissent. Salmasius amat tueri deplorata ab omnibus, nam Blondellus Minister Reformatus in Gallia in libro qui Genevæ imprimitur, defendit Petrum fuisse Romæ. Feminam autem in Papatu fuisse negat, quod adstructum it Salmasius. Puto autem Salmasium hic mansurum cum stipendio Florenorum quater mille & quingentorum. Si filius tuus ejus esset ætatis & profectus in Græcis ac mediocri καλλιγραφίᾳ, nullo alio uti vellem, & ubi voles utar. Interim quæso cum amicis aliquem mihi quæras qualem descripsi, non Calvinistam; nam Pelsius jam à nobis abiit, nec saltem exspectavit dum successor advenisset, parum gratus adversùm me. De historicis meis, multum vereor, rogo & in tua custodia retineas. Video juventuti malè credi hoc sæculo. Nautam velim indices per quem missæ sunt paginæ post Qq si tamen missæ sunt. Velim reliquias Poëmatum edi iis formis, quibus editus est Sophompaneas & sacra alia à Blavio, ut alterius illius editionis (in qua multa sunt quæ non probo) nulla habeatur ratio. Erit hoc vice retractationum quales edidit Augustinus. In historicis velim annotes ea, quæ potiùs mea quàm scribæ errata putabis, ut corrigam. Puto esse apud Senatorem Reigersbergium carmina quædam mea ex tetrasPestiis versa Gabriæ, qui apologos Græcos scripsit, & alia quædam ἀνέκδοτα nondum edita, quæ reliquiis poëmatum addi possint. Duci Carolo obviam ivere à Rege Comes Guichius, ab uxore ejus alii, quam ipse uxorem dicere non vult: & creditur spes ei facta dirimendi ejus matrimonii, quia Cantecroia in cudenda hac pace cum Gallia præcipuas habuit partes. Vbi Dux hic erit, Rex non ultra obstiturus est, quò minùs valeant Fratris sui cum sorore Ducis nuptiæ. Conditiones cæteræ adhuc in obscuro sunt. Comiti Suessionensi

sionensi tempus à Rege prorogabitur, ut Sedani manere ei liceat. Interim conciliabitur inter Comitem & Condæi jam in Cardinalis amicitia primum habentis locum filiam matrimonium, pignus fidei Comitis. Id si fiat, etiam duo Præsides relegati ob Comitis amicitiam, restituentur. Nam cùm Rex nuper in Parlamento aliorum officia exstingueret, horum nullam fecit mentionem. Novus Portugalliæ Rex creditur jam loca ejus Regni munita tenere, & præter præsidia in armis habere XII hominum millia. Principes Sabaudi adhuc audiunt tantùm & Italia quiescit. Reginam Angliæ Aprili exspectamus; non etiam matrem ejus quæ venire percupit frustra. Legatus Danus in Hispania fedus contra Batavos offert. Sed alieno tempore. Lutetiæ 2 Martii 1641.

Dicitur Legatus Daniæ accepisse trecenta millia ducatorum, ut naves quinquaginta, sine milite & machinis, suppeditet Hispano mense Septembri. Dux Carolus uxorem ne videat stipulatus est. Itaque jussa à Rege est discedere. Non satis mirari possum contra quàm dictum erat tamdiu retardatam esse editionem Annotatorum ad Euangelia. Et vereor ne talia sæpius eveniant arte eorum qui se amicos simulant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

537 CRescunt semper tua in me beneficia, cùm tam constanter in negotiis meis curandis perseveres. Locutionem de duodecim sedibus Apostoli illo tempore intelligebant de soliis Patriarchalibus in populo Iudaico, quos sibi spe terrena despondebant, cùm intelligenda sint de potestate aliqua cœlesti. Nam & Christi sessio talis est. Appendicem nostram quod attinet, scis quibus conviciis & risibus & calumniis me, qui neminem læseram, exceperint duo, quorum alter nomen meum posuit, alter quis essem non ignorabat. Maraisium antehac non novi. De Molinæo multa poteram dicere vera quæ ad ipsum pertinerent. Abstinui, neque eorum imperitiam ostendi nisi in quibus ipsi meam nullo jure arguebant. Asperitas siqua est, ea verborum mitigatione non dulcescet. Res enim eos pungunt qualibuscunque verbis. Omnis autem ni fallor, asperitas eos tantùm tangit, qui schisma amant omniaque remedia præfractè repudiant & ut id faciant causas adferunt partim valde frigidas, partim iniquas; deinde eos qui à fato ita suspendunt omnia, ut hominibus tutò peccandi promittant commeatum, postremò eos qui sub nomine Euangelii privata in Reges aut alias legitimas potestates arma suscitant, &, ubi prævaluere, vi alios opprimunt ac sic eadem faciunt de quibus Papas accusant. Ab his qui se separant, qui haud dubiè multi sunt, ii non habebunt quod de asperitate mea querantur. Reipublicæ Batavicæ quod nocere possit nihil ibi est. Multa quæ ad tuendam justam Rectorum auctoritatem ac populi quietem civilemque concordiam pertineant. Ne impediatur editio, festinandam eam censeo, simul incepta fuerit. Si postea clamant Stentores, ut facturi sunt, Blaviorum erit dicere se non vidisse causam cur recusarent lucrum quod alioqui facturi essent Parisienses. Meritò credidisse nihil à Legato Suedico proficisci quod ei causæ, in qua essent Suedi, nocere possit. Amstelodamensium autem Magistratuum erit in re justa civem tueri. Calvinus pro idolo esse non debet. Iniquum autem sit in civitate quam facio maximi Ianssonio contra Grotium (ut alia omittam) licere quod Blaviis pro Grotio non liceat. Quod si Blaviis hæc non sufficiunt, meum erit in posterum alios sumere librarios: quod & in his scriptis fecissem, si putassem hæc ipsis nocitura. Sed non debet eorum commodum eousque apud me valere, ut propterea cogar cum adversariis meis imparibus armis decertare, neque mihi liceat, ostendere adeo illos esse cæcos, ut in suis non videant quæ in aliis ut Antichristi notam traducunt. Gaudeo recudi nostra de Iure Belli & memorem te esse anni adscribendi: itemque nostrorum ad Lucanum & posteriorum carminum. Si scirem quando editio de Iure Belli finem habitura esset, mitterem tibi aut omnia nostra ad Vetus Testamentum, aut tam multa, ut pauca restarent currente illic prælo describenda his in locis. De correctore bono edendorum operum quod cogitatis, gaudeo. Et mea & Blaviorum interest, ne posthac tam multa & tam gravia peccentur. Princeus, ut spero nullam mittendi occasionem negliget. Et miror non missa per eos qui Longavillanum Ducem huc vexere. Nautæ per quem misit aut missurus est nomen fac sciam: ut Treselius de eo inquirat. Scribam rogo adjuvantibus amicis quæras qualem descripsi. Puto scripsisse me offerri Salmasio quater mille quingentos florenos annuos, cum libertate habitandi in urbe aut ruri, ubi villas ei assignaturus est Cardinalis. Sed vult videri à Rege retentus, ut Rex ipsum Batavis purget. Certitudo solutionis non alia quam quod Nojerium, qui rebus præest bellicis, ejus negotii curam habere voluit Cardinalis, ne cogatur Salmasius cursitare ad quæstores & ab eis trahi. Cardinalis domestici vellent illud de Primatu aut supprimi aut edi sine nomine, ne Cardinali Romæ odium suscitet in Salmasium favor. Legi Hugonis scriptum de Anemaulicis. Ostendit amorem musices & multum lectionis. Consilium ejus non improbo. Spiringius dicet quod volet, ad me semper, ut ad Legatum scribitur, neque patiar quicquam mihi ea in re detrahi, ac potius privatus vivam quàm à bobus descendam ad asinos. Archiepiscopo non puto de vita esse periculum. Rex ei haud dubiè favet. Præter illud quod de ætate sponsæ Anglicanæ dicis, Angli simul cum matrimonio fedus aliquod cum Batavis expetunt. De rebus Ceilanæ & Malaccæ ubi certius quid habueris, rogo scribas. Suspectum mihi nonnihil est quod Blavii contra quàm volueram auspicati sunt novam editionem de Iure Belli ante absoluta illa quæ ad Euangelia pertinent, vereor enim ne hæc diutius quàm par est trahantur. Dux Carolus urbem hanc intravit nudiustertius comitantibus eum Harcurtio Guichioque. Hospitium ipsi in domo Espernonia: uxor ejus, quam videre non vult, sedecim hinc abest leucis. Princeps Thomas videtur Hispanicis partibus se reddere. Magni paratus hic pro Barcinone, in Comitatum Burgundicum, in Belgas. Lutetiæ 9 Martii 1641.

Cum uxore expendi rem Petri. Ita judicamus si ullo modo adduci potest ut Amstelodamum eat, id ut fiat. Si non, dicatur ei ut huc veniat, me in scribendo adjuturus & in jurisprudentia ea percepturus meo auxilio, quæ fortè aliunde accipere non posset. Sed sive veniat, sive non veniat, scribam tamen rogo mihi invenias ac mittas qui præter cætera etiam literas bene norit obsignare. Ferat secum Petrus quæ de institutionibus Batavicis cœpit vertere. Filius natu maximus jam turmæ ductor factus est; minimum natu laudat Dux Longavillanus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

MVltum tibi & D. Vergoesio debeo quod tanta dili- 538
gentia ac fide mea desideria exsequimini. Vidi recusa. Placent; sunt tamen exigua menda, ut 419 κατα-χυρσεύοντων pro καταχυρσευόντων & 424 ἦρεν pro ἦρεν, qualia

lia vitari vix poſſunt. Date operam ut aboleantur ea quæ priùs erant cuſa in iſtis pagellis. Miror, ut & antehac ſcripſi, cum Longavillano non veniſſe ea quæ Princius habebat. Simul miſſa fuerint quæ ille habet, quæque vos habetis, fac nautæ aut nautarum norim nomen, ut de eis inquirat Treſelius: deinde ſciam quæ adhuc excudenda reſtent & quando ſperatur finis. Sicut antehac nimia celeritate, ita nunc mihi videtur nimia tarditate peccari. Poſſitque ea res inimicis contra moliendi tempus dare, quod nolim. Peractis in Anglia pactis traditio virginis ſupereſt, quæ diu trahi poteſt, & habemus exempla negotiorum talium imperfectorum. Legatus à Portugallia brevi, ut puto, hic erit. Vides quantum differat regimen Regnorum tam vicinorum quàm ſunt Gallia & Britannia. Vtris meliùs res ceſſura ſit, tempora docebunt. Ad Viduam Langeracenſem curatæ ſunt literæ. De ſcriba rogo & tu cogites & amicos conſulas. Valde enim ejus egeo. 16 Martii 1641.

Lotharingius Dux ſua accipiet, paratus contra Hiſpanum militare, non contra Imperatorem. Mittuntur auxilia Barcinoni. Exſpectantur in Aula Legati è Portugallia, deinde adventus Reginæ Britannicæ.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

539 ACcepi per Vergoeſium primùm recuſa folia. Deinde Bbbb, Cccc, Dddd. Sed magna illa congeries per Princium miſſa, nondum comparet. Quare fac quamprimùm norim nomen nautæ aut nautarum & de eis inquirat Treſelius. De noſtris ad Vetus Teſtamentum velim curare pergas. Hebræa ſunt multa, plura Græca. Quare Correctore opus qui utraque intelligat. De Anthologia poterimus exſpectare donec abſoluta ſit nova editio de Iure Belli ac Pacis. Interim non excident animo tuo poëmata noſtra & illa ad Lucanum. Hiſtoriam, quamdiu ultimam ei nondum impoſui manum, multis de cauſis nolim à quoquam conſpici: quare honeſtè id excuſabis. Tu interim lege & quæ monenda putabis, me mone. Adverſùs Trapezitici fœnoris librum ſcripſit jam Petavius. Multa alia rectè, ſed acerbè examinat. Ipſam θέσιν de Trapezitico fœnore non refellit, ſed infamat. Dedit autem Petavius mihi exemplum: & alterum pro D. Heinſio quod mittam ubi commodum nactus fuero. Poëmata puto præfatione non egere. De epiſtolis dedicatoriis addendis placet quod ſuggeris: ut & Virginii commentatio de organis & tuum de ea epigramma. De Gabria memineris. Rivetus in Anglia non quieſcet quidem: ſed nec multum, ut arbitror promovebit ſi verum eſt de Malacca quod ſcribis. Magna res eſt. Puto autem Indicanam in Batavis Societatem nihil malle quàm ut bellum in Portugallia manens ſibi occaſiones agendi præbeat, huc illud Taciti. Dum alii Veſpaſianum, alii Vitellium fovent, patêre locum adverſùs utrunque. Scripſit ad me per ingens intervallum Petrus. Nihil reſcribo. Videbo quid ſit acturus. Tibi opto tuorum educatio bene procedat, & ut aliquando tuorum alicui vicem reddere queam pro tantis laboribus quos mea cauſa ſuſcipis. Vendocinenſi dies dicta eſt à Francis Mareſcallis in id à Rege convocatis. Enckefortius & captivi quidam alii cum Gallis in Belgica captivis commutantur. Iohannes Waertius Nanciaci manet. In Germania nihil magni agitur. Helvetii deliberant de Conſtantia & Geneva in ſuum corpus recipienda. Sed deliberant tantùm. Metus hic magnus eſt, ne Suedi ſe bello ſubtrahant federe nondum renovato & Banerio Imperatoris uxori largito tutum iter Viennam, & D. Salvio multum colloquente cum Reſidente Cæſariano Hamburgi. Hæc dies in lucem protrahet. Suſpecta mihi nonnihil tanta Blavii in edendis ad Euangelia noſtris cunctatio poſt tantam antehac feſtinationem, eoque magis, quod etiam antehac; cùm pagellæ de Antichriſto edendæ eſſent mirum in modum exſpectationem meam traxit. Vnde hoc eveniat velim ſtudioſè inquiras. Nam ſi in rebus meis alios potiùs quàm me audit, & tempora gratificatur inimicis; quid in poſterum de eo ſperem? Vale, mi Frater cum uxore, liberis, matre, amicis. 23 Martii 1641.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PRidem commoveor quod qui tam feſtini antehac fuere Blavii, nunc teſtudineo gradu incedant, & nobis ac veritati malè volentibus tantum largiantur temporis. 540
Rogo urgeantur quantum fieri poteſt. Omnino tria ἀνώνυμα antehac, nunc φερώνυμα non patiar à reliquo Annotatorum corpore divelli. Sunt & in ipſis Annotatis plurima quæ Miniſtris ſunt diſplicitura. Et erunt etiam in illis ad Vetus Teſtamentum. Si Amſtelodami ubi Miſſalia & Breviaria eduntur, talia edi non poſſunt, de iis monitus aliter conſtituiſſem de rebus meis, ut & antehac tibi ſcripſi. Videamus quid futurum ſit. Ego non ſupprimam ea quæ meorum operum potiſſima & utiliſſima judico: neque patiar à ſuo velut corpore divelli. τῶν κίχεσται. Qui ſibi metuit, poteſt ſe negotio ſubducere. Interdictis libris creſcit ſæpe & auctoritas & pretium. Exemplar Annotatorum ad Iura Belli & Pacis ideo retineri ac nondum dari typographis volueram, ut ea exſpectatione magis eos haberem in poteſtate. D. Voſſius videtur mihi in meis ſua agere, quod nolim. Librum quem Petavius contra D. Salmaſium ſcripſit, Heinſioque dari voluit, accipies mari per Treſelium ad quem miſi ut ad te mittat. Acerbè tractatur Salmaſius acerbiuſque tractabitur, ſi liber ille adverſùs Papam prodierit. Incertus adhuc eſt in Batavos redire, an hic manere debeat. Vellet hic manere, frui ſex millibus Francorum annuis & ſcribere quæcunque vult etiam contra Romam & Romanenſem, quos Cardinalis levi de cauſa laceſſere non vult. Quod ſi Salmaſio talia ſcribenti bene faciat, in ipſum recidet invidia. De correctore quod Blavios mones bene facis: nam in paginis ad Iohannem plurima peccata video ignorantia Græci, Hebræi & Arabici ſermonis. Nomen nautæ quo uſus eſt Princius ſcire percupiam: & nanciſci ſcribam qualem depinxi. Præfectus qui fuit Hiberniæ putatur bene ſe purgaturus. In Archiepiſcopum majora ſunt plebis odia, ut apparuit cum in Turrim duceretur, concurſu adverſùs ipſum jam ſatis infelicem tamen facto: quo tempore ipſe ſatis appoſitè uſurpavit illud Iuvenalis

—— —— *at quid*
Turba fremit? ſequitur fortunam, ut ſemper & odit
Damnatos.

Edita hic eſt Apologia brevis Scotorum, in qua ſe ajunt non contra Regem & Anglos ſed contra Archiepiſcopum aliosque Arminianos arma cepiſſe. Vides quanto in odio ſit veritas, id eſt moderatæ vetereſque ſententiæ. Vt filia Regis ante nuptias, id eſt ante ætatem nubilem regno exeat ægrè impetrabitur. Neque ipſi, neque patri, neque matri, neque Ordinibus id placet. Videamus & quid effecturus ſit Elector. Parum arbitror. Nam nimis aperta ſunt etiamſi obvelentur, Regis & Ordinum Angliæ diſſidia. Mittit Elector Ratisbonam, ut cum Bavaro colloquatur. Res trahitur ut antehac. Qui Galliam regunt pacem nullam volunt. Lotharingus ſua recipit, Nanciaci aliiſque locis nonnullis relictis in Regis cuſtodia, quamdiu bellum erit. De turbis in Regno Neapolitano & Ar-

& Arragonia verum non puto. Et in Catalania magnus eſt Hiſpanorum exercitus. Barlæi filium pro ſcriba mihi commendat Wyckefortius. Sed neſcio an & omnia norit quæ mihi ſunt opus. Bene vale cum matre, uxore, liberis. 30 Martii 1641.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

541 ACcepi, mi Frater, paginas Hhhh. Iiii. Kkkk. Item omnes illas quas miſit Princius. Itaque errata nunc annoto. Mittam autem primo poſt hunc itu tabellarii. Interim pagina una præter recuſas recudenda eſt ob errorem quendam meum. Et adjiciendum paullum aliquid ad Appendicem, quibus de rebus Vergoeſium monui. Eum ut adjuves rogo. Expectabo tua judicia ſuper Annalibus, & Hiſtoriis noſtris. Interim Annotata ad Vetus Teſtamentum & ea quæ dubiæ ſunt auctoritatis eouſque abſolvi, ut nihil mihi reſtet explicandum, præter Baruchum, Additamenta ad Danielem & Maccabaïca. Scribam valde velim reperiri idoneum ad deſcribenda quæ deſcripta nondum ſunt. Interim ubi abſoluta erunt Annotata ad Euangelia, cum tribus opuſculis & Appendice. Dum currit editio de Iure Belli ac Pacis, velim ſimul edi noſtra ad Lucanum & poëmatum reliquias & Anthologiam, ad quam quomodo faciendi ſint indices Bremium, ſi tamen is labori par eſt, admoneo per chartam quam tibi mitto. Cis paucos dies mittam & Prolegomena quæ ipſa facem allucebunt indices facturo. Epiſtolam προσφωνητικὴν tunc faciam, cùm prope abſolutum erit opus. Interim noſtra ad Vetus Teſtamentum deſcribentur. Quibus editis, aut eodem quo edentur tempore poterit edi & hiſtoria. Fœdus quod Rex cum Duce Lotharingo fecit 29 Martii, id ſecundo Aprilis hujus ſolenni utriuſque jurejurando in Templo S. Germani ſancitum eſt poſt Veſpertinas preces. La Motta Duci reddetur. Emit autem ab eo Rex Stenaium, Clarimontem, Iamaiſium. Cætera manent, ita ut ſcripſi antehac. Regina mater videtur itura in aliquam Italiæ urbem quæ ſub Papa ſit. In Catalania cæſi à Gallis ſexcenti Hiſpani ad Caſtromontem. Portugalli qui hic ſunt, valde expetunt ad bellum Duces. Noſtra Belgica aptata muſicis ſonis quæſo mittas. Præſidem tum in ſummo, tum in altero Iudicum Conſeſſu facere cujus ſit, Hollandiæne, an Zelandiæ ſcire cupiam. Nuptiæ quæ fieri poſſunt in Anglia cum virgine novem annorum non video. Et ante nuptias eam ire in Batavos non futurum ſit ex Parlamenti, ut audio, ſententia. Vale, mi Frater, cum matre, uxore, liberis & amicis. Lutetiæ 6 Aprilis 1641.

Memineris Anthologiam edendam ea forma qua edita ſunt Stobæana, item Excerpta ex Comœdiis & Tragœdiis Græcis. Vertere quæ in Annotatis ad Vet. Teſt. erunt Hebræa & Græca (ſunt autem permulta) planè otium mihi non eſt, ſi eſſet libens etiam hunc laborem impenderem legentium utilitati. Nunc cùm id à me præſtari non poſſit, ſperandum eſt alium fore aliquando qui id præſtet poſt primam editionem: ſed ita tamen ut in margine ponatur verſio & quidem ut non mea. Editio Annotatorum ad Vet. Teſt. facienda erit ea forma qua iſta ad Euangelia. Velit uxor poſſe perſuaderi Petro domi nihil agenti laudabile, ut in Portugalliam cum aliis iter ſuſcipiat. Vide quid fieri poſſit, & quid optimum ſit factu, ne magis pereat, quàm periit.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

542 ITa ut ſcripſi poſtremis litteris Petrum huc venire planè nunc nolo. Quare iſthic eum retinete. Scripſit ad me Barlæus filium ſuum commendans. Sed viam ad commendationem rectam non eſt ingreſſus. Nam cùm ante ad me ſcripſerit, ut debuit; nunc omiſit ſubſcriptionem, ne Excellentiæ titulum poneret. In ipſa epiſtola ponit Illuſtrem Amplitudinem. Hæc omnia ex hominum mihi peſſimè volentium conſiliis proficiſcuntur. Certus ſum eò eos tendere ut me ex Legatorum ordine in Reſidentium ordinem rejiciant, ejusque rei cauſas petant ex me ipſo, quaſi qui dignitatem tutari neſcíverim; deque publico jure conceſſerim. Nam quod audio eos diſtinguere velle negotia privata à publicis inane eſt, cùm & in ſermone & epiſtolis utraque miſceri ſoleant, neque ſiquid Charnaſſæus fecit qui tribunus erat in Batavis, id mihi imitandum eſt, cùm omnium aliorum Legatorum exempla diſſentiant. Deſipiunt Batavi ſi putant ſe meliore loco apud me eſſe quàm Suedos, quorum nobiliſſimi, ut jam nunc Baro Oxenſternius, mihi in literis etiam privatis dant Illuſtriſſimi & Excellentiæ titulos. Aliter ſcriptis ad me literis non modò nihil reſpondebo, ſed & eas exuram, ut jam feci Barlæanas & Vondelianas. Barlæi filio non utar. Rogo quæratis alium, qualem deſcripſi. Errata jam omnia poſt Qq uſque ad Nnnn miſi ad Vergoeſium. Rogo opera detur ne in eis notandis admittantur alia. Deinde ut & illa recudatur, de qua nuper ſcripſi pagella. De poëmatis, Lucano, Anthologia non repeto quæ ſcripſi. Prolegomena ad Anthologiam deſcribuntur. Treſelius librum quem Petavius Heinſio donat ad te mittet. Quantum hic intelligo propius eſt ut Legati Portugalliæ velut à juſto Rege miſſi in Anglia admittantur. Archiepiſcopi negotium quieſcet donec de Hiberniæ Præfecto tranſactum ſit. Pendet adhuc federis Suedos inter Galloſque negotium. Credo tamen innovatum iri. An Anglica virgo Principem ſponſum ſecutura ſit multum dubitatur. Quod natalem noſtrum feſta memoria proſecuti eſtis & tibi & amicis ago gratias, multoſque vobis natales precor. Lutetiæ 13 Aprilis 1641.

Rogo cures ut nec tria opuſcula à majore opere, ita nec Appendix à tribus opuſculis ſeparari queat. Barlæus Principi addictior eſt quàm ut filio ejus mea arcana credam. Nolo ullum carmen aut elogium Annotatis meis aut alii meorum ſcriptorum præfigi.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

MIſi errata jam omnia ad finem Pppp, id eſt quouſ- 543
que pagellas accepi. Vigilate quæſo ut & Errata bene annotentur, & quàm optimè edantur tria opuſcula cum Appendice. Audio inter Correctores Blavii eſſe quendam Aialam nomine qui ſacerdos fuit. Eum hominem metuo, ne turbas nobis det, editionem aut impediendo, aut corrumpendo. Deum ſeriò precor ne quid Appendici illi, quam aliquando utilem fore confido, mali quid eveniat. Petrus huc ne veniat; mihi enim moleſtiarum ſatis aliunde eſt. Pridem ille nihil agit eorum quæ volumus. Salmaſius hicne manſurus ſit, an Lugdunum reverſurus, neſcimus. Sed Petavius librum ejus de Primatu exſpectat, non parſurus ei ſiquid reprehenſioni ſit obnoxium. Et quantum judico ſatis materiæ præbebit Salmaſius. De Legato Portugallico quid in Anglia decretum ſit, nondum ex Legato qui hic eſt Anglico cognovi. Rumor de induciis Belgicis artificium fuit Bruxellenſe ad ſedandam ſpe pacis plebem, ſatis alioqui inquietam. Haſſelarius pater mihi propinquum quendam ſuum pro ſcriba commendat: verùm manus quam mihi tranſmiſit non placet. Ei qui mihi ſcriba ſit futurus neceſſe eſt ſit manus firma ad literam Italicam bene æquabilem. Deinde ut & Græcè bene pingat.

Hoc

Digitized by Google

Hoc an ille brevi tempore assequi possit, nescio. Itaque nihil certi habeo quod respondeam. Cætera quæ de eo intelligo bene conveniunt meis desideriis. Edidit Mileterius de Eucharistia libros duos, eis contineri sensum Romanæ Ecclesiæ negant Ministri Carentonienses, Aubertinus, Daillæus, Drelincurtius. At affirmat magnus Cardinalis, qui addit ab id negantibus sententiam Romanæ Ecclesiæ non intelligi. In Catalania Motta Hodincurtius hosti it obviam. In Portugalliam Duces equestres mittuntur, equos & equitem præbituris Portugallis. Eunt eò & Legati à Rege, extraordinarius Marchio Bræzæus, ordinarius Boulæus. A Sedano turbæ metuuntur. Nam qui ibi sunt Principes, fedus fecisse cum Hispano & pecunias ab eo accepisse constat. Et ipse Suesionensis milites Regios armis aggressus est, quod commeatus è Lucemburgio Sedanum itantes prohiberent. Metuo ne juvenilia consilia malè illis cadant. Saluta quæso matrem, uxorem, liberos, amicos. 21 Aprilis 1641.

Vereor ne peccatum sit in duobus, & quod nostra Annotata de Iure Belli data sint ante absolutum opus alterum: & quod Appendix data sit antequam esset opus. Rogo mea præscripta exactè sequaris & historiam ne cuiquam communices.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

544 DOleo me tamdiu trahi à Blaviis in editione Annotationum ad Euangelia & quatuor accessionum. Non facerent hoc, si ut volueram, exemplar Notarum de Iure Belli datum illis non fuisset ante illa absoluta. Vigilandum adhuc est, ne plures interveniant moræ, quas maximè metuo, si exemplar Appendicis præmaturè sit traditum: quid enim opus eo habent antequam illa ad Decalogum prope finem sint? Turpe est me adversùs duos libros contumeliosos tamdiu mutum esse. Ubi absolutæ fuerint accessiones illæ quatuor, poterit Bremio dari Anthologiæ liber Græcus & Latinus, sub fide non tradendi nisi nostro jussu. De Iure Belli ac Pacis non dubito quin meliùs deproperaturi sint Blavii, quàm in sacris illis quæ non possunt non multis displicere. Si me amicum velint, aliter posthac agendum ipsis erit. Non impedio autem quò minùs simul cum illis de Iure Belli ac Pacis, etiam editio curetur poëmatum & ad Lucanum, deinde Anthologiæ. Antequam ea consummentur, spero fore ut descripta sint nostra ad Vetus Testamentum, quæ sequi volo. Posteà sequetur historia Batavica, de qua tibi visa exspectabo, rogans te ne quem facias participem. Postrema erunt Gotthica & Vandalica. Filium Petrum cur huc venire nolim, scripsi, & quare Barlæi filio uti non placeat. Scripsit ad me nuper Constantinus l'Empereur. In exteriori parte literarum Illustrissimo, intus Amplissimo. Constitui nulli qui ita scripserit respondere. Aguntur enim hæc omnia pessimo consilio, de quo mihi liquet. Ego autem cavebo, Deo volente, ne ab inimicis irridear. Locum qui Cromholtii fuit, opto Bellimontio. Zelandis ex veteri more locus debetur & sententiæ dictio inter Brilam & Alcmariam. Valde hic sollicitum me habent res Sedanensium: metuimus enim ne Principes isti qui pro pace Christianismi se federatos dicunt, publico noceant. Legati Portugallici brevi decedent. Galli Eporediam obsident. Vale cum matre, uxore, liberis, amicis. Petri actus tum ob cætera non probo: tum quod Dei negotia accommodat ad spes humanas, quod rarò bene cedit. 27 Aprilis 1641.

Scripsi in ædibus in alias migrans.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Frater Charissime,

MIror nullas à Blavio paginas missas ad te aut Vergoesium. Planè enim id exspecto: & cùm non veniant, vereor ne aliquid deflexum sit à meis præceptis & opuscula accessoria, aut eorum quartum maximè, divellatur à cæteris, id est, suffocetur, quod ego planè nolim, & si fiat amicitiæ cum Blaviis sim renuntiaturus. 545
Videte quæso ne quid contra mea desideria in meis peccetur. De libris Mileterii super Eucharistia, mira res hic accidit, ut Carentonienses dicant ab eo non mala dici, sed aliena à Romanæ Ecclesiæ sententia, contra verò eam sententiam rectè eis libris exprimi dicant & Cardinalis & Nuntius. Quod dixi id agi in Batavis ut ego per gradus quosdam, & quasi culpa mea, in Residentium ordinem detrudar, non ex conjectura dixi, sed quia id comperi plus uno teste. Repertorem puto Arsenium, promotorem aliquem eo majorem. Illi homines nunquam dum vivam à me vexando abstinebunt. Mihi contra tales conatus non prudentia tantùm, sed & fortitudine opus est. Literas omnes quæ debitam compellationem non habent comburam, nec quicquam respondebo. Hiberniæ Præfectus quantum audio capitis periculum non adit. Itaque deprecatore novo marito opus non erit. Archiepiscopum in magno odio esse audio: magis tamen quod Regis auctoritatem augere voluerit, quàm ob causas alias. A Sedanensibus vis quædam cœpit in milites Regis tum qui Romeliaci erant prope Mousonum, tum qui Doncheriaco exierant. Sunt tamen qui tolli putent posse hoc malum æquis conditionibus. Quod sanè velim. Scripsit ad me Nicolaus de Bye qui olim nobiscum in Gallia vixit, nunc Alcmariæ vivit, vir pius, gregis ut puto Mennonitici, generis hominum non mali, libellum magis quàm epistolam, in quo probare vult Christianis omnibus, etiam in potestate constitutis, interdictum bellum & judicia capitalia, & respondere argumentis pro me productis in libro de Iure Belli ac Pacis. Pietatem ejus & bonitatem laudo: &, si eum videas, velim norit, Legationem hanc à me susceptam animo pacis procurandæ & quidem quamprimùm possem: in quo studio persevero, nec quicquam omitto quod eò facere possit, doleoque tamdiu meas preces ac labores fuisse sine fructu. Quod verò ad eam quam tractat quæstionem attinet, cogitet velim, an Rex Poloniæ teneatur pati à Tartaris interfici plurimos infantes, & sic, secundùm quorundam bella omnia improbantium sententiam, à regno cœlesti excludi, quo per ætatem & vitam piam pervenire potuissent; feminas autem ea pati, eis affici contumeliis quæ castis morte graviores sunt, cùm id impedire possit, vim latrocinantem vi Regia propulsando? Velim hac super re cognoscere aliorum quibus illud scriptum legendum dedit sententiam. Velim etiam scire an putet per Christi legem furiosos posse vinculis coërceri: flagris cædi pueros. Tormenta ex urbe aut arce explodi, ut eo territi hostes aliò iter vertant. Nam & hæc ad quædam ejus solvenda viam aliquam nobis videntur dare. Ego quàm alienus sim à reponendis malis & alias ostendi & tunc cùm eos qui me in vitæ summum periculum adduxerant, jure gentium violato, supplicio exemi & bona cuncta eis reddidi, ne òrari quidem me passus. Monita autem mea omnia si sequerentur Christiani Principes, nulla inter eos bella essent. Mallent enim salva populi pace de jure suo cedere uterque, aut pios sumere arbitros. Vossii vicem doleo. Vide quid sit filios assuescere ad spernenda parentum imperia. Velim scire quid agat juvenis Pelsius: nam ad nos ex quo abiit nihil scripsit, quanquam dimissus honorificè. Cogita an possis in honesta opera salarii aliquid accipere à Coloniensi. Nieubur-

Digitized by Google

burgico aut alio vicino aliquo Principe. Constantinopoli pace cum Persa constituta bellum in Asacum strenuè paratur ac Tartarus Præcopensis monitus est ut ad ipsum se paret. Omnia tibi, uxori, liberis, amicis bona opto. Petro bonam mentem. Lutetiæ 4 Maji 1641.

Galli in Italia Eporediam cepere. Galli exercitus procedent medio hoc mense. Treselius decoxit, nostro magno malo. Ingentes ei summas credidit uxor me nesciente. Mitto chirographum ut arresto includantur omnia quæ ejus habet Wouwii vidua.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

546 SAtisfecistis mihi planè & tu & D. Vergoesius in urgenda editione scriptorum nostrorum. Spero satisfacient & Blavii, qui nunc ad me miserunt Annotata Iohannis ad finem: de Antichristo alio charactere. De Fide & Operibus rursum alio & duabus columnis & novis numeris paginarum. Vnde, & quorsum hæc non satis intelligo. Excusat se Blavius satis frigidè. Errata eorum omnium nunc ad te mitto. Restat Decalogus & Appendix. D. Vossio antehac scripseram ne illa de Iure Belli ac Pacis traderet, nisi his ex mea sententia bene confectis. Sciebam autem eum librum neque in tua, neque in D. Vergoesii fuisse potestate. Legatus Angliæ Portugallicum vidit, ego non vidi, quia mandata exspecto, quæ puto venient, ubi is qui in Dania est in Suediam pervenerit. Res istæ in periculo sunt intra primos annos. Si durare aliquantillum possum, fœderibus firmabuntur. Video ita hic ab Anglia judicari, Angliæ Regem reperturum per quas vias salus sit & Proregi Hiberniæ & Archiepiscopo. Conficiet spero utrumque. Sed facilius illud de Prorege, quia is in nobilitate cognatos habet. Spero fore ut Sedanense negotium componatur. Digna res est in qua laboret Princeps Arausionensis, tum ob amicos Principes, tum ne is metus Regis vires distrahat. Non satis faustum est nuptiis omen, quod novus maritus malum fregit. Præterea quæ super libellum Nicolai de Bye nuper tibi scripsi, etiam hæc in mentem veniunt, Christum Nicodemo & Iosepho Arimathensi nunquam suasisse, ut Senatoriam dignitatem à se abdicarent, cui conjuncta erat cognitio criminum, ad verbera usque semper, ad mortem in casibus in quibus Romani id vellent permittere. Neque Paulum suadere dominis, ut dominium in servos abjiciant, in quo dominio comprehendebatur potestas immensa ut ex jure discimus. Neque Philemoni controversiam movit, quominus jus habeat Onesimum puniendi, sed ex rationibus specialibus, pœnam ei vult condonari. Quod si illa sententia non faciendum alteri, quod quis nolit sibi fieri, ad desideria quævis extendamus, jam nec patri ulla in liberos animadversio competet, neque marito salvum erit jus dimittendi adulteram. Non probat quod in illis libris de Iure Belli ac Pacis utar Paganorum dictis: verùm non ita ut utor ut illa sequi satis esse Christianis arbitrer, sed ut erubescant Christiani si minùs præstant. De his & de iis quæ scripsi ante velim cogitent, si qui sint pii & eruditi quibus illi scriptum illud meis cogitationibus oppositum ostenderit. Quæ autem illorum futura sint judicia, & an epilogum aliquem à me operi meo hac occasione addendum censeant, avebo scire. Vale quàm optimè cum matre, uxore, liberis & amicis. 12 Maji 1641.

Merentur & Vergoesius & Marius exemplar habere nostri operis. Non dubito autem siquis conferat libellos quos ego mea manu correxeram cum nunc editis, quin plura sit reperturus menda quàm ego, festinare coactus ob negotia & temporis angustias, annotavi. Cùm verò tot admissa sint menda in iis quæ ad exemplar editum recusa sunt, quid boni posthac de Correctoribus Blavianis sperare possim, non video. Deinde verò video ita dispositas paginas, ut nostra ad Decalogum & Appendix semper à corpore possint avelli, quod minimè semper volui. Ex his cognosces me non immerito fuisse sollicitum. E re sit postremas additiones ad Appendices etiam ad Marium mitti, ne Blaviani, ut negligentes sunt, eas omittant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GRatias ago quod in editionibus meorum curare vis, ut observetur ordo mihi destinatus. Accepi postrema Iohannis, de Antichristo & de Operibus ac Fide. Errata transmisi. Error ille à Blavianis commissus operis de quo scribitis tu & Vergoesius, vereor ne arcani consilii aliquid tegat. Nunquam id facturus fuisset Blavius, nisi exemplum de Annotatis in Iure Belli ac Pacis ante tempus ei tradidisset Vossius: Faciendum est quod fieri poterit, ut prodeat opus & ut quatuor accessiones avelli nequeant. Vnam adhuc additiunculam ad Appendicem mitto ad Vergoesium. De matrimonio quæ sint cogitanda vos nostis meliùs. Graswinckelio & Vergoesiæ felices opto nuptias. Hic res Sedanensis nos cruciat. Bapalmam Galli obsident. Vidit me Windenbanchius vir magni judicii. Exspectamus tria ex Anglia, judicium de Præfecto Hiberniæ, de Archiepiscopo, & de transvectione pactæ juvenis Arausionensis. In Portugallia conjuratum fuit in novum Regem. Vndecim ex Proceribus supplicio affecti. In Catalania à Motta Odincurtio cæsi octingenti. Eporedia in Italia an adhuc obsideatur incertum est. Princeps enim Thomas propè castra posuit. Fossanum frustra à Sabaudo Cardinali tentatum. Ruscinonensi Comitatui famem facit Archiepiscopus Burdegalensis. Rex Galliæ ad sui tutelam exercitum habebit ad Leodunum. Suppetiæ mittuntur Pedemontano exercitui, & alteri qui sub Duce Carolo & Halerio ad quindecim millia nunc facit. Erlacho etiam aliquid. Rex Edicto vetuit pecora extra Regnum ferri: item instrumenta & jumenta ruris in debitum privatum aut fiscale capi. 18 Maji 1641. 547

Scripsit uxor ad te de titulo mihi dato in epistolis Spiringii. Fieri potest ut error sit scribæ Germani qui Excellentiæ titulum sumunt pro titulo doctoris. Sed hic est titulus Principum. Venit ad notitiam meam facti species quam mitto. Ea tangit Senatorem quendam Stockholmiæ ac proinde Suediam aliquo modo. An in eo negotio quiescere debeam, an me movere, velim instrui D. Spiringii consilio: quia ex Suedia nulla ea de re mandata accepi.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

COrrexit errorem Spiringii scriba, scripsitque mihi ut debuit. Multæ me causæ cogunt nihil de jure meo remittere. Velim exquiras an Vtenbogardus & Episcopius Debiæi scriptum viderint & an aliquid leniter respondendum putent. Puto συνεργὸν Debiæo fuisse Brederodium, qui tamen cùm in judicum ordinem rediit minùs secutus est illa Debiæi placita, præsertim cùm ibi etiam de criminibus judicetur. Schonckio velim omnia grata facere, sed planè excusandus sum ei, quia tanto tempore ac negotiorum eventu causæ illius momenta mihi exciderunt. Tu si potes transactionem bonam cude. Id quod de salario à Principe aliquo scripsi, non eò scripsi, ut ambires. Possunt sæpe reperiri homines ad tales res procurandas idonei. Sunt autem qui in mentem mihi veniebant, Episcopus Coloniensis, Dux Neoburgicus, Ele- 548

Digitized by Google

Elector Brandenburgicus, Comes Frisiæ Orientalis, civitas Emdana. Velim scire an Præses Cromhoutius circa mortem nihil memoratu dignum dixerit, & an historiam Batavam relegere cœperis. Rogo autem nemo ejus quicquam videat ante editionem. In quatuor accessionibus videte quæso, ne quid omittatur addendorum. Nihil autem posthac meum des Blaviis nisi ex speciali meo præcepto. Galli Eporediæ obsidium dereliquere tracti ad Chirasium. In Catalania clauditur Terragona terra marique. Castilionæus it se juncturus Duci Lotharingo inter Mosam & Sambram. Speravit Comes Suessionensis se capere posse oppidum dictum Montis Olympii: sed irritus fuit. Bellum ab ea parte exspectatur. Lutetiæ 26 Maji 1641.

Videte ne iterum Blavii nos decipiant. Latet ulcus aliquod.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

549 Mitto ad Vergoesium quæ errata sunt in postremis ad Decalogum & primis Appendicis. Sed una est transpositio tam fœda atque conspicua, ut eam nisi malitiæ Correctoris asscribere nequeam; & vereor ne idem de industria plura admittat talia. Omnino volo recudi eum locum, & quæ transposita sunt reponi suo loco. Id autem puto fieri aliter non posse ob cohærentiam, quàm si recudantur pagellæ 53. 54. 55. 56. Id si est simul omnia quæ notavi in illis pagellis errata recudendo sanari, & sic erratorum numerus decrescere poterit & suo loco, id est p. 53. col. 2. lin. 42. post *de causa* poni id quod nuper miseram. *Sic Maccabaicus tertius dicitur qui ordine primus est, quia post alios Christianis innotuit.* Spero me posthac non æquè quam fui tibi molestum fore, ubi consummationem hujus operis diu à me exspectati fuero consecutus. Sed illud tamen impensè rogo, ut sedulo inquiras an recusæ sint pagellæ quas postquam multæ illæ mutatæ ad me missæ fuerant, mutandas censui, ut illam 744. Est enim id per opus fieri. Ad Airam castra muniuntur & opera procedunt. Cæsi hostium aliquot. Captus Tillerius. Commeatus in castris uberes. A Chivasii obsidio discessit Princeps Thomas, ac Galli ab Eporedia. At pugnatum ibi est æqua ferme clade. Ex Catalania exercitum in Arragoniam reduxisse dicuntur Hispani, relictis præsidiis validis Constantinæ & Tarragonæ. Princeps Condæus in Ruscinonensem tractum ire dicitur. Missa Harcurtio auxilia & naves tres Burdegalensi Archiepiscopo. Sedanensis procella durat. Guisius Bruxellæ est. Namurci Bulionius. Nihil aliud factum puto quàm occasiones aliquas rerum ablatas Regi. Et hoc ipsum Hispano poterit sufficere. Ipsi quid rebus suis commodare possint sanè non video. Saluta quæso matrem, uxorem tuam, liberos & amicos.

Rogo te ut de meis Annalibus & Historiis Batavicis sollicitus semper sis sicut ego sum. Lutetiæ 1 Iunii 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

550 De re Petri scribet ad te uxor, aut ego, ubi à Senatore Reigersbergio literas ejusdem argumenti acceperimus. Gaudeo quod Graswinckelio locutus es de quibus mandaveram. Scribæ Spiringiani errorem libenter excuso, modò ne in morem transeat. Sed norit in ipsa ad me epistola nullum fuisse Excellentiæ titulum. A subscriptione si in totum abstineatur, non offendar. Solet id fieri inter eos qui manum cognoscunt, & si intercipiantur literæ, nolunt sciri à quo veniant. Observanda mihi sunt quæ hic valent, ubi titulus Excellentiæ Legatorum Regiorum est proprius. A D. Spiringio esse quod D. Crusius me non ex more salutaverit, non dixi. Sed videram omnes Suedos mutasse loquendi genus. Ea occasione dixi D. Hambræo venisse ad me etiam literas à D. Spiringio paullò aliter quàm solebant scriptas. Arbitrari me aliquid subesse à Batavis, præsertim cùm viderem Batavos nec ad me scribere ut oportet, nec me alloqui ut oportet: quos propterea à domo mea excludo, ne regno injuria fiat. Meliùs enim, si id ex usu esset Suediæ, aufferretur mihi Legatio, quàm in me initium fieret ejus dehonorandæ cum dedecore Regni & futurorum post me Legatorum. Nos hic per omnia Principum & locum & nomina tenemus. Non debet quod mihi depositi jure creditum est, per me deterius fieri. Hoc rogo D. Spiringius ut ab homine dignitatis Suediæ amantissimo, ipsiusque amicitiam plurimi faciente, profectum interpretetur. Si norim quomodo ipse ad se inscribi ac subscribi literas velit, non deflectam à postulatis. Volo enim illi in æquis omnibus me aptare. Rogo vicissim me patiatur ea agere quæ ratio muneris hoc quidem loco exigit. Nam in Germania paullo aliter se rem habere, non ignoro: sicut etiam libenter agnosco in D. Salvio (seposita Legatione quam habemus parem) multa esse quæ in me desiderantur. Et tamen ego à Regina ad Regem sum missus. De superscriptione aut in exteriori, aut in interiori epistolæ parte nihil queror. D. Crusio nunquam de titulis locutus sum. Sed nihil novi si mei sermones aliter quàm fuere habiti aut ad D. Crusium, aut à D. Crusio ad D. Spiringium perlati sunt. Pransus postquam hæc scribere cœpi est apud me D. Crusius. Excusavit ignorantiam moris in Gallia. Viximus inter nos comiter, ut decet. Video autem nullam fuisse in ipso culpam, nec in Spiringio. Sed in Ephoro Crusii qui ad prandium à me vocatus non venit. Quod miror. Sed hæc cum cura distribue. Sunt hic cognati M. Cancellarii qui plus honoris D. Crusio quàm sibi deferri non ferunt. Scripsit soror quondam nostra Blanckia librum de Viduitate perutilem. Eum edere placet hæredibus. Ego quò liber prodiret amplior, verti tres Tertulliani tractatus, unum Ambrosii, duos Chrysostomi, tres Hieronymi ejusdem argumenti in sermonem Belgicum. Ita poterit fieri justum volumen in quarto. Quod velim edi characteribus quàm optimis, quales fuisse memini illos Hagienses quibus edita olim est oratio à me Amstelodami habita. Si qui nunc eam typographiam possident velint, posset ad eos mitti omnium exemplar. Si quid est cur isthic id minùs fieri possit, videbimus an in Zelandia hanc rem curare possit Rationalis Reigersbergius. Sed ibi typi minùs erunt elegantes. Quid Spiringius in Suediam scribi curet non multum ego curo, gnarus pleraque ejus ibi non intelligi. Qui cum Spiringio agendum habet & cum aliis ejus fervoris hominibus ostendere debet, ita se ejus amicitiam expetere, ut non nimis sit ollicitus si & carere cogatur, præsertim cùm pecunias non det, & alia dare non possit. Aira premitur à Gallis. Hispani quanquam aliquid militis induxere, de liberanda ea desperant. Itaque Vinsium muniunt in proximo, ut pro Aira sit. Nunc Mantuana apud Guisium Ducem sponsum suum Sedani est. Dux Bulionius in aperto est. Habet sex millia. Galli castella quædam faciunt, ad Sedanensium excursus prohibendos. Lutetiæ 8 Iunii 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Et Crusius & Suedorum alii quidam quod peccatum erat, correxerunt. Ego autem cum Crusio locutus 551
non fueram, sed cum D. Hambræo, qui mea quomodo retulerit nescio. Spiringius autem in literis non modò scribæ suæ errorem correxit, sed & solita usus est comitate. Quare spero posthac quietem in talibus fore. Cæterum qui ei dixerat in ipsa ad me epistola fuisse Excellentiæ titulum, eum decepit. Nullo sumptu constat iis qui me per literas aut ore salutant, si mihi dent Excellentiæ titulum, sine quo in hac urbe nemo aut publicè aut privatim Le-

Digitized by Google

Legatum Regium salutaret, & si faceret non impunè ferret. Hæc aliis exigua videntur. Sed magna hæc est pars eorum quæ fidei ac diligentiæ Legatorum committuntur, ne ἀπαύγασμα quod est in ipsis Regiæ Majestatis deterius fieri patiantur, sed qualem accepere dignitatem, talem ad posteros transmittant. Plenæ sunt de talibus rebus eæ quæ editæ sunt Legatorum & ad Legatos literæ. De Debyæi scripto rogo inquiras. Quod munus judiciale non ambis, prudenter facere te arbitror, credo & utiliter. Historica nostra curæ tibi esse gaudeo. Si Blavius stetisset promissis jam ante sex menses nostra prodiissent, & Parlamentariis in Anglia nonnullis aliquid demere potuissent de calore. Nunc in Anglia ut prosint, aliquod fortè tempus exspectandum erit; & fortè id citius sperato veniet. Solet enim post sæva facta subire pœnitentia, & quæ accidunt quàm Rege invito accidant, satis apparet. Staffordii epistola ad Regem & morientis verba magnam virtutem præferunt. Pro Archiepiscopo Deum precor ut aut iras hostium ejus mitiget, aut, si Deo videtur ipsius uti testimonio, spiritu suo adversùs mortem ac contumelias eum confirmet. Cæterùm in Gallia etiam in præsens usum nostra ista habebunt. Accesserunt me de intimo Regis consilio Catholici Romanenses, ex Reformatis Ministri Codurnes, qui Ministerium etiam nunc retinet, qui concordiam futuram & quidem brevi sperant, meisque consiliis multum utuntur. Deus pacis omnia hæc dirigat ad veritatis ac pietatis custodiam. Blavius quæ fecit multis partibus mihi non probantur. Vereor ne alii se immiscuerint. Multum refert mea ne in indice sensus mei invertantur. Puto aliquos esse ex Blavianis operis mihi non æquos. Rogo cùm hucusque rem perduxeris, etiam si quid curæ restat exhaurias. In castris ad Airam commeatus facili sunt pretio. Machinæ ponuntur ad verberandam urbem. Fiunt accessus more obsidentium. Hostis nihil contra molitur. Sed in Germaniam Longavillanus nondum hinc abiit, nec in Catalaniam Marescallus Bressæus, nec in Portugalliam filius ejus Marchio. Et in Italia damni aliquid accepit Harcurtius: & in Ruscinonensi tractu sanata fame auctisque præsidiis non multum promovebit Princeps Condæus. Tarragona strenuè defenditur. Metuimus adhuc à Sedano procellam frustra collocutis inter se Comite Suessionensi & Castilionæo. Anna Mantuana cùm ad Sedanum iret à militibus Gallis intercepta & quanquam virili in habitu erat cognita, fassa se ante quatuor annos matrimonium fecisse cum Duce Guisio, honestè ad ipsum missa est. Ita nunc Archiepiscopatus Remensis & sacerdotia multa in Regis id est Cardinalis erunt arbitratu. Erlachius Fullingam capere frustra speravit. Crutzenachi arx etiam nunc defenditur. Piccolominæus magnas cogit copias. Nos pro libertate Marescalli Hornii laboramus. Petri negotium quod attinet, constitutum nobis est orsa aliena non retexere. Vale quàm optimè cum matre, uxore, liberis, amicis. 15 Iunii 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

552 DE inquinamentis editionis dolenda sanè res & quæ interdum me adigit ut dubitem num mea ampliùs Blavianis corrumpenda tradere debeam: præsertim cùm mihi videatur aliqua intercessisse non tam Blavii quàm operarum ejus malitia. Multum nos juvare potuisset, si voluisset Vossius. Sed excusanda sunt ingenia timidiora. Exceptis Annalibus & Historiis nostris, quæ tibi tantæ quantam indicat epistola tua, curæ esse gaudeo, cætera apud quemvis alium rectè excudi possent. Paginam Qqq recusam rectè accepi. Cum Treselio uxor jam translegit. Legi quæstionem à viro Nob. D. Matenesio propositam. Optimè volo filio ejus qui mihi semper voluit optimè. Sed, quanquam mihi pridem à foro & rebus fori exsulanti facile aliqua obrepere potuit morum oblivio, vix impetraturum puto quod sperat. Ita enim ab omnibus morum peritis didici in Feudorum apud Hollandos successionibus, eorum duo qui ad transversos eunt gradus, non ire quidem extra posteros primi investiti, dum aliqui reperiri possunt. Cæterùm inter eos posteros proximitatem gradus spectari ad postremum possessorem: neque indagari ætatem nisi inter eos qui ratione ultimi possessoris in pari sunt gradu. Rerum prudentes de Anglicani matrimonii eventu multum dubitant. Gennepa videtur ad Geldram ducere. Sed multò majora speraverant Galli. Venit ad me Bicheri propinquus Helmontius. Salutavit me, ut debuit &, qua debuit humanitate exceptus fuit. Idem eveniet aliis. Blondellus Minister Reformatus librum edidit de Primatu in Ecclesia, cujus pleraque ab eruditis Galliæ Episcopis multum probantur. Velim inquiras an spes sit edendi versionem Alcorani Erpeniani apud Batavos, si non, an haberi possit exemplar ut hic editio fiat. Prodiit hic liber Pauli Sirmondi, de discrimine Dionysii Areopagitæ & Dionysii Parisiensis, ubi veterem fabulam bene confutat, aitque inter cætera, Pontificum epistolis, ubi aliquid narrando pronuntiant, tantum esse auctoritatis & fidei, quanta illorum est qui suggesserint. Est nunc is Sirmondus Regis pœnitentiarius. Scripsi commentatiunculam in epistolam ad Philemonem, ubi occasione juris dominii in servos tracto an Christiani in imperiis esse possint. Ea libro de Iure Belli ac pacis pro mantissa ob quandam argumenti affinitatem adjungi posset, si amici id è re judicent. Mitto eam ut D. Vtenbogardo ostendas ejusque sententiam explores. Vides jam quantum in me peccaverit qui Blavio ante mea imperia librum de Iure Belli ac pacis cum Annotatis tradidit. Ea res fecit ut nostra desideria non curaret. Consiliarius quidam intimi Regis consilii, idem Bearnensis Senatus Princeps, Petrus de Marca librum edidit de Concordia Regni & Sacerdotii, sive de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, in quo ostendit neque decreta Pontificum obstringere Gallos nisi recepta sint, neque ullam vim habere rescripta; brevia, Bullas, quæ cum Canonibus in Gallia receptis Galliæque moribus pugnent. Is liber & à Theologis lectus est & Regis approbatione editus. Quibus sententiis salvis non video quid Papæ auctoritas Galliæ aut Galliam imitantibus Regnis aliis nocere possit. Id Airam bene res procedunt, nec commeatus qui in castra advehuntur impedire potuere Lamboius & Bechius. Guisius Bruxellis accepit c millia scutatorum. Sedani interim arcta fit annona. Princeps Condæus it obsessum Colubram. Tarragonam obsidio eximere nititur Fernandinus. Decretum quod de Regno Iohannis IV Ordines Portugalliæ fecere, vetitum hic est vendi, quia continet enuntiata quædam Regibus periculosa. Lutetiæ 22 Iunii 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE rebus Petri, decrevi nihil addere ad ea quæ scripsi 553 antehac. Vereor ne perpetuæ suæ inobedientiæ pœnas luat aliquando. Gaudeo brevi finem habitura nostra illa tamdiu tracta quæ ad Euangelia annotavimus. Non miror Remonstrantium quosdam scribere quæ scribis. Fieri potest ut ego in nonnullis rebus aliter sentiam quàm ipsi, nec id mirum, cùm ego vetera soleam laudare aut in optimam partem interpretari, illorum autem nonnullis aliqua adhæreant de magistris sub quibus olim vixere. Præterea fieri & hoc potest, ut pro Ecclesiæ Romanæ decretis ea habeant, quæ sunt aliquorum nec eruditissimorum. Cæterùm qui pacem optant, ut ego facio, non debent omnia quæ in controversiam trahi possunt ἐξονυχίζειν. Rectè judicas Anglos in Regno vetere

tere novam moliri rempublicam. Ita homines sub Religionis nomine factiosi alibi evertunt, alibi constituunt Regna. Miror non illud, esse homines qui libertatem quàm dominatum malint, sed esse quibus nuper repertum Ecclesiæ Regimen sordeat præ illo quod per Orientem non minùs quàm per Occidentem tam diu receptum fuit, ut quidem ego censeo, Christo & Apostolis auctoribus. Gennepam jam captam credimus, avemusque scire quid deinde cœpturi sint Batavi. Dixit mihi aliquoties Magnus Cancellarius Spiringium eo esse ingenio, ut quosdam à quibus læsus non est sibi velit esse inimicos, quod inimicitias eorum sibi speret esse utiles. Aliquid tale in nostro negotio latuisse planè credo. Aira machinis oppugnatur, ante exitum Iulii puto Gallorum erit; nam Cardinalis Hispanus frustra oppugnavit castra. Dux Lotharingius hic suspectus esse incipit. Sæpe jussus non junxit se Castilionæo, qui propterea Lamboio ad Arlonum se ponente & Sedanum perductis novis per Guisium auxiliis, utrinque sibi metuens, concessit trans Mosam, relictis citra flumen qui castella cœpta perficerent custodirentque. Factis autem evanidis cum Bulionio de pace colloquiis jussit Rex omnia hostilia in Sedanum agitari. Pecuniam autem exercitui Ducis Lotharingi destinatam dari vetuit. In Catalania terra marique damnum accepere Galli in Ruscinonensi tractu & in Italia nihil ferme agitur. Marchio Bressæus it cum viginti navibus in Portugalliam, nisi malus aliquis nuntius iter impediat. Metuitur ei regno. Rogo meo nomine salutes obsequentissimè matrem, observantissimè & amicissimè uxorem tuam, liberos, cognatos & amicos. 29 Iunii 1641.

Crusius cum inspectore in Italiam abiit. Nihil mihi locuti sunt de Spiringii epistola. Ex Hambræo intellexi esse satis incivilem οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

554 DE Spiringio gaudeo nihil esse novarum turbarum. Et ipse & Suedi omnes exhibent mihi quæ non ego, sed Legatio exigit honoris testimonia. Quod ad Appendicem attinet, puto me sine studio partium accusasse quæ accusanda sunt, defendisse quæ defendenda, excusasse quæ excusari poterant. Siquis aliter sentit paratus sum de singulis rationes & audire & reddere. Apertè autem ago, quia ita fieri pacis interesse arbitror. Strideno & Cloeckio atque viris omnibus qui moderatiùs sentiunt à summo Senatu honorem eum habitum, ut digni habeantur qui Amplissimo isti ordini accedant, gaudeo. Episcopi si à consiliis Regis amoveantur, id est, à Consessibus ordinariis, nihil video mali, dum aliqui sint semper Regi ad manum, per quos in iis quæ conscientiam maximè urgent consulat. Nam ut se rebus seculi abstineant Clerici vetustissimus, &, ni fallor, optimus est Canon. Ex Parlamento auferre eos, id sit totam publici Regiminis formam convellere. Et in populo Dei Levitica tribus juxta alias sententiam dixit. De reditibus parum referre arbitror, dum sit unde honestè vivant & quæ supersunt ad pios usus, id est in fabricam Ecclesiarum, pauperes & captivos. Quod tu & Vergoesius tantam curam adhibuistis in hujus libri accessionumque ejus, quæ omnia inter mea maximi facio, editione, gratias ago utrique. Deus cui servio reddat vicem. Nunc describo φιλολογικὰ quæ ad oram corporis Iustinianei annotavi. Etiam adjicienda putes novæ alicui editioni Corporis, an verò seorsim edenda consilium tuum, quod semper fidelissimum sensi, exposco. De Airæ obsidione quin bene successura sit, non dubito. Sed Sedanum plus quàm creditum fuerat, Regi exhibet negotii. Habent Principes secum plus decem millibus: & ad latus exercitum validum sub Lamboio, Gillone Hasio & Gonzaga. Dux Lotharingus deposita persona ait se federi cum Gallia facto stare non posse. Rex ipse appropinquat iis locis, decem millia adjuncturus Castilionæo non satis hactenus habenti virium. Pugnatum tamen sæpe. Et Torsiaco depulsus Bulioni miles. Missus Cancellarius Galliæ in Parlamento fuit, ut ex captivis inquiratur de consiliis illorum Principum: deinde atrox in eos decretum fiat. Nobilium duorum qui cum turmis suis ad eos Principes transierant, bona confiscata, ædes sunt dirutæ. In Catalania periclitantur à vi Hispanorum Galli: itaque in illorum auxilium properant relicta Elinsæ obsidione 11 millia Gallorum qui in Ruscinonensi erant tractu. Velim officiosissimè salutes matrem, uxorem, liberos, amicos. 6 Iulii 1641.

Poëmatis meis novis addere poteris, si velis, hæc epigrammata.

Sub tabula Reginæ Suedorum.

Regia progenies Gustavis edita magnis
Sceptra fero, duris suspicienda Gothis,
Virgineo pugnata leget, qui prælia jussu
Sanguine me junctam credit Amazonibus.

Sub tabula Romæ incensæ à Nerone.

Hostica quod Danaum fecit victoria Troia,
Ludens ipse sua fecit in urbe Nero.

Epitaphium Susannæ Reigersbergiæ.

Nostrorum meritis, patre Consule, Consulis uxor,
Adjeci meritum non leve, nupta semel.
Vt nostri memores fuimus sine fine mariti,
Versa tu nostri sis sine fine memor.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

CÆtera nostrorum operum velim tibi curæ sint, ut mea hactenus fuere. Ægre me à suspicionibus libero quod tam lenta fuerit Annotatorum ad Euangelia & accessionum editio. Deinde quorsum ista bicolumnia & mutati typi non satis perspicio. Scripsit ad me primùm Iustus Overbekius: deinde Petri Overbekii vidua. Respondi iis qui literas ferebant multis me negotiis publicis distrahi: præterea non hærere memoriæ negotii merita, ad te me scripturum ut ista res amicè, quemadmodum inter propinquos decet, transigatur, id nunc te, ut cures rogo. Si D. Vtenbogardus putat utiliter edi posse ista ad Philemonem, non nolim addi ea nostris de Iure Belli ac Pacis ob quandam argumenti affinitatem. Exspecto etiam quid de scripto sororis Blanchiæ & aliis cognati argumenti faciendum censeas. Ad Airam satis lentè proserpit obsidio. Die 6 Iulii Sedanenses Principes Castilionæi tenuem valde exercitum ceciderunt. Magna fuit Regiorum clades. Dolor tamen non magnus aut Cardinali aut Principi Condæo, si verum est, quod hic per urbem spargitur, mortuum esse in eo prælio Comitem Suessionensem, magnum decus istarum partium & quo ademto vix est ut multi illis partibus se aggregent, habendis si id faciant, ex Parlamenti Parisiensis decreto pro Regis proditoribus & desertoribus patriæ. Elnæ arcem in Russinonensi tractu cepere Galli. Obsident adhuc Tarragonam in Catalania: in Italia verò Conisum & Mondevisum. De beneficio Hemskerckiano exspectabo tuum consilium. Faciliùs enim tibi nosse est in quem conferri possit reditus ille non sanè invidiosus. In Mireveldio periit magnum urbi Delphensi decus. Petro respondebo ubi ad me miserit institutiones juris Batavici 555

Latinè à se versas, pridem ipsi injunctum à me opus. Vale mi Frater, cum matre, uxore, liberis. Lutetiæ 13 Iulii 1641.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater suavissime,

556 EXspectabo post edita nostra ad Euangelia cum accessionibus, & illa de Iure Belli ac Pacis diligentiam tuam ad edenda cætera de quibus scripsi antehac: deinde consilium super illis ad Philemonem, Blanquianis, ad Jus Iustinianeum. Non dubito quin inter Pontificios, Lutheranos & Anabaptistas futuri sint, qui longo partium studio fascinati, pro miris habituri sunt quæ dixi; nam Calvinistas & Puritanos quin habiturus sim infestissimos, mi Frater, minimè mirum: ἐμοὶ δὲ ἐλάχιστόν ἐστιν ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ, ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας. Seri carpent mea poma nepotes. Quid si invidiam hæc mihi concitent, ut multa antea quæ pro patria feci? Deus judicabit. In eo rogo te consoleris. Mihi cum Baronibus & Nobilibus Suedis qui hic sunt optimè convenit. De matris, conjugis tuæ liberûmque valetudine plurimum gaudeo, oroque ut me in optimo proposito suis precibus adjuvent. Airæ obsidium trahitur in mensem alterum. Principes Sedanenses capto Doncheriaco, obsident Mousonum. xx millia habere dicuntur. In Catalania quinque naves longæ Hispanorum mersæ, ustæ totidem. Lutetiæ 20 Iulii 1641.

Videtur imminere novum prælium inter Regem & Principes Sedanenses.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

557 COccejum legendi non fuit otium. Peccant hic, illic. Video plerisque ejus rationibus responsum in appendice. Ea quæ sunt ex Daniele planè esse frivola ostendam in Annotationibus ad Vetus Testamentum. Vrbem designatam Apocalypsi xi. 8. esse Hierosolyma ostendit, addita nota ex morte Christi. Cætera epitheta desumta sunt ex Ezech. xvi. 46. & xx. 30. Exspectabo abs te ubi Amstelodamo redieris περὶ τῶν ἀεὶ πάντων, præsertim an aliqui fuerint qui Blavium in editione tardaverint, & qui. Cogita de omnibus quæ ante historias edenda sunt: in quibus sunt & illa ad Vetus Testamentum & illa ad jus Iustinianeum. Cogita etiam de Viduitate, & ad Philemonem. Multum dubito an quia Blavius neque meis imperatis neque suis promissis non stat & correctores non habeat idoneos, debeam quæ restant mea aliis committere, aut hic aut apud vos. Multi concionatores Catholici Massiliæ, Gratianopoli, Lugduni & alibi severè incusant superstitiones & ea quæ ad idololatriam accedunt. Nec quisquam iis se audet opponere, quod credantur fulciri publica auctoritate. Ministri quidam Reformati mutant formulas in ritu Eucharistico, Deum orantes ut benedicat ista sua dona, superque ea spiritum suum immittens ea faciat nobis corpus & sanguinem Domini. Lamboius vult tentare aliquid pro Aira & currus aliquos cum commeatibus cepit. Sed quando Gallorum cuniculi jam aliquot locis vallum subiere, non est quod metuamus ne diu id oppidum resistat. Rex cœpit agere cum Duce Bulionio & creditur iturus eo Mazarinus. Id si est non multum agent Principes cæteri. Arcem Cevam in Pedemontano solo cepit Harcurtius. In Mondevisium à Gallis obsessum auxilia intrarunt, & in Cataloniam Tarragonam commeatus. Vale cum optima uxore, liberis, amicis, matre imprimis. Deus vobis det omnia salutaria. Lutetiæ 27 Iulii 1641.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo te Amstelodami fuisse, bene rediisse, nostrarum rerum habuisse quam soles curam. In Indice 558
multa sunt errata etiam contra sensum meum. Vt opus quamprimùm fiat publici juris velim. Nam Coccejo respondere non possum, nisi prius nostra ediderim in Danielem, quod fieri debet simul cum iis quæ ad omne sunt Vetus Testamentum. In editis facilè mihi erit & quæ Coccejus scripsit & quæ alii fortè interea scripturi sunt, discutere. Vides autem quàm justas habeam causas optandi, ut & Anthologia & illa quæ sunt ad Vetus Testamentum correctiora his quæ nunc sunt in manibus exeant. Siquis de D. Vossii familia velit vertere nostra primùm ad Novum, deinde & ad Vetus Testamentum, versionemque in margine ponere, ita ut constet amici esse non meam, id ego non improbem. Nam mihi certè otium non est. Bene autem facis quod & de Lucano & poëmatis urges. Florum sparsio (ita appellare hanc adjectiunculam ad ea quæ dedere alii, quæque collegit Godofredus visum est) ad Ius Iustinianeum absoluta est & habet quaterniones in octavo meæ id est minutæ literæ, xxix. Nostra ad Philemonem gaudeo placere viris magnis quibus ea ostendisti. Ego non video cur non possit attexi libris de Iure Belli ac Pacis cum hac typographi præfatiuncula. *Cum circa hoc tempus in manus nostras venisset scriptoris hujus commentatio in Epistolam Pauli ad Philemonem, visum est eam hic ponere, tum ut cum majori opera servetur, tum quia quædam continet non aliena ab his quæ in hoc opere libro* I. *capite* II. *& libro* III. *capite* VII. *& capite* XIV. *tractantur.* Vossiana de idololatria avidè exspecto. De Manasse tecum sentio, non libenter eum operam commodaturum scriptis in quibus multa sunt Christianismo contra Iudæos inservitura. Etsi alia multò plura, in quibus à me non diffidebit. Poëmata vetera mea abs te olim edita recudat qui volet. Nam nec ego nec tu id faciamus aut putemus. Multa sunt ibi quæ supprimenda potiùs quàm iterum vulganda sunt, majoribus de causis quàm ob quas Retractationum libros edidit Augustinus. Alia autem ab aliis decernere fortè odiosum. Sufficiat ergo ea edere quæ senem & bellis non amicum decent: qualia sunt sacra antehac edita & hæc nova accessio. De Anthologia velim exactè scire quid ibi sperandum sit; nam hic sunt qui id non sunt detrectaturi. Ne patiamur aut tempus perire inutile aut inquinatas prodire editiones. D. Vossius ea in re consilio nos juvare posset. De Hoofdii historia credo sermonis duritiem non omnibus placituram. Habet tamen auctores quibus se tueatur, Thucydidem, Sallustium, Tacitum. Nos de nostra videbimus ubi cætera erunt absoluta. Tu interim quæ putas offensui esse posse æquis & à factione remotis lectoribus annota, & mitte. De Overbekii negotio, quando ego multum illi domui debeo (nullum enim in me, Hamburgi cùm essem officii genus intermisere) tu autem Schonckio consilia das, rogo, ut ad eam quæ tam propinquos decet viam, rem perducas. Id mihi futurum est gratissimum. Liber Blanckiæ sanè bene est scriptus pro muliebri ingenio & potest viduis esse utilis accedente ipsius exemplo. Tum verò quæ ex Latinis Græcisque versa, digna sunt quæ à mulieribus & viris legantur. Filia nostra non ex voto nostro valet. Et maximo filio malum in brachio obductum recruduit. Deus eorum nostrique omnium curam paternam gerat. Velim Vlamingius, Hasselarius aliique viri boni in tempore remedia adhibeant igni isti periculoso. Valde enim opto civitatis illius salutem. Bremius quantum ego videre possum Græca non intelligit. Itaque de ipsius opera correctoria aut etiam Curcellii nihil boni sperare possum. Rogo editiones meas cures, non mei tantùm, sed & publici causa. Nihil enim mihi propositum aliud quàm servire publico, id est, generi Christiano. Id mihi

Digitized by Google

mihi & in vita hac erit solatium & ad vitam alteram viaticum. Aira recepta est. Doncheriacum receptum. Lotharingus adhuc fluctuat. Rex Mazeriæ est & sperat Sedani famem. In Italia Alexandriam tentarunt Galli frustra. Saluta quæso matrem, uxorem, liberosque tuos. Lutetiæ 3 Augusti 1641.

Si Francisco Iunio vacaret vertere nostra Hebræa & Græca ad N. T. is id præstare posset. Qui D. Vossio restant liberi quales sint, non sat scio. Valde cupio scire quis fecerit indicem; mea enim refert.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

559 Mitto ad Vergoesium errata quædam erratorum quæ corrigenda erunt. Sed multo magis illa in Indice, ubi quædam sunt tanti momenti, ut malim opus sine ullo Indice, quàm cum tali Indice in lucem ire. In causa Feudorum non satis intelligo an iste & mater in eodem gradu sint defuncto ultimo possessori, an mater uno gradu propior. Si hoc est, videtur mihi præferenda, si illud, postponenda. De Aira jam scripsi. Dux Lotharingus haud dubiè se jungit Guisio, Valetta Vendocinensi. Sed Bulionius videtur pactus aut pacisci cum Rege. Itaque posthac illa factio peregrina magis erit Gallica, neque se movere poterit, nisi ex solo hostili. Annotatorum meorum exemplar etiam Mario dandum erit, & cæteris de quibus scripsi antehac. Deus te, matrem, uxorem, liberos amicosque servet. Lutetiæ 9 Augusti 1641.

Velim data occasione ad me mittas librum de Veritate Religionis Christianæ, ut eum dem Episcopo Bellaco, viro sanctissimo. Cùm falsi hic rumores sparsi fuerint contra turmas Germanicas tanquam fugæ principes in prælio ad Sedanum, veram historiam signatam à multis & approbatam à Castilionæo typis edidi. Mitto duo exempla.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

560 Miror ita festinare Blavium tam tardum antehac. Priusquam è manu sua emitteret exemplaria exspectare debuit meam sententiam de Indice & Erratis. Errata omnino recudi volo. Indicem si nolit recudere volo ab omnibus exemplaribus auferri. Ita multa ibi sunt posita contra sensum meum, dolo an lata culpa non dixerim. Si fortè perierit charta cui inscripseram in Indice mutanda, iterum eam mitto. Rogo insuper Blavium ne ulla Poëmata mea recudat præter sacra, alioqui rem facturus mihi maximè ingratam. Vellem ad me mitti exemplaria duo editionis Amstelodamensis de Veritate Religionis Christianæ & unum compactum dari Curcellio. Dux Bulionius bonis conditionibus cum Rege decidit. Pecunias habet per quas se ære liberet alieno. Memoriam Comitis Suessionensis & honorem corporis exanimis & omnes sectam ejus secutos servavit. Hispani nunc ad Airam obsidendam venere occasione bona usi munimentorum, quæ Galli fecerant neque demolita erant, dum abitum celerant metu famis. Reliquere in urbe quatuor millia præsidio, commeatus ad menses tres aut quatuor. Videtur res spectare ad prælium. Habet Hispanus, ex quo Dux Carolus ei accessit non minùs xxv millia. Rex revocato Granzæo qui in Lotharingiam iverat & accitis ad arma Picardiæ vicinorumque locorum militibus brevi habiturus est xxx millia. In Catalaniam missa iv millia augendo terrestri exercitui: naves longæ quatuor, aliæ sex ad classem firmandam. Florum sparsioni meæ ad Ius Iustinianeum hoc præfixi Epigramma:

Non ego, sub quorum pendent examine causæ,
Non ego, pro trepidis ora diserta reus:
Non ego distantes legum præscripta magistros,
Quicquam quod sit opus scire, docere volo.
Hoc faciant, adolens Themidis Cujacius aram.
Ingentique bono nomina nota, Fabri.
Sed siquis latebrosa terens ænigmata legum
Pectora de tetrico fessa labore refert,
Hunc ego solabor, det ditior alter aristas,
Pomaque, nos flores, munera parva, damus.

Saluta quæso matrem, uxorem, liberos, amicos. 17 Augusti 1641.

Misi antehac Errata Erratorum. Si locus non est, omnia quæ addidi ponendi poterunt deleri illa ubi pro αὑτοῦ, αὑτῷ, αὑτὸν, reponi jubetur αὐτοῦ, αὐτῷ, αὐτὸν quia in LXX interpretibus innumeris locis sunt demonstrativa vice reciprocorum.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

IN Indice tam multa contra meum sensum sunt posita, ut planè eum velim excudi aut ab omnibus exemplaribus auferri, ut opus non inutile tantùm, sed & damnosum. Misi quæ corrigenda sunt ad Vergoesium primùm, deinde ad te. Misi & Errata Erratorum, quæ ita multa sunt, ut recudi ea vel meis impensis omnino velim. Vide quid sit operis minùs idoneis uti. Ego nisi meliores correctores nanciscatur, nihil ei posthac mei commiserim. De Feudo scripseram, matrem mihi videri præferendam filio, nisi mater per aliam lineam in propiori sit gradu ad ultimum possessorem. De Smalcio credo. Cardinalis multa quidem dicit & dici jubet quæ ad pacem conducunt. Sed Protestantes ista omnia vulgant, quasi in omnibus victoria ipsis concederetur: quod multum abest: eoque vereor ne sibi noceant. Cadunius strennuè pergit ad pacem conniti & edit quædam non inutilia. Siquis Vossiorum posset facere versionem Græcorum in Annotatis, valde id mihi placeret. Bremius planè ei labori par non est: & labor mihi injungeretur tam multa emendandi, ut non minùs id grave sit futurum quàm vertere. Aira imbellem turbam ejecit; famem enim non frustra timet, si manet obsidio. Exercitus tum Hispanicus tum Gallicus sunt xx millium. Suis Rex utetur aut ad oppugnanda castra, aut ad tentandam obsidionem aliam. Etjam Bressæus cum modico apud Peronam minatur ingressum in Belgicam. Cum alio agmine Granzæus Barri obsidionem moliri videtur, ubi præsidii aliquid reliquit Dux Carolus, reliquum militem tenens inter Montem & Valentinianas. Guisius in castris est Hispanicis ut Marescallus militiæ Cæsaris. Paret ei Lamboius. Est ibidem Elbovius. De Comsio & Taragona exspectamus nuntios. Vale quàm optimè, cum matre, uxore, liberis, & amicis. Lutetiæ 24 Augusti 1641. 561

Si fortè non rectè curata fuissent Errata Erratorum, mitto eadem ad marginem Erratorum à me Annotata. Hæc autem exactè corrigi eò magis refert, quod ad hanc formam corrigendæ erunt editiones secuturæ. Miror me nihil intelligere neque de Blanchiæ scriptis, neque de meis ad Epistolam Pauli ad Philemonem. Rogo epistolas meas relegas. Vellem ad promovendam pacem inter Christianos edi Formam professionis Synodi Tridentinæ, Confessionem Augustanam ex editione ultima, Consultationem Cassandri emendatam ad optima exemplaria, ad quam adderem mea Annotata, non nimis magna, sex ferme quaternionum in octavo. Possent addi nostra institutio baptizatorum, Trimetri de Eucharistia, disquisitio de Pelagii dogmatibus. Hæc omnia multum lucis adferre possent pacem cum Veritate amantibus. Sed cùm video quàm inquinatè ista mea edantur, quàm paucos habeam quibus possum fidere, nihil aliud constituere possum quàm Deum orandum, ut mihi bona & consilia & auxilia subministret. Petrus Pelsius qui apud me vixit in Batavos Cancellarii Suediæ, ut mihi pater

ejus scribit, jussu. Velim scire ubi victurus, & quibuscum, & quid acturus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

562 ITerum dico mirari tam lentum antehac Blavium nunc ita festinasse, ut misso ad me Indice & Erratis, meum super iis judicium non exspectaret, sed in exteras oras librum mitteret. Quare si me amicum vult, Errata recudet meo sumtu, indicem autem aut recudet, aut auferet. non est enim Index qui mentem meam malè indicat: deinde scribat ad eos ad quos tam præproperè misit exemplaria, mittatque correcta Errata & Indicem correctum, aut certè mandatum auferendi Indicis. Est enim id pernecesse. Heri apud me fuit Petavius cum alio sui ordinis. Ostendunt se pacem Ecclesiæ amare. Et multi ad populum ea de re agunt commodum; non tamen quantum jactant Protestantes. Ministri autem illi Protestantes quod more veterum Dei invocatione utuntur cum Eucharistiam faciunt, sanè in Languedocia dicitur nemo offendi. Neque facta hæc mutatio scripto, sed voce. Cùm Regiones exteras nominat in quas missi sunt libri, miror de Anglia non facere mentionem. Velim in fine de Iure Belli ac Pacis poni hæc sumpta ex ultimis mandatis Regis Francorum S. Ludovici ad filium suum. Si qua controversia aut actio in te moveatur, inquire in veritatem tam contra te quàm pro te. Si quid alieni habere te animadvertas, quod aut te aut majores tuos cepisse constet, fac illico restituatur. Cave bellum geras adversùs Christianum quenquam nisi ex multorum consilio & ita si bellum evitare non possis. Quod si bellum habeas, abstine ab Ecclesiasticis & iis qui tibi nihil nocuere. Si inter subditos tuos bellum aut rixæ oriantur, fac eos ad concordiam reducas quamprimùm fieri pôtest. Sæpe specta quid Bailius, Præpositi & alii Officiales tui faciant, & in eorum actus inquire, ut si quid corrigendum sit, id corrigas. Fac nullum turpe peccatum regnet in Regno tuo. Ad Airam hostis præter quod famem exspectat, opera admovet. Marescallus autem Bressæus & Millereius captis Centia & Bassæa pergunt ad Lisam flumen, ut ab urbe Insulana adventantes commeatus hostium castris intercipiant. Pulveris bellici penuria in causa est cur Bassæa sit dedita, & cur Comsii deditio Gallis speratur. Eadem ex causa Taurinorum urbem rursus à se obsideri sperat posse Princeps Thomas, quia igne incertum an fortuito pulvis in arce qui erat flagrarit. Tarragonæ equi eduntur. Quingenti edendi restant. Lutetiæ 31 Augusti 1641. Rogo salutes optimam matrem, uxorem tuam, liberos & amicos.

Epigramma:

Κλαῖε Δαημοσύνη Καμερέγιον εἰσορόωσα,
Πλοῦτος ὅτι φρενοπλὴξ εἰς πλέον ὤνατο.

Tibi obligatissimus H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

563 NIsi Blavius & Errata recudit meo sumptu & Indicem aufert ex iis quæ ipsi restant exemplaribus, idemque ut faciant monet librarios ad quos misit, insignem mihi facit injuriam: nec quicquam ei posthac meorum credere potero, planè dolum hic subesse judicans. Nam in Indice omissa sunt multa multò magis necessaria, posita ea quæ studio detorta in pravum sensum me inutilem paci reddere poterunt. Nimis multa sunt in Indice contra meam mentem posita, peccataque alia quàm ut id dissimulare possum. Si quidam emptores indicem habebunt, justus ille subsequens efficiet ut notum sit mihi eum displicere. Florum sparsio describetur, ubi Biblica nostra descripta erunt, in quibus jam tres uno tempore laborant, domesticus unus, duo extranei. De cognati Halsii filio quod scribis, mihi non displicet. Poteris igitur hoc facere mandato meo. Mallem plus aliquid esset, unde juvare amicos possemus. Sed quicquid est perire non debet. Miseram tibi nuper præcepta quædam à S. Ludovico data filio Philippo ad cavenda bella inter Christianos, ut subjungerentur hæc libris nostris de Iure Bello & pacis: addo nunc aliam particulam ex histotia Regis ejusdem de ejus labore in componendis vicinorum controversiis. Hanc quoque nostro operi addi cupio, ut sciant qui mea legunt ea dicere quæ optimi Reges & laudarunt & fecerunt. Anthologiam huc remittendam censeo quando spes non est, ut à Blavio edatur nisi inquinatissimè. Poëmata & Lucanus facilè aliquem apud vos typographum invenient. Aira brevi esuriet, producunt patientiam equos edendo. Cardinalis Hispanus ægrotat Corteraci. Hispanici exercitus duo sunt his in partibus, alter ad Airam sub Beckio, alter huc illuc discursans & Gallorum conatus observans sub Lamboio & Guisio, qui exercitus augetur indies ex novo milite & Flandriæ Hainaviæque præsidiis. De Conisio incerti sumus, sed Taragonæ plenissimè subvenit Hispanus. Classis Gallica loco pulsa Massiliam redit. Iam Barcinonem mari obsident Hispani, item ut creditur & terra facturi. Salutes rogo matrem, uxorem tuam, liberos, amicos. Lutetiæ 7 Septembris 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

GAudeo mi Frater te & D. Vergoesium (cui exemplar 564
dandum erit libri nostri ut & D. Mario) remedium invenisse isti malo de Indice quod me non parum torquebat. Mandata ista Regis Ludovici, sunt quidem & in historia Ioinvillii, unde alteram particulam excerpsi quam post id ad te misi, sed nomen Ioinvillii non apposui, quia illa mandata perscripta sunt in Actis Collegii Rationalium in hac urbe & edita cum Paraphrasi. *Ioinvillius* ille Senescallus Campaniæ fuit & itineris in Ægyptum Regi S. Ludovico perpetuus comes. Epigramma Græcum quod nuper miseram sic habebat:

* Κλαῖε Δαημοσύνη, * Καμερέγιον εἰσορόωσα,
Πλοῦτος ὅτι φρενοπλὴξ εἰς πλέον ὤνατο.

Bapalmam se brevi habituram sperant Galli. Aira nondum ita esurit, ut de deditione cogitet. Feudalem quæstionem quod attinet, videtur mihi in Feudo quod à paterna linea venerat, mater spectanda, non ut mater ultimi possessoris, sed ut sanguine juncta. Sed est quæstio disquisitu digna. Bapalma capta est. De Conisio idem speratur. Lamboius Basseam & Lensam armis repetit. Dux Lotharingius optat privatus vivere. Rex pacta cum ipso facta publicavit. Vale, mi Frater. 12 Septembris 1641. Saluta uxorem, matrem, liberos.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

E I D E M.

Mi Frater,

PLanè & sine ulla excusatione id faciendum est quod 565
Blavio significasti, ut Errata diligentissimè corrigantur meo sumtu, & ut Index qui in multis partibus sensus continet à meis diversissimos ab omnibus tam missis quam mittendis exemplaribus auferatur. Alioqui faciam ut norint omnes injuriam mihi insignem fieri. Valde placet & nostra ad Philemonem & excerpta de Rege S. Ludovico poni post nostra Annotata de Iure Belli & Pacis. Blanckiæ liber fidei nostræ commissus est. Itaque ego & uxor mea editionem procurare debemus aut in Hollandia aut in Zelandia. Puto veterum libellos qui accedent ei prius edere futuros. Zenii filius si huc venerit ut feret, ita metet. Bapalma obsidetur à Gallis. In Portugallia ingens fuit contra Regem, Reginam ac liberos eorum conjuratio per confessionem detecta. Guisii

sii imago heri decollata est. Bona Regi addicta. Resaluta quæso matrem, D. Dussenum, tuam, tuos & amicos. Overbekius qui Hamburgi est scripsit ad me id agi, ut rescindantur quæ me suasore transacta & in judicium deducta fuere. Fidem meam implorat monetque pollicitum me, meum consilium ei non defore. Velim scire quo loco res sit & quæ spes concordiæ, ut videam quid mihi sit agendum. A Blaviis ita malè tractatus sum, ut multum eis credere non audeam. Lucanus & poëmata & nostra ad jus & Anthologia ubivis aut in Batavia, aut in Gallia aut alibi possunt edi. De Theologicis sum sollicitus. Multæ insidiæ sunt bonis. Sed in mente Domini providebitur. Is nos omnes regat ac sospitet. Lutetiæ 14 Septembris 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

566 DE Indice & Erratis spero futurum quod desidero. Gaudeo ea quæ de Rege S. Ludovico misi tibi placere. Multum refert quæ ego in opere meo dixi, ea ostendi nec αὐτὰ nec Scholasticorum omnia, sed ea quæ Regi sapienti probata sunt & monstrata rebus. De Lucano & poëmatis rogo urgeas: Anthologiam aut Lugduni excudendam cum indicibus quales volo, aut per notum aliquem hic quamprimùm mittendam censeo, quandoquidem Blaviani Correctores illis Lugdunensibus non sunt comparandi, & hic ego, quanquam occupatus ad ultimas correctiones tempus reperero. Bremius non is est qui Græca Latinè in meis libris rectè possit vertere. Velim ad me mittas per tabellarium Edictum contra Romanenses. Quæ ego pro pace Christiana laboro, ea neque ad rationes Batavos Regentium, neque ad hoc sæculum restricta sunt: sed longiùs latiusque prospectant. Itaque non desinam serere arbores si non huic at futuræ ætati profuturas & umbram facturas nepotibus contra pestiferos æstus. Reginæ matris fatum id est quod infelicium, ut etiam fortuita aut aliunde orta ipsi imputentur. XII hujus mensis Conisum in Pedemontano cessit armis Galliæ: XV Ioinvella in Comitatu Burgundiæ. XVIII Bapalma, ac hostis à Bassæa discessit, manente adhuc in dubio Airæ fortuna. Barcino nutat. It ei firmandæ Bressæus Marescallus, & putatur eodem venturus per mare filius Bressæi Marchio, rebus quanquam Portugalliæ magno in periculo constitutis: Vale mi Frater, cum optima matre, carissima uxore, liberis, aliisque nostris. 28 Septembris 1641.

Mitto tibi exemplum meorum Annotatorum ad Consultationem Cassandri: & alterum Vtenbogardo. Si quis velit recudere cum professionibus Tridentina & Augustana & ipsa Consultatione Cassandri, habeo exemplar ejus Consultationis correctum ad ipsum archetypum Cassandri quod possem transmittere. Addi possent versus nostri de Baptismo & de Eucharistia, simul & de Pelagianis dogmatibus disquisitio. Ita nihil ferme esset quod de hujus sæculi controversiis ampliùs à me desiderari posset. Amirautius scripsit contra librum de Absoluto decreto, versum ex Anglico, quem meum putat esse. Ego in Actis Apostolicis nunc desudo, quantum ferunt Legationis negotia. Salutationes accido quantum comitas permittit. Bellum est inter Papam & Parmensem. Huic Ethruscus favet. Illi Hispanus. Controversia est, quod Parmensis in Ducatu Castri feudo Ecclesiæ munitionas fecerit Papæ injussu. Harcurtius it ut liberet Monticalvum obsessum à Principe Thoma.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

567 ROgo me exactè edoceas quas partes Indicis mutarit, quas non mutarit Blavius. Ego nisi omnia mutat omnia tolli volo. Si quis esset Typographus qui edere vellet illa opuscula ad perferendum Viduatum hortantia, charactere mediocri, omnia bona occasione transmitterem. Expedit ut mulieres norint id esse meliùs, etiamsi secundæ nuptiæ non damnantur. De Hispali & Andolosia nugæ sunt. In Overbekii & Schonebii negotio adhuc me tenebo medium, quanquam multis Overbekiorum in me officiis obstrictus. Rogo te inter propinquos viam concordiæ monstres. Slatio viventi satisfactum est è Remonstrantibus, quibus eam ob rem concessi omne lucrum ex editione sex librorum de Veritate Religionis Christianæ. Norunt id Vtenbogardus & Episcopius. Velim scire quas causas Lugdunenses & Amstelodamenses attulerint, cur non probarent de causis filiæ & criminum quod aliis placebat. Suedicum illud quod narras fortis animi factum est. Certus sum diu esse quod Episcopius mea Annotata & opuscula habet. Dubito an non is Bremio quædam in Indice dictaverit à meo sensu aliena. Si ita agitur, quid Blavio credam posthac? Præterea quæ lentitudo quæ errata? Hæc ubi scripseram percurri chartas indicis. Video in illis ipsis chartis quædam quæ mutata volui malo consilio relicta. Itaque nihil restat nisi ut auferatur undique Index, ut pessimè factus. Valde mihi dolet me sic tractari. Bremio nolim quicquam posthac meorum credi. Scripsit Angrausius librum quo Calvinum defendit de Absoluto Reprobationis decreto. De me benignè loquitur; sed dolet me in tam infelices partes incidisse. Velim inquiras in qua editione compareat illa Melanchtonis epistola, de quodam in carcerem conjecto quod à Zenone dissentiret. Nam Aragrausius negat se reperire. Mileterius & Codurcus mea ad Cassandrum annotata plurimum probant. Sanpreulius Atrebatum Præfectus in carcerem à Rege datus est ob cæsos qui è Bapalma emissi erant, cùm adhuc tubicen Regius eos comitaretur. Res est obscura. Rogo me commendes optimæ matri, uxori tuæ, amicisque communibus. Anthologia mea Lugduni reperit typographum. Huc remittenda erit, ne fiat Augiæ stabulum. De Lucano & poëmatis curam tibi mando. Vale, mi Frater. 5 Octobris 1641.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

IN Indice, ut scripsi nuper, video relicta quædam 568 quæ mutari volueram, haud dubium quin haud dico Blavii, sed aliorum mala fide. Quare ex exemplaribus quæ ad me jam pervenere indicem auferri jussi, rogaturus librarios idem ut faciant. Vbi excussus erit liber de Iure Belli ac Pacis, velim pro LX exemplaribus, compacta mihi dari XXX, decem pro vobis qui apud Batavos estis, XX pro me & Gallis, mittique per amicum nautam ad Treselium, ne nimia vectura aut me oneret aut Blavium. Deinde ut tam maturè fiat, ut ego exemplaria aliquanto priùs habeam quàm vulgus. Nunc Annotata mea prostant, cùm mea quæ amicis dem nondum sint compacta. Sensum epigrammatis abs te video bene perceptum. Ille quem innuis Græca non intelligit: & vix puto fore qui ei id interpretetur. Sed edine hoc epigramma an inter nos clausum teneri debeat videbimus ubi edentur poëmata. De pace incipient colloquia. Sed in re quid futurum sit, haud facilè dixerim. Video quid populis expediat: video etiam quæ consilia in mentem venire possint iis qui cæteros ut pilas habent. Ego pro pace Deum precor. Rex Galliæ tentare voluit literis suis animos eorum quorum in manu est res Batava. Voetius quæ dicit vera sunt: sed dicit ea minùs eleganter. Mei libri & quos edidi & quos editurus sum ostendent Hellenistas dictos Iudæos qui in Synagogis Græca lingua utebantur; eorum verò sermonem plenum fuisse locutionum Syriacarum à puritate Græca longè abeuntium. De Aira incerta sunt judicia. In Comitatu Burgundiæ multas

tas arces & oppidula Rex capit. Episcopi complures seriò cogitant de pace & emendatione Ecclesiæ. Deus eorum laboribus faveat, matremque nostram, uxorem, & amicos communes clemens respiciat. Lutetiæ 12 Octobris 1641.

Accipio literas à Blavio. Velim edat Lucanum & poëmata. De Annotatis ad Vetus Testamentum delibero. Nolim enim committere, ut tam inquinata fiat editio quàm hæc ad Euangelia. Tenacitas ejus in causa est qui doctum correctorem domi suæ habere debebat, aut talia non suscipere. Dicit illa ad Vetus Testamentum Manassem correcturum. Is Hebræa bene intelligit. Græca & Latina non item. Ita recidam in eadem mala. Anthologiam puto edi posse Lugduni, sed cum indicibus de quibus scripsi antehac.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

569 Terriculamenta ista de clamoribus aut malè Catholicorum aut malè Reformatorum non modò non curo, sed & rideo. Latrent dum ne mordeant. Ego æquitatis vias me instituisse confido, speroque fore ut in Gallia sarciatur hæc ruptura ad illas ferme quas dixi leges. Id grave præjudicium erit in Scotos & alios quos idem Σχίσμα attigit. Verùm etiamsi hoc non eveniat mihi constabit facti ratio, neque desinam eo pede pergere. In Edicto quod misisti, miror Ordines Fœderatos imperare officialibus & Magistratibus: possunt id in eos qui in Flandria Brabantiâque sunt, non in eos qui in Hollandia: sed Ordines Hollandiæ mos est à Fœderatis rogari, ut ipsi suis imperent. Mirabor si id ab Hollandis negligetur, quanquam quid nunc mirer in tam corrupta republica. Si quis respondeat Amirautio, è re erit addi libellum illum de absoluto decreto, dignum qui ab omnibus legatur. Historiam Vossii spero dignam ipso ac patre fore. Certè prior pars id spondet. De iis quibus danda exemplaria, ad te sæpius scripsi. In earum literarum unis & Hoofdii & Bellimontii mentionem invenies. Wyckefortii fueram oblitus. Si velit illis dare Blavius, ego libens ad me missa totidem exemplaria dabo librario cui volet. Poëmatum reliquias & Lucanum tibi commendo, & de Anthologia ut cogites quid sit optimum factu. De Aira quid futurum sit dubitamus. Galli adhuc aliquid hoc anno acturi videntur contra Clusam in Belgico fine. Cardinalis Hispanus revalescere creditur. Lamboius ad Insulas habere exercitum quem Gallis opponat. Fiunt & ex Lucemburgico in solum Gallicum excursus: & Dux Carolus videtur se addere Gilloni Hasio. In Italia quiescunt Galli & Hispani. Papa Castrum urbem, bono defensam præsidio obsidet: cum Luca transegit. In Catalania & Ruscinonensi tractu leves pugnæ, Marte dubio. A Portugallia redit Marchio Bressæus. Saluta quæso matrem, uxorem tuam & amicos. 19 Octobris 1641.

Librum Petavii nescio an D. Heinsius acceperit. Ego enim Petavio responsi debitor sum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

570 Vehementer commotus fui cùm reversis ad me à librorum concinnatore, exemplaribus Annotatorum ad Euangelia præfationis tergo additam vidi meam effigiem cum invidiosa illa prædicatione, quam ego nulli meo operi addi cupio: minimè verò huic in quo ταπεινοφροσύνη docetur. Quare à meis abstuli: auferri & ab aliis exemplaribus cupio ita ut quicquam: rogoque id efficias ut quod meam ad existimationem plurimum pertineat. Si ita avelli potest ut maneat præfatio, malim. Sin minùs, vel cum præfatione auferatur effigies. In erratis recusis non minùs novorum erratorum reperio quàm in priùs cusis, in Hebraicis maximè, in quibus Manassem præstitisse quod suarum erat partium pro certo habeo, sed typographicæ operæ ejus notas aut non assecutæ, aut non secutæ sunt. Si posthac boni aliquid edere volet Blavius opus erit & eruditum correctorem domi habeat, qualem habuere Stephani, Frobenii, Raphelengii & alii. De Anthologia consilium tuum, de Poëmatis & Lucano editionem exspecto. Indicem omnino abstuli ab exemplaribus meis, neque exspectavi illius noviter cusi exemplaria, quia quædam menda gravia à me indicata mansisse video. 20 Octobris 1641.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Multum planè tibi ac D. Vergoesio debeo pro tam assidua cura pro editione mea. Cæterùm noli dubitare, quin verum sit in Indice recuso quædam relicta quæ mutari volueram. Habeo enim exemplum eorum quæ in Indice corrigenda annotaveram. Ad libellos de Viduitate quod attinet, expiscabor sententiam affinium. Mihi non displicuerit excudi Hagæ nitido etsi non maximo charactere. In Schonckii & Overbekii causa gaudeo te esse medium & rogo ut vias pacis monstres, quæ omnibus quidem suadendæ sunt, sed maximè eis quos tam propinqua jungit necessitudo. Tum verò pro tolerato tutelæ onere non levis gratia debetur. Graswinckelio nova dignitas opto bene vertat. De Melanchtone rogo memineris. Amirautius in illo libro suo non libello tantùm de Absoluto decreto, sed & Curcellio respondit. Est justo vehementior & Calvini videri vult esse addictior discipulus quàm sit Molinæus aut alii. Non longè abest ab idololatria in eo negotio. De Annotatis meis noli mihi imperitorum clamores perscribere: sed judicia eorum qui linguas & historiam veterem norunt & à pace non sunt alieni. Lucani editionem & poëmatum meo nomine urgeas rogo. Loca de S. Ludovico ob causas quasdam nolim poni juxta epistolam dedicatoriam. Rectiùs ponentur fine librorum aut post illa in epistolam ad Philemonem. De effigie tollenda ex libro Annotatorum nec ponenda in aliis, memineris rogo. Nam cùm calumniatores vobis imminere dicas, non debemus illis ultro præbere materiam. Videntur Galli pro Aira adhuc tentare velle aliquid, quanquam omnes hostium copiæ sub Lamboio, Bechio, Melone in illa castra se junxere. Ducis Caroli miles apud Gillonem Hasium est. Hispanos quosdam Tarragona egressos cecidit Motta Hodincurtius. Inter Papam & Parmensem de pace agitur, sed pendet adhuc negotium. Vale quàm suavissimè cum matre nostra tuaque uxore & liberis. Lutetiæ 26 Octobris 1641. 571

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Exemplaria bene abs te distributa gaudeo. De exemplaribus Iuris Belli ac Pacis expedi aut tu aut D. Vossius ex more & æquo. Et curam gere ut quàm minimo sumtu ea accipiam. Magna est ea quam dedi ei libro accessio. De Lucano urge, deinde poëmatia. Mittam brevi de origine gentium Americæ: & si velit Blavius ad jus. Nam Anthologiam & illa ad Vetus Testamentum video ibi excudi sine maximo meo & ipsius dedecore non posse. De Blondio siqua tibi locutus fuerit, dic me hic filium habere qui ei pugnam singularem est denuntiaturus ob injuriam illatam Senatori Reigersbergio. Ego Legationis damno, si quid id mihi minetur, non moveor. Lucrosa res non est. Honorum sum satur. Senectus adrenit & quietem aliquando postulabit. Non subtraham me negotiis dum par sum, nec ea quæram si fugiant. Aira famem non metuit ante Natalem Domini venturum. Exercitus 572

citus Regis apud Bononiam est, urbi Audomari insidiatur frustra. Grantzeus ad Ioinvillam est. Hohentwilam obsident hostes: Galli in Italia Raveliam. Hispanus classem habet tantam, ut Cataloniæ & Ruscinensis tractus locis sibi adhuc parentibus subveniat. Portugalli & Andalosii pugnant quotidie. Pontifex adhuc obsidet Castri oppidum. Itali Principes laborant pro pace. Saluta matrem, uxorem, amicos. Lutetiæ 1 Novembris 1641.

Audimus multum argenti ex Hispania venisse in Angliam. Galli Demontium in Pedemontano, in Comitatu Burgundiæ Quintium cepere. Obsident ibidem Dieusart. Portugalli eorumque socii classem Hispanicam ad Gades frustra adorti sunt.

Tibi obligatissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

573 EGo verò de posteritate non tantùm benè spero, verùm etiam confido fore, ut malis nostris docta redeat ad mentem meliorem:

ὕπα μῆνας ἄγων ἴκαμ' ἱερὸν, τὸ δ' ἐναυλίς.

Hollandorum ut ex tuis & aliorum literis cognosco ea respublica est, cui nemo mediocriter sapiens miscere se debeat; nam aut sibi nociturus est aut patriæ. Libellus de Reprobatione dignus est qui non pereat. Amirautii verò liber aliquando puto ad vos transvolabit. De Anthologia quod compereris, rogo significes. Si ibi edi ita ut volo, non potest, inveniam hic librarium. Airæ res adhuc incerta est. Pro componenda inter Papam & Parmensem pace Rex laborat. Itali Principes Parmensi, sed clam, favent. De Suedica pecunia ita ut data miror nihil ad me scribere Vicquefortium. Gratias Vtenbogardo tibique habeo pro locis ex Melanchthone descriptis. Erit aliquando eorum usus. Spero mihi neminem posthac ea de re molestum fore. Causas multas habeo, quas non perscribo, quia nolo disputare. Deus te tuosque bene servet. Lutetiæ 9 Novembris 1641.

Pro libello ad Cassandræ Consultationem gratias mihi egere Sorbonici complures: Reformatorum verò doctissimi. Codurcus & Iustellus Ministri oblatrant. Sex Doctores Sorbonici mandatum accepere vertendi Bibliam in Linguam Gallicam, utuntur meis annotatis. In Ecclesiis quibusdam hujus urbis canuntur Psalmi Gallici, item oratio Dominica, Symbolum, Decalogus. Omnes homiliæ habitæ occasione Iubilæi nihil aliud continent, quàm monita ad vitam emendandam. Hæc principia mihi non displicent: Deus adsit. Rogo inquiras quid Synodus Rotterodami habita ad Bremenses Pastores & Magistratus scripserit. Et quid deinde Bremæ ea super re actum sit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

574 SAmpreulio præcisæ sunt cervices, non tam ob ea quæ adversùs Bapalma egressos fecit, quàm quod sæpius minacia ejus verba audita sunt contra potentes, qui occasiones arripere solent semet à metu liberandi. Cardinalis Hispanus hic cognoscitur vitam clausisse die 6 Novembris & ea re ingens porta patefacta Belgis ad res novas. Aira adhuc defenditur. Auxilia Cataloniæ Gallicas partes sequenti necessaria ante ver ire non possunt. De Medinisidonio in Hispania capto, de Andalusiæ defectione rumores fuere, sed falsi. Dux Carolus quamquam palam hostilia ausus in Gallos, mittere tamen huc non cessat, ut sibi neutras partes sequi liceat. Interim Dreusam liberavit obsidio: & videtur ire ut augeat copias eorùm qui obsident Hohentwilam. Vrbs Castri in potestatem venit Papæ, incertum pecuniis in id emto, an Excommunicatione territo Præfecto. Vale quàm optimè cum uxore & amicis omnibus. 16 Nov. 1641.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE effigie rectè feceris si cures auferri. Est enim hoc & ἐνδιάβλητον, & isti loco minimè conveniens. Exspe- 575
ctabo exempla de Iure Belli & Pacis, sed ea via quæ minimo constat. Americana Diatriba jam describitur. Si in Batavis fuisset Latius, voluissem ei ostendi suppresso meo nomine. Nunc siquis est alius qui antiquissimos de America libros bene legerit, ejus judicium cognoscere per te avebo, priusquam de editione certi aliquid statuam. Ἀνθολογία nostra tempore opus habet ut describatur. Exspectabo interim editionem Lucani & Poëmatum: in quibus velim omitti Græca epigrammata in imaginem meam ob causas non leves. Credo nostra ad Cassandrum probari paucis, quia pauci sunt tum Scripturarum, tum Antiquitatis periti. Prope omnes suis partibus mancipati. Tales ego judices defugio, neque facio hili nec quid dicant scire cupio. Ego Pontificiis nihil largior nisi quod est in consensu veterum. Animas illico ire ad cælum & quidem fidelium omnes quo loco Scripturæ probabunt. Certè veterum id nemo in Scriptura videre potuit. Animas autem in itinere à terra ad cælum purgari, Spanhemii & multorum hic Reformatorum est sententia. Illa Melanchthonis, Heduini, Buceri pridem legi & causa fui cur in Germania recuderentur. Quod de filio scripsi & Blondio, non scripsi quod talia probarem, sed quod facilè tale quid aut pejus posset accidere. Aira obsidio liberata est. Faverunt Gallis amnes, cælum, mors Cardinalis Hispani & obsessi militis virtus. Libellum meum ad Cassandrum ideo vulgare nolui, quod priusquam id facerem vellem eruditissimorum utriusque partis judicia explorare. Quæ cùm satis bene procedant, distribuo inter amicos exempla meis impensis cusa. 23 Novembris 1641.

Descripta est celeriùs quàm putaram dissertatio de Americanarum gentium origine. Quare eam mitto, tibique committo. Nolo Blavius posthac quod significare vult ad alium quàm ad te scribat, nec libros alii mittat quàm tibi. Vectura librorum & epistolarum ultra xx Florenos mihi constabit. Non queror, sed caveo. Nolo ad Mercerium quicquam ad me pertinens mittat. Non fecit Blavius quod erat jussus, ut ad Trescliunm mitteret. Sed suas impensas in me derivavit. Nam suos libros adjunxerat.

Tibi obligatissimus Frater. H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PHilippus Codurcus de quo scripseram Minister est & 576
Professor Theologiæ & linguæ Hebraicæ Nemausi, vir summè eruditus. Siquid habent D. Vossius aut alii quod in Annotatis ad Cassandrum mutandum censeant, id avebo cognoscere, ut in secuturis editionibus ejus habeam rationem. Appendix eodem tendit. Et nihil mihi in ea videtur durius, quàm quod lenissimi ingenii vir Melanchthon dixit ad articulos Bavaricos. Omnis mea actio in rem non in personam scripta est. Frontoni do titulum eruditi: Barbaritæ, hominis non mali. Dogmata quæ improbo ipsorum expressi verbis. Historiæ quas tango notissimæ sunt. Confessio illa Græcorum tradita Baracchi edita est in Germania à Chytræo, nempe Francofurti anno 1583. Liber est in octavo initio habens Orationem Chytræi de Græcis. Puto eam esse & in Turcogræcia Crucii. Calvinum ad manum non habeo. Locum tamen

Digitized by Google

ut habeat faciam. Quæ hic in Ecclesia canuntur, ea sunt ex versione Philippi Portesii optimi Poëtæ. Non est eripienda Blaviis omnis spes edendi nostra ad Vetus Testamentum: quia vereor ne hic quædam velint recidere, quod nolim. Si fortè Blavii idoneum nacti sint correctorem domesticum qui Græcè & Hebraicè norit, fac me gnarum. Galli in Italia cepere arcem Monæci. De Aira vix quicquam restat spei. 29 Novembris 1641.

Scripsit ad me Spiringius de rumore quo ipse & altero quo ego aspersus sum. Quod de utroque respondi, mitto.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

577 QVin pro animorum diversitate varii futuri essent sermones de mea Appendice non dubitavi. Sed tam multa de me spargi nihil veri habentia sanè miror. Verum est fuisse me in Sorbona, ut resalutarem virum eruditum ac moderatum, ejus Collegii doctorem & Bibliothecarium qui me salutatum venerat. Habebatur eodem tempore in alio Sorbonæ loco disputatio, cui intererat Cardinalis: ad eam, quanquam rogatus, non accessi. Fuit mecum in Sorbona perpetuò Codurcus quem in carruca mea domum reduxi. Is in Ecclesiis reformatis hic populum instituere non desinit. Ejus rei præter hæc nihil est. Mitto jam tibi exemplum epistolæ quod ad D. Spiringium misi, quod nuper tibi mittere decreveram, sed inter claudendum literas memoria id exciderat. Aira creditur de deditione agere. Mottam in Lotharingia Vilerius circumvenit ad famem faciendam, ut Hohentwilo Cæsariani quorum crescunt copiæ. Papæ controversia cum Lucensibus recrudescit. Et colligit Papa copias quas sperat vere proximo futuras ad XX millia peditum, equitum IV, qua vi evertere vult Parmensem omnibus fortunis, nisi ad clementiam confugiat, quod futurum puto. Veneti, Florentia, Neapolis in armis sunt. Et Hispani in Colubræ portum in terra Ruscinonensi 18 Novembris multis navibus longis, multis onerariis exposuere VIII millia peditum, IↃ CC equites, machinas multas. Videntur Gallos ad prælium quærere quorum res illis in locis ante ver non resurgent. Vale, mi Frater, cum uxore & liberis. 7 Decembris 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

578 NOstra de Americanarum gentium origine si iis probantur qui talia norunt edi & quidem præfixo nomine meo non veto. Si id fit, rogo pauca exempla transmittas cum illis de Iure Belli ac Pacis. Aira die Saturni ante hanc dedita est. Si Wiardo aut aliquis eorum qui à consilio fuere Comiti Emmoni cùm ego Emdæ fui, vivit, suadeo cum eo amicitiam meam renoves. Ego Comiti ob patris in me benevolentiam optimè volo & id ostendam si datur occasio. Matrimonium illud puto è re ipsius futurum. Vt ejus terra suffragium habeat inter Ordines Fœderatos, ægrè Hollandis persuadebitur, qui sine ea satis premuntur numero. Annotata ad Cassandrum scripsi eruditis, non vulgo & magis ut ea occasione docerer quàm ut docerem. Quare si edentur, malim id me inscio fieri. Et fortè, si tamen id faciendum est, è re esset edi professionem fidei Synodi Tridentinæ, Confessionem Augustanam, Cassandri Consultationem, mea ad eam simul cum Diatriba de Pelagianis dogmatibus & distichis de Baptismo & de Eucharistia Trimetris. Melanchthonem fermè in omnibus me habere adsentientem gaudeo. Protestantes salvis quæ dicunt de animarum purgatione vix aliud possunt dicere quàm quod ego eos dicturos conjeci, non levi nixus argumento eorum quæ dicit Spanhemius Minister Genevensis dubiorum Euangelicorum Tomo III. pag. 529. & 830. Animam negat Deo sisti posse, nisi μὴ ἔχουσαν σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἁγίαν καὶ ἄμωμον. Talem non esse hanc vitam. Itaque purgationem requiri. Nihil verò absurdi esse si censeamus separatam demùm à corpore animam sanctificari, sive purgari. Hulstius qui apud nos est, laborat in describenda nostra Florum structura ad jus. Putavi cùm multa dedissem diurnis studiis, nonnulla Iuri Naturæ & Gentium, nonnulla & Batavico, aliquod à me meritum debere exstare & in jus Romanum in quo ediscendo non parum trivi temporis. Evenit hic per Mercerii indiligentiam, qui omisit significare, ut hic jus est, Syndico & Magistro Librariorum se fascem librorum à Blavio accepisse, ut fascis in quo erant nostra ad Euangelia, arresto includeretur. Inde statim gaudium Reformatis, quasi liber meus interdictus hic esset ob dogmata non Catholica, cùm palam prostet & veneat. Duo exemplaria Annotatorum ad Euangelia dedi Mercerio ut Pellæi viduæ daret mandato Blavii. Exquire, quæso, an & amici τὰ ἀντίγραφα horum acceperint. Deus te, matrem, uxorem, liberos, amicos bene servet. 15 Decembris 1641.

Corrigenda in Annotatis ad Cassandri Consultationem:

9	2	ex scriptore de vocatione Gentium. *Vilesceret* &c.
15	27	perscribi
20	8	Actor. III. 21. Rom. I. 8.
23	5	dixit: Caro mea verè est cibus: vel
27	22	CIↃ IↃ LVIII
29	20	Martialis. Satisfacere dicimur & cujus desiderium implemus. L. I. D. qui satisdare cogantur
35	13	qualitas. Vide scriptorem de Vocatione Gentium lib. I. c. 7.
45	24	etiam
57	16	Polycarpus Irenæo
61	5	Cordesio

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PRæter Reformatos alios etiam Saravius Parlamenti 579
antehac Rotomagensis, nunc Parisiensis consilium meum probat. D. Vossio permittendum est ut sileat, si id rebus suis conducere existimat. De somnio Sultani Turcarum publicatum aliquid fuit in Germania, multarum inaniarum nutricula. Id Galli non nimis creduli suaviter irrident. Portesii sacra carmina, valde egregia, puto & in Batavis reperiri. Alioqui per occasionem liberis mittam. Sunt autem Ecclesiæ ubi Gallicè canitur plures, S. Iacobi ad campos & aliæ vicinæ huic suburbio. Sunt & in urbe. Blaviis noli me planè illigare de Annotatis ad Vetus Testamentum. Nam dum ille Correctorem qualem nunquam habuit quærit, ego fortè cum Cramoisiaco transegero. Interim Blavii habebunt de nostro quod agant, de Americanorum origine, de Lucano, de Poëmatis. Et nostros Flores ad jus eis mittam, ubi cætera ex meo voto confecerint. D. Basio & affini & amico veteri velim meo nomine perferri omnia quæ ab optimo amico proficisci possunt obsequia & solatia. Evenit ei quod omnibus exspectandum est, ut suos sepeliant, nisi prius ipsi sepeliantur & eundem luctum aliis præbeant:

κἆτα δ' ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν,
Καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μή.

Illud quod dicitur de fœdere Trajectino mihi incognitum est. Princeps Mauritius & Heemradios elegit ex Pontificiis, & Bredæ aliquem semper talem in Scabinatu esse voluit. Airæ evenit quod sæpe alibi ut spes Gallos falleret

falleret. Sed hoc damnum abundè pensatum est acquisita arce Monæci etiam Virgilii carminibus nota. Quod nuper de Spanhemio scripsi, idem & apertiùs defendit Mestrezatius primus Ministrorum Carentonensium in libro contra Mileterium, animas fidelium postquam è corpore exiere, antequam cœlum intrent, perfectè purgari. Nec sanè aliter dicere possunt, secundùm eas quas dixi ὑποθέσεις. Velim scire quid sentiant οἱ δοκοῦντες φίλοι εἶναι apud vos. Angliæ Ordines multum inter se dissident, non sine Aulæ artibus. Calvini locum expressiorem legisse me memini. Attamen quod de eo dixi satis colligitur ex iis quæ tractat Institutione III cap. 20. §. 19. 21. 22. 23. 24. Deus te cum matre, uxore, liberis bene servet. Lutetiæ 21 Decembris novi Cal. 1641.

Librorum de Iure Belli ac Pacis exemplar unum inter cætera incompactum expectabo pro Thuani bibliotheca. Is enim suam formam habet propriam in libris quos compingi jubet.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

580 ADvenit tempus quo omnia hic perstrepent choreis, cantibus, comœdiis. Hohentwila adhuc obsidetur, eventu dubio. Bavarus copias suas auget. Dux Carolus cum Cantecroia Argentorati est. Guisius inter Annam Mantuanam & Boxuacam juris controversi. Boxuaca à sententia Archiepiscopi Machliniensis contra se lata appellavit Romam. Hispani qui in Ruscinonensi sunt tractu novum militem & commeatus per Colubri portum accepere in navibus longis novem. Fama hic est de prælio navali ad promontorium Vincentii, commisso inter Hispanos & Batavos cum Portugallis junctos, sed Batavos à Portugallis desertos. Romæ Episcopus Lamegæ pro Regio Legato non agnoscitur. Nos hic rectè valemus, optamusque tantundem tibi, uxori, liberis. Lutetiæ 26 Decembris 1641.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

581 PRimùm toto corde Deum precor ut optimæ matri nostræ cuncta det salutaria, quod rogo ei meo nomine significes, & exquiras ecquid sit quod ei gratum facere possimus. De gentium Americanarum origine, nisi talium gnari habent quod me moneant, editionem tibi cumprimùm fieri poterit, commendo. Ex illis molitionibus contra Stridenum & Cloeckium video non quiescere eos homines, quos ego in Appendice vivis coloribus descripsi. Somelsdikio opto à Deo pœnitentiam eorum quæ fecit adversùs viros se meliores & eam quam patriam suam dicit. Gaudebo videre bene recusa nostra de Iure Belli ac Pacis cum Annotatis. Locum & chartas S. Ludovici & nostra ad Philemonem bene legisti. In fronte operis totius ponendum. Hugonis Grotii de Iure Belli ac Pacis libri tres, in quibus jus Naturæ & Gentium, item juris publici præcipua explicantur. Editio nova cum Annotatis auctoris. Accesserunt & annotata in Epistolam Pauli ad Philemonem. Si putes in Batavis recudenda nostra ad Cassandrum, posset titulus fieri, Via ad Ecclesiasticam pacem. Præter ea verò quorum mentionem in epistolis feci antehac ad te scriptis, posset addi huic volumini Syllabus quondam editus Argentorati omnium libellorum ad idem argumentum pertinentium: ut qui talia amant, norint quæ legere debeant. Procemiis omnino abstinendum censeo. Pessimè fecit Blavius quod imaginem meam cum illis versibus & titulis amissarum dignitatum, quibus meliorem nunc habeo, præmiserit libro nihil minùs quàm hoc postulanti. Et velim auferri eam & Indicem, undecunque poterunt. Ego certè aufero ab omnibus exemplis quæ amicis dono. Vicquefortius de accepto exemplari jam gratias mihi egit, perquam magnificè. In Ruscinonensi tractu repulsi sunt Hispani diebus Saturni, Dominico & Lunæ ante Domini natalem. Naves longæ quinque tempestatibus hibernis impulsæ in littus Gallicum qua exit Rhodanus periere partim, partim in manus Gallorum venere. Ingentes hic paratus fiunt pro Catalanis, & in Catalania. Vestes & commeatus parantur pro XXX hominum millibus. Rumor addit Regem ipsum illuc iturum. Deum precor matri nostræ adsit paterna sua bonitate, teque ac liberos tuos sospitet, mihique concedat ut vicem tibi possim rependere pro tot & tam frequentibus in me officiis. Lutetiæ 4 Ianuarii 1642. Quem annum tibi amicisque omnibus opto felicem.

Vide quæso Anthologia an Lugduni edi possit sub bonis Correctoribus. Id si fieri non potest, remitte ad me cumprimùm poteris. Nam de Poëmatis, Lucano, Americanis, scio te satis memorem.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ACostæ librum pridem legi & memini eorum quæ dicit, ea mihi se nondum probant. Neque epistola 582
D. Latii quicquam mihi videtur adferre meis probabilius. Rogo exquiras judicium eorum qui in lectione istarum historiarum versati sunt, & si ita res feret etiam D. Vossii, ut deinde constituamus quod ex re erit. Quæstionem de Bestiis, Physicis relinquam. Quæcunque Amstelodami disces publica aut privata, de eis velim πάντα περὶ πάντων. Tragœdiam Vondelii & Riceliacum Barlæi per amicos, si qui venient, aut cum libris exspectabo. Arsenio mortuo non deerunt alii Arsenii, id est, qui privata publicis præferant, exemplo ipsius, tam felicis, allecti. D. Stridenio ob summas ejus virtutes optimè volo. Literæ ad D. Basium ab uxore mea & filio sunt: quorum ego dicta etiam pro meis haberi volo. Scripsissem & ego, nisi eo tempore multa intercidissent negotia, nec meum putassem aliquid malè coctum dare. D. Matenesium puto esse dignum majoribus suis. Sed quid possunt pauci boni inter tot malos, subnixos tantæ potentiæ viribus? Deus matri nostræ, tibi, uxori, liberisque faveat. Lutetiæ 11 Ianuarii 1642.

Die Lunæ Regem vidi. Dixi omnia quæ pro pace dici poterant, etiam ex testamento S. Ludovici. Quid effecerim nescio, mihi certè satisfeci. Si Anthologia Lugduni, ut volumus edi non potest, huc redeat. Filius meus natu maximus nihilo aliis prudentior turmam quæ magno nobis constitit, animi causa, nobis inconsultis vendidit, nunc apud nos est.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

QVod amicos qui Amstelodami nobis bene volunt salutasti, gaudeo. Quod de calumniis scribis, id plane condemno, nam quod ibi accusatur, id maximè laudi est alibi. Ego me & vera scripsisse & utilia confido, nec possum & conscientiæ meæ & omnium hominum judiciis satisfacere. Multi effascinati sunt iis quæ diu audiere. Itaque vindicandi me labore illos libero. Mea scripta semet vindicabunt. Si Blavius nihil velit addere præter quæ dixi, facilè patiar eum recudere Annotata ad Cassandrum. Ad exprimendam Romano-Catholicorum hoc tempore sententiam nihil aptius invenio ea Bulla quam designas. Titulum non alium puto poni posse quam Viam ad pacem Ecclesiasticam. Trochæos de Euchari- 583

charistia nolim addi. Præfatio ad Ianinum pro occasione amicis ostendi poterit, quanquam non multum in eo emolumenti video. Latius me nondum à meis conjecturis depulit. Siquid Blavius habet, velim id nosse antequam meum opusculum edatur, & an putat totum illud quod à Zenonibus Venetis est editum fabulam esse. Fortè Frislandiæ pars aliqua est aut Gronlandiæ aut Islandiæ: nomen certè non disconvenit. Avebo valde cognoscere quæcunque ad hoc argumentum afferre possunt talium periti. Librorum de Iure Belli ac Pacis exemplaria partim retinete, partim ad me mittite, ubi primùm id sine gravi impensa fieri poterit. Treselius mortuus est, sed locum ejus implet filius. Aratea recensendi nunc quidem tempus non habeo, occupatus melioribus. Possem tamen aliquando cogitare, si duo possim recuperare editi à me voluminis exemplaria, alterum patris, alterum meum, in quibus annotavi aliquando ad novam editionem profutura. Nunc neutrum habeo. Nostra ad Lucanum & poëmatum reliquias edi gaudebo. Quod hic edi curo nostra ad Vetus Testamentum, non infenso in Blavium animo, sed necessitate feci. Quotidie ab inimicis irrideor ob ea quæ ipsius operæ & Correctores peccarunt, etiam in Erratis. Tum verò Index ita factus est, & quædam in Appendice ita corrupta, ut malitiam alicujus, non dico Blavii, putem intercessisse. In summa nihil unquam visum est contaminatius. Matri, tibi, tuisque fausta vota reddo. Dicit mihi Labbæus quæcunque ad pacem Ecclesiarum propono in Annotatis eadem esse quæ olim proposuit Hospitalius Galliæ Cancellarius. De Annotatis verò ad Euangelia. Erasmum vepres, me omnes sentes sustulisse. Rivetus de iisdem huc scripsit, ubi bene, nemo melius, ubi malè nemo pejus. Lutetiæ 18 Ianuarii 1642.

In Annotatis ad Cassandrum velim & hæc corrigi:

5 28 aut quod idem est à vitiis purum efficere.
7 18 remissionis peccatorum & emundationis à vitiis quam sequitur sanctificatio.
10 Mundities in animo.

In Cassandri libro quæ ad manuscriptum exemplar correcta sunt, ea poterit exscribere & mittere Mercerius, nam ipse liber satis grandis est. De Anthologia rogo memineris. Princeps Condæus huc venit ut absente Rege Regis Consilio præsit. Castellum Arzellerii in Ruscinonensi tractu in Hispanorum venit potestatem. Mortuus Espernonius. Principis Condæi filia Longavillano nubet. Turca Budam munit.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

584 EXpensis quæ Latius & quæ Blavius monuit, nihil peccaturi videmur, si editionem in argumento adeo conjecturali periclitemur. Sed pro apud Californiam ponendum est *in tractu qui est versus Californiam.* Et post illa verba ubi de Anslandia agitur *Zenonum Venetorum* addendum nisi *fortè Anslandia ista pars est ejus Islandiæ aut Groenlandiæ.* Consultatio Cassandri & alia quæ edere parat Blavius etiam hic eduntur. Videtur multis in locis resuscitari sopita diu de schismate sarciendo cogitatio. Rex non optimè valens iter tamen suscepit: quò nescitur. Audiemus id ubi Rex Lugdunum venerit. Putant alii Comitatui Burgundiæ imminere bellum, quia induciæ semestres acceptæ non sunt ab Hispano, alii iri ad sublevandos Catalanos: quibus hostis nunc præpollet, alii moliri Regem aliquid cum Pontifice, qui præter magnum quem habet exercitum novum militem in Helvetiis conscribit. Hostis ad Hohentwilam facit castella. Erlachus contra copias parat. In Italia Gallicis copiis præerit Dux Bullionius, Harcurtius in Belgico limite. Regem comitabuntur cum exercitu Milerius & sub eo Vicecomes Turenæ. Vale cum optima matre tuisque omnibus. 26 Ianuarii 1642.

De Anthologia responsum exspectabo, exemplaria de Iure Belli ac Pacis, editiones Lucani & poëmatiorum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE origine gentium Americanarum jam scripsi posse 585
edi, mutatis paucis. In re tam obscura proposuisse aliis quod mihi videtur probabile, nihil in se habet quod à bonis reprehendi possit. Panegyricum Cardinalis Riceliaci ipse ad me mittit Barlæus: cujus literas accepi, sed librum nondum. Puto Nicolai Debiæi libellum nunc in particulas digestum eundem esse quem ad me miserat. Ego nostra ad Philemonem pro responso futura arbitror apud talium intelligentes, quorum judicia avebo discere. Stridenio opto honoratam senectutem & Amstelodamensem civitatem beatam judico, quæ in Conventu liberam vocem audet emittere. In aliis locis qui rempublicam tractant necessariò coguntur bonis indigna facere aut in pericula se conjicere. Quali tempore non capessendos honores etiam Stricorum sententia est. In conventu ad pacem dubito an Regum Legati passuri sint se proprio nomine compellari. Est enim id præter morem. Vale, mi Frater, cum matre & tuis omnibus. Calendis Februarii 1642.

Nulla concordia esse potest ubi non sunt qui imperant & qui parent. Ego verò quibus imperare possim consilia magis do quæ scio esse optima. Nolim in iis turbari; satis enim ab inimicis molestiarum habeo. Per omne Suediæ Regnum preces cum jejuniis factæ sunt pro pace. Ubi perfecta erit editio de Iure Belli ac Pacis velim, si qua certa occasio est, exemplum mitti ad Magnum Suediæ Cancellarium. Si id fiat, ego ubi id novero, in literis ad ipsum meis ejus rei indicium faciam. Debebit & D. Stridenio exemplum dari.

Epitaphium.

Θῆλυς ἔην ψυχὴν ὁ φιλάργυρος· οὔνομα δ' ἄῤῥην.
Ἀῤῥενικὸν δ' ἔτυμος πατρίδι, τῆς τεφίλοις.

Puto ex re esse mea ut edatur vel meis impensis contractus meus cum Rotterodamensibus, indemnitatis promissum, libelli mei supplices præcipui & consilium Iurisconsultorum, ut si æqui nihil à Rotterodamensibus impetramus, judicet de hac re humanum genus, & siquid olim eis incommodi eveniat, nos simus excusati. Addi deberet quæ Magistratus Rotterodamenses pro me cum captus essem dixere; & testimonium Delfensium, ut & quod dixere Rotterodamenses in Conventu Ordinum Hollandiæ cùm ego illuc redissem. Hæc ubi erunt edita, exempla eorum danda singulis Rotterodami Rectoribus, si fortè ab Arsenio fascinati, post mortem ejus resipiscant. Si nulla alia re proderit; certè memoriam nostri apud posteros tuebitur.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

EDuntur & hic Cassandri Consultatio & Professio 586
Tridentina & Augustana, cum nostris. De Annotatis ad Vetus Testamentum aliud quàm cepi consilium capere non potui. De scripto Americanarum gentium quid faciendum sit jam indicavi. Libros de Iure Belli ac Pacis exspectabo. De Arateis cogitare potero ubi absolvero nostra ad Novum Testamentum. De filiali advocatione quid à me scire desideret Graswinckelius non satis intelligo.

Digitized by Google

ligo. De Angliæ rebus exspecto quò res ituræ sint ex quo Rex ab urbe Londino abiit. Videtur Rex externa aliqua ope niti & quæ sit, brevi apparebit. Quod Riveti Frater mysterium iniquitatis vocat, id ego mysterium pietatis esse arbitror. Et sic judicant in Anglia doctissimi. Obtrudere id in Gallia Protestantibus nemo voluit. Meo privatim consilio id scripsi, ut considerarent ecquid in eo esset utile tum Catholici, tum Protestantes, nec in Gallia tantùm, sed & alibi. Ad Viduam Langeracensem curatæ sunt literæ. Rex & Cardinalis in itinere sunt à Fontebellaqueo Lugdunum. Quò deinde ituri, nullæ sunt certæ conjecturæ. Metatores enim mittuntur in omnes partes. Motus Hibernicus diuturnus fore hic putatur: de victoria Guebriani ingens gaudium: colloquia Goslariensia suspecta: de rebus Portugallicis non optima judicatio. Deus te cum matre, uxore, liberis, amicis servet. Lutetiæ 8 Februarii 1642.

Nostra ad jus pœne jam descripta sunt. Sed ea non mittam nisi absolutis Lucano, Reliquiis poëmatum, & Dissertatione Americana. De Anthologia autem scire cupio an ibi emendatè edendi spes sit. Si non, huc quamprimùm redeat. Ego videro.

Tuus toto animo Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

587 POterunt & Morellius hic & Blavius illic vendere Consultationem Cassandri cum annexis. Quò plura sunt exempla, eò magis legetur liber, si quid judico, hoc tempore utilissimus. Galli cladem accepere ad Perpinianum. Ea an quid mutatura sit in Regis consiliis videbimus. Semina ad Christianam concordiam jacere quisque debemus dum vivimus εὐκαίρως ἀκαίρως, ad messem perventura ubi Deus voluerit, qui sæpè per malos hominum conatus sua bona consulta exsequitur, & θεραπείαν facit δι' ἐναντίων. Quod & nunc fieri poterit: ubi cœperit ἐν πνεύματι esse morbus iste Calvinisticus, qui ultra jam quo procedat non habet. De Anthologia quæ dicis videntur mihi probabilia. Itaque remittes ad nos librum, ubi primùm poteris tutò. Exempla Iuris Belli ac Pacis exspectabo & editiones tum Notarum ad Lucanum tum συλλειπομένων ποιημάτων. Amstelodamo gratulor de Consulibus bonis. Deus diu servet in optimis consiliis ultimos Batavorum. Mitto tibi Hibernorum postulata quæ hic favorabiliter accipiuntur. Quid apud vos prudentes de iis judicent, avebo cognoscere. Ad Perpinianum Galli cæsi sunt. Periere ferme bis mille. In urbem invecti ab Hispanis milites & commeatus. Quò Rex accepto hoc nuntio iturus sit conjectabimus ubi Lugdunum venerit. Deus te cum matre, uxore, liberis servet. Lutetiæ 15 Februarii 1642.

Cum malis Bichius jam Aquas Sextias advenit, Legatus à Papa commendandæ pacis causa. Lucernenses, Abbaticellani & Friburgenses in Helvetiis dilectum Gallis non permittunt. Astrologi bella Helvetiis prædicunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

588 MVltum vereor ne ea consilia quæ contra meam voluntatem cepit, capit & capturus est Petrus, bonæ conscientiæ parum convenient. Ego constituo Deo rem permittere, neque me immiscere. Non amo autem quem inde concipio dolorem, mihi refricari. De dissertatione super origine gentium Americanarum. De poëmatis & Lucano, quæso memineris. Sed inter epigrammata mea velim omitti illud de Reginæ Suedicæ imagine, ne belli potiùs concitor quàm pacis suasor fuisse posteris eredar. De omittendis aliis etiam nonnullis scripsi antehac. Quæ res meas privatas spectent vide an curam edendi suscipere velit Veldius noster. Vt enim quæ ibi sunt acta huc mittantur, nihil est opus. Miror Amstelodamensium severitatem in re Crelliana. Quomodo id placebit D. Episcopio? Quid post mortem Treselii de debitis constitutum sit, videbis ex charta quam mitto, quam ostendere poteris D. Vtenbogardo. Rex Lugduno it Narbonam. Cæterùm nihil magni agitur. Papa ægrotet & an adhuc ægrotet incertum est. Vale bene cum matre & amicis. 22 Februarii 1642.

Anthologia, si spes ibi bene edendi non est, ad nos prima occasione redeat. Odiosè hic exaggeratur supplicium capitale sumtum de duobus Presbyteris Catholicis in Anglia & contemtus Reginæ ad interdictionem usque exercendæ Religionis. Deinde displicet exemplum Regiæ auctoritatis conculcatæ.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PRobo quod de Americana dissertatione constituisti. 589
Exspectabo exempla de Iure Belli & Pacis: editionem Lucani & Poëmatum. Nostra ad jus descripta sunt in quarto. Quaterniones singulæ singulas literas inscriptas habent. Eæ excurrunt ad finem alphabeti secundi. Mittam ad te aut per amicum si qua se dabit occasio, aut per tabellarium, ubi tempus urgebit. Si quid de Anthologia, una cum Indicibus de quibus scripsi antehac transegeris, mittam sine mora præfationem meam ad Indices faciendos utilem. Si epigrammatis singulis numeri adscribantur, posset Index fieri currente textus editione. Reformati hic metuere sibi incipiunt, propter petulantiam suorum alibi ὁμοδόξων. Et nihil malunt quàm æquis legibus reconciliari. Hoc autem ideo faciunt quia vident se edentatos & exungulatos, aliter id non facturi. Si quid intelligas de causis Spiringiani in Suediam itineris, gaudebo id cognoscere. Rex Narbonam it Catalanis opem laturus. Papa post morbum in Consistorio fuit, sed infirmo corpore. Deus te cum matre, uxore, liberis servet incolumes. Cal. Martii 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

REctè facies si cures ut opus illud quod Riveti esse & 590
ego arbitror quamprimùm ad me veniat. Cogitabo an tanti sit, ut ei respondere priùs debeam quàm pertexere quæ ad Apostolicas Epistolas nunc in manibus habeo. Legi Triglandii epistolam & contra eum. Velim videre ipsum εἰκόνα. Quid de rebus Angliæ & Hiberniæ dicam non satis video. Confusa sunt omnia; ita ut vix dijudicari possit quis sit exspectandus exitus. Ego Episcopos nolim de Ecclesia sublatos, Regi velim servata quod ei antiquitus competunt. τὰ ἤθη ἀρχαῖα κρατείτω. Non dubito quin hinc Rex Britanniæ auxilia sit accepturus, si certa fides fiat eum non ἰουδαΐζειν. Petrus pridem nihil facit eorum quæ volo. Si mea secutus esset aut consilia, aut præcepta Amstelodami esset, ubi saltem aliqua restant vestigia ejus quam nos defendimus Reipublicæ. Nunc video eos homines qui eum tam bellè irretierunt id acturos, ut omnia contraria faciat quàm ego eum facere velim. Vara vibiam. Hæc quæ vidi, quæ video, quæ prævideo quàm mihi doleant dicere non possum. Etiam Iacobi Laurentii librum exspectabo, quanquam fortè dignus non erit legi, sed ut videamus quid velint isti homines. Miror Blavium non mittere exempla de Iure Belli ac Pacis, nec quicquam rescribere de dissertatione Americana; fortè enim servare vult inserendam magno alicui operi. Id verò mihi nimis tardum est, quia properare cupio quantum possum omnium meorum editionem. Qua in re rogo, ut soles, me strennuè adjutes. Rex pergit Narbonam. Pax facta est inter Viduam Sabaudam & Principes Sabaudos. Cardinalis Sabaudus ducet fratris sui

sui filiam, & pro portione hæreditaria sua & pactæ, habebit Nicæam & Villam Francam: Princeps autem Thomas Principem locum habebit in Viduæ consilio. Loca quæ Hispani & Galli tenent nescio an mansura sint in eorum manu usque ad pacem universalem, an verò bellum ibi mansurum cum Hispanis, quem in usum Neapoli pecuniæ magnæ contrahuntur. Veneti & militem scribunt, & classem augent: metuunt enim sibi à Turca. Papa languet. Cum Parmensi res manent turbidæ. Bona Ducis veneunt: populi Ducatus Castri juramentum dicunt Ecclesiæ. Galli & Veneti ad sedanda hæc laborant, nec multum tamen proficiunt hactenus. Quæso & officia mea defer matri meæ & uxori tuæ & liberis & amicis. 8 Martii 1642.

De editione privatarum mearum chartarum rogo itidem memineris.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

591 EDita hic sunt opuscula illa ad pacem Ecclesiæ facientia, quæ & Blavium audio velle excudere. Sed miscuerunt se huic negotio in arcano homines, qui effecere, ne in hac editione mihi obtemperetur. Et quia audio exempla jam in Hollandiam missa, dicam quæ sint quæ displiceant. Primum in titulo pro *disquisitio Pelagiana* debuit poni disquisitio de dogmatibus Pelagianis. Deinde Epigramma meum & admonitio de Indice poni debuit post mea Annotata. Confessionem Augustanam poni volueram sine illa Præfatione quæ nihil ad pacem facit. Neque magis placuit mihi Consultationi Cassandri proponi præfationem parum pacatam: sed epistolas Imperatorum ad Cassandrum & ejus responsa. p. 292. pro Rom. 1. scribe Rom. 1. 8. p. 307. pro l. 7. ponendum 1, 7. p. 305. pro *affectumque* ponendum *affectuque*. p. 351. pro *natus igne* debet esse *natus ignis*. Eadem pagina pro *adesse* ponendum *ad esse*. De aliis nostris editionibus omnia quæ scripsi antehac, singulis literis meis repetita volo credi, ne unquam obliviscaris. Sunt loca duo in historia Caraffæ Nuntii Apostolici quorum alter ostendit quàm corrupta fuerit vita clericorum eo tempore quo enatum est schisma, alter Confessionem Augustanam cùm primùm lecta est non displicuisse Catholicis, sed visam egere explicatione in quibusdam partibus: quæ duo non parum faciunt ad auferendam à Protestantibus schismatis invidiam. Sed in iisdem Caraffæ locis, sunt quædam inclementiùs in Lutherum & Milanchtonem dicta quæ avelli nequeunt: ita ut dubitem utilene sit hæc præponi ipsi Confessioni Augustanæ, an non: de qua re tibi & aliis talium peritis judicium permitto. Certè præfationes illas duas quas dixi, ut instituto parum congruentes malim omitti. Possit autem in fine poni syllabus eorum qui pro pace scripsere, editus antehac & Lutetiæ & Argentorati. Vt verò jam tuis literis quas 3 Martii dedisti respondeam, gratias habeo quod de transmittendis libris de Iure Belli ac Pacis curam habes. Blavius rectè fecisset si abstinuisset à talium librorum qui cum meis nihil commune habent editione, aut prius consuluisset aliquos Magistratuum, quos audio etiam Episcopio minùs bene velle. Rex est Carcassonæ non procul à Narbone cui vetus cognomen Martia. Et videtur Mars acer futurus illis in locis. Duo exercitus parantur ad tuendam Campaniam & Picardiam. Parlamentarii Angli in hac Aula malè audiunt. Hibernis vulgo favetur. Rogo salutes uxorem tuam, matrem nostram, liberos tuos & amicos. Lutetiæ 15 Martii 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

LIbenter intelligam judicia quæ ex vultu, gestu, sermonibus Reginæ Angliæ fient: interim miseret me magis Regis Angliæ quàm episcoporum, qui magno fasce levati meliùs vacare poterunt gubernandis Ecclesiis. 592
Quod Cardinalis Riceliacus circa pacem Ecclesiarum sermonem nonnihil mutavit, sub eo vereor ne lateant duriora adversùs Reformatos consilia. Nam res Scoticæ & Anglicanæ eos apud omnes & Politicos & Episcopos in magnum adducunt odium. Ego simul & paci Ecclesiæ & ipsorum tranquillitati consultum volui. Via ad pacem Ecclesiasticam apud Morellum edita est, sed sine nomine librarii aut loci. De mille exemplaribus jam octingenta sunt vendita. Videbis eum librum in vestris partibus. Nolim, si fieri potest, Vosbergium meis sarcinulis onerari. De libris de Iure Belli ac Pacis distribuendis, probo tua consilia. Rogo sæpissimè me de editionibus nostris edoceas. Privatè ista edi pervelim. Americana si ibi non eduntur, hic edam. De Poëmatis, Lucano, Anthologia, Morelliani me sollicitant. Incertum est vitæ tempus. Nolim quicquam post me relinquere aliorum fidei. Video plerosque corrumpi spe, aut metu. Illud tibi significandum duxi, totam illam præfationem quæ Cassandri præfationi præfixa est, non fuisse inter ea quæ ego typographo dedi, & me inscio additam. Puto sumtam ex operibus Cassandri in Folio. De mittendo ad Magnum Cancellarium libro de Iure Belli ac Pacis rogo memineris. Rogo chartam in mensa tua habeas in qua summatim perscribas ea quæ tu ut facias rogo, ne aut obliviscaris, aut cogaris sæpe ad literas veteres recurrere. Papa valet meliùs. De bello partis nihil remittit. Parmensis, ne subditi sui Excommunicationis horrore à fide avertantur, novo Sacramento eos obligavit. Galli ad pacem laborant nec multum proficiunt. Copias terra marique augent omnes Italiæ Principes & civitates. Barcinone nova detecta est contra Gallos conjuratio. Tædet multos rerum novatarum, ut & in Portugallia. In Ruscinonensi tractu hoc anno bellum fervebit. Minùs in Belgico fine. Movent tamen & ibi se exercitus. Quid de Angliæ Regina, quid de Anglia, quid de matrimoniis ibi dicatur, sæpe doceri gaudebo. Deus matrem nostram, te, uxorem, liberos servet. 24 Martii 1642.

In via pacis Ecclesiasticæ p. 279. malè positum *emundatione* pro *emundationis*.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GRatias habeo pro iis quæ scribis de Regina & ejus 593
filia. Gaudebo quæcunque deinceps in eo negotio fient cognoscere. Sunt enim hæ περιπέτεια & per se magna & in futurum conjecturas nobis præbent. Interim multum impendii secum feret ista nuper XLII Anglorum postulata, in quibus haud dubitem quin futura sint multa iniqua. Multò plus illi audent in Regem quàm nos ausi fuimus in præfectum mandata habentem. Et tamen à Puritanis vestris nos factiosi judicamur: illi celebrantur ut libertatis propugnatores. Tantum in animos potest malè percepta Religio. Quod quædam mea hic edo, id feci necessariò. Nam in annotatorum indice multa acta sunt non optima fide, quorum non dico. Et non paulò emendatior erit hæc editio. Quod si voluisset Blavius, potuisset etiam currente isto prælo edere mea minuscula. Ego neque nostra ad hæc, neque præfationem ad Ἀνθολογίαν mittam, antequam edita sint Lucaniana & poëmatum παραλειπόμενα: & priusquam certus sim an Ἀνθολογίαν velit suscipere edendam, & intra quod tempus. De Iure Belli & pacis exempla exspectabo quamprimùm per Rhotomagum, nisi melior se occasio obtulerit.

Digitized by Google

rit. Vxori tuæ, sorori nobis carissimæ omnia obsequia defer meo nomine. Quod responderem ei nihil habui, præter ea quæ tibi sæpe responderam. Sunt autem inter conjuges omnia communia. Nuntii undique adveniunt de magno motu in Arragonia. Et Colubri oppidum in Ruscinonensi tractu Millereius obsidet, terra, marique. Constantiam recepere qui in Catalania sunt Hispani. 29 Martii 1642.

Velim privatas illas chartas edi multis de causis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

594 TRiglandius, ut video, risum multis præbebit, per illud πλανῆς ϖείσιον. Vbi à fraterno funere conquieverit animus Blavii, impellendus erit ut poëmata & ad Lucanum nostra absolvat. Quod si nimium cunctatur, ego dissertationem Americanam & quæ ad jus habemus, hic prælo subjiciam. Nostra ad Vetus Testamentum pulcherrimè edentur, sed lentè satis. De mulcta remissa Blaviis gaudeo. Suaserim tamen à tam odiosis editionibus in posterum abstineant. Loci Caraffæ habent quidem quædam non placitura Protestantibus: sed multum est quod dicit de corruptissimis Cleri moribus illo tempore; ea enim vera schismatis causa; cætera ϖρόφασις. Deinde in eo quod ait Confessionem Augustanam initio non displicuisse Catholicis, sed judicatam quibusdam in locis egere explicationis. Cæterùm de his particulis addendis aut omittendis judicium tibi & amicis permitto. Et rogo de privatis chartis rem promoveas. Existimo enim id pernecessarium. Et erit ea quædam præscriptionis vicenaria interruptio. Riveti librum avidè exspectabo. Quod si detur occasio, velim unà ad me mitti omnia quæ antehac ab eo sunt edita. Quidam ex Reformatis summè eruditus, cùm intellexisset Rivetum contra me scribere, rogabat an igitur Latinè didicisset. Cogitabo autem & amicorum consilia super hoc lubens cognoscam, an respondendum sit Riveto, & Borboritæ. Deinde an illico: an verò in fine operis ad Vetus Testamentum. Rex apud Narbonem podagra laborat: febri continua Cardinalis, nisi quod revalescere dicitur: multa tamen timens, non externa sed aulica:

ἀντὶ γέρον, μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.

Colubri oppidum & arx obsidentur à Gallis. Hispani sex mille pedites, CCCC equites bene locum defendunt & prosperè eruperunt, non sine sanguine. Gallis hæc præda obtinget. Rex magnos dilectus facere pergit, in Avenione, Etruria, Helvetiis. Edidit apologeticum Parmensis quod laudatur. Papa manet pertinax, ut senex. Rex Angliæ & ex Gallia & ex Dania habuisset auxilia, nisi Parlamentarii mare fecissent suæ potestatis, occupatis navibus Regiis & multis additis mercatorum. Nunquam vidi res perturbatiores. Deus te cum matre, conjuge, liberis & amicis servet. 5 Aprilis 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

595 ACcepi illa per Schingrium. Legam cum otio. Ipsum nondum vidi, ideo quod occupatus eram cùm ad nos venit, cæteroqui benignè excepturus quoscumque commendaveris, qui modò non nimium erunt inciviles. Carmina hæc de organo probo. Ex hoc specimine disci potest quis sit ille spiritus. Mirum est, sicut dicebat Rex Iacobus, quod non in caput incedant, quia Papistæ incedunt in pedes. Vitrianus ille mihi non displicet. Ingenio valet, & quæ ab aliis didicit, eis rectè utitur. D. Vtenbogardi judicium de Caraffæ locis, non impedio, quò minus sequaris. Dissertatio Americana hic edetur, idem fiet de nostris ad jus si circa mea pigrescit Blavius. A Cardinali Riceliaco in re pacis Ecclesiasticæ nihil exspectandum est, nisi priùs pax Regnorum fiat. Ægrotavit, nunc revalescit. Velim Deus mentem hanc ei indat, ut futura cogitet. Graswinckelius id defendit quod verum est. Loquuntur id Edicta Caroli V. nunquam abolita & quæ secundùm hujus temporis leges aboleri nequeunt, nisi in Conventu Ordinum Hollandiæ, post legitimam deliberationem. Parlamentariorum in Anglia miror audaciam. Deus aliquando visitabit. Illud de pecunia propter nuptias promissa virgini Anglicanæ, miror quò sit iturum. Et avebo cognoscere quæ super ea de re in deliberationem aut decreta venient. Colubrum machinis verberatur. Rex & Cardinalis revalescunt. Rex à podagra: Cardinalis ab inflammatione brachii. Medinisidonius ita se purgavit ut ducturus sit exercitum contra Portugallos. Cardinalis Sabaudus à Roma permissum accepit, ut ducat fratris filiam. Parmensis negotium nondum compositum est. Vale, mi Frater, cum optima matre & conjuge & liberis & amicis. Lutetiæ 12 Aprilis 1642.

Procemia Riveti rogo ad me mittas, ubi primùm poteris.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Frater optime,

LEgi præfationes Riveti & epigramma. Omnibus 596
his ut & libro ipsius (nam Anonymi librum legere mihi non vacat) respondi, sed breviter. Ostendam amicis, & si ii suadent, edam. Epigramma tuum & sensu & verbis melius est illo aulici. In epistola mea nihil est quod me aut alium multum possit lædere, neque me pœnitet postea didicisse quædam. Sed Vtenbogardus quæ de Arminio prædixerat in se expertus est. Rogo eum officiosè salutes. Filium meum maximum natu valdè tu ignoras. Nunquam aut librum quenquam inspicit, aut quicquam agit serii. Exemplaria de Iure Belli ac Pacis jam huc venere, sed ad me nulla. Vossbergio opto bonam valetudinem ex animo. Iam è Suedia literas habui privatas super Annotatis, sed valde æquas. Respondi placidè & dixi meo opere jam hic cognosci Confessionem Augustanam, ac valde benignè de ea judicari: quod & verum est. Sed & si mihi ob studium sarciendæ Ecclesiæ incommodi aliquid immineret, non propterea mutarem factum:

Fortem facit vicina libertas senem.

Privata mea quod attinet, non puto testimonium mihi datum ea lege ne uterer. Velim si aliud non audes, chartas omnes aut tu aut D. Reigersbergius detis Veldio, ut edi curet. 29 Aprilis 1642.

EIDEM.

Mi Frater,

REsponsum ad Rivetum jam paratum est, ut edatur. 597
Maresiana exspectabo. Epigramma non displicet. Epigramma quod Rivetus suo libro addidit non esse Heinsii, pro certo habeo. Miror *Blavios* ita lentos esse. De Riveti scriptis legendis non sum sollicitus, nimium mihi temporis periret. Si quid tamen amici inveniunt in ejus scriptis quod in ipsum retorqueri possit, utar suo tempore. Quid dubitant an Latinè didicerit Rivetus, hoc dubitant an satis rectè eo sermone utatur. Colubri & S. Elmi arcibus potiuntur Galli. Rex huc redire dicitur. Hispani Tentrium cepere. Bassæam obsident. Rex Britanniæ nisi externa accipiat auxilia malo in loco est. Ex eo quod Strideno evenit conjice quis in tali Con-

Conventu locus esse possit viris bonis, nisi cum lupis ululare discant. Oosterwyckius locum in Senatu judiciario principem sperat. Matri opto secundiorem valetudinem. Ver solet omnia commovere. Sentio & ego hoc & uxor & filia. Filius enim nihil sentit. Lutetiæ 26 Aprilis 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

598 EN tibi Americanam dissertationem. Incipiemus jam prælo dare Animadversiones nostras in Animadversiones Riveti. Non obliviscemur epigrammate Graphi, quem eum esse credideram quem scribis. Laurentii libellum videbimus, & puto exspectabimus etiam Maresiana, ut videamus festinato an cunctato opus sit. Hollandorum in juvenem Principem liberalitas non spernenda est: neque tamen æquabit nescio unde conceptam. Gratias habeo pro votis super natali meo. Colubro capto Rex ipse se in illa castra contulit obsessurus non Rosas quæ magno præsidio & egregia classe defenduntur, sed Perpinianum. Interim perit Bassæa. Harcurtius & Guichius conspectis castrorum egregiis munimentis qui defenduntur à xxv militum millibus & magna rusticorum munitorum manu retro cessere, divisis copiis, alter Pennam, alter Bapalmam, ut Beckio occurrant qui in Hainavia agmen aliquod collegit, an verò ut & ipsi obsidium sive Bethunæ sive loci alterius aggrediantur. Princeps Thomas Gallos iterum decepit, & bellum redintegrat. Vale quàm optimè cum matre, uxore, liberis. Lutetiæ 3 Maji 1642.

Miror me non accipere exemplaria de Iure Belli ac Pacis. Librarii jam omnes habent: & ego serò amicis munerabor. Paschate nupero cùm Rex strumosos tangeret, fuere inter eos Castellani duo ex præsidio Perpiniani, qui ob id commeatum eundi ac redeundi à Præfecto suo acceperant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

599 FOrtè ex usu fuisset percurri à me librum Laurentii priusquam absolvatur editio adversùs Rivetum. Puto enim epistolium aliquod addendum pro mantissa. Libros de Iure Belli ac Pacis avidè exspecto. Rogo de privatis chartis agas cum Senatore Reigersbergio. Et quando Veldius jam in vestrum Ordinem transiit, fortè id quod desidero officium mihi non negaturus est Abrahamus Antonii. Vtile erit non modò ad alia, verùm etiam ut pro responso sit Iacobo Laurentii in iis quæ me privatim tangunt. Filiæ meæ valetudo meliuscula est. De filiis utinam videam quæ volo. Scire cupiam an in vestra loca venerit editio Confessionum Tridentinæ & Augustanæ cum Cassandri Consultatione & meis ad eam Annotatis, meisque versibus, de Baptismo & Eucharistia & Diatriba de Pelagianis dogmatis. Miror me nihil intelligere de Lucano. Quid ergo fiet de Poëmatis: quid de Anthologia? Si de prima pergat morari Blavius, optimum factu erit alia ad me remittere. Bassæa perit Gallis. Perpiniani fames operitur, sed ingens ibi est Hispanorum exercitus & classis à Gadibus magna ad eam oram venit, & Rex ipse Hispaniæ in vicinam Arragoniam. Mediolani paratur exercitus ad obsidendum ut dicitur, Casale. Harcurtius & Guichius exspectant ut Princeps Arausionensis se moveat, & ipsi deinde aliquid aggressuri. Saluta quæso matrem, uxorem tuam cum liberis, amicis, imprimis D. Vtenbogardum, felicem quod prole careat. 10 Maji 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

QVod editiones nostræ tibi cordi sunt gaudeo. Habes jam exemplar editum dissertationis Americanæ. 600
Si bonus numerus eorum hinc ad Batavos mittitur, bene erit. Si minùs, rectè faciet Blavius si & ipse edat. Sed nec Lucani oblivisci debet: dabis ei deinde poëmata. Anthologiam postea ei dare poteris, si in prioribus non diu cunctatur, & si reperire potest homines idoneos qui Indices faciant. Alioqui sunt hic qui operam suam offerunt. De rebus privatis meis omnino judico, chartas edendas, in hoc ut primùm Decurionibus Rotterodamensibus singulis dentur exemplaria: si ii quod æquum est, non faciant, dentur & populo. Erit id pro responso ad Iacobum Laurentii. Non video quid D. Dussenus in hoc meo Consilio invenire possit, quod ipsi displiceat. Testimonium enim in hoc mihi datum est, ut uterer. Animadversiones in Animadversiones Riveti jam hic excuduntur. Vbi perfecta erit editio poterit altera in Batavis fieri, nisi exemplaria satis multa etiam hujus libri ad vos veniant. Da operam quæso ne Didericus illo obtentu ex illis locis abeat & ad nos veniat. Planè enim id nolumus. Fallet sese si putat se ubi huc venerit centuriam illico aliam habiturum. Spes eadem fratrem ejus planè evertit. Bassæa diutiùs defendi nequit. De Perpiniani fama intra sesquimestre tempus spem faciunt transfugæ. Rex ægrotavit. Valet nunc meliùs. Cardinalis aquas salubres bibit inter Narbonam & Bezeriam. Saluta quæso matrem, uxorem, & tuos nostrosque omnes. 17 Maji 1642.

Si recuditur Diatriba nostra Americana velim pagina 11. pro *literarum eam scripturam* poni *literariam scripturam*. Pagina 14 pro *pertulerit* scribendum *perviderit*. Circa finem verò post vocem attuli. *Ceterùm ante has immigrationes quatuor de quibus jam egi, vetustiorem fuisse aliam à Carthagine, cur arbitror dicam ad Deut.* XVIII. 19.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

EXspectabo eruditorum judicia de Americanis. Hic 601
meæ conjecturæ omnibus probantur. Habes hic mea ad Rivetum quæ & Mileterio ostendi ante ἐκδόσιν & Petavio viro certè pacis & emendationis amanti & antiquitatis peritissimo. Libros de Iure Belli ac Pacis nondum accepi. Bassæa ante dies quinque dedita est. De Perpiniano res incerta est. Clausi aditus: sed magnæ ibi vires Hispanorum, & crescunt quotidie. In Anglia hoc tempore, Rege ab auxiliis externis destituto, nulla poterit transactio fieri, nisi per quam Parlamenti nova potestas confirmatur & jus quoddam nanciscatur longæ possessionis. Rex Galliæ à febre liber, ab hæmorrhoidibus laborat. At de Cardinali Richeliaco omnia pessima metuuntur. Succus corporis in pus abit. Mens quoque non constat. Motta Odincurtius it obsessum Tortosam. Bassæa Hispanis dedita die hujus mensis XIII. Nunc illi Castellum Cameracisii (id oppidi nomen est) obsident. Venturi inde ad Landresiacum. Nam Beckius cum Melone se junxit, habentque ultra XXX millia. His impares sunt Harcurtius & Guichius, nec inter se concordes. Saluta quæso matrem, uxorem tuam ac liberos & amicos. Petrus ubi Amstelodamum migraverit, fac me certiorem. Lutetiæ 24 Maji 1642.

Si libelli contra Rivetum exempla non satis citò, aut non satis multa ad vos venerint, rectum erit ibi quoque eum libellum edi. Privatas chartas edi planè opus est quamprimùm.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

Digitized by Google

EIDEM.

Mi Frater,

602 Videris jam mea contra Rivetum. Iacobi Laurentii librum si ante accepissem, tractassem eum paulò magis pro meritis. Omnino autem edendas sentio chartas nostras privatas, eo sermone quo scriptæ sunt. Vbi prodierint, videbimus an quem reperire possimus, qui eas in Latinum sermonem vertat. Rogo nulla in hac re interponatur mora. Accepi jam exemplaria de Iure Belli ac Pacis. Reperio errata non pauca & in fine epistolæ ad Regem omissum annum quem adscribi volueram. Quod subjicis de epistola à me ad Amstelodamenses Magistratus edenda, id inconsultum judico, nisi certi simus eos facturos quod velimus, id est venditionem impedituros. Gravis clades accepta à Guichio prope Guisam die 26 hujus mensis. Totus exercitus ejus à Melone & Beckio concisus est, ita ut de octo millibus vix mille servati sint, captæ machinæ & impedimenta. Harcurtius qui ad rumorem de industria ab hostibus sparsum, iverat quasi Caleti obsidium prohibiturus nunc retro rediit. Et omnes in vicinis terris Feudorum possessores ad arma vocantur. Multum hic trepidatur. Habet hostis xx millia, & hæc victoria addit ei animos aut ad irrumpendum in interiora, aut ad obsidenda oppida limitis. Etiam Motta Odincurtius à Tortosa, Comes Susæ à Melissa, quæ arx in agro est Basileensi, obsidione depulsi sunt. Rex Perpinianum habiturum se sperat Iunii fine. Habemus hic Ill. D. Marescallum Hornium, virum omni laude majorem. Saluta quæso matrem, familiam & notos. Lutetiæ 31 Maji 1642.

Injuriam mihi fecit Blavius quod non à Vossio, Barlæo, aut erudito alio fecerit recognosci hanc editionem, saltem ut Errata, quæ satis multa sunt, annotarentur.

EIDEM.

Mi Frater,

603 Vereor ne de industria aliqui omnia exemplaria Viæ pacis hic coëmerint. Nam idem evenit libro Salmasiano nomen præferente Waluus Messalionis. *Blavius* incitandus est, ut faciat tandem quod tam diu promittit. Indices ad Anthologiam fortè facere possit Sorberius juvenis Gallus satis eruditus, qui nunc Amstelodami agit, sed opus haberet monstratore Vossio. Si Indices ibi fieri nequeunt, remittendus erit ad me liber. Viam Pacis mitterem nisi major esset liber quàm ut commodè per tabellarium mitti possit. Velim & hanc & Animadversiones ad Rivetum in omnium esse manibus, præterea edi nostra ad Lucanum, & poëmata, & Anthologiam, recudi etiam Americanam dissertationem. De Diderico gaudeo. Sed videntur mihi obsidiones ibi lentè procedere. Privatarum chartarum editionem tibi & D. Reigersbergio commendo. Mittam tibi per amicos exemplar unum Viæ ad Pacem, exemplaria aliquot Animadversionum in Rivetum, & librum Mileterii in quo & Riveto & Borboritæ respondit. Cùm audio quomodo hic vixerit Maraisius, video Græcum hoc nomen ei non malè congruere. Perpiniani periculum non tam prope est quàm credebatur. Est panis ibi ad medium Augustum, & centeni aliquot equi Gallorum liberiùs pascentes capti ab obsessis. Melos Campaniam ingreditur. Hallerius qui Harcurtio se jungere debebat retinetur à Duce Carolo, qui loca in Lotharingia à Gallis possessa attentaturus videtur. Et nobilitas ad arma evocata paupertatis non sanè fictæ excusatione utitur. Vale cum matre, uxore, liberis & amicis. 7 Iunii 1642.

Erratis quæ correxi in Animadversionibus ad Rivetum addendum & hoc est p. 23. lin. 11. Act. xx. 17. p. 31. 3. διϊσχυρίζεται. Quò magis introspicio novam editionem de Iure Belli ac Pacis, eò plura reperio errata quæ sensum turbant. Quare librum relegendum alicui erudito dare debuit Blavius & Lectorem admonere. Multa talia fiunt contra mea vota. Literas posthac tuas rogo ad me rectà mittas, non ad Heufdium.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo non displicere tibi nostra in Rivetum. Si recuditur ibi meus liber præter errata quæ correxi in misso exemplari pag. 4. lin. 14. deleatur *dogmata.* pagina 23. lin. 11. pro *Rom.* ponatur *Act.* & pag. 83. post *mandatorum fines* addatur. *Cujus rei mihi testimonium reddittum in frequente Conventu Hollandiæ anno 1632. noverunt optimi Magistratus Amstelodamenses.* Planè autem opus erit edi quamprimùm chartas Rotterodamenses, ut jam sæpe scripsi. Petri res quod attinet si hic esses, quod velim aliquando fiat, rationes meas ita tibi explicarem ut nihil me nisi paternum agere agnosceres. Hispani nihil agunt, quia distrahunt eorum copias Princeps Arausionensis & Guebrianus. Harcurtius jam xvi habet millia apud Guisam. Dux Carolus incursat Metensem agrum. Tamaresiam in Arragonia cepit Motta Odincurtius. Perpiniani præsidium est CIↃ CCC hominum. In Pedemontano agro exercitus prodiere ad decem millia ultraque. Cardinalis à Pezenaso ferri se jussit per Rhodanum ad propinqua Avenioni, salubriori ibi cælo usurus, an metu majoris mali dubitatur. Saluta quæso matrem, uxorem tuam, liberos & amicos: & in editionibus nostris quæso me adjuva. Lutetiæ 14 Iunii 1642. 604

Velim si quis notus huc veniat ferri ad me librum Salmasii qui dicitur Walo Messalinus, nam hic exemplaria ab ipsius amicis coemta sunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

De Iacobo Laurentii à vobis non dissentio. Distribui hic exemplaria de Iure Belli ac Pacis. Velim Blavium moneas ut in rebus meis mea mandata propiùs sequatur: & ne ita differat quæ ego multis causis celerari velim. Nostra ad Vetus Testamentum jam ad II Samuelis processere. Incipiemus & editionem Florum ad Ius. Cætera quæ ibi sunt tibi commendo, non ea tantùm de quibus scribis, sed Poëmata, Lucaniaca, Anthologiam verò maximè, de qua certi aliquid quamprimùm cupiam scire. Multi enim hic se offerunt, etiam ad Indices faciendos. Gratias tibi ago pro diligenti opera navata in causa filiæ. Scribo de eadem re & ad Senatorem Reigersbergium. Si qua sunt loca insignia, præter ea quæ Remonstrantes cum Actis Synodalibus ediderunt, per quæ in lucem protrahi possint quæ à Calvinistis plerunque teguntur dogmata, de Deo peccati necessitatem imponente, & de Gratia manente in scelerosè viventibus, ea annotari à gnaris talium & mihi transmitti velim. Thuanus noster & alii quidam amici Sanctimarcii à Rege in custodiam dati sunt, ut Cardinali Riceliaco satisfieret. Ipse Sanctimarcius evasit. Schombergius tamen in imperio manet una cum Milereio & super eos Frater Regius. Nam Rex cœlum illud valetudini suæ noxium credens huc venit, apud æquas Borbonias, quo it Cardinalis, aut alibi Cardinalem visurus. Habet jam apud se Cardinalis suetos corporis sui custodes, quibus Rex suorum equitum & peditum nonnullos addidit. Variæ super hoc negotio sunt conjecturæ. Perpiniani miles uncias panis in dies accipit novenas. Dux Carolus capto Pontemousono Tullis imminet, habens vi millia peditum, totidem equitum. Ideo Granseius ab Harcurtio retro redit suo cum milite: cujus in locum Princeps Condæus nova scribit sex millia & nobilitatem ex feudorum lege ad arma evocat. Harcurtius apud Laonum est, Guichius apud Carolovillium acceptis pecuniis, ut novum paret exercitum. 605

Franciscus Melo relicto ad Rovertium exercitu, it ipse cum parte suorum ut se opponat Principi Arausionensi & Comiti Guebriano. Saluta quæso matrem, uxorem tuam & liberos. Lutetiæ 18 Iunii 1642.

Causas habeo cur sine mora sermone Batavo edi velim mea adversus Rotterodamenses.

EIDEM.

Mi Frater,

606 CVm literas hoc tempore nullas abs te acceperim, arbitror te quo tempore scribi solet Amstelodami fuisse nostris quoque intentum negotiis: quæ ut bene tibi procedant, Deum precor. De Sanctimarcio & Thuano est cur bene speremus: quia ad Sanctimarcium qui Montispellerii custoditur Rex de cursoribus suis misit qui ei inserviant; Thuanus verò Regis comitatum sequitur custoditus à Comite Charroio, Præfecto Caleti, sibi amicissimo. Scripsit ad propinquos se in eo fontem quod Regi displicuerit. De cætero in tranquillo sibi conscientiam. Hispani Perpiniano subvenire volunt. Habent & exercitum & centum navium classem. Rex, ut fama est, Cardinalem videbit in ea parte Avenionis quæ Gallici est imperii. Neuter firma est valetudine. Rex & Hæmorrhoidibus & febribus tentatur. Cardinalis in corpore novæ semper emergunt vomicæ. Harcurtius apud Marlam est. Beckius post discessum Melonis apud Valentinianas cum septem millibus. Ejus turmæ tres à Gallis cæsæ apud Quercetum Hainaviæ. Saluta quæso amicos, præcipuè matrem, uxorem tuam & liberos. Lutetiæ 28 Iunii 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

607 PRobo quod Blavius nostra pro pace Ecclesiæ recudit. Velim & scire quid de Lucano, Poëmatis, Anthologia exspectare debeam. Nam si possim, nolim quicquam relinquere heredum curæ: itaque rogo hac in re me quantum potes adjuves. Videbimus quid dicturi sint Rivetus & Laurentiades. Nihil causæ video cur causam pacis Ecclesiasticæ à me susceptam, bonis, ni fallor, conditionibus deseruisse dicas. Liturgias veteres edidere Cassander & Ramelius. Exstant & seorsim Syriacæ & Arabicæ & Græcæ duæ Basilii & Chrysostomi. Sanè & Missæ Latinæ complures à Rhenano & aliis editæ. Hæc omnia simul edi non abs re esset si editioni vellet curam suam contribuere Vossius: abs quo exemplar de Idololatria alterum quod acceperam dedi Cordesio. Literas ejus accepi, in quibus multa sunt mihi utilia, ut & in tuis, si quando pacis adversariis erit respondendum. Gaudeo D. Vtenbogardo, quem quanti faciam & facere debeam optimè nosti, institutum nostrum & quas monstro ei proposito convenientes vias non improbari. Geesteranum & alios qui pietatis causa multa pertulerunt, spero cum tempore visuros quàm nihil ad illam pietatem profuerint tot novæ Ecclesiæ novi ritus: novum Regimen: & ad nutriendum dissidium libido omnia ante dicta interpretandi in pessimam partem, quæ meliore ansa, si dilectio adfuisset, arripi poterant. Malos mores qui mansere corrigi æquum est. Sed an non hoc meliùs successurum fuerit, si quisque semet repurgans pro repurgatione aliorum preces ad Deum tulisset, & Principes & Episcopi correctionem desiderantes, non rupta compage, per Concilia Vniversalia in id laborassent. Dignum est de quo cogitetur. Hasselarios de eo cogitare ut filium nostrum, quem alii & mihi & patriæ inutilem reddere volunt, faciant patriæ utilem & mihi minùs indecorum gaudeo: multumque ipsis debeo eo nomine. Deus illorum conatus & mea vota prosperet, ne plus adhuc doloris per eos accipiam à quibus solatia hujus ætatis exspectare debebam. Si quando ad nos transcurrere poteris, facies rem mihi gratissimam. Hoofdii historia ut credo plena erit veris, ideoque non omnibus grata. Vossii liber de tribus symbolis non poterit non esse utilis. Vtinam eo loco esset ubi ea quæ & optimè novit & optimè explicare potest pro Ecclesiæ pace dare possit posteritati, nulla magis te eam demerituram. Planè ita arbitror venire sæcula in quibus tantum futurum sit litigandi tædium, quanta fuit jam pridem prurigo. Quæ autem & me & te monuit Vossius, eorum meminero ubi erit opus. Qui epistolam meam ad Laurentiadem Belgicam reddidit parum fuit illarum rerum intelligens. De Amstelodamensibus antehac rebus quæ me mones perutilia sunt & invenient suum locum suo tempore. Guebriani res in bono esse loco & publicè & privatim gaudeo. Perpinianum nondum eò famis perductum est quò vellent Galli. Et non sunt edaces Hispani. Cardinalis novas habet vomicas: & denuo inciditur Tarasconæ: in cujus oppidi arce custodiuntur Thuanus noster & Chavigniacus. Nam ipse Sanctimarcius in arce Montispessuli custoditur, tristi Rege quod ejus careat consuetudine. Cardinalis rursum gubernat omnia. Sed Rex eum nondum vidit, tribus tantùm leucis ab eo dimotus. In Anglia quid futurum sit valde incertum. Audio Legatos Batavos rogatu Reginæ Angliæ adhuc detineri. Nescio an spes ejus pependerit ab ea Gallicæ Aulæ mutatione quæ incipiebat se aperire, an ab alia aliqua causa nobis incognita. Parlamentarii ulteriùs progrediuntur quàm vestræ ferunt literæ. Volunt enim jura Regia esse deposita revocabilia ad nutum Parlamenti. Walonem Messallinum gaudebo videre ubi se dabit occasio mittendi. Et Episcopi Catholici & Senatores Advocatique partis alterius in meis contra Rivetum optimam credunt ostendi viam ad sanandum Ecclesiæ vulnus. Deus multos det talia cogitantes. Valde desidero nostra postrema pro pace Ecclesiæ opuscula in Anglia legi. Vereor ne minùs id curent librarii. Fac quod potes: & optimæ matri, uxorique tuæ & liberis omnia dic quæ dici par est. Lutetiæ 2 Iulii 1642.

Rotterodamensia nostra edi & quamprimùm opus est. Rogo me adjuves quantum sine tuo damno fieri potest. Nescio an Mileterii librum acceperis & quæ per D. Stradium alia misi. Auratus noster se dedit communioni Romanæ, id est Monsieur d'Or. In Animadversionibus ad Animadversiones Riveti fol. 10. pro *præferri* scribendum *præferre*. Captus est in Italia Dux Bulionius. Multis idem eveniet si diu vivat Cardinalis. Videtur mihi fuisse horum parum peritus qui epistolam meam ad Laurentiadem transtulit. Si nosti quis sit, indica, quæso. Filius meus maximus natu in gravissimum morbum incidit. Incipit corpore revalescere. Vtinam & animo. Ego circa eum feci quod debui, sic & circa alios faciam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdi quod Laurentiades mihi opposuit ad refellen- 608
da ea quæ rem judicatam attinent. Edenda sine mora sunt ea de quibus scripsi antehac, Rotterodamensia illa dico & quidem omnia & eo sermone quo primùm concepta fuere. An vertenda sint, postea cogitabo. Cæteris quæ neque multa neque magna sunt in isto Laurentiadæ opusculo aliquid fortè obiter reponam, ubi videro quid dicturus sit D. Rivetus. Si quid est de turbis Amstelodamensibus scitu dignum, præter ea quæ ad me scripsisti, velim me aut tu edoceas aut alius quisquam. Quæ de Vtenbogardo scribis ostendunt, in tam gravi ætate non deesse ei prudentiam. Qui mirantur me Papam non habere pro illo Antichristo, norint me & amantem esse veri & in Gallia vivere, ubi contrarium profiteri contra imperium est Regis. Thuanus arctè custoditur in arce Tarasconæ. Custodes sunt partim ex satellitio Regis, partim

tim ex Cardinalis, sed hi plures. Rex huc venit. Cardinalis lentè sequitur. Bulionii Ducis uxor Sedani est. Multæ in exercitibus captæ fœminæ quæ hic habitant. Relegati aliæ, aliæ custoditæ. Historiam meam rogo diligenter adserves. Deus & matrem nostram & uxorem tuam & liberos bene servet. Lutetiæ 12 Iulii 1642.

Captus est & primus Præses Provinciæ. Thuanus dicit ubi ad judices venerit ostensurum se nihil à se factum Regis injussu. Dicitur autem is obstitisse quominus interficeretur Chavigniacus Comes.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

609 MVltum me delectavit tua epistola quod video nostra quæ in Batavis sunt in lucem proditura. Rogo urge quantum potes. De Santræ epistola feci quod scripsi tibi: nec aliud merebatur. Est quisquis est homo contradicere cupiens, contradictorem non ferens. Laurentiadæ nihil aliud hoc tempore opponendum arbitror quàm editionem omnium eorum quæ ad me & ad Rotterodamenses pertinent. Quod ut quamprimùm sine vestro incommodo fiat & te & D. Reigersbergium obtestor. Vbi Riveti scriptum prodierit, potero obiter ad quædam à Laurentiade dicta, ipso non nominato respondere. D. Vossii librum exspectabo. Sorberius potero non inutilis esse ad faciendos Indices, si Vossio utitur adjutore & sequitur mea præscripta quæ olim ad te misi. Sanè dignus est labor ille meus qui publicis utilitatibus tradatur. Euangelica nostra ad Magnum D. Cancellarium ego mitti non suasissem. Sed librum de Iure Belli ac Pacis omnino. Nunc quod factum est infectum reddi nequit. Thuanus sub judicibus delegatis est. Et quanquam dicit probaturum se nihil se fecisse sine Regis jussu, tamen amici metuunt, eoque magis quo frater ejus qui fratris res commendaturus venerat, jussus est discedere. Perpinianum non videtur cessurum citò. Gratias tibi ago pro epigrammate in Santram. Memineris quæso mittas ad me Walonem Messalinum, ubi commodè id fieri poterit. Carmen illud quod poëmatis meis insertum est contra Batavos Poëtas, est D. Goicetæ viri doctissimi. Excipiendi quidam fuere. Sed fortè non malè Santræ illa conveniunt. Nos in Annotatis ad Vetus Testamentum libros Regum absolvimus. 19 Iulii 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

610 IN filii literis nihil adhuc certi video. Res autem misera est & multis tentationibus obnoxia nuptiæ absque reditu qui impensis respondeat. Et à lautiore vita ad tenuiorem difficilis est reditus. Ego autem nihil majori cum dolore audiam, quàm si nostri privatarum utilitatum causa mala publica augeant, aut propagent. Maximus filiorum in summo fuit periculo. Sed videtur morbum corporis evasisse, utinam & animi. Ego illum cùm ægrotaret seriò admonui. Pro Ecclesiæ concordia laborare præceptum est herile: cujus fructus, etiamsi eventus non responderet conatui, ab ipso hero exspectandus est. Neque nostram tantùm ætatem spectare debemus, sed & posteros: quanquam vidi ego homines meæ ætatis, qui sperent se eventum in Gallia spectaturos. Quod Auratus fecit, idem fecit antehac vir doctissimus P. Pithæus: Idem constituerat facere Casaubonus si in Gallia mansisset: affirmavit enim id inter alios etiam Cordesio. Vitia quæ in Ecclesiam irrepsere sanari pervelim & in monendo piger non ero. Sed an rectum & ex usu fuerit ei malo mederi velle per divortium, etiam atque etiam cogitandum est, præsertim cùm ex dogmatis appareat non adfuisse novas partes facientibus Dei spiritum, & præterea per illos alia vitia influxerint; & semel introducta secedendi licentia novas semper peperit partes, nunquam cohæsuras. Accepi è Batavis libellum quendam jam olim factum contra Laurentiaden. Cogitabitis an edi debeat. Roterodamensia certè nostra omnino edenda erunt, rogo ne quid ultra sit moræ. Thuanus auditus omnia se mandato Regis peregisse dicit, appellans Regis conscientiam & chartas suas. Rex tamen & de illo & de aliis loquitur, tanquam de perduellibus. Mirum quàm de eis dicat atrocia, quæ tamen fidem ægrè inveniunt. Cardinalis tamen non ita hic fidit omnibus, ut se Regi tradat, aut intra Galliam penetret. Manet Tarasconæ: portas omnes obstruxit, una excepta. Avenione quinque homines capti, quod crederentur pro captivis consilia aliqua cepisse. Dissertationem Americanam rogo ad me mittas ita ut ibi edita est. Lucanum & poëmata suo tempore. Anthologiam quoque tibi commendo & prolegomena ad ea mitto, quæ dabis ubi id opus esse judicaveris. Reginæ Matris Testamentum hic nondum apparet. Si haberi potest libens id videam. Parlamentaria hæc dissidia pridem prævidi & inde resurrecturas res in Anglia regias. At si consilia illa in Gallia quæ nunc disturbata sunt valuissent, in maximo periculo futuri erant plebicolæ isti. Rogo salutes matrem, uxorem, liberos, amicos. 26 Iulii 1642.

Rotterodamensia si nondum prodiere, quæso, illico prodeant. Interest id ad famam & ad jus servandum. Cordesius noster jam è vivis abiit; sæpe me hortatus, ut cum moderata libertate ad communionem Catholicam redirem. Habeo & patris nostri ea de re ad me literas. Neque tamen præfestino. Thuani res reperitur diversa ab aliorum rebus. Multa ignoravit quæ alii coquebant, nihil fecit sine Regis jussu.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

RIveti Examen legere nondum potui. Legam jam primo tempore, & aliquid reponam. Quod de D. Vossio 611
scribis, utar libenter eo consilio. Protestationem Rotterodamensium mitto, alterum illud per quod dejectis magistratibus sua existimatio servata est, reperies in omnibus urbibus. Ego etiam mittam si reperero. Sed nolim ob id necessariam chartarum aliarum editionem differri. Nostra quæ Blavius edit & Walonem cum commodo tuo exspectabimus. Ego de Antichristo dixi quæ vera etiam nunc puto, & ea firmabo in Annotatis ad Novi Testamenti reliqua. De historia Batavica cogitabimus ubi prodierint alia quæ & hic & ibi affecta sunt. Responsum ad Santram scriptum est ab homine non imperito Gallici sermonis. Posset quidem hic edi. Sed statim omnes judicaturi sunt à me vulgari meas laudes. Si apud vos id fieri poterit, rectè, sin minùs, cogitabo. A D. Vossio epistolam accepi; respondebo ubi primùm potero. Interim gratias ei ago pro monitis optimis. De Thuani & Sanctimarcii causa quid dicam nescio. Rex de illis durissimè loquitur quasi insidias struxissent vitæ suæ ac liberum suorum. Paucis hæc persuadentur. Thuanus dato judici se de hoc interroganti scabellum in quo sedebat in caput voluit impingere, nisi ab aliis fuisset prohibitus. Sanctimarcius dixit rem fingi incredibilem, nunquam sibi bene convenisse cum fratre Regio: nec unquam sperare se potuisse apud eum locum gratiæ quem apud Regem habebat. Dicitur eò Cancellarius iturus cum bis mille militibus ad impediendam seditionem, & eodem duci Dux Bulionius, ut & ipse & alii ibi interrogentur. Sed moram negotio objicit tum Regis magna imbecillitas, tum Cardinalis nunquam periculo vacans valetudo. Idque unum est quod nunc victis optare possimus, mora temporis. Saluta quæso matrem & uxorem & liberos. Instrumentum de existimatione dejectis servata misi Galli-

Gallicè, inde diem & argumentum cognosces, ut id Belgicè quæras & edicures. 2 Augusti 1642.

Frater Regius se in Helvetia recepit: & non vult interrogari. Apparitorum pars tertia ad arma cogitur, partes aliæ duæ sumtum præbebunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

612 GRatias ago quod pro meis editionibus laboras. Puto vanum non esse quod de Sorberio scribis. Itaque aut alius quærendus est quem D. Vossius sufficere judicet. Si talis inveniri nequit, remittendi sunt libri ut ego hic idoneos reperiam. Et sunt hic qui se offerunt. Riveto postremum hoc respondebo: & brevi admodum, tempore mihi opus est, ut & ego quod feci relegam & alii. Maraisius per se est indoctus. Sed non est dubium, quin adjutores habeat Ministros omnes. Agitur enim res non parva: neque enim parum illis serviit commentum illud de Antichristo. Et malè sit illis qui se tam ei similes fecere, ut pro eo accipi possent. Librum de Iure Belli ac Pacis ad Magnum Cancellarium missum esse gaudeo. Pro Thuano non frustra metuitis. Videtur Cardinalis redire huc nolle nisi ablatis & inimicis, & constituto exemplo, ne quis ipsum audeat offendere. Ad Regem Angliæ plures se conferre gaudeo. Sed audio magnas esse vires Parlamentariorum; verùm ipsos inter se parum concordes. D. Vtenbogardo quod pro me laborat gratias ago. Misi ego quæ habui, ea jam acceperis. Commenda me quæso precibus matris, uxori tuæ & liberis & amicis. 9 Augusti 1642.

Rex causas edit, cur capi fecerit eos qui capti tenentur & quorum nunc arctior custodia est. Iudices dati Primi Præsides Aquensis, Tolosanus, Grationopolitanus & Consiliarii terni ex quoque horum Parlamentorum, aliqui ex Consilio Status & libellorum supplicum Magistri. Memini me legisse olim in Savanarola non satis nos tutò argumentari contra Iudæos, ... Virgo concipiet. Nunc percurri triumphum Crucis & scriptum ejus contra Iudæos. Non invenio illum locum. Siquos nosti in illius scriptis multum versatos, ii fortè tibi eum indicare poterunt. Mihi nec multum est temporis, nec ulli adjutores, quales Rivetus habet plurimos.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

613 QVod dicis Deum prosperare conjugia, id verò non semper verum esse multis patet exemplis. Nostra quæ ad causam Rotterodamensem pertinent jam edita oportuit. Velim adhuc fiat sine mora. Ea quæ desiderabatis ad vos misi. Et ut aliquid desit, edantur quæ habetis. Illud decretum quo existimatio servatur dejectis Magistratibus miseram Gallicè, ut dies nosceretur. Belgicè non habeo. Quæ ibi annexa sunt de unione & Synodo omitti debent. Fiat quod fieri potest quamprimùm. Casaubonus saniores multò putabat Catholicos Galliæ quàm Carentonianos. Anglos autem Episcopos putabat à schismatis culpa posse absolvi. Et pater in epistola Catholicos Galliæ meliores judicabat cæteris. Mille Laurentiadas ne . . . . quidem facio. Sed operam dabo ut emendatio aliqua obtineatur. Rex mittit ad Parlamenta narrationem rerum gestarum cum gravi insectatione Sincmarcii, Chavigniaci & Ducis Bulionii: dicitque eos omnes, etiam fratrem suum immiscet, pecunia Hispanica inescatos. Thuani nulla est mentio, idque ipsum & sermo quem mecum habuit judicum unus, spem aliquam mihi pro illo facit. Omnes editiones nostras tibi commendo, maximè Anthologiæ: amo enim id opus & juventuti perutile censeo. 15 Augusti 1642. Saluta quæso matrem, uxorem, liberos, amicos.

Laudandi sunt qui martyrium pertulere, ideo quod Curiæ Romanæ & Sacerdotum vitia ac plebis superstitiones culpabant, nec tamen schisma faciebant. Si ab initio discessum non oportuit, quærenda quamprimùm remedia. Qui verò sentiunt subditos in religione à Principe dissidentes rectè adversùs Principem arma sumere, ii non mirum est si à Principibus durè tractantur. Apostolis hoc objici non potuit. Reges si qui in suis terris ea quæ corrigenda erant correxere, & ideo expulsi sunt à communione, nihil mutantes in vetere doctrina, nec Sedi Romanæ justam reverentiam negantes, habent quo se apud Deum & bonos judices defendant. Hæc mihi sic videntur, ita tamen ut paratus sim meliora discere. Scripsit ad me Amstelodamo Gerardus Vrelandius epistolam in qua me consulit cùm baptizatus nondum sit, cui se Ecclesiæ debeat adjungere. Iurat se id quærere conscientiæ causa. Novisse videtur D. Vossium. Velim de eo inquiras ut cogitem an & quid scribere debeam. Scio nec pabulum negandum ovibus, nec margaritas objiciendas porcis. Episcopi Romani errare possunt: sed diu errare non possunt adhærentes Ecclesiæ Vniversali. Quia aut ab ea edocebuntur, aut ab ea abscindentur. Vtriusque habemus exempla.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VOtum pro pace oppositum examini Riveti & aliorum irreconciliabilium scriptis, jam descriptum est datumque amicis ut legant. Gaudeo habere nunc te ea quæ ad famam ac jus nostrum pertinent: quæ ut quamprimùm edantur, res exigit. Exspectabo quæ per Schoeferianam viduam misisti. Amstelodami cùm eris spero memorem te fore Lucani, poëmatum, Anthologiæ. Nostri flores ad jus jam parte dimidia excusi sunt in octavo. Pervenimus ad Alphabetum secundum. In Annotatis ad Vetus Testamentum pervenimus ad Iobum, & in illo quoque brevi dimidium habebimus. Inchoatum est jam Alphabetum Tertium. Editio est in folio. In Novo Testamento jam ad epistolam Hebræis scriptam perveni. De Thuano melius & ego spero & amici ejus, quia nomen ejus in Regiis ad Parlamenta literis non exstat. Sollicitos tamen nonnihil nos habet, quod ad Ducem Beaufortium Vindocinensis filium Rex bis jam scripsit, ut ad se veniat & indicet quid ei Thuanus dixerit, cùm in itinere Narbonensi ad eum diverteret. Dux Beaufortius mala excusatione usus ne veniret, scripsit Regi Thuanum ad se venisse pro vetere suo in ipsorum domum affectu à Sincmartio neque literas se neque nuntium habuisse. Contra rempublicam & Regem si qui unquam apud se habiti fuissent sermones, pridem id se ultro fuisse indicaturum. Exspectatur hic ut Princeps Arausionensis Hispanum hinc abstrahat. Pro Rege Angliæ vota facio, causa ejus magis mihi placet quàm vires. Discam libenter quid futurum sit de navibus Anglicanis quas Batavi Dunquercam euntes cepere. Nam quicquid ea de re constituetur, inter exempla erit in posterum. 614

EIDEM.

Mi Frater,

DE Petro nihil aliud quod dicam habeò, quàm miserari me ejus sortem. Ipse sibi multorum malorum erit causa. De Lucano, gaudeo. Vix puto fieri posse ut Sorberius Indices facere possit, ubi nec librorum habet copiam, nec consulere quoties res exigit Vossium potest. Si quem potes invenire Amstelodami, gaudebo. Nam quod de Lugduno mones, non est spernendum. Borboritæ calumnias non multum metuo. Cavebo eos quos suspicor cum Riveto habere commercium. Rei qui capti erant, Lugduni sunt: Dux Bulionius pertristis. De Thuano melius speramus. Scripturæ loca multa, si rectè vertan- 615

vertantur, satis posse à quovis intelligi puto. Non omnia quæ utilia sunt aut ad Regimen Ecclesiæ aut ad eruditiorum institutionem. Et res ipsa satis id loquitur. Neque enim dubito quin in multorum locorum explicatione in diversa ituri sint Hultenus & Episcopius. Vnus ille locus *dona Dei sunt sine pœnitentia*, vide quàm novum & periculosum dogma introduxerit apud eos qui quàm maximè clamitant perspicuam esse Scripturam. Regi Angliæ res fieri meliores gaudeo. Et intelligo favere ei Principem Arausionensem. Multum est quod Porthmutum tenet, quò appellere jam poterunt auxilia maritima à Dania & aliunde. De Perpiniano nihil certi. Magni paratus utrinque terra & mari. Neque videntur aut Melos aut Dux Carolus quicquam acturi magni. Sponsalia Taurini celebrata XIV mensis hujus inter Principem Mauritium Ducem Onegliæ, is antehac dictus Cardinalis Sabaudus, & fratris ejus filiam. Crescentinum Princeps Thomas ab Hispano recepit. Episcopus Lamegæ Romæ à Cardinalibus non aliter quàm ut Episcopus acceptus fuit. Ideo abire vult. Roma magnis custodiis servatur. In Catalania novus motus contra Gallos fuit: sed vi repressus est. Manet Papæ bellum cum Parmensi: & controversia cum Luca. Dicitur & imminuisse Mirandulæ: sed occursum à Venetis, Ethrusco, Mutinensi. Saluta quæso matrem, uxorem, liberos & amicos & editionum nostrarum curam gere quàm maximam. 30 Augusti 1642.

D. Langeracia literas tuas resignavit & resignatas ad me misit. Quo consilio nescio. Ego eas remitto unde venerant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

616 VXor nunc abest. Rus ivit, inde Rhotomagum ob negotia. Vbi redierit, de Petro consilia conferemus. De chartis privatis, de Lucano, de Poëmatis rogo maturetur quantum fieri potest. De Anthologia consulatur D. Vossius, an quem norit ad Indices faciendos idoneum Amstelodami. Casauboni longè alia erant cogitata quàm censes. Quæ mihi in mentem veniunt, videbis in Examine Riveti opposito à me voto. Illud interim dicam, sicut Reipublicæ ita & Ecclesiæ pacem partim silentio contineri. Satis multa sunt quæ & tutò & utiliter dicantur de Christi nativitate, miraculis, morte, resurrectione, ascensu, de Pœnitentia, de fide & operum necessitate ad pariendam salutem. De cæteris siquis dubitat (neque enim sapiat qui constituat Ecclesiam errare posse, se non posse) tacere sciat. *ἀκίνδυνον γὰρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας. Ατ ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου καὶ ἀφροσύνας τέλος δυστυχία.* Neque ego tamen velim linguarium sanguine pendi. De Hæreticorum pœnis quæ scripsi, in iis mecum sentit Gallia & Germania, ut puto, omnis. In Gallia iis qui panem sanctificatum sumsere, datur & vinum. Sed ablutionem vocant. Si quis rem intelligat, poterit fortè eo contentus esse. De cæteris controversiis explicationes quas dedi eas probavi viri eruditissimis Romanæ communionis: imò & viris magnis Romæ. Pro Thuano magis formidant amici, ex quo Dux Bulionius à Cancellario Franciæ auditus quædam Thuano nocitura dixisse dicitur. Cinqmarcius extra cubiculum fune erepserat: sed priusquam arce exire potuit deprehensus est. Qui in Perpiniano sunt obsides dicuntur dedisse. Melos est ad S. Audomari urbem: Guichius apud Guisam: Harcurtius apud Arilesam. Dux Carolus Hagenavii aut Dachsteino minari creditur. Principis Thomæ filius ducet filiam Ducis Longavillani. Promittit Rex se pacem non facturum nisi Principi Thomæ reddantur uxor & liberi qui in Hispania sunt: restituturum se quæ post mortem Ducis Victoris insedit: modò Hispanus idem faciat. Principes Rectores Sabaudiæ ac Pedemontii fore si Vidua moriatur. Sabaudiæ ac Pedemontii successionem ad ipsos ipsorumve hæredes mares venturam, non ad Victoris filias quæ in Pedemontêm aliquid juris videntur obtendere. Rogo aliquis quæratur Amstelodami qui Indices Anthologiæ faciat, dirigente & adjutante D. Vossio ad eam formam de qua scripsisse memini. Rogo salutes obsequiosè & officiosè matrem, tuam conjugem ac liberos & amicos. Lutetiæ 6 Septembris 1642.

Halerius à La Mottæ obsidio depulsus est per Ducem Carolum & Waertium.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VOtum nostrum pro pace Ecclesiastica jam sub prælo 617
est. Spanhemius qui hic est Lugduni Professor futurus, corrupto literarum collectore duas paginas acceperat. Sed res innotuit & repetitæ sunt. Finem intra decem dies speramus. Nostra ad jus malè dixi in Octavo edi. Eduntur enim in quarto: & pervenimus ad secundum G. nec longè absumus à fine Pandectarum. Ad Codicem & Novellas pauca sunt. Annotata ad Vetus Testamentum ad tertium H pervenere. Habemus finem Iobi. Sed quiescit ea editio dum Votum pacis absolvitur. Beaufortius ex Gallia evasit. Thuani amici rursum in mœrore sunt. Dicuntur eum suo testimonio læsisse Frater Regis & Dux Bulionius. Auditi sunt & Thuanus & Cinqmartius. Exspectaturque brevi judicium triste, nisi clementia Regis intervenerit. Cardinalis Lugduni est: sed iturus putatur ad aquas Borbonias valetudinis causa. Legi Anglica quæ misisti & audio jam imbutam Angliam civili sanguine: & Parlamentarios velle mittere ad Batavos conquestum quod inde pecuniæ & arma Regi suppeditantur. Quæ pœna in illos statuitur qui Legati Portugallici sanctimoniam læsere, gaudebo per te cognoscere. A Rhotomago nihil dum accepi. Saluta quæso obsequiosissimè matrem, uxorem, liberos, amicos. Lutetiæ 21 Septembris 1642.

Rex Persidis mortuus filium hæredem reliquit duodecennem. Turcica classis ad ostia Danubii malè tractata fuit à tempestatibus. Ragotskii filio successio Principatus Transilvanici in Aula Turcica firmata est.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VXorem & filiam etiamnum exspecto. Puto hic futuras intra triduum. Et bene erit si rusticatio filiæ 618
profuerit. De Sorberio non puto rem bene successuram. Consulendus erit Vossius an quem norit Amstelodami. Alioqui huc remittendum exemplar. Multi enim hic se ad Indices faciendos offerunt. Cinqmarcius & bonus noster Thuanus mensis hujus die duodecimo sub vesperam vitam finivere, cervicibus præcisis: Thuanus magno constantiæ testimonio & multum testatus nihil se injussu Regis fecisse, quod & verum creditur. Inanem nobis spem fecerant benigni de eo Regis sermones. Dux Bulionius damnatus à Iudicibus: at sententia non pronuntiata. Ducitur huc: & vulgatur rumor, ni Sedanum Regi concedat, fore ut supplicio afficiatur. Varii hac de re sermones, sicut facilè conjicere potes. D. Episcopii scriptum puto habebit aliquid veri. Sed videor mihi discere ex Hebr. VI. 1. 2. 3. alia esse ita necessaria, ut sine eis nemo Christianus esse possit: alia quæ scire debeant provectiores & ii maximè qui docere populum volunt. Pœnæ post hanc vitam non sunt in Symbolo neque eas credunt Sociniani, fortè nec Remonstrantium quidam. At nonne putas magni momenti esse dogma. Tum verò de præceptorum Christi sensu controversiæ sunt. At ea rectè intelligi multum refert. Quàm multa jam sunt de Sacramentis, de Ecclesiarum regimine, in quibus, vel concordiæ causa, certi aliquid observari debet. Alioqui

qui compages Ecclesiæ, tantopere nobis commendata, retineri non potest. Et videor mihi videre, siquid eveniat D. Utenbogardo, cui longam vitam det Deus, ne exiguum quidem illud Remonstrantium, quos amo, corpus diu cohæsurum. Regis Britanniæ res malo loco esse video. Sed spero ei eventurum quod olim Davidi & Ludovico Pio Francorum Regi, ut post adversa fortiter tolerata in solii sui possessionem restituatur. Video vim illam admissam in Legatum Portugalliæ satis leniter repressam. Sed & culpa erat apud ejus domesticos. Romæ melior fuit Legati gentis ejusdem fortuna: ubi cùm ante fores Legati Gallici rixa inter Castellanos & Portugallos à Gallis adjutos intervenisset, cædes aliquod hominum facta est: & Castellanus Legatus Neapolim repressus. Chartas meas quod attinet privatas, gaudeo rem vobis esse cordi. Mallem autem nec præfationem additam, nec posita in fronte Galliæ insignia: sed nudum titulum, *Stucken raeckende de Heer Hugo de Groot*, quomodo scripseram. Si id corrigi nequit, pergatur ut potest. Perpinianum certò in manu Gallorum est: Rex gratias heri Deo egit in sede Cathedrali. Matrem mei memorem esse gaudeo. Rogo eam saluta & omnia mea ei offer. Saluta & tuam conjugem & liberos.

Sedanum accipiet à Rege præsidium & sic Dux Bulionius liberabitur. Dux Parmensis à Venetis & pecunia & milite adjutus in terras Papales ingressus est. Ni Papa remittat de rigore, omnes contra eum Italiæ Principes fedus facient. A Rhotomago nihil dum librorum accepi. Illud de insignibus Gallicis multis de causis mihi displicet. Omnino mutandum erit vel cum damno. Nam si qua insignia ponenda essent, potiùs essent Suedica. Ego verò hac in re nec Suedis nec Galliæ servio, sed Christo: ita tamen, ut nec Suediam nec Galliam lædam.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

619 NOn oblitus fui ullo die tabellariorum ad te scribere. Itaque spero jam literas meas receperis. Chartas de meo jure in Rotterodamenses gaudeo prodiisse. De insignibus Galliæ & de præfatione aliter statuissem, si propior fuissem aut priùs scissem. Nunc cùm facta sint illa publici juris, nihil amplius quod dicam habeo, nisi optare me ut in rebus meis districtè valeant mea jussa. Portugallicum Legatum gaudeo expertum proniora plebis studia. Tantum interest inter commota & tranquilla tempora. Vidi literas editas Papæ ad Regem hunc, tunc Principem Walliæ, & Regis ad Papam. Pridem in Gallia intellexi rem esse veram, neque literæ Regis modum in reverentia erga Papam excedunt. Titulus Sanctitatis omnibus Episcopis solebat dari. Miror Ordines Hollandiæ, quorum alioqui jura defendere soleo, in re federis abire à Conventu Federatorum, & exemplum dare Regibus quàm nihil certi habeant inita cum talibus federa, quorum vis sæpe pendet à tribunitiis ventis. De rebus Gotthicis ea habeo quæ non facilè reperiat cum omnibus suis Graswinckelius. Ego σπεύδω μὲν, ἀλλὰ βραδίως multas ob causas. Perpiniano capto Rosas obsidere voluere Galli. Sed intervenit frater Ethrusci Ducis, qui classem Hispanicam ad illas oras auxit xxv navibus. In Italia videtur fore ut Trinum aut Chivasium obsideatur. Mediolani bona omnia Sabaudorum & Pedemontanorum, tanquam hostilia, confiscata sunt. Wadessenni arx in Suevis ab hostibus recepta est. Gransejus equites quosdam hostiles cecidit. Nihil agunt Harcurtius & Melos. Gratianopoli novus erectus est Consessus Iudicum qui cognoscat de iis qui Cinqmartio favisse putantur. De Sedano quid futurum sit, incertum est. Profecti eò Mazarinus, Butellerius, Comes Russius Ducis affinis, & Stradius laboraturi, ut Ducis voluntas valeat. Sed dicitur Briquemausius excusare se eò quod captivo Principi pareri non debeat: eò fortè hac in re animosior quod Præfectura illa jam à Rege data sit alteri, Fabrio nomine. Cinqmarcii & Thuani tempore opus est, ut hæc vulnera ex animo recidant. Officia mea defer optimæ matri & conjugi tuæ, saluta & liberos & amicos. Lutetiæ 27 Sept. 1642.

Libros à Rotomago accepi chartarum pro me editarum. Exempla danda erunt omnibus Decurionibus & Scabinis Rotterodami. Cogitemus an ex usu nostro sit actionem contra civitatem instituere apud Scabinos. Nam & citiùs res judicabitur: & parum decorum erit Decurionibus popularium suorum judicata contemnere.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

EST ita ut dicis. Exitum Thuani nosse triste est nobis. 620
Et tamen melius id quàm ignorare ea quæ ad famam ejus purgandam pertinent. τὸ γὰρ γέρας ἐςὶ θανόντων. Voverat cùm Iarcassonæ libertatem speraret sacellum. Id solvit morti jam addictus, jussa poni hac inscriptione. *Votum in carcere pro libertate susceptum Franciscus Augustus Thuanus corporis carcere liberandus meritò solvit, Christo liberatori.* Nos etiam nostra cogitata ad eum finem dirigamus: serviamus Deo: prosimus quàm plurimis. Huc mei labores tendunt. In libello quem misisti, miror tot tam impudentes calumnias. Hambroum hac suspicione libero. Sed est alius Lutheranus Pastor vitæ non laudabilis, cui ego in meis ædibus sacra administrare non permisi. Is aliqua puto per iram effutiit & aliis materiam mentiendi præbuit. Sed dubitari non debet quin in Hollandia multa sint addita, ut de Foppio Aisema, de Laurentiade. Silendum ad talia tecum sentio. Spiringius illos de quibus scribis rumores spargit, ut Hollandis blandiatur, & sub ea spe pecunias ab ipsis exterebret, deinde ut me isto metu territet. In hac spe multum fallitur. Ego enim ad eam perveni ætatem, in qua multi viri sapientes ultro se ab honoribus abdicavere. Quietem facilè possum pati & quod restat ætatis Deo ac posteris impendere & alicubi vivere, ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam. Et nisi spes me retineret aliquid hic promovendi ad communem pacem, jam per me cogitare cœperam de deponendo honestè hoc onere. Vivere possum de eo quod in hanc Legationem de meo impendo. De nuptiis de quibus scribis multa me jubent bene sperare. Deum rogo ut hæc & alia ad bonum dirigat Orbis Christiani. Quid Hogerbetiani facturi sint gaudebo cognoscere. In re nostra mihi in præsens non malum videatur, si quis vir gravis Rotterodamenses moneat, ut ipsi in animis suis de hac causa judicent. Restitutum hic decretum, ut Cardinales prælationem habeant supra Principes Regii sanguinis. In Bastilia captivi acrius custodiuntur quàm antehac. Lactatur plebs spe abolendæ vicesimæ. Rumor est etiam velle Cardinalem, qui nunc Ruellæ est, ubi eum videre Rex & Regina, convocare Provinciarum Proceres ut eis rationem gestarum rerum reddat. Duces exercituum hic exspectantur: exceptis Guebriano qui C. M. Florenorum accepit à Rege & Motta Odincurtio cui Rex Ducatum Oxonensem in Hispania dedit. Longavillanus etiam huc venit & dicitur Verrucam cepisse. Papa videns Parmensem vi Gallica sustentari Lamegæ Episcopum pronuntiavit irregularem, utpote causam certaminis in quo fusus est sanguis. Episcopus parum hac re delectatus Roma abiit. Vale frater dulcissime cum matre, liberis, amicis. Lutetiæ 2 Octobris 1642.

Nolo, si mihi reddar, cuiquam me stipendio auctorare. Liber esse cupio.

Tui amantissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

621 GAudeo omnes quas scripserim literas ad te pervenisse. Miror illæ quas desiderabas ubi delituerint. Cinqmarcius damnatus ob fœdus arcanum cum Hispanis factum mense Martio. Thuanus ideo quod id scisset, quanquam improbaverat. Non aperuerat autem Regi quia & mutata erant concilia: & si aperuisset, cùm documenta non haberet, potuerat ut calumniator & turbator amicitiæ inter Regem & Fratrem ejus torqueri & puniri. Votum pro pace Ecclesiastica jam acceperis. Pagina 6. pro *huc stetit* corrigendum *hac stetit*. Nostra ad jus intra mensem, puto, prodibunt. Spiringio iter ex optato processisse gaudeo. In re Portugallici Legati video Senatores vestros mediam sequi viam, neque eos velle omnia ad vivum resecare. Et videntur ejus consilii causas habere non improbabiles. In Anglico negotio culpare Ordines Fœderatos non possum, quod stant fœderi cum Rege facto. Et in talibus negotiis nostro tempore illis controversiam non movissemus. Sed semel veteri jure turbato, necesse est omnia incerta reddi. Reginam Angliæ non puto tam citò quàm præ se fert discessuram: & si discedit, venturam huc potiùs quàm ituram in Angliam. Fateor me obligatum ei qui Laurentiadæ respondet. Animum in me testatus est benevolum. Et fortè is ipse est cujus filium hic venturum dicis: sed puto fuisse & alios adjutores viros Hollandiæ non malè volentes. Doubletio quoque nonnihil debeo. Sed ut dixi omnibus Decurionibus & Scabinis dandum exemplum: deinde cogitandum an coram Scabinis instituenda sit actio. Vbi rescieris ex D. Vossio an quem norit idoneum ad Indices faciendos, fac sciam. Si nemo est, ad me redeant illa. Inveniam hic & qui edant & qui Indices faciant. Qui posthac mihi aut filios aut amicos commendabunt, ita eos instituere debent, ut me salutent sicut par est. Ego enim de jure publico hac in re nihil possum remittere, eoque minùs quia video inimicos mihi insidiari. Saluta quæso matrem, & tuam & tuos & amicos. 3 Octobris 1642.

Misi ad Blavium duo exemplaria chartæ melioris Voti nostri, quæ ad te mitto danda amicis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

622 VIdemus planè propositum fuisse potentibus perdere Thuanum. Nihil ei objici potuit, nisi quod federis cum Hispano initi notitiam habuerit: idque in ipsum ut diceret Cinqmarcius adductus fuit arcano Cancellarii colloquio, tormenta ei minantis, ni agnosceret, & si agnosceret spem dans vitæ, sed inanem. Intellexerat autem hoc Thuanus aliquo post tempore, cùm jam mutata essent consilia. Ipse vehementer id improbavit. Quod si ad Regem pertulisset indicium, nulla habens documenta periclitaturus fuerat haberi pro falso delatore. Statim atque hoc Cinqmarcius dixit, & ipse coram eo fassus est, ivere judices ad sententiam: quæ eodem die scripta, pronuntiata & exsecutioni mandata est. Magnus ubique est mœror ex hac morte. Nostras chartas de negotio cum Rotterodamensibus legi gaudeo, item illa non malè scripta contra Laurentiaden. Scripturas interpretandi libertas quæ nunquam tanta fuit quanta hoc sæculo, repagulis quibusdam coercenda est. Ea autem repagula, sunt consensus sæculorum & gentium in aliquo dogmate. Omnia loca Scripturæ quæ agunt de pœnis post hanc vitam egregiè putant à se solvi tum Sociniani tum Camphusiani. Ego verò quò magis Scripturas lego eò magis video rectum eorum sensum congruere cum Traditione, maximè in negotio Iustificationis, in quo Protestantes sine causa triumphant. Vt antehac scripsi plura sunt quæ docti & doctores scire & docere debent quàm sine quorum cognitione nemo de plebe servari possit. Et habent illa suas quoque utilitates. Regimen verò Ecclesiæ quale esse debeat maximè ex traditione constat. Si indocti converti non possunt nisi amotis illis quæ cum legibus illorum positivis pugnant, nunquam convertentur. Legem autem nullas in sacro usu habendi imagines non esse naturalem Cherubinorum exempla docemur. In quæstione πίσιος video Catholicos multò tractabiliores esse Calvinistis. Et facilè Iudæo puto id persuaderi posse quod illi exigunt. De Groenlandia siquid cognoscas, discam lubens. De D. Spiringio doleo. Opto illi valetudinem meliorem. In voto pacis præter erratum de quo scripsi, est & aliud quod in omnibus exemplaribus corrigi pervelim. Pagina 42 positum est comma inter *Gersonem* & *Bucerum* cum ego neque Gersonem accusem doctorem Parisiensem, neque M. Bucerum qui Episcoporum ordinem probavit, sed Gersonem Bucerum hominem nuperum, Bernæ Ministrum. Sunt alia minora quæ non opus est corrigi, nisi nova fiat editio: ut 102 *qualis* pro *quales* 106 *longe* pro *lege*, p. 111 *aliter* pro *alite*. Sors Thuani eò deplorabilior, quod septem è Iudicibus eum ad exilium tantùm damnavere. Allegavit ex paterna historia exemplum ejus qui de Duce Guisio quædam Henrico III detulerat, & cùm probare non posset tractus fuit equis. Dicitur Cardinalis Riceliacus fore Legatus à latere. Saluta quæso matrem, uxorem tuam, liberos & amicos. Lutetiæ 10 Octobris 1642.

Omnino opus erit chartarum editarum XXX exempla mitti Rotterodamum quo tempore coibit ordo, ut per janitorem tradantur.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE tuo judicio super voto meo mihi gratulor. Gaudebo & aliorum judicia cognoscere. Principis A- 623
rausionensis epistolam publicare coactus sum, tum Galliæ, tum Suediæ, addo & Germaniæ & Angliæ, maximè verò posteritatis respectu. Nec debet ille ægrè ferre si virum honestum pro tali habuit. Iniqua neque ille à me exegit, neque ego præstitissem. Et Pater Principis idem fecit in multis literis ad se scriptis etiam Regis Hispanici. Vide L. si epistolam D. de acq. rer. dominio. De Anthologia velim ubi redierit D. Vossius aliquid, de ipsius consilio, constituas. Et si nihil ibi fieri potest, librum huc remittas cum annexis. Sedanum accepit à Rege præsidium, & multi majores mutationes præsagiunt. Chartæ editæ ad Rotterodamenses mitti possunt sine mittentis nomine. Nam ego non video cui Rotterodamensium id mandare debeam. De arresto pridem cogitavi nec jus deest. Sed ob rationes Politicas incertus est successus. De Scabinis ideo proposueram, quod putarem eos non iniquos: & Rotterodamenses Senatores eorum staturos judicio. Cogitemus. Lucanum & poëmata puto tibi non excidisse. Cordesii bibliotheca nunc per catalogum publicatur. Rogatus à propinquis hoc epigramma scripsi:

Plura quis aggereret librorum millia, Reges
Certatum Pharios inter & Attalidas.
Cordesius tenui censu, qualemque parare
Posset homo sanctæ simplicitatis amans,
Exsuperans Reges animo studioque merendi,
Grande bonum populis omnibus, unus erat.
Quod si non numerum spectes, sed pondera rerum,
Plus hac quàm Regum bibliotheca tenet.

Si hoc tanti facis ut addere velis Poëmatiis nostris, id tibi, mi Frater, liberum relinquo. Ego enim sentio me ætate declivi debere alia potiùs cogitare, magis profutura sæculis. Et solet cum ætate vena illa Pegasea exarescere. Quare talia tui amicorumque judicii facio. Obsequia quæso

quæso omnia defer optimæ matri, & siquid à nobis desiderat, fac norim. Saluta & uxorem & liberos & amicos, & vale quàm suavissimè. Lutetiæ 17 Octobris 1642.

Miror D. Reigersbergium de non vulgandis literis edicta nobis Basilica dictare, qui ipse meas literas tradiderit Riveto, me nesciente, &, si scissem improbaturo. In illis autem quas ego edidi, nihil est non ipsi honorificum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

624 DE Thuano acceperis jam τὰ καθ' ἕκαστα. Res tristis & propinquis & amicis. Fama tamen ei apud omnes constat: carminaque in ejus honorem scribuntur ὅπερ γέρας ἐστὶ θανόντων. Gratias debeo & Westerbanio, si is Latini epigrammatis auctor est & ei qui Belgicum libellum Laurentiadæ opposuit. Ejus libelli velim exemplum ad me rursum mitti: nam quod habui uxor legere cœperat & partem ejus perdidit; dignus autem est qui servetur. De Anthologia & Indicibus & de Lucano & poëmatis spero semper hæsuram tibi memoriam. Placet mihi Hollandorum & Zelandorum cogitatio de renovando nexu vetere. Et rectè fecerint si simul limites figant Federatorum Conventui. Senator Reigersbergius immeritò mihi irascitur: neque enim pudendum ei est, internuntium eum fuisse inter Principem & me, nec quisquam eum coget dicere quæ eæ res fuerint. De Riveto quod dicit in eo manifestus est rixam quærere. Ego quæ dixi facilè tuebor. Post multum temporis pervenere ad me libri duo Belgicè editi Antverpiæ, Merii alter, alter Iansenii: quod velim norit Vergoesius. Pervenit etiam ad me liber de Regno Christi conveniens quæ quondam Deliæus ad me scripserat. De eo argumento quid sentiat D. Vtenbogardus scire cupiam, cujus judicium semper feci maximi. Aliud nihil est: nisi quod Castellum in Cameracesio oppidum, imò solum tantùm, diruto à Gallis oppido, cepit Melos, longiùs iturus, nisi eum cogitationes de Sedano distinuissent. Et Mota Odincurtius Hispanos rejecit à Lerida cujus obsidionem petebant. Periisse dicuntur CIↃ IↃ, capti multi. Cardinalis Riceliacus in hac urbe est. Saluta quæso obsequiosè pro me matrem, uxorem tuam, liberos, amicos. Lutetiæ 24 Oct. 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

625 EPigramma de Bibliotheca Cordesiana, si vis, addi cæteris poterit. Cæterùm expugnanda erit Blauwii lentitudo, tum in his edendis, tum in Lucano: quæ propellenda sunt ut succedat Anthologia. Gothica nostra quominùs edantur facit, quod ex Italia per Vossii filium quædam exspecto. Quod si pax fiat, etiam ex Hispania editionem meàm ornatura. Prolationem Regni Suedici ego non verbis tantùm, sed & actibus defendi. Verùm ipse in ea non satis defensus fui. Votum meum non soli Riveto opposui, sed & aliis irreconciliabilibus, inter quos sunt Laurentiades, Maresius, & scriptor primùm epigrammatis, deinde pejoris epistolæ Gallicæ: à quibus cùm ex occasione eorum quæ in Batavis acta sunt, læsa esset fama mea, & multas possem multorum epistolas in me honorificas proferre, duabus contentus fui, quarum altera multum apud Batavos, altera apud Gallos valere debet. Tales autem epistolas, in quibus nemo læditur, edere semper licuit. Gaudeo quod curas, ut si recuditur Votum emendentur quæ oportet, qualia quædam subter hanc epistolam annoto. De Hogerbetii negotio quicquid fiet, rogo me edoceas. Dicuntur in Anglia res Regis in melius procedere: & per omnes Provincias nasci partes. Deus det ibi & alibi pacem: cujus curæ, te, matrem, uxorem, liberos: me verò meosque labores vestrum omnium precibus commendo. Vbi Rivetus rursum aliquid contra me ediderit, rogo id quamprimùm habeam cum consilio vestro, respondendumne sit, an non & quomodo. Mitto Rotomagum & inde ad te exempla quinque ἀνθοβολίας nostræ ad jus Iustinianeum: rogo eam compingi pro me cures: sumasque unum tibi, alia des Vossio, Strideno, Graswinckelio & Constantino Empereur. 8 Novembris 1642.

6 *hac* pro huc
42 Gersonem Bucerum omissa interpunctione
102 qualis pro quales
106 longe pro lege
108 longe pro longo
111 aliter pro alite
158 δυκουντ'

A Principe Arausionensi nihil desidero. Liceat mihi per eum quietè & honestè vivere. Velim ad me mitti duo exempla Grotii Papistæ. Erunt alicubi usui.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdi libellum Germani qui hic infamis est, ut mihi 626
Hambræus dixit, non tantùm ob ebriositatem & calumnias, verùm etiam ob mantelli furtum. Hambræus ei egenti de suo pecuniam dedit, & aliis auctor fuit ut darent. Vides quam illi referat gratiam. Haud dubium est quin ab aliquibus emptus sit ad reperienda & edenda tot mendacia. Filius meus nunquam illum audivit docentem. Nunquam apud Ransovium pransus est. Nihil scit de versione Lutheri. Inde metire cætera. Quid proponant sibi qui hunc hominem in me incitarunt & ex ipsius scripto & ex epistola Riveti patet. Ego ejus sum ætatis, ut privatam vitam optare magis quàm reformidare debeam. Neque tamen puto talibus telis mihi quicquam noceri posse. Gallus ille qui meum & Mileterii laborem tam candidè probat, velim scire quis & qualis sit, ut videam an, quid, & quomodo respondere ei debeam. Epistolam ejus quanquam probo, ego non eadem, tum ne pecunias corrogare videar, tum quod isti obtrectatores meliùs quàm silentio nostro puniri non possunt. Nostras editiones, id est Lucani, Poëmatiorum, Anthologiæ summopere tibi commendo. In id enim propero, ut omnia unde aliquid redundare ad posteros potest utilitatis, faciam publici juris. Valde aveo scire quid acturi sint cum Zelandis Hollandi. Quod D. Vtenbogardo non respondi, id non eo evenit quod non summè venerer virum valde pium & eruditum & de me optimè semper meritum. Sed in isto negotio metui ne epistola mea per mortalitatis aut alios casus veniret in manus malorum interpretum. Quæ ipsa causa est cur & uxori tuæ non responderim: eademque cautione, in isto quidem negotio uti posthac constitui. At si quid facere possim gratum D. Vtenbogardo, faciam: & si qua materia se ad scribendum dederit, non negligam. De Cordesii catalogo ero memor. Commendo me nostris. 15 Novembris 1642.

Tibi obligatissimus H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

THuani causa melius cognoscetur & dijudicabitur, ubi 627
hæc δυναστεία transierit. Accepi & alterum quod misisti exemplum scripti adversùs Laurentiaden, & versionem Belgicam libelli τοῦ λυπηγύτου, ut eum Hambræus appellat. Non parum Deo debeo quod qui me lædere volunt, ita mentiuntur impudenter, ut à quovis non pariter insaniente deprehendi possint. Miror quid illis hominibus sit animi, qui Regis nomen Regi Carolo facere volunt controversum. Regem quoque Galliæ non obscurè irrident. Si Tribuni Germani libertatem sacrorum à Rege habent, quin utantur domi suæ. Ego eos non impediam

pediam. Domi meæ nec illi imperant, nec Rex ipſe. Quod ſi domi meæ paterer aliquem ſic docere, ut iſte ſcribit, & infamia, & bonorum odia me premerent: neque abeſſem hic à periculo commotæ plebis. Scholarum præceptores alii Lutetiæ non ſunt quàm Catholici: & ad eos ipſi Reformaturientium Miniſtri ſuos liberos mittunt. Apud Cardinalem verò Kniphuſius qui Hamburgi præſidio præeſt bonus Calviniſta filium ſuum collocaſſet, niſi adoleſcentis mors hic interveniſſet. Sunt & alii apud Cardinalem ejus Religionis, quibus eo nomine nullum fit negotium. De dando in Delphini miniſterium puero nihil unquam audivi. Filius verò meus de verſione Lutheri adeo locutus non eſt, ut eam nec noverit. Iſti verò ſcriptori ego quomodo nocere voluiſſem, qui de eo nunquam cogitaverim. Quid in Hogerbetiano fiat negotio libenter cognoſcam: exſpectaboque novos Borboritæ partus cum amicorum conſilio quid faciendum ſit. Noſtra editio Annotatorum ad Teſtamentum Vetus jam ultra dimidium procedit. Ego verò mea ad Novum Teſtamentum abſolvi, excepta Apocalypſi, ad quam an ſcripturus ſim neſcio. Ægrè inveniam qui ea quæ jam ſcripſi poſſunt legere & deſcribere. Et Hulſtius qui me lentè adjuvat, ob mortem fratris ivit Rupellam. Rogo me commendes matri & tuæ tuiſque ac noſtris. Lutetiæ 22 Novembris 1642.

Scire cupiam an proſtent & diſtrahantur libri de Voto Pacis. Nam librarius poſt editionem me non vidit. Et vereor ne pecuniam acceperit ad ſupprimenda exempla. Quod antehac aliis ſcio eveniſſe. Scripſit ad me tertium Vrelandius & conſilium cupit. Ego ſatis dixiſſe me arbitror tum in aliis ſcriptis tum in voto pro pace. Si quos ſpeciales ſcrupulos habet, iis meliùs medebuntur qui propiores ſunt. Quod ſi quis presbyter Catholicus eum baptizare velit, nihil ab eo exigens quod ejus conſcientiam lædat, ego, quominùs id fiat, non intercedam. Hæc per amicos ei ſignificari poſſunt. Ad ipſum non ſcribo ne literæ meæ in malos interpretes incidant. Interim ei id præſtabo, quod maximum eſt, id eſt Deum pro eo precabor. Pro memoria boni Thuani ſuppeditat mihi Labbæus amicus noſter locum Hieronymi Gigantis qui ſcripſit de Crimine Læſæ Majeſtatis, qui circa finem libri quæſtione prima variarum quas ad opus ſuum adjecit quæſtionum, Quæſtione 11. ait, Scientiam quæ probari non poteſt in Crimine læſæ Majeſtatis non eſſe punibilem. Oſtendit idem mihi Chaſtelli qui Regem Henricum IV. occidere voluit patrem, qui hoc peſſimum conſilium, ut Regis caput tangens, ſciverat & improbaverat, non ultra quàm exſilio punitum. Hæc quia ad noſtram artem pertinent te ſcire volui. Rex Diderico noſtro ſcripſit eique dedit munus ſanè honorificum *d'Aide du Camp*. Addam & hoc notatu dignum. Sententia in Thuanum bis poſt mortem ejus mutata & cum mutatione edita eſt.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

628 GAudeo recuſum Votum noſtrum. Spero fore ut mittantur multa exempla in Angliam & Germaniam, ut per me excitati alii & Theologi & Politici hac de re cogitent. Ieſuitas ego non ſtatui omnes defendere. Eos qui in Gallia nunc ſunt bonos cives eſſe Rex exiſtimat, multumque eorum utitur opera. Placet Hogerbetiorum libellus ſupplex. Reſpondebo D. Hogerbetio, non & aliis qui non ita ad me ſcripſere ut mos eſt ad Regum Legatos. Decorè agenda hæc mihi perſona eſt, dum mihi incumbit. Spero perventuram brevi ad vos Florum ad jus collectionem. Omnino Senatori dandum erit exemplum, ut mones. Itaque alius ex nominatis omitti debebit. De D. Mylio doleo, opto illi optima. De Anthologia exſpectare poteris D. Voſſii ex Friſia reditum: & ejus audire ſententiam. Si nulla ſpes eſt bene ibi conficiendorum Indicum, reſtat ut libri ad me redeant. De victoria Suedorum certi ſumus, τὰ καθ' ἕκαςα exſpectabimus. Rex Angliæ Oxoniæ bene exceptus, muneratusque eſt. Sed audio liberos ejus eſſe in poteſtate Parlamentariorum. Rex hic cuſtodes corporis ſui præcipuos dimiſit, quod eos ſibi Cardinalis ſuſpectos diceret. 27 Novembris 1642.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GErmano illi homini planè infami & ad omnia venali, 629
neque ego reſpondebo, nec ſiquis reſponderit alius, id ſum editurus. Optima de talibus ultio ex ſilentio eſt. Principis factum laudo. Gallo iſti quem ego non novi, ſed novit, ut ſcribis, Abrahamus Antonii gratias velim agi, quod & nobis & paci bene velit. Scriberem ad ipſum ſi notæ mihi eſſent ejus qualitates. Regi Britanniæ omnia opto proſpera, tum ipſius minimè mali Principis tum exempli ad Reges omnes pertinentis causâ. Pacem ibi non diſſuadeam, ſi res reduci poſſet ad veterem formulam. In . . . . reſpublica, ut arbitror, non multum fecit damni. Rex hic animo magis quàm corpore æger eſt. Cuditur decretum grave in Fratrem Regium & alios, modò vita ſuppetat Cardinali, qui nunc commaximè periclitatur. Hollandos cum Zelandis exiſtimo nihil egiſſe tale, unde ſtatus rerum melior ſperari poſſit. Cardinalis mundo gravis eſſe deſiit. Mazarinus conſilii Regis Princeps erit. Saluta quæſo matrem, uxorem, liberos, amicos. Lutetiæ 6 Decembris 1642.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

OPtimum mihi nuntium nuntias cùm dicis D. Vten- 630
bogardum, virum optimum & pietatis ac pacis amantiſſimum pro nobis precari. Dabo operam ne hoc ipſius auxilio indignus ſim. Pro Thuano incipient liberiores eſſe voces mortuo jam Cardinali Riceliaco: quanquam regnant adhuc ejus clientelæ. De Vrelandio quis, qualiſque ſit & quò tendat ejus conſultatio velim diligentius inquiras. Et quid Germanus calumniator Hagæ egerit, quibuſcum verſatus ſit. Rivetus huc ſcribit ſibi illam ſcribendi rationem non probari. Excitavit in me canem rabidum: & noxæ teneri non vult. Vtinam filiorum tuorum aliquis abſolviſſet quæ illis diſcenda ſunt, ut non magis illius opera mihi, quàm mea illi prodeſſe poſſet. Filius noſter minimus vitam elegit actuoſam. Quæ facilè ad honores ducit. Daniæ Regem Angliæ Regi auxilia mittere velle, ſemper credidi. Quod ſi nunc mare pateat, non dubito quin effecturus ſit quod diu exoptat. Et ſanè omnium Regum intereſt, ne Majeſtas Regia vileſcat. Hoofdii librum videre aveo, nihil ab ipſo non accuratum exſpecto. Matrem, uxorem tuam & liberos pro me ſalutes rogo. Decerpent pragmatici aliquid de hæreditate Ricceliaci Cardinalis: Teſtamentum vetuſtius ita factum eſt, ut nihil requiri poſſet. Poſterius Eſguillerio favens (habebit ex eo Ducatus Riceliacum & Fronſacum & reditus annus ad ıɔ c Francorum millia) à Cardinali ſignatum non fuit ob brachii invalentiam. Trevillius in Aulam rediit. Qui relegati erant cuſtodum corporis Centuriones juſſi munera ſua non abdicare. Pro Baſſompetra & Vitriaco laborant prope omnes Franciæ Mareſcalli. Rex non negat, ſed differt. Cogita de Anthologia, Lucano, Poëmatis. Doleo Blavium mea mutilare. Etiam antehac fecit nonnulla contra meam voluntatem. 13 Decembris 1642.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

631 EXspectabo Riveti librum & sententiam amicorum, inter eos & D. Vossii, si velit, quid mihi faciendum sit. Tum verò de poëmatis, Lucano, Anthologia non opus est sæpe scripta repetam. Iesuitam vapulentem non vidi. Si opus sit, videbo. Florum sparsio spero ad vos venerit. Velim ad me veniant Borboritica nova. Ego nunc ad Apocalypsim scribo, & multum me lucis allaturum spero. De rebus Anglicis rumores & hic veniunt. Post Cardinalis mortem, manent cætera ut hic erant. Sed Principes Sanguinis puto locum suum obtenturos supra Cardinales. Omnes illi custodes corporis, quos Rex, coactus sanè, non volens dimiserat, partim redire, partim jussi sunt retinere munera sua, nec ea in alios transcribere, quod ante eis imperatum fuerat. Lites ex testamento nascentur, & graves. D. Hogerbetio velim significes me ejus esse amantissimum & ei domuique totæ optare prosperrima omnia. Saluta nostros, & nostra, ut soles, cura. 20 Decembris 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

632 GErmanus iste ψευδοδότης apud æquos viros proderit nobis magis quàm oberit: ostendit enim qui mores nascantur ex his dissidiis quibus mederi volumus. Si quis ad Hambræum scribat, puto quod rei est responsurum. Per se enim satis tardus est. De Gallo rogo ibi inquiras, nemo hic eum novit. Regi Angliæ opto prosperiora, tum quia Rex est, tum quia bonus Rex. Mylio opto quæ optat. Sed Patris, ut audio, memoria non multum eum juvabit. Inter eos qui hic nunc in Regis consilio primas obtinent, non sunt inimicitiæ, sed simultates quædam. Mazarinus ingenio valet & commendat eum Cardinalitia dignitas. Sed externus cùm sit & nondum adulta potentia, neque amabitur multum, nec, quantum alter ille, timebitur. Edictum contra Fratrem Regis in Acta Parlamenti relatum est, at non publicatum. Datum hoc ipsius precibus per epistolam, & spes facta mitigandi Edicti, si fidem suam Regi approbet. Principes Sanguinis putantur præcessuri Cardinales in Aula Regis, non in Ecclesia. An Mazarinum videre debeam, mandata exspectabo. Non puto Cardinales pati posse ut Legati, etiam Regii, sibi æquentur. Ex iis quæ tu ad me scribis, de rebus Batavicis & aliis, video Nobilitatem addictam Principi. Consensum tantum civitatum miror, in re non nimis æqua. Princeps tamen, ut puto, cum tempore occasiones inveniat disturbandi istam consensionem. De maris possessione servanda laudo Hollandorum curam. Zelandos hac in re ejusdem sententiæ fore arbitror. Vrelandius mihi per literas molestus esse non desinit. Si quid de eo habes, quæso me doceas: deinde commendes me matris precibus, tuæque uxori ac liberis. 27 Decembris 1642.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

633 HAbes, mi Frater, ea quæ subito intra paucas horas dum Riveti Apologeticum lego mihi in mentem venere, materiæ satis, si cui lubido & otium ista excolendi. Sed unde mihi talem? Romanenses qui apud vos sunt, modum eum quem Galli, non servant. Remonstrantium peritissimi repudiant traditiones, patres, ritus veteres, etiam non malos. Student parti suæ aut particulæ. D. Vossius est meticulosus. D. Barlæus ista studia pridem omisit. Reformati qui hic paci student insistunt præscriptis sibi lineis. Commune Christianitatis non respiciunt. Deus fortè aliquem reperiet. Ego enim stabo dictis, nec ultra cum Riveto, cujus indies crescit maledicentia, committi patiar. Aut ego multum fallor, aut brevi, brevi, inquam, adeo dispretæ pacis pœnitebit. Omnes enim leges pacis repudiant præter unam solam, ut ipsi omnibus leges dicant.

Quis hæc potest perferre, quis potest pati?

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Multum avebo scire ecquid boni paritura sit illa Hollandos inter & Zelandos consiliorum sociatio. Aut ego illorum ingenia & mores non novi, aut non diu durabit ista conjunctio. Invenient & ὁ προστάτης & Amphictijones quo ista dissipent. Quæ cives Middelburgenses volunt, fortè non mala sunt, sed agendi ratio periculosa est. Knutius satis meruit à Conventu excludi qui in Republica libera vi cuncta agenda putat. Iura negat sibi nata. Amstelodami cùm eris rogo salutes D. Hoofdium, Vossium, Barlæum, Blavium, & cures ne quid meorum intercidat. Si Iohanni Arnoldi esset otium, posset is fortè optimè Apologeticum Riveti refellere, consulto interdum & Vossio & Vossii liberis. Sed ego neque ex hac re commoda exspecto, nec cuiquam possum polliceri. Malignè agit Rivetus qui credi vult quæ contra seditiosa dogmata scripsi, hoc animo scripta ut fratres ejus in Gallia in odium Regis adducerem. Nihil malo quàm ut omnes & factis & verbis ostendant se alienos à talibus. Si quid mali illis putarem imminere, ego, si possem, id averterem. Deus hunc annum matri, tibi, uxori, liberis & amicis nostris bene prosperet. 3 Ianuarii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

FElix eat hic annus nobis nostrisque. Spero jam te 634
Amstelodami locutum cum D. Vossio Blavioque de rebus nostris. Barlæi carmen probo: cogitata ejus ad me pertinentia non improbo. Stat tamen mihi sententia non resumere calamum ad versus Rivetum, nisi fortè edendum putas hoc exiguum quod mitto. Interim si quis alius ei respondere velit misi ad te Silvam satis uberem. Fuit apud me Holsatus nobilis nomine Lutsavius. Ei dedi duo exempla Florum sparsionis chartæ non optimæ, sed qualia nancisci potui. Horum alterum rogo des Constantino Imperatori, alterum cui voles. Maraisianum opus ubi videro, quid faciendum sit cogitabo. Scribo nunc in Apocalypsin. Hic bellum paratur in annum sequentem. Rex sæpe adest consilio Sanctiori, id est Cardinali Mazarino, Chavigniaco, Noyerio, quibus se quoque adjungunt Cancellarius & Ærarii Præfectus. An inter tot homines concordia mansura sit, multi dubitant. Miror Ministris Ecclesiarum apud vos tantum dari licentiæ. Est id plenum periculi. Verum est quod tibi indicavi de Manuscripto Savanarolæ multo ampliore editis, unde verba illa descripseram jam olim. Sed non dixi id, quia videbam mihi non iri creditum, quia liber is hic non est. Dedit mihi eum utendum olim Cordesius. Senator in meis rebus miscet ea qua ad me non pertinent. Itaque circa scripta mea rogo me solum audias. Illi verò ne ostendas quas ad te misi schedas. Propositum ejus cum meo non convenit. Salmasius Cardinali promiserat se hic mansurum, nunc an in eo consilio perstiturus sit, cùm alii rerum potiantur, dubito. Aula hic multum nutat. Frater Regis, cras apud Regem erit: dixitque Rex se ab eo incipere velle exempla bonitatis suæ. Chavigniacus hoc beneficio eum devinxit, & laborat pro aliis, ut habeat quorum ope nitatur. Papa inducias habet cum Parmensi ejusque fœderatis. Bene vale cum matre, uxore, liberis, amicis. Optimum virum amicissimumque nobis D. Vtenbogardum rogo quàm officiosissimè meo nomine salutes. 9 Ianuarii 1643.

Nihil respondebo amplius D. Riveto. Perinde enim agit, ac si quis litem habens dicat. Volo judicari ex legibus

gibus scriptis: non ex consuetudinibus: leges autem scriptas explicari, ut ego eas intelligo. Certus enim sum à me eas intelligi: ab adversariis non intelligi. Dux Beaufortius Vendocini est. Domus Guisiæ insignia in domibus villisque reposita sunt. Multis in Galliæ locis ignes læti facti sunt ob Cardinalis Riceliaci mortem.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

635 Videbimus quid facturi sint Amstelodamenses in eo de quo scribis negotio. Normannus qua de causa in Batavos venerit scire cupiam. Montaltum ex scriptis & fama novi Iudæum gente ac mente, & Philosophum ac Mathematicum non vulgarem. Vrelandio, sæpe interpellatus, nihil dum scripsi. Sed ita puto non peccaturum si se baptizari faciat à presbytero Catholico nihil ab illo exigente, quod non ultro approbet. Viri maximi D. Vossii sententiam probo. Et jam acceperis à me ea quæ utilia esse possint: quibus addam frustra Rivetum ad distinctionem Regnorum limitatorum vel non limitatorum recurrere, cùm & Iunius Brutus & Buchananus apertissimè de omnibus agant Regnis: Hottomannus verò etiam speciatim de Galliæ Regno: Paræus etiam loquatur generaliter, & si ordinarii Magistratus cessent, privatis jus det. Videbis satis multa esse quæ D. Riveto opponi possint. Sed ubi reperiemus hominem ita ut nos animatum, & quæ sentiat dicere audentem, præsertim in Republica ubi odiosum adeo est nomen & Pontificis & Pontificiorum. Si quis tamen inveniatur, ex usu erit addi quæ apud Græcos contra Cyrillum decreta sunt. De Lucano gaudeo. Spero secutura poëmatia. Sed maximè mihi curæ est Anthologia, egregium per se opus; multis autem futurum utilius, si quales dixi Indices accedant. Quare quæso cum D. Vossio, cum amicis aliis quære aliquem, & allabora ut voti, si fieri potest, compos fiam. Delfensibus Consulibus civibusque omnia opto prosperrima. Angliæ res compositas velim, illæso Regis veteri jure. Et spero eò rem adduci posse per plebem Londinensem otii impatientem. Id eò opto magis quia motus isti repercussum apud Batavos faciunt. Hic omnia adhuc bene procedunt & bellum paratur strennuè. De induciis seorsim acturos Batavos non puto, cùm tempus instet, quo in commune de pace agi debeat, si tamen tuti itineris literæ ab Imperatore & Hispano rectè jam Hamburgum pervenerint, qua de re nuntium exspecto. Vale, mi Frater, cum matre optima, conjuge, liberis, cognatis, amicis, affinibus. Lutetiæ 17 Ianuarii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

636 Qvas adfers difficultates ad reperiendum aliquem qui Riveto velit aliquid reponere, prævideram. Fortè Iohnsonus in Anglia reperiet aliquem aut Deus aliter providebit. Libri chartæ optimæ Florum sparsionis pridem à me missi fuere Rhotomagum: sed audio nautas ventis adversantibus detineri. Duo chartæ vulgaris dedi Germano nobili Levetornario. Vidi scriptum Belgicum contra Regem & Reginam Angliæ, imò non obscurè etiam contra Principem Arausionensem. Puto in Zelandia factum ab aliquo qui multum hauserit de Puritanismo & qui ad suas sententias per vim tuendas nihil illicitum putet. Historiam Hoofdii legere cœpi, est opus egregium. Non placebit fortè aliis dictio antiquaria. Sed præcessit in tali scribendi genere eum Thucydides, & Sallustius de quo exstat carmen:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Iugurthina conditor historia.

& nullo minor Tacitus. Quid facturi sint Hollandi & Zelandi, videbimus. Quod dixi in libellis meis ex Bernhardi scriptis constare satis fuisse in Ecclesia Romana Doctrinæ ad salutem, idem firmare potui ex libello Gersonis aut Thomæ Campensis, de Imitatione Christi, qui hic Regis jussu recusus est. Quæ autem ex Antiquitate Reipublicæ Batavicæ objiciuntur, ea nolo tueri omnia. Excessi enim modum studio in eam rempublicam in qua versabar, & multa talia ætas in nobis decoquit. Neque tamen æquum est nocere ea Regi Angliæ qui successor est ejus qui Regnum illud non pactionibus, sed armis quæsivit: & qui nihil postulat nisi quod in moribus avitis est positum, secundum quos Rex omnia solus potest, jus habet belli, pacis, distribuendorum munerum civilium, Ecclesiasticorum, militarium. Tantum leges novas condere aut tributa imponere neque Rex solet sine Parlamento, neque Parlamentum sine Rege. Ita Iurisconsulti omnes qui ante hos motus scripsere. Mitto literas ad D. Vtenbogardum, ne me sui oblitum putet. Velim reddi mihi chartas quondam à Rotterodamo ablatas, possent mihi esse utiles, neque est quisquam qui jus in eas obtendere possit, bonis mihi per sententiam restitutis. Exiere è carcere, sed rusticatum missi sunt Bassompetra & Vitriacus Marescalli, Comes Cramulius. Multi sequentur ejusmodi. Scriptor epistolæ quam Rivetus postremo libello apposuit contra Mileterium, est Sorberius. Ostendit se non imperitum linguæ Latinæ. Noli tamen ei quicquam rerum nostrarum credere. Saluta quæso matrem, uxorem, liberos, amicos. Velim ubi commodum erit, mitti ad me Aratea nostra. Memini duo fuisse exemplaria quibus nonnulla adscripseram. 24 Ianuarii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PRo matre optima, multis adversis, postremùm & morbis agitata, quid aliud possumus quàm Deum precari det ei Christianum exitum: Qui si evenerit, restat ut memoriam ejus patrisque colamus ut pios liberos decet. Nos eos quo Deus dederit ordine sequemur. D. Vtenbogardo velim gratias agi pro officiis erga parentes nostros. Ego in pace & Imperiorum & Ecclesiæ promovenda pergam posthac tacito pede. Pauca illa quæ ad Rivetum scripseram, non responsum erant, sed causæ redditio cur responderi non deberet. Ita enim fine fine tale certamen. Cæterùm si non placet edi supprimatur. Video difficile fore ut aliquis reperiatur qui Riveto se opponat, idemque meum propositum persequatur, nec spem ullam video nisi improvisum aliquid Deus procuret. Locutus sum cum multis etiam Monachis, qui pervellent preces publicas ad Deum tantùm fieri, sermonis vulgo cogniti usum, communionem sub utraque specie, Cleri disciplinam. Iam quidam in suis Ecclesiis usum Pœnitentiæ publicæ contra delinquentes instituere. Plura fortè paulatim obtinebimus, modò ne nimium properemus desperare. De Hagæ Legato credo vera esse quæ mittis. Sed quia cum eo amicitiam semper coluimus satius est hoc quidem ab aliis quàm à nobis edi. Iudicium autem Episcoporum in Oriente edi meretur: sed exemplum oporteret huc mitti, non emendatius tantùm, sed & plenius; desunt enim voces quædam. Maximi autem ad auctoritatem usus foret addi ipsum illud Græcè. Exempla ἀνθολογίας nostræ vereor, ne in Dunquercanorum pervenerint manus. Scripsimus Rhotomagum ut sciamus quid sit. Gaudeo tibi laborem hunc videri non inamænum. Vtilem vix ausim dicere. Sunt enim flores tantùm, quod ipsum profiteor. Duo sequioris chartæ exemplaria portabit vobis Lutzavius. De literis ad te meis reseratis fieri potuit quod dicis, non Antverpiæ tantùm, sed & in Gallia & in Batavis, multi enim sunt rerum nostrarum curiosi. Qui sub Rege summæ rerum præsunt diligentes & cauti sunt: neque dum se aperit discordia, quanquam 637

latère creditur. Fuere hic missi ab Imperatore & à Bavaro. Dicunt se sine federatis nihil acturos probè. Rogo adscribas silvæ annotatorum contra Rivetum ea quæ posterioribus epistolis ad eandem rem pertinentia ad te scripsi. Veniet fortè tempus cùm illa erunt usui. Iohannes Seyffectus Vlmensis Suevus qui in me scripsit à Riveto aut ejus similibus in id conductus, idem edidit antehac librum Germanicum cui titulus, *Deutser Brutus*, plenum calumniis adversùs Suedos nostros. Liber haberi potest ab Hamburgo. Videtur bellum vere hoc anno futurum in Comitatu Burgundiæ: & Rex ipse ire Divionem. Fuit hic Monachus à Vienna missus ad tentandos eorum qui negotiis hic præsunt animos, super pace. Responsum ei fortiter nihil acturum Regem nisi cum sociis omnibus, neque penes se stare quominus incipiant Colloquia: sed penes Aulam Viennensem, quæ rata non haberit ea quæ cum mandato erant gesta. 31 Ianuarii 1643.

Treseliani libros melioris chartæ Florum Sparsionis dedere nautæ Petro Cornelii Boer, ut perferret ad Hulftii nostri matrem.

EIDEM.

Mi Frater,

638 QVod mater & communibus hujus vitæ & suis propriis malis liberata est, de eo omnium spirituum auctori atque custodi gratias meritò agimus: partamusque nos ad induenda luctus signa. Funus quia nos absumus tu & pro te & pro nobis curabis. Filii Petri nuptias quod distulimus ipsius maximè causa factum est. Quàm multi sunt qui amores suos diu trahunt, donec ea evenerint, unde spes sit sine incommodo domum tutandi? Οἶκον μὲν πρώτιστα ait Hesiodus, deinde γυναῖκα. Florum sparsionis exemplaria melioris chartæ per quem nautam ad Hulftii matrem missa sint, nuper ad te scripsi, & metuere me, ne ad Dunquercanos, non idoneos talium lectores, ista pervenerint. Ego qui Riveti impudentia dicta refutet invenire non possum. Deus inveniat. Frater Regius quietum se continet. Regis Ministri mutuam inter se fidem ac benevolentiam etiam Dominici Sacramenti participatione sanxere. Ad pacem Rex non nimium festinabit, ne quæ hactenus fortiter facta sunt, soli Cardinali tribuantur. Regi & Reginæ Angliæ omnia opto optima: præsertim fida & sine turbido affectu consilia. Editiones omnes meas tibi commendo. Id quod nuper soluta oratione ad te scripseram de Riveto, nunc his versibus comprehendi

Litem dixit habens, scriptis volo legibus illam
Finiri: morum jura valere nihil.
Et scriptas leges sumi volo sensibus illis
Quos egomet veros dico, cohorsque mea.
Quippe ego sum certus scripti mihi sensa patère;
Adversæ parti tale patère nihil.
Hæc est Riveti causam dicentis imago,
Hoc si lis pendet cardine, victor erit.

Quid Patres judicaverint de Pœnitentia ad vitæ exitum dilata, videri potest apud M. Antonium de Dominis Tomo II. pag. 334. Ait enim talibus non datam communionem apparere ex Canone ultimo Concilii primi Arelatensi: & epistola Cypriani ad Antonianum quæ est in editione Farnesii XXII. Iuxta Rivetum quisquis unquam in Christum credidit, certus est se vel in vitæ exitu pœnitentiâ tactum iri ac proinde salutis fore compotem. Quid igitur faciunt minæ adversùs labentes? Cui rei? Cui bono? Posito enim quod ponit Rivetus semper securi sunt. Nihil illis mali evenire potest etiamsi omnem vitam in facinoribus transigant. Non potest tale periculum satis vividè ostendi. Cognoveris jam ex Senatore Reigersbergio quomodo interrogata Naeldwicii huc in Galliam missa contra ipsum ceciderint. Hoc oblivisci non debetis pro testamento ὁλογράφῳ esse jus Galliæ commune, nempe à Valentiniano, quod jus Franci & alii barbari reliquere imperia sua acceptantibus. Iustiniani leges in Gallia receptæ non sunt, quod ejus tempore Galliam tenebant Gothi, Burgundiones, Franci. Hæc ipsa est causa cur in Hollandia præscriptio tricenaria sola valeat, & cur liceat testanti aut nuptias facienti eligere jus Germanicum id est proximitatis, aut Romanum id est repræsentationis. Marezii Prophetica exspecto. Rogo memineris laborare ut chartas mihi ereptas recipiam. Hogerbetiana res quo sit loco ac spe velim edoceri. Vxorem & liberos saluta quæso. 7 Februarii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

FVnus matris bene curatum gaudeo. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Pro Regina Angliæ Deum precor, ut ipsi Regique det felicia omnia. Liber noster est quidem non valde utilis ad res forenses: sed habet delectationis aliquid: & quanquam non nimis magni eum facio, puto rectiùs factum quod prodiit, quàm si periisset. Mirum est quàm multa quotidie contra Cardinalis memoriam scribantur. Rex negat se volente affectos morte Cinqmartium aut Thuanum; & spes aliqua futurum ut in hunc quæ lata est sententia, aliquando rescindatur. Vtenbogardum iterum meo nomine saluta, & pro officiis quæ parentibus nostris nobisque exhibuit gratias ei agas velim. Quod reperiri non potest qui Riveto se opponat, & nostra, multis odiosa, tueatur, non miror. Consulendus erit, ni fallor Iohnsonus. Illa in Cyrillum jam essent edita, nisi exemplar nobis missum fuisset non inemendatum tantùm, sed & alicubi mutilum. Deinde vellemus addi Acta ipsa Græca quo plus eis sit fidei. Consules bonos esse Amstelodami gaudeo. De Regio jure apud Anglos rectè judicas. Vel ejus rei causa respondendum erit Riveto, omnia jura perturbanti. Normannus iste dicit se Robertum le Comte, nemo hic quenquam novit eo nomine. Vereor ne ejus sit ingenii qualibus multum utebatur Cardinali, extra sensum Religionis & missus ad exploranda quæ Amstelodami aguntur ac dicuntur. Itaque dum de eo penitius & hic & ibi inquiritur, scriptioni adhuc supersedebo, salutasse eum contentus & à negotiis excusationem petens. Rectè facies si à Sorberio tibi caveris. Velim offerri Delegatis Ordinum Hollandiæ postulatum de chartis meis: & responsum saltem aliquod perscriptum obtineri. Perlegi jam Historias Hoofdii, opus bonæ fidei, judicii ac diligentiæ. Quæ sint de eo opere judicia in Aula & Curia scire desidero. Quod nuper de modo agendi Rivetiano ad te soluta oratione scripseram, id nunc versibus comprehendi, hoc modo:

Litem dixit habens, scriptis volo Legibus illam
Finiri, morum jura valere nihil.
Et scriptas Leges sumi volo sensibus illis,
Quos egomet veros dico, cohorsque mea.
Namque ego sum certus scripti mihi sensa patère,
Adversa parti tale patère nihil.
Hæc est Riveti causam dicentis imago,
Hoc si lis pendet cardine, victor erit.

Vale cum uxore, liberis & amicis. 14 Februarii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

REctè dicis debere nobis sanctam semper esse parentum nostrorum memoriam, non tantùm quia parentes fuere, sed & quia nobis voluerunt optimè. Ego id perpetuò ostendam quibus potero testimoniis, & nunc lugubræ vestes familiæ toti ut fiant curo. D. Vtenbogardo

do pro officiis in nos & in parentes nostros præstitis satis magnas gratias agere non possumus. Bene fecisti quod quæ posterioribus literis de Rivetiano opere ad te scripsi, ea cum ante missis conjunxisti. Nunc id ipsum, pessimè ab eo negari voces uxoris & mariti etiam ad tempus exactum referri cùm talis locutio Levit. XVIII sæpius occurrat, & Iosepho γαμετή dicitur exacti temporis respectu. Locum citavimus ad Matth. XIV. 4. Miratur quod dixerim gaudere me quod Iacobi epistolam ipse recipiat, quasi de eo nemo dubitet illius gregis. At apertè dubitat Coccejus. Molinæum dicit studuisse paci. At causa cur non è Gallia relegatus sit, sed ipse in Galliam venire non audeat hæc est, quod ad Regis manus pervenit ejus epistola scripta ad Regem Iacobum, in qua eum excitat ad opem ferendam Palatino electo in Bohemiæ Regem, addito, ni id faciat, quid de ipso sperare possint qui sunt in Gallia Reformati. Illud quoque observatu non indignum in libro Riveti contra Mileterium Rotomagi edito intra annum qui nunc exiit sub titulo, *Responses à trois lettres avec la défense du Sieur Rivet contre les calomnies & suppositions du Sieur Militiere p.* 103. hæc legi. *Il y a long-temps que j'ay appris que la paix avec le Pape & ceux de nostre profession, feroit une guerre contre Dieu. La paix avec l'Espagnol regarde directement les interests du siecle, & ne choqueroit pas la conscience si elle se faisoit sous raisonnables conditions, comme elle s'est autrefois faite en France.* Paces in Gallia factæ Regem Galliæ, ut Regem Reformatorum non minùs quàm aliorum agnoscunt. Si quis de tali pace in Batavis ageret, nonne pro perduelli haberetur. Cùm Borborgi convenissent Hispaniæ & Angliæ Legati de pace acturi, Ordines Federati neminem eò mittendum censuere, neque voluere se ei miscere negotio. At Ecclesiarum Ministri in Angliam misere, invitis Ordinibus, cum mandatis ut rogaretur Regina in pace facienda curam gerere Romanæ Religionis, id est, ut Reformatæ Religionis custodem faceret Regem Hispanum. Beza multis Batavis dixit, si Rex Hispaniæ Religioni Reformatæ libertatem relinqueret, nihil esse causæ cur non ejus imperium à Batavis agnosci debeat. Maresii tomos duos non est quod ad me mittas. Ego eos hic inveni ac mihi comparavi. Tecum sentio nulla ratione faciliùs ad concordiam rediri posse, quàm si tollantur per Episcopos ea quæ bonis moribus adversantur & quæ res sacras venales faciunt, & quæ superstitionis manifestæ sunt: deinde si vera Doctrina clarè omnibus proponatur. Pergunt Doctores in vertendis Sacris Literis in sermonem vulgarem. Græca illa contra Cyrillum & Latina pleniora velim quæras & ad nos mittas. Florum sparsio habebit fortè aliquid quod literatos delectet. Literas à Suedia accepi, ut cum Rege de bello ac pace colloquar. Reginæ Anglicanæ vicem doleo. Multum illa & terris jactatur & alto. Sed Deus ut spero ejus pietatem respiciet. Saluta quæso uxorem tuam, liberosque. Natalis tibi sæpe felix redeat. 22 Februarii 1643.

De Anthologia te & D. Vossium rogo, cogitetis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

641 FVnus matris nostræ bene curatum gaudeo proque eo labore gratias tibi ago. Quod Petrus se dat fori rebus, plurimum laudo. Poterit eo modo & peritiam rerum multarum consequi, & famam adipisci, cum tempore etiam rem facere aut ad majores gradus pervenire. Florum sparsio ut arbitror, non tantum utilitatis, quantum voluptatis adferet lectoribus. Laurentiades fecit quod voluit. Videntur & ille & alii omnem nobis tollere velle proficiendi libertatem, cùm retractationum libros scribere non fuerit dedecori Augustino. De Riveto reprimendo, puto consilium & opem exquirendam à D. Iohnsono & Vossio. Hujus etiam ad Anthologiam. Legi & Marezii tomos duos. Mira est hominis impudentia. Affirmat ea quæ Puteani & Mileterius certò norunt, esse falsa: ille de jurgio inter nos: hic verò de notitia scriptorum meorum super Antichristo, priusquam ederentur. Plurima à me scripta contra sensum meum interpretatur, plurima aspergit ubique falsa. Chronologica ejus omnia incertis nituntur suppositionibus. Enotavi utriusque generis plurima. Sed tamen censeo nihil illi respondendum. Longus esset & vix utilis labor. Addam quædam ubi revidero Appendicem & ostendam quæ maximè in me improbat ea esse apud Bezam. Præterea nostra in Danielem, in epistolas Pauli & Iohannis & Apocalypsin lucis, ut spero, ex ipsa rerum serie adferent quantum non factiosis sufficit. In Annotatis ad Vetus Testamentum ad Ieremiam processimus. Annotatorum ad Novum Test. descriptores quæro. Lex Valentiniani, de qua scripseram exstat post Codicem Theodosianum pagina 553 editioni quæ Lugduni in Galliis, facta anno 1566. Tota illa lex describenda & annectenda erit Iuris Monitorio. Hogerbetium rogo amici omnes & juvetis & impellatis quantum fieri potest. Scotorum multos sicut puto Parlamento favere ob paria vota libertatis & regiminis in Ecclesia, ita & alios esse arbitror qui Regem sint defensuri. Hic omnia parantur ad bellum hujus anni tum in Picardia tum in Burgundia gerendum. Mittuntur & pecuniæ ac supplementa in Hispaniam & Italiam. 28 Februarii 1643.

De Cyrillo memineris rogo. Maresius multos habuit adjutores. Quàm imperitus sit linguæ Græcæ, vel ex uno discas quod βορβορίτην Romanam dicit Tom. I. 21. Quæ de Innocentia Flaviani & Chrysostomi per Episcopos Romanos defensa negat, quæ de Thessalonica subdita Romanæ Sedi, habet omnia Blondellus libro de Primatu Papæ, quem Marezius sæpe laudat. Videri is potest p. 283. 365. 374. Multa in Erratis à me correcta mihi objicit, & alia emendatu facillima ut Iac. I. 20. pro 21. pag. Maraisii 522. Puto scripsisse me antehac auctorem Iunii Bruti esse Philippum Mornæum Plessiacum, editorem Ludovicum Villerium, Loiselerium. Repeto id quia ignotum esse scriptorem dicit Maresius, cùm plurimis ea res nota sit: & idem Plessiacus testamento generos & amicos suos hortatus sit, arma ut sumerent, si Edicta à Rege non servarentur. Video recudi Florum sparsionem Amstelodami. Rogo per amicos operam des errata ut corrigantur, & ne admittantur nova.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo non displicere tibi Epigramma de Pontifice. 642
De Episcopio doleo, est vir magni ingenii & probus, sed nimium cupidus alendæ partis. Deus ei sit propitius. Reginæ Angliæ omnia opto prosperrima. Certus sum eam mihi bene velle & gratias agere. Significavit D. Vicquefortio, D. Germanus qui apud eam Reginam multum potest, optari ut respondeatur Riveto. Ego de eo quod dixi nihil commutabo. Sed siquis Riveto responsurus est (quod ut fiat ex usu esse puto Regis Angliæ) debent eum hominem quærere non D. Vtenbogardus, sed Iohnsonus & Vossius. Et si qui alii bene Regi Angliæ volunt & pacem Ecclesiæ aut iis quas delineavi conditionibus aut aliis non multum inde abscedentibus desiderant. Si quid tutè ad me voles perscribere, mitte literas ad D. Heufdium: nec opus erit signare, quando manum tuam novi. Marezianos tomos duos jam habere me scripsi. Vbi exempla à te missa huc venerint, alii dabo. Nullum is homo à me responsum habebit directè, mea dicta confirmabo in Annotatis ad Prophetias Veteris & Novi Testamenti. De Roberto rogo quantum potes inquiras. Sunt enim mihi causæ aliquid suspicandi. Postulatum Ordinibus Hollandiæ, aut eorum Delegatis offerri omnino cupio & aliquid obtineri ad meum

meum postulatum perscripti responsi. Graves ejus desiderii causas habeo, quas tibi explicabo, si ad nos veneris, quod opto maximè. Interim rogo fiat quod peto. Hoofdius videtur mihi obiter gratiam Domus Nassaviæ sibi quærere, ut antehac scripsi. De ea re quid alii, qui ad rem propiores sunt, conjectent, scire cupiam. Historiam meam rogo serves diligenter: & siquid putas mutandum (sunt autem aliqua) mihi significes & nos ames. Rex non optimè valet. Deus ei reddat bonam valetudinem. Est enim bonus & per se pacis amans. D. Vtenbogardi pro pace Ecclesiæ cogitata velim nosse. Magni enim eum facio. Saluta uxorem & liberos. 7 Martii 1643.

In Anglia de pace agitur: sed optem antequam ea fiat res Regis esse validiores. Mitto ad te viri egregii Consiliarii Status Regii considerata super Synodo Nationali habita Charentoni anno 1623. Digna sunt quæ legantur, imò & quæ edantur. Mitto & Regis interdictum de Papa non vocando Antichristo, aut cultu Regis Idololatriæ nomine infamando: & de docendis populis abstinendum ab armis contra Regem. Digna & hæc quæ edantur. Iesuitæ se facilè vindicabunt de sociis Riveti & Maresii. Iam Sanctimarcius homo Religionis Reformatæ de Consilio Status in quo erat amotus est, quod Rex nolit arcana sua ad Ministros manare. Et alia coquuntur. Quod scripseram nuper Novellam Valentiniani, ut holographa testamenta, quamvis sine testibus valerent, ubique receptam & mansisse in iis locis quæ barbari insedere ante Iustinianum, id in Gallia verum esse res ipsa loquitur. Sed & de Italia testem habemus Papianum Iurisconsultum coævum Theodericho Regi Ostrogothorum. Is enim responsorum titulo XLV sic ait: Testamenta si holographa manu fiant probata manu, veritatis sine testibus integram capiunt veritatem. De Hispania idem nos dicit lex Wisigothorum libro II. tit. V. c. 16. & Isidorus Hispalensis. Originum libro V. tit. XXIV. Filius noster natu maximus pertæsus non tam belli pericula quàm impensas sine fructu, velit si cum honore aliquo & emolumento fieri possit ire in Orientalem Indiam. Cùm id nobis dixerit & sæpe & seriò, rogo inquiratis quod pro eo fieri possit. Prospicio res ibi felices Batavorum, quia ruptis in Brasilia per Portugallos induciis, credibile est Batavos potituros oppidis & Castellis quæ Portugalli à Castellanis non modò non adjuti, sed & graviter impetiti defendere vix poterunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

643 SPeraveram cogniturum me aliquid super Riveto, cujus ferociam seditiosam retundi non mea sed Regis Britanniæ interest: & quidem celerrimè, ob magna temporum horum momenta. Neque enim aut æquum aut in publicum utile est, contra Reges liberum esse stylum. Iura Regum silentio opprimi. Reginæ Anglicæ, post gravem sanè injuriam factam ei concitoribus Borboritis, satisfactum ex parte, gaudeo. Quid Rex Galliæ sibi debet polliceri à talibus federatis, si quando sub Religionis nomine iterum hic arma moveantur. Septem civitates quæ decreto postremo pro Regina facto contradixere, esse arbitror Harlemum, Lugdunum & ex Noordhollandia cæteras. Scire velim an rectè mea conjectura processerit. Regem quò minùs viderim valetudo ejus impediit, qui paullatim corrigitur, & ut planè sanescat, Deum precor, multa alioqui mala prospiciens. Accepi literas unde disco esse & in Dania & in Suedia quibus non displicent nostra cogitata pro Ecclesiæ pace. Idem mihi constat de Anglis & Germanis. Quare rogo tu amicique alii me fortiter adjutetis precibus apud Deum, apud homines humana ope. Præfectus hujus urbis non ab officio tantùm amotus, sed & relegatus est, ideo quod contra indictionem in domos liberiùs declamaverat. Brevi in aperto habebimus exercitus. Deus nobis det pacem. Salutamus omnes uxorem & liberos vestros & amicos, si qui sunt.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOn id futurum credidi, ut scriberent in hac causa contra Rivetum aut D. Iohnsonus aut D. Vossius. 644
Sed eorum consilia in quærendo homine idoneo audienda censui, serioque censeo. Regis enim Angliæ & Episcoporum ejus Regni causa hic vel maximè agitur. Ego Marezio aliter non respondebo quàm lucem adferendo locis controversis; idque in Annotatis, quorum editio, editionem illam ad Vetus Testamentum subsequetur. Vbi agam etiam de tempore quo scriptam existimo illam quæ secunda ad Thessalonicenses vulgò dicitur. Nihil video solidi quo Petaviana quam ego sequor χρονολογία diluatur.. Quod si annus aliquis adjiciatur, ne id quidem mihi nocebit. Quod Timotheus juvenis dicitur in Paulina epistola intelligendum ex more Hebræorum, apud quos juvenes ad XL. & ultra annos. Et notandum presbyteros eo tempore ferme lectos fuisse sexagenarios. Dicam & ilud nunc obiter quod alibi firmabo pluribus ad Gal. II. 1. δεκατεσσάρων scribi, sed legendum τεσσάρων: Iasonem illum nominatum in Actis XVII. 5. fuisse ex Iudæis qui jam ante in Christum crediderant, ut censuit etiam Beda; cognatum, ut credo Timotheo, qui propterea Thessalonicensibus accensetur Act. XX. 4. Iam verò loca Pauli de duplici genere resuscitandorum agentia manifestum faciunt discrimen eorum, qui tunc victuri sunt & qui tum futuri mortui: ita ut κοίνωσις (quæ præterea non nisi in recitatione virtutum aut vitiorum reperitur, ubi alios in communionem nostrarum laudum vocamus, aut alienarum culparum partem assumimus) hic locum habere non possit. Et quem ego dico sensum esse Paulinorum locorum cum multis locis agnoscit Beza. Quare cùm Pauli opinio tam arctum, mundo ævum circumscripserit, nihil prædixit de iis rebus quæ spatium latius desiderant, quale est Regum tot ad Christum conversio. Neque credibile ei revelatas res seriores quàm Iohanni, qui tanto tempore supervixerit. Semper enim posterioribus Prophetis posteriora & plura revelantur. His positis omnino necessitas ipsa interpretationem rediget ad Cajum principem Antiocho parem & ad Simonem parem Iamni & Mambri. Adde quod si per Deos Paulus Reges intellexisset, oportuerat eam locutionem apud Hebræos aut Christianos esse receptam. Neutrum autem verum est. Aulici posteriores divos dixere Cæsares mortuos, non Deos: & id quoque Patres improbant. Improbanda autem noluisset imitari Paulus. Aliud est in Senatu Hebræo. Nam collegium minùs obnoxium erat excitare idololatriam. Quare cùm dii ut apud Danielem ita apud Paulum intelligendi sint dii Gentium, non potuit hoc oraculum spectare nisi tempora vigentis paganismi. Memineris etiam aliud esse Ἀντικείμενον, aliud Ἀντίχριστον. Ἀντικείμενος non nisi Deo opponitur, Ἀντίχριστος Christo. Est autem Ἀντίχριστος idem quod ψευδόχριστος etiam Syro interpreti. Ad explicanda quoque loca Iohannis tum in epistola, tum in Apocalypsi, spero me iis satisfacturum à quorum ingenio pertinacia aberit. De Mornæo Plessiaco quod scripsi, habeo ex iis qui cum ipso vixerunt. Et ipsius ultima voluntas planè cum illis placitis congruit. Quid de floribus nostris censeant eruditi, avebo discere. De Antichristo Babyloniensi etiam hic vulgata est fabula. Reginam Angliæ sospitem venisse ad suos gaudeo. Regique opto pacem non damnosam Majestati rebusque ejus. Conferam quicquid potero. Saluta tuos quæso & nostros.

Putem si quis responsurus est Marezio, eum simul debe-

debere annotare gravissimos quosdam lapsus Marezii. Nam cætera quæ modò scripsi contra Maresium tibi scripsi: nolim autem ea ad adversarios emanent, priusquam omnes copias meas simul explicem. Etiam de S. Senarii nota nova mihi documenta tradidit D. Vossii filius. Cyrilliana tibi commendo & ἐκδόσεις nostras omnes & libellum pro scriptis recuperandis, ut aliquod saltem responsum habeatur. Thuani Frater magno applausu Parlamenti Senator ejus Consessus factus est. 21 Martii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

645 D. Episcopio opto valetudinem prosperiorem, ut diu pietati inservire possit & verborum documentis & vitæ exemplo. Angliæ Parlamentarii abjectam à se omnem Regiæ Domus reverentiam satis ostenderunt, cùm hostiliter impetierunt domum in quam Regina se receperat. Vbi novero quibus legibus nationes velint adstringi eos qui in Conventu sunt Ordinum Fœderatorum, conjecturam sumam quid sperari debeat. De Riveto iterum oro cum D. Iohnsono loquaris coram, cum D. Vossio, si aliter non licet, per epistolam. De chartis nostris puto nunc plus esse spei quàm ante, quia operam suam ad omnia æqua nobis offert D. Albertus Conradi Burchius, cujus cognatus apud me est. Saltem hoc obtinebimus ut inquiratur, cui chartæ traditæ sint primùm ac deinceps. Quod si nihil aliud obtineri potest responsi, hoc saltem habeamus non posse inveniri chartas, ut constet quàm iniquè mecum sit actum. Multis de causis hoc desidero. In historia si qua mutanda putas fac me certiorem. Paro enim me paulatim ad donanda posteritati omnia ea, ad quæ scribenda Deus mihi vitam concessit. Considerata ad Synodum Carentonensem & Regis præcepta ad Alensonensem velim apud vos edi; si id fieri non potest ad me remitti. Ad illa quæ scripsi περὶ ὁλογράφου addi Hieronymum qui legi illi Theodosii & Valentiniani supervixit. Is in vita Hilarionis, quasi testamenti jure brevem manu sua propria scripsit epistolam. Filii natu maximi desiderium de ipso solo proficiscitur. Didericus aliquoties ad me scripsit. Rescribam ubi in tuto loco fuerit. Et curam ejus commendavi tribunis hinc profectis. Nostra ad Lucanum exspectabo: speroque curæ tibi & D. Vossio fore poëmatia: præcipuè verò Anthologiam, utile opus. Annotata nostra ad Vetus Testamentum & eos etiam libros quos non Hebræi, sed Græci & Latini receperunt, spero absolvi posse intra mensem tertium, nisi quid intervenerit. Illorum quæ ad Actus, Epistolas Apostolorum & Apocalypsin scripsi, descriptorem nondum reperi. Cyrilliana exspectabo. Valetudo Regis & si quid tristius evenerit futuri incerta sollicitos nos habent. Multus sermo de induciis. Vale quàm optimè cum uxore, liberis &, quos paucos habemus, amicis. 27 Martii 1643.

Iunium Brutum sub Mornæi nomine allegat Rusdorfius in defensione causæ Politicæ.

Tui amantissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

646 ETiam in Germania, Polonia, Dania video esse quibus vota nostra pro Ecclesiæ pace, & ad eam monstratæ viæ probentur. Vellem autem jam pridem locutus esses, ut monueram D. Iohnsono. Is te adjuvisset in ea re de qua videris desperare. Agendum & cum D. Vossio, sed ita ut nihil habeat unde sibi metuat. Remonstrantium cuiquam vix suaserim, ut ad id, quo premuntur, odium aliud de meo mutuentur. Scio quàm Rectoribus vestris suspectus sit qualiscunque sermo de restituenda Ecclesiæ concordia. Et causas habent non leves, si ipsorum tantùm commoda respicimus,

Ὥσπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας.
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.
Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν
Αἱροῦσι.

Romanensium apud vos vicem doleo. Istis malè tractationibus contra fidem, ut ipsi dicunt publicam, sæpe interpositam, coguntur ἰδιάζειν. At non tales erant cùm Principem Arausionensem in Brabantiam & Flandriam vocavere. Præter Anglos fortè & ex iis qui Cornhardi scripta amant aliquis posset reperiri, qui in apertum protrahat Riveti & cum ipso sentientium consilia, nempe ad perturbandum statum publicum opprimendosque alios, ut ipsis solis bene sit. Video non malè me conjectasse de civitatibus Hollandiæ quæ suo erga Parlamentarios studio cæteros vincere voluerant. A vebo quæ secutura sunt cognoscere, Deum interim precans ut ea nobis largiatur quæ ad pacem Regnorum primùm & populorum, deinde & Ecclesiæ ducant: utque te cum conjuge, liberis & amicis servet ac sospitet. 4 Aprilis 1643.

Exspectabo illa contra Cyrillum & nostra ad Lucanum, & quid de poëmatis & Anthologia futurum sit. Possunt Remonstrantes omissis iis quæ ad conciliationem cum R. E. pertinent, tueri contra Rivetum ea quæ ad pietatem maximè pertinent: in quibus ille gravissimè fallitur. Poteris autem tu quæ habes cum Iohnsono aut etiam cum D. Reigersbergio communicare.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

VIdi Iacobi Laurentii librum mihi dedicatum. Miror 647
eum qui veri se patronum dicit ita audacter mentiri, ut cùm Ruarum apud me hospitium habuisse, & cùm quæ ego in libris de Iure Belli dixeram de Mennonitis ad Socinianos trahit. Nescio an ullus antehac Protestantium dixerit, neminem qui sit in communione Romana posse servari. Contra & dixit & scripsit Camero, Ferrarius multique alii. Causæ quas adfert, inanes sunt. Nam Concilium Tridentinum illam justitiam quam Deus approbat & salutiferam esse vult dicit esse à Deo per Christum, non ex natura aut ex lege Mosis: & abstineret ab idololatria possunt qui in illa sunt communione: nempe si sanctos honorent ut Dei servos: si imaginibus utantur ut memoriæ suscitabulis: si in Sacramento venerentur id quod præcipuum est, sicut Concilium Tridentinum tanquam idem valentia ponit, adorare Sacramentum aut Christum in Sacramento. Multa mihi mea vetera objicit quasi cum nuper scriptis pugnantia, quæ tamen non pugnant si ad rectas dialectices regulas exigantur. Tum verò si processu ætatis, colloquiis eruditorum, diligenti lectione, factum est mihi judicium defœcatius, non magis ob id inconstantiæ argui debeo quàm Augustinus, qui multa sua correxit. Injustè autem universis Catholicis objicit Psalterium Bonaventuræ, damnatum à Sorbona & illa ad Mariam, impera Redemtori, ac similia, quæ de libris ablata sunt. Notantùm censores librorum, sed & ipsos Pontifices, in multis rebus falli posse ac solere, prudentes Catholicorum sentiunt. Carmen Batavicum quod à me non editum edidit Iacobus Laurentii, planè corruptum est. 11 Aprilis 1643.

EIDEM.

Mi Frater,

NOstras interpretationes ad Prophetica Testamenti 648
loca & lectionem τεσσάρων suo tempore firmabimus. Interim rogo amicos judicium suspendant. Librum de Cive vidi, placent quæ pro Regibus dicit. Fundamenta tamen quibus suas sententias superstruit, probare non possum. Putat inter homines omnes à natura esse bellum & alia

alia quædam habet nostris non congruentia. Nam & privati cujusque officium putat sequi Religionem in patria sua probatam, si non assensu, at obsequio. Sunt & alia quædam quæ probare non possum. Librum non puto venalem esse, sed inquiram. Gaudebo si causa Regis ita ut oportet defendatur: quam ad rem pertinentia quædam scripsi ad D. Reigersbergium. Velim autem reperiri & qui Riveti ferociam contundat, obiterque aspergat Borboritam & Laurentiaden, indignos perpetuo responso. De Borborita aliqua antehac tibi scripsi. De Laurentiade habes hic pauca quæ usui esse possint. Flores nostri hic placent, sunt enim multi qui grammatica & historica studia cum jure conjungant. Sunt autem mea in isto genere ἐγκαλλωπίσματα post tot alios. Blavium rogo interpelles de Cyrillianis, Lucano, poëmatis, Anthologia. Sexagesimum jam implevi annum. Velim omnes labores meos facere juris posterorum. Thuanus magni fit à collegis. Pro Cornelio faciendum quicquid fieri poterit. De Regis valetudine incerta omnia. A Legatis non conspicitur: ab aliis raro. 11 Aprilis 1643.

Indicium est nutantis Aulæ Noyerius summè antehac potens ab Aula remotus imperio Regis ægroti.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

649 DE publicis rebus non multum quod scribam habeo; nam & Regis valetudo incerta est, ut spem nobis interdum præbere videatur, securos autem esse non sinat: & Aula ex hac recenti mutatione, per dejectionem Noyerii, quid paritura sit, nondum liquet: nisi quod bellum paratur, colloquia de pace adhuc differuntur. De induciis sermo est, sed quales vix est concessurus hostis. Libellum supplicem de chartis velim denuo offerri, etiam si nihil obtenturi simus aliud quàm, ut liqueat quàm iniquè nobiscum actum sit. Episcopii mortem scio tristem fore Remonstrantibus. Valebat ingenio & eloquentia & bonis moribus. Ducentesimam puto processuram post tot exempla. Mimpii factum generosum est. Quanquam cum Johnsono agi cœptum est, non abs re erit etiam cum D. Vossio conferre, ut quæ clam potest contribuat. In filiæ causa novis positionibus opus non arbitror. Satis erit commonitorio adjungi hoc responsum & Legem Valentiniani. Nos Dei ope bene valemus. Iesuitæ obtulerant libellum, ut admitterentur ad deliberationes facultatis Parisiensis: quæ se fortiter opposuit. Rex judices dare voluit. Facultas negat rem cognosci posse nisi à Parlamento. Nunc cùm amoto Noyerio multum labefactata sit potentia Iesuitarum, obtinuit Nuntius Pontificius ut cognitioni huic supersederetur. Rogo salutes tuam, tuos & nostros. 18 Aprilis 1643.

De Anthologia rogo fiat quod fieri poterit. Rex monitus de vitæ periculo Reginam fecit Regni liberûmque rectricem: Fratrem suum copiarum summum Ducem: Principem Condæum, Cardinalem Mazarinum, Cancellarium, Butellerium, Chavigniacum perpetuos & immutabiles consiliarios status. Hac de re fiet decretum Parlamentarium. Dicuntur Turcæ in Hungariam irrupisse.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

650 COnsilia mea placere non posse aut Ministris publicorum apud vos cætuum, aut Magistratibus pro certo semper habui. At meæ cogitationes non in unam terram, sed in omnes defiguntur. Deo autem gratias habeo quod viri magni sint in Anglia, Germania, Dania, Polonia qui de eisdem rebus seriò cogitent. Si aut Iohnsonus aut Vossius aut Corvinus (censeo enim cum his agendum) aliquem monstrare possunt, qui Riveto qualia oportet velit reponere, ei tradenda erunt quæ diversis temporibus ad te misi. Remonstrantes quoque si pro sua causa aliquid dixerint, operam non malè locaverint. Anthologiam quæso aliquando protrudas quomodocunque id fieri poterit. Pacis colloquia medio Iulio incipient. Danus vulgat se ei hostem fore penes quem steterit, quò minùs pax fiat. Annotatorum meorum ad Vetus Testamentum nullas accipio paginas nisi in quibus Errata annotem. Itaque partem absolutam mittere non possum. Monebo autem librarium & typographum, ut diligenter caveant ne ante tempus ad alios ista emanent. Quantum ex literis Senatoris Reigersbergii judicare possum, vellet & ille aliquid dici Riveto, sed quomodo & quousque non satis video. Rex se morti parat. Reginam si quid sibi acciderit Rectricem fecit, sed ita ut in magnis consultationibus & in mandandis Præfecturis in limite, officiisque quæ Coronæ dicuntur & Primis Præsidibus sequatur majores sententias Consilii ad hoc instituti: in dandis Episcopatibus & Abbatiis rebusque similibus unius Cardinalis Mazarini. Consilium illud constabit ex Fratre Regio Vicario Regni sub Regina & copiarum summo Duce: ex Principe Condæo qui Fratre Regio absente primum in Consilio obtinebit locum, ex Cardinali Mazarino, Cancellario, Butillerio ærarii Curatore & filio ejus Chavigniaco Secretariorum Status uno. Hanc voluntatem suam Rex xx hujus mensis die in cubiculo suo coram Regina ac liberis, Fratre, Principe Condæo, Ducibus & Marescallis & ex Parlamento delegatis Primo Præside, Præsidibus & Consiliariis dilectis simul ad viginti nuncupavit, & instrumentum ea de re factum signatum jam à Regina, & fratre iterum coram tot testibus signavit: addens hanc suam esse deliberatam & ultimam voluntatem. Postridie id Instrumentum in pleno Parlamento ex omnibus classibus coacto relatum est in Acta, præsentibus Fratre Regio, Principe Condæo, Cancellario, Butillerio, Ducibus & Marescallis multis. Dixit Rex se nolle mori ita ut mortuus est Cardinalis, sed veniam velle dare & petere siquos læsisset. Itaque omnes qui sine sententia relegati, aut amoti fuere restituit, eosque ad se venire jussit. Restitutionem eorum de quibus sententiæ latæ sunt reservavit Reginæ & Consilio, exceptis Chevreusia & Castellenovio antehac sigillorum custode, quos noluit restitui nisi post pacem factam & tunc quoque abesse ab Aula. Mazarinum, Cancellarium, Butillerios vetuit à muneribus suis amoveri, nisi ob delictum. Si per mortem aut delictum locus eorum vacet suppleri cumpluribus sententiis & Consilii ejus quod dixi & trium aliorum Secretariorum Status. Ii sunt Philippellus, qui & Aprilanus, Guinegautius & qui Noyeri in locum succedit Tillerius. Dixit & hoc Rex se semper optasse pacem posse reddere Christiano orbi, & levamentum subditis, obstitisse tempora. Per fenestram spectans dixit videre se cælum ubi brevi futura esset sua anima & S. Dionysii ædem, ubi futurum esset corpus. Vix puto fieri posse ut non dicam Rex quisquam, sed Christianus magis piè moriatur quàm Rex hic, non vocabulo tantùm, sed & re Christianissimus mortuus est. Ducibus ad Picardiam ituris omnibus valedicere voluit. Cæteris de custodia corporis mandavit, ut præsto essent ad præstandum sacramentum filio suo, ubi res posceret. Hinc sumamus exemplum & speremus æterna. Nam & hoc Rex dixit libenter se Regnum temporale & turbidum commutaturum cum æterno & tranquillo. Saluta D. Vtenbogardum, tuam & tuos. 25 Aprilis 1643.

Rex à Regina sæpius veniam petit, quod eam non pro meritis coluerit. Vitam se longiorem negat expetere, si det Deus usurum se, ut ostendat quod populus suus duriùs fuit habitus, in eo culpam magis penes consultores quàm se fuisse. Voluit etiam à medicis moneri ubi mortem

tem imminere viderent, ut omnes Aula suæ ad se admittat & eis exemplum det piè moriendi.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

651 NOyerium Mazarinus & Chavigniacus ut consiliis suis inimicum amoliti sunt. De Iesuitis & exportato per eos frumento, mera calumnia est. Annotata ad Carentonensem Synodum arbitror ego ita posse edi sicut multa alia, latente editore & typographo. Locus de Riveto est notabilis,& alia quædam Magistratibus utilia. Quod de me insparsum est rumoribus editis, non puto pro vero haberi ab iis ipsis qui id addi voluere. Mihi certè nihil tale hactenus patuit, & fortè commentum est Spiringii, ut qui id nolint, pecuniam dent ne id fiat. Fulmen Britannicum & tonitru data occasione videre avebo. Posset si quis eis libris respondit, eadem fidelia costinera Rivetum, Borboritam, Laurentiaden. De Curcellio non mala est cogitatio, si Corvino non vacat. Spero te aliquando ad nos excursurum. Sed & tuorum aliquem ubi voles exspectabimus. De Antichristo Regis decretum omnino vulgandum est, quia negavit Borborita tale esse aliquid. De Regis valetudine plebs bene sperat: non item periti: quanquam sentit interdum levamenta quædam. Habes hic constitutionem, de futuro Regimine. Sed exspectatur aliqua mutatio, quæ plus aliquanto potestatis det Reginæ. Ea nunc apud Regem assidua est. Odium plebis in Cardinalem Riceliacum tantum est, ut corpus ejus auferendum fuerit, ne à plebe laceraretur. Rex omnes curas terrestres à se removit. Et Regina nullum jus habet ante mortem. Id in causa est, cur multa suspensa hæreant. In fine Belgico & Germanico quieta omnia. In Hispania dicitur Odincurtius rursum sub imperio Gallico redegisse Vallem Arangam: & in Italia qui arcem Dertonæ custodiunt eruptione prospera nacti commeatus per quos tolerare diutius obsidium poterunt, in spem eorum quæ molietur Princeps Thomas. Inter Pontificem & Parmensem video pacem ab Italia sperari. Laborant in id Veneti & Ethruscus. Vale cum tua, tuis & nostris. 2 Maji 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

652 REgis valetudo sine spe humana trahitur. Interim mors ei ob oculos ad multas cum pias actiones excitat. Et palam populo pro precibus ad Deum gratiam promittit, pacem nempe. Noyerius in villa sua manet. Iesuitarum cum Sorbona lis dormit. Frater Regius nondum in consilium venit. Veniet Rege mortuo, & ibi Condæum præcedet natalium ordine. Sed plerumque aberit, quando ipsi armorum cura mandata est. Interim præter verba decreti Longavillanus intimo illi consilio admotus est. Princeps Condæus assiduus est & Princeps consilii illius. De D. Vossio, de Poematis, Anthologia fac quæso memineris. Quæ apud vos de Reginæ Angliæ victoria sparguntur, vera non sunt. Et videtur ibi bellum redardescere: pacis autem spes abire longiùs. Cùm sunt apud vos animorum dissidia & ærarii difficultates, vereor ne aliquando majus pariant malum. Habet Vicquefortius apud se pecuniam quæ fuit Ducis Bernhardi Vinariensis. Is Dux testamento cuique nobilium Domesticorum summam certam legaverat. Particulam testamenti eò pertinentem in forma probante uxor mea apud Petrum reliquit. Restat probare Didericum nostrum moriente Duce fuisse in illo nobilium numero. Id probatur hoc instrumento quod nunc tibi mitto. Rogo ergo loquaris cum Senatore Reigersbergio, ut D. Vicquefortius sponte aut judicio, si ita mavult, coactus hanc summam solvat. Nam in Gallia nihil ea de re obtinere potuimus. Crossokius qui antehac ob res Vinarienses hic fuit, & multum mea usus est opera, pollicitus est mihi Ducum suorum nomine eam pecuniam solutum iri. Mortuus est is Crossokius, cujus nunc frater pro Landgravio hic est. Rogo hæc res ita tibi curæ sit, ut semper omnes nostræ fuere. Vale cum uxore & liberis. 9 Maji 1643.

Audio Ecclesiasticos vestros partem sibi de Republica poscere & libellum fuisse oblatum. Si ita se res habet videre velim libellum, & scire quid obtulerint. Intelligo filium Abrahami Antonii hic esse sumtu Regis Galliæ. Quod me confirmat in mea opinione de eo qui sibi nomen facit Roberti le Comte. Nolo quicquam apud me esse alienum. Nuper dum libros recenseo, invenio inter eos Relectiones Fr. Victoriæ, nescio an datas mihi, an commodatas olim à D. Groenhusio prætore nunc Amstelodamensi. Eum librum remittam ei aut alium ejus loco, ut magis volet. Et qualem volet. Dum hæc scribo, Rex animam agere creditur. Rex animam agit. Dux Andegavensis ægrotat.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ROgo de retundenda Riveti ferocia, de Poëmatis, de Anthologia perpetuò memineris & instes iis qui per se tardi sunt. 653
Ea est ætas mea, ut quæ elaboravi ea non promovere tantùm, sed & protrudere debeam: ne quid posteritati pereat quod usui esse possit. Lugdunensibus Theologica mea nolim credere. In Anthologia fortè minus periculi sit, si quis Librarius & Corrector reperiantur, viri boni. Suaviter ridemus & ego & uxor de fabulis ad nos pertinentibus. Discant hoc exemplo homines non omnia illis credenda. Hollandis & Zelandis concordiam opto ad bonum publicum, rem in tanto hominum numero difficilem obtentu, difficiliorem servatu in multum tempus, quod sæpe occasiones dat ambitiosis & avaris publicum bonum postponendi privatis gratiis. Persto in eo desiderio, ut libellus offeratur de chartis meis & res tota narretur ita ut gesta, etiamsi nihil obtenturi simus. Habeo causas justissimas cur id petam. Si nihil fiat, eò justiùs & ego quas habeo chartas retinebo. Rex tractam diu inter longos cruciatus Christiana cum patientia toleratos vitam finiit 14 Maji, tertia post meridiem hora. Notant curiosi talium, pari hora, pari mense, pari die mensis Regni initium ei obtigisse per patris mortem. Regina & Rex puer urbem intravere post meridiem diei xv. Magistratus urbis obviam eis processit, & Regi claves tradidit. 16 Maji 1643.

Dies quo Rex ex hac vita abiit ad cœlestem, erat dies Resurrectionis Dominicæ. Ante mortem Rex jussit fratrem suum & Reginam se mutuò amplecti in testimonium sinceræ benevolentiæ. Post mortem Regis cùm Regina se cum novo Rege in cubiculum subduxisset, venit Princeps Condæus, & posito genu fidem dixit pro Præfectura Aulica aliisque muneribus. Deinde osculatus est manum Regis. Venit deinde Dux Aurelianensis (nam Fratris Regis nomen jam alter occupat) & osculatus manum Regis fidem dixit. Cùm Regina in urbem veniret inctus erat currus velut justo exercitu peditum & equitum, qui Regii corporis custodes esse solent. Sedebat Regina aversa (ita ei mos est) media inter filios duos. Ad latus alterum Lansaca Regis educatrix: in altero Dux Aurelianensis. Contra Reginam Brassaca, prima domesticarum Reginæ. Per iter omne magni clamores vivat Rex. Qui à Rege restituti sunt nunquam hostili fuere in patriam & Regem animo. Sed partim ob suspiciones Cardinalis, hominis timidissimi, conjecti in carcerem aut ejecti Regno: partim atrocibus ejus injuriis trusi ad hostes. Quare spes est bene hoc quod Rex fecit Regno versurum. Vxor mea nunc scribendi tempus non habet. Sed voluit à me scribi, ut ab arresto liberos quater mille quingentos florenos pecuniæ

cuniæ Treselianæ, ut ea cedat Remonstrantibus, amicis nostris.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

654 VIdi libellum contra Laurentiaden. Multa sunt ibi de illo homine verè dicta. De causa veteri nostra cùm in Republica versaremur non mala. De Ruaro vellem eum dixisse narrari à Laurentiade rem planè falsam. Nunquam eum aut hospitio aut convivio excepi. Non fuit hic ex quo Legatum ago. Puto visum mihi olim cùm privatus hic agerem, sed incognitum. Primùm eum cognovi Hamburgi apud Leonardum Sorgium. Voluissem etiam dici librum illum Bonaventuræ quo utitur Laurentiades à Sorbona censura notatum. Ioannem Simplicium & Robertum Iansonium legam ubi otium erit, & si quid dignum sit responso, faciam hoc in eorum quos tangit locorum explicatione. Quod & Ryckewardo proponis mihi non displicet. Fac in componendis Indicibus instet quam dixi viam. Illud quod de Duce Aurelianensi dicitur falsum puto. Bene ei cum Regina convenit. Et jam in Parlamento effecere, ut contra id quod antehac actum erat Regina Regens sit plenissimo jure: ipse Dux Vicarius & copiarum Imperator & Consilii caput. Eo absente caput Consilii Condæus: nulla cæterorum mentione quibus Regina utetur quomodo & quantum volet. Mazarinus consiliarius manet & Chavigniacus Secretarius ad res exteras: ita ut ante illud decretum quod nunc antiquatum est. Inducias cum Hispano nullas esse patuit prælio ad Rocroisium in quo magnum hosti damnum intulere Galli, & Principi Arausionensi dedere res pulchras gerendi occasionem. Te videre desidero & aliquem tuorum apud me. Interim qui mea ad Actus Apostolicos, Epistolas & Apocalypsin describat, adhuc quæro frustra. Ita pauci sunt Græcarum literarum intelligentes. 23 Maji 1643.

Valde placent Doctoribus Sorbonæ nostra ad Danielem. Spero aliquem repertum iri qui Riveto aliquid reponat & obiter aspergat Borboritam. Age quæso cum Vossio & Barlæo ut cogitent. Putabam Ruarum mihi olim visum Lutetiæ: sed jam ex literis ejus ad amicum scriptis intelligo nunquam ipsum apud me fuisse antequam essem Hamburgi: fuisse quidem priùs se ait in Gallia: sed quo tempore ego eram in carcere. Et paratus est si velim Riveto ostendere quantum fallitur. Si Simplicium & Rob. Iansonium qui sint nosti, rogo eos mihi describas. Puto à Socini disciplina esse non alienos. Cancellarius sponte sua cùm delegati à Parlamento apud Reginam essent proposuit de memoria Thuani restituenda. Sed propinqui nolunt id accipere pro beneficio: sed volunt rem secundùm formam legum cognosci. Idem facturi putantur propinqui Marillaci quondam Mareschalli.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

655 DE mutatione hic circa tutelam Regni jam quæ scripsi & misi legeris. Videntur & aliæ mutationes cum tempore secuturæ. Est enim Aula planè nova: veteres in odio magno. In prælio ad Rocroium capta dicuntur vexilla CCL. Dat hæc res occasionem agendi Batavis. De Lucano & Poematis & Anthologia, rogo urgeas, agasque cum D. Vossio cujus de filio nihil intelligo. Ionius quæ scribit nihil habent solidi. Gropechius mihi promisit Duces hanc pecuniam soluturos. Vicquefortius se quas haberet pecunias è manibus non amissurum, donec filio meo satisfactum esset. Non est æquum me per eos decipi, qui nisi fidem illis habuissem injecissem manum in ea quæ erant Brisaci, sicut fecit Erlachius. De Benfeldio nugæ sunt. Particula ex Testamento ad hanc rem pertinens data Petro fuit post abitum Dierici è Batavis. Remitto Iohnii scriptum, qui alicui usui esse poterit si jure agendum est, ut sanè agendum est, nisi Vicquefortius apertis verbis se faciat expromissorem. Non debeo causam tam justam filii negligere. Interpellationum processit plus satis. Non possunt Duces negare se esse heredes. Et hæredes omnes ad Legata solvenda obligantur. Inter alia quorum Rex defunctus seriam testatus est pœnitentiam, est quod Marescallum Anchoritanum sine juris forma fecit interfici non dando ei ad pœnitentiam agendam spatio: & quod matrem sivit in rebus arctis vivere, persuasus à Cardinali Riceliaco abundare ei pecunias. Nihil idolatricum, nihil superstitiosum in omni morbo ejus animadverti potuit. Vale, mi Frater, cum uxore & liberis, & nos ama. Lutetiæ 30 Maji 1643.

Cogita an ibi aliquis sit qui Græcè ita noverit, ut mea celeriter & minutè scripta legere & describere possit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DOlor ex morte Regis Ludovici XIII relevatur con- 656
spectu & Filii nunc Regis, in quo magna est indoles, & Reginæ nunc Regentis citra exceptionem, in qua ea est morum suavitas, ut nihil non boni ab ea sperandum sit. Sed hæc prima & satis subita mutatio nescio an non post se tractura sit alias in Aula valde mutabili. De prælio Rocroiano scripsi quæ hic dicuntur. Puto Ducem Anguianum non cessaturum in hoc rerum cardine. Graswinckelii librum jam legi totum. Materia ei bona suggesta est: & laudo qui res istas ita tractant, ut maximè se adstringant τῷ ὑποκειμένῳ, nec faciant definitiones nimis diffusas. Magnus ei honos obtinget, si Seldenum habebit adversarium, in omni jure peritissimum. Anthologiam rogo promoveas. Blavium miror in Lucano ita diu morari: poëmata non inchoare. At ego jam omnia Græca & Hebræa quæ sunt in Annotatis ad Euangelia transtuli in Latinum, & hæc aliquando ei dare potero, si in aliis mihi satisfaciat. D. Vtenbogardi conjecturam de Simplicio veram puto. Robertus Iansonius fortè idem est. Ego mihi non videor rectè facturus si tot contradictoribus singulatim respondeam. Satis fortè erit ad loca ipsa firmare sententiam meam. Fallitur Simplicius quod putat Psal. XLV. 10. Salomonem dici אלהים. nam id nomen de hominibus positum plurale est: de Deo ἐξαιρετικῶς pro אלהי אלהים Deus deorum. Sensus autem loci est Deum ipsum esse solium, id est firmamentum ἔρεισμα Salomonis, idque perpetuò. In expositionibus Locorum Euangelii quædam rectiùs jam pervidi quàm olim. Inter ea est quod Lucæ dicitur XXI. 23. & Apoc. XI. vers. 2. Revera non ad tempus longius quàm mensium XLII pertinere, per quod tempus Iovis idolum ab Adriano positum stetit in Sione, id est, usque motum Barchochæbe ut ostendam ad locum Apocalypseos. Gentes enim ibi sunt Idololatræ. Λεγόμενοι Θεοὶ 1 Cor. VIII. 5. non alii sunt quàm Dii à Gentibus sic dicti: neque ulla fuit causa cur Socinus quem Simplicius sequitur alio id traheret. De epistola Iohannis, in qua sola Antichristi vox est, video & hunc & alios nihil dicere, vi veri, ut spero, convictos. Vt jam ante scripsi ἀντίχριστος sive ut Syrus rectè interpretatur falsus Christus ψευδόχριστος non potest esse nisi Iudæus, ἀντικείμενος respectum habet non ad Christum, sed ad Deum, & ita dicitur qui Deo se opponit & quod Dei est sibi vindicat, quod non potest convenire, nisi paganis. Hæc in antecessum tibi dico, ut scias nihil me dimoveri de sententia. Gaudeo filium tibi esse qui ad peculiarem familiæ nostræ laudem id est ad poëticam aspiret. Deus ingenium ejus prosperet bona fruge. Ex epistola quadam Ruari video minùs ei placere postre-

postrema mea pro pace Ecclesiæ scripta, nec miror. Vult enim ille, ut & alii, suum sibi ἀποσπασμάτων manere incolume. Nostra ad Danielem mirè probantur à Sorbonicis qui ea videre. Spero idem futurum de nostris ad Apocalypsin. Velim primo commodo mitti ad me exempla aliquot opusculorum à nobis factorum pro pace Ecclesiæ ex editione Blavii. De chartis rogo res planè narretur ita, ut gesta est: mea id interest etiamsi obtenturus sim nihil. Hic res adhuc bene procedunt. Regina Regens omnibus modis nos certos esse vult nihil se facturam sine federatis. Eremitæ qui antehac adversus Ducem Vendocinensem testati fuerant, testantur falsum sibi per tormenta expressum. Multa talia fecit Cardinalis. Regina Regens Protestantes hujus Regni securos esse jussit. Mansere illis Edicta, idque se publicaturam & relaturam in Acta Parlamenti. Vale cum uxore & liberis. 6 Iunii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

657 Bene opto tibi consilium de liberis tuis procedat. Vtinam jam ejus essent ætatis & profectus, ut ego ipsis utilis esse possem. Ita de nobis es meritus, ut nihil malim. Avebo intelligere quid D. Vossius agendum censeat in re Riveti, Simplicii, Campensis Borboritæ. Nam Laurentiades satis vapulavit. Ego adhuc persto in proposito tacendi & ea quæ ad rem pertinent differendi, donec Annotationes ad utrumque Testamentum exeant. De poëmatis & Anthologia rogo nullum tempus sinas perire. Incerti sumus quantum vitæ nobis Deus sit daturus, & velim quamplurimum prodesse posteris, adjutus ipse tot aliorum laboribus. Sorbonæ Iudicium de Bonaventuræ psalterio quæram & mittam. In Aula mutatio rebus, ut arbitror, Suedis nihil nocebit. Nam, excusante se Butilerio, ærarii præfecturam accepere Davausius, Suediæ beneficiorum, ut spero, non immemor, & Præses Baliolus amicus summus D. Vicquefortii. De Episcopo etiam Bellovacensi, futuro, ut creditur, Cardinali, omnes bene existimant. Et fortium consiliorum egregia habemus pignora post prælium ad Rocroium, captas arces, & oppida Mabbodium & Binchium. Etiam in Catalaniam pecuniæ magnæ mittuntur. In Notis ad Lucanum satis video non bonis Correctoribus uti Blavium: multa enim peccata sunt. Dabis exemplaria tibimet, Petro, Reigersbergiis tribus & si plura erunt quibus voles. Si qua huc veniunt inter veteres amicos distribuam. Vale Frater optime, cum uxore & liberis. Valde avebo tuas habere post reditum ab Amstelodamo. 13 Iunii 1643.

Occasione data ad me remittas velim illa ad Synodum Alensoniensem.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

658 Vicquefortius nisi efficit ut legatum illud solvatur, nec amicum se mihi præstitit, nec bona egit fide. Testamenti particulam alicunde quæremus. In Notis ad Lucanum multa sunt errata typographica. De Anthologia & Poëmatis velim pergas curare ut cœpisti. Eorum quæ adversus Rivetum scripsi magna pars causam habet mihi cum multis communem. Itaque futuros spero qui me adjutent. Rex sanè Ludovicus XIII bene moriendi exemplum omnibus Principibus dedit. Sed multorum animos exsurdant imaginariæ electiones & justitiæ imputatæ & satisfactiones alienæ sine conditione applicatæ. Miror me nec de Hogerbetiana lites nec de illa filiæ meæ quicquam intelligere. Sed nec de Vergoesio, quid agat & ecquid nostri meminerit. Sicut Butillerius pater, ita nunc filius ejus Chavigniacus eo volendi genere quod mixtum Aristoteles vocat, semet abdicarunt, ille ærarii inspectione, quæ mandata est Baliolo & Davausio, hic verò functione Secretarii Status ad res externas:

Tempora mutantur & nos mutamur in illis.

omnia mea tibi commendo: te verò uxoremque & liberos tutelæ Dei omnipotentis. 20 Iunii 1643.

Turca dicitur tertium haberc filium. In Mogolis Regno bella esse civilia. Theodonisvilla obsidetur Gallorum XX millibus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Nihil causæ video cur non optima de Gallia sperare 659
debeamus. Nam & Theodonis villa obsidetur: & Regina Regens acceptas ab Imperatore & Augusta literas illico ipsas ad me misit, ut ostenderet nihil se velle agere seorsim. Seldenum Graswinckelio responsurum non puto. Satis enim videt quàm incerta sint hæc tempora. Et Rex foris plures reperiet amicos quàm Pimus & Pimiani. Causa autem Batavorum maximè se possessione sua tuetur. Possunt tamen & inter eorum causam & Anglorum discrimina quædam notari. Monui in nostris ad Lucanum multa esse typographica peccata. Velim ne idem in poëmatis eveniat. De chartis velim labores ut scripsi antehac & historiam narres omnem. Benedictum à Castro, virum humanum novi Hamburgi: & ex conjectura dixi ei nomen Hebræum esse Baruch, quod verum esse testatus est. Principi Arausionensi & nurui valetudo melior optanda. A Diderico pridem habui nihil. Paratur hic historia Albigensium. Ea certis documentis ostendit originem illis esse à Manichæis ex Oriente expulsis. Itaque non mirum est si retinuerint dogma ἀποκληρώσεως. Rogo memineris de libro Fr. Victoriæ, quem nescio D. Grotenhusius mihi donarit, aut commodarit. Libens ei aut illum librum aut quem voluerit ejus loco remittam. Deus te, uxorem, liberos servet. 27 Iunii 1643.

Sententia per Commissarios antehac pronuntiata contra Ducem Espernonium, per Parlamentum nulla pronuntiata est, cum omnibus qui antecesserant actis. Iussum ut de novo inquiratur per delegatos à Parlamento. Idem impetrabit Elbovius. Nota sententiis illis ipsum Regem adfuisse. Vide an non hoc imitari possint filii Hogerbetii. Dux Laforcius habens annos LXXXIV duxit Philippi Mornæi Plessiaci filiam viduam sexagenario majorem, quæ nubere quàm uri maluit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Gaudeo quæ raptim in schedia contuleram non displi- 660
cuisse maximi judicii viro D. Vossio. Fortè aliquis emergat qui manum bonæ causæ commodet. Anthologiam & Poëmata tibi commendo, Lucani exempla da quibus soles. Ego si qua acceperim dabo talium gnaris. Theodonisvilla strennuè obsidetur. Ad pacis colloquia Legati hic ibunt intra mensem. Valde è re erit publica ut apud vos legibus adstringantur isti ἀρχόμενοι. Qui serviunt ut imperent, imperant ut serviant. Liberis tuis precor optima. Vtinam ad eorum processus conferre aliquid valeam. Edictum pro servandis Edictis veteribus pro libertate Religionis factis. Regina Legatum Hispaniæ ad pacis negotium euntem per Galliam satius duxit non videre, sed iter ei extra hanc urbem monstrare. 4 Iulii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

De Lucani exemplaribus bene fecisti. Dabo & hic 661
amicis ubi venerint. Scire velim qua re primùm Voetius, homo superbus Decartesium offenderit. Ob-

sidionem Theodonisvillæ bene successuram spero. Et Regimen Reginæ persuave est. Semper credidi in Hulltæ Insulam nisi summa negligentia hostium aut proditio intervenerit, non posse penetrari. Itaque spes aliæ aggrediendæ erunt Principi. Catzius videtur turbas prævidere, si in foro quàm in Republica mavult vivere. De Hogerbetiana causa rogo inquiras & D. Vergoesium salutes. De filiæ lite quando finem habebimus? Poëmata & Anthologiam summè tibi commendo, & ut editiones sint nitidæ atque emendatæ. Annotatorum ad Vetus Testamentum brevi habebimus absolutum Tomum alterum. Restat tertius ad eos libros quos Canon Hebræus non complectitur. Habebunt Tomi singuli Alphabeta tria. Salutes rogo uxorem, liberos & amicos. 11 Iulii 1643.

Legi Simplicii & Roberti Iansonii scripta ad Prophetias Pauli & Iohannis. Nihil adhuc video cur sententiam mutem, neque cur eos specialiter refellam. Iansonius semet satis refutat. Et Simplicius multa dicit de Sanctis, de Imaginum usu, de Cœlibatu, de Legibus Ecclesiasticis & Prælatorum auctoritate, de abstinentia à cibis, quæ non facilè probaturus est eruditis & à factione remotis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

662 Liber de Cive hic non prostat. Gaudeo Cordesianæ Bibliothecæ ad te pervenisse Catalogum. Vergoesium & Turringium exspectabimus. De Theodonisvillæ obsidio bene spero. De Grotenhusio rogo memineris: & promoveas ad lucem Poëmata & Anthologiam. Miror non definiri filiæ litem. Mitto Synodicum Græcæ Ecclesiæ judicium contra novam Cyrilli Confessionem, editum ad exemplar in Moldavia, quæ Græcæ Ecclesiæ adhæret. Editum quod ipse vidi sanè magnum est argumentum quod à Græca Ecclesia dicatur, ne nova putentur & quæ ipsa nec à Papis accepit, nec ob controversias cum Papa deseruit. 18 Iulii 1643.

Salutes, rogo, uxorem, liberos, amicos.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

663 Qvod recurrente die nihil abs te accepi, in causa fuisse suspicor aut absentiam tuam, aut occupationes, aut materiæ penuriam. Velim aliquando reperiri qui Riveto respondeat. Nam is jam omnia sua & mea curavit recudi Genevæ, jussa omitti epistola Principis Arausionensis ad me, ut ad rem nihil pertinente. Si desperatum est inveniri quenquam posse qui eam operam suscipiat, remittenda ad me erunt quæ annotaveram. De lite filiæ non intelligo quid eam moretur. Rediit ab Italia Vossius. Dicit nostra Romæ legi nemine prohibente. Dicit etiam vidisse se Ignatii optimum exemplar, in quo absint ea quæ adscita pridem suspicati sunt eruditi. Sed illa quæ ad Episcopos pertinent, in eo exstant. Deus te cum uxore & liberis servet. Sententia contra Elbovium lata à Parlamento Divionensi ut contraria juri Ducum & Parium Franciæ qui judicari nisi à Parlamento Parisiensi non possunt, rescissa est, ipse pronuntiatus innocens: servata ei actione ob damna per injuriam illata adversùs eos quos conveniendos sibi putabit. 25 Iulii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

664 Laboravi sedulò ut & moræ & controversiæ super Edicta de Reformatorum libertate auferrentur. Et puto me in ea re fecisse quod Christianum & amantem Galliæ decebat. Alii ab Hispania Legati per hanc urbem transiere, non conspecta Regina aut Proceribus. Sed erat missus à Regnia qui eos deduceret. Non parum utilis est Princeps Arausionensis Galliæ, atque etiam Duci Inguiano cùm copias Hispanicas ibi detinet. Vergoesius & Tumagius ad nos venere: attulere exemplaria Lucani; unum etiam Sparsionis Florum: & de Angliæ Rebus libellos duos sanè lectu dignos, etsi multa aspersa sunt ex partium studio. Accepi & Manassis librum ubi ostendit Iudæos esse Semipelagianos. Vidi & Cartesii chartam contra Voetium. Miror quos Cartesius in hoc negotio habuerit adjutores. De poëmatum nondum editorum editione & Anthologiæ quod laboras gaudeo. Velim sciant lectores Poëmatum veterum editionem nuperam factam me nolente: quia eam mihi exprobrat Rivetus. Societati Indiæ Orientalis res bene procedere gaudeo. 31 Iulii 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Vidimus & Vergoesium & Turringium. Hic abiit: ille abibit Galliam visurus. Commendo tibi ut semper editiones nostras & causam filiæ. Dignum est quod à doctis legatur & expendatur decretum Synodi Græcæ contra Cyrillum. Leo Alatius Græcus in Italia vivens mira narrat de pretio Episcopatuum partito inter Hagam & Cyrillum. Matthæi Vossii libri ad nos non pervenere. Audio hærere Caleti. Pax quantum judico difficultates habebit: sed eas superabit pecuniæ ubique inopia ad ducendum diutius bellum. Fieri tamen poterit ut Batavi in bello maneant. Portugalli Regis Legatos Castellani non admittent. Laborabunt tamen ut id fiat Suedi & Galli, ut si id non procedat, non ideo pacis cura abjiciatur. Poterit illa controversia silentio oblegi & relinqui suæ fortunæ. Theodonisvilla diutius non est, ut defendatur: quanquam post cuniculorum dissultum feliciter erupere obsessi, occiso Marchione Suevo, Gassione ita vulnerato, ut de vita ejus spes sit modica. Papæ res bene procedunt in territorio Ferrariensi, minùs bene in Vrbinate. Puto brevi ibi pacem futuram. Rex Angliæ & Reginam apud se habet & duabus victoriis firmavit res suas, iturus Londinium ni Scoti impediant. Vale cum uxore, liberis, & amicis. Norim quæso quid sit quod litem filiæ tardet. Lutetiæ, 8 Augusti 1643. 665

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Qvod his diebus nihil abs te accepi puto in causa fuisse aut absentiam tuam, aut occupationes, aut etiam materiæ penuriam. Hic Theodonisvilla in Gallorum venit manus: qua re inflati quidam nihil aliud quàm de prorogando bello & projiciendis de pace cogitatibus loquuntur. Ego non desinam Reginam ad pacem hortari. Editiones quæ illic curandæ sunt eas etiam atque etiam tibi commendo. Nos hic in edendo tertio Tomo Annotatorum ad Vetus Testamentum versamur: & curamus interim describi nostra ad Actus, Epistolas ac Apocalypsim. Deus te, uxorem, liberos & amicos servet ac beet. Lutetiæ 15 Augusti 1643. 666

Imperator cum Turca inducias prorogavit in annos octo. Gassio à vulneribus revalescit. Glocestriam obsidet Princeps Robertus. Videram ad Fanum Dionysii Mondevium Riveti filium. Dixeram ei malè existimare Patrem ejus me Reformatis in Gallia malum procurare velle. Contra institisse me quantum potui, ut libertas illis novo Edicto vulgeretur. Hinc famam sparsit me magis esse Hugonottam quàm unquam fuerim. Vides quæ sibi fingant somnia.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

667 A Rusticatione bene te reversum & res nostras editionesque curæ tibi esse gaudeo. Sperabam aut Corvinum aut alium aliquem non magno opere frænaturum fuisse Riveti ferociam. Si nemo reperiri potest, videbo ego quid factu sit opus. Cartesius mihi dicitur ea esse comitate, ut mirum non sit amicos ei reperiri. Sed Voetius factione prævalebit. In Anglia potiores esse Res Regias multi nuntiant, sed Regina ægrotare dicitur morbo lenti quidem, sed qui periculo non vacet. Velim mittas ad me formulam jurisjurandi quod ab iis exigitur qui in Conventum Ordinum Federatorum mittuntur, & causas quæ D. Matenesium ab eo præstando retinent. D. Alibræus vir Nobilis & perquam eruditus misit, jam annus est, ad Elzevirios versionem accuratam Tarquinii ex Virgilio Malivezza. Is liber nec editur, nec de eo Elzevirii quicquam scripsere. Velim eos aliquis interpellet ut norim quid D. Alibræo respondere debeam. Quandoquidem res tam diu trahitur, velit ad se remitti illud scriptum, & æquum postulat. Dux Anguianus Longuium obsidet, dum solo æquantur opera ad Theodonis Villam. Trinum obsidet Princeps Thomas. Hispani aliquid militis eò injecere. Galli ob Ribagonæ in Catalania defectionem obsides capite plexuere. Vale, mi Frater cum tua tuisque. Lutetiæ 22 Augusti 1643.

Literæ quas à Regina Regente impetraverat Dux Guisius ei redditæ sunt sine usu ullo: quia nec dici poterat rem judicatam ab illegitimo judice (ipsum enim Parlamentum Parisiense de eo judicaverat) neque vocabulum Abolitionis aut aliquid simile in literis voluerat interseri.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

668 Libellum Parthenii dignum existimo & lectu & consideratu. Nam in quibus dogmatis ac ritibus Græca Ecclesia & Latina conveniunt ea aut ab Apostolis sunt, aut à Comitiis Universalibus. Tota illa de Cyrillo historia aliquando erumpet. Qui de precum scripsit Reformatione est Canonicus Ecclesiæ hic Cathedralis, vir doctus & prudens & multos hic habet approbatores. Vides talibus non placere ea qua Catholicis objicit Laurentiades. Divortium cœleste legi, in quo multa sunt ex vero. Filius noster maximus natu Barone Degenfeldio excitante it militatum Venetis, ego tantùm prohibere nolui. Liber ille contra Venetos ignotus mihi est. Pairerium illum puto esse impostorem, quod & de Comtæo suspicari me scripsi antehac. Nihil ego tribui Pontifici quod non tribuerit ei Melanchton, & usus sæculorum trium optimorum. Multo plus ei dat Synodus Sardicensis & lex Valentiniani, quæ in Gallia ab eo tempore in Lunæ diem observantur. Litem filiæ rogo urgeas & editiones nostras. Sorgii Viduæ liberisque omnia precor optima. Ad pacem, lentis quanquam gressibus, ituros puto & Suedos nostros & Gallos. His non displicebit Batavos manere in bello. Angliæ Regi multum hic favetur. In Theodonisvilla non tantùm urbis, sed & multi commeatus & paratus bellici lucrum Galli fecere. Velim videre formulam jurisjurandi super quæ apud vos disputatur. De Losecatio scire velim cujus sit ætatis, cujus vitæ, quorum studiorum. Hoc tempore adhuc plenam habeo domum. Vale cum tua ac tuis. 29 Augusti 1643.

Mitto tibi ipsa verba epistolæ quam Mohelius Benfeldiæ Residens ad me Benfeldio scripsit, ut videas frustra nos eo remitti ab iis qui aliter nobiscum agere & potuerant, &, ni fallor debuerant.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

POst captam Theodonisvillam videntur quieturi Galli. Sunt autem in iis qui bellum volunt duci, sunt qui pacem præferunt, quæ pars longè est maxima. Editiones omnes nostras unicè tibi commendo. Velim scire ad quod tempus Ryckewaertius inchoationem polliceatur. Tum verò & quid agatur in causa Hogerbetiana & filiæ nostræ. Beuningius obtinuisse se absentem dicit munus Secretarii suæ urbis. Est nunc apud me Isaacus Vossius. Is me in scribendo adjuvat. Sed an patri placeat eum apud me manere ignoro & scire cupiam, ut, si aliter ei visum, alium mihi quæratis. Dicit Beuningius Fratrem suum huc adventurum quem mihi commendat. Nostra ad Vetus Testamentum intra hunc annum puto finem accipient. Quod cogitationes istas de Precibus vanas putat fore D. Vtenbogardus, de eo nihil aliud dixerim, quàm libellum illum multis hic Doctoribus probari. Nec quicquam prohibetur istas sententias sequi. Prodiit & alter liber quem non mitto, quia magnus est. Scriptor est Antonius Arnoldus Doctor in Sorbona: titulus libri de Frequenti Communione, quia scriptus est contra alterum ejus tituli. Vult autem Arnoldus & in peccatis manifestis restitui Pœnitentias publicas & quorum peccata per solam Confessionem nota sunt Presbytero, eos à communione abstinere, donec certi sibi sint suæ emendationis. Probatus est is liber ab Archiepiscopis quinque, ab Episcopis tredecim, à Doctoribus xxi. Et quidam jam in usum ea in suis Ecclesiis introduxere. Nam canones veteres in usum reducere Episcopis licet, etiam ex Concilii Tridentinæ auctoritate & exemplo Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis, qui inter Sanctos habetur. Neque ad eam rem Roma consulta opus. Quod si & Pontifex sua sponte quædam corrigat, ut cùm festos dies accidit, & cùm imagines multas sustulit, accipiendum id grata manu. Et videtur id quod nunc in Italia fervet bellum occasionem daturum emendationi alicui. Rex Angliæ si in fœdus cum Gallia venire volet ad restituendam Domum Palatinam, facilè ope Galliæ aut auctoritate jus suum in Regno recuperabit. Regina Regens cc millia Franciciæ pecuniæ mittit Reginæ Angliæ, & parat se Comes Harcurtius itineri ad pacem ibi constituendam. Vale, mi Frater, cum tua ac tuis. Lutetiæ 5 Septembris 1643. 669

Die Iovis datus est in carcerem ad Silvam Vicennensem Dux Bellifortius Filius Ducis Vindocinensis. Dicitur autem Cardinali Mazarino struxisse insidias. Pater ejus ab Aula abiit. Librum illum de Frequenti Communione velim apud vos recudi minori forma & literis. Continet enim omnia quæ ad pietatem sunt necessaria deducta ex Scripturis per rivos Traditionis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DOleo causam tam bonam quàm est illa quæ à me su- 670
scepta est veritatis & pacis ab omnibus deseri. Si aut Corvinus aut quis alius voluisset operam in hoc ponere, exigui ea fuisset temporis. Quod si nihil sperari potest, ego aliquando de præcipuis rebus cogitabo, & memoriæ meæ adjuvandæ causa velim ad me remitti schediasmata. Non erit inutile Voetio cornua defringi. Vidi & mandata quæ Hollandi dant Legatis suis ad Conventum Fœderatorum abeuntibus, & juramenti formulam quæ Legatis illis præscribitur. Multa in utroque egregia. Sed quod de defendenda Religionæ ita ut recepta est dicitur, dubito an eo tantùm pertineat ut qui cum Synodo Dordrechtana sentiunt templa & solaria publica habeant soli, an etiam ut publicorum munerum exsortes sint qui non ita sentiunt ac sentire se profitentur. Versio

Gallica Tarquinii Malveziani non dubito quin sit tersa ac nitida. Novi enim interpretem. In quæstione de Rougemontio refert natusne ille sit in ea Trajecti ad Mozam parte quæ Ducis est Brabantiæ, an in ea quæ Episcopi est Leodiensis. Deinde an cùm Duci Neoburgico se addixit, animum habuerit in solum natale redeundi. Ego existimo licere Belgis, ut & Hispanis, patriam derelinquere sine ullis vinculi reliquiis. Multa sunt apud Marianam exempla. Vale cum tua ac tuis. Lutetiæ. 19 Septembris anni 1643.

Filius noster maximus natu non meo, sed Baronis Degenfeldii impulsu voluit militare Venetis. Ad Melitensem militiam non recipiuntur nisi Catholici: & ubi præmia acciperet? In Galliane an in Batavis? In re Hogerbetiana quid agatur scire cupiam. Si nancisci aliunde potes descriptum diplomaris quo Batavus aliquis fit à Rege Galliæ Eques S. Michaëlis, velim id mihi mittas. Audio enim variè id explicari. Rogo ad chartas meas recuperandas aut certè testatiorem faciendam eam quæ mihi & legibus facta est injuriam libellus offeratur, ut sæpe scripsi. Erit aliquando usus ejus rei. Chavigniacus hic retinetur ut sit inter Ministros Status. Servianus pro eo it in Germaniam. In Italiam pro Serviano S. Chaumontius. Episcopi Bellovacensis & Lexoviensis se ab Aula retrahunt. Ita mutantur res Gallicæ.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

671 DE Duce Bellifortio nihil ausim scribere priusquam edat Regina, quod facturam se dicit, causas ejus capti. In quibus ægrè omnibus satisfaciet cùm ipsa vix satisfaciat sibi. Illud scio Domesticos omnes quos in carcere habuerat ab eo amotos. Ryckewardium urge quæso quantum potes & filiæ litem. Isaaco Vossio tempus hic non peribit. Discet res civiles & interim veteri studio favebit libris antiquis & eruditorum consuetudine: & edet ut puto Ignatii epistolas ad optimos codices. Pater in suis ad me literis ostendit placere sibi ut apud nos sit. Mone Librarios ut exemplaria de precum reformatione & Frequenti Communione ad se venire faciant & recudant. Bonam in eo operam Christianismo navaveris. Interim Deum precemur ut & Episcopi & Principes ad resarciendam & repurgandam Ecclesiam faciant quod sui est muneris. De explorando Lovaniensium judicio, ubi exemplaria venerint, fac, quæso, memineris. Promissio primùm facta est corpori universo Coloss. II. 19. III. 15. Eph. IV. 16. I. Cor. XII. 27, 28. Eph. IV. I. Ecclesiis localibus consequenter quatenus corpori universo adhærent. Nam Episcopum facere ubi est Episcopus legitimus, Presbyterium ubi legitimum est Presbyterium, habitum fuit antiquis illis pugnare non tantùm cum Canonibus Apostolicis & Synodicis, sed & cum ipsa caritate. Ideoque id ut crimen grave objectum est Novatianis & Donatistis. Romana Ecclesia non est sola Catholica, sed Catholicæ præsidet ut Hieronymus ad Damasum ostendit. Quod autem D. Mathisius tuetur in postremis Conciliis errasse circa fidem Ecclesiam illam, qui in communione est Romanæ Ecclesiæ, id non miror, cùm is errasse in fidei articulis credat & Synodum Nicænam primam: nec aliter sentiant plerique Remonstrantes. Mihi autem ita videtur interpretationes sinistras nasci ex facto semel divortio. At ubi cohæret unitas ibi Deum inspirare cogitationes pacis & explicationes commodas & à pietate non alienas. Reperio autem quicquid communiter ab Ecclesia Occidentali quæ Romanæ cohæret recipitur, idem reperiri apud Patres veteres Græcos & Latinos quorum communionem retinendam fuisse vix quisquam neget. Si quid præter hæc est, id ad liberas Doctorum opiniones pertinet: in quibus suum quis judicium sequi potest & communionis jus non amittere. Quod si quis privatus aut presbyter per injuriam excommunicatur, ferre id patienter debet & Deum rogare ut Ecclesiæ Rectoribus inspirat mitiora judicia. Si verò tota Ecclesiæ corpora per injuriam excommunicentur, debent illa hoc ipsum omnibus apertum facere, desiderare omnimodo communionis universalis restitutionem, nihil mutare in recepta doctrina, ritibus ac Regimine: sedi Romanæ suam quoque intra veteres limites auctoritatem relinquere, ut spes semper maneat resarciendæ unitatis. Hæc mihi meliora videntur, quàm quæ nunc fiunt & pridem facta sunt. Saluta quæso uxorem & liberos. 26 Septembris 1643.

Redeant ad me schediasmata mea contra Rivetum, quandoquidem nulli apud vos sunt usui.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

SPero Galliæ hanc febrim nec gravem fore nec diuturnam. Omnia sanè ad tranquillitatem intus & ad bellum in Germania parantur. Schediasmata, si nemo est qui uti velit, remitte. Breve datum Latio responsum habebis intra non multos dies. In juramento illud de Religione explicationis indiget. Quæstio de Rougemontio in eo verti videtur, an eùm aliis inservivit Principibus animum habuerit civitatem Leodiensem ita retinendi, ut cives & subditi solent. Ego certè Hollandus esse desii, idque satis significavi Ordinibus Hollandiæ, cùm Suedico Regno meam operam addixissem. Neque enim scripsi ut subditus. Ita solitos facere Hispanos Mariana multis locis Hispanicæ historiæ nos docet. Vide & nostra de Iure Belli II. V. 24. & III. XX. 41. Gailium II. 36. observationum. De chartis repetendis & de diplomate Equitum S. Michaëlis memineris rogo. Discedit jam in Britanniam Harcurtius Regi Britanniæ & Episcopis bonam navaturus operam. Paulò post ibunt Davausius & Servianus in Germaniam, ubi jam nostri sunt Mindæ, S. Chaumontius in Italiam. Bene Ordinibus vestris procedat pecuniæ conquisitio. Miror de Hogerbetiorum re nihil me intelligere. Saluta tuam ac tuos. 3 Octobris 1643. 672

Dux Anguianus supplementa adfert Guebriano.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

SPero literas quas desiderare te ajebas ad te perventuras. Septimo enim quoque die ad te rescripsi. Barlæi orationes legi cum voluptate. Valde mihi placent, & gratias ei agi velim. Non miror autem novo carmine arreptam ab eo materiam tam plausibilem. Vidi juramentum equitum Michaelis. Videtur mihi qui se ita externo Regi devinxerit, parum liberam habiturus vocem in rebus illis in quibus aliud Rex desiderat, aliud magis ex usu est publico. Angliæ Regi hic favetur. Scoti nolunt venire in Angliam nisi acceptis pecuniis. Sed de fœdere inter Parlamentarios Anglos & Scotorum Legatos convenit. Iacobus Sirmondus vir optimè meritus de omnibus literis jam inter octuagenarium & nonagenarium medius non desinit posteritatem obligare. Librum nobis edidit ex Manuscripto qui fuit Hincmari Archiepiscopi Rhemensis satis noti. Is liber oppositus est libro hominis sentientis cum Prædestinatis, id est, ita ut nunc sentiunt qui Synodo Dordrechtanæ adhærent. Est autem scriptus & efficaciter & eleganter, & dignus qui legatur non sua tantùm lingua, sed & aliis. Confido gavisurum hujus libri conspectu optimum senem Vtenbogardum. De Hogerbetiana re miror nihil me intelligere. Editiones nostras deproperes rogo: & schediasmata, quæ ibi nullum sui usum reperiunt, remittas, non quod contra Rivetum ultra scribere decreverim, sed quia alibi usui esse 673

poterunt

poterunt. Vale cum tua tuisque. Lutetiæ 10 Octobris 1643.

Scire velim an Annotationum nostrarum ad Novum Testamentum multa restent apud Blavium exemplaria.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

674 DIcere non possum quàm desiderem videre omnia mea edita. Quare rogo instes. De Bellifortio nihil adhuc editum: sed capti quidam ex quibus speratur aliquid contra eum posse elici. Benefacis quod de consilio D. Vossii super filio suo me mones. Victoriam ad Grotenhusiam remisi per Beuningium. Recudi libros de Precibus & frequenti communione, foret utile ad concordiam. De Ecclesiis quæ dixi videris in eo mentem meam non cepisse. Si illæ Ecclesiæ quæ Romanæ adhærebant, ut Genevæ & in Gallia erant Ecclesiæ, non licuit Vireto & aliis novas ibi Ecclesias constituere & scindere unitatem. Fecere autem hoc priusquam excommunicati essent. Nec siquis excommunicatus injustè est ideo jus habet presbyterium constituendi contra presbyterium. Tempore & patientia opus est, ut innocentia patescat. Ita egit Theodoretus, ita agi suadet Augustinus. Edicta autem Regum, quæ defendere nolo, facta sunt postquam novæ istæ Ecclesiæ erigi cœperant: unde Principes sibi malum metuebant, edocti Monasteriensi exemplo, quantum ad convellendum statum valeret Religionis nomen. In Anglia audimus Regis res esse potiores: & ei favebit Regina Galliæ Regens. Si Scoti ab una parte veniunt, ab altera aderunt Hiberni. Pax est ibi optanda ac alibi. Regina meliusculè valet. Principi Condæo dedit Cantiliacum & Domartinum. In Rouarguia inter Guiennam & Languedociam rusticorum est seditio. Dux Anguianus cum suo exercitu dicitur venisse ad Bipontinam Regionem, ubi non longè est à Bavaricis & Duce Carolo. Motta Odincurtius ab inita expeditione Barcinonem rediit. Vale cum tua tuisque. 17 Octobris 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

675 DE schediasmatis rectè fecisti. Cogitabo quid jam faciendum sit. De Bellifortio nihil editur. Testes adhuc in eum conquiruntur. Et ideo in Bastiliam conjecti sunt duo noti familiariter Duci Vindocinensi. In juramento miror non movere id quod vel maximè religiosos animos movere debeat. Quæ D. Matenesius monet, speciem habent æqui. Sed vereor ne nobilitas obtentus quærat impediendis civitatum tam bene consentientium consiliis. Exemplum diplomatis S. Michaëlis & accepi & de eo quid mihi videretur scripsi. Legati ad pacem Gallici cunctantur mirum in modum. In Anglia puto irritam fore Harcurtii Legationem, cui vestri succurrere poterunt. Hogerbetium ubi videris impelle & juva. De chartis facilè id habebo quod volo ut manifestior sit quæ mihi facta est injuria: & ego bona fide retinere possim quæ publica apud me sunt. Quare putem ex usu fore ut Rotterodamenses rogentur, ut in recuperandis illis me juvent, secundùm civitatis privilegia & pacta mecum inita. Vale, mi Frater cum tua & tuis. Lutetiæ 27 Octobris 1643.

Dux Bellifortius petit causam suam à Parlamento cognosci.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

676 QVid literis istis evenerit, quas perditas manere me mones, non possum assequi. Nam quin curatæ sint cum cæteris non est cur dubitem. Fieri potest ut hic interceptæ sint: nam solet id fieri. Nescio an illæ fuerint quibus replicavi ad exceptiones eorum qui novas Ecclesias erexerunt. Liber ille Prædestinati & dictione antiquitatem probat & ipsa Scriptura, judicantibus ita omnibus qui norunt talia. Quid de D. Salmasio futurum sit, etiamnum incertum est. Majora & hic promittuntur: sed non æquè hic certa quàm in Batavis salariorum persolutio. D. Vtenbogardo velim librum ostendas & prosperam senectam preceris meo nomine. Porphyrii decretum puto à te scriptum pro Parthenii. Id autem & ante integrum ad te miseram. Quæ autem miserat Comtæus falsa erant. Multis de causis non possum eum hominem non habere suspectum. De juramento Equitum S. Michaëlis dixi, quod mihi videbatur. Sed scio mea non probari omnibus. Schedia accepi & aliquando fortè utar. De Annotatis in Euangelia & de editionibus rogo memineris. Nova non semper habemus ac ne nunc quidem. Nescimus enim an Marescallus Guebrianus cum supplemento Rhenum rursum transierit. Sed fama est ex Protestantium numero, ne quid querantur quatuor brevi fore Marescallos Franciæ, Marchionem Lafortium, Vicecomitem Turenæ, Ransovium, Gassionem. Vale cum tua tuisque. Kal. Nov. 1643.

Regina Regens Montacutium, ut à se missum, à Parlamento repetit. Parlamentum hominem à se damnatum recusat reddere. Edidit paullò antequam Mazarini potentia in hoc fastigium cresceret Ismael Bullialdus in literis & mathematis bene versatus Theonem Smyrnæum Platonicum. Dedicavit Augusto Thuano Consiliario Parlamenti in epistola dedicatoria hæc sunt verba. Tu unus illustris generis stirps relictus es. In te uno Domus tuæ fata volvuntur, post lugendum casum fratris tui τοῦ μακαρίτου illius Francisci Augusti, quem dira ac durissima tempora, in bonorum perniciem sævissimè decurrentia, Europæ, Patriæ, bonis omnibus ac suis abripuerunt. Tam lacrymabilis casus memoria, etsi omnem vel acerbissimum dolorem superet, meminisse tamen juvat viri Patriæ suæ bono nati præcipiti (nequid asperius dicam) judicio oppressi cùm obviam ire contendit Tyranno legum patriarum eversionem molienti, & convellere Familiam Regiam meditanti.

Mitto tibi documentum in re Diderici nostri. Omnino arrestum faciendum in pecunias quæ sub Vicquefortio sunt. Esse enim cognovi. Alioqui ista summa filio peribit. Papa rogatus ut pro Cardinalis Receliaci anima, ut fieri solet, missam diceret, dixit se nolle operam perdere.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

EDitiones nostras pergo tibi commendare. Res hic tranquillæ. Nescimus adhuc an transierint Rhenum 677
copiæ quas habuit Guebrianus & quas eis addidit Dux Anguianus. In Italia Pons Sturæ à Gallis obsidetur. In Catalania prævalent Hispani. Sed in Gallæcia res satis prosperæ Portugallis esse dicuntur. Redeo ad ea quæ antehac scripseram. Monarchis verè ita dictis vim justè opponi posse nego, addidi exceptionem ex Barclaio probabilem, si is Monarcha manifestè feratur in totius populi exitium. At multum distant Rex, homo unus & tota Christi hæreditas. Quod si quis excommunicatus sit injustè, faciat quod Augustinus jubet: nulla conventicula colligens, Deo & tempori causam suam committat. Quod si etiam diu duret ista injuria, habet ex Scripturis & Patribus unde se suosque instruat. Nec vetatur audire piorum pastorum pias homilias. Apostoli constituerunt in Ecclesia fidos homines qui alios docerent: ab illis alios voluere constitui, idque per manuum impositionem. II Timoth. II. 2. I Tim. IV. 14. II Tim. I. 6. Hic ordo

Digitized by Google

ordo manere debet ad finem sæculorum. Matth. XXVIII. 28. Nec torquere quis se debet quod communione careat sine sua culpa. Deus id damnum spiritualibus donis repensat. Potest talibus dici quod Cyprianus ait in metallis constitutis epistola LXXVII. Sed nec in illo fratres dilectissimi aliqua potest aut Religionis aut fidei jactura sentiri, quod illa nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia divina. Celebratis imò, atque offertis Deo & pretiosum pariter & gloriosum & plurimum vobis ad retributionem cœlestium profuturum: cùm Scriptura divina loquatur & dicat: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes &c. Augustinus de illis qui ejecti nullam segregationem faciunt. Hos, inquit, coronat in occulto Pater, in occulto videns. Quantum autem sit crimen contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis & Catholicæ unitatis adulterum & contrarium caput facere ostendit Cyprianus epistola XLII, XLIX & alibi. Tertullianus autem planè Ecclesias esse negat quæ per legitimas ordinationes census suos ad Apostolos ordinatores referre non possunt. Et hac vel maximè de causa constitutum in Synodo Nicæna, quæ regula est Ecclesiastici Regiminis, ut in unaquaque civitate non nisi unus sit episcopus, damnatique ibidem Novatum sectantes. Hoc unum est quod Donatistis objiciunt Optatus & Augustinus. Quid Comes Harcurtius effecturus sit videbimus. Montacutius captus, offensa in limine. D. Vtenbogardum tuamque & tuos salutes rogo: & facias Prædestinatum à D. Vtenbogardo legi. 7 Novembris 1643.

Epigramma.

Latius haud Latius satis est, quo latius ista
Tractare? Vt taceat Latius est satius.

EIDEM.

Mi Frater,

678 DEum precor ut optimum senem D. Vtenbogardum si id & ipsi & publico expedit ad tempus aliquod nobis servet: sin minùs, hujus mundi molestiis exemptum, impleat solatiis destinetque beatæ desurrectioni. Tibi verò & illud de chartis & de editionibus commendo. Miror ad te venisse literas ad Rosenhanium ut puto, quas ego scripseram. Soleo enim sub inscriptione ad illum literas mittere ad Baronem Oxensternium. Sed qui eas Coloniæ accipiunt, debebant eas inde rectè Osnabrugam mittere, non quærere ambitus. Satis enim literis cautum est per pacta publica. Ita & sumtum inutilem evitabimus: & prius quàm nunc perferentur literæ, quarum pretium est in celeritate. Matenesi negotium ostendit aliò spectare nobilitatem, aliò civitates. Et videtur non breve fore id certamen. Rogo Hogerbetios incites & juves. Ad pacem in Germania missi sunt Baro Oxensteirnius & D. Salvius. Tertius qui eo destinatus fuit est Senator Bielkius. Ego ubicunque jubeor & Suediæ & communi bono inserviam: & fortè hic non minùs ero utilis, ut Galliæ Rectores ad pacem impellam, hoc argumento quod eam desideret Suedia. Quod multò erit hic validius, quàm omnia quæ ex sacris literis, aut Philosophia possem petere. D. Gronovium rogo salutes. Facio ejus labores maximi. Deus te, tuam, tuos servet. Lutetiæ 14 Novembris 1643.

Filius noster maximus natu Venetiis est, ut cum Senatu agat sibique perpetuum aliquod stipendium paret. Minor satis habet unde honestè vivat. Est apud Guebrianum. Velim D. Vtenbogardum ubi permiserit valetudo, nisi id jam fecerit, scriptum aliquod facere de necessitate restituendæ in Ecclesia unitatis & quibus modis id fieri possit. Multi pro remedio monstrant, si necessaria à non necessariis separentur, in non necessariis sive creditu, sive factu relinquatur libertas. At non minor est controversia, quæ sint necessaria, quàm quæ sint vera. Indicia, ajunt, sunt in Scripturis. At certè etiam circa illa loca variat interpretatio. Quare nondum video an quid sit melius, quàm ea quæ ad Fidem & bona opera nos ducunt retinere, ut sunt in Ecclesia Catholica: puto enim in iis esse quæ sunt necessaria ad salutem. In cæteris ea quæ Conciliorum auctoritate, aut veterum consensu recepta sunt, interpretari eo modo quo interpretati sunt illi qui commodissimè sunt locuti: quales semper aliqui in quaque materia facilè reperientur. Si quis id à se impetrare non possit, ut taceat, nec propter res, de quibus certus non est, sed opinationem tantùm quandam habet, turbet unitatem Ecclesiæ necessariam, quæ nisi retinetur, ubi est & restituitur ubi non est, omnia ibunt in pejus. Velim etiam D. Vtenbogardus siquid historicum scripsit, consignet in fidam manum. Deus ei & nobis omnibus faveat. Edidit Dionysius Petavius tres Tomos de Theologicis & Scholasticis. Plura promittit de omnibus quæstionibus magis minusque necessariis. Sententias premit Veterum Latinorum & Græcorum. Omittit Scholasticos. Distinguit autem dogmata definita à liberis. Vtraque bene explicat. Libri sunt perutiles. Vapulat in eis Salmasius detracta Wallonis Messalini persona. Risi cùm vidi à Petavio Conradum, Vorstium appellari Calvinianum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

PRo commodiore D. Vtenbogardi valetudine Deo 679
gratias ago eumque precor, ut senem optimum diu communibus utilitatibus servet. Spero non ingratum ei fore librum Prædestinati, quem maximè ipsius, sed & tui causa transmiseram. Legi cum voluptate carmen Mosis bene expressum, cùm Latius mihi per irrisum dedisset *ἐπίθετον* quale adolescentum præceptoribus dari solet hoc tempore, non potui non aliqua ex parte festivus & pro nomine notas ejus ponere unde cognoscatur. Quod dicis de novo periculo imminente omnium libertati in Gallia, id non abs re est. Apud Vicquefortium pecunias esse Vinarienses affirmavit mihi Grossechius. Quæ autem & ubi sint sitæ terræ de quibus agit D. Vicquefortius, velim aut D. Reigersbergius aut tu ex ipso cognoscatis. Vicecomes Turenæ & Gassio jam sunt Franciæ Marescalli. Legati Gallici moras nectunt. Non memini an ad te scripserim, scripsisse Latium ad Ministrum Reformatum in his locis, ideo se mihi contradixisse, ne sicut in rebus aliis, ita & in hac mea auctoritate alios traherem, quasi in iis quæ ego dixi aliquid esset metuendum. Vale quàm optimè cum tua tuisque & amicis. Lutetiæ 21 Novembris 1643.

Rem mihi gratam feceritis, si nullos posthac ad me allegaveritis Batavos. Videntur enim in id tantùm venire, ut me inhonorificè tractent, ego eis opus non habeo. Vicecomes Turenæ & Gassio jam Marescalli sunt Franciæ.

Epigramma in honorem Eminentissimi D. Cardinalis Iulii Mazarini.

Vt Gallos domuit Romanus Iulius armis,
Romanus Gallos Iulius arte domat.

Iansenius Iprensium sub nomine Calvinianorum egregiè vapulat in Petaviano opere.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo expendi abs re rationes meas quas nuper scri- 680
psseram. A veteribus multo aliter intellectum fuit id

id quod est in Symbolo de Ecclesia Catholica, quàm quomodo nunc ab iis qui particulas fecere intelligitur. Major illic cura erat conservandi corporis in una Communione unoque Regimine quàm pertinaciter vulgandi opinationes suas aut litigandi ob ritus. Miseror rempublicam vestram, in qua video diversa studia circa res maximas. Deus eam à periculis servet. Si Gallis credunt, manebunt in bello. Si Anglis Parlamentariis & Scotis, addent se eorum causæ. Scire velim qui sint ii qui scriptorum nostrorum editioni moram injiciunt & cur: neque enim videntur mihi optimè velle. Si ibi nihil proficere potes, restat mihi videre quid hic efficere possim: nolim enim posteros meo labore fraudare. Epigramma in Latium multi hic censebant addendum dissertationi. Ego tamen id non feci. Mosis Amirautii responsionem pro Calvino adversùs scriptum ex Anglico translatum, solidè admodum refutavit Petavius fine Tom. I. Theologicorum dogmatum: ostenditque eum in describenda Prædestinatione planè sentire cum Arminio: in conciliandà necessitate interna cum libertate, nugas eum agere. Deus te, tuam, tuos, nostrosque omnes sospitet. 28 Novembris 1643.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

681 LIteras pro Legatis nostris quas ad Rosenhanium mittere solebam, mittam ad Belderbekium, ut ille eas curet via brevissima. Miror autem quomodo sine mea inscriptione literæ meæ Rosenhanio destinatæ ad te venerint. Quid editiones nostras moretur exactiùs discere avebo, multumque gaudeo D. Vtenbogardum valere rectiùs, cogitare de viis ad restituendam Ecclesiæ pacem & de historia transmittenda ad posteros. Deum rogo in omnibus istis ei sit adjutor. Magnum est negotium quod in Batavis moliuntur Legati Gallici. Suedi pacem malunt perpetuam, quàm in annos aliquot. De filio qui in Germania est velim nos aliquid habere certi & boni. Guebrianus ex vulnere mortuus est: Ranzavius ab hoste captus. Gronovii libellum ubi commodum erit exspectabo. Legi Psalmos D. Graswinckelii. Laudo pietatem. Ego post Buchananum tale nihil ausus essem aggredi. 3 Decembris 1643.

Addendum erratis in dissertatione altera de Origine Gentium Americanarum. p. 31. lin. 5. pro *octavo* scribe *octogesimo*.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

682 VIderis mihi hinc stare, inde causam dicere. Excusas inimicos de iis super quibus nemo hic eos excusat: me accusas, de iis de quibus nemo me hic accusat, nec puto accusabit quisquam extra Hollandos vestros. Non æquum est ut ego aut libertatem meam aut dignitatem aliorum commodis subjiciam. Inscriptiones tuæ ad me honestæ sunt: sed sunt qui veniunt ab aliis aliter instituti. De industria res agitur, & Suedi ad quos hoc pertinet, mihi succensent. Quare rogo in posterum, si urgearis, des literas ad uxorem, postea ego videro quid mihi faciendum sit. Interim velim scire editionibus nostris quid obstet, ut deliberem quid agendum sit. Abitætas & periculosum est aliquid tale heredibus relinquere. Filiorum meorum maximus apud Venetos est: & nescio an quid transacturus sit, exortis novis difficultatibus circa dilectus apud Rhetos & Helvetios. De minimo in magna sumus sollicitudine. Scripsit ad nos 19 Nov. capta Rothwila, ex castris ad eam urbem. Sed ex eo tempore tot ad Dellingam partim cæsi, partim dediti, tot capti ad Memmingam, tot in fuga interfecti, dissipatus omnis exercitus in magna nos tenent formidine. Fortè hæ clades Gallos facient ad pacem proniores. Quos adducit Vicecomes Turenæ pauciores sunt quàm ut supplendæ huic cladi sufficiant. Quod seorsim divertunt Davausius & Servianus id non extra morem est, magnus enim est & huic & illi comitatus. Opiparè exceptum gaudeo. Goringius pro Rege Angliæ clam in urbem venit, prætentandis vadis. Mox solenni more intrabit. Offensi fuere Parlamentarii quod in scripto Comitis Harcurtii comprehensum esset, scire velle quæ eos causa ad arma egerint, ut ea componi possint ex legibus & moribus antiquis. Id verò minimè placet Episcoporum ejectoribus. Lutetiæ 12 Decembris 1643.

Rogo me commendes uxori. Liberos & amicos saluto. Velim scire an spes sit fore ut recudantur apud vos Parthenius & Prædestinatus. p. 26. lin. 7. dissertationis alterius de Americanis gentibus explicatiùs poni velim. *Pari modo, id est quærendo.*

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GRatias ego pro memoria rerum mearum & editionum maximè. Antequam poëmatum reliquiæ edantur, transmittam Aureum Carmen Pythagoræ & Euripidis Supplices Latinè. An pax hic seriò optatur dubito; sed possunt multa evenire quæ tergiversantes impellant. Filius meus natu maximus Venetiis adhuc est. Nec adhuc cognovi an cum Venetis certi aliquid pepigerit. Minimum noti plerique suspicantur esse captum apud Bavaros. Scribuntur enim cùm Dillinga capta est, capti Adjutores Castrenses quatuor. Ipse postremum ad nos scripsit cum Rothiwila à Gallis caperetur, quæ nunc ab hostibus recepta est. Duces dimissi, milites transire coacti ad partes adversas. Colíniacus Marescalli Castilionæi filius Lestradium misit ad Ducem Guisium eum ad pugnam provocans: nec excusavit Guisius, cui domesticus nobilis adjutor fuit, Coliniaco Lestradius junctus ei longinquo sanguine. Bis cecidit Coliniacus: & exarmatus à Guisio & plano ensis verberatus est cum monito, caveret in posterum Principes provocare. Hæc res & ex dissidiis ante natis originem habet & timendum est, ne novis dissidiis det causam. Dux Aurelianensis valdè Guisio favet, cujus sororem antèhac, nunc verò consanguineam in matrimonio habet. Coliniaco favet Dux Anguianus. Apud vos nisi & mandata quæ data sunt Legatis ad Fœderatorum Conventum & jurisjurandi formula defenditur, erunt in periculo qui gravibus malis remedia adferre voluerunt. Ego eis, tibi, uxori, liberis precor optima omnia. 19 Decembris 1643. 683

Solidius quàm quisquam antehac in tertio Tomo tractavit Petavius quæstionem totam de Libero Arbitrio, ita ut nihil sit quod ad diligentiam ejus adjici possit. Tractavit etiam historiam de Pelagio & Semipelagianis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo perstare te in cura pro editionibus nostris. 684
Optimum senem D. Vtenbogardum velim salutes, instesque apud eum assiduè ut sua cogitata ad restituendam Ecclesiæ unitatem chartis consignet. Et pietas ejus & eruditio & summa rerum peritia cogunt me credere, eam operam utilem futuram, si non huic ætati, at posteris. D. Vossio gratias ago maximas quod nostri cum honore meminit. Si in quibusdam sentit aliter, nihil id nostram lædet amicitiam. Debemus hanc libertatem alii aliis. De Diderico nihil dum habemus comperti. Scribitur hic novus miles. Tributa indicuntur nova. Plebs multis in locis maximè ad Ligerim in metu est. Princeps Condæus & Marescallus Castillionæus accessere Guisium, testati nullam sibi partem esse in istis rixis, quæ alioqui clandestinis

stinis auctibus facilè in bellum civile exardescerent. Deus te, conjugem, liberos, amicos servet. 26 Decembris 1643.

Velim mihi mittas Edictum postremo factum apud vos contra Pontificios. In dissertatione altera de Origine Gentium Americanarum, velim explicatiùs poni p. 8. l. 11. *nullum famæ vestigium in illo orbe repertum, aut de illo orbe in hoc nostro, quod &c.*

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

685 VIdebis ex Legatis Gallicis & ex iis quæ Batavi adversùs Reges desputant, quàm sollicitè tuenda sit Legati persona. Et cùm aperte videam id agi à Batavis ut eam mihi perdant, rationem habere debeo ejus Majestatis cujus mihi tutela quædam commissa est. Quæ in eo genere peccata sunt, corrigi faciliùs quàm excusari possunt. In scriptis meis multo plus respondens servavi modestiæ, quàm ii qui à me non læsi pro lubidine sua me adversarium sibi sumsere. Et velim eos qui apud vos mihi sunt proximi tam æquè de meis judicare quàm hic judicant extranei. Editiones nostras cordi tibi esse gaudeo. Et Parthenius & Prædestinatus digni sunt qui pluribus linguis legantur. Pertinent enim ad defœcanda judicia. Maximus natu filiorum adhuc apud Venetos hæret, incertus quid facturus sit. De minimo nihil habemus certi, sed conjecturæ nos eò ducunt, ut credamus eum esse inter eos qui capti sunt Dullingæ. Res Regis Britannorum non malo sunt in loco. Non imprudenter agunt vestri, si priusquam eò eant speculentur quid Harcurtius, quid Gorinus facturi sint. Miror qui venti inflarint Batavos, ut cum Republica & vetustissima & per tot sæcula adultæ potentiæ certare cupiant. Ego spectator ero. Precibus tuis ad Deum pro pace meas adjungo. Cartesium vidisse non memini. Sed ex scriptis eum maximi facio. Deus te cum tua tuisque sospitet: & annum hunc 1644, cujus die secundo hoc scribo Lutetiæ, vobis det felicem & D. Vtenbogardo.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

686 SI quid Amstelodami didiceris rogo norim. Amicis & cognatis nostris Adrichemio & Dusserio salutem velim dici meo nomine: gratulor non ipsis, sed civitati de tam bonis Magistratibus: magis verò ipsis de propinquante libertate à functionibus talibus, his præsertim pessimis temporibus, quibus perdifficile est & ex conscientia agere & aliis satisfacere. Gaudeo Berbelium tam bona esse in fama. Certè si socerum & socrum imitabitur, nullus erit cui tutiùs credi possit pecunia publica. Medemilacensibus ut video pro exiguis opibus satis est animi. Laudo quod Hollandi constituere circa Conventum Fœderatorum: sed miror eos per annos plus viginti concoquere potuisse tantum sui contemtum. Dicebat mihi D. Hogerbetius cùm in carcerem Lupesteniæ duceremur, princeps Provinciarum facta est sub tributo. Nihil dici potuit verius. Minusculæ illæ inter se conjurantes legem dicunt Hollandiæ, & eam in impensas damnant. Nihil vidi iniquius. Et hæc vidimus nos agitari antequam caperemur. Hæc futura apertè dixi, cùm libertati essem redditus. Si Amstelodamenses, ut nunc sapiunt, sapuissent nostro tempore, mansisset status ille non malus, qualis fuerat post Licestrii tempora ad nostram captivitatem. Drentanos puto nihil injustè postulasse. Didericus Dublingæ fuit, captus est: sed cui obtigerit Agamemnoni, Menelao, an Vlyssi nescitur. De singulari illo certamine non malè judicas. Multis id majoris mali omen videtur. Cornelius noster nihil dum cum Venetis transegit. Audio parari editionem novam Apologetici nostri; nescio Latinè an Hollandicè, an lingua utraque. Nihil mutari velim. Errata typographica bene corrigi. Si velit librarius addere ad finem Acta quæ sunt in voto contra Rivetum, & quæ seorsim sermone Hollandico sunt edita patiar, dum ne ego dicar novæ editionis auctor. Miror de agris illis quos in solutum acciperet Didericus, me nihil per vos intelligere. Spes major est quàm ut negligi debeat. Hic omnia satis bene habent: nisi quod apud Pictonas turbatur. Deus hunc annum felicem det tibi, uxori, liberis, amicis. Scribebam 9 Ianuarii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

HÆc sunt quæ cursim observavi. Neque enim ordine 687
perlegi editionem ultimam. Optant multi ut præter editionem in octavo commodam iter facientibus, alia fiat in folio pro senibus & bibliothecas splendidas extruentibus. Censeo autem Annotata non inserenda textui, sed ponenda seorsim aut post sua capita, aut fine totius operis, ut fecit Lipsius. In rebus nihil habeo quod mutem. Typographica errata collatis editionibus facilè deprehendentur. Nostra ad Testamentum Vetus non multum absunt à fine. In Maccabaicis enim versamur. Illa ad Novum describuntur. De historiis & Gothicis & Batavicis delibero. De Latio quid nobis faciendum sit cogitate. Suedos quod in Danum fecere, id necessariò eos fecisse credo. Magna ibi res agitur. Rixa hic magis dormit, quàm exstincta est. Ignotus quidam in area Regali ubi statua est Ludovici XIII. hanc posuit inscriptionem: *Henricus Guisius aulico molimine ad duellum vocatus & in arenam Regiam ductus, Colinaeum antiquum Religionis & Guisianæ gentis hostem debellavit, inflexit & inermem reliquit Anno Domini* 1643. Filius noster Didericus ad nos scripsit Tubinga. Sed inde aliò erat ducendus, & puto Ingolstadium. Ait se in præda esse ejus qui Vicarius est Merciaci. Videbimus quid faciendum sit. Saluta tuam, tuos & amicos, & nominatim D. Vtenbogardum. Lutetiæ 16 Ianuarii 1644.

Bavarus minatur se diu retenturum captivos. Nos omnibus modis nitemur, ut nostrum quamprimùm liberemus. Velim scire an apud Blavium aut alios multa adhuc non vendita restent exemplaria Annotationum nostrarum ad Novum Testamentum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOn puto multum effecturos Legatos vestros in An- 688
glia, nisi Rex Scotorum metu & spe Danici auxilii amissa, ad alia se consilia vertat: cujus tamen rei nulla hic videmus indicia. Suedorum magna sunt cœpta: sed magnæ etiam in eos brevi surrecturæ sunt copiæ. Deus cuncta dirigat ad bonum Orbis Christiani. Batavi non habent cum Dano commercia, faciliter prementi faveant. Vides apud vos etiam supplicationum dies in Aulæ gratiam verti. Didericus Tubingæ adhuc est sub cautione. Scripsi ego ad Ducem Bavarum, item ad Iohannem Waertium & Kesnerum quos noris, ut filius noster liberetur inter primos. Sed literæ eæ nondum eò pervenere. Ipse captus est ab iis qui Merciaco subsunt. Quare si quis Merciaco notus pro Diderico volet scribere, grata erit opera. Cornelius an quid cum Venetis confecerit, nondum scimus. Vicquefortium pecunias sub se habere Vinariensis, quod ipse negat, multi mihi pro certo affirmant. Et mihi promiserat se pecunias non à se abdicaturum, nisi Diderico satisfactum esset. Non æquum est nos per ejus fidem damnum adire. Quare omnia tentate. Editiones tibi commendo, te, uxorem, liberos Deo. 20 Ianuarii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

689 GAudeo libros quos ad te miseram non inutiles visos D. Vossio. Velim talium aut multa ad vos exempla mitti, aut ipsos libros transcudi. De filio minimo scripsi quid acceperim. Ex eo intelligo novis ipsius literis non eum, ut exspectabat Tubinga aliò translatum, sed ibi adhuc esse & libertatis spem habere aliquam, quanquam prædicante Duce Bavaro se captivos non dimissurum ante anni exitum. Videntur mihi Aula Anglica & Parlamentarii ita dissidere animis & eas habere vires, domi utrique, tum illi ex Hibernia, hæc ex Scotia, ut facilè ad pacem se sint versuri, præsertim cùm multi apud eos attra bile agitentur ac proinde & suspicaces sint & pertinaces. Deus desperatis rebus exitus det bonos, & tibi tuisque prosperrima omnia. 23 Ianuarii 1644.

Velim ad me mittas documenta quæ misimus de legato quod Diderico relictum est, & eum fuisse inter domesticos Nobiles quo tempore mortuus est Dux Bernhardus. Rogo te D. Vtenbogardum moneas, ut meminerit eorum de quibus ad te scripsi aliquoties. Editiones nostras spero tibi cordi fore.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

690 MAximus noster natu adhuc apud Venetos concionatur. Pro minimo videbimus quid literæ meæ sint effecturæ. Si quos nostis gratiosos in Aula Bavarica, nihil peccaveritis, si & eorum utamini commendatione. Nulla sunt ibi certa belli pacta. Puto Reginam Regentem deprecaturam duriorem tractationem Catholicorum Romanensium in vestris locis. Gaudeo quod editionem de Iure Belli curas, spero & Anthologiam, ac deinde poëmata. Annotata de Iure Belli multa habent de novis scriptoribus quæ textui nolim inseri. Deinde textus per se sufficit & bene cohæret. Rixa Coliniaci & altera Dandeloti nondum sopita est. Cursor à Lugduno nescimus per quos literis suis exutus est. Cardinalis Lugdunensis Romam it ob exspectatam Pontificis mortem. Vbi Blavius exemplaria sua Annotatorum ad Euangelia vendiderit, mittam ei exemplar in quo versa erunt Græca & Hebræa. Bertelium dignum arbitror, cui detur quæstura Ærarii Hollandici. Alterum nimis peritum puto lucrandi artium. Deus te uxorem & liberos servet. Lutetiæ 6 Februari 1644.

Vidi defensionem Ducis Parmensis Italicè editam; digna est quæ legatur & recudatur. Gerwius Amstelodamensis propinquus D. Vtenbogardi, semper nos in adversis amavit. Filium ejus ad me recepi putans me ei gratum ea re facturum. Ipse tamen jam multo tempore elapso ex quo filius ejus apud me est, non scripsit mihi, placeret hoc ei, an non. Velim scire quæ sit causa.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

691 GRatias habeo pro remissis documentis. Videbimus quid hic fieri possit. Audio Bruxellæ transactum negotium de captivis etiam iis qui in Germania sunt liberandis. Ita & noster libertatem recuperabit. D. Vtenbogardum rogo urgeas, & editiones nostras. Incendium illud in Ecclesia Aulica aliquid mali Calvinismo mihi videtur portendere. Hic omnia sunt in veteri statu. Semina quidem sunt motuum, at motus nulli adhuc apparent. Exercitus parantur quatuor in Italia, Catalania, Alsatia & Campania. Ab Anglia nullam video spem pacis. Intrarunt eam hinc Scoti, inde Hiberni, & res Regis ad Plimuthum retro eunt. Inter Barbarinos & Italiæ Principes Fœderatos magna spes pacis. Gallia vult conciliatrix esse inter Suedos & Danos. Deus vos sospitet. 13 Februarii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DVtenbogardum velim & salutes & urgeas. Debet hoc posteritati, ut quod longa ætate non studiis tantùm, sed & experientia ad pacem Ecclesiæ utile didicit, id ne secum auferat. Tum verò, 692

Fortem facit vicina libertas senem.

Minimus filiorum puto brevi libertatis erit compos, quandoquidem, de omnibus qui Galliæ militarunt permutatione facta liberandis Bruxellæ convenit. Maximus natu sive bellum maneat in Italia, sive pax fiat, sperat se in Veneticis stipendiis fore. Res per Daniam nobis prosperæ sunt: sed quò magis procedent eò plus nobis creabunt invidiæ. Sed πρὸς τὴν ἰσχὺν ὁ φθόνος ἕρπει. Chavigniacus in dignitate veteri manet, pars consilii arctioris: sed sine rerum actu. Papa paullum revaluit: sed non est ut diu vivat & senex & ægro corpore. Groenewegium non vidimus, nec scimus ubi sit. Poteritis ei mittere literas ad uxorem meam. Deus vobis adsit omnibus. 20 Februarii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdi Sarmaticum librum. Plenus est masculi spiritus, & in prosa & in versa oratione. Vellem tantum metrica quædam errata fuisse correcta, ne ille arrodat in quem multa ibi vera dicuntur. Editiones nostras & novas & veteres recognitas cordi tibi esse gaudeo. Vita data est utenda. Ego dum datur ea uti velim, & quàm minimum hæredibus credere. Didericus est à Tubinga delatus Vlmam, credo inde Ingolstadium. Exspectanda ei erit communis fortuna, si Dux Bavarus non vult à nobis beneficiis nosci. Controversia ista Guisiaca & alia nondum sopitæ sunt. Et cavebunt sibi vocati in Aulam Espernonius & Vindocinensis ne veniant. Motus sunt aliquibus in locis. Pecuniæ inopia ingens. Vnde ergo magnus exercitus? Sed credo Dania partem Cæsariani militis à Gallo avocabit. Ducis Parmensis Apologeticum ægrè ab amico nactus sum. Librarii eum, aut hinc aut ex Italia petere debent. Noster Cornelius pridem mihi nihil scripsit, quid apud Venetos agat: sed videtur bone spe se pascere. Ordinibus Hollandiæ constantiam in bonis rebus opto. Intelligo publicum scriptum de controversia inter Suedos & Danos exspectari. Ego donec mandata accipiam qualia oportet, de re tanta publicè non loquar. Pro Archiepiscopo Deum precor. Pro certo habeo nihil eum mali in animo habuisse. Sed verà sunt Solenvillæ quæ Latinè olim vertimus: 693

Omnia confusis sunt plena tumultibus, & quo
Exeat inceptum non videt auctor opus.
Hinc qui sollicitè momenta expendit agendi,
Imprudens magnis luctibus obruitur,
Et temerè agressus divino munere felix,
Exitus absolvit non bona consilia.

Rogo salutes D. Vtenbogardum & Gerwium. Deus tibi, conjugi, liberis, amicisque faveat. 27 Februarii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

HAbeo gratias pro literis datis 13 Februarii, & pro versibus non illepidis super controversia de honorum signis: & pro cura editionum nostrarum, tum ἀνεκδότων, tum illorum de Iure Belli ac Pacis. Rogo ne te pigeat huic curæ insistere. Hogerbetius & urgendus & omni modo adjuvandus est. Saluta quæso eum meo nomine. 694

mine. Mali exempli est, quod Ordines Hollandiæ malè acta tam pertinaciter tuentur. Satis intellexit Harcurtius Legatos vestros ad se non venturos, præscriptis legibus talibus, sed ostendere voluit eo modo iniquè eos facere, quod pares se Regibus gerere vellent, & exigerent ea quæ non nisi pro beneficio accipi debent. Graswinckelii librum, ut & illum de Sestertiis videre aveo, sed multò magis id quod Lutheranus de Iustificatione contra me scripsit. Cornelius noster Venetiis nihil dum peregit, sed bene sperare se dicit sive pace, sive bello. A Diderico postquam à Tubinga aliò traductus est, nihil intellexi. Sed audio bello captos omnes brevi fore in libertate. Hic nihil occurrit scribi dignum. Pecuniæ quæruntur & milites. Abit Princeps Thomas cum summo in Gallicas copias trans Alpes imperio. Ducem Guisium super rixa audient delegati à Parlamento Parisiensi. Coliniaco & aliis qui pugnæ interfuere dicetur dies. Rex Hispaniæ Cæsaraugustam rediit. D. Vtenbogardo rogo meo nomine preceris tranquillum & morbis molestiisque vacuum quod restat vitæ. Nescio an antehac ad vos miserim Philippi Codurci Ministri & Professoris Reformati librum de Iustificatione. Is si apud vos prostaret, ostenderet clamoso Lutherano Protestantium doctissimos hac in re cum Catholicis convenire. Mileterii professio à multis doctoribus Sorbonicis probata est. Videbimus quid dictum illi à Carentonio. Nuper magnus Salmasii amicus mihi dixit facilè scribi posse Librum Hellenisticæ linguæ redivivæ ex ijs quæ idem habet, sive passim fateri cogetur, ita ut rem agnoscat, de nomine disputet. Idem Salmasius negat à quoquam observatum ἀπέχει respondere locutioni Latinæ habet. At ego id observaveram & quidem tribus locis Matth. vi. 2. xxvi. 45. Marc. xiv. 41. dicit ἐσχάτως ἔχει à me dici dictum Hebraicè. Locus est Marci v. 23. at ego non hoc dixi, sed ostendi ex Psalmo, quomodo ea locutio Hebraicè exprimatur verbis aliis, sensu eodem. Talia multa sunt, quærit rixam. Saluta quæso tuam, tuos, nostros. 5 Martii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

695 Vidi gaudens scriptam sub Epistola D. Vtenbogardi manum, unde spem concipio valetudinis ipsius pro ætate non malæ. Respondeo ei super ea re, super qua valde desidero audire piorum & eruditorum judicia. Valde enim ea cogitatio me exercet. Hogerbetius, ut & antehac scripsi, impellendus est, & quantum fieri potest, adjuvandus. Filius nostrorum natu maximus nondum cum Venetis transegit. Interim multæ alibi occasiones ei pereunt. Minimus nihil ad nos scripsit ex quo Tubinga nescio quò abductus fuit. De pactis Bruxellentibus res vera est, sed approbatione Bavari indiget. Papa ita ægrotat ut rebus suis superesse non possit. Pax interim illis in locis speratur, & fiet si Romæ probantur quæ Cardinali Bichio æqua sunt visa. Vidi causas undecim pro Suedis in Danum. Vidi & literas Reginæ nostræ scriptas Ordinibus Fœderatis & D. Spiringii orationem. Sed quamdiu ego literas & mandata non accipio, nihil in publicum de re tanta loquar. Dicitur Rex Angliæ multum labascere post Scotorum adventum tanto numero, & spem è Dania perditam. Ego tamen & ei & piis Episcopis bene volo: Deumque precor ut bella hæc & causas bellorum tollat. Idem te cum tuis servet. 12 Martii 1644.

Vxor mea sermones hic quosdam audiit, in quibus dixit se non alia audiisse nisi quæ nos docere debebat D. Vtenbogardus. Iam nunc accipio literas à Diderico nostro, quæ me docent esse eum in arce Fuggerorum inter Vlmam & Augustam Vindelicorum. Dux Vindocinensis capi metuens evasit Italiam petens. De Anthologia nostra quid erit?

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

D. Hogerbetio qui ad me scripsit nihil aliud habeo 696
quod significem, nisi me ipsi ipsiusque domui omnia precari faustissima, etiam in causa illa apud æquos judices manifestæ æquitatis contra Lugdunenses: dolere autem me de morte D. Modæi: Deus Viduam & pupillos soletur. Tu quin illis omnibus adjutor sis futurus non dubito. Si habes orationem D. Davausii pro Romano-Catholicis, velim eam cernere. Filiorum res adhuc eodem in loco sunt. Latii Librum prodiisse intelligo conviciis plenum, non argumentis. Ego, quanquam nondum legi, videor mihi non responsurus. Siquis est in Batavis otiosior, poterit eum tractare pro meritis. Si quid novi positum est in Edicto contra Romano-Catholicos, velim id videre. Iussus erat Arnoutius Doctor Sorbonæ ire Romam à Regina, sed opponit se Clerus & Parlamentum. Multi Episcopi sentiunt restituendas pænitentias publicas in publicis criminibus & in secretis confessionibus differendam absolutionem adusque exactam pœnitentiam. Paratus ad bellum hic lenti sunt. Sperant Ragotskium magnam hostium partem in se tracturum, tum partem aliam ituram in auxilium Dani. Deus te cum tua tuisque servet. Lutetiæ 19 Martii 1644.

Audio antehac ordines Fœderatos & Principem Arausionensem preces suas interposuisse pro Reformatis in Gallia. Quare mirari non debeat si & Galliæ Rex pro Catholicis aliquid facit:

ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων,
Ἀτρεΐδαι.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOndum otium mihi fuit legendi Latii scriptum, cui 697
non video responsum à me reponendum. Siquis alius id facere volet, potero quædam suggerere. Valde frequens est apud Græcos προϊάψειν εἰς ᾅδην etiam in Maccabaico tertio. Initio Homeri habes πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψε. Medicus quidam cùm Filium ad Grammaticam misisset, & is didicisset duos primos versus, ad illum versum ubi ventum esset, dixit ad hoc nihil opus Grammatico, se ad eam rem filio optimum magistrum fore. Ita sanè in Epigrammate narrat Agathias. Sibyllini versus, id est veterum Christianorum, dicunt ᾅδην ab Adamo dictum, quod is primus eo descenderit. Nomen Lutherani qui de Iustificatione contra me scripsit est Husmannus. Fuit is nuper Amstelodami. Sed in Saxoniam revocatus est. Codurci librum puto à me missum alicui in Batavis. Sed non sat memini. Professio Mileterii pridem est edita, sed ad vos, ut credo, non venit. Continet moderatam explicationem omnium ferme eorum quæ in controversiam vocantur. Videbimus an quod Sorbonistis persuasit, possit & Carentonianis persuadere. Salmasius quæ in libro postremo de Hellenistica habet de voce Iavan id est Ἰάων apud Homerum, ea à me dicta reperies pagina 301 Annotatorum ad Libros de Veritate Religionis Christianæ. Vellicat ille me non alia de causa, quàm quod ita se putat optimè adepturum gratiam eorum qui potentes sunt in Batavis. De veteris Mosæ cursu multa habeo documenta vetera. Sed iis contra rem fiscalem uti nolim. Quicquid in Romanensium causa posthac geretur, fac quæso norim. Multus hic de induciis sermo. Ego tamen rumoribus talibus non credo. Illud scio seorsim cum Duce Carolo agi, ut is se partibus Gallicanis adjungat. In Italia inter Romam & fedus oppositum pax erit, si volet Papa, id est Barbarini, in quorum potestate is pridem est. Dux Vendocinensis Genevam attigit. Creditur inde

inde Venetias petiturus. De filiis nihil recens habeo. Vale quàm optimè cum uxore & liberis & amicis. 26 Martii pridie natalem LXI. Anno 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

698 Vidi Latii librum non satis Latium, quanquam comicos flores, *agier* & *dicier* inspersos habet. Constitui non respondere. Satis videbunt qui judicio valent nihil à me allatum non probabile. Temporis rationes quod attinet, fieri potuit ut aut fama apud Americanos Septentrionales aliquid antiquitati originis adjecerit (neque verò qui de ea traditione scribunt inter se congruunt) aut ut è Norwagia navigationes eò institutæ fuerint ante eas quæ in annales relatæ sunt, propter obscuritatem illorum temporum,cùm literæ ignorarentur. Potest etiam fieri ut ante Arctoos illas partes invenerint. Salem quod allaturum se dicit Latius non optimè id ei successit, est enim ingenio ad sales inepto. Neque eam suscepit personam homo & presbyter & cui placuit sapientem pascere barbam, de qua re nihil dixit, cùm si sales quæsisset potuisset pro se illud adferre:

Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor,
Barbatus vivit.

Hoc quoque ille pridem quod postulare se dicit cùm expostulare deberet dicere. De Gadibus nihil opus quàm locum aspicere, deprehendetur error crassus. Strabo cùm in Indiam dicit navigari posse nisi vastitas maris Atlantici obstaret, de India loquitur Asiatica: Et tamen sunt testimonia eum oceanum navigatum,sed ad oram Africæ tantùm. Cajum Imperatorem Antichristum non dixi, sed Ἀντίθεον, oppositum Deo, cujus honores ipse sibi arrogabat. Et meam hac de re sententiam pluribus persuasi quàm ille persuasurus est suam de lue Venerea, quæ tam parum in America nocens, tantum sævitiæ alibi exerceat. Quod dixi de gentibus ab Austro delatis non ex Acosta habui, sed ex Incharum nepote Garsilevega: ex quo cùm plurima promserim tum ad Peruanam, tum ad Floridam pertinentia, omnia illa hic protefit. Is est qui planè negat ullum fuisse in Peruana Templum, nisi Solis. Crebra ad Tartariam freta apertè posuit in libro priore: nunc negat. Prædicator ejus Salmasius multò pauciora attulit vocabula,quibus Græcos ex Scythia ortos probaret quàm ego, quibus Americanorum partem à Norwegis. Nescio etiam an bene & civis & exercitoris functus sit munere cùm dicit se Americana ideo edidisse, ut infirma loca noscerentur in quæ impetum facere Batavi possent: nam ista editio & præsertim quæ secuta est Latina non minùs Hispanos docere potuit, quas partes contra Batavos munire deberent. Exactum hoc opus fore dixit Rivetus. Et certè exactum est opus in sensu participii, non in sensu adjectivi. Harmiscara est ubique in manuscriptis. Harmis sunt arma (ita Germani scribunt) Scara diruptio. De hoc qui dubitat,de eo quid speremus? Injuriam facit omnibus exercitoribus qui exercitoris nomen pro convitio accipit. Multò magis Presbyteris qui quod honoratissimum est nomen in contumeliam interpretatur. Illud miror quomodo dicat Americæ cognitionem ex Mathematica scientia obvenisse Columbo. Mathematica scientia obvenisse ei potuit esse loca aliqua in illa Orbis parte: sed in iis an terra esset an mare, & ubi mare, ubi terra Sphærica ratio eum non docuit. Euronotum dicit differre ab Austro, verum id si distinctè loquamur. Cæterùm apud omnes ferme gentes, maximè apud eas quæ non multum navigant, venti cardinales pro interjunctis nominari solent. Libros omnes qui hujus argumenti sunt relegere nunc mei otii non est. Facient fortè id alii minùs occupati. Ad literas tuas ut veniam 21 Martii scriptas, multum debere me agnosco & D. Vtenbogardo & D. Roio, eisque velim deferas mea obsequia & bona vota: D. verò Vtenbogardum, ubi commodum ei erit, roges ut participem me facere velit suorum cogitatorum, super eis rebus de quibus scripseram. Te verò precor ut editiones nostras propellas. Est, ut dicis in D. Dausii oratione ista comparatio durior. Res ipsa convenit cum D. Præsidis Iannini oratione: & putem ego multum de rigore posse remitti, nullo cum malo, imò fortè etiam cum aliquo bono Reipublicæ. Responsum potuit fieri, suavius ac prudentius. Et fortè rectius jam olim fuerat indigenas retinere Presbyteros quàm cogere Romanenses eorum uti opera qui ab Hispanico imperio veniunt, idque meminerunt. Nihil nunc novi habeo quod de filio qui apud Venetos est, aut de captivo nuntiem. Quò minus causæ Suedici motus contra Danos prodeant obstiterunt impeditæ literarum viæ, ita ut quædam ad publica negotia pertinentes plus semel interceptæ sint. Puto tamen brevi me habiturum ad quæ sermones meos super hac re componam. Negari non potest à multis Catholicis Pastoribus hic veram pietatem doceri sine superstitionum mixtura. Optandum esset ut ab omnibus id fieret. Et si res it ad Synodum Gallicanam, quod Episcopi optant, puto etiam ejus rei curam ei fore. Multa peccantur: sed aliud est docere peccare: aliud docere talia quæ peccantur esse licita. Quod quia fecisse crediditur Alravius Iesuitæ, circa duella, pocula, sterilitates, abortus & interfectionem eorum quorum calumniam timemus, ideo Iesuita ejus dictata improbarunt, ipsi interdixere ne doceat, & eum apud se captum tenent. Veruntamen non tantùm adversus prava docentes, sed etiam contra manifestè peccantes, excitanda est acies Ecclesiasticæ disciplinæ. Nostra ad Vetus Testamentum Indicem tantum exspectant. Deus te, tuam tuosque servet florentes. Lutetiæ 31 Martii 1644.

Quæ scire poteris de mari reperto ultra Fretrem Magellanicum & Mairiacum, velim mihi significes. Habeo literas ab eximiis Politicis Protestantibus in Germania, quibus scripta mea pro pace Ecclesiæ multum probantur. Deus adsit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Carus mihi esse debet D. Graswinkelii liber,cùm vectura ejus non multum ad me pertinentis steterit undecim florenis & XIV assibus. Itaque ut fructum aliquem properatæ missionis perciperem, statim eum legi. Laudo ejus diligentiam, quam & aliis libris ostendit, conquirendi omnia quæ ad argumentum susceptum pertinent. Scribit etiam Latiniùs quàm alii plerique apud vos. Admiscet dicta quædam elegantiora. Sed duriùs Manodum tractat quàm ejus dignitas & rerum peritia ferant. Neque verò Manodus defendit planè improbabilia. Verum est Venetos ab satis longo jam tempore antehaberi Sabaudo. Ac non minùs verum est olim hanc rem juris fuisse controversi. Deinde jus Venetorum in Cyprum multas recipit disputationes. Quod si Veneti etiam nunc id tenerent, tenerent ut feudum olim Mammelucorum,deinde Turcæ, non verò plenissimo jure. Creta & Corcyra Regna fuere, sed Vlyssis temporibus. Dausium puto nihil egisse sine mandatu nisi fortè singulas voces ad obrussam revocantur. Latio ego constitui non respondere, quanquam uber est materia. Non puto eum ita esse formidabilem, ut nemo contra eum hiscere audeat. Quod si nemo ibi est qui pro me vel minimum laboris suscipere velit, ego vicissim eos non magis curabo quàm Scythas aut Sarmatas. Arnaldius iterum prorepit. Crimini illi datum quod contra Iesuitam scripsisset, & quod putat non delinquere eos, qui ob criminum veterum conscientiam semper à communione abstinent: imò etiam venialibus culpis addictos putat rectè facere si abstineant: & alia ejus generis. 699

neris. Nocuit antiquus rigor, cui jam pares non sumus, ait ille. Princeps Condæus (nam & is hac de re scripsit, sed nomine non addito) existimat hucusque ita creditum, si quis peccata confessus propositum habeat iis abstinendi & implendi quæ præcepit pœnitentiarius, eum jam tum moraliter certum esse se esse in statu gratiæ & bene facere si communicet. Regina Sorbonæ judicium super his rebus exquirit. Existimant autem & Parlamentum & Sorbona contra leges esse subditum Regis extra Regnum ire cogi, recente adhuc memoria de Abbate Dubysio qui cùm Romam ire jussus esset sui purgandi causa, illico in carcerem conjectus fuit. Quare cùm Arnaldus vir vitæ in qua infestissimi nihil possint reprehendere annum agens XXXVI. se subjiciat & Sedis Romanæ & Episcoporum Catholicorum & nominatim Archiepiscopi Parisiensis & Sorbonæ judicio, ut cognoveris ex Acto quod ad te misi, potest ejus causa sic, adhibitis etiam quos Pontifex delegaverit, cognosci. Ego sicut faveo veteres satisfactiones restituere cupientibus, ita video plerosque eos qui Arnaldo favent esse Iansenianos, id est, in Prædestinatione Calvinistas. Prodiit nuper libellus contra Prædestinatum à Sirmondo editum. Ejus auctorem alii putant Arnaldum, alii Blondellum Reformatorum Ministrum. Pax inter Pontificem & contra fœderatos signata est. De filio maximo natu quid futurum sit videbimus. Pridem enim nihil ab eo accepi. A Diderico nihil habeo ex quo in Fuggerorum arcem deductus fuit. Addam & hoc de Venetiis. Civitas eorum neque ab Attilæ est neque à Gothorum temporibus, sed ab iis cùm Langobardi pleraque Italiæ tenuere. Et tunc paruerunt Imperatoribus Græcis. At postquam contra eos Franci se Imperatores dicere cœperunt, cùm possent cui vellent accedere, utrique illos maluerunt esse medios, & sic in possessionem venere libertatis suæ. Postea multi Principes & Civitates libertatem arripuere, dum æmuli inter se Reges Germaniæ & Galliæ malunt eos neutrarum esse partium, quàm iis quos oderant accedere. Sic etiam Episcoporum Trajecti & Comitum Hollandiæ certamina locum fecere novis dominationibus. Fuisse autem sub Ostrogothorum imperio Insulas Venetas satis manifestum est ex Cassiodoro, etiam nolente D. Graswinckelio. Deus te, tuam, tuosque ac nostros servet. 9 Aprilis 1644.

Elector Dux Bavarus acceptis literis meis Didericum filium jussit ire quò vellet, dum priùs cum Præfecto castrorum in cujus erat manu de pretio militari more conveniret. Itaque brevi hic futurum puto, pauperem, inopem, rebus omnibus exutum. Ita nos undique in magnas impensas damnamur. Ἐκδόσεις meas omnes eò magis tibi commendo, quò magis fugit ætas. Cùm videam eos qui ex Batavis ad me scribunt aut Excellentiæ titulum non dare, aut non constanter dare ut Legatis Regum dari solet, rogo commoneas ne ad me scribant. Sed si quid scitu dignum est ad uxorem meam. Ego enim non respondebo. Excipio proximos nobis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

700 VElim sanè & Mileterii libros & alios ad pacem facientes ad vos copiosè adferri, ut quibus talia cordi sunt legant, examinent, adjuvent. Scio hæc Santris non placere. Sed brevis est hæc vita. Cogitanda æternitas & quod ei maximè placeat qui solus eam potest dare. Qui hic nunc in rerum gubernaculis versantur, occupati rebus magis urgentibus, non multum Mileterium adjuvant. De D. Salmasio si quid propiùs intelligis, fac sciam. Gratulor tibi de advocatione Principis. Est id tibi honorificum. Non Vindocinensis tantùm abest, sed & ad eadem loca recepit se Dux Bulionius, nolens de Sedano depacisci. Omnino videntur motus esse in partitudine. Pacis inter Romam & adversæ partis Fœderatos magis magisque spem perdimus. Sed brevi momento magnæ ibi mutationes evenire possunt. Ego de nostra cum Danis controversia nihil dum locutus sum in publico, quia mandata nulla adhuc accepi. Causæ publicabuntur pro eventis. Batavi, ut solent, controversiam hanc volunt vertere in usus suos, quod & poterunt non nolente Suedia, sub æquis legibus. In Angliâ magna est partis utriusque pertinacia. Quantum tamen humanis judiciis assequi licet, res Regis non optimo sunt in loco, tot Scotis in Angliam regressis & vix ullo contra apparente auxilio. Vnde enim, à Papa? Ab Imperatore? A Rege Hispaniæ? A Dano? omnes negotium habent. Gallia etiam si negotium non habeat, tamen nolit. Ego etsi video res Suedicas satis ire prosperè; tamen non desino pro pace vota fundere. Mitto quædam ad Latium pertinentia. Vtatur qui volet. Didericus dubitat cui exercitui se velit addere. Magna hic parantur, sed multa in speciem magis quàm re valitura. Nostrorum in Daniam processus & Ragotskius plus hoc anno Galliæ proderunt, quàm aut virtus Gallorum aut prudentia. Deus te, tuam, tuos servet. Lutetiæ 16 Aprilis 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

NOn omnem contentionem defugio, sed eam quæ 701
usum non habeat tantum quanti est temporis jactura. Constitui adhuc aliquid scribere pro Voto pacis. Cæterùm quæstio Americana non ita magni est momenti, ut multum de ea laborare debeam, neque Latius dignus quicum certem. Si cui plus est otii qui in ista palestra se velit exercere, vides ex iis quæ transmisi materiam non defore. Arnaldus etiamnum extra urbem latet. A Venetiis nihil intelligimus. Didericus brevi ad sua castra reversurus est, utinam meliore cum fortuna. Mille Florenos dabit pro libertate, & omnes equos ac sarcinas amisit. De Brassero, valde doleo, puto nimis emacem fuisse in portionibus Indicanis. Mitto tibi apertas ad D. Bassum literas, uteris si profuturas putes. Nolim enim operam perdere. Nec in Gallia quieta apparent: sed subsunt dolosi cineres. Deus cuncta ad pacem & politicam & Ecclesiasticam cum veræ pietatis restitutione dirigat. D. Vtenbogardi responsum cum ejus commodo exspectabo. Deus te, uxorem, liberos incolumes florentesque præstet. 23 Aprilis 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

QVod de vectura scripsi libri Graswinckeliani, non 702
ideo scripsi quod impensa doleat, sed ut noris quanti constent tales transmissiones: & serventur ista pretia ad res aut Suediæ aut mihi necessarias. Ego uno quod misisti exemplari illius libri facilè ero contentus, nec plura desidero. Menodius est vir eruditissimus, Pœnitentiarius Ducissæ Sabaudæ. Vidi eum Lutetiæ de emendatione Ecclesiæ pulchra disserentem. De Groenewegii opera non viso, nihil possum judicare. Sed velim eas controversias quæ maximè in diversas partes judicari solent ab Ordinibus Hollandiæ semel definiri, ut litibus præscindatur materia. Id si fiat ego mea ad eam normam aptabo. Advocatus Fisci deberet ea de re Ordines commonefacere. Præstitere id in maximè celebribus controversiis in Brabantia quondam Archiduces, magno civium bono. Scio quædam fuisse in quibus semper dissidebat Curia superior ab inferiore. Latium quod attinet, fortè invenies aliquem qui paucos dies isti inquisitioni velit perdere; misi enim silvam satis paratam. Sed ante omnia rogo urgeas Anthologiæ editionem, ne quid relinquam, si ad meliorem vitam abiero, imperfectum. Filius natu maximus more suo nihil ad nos scribit. Didericus etiam nunc hic est.

Accepi

Accepi exemplaria libri Graswinckeliani per Rosenthohlium & gratias ago. Vniversitas Lovaniensis scripsit ad Parisiensem, eam rogans ne damnet sententiam Iansenii Episcopi quondam Iprensis, quam illi esse ajunt Augustini, nempe de Prædestinatione & capitibus annexis. Cœpit agi causa Ducis Anguiani, nomine uxoris, contra Esguilloniam. Dixit Advocatus Anguiani pares fuisse, propinquitate Brezæam & Esguilloniam: originem valde disparem: illius illustrem: hujus abjectam. Sed causas cur hanc præ illa dilexerit omnibus notas esse. Samsonem illum vires suas posuisse in sinu Dalilæ. Saluta quæso uxorem liberos & amicos. 30 Aprilis 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

703 MOtus quidem in Gallia adhuc leves sunt. Sed omnes metuunt mala majora in gente mobili & imperio specie quidem muliebri, re ipsa externo. Qui hic res versant quæcunqne poterunt invenient pacis tardamenta. Turcæ Aula quò nutet, incerti sumus. Et inde pendent Ragotskii consilia. Nostra cum Dano controversia difficilis est finitu, sive per pacta ob diffidentiam, sive per arma ob vires bellantium magnas. Cæterùm hæc res, quocnnque casura est, impedimento non erit quò minùs Suedi ostendant se pacem bonam Germaniæ tamdiu vexatæ non invidere. Roma cnm vicinis pacem jam habet, donum dignum bono Pontifice. Diderici nostri centuria tota salva est. Neque enim transierat Rhenum. Videtur autem ipse iturus in exercitum Vicecomitis Turenæ: nisi alia jussa accipiat. Maximus natu nihil ad nos scribit. Doubletio vitam & valetudinem secundam expto. Si aliter evenerit experiemur amicorum in nos fidem. Si Aula consulatur, nihil inde boni exspecto. Regii in Anglia alteram cladem accepere. Lex quam Rivetus & Latius nobis volunt præscribere, ut singula sæpe momenti nullius refutemus, neque eam secuti sunt aut philosophi veteres, aut oratores, aut scriptores usquiam. Multorum meliùs est inscitiam paucis demonstrare, quàm pati ut dignos se existiment quibus pensiculatè respondeatur. Ac nunc censeo Latio breve aliquod scriptum opponendum, ne sibi placeat. Si quis postea volet omnes libros perlegere quos ego aut Latius citavimus, poterit non tantùm æquè inter nos judicare, sed & quod verius crediderit novis firmare argumentis. Laboratur adhuc in indicibus nostrorum ad Vetus Testamentum. Vale cum uxore, liberis, amicis, quibus omnia offerimus quæ à nobis proficisci possunt. 7 Maji 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

704 DOleo repulsam nos tulisse apud D. Basium, amicum, affinem & olim eorum consiliorum, quæ nobis magno stant, participem. Causæ quam excusationi prætendit, non habeo quod respondeam. Sed magno velim me ei negotio non immixtum. De Brassero valde miror. De Teulingio doleo. Cæteris periclitantibus opto feliciores exitus. Venit ad vos Stradius ut Principem Arausionensem ad audendum aliquid excitet. Hic obsidionem aliquam moliri videntur. Quod à Cæsarianis injectum fuit in pacis negotio, puto brevi sanatum iri. Et fortè diutius nobis Suedis cum Dano quàm cum Imperatore bellum erit. Polonia quietura videtur, mutato Rege ipso per nxoris mortem, Senatoribus verò semper pridem ita animatis, ut bellum nobilium quàm maximè fugiant. A Moscovita quoque nihil metuendum videtur, quando matrimonium consummari Princeps ille non vult, nisi Waldomarus Russica Sacra amplectatur. Editiones nostrorum apud vos operum velim procedere. Archiepiscopi Cantuariensis seriò crimina doleo, quod in libris sibi dedicatis passus sibi asscribi nomen Angeli & Pontificis & sanctitatis titulum. Quæ omnia in antiquorum libris cuilibet Episcopo dantur à presbyteris, ab Episcopis, à Conciliis, ab Imperatoribus. Vides quantum sit mali incidere in judices & infestos & imperitos. Deus te, uxorem, liberos servet. 14 Maji 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VErum est in Italia per eam quæ facta est pacem satis bene consultum esse honori Principum, quorum certè cura præcipua esse debet, ut honori suo consulant. 705
Imperatoris instrumentum procuratorium est quale oportet. In Hispanicis Galli non frustra mutationem desiderant. Romæ favetur Arnaldi doctrinæ, quæ tot Episcopos habet approbatores. Iansenіani ibi tolerabuntur si nihil loquantur extra Augustinum. Sorbonæ senes sunt contra Iansenium; juvenes pro Iansenio contra quàm in Hollandia memini evenisse. In causa Anguiani & Esguilloniæ Regina quidem vetuit lacerari defuncti Cardinalis memoriam aut pudorem Esguilloniæ: sed cùm addiderit exceptionem, nisi quatenus causæ necessitas exigit, magnam ad maledicendum reliquit forem. Nam Advocati causam in eo maximè verti putant, an metu ac terrore tyrannico extorta sit denunciatio, & an Esguillonia fuerit Episcopi avunculi συνδυος. Gerardo Graswinckelio opto bonos eventus. Gratias tibi ago quod de editionibus nostris seriò cogitas, non potes eas nimis urgere pro voto meo. Illud de definiendis publico imperio iis, quæ controversias frequentes accipiunt, rogo commendes quamplurimis. Fortè aliquid efficies. Certè eò laborasse honestum erit. In Anglia multa esse Regi adversa rectè perspicis. Est tamen quod speret ex dissidiis plebeji Ordinis contra Barones & maximè contra Essexium. Brevi bellum in Oceano & Codano sinu fervebit ut video, inter Suedos & Danos. Dux Aurelianensis abiit animo obsidionis alicujus inchoandæ. Dux Anguianus ad tutandos fines. Deus, mi Frater, te, conjugem, liberos, amicosque servet. Lutetiæ 21 Maji 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GRatias habeo pro labore quem suscipis ad procurandas editiones nostras. Rogòque ne defatigeris donec rem confeceris. Dux Aurelianensis Somonam transiit magno cum exercitu, aliquid egregium moliens, quò novo suo imperio famam circumdet. Et ad Marescallum Vicecomitem Turenæ eunt milites ad Leodicum conscripti. Eodem se confert Didericus noster. Legatio vestrorum cum classe magnifica erit: sed nihil habitura potestatis, nisi post novas deliberationes. Et sua quidem curaturos illos non est dubium. An verò non aliqui sint quos Suedicorum processuum tangat invidia, cogitandum est. Imperator legationem mittit ut Turcicæ Aulæ satisfaciat. Primas Poloniæ non ad alios scripsit quàm ad regni Polonici Protestantes. Reformati verò consilium apud externos sui sensus poposcere. Cum Reformatis ego nullam concordiæ spem video. Cum eis qui intra Augustanam formulam se tenent, fortè aliquam. Deus te, tuam tuosque sospitet. Lutetiæ 28 Maji 1644. 706

Sorberio nihil credendum existimo, quod arcanum haberi velis. Invitatus ego fueram ad Conventum istum pacificum in Polonia: sed publicum onus eam deambulationem mihi non permisit. Consilia non multum inde abscedentia agitantur Viennæ. De Latio retundendo nemone cogitat? Quid facit D. Vtenbogardus?

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

707 VEnit ad vos D. Siraumondus nobilis Lotharingus ingenii perelegantis & multum mihi commendatus ab Excellentissimo Domino Magno Cancellario Sueciæ. Est Catholicus: & tamen inservit fideliter Calvinistæ Principi, Landgravio Friderico Hassico, cui pacta est amitina Reginæ nostræ. Vult videre & te & eam per quam Deus me captivitati exemit arcam. Est officiosus & bonus. Vale cum tuis 31 Maji 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

708 DE D. Basio miror, cujus amicitiæ veteris & mihi damnosæ tam parum meminerit. Nimirum tempus animos detegit. Exercitus Ducis Aurelianensis jam habet xx militum millia. Rumores varii. Maximè de Flandria maritima. Iamnunc audimus obsideri Gravelingam terra marique. Vide Epistolam Archiepiscopi Gnesnensis Primatis Poloniæ & Synodi quæ ipsi aderat ad dissidentes in rebus fidei ab Ecclesia Catholico-Romana. Calvinistas emansuros puto. Qui verò Confessionem Augustanam sequuntur, quid facturi sint nescio. Fortè consilium petent à Suedis & Saxonibus. Gaudebo si non ipsius literis te nuntiante intelligere vel summatim quæ optimo seni D. Vtenbogardo in mentem nunc veniunt super iis quæ attigeram, salva ei semper mutandi & augendi libertate. Si in purganda à crassioribus vitiis Ecclesia omnes operam ponerent, satis in eo reperirent negotii, quod eorum curam à disputationibus minùs utilibus averteret. De Archiepiscopo Cantuariensi, rectè judicatis incidisse eum in malos homines & in mala tempora. Magnum innocentiæ testimonium, quod tot infestissimi insectatores talia conquirunt in eum crimina. Noster Didericus itineri se parat. 4 Iunii 1644.

In Catalania exercitus prope totus Gallorum cæsus est. Gentis in Gallos fides nutat.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

709 MVltum fervet ista pœnitentiaria quæstio. Nam post alterum librum ab Arnaldo editum, cum egregiis Patrum sermonibus ad eam rem pertinentibus & in Gallicum sermonem translatis, scripsit pro eadem sententia Mileterius & edidit librum probatum à tribus Doctoribus Sorbonicis. Contra insurrexit Ivo Capucinus & Reginam libro edito dehortatur, ne vetera & sepulta præferri sinat receptis. Et alii monachi paris sensus cudunt opera, ut constet ipsis quæstus Confessionarius. Romanus Papa improbare non potest id quod in Concilio Tridentino probarunt ejus Sedis Pontifices, de restituendis, quantum fieri potest moribus antiquis circa pœnitentiam. Et exemplo præiit Cardinalis Boromæus. Cardinalis autem Gripperus scripsit veram causam secessionis & tot sectarum esse ex disciplina apud Catholicos, non relaxata, sed planè exstincta. In lite Anguiani prolatæ sunt Patris Principis literæ ad Riceliacum Cardinalem plenæ servili adulatione, in quibus summum se bonum in istis nuptiis dicit ponere. Sed ita erant tempora ut qui per interpositos homines specie recusantis nuptias istas desideraret, idem & ad tam submissas preces alios cogeret. Et magnum dedit exemplum Comes Suessionensis quàm periculosum esset etiam sanguinis Regii Principibus, spiritus gerere pro suis natalibus. Advocatus Regius Briquetus, cujus socer est Bignonius, cùm & Bignonius ad Cardinalem Mazarinum & ipse ad Cancellarium vocati fuissent intellecturi Reginæ sententiam, eò sermonem direxit, ne temerè everterentur renuntiationes ante nuptias factæ. Parlamentum jussit causam scripto tractari, id est, longo trahi sufflamine. Quod dixit D. Godofredus Arnaldum hunc filium esse ejus qui contra Iesuitas dixit, verissimum est. Bellum inter Suedos & Danos exarsisse doleo. Sed tamen puto nostris impositam fuisse necessitatem. Planè enim exitium Suedico Regno minabatur ista Dani & Poloni & Moscovitæ coitio, eo tempore quo adhuc Suedia bello tam gravi Germanico erat implicita. Et tamen initio nihil Suedi fecere aliud, quàm quod more apud omnes recepto hiberna quæsivere in solo, unde Imperator tributa percipiebat, cùm ipse Danus sæpe nec amicis in excipiendis Hibernis aut Æstivis pepercerit. Persecutio belli jam olim Imperatori & sectam ejus sequentibus indicti nova indictione non egebat. Sed Danus qui ob id vires Danicas terra marique aperta hostilitate in nos vertit, indicere bellum nobis debuit. Sed mos ejus est ferire antequam minetur, sicut & fecit regnante apud Suedos Carolo. Honorificum puto Graswinckelio fore, quod ejus ministerio in re maxima Legati utantur. Danica controversia apud Suedos moram non injiciet de pace colloquiis. Veneti in Dani locum conciliatores erunt. Laudo quod Hollandis cordi est & res ista de freto Danico, & res Indiæ Asiaticæ. Nam cæteræ Nationes nescio unde incitatæ videntur omnia ire impeditum, quæ publico simul & Hollandiæ, quæ maximam publici partem facit, sunt utilissima. Gaudebo sæpe bene edoceri de consiliis quæ capiunt & Hollandi in commune & præsertim Amstelodamenses. Tuis precibus & D. Vtenbogardi meas jungo, primùm pro pace Regnorum & Imperiorum, deinde pro pia & sancta pace Ecclesiæ, ut & bella cessent, & in uno Spiritu Deum adoremus per Christum, ac sic accipiamus Spiritum Sanctum. Deus te, tuam, tuos & amicos servet. 11 Iunii 1644.

Filius noster Didericus jam abiit in castra.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GRatias habeo quod cum Blavio agere cœperis de 710
Anthologia. Valde optem eam edi. Et si Sorberio datur præmium, poterit ex meo antehac misso & D. Vossii præscripto utilem ea in re præstare operam. Vt huc redeat liber, antequam desperata apud vos sit editio, non placet. Magnum illud ad Gravelingam Castellum, quod Philippi dicitur, Galli habituros se sperant cis decem dies. Videbimus quid facturus sit Princeps Arausionensis in Flandria, sæpe Nassaviis infelice. Certè si Deus faveat bella est occasio eximendæ isti oræ maritimæ ab Hispanorum imperio. Quod si Batavi & à Dunquerca liberantur & à compedibus Albis & Balthici maris, crescent eis spiritus, ita ut Reges vix cum eis possint contendere. Calviniani, quantum judico, non sistent se conventui Tarunensi. Qui Augustanæ sunt Confessionis, consilium fortè ex Suedia poscent. Miror neminem esse in Batavis qui tractare velit quæstionem de Americanorum Origine, aut retundere hominis non admodum eruditi ferociam. D. Vtenbogardi super illo maximi negotii momento sententiam si non ipsius, tuis certè literis cognoscere avebo. Venit huc D. Cerizantius. Puto consecuturum me ne quid mihi noceat. Archiepiscopo Cantuariensi, non frustra metuis. Deus ei adsit & omnibus quibus inimici obveniunt judices. Apud vos turbarum satis est, ut non opus sit aliunde oleum affundi. Eboracum in periculo est: & incepit ambiri à duobus Parlamentariorum exercitibus Oxonia. Gravelinga speratur in Gallorum fore potestate intra duos menses. Receptus septem & castella ad emissarium & Philippi partim capta sunt adjuvantibus Batavis, partim derelicta, ideo quod urbs majori defensorum numero egeret. Vale cum tua, tuis & amicis. 18 Iunii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

711 GRavelinga, captis quæ circum sunt Castellis, speratur in Gallorum fore potestate intra duos menses. Catalaniæ cladem Galli ut solent, vero minorem faciunt: contra majorem vero victoriam Marescalli Turenæ de Bavaricis. Disputationem inter Suedos & Gallos puto sedatum iri. Sed procuratio Hispani intricatior quàm oportet moram adfert paci. Et incertum est Danica controversia eodem locorum deferri debeat, an in finibus Regnorum tractari. Puto Batavos non abstenturos piscari in tam turbidis aquis. Res suas agent, ut solent. Probo quod D. Vtenbogardum quantum ætas & valetudo sinit, urges. Res est digna de qua ambo cogitemus. Sorbona hic gravem censuram exercuit in eos sui Collegii qui Mileterii librum approbarant. Datur opera ut mitigentur animi. Pro disciplina restituenda multi laborant Episcopi. Locutus sum ea de re D. Principi Condæo. Saxum Gandavense jam diu est quod vestri Sisyphi volvunt, nec proficiunt hilum. Deus te, tuam, tuos nostrosque omnes sospitet. Lutetiæ 25 Iunii 1644.

EIDEM.

Mi Frater,

712 CAlent adhuc istæ controversiæ & libri prodeunt plurimi. Qui Mileterii librum probaverant viri boni de Sorbona tres, ii suis functionibus & sententiæ dicendæ jure in annum privati sunt, non quod non pars maxima Sorbonæ velit disciplinam restitui, sed quod locus est libro Mileterii qui non obscurè locum illum II. capitis II. ad Thessalonicenses in Papam aut certè purpuratos Quirites torqueat. Miratus sum monachum, qui dixit Ecclesiam nunc adeo gloriosam non debere retrahi ad infantiæ suæ rudimenta: quasi gloria Ecclesiæ sit in divitiis & luxu magis quàm in sancta paupertate & crucis tolerantia. Gropperi illud verum esse prope omnes hic qui boni sunt inter Episcopos & Doctores agnoscunt. Sed nescio quomodo evenerit ut omnes ferme qui disciplinam restitutam volunt, sint, ut scripsi antehac, Ianseniani, id est, in Prædestinatione, Gratia, Libero arbitrio meri Calvinistæ. Quod sæpe precor & id quod in nobis est opis, id obtinere poterimus ut quod in illis est mali intereat, quod bonum est maneat, floreat & crescat, erit cur re tam prodigiosa Deo agamus gratias. Ex Gothofredi consuetudine multa possunt disci. Est enim historiæ antiquæ non imperitus, novæ peritissimus. Rectores vestri nimium ἀναβαλλόμενοι occasionem perdiderunt faciendæ rei suæ unà cum Suedis. Alioqui potuit debellari Danus in ipso initio & libertas reddi commerciis magno cum bono generis humani. Spiringius in iis quæ agit publicè, fœderibus nititur. Privatæ ipsius actiones ostendunt ingenium ab humanitate non minùs quàm ab humanis literis remotum. Et ea res hoc tempore ipsi quidem indecora est, Suedicæ autem rei noxia. Bene autem Curia vestra temperavit decretum, ut honori parceret agentis personam publicam: de re statuerat quod jus ferebat. Quod si D. Spiringius Silvercronius Northolimensis odia cavere vult, opus est actibus talibus abstineat. De controversia Suedos inter & Danos scripsi ea quæ congruebant, ut puto, & juri communi & facto, quatenus ejus ad me notitia pervênit. Et planè eadem est epistola Marescalli Torstensonii ad Regem Daniæ. Gratias ago quod D. Vtenbogardum, jam planè senem, non impellis, sed molliter excitas. Cerisantem planè non metuo. Accepi per eum nunc mandata agendi tum de rebus aliis, tum de Danicis. Si D. Rivetus & ejus socii ita metiantur hominis sui profectus, ut ob id Suediæ adjutores faciant Batavos, non invidebo: atque interim res meas, id est, mihi mandatas agam. De Diderico ex quo hinc abiit nihil accepi. 2 Iulii 1644.

Si vestrarum partium librarii velint habere exemplaria libri de Horis Canonicis, petere debent à librario Mernilio via Iacobea apud S. Ivonem, aut à librario Gaillardo apud S. Hilarium. Velim ubi copia aderit exemplar unum per D. Vergoesium aut alium mitti ad Doctores Lovanienses, ut eorum exquiratur judicium. Edunt Iesuitæ multos libros, ut doceant aliarum Societàtum magistros eadem defendisse quæ Hercavius: multos autem & nobiles Iesuitas contra docuisse.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

DE Gravelinga spes omnes bonæ sunt. Mensis adhuc unius labor restat. Sed Principem Arausionensem nihil aliud quàm spectatorem agere dolet Gallis. Avidè exspectabo noscere quousque itura sit classis armata Batavorum in Septentrionem missa, quomodoque se gestura adversùm Suedos & Danos. Regis Angliæ res non optimæ sunt & si in Hiberniam abit, evertet Anglorum pro se studia. Interim non Batavi tantùm Legati, sed & Hispanicus id quod Londinii est Parlamentum pro vero legitimoque agnovit, non sine aliquo in res Regis præjudicio. Miror in tanta Edictorum copia non potuisse omitti privilegium in me latum contra XII tabulas. Signum id est esse ibi adhuc multos in nos malè animatos. D. Vtenbogardum velim leniter interpellari & promoveri omnibus modis editiones nostras. De Cerizantio nihil dum liquidi video. Attamen mihi non metuo. Deus te, tuam tuosque servet. Lutetiæ 9 Iulii 1644. 713

Seditio plebis adversùm tributum ad nova ædificia nescio an planè exstincta sit. Consedit sanè ad Reginæ huc reditum. Et Parlamentum laborat, ut rationes inveniantur placandæ plebi. De Gravelingæ obsidione spes pulchræ. De quadringentis quos in urbem intromittere Picolominæus voluerat ægrè XX penetrarunt. Cæteri aut capti aut cæsi. Et opera bene procedunt Batavis monstratoribus. Legati Hispanici nomine Regnorum Castellæ Arragoniæ & aliorum gravissimas Romam querelas detulere de Aulæ Romanæ rapinis ad Canonum eversionem comparatis.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

HAbeo gratiam pro epigrammatis Hugenianis. Nostra ad Vetus Testamentum adhuc hærent in magno Indice quem feci vocum Hebrææ linguæ & vicinarum, deinde Græcæ. Cornelius, ut puto, re infecta ab Antenoridis redibit. Didericus in castris est Turenianis. Inter hos duos medius quid agat vestrum est scire. Quomodo Romanenses nunc apud vos tractantur, velim per te ex vero discere & siquid est aliud dignum cognitu. Editiones meas velim non promoveri tantùm, sed & impelli: & salutari D. Vtenbogardum, cujus cogitata cum ipsius commodo exspectabo. De Gravelinga spes bona. Friburgum à Bavaro premitur. Deus te, uxorem, liberos sospitet. 16 Iulii 1644. 714

D. Arnaldus contra Mileterium scripsit ut ejus odio suum clueret.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

REctè miraris & esse qui restitutionem disciplinæ Ecclesiasticæ frivolis rationibus oppugnent & Iansenianos potissimùm esse qui de ejus restitutione laborent. Deus frugem det crescere, decrescente lolio. Quæ mandata habeant Legati Batavi qui in Suediam Daniamque eunt, velim quidem scire, sed non emere decem millibus Florenorum. D. Spiringius videtur rerum forensium mi- 715

nùs intelligens. Nam quod in fine decreti, non est ipsius facta mentio id honori ipsius datum est. De arca miror, quod scribis; certum est huc non venisse. Vxor ait eas res quæ in ea arca fuerant, fuisse in cubiculo Petri. Nolim perire monumentum tanti in me divini beneficii. Sypæi librum non vidi. Sed de minorum matrimonio sine consensu quem leges requirunt, sto meæ tuæque sententiæ. Inter imparis fortunæ homines communio satis magnum est lucrum ob quod peccari in leges posset. Nescio an efficere poterint Ordines Federati & Hollandiæ, ut quæ secreta esse deberent, maneant talia. Multæ sunt animæ venales. D. Vtenbogardum salutes & modicè ad illam cogitationem excites velim,. Hogerbetium quoque ne rem diu tardatam ultro differat. 23 Iulii 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

716 RES Gravelinganæ ad exitum properant, gloriosum Gallis ut arbitror. A Principe Arausionensi plus aliquanto efficaciæ exspectatum fuerat. Vtilem tamen etiam nihil agendo fuisse constat. Classis Batavæ & Legationis in Septentrionem quæ sint mandata, res docebit; multumque id ad futuri dijudicationem pertinebit. Hæret adhuc in Anglia res, & ut puto quærit tempus ducere ad hyemem usque. Pacis vix aliquam ibi spem video, tristisque audio tantum inter populares sanguinis fundi. Cerizantium non puto quicquam mihi incommodare posse. Habeo literas recentes Reginæ Suediæ benevolas ad me. Cerizantio jussum ut quæ agenda haberet ad me referat. Seditio urbana hic resedit, & puto fore ita res molliter tractentur, ne resurgant. Credo Hispanos ita Aulæ Romanæ nomine atque auctoritate uti ut interim neque Regum jura neque populorum commoda negligant. Et exstant ea de re ingentes eorum libri. Galli ubi Gravelingam ceperint Dunquercam capere potetunt: ita tamen si campis hostem fugaverint. Anthologiam nostram tam diu trahi doleo. Quæso urge. Indices nostri magni ad Annotata in Testamentum Vetus jam finiunt. Gravelingæ jam in ipsis propugnaculis dimicatur. Gallorum trecenti interfecti, cæteri locum tenuere. Præter cuniculos paratur oppugnatio ex omni parte antequam aliquid tentent Piccolominæus & Melos. Dux Carolus non transegit cum Gallis. Friburgum adhuc bene defenditur. Sed modica cum spe. Sedani detecta est conjuratio pro Duce Bulionio. De Ilerda sitne adhuc in Gallorum potestate variat fama. Salutes quæso uxorem, liberos, amicos, præcipuè D. Vtenbogardum. 30 Iulii 1644.

Gravelinga die Iovis facta est Gallorum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

717 REgis in Anglia res videntur satis malæ. Sed in bello multæ sunt fortunarum vices. Gravelingam captam jam noritis. Dux Anguianus cum Marescallo Turenæ se conjungit subventurus Friburgo. De prælio navali in Codano sanè nihil dum certi habemus, sed quantum consentiunt rumores majus damnum Dani sensere. Pauxillam restat ad indices super Annotatis ad Vetus Testamentum. D. Vtenbogardum velim officiosè salutes & leniter aurem ei vellas. Multum dubito an consilium illud de severiùs tractandis Romanensibus semper bonos habiturum sit eventus. Si numerus minui non potest, quid attinet augeri odia. Sed de his viderint quorum curæ ea res commissa est. Ego semper eorum misereor, quibus ob conscientiam incommodatur. Deus te, uxorem, liberos servet. 6 Augusti 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

AVdio ab Hollandis nostris non probari, quod Da- 718
nis præter æquum & decorum mos gestus est: classis longè à freto se tenere jussa: naves Legatorum perlustratæ: privatorum naves vetitæ adire Suedici Imperii loca. Fortè se commovebit Leo. De Anthologia rogo quovis modo conficias quod opto. Hogerbetius ab ipsa recusatione rescripti provocare ni fallor & potest & debet. Prælium quidem ad Friburgum prosperum Gallis fuit quanquam & ipsis cruentum. Sed Friburgum adhuc tenent Bavarici. De novo Papa faciendo ita fervent studia partis Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ, ut res ad vim spectare videatur. De Saxo Gandavensi rem bene successuram vestris arbitror. Rogo D. Vtenbogardo & uxori tuæ me commendes. Deus te cum tuis servet. Lutetiæ 6 Augusti 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

SPero bene processurum tibi trans Mosam iter. De 719
arca miror quæ dicis. Nam mea uxor pro certo affirmat illos pulvillos ex illa arca fuisse exemptos. Et tunc Petrum sibi dixisse esse eam arcam domi vestræ. Qui pulvillos illos de arca exemit, scire debet ubi arca sit & clavis arcæ. Videntur Legati Batavi mandata habere timidiora quàm res exigat. Magnam amittunt occasionem. Anthologiam quæso extrudas. Cùm ego valedixi Batavis & Belgis, hoc significavi me factum gentis alterius, quid illi de me dicant aut sentiant non curare: neque ullum habere revertendi animum. De Hogerbetiò miror. Appellandum illi erit ad Curiam superiorem. Velim scire an quis collegerit ea quæ ad scribendam vitam D. Oldenbarneveldii pertineant. Ilerda dedita creditur, Friburgum exemptum obsidio. Papa mortuus est. Metuuntur & ibi factiones & hic aliæ. Deus te, cum tua tuisque servet. 20 Augusti 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

GAudeo bene processisse vobis rusticationem. De 720
Saxo Gandavensi putamus hic omnes rem bene exituram. Victoria adversùs Bavaros magno stetit Gallis. Multi & egregii periere. De Diderico ex quo captum eum didicimus, nihil habemus novi. Cornelius mansurusne sit apud Venetos, an inde, re nulla effecta rediturus in incerto est. Cornelius vapidè se habet. Gaudeo ire te Amstelodamum. Quæso quovis modo Anthologiam protrudas. Illud de causis juridicialis status ex ore Advocatorum dijudicandis in Gallia nihil habet incommodi. Sunt enim & Advocati & Iudicum præcipui in legibus Romanis patriisque bene versati. Nec quicquam Advocatis perit. Liberalissimè enim repensantur eorum orationes. Gassio ad Waisam castellum struit. Dux Aurelianensis huc venit, relicto ad exercitum Elbovio. Regina Angliæ ad aquas est Borbonias, inde itura ad Pougenses. Res Regis Angliæ incipiunt reviviscere. De Romanensibus dubito an severitate Edictorum rectè sibi consulturi sint vestri Ordines. Vides quid in Hibernia evenerit. Romanensibus favent tum alii quibus acciditur libertas sacrorum, tum alii qui metuunt ne id sibi aliquando eveniat. D. Vtenbogardo rogo me commendes. Cancellarius Franciæ Privilegium pro meis ad Vetus Testamentum dare non vult, quanquam egregii Doctores testati sunt, nihil in eo esse à Catholica doctrina alienum. Sed non vult ornari libros quamvis bonos, scriptos ab hominibus non illius communionis. Metuit Cramoisiacus, ne liber iste à se magno impendio editus in

folio,

folio, pulchris typis, minori volumine ac specie recudatur in Batavis. Quod si Privilegium hic haberet non quidem impedire posset novam editionem in Batavis, sed exempla huc perferri non possent. Rogo ergo Blavium & si qui nobis bene volunt, ne damno afficiant hominem hac in re de publico bene merentem. Vale cum uxore & liberis. 27 Augusti 1644.

De arca nihil? Nolim perire tantùm monumentum divinæ in me bonitatis. Velim scire an quis habeat materiam collectam ad scribendam vitam Stacinii magni Mathematici & nobis amici.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

721 Nihil nunc abs te habui credo, quod in transmosanis esses locis. De Diderico nostro iterum captivo nihil habemus. Sed cùm Dux Anguianus & Marescallus de Turena plurimos Bavaricorum in prælio ceperint, multis etiam occisis, facilis erit, captorum redemtio. Papæ mortuo quis successurus sit videbimus. Multæ sunt factiones quarum singulæ milites ab Italiæ Principibus ad sui munimentum advocant. Cardinales novos Papa mortem prospiciens, quamvis multum à gentilibus suis rogatus facere noluit. Gassio Castellum cepit ad Wattam inter Borborgum & Sancti Audomari urbem. Creditur id aditum dare in Flandriæ interiora. Turcica classis ad oram Italiæ & Siciliæ apparens metum incutit. Rogo te de Anthologia negotium conficias. Deus te conjugemque & liberos servet. 27 Augusti 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

722 Misit Cramoisiacus exempla Annotationum ad Vetus Testamentum in Hollandiam me non præmonito. Alioqui misissem in eodem fasce ad amicos. Nunc proficiscente hinc D. Isaaco Vossio, sarcinas ejus duobus non amplius exemplis ausus sum onerare. Ea compingi facies mea impensa. Retinebis unum tibi, alterum dabis D. Vossio patri. Vbi alia se obtulerit commoditas mittam & D. Vtenbogardo. Vbi sua vendiderit Cramoisiacus quod brevi futurum spero, si quis novam velit editionem adornare, potero & mittere exemplum asscripti in margine versionibus Græcorum & Hebræorum: paratum enim id habeo. Tibi nostrorum librorum qui apud vos sunt editionem commendo, Anthologiæ maximè. Vale quàm optimè cum uxore & liberis. Lutetiæ 27 Augusti 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

723 Miror de arca nihil me intelligere; non enim in cœlum evolaverit. Sciam an quis pulvillos exemerit. De Diderico nihil ex quo captum intelleximus ad nos pervenit. Bulla Grægorii satis bona est pro his temporibus. Sed inter ea propter quæ damnata fuit memoria Marci Antonii de Dominis fuit, quod dixisset Didericstenio nihil posse de emendatione Ecclesiæ sperari, cùm in electione Papæ non modò non observentur Canones Apostolici & Conciliorum universalium, sed nec illi Synodi Tridentinæ nec ipsa Bulla Gregorii XV. Galli sub Elbovio & Gassione minantes Flandriæ, magnam Hispanorum partem à Principe Arausionensi abstrahunt. Editiones, præsertim Anthologiæ tibi commendo. Receperis credo Supplices Euripidis Latinè. Galassio famam facturus videtur Torstensonius. Res iterum spectat ad pugnam navalem. Et puto Batavos tandem correcturos moræ suæ & gratificationis erga Danos peccata. Nisi id faciant apud omnes gentes ignaviæ notam non evadent, sicut contra Suedi fortitudinis gloriam consequentur, qui impliciti bello cum Germania Danos ulcisci non neglexerint. 13 Septembris 1644.

Iam intelligo liberum esse Didericum & venisse Argentoratum. Ipse tamen ad nos nondum scripsit. Postquam hæc scripseram literas ab eo accepi. Nihil accipio ex castris ad Philippiburgum.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Spero per diligentiam tuam fore ut arca è latebris redeat, memoriamque maximi in nos beneficii divini ad posteros propaget. Spero autem & nostras editiones tibi curæ fore. Hic adhuc trahitur editio Annotatorum ad Vetus Testamentum. Si id durat non veto quin nova apud vos instituatur editio, sive ex eis exemplaribus quæ ad vos adferet D. Vossius sive ex meo, cui versionem Græcorum & Hebræorum in margine adscripsi & quod missurus sum si poscar & via mittendi tuta monstretur. Cæsariani Osnabrugæ spem faciunt mandata se brevi habituros quæ ad pacem promovendam faciant. Det Deus. Etiam in Suedia Legatis Gallicis & Batavis responsum est penes nostros non staturum quò minùs Danica controversia sedetur. D. Marescallum Hornium qui in finibus est dicturum locum conventui. Puto autem Batavos tandem intellecturos etiam suam rem agi. D. Vtenbogardi quanquam valde senis abitus ad vitam meliorem dolore me affecit, quod eum perdiderim cujus consiliis uti me posse speraveram. Parentavi ei hoc carmine 724

Vtenbogardi funus qua prima celebret
Virtutum certat sancta frequensque cohors:
Pacis amor patriæque, piæ prudentia mentis,
Ingeniique ingens, eloquiique vigor.
Attamen has omnes superat Patientia laudes
Vincere, per Batavos, si licet ista loqui.

Rogo inquiras ecquid ab ipso postumi sit exspectandum, præsertim de historia. Pacis conciliatores inter Suedos & Danos erunt quos dixi: præterea Brandeburgicus. Bavaro nulla pars in hac fabula. Deus te cum uxore, liberis & amicis servet. Lutetiæ 17 Septembris 1644.

Difficultates quæ hic meis editionibus objiciuntur audio venire ex Hollandia. Ex usu erit omnia D. Vtenbogardi opera in unum volumen contracta excudi. Philippiburgum Galli cepere, tenentque pleraque loca Palatinatus, Badensis terræ & Wittenbergensis. Etiam Spira & Wormatia præsidium à Gallis accepere.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Spero non omitti abs te inquisitionem de arca. Res est digna tua diligentia ac fide. Quicquid de ea cognoveris, id rogamus nobis significes. Conditiones ex quibus deditum est Saxum Gandavense non vidi. Sed velim Romanensibus plusculum concedi, etiam boni publici causa. Super rebus Danicis videbimus apud Batavos prævalituræne sint ea quæ publico expediunt, an vis factionis. Romæ omnia jam tranquilla sunt cura Præfecti. Videtur factio Hispanica cum Romana se jungere. Spiritui quidem Sancto asscribi non debent ea quæ pretio aut coitione pia spectantium fiunt. Attamen & ista Deus dirigit sive fautor sive iratus. Anthologiam tibi unicè commendo. Vtinam Isaacus Vossius qui vobis adferet Notata in Vetus Testamentum, velit Indicem facere Anthologiæ ex meo præscripto. D. Vtenbogardi memoriam apud multos in pretio esse lætus intelligo. Adjuva ne quid chartarum supprimatur. Velim ejus quoque vitam describi. 24 Septembris 1644. 725

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

726 GRatias ago quod & de Anthologia laboras, quam rem multum adjuvare posset, si velit Isaacus noster Vossius, & quod de arca tam sollicitè inquiris. Spero tandem utrumque negotium expedies. Mitto ad te Indicem auctorum qui adjungi debet Annotatis nostris ad Vetus Testamentum. Alterum talem Indicem mittam cum secuturis has literis. Horum alter tuo exemplari serviet implendo, alter ei quod D. Vossio dandum filio ipsius dedi, ut utrumque perferret ad te, tuque compingi faceres. Idem rogo facias de duobus ejus libri exemplaribus quæ adfert Vanderhogius. Et eorum alterum des D. Senatori Reigersbergio, alterum verò D. Salmasio, quanquam hunc scio quæsiturum quod admordeat. Diderici operam video non sperni. Itaque spero futurum ut proficiat. Cornelius ivit Bononiam, fortè & Romam, animi causa. Redibit puto Venetias: videbimus quid pro eo fieri possit. Hogerbetius omnia experiri debet, ne tam bonam causam deserat. Et miror adeo fuisse tardum, Cromhoutio vivente meliùs rem confecisset. Supplices gaudeo ad te pervenisse: miror tales Tragœdias non verti etiam in Belgicum sermonem. Ita paulatim Batavi discerent dispositionem & alia decora veteris Tragœdiæ etiam in suis exprimere. Nostra res & apud Torstensonium & mari video partim bene procedere, partim in spe esse, ita ut pacem illis in locis constitui Dani magis quàm nostra intersit. Pontificem habet Roma Pamphylium dictum antehac. Nunc Innocentium decimum. Multi ejus nominis fuere parum innocentes. Et hic in Aula Hispanica diu Nuntius, Gallis non multum placet. Post Spiram, Wormatia & Magontiacum aliaque oppida minora accepere præsidium à Gallis. Deus te cum tua, tuisque servet. 1 Octobris 1644.

Galli Germanicas quas nunc cepere urbes levi tributo defungi patiuntur. Ius ubique redditur. Agrestes tuti sunt. Vigent commercia à Francofurto Argentorato & aliunde. Hanc laudem Gallis insolitam reportat Dux Anguianus Princeps magnarum in ista ætate virtutum, dignus & Borboniaca & Mommorantiaca origine. Sicut in Germania res bene cedunt Gallis, ita pessimè in Catalania, omnium ibi animis à Gallo alienatis per Mottæ Odincurtii avaritiam. Itaque & Taragona obsidio exemta est & magnam cladem sensere Galli. Nunc Harcurtius vir magnæ stirpis & animi eò mittitur, ut si possit, rem restituat.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

727 DE arca reperienda volo adhuc bene sperare. Annotatorum ad Vetus Test. exemplaria quatuor, duo per Vossium, duo per Vanderhagium jam aut acceperis aut accipies brevi. Indicem Auctorum supplendo uni exemplari cum literis misi. Mitto nunc alterum. Ab Osnabruga quæ accipio, item è Suedia, difficiles quidem ostendunt utrobique pacis rationes, non tamen sine bona spe. Nam & literæ de potestate Legatorum permutatæ sunt Osnabrugæ: & à Senatoribus Daniæ æqua omnia exspectant Suedi, nec ipsi aliud volunt quàm tutam pacem & commercia. Quæ à D. Spiringio & contra eum acta sunt, plenè edoctus sum, non ab ipso sed ab aliis. Velim eum consiliis uti lenioribus. Quia diu inter milites vixit, omnia vult agere militariter. In Suedia tamen altiores ejus gratia radices egit, maximè ex pecuniariis commentis, quàm ut convelli talibus querelis possit. De Vtenbogardo Epigramma non intercedo quò minùs amicis id ostendas. Annitere quæso ut prodeat quicquid est ab eo viro scriptum ad historiam pertinens, sive Ecclesiasticam sive politicam: ut & alia ejus antehac cum nomine sive sine nomine edita in unum corpus collecta prodeant & in Bibliothecis serventur. Puto Cerisantem à D. Riveto instigatum laborare hic, ne mea scripta exeant & fingere mandata Suedica super ea re quæ non habet. Etiam in Batavis Legatis Galliæ dictum aliquid ea de re. Doleo mortem Adriani Adrichemii: & Iusto precor valetudinem optimam. Saluta quæso uxorem, liberos, amicos. 8 Octobris 1644.

Gassio in Flandriam eximias prædas agit. Cepit Novum Fossatum, castellum Rougium, arcem Rengulam, Abbatiam Blambecam. Cardinalis Mazarinus adhuc ægrotat ad Fontem Bellaqueum ubi est Aula. Regina autem Angliæ Niverni est & se reficit lacte asinino. Sub finem hujus mensis, & ipsa hic exspectatur & Regina Regens. Ad res Catalaniæ restituendas it Comes Harcurtius, magnis factis non minùs quàm ortu nobilis. Castelloredericus in Belgicis partibus civile regimen dicitur habiturus, Piccolominæus militare. Salmasius huc vocatur. Nuntius Apostolicus se opponit.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

AN ex veræ prudentiæ dictatis, an verò ex Ministrorum affectibus in Proceres transfusis veniat, quod 728
indies duriùs habentur qui cum Roma sentiunt, illis perpendendum relinquo, quorum res agitur. Papa qui nunc est ex Pamphylio factus Innocentius Decimus, quanquam in Hispaniam antehac pronior, creditur æquum se præbiturus omnibus, & cum nova vita novos etiam id est medios sumturus affectus. Fuit semper Iustitiæ tenax. Spero jam & Isaacum Vossium videris & nostra ad Testamentum Vetus. Velim brevi absolvi Anthologiam, ut de aliis quoque cum Blavio agere possim. Cornelius noster ivit Bononiam, inde Romam ut puto: Venetias redibit, ut videat an ejus opera ipsis placeat. Didericus jussu Ducis Anguiani & Marescalli Turenæ cepit Fridelshemum & Neustadium: ac nunc eorum missu ivit ad Landgraviam Hassicam. De Vtenbogardi scriptis gaudeo quæ indicas cognoscere. Video & ego impensas & occasionem liberandi commercia periisse Batavis. In Anglia satis æqua sunt partium momenta: &, si saperent Parlamentarii pacem nunc constituerent non iniquam. Nam si in Germania pax coalescat, non sinent Reges alii jura Regum sperni. Miror Societatis Asiaticæ negotia non magis cordi esse iis quorum est rem populi salvam atque florentem præstare. Gassio cepit castella Cambronem & Aguinum. Desjecit equitatum Hispanicum satis validum. In Catalania res Gallorum miseræ. Astæ arcem recepit Princeps Thomas. Deus te, uxorem, liberos, amicos sospitet. Lutetiæ 15 Octobris 1644.

De Arca quid? an desperandum? Ingens in Portugallica conjuratio detecta est in vitam Regis, Reginæ, Principis. Caput erat Marchio Montaluani summa apud illum Regem in gratia: sed apud quem plus valuit Regis Castellani promissum de Ducatu Brigantiæ. Suspensus ipse & cum eo alii. Naves tres ab India Orientali Vlyssipponem advexisse dicuntur merces qui valeant XII milliones: & ex Brasilia advexisse sacchari cistæ mille. Papa & Nuntios ubique mutat, & Legatos mittit ad Imperatorem Regesque Galliæ & Hispaniæ ut ipsis pacem commendet. Rex Angliæ Digbyum Romam mittit. In Scotia nova pars & valida pro Rege est adjuta ab Hibernis, & cepit urbem Iohnstonum. Sunt ad X millia. Londini Puritanorum inter se dissensio super Regimine Ecclesiastico & super pace cum Rege amplectenda aut recusanda ad rixas & cædes venit. Sed clausi portus impediunt ne rem totam cognoscamus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EI-

EIDEM.

Mi Frater,

729 GAudeo perveniſſe ad te exemplaria quæ Iſaacus Voſſius attulerat. Spero jam habebis & illa quæ tulerat Vanderhagius quem nunc Hagæ eſſe audimus. D. Vtenbogardus non pro ſua ætate, ſed pro meo deſiderio præmaturè eſt mortuus. Nam & conſilia ejus ſuper pace Eccleſiæ & judicium de meis Annotatis intelligere valde deſiderabam. Verum eſt chartam hic typographicam non eſſe optimam. Sed hoc repenſatur commoditate ea quam locus hic mihi præbet impreſſa corrigendi. Suaviſſimæ uxori tuæ optamus omnes valetudinem optimam. Mea uxor & filia ſunt in ſtatu medio inter ſanitatem & morbum. Res Gallicæ in Catalania planè deploratæ videntur. In Germania Binga Gallos quod pauci in præſidio eſſent, excuſſit. Mangontiaci ne idem fieri poſſet proſpectum eſt majore præſidio. De Diderico ex quo Caſſelam miſſus fuit nihil intellexi. Pontifex promittit ſe æquum omnibus fore & Cardinali Mazarino, qui ob id minùs quàm ante ægrotat, ſignificavit ſe ut novum Hominem veterum non meminiſſe. De Cornelio ex quo Venetiis Bononiam ivit, accepi nihil. Danus à pace ſatis adverſus eſt, quanquam non habet ſecunda quæ jactet. Plebem Londinenſem audimus ab iis pacis legibus quas Rex proponit non averſam: quæ res multum perturbare poterit Conſilia Parlamentariorum. Gaſſionis & munitiones & excurſus bene procedunt. Deus te tuosque ſoſpitet. 22 Octobris 1644.

Ballagerum in Catalania cepere Hiſpani, imminent Servioræ. Pertinet ad honorem noſtri ordinis quod Papa nobilis, natus familia Romana Iuris Doctor & Advocatus fuit.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

730 ILla per Vanderhagium miſſa exemplaria ſpero jam receperis. Alioqui poteris ad eum mittere: eſt enim Hagæ ut hic intelleximus. Vxorem tuam melius valere gaudeo & nos ei cordi eſſe. Mea decumbit ex rheumate, cum moleſtia magis, quàm cum periculo. De arca ſpero tandem te quid ſit reperturum. Quæ ad Livium notavit Gronovius quædam vidi. Sunt egregia. D. Vtenbogardi vitam velim edi quamprimùm, nec video quid obſtet quominus ſcripta ejus omnia colligantur & edantur. Non enim noſtra tantùm ætas, ſed tota poſteritas ab oculos nobis eſſe debet. Didericus Ducum miſſu ad Caſſelam Haſſiæ profectus eſt. Ex eo nihil de eo accepimus. Res Gaſſionis in Flandria bene procedunt. In Germania creſcunt Bavarici,& Manhemum vi cepere. Dux Anguianus hic in Aula laborat,ut qui ibi eſt Gallorum peditatus, multum exhauſtus præſidiis, augeatur. In Anglia res adhuc in libramento quodam ſunt. Parlamentariorum plerique extrema potiùs omnia quàm pacem volunt. Cognatis noſtris Debiziis concordiam precor, feliciaque omnia. D. Salmaſius huc vocatur ſub ſalario ſex millium Francorum in annos. Sed quia ſolutio hic minùs certa eſt quàm in Hollandia,& Nuntius Pontificius jam ei negotio ſe immiſcet, dubitant amici an ille accepturus conditionem, quamvis ſpecioſam. Si non accipit, in hoc ei proderit ut ſe Batavis pretioſiorem faciat. Deus te, cum tuis noſtriſque omnibus ſervet. 29 Octobris 1644.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

731 VEllem ſanè de primis exemplaribus unum datum ſine mora fuiſſet Voſſio, ut non præſcripſeram tantùm ſed & filio ejus cùm ei exemplaria commendarem promiſeram. Spero nunc ſaltem eum habere à me exemplar, vir iſtarum rerum intelligentiſſimus. Librum de Horis Canonicis editum gaudeo. Miror me acceſſionem factum Weſterbanii & ejus acrimoniam contra Eccleſiæ Romanæ adhærentes. Angliæ Regina intra paucos dies hic erit. Didericus noſter omnia tibi mandata bene eſt exſecutus. Dux Anguianus magnis eum ornat teſtimoniis. Creſcere quotidie ſectarum numerum apud Anglos certum eſt. Eaque cauſa multos impellit ad quærendam Eccleſiæ unitatem. Princeps Arauſionenſis quovis modo domum ſuam fundat. Erit Magnus Suediæ Cancellarius inter Legatos qui ad pacem cum Dano faciendam mandata habent. Doleo de Anthologia nihil me intelligere & accipere me literas à D. Gerardo Voſſio quibus ſignificat ſe exemplar exſpectatum nondum accepiſſe. Vide quomodo id excuſare poſſis. Regina & Rex hic bene valent. Cardinalis Mazarinus adhuc infirma eſt valetudine. A foribus Cardinalis Antonii Romæ ablata ſunt Galliæ inſignia & literæ ejus quas contra Cardinalem Pamphylium nunc Papam ſcripſerat, ad Papam miſſæ. Auctor fuit Galliæ ut contra Pamphylium laboraret, magnis etiam pecuniis in id miſſis. Et ipſe arcanis pactionibus initis in eum & ſuum & amicorum ſuffragium contulit, offenſam Galliæ reliquit. Piccolominæus in Sancti Audomari urbem victum intulit captis aliquot caſtellis. In Hiſpania multa circa ſtatum & ærarium emendantur. Regina Hiſpaniæ an adhuc vivat incertum eſt. Deus tibi, uxori, liberis amiciſque ſit propitius. Lutetiæ 5 Novembris 1644.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VEllem & pridem dediſſes D. Voſſio exemplar & Vanderhogium ſimul venerat interpellaſſes. Aut liberaſſet fidem aut ſciremus quid impediat. Iſaacus Voſſius ad me ſcribit & ad Anthologiæ Indices pollicetur operam. Rogo ei oſtendas quæ antehac ea de re monui, etiam præfationem noſtram. Noſtra ad Pentateuchum jam tibi lecta gaudeo. Non puto Senatorem Reigersbergium æquè feſtinaturum. De uxoris tuæ valetudine Deo gratias ago. Mea jam dudum eſt quod defluxibus, capitiſque doloribus tentatur. Didericus jam Magontiaci eſt. Caſſelæ ſcribit ſe cum honore exceptum & gratam eſſe ibi memoriam eorum quæ ego pro rebus Haſſicis feci. Is qui nunc eſt Papa ſemper juſtitiæ cultor fuit, crediturque impoſitam perſonam bene acturus, in quo & hoc comprehenſum eſt, ut omnibus ſuæ communionis Regibus æquum ſe oſtendat. Pacem Hiſpania, ut puto, deſiderat. An & Imperator & Gallia dubito. Liberos meos omnes ſi qua in re uſui eſſe poſſent per literas meas Suediæ commendavi. Sed multi jam ſunt Suedi aſſueti publicis negotiis & per itinera rerum peritiam conſecuti. Evenit plerumque, ut & Plato notavit, ut cùm navem gubernandam, aut domum extruendam nemo accedat niſi qui diu ſe ad id paraverit, ad rempublicam gerendam quiſque ſe putet idoneum, cùm tamen ea res non ſtet ſolo ingenio, quod nec Alcibiadi, nec Gracchis defuit, ſed multis adminiculis, magniſque virtutibus egeat. Ἐρίτλω δεῖ πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. Deus te, tuosque ſervet. Lutetiæ 12 Novembris 1644. 732

Iam nunc audio Vanderhogium Diepæ reliquiſſe arcam & ſarcinas dum abire feſtinat. Id ſi verum eſt, excuſari poteſt. Inquire.

Tibi obligatiſſimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

SPero jam ſaltem exemplaria habituros D. Voſſium & D. Salmaſium. Voſſium maximè qui differri tam diu non debuit. Si planè conſtituit Blavius edere noſtra ad 733

ad Vetus & ad Novum Testamentum & quidem sine mora, indicet mihi cui tradi velit & exemplaria quibus à me Hebræorum & Græcorum locorum versio adscripta est, & emendata quædam. Sin prius edere vult Anthologiam, differam transmissionem illorum exemplarium, donec ei erunt necessaria. De arca doleo ita neglectum habitum documentum divini in nos favoris. Cornelius jam Venetiis est & aliquid boni sperat. D. Salmasius an huc venturus sit, ipsi qui hoc negotium curarunt, dubitant. Nuntius certè Apostolicus obstrepit. Isaaco Vossio quod nostras res cordi habeat, summas habeo gratias. Nostra ad Novi Testamenti reliqua brevi ut spero hic edi incipient. Addam dum eduntur versionem Græcorum & Hebræorum, ut postea ista quoque pars similis sit eis quas edere parat Blavius. Hoc meum consilium aliis notum esse nolo ob causas graves. Regis Britanniæ res iterum retrocedere dicuntur. Ipse Bristolii esse. Habere exercitum sexies mille equitum: octies peditum. Pacis conditiones à Parlamento proponuntur res intolerabiles. Marescallus Castilionæus valet meliùs. Apud Wattenam tenuis est Gallorum exercitus & commeatus difficiles. Barbarini Roma excessere. Deus te cum uxore, liberis & amicis servet. 19 Novembris 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

734 Literas tuas 14 Novembris Amstelodamo datas rectè accepi: gaudeoque sanatum id quod exemplarium distributioni intervenerat. Hic nihil agitur: sed ad Rhenum Hochsta à Gallis capta & exspectantur Hassica auxilia. Motta à Gallis seriò obsidetur. Nondum se junxere Glenius & Lotharingus. Catalania nutat. Harcurtius nondum eò ivit. Qui ex Italia literas habent, Papam ajunt bene valere. Additur jocus accepisse eum Papatum sub beneficio Inventarii, quia res invenit à Barbarinis ita tractatas, ut nihil pecuniæ, multum æris alieni reperiretur. Anthologiam & tibi & D. Isaaco Vossio commendo. Epigramma meum in Vtenbogardum mallem omissum fuisset. Res Angliæ Regi non optimè procedunt. Eo ferocientes Parlamentarii leges Regi præscribunt per quas eum detrudere volunt infra. Principatum Laconicum. Papa Cardinales facit Camillum consanguineum suum & Ducis Ethrusci Fratrem Iohannem Carolum. Deus te cum conjuge & liberis servet. 26 Novembris 1644.

Ad Iesuitarum odium accedit quod puer quidam apud eos dum virgis cæditur interiit. Non sunt alioqui plagosi.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

735 Vanderhogii sarcinæ spero jam advenerint, ut apud librarios fidem tuam liberes. Si quid à D. Vossio intellexeris dignum quod cognoscam, velim id mihi significes & omnes amicos qui Amstelodami sunt resalutes. Papa rem gerit feliciter. Metuit eum Cardinalis Mazarinus ob suas magnas contra eum molitiones, quanquam Papa veterem hominem se deposuisse dicit, novum induisse. Dolemus res Angliæ Regis in pejora labi & à Parlamentariis nihil æqui obtineri posse. Fruentur ejus Regni malis Galli in Flandriam penetrando. Harcurtius in Catalaniam nondum ivit. Hassici non longè sunt aut à Torstensonio aut à Gallis. Exhausta est Gallia pecuniis, & difficulter reperiuntur novæ. Id fortè ad pacem constituendam proderit. Miror me de Anthologia nihil intelligere. Deus te cum uxore, amicis, liberis servet. Lutetiæ 3 Decembris 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

Exemplaria nostra Annotatorum si rectè ad te pervenient, erit quod gaudeamus ea evasisse pericula à tempestatibus, mari, prædonibus. Isaaco Vossio gratias summas ago, quod & Indicum in Anthologiam & correctionis laborem nostri causa non defugit. Multum is præstat Sorberio. Annotatorum meorum ad Vetus Testamentum nullum exemplar apud me retinui, præter unum in cujus margine sunt versiones meæ. Comparatione virorum qui eminent in Sacra, quique in profana historia ita præmollivi easque addidi exceptiones, ut reprehendi nisi inverecundè non possit. Sacra historia præter usus proprios habet quosdam cum historia profana communes, eosque non spernendos. D. Salmasius non immeritò hæsitat. Opto ei ut consilia capiat quæ ex re ipsius erunt familiæque ejus. Monasterii & Osnabrugæ jam de iis quæ ante limen rei erant, convênit. Brevi videbit orbis Christianus qui sint qui pacem seriò velint. Vondelii ominibus apprecor. Parlamentarii ferociunt & conditiones offerunt Regi inquissimas. Sed Rex in ver recolligit exercitum: & sine auctoritate publica multi Galli ad eum ibunt. Hic paratus fiunt contra Germaniam & Flandriam. Sed vix credi potest quàm difficulter expediatur pecunia. Deus te, tuosque servet incolumes. 10 Decembris 1644. 736

Vides poëmata mea juvenilia mihi objici quasi per te ea voluerim recudi. Certè non volui. Et tu id scis. Audio iterum edi. Velim impedias si fieri id potest, si non, testeris mihi id displicere. Nolim quicquam eorum manere præter sacra. Iam nunc accipio Simonis Groenwegii librum. Non displicet mihi ejus labor. Quæ controversa sunt velim ab Ordinibus definiri, ut litibus seges minuatur. Mitto epistolium meum ad ipsum Groenewegium, quod trades ita si id ex usu existimes.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

De Vanderhogio datis exemplaribus volo bene sperare, nisi fraus aliqua intervênit. Nam à Dunkercanis illata damna audio fuisse exigua. Mittent Germani & Principes & civitates ad Conventum qui est Monasterii & Osnabrugæ, non ut ipsi res tractent cum exteris: sed ut desideria sua deferant ad eos quos Imperator & Electores quibus res hæc permissa est delegabunt. De Anthologia multum gaudeo eam exire in publicum: & Isaaco Vossio multum debeo pro cura quam suscepit. De privilegio Regis nihil sciveram. Nec de eo laborare ad me pertinebat, sed ad Cramoisiacum, cui omnia opto bene procedant, quando ista Annotata satis pulchrè edidit. Exemplar cum versione Hebraicorum & Græcorum locorum tunc mittam, cùm sciero Blavium inchoare velle novam editionem & cùm hominem idoneum mihi nominaverit per quem mittam. Nimis diu me trahit is qui Annotata ad Actus & Epistolas & Apocalypsin daturum se typis promiserat. Nisi stet pollicitis alium inveniam. Nam illa ad Vetus Testamentum valdè sunt venalia. Vtenbogardi historiam rogo quamprimùm prodierit & poteris ad me mittas: meque edoceas an quid adhuc occultetur ejus operum. D. Brassero omnia opto prospera & liberis ipsius: ostendit enim semper amorem nostri. De studiis nihil memini me scripsisse præter unam ad Maurerium epistolam quæ jam sæpe est edita. Pontifex ad duos Cardinales adjiciet Casimirum Poloniæ Principem & Fratrem Parmensis. Multum hic displicet scriptum quod in Anglia edidit Elector Palatinus. Videtur is in turbido piscari velle, quod non semper succedit. Deum precor, ut Archiepiscopo Cantuariensi det aut vitam proximis utilem, aut exitum Episcopalem. Non invideo 737

deo Graswinckelio nostro eam de qua dicis functionem. Video eum ad honores grassari laudabili via. Cæterùm Legati à Fœderatis Ordinibus si Monasterium ennt, multas ibi reperient controversias de honorum signis. Nimium se attollere voluerunt: ideo omnes id agunt, ut eos deprimant. In editione Institutionum nostrarum quas fecit Groenewegius, doleo nec in margine positas, nec in Indicem redactas vocum Batavicarum appellationes Latinas & Forenses. Id enim lectoribus erat planè necessarium, neque omitti debuit. Non perlegi librum, sed oculis percurrentibus inspexi. Miror quædam errata gravia, ut Pag. 4. circa finem *t'eenemael* pro *niet t'eenemael*. Pag. 10. *gemaligde* pro *gemachtichde*. 52. *dewelcke* (*als gezeit is*) poni debuit. P. 100. *wasse* positum pro *wasser*. 137. *hoewel't stuck* pro *hoewel in't stuck*. P. 41. *onder algemeene.* pro *onder algemeene*. P. 173. *'t gunt van Lysttocht sonde* pro *'t gunt van Lysttocht zonde*. 177. *Koopschap* pro *Koopschat*. Pag. 228. *vetalinas* pro *bepalinas*. Illud nunc obiter addam nugas esse quæ ex Hadriano Iunio adferunt de Origine vocis Scabinorum à Scaphin. Est id nomen usurpatum ubique in Gallia, non notum in Saxonia bello domita, ubi jura quædam usurpata sunt armis sæviora. Sed ut mea quoque vineta cedam, arbitror me non rectè ejus vocis originem deduxisse à *vonnis Scheppen* quod est judicare. Non enim forma ista vocis est activæ, sed passivæ. Et in speculo Saxonico aliisque libris Germanicis veteribus scribitur *Escheper*, ubi E est augmentum significativum præteriti passivi. Quod vestri nunc per *ge* exprimunt; Frisii autem ut plurimum omittunt. Est autem *Escheper* nihil aliud quam electus, Eleu in quibusdam Galliæ locis: *Scepenbaer* is qui talis est ut eligi possit. Hæc ab aliis fortè spernentur, apud te qui & Iurisconsultus es & simul antiquarius, non erunt ingrata aut inutilia. Omninò autem verum est jus repræsentationis quale est in Zelandico & Scabinico jure, non esse à Romanis, sed à Carolo Magno, qui Episcopis suasoribus duritiem Germanicarum legum veterum ad quandam lenitatem inflexit: Frisiis autem reliquit jura vetera, quia fœdere tali quo jura ipsorum servabantur Francis se adjunxerant. Illud autem quod de electione tractamus Libro II. titulo XXI. planè à Francis est. Licebat enim apud eos cuique familiæ profiteri se velle uti Romano jure aut Germanico vetere, ut ex formulis Marculfi & aliunde discimus. Ius Romanum cùm hic dico, intelligo Theodosianum, non Iustinianæum, quod modo demum in Gallia auctoritatem accepit. Papa novos Cardinales parturit. Regi Angliæ prosperè aliquid evênit contra Walterum. Pacis ibi vix ulla spes, adeo iniqua sunt quæ proponunt Legati à Parlamentariis ad Regem missi. Nec colloqui volunt: sed nudum responsum petunt. Deus vos servet. Lutetiæ. 17 Decembris 1644.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

738 DE Vanderhogii sarcinis non desino bene sperare. Norunt artes alterius & Papa & Cardinalis Mazarinus. Itaque vix est ut bona fide coëat amicitia. De Negumbo grata sunt quæ scribis. Causam Societatis & urbis bene defendi gaudeo. Legatos vestros in Anglia substituros puto. Pacis nulla spes, adeo iniqua sunt Parlamentariorum postulata. Regina Angliæ jam quatuor sunt menses quod nullas domo accepit literas. Harcurtius parat se Catalanico itineri. Galli non in juris disputationibus, sed in armis spes collocant. Et Cardinalis Riceliaci unum illud ex Iure Civili norat, possideo quia possideo. In Normannia & Britannia Armorica Ordines coeunt ad quærendas pecunias, & ex civibus urbis divitibus corrogantur XII milliones. Res Suedicæ & mari & terra tum in Scania tum in Holsatia & Iultia, tum apud Albim satis sunt prosperæ. Et tamen, de quo Deo gratias ago, ostendunt se Suedi non alienos à pace, tam cum Dano quàm cum Imperatore. De Senatore Cromonio, quod nostri meminit & nos amat gratias ago. Ejus filius mirè mihi satisfacit. Galli in Flandriam quidem & Atrebates jura magna olim habuere: sed & abdicarunt per paces factas Francisci I. temporibus quæ approbatæ sunt pace Verbinensi. In Catalanos autem jus repetunt à Caroli Magni temporibus, ajuntque contra Regnum Galliæ nullos valere temporum lapsus, ita sibi fingunt jura quibus aliarum gentium nulla assentiatur: quale est & jus quod vocant Vnionis, ex quo cuncta semel à Galliæ Regibus possessa, etiamsi aliunde ei obvenerint, apud Regnum manere debent exclusis iis ad quos alioqui venire debebat hæreditas: ita ut si Regnum perveniret ad Principem Condæum is Navarræ Regnum habere deberet exclusis iis qui post Henrici IV. progeniem ad sanguinem Navarræ pertinere reperirentur. Multa habent talia in quibus sibi blandiuntur. Galliæ populus multum pacem optat: qui regimen obtinent, non perinde. Harcurtius adhuc iter in Catalaniam parat. Dux Anguianus in Germaniam rediturum se dicit. Deus te, tuam tuosque servet. 24 Decembris 1644.

Chartas quasdam ad Vergoesium mitto obsignatas ut si editionis in te cadat suspicio, liquidò dicas te nescisse. Rogo ipsi in manum tradas. Ea quæ sequuntur mittam duabus sequentibus scriptionis diebus.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

ROgo bene inquiras ex Vanderhogio quid sit de exemplaribus & dolus sit, an culpa, an casus quod 739
nondum advenerint. Dedi ego unum exemplar, ut duo deferret. Sperabam eum & hoc nomine & ob cognationem aliquam curam habiturum illius rei. Ad Isaacum Vossium de Anthologia scripsi quid velim. Vbi incepta erit cusio, velim mihi significes. Exemplaria Annotatorum ad Vetus Testamentum, & ad Euangelia addita Græcorum & Hebræorum versione videor mihi mittere non debere priusquam certus sim parata omnia, ut excudantur, novi enim tricas istorum hominum. Et fieri posset ut Cramoisiacus prior paratus esset, de quo tamen nihil mihi constat. Præterea, si omnia bene sint parata, velim per Blavium nosse homines quibus tutò possim tradere. De comparationibus virorum magnorum in Dei populo & in aliis populis dicant homines insueti quicquid velint, ego cum omni cautione usus sim necessaria, non curo oblatrantes. Credo vestros Proceres nondum in id paratos ut Legatos mittant, donec qui hic est Legatus de honoribus obtinuerit quod volet. Interim poterit Graswinckelius illorum vice fungi. Groenewegium nobis cognatione junctum non noveram. Alioqui etiam ejus necessitudinis apud ipsum meminissem. Condonandum aliquid est homini tam diu remoto à suis. Video in rebus Societatum multa agi ex factione magis quàm ex bono publico. Ex Anglia non miror revocari Legatos. Nam ibi μεγαρέων οὐδεὶς λόγος, Accepi literas à Corvino. Gaudeo perstare eum in reverentia antiquitatis. Puto paucos esse tales inter Remonstrantes. Alioqui suaderem eis ut constituerent inter se quosdam in eminentiori gradu, ut Episcopos & ut ii χειροθεσίαν sumerent ab Archiepiscopo Hiberno qui ibi est; & ita Ordinati ordinarent deinde pastores cæteros, atque sic initium facerent redeundi ad mores & antiquos & salutares: quibus contemtis licentia invaluit pro novis opinionibus faciens novas Ecclesias: quæ quid pòst aliquot annos credituræ sint, nescimus. Velim edi quæ olim pro pace Ecclesiastica scripsit satis prudenter Abrahamus Mylius. Regina Angliæ pecunia aliquid hinc acceptum ad Regem maritum suum misit. Sunt qui pacem sperant in

in illis locis, quia Rex viros eximos mittit ad Parlamentum, ἐγὼ δέ τις ἐ ταχυπαθής. Deus te cum conjuge, amicis & liberis servet. Pridie anni novi, qui erit 1645.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

740 SPero Vanderhogium si antehac negligens fuit, memorem tamen fore apud quem exemplaria ipsi commissa reliquerit, ut inde tanto post tempore tamen repetat. Exspectabo nuntium inchoatæ excusionis Anthologiæ. Nostra ad Novum Testamentum cœpere jam excudi, non apud Cramoisiacum qui ob Privilegii desperationem factus est minùs talium appetens, sed apud alium. Typi erunt satis elegantes. Vtenbogardi posthuma avebo legere simulatque in lucem prodierint. Epistola mea ad Maurerium me non volente edita est sæpe. Postremùm ab Elzeviriis in libello de Studiorum ratione, in quem & alia congesta sunt ejus generis. Si quid specialius à me scire desiderat Brasserus, scio quid isti nomini debeam. Nostræ res & contra Cæsarianos & contra Danum pulchrè procedunt. Legati & Suedici & Gallici adventum Ordinum Imperii ad loca Colloquii opperiuntur. Promisere se missuros Franconia & Episcopi quidam. Graswinckelii factum mihi non placet, nec aliorum qui sacra profanis subjiciunt. A Groenewegio video nominari res judicatas quibus contrarias ego penes me habui, ut de irritis testamentis quæ fiunt apud tabelliones non admissos à civitatibus. Sed velim & super quibus judicia variant definiri ab iis quorum summa est potestas. Gaudeo quæ de Origine vocis Scabinorum & aliis rebus ad te scripseram, tibi probari. Miror Proceres vestros ita esse lentos in negotiis celeritatem requirentibus. Galli Crucenaci arcem & Mottam in Lotharingia media hyeme obsident. Alibi quiescitur. Dux Lotharingus militiam sumit Hispanicam. Motta Odincurtius qui pro Rege Galliæ Catalaniam rexit cùm huc veniret, Lugduni jussu Reginæ captus & in carcerem datus est. Papa Imperatori concessit militem in terris Ecclesiæ scribere. Deus hunc annum & sequentes det felices tibi, tuæ, tuisque. 7 Ianuarii 1645.

Patriarcha Constantinopolitanus Parthenius ab alio Parthenio Adrianopolitano Calvinisante, ut audio, vi pecuniæ ejectus est, frustra conquerente Ecclesia Constantinopolitana.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

741 MIror de Vanderhogio quid in re fuerit, & quid futurum sit. Si vult nos luere quod ille peccavit, fiet id quidem; sed cum ipsius & aliorum ipsi similium dedecore. Velim scire quid dicat. De conditionibus quas Parlamentarii Angli Regi suo offerunt, vera dicis. Sed puto Regem novis conditionibus tentare an dissidia inter illos nata alere possit. Alii nobilitati favent, & per id Regiæ potestati: alii plebi. Quidam Episcopos & Liturgiam sublata volunt: alii servata. Sunt quibus bellum prodest: aliis commercia & pacem. Suedi nostri, quantum hucusque judicare possum, omnia ad pacem æqua proponunt. Brevi videbunt qui extra belli sunt necessitatem, penes quos sit pacis mora. Eobaldo Dusseno & Adrichemo gratulor, quod privilegio senectutis fruuntur. Alteri Dusseno & Meermanno quod summum in sua civitate honorem adepti sunt. Galli in omnibus prætextibus bellorum dicunt inopinati, & in iis se jactant mirum in modum. Aula Turcica pridem talis est qualis Persica Alexandri Magni temporibus. Ni id esset brevi nos nostrorum dissidiorum pœniteret. Et fortè non alia melior est via qua omnes ad bonam mentem redeamus. De rationibus quas vestri pro se adducunt, ut se æquent Regibus disputare nolo. Taprobane veterum est haud dubiè. Seilan etiam Græcis dicta & Romanis quibusdam Selandira, Persica desinentia: nam Persis diva est insula. Phænices ibi habuere colonias. Post eos alii, etiam. Sinenses. Originem primam puto esse ex proximo continente, ut insulis plerisque. De veneratione Regis, credo eam qualis nunc est, esse à Persis aut Sinensibus. Olim enim valde erat adstricta, ut ex Plinio cognoscimus. Et id videtur fuisse de moribus veterum Indorum. A Diderico literas habeo datas 28 Decembris. Bene valet & est in actu. De Vergoesio bene factum. Deus hunc annum & sequentes det felices tibi, uxori tuæ & liberis. Iamjam literas à nostro Venetico accipio, nihil planè promovet, & contra nostram sententiam trahi se sinit. Harcurtius nondum abiit, sed quosdam de suis præmisit. Crucenaci arx in Gallorum est potestate. Papa Imperatori permittit militem scribere tanquam contra Ragotskium. Qui Galliæ favent acriter nituntur in contrarium. 14 Ianuarii 1645.

Deus te cum uxore, liberis & amicis servet.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdetur Motta Odincurtius longo carcere mitigaturus Catalanorum animos, & expiaturus culpas avaritiæ quæ dicuntur esse non leves & magno constitisse Galliæ. Vt cum Suedis arctiùs stringant fœdus vestri, magis ipsorum quàm Suediæ interest. Poterunt enim semper Suedi suas res cum Dania bene ponere, & deinde tutò spectare sudantes alios. Exspectant Bremenses & Hamburgenses quid vestri sint facturi. Exspectant idem & aliæ maritimæ Civitates. Cerisantes quærit quomodo de pecuniæ annuæ solutione in posterum certus esse possit. Ideo Reginæ nostræ imagines, quarum altera per ipsum ad me erat missa à D. Comite de la Guarde dedit Reginæ, alteram Cardinali, & huic oden insuper, in qua eruditi qui hic multi sunt, notant tria manifesta contra prosodiam peccata. Thermódon & Orithỳa quæ sunt Græcè Θερμώδων & Ὠρείθυια. Rex Poloniæ metuit ne Casimirus factus Cardinalis & non Presbyter factione Pontificis & Iesuitarum, Regnum aliquando paret liberis suis. Facilè enim Cardinalatus cum matrimonio mutatur ab iis qui Diaconi vocantur aut Hypodiaconi. Princeps videtur se non tam Hispano dare quàm Pontifici. Sed & ipse Pontifex in Hispanos quàm in Gallos pronior creditur, non tantùm quia Gallorum res conjuncta est cum iis qui se à communione Romana segregarunt: verùm etiam quia Gallia vehementer ipsius honori obstitit. Dicit tamen se, ut noviter natum, nolle meminisse rerum anteactarum. Bavarus ut longo dominatu ad astutias exercitus rumore amicitiæ Gallicæ apud Imperatorem utitur & contra. Suas autem res agit & solus, hoc bello factus est opulentior. Croii opusculum legi, acerbum sanè in Heinsium. Sed hoc ipsum ille imputat & Bezæ manibus & amicitiæ erga Salmasium. Res est inhumana literas, ut jam non dicam divinas, certè humanas sic tractare. Multa legit Croius: non multa tamen adfert admodum utilia. Vale cum uxore & liberis. 18 Februarii 1645. 742

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

VIdeo te occupari in negotiis domus Nassaviæ. Kinschotium vidi. Pransus est his diebus apud nos. De Reigersbergio spero nos intellecturos meliora. Mea responsa nolim edi ulla, nisi sint data in magnis quæstionibus & approbatio-nem habeant eruditorum. Sæpe enim obruimur in rebus talibus. 24 Februarii 1645. 743

Abiit jam in Catalaniam Harcurtius. Parat se itineri Ger-

Germanico Dux Longavillanus, sed prius visurus Normanniam. Annotata nostra ad Acta jam finem habent.

Tibi obligatissimus Frater H. G.

EIDEM.

Mi Frater,

744 SCripsit ad me D. Groenewegius multò benigniùs quàm in libro. Velim & eum & D. Bozum amicè meo mandatu salutari. Filiis tuis quamdiu aliter prodesse non possum, omnia opto felicissima. Cornelius noster Venetiis adhuc hæret. Dicitur cum nescio quo depugnasse. Nos pridem ab eo nihil literarum habuimus. Didericus à Marescallo Turennæ rursus ad Landgraviam missus est. Vxor mea adhuc Rotomagi versatur in malis negotiis Treselianis. Blavium impellas rogo. De honoribus & titulis etiam ut priores invisentur Batavorum Legati. Regina Regens ita concessit ut in beneficio id haberi velit & bonam pro eo operam reposcat. Vt Batavi se cum Suedis conjungant puto & ex re ipsorum esse & federi convenire, quandoquidem interpellatus Danus distulit facere quod ratio & æquitas exigunt. De mercibus quæ impositæ sunt in hostium naves dixi quæ in mentem veniebant in libris de Iure Belli ac Pacis, tibique assentior. Responsum meum de tali controversia apud me non habeo. Sed valde examinata olim fuit ea quæstio, ob Italicas merces in navibus Lusitanicis repertas. Vide Boetii decisionem 178. & Straccham. De responsis meis scripsi nuper, nolle me illa edi, nisi in magnis negotiis & quæ peritorum judicio approbentur. Nescio an conveniant quæ de Archiepiscopi morte ad te misi, cum iis, quæ Hagæ vulgata sunt. Sed illud de sanguine possit verum fieri. De Annotatis velim memineris. Si qua judicia Romanensium de Horis Canonicis audieris fac me gnarum. Vitam D. Vtenbogardi ubi commodum erit mittere, exspectabo. Hic omnia quieta sunt. Harcurtius jam in Catalania erit. In Italia nihil agitur. Rosa qui cum bonis copiis equestribus & pedestribus Rhenum transierat oppidumque & arcem Nogoldiam erat populatus ad Merciaci validioris adventum retro se tulit ad cisrhenanos. Vbi uxor huc redierit, tempus erit de Spadano itinere cogitandi. Lutetiæ 2 Martii 1645.

Deus te, cum uxore, liberis & amicis servet. Vide an aliquid efficere possis ut chartæ mihi restituantur. Erant quædam inter eas perutiles. Nescio an verum sit quod audio in Parlamento Anglicano literas scriptas ad D. Salmasium, ut defendat ipsorum gubernationem Ecclesiasticam contra Episcopos & Independentes: ipsum autem id facturum in libro quem scribit de Primatu.

Tibi obligatissimus Frater H.G.



C A T A L O G V S

Eorum quibus hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.

Numeri Epiſtolas denotant.



Hie-

by Google

Digitized by Google


Digitized by Google